


9
11-6
3

6
7 0
5

SAMUELIS BASNAGII,

FLOTTEMANVILLÆI,

ANNALES POLITICO-ECCLESIASTICI ANNORUM DCXLV.

à Cæfare Augufto ad Phocam ufque.

In quibus Res Imperii Ecclefiæque obfervatu digniores fubjiciuntur oculis, errorefque evelluntur Baronio.

TOMUS SECUNDUS.

Exhibens ea notatu digniora, quæ fecundâ, tertiâ, & quartâ ad Sexagefimum tertium Annum ufque Æræ Chriftianæ Centuriâ continentur.

Additæ funt duodecim Differtationes ad illuftrandam Antiquitatem Ecclefiafticam idoneæ.



ROTERODAMI,
Typis REGNERI LEERS, Bibliopolæ.
MDCCVI.

ANNALES
POLITICO-ECCLESIASTICI

Annorum DCXLV. à Cæsare Augusto ad Phocam usque.

In quibus res Imperii Ecclesiæque observatu digniores subjiciuntur oculis, erroresque evelluntur Baronio.

SECULUM SECUNDUM.

ANNO DOM. 101.

ANNO U.C. 854. OLYMP. 220. PER. JUL. 4814. JULIANO 146. DOM. 101. TRAJANI 4. *Solis* 26. C. *Lunæ* 7. *Indict.* 14. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 5. *P.* 4. *Apr.*

ANNO DOM. 101.

COSS. *Trajanus Augustus IV. & Sextus Articulejus Pætus.*

Trajanus in Dacos proficiscitur.

I. TRajanus qui Romæ hactenus morabatur, in Dacos dein proficiscitur cum exercitu. Pecuniam quam Domitianus Decebalo promiserat, solvere clarissimo Principi videbatur. Nec à veri specie abest, Dacorum Regem, Parthorum fuisse conjuratum, ut Romanum simul imperium lacesserent. Militem quippe, nomine *Callidromum*, captum à Susago in Mœsia, Pacoro Parthorum Regi miserat muneri. Trajani profectione cognitâ, pertimuit Decebalus, quem non latebat, Domitianum quidem non Romanos armis superatum suis fuisse. Postquam in Dacos exercitum duxit, nec longè Tapsis abfuit, ubi castra Barbari posuerant, fungus ingens ad eum affertur, in quo Latinis erat literis scriptum: Buros, sociosque omnes Trajanum hortari, ut pedem referens pacem coleret. Monentibus tamen non obtemperavit, sed cum hostibus congressus, magnis eos anno sequente cladibus affecit. Porrò Adrianus, qui Trajano IV. & Arunculeio Coss. Quæsturam gesserat, in eaque ludibrium dederat, quòd orationem Imperatoris in Senatu agrestius pronunciarat, usque ad summam peritiam Latinis operam dedit. Post Quæsturam ad bellum Dacicum, Trajanum familiarius prosecutus est. Quibus apparet, Trajanum ineunte anno Romæ constitisse; neque Baronium audiendum esse, qui ex falsâ inscriptione, sibi in mentem induxit, triumphum de Dacis à Trajano IV. Consule ductum esse.

Plin. l. 8. Ep. 15.

Dio l. 68. p. 772.

Spart. Adr. c. 3.

De supremo Joannis Apostoli anno. Fueritne mortis expers?

II. Joannem Apostolum ad tempora Trajani usque annos extendisse suos, legitur apud Irenæum: *Sed & Ephesina Ecclesia, quæ à Paulo quidem fundata est, Joannem verò usque ad Trajani tempora habuit præsidentem.* Quoto verò Trajani anno excesserit, est in incerto. Id quidem tradit Hieronymus, de Viris illustr. *Interfectò autem Domitiano, & Actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, sub Nerva Principe redit Ephesum, ibique usque ad Trajanum Principem perseverans, totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias, & confectus senio, LXVIII. post passionem Domini anno mortuus, juxta eandem urbem sepultus est.* Mors J. Christi ab Hieronymo affigitur anno Dionys. XXXII. Domitio & Vitellio Coss. Quippe libro de Viris illustribus c. v. sic dirigit tempora: *Post passionem Domini* XXXV. *anno, id est secundo Neronis*: & infernus, *Quarto decimo Neronis anno, post passionem Domini* XXXVII. Ex qua Hieronymi Chronologia, Joannes obiit anno Æræ nostræ centesimo. Itaque non assentitur Hieronymo Baronius, licet se ipsius sententiam sequi profiteatur, dum nec sibi constat, mortem Joannis anno XCIX. assignat. Anno enim LXVIII. Dionysiano XXXII. additis, centesimo labente Joannes ad plures abiit. Quem verò sibi defensorem parat Eusebium, adversarium quidem invenit, perinde atque Hieronymum. Cæterùm cùm ex antiqua Traditione haustum videatur, Joannem senio confectum, LXVIII. post passionem anno mortuum esse, quæ in XXXIII. Æræ nostræ incidit, probabilis est conjectura, Joannem anno labente finem hujus lucis invenisse. De ipsius ætate Chronicum Adonis: *Joannes Apost. ætatis suæ* XCVIII. *Ephesi placidâ morte quievit.* Longius vitæ curriculum confecit, si Chronico Alex. creditur: *Joannes cùm vixisset annos centum, in Domino obdormivit.* Ad summam sanè senectutem vixisse, indicio est narratio Hieronymi: *B. Joannes Evangelista, cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & vix inter Discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre Collectas, nisi hoc, Filioli, diligite alterutrum. Tandem*

Iren. l. 3. c. 3.

Hier. l. 3. in Gal. c. 6.

ANNO DOM. 101.

Discipuli & fratres qui aderant, tadio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt, Magister quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: Quia praeceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit. Mirum est autem Veterum nonnullos, hoc sibi persuasionis induisse, Joannem mortis prorsus expertem fuisse, cujus traditionis meminit Augustinus:

August. in Joan. tract. 12.

Tradunt quod in quibusdam Scripturis, quamvis Apocryphis, reperitur, quando sibi fieri jussit sepulchrum, incolumem fuisse praesentem, eoque effosso, & diligentissimè praeparato, ibi se tanquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum: ut autem isti putant, qui haec Verba Domini sic intelligunt, non defunctum, sed defuncto similem cubuisse: & cùm mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem: & donec Christus veniat sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare, qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli. Opinionis est & ejusmodi Ephraemius Patriarcha Antiochenus, qui anno DXLIV. ad plures abiit, Joannem vitam adhùc retinere:

Phot. Bibl. c. 229. 798.

Virginem autem Joannem sic superesse, ut Enoch & Eliam, traditione habemus, & quod in Evangelio habetur in hunc sensum trahitur. . . Et respondente Domino, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Πῶς οὐχὶ nonne illum mansurum in hunc usque diem veritas pradicet? In eam quoque traditionem inclinat Gregorius Turonensis:

Greg. Tur. Hist. Franc. l. 1. c. 26.

Hic fertur non gustato mortem, donec iterato Dominus judicaturus adveniat, ipso in Evangeliis dicente, Si eum volo manere donec veniam. Non male Nicephorus de Petro: *Caeterum Dominus eò quòd temerè & frustra arcana inscrutabilis judicii Dei, inquirere & investigare vellet, acriter objurgato, Si eum, inquit, volo in praesenti vita cum corpore manere donec veniam, quid id ad te? . . Atque inde fama increbuit, discipulum illum mortem non visurum. Quam quidem multorum opinionem tanquam importunam minùsque veram ipse corrigens, Non dixit ei, inquit, Jesus quòd moriturus non sit.* Sequentibus verò album addere calculum non possumus:

Niceph. l. 2. c. 35.

Moriturus est enim, eo quo genitrix modo, confestim verò reviviscet ac resurget, incorruptibili scilicet corpore alterum Magistri expectaturus adventum. Hoc addit Nicephorus:

Niceph. l. 2. c. 42.

Porrò die sequenti, quibus id commissum fuerat, ita, ut praeceptum acceperant, ad monumentum venerunt: operculoque ejus avulso, nihil ibi aliud quàm sepulchralia lintea reppererunt. Ejusmodi farinae est, quod subdita Hieronymi in Epistola reperitur:

Hier. t. 9. Epist. 10. de Assum. Mar.

Joannis in sepulchro, ut fertur, nonnisi manna invenitur, quod & scaturire cernitur. Quam Gregorius Turon. fabulam Lectoribus propinat suis:

Greg. Glor. Mar. l. 1. c. 30.

Cujus nunc sepulchrum, inquit, *manna in modum farina, hodièque eructat, ex qua beata reliquia per universum delata mundum, salutem morbidis praestant.* Hinc plurimi asseverabant, Joannem *beatâ cum Christo immortalitate in caelestibus vestiri.* Figmenta haec esse, documento sit Antiquorum omnium de prodigiis miraculisque ejusmodi silentium, dum de sepulchro Joannis mentionem movent. Neque tam notabile miraculum praeteriisset Polycrates Ephesinus Episcopus, in Epistola quam Victori scripsit, ut & Apostoli, qui apud Ephesum extremum diem obierat; & Ecclesiae ibi constitutae, quam de Paschatis die Victor perstrinxerat, gloriam intenderet. Vetus fama est perdicem Joanni in deliciis fuisse, quod apud Cassianum legitur Collat. XXIV. c. 21. Cùm autem molliter tractaret, blandàque manu demulceret, accessit venator, qui rogare coepit, Cur vir tantae famae, ad inania demulcendae aviculae studia descendisset? Cui Joannes: *Cur arcum quem geris, non continuò tibi tensum habes?* Respondenti, Ne mollesceret vis ejus, regerit Apostolus:

ANNO DOM. 101.

B. M. P. t. XXVI. 719.

Nec te mireris, si humanae mentes quò fortius altissimarum cogitationum molem sustinere possint, oporteat eas mittere, levioribusque hujusmodi studiis aliquando recreare, nonalioquin graviore pondere operata, frangantur penitus, atque deficiant.

Anacletus suf. ditius est.

IV. Anacletum Clementi successisse, creditum Baronio:

Baron. An. 103. n. 1.

Tertiâ, inquit, die Aprilis Anacletus, natione Graecus, patre Antiocho creatur Christiana Religionis Pontifex. Ejus Pontificatui vindicat *annos novem, menses tres, & dies decem.* Nos ostendimus Anacletum Cletumque, pro uno eodemque Pontifice, non à Graecis modò, sed à Latinorum quoque nonnullis habitum fuisse. Videatur annus U. C. 813. n. 4. Onuphrius negat

Onuphr. Annot. in Plat.

Autores tam Graecos, quàm Latinos audiendos esse, qui Cletum cum Anacleto confundunt, cùm tam ex Damaso, quam ex Ecclesiastica traditione, manifestò liqueat, Cletum ab Anacleto nomine, patre, patriâ, rebus gestis, mortis tempore & die, diversum esse. Ille enim fuit natione Romanus, Aemiliani filius, sub Vespasiano creatus, & initio imperii Domitiani 6. Kal. Maii occisus; hic verò natione Graecus, patriâ Atheniensis, patre Antiocho, & novissimis Domitiani temporibus 3. Idus Junii interfectus. Utriusque etiam tanquam diversi festum diem S. Mater Ecclesia adhuc diversum celebrat. Quae rationes nullius sunt momenti. Etenim tanta non est Scriptoris, qui anno circiter CCCLXV. floruit, autoritas, ut antiquiorum monumentis, quae Priscam traditionem complectuntur, debeat anteponi. Praecipuè si in Catalogo suo multa exhibeat, quae à veritate prorsus aliena jam coeguimus. Desiderantur etiam in Bucheriano Catalogo tres Pontifices. Anicetus, cui dant annos penè octo; Eleutherius, quem volunt sedisse annis quindecim; Zepherinus, cui assignant annos octodecim. Quod damnum ut resarciret Catalogus, viginti Pio annos, pro liberalitate sua foeneravit. Haeccine monumenta praestant Irenaeis, Eusebiis, Epiphaniis, Optatis, Augustinis, qui Anacleti à Cleto diversi, ignari sunt atque insolentes? Praetereà quae de patria, parentibus, rebus gestis Cleti, Anacletique, veluti dissimilibus commemorant, ea quidem ex Veteribus Catalogis hausta esse non possunt, à quibus illa omnia praetermittuntur. Fuci sunt atque pigmenta, quae posterorum inventis debentur, atque novitati. Porrò vetustus Pontificum Catalogus, Anacleti mortem alligat anno Christi XCV. Domitiano XVI. & Clemente Coss. Itaque currente anno sedere debuit Evaristus, qui sexennio Ecclesiae Romanae jam praefuerat, quam Pagius Chronologiam sequitur. Meritò tamen Severinus objicit Binnius: *Cùm Clemens hujus Anacleti praedecessor anno tertio Trajani vitâ simul & Pontificatu defunctus sit, ut Hieronymus Eusebiusque testantur, non video quâ ratione dici possit, Anacletum ante imperium Trajani Pontificiam sedem administrasse.* Quod enim narrat Pagius, Clementem abusse Pontificatu, hoc & cum Clementis pietate, officioque pugnat, quo debuit creditum sibi gregem pascere, & à Veterum suffragiis relinquitur. Subditam fatemur Clementis Epistolam, quam Rufinus Latinitate donavit. Haec sunt tamen verissima, quae Petrus dixisse fingitur, cùm Clemens Episcopatum

Anno Dom. 101.

copatum repudiabat: *Certus esto, quia amplius peccas, qui populum Dei velut in fluctibus positum, & periclitantem cùm juvare possis, subterfugis.* Est etiam illud observandum, quòd *annos duodecim, menses decem, dies tres* Bucherianus Catalogus assignat Anacleto, quod à Baroniana Chronologia multum discrepat. Nos verò, ut monuimus non semel, nostras hisce tenebris conjecturas committere non possumus, Antiquorumque inniai autoritati, ea Pontificum Romanorum numero pellimus Anacletum, quem alterum à Cleto credere non possumus.

Decreta Anacleti.

V. Anacleto tres impostor subjecit Epistolas. Prima quatuor capitibus constat. 1°. De iis qui Sacerdotes accusant. 2°. Ut Episcopus Deo sacrificans, testes secum habeat. 3°. De peregrinis & provincialibus judiciis. 4°. Ut oppressus judicio secularium, appellet judicium Sacerdotum, & de majoribus causis ad sedem Apostolicam referendis. Secunda Epistola quatuor quoque capita complectitur. 1°. De ordinationibus Episcoporum & omnium Clericorum. 2°. De accusationibus Episcoporum. 3°. Quòd minus quàm à tribus Episcopis non debeat ordinari. 4°. In quibus quidem civitatibus Primates, in quibus vero Metropolitani esse debeant. Tertiâ verò Epistolâ hæc continentur. 1°. De bipartito ordine Sacerdotum. 2°. De constitutione, seu ordinatione Episcoporum ac Presbyterorum. 3°. De discretione Episcoporum & civitatum. 4°. Ut difficiliores causæ ad sedem Apostolicam referantur. 5°. Non admittendos ad accusationem, sive ad testimonium, qui antea inimici fuerunt, & de extraneo judicio. Quas Franciscus Turrianus, & Severus Binnius quisquilias, quasi *Epistolas decretales antiquitate suâ, & totius mundi reverentiâ consecratas*, mordicùs tuentur.

Decretales ad usque Siricium subditæ. Brevis historia Decretalium.

VI. Nos verò vix perferre possumus defensionis Decretalium indignitatem, cùm ex Latinorum grege complures, in quibus candor animi cum eruditione certat, fallaces has fucosasque merces, à quocunque fabricatas, à Pontificibus Romanis meritò abjudicent. Gravissimum de Decretalibus, quæ Syricii Epistolis antecessisse prædicantur, Petri Marcæ judicium audire voluptati erit: Hanc, inquit, Epistolarum, & Canonum Collectionem, Riculfo Episcopo Moguntino debemus, qui eam ex Hispanis allatam penes se habuit, & Gallis communicavit, teste Hincmaro Opusc. *c.* 24. *De libro collectarum Epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum, Riculfus Episcopus Moguntinus in hujusmodi, sicut & in Capitulis Regiis studiosus, obtinuit, & istas Regiones ex illo repleri fecit.* Anno DCCCLXX. ea Collectio, illustri Isidori Hispalensis nomine decorabatur, quasi in ea conficienda laborasset: *Isidorus Hispalensis Episcopus collegit cum Epistolis Romanæ sedis Pontificum à S. Clemente usque ad B. Gregorium.* Potentissimo verò argumento demonstrat vir eruditissimus, Collectionem esse Isidoro Hispalensi detrahendam: *Quia & Concilii Toletani* XI. *habiti anno* DCLXXV. *& Concilii* XVI. *coacti anno* DCLXXXI. *meminit, quadraginta & amplius annis post obitum Isidori, qui accidit anno* DCXXXVI. Alio igitur Isidoro collectio debetur, qui *Mercator*, vel *Peccator* cognominabatur, floruitque anno circiter DCCC. Subdititiis opus erat Epistolis, ut labantem in Gallia Pontificis Rom. autoritatem fulciret Riculfus, ejus cultor acerrimus. Post Riculfum, qui ab anno DCCLXXXVII. ad usque DCCCXIV. Moguntinæ præfuit Ecclesiæ, sententiæ aliquot ex Decretalibus selectæ, in Gallicanorum Episcoporum Canones translatæ sunt. In Concilio Aquisgranensi, quod est anno DCCCXXXVI. celebratum, quæ de Chrismate, ab Episcopis quotannis in Cœna Domini consecrando decernuntur, *juxta statuta Decretalium*; è secunda Fabiani Epistola hauriuntur, omisso tamen Fabiani nomine. Frequentissimè tres ultimi Capitularium libri, quos ex Ecclesiæ Moguntinæ scriniis in unum compegit Benedictus Levita, Anacleti, Pii, Evaristi, Fabiani, suppresso eorum nomine, Epistolas laudant. Quin etiam ipse Hincmarus, Anacleti, Evaristi, Fabiani, Stephani, Lucii, Alexandri, Pii, Calisti, testimoniis apertè utitur. Sic sensim Decretales ad culmen autoritatis pervenere, favente extra modum, quæ tum regnabat, ignorantiâ. Nos qui lucidioribus seculis exultamus, quàm illa Hincmari fuere, Decretales indubitanter falsi damnamus. Quippe verba sunt Dionysii Exigui, ad Julianum Ecclesiæ Rom. Presbyterum: *Præteritorum Apostolicæ sedis Præsulum constituta, quâ valui diligentiâ collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis distinctis composui, ita dumtaxat, ut singulorum Pontificum quotquot à me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem.* Non meminit verò Epistolarum, quæ à Pontificibus scriptæ dicuntur, qui antecessere Syricio. Primus observavit Antonius Augustinus Taraconensis Archiepiscopus, ipsa Legum Imperatoriarum verba, & quæ sub Aniani nomine extant ad Codicem Theodosianum Scholia, in illis Epistolis usurpari, licet Pontifices, quibus vindicantur, duobus & tribus seculis, Codicis Theodosiani editione, vetustiores extiterint. Neque etiam prætereunda est Clarissimi Marcæ observatio de Decretalibus: *Epistola illa supposititia non extant in Veteri Codice MS. Ecclesiæ Urgellensis, quo Isidori Collectio continetur.* In aliis tamen Exemplaribus verba hæc Isidori leguntur: *Quarundam Epistolarum decreta virorum Apostolicorum interseruimus, id est, Clementis, Anacleti, Evaristi & cæterorum Apostolicorum, quas potuimus hactenus reperire Epistolas, usque ad Sylvestrum Papam.* Porro autorem Decretalium Gallo-Francum fuisse, vero similibus conjecturis ostendit Blondellus ὁ πάνυ, cujus in debellandis Decretalium monstris, memoria cum eruditione certavit. Plures sanè ad Gallos, quàm ad alios aliarum Regionum Episcopos Epistolæ circunferuntur. Videatur caput v. Prolegomenorum Pseudisidori. In Decretales, quæ ad Siricium usque proferuntur, generatim militant hæc argumenta. Primùm omnium Scripturam laudant secundum Vulgatam editionem, quæ priscis Romanis Episcopis multò posterior. Matth. decimo sexto legitur in Vulgata, quam non edidit quidem, sed emendavit Hieronymus: *Quodcunque super terram ligaveris, & quodcunque solveris*, quæ disertè habentur Clementis Epistolâ primâ. Atqui in Epistola Firmiliani ad Cyprianum *p.* 148. legitur: *Quæcunque ligaveris, & quæcunque solveris.* In eadem Decretali, ex capite VII. Esaiæ desumptum est, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Cyprianus libro primo testimoniorum adversus Judæos habet, *Si non credideritis.* In eadem Clementina Epistola ex Matthæi VII. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines,*

Hincm. Ep. 7. c. 12.

Anno Dom. 101.

Mar. de Conc. l. 3. c. 5. 142.

& vos facite similiter illis. In Tertulliani Scorpisco, c. x. aliter legitur: *Quomodo vultis ut faciant homines.* Addamus adhùc exemplum. Tertia Clementis Epistola ex quinto Matthæi hæc fœnerat: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.* Diversâ autem versione utitur Tertullianus c. xxvi. de Præscriptionibus: *Non potest civitas abscondi supra montem constituta, lucerna non sub modio abstrudi solet.* Præterea versionem adhibent Hieronymi, qui exeunte quarto seculo floruit. Quod argumentum est certissimum, Decretalium Autorem posteriorem fuisse Hieronymo. Exempla suppeditant ex Nahum & Michæa, tertia Alexandri Epistola, secunda Evaristi ex Psalmo 74. Anacleti prima ex Psal. 2. Hinc prægnans argumentum, quod eludere Binnius potuit, solvere non potuit. Quippe si Decretales Siricio anteriores, sunt à Pontificibus illis conditæ, quorum ornantur nomine, eam utique adhibuissent versionem, quæ tum temporis usurpabatur, non illam quæ ipsorum ævo posterior est. Novâ insuper ratione Decretales impugnantur, Veterum scilicet silentio. Mittuntur si vera prædicant, vel universis orbis Ecclesiis, vel Ecclesiis Ægyptiacis, vel Jacobo Episcopo Hierosolymitano, vel Ecclesiis Africanis &c. Primæ Anacleti Epistolæ titulus is præfigitur: *Anacletus servus Christi Jesu, in sede Apostolica Domino serviens, Episcopis omnibus, & cæteris cunctis fidelibus, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem.* Similiter Alexander Episcopus, Epistolâ primâ scribit: *Omnibus Orthodoxis per diversas Provincias Christo Domino famulantibus.* Quo casu Epistolarum fama totas orbis Ecclesias discurrere debuit. Neque ullum unquam Scriptorum Opus, majoribus sanè monumentis condi in animis, sui in memoria collocari potuit. Jam verò tam ignotæ, tam ab hominum notitia remotæ fuerunt hæ Epistolæ, ut Conciliorum, Patrum, Historicorumve nemo, de ipsis vel minimam mentionem moverit. Crisconius Africanus Episcopus, in Breviario Canonico, quod Liberino misit, Siricii, Innocentii, Leonis Decreta quàm frequentissimè laudat. De Epistolis verò Romanorum Episcoporum, qui antecessere Siricio, ne γρῦ quidem apud Crisconium. Quod argumentum enervare Binnius frustra tentavit: *Quid mirum*, inquit, *omnes hasce Epistolas in Archivis & scriniis Romanæ Ecclesiæ delitescentes, non fuisse agnitas.* Quasi verò Epistolæ scriptæ omnibus & Orthodoxis, & Episcopis, in scriniis Ecclesiæ Romanæ delituerint! Eo sanè consilio exaratæ sunt, ut mitterentur. Missæ sunt igitur ad Ægyptios, missæ ad Afros, missæ Jacobo, missæ universis Ecclesiis, quia nil impedimento fuit quominùs mitterentur. Quòd si ubique terrarum discurrerunt, in thesauris sanè Ecclesiæ Romanæ non abditæ sunt, ideòque à Veteribus non agnosci non potuerunt. Tertium argumentum stilus Epistolarum suppeditat. Etenim ea usurpant vocabula, quæ nondum nata primorum Pontificum ævo. Secunda Clementis Epistola statuit: *Tanta in altario holocausta offerantur, quanta Populo sufficere debeant.* Quis unquam Romanorum Trajani temporibus *altarium* dixit? In Alexandri Epistola prima: *Deviant Domini sacerdotes.* In Epistola prima Evaristi: *Suo tempore sacerdotaliter benedicatur . . . taliter enim filios hæreditabiles generabunt.* In

Lab. Concil. t. 1. p. 77.

secunda Evaristi: *Deus nos à præcipitata sententiæ prolatione compesceret.* Profectò floribus ejusmodi non vernabat lingua Latina, eo tempore cui Decretales assignantur. Pedestri quidem oratione ac simplici, Patres quandoque usos fuisse non inficiamur, neque eo nomine ab Episcopis Romanis Decretales abjudicamus. Eò rejicimus quòd vocabulis benè multis scateant, quæ diu satis post Clementem, Alexandrum, Evaristum reperta fuere. Quibus accedat Epistolarum materia. Cùm enim priorum Pontificum ævo, in ferrum atque vincula Christiani conjicerentur, ad metalla damnarentur, in exilium agerentur, morti nonnunquam addicerentur, officii erat Episcopalis, afflictorum mentes erigere, ad patientiam excitare, lapsos ad pœnitentiam revocare, quæ magnam fusamque præbuere materiam germanis Patrum Epistolis, qui furentibus tyrannis floruere. Atqui de rebus ejusmodi ne verbum ullum in Decretalibus, nisi in prima Anacleti narrantis, se *de tribulationibus Christianorum audivisse tam per ipsorum, quàm & per aliorum apocrisiarios.* Quo vocabulo, non minus quam re, cum eo conjuncta, fraus impostoris detegitur. Argumentorum satis, cùm propriis rationibus Epistolarum unaquæque sit impugnanda.

Anacleti Decretales refelluntur.

VII. Primam Anacleti Epistolam subditam esse, eò liquet, quòd tam bardus, tamque stupidus impostor fuit, ut laciniam plurima complectentem, ex Rufini versione, qui Clementis ad Jacobum Epistolam, de Græco in Latinum verterat, de verbo ad verbum suam in Decretalem transfuderit. 2°. Felicis Ennodii Ticinensis Episcopi, qui exeunte seculo v. floruit, ipsissima verba usurpat. Legatur libri secundi Epistola xiv. Afris missa, & xxii. quæ Fausto scribitur. 3°. Hoc dat in mandatis Episcopo: *Ut in solemnioribus diebus Subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, sacris indutos vestimentis.* c. 2. Atqui sedente Anacleto, grex ille Subdiaconorum, & inferiorum ordinum, nondum è tenebris emerserat. Nihilo sincerior est secunda Anacleti Epistola. Jacobum induit titulo *Archiepiscopi*, qui tum temporis in Ecclesiam non irrepserat. c. 1. 2°. Magnam assuit sibi laciniam cùm ex Damasi Epistola, quam exhibet Theodoritus libro quinto historiæ c. x. tum ex Isidoro libro II. de Officiis Ecclesiasticis c. 5. 3°. Metropolitanorum Primatiumque meminit: *Ad quos post sedem Apostolicam summa negotia conveniant. Hæc*, inquit, *ab Antiquis, hæc ab Apostolis, hæc à Sanctis Patribus accepimus.* Tertia Anacleti Epistola, multa quoque fraudis vestigia multis in locis exhibet. Caput tertium hæc habet: *Non omnes Primates, aut Patriarchæ esse possunt*, argumento Scriptorem Patriarchis jam institutis floruisse. Complures etiam periodos Clementis ad Jacobum Epistolæ, quam Latinam Rufinus fecit, in suam Decretalem totidem verbis derivavit. Neque fingendum animo, Autores laudatos verba Decretalium sibi accommodasse. Quod si est, earum sanè ut sibi probè notarum, alicubi meminissent. Quid multa? Antiqui quibus nullo loco fuit Pontificatus Anacleti, perpetuam ejus Epistolis impostutæ notam inurunt.

M. B. P. t. 9. 318.

Menandri ætas Hæretici.

VIII. Dum Joanni Apostolo vita morabatur, Hæretici malis orti avibus, Ecclesiam veneno suo infestarunt. Menander, Cerinthus, Ebion, de quibus est & aliquid dicendum, par-

tim

Anno Dom. 101.

tim ut mens historiæ luce, temporumque notitiâ illustretur, partim ut gratias Deo maximas agamus, qui à tantis nos erroribus liberavit. Quæritur inter eruditos, de Menandri ætate. Simonis Magi auditorem fuisse, scriptum reliquit Epiphanius: *Proximè huic Menander adjungendus est, qui genere Samaritanus, aliquanto tempore Simoni operam dedit.* Idcircò Christimo Lupo, in Scholiis ad Tertullianum de Præscriptionibus dicitur, *immediatus Simonis discipulus.* Ea tamen Chronologia, vix ab errore defendi potest. Quippe Saturninus & Basilides Menandro magistro usi sunt, ut Eusebius monuit: *Ex Menandro illo, quem Simonis successorem fuisse supra retulimus, exorta venenata quadam bestia bilinguis ac biceps, duarum hæreseon inter se discrepantium duces constituit, Saturninum domo Antiochenum, & Basilidem Alexandrinum.* Disertior adhùc Theodoritus: *Menandrum cùm habuissent magistrum Saturninus & Basilides, ille quidem Antiochiam, quæ est propè Orontem fluvium, patriam esse suam prædicans; Basilides verò Alexandriam, & magistro, & sibi invicem repugnantes fabulas confinxere.* Paululum fuisse temporis, Menandrianæ hæreseos ortum inter, & impietatis Saturninianæ nativitatem, testimonio est Philastrius: *Saturninus quidam, paulò post & ipse sumens inde fomenta doctrinæ mortiferæ, asserebat mundum ab Angelis factum.* Cùm igitur apud Antiochiam docuerit Menander, ut ex Justino Martyre discimus, & plurimos in ea civitate seduxerit, vero quidem proximum est, Saturninum auditorem fuisse Menandri. Quo admisso, vix credibile est *Menandrum* Doctore Simone usum esse. Periit Simon, imperante Claudio, si credimus Eusebio: *Simonis*, inquit, *vis & potentia cum ipso simul autore brevi extincta est*, adventu Petri. Quòd si Menander auditor Simonis fuit, proximèque doctori suo successit, jam impleverat annos circiter triginta anno Christi XLVII. Porro Saturninus & Basilides provecto jam Adriani imperio hæreses instituerunt: proindeque adulto Trajani regno, scholam etiamnum explicabat Menander, Saturnini Doctor & Basilidis, quo tempore penè centenarius fuisset, quæ ætas magisterio non est idonea. Equidem si Joannis ætate secta Menandri caput extulisset, non minus impietatem ejus perstrinxisset, quàm Nicolaitarum. Multò magis Paulus, qui Hymenæo Philetoque non pepercit, Menandro quoque censuram inussisset, si extincto Simone, subinde sui doctoris scholam habuisset. Probabile ergo judicamus, Menandrum suam hæresim instituisse jam imperante Trajano. Verba Eusebii videntur nobis esse vero proxima: *Nec Simonis, nec aliorum, qui tunc temporis exorti sunt, conspiratio, Apostolorum ætate valuit. Omnes enim machinas retundebat, cunctaque superabat splendor veritatis.* Quin etiam blasphemos Satanæ cruciandos tradebant, quomodo Paulus Hymenæo Alexandro tortorem misit ejusmodi. At extinctis Apostolis, Joanneque in exilium acto, liberius in Ecclesiam grassati Hæretici, palam familiam ducere cœperunt. Menander ergo Simonis *discipulus* fuit, *auditor* non fuit. Quam profuderat doctrinam Simon, Menander animo complexus est. Et si ab Epiphanio discesserimus, Patrum nullus scripsit, Simonem docentem à Menandro auditum esse. Discipulum fuisse dixerunt, quod ab auditore multum discrepat, vel Epiphanio Judice referente, Saturnilum erroris argumenta, & à Menandro, & à prioribus sectis accepisse. Imperante Trajano, Menandrum mortales venenis infecisse suis, testatur Nicephorus *l. 3. c. 12.*

Epiph. h. 22. n. 1.

Euseb. l. 4. c. 7.

Theodor. hæret. fab. l. 1. c. 2.

Euseb. l. 2. c. 24.

IX. De Menandro hæc Justinus: Menander *Ex vico Capparetala Samaritanæ Regionis, Simonis discipulus, multos Antiochiæ seduxit, quibus etiam persuasit, minimè esse morituros.* Alium Menandri natalibus locum, assignat Theodoritus, quem *Chabrai* vocat. Doctrina impuri hominis ex intimis præcordiis impietatem horrendam exhalabat. Martyrium respuebat. Hinc de ipsius baptismate Tertullianus libro de Anima *c. 50.* *Apud quod nec pro Deo ipso mori lex est.* Seipsum Servatorem asseruit, ad hominum salutem, ex ævis quibusdam invisibilibus, ab alto destinatum. Neminem verò ajebat, ipsos mundi conditores Angelos posse superare, nisi qui prius magicâ disciplinâ à se institutus, & baptismo quem ipse tradebat, initiatus fuisset. Quem quicunque suscipere meruissent, eos perpetuam in hoc seculo immortalitatem adepturos affirmabat. Quæ quidem promissa lepidè illudit Tertullianus: *Quanam & ubinam ista felicitas aquarum, quas nec Joannes baptizator præministravit, nec Christus ipse discipulis demonstravit? Quod hoc Menandri balneum? Magicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lavant?* Dixit etiam primam virtutem incognitam esse hominibus, se autem illis servandis missum esse. A Simonis dogmate nefarius ille non dissidebat, *Nisi quòd majorem se præceptore suo jactabat.* Quibus certè certòque colligitur, Simonem pro summo totius orbis Deo ac conditore se non jactasse, quia Deo Optimo Max. nil majus esse potest. Si Prædestinato fides, Lini Præsulis Rom. fulminibus Menandriana secta obruta est: *Hos Sanctus Linus Episcopus secundus Apostoli Petri, a consortio conversationis nostræ ejectos, æternâ damnatione multavit.* Somnia hæc sunt vani autoris, quæ jam ex Veterum silentio, quàm ex Chronologia refelluntur.

Menandri errores.

Justin. Apol. 2.

Euseb. l. 3. c. 26.

Tertul. de Anim. c. 50.

Epiphan. h. 22. n. 1.

Præd. c. 2.

X. Ex Simonis Magi schola prodiere infames Hæretici, qui ex Doctoris sui nomine appellationem suam adepti sunt. Infelicem progeniem, quæ probis moribus, non minus quàm fidei, æternum bellum indicebat. Neque ipsi diffitebantur homines Simonianorum mysteriorum insolentes, illis primum auditis horrore quodam perfundi. Id nos Eusebius docuit: *Quæ apud illos secretiora habentur, quibus auditis protinus animos audientium ajunt percelli, reverà stuporis & amentiæ, atque insaniæ plenissima sunt, adeò ut non modò scriptis prodi, sed ne sermone quidem afferri possint à modestis hominibus, ob nimiam turpitudinem atque obscœnitatem.* Sic profanis arcanis *pietatis mysterium* evertebant. De horrendis sacris Irenæus. *l. 1. c. 20.* *Horum mystici Sacerdotes libidinosè quidem vivunt. Magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Exorcismis & incantationibus utuntur; amatoria quoque & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæcunque sunt alia parerga, apud eos studiosè exercentur.* Paredri, Dæmones sunt, qui quasi hominum custodes, morbos & calamitates ab eis avertebant. Oniropompi verò, ut ipsum nomen sonat, somnia immittebant. Quò pertinent verba Tertulliani Apolog. *c. 33.* *Si & somnia immittunt,*

Simoniani.

Euseb. l. 2. c. 13.

habentes simul invitatorum Angelorum, & Dæmonum assistentem sibi potestatem. Tantâ fœditate Simoniana mysteria respergebantur, ut fidem penè superent, & nonnisi à nobis horrescentibus eeferantur. Utpote quæ *in maribus, seminis exundantia; in fœminis, menstruâ purgatione perficerentur.* Hæc erant *vitæ mysteria.* Ad hæc peragenda, solemnes Conventus instituerant. Tantâ autem veneratione Simonem ipsiusque Helenam prosequebantur, ut ab impuris magistris appellarentur, non Simoniani modò, sed etiam *Helenians*, quæ nomina à Celso Christianis affixa, repulit Origenes, ostensâ utriusque disciplinæ differentiâ: Celsus, inquit, *acervum variarum appellationum, in nos congerens, ait, Se nosse quosdam Simonianos, qui Helenam, sive præceptorem Helenum venerantes, Heleniani dicuntur. Sed in hoc fallitur Celsus, cum Simoniani nolint fateri Jesum esse Dei filium, sed Simonem dicant Dei virtutem: prodigiosa quædam narrantes de homine vano, qui putarit se miraculorum æmulatione, non minorem existimationem quàm Jesus, paraturum apud homines.* Itaque Christum debitis honoribus non fraudabant modò, verùm etiam scelesto doctori sub adorationis cultum exhibebant. Ut vel induti larvâ Christianismi, à sacrilega veneratione non temperarent. Testis Eusebius: *Ad nostram usque ætatem, quicunque* Simonis *sectam profitentur, cùm se Christianam Religionem, plenam modestiæ & sanctitatis amplecti simulaverint, tamen & ad superstitiosum Dæmonum cultum, quem abjicere visi fuerant, deinceps nihilominus relabuntur, dum ante Simonis & Helenæ picturas, atque imagines pronì sese adjiciunt, easque suffimentis, & sacrificiis, ac libationibus, colere non verentur.* Augendæ Idololatriæ, à præceptore suo edocti, Angelos adoratione prosequebantur. Quippe negabat salutem consequi ullum posse, nisi universitatis parenti, ea sacrificia per illos Principatus & potestates obtulerit. Nostrum quoque orbem à malis Angelis conditum esse putabant. Ut allectos prodigiis sibi socios compararent, ignis speciem aquis baptismi incubantem, objiciebant oculis, ut eo monstro, longè sanctius sacramentum se ministrare ostenderunt, veluti divino Sancti Spiritus igne repletum. Tantus tamen non ipsis erat *Stantis*, sic Simonem vocabant suum, amor atque veneratio, ut pro ejus disciplina mortem obire vellent. Urgente ergo Christianos vi persecutionis, ignavi Simoniani in dissimulationem se componentes, cruces, flammas, gladiosque, securi vitabant, quia cultum simulachrorum non repudiabant. Hâc ignaviâ vitam retinebant, dum Christiani sanguinis rivi ubique locorum fluebant, ut est à Justino Martyre proditum: *Persecutione quidem eos non expeti, neque occidi à vobis, ob ipsa etiam dogmata sua scimus.* Infelix Simonis lolium, magnum, irato Deo, proventum edidit, teste Justino: *Samaritani propè omnes, ex aliis autem gentibus etiam perpausi illum adorant.* Ad paucos tamen cultores, favente Christo, impia tandem secta pervenit, quod nos Origenes monuit: *Quin & Simon Samaritanus Magus, per magiam suam quosdam decipere conatus, effectu non caruit ad tempus. Nunc autem in toto orbe, opinor, vix triginta Simonianos reperiri, ac fortasse nec tot quidem. Sunt enim in Palæstina pauci admodum.* Fuere tamen defuncto Origene etiamnum homines, sectæ huic addicti, ut audivimus ex Eusebio. Sed vel rari erant, vel sanè Christianum nomen obtendebant suæ turpitudini.

Epiph. h. 21. 4.
Orig. in Cels. l. 2. 272.
Euseb. l. 2. c. 13.
Epiph. h. 26. 4.
Just. Ap. 2. 70.
Orig. in Cels. l. 2. 44.

XI. Sequitur Cerinthus. Non nobis unquam Epiphanii probari sententia potuit, qui Cerinthum illis præficit, qui de disciplinæ Mosaicæ observandæ necessitate, ingentes in Ecclesia Antiochena turbas commovere, quibus sedandis, Concilium Apostolorum Hierosolymis convocatum est. Neque sibi satis consentit Epiphanius, qui Carpocrate Cerinthum Juniorem fuisse pronuntiat. Descriptâ enim infami sectâ, subinde hoc addit: *Sequitur Cerinthus, à quo Cerinthiani Hæretici nominantur.* Catalogus hæreseon, qui Tertulliani de Præscriptionibus libro connectitur, Carpocratem quoque Cerintho antecessisse tradit: *Carpocrates præterea hanc tulit sectam, post hunc Cerinthus erupit similia docens.* Simili Chronologiâ utitur & Philastrius. Quæ si vera sunt, defunctis Apostolis, Cerinthus exortus est. Testatur tamen Irenæus, dum Joanni Evangelistæ vita moratur, errores Cerinthum suos prædicasse. A Polycarpo quippe Joannis discipulo, Irenæus audierat, Joannem cùm lavandi causa in balneum venisset, novissetque Cerinthum intus esse, mox fugâ se proripuisse: *Fugiamus*, inquit, *ne balneum corruat, in quo Cerinthus est, veritatis inimicus.* Postquam in Ægypto diu versatus est, quam sibi Philosophiæ notitiam collegerat, in Asia, infestis avibus sparsit. Nefandæ sectæ, varia fuere dogmata, quæ paucis sunt exponenda. Ac primùm Mosaicæ disciplinæ necessitatem urgebat, quasi salus in ea observanda recumberet. Testis Augustinus, Libro de Hæresibus c. 8. Cerinthiani dicunt, *Carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi Legis præcepta servari.* Propterea Ecclesiæ fulminibus obruti sunt, referente Hieronymo. Cerinthus & Hebion *credentes in Christo, propter hoc solum à Patribus anathematizati sunt, quòd Legis Ceremonias Christi Evangelio miscuerunt, & sic nova confessi sunt, ut vetera non amitterent.* Veneni quidem plurimùm in ea doctrina fuisse, ex Pauli ad Galatas Epistola exploratum est. Contradictione tamen non ferendâ, malo Deo, Legis promulgationem tribuebat Cerinthus, si creditur Epiphanio: *Nam eum, à quo Lex tradita sit, bonum negat esse, cujus tamen Legi tanquam bonæ obtemperare videtur.* Novâ impietate Cerinthiani infames erant, utpote qui dicerent, *mundum ab Angelis factum*, cùm vis creandi soli Deo competat, cui res conditæ omnes tribuunt quod existant. Cum impietate ejusmodi, certabat absurdum, quòd virtus illa, quam pro rerum efficiente causa statuebant, *ignoraret eum, qui est super omnia Deum.* Ex quo intelligitur, Mosem Hebræosque, non summum illum Deum, sed purum putumque Angelum, thure, sacrificiis, adoratione coluisse, quod & rotundè prædicabat Cerinthus, ut legitur apud Tertullianum: *Judæorum Deum, non Dominum, sed Angelum promens.* Neque minus turpiter de Jesu Christo errabat. Horrendum sanè quod refert Irenæus: *Jesum autem, non ex Virgine natum, impossibile enim hoc Cerintho visum est. Fuisse autem Joseph & Mariæ filium similiter, ut reliqui omnes homines, & plus potuisse justitiâ, & prudentiâ, & sapientiâ præ omnibus, & post baptismum descendisse in eum Christum.* Itaque Christum à Jesu distinguebat Hæreticus. Christus spe-

Cerinthus & Cerinthiani.
Epiph. h. 28. n. 1.
Tert. de Præs. c. 48.
Euseb. l. 3. c. 28.
Hieron. Ep. 89. 4.
Epiph. h. 28. n. 2.
Iren. l. 1. c. 25.
Tert. de Præs. c. 48.
Iren. l. 1. cap. 25.

ANNO DOM. 101.

specie columbæ, Jesu illapsus erat, qui ex illo tempore, ignotum Patrem prædicarat, miraculaque ediderat. Pereunte verò Jesu, ab eo Christus recesserat, utpote immortalis & Spiritualis, Jesus verò & passus erat, & resurrexerat. Id laudato capite Irenæus. Itaque non accuratè satis Cerinthianum errorem retulere Catalogus hæreseon apud Tertullianum, atque Epiphanius. Utpote qui Christo tribuant, quæ Jesu soli assignabat Cerinthus: *Dicere non est veritas*, inquit Epiphanius, *passum quidem ac crucifixum esse Christum.* Imò illud à Cerintho negari, verbis expressis affirmat Irenæus: *In fine revolasse iterum Christum, impassibilem perseverasse, existentem spiritualem.* Repugnat & Irenæo Catalogi jam laudati Autor: *Cerinthus Christum ex semine Joseph natum proponit, hominem tantummodo sine divinitate contendens.* Imò Jesum, non Christum, qui ex Cerinthiano figmento, post baptismum in Jesum descenderat, *ab ea principalitate, quæ est super omnia, figura columbæ.* Sic veneno Cerinthus suæ divinæ incarnationis mysterium, vimque mortis Christi penitùs extinguebat, cùm merus homo, non *Deus*, Ecclesiam suo sanguine redemisset. Alios Cerintho errores assignat Philastrius, ignotos Veteribus: *Apostolum Paulum non accipit: Judam traditorem honorat: Evangelium secundum Matthæum solum accipit: tria Evangelia spernit: Actus Apostolorum abjicit: B. Martyres blasphemat.* Non à solo Philastrio, sed ab Augustino etiam atque Epiphanio scribitur Cerinthum prædicasse, quòd Christus defunctus, necdum vitæ redderetur: Dixit *passum quidem ac crucifixum esse Christum, nondum tamen à mortuis excitatum, ac tum demum cùm mortui resurgent excitandum.* Quæ ne vel de Jesu fidem impetrant, si antiquiori creditur Irenæo. Quid his disertius? Cerinthus prædicat: *Jesum passum esse, & resurrexisse.* Negatâ quidem Servatoris resurrectione, ne vel specie tenus, aut Evangelio Matthæi fidem adjunxisset, aut Christiani titulum Cerinthus imponere sibi potuisset. Itaque, vel non satis exploratam Cerinthi doctrinam habuit Epiphanius, vel ex Cerinthi discipulis eò furoris usque processere nonnulli, ut mortis vinculis Jesum adhùc teneri existimarent. Vigebat apud Cerinthianos vicarium baptisma, de quo mentio est in Epiphanio: *A majoribus traditum accepimus, nonnullos ex eo genere extra baptismum excessisse, ac pro iis alios Baptismum eorumdem suscepisse nomine, ne cùm extremâ demum resurrectione revocati ad vitam essent, prætermissi baptismi pœnas dependerent, atque ejus, qui mundum condidit, dominationi subessent. Cujus rei gratiâ, usurpatum illud ab Apostolo, eâdem ad nos auditione perlatum est: Si omninò mortui non resurgunt, quid est quòd baptizantur pro ipsis?* Non erant Cerintho mores doctrinâ suâ sanctiores, teste Dionysio Alex. *Hæc enim fuit illius opinio, regnum Christi terrenum futurum. Et quarum rerum cupiditate ipse flagrabat, utpote voluptatibus corporis obnoxius, carnique addictus, in iis regnum Dei situm fore somniavit, in ventris, & earum quæ infra ventrem sunt partium explendâ libidine; hoc est, in cibo & potu, ac nuptiis: atque ut honestiori vocabulo ejusmodi voluptates velaret, in festis, & sacrificiis, & hostiarum mactationibus.* Non solo verbo, sed scriptis quoque suis Cerinthus fidem impugnavit, commentatus ab Angelis se didicisse, quas populo fabulas proponebat. Quod nos Cajus vetustus Scriptor monuit: *Cerinthus per revelationes quasdam tanquam à magno quodam Apostolo conscriptas, portenta quædam, quasi ab Angelis sibi ostensa commentus, nobis introduxit, affirmans post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines Hierosolymis degentes, cupiditatibus & voluptati corporis obnoxios fore. Additque hostis ille divinarum Scripturarum, mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri, quò facilius imperitos homines decipiat.* In Asia, atque Galatia ea secta maximè floruit.

Epiph. h. 28. c. 6. — *Tert. de Præs. c. 48.* — *Phil. c. 8.* — *Epiph. h. 28. c. 6.* — *Iren. l. 5. c. 25.* — *Epiph. h. 28. c. 7.* — *Euseb. l. 3. c. 28.* — *Euseb. l. 3. c. 28.*

Ebion & Ebionæi.

XII. Dum in exponendis veterum Hæreticorum opinionibus versamur, placet etiam ea memorare, quæ de Ebione dicenda habemus, utpote qui Cerintho coætaneus vixit. Ebionem *Stoicum Philosophum* egisse, primus Marius Mercator docuit. Gente Samaritanus erat, quam tamen appellationem prorsus rejiciebat Hæreticus, ut se potius Judæum fingeret. Pagum nomine Cocabe incolebat, de quo Epiphanius: *In pago quodam Cocabe, in regione Carnaimorum, Arnemi & Astarotarum, & Basanidis tractu, habitare cœpit. Inde pessimi prædicandi dogmatis initium sumpsit.* Sciunt qui vel leviter Hebraicâ linguâ imbuuntur, אביון *mendicum* significare, atque pauperem. Hinc Veteribus creditum, Ebionæos id gessisse nominis, ob infantilem doctrinam, veræ sanè sapientiæ divitiarum expertem, ipsis impositi, ut innuit Eusebius: *Hi ab Antiquis cognominati sunt Ebionæi, quippe qui humiliter admodum atque abjectè de Christo sentirent.* Huic tamen sententiæ non assentimur. Licuit Patribus quidem, factâ ad vocem allusione, sapientiæ spiritusque egestatem, nomine quod gerebant, dignam, Hebionæis objicere. A doctore tamen suo, qui Ebion vocabatur, appellationem traxere, quomodo à Menandro Menandriani; à Cerintho Cerinthiani; à Valentino Valentiniani dicebantur. Hinc observatum Epiphanio: *Ebioni proprium hoc erat nomen, non sine vaticinio tamen aliquo, quo mendicus fore significaretur.* Ac de Deo perperàm sentire Ebionæi non videbantur, à Cerintho & Carpocrate diversi, cùm existimarent non ab Angelis, verùm ab ipso Deo mundum esse conditum, docente Irenæo *l. 1. c. 26.* At de Christo nefariè sentiebant. Disciplinæ hujus errores præcipuos in historiam Eusebius suam retulit: *Christum simplicem ac vulgarem, nec aliud quàm hominem esse censebant, qui profectu virtutis, justus factus fuisset, cæterùm ex viri cum Maria concubitu procreatum.* Quâ pestiferâ sanè sententiâ & partus virgineus, & sanctus Christi ortus, divinitasque evertebatur. Deinde Mosaicis ceremoniis quàm maximè addicebantur: *Legis observationem sibi omninò necessariam ducebant, quasi per solam in Christum fidem, vitamque ex ea fide traductam, salutem consequi non valerent.* Qui gravissimus error à Paulo damnatur. Hinc vehementissimum eorum adversus divinum Apostolum odium, quem pro Legis proditore habebant, non ipsius Epistolis, sed solo Matthæi Evangelio utentes. Audiatur Irenæus: *Solo autem eo, quod est secundum Matthæum, Evangelio utuntur, & Apostolum recusant, Apostatam eum Legis dicentes.* Proditionis hujus causam fingebant, quòd filiæ Pontificis Max. quam ambiebat nuptias, non impetraverat. Hinc illæ lachrymæ, atque à Mosaica Lege defectio. Neque tamen integrum, quod permagni faciebant, Evangelium

Epiph. h. 30. n. 2. — *Euseb. l. 3. c. 27.* — *Euseb. l. 3. c. 27.* — *Iren. l. 1. 26.*

Anno Dom. 101.

lium Matthæi admittebant, sed adulteratum atque mutilum, in quo legebatur: *Fuisse certum hominem, nomine Jesum, annorum circiter triginta, qui nos elegerit. Qui Capernaum veniens, in Simonis, cognomine Petri, ædes ingressus est.* Locustas etiam, quæ Joanni Baptistæ cibo erant, in mellita lagana commutabant. Quin imò amputatâ, quæ apud Matthæum extat genealogiâ, ab his Evangelistæ initium deducebant: *Factum est in diebus Herodis Regis Judæ, sub Principe Sacerdotum Cajapha, ut veniret quidem, Joannes nomine, baptisans baptismo pœnitentiæ.* Neque solum Matthæi Evangelium, sed Clementis etiam Circuitus corruperunt: *Quo in libro, paucis veris relictis, cætera supposuerunt.* Ac quò facilius homines deciperent, confictos ab ipsis libros obtrudebant: *Velut à Jacobo, Matthæo, ac reliquis Discipulis editos.* Ex insano ceremoniarum amore, Hierosolymam in magna commendatione habebant: *Hierosolymam adorant, quasi domus sit Dei.* Porro etsi Legis Mosaicæ essent observantissimi, Eliam tamen, Davidem, Samsonem abominationi habebant. Quotidianis lavacris utebantur, more, uti jactabant, à Petro Apostolo deducto. Ab omnibus quoque animatis atque carnibus abstinebant, hâc freti ratione, *Quòd illa è corporum coitu, concubituque, gignantur, se idcircò non vesci.* Baptismo tingebantur atque Eucharistiâ utebantur, quam tamen miris modis corruperant. Sua quippe mysteria quotannis celebrabant, imitatione Ecclesiæ: *In quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem, meram aquam adhibebant.* Paupertatem divitiis anteponebant exemplo Apostolorum, & ad mendicitatem se redigebant. Diebus Dominicis memoriam resurrectionis recolebant. Cæterùm observatur Origeni, Ebionitas bifariam dividi: *Ebionitæ duorum generum.* Erant quippe nonnulli inter eos, qui paulò honestius de Jesu sentiebant, nempe ex Virgine editum esse prædicabant, quod nos Eusebius docuit: *Alii ab his eodem nomine nuncupati, Christum quidem ex Virgine & Spiritu Sancto genitum esse non negant: sed iidem nihilominus cum Christum, utpote Deum, verbum ac sapientiam Patris ante omnia subsistisse, minimè fateantur, in eandem cum prioribus impietatem delapsi sunt.* Huic forsan Ebionæorum generi, tribuendum, quod refert Epiphanius. Christum negant à Deo Patre esse genitum: *Sed tanquam unum ex Archangelis creatum, & iis tamen majorem, qui & Angelis & universis, quæ sunt ab Omnipotente condita, dominetur.* Christum verò illum dicebant, qui Adami corpore contectus, in Crucem sublatus est, cumque, qui Jesus vocatur, induit. Impugnabant & sacrificiorum usum. Itaque in suo Evangelio, Christum sic loquentem inducebant: *Ego ad abroganda sacrificia veni, & nisi sacrificare desieritis, Dei in vos ira non cessabit.* Ebioni ejusque discipulis, pallentes prorsus mores non erant, utpote temperantiâ, amoreque virginitatis conditi, imò de sua castitate gloriabantur, ob Jacobum Domini fratrem, cujus exemplum imitari cupiebant: *Adeòque libros suos ad Seniores & Virgines inscribebant.* Quin etiam tanta puritatis hominibus istis cura fuit, ut ab externorum virorum tactu sese continerent, diebusque singulis, quoties à mulieris complexu surgerent, aquâ se proluerent: Quòd si à lotione redientes, in quempiam incurrerent, denuò ad sese cum vestimentis suis abluendos regrediebantur. Verùm lapsu temporis, virginitatem & castitatem prohibuere: imò, si vera prædicat Epiphanius, Carpocratianorum nequitiam usurparunt. Adolescentulos citra maturam ætatem ad nuptias compulerunt: & si cui divortium facere libuerit, ac novum matrimonium inire, *ad tertias & septimas usque nuptias*, concessere. Amore Mosaicæ disciplinæ, repudiato Ecclesiæ vocabulo, *Synagogam Conventus suos* nominabant. Errores Ebion suos, & in Asia, & Romæ disseminavit. Infelici tamen fœcunditate in Nabathæa atque Paneade, Moabitide, Cocabis, & insula Cypro pullularunt. Ex ea Symmachus secta prodiit, qui in linguam Græcam V. Testamentum transtulit, ut in suo de Hæreticorum fabulis libro Theodoritus docuit.

Epiph. h. 30. n. 13. — Epiph. h. 30. n. 14. — Epiph. h. 30. n. 15. — Epiph. p. 147. — Iren. l. 1. c. 26. — Epiph. h. 30. 15. — Orig. in Cels. l. 5. — Euseb. l. 3. c. 27. — Epiph. h. 30. n. 16. — Epiph. h. 30. 127. — Epiph. ibid. p. 140. — Epiph. h. 30. n. 2. — Epiph. h. 30. n. 18.

Anno U. C. 855. Per. Jul. 4815. Jul. 147. Dom. 102. Trajani 5. *Sol.* 27. B. *Lun.* 8. *Indict.* 15. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 6. P. 24. *Apr.*

Anno Dom. 102.

Coss. C. *Socius Senecio III. Licinius Sura II.*

Sura.

I. Magnâ Suram, qui Consulem egit, amicinâ Trajanus complectebatur. Amoris simul & fiduciæ exemplum præbet ex Dione Xiphilinus. Sæpius ab inimicis accusatus apud Trajanum fuerat Licinus ille Sura. Nihilominus Trajanus domum ejus ad cœnam vocatus venit, totoque satellitio suo dimisso, primo Suræ medicum accersit, ac per eum oculorum supercilia, deinde tonsorem, ac per eum barbam raserit. Post hæc Trajanus lotus cœnavit, posteroque die amicis suis, qui perpetuò Suræ calumniabantur, dixit: Si me Sura interficere voluisset, heri quidem certè interfecisset. Fuit tam opulentus Sura, ut suis sumptibus Populo Romano gymnasium ædificarit.

Dio l. 68. 777.

De Dacis victoria Trajani.

II. Anno præterito Trajanus expeditionem in Dacos susceperat, hoc anno ingens prælium commisit, in quo magna quidem cædes hostium facta, multo tamen sanguine Romanorum victoria constitit. Cùmque deficerent vulnerum ligamenta, Trajanus ne vesti quidem pepercit, sed eam in fascias discidit obligandis militum vulneribus. Cæsis verò statuit aram, & quotannis parentari jussit. Post contendit ad editiora loca montium, indeque aliis atque aliis occupatis collibus, non sine magno periculo, ad Regiam Dacorum pervenit. Decebalus ergo Legatos ad Trajanum misit, qui cùm abjectis armis humi se prostravissent, eum rogaverunt, Ut potestatem faceret Regi in colloquium veniendi. Sin recusaret, saltem mitteretur aliquis, qui de pace ageret. Missi sunt ea de causa Sura, Claudiusque Livianus Præfectus Prætorio. Sed effectum omninò nihil, quia non ausus est Decebalus cum illis miscere colloquium. Interim Trajanus, & montes castellis munitos cœpit, & in illis, arma, tormenta bellica, mancipia, signum denique illud reperit, quod captum sub Fusco fuerat. Maximus eodem tempore, Decebali sororem & oppidum quodam munitum in potestatem redegit. In eo bello præclarorum facinorum gloriam sibi comparavit Lusius Quietus, qui Mauris sub Trajano militantibus imperabat. Is Dacos ex adverso latere adortus, magnum eorum numerum concidit.

Dio l. 68. 773.

III.

ANNO DOM. 102.

Pax cum Decebalo.

III. Fractus tot cladibus Decebalus, nullam non admisit conditionem, ex iis quæ in pactis fuerant ei propositæ. Nam arma, machinas, earum artifices tradere, transfugas dedere, diruere propugnacula; de regione quam ex finitimis cœpisset decedere, & amicos hostesque, eosdem quos populus Romanus haberet existimare, nullo milite Romano uti pollicitus est. Quin etiam ad Trajanum profectus Decebalus, ad pedes prostratus ipsum veneratus est.

Dio l. 68.

De Nazaræis. Abdicabantne divinitatem Christo?

IV. Pertinax ceremoniarum Judaicarum amor sectam procreavit, cui Patres Nazaræorum nomen imposuere. Initio rerum, Christiani eâ appellatione afficiebantur. De Paulo Tertullus: *Comperimus*, inquit, *virum hunc principem esse hæresis Nazaræorum.* Quem probrosum Judæis titulum in laudem vertit Tertullianus: *Nazaræus vocari habebat, secundum Prophetiam, Christus creatoris. Unde & ipso nomine nos Judæi Nazaræos appellant per eum. Nam & sumus de quibus scriptum est, Nazaræi exalbati sunt super nivem.* Id tamen nominis relictum Christianis illis, qui Judaico sanguine creti, Mosis ceremonias pertinacius observabant: *Hæc potissimum secta*, verba sunt Epiphanii, *in Berœensi civitate viget, ad Cœlem Syriam, atque etiam in Decapoli juxta Pellam, & in Basanitida in ea quæ vulgò Cocaba dicitur. Hinc enim post illam à Hierosolymis secessionem illorum initia profecta sunt, cum Pellæ discipuli omnes habitarent, à Christo de relinquenda Hierosolymorum urbe præmoniti. Quâ quidem occasione factum est, ut in Peræa degerent.* De Nazaræis legimus apud Theodoritum: *Nazaræi sunt Judæi, qui Christum tanquam justum hominem venerantur: & Evangelio quod dicitur secundum Petrum, utuntur. Conflatas esse has hæreses imperante Domitiano, dixit Eusebius.* Injuriam tamen Nazaræis imponi, persuasum habemus. De Christo quippe rectè sentiebant. Hoc unum peccatum illorum fuit, quòd ceremonias Legis, quasi saluti necessarias, usurpabant. In dubio quidem est Epiphanius, utrùm Christum simplicem hominem affirmarent, an, uti sese res habet, per Spiritum Sanctum de Maria Virgine genitum esse profiterentur. Sui tamen veluti immemor, scriptum reliquit: *Porro non solùm Novo, sed etiam V. Testamento, Judæorum instar, utuntur. . . Unum esse Deum, ejusque filium J. Christum prædicant.* Equidem cùm de posteris Hierosolymitanorum essent, qui monente Christo, Pellam secesserant, quin paternam fidem retinuerint vix ponendum in dubio, quod etiam disertè narrat Augustinus: *Nazaræi cùm Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen Veteris Legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt.* Consentit & Hieronymus: *Duas domus Nazaræi, qui ita Christum recipiunt, ut observationes Legis V. non omittant, duas familias interpretantur Sammai & Hillel.* Hebraicæ linguæ erant peritissimi. Eodem Matthæi Evangelio, quo & Ebionitæ utebantur, quod appellabatur à multis, Matthæi authenticum. De eo Evangelio, insignis est locus in Epiphanio: *Est penes illos Evangelium, secundum Matthæum Hebraicè scriptum, & quidem absolutissimum. Hoc enim certissimè prout Hebraicis literis initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant. Verùm illud nescio, num genealogias illas amputarint, quæ ab Abrahamo ad Christum usque perductæ sunt.* Sua ab Epiphanio ista scribenti memoria aberrat. Etenim qui scire potuit, Nazaræorum Evangelium *absolutissimum* esse, si nescivit an in eo genealogiæ desiderarentur? Hos Judæorum posteri capitali odio prosequebantur, teste Epiphanio: *Mane, meridie, & ad vesperam, ter de die cùm in Synagogis ad orandum conveniunt, diris illos devovent, ac solemni imprecatione proscribunt. At Nazaræos inquiunt, Deus execretur.* Existimamus tamen eâ maledictione non Nazaræos modò, sed Christianos quoque omnes à Judæis fuisse percussos. Auditus enim jam nobis Tertullianus, à quo id monemur: *Ipso nomine nos Judæi Nazaræos appellant.*

Act. 24. v. 5.
Tertul. l. 4. in Marc. c. 8.
Epiph. h. 29. n. 7.
Theodor. h. Fab. l. 2.
Epiph. h. 29. n. 7.
August. de hæres. c. 9.
Hieron. in Esai. c. 8.
Hier. in Matth. c. 12.
Epiph. h. 29. n. 9.
Epiph. h. 29. n. 9.

ANNO U. C. 856. PER. JUL. 4816. JUL. 148. DOM. 103. TRAJANI 6. *Sol.* 28. A. *Lun.* 9. *Indict.* 1. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 7. *P.* 9. *Apr.*

ANNO DOM. 103.

COSS. Trajanus Augustus V. L. Appius Maximus II.

Maximus is esse videtur, qui & imperante Domitiano Antonium vicit, & in bello Dacico sororem cepit Decebali.

Trajanus de Dacis triumphat.

I. Armis penitùs abjectis Decebalus, Legatos ad Senatum misit, ut etiam ab eo rata pax haberetur. His ita pactis & conventis, castrisque ad Sermizegethusam relictis, & regione cæterâ præsidiis munitâ, in Italiam Trajanus reversus est. Tum Legati Decebali intromittuntur in Senatum, depositisque armis, more captivorum, junctis manibus pauca supplices loquuntur. Deinde confirmatâ pace, arma recipiunt; eoque facto, Trajanus de Dacis triumphavit, & Dacicus appellatus est. Currente anno triumphum de Dacis actum fuisse, demonstrat nummus ab eruditissimo Norisio, è Thesauro Mediceo suppeditatus: *Imperator Cæsar Nerva Trajanus Augustus. Germ. Dacicus.* P. M. in postica: *Trib. P. VII. Imp. IIII. Cos V. P. P. S. C.* Anno Christi centesimo primo, Trajano IV. Consule, triumphum Dacicum ductum esse, Baronius arbitratur, ex veteri hac inscriptione:

Dio l. 68. 774.

Imperator Cæsar Divi Nervæ. F. Nerva Trajanus.
Augustus. Germanicus. Dacicus. Pontif. Max.
Tribunit. Potest. IV. Coss. IV. Victo Decebalo.

Bar. An. 103. n. 3.

Falsam sanè inscriptionem. Incredibile quidem est, uno eodemque anno Trajanum, & relictâ Româ, in Daciam profectum, & multis commissis certaminibus, expugnatisque urbibus, gentem bellicosissimam ad conditiones pacis subeundas coëgisse, & urbe repetitâ triumphum egisse. Hæc unius esse anni non possunt. Hinc etiam Scaligeri de triumpho Dacico sententia refellitur. Quem vir ille magnus confert in annum Christi centesimum, Trajano Augusto III. & Frontone III. Coss. eâ fretus inscriptione:

Imper. Cæs. Nerva Trajano. Augusto. Germ. Dac. P. M. Trib. P. Coss. III.

Scalig. Animadv. in Euseb. p. 206.

Indignam tanto viro Chronologiam. Constat enim ex Plinii Panegyrico, Calendis Septembris anni centesimi recitato, Trajanum nil adhùc expeditionis in Dacos fecisse, ne dum de illis triumpharit. Alioquin tantam de illustri Victoria gratulandi Trajano occasionem, Plinius non prætermisisset. Interfuit quoque Panegyrico Trajanus, quo luce clarius, nondum in Decebalum

ANNO DOM. 103.

armа movisse. Post triumphum, Trajanus gladiatores, saltatoresque quibus delectabatur in theatrum reduxit. Quorum ex numero Pylades, ei præsertim carus erat. Porrò in tanto armorum studio, curam habuit & cæterarum rerum. Nam in foro Augusti, & in porticu, quæ Julia dicitur, ac in plerisque aliis locis jus pro tribunali dicebat.

Dio l. 68. 774.

Synodus Apostolorum Antiochena subdita est.

II. Silentibus Annalibus Ecclesiasticis, operæ pretium duximus, de Synodo Apostolorum Antiochena Baronii expendere sententiam: *Tradunt Antiochiæ ab Apostolis ad sedandas controversias illic exortas, habitam esse Synodum, idque autoritate Pamphili Martyris, cujus fragmentum recitat Turrianus.* Quod Baronii Turrianique figmentum, totis viribus nervisque tuetur Severinus Binnius. Novem Synodo Canones assignantur, quorum octavus est observatione dignus: *Ne decipiantur salvati ob idola. Sed pingant ex opposito divinam humanamque manufactam, impermixtam effigiem Dei veri ac Salvatoris nostri J. Christi, ipsiusque servorum contra Idola, & Judæos. Neque errant in Idolis, neque similes fiant Judæis.* Synodum subditam esse, eruditè demonstrat Natalis Alexander, seculi primi dissertatione XIX. Unum tamen est, quod probare non possumus: *Primus Canon decernit, ut credentes in Jesum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Christiani vocarentur.* At, inquit, *Constat Galilæorum nomen Christianis medio quarto sæculo sub Juliano Apostata fuisse impositum.* Atqui ex Dialogo Philopatris apud Lucianum, qui diu conditus est ante Julianum Imperatorem, novimus Christianos jam Gali æutum nomine indutos fuisse. Hæc enim Critiæ Tryphon ingerit: *Quando autem me Galilæus ille convenit, recalvaster, naso aquilino, qui in tertium usque cœlum per aerem ingressus est.* Quibus Paulum pingi Apostolum, luce clarius est. Illud tamen verissimum, Apostolis vitam retinentibus, non *Galilæorum* quidem, sed *Nazaræorum* nomine Christianos affici, quo à Tertullo donatos fuisse, Acta testantur Apostolorum. Præterea in purioribus Veterum monumentis, hujus celeberrimi conventus ne minimum extat vestigium, quod nulla unquam obscurare potuisset oblivio. Profectò canon ille octavus de pingendis Christi, Sanctorumque imaginibus, indicium est falsitatis certissimum, cùm non ab imaginibus modò, sed & ab arte pictoria Patres prorsus abhorrerent, ut ex Clemente Alex. Tertulliano, Minutio Felice, Arnobio, Lactantio exploratum est. Quale ipsis odium non concitassent ars pictoria aut imagines, præcipientibus Apostolis concinnatæ. Neque de Ecclesia Antiochena Innocentii verba, Baronio sunt præsidio: *Ubi & nomen accepit Religio Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se celeberrimum meruit.* Ni memoriâ erraverit Innocentius, dum Antiochiæ tribuit, quod competit Hierosolymæ, ubi sanctissima Synodus Apostolorum celebrata est, conventus ille nobilissimus de congregatione Pauli, Petri, Barnabæ Apostolorum, aliorumque virorum illustrium, perquam commodè intelligi potest. Multum utique sibi claritudinis assumit cœtus ille, quem divina ad Galatas Epistola ab oblivione vindicavit. Non diffitemur quidem, in Nicæna Synodo II. actione primâ, à Gregorio Pessinuntia Episcopo dictum fuisse, non, ut versio quidem habet, *In Antiochena Synodo Sanctorum Apostolorum, dictum est: Salvatos non debere amplius ob Idola aberrare, sed certandum esse ante Iconem Dei hominisque J. Christi Domini nostri*; sed, ut Græca legunt, ἀντιγυνίζειν; corrupte tamen pro ἀντεικονίζειν, *ex adverso pingere, simulachrum*, στήλην J. Christi. Στήλη non solummodò columnam aut cippum, sed simulacrum quoque significat. Suidas ἱστάνται δύο στῆλαι Ἑλένης καὶ Κωνσταντίνου: *Stant duæ statuæ Helenæ & Constantini.* Sic Gregorii Pessinuntis verba sunt Latinè reddenda. Ex eo tamen Gregorii testimonio id unum colligitur, octavo jam seculo ab impostoribus Canonem cusum esse, in gratiam imaginum: & vel eo nomine suspecta est ea Synodus Apostolorum Antiochena, quòd Nicæni Concilii secundi Episcoporum suffragio commendetur, quos totis se prolusisse fabulis, vanisque monumentis illi profitentur, quibus inest veritatis amor, cum eruditione conjunctus. Rectè etiam observatum Natali Alexandro, Anastasium Bibliothecarium, Gregorii citationem suspectam habuisse, cujus verba sic reddidit: *In Synodo S. Apostolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur*, etsi Græca sonent, *Quæ apud Antiochiam congregata est.* Apage fabulosum conventum.

Bar. An. 102. n. 19.

Concil. Lab. t. 1. p. 62.

Innoc. Epist. 18.

ANNO U. C. 857. PER. JUL. 4817. JUL. 149. DOM. 104. TRAJANI 7. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 10. *Indict.* 2. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 1. 2. *P.* 31. *Mart.*

ANNO DOM. 104.

COSS. *Sura II. & Marcellus.*

De hujus anni Coss.

I. SEdibus pellunt suis Suram atque Marcellum viri eruditi Norisius, Fabrettus, aliique, ut in eorum loco Trajanus V. & Lucius Maximus II. Consules collocentur. Vice versâ anno superiore Suram & Marcellum ornant amplissimo Magistratu, quem à Trajano, & Maximo gestum fuisse diximus. Nova hæc sententia in Nummis Trajani statuitur, qui sic habent: *Tr. Pot. VII. Imper. IIII. Cos. IIII. Designatus. V.* Certo autem certius est, septimam Trajani Tribunitiam Potestatem à mense Octobri anni proximi incepisse. Nobis tamen incommodum videtur, Fastis omnes dum optimè conspirant, ob duos nummos evertere fide, cùm artifices non omnis sint erroris immunes, quod multis exemplis à nobis est demonstratum. Credibilius est errando redundantem unitatem esse additam, locoque Tribunitiæ Potestatis VII. legendum esse sextæ. Nullo sanè exemplo ostendi potest, Veteres Fastos, ubi de Consulibus consentiunt, in errorem incidisse. Itaque Trajanus & Maximus annum superiorem, præsentem verò nobis aperient Sura atque Marcellus.

Decebalus bellum meditatur.

II. Contracti cum Trajano fœderis dolore cruciatus Decebalus, de pace dissolvenda cogitabat. Arma ergo comparare, transfugas recipere, arces instaurare, finitimas nationes per Legatos ad defectionem sollicitare, atque iis, qui prius ipsi adversarii fuerant, clades inferre cœpit. Quibus de causis hostis à Senatu declaratur. Bellum ergo Trajanus denuò per se ipsum, non per alios Duces gerere decrevit.

Dio l. 68. 774.

An Osseni Judæorum secta?

III. Novum dubio procul & inauditum multis videbitur, quod *Ossenos* Christianis Hæreticis inseramus, quos tamen Epiphanius in secta Judæorum annumerat. Pace tamen Epiphanii, sententia ejus vix ab errore defendi potest. Quatuor solummodò sectæ Judæorum notæ sunt Josepho,

ANNO DOM. 104.

fepho, cujus in ea re testimonium, Hegesippi Epiphaniique narrationi longè præponderat. De Juda Galilæo nobilis Historicus: *Erat autem propria secta Sophista, nulla in re similis aliis. Etenim tria sunt apud Judæos genera Philosophiæ.*

Joseph. de B. l. 1. c. 12. 784.

Quin etiam Hegesippo ignoti sunt Osseni, licet & ipse complures Judæorum sectas numeret: *Erant diversæ sectæ atque sententiæ in circumcisione inter filios Israel; Essæi scilicet, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothæi, Samaritæ, Sadducæi, Pharisæi.*

Euseb. l. 4. c. 22.

Ossenos sanè non præteriisset Hegesippus, qui Samaritas sectis apponit, quæ inter filios Israel storuere; quibus sanè non sunt ascribendi Samaritæ, si Christo credimus, cujus auctoritas magis apud nos valet, quàm illa Hegesippi. Dederat enim in mandatis dum Apostolos misit: *In viam Gentium ne abieritis, & in urbem Samaritanorum ne ingrediamini. Sed proficiscimini potius ad oves perditas domus Israel.* Quibus liquidò constat, Samaritanos ad Israelitas non pertinere. Adjuvant tamen Epiphanii sententiam viri magni, Scaliger atque Salmasius, dum Ossenos Essenorum progeniem esse statuunt: *Secta Ossenorum*, inquit ille, *est veterum Essenorum tradux quædam, quæ multa ab illis antiquis Essæis retinuit. . . . & proptereà Osseus qui nomine idem, superstitione in multis consentiebant, ut jurare per salem, panem, aquam.* Disertior adhuc Salmasius, Plinianarum Exercitationum paginâ 430. *Certum est, Ossenorum sectam ab Essenis non esse diversam.* Nobis verò contrarium est exploratissimum. Ut mirari satis non possimus, viros doctissimos io id opinionis descendisse.

Matth. 10 5.

Scalig. Elench. c. 27.

Osseni ab Essenorum secta diversi.

IV. Ossenis sese adjunxisse Elxai Pseudoprophetam, disertè docet Epiphanius Hæresi XIX. Imò quatuor sectarum Princeps fuit: *Secta quatuor autorem sibi vindicant qua illius præstigiis afficiuntur: nimirum Ebionæi, ac posteriori Nazaræi; Osseni, qui tam ante illum, quàm qui cum illo prodierunt, & Nazaræi, de quibus anteà disputavi.* Jam verò cum ejusmodi homine misceri commercio Osseni non poterant, ob dogmatum pugnam. Etenim Elxai, *Per salem, aquam, terram, panem, cælum, athera, ventumque, cultus causâ jurandum esse tradidit.* Proindeque licita juramenta esse, Osseni arbitrabantur, quibus Elxai venerationi erat. Jam verò diversa Essenis disciplina fuit: *Omne quod dixerint jurejurando fortius habent. Ipsum autem jusjurandum, quasi perjurio deterius vitant. Jam enim mendacii convictum arbitrantur, cui sine Deo non creditur.* Absonum ergo Essenos, quibus juramenta odio erant, ab Ossenis non distingui, qui doctoris sui ad exemplum, fas esse putabant non per Deum modò, sed per salem quoque jurare. Præterea inventur inter Essenorum instituta, quòd ad orientem solem conversi, preces fundebant Deo: unde perperàm creditum Scaligero, quòd solem adoratione prosequerentur. Osseni verò inter precandum sese versus Hierosolymam componebant. Quo ritu Elxai disciplina eos informabat: *Nam & ad Orientem converso vultu precari prohibet: negatque intentos in eam partem nos esse oportere, sed Hierosolymam versus undequaque prospicere.* Insuper Esseni probro ducebant oleum, *etsi quis vel invitus ungatur, corpus deterget, quia squalorem decorem putabant, dummodò semper essent in veste candida.* Oleum autem Ossenis erat honori, exemplo præceptoris sui, qui testes septem advocabat: *Cælum, aquam, Spiritus Sanctos, orationis Angelos, oleum, salem, & terram.* Aliundè Ossenis virginitas erat odio: continentiam damnabant, & ad ineundas nuptias compellabant. Contrà verò cœlibatus Essenis probabatur. Et qui ex sua secta matrimonium inibant causâ prolis, tantâ tamen temperantiâ illud contrahebant, ut per triennium explorarent valetudinem fœminarum, neque prægnantis corpore utebantur. Denique Elxai *negare Deum sequaces suos docuit, eum execrandorum Idololatriæ sacrorum per simulationem participes esse suasit, & ore tenus ejurare fidem, nullum crimen esse dixit.* Tam verò fortis erant animi, qui Essenicam disciplinam profitebantur, ut ne vel *per ignes tormentaque omnia transeuntes, ut vel in Legislatoris aliquid loquerentur injuriam, vel ciborum quippiam quod non solent ederent, ad neutrum horum potuerint compelli*, imò constantes animas cum hilaritate exhalabant. Quibus perpensis, comprehendere animo non possumus, Ossenorum sectam ab Essenis non esse diversam.

Epiph. h. 19. n 5.

Epiph. h. 19. n. 1.

Joseph. de B. l. 2. c. 7. 786.

Epiph. h. 19. n. 3.

Joseph. de B. l. 2. c. 7. 785.

Epiph. h. 19. n. 2.

Joseph. de B. l. 2. c. 7. 788.

Epiph. h. 19. n. 3.

Joseph. de B. l. 2. c. 7.

Osseni Christum venerabantur.

V. Ossenos verò Christianorum nomen sibi ascivisse, nunc est demonstrandum. Sampsæorum & Elcesæorum eandem sectam esse monemur ab Epiphanio: *Sampsæorum in ea regione, quæ Peræa dicitur, hæresis quædam est, qui & Elcesæi vocantur. Jactant enim illi conditorem sectæ suæ ac magistrum Elxæum. Utuntur hoc eorum libro, & Ossæi, & Ebionæi, & Nazaræi.* Sampsæi autem nomine Christiani erant: *Christum verbo tenus confitentur, quem rem conditam esse putant, & identidem apparere.* Atqui Osseni & Sampsæi gens una dicitur Epiphanio. Insuper Elxai aliquid honoris Christo impendebat: *Christum nomine ipso fatebatur, cum ita loqueretur, Magnus est Rex Christus.* Elxai verò se Ossenis conjunxerat, ut vix sit in dubio, quin eadem ipsis disciplina fuerit. Audiatur iterum Epiphanius: *Hic igitur olim se ad Ossenorum hæresim adjunxit. Cujus hodie in Nabathæa & Peræa, Moabitis vicina regione, reliquiæ supersunt, & Sempsæorum vulgò, nunc hæc hominum dicitur.* Quòd si Osseni Judæi fuissent, non Christiani, neque illis adhæsisset Elxai, qui nomine saltem Christum profitebatur, neque Ossænis venerationi fuisset ille Hæreticus, cujus & libro utebantur. Testimonium dicat ipse Epiphanius: *Ad Osseno posteà Elxai se quidem aggregavit, imperante Trajano. Qui cùm falsò se Prophetam diceret, librum quendam velut Prophetico Spiritu afflatus edidit, divinâ scilicet sapientiâ plenum.* Porro hunc librum Ossenis fuisse in pretio, expressis Epiphanius verbis demonstrat: *Utuntur hoc eorum libro & Ossai, & Ebionæi, & Nazaræi.* Equidem Epiphanius, qui in commemoratione hujus hæresis non satis sibi constat, disertè tradit Elxæum Ossenorum fuisse doctorem: *Elxai rursus iste cum Ebionæis qui Christi tempora secuti sunt, conjunctus est, necnon cum posterioribus Nazaræis, eumque sectæ quatuor autorem sibi vindicant, quæ illius præstigiis afficiuntur, nimirum Ebionæi, ac posteriores Nazaræi; Osseni qui tam ante illum quam cum illo prodierunt, & Nazaræi de quibus disputavi.* Osseni ergo perinde Christiani erant atque Ebionæi, nec eo decorari titulo dedignabantur: quem non sine superbia & fastidio repudiabant illi, qui Judæos agebant.

Epiph. h. 53 n. 1.

Ibid.

Epiph. h. 19. n. 3.

Ibid.

Epiph. h. 19. n. 1.

Epiph. h. 53.

Epiph. h. 19. n. 5.

Cur Osseni dicti Sampsæi.

VI. Adductis ex Epiphanio locis, liquet nil causæ fuisse, quamobrem Ossenos à Sampsæis secerneret, utpote qui solo nomine, non reipsâ forent diversi. Idcircò quatuor sectis, quarum

ANNO DOM. 104.

princeps fuit Elxai, non adjungit Sampsæos, qui tamen hujus Hæretici disciplinam colebant, quia cum Ossenis permiscebantur. Quid verò rationis fuit, cur Sampsæi dicerentur? Vir summus Scaliger, contendit à Solis adoratione, vocatos fuisse Σαμψαίους, id est, ἡλιακούς. Perperàm, ni fallamur animi. Nunquam enim Sampsæis Solis cultum objecit Epiphanius. Neque in accurata rerum per quas jurabant enumeratione, locum Sol ullum invenit. Quantò magis Solem, testem veritatis adhibuissent, quàm aquam, sal, ventum. Quin etiam à Solis cultu, Ossenos sive Sampsæos quàm maximè alienos fuisse, scimus ex Epiphanio, qui Elxai, sic inducit discipulos compellantem: *Filii, nolite ad ignis speciem accedere: erratis enim, & istud ipsum error est. Nam cum illum in propinquo videas, abest tamen longius.* Itaque *sitam & bonam aquam esse,* definiebat Hæreticus, *ignem verò alienum quiddam.* Quod adorationi Solis ignei, contrarium est atque disjunctum. Osseni igitur Sampsæi dicuntur, ab urbe Arabiæ *Sampsa*, Stephano benè nota: *Sampsa visus Arabiæ. Gentile Sampseuus. Sampsa verò apud Arabas Sol.* שמש, sive Chaldaicè שמשא *solem* significat. Sampsæi ergo à regione, quam incolebant Hæretici, nomen habuere: *Ultra salsum, sive mortuum mare habitant in Moabitide ad torrentem Arnon, & in ulteriore tractu Ituraa ac Nabatide.*

Epiph. h. 19. n. 23.

Epiph. h. 53. n. 1.

Helcesai.

VII. De Hæreticorum parente Elxai paucis. Hoc in nomine Essenum se deprehendisse sibi visus est summus ille Scaliger: *Istius secta Osseorum quidam exortus est in Arabia, nomine Ἠλξαί, quod profectò Arabicè nil aliud sonat quàm ὁ Ἐσσαῖος,* אל חשאי. Quæ tamen crisis jejuna est atque frigida. Quippe impurus ille Hæreticus Ἐλκεσαΐ scribitur Theodorito. Quam appellationem germanam esse, demonstrant Origenes atque Eusebius, antiquiores Epiphanio, quos apud legitur Ἑλκεσαϊτῶν αἵρεσις, *Hæresis Helcesaitarum.* Cùm autem à suo parente secta hæc nomen habuerit, liquet *Elcesai*, non *Elsai* fuisse dicendum. Insuper Essæus non rectè scribitur חשאי scribi debet חסאי. Hoc verò vocabulum, Græcum ξ non parit. Sed missis Grammaticæ tricis, quocunque nomine donemus sectæ Osseniacæ principem, ejus sanè patria arguit Essenum non fuisse. Ortus enim est, vixitque in Arabia, cùm solam Esseni Judæam incolerent. Multò magis adhuc cùm ex moribus, tum ex institutis apparet ab Essenis esse alienum. Fuerit ergo genere & sectâ Judæus, Essenus tamen esse non potuit: & meritò in dubium revocari potest, vixeritne ex Esseniaca secta aliquis, imperante Trajano. Huic Cæsari coætaneum Elxæum fuisse scribimus, secundum Epiphanium. Quanquam non desit ratio credendi multò juniorem. De Helcesaitarum hæresi Origenes: *Quidam*, inquit, *nuper advenit de se ipse magnificè sentiens, utpote qui impiam & nefariam Helcesaitarum opinionem, quæ adversus Ecclesiam recens coorta est, possit defendere.* Esset autem ex antiquioribus sectis, si orta sit ævo Trajani. Neque *recens* dici posset. Nolumus tamen ab Epiphanii recedere Chronologia, quam eruditissimi viri sequuntur, etsi eò inclinet animus, ut sectæ hujus cunæ in tertio seculo collocentur, quod & innuunt binæ mulieres Elxai procreatæ, quæ discipulis ejus venerationi erant. Tantâ enim præceptorem suum benevolentiâ prosecuti sunt Helcesaitæ, ut duas ex illius stirpe mulieres, Marthus & Marthanam, tanquam Deas adorarent, quòd ex benedicto semine essent oriundæ: *Quoties domo progressa aliquò se conferrent, ingens hominum multitudo ambas comitabatur, qui non modò pedum pulverem, sed & sputa morborum ad remedia colligentes, non sine magno ludibrio ad amuleta & phylacteria reservabant.* Obierat Martho, adhuc superstite Marthanâ, dum hæc scripto mandabat Epiphanius. Erravit itaque doctissimus Croius, qui sibi in mentem induxit, Marthus & Marthanam, Elxai sorores fuisse.

Scalig. Elench. c. 27.

Euseb. l. 6. c. 38.

Euseb. h. l. 6. c. 38.

Epiph. h. 53. n. 3.

Errores Helcesaitarum: Obscura eorum precatio apud Epiphanium explicatur.

VIII. De hac hæresi paucis, cujus placita nobis jam multa innotuerunt, dum Ossenorum cum Essenis collatio instituta est. Quæ, ut paucis referantur, Osseni Hierosolymam versus adorabant oleum, salem, elementa, Angelos venerationi habebant, ad nuptias iocundas suos compellabant: fidem vitandæ persecutioni dissimulabant, Christum in rerum conditarum numerum referebant, & societatis vinculis cum Ebioneis conjungebantur. De cæteris Helcesaiticæ disciplinæ capitibus subjungit Epiphanius: *Ex universo Scripturæ Canone, quadam rejicit, quibusdam verò utitur testimoniis, tum ex veteri instrumento, tum ex Evangelio. Paulum quidem Apostolum integrum repudiat. Docet præterea indifferentem rem esse Christum abnegare: & eum qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia. Librum etiam proferunt, quem è Cælo delapsum affirmant, eosque qui auscultaverint illi, & crediderint peccatorum veniam consecuturos, & quidem diversum ab illa peccatorum remissione quam J. Christus impertit.* Spiritum Sanctum dicebat esse fœminam. Christo XXIV. milliaria longitudinis assignabat, nec minus portentosè de crassitudine nugabatur. Ita orare jubebat: *Abar, Anid, Moib, Nochile, Daasim, Ane, Daasim, Nochile, Moib, Anid, Abar, Selam.* Quæ sic explicat Epiphanius: *Transeat abjectio à patribus meis propagata, condemnationis ipsorum, & coaculcationis ipsorum, & laboris ipsorum, conculcatione in condemnatione per patres meos, ex abjectione quæ præterit in Apostolatu perfectionis.* Petavius fatetur, *Non esse facile ex Hebraicis hisce verbis eam sententiam elicere, quam subjecit Epiphanius.* Oneri sanè succubuit vir undequaque doctus. Quid enim in precibus hoc sibi vult, ἀποχολὴ τελειώσεως, *qua præterit in Apostolatu perfectionis?* Tentavit & Scaliger sensum expiscari loci difficillimi: *Ego*, inquit, *hic esse nullam εὐχὴν colligere possum. Sed statim, ut oculos in ea conjeci, tres γνώμας agnovi*, quas vir summus sententias exhibet, Elenchi capite XXVII. Sed temeritate propius abest, negare eam orationem esse, quam *orationem esse* affirmat Epiphanius: *Nemo interpretationem quærat, sed inter orandum hæc duntaxat proferat.* Neque hîc falli potuit Epiphanius, ut pro Ossenorum precatione haberet, quod pura puta sententia est. Vigebat adhùc Sancti Patris ævo secta Osseniaca, à qua scire facillimè potuit, nùm inter orandum precationem adhibuerit ejusmodi. Quòd si precatio est, totâ Scaliger erravit via, cùm nil orationis sit in ea sententia, *Qui conculcat paupertatem, conculcat fraudem &c.* Nostro quidem judicio, verborum sensum optimè assecutus est doctissimus ille Joannes Croius, cujus explicationi, suffragium libentissimè nostrum damus. עֲבַר עֲנִי מֵאֲבוֹתַי נְחִלֵּי רְשִׁים אוֹתִי רְשִׁים נְחִלֵּי מֵאֲבוֹתַי עֲנִי יַעֲבֹר וְאָשִׁים: *Transirit afflictio à patribus meis: tribulationes conterunt me:* con-

Euseb. h. l. 6. c. 38.

Epiph. h. 19. n. 4.

Epiph. h. 19. n. 4.

ANNO DOM. 104.

conterant tribulationes à patribus meis. Afflictio transeat, & pace fruar. Qui sciunt Hebraicè, non semel legerunt נחל significare *torrentem*, consequenterque *afflictionem*, quâ veluti torrentibus inundati miseri abripiuntur. Quo sensu vocabulum à Davide usurpatur: *Circumdederunt me* חבלי מות ונחלי *funes mortis & torrentes.* (Psalm. XVIII. 4.) Sed & apud Ezechielem queruntur Judæi, tribulationes paternis debitas peccatis, in se fuisse propagatas, quam tem Ossenorum deprecatur Oratio. Itaque à Judæo deceptus non fuit Epiphanius, dum scripsit *precibus* sanè, non *sententiis*, verba Ossenorum esse inserenda. Errorís Helcesaitarum meminit Prædestinatus c. XXXII. additque: *Hos Papias Presbyter Achaia obtinuit.*

ANNO DOM. 105.

ANNO U. C. 858. OLYMP. 221. PER. JUL. 4818. JUL. 150. DOM. 105. TRAJANI 8. *Sol.* 2. *Lun.* 11. *Indict.* 3. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 3. *P.* 20. *Apr.*

COSS. T. Julius Candidus II. & A. Julius Quadratus II.

Notam numeralem Quadrato esse apponendam, monet Spartianus in Adriano: Tribunus plebis factus est Candido & Quadrato iterum Coss. *Itaque ab eruditis omitti non debuit.*

Secunda Trajani in Dacos expeditio.

I. DEcebalo hoste à Patribus Conscriptis judicato, Trajanus ad bellum proficiscitur. Hoc anno expeditionem susceptam fuisse ex Spartiano facimus conjecturam: *Tribunus* erat Adrianus, *in quo Magistratu, ad perpetuam Tribunitiam Potestatem, omen sibi factum asserit, quòd penulas amiserit, quibus uti Tribuni plebis, pluvia tempore solebant.* (Spart. Adr. c. 3.) Addit subinde Spartianus: *Secundâ expeditione Dacicâ, Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præposuit, secumque duxit.* Itaque secunda expeditio Dacica non antecessit Adriani Tribunatum, hoc anno gestum. Porro tum temporis annuus non erat is Magistratus. De Calvisio Nepote, quem Sosio commendat Plinius: *Hunc*, inquit, *rogo semestri Tribunatu splendidiorem & sibi, & avunculo suo facias.* (Plin. Epist. l. 4. 4.) Itaque ubi Adrianus excessit Magistratu, Trajano in Daciam tendenti comes fuit.

Res Decebali.

II. Trajano Decebalus viribus multò inferior erat. Parum tamen abfuit, quin eum ex insidiis tolleret. Misit enim transfugas in Mysiam, qui eum interficerent. Cùm enim ad Trajanum semper fuisset facilis accessus, tum verò propter belli necessitatem cuivis & adeundi, & colloquendi facultas erat. Sed id quidem facinus minimè perpetrarunt, quòd unus ipsorum, cùm in suspicionem venisset, captus, magnâ vi tormentorum, insidias omnes patefecit. Præterea Decebalus, *Longinum* legionis Ducem, militiæ peritum, vocatum persuasit ut se adiret, quasi statuisset ejus imperata facere. Quem cùm venisset comprehendi jussit, rogavitque publicè Trajani consilia. Ubi verò nil potuit ex eo cognoscere, mandavit ipsum solutum vinculis in custodia retineri. Deinde petit à Trajano per Legatos, ut recepto Longino secum reconciliari vellet, ager ad Istrum porrectus sibi concederetur, & expensæ in bellum pecuniæ solverentur. Cui Trajanus ea respondere visus est, quibus appareret, nec magnam à se, nec exiguam Longini rationem haberi, ne vel periret, vel à Romanis redimeretur. Dum verò Decebalus interim cunctaretur, despiceretque quid potissimum ageret, Longinus interea venenum nactus liberti operâ, Decebalo reconciliationem cum Trajano pollicebatur, ne veniens in suspicionem rei, quam habebat in animo, custodias adhiberet accuratiores: scriptas autem ad Trajanum literas, quæ supplicationem continebant, liberto tradit perferendas, ut tutus esse posset. Hoc modo cùm libertus discessisset, hausto noctu veneno, mortuus est. Id ubi contigit, libertum à Trajano repetiit Decebalus, ejusque loco se tum Longini cadaver, cùm captivos decem redditurum promisit. Statimque legavit Centurionem cum Longino captum, qui has res conficeret. Trajanus tamen nec libertum, nec Centurionem remisit.

Dio l. 68. 775.

Trajanus pontem imponit Danubio.

III. Interim Trajanus pontem lapideum in Danubio faciendum curavit Apollodori curâ, quod opus omnibus Trajani antecellit. Ejus Pontis erant pilæ XX. ex lapide quadrato, singula absque fundamentis altitudine pedum LX. Distabant inter se intervallo CLXX. pedum fornicibusque jungebantur. Cujus operis sumptus, licet incredibilis, tamen plus admirationis habuit, quod pons in fluvio magno, & aquâ verticosâ, soloque limoso factus, quòdque fluxus fluminis, aliò averti non potuit. De eo ponte Procopius libro IV. de ædificiis Justiniani: *Quomodo pontem hunc extruxit* Trajanus, *mihi plana cura non sit, sed exponat eum Apollodorus Damascenus, totius operis præcipuus artifex: nullam tamen utilitatem inde senserunt Romani; sed pontem Ister exundans, posteà & tempus intercurrens, everterunt.* Pontem construxit Trajanus, metuens ne Danubio frigoribus conglaciato, Romanis qui trans flumen essent, bellum inferretur. Quo casu, copiæ traduci potuere. Ponte facto, Trajanus securè Danubium transiit, deinde securè bellum gessit, magis quàm celeriter, ac Dacos vix tandem subegit. Porro Adrianus veritus ne Barbari oppressis custodibus pontis in Mysiam facilè transirent, superiores partes ejus disturbari jussit. (Dio l. 68. 776.) Dionis ævo extabant adhuc pilæ ostentationis causâ, quasi tantummodò factæ sint, ut ex iis constet nil esse, quod humano ingenio effici non possit.

Arabia subjicitur Trajano. Epocha Arabum.

IV. Dum præclaris facinoribus, in Occidente ad gloriam Trajanus ascendit, Romanorum in potestatem Arabes veniunt. *Palma* enim, Syriæ Præfectus, eam cœpit Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegitque in ditionem Populi Romani. (Dio l. 68. 777.) Hinc nova hisce Populis nascitur Epocha, cujus mentionem facit Chronicum, quod vulgò Alexandrinum nuncupatur: *Petrei & Bostreni ab hoc anno suam Æram inchoant.* Hic est ille Palma, quem Adrianus statim ut adeptus est imperium, unà cum viris illustribus interfici jussit, questus quòd in venatione sibi struxerunt insidias. De rebus Ecclesiæ pauca subjiciantur.

De Joanne Presbytero. An idem cum Marco?

V. Apostolorum ævo floruisse Joannem, dignitate Presbyterum, docent monumenta Veterum. Verba sunt Papiæ: *Quòd si quis mihi occurrebat, qui cum Senioribus versatus fuisset, ex eo curiosè sciscitabar, Quænam essent Seniorum dicta? Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæterus Domini discipuli dicere soliti* (Euseb. l. 3. c. 39.)

Anno Dom. 105.

essent; quidnam Aristion, & Joannes Presbyter discipuli Domini prædicarent. Bis à Papia positum nomen *Joannis*, indicio est, duos eodem nomine appellatos, in Asia vixisse. Erant & apud Ephesum duo sepulchra, quorum utrumque Joannis nomine vocabatur. Papias quidem, se Aristionis & Joannis Presbyteri auditorem fuisse tradit, qui tamen in prooemio Librorum suorum, se Sanctorum Apostolorum spectatorem fuisse non dicit. Joanni quoque non *Apostolo*, sed Presbytero, Apocalypsim Dionysius vindicat Alexandrinus: *Fateor Sancti cujusdam & divino Spiritu afflati viri, id opus esse. Sed hunc ipsum esse Apostolum, Zebdæi filium, Jacobi fratrem, cujus est Evangelium illud, quod secundum Joannem inscribitur, & Epistola Catholica, haud facilè concesserim.* Non omnibus tamen innotuit Joannis utriusque discrimen: non sanè Irenæo, qui Presbyterum cum Apostolo permiscet. Meminit enim Presbyterorum: *Qui Joannem discipulum Domini viderunt*, à quo audierant, *quemadmodum Dominus dicebat, Venient dies in quibus vineæ nascentur, singulæ decem millia palmitum habentes.* Hujus autem *Joannis Domini discipuli*, quo titulo Joannes Apostolus designatur, *Papiam auditorem* fuisse tradit Ireneus *l. v. c.* 33. Nos verò pace Irenæi, magis assentimur Eusebio, qui Papiam Joannis non Apostoli, sed Presbyteri magisterio usum esse memorat: *Aristionis autem, & Joannis Presbyteri auditorem se fuisse dicit.* Hujus & Presbyteri, Papias traditiones suis in libris retulit. Eò inclinat Dodwellus, ut in *Marco*, Joannes ille Presbyter quæri debeat: *Seniorem hunc Joannem, quid si Marcum fuisse dicamus? Illum Joannem fuisse constat Act.* XII. 12. 25. XV. 37. *Illius mentio apud Paulum* 2. *Tim.* IV. 11. *tanquam Ephesi, cum Timotheo agentis, loco ipso Joannis memoria celebri.* Quæ Baronio etiam sententia fuit: *Existimamus*, inquit, *esse, Joannem Mariæ filium, cognomento Marcum.* Hanc tamen conjecturam probare non possumus. Primum enim Dionysius Alexandrinus eam opinionem in dubio relinquit, etsi, ut verum fateamur, pertenui argumento moveatur: *Est etiam alius Joannes in Actibus Apostolus, cognomento Marcus, quem Barnabas & Paulus comitem sibi adjunxerunt: De quo etiam dicitur, Habebant autem Joannem Ministrum. An hic sit qui Revelationem scripsit, mihi non liquet. Neque enim cum illis in Asiam venisse perhibetur.* Dionysii hanc rationem meritò refellit Baronius, cùm certum sit Joannem Marcum in Asia versatum esse. Pauli verbis animum non adverterat Dionysius, scribentis Timotheo, ut secum in urbem Marcum adducat. Omissâ Dionysii autoritate, graviore argumento Baronii, Dodwellique sententiam refellimus. Quippe Marci mentionem Joannes Presbyter, suis traditionibus inseruit, docente Papiâ: *Ajebat etiam, inquit, Presbyter ille, Marcum Petri interpretem quæcunque memoriæ mandaverat, diligenter perscripsisse.* Alio discrimine Marcum, Joannemque Presbyterum Papias separat. Hunc enim Domini fuisse discipulum, illum non fuisse, scribit. Non sanè consentaneum est Marco, qui Evangelistam agebat, perpetuò *Presbyteri* nomen imponi. Denique Joanni Presbytero, Aristionem Papias præponit: *Alterum Joannem cum iis collocat, qui extra numerum sunt Apostolorum, præponens illi Aristionem quendam, eumque Presbyterum disertè nominat.* Atqui Joanni Marco plus honoris attulisset Papias, utpote Apostolorum comiti, quàm ignoto Aristioni.

Euseb. l. 7. c. 25.

Euseb. l. 3. c. 39.

Dodw. in Iren. Dissert. 1. n. 5. p. 10.

Bar. An. 97. n. 10.

Euseb. l. 7. c. 25.

Euseb. l. 3. c. 39.

Euseb. l. 3. c. 39.

Anno Dom. 106.

ANNO U. C. 859. PER. JUL. 4819. JUL. 151. DOM. 106. TRAJANI 9. *Sol.* 3. D. *Lun.* 12. *Indict.* 4. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 4 *P.* 5. *Apr.*

COSS. L. Ceionius Commodus Verus, L. Tutius Cerealis.

Commodus Pater erat Ælio Cæsari, quem Adrianus adoptavit.

Victoriæ Trajani in Dacia.

I. TRajanus in bello Dacico, non Imperatoris modò, sed fortissimi quoque viri partes implevit. Adriani etiam multa egregia facta claruerunt. Quare adamante, quem Trajanus à Nerva acceperat, donatus, ad spem successionis erectus est. Unus eques graviter saucius, exportatus è prælio, ad sananda vulnera, ubi desperatam esse salutem cognovit, ex tabernaculo iterum in aciem processit. Magisque gestis rebus, mortuus concidit. Cùm virtute Romanorum fortunam destrui suam cerneret Decebalus, flumine, operâ captivorum averso, perfossoque solo, magnam vim argenti aurique, tum pretiosissimam quoque supellectilem congesserat. Quæ ubi lapidibus aggeribusque tecta sunt, flum o prisco alveo restituit. Prætereà vestes & alia quæ sunt ejusdem generis abdiderat in speluncas per eosdem servos; quos peracto negotio, occidi jussit, ne quod actum fuerat, patefacerent.

Spart. Adr. c. 3.

Dio l. 68. 777.

Anno Dom. 107.

ANNO U. C. 860. PER. JUL. 4820. JUL. 152. DOM. 107. TRAJANI 10. *Sol.* 4. C. *Lun.* 13. *Indict.* 5. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 5. *P.* 28. *Mart.*

COSS. *Senecio IV. & L. Licinius Sura III.*

Decebalus violentas sibi manus affert.

I. DEcebalus postquam Regiam, regionemque suam omnem captam esse novit, imminereque periculum, ne ipse quoque caperetur, manus sibi attulit. Ejusque caput Romam perlatum est. Thesauri ejus, quamquam in Sargetia flumine, non procul à Regia repositi, inventi sunt, indicante Bicili, qui Decebalo familiaris erat. Sic Dacia venit in ditionem Populi Romani. Ea de causa scriptam esse Plinii Epistolam, quæ numero est 9. libri x. existimamus: *Victoria tua, optime Imperator, maxima, pulcherrima, antiquissima, & tuo nomine & Republica gratulor.* Præsens enim Dacos debellavit Trajanus omnium hostium fortissimos. Exhausto bello, Trajanus sub anni finem urbem repetiit, secundum de Dacis acturus triumphum, quem & anno insequente duxit.

Dio l. 68. 777.

Trajanus profectus ne in Orientem anno Domini CVI.

II. Magnos nostra Chronologia patitur adversarios. Ac primùm Baronius statuit Trajanum anno Christi C V. Româ excessisse, Armeniis Parthisque bellum ut inferret. Deinde Joannes Malela de Trajano hæc habet: *Ex Daphne processit Imperator, & per viam Chrysiam, sive Daphneticam intravit Antiochiam Syriæ, coronam capite gestans ex olivarum ramusculis connextam, mense Audynæo, sive Januario, die septimo, feriâ quintâ, horâ quartâ matutinâ.* Quibus characteribus præsens annus apertè designatur. Litera enim Dominicalis C. in tertium

tium Januarii confert Solis diem: sed & Solaris Epacta V. cum litera Calendaria A. copulata, indicio est Januarium à sexta feria initium duxisse, septimus ergo Januarii in feriam quintam incidit. Quo die presens Antiochiæ Trajanus esse non potuit, nisi anno Christi CVI. migrarit in Orientem. Quam & Chronologiam astruit Chronicum, cui Alexandrino nomen vulgò imponitur. Ad annum enim Trajani IX. Commodo & Cereali, quem *Cerctanum* appellat, Coss. *His*, inquit, *Consulibus gravi bello Romanis incumbente à Persis, Gothis & aliis gentibus, Trajanus expeditione in hostes susceptâ, suis gratiam tributorum quoad reverteretur fecit.* Denique Acta Ignatii testantur, Sanctum Martyrem, quem Coss. Surâ & Senecione mortem obiisse ferunt, captum fuisse dum Trajanus Antiochiæ consistit. Hæc tamen argumenta à nostra nos dimovere sententia non possunt. Acta Ignatii subdita esse existimamus, vel una ea de causa quòd Trajani in Orientem expeditionem anno Christi CVI. affigant: quod & aliis argumentis palam fiet. Præsente quidem Trajano, in civitate Romana morti missum Ignatium fuisse, testatur Ado Viennensis, libro de Festivitatibus. Apostolorum Joannes Malela superiorum temporum omninò peregrinus, fabulis totus conspergitur. Et nisi à vero aberret animus, ex Actis Ignatianis nata est illa Trajani in Orientem profectio, quæ superiore anno fertur suscepta, absque qua non potuisset Antiochiæ versari, cùm Sanctus Christi Martyr in vincula ductus est.

Trajanus non transmisit in Orientem, nisi post annum Dom. CVII.

III. Nostræ verò Chronologiæ præsidia sunt longè firmiora. Primus enim de Dacis triumphus actus est anno Christi CIII. paxque à Senatu cum Legatis Decebali constituta. Secundus ergo triumphus anno Christi CVI. duci non potuit. Secus bellum Dacicum non gestum fuisset quinquennio, quod tamen constat esse verissimum, suffragantibus Dione, & Juliano Imperatore, de Cæsaribus. 2°. Altera Trajani in Decebalum expeditio incidit in annum Domini CV. Prius saltem suscipi non potuit, ut certum faciunt verba Spartiani: *Secundâ expeditione Daticâ, Trajanus Adrianum primæ legioni Minerviæ præposuit, secumque duxit.* Cùm igitur in Daciam iterum proficiscenti Trajano comes fuerit Adrianus, excepit utique Adriani Tribunatum expeditio hæc. Tribunum autem agebat eâ parte anni, quem Candidus & Quadratus aperuerant, qui Christi CV. erat. Impossibile autem est, quòd Trajanus anno Christi CVI. moverit in Orientem, si centesimo quinto, secundum Decebalo bellum intulit. Vix enim superesset mensium duodecim spatium, ut pontem factu difficillimum imponeret Danubio, bellum exhauriret, eoque confecto redux triumpharet. Tantæ festinationi Dio refragatur: Trajanus, *Ponte facto, Danubium transit: deinde securè bellum gessit magis quàm celeriter, ac Dacos vix tandem subegit.* 3°. Quo tempore Plinius Bithyniam administrabat, eo Trajanus belli expers agebat in Occidente. Ex urbe quidem respondebat Plinio roganti, ut mitteret mensorem ad opera publica: *Mensores vix etiam iis operibus, quæ aut Romæ, aut in proximo fiunt, sufficientes habeo.* Post bellum Dacicum, ex Bithynia Plinii Epistolas ad Trajanum missas fuisse, indicio est altum de eo bello Epistolarum silentium, quarum

Spart. Adr. c. 3.

Dio l. 68. 776.

Plin. Epist. l. 10. 29.

nonnullæ Victorias Trajano suas gratularentur. Jam verò si legatio Plinii, secundo triumpho Dacico posterior est, anno Christi sive sexto, sive septimo, præsentiam Trajanus suam nondum exhibuerat Orienti, à quo aberat, dum Plinianis consultationibus responsa dabat. 4°. Adrianus *Prætorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, Procuratores latius evagantes coërcuit.* Quod muneris ante expeditionem Parthicam gessit, cujus, studio Plotinæ, *Legatus destinatus est.* Nullus autem Pannonicæ Præfecturæ locus relinquitur Adriano, si illo ipso quo Trajanus, de Dacis iterum triumphavit anno, iter in Syriam convertit. Est igitur annorum interstitium aliquod constituendum, secundum triumphum Dacicum inter, & Parthicam Trajani expeditionem, ut Proprætorem in Pannonia inferiore Adrianus egerit. 5°. Defuncto Surâ, Orientis in regiones tendisse Trajanum, ex Dione certum exploratumque est. Erat autem inter homines Sura, anno non modò CVII. quo Consulatum gerebat, sed etiam postmodum dum Adrianus Pannoniam administrabat, in quo Magistratu, *A Sura comperit adoptandum se à Trajano esse.* Quodcumque igitur initium Parthicæ demus expeditioni, anno sanè CV. non posterius non esse potest. Quod nobis nunc satis est, & infirmandis Actis Ignatianis, & refellendæ quæ illis innititur, eruditorum Chronologiæ, quâ expeditio Parthica Trajani anno Dionysiano CVI. affigitur.

Spart. Adr. c. 3.

Spart. Adr. c. 3.

Trajani persecutio. Mors Ignatii.

IV. Superstitioni addictus Trajanus, admotis persecutionis facibus, pacem disturbat Ecclesiæ. Complures cecidere Martyres, quos inter eminent Ignatius, Rufus, atque Zosimus. De quorum obitu insignis locus est, in Epistola Polycarpi ad Philippenses: *Rogo vos omnes, ut pareatis Præpositis vestris, omnemque patientiam exerceatis, quam spectastis non solùm in Ignatio, Rufo, ac Zozimo, viris beatissimis, sed etiam in aliis civibus, atque inquilinis vestris, & in ipso præcipuè Paulo, cæterisque Apostolis: pro certo habentes, quòd hi omnes non frustra cucurrerunt, sed in fide & justitia ingressi, ad locum sibi à Deo debitum pervenerunt, quandoquidem & passionum ejus participes extiterant.* Rufi Zosimique memoria Decembris XVIII. recolitur his verbis: *Natalis Beatorum Martyrum Rufi & Zosimi, qui de illis primis discipulis fuerunt, per quos primitiva Ecclesia in Judæis & Græcis fundata est. Hi requiescunt apud civitatem Macedonum, Philippos.* Num Rufus vir ille fuerit, qui Paulo Apostolo salutatur, pro certo non habemus, id tamen scimus à veri specie non abhorrere. Talis sanè Rufus ille depingitur, qualis egregius Christi miles esse debuit. Rufus, inquit Origenes, *Electus in Domino salutatur, credo quòd Paulus sciret esse eum de numero, non multorum qui vocati sunt, sed paucorum qui electi sunt, cujus & mater tantùm meriti habuit, ut eam Paulus suam nominaverit matrem.* De Ignatio qui gloriosâ morte vitæ finem imposuit, fusiore stilo est agendum. Quâ morte perierit Ignatius, colligunt ex Polycarpi discipulo Irenæo. Cujus verba ex libro V. in historiam Eusebius suam retulit: *Quidam è nostris ob Christi fidem damnatus ad bestias, dixisse fertur, Frumentum ego sum Dei, & ferarum dentibus molor atque comminuor, ut panis mundus efficiar.* Hæc à Sancto Martyre edita esse cùm opponebatur morti, novi-

Euseb. l. 3. c. 30.

Adon. Mart.

Orig. in Rom. c. 16.

Euseb. l. 3. c. 36.

ANNO DOM. 107.

novimus ex Hieronymo: *Cùmque jam damnatus esset ad bestias, & ardore patiendi rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Variis pigmentis Ignatii mors ornata est, quasi à feris discerptus, Romanis non satis dedisset supplicii: *Præsente Trajano, circumsedente Senatu, pilis plumbeis scapula ejus primum contusa, deinde ungulis latera ejus dilaniata, & lapidibus asperis confricata. Post expansa manus ejus, & ignis repleta, papyro oleo infuso & incenso latera ejus adusta. Post super carbones pavimento aspersos, ubi sancta planta ejus steterunt. Post lectum flammantem, post dorsum ejus ungulis discissum & dilaceratum, post aceto & sale plagas ejus perfusas, post vinculis ferreis beata membra illius astricta, & pedes ejus in imo carceris ligno conclusos, ubi tribus diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens mansit. Sedente Trajano pro Tribunali in amphitheatro, concurrente omni turbâ Romanorum, ligatus duobus objicitur leonibus.* Varia hæc tormenta commentis Martyrologiorum debentur.

Ado de Festiv. S. Apost.

De anno Ignatii supremo.

V. Porro de anno, locoque Ignatiani supplicii, dubitationis aliquid suboritur. Viri eruditissimi Loydius Asaphensis Episcopus, Pagiusque, Ignatii martyrium die vigesima mensis Decembris anni CXVI. contigisse putant: statuunt enim Ignatium eo potissimùm tempore, quando ipse Trajanus Antiochiæ fuit, damnatum, & pòst aliquandiu Romæ passum fuisse. Terræ motum, qui XXIII. Decembris anni CXV. contigit, ansam præbuisse persecutioni, quod & innuit Victor in Epitome: *Terræ motus gravis, atroxque pestilentia, famesque, & incendia facta sunt, quibus omnibus Trajanus per exquisita remedia opitulatus est.* In quibus nil antiquius habuerunt Dæmonia, quàm Christianorum excidium. Vix fieri potuit, quin ob hanc causam Episcopus Christianorum, quisquis ille fuisset, ab Ethnicis Trajano sisteretur. Unde ab eo interrogatum, & fassum, oportuit puniri. Demum Romam delatum, ibi martyrium complevisse in sigillaribus XIII. Kal. Januarias anni Christi CXVI. Hæc tamen non sunt tanti, ut Veterum Chronologiam deserere cogant, quæ Ignatium diu ante annum CXVI. mortem obiisse docet. Non in cladibus imperii, semper quæsita sunt numinum piacula, Christianorum sanguine. Imperante Tito, tristia acciderunt, ut conflagratio Vesuvii montis in Campania, & incendium Romæ, per triduum totidemque noctes; item pestilentia, quanta non temerè aliàs: *Medendæ valetudini leniendisque morbis, nullam divinam, humanamque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediorumque genere.* Quam potuit Titus, numinibus mactare victimam gratiorem, quàm si Christiano sanguine nefarium in pietatem odium saturasset? Nullam tamen placandis Dæmoniis, Titus persecutionem movit. Vigellius Saturninus, qui docente Tertulliano ad Scapulam, *primus gladium in Christianos egit* apud Africam, nullum ibi Episcopum ad mortem misit. Asia suas clades passa est, Smyrnensem Ecclesiam administrante Polycarpo. Multis tamen superfuit persecutionibus divinus ille Martyr. Plus semel Cyprianus ad *leonem petitus in circo*, quod & ipse docet Epistolâ ad Cornelium LV. Neque tum temporis populorum furori immolatur. Itaque non satis apta connexaque sunt doctissimorum virorum fundamenta. Non si Antiochia, gravi terræ motu vastata, igitur & tum accensum est persecutionis incendium. Non si in Christianos sævitum, ergo ad Trajanum, Christianorum Episcopus adductus est. Potuit salutem sibi fugâ quærere: inter latebras, antra, rudera eversæ urbis delitescere potuit.

Pag. Crit. An. 107. n. 5.

Suet. Tit. c. 8.

ANNO DOM. 107.

Ignatius morti missus ante annum 116.

VI. Tam serum Ignatio non contigisse martyrium, ac Clarissimus Loydius opinatur, argumento est Veterum consensus, qui pro nihilo non est habendus, nisi magno comperiamus indicio, eum à veritate relinqui. Eusebius Cæsariensis, Antiochiæ vicinus, & cui meliora esse subsidia potuerunt, ob ejus tum antiquitatem, tum diligentiam, in annum sanè Christi CVII. Ignatianum martyrium contulit. Passum esse Ignatium anno Trajani XX. qui in Dionysianum CVII. incidit, tradit & Hieronymus in Viris illustribus. Chronicum Paschale, quod Alexandrinum dicitur, annum CV. Ignatio fatalem esse statuit. Coss. enim Candido & Quadrato. *Ignatius*, inquit, *Antiochenus Episcopus, Romæ decus martyrii reportavit.* Acta quoque Martyrii, quibus eruditi innituntur, annum Christi CVII. Ignatio supremum fuisse testantur, Surâ Senecioneque Consulatum gerentibus. Neque alium annum exhibent Malelæ Antiocheni criteria. Sic est, præsente anno, septimus Januarii dies, feriæ quintæ est assignandus. Contrà verò anno Dom. CXVI. Januarii septimus in Lunæ diem incidit. Cyclus Solis erat XIII. F. E. Epactæ Solaris 2. 3. litera Calendaria A. Incepit ergo Januarius à tertia feria, proindeque septimus Januarii secundam sibi feriam vindicavit. Quibus accedit, quòd non potest mors Ignatii ad Christi CXVI. annum differri, quin Antiochensium Episcoporum in successione ingens perturbatio suboriatur. Ignatio proximè successit Heros, docente Eusebio: *Defuncto*, inquit, *Ignatio, Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ suscepit Heros.* Cornelio verò decessit Heros, anno 128. ut habetur in Chronico. Episcopatum ergo XX. annos tenuit. Cujus initium si ducatur ab anno CXVI. uti duci debet, si tum temporis mortalitatem exuit Ignatius, Cornelius Episcopatum iniit anno CXXXVI. Quæ confusio necessariò in omnem Episcoporum successionem influet. Quid ergo fiet de toto decennio, quo recentior Chronologia ab Eusebiana superatur? Eò necessitatis adigimur, ut vel augeatur numerus Antiochenorum Episcoporum; vel ficta plurima introducantur inter Pontificia; vel anni decem redundantes, inter successores Ignatii ad libitum dividantur; quo admisso, figmenta quidem ingenii, non antiquitatis monumenta proferemus. Itaque emortualem Ignatii annum Chronologiæ obscuris libenter ascribimus, eò magis quòd Veterum monumenta diffident.

Euseb. h. l. 3. c. 36.

De Actis Ignatianis.

VII. Cæterùm cum eruditorum Chronologia, sive illa, quæ Parthicam Trajani expeditionem anno Christi CVI. illigat; sive ea, quæ Ignatii mortem confert in annum CXVI. Actis Ignatianis innitatur, num sincera probaque sint, examinare erit operæ pretium. Ex Actis Ignatianis, à Ruinarto editis, hæc notatu dignissima suppeditamus: *Trajano IX. sui imperii anno, insolescente ob victoriam, quam adversus Scythas & Dacos, & alias multas Gentes reportaverat, & existimante ad universam subjectionem sibi adhuc*

decsse

Anno Dom. 107.

deesse religiosum Christianorum cœtum, atque comminante, nisi Dæmonum cultum cum omnibus Gentibus amplecterentur, persecutionem passuros, timor omnes piè viventes, vel sacrificare, vel mori cogebat. Tunc igitur pro Antiochena Ecclesia pertimescens generosus Christi miles, Ignatius, *sponte ductus est ad Trajanum... Ut verò in conspectu Trajani Imperatoris adstitit, Quis es, inquit, ô Cacodæmon, qui nostra mandata transgredi eniteris. Quin etiam alios, ut idem agant, suades, quo nempe miserè pereant.* Ignatius dixit, *Nemo Theophorum cacodæmonem appellat. Abscedunt enim Dæmones à servis Dei. Si verò quòd gravis illis sum, & me malum adversùs Dæmonas appellas, illud tecum fateor. Christum enim, qui Cœlestis Rex est, habens, illorum insidias dissolvo.* Ignatii constantiam cùm ægrè ferret Trajanus, tandem in Martyrem mortis judicium tulit: *Ignatium, qui in seipso crucifixum ferre dicit, præcipimus vinctum à militibus duci in magnam Romam, cibum bestiarum ad populi delectationem futurum. Quâ sententiâ auditâ, Sanctus Martyr cum gaudio exclamavit, Tibi gratias ago, Domine, quia me perfectâ erga te caritate honorare dignatus es, qui me cum Apostolo tuo Paulo, ferreis vinculis vinciri permittis.* Antiochiâ cùm Seleuciam descendisset, conscensâ nave, Smyrnam appulit, unde ad Romanos scripsit Epistolam IX. *Kalendas Septembris.* Smyrnâ solvens venit Troadem. Inde Neapolim ductus, Philippis transiens, Macedoniam præterit, & apud Epidamnum nave inventâ, mare Thyrrenicum ingressus Romam pervenit. Fine spectaculorum imminente, quæ dies erat XIII. feriis juxta Templum exponitur: *Hæc autem facta sunt ante diem* XIII. *Calendas Januarias, hoc est, vigesimâ die Decembris apud Romanos, Coss. Surâ & Sedecie* Senecione *secundùm.* Duriores reliquiarum partes, quæ relictæ fuerant, linteo repositæ, Antiochiam delatæ sunt. Actorum Scriptor, Ignatiani se testem oculatum martyrii fuisse tradit: *Horum nos ipsi & spectatores facti... vobisque diem, & tempus indicavimus, ut tempore ejus martyrii convenientes, Athleta & generoso Christi Martyri communicemus.*

Acta Ignatii non sunt sincera.

VIII. Nos verò sententiæ sumus ejusmodi, post Eusebium nata esse Acta hæc Ignatii. Primum enim non laudantur ab Eusebio, monumenrorum Ecclesiasticorum venatore diligentissimo. 2°. De anno fatali Ignatii variant dissidentque Veteres, quæ lis ab Actis facillimè componi potuisset. Chronicum Paschale anno Dom. CV. Eusebius anno CVII. Hieronymus anno CVIII. qui Trajani est XI. Ignatianum affigit martyrium. Si de supremo Martyris anno certam habuissent regulam, in tam diversam Chronologiam non descendissent, ab Actis moniri, tum anni, tum diei, quo Ignatius laniatus est. 3°. Si Acta Ignatianæ mortis Antiquis venissent in notitiam, diem utique scripto mandassent, quo cælestem Christo spiritum Martyr reddidit, qua de re ne verbum quidem in Eusebio, Hieronymo, Paschali Chronico. Neque etiam est Martyrologiorum conspiratio. Græci enim in XX. Decembris, Latini verò in Calendas Februarii, conferunt Martyris obitum. Alii aliter, vel inter Latinos. 4°. Antiquorum sententiæ Acta repugnant. Narrant enim Trajanum Antiochiæ constitisse, cùm captus est Ignatius, & ad bestias damnatus. Quæ si vera sunt, mirum Eusebio non innotuisse. Scilicet vir & doctissimus & diligentissimus, & Antiochiæ vicinus, nescivit Ignatium Trajano oblatum fuisse; & Trajani cum Ignatio colloquium ignoravit, Joanni Malelæ, qui exeunte seculo VI. floruit, probè notum. Hoc autem Eusebium latuisse, indicio est altum ea de re silentium. Chronicum verò, quod dicitur Alexandrinum, tradit profectionem Trajani in Orientem, obitu Ignatii fuisse posteriorem. Martyrium in Candidi & Quadrati Consulatum, & profectionem confert in annum sequentem, quem aperuere Commodus atque Cerealis: *His Coss. gravi bello Romanis incumbente à Persis, Gothis & aliis Gentibus, Trajanus expeditione in hostes susceptâ, suis gratiam tributorum quoad reverteretur fecit.* Quòd si audiatur Ado, Romæ aderat Trajanus, cùm excessit Ignatius, ut legitur in libello de Festivitatibus SS. Apostolorum. 5°. Maxima in Actis pugna deprehenditur. Quippe si obiit Ignatius Surâ & Senecione Coss. falsum est illum periisse agente apud Antiochiam Trajano. Quia anno Christi CVI. cui expeditio Parthica illigatur, in Dacia versabatur Trajanus, ut allata à nobis argumenta certum fecere. Si verò captus est Ignatius, dum Trajanus Antiochiæ commoratur, Consulatum utique agentibus Surâ & Senecione, pati minimè potuit; quod tamen Acta testantur; etsi eum Consulatum cum anno Trajani *nono*, perperàm copularint, quod de Actorum fide non minimum detrahit. Sextò indignum nobis videtur, Trajani cum Ignatio colloquium, quo vel uno argumento, Actis sua antiquitas eripitur: *Quis es*, inquit Trajanus, *ô cacodæmon, qui nostra mandata transgredi eniteris?* Respondet Pearsonius, κακοδαίμων *nihil aliud quàm infelix homo. Gloss. Vet.* κακοδαίμων, *calamitosus.* Quæ exemplis illustrat vir doctissimus. Frustra tamen nostro judicio, cùm hanc significationem Acta repudient: *Nemo Theophorum cacodæmonem appellat. Abscedunt enim Dæmones à servis Dei.* Est igitur cacodæmon, non *infelix homo*, sed *diabolus*, qui sermo in ore Trajani est longè absurdissimus. Quibus accedat, verba Autoris, qui se Ignatiani certaminis spectatorem fingit, ea innuere, quæ post Ignatium usurpata fuere. Narrat se diem extremum Martyris indicasse, ut, inquit, *Tempore ejus martyrii convenientes, athleta & generoso Christi Martyri communicemus.* Argumentis vellemus doceri, anno CVII. id observatum esse moris, ut Natalitia Martyrum solemni Christianorum conventu celebrarentur. Cujus ritus, primum exemplum Smyrnenses præbuere post extinctum anno Dom. CLXIX. Polycarpum, neque etiam ætatem Ignatii ea pars Actorum redolet: *Cùm paululum obdormissemus, alii quidem Ignatium subitò adstantem, nosque complectentem videbamus, alii rursus nobiscum orantem cernebamus, alii verò sudore stillantem, tanquam ex multo labore advenientem, & Domino assistentem intuebamur.* Temporibus Ignatii, Martyrum animæ è cœlo in terras non migrabant ad solatia mœrentibus præbenda.

Pearf. Vind. c. XI. 147.

Anno Dom. 107.

Num Romæ periit Ignatius?

IX. De loco, quem Ignatius sanguine respersit suo, subest & aliquid difficultatis. Nil quidem quæstionis erit, si Ignatianis Epistolis fidem adjungamus. Ex iis enim palam est Ignatium Antiochiâ Romam fuisse missum: *Hic ob fidem Christi è Syria ad Romanam civitatem perductus,*

ANNO DOM. 105.

ductus, bestiis objectus esse dicitur. Cùm per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus suis confirmans, monebat in primis ut sibi à pravis Hæreticorum opinionibus caverent. Smyrnæ Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, in qua Damam Episcopum nominat. Aliam ad Trallianos, quorum Antistitem memorat Polybium. Præter has est & alia ejus Epistola ad Ecclesiam Romanam, in qua scribit ad hunc modum: *A Syria Romam usque cum bestiis depugno.* Quam Epistolam XXIV. Augusti scriptam esse existimant. Posteà verò à Smyrna ulterius progressus cùm Troadem venisset, inde ad Philadelphenses Epistolam dedit, in qua mentionem inserit & Philonis Diaconi, qui ipsi in Dei verbo ministrabat, & Agathopodis viri electi, quem à Syria comitem habuit. Scripsit etiam ad Smyrneorum Ecclesiam privatimque ad Polycarpum, cui gregem Antiochenum commendavit. Troade venit Neapolim, inde Romam, ubi in sigillaribus die XX. Decembris martyrium complevisse dicitur. Cur autem in amplissimo totius orbis theatro mortem obierit, narrat Chrysostomus: *At illi qui Roma habitabant, cùm illic magna vigeret impietas, majore auxilio indigebant. Ideò Petrus & Paulus, & Ignatius, post illos ibi fuerunt immolati, ut civitatem illam Idolorum cruoribus pollutam, proprio sanguine abluerent, & operibus ipsis resurrectionis J. Christi testimonium afferrent, demonstratis iis qui Roma degebant, se præsentem vitam tanta cum voluptate non fuisse despecturos, nisi sibi omninò persuasissent, quòd ad crucifixum Jesum essent ascensuri. . . . Ut autem illi qui Romam incolebant, hæc esse vera re ipsâ cognoscerent, permisit Deus Sanctum virum illic morte affici. Quòd autem hæc sit mortis causa conabor ostendere. Neque ut extra muros in barathro aut in carcere, aut in angulo aliquo occideretur, damnatus est: sed in medio theatro, universâ civitate seorsum considente, & spectante, bestiis in ipsum immissis & concitatis, martyrium pertulit, ut sub omnium oculis adversus Diabolum trophæum erigeret.*

Euseb. l. 3. c. 36.

Chrysost. de S. Ignat. t. 5.

Ignatius Romæne obierit, in dubio est.

X. Ex hoc specimine via cadit in dubium, quin ex Ignatianis Epistolis id opinionis haustum fuerit, quòd Ignatius in urbe Romanâ morti oppositus sit. Locum quidem non docent Polycarpus, aut Irenæus. Quidquid ea de re subjicit Eusebius, ex Epistolis colligitur, neque alios sanè testes protulit. Cùm igitur multa sint, quæ his Epistolis detrahant fidem, in disceptationem quoque adduci potest, Ignatius passusne Romæ fuerit. Non levem dubitandi causam præbent monumenta Ecclesiæ Rom. cui gloriæ non minimum, tanti mors Martyris contulisset. Atqui neque in Bucheriano Catalogo, neque in veteribus Calendariis Antiocheni Ignatii nomen ullo vestigio reperitur. Mirum certè si in urbe mortem Ignatius invenit. Scaligero quidem aliquid dubitationis moverat traditio de Ignatio, Romam perducto: *Quærendum*, inquit, *quare ex Syriâ Romam homo bestiis objiciendus perducitur. Nam non solùm de Christianis, sed & de Gentilibus, cognitio erat ejus, qui Provinciam regebat. Et in ipsa Provincia secundum jurisdictionem suam, supplicium de illis sumebat. Soli cives Romani provocabant ad Cæsarem. Hoc modo si quidem civis Romanus fuit Ignatius, potuit Romam perduci. Sed civem Romanum bestiis objicere leges non sinebant.* Nam, ut ait Prudentius:

Scalig. animad. in Euseb. 207.

Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert vilis, an sit nobilis:
Gradu reorum forma tormenti datur.

Iidem quoque nos aculei vellicant & pungunt, de translato in urbem Ignatio, quos viro summo menti infixos esse novimus. Christianos, qui civitate Romanâ donati fuerant, in urbem à Præfectis missos fuisse tenemus. Hinc ad Trajanum Plinius lib. x. Epist. 97. *Fuerunt alii similis amentiæ, quos quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.* Quandoque tamen in Provinciis plectebantur, post rescriptum Cæsaris. Qua de re insignis locus extat, Viennensium in Epistola. Honestius tamen in illos supplicium constituebatur: *Quicunque cives Romani reperti, sunt capite truncati, reliqui traditi sunt bestiis.* Euseb. L. v. c. 1. Cùm igitur civem Rom. Ignatius non egerit, in urbem plectendus mitti non debuit. Id moris erat jurisque Præsidibus, sontes in Provincia bestiis exponere. Leones Proconsul Polycarpo minabatur. Sic Lugduni Præses, *Alexandrum* ad bestias damnavit. Notissima lex est: *Ad bestias damnatos, favore populi Præses dimittere non debet, sed si ejus roboris vel artificii sint, ut dignè Populo Romano exhiberi possint, Principem consulere debet.* Rescriptum autem Severi & Antonini, etsi morte Ignatii posterius, ex antiquo more desumptum videtur: *Ex Provincia autem in Provinciam transduci damnatos, sine permissu Principis non licet.* Ignatius autem senio jejuniisque confectus, à plebe ad bestias petitus, talis homo non fuit, qui ex Syria in Italiam transduci debuerit, Prædidis edicto. Multò minùs mitti Romam debuit, si à Trajano apud Antiochiam agente, ad bestias damnatus est. Num deerant leones Antiochiæ? Quid rationis Cæsari fuit, ut à consuetudinis curriculo deflecteret? Inveniturne inter exempla unus homo in Provinciis, ab ipso Imperatore feris addictus, qui ibi non fuerit etiam ad supplicium deditus? Eò magis Antiochiæ luere pœnam Ignatius debuit, quod ad placanda numina, post cladem huic urbi immissam. Id remedii à Trajano comparatum esse dicitur. Insuper qui circuitus ascribuntur Ignatio, dum è Syria per Asiam ductatur, Romanorum institutis non videntur esse consoni. Captivos ex Syria Palæstinave navibus in urbem transmittebant. De Paulo constat ex Actis Apostolorum. De Judæis Josephus: *Captivorum autem duces Simonem & Joannem, & alios numero septingentos viros electos, tam magnitudine corporum, quàm pulchritudine præstantes, illicò ad Italiam portari præcepit.* Ea via & brevior, & expeditior, & sumptibus parcebat. Ut nil causæ fuerit, cur eâ non uterentur Ignatii ductores. Quin etiam Ethnicis, quibus infractus Martyris animus non ignorabatur, metuendum fuit, ne si pedibus per Asiæ urbes iter institueret, Ecclesias sermonibus suis in Christi Religione confirmaret, quod & fecisse dicitur. Quærimus iterum atque iterum, cur in transportando homine, qui Romanis pro vili habebatur, longior breviori, onerosior expeditiori viâ contra morem, exemplaque, fuerit anteposita? Illud etiam admirationem movet, si Romam occidendus ductus est Ignatius, quod Antiochensium suorum luctum nullo Epistolæ solatio levarit. Quod aliis Ec-

ANNO DOM. 105.

L. 31. ff. de pœn.

Joseph. de B. l. 7. c. 24. 977.

clesiis præbuisse dicitur. Gregi tamen suo majora studia, & animum debuit. Denique Ignatii reliquiæ *Antiochiæ jacebant extra portam Daphniticam, in cœmeterio*, quod legitur apud Hieronymum. Quòd si Romæ passus est, Romæ quoque sepeliri debuit. Non nescimus id argumenti videri levissimum, quia translatas prædicant Sancti Martyris reliquias. Hoc narrat Chrysostomus in sermone de Ignatio: *Emisistis eum Episcopum, & Martyrem recepistis, emisistis cum precibus, & cum coronis suscepistis; neque vos soli, sed cunctæ, quæ interjectæ sunt civitates. Quomodo enim eas affectas existimatis, cùm reportatas reliquias cernerent.* Illud certè verum est, ab urbe relatas esse Antiochiam usque exuvias Ignatii, si postquam Romæ martyrio periit, extra portam Daphniticam, in sepulchro Antiochensium conditus est. Sed hæc ipsa translatio scrupulum injicit. Ætate Ignatii, reliquiæ Martyrum viciniori monumento reddebantur. Nec sanctiora erant Antiochena quàm Romana cœmeteria. Eo consilio transferebantur Sanctorum reliquiæ, ut nobiliorem in Templis sedem adipiscerentur, non ut communi cœmeterio reconderentur. Quin etiam illud meritò quæritur, cui bono, qua de causa, quando, à quibus, ea translatio facta est? Nùm ex circo, cùm crassiora sancti corporis ossa sanguine adhùc maderent, an ex tumulo? Si ex circo, nulla sanè invidia fuit quominus Romanorum in monumentis, qui pietatem colebant, reponerentur. Quod & facilius & longè decentius fuit, quàm cruda ossa ex Occidente in Orientem transferri. Si ex tumulo, id non satis moribus honestatique consonum, neque etiam fieri poterat absque permissu Magistratuum. Audiantur verba Plinii: *Petentibus quibusdam ut sibi reliquias suorum, aut propter injuriam vetustatis, aut propter fluminis incursum, aliaque his similia quæcunque, secundum exemplum Proconsulum transferre permitterem, quia sciebam in urbe nostra ex ejusmodi causis collegium Pontificum adiri solere, te, Domine, maximum Pontificem consulendum putavi.* Cùm itaque nil causæ fuerit, cur Ignatii ossa ex cœmeterio in cœmeterium transferrentur, non immeritò in dubitationem cadit ea translatio. Itaque de loco Ignatiani martyrii pendemus animi: eique libenter assignaremus Antiochiam, ni Veterum testimonia assensum cohiberent. Est Aringio scriptum: *Ossium Ignatii particulam Romæ asservari, quæ adeò ad vivum intuentibus panis formam exhibeant, ut quisquis oculis rem deprehenderit, hæreat profectò, ossane sint, an candidi potius fragmenta panis.* Quæ quomodo cum Hieronymo Chrysostomoque consentiant, nulli videmus. Qui Ignatio mortem annus attulit, Simeonem quoque Hierosolymitanum Episcopum sepulchro dimisit, si qua Chronologiæ Hieronymicanæ fides: *Trajano adversus Christianos persecutionem movente, Simeon filius Cleopæ crucifigitur, cui successit Justus.* Sed de Simeonis anno supremo fusius in sequentibus tractabimus.

Chrysost. t. 5.

Plin. l. 10. Epist. 73.

Aring. Rom. subter. l. 1. c. 25.

De Ignatianis Epistolis.

XI. Non martyrio modò, sed Epistolis etiam memoriam sui nominis consecrasse dicitur Ignatius. Ascripsere Sancto Episcopo Epist. xv. Margarinus de la Bigne, Hieronymus Vairlenius, aliique. Ad S. Joannem Apostolum Epist. 2. ad B. Virginem Mariam Deiparam, quarum meminit D. Bernardus Sermone VIII. in Psalm. XC. ad Mariam Cassobolitem, ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphienses, ad Smyrneos, ad Polycarpum, ad Tarsenses, ad Antiochenos, ad Heronem Diaconum, ad Philippenses. Mariam Cassabolitem eandem opinatur Vaeleniius, quam & *Apostolus Paulus officiose salutat in Epistola ad Romanos* XVI. Non adverterunt tamen, *Mariam ex Cassobelis*, Ignatio scripsisse, non Ignatium Mariæ, si credimus inscriptioni: *Maria Proselyta J. Christi Ignatio Theophoro, Beatissimo Episcopo Ecclesiæ Apostolicæ ejus, quæ secundùm Antiochiam.* Cui Epistolam misisse dicitur Ignatius, alia Maria est: *Ad Mariam, Neapolitis quæ ad Sarbum*, ut ex editione Vossiana planum est. Baronius quàm frequentissimè laudat, ad Antiochenos, ad Tarsenses, ad Heronem, ad Philippenses, Epistolas. At viris, qui naris sunt emunctioris, Ignatianarum pars Epistolarum maxima, ad opera subdititia relegatur. Quippe solæ sunt numero septem, quæ Eusebio, Hieronymoque venerunt in notitiam; ad Smyrnæos scilicet, ad Polycarpum, ad Ephesios, ad Magnesios, ad Philadelphienses, ad Tralesios, ad Romanos. In aliis multa deprehenduntur falsi vestigia. In Epistola ad Antiochenos salutat *Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores*, quæ officia nondum erant instituta Ignatii ævo. Quæ Heroni ascribitur, ἱερέων, *Sacerdotum* vocabulum imponit Episcopis, quod Ignatiani non est temporis, fingitque, *Stephanum ministrasse Jacobo & Presbyteris Hierosolymitanis*, dum sacra faciebant. Epistola ad Philippenses, Gabrieli titulum addit *Archangeli*, quod non est Scripturæ consonum, perpetuáque ad Diabolum utitur prosopopæiâ, festorum meminit, & Quadragesimæ, Jejuniique Sabbatici adeò impatiens est, ut pro Christi *Interfectore habeat, qui Dominicam jejunarit aut Sabbatum*, præter illud quod *Pascha* vocabatur. Ad Tarsenses Epistola apertè Docetarum perstringit opinionem: *Ministri Satanæ voluerunt vos turbare, hi quidem quoniam Jesus dixerint, opinione crucifixus est.* Quæ extincto demum Ignatio hæresis emersit. Cujus sectæ Principem Tatianum facit Hieronymus, Clemens verò Alexandrinus Julium Cassianum illi præfecit. Deum ajebant Christum esse, non hominem. Idcircò ostendit autor Epistolæ Christum esse: *Natum ex muliere.* Sabellianam quoque hæresim disertè refellit: *Et quoniam non ipse est qui super omnia Deus Pater, sed filius illius dicit, Ascendo ad Patrem meum.* Plura quidem afferri possent, abjudicandis ab Ignatio ejusmodi Epistolis. Sed cùm eruditis nunc conspiratio sit, subditas esse Ignatio Epistolas, quarum Veteres non meminere, non opus est iis diutius immorari. Eò minus, quòd si vincamus alias, quæ Eusebio probè notæ fuerunt, Sancti non esse Martyris, cadent & unà quæ falsò ascribuntur Ignatio.

De septem Ignatii Epistolis.

XII. Septem igitur sunt, de quibus controversia movetur inter eruditos, Ignatii sint, necne; Epistolæ videlicet ad Smyrnæos, ad Polycarpum, ad Ephesios, ad Magnesios, ad Philadelphienses, ad Trallianos, ad Romanos. Digna sunt Feuardentio, ut res nomini respondeat, ignita verba hæc: Epistolas *Qui esse Ignatii, ac non plurimum illis tribuendum esse dubitant, na omnium Hæreticorum profligatissimos ac perditissimos esse.* Quod effatum laudibus cumulavit suis Margarinus de la Bigne. Quasi

B. P. M. t. 2, p. 74.

 verò

verò prora puppiſque Religionis penderet ex quæſtione criticâ. Indulgentiores ſanè nobis erunt Ignatianarum Epiſtolarum patroni, etſi ſuccenſeant viris Clariſſimis Blondello, Salmaſio, Dallæo, Larroquano, qui quas ex Bibliotheca Florentina doctiſſimus Iſaacus Voſſius edidit Epiſtolas, pro genuinis non habuere. Quorum ſententiæ lubenter nos comites addimus, etſi non indiligenter legerimus, quæ vir magni nominis, Joannes Pearſon, in Vindiciis Ignatianis ſcripſit. Totas ſanè & eruditionis, & ingenii ſui vires effudit, ut editæ à Voſſio Epiſtolæ aſcriberentur Ignatio. Ex eo fonte hortos irrigarunt ſuos viri ex Monachorum grege eruditi. Natalis Alexander Dominicanus, & Nicolaus Le Nourri, Ordinis S. Benedicti, qui *invictis rationum monumentis*, germano parenti ſuo Ignatio Epiſtolas ſe reſtituiſſe arbitratur.

Ignatianorum fundamenta.

XIII. Duplici argumentorum genere utitur Pearſon ὁ πάνυ, quæ externa ſunt, & interna. Externa à teſtimoniis, interna ab ipſis Epiſtolis. Teſtimonia quod attinet, oſtendit capite ſecundo Vindiciarum, quòd *nullum ſeculum ſuis teſtimoniis careat, à ſecundo quo primum nata, ad decimum quintum, quo primum impreſſa ſunt Epiſtolæ.* Quæ, ſi verum volumus, ingens teſtimoniorum ſtrues, ad eruditionem Vindicis declarandam facere poteſt, ad probandum non poteſt. Cùm teſtimonia Autorum, qui poſt tertium floruere ſeculum, prioribus innitantur, nec plus ſit in eo ſuffragio virium, quàm in Polycarpi, Irenæi, Origenis, Euſebii. Potuiſſet ergo celeberrimus Vindiciarum Autor, & ſibi, & lectoribus tanti laboris exhauriendi dare immunitatem. Præterea cùm certo certius ſit, interpolatas fuiſſe Ignatii Epiſtolas, in dubium quoque revocari poſſet, an non & corruptionis aliquid paſſæ ſint illæ, quas ex Bibliotheca Florentina Voſſius ſuppeditavit, cùm & in ipſis ea reperiantur, quæ non ſunt Ignatii ævi. Nec paucæ illæ laciniæ, quæ etiamnum in Origene extant aut Euſebio, utut ſinceræ prædicantur, ſatis argumenti præbent, ut Epiſtolas corruptionis eſſe omnis immunes ſtatuam. Quam ſi tueremur ſententiam, deſumptum à teſtibus caderet argumentum. In promtu enim reſponſio eſſet, Ignatii quidem Epiſtolas ad nos perveniſſe, ſed adulteratas, & ab impuris manibus nonnihil contaminatas: quod quomodo refelli poſſet, nulli videmus.

Argumenta Ignatianorum ex Polycarpo ſolvuntur.

XIV. Quòd ſi magis placet, totas ab Ignatio Epiſtolas abjudicare, non ideò vincent earum patroni. Primum clariſſ. Pearſonio teſtimonium ex Polycarpo petitur: *Epiſtolas omnes Ignatii, quas ad me ſcripſit, & quaſcunque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandaſtis, ad vos miſimus.* Quæ leguntur in Polycarpi ad Philippenſes Epiſtola. Hinc acutiſſimè

Vind. c. 5. p. 78.

colligit Vindex Ignatianus: *An ullo modo veriſimile eſt, Epiſtolas à tanto Martyre exaratas, à tanto editas atque laudatas, Epiſtolæ etiam illis ſubjectas, quæ per tot ſecula publicè lecta earum memoriam perpetuò redintegrabat, ſtatim periiſſe, & ab omnium oculis ereptas fuiſſe?* Hoc argumenti dilatat *Le Nourri*, Diſſertatione ſeptimâ *c. 3. p. 151.* Iners tamen eſſe, ipſamet experientia teſtatur. Laodiceâ Epiſtolam ſcriptam fuiſſe, à Coloſſenſibus legendam, Paulus docuit Apoſtolus:

Coloſ. IV. c. 16.

Et cùm perlecta fuerit apud vos Epiſtola, facite ut etiam in Laodicenſium Eccleſia recitetur, & ſcriptam Laodiceâ, vos quoque legatis. Non celebriores erant Ignatii Epiſtolæ, non illâ ſanctiores, quæ Laodiceâ ſcripta eſt, ornata cæleſtis Apoſtoli teſtimonio, & in Eccleſiis Apoſtolicis, palam & publicè lecta. Periit tamen funditus Epiſtola, & ab omnium oculis erepta fuit. Non Eccleſiarum veneratio, non teſtimonium Apoſtoli, non ſcrinia Chriſtianorum, impedimento fuere, quominus ex mortalium evaneſcerit oculis. Quid, nonne ex verbis Polycarpi liquet, non unam ad ſe ab Ignatio Epiſtolam ſcriptam fuiſſe?

Euſeb. l. 3. c. 36.

Τὰς Ἐπιστολὰς Ἰγνατίου, τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, *Epiſtolas omnes Ignatii quas ad me ſcripſit.* Ecce plures Epiſtolas, quæ ab illa quoque diſtinguuntur, cujus mentionem fecerat paucis ſupra lineis: *Scripſiſtis ad me, & vos, & Ignatius.* Atqui una tantum ſupereſt Ignatii ad Polycarpum Epiſtola, quæ à viris etiam eruditiſſimis, Uſſerio Bonaque atro carbone notatur. Periit & ſancta Philippenſium ad Polycarpum Epiſtola. Ergone licebit, tragico more exclamare: *Numquid omnes Eccleſiæ, & Chriſtiani, tantis animis, tantâque arte, in illarum Epiſtolarum perniciem extinctionemque conſpirarunt?* Patribus, qui ſecundo floruere ſeculo ignotæ fuerunt Ignatianæ Epiſtolæ; ignotæ Juſtino, Theophilo Antiocheno, Irenæo, Clementi Alexandrino, Tertulliano, qui nunquam eas adhibent refellendis Hæreticis, licet Apocryphis libris ſæpenumerò utantur.

Argumentum Ignatianorum ex Irenæo ſolvitur. Ignotæ Irenæo Epiſtolæ.

XV. Verùm enimverò pro Ignatianis Epiſtolis teſtem excitant Irenæum, Polycarpi diſcipulum: *Dixiſſe fertur quidam è noſtris ob Chriſti fidem damnatus ad beſtias, Frumentum ego ſum Dei, & ferarum dentibus molor atque comminuor, ut panis mundus efficiar.* Quæ verba ſunt Epiſtolæ ad Romanos, quam & laudatam eſſe ab Irenæo, ſcri-

Euſeb. l. 3. c. 36.

bit Euſebius: *Hujus porrò Ignatii & martyrium & Epiſtolas commemorat Irenæus.* Hoc in teſtimonio exultant Ignatiani atque triumphant, ſed immeritò. Aliud eſt dictum Irenæi, alia mens Euſebii. Id opinionis Euſebio fuiſſe non diffitemur, quòd verba laudata ex ſcriptis Ignatii hauſerit Irenæus, in quibus etiamnum leguntur. Non ea tamen deſumpſit Irenæus ex Epiſtola ad Romanos, quæ nondum extabat. Primùm ſi jure vellemus uti noſtro, ſine temeritatis nota inficiari poſſemus, de Ignatio cogitaſſe Irenæum. Quippè inſignem Irenæus Martyrem, amiciſſimumque Polycarpo, verbis expreſſis memoraſſet, ut ex magno nomine, egregio morientis dicto celebritatem adderet. Cùm igitur nomen Martyris non ediderit Irenæus, quid cauſæ eſt cur de Ignatio locutum eſſe velint? *Dixiſſe fertur quidam è noſtris.* Hæc ſcripſit Irenæus, qui dicentis nomen ignoravit, certè non declaravit; quod feciſſet, ſi ſermonem Ignatii eſſe ſciviſſet. Quod de martyre anonymo tradidit Irenæus, Ignatio accommodare placuit Autori Epiſtolæ ad Romanos. Concedamus tamen ex mente Irenæi, Ignatium hæc eſſe locutum. Non ex Epiſtola Ignatii, ſed ex fama atque traditione hauſit Irenæus, hoc Ignatii morituri dictum fuiſſe. Hæc dixit Ignatius, *Cùm rugientes audiret leones*, ut audivimus ex Hieronymo. Cui conſentit & Ado, libello de Feſtivitatibus SS. Apoſtolorum: *Cùmque jam projectus beſtias rugientes audiret, ardore patiendi ait, Viri Romani, qui hoc certamen ſpectatis, non ſine cauſa laboravi, non propter pravitatem hæc patior, ſed propter pietatem, frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Quod dictum, cùm Polycarpo, qui amiciſſimus Ignatio

fuit,

ANNO DOM. 107.

fuit, probè notum foret, venit & in notitiam Irenæo, qui familiariter usus est Polycarpo. Ex scriptis autem Irenæi, illud Epistolæ ad Romanos larvatus ingessit Ignatius. Itaque hanc non laudat Epistolam Irenæus, *nisi materialiter*, uti barbaro quidem, significanti tamen vocabulo Scholastici loquuntur. Irenæo quidem Epistolæ Ignatii ignotas fuisse, multa testantur. Primùm omnium phrasis Irenæi nil Epistolæ significat. Neque id juris sibi assumere debent Ignatiani, ut phrasim *dixisse fertur quidam è nostris*, interpretentur *scripsisse*. Verbi *dicere* latior est, quàm *scribere* significatio, quia & sermone dicimus, & scripto, imò de voce magis propriè enuntiatur quam de scriptura. Vocabulum est Irenæi εἶπε, quod cùm primum locutionem significet, de Epistola intelligi haud potest, nisi constet illam, quæ Ignatii nomine profertur, & jam conditam fuisse, & lectam Irenæo, cùm ejus dicti meminit. Itaque argumentatio hæc Ignatianorum, mera principii petitio est. Non-utique à genere ad speciem recta est conclusio. Quòd si notæ Irenæo fuissent Ignatianæ Epistolæ & sæpius, & usurpato Scriptoris nomine, ab eo laudatæ fuissent. Quod cùm non fecerit Irenæus, indicio est, ei ignoratas esse. Præterea *potentissimarum* Clementis *Epistolarum* ad pacem constituendam Corinthiis missarum, disertim Irenæus mentionem facit libro adversus hæreses tertio, capite tertio. Neque silentio præterit *perfectissimam* Polycarpi ad Philippenses Epistolam. An non similiter & Ignatii Epistolas disertè memorasset Irenæus, si de illis aliquid compertum habuisset, cùm secundum Apostolorum scripta, nullos sanè genuinis Ignatii Epistolis, pretiosiores Ecclesia thesauros habuisset? Denique nunquam Ignatii autoritatem scriptaque præteriisset Irenæus, refellendis Hæreticis, cùm graviorem ullum antiquioremve traditionis Apostolicæ testem potuisset vix ac ne vix excitare, quàm Ignatium, Petri Paulique discipulum. Quem tamen ne verbulo quidem nominavit Irenæus, coarguendis sive Nicolaitis, sive Ebioniitis, qui noti erant Ignatio. Scilicet Irenæus testes veritatis adduxit & Polycarpum, & Ephesinam Ecclesiam, & Polycarpi ad Philippenses Epistolam, ad quam semittit eos, quibus cælestis doctrina curæ est; Ignatii verò, qui & majoris Episcopus Ecclesiæ, & antiquior fuit, Epistolæ adeò neglectui fuerunt Irenæo, ut ad eos incorruptos Apostolicæ traditionis fontes adire, ne vel semel monuerit. Majorem eò in nobis efficit admirationem hoc Irenæi de Ignatio silentium, quòd Papiæ, cui pertenuè ingenium fuit, librorum mentionem fecerit. Neque etiam Clementi Alex. Veterum Scriptorum Helluoni, qui libris Apocryphis utitur sæpius, qui libros Sibyllæ, Barnabæ Epistolam monumentaque quàm plurima ejusmodi laudat, in notitiam venerunt Ignatii Epistolæ. Hic Ignatianarum Epistolarum vindices omnes appello testes, omitterentne Ignatium suum, si de articulo fidei, aut antiquitate Episcopatus, in judicium quæstio deduceretur? Quidni igitur ad Trallesios Epistolam adhibuit Irenæus, quæ verbis apertis præcipit Hæreticorum vitare consortia, ac Basilidianorum proscribit hæreses, dum statuit Christum *verè natum, verèque crucifixum?* Quærimus utrùm Irenæo notæ sunt Ignatii Epistolæ? Affirmant eruditi, quibuscum lis nobis est. Rationes flagitamus. Nullum afferre testimonium possunt, quo laudentur Epistolæ: quâ sola quidem ratione demonstrari potest, Irenæum Scriptorum Ignatii hospitem non fuisse. Nobis verò negantibus, satis est argumenti, quod cùm magnam haberet justamque Ignatium citandi causam, nunquam tamen eum laudarit Irenæus. Quæ non apparent, his meritò denegatur assensus.

XVI. Primus ergo, qui nostrarum Ignatii Epistolarum mentionem fecerit, is est Origenes, quem libenter homiliarum in S. Lucam Autorem agnoscimus, teste Hieronymo, qui in Latinum eas transfudit, ut testatur in prologo. Origenis autoritate permotus Eusebius, qui Origenem faciebat plurimi, Epistolas suffragio ornavit suo, sicque nobilissimum Ignatii nomen obtinuerunt. Urgent quidem Ignatiani, Eusebium, addamus & Origenem, *ingenii excellentissimi & summa eruditionis virum, qui tantam in discutiendis Ignatii Epistolis diligentiam adhibuerat*, non esse credibile tam turpiter esse hallucinatum, ut Ignatio adscriberet, quæ non erant Ignatii. Quæ ratio si valeat, nefas nobis erit, vel digitum transversum ab Antiquorum recedere judicio. Genuini sint ergo libri Sibyllarum, quos Justinus Martyr, quos Clemens Alexandrinus, quos Lactantius, quos Eusebius, magnaque Veterum conspiratio, pro germanis habuit. Sacra sit & Scriptura liber Pastoris, quem Patres tantum non scriptis canonicis æquarunt. Hic est ille liber, de quo Irenæus libri IV. capite 37. hæc habet: *Benè ergo Scriptura dicit.* Hic est ille liber, qui publicè in Ecclesiis legebatur. Liceat & nobis, nostro in Criticis frui judicio, neque facultatem rationis, quâ nil esse liberius debet, tam serviliter aliorum mancipare sententiæ. Floruerint ingenio eruditioneque Origenes atque Eusebius, homines tamen egerunt. Verissimumque illud eximii Poetæ usurpare licet: *Non omnia possumus omnes.* Quanquam non sine specie rationis, hanc in sententiam descenderunt. Cùm enim de Epistolis Ignatii, Polycarpus commemoravit, legerintque in Irenæo Sancti dictum Martyris, quod & in Epistola ad Romanos continetur, his adducti sunt, ut Ignatio Vossianas adscriberent Epistolas, quod judicium falsum rectumne fuerit, nunc est examinandum.

Ex Origene & Eusebio petitum ab Ignatianis solvitur argumentum.

XVII. Infita benè multa nobis argumenta nascuntur, quibus Epistolas evellimus Ignatio. Primùm stilus suppeditat. Moris non erat virorum Apostolicorum, ingenti titulorum strue suas onerare salutationes. Leganter inscriptiones & Polycarpi ad Philippenses Epistolæ, & Smyrnensis Ecclesiæ ad Philomelienfem apud Eusebium *l. 4. c. 15.* & Alexandri ad Antiochenos: *Alexander servus Dei & vinctus Jesu Christi, beatissimæ Antiochenfium Ecclesiæ, in Domino salutem.* Hi mores erant, hic stilus Episcoporum, qui seculo Ignatiano Ecclesias Apostolicas adibant scripto, à quibus diversus abit noster Ignatius. Via enim inscriptio Epistolæ legi potest absque nauseæ molestia. Ecclesia Romanorum dicitur, *Digna Deo, digna decentiâ, digna beatitudine, digna laude, dignè ordinata, dignè casta.* Quæ serie non interruptâ cumulantur. Unum quæsumus exemplum viri Apostolici, qui Ecclesiam, tot laudibus aliquam titulisque continuis oneraverit? Nec magis virum, & Apostolicum & Martyrem spirant verba hæc: *Consecutus sum videre* ὑμῶν τὰ ἀξιόθεα πρόσωπα, *vestras Deo dignas facies.* Joculare est, quod solvendo huic argumento, ab erudito viro *Le Nourri* affertur, Dissertatione de

Ex stilo impugnantur Ignatii Epistolæ.

Euseb. l. 6. c. 11.

Ignat. ad Rom. p. 55.

Ignatiis Epistolis p. 263. *Hac scilicet extorsisse summam Romana Ecclesia opinionem & existimationem: deinde illa omnia laudum Epitheta ideò congessisse, quòd singula quaque totidem ipsi viderentur esse argumenta, quibus Romanos ad mortem suam non impediendam adduceret.* Quasi verò aut hominis à Cæsare ad bestias damnati, mortem impedire Romani potuerint, aut si potuissent, ab eo consilio ipsos revocasset Ignatius, argumentis ejusmodi, quòd Romanorum vultus *esset Deo dignus*; ac in Ecclesia versarentur, *qua digna decentiâ, digna beatitudine, digna laude, dignè ordinata, dignè casta.* Fructus potius martyrii sui allegasset, qui in gloriam Christi Evangeliique progressum cessurus erat, quod de afflictionibus suis Philippenses monuit, Ignatii Doctor Apostolus. Denique illud urgemus, virorum Apostolicorum neminem, eum unquam tenuisse morem, ut talibus titulis compellaret Ecclesias. Non Polycarpum, non Clementem, non Alexandrum, cui Antiochena Ecclesia in pretio fuit, à quo tenore Ignatium deflexisse incredibile est.

Saturniliani orti Ignatio defuncto.

XVIII. Hæreticos refellit Saturnilianos Basilidianosque Pseudo-Ignatius. Qui sunt enim illi, *qui abstinebant ab Eucharistia, quia non confitebantur carnem esse Christi pro peccatis nostris mortis traditam?* Quod legitur in Epistola ad Smyrnæos. Basilidianos quoque & Saturnilianos perstringit ad Trallesios Epistola: *Verè*, inquit, *Christus crucifixus & mortuus est, verè resurrexit*, quod impuri inficiabantur Hæretici. Atqui B. Martyr Ignatius mortem obierat ante ortum Saturnilianæ Basilidianæque impietatis. De utroque Hæretico Theodoritus: *Uterque fuit tempore Adriani Cæsaris.* Quo etiam tempore natam esse Basilidis Saturnilii condiscipuli impietatem, tradit Clemens Alexandrinus. Ut refellerentur ab Ignatio, jam in celebritate esse debuerant ante annum Dionysianum CVII. quo Ignatius excessisse creditur. Quo casu Basilidis Saturniliique exortus, cum Trajani, non cum Adriani imperio copulari debuisset. Firmat argumentum, Firmiliani apud Cyprianum Epistola: *Sed & Valentini & Basilidis tempus manifestum est, quòd & ipsi post Apostolos & post longam ætatem adversus Ecclesiam sceleratis mendaciis suis rebellaverint.* Quæ vera esse nequeunt, si Ignatianum ante obitum venena sua sparserint, cùm sex solummodò annis, Joanni Apostolo superstes fuerit Ignatius.

Ignatiana de stella Christi sententia adversatur Scripturæ.

XIX. Ex rebus magnum suppeditatur argumentum. De stella, quæ Domini natalibus illuxit, hæc habet ad Ephesios Epistola: *Astrum in cœlo resplenduit super omnia Astra, & lumen ipsius ineffabile erat & stuporem tribuit novitas ipsius. Reliqua verò omnia Astra simul cum Sole & Luna χόρος ἐγένετο, tripudium agitabant circum stellam, ipsa verò lumine suo omnibus antecellebat.* Hæc scripsisse Ignatium, discipulum Apostolorum, qui non ignorabat quid rei esset stella, quæ Magos duxit, prorsus est impossibile, cùm Scripturæ repugnent, atque rationi. Ex Scriptura liquet, de stella nil prius auditum Judæis, quàm Magi pedem inferrent Hierosolymitanæ urbi. Deinde stellam præivisse Magis, stetisseque supra locum ubi jacebat Christus. Proindeque talem stellæ magnitudinem fuisse, quæ domum Virginis ab ædificiis Betlehemiticis secerneret, certo monstraret indicio; talem & motum qui deprehenderetur; oculis talem quietem, quæ incurreret in sensus. Quæ omninò falsa sunt, si stella ejus & magnitudinis, & altitudinis, & lucis fuit, qualis à Pseudo-Ignatio prædicatur. Quomodo enim astrum in media cæli regione collocatum, ac fulgore suo Solem perstringens, Christi tuguriolum certis ostendere potuerit indiciis, cùm tota urbs tanto lumini immergeretur? Quî potuit oculis observari astri sive motus, sive quies? Denique quis Historicorum, aut Astronomorum, tantum in memoriam redegit prodigium, quo totius cælestis machinæ ordo mutabatur, addito novo jubare, quod in Astris medium fuit, radiosque dispersit, ipsam solis flammam superantes? Hoccine oblivioni dari potuit? Quid ad hæc doctissimus Pearson? Clementem Alexandrinum, in Excerptis; Leonem Magnum, Homiliâ primâ de Nativitate; Maximum Hom. 3. Chrysostomum homiliâ 6. in Matthæum inducit qui gemina cum Ignatio scripsere. Sic quod rationum robore solvere vir magnus non potuit, ingenii elusit acumine. Quæstionis est, num consentanea Scripturæ, de stella scripserit Pseudo-Ignatius. Nam discipulum quidem Apostolorum atque alumnum, qui ab eorum ore didicerat quid rei stella fuit, cujus fulgore Christi præsepe splenduit, de ea absona falsaque prædicasse, prorsus incredibile est. Quæ verò narrat Ignatius sunt ejusmodi, ut certis argumentis ostendimus. Itaque, quid in homiliis de stella dixerint Chrysostomus, Leo, Maximus, non nobis curæ esse debet, si à vero abhorreat, ut abhorret quàm maximè. Quanquam de stella mollius locuti sint quàm Pseudo-Ignatius, qui fingit omnia astra cum Sole & Luna, stellæ huic factum fuisse *chorum*, ut vertit etiam Interpres; quod contingere non potuit, nisi ipsis includeretur. Neque etiam quod ex Leone laudavit clariss. Pearson, in prima de Nativitate homilia reperitur, sed in sermone primo de Epiphania. Quod mirum non observatum esse à D. *Le Nourri*, qui Pearsonianas & rationes, & responsiones recoctas reposuit. Fidem quoque Ignatianis detrahit Epistolis ipsarum cum Actis Ignatianis pugna. Legitur in Epistola ad Philadelphienses paginâ 45. *Nunciatum est mihi pacem habere Ecclesiam, quæ est in Antiochia Syria.* In Actis tamen moribundus precatur Ignatius, *pro persecutionis cessatione.* Cur Antiochenæ Ecclesiæ pax reddita, dum aliis Ecclesiis bellum indicebatur? Ignorabat igitur Ignatius pacem Ecclesiæ: saltem gratias Deo maximas egisset, qui suo gregi post ingentem procellam misisset alcyonas.

Pearson. Vind. p. 2. 126.

XX. Alio argumento docemus Epistolas Ignatii non esse: *A Syria Romam usque cum bestiis depugno, colligatus decem leopardis, hoc est, manipulo militum.* Anno autem Ignatii emortuali ignorabatur & Græcis, & Romanis *leopardi* vocabulum. Dedicavit opus suum de Historia Naturali Plinius, anno Dom. LXXVII. Qui liber immensæ varietatis, de *leopardis* mentionem egisset, si vocabulum fuisset in usu. Ergo in eo temporis spatio, quod à Christi LXXVIII. ad CVII. excurrit id vocis civitate Romanâ donari debuit; neque id tantùm, sed etiam ex Romanis ad Græcos migrasse, necesse est. Magnus enim observavit Salmasius, & quidem verissimè: *Vox autem leopardus, tota est Latina, non Græca, ex duabus Latinis composita, lea & pardus. Nam leam pro leæna dixerunt Veteres.* Quis autem sibi fingat animo, eò celebritatis hanc processisse vocem, ut & Antiochenis & Romanis, non minus

Vox leopardi incognita imperante Trajano.

Ignat. ad Rom.

Salm. Plin. Exerc. c. 17. 151.

ANNO DOM. 107.

minus nota fuerit, quàm vox *leonis*, aut canis, ante suprema Ignatii funera? Solino qui tertio seculo scripsit, nondum in notitiam venerat vocabulum: *In his sylvestribus & pardi sunt, secundum à pantheris genus, noti satis, nec latius exequendi, quorum adulterinis coitibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, sed ignobiles.* Ignobiles illi partus lapsu temporis *leopardorum* nomine affecti sunt, quod nominis à Solino non adhiberi non potuit, si jam apud Romanos invaluerat. Itaque à veri specie non abhorret anticipationem esse in verbis, quæ Antonino Getæ fœneravit Spartianus: *Ursi saviunt, leones rugiunt, leopardi rictant.* Quomodo Maronis & in carmine, *Laviniaque venit littora.* Quanquam si placet usurpatam à Geta vocem, nulli ea de re litem movebimus. Sufficit nobis nondum ortam fuisse ævo Trajani, multò minus à Græcis usurpatam, quia à Latinis ad Græcos migravit. Neque scimus à Græcis, unquam ne scriptum fuerit λεόπαρδος. In vita Antonii apud Athanasium legimus: *Eratque idem locus subitò refertus spectris leonum*, λεοπαρδάλων, *leopardorum, taurorum.* Aliud autem est λεόπαρδος, aliud λεοπάρδαλις, quanquam probabilissimum sit legendum λεοπαρδάλων. Quoquo modo sese res habeat, cùm vox λεόπαρδος, *leopardus*, ignota fuerit ævo Trajani, Epistolâ ad Romanos in qua vox ea continetur, post mortem Ignatii condita non esse non potuit.

Solin. c. 17.

Spart. Get. c. 5.

Athan. t. 1. p. 458.

Seculo Ignatii titulus Presbyteri imponebatur Episcopis.

XIX. Addamus adhùc argumentum quod solvi non metuit. Moris erat viris Apostolicis, qui secundo floruere seculo, Presbyteri titulum Episcopis imponere. Episcopos Papiæ verbis comprehendi, est extra dubium: *Si quis mihi occurrebat, qui cum* Πρεσβυτέροις, *Presbyteris versatus fuisset, ex eo curiosè sciscitabar, Quænam essent Presbyterorum dicta?* An non foret absonum, Papiam de Christi doctrina Laicos potius quàm Episcopos Apostolorum auditores consuluisse? In visione secunda Hermæ: *Tu autem leges in hac civitate cum Senioribus, qui præsunt Ecclesiæ.* Clemens Alexandrinus in narratione de juvene, qui post baptismum ad latrones deflexerat, Episcopum, cui juvenis creditus fuerat, vocat & *Presbyterum.* Ὁ δὲ Πρεσβύτερος ἀναλαβὼν, *Presbyter verò adolescentem sibi traditum, in domum suam suscipiens, educavit.* Decessores Victoris, Romani Episcopi, Presbyterorum nomine afficit & Irenæus: Καὶ οἱ πρὸ Σωτῆρος Πρεσβύτεροι, *sed & Presbyteri illi qui Soterem Ecclesiam, cui tu nunc praes, gubernarunt.* Quam & paucis post lineis vocem iterum usurpat. Polycarpus ad Philippenses, Presbyteris includit Episcopum: *Subjecti estote Presbyteris & Diaconis, sicut Deo & Christo.* Argumentoque est, quòd seorsim non meminit Episcopi, cui præcipuè esset obtemperandum. Ignatius verò noster tam accuratè distinguit Episcopi titulum, & Presbyteri, ut nihil supra. Itaque Presbyteri vocabulum Episcopo nunquam indidit. Componantur cum adductis Polycarpi verbis, ea quæ leguntur in Epistola ad Smyrneos: *Omnes sequimini Episcopum, ut Jesus Christus Patrem, & Presbyterium, ut Apostolos, Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum.* Nonne luce clarius erit, Pseudo-Ignatium de Episcopo seorsim commemorare, quia eo tempore scripsit, quo alienum erat Presbyteri titulum communicare cum Episcopo? Polycarpum verò sine discrimine de Presbyteris egisse & Episcopo, quia familiare fuit eodem omnes vocabulo complecti. Cujus argumenti splendorem, objectâ variatum assertionum nube, clarissimus Pearson frustra obscurare conatur. Eò tandem res redit, ut fateatur Autores à nobis laudatos, ita nomen *Presbyteri usurpare, cùm gradus non enumerant, aut de sua ætatis Episcopis non loquuntur.* Quæ sunt prorsus ἀπροσδιόνυσα: cùm non minus constet, Pseudo-Ignatium nullis unquam Episcopis *Presbyteri* nomen adjunxisse, quod ab ejus ævi Scriptoribus alienum. Hæc erant antiquitatis vestigia atque rudera, quæ Ignatii nostri temporibus evanuerant. Ad verba Polycarpi respondet Vindiciarum Autor: *Quis dabit Episcopum Philippensium tunc in vivis esse?* Subtiliter. Non diffitebitur tamen nil repugnare quominus etiamnum inter homines fuerit. Quo casu induebatur Presbyteri nomine; secus certa res foret, non dubia, Philippensibus Episcopum defecisse. Quid prosunt argutiæ? Si defunctus fuisset Philippensium Episcopus, cùm ad eos scripsit Polycarpus, Pastorem suum lugentibus, solatii aliquid adhibuisset; defuncti pietatem laudibus affecisset, de successoris electione mentionem inseruisset. Dum igitur ordines Ecclesiæ numerat Polycarpus, Episcopum induit nomine Presbyteri. Illud quidem verum est, de defunctis Episcopis, qui Romæ fuerant, commemorasse Irenæum ad Victorem Epistolâ. Quid tamen nostro id officiat argumento, non videmus. Unus enim erat Episcopatus, quem gesserant Anicetus, Hyginus, Soter cum eo quem Victor tenebat. Tam ergo Victori, dum vita manebat, quàm mortuis decessoribus ejus, Presbyteri nomen imponi potuit. Nobis sanè nunquam persuaderi potuit, antiquos doctissimosque Patres, Polycarpum, Irenæum, Clementem Alex. Episcopis titulum indidisse Presbyteri, nisi familiaris eo seculo, ea fuisset appellatio. Non enim obiter, aut semel, sed ter in sua ad Victorem Epistola Presbyteri nomen Episcopis indulsit Irenæus. Sed & in libro de Monarchia ad Florinum, Polycarpum vocat *beatum & Apostolicum Presbyterum.* Quis ferret hodie de Pearsonio Cestriensi Episcopo scribentem, *Pearsonius doctissimus ille Presbyter.* Siccine designantur Episcopi? Cur ergo ludibrium daret Scriptor ejusmodi, quod non debuit Irenæus? Quia ævo Irenæi non aliud munus erat Episcopi, aliud Presbyteri; quæ nunc officia specie differunt.

Euseb. l. 3. c. 39.

Euseb. l. 3. c. 23.

Euseb. l. 5. c. 24.

ANNO DOM. 107.

Pears. Vind. p. 2. 166.

Euseb. l. 5. c. 21.

Num Ignatii ad Polycarpum Epistola eadem fuerit cum illa ad Smyrnæos?

XXII. De Epistola ad Polycarpum seorsim pauca dicamus, quia eruditissimis viris Usserio, Bonæque venit in controversiam. Nobis quidem non negandum esse videtur, Ignatium scripsisse Polycarpo, cùm id præ se ferat Polycarpi ad Philippenses Epistola: *Scripsistis ad me, & vos, & Ignatius, ut si quis fortè in Syriam proficisceretur, vestras literas eò deferret.* Ea quoque Eusebio sententia fuit: *Posteà verò à Smyrna ulterius progressus, cùm Troadem venisset, inde ad Philippenses litteras dedit, & ad Smyrnæorum Ecclesiam* ἰδίως, *privatimque ad Polycarpum eorum Episcopum.* Non nescimus tamen Antiquorum recentiorumque nonnullos eò venisse opinionis, quod nulla peculiaris Epistola Polycarpo scripta fuerit, illamque ad Smyrnæos, Ecclesiæ communem fuisse, nec non Episcopo. Quæ mens videtur Hieronymi, in Viris illustribus: *Scripsit ad Philadelpheos, & ad Smyrnæos, & propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochenam Ecclesiam, in qua & de Evangelio, quod nuper à me translatum est, sub persona Christi ponit testimonium.*

Euseb. l. 3. c. 36.

ANNO DOM. 107.

Honor. B. M. P. l. XX. p. 1059.

nium. Testimonium autem allatum ab Hieron. Epistolæ est ad Smyrnæos, non ad Polycarpum. Eo modo interpretatur Hieronymum Honorius Augustodunensis, de luminaribus Ecclesiæ: *Ignatius Antiochena Ecclesia post Petrum Apostolum, tertius Episcopus, scripsit Ecclesia Ephesiorum Epistolam, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos, deinde ad Philadelphios & Smyrnaos.* Nullo igitur numero est Honorio Ignatii ad Polycarpum Epistola, alioquin *septem*, non *sex*, solummodò Sancto Martyri Epistolas vindicasset. Cæterùm cùm Polycarpi nomen ne vel semel in Epistola ad Smyrnæos reperiatur, quem in tertia etiam persona salutat titulo Episcopi, verba sive Polycarpi, sive Eusebii, Epistolæ ad Smyrnæos accommodari non possunt: *Saluto Deo dignum Episcopum.* De Polycarpo prætereà nihil. Aliud ergo sibi voluit Polycarpus dicendo, *Scripsistis ad me, & vos, & Ignatius.*

Ignatii ad Polycarpum Epistola subdita est.

XXIII. Cæterùm Vossianam Ignatii ad Polycarpum Epistolam, ab ea cujus Polycarpo verus Ignatius, non præcisè quidem, sed sub conditione, *ut si quis in Syriam proficisceretur*, eò perferret Philippensium Epistolas. Pseudo-Ignatius autem hoc mandat Polycarpo: *Decet, Polycarpe, Deo beatissime, consilium congregare Deo decentissimum, & ordinare aliquem, quem dilectum valdè habebitis, & impigrum, qui poterit Dei cursor vocari, & eum dignari, ut profectus in Syriam, glorificet vestram impigram charitatem ad gloriam Dei.* Tanti & Martyris, & Episcopi decens consilium non repudiasset Smyrnensis Ecclesia. *Theodromum* ergo instituisset, qui tenderet in Syriam, ut Ignatii monitis obtemperaret. Quod tamen executioni datum non fuisse, testatur ipse Polycarpus. De literis enim ad Antiochenos perferendis hæc habet: *Quod quidem perficiam, si tempus opportunum nactus fuero, vel ego ipse, vel per alium quempiam, cui id munus vestrâ causâ delegabo.* Neque si benè meminimus, officium peculiare *Theodromi* constitutum est à Veteribus. Prætereà stilum non spirat Apostolicum Ignatiana hæc ad Polycarpum Epistola. Antiquior erat Polycarpo, nobilionisque Ecclesiæ Episcopus Ignatius, cujus gravitatem non decuit atque sapientiam, Polycarpum sic compellare: *Valdè glorior quòd dignatus sim facie tuâ immaculatâ.* Neque Christiana simplicitas his utebatur Epithetis Ignatiano ævo: *Conventum* Θεοπρεπέστατον, *Deo-decentissimum*; Θεομακαριστότατε, *Deo-beatissime.* Quin etiam & se, & Polycarpo viro & Apostolico, & Episcopo, non satis dignum fecisset Ignatius, scribendo, *Servos & ancillas ne despicias.* Quasi Catechumenum, vel de laicorum subselliis aliquem instituisset. De Epistola ad Polycarpum, in quam incidit Eusebius, id scripto traditur: *Polycarpo tanquam bonus ac fidelis Pastor, gregem Antiochena Ecclesia commendavit, rogans, Ut omni curâ ac diligentiâ illum fovere vellet.* Vossianæ verò Epistolæ verba, si accuratè perpendantur, ad illa quidem Eusebii quadrare non videntur. De cursore qui proficiscatur in Syriam, nescio quid mandat Polycarpo, nil prætereà. Hæccine est ea cura in fovenda Ecclesia Antiochena, atque diligentia, de qua commemoravit Eusebius?

Euseb. l. 3. c. 36.

Euseb. l. 3. c. 36.

Mors Cerdonis Alex.

XXIV. Hoc anno Cerdonem ad plures abiisse, nonnulli tradunt, die quintâ Junii. Successerat Avilio in Episcopatu Alexandrino. At anno Trajani circiter XII. mortem Cerdonis contigisse, tradit Eusebius: *Circa duodecimum annum imperii Trajani Cerdo Alexandrina Ecclesia Episcopus abiit è vita.* Itaque annus Cerdonis emortualis est in incerto. Cerdoni Primus successit.

ANNO DOM. 108.

Euseb. l. 4. c. 1.

ANNO U. C. 861. PER. JUL. 4821. JUL. 153. DOM. 108. TRAJANI 11. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 14. *Indict.* 6. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 6. 7. *P.* 16. *Apr.*

COSS. *Ap. Annius Trebonianus Gallus, & M. Atilius Metilius Bradua.*

Trajani triumphus & spectacula.

I. TRajanus post exhaustum bellum periculosissimum, Romam reversus, secundum de Dacis triumphum egit. Spectacula edidit dierum centum & viginti trium, in quibus jugulata sunt ferarum altiliumque pecudum ad undecim millia; itemque gladiatorum X. millia inter se certaverunt. Ad Trajanum verò quàm plurimæ legationes, à barbaris gentibus, & inprimis ab Indis venerunt. Iisdem temporibus stravit Pontinas paludes, pontesque magnificos fecit, ac monetam omnem attritam & deminutam conflavit. Bellum hoc Dacicum Græco carmine scribere paravit Caninius, ad quod eum & incitavit Plinius: *Optimè facis, quòd bellum Dacicum scribere paras. Nam qua tam recens, tam copiosa, tam lata, qua denique tam poetica, & quanquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? Dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vitâ Regem nil desperantem. Super hac actos bis triumphos, quorum alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit.* Dacia Provincia facta est, quæ decies centena millia in circuitu tenet. In eam Trajanus colonias deduxit.

Dio l. 68. 777.

Plin. Ep. l. 8. 4.

Eutrop.

ANNO DOM. 109.

ANNO U. C. 862. OLYMP. 222. PER. JUL. 4822. JUL. 154. DOM. 109. TRAJANI 12. *Sol.* 6. G. *Lun.* 15. *Indict.* 7. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 1. *P.* 8. *Apr.*

COSS. *Cornelius Palma II. & C. Calvisius Tullus II.*

Hic avus est M. Aurelii Augusti, qui Antonino Pio successit. Marci *Antonini mater Domitia Cavilla, Calvisii Tulli bis Consulis filia.*

Capit. M. Anton. c. 1.

Adriani in Pannoniam legatio.

I. ANno proximo, Prætorem factum fuisse Adrianum, Surano Servianoque iterum Consulibus suffectis, ex Spartiano conjecturam ducimus: *Cùm*, inquit, *sestertium iterum vicies ad ludos edendos à Trajano accepit*; hoc est, Gallicarum librarum 372222. quas post Trajani redıtum, cùm de Dacis iterum triumphavit, ludis edendis impendisse videtur. Præsente anno legatum Prætorium in Pannoniam inferiorem missum, fit verosimile. Quâ in legatione Sarmatas compressit, *Disciplinam militarem tenuit, Procuratores latius evagantes coërcuit: ob hoc Consul est factus.* Suffectum Consulatum gessit, unà cum Publio Celso. Quibus apparet, his temporibus Trajanum nondum in Orientem esse profectum.

Spart. Adr. c. 2.

II. Currente anno, injunctam esse Plinio Bithyniæ legationem, cum eruditissimo Norisio probabilissimum existimamus. A vero sanè abest Baronii sententia, eam legationem in annum Christi CII. conferentis: *Post*, inquit, *functionem superioris anni Consulatus, more majorum, Provinciam suscepit administrandam.* Atqui Plinianus ille Consulatus in annum centesimum incidit,

Plinii in Bithyniam legatio.

Baron. An. 104. n. 1.

Error Baronii.

ANNO DOM. 109.

cidit, in suo loco demonstratum. Plinium autem mox à gesto Consulatu in Bithyniam non concessisse, certis rationibus demonstratur. Quippe ab anno centesimo ad usque Plinianam legationem, plures Bithyniæ præfuisse comperimus. Anno Christi CI. de Bassi causa factum est judicium. Julius ille Bassus, à Domitiano relegatus, revocatus à Nerva, Bithyniam sortitus fuerat. Ex ea Provincia, cùm reus redisset, *Accusatus non minus acriter, quàm fideliter defensus fuerat.* Bassum defendit eo tempore, quo accusavit Marcum Priscum, qui ab Afris, quibus Proconsul fuerat, criminis postulabatur: *Accusavi Marium Priscum, tutatus sum Julium Bassum.* Accusatus est à Plinio Marius Priscus, cùm Trajanus Consulem ageret: *Princeps præsidebat; erat enim Consul.* Quod vel ad tertium, vel ad quartum Trajani Consulatum spectat. Ad tertium pertinere statuit Norisius. Quo casu verba obscurissima Epistolæ vigesimæ libri decimi sic restitui debeot: *Sed cùm postea Consul designatus censuisses agendum nobis*, quia nimirum Plinius ad Præfecturam ærarii Saturni promotus, *omnibus advocationibus renuntiaverat*, ut delegato officio vacaret. Itaque anno CI. de Julii Bassi causa cognitum. Ab eo verò tempore, ad Bithynicam Plinii Præfecturam usque, lapsi sunt anni complures. Doceat Plinii ad Trajanum Epistola: *Est adductus ad me in perpetuum relegatus, à Julio Basso Proconsule. Ego quia sciebam Acta Bassi rescissa, datumque à Senatu jus omnibus, de quibus ille aliquid constituisset, ex integro agendi, duntaxat per biennium, interrogavi hunc quem relegaverat, An adisset docuissetque Proconsulem? negavit.* Ex hoc insigni loco constat, ab anno Christi CI. quo rescissa Julii Bassi Acta fueraot, ad usque tertium & centesimum, nil adhuc loci fuisse Plinii Præfecturæ. Proconsulem agebat Anonymus. Præfuit & ante Plinium Rufus Varenus, ut monemur l. V. Epistolâ 20. *Iterum Bithyni post breve tempus, à Julio Basso etiam Rufum Varenum Proconsulem detulerunt. Varenum quem nuper adversus Bassum advocatum & postularant, & acceperant.* Quæ causa in plures annos protracta, ut ab ipso Plinio monemur: *Bithyni Senatusconsultum apud Consules carpere & labefactare sunt ausi, atque etiam absenti Principi criminari, ab illo ad Senatum remissi non destiterunt.* Præterea ante Plinium, Bithyniæ Proconsulem egit Anicius Maximus, de quo mentionem fecit: *Anicius deinde Maximus Proconsul, eos etiam qui à Censoribus legerentur, duntaxat in paucissimis civitatibus aliud aliis jussit inserre.* In ea quoque Præfectura Plinio antecessit Servilius Calvus, uti docet libri decimi Epistola 64. Cùm ergo tot Proconsules ante Plinium, post Julium Bassum in Bithyniam missi sint, Varenus, Anicius, Maximus, Servilius Calvus, multum temporis interjectum fuit Consulatum Plinii inter & legationem Bithynicam. Plinium etiam in Italia fuisse anno Christi CVII. ostendit Epistola, quam Albino scripsit de Virginio Rufo, cujus post decimum mortis annum, sepulchrum nondum absolutum erat: *Subit indignatio cum miseratione post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo jacere.* Venerat in villam Alsiensem Plinius, cùm hæc scripsit, decesimo post Virginii Rufi mortem, qui anno Dionysiano XCVII. excesserat. Neque post reditum ex Bithynia, hæc scripto mandavit. Alioquin & belli Dacici, & persolutorum

Plin. l. IV. Epist. 9.

Plin. l. VI. Epist. 29.

Plin. l. II. Epist. 11.

Plin. l. X. Epist. 64.

Plin. l. VI. Epist. 13.

Plin. l. X. Epist. 113.

Plin. l. VI. Epist. 10.

Tom. II.

pro victoriis Trajani votorum, alicubi meminisset in Epistolis, quibus ex Bithynia Trajanum adiit. Sed ex Trajani rescriptis apparet se in urbe fuisse, cùm Plinio responsa dabat, à qua tamen aberat anno CV. & sequente.

III. Profectus in Bithyniam ex ea Provincia, subinde Trajano scripsit: *Sicut saluberrimam navigationem, Domine, usque Ephesum expertus, ita inde postquam vehiculis iter facere cœpi, gravissimis æstibus atque etiam febriculis vexatus, Pergami substiti. Rursus cùm transiissem in orarias naviculas, contrariis ventis retentus, aliquantò tardius quàm speraveram, id est, XV. Kal. Octobris Bithyniam intravi. Non possum tamen de mora queri, cum mihi contigerit quod erat auspicatissimum, natalem tuum in Provincia celebrare.*

Plinius Bithyniam ingreditur.

Plin. l. X. Epist. 28.

ANNO U. C. 863. PER. JUL. 4823. JUL. 155. DOM. 110. TRAJANI 13. *Sol.* 7. F. *Lun.* 16. *Indict.* 8. *Epact.* 21. *Epact. Sel.* 2. P. 24. *Mart.*

ANNO DOM. 110.

COSS. *Crispinus Priscianus & Solenus Orfitus.*

I. DUm Plinius in Bithynia versatur, celeberrimam de Christianis ad Trajanum Epistolam scripsit: *Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideò nescio quid & quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant: deturne pœnitentiæ venia, an ei qui omninò Christianus fuit, desiisse non prosit: nomen ipsum etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, An essent Christiani? Confitentes, iterum ac tertiò interrogavi, supplicium minatus, perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam qualecunque esset quod faterentur, pervicaciam certè & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, quos quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos. Propositus est libellus sine Autore multorum nomina continens. Qui negarent se esse Christianos, aut fuisse, cùm præeunte me, Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulachris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reverà Christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, Esse se Christianos, dixerunt, & mox negaverunt. Fuisse quidem, sed mox desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes imaginem tuam Deorumque simulachra venerati sunt, ii & Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati denegarent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium, quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua, hetærias esse vetueram.*

De Christianis Epistola Plinii.

Plin. l. X. Epist. 97.

II. Tantos porrò progressus Christi Religio fecerat, ut vicos, urbes, agros pervagaretur: *Certè satis constat, propè jam desolata Templa, cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissi-*

Rescriptum Trajani ad Plinium.

Anno Dom. 110.

varissimus emptor inveniebatur. Quod nobis maximo est argumento, non tortores, sed doctores adhibendos esse, ad fidem constituendam, cùm Evangelio armis minisque Principum destituto, tantum efficaciæ fuerit ad permovendos animos: *Quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.* Trajanum hæc monuerat Plinius, cui rescribit Princeps: *Conquirendi non sunt, si deferantur & arguantur, puniendi sunt, ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsâ manifestum fecerit, id est, supplicando Diis . . . veniam ex pœnitentia impetret. Sine autore vero propositi libelli, nullo crimine locum habere debent.* Quod edictum à ratione prorsus alienum, ostendit Tertullianus. *O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit & sævit, dissimulat & animadvertit. Quid te ipsam censura circumvenis? Si damnas, cur non inquiris? Si non inquiris, cur non & absolvis?*

Tert. Apol. c. 2.

Hetæriæ.

III. Quid porro Hetæriæ sint, quas Plinius secundum Cæsaris edictum inhibuerat, est paucis explicandum. De voce Hetæria peritiam in Græcis ostendere suam Baronio placuit. *A Græca voce*, inquit, *ἑταῖρος quâ, ut Autor est Suidas, Plato, & cæteri Philosophi, germanos ejusdem eruditionis amatores, sodales vocabant, Hetærias, Plinius vocat sodalitia.* Quæ ersis non est accurata. Etenim ab ἑταιρεία derivatur ἑταῖρος, non vice versâ, quomodo fortis à fortitudine, pulcher à pulchritudine deducitur. Cùm autem ἑταιρεία, *sodalitatem*, familiarem concordiam & amicitiam significet, hinc Hetæria pro sodalium agmine, *collegioque* usurpatur. Cujus caput ἑταιρειάρχης appellatur, & ἑταιρεῖος, *sodalitius*, quo Jupiter cognomento apud Cretenses colebatur: Hetæria ergo Plinio *collegium* est, atque sodalitium. Quæsierat à Trajano Plinius: *Tu, Domine, dispice an instituendum putes collegium fabrorum, duntaxat hominum centum quinquaginta.* Respondet Princeps: *Quodcunque nomen ex quacunque causa dederimus iis, qui in idem contracti fuerint, Hetæriæ quamvis breves fient.* Cùm autem seditionum jurgiorumque & occasiones, & nutrimenta forent Hetæriæ, à Romanis vetabantur. Quod factum & ab Avilio Flacco Ægypti Præfecto: *Vetabat cætus promiscuæ multitudinis, sublatis etiam sodalitiis, quæ prætexta sacrorum, vacabant mero & crapulæ.* Christianis fidei pietatisque vinculo conjunctis, moris erat unà convenire ad celebrandas Agapas, de quibus Tertullianus: *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim Agape, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Si quidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. . . . Non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum; sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ.* His Plinius Agapis Hetæriarum nomen imposuit. Postquam enim die Dominicâ Christiani ante lucem convenerant, sacris peractis, *Morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium*, testatur Plinius. Quod facere desierunt post edictum, quo Hetærias esse vetuerat.

Baron. an. 100. p. 8.

Error Baronii.

Plin. l. 2. Epist. 44.

Philo in Flac.

Tert. Apol. c. 39.

Polycarpi Epistola ad Philippenses.

IV. Epistolam ad Philippenses à Polycarpo scriptam fuisse, maximo nobis est argumento autoritas Irenæi, qui tanto doctore usus fuerat: *Est autem & Epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissime, ex qua characterem fidei ejus & prædicationem veritatis, qui volunt & curam habent suæ salutis possunt discere.* Hanc Eusebius Epistolam testimonio suo commendat *l. 3. c. 36.* Adductis & locis nonnullis, quæ etiamnum in ipsa deprehenduntur. Neque partem omisit illam, quæ viris eruditis in suspicionem adducitur: *Scripsistis ad me, & vos, & Ignatius, ut si quis in Syriam forte proficisceretur, vestras literas eo deferret. Quod quidem perficiam si tempus opportunum nactus fuero. Epistolas omnes Ignatii, quas ad me scripsit, & quascunque denuum apud nos reperire potuimus, quemadmodum mandastis, ad vos misimus. Quas quidem huic Epistolæ subjecimus. Ex iis magnam utilitatem percipere vobis licebit; continent enim fidem, patientiam & cætera quæ ad Domini cultum pertinent.* Petri Epistolam Polycarpus laudat, ut observatum Eusebio: *Cæterum Polycarpus in illa, quæ etiamnum extat ad Philippenses Epistola, utitur quibusdam testimoniis, ex priore Petri Epistola desumptis.* Tanti eam fecere Asiatici Christiani, ut palam ac publicè legerint, docente in Viris Illustribus Hieronymo: *Scripsit ad Philippenses valde utilem Epistolam, quæ usque hodie in Asia conventu legitur.* Quo tempore missa sit, nobis est in obscuro. Si à leonibus discerptus est Ignatius, anno Christi CVII. quod nobis probabilius, vix dubitari posset, quin anno sequente Epistola à Polycarpo fuerit exarata, admisso genuinam eam esse laciniam: *Et si de ipso Ignatio, & de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate.* Sed cùm nobis subdititia videatur esse lacinia, Chronologiæ quidem fundamentum nobis esse non potest. Id unum ergo de tempore Epistolæ scimus, quòd defuncto jam Ignatio condita sit. Epistola autem mentem animumque exprimit B. Martyris, Diaconos, Juvenes, Virgines ac Presbyteros variis præceptis imbuit. Hæreticos qui Christum verè mortuum esse negabant, fugiendos; traditam ab initio disciplinam retinendam esse docet. Ad imitandam Zozymi, Rufi, Ignatii, Pauli patientiam hortatur. Valentis Presbyteri, uxorisque peccatum, quod ex avaritia admisisse videntur, seriò dolet. Pro Principibus persecutoribusque preces injungit. *Crescentem* per quem scripsit, ejusque sororem illis commendat. Quæ sunt Apostolorum alumno maximè digna.

Iren. l. 3. c. 3.

Euseb. l. 4. c. 14.

Polycarpi ad Philippenses Epistola genuina est.

V. Clarissimus ille Daillæus in suspicionem adduxit S. Martyris Epistolam. Scrupulum verò ipsi injecit Nicephori stichometria, quæ ad calcem Chronographiæ edita exhibetur, thesauri temporum *p. 312.* Quippe in Apocryphis N. Testamenti numerat: *Ignatii, Polycarpi, Pastoris & Hermæ doctrinam.* At quæstionis est, utrùm Polycarpi ad Philippenses Epistolam Nicephorus habuerit in animo. *Maximus* sanè, qui Dionysii opera commentariis illustravit suis, hæc in Præfatione tradit: *Hujus autem Areopagitæ meminit quoque alter Dionysius, antiquissimus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in sua ad Athe-*

B. P. t. 2. 140.

ANNO DOM. 110.

Athenienses Epistola. Quin etiam, si Suidæ credimus, est Polycarpi ad Dionysium Areopagitam Epistola: *Scripsit Epistolam ad Philippenses admodum admirabilem, & ad magnum Dionysium Areopagitam, & ad alias Ecclesias.* Polycarpi sanè ad Philippenses Epistolam in prima commendatione habuit Photius, cui decessit Nicephorus: *Lecta est & Polycarpi Epistola ad Philippenses, multis referta admonitionibus, cum perspicuitate ac simplicitate ad Orthodoxam & Ecclesiasticam loquendi formulam.* Præterea genitivus Πολυκαρπῦ à nominativo διδαχῇ regitur, quam ante penultimâ lineâ vocem adhibuerat Nicephorus: Quo casu, diversum ab Epistola Polycarpi librum innuit. In indiculo sanè à Clar. Cotelerio edito & Polycarpi, & Ignatii διδαχῆς mentio facta est. Utut sese res habeat, Nicephori, qui nono seculo floruit, judicium Antiquorum testimonio opponi non potest, sed & Epistola virum quidem Apostolicum sonat.

Polycarpi in Epistola lacinia suoata est.

VI. Porro nobis non negandum videtur, nonnulla reperiri in Epistola, quæ sunt à mala manu. Paucula scilicet, quibus clauditur Epistola: *Et de ipso Ignatio, & de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate.* Primum enim non reperiuntur in Eusebio, neque in omnibus quoque Latinis exemplaribus continentur. Desiderantur in editione Petri Halloix, quam exhibet maxima Patrum Bibliotheca. Quodque nos faremur esse majus, omninò repugnant Epistolæ, in qua de Ignatio, Zosimo, Rufo, & Apostolis legimus: *Hi omnes non in vanum concurrerunt, sed in justitia, & quod ad debitum sibi locum apud Dominum decesserunt, cui & compassi sunt.* Quibus Ignatii obitus certè certòque significatur, quem tamen lacinia nondum contigisse statuit. De mortuo quidem ejusmodi orationem adhibuit nemo, *& de his qui cum eo sunt.* Scribi debuit *fuere*, cùm verbum *sunt* absolutè positum, indicet esse adhùc præsentes Ignatio. Eodem ergo loco habet, & Ignatium, & Ignatii comites; hoc est, pro hominibus, qui etiamnum vitam retinebant. Non inficiamur tamen dudum fuisse, quòd lacinia hæc Epistolæ Polycarpi assuta est, cùm ejus disertè meminerit Photius Cod. 126. *p.* 306. Cætera verba quod attinet, quæ eruditissimis Dallæo, Moynio, Rocquano addita videntur Epistolæ, ab eorum judicio nostrum variat atque diffidet. Cùm apud Eusebium legantur *l.* 3. *c.* 36. Pauli Epistola ad Romanos in hanc decentissimam clausulam desinebat: *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum, Amen.* Subdit tamen postmodum Apostolus multos versiculos, quos pro genuinis agnoscimus. Neque & temerè assutos, & præter Autoris mentem existimamus. Porro non solùm Philippensibus Polycarpus scripsit, verùm etiam complures Epistolas exaravit, quarum meminit Irenæus. Quàm Hæreticis infensus esset, *Ex Epistolis illum liquidò comprobari potest, quas ille partim ad vicinas Ecclesias, ut eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus misit, admonens illos atque exhortans.* Tempus edax rerum, tantos nobis thesauros invidit.

Euseb. l. 5. c. 20.

De Evaristo.

Bar. an. 101. n. 4.

VII. Anacletum exemptum ex natura rerum anno currente, legitur in Annalibus: *Cùm post Anacleti martyrium sedes vacasset diebus tredecim, in ejus locum est suffectus Evaristus, & ipse natione Græcus, ex Patre Judæo, nomine Judâ Bethlehemitico, qui sedit annos novem, & menses tres.* Sepultus juxta corpus B. Petri dicitur in Vaticano, sexto Calendas Novembres. Cessavit Episcopatus dies XVIII. De Primis Episcopis Romanis nostram non mutamus sententiam. Incerta prorsus omnia sunt, quæ de annis Pontificatus initioque narrantur. De Evaristo Bucherianus Catalogus: *Evaristus annis tredecim, mensibus septem, diebus duobus. Fuit temporibus novissimis Domitiani & Nervæ, & Trajani, à Consulatu Valentis & Veri usque Gallo & Bradua.* Pseudo-Isidorus hanc in Chronologiam descendit, prima enim Evaristi Epistola data dicitur IX. *Kal. Aprilis, Valente & Vetere Coss.* qui Christi annus est XCVI. Secunda verò scripta fertur *Kal. Novembris, Gallo & Braduâ Coss.* biennio antè quàm sederit Evaristus in Baroniana Chronologia. Anno Christi XCV. creatum fuisse, statuit Pagius. Cui repugnant Pearson atque Dodwellus. Ille anno Christi LXXXIII. ad usque XCI. Hic verò à LXXXI. ad usque XC. Evaristi Pontificatum illigat. Qui ad veri normam annos primorum Pontificum dirigere conantur, illi sanè, ut ajunt, λέοντα κείρειν, *leonem tondere* videntur.

De Epistolis Evaristi.

VIII. Geminæ circumferuntur Evaristi Epistolæ. Prior universis Africæ Episcopis missa, præscribit quot in civitate Diaconi esse debeant, & de uxore ducenda. Secunda verò omnibus per Ægyptum Domino congregatis fratribus scripta, docet: *Qualiter sacerdotes suas Ecclesias, & eorum Ecclesia eos debeant diligere.* Utraque verò est subdititia. Falsissimum quod in priore continetur: *In una quaque civitate, Diaconos juxta Apostolorum constituta septem esse debere.* Clementis Recognitiones seculo II. scriptæ, quatuor solummodò Diaconos in Ecclesia Cæsariensi extitisse testantur. Neocæsariensis Concilii anno Christi CCCXIV. celebrati præscriptio hæc est *c.* 14. *Diaconi septem esse debent secundum Regulam, quamvis magna sit civitas.* Unde liquet eâ Synodo, Evaristi quæ dicitur, Epistolam esse posteriorem. Non satis quidem mirari impostoris valemus imprudentiam, qui de verbo ad verbum integram descripsit paginam, ex Idacii Clari adversus Varimadum libro. Componatur Epistola cum eo tractatu B. M. Patrum, *t.* 5. *p.* 740 Floruit autem Idacius quarto seculo jam præcipiti. Nec melioris notæ est, posterior Evaristi Epistola, quæ periodos integras Clementis ad Jacobum Epistolæ ex versione Rufini ascivit sibi. Hieronymianam quoque Psalmorum versionem, κατὰ πόδας sequitur.

ANNO U. C. 864. PER. JUL. 4824. JUL. 156. DOM. 111. TRAJANI 14. *Sol.* 8. E. *Lun.* 17. *Indict.* 9. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *Apr.*

ANNO DOM. 111.

COSS. C. *Calpurnius Piso, & M. Vettius Bolanus.*

Plinius Trajani nomine, in Bithynia celebrat.

I. SOlebant Senatores & Magistratus Romani, initio anni & jusjurandum solemne sumere, & votorum nuncupationes facere pro salute & incolumitate Principis. Itaque objectum Thraseæ, quòd principio anni viraverat solemne jusjurandum, *nuncupationibusque votorum non adfuerat.* Nuncupabantur quoque vota III. Nonas Januarias. Quo Plinius officio functus, hæc scribit Trajano: *Vota Domini, priorum annorum nuncupata alacres lætique persolvimus, novaque rursus, curante commilitonum*

Tacit. an. l. 16. c. 5.

Plin. l. x. Epist. 101.

Anno Dom. 111.

& Provincialium pietate suscepimus. Porro in Bithynia & anno præterito, & præsentis parte aliqua Plinium egisse, ex ejus Epistolis colligimus, in quibus bis à se celebratum imperii Trajani natale commemorat. Epistola 60. *Diem, Domine, quo servasti imperium, dum suscipis, quantâ mereris lætitiâ celebravimus.* Quæ de imperio potius Augusteo, quàm Proconsulari capienda esse, ex Trajani rescripto conjecturam ducimus: *Quantâ religione ac lætitiâ commilitones cum Provincialibus te præeunte, diem imperii mei celebraverint, libenter, mi Secunde charissime, cognovi ex literis tuis.* Epistola quoque 103. narrat se diem, in quem tutela generis humani felicissimâ successione translata est, debitâ religione cum Provincialibus celebrasse. Cui Trajanus eo modo respondet, ac ob priorem Epistolam sese ipserat. Prior celebratio ad præteritum, posterior ad præsentem annum pertinet. Constat etiam bis à Plinio reddita vota, quæ III. Non. Januarias solvebantur.

Quid rei sit Titulus?

II. De Evaristo legitur: *Hic titulos in urbe Roma divisit Presbyteris.* Quâ voce domos divino cultui mancipatas designari, Baronii sententia est. Etsi verò vix credamus, Trajano imperante, Christianis Ecclesias fuisse, quæ ab Evaristo Presbyteris Romanis assignatæ sint, res tamen est diligenti contemplatione dignissima, quid rei sit *titulus*, & qua de causa Ecclesiis *tituli* nomen impositum? Ecclesias cultui divino consecratas id accepisse vocabuli, Antiquorum ex monumentis certum exploratumque est. Hæc olim Decentio scribebat Innocentius: *De Fermento verò, quod die Dominico per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti.* In subdita posteriore Pii Epistola: *Presbyter Pastor*, inquit, *titulum condidit, & dignè in Domino obiit.* Eadem & mente Turonensi Synodo: *De titulo, minori ad majorem migrare nulli Presbytero licitum sit, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est.* Cujus præscriptionis sensum sic reddidit Isaac Episcopus Lingonensis, in Canonibus: *Clericum permanere oportet in Ecclesia, cui in initio ab Episcopo prætitulatus ac sortitus est.* Et in appendice Actorum veterum à Clarissimo Baluzio editorum p. 1375. *Ad nos perlatum est, eò quòd quidam conjugati habentes titulos, quibus deserviant, de sacris vestibus mulierum, vel filiarum suarum ornamenta faciant, & proprietario jure sibi defendant.* Hinc id vocabuli ad ipsas parochias designandas extenditur, quæ tertiæ Romanæ Synodi, sedente Symmacho celebrata, mens esse videtur: *Pari etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicunque fuerint, astringi volumus lege custodes. . . . Quicunque tamen oblitus Dei, & decreti hujus immemor, cujus Romanæ civitatis Sacerdotes volumus religiosis moribus devinctis, in constitutum præsens committens, quidquam de jure titulorum, vel Ecclesiæ superius præfata, quolibet modo . . . retinere tentaverit . . . honoris sui amissione mulctetur.*

Innoc. Epist. c. 5.

Tur. 3. c. 14.

Capit. Reg. Franc. p. 1275.

Concil. Rom. 3. c. 6.

De Antiquitate vocis Tituli ad Ecclesiam significandam.

III. Principio rerum Christianarum, tituli appellationem ad designandas Ecclesias ortam esse, Baronius, Gretserus aliique opinantur. Quin sanè antiqua sit hujus vocabuli significatio, inficiari non possemus, si genuinæ forent Pii ad Justum Viennensem Epistolæ, quæ Baronio *aureæ* sunt. At vel uno hoc argumento falsi postulantur, quòd *tituli* vocem imponant Ecclesiis, quibus id nominis nunquam inditum fuit à Patribus, qui ante quartum seculum floruere. Multis nos argumentis suo loco Epistolas proscribemus. Præcipiti quarto seculo, natam esse tituli significationem, de qua lis est, existimamus. Anteà verò quæ divino cultui consecrabantur ædificia, alias omninò appellationes acceperant. Tertulliano domus Dei, Ecclesiæve vocabantur, non tituli: *Totâ die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum, ab Idolis in Ecclesiam, de adversaria officina in domum Dei venire.* Cypriano Ecclesia *Dominicum* dicitur, non *titulus*. *Locuples & dives, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis.* Optato Ecclesia *memoria* est, non titulus. De Macrobio Donatista *ad Petri memoriam non accedit.* Ambrosio Ecclesiæ scribuntur Basilicæ, non tituli: *Extramurana Basilica, Portiana Basilica.* Ni erret memoria, primus eâ notione tituli vocem adhibuit Innocentius, qui circa annum Dionysianum CCCCII. sedere cœpit. Unde proclive cognitu, non ita pridem hanc invaluisse significationem.

Anno Dom. 111.

Tert. de Idol. c. 6.

Cypr. de Oper. & Eleem. p. 218.

Opt. l. 2.

Ambr. Ep. 33.

Tituli Palatiorum velane fuerint?

IV. Cur verò sacræ ædes Titulorum nomine affectæ sint, in obscuro causa est. A rebus Fiscalibus, acceptam fuisse nomenclaturam, Baronii sententia est: *Tituli namque impositione rem aliquam sibi fiscus solitus erat vindicare.* Quæ Baronii conjectura in medio relinqui potest. Quæ verò subjicit, nostro judicio nunquam censuram effugient. Primum enim *fuisse*, inquit, *hujusmodi titulos, vela quædam, quæ regiam repræsentarent potestatem, multa sunt quæ poterunt demonstrare. . . . Ejusmodi vela cortinas Regias Sanctus Ambrosius nominat.* Longè fallimur opinione, si vera sit Purpurati conjectura, nimirum *titulos* palatiorum *vela* quædam fuisse. Tituli, tabulæ quædam erant ligneæ, aut lapideæ, quibus nomen domini domus inscribebatur. Audiatur Justiniani Novella trigesima: *Σανίδας ἢ ἀναστήσεσθαι, titulos verò prædiis apponere, per Provinciam cui præsidet, continentes certorum hominum appellationem, excepto nomine majestatis Imperatoriæ, aut ærarii in tantum prohibebit, ut patrimonium eorum, qui tale quid perpetrare molientur, in publicum redigat, & manum abscindat eos imponentibus, si præsentes fortè id ausi fuerint. Si verò Procuratores absentium, ingentibus illos tormentis subdet.* Σανίδες non *vela* sunt, sed tabulæ ligneæ. Pharisæi sanè, qui pietatem cumulare suam austeritate vitæ tentabant, tabulas in eum usum parabant, latitudine non amplius dodrantali, in quibus post vesperam jacebant, quæ Epiphanio dicuntur *σανίδες*. Neque mens Justiniani est in obscuro: *Titulos certè quicunque tandem affigere ausi fuerint, sive præsentes, sive absentium Procuratores detractos protinus, ad capita eorum qui affixerunt, infringet.* Vela autem lacerari possunt, ad capita reorum infringi non possunt. Nil *veli* quoque fingendum in decreto Senatus de Domitiano, dum *eradendos ubique titulos* statuit. Ipsi reorum tituli, non panno linteove inscribebantur, sed tabulis. Attalum Martyrem, qui per amphitheatrum circumducebatur, præcedebat *πίναξ tabella*, in qua Latino sermone inscriptum erat: *Hic est Attalus Christianus.* Non apta quidem velorum materia fuit, cui nomen Imperatoris aut ærarii committeretur, servandum à pluviæ, aëris, ac tempestatum injuria.

Bar. an. 112. n. 5.

Error Baronii.

Her. 16. n. 2.

Justin. Novel. 30.

Suet. Domit. c. 23.

Euseb. l. 5. c. 1.

V.

ANNO DOM. III.

Vela Ambrosiana à titulis diversa. Usus velorum in Ecclesiis.

V. Neque Ambrosii ad Marcellam Epistola Baronio in subsidium venit: *Post lectionem atque tractatum, dimissis Cathecumenis, symbolum aliquibus competentibus in Baptisterio tradebam Basilicæ. Illic nunciatum est mihi comperto, quod ad Portianam Basilicam, de Palatio Decanos misissent, & vela suspenderent.* Hic Baronius titulum invenit, quo Basilicam Valentinianus Fisco vindicaret. Fallitur tamen egregiè. Extramutana illa Basilica ab Imperatore posc. batur, non *Fisco*, sed Arianis addicenda, suos ut cœtus in ea agitarent. Neque *regia certina*, quod putat Annalium parens, sunt *tituli* inserendæ, sed *vela*, quorum magnus in Ecclesiis usus fuit. Cùm Valens Imperator in Ecclesiam ingressus, Basilium docentem audivisset: *Basilius intra sacra Vela, ubi ipse residebat, accedere eum jubens, multa ad illum verba fecit, de recta fidei doctrina.* Invenit Epiphanius, velum pendens in foribus Ecclesiæ, tinctum atque depictum, quod cùm Sanctus ille Pater lacerasset, Joanni scripsit Hierosolymitano: *Precor ut jubeas Presbyteros ejusdem loci suscipere velum à latore, quod a nobis missum est.* Veli super januas explicati, meminit Germanus in Theoria. De velis ejusmodi, explicandus Synodi Narbonensis Canon XIII. anno Christi 589. conditus: *Hoc regulariter secundum priorum statuta Canonum finitum est, ut tam Subdiaconus, quàm Ostiarius, & reliqui, servitium Sanctæ Ecclesiæ consuetum, absque ulla desidia impleant, & Senioribus vela ad ostia sublevent. Qui contempserit facere, & adimplere, Subdiaconos verbis corripiendos, & si non emendaverint, stipendio privandos, reliquos flagris coërcendos.* Mysterii causâ suspendebantur vela in Quadragesima: *Quod his diebus velum suspendimus, à lege accepimus, cujus præcepto velum miro opere, & pulchrâ varietate contextum, inter Sanctum & Sanctum Sanctorum Tabernaculi suspendebatur, quo arca à Populo velabatur.* Ceremoniæ rationem aperit Rupertus: *Et quia clausa fuit usque ad Christi adventum, hujus & cæterorum Scriptura Prophetarum, ac sicut tenebrosa aqua in nubibus aeris, ita contenebrabatur occulta scientia in Prophetis, donec agnus Dei solus dignus accipere librum, & solvere signacula ejus, in passione suâ complenda Propheticas aperiret voces. Idcircò ab hac Dominica vela dependent ante Sancta Ecclesiæ altaria, ut populus Sancta Sanctorum non videat, donec in Antepaschali hebdomada depositione velorum, eadem renovetur significatio, quæ facta est per hoc, quod velum Templi scissum est, spiritum tradente Domino.* Triplici quoque velo, Græci sancta dona tegebant. Primum dicitur *δισκοκάλυμμα*, *disci operculum*. Secundo calix tegitur, Tertium velum quod utraque tegit, *aër* vocatur. Germanus in Theoria: *Velum sive aër, est & dicitur esse vice lapidis, quo munivit Joseph monumentum, quod obsignavit tabella custodia.* Duo priora vela unum sunt in Missa Chrysostomi, ut doctissimus observat Morinus, de Sacr. Ordin. *p.* 193. Ex tot historiæ monumentis, & Vetustatis exemplis apertè liquet vela, quæ jubente Valentiniano in Portiana Basilica suspensa sunt, à Fisci titulis quàm longissimè discrepare. Ornamenta erant Ecclesiæ, valvarum vice; & si mysteria adjungi placet, ea significabant quæ descripsimus.

Ambros. Epist. 33.

Theodor. h. l. 4. *c.* 19.

Epiph. t. 2. *p.* 317.

B. P. t. 2. 151.

Gem. Anim. l. 3. *c.* 46.

Rupert. de divin. Off. l. 4. *c.* 9.

Num primis seculis Cruces Templis affixæ?

VI. Quid tituli apponeretur Ecclesiis, Baronius docuit: *Fuisse nimirum apud Christianos titulum, quo domus aliqua cultui manciparetur, vexillum crucis.* Quæ Gretsero aliisque sententia placuit. Imò, si Gretsero fides, *Primi Christiani ad exemplum Jacobi, Ecclesias suas vocarunt Titulos, à titulo, id est, signo crucis, & à titulo, id est, nomine alicujus Sancti.* Acriter pro hac sua opinione Baronius pugnat, autoritate Ignatii, ad Philippenses scribentis: *Princeps autem mundi in hoc gaudet, quando quis crucem negaverit. Interitum enim sibi ipsi esse cognoscit, confessionem crucis. Hoc est enim trophæum contra ejus virtutem, quod videns expavescit, & audiens timet.* Hinc infert illustrissimus Purpuratus: *Quid est quod ait Ignatius, Diabolus ubi viderit horret, nisi quod tunc crucis vexilla erigi solita esse significat?* Ignatii tamen autoritas omitti debuit, cujus non est ad Philippenses Epistola, utpote Antiquis omnibus incognita. Neque etiam aliquid est eo in testimonio momenti. Trophæum indicat Pseudo-Ignatius, quòd *Dæmon audiens timet.* Atqui lignum, ferrumve crucis figuram exprimens, non in aures incurrit, aut Christianorum vel triumphus est, vel trophæum, contra adversarii tanti potentiam. Crucis in confessione id trophæi collocat Epistola; hoc est, mortis quam obiit Christus ex infelici arbore pendens; quam Basilidiani, monstraque ejusmodi, vim inficiabantur. Hanc Christi crucem vident in Sacramentis, in mysteriis, in Evangelio, in vita integra, scelerisque puta, quæ ansam dicendi præbet: *Unà cum Christo crucifixus sum.* Flectere cùm Superos non potuerit Baronius, Acheronta movet, ad probandum, Apostolorum ævo jam cruces extitisse, quæ titulorum officio fungerentur. Apud Lucianum Eucrates talia refert, dum Ionis cujusdam, qui sæpius in Dæmones inciderat, mentionem facit: *Millies jam talia conspexi, ac primum quidem turbabar ad ea. Jam verò ob consuetudinem nihil novum aut prodigiosum mihi videre videor, maxime qui nunc ex quo annulum mihi Arabs dedit ex ferro de cruce quâpiam sumpto, factum, carmenque docuit multis nominibus plenum.* Mirâ subtilitate signa crucis, hoc ex Eucratis sermone Baronius extundit: *Ut enim Judæi Exorcistæ, licet in Christum non crederent, tamen quòd scirent à Paulo in nomine Jesu pelli Dæmones, & ipsi eodem nomine ad dimovendos eos ab obsessis hominibus utebantur, ita & Magi, quòd à Christianis feliciter factitari conspicerent, nimirum crucis virtute eos Dæmonibus imperasse, & ipsi ad coërcendos, cùm opus esset, impetus Dæmonum signo crucis usi fuerint.* Delirat tamen id acuminis. Primùm non in eo quæstionis cardo vertitur, utrùm signum crucis, quod in fronte manu pingebatur, fuerit in usu Veteribus. De cruce *permanente*, quærimus nùm primo, secundo, tertiove seculo, Ecclesiis imposita sit? Deinde de signo crucis *transeunte*, ne verbum quidem in Luciano, cui ceremoniæ, omnium irrisor Religionum Lucianus, non magis pepercisset, quàm baptismo, qui homini prophano movit jocos. Ut vel ex Luciani silentio liqueat, signum crucis expressum manu, nondum fuisse à Christianis usurpatum, etsi multâ antiquitate superet consuetudinem figendi cruces. Neque sacram Eucrates crucem, cui Christus suffixus est, sibi induxit in animum, quod tamen Cardinalis Bona opinatur. Profanam indicat, nefariique sanguine respersam, cui sanè nil est in Diabolos virium. Ex sacra cruce annuli quidem fabricari à

Bar. an. 152. *n.* 6.

ANNO DOM. IIS.

Gretf. l. 2. *de Cruc. c.* 7.

Ignat. ad Philip.

Bar. an. 60. *n.* 6.

Lucian. Philopseud.

Bar. an. 60. *n.* 8.

à Christianis non poterant ævo Luciani, cùm tellure rudenbusque obruta jacuerit, ad Constantini usque tempora.

Trecentis amplius annis nullæ cruces in Ecclesiis.

Constit. Theodos. l. 16. tit. 10. 196.

VII. Faciles quidem largimur, Theodosii temporibus, Ecclesiis cruces affixas fuisse. De Templis Ethnicorum Legem tulit ejusmodi anno 426. se 12. & Valentino 4. Coss. *Cunctaque eorum fana, Templa, Delubra, si qua etiam nunc restant integra, præcepto Magistratuum destrui, conlocationeque venerandæ Christianæ Religionis signi, expiari præcipimus.* Verbum *destrui* significat suâ superstitione spoliari, ut amissâ priore naturâ & usu, novam veluti essentiam Templi acciperent. Nonnunquam à fundamentis convellebantur, sæpenumerò in Ecclesias mutabantur. Anno CCCLXIX. in Chronico Alex. legitur: *Templum Heliopolitanum Balanii, ingens illud & celebratissimum, triplicique lapide constructum Christianorum usui assignavit.* Ac seculo v. jam in usu fuisse, ut imposito crucis signo, fana numinum expiarentur, laudata lex testatum facit. Sed & in Novella Justiniani v. c. 1. de monasteriis præcipitur, ut Episcopus, *Per orationem locum consecret Deo, figens in eo salutis nostræ signum, dicimus autem adorandam & honorandam verè crucem.* Verùm secundi mores seculi ex quinti consuetudinibus Baronius perperàm existimat. Trecentis amplius annis, *nullæ cruces erectæ in titulum*, consecrandis Ecclesiis. Testis Tertullianus: *Sed & qui cruces nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cùm lignum propitiatur.*

Tertul. Apol. c. 16.

Quæ ridendo, Tertullianus scripto mandavit. *Hæc*, inquit, *ex abundanti, ne quid rumoris irrepercussum quasi de conscientia præterissemus. Quæ omnia conversi, jam ad demonstrationem Religionis nostræ repurgavimus.* Si Tertulliani ævo, & in titulum erectæ, & honore affectæ cruces fuissent, quâ fronte dissipati rumoris mentionem injecisset Tertullianus? Quid hac in fama *repurgandum?* Religionem de calumnia purgare debuit, de re certa non debuit. De crucibus Minutius Felix ostendat & Ecclesiæ sententiam: *Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos planè qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum vestrorum partes forsitan adoratis.* Quæ à Christianorum patrono scribi non potuere, si in urbis Ecclesiis jam cruces erigebantur: Quo casu & colebantur à fidelibus, & optabantur, veluti Religionis documentum, pietatisque monumentum. Dum Paschatis mysteria explanat Lactantius, signum sanguinis, quo Hebræi mortem effugerunt, cum signo crucis impresso fronti componit: *Agnus*, inquit, *candidus sine macula Christus fuit, id est, innocens, & justus, & sanctus, qui ab iisdem Judæis immolatus, saluti est omnibus, qui signum sanguinis, id est, crucis, qua sanguinem fudit, in sua fronte conscripserint.*

Oct. M. F. p. 24.

Lact. l. 4. c. 26.

Quòd si cruces Ecclesiis infixas novisset Lactantius, domorum limina Paschatis cruore respersa, cum Templis Christianorum comparasset, ut domus domui, signum permanens, notæ stabili, vis sanguinis vastatorem Angelum depellentis, crucium efficaciæ, quâ Dæmones fugantur, aptius responderet. Nil quidem rationis afferri potest, cur Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, qui signi crucis quod transibat, frequentissimè meminerint, permanentium verò crucium, ne verbulum quidem habuerint, nisi quia non ut signum crucis impressum fronti, sic mos erigendarum crucium materialium adhùc invaluerat. Nec silentio prætereundum factum Constantini Magni, qui inaurati lacunaris in medio, *Signum Dominicæ passionis ex auro lapidibusque pretiosis elaboratum, infixerat.* Quantò minus Constantini Religio, cruces in Templis quæ statuebat, defigentis, oblivione conteri debuit? Quid multa? Ab Helena, à Constantino, à Paulino extructæ sunt Ecclesiæ. Tyriensis Templi vestibulum, columnas, fontes, januas, sedilia, accuratè descripta legimus apud Eusebium. Cui verò simile fiet, cruces omissas fuisse, si erecto hoc vexillo, ea ædificia Religioni consecrabantur. Post Constantinum ergo appositæ sunt cruces in Templis, quæ labentibus annis Episcoporum manu collocatæ. Qua de re, in Regum Galliæ decretis, hoc extat Capitularium: *Nemo Ecclesiam ædificet antequam civitatis Episcopus veniat, & ibidem crucem figat publicè.*

Euseb. Vit. Const. l. 3. c. 49.

Capit. l. 5. 382.

Cur Ecclesiæ dictæ tituli?

VIII. Quænam igitur causa fuit, cur Ecclesiis *Tituli* vocabulum imponeretur? Plures quidem afferri possunt, à probabilitate haud alienæ. Potentum palatiis tituli inscribebantur. Hinc Augustinus: *Ne domum*, inquit, *invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces: ipse vult esse possessor, & frontem Domus suæ de titulo alieno munit, ut cùm titulus fuerit lectus, conterritus quis potentiâ nominis abstineat ab invasione.* Potuerunt igitur Ecclesiæ Sanctorum inscribi nomine, quorum memoriæ consecrabantur. Verba hæc sunt Augustini: *Nos autem Martyribus nostris, non Templa, sicut Diis; sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.* Ille ipse Augustinus meminit memoriæ Martyrum, Gervasii & Protasii. Quem etiam titulum prætulisse, credibile est. Præterea monumenta pietatis, Vulgatæ Editionis autori, tituli scribuntur. Hoc in mandatis dedit Deus מצבה *non erigetis*, quod Græci verterant στήλην, Latinus verò Interpres *titulos* reddidit. Monumentum quoque lapideum, quod statuerat Jacob, *effuso oleo*, dicitur & *titulus.* Quid ni Ecclesiæ eam & sortiri appellationem potuere, utpote quæ consecratæ sint colendo Deo, adhibito etiam oleo. Quibus & tertia accedat ratio, quòd Ecclesiæ donationibus ditescebant, alendis Clericis, quæ titulis continebantur. Hinc Concilium Bracarense tertium, anno Christi DLXXXI. celebratum hæc sancit Can. 3. *Hoc unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam aut Basilicam, nisi anteà dotem Basilicæ, & obsequium ipsius, per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata ita consecretur Ecclesia.* Eò spectat Gregorii Epistola: *Cognovimus Joannem quondam Presbyterum Sanctæ Romanæ, cui Deo autore præsidemus, Ecclesiæ, in domo Juris sui posita, in hac urbe Roma, juxta thermas Agrippinas, oratorium construxisse, ibique quosdam reditus legati titulo, per testamenti sui seriem reliquisse.*

August. in Psalm. 21. Exposit. 2. Videatur & Psalm. LV. tract. 7.

August. de Civit. l. 22. c. 10.

Levit. 26. 1.

Gregor. l. 5. Epist. 44.

Mors Suræ.

Dio l. 68. 777.

IX. Hoc anno Suram excessisse, Trajano amicissimum, vero propius est. Defunctum Princeps affecit publicâ sepulturâ, eique statuam collocari jussit. Tum Trajani familiaritas crevit Adriano: *Causa præcipuè orationum, quas pro Imperatore dictavit, in ea re usus Plotinæ favore.* Quem Spartiani locum, qui in vulgatis editionibus est obscurissimus, feliciter restituit Salmasius.

ANNO DOM. 112.

ANNO U.C. 865. PER. JUL. 4825. JUL. 157. DOM. 112. TRAJANI 15. *Sel.* 9. D. C. *Lun.* 18. *Indict.* 10. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 4. 5. *P.* 4. *Apr.*

COSS. Trajanus VI. & T. Sextius Africanus.

Perperàm eruditi scribunt nonnulli C. Julium Africanum. *Ex Phlegonte scimus Consulum alterum vocatum esse Titum Sextium. Quibus Coss. & Adrianus Athenis Archon factus, & Romæ mulier monstrum bicepi peperit.*

Forum columnaque Trajani dedicatur.

I. TRajanus Sosio, Palmæ, & Celso statuas posuit, quos viros habuit in honore præ cæteris omnibus. In eos verò qui contra se conjuraverant, in quibus fuit Crassus, re ad Senatum delatâ animadvertit. Bibliothecas extruxit, ac in foro suo, columnam maximam dedicare voluit, partim sepeliendi sui causâ, partim ut opus quod ipse circa forum fecerat, posteria ostenderet. Nam eum locum montosum, quanta est altitudo columnæ persodit, forumque eo pacto complanavit. Quod opus Imperatori Constantio admirationem movit: *Verùm cùm ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam numinum assensione mirabilem hærebat attonitus, per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu ineffabiles, nec rursus mortalibus appetendos.* Anno sequente columna posita est. Anno Christi CIV. *cœptam, post septennium absolutam*, tradit Baronius, anno CVI. Quæ Chronologia cùm ex Dione, tum ex nummis refellitur. Sextum Trajanus Consulatum agebat, cùm columna dedicata est, vel eo nummo teste, quem Baronius exhibuit. Super columnæ verticem, Sixtus V. ingentem Apostoli Petri statuam æneam inauratam collocavit.

Dio l. 68. 778.

Ammian. l. 16. c. 10.

Expeditio Parthica Trajani.

II. Post hæc, bellum Trajanus intulit Armenis & Parthis. Cujus belli hanc dicebat esse causam, quòd Rex Armeniæ, non à se, sed à Rege Parthorum diadema accepisset. Exedari enim regnum abdicaverat Osroea, eo prætextu, quòd nec erga Romanos, nec erga Parthos ex officio se gerebat. Reverà tamen gloriæ adductus cupiditate Trajanus, bellum suscepit. Institutâ contra Parthos expeditione, Athenas venit. Hic Adrianus, qui Plorinæ favore legatus expeditionis Parthicæ creatus fuerat, ab Atheniensibus Archon factus est. Dum in ea urbe moratur Trajanus, Legati Chosroïs Parthorum Regis eum conveniunt, pacem petentes & munera afferentes. Petebant & Osroïs nomine, Armeniam pro Parthamisiride, Pacori quoque filio. Quantum conjecturâ possumus assequi, is est Pacorus qui cum Decebalo amicitiâ conjungebatur. Cui Pacoro, filius Parthamisiridis, qui & Chosroï videtur frater fuisse. Turbat tamen Dio, cui Parthamisiridis Chosroïs est ἀδελφιδοῦς, *nepos ex fratre.* Ex Plinio tamen conjecturam ducimus, legendum esse ἀδελφὸν, *fratrem*, quia, teste etiam Dione, Pacoro filius erat Parthamisiridis. Trajanus verò nec accepit munera, nec aliud respondit vel rescripsit, extra hoc solum: *Amicitiam factis, non verbis probandam.* Ideòque se postquam in Syriam venisset, facturum omnia, quæ fieri par esset. Cùm in hac stetisset sententia, Asiam, Ciliciamque finitimis cum Provinciis peragravit, ac in Seleuciam venit.

Dio l. 68. 779.

Dio l. 68. 778.

Una Trajani expeditio Parthica.

III. Tot tantisque corroborata argumentis, Trajani in Orientem profectio anno Christi CVI. affigi nequit. Geminatam fuisse expeditionem, nonnulli suspicantur, quorum unum fundamentum in Actis Ignatianis jactum. Plures tamen Trajani in Orientem profectiones non sunt fingendæ, repugnantibus Historicis. Unam Trajani expeditionem novit Dio, ingenti laudum cupidine susceptam post dedicatum forum. Unam scit & Spartianus, in qua Adrianus Trajani Legatus destinatus est. Quòd si bis bellum Parthis intulisset Trajanus, in utraque expeditione comitem ipsi sese addidisset Adrianus, quod & à Spartiano fuisset indicatum. Neque prætextus quidem belli Parthici hic Trajano fuisset: Quòd *Rex Armeniorum non à se, sed à Rege Parthorum, diadema accepisset*, si jam in Orientem movisset. Tunc enim Armeniæ Principi coronam imposuisset. Quin etiam non Orosio, non Joanni Malelæ, de gemino bello à Trajano Parthis illato vel minimum suboluit. Quibus accedit, ut nummorum peritis observatur, Parthici titulum inditum Trajano non fuisse, nisi post sextum Consulatum ejus: omnesque inscriptiones, anno Christi CXII. anteriores, in quibus legitur *Parthicus*, pro falsis esse habendas. Incredibile profectò est, duodecim annos continuos Trajanum abfuisse Româ. Itaque aut urbe non profectus est anno CVI. aut in urbem rediit ante annum CXII. quod purum putum est animi figmentum, nullo historiæ patrocinio defensum. Observabilia sunt verba Dionis: Trajanus *Nisibi, Batnisque captis, Parthicus cognominatus est.* Quæ civitates non venerunt Trajani in potestatem, ante annum Dom. CXIV. Sit ergo procul à nobis, geminata hæc Parthica Trajani expeditio eo tantum nomine excogitata, ut Actis Ignatii sit aliquid subsidii. Quam tamen ne vel primis lineis designant. Ex dictis apparet atque extat, in maximo errore, summaque temporum Trajaneæ expeditionis ignorantia versari Baronium, qui eam profectionem anno Christi centesimo quarto illigavit.

Dio l. 68. 781.

De subditis imperante Trajano Martyribus.

IV. Annum centesimum sextum multo Christianorum sanguine infecit Trajani persecutio, si Baronio fides: *Constat*, inquit, *Ecclesiam Edessenam Trajani persecutione diu vexatam.* Periit *Barsimaus* Episcopus hujus urbis. Illustre fuit & martyrium *Sarbelis*, & *Barbea* sororis ejus. Anno sequente inventos in exercitu undecim mille Christianos in Armeniam Trajanus relegavit. Romulus Imperatoris domui præpositus, *capite truncatus est.* Eodem quoque tempore passum putat Hiacynthum Trajano à cubiculis. Trajani profectione anno suo vindicata, fabulosa hæc esse martyria deprehendimus. Anno Christi CV. & sequente Trajanus, qui bello Dacico detinebatur, in urbe Edessena Barsimæum Episcopum mittere morti non potuit, neque Babylone occupatâ, post lustratum exercitum, militum undecim millia relegare in Armeniam, quia sacra Diis facere recusaverant. Nos commentis ejusmodi liberandam esse censemus historiam, cui tot ex fictis Martyribus non minimum turpitudinis inuritur. In Bithynia pacem Christianis fuisse, quam Plinius disturbavit, discimus ex ejus ad Trajanum Epistola: *Certè satis constat propè jam desolata Templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc raris-*

Baron. an. 108.

Anno Dom. 113.

rarissimus emptor inveniebatur. Huic sanè desolationi Templorum cruenta persecutio remedium attulisset, nec Plinius expectandus ut solemnia *diu intermissa* repeterentur.

Anno U. C. 866. Olymp. 223. Per. Jul. 4826. Jul. 158. Dom. 113. Trajani 16. *Sol.* 10. B. *Lun.* 19. *Indict.* 11. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 6. *P.* 24. *Apr.*

Coss. *L. Publius Celsus II. & C. Clodius Crispinus.*

Columna Trajani erigitur.

I. ERecta in foro Trajani columna consecravit amplissimo monumento memoriam nominis ejus. Columnæ altitudo pedum est CXLIV. docente Eutropio. Inscribitur in basi: *Senatus. Populusque. Romanus. Imp. Cæsari. Divi. Nervæ. F. Nervæ. Trajano. Aug. Germ. Dacicu. Pontif. Maximo. Trib. Pot. XVII. Imper. VI. Cos. VI. P. P. ad. declarandum. quantæ. altitudinis. mons. et. locus.* Si antehac Parthis bellum intulisset Trajanus, insignis ille pulcherque titulus *Parthicus* additus columnæ fuisset. Jacobus Capellus columnam anno Christi CXIV. erectam esse statuit.

Acta Trajani.

II. Antiochiam ut venit Trajanus, Abgarus Osdroënus ei quidem non occurrit, munera tamen & Legatos cum mandatis ab amicitia non alienis misit, is enim Trajanum & Parthos metuens, utrique parti studebat, ac propterea cum Trajano congredi noluit. Egressus Antiochiâ Trajanus, ad hostium fines pervenit. Tum Satrapæ qui regionem tenebant, Regesque cum magnis muneribus ei processerunt obviam: in primisque adduxerunt equum, doctum ita hominem venerari, ut flecteret anteriora genua, & cervicem pedibus ejus qui propè adesset, submitteret. Trajanus cœpit cuncta, nullo facto prœlio. Dio l. 68. 779.

Trajanus conditor orbis vocatur à Lyttiis.

III. Novo Trajanus titulo à Lyttiis ornatus est:

Imperatori Cæsari, Divi Nervæ filio, Nervæ Trajano Augusto, Pontifici Max. Tribunitia Pot. XVII. Consuli VI. Patri patriæ, Orbis Conditori, Lyttiorum civitas, per Protocosmum M. Pompejum Climenidæ F.

Quam Grutterus inscriptionem Græcè exhibuit, non sine errore tamen, utpote qui habeat ὑπατῷ τὸ Γ. cùm scribendum sit ς. Consulatus enim Trajani tertius cum Potestate Tribunitia XVII. copulari non potest. *Lyctus* autem, docente Stephano, *Urbs Cretæ, à Lycto Lycaonis filio sic dicta. Hanc quidam Lyttum appellant, quia excelso loco sita est: quod enim sublime est & altum, lyttum vocant.* Ejus quoque urbis meminit Strabo l. x. Cnossi dignitas, inquit, *ad Gortinam Lyctumque translata pervenit.* Urbs antiqua fuit, cujus mentionem Homerus facit.

Anno Dom. 114.

Anno U. C. 867. Per. Jul. 4827. Jul. 159. Dom. 114. Trajani 17. *Sol.* 11. A. *Lun.* 1. *Indict.* 12. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 7. *P.* 9. *Apr.*

Coss. *Nonius Hasta & P. Manilius Vopiscus.*

Trajanus Armeniam negat Parthamisiridi.

I. PArthamisiris viribus Trajano impar, benevolentiam ejus experiri statuit. Primùm ergo Trajano scripsit tanquam Rex, & quia nihil rescriptum erat, alias denuò literas dedit omisso nomine regio, Marcumque Junium Cappadociæ Præsidem ad se mitti postulavit, velut aliquid per eum petiturus. Trajanus Junii filio ad eum ire jusso, Samosatâ progressus ipse, citra pugnam oppido potitus est. Inde Sata pervenit & Anchialum, ad oppidum autem Armeniæ Elegiam Parthamisiridi copiam adeundi sui fecit. Intra munitionem castrorum ipse pro tribunali consederat. Parthamisiris eo salutato, diadema capiti detraxit, eoque ad Trajani pedes posito, tacitus adstitit, dum id sibi redderetur expectans. Quo facto, milites sublatâ voce Trajanum Imperatorem salutarunt, quasi victoriam retulisset. Quam & *incruentam* vocaverunt, quòd Regem Arsacidem Pacori filium, astantem Trajano sine diademate, veluti captivum cernerent. Perterritus Parthamisiris, fugam inire voluit. Ubi verò circundatum se militibus conspexit, deprecatus est, ne quid in turba dicere cogeretur. Deductus in Trajani tentorium nihil eorum, quæ volebat, impetravit. Exeunte verò præ iracundia, etiam è mediis castris accersitum Trajanus revocat. Iterumque conscenso tribunali, quæcunque volebat, audientibus universis ei dici jussit, ne qui rerum nescii diversa quædam spargerent. Tum Parthamisiris se continere amplius non potuit, sed magnâ libertate dixit, Quòd nec victus, nec bello captus, sed sponte suâ venisset, certus quòd nil sibi inferretur injuriæ, & regnum perinde consequeretur, ac à Nerone Tiridates impetrarat. Querenti Trajanus respondit, Armeniam se nemini relicturum, quòd ea juris Romani esset: ipsi tamen potestatem quò vellet abeundi facturum. Parthis dimissis, omnes Armenios quotquot cum ipso venerant, totâ regione, jam veluti ditioni suæ subditos, remanere jussit. Dio l. 68. 779. Cosroï Parthamisirim ἀδελφιδοῦν, *ex fratre pregnatum* fuisse, legimus apud Dionem, quod veri similitudine caret. Rex Parthorum erat Pacorus, genitor Parthamisiridis, qui patris sui regno successisset, ni à fratre majore natu exclusus fuisset. Pacoro igitur & ortum esse Chosroëm, mutandumque vocem ἀδελφιδοῦν, in ἄδελφον, fit vero proximum. Ac ut olim Vologesus Tiridati, sic Parthamisiridi Chosroës Armeniam cupiebat.

Abgarus Trajano supplicat. Acta Trajani.

II. Relicto in Armenia præsidio, Trajanus venit Edessam, ibique primùm Abgarum vidit, qui consilio Arbandis filii sui usus, adventanti profectus est obviam, cùmque sese purgasset, Imperatori veniam consecutus est. Pan filius splendidæ supplicationis instar aderat. Abgarus quidem inde Trajani amicitiam metuit, eique tunc epulum præbuit, in quo filium barbaro quodam more saltantem produxit. Dio l. 68. 780. Porrò Abgarus communis Edessenorum Regum appellatio fuit. Hoc tamen & nominis gessit Rex Persarum. De Severo Spartianus c. 18. *Persarum Regem Abgarum subegit.* Ex Mesopotamiæ Edessa profectus Trajanus in Adiabenem, ad Manum, Manisarumque deflexit. Operaque Lusii Quieti, Singara aliaque oppida citra pugnam ullam in potestatem redegit. Ut autem exemplo esset militibus, animumque adderet, pedibus iter semper faciebat cum exercitu, fluminaque transibat. Nonnunquam falsos nuntios, aliaque speculatoribus usitata fingebat, ut milites ordinibus servandis, sese exercerent, & ad omnia parati atque intrepidi essent. Nisibi Batnisque captis, Parthicus cognominatur atque optimus, sed optimi nomine multò magis quàm cæteris omnibus delectabatur, quod bonæ indolis, suaviumque morum erat indicium. Dio l. 68. 781.

Anno

ANNO DOM. 115.

ANNO U. C. 868. PER. JUL. 4828. JUL. 160. DOM. 115. TRAJANI 18. *Sol.* 12. G. *Lun.* 2. *Indict.* 13. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 1. P. 1. *Apr.*

COSS. *L. Vipstanus Messala, & M. Vergilianus Pedo.*

De Consulum hujus anni nominibus.

I. DE nominibus Consulum, qui annum aperuere, controversia est inter eruditos. Quippe Onuphrio, Calvisio, Capello vocantur M. Valerius Messala, & Caius Popilius Pedo. Quam Pagius sententiam amplexus est in Dissertatione hypathica p. 208. Ab ea tamen meritò discessit in sua *Critica*. Etenim Baronius inscriptionem exhibet ejusmodi:

D. Junius Catus coopt.

L. Vipstano Messala, M. Pedone Vergiliano Coss.,

P. R. C. anno DCCCLXVII.

Annus quidem Varronianus fuit DCCCLXVIII. sed vel Catonianis usus est anois inscriptionis autor, vel illos à Palilibus numeravit, quibus fundamenta posita sunt à Romulo XI. Kalend. Maji, ut tunc annus habebatur: quo casu ad usque vigesimum Aprilis annus Urbis DCCCLXVII. erat in cursu. Similem Fabretius inscriptionem exhibet: *Idibus Januariis L. Vipstano Messalâ, & M. Pedone Coss.*

Terræ motus Antiochiam vastat.

II. Dum Trajanus relictâ Mesopotamiâ, Antiochiæ hyemem peragit, ingenti terræ motu urbs ea concutitur. Terræ motum multa præcessere fulmina, ventique vehementes & insolentes. Deinde subitò mugitus terræ ingens editur, inde secuta succussio violentissima, quâ partim tellus ipsa tota sursum jactabatur, partim ædificia subsultabant, quorum quædam in altum elata, denuò collabentia diruebantur. Corasius mons ita concussus est, ut ejus cacumina subsidere, & conquassari, atque in ipsam cadere civitatem viderentur. Subsedere præterea alii montes, & aquæ copiosæ, ubi antea nusquam fuerant, extiterunt, contrà nonnullæ ubi fluxerant, defecere. Tantus verò pulvis excitatus fuit, ut non videre, non alloqui, non audire quenquam per eum liceret. Multi mortales etiam extra ædes afflicti fuere, quòd sursum agitati jactatique, tandem velut ex præcipitio delati colliderentur. Alii cadentibus ædificiis opprimebantur, alii fame necabantur dum in vacuis locis servarentur. Pedo Consul subitò extinctus est. Trajanus per fenestram effugit, sotas eductus à viro quodam plusquam humanæ magnitudinis, ita quidem ut parum pervulneraretur. Hac in Antiochena clade, orbis terrarum Romano subditus imperio, accepit detrimentum. Cùm enim illic hyemaret Trajanus, magnus militum, privatorum, litigantium, Legatorum, vel negotiationis, vel spectaculorum causa undique convenerat. Ubi cessavit calamitas, homo fuit qui ruinas audacter conscenderet, ac postquam vocem mulieris intellexit, quæ & sese, & puerum lacte suo sustentabat, loco perfosso utrumque incolumem servavit. Quo facto, indagare cœperunt cætera, neminem tamen amplius vivum invenire potuerunt præter puerum alterum, qui matris mortuæ ubera sugebat. His perterritus Trajanus, sub dio vitam agebat in circo, etsi per multos dies terræ motus quievisset.

Dio l. 68. 781.

Januario Decembrine terræ motus ortus est?

III. Quin anno currente Antiochia eâ clade vastata sit, haud ponendum in dubio: argumentoque est mors Pedonis, qui Consulem agens, hâc ruinâ opprimitur. Communi quidem Chronologorum consensu, Evagrii nunc error exploditur, qui terræ motum sub Trajano accidisse tradit, *Anno* CLIX. *ex quo civitas libera, & sui juris fuerat appellata.* Hic est, in annum Christi CXI. qui quadriennii prochronismus est: Scribi debuit, *anno* CLXIII. At magnæ molis opus est, definire Januarione vel Decembri, Antiochenæ civitati ea calamitas inciderit, cùm utrique sententiæ sint & argumenta valida, & consensus eruditorum. Ulterius, Loydius, Pagius Decembri contigisse cladem statuunt, autoritate Malelæ: *Divino Trajano imperante, tertiam suam calamitatem passa est magna Antiochia ad Daphnen posita, mense Apellao, sive Decembri, die* XIII. *feria primâ post gallicinium, anno Æra Antiochena* CLXIV. Præterea Græca Scaligeri collectanea, ad annum tertium Olympiadis 223. hæc habent: *Trajano apud Antiochiam, hyemem peragente, factus est terra motus insolitus, quo alia urbes laborarunt, sed Antiochia præcipuè vexata est.* Jam verò si terræ motus Januario contigit, in secundam sanè Olympiadem incidisset, quæ ad Julium usque cucurrit. Ut ergo tertiæ Olympiadi affigatur, eâ hyeme, quæ præsentis anni est, in Decembrem conferri debuit. 3°. Pedoni Consuli vi terræ motus absumpta letho anima fuit. Per priorem verò bimestrem, quo Consulatum ordinarium gessit, Romæ versabatur, non Antiochiæ.

Evagr. l. 2. c. 12.

Malela Chron.

Collect. p. 341.

Januario potius ascribendus Terræ motus Antiochenus.

IV. Ex altera parte gravissimis argumentis colligitur, motum Januario illigandum esse. Primùm enim Pedo disertè vocatur ὕπατος, *Consul*, documento eum nondum abiisse Magistratu. Deinde nobiliores Trajani de Parthis victoriæ annum Christi CXVI. illustrarunt. Si Decembri Antiochia concussa est, capta Babylon, atque Ctesiphon, adactæ forent Romano jugo Arbela atque Gangamela, quippe asserte traditur à Dione: *Ineunte vere Trajanus in hostilem terram ingreditur.* Ver autem quod Decembrem anni CXV. excipit, ad CXVI. utique pertinet. Clarissimæ igitur Trajani illæ victoriæ, quæ terræ motum Antiochenum excepere, anno sunt CXV. affigendæ. Neque mense Decembri hujus anni Trajanus apud Antiochiam morabatur. Redeunte vere Tigri superato, Regias Assyriæ urbes occupat, captâque Messanâ Tigridis Insulâ, in qua Athambilus regnabat, *In iis locis propter vim hyemis, & rapidum Tigrim, æstumque maris in magnum periculum venit.* Ex serie rerum longè congruentius est, hyemem intelligi, quæ labentis anni Decembrem affecit, quo tempore quàm longissimè aberat Antiochiâ. Neque rationes, quibus *Decembri* Antiochenus terræ motus vindicatur, tanti sunt, ut solvi non possint. Pertenuis est *Malela* autoritas, quòd res antiquas attinet. Anno quidem Dionysiano CXV. dies Decembris XIII. feriæ *primæ* non cohærebat, sed quintæ. Error tamen à librariis oriri potuit, facili numerorum permutatione, ut scriptum Malelæ fuerit, Decembris κγ. XXIII. quod in ιγ. XIII. degeneravit. Quod verò habet de *gallicinio*, post quod terræ motus incepit, in futilissimo autore omnis penè antiquitatis hospite, figmenti potius quàm veri indicium est, ut obscurâ duntaxat traditione, non Veterum testimoniis innixus, quæ de tempore cladis Antiochenæ refert, scripto mandasse videatur. Vix quidem ipsius Chronologiæ, de mense

Dio l. 68. 784.

ANNO DOM. 115.

mense motus hujus, fides tuto committi potest, cum tot absurdis scateat ejus narratio, de motu telluris Antiocheno imperante Leone I. à quo tamen solo CXLIII. annorum spatio aberat cùm Chronicum vulgavit: *Divina ira vicissitudinem quartam passa est Antiochia magna, Septembr. XIII. die Dominicâ illucescente, anno Æræ Antiochenæ DVI. sub Consulatu Patricii.* Atqui Patricius annum Dionys. CCCCLIX. aperuit, in quem motus ille non incidit, neque superiore anno, cui telluris motus ille cohæsit, Septembris XIII. ad diem Dominicam pertinebat. Cyclus Solis erat 19. E E. Itaque Septembris XIII. feriæ VII. dicabatur. Neque fingendum animo, Pedonem amplissimum iniisse magistratum in civitate Romana. Consulem egit dum Trajano comes fuit. Xiphilinus quidem ex Dione docet agente Trajano apud Antiochiam, litium fuisse multitudinem, quibus componendis præsentia Consulis auxilio fuit.

Trajani facinora apud Assyriam.

V. Ineunte vere, Trajanus hostilem terram ingreditur. Regio quæ ad Tigrim spectabat, materiam fabricandis navibus aptam non ferebat, igitur navigia, quæ in sylvis apud Nisibim fecerat, plaustris in flumen convehi jussit. Erant ita comparata, ut dissolvi conjungique possent. Junctis navibus, non sine molestia ad montem Cardynum pervenit. Nam Trajano tanta erat navium copia, tantaque multitudo militum, ut aliæ celerrimè conjungerentur, aliæ pleræ gravis armaturæ militibus, atque sagittariis, vim hostium antè prohiberent, aliæ hinc & illinc periculum facerent, quasi transituræ essent. Quibus territi Barbari, dum terga dant, Romani flumine superato Adiabenem omnem Assyriæ partem, Gaugamelam, Arbelam, ubi victus ab Alexandro Darius, in suam potestatem redigunt. Cùm in Babyloniam regionem usque venisset Trajanus, vidit lacum bituminis, ex quo Babylonis mœnia ædificata fuerant. Cujus tanta vis est, ut permixtum cum lapillis aut lateribus quovis saxo sit, aut ferro potentius. Ostium quoque ejusdem spectavit, unde tam gravis halitus sursum manat, ut cum nulla animalia terrestria, nullæ volucres perferant, ejusque solo olfactu intereant. Constituerat Trajanus, Euphratem factâ fossâ in Tigrim derivare, ut per eam naves ad pontem faciendum duceret. Sed ubi eum altiorem Tigri intellexit, mutavit consilium, veritus ne si id faceret, Euphrates navigari non posset, impetuosiore amnis fluxu, in partem declivem tendente. Navibus itaque per pulvinos transportatis, per interjectum utrique flumini spatium, quod perexiguum est, Tigrim trajicit. Narratio hæc Dionis aliquantum obscuritatis assumit. Quippe Gaugamela Arbelaque trans Tigrim sitæ, unde via brevior expeditiorque est ad Ctesiphontem. Quin etiam ex Assyria in Babyloniam redire Trajanus non potuit, nisi rursus superato Tigri, ut ad Euphratem perveniret, unde rursus Tigrim repetere debuit, ut Ctesiphontis potiretur. Utut res sese habeat, fossile flumen Naharmalca vocatur. De quo Marcellinus l. XXIV. c. 6. *Ventum est hinc ad fossile flumen, Naharmalca nomine, quod amnis Regum interpretatur. Id antehac Trajanus, posteaque Severus, egesta solo, fodiri in modum canalis amplissimi, studio curaverat summa.* Perperàm tamen Chaldæa vox reddita est, cùm *Malcha* singularis sit, non pluralis, Chaldaicè Rex dicitur מלכא quæ vox legitur Danielis II.

Dio l. 68. 783.

v. 10. & 11. cujus pluralis מלכין vel מלכיא, itaque Naharmalca *flumen Regis* significat, ut habet Zozimus; *βασίλειον ποταμὸν, Regis amnis.* Straboni quoque dicitur *βασίλειος, regius.*

ANNO DOM. 115.

Zozim. l. 3. 298.

Ctesiphontem expugnat Trajanus.

VI. Trajecto amne, Ctesiphontem Trajanus aggreditur. Eâque captâ, Imperator appellatur confirmato Parthici cognomine. Multa ei decrevit Senatus, sed in primis ut triumphos festosque dies ageret, quàm plurimos vellet. Egregii gloriam facinoris amplificavit capta Chosroïs filia, Sellaque aurea, cui insidebant Parthorum Reges. Filiam reddidit Adrianus, non thronum, quem se redditurum promiserat. Ad hunc & annum pertinere ea videntur, quæ paucis Rufi Festi Breviarium complectitur: *Cholcas in fidem Romanæ ditionis recepit. Osroenorum loca, & Arabum occupavit. Cardenos Marcomedos obtinuit. Antemusium optimam Persidis regionem, Seleuciam, Ctesiphontem & Babyloniam accepit. Provincias fecit Mesopotamiam, Assyriam.*

Persecutio commotane sit à Trajano consistente apud Antiochiam?

VII. Dum Trajanus consistit Antiochiæ, gravissimam in Christianos persecutionem motam esse Antiquorum recentiorumque multi statuunt. Tum captus dicitur Sanctus Ignatius, cujus mortem anno Christi CXVI. viri Clarissimi Loydius, Pagiusque illigarunt. At si Januario currentis anni contigit terræ motus Antiochenus, ea Chronologia gravissimâ difficultate afficitur. Incredibile enim est, Ignatii mortem ad vigesimum usque Decembris anni CXVI. dilatam fuisse. Itaque hanc ut tueantur sententiam, ejusmodi sunt opinionis, terræ motum Decembris die XXIII. ortum fuisse, quod vix fidem invenit. Baroniana sanè Chronologia, cui sese addixerunt Calvisius atque Norisius, longè verisimilior. De ea persecutione Nicephorus: Inde in eam urbem victor ingressus, multos Christianos interimit, *In quibus & quinque virgines, fidem palam profitentes, comburit, & ossibus earum ad summum cambustis, cineribusque æri commistis, aliena quadam, & alia vasa fieri curat, eaque publico lavacro, quod ipse magnificentissime construxerat, dicat. Verùm enimverò quicunque eò lavatum ingrediebantur, quàm primum calidas attigissent aquas, caligine simul & vertigine correpti, cum impetu inde procurrebant & concidebant. Causâ verò ejus mali cognitâ, Trajanus, ut alia ex ære pura vasa balneo parentur, mandat. Priora autem illa in fornacibus conflata, in quinque transformat statuas, easque virginum cambustarum formâ & habitu pro balneo collocat.* Quæ tam vera sunt, quàm verum Persarum Regem à Trajano fuisse cæsum, quod ibidem traditum à Nicephoro. Regem Parthorum Cosroem Trajano fuisse superstitem, testis Spartianus, in vita Adriani c. 13. *Invitata etiam Cosrae Rege Parthorum, remissaque illi filiâ, quam Trajanus ceperat.*

Niceph. l. 3. c. 24.

De Papia Hierapolitano.

VIII. Eo tempore florebat Papias Hierapolitanus Episcopus. Est autem Hierapolis, urbs Phrygiam inter & Lydiam, aquis calidis abundans, à multitudine Templorum sic appellata. De ejus urbis aquis, necnon specu, quæ in montis imminentis supercilio extat, prodigiosa multa narrantur à Strabone, teste oculato, l. 13. De Papia legimus apud Eusebium: *Papias quoque Hierapolitanus Episcopus, eâdem ætate celebris fuit, vir apprimè disertus & eruditus, ac Scripturarum peritus.* Verùm enimverò Eusebii verba non esse, sed ab imperito addita Scholiaste, certum facit Eusebius, cujus hoc est

Euseb. l. 3. c. 36.

ANNO DOM. 115.

est disertum de Papia judicium: *Fuit mediocri admodum ingenio praditus, ut ex scriptis illius conjicere licet.* Itaque doctissimo Valesio observatum, hoc elogium Papiæ deesse plurimis in codicibus; neque Rufinum suis in exemplaribus legisse.

Euseb. l. 3. c. 39.

Hæc sanè disjuncta sunt atque contraria, quòd unus idemque homo, & pertenuis ingenii sit, & facundiâ eruditioneque præditus. Imbecillis quidem animi indicium est, quod de Papia memoriæ prodit Eusebius:

Euseb. h. l. 3. c. 39.

Idem prætereà Scriptor alia nonnulla nuda vocis traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet Servatoris parabolas ac prædicationes, aliaque fabulis propiora. Inter quæ, & mille annorum spatium, post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias, ex malè intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea quæ arcano quodam sensu & exempli causâ ab illis dicebantur, non satis pervidisset. Papiam tamen, veluti gravem Autorem, Veterum non pauci sequuntur, quos ipsius antiquitas potius, quàm rationis pondus atque momentum, in Millenariorum errorem pertraxit, observante Hieronymo: Papias, *dicitur mille annorum, Judaicam edidisse δευτέρωσιν, quem secuti sunt Irenæus & Apollinarius, & cæteri qui post resurrectionem aiunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de Spe Fidelium, & Victorinus Petabionensis, & Lactantius hâc opinione ducuntur.* Pertenuis quoque specimen ingenii dat Papias, in narranda morte Judæ proditoris. Dicit apud Oecumenium, Judæ corpus adeò intumuisse, ut à currente plaustro elideretur. Quod verbis expressis scripserat Lucas, *πρηνὴς γενόμενος*, Papias dixit, *πρησθεὶς τὴν σάρκα.* Affert & ex Papia de Angelorum peccato testimonium Andræas Cæsariensis, quod ad verum non satis quadrat. Ait à Deo, ipsis injunctum munus esse res terrenas administrandi:

Andr. in Apocal. c. 34.

Accidit autem, ut ordinem sibi præfinitum absolverent, ut non decebat. Quæ non consentiunt cum Historia Serpentis Evam tentantis, & *filiorum* Dei cum filiabus hominum commercium innuunt, quasi Angeli uxorum usum habuissent.

Papias auditor Joannis, necne?

IX. Quæritur inter eruditos, Joannis Apostoli Papias auditorne fuerit? Negat quidem Baronius:

Baron. An. 118. n. 3.

Papias, inquit, *in exordio sui operis, declarat se minimè quidem Sanctorum Apostolorum vel auditorem fuisse; vel eosdem oculis suis conspexisse.* Qua de causa Halloixio, Henschenio, Pagio dedit pœnas. Neque immeritò sanè, si Irenæo credimus: *Testatur*, inquit, *hæc Papias, Joannis ἀκουστὴς auditor, & sodalis Polycarpi, Scriptor antiquus in quarto operis sui libro, sunt enim ab eo quinque libri compositi.* Quæ verba desumpsit Eusebius ex Irenæi libro v. c. 33. Tantâ permotus autoritate Hieronymus, Papiam quoque pro *auditore* Joannis habuit. Neque ulla est in temporibus pugna, quominus traditio hæc veris apponatur. Nonnullæ tamen ea de re nobis injectæ sunt dubitationes, quas Lectoribus exponemus. Quippe discimus ex Eusebio, Papiam in libri sui proœmio non dixisse, Apostolorum se aut spectatorem fuisse, aut auditorem. Ab eorum familiaribus normam fidei accepisse se referebat. Non est autem verisimile, Papiam omissurum esse, quòd doctoribus Apostolis usus fuisset:

Euseb. l. 3. c. 39.

Quòd si quis interdum mihi occurrebat, qui cum Senioribus versatus fuisset, ex eo curiosè sciscitabar, Quænam essent Seniorum dicta? Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent? Quidnam Aristion, & Joannes Presbyter, discipuli Domini prædicarent. Quòd si Joannis Apostoli Papias auditor fuisset, ex ipsius quidem ore hausisset veritatis regulam. Sic est, ex charissimo Christi discipulo sciscitatus fuisset, Quid cælestis ille Magister docuisset Ecclesiam? Quibus accedit, quod ex Apocalypsi, quam perperàm interpretabatur Papias, eum hausit errorem animo, quòd peractâ resurrectione, Christus corporale terrarum in orbe regnum esset administraturus. Cui conditor Apocalypseos errori remedium attulisset, explicatione obscurorum adhibitâ. Vix fingi potest animo, Papiam à Joanne ipso non quæsivisse, Quid sibi vellet *regnum mille annorum*, si Apostoli in vultu Papiæ habi.assent oculi, aut ab ipsomet ore verba ejus excepisset. Fieri sanè potest, ex sola conjectura scripsisse Irenæum, quòd Papias Joannix auditor fuit, quia illis temporibus floruit, quibus & Polycarpus. Papiam excessisse martyrio legitur in Chronico, quod Alexandrinum vulgò dicitur.

Olymp. 235.

Illis enim qui vocem audierant, *Firma animum Polycarpe*, apponuntur *Papias atque complures alii, quorum certamina pro Christo ultimis literis sunt consignata.* Photius quoque in Bibliotheca, c. 232. p. 902. tradit ex Stephano Gobare, Severum non ea probasse, quæ dicta sunt *a Papia Episcopo Hierosolymitano, & Martyre* de regno cælorum. Nos verò Papiam Confessorem esse credimus, Martyrem non credimus, cùm eo titulo insigni & pulchro à Veteribus ornatus non fuerit.

Cur Papias veteribus in Martyrologiis non reperitur?

X. Vetustis in Martyrologiis cùm Papiæ nomen non inseratur, existimant Halloix, Pagius, aliique nonnulli, *Nomen ejus primis temporibus inscriptum fuisse sacris tabulis, sed postmodum, ob unam, aut alteram ejus opinionem, olim quidem satis communem, sed minus posteà probatam ab Ecclesia, & receptam, erasum esse.*

Pag. Crit. An. 116. n. 4.

Quæ conjectura nullo nobis loco est. Justinus ille Martyr Papiæ propendet in sententiam, dum in Dialogo cum Tryphone scribit, *Christi fideles annos mille peracturos Hierosolymis.* Justini tamen natale memorant Martyrologia & Adonis & Romanum Aprilis XIII. In Papiæ sententiam descendit & Irenæus, qui ejus autoritatem adhibet, probando regnum Christi fore terrenum, uti docet libro v. adversus Hæreses c. 33. At Irenæi nomen inscribitur Martyrologiis, Junii XXVIII. Non igitur in Veterum sive Calendariis, sive Martyrologiis extat Papiæ nomen, quia non excessit martyrio. Quod vix Eusebii, Hieronymique notitiam effugere potuisset, quibus tamen Martyr non audit. In pertenui ingenio, atque credulo, fuit pietatis amor, quo *Sancti* titulum impetravit ab Hieronymo, in Epistola ad Lucinium. Scriptis memoriam posteris suam commendavit Papias. Librorum ejus meminere Veteres. Audiantur verba Eusebii:

Euseb. l. 3. c. 39.

Papia verò quinque omninò feruntur Libri, quorum titulus est, De Interpretatione Oraculorum Dominicorum. Horum quinque duntaxat Papia librorum meminit Irenæus his verbis: Testatur, inquit, hæc Papias Joannis auditor, & sodalis Polycarpi, Scriptor antiquus in IV. Operis sui libro. Sunt enim ab eo quinque libri compositi. Papiæ libros ab Hieronymo in linguam Latinam transfusos esse, fama Lucinio retulerat. Cui hæc scribit Hieronymus: *Porro*

Hieron. Ep. 28.

Josephi libros, & Sanctorum Papiæ & Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit, à me esse translata: quia nec otii mei, nec virium est, tantas res eâdem in alteram linguam exprimere venustate. Ex Papiæ quæ supersunt fragmentis, non est causa, cur librorum jacturam diu, multumque lugeamus, ut ex verbis Eusebii liquidò constat: Papias *alia nonnulla nuda vocis traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet Servatoris parabolas, ac prædicationes, aliaque fabulis propiora.*

Euseb. l. 3. c. 39.

Anno U. C. 869. Per. Jul. 4829. Jul. 161. Dom. 116. Trajani 19. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 3. *Indict.* 14. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 2. 3. *P.* 20. *Apr.*

Coss. *Æmilianus, & Antistius Vetus.*

Trajani navigatio.

I. CAptâ Ctesiphonte, Trajanum gloriæ cupidum, invasit desiderium navigandi secundo flumine in sinum Persicum. Messanam Tigridis Insulam, ab Athambilo regnatam, nullo labore cepit. Hic propter vim tempestatis, fluviique rapiditatem, æstumque maris, venit in periculum. Viso navigio, quod tendebat in Indiam, dixit, Se velle & in hanc ire regionem, ni ætate prohiberetur. Navigabat adductus famâ eorum, quæ illic esse ferebantur. Nil tamen vidit præter aggeres, fabulas, ruinas. Invisit etiam Babylone domum, ubi Alexander Magnus ultimum diem obierat, cui etiam parentavit. Dum navigare pergit, in ipsa navi accepit nuntium defectionis populorum, quibus Præfectos imposuerat, qui vel ejecti, vel cæsi fuerunt. Cognitâ defectione, Lusium in rebelles mittit atque Maximum. Maximus obiit prælio superatus. Lusius verò Quietus, cùm alia præclarè gessit, tum Nisibim recuperavit; Edessam expugnavit, direptamque incendit. Seleucia ab Erucio Claro, & Julio Alexandro Legatis capta, igni data est.

Dio l. 68. 785.

Trajanus Parthis Regem imponit.

II. Mesopotamiæ rebellio hæc Trajano metum attulit, ne Parthi similiter aliquid molirentur. Regem igitur ipsis imponere constituit. Ut Ctesiphontem venit, convocatis in planitiem Parthis atque Romanis, excelsum tribunal conscendit. Tum rerum à se gestarum mentione factâ, Parthis deinde Regem Parthamaspatem designat, eique diadema imponit. Inde profectus in Arabiam, adoritur *Agarenos*, qui & defecerant. Arabiam jugo Romanorum adegerat Trajanus: *Hanc Provinciæ imposito nomine, Rectoreque attributa, obtemperare legibus nostris Trajanus compulit Imperator, incolarum tumore sæpè contusa, cum glorioso Marte, Mediam urgeret & Parthos.*

Dio l. 68. 785.

Marcel. l. 14. c. 8.

Atram Trajanus obsidet.

III. Cæterùm crucem Lectoribus fixit Dio, dum scribit: Trajanus *Ctesiphonte profectus in Arabiam, adoritur Agarenos, qui & ipsi defecerant: quorum civitas neque magna est, nec dives: finitimaque Regio magnâ ex parte deserta est, quod in ea aqua rarò inveniuntur, atque illa parum salubres, quodque in ea ligni pabulique magna sit penuria. Nequit etiam fieri propter has ipsas causas, ut magnis ab aliquo copiis obsideatur, & à Sole cui sacra est, defenditur. Itaque eam nec Trajanus tunc, nec posteà Severus cepit, cùm tamen partem aliquam muri diruerint.* Quæ ultima Dionis verba Atram civitatem apertè satis designant, de qua Marcellinus: *Atram venimus, vetus oppidum in media solitudine positum, olimque desertum, quod eruendum adorti temporibus variis Trajanus & Severus, cum exercitibus penè deleti sunt.* Jam verò Atra Mesopotamiæ urbs est, non Arabiæ, quam Agareni incolunt. Testis laudatus Marcellinus: *Universi prater mersos ad ulteriores venimus margines*, Tigridis scilicet fluvii, de quo c. VI. scripserat: *Exercitus vociferans immodestè, Dari sibi copiam transeundi Tigridis flagitabat.* Atram Mesopotamiæ urbem esse, testatur & Stephanus: *Atra urbs inter Euphratem & Tigrim, cujus Arrianus Libro XVII. Parthicorum meminit.* Difficultatem exhaurire tentat Valesius, Notis suis in verba Marcellini, quæ laudavimus emendato Dione: *Ibi τοῖς Ἀγαρηνοῖς, vitiosè perscriptum est* pro Ἀτρηνοῖς. Non extat quidem vox *Agareni*, in Scriptoribus Dioni antiquioribus, aut coætaneis. Verùm enimverò solutioni etiamnum aqua hæret, cùm disertis verbis Dio scripserit, *Trajanus in Arabiam profectus, adoritur Atrenos.* Nulli verò in Arabia Atreni qui Mesopotamiam incolunt. Quin tamen de Atrenis cogitarit Dio, vix dubitamus. At in eo peccat, quod Atram extra Mesopotamiam collocarit, ut ex loco, ad quem non attendit Valesius, apertè liquet: *Post hæc Severus ut transiit Mesopotamiam, Atra, quæ non longè aberant, frustra adortus est.* Ex qua Geographia, scripsit Trajanum in Arabiam profectum, Atrenis bellum intulisse. De Atrena obsidione nunc paucis. Trajanus præmisit ad muros equites quos ipse secutus, regiâ veste depositâ ne agnosceretur, vix tamen vulnera effugit, affectis gravi damno equitibus, qui castra repetierunt. Barbari quidem canitiei dignitate, vultusque majestate animadversâ rati Trajanum esse, frequentia in ipsum tela torquentes, equitem qui ipsi proximus erat, interficiunt. His varia accessere incommoda, procellis grandine, fulminibus in Romanos cadentibus, quoties in hostem impetum faciebant: *Quotiesque cœnarent, muscæ tam esculentis, quàm potulentis insidentes, cuncta nauseâ quâdam implebant.* Itaque tot gentium ille victor oppiduli obsidionem relinquere cogitur.

Dio l. 68. p. 785.

Marcel. l. 25. c. 8.

Dio l. 75. 854.

Dio l. 68. 785.

Judæorum furor & clades.

IV. Magnâ quoque Judæos clade affecerunt arma Trajani. Quiescere usquam impios non patiebantur animorum furiæ. Itaque *Andreâ* Duce, qui circum Cyrenem habitabant, Romanos pariter Græcosque concidunt, vescuntur eorum carnibus, eduntque viscera, tum oblinuntur eorum sanguine, & pellibus induuntur. Multos à vertice serris dissecuere medios, multos objecere bestiis, multos etiam certare inter se coëgerunt, ita ut interierint hominum ad ducenta viginti millia. Prætereà in Ægypto Cyproque, Artemione duce, consimilia quædam perpetrarunt; desiderataque sunt hominum ad ducenta quadraginta millia. Ex quo fit, ut Judæo in Cyprum venire non liceat; quòd si fortè vi tempestatis in Insulam appulerit, interficitur. Hunc Judæorum impetum repressit Trajanus, misso Lusio Quieto, aliisque Ducibus, qui de hostibus claras retulere victorias. Ob eam victoriam Lusius ab Imperatore Judææ Legatus designatur, additis ornamentis Prætoriis. Palæstinæ, quæ assiduis Judæorum motibus turbabatur, opus erat viro strenuo, qui dignitate suâ, & armis Provinciam contineret.

Dio l. 68. 786.

Simeon cruci affigitur.

V. Simeonem Cleopæ filium, Christi patruelem, vitâ abiisse martyrio, nobis exploratum est. Defuncto Jacobo, Ecclesiæ Hierosolymitanæ administrationem susceperat: *Accusatus*

Euseb. l. 3. c. 32.

Anno Dom. 116.

fatus ab Hæreticis, quòd sanguine Christum attingebat, in jus vocatur coram Attico viro Consulari. Et per multos dies acerbissimis tormentis excruciatus, fidem Christi constantissimè professus est, adeò ut & Consularis ipse, & omnes, qui aderant, magnoperè mirarentur, quâ ratione vir centum & viginti annos natus, tot tormenta perferre potuisset. Tandem verò Judicis sententiâ cruci suffixus est. Quinam verò Hæretici in Simeonem accusationem instituere, tradit Chronicum Alex. *A Cerinthi secta & Nicolaitis accusatur, non tantùm quòd Christum profiteretur, sed genus quoque à Davide duceret.* Pharisæi tamen Saducæique potius indicantur, quia Cerinthiani Nicolaitæque in Palæstina floruisse non videntur. Quin etiam id accusationis Judæorum ingenio optimè congruebat, quorum in Christianos odium, vel vetustate sedari, vel precibus mitigari non poterat: eò magis acerbum adversus Simeonem, quòd Christo patruelis erat. De Judæis Justinus in Dialogo cum Tryphone: *Nos per Christum Deo credentes odio persequimini & occiditis, quotiescunque potestis, sine intermissione execramini, & ipsum, & eos, qui nomine ejus censentur.* Hinc magnâ conjecturâ ducimur Pharisæorum Sadducæorumque ex officina ortam esse apud *Atticum*, Simeonis accusationem.

Quoto Simeon anno perierit? Dodwelli expenduntur argumenta.

VI. De anno Simeonis supremo, pendemus animi. Morti missum fuisse eo tempore quo periit Ignatius, in Chronico testatur Eusebius, anno Christi CVII. Cujus ex narratione colligi posse videtur, Ignatiano supplicio Simeonis antecessisse martyrium: *Trajano adversus Christianos persecutionem movente, Simeon filius Cleopæ, qui in Jerosolymis Episcopatum tenebat, crucifigitur, cui succedit Justus. Ignatius quoque Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, Romam perductus bestiis traditur.* Clarissimus verò Dodwellus annum CXVI. Simeoni fatalem fuisse docet, his fretus argumentis. 1°. Cùm nulli imminerent Judæorum tumultus, de familia Davidis verisimile est parum admodùm solicitos fuisse Romanos. Eo itaque nomine, odiosum Romanis metuendumque Simeonem repræsentarunt Judæi, quòd esset familiâ Davidis oriundus. 2°. Simeonis non meminit Polycarpus, non utique prætermissurus, si in eadem persecutione, eademque Syriæ Provincia passus esset Simeon, quæ Ignatium sustulisset. 3°. Davidis familiam hâc occasione à Romanis extinctam fuisse omninò verisimile est, ita deinde alienis à stirpe Domini locum esse factum, in sedem Hierosolymitanam succedendi. 4°. Nonnisi accusatus, punitus est à Præfecto Simeon, quòd nimirum, ita jam cautum esset à Trajano, in suo ad Plinium rescripto. Quæ rationes si non veræ, saltem videntur verisimiles. Quanquam iis multa quoque opponi possint. Nullus quidem Judæorum motus fuit, cùm ad Domitianum ab *Evocato* adducti sunt Christi consanguinei, qui à scelesto tyranno liberi dimissi sunt, ubi auditum regnum Servatoris esse cæleste. Nil ergo opus fuit Andreæ Artemionisque seditione, ut Simeonis adversarii accusationem struerent Sancto Martyri apud Atticum. Simeonis non meminit Polycarpus sua Epistola, quia tres solummodò Martyres disertè memorat, *Ignatium, Zozimum & Rufum*, prætermissis etiam, qui ex Philippensibus pro Christo sanguinem fuderant. Ignatii verò potius mentionem fecit, quia & recentius fuit & notius supplicium, utpote Antiochiæ urbis celeberrimæ Episcopi. Quibus etiam addi potest, Ignatium, Zozimum, Rufumque amicitiæ vinculo fuisse cum Polycarpo conjunctos. De Ignatio sanè certa res est, cujus fuerunt ad Polycarpum Epistolæ, quomodo dum Apostolorum patientiam Philippensium adducit ante oculos, de solo Paulo verbis expressis commemorat, quia ipsis & notior fuit, & charior. Ad tertiam Dodwelli rationem respondemus, tam CVII. anno Dionysiano Christi consanguineos extingui potuisse, quàm CXVI. Hieronymus quidem in Chronico Justi, cui decessit Simeon, Episcopatum affigit anno Trajani decimo. Denique ad ultimum eruditissimi viri argumentum dicimus, Trajani rescriptum Plinio missum fuisse, anno Domini CX. Itaque concesso Attici ante oculos hoc decreti versari, nil rationis est, cur non vel eodem, vel sequente anno Simeon cruci affixus fuerit. Quanquam nescimus qui probari possit, jam datum esse Trajani rescriptum, cùm Atticus capitis supplicium constituit in Simeonem. Quippe cum genere humano quasi commune jus intercedit, quòd à Judice nemo ultimo supplicio addicitur, nisi adsint & accusatores, & testes. Et æquo bonoque nititur ea Trajani sententia, *Sine autore verò propositi libelli, in nullo crimine locum habere debent. Nam & pessimi est exempli, nec nostri seculi est.* Hoc est antiquum jus Romanorum, non nova Trajani præscriptio. De supremo igitur Simeonis anno aliquid definire non sustinemus. Multò minus diem tradere valemus ultimum, quem Latini Februarii XVIII. Græci verò in Menologiis Aprilis XXVII. illigarunt, quo teste viderint, non Hegesippo sanè, aut Eusebio.

Dodw. Dissert. Cypr. 11. n. 21.

Plin. l. x. Epist. 98.

Ecclesia Hierosol. ad Simeonem usque ab Hæreticis inviolata.

VII. Ad Simeonis usque tempora, Ecclesia Hierosolymitana *incorrupta permanserat, adhùc in obscuro recessu delitescentibus, quicunque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare nitebantur. Sed postquam sacer Apostolorum cœtus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant, tunc demum exorta est impii erroris conspiratio, fraude falsorum Doctorum. Qui utpote nullo amplius ex Apostolis superstite, post hæc adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt.* Hæc ex Hegesippo Eusebius l. 3. c. 32. Ille ipse Hegesippus narrat, primum *Thebutim* indignè ferentem, quòd non creatus esset Episcopus, Ecclesiam vitiare Hierosolymitanam aggressum fuisse. Id sibi voluit Hegesippus, dum scripto prodit, *Ecclesiam ad hæc usque tempora, instar cujusdam virginis, incorruptam permansisse.* Nec enim ignorare potuit, Joannis ævo Nicolaitas virus suum disseminasse.

Euseb. l. 4. c. 22.

Anno Dom. 117.

ANNO U. C. 870. OLYMP. 224. PER. JUL. 4830. JUL. 162. DOM. 117. TRAJANI 20. ADRIANI 1. *Sol.* 14. D, *Lun.* 4. *Indict.* 15. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *Apr.*

COSS. *Quinctius Niger, & C. Vipstanus Apronianus.*

Saracenorum urbem frustra Trajanus oppugnat.

I. OBsessione urbis Saracenorum, quæ nec magna, nec dives erat, pro laboribus susceptis periculisque aditis, quasi mercedem, Trajanus gloriam desiderabat. At clarus ille Dacorum, Parthorum, incognitarumque tot gentium victor exiguam eam civitatem capere

Anno Dom. 117.

non potuit. Præmiserat ad muros equites, qui gravi damno affecti, in castra reverterunt. Via expers vulneris Trajanus ipse fuit. Regiam deposuerat vestem, ne à Barbaria agnosceretur. At vultus majestate animadversâ, rati Trajanum esse, tela sua in ipsum omnia conjecerunt, equitemque, qui ei proximus erat, occiderunt. Cælum ipsum pro Saracenis pugnavit. Fulgura, procellæ, grandines, fulmina in Romanos cadebant, quoties in Barbaros impetum faciebant. Quoties verò cœnarent, muscæ tam esculentis, quàm poculentis insidentes, cuncta nauseâ quâdam implebant. Urbem igitur obsidione liberare coactus, non multò post in morbum incidit, Cogitabat tamen de reducendo in Mesopotamiam exercitu, sed ingravescente morbo, in Italiam navigare cœpit, Adriano in Syria cum exercita relicto.

Dio l. 68. 785.

Mors Trajani.

II. Trajanus morbi sui causam venenum esse existimavit. Alii sanguinem putant, qui dum ex inferioribus ejus partibus quotannis fluere consuevisset, tum sisti cœpit, quin & apoplexiâ correptus est, ut parte aliquâ corporis enervatus fuerit. Sed omninò aquâ intercute laboravit, tandem perlatus Selinuntem Ciliciæ urbem, mortem obiit Augusti mensis decimo, feriâ secundâ, ut ex Dione colligitur: *Regnavit annos decem & novem, menses sex, dies quindecim.* Quæ de manifesta Trajani morte sunt intelligenda. Nam aliquot dies tacitam esse mortem Imperatoris, donec ordinarentur à Plotina, quæ ad Adriani adoptionem spectabant, nulli dubitamus. Tertio Iduum Augusti excessus Adriano Trajani nunciatus est. Quod nuntium accipere non potuit, si a. die Sextilis hominem exuit. A XXVII. Januarii anni Christi XCVIII. quo Nerva vitam cum imperio reliquit, si regnum Trajani numeretur, finem accipit IV. Idus Augusti currentis anni. Hinc patet quantum sit in rebus inane. Trajanus enim captâ Armeniâ, & magnâ Mesopotamiæ parte, superatisque Parthis, tot labores frustra suscepit. *Parthamaspaten* enim, quem ipsis Regem imposuerat, detestati, suis regi moribus cœperunt. Repetitum fuisse Cosroëm, indicio est Spartianus: *Reges ad amicitiam invitavit, invitato etiam Cosdroë Rege Parthorum, remissaque filiâ, quam Trajanus ceperat.* Reliquias Trajani Tatianus, Plotina, & Matidia detulerunt. Inter Divos relatus, solus omnium intra urbem sepultus est. Ossa ejus collocata in urna aurea, in foro quod ædificaverat, sub columna sita sunt. Hujus tantum memoriæ delatum est, ut ad quartum usque seculum non aliter in Senatu Principibus acclametur, nisi, *Felicior Augusto, melior Trajano.* Porro falsus est Eutropius, qui Trajanum apud *Seleuciam Isauriæ* excessisse tradit. Repugnant inscriptiones, quæ & à Scaligero, in Animadversionibus Eusebianis, & à Pagio in Critica suppeditantur. Selinunte periisse Trajanum, ostendit & Pseudo-Sibyllinus Propheta. lib. v.

Dio l. 68. 786.

Spart. Adr. c. 13.

Eutrop.

Triste nec effugiet fatum, sessusque jacensque,
Mortuus externâ tectus tellure premetur,
Floris de vento vocitati, nomen habente.

Quanquam Græca malè vertuntur. Ἄθλα Νεμείης præmia sunt Nemeensia, quæ Apio constabant, de quibus Pausanias in Arcadicis. Est autem Apium σελίνον, à quo *Selinus* nomen habuit. His ambagibus locum ubi animam exhalavit Trajanus, Sibylla designavit.

III. Ante suprema Trajani funera Christianorum persecutionem revocatam esse, legitur apud Suidam in Trajano: *Tiberianus, qui prima Palæstinorum genti præerat, ad eum retulit, Se in posterum Christianis occidendis imparem fore, quòd illi ultrò ad supplicia se ipsos offerrent, & ad ea properarent. Quare Trajanus omnibus imperio suo subjectis, & eorum Præfectis simul interdixit, ne supplicus afficerentur.* Quæ ea Joanne Malela videntur esse desumpta, Autore fabulosissimo, qui Tiberiani ad Trajanum hanc profert Epistolam.

Anno Dom. 117.

Revocatane sit à Trajano Ecclesiæ persecutio?

Tiberiani ad Trajanum Epistola.

Malela Chronogr. p. 356.

Imperatori invicto Cæsari, divinissimo Trajano. Mandatum vestrum de puniendis Galilæis, qui nobis veniunt sub nomine Christianorum, quantum in me est, effectum dedi. At hi sese ultrò supplicus & morti dedunt, & multis licet fuerim hortationibus, & minis illud agens, ut à se mihi se prodendo eos deterrerem, frustra tamen hactenus fui. Vos itaque juxta ac majestati vestra invictissima visum fuerit, de his rebus decernatis. Tiberianus verò, qui hanc Trajano Epistolam scripsisse fertur, *Palæstina primæ* Præfecti titulo ornatur. Tiberiani hanc Epistolam, ut genuinam agnoscunt Usserius, atque Pearsonius.

Tiberiani subdita ad Trajanum Epistola.

IV. Hanc Tiberiani ad Trajanum Epistolam subditam esse, validissimis Dodwellus argumentis demonstrat. Primùm ex Eusebii Palæstini silentio, cujus diligentiam effugisse tanti momenti Epistolam, à fide abest. 2°. Trajani ævo ignota fuit Palæstinæ in primam, secundamque divisio. 3°. Eos adhibuit Epistola titulos, à Trajani temporibus alienos, νικητὴν, *victorem*, τροπαιοῦχον, *triumphatorem*, θειότατον, *divinissimum.* Dum vita manebat Augustis, *Divi* titulo non afficiebantur, multò minus *divinissimi* honore decorabantur. Notus est omnibus Vespasiani jocus, dum gravi morbo decumbebat, *Ut puto Deus fio.* 4°. Trajani temporibus, Scriptoribus non moris erat Imperatorem plurali nomine compellare, quod apparet atque extat ex multis Plinii ad Trajanum Epistolis. Quæ si attendissent viri doctissimi Usserius atque Pearsonius, utique Tiberiani Epistolæ falsitatis notam impressissent.

Num Adrianus adoptatus à Trajano?

V. Magnæ quæstionis est, Adrianus à Trajano adoptatus ne sit, & quem in annum adoptio inciderit. Hadrianus de imperio cogitaverat, ex suggestione patrui magni, & Mœsi cujusdam Mathematici. Sed id votum potius quàm spes erat, Deinde donatus à Trajano adamante gemmâ, ad spem successionis est erectus. In ea spe posteà confirmavit eum Sura, à quo comperit, adoptandum se à Trajano. Itaque ausus est aliquandò pòst in adoptionis sponsionem venire, cum Palma & Celso. Tandem verò secundùm Consul designatus, totam adoptionis præsumptionem nactus est. Non eò tamen processisse Trajanum, ut Adrianum sibi filium asciscerit existimamus. Primùm enim disertè tradit Dio, Adrianum à Trajano non fuisse adoptatum: *Apronianus, inquit, pater meus, qui Ciliciæ præfuit, quique res ejus omnes certò cognovit, mihi singula recensuit, atque illud in primis, mortem Trajani per aliquot dies ita occulto fuisse, ut adoptio prius emanaret, idque ex literis ejus ad Senatum, cognitam fuisse, quibus non ipse, sed Plotina subscripsit, quod in alio nullo negotio factum fuerat.* Prætereà nostram Spartianus firmat sententiam: *Frequens sanè opinio*

Dio l. 69. 788.

Spart. Adr. c. 4.

Anno Dom. 117.

nio fuit, Trajano id animi fuisse, ut Neratium Priscum, non Adrianum, successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus, usque eò, ut Prisco aliquando dixerit, Commendo tibi Provincias, si quid mihi fatale contigerit. Et multi quidem dicunt, *Trajanum in animo id habuisse, ut exemplo Alexandri Macedonis sine certo successore moreretur: multi ad Senatum eum orationem voluisse mittere, petiturum, Ut si quid ei evenisset, Principem Romanæ Reipublicæ Senatus daret, additis duntaxat nominibus, ex quibus optimum idem Senatus eligeret.* Attianus ergo & Plotina defuncto Trajano, Adrianum designaverunt Imperatorem, quòd non procul abesset, magnasque copias haberet. Nullo Trajani consensu Adrianum adoptatum esse, Eutropius memoriæ prodit: *Ælius Adrianus creatus est Princeps, sine aliquâ quidem voluntate Trajani, sed operam dante Plotinâ, Trajani uxore. Nam eum Trajanus, quanquam consobrinæ filius, vivens noluerat adoptare.* Neque veri specie caret, quod ex fama manavit mortuo jam Trajano, à Plotina suppositum esse aliquem, qui *pro Trajano fessâ voce loqueretur.* Simulatam à Plotina, ex affectu amatorio, Adriani adoptionem, argumento est, primùm quòd missæ ad Senatum de adoptando Trajano orationi Trajanus non subscripserat; deinde quòd Adrianus, *Quinto Iduum Augusti die*, Legatus Syriæ, literas adoptionis accepit, & *tertio Iduum earumdem*, audivit de morte Trajani, quam IV. Iduum contigisse prædicabant. Longiore autem intervallo Selinus Ciliciæ, & Antiochia Syriæ Metropolis sejunctæ sunt, quàm ut vel rapidissimi veredi, vel incitatissimus myoparo pauculis horis, tantum iter emetirentur. Est igitur impossibile tam serò Trajanum ad plures abiisse. Ideòque mors ejus aliquandiu occultata, ut fictæ adoptioni locus esset.

Adrianus anno 116. adoptatus à Trajano non fuit.

Spart. c. 4.

VI. In aliam Dodwellus abiit opinionem. Etenim & Adrianum à Trajano adoptatum, & adoptionem anno CXVI. affigendam esse putat. Itaque de diversis annis, Spartianum intelligendum esse sciscit: *Quinto Iduum Augusti die, Legatus Syriæ, literas adoptionis accepit, quando & natalem adoptionis celebrari jussit. Tertio Iduum earumdem, quando & natalem imperii instituit celebrandum, excessus ei Trajani nuntiatus est.* Etsi porro sententiam benè multis argumentis astruxerit suam vir eruditissimus, ei tamen subscribere non possumus. Nunquam sanè Apronianus Ciliciæ Præfectus, Dioni narrasset, Trajani mortem occultatam fuisse, ut Adriani adoptio prius emanaret, si ante annum, à Trajano in filium jam cooptatus esset. Multò minus adoptioni subscribere Plotina debuit, cùm præstò essent tabulæ, quas propriâ manu, dum valebat rectè Trajanus, consignasset. Neque *frequenti* ullus rumori locus esse potuisset, id Trajano animi fuisse, vel Neratium Priscum, non Adrianum successorem relinquere; vel exemplo Alexandri, sine certo successore ultimum diem obire; vel à Plotina subditum esse aliquem, qui pro Trajano moribundâ voce loqueretur. Hæc vel fingi nullo potuissent modo, si anno ante Trajani obitum Adrianus & filii, Principisque titulis, & Tribunitiâ Potestate donatus fuisset, qui collati Adriano honores, venissent omnibus in notitiam. Quibus accedit, filios Augustorum, cùm Potestate Tribunitiâ induerentur, ad Consulatum proximè futurum, de more designari, quod & nuper à Nerva cum Trajano factum. Cùm igitur præsentem annum aperuerint Quinctius Niger, & C. Vipstanus Apronianus, non Adrianus, argumenti satis est, Adrianum, qui Trajani ante obitum suffectum duntaxat Consulem egerat, Tribunitiæ quoque Potestatis expertem fuisse; quæ ne vel cum adoptione necessariò conjungebatur. In explicatione Spartiani, acuminis quidem est aliquid, nil sanè veritatis. De anni ejusdem Idibus Spartianum esse capiendum, documento sunt verba hæc, *tertio Iduum earumdem*: Idus enim anni proximi cum præsentis Idibus eædem esse non possunt. Itaque mense Augusto, anni CXVII. & adoptionis literas, & nuntium mortis Trajani accepit Adrianus, quo vel uno Spartiani loco Dodwelleum fundamentum convellitur. Est apud Baronium nummus, quem ex Sebast. Erizio desumpsit, de primo Adriani Augusti in urbem adventu, qui Tribunit. Potestatem non geminat: *Pont. Max. Trib. Pot. Coss.* II. *adventus Augusti S C.* Sed & in inscriptione anno sequente proferenda, Tribunitia Potestas II. cum secundo Consulatu conjungitur ob indulgentiam Romanis concessam, ut verò sit proximum tertio Iduum, quo natale imperii celebratum, adoptionis literas vulgatas esse.

Anno Dom. 117.

Dodwelli solvuntur argumenta.

VII. Audiamus nunc viri Clarissimi argumenta. Primum petitur ex Canone Ptolomæi, qui annum Trajani ultimum cum Nabonassari 863. copulavit, qui in annum Dionysianum CXVI. incidit: *Pro more suo*, inquit Dodwellus, Canonem *fecit, cùm duorum simul regnantium annos soli tamen posteriori assignat.* Proindeque anno CXVI. jam imperabat Adrianus, quod absque adoptione fieri non potuit. Verùm enimverò in perturbato canone, Chronologiæ fundamentum non est collocandum. Ejus sanè errores à quocunque fluxerint, luce clarius demonstrantur. Ultimus Adriani annus in Canone, Nabonassari est 884. Prochronismo biennii. Annus is Nabonnassari incipit Æræ nostræ CXXXVI. die Julii vigesimâ, feriâ quintâ quâ non excessit Adrianus, qui mortem obiit anno CXXXVIII. Non regnavit sanè Claudius cum Caligula, qui occisus est anno Nabonassari 788. cujus initium ducitur à die Augusti XIXI. feriâ VII. anni Dionysiani XL. Canon tamen Ptolomæi, Caligulæ mortem illigavit anno Nabonassari 787. Errores Canonis ex regula inveniendorum Nabonassareorum annorum, facillimè deprehenduntur, ex methodo Scaligeri. Dato anno Periodi Julianæ, ut sciamus quotus annus est à Nabonassaro, anni Juliani sunt in Ægyptios convertendi, quod fit collectâ bissextorum summâ, postquam anni Juliani per quatuor divisi sunt; anni verò qui ex bissextis prodeunt, Periodo Julianæ sunt adjiciendi. Perpetuâ ergo regulâ anni Ægyptiaci 3960. abjiciantur, residui sunt Epochæ quæsitæ. Annus emortualis Trajani, Periodi est Julianæ 4830. quæ bissexta 1207. complectitur, quibus tres anni continentur. His additis Periodo Jul. 4830. exurgunt anni 4833. Resecentur Ægyptiaci 3968. supersunt Nabonassarei 865. Atqui ultimus Trajani annus in Nabonassari 884. à Canone confertur, est ergo unius anni prochronismus. Frustrà est cum invento suo Dodwellus, quod Canon, *Duorum simul regnantium annos, soli tamen posteriori assignat.* Non enim

Arg. ad Diss. Cypr. n. 43.

pro

pro jure suo assumere debuit, Adrianum unà cum Trajano imperasse. Hoc sanè non prætermisisset Spartianus, qui neque Præturam omisit Adriani, neque Consulatum suffectum, imò neque Quæsturam. Objicit iterum inscriptiones plurimas. Unam ex Transylvania apud Gruterum, alteram quoque ex Transylvania apud Lazium, quæ vigesimam secundam Adriani exhibent Tribunitiam Potestatem. Nobis autem Clar. Pagii solutio maximè placet: *Hadrianus in Campania longissimè à Transylvania dissita, die decimâ Julii anno* CXXXVIII. *obiit. Die decimâ verò mensis sequentis Tribunitiam Potestatem* XXII. *initurus erat. Quare inscriptio ante decimum diem Augusti illius anni exarata.* Quæ geminis inscriptionibus solutio accommodari debet. Urget quidem Dodwellus inscriptionem aliam ex Grutero:

Pag. Dissert. Hyp. c. 4. n. 5.

Imp. Cæs. Divi. Trajani Parthici filio. Divi. Nervæ Nepoti. Trajano. Hadriano. Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XII. Imp. II. Cos. III. P. P. & Divæ. Sabinæ. Imp. Cæsar. T. Ælius. Hadrianus. Antoninus. Aug. Pius. Pont. Max. Trib. Pot. II. Cos. Des. III. P. P. Imp. II. Parentibus. Suis.

Sed errorem in eam inscriptionem irrepsisse, non ponendum in dubio, cum vocabulum *Divi* omittatur, quod Sabinæ, quæ uxor Adriani fuerat, contribuitur. Similiter erravit sculptor, dum XXII. Adriano Tribunit. Pot. vindicavit. Instat adhuc Dodwellus: *Plures*, inquit, *gravioresque auctores, quam ut possent facile contemni, partem aliquam anni* XXII. *tribuunt Adriano.* Non nos quidem latet, Spartianum annos XXI. menses XI. Victorem in Epitome annos XXII. Eutropium annos XXI. menses X. dies XXIX. imperio Adriani vindicasse. Nunquam tamen nobis persuaderi potuit, anno Christi CXVI. Adrianum fuisse Imperatorem. Primum enim imperium Proconsulare in annis Augusteis non annumerabatur. Deinde ne id quidem imperii cum Adriano communicatum fuit, utpote qui in expeditione Parthica Trajani comes erat, solo Legati nomine, absque ulla Potestate Tribunitia, quam Historici dignitatem non dedissent oblivioni. Itaque solos annos Augusteos memorant Spartianus, Victor, Eutropius; quo apertè liquet in errorem eos incidisse, quia imperium Adriani Augusteum ad annum XXII. non extenditur. De anno emortuali Trajani, initioque Adriani fusè disserit Petavius in Animadversionibus ad Epiphanium *p.* 391. Summa disputationis hæc est: *Si annorum notæ bonâ fide à Ptolomæo, vel librariis redditæ sunt, de quo vix est ut prudenter addubitari possit, cum in tot observationibus sibi constet, necesse est initium Adriani uno anno summoveri, & in annum Christi* CXVI. *conjici.* At hoc constituto, de annis vel Nervæ, vel Domitiani excerpendus unus erit. Ptolomæum *fortassis annos Tribunitiæ Pot. Imperatorum intellexisse*, conjecturam facit Calvisius: *Tribunitia autem Potestas* XIX. *finita erat anno* CXVI. *die* 18. *Septembris.* Verùm enimverò insolens hic numerandi modus, cùm Tribunitia Potestas non semel imperio Augusteo prior fuerit. Neque rationem affert ullam Calvisius, cur in die 18. Septembris, finem imposuerit Tribunitiæ Pot. Trajani decimæ nonæ. Illud largimur Petavio, annorum characteres optimè à Ptolomæo fuisse redditos, utpote observationibus Astronomiæ consonos. Credimus tamen falso de adoptione Adriani rumore deceptum, initium imperii ejus anno uno anticipasse. Quæcunque porro huic Chronologiæ causa fuerit, à vero procul esse existimamus.

Dodw. App. ad Dissert. Cypr. n. 48.

VIII. Hactenus de celeberrima quæstione, quâ non minimum lucis affertur Chronologiæ. De annis Adriani, sive communibus, sive Augusteis scripsit Spartianus: Adrianus *Vixit annis* LXXII. *mensibus* V. *diebus* XVII. *imperavit annis* XXV. *mensibus* XI. Chronicum verò Paschale, vulgò Alexandrinum, quinque annis liberalius est: *Vixit annos* LXXVII. Totis tamen decem annis, major est vero Spartiani calculus. Natus erat Adrianus Romæ IX. Kal. Febr. Vespasiano septies, & Tito quinquies Coss. qui Dionysianus annus est LXXVI. Vixisset ergo ad usque CXLVII. quod absonum, utpote qui successionis decimus numeretur. Rectius Dio annos mensesque quod attinet: *Vixit annos* LXII. *menses* V. *dies* XIX. Dionis Chronologiam firmat inscriptio apud Onuphrium, libro X. Fastorum, Pagiumque in Dissertatione hypathica *c.* 4. *p.* 29.

Anni Adriani.

Spart. c. 26.

Dio l. 69. 797.

Imp. Cæsari. Divi. Hadriani Aug. Filio. Divi. Trajani. Parthici. Nepoti. Divi. Nervæ. Pronepoti. Tito. Ælio. Adriano Antonino. Aug. Pio Trib. Pot. Cos. Des. II. Scriba. Armamentarii.

Dedicata est inscriptio post Adriani mortem, qui Divus vocatur, Antonino jam Augusto. Proindeque mortalitatem explevit anno Christi CXXXVIII. quo Antoninus Consul iterum designabatur. Cum ergo natus sit Adrianus Januarii XXIV. ut unà cum Spartiano testatur vetus apud Bucherium Calendarium, obieritque anno 138. Julii vel duodecimo, si Dionem sequimur; vel decimo, si Spartianum, vixit annos LXII. menses V. dies vel XIX. vel XVII. Imperavit verò annos viginti, & menses undecim, quem numerum cùm Dio habeat, omissis diebus, vero proprius est Adrianum mortem obiisse Julii decimo, in quem mors ejus confertur à Spartiano. Id spatium temporis accuratè fluit ab undecimo Augusti anni 117. quo suscepit imperium ad usque Julii decimum anni 138. quo illud cum vita reliquit. Quicunque imperio Adriani vel annos contribuunt duos & viginti, ut Scaliger in Animadversionibus Eusebianis, vel ab anno Christi CXVI. regnum ejus deducunt, erroris non sunt immunes, quo initium Augustorum, qui Adriano successere, omninò perturbatur.

IX. Trajani fulgor imperii non prorsus obscuravit Adriani regnum. Inerant & ipsi non spernendæ dotes animi. Principem humanissimum fuisse, docuit Dio, etsi vel iræ, suspicionibusque, vel consiliis amicorum obtemperans, principia finemque imperii sui, præstantissimorum virorum sanguine respersit. Non irascebatur, cùm duriora mandata, vel plebei mollirent. Roganti populo vehementius aliquid in ludo gladiatorio, jusserat imperari, *Silete*, quam Præco vocem non adhibuit, in ejus vicem substituto, *Hoc verò vult Princeps.* Perpetuâ dignum memoria, quòd cùm ei mulier fortè occurrisset in via, ab eoque ut se audiret, contenderet: negavit primò sibi esse otium, ubi verò mulier exclamavit, *Noli igitur regnare*, libenter eam audivit. Atheniensium studia hausit, non sermone tantùm, sed & cæteris disci-

Adriani mores.

Dio l. 69. 790.

disciplinis canendi, psallendi, medendique scientiâ, musicus, geometra, pictor, fictor ex ære, vel marmore, proximè Polycletos & Euphranoras. Memor quàm cuiquam credibile est, locos, negotia, milites absentes quoque nominibus recensere. Quos in privata vita inimicos habuit, Imperator tantum neglexit, ut uni, quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, *Evasisti*. Ad servum suum inter duos Senatores ambulantem misit ei qui colaphum daret, & diceret: *Noli inter eos ambulare, quorum esse adhuc potes servus*. Mores ejus summatim exhibet Suidas, ex variis monumentis petitos, quos verbis Autoris repræsentamus: *Fingebat & pingebat quidquid in mentem ipsi venisset. Nec quidquam prorsus erat, quòd vel ad pacem vel ad bellum spectaret ac aptum esset, vel quòd ad regium munus pertineret, vel ad privatarum personarum officium faceret, quod se scire non profiteretur. . . Cùm vellet omnes in omnibus studiis rebusque superare, illos qui in aliqua re, vel arte præstabant, & excellebant, odio prosequebatur. Hac etiam de causa Galatam Phavorinum, & Dionysium Milesium, Rhetores, evertere conabatur. . . . In congressibus fuit suavis, & in ipso quadam gratia floruit, & Latina Græcaque lingua peritissimus fuit. . . Fuit etiam publica pecunia coacervanda studiosus. Eo fuit ingenio praditus, ut non solum viventibus, sed mortuis etiam invideret. Homerum enim extenuans, ejusque gloriam obscurare, & laudes obruere studens, Antimachum in illius locum induxit, ac celebrare cœpit, cujus ne nomen quidem multi prius noverant. . . . Sed hac vitia corrigebat, & compensabat cùm alia ratione, & diligentia, tum verò cæteris in rebus prudentiâ, & magnificentiâ & dexteritate. Item quod nec ullum bellum excitarit, & exorta sedarit, nec opes cuiquam injustè eripuerit, & multa rebus publicis, tum privatis hominibus multa largitus fuerit. Fuit autem curiosissimus, & superstitiosissimus, & vaticinationibus, & omnigenis magicarum artium nugis utebatur, quibus erat præter modum addictus.* Eò superior multo decessori fuit, quòd Trajanus gloriæ inflammatus cupiditate, immerentibus populis bellum intulerat, Adrianus verò bellum nullum movit, sed etiam mota composuit.

Vict. Epit.

Spart. Adr. c. 17. & 21.

Adrianus Provincias multas à jugo Romano liberat.

X. Adeptus imperium Adrianus, stabiliendæ per orbem paci operam impendit. Nationes, quas Trajanus subegerat, deficiebant, Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana ditione non poterant, Ægyptus seditionibus urgebatur, Lybia denique ac Palæstina, rebelles animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem, ac Tigrim reliquit, exemplo Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant. Quam putamus esse causam, cur spontè Armeniam, Mesopotamiamque reddiderit, non quòd *gloriæ Trajani inviderit*. Parthamaspatem, quem errando Psamatossirim appellat Spartianus, Parthis à Trajano Regem impositum, quem ejecerant, proximis gentibus Regem dedit. Militibus ob auspicia imperii, duplicem largitionem contribuit. Lusium Quietum, qui Legati titulo Palæstinam administrabat, sublatis Mauris, quos regebat, quia suspectus imperio fuerat, exarmavit. Post hoc Antiochiâ digressus est, ad excipiendas reliquias Trajani, quas Attianus, Plotina & Mattidia deferebant. Quibus exceptis, & navi Romam dimissis, ipse Antiochiam reversus est. Scripsit ad Senatum, veniam petens, quòd de imperio suo judicium Senatui non dedisset. Salutatus scilicet præproperè à militibus Imperator, quòd esse Respublica sine Imperatore non posset.

Spart. c. 5. 6.

ANNO U. C. 871. PER. JUL. 4831. JUL. 163. DOM. 118. ADRIANI 1. & 2. *Sol.* 15. C. *Lun.* 5. *Indict.* 1. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Mart.*

COSS. *Adrianus Augustus II. & Fuscus Salinator.*

Adrianus imaginem Trajani in urbem invehit.

I. ADrianus præposito Syriæ Cassio Severo, Antiochiâ profectus, per Illyricum Romam venit. Triumphum, qui Trajano debitus erat, sibi delatum recusavit, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator, ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Imaginem triumphantis præcedebant Senatus atque exercitus, quæ deinde columnæ, sub qua in urna aurea cineres defuncti jacebant, imposita est.

Spart. c. 6. Vict.

Adrianus Pater P. vocatur.

II. Patris Patriæ nomen Senatus Adriano obtulerat, eum susceptum confirmavit imperium. Statim tamen, & *iterum postea distulit*, quòd hoc nomen Augustus serò meruisset. Vix dubitamus tamen, quin hoc anno acceperit, præcipuè post ingentem liberalitatem, quam cum multis fisco debitoribus exercuit. Initio quidem usus aliquâ dissimulatione, re tamen ipsa insignem pulchrumque titulum, cum Trajani nomine, imperio imperiique ornamentis suscepit & gessit. Legitur in veteri inscriptione, quæ extat apud Scaligerum in Animadversionibus Eusebianis *p.* 213.

Imp. Cæsari. Divi. Trajani. Parthici. Fil. Divi. Nervæ. Nepoti. Trajano. Hadriano. Aug. Pont. Max. Trib. Pot. Cos. II. P. P. IV. Viri Viarum.

Alias inscriptiones exhibent Scaliger, atque Casa bonus. Ille loco laudato, hic Annotationibus in Spartianum *c.* 6. Hanc Orosius & firmat sententiam: *Idem quoque continuò Pater Patriæ, in Senatu, ultra morem majorum appellatur.* Qui serius superioribus Augustis honos is à Senatu deferebatur, primo imperii anno Adriani collatus est. Nobis Pagii explicatio probari non potest, quòd Adrianus quem admiserat titulum, posteà recusarit, & quemadmodum primâ vice, paulò post gratum habuerit, iis festis quibus novos Augusti titulos usurpabant. Cui invento nullum exemplum favet.

Oros. l. 7. c. 13.

Indulgentia Adriani ad præteritum, futurum ne revocanda?

III. Magnis Adrianus indulgentiis, benevolentiam Romanorum sibi comparavit. Post vel partas victorias, vel susceptum imperium, vel Cæsarum adoptionem, aurum coronarium exigebatur, quod Adrianus Italiæ remisit, in Provinciis minuit, & quidem difficultatibus ærarii ambitiosè ac diligenter expositis. Ancyrano in monumento gloriatur Augustus, se quotiescunque Imperator est appellatus, aurum coronarium non accepisse. Ad colligendam gratiam Adrianus nihil prætermittens, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus, in urbe, atque Italia, in Provinciis verò, etiam ex reliquis ingentes summas remisit, Syngraphis in foro Divi Trajani, quò magis securitas omnibus roboraretur incensis. Indulgentiæ quoque meminit Dio, cujus verba in observatione ponenda: *Ut primùm Romam*

Spart. Adr. c. 6.

Spart. Adr. c. 7.

Dio l. 69. 791.

ANNO DOM. 118.

venit, quidquid aut fisco Principis, aut publico Pop. Romani ærario debebatur, remisit, definito tempore annorum sexdecim, ex quo, & quousque id beneficii collatum esse voluit. Hujus liberalitatis memoriam consecravit vetus inscriptio, quæ etiamnum Romæ legitur:

Numini. Deorum. Aug. Jovi. Opt. Max. Ædem. Voto. Suscepto. Q. Lepidus. M. F. M. Curius. M. F. Coss. III. S. P. Q. R.

Imp. Cæs. Divi. Trajani. Parthici F. D. Nervæ Nep. Trajano. Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. II. Coss. Quod. Univ. Omnium Principum. & Solus. Remittendo. sestertium. novies. millies. centena millia n. Debitum Fiscis non præsentes tantum cives. suos. sed & posteros eorum præstitit hac liberalitate securos.

Hanc paululum immutatam inscriptionem exhibent Scaliger atque Casaubonus: *Fisci non præsentes modo, sed & posteros suos.* Nos magis fidem adhibemus Baronio, Mabillonoque testibus ocularis, qui inscriptionem suppeditant, ille Annalium anno 120. Hic Analect. t. 4. 486. Ex hac inscriptione, nec non Dione, apparet in præsentem annum conferendam esse Adriani liberalitatem. Est quoque vero proximum, die natali imperii, quo secunda Trib. Pot. incipiebat, hanc Adriani indulgentiam esse publicatam. Quam ex accurata doctissimi Gassendi æstimatione, quæ aliis omnibus videtur anteponenda, librarum Gallicarum summam facit 83750900. Illud porro in dubium cadit, sexdecim indulgentiæ anni, de futuro, præteritove tempore sint intelligendi? Pagius *à præsenti anno usque ad Adriani Quindecennalia*, collatum beneficium esse voluit. Nobis verò longè verisimilius ad præteritum tempus spectasse liberalitatem. (Pag. Crit. an. 118. n. 3.) Testantur phrases, quæ tum à Dione, cùm à Spartiano usurpantur. Græca sunt τὰ ὀφειλόμενα, *quæ debita erant*, præteritum etiam imperfectum est apud Spartianum *debebatur*. Vectigalia autem annorum, qui Adriani ad usque Quindecennalia lapsuri erant, nondum fisco debebantur, aut solvenda fuere. Sed & incensæ in foro Trajani syngraphæ, ostendunt, potuisse tum temporis condonatam à debitoribus summam exigi. Jure autem vectigalia, quæ Adriani in Quindecennalia ventura erant, præsente anno imperari non poterant, quia non erant in debitis. Denique ad Adriani spectat & indulgentiam vetus inscriptio, quæ anno sequente posita est, cujus meminere Baronius atque Casaubonus:

Imp. Cæsar. Trajanus. Hadrianus. Aug. P. M. Trib. P. Cos. III.

Reliqua vetera. HS. novies mill. abolita.

Ait *vetera*, quia præteritorum, non verò *futurorum* sexdecim annorum fuit.

Spectacula ab Adriano exhibita.

IV. Præterea spectaculis Romanorum oculos Adrianus pascere voluit, quæ die natali suo gratis dedit, ubi ita magnus numerus bestiarum cæsus est, ut simul leones centum ac totidem leænæ confectæ fuerint. Mille feras editas fuisse, gladiatoriumque munus per sex dies continuos, testatur Spartianus. (Dio l. 69. 791.) Dona in theatro & circo, viris atque mulieribus, separatim in globulis missilibus dedit, & ne mulieres cum viris lavarentur, vetuit.

Euphrates moritur obit.

V. Quo anno hæc facta sunt, Euphrates Stoicus mortem obiit voluntariam, cùm ei Adrianus propter senectutem, & morbum, cicutam bibere concessisset. Erravit Chronicum Hieronymi, dum confert Euphratis mortem in annum Christi CXXI. triennii metachronismo. Eo tempore florebant Plutarchus Chæroneus, & Sextus, & Agathobulus, & Oenomaus. Imperante Trajano Plutarchus scripsit librum, qui *Apophthegmata* scribitur, quem & huic Principi dedicavit.

ANNO DOM. 118.

De Eustachii martyrio.

VI. In Christianos acerbè sævitum ab Adriano, sub imperii ingressum, ut pœnarum atrocitate, à fide desciscerent, scriptum Baronio: (Bar. an. 120. n. 4.) *Quamobrem Romam reversus, Eustathium, qui Placidas olim dictus erat, diuturnâ militiâ spectatissimum, certo jam signo Christianum detectum, exploratâ tum ipsius, tum conjugis Teopistæ & filiorum fide, cùm ab instituto divelli non posse cognosceret, leonibus tradi jubet, sed cùm adblandirentur, majori excandescens irâ Princeps, bovem aneum parari jubet, intra quem igne candentem immissi Martyres, gloriosum martyrium consummarunt XII. Cal. Octobris.* Ex *martyrio S. Eustathii, qui & Placidas*, traditionem haustam esse, pro certo habemus: libri meminit Damascenus oratione tertiâ de Imaginibus p. 793. Maximum pulcherrimumque cervum, dum persequitur Placidas, in ejus cornibus sanctæ Crucis apparuit imago, adeò fulgens, ut vinceret Solis splendorem; in medio autem cornuum forma videbatur corporis Christi. Cervus acceptâ loquendi facultate, Placidam compellat: *Quid me persequeris Placida? Ego sum J. Christus, quem ignorans venaris.* (Niceph. l. 3. c. 29.) Ex eo fonte hortos irrigavit suos Nicephorus, qui tradit Eustathium, unà cum uxore, & filiis, in æreum taurum igne candentem, conjectum, vitam cum morte commutasse, ita tamen ut defunctorum ne pilum quidem ignis consumpserit. Atqui supplicium, quo periisse dicuntur, fabulæ indicium est. Romanos simili pœnâ quandoque sontes affecisse, inauditum in omni memoria. Tam nova, tam inusitata tormenta viris nobilissimis injuncta, sævissimis Adrianum persecutoribus inseruissent, quorum in numero à vetustis Scriptoribus non collocatur, non ab Eusebio, non à Lactantio, non à Tertulliano. Neque Adonis Martyrologium Baronio præsidio est. Etenim quæ de Natali Eustachii, Agapiti, Theopisti atque Philistæ feruntur, ab aliena manu Adoni inserta sunt. Nullum profectò horum Martyrum vestigium est in Calendario Rosuedi, quod vetus Martyrologium Romanum appellatur. Quod admirationem efficit, si Romæ jubente Adriano Eustathius cum liberis, uxoreque candenti tauro æneo inclusus est. Ignoscant nobis Actorum Martyrum collectores, si narrationibus ejusmodi fidem detrahimus, quas & Annalibus Ecclesiasticis indignas existimamus. Hujus Martyris Ecclesiam etiamnum esse Romæ, ubi in Viri illustris, qui cuncta sua pauperibus clargitus est, solemnes Agapæ frequentari consueverunt, docet Baronius, qui & in antiquo Rituali, hanc se legisse orationem tradit: *Da, Domine, famulo tuo N. sperata suffragia obtinere, ut qui pauperes tuos in tua Sancta Ecclesia recreavit, Sanctorum simul omnium & B. Martyris Eustathii & sociorum ejus mereatur consortia, cujus nunc est exempla secutus per Christum.* (Baron. Martyr. 20. Sept.) At plurimos Eustathios nomine, Martyres fuisse tenemus. Illud unum quærimus, num vir bello clarus, qui Placidas Eustathiusque vocabatur, Adriani mandato, bovi æneo candenti inclusus perierit? Quod negamus. Non apta satis est ea nominum conjunctio,

ANNO DOM. 119.

junctio, quibus subditus ille Martyr afficitur. Eustathius Græcum, Placidus Romanum est vocabulum.

ANNO U. C. 872. PER. JUL. 4832. JUL. 164. DOM. 119. ADRIANI X. & 3. *Sol.* 16. B. *Lun.* 6. *Indict.* X. *Epact.* I. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *Apr.*

COSS. *Adrianus Augustus* III. *& Rusticus.*

Adriani in Mœsiam profectio.

I. TErtium Adrianus Consulatum & quatuor mensibus tantùm egit, & in eo sæpè jus dixit. Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit. Audito deinde tumultu Sarmatarum & Roxelanorum, præmissis exercitibus Mœsiam petiit. Roxelani Scythæ sunt populi, de quibus Strabo: *Super Borysthenem vero habitant Roxelani, cognitorum novissimi Scytharum.* Prima hæc fuit Adriani expeditio, post reditum in urbem, quæ tertio Consulatu ejus contigit, quando cusi nummi expeditio Augusti Coss. III. S. C. Hoc quoque anno bellum contra Sauromatas gestum, narrat Eusebius in Chronico. Adeò militares ejus exercitus erat, ut equitatus Batavus armatus Istrum nataru transiverit. Quæ cùm viderent Barbari, ob virtutem Romanam obstupefacti, & inter se coeuntes, Hadriano controversiarum suarum arbitro utebantur. Ad eam referri expeditionem possunt, quæ de Rege Alanorum *Phatasmane* commemorat Spartianus. Querebatur de imminutis stipendiis. Adrianus *cognito negotio, pacem composuit.* Salmasianam sequimur emendationem, qui vocem Alanorum in vicem *Roxelanorum* substituit.

Spart. Adr. c. 6.

Dio l. 69. 792.

Spart. Adr. c. 6.

Mors Palmæ & L. Quieti.

II. Intereà veræ falsæne, incertum, insidiæ tamen structæ feruntur adversus Adrianum. Autores Nigrinus Ælii Veri socer, quem etiam sibi successorem destinaverat Adrianus, Lusius Quietus, Palma, Celsus, conjuratorum præcipui. Sacrificanti, vel venanti insidiæ parabantur. Quod utrumque tempus opportunum consiliis ejusmodi. Quare Palma Terracinæ, Celsus Baiis, Nigrinus Faventiæ, Lusius in itinere, Senatu jubente occisi sunt. Aliis remissa pœna.

Spart. Adr. c. 7.

De Alexandro Papa.

III. Hoc anno mortalitate interceptum esse Evaristum, docet Annalium parens: *Cùm sedisset annos* IX. *& menses tres,* XXVI. *Octobris martyrio coronatus est.* Ex Indice verò Rom. Pontificum, ab Honorio tertio collecto, statuit Alexandrum Episcopatum iniisse. Quam à veri tramite deflectere Chronologiam persuasum habemus. Etenim Pontificatus Hygini in annum Christi CLII. incideret. Proindèque Marcion, qui Hygino defuncto se Romam contulit, delapsus in errorem fuisset post annum CLVI. quod falsissimum esse demonstrat Justini Apologia, ante hoc temporis scripta, quæ Marcionis meminit, ut notissimi Hæretici, qui familiam ducebat Romæ. Catalogus Bucherianus Evaristi mortem anno Christi CVIII. alligavit. Quod non prorsus abhorret ab Eusebio: *Eodem tempore, cùm Evarestus annos octo in Pontificatu exegisset, Romæ Episcopatum suscepit Alexander.* Imperabat ergo etiamnum Trajanus, cùm naturæ cessit Evarestus, qui anno Trajani tertio, Clementi successit. Obiit ergo Evarestus ex calculo Eusebiano, Trajani XII. qui annus est Dionysianus CIX. à quo Catalogus Bucherianus Alexandri ducit initium, Palmâ & Tullo Coss. Eusebius quidem modò octo, modò novem annos vindicat Evaresto; sibi tamen non repugnat, quia priore loco *completos*, posteriore *incompletos* in mente annos habet. Trajani quoque temporibus sedisse Alexandrum, creditum Autori Decretalium, qui duas Epistolas Trajani & Æliani, tertiam vero Æliani & Veteris Consulatu notavit, qui annus est Dom. CXVI. Quin regnante quidem Trajano & obierit Evarestus, & sederit Alexander, vix dubitamus, etsi de annis, quibus Episcopatum & inierunt, & reliquerunt, nobis non constet. Cestriensis Episcopus Evaresti mortem confert in annum Christi XCI. Dodwellus in XC. Pagius in CVIII. Facilius inter horologia, quàm inter Chronologos ea de re conveniet. De Alexandro hæc memoriæ prodiderunt: *Alexander natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione caput tauri, martyrio coronatur, & cum eo Eventius Presbyter, & Theodulus Diaconus. Qui & sepultus est Via Numentana, ubi decollatus.* Quos à recentioribus colores Alexandro accommodatos esse, quo illustrior foret historia ejus, existimamus. In Antiquioribus sanè Catalogis patris nomen, locus & nativitatis, & sepulturæ Alexandri desideratur. Neque in urbe regio ulla fuit, nomine *caput tauri.* Octavium Augustum ad *capita bubula* editum fuisse, testatur Suetonius c. 5. Quæstionis tamen est, foretne urbis regioni nomen. Invenias enim, qui partem urbis, ubi natus Augustus, *lautas carinas* fuisse nominatam scribant. Deinde valdè discrepant vocabula, *caput tauri*, & *capita bubula.* A Palmæ & Tulli Consulatu ad usque Ælianum & Antistium Veterem, sive ab anno Christi CIX. ad usque CXVI. Alexandrum sedisse, Damasi in Chronico legitur: *Alexander annis* VII. *mensibus duobus, die uno.*

Bar. An. 121. n. 1.

Eusb. l. 4. c. 1.

Eusb. l. 3. c. 34.

ANNO DOM. 119.

Alexander Papa obiitne martyrio? Acta ejus subdita esse contra Shelstratum demonstratur.

IV. Porrò etsi Alexandrum Papam *tertio Maii* martyrio coronatum legamus, non dissimulabimus tamen, nobis in ea re fieri scrupulum. Sunt enim viro, cui veritas cordi est, traditiones ejusmodi, non populari quidem, sed artificis staterâ examinandæ. Atqui Irenæus in suo de Pontificibus R. Catalogo, Alexandrum non afficit Martyris titulo, quo tamen *Telesphorum* ornat. Quid causæ fuit Irenæo, cur Alexandrum non iis apponeret, qui Ethnico furori sanguinem dedere, perinde atque Telesphorum Martyribus inseruit? Non etiam locum inter Martyres obtinet Alexander, sive in Depositione Martyrum, sive in Chronico Damasi apud Bucherium. Neque Martyrem sciverunt Eusebius atque Hieronymus: *Anno Principatus Adriani tertio, Alexander Romanæ urbis Episcopus fato functus est.* Nulla autem hoc anno persecutio mota est in Ecclesiam R. Quibus etiam accedat, quòd ex Chronologia Eusebii atque Hieronymi, Alexander superstes Trajano fuit, à quo tamen morti missum fuisse, Martyrologia prædicant. De martyrio tamen *Alexandri* magnoperè Shelstratus pugnat, ex Actis Alexandri, quem sic compellat Judex *Aurelianus*: *Quæ tanta rei causa est, ut optetis magis occidi quàm vinci?* Respondit Alexander: *Jam tibi dixi, non licet Sanctum dare canibus.* Tunc Aurelianus: *Numquid ego canis sum? Cessent verba, quia prastò sunt verbera. S. Alexander dixit, Ego non timeò verbera ista, quæ tempore transeunt, & in celeritate finem inveniunt, sed illa tormenta timeo æterna, quæ tu non times. Tunc iratus Aurelianus, jussit eum levari in equuleo, & torqueri ungulis, atque lampadibus attrectari. Cùmque diu hoc faceret,*

Eusb. l. 4. c. 4.

Anno Dom. 119.

ret, & ille nollet emittere vocem, dicit ei Aurelianus, Quare taces? S. Alexander dixit, Quia tempore orationis homo cum Deo loquitur. Cum Alexander Evantio alligatus, *in furnum candentem* jaciendus esset, dixit Theodulo, quem stare Judex præceperat, ut Martyrum territus passione, sacrificaret Idolis: *Frater Theodule, festina, veni hic, quia illic quartus, qui inter pueros Hebræos apparuit, hic nobiscum est.* Ubi nuntiatur Aurchann, Theodulum in ignem insiliisse: *Evantium & Theodulum jussit decollari, S. verò Alexandrum pungi per tota membra præcepit.* Martyrum corpora uxor Aureliani *Severina* sepulchro condidit. Egregiis hisce monumentis Shelstratus, libro cui titulus, Antiquitas Ecclesiæ, Dissert. 2. c. 3. contendit Alexandrum palmam retulisse martyrii. At Alexandri Actorum autoritatem multum deterit Eusebii Hieronymique Chronologia. Cùm enim inficientur Alexandrum sub Trajano periisse, vulnus insanabile infligunt, & Actis, & Alexandri martyrio. Ut longè satius sit ex Eusebio, ac Hieronymo Acti evertere fide, quàm ex Actis fidem Alexandri astruere martyrio. 2°. Pugnant Acta Damasi Chronico, à quibus Alexandri mors & Trajani, in unum eundemque annum conjicitur. Simul atque Trajanus audivit, *Hermetem Præfectum*, cum uxore, liberis, servis fuisse baptizatum, *misit Aurelianum Comitem utriusque militiæ, de Seleucia Isauriæ ad interfectionem, omnium Christianorum: unde nutu Dei, eodem anno defunctus est Trajanus.* Atqui Damasi ex Chronico obiit Alexander an. CXVI. *Æmiliano & Antistio Vetere Coss.* Falsum igitur est, eodem anno cum Alexandro Trajanum ad plures abiisse, utpote qui anno duntaxat CXVII. vitam cum morte commutavit. 3°. Acta hæc legitima non esse, ostendunt multa novitatis vestigia: *Hermetem Præfectum Alexander baptizavit, cum uxore, sorore, filiis, servis suis, & uxoribus quoque eorum & filiis, quos omnes in die S. Pascha prius fecit fieri ingenuos, & ita baptizari postea.* Ætate Alexandri constitutâ non erant baptismo solemnia Paschatis tempora, neque vigebat adhùc arcani disciplina, cujus Actorum Autor cultorem Alexandrum exhibet. Hæc omnia Justino Martyre posteriora sunt, ut ex ejus Apologia secunda constat, quæ annis circiter XXIII. post Alexandri obitum Antonino Pio oblata est. Stilus etiam Actorum v. g. *servis suis*, pro *servis ejus*, Hermetis scilicet, tempus indicant à Trajani ævo longè remotum. Quod & apertissimè clamat titulus, *Comitis utriusque militiæ*, quo Aurelianum induere, significando munus Præfecti Præt. Fuere anni plures post Constantinum, cùm orta *Comitum rei militaris hæc appellatio*, quam Augustæ historiæ Scriptores non usurpant, non Am. Marcellinus. Meminit sæpius Vegetius. Comes militiæ is fuit, qui legioni præficiebatur, hoc est, Tribunus militum. *De Comitibus rei militaris* extat lex in Cod. Justin. L XII. tit. 12. Antiquitatis ignarus omnis Actorum Autor, *Aurelianum* induit dignitate *Comitis utriusque militiæ*: ac cùm aliundè novisset, imperante Trajano Ecclesiam fuisse laceratam, Alexandrum pro Martyre, absque ullo Veterum suffragio nobis obtrudit.

Tres Alexandri Epistolæ subditæ.

V. Alexandri Papæ tres Epistolæ vindicantur. Prima sex capita complectitur. 1°. De iis qui Sacerdotes accusant, vel persequuntur. 2°. De Scriptura, vel confessione per vim extorta. 3°. Si quis adversum Episcopum, vel Actores Ecclesiæ querelam habuit. 4°. Ut in oblatione sacramentorum commemoretur passio Christi, & ut & panis tantùm, & vinum aquâ mixtum offeratur. 5°. De benedictione salis & aquæ, sive cæterorum elementorum. 6°. De Trinitate & unitate Deitatis. Scripta est *omnibus Orthodoxis per diversas Provincias Christo famulantibus.* Certis ea Epistola indiciis falsa esse deprehenditur. Phrasis hæc, *Devent Domini Sacerdotes* ignota tempore Trajani. Cap. primo exhibentur *Primates*, quorum munus nondum exortum fuerat. C. 3. fit mentio *Auditorum*, vel *Actorum* Ecclesiæ, quâ ultimâ voce designantur Episcopi, quibus Patres secundi seculi id nominis non imponebant. Benedictio *aquæ salis conspersa*, quadringentis amplius annis Ecclesiæ in usu non fuit, ut mox demonstrabitur. Caput sextum integram paginam exscripsit ex Idacio Claro adversum Varimadum, ne verbulo quidem mutato, nisi quòd vocem *Arianorum* expunxit. Denique falsa est Consulum inscriptio, data IX. Kal. Augusti:

Trajano & Æliano Viris Clarissimis.

Secunda Epistola de causis & gravaminibus Episcoporum agit. Tertia mandat ut vitentur detractiones, & injustæ pulsationes. Illa Episcopis per diversas constitutis regiones, hæc omnibus divino Sacerdotio fungentibus mittitur. Quæ ex eadem officina Epistolæ prodeunt, ac prima illa quam confutavimus, Oseam citat ex versione Hieronymi Epistola, quæ ad omnes Episcopos scribitur. Eandem adhibet versionem tertia Epistola, dum Micheam laudat, atque Nahum.

Basilidis, Valentini, Marcionis ortus.

Clem. Stro. l. 7. 549.

VI. Imperante Adriano, exorti complures Hæretici, gravissima in Ecclesiam mala intulerunt Clemente Alex. teste: *Circa tempora Adriani Imperatoris, fuerunt qui hæreses excogitarunt, & pervenerunt usque ad ætatem Antonini natu majoris, sicut Basilides, etiamsi Glauciam sibi ascribat Magistrum, ut ipsi gloriantur, qui fuit Petri interpres. Similiter autem Valentinum quoque dicunt audivisse Theodadem. Is autem fuit Pauli familiaris. Marcion enim, cùm natus esset eâdem quâ ipsi ætate, versabatur ut senex cum junioribus.* Ex hoc insigni Clementis Alexandrini loco, istorum Hæreticorum discimus ætatem, imperium videlicet Adriani. De illis sanè qui initiis Antonini Pii non antecessere, dici non posset ad usque ætatem ejus pervenisse. Ut nil pugnæ sit, Basilidem *Glauciæ*, Valentinum Theodadis magisterio usum fuisse, quomodo & Simon Magus Philippum Evangelistam, Petrumque docentes audiit: ut à præceptorum tamen suorum disciplina nefariè tandem recesserint. Non ita est profectò, quòd tam hebetes fuerint Basilides, atque Valentinus, ut tantis Doctoribus gloriarentur, nisi ætate suâ permissi fuissent ipsorum scholam ingredi. Secus sua jactantia fuissent omnibus ludibrio. Neque Clemens Alexandrinus ex Chronologia gloriationem comprimit Hæreticorum, quasi ipsos novitas sua Theodadem audire, atque Glauciam inhibuisset. Quod argumentum erat in promptu. Imò quia memoriæ prodit, hominum monstra hæc lucem aspexisse, dum vitâ Adrianus, imperioque potiebatur, eo sanè testatur, nil ex temporum serie impedimenti fuisse, quominus audierint viros Apostolicos, qui Paulo & Petro familiariter usi sunt. Etenim ab anno Domini LXVI. quo probabile fit Sanctis Apostolis mortem esse imperatam, ad usque

Adriani

ANNO DOM. 119.

Adriani quartum, anni sunt solummodò quatuor & quinquaginta. Nostro itaque judicio eruditissimus Larroquanus, observationibus in Vindicias Ignatianas, clarissimo largiri Pearsonio potuit, non vanam fuisse Valentini Basilidisque gloriationem. Clemente antiquior Justinus Martyr testatur etiam, Adriani temporibus Hæreticos, de quibus mentionem movemus, ex inferis prodiisse. Scripsit cum Tryphone dialogum, non multò post oblatam Antonino Pio Apologiam. In dialogo autem meminit Hæreticorum: *Et sunt eorum quidam, qui vocantur Marcionitæ, quidam verò Valentiniani, Basilidiani, Saturniani.* (*Just. Dial. p. 253.*) Ut verò tantâ celebritate florerent sectæ ejusmodi, eo anno, quo conditus est imperante Antonino Pio, Justini cum Tryphone dialogus, aliquid vetustatis ipsis inesse oportuit. Itaque eorum Hæreticorum incunabula Adriani imperium habuit, quod disertis quoque verbis de Basilide Græcum Eusebii Chronicum testatur. Quippe primo Olympiadis CCXXVIII. anno, qui Christi est CXXXIII. Hiberi & Sisennæ Consulatu insignis, hæc refert Eusebius: *Basilides Hæresiarcha Alexandrinus, ex quo Gnostici.* (*Chron. p. 212.*)

Basilidi Valentinoque fuitne Marcio antiquior?

VII. At uter antiquior, Valentinus, an Marcio? Si Clementi credimus, senior Marcio. Verùm enimverò quin Valentino Basilideque Marcio junior fuerit, non ponendum in dubio. De Valentino Irenæus: *Valentinus Romam venit Pontificatu Hygini, viguit autem temporibus Pii, & ad Anicetum usque permansit. Cerdon verò, qui Marcionem antecessit, ipse quoque Pontificatu Hygini, qui nonus fuit Episcopus, cum ad Ecclesiam venisset, & errorem suum confessus esset, ita deinceps perseveravit.* (*Iren. l. 3. c. 4.*) Consentit & Epiphanius Irenæo: *Marcion Romam post Hygini Episcopi obitum sese contulit. Eò statim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhùc supererant, ut in communionem admitteretur, frustra petiit.* (*Epiph. h. 42. n. 1.*) Itaque vel memoriâ erravit Clemens, vel verba ejus fuere interpolata, ut *ὡς πρεσβύτης νεωτέροις*, scribi debeant *ὡς πρεσβυτέροις νεώτερος*, *ut cum Senioribus junior*, quæ doctissimo Isaaco Vossio emendatio placuit. Quam Baronius Clementis versionem profert, quoque ea habet, *cum Senibus junior.* Sic Clementi cum aliis erit concordia. Cæterùm etsi viribus mortalium editius sit, Hæreticorum initia explicatius tradere, temporis tamen generalis hæc observatio nobis lucro erit ad historiam illustrandam.

ANNO DOM. 120.

ANNO U. C. 873. PER. JUL. 4833. JUL. 165. DOM. 120. ADRIANI 3. & 4. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 7. *Indict.* 3. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 7. I. P. I. *Apr.*

COSS. *L. Catilius Severus, T. Aurelius Fulvus.*

Acta Adriani.

I. TRistissimam de se opinionem moverat Adrianus, quòd occidi passus esset uno tempore quatuor Consulares: *Ad eam refellendam, statim Romam venit, Dacia Turboni credita, titulo Ægyptiacæ Præfecturæ, quò plus haberet autoritatis, ornato.* Hoc est, Daciæ Præfectum, participat etiam titulo Ægyptiacæ Præfecturæ, delatis Præfecti Augustalis ornamentis. Etenim præmiis, titulis, insignibusque majoris ordinis, viri illustres quandoque decorabantur. Ad comprimendam verò de se famam, Adrianus in Senatu excusatis quæ facta erant, juravit se nunquam Senatorem, nisi ex Senatus sententia punitorum, congiariumque duplex populo dedit. Et in concione sæpè dixit: *Ita se Rempublicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam.* (*Spart. Adr. c. 7.*) Hæc grata Romanis, molesta verò quòd theatrum à Trajano in campo Martio positum, contra omnium vota destruxit. Et hæc tristiora videbantur, quòd omnia quæ displicere vidisset Adrianus, mandata sibi ut faceret, decreto Trajani esse simulabat.

Attiano abrogatur Prætorii Præfectura.

II. Celius Attianus, Eques Romanus, unà cum Trajano tutor Adriani fuerat. Sed & Prætorio Præfectum agebat, quibus elatus, superbiæ aliquid contraxerat. Cùm igitur Attiani potentiam ferre Adrianus non posset, nisus est eum obtruncare, sed revocatus est, quia jam quatuor Consularium occisorum, quorum quidem necem in Attiani consilia refundebat, premebatur invidiâ. Cui cùm successorem dare non posset, qui non petebat, id egit ut peteret: atque ubi primùm potuit, in Turbonem transtulit potestatem. (*Spart. Adr. c. 9.*) Spartiano tutor Adriani, Prætorioque Præfectus Tatianus vocatur. Attianum tamen appellandum esse, nulli dubitamus, freti Dionis autoritate: *Attianum qui municeps Adriani erat, curatorque fuerat* &c. (*Dio l. 69. 788.*) In optimo quoque codice Palatino Salmasius Attianum scriptum reperit. Attianum tamen non prorsus neglexit, quem ex Præfecto Prætorii ornamentis Consularibus præditum, Senatorem fecit, ostendens nihil se amplius habere, quod in eum conferri posset. (*Spart. Adr. c. 8.*)

Similis Præfectura Prætorii abit.

III. Erat & alter Præfectus Prætorio *Similis*, qui nemini moribus, & virtute secundus erat. Quo tempore Centurionem agebat, cum Trajanus ante Præfectos advocaverat. Cui dixit, Turpe est tibi, Cæsar, cum Centurione, Præfectis foris stantibus, te colloqui. Idem Prætoriorum Præfecturam invitus acceperat, & acceptam deposuit. Vix tandem dimissus, ruri reliquos septem vitæ annos exegit, suoque sepulchro moriens inscribi jussit: *Hic jacet Similis, cujus ætas quinquaginta annorum fuit, ipse septem duntaxat annos vixit.* (*Dio l. 69. 796.*) Dissentit tamen à Dione Spartianus. Etenim apertè satis indicat, Adrianum *Simili* offensum Septicium Clarum ei successorem dedisse: *Summotis, inquit, his à Præfectura, quibus debeat imperium.* (*Spart. Adr. c. 9.*) Quibus peractis, Campaniam petit, ejusque omnia oppida beneficiis & largitionibus sublevavit.

Saturnilii hæresis.

IV. Flebilem nunc materiam ingredimur, impuras Hæreticorum opiniones, quibus animas labefactarunt. Ex Menandro Simonis discipulo, exorti duarum inter se discrepantium hæreseon duces, *Saturnilius*, & *Basilides*. Basilide paulò antiquior erat Saturnilius, teste Hæreseon Catalogo apud Tertullianum. Quippe agitatâ Saturnilii mentione, subjungit c. 46. *Posteà Basilides Hæreticus erupit.* Saturnilius domo Antiochenus. De nomine discrepant Autores; Irenæo quippe, Eusebio, aliisque vocatur *Saturninus.* Magis tamen Justini Martyris, qui & antiquior, & Palæstinus fuit, sententiæ sumus, qui *Saturnilii* nomine impurum hominem afficit. Justinum sequuntur Epiphanius, atque Theodoritus. Ille Hæresi XXIII. hic Hæreticarum fabularum libro primo. Statuit autem Saturnilius, unum esse patrem ignotum, qui virtutes, Principatus, potestates creaverit. Angelos à superiori virtute descivisse, ex quibus septem mundum condiderunt, partemque terrarum orbis suam quemque Angelum divisione sortitum.

Anno Dom. 120.

Hominem Angelorum opus esse, à quibus dictum, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Eâ porrò ratione conditum fuisse narrabat. Cum cœlestis luminis, quod repentè ex oculis evanuerat, Angeli amore caperentur, nec illius jucunditate satiari possent, dixerunt: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Addebat impostor, Duos homines principio esse factos, bonum unum, alterum malum, à quibus duplex item genus hominum, bonum scilicet & malum propaginatum. Affirmabat etiam Christum incorporeum fuisse, nullâque formâ præditum. Hinc Philastrio scriptum de Saturnilianis: *Christum umbratiliter apparuisse affirmant, non carnem hominis veram, & animam accepisse, atque omnem œconomiam mysterii Salvatoris ita complevisse.* Subjiciebant, Deum Judæorum unum ex Angelis esse. Ad bonos sublevandos ope suâ, malosque cum Dæmonibus profligandos, Servatorem advenisse. Uxores ducere, liberosque gignere à Diabolo esse. Quamobrem plerique ex Saturniliani disciplina animatis omnibus abstinent, ut affectato illo sanctioris vitæ genere nonnullos suum in errorem pelliciant. Hæc tradunt Irenæus l. 1. c. 22. Epiphanius h. 23. Theodoritus Hæret. Fab. l. 1. Augustinus de Hæresibus ad Quod vult Deum c. 1. Prædestinatus, quem Sirmundus edidit: *Hos*, inquit, *anathematizavit B. Thomas, docens rationabiliter mundum initium habuisse.* Quæ de Thoma dicit, ea fidem non inveniunt.

Epiph. h. 23.

Philast. c. 3.

Acta Symphorosæ subdita.

V. Anno Domini cxx. Sanctæ Symphorosæ & septem filiorum ejus, contigisse passionem, clarissimi Ruinarti sententia est. Quæ Chronologia ab illa Baronii dissidet, id martyrii in annum cxxxvi. conferentis, Commodo Vero & Pompejano Coss. Horum autem Martyrum in Actis hæc habentur: *Cum fabricasset Hadrianus palatium, & id dedicare vellet ritu illo nefario, cœpissetque sacrificiis Idolorum & Dæmonum, qui in Idolis habitant, flagitare responsa, responderunt & dixerunt, Symphorosa vidua cum septem filiis suis laniat nos quotidie invocando Deum suum. Ista itaque si cum filiis sacrificaverit, promittimus nos omnia præstare quæ petis.* At Symphorosa exemplo viri sui Getulii, qui cum fratre suo Amantio mortem obierat, officii sui monita, flagitatum sacrificium respuit: *Tunc Adrianus Imperator jussit eam adduci ad fanum Herculis, & ibi primò alapis cædi, & post hæc capillis suspendi. Sed cum nullâ ratione, nulloque timore posset eam à bono proposito revocare, jussit eam ligato ad collum ingenti saxo, in flumen præcipitari. Cujus corpus colligens frater Eugenius Principalis Curiæ Tiburtinæ, in suburbana ejusdem civitatis sepelivit. Aliâ verò die jussit Adrianus Imperator simul omnes septem filios ejus sibi præsentari. Quos cum ad sacrificandum Idolis provocaret, & nullo pacto eos videret suis minis atque terroribus consentire, jussit circa Herculis Templum septem stipites figi, & ibi eos ad trochleas extendi. Et primum Crescentem præcepit in gutture transfigi. Secundum Julianum in pectore pungi. Tertium Nemesium in corde perciti. Quartum Primitivum in umbilico vulnerari. Quintum Justinum aversum per deorsum perforari gladio. Sextum Stracteum in latere vulnerari. Septimum verò Eugenium à summo usque deorsum findi. Alterâ verò die veniens Adrianus Imperator ad fanum Herculis, jussit corpora eorum simul auferri, & projici in foveam altam, & imposuerunt Pontifices nomen loco illi, Ad septem Biothanatos. Post hæc quievit persecutio anno uno & mensibus sex. Natalis verò Sanctorum Martyrum Christi Beatæ Symphorosæ & septem filiorum ejus Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justini, Stractei & Eugenii, celebratur sub die xv. Kal. Augusti. Eorum corpora requiescunt in via Tiburtina, milliario ab urbe octavo.* Pace Ruinarti, Acta hæc Symphorosæ sinceris germanisque eximimus. His adversantur verba Melitonis, apud Eusebium: *Soli ex omnibus Nero ac Domitianus, malevolorum quorumdam consiliis inducti, religionem nostram criminari studuerunt. . . Verùm imperitiam illorum correxerunt piissimi parentes tui, frequentibus rescriptis objurgantes eos, qui adversus religionis nostræ homines, novi aliquid moliti essent. Inter quos avus tuus Adrianus cum aliis pluribus, tum Fundano Asiæ Proconsuli literas dedit.* Melitoni consentit Tertullianus, qui factâ mentione Neronis & Domitiani, hæc addit: *Cæterùm de tot exinde Principibus, usque ad hodiernum, divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum.* Jam verò sævissimis Adrianus apponi persecutoribus debet, si germana sunt acta Symphorosæ. Quid enim crudelius animo fingi potuit, quàm sævissima mandata, quæ Symphorosæ ejusque filiis mortem imperarunt? Figmentum quoque redolet præceptum, quod ascribitur Adriano, ut in *gutture* Crescens, in *pectore* Julianus, in *corde* Nemesius, in *umbilico* Primitivus vulneraretur, quasi verò non satis Principi fuisset, numinum hostes supplicio mactari, nisi & improbâ diligentia partes designaret corporis, quæ à carnificibus erant perfodiendæ. Prætereà si persecutio *anno uno & mensibus sex* quievit post Symphorosæ martyrium, anno igitur cxxii. recruduit. Quo casu quarta Ecclesiæ persecutio, cum Adriani quidem, non cum M. Aurelii imperio, ab Eusebio numerari debuit. Etsi enim inficiari nolimus imperante Adriano, persecutionis tempestatem afflictasse Christianos, cùm legerimus in Hieronymo Epistola 84. de Quadrato: *Tantæ admirationi omnibus fuisse, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium.* Tamen persecutionem rescriptis jussisve Adriani ortam non esse, eò liquet, quòd Adriano nullam vindicarit Eusebius. Quâ de re videatur annus Dom. cxxxvi. Prætereà quæ palatium consecranti Adriano loquuntur Dæmones, non impetrant fidem: *Symphorosa si cum filiis suis sacrificaverit, promittimus nos omnia præstare quæ petis.* Neque Veterum in monumentis, Dæmones fecerunt unquam sacrificantibus promissum ejusmodi. Non nescimus Diocletiani ministros, cùm assisterent immolanti, imposuisse frontibus suis immortale signum: *Quo facto fugatis Dæmonibus, sacra turbata sunt.* Aliud verò est Dæmones fugere nec respondere, cùm eorum sacris intersunt Christiani; aliud palam editâ voce, multa polliceri bona, si mulier absens cum filiis suis ad immolandum cogeretur. Pollicitationis ejusmodi necdum exemplum ullum invenimus. Veris etiam hæc repugnant: *Cùm fabricasset Adrianus palatium, & id dedicare vellet ritu illo nefario.* Templa numinum fanaque superstitiosis ritibus consecrata fuisse scimus, Palatia Cæsarum nescimus. Quòd si dedicabantur nefariis ceremoniis, ea Christiani non incoluissent, quos tamen Diocletiani in Palatio complures egisse, nos Lactantius docuit. Imò ætate Pauli Apostoli, Christiani erant inter domesticos Neronis:

Acta Mart. p. 18.

Anno Dom. 120.

Euseb. l. 4. c. 26.

Tert. Apol. c. 5.

Lact. de Mort. c. 10.

Salu-

ANNO DOM. 120.

Phil. IV. 22.

Salutant vos omnes Sancti, maximè verò qui sunt ex Cæsaris domo. Neque incolas ejusmodi, passi fuissent Palatii numina. Trepidassent aruspices, nec solitas in extis notas vidissent, domesticos & milites, qui Christi religione imbuebantur, ad nefanda sacrilicia coëgisset, ut qui non paruissent, palatio abigerentur. Hinc de culmine ruunt Acta Symphorosæ, everso fundamento, consecratione scilicet palatii Adriani, quæ causam Dæmonibus præbuit querendi, se à Symphorosa quotidie Deum suum invocante, miserè laniari atque cruciari. Imprudentes, & querulos Dæmones, qui hâc suâ professione virium ostendebant suarum imbecillitatem. Denique Actorum clausula, *regnante Domino nostro J. Christo*, ipsorum ostendit novitatem.

ANNO DOM. 121.

ANNO U. C. 874. OLYMP. 225. PER. JUL. 4834. JUL. 166. DOM. 121. ADRIANI 4. & 5. *Sol.* 18. F. *Lun.* 8. *Indict.* 4. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 2. P. 21. *Apr.*

COSS. *M. Annius Verus II. L. Augur.*

Quis Annius?

I. ANnius ille Verus, avus est Marci Aurelii, qui Antonino Pio successit. Itaque erravit Baronius, qui sine nota numerali eum profert Consulatum. Audiatur Capitolinus: *Natus est Marcus Romæ sexto Cal. Maias, in monte Celio in hortis, avo suo iterum, & Augure Coss.*

Capit. M. Anton. c. 1.

Acta Adriani Romæ.

Spart. Adr. c. 9.

II. Romam ex Campania reversus Adrianus, boni liberalisque non Imperatoris modò, sed viri quoque munere functus est. Prætorum & Consulum officia frequentavit, conviviis amicorum interfuit. Ægros bis ac ter die & nonnullos Equites Romanos ac libertinos visitavit, solatiis refovit, consiliis sublevavit, conviviis suis semper adhibuit, omnia denique ad privati hominis mores fecit. Adriani ex Campania in urbem reditum, probat Nummus à Scaligero exhibitus, & à viris eruditissimis illustratus: *Imp. Cæsar Trajanus Adrianus, Augustus P. M. Trib. P. Coss.* III. *P. P. ann.* DCCCLXXIV. *Nat. Urbis. P. Cir. Con. S. C.* Probabile est Sculptoris errore literam P. loco R. fuisse positam. Valesius legit Circenses concessi, quam Pagius explicationem respuit: *Cùm enim de more ludi Circenses exhiberentur, in Nummis annis Quinquennalium addictis non memorabantur.* Contendit itaque legi debere, *Circus conditus.* Animum tamen advertere debuit, ludos Circenses nono Aprilis editos fuisse, proindèque *extraordinarios* Circenses Urbis natali, qui in XX. vel XXI. Aprilis incidebat, ab Adriano concedi potuisse; qua de causa excusus & nummus fuerit. Quod porrò Quinquennalia hoc anno Romæ ab Adriano exhibita fuisse contendit Pagius, nobis non est verosimile. Etenim Adrianus urbe non profectus fuisset, nisi post Augusti undecimum, quo natale imperii ejus celebrabatur. Hoc autem videtur impossibile, quia peragratis Galliâ, Germaniâ, Britanniâ, currente anno hyemem egit in Hispania. Non nobis etiam de Templo fortunæ urbis, currente anno condito, Valesii quem Pagius sequitur, sententia probari potest. Quam anno CXXI. opinionem nostris ponderibus examinabimus.

Pag. Crit. an. 121. n. 2.

Secunda Adriani extra Italiam profectio.

III. Posteà quàm reversus ex bello Sarmatico, res & urbanas & Italicas ordinasset Adrianus, profectus in Gallias, omnes *causarios liberalitatibus sublevavit.* Id est, egentes & facultatibus defectos, & quibus non sine causa subveniretur, ut optimè conjecit Salmasius *ò mivo*, inde Germaniam transiit; pacisque magis quàm belli cupidus, militem quasi bellum immineret exercuit, tolerantiæ documentis eum imbuens, ipse quoque inter manipulares vitam militarem docens, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo & poscâ, exemplo suo ferre cogebat, quæ asperius jubebat. Vicena millia pedibus armatus ambulabat. Vestem humillimam frequenter accipiebat, sine auro balteum sumebat, sine gemmis fibulas stringebat, capulo vix eburneo gladium claudebat, ægros milites in hospitiis suis visebat. Ergo conversis Cæsaris more militibus, Britanniam petiit, in qua multa correxit, murumque per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret. Septicio Claro Præfecto Prætorii, & Suetonio Tranquillo Epistolarum Magistro, multisque aliis, qui apud Sabinam uxorem, injussu ejus, familiarius se tunc egerant, quàm reverentia domus aulicæ postulabat, successores dedit. Impudicam intelligere familiaritatem verbis *injussu ejus* prohibemur. Si quis conjecturæ locus, Suetonius Tranquillus, qui cum Historico nobis unus videtur idemque homo, Clarusque Prætorio Præfectus, non eo quo par fuit obsequio & observantiâ, in Sabinam Augustam functi fuerant, quam Adriano noverant esse contemptui. Itaque continuò addit Spartianus: *Uxorem etiam ut morosam & asperam dimissurus, si privatus fuisset.*

Adr. Spart. c. 10.

Adrianus Nemausum petit.

IV. Compositis in Britannia rebus, transgressus in Galliam, in honorem Plotinæ Basilicam apud Nemausum opere mirabili extruxit. Quibus colligimus Plotinam nondum implevisse vivendi finem, ut Casaubono aliisque creditum. Putavit ille magnus, Nemausensem Basilicam Templum esse, cujus meminit Dio: *Plotinæ Templum extruxit, & hymnos in eam composuit.* Templa enim Divis consecrata, Ethnicis Basilicæ non dicebantur. Ædem vel Templum scripsisset Spartianus. Basilicæ domus erant Regiæ, vel porticus, in usum negotiatorum extructæ. Nos de Palatio, Plotinæ in honorem condito, verba Spartiani intelligimus. De Caligula Suetonius: *Quin & nummos non mediocris summæ, è fastigio Basilicæ Juliæ, per aliquot dies sparsit in plebem.* Plinius: *Conveniunt in media Basilica, ubi tam palam sportula, quàm in triclinio dantur.* Cicero in Verrem Oratione nonâ: *Qui forum & Basilicas commodis hospitum, non furtis nocentium ornarent.* Post hæc Adrianus Hispanias petit, & Tarracone hiemavit, ubi sumptu suo Ædem Augusti restituit.

Dio l. 69. 792.

Suet. l. 4. c. 37.

Epist. l. 2. 14.

Spart. Adr. c. 12.

De seditione Ægyptiorum ob Apim. Apis descriptio.

V. Dum versabatur in Gallia, Alexandrina seditione turbatus est, ob inventum Apim exorta: *Habet hic vitulus hæc signa. Toto corpore est niger, in fronte habens candorem figura quadrata, in tergo effigiem aquilæ, in lingua cantharum, duplices in cauda pilos.* Itaque nonnisi post longum temporis intervallum Apis reperiebatur. De hoc vitulo Mela: *Rarò nascitur, nec coitu pecoris, ut ajunt, sed divinitùs, & cælesti igne conceptus, diesque quo gignitur, genti maximè festus est.* Ubi verò apparebat, Ægyptii vestimenta quàm plurima ferebant, & celebrando festo operam dabant. Mortuo Api, magnificèque sepulto, quærebant ad id delecti Sacerdotes vitulum priori persimilem, invento, populus luctum finiebat. Sacerdotes, quibus id curæ incumbebat, primùm in Neilopolim vitulum perducebant, in qua diebus

Mela l. 1. c. 9.

Herod. l. 3. c. 28.

bus

Diodor. l. 2. c. 4.

Spart. Adr. c. 22.

bus XL. alebatur. Deinceps in navim contectam, habitaculum aureum habentem, introducentes, & ad Memphim ut Deum ducentes, in Vulcani fano locabant. De Api multa habent Strabo, Plinius, Marcellinus, &c. *Cùm repertus esset post multos annos, turbas inter populos creavit, apud quem deberet locari, omnibus studiose certantibus.* Quo in Spartiani loco hæremus, nec quò nos vertamus habemus. Moris enim constantis perpetuique fuit, Apim deducere Memphiticam urbem. Testis Plinius: *Inventus deducitur Memphim à Sacerdotibus. Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria Populorum.*

Plin. l. 8. 46.

Marc. l. 22. c. 15.

Marcellinus: Apis, inquit, *si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, ducitur Memphim, urbem frequentem præsentiâque numinis Æsculapii claram.* Illud ipsum testantur Diodorus atque Strabo, Memphim Apis fuisse domicilium, publicâ Ægyptiorum religione consecratum. Unde igitur illi tumultus Ægyptiorum de vindicendo sibi Deo hoc suo, inter se pugnantium? Parum abest quin hallucinatum existimemus Spartianum. Hoc ipso anno & Apis inventus, & motæ in Ægypto turbæ. Hinc sibi in mentem induxit, certatum inter Ægyptios, apud quem bos ille Lunæ sacer locari debuit. Vero similiorem tumultus causam exhibet Athanasius:

Athan. Orat. Cont. Gent. t. 1. 26.

Diversis oppidatim vicatimque numinibus, aliis aliorum Deos profligantibus, planè consequitur, ut nihil sit firmi, & ut omnes tandem profligentur. Quippe cùm qui apud alios sunt Dii, aliorum Diis pro victimis mactentur ac libamina fiant, ac rursus quæ istic sunt victimæ, alibi Deorum vicem, & locum obtinent. Ægyptii certè bovem, & quem Apim nominant vitulum sacris colunt: sed eos alii Jovi sacrificant, non quod planè illos ipsos, qui pro numine consecrati sunt, sed quia alios ex eodem armenti genere occidant, eosdem illos ipsos occidere & immolare videntur. Eò pertinent verba Herodoti: *Non eosdem Deos similiter colunt universi Ægyptii, præter Isidem & Osirim. Qui verò Mendesiæ Provinciæ sunt, ii capris abstinentes immolant oves.*

Herod. l. 2. c. 42.

Thebanæ verò Provinciæ, ovibus parcentes, capras immolabant. Ex causis ejusmodi probabile est, admodum ortos esse tumultus, quos de locando Api natos esse perhibet Spartianus.

Basilidis hæresis.

VI. Basilides auditor Menandri, in Ægyptum profectus, ibidem commoratus est. Ut figmenta sua magis commendaret, ea deducebat à Matthia Apostolo. Ex hæresibus, quæ appellatæ sunt à Valentino, Marcione & Basilide, *Gloriantur se Matthiæ opinionem adducere.*

Clem. Str. l. 7. 547.

Alexandriæ versatus, in ea Præfectura venenum sparsit suum, ut suo condiscipulo Saturnilio clarior evaderet:

Epiph. h. 24. n. 1.

Erat, inquit, *ingenitum unum principium, qui solus est omnium parens. Ab hoc procreata mens, à mente verbum, ab hoc prudentia, à qua virtus & sapientia prodiit. Ab utraque porro Principatus, Potestates, Angeli.* Quæ hinc derivatos plures Angelos esse, pluresque cœlos, numero CCCLXV. Qui posteriùs cœlum continent, Angelos mundum constituisse, eorumque Principem esse, qui Judæorum putatur Deus. Christum specie tenus mortalibus apparuisse. Servatorem non esse passum, sed sibi vicarium Simonem Cyrenæum substituisse. Tum ad superos esse subvectum, cùm pro se figendum Simonem dedisset. Animæ soli, non corpori salutem esse. Victimas numinibus immolatas degustare, & persecutionum tempore licenter fidem abnegare, rem esse indifferentem. V. Testamenti Oracula ab Angelis edita esse prædicabat: *Legem autem à Principe ipsorum, qui eduxerit Populum de terra Ægypti.*

Iren. l. 1. c. 23.

Itaque non satis honoris habebat oraculis V. Testamenti. Hinc scriptum Hieronymo Præfatione in Epistolam ad Titum, Basilidem illorum unum esse, *qui Vetus laniant Testamentum.* Basilidianos errores fusè tradunt Irenæus, Epiphanius, Theodoritus. Quatuor & viginti libros in Evangelium scripserat Basilides, Prophetasque sibi confinxerat, *Barcabam & Barcoph*, aliosque nonnullos, qui nunquam extitissent, iisque barbara quædam nomina imposuerat, Magorum more percellendis animis. Quippe magiæ deditis barbara adhibere verba solemne est. Itaque apud Lucianum Alexander Pseudomantis: *Voces quasdam sonans incognitas, nihilque significantes, cujusmodi sint Hebræorum aut Phœnicum, attonitos eos reddebat homines.* Pythagoræ metempsychosim amplectebatur & Basilides, uti nos Origenes docuit Commentario in Epist. ad Romanos *c. v. p.* 171. *Sed hæc Basilides non advertens, de Lege naturali debere intelligi, ad ineptas & impias fabulas, sermonem Apostolicum traxit in Pythagoricum dogma; id est, quòd animæ in alia atque alia corpora transfundantur.*

Eusеb. l. 4. c. 7.

Sectatoribus quoque suis Basilides, Pythagoreorum more, quinquennii silentium indicebat. Porro Evangelium, de quo secundum Castorem Agrippam, Eusebius mentionem fecit, non Christi quidem, sed Basilidis Evangelium fuisse putamus. De impuro homine verba hæc sunt Origenis:

Orig. in Luc. h. 1.

Ausus fuit & Basilides, scribere Evangelium, & suo illud nomine titulare. Quod tradit & Hieronymus, Præfatione in Matthæum. Basilidiano commentario nomen fuit ἐξηγητικά, quorum vigesimum tertium, de iis qui martyrio puniuntur, laudavit Clemens Alex. Stromatum *l.* IV. Quibus non omnem videtur tollere martyrii necessitatem:

Clem. Str. l. 4. 369.

Ne patiantur, inquit, *ob ea quæ mala esse certum est, & extra omnem controversiam, neque maledictis appetiti ut adulter vel homicida, sed accusati quòd sint Christiani, quod quidem eos consolabitur, ne videantur quidem pati. Et si quis qui omninò non peccaverit, accesserit ad patiendum, quod quidem est rarum, tamen ne is quidem aliquid patietur ex paratis à potestate insidiis, sed patietur ut passus est infans, qui videbatur nil peccasse.* Ex Clemente intelligimus, Basilidem opinionis fuisse ejusmodi: *Animam quæ prius peccaverat in alia vita, hic pati supplicium, electam quidem ut puniatur honorificè per martyrium, aliam autem quòd suo purgetur supplicio.* Dies quo Christus adeptus est baptismum, Basilidis familiæ venerationi erat:

Clem. Strom. l. 1. 249.

Basilidis sectatores ejus quoque baptismi diem celebrant, totam præcedentem noctem in lectionibus transigentes, dicunt autem eam esse XV. annum Tiberii XV. mensis Tybi. Hoc est, Februarii XII. Neque improbabile illos ab Ignatio perstringi Hæreticos, ad Smyrnenses Epistolâ: *Abstinent Eucharistiâ & oratione, quia non confitentur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri J. Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam benignitate suâ Pater suscitavit.* Consentaneum quippe Basilidis errori fuit, Eucharistiam respuere, quæ commemoratio est mortis Dominicæ, quam Basilides inficiabatur. Rigidam primâ specie disciplinam colebat, utpote qui solis peccatis, quæ ab ignorante, vel repugnante

ANNO DOM. 121.

te fiebant, veniam pollicebatur, ut in Clemente Alex. reperimus: *Sed ne omnia quidem dicit Basilides, sed sola dimitti involuntaria, & quæ fiunt per ignorationem.*

Strom. l. 4. 390.

Abrasax & Chaulochau Basilidis explicatur.

VII. Illud etiam videamus, quid rei sit celeberrimum Basilidi vocabulum *Abrasax: Omnibus superiorem quandam vim statuit ac Principium, quod Abrasax appellat, ideo quòd ejus vocis literæ* CCCLXV. *numerum efficiunt.* Constat quidem, Græca elementa eum reddere numerum. Cùm autem id vocis Græcè nil significet, & aliunde certum sit, Basilidem Hebræas sibi ascivisse voces, ut majorem hominibus admirationem moveret, hinc vero proximum, *Abrasax* ab Hebræa esse lingua deductum; cujus ex fonte multa hauserunt Hæretici, & Nicolaitæ, & Valentiniani, & Ophitæ. Basilidis quidem in disciplina notissimum fuit *Caulaucau.* De quo vocabulo observabilis Theodoritus: *Servatorem autem & Dominum Caulacuam nominant.* Similiter Irenæus: *Igitur qui hæc dixerit, & Angelos omnes cognoverit, & causas eorum, invisibilem & incomprehensibilem eum Angelis & Potestatibus universis fieri, quemadmodum & Caulaucau fuisse.* Quæ vox duabus Hebræis constat גאל & נוח. גאל *Redemptor* est, quo nomine Christus afficitur Jobi XIX. 25. כוח verò *fortitudinem* significat. Jesum itaque vocabant *Redemptorem fortem.* Hoc sibi vult *Caulauchau.* Sic *Abrasax* quoque Hebræum est. אב *pater* est, ראש *caput*, quo sensu legitur apud Danielem 7. 1. Erit ergo אב ראש *pater præcipuus*, & præstantissimus, qui *caput* est omnium; quod rei significatæ aptè respondet. Hinc Irenæus, *esse autem principem illorum* ἀβραξὰς, vel potius *Abrasax*, ἀβρασάξ. Hieronymus quoque Basilidis: *Deum maximum fuisse Abrasax*, scripto prodit, in Castore Agrippa, & in Amos c. 3. *Basilides qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat Abraxas, & eundem secundum Græcas literas, & annui cursus numerum dicit in Solis circulo contineri, quem Ethnici sub eodem numero aliarum literarum vocant Mythram.* De Abrasax eruditorum judicia exhibet doctissimus Ittigius, dissertatione de Hæresiarchis c. 2. 101. Explicationem Godofredi Vendelini, qui ex Abrasax extundit, *Pater, Filius, Spiritus S. salvatio beneficio ligni*, duplici de causa à nobis non probatur. Prior hæc est, quòd partim Hebraicis, partim Græcis vocibus explicatio constet. Posterior verò, quia pugnat doctrinæ Basilidis, Christum crucifixum esse negantis. Contrà verò Ittigii conjecturam laudamus, qui Hieronymi μίθρα, unde numerus 365. non exurgit, mutat in μείθρας. Duas Baronius Amethystos exhibet, qui disciplinam redolent Basilidianam. In priori visitur homo, cujus membra variis sunt inscripta nominibus. Alterâ manu clypeum, bidentem âltera tenet, extat virga super caput. In postica & tauri caput innixum virgæ. In posteriore amethysto, monstrum exhibet antica, constans duobus serpentibus, & obscurissima figura, in postica legitur ABPACAX. Talismannos esse persuasum habemus. Ex Q. Sereno Samonico id & amuleti exhibet & illustrissimus Purpuratus, anno 120. n. 13.

Epiph. h. 24. n. 7.

Iren. l. 1. c. 23.

Inscribis charta quod dicitur ABPACAΔABPA	ABPACAΔABP
Sæpius, & subter repetis sed detrahe summam	ABPACAΔAB
Et magis atque magis desint elementa figuris	ABPACAΔA
Singula, quæ semper rapies, & cætera figes	ABPACAΔ
Donec in angustum redigatur litera conum	ABPACA
His lino nexis collum redimire memento	ABPAC
Talia languentis conducent vincula collo	ABP
Lethalesque adigent, miranda potentia morbos	AB
	A,

Hier. de Script. Eccl.

De Basilidis obitu hæc habet Hieronymus: *Mortuus est Basilides, à quo Gnostici in Alexandria, temporibus Adriani. Quâ tempestate, & Chochbas Dux Judaicæ factionis, Christianos variis suppliciis enecavit.* Filium habuit, nomine Isidorum, qui parenti discipulus, expositiones edidit in *Prophetam Parchor*, ex quarum libro primo nonnulla proferuntur à Clemente Alexandrino. De morte Basilidis dissentit ab Hieronymo. Tradit enim ad usque Antonii Pii tempora pervenisse, quod etiam vero similius: *Circa tempora Adriani fuerunt, qui hæreses excogitarunt, & pervenerunt usque ad ætatem Antonini, sicut Basilides.*

Strom. l. 6. 462.

Strom. l. 7. 549.

Marci Aurelii nativitas.

VIII. Annus nativitate M. Aurelii Antonini Philosophi, qui Antonino Pio successit, insignitus fuit. Natus est Romæ, sexto Cal. Maias in monte Celio, in hortis, avo suo Annio Vero iterum, & Augure Coss. Cujus familia in originem recurrens, à Numa probatur sanguinem ducere, materna à Salentino Rege pendebat. Educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo avi sui juxta Ædes Laterani. Marco Pater fuit Annius Verus, qui in Prætura decessit: mater *Domitia Calvilla*, Calvisii Tulli bis Consulis filia. Ubi egressus est annos, qui nutricum foventur auxilio, magnis præceptoribus traditus, ad Philosophiæ scita pervenit. Usus est magistris ad prima elementa, *Euphorione* literatore, & *Gemino* comœdo. Usus Grammaticis, Græco Alexandro, Latinis Apro & Pollione, & Eutychio Proculo; Oratoribus Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, Herode Attico, Latino Frontone Cornelio, cui tantum detulit, ut ipsi & statuam in Senatu peteret, Capit. in Marc. Ant. De die tamen natali Marci, difficilem in nodum incidimus. Quippe non sibi consentit Capitolinus: *Cùm*, inquit, *post obitum L. Cæsaris Adrianus successorem imperii quæreret, nec idoneus nepote* XVIII. *annos agens Marcus haberetur.* Quòd si ante Antonini Pii adoptionem, XXV. Februarii factam, Marcus annum XVIII. agebat, sexto Cal. Maias nasci non potuit. Viderint eruditi, an non scripserit Capitolinus VI. *Cal. Martias.*

Capit. M. Ant. c. 5.

ANNO U. C. 875. PER. JUL. 4835. JUL. 167. DOM. 122. ADRIANI 5. & 6. *Sol.* 19. E. *Lun.* 9. *Indict.* 5. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 3. P. 13. *Apr.*

ANNO DOM. 122.

COSS. *Acilius Aviola, & Corellius Pansa.*

I. DUm Tarracone hiemabat Adrianus, sumptu suo Ædem Augusti restituit, omnibus Hispania apud eam urbem in conventum vocatis. Templum, ut in colonia Tarraco-

Acta Adriani Tarracone.

nensi

nensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum, datumque in omnea Provincias exemplum, anno U. C. 768. Druso Cæsare & Norbano Coss. docente Tacito Annalium primo: delectum jaculariter detrectantibus Italicis, vehementissimè cæteria, prudenter & caute consuluit. Qui palam non audebant rebellare, per jocos & facetias animum suum à militia alienum indicabant. Eo quidem tempore, non sine gloria gravissimum periculum adiit. Apud Tarraconem spatiabatur per viridaria, cùm hospitis servus gladio armatus in ipsum furiosius irruit, quem retentum ille ministris accurrentibus tradidit, & ubi furiosum esse constitit, medicis curandum dedit. Patriam verò quanquam magnos ei honores tribuerit, ornavitque maximis muneribus, nunquam tamen invisit. In oratione tamen, quam de Italicensibus, unde ortus fuit, in Senatu habuit, miratus est, quòd & ipsi, & quædam alia municipia, cum suis legibus uti possent, in jus coloniarum mutare gestiverint. Profectus Hispaniâ, quas regiones petierit Adrianus, est in obscuro, Athenas se contulisse, indicat Eusebius: *Adrianus Atheniensibus leges petentibus, ex Draconis & Solonis reliquorumque libris jura composuit.* Eusebium Clarissimus sequitur Pagius, qui à mense Augusto præsentis anni, ad usque vernum tempus insequentis, Athenis constitisse statuit. Quam nostro suffragio Chronologiam commendare non possumus, ut declarabitur inferius. Ex Spartiano quantum assequi conjecturâ licet, videtur potius Adrianus Syriam petivisse: *Bellum Parthicum per idem tempus in motu tantum fuit, idque Adriani colloquio repressum est.*

Spart. Adr. c. 12.

Dio l. 69. 792.

Gell. l. 16. c. 13.

Spart. Adr. c. 12.

Carpocratis Hæresis.

II. Adriani temporibus floruit & impurus Hæreticus, cui Carpocrati nomen. Erat Alexandrinus genere, & ex uxore *Alexandria* Cephalenensi, filium suscepit Epiphanem, qui cùm anno ætatis XVII. excessisset *Sama, quæ est urbs Cephaleniæ, ut Deus est honore affectus. Quo in loco Templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, museum ædificatum est, & consecratum. Et cum est nova Luna, convenientes Cephalenes, tempore quo natus & in Deos relatus est Epiphanes, sacrificant, libantque, & convivantur, & hymnos canunt.* Si per ætatem licuisset, patrem suum impietate superasset Epiphanes. Librum reliquit de Justitia, cujus partes quasdam profert Clemens Alex. & Carpocratianorum impietatem multum adjuvit. Carpocratianorum ortum mulieri cuidam vindicat Origenes libro v. contra Celsum p. 275. *Celsus porro novit & Marcellianos, à Marcellina, & Harpocratianos* (Carpocratianos) *à Salome oriundos.* Dux tanti erroris fœmina, qui & fidem & bonos mores pessumdabat. Hæc autem erant præcipua Carpocratianæ disciplinæ capita: Mundum ab Angelis conditum: Christum ex Josepho Mariaque fuisse procreatum: Animas quæ peccaverant, mitti in corpora, ut ritè expiarentur; experiri omnia oportere, ne egressæ istinc animæ, opere aliquo prætermisso, ob id rursus in corpora compingantur. Hoc verò ipsum esse quod in Evangelio dicitur, *Esto consentiens adversario tuo, dum adhuc es in via.* Nam & custodiam corpus esse interpretabantur, & *novissimum quadrantem*, migrationem animarum, quas accessionibus ad corpora singulis, ultimas actiones obire necesse sit, nullum ut amplius scelus ac flagitium supersit: Uxores & censebat secundum Platonem communes esse debere. *Philtra arte magicâ curiosè elaborata, paredris quoque, & somniorum quoque immissoribus quibusdam spiritibus, aliisque hujusmodi maleficiis, tanquam maximis & pulcherrimis rebus gloriabantur.* Solebant Carpocratiani, quos ad suam sectam fraudulenter pellexerant, illis candente ferro, vel novaculâ, vel acu notam quandam ad imam auriculam imprimere. Hinc fortè natam Itigius putat de Christianis opinionem, quasi occultis notis sese noscerent, quam Minut. Felix opinionem sic refellit: *Nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentia & modestia signo, facile dignoscimus.* p. 26. Dogmata hæc ex Irenæo l. 1. c. 24. Clemente Alex. Str. l. 3. p. 312. Augustino ad Quodvult Deum c. 7. Theodorito hæreticarum fabularum libro primo subjicimus.

Clem. Strom. l. 3. 312.

Euseb. l. 4. c. 7.

Epiph. h. 27. n. 5.

Carpocratiani Christi, & Philosophorum imagines colebant.

Iren. l. 1. c. 24.

III. Floruisse & apud Carpocratianos cultum imaginum, novimus ex Irenæo: *Imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato, illo tempore, quo fuit Jesus cum hominibus, & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum, & reliquam observationem circa eas, similiter ut Gentes, faciunt.* Hic mirari subit Baronium ea scribentem: *Non erant certè ejusmodi, quibus Basilidis sectatores utebantur, quod stultè Novatores fingunt, imagines Christi redemptoris.* Basilidianos habuisse Christi imagines, in monumentis Antiquorum nondum invenimus. Non scripsit sanè Irenæus, quod l. 1. c. 23. de Basilidianis, ab eo scriptum narrat Illustr. Purpuratus, videlicet *Imaginibus uti consuevisse Basilidis sectatores.* At de Carpocratianis id à Patribus traditum, certè certòque scimus, quòd Christi imaginibus uterentur, quæ à *Talismannis* valde discrepabant. Jam auditus Irenæus, addatur & Epiphanius: *Habent porro Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas & argenteas, vel ex alia materia factas, quas esse Jesu effigies affirmant.* De Marcella, quæ sedente Aniceto Romam venit, Augustinus: *Secta*, inquit, *ipsius fuisse traditur socia quadam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adoranda incensumque ponendo.* Itaque si non Basilidis discipulis, certè Carpocratiæ sectatoribus, Christi, Paulique imagines fuere, multum diversæ ab Hieroglyphicis simulachris, nomine *Abrasax* insignitis, quæ Baronius exhibuit. Talia Pilatus simulachra ad Christi similitudinem fieri, jubere non potuit, utpote Basilidis disciplinâ nondum exortâ. Patiatur & illustrissimus Purpuratus, à *Novatoribus* observari, Christi has imagines, à Carpocratianis & occultatas, & erectas, simulque cum Pythagoræ Platonisque simulachris adoratas fuisse: *Erectas*, inquit Epiphanius, *simul omnes adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt.* Quibus luce clarius, nullas tum Christianis fuisse Servatoris imagines, ipsisque exhibitam incensis odoribus, positoque genu, venerationem, ab antiqua Ecclesiæ abhorruisse disciplinâ. Idcircò Christi imagines à Carpocratianis abscondebantur, quia moribus fidelium atque institutis non erant consentaneæ. Cultus quidem, quo imagines afficiebant, ejusmodi *Gentilium ritus* dici non debuit, si Ecclesiæ disciplinam pervasisset. Eò super-

Error Baronii.

Bar. an. 120. n. 10.

Epiph. h. 27. n. 6.

August. ad Quodv. c. 7.

Anno Dom. 122.

superbiæ processit impura secta, ut mundi Redemptorem à se æquari existimaret, quod legitur in Irenæo: *Ad tantum elationis provecti sunt, ut quidam similes se esse dicant Jesu, quidam autem adhuc & secundum aliquid illo fortiores.* Si Philastrio fides, solam Christi animam Carpocras Cœlo donatam prædicabat: *Carnem verò in terra dimissam æstimat.* Nil miri ex tam impia sententia manasse nefandas voluptates, quibus Carpocratiani se ingurgitabant. Quippe maleficas artes exercebant, amatoriasque illecebras excogitabant: utebantur & præstigiis Dæmonum, ut summam in omnia potestatem sibi concessam esse ostenderent. Hinc meritò scribitur Epiphanio: *Quod hominum genus ad Ecclesiæ Dei probrum & offendiculum adornasse, ac submisisse Satanas videtur, quippe qui Christianorum sibi nomen indiderint.* Commentum est Prædestinati: Carpocratianos *damnavit apud Cyprum B. Barnabas, docens eos ministros esse Satanæ, & non debere consitus, Christianum penitùs cum his habere sermonem. c. 7.*

Iren. l. 1. c. 24.

Philastr. n. 7.

Epiph. h. 27. n. 3.

Anno Dom. 123.

Anno U. C. 876. Per. Jul. 4836. Jul. 168. Dom. 123. Adriani 6. & 7. *Sol.* 20. D. *Lun.* 10. *Indict.* 6. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

Coss. *Arius Petinus, Ventidius Apronianus.*

Adrianus in Orientem proficiscitur.

I. VErba Spartiani de bello Parthico, quod *Adriani colloquio compressum fuit*, nos conjecturâ duxerunt ad suspicandum, Cæsarem anno proximo Orientem lustrasse, labente verò ex Asia in Græciam navigasse. Quod his quoque confirmatur: *Post hoc per Asiam, & Insulas ad Achaiam navigavit.* Prius ergo in Asia quàm in Græcia versatus est, cùm ea illa in hanc tenderit. In ea peregrinatione contigisse videtur, quod à est Dione scripto traditum, Hadrianum studiosum venationis fuisse, in eaque claviculam fregisse, & ob eandem crus penè mutilatum habuisse; quamobrem urbem, quam in Mysia condidit, Adrianotheras vocavit, quòd illic & feliciter venatus esset, & ursam occidisset. Equos & canes sic amavit, ut eis sepulchra constitueret.

Spar. Adr. c. 12.

Dio l. 69. 792. Spar. Adr. c. 20.

Adrianus sepulchrum equo suo constituit.

II. Præcipuè Borysthenis equi memoriam carmine & Epitaphio prosecutus est, quod emendatius à Salmasio prolatum, hîc apponere libuit:

Borysthenes Alanus,
Cæsareus veredus,
Per æquor & paludes,
Et tumulos Etruscos,
Volare qui solebat:
Pannonios nec ullus
Apros eum insequentem,
Dente albicanti
Ausus fuit nocere:
Vel extimam salivâ
Sparsit ab ore caudam,
Ut solet evenire;
Sed integer juventa,
Inviolatus artus,
Die suâ peremptus
Hîc situs est in agro.

Gnostici. Quid vox ea sibi velit?

III. Ad res Ecclesiæ nunc convertamus animos. Vetus infamia est in Gnosticis, qui imperante & Adriano, Christianum nomen infestarunt. Vocabulum quod sibi imposuerunt Hæretici, naturâ est suâ honorificum. Hinc Clemens Alexandrinus: *Si Dominus est veritas, & sapientia, & Dei virtus, sicut est, ostendatur, quod revera γνωστικὸς, Gnosticus, qui eum novit.... Oportet autem multa scire τὸν γνωστικὸν, eum qui Gnosticus est*, hoc est, exquisitâ scientiâ præditus. Idcirco vir ille nomine Evagrius, quem Gregorius Nazianzenus Constantinopoli Diaconum ordinaverat, librum condidit, qui *Gnosticus* inscribebatur. Γνῶσις quidem Paulo præstantem Dei notitiam significat. Quò fit ut scribat, *in Christo omnes esse thesauros sapientiæ ac γνώσεως, scientiæ absconditos*: Et inter cælestia dona spiritus recenset, *sermonem γνώσεως, scientiæ*. Vocabulum autem γνωστικὸς à γνῶσις deducitur. Gnostici igitur homines sunt, perfectâ divinarum rerum scientiâ præditi, nec eâ quidem vulgari, sed abstrusâ ac recondita. Itaque unum idemque est Clementi Gnosticus & Philosophus: *Hæc ergo tria noster sibi vindicat Philosophus. Primùm quidem contemplationem: secundò autem præceptorum executionem: tertio verò bonorum virorum constitutionem. Quæ quidem cum convenerint, efficiunt virum Gnosticum.* Qui à Nicolao, Baside cæterisque propagati, arcanas quasdam nugas, & execranda figmenta, velut mysteria tradebant, Gnostici dici voluerunt, quod & monuit Augustinus de Hæresibus c. 6. *Gnostici propter excellentiam scientiæ, sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur.* Ut autem & Christiani vocabulum & Philosophi, sic & illud Gnostici, pluribus sectis inditum est. De multis Hæreticis Epiphanius *h. 31. n. 1. Qui se omnes Gnosticos*, inquit, *communi appellatione dici voluerunt, cujusmodi Valentinus, & qui illum Gnostici præcesserunt.* Cæterùm secta quædam fuit quæ Nicolaitarum, Carpocratianorum dogmata amplectebatur quidem, sed commune tamen pluribus nomen, suo jure sibi proprium fecit. Quam à Carpocratianis, Basilidianisque sectam distinguunt Epiphanius, atque Augustinus. Cui nefandæ sectæ *Borborianorum* nomen inditum: *Hinc est*, inquit Epiphanius, *quod à nonnullis, scitè admodum Borboriani, hoc est, cœnosi nominantur.* Epiphanio consentit Augustinus: *Denique cùm ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas, quasi cœnosos vocant, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur.* Theodorito est hæresis, quæ à Carpocratianis diversa, atque Basilidianis, Barbeliotarum, Borborianorum nacta est appellationem. Sed & peculiari capite de Gnosticis tractat Irenæus, post traditam Carpocratis Basilidisque disciplinam. Quibus etiam vindicat opinionem, cum Basilidiana schola adversâ fronte pugnantem: *Jesum nempe crucifixum resurrexisse*, quod negatum Basilidi. Gnosticorum quoque hæresim ab illa Basilidianorum & Carpocratianorum secernit Sirmundi Prædestinatus c. 6.

Anno Dom. 123.

Clem. Strom. l. 2. 280. & l. 6. pag. 466.

Socr. h. l. 4. c. 23.

Colos. 2. 3.

1. Cor. 12. 8.

Clem. Str. l. 2. 278.

Epiph. h. 26. n. 3.

Iren. l. 1. c. 34.

Gnosticorum doctrina.

IV. Insanientis Gnosticorum sapientiæ capita benè multa memorant. Mundi Principes numerabant CCCLXV. quos dubio procul veneratione afficiebant. Majorum verò Principum hæc erant nomina: In supremo orbe residebat *Jao*, in secundo *Saclan*, in tertio *Sethus*, in quarto *Daden*, in quinto *Elaus*, qui idem cum *Adoneus*. Sextum occupabat *Jaldabaot*. Septimum esse nonnulli definiebant, cui vel *Sabaot*, vel *Jaldabaot* insideat. In octavo, *Barbeloni* domicilium esse fingebant, nec non universo-

Epiph. h. 26. n. 10.

rum parenti. De Jesu alia Gnosticia vindicat Epiphanius, alia Irenæus. Si creditur Epiphanio 1 *Jesum negant de Maria natum, sed per Mariam ostensum asserunt.* Contrà verò Irenæus:

Iren. l. 1. c. 34.

Jesum, inquit, *ex Virgine, per operationem Dei generatum, sapientiorem & justiorem hominibus omnibus fuisse existimabant.* Nos fidem magis habemus Irenæo, qui & antiquitate, & judicio longè superat Epiphanium. Christum quoque à Jesu Gnostici secernebant:

Iren. l. 4. c. 34.

Descendente Christo in Jesum, tunc concepisse virtutes perficere: Jesum crucifixum non oblitum esse Christum suum, sed misisse desuper virtutem in eum, quæ eum excitavit in corpore, statuebant. Addit Augustinus:

August. de hær. c. 6.

Animarum substantiam Dei dicunt esse naturam. Illas animas, quæ ex Dei procedunt substantia, reverti ad Deum immaculatas. Dicuntur quoque bonum & malum Deum habere in dogmatibus. Tam Vetere quàm Novo instrumento utebantur, licet Veteris Autorem repudiarent:

Epiph. h. 26. 6.

At quoties vocem aliquam reperiunt, quæ dogmati suo contrariam habere sententiam videtur, ab hujus mundi Principe, profectam illam esse prædicant. Quâ nefanda temeritate Dei oracula Dæmoni tribuebant. Noëmi conjugem *Noriam* vocabant, quæ cùm in arca unà cum viro esse suo cuperet, nunquam id ei permissum est, quòd eam mundi Princeps, unà cum cæteris omnibus diluvio vellet extinguere.

Epiph. h. 26. n. 1.

Noria verò arcæ insidens, superas virtutes, & Barbelonem indicavit. Miram religionem, quæ tot figmentis deliramentisque constabat!

Barbara quæ Gnostici usurpabant Angelorum nomina explicantur.

V. Scribit Augustinus: *Gnostici Principum, vel Angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt.* Veriùs dixisset peregrinis atque barbaris, quæ ex Hebraica lingua petebant. Quippe *tam Veteri, quàm Novo instrumento utebantur*, teste Epiphanio, *n. 6.* qui nobis etiam suppeditat quæ Angelis à Gnosticorum grege nomina imponebantur. Peregrina hæc Vocabula explicare tentemus, quorum explanationem non aggressus est vir ille undequaque doctissimus Petavius. *In orbe supremo*, inquiunt, *residet Jao.* Cujus vocis interpretatio difficultate vacat. Est enim Hebræorum יה quod & Psalmo LXVIII. 5. legitur, & Esaia XXVI. 4. ביה יהוה *in Deo Domino.* Addit Epiphanius: *In secundo orbe, Saclan is qui stupris & libidinibus præest.* שכל est *intelligentia*, pluralis apud Rabbinos שכלים *intelligentiæ, mentes Angelicæ*, quæ orbes cœli incolunt.

Cros. Observ. p. 41.

Aliam quæsivit originem Clarissimus Croius: Σακλάς, inquit, nihil aliud est quàm זקות אלה *rerum venerearum Deus.* Vox tamen Epiphanii non Σακλάς, sed Σακλάν; neutra verò ad viri eruditissimi Hebræam etymon accedit, etsi sensu conveniat. *In tertio Sethus*, שתות *fundamenta* sunt à verbo שות *disposuit.* Hinc deducta aliæ significatio, etenim *consilia* quandoque שתות appellantur, Esaiæ XIX. 10. Quæ vox designandis est Angelis apta. Pertinet eò loci insignis Apulei locus, de disciplina Platonis, quam Gnostici imbiberant animo:

Apul. l. 1. de hab. Doctr. Plat. 8.

Et primùm quidem providentiam esse, summi exuperantissimique Deorum omnium, qui non solùm Deos Cælicolas ordinavit, quos ad tutelam & decus per omnia Mundi membra sparsit, sed naturâ etiam mortales Deos, qui præstarent sapientiâ cæteris terrenis animantibus, ad ævitatem temporis edidit . . . Dæmones verò, quos Genios & Lares possumus nuncupare, ministros Deorum arbitratur, Custodesque hominum, & interpretes, si quid à Diis velint. Pergit Epiphanius: *In quarto Cælo Daden collocant.* Fallimur an *Daden* pro Δαδὼ scriptum. Quo casu non obscura est origo. Erit enim vox ex duabus composita, יה דין *Deus Judicii.* Sed non nobis placet immutari Autorum verba, nisi summâ necessitate cogamur. Retineatur ergo vox *Daden*, quæ binis & vocabulis videtur constitui דוד *dilectus*, עין *oculus* est, quibus conjunctis fit דודעין *Daden.* Oculorum Dei crebram Scriptura mentionem agitat:

Psal. 34. 16.

Oculi Domini ad Justos. Quibus amantissimis utuntur, cum in prosperis, tùm in adversis. Erat quintum Gnosticis Cœlum, *In quo Eloaum collocant, qui idem & Adonaus dicitur.* Quicunque Hebraica vel à limine inspexerunt, sciunt & tenent, quid sit אדני *Dominus*, quæ vox de Deo dicitur & hominibus: neque obscurum etiam quid ἐλωαῖος, quæ vox parum ab Eloa אלה deflexit, quo titulo Deus sæpissimè designatur. Paulò plus est difficultatis in voce *Eloeuth* apud Irenæum. Eruditissimus Croius credit legendum esse, *El Elium.* Quo casu nil dubitationis erit, quin Hebræa indicentur אל עליון *Deus excelsus*, quæ Moses adhibet vocabula Genesis XIV, 19. *Benedictus Abramus à Deo altissimo.* Neque mirandum, si Irenæus, qui Hebraicæ peregrinus linguæ fuit, scripserit:

Iren. l. 2. c. 66.

Elloeuth secundum Hebraicam linguam, hoc quod continet, omnia significat. Fatendum tamen est parum esse affinitatis *Eloeuth* inter & *El Elium.* Perpendant eruditi, an non *Eloeuth* Irenæi sit אלה *Deus*, & אות *signum.*

Esai. 7. 14.

Dat Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, cui nomen Emmanuel. Potest etiam vox dedui ab אלה *Deus* אתה *venit.* Quò spectat laudatum Enochi à Juda oraculum: *Ecce venit Dominus cum Sanctis millibus suis.* Hoc insuper de Gnosticis habet Epiphanius:

Deuter. 33. 25.

Sextum orbem occupare volunt, alii Jaldabaot, alii Elilaum. Jaldabaot ostendimus esse יה אל דבאות *Deus fortis sermonum.* Vel potius ex דבא *robur*, & duobus Dei nominibus יה & אל *Dominus Deus fortitudinum.* Elileus verò commodè à על *excelsus*, & אלה *Deus*, deduci potest. Denique verba hæc sunt Epiphanii:

Epiph. h. 26. n. 10.

Sed & septimum orbem esse definiunt, cui Sabaot insideat. In octavo Barbelons domicilium esse fingunt. Vox Sabaot paucis ignota: est enim plurale nominis צבא, quod reperitur Psalm. XXIV. 10. יהוה צבאות *Dominus exercituum.* Barbelo autem est בר בעל *filius Domini.* Sic peregrinarum vocum mysteria venati sumus in Hebræa lingua, quâ quasi quibusdam velis obtendebantur, admirationi movendæ. Hoc vidit Irenæus:

Iren. l. 2. c. 66.

Si autem quidam secundum Hebraam linguam diversa dictiones positas in Scripturis opponant, quale est Sabaot, & Eloa, & Adonai, & alia quæcunque sunt talia, ex his ostendere laborantes diversas virtutes atque Deos, discant quoniam unius & ipsius significationes, & nuncupationes sunt ejusmodi.

Gnosticorum mores & disciplina.

VI. Non sacris Codicibus modò, sed Philippi quoque Evangelio Gnostici utebantur. Abundabant & fictis monumentis, cujusmodi erat liber, qui de progenie Mariæ inscribebatur.

Epiph. h. 26. n. 12.

In quo fabulosa sanè multa continebantur: exempli gratià, quòd cùm hora incensi thus adoleret in Templo Zacharias, asini figurâ stantem viderit hominem. Farinæ est ejusmodi Evangelium, in quo innitebantur, & hæc legebantur:

Epiph. h. 26. n. 3.

Undecunque volueris me colligis, me verò

colli-

ANNO DOM. 123.

Epiph. h. 26. 2.

colligendo, temetipsum colligis. Barcaban Prophetam ignotum inducebant, & adulterinum Poëma, quod *perfectionis Evangelium* nuncupabant. Alios quoque Libros permagni faciebant: *Interrogationes quasdam Mariæ venditant: Alii de Jaldabaot sub Sethi nomine, complures libros suppostitios obtrudunt. Sed & Adami Revelationes alias, alia item Evangelia falsa Discipulorum nomine, conscribere sunt ausi.* n. 8. Hæc verò levia, præ morbis improbis, qui *quasi herba irrigua succreverant uberrimè.* Cùm florenti juventute esset Epiphanius, quæ forma inter impiæ sectæ mulieres eminebat, ei semetipsam velut illecebram obtulit. Quâ repudiatâ, mox ad Episcopos ejus loci rem detulit, ex quo factum, ut LXXX. ferè capita exulare jussa, tali peste urbem liberarint. *Levitas* nuncupabant homines qui à mulieribus temperantes, venere masculâ utebantur. Quos præcipuâ dignitate atque laude commendabant. Communes etiam inter se fœminas habebant, signo ejusdem se religionis cultores esse ostendebant, leniter titillatâ manu. Tum vir ab uxore discedens, sic eam alloquebatur: *Surge, & fratri charitatem exhibe.*

Epiph. h. 26. n. 5.

Honos verò auribus habeatur, dum narrat Epiphanius, Gnosticos informem adhùc fœtum, ex utero detractum, & in mortario tusum, pipere aromatibusque condere, *ac unumquemque ex comminuto infantuli corpusculo delibare.* Quæ non sunt fide majora. Promiscui quidem concubitus Platonis disciplinam redolebant, obtentu redigendi omnia ad æqualitatem. Thyesteæ verò dapes, ad sacra quæ Gnostici colebant magica, spectare potuerint. Aliarum verò sordium, difficillimam sanè fatemur esse fidem, quòd nempe sanguinis seminisque profluvium manibus gestantes, Deo offerrent, cum solemni hoc carmine: *Hoc tibi munus offerimus, corpus scilicet & sanguinem Christi.*

Epiph. h. 26. n. 9.

Quodque qui post repetitos & concubitus, & ficta nomina, septingentesimum & trigesimum numerum implevexit, palam de se prædicaret: *Ego sum Christus.* Quæ pugnant Irenæo, à quo didicimus, Gnosticos profiteri, *Jesum ex Virgine per operationem Dei generatum, sapientiorem & justiorem hominibus omnibus fuisse*, in quem & Christus sit è cœlo delapsus. Modestiæ omnis limites egressi, *corpore nudi* precabantur, ut eâ re majorem sibi apud Deum fiduciam aquirerent. In curando corpore dies noctesque, & viri & mulieres occupabantur, se perfundentes unguento.

Epiph. h. 26. n. 4.

Abluti quoque convivia celebrabant, ebrietati & veneri indulgentes, eosque qui jejunant, odio habebant. Ex perversa Gnosticorum disciplina apparet, non accuratè satis hæc à Petavio tradi: *Perditissimi Hæreticorum Gnostici, Gnosticorum Carpocratiani fuerunt.* Etenim Gnosticos propriè dictos attingebat infamia hæc, qui ea de causa *Borboritæ* appellabantur. Quibus sanè, non Carpocratianis ascribit Epiphanius, & delibatum infantuli pistillo contusi corpus, & nefanda Deo, in Eucharistiæ vicem oblata munera. Ex impura Gnosticorum disciplina malè Christianos audivisse, certum exploratumque est:

Tertul. Apol. c. 7.

Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, & pabulo, & inde post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebras, tum & libidinum impiarum in verecundiam procurent. Adriano imperante malus is de Ecclesia rumor dispergi cœpit.

Just. Apol. 2. p. 70.

Hinc Justinus: *Omnes qui ab Hæreticis prodeunt, Christiani vocantur, haud aliter atque Philosophis, etiam eis non sint communia dogmata, quòd tamen à Philosophia dicitur, commune omnibus est nomen. An verò etiam hi infamiâ illâ, & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus facinora in se admittant, lucernæ eversionem, & promiscuos concubitus, & humanarum carnium vescerationes, nescimus.* Videatur & Eusebius *l. 4. c. 7.* nec non Epiphanius *h. 27.* Hic acutissimi Poëtæ verba usurpare licet:

Metam. l. x. f. 9.

Gentibus Ismariis, & nostro gratulor orbi;
Gratulor huic terræ, quòd abest regionibus illis,
Quæ tantum genuere nefas.

ANNO U. C. 877. PER. JUL. 4837. JUL. 169. DOM. 124. ADRIANI 7. & 8. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 11. *Indict.* 7. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 17. *Apr.*

ANNO DOM. 124.

COSS. *M. Acilius Glabrio, C. Bellicius Torquatus.*

Adrianus Eleusiniis initiatur.

I. CUm Adrianus per Insulas ad Achaiam navigasset, Athenas venit, qui nobis primus post susceptum imperium Adriani est hanc in urbem adventus. Non ignoramus plures Eusebio numerari profectiones, quarum prima anno Christi CXXII. illigatur. Quam Pagius Chronologiam amplectitur.

Pag. Crit. an. 122. n. 3.

Contendit mense Augusto ejus anni, Adrianum Atheniensibus leges petentibus, ex Draconis & Solonis, reliquorumque libris jura composuisse, mense Septembri, Cephisum qui inundaverat, fluvium ponte conjunxisse, Athenisque fuisse usque ad vernum tempus anni Dionysiani CXXIII. Quæ parum probabilitatis habent. Primum enim ne minimo vel indicio Spartianus innuit, Adrianum ex Hispania Athenas fuisse profectum. Primumque ejus à suscepto imperio in Atheniensem civitatem adventum, cum ejus initiatione Eleusiniensi conjungit. Quæ præsenti antecesserit, profectionem necdum in Spartiano reperire potuimus, pergratumque Baronianus Censor Lectoribus fecisset, si pro sua solertia locum fœnerasset. 2°. Non fit nobis verosimile, Adrianum qui mirâ celeritate orbis Rom. obibat Provincias, continuos septem, octove menses Athenis constitisse. 3°. Multò magis incredibile, toto hoc temporis spatio non expetivisse sui consecrationem ad Eleusinia Mysteria. Hoc sanè ab Adriani moribus ingenioque abhorret ut quàm maximè:

Spart. Adr. c. 11.

Erat curiosus non solùm domus suæ, sed etiam amicorum, ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret. Quis sibi fingat animo, mortalium omnium curiosissimum, adeò ut vel artes magicas, & mathesim perdisceret, Athenis diu versatum fuisse, absque cupiditate noscendorum mysteriorum, quæ maxima in celebritate fuere, cùm & exemplum haberet Claudii Cæsaris, Philippi, Herculis, qui sacra susceperant ejusmodi? Quòd si primo adventu Adrianum incessit cupido hæc, quin expleverit animum, non est in dubio, Græcis ad nutum imperiumque Cæsarum omninò compositis. Denique Græcum Eusebii Chronicum, à Latino de tempore initiationis Adriani variat atque dissidet. Græca conjungunt cum pontis ædificatione. Hieronymus verò Adriani initiationem pontisque constructionem annuo spatio dividit. In Græco Chronico, pontis constructio Adrianique initiatio CCXXV. Olympiadis anno tertio

cohærent. In Latino, Pontis ædificatio anno quidem Olympiadis CCXXV. tertio, at Adriani initiatio Olympiadi CCXXVI. illigatur. Ex quo conficitur Adriani Athenas protectiones Hieronymo numerosiores fuisse quàm Eusebio.

Mysteria Eleusinia.

II. Hoc igitur anno Adrianus Cæsar & primùm se contulit Athenas, & Eleusinia sacra suscepit. Athenienses magni beneficii loco, præstantibus viris, aut de se benè meritis jus detulere, participandis istis sacris. Celebrabantur in Templo, cui Eleusino nomen erat. Pro Templi foribus stabat & Triptolemi signum, & bos ænea, ita ornata, ut victimæ ad aram ductæ. Quæ de Templo commemorari possent planius explicare, quædam Pausaniam visa per somnum species deterruit. Veteres Græci mysteria Eleusinia religione quantâ non alia quævis sacra sanxerant, tantòque cæteria augustiora duxere, quantò Dii Heroïbus præstant. Parva erant, magnaque sacra: parva, mense *Anthesterione*, qui Februario; magna, *Boëdromione*, qui ferè Septembri respondet, celebrabantur. Recondita verò inspiciebant, interjecto à magnis, ut minimum, anno. Demetrius repetens Athenas, velle scripsit se ubi eò venisset ilicò initiari, mysteriaque à parvis, ad ultima usque & recondita sacra, quæ Epoptica appellantur, cuncta percipere. Lectis literis, quia quod flagitabat Demetrius, nefas erat, neque visum antè fuerat unquam, unus intercedere sustinuit tædifer Pythodorus, in cassum tamen. Eò inclinat animus, ut Adrianus purpuræ Augusteæ privilegio, perinde atque Demetrius parva, magna, Epopticaque mysteria illicò susceperit.

Pausf. l. 1. p. 35.

Plut. Demetr. 900.

Templa struit Athenis Adrianus.

III. Dum versatur Athenis Adrianus, Templum Jovis Olympii ædificavit. Posuitque in eo & simulachrum, quod excellentiâ cum Romanis & Rhodiensibus Colossis conferri possit; & allatum ex India Draconem. Erat totius Templi ambitus stadiorum amplius quatuor, neque ejus ulla pars statuis vacabat: singulæ enim urbes in eo Adriano statuam posuerunt. Quas omnes Athenienses longo intervallo superarunt, erecto eidem mirandi operis colosso, in postica Templi parte. Adrianus verò & alia Atheniensibus opera exædificavit, & Junonis ac Jovis Panelleni Templum, communemque omnibus Diis ædem. Spectantur inter cætera opera, ut quæ maximè, columnæ centum & viginti ex Phrygio marmore, & ex eadem materia parietes in porticibus extructi, & in iis cellæ, quæ inaurato lacunari, & alabastro præfulget, signis ipsis & picturis undique exornatæ. Bibliotheca est in eodem Templo, & gymnasium Adriani cognomento, in quo columnæ centum è Libycis lapidicinis. Dio verò Panhellenium Templum Adriano positum tradit: *Templum suum, quod Panhellenium vocant, Græcis ut ædificarent permisit, qua de causa certamina instituit, magnamque pecuniam & frumentum annuum, omnemque Cephaleniam Atheniensibus dedit.* Templa hæc in secunda Athenas profectione dedicavit.

Pausan. l. 1.

Dio l. 69. 795.

Liberalibus præest Adrianus.

IV. Dionysia quoque anno currente, celebravit Athenis, usitatâ illi regioni veste, & pro Agonotheta resedit. At quæritur inter eruditos, Adrianus tum temporis Archon fuerit, necne? Cùm enim Archon Liberalibus præesset, hinc colligi videtur, Adrianum eum suscepisse Magistratum, ut celebrandis Bacchi ludis præficeretur. Quæ Casaubono sententia fuit. Quam tamen nobis non probat. Etenim Archontem prius egerat Adrianus, quàm imperaret, anno Dom. CXII. Trajano Augusto VI. & Tito Sestio Africano Coss. Quo Magistratu defunctus, ludis præesse potuit. Illudque verba Dionis innuunt: Τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας, *Cùm maximum apud eos Magistratum gessisset.*

Alia Adriani acta in Græcia.

V. Multa quoque monumenta suæ liberalitatis Adrianus in Græcia reliquit. Scironem viam muniit: balneum Corinthi struxit: è Stymphalo Corinthum aquas duxit: equestrem cursum Nemaeis ludis restituit: Mantineæ pristinum nomen restituit: Neptuni Hippii Templum in ea urbe renovavit: Epaminondæ columnam, & Epigramma posuit. Abæo Apollini Templum ædificavit: porticum Hyampoli erexit. De quibus legendus Pausanias. In Achaia illud observatum ferunt, quod cùm in sacris multi cultros haberent, cum Adriano nullus armatus ingressus est. Iruri ad rem divinam faciendam, cultros assumebant, quos insidiarum metu Adrianus deponi jussit. Post in Siciliam navigavit.

Spart. Adr. c. 13.

Valentinus Hæreticus.

VI. Celebris imperante Adriano extitit Hæreticus, nomine *Valentinus*. De patria ejus Epiphanius: *Valentini porro patriam ac stirpem plerique nesciunt. . . Sunt qui* Φρεβωνίτην, *Phrebonitem illum faciant, ex Ægypti quadam ora, unde Alexandriam profectus sit, ibique Græcorum artibus institutus.* Phrebonites vox nihili, neque ejus nominis in Ægypto reperitur, sive urbs, sive Nomos. Est igitur verosimile corruptum fuisse vocabulum, legendumque *Pharbaiten*, vel *Pharbatten. Quæ juxta Pelusium est regio, nomos habet Pharbaitem, Bubastiten*, &c. Quo etiam capiti urbis meminit *Pharbetos*. Est & apud Ptolomæum l. 4. *Pharbaites Nomus, & Metropolis*, quam illâ Plinii lectionem veriorem esse censemus. Doctissimi conjectura Croji minus placet: *Credo legendum esse*, Προσωπίτην. Est quidem Prosopites Nomus Ægypti. Sed Phrebonitem inter & Prosopitem, multum discriminis. Pharbaites ad vocem Epiphanii propius accedit. A Græcis didicerat Valentinus Hesiodi Theogoniam, Christianum tamen egisse testatur Tertullianus: *Speraverat*, inquit, *Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio: sed alium ex martyrii prærogativa, loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi, pro Prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi, ad expugnandam conversus veritatem, & cujusdam veteris opinionis semen nactus, Colobarso viam delineavit.* Drosierius Valentinianus, Sapientis titulum Doctori indidit suo. Cujus etiam verba laudat, de materia, ex qua mala esse videntur.

Epiph. h. 31. n. 2.

Plin. l. 5. c. 9.

Tert. in Valent. c. 4.

Valentini ætas.

VII. De ætate Valentini hæc habet Irenæus: *Valentinus Romam venit Pontificatu Hygini, viguit autem temporibus Pii, & ad Anicetum usque permansit.* Quibus involutum Chronologiæ obscuritate, tempus Hæretici latet, quia annos Pontificum cum imperio Augustorum non conjungit Irenæus. Lucis aliquid hisce tenebris infert Justini, quæ posterior dicitur, Apologia. Cùm enimverò proximum fiat, anno Dom. CXXXVIII. Antonino Pio oblatam esse, Valentinus igitur exortus est imperante Adriano. Marcion quippe jam Hæreticus audiebat, cùm scripta est ea Justini Apologia. Marcion verò defuncto Hygino, delapsus est in Hæresim, monente Epiphanio. Itaque viris eruditissimis Dallæo, Larroquanoque assentiri non possumus:

Euseb. l. 4. c. 11.

Valen-

ANNO DOM. 124.

Valentinum Romam venisse A. D. CXL. quo tempore mortis debitum jam solverat Hyginus. Præterea ex Clemente novimus, illos qui Hæreses excogitarunt, vixisse temporibus Adriani; Basilidem scilicet & Valentinum. Neque ullam Valentinianis, de antiquitate doctoris sui litem movit Alexandrinus ille Presbyter: *Similiter autem Valentinum quoque ferunt audivisse Theodadem, erat autem Pauli discipulus.* Quam compressisset audaciam Clemens, adductâ ætate Valentini, quæ tanto uti doctore ipsum prohibebat. Nec eò impudentiæ processisse videntur Hæretici, ut eam sibi vindicarent antiquitatem, quæ nullo ab omnibus falsi coargui negotio potuisset. Imò eò majores successus habuit Valentiniana impietas, quòd ejus autor, qui non Christianum modò, sed Presbyterum quoque egerat, scholam frequentasset Theodadis viri Apostolici. Nobis sanè Tertulliani Chronologia probari nequit, de Valentino Marcioneque tradentis: *Constat illos neque adeò olim fuisse, Antonini ferè Principatu, & in Catholica primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub Episcopatu Eleutheris Benedicti.* Quæ si vera sunt, post Antonini Pii obitum, venena sua sparserunt Valentinus atque Marcion. Etenim de exorta Hæresi regnante Antonino Pio, dici nequit, ejus *ferè* Principatu natam fuisse. Ipse Tertullianus alibi profitetur Marcionis Hæresin esse antiquiorem: *Antonianus*, inquit, *Hæreticus est, sub Pio impius.* Non igitur ea Hæresis post Antoninum primùm lucem aspexit, quæ imperante Antonino caput extulerat. Neque ita comparatum, quòd Valentinus *primò* crediderit sub Episcopatu Eleutherii, cùm notissimus jam evaderet Hæreticus, eo tempore, quo Justinus obtulit Apologiam, sive anno Dom. CXXXVIII. sive CLII. oblatam esse statuamus. Fuit enim Valentinus Marcione antiquior, quem jam doctorem erroris fuisse liquet, cùm Justinus Antonium adiit scripto. Denique nil aliud sibi volunt verba hæc Irenæi: *Viguit autem temporibus Pii, & ad Anicetum usque permansit*, nisi Aniceto sedente, Valentinum vivendi implevisse curriculum. Etenim si ad Eleutherium annos Valentinus extendit suos, nil causæ Irenæo fuit, cur in Aniceto subsisteret. Dixisset, ad Eleutherium usque permansit. Hæc est indoles phrasis ejusmodi, ut terminum vitæ statuat, quomodo de Joanne Apostolo perhibet & Irenæus: *Ephesina Ecclesia Joannem usque ad Trajani tempora habuit præsidentem*, l. 3. t. Constitutâ nefarii Hæretici ætate, de ipsius vita nonnulla subjungamus. In Insula Cypro spectaculum sui præbuit, si Philastrio creditur: *In primis quidem fuit in Ecclesia, elatior autem factus postmodum, errore non parvo deceptus est, degensque in Cypri Provincia, cœpit hoc desinere.* A Romana ejectus Ecclesia, resipuisse videbatur: verùm ad errores reversus, iterum à Presbyterio Rom. ut insanabili laborans morbo, è fidelium grege depellitur, quod nos Tertullianus docuit. Valentinus & Marcion, *Ob inquietam semper eorum curiositatem, quo fratres quoque vitiabant, semel & iterum ejecti . . . novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt.* In Cypro Valentinus in extremum impietatis prolapsus est.

Clem. Str. l. 7. 549.

Tertul. de Præscr. c. 30.

Tert. in Marc. l. 1. c. 19.

Philastr. c. 10.

De Præscr. c. 30.

Epiph. h. 30. n. 7.

Valentini errores: num Æones Hermaphroditi?

VIII. Erroris Valentini multa fuere capita, Affirmabat Christum, corpus è cœlo detulisse, ac tanquam aqua per fistulam, sic illum per Mariam transivisse virginem, neque quidquam ex ejus utero sumpsisse, sed è cœlo traxisse corpus. Mortuorum resurrectionem inficiabatur: animarum quasdam naturâ bonas, quasdam malas esse statuebat. Materiam Deo coævam arbitrabatur, cujus ex fæcibus mala in homines dilfluunt. In Origenis Dialogo contra Marcionitas narrat *Drosserius*, Valentinum cùm vidisset sævum hominem, in alium quocum litigabat stricto gladio invasisse, unde similia oriréntur cœpisse disquirere. Neque judicare potuisse, ab optimo Deo, nefarios ejusmodi, suam habere substantiam. Trinitatis mysterium evertebat. Verba hæc sunt Athanasii in Epistola ad Serapionem p. 185. *Valentinus dixit, Misso Paracleto, missos esse Angelos, qui ipsi erant coætanei.* Sed XXX. Æonibus celeberrima fuit seductoris disciplina. Utrùm verò Æonum quemlibet Hermaphroditum esse voluerit Valentinus, an paria ipsa potius intelligat, ex mari fœminaque constantia, dubitat Petavius animadversionibus ad Hæresim 31. sed immerito, cum illud ipsum, de priore saltem Ogdoade disertè affirmet Irenæus. Ita primigeniam esse conflatam Ogdoadem, omnium rerum fundamentum ac radicem, quæ quidem quaternis nominibus constat, Bytho, no, sermone, homine, εἶναι γὰρ αὐτῶν ἕκαστον ἀῤῥενόθηλυν οὕτως, *Etenim eorum unumquemque Hermaphroditum esse.* Deinde ex libro Valentini hæc subjicit Epiphanius n. 5. *Principio si quidem rerum omnium, is qui per seipsum pater est, universa in semetipso, obscura, ignotaque continebat, quem nonnulli Æonem senectutis expertem, semperque florentem, & marem & feminam vocant.* Lepidè faceteque Tertullianus, de Sophia Patris sui amore flagrante, & de voluptatum suarum potiendi spe dejecta, hæc habet: *Dehinc illo mœrore, ex semetipsa sola, nullâ operâ conjugii concepit, & procreat fœminam. Miraris hoc? Et gallina sortita est de suo parere. Sed & vultures fœminas tantum parere aiunt, & tamen sine masculo.* Deos omnes mares & fœminas esse credebant Ethnici atque Poetæ. Ipse Tertullianus: *Masculum*, inquit, *Anubim, & masculum Lunam.* Numerum porro Æonum suorum ex eo probant Valentiniani, *quòd Servator, quem Dominum vocare nolunt, tricenos totos annos palam egerit nihil. Quin etiam in operariorum, qui ad vitem colendam mittuntur parabola, triginta eosdem Æones significari asserunt. Nam una, & tres, & sex, ac novem hora cum undecim, triginta complent.* Vetus Testamentum Valentinus non integrum recipiebat: *Legis & Prophetarum quadam probat, quadam improbat.*

ANNO DOM. 124.

Dial. p. 85.

Epiph. h. 31. n. 10.

Tertul. in Valent. c. 10.

Apol. c. 15.

Epiph. h. 31. n. 10.

Tert. de Præs. c. 49.

IX. De Æonibus hæc tradit Petavius: *Barbara hæc sunt Æonum nomina, haud scio an ex Ægyptiorum lingua profecta, an temerè, atque ad terrorem conficta.* Videamus ergo an non aliquid lucis barbaris fœnerare vocabulis valeamus: *Triginta Valentinus Æones statuit, quos etiam Deos appellat, quindecim mares totidemque fœminas. . . Quorum omnium nomina subjecimus: Ampsiu, Auraan, Bucua, Tardun, Ubucua, Thardeudie, Merexa, Autarbarba, Udua, Cesten, Uduva, Essen, Ampharm, Essumen, Vananim, Lamertade, Athamessumin, Allora, Cubiatha, Thamodan, Saddarius, Oren, Lanapheudaphoch, Emphiboche, Bara, Usi, Uchabe, Belin, Dexariche, Masemon. Quorum hæc est interpretatio: Bythos, sige, nus & veritas, loges, vita, homo, Ecclesia, Paracletus, fides, paternus, spes, maternum, charitas,*

Valentinianorum Æonum vocabula.

Epiph. h. 31. n. 2.

ANNO DOM. 124.

ritas, *Ainus*, *Synesis*, *Teletm*, *Beatitudo*, *Ecclesiasticus*, *sapientia*, *Bythim*, *mistio*, *Ageratus*, *unio*, *Autophyes*, *Temperatio*, *unigena*, *unitas*, *immobilis*, *voluptas*. Quorum nominum maximam sacrilegi isti partem surripuerunt à Scripturis, reliqua à Rabbinis. Rem verò ipsam è fontibus Hesiodi, Stesichori, & aliorum Poëtarum hauserunt, ut vero observatum Epiphanio.

Nomina Æonum explicantur.

X. Vocabulorum restitutio hæc esse potest: Ampsiu, Rabbinorum est הוין יאות *essentia*, *substantia*, quæ appellatio primo digna est Æone, quem perfectum esse Valentiniani statuebant, *Quem & primum parentem, & Bython nominant.* Βυθὸς autem est תהום Mosis abyssus, crassis involuta tenebris, quæ chaos Poëtis nuncupatur.

Epiph. h. 31. n. 10.

Hesiod. theog. 83.

Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο:
Ex chao verò Erebusque, nigraque nox editi sunt;
Ex nocte porro Ætherque & Dies prognati sunt.

De Chao quoque hæc canit Ovidius:

Metam. l. 1.

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles.

Aurana, *sige*, Croius restituit חברית quod Rabbinis *sociam* significat. Valentinianorum enim in disciplina, *sige* cum *Bytho* conjungitur: *Ac fuit tempus aliquando, cùm Bythus ille omnium ex sese primordia producere voluerit, ac tanquam semina, quæ in sigen æqualem ac comparem suam, quasi matricem infundit.* *Bucua*, *nus*, in barbara voce latet Mosaicum בהו ותהו *vacuum & inane.* *Oubouxua*, *Aletheia*, ובה כוח *& in ea vis.* *Thardaadu*, *Logos*, Croius restituit תרגום *θαργὺμ expositio.* *Thardeadie*, *vita*, *θαρδαδαιν* טרדת חיה *occupatio vitæ.* *Merexa*, homo, quod vel Hebraicum Mosis מארץ è terra, quâ Adam formatus est, vel pihel מרצה gratificons. *Atarbaba*, Ecclesia אתר ב:ה *locus pupillæ.* Qui Ecclesiam tetigerit, pupillam Dei tetigisse videtur. *Oudua*, *paracletus*, restituit Croius *Ourua* הוא רוח *hic est spiritus.* *Cesten*, *Fides*, restitue *Cersen* כשרין *rectitudo*, *æquitas.* Oudou, paternus, הוא דוד *hic est Dilectus*, allusione ad vocem cælestem. Ouac, Spes sic in prima Æonum descriptione Epiphanius, qui in secunda habet Udua; priorem putamus esse veriorem, קוה enim est expectans à קוה *expectare.* Esfem, maternus איש לאם *homo matris.* Amphanim, charitas אם כנים *mater facierum*, vultu enim amor indicatur. Essoumen, Ainus. Esoumed יש דוא כיעד *hic est ab æterno.* Vananim, synesis והענין *negotium*, vox Rabbinis usitata. Lamer, Theletus, in secunda combinatione scribitur lamertade, quæ duorum Æonum confusio est, לא כר *non amatus.* Tarde, Beatitudo תאר די *forma sufficientia.* Atames, Ecclesiasticus התם איש *perfectus vir*, qui titulus sumptus esse videtur ex posteriori ad Timotheum 3. 17. Sousin, sapientia, restituendum Oubina ובינה *& sapientia.* In secunda combinatione duo vocabula conjunguntur, quæ dividi debent, *Athamessumin*, scribendum ut in prima *Athames*, *susin*. Allora, lumen אל אורה *Deus luminis*, Deus vocatur Jacobo *pater luminum.* Buciatha, malè in secunda descriptione *Cubiatha*, Bythius בוקק אתה *vacuus es tu*, qui à primo Æone Bythos diversus est. Danaddaria, qui in secunda combinatione melius scribitur Saddarias, mistio, סדר יה *ordo Dei.* Est enim mistura, ordo quidam à Deo constitutus. Damodan, Ageratos, דמה ארון *similis Deo*, qui nullâ senectute conficitur. Oren, Unio, אור חין *lux gratia.* Lanaphecudaphes,

Epiph. h. 31. n. 10.

Zach. 2. 8.

Matth. 3. 17.

Autophyes, לו נפר ורפר *sibi ipsi prodiit & pulsavit.* Apud Lactantium, quærenti cuidam quis esset, aut quid esset omninò Deus, respondet Apollo:

Lact. l. 1. c. 7.

Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ.

Emphibocebaud, Temperatio quæ prioris combinationis vox, in secunda melius scribitur Emphibochebata, etsi perperàm in duos Æones dividatur, עם פי בוקה בראה *cum vacuitate creavit.* Asiouache, quod perperàm in secunda combinatione scribitur, Asi uchabe, duobus constituendis Æonibus, Assiou ache, unigena, עשוי אחד *factus unicus*, quem impius è Scriptura surripuit titulum uno Christo dignissimum. Est enim Dei unigenitus. Belim, Unitas, vox בלימה legitur Jobi XXVI. v. 7. Ibi significat *nihilum*, sed Rabbinis designat unicum & ineffabile principium. Dexariche, immobilis, Croius rescribit Laxariche לא זריקה *non sparsio.* Masemon voluptas משמחה *exhilarans & voluptate afficiens.* His ambagibus, vix pueris dignis, Valentini sapientia continebatur. Denique Valentinianorum disciplina ingens erat contradictionum strues. Ex quatuor principiis Christum compositum esse fingebant. Spirituali quod ab *Acamot* oriebatur, animali quod à *Demiurgo*, dispositione, & Salvatore. Quod à matre semen erat, passum negabant. Christum verò *animalem* mortuum esse profitebantur. Neque sanctiores doctrinâ, huic sectæ mores inerant. Vultum gravem ostendebant, suæ disciplinæ majestatem jactantes: *Si bonâ fide quæras, concreto vultu, suspenso supercilio, altum est, aiunt. Si subtiliter tentes, per ambiguitates bilingues, communem fidem affirmant. Si scire te subostendas negant quidquid agnoscunt.* Talibus dolis instructi, ingruentibus persecutionibus, morti se eripiebant, *martyrii eludentes necessitatem.* Ac in rebus asperis constantiores animi, nonnunquam de gradu dejiciuntur. Verùm gulæ & libidini Valentiniani inserviebant. Quas informabant mulieres, non minùs corpore, quàm mente corrumpebant, uxores à viris suis abducebant. Ac qui initio castitatem ostendebant, cum fœminis, quasi cum *sororibus* domicilium habentes, lapsu temporis eorum uterum implevere. Hæc mulieres, quæ errore deposito ad frugem rediere, professæ sunt.

Iren. l. 1. c. 1.

Tert. adv. Valent. c. 1.

Iren. l. 1. c. 1.

De Valentini Libris.

XI. Libris quoque suis Valentinus innotuit, quorum fragmenta exhibent monumenta Veterum. In ipsius ad Agathopodem Epistolâ, non injucunda reperitur de ratione, quâ Christus comedebat, sententia: *Cùm omnia sustinuisset, erat continens, divinitatem operabatur Jesus. Edebat & bibebat peculiari modo, non reddens cibos. Tanta ei inerat vis continentiæ, ut etiam nutrimentum in eo non interierit, quoniam ipse non habuit interitum.* Quibus apparet Valentinum existimasse Jesum mortis expertem fuisse. Aliam Clemens Valentini Epistolam laudat, fingentis Angelorum Autorem metu correptum fuisse, dum hominem liberè loquentem audivit, vi communicati divinæ essentiæ seminis. Homilias quoque condidit, ex quibus una extra modum sectæ suæ discipulis blanditur, verbia ejusmodi: *Ab initio estis immortales, & filii estis vitæ æternæ, & mortem voluistis inter vos ipsos dispertiri, ut eam consumeretis, & mors in vobis moreretur, & per vos.* Scripserat etiam de Amicis homiliam, in qua non contemnenda sanè ea sententia legitur: *Lex quæ scripta est in corde, populus est dilecti,*

Clem. Str. l. 3. 329.

Clem. Str. l. 2. 275.

Clem. Str. l. 4. 371.

Clem. Str. l. 6. 462.

qui

ANNO DOM. 124.

qui diligitur, & ipsum diligit. Quin etiam Evangelium composuit, de quo mentio est apud Tertullianum de Præscriptionibus c. 49. *Evangelium habet etiam suum, præter hæc nostra.* Alium quoque librum ediderat, cui *Sophia* nomen erat, ut innuit ipse Tertullianus, scribens adversus Valentinianos c. 2. *Faciei Dei expectat in simplicitate quærentes, ut docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis.* Peritiam quoque suam strictâ oratione demonstrare voluit. Hinc scriptum Tertulliano, de Carne Christi è vigesimo: *Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem Apostatæ & Hæretici, & Platonici Valentini, sed sanctissimi & receptissimi Prophetæ.* Quæ ex Valentinianæ sectæ scriptis profert Epiphanius Hæresi xxxi. n. 6. non sunt Valentini, sed alicujus, qui huic disciplinæ sese addixerat, qui de experte senectutis Æone, mare simul & fœminâ, mente veritatis Patrem procreante, Sige figmentisque ejusmodi multa nugatur. Inter Valentini discipulos eminebat Alexander, de quo non semel mentionem agit Tertullianus: *Sed remisso, inquit, Alexandro cum suis Syllogismis, quos in argumentationibus torquet etiam cum Psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicujus autoris interserit.* Unus ex Valentini discipulis integram doctoris sui disciplinam retinuit: *Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus, memoriam Valentini, integrâ custodiâ regularum ejus consolatur.*

Tert. de Car. c. 17.

Tert. adv. Valent.

Valentinianorum Libri.

XII. Præter libros à suo Doctore conditos, alios etiam habebant Valentiniani & nugis, & erroribus plenos. Talis ille, cujus in Irenæo mentio est: *Assumunt in hoc & illam falsationem, quasi Dominus cùm puer esset, & disceret literas, cum dixisset magister ejus, quemadmodum in consuetudine est, Dic A, respondit A. Rursus cùm magister jussit eum dicere B, respondisse Dominum, Tu prior dic mihi quid est A, tunc ego dicam tibi, quid est B. Et hoc exponunt, quasi ipse solus incognitum sciverit, quid manifestavit in typum A.* Non solis quatuor Evangeliis, quibus Christiana fides innititur, contenti, aliud decipiendis hominibus obtrudebant, referente Irenæo l. 3. c. 11. *Hi qui sunt à Valentino iterum existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, quàm sint ipsa Evangelia. Siquidem in tantum processerunt audaciæ, ut quod ab his non olim scriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nullo conveniens Apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos, sine blasphemia.* Non existimamus cum Christiano Lupo, Valentinianum veritatis Evangelium, cum *Perfectionis Evangelio*, quo Gnostici utebantur, unum atque idem esse. Discrepant sanè tituli & admodum probabile est variis sectis, varios fuisse libros. Præter Perfectionis Evangelium, Gnostici jactabant *Evangelium Evæ*, quo Valentiniani non utebantur. Verba recitentur Epiphanii, ut de censura nostra æquius judicetur: *Sunt ex Gnosticis nonnulli qui adulterinum quoddam, & ascititium Poema venditant, quod opus inscribunt, Perfectionis Evangelium, cùm reverà non Evangelium, sed doloris sit ac luctûs perfectio.* Nullo autem apparet indicio, Valentinianum veritatis Evangelium, strictâ oratione fuisse scriptum, quâ ratione Gnosticorum liber editus est. Valentinianis quoque in pretio fuit Evangelium *secundum Ægyptios*, quo Julius Cassianus, sectæ hujus homo utebatur. Cujus Evangelii extat fragmentum apud Clementem Alex. Strom. l. 3. 339. Dicit Cassianus: *Cùm interrogaret Salome, quando cognoscentur ea de quibus interrogabat, ait Dominus, Quando pudoris indumentum conculcaveritis, & quando duo facta fuerint unum, & masculum cum fœmina, nec masculum, nec fœmininum.* Ex quibus intelligitur, quanti sit periculi, à Scripturæ oraculis divelli, quasi perficiendæ fidei minus sufficerent.

Iren. l. 1. 17.

Epiph. h. 26. n. 2.

ANNO DOM. 125.

ANNO U. C. 878. OLYMP. 226. PER. JUL. 4838. JUL. 170. DOM. 125. ADRIANI 8. & 9. *Sol.* 22. A. *Lun.* 12. *Indict.* 8. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 7. *P.* 9. *Apr.*

COSS. *Cornelius Asiaticus II. & Vettius Aquilinus.*

I. DUm in Sicilia versatur Adrianus, Ætnam montem conscendit, ut Solis ortum videret, arcus specie, ut dicitur, varium. Inde Romam venit. Plotinam Trajani uxorem, quæ maximâ Adrianum benevolentiâ complectebatur, præsente anno, ad plures abiisse, probabile censemus. Illustris sanè fœmina, cujus insigne factum non est dandum oblivioni: *Pompeia Plotina, incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Trajani, cujus Procuratores cum Provincias calumniis agitarent. . . illa conjugem corripuit, atque increpans quòd laudis esset incuriosus, talem reddidit, ut postea exactiones improbans & detestans, Fiscum lienem vocaret, quòd eo crescente, artus reliqui tabescant.* Anno sequente, Adriani celebrata sunt Decennalia, quod festum extruendo Templo defunctæ posito, valdè idoneum fuit. Ingens ob amissam Plotinam mœstitia Adrianum incessit, cùm ejus favore adeptus fuisset imperium, atratus per novem dies fuit, hymnosque in eam composuit.

Mors Plotinæ: ejus laudes.

Spart. Adr. c. 13.

Vict. Epitome in Constantio.

Dio l. 69. 792.

II. Adriani temporibus, floruit & Cerdon Hæreticus, qui sedente Hygino, in urbem se contulit. Homo subdolus erat, qui errorem cum fide, fidem cum errore crebrò mutabat: *Cùm ad Ecclesiam venisset, & errorem suum confessus esset, ita deinceps perseveravit, interdum occultè docens, interdum rursus confitens errorem, nonnunquam convictus impiæ doctrinæ, eoque nomine à fratrum conventu recedens.* Quibus liquet Hæreticis secundæ confessioni locum fuisse. Cerdonemque non pulsum Ecclesiâ quidem, sed semetipsum à fidelium societate segregasse. Cerdoniani erroris hi sunt articuli: Duo principia statuebat, ac Deos duos, bonum alterum, & ignotum omnibus, quem & Patrem Jesu nominavit; alterum creatorem, malum & cognitum, qui Prophetis apparuit; Christum non esse ex Maria genitum, aut reverà carne vestitum; nullam fore corporum resurrectionem; Vetus Testamentum à Deo esse alienum. Quod testantur Irenæus, Epiphanius, Augustinus, Theodoritus, &c. Ex Simonianorum ortus disciplina Cerdon, Romæ aliquandiu commoratus, virus suum aspersit Marcioni. Laborat fides, ut quæ de Cerdone Prædestinatus habet c. xxiii. vera esse putemus: *Contra hunc suscepit Sanctus Apollonius Episcopus Corinthiorum, eumque omni cum Synodo Orientali damnavit.*

Cerdon Hæreticus.

Euseb. l. 4. c. 11.

III. Prodiit ex inferis Hæreticus, nomine Heracleon, quem Ægyptium existimare licet. Si creditur Epiphanio, Marci impuri Magi soboles fuit: *Eadem, inquit, cum Marco, aliisque, qui Marcum antecesserunt, de Ogdoadibus, superiore nimirum & inferiore sentit.* Itaque scribitur

Heracleon, nùm à Synodo Sicula damnatus?

Epiph. h. 36. n. 2.

Anno Dom. 125.

Epiphanio *Colobarsi successor.* Nos Marco paulò antiquiorem Heracleonem existimamus, & Valentini discipulum, ut indicat Irenæus, qui refellendis Valentini Æonibus, quibus *Bytho* præerat, utitur dilemmate: *Si autem non prolatum est, sed à se generatum & simile est & fraternum & ejusdem honoris, id quod est vacuum ei Patri, qui prædictus est a Valentino: antiquius autem & multo existens, & honorificentius reliquis Æonibus ipsius Ptolemæi & Heracleonis.* Marco quoque Heracleonem præponit Tertullianus, qui præmissâ Valentini Hæresi subjungit: *Deduxit & Heracleon inde tramites quosdam, & Secundus, & Magus Marcus.* Valentini disciplinæ mutationis aliquid intulit, teste Appendice ad librum Tertulliani de Præscriptionibus c. 49. *Extitit præterea Heracleon alter Hæreticus, qui cum Valentino paria sentit, sed novitate quâdam pronuntiationis, vult videri alia sentire. Introducit enim in primis illud fuisse quod pronuntiat, & deinde ex illa Monade duo, ac deinde reliquos Æonas, deinde introducit totum Valentinum.* Alia quædam addidit, quæ ad morientes redimendos pertinerent. Audiamus Epiphanium: *Sunt ex ipsis aliqui, qui oleum aquâ temperatum capiti morientis aspergunt. Unguentum alii, quod opobalsamum vocant, & aquam.* Intereà oratione ejusmodi utebantur: *Messia, Uphar, Eguamenipse, Munchaldia, Nossome, Duec, Acpharam, Epsura, Jesu Nazaria. Quæ quidem eo consilio faciunt, ut qui sub exitum vitæ talibus comprecationibus instructi fuerint, cum aqua & oleo, sive unguento commistis, à superioribus Potestatibus coërceri viderique nequeant.* His demum peractis, morientes monebant, ubi post obitum ad Potestates evolassent, verba hæc proferre: *Ego filius à Patre, & eo Patre qui ante omnes extitit, ac præsenti tempore filius veni, ut omnia tam aliena, quam privata cernerem, nec omninò tamen aliena, sed ad Acamot pertinentia, quæ cùm fœmina sit, sibi ista fabricavit. Origo porro mea est ab eo ducta, qui ante omnes extitit, eòque rursum unde ortus sum, regredior.* Scripturam exposuit Heracleon, cujus adhuc præclara verba extant de necessitate confitendi Christum, apud Clementem Alex. *Hunc locum exponens Heracleon, cujus in Schola Valentini fuit magna existimatio, his verbis dicit confessionem quidem unam esse fide & vita institutione, alteram verò voce. Atque quæ fit quidem voce confessio, fit etiam apud Potestates, quam solam multi non rectè confessionem existimant, possunt autem hâc confessione uti etiam Hypocritæ.* Universa & generalis ea Confessio est, *Quæ fit factis & operibus, et quæ est in Christum, fidei congruentibus.* Felix Heracleon, si sic omnia dixisset. A Synodo Sicula Heracleonis Hæresim damnatam esse, in Prædestinato legitur: *Sexta decima Hæresis Heracleonitarum ab Heracleone adinventa est. Quæ baptizatum hominem sive justum, sive peccatorem, loco Sancti computari docebat. Nihilque obesse baptizatu peccata memorabat, dicens: Sicut non in se recipit natura ignis gelu, ita baptizatus non in se recipit peccatum. Sicut enim ignis resolvit aspectu suo nives, quantacunque juxta sint, sic semel baptizatus, non recipit peccatorum reatum, etiam quantavis fuerint operibus ejus peccata permixta. Hic in partibus Siciliæ inchoavit docere. Contra hunc susceperunt Episcopi Siculorum, Eustachius Lilybætanorum & Panormitanorum Theodorus, quinque omnium, qui per Siciliam erant, Episcoporum Synodum exorantes, gestis eum audire decreverunt. Et universas assertiones ejus dirigentes, ad Sanctum Alexandrum Urbis Episcopum, rogaverunt ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc Sanctus Alexander ad singula quæque capita hydræ, singulos gladios Dei verbi, de vagina Divinæ Legis ejiciens, librum contra Heracleonem ordinans, ferventissimum ingenio Sabinianum Presbyterum destinavit, qui & scriptis Episcopi, & assertione suâ ita eum confutavet, ut nocte mediâ, navis præsidio fugeret, & ultra ubinam devenisset, penitus nullus sciret.* Pace Clarissimi Balusii, qui Concilium hoc Siculum nobis obtrudit, subditirium prorsus illud existimamus. Est Veteribus ignotum omnibus, qui Papæ Alexandri meminere. Deinde prius obiit Alexander, quàm Valentinus emergeret, de cujus familia unus Heracleon fuit. Imperabat Adrianus, cùm Valentinus exortus est, excessit verò Alexander regnante Trajano. Est quoque falsissimum Heracleonem sententiæ fuisse ejusmodi, hominem qui baptismum adeptus fuerit, *Sive justum, sive peccatorem*, in Sancti loco ducendum esse. Prædestinati figmentum refellunt verba Heracleonis, quæ ex Clemente Alex. protulimus. Alios prorsus errores Antiqui ascribunt Heracleoni, de quibus ne vel somniando Prædestinatus cogitavit. Quin etiam benedictio, quam *verbis Hebraicis* super morientium capita fundebat Heracleon, teste Augustino, innuit non in *Siciliæ partibus*, sed in Oriente potius illam suam disseminasse. Quòd si Heracleonem à Synodo Sicula damnatum admittere placet, à nostro Heracleone diversus erit.

Iren. l. 2. c. 4.
Tert. in Val. c. 4.
Epiph. h. 36. n. 3.
Strom. l. 4. 366.
Præd. l. 1. c. 16.

Anno U. C. 879. Per. Jul. 4839. Jul. 171. Dom. 126. Adriani 9. & 10. *Sol.* 13. G. *Lun.* 13. *Indict.* 9. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 1. P. 25. *Mart.*

Anno Dom. 126.

Coss. Annius Verus III. & Varius Ambibulus.

Annius ille Verus avus M. Aurelio fuit, ut ex Dione tenemus: M. hic Antoninus, qui Catilus antè appellabatur, Annii Veri, qui tertiùm Consul ac Tribunus militum fuerat ἔγγονος nepos fuit. *Itaque cum notis numeralibus Veri Consulatus proponi debuit, quod est à Baronio prætermissum. Ambibulus tamen in Pertinace Capitolini Bibulus appellatur.*

Dio l. 69. 797.

I. Plotinæ honorem habebat Adrianus, qui ipsius favore purpuram Augusteam acceperat. Ut ostenderet se gratâ memoriâ vel defunctam colere & Templum posuit, ut Deæ titulo venerationi esset.

Templum Plotinæ.

II. Calendis Augusti nascitur Pertinax Augustus. Pater ejus Helvius Successus, libertinus erat, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur. Editus est in Appennino, in villa Martis. Ligurem fuisse traditur à Dione, ex civitate Alba Pompeia. Puer literis elementariis, & calculo imbutus, datus est Græco Grammatico, atque inde Sulpitio Apollinari, post quem idem Pertinax grammaticam professus est.

Pertinacis nativitas.
Capit. Pert. c. 1.
Dio l. 73. 831.

III. Christianos vexabat Ethnicus furor, nullo jussu Adriani. Persecutioni commovendæ ansam præbere potuit Cæsaris superstitio, Eleusiniis sacris initiati, quasi cultori numinum, pergrata fuisset hominum cædes, ab ejusmodi institutis abhorrentium. Quadratus ergo vir Apostolicus,

Quadratus Apostolorum discipulus.

stolicus, Adriano obtulit orationem, quam pro defensione Religionis idcirco conscripserat, quod quidam malevoli homines vexare Christianos, atque incessere conabantur. Verosimile est hunc esse Quadratum, quem *Miltiades* apud Eusebium Prophetis inserit: *In eodem Libro universos N. Testamenti Prophetas enumerat, inter quos Ammiam quamdam, & Quadratum.* Oblatum esse hoc anno librum, docet Hieronymus in Chronico. De Quadrato id scripto mandavit Eusebius: *Eâdem tempestate floruit etiam Quadratus, qui cum Philippi filiabus propheticâ gratiâ illustres fuisse memoratur. Præter hos alii quoque complures eodem tempore viguerunt, inter Apostolorum successores principem obtinentes locum. Qui utpote discipuli tantorum virorum, admirabiles plane & divini, Ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis extruxerunt, prædicationem Evangelii magis ac magis promoventes, & salutaria regni cælestis semina per universum orbem late spargentes.* Hinc optimè colligit Valesius, ab hoc Apostolorum discipulo Quadratum Atheniensem Episcopum esse diversum. Ille Evangelista fuit, cujus nulla propria sedes; hic Atheniensis Ecclesiæ Pastor. Ille imperante Adriano; hic Marco Antonio regnante floruit. Utrumque Quadratum immerito permiscet Hieronymus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Quadratus Apostolorum discipulus, Publio Athenarum Episcopo, ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur, & Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industriâ suâ congregat.* Hieronymi patrocinium suscipit Cavius. Valesianum tamen non solvit argumentum; quos enim pro veris Episcopis habuit Eusebius, illos & eo titulo ornat. Quadratus ergo major Episcopo, quia Evangelista & Propheta. Nostro quidem judicio Cavius inficiari non debuit, *Episcopum* non fuisse Quadratum *eo tempore de quo agit Eusebius.* Prophetam enim agebat, quo munere officium Doctoris & Pastoris continebatur. Vir nullus est in Evangelio, qui titulum Prophetæ induerit, cui non insit facultas administrandarum Ecclesiarum, damusque Paulum arbitrum Ephes. 4. 11. Quadrati *συγγραμμα*, ab ejus Apologia, secerni non debuit à Centuriatoribus, repugnante Eusebio.

Euseb. l. 5. c. 17.

Euseb. l. 3. c. 37.

Rescriptum Adriani ad Min. Fundanum.

IV. In Asia præcipuè viguisse persecutionem, docet Adriani rescriptum ad Minucium Fundanum, quem Asiæ Proconsulem egisse, docet Eusebius in Chronico. Unde etiam conjecturâ ducimur, Quadratum Provinciam eam incoluisse: *Imperator Cæsar Ælius Adrianus, Minucio Fundano. Literas à Serenio Graniano viro Clarissimo, cui tu in Provincia successisti, ad me datas accepi... Quòd si Provinciales persecutiones adversus Christianos processu legitimo, ut & illi pro tribunali respondeant obtinere possunt, hâc unâ insistant viâ, & non petitionibus atque vociferationibus solis. Imprimis enim convenit, si quis accusare velit, de eo te cognoscere. Itaque si quis eos detulerit, atque probaverit contra leges quidquam commisisse, tu pro delicti qualitate, ita sententiam adversus eos feres, &c.* Cujus Epistolæ exemplum, Latino ut erat sermone conscriptum, Justinus attulit in fine Apologiæ, quæ vulgò secunda dicitur. Quod Eusebius exemplar Græcum fecit. Itaque Justini non est, sed Eusebii, quod in Apologia legitur. Testetur Eusebius: *Post hæc idem Justinus ipsum exemplar Epistolæ Latino sermone scriptum subjungit, quod nos prout potuimus Græcè*

Euseb. l. 4. c. 8.

interpretati sumus. Ex Tertulliano didicimus atque Cypriano, clamoribus vulgi Christianos ad Leonem fuisse petitos, quibus Proconsules nonnunquam obtemperabant. Serenii porrò Graniani ad Adrianum Epistola missa videtur non multò ante discessum ejus ex Asia, cui jam successerat Minutius Fundanus, cum rescripsit Adrianus.

Volueritne Adrianus Templa Christo ponere?

V. Insanos plebis tumultus Adrianus non compescuit modò, sed Templa quoque Christo condidit, si Lampridio fidem adhibemus: Alexander, inquit, Severus *Christo Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Adrianus cogitasse fertur, qui Templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri: quæ hodie, idcirco quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros si id optatè evenisset, & Templa reliqua deserenda.* Cujus traditionis defensionem adversus Casaubonum, suscipit Clarissimus ille Huetius. Observat enim à Lampridio significari, *Certum destinatumque Adriani consilium, ut Templa Christo extruerentur.* Addit Templa, quæ non habent numina, etiamnum dici Hadriani; *A quibus? Usque ab Ethnicis dicentibus etiam, ad hoc ea Templa parata fuisse.* Non unum tamen scrupulum nobis injicit ea Lampridii traditio. Incredibile quippe videtur, id consilii, quod certum Adriano, destinatumque dicitur, Justinum latuisse Martyrem, qui eo tempore florebat, quo sine numinibus Templa extruebantur. Quæ mens Adriano resedisse perhibetur in animo, utique constituta fuisset omnium in oculis: & nullo graviore uti argumento potuisset sua in Apologia Justinus, ut Antonini Pii favorem eliceret, quàm quòd pater ejus Adrianus Christo Templa ponere decreverat. Majus in ea re momentum fuit ad permovendos animos, quàm in rescripto ad Minutium Fundanum misso. Quid enim iniquius, quid Antonino indignius, quàm nefandos à Christianis ignes non prohiberi, quorum numen divinis afficere honoribus statuerat, ille qui & pater & decessor erat Antonini? Hoc nunquam præteriisset Justinus, qui rescripti Adriani meminit. Præterea si Christo Templa extruere voluit Adrianus, ejus quoque imagines habuisset in sacello suo, quomodo Alexandro Severo, qui Christum inter Deos recipere voluit, & Templo donare, fuit & in larario Christi effigies, quam matutinis horis venerabatur. Neque de hisce Templis Adriani, silentium egisset Tertullianus in Apologetico, dum Tiberii mentionem fecit: *Qui annuntiata sibi ex Syria Palæstina, quæ veritatem istius divinitatis revelaverant, detulit ad Senatum, cum prærogativa suffragii sui.* Ac tantò magis de Adriani facto commemorare debuit, quantò voluntatem Adrianus executione suam mandasse jam indicitur, extructis Templis, cùm Tiberius eò nondum progressus fuisset. Denique unus testatur Lampridius, qui Constantino M. imperante floruit, Adrianum de condendis Christo Templis cogitasse. Hoc non scripsit Spartianus, qui Adriani vitam memoriæ mandavit, quam rem sanè notabilem non dedisset oblivioni.

Lampr. Sever. c. 43.

Huet. Demonstr. Prop. 3. n. 23.

Tertul. Apol. c. 5.

Adriania sine imaginibus Christi Templa non fuere.

VI. Illud quidem Casaubono præcisè negare nolumus, mortuo Adriano, priusquam Templa, quæ absque numinibus ædificari voluerat, absolverentur, mansisse aliqua illorum imperfecta. Quod quidem ex Epiphanio colligi potest:

Anno Dom. 126.

Epiph. h. 30. n. 12.

Erat Tiberiade Templum ingens, olim extructum, quod Adrianeum, ni fallor, appellabant. Quod cùm imperfectum hactenus mansisset, oppidani publicas in balneas commutare studebant. At multa quoque Adriani Templa absoluta fuisse, inficiari non debemus. Templa, inquit Lampridius, *Hodie idcircò, quia non habent numina, dicuntur Adriani.* Quòd si nondum perfecta expletaque omnibus suis partibus & numeris, simulachrorum fuisse expertia, quid miri? Neque magis Adriani Templa vocari potuissent, aut ab illis, quæ Cæsares alii condiderant, secerni, quia numina non prius in Templis ponebantur, quam absolutionem perfectionemque suam ædificium adipisceretur. Quin etiam manca imperfectaque illa Templa, alicui usui, quod in commune urbis bonum cederet, mancipassent, quod de Adrianio quidem Tiberiadenses facere voluerunt. Extructa tamen ea Christo Templa, quæ simulachrorum vacua erant, nostrum in animum inducere non sustinemus. Aliæ igitur nobis sunt tentandæ causæ. Legitur in Victore: *Adrianus pace ad Orientem composita, Romam regreditur, ibi Græcorum more, seu Pompilii Numæ, ceremonias, leges, gymnasia, Doctoresque curare occepit.* Est ergo vero proximum, more atque instituto & Pythagoræ, & Pompilii Numæ, Adrianum Philosophiæ peritum, Templa quoque sine simulachris strui voluisse. De Numa Plutarchus:

Plut. Num. 65.

Jam hujus de statuis scita, undequaque Pythagoræ placitorum sunt germana. Neque enim ille sensus aut ulli dolori expositum, rerum principium esse, sed invisibile, incorruptum, solâ mente existimavit apprehendi. Hic vetuit Romanis, hominis, vel bestiæ formam tribuere Deo, neque fuit ulla apud eos antè vel picta, vel ficta imago Dei, sed primos centum sexaginta annos Templa extruxerunt, & collas Diis simulachrum per id temporis nullum habuerunt. Cùm igitur more Pythagorico Templa statuisset Adrianus, hinc ortus à Christianis videtur rumor, quòd Christi in honorem condita fuere. Nunquam enim eruditissimo Huetio largiemur, disseminatam esse ab Ethnicis famam ejusmodi. Neque id sibi assumere debet, Ethnicos esse, *Qui appellare* Adrianis *maluerunt de conditoris, quam de famoso inter eos, & invidioso Christi nomine.* Communis Ethnicis Christianisque ea fuit appellatio. Christianus utique Epiphanius, qui Ἀδριανεῖον vocabulum adhibuit, significando Templo, quod apud Tiberiadem extruere cœperat Adrianus. Cùm *Adriania* illa nonnullam Ecclesiarum similitudinem arriperent, Christiani in mentem sibi induxerunt, venerationi quâ Christum prosequebatur Adrianus, debuisse originem. Nec mirum sive Lampridium, sive Spartianum, utut Ethnicum, traditionis hujus quam à Christianis hauserat, mentionem inseruisse in historia, quam Constantino nuncupabat Augusto, qui Servatoris colebat disciplinam. Lampridii verba quidem *fertur, dicuntur, dicebatur*, Christianos magis innuunt, quàm Ethnicos. Proclive enim vulgò Christianorum fuit, quo jure, quâ injuriâ multa in laudem religionis suæ convertere, quam sciebant omni honore dignam. Intereà ea traditio Lampridii nobis lucro est. Etenim si imaginibus referta tum temporis fuissent Templa Christianorum, fingi nullo potuisset modo, *Adriania* numinibus vacua, Christo fuisse posita. Neque Adriano aliquid causæ fuisset, cur ejusmodi Templa conderet, expertia simulachrorum, si Ecclesiæ in more habuit imagines in Templis collocare. Nullæ quoque Constantino imperante imagines Christianorum in Basilicis videbantur, utpote quæ ad similitudinem Adrianiorum accedebant.

Anno Dom. 127.

ANNO U. C. 880. PER. JUL. 4840. JUL. 172. DOM. 127. ADRIANI 10. & 11. *Sol.* 24. F. *Lun.* 14. *Indict.* 10. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 2. *P.* 14. *Apr.*

COSS. *Gallicanus, & Titianus.*

I. PLacuit Onuphrio, Titianum illum esse, qui Adriani tutorem egerat. Quam eruditè Salmasius opinionem rejicit, notis ad Spartianum. Quippe Adriani tutor Attianus, non Tatianus, Titianusve dicebatur. Quod ex Dione palam est: *Attianus*, inquit, *qui & municeps Adriani, & tutor ejus fuerat, & Plotina ex affectu amatorio, Cæsarem pariter & Imperatorem designarunt.* Adduxit & insignem locum Salmasius ex Spartiano c. 15. *Atque adeò propè cunctos vel amicissimos, vel eos, quos summis honoribus evexit, posteà ut hostium loco habuit, ut Attianum, & Nepotem, & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem prius conscium imperii ad egestatem perduxit. Polyænum & Marcellum ad mortem voluntariam coegit. Heliodorum famosissimis literis lacessivit. Titianum ut conscium tyrannidis, & argui passus est, & proscribi.*

Titianus ab Adriani tutore diversus.

Dio l. 69. 788.

II. Dum in urbe moratur Adrianus, ad res Ecclesiæ convertimus animum. Ex Valentini familia Marcus exortus est, qui nefariis voluptatibus, magiæque operam dabat. Quando verò virus spargere suum inceperit, nos nescire profitemur. Valentini temporibus extitisse Marcum, ex Irenæo docet Eusebius *l. 4. c. 11.* Vi magicâ homo nefarius mentibus illudebat atque sensibus. Præcipua hæc erant impuræ doctrinæ capita: Negabat *resurrectionem carnis, & Christum non verè, sed putativè passum asseverans. Duo quoque opinatus est, ex adverso sibi esse principia.* Insaniam redolet quod de Marco legitur in Catalogo hæreseon apud Tertullianum *c. 50.* Marcus & Colobarsus, *Novam hæresim ex Græcorum Alphabeto componentes, negant veritatem sine istis posse literis inveniri. Propter hanc enim causam Christum dixisse, Ego sum α & ω.* Id scelestius, quòd pocula Marcus vino temperata, gratiarum actionem simulans, & solemnem precationis formulam longiorem adhibens, purpurea rubraque ut appareant efficit, adeò ut Christus ad illius invocationem, suum in ea vasa sanguinem instillare putaretur. Tum aliud poculum, eo cui mulier benedictionem impertit, longè capacius proferens, & in id è minore illo transfundens, ita præfabatur: *Gratia Dei, quæ ante omnia est, neque animo concipi, aut explicari potest, interiorem tuum hominem compleat, ac suam in te cognitionem augeat, granum sinapis in bonam terram demittens.* Tum repentè majus illud poculum, in quod minus defusum est, sic replebatur, ut sese liquor superfunderet. Prophetiæ spiritum cum mulieribus sese communicare gloriabatur, certis invocationibus adhibitis. Philtra etiam mulieribus præbuit. Diaconi qui Marcum in Asia hospitio exceperat, conjux egregiâ formâ, animo corporeque corrupta, impurum illum Magum longo tempore sectata est, donec ad meliorem frugem à Presbyteris conversa, reliquum vitæ tempus in pœniten-

Marcus Hæreticus.

August. de Hær. c. 14.

Epiph. h. 34. 1.

Iren. l. 1. c. 8. 9.

ANNO DOM. 127.

nitentia traduxit, Hùc & illùc concursasse Marcum, ut plures ad scelera sua adigeret, Hieronymo persuasum commentariis in Esaiam c. LXIV. Gnostici, inquit, *per Marcum Ægyptium, Galliarum primum circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles feminas deceperunt, miscentes fabulis voluptatem, & imperitia sua nomen scientia sua vendicantes.* Paria geminaque scribit Epistola 29. ad Theodoram: *Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens, primum ad Gallias venit, inde Pyrenaeum transiens Hispanias occuparit.* Duos tamen Marcos longissimis temporum spatiis remotos, permiscuit Hieronymus, Marcum scilicet secundi, & Marcum quarti seculi, qui Priscillianistarum virus in Hispanias intulit. Non refert quidem Irenæus, Marcum Magum in Hispanias migrasse. Imò non venit in Gallias, sed discipulorum suorum nonnulli eò se contulere: *Talia*, inquit, *dicentes & operantes, in his quoque quæ sunt secundum nos regiones, Rodanenses multas seduxerunt mulieres.* (Iren. l. 1. c. 9.) Error Hieronymi Baronio fraudi fuit. Ex Marci discipulis, quidam thalamum nuptialem construebant, & mysterium peragebant, verba nescio quæ super his, qui initiantur, concipientes, easque spirituales esse nuptias affirmabant, ad formam & exemplum cælestium conjugiorum: *Alii verò initiandos adducebant ad lavacrum, & mergentes hæc proferebant, In nomine ignoti omnium patris, in veritate omnium matre, in eo qui descendit in Jesum.* (Eusеb. l. 4. c. 11.) Quas de suis Æonibus, sermonibus, radicibus, seminibus, pleromatibus Marcus nugas tradebat, petantur ex Irenæo, Epiphanio h. XXXIV. Theodorito &c. Marci hæc somnia, quòd non minus perplexa & intricata, quàm stolida inaniaque sunt, in iis excutiendis tempus operamque consumere supervacaneum duximus.

III. De baptismo, diversa ab illa Ecclesiæ fuit Marcosiorum disciplina. (Marcosiorum baptismus.) Qui ministrabant baptismum, barbara hæc nomina proferebant: *Messiam farmagno in seenchaldia mosomeda eacha faronepseha, Jesu Nazarene, & horum interpretatio est talis, Christi non divido spiritum, cor & super cælestem virtutem misericordem, fruar nomine tuo, Salvator veritatis. Qui autem sacratur, respondet, Confirmatus sum, & redemptus sum, & redimo animam meam ab Æone, hoc, & omnibus quæ sunt in nomine Jao, qui redemit animam ejus in redemptionem in Christo vivente. Dehinc superfantur qui astant, Pax omnibus in quibus hoc nomen requiescit. Post deinde ungent oppobalsamo. Unguentum enim hoc typum esse dicunt ejus suavitatis, quæ sit super universa.* (Iren. l. 1. c. 18.) Alii verò Hebraica hæc nomina proferebant: *Basyma eacabusa eanaa irauista dyarbada eaeotaba, sobor camelanthi. Horum interpretatio est talis: hoc quod est super omnem virtutem patris invoco, quod vocatur lumen & spiritus & vita, quoniam in corpore regnasti.* Posterior formula sic restituenda: בשם הקדוש אב ובן האורה מציה ורוה חיה טובה שבום כלכת *In nomine Sancto Patris, & Filii, qui vocatur lumen, & Spiritus, qui est vita bona, quia in corpore regnasti.* Altera verò formula precatio est: משיח לא אפלג נשכה וחיל חרוה משמים ורחום אכפר נא בו תצרני יהושע ואמן *Messia non divido animam, & virtutem altiorem cælis, ac misericordem: utinam propitiationem obtineam; impera, & libera me, Servator fidelis.* Quam eruditissimo Croio restitutionem debemus: maluimus tamen vertere *fidelis*, quàm *vere*. Suam de barbaris hisce vocibus conjecturam affert Clarissimus Jacobus Rhenferdius, dissertatione Philologicâ de Redemptione Marcosiorum: משיחא ופרוקא ופרק נפשן שק מן על: מא חנא זמן לי ידנה בשכה וידוה ובפריק בפורקנא ותפשה הו ישע נצריא *Messias vel Christus & Redemptor, qui redemit animam nostram (meam) ab hoc seculo, & ab omnibus quæ in eo sunt, in nomine Jao, & expiavit nos, pretio animæ suæ, hic est Jesus Nazarenus.*

ANNO DOM. 128.

ANNO U.C. 881. PER. JUL. 4841. JUL. 173. DOM. 128. ADRIANI 11. & 12. Sol. 25. E.D. *Lun.* 51. *Indict.* 11. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 5. *Apr.*

COSS. *Torquatus Asprenas, & Annius Libo.*

I. DE Adriano multa commemorat Spartianus, quorum tempus cùm ignoretur, in hunc annum eorum partem conferemus. (Acta Adriani.) Equites Romanos, nec sine se, de Senatoribus, nec secum judicare permisit. Erat enim tunc mos, ut cùm Princeps causas cognosceret, & Senatores, & Equites Romanos, in consilium vocaret, & sententiam ex omnium deliberatione proferret. Execratus est denique Principes, qui minus Senatoribus detulissent. Serviano sororis viro tantum detulit, ut ei venienti, de cubiculo semper occurreret. (Spart. Adr. c. 9.)

II. Ex Valentianorum familia, prodiisse *Ophitas*, docuit Irenæus. (Ophitarum error.) Itaque etsi nobis sit in obscuro tempus exortus, de viperina tamen ea secta tractare lubet. Autor sectæ *Euphrates* scribitur Origeni: *Hi verò irreligiosi & impii ex serpente humanæ naturæ infestissimo, tanquam ipsi non homines, quibus est serpens inferior, sed ut serpentes gloria ducunt, quòd Ophiani dicantur, Euphratem nescio quem disciplinæ hujus scelestioris autorem jactantes.* (Orig. in Cels. l. 6. 76.) Plurima cum Valentinianis Gnosticisque habuere communia, & Æones, & Jaldabaot. Illud verò horrendum, quòd Autor Appendicis ad Tertullianum de Præscriptionibus scripto mandavit: *Serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam Christo præferant. Ipse enim, inquiunt, nobis scientiæ, nobis boni & mali originem dedit.* (Tertul. de Præscr. c. 47.) Quæ non omninò cum Augustino consentiunt: *Hunc autem colubrum, qui decepit Adam & Evam, Christum arbitrantur.* (August. de Hær. c. 17.) Narrat & hoc Theodoritus: *Jesum autem dicunt esse alium præter Christum, & eum quidem qui Deus est, ex Virgine esse natum: Christum autem è cœlis ad ipsum descendisse.* (Theodor. H. F. l. 1.) Alia prorsus contraria Ophitis vindicat Origenes, dum erroris Celsum coarguit, Ophitas cum Christianis permiscentem: *Tantùm abest ut Christi sint sectatores, ut nil minus quàm Celsus, Jesum incusent, nec eorum quispiam in concilium prodeat, nisi execrationes & maledicta in Jesum prius congesserit.* (Orig. in Cels. l. 6. 75.) Imò si fides Origeni, ne *Jesu quidem nomen audire valebant.* Quis Hæreticorum aliquid honoris in Jesum non contulit, nedum ei maledixerit? De maledictis expressis capiendus ergo non videtur Origenes, secus ne nomine quidem Ophitæ audivissent Christiani, sed de execrationibus in ipsa doctrina, quæ impia fuit, residentibus, quibus vel imprudentes, Servatorem onerabant. Secus non sibi constabit Origenes, qui Ophitarum hanc profert orationem: *Lucis jam portio filii, Patrisque gratia, mecum sit.* Hoc addit Augustinus; *Habent etiam verum colubrum, quem nutriunt & venerantur, qui incan-* (August. de Hær. c. 17.)

ANNO DOM. 128.

tante Sacerdote, egreditur de spelunca, & ascendit super altare immixum speluncæ, & oblationes eorum lambit, & involvens se circa eas regreditur ad speluncam, & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo sanctificatas. Quin etiam serpentem osculabantur, ut tradit Epiphanius. Nec minima pars erroris fuit, quòd *Christum non in substantia carnis fuisse, salutem carnis sperandam omninò non esse*, statuebant. De impura secta hæc narrat Prædestinatus: *Contrà hos susceperunt Bithyniæ Provinciæ Sacerdotes, id est, Civitatis Chalcedoniæ & Nicomediæ Episcopi, Theocritus & Evander, & confutantes eos publicè superarunt: Atque superventum facientes eis per collegia eorum, in Bithynia, ut dixi, partibus, per possessiones clanculo ubi hæc ipsa perpetrabant, & Sacerdotes eorum eliminarunt, & serpentes eorum occiderunt. Ac rationem reddentes omni Populo maximam, partem plebis ab hoc periculo liberarunt.* Fides sit penes autorem.

Tert. de Præscr. c. 47.

Prædest. c. 17.

Ophitarum orationes.

Orig. in Cels. l. 6. 296.

III. Ophitarum orationem silentio non transmisit Origenes, quam exhibemus: *Principum fores seculo alligatas, Regem maris unum, vinculum cæcitatis, oblivionem incircumspectam saluto, primam potentiam providentiæ Spiritu Sapientiæ conservatam, unde integer emittor. Lucis filii jam portio patrisque gratia mecum sit, ita pater adesto. Quin & illud dicere edocentur, cùm ad eum, quem Jaldabaot nuncupant, percurrunt. Tu autem confidenter, prime, & septime, nate ad imperandum Jaldabaoth, cùm sis verbum sinceræ mentis, opus perfectum Filio & Patri, charactere typi vitæ Symbolum inferens, qui quam clausisti seculo tuo portam, mundo aperuisti, transeo tuam liber rursus potestatem. Gratia sit mecum, ita Pater sis mecum. . . Deinde putant ei, qui præterito Jaldabaoth, pervenit ad Jao, dicendum: Tu autem occultorum mysteriorum Filii Patrisque princeps nocticula, secunde Jao, & prime domine mortis, pars innocentis, gestam jam Symbolum propriam barbam, accedo lubens tuum Principatum: confirmasti ex te natum, verbo vivente. Gratia sit mecum, ô Pater, sit mecum. Deinceps ad Sabaoth sic censent dicendum: Quinta Potestatis Princeps Dynasta Sabaoth, prælocutor legis tuæ creaturæ soluta per gratiam potentiorem pentade, admitte me Symbolum terminum tuæ artis irreprehensibilem, effigie typi conservatum, pentade solutum corpus. Gratia sit mecum, ô Pater, sit mecum. Deinceps Astaphæum sic credunt compellandum: Tertia Princeps porta Astaphaa, Episcope primæ aquæ Principatus, unum me ex initiatis respiciens admitte, Virginis Spiritu purgatum videns, à mundi substantia. Gratia sit mecum, ô Pater, sit mecum. Post hunc Æloæum sic putant alloquendum: Secunda Princeps porta Æloa, admitte me, tuæ matris ferentem tibi Symbolum, gratiam velatam virtutibus Potestatum. Gratia sit mecum, ô Pater, sit mecum. Postremum autem Horæum nominant, eique hæc dicenda putant: Superatâ sæpe ignis intrepide, primam sortite portam Horaa, admitte me, tuæ videns virtutis Symbolum solutum, typo vito ligni imagine assumptum, secundum innocentis similitudinem.*

Ophitarum barbaræ voces explicantur.

Orig. contra Cels. l. 6.

IV. Hanc Ophitarum orationem observatu dignissimam prætetire noluimus, cùm ex ipsa liqueat, tunc temporis non Christianis quidem, sed Hæreticis moris fuisse, Angelos adire precibus. Sunt etiam Ophitarum in disciplina barbara vocabula quædam, quorum est extundenda significatio. Verissimè Origenes: *Ex Hebrais verò Sabaoth, sive Adonai, & Eloëum, perditi homines acceperunt, quæ utique nomina ex sacris Scripturis sumpta, ejusdem sunt & unius Dei cognomina. Quod sane cùm Dei hostes minus intelligant, ut & ipsi fatentur, existimarant, aliud Ja esse, aliud Adoneum, aliud Eloeon.* Jaldabaot, Sabaot, Adonai, Eloëum jam explicuimus, ad alia veniamus. Tertiæ portæ præses *Astapheus* nomen habuit. Hebræis השטפה *inundatio* dicitur, quod optimè quadrat, erat enim Princeps ille custos, *Inspectorve primæ aquarum originis.* Secundæ portæ Princeps *Elohion* appellabatur אל *Deus* אביון *egenus* dicitur Hebræis. Est igitur *Elohion* Deus egeni & pauperis. Postremum Principem *Oreum* appellabant: de qua voce statim emicat vox אור *lux, ignis*; quod orationi, quâ eum adibant, optimè respondet: *Transcendens portam ignis intrepide.* Allusio est ad Mosis historiam, quâ scimus collocatos esse Cherubinos, qui ad vitæ accedere arborem Adamum prohibuerunt.

ANNO DOM. 128.

Ophitarum de Angelis Diagramma.

Orig. in Cels. l. 6.

V. Ophitarum quoque diagramma protulit in lucem Origenes, ad quod est & paucis attendendum: *Deinde meminit Celsus septem illorum Principum Dæmonum, qui nusquam à Christianis nominantur, sed quos, ut puto, ab Ophianis sumpserunt. . . . Celsus igitur dicit, primum in leoninam figuram formatum esse, non addens, quem eum nominent homines revera impii. Nos verò invenimus Angelum illum, Creatoris in sacris Literis laudatum, sceleratum hoc diagramma vocare Michaelem, habitu leonino. Rursus autem Celsus dixit, secundum esse Taurum. Quòd verò habemus Diagramma, asserit Surielem esse, eum qui in Tauri figuram est formatus. Deinde tertium Celsus dicit esse quendam in terris simul & aquis degentem, & horrisonum. Diagramma verò dicit tertium esse Raphaelem, Draconis figura Celsus quoque dixit, quartum esse formâ aquilinâ. Diagramma verò Gabrielem dicebat, aquilinâ esse formâ. Deinde Celsus quintum dixit habere ursi faciem, Diagramma verò Thauthabaoth nuncupabat, quòd ursi faciem gereret. Posteà sextum caninâ facie dici apud illos scripsit Celsus. Diagramma autem dixit scribi Erataoth. Porro septimum Celsus ait habere asini faciem, nominasque Taphabaoth sive Onoëlem: Nos verò in Diagrammate invenimus vocari Onoëlem, sive Tharthараot, asininâ specie.*

Barbara Ophitarum vocabula explicantur.

VI. Monitu vix opus est, horum Angelorum & nomina, & figuras, partim è sacro Codice, partim à Rabbinorum somniis esse desumpta. Ezechiel quatuor animalia vidit, unicuique quatuor erant facies, & totidem alæ, atque manus. Singula animalia facie erant hominis, leonis, bovis & aquilæ. Quæ Prophetæ animalia vocantur *Cherubim*, ad designandum Angelos fuisse. Simili quoque specie, menti Joannis objiciuntur Angeli Apocalypseos capite IV. Quæ animalium formæ vindicantur Angelis, tum ut imaginibus ejusmodi, vires cælestium spirituum atque qualitates, utcunque conciperemus animo, tum ut ostenderetur, Angelorum naturam Dei substantiâ tantò esse inferiorem, quantò animalia sunt hominibus imperfectiora, ut conjicit Rabbinorum facilè Princeps omnium, Moses Maimonides. Michael est Archangelus, cujus crebra mentio fit in Scriptura. Dicitur השר הגדול *Princeps magnus.* ἄρχων ὁ μέγας. Dan. XII. Itaque Ophitarum in Diagrammate, & primus Michaelis locus, & leonis animantium regis figura,

Anno Dom. 128.

gura vindicatur. Latere putamus neminem, מִיכָאֵל Hebræis sonare, *quis sicut Deus?* Secundus Ophitarum Princeps *Souriel* appellabatur שׂוּרִיאֵל Hebraicè taurus vitulusve שׁוֹר nuncupatur: est igitur Souriel, *Deus taurus meus.* Tertius Ophitarum Princeps, in Origene *Raphael* appellatur, quod Dei, vel *Deum Medicum* significat, à verbo רפא *curare.* Placet tamen doctissimi conjectura Croii scribendum esse שׂרפאל *Seraphael*, quia Ophitæ hunc Angelum Draconis formâ induebant. Est autem שׂרף *Serpens ignitus*, quem in Israelitas immisit Deus, ut ipsorum peccata puniret supplicio. Sed & Angeli *Seraphim* nomen habent. Quæ vox significationis est multiplicis. Nam & serpentes designat, & Angelos. Illos à veneno inflammante & corrodente, hos verò à splendore faciei. Primam Ophitæ significationem attendebant, utpote ad impia sua dogmata quadrantem, quibus serpentem venerari jubebantur. Gabrielem quod attinet, nil est in explicanda voce difficultatis. Sed magnam affert quinti Principis nomen *Thanthabaot.* Rescribit Croius, nec immeritò, *Thandobaot.* טו *Signum* est, דוב *ursus.* Taudabaot igitur *signum ursi*, cujus figuram huic Principi imponebant. Quid verò sit *Erataoth*, dicere nostris viribus edirius est, neque rem acu tetigit Croius. Quippe id appellationis formæ caninæ, quâ sextum ornabant Angelum, respondere debet, à qua valde differt אר יהאום *leonis signum.* Ultimum denique portarum Principem *Thaphabaot*, sive Onoëlem appellabant. Quod prius vocabulum vix Hebræum existimamus, cujus sensum sequens exprimit, si restituatur. *Atoniel* est ab אתון *asinus &* אל *Deus*, quia speciem asininam præ se ferebat. Et de Gnosticis commemorat Epiphanius, in libro, qui Mariæ progenies inscribebatur, hanc legi fabulam: Zacharias *viderat, cùm incensi hora suffiret, asini figurâ stantem hominem.*

Epiph. h. 26. n. 12.

Anno Dom. 129.

ANNO U. C. 882. OLYMP. 227. PER. JUL. 4842. JUL. 174. DOM. 129. ADRIANI 12. & 13. *Sol.* 26. C. *Lun.* 16. *Indict.* 12. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Mart.*

COSS. *Juventius Celsus* II. & *Q. Julius Balbus.*

Adrianus hoc anno transmittit in Africam.

I. QUas benè multas profectiones imperii in Provincias obiit Adrianus, annis vindicare suis est difficillimum, cùm ea de re certa nobis non suppetant monumenta Veterum. Itaque conjecturam modò hùc, modò illùc ducere cogimur, ut quod Historiæ tenori connexum aptumque magis est, pro Chronologiæ nostræ norma habeamus. Peregrinatio & Arabica & Pelusiaca, Pagio hoc anno contigisse videtur, quæ Baronio quoque sententia fuit. Perpensis tamen omnibus, aliam cogimur amplecti Chronologiam. Ac quam eruditus Gallicæ de Cæsaribus historiæ Scriptor adhibuit, ea nobis maximè placet. Nempe quòd anni currentis initio in urbe consistebat Adrianus, Argumento sunt verba Digestorum: *Pridie Idus Martias Q. Julius Balbus, & P. Juventius Celsus, Titius Aufidius, Ovenus Severianus Coss. verba fecerunt de his, quæ Imperat. Cæsar. Trajan. Parth. filius D. Nervæ nepos Adrianus Augustus Maximusque Princeps proposuit* V. *Non. Mart. quæ proximè fuerunt libello, complexus esset, quid fieri placeat.* Præterea ex Baroniana Chronologia anno Dom. CXXVI, ex Pagiana verò anno CXXVII. Adrianus Româ profectus *Athenas, opera quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit, ut Jovis Olympii Ædem, & aram sibi.* Perfecta videntur hæc fuisse opera, cum ab Adriano dedicata sunt. Cogitent verò eruditi præclaris tot operibus absolvendis, suffeceritne biennium, quod Baronius Pagiusque statuunt, ut & Templi Jovis fundamenta ponerentur, & totum ædificium ad umbilicum perduceretur. Id sanè creditu difficile, cùm statuis compluribus columnisque aliundè advectis ornaretur. Probabilius igitur existimamus, Adrianum currente anno Româ transmisisse in Africam, ac multum beneficiorum Provinciis Africanis contulisse. Cujus rei plurima extant in nummis monumenta, in quibus *Restitutor Africæ* nuncupatur. Ut venit in Africam, ad adventum ejus post quinquennium pluit; atque ideo ab Africanis dilectus est. Anno ad exitum properante, Romam repetivisse censemus.

Digest. de Hered. partiti. l. xx. Ulpian. l. 15.

Anno Dom. 129.

Spart. Adr. c. 22.

De carminum Sibyllorum ævo.

II. Sibyllarum carmina, de quibus suo loco multis egimus, regnante Adriano condita fuisse, non abhorret à vero. Sunt quidem viri doctissimi, qui non exiguam Sibyllinorum carminum partem à Judæis annis ante editum Christum circiter LXXX. confictam esse putant. Nos verò distinguendum existimamus. Etenim quæ vel à Justino, Theophilo, Lactantio aliisque Patribus laudantur, vel libris octo Patrum in Bibliotheca continentur, carmina seculo demum secundo condita sunt. Argumentoque est quòd à Justino Martyre primùm celebrentur. Autoris ætatem produnt versus libri V.

Post hunc argento galeatus nomine Ponti
Dictus regnabit, vir optimus, omniaque noscet,
Atque hac ceruleis sub te insignite capillis,
Optime, subque tuis, excellentissime, ramis,
Omnia tempora erunt, tres rerum summa tenebunt,
Omnibus at tandem potietur tertius ille.

Quibus pingitur Adrianus, allusione ad mare Adriaticum factâ. Adrianus verò adoptavit Antoninum, qui posteà Pius dictus est, sed eâ demum lege, ut ille sibi duos adoptaret, Anoium Verum, & Marcum Antoninum. Marcus autem Verum sibi consortem imperii fecit: quo extincto, summa rerum ad unum Marcum rediit. Floruit ergo Autor libri quinti sub M. Antonino. Cùm autem Sibyllinorum carminum Justinus inseruerit in Apologia, fatendum est non unius ejusdem fuisse calami, sed imperante & Adriano, eum spargi cœpisse librum, qui Justino subdita fœneravit oracula. Multa deinde post Justinum veluti Sibyllarum prodiere, quomodo celeberrima Acrostichis à Constantino laudata, quam silentio Justinus, Theophilusve nunquam præteriissent, si suâ ætate jam extitisset. Cæterùm seculo primo publicatos jam fuisse Sibyllæ alicuius libros, probabilissimum est. Eorum sanè meminit Josephus, in Archæologiis Judaicis, quibus anno Dom. XCIII. ultimam manum imposuit: *De turri autem hac, deque linguis hominum mutatis meminit Sibylla his verbis: Cum universi homines uno eloquio uterentur, turrim ædificaverunt excelsissimam, quasi ad cælum per eam ascensuri. Dii vo-*

Josep. Ant. l. 1. c. 5.

to

ANNO DOM. 129.

rò procellis immissis, turrim subverterunt. Gallæo sanè non assentimur, cujus eò inclinat sententia, quòd Josepho verba hæc *addita sint, quemadmodum & alia ipsi attributa.* Etenim si Josepho inserta sunt, quæ apud illum de Sibylla leguntur utique, à Christianis fuissent addita. Quo casu carmina apposuissent, cùm nil metri sit in loco, quem adduximus. De turri Babylonica sic canit Pseudo-Sibylla *l.* 3. 17.

Gall. de Sibyl. Disser. 459.

Ἄς συτ' ἐπιτείλησα βροτοῖς ὡς πύργον ἔτευξαν.
Quæ mortalibus minatus est, qui turrim ædificarunt.

Hæc Christiani inseruissent, quæ à verbis Josephi multùm discrepant. Quin etiam carmina Sibyllina Patribus nota, Deum unum prædicant; at Josephi ex Sibylla locus plurium *Deorum* meminit. Nullum etiam quod sciamus exemplar, Josephi iis caret quæ adduximus: neque à Judæorum indole piæ fraudes abhorrebant, quo etiam morbo vel Apostolicam ætatem laborasse dolemus: *Ne citò terreamini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquam per nos scriptam.* Si Autori Quæstionum apud Justinum addimus fidem, Clemens in Epistola ad Corinthios, quæ ante ultima Hierosolymæ fata exarata est, aliquid ex Sibyllis assumsit: *Si præsentis rerum status finis est impiorum per ignem judicium, prout testantur Prophetarum & Apostolorum scripta, atque insuper Sibyllæ vaticinia, quemadmodum ait B. Clemens, in sua ad Corinthios Epistola.* Quæ verò vel à Clemente forsan, vel à Josepho laudantur, ex libris petita sunt, qui à Sibyllinis carminibus Justino notis, sunt longe diversi. Porro Montano Montanistisve partem Sibyllinorum carminum non esse vindicandam, certissimum est, ut mirum sit viros alioquin eruditos, in hanc descendisse sententiam. Sequeretur enim Montanum Adriano imperante jam floruisse, cùm Justino Martyri nota fuerint Sibyllæ carmina, quorum meminit in Apologia oblata Antonino Pio. Atqui antiquior Montano Justinus. Montani exortum anno Dom. CLXXI. alligavit Hieronymus, quo tempore Antoninus Pius mortis solverat debitum. Neque fit nobis veri simile, partem Sibyllinorum versuum aliquam à Montano fuisse conditam, cùm homini Prophetæ titulum ambienti, ex ejusmodi carminibus nil laudis accederet. Qui Montani meminere, tradunt, *Illum subito quodam furore ac mentis excessu concuti cœpisse, & nova quadam atque inaudita proloqui, hariolantem & prædicentem futura.* Cujus afflatus nulla in octo libris Sibyllinis vena deprehenditur. Ludibrium sanè dedisset Montanus, si de Nerone, Trajano, Adriano jam defunctis, fudisset oracula. Sunt etiam Acrostichides argumenta animi sui compotis, rationisque facultate utentis. Quis verò primus carminum Autor fuerit, prorsus ignoramus. Illud certè scimus, Joannis Apocalypsi fuisse posteriorem, ex qua de millenario Christianorum regno suam hausit opinionem, quam ubique disseminat. Itaque ex Sibyllæ autoritate, hanc opinioni præsidium quærit Lactantius *l.* VII. *c.* 24.

2. Thess. 2.

Just. Q. 74.

Euseb. l. 5. c. 16.

ANNO U. C. 883. PER. JUL. 4843. JUL. 175. DOM. 130. ADRIANI 13. & 14. *Sol.* 27. B. *Lun.* 17. *Indict.* 13. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *Apr.*

ANNO DOM. 130.

COSS. *Q. Fabius Catullinus, & M. Flavius Aper.*

I. ANtequam in Orientem proficisceretur Adrianus, Romæ Templum celeberrimum condidit Fortunæ Urbis nuncupatum, de quo Athenæus: *Celebrantur Parilium dictæ quondam feriæ, nunc Romanas appellant, extracto dedicatoque Fortunæ Urbis Templo, ab optimo & humanissimo Imperatore Adriano. Eum scilicet diem cum solemni celebritate quotannis festum agunt, non solum Romani cives, sed etiam quotquot externi homines tum Romæ sunt.* Formam Templi misit Apollodoro, Architecto celeberrimo, qui Trajano percharus fuerat, magnum opus, ut absque ejus opera fieri posse ostenderet. Quæsivit ex eo, Num bene extructum videretur? Apollodorus rescripsit, Altius ampliusque multò fieri oportuisse, quò magis ad viam sacram esset aspectabile: Et de simulachris, quòd majora facta essent, quàm ratio altitudinis amplitudinisque Templi pateretur. Addidit jocando, ut videtur: *Si Deæ surgere atque inde exire voluerint, non poterunt.* Quibus commotus Adrianus, quòd in eum errorem inciderat, qui emendari non posset, Apollodorum interfici jussit. Exilium prius ipsi imperarat Adrianus, scommatis memor, quòd in eum, imperante Trajano, jecerat Apollodorus. Cui cùm de foro, odæo, & gymnasio communicaret Trajanus, atque interim Hadrianus ineptè aliquid diceret, ei respondit Apollodorus: *Abi & cucurbitas pinge, nam tu hæc quidem certè ignoras.* Romæ simulque Veneri Templum positum fuit, de quo Prudentius contra Symmachum lib. 1.

Templum Fortunæ Urbis ad Adriano conditur.

Dio l. 69. 789.

Delubrum Romæ: colitur nam sanguine & ipsa
More Deæ nomenque loci ceu numen habetur,
Atque urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura Deabus.

Anno Urbis 874. Templum conditum esse tradit Valesius notis in Marcellinum lib. 16. *c.* 10. Ea tamen sententia nullo sanè argumento firmatur. Nummus certè ab eruditissimo viro adductus, *anno* DCCCLXXIV. *Nat. urbis R. Cir. Con. S. C.* De Templo nil habet. Nostram verò Chronologiam statuit Hieronymus, qui ad annum currentem scribit in Chronico: *Templum Romæ & Veneris in Urbe factum.* Mors quidem Apollodori, indicio est mores Adriani jam ad sævitiam deflexisse, quod imperio ejus præcipiti contigit. Non diu Romæ constitit Adrianus, statim ad Orientem profectus per Athenas iter fecit, atque opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit, ut Jovis Olympii Ædem, & aram sibi.

II. Athenis profectus, per Asiam iter faciens, Adrianus Templa sui nominis consecravit. Deinde à Cappadocibus servitia castris profutura suscepit: Toparchas & Reges ad amicitiam invitavit, allecto etiam *Cosdroe* Rege Parthorum, remissâque filiâ, quam Trajanus cœperat, ac promissâ sellâ, quæ iridem capta fuerat. Cùmque ad eum quidam Reges venissent, ita cum his egit, ut eos pœniteret, qui venire noluerunt, causa speciatim Pharasmanis,

Adrianus in Orientem proficiscitur.

ANNO DOM. 130.

his Iberorum Regis, qui ejus invitationem superbè neglexit. Dum obit Provincias, Procuratores & Præsides pro factis affecit supplicio. Antiochenses ita odio habuit, ut Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum Metropolis Antiochia diceretur. Odii putamus causam, ex petulantia Antiochensium, atque dicacitate esse petendam. Agebat Antiochiæ, quando nimius inter ipsum & Plotinam agebatur, ut vix hujus populi dicteria effugere potuerit. In monte Cassio cùm videndi Solis ortus gratiâ, noctè ascendisset, imbre orto, fulmen decidens hostiam & victimarium sacrificanti afflavit.

Spart. Adr. c. 14.

Hoc anno defunctusne sit Alexander Papa?

III. Hoc anno, Sixto decessisse Alexandrum Episcopum Romanum, Baronii Chronologia statuit, quam à vero alienam esse, suo loco ostendimus. Alexandrum excessisse Trajano imperante, anno Dom. CXVI. Æliano & Verere Coss. legitur in Bucheriano Catalogo. Observarunt quoque Henschenio & Pagio, antiqua Breviaria Romana & manuscripta, & excusa Martyrologia Bedæ, Rabani, Notkeri, narrare Alexandrum Trajano imperante, rexisse Ecclesiam. Bucheriano Catalogo assentitur Pagius. Cestriensis Episcopus, Alexandrum ab anno XCI. ad CI. usque sedisse tradit. Cujus à sententia dissidet Dodwellus, qui Alexandri Pontificatum ab anno XC. ad usque CII. extendit. Ab his omnibus diversus Eusebius: *Anno Principatus Adriani tertio, Alexander Romanæ urbis Episcopus, fato functus est, cum decem annos administrationis explesset.* Quamcunque verò Chronologiam amplectamur, ab errore Baronius liberari nequit.

Euseb. l. 4. c. 4.

De aqua benedicta.

IV. Opplevit multos opinio hæc, quòd aquæ benedictæ institutio debeatur Alexandro. Id sanè legitur in Epistola, quæ nomine *Alexandri* circumfertur: *Aquam sale conspersam Populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine, populum sanctificabat atque mundabat, multò magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, Populum sanctificat atque mundat.* Hanc Walafridus Strabo ceremoniam vindicat & Alexandro: *Aquam sparsionis cum sale benedici, & in habitaculis fidelium spargi, Alexander Papa constituit.* Eadem stat animo sententia, Honorio Augustodunensi, de Gemma animæ lib. 3. c. 27. Non satis tamen Baronio clara videtur aquæ benedictæ origo, quòd à Pontifice Romano nata sit: *Hæc sanè jam pridem Apostolicâ*, inquit, *institutione tradita, ab Alexandro potius scriptis mandata, ac decreto roborata, quàm recens statuta dici debet.* Nos tamen eâ lege Baronio fidem astringimus, si testes ex monumentis antiquitatis excitet. Nil causæ sanè fuit Isidoro Mercatori, Straboni, Honorio, ut recentiores prætereamus, cur aquæ benedictæ institutionem Alexandro vindicaret, si ab ipsis Apostolis manasset, quorum sanè nomen adhibuisset Pseudo-Alexander, ut plus autoritatis suæ constitutioni conciliaret. Cæterùm non ea nobis mens est animo, quòd Alexander aquæ benedictæ fons fuerit atque principium, nedum orta sit ab Apostolis. Eam igitur materiam ingredi necesse est, ut & nova secernantur ab antiquis, & errores hoc mulis evellantur Baronio.

Alex. Epist. 1. c. 5.

Strab. de Reb. Eccles. c. 29.

Bar. An. 132. n. 3.

Aquâ simplici consecratâ

V. Fuit in more positum institutoque Veterum, ut patrandis miraculis communi aquâ uterentur. Tiberiade furiosus erat, nudo corpore circumcursans, quem Josephus Comes intra ædes adducit: *Et occlusis foribus, aquam manibus hauriens, & amentem illum cruce consignatam aspergeat, in nomine*, inquit, *Jesu Nazareni crucifixi, exi Dæmon ab hoc homine, isque sanus esto.* Nulla hîc quidem videtur aquæ ipsius consecratio, apparet tamen in sequentibus. Josephus enim præstigias Judæorum ut dissolveret, aquam postulat, affertur in æneo vase: *Eo coram omnibus accepto, crucis signum super illud digito ducit, ac Jesu nomen invocans, magna voce sic loquitur, In nomine Jesu, quem mei pariter atque horum omnium qui hic astant majores, in crucem egerunt, hac aqua vim hausto ad magicas artes, maleficiaque omnia restinguenda, quæ isti comparant.* In Georgio Alexandrino de vita Chrysostomi apud Photium: *Femina Euchia nomine, filius, febre ad medicorum desperationem correptus, à Joanne curatus est aquâ, quam ille cruce signatam, ad aspergendum dederat.* Similiter destruendo Dæmonis fano, Marcellus Episcopus, aquam sub altari posuit, ubi verò præmissâ ad Deum oratione, ut Dæmonis nequitiam comprimeret, *Crucis signo signatam aquam, Equitio Diacono præcepit ut acciperet, & cum fide spargeret.* De miraculis Jacobi, ille ipse Theodoritus in Sanctorum Patrum historia: *Aqua*, inquit, *quæ ab illius dextra benedicitur, fit salutare pharmacum.* Infitias tamen Baronius est, qui aquæ consecratæ illatio apponit, quam Christiano cuidam Hilarion præbuit. Hoc habet Hieronymus in ejus vita: *Rogatus ergo à fratribus qui aderant, scyphum fictilem, quo bibere consueverat, aquâ jussit impleri, eique tradi. Quem cùm accepisset Italicus, & stabulum, & equos, & aurigas suos, rhedam carcerumque repagula aspersit.* Nullum hic signum crucis, nulla oratio ab Hilarione legitur adhibita sanctificandæ aquæ. Est autem in observatione ponendum, non aquam modò, sed oleum quoque patrandis miraculis fuisse à Veteribus usurpatum. Vasculum olei à multis Martyribus benedictum, à Theodoriti lecto pendebat, ut ipse narrat in Vita Jacobi. Benjamin Monachus oleo, supra quod orabat, ægrotos omni morborum genere liberabat. De Eremitis Ægyptiacis Rufinus, cùm ab eis in nomine Domini homo pedibus aridus, *Oleo fuisset perunctus, statim confirmata sunt plantæ ejus.* Quò etiam referri potest de Hilarione scriptum Hieronymi: *Potentes viri & Judices, benedictum ab eo panem, vel oleum* accipiebant. Hinc Clementinis in Constitutionibus extat oratio pro benedictione & aquæ & olei, sanandis morbis: *De aqua & oleo ego Matthæus constituo, ut benedicat Episcopus aquam, vel oleum. Si verò non aderit, benedicat Presbyter, præsente Diacono. Dicat autem in hunc modum, Domine Sabaot, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, miserator & amator hominum, qui dedisti aquam ad bibendum, & abluendum, oleum ad exhilarandum faciem in exultatione lætitiæ, ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam, & oleum, ex nomine ejus qui obtulit, & tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi Dæmones, expellendi insidias per Christum spem nostram. Cum quo tibi gloria, honor, & cultus à S. Spiritu in secula, Amen.*

ANNO DOM. 130.

Veteres utebantur ad miracula.

Epiph. h. 30. n. 10.

Epiph. h. 30. n. 12.

Phot. Cod. 96. 257.

Theodorit. h. l. 5. c. 21.

Ruf. h. l. 2. c. 4.

Constitut. l. 8. c. 29.

VI. Hæc sunt quæ benè dictæ Latinorum aquæ antiquitatis aliquid conciliare videntur. Ne verò

Veteris & Novæ aquæ benedictæ discrimen.

verò falsis vetustatis ludamur imaginibus, benedictæ aquæ Veteris & novæ discrimen est afferendum. Primùm mirari subit, cur solius aquæ, non etiam olei benedictionem, fugandis & morbis, & Dæmonibus ex Antiquorum institutis retinuerint Latini. Quid meruit oleum, cur non perinde ut aqua, & consecraretur, & aspergeretur, ad insignes usus atque effectus? Deinde ex Veterum *aqua benedicta* descriptione, luce clarius est, aquam benedictam Latinorum inter & illam Antiquorum, non angustam esse differentiam. Mittamus Hilarionem, Comitemque Josephum Laicos fuisse, non Sacerdotes, quibus solis aquæ benedictæ consecratio commissa est. Quam ab Alexandro deducunt aquam benedictam, ea mixtura est salis & aquæ, cui consecrandæ Sacerdos diebus Dominicis, prætterquàm in Paschate, & Pent. coste, albâ stolâ indutus, salem præparat, & aquam verbis ejusmodi: *Exorcizo te creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † Sanctum, per Deum, qui te per Elizæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ, ut efficiaris sal exorcizatum, in salutem credentium.* Salis exorcismum excipit oratio, *Ut quidquid ex eo sale tactum vel aspersum fuerit, careat omni munditiâ, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ.* Postea Sacerdos exorcismo aquæ peracto orat, *Ut mysteriis divinis serviens, ad abjiciendos Dæmones morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum.* Tandem *mittit sal in aquam, in modum crucis, dicendo, Commixtio salis & aquæ pariter fiat in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † Sancti, Amen.* Oratione dein absolvit aquæ consecrationem, ut *hanc creaturam salis & aquæ, dignanter aspiciat, ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem Sancti nominis ejus, omnis infestatio immundi Spiritus abjiciatur.* Itaque ad commune judicium popularemque Latinorum intelligentiam, aquæ benedictæ accommodata definitio non erit, aquæ simplicis sale expertis consecratio. Fine etiam & effectibus, non secus ac materiâ, aqua Latinorum ab illa Veterum discrepat. Non enim Dæmonibus fugandis modò, sed etiam *venialibus peccatis aspergendis* prodest, ut in Manualibus Latinorum disertè legitur, atque Theologis. In re confessa unius Aquinatis sufficiat testimonium: *Aqua benedicta ordinatur contra insidias Dæmonum, & contra peccata venialia.* Id sanè docet Baronius verbis expressis An. 132. *n.* 5. *Aqua ad domesticum usum sanctificata, ipso ingressu Ecclesiæ ad levium sordium expiationem est exposita.* Inspiciatur & annus 57. *n.* 110.

Manuale Div. off. 110.

Thom. Sum. 3. P. Q. 65. a. 1.

Ante Constantinum aqua ad miracula à privatis non consecrabatur.

VII. Si ad antiquæ disciplinæ rationem, aquam benedictam Latinorum exquirimus, certè certòque deprehendemus, priscis seculis incognitam fuisse, nedum vel Apostolis, vel Alexandro Pontifici, hoc instituti vindicetur. Aquæ benedictio vel privata est, quæ vel à Laicis, vel si ab Episcopis Presbyterisve, non eo nomine & officio, in altari peragitur: vel solemnis & publica, adhibitis in Ecclesia exorcismis salis & aquæ, ut post mixturam simul consecrentur ad aspergendum prius *ter altare, deinde Clerum & Populum.* Priorem consecrationem quod attinet, nullum Christi præceptum est aquam benedicendi, ut ad vim cælestem ascendat, patrandis miraculis; nulla etiam promissio, quâ de tanto successu, speculæ vel minimum capiamus. De oleo scimus Apostolis injunctum, ut eo ægrotos ungerent, qui incolumitati restituerentur. Ut verò ob eam causam, aquæ Christiani benedicerent, mandatum à Domino fuisse, ne minimo vel indicio comperimus. Nemo autem, nisi prælucente præcepto, vel impulsu Spiritus Sancti, id attentare debet. Sapienter Tertullianus de illis, qui *ad omnem orationem, etiam cum lavacro totius corporis, aquam sumebant. Sed quoniam unum attigimus vacuæ observationis, non pigebit cætera denotare, quibus meritò vanitas exprobanda est, siquidem sine ullius aut Dominici, aut Apostolici præcepti autoritate fiunt. Hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata & coacta, & curiosi potius quam rationalis officii.* Quantò magis superstitioni temeritatique vindicandum, quòd absque præscriptionis divinæ autoritate, vim cælestem aquæ adjungere mortales tentant. Itaque nullo exemplo ducimur ad consentiendum, quòd ante quartum seculum Christianus aliquis aquæ benedixerit, ut ipsâ quasi remedio uteretur fugandis vel morbis, vel Dæmonibus, etsi adhibitum esse novimus oleum restituendæ sanitati. Immanem à Gregorio Thaumaturgo depulsam fuisse pestem, legimus in Vita ejus. Tunc aqua benedicta adhiberi debuit: Atqui *una periclitantibus salutis ratio erat, si ædes illas Gregorius ingrederetur, ac per preces morbum, qui domum invasisset, repelleret ac summoveret.*

Tertul. de Orat. c. 12.

Nyssen. Greg. Vit. 577.

VIII. Publica solemnisque aquæ benedictæ consecratio multis argumentis impugnatur. Ac primùm à privata illa benedictione evertitur. De muliere, quæ equa videbatur vi magicarum præstigiatum, hoc narrat Palladius: *Cum esset adducta aquamque benedixisset, Marcellus, & in ejus nuda caput infudisset, precatus statim effecit ut videretur femina.* Similiter Josephus ille Comes, quem memorat Epiphanius, aquam afferri jussit, cui ex tempore benedixit. Quòd si in mores Ecclesiæ jam inducta fuisset solemnis aquæ consecratio, quam Fideles, ut preciosum thesaurum in domibus suis reconditum servabant, hanc Marcellus atque Josephus afferri jussissent, utpote sanctiorem. Nec opus ipsis fuisset communi aquæ benedicere. Itaque quia nunc ubique locorum extat aqua benedicta, à Sacerdotibus in altari consecrata, Latinis aliena est extemporaria hæc profanis in locis aquæ consecratio, neque Sacerdotibus, nedum Laicis ibi permittitur. 2°. Instituto aquæ benedictæ usu, magnum ex illa adversus morbos præsidium comparatur. Hoc facit Synodus Nannetensis Canone IV. *Cum Sacerdos audierit aliquem infirmum in sua plebe, quam citius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat.* Quidni ergo Jacobus, ut ægrotum ungi oleo, sic & aquâ perfundi benedictâ, dedit in mandatis? Quamobrem *Proculus* ille Christianus, cognomine *Torpacion*, quem oleum curandis morbis adhibuisse novimus, non etiam aquam benedictam usurpavit? Aut cur pœnitentibus moribundis, de ministranda Eucharistia extant præcepta, reperiuntur & exempla: nullum verò priscis seculis vestigium est respersæ ægrotis aquæ benedictæ. 3°. In Ecclesiasticis moribus fuit, cùm aqua benedicta introducta est, plebem id auxilii adversus peccata Dæmonesque sibi comparare: *Quod in Sabbato*

Aquæ benedictæ Latinorum usus Veteribus incognitus.

Hist. Lauf. c. 19.

Capitul. l. 6. c. 77.

bato Sancto Pascha, vel in Sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem in domos suas recipere, ante chrismatis infusionem accipiant. Eucharistiam privatim à Fidelibus fuisse reservatam compluribus exemplis certum exploratumque est. Qui fit ergo ut primis seculis, nullus reservatæ sibi aquæ benedictæ meminerit, ut in animæ corporisque remedium cederet? Debellato Eugenio, Theodosius aliquandiu abstinuit Eucharistiâ. Ad Principem cæde recenti expiandum, aqua benedicta adhibita fuisset, si jam in Ecclesiæ ritus introducta.

Num. 31.

Quomodo jubente Mose, aquâ lustrali post pugnam milites purgabantur. Remedium ejusmodi non adhibuit Theodosius. 4°. Aquam benedictam lustralis Ethnicorum undæ multum arripere similitudinis, est in confesso: idcircò commune & nomen aquæ lustralia babent. Hâc aspergebantur Ethnici, eluendis maculis. Hinc apud Capitolinum *c.* 13. imminente bello Marcomannico, M. Antoninus Romam omni genere lustravit *aspergine circumlata aqua.* Et apud Virgilium Æneas:

Ipse ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Theodor. l. 3. c. 16.

Dæmonum in Templis, *Utrinque ad januas adstabant Æditui, qui lustralis aqua aspersione ingressuros purgarent, ut quidem ipsi existimabant. Tunc Valentinianus, qui ante* Julianum *Imperatorem incedebat, guttam aqua chlamydi sua aspersam conspicatus, Æditunm pugno percussit.* Quem Latini morem imbiberunt. Ingredientibus Ecclesiam, occurrit vasculum aquæ benedictæ plenum, quâ irrorantur, ut puriores evadant, majorique castitate religionis defungantur officio. Pietate priscorum, eam ceremoniam non contineri, testea sunt Justinus atque Tertullianus. Ille: *Lavationem hanc,* inquit, *cùm audissent Dæmones per Prophetam promulgatam, ut & ingressuri delubra eorum, & accessuri ad illos atque libationibus & adipis nidoribus offerendis operaturi, seipsos aspersione aqua lustrarent effecerunt.* Quòd si ea consuetudo fuisset in usu Christiania, perfricuisset utique frontem Sanctus ille Martyr, dum aquæ lustralis aspersionem Ethnicis objiciebat. Ea perstringit Justinus, quæ cum Christianis communia non fuere. Tertullianus verò longè disertior: *Cæterùm villas, domos, Templa totasque urbes aspergine circumlata aqua, expiant passim, certè ludis Apollinaribus, & Pelusis tinguntur.* Nonne cum sua objectione Septimius fuisset ludibrio, si tum temporis Christiani domos, Templaque sua aquâ lustrali aspersissent? Quæ Ethnicia exprobrat, eorum sanè expers fuit Ecclesiæ disciplina. Ex Ethnicorum igitur officicina ortua est ille aquæ benedictæ usus. Inaudita prorsus Antiquia ea ceremonia, quæ legitur in Capitularibus: *At omnis Presbyter die Dominico, cum Psallentio circumeat Ecclesiam suam unà cum populo, & aquam benedictam secum ferat.* Quartum ex Optato, quod nullo solvi modo potest, ducimus argumentum. Donatistas sic compellat Sanctus ille Episcopus: *Jam illud quale est, quod in multis locis etiam parietes lavare voluistis, & inclusa spatia, salsâ aquâ spargi præcepistis? ... O aqua, qua dulcis à Deo creata es. ... O aqua, qua sub Moyse ut natalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot Populorum pectora suavissimis haustibus satiasti. Restabat tibi post promotionem non leviter degradari.* Ignota igitur Optato fuit salis & aquæ mixtura, quâ aqua benedicta conficitur. Quam aquæ illatam à Donatistis injuriam non quereretur, si infuso sale, ab Ecclesiæ Sacerdotibus consecrabatur. Donatistarum hæc disciplina fuit, non Christianorum. Qui dignitatem aquæ eo infringi adulterio, violarique censebant. His accedit, quod scripto mandatur à Gregorio Turonensi, de insigni Lusitaniæ miraculo. Sabbato convenientibus ad baptizandum Populis, piscinam quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam: *Tunc cum exorcismo sanctificatum conspersum desuper chrisma, omnis Populus pro devotione haurit, & vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrimâ tutaturus.* Inter benedictam aquam Gregorii & Latinorum hodiernam maximè ergo interest. Illa baptismatis erat ex ipso deprompta baptisterio, in quod infans mergebatur: hæc minimè: illa salis expers, hæc eo gravida. Illa Chrismate infuso consecrabatur, hæc nullo unguenti liquore aspergitur. Illa ceremoniis ad baptismum pertinentibus sanctificabatur: hæc diversâ propriâque benedictione consecratur. De aqua quoque ad baptismum destinata sanctificataque capiendum Capitularium: *Quod in Sabbato Sancto Pascha, vel in Sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem in domos suas recipere, ante chrismatis infusionem accipiant.* Paschatis enim & Pentecostes Sabbata baptismo vindicabantur, cujus etiam aqua infuso chrismate præparabatur. Aqua verò Latinorum singulis Dominicis consecratur, non Sabbatis Pentecostes & Paschatis. Ex baptisterio deprompta quoque fuit aqua benedicta, quâ Fortunatus Tudertinæ urbis Episcopus fractam hominis coxam sanavit. Denique, sua Græcis & aqua benedicta, sed quæ salis est omnis expers. Idcircò aquam Latinorum censurâ perstringunt suâ: *Frustrà quidem arguunt Latinos Græci aqua causâ, qua per dies Dominicos in Ecclesiis ad sanctificandum Populum benedicuntur.* Quæ leguntur in tractatu contra Græcos.

Tert. de Bapt. c. 5. — *Capit. l. 5. c. 372.* — *Optat. l. 6.* — *Gregor. Mir. l. 1. c. 24.* — *Gregor. Dial. 1. c. 10.* — *B. P. t. 4. p. 1306.*

Aquæ benedictio apud Veteres non est lustralis undæ consecratio.

IX. Adultam aquæ suæ benedictæ vindicant antiquitatem Pamelius, Bellarminus, Baronius, quem cùm præcipuè delegerimus ad refellendum, sunt nobis ejus argumenta diligenter examinanda. Veterem aquæ benedictæ usum Cypriani, Cyrilli, Basilii, Ambrosii, Augustini autoritate demonstrari contendit. A scopo tamen aberrat quàm maximè. Concedamus enim de aqua benedicta, intelligendos esse Patres. Semper ibimus inficias, de Alexandrina aqua, salis scilicet, & aquæ, post exorcismum & mixturam, consecratione fuisse locutos. Hæc autem est Baronio Latinisque aqua benedicta, quam ex fontibus scilicet Apostolicis manantem, commendavit Alexander. Non igitur oleum quidem, sed aquam sanè, operamque suam illustrissimus Purpuratus perdidit. Insuper laudatorum Patrum aqua benedicta Baptismus est, quo denuò nascimur, non illa verò benedicta, quæ nec sacramenti naturam induit, nec ad illos usus est comparata, in quos Baptismus quæritur. Hanc Patribus mentem fuisse constabit, si verborum omnium pondera expendamus. Dixit ad Januarium Cyprianus, Epistolâ 70. *Oportet ergo mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Hæc autem sanctificatio ea est, quæ per consecrationis verba peragitur: *Baptiza te in nomine & Pa-*

Bar. An. 132. n. 5.

tris, & Filii, & Spiritus Sancti. Alia sanè sanctificatio non est ad baptismum necessaria, nec aliam aquis instillarunt Apostoli, qui fontanos fluvialesque latices adhibuerunt ad baptizandum, nullâ præmissâ aliâ consecratione, quàm quæ oritur ex forma sacramenti. Quem Cypriani locum si diligenter attendisset vir eruditus Ludovicus du Pin, non scripsisset in suâ Bibliothecâ, *Qu'on prouve par les écrits de ce Pere, qu'on se servoit d'eau benite.* Post Cyprianum, Baronius Cyrillum testem advocat, omninò tamen infeliciter: *Ut illa quæ in aris offeruntur, cùm naturâ sint pura, invocatione Dæmonum impura efficiuntur: sic contra aqua simplex, per Sancti Spiritus Christi, & Patris invocatione, acceptâ virtute sanctitatem consequitur.* Quibus pingitur baptismi Sacramentum, ab aqua benedicta, natura efficaciaque penitùs diversum. Eadem quoque mens est Ambrosio, libro de iis qui mysteriis initiantur c. 3. *Aqua enim sine prædicatione Dominicæ crucis, ad nullos usus futura, salutis est, cum verò salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri, & salutaris poculi temperatur.* Quis nisi captus oculis, in verbis *spiritualis lavacri*, ipsum non deprehendat baptismum? Eodem quoque modo Basilius, Augustinusque sunt explicandi. Cæterùm & sibi, & nobis illudit Baronius, dum accidentalem, ut loquuntur, benedictionem, quâ ad baptismum veluti ornabatur aquâ, atque præparabatur, cum aquæ suæ benedictæ consecratione permiscet. Quibus sordebat aquæ fluviatilis casta simplicitas, varia quidem aspersere pigmenta, ut naturalem undam nobilitarent. Qua de re subditus ille Areopagita: *Pontifex autem ad adoptionis matrem vadit, cujus aquas, postquam sacris invocationibus sanctificavit, nec non tribus sacratissimi unguenti crucis forma affusionibus, totidem sacri unguenti appositionibus, Sacro Sanctum Deo afflatorum Prophetarum divinæ aspirationis hymnum concinendo consecravit, adduci virum jubet.* Hoc etiam significavit Ambrosius de Sacramentis, libri primi capite v. *Forma baptismatis hoc habet, ut antè fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est.* Videantur ea de re liturgicorum & Scriptores, Amalarius de Ecclesiasticis officiis lib. 1. c. 25. Rabanus de institutione Clericorum lib. 1. c. 28. Quæ aquarum consecratio illi prævia est, quam adhibitâ formâ sacramenti peragunt. Verùm enimverò, ut suprà indicavimus, ea benedictio aquæ, quæ in ipsa baptismi celebratione fiebat, à consecratione *aquæ benedictæ* Latinorum variat atque dissidet. Pars enim erat baptismi solemnis, quod de benedictione aquæ lustralis ne fingi quidem potest animo. Illa in ipso baptismo fiebat, hæc extra baptismum. Illa via est ad Sacramentum, hæc non est. Illa ad regenerationem hominis comparabatur, hæc ad alios effectus instituitur. Itaque oratio, quâ fonti benedicebatur, multum discrepat ab illa, quæ consecrandæ lustrali aquæ adhibetur. Amalarium ad alia festinanti solum excitare testem sufficit: *Prima benedictio Patrem invocat, quæ dicit, Benedico te creatura aquæ, per Deum vivum, per Deum Sanctum, qui te in principio, verbo separavit ab arida. Secunda benedictionis filium adest, Benedico te & per J. Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui te in Chana Galilææ signo admirabili suâ potentiâ convertit in vinum. Spiritus Sanctus introducitur in novissime, & est omnis deprecatio, ut sicut Dominus jussis suis aquam fecit obtemperare in superioribus miraculis, ita & nunc eo jubente efficiatur non solùm habilis ad abluenda corpora, sed etiam ad purificationem mentis.* Ex aqua sic ad baptismum ornata, populi ante concepta solemniaque verba Sacramenti, aliquid sibi in privatum usum comparabant, agrosque vineasque aspergebant, ut ex Gregorio Turonensi audivimus. Quæ Baronius distinguere noluit, ut titulo aquæ benedictæ, & incautos falleret, & suam aquam lustralem nobis propinaret. Verùm enimverò in aqua illa Veterum benedicta, nil exorcizati prius salis à Sacerdote injectum est.

P. 174.

Cyrill. Catech. 3. 16.

Dionys. de Eccl. Hier. c. 2.

Amal. de Eccl. Off. l. 1. c. 25.

X. Defuncto Alexandro succedit Sixtus Papa primus: *Quem natione Romanum, ex Patre Pastore, de Regione via lata* fuisse ferunt. Baronius autem Binniusque, quibus hoc anno Sixtum Pontificem creatum fuisse placuit, sunt procul à vero. Obiit Alexander anno Adriani tertio, si sequimur Eusebium. Sixtus ergo Pontificatum iniit Christi vel CXIX. vel sequente. Si verò Bucheriano Catalogo adhæremus, Sixtus sedere cœpit anno CXVII. Nigrino & Aproniano Coss. Pearson ab anno CI. ad CXI. Sixtum sedisse arbitratur. Cujus Pontificatum anno uno posteriorem à CII. scilicet ad CXII. extitisse Dodwellus statuit. Nos currente anno Hyginum habemus Pontificem, quo defuncto, Marcio se Romam contulit. Quando verò inceperit desieritve Episcopatus ejus, non nobis est ignorare pudor.

Sixtus Papa.

XI. Sixti duæ Epistolæ circumferuntur. Prior ad omnes Christi Fideles, de fide & accusatione Episcopi, Posterior universis Ecclesiis dirigitur, cujus tria capita sunt. Primum de sacris vasis: secundum de appellanda sede Apostolica: tertium de Episcopis rebus spoliatis, vel à sede pulsis. Utraque subdita est. Prioris titulus est: *Sixtus Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopus*, quæ dignitas è tenebris, Sixti tempore, non orta fuerat. Data est 16. *Kal. Maii sub Adriano & Vero*, qui Consulatus subditus est. Paginam integram habet ex Idacio Claro adversus Varimadum. Videatur M. B. P. t. v. p. 728. Posterior quoque Sixti Epistola notha est. Titulus Epistolæ Sixtum ornat dignitate, *Universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopi*, quos sibi titulos Sixtino ævo non assumebant Pontifices R. Falsa quoque Consulum subscriptio est, *data 9. Kal. Aprilis Hadriano & Vero, viris Clarissimis Coss.* Jubet pulsatos *licenter Sanctam & Apostolicam appellare sedem* R. quæ disciplina ab illa secundi seculi prorsus abhorret. Continet etiam testimonia, quæ ex Historia tripartita petuntur.

Epistolæ Sixti subditæ.

XII. Natalibus Veri, qui cum M. Antonino imperavit, hic annus & insignis est: *Natus est Lucius Romæ in Prætura Patris sui 18. Kal. Januarias, die quo & Nero, qui rerum potitus est. Origo ejus paterna pleraque ex Hetruria fuit, materna ex Faventia.* Huic naturalis pater fuit L. Verus qui ab Adriano adoptatus est. Hoc anno editum esse L. Verum, indicat Capitolinus c. 2. *Post septimum annum in familiam Aureliam traductus.* Factum id anno Christi 138. ut suo loco declarabitur.

L. Veri nativitas.

Capit. Ver. c. 2.

Anno Dom. 131.

Anno U. C. 884. Per. Jul. 4844. Jul. 176. Dom. 131. Adriani 14. & 15. *Sol.* 28. A. *Lun.* 18. *Indict.* 14. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 7. P. 7. *Apr.*

Coss. *Ser. Octavius Lenas Pontianus, & M. Antonius Rufinus.*

Belli Judaici origo.

I. DUm Adrianus Antiochiæ consistit, Judæi movere bellum cœperant, *Quòd vetabantur mutilare genitalia.* Ex Adriani legibus, quibus prohibita marium eviratio, etiam circuncisioni fibula videtur esse imposita. Quod cùm impatientissimè Judæi ferrent, tumultuari cœperunt. Etsi nondum in apertum bellum seditio processerit, prohibente Adriani præsentiâ. A Pio tandem auxiliarem legem eos impetrasse, observat Casaubonus, ex Modestino libro Regularum: *Circumcidere Judæis filios suos tantum rescripto Divi Pii permittitur. In non ejusdem Religionis, qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur.*

Perpetuum Edictum conditur.

II. Adrianus relictâ Antiochiâ, Arabiam peragravit. Quid ibi gesserit ignoratur. Eâ peragratâ, exeunte anno Pelusium venit. Anno celebritatem attulit perpetuum edictum, jubente Adriano à Salvio Juliano conditum. Verba sunt Hieronymiani Chronici ad labentem annum: *Salvius Julianus perpetuum composuit edictum*, quod ex Eusebio in annum 132. perperàm Baronius confert. Edictum conditu valde necessarium fuit, ob Prætorianarum constitutionum mutabilitatem. Nota sunt verba Ciceronis: *Qui plurimùm tribuunt edicto. Prætoris edictum legem annuam dicunt esse.* Sapienter ergo curavit Adrianus, perpetuum à Salvio Juliano jus conscribi, quo omnes inposterum Prætores uterentur.

Cicer. in Verr. l. 1. n. 109.

Marcion. Quis? Romam venit. Num Monachus?

III. Marcionem hoc anno Romam petivisse, conjecturâ ducimur ad scribendum. Sub Adriano quidem prodiisse Marcionem, innuunt Irenæus atque Epiphanius, qui narrant illum in urbem venisse, defuncto Hygino. Majorem Philastrius Marcioni antiquitatem vindicat: Marcion *devictus atque fugatus à B. Joanne Evangelista, & Presbyteris de civitate Ephesi, Romæ hanc hæresim seminabat.* Fallitur quidem Philastrius, ex ipsius tamen Chronologia sequitur Marcionem vetustiorem esse quàm vulgò creditur. Fuit is genere Ponticus, ex ea parte, quæ Helenopontus dicitur, oppido Sinope, ut frequenti de eo fama percrebuit. Initio vitæ castitatem præ se tulit, parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Posteà cùm virginem quandam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ob hoc facinus ab ipso parente Ecclesiâ pulsus est. Cui cùm Marcio, diu multumque supplicans, pœnitentiam postulasset, nullis à Patre precibus eam obtinuit. Popularium ergo suorum probra & ludibria non sustinens, clam ab oppido secedens, Romam post Hygini Papæ obitum proficiscitur. Eò statim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens Apostolorum discipulis edoctis, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petit. Quamobrem, inquit, me recipere noluistis? *Responderunt illi, Nobis injussu venerandi Patris tui facere istud non licet. Una si quidem fides est, & animorum una consensio: neque contra spectatissimum Collegam Patrem tuum moliri quippiam possumus.* At ille vehementius excandescens, Ecclesiam, ait, *Vestram ego dissociabo, in eamque schisma sempiternum immittam.* Nautam prius egisse Marcionem, Veteres docuere. Græca enim Eusebii habent, ὁ ναύτης, *nauta Marcion.* Eusebiu præiverat Tertullianus: *Nos Marcionem nauclerum novimus, non Regem, non Imperatorem.* Quo utique titulo non semel ornavit Hæreticum. Non tamen displicet conjectura Rhenani: *Est*, inquit, *jocus in gentem. Nam Marcion Episcopi filius fuit. Ut tamen possibile sit, Majores ejus naucleros fuisse.* Cum arte naucleri vix quoque consentit ingens illa eruditio, quam Hieronymus in Marcione mirabatur: *Nullus potest hæresim struere, nisi qui ardentis ingenii est, & habet dona naturæ, quæ à Deo artifice sunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctissimos legimus.* Quid verò sibi vult Epiphanius, dum scribit Marcionem egisse Monachum? Timidiusculè Christianus Lupus: *Et potest*, inquit, *fuisse, attamen Anachoreta non Cœnobita.* Nos verò Marcionem Monachum ignoramus, cùm ejus ævo nulli extiterint, sive Eremitæ, sive Cœnobitæ. Tertulliani temporibus, qui Marcione multò junior est, Christianorum nemo in vita se eremitica collocarat: *Neque enim*, inquit, *Brachmanæ aut Indorum Gymnosophistæ sumus, Sylvicolæ & exules vitæ.* Itaque voce *Monachi* abusus est Epiphanius, significando Marcionem *ascetam* egisse. Adriano enim imperante, multi ex utroque sexu liberam virginitatem profitebantur, nulli tamen eorum Sylvicolæ: *Paulum quendam Thebæum, Principem ejusmodi instituti fuisse*, docet in ejus vita Hieronymus. Eremum autem petiit Decio & Valeriano persequentibus Ecclesiam, centum & amplius annis post exortum Marcionis.

Epiph. h. 42. n. 2.

Tertul. in Marc. l. 1. c. 18.

Hier. in Ose. c. 10.

Lup. Schol. in Tert. de Præscr. l. 85.

Tert. Apol. c. 42.

Quandonam & ubi cœpit Marcionis hæresis?

IV. Marcionis ætati multum noctis induxit cruda Tertulliani Chronologia: *Ubi tunc Marcion Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus? Ubi Valentinus Platonicæ Sectator? Nam constat, illos neque adeò olim fuisse, Antonini ferè Principatu, & in Catholicæ primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub Episcopatu Eleutherii Benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sextertiis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt.* Quæ fidem impetrare Chronologia non potest, cùm & ipsi Tertulliano pugnet, & Veteribus: *Quoto quidem anno Antonini majoris, de Ponto exhalaverit aura canicularis, non curavi investigare. De quo tamen constat, Antonianus Hæreticus est, sub Pio impius*, quæ ipsa Tertulliani verba sunt contra Marcionem lib. 1. c. 19. Non igitur primùm credidit sub Eleutherio, qui imperante Marco Antonino Pontificatum iniit. Præterea sedente Aniceto, familiam duxisse Marcionem, testis est Irenæus: *Ipse Polycarpus cùm ei Marcion aliquando occurrisset, dixissetque, Agnosce nos, respondisse fertur, Agnosco te Primogenitum Satanæ.* Venit autem in urbem Romanam Polycarpus, Pontificatum administrante Aniceto. Denique notissimus jam Hæreticus fuit, eo tempore quo Justinus Apologiam Antonino Pio suam obtulit, anno Christi CXXXVIII. Verba hæc sunt B. Martyris: *Marcionem quoque Ponticum, in medium produxerant pravi Dæmones, qui conditorem cælestium & terrestrium Deum, & à sacris Vatibus prænunciatum, Christum filium*

Tert. de Præscr. c. 30.

Euseb. l. 4. c. 14.

Justin. Apol. 2. 52.

Anno Dom. 131.

ejus, pernegare nunc quoque docet. Incepit igitur hæc hæresis, dum rerum potiebatur Adrianus. At in Ponto Asiaque primum nefariane dogmata sparserit Marcion? Sic censet Petavius, Animadversionibus in hæresim Tatianorum p. 83. Cui etiam favere videtur Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem c. 2. *Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos animos sibi præpararet.* Quæ ooo consentiunt Epiphanio, cujus de Marcionis in urbem adventu traditio vero propior est. Non sanè ob solum quod obtulerat virgini vitium, sed propter hæresim etiam io Punto Asiaque disseminatam, à Sinopensi Episcopo ejici debuisset. Neque opus ipsi fuisset, ad Cerdonem adire, ut hautiret impietatem, quam ignoto en Doctore, jam Asiaticis propinasset. Testatur autem Tertullianus, Marciooem usum Cerdone magistro: *Habuit & Cerdonem quendam informatorem scandali hujus.* Quod & tradunt Epiphanius atque Theodoritus. Ex sibi negata igitur à Romanis pœnitèntia, dolore percitus Marcion, abjectâ fide, quam æternus coluerat in ipsa urbe, ad hæresim defecisse videtur. Quòd si vera prædicat Tertullianus, de *ejectis cum Marcione ducentis sestertiis, quæ Ecclesiæ intulerat*, probabile est admodùm collatam eam pecuniam fuisse, cùm primùm Romam appulit, ut eo pretio quasi absolutionem sibi emeret à Presbyteris Romanis. Ducenta sestertia Gallicarum sunt librarum millia octodecim, cum sexcentis undecim. Cæterùm diu satis inter homines fuit impurus Hæreticus. Quippe anno Dom. circiter CCVII. vita etiamnum nonnullis remanebat, qui Marcionis & spectatores fuerant, & auditores, si Tertulliano credimus, dum hæc de Marcione, & ipsius discipulo Apelle prodit: *Adhùc in seculo supersunt, qui meminerint, eorum etiam proprii discentes, & successores ipsorum, ne posteriores negare possint.*

Tert. in Marc. l. 1. c. 2.

Tert. de Præs. c. 30.

Provocavitne Marcion ad Ecclesiam Romanam?

Bellarm. de Rom. Pont. l. 2. c. 25.

Lup. Schol. in Præscr. p. 486.

V. Qui honori autoritatique Romanæ velificantur Ecclesiæ à Marcione, ad eam provocatum fuisse scribunt. Inter appellationis exempla, factum Marcioois apud Bellarminum reperitur. Quòd si Christiano Lupo credimus: *Huic opinioni favent verba Epiphanii, quòd non principem illic locum impetrasset.* Hujus tamen sententiæ falsitas non pertenuibus argumentis nobis patefacta est. Extabat Interpontificium, cùm à Romanorum Presbyterio admitti io communionem Ecclesiæ Marcio flagitavit; neque de rescindenda unquam Sinopensis Episcopi sententia, verbum movit ullum: aliud verò est abrogare Judicis inferioris decretum, aliud orantem dignari Eucharistiâ. Imò expressè negat Ecclesia Romana, id sibi juris competere, invito Sinopensi Episcopo, à quo pulsus Ecclesia Marcio fuerat, communioni ut restitueret: *Nobis*, inquit, *injussu venerandi Patris tui facere istud non licet.* Quis autem ibit inficias, summo Judici facultatem eam competere, quæ omisso neglectoque inferioris consensu, provocantem absolvere valeat. Denique ipse Natalis Alexander multis evertit argumentis eam Marcionis appellationem. Primum, quia istius appellationis nullum est apud Veteres Ecclesiasticos vestigium. Secundum, quia nullo monumento Antiquitatis ostendi potest, Laicis licitum fuisse appellare ab excommunicatione ab Episcopis, ob crimen in semetipsos lata. Præterea expectasset Marcion Hygino successorem dari, cui appellationis libellum afferret. Non ergo ad Pontificem Rom. provocavit, sed solam Ecclesiæ Rom. communionem impetrare doluit. Cæterùm, si Tertulliano fides, qui de Marcione multa parum credibilia tradit, à Romana Ecclesia ad pœnitentiam tandem admittitur: *Postmodum idem Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni data sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte prævenius est.* Quâ de re multum dubitamus. Penes quidem Marcionem fuit palinodiam canere, impietatemque quam ejurasset, & voce, & scriptis impugnare. Ei tamen non fuit integrum, quos corruperat, ad frugem corrigere: pœnitentiam igitur eâ lege offerre Marcioni Ecclesia Romana non potuit. Quin etiam hæc sunt maximè disjuncta, quòd Marcioo, qui sub Eleutheri Pontificatu *primùm* credere debuit, postmodum semel & iterum ejectus, tandem ad pacem admissus sit. Quo concesso, ut post iteratam de hæresi pœnitentiam, ad tertiam rursus reciperetur, sedente Victore, vitam etiamnum retinere debuisset. Quod in animum inducere nostrum oon possumus, Cùm ejus rei non meminerit Irenæus, qui Eleutheri Victorisque temporibus & floruit & scripsit, qui triplicem Marcionis pœnitentiam non dedisset oblivioni. Denique Marcion, qui imperante Adriano docebat, & in fama erat, vix ad tempora Victoris annos suos extendere potuit, utpote qui vivendo seculum penè complevisset. Concedamus tamen Tertulliano suam de Marcione traditionem veram esse, provocatio sanè Marcionis ad Romanum Episcopum hinc extundi nequit. Etenim à Sinopensi Episcopo non ob hæresim excommunicatus fuit, sed ob vitium quod obtulerat virgini. Incongruum verò & omninò incommodum fuisset, Laicis, vel minorum gentium Clericis, de excommunicatione ob fornicationem lata, jus ad Pontificem appellandi concedere. Quanta, Deus bone, appellationum seges, quibus terminandis Pontifex R. impar fuisset. Marcionis doctrinam annus sequens exhibebit.

Anno Dom. 131.

Tertul. de Præscr. c. 30.

ANNO U. C. 885. PER. JUL. 4845. JUL. 177. DOM. 132. ADRIANI 15. & 16. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 19. *Indict.* 15. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 21. *Apr.*

Anno Dom. 132.

COSS. *Sentius Augurinus, & Severianus.*

I. UBi Pelusium venit Adrianus, Pompeio parentavit. De Duce olim clarissimo huoc versum profudisse fertur:

Pene caret tumulo, cui tot modo Templa fuerunt.

Sepulchrumque ejus penè collapsum restituit, magnificentiusque extruxit. Nostræ porro adversantur Chronologiæ Baronius, Pagiusque, dum ille cum anno 130. hic verò cum 129. Antinoi obitum alligat. Nostræ tamen sententiæ multa favent. Andreas Morellius, vir eruditissimus, observante Pagio, *Producit nummum Alexandriæ percussum, in quo expressus est adventus typus, & mulier cum galea elephantina, quam Alexandriam denotare probant Numismata Galbæ. Quæ mulier in laudato Nummo repræsentata, Hadriani advenientis manus osculatur, cum hac nota,* E. IE. *id est, anno* XV. *Memorat ibidem Morellius alium Nummum, in quo Alexandria Hadrianum in quadriga advenientem salutat, cum eadem nota* E. IE. Quod si anno præsente Adrianus in Ægypto versabatur, vero quidem propius est, haoc regionem

Adrianus non ante xv. imperii annum Ægyptum ingressus est.

Dio l. 69. 792.

Pag. Crit. an. 131. n. 3.

ANNO DOM. 132.

gionem non ingressum fuisse anno CXXIX. in qua quinquiennio morari debuisset. Saltem sequi etur bis Adrianum Ægyptum petivisse: primò cum Antinoo, secundo post mortem ejus. Etenim Pagius ipse contendit, Adrianum anno Christi CXXXI. Athenis versatum fuisse. Sic enim scribit: *Hadrianus Athenis hyemem exigens, Eleusiniam invisit. Hadrianus cùm insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, . . Quæ tam Marianus Scotus, quàm Hermannus Contractus cum anno XV. Hadriani rectè copulant.* Jam verò geminæ Adriani in Ægyptum profectionis nullum extat in Antiquitate vestigium. Cùm igitur exploratum sit, Adrianum anno currente in Ægypto constitisse, ab illâ quidem abfuit anno CXXIX. Denique Adriani ad Servianum Epistola nostræ Chronologiæ præsidio est. Scripta est paulò pòst quàm abiit Ægypto: *Ut primum inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt*, &c. Servianus verò cui mittitur, is est qui affinis Adriano, ob contractas cum ejus sorore nuptias: *Calices versicoloros transmisi, quos mihi Sacerdos Templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos.* Consulem autem agebat Servianus, teste Epistolæ titulo: *Adrianus Augustus Serviano Consuli.* Qui Consulatus animo fingi non potest ab illo diversus, quem anno Christi CXXXIV. gessit Servianus. Cùm igitur Ægyptum reliquerit Adrianus anno CXXXIII. incredibile est omninò quinquennio prius in hanc subiisse regionem. Multos Pagius adducit nummos, ut ostendat, Adrianum anno 138. vel sequente, in Syria fuisse. Adeant Lectores eruditi viri Criticam an. 128. & *addenda* p. 305. Ex tot nummis nullus tamen est, qui meminerit *adventus Augusti*. Et absente Adriano, ab urbibus Syriæ Phœniciæque, in ejus honorem nummos percussos esse, quid vetat?

Pag. Crit. an. 131. n. 2.

Vopisc. Satur. c. 8.

Mors Antinoi.

II. Ægyptum peragranti Adriano magnus incidit dolor. Quippe dum per Nilum navigat, Antinoum perdidit suum, quem muliebriter flevit. Non dubitat Dio, ut certum affirmare, quòd immolatus fuerit. Adriano ad sacra magica, quibus deditus erat, voluntariâ opus animâ fuit. Morti ergo sese lubens obtulit Antinous. Ab Ethnicis formosi quidem pueri adhibebantur, ut extispicio ejusmodi victimæ futura explorarent, quod ab Heliogabalo factum: *Cædit & humanas hostias. Lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam patrimis & matrimis, credo ut major esset utrique parenti dolor. Omne denique Magorum genus aderat illi, operabantur quotidie, hortante illo, & gratias Diis agente, quòd amicos eorum invenisset, cùm inspiceret exta puerilia, & excuteret hostias ad ritum gentilem suum.* Aliam tamen & immolationis Antinoi causam indicat Spartianus, nempe *devotum fuisse pro Adriano.* Quod nobis & probabilius. Cùm enim deliciæ voluptasque foret Adriano, vix habet fidem, quòd catamitum obtulerit morti, ut puerilis victimæ extispicio futuro cognosceret: cui divo sacrificio perpetrando, voluntariâ non opus erat animâ. Cùm fingi vix possit, tot pueros nobiles ab Heliogabalo immolatos, libenter mortem obiisse. Veram mortis Antinoi causam attulit Victor: *Hadriano cupiente fatum producere, cùm voluntarium ad vicem Magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum objecisse se referunt.* Qui alieni fati vicarii, suâ sponte mortem obibant, Græcis ἀντίψυχοι appellabantur. De Admeto Dictys Cretensis: *Adfuit & Eumelus Pheræus, cujus pater Admetus, quondam vicariâ morte conjugis, propria fata protulerat.* Quem & Canariis fuisse morem, perhibet in navigatione Cadamustus c. 8. Cujus verba cùm Antinoi factum illustrent, ea nos referre juvat: *Servant etiam alium morem Canarii, inaugurandis Principibus. Nam cùm sceptra susceperint, complusculi sese offerunt certatim, in memoriam & honorem novi Principis morituros, & sponte quisquam vitam devovet. Congregantur propterea in valle devexa, & ibi peractis nonnullis ceremoniis, ac prolatis verbis quibusdam, ille qui sua morte festum Principis est exornaturus, se dat e rupe præcipitem, perinde ut ferè in frusta comminus enamnetur.* Antinous similiter in Nilum se præcipitem dedit, ut de suis annis aliquid Adriani vitæ conferret, in hunc quidem Ægyptiacum cecidisse fluvium, scripsit Adrianus.

Lampr. Heliog. c. 8.

Antinoi apotheosis.

III. Ea de causa præmium apotheosis catamitus ille consecutus est. Non sunt hìc prætereunda verba Pausaniæ: *Antinoi etiam religio divinis est honoribus sancita. Est Antinoi Ædes Mantinensibus recentissima, quam præcipuâ quâdam curâ Adrianus exornavit. Illum ego viventem non vidi, statuas certè & imagines sum conspicatus. Habentur ei tùm alibi honores, & in Ægypto apud Nilum, urbs de ejus nomine est appellata. Colitur Mantineæ ob ejusmodi causam. Patria ei fuit Bithynium, supra Sangarium amnem. Bithynienses ipsi ex Arcadia oriundi, Mantinenses olim fuere. Ob eam rem divinos ei honores haberi voluit Imperator Rom. Annua præterea initia, & quinquennale ludicrum celebrari. Domus in gymnasio est, in qua Antinoi signa servantur, tum reliquis ornamentis, tum lapidum excellentiâ, tum verò pictis Antinoi imaginibus insignis. Earum imaginum multæ Liberi Patris insignia præ se ferunt.* Græci quidem, volente Adriano, tum consecraverunt, oracula per eum dari asserentes, quæ Adrianus ipse composuisse jactatur. De Nummis Antinoi videantur Baronius, Casaubonus aliique eruditi. Hanc fœdissimam Ethnicis idololatriam Christiani non immeritò objecerunt. Justinus in Apologia, quæ posterior dicitur: *Non absurdum*, inquit, *esse duco, hoc loco ejus, qui non ita pridem inter homines fuit, meminisse Antinoi, quem cuncti per timorem tanquam Deum colere cœperunt, probè scientes quisnam fuerit, & unde extiterit.* Quod & musteum numen sale suo conspersit Tertullianus: *De pædagogiis aulicis, nescio quem cinædum Deum facitis.* Ad Autolycum libro tertio, Theophilus: *Silentio prætereo Antinoi lucos.* Meritò quoque Tatianus in Oratione Græcos interrogat: *Quomodo autem Antinous, speciosus adolescens, in Luna collocatus est?* Ab aliorum testimoniis afferendis supersedemus. Sufficiat audire Prudentium, Symmacho Consulari hæc exprobrantem:

Paus. l. 8.

Spart. Adr. c. 14.

Tertul. Apol. 613.

Quid loquar Antinoum, cælesti sede locatum?
Illum delicias tunc divi Principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique Dei Ganymedem.

Antinoi obitum anno Dom. CXXIX. affigit Pagius, Autore Eusebio, referente Antinoum, mortuum anno Abrahami MMCXLV. *Qui Calendis Septembribus anni Christi* CXXVIII. *exorditur.* Verum est quidem id in Latino Eusebii Chronico legi, ut in Græco desideratur. Ex quo intelligitur Chronologiam, cui Pagius innititur, Hieronymi esse, non Eusebii. Affert etiam Pagius, Græca Scaligeri Collectanea: Apud ea, inquit, Antinoi mors *illigatur anno primo Olympiadis* CCXXVII. *qui mense Julio anni* CXXIX. *auspicatur.*

Pag. Crit. an. 130. n. 5.

Anno Dom. 132.

tur. At solitam in scribendo diligentiam vir eruditus non adhibuit, dum Olympiades laudat Collectaneorum Græcorum Eusebii, quæ eo temporum caractere afficiuntur, Scaligeri ipsius manu. Deinde id solum legitur in Collectaneis: *In Ægypto urbem Adrianus ædificavit, nomine Antinoum. Erat autem Antinous ex civitate Bithynio in Bithynia. Adriani catamitus fuerat, & in Ægypto mortem obiit.* Cùm autem ex Nummis liqueat, Adrianum decimo quinto imperii sui anno in Ægyptum venisse, Antinoi obitus non ante annum Dom. CXXXII. contingere potuit.

Collect. p. 390.

Alexandriæ Musium. Adriani cum Philoso. his colloquia.

IV. Apud Alexandriam in Musio multas Professoribus quæstiones proposuit Adrianus, & propositas ipse dissolvit. Familiare ipsi fuit, cum Philosophis eruditisque certare. Qua de re non illepida est historia. Favorinus, cùm verbum ejus quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis quòd male cederet Adriano, de verbo quòd idonei Autores usurpassent, risum jucundissimum movit. Ait enim: *Non rectè suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Musium vero Alexandrinum, *Pars Regiarum erat, ambulacrum habens & exedram, & maximam domum, in qua cænaculum est eorum, qui Musæo participant, hominum circa disciplinas versantium. Hic conventus communes pecunias habet & Sacerdotem, qui Musæo præest, olim à Regibus, nunc à Cæsare constitutum.* Huic Musæo alterum à Claudio Augusto *additum ex ipsius nomine.* Extabat Alexandrinum Musium in urbis Regione, cui *Bruchio* nomen. De LXX. Interpretum editione Epiphanius: *Quo facto, libri illi in Græcum translati, in priore Bibliotheca, quæ in Bruchio fundata est, repositi sunt.* Consentit & Ammianus l. 22. c. 16. Amisit Alexandria *regionum maximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diuturnum præstantium hominum domicilium.* Bruchium verò corrupte est, pro πυρηχεῖον, quòd in illo scilicet conditum esset, & servaretur frumentum, ad illam σιτίαν doctorum destinatum. Nam πυρηχεῖον & πρυτανεῖον idem, ut observatum eruditis. Itaque Scaligero non assentimur, qui Bruchium, *frumentarium fuisse forum* putat. Bruchium autem in extrema Alexandria situm fuisse, colligi videtur ex Hieronymo in Vita Hilarionis, non *Antonii*, ut errante memoriâ scripsit Lindenbrogius: *Et quia nunquam, ex quo cœperat esse Monachus, in urbibus manserat, divertit ad quosdam fratres sibi notos, in Bruchio, haud procul ab Alexandria.* Bruchium enim, quod longâ obsidione Aureliani arma morabatur, eversum fuerat, quæ causa fuit cur Hilarion eo secederet.

Spart. Adr. c. 15.

Strab. l. 17.

Suet. l. 5. c. 42.

Epiph. de Mens. n. 13. 168.

Ælia condi cœpit.

V. In Hierosolymitana rudera coloniam hoc anno fuisse missam, probabilitate magnâ ducimur ad sentiendum. Quod anno Christi CXIX. contigisse tradit Chronicum, quod vulgò Alexandrinum vocant, cujus autoritatem sequuntur viri eruditissimi Valesius atque Pagius. Pertenuis verò nobis est in ea re Chronici Autoritas, cùm multa à vero habeat aliena. Adriano, inquit, tertium, & Rustico Coss. *tumultuantibus Judæis, Hadrianus venit Hierosolyma, captisque Hebræis, petivit Terebinthum urbem, ubi celebritatem publicam instituit, Judæosque singulos ad equi pretium venales exposuit. . . Everso porrò Hierosolymorum Templo, condidit duplex forum.* Porrò novam urbem Hierosolymitanam, anno Dom. CXIX. ab Adriano non fuisse ædificatam, sic ostendimus. Adrianus in tertio Consulatu, quem quatuor mensibus gessit, *sæpè jus dixit*, ut docuit nos Spartianus, quo tempore non excessit Italiâ. Ut abiit amplissimo Magistratu, in Mœsiam concessit, non in Syriam: *Audito deinde tumultu Sarmatarum & Roxelanorum, præmissis exercitibus, Mœsiam petit.* Cùm autem ipso fatente Pagio, *vel currente anno, vel sequentis initio, Romam redierit*, creditu difficillimum est, octimestri spatio, Adrianum Italiâ relictâ, in Orientem transmisisse, Antiochiâque, Syriâ, Phœnice, Palæstinâ, Ægypto perlustrata, demum in urbem rediisse. Negari quidem non potest, Spartianum hujus tantæ tàmque festinæ peregrinationis ignarum fuisse. Neque productus à Mediobarbo Nummus, Pagio præsidio est: *Hadrianus Aug. Cos.* III. P. P. In postica, *Adventus Aug. S. C. Alexandria.* Etenim cùm tres solummodò Consulatus obierit Adrianus, ex hoc criterio sciri non potest, quoto anno percussus nummus fuerit, quia in Nummis postmodum excusis, tertii & Consulatus mentio inseritur. Præterea si anno CXIX. extrui cœpit Ælia, anno igitur sequente Judæi arma movissent, absente tum à Syria Adriano. Neque ferre potuissent patientius, sacra rudera Hierosolymitana extructo Jovis Templo profanari, saltem ad annum usque CXXXII. tumultuari non expectassent, quo bellum à Pagio dicitur exortum, sed abruptâ omni patientiâ, citius in Romanos involassent. Ex quo sacra violare rudera Adrianus cœpit posito Jovi Templo, Judæos arma sumpsisse testatur Xiphilinus: *Cum autem Hierosolymis coloniam urbis eversæ loco conderet, quam Æliam Capitolinam appellavit, ac quo in loco Templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curavisset, magnum bellum & diuturnum moveri cœpit, Judæis graviter ferentibus, quòd externæ nationes in urbem suam habitatum venissent, quodque in ea fieri externa sacra viderentur. Tamen cùm Adrianus in Ægyptum & rursum in Syriam advenisset, quiescendum sibi esse putabant.* Miram sanè Judæis patientiam accommodant Valesius, atque Pagius, quos tranquillè placidèque externos in sua urbe, & ritus & incolas sex annorum spatio spectasse fingunt. Denique proprias Pagius regulas perfringit, dum hanc in Chronologiam descendit. Quippe anno Christi CXIX. nulla tum Adriani Quinquennalia fuere, aut Decennalia, quibus festis vindicat extructiones urbium.

Anno Dom. 132.

Spart. Adr. c. 6.

Dio l. 69. 792.

Ubi Ælia ædificatur.

VI. Nova urbs Hierosolymitanis in ruderibus jussu Adriani ædificata, locum à priore utcunque diversum sibi vindicabat. Quippe mons Sion, regiis splendidisque olim ædificiis nobilitatus, Æliæ non includebatur. Qua de re extat locus insignis apud Eusebium: *Mons Sion, qui apud Judæos antea celeberrimus erat, imo antiquis illius meditationis atque exercitationis, quæ in illo vigebat, propheticorum divinorumque Oraculorum, quæ antea viri Hebræi, Deique familiares Prophetæ, Sacerdotesque & Magistri totius gentis in eodem magno cum studio reddebant, per viros Romanos nulla re à reliqua regione differens; aratur & colitur, ut nos quoque ipsi inspeximus, boum operâ locum arari & seminari: ipsa verò Hierusalem tanquam pomorum custodia, corrupto vetere, qui in ipsa erat fructu, effecta est, ac potius lapidum collectio.* Impleras quoque Prophetæ vaticinationes, *Sion tanquam ager arabitur* eventu, Cyrillus demonstrat Hierosolymitanus: *Etiam nunc*, inquit, *cucumerariis ille locus repletus est.* In monte Moria, ubi Templum conditum fuerat, alterum Jovi

Euseb. Demonst. l. 8. c. 3.

Cyril. Catech. 16. 184.

ANNO DOM. 132.

vi Capitolino ædificatum. Mons verò Calvariæ, qui extra Hierosolymæ mœnia jacebat, Æliæ muris cingitur. De Domini sepulchro Eusebius: *Non sine summo labore plurima humo aliunde advecta aggestaque, totum locum opplevere. Quem cùm mediocri altitudine extulissent, & lapide constravissent, sub hac tanta congerie sacram speluncam obtexerunt. Dehinc perinde ac si nihil amplius ipsis superesset, supra illud solum, infaustum prorsus animarum sepulchrum extruxerunt, obscuram mortuorum simulachrorum cavernam, in honorem Veneris ædificantes. Ubi execranda sacrificia super profanis & impuris altaribus offerebant.* Itaque, quin erret memoriâ Hieronymus, vix ponendum in dubio: *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter* CLXXX. *in loco resurrectionis simulachrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris, a Gentibus posita colebatur.* Contrà verò Paulinus, cui hæc scripserat Hieronymus, testatur Jovis simulachrum, *in loco passionis* fuisse collocatum. Quod verò sive passionis in loco, sive in Christi sepulchro statua Jovis posita non fuerit, multum habet verisimilitudinis. Solius quidem Veneris meminit Eusebius, & statua Jovis in Templo ejus extabat. Chronicum, quod vulgò dicitur Alexandrinum, de Æliæ ædificiis hæc habet: *Condidit duplex forum, theatrum item, & tristegum, seu trizonium, atque tetranymphum, & dodecapylum, quod antea gradus appellabant, & denique Codram. Divisit hinc urbem in septem vicos, creavitque septem Magistros, singulisque singulos assignavit vicos, a quibus hodieque nomina retinent. Urbem, quòd ille Ælius Hadrianus diceretur, Æliam nuncupavit.* Hoc addit & Hieronymus in Chronico: *Ælia ab Ælio Hadriano condita, & in fronte ejus porta, qua Bethlehem egredimur, sus scalptus in marmore prominens, significans Romanæ potestati subjacere Judæos. Judæorumque nonnulli à Tito Ælio, filio Vespasiani, extructam arbitrantur.* Hic ingenii sui acumen adhibet Baronius, explicando, cur figura porci portarum uni affixa fuerit. Prius tamen constitui debuit, aliquidne verisimilitudinis huic insit traditioni, quam utique Judæorum ex lacunis haustam, verba indicant Hieronymi. Equidem de suo scalpto in marmore portæ, quâ ibant in urbem Betlehemiticam, ne verbum quidem in Eusebio, cui Baronius immeritò vindicat, quæ sunt Hieronymi, anno 137. n. 2. Et Aquila potius quàm sus indicio fuisset, Romanæ potestati subditos esse Judæos.

Eusob. Vit. Const. l. 3. c. 26.

Hieron. Ep. 13.

Paul. Epist. 11.

VII. Cæterùm clarissimo assentimur Valesio, quòd non ea mens animo fuerit Adriano, excitare Hierosolymam. Quam frustrà Pagius sententiam impugnat. Quippe si loco Hierosolymæ condita Ælia fuisset, priorem utique appellationem induisset. Sic Poeta de urbe ab Heleno in memoriam Trojæ condita:

Hierosolymamne excitare voluerit Adrianus?

Procedo, & parvam Trojam simulataque magnis
Pergama, & Arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ.

Æneid. l. 3.

Æliæ autem, non Hierosolymæ nomen accepit urbs ea, quam statuit Adrianus. Ptolomæus libro v. *Hierosolyma, quæ nunc dicitur Ælia Capitolia.* Consentit & Dio: *Coloniam quam condiderat, Æliam Capitolinam appellavit.* Eusebius: *Urbs & colonia civium Romanorum effecta, in honorem Ælii Hadriani Imperatoris, Ælia nuncupata est.* Quin etiam Pagio adversatur Hieronymus, Epistolâ ad Dardanum 129. Ipsa *Metropolis tua, priùs Jebus, posteà Salem, tertiò Hierosolyma, & nunc Ælia.* Ultimum ergo nomen ejus *Ælia* fuit, non Hierosolyma. Idcircò à Patribus Nicænis canone septimo, Episcopus Æliæ ille dicitur, qui huic urbi præerat. Ac sanè quam memorat traditionem Hieronymus, de *sue insculpto* in fronte portæ ejus, quæ Betlehemam respicit, ea maximo indicio est, non id mentis Adriano fuisse, urbi suæ id imponere nominis, quod Judæis dulce jucundumque foret. Denique nostræ favet sententiæ Suidas: *Post illam desolationem & vastationem urbis expugnatæ, quæ fuit sub Vespasiano & Tito, Adriani tempore, Judæi conspiratione factâ, ad pristinam Republicæ formam reverti studebant. Quamobrem seditione motâ, seipsos in summam vastitatem redegerunt. Suum autem nomen Ælius Imperator urbis reliquiis imposuit, ipsam appellans Æliam.* Non ergo vocabulum gerebat Hierosolymæ, quod tamen imperante Constantino, quasi jure postliminii sibi revocavit ob tituli majestatem, contra mentem Adriani, qui vel urbis suæ ingressu Judæos prohibuerat.

Euseb. l. 4. c. 6.

Suid. t. 1. 544.

ANNO U. C. 886. OLYMP. 228. PER. JUL. 4846. JUL. 178. DOM. 133. ADRIANI 16. & 17. *Sol.* 2. E. *Lun.* 1. *Indict.* 1. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *Apr.*

ANNO DOM. 133.

COSS. *Hiberus, & Sisenna.*

I. ADrianus Ægypto peragratâ, in Syriam reversus est. Multis Alexandrianis beneficiis ante discessum affecit. Digna civitas erat, quæ pro magnitudine totius Ægypti teneret Principatum. De moribus urbis testimonium ipsius Adriani afferamus, ex Epistolâ Serviano scriptâ: *Huic ego cuncta concessi, vetera privilegia reddidi, nova sic addidi, ut præsenti gratias agerent. Denique ut primum inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonino, quæ dixerunt, Comperisse te credo. Nihil illis opto, nisi ut suis pullis alantur.* Male moratam fuisse civitatem, ex eadem Epistola scimus: *Unus illis Deus est*, nimirum Serapis, *hunc Christiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur, & Gentes.* Hanc Adriano fuisse mentem, alius Epistolæ locus indicio est: *Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt, & devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ille ipse Patriarcha, cùm Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* Fuere quidem inter Christianos viri Christo addictissimi, pauci tamen numero fuere *in genere hominum seditiosissimo, vanissimo, injuriosissimo.* Quibus vitiis ansam præbuit urbis & magnitudo, & opulentia: *Civitas dives, fœcunda, in qua nemo vivat otiosus.*

Alexandrinorum mores.

Vopisc. Saturn. c. 8.

II. De Patriarcha, cujus meminit Adrianus, hanc Salmasius opinionem imbibit animo, quòd id nominis gereret Alexandrinus Episcopus: *En*, inquit, *Episcopum Alexandrinum Hadriani temporibus Patriarcham appellatum.* Mirum tamen virum oculatissimum, Alexandrinum Episcopum reperisse Adriani in Epistola. Hic ille Patriarcha est, qui *cogebatur Christum adorare*, cùm tamen nullà vi opus esset Alexandrino Præsuli, Christo honorem ut haberet. Neque etiam in Ægypto habitabat ille Vopisci Patriarcha: *Cùm*, inquit, *Ægyptum venerit*: Ægyptum autem incolebat Præsul Alexandrinus. Verba igitur Adriani, de Judæorum Patriarcha sunt intelligenda, quem eversis Hierosolymis, Tiberiadem habi-

De Judæorum, non Christianorum Patriarcha locutus Adrianus.

habitasse ferunt. Cujus & dignitatis, Antiqui mentionem faciunt. Origenes: *Completa est enim*, inquit, *Prophetia, quæ dixerat, Per dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, sine Principe, non erit hostia, nec altare, nec Sacerdotium, nec responsa. . . & dicunt* Judæi, *permanere adhuc Principem ex Juda genere, istum videlicet, qui est gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham, nec deficere posse de semine ejus, qui permaneat usque ad adventum ejus Christi, quem sibi ipsi describunt.* De Comite Josepho Epiphanius: *Ex illorum erat ordine, qui apud Judæos principem locum dignitatis obtinent, quos quidem secundum Patriarcham, Apostolos nominant. Assident hi Patriarchæ, & cum eo sæpius diu noctuque versantur, quòd eidem à consiliis sint, ac de iis referant, quæ ad Legem pertinere videntur.* Patriarchæ dignitatem ut tueretur, à Judæis non minimum pecuniæ solvebatur. Vendebat etiam Synagogæ officia: *Dicunt pestilentem & falsum Judæorum Patriarcham, singulis annis, aut anno interjecto, Synagogæ Principes mutare, ad corradendam pecuniam: similiter & hujus æmulum, Ægyptiorum Patriarcham.* Pecuniæ aliquid solvi Patriarchæ vetuit Theodosius: *Superstitionis indignæ est, ut Archisynagogi sive Presbyteri Judæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quidquid consideratâ temporis exactione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur ærarium: de cætero autem nihil prædicto decernimus esse mittendum.* Quæ Theodosii præscripto præcipua causa fuisse videtur, cur Patriarchæ dignitas hæc evanuerit. Anno quippe circiter 420. de medio recessisse, monemur à Theodoreto: *Patriarchæ ipsi quoque omnes interierunt, & tempus præterit, ex quo eorum Principatus finem cepit.* Patriarcham ejusmodi, qui Judæis præesset, in mentem Adriano venisse existimamus. Episcoporum quidem Adriano regnante neminem eo fuisse titulo decoratum, persuasum habemus. Evolvantur Veterum scripta trecentis amplius annis, appellatio hæc nullo vestigio reperitur. Nec eo titulo, ævo Hieronymi aliquem ornatum fuisse, ex Epistola ad Marcellam, quæ numero est 54. luce clarius est: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepusa Phrygiæ Patriarchas, secundos quos appellant Cenones; atque ita in tertium, id est, pene ultimum locum Episcopi devolvuntur, quasi exinde ambitiosior Religio fiat, si quod apud nos primum est, apud illos novissimum sit.* Jam verò non Episcopi, sed Patriarchæ primum non apud solos Montanistas, sed & apud Orthodoxos locum tenuissent, si tum temporis in Ecclesia floruissent.

Orig. de Princ. l. 4. c. 1.

Epiph. h. 30. n. 4.

Pall. Vit. Chrysost. p. 137.

C. Theod. l. 14. de Judæis.

Theodor. Dial. 1.

De Aquila V. Testamenti Interprete.

III. Adriano imperante, floruisse Aquilam, qui vertendis sacris Bibliis operam adhibuit, fatentur eruditi. Ponticus Sinopensis erat: usum magistro Akibâ fama vulgavit. *Pharisæorum suscepit scholam Akibas, quem magistrum Aquilæ Proselyti autumant.* Soccerum Adriano fuisse, scripto prodidit Epiphanius, & extruendæ Æliæ præfectum. De affinitate tamen, quâ conjunctus dicitur Adriano, turpiter erratum, cùm uxor ejus Sabina fuerit, per sororem neptis Trajani. De celeberrimo hoc Interprete audiatur Epiphanius: *Christianorum consuetudine, vehementer animo commotus Aquila, Christianam Religionem amplectitur. Tum aliquanto tempore interjecto, Christianæ professionis sigillum, uti petierat, obtinet. Verum cum à priori usu, moribusque non discederet, & vanissimis Mathematicorum artibus, quas apprimè callebat, nimium tribueret, adeòque genesim, atque horoscopum suum observaret indies, cum ob id à Magistris objurgatus ac reprehensus, emendare se nollet, imò verò pervicaciter obluctans, falsa quædam minimeque cohærentia tueri vellet, ut puta, Fatum, & quæ cum eo connexa sunt, rursus ab Ecclesia, tanquam ad salutem minime idoneus, ejectus est. Quâ ignominiâ vehementer exacerbatus, Christianam professionem ejurat, & inter Judæorum Proselytos ascriptus, & circumcisus est. Inde totum se Hebraicis literis ediscendis vehementi cum animi contentione tradidit. Quam cum egregie penitùsque percepisset, ad interpretandum se contulit.* Ejus versionem, cujus annum ignoramus, perstringit Hieronymus ad Pammachium: *Aquila autem Proselytus, & contentiosus Interpres, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum, transferre conatus est, jure projicitur à nobis. Quis enim pro frumento, & vino, & oleo, possit vel legere, vel intelligere, χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλβότητα, quod nos possumus dicere fusionem, pomationemque & splendentiam.* Fatetur tamen Aquilam doctissimum fuisse, in Esaiam c. 49. *De Aquila autem non miror, quòd homo eruditissimus linguæ Hebraicæ, & verbum de verbo exprimens, in hoc loco aut simularit imperitiam, aut Pharisæorum perversâ expositione deceptus sit.* Quin etiam ad Marcellam Epistolâ 138. de Aquila hæc habet: *Aquila qui verborum Hebræorum diligentissimus explicator est.* Ejus sane versio palam publiceque lecta est, ut tradit ipse Hieronymus, libro 2. adversus Rufinum c. 8. *Non imitantur Græcorum studium, & benevolentiam, qui post LXX. Translatores, jam Christi Evangelio coruscante, Judæos, & Ebionitas, Legis Veteris Interpretes, Aquilam videlicet, Symmachum & Theodotionem curiosè legunt, & per Origenis laborem in ἑξαπλοῖς, Ecclesiis dedicarunt.* Gemina autem fuit Aquilæ versio, quarum posterior longè priori antecellebat. Posteriorem Hebræi ipsi vocabant κατὰ ἀκρίβειαν. Hanc laudavit Hieronymus in Ezechiel. c. 16. 370. *Possumus juxta interpretationem secundæ editionis Aquilæ, qui floridum interpretatus est.* Pœnas tamen dedit Epiphanio, quasi dedita operâ LXX. versionem impugnasset: *Sed ut quædam Scripturæ loca depravaret, adversus LXX. duos Interpretes impetum omnem conatumque direxit.*

Hieron. in Esai. c. 8.

Epiph. de Mensur. n. 15.

Hieron. Epist. 101.

Epiph. de Mens. n. 15.

Marcionis errores.

IV. De Marcionis, qui se Cerdoni excolendum tradiderat, impietate nunc disseramus: *Deos statuit esse Deos, alterum bonum, alterum malum, qui mundum condidit. Duos Ponticus Deos affert, tanquam duas Symplegadas naufragii sui: Quem negare non potuit, id est, Creatorem, id est nostrum, & quem probare non poterit, id est, suum.* Consentit & Eusebius de nominibus Marcionis: *Alii verò perinde ac Marcion ipse, duo inducunt principia, inter quos est Potitus & Basilicus.* Hoc ipsum tradit Irenæus l. 1. c. 28. Quorum nobis potior est autoritas, illâ Epiphanii atque Theodoriti, qui tria à Marcione principia inducta fuisse memorant: *Cujus & Schismatis,* verba sunt Epiphanii, *argumentum, nebulo ille, & impostor Cerdo præbuit. Nam & duo ipse principia constituit. At Marcio tertium ad illius dogma principium adjecit, ut omninò tria sint.* Marcioni videtur ea vindicasse, quæ Marcionitarum nonnul-

Tertul. in Marc. l. 1. c. 2.

Euseb. l. 5. c. 13.

Epiph. h. 42. n. 2.

Anno Dom. 133.

nullorum opinio fuit, nempe Synerotis, cujus disciplina tribus Principiis floruit. Occasionem porrò impietatis suæ Marcion arripuisse videtur, ex verbis Domini, quòd *neque arbor bona malos, neque mala bonos proferat fructus*, ut disertè docet Tertullianus, contra Marcionem libro I. c. 2. Illud horrendum, quod de Veterum salute proferebat, ab Irenæo relatum libro I. c. 29. *Cain & eos qui similes sunt ei, & Sodomitas, & Ægyptios, & omnes omninò Gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse à Domino, cum accurrissent ei, & in suum assumpsisse regnum. Abel autem, & Enoch, & Noë, & reliquos Justos, & eos qui sunt erga Abraham Patriarchas, cum omnibus Prophetis, non participasse salutem.* Ea de causa quòd *non occurrerunt Jesu.* Non omnibus suum impertiebat baptismum Marcion: *Non tingitur apud illum caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi cælebs, nisi divortio baptismum mercata.*

Tert. in Marc. l. 1. c. 29.

Vivos pro mortuis cum baptisasse, vix credimus, ut traditur à Chrysostomo, silentibus Irenæo, atque Tertulliano. Jejunium & Sabbatum observari præcipiebat. Carnem resurgere negabat. Baptismum sæpius suum instaurabat. Aquam celebrandis mysteriis adhibebat, mulierculis baptizandi potestatem faciebat, quæ legi possunt apud Epiphanium capite secundo. De Christi quoque persona impius malè sentiebat: *Constituit Marcion, alium esse Christum, qui Tiberianis temporibus, à Deo quodam ignoto revelatus sit, in salutem omnium Gentium: alium qui à Deo creatore in restitutionem Judaici status sit destinatus, quandoque venturus.*

Tertul. in Marc. l. 4. c. 6.

Addebat, *De cælo descendisse, ut qui in eum credidissent, eos à Creatoris servitute liberaret. Visum autem esse hominem, cùm nihil humanum in se haberet, & visum esse pati, cùm nequaquam passus esset.*

Theodorit. Hæret. Fab. l. 1.

Novum porro Testamentum mutilabat. Solum enim *Lucæ Evangelium admittebat, Epistolas præterea Pauli decem, quibus solis utebatur, nec iis quidem integris.*

Epiph. h. 42. n. 9.

Impuri tamen Hæretici baptismum suscepit Stephanus Rom. Episcopus, teste Cypriano Epistolâ 74. *In tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo contendat, filios Deo nasci.* Horrendum est, quod de Marcionita scripto mandat Theodoritus, loco laudato: *Novi autem quendam eorum senem nonagenarium, qui manè surgens, sputi sui excremento faciem suam lavabat, & causam rogatus, dixit, Se nolle opus habere creatore, nec aquam, quæ est ex illius operibus accipere. Cùm autem præsentes dixissent, Quomodo ergo comedis, bibis, vestiris & dormis, & quæ constituta sunt mysteria peragis? Dixit, Se necessitate adductum id facere.* Ophitarum quoque impietates sibi assumpserunt Marcionitæ, quasi propriæ minimi forent. Magicis enim utebantur præstigiis, & cùm in vicum ingressus fuisset Theodoritus, qui ejus ditionis erat, Marcionitis refertum invenit *serpentem ex ære factum, qui ab eis adorabatur.*

Theodor. S. Patr. Hist.

Multorum pervasit animos venenum Marcionis. Disciplinam ejus colebat Ambrosius, quem Origenes ad Christi fidem adduxit. De Chrysostomo apud Georgium Alexandrinum legimus: *Quòd cùm de Marcionitarum secta, mulierem sanitati restituisset, ipsa cum conjuge, omnique adeò familiâ, compluresque alii Marcionitæ hæresi abjuratâ ad Orthodoxos redierint.*

Phot. Cod. 96. 257.

Unus Theodoritus Marcionitarum decem millia & amplius, Christi baptismo abluit: *Mihi verò flere libet, ac lugere, quòd quæ dudum adversus Marcionis tabe corruptos, argumenta protuli, convictosque Dei beneficio plures decem millibus ad Sanctum baptisma perduxi, ea nunc in eos, qui fidei nostræ creduntur, exerta hæresis proferre cogi.*

Theodorit. Epist. 145.

Non solam Italiam, sed Ægyptum quoque, Palæstinam, Arabiam, Syriam, Cyprum, Thebaidem, imò etiam Persidem latè pervagata est impietas Marcionis.

Epiph. h. 42. 1.

Invenit etiam Martyres, qui eam sanguine suo sancirent. De quibus ea secta extra modum gloriabatur: *Quàm plurimos habere se dicunt Martyres Christi.*

Euseb. l. 5. c. 16.

Nonnullorum nomina retulit Eusebius, Metrodorum scilicet Presbyterum, qui Smyrnæ periit, imperante M. Aurelio, & Asclæpam Episcopum igne apud Cæsaream devoratum, furente Diocletiano, aliosque nonnullos, quorum mors disseminando errori profuit.

Juliani nativitas.

V. Trigesimo Januarii præsentis anni, lucem aspexit Didius Julianus, qui post Pertinacem, imperium tenuit. Pater Petronius Didius Severus. Mater Clara Æmilia. Educatus est apud Domitiam Lucillam, matrem Marci Imperatoris. Serius quidem natus est, si Sparziano credimus: *Vixit*, inquit, *annis* LVI. *mensibus quatuor.* Nos potius Dionem sequimur: *Vixit annos* LX. *menses quatuor, dies totidem.*

Spart. Did. c. 9.

Anno U. C. 887. Per. Jul. 4843. Jul. 179. Dom. 134. Adriani 17. & 18. *Sol.* 3. D. *Lun.* 2. *Indict.* 2. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

Anno Dom. 134.

Coss. C. *Julius Servianus III.* C. *Vibius Varus.*

Adrianus mittit munera sorori.

I. SErvianus, qui annum aperuit, Paulinam Adriani sororem matrimonio sibi conjunxerat. Ad illum scripsit Adrianus Epistolam, quam ab oblivione Vopiscus vindicavit. Nuper discesserat Ægypto, cujus mores accuratè depingit. Serviano sororique suæ nonnulla dedit muneri: *Calices tibi allassontes, versicolores, transmisi, quos mihi Sacerdos Templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos, quos tu velim festis diebus conviviis adhibeas.* Allassontes vox Græca est, ἀλλάσσοντες, quam sequens explicat. Calices ejusmodi erant in pretio, & si Alexandrinis vitrariis fides, una Ægyptus ejus terræ ferax, quæ talibus poculis, colorem mutantibus conficiendis, erat idonea. Qua de re Strabo lib. 16.

Judæi bellum movent.

II. Graviter ferebant Judæi, in mortuæ urbis suæ ruderibus extructa fuisse numinum fana, impiaque sacra confici, ubi verus Deus sacrificiis olim colebatur. Hinc magnum & diuturnum bellum moveri cœptum: anno quidem proximè elapso clancularia arma parabant. Etenim quæ ipsis erant à Romanis imperata, minus apta de industria fecerunt, ut si ea Romani reprobassent, iis uterentur. Verùm enimverò cùm Adrianus in Ægyptum, & rursum in Syriam adventasset, quiescendum sibi esse putabant. Pòst ubi Adrianus longius abesse visus est, palam defecerunt, utque aperto prælio non audebant cum Romanis inire pugnam, ita capta loca suæ regionis opportuna, cuniculis muniebant & mœnibus, ut ad ea si vis urgeret, perfugerent: utque ad se mutuò sub terram transeuntes laterent, vias subterraneas desuper perforaverunt, quo ventum lumenque reciperent. Speluncarum

Dio. l. 69. 793.

ANNO DOM. 134.

rum ejusmodi usus Judæis frequentissimus, quarum plus semel meminit Josephus: *Hircanum oppositi montis prominentem petram perforans, speluncas in ea fecit multorum stadiorum longitudine ... speluncarum verò ora non amplius aperuit, quàm ut unum caperent, idque de industria factum est, securitatis ac tutelæ gratiâ, si forte quondam oppugnarentur.* Videatur & *l.* 14. *c.* 27. 502. In hisce antris latrones cum totis habitabant familiis. Cloacarum etiam in Judæa maximus erat numerus, in quas se belli tempore demittebant: *Tyrannos autem fovebat factionemque, latronum spes ultima sita in cloacis, quò si fugissent, minime inveniri posse arbitrabantur.* De cloacis speluncisque ejusmodi capiendum esse Dionem existimamus. Itaque non allentimur Baronio, de locis ejusmodi scribenti: *Illam ipsam planè speciem repræsentant, qua etiam Romæ fuerunt à Christianis in arenariis cryptis constructa cœmeteria.* A Vespasiani morte ad profligatos usque ab Adriano Judæos, annos fluxisse XLIX. testatur Hieronymus in Danielem *c.* 9. Vespasiano *mortuo transactio septem hebdomadis, Ælius Hadrianus, a quo postea de ruinis Hierusalem, urbs Ælia condita est, rebellantes Judæos, Tinnio Rufo Magistro exercitus pugnante superavit.* Quæ tamen Chronologia non est accurata. Quippe anno Christi CXXVIII. qui à defuncto Vespasiano nonus est & quadragesimus, bellum Judaicum nondum exortum erat, quod non erupit, nisi postquam ex Ægypto, Syriaque discessit Adrianus. Nulla verò Chronologia est, quæ majorem veri speciem induat, ac nostra, quæ apertam Judæorum rebellionem cum anno præsente copulavit.

Joseph. l. 12. *c.* 5.

Joseph. de B. l. 7. *c.* 14 965.

Bar. an. 130. *n.* 2.

Barcochebas.

III. Dux belli Barcocab, qui prius כוזב appellabatur. At mutato probroso nomine, quo mendacii arguebatur, vocatus est בר ככבא *stella filius. Erat tum temporis Judæorum ductor Barchocebas quidam, quod nomen stellam significat: vir alioqui cruentus & latrocinandi avidus, sed qui nomine suo auditoribus, utpote vilissimis mancipiis, fucum faciebat, quasi sidus è cœlo delapsum esset, ut ipsis ærumnarum mole oppressis lucem afferret.* Ideo autem vocatus est filius stellæ, quia ex investigatione anagogica deprehendit de se dictum, *Perrexit stella ex Jacob.* Quin etiam ipse Rabbi Akiba, cùm vidit eum, dixit, Ipse est Rex Messias. Judæi autem unxerunt eum, & constituerunt sibi Regem. Quos ut facilius deciperet, impostor arte quâdam flammam inter verba fundebat, ut narrat Hieronymus Apologiâ tertiâ adversus Rufinum *c.* 9. *Tu videlicet flammeus, imò fulmineus, qui in loquendo fulminas. Atque ut ille Barchochebas autor seditionis Judaicæ, stipulam in ore accensam anhelitu ventilabat, ut flammas evomere videretur.* Multum perniciei nefarius ille Christianis intulit, teste Justino: *Proximo namque bello Barchochebas defectionis Judæorum dux & princeps, solos Christianos ad gravia supplicia, nisi Christum abnegarent, & maledictis incesserent, protrahere jussit.*

Euseb. l. 4. *c.* 6.

Just. Apol. 2. 72.

Julius Severus mittitur in Judæos.

IV. Porrò Judæos Romani primò nihili faciebant. Sed postquam totam Judæam commotam esse, Judæosque omnes ubique gentium tumultuari, & conventus facere intellexerunt, ac multa damna occultè apertèque Romanis inferre, cum iisque complures alios extraneos lucri cupiditate conjungi, ac ferè ob eam causam omnem orbem terrarum commoveri, Adrianus optimos quosque Duces adversum eos misit, quorum primus fuit Julius Severus, qui Britanniæ præerat. Anno præsente Judææ commotionem contigisse, documento sunt Græca Scaligeri Collectanea *p.* 342. Anno quippe primo Olympiadis 228. qui mense Julio anni Christi CXXXIII. incipit, hæc habent: *Tota Judæa commovetur. Eclipsis Lunæ &c.* Quæ ut aptè conjungantur, in currentem annum incidere debent. Hæc enim Eclipsis observante Calvisio, contigit *Octobris die* XX. *horâ undecimâ fere post meridiem.* Cum autem prius commutavit Judæa, quàm Julius Severus in rebelles mitteretur, nec eos subinde quasi fluctu oppresserit, sed paulatim attriverit, & diu satis in obsidione urbis Bether versatus sit, Pagii Chronologia, quæ *profligatum* prorsus anno currente bellum statuit, assensum impetrare nostrum non potuit.

Dio l. 69. 793.

ANNO U. C. 888. PER. JUL. 4848. JUL. 180. DOM. 135. ADRIANI 18. & 19 *Sol.* 4. C. *Lun.* 3. *Indict.* 3. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *Apr.*

ANNO DOM. 135.

COSS. *Pontianus & Attilianus.*

I. UBinam locorum egerit Adrianus, postquam relictâ Ægypto Syriâque, urbem repetiit, nullis argumentis ducimur ad scribendum. Eruditis placuit nonnullis, anni principio Cæsarem Athenis versatum fuisse, quæ conjectura admitti potest. Illud verò rejiciendum, quod vir doctus in Historia sua Gallica de Imperatoribus tradit, Adrianum currente hyeme majoribus mysteriis Eleusiniis initiatum fuisse. Ut enim prætereamus, non admodum probabile fieri, maximum Adriani majorum sacrorum suscipiendorum desiderium, novennii non recepisse moram, illa quidem reconditiora mysteria, quæ *epoptica* appellabantur, mense *Boedromione*, qui ferè *Septembri* respondet, celebrabantur. Dum etiam morabatur Athenis, Templum Jovis ædificasse, in eoque draconem allatum ex Indïa collocasse, sunt qui opinentur, Autore Xiphilino. Repugnat tamen Spartianus: *Ad Orientem profectus, per Athenas iter fecit, atque opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit, ut Jovis Olympii Ædem, & aram sibi.* Templi Jovis igitur dedicationem excepit, in Syriam Ægyptumque Adriani profectio, non antecessit. Neque illud etiam deprehendere potuimus, quod Pagius se vicisse putat: *Quod bellè Dionem inter & Spartianum conveniat.* Quippe apud Spartianum Jovis Olympii Ædes prius dedicata est quàm Syriam Ægyptumque petierit Adrianus: cùm apud Dionem consecratio demum facta sit, ubi relictâ Ægypto Syriâque, in Occidentem reversus est. Præterea aliud est ædificare, aliud consecrare Templum, cujus dedicationi præit extructio. Templum autem conditum fuisse, Dio dixit, consecratum non dixit: *Eodem tempore Hadrianus Templum Jovis Olympii, in quo ipsius quoque statua posita fuit, Athenis ἐξεποίησε, ædificavit.* Denique verba hæc, *eodem tempore*, non cum belli Judaici fine, ne dum cum initio proximè à Dione conjuncta sunt, sed cum Alanorum tumultu, quem movit Pharasmanes, nec non Iberorum Regis Romam adventu. Quibus narratis subinde addit Xiphilinus: *Eodem tempore Hadrianus Jovis Olympii Templum ædificavit.* Viderit ergo Pagius, quo jure verba hæc ad belli Judaici initia retu-

Ubi initio anni morabatur Adrianus?

Spart. Adr. c. 13.

Pag. Crit. an. 132. *n.* 3.

Dio l. 69. 795.

retulerit, ut & primos rebellionis hujusce motus, & Templi Jovis consecrationem anno Christi CXXVIII. Dione, Spartianoque Autoribus vindicaret.

Acta Adriani in urbe.

II. Adrianum initio Maii præsentem adfuisse Romæ, ex inscriptionibus apertè liquet. In ædibus Farnesianis extant inscriptiones duæ, Athleticæ Græcæ, quas Gruterus Latinè recitat p. 315. &c. *Imperator Cæsar Divi Trajani filius, divi Nervæ nepos Trajanus Adrianus, Pontifex Max. Tribunitia Potestatis* XVIII. *Cos.* III. *P. P. Congregationi Palæstricæ, eorum qui circa Herculem Athletarum sacrorum Victorum coronatorum, Salutem. Etiam locum ubi vultis, jubebo dari vobis, & domum ad recondendas tabulas publicas, & si duplicium transmutationem necessariam putatis, hoc in vobis est. Legationem obiit Ulpius Domesticus. Valete. Pridie* III. *Non. Majarum. Romæ.* Potestas Tribunitia XVIII. Adriani, quæ die decimâ mensis Augusti anni proximè elapsi inceperat, sexto Maii currentis anni etiamnum perducabat. In spectaculo Populus à Cæsare magnis clamoribus contendebat, quendam ut aurigam emanciparet; negavit se facturum, scripsitque in tabella: *Non decere Populum Romanum ab se petere, ut alienum servum libertate donaret, aut dominum ad id faciendum compelleret.* Hoc & ipso anno, Pharasmanem Iberum cum uxore in urbem se contulisse censemus. Cui permissum est in Capitolio sacrificare, ipsique statua equestris in Templo Bellonæ posita. Pharasmanis quoque cum filio, Iberorumque Primoribus, exercitationem militarem agentis, coram aspexit. Levitate tamen animi, quæ à Pharasmane munera acceperat, contemptui habuit. Trecentos enim noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit, ad ejus munera deridenda.

Dio l. 69. 795.

Spart. Adrian. c. 17.

Urbs Bether expugnatur.

III. Hoc anno Judaicum bellum maximè exarsit. Julius Severus, cognitâ rebellium & audaciâ, & multitudine, non ausus est aperte cum hostibus congredi: singulatim verò militum Legatorumque numero eos adortus, & commeatu prohibens, & includens, serius quidem, sed minore cum periculo vicit. Maxima tamen clades in urbe Bether Judæis illata est, de qua Eusebius: *Anno demum octavo decimo Hadriani, cùm totius belli vis circa Bethera urbem munitissimam, non procul Hierosolymis dissitam, exarsisset, & protractâ diutius à Romanis obsidione rebelles fame & siti oppressi essent, ipseque adeò seditionis autor, debitas pœnas dedisset, ex eo tempore, universa gens Judæorum in regionem circum Hierosolyma sitam, pedem inferre prohibita est.* De ea clade multa Judæi fabulantur: *Per tres annos & dimidium obsidione cinxit Hadrianus Betheram. Cùmque eam caperent, interfecerunt mares, & fœminas, & parvulos, ita ut sanguis eorum flueret in mare magnum.* Addamus ex recutitorum traditionibus belli causam: *Ob crus carpenti vastata est Bethara. In more fuit, ut cùm nasceretur infans, plantarent cedrum; cùm infantula, pinum; cùmque nati contraherent matrimonium, ex iis conficerent thalamum. Die quâdam transiit filia Cæsaris, & confractum est ei crus carpenti. Cedrum istiusmodi exciderunt, atque ad eam attulerunt. Insurrexerunt in eos Judæi, atque eos ceciderunt. Relatum est Cæsari rebellare Judæos. Profectus in eos iracundus, excidit totum cornu Israelis.* Mense Augusto captam esse Betheram, innuit Hieronymus: *In hoc mense, & à Nabuchodonosor & multa post secula, à Tito & Vespasiano, Templum Hierosolymis incensum est atque destructum. Capta urbs Bethel* (Bether) *ad quam multa millia confugerant Judæorum, aratum Templum, in ignominiam gentis oppressæ, à Tinnio Rufo.* Ubinam verò ea civitas clade Judæorum celebris, quantove spatio distaret Hierosolymis, est in obscuro. In Scripturis sortitam esse nomen Bethoron, innuit Hieronymus ad Eustochium: *Atque inde proficiscens ascendit Bethoron inferiorem, & superiorem, urbes à Salomone conditas, sed variâ posteà bellorum tempestate deletas.* Meminit Josephus vici, cui Betari nomen. De Vespasiano: *Captis autem*, inquit, *duobus vicis, in media Idumæa positis* Βηταρὶς, *Betari, & Caphartoban, plus quam decem millia hominum peremit.* Quam & clade Barchochebæ urbem insignem fuisse, non improbabile est. Operibus & munimentis vicum sepire potuerant Judæi, ut longa obsidione arma Romanorum detinerentur.

Eus. b. l. 4. c. 6.

Lightf. t. 2. 208.

Hier. in Zachar. c. 8. 225.

Hier. Epist. 27. c. 3.

Joseph. de B. l. 5. c. 4. 890.

De Faustini & Jovitæ martyrio.

IV. Brixiæ hoc anno *Faustinum* Presbyterum, ac *Jovitam* Diaconum, præsente Adriano morti traditos esse, scribit Pagius, qui & Baronium perstringit, quòd anno Christi CXX. eorum martyrium alligant, quod in annum vel 134. vel 135. est conferendum. Rem sic exequitur Martyrologium: *Brixiæ Natalis SS. Martyrum Faustini & Jovitæ, qui sub Hadriano Imperatore, post multa præclara pro Christi fid. suscepta certamina, victricem martyrii coronam acceperunt.* Faustini Jovitæque memoria, Februarii XV. recolitur. Erant, si Martyrologis fides, nobili apud Brixiam prosapiâ, ex principibus Senatus, qui eam civitatem administrabat, orti. Jubente Adriano ab *Italico* Rhætiarum Comite truduntur in carcerem. Post infinita tormenta leonibus, ursis, taurisque laniandi objiciuntur. Quæ feræ, cùm benigno numine in agnos veluti conversæ, sanctorum vestigia Martyrum lingerent, in Italicum tamen, Deique adversarios impetu facto, eos interfecerunt. Ex arena Faustinus & Jovita in ollam æneam conjiciuntur, *in qua hinc inde plumbum liquebatur.* Martyribus parcens ignis, Pompeium fratrem Adriani exussit. Viso miraculo, *Calocerus* Palatii Præfectus Christi fidem cum duodecim hominum millibus amplectitur. His accensus Adrianus, omnibus excepto Calocero, capita amputari jubet. Angelorum verò monitu Apollonius Brixiensis Episcopus, Faustinum in Presbyterum, Jovitam in Diaconum consecrat. Iterum jubente Adriano tormenta apud Mediolanum admota Martyribus, plumbum liquescens ipsorum immissum ori, adductæ feræ, omninò frustra. Ligatis ergo pedibus manibusque merguntur. Cùm undæ Martyribus pepercissent, Brixiam jubente Adriano, reducti ab Aureliano, capite plectuntur. Hæc fusè narrantur in Appendice ad Martyrologium Adonis. Quæ exponere satis est, ut ad fictos Martyres Faustinus & Jovita relegantur. Non inficiamur quidem, imperante Adriano, plures pro Christo sanguinem fudisse; indicioque sunt Quadrati Aristidisque Apologiæ, quos viri illi clarissimi Adriano obtulerunt. Non eo tamen prætextu Martyres sunt multiplicandi. Vix quidem in animum inducere nostrum sustinemus, quòd post rescriptum Minutio Fundano missum, Adriano præsente Christiani sint immolati. Observabilia sunt ad Magnum verba Hieronymi: *Quadratus Apostolorum disci-*

Mart. Febr. 15.

Hier. Epist. 85.

Anno Dom. 135.

discipulus nonne Adriano principi Eleusinia sacra invisenti, librum pro nostra Religione tradidit? Et tanta admirationis omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium. Quis credat igitur Brixiæ, jubente Adriano mactatos esse Faustinum atque Jovitam, manantemque ex vulneribus Martyrum sanguinem suis quasi hausisse oculis Adrianum, qui persecutionis fluctus composuerat? Vellemus etiam argumentis doceri, Adrianum hoc anno Brixiæ fuisse commoratum. Denique neque in veteri Calendario, quod edidit Rosuedus, neque apud Adonis Martyrologium ulla Faustini & Jovitæ mentio inscribitur: At eorum martyrium non immeritò revocetur in dubium.

Anno Dom. 136.

ANNO U. C. 889. PER. JUL. 4849. JUL. 181. DOM. 136. ADRIANI 19. & 20. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 4. *Indict.* 4. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 9. *Apr.*

COSS. *L. Cejonius Commodus, & Sex. Vetulenus Livica Pompejanus.*

Adrianus in morbum incidit.

Spart. Adr. c. 26.

I. RECreandi sui causâ, quâ valdè delectabatur, Tiburtinam Adrianus villam petit. Hanc mirè eaædificaverat, ita ut in ea & Provinciarum, & locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret, & ut nihil prætermitteret, etiam inferos finxit. Dum voluptatibus hac in villa fruitur, periculosum in morbum incidit. Quippe sanguis, qui per nares ejus effundi consueverat, tanto impetu effluxit, ut penè ad exitum veniret. Tum de successore imperii cogitans, Lucium Commodum, quamvis & sanguinem ipse vomeret, adoptare constituit.

Dio l. 69. 795.

Cejoni Commodi mores.

II. Formâ quondam Adriano commendatus erat Cejonius, quâ acceptior erat quàm moribus. Comptus erat, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celsioris, versu facilis, voluptatibus tamen diffluebat. Nam pentapharmacum, quo posteà semper Adrianus usus est, ipse dicitur reperisse, hoc est, sumen, fasianum, pavonem, pernam crustulatam & aptugnam. Lectum eminentibus quatuor anaclitertis fecerat, minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ replebat, quibus demptum esset album, quæ pars rosæ minus delicata, jacensque cum concubinis, velamine de liliis facto se tegebat, unctus odoribus Persicis. Ovidii libros Amorum, in lecto semper habebat. Conquerenti de extraneis voluptatibus, uxori dixisse fertur: *Patere me per alias exercere cupiditates meas, uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Quo loco fuerit apud Adrianum, indicio est ejus ad Servianum Epistola: *Denique ut primùm inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonino quæ dixerunt, comperisse te crede.* Quibus colligit Pagius, jam Verum adoptatum fuisse, cùm scripta est Epistola, Servianumque illum, *Et diversum esse à Serviano anno* CXXXIV. *Consule ordinario, & suffectum gessisse Consulatum.* Nostro tamen judicio in Scaligerum ea de causa invehi non debuit: cùm vox filii, adoptionis perpetuum non sit indicium, sed tenerrimum amorem quandoque significet. Quem latent ea Cæsaris, dum à Bruto percuteretur, *Tune etiam fili?*

Spart. Ælius c. 5.

Voss. Satur. c. 8.

Pag. Crit. an. 136. n. 6.

Verus adoptatur.

III. Adoptionis causâ Adrianus ludos Circenses dedit, & populo congiarium, & militibus donativum. Cùm tamen minus sanum videret, sæpissimè dixit: *In caducum parietem nos inclinavimus, & perdidimus quater millies sestertium, quos populo, & militibus pro adoptione Commodi dedimus:* hoc est, Gallicarum librarum 3722222. Constat eum de Vero sæpè dixisse:

Anno Dom. 136.

Spart. Adr. c. 24.

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent.

Fertur etiam cum irrisione dixisse: *Ego mihi divum adoptavi, non filium.* Nostram porro turbat Chronologiam Spartianus: *Adoptatus autem,* inquit, *Ælius Verus ab Adriano, eo tempore, quo parum vigebat, & de successore necessario cogitabat, statimque Prætor factus, & Pannoniis Dux & Rector impositus, mox Consul creatus.* Cùm igitur hoc anno Consulem ordinarium egerit Cejonius Commodus, anno qui proximè fuit, adoptari debuit, si adoptionem Consulatus excepit. Quin tamen à Spartiano peccatum sit, vix dubitamus. Præturam gerebat Cejonius Commodus, cùm filius ejus L. Verus, qui cum M. Antonino imperavit, in lucem editus est. Ideòque Cejoni Prætura antecessit adoptioni. Prætereà si jam filius Adriani Consul creatus est, in Fastis & Ælii nomine, & Cæsaris titulo ornatus fuisset. Spartiani locum sanare voluit Casaubonus οὕτως: *Scripserat Spartianus, statimque Proc. factus, id est, Proconsul, imperiti homines scripserunt Prætor.* Ea tamen emendatio frustrà est, quia prius Consul creatus, quàm Pannoniis imponeretur. Præturam verò, cujus meminit Spartianus, Cejoni Consulatus excepit. Adoptione peractâ, Adrianus *remissior, rus proprium Tibur secessit, permissâ urbe Lucio Ælio Cæsari.* Quam tamen Provinciam diu obire non potuit, cùm currente anno in Pannoniam profectus sit.

Spart. Ver. c. 4.

Spart. Ver. c. 3.

Vict. de Cæsar.

Finis belli Judaici.

IV. Idem tempus bello Judaico finem imposuit. Julius Severus rebelles ita contudit, ut pauci admodum evaserint. Arces maximi momenti, vicique celeberrimi nongenti octoginta quinque, funditùs eversi sunt. Cæsi sunt in excursionibus præliisque hominum quingenta octo millia. Eorum autem qui fame, morbo, & igni interierunt, indagari multitudo non potuit, ita ut omnis penè Judæa abierit in desertum. Periere quoque ex Romanis complures in eo bello. Quamobrem cùm Adrianus scriberet ad Senatum, non usus est illo exordio, quo uti Imperatores consueverunt: *Si vos liberique vestri valetis, benè est. Ego quidem & exercitus valemus.* Tiburi agebat, cùm de bello exhausto scripsit ad Senatum: *Ex eo deinde tempore universa Judæorum gens in regionem circum Hierosolyma sitam, pedem inferre prohibita est, lege & constitutione Adriani, adeò ut ne prospicere quidem è longinquo patrium solum ipsis liceret, ut scribit Aristo Pellæus.* Vetitum esse sub pœna capitali, Judæorum in urbem Hierosolymam ingressum, monet nos posterior, quæ dicitur Justini, Apologia p. 84. *Promulgatum verò etiam est de excidio ejus, ac de eo quod futurum fuit, ut nemo ibi Judæorum habitare permitteretur, per Esaiam vatem. . . Cavere autem & servare vos, ne quis ibi sit, & pœnam capitalem constitutam esse adversus Judæum, eò ingredientem probè scitis.* Semel tamen in anno Æliam ingredi, miseris concessum, teste Hieronymo: *Et hoc non tantum de captivitate dicendum est, sed usque ad præsen-*

Dio l. 69. 794.

Euseb. l. 4. c. 6.

Hieron. in Sophon. c. 2.

tem

tem diem perfidi coloni, post interfectionem servorum, & ad extremum Filii Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem, & ut ruinam suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas, & ne fletus quidem eis gratuitus sit. Videas in die quo capta est à Romanis, & diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisque obsitos, in corporibus & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante ac radiante, ἀναστάσει ejus, de Oliveti monte crucis fulgente vexillo, plangere ruinas Templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus ingens, & livida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. Est Judæorum in traditionibus infinitos penè Judæos venditos esse. Audiatur Hieronymus: *Quidam Judæorum hunc locum sic interpretantur, quòd capta Hierusalem sub Vespasiano per hanc viam Gazam, & Alexandriam infinita millia captivorum Romam directa sint, alii verò quòd ultimâ captivitate sub Hadriano, quando & urbs Hierusalem subversa est, innumerabilis populus diversæ ætatis, & utriusque sexus, in mercatu Terebinthi venundatus sit. Et idcirco execrabile esse Judæis mercatum celeberrimum visere.* De eadem & Judæorum clade, Chronicum, quod dicitur Alexandrinum: *Hadrianus venit Hierosolyma, captisque Hebræis, petivit Terebinthum urbem, ubi celebritatem publicam instituit, Judæosque singulos ad equi pretium venales exposuit. Reliquos Gazam traxit, ibique proposito foro vendidit, festumque diem instituit, qui hodieque appellatur Hadriani.* In multis tamen vacillat fides traditionis ejusmodi.

Hier. in Jerem. c. 31. 298.

Chron. Alex. p. 940.

Marcus ex Gentibus Hierosolymitanæ Ecclesiæ præficitur.

V. Hæc illa Judæorum miserrima clades cessit in gloriam Religionis. Potentissimo enim argumento demonstratum est, jam venisse Messiam promissum Judæis. Quibus nil spei relictum, extruendi Templi sui, nil monumentorum superest, secernendis familiis, Tribubusque suis, quæ tamen discrimina notissima, omnibusque obvia dari debuerunt, ut Christus, qui claro Davidis ex sanguine accipere originem debuit, pro Judæorum Rege haberetur. Hactenus etiam, qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerant Episcopi, de Judæis creabantur: qui secundum Eusebium, numero fuere XV. Jacobus frater Domini, Simeon Cleopæ filius, Justus, Zachæus, Tobias, Benjamin, Joannes, Matthias, Philippus, Seneca, Justus, Levi, Ephres, Joseph, & Judas: *Et cùm Ecclesia ejus loci ex Gentibus coaluisset, primus post Episcopos ex circumcisione, ministerium illius civitatis suscepit Marcus.* Eo quippe loci, quo res Judæorum erant, ex Gentibus Episcopus constitui debuit. Cùm non Æliâ modò, sed totâ quoque Judæâ Judæi pellerentur, si Tertulliano credimus: *Dispersi, palabundi, & cœli & soli sui extorres, vagantur per orbem, sine homine, sine Deo Rege, quibus nec advenarum jure, terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Quantum tamen intelligimus Justini Martyris sententiam, non omni prorsus Judæâ prohibiti sunt, sed solummodò Æliâ Capitolinâ, ejusque viciniâ. Itaque Eusebius, qui Demonstrationis libro octavo, Judæos *regione suâ abactos* fuisse tradiderat, mollius loquitur in Historia: *Ex eo deinceps tempore, universa Judæorum gens in regionem circum Hierosolyma sitam, pedem inferre prohibita est, lege & constitutione Adriani.* Hoc est, illud patrium solum, quod ne quidem ex longinquo ipsis prospicere licuit, quia communis Judæorum patria Jerosolyma, in quam quotannis sæpius se conferebant.

Euseb. l. 4. c. 6.

Tert. Apol. c. 56.

De Getulii & Cerealis martyrio.

Bar. An. 38. n. 5.

VI. Hoc anno ingentem Romæ ingruisse persecutionem, legitur apud Baronium, cui placuit huic vindicare tempori, Getulii, Cerealis, aliorumque martyrium. Ac Adonis in Martyrologio, decimâ Junii die legitur: *Natale B. Getulii Martyris, tempore Adriani Imperatoris, sub Judice Licinio. Hic in omni lege divina erat doctissimus, & per ejus doctrinam, multi in fide Christi erudiebantur. Cujus famam Adrianus Imperator audiens, direxit Cerealem Vicarium ad tenendum eum.* Cerealis verò ab Amantio Tribuno, Getulioque fratre, ad Christi fidem adducitur. Quid multa? Getulius, Amantius, Primitivus, Cerealis, virgis jubente Licinio cæsi, in carcerem diebus XXVII. reclusi sunt: *Et veniens Romam Adriano de eis iterum innotuit, qui jussit eos incendio tradi. Sanctus verò Getulius, cùm igne superviveret, fustibus illiso capite, martyrium complevit. . . Quorum corpora collegit B. Symphorosa uxor B. Martyris Getulii. Quæ non longe post eum septem suis filiis martyrizavit, videlicet 27. die mensis Junii.* Cùm nos traditioni credulos non esse profiteamur, Fuerint Getulius atque Cerealis Martyres, id non inficiamur, cùm ipsorum quoque nomina reperiantur in Veteri Rosuedi Martyrologio. Anno verò Christi CXXXVI. *Amantium Tribunum, & Cerealem, qui agebat vicariam Præfecturam*, jubente Adriano, igni fuisse traditos, nil habet veri similitudinis. Mittamus illustrium dignitate suâ virorum certamina Eusebii notitiæ vix eripi potuisse; qui tamen ne vel levissimo clari martyrii rumore afflatus est: quænam est traditionis hujusce conspiratio, cum fama quæ latissimè manavit, Adrianum Christo Templa posuisse? Scilicet Christi cultoribus lucem adimebat, sub illud tempus, quo Deum Christianorum divinis honoribus afficiebat. Nobis quidem Lampridii narratio ad figmenta relegatur: Non potuit tamen famâ dispergi, quòd Christo fana extruxerit Adrianus, si vitâ jam præcipiti, Christianos fidei causâ morti mittebat. In ipsa denique Adonis narratione, certum deprehenditur falsi vestigium. Cerealem *enim B. Sixtus verè Christianam fidem amantem baptizavit.* Atqui currente anno, nullus Sixtus, nullus Telesphorus, imò ex nostra Chronologia, nullus Hyginus, qui Pontifices omnes jam mortem obierant. De Sixto quidem id apertè liquet Veterum ex monumentis quod nobis sufficit, coarguendæ traditioni, quæ Cerealem paulò post susceptum baptismum, morti missum fuisse prædicat. Denique persecutionibus, quæ ad ultima usque Adriani fata exarsisse Baronius, aliique tradunt, verba Xiphilini opponimus: *Antoninus Christianis infensus non fuit, quos vehementer observavit & coluit, ac honori, quo Adrianus Christianos prosequebatur, accessionem fecit.* Absonum est extra modum, Adrianum Christianorum & cultorem, & persecutorem fuisse.

Dio l. 70. 799.

ANNO

Anno Dom. 137.

Anno U. C. 890. Olymp. 229. Per. Jul. 4850. Jul. 182. Dom. 137. Adriani 20. & 21. *Sol.* 6. G. *Lun.* 5. *Indict.* 5. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 1. P. 25. *Mait.*

Coss. *L. Ælius Verus Cæsar II. & P. Cælius Balbinus Vibullius.*

Severus Bithyniæ præficitur.

I. Confecto bello Judaico, Severus in Bythyniam mittitur ab Adriano: quæ non armis illa quidem, sed Præside justo, prudente, dignitate prædito carebat, quæ in Julio Severo virtutes eminebant. Is quidem ita se gessit, resque eorum privatas atque publicas ita administravit, ut Bithynia ad multos annos memoriam ejus crebris sermonibus usurparit.

Dio l. 69. 794.

Celsus Epicureus. Quandonam librum in Christianos suum edidit?

II. Cùm rerum politicarum Ecclesiasticarumque sit huic anno penuria, de celeberrimo *Celso* Epicureo, qui Religioni infamiam scriptis inurere suis tentavit, nonnulla sunt afferenda. Neque extra rem, cùm si credatur Origeni, imperante Adriano, impius ille vixerit, cui tamen diu superstes fuit. Verba sunt Origenis: *Enimverò duos quosdam accepimus, fuisse id Celsi nomen sortitos, alterum & priorem, Neronis temporibus, alterum Adriani, qui & posteà fuit, & in Christianam Religionem invectus est.* Cui quidem ætati Chronologia nil repugnat. Vitam etiamnum imperante Commodo, retinuisse Celsum, docet Luciani Pseudomantis, cujus hoc est initium: *Tu quidem, charissime Celse, levem forte quandam & facilem Provinciam, tibi mandare videris, cum injungis, ut Alexandri Abonotichita impostoris vitam ad te transmittam.* Ad plures autem abierat M. Aurelius, cùm liber ille conditus est, utpote qui Divi Marci meminerit. Alexander enim falsus ille vates, *Dum bellum quod in Germania gerebatur, maximè flagraret, divo Marco cum Marcomannis & Quadis conserente oraculum divulgavit.* Ab exitu verò Adriani ad usque initia Commodi, anni sunt solummodò XLII. Non existimamus tamen Adriano imperante, Celsum scripto esse aliquo Christianos insectatum. Baronius quidem id frustra quæsivit in Origene: *Imò*, inquit, *si Origeni credimus, qui tradit Celsum Epicureum, sub Adriano scripsisse adversus Christianos Commentarios suos.* Id sanè non scripsit Origenes. Quandonam verò virulentissimum Celsi scriptum in lucem prodierit, nos ignorare fatemur, etsi nonnihil eò propendeat animus, ut imperante Aurelio editum sit, ut & ferro & calamo Christiani undique peterentur. Conjectura hæc nostra confirmatur verbis Celsi: *Hortatur nos Celsus, ut opem feramus Imperatori, & geramus ejus auspiciis, justa piaque bella.* Quibus Marci prælia subindicare videtur. Sed & libro primo p. 1. objicit Christianis *clancularios conventus*, quod signum est persecutionum, quæ Adriano & Pio imperantibus siluere.

Orig. in Cels. l. 1, 2.

Pseudom. 152.

Bar. An. 146. n. 7.

Orig. in Cels. l. 8. 426.

Favorinus.

III. Memoriæ quoque Favorinum commendare nostri debent Annales. Gallus Arelatensis fuit, vir omni eruditione politus & excultus, sed qui corporis habitudine Hermaphroditus erat. Summus Philosophus, Rhetoricæ verò magis addictus. Mollem tamen animi fuisse, discimus ex scripto Luciani, cui titulus Demonax. Audierat Favorinus, suas dissertationes à Demonacte haberi ludibrio, maximè verò muliebrem mollitiem, ac Philosophiæ minimè congruentem. Ad eum igitur accessit, interrogans, Quisnam esset, à quo subsannaretur homo; respondit Demonax, *Cui aures sunt deceptu difficiles.* Cùm verbum ejus quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, Quòd malè cederet Adriano de verbo, quod idonei autores usurpassent, risum jucundissimum movit. Ait enim: *Non rectè suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Hunc adversus Chaldæos, in urbe Græce differentem illustri oratione Gellius audivit. Æmulatus est, & magno studio imitatus Plutarchum Chæronensem, infinitâ librorum scriptione. Ex ejus libris sunt & isti: De Homeri Philosophia: De Socrate & ejus amatoria arte: De Platone: De Philosophorum vivendi ratione, Item alia.

Suidas.

Spart. Adr. c. 15.

Suidas.

Anno Dom. 138.

Anno U. C. 891. Per. Jul. 4851. Jul. 183. Dom. 138. Adriani 21. *Sol.* 7. F. *Lun.* 6. *Indict.* 6. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 2. P. 14. *Apr.*

Coss. *Camerinus, & Magnus.*

Perieritne Ælius an. CXXXVII.

I. De anno Ælii Veri supremo est inter eruditos controversia, Onuphrius, Baronius, Calvisius, Capellus, Dodwellus, Verum anno, qui proximè fuit, extinctum statuunt. Neque dissimulandum, probabilibus argumentis hanc inniti Chronologiam. Etenim cùm anno CXXXVI. adoptatus fuerit, si Calendis Januariis præsentis anni periit, sera nimis fuisset post biennium, etiam in Senatu gratiarum actio. Cui peragendæ, orationem pulcherrimam paraverat, quam morte impeditus recitare non potuit. Deinde defuncto Vero, *Adrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptavit.* Cui longæ dubitationi loci nil esse potuit, si præsentis anni Calendis Verus mortem obiit. Adoptatus est enim Antoninus Februarii XXV. De quo temporis intervallo est etiam detrahendum, cùm *acceptum sit ab Antonino deliberandi spatium, utrum arrogari ab Adriano vellet.* Denique brevius fuerit oportet Vero, Cæsarei honoris spatium, *quàm ut biennium ferè expleverit*, cùm de illo Virgilianum illud sæpè dixerit Adrianus: *Ostendent terris hunc tantum fata.* His Clarissimus Dodwellus pugnat argumentis, ut obitus Veri, Calendis Januariis anni CXXXVII. vindicetur. Quæ tamen argumenta, non sunt ejus momenti, quin solvi non possint. Ad primum enim respondemus, causas fuisse multas, cur tandiu dilata sit solemnis illa Veri de sua adoptione gratiarum actio, Prima ex absentia tam Veri, quàm Adriani ducitur. Adoptione peractâ, Adrianus in Tiburtinam villam concessit, *permissa urbe Lucio Ælio Cæsari.* Quo tempore verò Adrianus in urbem rediit, in Pannonia versabatur Ælius, cui Provinciæ Proconsul datus fuerat. Itaque pulcherrima hæc oratio, quam paraverat, post reditum è Pannonia, demum composita est: *Nam cùm de Provincia Ælius redisset, atque orationem pulcherrimam, quæ hodièque legitur, sive per se, sive per scriniorum, aut dicendi magistros parasset, qua Cal. Januariis Adriano patri gratias ageret, Calendis ipsis Januariis periit.* Non debuit autem recitari oratio hæc, nisi frequente Senatu, ipsoque Adriano præsente. Quam & rationem afferre teneretur Dodwellus, si quæreretur, Cur ad usque Calendas Januarias, solvere patri suo dignas grates Verus expectaverit? Secunda dilationis causa hæc est, quòd

Spart. Æl. c. 6.

Dodw. App. ad dissert. Cypr. n. 46.

Ælius Spart. c. 4.

Ælius

ANNO DOM. 138.

Ælius ſpem certam obtinendi imperii, quam ante habuerat, ob mutatum Adriani animum, penè perdiderat. Cùm Adrianus eum videret miſerrimæ valetudinis, ita ut ſcutum jactare ſolidius non poſſet, dixiſſe fertur: *In caducum parietem incubuimus, & qui non ipſam Remp. ſed nos ipſos ſuſtentare vix poſſit.* *Et hæc quidem Adrianus cum Præfecto ſuo locutus eſt. Quæ cum prodidiſſet Præfectus, ac per hoc Ælius Cæſar in dies magis magiſque ſolicitudine, utpote deſperati hominis, aggravaretur, Præfecto ſuo Adrianus qui rem prodiderat, ſucceſſorem dedit.* Neque ſemel id ſcriptum Spartiano, quaſi incogitanti. Audiatur iterum: *Unde apparet eum habuiſſe in animo, alium deligere, atque hunc ultimo vitæ ſuæ tempore à Rep. ſubmovere, ſed ejus conſilia juvit eventus.* Quo caſu, dilatam eſſe gratiarum actionem, quid miri? Tertiam Pagius addit rationem, ex Spartiano petitam: *Commodus autem præ valetudine, nec gratias quidem in Senatu agere potuit Adriano de adoptione.* Hoc tamen advertere debuit vir oculatiſſimus, Spartiani verba non omne tempus complecti, quo Verus Cæſaris dignitate ornatus eſt, ſed illud tantùm ſpectare, quo poſt paratam orationem, ab ea recitanda, valetudine prohibitus eſt. Etenim cui Pannoniæ adminiſtratio credebatur, ſatis virium erat, ut palam publicèque orationem habere poſſet. Minus firmitudinis habent aliæ Dodwelli rationes. Cùm enim habente toto Januario, & parte forſan aliquâ Februarii, anceps foret animi Adrianus, quem ſibi adoptione conjungeret, quidni Spartianus ſcribere potuit, *Poſt Verum denique Adrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptavit.* Nonne amplum ſatis fuſumque fuit deliberandi ſpatium, de ſucceſſore eligendo? eò magis quò ſe Vero fore ſuperſtitem noverat Adrianus. Potuit etiam illud Virgilianum, *Oſtendent terris hunc tantum fata*, accommodari Vero, utpote qui ſeſquianno tantùm Cæſaris dignitatem retinuerit.

Spart. Æl. c. 6.

Spart. Æl. c. 4.

Spart. Adr. c. 23.

Ælius Calendis Januariis anni 138. mortem obiit.

II. Noſtræ verò Chronologiæ, quæ Calendas Januarias anni CXXXVIII. Ælio Cæſari fatales fuiſſe ſtatuit, longè firmiora præſidia ſunt. Primum enim in Faſtis locum habet ſecundus Ælii Conſulatus, argumento illum & iniviſſe Verum; cùm ſi deſignatus tantummodò fuiſſet, alterum ab eo Collegam Balbinus Vibullius habuiſſet. Præterea Veri obitus, excepit ejus ex Pannonia reditum. Eſt autem incredibile anno CXXXVI. ex ea Provincia Romam rediiſſe. Adultus is annus erat, cùm adoptatus eſt ab Adriano. Peractâ adoptionis ſolemnitate, ut Tibur abiit Adrianus, Ælio Cæſari urbs permiſſa eſt, qui deinde in Pannoniam conceſſit, ut Proconſulatus titulo eam adminiſtraret: quod munus vix uno menſe geſſiſſet, ſi ipſo adoptionis anno urbem repetiit. Etenim reditum inter & mortem ejus, interjectum aliquid ſpatii fuit, orationem ut ſcriberet ſuam, quam poſt reditum compoſuit: *Cùm de Provincia rediiſſet, atque orationem pulcherrimam paraſſet.* Cui verò fiet probabile, Ælium uno tantùm menſe Pannoniis fuiſſe impoſitum. Denique noſtram firmat ſententiam inſcriptio, quæ extat apud Gruterum p. 252. 2. *Imperatori Cæſ. Trajano Hadriano Auguſto P. P. Trib. Pot. XXI. Coſ. III. Imper. II. L. Ælius. Cæſ. fil. Trib. Poteſ. Coſ. II. Procoſ. XV. Vir. Sacris. Faciund.* Vigeſimam primam vero Tribunitiam Poteſtatem incepit Adrianus, decimâ Auguſti die anni CXXXVII. Quo tempore Ælio etiamnum vita manebat. Accepto largius antidoto, per ſomnum periit Ælius, Calendis Januariis, ſubitâ ſanguinis effuſione. Quare ab Adriano votorum cauſâ lugeri eſt vetitus. Doluit ejus mortem, ut bonus Pater, non ut bonus Princeps. Sepultus eſt Ælius imperatorio funere, neque quicquam de regia, niſi mortis habuit dignitatem. Statuas ipſi per totum orbem coloſſeas poni juſſit. Templa etiam in nonnullis urbibus fieri.

Spart. Æl. c. 6.

Mors Serviani.

III. In eo temporis ſpatio, quod Ælii obitum inter, & Antonini adoptionem conſtituitur, mors Serviani collocari poteſt: cujus annus extremus eſt in obſcuro. Severianus quidem graviter tulerat Veri adoptionem, quod erat ipſe imperio digniſſimus. Cùm Trajanus in convivio petiiſſet ab amicis, ut decem viros Principatu dignos nominarent, paululum ſemet inhibuit. Deinde novem, inquit, ex vobis audire cupio, ego enim unum nempe Severianum habeo. Quaſi affectatorem imperii, quòd ſervis Regis cœnam miſiſſet, hoc eſt, ſportularem cœnam, quòd in ſedili regio, juxta lectum poſito, ſediſſet, quòd erectus ad ſtationes militum, ſenex nonagenarius proceſſiſſet, mori coëgit. Severianus antequam jugularetur, ignem popoſcit, deinde incenſo thure: *Vos, inquit, Dii immortales, quos habeo innocentiæ meæ teſtes, hoc unum rogo, ut Adrianus cùm mortem obire cupierit, non poſſit.* Occiſus eſt unà cum Serviano Fuſcus, nepos ejus, annos XVIII. natus. Hoc anno periiſſe Servianum, ex Spartiano ducimus conjecturam: *Sub ipſo mortis tempore, & Servianum XC. annos agentem, ne ſibi ſuperviveret, atque ut putabat imperaret, mori coëgit.* Quo teſtimonio colligimus, obitum Serviani contigiſſe poſt mortem Ælii, & ante Antonini adoptionem. Non erat enim Adriano timendi cauſa, ne poſt ejus obitum rerum potiretur Servianus, ſi filium adoptatum tum temporis habuiſſet.

Dio l. 69. 795.

Dio l. 69. 795. Spart. Adr. c. 24.

Spart. Adr. c. 25.

Antoninus adoptatur.

IV. Mortuo Ælio Vero, cùm anceps eſſet animi Adrianus, quem potiſſimum ſucceſſorem eligeret, forte dies Senatus habebatur. Eo Arrius Antoninus, Soceri Annii Veri veſtigia levans venit, atque idcircò ab Adriano dicitur adoptatus. Quæ cauſa ſola eſſe adoptionis nec potuit omninò, nec debuit, maximè cùm & ſemper Rempublicam benè egiſſet Antoninus, & in Proconſulatu ſe ſanctum gravemque præbuiſſet. Ergo cùm eum Adrianus adoptare ſe velle publicaſſet, acceptum eſt ſpatium deliberandi, Utrùm arrogari ab Adriano vellet. Adoptionis lex hujuſmodi data eſt, ut quemadmodum Antoninus ab Adriano adoptabatur, ita ſibi ille adoptaret M. Antoninum, fratris uxoris ſuæ filium & L. Verum, Ælii Veri, qui ab Adriano adoptatus erat, filium. Sæpè dixerat Adrianus: *Habeat Reſpublica quodcunque de Vero.* Adoptatus eſt Pius V. Calendas Martias die, in Senatu gratias agens, quòd de ſe ita ſenſiſſet Adrianus: *Factuſque eſt Patri, & in imperio Proconſulari, & in Tribunitia Poteſtate collega.* Antonini adoptionem plurimi tunc factam eſſe doluerunt, ſpeciatim Catilius Severus Præfectus urbis, qui ſibi præparabat imperium. Quâ re proditâ ſucceſſore accepto, dignitate privatus eſt.

Capit. Pius. c. 4.

Ibid.

Spart. Adr. c. 24.

Eodemne die Marcus & Verus adoptati, quo & Antoninus?

V. Exiſtit autem de hiſce adoptionibus quæſtio, Fuerintne Marcus Antoninus, & Verus, illo ipſo die adoptati ab Antonino Pio, quo ipſe Adriani in familiam aſcriptus eſt? Quinto ſcilicet Calendas Martias. Id inficiari videtur Capito-

ANNO DOM. 138.

pitolinus : *Octavo decimo ergo ætatis anno adoptatus* (Marcus) *in secundo Consulatu Antonini jam patris sui, Adriano ferente, gratiâ ætatis factâ, Quæstor est designatus.* Februarii autem quinto & vicesimo, annum octavum & decimum Marcus nondum inierat. Natus enim erat *Marcus, Romæ sexto Calendas Maias, avo suo iterum, & Augure Coss.* Hoc est, anno Dom. 121. Quâ autoritate permotus Pagius, post vigesimum sextum Aprilis, Marci Verique adoptionem factam esse statuit. Verùm enimverò nobis objicitur ea de re scrupulus, cùm sibi non consentiat Capitolinus : *Cùm*, inquit, *post obitum L. Cæsaris, Adrianus successorem imperii quæreret, nec idoneus, utpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur.* Ante adoptionem igitur annum jam septimum & decimum Marcus evaserat, si Capitolino creditur. Itaque injecta nobis suspicio hæc est, Capitolinum scripsisse : *Natus est Marcus sexto Kalend. Martias*, quod librariorum errore in *Kalend. Maias* mutatum est. Secus apertæ contradictionis Capitolinus absolvi nequit. Equidem causæ nullæ fuerunt, cur in duos menses Marci Verique differretur adoptio. De Tiberio Suetonius : *Adoptatus ab Augusto, simul cum fratre eorum M. Agrippa, coactus prius ipse Germanicum fratris sui filium adoptare.* Quæ cùm eodem die, quinto scilicet Calendas Julias peracta sint, ad exemplum ejusmodi, factam simul esse Pii, Marci, Verique adoptionem, est admodum verosimile. Quin etiam affecta Adriani valetudo moræ intercedebat, quæ Pii adoptionem inter & illam Marci, & Veri esse statuitur. Pergratum enim erat Adriano & plurimos habere filios imperii successores, & esse *Reipublicæ quodcunque de Vero*, quod vix sperare gaudium potuisset, si tandiu dilata fuisset adoptio, spes eas prohibente morbo, quo vehementer affligebatur.

Capit. M. Ant. c. 5.
Capit. M. Ant. c. 3.
Capit. M. Ant. c. 5.
Suet. l. 3. c. 15.

L. Verum adoptaritne Marcus?

VI. De Veri adoptione exoritur & aliquid dubii. Verba hæc sunt Capitolini : *Amita Marci, virum Antoninum Pium, Adrianus eâ lege in adoptionem legit, ut sibi Marcum Pius adoptaret, ita tamen ut & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret.* Quæ si vera sunt Lucius Marci filius, non frater fuit, quod valdè incongruum, cùm annos duntaxat octodecim natus foret, solis annis undecim major adoptivo filio. In adoptionibus sanè, quæ naturam imitabantur, qui frater erat, filius non erat. Lucius tamen Marci frater audit, qua de affinitate Zozimus : *Antoninus Pius, & par illud fratrum Verus atque Lucius, multa vitiata correxerunt.* Ipse Capitolinus in Marco c. 14. *Sedens cum fratre in vehiculo, Lucius apoplexi arreptus periit.* Prætereà ab Antonino Marcum Luciumque adoptatos esse traditum Dioni : *Ac jussit quidem Adrianus, ut ambos Antoninus adoptaret : at nihilominus alteri Verum prætulit, cùm propter suam propinquitatem cum eo, tum propter ætatem, quòdque jam indolis animi robustissima specimen ederet.* Similia de adoptione Spartianus habet : *Adrianus ingruente tristissimâ valetudine, adoptavit Arrium Antoninum, qui posteà Pius dictus est, sed eâ demum lege, ut ille sibi duos adoptaret, Annium Verum & M. Antoninum.* Itaque Eusebius in Chronico : *Regnavit*, inquit, *Titus Antoninus, cognomento Pius, cum liberis suis, Aurelio & Lucio.* Quæ nobis & opinio verosimilior. Fatendum tamen est, non leviter impugnari ex Epistola Veri ad M. Antoninum : *Avidius Cassius avidus est imperii, quantum & mihi videtur ; & jam inde sub avo meo, patre tuo innotuit, quem velim observari jubeas.* Quòd si ab Antonino adoptatus est Verus, ejus utique avus appellari haud potuit, utpote qui non magis Aurelio, quàm Vero pater fuisset. Solvere quæstionem nostris viribus editius est, si displicet conjectura hæc, quòd Marci filius audiat Verus, quia Verum participem fecit imperii, & ipsi Veri nomen imposuit, filiamque despondit : quæ sunt parentis officia. Auditur Capitolinus : Marcus *quasi pater Commodi esset, & Verum eum appellavit, addito Antonini nomine, filiamque suam fratri despondit.* Hinc forsan arrepta existimandi ansa, quòd Verus à Marco fuerat adoptatus, eò magis quò Marco se morigerum Verus præbuit : *Lucius quidem Marco vicem reddens si susciperet, obsequutus ut Legatus Proconsuli, vel Præses Imperatori.* Usitatum est, socero parentis imponere nomen. Ipse quidem M. Aurelius in sua ad Verum Epistola, hæc ipsi scribit : *Scis ipse quid avus tuus Adrianus dixerit.* Proavus appellandus quidem, si ab Aurelio Verus adoptatus esset.

Capit. M. Ant. c. 5.
Zozim. l. 4. c. 7.
Dio l. 69. 797.
Spart. Adr. c. 24.
Vulcat. Avid. c. 9.
Capit. Marc. c. 7.
Capit. Ver. c. 4.

Marcus invitus adoptatus est.

VII. Eâ die quâ adoptatus est Verus, in somnis se humeros eburneos habere vidit, sciscitatusque, An apti essent oneri ferendo, solito reperit fortiores. Ubi autem comperit se ab Adriano adoptatum, magis est deterritus quàm lætatus : jussusque de privatis hortis in Adriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis recessit. Cùmque ab eo domestici quærerent, Cur tristis in adoptionem regiam transiret, disputavit quæ mala in se contineret imperium. Tunc primùm pro Annio Aurelius cœpit vocari, quod in Aureliam, hoc est, Antonini, adoptionis jure familiam transiisset.

Capit. M. Ant. c. 5.

Mors Sabinæ.

VIII. Sabina Augusta non sine fabula veneni dati ab Adriano fato fungitur. Rem alio modo narrat Victoris Epitome : Adriani uxor, *Sabina, dum propè servilibus injuriis accipitur*, ad mortem voluntariam compulsa est. *Quæ palam jactabat quam immane ingenium pertulisset, & elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur.*

Adriani lethalis morbus.

IX. Intereà Adrianus aquam intercutem curavit magicis artibus, quâ tamen iterum, nec ita multò pòst laboravit. Itaque ultimo vitæ tædio jam affectus, gladio se transfigi à servo jussit. Quod cùm proditum esset, & in Antonini usque notitiam venisset, ingressis ad se Præfectis, & filio, rogantibusque ut æquo animo necessitatem morbi ferret, iratus illis, autorem proditionis jussit occidi, qui tamen ab Antonino servatus est. Post testamentum quod scripserat, iterum se conatus occidere, subtracto pugione sævior factus, petiit venenum à medico, qui se ipse ne daret, occidit. Postquam ei licet impunitatem pollicenti, nemo pareret, dato quod flagitabat ferro venenove, accersi jubet Mastorem, hominem barbarum, Jazygem natione, quo, bello capto, ad venationes usus erat. Eumque partim minis, partim pollicitationibus coëgit, sibi mortem polliceri. Deinde ei locum sub mamma ab Hermogene medico commonstratum, colore quodam circumscripsit, ut illo ipso loco letaliter vulneratus, minore suo dolore moreretur. Ut verò timore rei perterritus Mastor aufugit, tum verò flere cœpit, non tam morbi causâ, quàm quòd non posset mortem sibi consciscere, quam adhùc aliis afferre posset. Porrò ut in spem recu-

Dio l. 69. 797.
Spart. Adr. c. 24.
Dio l. 69. 797.

petandæ

perandæ sanitatis induceretur, multa ab Antonino sunt excogitata. Supervenit enim mulier, quæ diceret, Somnio se monitam, ut insinuaret Adriano, ne se occideret, quòd esset benè valiturus, quod cùm non fecisset, esse cæcatam. Jussam tamen iterum Adriano eadem diceret, atque ejus genua oscularetur, receptura visum, si id fecisset. Quod cùm insomnium implesset oculos recepit, cùm aquâ quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus, ad febrientem Adrianum, eumque contigit, quo facto & ipse oculos recepit. Hæc per simulationem agebantur, ut Adrianus bono esset animo, quasi brevi convaliturus. Antoninus enim dicebat, *Parricidam se futurum, si Adrianum adoptatus ipse pateretur occidi.*

Spart. Adr. c. 25.

Mors Adriani.

X. Post hoc Adrianus Baias petiit, Antonino Romæ ad imperandum relicto. Tandemque contemptâ diætâ, esculentis usus minus commodis, moriens exclamavit illud pervulgatum: *Multi medici Regem occiderunt.* Hos & versus fecisse dicitur:

Animula vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos?

Spart. Adr. c. 25.

Accersito Antonino, in conspectu ejus apud Bajas periit, die sexto Idus Juliarum. Sunt tamen qui tradant, Antoninum morti ejus non interfuisse: *Adriano Bajis absumpto, cùm Pius ad vehendas ejus reliquias esset profectus, Marcus relictus Romæ, avo justa implevit.* Combustum est cadaver ejus in villa Ciceroniana Puteolis. Vixit annos LXII. menses V. dies XVII. Imperavit annos XX. & menses XI. Extra portam Aureliam magnificum Adriano sepulchrum constructum esse, in Procopio legitur: *Pario ex lapide ædificatum est; saxa quadrata illi invicem nexa.* Altitudo muros urbis superabat, *Statuæ quoque ex eodem Pario marmore, virorum equorumque miro artificio factæ, desuper insident.*

Proc. Goth. l. 1. c. 18.

Anni Antonini.

XI. Annum secundum & quinquagesimum evaserat Antoninus Pius, cùm Adriano successit. Itaque in oratione, quam in Senatu Adrianus habuit, de Pii adoptione: *Alterum,* inquit, *pro Vero vobis inveni, eumque vobis do, nobilem, mitem, mansuetum, prudentem, qui nihil temerè propter juventutem, nihil propter senectutem, negligenter potest facere. Qui vixit ex præscripto legum, Magistratus ex instituto Majorum gessit.* Natus erat, ut suo loco observatum, Septembris XIX. Patre Aurelio Fulvio Consulari, anno Domini LXXXVI. Domitiano XII. & Cornelio Dolabellâ Coss. De tempore obitus multa variant Historici. Anno septuagesimo periisse, falsò tradit Capitolinus. Victoris Epitome annos LXXII. assignat Antonino. Alii aliter. Ex morte successoris, anni Pii tum naturales, tum Augustei definiri possunt. M. Aurelius excessit è vita XVII. *Martii die*, anno CLXXX. teste Dione, cùm regnasset *decem ac novem annos, ac dies undecim.* Obiit Pius septimâ Martii anni CLXI. Imperavit ergo annos viginti duos, menses septem, dies viginti septem. Vixit quatuor & septuaginta annos, menses quinque, dies XVII. non, ut Baronius habet, *dies* XVI. Extat in Annalibus inscriptio hæc: *Imper. Cæsari. T. Ælio. Hadriano. Antonino. Augusto. Pio. Pont. Max. Trib. Pot. XXIV. Imper. II. Coss. IV. P. P.*

Dio l. 69. 796.

Dio l. 71. 814 815.

Antonini mores.

XII. Antoninus fuit vir formâ conspicuus, ingeniò clarus, moribus clemens, nobilis vultu, placidus ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipuè sobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens, & omnia hæc cum mensura, & sine jactantia. Pius cognominatus est à Senatu, vel quòd socerum fessâ jam ætate, manu, præsente Senatu levaverit; vel quòd eos quos Adrianus per malam valetudinem occidi jusserat, reservavit; vel quòd Adriano contra omnium studia, post mortem infinitos, atque immensos honores decrevit; vel quòd cùm se Adrianus interimere vellet, ingenti custodiâ & diligentiâ fecit, ne id posset admittere; vel quòd verè naturâ clementissimus, & nihil temporibus asperum fecit. Pacis adeò cupidus erat, ut diceret, *Malle se unum civem servare, quàm mille hostes occidere.* Hujus primum hoc fertur, quòd cùm ab uxore argueretur, quasi parum nescius, quid suis largiretur, dixerit: *Stulta, posteà quàm ad imperium transivimus, & illud quod habuimus ante, perdidimus.* Aurum coronarium, quod adoptionis suæ causâ oblatum fuerat, Italicis totum, dimidium Provincialibus reddidit. Fertur in quærendo fuisse diligens, ac ne quidem in rebus minutis, & vulgaribus ab exacta rimatione destitisse. Prius quàm salutaretur, degustabat panis aliquantulum, ne frigescente circum præcordia per jejunium sanguine, viribus exesis interciperetur, eoque actuum publicorum laboribus minimè sufficeret. Quæ incredibili diligentiâ ad speciem optimi patris familias exequebatur. Cyri etiam majoris nomen meruit, ut communis hominum pater diceretur.

Capit. Ant. c. 2.

Capit. c. 4.

Dio l. 70. 799.

Vict. Epit.

Precibus Antonini Adrianus consecratur.

XIII. In Adrianum mortuum à multis multa sunt dicta. Actaque ejus irrita fieri Senatus volebat, nec appellatus esset Divus, nisi Antoninus rogasset. Hoc honoris Adriano conferri nolebat Senatus, propter aliquot cædes virorum illustrium. Antoninus flens lamentansque Patribus dixit: *Igitur nec ipse Princeps vester ero, si ille improbus inimicusque vobis fuit: omniaque acta ejus, in quibus est adoptio mea, rescindetis.* Senatus his auditis, reverentem Antoninum, metuentemque milites, Adrianum apotheosi donavit. Templum igitur pro sepulchro apud Puteolos defuncto constituit Pius, & quinquennale certamen, & flamines, & sodales, & multa alia, quæ ad honorem quasi numinis pertinerent; de quibus suo loco. Qua de causa multi putant, Antoninum Pii cognomentum invenisse. Clypeum etiam decessori magnificentissimum posuit.

Spart. Adr. c. 27.

Dio l. 70. 799.

Spart. Adr. c. 27.

Acta Antonini initio imperii.

XIV. Adeptus imperium Antoninus, nulli eorum quos Adrianus provexerat, successorem dedit. His quos damnaverat in Senatu, indulgentias petiit, dicens Adrianum hoc fuisse facturum. Eâ conditione Pius adoptatus fuerat, ut ipse sibi Marcum, & Verum Antoninus adoptaret, filiamque suam Vero, non Marco daret. Post excessum Adriani statim Pius per uxorem suam Marcum sciscitatus est: *Et cum dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucii Commodo despondere voluerat, impari adhuc ætate, habitâ deliberatione, Velle se dixit.* Quem corruptissimum Capitolini locum optimè restituit Salmasius. Nuptiæ verò anno demum CXLIV. celebratæ.

Capit. Marc. c. 6.

Anno Dom. 139.

ANNO U. C. 892. PER. JUL. 4852. JUL. 184. DOM. 139. ANTONINI 1. & 2. *Sol.* 8. E. *Lun.* 7. *Indict.* 7. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *Apr.*

COSS. *Antoninus Pius II. & Brutius Præsens.*

Honores Marco collati.

I. UBi se cum Antonino, acceptâ in sponsam filiâ *Faustinâ*, Marcus affinitate devinciri voluit, Quæstor adhuc, mox Consul designatus, Cæsaris appellatione donatur, & Sevirum turmis equitum Romanorum, jam Consulem designatum creavit, & edenti cum Collegis ludos Sevirales adsedit, & in Tiberianam domum transgredi jussit, & aulico fastigio renitentem ornavit, & in collegia Sacerdotum jubente Senatu recepit. Patrem Patriæ hoc anno Antoninum appellatum fuisse, testatur Eusebius in Chronico. Qua de re Capitolinus: *Patris Patriæ nomen delatum à Senatu, quod primò distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit.*

Capit. c. 6.

Antonini liberi.

II. Ex Annia Faustina, non Faustinam modò M. Antonino desponsatam, sed filios quoque mares duos, filiamque Faustinâ majorem susceperat Antoninus. Prosic scens ad Proconsulatum Asiæ, filiam majorem amisit, quam Lamiæ Syllano matrimonio junxerat. Mares antè extincti, quàm rerum potiretur, quomodo Dio est intelligendus: *Ita Antoninum imperator factus est, quòd cum liberos mares non suscepisset, Commodum Commodi filium, & Marcum insuper Antoninum Verum sibi adoptavit.* Maribus nomen fuit, majori M. Aurelius Fulvus Antoninus, minori M. Galerius Aurelius Antoninus, ut ex inscriptionibus, imperante patre adornatis, planum est. Sunt inter eruditos, qui uxori Lamiæ, Aureliæ Fadillæ nomen imponunt. De Antonini uxore multa dicta sunt, ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem, quæ iste cum animi dolore compressit.

Dio l. 69. 797.

Capit. Ant. c. 3.

Justini Martyris patria & genus.

III. Hoc anno oblatam esse Antonino celeberrimam Justini Martyris Apologiam, probabilissimum existimamus. Antequam verò nostra colligamus argumenta, de clarissimo Philosopho, cui causâ fidei lux erepta est, paucis dicendum. De Justino hæc habet Epiphanius: *Justinus è genere Samaritanus, cùm in Christum credidisset, multâ virtutum exercitatione perpolitus, vitâque ad omnem honestatem institutâ, tandem pro Christo martyrio perfunctus, perfectissimam coronam adeptus est. Romæ sub Rustico Præfecto, Adriano imperante in ipso flore juventutis, anno videlicet ætatis tricesimo.* Quibus non pauca continentur aliena vero. Patriâ quidem Justinus dici Samaritanus potest, Religione sanguineve non potest. Filius erat Prisci, Bachii nepos, quod docet Apologiæ, quæ vulgò secunda vocatur, titulus, *Justinus Prisci τοῦ Βακχείου τῶν ἀπὸ Φλαυΐας.* Articulus ille τοῦ, Bacchium à Prisco secernit, sed & plurale τῶν nonnisi de pluribus efferri potest. Quod mirum ab Hieronymo observatum non fuisse, qui Priscum & Bacchium, pro uno eodemque homine habuit: *Justinus*, inquit, *patre Prisco Bacchio.* Longè verius Valesius: *Justinus Prisci filius, Bacchii nepos, oriundus Flaviâ Neapoli urbe Syriæ Palæstinæ.* Pessimè vertit Langus, *Mava civitas.* Neapolis enim Samariæ est civitas, cujus meminit Plinius: *Intus Samariæ oppida Neapolis, quod anteà Mamortha dicebatur.* Quam & in claris Palæstinæ urbibus collocat Ammianus l. 14. c. 8. Flaviæ nomen adepta est ob coloniam, quam in eam Flavius Vespasianus misit.

Epiph. h. 46. n. 1.

Plin. l. v. c. 13.

Anno Dom. 139.

Sanguine verò aut Religione Samaritanum Justinum non fuisse, demonstrat ipse Justinus, quem sic compellat Trypho: *Si me quoque vis audire, pro amico enim jam te habeo, fac primum ut circumcidaris.* Ipse Justinus se circuncisionis expertum fuisse profitetur verbis ejusmodi: *Num aliud quidquam est, perchari nobis viri, quod in nobis reprehenditis, præterquam quod ex præscripto Legis non vivimus, neque itidem ut majores vestri carne circuncidimur.* Qui verò ex Samaritanis genus ducebant suum, octavo die præputium abdicabant. Patriâ ergo, non disciplinâ Samaritanus Justinus fuit. Quo sensu, genere Samaritanum se fatetur: *Neque enim curam aut rationem ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ ἐμοῦ, popularium etiam meorum Samaritanorum habui, scripto Cæsarem compellans.* Religione tamen & origine Ethnicus erat. Quamobrem hospes in Hebraica lingua versabatur, quod apparet ex mira quam tradit, vocis *Satanas* etymologia: *Sata Judæorum & Syrorum sermone, Apostata, & desertor est, nomen autem Nas, unde interpretatione etiam serpens vocatur, idem est quod sata Hebræorum expositum sermone. Ex quibus utrisque unum compositum, fit nomen Satanas.* Atqui vel pueri sciunt *Satanas* mutatâ terminatione, esse Hebræum שטן, *Satan*, id est, *adversarius*, quo potissimum nomine, Dei hominumque osor Diabolus afficitur.

Justin. Dial. p. 226.

Dial. p. 227.

Justin. Dial. p. 349.

Justin. Dial. 331.

Justinus fit Christianus.

IV. Moribus habituque Philosophum agebat Justinus, quam & Christianus vestem retinuit. Eâque notâ, à Tryphone, pro Philosopho, & agnitus est, & salutatus: *Deambulanti mihi mane in Xysti ambulacris, obviam veniens quidam cum aliis, Philosophe, salve, inquit, & cum hoc dicto conversus, unà mecum spatiabatur.* Cùm Philosophiæ cupidus esset, primum Stoïcorum uni se tradidit excolendum: ubi verò cum illo diu satis versatus, ac de Deo, quem & ignorabat, nil ab eo didicisset Justinus, relicto Stoico, ad Peripateticum se contulit. Quem ideo Justinus deseruit, quòd mercedem flagitasset. Ad Pythagoricum magni nominis conversus, ab eo quoque discedere coactus est, utpote Musicæ, Astronomiæ, Geometriæ ignarus, quas Pythagorei disciplinas imbibebant animo, ceu viam, quâ ad beatitudinem tendebatur. Placitum ergo Justino, uti Platonico, qui non ita pridem Neapolim Flaviam venerat. Quâ multum delectatus Philosophiâ, utpote quæ in spirituum Idæarumque contemplatione versatur, de Deo cognoscendo spem ceperat. Ad hunc modum affecto, visum est aliquando se collocare in solitudine, & vitare hominum vestigia: *Proinde*, inquit, *locum quendam mari proximum petii, à quo cùm non multum abessem, ut solus ipse agerem, vetulus quidam senex aspectu minimè contemnendus, lenes simul & graves præ se ferens, mores modico me intervallo affectabatur.* Ubi cùm sene Justinus instituit colloquium, ab eo didicit Prophetas actos à Spiritu Sancto, & futura cecinisse, & miracula patrasse, & scripta exarasse, quibus vera sapientia continetur. Quibus addidit bonus ille senex: *At tu votis & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta. Neque enim ab aliquibus ea perspiciuntur, præterquam si cui Deus, & Christus ejus, concesserint intelligentiam.* His dictis, tandem abiit, illumque posteà Justinus non vidit. Confestim verò Justinum amor incessit Scripturas legendi, ex quibus veram hausit Philosophiam. Sic Christi ad disciplinam adductus est. Neque prætereunda verba prioris, ut vocatur, Apologiæ: *Cùm calumniosè audirem Chri-*

Justin. Dial. p. 217.

Justin. Dial. p. 225.

Justin. Apol. 1. p. 50.

ANNO DOM. 139.

Christianos deferri, intrepidè autem ad mortem, & alia quæ terribilia esse censentur omnia, adire conspicerem, cogitavi ipse mecum, fieri haud posse, ut illi in vitiorum pravitate & voluptatum amore viverent. Quis etenim voluptatis consectator, intemperans & humanarum carnium dapes pro bono ducens, mortem libenter complecti queat, ut bonis suis seipsum privet? Quonam verò anno Justinus ad Ecclesiam deductus sit, cùm ipse non dixerit, neque nos dicere valemus. Frustrà quidem nostro judicio sunt, qui ex verbis Epiphanii id extundere conantur, quod Papebrochius tentavit, lineæ unius transpositione: *Sub Romano Consulatu Rustici & Adriani Imperatoris, cùm esset jam annorum* XXX. *in perfecta ætate fidem Christi amplexus est.* Sic verba Epiphanii disponere Papebrochio placuit, in vita Justini ad diem 13. Aprilis, ut anno Dionysiano CXIX. Justinum Christianum faceret. Nobis verò eâ probari licentiâ non potest, quæ mutat quadrata rotundis, ut præjudiciis nostris Autores inserviant. Quâ ratione sic Epiphanium debere transponi docetur?

De priore Justini Apologia.

V. Sic in fidem animatus Justinus, priorem Antonino Apologiam pro Christianis obtulit. Hinc apparet, graviter errasse Epiphanium, qui *Justini* mortem in regnum Adriani contulit. Quam in aberrationem non incidisset, si in titulum Apologiæ præfixum, conjecisset oculos. Eo ipso anno, qui Dionysianus est CXXXIX. Apologiam oblatam esse, ex titulo gravissimum argumentum ducitur: *Imperatori Tito Ælio Hadriano, Antonino Pio Cæsari Augusto, & Verissimo filio Philosopho, & Lucio, Philosophi quidem Cæsaris, naturali filio, Pii autem adoptivo, doctrinæ amatori.* Verissimus ille Marcus est Antoninus, quem Adrianus *facetè Verissimum nominabat.* Hinc nostro judicio accurata est observatio Petavii: *Aurelium quem Verissimum appellat, nondum Cæsarem vocat. Cùm tamen Lucii Veri patrem, qui ab Adriano primùm adoptatus fuerat, eo nomine insigniat.* Quocirca paulò antequam Cæsar appellaretur Aurelius, hanc Justinus Apologiam obtulit. Profectò contemptui non esse non potuisset Apologia, si titulis Marcum non affecisset suis, omissâ quâ decorabatur Cæsaris dignitate. Neque aliquid causæ Justino fuit, cur insigni defunctum titulo potius ornaret, quàm vivum, nisi quia ille dignitatem habuerat, ille necdum habebat. Hoc autem anno, M. Aurelius & Consul designatus, & Cæsaris appellatione donatus est. Itaque post id tempus Apologia differri non potest. Oblata igitur fuit, in eo intervallo temporis, quod anni principium inter & impositionem tituli Cæsaris est interjectum. Unum est quod à Baronio, aliisque eruditis, in nostram Chronologiam objiciatur: *Ne qui verò præter rationem ad eversionem quæ nos edocti sumus, eversionem dicant, ante annos* CL. *nos asseverare Christum sub Cyrenio natum esse.* Jam verò à Christi nativitate, ad usque currentem annum, tot anni numerari non possunt. Itaque anno circiter CLI. vel sequente condita est Apologia. Respondemus tamen nullam Christianis Epocham propriam fuisse, quæ à Servatoris Natalibus peteretur. Itaque numerus ille adhibitus est, ut generatim confusèque significaretur, tempus quo fons principiumque disciplinæ Christianæ, Dominus exortus est. Lucem aspexit Juliano XLI. Augusto XII. & Cornelio Sullâ Coss. Centesimus igitur & quadragesimus tertius in cursu, cùm Antoninus Pius & Brutius Præsens, unà Consulatum obierunt. Quo casu rotundo adhibito numero, CL. annos à Christi Natalibus ponere Justinus potuit. Neque etiam improbabile est, quod sæpenumerò contingit, notas numerales in Justino fuisse corruptas. Etenim qui Epochâ nativitatis Dominicæ, Veteres nonnunquam utebantur, eam à Juliano XLIII. petebant: quâ ratione scriptum Justino, *ante annos* XL. Eruditorum sanè Chronologia, quæ Apologiam anno Christi vel CL. vel CLI. exaratam esse statuit, potentissimâ ratione refellitur. Etenim Marcus Aurelius post susceptam ex Faustina filiam, *Tribunitiâ Potestate donatus est, atque Imperio Proconsulari extra urbem, addito jure quintæ relationis.* Qui honos, cùm anno CXLVII. Marco collatus sit, incredibile prorsus est tantam in Apologia dignitatem à Justino potuisse præteriri, cùm de more in scriptis Cæsaribus oblatis insereretur. Sic Plinius in Historiæ naturalis Præfatione, Titum non semel afficit *Imperatoris* titulo. Quòd si Philosophi vocabulum Marco Justinus imposuit, quantò magis & illustrem Imperatoris titulum ipsi indidisset? Illud etiam objici potest, quod Ælius Verus *Philosophus* appellatur, cùm tamen currente anno octennem ageret, quâ ætate Philosophus esse, vocarique non potuit. Cui solvendæ objectioni respondemus, Philosophi titulum illis addi, qui simplici victu vitam tolerant. Qua de re plurima extant Autorum testimonia. De Marco Capitolinus c. 2. *Philosophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingressus, habitum Philosophiæ assumpsit, & deinceps tolerantiam cùm studeret in pallio & humi cubaret, vix autem matre agente, in strato pellibus lectulo accubaret.* De Heracla Eusebius: *Cùm ipse φιλοσοφ*[illegible]*, philosophicæ vitæ ac districtioris cujusdam disciplinæ documenta plurima præbuisset.* De Origene qui quatuor obolis in dies singulos contentus erat, ille ipse Eusebius: *Hujusmodi disciplinâ & planè philosophicâ vivendi ratione, pluribus deinceps annis uti perseveravit.* De Marco Herodianus l. 1. *Solusque Imperatorum philosophiam non verbis aut decretorum scientiâ, sed gravitate morum, vitæque continentiâ sancivit.* Quidni? Cùm Suidæ Philosophia dicatur ἠθῶν κατόρθωσις, *morum correctio*, dividaturque in theologicam, naturalem, & moralem, quâ nostri mores ornantur; ut illum qui maturè in voluptates pugnat, & à teneris veluti unguiculis, pudicè vitam parcè ac duriter agit, reddat Philosophum. Indigno quidem ipsius eruditione argumento probat Cavius, anno CXL. Justini Apologiam esse conditam; quòd nempe *Edictum Imperatoris Antonini Pii, à Justini Apologia impetratum, tertio Antonini Consulatu factum sit, qui in annum Christi* CXL. *incidit.* Est enim certo certius, hoc edicti non Antonino Pio, sed ab ejus filio M. Aurelio fuisse promulgatum, ut ex titulo palam est: *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus Augustus, Armenicus Pontif. Max. Tribunitiæ Potestatis* XV. *Consul* III. Antonino autem Pio, Marco nomen non erat. Multò minus XV. *Potestas ejus Tribunitia* cum tertio Consulatu conjungebatur: *Adoptatus est* V. *Calend. Martias die, factusque est patri & in imperio Proconsulari & in Tribunitia Potestate collega.* Itaque tertia est, non XV. Potestas Tribunitia, quæ cum tertio Pii Consulatu copulari debet. Etsi libenter fateamur in annos Trib. P. errorem irrepsisse, qua de re suo loco. Denique *Armeniaci* titulo Antoninus non fuit insignitus.

Dio l. 69. 797.

Petav. ad h. XLVI. Animadv. p. 82.

Justin. Apol. 83.

Capit. Marc. c. 6.

Euseb. l. 6. c. 3.

Euseb. l. 4. c. 13.

Capit. Anton. c. 4.

ANNO DOM. 139.

ANNO DOM. 139.

Posterior Apologia Justini prior est vocanda.

VI. Cæterùm Apologia quæ prioris nomen habet, ea posterior existimanda est. Quæ res non poni debet in dubio. Etenim Veteres priorem secundæ quæ hodie dicitur, locum vindicant, quam Pio oblatam tradunt, cùm quæ prior appellatur, oblatam dicant M. Aurelio. Quâ quidem sententiâ aperte liquet posteriorem reverà priorem esse. Secundum Eusebium Hieronymus: *Justinus*, inquit, *pro religione Christi plurimum laboravit, in tantum ut Antonino quoque Pio, & filiis ejus, & Senatui, librum contra Gentes scriptum daret. . . & alium librum successoribus ejusdem Antonini, M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo.* Deinde quæ ex posteriore Apologia memorat Eusebius, de morte sibi à Crescente Cynico impendente, in ea reperiuntur, quæ hodie primo loco ponitur: *Ego etiam expecto ut ab aliquo eorum, qui Philosophi appellantur, insidiis appetar, & in nervum compingar, ab ipso forsitan Crescente, vera Philosophia ignaro.* Erat igitur morti propior, dum hæc scripto mandabat, quàm cùm alteram exaravit Apologiam. Legitur quidem apud Eusebium: *Porro Justinus aliorum quoque, qui paulò ante ipsum martyrio perfuncti erant, in priore Apologetico mentionem facit.* Sed scribendum esse δευτέρᾳ, *secunda*, non προτέρᾳ, *prima*, non dubium facit animum alicujus ipse Eusebius l. 4. c. 12. & apparet etiam ex ipso loco. Etenim Apologeticum, quod paulò antequam Justinus mortem obiret, exaravit, illud sanè posterius est. Is verò liber est, qui Crescentis meminit canis potius quàm Sapientis appellatione dignioris.

Eufeb. l. 4. c. 17.

Epistola ad Commune Asiæ, sitne Pio vindicanda?

VII. Priorem Justini Apologiam à Pio impetrasse rescriptum ad Commune Asiæ de Christianorum Religione, statuit Cavius in Historia literaria. Hoc rescripti Pio Baronius quoque vindicavit anno CLIV. n. 5. Cui Chronologiæ Eusebius præsidio est. Innititur autem Eusebius autoritate, uti putat, Melitonis Sardeosis Episcopi: *Hac quidem ita gesta esse, Melito qui iisdem temporibus floruit, perspicuè testatur in Apologetico illo longè utilissimo, quem ad Imperatorem Verum, pro Religione nostra conscripsit.* Quam Valesius Chronologiam optimè refellit: *Melito*, inquit, *omnia rescripta Pii pro Christianis recenset. Epistolam scilicet ad Larissaos, ad Thessalonicenses, ad omnes Gracos. Quòd si Epistola ad Commune Asia esset Antonini Pii, eam certè non omissurus fuisset Melito, utpote Asianus.* Quin etiam Marco id rescripti assignat Tertullianus, quod Christianorum accusatores subdit supplicio: Marcus *sicut palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjectâ etiam accusatoribus damnatione tetriore.* Illud autem extat in Epistola ad Commune Asiæ. Est igitur non Pio, sed Marco vindicanda, ut suo loco declarabitur.

Eufeb. l. 4. c. 13.

Tert. Apol. c. 5.

ANNO DOM. 140.

ANNO U. C. 893. PER. JUL. 4853. JUL. 185. DOM. 140. ANTONINI a. & 3. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 8. *Indict.* 8. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 4. & 5. *P.* 25. *Apr.*

COSS. *Antoninus Augustus III. & M. Aurelius.*

Bellum Britannicum.

Capit. Anton. c. 5.

I. ANtoninus eâ constantiâ fuit, ut septenis & novenis annis, in Provinciis bonos Præsides detineret. Pacis fuisse amantissimum, negari non potest. Fallitur tamen Victor in Epitome, dum scribit, eum Numæ contulit ætas sua: *Cùm orbem terra, nullo bello per annos viginti tres, autoritate solâ rexerit.* Etenim per Legatos suos plurima bella gessit. Nullius quidem belli movendi, Romanis voluntarius Autor fuit. Brigantibus tamen Britanniæ populis, quòd Genunios populi R. socios, armis lacessiverant, magnam agri partem ademit. Britannos per Lollium Urbicum Legatum vicisse, alio muro cespititio submotis Barbaris ducto, testis quoque Capitolinus. Itaque Fronto, cùm belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret, quamvis ille in ipso urbis palatio residens, gerendi ejus mandasset auspicium, veluti longæ navis gubernaculis præsidentem, totius velificationis & cursus gloriam meruisse testatus est. Quam hoc anno lauream meruisse, innuit apud Mediobarbum Nummus, in quo visuntur quadrigæ triumphales, qui tertio Antonini Consulatu percussus est.

ANNO DOM. 140.

Pauf. l. 8. 481.

Conjuratio Celsi.

II. Fortunæ optimi Principis invidens Celsus, contra eum conjuravit. Quod à Capitolino datum oblivione, ex Faustinæ ad Marcum Aurelium Epistola discimus: *Mater mea Faustina, patrem tuum Pium virum ejusdem in defectione Celsi sic hortata est, ut pietatem primùm circa suos servaret, sic circa alienos.*

Vulcat. Caff. c. 10.

Justini Dialogus.

III. Currente anno, scriptum esse Justini cum Tryphone Dialogum, fit verosimile. Excepit Apologiam, cujus hoc in libro meminit: *Neque enim curam aut rationem aliquam popularium meorum, Samaritanorum dico, habui, scripto Cæsarem compellans, cùm imposturis seduci eos in errorem affirmarem, qui Simoni, gentis sua Mago, parerent.* Bellum quod duce Barchocebâ exortum est, proximum Tryphoni dicitur: *Sum ex circuncisione Hebraus, ex bello proximo profugus, atque in Gracia & Corinthi plurimùm degere solitus.* Quibus extat, nondum exortum esse bellum, quod imperante & Antonino Judæi commovere: *Judaos rebellantes contudit per Prasides atque Legatos.* Itaque si habitâ Chronologiæ ratione, quod optandum, Opera Justini excuderentur, posterior Apologia, quæ immeritò prioris nomen obtinet, Dialogo cùm Tryphone præmitti non deberet, uti censet Elias du Pin. De luculento hoc libro Eusebius: *Composuit etiam*, inquit, *Dialogum adversus Judaos, quem apud Ephesum habuit cum Tryphone, omnium tum temporis Judaorum celeberrimo.* Refert Judæos quosdam in omnes orbis partes emissos esse, qui dicerent, Sectam impiorum Christianorum exortam esse, quam contumeliis omnibus afficerent. Testatur & in eo libro, Prophetiæ dona adhùc in Ecclesia viguisse.

Justin. Dial. 349.

Justin. Dial. 217.

Capit. Anton. c. 5.

Eufeb. l. 4. c. 18.

Telesphorus.

IV. Sixtum Ecclesiæ Rom. Episcopum, octavo Idus Aprilis martyrio fuisse coronatum tradit Annalium parens. Ex qua Chronologia, Telesphorus hoc etiam anno Pontifex creatus esse dicitur. Natione Græcum vitâque Anachoretam fuisse prædicant: quasi verò tum temporis floruissent Anachoretæ. Cæterùm multò prius sedit Telesphorus, quàm à Baronio sedisse dicitur. Pontificatum ejus cum anno Christi CXXVIII. copulat Eusebius in Chronico. Et in Historia: *Porro*, inquit, *annum imperii sui duodecimum agente Adriano, cùm Xystus Episcopatum urbis Roma decem annis obtinuisset, septimus ab Apostolis Telesphorus, in ejus locum successit.* Catalogus Bucherianus annos ejus numerat *à Consulatu Titiani & Gallicani usque Cæsare & Balbino*, hoc est, ab anno Christi CXXVII. ad usque CXXXVII. Quâ Chronologiâ, Telesphoro superstes Adrianus fuit. Ab anno CXI. ad CXXII. Episcopatum tenuisse affirmat clarissimus Pearson, à cujus senten-

Eufeb. l. 4. c. 5.

ANNO DOM. 140.

sententiâ anno uno dissidet Dodwellus. Nobis quidem persuasum, Telesphorum non modò, sed Hyginum quoque ad plures abiisse, imperante Adriano. De eorum verò annis sigillatim scribere non audemus, deficientibus Veterum monumentis. Telesphorum vitam reliquisse martyrio testatur Irenæus. Ab Sixto *Telesphorus qui etiam gloriosissimum martyrium fecit.* Quod & scriptum reliquit Eusebius l. 4. c. 10. Ejus quoque martyrium celebrat Autor carminis apud Tertullianum:

Iren. l. 3. c. 3.

Post expleta sui qui lustri tempora tradit,
Telesphore excellens hic erat Martyrque fidelis.

Tertul. Carm. l. 3. cont. Marc.

Porrò jam sedebat Hyginus, cùm Valentinus Romam petiit. Hoc disertè legitur in Irenæo: *Valentinus enim Romam venit sub Hygino.* Quin etiam Cerdon Magister Marcionis, migravit & in urbem, Ecclesiam Romanam administrante Hygino. Cum igitur florerent & Valentiniani, & Marcionitæ, Apologiam suam scribente Justino, anno Dionysiano CXXXIX. diu satis ante Adriani obitum, pro fide Telesphorus vitam cum morte commutaverat. Qua de re verba eruditissimi Cestriensis Episcopi referre juvat: *Non immeritò queri videor, Telesphorum tam insignem Martyrem, nullum ab ea Ecclesia cui præfuit, honorem obtinuisse ante Pontificatum Clementis VIII. qui primus omnium Romanos B. Telesphori annuâ solemnitate lætificare conatus est, insertâ Breviario commemoratione hujus Martyris ad Vigiliam Epiphaniæ.* Fallitur tamen vir ille magnus. Quippe in veteri Martyrologio, quod edidit Rosuedus, expressa est mentio Telesphori, quinto Januarii, *Romæ Sancti Telesphori Papæ, & Martyris.*

Iren. l. 3. c. 4.

Pearson Dissert. 2. c. 8. 244.

V. In maxima Conciliorum collectione, invenitur Synodus Romana Telesphori, ex Synodico: *Synodus sancta & divina Provincialis Romæ, duodecim Episcoporum, à Telesphoro Sancto Martyre, ejusdemque urbis Papa, collecta contra Theodotum coriarium Byzantium, discipulum illorum, qui cum sapientiâ plurimum præstaret, sed in persecutione sacrificasset, Christumque negasset, atque id a fidelibus ipsi exprobaretur, neque ipse hoc probrum ferret, dicere ausus fuit impius ille, Ego Deum non negavi, sed nudum hominem.* Non ea tamen Synodus nos falsos habet. Etenim defuncto Telesphoro, exortus est impius ille Theodotus. De Artemonis discipulis, verba sunt Eusebii: *Quomodo eos non pudet hujusmodi calumniam adversus Victorem concinnare, cùm certò sciant Theodotum coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis, parens & autor fuit, primusque Christum nudum esse hominem asseruit, per Victorem à communione Ecclesiæ ejectum fuisse.* Præterea phrasis hæc, ὁ ταύτης Πάπας, *urbis Papa*, secundi non est seculi, quo Papæ titulus nondum Romanis Episcopis proprius erat. Concedi tamen facillimè potest, à Victore duodecim Episcoporum Synodum coactum esse, in qua Theodotus communione motus est, etsi Synodicum, ex quo verba laudata desumuntur, diu post Victorem conditum sit.

Nulla Synodus à Telesphoro contra Theodotum congregata.

Concil. t. 1. 563.

Euseb. l. 5. c. 28.

VI. Telesphori nomine circumfertur Epistola, quæ quatuor capita complectitur. 1°. Ut septem hebdomadas ante Pascha, Clerici à carne jejunent, nec admittant Laicos in accusationibus suis. 2°. De celebratione Missarum, & hymno Angelico recitando. 3°. De Episcopis honorandis, & non detrahendis. 4°. De accusatoribus non recipiendis. Epistolam subditam esse illi fatentur, quibus veritas cordi est: *Data est decimo quinto Calendas Martii, Antonino & Marco viris clarissimis Coss.* Quæ subscriptio aut fictos Coss. aut Antoninum Pium Augustum, ejusque filium Marcum Aurelium exhibet, qui amplissimum munus anno CXL. gesserunt. Quo tempore Telesphorus *ad omnes universaliter Christi fideles*, scribere non potuit, utpote qui diu ante mortem obierit. Capitis IV. verba hæc, *Decet enim in talibus causis hoc maximè provideri, ut sine strepitu concertationum & caritas custodiatur, & veritas defendatur*, sunt ex octava Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum Epistola, absque ulla mutatione desumpta. Initium Epistolæ ipsissima verba sunt Damasi ad Episcopos Illyrici, ex versione Epiphanii Scholastici: Ut *septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha, omnes Clerici à carne jejunarent*, nondum obtinuerat Ecclesiæ disciplina, temporibus Telesphori. Ejusmodi farinæ est, *quòd nocte sanctâ, nativitatis Domini Salvatoris, missas celebrari, & hymnum Angelicum in eis solemniter* cani præcipit: quasi imperante Adriano, cujus ætate sedebat Telesphorus, aut Natale festum institutum fuisset, aut in celebratione Eucharistiæ hymnus Evangelicus caneretur.

Epistola Thelesphori subdita.

ANNO DOM. 140.

ANNO U. C. 894. OLYMP. 230. PER. JUL. 4854. JUL. 186. DOM. 141. ANTONINI 3. & 4. *Sol.* 10. B. *Lun.* 9. *Indict.* 9. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 6. P. 16. *Apr.*

ANNO DOM. 141.

COSS. *M. Peducao Sylega Priscinus & T. Hænius Severus.*

I. MOrte suâ Faustina Augusta uxor Antonini, annum præsentem insignivit: *Tertio anno imperii sui Faustinam perdidit, quæ a Senatu consecrata est, delatis Circensibus, atque Templo, & Flaminicis, & statuis aureis, atque argenteis, cùm etiam ipse hoc concesserit, ut imago ejus, cunctis Circensibus poneretur.* Imperium Antonini incepit decimo Julii anni CXXXVIII. qui Adriano fatalis fuit. Tertius igitur annus labebatur ad usque nonum Julii præsentis anni. Quæ si observata Baronio fuissent, Capitolini autoritatem non usurpasset, ad probandum anno præterito Faustinam extremum diem morte confecisse. Eruditissimus enim Mabillonius inscriptionem exhibet ejusmodi: *Diva Faustina Augusta Imp. Cæsaris T. Ælii Hadriani Antonini Aug. Pii Pontif. Max. Trib. Pot. IIII. Cons. III. P. P.* Quarta verò Tribunitia Antonini Potestas incepit XXV. Februarii, quo mense Faustina ad plures abiit. De Faustina multa dicta sunt ob nimiam libertatem, & vivendi facilitatem, quæ Antoninus cum animi dolore compressit. Puellas alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit.

Mors Faustinæ Augustæ.

Capit. Anton. c. 6.

Mabil. Analec. t. 4. p. 500.

Capit. c. 8.

II. Ab Antonino, Sibyllinorum carminum lectionem esse vetitam, appositâ pœnâ mortis legimus in Annalibus. Quam in rem affertur à Baronio Justini testimonium. Negamus tamen hoc decreti à sancto Martyre ascribi Antonino. Hoc narrat Justinus, instinctu Dæmonum, supplicium mortis adversus librorum Hydaspis, aut Sibyllæ lectores fuisse constitutum, ut terrore, ab ejusmodi libris evolvendis, revocarentur. A quo verò promulgata sit ea præscriptio, non dicit Justinus. Legem sanè Antonini indicasse aliquam non potuit, anno præsente promulgatam, cùm ei antecesserit Apologia. Ad illud igitur collimavit Justinus, quod ab Augusto factum fuisse tenemus. Quod privatim carmina Sibyllina habere non liceret, *Quod à majoribus decretum erat.*

Vetuitne Antoninus libros legi Sibyllinos?

Baron. An. 143. n. 1.

Justin. Apol. 1. 82.

Tacit. l. 6.

Et

Et Duumvir Atilius culeo insutus in mare projectus fuerat, quod Sibyllæ librum à Sabino describi permisisset. Equidem quod affirmat Baronius, *occasione Sibyllinorum carminum complures ad Religionem Christianam confluxisse*, quibus testibus persuaderi possit, nulli comperimus. Ex Scripturis Dei se notitiam hausisse, Justinus ipse profitetur, non ex oraculis Sibyllinis. Quantâ curâ atque diligentiâ libri Sibyllini custodirentur, ne in vulgus emanarent, cantatur lippis atque tonsoribus, ut incredibile sit, plures in eorum carminum lectione fuisse versatos.

Victoriæ Antonini.

Pausan. l. 8. 485.

III. Multa per Legatos Antoninus præclara gerebat: *Mauros Libyum suis legibus viventium partem maximam vagos & errantes, Scythicis gentibus eò minus expugnabiles, quòd non plaustris, sed equis cum uxoribus invecti erant, eos ille cum priores bellum movissent, finibus pulsos suis, in ultimas Africæ solitudines, ad Atlantem montem ejusque montis accolas, populos expulit.* In Achaia atque in Ægypto rebelliones repressit. Alanos molientes sæpè refrenavit. Quantum ipsâ conjecturâ consequi possumus, hæc anno currente gesta, quia in saxi Melphensis inscriptione, anno Dom. 142. adornata, Antoninus dicitur Imperator II.

Capit. c. 5.

De Philumene.

IV. Ex schola Marcionis multæ sectæ prodierunt: unius autem caput fuit Apelles. A virgine quadam Dæmoniaca, nomine Philumene, in errorem inducitur. Neque videtur dubitandum, illam ipsam Philumenem esse, quam errante memoria Severo ascribit Augustinus, indicioque est, quòd in Apellitarum hæresi nullius meminerit Philumenes, quæ Apellis impietatis fons fuit atque principium. Accommodetur ergo Apelli, quæ Severo vindicat Augustinus: *Hic prætereà Philumenam quandam puellam dicebat inspiratam divinitùs ad prænuntianda futura, ad quam somnia, atque æstus animi referens, divinationibus seu præsagiis ejus, secretim erat solitus præmoneri, eodem phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens, Christum se aliquando, aliquando esse asserebat Paulum, à quo phantasmate sciscitans, ea solebat respondere, quæ se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum quòd in angustissimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis levare soleret illæsum, eoque solo, quasi divinitus sibi cibo dato fuisset contenta.*

August. de hær. c. 24.

Apelles Hæreticus.

Tertul. de Præscr. c. 30.

V. Porro Apelles non artibus modò, sed formâ quoque Philumenes deceptus esse dicitur, uti narrat Tertullianus: *Si Apellis stemma retractandum est, tam non vetus & ipse, quam Marcion institutor & præformator ejus. Sed lapsus in fœminam, desertor continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi Magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum quo jam non Marcionites, in alteram feminam impegit, illam virginem Philumenem, quam supra edidimus, postea verò immane prostibulum & ipsam, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit phaneroses scripsit.* Non pugnant igitur quòd Apelles, & à Marcione, & à Philumene deceptus fuerit, cùm falsæ virginis præstigiis inductus, novam & hæresim induxerit. In eo dissentiebat à Doctore suo, quòd unum fateretur esse principium. Ab impuro sene flagitavit Rhodon: *Unde hæc tibi demonstratio, aut quâ ratione affirmare potes, unum esse principium. Quâ ratione unicum esset principium se quidem nescire profitebatur, sed tamen moveri atque impelli ut ita sentiret. Post hæc cùm jurejurando adegissem, ut ex animi sui sententia loqueretur, juravit se verum dicere, nec se omninò scire quâ ratione unus esset ingenitus Deus, se tamen ita credere. His auditis, ego hominem deridens, reprehendi, qui cum se Doctorem profiteretur, doctrinam suam rationibus confirmare non posset.* Quod observandum adversus eos qui se credere dicunt, quia *volunt credere*. Quo quid absurdius Rhodone Judice?

Euseb. l. 5. c. 13.

Apellis doctrina.

VI. Apellis doctrina hæc erat. Qui à principio bonus est Deus, alium produxit Deum minimè bonum, à quo mundus est conditus. Christum boni Dei filium, nec ex virili semine, nec ex Virgine corpus sibi ascivisse, sed veram carnem ex quatuor elementis sibi comparasse. Negabat corporum resurrectionem. De mortalium animis miram sane opinionem fovebat, teste Tertulliano de Anima l. 23. *Apelles sollicitatas refert animas terrenis escis de super cælestibus sedibus ab igneo Angelo Deo Israelis, & nostro, qui exinde illis peccatricem circumfinxerit carnem.* De Scripturæ Canone multum errabat: *Solo utitur & Apostolo, sed Marcionis; id est, non toto.* Prophetarum oracula ex adversario spiritu profecta esse statuebat. Librum a se compositum, Philumenes prophetiam appellavit. Asserebat etiam non esse omninò examinandam fidem; sed unum quemque in eo quod semel imbibisset, perstare oportere. Eos qui in crucifixo spem suam collocassent servandos affirmabat, dummodò in bonis operibus deprehenderentur. De Apelle tamen diversa quadam ab illis, quæ tradit Eusebius, Tertullianus profert: *Apelles creatorem Angelum nescio quem gloriosum superioris Dei, faceret Deum legis & Israelis, illum igneum affirmans.* Apellitarum mentionem fecit Pacianus primâ ad Sempronianum Epistolâ. Sapienter tamen monet Petavius, corruptam fuisse vocem: *Ego forte ingressus populosam urbem hodie cùm Marcionitas, cum Apollinariacos*, &c. legendum *Apelleianos*.

Tertul. de Præscr. c. 51.

Euseb. l. 5. c. 13. Epiph. h. 44.

Tertul. de Præscr. c. 34.

Phlegon: ejus scripta.

VII. Sub ea quoque tempora floruit Phlegon, cujus verba de ingenti terræ motu, quo Bithynia, imperante Tiberio, concussa est, Eclipsique Solis, *Quâ dies horâ sextâ in tenebrosam noctem versus, & stellæ in Cælo visæ sunt*, tenebris patiente Christo factis, à Patribus accommodantur. De Domino etiam mentionem egit, si fides Origeni: *Phlegon certè in XIII. aut ni fallor, in XIV. Chronicorum suorum volumine, fatetur ingenuè Christum præscivisse futura, confundens Petrum cum Jesu.* Trallianus erat Phlegon, non Octavii Augusti, ut perperàm tradit Suidas, sed Adriani Imperatoris libertus. Multa scripsit, quorum Suidas meminit: *Scripsit Olympiadas libris XVI. Continent autem res ubique gestas usque ad Olymp.* CCXXIX. *Easdem etiam octo Libris exposuit: Descriptionem Siciliæ: De Longævis & admirabilibus: De Romanorum festis Libros tres: De Roma locis & nominibus, unde sunt denominata, Epitomen Olympionicorum, Libros duos, & alia.* Chronicorum opus inscripsit Alcibiadi cuidam, qui unus è corporis custodibus Adriani fuit. Anno vel elapso vel labente, Olympiades suas absolvit. De eo Scriptore, cujus libros quinque Photius legerat, magni critici censura hæc est: *Autoris stilus, neque omninò humi serpit, neque Atticum usquequaque Characterem servat, alioquin illa nimis ἀκαιρίχ@, intempestiva importunaque diligentia in Olympiadibus recensendis, singulorumque certa-*

Orig. in Cels. l. 2. 69.

Suid. t. 2. 1071.

Phot. c. 97. p. 267.

ANNO DOM. 141.

certaminum nominibus & rebus gestis, atque ipsis etiam oraculis referendis, non tædium modò Lectori affert, dum per eam reliqua omnia in hoc libro obteguntur, neque apparere sinuntur, verùm etiam injucundum propemodum reddit sermonem, quique gratia nihil habere judicetur. Et vero omnis generis Deorum responsa, sine modo inculcat. De Phlegontis lucubrationibus Spartiani observatio non est prætereunda: *Fama celebris Adrianus tam cupidus fuit, ut libros scriptos à se, libertis suis literatis dederit, jubens ut eos suis nominibus publicarent. Nam Phlegontis libri, Adriani esse dicuntur.* Ex tot libris quos Phlegon ediderat, soli supersunt de Mirabilibus, de Longævis, fragmentaque nonnulla à Meursio illustrata.

Spart. Adr. c. 16.

ANNO DOM. 142.

ANNO U. C. 895. PER. JUL. 4855. JUL. 187. DOM. 142. ANTONINI 4. & 5. *Sol.* 11. *A. Lun.* 10. *Indict.* 10. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 7. *P.* 2. *Apr.*

COSS. *Cuspius Rufinus, & L. Statius Quadratus.*

Antonini virtutes.

I. QUi sunt assecuti supremum imperii gradum, sæpenumerò magnitudinem fortunæ suæ peccandi licentiâ metiuntur. Augusti tamen dignitas Pii non mutavit animum: *Victus talis fuit, ut esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, & mensa ejus per proprios servos, proprios aucupes, piscatores & venatores instrueretur. Balneum quo usus fuisset, sine mercede populo exhibuit, nec omninò quidquam de vitæ privatæ qualitate mutavit. Salaria multis subtraxit, quos otiosos videbat accipere, dicens, Nihil esse sordidius, imò crudelius, quam si Rempublicam arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Unde etiam Mesomedi Lyrico salarium imminuit.*

Capit. c. 7.

Puteolanum Iselasticum in honorem Adriani.

II. Adriani memoria in gravissimis imperii curis Antonino jucunda fuit. Quinquennale certamen constituit, & flamines, & sodales, & multa alia, quæ ad honorem quasi Numinis pertinerent. Puteolis Iselastica hæc celebrabantur. Vocata sunt εὐσέβεια, *Pialia.* Quod non immeritò admirationem efficit, cùm id certaminis nomen ab eo potius debuisset accipere, cujus honori dicabatur, & Ἀδριάνεια dici, quomodo quinquennalis agon in honorem Augusti institutus Neapoli, Σεβαστὰ appellatus. Sic certamen in gloriam Antinoi, jubente Adriano celebratum, Ἀντινόεια nomen accepit. Inscriptio saxi Melphensis ab eruditis prolata, ostendit *Pialia* hoc anno fuisse instituta:

Imp. Cæsari. Divi. Hadriani Fil. Divi Trajani. Parthici. Nepoti Divi Nervæ Pronep. T. Ælio Hadriano. Antonino. Aug. Pio Pontif. Max. Trib. Pot. V. Imp. II. Cos. III. P. P. Constitutori sacri certaminis. Selastici Socii. lictorr. Populares. Denunciatores. Puteolani.

Tribunitia Potestas Antonini quinta, incepit Februarii XXV. Qui in Iselasticis vicerant, præter honorem solemnis ingressus, perpetuum vectigal è publico percipiebant. Hieronicis solemne fuit, albis equis suam ingredi civitatem, disjectâ muri parte. De Nerone Suetonius: *Reversus è Græcia Neapolim, quòd in ea primùm artem protulerat, albis equis introiit disjectâ parte muri, ut mos Hieronicarum est.* Cujus consuetudinis rationem reddit Plutarchus: *Quòd triumphantibus permittitur ut muri partem demoliantur, hunc habet sensum, urbi murorum non esse magnum usum viris prædita, pugnandi vincendique gnaris. Lacedemone is qui coronarium certamen vicisset, eximium in acie locum habebat, ut propè Regem stans pugnaret.* Autor libri secundi carminum Sibyllinorum Iselasticorum meminit:

Suet. l. 6. c. 24.

Plutarch. Sympos. l. 2. Q. 5. 639.

Μέγας γὰρ ἀγὼν ἰσελαστικὸς ἔσαι.

Quo vel uno argumento Oraculis ejusmodi fides detrahitur. Etenim Iselastico longè posteriora sunt temporibus quæ Sibyllis ascribuntur. Fallitur tamen nostro judicio vir eruditus, qui in Præfatione sua ad libros Sibyllinos censet, Plinii tempore Iselastica primùm à Trajano instituta fuisse. Iselastica fuere Olympia, Nemea, Pythio, Isthmia: *Nobilibus enim Athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, ut non modò in conventu stantes cum palma & corona ferant laudes, sed etiam cùm revertantur in suas civitates, cum victoria triumphantes, quadrigis in mœnia & in Patriam invehantur, è reque publica perpetua vita constituta vectigalibus fruantur.*

Legatur Vitruvius l. 9.

III. Imperium & Antonini illustravit Epictetus, *Stoicorum maximus, ex Hierapoli urbe Phrygiæ Philosophus; servus autem Epaphroditi, unius de satellitibus Neronis; ob defluxionem autem altero crure mutilatus, in nova Epiri urbe Nicopoli habitavit. Et vitâ productâ usque ad M. Antoninum, multa scripsit.* Longævum sane fuisse, eò liquet, quod teste Gellio, vitam etiamnum retinebat post Consulatum Herodis Attici, qui annum Christi CXLIII. operuit: *Herodes Atticus vir & Græcâ facundiâ, & Consulari honore præditus . . . . jussit proferri dissertationum Epicteti digestarum ab Arriano primum librum, in quo ille venerandus senex, juvenes qui se Stoicos appellabant, neque frugi, neque proba opera, sed theorematibus tantùm nugalibus, & puerilium isagogarum commentationibus delatrantes, objurgatione justâ incessuit.* Ea verbis *venerandus senex*, liquet nondum mortem obiisse Epictetum, ut nil rationis sit, cur negemus ad M. Aurelium usque produxisse vitam. Epicteti constantiam Christi virtutibus impius ille Celsus anteposuit: Epicteti *herus, cùm ei tibiam intorsisset, subridens & planè interritus, Perfringes, inquit. At illo frangente, Nonne prædixeram, ait, te hanc perfracturum.* Eâ tempestate, quâ imperante Domitiano, Philosophi Senatusconsulto urbe & Italiâ interdicti sunt, Epictetus Nicopolim Româ discesserat. Epicteti *etiam de se scripti duo versus leguntur, ex quibus latenter intelligas, non omnes modò Diis exosos esse, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur; sed esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit pervenire curiositas:*

Epictetus Philosophus.

Suidas t. 1. 996.

Gell. l. 1. c. 2.

Orig. in Cels. l. 7.

Gell. l. 2. c. 18.

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Quæ & Gellii, & Epicteti verba notatu sanè dignissima, præterire non potuimus, utpote disciplinæ Christianæ consentanea: sæpe numerò nemo Deo jucundior, nemo illo charior, qui instar Epicteti, & servus & mutilatus membris est, & paupertate ipsum Irum superat. Multa scripsit Epictetus, quorum nos una ex naufragio tabula delectat Enchiridium ejus.

IV. Numeroso fœcundo partu fuit Marcionis hæresis, quâ præter Apellem procreati sunt homines, qui ob impietatem in celebritate omniumque famâ versantur. De quibus Eusebius:

Hæretici multi ex Schola Marcionis Syneros, Lucanus.

Anno Dom. 142.

Euseb. l. 5. c. 13.

Alii verò perinde ac Marcion ipse, duo inducunt principia: inter quos est Potitus & Basilicus. Hi ergo Ponticum illum lupum secuti, cum divisionem rerum atque ac ille reperire non possent, ad temeritatem deflexerunt, & duo rerum Principia nude & absque ulla demonstratione pronuntiarunt. Alii rursus ab his tanquam tempestate in pejus abrepti, non duas solùm, sed tres naturas posuerunt, quorum ut disciplina illius sectatores memorant, Princeps & antesignanus Syneros. His Preponem Pithonemque adjungit Theodoritus, cujus verba sunt afferenda, ut Baronius eximatur errori:

Theodor. h. Fab. l. 1.

Illi autem omnes occasionem acceperunt ex blasphemia Marcionis. Plurimi adversus hanc impietatem scripsere. Justinus enim Philosophus, & Martyr, & Theophilus Antiochenus Episcopus, & Philippus Gortina Episcopus, & Irenæus, cujus antè meminimus, Lugdunensis Episcopus, & Modestus, & Origenes, & Rhodon, & Adamantius, & Hippolytus, & Emesenus Eusebius, ii omnes optimè & doctissimè hanc blasphemiæ rabiem confutarunt.

Error Bar. Bar. an. 154. n. 9.

Baronius hic aliud agens, testem adducit Theodoritum, qui dicat, hos Autores *Valentini oppugnasse hæresim.* Certo tamen certius est de Marcionitis, non *Valentinianis*, hæc scripsisse Theodoritum. Alius Marcioni discipulus fuit, de quo legitur in Appendice Tertulliani:

Tert. de Præscr. c. 52.

Extitit post hunc Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus. Et hic per eadem vadens blasphemiæ genera, eadem docuit quæ Marcion & Cerdon docuerant. De resurrectione verò ejusmodi opinionis fuit, neque corpus, neque animum, sed tertium aliquid ex utroque conflatum, Cœlo donandum esse. Hinc scriptum Tertulliano Libro de Resurrectione carnis c. 2. *Animæ salutem omnes ferè Hæretici quoquomodo volunt, tamen non negant. Viderit unus aliquis Lucanus, nec huic quidem substantiæ parcens, quam secundum Aristotelem dissolvens, aliud quid pro ea subjicit, tertium quiddam resurrecturus, neque anima, neque caro; id est, non homo, sed ursus forsitan qua Lucanus.* Porrò Lucanus Philastrio Epiphanioque Lucianus vocatur.

Anno Dom. 143.

ANNO U. C. 896. PER. JUL. 4856. JUL. 188. DOM. 143. ANTONINI 5. & 6. *Sol.* 12. G. *Lun.* 11. *Indict.* 11, *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 1. P. 22. *Apr.*

COSS. *Bellicius Torquatus, & Ti. Claudius Atticus Herodes.*

De hujus anni Coss.

I. EXtat in Farnesianis ædibus inscriptio, quæ perturbandis Fastis ansam præbuit. Græca est, sed eam Latinè vestit Gruterus p. 316. *Bonum factum. Imperator Cæsar Divi Hadriani filius, Divi Trajani Parthici nepos, Divi Nervæ pronepos, T. Ælius Hadrianus Augustus, Pontifex Max. Tribunitia Potestatis III. Imperator Consul III. Pater Patriæ, conventui Palæstricæ, qui sunt circa Herculem Athletis, sacris victoribus coronatis, salutem. Jussi vobis demonstrari locum, in quo & sacra deponatis, & tabulas prope ipsas thermas, quæ à Divo avo meo extructæ sunt, ubi etiam maximè in ludis Capitolinis convenitis, feliciter valete. Supplicavit Ulpius Domesticus in Balneis meis. Scripta ante XVII. K. Junii Romæ. Torquato & Herode Coss.* Cùm autem tertia Antonini Tribunitia Potestas, in annum 139. incidat, huic quoque anno Bellicii & Attici Herodis Consulatus esset affigendus. Sed non ita est, repugnantibus non modò Fastis, sed etiam ipsâ inscriptione. Quippe anno Christi CXL. Maii XVI. quarta Antonini Tribunitia Potestas erat in cursu, utpote Februarii XXI. inchoata. Itaque Clarissimus observavit Norisius, Græca habere Δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ ς. *Tribunitiæ potestatis VI.* Præsentem igitur annum aperuere Bellicius atque Herodes.

Anno Dom. 143.

Atticus Herodes.

II. Quam eloquentiâ suâ famam collegit, hujus anni Consul Herodes Atticus, ea de percelebri viro aliquid commemorare jubet. Verba hæc sunt Gellii:

Gell. l. 19. c. 12.

Herodem Atticum, Consularem virum, Athenis disserentem audivi Græcâ oratione: in qua ferè omnes memoriæ nostræ viros, gravitate atque copiâ, & elegantiâ vocum, longè præstitit. Disseruit autem contra ἀπάθειαν Stoicorum. Itaque doctor datus est M. Antonino, & Vero: Marcus,

Capitol. Marc. c. 2.

Oratoribus usus est Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico. Missus & ad Herodem fuerat Verus, qui non doctorem tantùm, sed & hospitem eum habuit, Qui ex familiaritate, & hospitii jure, in suspicionem venit apud Marcum, quasi particeps insidiarum à Vero sibi paratarum. Tanta verò cum Marco Herodi familiaritas fuit, ut tres tabellarii, unâ eâdemque die, ad hunc ab illo accederent. Ut periculum faceret, an infensus sibi Marcus esset; quòd in ipsum invectus esset, agentem in Prætorio, misit Epistolam, quæ non defensionem, sed expostulationem continebat. Mirari se ajebat, quamobrem ad se non amplius literas mitteret. Imperator autem mirificâ indole literis admixtâ, ad Herodem rescripsit. Atheniensem fuisse multa testantur:

Philostr. l. 2. de vit. Soph. 561.

Suidas t. 1. 1202.

Herodes Julius, ita cognomento vocatus, filius Attici, Plutarchi nepos, genere Æacides, Atheniensis ex municipio Marathonio, Sophista. Villæ ejus meminit Gellius amœnissimæ:

Gell. l. 1. c. 2.

Atque ibi cùm essemus apud eum, in villa, cui nomen est Cephisia. Divitiis tam propriis, quàm paternis abundabat. Si Suidam audimus, *Stadium Atheniensibus condidit, & theatrum tecto munitum.* Ejus est inscriptio, quæ ante aliquot annos effossa tribus ab orbe milliaribus, quâ fundi, Triopii, & ædiculæ Minervæ & Adrasteæ dedicatio continetur, observante Salmasio:

Τιμᾶ γὰρ Ἡρώδης ἱερὸν τὸν χῶρον ἔθηκε.

Vixit Trajani, Adriani, & Marci Antonini Imperatorum temporibus, eruditus à Phavorino & Polemone. Obiit circiter LXXVI. ætatis anno, tabe confectus:

Suid.

Scripsit Ephemerides, librum valde doctum & eruditum, & Epistolas & orationes ex tempore habitas, quarum meminit Philostratus in Sophistarum vitis. Circumferuntur autem & alia plurima scripta, in quibus magnitudo ingenii, & celsitudo mentis, & summum acumen hujus viri spectatur. De Herode qui plura nosse cupit, adeat Philostratum, libro secundo de vitis Sophistarum. Id unum memorabimus. Insectabatur Herodem Peregrinus, ad quem conversus Herodes:

Philostr. p. 562.

Esto, inquit, *maledictis certas, ad quid verò ita maledicis? Urgente verò convitiis Proteo, Consenuimus*, inquit, *tu quidem mihi obtrectando, ego verò audiendo.*

Judæis circumcisionem permittit Antoninus.

III. Immemores cladis suæ, quam Duce Barcocheba passi fuerant Judæi, imperante & Antonino movere seditionem: *Quos contudit per Præsides, & Legatos.* Quo tempore hæc gesta sint, etsi nos nescire profiteamur, in hunc tamen annum referre placuit, ne casus adeò memorabilis, nostro in historia desideretur. Hadriani

ANNO DOM. 143.

driani legibus, quibus vetita marium eviratio, etiam circuncisioni fibula videbatur esse imposita. Eòque magis, quò I cum suo Barcocheba rebellionem fecerant. Quod cùm non ferrent, ad arma confugerunt. Contemplatione pacis, concessa ipsis ab Antonino fuit filios suos circuncidendi facultas. Quod ex Modestino observatum Casaubono: *Circumsidere filios suos Judais tantum rescripto Divi Pii permittitur, in non ejusdem Religionis, qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur.* Cives verò Romani, qui se Judaico ritu, vel servos circumcidi suos patiebantur, bonis ademptis, in Insulam perpetuò relegabantur. Medici capite puniebantur. Judæi si alienæ religionis servos circuncidebant, aut deportabantur, aut capite puniebantur. Hinc Origenes contra Celsum libro 2. *Sed dicet aliquis, etiam Samaritas persecutionem pati, propter suam Religionem. Et respondebimus, Sicarios propter circumcisionem occidi, quòd seipsos mutilent contra præscripta legum, quæ solis Judæis id permittunt.* In annum Christi CXXXIX. eam Judæorum seditionem conferre Baronio placuit. Quæ Chronologia non est accurata. Bellum quippe à Barcocheba gestum, proximum à Justino appellatur in Apologia: Ἐν τῷ νῦν, *proximo namque Judaico bello, Barcochebas defectionis Judæorum Dux, & Princeps, solos Christianos ad gravia supplicia nisi Christum abnegarent, & maledictis incesserent, protrahere jussit.* Nondum igitur exortus Judæorum ille tumultus, quem compressit Antoninus.

Modest. l. 6. Reg. ad Legem Cornell. de Sicariis.

Justin. Apol. 2. 72.

ANNO DOM. 144.

ANNO U. C. 897. PER. JUL. 4857. JUL. 183. DOM. 144. ANTONINI 6. & 7. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 12. *Indict.* 12. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 6. *Apr.*

COSS. *Lollius Avitus, & Claudius Maximus.*

Aviti & Maximi eruditio.

Capit. Marc. c. 3.

I. CLaudius ille Maximus M. Aurelio Philosophiæ doctor fuerat: *Audivit & Sextum Chæronensem Plutarchi nepotem, Junium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam, Stoicos.* Claudius is est Maximus, apud quem de Magis, cujus postulabatur Apuleius, orationem habuit. Proconsulem egit Africæ, in quo munere Collegæ Lollio successit Avito, teste Apulei Apologiâ. De Pontiano: *Itaque*, inquit, *acceptis literis, Carthaginem petiit, ubi jam propè exacto Consulatus sui munere, Lollianus Avitus te, Maxime, opperiebatur.* Lollium Avitum ob eruditionem maximi faciebat Apuleius: *Rescripsit mihi per eum; Quas literas, Dii boni! Quâ doctrinâ, quo lepore, quâ verborum amœnitate simul & jucunditate.*

Apul. Apol. p. 333.

Nuptiæ M. Aurelii cum Faustina Faustinæ mores.

Capit. Marc. c. 6.

II. Hoc anno, Marci cum Faustina Antonini filia celebratas esse nuptias, existimare licet. Contractæ sunt quidem primum inter & secundum Marci Consulatum: Pius *Marcum Consulem secum designavit, per eadem tempora, cùm tantis honoribus occuparetur, & cùm formandus ad regendum statum Reipublicæ Patris actibus interesset, studia cupidissime frequentavit. Post hac Faustinam duxit uxorem.* Quas usque ad donarivum militum celeberrimas fecit. Patrimonium Pius privatum in filiam contulit, sed fructus Reipublicæ donavit. Paternæ verò probitatis degener Faustina fuit. Constat enim apud Cajetam, conditiones sibi & nauticas, & gladiatorias elegisse, de qua cùm diceretur Antonino Marco, ut repudiaret, si non occideret,

Capit. Ant. c. 7.

ANNO DOM. 144.

dixisse fertur, *Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem*; dos autem erat imperium quod à socero acceperat. Multi quidem ferunt, ex adulterio natum esse Commodum, etsi nobis quidem non probetur fabula, cujus meminit Capitolinus: *Quòd cùm gladiatores transire vidisset, unius ex his amore succensam, cùm longâ ægritudine laboraret, viro de amore confessam.* Tantæ benignitatis Marcus fuit, ut de amatis ab uxore Pantomimis sermonem per Epistolas purgaverit.

Capit. Marc. c. 23.

Arrianus.

III. Arriani Philosophi fama de se silentium agi non patitur. Ex Bithyniæ urbe Nicomedia ortus, in eaque literis imbutus Cereris, ejusque filiæ Proserpinæ, quibus sacra erat, sacerdotium gesserat, teste Photio: *In Epicteti familiaribus, Adriani & Antonini Pii & M. Antonini Imp. temporibus viguit, & ob singularem doctrinam, novi Xenophontis cognomentum adeptus, cùm alios in Republica Magistratus gessit, tum ad ipsum quoque Consulatum aliquando pervenit.* Doctoris sui dissertationes digessit. De ejus operibus jam laudatus ille Photius: *Lecti sunt Arriani Parthicorum libri septemdecim. Hic omnium optimè res gestas Alexandri Regis Macedonum conscripsit. Aliud item opus in gratiam Bithyniæ patriæ composuit, Bithynicorum titulo. Ediderat & ab Alanis gesta, quem librum Alanicum inscripsit. . . . . Scripsit & alia volumina Dissertationum Epicteti Præceptoris, quos novimus, libros octo. Sermonum verò ipsius Epicteti libros duodecim. Exilis ille dicendi character & revera Xenophontis imitator est. Alia item scripsisse ferunt, quæ tamen ad manus meas nondum pervenerunt. Certum sanè illud Rhetorica nequaquam sapientia ac facultatis imperitum fuisse.* Lucianus in Pseudomantis, libri meminit, qui in notitiam non venit Photio: *Arrianus ille, discipulus Epicteti, vir inter Romanos cum primis laudatus, ac per omnem vitam in literarum studio versatus . . . Tillibori quidem latronis vitam scribere non est gravatus.* Maximam hujus Scriptoris Operum partem amisimus, non sine eruditorum luctu, & historiæ damno.

C. 92. p. 234.

Phot. C. 58. p. 54.

ANNO U. C. 898. OLYMP. 231. PER. JUL. 4858. JUL. 190. DOM. 145. ANTONINI 7. & 8. *Sol.* 14. D. *Lun.* 13. *Indict.* 13. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

ANNO DOM. 145.

COSS. *Antoninus Pius IV. & M. Aurelius Cæsar II.*

I. TEmplum Adriano extrui jusserat Antoninus, quod hoc anno dedicatur. Quâ solemnitate Populo liberalis fuit. Eâ ipsâ die togam virilem Verus accepit. Ingressus erat annum XV. mense Decembri anni præteriti. Amavit in Vero Pius simplicitatem ingenii, puritatemque vivendi, hortatusque est ut imitaretur & fratrem. Diu tamen privatus fuit, nec aliud ei honorificentiæ nomen adjunctum est, quàm quòd Augusti filius est appellatus. Cæterùm quod hoc anno Templum consecratum est, alterum est ab illo, quod pro Sepulchro apud Puteolos, Adriano positum erat. Audiatur Capitolinus: *Opera ejus hæc extant Romæ. Templum Adriani honori Patris dicatum Græcostadium, post incendium restitutum, instauratum amphitheatrum, sepulchrum Adriani, Templum Agrippæ, pons sublicius.*

Romæ Templum Adriano dedicatur. Verus togam virilem accipit.

Capit. Ant. 8.

ANNO DOM. 145.

Liberalitas Antonini in miseros.

II. Ut undique nuntios citius posset accipere Antoninus, in urbe sedebat. Sic & apud omnes gentes magnâ autoritate fuit, & multas civitates adjuvit pecuniâ, ut opera vel nova facerent, vel vetera restituerent, & Magistratus ad officium faciendum excitabat. Cùm Lyciorum & carum urbes, Coon etiam & Rhodon, terræ motus vehemens evertisset, ea Antoninus infinitis propè sumptibus, & summâ in coloniis deducendis diligentiâ restituit. Constat & Græcis & Barbaris, inopiâ laborantibus, auxilium præbuisse, & operum magnificentiâ Græciam, Ioniam, Syriam, & postremò Carthaginem exornasse. Quo tempore hæc gesta sint, nos Chronologia non docuit. Cladium ejusmodi meminit & Capitolinus, nec non Romæ incendii, quod trecentas quadraginta insulas vel domos absumpsit.

Capit. Ant. c. 8. *Pausan. l. 8.* *Capit. Anton. c. 9.*

Taurus Philosophus.

III. Taurus Berytius, Platonicæ sectæ Philosophus, eo tempore floruit, Gellio familiaris: *Philosophus Taurus accipiebat nos Athenis cœna plerumque ad id dies ubi jam vesperaverat. Ejus cœnæ fundus & fundamentum omne erat in olla una, lentis Ægyptiaca, & cucurbita inibi minutim cæsa.* Quo apparatu liquet, Taurum se astrinxisse temperantiæ. Ejus orationem de Stoicorum sententia, quibus dolor dicebatur indifferens, lectu non injucundam, Gellius temporis ab injoria vindicavit. De filiorum in patres officio, egregium præbuit exemplum. Visendi cognoscendique ejus gratiâ Athenas venerat Præses Cretæ Provinciæ, & eum eo simul ejusdem Præsidis pater. Allata mox una sella est, quæ in promptu erat. Invitavit Taurus patrem Præsidis, ut sederet. Atque ille ait, Sedeat hic potius, qui Populi Rom. Magistratus est: *Absque præjudicio, inquit Taurus, tu intereà sede, dum inspicimus quærimusque, utrùm conveniat te ne potius sedere, qui pater es, an filium qui Magistratus est.* Scripsit de differentiâ dogmatum Platonis & Aristotelis; de corporibus & incorporeis rebus, & alia plurima. Meminit quoque Gellius commentariorum, quos Taurus in Gorgiam Platonis composuit. Ter esse Tauri mentionem apud Gellium, scribit Scaliger in animadversionibus ad Eusebium. Qui numerus est vero minor. De Tauro quinquies commemorasse Gellium observavimus.

Gell. l. 17. c. 8. *L. 12. c. 5.* *Gell. l. 2. c. 2.* *Suid.* *Gell. l. 6. c. 14.*

ANNO DOM. 146.

ANNO U. C. 899. PER. JUL. 4859. JUL. 191. DOM. 146. ANTONINI 8. & 9. *Sol.* 15. C. *Lun.* 14. *Indict.* 14. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *Apr.*

COSS. *Sex. Erucius Clarus II. & Cn. Claudius Severus.*

De hujus anni Coss.

I. CONsulum qui Fastos anno currente signarunt, egregium est in Baronio monumentum Græcum quod Latinè vertit. Latina tantum proferemus emendatione adhibitâ:

Sacer ordo Peanistarum Romæ, Dei Solis, magni Serapidis & Deorum σεβαςῶν venerandorum, honorarunt Emben Prophetam, Patrem præscripti ordinis, stemmate marmoreo, quod positum est in domo Peanistarum, pridie Nonarum Maii, quæ est secundum Alexandrinos Παχών. ΙΑ. XI. Pachon. sub Curatore Metellio. Ampla τοῦ πρεσβυτέρου Seniore. Sexto Erucio Claro II. Cneo Claudio Severo Coss.

Nonnulla quæ in versione Baroniana displicebant mutavimus. Vertit Deorum *Augustorum*, vitandæ homonymiæ congruentius vocabulum adhibuimus. Vertit *Pachoma*, qui ut jam Clarissimus observavit Nonsius, error est. Vertendum fuit XI. *Pachon*; hoc est, die undecimâ, quæ sexto Maii Juliano respondet. Vertit *Amplati Presbyteri*. Vertendum *Ampla*, vel *Ampliato Seniore*. Amplius nomen est proprium, quod Legitur Pauli in Epistola ad Romanos c. 16. *Salutate Ampliam*: neque vox *Presbyteri* est idonea, cùm eo titulo Ethnici non ornarentur. Erucii Consulis non sine laude meminit Gellius: *Erucius Clarus, qui Præfectus urbi & bis Consul fuit, vir morum literarumque veterum studiosissimus.*

Gell. l. 13. c. 16.

Antonini apud exteros autoritas.

II. Tantum autoritatis apud exteras gentes nemo habuit, cùm semper pacem amaret Antoninus. Pharasmanes Rex Iberorum ad eum Romam venit, plusque illi quàm Adriano detulit. Pacorum Regem Ladis, sive Lazis dedit, gente Scythicâ, quæ Cholchorum ditionem insedit. Malassam Regem illis & imposuerat Adrianus. Parthorum Regem, ab Armeniorum expugnatione, solis literis repulit. Abgarum Regem, ex Orientis partibus, solâ autoritate deduxit. Sellam regiam Parthorum Regi repetenti, quam Trajanus cœperat, pernegavit. Visus est in Arabia jubatus anguis major solitis, qui se à cauda medium comedit. Lues etiam in ea regione fuit. Quæ ad suos annos accuratè revocare non possumus, deficientibus Chronologiæ monumentis.

Capit. c. 9.

Severi Imperatoris nativitas.

III. Erucio Claro bis & Severo Coss. nascitur Aprilis undecimo Severus, qui tenuit Imperium. Cui civitas Leptis, Pater Geta, majores equites Romani, ante civitatem omnibus datam. Mater Fulvia Pia. Patrui M. Agrippa & Severus Consulares. De die nativitatis variat à Dione Spartianus, quem VI. *Idus Apriles* statuit, tridui discrimine. Scribendum verò III. Idus, ut vero simillimum sit extrema duorum II. coaluisse.

Spart. Sever. c. 1.

Maximus Tyrius.

IV. Hoc ipso anno Maximi Tyrii mentionem movet in Chronico Hieronymus. Quæstionis est aliquid, differatne à Claudio Maximo, cujus auditor M. Aurelius. Non minimum discriminis statuit Capitolinus. Audivit *Claudium Maximum, & Cinnam Catullum Stoicos.* Maximus verò Tyrius Platonicus fuit, non Stoicus, quæ disciplinæ multùm discrepant. Hinc apud Gellium Taurus: *Me autem scis cum Stoicis non benè convenire, vel Stoica potius disciplina.* Maximus Tyrius Philosophus: *Versatus est Romæ sub Commodo*, inquit Suidas, *Scripsit de Homero, & quæ sit apud eum antiqua Philosophia. Rectène Socrates se non defenderit in judicio. Item alias quæstiones Philosophicas.* Maximo uxor fuit, nomine Secunda, viro suo superstes, teste Marco.

Capit. Marc. c. 3. *Gell. l. 12. c. 5.* *Suid. t. 2. 92.* *L. 8. c. 22.*

ANNO DOM. 147.

ANNO U. C. 900. PER. JUL. 4860. JUL. 192. DOM. 147. ANTONINI 9. & 10. *Sol.* 16. B. *Lun.* 15. *Indict.* 15. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 6. P. 3. *Apr.*

COSS. *Largus, & Messalinus.*

Marcus Imperio Proconsulari donatur.

I. CUm ex Faustina, filiam *Lucillam* Marcus suscepisset Aurelius, novis ab Antonino honoribus cumulatur: *Tribunitiâ enim Potestate donatus est, atque Imperio Proconsulari,*

addi-

Cap. Marc. c. 6.

addito jure quinta relationis. Hoc est, ut quoque Senatu posset de quinque rebus, quas vellet, extra Consulatum inferre relationem. Tantumque apud Pium valuit, ut nunquam quenquam sine eo facile promoverit. Februarii XXV. eam Marco dignitatem collatam esse, fit probabilissimum, quâ die, Antoninus eâdem ab Adriano potestate ornatus fuerat. Annum quo ad imperium Proconsulare Marcus evectus est, in incerto nummi non relinquunt: in quibus Tribunitiæ Potestatis ejus ultimus annus, XXXIII. notatur, quo vitæ absolvit curriculum anno CLXXX. Martii decimo septimo. Itaque graviter peccat Baronius, dum Tribunitiam Potest. Marco, cum secundo Consulatu collatam esse scribit. Qui biennii prochronismus est. Tempus quo Marcus Proconsulare adiit imperium, etiam atque etiam est observandum, cùm ex eo liqueat, Justini Apologiam anno CL. oblatam non fuisse. Alioquin tanta Marci dignitas hæc non data fuisset oblivioni. Autore Herodiano, filiæ Marci, Lucillæ nomen imponimus: *Lucilla erat Commodo maxima natu soror. Ea prius L. Vero Imperatori nupserat.* Aviæ paternæ nomen accepit, quæ Lucilla vocabatur.

Error Baronii.

Bar. An. 163. n. 11.

Herod. l. 1. c. 8.

Marcus Antonino obsequebatur.

II. Erat in summis obsequiis Patris Marcus, quamvis non deessent qui aliqua adversum eum insusurrarent, & præ cæteris Valerius Omulus, qui cùm Lucillam matrem Marci, in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurravit, *Illa nunc rogat ut diem tuum claudas, & filius imperet.* Quod apud Pium nihil valuit, tanta erat Marci probitas, & tanta in Imperatorio Principatu modestia.

Capit. Marc. c. 6.

Fuerintne ludi seculares editi ab Antonino?

III. Ludi Seculares fuerintne hoc anno ab Antonino celebrati, difficilis est quæstio, cùm ex utraque parte argumenta non levia militent. Negat Pagius fretus autoritate Censorini: *Septimos* seculares *Domitianus, se XIV. & L. Minucio Rufo Coss. anno* 841. *celebravit.* Octavos ergo edidisset Antoninus. Atqui Severus est, qui *octavos* anno Christi CCIV. exhibuit, teste Censorino omni exceptione majore: *Octavos, Imperatores Septimius, & M. Aurelius Antoninus, Silone & Libone Coss. anno* DCCCCLVII. Estne credibile, accuratissimum Scriptorem Censorinum, Ludos qui ab Antonino celebrati dicuntur, oblivioni dedisse? Potueruntne ejus effugere notitiam? Illos autem ignorasse eò liquet, quòd pro *octavis* secularibus, ludos habuerit à Severo exhibitos, qui *noni* appellandi erant. Prætereà Zozimus Cæsarum meminit, qui ludos edidere seculares, Augusti nimirum, Claudii, Domitiani, Severi, quorum in numero collocari debuit Antoninus, si verè celebravit. Jam verò de Antonino ne verbum quidem. Tantò magis Antonini meminisse debuisset, quantò exploratum foret, numerum præstitutorum annorum ab eo fuisse neglectum. Quibus accedit, nullos de celebratione ludorum secularium Antonini extare nummos. Imò Autores qui de vita Antonini scripsere, nullum adhibuere vocabulum, quod vel expressum sit, vel æquipollent ludis secularibus. Ipse Victor qui pro contraria sententia testis adducitur, non tradit, ludos omnis esse generis ab Antonino celebratos.

Verosimile editos esse ab Antonino ludos seculares.

IV. Ex alia parte afferuntur & magni argumenta momenti. Aurelius Victor de Antonino: *Denique*, inquit, *annis quibus publica egit viginti, idem mansit, celebrato magnificè urbis nongentesimo.* Cùm autem nonum urbis finiretur seculum, quid æquius quàm ad ludos seculares eam referre magnificentiam? Quò pertinent & illa Capitolini: *Ad indulgentias pronissimus fuit. Edita munera in quibus elephantos, & crocutas, & strepsicerotas, & crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex tota orbe terrarum cum tigribus exhibuit.* Defuisset aliquid munerum magnificentiæ, si ludorum secularium expers omninò fuit. Nullum tamen potentius celebratorum est indicium, Sexti Vigellii Epitaphio, apud Gruterum p. 928.

Capitol. Antonin. c. 10.

Memoria Sex. Vigellii. Aquinat. Qui. annum. attigit. centes. Sed alterum & nonag. Perpet. inoffensa valetud. exegit. reliquos. Septem & D. XIIX. Decubuit & accubuit Nat. Lud. Secul. VIII. Obiit sequent.

Qui hic in inscriptione octavi seculares vocantur, non illi esse possunt, quos Severus edidit, anno Christi CCIV. Quia ad usque ludos, anno CCXLVII. à Philippo exhibitos, anni tantum XLIII. numerantur. Sunt autem anni centum à Vigellii nativitate ad ejus obitum. Duo ergo seculares ludi intelliguntur, qui eo temporis spatio dividuntur, quale reperitur annum urbis nongentesimum inter, & millesimum. Natus ergo Vigellius urbis nongentesimo, periit millesimo. Nongentesimo editi ludi seculares ab Antonino: millesimo exhibiti à Philippo. Huic argumento, quo præcipuè Pagius premitur, respondet natum esse Vigellium: *Anno Christi* CCIV. *quo Severus octavos ludos seculares exhibuit, obiisseque anno* CCCIV. *quo decimi celebrandi fuissent.* In ea tamen responsione hæret aqua. Durum est enim, Vigellii inscriptionem, de ludis qui nec fuerunt, nec esse debuerunt, explicare. *Obiit sequentibus ludis*, quis neget hisce vocabulis ludos editos significari? Ac eò magis quò certum est, alienas à figuris metaphorisque inscriptiones esse ejusmodi. Quibus accurate perpensis, eò magis inclinat animus, ut ludi seculares sint ab Antonino exhibiti, quamvis dissimulare non sustineamus, silentium Censorini Zozimique mentem nostram vellicare atque pungere suis aculeis. Vigellii tamen inscriptio accuratioribus anteponi Scriptoribus debet, quia testis unus affirmans negantibus vel duobus præstat.

Pag. Crit. An. 147. n. 5.

Apollonius Stoicus.

V. Apollonium Antoninus Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, ut ei Marcum traderet instituendum. Petulantiâ verò Cynicâ, potius quàm Stoicâ respondit Apollonius: *Non magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad magistrum.* Quem acutè simul & lepidè risit Antoninus, *Facilius fuit Apollonium à Chalcide Romam venire, quam à domo sua ad palatium.* Stoicus erat Apollonius, è Chalcide, urbe vel Syriæ, vel Eubœæ: Chalcedonius tamen vocatur à Capitolino: *Usus est Apollonio Chalcedonio, Stoico Philosopho.* Est tamen probabilissimum, scribendum esse *Chalcidicum*, cùm disertè tradat in Antonino Capitolinus, Apollonium ab Antonino *Chalcide* fuisse accitum. Ab Hieronymo quoque Chalcidicus appellatur. Vir fuit eruditus, sed avaritiæ inserviens, quam etiam in mercibus notavit Antoninus. Bardesiani, qui ex Christiano factus est Hæreticus, amicus fuit: *Qui in etiam Apollonio Antonino familiari, ut se Christianum negaret, acquiescere noluit.* Apollonii Stoici librorum meminit Photius, in quibus tractavit de mulieribus,

Capitol. Antonin. c. 10.

Capitol. Marc. c. 2.

Epiph. h. 56. n. 1.

ANNO DOM. 148.

Phot. Cod. 161. 342.

ribus, quæ sunt unquam philosophatæ, quidve præclare gesserint. Conjectura verisimilis est, ab Apollonio Marci Doctore non esse diversum.

ANNO U. C. 901. PER. JUL. 4861. JUL. 193. DOM. 148. ANTONINI 10. & 11. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 16. *Indict.* 1. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 25. *Mart.*

COSS. *Bellicius Torquatus II. & Julianus.*

Pii benignitas. Ejus rescripta nonnulla.

I. DUm ad utilitatem imperii curæ multum impertiret Antoninus, in bonis quoque artibus exornandis diligenter versatur. Rhetoribus & Philosophis per omnes Provincias & honores, & salaria detulit. Multa de Jure sanxit, ususque est Jurisperitis Vinidio Vero, Salvio Valente, Volusio Metiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno. Seditiones ubicunque factas non crudelitate, sed modestiâ & gravitate compescuit. Inter alia etiam hoc civilitatis ejus præcipuum argumentum est, quòd cùm domum Omuli visens, miransque columnas porphyreticas, requisivisset, Unde eas haberet, atque Omulus ei dixisset: *Cùm in domum alienam veneris, & mutus, & surdus esto*, patienter tulit. Intra urbes sepeliri mortuos vetuit. Romanis, Atheniensibus Populisque multis, nihil opus hâc Pii lege. Sed erant quibus in civitate sepelire, Jura municipalia permitterent, & de Lacedemoniis constat ex Plutarcho: *Universam de sepulchris superstitionem Lycurgus abstulit, concesso ut in urbe mortui sepelirentur, & monimenta essent Templis vicina.* Multi quoque gliscente jam Christianismo, veterem superstitionem, quæ intra urbes mortuos vetabat recipere, paulatim exuisse videntur. Quæ acta Pii soluti Chronologiæ legibus exhibemus, ut annus habeat quodcunque de præclaris egregii Principis, & moribus, & institutis.

Capitol. Anton. c. 11. 12.

Plut. Lacon. 238.

Ptolomæus Hæreticus.

II. Sub idem tempus ex Schola Valentini exortum esse Ptolomæum Hæreticum, fit vero simile. Adultæ antiquitatis esse, ex ipso liquet Irenæo: *Et quantum nobis virtutis adest, sententiam ipsorum qui nunc aliud docent, dico autem eorum qui sunt circa Ptolomæum, qui est velut flosculus Valentini Scholæ*, &c. Quæ leguntur in Præfatione libri primi adversus hæreses. Eruditione florentiss. multâ novimus ex Epiphanio: *Hic ille cum suis Ptolomæus, longè iis quot præceptores habuit, eruditione præstitit, & illorum doctrinam magnâ accessione cumulavit. Etenim Deo, quem illi Bython appellant, conjuges duas à se intentas attribuit, quas & affectiones vocavit.* Scripsit ad Floram, quam *sororem amantissimam* vocat, de Mosaicæ Legis autore, quam à *perfecto Deo, & Patre* stabilitam inficiabatur. Trifariam verò eam dividebat. Quædam ad ipsum Deum ejusque sanctiones pertinebant, alia Mosis erat, quatenus suâ sponte nonnulla constituit. Aliorum denique Seniores, qui in Populo erant, autores extiterunt. Porro de Ptolomæi erroribus, cum Irenæo non satis consentit Tertullianus: *Eam viam*, inquit, *postmodum Ptolomæus intravit, nominibus & numeris Æonum distinctis, in personales substantias, sed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipsa summa divinitatis, ut sensus, & affectus motus incluserat.* Atqui teste Irenæo, Ptolomæi illi Æones, *Διαθέσεις, affectiones*, non *persona* vocabantur. Hanc suam doctrinam ab Apostolis manasse prædicabat Ptolomæus: *Tu enim opitulante Deo, hujus principium ac generationem animo percipies, ubi traditam quandam ab Apostolis doctrinam audieris, quas nos successione quâdam, ad nos usque propagatam accepimus.*

Epiph. h. 33. n. 1.

Epiph. h. 33. n. 4.

Tertull. in Val. c. 4.

ANNO DOM. 149.

Epiph. h. 33. n. 7.

ANNO U. C. 902. OLYMP. 232. PER. JUL. 4862. JUL. 194. DOM. 149. ANTONINI 11. & 12. *Sol.* 18. F. *Lun.* 17. *Indict.* 2. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 2. P. 19. *Apr.*

COSS. *Ser. Scipio Orfitus, & Q. Nonius Priscus.*

Orfitus.

I. FUit inter Præfectos urbis, vir Orphitus nomine. Antoninus, *Successorem viventi bono Judici nulli dedit, nisi Orphito Præfecto urbi, sed petenti.* Qui à Consule hujus anni diversus non esse videtur. Nec forsan aberrabimus à vero, si cum Africæ Proconsule, quo præsente Apuleius orationem habuit, unum eundemque existimemus. Multis Africam beneficiis affecit, Carthaginenses, *Indulgentiâ suâ præcipuus omnium Proconsul sublevavit, temperatoque desiderio & moderato remedio dedit pueris saturitatem, juvenibus hilaritatem, senibus securitatem.*

Apul. Flor. 358.

Celadion creatur Alexandriæ Episcopus.

II. Hoc anno Celadionem Alexandrinæ Ecclesiæ Præfectum esse, docet Eusebii Chronicum. Cui decesserat Marcus, post decem annorum Pontificatum. Quibus de Episcopis Romanis Baronii Chronologia convellitur. Celadion enim atque Pius, parte aliquâ temporis Episcopi fuere coætanti.

Demonax Philosophus.

III. Hoc etiam ævo floruit Demonax, Stoicus Philosophus, cujus vitam Lucianus scripto mandavit. Gente Cyprius erat, parentibus genere, opibusque non obscuris. Agathobulo, Demetrio, Epicteto, Timocrate usus est Philosophis. Corpus ad tolerantiam variis laboribus assuefecit. Socrati se magis addixit, etsi Diogenem habitu, & vitæ frugalitate æmularetur. Summo studio elaboravit, ne alicujus alterius egens esset. Athenis ubi versabatur, accusatur ab inimicis, quorum nefariis conatibus obstiterat, Quòd nunquam visus fuerit sacrificare, quòdque solus omnium nunquam Eleusiniis fuerit initiatus. Quibus respondit, Se Minervæ non sacrificasse, *Quia sacris à se oblatis egere non existimabat.* De Eleusiniis verò dixit, quòd si frivola comperisset, apud initiatos non tacuisset; si bona, humanitate adductus, omnibus expositurus erat. Ita Athenienses qui jam adversus illum lapides sustulerant, actutùm erga illum placidum animum induerunt. Cùm Epictetus, quondam objurgans ei consuleret, ut uxore domum adductâ, liberis procreandis operam daret, festivissimè respondit: *Da mihi igitur, ô Epictete, unam filiarum tuarum.* Postquam sensit se sibi amplius non sufficere, voluntariâ morte è vita discessit. Defunctum Athenienses magnifico funere elatum sepeliverunt: ac sedem lapideam, super qua quiescere solebat, adorabant, sertis eam coronantes, in honorem tanti viri, existimantes sacrum esse lapidem, in quo Demonax sedisset.

Lucian. Demonax.

ANNO

Anno Dom. 150.

Anno U. C. 903. Per. Jul. 4863. Jul. 195. Dom. 150. Antonini 12. & 13. *Sol.* 19. E. *Lun.* 18. *Indict.* 3. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 3. *P.* 30. *Mart.*

Coss. *Gallicanus, & Vetus.*

De hujus anni Coss.

I. DE Consulibus hujus anni aliquid est discriminis Veterum in monumentis. Prosper enim, Victorius, Cassiodorus, Chronicum Alexandrinum, pro Coss. *Glabrionem* habent, atque *Veterem*. Theonis verò Fasti, Anonymus Cuspiniani, Catalogus Pontificum Bucherianus, *Gallicanum* exhibent, atque *Veterem*. Fueritne Gallicanus binominis, ut etiam Glabrio vocaretur, quærant illi quibus est otium. Alioquin planum est, in Prospero, Victorio, &c. passim Consules esse vitiosos.

Antonini æquitas.

II. Inter argumenta pietatis Antonini hoc etiam habetur, quòd cùm Marcus mortuum educatorem suum fleret, vocaretur ab aulicis ministris ab ostentatione pietatis, ipse dixerit: *Permittite illi ut homo sit, neque enim vel Philosophia, vel imperium tollit affectus.* Verbum Capitolini, *vocaretur*, mutandum non esse, docet Salmasius. Vocaretur, id est, *illuderetur*. Præfectos Pius suos, & locupletavit, & ornamentis Consularibus donavit, si quos repetundarum damnavit, eorum libens bona paterna restituit, eâ tamen lege, ut illi Provincialibus redderent, quod parentes acceperant. *Capit. Anton. c. 10.*

Anno Dom. 151.

Anno U. C. 904. Per. Jul. 4864. Jul. 196. Dom. 151. Antonini 13. & 14. *Sol.* 20. D. *Lun.* 19. *Indict.* 4. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 4. *P.* 19. *Mart.*

Coss. *Quintilius Condianus, & Quintilius Maximus.*

Num Quintilius vocandus Gordianus?

I. EX Fastis compluribus, eruditi Quintilio *Gordiani* nomen imposuerant. Ipseque Pagius hanc in sententiam descenderat, quam in additamentis ad *Criticam* mutavit, nec immeritò. Quippe in Fastis Theonis, disertè legitur *Condianus & Maximus*. Id quoque vocabuli reperitur in Græco Chronico, quod Alexandrinum communiter appellatur, *Κονδιανοῦ καὶ Μαξίμου*. Eoque modo scribendum, testis est Dio: *Sextus verò Condianus Maximi filius, qui & ingenio, & eruditione præstabat cæteris*, &c. *Dio l. 72. 819.* Error itaque librariorum est, eadem in pagina Dionis: Commodus *insuper occidi jussit Cardianum, & Maximum Quintillos.* Legendum *Condianum*. De eo nomine irrepsit & error in Lampridium: *Domus præterea Quintiliorum omnis extincta, quòd Sextus Cocidiani filius, specie mortis ad defectionem diceretur evasisse.* *Lampr. Com. c. 24.* Legendum *Condiani*. Nobile par fratrum erant Consules, qui annum aperuere: *Doctrinâ, scientiâ rei militaris, concordiâque, & opibus percelebres erant.* *Dio l. 72. 819.* Putaremus unum fuisse non duos, ita semper conjunctim Quintilii nominantur à Veteribus. Imò ita conjuncti semper illi vixerunt. Consulatum simul gesserunt, Provincias simul rexerunt, libros simul scripserunt, simul ediderunt, ad Marcum Imperatorem simul literas dederunt. Marcus quoque ambobus simul rescripsit. Postremò qui ita conjuncti longam egerant vitam, unà simul jussu Commodi periere, ut suo loco declarabimus.

Antonini bonitas.

II. De moribus Antonini nunquam satis laudandis, hoc etiam addamus silentibus rebus Ecclesiæ. Species Imperatorias superfluas & prædia vendidit, & in suis propriis fundis vixit variè pro temporibus, nec ullas expeditiones obiit, nisi quòd ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens: *Gravem esse Provincialibus comitatum Principis, etiam nimis parci.* *Capitol. Anton. c. 7.*

Anno Dom. 152.

Anno U. C. 905. Per. Jul. 4865. Jul. 197. Dom. 152. Antonini 14. & 15. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 1. *Indict.* 5. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 5. 6. *P.* 10. *Apr.*

Coss. *Sex. Acilius Glabrio, & C. Valerius Omulus Verianus.*

Omulus Consul.

I. OMulus Consul is fuit, cujus multa joca semper patienter accepit Antoninus. Miranti columnas porphyreticas dixerat: *Cum in alienam domum veneris & mutus, & surdus esto.* At si prudens, non æquè probus fuit, eo teste, quod Antonino insusurravit, dum Lucilla in viridario orabat Apollinem: *Illa nunc rogat ut diem tuum claudas, & filius imperet.* *Capit. Marc. c. 6.*

Antonini modestia.

II. Est inter laudes Antonini, quòd cùm Septembrem atque Octobrem, *Antoninum & Faustinum* apellandos decrevisset Senatus, id Antoninus respuit. *Capit. Ant. c. 10.* Convivia cum amicis, & privata communicavit, & publica; nec ullum sacrificium per Vicarium fecit, nisi cùm æger fuit. Cùm sibi & filiis honores peteret, omnia quasi privatus fecit. *Capit. Ant. c. 11.*

Hoc anno, non obiit Telesphorus.

III. Die quintâ Januarii, martyrio Telesphorum coronatum esse, à Baronio traditur. Et in Eusebium invehitur, quem *Errore lapsum, ex eo intelligitur, quòd in serie Romanorum Pontificum, Cletum numerare prætermiserit.* *Bar. Ann. 154. n. 4.* Hanc tamen Chronologiam, non esse vero consentaneam, multis jam ostendimus. Neque peccatum ab Eusebio, dum Cletum omisit, quia Cletus & Anacletus, pro uno eodemque Pontifice haberi debent. Neque si distinguerentur, erroris Baronius esset immunis. Catalogus sanè Bucherianus, qui Cletum ab Anacleto secernit, in annum Christi CXXXVII. Vero Cæsare, & Balbino Coss. mortem contulit Telesphori. Alius Catalogus anno 131. Prosper anno 122. Victorius 138. Telesphori obitum affigit. Addit Baronius legi in Chronico Eusebiano: *Hic constituit ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur.* Quæ nulla sunt in emendatioribus Eusebiani Chronici exemplaribus. De Quadragesima mox dicendum.

Fuerint ne plures perpauci persecutiones, & Martyres imperante Antonino?

IV. Multos sanguine suo Martyres hunc annum imbuisse, creditum Baronio: *Alexandrum* Episcopum, *Pontianum* Spoleti, in Asia Pergami *Agathodorum & Carpum*, aliâ die *Agathonicem*, Pergæ in Pamphilia *Theodorum*, in Sardinia *Potitum* &c. Qua de causa, Deus totum planè imperii Romani orbem diversis cladibus affecit. Eò refert calamitates, quæ leguntur in Capitolino: *Circi ruinam, terræ motum, quo Rhodiorum, & Asiæ opera ciciderunt.* *Bar. An. 154. n. 3. 4.* Quæ Chronologia non est accurata, Romano vel Martyrologio Judice: *Pergami in Asia, natalis Sanctorum Martyrum, Carpi Episcopi Thyatirensis, Papyli Diaconi, & Agathonicæ sororis ejus optimæ feminæ; Agathodori quoque eorum famuli, aliorumque multorum, qui post varios cruciatus pro beatis confessionibus, martyrio coronati sunt, in persecutione Marci Antonini Veri, & Lucii Aurelii Commodi.* *Martyrol. R. 13. Apr.* Martyrologio præit Eusebius,

Anno Dom. 152.

sebius, qui Carpi, Papuli, & Agathonicæ martyrium in persecutionem refert, quâ Polycarpus de medio sublatus est, imperantibus M. Aurelio & Lucio Vero: *Aliorum præterea, qui in urbe Asiæ Pergamo sub id tempus martyrium passi sunt, Acta etiamnum circumferuntur, Carpi videlicet, Papuli, & mulieris cujusdam Agathonicæ, qui post multas atque illustres fidei nostræ confessiones glorioso exitu consummati sunt.* Initio imperii Antonini aliquid obortum persecutionis, documento quidem est Justini Apologia Martyris. Extinctum tamen esse egregio tanti viri scripto persecutionis incendium, sit vero proximum. Porro Clarissimus Dodwellus disertè inficiatur, *longè pacatiora Christianis extitisse tempora Antonini, quam fuerint illa Adriani.* Contendit imperante Pio, multas fuisse persecutiones μερικὰς: cecidisse Ptolomæum, Lucium, & fortè illam, cujus Justinus meminit, feminam: *Sub eodem Pii imperio, & aliam quoque ortam videri in Syria persecutionem, de qua mentio in vita Peregrini.* Quæ si vera sunt, mirum sanè nigro persecutionis calculo Pii imperium Veteribus numeratum non fuisse, cujus abjicere non potuissent memoriam. Verba hæc sunt Sulpitii: *Quarta sub Adriano persecutio numeratur, quam tamen post exerceri prohibuit, injustum esse pronuntians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur. Post Adrianum, Antonino Pio imperante, pax Ecclesiis fuit.* Non dissidet à Sulpitio Orosius: *Justinus Philosophus, librum pro Christiana Religione compositum Antonino tradidit, benignumque eum erga Christianos homines fecit.* Nil etiam persecutionis imperante Pio motæ, post Justini Apologiam, memorat Eusebius. Ac eò liquet, imperium ejus Christiano sanguine non fuisse perfusum, quòd Pio Eusebius ascribat Epistolam ad Commune Asiæ, de nostra Religione, quam tamen Marco censemus potius esse vindicandam. Cùm ergo Veterum in memoria non insederit bellum, quod regnante Pio Ecclesiæ illatum esse volunt Baronius atque Dodwellus; difficile quidem creditu est, tot extitisse & persecutiones μερικὰς, & Martyres, cùm quæ sunt ejusmodi, vix in oblivione jaceant, aut patiantur tranquillis ascribi seculis. Itaque longè satius Ptolomæi, Lucii, Polycarpi, Justini mortem, Marci illigare imperio, quàm Pii. Ea vero persecutio, quam in Oriente passa est Ecclesia, cùm Peregrinus ductus in carcerem, imperium antecessit Antonini. Jam enim fidem ejurarat Proteus ille, cùm Italiâ pulsus est anno LXXIII. Ad Ethnicos sanè redierat, cùm Musonius aliique Philosophi urbe ejecti sunt. Quid his Luciani disertius? *At enim jam exactus oppido, cum Musonio ac Dione, & Epicteto, consuetudinem habuit, cumque aliis, quos non dissimili infortunio mulctatos esse noverat.*

Euseb. l. 4. c. 15.

Dodwel. de Pauc. Mart. n. 33.

Sulp. l. 2. 382.

Oros. l. 7. c. 14.

Lucian. Peregr.

Multis Telesphorus autor est Quadragesimæ.

V. Non nova sententia est, Telesphorum Quadragesimalis disciplinæ fontem fuisse, atque principium. Quamvis enim Eusebiano Chronico assuta ea sit lacinia, quâ ejusmodi institutio Telesphoro vindicatur, sunt tamen Autores non spernendi, qui censeant Telesphoro deberi Quadragesimam. Id sanè disertè legitur in subdito libro Pontificali Damasi. Telesphorus *constituit, ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur.* Paria ferè ac gemina traduntur in spuria Telesphori Epistola: *Cognoscite à nobis, & à cunctis Episcopis, in hac Sancta & Apostolica sede congregatis, statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante Sanctum Pascha, omnes Clerici in sortem Domini vocati, à carne jejunent.* Quadragesimæ quoque institutionem Telesphoro Rupertus ascribit: *Sanctæ memoriæ Papa Telesphorus, à B. Petro septimus, hanc salutarem ante Sanctum Pascha constituit præparationem, ut Christiana plebs, quæ Apostolicæ abstinentiæ tenorem exequi non posset, non omninò relinqueret.* Audiatur & Rabanus de institutione Clericorum *l. 2. c. 34. Notandum tamen est, quod à Quinquagesima jejunium incipere apud Romanos, Telesphorus sæpe memoratus Papa constituit, ut per septem hebdomadas ante Pascha, corpus jejuniis castigemus.* Baronius verò Biniusque negant recens fuisse institutum Telesphori, *sed quod usu quodam, & piâ traditione in Ecclesia servabatur, placuit edito decreto stabilire.* Quo admisso, sequeretur Legem de Quadragesima Pontificalem fuisse, Apostolicam non fuisse. Quin etiam longè aliud sonant verba Autorum, quos laudavimus, qui ne minimo vel indicio innuunt, Quadragesimam traditionem fuisse Apostolicam, cujus sanè meminissent, ut pondus autoritatemque conciliarent disciplinæ ejusmodi. Imò Apostolorum traditione, jejunium Quadragesimale jam fuisset constitutum, cui non opus erat novo Pontificis decreto, ut sanciretur. Quæ quidem non eo observamus, quo testemur, nos Ruperti, Pontificalis, Canonistarum amplecti sententiam; sed ut palam fiat, vel in Ecclesia Romana non ignobiles Autores esse, qui pro Lege Apostolica, non habeant Quadragesimam. De institutis quidem, quæ Apostoli mandato exemploque suo injunxerunt Ecclesiæ, celebratione v. g. baptismi atque Eucharistiæ, quis unquam traderet, si accuratè & scriberet, & loqueretur: *Cognoscite à cunctis Episcopis, in urbe Romana congregatis, statutum esse ut baptismus Eucharistiaque celebrentur.*

Anno Dom. 152.

Rupert. de div. Off. l. 4. c. 9.

VI. Ut porro liberalius agamus cum Baronio, rem cognitu dignissimam tractare & contemplari necesse est, jejunii scilicet Antepaschalis, Quadragesimæque antiquitatem: Eò magis, quòd non de Latinis modò, sed de Evangelicis quoque eruditi, ea chartis illeverint, quæ non sunt vero consentanea. Jejunium Antepaschale, cum Quadragesima permiscere Valesio, Natali Alexandro, Latinisque omnibus, imò eruditissimo quoque Anglo *Beveregio*, solemne est. Quia nimirum hebdomadis Paschalis jejunium, statuunt *partem esse Quadragesimæ.* Nos verò ejusmodi sententiæ sumus, quòd secundo tertioque seculo, Antepaschale jejunium, non extra hebdomadis unius limites extenderetur, quòd additis tandem diebus esurialibus benè multis, in Quadragesimam abiit. Itaque primùm partem Quadragesimæ nullam constituebat, sed completum erat jejunium, cujus antiquitatis extant in Irenæo vestigia: *Neque enim*, inquit, *de die solùm controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum: alii duobus: alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis, jejunium suum metiuntur.* Cùm eruditissimo Valesio vocem ἡμερῶν librariorum vitio in ὥρας degenerasse censemus, totis nervis viribusque repugnante Beveregio. Quid enim magis absonum, quàm quadraginta horis unum diem constituere? Affert quidem Beveregius autoritatem *codicis*,

De Antepaschali jejunio.

Euseb. l. 5. c. 24.

quo

ANNO DOM. 152.

quo ipse Rufinus in transferenda Eusebii historia usus est. In eo verò codice punctum reperitur post τεσσαράκοντα. *Ejus enim Latina horum verborum versio, ex isto codice elaborata, sic habet. Quidam enim putant uno tantùm die observari debere jejunium, alii duobus, alii verò pluribus, nonnulli etiam quadraginta: ita ut horas diurnas nocturnasque computantes, diem statuant.* De antiquitate codicis viderint, quibus licet in illum oculos deponere. Tantùm credulitatis domi non est, ut codicem adeò vetustum fuisse existimemus. De re verò ipsa rectissimè Valesius: *Verùm huic lectioni omnes nostri codices refragantur. Quòd si post vocem τεσσαράκοντα distinctionem affixeris, nullus jam erit sensus. Quo enim referentur verba illa, quæ sequuntur, ὥρας ἡμερινὰς &c. utrùm ad illos qui unum diem, an ad hos qui quadraginta jejunant.* Equidem si ad priores referri voluisset Irenæus, fluctuans & dissolutum genus Orationis ejusmodi non adhibuisset. Scripsisset ut scribi debuit: *Quidam existimant, unico die sibi esse jejunandum, ita ut horas diurnas nocturnasque computantes, diem statuant.* Atqui sic orationem Irenæus suam non digessit. Pluribus periodis divelluntur verba hæc, quæ non nisi perturbatione ordinis conjungi possunt. Neque solus contextus verborum explicationi Beveregianæ repugnat, sed & res ipsa resistit. Cùm enim Montani discipuli, qui jejuniorum austeritate Christianorum disciplinam superabant, quadraginta dies jejunando non condiderint ævo Tertulliani, quis credat Christianorum aliquos, Irenæo majores, eam præstitisse abstinentiam ciborum, quam eruditus imaginatur Beveregius. Quo facto, longè Montanistis antecelluissent jejunandi disciplinâ. Quibus accedat, ex illa explicatione, insanabile vulnus infligi antiquitati Quadragesimæ. Esset enim perpaucorum consuetudo ad XL. usque dies extendere jejunium, quo luce clarius neque lege, neque exemplo suo, Apostolos quadraginta jejuniorum constituisse disciplinam, quam non pauci quidem Christianorum, sed omnes omninò coluissent. Erat ergo jejunium Antepaschale, unius, duorum, vel plurium dierum abstinentia ævo Irenæi, pro captu, voluntateque Fidelium. Quæ tamen multitudo dies quadraginta non complectebatur, sed ad summum, unam hebdomadem. Cujus rei inhærent & vestigia in Constitutionibus, quæ tribuuntur Apostolis: *Jejunate igitur diebus Paschæ, incipientes à secunda feria, usque ad sextam, & Sabbatum, sex diebus, pane tantum, sale, oleribus & aquâ mensa adhibitis. Abstinete his diebus, vino & carne, dies quippe luctus, & non festi sunt. Sextâ tamen feriâ, & Sabbato, ex toto manete jejuni, qui ita firmi viribus estis ut ferre possitis, nil prorsus gustantes usque ad nocturnum galli cantum.* De Antepaschali quoque jejunio, quod ad summum unius hebdomadæ limitibus circumscribebatur, commemorat Dionysius Alexand. ad Basilidem Epistolâ: *Nec sex jejuniorum dies, nec similiter omnes expectant: sed alii quidem vel omnes superponunt jejuni permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum. Et iis quidem qui in illis transmittendis valde laboraverunt, deinde defessi sunt, & propemodum deficiunt, ignoscendum est, quod celerius gustent. Si qui autem qui non superpositis modò, sed ne jejunatis quidem, vel etiam in delicatis opiparisque conviviis, consumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos eosque solos extremos dies cùm venerint, illis à se cibo non gustato superpositis, parasceve & Sabbato, magnum quid & egregium se facere existimant, si ad auroram usque permanserint, non existimo eos ex æquo certamen subiisse cum iis, qui se pluribus diebus exercuerunt.* Quibus verba illustrantur Irenæi, οἱ δὲ καὶ πλείονας: quâ phrasi sex Antepaschalis dies hebdomadis designantur & Dionysio. Græcis addamus Latinum, Tertullianum scilicet, à quo discimus, quot diebus communiter constaret Antepaschale jejunium: *Præscribitis constituta esse solemnia in Scripturis, vel traditione majorum, nihilque observationis amplius adjiciendum, ob illicitum innovationis. State in illo gradu si potestis. Ecce convenio vos, & præter Pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est sponsus.* Sponsus per mortem ablatus est, vel per ascensionem. Illa Orthodoxis veniebat in mentem, hæc Montanistis, teste Hieronymo. *Ex hujus occasione testimonii,* numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus: *Montanus, Prisca, & Maximilla, etiam post Pentecosten, faciunt Quadragesimam, quod ablato sponso, filii sponsi debeant jejunare. Ecclesiæ autem consuetudo ad passionem Domini & resurrectionem, per humilitatem carnis venit, ut spirituali saginâ jejunio corporis præparemus.* Hoc ergo commune, & quasi publicum, ævo Tertulliani Christianorum erat Antepaschale jejunium, quod illis diebus celebrabatur, quibus morte sua Christus ereptus Ecclesiæ: quod temporis spatium mirum quantum à diebus XL. discrepet, qui Quadragesimæ dicantur, quibus Christus Apostolis maximè præsens, corpore, institutione, miraculis fuit.

Bever. Codex l. 3. cap. 7. n. 3.

Vales. Annot. p. 95.

Const. l. 5. c. 17.

Tert. de Jej. c. 13.

Hier. in Matth. cap. 9.

VII. Ex ea Antiquorum disciplina, apparet & promptum est, hebdomadis Paschalis jejunium, non partem Quadragesimæ aliquam, sed totum completumque fuisse Christianorum, secundi tertiique seculi jejunium. Ac jam regnante Quadragesimâ, Scriptores fuere nonnulli, qui Antepaschale jejunium à Quadragesima secernerent. Audiantur verba Anastasii Sinaitæ in suis Quæstionibus Q. 64. *Quadragesima finitur ad festum Palmarum. Magnam enim hebdomadem jejunamus propter Christi passionem, & Pascha, non propter Quadragesimam.* Priscis ergo seculis Sanctæ hebdomadi jejunium Antepaschale includebatur. Etenim quid causæ fuisset Irenæo atque Dionysio, hujus solius hebdomadis meminisse? Quidni mentionem & agitassent aliarum hebdomadarum, quarum ex conjunctione, cum illa Paschali, plenum confertumque jejunium extitisse fertur. Nonne superiores quinque illæ hebdomadæ, dabant & in exercitiorum varietate discrimen? Quis sibi in animum inducat, quinque hebdomadas illis fuisse esuriales, qui ne Paschalem quidem totam permittebant jejunio? In qua *delicatis opiparisque conviviis, quatuor dies,* à secunda scilicet ad quintam usque feriam consumebant. Nonne incredibile est pauciorum fuisse dierum esurialem Montani disciplinam, quàm ea fuit, quæ Christianis observabatur? *Duas,* inquit Tertullianus, *in anno hebdomadas Xerophagiorum, nec totas, exceptis Sabbatis & Dominicis, offerimus.* Decem ergo solis diebus constabat Tertullianica quotannis jejunandi disciplina. Contrà verò quam colebat Ecclesia, quadraginta diebus abundasset. Quo casu, nulla vel tenuis data esset Tertulliano ansa, amarissimis in Christianos verbis invehendi, quos odioso nomine, *Psychicos*

Antepaschale jejunium diversum olim à Quadragesima.

B. M. P. t. 9. 1014.

Tertul. de Jej. c. 15.

Anno Dom. 152.

Tertul. in Psych. c. 14.

Max. B. M. P. t. 6. p. 13.

Anast. Quæst. 64. B. M. P. t. 9. 1013.

cos appellabat: *Deus tibi venter est, & pulmo Templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & Sanctus Spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus, prophetia vetus est.* Quas meliori jure Montanistis Christiani contumelias ingessissent. Vos, ô boni, dies solos decem abstinentiæ dicatis, nos verò quadraginta jejunamus. Nostris accedat argumentis, quòd vox *Quadragesima*, primis sit ignota seculis, quâ nulla tamen aptior fuit, jejunio Antepaschali designando, si tot dies complectebatur. Non apparet sanè id vocabuli in authenticis certisque monumentis, ante Synodum Nicænam, anno CCCXXV. celebratam. En Antepaschali ergo jejunio additis diebus benè multis, conflata tandem Quadragesima, specie majore Religionis. Qua de causa in quibusdam Provinciis sex hebdomadibus addita etiam *Septima*, ut mox loquetur Cassianus. Sic apud Maximum Taurinensem, homilia in die Cinerum: *Quia*, inquit, *nonnullorum est consuetudo, charissimi, advenientes Quadragesimæ dies, devotiore jejunio prævenire.* Similiter Ariani obtentu Religionis, jejunium amplificarunt, teste Anastasio Sinaitâ: *Sciendum est autem quòd non oportet jejunare octo hebdomadas in Quadragesima, ut Ariani, qui transcendunt numerum quadraginta dierum, quem nobis dedit Dominus.* Denique multiplicatæ sunt etiam Quadragesimæ, quæ tres nomero observabantur, de quibus Capitulariorum liber sextus c. 87. 954. *Iterum admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur; id est, quadraginta dies ante nativitatem Domini, & quadraginta dies ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten quadraginta dies.* In ejusmodi exercitiis exultavit atque triumphavit Christianorum devotio. Itaque Beveregio, Valesio, aliisque crediris, ab Antepaschali jejunio, ad Quadragesimam, non est satis aptè conclusum.

Antiquitas vocis Quadragesimæ.

Orig. Hom. in Levit. 2.

Orig. contr. Cels. lib. 8.

VIII. Pugnant tamen Baronius, Cabassutiusque, pro adultiore vocis *Quadragesima* antiquitate, ex Epistola Ignatii ad Philippenses: *Quadragesimam ne pro nihilo habeatis, imitationem enim continet Dominicæ abstinentiæ.* Nil tamen vocis hujus antiquitati, ex hac Epistola præsidii petitur, cùm non sit Ignatii. Scilicet hoc scripsit Ignatius: *Si quis Dominico die, aut Sabbato jejunaverit, præter unum Sabbatum, is est Christi interfector.* Cui si testimonio fides, cruentas ergo manus Baronius cum Latinis suis infert Domino. Objicit Origenem Beveregius: *Habemus Quadragesimæ dies jejuniis consecratos.* Testis tamen facillimè repellitur, quia homilia Græcè non extat, & vocem *Quadragesima*, nullo vestigio reperimus Græcis in monumentis Origenis, cùm vel eam usurpare debuit. De solemnibus Christianorum diebus, *Quòd si quis*, inquit, *vobis ex adverso regerat nostras Dominicas vel parasceras, aut Pascha solemniter recurrentes.* Omisissetne Quadragesimam, quæ quotannis solemnitate multâ celebratur? Evolvantur monumenta Veterum, Irenæi, Clementis Alex. Tertulliani, Dionysii, Cypriani, tam facilè in illis reperire est Quadragesimæ vocem, quàm pascentes in æthere cervos. Ut extra dubium sit, Græca non habuisse τεσσαρακοστήν. Equidem cùm Origenis homilias in Latinum transfuderit Rufinus, cujus æquo major erat in vertendo libertas, quibus veri amor cordi est, laudato sanè testimonio uti non debent. Fixum ergo ratumque sit, primum quæ certa sunt monumentorum, quibus vox exhibetur Quadragesimæ, Concilium esse Nicænum Canone V. *Synodi autem fiant, una quidem ante Quadragesimam, ut omnibus animis sordibus sublatis, purum munus Deo offeratur. Secunda autem circiter autumni tempus.* Exinde frequens in Patribus, qui quarto floruere seculo, mentio fit vocabuli. Hinc scriptum Athanasio: ἐν ταῖς συνάξεσι τῆς τεσσαρακοστῆς, *in Synaxibus Quadragesimæ.* De effrenato Gregorii furore, *hæc autem acta sunt in sacra Quadragesima.* Laodicena Synodus c. 45. *Quòd non oportet in Quadragesima postrema septimana, quinta feria jejunium solvere.* Aliaque sexcenta, quæ afferri possent exempla ejusmodi, non sine & Scriptoris, & Lectoris fastidio.

Anno Dom. 152.

Athan. Apol. t. 1. 682.

Ath. ad Solit. t. 1. 946.

Antepaschali jejunium fine discrepabat à Quadragesima.

Tert. de Or. c. 14.

N. Alex. sec. 2. dissert. 4. 240.

Tert. in Psych. c. 2.

Hier. Epist. 57.

August. Epist. 119. c. 15.

IX. Est etiam Antepaschale jejunium inter & Quadragesimam, differentia non prætereunda. Quippe secundo tertioque seculo sanctæ jejunium hebdomadæ eo fine celebrabatur, ut Dominicæ passionis memoria recoleretur. Cùm enim salutis nostræ causâ sese opposuisset dirissimo omnium supplicio, dies quibus morte detinebatur, dicati sunt luctui atque jejunio. Idcircò nonnulli *horis quadraginta* jejunium metiebantur suum, & passionis dies solemnem omnes abstinentiam præstabant: *Die Paschæ, quo communis & quasi publica jejunii religio est, deponimus osculum, nihil curantes de occultando, quod cum omnibus faciamus.* Proximis quoque diebus, abdicatus fuisset osculorum usus, si ubique locorum communi consuetudine, Christiani sibi jejunium indixissent. *Die* igitur *Paschæ* dixit Tertullianus, quia de morte Christi celebranda in animo cogitabant. Quo loco non est dissimulanda festiva Natalis Alexandri interpretatio: *Respondeo nomine Paschatis, intellexisse ac significasse Tertullianum, totum illud quadraginta dierum intervallum, quod ante Pascha decurrit.* Scilicet *dies Paschæ* singulari numero, *dies quadraginta* significabit. Et unus simplexque dies mutabitur in plures. Quid argumentis opus, dum extant disertissima testimonia? Audiatur Tertullianus: *Certè in Evangelio, illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus & Propheticis.* Hæc erat mens Christianorum, quam candidè exponit Septimius. Proindeque jejunium Antepaschale faciendæ passionis Dominicæ commemorationi fuit institutum. Quod expressis quoque verbis tradit Hieronymus: *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum . . . jejunamus, illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.* Quæ immeritò Montanistis objecisset Hieronymus, nisi id finis Antepaschali constitutum jejunio fuisset, ut mortis Dominicæ memoria recoleretur. Ad hunc verò scopum ex se præcipuèque Quadragesima non collimat. Illis quippe diebus celebratur, quibus non est obrutus morte Dominus. Neque quadragenarius dierum numerus, tridui similis est. Itaque proprius is Quadragesimæ finis est, ut Christi jejunium exprimat. Testem damus Ambrosium, vel quisquis Autor est sermonis 31. inter Ambrosianos: *Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. . . . Quisquis ergo Christianus consecratam jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd Legem divinitus pro sua salute datam, prandendo ipse rescindit.*

Restitu-

ANNO DOM. 152.

Rescindis enim legem, qui exemplum jejunii Dominici non custodis. Similia scripto mandat Augustinus ad Januarium Epistolâ: *Quadragesima sanè jejuniorum habet autoritatem, & in veteribus libris, ex jejunio Moysi & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire à Lege & Prophetis.* Consentit & Hieronymus in Esaiam c. 58. *Helias & Moses, quadraginta dierum esurie, Dei familiaritate saturati sunt, & ipse Dominus, totidem diebus in solitudine jejunavit, ut nobis solemnes jejuniorum dies relinqueret.* Addamus & Cassianum: *Tempus hoc quo anniversaria, ut dictum est, decima Deo triginta & sex semis offeruntur, Quadragesima nomen accepit, quod fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo debere censeri, quòd Moses, vel Elias, vel ipse Dominus noster J. Christus quadraginta diebus jejunasse dicitur.* Hinc Anastasius Sinaita, Quadragesimam ab Antepaschali jejunio secernit: *Quadragesima finitur ad festum Palmarum, magnam enim hebdomadam jejunamus propter Christi passionem & Pascha, non propter Quadragesimam.* Quocirca invehitur in Arianos, *qui transcendunt numerum quadraginta dierum, quem nobis dedit Dominus.* Distinguit etiam Epiphanius Quadragesimam ab hebdomade Paschali: *Ceterùm ante septem Paschatis dies, Quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare, eadem consuevit Ecclesia . . . Præterea sex illos Paschatis dies Xerophagiis, hoc est, arido victu transire populus omnis assuevit.* Etsi verò Latinis sanctâ hebdomade includatur Quadragesimæ, certum tamen est Antepaschali jejunio dies esse additos conficiendæ Quadragesimæ, ad Christi jejunantis exemplum imitandum. Quem secundo tertioque seculo finem, non attendebant Antiqui. Itaque illo de consilio ne verbulum quidem habent. Ademptum morte sponsum lugebant, diebus verò quadraginta à cibis penitùs abstinentem, Dominum non imitabantur. Neque tum absonum quidquam ipsis in mentem venire potuit, ut uno alterove die esuriali quadraginta dierum jejunium exprimi putarent. Eò tandem processit imitationis amor, ut contenderint & nonnulli, quadraginta diebus omnem cibum abigere, quo Christi majorem similitudinem arriperent. Qua de re extat insignis apud Theodoritum historia, in vita Simeonis: *Cùm autem contenderet virtutis augere divitias, desideravit, similiter ac divi homines Moses & Elias jejunus permanere* XL. *diebus, & admirabili Basso conatur persuadere, qui tunc multos obiit vicos, ut qui præesset iis, qui erant in pagis Sacerdotibus, ut nihil quidem intus relinquat, luto autem ostium obstruat. Cùm is autem rei afferret difficultatem, & moneret ne violentam mortem existimaret esse virtutem. . . . At tu, inquit, ô pater, repone mihi decem panes & hydriam aquæ: & si videro corpus egere alimento, ero eorum particeps. Factum est ut jussit. Finitis autem diebus, venit quidem ille admirandus & homo Dei Bassus. Moto autem luto, ostium ingressus, invenit quidem panum numerum, invenit urnam quoque aqua plenam. Ipsum autem jacentem, nec spirantem, nec loqui, nec moveri potentem.* De portentosa quoque Macarii Quadragesima Palladius: *Ipse autem*, inquit, *cùm aliquot palmæ ramos sibi madefaceret, stetit in uno angulo, & donec dies* XL. *impleti essent, & advenisset Pascha, non sumpsit panem, non aquam, non genu flexit, non sedit, non accubuit, nihil aliud gustavit præter crambes folia, quæ sumebat die Dominico, ut videretur edere, & non incideret in arrogantem de se persuasionem.* Legitur & in Augustino: *Ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quendam, à fratribus fide dignis, nobis asseveratum est.* Ex his constat, sine divisam esse ab Antepaschali jejunio Quadragesimam. Est enim Quadragesima jejunii Dominici imitatio: qui finis ab Antiquorum est Antepaschali jejunio diversus.

Cass. Coll. 21. c. 28.

Anast. Q. 64. B. M. P. t. 9. 1013.

Epiph. Expos. n. 22. 1105.

Theodorit. h. Pat. c. 26.

Hist. Laus. cap. 20. p. 928.

August. Epist. 86.

X. Existit eo loci quæstio subdifficilis, cur *Quadragesima* hoc nominis acceperit. Id enim non minimum admirationis olim effecit in Socrate: *Non mediocris me cæpit admiratio, quâ ratione isti licet de numero dierum dissentiant, omnes eodem modo Quadragesimam appellent.* Præstantissimo Dallæo placuit, *ab horis quadraginta* hanc accersere appellationem: *Ergo*, inquit, *non à dierum, qui nusquam quadraginta apud vetustissimos apparent, sed ab harum potius horarum numero, manasse putaverim illam Quadragesima appellationem.* Horarum XL. scilicet, *quibus sponsus ablatus est.* Verùm enimverò solutioni aqua hæret. Quippe quo tempore Antepaschale jejunium quadraginta horarum limitibus circunscribebatur, nondum exortum erat Quadragesimæ vocabulum, quod in usu tamen esse debuisset, si à XL. horis esurialibus petitum fuit. Ubi verò audiri cœpit in Ecclesia, jejunium ultra horas sanè quadraginta protendebatur. Quæstioni ergo gemina afferri solutio potest. Altera Theonæ est, apud Cassianum: *Tempus hoc quo anniversaria, ut dictum est, decima Deo triginta & sex semis offeruntur, Quadragesima nomen accipit, quod fortasse vel propter hoc visum sit, hoc vocabulo debere censeri, quòd Moses, vel Elias, vel ipse Dominus noster J. Christus quadraginta diebus jejunasse dicitur.* Nec ab illa abludit etymologia Ignatio ascripta ad Philippenses Epistola: *Quadragesimam ne pro nihilo habeatis, imitationem enim continet Dominicæ πολιτείας abstinentia.* Equidem non novum aut inauditum ex prototypo exemplarique peti nomen imagini. Quæ Etymologia Rigaltio placuit atque Valesio. Improbat tamen Beveregius, *quia jejunium Christi, Quadragesima antiquitùs nusquam vocatum fuit.* Quid tum? Fuit tamen dierum quadraginta, quod cum memoria venerarentur & imitatione Christiani prosequerentur, quid absurdi si ex eo quos expers cibi Christus transegit, dierum numero, jejunio suo quærerent appellationem? Quid ni similia simili nomine gauderent? Altera impositi vocabuli Quadragesimæ ratio optimè duci potest, ab eo temporis spatio, quo jejunium observari incipiebat, quod ut plurimum fiebat, quadraginta diebus Paschatis ante solemnitatem. In more quidem positum est, in adjectivis ad numerum pertinentibus, substantivum ἡμέραν, *diem*, intelligere: ut κυριακὴ, *Dominica*, πρώτη, δευτέρα, *prima, secunda.* Sicut ergo *Pentecoste* est Quinquagesima post Pascha, sic *Quadragesima* diem sonat Quadragesimam ante Pascha. Quo tempore communiter incipiebat jejunium. Patres excitemus, qui huic faveant Etymologiæ. Theophilus Alex. *Incipientes Quadragesimam à tricesima die mensis Mechir, & hebdomadam salutaris Paschæ, quintâ die mensis Pharmuti, finientesque jejunia, secundum Evangelicas traditiones vespere Sabbati, decimâ die Pharmuti, & illucescente statim Dominicâ, festa celebremus, undecimâ die ejusdem mensis.* Cùm ergo mensis *Phamenot*, quo decurrebat Quadragesima, dies tri-

Unde ortum Quadragesimæ nomen?

Socr. l. 5. c. 22.

Dall. de Jejun. l. 3. cap. 9.

Cassian. Coll. 21. cap. 25.

Bever. Cod. Can. Vind. l. 3. n. 4. 359.

Theop. Epist. B. M. P. t. 5. 849.

triginta complecteretur, quibus addendi ex mense Pharmuti decem, exurgit sanè quadragenarius dierum numerus, ante Paschatis festivitatem. Illud etiam ex Cassiano perspicuum: *Quid causa est, ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licet in quibusdam Provinciis religionis forsitan propensior cura adjecisse hebdomadam etiam septimam videatur.* Eò quoque pertinet Valentiniani, Valentis & Gratiani Rescriptum *Luciano* Vicario Macedoniæ: *Quadraginta diebus, qui auspicio ceremoniarum Paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.* Quadragesima igitur nomen accepit suum, non à diebus, quibus constabat esurialibus, sed à termino, à quo incipiebat, XL. diebus scilicet ante resurrectionis festivitatem. Quæ causa fuit, cur dissimile jejunium eodem vocabulo donaretur, quia ut plurimum eodem initio gaudebat, licet vario modo à jejunantibus observaretur. Itaque metuimus humani ut passus sit aliquid Clarissimus Dallæus, dum censet Amalarii *Quadragesimas*, longè minori quàm quadraginta dierum includi spatio. Longè verisimilius est, à principio ad finem usque jejuniorum ejusmodi, dies quadraginta cucurrisse. Loquatur Amalarius: *Duas varietates habemus in Ecclesia nostra de jejunio, quod fit post resurrectionem Domini. Aliqui secundum nostrum vulgarem usum statuunt terminum Quadragesimalis jejunii, in festivitate S. Joannis. Illi qui hoc faciunt, non possunt semper terminum hujus Quadragesimæ facere in festivitate S. Joannis. Et ubi terminum ponatur, non est fixum ex Scripturis Sacris, neque ex traditionibus Patrum. Solet aliquoties evenire, ut post Pentecosten dies abundent ad numerum quadraginta dierum implendum usque ad festivitatem S. Joannis; hoc est, quando dies Dominicus Pascha occurrerit in undecimo Calendarum Aprilium, & in decimo supra scriptarum & in nono, & in octavo. Quando in memoratis octavis Kal. Aprilis occurrerit dies Dominicus Paschæ, tunc habendus est dies Pentecostes in II. Idibus Maii. Ab illo die usque in festivitatem S. Joannis Baptistæ, hebdomadæ sex sunt. Et si quis voluerit quadraginta tantummodò diebus intendere, intendat, quando Dominicus dies Paschæ occurrerit in septimo Calend. Aprilis, sive sexto supra scriptarum, & sic poterit adimplere numerum suum inter Pentecosten & festivitatem Joannis.* Jam verò nisi Quadragesima hæc quadraginta diebus constitisset, terminus ejus semper figi potuisset in festivitate Joannis. Dicit etiam Amalarius, evenire quandoque, *Ut abundent dies XL. ad illam usque festivitatem.* Quo quid clarius dici potuit, ad refellendam viri doctissimi sententiam: *Hæc posteriora jejunia, non quadraginta, sed multò pauciorum dierum esse, nemo nescit.* Neque paucioribus diebus constabat D. Martini Quadragesima, teste Rabano: *Et factum est in mense nono, prædicaverunt jejunium in conspectu Domini omni populo in Hierusalem. Hâc ergo autoritate D. Scripturæ, Ecclesia morem obtinuit, & universale jejunium hâc observatione celebrat. Quod tamen jejunium incipiens in nono mense in decimum extenditur, id est, usque ad diem Natalis Domini pertingit.* Cùm Martini festum diebus quatuor & quadraginta Natali antecedat, quidni in eo indici spatio jejunium potuit, quod ad XL. penè dies accederet? Quòd si quis adhùc hæreat, dubitationem removet omnem Capitularium Ludovici Pii: *Iterum admoneant Sacerdotes, ut legitima jejunia tria in anno agantur, id est, XL. dies ante nativitatem Domini, & XL. dies ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten quadraginta dies.* Quod doctissimi viri σφάλμα mirum est impune tulisse, & N. Alexandrum, & Beveregium.

Cassian. Coll. 21. c. 24.

Cod. l. 3. Tit. 12. l. 6.

Amalar. de Eccl. Off. l. 1. cap. 36.

Daill. de Jejun. l. 3. cap. 9.

Raban. de instit. Cler. l. 2. c. 22.

Capit. l. 6. c. 187.

XI. Quibus observatis apparet & promptum est, non ex *materia compositionis*, sed ex *inceptionis termino* nomen suum invenisse Quadragesimam. Hæc est, non eò quòd diebus constaret esurialibus XL., sed quòd ut plurimum initium jejunii in eo die ponebatur, qui erat ante Pascha quadragesimus. Quod numerandi principium illorum fuit, qui labentibus sex hebdomadibus jejunium celebrabant. Accuratè quidem numeranti, dies XLI. reperiuntur, quia prima feria jejuniis eximebatur. Ideoque caput jejunii in die Lunæ collocabatur. Rotundi tamen numeri retinendi causâ, Quadragesima nuncupabatur. Epistola prima Paschalis Theophili hæc habet: *Incipientes Quadragesimam à tricesimâ die mensis Mechir, & Hebdomadam salutaris Paschæ quintâ die mensis Pharmuti, finientesque jejunia secundum Evangelicas traditiones, vespere Sabbati, decimâ die Pharmuti.* Tricesimus Mechir Februarii 24. sibi vindicat, decimus verò Pharmuti in V. Aprilis incidit, quo spatio dies XLI. constituuntur, ex quibus prima septimaque feria non esuriales erant. Ex eo loco conjecturam non obscuram facimus, Paschalem Theophili Epistolam, quæ Quadragesimæ initium ducit à XXX. *die Mechir*, & Pascha statuit *undecimâ die Pharmuti*, scriptam esse anno Christi CCCXCI. Etenim eo anno Festum resurrectionis Dominicæ in sextum Aprilis incidit, qui Alexandrinis dies est XI. *Pharmuti.* Cujus diei solemnitatem indicat Cyclus Sol. 8. littera Dominicalis E. Trigesimus verò *Mechir*, quartus est & vigesimus Februarii, feria secunda. Quæ observatio non est nihili. Quippe Baronius, Bellarminus, Natalis Alexander, aliique complures, ejusmodi sententiæ sunt, Quadragesimam olim diebus XL. esurialibus constitisse. Quin imò Beveregius, ea scripto mandare non veritus est: *Quòd si Quadraginta ante Pascha retrò numeremus dies, exceptis perpetuò Dominicis, quibus nunquam alibi jejunare licuit, in diem vulgò vocatam Cinerum incidemus, quæ est Quadragesima ante Pascha, ac proinde caput jejunii appellari solet.* Indignam viro tam erudito, & aberrationem, & sententiam, quam disertè Theophilus refellit Alexandrinus. Cùm enim Quadragesimæ illiget initium XXX. diei Mechir, quæ anno CCCXCI. secundæ feriæ cohærebat, luce clarius est, in die Cinerum, qui quartæ feriæ affigitur, *caput jejunii* non esse positum, quod ex alio quoque argumento liquet. A die nempe Cinerum, ad usque Paschalem Dominicam, labuntur dies sex & quadraginta, qui reperiri nulli possunt, à trigesimo *Mechir*, ad undecimum usque *Pharmuti*, quo Pascha ab Alexandrinis celebrabatur. Sunt enim solummodò dies XLI. ut à die XXIV. Februarii ad sextum usque Aprilis numeranti palam est. Secunda Theophili Paschalis Epistola, in VIII. Phamenot, initia Quadragesimæ Collocat, finem verò in XVIII. Pharmuthi, hoc est, à Martii IV. ad usque Aprilis XIII. In ea verò dierum summa, triginta tantummodò dies *nelpam* reperiuntur, quibus Quadragesima constabat. Beveregianæ quoque sententiæ falsitatem gravibus adhùc argumen-

Incepe-ritne Quadragesima Veterum à die Cinerum?

B. M. P. t. 5. p. 849.

Bever. Cod. Vind. l. 3. c. 4. n. 5. 361.

ANNO DOM. 152.

gumentis comperimus. Quippe si principium Quadragesimæ Patres ducebant, *à quarta septima hebdomadis antecedentis Paschalem celebritatem feria*, ut ex eo nata sit appellatio *Quadragesimæ*, communis ergo Ecclesiarum fuisset disciplina ejusmodi. Hoc autem longè falsissimum. Hinc orta Germani ad Theonam interrogatio:

Cass. Coll. 21. c. 24.

Quid causa est, ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licet in quibusdam Provinciis religionis forsitan propensior cura adjecisse hebdomadam etiam septimam videatur, cum aliter numerus die Dominico Sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat summam? Sex enim & triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodo concluduntur. Quòd si caput jejunii in die Cinerum fuisset constitutum, non sex & triginta, sed quadraginta diebus ea summa constitisset. Insuper si ne vel ipso *Gregorii* Magni ævo, in more publico positum fuit, Quadragesimæ principium in die Cinerum collocare. Est ne vero simile, quarto seculo Patribus & Nicænis, & Laodicenis, hanc fuisse consuetudinem, ut à Mercurio Cinerum peterent, & caput jejunii sui, & Quadragesimæ appellationem? Atqui certè certoque sciri potest, Ecclesiam Rom. tum jejunandi non tenuisse morem. Doceat ipse Gregorius:

Greg. in Evang. hom. 16.

Dum verò per trecentos & quinquaginta quinque dies annus ducitur, & nos per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, ut qui nobismet ipsis per acceptum munus viximus, autori nostro nos in ejus decimis per abstinentiam mortificemus. Unde, fratres charissimi, sicut offerre ex lege jubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite decimas dierum. Alcuinus qui annis pene ducentis post Gregorium floruit, caput Quadragesimæ in die cinerum non collocavit:

Alcuin. de Divin. Off. p. 238.

Quadragesima incipit a sequenti Dominica, post Quinquagesimam, & finitur quarta feria, ante Pascha Domini. Amalario, cujus ætate à die cinerum incipiebat Quadragesima, verissimè suboluit, additos esse dies quatuor Quinquagesimæ, ut numerus esurialium dierum Quadragenarius evaderet:

Amalar. de Eccl. Off. l. 1. cap. 7.

illud enim occurrit, quòd Sanctus Gregorius tantummodò 36. dies abstinentiæ nobis insinuat Quadragesimalis temporis, forsan quia nondum erant additi quatuor dies à supra dicta feria quarta usque ad Dominicam Quadragesimæ. Anno quidem circiter CCCCXXII. nonnullorum consuetudo fuit, *advenientes Quadragesimæ dies devotiori jejunio prævenire*, ut ex Maximo Taurinensi jam audivimus. Quod quatuor Quinquagesimæ diebus ascribi faciles patimur. Sed ex vocabulo *nonnullorum*, liquet paucorum eam consuetudinem esse, quæ neque Ecclesiam Latinam oppleverit, neque Romanam, quæ annis postmodum ducentis, *triginta sex diebus* contenta fuit. Non debuit itaque Beveregius nobis errorem Bellarmini reponere, quem Hugo Menardus, aliique de Latinorum grege eruditi jam profligarant.

Quadragesima non constabat olim a 40. diebus esurialibus.

XII. Refutatâ de falso Quadragesimæ principio sententiâ, sedem & fundamentum constituimus opinionis nostræ, quòd quadraginta dies esuriales Quadragesima minimè complecteretur. Est tamen nonnullis adhùc argumentis corroboranda. Primùm illud est, quòd multi pro dierum decima habuere Quadragesimam; unde & Cassiano, à vectigalibus petitum id nominis:

Cassian. Coll. 21. c. 28.

Et fortasse ipsa decimatio potiùs quasi ab usu Telonei Quadragesimæ nomen accepit. Ita enim illa publica vulgò exactio vocatur, ut quæ omnia lucri portio Regis exenendis deputatur, quantum & à nobis à Rege omnium seculorum pro usu vitæ nostræ legitimum Quadragesimæ vectigal exigitur. Sic de jejunio sancto Dorotheus:

Dorot. Doctrin. 15. B. M. P. t. 5. 933.

Septem autem hebdomadæ absque Sabbatis, & Dominicis, triginta quinque dies complent, quibus adjecto Sabbato sancto, & medià parte noctis Dominicæ, splendidè crescit numerus dierum, & triginta sex cum dimidio computantur, quæ decima pars est, recte numeres trecentorum sexaginta quinque dierum anni. Trecentorum enim dierum decima pars est triginta, sexagenarii verò numeri sex, quinquagenarii autem dimidius dies. Hæc est decimatio, quam nobis in pœnitentiam & purgationem peccatorum nostrorum Apostoli Sancti consecrarunt. Similiter Capitularium 874. l. 6. Quadragesimam esse dicit, *ubi decimas anni solvimus*; hoc est dies, XXXVI. non quadraginta. Præterea nonnullis Ecclesiis fuit in more positum, diem Jovis jejunio eximere in ipsa celebratione Quadragesimæ, teste Augustino ad Januarium:

August. Epist. 118.

Sit aliquis peregrinus in eo fortè loco, ubi perseverantes in observatione Quadragesimæ, nec quinta Sabbati levant relaxantque jejunium, Non, inquit, hodie jejunabo. Quæritur causa? Quia non fit, inquit, in patria mea. Quæ verba Augustini disputandi ansam præbuere, *dies ille Jovis*, pertinuitne ad omnes hebdomadas Quadragesimæ, vel ad solam sanctam hebdomadam? Ea sanè phrasis est Augustini, ut ad omnes omninò hebdomadas referri debeat. Secùs dici debuit: *Quinta Sabbati hebdomade ultimæ Quadragesimæ.* Aliud sanè sonat, *Quinta Sabbati*, aliud quinta Sabbati ultimæ hebdomadæ. Capiatur tamen mens Augustini de illo solo die, quo in Paschali hebdomada, Cœnæ Dominicæ commemoratio celebrabatur. Unus adhuc dies decimæ temporis est detrahendus, solique supersunt 35. Insuper qui sex hebdomadas ante Paschales dicabant jejunio, illi fuere numerosiores. Qua de re Sozomenus:

Sozom. l. 7. c. 19.

Quadragesimam, alii quidem sex dierum septimanis computant, ut Illyrii & Occidentales, totaque Africa, & Ægyptus ac Palæstina. Quorum plerique non solos dies Dominicos, sed Sabbata quoque Quadragesimæ omnia, excepto uno, abstinentiæ evellebant. Quam Patres Laodiceni immutant disciplinam:

Laod. c. 59.

Quòd non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato & Dominicâ. Expressa quoque sunt verba Augustini ad Hieronymum:

August. Epist. c. 9.

Vellem me doceret benigna sinceritas tua, utrùm simulatè quisquam Sanctus Orientalis cum Romam venerit, jejunet Sabbato excepto illo die Paschalis Vigiliæ. Quibus apparet ab Orientalibus unum solum Quadragesimæ Sabbatum esurialibus diebus includi. Quo casu de sex hebdomadibus dies undecim decedunt. Itaque Alexandrinorum Quadragesima, quæ sex solummodò hebdomadibus constitit, ævo Theophili, plures jejunii habere dies non potuit quàm XXXI. vel si illis omnes Quadragesimalis curriculi feriæ quintæ includantur. Denique varium jejunandi morem exponit Socrates:

Socrat. l. 5. c. 22.

Qui in Illyrico & per universam Achaiam, & qui Alexandriæ degunt, sex ante Pascha septimanas jejunant, idque jejunium Quadragesimam vocant. Alii rursus diversum ab illis morem sequentes, septimâ hebdomade ante Pascha jejunium ordiuntur, ac tres duntaxat septimanas quinque dierum singulas, per intervalla jejunantes, nihilominus hoc tempus ipsi quoque Quadragesimam appellant. Fidem Socratis præstant Sozomenus, & Theophilus Antiochenus, ne testem infirment obtrectatores Novatianismi. Basilius Cilix Nestorianus,

adversus Joannem Scythopolitanum scribens, objicit inter cætera: *Quòd sanctam Quadragesimam, hebdomadarum trium terminis circumscribens, neque avibus hisce diebus abstinebat.* Denique benè multi tribus hebdomadis esurialibus suam Quadragesimam limitabant, Ambrosio teste: *Audio complures, quòd gravius est Fideles, alternis in Quadragesima abstinere, & consecratum illum dierum numerum gulâ intemperanti violare. Hoc est prandere septem dierum curriculo, & septem dierum spatio jejunare.* Porro à vero fortè non abhorret conjectura hæc, quòd à pœnitentium jejunio orta sit Quadragesimæ disciplina. Legimus enim in Canonibus Petri Alex. anno CCCVI. conditis, de iis qui post carceres, flagella, cruciatus, culpæ sacrificandi numinibus succubuerant, quod post triennii fletum *Eis ab accessu per revocationem in memoriam, alii XL. dies injungantur, quos cùm jejunasset Dominus noster J. C. postquam baptizatus fuerat, tentatus est a Diabolo. In quibus & ipsi cùm valde exercitati fuerint, & constantius jejunarint, vigilabunt in orationibus, deinceps meditantes quod dictum à Domino ad tentatorem, Abi retrò Satana.* Quam & pœnitentium disciplinam, ut pietati congruam, Fidelium nonnulli imitatione sunt prosecuti. Ex eo Canone intelligitur, non omnibus impositum fuisse dierum XL. jejunium. Secùs nil proprii pœnitentibus observatum, neque *magis exercitati fuissent, aut constantius jejunassent.*

Phot. Cod. 107.

Ambros. Serm. 34.

Petr. Alex. Can. c. 1.

Fuerintne Sabbata Quadragesimæ esurialia Romæ?

XIII. Cæterùm difficilem in nodum incidimus de dierum Quadragesimalium numero, quem Romana observabat Ecclesia, sedente Leone, anno Christi CCCCXL. Si Socratem, Leoni penè coætaneum, audiamus, solis quindecim diebus constabat ea Quadragesima: *Qui sunt Romæ, tres hebdomadas ante Pascha, Sabbato & Dominico exceptis, simul jejunant.* Socrati fidem astruit clarissimus ille Valesius, autoritate Leonis, cujus verba sic sonant: *Secundâ igitur & quartâ, & sextâ feriâ jejunemus; Sabbato autem apud B. Petrum Apostolum vigilias celebremus.* De Socrate prius dicamus, de Leone postmodum. Eruditissimus Moinius multas adhibet conjecturas, explicando Socratis: *Vel ibi legendum ἐν νέᾳ Ῥώμῃ, in nova Roma, nimirum Constantinopoli, jejunant præterquam Sabbato, & Dominica, per tres hebdomadas ante Pascha. Vel legendum πλὴν Σαββάτῳ κυριακῆς, præterquam Dominica Sabbati, id est, septimana. . . Vel forsan Socrates respiciebat mores antiquos Romanorum, qui unanimi cum Orientalibus consuetudine, à jejunio Sabbati abstinebant & abhorrebant.* Quæ utut solerter excogitata, nodum certè non solvunt. Phrasis Socratis non Σαββάτου κυριακῆς, sed Σαββάτου καὶ κυριακῆς. Et prodigio fuisset, si primâ feriâ Romani jejunassent. Neque emendationes autorum nullâ aut exemplaris autoritate, aut ratione fultæ, admitti debent. De ritibus verò non Antiquis, sed sui temporis agere Socratem, testimonio est verbum præsentis temporis, νηστεύουσι, *jejunant.* Quod autem Constantinopolitanorum, ævo Socratis, Quadragesima, trium spatio hebdomadum comprehenderetur, testibus ostendi debuit, quos utique nescimus. Contrarium quidem docere Sozomenum scimus: *Alii verò septem hebdomadas computant, ut Constantinopoli, & per cunctas in circuitu Provincias usque ad Phœnicem.* Itaque non nobis fas est erroris omnis absolvere Socratem, cùm ægrè persuaderi possit, quinto seculo Romanos prandisse in Sabbatis Quadragesimæ. Certum enim est, extra Quadragesimæ tempus septimam feriam à Romanis jejunio fuisse dicatam. Hoc fatetur & Socrates: *Romæ omni Sabbato jejunant.* Hoc testatur Augustinus, dum Urbicum nescio quem perstringit: *Nam cùm eum argumenta deficiunt quibus probet Sabbato jejunandum, in luxurias epularum invehitur.* Hoc docet ad Decentium Innocentius: *In tantum Apostolos jejunasse sexta & septima feria, ut traditio Ecclesia habeat, isto biduo sacramenta non celebrari.* Quis verò hanc sibi persuasionem induat, Sabbatum quod extra Quadragesimam, eruditi esuriale profitentur, in hilare fuisse mutatum, currente Quadragesimâ, in qua moris erat intendere potius, quàm remittere jejunia? Patres quidem Aurelianenses, anno DXLI. id statuunt: *Sed neque per Sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesima jejunium, nisi tantum Dominico die prandeat.* Quibus accedit, quòd par & ratio fuit Quadragesimæ Sabbatis jejunare, atque aliis septimis extra Quadragesimam feriis. Cujus abstinentiæ hanc Innocentius causam affert: *Non ergo nos negamus sextâ feriâ jejunandum, sed dicimus & Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, & his qui Christum secuti sunt indixerunt.* Tom ergo ex ejusmodi ratione, Quadragesimæ Sabbata omnia, quàm cætera alia jejunio consecrabantur, neque ulla differentiæ causa afferri potest. Idcircò Sozomenus de Romanorum hilaribus Quadragesimæ Sabbatis ne verbulum quidem habet, quo silentio Socratis & error deprehenditur. Patrocinatur tamen Socrati doctissimus Matthæus Larroquanus, quòd Quadragesimæ Sabbata inter & alia, multum esset discriminis. Illa cum vigiliis fuere conjuncta, quarum causâ jejunium relaxari debuit, ne sub onere Romani conciderent. Hæc autem vigiliarum expertia: *Vigilias commemorat Leo, quia earum ergo, jejunium intermittebant, ne qui ad vesperam Sabbati ordiebantur, Vigiliis celebrandis impares fuissent, si totum diem jejunii produxissent.* Iners tamen est ea viri doctissimi conjectura. Etenim ex more jejunandi facilè Veteribus fuit longum inediæ perferre laborem. De jejuniis Epiphanius: *Nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum, jejunia prorogant. Alii totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt.* Autor Constitutionum Apostol. l. 5. c. 17. *Sextâ feriâ & Sabbato, ex toto manete jejuni, qui ita firmis viribus estis, ut ferre possitis, nil prorsus gustantes usque ad nocturnum galli cantum.* De laudibus Asellæ ad Marcellam Hieronymus: *Cùmque per omnem annum jugi jejunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens, tum verò in Quadragesima navigii sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lætante conjungens.* Deinde fas erat vertente Sabbato, famem sitimque depellere cibo. De sanctæ hebdomadæ jejunio Epiphanius: *Præterea sex illos Paschatis dies Xerophagiis, hoc est, arido victu transire populus omnis assuevit, hoc est, panem & sal cum aqua, sub vesperam adhibere.* Denique ut variant mortalium ingenia, atque judicia, in verbis Leonis jejunium deprehendimus, nedum ex iis colligatur, Quadragesimæ Sabbato, à Romanis dicata non fuisse jejunio: *Secundâ*, inquit, *igitur & quartâ, & sextâ feriâ jejunemus. Sabbato autem apud B. Petrum Vigilias celebremus.* Atqui si benè meminimus, Vigiliæ perpetuò jejuniis conjungebantur, etsi à Vigiliis disjuncta forent separataque jejunia. Id est, nullæ erant absque jejunio

Socrat. l. 5. 22.

Leo Serm. 4. de Quadr.

Moin. Observ. p. 871.

Sozom. l. 7. c. 19.

Aug. Epist. 86. & 118.

Aurel. l. 4. c. 2.

Innoc. ad Decent. Ep. 1. c. 4.

Larroq. Advers. l. 1. 158.

Epiph. Exp. fid. n. 22.

Hier. Epist. 15.

junio Vigiliæ, etsi extarent jejunia absque Vigiliis. Cibi quidem abstinentia conducit ad vigilandum. In Paschali hebdomade, quot Vigiliæ, tot jejunia numerantur Epiphanio: *Pervigilia sex obeunt.* Ambrosio pervigilia jejunio vacua non erant: *Ille enim facit Quadragesimam, qui jejunando & vigilando ascendit ad Pascha.* Legatur & Cassianus Collat. 21. c. 25. Ut paucis multa complectamur, ex uno Augustini testimonio certum exploratumque est, diebus Sabbati jejunasse Romanos, vel labente Quadragesimâ. Scribit enim Hieronymo: *Vellem me doceret benigna sinceritas tua, utrum simulate quisquam sanctus Orientalis cùm Romam venerit, jejunet Sabbato, excepto illo die Paschalis Vigiliæ.* Ergo Orientales qui in patria sua omnibus Quadragesimæ Sabbatis, uno excepto, prandebant, morem suum exuebant, dum Romæ versabantur, ac eo tempore cum Romanis jejunabant.

Ambros. Serm. 34.

August. Epist. 19.

De verbis Leonis.

N. Alex. Sec. 2. Differ. 4. 265.

XIV. Ad verba Leonis nunc convertamus animum. Succensuit Hugoni Menardo & Henrico Valesio Natalis Alexander, qui Leonis *loco ducti, quatuor duntaxat hebdomada cujuslibet Quadragesimalis dies, jejunio fuisse consecratos S. Leonis ætate propugnarunt. Gratificari has in parte Dallæo Catholicos Autores, gravissimè ferebam.* Egregium exemplar candoris hujus Monachi, quem malè habet confessio veritatis, qui nil charius, nil antiquius esse debet. Benè est. Quesnellius Oratorii Presbyter, *Manuscriptorum quinque codicum venerandæ antiquitatis & probatæ fidei certiores nos fecit, verba illa Sancti Leonis sermoni fuisse inserta.* Quam & Quesnelli & N. Alexandri solutionem amplectitur Pagius: *Testis est Gregorius Turonensis* l. x. c. 30. *Perpetuum illius urbis Episcopum, qui Leonis æqualis erat, aut suppar, terna in septimana jejunia instituisse, à Martini depositione usque ad Natale Domini, quod posteà in Consilio Matisconensi primo, his verbis confirmatum, ut à feria v. Martini usque ad Natalem Domini, secunda & sexta Sabbati jejunetur, & sacrificia Quadragesimali debeant ordine celebrari. Hinc sumpta illa verba, in quibus explicandis ante Quesnellum frustrà sudatum est.* Verum enimverò nondum demonstratum, verba de quibus agitur, inserta esse Leoni. Esto non reperiantur in quinque vetustissimis codicibus, quis fidem præstabit omissa non fuisse, quòd dissentiebant ab illo more, quem Leonis ævo Romani tenebant? Equidem Micrologus ea verba Leoni vindicat: *Decernendo admonet, ut infra eandem hebdomadam quartâ & sextâ feriâ jejunetur, & Sabbato apud S. Petrum Vigiliæ celebrentur. Quem denuntiationis modum penè in omnibus suis sermonibus obtinuit, cùm jejunia 4. temporum denuntiaret.* Fatemur tamen, non ad sermones de Quadragesima, sed ad illos de jejuniis Quatuor temporum, referri à Micrologo. Itaque pugnare nolumus, quin ex sermonibus Leonis de Quatuor temporibus, in illos de Quadragesima migrare potuerint. Quod multò probabilius est, quàm ex institutione jejuniorum à Perpetuo Turonensi sancita manasse.

Pag. Crit. an. 57. n. 2.

Microl. de Eccl. Observ. c. 25.

Manarit-ne a Apostolis Quadragesima?

XV. Præcipuum verò materiæ caput, utrùm Apostolorum autoritate constituta sit Quadragesima? Ac Latinis quidem solemne est, Quadragesimæ institutionem Apostolis vindicare. Novum verò & inauditum, purioris disciplinæ alumnos hanc tueri sententiam, quod scriptis editis fecit Beveregius: *Haud*, inquit, *ausus sum dubitare, quin Quadragesimale ante Pascha jejunium, ab ipsis Apostolorum temporibus, in Ecclesia obtinuerit, adeòque aliquali ipsorum traditioni jure meritissimo acceptum referatur.* Quæ sententia si obtinet, Scriptura è perfectione excidit sua, in qua lex Quadragesimæ, & observatu necessaria, & informandis moribus idonea desideratur. Ac meritò ab eruditissimo Quadragesimæ patrono quæri posset, Quid causæ fuerit, cur Moses de solemni Judæorum jejunio legem conscriberet; Apostoli verò piam de Quadragesima præscriptionem scripto mandare noluerint? Quod si fecissent, hoc profuturum erat, traditionis ejusmodi & autoritati, & conservationi. Res tamen aliis argumentis doceatur. 1°. Cùm fideles omnes quantâcunque pietate polleant, ferendis longis jejuniis pares idoneíque non reperiantur, incredibile est omninò, Apostolos eam sanxisse legem, quæ ab omnibus observari non posset. Qui Jove frigidiore utuntur, longæ laborem inediæ perferre nequeunt; quod de Gallis Sulpitius observat Severus: *Eramus autem nos quatuor, ipse erat quintus, ad hæc subridens ego ad Gallum meum. Quid, inquam, Galle, placetne tibi prandium, fasciculus herbarum, & panis dimidius; viris quinque? Tum ille, sicut est verecundissimus, aliquantulum erubescens, dum fatigationem meam accepit, Facis, inquit, Sulpiti, tuo more, qui nullam occasionem, si qua tibi porrecta fuerit, omittis, quin nos edacitatis fatiges. Sed facis inhumanè, qui nos Gallos homines cogis exemplo Angelorum vivere. Quanquam studio manducandi etiam Angelos manducare credam.* In eodem quoque Dialogo id profitetur: *Edacitas in Græcis gula est, in Gallis natura.* Sunt etiam multi, quibus viget pietatis amor, qui corporis imbecillitate à longa abstinentia prohibentur. Quod & apertè docent Constitutiones Apostolicæ, l. 5. c. 17. quarum verba exscripsimus. Addantur & illa l. 5. c. 18. de magna Paschatis hebdomada: *Reliquis diebus ante sextam feriam, edite horâ nonâ, vespere, aut pro ratione virium, ut quis potest.* Cùm itaque probè tenerent Apostoli, ex soli, cælique varietate, varia etiam esse temperamenta, quibus largiora præbenda sunt alimenta, fuissetne rationi consentaneum, æquè omnibus imponi Quadragesimæ disciplinam? Deinde si ab Apostolis manasset Quadragesima, unum idemque jejunii caput, stato diei affixissent, & exemplo, & præcepto suo, quomodo Moses olim Tisri decimo, Judæorum jejunium illigavit, cæterasque solemnitates in certis initiis constituit. Varia autem fuisse initia Quadragesimæ, auditum nobis est ex Cassiano, Socrate, Sozomeno. Neque initium jejunii modò, verùm etiam esurialium dierum numerum determinassent, eique finitores facti fuissent Apostoli. Quanta verò differentia erat in principio jejunii, tanta fuit in tempore jejunandi dissimilitudo, nonnullis triginta sex, quibusdam 35, aliis octo & viginti dierum spatio, suam includentibus Quadragesimam. Est etiam locus Origenis observatu dignissimus: *Quia non quod intrat in os inquinat hominem, & cibus nos Deo non commendat, non magni facimus abstinentiam ciborum ejusmodi.* Est tamen magni facienda, si à Spiritu S. Apostolisque imposita fuit.

Brever. Vind. l. 3. c. 9. n. 1. 412.

Sulp. Dial. 1. c. 2.

Origen. in Cels. l. 5. 264.

XVI. Illud etiam optimè considerandum, quòd qui nullâ cogente necessitate, quadraginta dies jejunando non transigissent, gravissimi sese sceleris alligassent, utpote qui Legem perfregissent Apostolicam. Quod tamen impunè & absque labe ulla peccati factum fuisse scimus, atque tenemus. Audiamus Chrysostomum: *Consuetudinem*

Libera erat observatio Quadragesimæ.

Chrysost. ad Pop. Antioch. hom. 16.

tudinem omnes habent, per Quadragesimam interrogare, Quot quisque septimanas Quadragesima jejunavit, & dicentes audire licet, hos quidem quòd duas, hos verò quòd tres, illos autem quòd omnes jejunaverunt septimanas. Et quod lucrum, si rectè factis carentes, jejunium transegerimus? Si alius dicat, Totam jejunavi Quadragesimam, tu dic, Inimicum habebam & conciliatus sum; habebam detrahendi consuetudinem, & destiti; jurandi tenebar usu, & mos improbus mihi correctus est. . . Si ciborum jejunium jejunemus, praeteritis XL. diebus, praeterit & jejunium. Si verò peccatis abstineamus, & transacto jejunio illud remanet & continuum erit. Quærimus ab iis qui institutionem Quadragesimæ ascribunt Apostolis, Quid causæ sit, cur hodie nullus sit locus interrogationibus ejusmodi: *Quot quisque septimanas Quadragesima jejunavit?* Cur responsio nulla hujus similis, *Ego duas hebdomadas jejunavi.* Hæc una ratio est, quòd Ecclesia Antiochena ejusmodi sententiæ erat, nullam ab Apostolis impositam esse Quadragesimæ Legem. Latini verò persuasum habeant, Quadragesimalem disciplinam ab Apostolis manasse. Tunc consuetudo libera, quam quisque pro libitu, facultateque observabat. Hodie verò certa quædam & definita lex est, quam sequi oportet. Illud faciles largimur eorum, qui binas solas hebdomadas Quadragesimæ jejunabant, aliquos eo substitisse ob corporis imbecillitatem. At hinc colligimus, Apostolos non illam sanxisse legem, quæ viribus priorum omnium non foret attemperata. Quod etiam apparet ex verbis Dionysii ad Basilidem: *Si qui autem, qui non superpositis modò, sed ne jejunatis quidem vel etiam in delicatis apparatisque conviviis consumptis praecedentibus 4. diebus, ad duos extremos, eosque solos dies cùm venerint, illis a se ciba non gustato superpositis parasceve & Sabbata, magnum quid & egregium se fecisse existimant, si ad auroram usque permanserint, non existimo eos aeque certamen subiisse cum iis qui pluribus se diebus exercuerunt.* Quàm frigidè, si Quadragesimæ lex est promulgata ab Apostolis? Non enim de gloria modò concessissent aliis, qui pluribus se diebus abstinentiæ dicarant, verùm etiam in gravissimum scelus incidissent, utpote qui rebellionem luxu cumulassent, eo præcipuè tempore, quod longè solemniori temperantiâ colebatur. Itaque Dionysius eos damnasset impietatis.

Varietas ciborum in Quadragesima.
Socr. l. 5. c. 22.

XVII. Nostris accedat argumentis in observanda Quadragesima, varietas illa ciborum, cui intercessisset Apostolica constitutio, à qua genus alimentorum non minus quàm abstinentiæ tempus præscribi debuit: *Neque verò in dierum numero dumtaxat, verùm etiam in ciborum abstinentia discrepare inter se reperiuntur. Nam alii quidem ab animatis penitus abstinent. Alii ex animantibus pisces solos comedunt. Nonnulli cum piscibus etiam avibus vescuntur. . . Quidam ab omni arborum fructu, & ab ovis abstinent. Quidam solo vescuntur pane, alii ne hoc quidem utuntur. Nonnulli usque ad horam nonam jejunantes, quovis postbac ciborum genere utuntur absque discrimine.* Quam utique dissimilitudinem removisset Apostolorum præscriptio. Variæ ergo originis argumentum est varietas hæc, cùm ab uno principio unitas efflorescat disciplinæ. Septimo seculo, in Armenia liber usus erat ovorum, caseorumque tempore Quadragesimæ, quod Trullense Concilium inhibet: *Accepimus in Armeniorum Regione, & in aliis locis, in Sabbatis & Dominicis S. Quadragesima, quosdam ova & caseum comedere. Visum est ergo ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in toto terrarum orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat, & abstineant sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis & caseo: quæ quidem sunt fructus & fœtus eorum à quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverit, si sint Clerici deponantur, si Laici segregentur.*

Concil. Gener. 6. c. 56.

Post Concilium nonnulli libertatem retinuere suam. Meminit enim Beda viri pii, nomine Cedda, qui, *cunctis jejunii diebus, quod ad vesperam usque, juxta morem protelabatur, nisi per modicum panis, & unum ovum gallinaceum, cum parvo lacte, aquâ mixto, percipere de more habuisse.* Græcorum quoque hæc est expostulatio de Latinis: *Septimanam edulio casei dicatam non agnoscentes, carnes comedunt. Secundâ die Jovis, ova, caseum, & lac manducant, a quibus minimè per totam Quadragesimam suos pueros prohibent.* Legatur & ea de re apud Dacherium Ratramni liber quartus contra Græcos. Testatur etiam Zaga Zabo, quòd & in regno Bernagues & Tigrimahon, *Indigenæ ex veteri consuetudine, carnibus in diebus Sabbati & Dominicis Quadragesimalibus vescuntur.* Quibus apparet atque extat, a privatorum institutis exortam esse Quadragesimam. Quæ consuetudo, cùm speciem pietatis haberet aliquam, primùm opplevit Ecclesiam, dein in legem abiit non impunè violandam, constituta non Ecclesiastica modò, sed politicis quoque pœnis, atque suppliciis, ut à nobis observatum ad annum Christi XXIX.

Bed. Hist. Angl. l. 3. c. 23.
B. P. t. 4. p. 1303.

Veterum multi negant Quadragesimam esse Apostolorum.
Vict. in Marc. B. M. P. t. 4. 375.

XVIII. Neque nostræ deest sententiæ Antiquitatis præsidium. Insignia extat ea de re locus apud Victorem Antiochenum, ad caput secundum Evangelii Marci: *Enimverò inter eos, qui in Moysi, & eos rursum qui in Lege gratia, jejuniis dant operam, hoc præter cætera interest, quòd illi quidem jejunia à Deo præfinita habebant, quæ proinde modis omnibus explere obligabantur, etiamsi alias noluissent. Hi verò virtutis amore, liberâque voluntatis electione jejunant, verius quàm ullâ omnis legis coactione. Quòd si verò Quadragesimale, vel aliud quodcunque jejunium definitum habemus, propter ignavos & negligentes, quo nimirum officium faciant præfinitum, habemus. Studiosi namque pietatisque deditis, certo animi consilio propensâque voluntate jejunium illud persolvunt magis, quàm ulla omninò legis aut præcepti vi compulsi.* Quòd si legem de Quadragesima Apostoli tulerunt aliquam, nulla erit instituta à Victore oppositio. Æque jejunia *à Deo præfinita* habebunt Christiani, atque Judæi, cùm divina sit ea lex, quam Ecclesiæ Apostoli imposuerunt. Neque definita erit *propter ignaros & negligentes* modò, sed & maximè propter pios & sanctos Quadragesima. Neque Apostolis ascribit Quadragesimam Cassianus: *Sciendum sane hanc observantiam Quadragesimæ, quamdiu Ecclesiæ illius primitiva perfectio inviolata permansit, penitùs non fuisse.* Quibus accedit Socrates, cujus verba sunt gravissima: *Et quoniam nemo scriptum de hac re præceptum proferre potest, apparet Apostolos arbitrio cujusque ac voluntati permisisse, ut unusquisque quod bonum est, suâ sponte, non metu ac necessitate perageret.* Denique illi, qui Quadragesimæ institutionem Telesphoro vindicarunt, Anastasius, Amarius, Rabanus, &c. Apostolorum esse inficiantur.

Cass. Coll. 21. c. 30.
Socr. l. 5. c. 22.

Respondetur Patribus qui Apostolis ascribunt Quadragesimam.

XIX. In nostram tamen sententiam è Veteribus excitant testes, Baronius, Beveregius &c. Hieronymum ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam, secundum Traditionem Apostolorum, toto anni tempore nobis congrua, jejunamus.* Cui

auto-

Anno Dom. 152.

autoritati respondet Dallæus: *Hieronymum loqui de Quadragesima non jejunio, sed unitate.* Quam nos quidem solutionem non capere ingenuè profitemur. Quippe unitas Quadragesimæ ab Apostolis manare non potuit, quin ab illis etiam oriretur Quadragesima, cujus unitas in proprio subjecto residet. Itaque si non constituere Quadragesimam, ejus neque unitatem non instituerunt. Qui verò Quadragesimæ unitatem constituerunt, Quadragesimam & instituisse, saltem probabile censentur. Objicitur etiam autoritas Leonis, quæ disertior est, quàm de ejus sententia dubitetur: *Apostolica institutio quadraginta dierum jejunio impleatur.* Denique profertur Petrus Chrysologus: *Si ergo quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis, sub tanti numero sacramenti traditum nobis a Domino jejunium perdocetur, unde ista varietas?* Multa sunt quæ hisce testibus reponamus. Primùm traditionem Apostolicam latissimè à Patribus sæpenumerò usurpari, scribente ad Lucinium Hieronymo: *Unaquæque Provincia abundet in sensu suo, & præcepta majorum, leges Apostolicas arbitretur.* Epiphanius de Synaxibus: *Porro conventus & Synaxes ab Apostolis instituta sunt, his potissimum diebus, quartâ sextâque feriâ.* Eusebius quoque *vigilias* Apostolicæ Traditioni vindicat. Quis vero jure contendat, & Vigilias, & Synaxes dierum Mercurii Venerisque esse ab Apostolis institutas. Deinde si ejusmodi opinionis fuere Chrysologus Leo, Hieronymus ab Apostolis manasse Quadragesimam, alios his Patribus opponimus, qui diserte inficiantur. Itaque in disceptationem quæstio est adducenda, ponderandaque argumenta, quorum efficaciâ vincemus, cùm in solis Veterum nonnullorum testimoniis, non rationibus stet adversæ sententiæ præsidium. Denique Patrum, qui Quadragesimam negant esse institutionis Apostolicæ, major est in ea re autoritas, quia proclive potius consuetudinibus Ecclesiasticis insignem Apostolicæ Traditionis imponere titulum, quàm illis detrahere observationibus, quæ verè sunt Apostolicæ. Laudatis exemplis addamus & aliud. Scribebat ad Rusticum Leo: *Alienum est à consuetudine, ut qui Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica Traditione descendit.* Certo tamen certius est, Apostolicam hanc non fuisse traditionem, cùm vel in Ecclesia R. Episcopis Presbyterisque publica olim pœnitentia imponeretur. Non igitur sine causa à Viris doctissimis, Quesnellio Pagioque observatur, *Familiare esse Leoni, ut cùm de Apostolica Traditione sermonem habet, de ea loquatur, quam ab Apostolo Petro Ecclesiæ Rom. relictam esse putabat.* Quod etiam de Quadragesima ingerimus. Est enim Apostolicæ Traditionis criterium, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus denique Patribus pro tali habeatur. Porro injucundum fortè non erit, ex Bracarensibus audire, quo ritu anno DLXXII. jubeant Quadragesimæ initia celebrari: *Introitum Quadragesimæ nullus ignoret: in cujus principio convenientes in unum, vicina Ecclesia, per triduum cum Psalmis per Sanctorum Basilicas ambulantes, celebrent Litanias. Tertio autem die, celebratâ horâ nonâ, sive decimâ missis, dimisso populo, præcipiant Quadragesimæ servare jejunia, & mediante Quadragesimâ, ex diebus viginti baptizandas infantes ad exorcismi purgationem afferri.*

Daill. de Jejun. l. 3. c. 2.

Chrysol. Serm. 66. Hier. Ep. 28.

Epiph. Expos. n. 22.

Pag. Crit. an. 67. n. 15.

Bracar. 2. c. 9.

XX. Telesphoro successit Higynus, quem decimâ tertia mensis Januarii anni CLII. in locum defuncti suffectum fuisse, tradit Baronius: *Ajunt natione fuisse Græcum, de Athenis, ex Philosopho.* Quæ Chronologia, series est erroris atque continuatio. Diu ante annum Christi CLII. Pontificatum inierat Higynus. Primum Episcopatus ejus annum cum Christi CXXXVII. copulat Pagius. Cujus tamen sententia contradictionis absolvi nequit. Defuncto enim Higyno, Romam venit Marcion, qui jam familiam habebat in urbe, cùm anno Christi CXXXIX. Antonino Pio oblata est Justini Apologia. In Interpontificio, quod Pium inter & Higynum interjectum est, Marcion fidem in Ecclesia R. mentiebatur, nec in sectæ caput abiit, nisi post aliquot annorum spatium. Sedebat ergo Pius successor Higyni, imperium adhuc retinente Adriano. Si clariss. Pearsonio credimus, sedit Higynus ab anno Dom. CXXII. ad CXXVI. si Dodwello à CXXIII. ad CXXVII. Quantum ad nos pertinet, errores qui in Pontificum Chronologiam invaserunt, refellere laboramus, generatimque tempus quo vixerunt assignamus. Annos verò sigillatim exhibere, ac cum illis Cæsarum copulare non tentabimus, cùm via absit à temeritate, ea definire, quæ non satis exploratè cognita sunt atque perspecta. Illud nobis persuasissimum, anno Dionysiano CLII. Anicetum plures annos jam in Pontificatu transegisse.

Anno Dom. 152.

Higynus Papa.

XXI. Excessisse martyrio Higynum tradit Baronius in Annalibus, anno CLVIII. & in Martyrologio Romano XI. Januarii celebratur *Natale Higyni, qui in persecutione Antonini, gloriosè martyrium consummavit.* Quod autoritate non Eusebiani Chronici modò, sed & *aliorum omnium* testimonio confirmari docet illustris Purpuratus, notis ad Martyrologium. Egregiè tamen fallitur. De Higyni martyrio ne verbulum unum habet Eusebius, vel in Chronico, vel in Historiâ. Neque legitur etiam aut in Martyrologio Rosuedi, aut in veteri Bucheriano Catalogo. Adonis in Martyrologio hoc solummodò continetur Jan. decimo: *Natale S. Higyni Papæ, qui sedit Romæ annos quatuor.* De martyrio ne γρῦ quidem. Onuphrius sanè Higynum Martyribus eximit, Annotationibus in Platinam: *Higynus & Pius, in optimi Principis Antonini Pii tempora inciderunt; quem & persecutiones in nos cohibuisse, & Christianis æquum fuisse, refert in Epitome Dionis Xiphilinus. Martyrii insuper ipsorum nulla in Damasi libro mentio est.* Higyni martyrium potentissimè refellit Irenæus. Cùm enim de morte cruenta Telesphori silentium non egerit, non magis etiam præteriisset Higyni pro fide supplicium, dum de ejus Episcopatu, post illum Telesphori continuò commemorat. Quo hanc ducimus conjecturam, post extinctam ab Adriano persecutionem, Episcopatum inivisse Higynum, ac tranquillo vivendi confecisse curriculum.

Fueritne Martyr Higynus?

XXII. Geminæ Higyni circumferuntur Epistolæ. Prima quatuor capitula complectitur. De missione filii à Patre. 2°. De causis Episcoporum. 3°. De criminationibus majorum. 4°. De peregrinis Judiciis. Scribitur *cunctis in Apostolica fide, & doctrina degentibus.* Data est 17. *Kalendas Octobris, Camerino & Magno Coss.* Impostorem arguit vel una subscriptio. Hæc Camerini quippe Magnique Consulatus incidit in annum Christi CXXXVIII. quo tempore Higynus jam mortis solverat debitum. Capite primo dimidia

Epistolæ Higyni subditæ.

Anno Dom. 152.

pene pagina, totidem verbis ex Idacii Clari adversus Varimadum libro exscripta est. Componatur Idacius t. v. B. M. P. pagina 728. G. H. cum Pseudo-Higyni Epistola. Capite secundo prohibetur, ne *Metropolitanus ullus absque caeterorum omnium Comprovincialium instantia aliquorum audiat causas*, quasi verò sedente Higyno, extitissent Metropolitani. Capite quarto, ex Ennodio Ticinensi, qui circa annum 503. floruit nonnulla proferuntur. Secunda Higyni Epistola, Atheniensibus scripta est, quos hortatur, *ne vitam cum infidelibus ducant*. Data est x. Kal. Martii Magno & Camerino Coss. Idcòque alteri veluti tempore prior, præponi debuit. Penè tota constat consutis Scripturæ locis. Negat, *Apostolicæ sedis jussionibus inobedientem*, posse suscipi. Mirum fraudes ejusmodi, defensores aliquos invenisse.

Anno Dom. 153.

Anno U. C. 906. Olymp. 233. Per. Jul. 4866. Jul. 198. Dom. 153. Antonini 15. & 16. *Sol.* 22. A. *Lun.* 2. *Indict.* 6. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 7. *P.* 26. *Mart.*

Coss. C. *Bruttius Præsens*, & A. *Junius Rufus.*

Bruttius Præsens.

I. Viri eruditissimi Onuphrius, Calvisius, Capellus, notam addidere numeralem præsentis Consulatui. Nempe Bruttius ille Præsens, qui anno cxxxix. Consulem ordinarium egerat cum Antonio Pio, pro uno eodemque viro habetur cum Rufi collega. Sunt tamen inscriptiones, quibus uterque Præsens distingui debet. Prior inventa Romæ in horto Barberino, à Sponio in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis profertur: C. Bruttio Præsente, Aulo Junio Rufino Cos. Aliam suppeditat doctissimus Norisius, in Epistola Consulari, quæ ut illa prior, notâ numerali caret. Documento Bruttium Præsentem, qui annum aperuit, dispersum esse ab illo Bruttio Præsente, qui Pio collega fuerat.

Verus Quæstor creatur.

II. Hactenus L. Verus privatum egerat, nec in Senatu ante Quæsturam sederat, neque in itinere, cum Pio, sed cum Præfecto Prætorio vectus fuerat. Currente anno, Quæstor factus, populo munus dedit, mediusque inter Antoninum, & Marcum resedit: *Post Quæsturam, statim Consul est factus, cum Sextilio Laterano.* Quod munus anno proximè secuturo gessit. Quæstura & ædilitas curulis, veluti januæ erant, per quas aditus cuivis patuit ad Senatum.

Capit. Ver. c. 3.

Appianus Historicus.

III. Imperante Pio, Appiano Historico vita etiamnum morabatur: *Hic genere Alexandrinus fuit. Romaque initio causas egit. Mox dignus habitus, qui Imperatorum nomine Provinciam administraret.* Romanam scripsit historiam, quæ Imperatoria vocatur. Auspicabatur ab Ænea & à Romulo urbis conditore, accuratè singula persecutus, perduxerat ad Augustum ita sparsim, & in transcursu usque ad Trajanum. Stilus illi tenuis ac minime redundans, sed historiam quoad ejus fieri potest, veram texit, & militaris disciplinæ, si quis alius enarrator est. Hoc est de Appiano Photii judicium.

Phot. c. 57. 51.

Polycarpus Romam venit.

IV. Hoc anno Romam contendisse Polycarpum, Græco in Chronico Eusebius docet. Autor quidem Chronici Alexandrini, in Tertulli Sacerdotisque Consulatum, annum scilicet Christi clviii. hunc Polycarpi confert adventum. Nobis tamen anteponenda videtur Eusebii Chronologia. De Sancto Martyre ex Irenæi ad Victorem Epistola, hæc inducit in Historiam Eusebius: *Et cum beatissimus Polycarpus, Aniceti temporibus, Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt, de hoc capite*, die nimirum celebrandi Paschatis, *non magnopere inter se contendentes. Neque enim Anicetus, Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuò observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est, ut observaret cum Anicetus eorum qui ante se fuerant Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret. Quæ cùm ita se haberent, communicarunt sibi invicem. Et Anicetus in Ecclesia, Polycarpo concessit Eucharistiam, tandemque in pace à se invicem discesserunt, tam iis qui observabant, quàm illis qui minimè observabant, pacem communionemque retinentibus.* Quibus emendandus est error Sozomeni: *Exortam olim de Paschate controversiam, sapientissime dissolvisse mihi videtur Victor, tunc temporis Romanorum Episcopus, & Polycarpus Smyrnæus.* Quæ non *Victorem* spectant, *sed Anicetum*. Dicit enim Sozomenus: *Decreto communi singuli ut consueverant, festum agentes, à mutua communione non recesserunt.* Atqui communionem Victor Asianis renunciavit, & Polycrati. Dum Romæ versabatur Sanctus ille Martyr, ex Valentinianis Marcionitisque benè multos, ad Ecclesiam revocavit. Et cum ei Marcion aliquando occurrisset, dixissetque *Agnosce nos*, respondisse fertur, *Agnosco te primogenitum Satanæ*. Hinc Baronianæ & de Romanis & de Polycarpi Episcopis, Romam adventu, Chronologiæ fallitas refelli potest. Annus enim, quo sedente Aniceto in urbem se contulit Polycarpus, Pii erat Imperatoris sextus & decimus. Quem Sancti Martyris adventum anno Christi clxv. illigavit Baronius, duodecennii metachronismo. Assentitur & Eusebio Hieronymus: Polycarpus *propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam regente Aniceto Romam venit.*

Euseb. l. 5. c. 24.

Soz. l. 7. c. 19.

Euseb. l. 4. 14.

Quamobrem in urbem se contulit Polycarpus?

V. Quibus verò de causis, relictâ Smyrnâ, Romam petierit Polycarpus, non omnino exploratum est. In urbem venisse, *ut dissidia quæ de tempore celebrandi Paschatis essent oborta, componeret*, statuit Baronius. Cui tamen opinioni auxilium frustra quærit ex Irenæo. Quippe nil dissidii hactenus fuerat inter Ecclesias, de die Paschatis. Morem unaquæque observabat suum, illæsâ concordiâ. Quam in rem testis est Irenæus, ad Victorem Epistolâ: *Sed & Presbyteri illi, qui ante Soterem Ecclesiam, cui tu nunc præes, gubernarunt, Anicetum dico, & Pium, & Hyginum, cum Telesphoro & Xysto, neque ipsi unquam observarunt, neque his qui cum ipsis erant, ut id observarent permiserunt. Ipsi tamen cùm hoc minimè observarent, pacem nihilominus colebant, cum iis, qui ad se venissent ex Ecclesiis, in quibus id observabant.* Vincula charitatis primus divulsit Victor, nimio suæ consuetudinis amore. Adventus ergo Polycarpi ansam potius præbuit Aniceto & Polycarpo, ea de quæstione tractandi, quam Quæstio hæc in causa fuit, quamobrem Smyrnensis Episcopus in urbem tenderet. Tanti sanè non erat quæstio hæc, ut senex ætate multâ provectus, Ecclesiam relinqueret suam. Fatemur tamen secundum Eusebium, hæc scripto pro-

An. 167. n. 8.

Euseb. l. 5. c. 24.

ANNO DOM. 153.

prodidisse Hieronymum, Polycarpus *propter quasdam super die Pascha quæstiones Romam venit.* Quod pace Hieronymi, atque Eusebii, non satis ad mentem quadrat Irenæi, quidquid doctissimus moliatur Tentzelius, ut *id eliciat ex contextu* Sancti Patris. Etenim si pacem Ecclesia Romana colebat cum Asiaticis, non obstante disciplinæ de die celebrandi Paschatis discrimine, nil prorsus quæstionis ea de re fuit, quòd Polycarpum in urbem migrare cogeret. Legationes ejusmodi, quæ suscipiuntur ut componantur animi fluctus, eò tendunt, ut obortæ lites sedati possint, quæ nullæ tum de Paschate constituebantur. Iterum loquatur Irenæus: *Verùm illi ipsi qui te præcesserunt Presbyteri, quamvis id minimè observarent, Ecclesiarum Presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt.* Itaque colloquium quod ea de causa Polycarpum inter & Anicetum institutum est, subortum potius ex adventu fuit, ne dum adventui causa foret. Eò igitur propendet animus, ut præcipuus finis profectionis Polycarpi Romam, ad Hæreticorum emendationem collimarit. Quorum benè multi, tanti viri, qui Apostolis familiaris fuerat, autoritate permoti, ad frugem redicrunt.

Polycarpo concesseritne Anicetus Eucharistiæ consecrationem?

VI. Est porro controversia inter eruditos non minima, quid sibi velint verba Irenæi. In Ecclesia Anicetus *παρεχώρησε τὴν εὐχαριστίαν.* Vertit Valesius: *Anicetus in Ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causâ concessit.* Cujus ad opinionem accedunt viri magni nominis. Aliis tamen displicet, qui etiam inter eruditos eminent. Vellemus quidem Polycarpo, concessam in Ecclesia Rom. fuisse facultatem, consecrandæ Eucharistiæ. Id tamen sonare non videtur Irenæus, ut Clarissimus observat Moynius, in Prolegomenis ad varia sacra: *Certè si diceret Irenæus, εὐχαριστίαν προσφέρειν, ἐπιτελεῖν, εὐλογεῖν, vel παρεχώρησεν εὐχαριστεῖν, nulla foret difficultas, nec dubitandi vel minimus scrupulus. Sed παραχωρεῖν εὐχαριστίαν, pro Jus concedere Eucharistiam celebrandi, est locutio tam peregrina auribus meis, ut vel alterum exemplum, apud bonos autores inveniri posse desperem.* Doctissimus tamen Tentzelius, locutionis exempla quærit. Neque inficias imus, παραχωρεῖν non respuere vim concedendi. Illud verò non quærimus. Id unum nobis est peregrinum, quod εὐχαριστίαν, sonet peractam à Præside sacramenti consecrationem. Adducit quidem verba Justini ex Apologia, quæ secunda vocatur, *καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.* Frustra tamen nostro judicio, hoc in Justini loco innititur, cùm non *activam*, sed *passivam*, ut aiunt, signorum consecrationem Sanctus ille Martyr significarit. Non actum celebrantis, sed effectum, quo panis & vinum induunt sacramenti naturam. Neque alio capi modo potest vox εὐχαριστία, quàm pro ipso sacramento, in tota hac Irenæi Epistola, πέμποντες εὐχαριστίαν, non est, jus tradiderunt conficiendi sacramentum, sed *Eucharistiam transmiserunt.* Quid Polycarpo concessum sit, discamus ex clarissimo Petro de Marca: *Ἐντροπῇ in eo versabatur ex mea sententia, quòd Anicetus sacramenta non misisset domum, sed Polycarpo permisisset iis participare contra cancellos. Malè enim interpretes hunc locum ad celebrationem Liturgiæ ab Aniceto permissam trahunt, quemadmodum annotavit vir doctissimus, cujus censura hâc nostra observatione & Canone Arelatensi confirmatur.* Vir ille doctissimus est Franciscus Florens, ad titulum de translatione Episcop. Quòd si diligenter attendatur, non minimus sanè honos Polycarpo concessus est, cui non missa quidem Eucharistia, sed de quibusdam capitibus vel dissidenti tradita est, & ab Aniceto, & in Ecclesia totius orbis celeberrima. Hoc erat & magnum fidei vinculum, & concordiæ & charitatis tessera. Itaque cùm Episcopus Pergæ *Jovianus*, qui exiguo tempore communionem Arianorum admiserat, Antiocho manum imponeret, ex consecrantium numero, illum removeri jussit Antiochus, *Negans se dextram illam ferre posse, quæ sacramenta per blasphemiam confecta suscepisset.* Eò quoque pertinet Chrysostomi de Theophilo ad Innocentium expostulatio: *Ecclesiam non adiit juxta morem hactenus observatum, neque nobiscum congressus est, nec particeps nos fecit sermonis, non precum, non communionis.* Quærimus etiam inter exempla, ante Arelatensem Synodum, anno CCCXIV. celebratam, quòd peregrinis Episcopis consecrandi munus permitteretur. Verba sunt Canonis XIX. *De Episcopis peregrinis, qui in urbem solent venire, placuit eis locum dari, ut offerant,* ex quibus intelligitur hactenus in aliena Ecclesia offerendæ Eucharistiæ expertes fuisse. Concessam tamen Polycarpo Eucharistiæ consecrationem, ex Justino probari contendit Tentzelius: *Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam, pro eo quòd nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur.* Hinc colligit vir acutissimus munus Aniceti, qui προεστὼς erat, & Episcopus, *Tantùm in consecratione constitisse, minimè autem in distributione, quam Justinus Diaconis ascribit.* Nobis tamen est incredibile, nullas Episcopi partes fuisse in Eucharistiæ distributione, cùm ævo Justini, Christi imitatores existerent, qui corporis sui sacramentum dederant Apostolis. Et in populosis Ecclesiis, quibus permulti præficiebantur Presbyteri, non id Diaconorum sortis erat, ut consecratam ab Episcopo Eucharistiam Presbyteris porrigerent. Etenim Eucharistiæ dispensatio, actus est vel præstantiæ majoris, vel saltem æqualitatis, recipientis respectu, cùm inferioris non sit, se in Ecclesiasticis majori distribuere sacramenta: sunt autem Diaconi minores Presbyteris. Idcirco secundi Arelatensis Concilii c. 15. sancit Diaconi *corpus Christi, præsente Presbytero tradere non præsumant.* Quantò fuisset absurdius ipsis tradere Presbyteris? Neque vel minimo extat indicio apud Justinum, Diaconos Presbyteris obtulisse Eucharistiam: *Præsidens verò, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus appreeatione lætâ eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt unicuique præsentium.* Quæ de Laicis qui tum temporis aderant, sunt intelligenda. Quippe Diaconi prius participarant Eucharistiam, quàm præsentibus distribuerent. Pietati sanè non est consonum, Diaconos expertes fuisse sacramenti ab Episcopo consecrati. Cujus ergo manu ipsis porrigebatur, nisi Præsidis? Quid, ipse Præses accepitne Eucharistiam Diaconorum manu? Explicationem hanc nostram eò statuimus, quòd Justinus vel eum cœtum innuat, in quo unus aderat, sive Presbyter, sive Episcopus. Tam enim Presbyterorum meminisset

Tentzel. Exerc. n. 11. p. 112.

Marc. de Concord. l. 5. c. 2. n. 6. p. 7.

Theodor. h. l. 4. c. 15.

Just. Apol. 2.

Just. Apol. 2. 97.

Anno Dom. 153.

quàm Diaconorum. Aut si collegium quoque Presbyterorum indicet, de Laicorum quidem, non de Clericorum communione fecit mentionem. Quod ex Ecclesiæ disciplina planum est: Constitutiones Apost. l. 8. c. 28. *Oblatione ab Episcopo, aut Presbytero factâ, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris.* Imò disertissima Patrum Nicænorum constitutio hæc est c. 18. *Pervenit ad S. Synodum, quòd nonnullis in locis Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod nec regula, nec consuetudo tradit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Christi,* quæ disciplina ævo Tertulliani observabatur: *Sacramentum*, inquit, *nec de aliorum manu quàm Præsidentium sumimus.* Frustra verò Diaconi inter Præsidentes quærerentur. Concessi quandoque peregrino juris consecrandæ Eucharistiæ, Tentzelius petit ex Ignatii ad Smyrnenses Epistola: *Illa firma εὐχαριστία gratiarum actio reputetur, quæ sub Episcopo est, vel quam utique ipse concesserit.* Quæ nostrâ sententiâ, mori quem quærimus, non sunt præsidio. Vetus Interpres, cujus verba exhibuimus, de sacramento quidem Eucharistiæ non cogitavit. Neque ad peregrinos Episcopos attendebat Pseudignatius, sed ad Presbyteros, Diaconosque, quibus præerat Episcopus: *Omnes Episcopo obsequimini, ut Jesus Christus Patri. . . Non licitum est sine Episcopo, vel baptizare, vel agapem facere.*

Tert. de Orat. c. 3.

Anno Dom. 154.

ANNO U. C. 907. PER. JUL. 4867. JUL. 199. DOM. 154. ANTONINI 16. & 17. *Sol.* 23. G. *Lun.* 3. *Indict.* 7. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 1. P. 5. *Apr.*

COSS. L. Aurelius Commodus, & Titus Sextius Lateranus.

Aurelius ille Commodus Verus est, quem Antoninus adoptaverat.

Claudius Ptolomæus.

I. SIlentibus & imperii & Ecclesiæ rebus, ne hic annus nostra sit in historia sterilis, de celeberrimo Astrologo Ptolomæo, hæc ex Suida subjicimus: *Claudius Ptolomæus, Alexandrinus Philosophus, qui fuit temporibus Marci Imperatoris. Hic scripsit tres libros mechanicos: De ortu & significationibus stellarum inerrantium; Extensionem superficiei sphæræ; Canonem expeditum. Magnum opus Astronomicum seu Syntaxin, & alia.* Clarissimus tamen Vossius Ptolomæum ortum esse non Alexandriâ, sed Pelusio, scriptum reliquit. Alexandrinus creditus est, quia in ea civitate agens, Astronomicis observationibus vacavit. Anno Christi CXLI. *Nabonassari* 888. *die* 19. *Phamenot mensis ante solis exortum, observavit stellam Mercurii in gradu* 13. 30. *Capricorni. Ad nostrum Calendarium observatio facta die* 2. *Februarii feriâ quartâ.* Quæ ultima ejus observatio est. Communis est omnium ferè sententia, mortem Adriani convenire in annum Christi CXXXVIII. Camerino & Magno Coss. Huic tamen imprimis Ptolomæus adversatus est, qui & illo tempore vixit, & aliquot observationes Adriani annis consignatas reliquit, quibus necesse est initium Adriani uno anno summoveri, & in annum Christi CXVI. conjici: ejusdem verò mortem, & initium Antonini in an. CXXXVII. De ea Quæstione sententiam peregimus nostram An. U. C. 870. n. 7.

Calvis.

ANNO U. C. 908. PER. JUL. 4868. JUL. 200. DOM. 155. ANTONINI 17. & 18. *Sol.* 24. F. *Lun.* 4. *Indict.* 8. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 2. P. 7. *Apr.*

Anno Dom. 155.

COSS. *Caius Julius Severus, & Marcus Rufinus Sabinianus.*

I. CUm ob senium Antoninus, qui statuâ longus erat, incurvaretur, tiliaceis tabulis *in pectore positis fasciabatur*, ut rectus incederet. Panem etiam antequam salutatores venirent, siccum comedebat, ad sustendandas vires.

Antonini cura servandæ sanitatis.

Capit. c. 13.

II. Sub idem tempus Marcellina, quæ Carpocratianorum hæresi adhærescebat, in urbem venire potuit: *Aniceti tempore Marcellina Romam veniens, & Carpocratianæ doctrinæ virus evomens, multos illic errore suo depravatos in exitium impulit.* Quo loco non abs re erit, verba Hieronymi ad Ctesiphontem adducere de mulieribus, quæ Hæreticorum errorem adjuverunt: *Simon Magus hæresim condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit femineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi Spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas feminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius ut orbem deciperet, sororem Principis antè decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus est. In Hispania, Agape Elpidium, mulier virum, cæca cæcum duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, Zoroastris Magi studiosissimum, ex Mago Episcopum, cui juncta Galla, non gente, sed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius & viciniæ hæreseos reliquit hæredem.* Ut Eva Adamum ivit perditum, sic crebrò nimis Doctoribus non spernendis, mulieres fuere detrimento.

Marcellina Hæretica: mulieres multæ hæresim adjuvarunt.

Epiph. h. 27. n. 6.

Hier. ad Ctesiph. c. 1.

ANNO U. C. 909. PER. JUL. 4869. JUL. 201. DOM. 156. ANTONINI 18. & 19. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 5. *Indict.* 9. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 29. *Mart.*

Anno Dom. 156.

COSS. *M. Sejonius Silvanus, & C. Serius Augurinus.*

I. NIhil ad Antonini mansuetudinem addi poterat, qui populi Rom. Patrem potius agebat, quàm Principem. Fuere tamen perduelles, qui contra ipsum conjurarunt. Primus affectatæ tyrannidis reus, Attilius Tatianus, qui Senatu puniente proscriptus est. Conscios tamen requiri Pius prohibuit, filio ejus in omnibus semper adjuto. Periit & Priscianus simili de causa, sed morte voluntariâ læsæ majestatis pœnas dedit. De quâ conjuratione quæri vetuit, Latuit Capitolinum Celsi rebellio, quam ex Faustinæ ad M. Antoninum Epistola didicimus.

Conjuratio contra Pium.

Capit. c. 7.

II. Undecimâ Januarii Hyginum martyrii retulisse lauream, Baronii Chronologia est, cujus errorem permultis argumentis coarguimus. Quæstionem verò ponunt eruditi, quis Hygino proximè successerit. Nec mirum hic variasse recentiores, cùm non consentiant Antiqui. Optato Milevitano Pontificum Rom. successio hæc

Uter Pius, aut Anicetus, successit Hygino?

est:

ANNO DOM. 156.

est: *Telesphoro* successit *Hyginus*, *Hygino Anicetus*, *Aniceto Pius*. Quam & amplecti sententiam videtur Hieronymus in Hegesippo: *Asserit*, inquit, *se venisse sub Aniceto Romam, qui decimus post Petrum Episcopus fuit*. Quibus accedit Augustinus Epistolâ CLXV. Cui & opinioni adhæsit Salmasius *è mivo*, Apparatu ad libros de Primatu p. 59. Vero tamen propius est, non Aniceto, sed Pio proximè decessisse Hyginum. Movet nos præcipuè autoritas Irenæi: *Deinde Hyginus, posteà Pius, post quem Anicetus; cùm autem successisset Aniceto, Soter* &c. Semperque in ea numerandi ratione sibi constat Irenæus; cùm & alibi doceat, Valentinum Romam venisse sub Hygino, viguisse sub Pio, & permansisse ad usque Anicetum. Movet & unà cum Irenæo Hegesippus: *Post obitum deinde Aniceti, successit Soter, quem excepit Eleutherus*. Atqui non *Soter*, sed *Pius* successisset Aniceto, si Anicetus Hygino proximè suffectus est. Cùm ergo Pio Aniceto que coætanei fuerint, Romæque versati sint Irenæus, atque Hegesippus, ab eorum discedere catalogo, ut ad illum Optati adhærescamus, iniquum esse videtur. Itaque Irenæum, Hegesippumque sequuntur non Græci modò, Eusebius atque Epiphanius, sed Latini quoque, Catalogus Bucherianus, & carminum Autor apud Tertullianum l. 3.

Opt. l. 2.

Iren. l. 3. c. 3.

Euseb. l. 4. c. 22.

Jamque loco nono Cathedram suscepit Hyginus;
Post hunc deinde Pius;
Aque Pio suscepit Anicetus ordine sortem.

Ut emendat doctissimus Pearson, qui *aque* in vocabulum *atque*, ut editur, substituit. Recentiores præterimus Pontificum indiculos, qui in autoritate Veterum collocantur.

Pius Papa. Obieritne martyrio?

III. Decimâ quintâ Januarii, Pium Papam creatum esse, docet Baronius in Annalibus. Quæ Chronologia est respuenda. Etenim constat sedente Aniceto in urbem venisse Polycarpum. Quis verò tum temporis rerum potiretur, docent Eusebius atque Hieronymus. Antoninus scilicet Pius, non Marcus Aurelius, quod tamen est ex sententia Baroniana dicendum. Eusebius in Chronico, adventum Polycarpi in urbem Romanam illigat anno Christi CLIII. Hieronymus in Polycarpo, *sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in urbe, regente Aniceto Romam venit*. Catalogus quoque Bucherianus hæc habet: Pius *fuit temporibus Antonini Pii, à Consulatu Clari & Severi*, qui in annum Christi CXLVI. incidit. Quam & temporis notam, primæ Pii Epistolæ impressit Isidorus Mercator: *Data septimo Idus Aprilis, Claro & Severo viris clarissimis* Coss. Neque eo quidem nomine respuere Epistolam Labbæus debuit, quasi Pius nondum Pontificatum iniisset, anno CXLVI. Cæterùm de Pii initiis pendemus animi. Quod Pagius aliique eum anno Christi CXLI. conjungunt; Pearson verò Dodwellusque, anno CXXVII. illigarunt. Illi serius, hi fortè verò citius. De Pontificatus quoque diuturnitate discrepant. Pagius annos X. Onuphrius annos XI. menses V. dies 27. Pearson & Dodwellus annos XV. Pio vindicant. Cæterùm ex subdito libro Pontificali Damasi narrant, Pium *Italum fuisse, ex patre Rufino, de civitate Aquileia, sedisse annos XIX. menses quatuor, dies tres, sepultumque juxta corpus Petri in Vaticano* V. *Idus Julii*. Eum in Martyribus annumerat Martyrologium Rom. Julii XI. *Romæ B. Pii Papæ & Martyris, qui in persecutione Marci Aurelii Antonini martyrio coronatus est*. Vix patiemur tamen Pium Martyribus inseri. Non reperitur inter Martyres, in Martyrologio Rosuedi. De Pio hoc tantum habet Adonis Martyrologium: *Romæ in Vaticano S. Pii Papæ, qui sedit in Episcopatu annos* XVIII. Martyribus non apponitur ab Irenæo, Eusebio, Hieronymo. Ac falsissimum sanè morti missum in Aurelii persecutione, ad cujus imperium annos non extendit suos. Obiit imperante Antonino, qui fidei causa nullum in urbe Christianum affecit supplicio. Itaque vir doctissimus Onuphrius Pium pro Martyre non habuit.

ANNO DOM. 156.

Pii Epistolæ Decretales subditæ.

IV. Pii quatuor numerantur Epistolæ. Quarum duæ nunc eruditorum consensu, & Latinorum, & Evangelicorum exploduntur. Prioris, quæ *ad universos Christi Fideles* scribitur, duo sunt capita: alterum *ut die Dominico Pascha celebretur*; alterum, *à quibus non oporteat Episcopos accusari, & de his qui transgrediuntur jussa sedis Apostolicæ*. Secunda, quæ *Italicis directa est* Epistola, docet *quæ divinis sunt assignata usibus, ad humanos usus non posse sine sacrilegio transferri*. Data est *Idibus Martii, Claro & Severo viris Clarissimis* Coss. Quo casu prior sanè, non posterior dici debuit, quia Clarus & Severus, secundum unà Consulatum non gesserunt. Quæ verò prior habetur, data est septimo Idus Aprilis, Claro & Severo Coss. unde non pertenui indicio patet fraus Impostoris, quæ graviori adhùc argumento detegitur. Est enim falsissimum quod prior habet Epistola, quòd Angelus, qui Pastoris habitu Hermæ conspicuus fuit, *præceperit ei, ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur*. Qua de re ne μῦ quidem in libro Pastoris. In posteriore Decretali, Codicis Theodosiani verba reperiuntur. Videatur Libr. XVI. Tit. 2. Const. 40. & Lib. XVI. Tit. 2. c. 25. & 39.

De Pii ad Justum Epistolis.

V. De tertia verò quartaque Epistola aliud est judicium eruditorum. Blondellus qui in Pseudo-Isidoro anno 1626. Genevæ excuso, eam censuram ediderat: *Quamvis has ambas perbreves Epistolas ex Viennensi Archivo proditas germanas atque legitimas esse, cùm rerum argumentum & admirabilis quadam cum aliis horum temporum contessecatio. . . . quamvis quantumlibet scrupulosi ingenii eas recipere persuadeant, non tamen ab omni impostura suspicione liberas, eruditus lector judicabit*, attamen in Apologia pro sententia Hieronymi, Sect. 11. c. 4. perbreves has Epistolas, Pio vindicare videtur: *Imò*, inquit, *quid Pium ipsummet impulisset, ut ad Justum qui paulò antè Româ ad Senatoriam Viennam perrexerat, has scriberet*. Neque pro spuriis habuit ille Criticus emunctæ naris Salmasius, cujus hæc verba sunt, in apparatu ad libros de Primatu p. 60. *Pius ipse Papa in Epistola priore ad Justum Episcopum Viennensem, Presbyteros nuncupat*, &c. Hoc tantorum virorum judicio fretus Bona Cardinalis, ex his Epistolis Antiquitatem vocis *Missæ*, profert in lucem: *Extat primo loco Epistola Pii ad Justum Viennensem, quam recipiunt Orthodoxi, nec audent omninò reprobare Sectarii scripta*. Baronio verò germanum spirans antiquitatis odorem. Idcircò ne tam preciosum in ipsius Annalibus monumentum desideraretur, totas exhibuit anno CLXVI. A qua tamen sententia non immeritò abhorret Elias du Pin, in Nova Bibliotheca p. 218.

Bon. Litur. l. 1. c. 3. 333.

Epistolæ Pii ad Justum subditæ.

VI. Epistolarum falsitatem his comprobamus argumentis. Hæc Justo Viennensi scribit

Pius: *Antequam Roma exisses, soror nostra Cuprepia, sicus bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus aßignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, missas agimus.* Mittamus phrasim, quæ non est temporis Pii, *titulum domus suæ aßignavit*, celeberrimum hoc vocabulum *Missa*, nondum sanè emerserat. Quòd si imperante Antonino jam Romanis in usu adhibitum quoque fuisset à Tertullianis, Cyprianis, Arnobiis, Lactantiis, quibus ignoratur. 2°. Vocibus permultis Epistolæ abundant barbaris, atque phrasibus quas Pii ætas nesciebat. *Festina palmam perseverabilem tenere. Sanctus Timotheus & Marcus, per bonum certamen transierunt. Gaudium inæstimabile.* Ejusmodi floribus vernant Epistolæ. Neque exorta tum temporis vox *tituli*, ad Ecclesiam significandam, quæ tamen in secunda Epistola legitur: *Presbyter Pastor titulum condidit.* 3°. Episcopos sedente Pio gestasse *colobium*, inauditum in omni memoria: *Tu verò apud Senatoriam urbem Viennensem, ejus loco à fratribus constitutus, & colobio Episcoporum vestitus.* 4°. Nullo gaudent Veterum testimonio, quod inerti non est argumento novitatis, cùm maximâ quâ potuit diligentiâ, Dionysius Abbas, Veterum, qui Romæ præfecti sunt, Episcoporum, monumenta collegerit; qui in has Epistolas non incidit. 5°. Sedente Pio Eleutherus nondum assecutus erat gradum Presbyteri, teste Hegesippo: *Romam verò cùm venissem, mansi ibi apud Anicetum, cujus tum Diaconus erat Eleutherus.* Atqui larvatus ille Pius Eleutherum nobis obtrudit Presbyterum, in priore Epistola: *Salutant te Soter, & Eleutherius, digni Presbyteri.* Hinc acutè simul & verè colligit Pearson: *Impostor ille, cùm videret Eleutherum in Rufino, Aniceti Diaconum, & perspiceret in Pontificali, sive secundo Catalogo, Pium successisse Aniceto, statim eum facit sub Pio Presbyterum, & sic imposturam suam prodit, & Pium producit, nescium antecessoris sui.* 6°. Subditus ille Pius, sedente se, gravi persecutione Ecclesiam afflictam fuisse testatur: *Cura autem Sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum. Carceres Sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide.* Quis dum legit hæc, quæ in posteriore Epistola continentur, non sibi videre videatur, rivos sanguine fluentes, quibus penè inundabitur Ecclesia? Atqui *post Adrianum, Antonino Pio imperante, pax Ecclesiis fuit.* Quo tempore sedebat Papa Pius, Scripturæ non secus ac Chronologiæ peregrinum se prodit conditor ille Epistolarum. Unde habuit Apostolos curasse Stephanum? Utique non à Luca, qui *viros religiosos*, à quibus elatus Stephanus, secernit ab Apostolis: *Sancti Timothei, & Marci* Scriptor quoque meminit. Timotheum Baronius putat fuisse *germanum Novati, fratrem Pudentianæ & Praxedis, filium verò Pudentis Senatoris & Priscillæ. Quem cùm dicat passum esse, cum Marco, haud dubium est, illum eosdem esse quorum in antiquis Ecclesiasticis tabulis ascriptus habetur dies XXIV. Martii his verbis: Romæ natalis Sanctorum Martyrum Marci & Timothei, qui sub Antonino Imperatore martyrio coronati sunt.* Certa tamen stat animo sententia, larvatum Pium de Timotheo & Marco Evangelistis cogitasse, cùm de *Presbyteris* illis agat, *qui ab Apostolis educati sunt.* Titulus ille *Sancti*, quo Timotheus ornatur, virum indicat, qui famâ fuerit apud Christianos celeberrimus, quod ad Timotheum Pauli discipulum optimè quadrat. Falsum autem est ætate Pii, Timotheum excessisse martyrio, quod à vero Pio ignorari non potuit. Quòd si largiamur Baronio, de Marco & Timotheo, qui Marco Antonino imperante passi sunt, Epistolam esse intelligendam, gravissimo quoque telo configetur, cùm Pius Papa Marci imperium non viderit.

Euseb. l. 4. c. 22.

Pearson. Dissert. 2. c. 11. n. 2. 269.

Sulpit. h. l. 2.

Bar. An. 166. n. 3.

De Hegesippo.

VII. Cùm eo tempore, quo Ecclesiæ Romanæ Episcopatum tenuit Anicetus, Romam venerit Hegesippus, non absonum erit, de viro percelebri hîc commemorare. Hegesippum secundo natum esse seculo, ex Eusebio conjecturam ducimus: *Omnium accuratissimè Hegesippus, qui Apostolorum temporibus proximus fuit, in quinto Commentariorum libro de Jacobo perscripsit.* Itaque erroris immunis non est Stephanus Gobarus, qui apud Photium cod. 132. 894. hæc habet: *Quanquam Hegesippus, vir antiquus & Apostolicus, libro v. Commentariorum, haud scio an offensus, dicit frustra hæc dici.* Apostolicorum temporum vicinus fuit, observante Hieronymo, non autem auditor Apostolorum. In Palæstina aspexisse lucem, ansam opinandi præbuit Eusebius: *Nonnulla item ex Hebræorum Evangelio, & Syriaco, & ex Hebraica lingua, profert in medium, satis per hæc significans, se ex Hebræis ad Christi fidem transisse.* Illud ipsum innuit, dum scribit se *Romam navigasse.* Popularem Aniceto fuisse tradit eruditus Cavius, quod & astruit liber Pontificalis ascriptus Damaso, apud quem legimus: *Anicetus natione Syrus, ex patre Joanne, de vico Humesia.* Quæ tamen irrepsere in Catalogum, octavo seculo concinnatum. In Bucheriano quidem Catalogo nullius sanè Pontificis, aut parens exprimitur, aut patria, quæ ab altero suppeditantur. Anicetum fuisse Syrum, Veterum ex monumentis ignoramus. Repudiatâ Judæorum Religione, Hegesippum Christi fidem suscepisse narrat Eusebius, est autem vero proximum, Hegesippum Ecclesiæ Hierosolymitanæ alumnum egisse, quam Ecclesiam simpliciter & absolutè vocat, dum scribit: *Et Ecclesiam quidam hactenus Virginem vocabant, propterea quòd vanis sermonibus nondum corrupta fuerat. Primus Thebutis indignè ferens, quòd minimè creatus esset Episcopus, etiam occultè vitiare est aggressus.* Ad usque Commodum vitam prorogasse suam, Chronicum testatur Alexandrinum: *Hoc imperante, emortualis fit Hegesippus, qui de Apostolis eximiè scripsit, ut de eo memorat Eusebius Pamphili.* Sed de Hegesippo iterum ad annum CXX.

Euseb. l. 2. c. 23.

Euseb. l. 4. c. 22.

Euseb. l. 4. c. 22.

Compofuerítne talulas Pontificum Hegesippus?

VIII. Cùm Romam proficisceretur Hegesippus, plurimos Episcopos adiisse tradit, & ab omnibus unam eandemque audivisse doctrinam. Hæc addit, quæ nos audiamus: *Et Corinthiorum quidem*, inquit, *Ecclesia in recta fide permansit usque ad primum ejusdem loci Episcopum. Quo cum familiariter locutus sum, dum Romam navigarem. Nec paucos dies versatus sum cum Corinthiis, mutuamque ex recta fide consolationem cepimus. Romam verò cùm venissem, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου.* De quorum sensu dubitatur inter eruditos. Clarissimus ille Valesius vertit: *Mansi ibi apud Anicetum.* Cui ut præsidium versioni quærat, hæc in Annotationibus observat: *Savilius ad oram sui Codicis, pro διαδοχὴν, correxit διατριβήν. Utrum ex conjectura, an ex fide manuscripti exemplaris, incertum. Utcunque tamen necessaria est hæc emendatio.* Cui in-

ANNO DOM. 156.

intercessit vir quoque eruditissimus Pearson: *Versio*, inquit, *est manifesto detorta. Nam μέχρις Ἀνικήτου, apud Anicetum, nunquam sonat.* Quod postquam exemplis ex Hesychio Suidaque petitis probasset, hoc addit: *Quare μέχρις Ἀνικήτου, non magis sonat apud Anicetum in verbis Hegesippi, quam μέχρι Ῥώμης, apud Romam, paulò ante in verbis Eusebii.* Sic itaque Hegesippum putat esse vertendum: *Romæ verò cum essem, successionem composui usque ad Anicetum, cujus Diaconus erat Eleutherus. Et Aniceto successit Soter, post quem Eleutherus. In omni autem successione & in omni civitate, res ita se habet, ut Lex prædicat, & Propheta & Dominus.* Ex qua versione hanc sibi persuasionem induit: *Episcoporum successionis in Apostolicis Ecclesiis Tabularum, aut Hegesippum primum, vel inter primos, editorem fuisse.* Objicit sibi ex Halloixio, *Quòd διαδοχὴν ἐποιησάμην, successionem composui, non sit usitatissima locutio.* Respondet autem ex Hieronymo, qui observavit *In Catalogo de illo Veteri Scriptore: Quinque libros composuit sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem.* Nostro judicio alio respondere modo potuit. Nempe Hegesippi phrasim, Lucæ orationi prorsus similem esse, *Πρῶτον λόγον ἐποιησάμην, primum librum confeci.* Sed aliud est quod meritò objicitur. Nempe Pearsonii versionem cum ipso Hegesippo pugnare. Etenim verba hæc, *Successionem composui usque ad Anicetum*, apertè indicant hic Hegesippum substitisse. Subinde tamen sufficit Episcopos, qui Aniceto successere, *Soterum atque Eleutherum.* Incongruum sanè Suetonio fuisset, scribere in illo ipso libro qui XII. Cæsares complectitur, vitam Cæsarum composui ad usque Claudium. Præthereà si successionis Pontificum tabulam condidisset Hegesippus, illam alicubi more suo, memorasset Eusebius, neque tam obscura incertaque foret priorum Episcoporum Rom. successio. De eo verò Catalogo ne verbum quidem apud Autores, qui Hegesippi opera frequentissimè triverunt. Denique cum Judæus fuerit Hegesippus, si Episcoporum qui Ecclesiis Apostolicis præfuere, tabulas successionis edidisset, de Præsulibus sanè Hierosolymitanis quàm accuratissimè commemorasset, quorum ætatis vicinus erat. Nullas verò tabulas ejusmodi confecisse Hegesippum, documento est Eusebius *l. 4. c. 5. Eorum autem Episcoporum tempora qui Hierosolymis præfuerunt, scripto conservata, nusquam reperi. Illud tantum ex scriptis accepi ad illam usque obsessionem Judæorum, quæ imperante Adriano contigit XV. numero Episcoporum successiones fuisse.* Neque hunc Eusebius numerum ex Hegesippo didicit, cujus utique nomen protulisset. Ex fragmentis Hegesippi, tuto licet dicere, Scriptorem non fuisse accuratum, quod ex narratione de morte Jacobi, nec non de sectis Judæorum, certum exploratumque est. De Hegesippi operibus hæc secundum Eusebium Hieronymus: *Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum, omnes a passione Domini, usque ad suam ætatem, Ecclesiasticorum Actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinque libros composuit, sermone simplici.* Prodigio est, de Hegesippo Suidam nil commemorasse. Quæ hujus Scriptoris apud Eusebium monumenta supersunt, ostendunt credulum fuisse, accuratum sanè non fuisse.

Pearf. de Success. Diss. 1. c. 5.

Act. 1. 1.

ANNO U. C. 910. PER. JUL. 4870. JUL. 202. DOM. 157. ANTONINI 19. & 20. *Sol.* 26. C. *Lun* 6. *Indict.* 10. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 5. P. 11. *Apr.*

ANNO DOM. 157.

COSS. *Barbarus, & Regulus.*

I. ALiud nominis *Barbaro* Baronius imputavit, cui scribitur *Barbatus.* Quo etiam vocabulo ab Idatio, Onuphrio, Calvisio, donatus est. Quam veram esse lectionem, Jacobus statuit Capellus; sed immeritò. Etenim Chronicum Alexandrinum, Catalogusque Consulum Romanorum à Dodwello editus, & *Barbarum* habent, & invenitur etiam id nominis eo scriptum modo apud Galenum, atque Philostratum.

Barbarus.

II. Cùm eò propendeat animus, celeberrimum cui Pastori nomen, librum imperante Pio, editum fuisse, non ab re putamus, hoc anno de antiquissimo Scriptore agitare mentionem. Hoc opus tribus libris constat. Primus visiones quatuor complectitur. Secundus duodecim mandata continet. Tertius similitudines decem exhibet. Adultâ antiquitate pollere documento sunt, quæ ex ipso Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus petiere testimonia. Verba hæc sunt Irenæi: *Bene ergo Scriptura dicit, primò omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia constituit & consummavit, & fecit ex eo quod non erat, ut essent omnia omnium capax, & qui a nemine capiatur.* Quæ leguntur Pastoris *l.* 2. Mandat. 1. Clemens quoque Alexandrinus: *Dicit autem Pastor, Angelus pœnitentiæ ad Hermam, de Pseudopropheta. Quadam enim verba vera loquitur, nam Diabolus implet eum spiritu suo, si quem possit justum frangere.* Clem. Str. lib. 2. 312. Quæ habentur Libr. 2. Mand. 10. Tertullianus: *Quod adsignatâ oratione, assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem, nisi si Hermas ille, cujus Scriptura fere Pastor inscribitur, transactâ oratione, non super lectum assedisset, verum aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus.* Quæ verò laudat ex Pastore Tertullianus, *Cum adorassem & assedissem super lectum*, ex libri secundi Procemio desumuntur: *Cum orassem domi, & consedissem supra lectum.* Ex Origene, Eusebio, Athanasio, petere testimonia demonstrandæ libri Pastoris Antiquitati, superfluum existimamus, cùm quos testes excitavimus, ex Græcis Irenæum atque Clementem, ex Latinis Tertullianum, illi cæteros antiquitate superent. Adeant & Pearsonii Vindicias Epistolarum Ignatii *p.* 39. & Apparatum Nicolai le Nourri ad Max. Bibliothecam Patrum, qui Patrum congeriem, de Pastore mentionem agitantium, videre desiderant. Multa quoque Veterum de Herma testimonia extant in Max. Bibliotheca Patrum *t.* 11. *p.* 22.

Antiquitas libri Pastoris.

Iren. l. 4. c. 37.

Tertul. de Orat. c. 12

III. De tempore tamen quo liber editus est, dissonæ sunt & Veterum, & recentiorum opiniones. Etenim Antiquis placuit permultis, Pastoris librum à Pauli discipulo Herma fuisse compositum. Quem virum salutat in Epistola ad Romanos: *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam.* Sententiam Origenes ostendat suam: *Puto quòd Hermas iste, sit Scriptor libelli illius, qui Pastor appellatur. Quæ Scriptura valde mihi utilis videtur, & puto divinitus inspirata.* Complurium hanc esse opinionem, testatur Eusebius:

Pastorne conditus à Herma Pauli discipulo?

Rom. 16. 14.

Orig. in Rom.

bius:

Anno Dom. 157.

bus : *Apostolus Paulus in salutationibus illis, quæ sub finem Epistolæ ad Romanos leguntur, inter cæteros mentionem fecit Hermæ, cujus esse fertur is liber, qui Pastor inscriptus est.* Neque dissensit
Euseb. l. 3. c. 3. Hieronymus in Viris Illustribus : *Hermas cujus Apostolus Paulus ad Rom. scribens meminit . . . asserunt autorem esse libri, qui appellatur Pastor.* Sunt tamen ex Antiquis, qui ab Herma Pauli discipulo, Pastoris librum abjudicant. Catalogus Bucherianus de Pio Romano Episcopo : *Sub hujus*, inquit, *Episcopatu, frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur que, quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Pastoris.* Quod & ipsum cecinit autor Carminum apud Tertullianum libro 3. adversus Marcionem :

Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
Angelicus Pastor qui tradita verba locutus.

Complures eruditorum priorem amplectuntur sententiam, Hammondus, Pearsonius, Dodwellus, Cavius, Natalis Alexander, Du Pin, &c. Posteriorem verò probabiliorem existimamus. Illud nobis sanè constat, librum cujuscunque sit, Hermæ Pauli discipulo ascribendum non esse, neque secundum ante seculum lucem aspexisse, quem tamen Gamundus atque Dodwellus, ante expugnatam anno L X X. à Tito Hierosolymam editum putant.

Hermas quis?

IV. Antequam nostra in Pseudo-Hermam argumenta afferamus, de autore pauca dicamus. Fueritne Hermas civis Romanus, nescimus, urbem incoluisse scimus. Conjuge utebatur, non satis benè moratâ. Quæ causa fuit, cur cùm in puellam sibi benè notam, quæ Tyberino flumine lavabatur, incidisset, in ea cogita-
Herm. l. 1. vis. 1. tione volutarit animum : *Felix essem, si talem uxorem & specie, & moribus sortitus essem.* Itaque garrula loquaxque Hermæ conjux, censura vexatur, ab anu induta veste splendidâ, que Scribentem informabat. Ex uxore sua liberos susceperat, pietatis paternæ degeneres, quod ipse totus dè sincerèque profitetur, mo-
L. 1. vis. 2. nita hæc sibi data scribens : *Semen tuum Herma, deliquit in Dominum & prodiderunt parentes suos in nequitia magna. . . . Sed etiam nunc adjecerunt peccatis suis libidines . . . Sed impropera verba hæc filiis tuis omnibus & conjugi tuæ, quæ futura est soror tua. Et ipsa enim compescat linguam suam, in qua malignatur.* Quid hæc sibi velint, *Futura est soror tua*, est in ambiguo. Ab opere nuptiarum abstinentiam, hic videre sibi videtur Dodwellus. Acutè sanè, num etiam rectè ? Quippe Hermas jam ætate provectus erat, ut pote qui plures haberet liberos, libidinibus servientes suis. Num Hermæ uxor infidelem agebat, quæ abdicato tandem numinum cultu, Christi fidem amplectenda erat postmodum ? Id peccatum potius accusasset anus, quàm improbam mulieris garrulitatem. Promittitur ergo *futura soror*, quia vitia sua, sanctitate mutatura erat. Nascitur verò ex probis moribus, genus consanguineitatis quoddam, quod ipsa naturæ vincula superat. Affluxerat olim divitiis Hermas, quas ei propitium numen abstulit, ne saluti ejus essent impedimento. Docentis anus, verba hæc
L. 1. vis. 2. sunt scribenti : *Quando dives fuisti inutilis eras, nunc verò utilis es & aptus vitæ tuæ.* Multa quidem, graviaque passus est, quibus ad miseram
L. 1. vis. 2. fortunam redactus est : *Tu autem Herma, magnas tribulationes seculares sustinuisti, propter prævaricationes domus tuæ.* Presbyterum egisse Hermam, Dodwello placuit, his verbis freto : *Scribet ergo duos libellos, & mittet unum Clementi, & unum Grapte. Mittet autem Clemens in exteras Civitates, illi enim permissum est. Grapte autem commonebit viduas & orphanos. Tu autem leges*
L. 1. vis. 2. *in hac civitate cum Senioribus qui præsunt Ecclesiæ.* Nobis verò tam acutis esse non licet, ut in verbis laudatis, Presbyterale Hermæ munus deprehendamus. Neque eo unquam titulo ab ullo Veterum ornatus est. Quod si ipsi Laici, palam publicèque in Ecclesia Scripturam legebant, satisne pro Hermæ Presbyteratu conclusum, quòd librum jubente Christo suum Romano Synedrio legerit ? Aliâ tamen conjecturâ probabile fit Hermam de Clero unum fuisse, quod nempe Prophetico spiritu illustratum, Angelicisque consortiis imbutum se fuisse tradat. Quæ charismata, Episcoporum Presbyterorumque potissimum erant, quibus docendi publicè facultas competebat. Viris sanè Laicis in N. Testamento, scribendi ad instituendam Ecclesiam Provincia non mandatur. Non eodem anno Visiones Hermæ contigerunt. Primo quidem vidit *cathedram de lanis candidis*, in qua *anus in veste splendida* se collocavit, *librum habens in manu*, cujus verba magnificè legit. Deinde audientem monet, de uxoris sui, suis garrulitate, & liberorum pravis moribus, ut eos emendet. Variis dein imaginibus, juvenum lapidibus turrim extruentium, illa ipsa anus Ecclesiæ conditionem depingit. Versanti *in via Campana*, visum objicitur immanis bestiæ, cujus capiti quatuor colores inerant, nigrum, rubeum, aureum & album, quorum mysteria virgo albis induta vestibus prodit. Bestia verò illa figura erat *pressura superventuræ*. Libro secundo, oranti, & sedenti *supra lectum*, apparet Angelus, habitu pastorali, pallio *albo amictus, peram in humeris, & virgam manu tenens*, qui mandata benè multa, ad pietatem conducentia loquitur. Tertio libro, multis similitudinibus, v. g. vitis ulmo recumbentis, hyemis, æstatis, salicis campos & montes tegentis, varias hominum affectiones conditionesque depingit. Quod verò nobis admirationem movet, mulier illa, quæ modò anus, modò Virginis instar Hermæ conspicua facta est, ipsemet Christus erat, filius Dei, *in effigie Ecclesiæ* locutus. Muliebrem sanè formam, in visionibus Propheticis, neque Christus, neque Angeli unquam induerunt, solam virilem se dignam esse putantes. Ante excidium Hierosolymitanum, ad quod crebro memoratam Hermæ, *Magnam illam tribulationem superventuram*, referunt Hammondus atque Dodwellus, librum conditum esse opinantur. Pertenui sanè conjecturâ, cùm Ecclesiæ Christianæ nil nocuerit clades à Tito Hierosolymis immissa, imo ad Evangelii gloriam profuerit. Imminens verò persecutio, de qua apud Hermam mentio est, ad Christianos spectabat. Ex libri & stilo, & materia, illum ab Herma Pauli discipulo non abjudicare non possumus. Quo demonstrato, nil est cur de antiquitate libri multum laboremus, cùm exigui sanè sit pretii, pace judicii Veterum : *Les Nouveaux n'en font pas la même estime, & il y a très-peu de gens presentement qui le louënt, & qui en facent autant d'état, qu'on en a fait dans l'antiquité.* Hæc est Clariss. du Pin Censura, in Nova Bibliotheca Autorum Ecclesiasticorum.

V. Has

ANNO DOM. 157.

Pastor secundo seculo scriptus est.

V. Has autem pro nostra sententia, tam de ætate, quàm de dignitate libri Hermæ, argumentationes congerimus. Primum omnium libros Sibyllinos in pretio Christianis antè fuisse, quàm Hermas librum componeret suum, ex secunda visione docemur: *Anum illam à qua accepisti libellum, quem putas esse? Ego dixi Sibyllam.* Hermæ quidem animum ea subire cogitatio non potuit, nisi jam sparsus fuisset rumor in Ecclesia, multa de Christiana Religione, ex Sibyllarum tripode oracula fusa fuisse. Quo minus absurdum judicatu, anum splendidâ veste indutam, quæ Hermam instruebat, fuisse Sibyllam. Secus nil causæ afferri potest, cur de Sibylla cogitarit. Fueritne id judicii dignum Pauli discipulo, hoc nunc quærere parcimus. Satis est primo seculo Christianos Sibyllinis carminibus nondum fidem adjunxisse suam. 2°. Hermam in urbe habitasse Romana, certum

Past. l. 1. vis. 1. exploratumque est, si vera prædicat: *Qui enutriverat me, vendidit quandam puellam Romæ. Post multos annos hanc visam ego recognovi, & cœpi eam diligere ut sororem. Exacto autem tempore aliquo, lavari eam in flumine Tiberi vidi.* Hoc etiam apparet ex secunda visione, quæ post annum Hermæ contigit: *Scribes*, inquit anus, *duos libellos, & mittes unum Clementi, & unum Graptæ. Mittet autem Clemens in exteras civitates. Grapte autem commonebit viduas, & orphanos. Tu autem leges in hac civitate cum Senioribus, qui præsunt Ecclesiæ.* Quòd si Hermas Pauli discipulus, qui ex Apostolica salutatione novum & splendorem dignitatis obtinebat, ille est qui Pastoris librum concinnavit. Romanis quidem non notus, non percelebris liber esse non potuit, utpote qui & ab urbis incola conditus, & à viro Apostolico Pauli discipulo. Testatur autem Hieronymus, librum Pastoris *apud Latinos penè ignotum fuisse.* 3°. Indigna est sapientiâ pietateque viri Apostolici, quæ Hermas de sese docente anu, scripto prodidit, Quam opinabatur Sibyllam, ea ipsa erat *Ecclesia.* Ecclesia verò persona non est, cujus ope Deus utatur consignandis in animo visionibus, neque unquam tali modo Prophetis illuxit, aut Apostolis. Christi Sancti Spiritus, Angelorum adhibuit operam. Absurdum obsecisse videtur ipse Hermas, qui tandem anum in *Christum* mutat lib. 3. Similitudine IX. ubi pœnitentiæ Angelus hæc loquitur: *Volo ostendere tibi quæcunque Spiritus tibi ostendit, qui in effigie Ecclesiæ locutus est tecum. Ille enim Spiritus filius Dei est.* Hem Christus specie anus! 4°. Stilus autoris atque methodus, non illam sonat, quæ Apostolorum fuit, quorum scribendi genus, imitatione prosecutus fuisset germanus Pauli discipulus. Dogmata sanè Religionis morumque præcepta, non fictis somniis atque visionibus involvi, sed oratione simplici tradi debent. Hoc fatentur *Elias du Pin*, atque *Nicolaus le Nourri*, potuisse suum Hermam, *aliâ methodo uti stiloque simpliciori*, qui in majus commodum lectoribus *utilitatemque* cessisset. Qui Clementis ad Corinthios Polycarpi ad Philippenses Epistolam legerit, continò fatebitur librum Pastoris à stilo virorum Apostolicorum prorsus abhorrere.

Errores libri Pastoris. VI. Segetem materiamque argumentorum amplam præbent, doctrinæ capita benè multa, quæ extant in libro Pastoris. Quippe supra fidem est, Hermam Pauli discipulum à doctoris sui disciplina recedentem, ea sparsisse quæ sunt à veritate, atque sacris Codicibus longe dissona.

ANNO DOM. 157.

Past. l. 1. vis. 1. 1°. Visâ puellâ, quam Hermas è Tybri eduxerat: *Felix essem*, inquit, *si talem uxorem & specie, & moribus sortitus essem.* Quod inculpatum sanè desiderium solis illis pessimum est, qui honestas nuptias pro re impura habent: improbis quidem bonos Sanctorum mores semper optare licuit, atqui illa ipsa puella cœlo excepta Hermæ desiderium accusat gravissimi peccati: *Deus*, inquit, *irascitur tibi, quoniam peccasti in me. . . . In corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ.* 2°. Doctrina Pauli hæc est, quod hominibus, non Angelis creditum munus fuerit, Ecclesiam ædificandi. Itaque Pastores

Ephes. 4. 12. vocantur *ædificantes*, qui à Christo dantur: *Ad concinnationem integram Sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi.* Hoc autem officii Hermas contribuit Angelis, visione tertiâ: *Illi autem juvenes sex, qui ædificant, qui sunt, Domina? Hi sunt Angeli Dei, qui primo constituti sunt, quibus tradidit Dominus universam creaturam suam, struendi, ædificandi, & dominandi creaturæ illius; per hos enim consummabitur structura turris. Cæteri autem qui apportant lapides, qui sunt? Et ipsi Sancti Angeli Domini.* Angeli ergo ædificant Ecclesiam, quæ specie turris adumbrabatur. Neque extruunt modò, sed

Hebr. 2. 5. *ædificandis* dominantur, repugnante Paulo: *Non enim Angelis subjecit mundum futurum.* Quomodocunque verba hæc Apostoli capiantur, de statu vel gratiæ, vel gloriæ, peregrinum est auribus fidei, quod in mortales, fidelesque Angeli dominentur. De Pœnitentia multa habet Hermas, quæ à Pauli & doctrina, & ætate, multum abhorrent: *Servis*, inquit, *Dei pœnitentia una est.* Quæ utut de publica capiatur, quæ semel agebatur, in disceptationem meritò cadit, obtinueritne primo seculo disciplina ejusmodi, quæ mansuetudini Apostolorum non videtur esse consentanea. Paulus quidem Corinthium, qui sese polluerat incestu, brevi posteà in gratiam restituit. Hæc Hermæ loquitur Angelus: *Ego præpositus sum pœnitentiæ, & omnibus pœnitentiam agentibus sensum do.* Neque impudenti hoc ex ore excidit, illud etiam gravioribus verbis inculcat lib. 3. similitudine octavâ, de *nuntio Domini* Michaële verba faciens: *Nuntius autem ille magnificus & bonus, Michaël est, qui Populi hujus habet potestatem, & gubernat eos. Hic enim in corde eorum qui crediderunt, inserit legem.* Huic Angelicæ sortis est, sapientiam instillare resipiscentibus. Hoc facultatis Christo competit, qui Fidelium aperit mentes, vi potentissimâ Spiritus sui; sed & à mente Scripturæ ea doctrina discrepat: *Domine, audivi à quibusdam Doctoribus, quòd alia pœnitentia non est nisi illa, cùm in aquam descendimus, & accepimus remissionem peccatorum nostrorum, ulterius non peccare . . . . & ait mihi, Rectè audisti.* Quæ omnia leguntur lib. 2. mandato 4. Quid est autem dicere, nullam esse post baptismum pœnitentiam, quâ peccator restituatur in integrum, si hoc non est? Id ipsum sonant verba visionis tertiæ: *An iis omnibus lapidibus qui projecti sunt, nec conveniebant in structuram turris, an est pœnitentia, & habebunt locum in turre hac? Habent*, inquit, *pœnitentiam, sed in hac turre non possunt convenire, alio autem loco ponentur multo inferiore.* Quorum mentem egregiè illustrat Tertullianus: *Sed prius decidam intercedentem ex di-*

verso responsionem, ad eam pœnitentiæ speciem, quam cum maxime definimus venia carere. Si enim, inquiunt, aliqua pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est? Nihil enim agendum est frustra. Respondet autem Septimius: *Quantum enim ad illos à quibus pacem humanam consequitur; quantum ad nos qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quòd eam a solo Deo exorat, quòd delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quòd Ecclesia mavult erubescere, quam communicare. . . . Etsi pacem hic non metit, apud Dominum seminat.* Hermæ turris Ecclesia est. *Lapides longe projecti à turri, ii sunt qui crediderunt quidem, dubitatione autem suâ reliquerunt viam suam veram.* Qui homines, ut dixit Tertullianus, pœnitentiam agent, quâ à Deo criminum impetrabunt indulgentiam. *In turre autem non possunt convenire*, quia pro membris Ecclesiæ, quibus jus est ad Eucharistiam, non habebuntur, quam ne vel eo momento, quo exhalabunt animam, unquam accipient. Quæ non longis passibus absunt à Novatismo. Disciplinam sane non redolent Apostolorum.

Tertul. de Pudic. c. 3.

Aliis erroribus à Paulino Herma, liber Pastoris abjudicatur.

VII. Novis adhùc argumentis eruditorum oneremus sententiam, quibus autor Pastoris Hermas Pauli familiaris audit: *Non solum*, inquit, *mœchatio est iis qui carnem suam coinquinant, sed & is qui simulacrum facit, mœchatur.* Rectè, illud enim corporis, hoc mentis est adulterium. Attendamus verò ad ea quæ sequuntur: *Quòd si in his factis perseverat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa . . . alioquin & tu particeps eris peccati ejus.* De uxore quæ post baptismum in Idololatriam incidit, quam non brevi tempore retinet pertinacius, quæramus à Paulo, num vir ejus ab ea recedere debeat, quod specie Pastoris Angelus injungit Hermæ: Respondet verò: *Si quis frater uxorem habeat infidelem, quæ libens consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittat.* Uxoris quæ fidem profitebatur olim, par similisque in ea re ratio est ac infidelis. Quia nimirum & sanctificatur utraque in viro, & liberi *Sancti* sunt, & matrimonii jura non resolvuntur ab Idololatria. Neque Apostolica doctrina est, quæ Hermæ ab Angelo traditur de uxore adultera: *Quòd si dimiserit mulierem suam & aliam duxerit, & ipse mœchatur.* Alia quidem Matthæo, alia Christo sententia est. De homine hæc habet Hermas mandato 6. *Duo sunt genii cum homine, unus æquitatis, & unus iniquitatis.* Nostrum in animum nunquam descendet opinio hæc, quòd Hermas ille, cui salutem Paulus impertit, & peregrinam Ecclesiæ vocem *genii* usurparit, & duos cuilibet mortalium assignarit Angelos, alterum bonum, alterum malum. Quâ de causa ipse Bellarminus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Hermam erroris insimulat. Scriptura quidem, ex qua sola haurire possumus, quid muneris circa homines competat Angelis, de duobus geniis mortalium cuilibet assignatis, altum non modò silentium agit, sed etiam hoc figmenti evertere videtur. Quid enim opus erat & Principi Dæmonum, Jobum affligendum permittere, si à teneris unguiculis Dæmon lateri ejus perpetuò adhærebat? An non genio huic sufficiebant vires, cruciando viro pio? Dixissetne Deus, *Quis seducet Achabum*, si jam deputatus erat certus Angelus improbus, seducendi minister? Quamobrem, ne ob excellentiam revelationum se supra modum efferret Paulus, datus est ei *Angelus Satanæ*, si ejusmodi genium jam à pueris habuisset? Quem errorem, etsi pietati forte innoxium, veritati tamen contrarium ex Hermæ libris hausere Origenes, Basilius, Nyssenus. Nec mirum in eam descendisse sententiam, Veterum nonnullos, quam in Herma deprehenderunt, qui Paulo coævus existimabatur; quo momenti non minimum huic opinioni additum est. 2°. De Gratia Dei, quam tam magnificè prædicat Apostolus, quid Hermæ excusationis afferri possit, penitùs ignoramus: *Quorum viderat Dominus puras mentes futuras, & servituros ei ex tota præcordiis, illis tribuit pœnitentiam.* Cùm enim ex pœnitentia oriatur ea sanctitas, quâ totâ mente Deum colimus, Deus ergo prius decrevit dare pœnitentiam, quàm futuram hanc sanctitatem prænosceret. Quo consequens est, contemplatione futuræ sanctitatis, quam in hominibus præscivit, Deum non contribuisse pœnitentiam. Ea non est Dei scientia, quæ prius effectum noscit, quàm causam. Cùm enim sese attemperet rerum naturæ atque ordini, utque modo concipiendi nostro, causa potius illi antecedit, quæ est effectus. Itaque non immeritò è regione verborum Hermæ, ad oram libri hæc addita sunt: *Caute lege, nam autor in Pelagianum errorem præcipitare videtur. Nullas enim Deus prævidet puras & sanctas mentes futuras, nisi quas ipse tales facere prædestinavit.* Rectam sapientemque observationem! 3°. Spiritibus corpore solutis Evangelium annunciatum esse, ex quo salute donati sunt, testatur Hermas: *Quare de profundo hi lapides ascenderunt, & positi sunt in structuram turris hujus, cùm jam pridem portaverint spiritus justos? Necesse est*, inquit, *ut per aquam habeant ascendere, ut requiescant. Non poterant enim aliter in regnum Dei intrare, quàm ut deponerent mortalitatem prioris vitæ. . . Et dixi, Quare ergo, Domine, illi quadraginta lapides ascenderunt cum illis de profundo, jam habentes illud sigillum? Et dixit, Quoniam hi Apostoli, & Doctores qui prædicaverunt nomen filii Dei, cùm habentes fidem ejus, & potestatem defuncti essent, prædicaverunt his qui ante obierunt, & ipsi dederunt eis illud signum.* Ex eo loco probat Clemens Alex. apud inferos annunciatum esse Evangelium: *Cùm apud Deum*, inquit, *nullus sit personarum respectus, Apostoli quoque, sicut hic ita etiam illic annuntiarunt Evangelium iis, qui ex gentibus erant apti ad conversionem. Et rectè dictum à Pastore est*, &c. Quæ doctrina, erroris notam effugere nequit. Excusationem tamen parat Nicolaus le Nourri, allegoricâ interpretatione adhibitâ: *Hoc est, mortui sunt, tenebris, ignorantiâ, infidelitate, & incredulitate. At, inquies, Cur ergo de Apostolis subjungit, Prædicaverunt nomen filii Dei . . . cùm defuncti essent? Quid ni & hæc Apostolorum mors, spirituali quoque sensu intelligatur, quia nimirum vetus eorum homo cum Christo crucifixus.* At ista quidem vis est illata Hermæ, quâ nulla major concipi potest, ut absolvatur erroris. Primùm enim de certo quodam hominum genere hæc scripsisse Hermam, certo certius est, cùm non *omnes ex profundo*, lapides ascenderint. Exploratum autem est omnes omninò mortales in peccatis fuisse mortuos, ante fidem Evangelio adhibitam. Ejusmodi defunctis

Past. l. 2. Mand. 4. 1.

1 Cor. 7. 12.

Job 1. 12.
Chronic. 2. 12.
2 Cor. 12. 7.

Past. l. 3. Simil. 8.

Past. l. 3. Sim. 9. p. 43.

Clem. Strom. l. 6. 460.

Nour. Dissert. 4. p. 118.

fuoctis ipse Paulus sese inserit Ephesiorum secundo. Deiode quid *profundum* illud, in quod descenderunt Apostoli, ut ex eo eruerent homines quibuscum ascenderunt, si non est infernus, uti rectè animadvertit Clemens? Immigraruntne Apostoli in iofidelitatis & ignorantiæ tenebras, ut ab illis homines evellerent? 3°. Potuitne clarius aut disertius mora corporea significari, quam hâc oratione designatur, *deponere mortalitatem prioris vitæ?* 4°. In explicatione sua, quis credat tàm obscurè Pastorem esse locutum, ut io una eademque phrasi, *defuncti essent, prædicaverunt his qui antè obierunt*, duæ mortes oppositæ contineantur? *Ante obierunt* apud *Le Nourri* significat, *mortem incredulitatis & ignorantiæ*; defuncti verò essent, sonat *sanctitatem*, hoc est, *corporis peccati destructionem*. Quæ licentia ioterpretandi si permittatur, de mente Autorum actum est omninò. Itaque si verum amamus, apertè fatendum est, *Hermam* ab errore alienum non fuisse. Accedat erroribus, quòd pro modo peccati ejusmodi tempus pœoæ constituit, ut diurnæ voluptati suus dolor annuus respondeat: *Quot dies perceperit quisque voluptatem, totidem annis cruciatur.* Ex quo consequitur, voluptatum mancipiis, quæ veritatem non prodidere, perpetua supplicia non decerni, repugnante prorsus Scripturâ, quæ non Idololatras, non ebriosos, non scortatores, sed illos qui esurienti Christo panem oon dedere, in *ignem æternum* mittit. Has porrò tot tantasque viro Apostolico Hermæ aberrationes ascribere, injuria est.

Lib. 3. Sim. 6.

Pastoris liber fueritne in pretio omnibus?

VIII. Pastoris librum Veteres fecisse plurimi, haud ignoramus. Jam auditus Irenæus, à quo absolutè *Scriptura* dicitur, quasi Autor ejus actus fuisset à Numine. Origenes in Epistolam ad Romanos Commentario, de libro Pastoris: *Quæ Scriptura*, inquit, *valdè mihi utilis videtur, & ut puto, divinitùs inspirata.* Eusebius de hoc libro Veterum judicia scripto mandavit: *Quoniam verò idem Apostolus in salutationibus ad finem Epistolæ ad Romanos inter alios mentionem fecit Hermæ, cujus esse aiunt librum Pastoris, sciendum est etiam huic à quibusdam contradici, propter quos inter receptos autoritatis libros poni non potest. Ab aliis verò maximè necessarius judicatur, iis præsertim qui elementariâ institutione indigent. Unde etiam in Ecclesiis eum publicatum scimus. Et ipso quosdam ex vetustissimis Scriptoribus ipsius testimonio usos esse deprehendi.* Certissimum est ejus lectionem Catechumenis fuisse concessam, teste Athanasio: *Addo libros esse alios, non Canone quidem probatos, sed Patrum autoritate illis, qui pietatis elementis imbuendi essent, propositos*, in quibus *Pastorem* annumerat. Quin etiam de ipso tradit Hieronymus: Pastor *apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publicè legitur. Reverà utilis liber.* Rufino quoque Pastor est inter Libros Ecclesiasticos: *In N. Testamento libellus, qui dicitur Pastoris, sive Hermetis.* Minori tamen aliis pretio fuit. Eum quidem Tertullianus in contemptionem adduxit: *Sed cederem tibi, si Scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni Concilio Ecclesiarum etiam vestrarum, inter apocrypha, & falsa judicaretur, adultera & ipsa, & inde patrona sociorum.* Quibus liquet, non Tertullianum modò Montani jam odore afflatum, sed Christianos quoque, qui degebant in Affrica, *Apocryphis falsisque* libris Pastorem apposuisse. Non eò quidem impudentiæ venerat Septimius, ut in eam rem testimonia afferret Ecclesiarum, decretumque Concilii, si benè de hoc libro fuisset existimatum. Origenes, qui librum plurimi facit: *Sin ad id emoliendum libro uti audebimus, qui in Ecclesia quidem circumfertur, sed ab omnibus pro divino non habetur, illud adhibeamus, quod in libro Pastoris de quibusdam traditur.* Orig. in Matth. 361. Videatur & Philoc. c. 1. p. 9. Afris quoque consentit Prosper, contra Cassianum Collatorem, qui statuendæ arbitrii libertati, libri Pastoris adduxerat autoritatem. Cui respondet Prosper: *Post illud autem nullius autoritatis est testimonium, quod disputationi suæ de libello Pastoris inseruit.* Neque aliquid momenti est in responsione Nat. Alexandri, non esse mirum quòd Prosper *nullam autoritatem Operi ignorato tribueret.* Non ignotum fuisse Prospero, planum est verbis ejus, *de libello Pastoris.* De libro, qui nobis non venit in notitiam, libellus sit necne, crassus an parvus, penitùs ignoramus. Neque ea fuit in Prospero temeritas, ut scribens adversus eruditum adversarium, testimonium respueret Autoris, de quo nullum ferre potuisset ob ignorantiam judicium. Neque N. Alexandro Hieronymus auxilio est. Dixit de libro Pastoris, *Sed apud Latinos penè ignotus est.* Non igitur omnibus Latinis, non Tertulliano, non Afris, non Prospero. De eo libro ipse Hieronymus: *In libro Pastoris, si cui tamen placet illius recipere lectionem, Hermæ primum videtur Ecclesia cano capite.* Additur & à nonnullis locus, qui extat apud Hieronymum in Habac. c. 1. p. 189. *Ex quo liber ille Apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quendam Angelum, nomine Tyri, præesse reptilibus.* Injecta tamen nobis est dubitatio, Hieronymus collimaritne ad librum Pastoris. Quippe verba hæc multum dissimili sermone sunt cum illo Pastoris: *Misit Dominus Angelum suum super bestias, cui nomen est Hegrim, & obturavit os ejus, ne dilaniaret me.* Quæ verba cùm multum torserint eruditos, aliquid lucis accipiunt ex Manuscripto Bibliothecæ Colbertinæ, in quo, teste Nicolao Le Nourri, sic legitur: *Misit Dominus Angelum suum super bestiam, cujus nomen est Hegrin.* Ex quo intelligitur, *Hegrin* nomen esse non Angeli, sed bestiæ: *Cur autem illam ita vocaverit, rectè forsitan conjicies, si attendas vocem Hegrin idem esse ac Græcè ἄγριος, id est, immitis, ferox.* Quæ specie suâ conjectura non caret. Si verum placet, liber Pastoris aut pro Canonico recipiendus est, aut impostori necessario vindicandus. Si Christus, vel Angelus à Christo missus, suas Hermæ visiones revelavit, quid superest, nisi ut libris divinis inseratur? Si falsa prædicat autor, mendax est, vanus est, qui figmentis & commentis Lectoribus ivit illusum.

Euseb. l. 3. c. 3.

Athan. t. 2. 40.

Tertul. de Pudic. c. 10.

Prosp. cont. Collat. c. 30.

Hier. in Ose. c. 7. 54.

Past. l. 1. vis. 4.

Nour. Dissert. 4. 120.

Utilisne sit Liber Pastoris?

IX. Quærunt eruditi Hermæ liber sitne *Optimæ notæ, & Ecclesiæ utilis?* Quod ore rotundo affirmant N. Alexander, Du Pin, Le Nourri, quam & in sententiam non obscurè propendet Clarissimus ille Pearson, in Vindiciis Ignatianis p. 42. Nos misso Veterum judicio, qui libro favent impensius, distinguendum esse existimamus. Etenim tria sunt in eo spectanda; præcepta morum, dogmata, stilus. Præcepta quod attinet, plurima in eo legi profitemur, quæ sunt informandis moribus idonea. Colere docet pietatem, quæ cùm magna sit in Christia-

nis & pauperibus, tum in Deo maxima est. Fidem inculcat, monet mendacium adulteriumque fugiendum. Ad pœnitentiam, persecutionumque tolerationem excitat, eaque & prohibet, quæ virtutibus adversantur, & imperat, quæ vitia perscecant, ne serpant longius. Quæ fuse satis exequitur. Quæ fidei sunt fundamenta, atque capita amplectenda proponit. De

Past. l. 3. Simil. 9. p. 42.

Christo insignis ille locus est: *Filius quidem Dei omni creaturâ antiquior est, ita ut in consilio, patri suo adfuerit ad condendam creaturam.* Quo quid disertius coarguendo Socino? Dissimulare tamen non possumus, quod & rotundè fatetur Bellarminus, librum *habere etiam aliqua noxia*, quæ non sunt Evangelicis veritatibus consentanea. Quod pluribus exemplis demonstravimus.

Past. l. 2. Mand. 4.

Quibus & illud addi potest de adultera: *Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reverti, nonne recipietur à viro suo? Et dixit mihi, Imò si non receperit eam vir suus, peccat, & magnum peccatum sibi admittit.* Quæ

Matth. 5. 32.

à verbis Christi sunt aliena: *Quisquis dimiserit uxorem suam extra rationem scortationis, facit ut ea mœchetur.* Quibus saltem licentiam dat dimittendi, ut immunis sit peccati omnis, qui adulteram, utut pœnitentem, recipere non vult, nedum *magnum peccatum admittat.* In stilo etiam multa desideramus: quæ plebeis allubescunt animis, similitudines, & allegoriæ, quibus totus scatet liber, viris cocti maturique judicii sanè non placent: *Bestia magna veluti cetus, cujus ex ore locustæ igneæ procedebant*, figura erat *pressura superventura.* Quid his figmentis opus? Similitudine nonâ, Virgines dicunt Hermæ: *Nobiscum dormies, ut frater. Ea verò quæ ex illis prima esse videbatur, amplexata me est, & osculari me cœpit. Cæteræ verò cùm vidissent me amplexari ab illa, & ipsæ cœperunt me ut fratrem osculari, & ducere circa turrim, & ludere mecum.* Quæ utut allegoricè virtutes designent, pura tamen, castaque etiam in allegoriis oratio esse debet, ne vel minimam lasciviæ speciem lectorum ingerat in animos. Quibus accuratè perpensis, non adeò utilis liber existimandus est, nec immeritò à Gelasiano decreto ad Apocryphos relegatur.

Duone fuerint libri, alter à Herma, alter à Hermete editi?

X. Illud etiam videamus, fuerintne duo libri, quorum alter ab Herma Pauli discipulo, alter ab Hermete, Pii fratre compositus? Quæstionem sic solvit Baronius: *Dicere necesse est, si velimus unum eundemque esse autorem, diversos hos inter se fuisse commentarios, diversis temporibus scriptos, quorum prior, usu celebrior Græcis in primis habitus sit, posterior tantum Latinis.* Di-

Bar. An. 159. n. 7.

versos Autores & libros, *Quamvis idem fere nomen gererent*, Bellarminus statuit. Cujus sen-

Bellarm. de Script. Eccl.

tentiæ ea ratio est: *Is qui ab Apostolo salutari jubetur, vocatur Hermas, frater Pii dicitur Hermes. Deinde liber qui scriptus dicitur à fratre Pontificis, præcipuè continebat mandatum Domini per Angelum, ut Pascha die Dominico celebraretur. At in libro Pastoris, qui a Veteribus citatur & qui adhuc extat, nulla mentio fit Paschatis celebrandi die Dominico.* Nullâ tamen veri similitudine ea innititur sententia, cùm libros duos titulo Pastoris donatos, Antiqui nescivérint. Quin etiam Ado, contradictione non ferendâ, librum & Hermæ Pauli discipulo, & fratri Pii Papæ vindicavit:

Ado Chron. 1.

Pius Episcopus Romæ habetur, sub quo Hermas librum scripsit, qui dicitur Pastoris, in quo præceptum continet Angeli, ut semper Pascha die Dominico celebretur. At in Martyrologio: *Natale S. Hermæ, cujus Apostolus Paulus meminit... Hunc asserunt autorem esse libri, qui appellatur Pastor.* Quod & in Libello de Festivit. SS. Apost. legitur. Neque Baronii Bellarminique rationes momenti sunt alicujus. Autoris qui librum Pastoris edidit, Germanum nomen Hermas dicitur, sed mutari utcunque nomina, sive ob Euphoniam, sive ob dialectum, solemne est. Tam ergo ex Ἑρμᾶς fieri potuit Ἑρμῆς, quàm ex Theodorito Theodoretus. Ipse Rufinus qui Origenem de Principiis in Latinum transfudit: *In eo libello*, inquit, *qui Pastoralis dicitur, de Angeli positione, quem Hermes conscripsit.* De Princip. lib. 1. c. 3. & lib. 4. c. 2. *Cum jubetur Hermes duos libellos scribere*, quod vocabulum etiam retinet in expositione Symboli. Ac sanè *Hermes* Latinis auribus mollius sonat. Quod verò de mandato Angeli affertur, ut Pascha die Dominico celebraretur, figmentum est impostoris, qui post autorem Bucheriani Catalogi floruit, non pars utique aliqua, quæ libro Hermæ fratris Pii contineretur. Non eo nomine libri sunt multiplicandi, quòd aut impostor aliquis, aut Scriptor cujus aberrat memoria, ea libro ascribit alicui, quæ nullo vestigio in libro extant. Non est autem prætereundum, quod de titulo libri Pastoris Rufinus scripto tradit, in Expositione Symboli: *In novo verò Testamento libellus, qui dicitur Pastoris, sive Hermetis, qui appellatur duæ viæ, vel judicium Petri, tot enim nominibus à diversis nominari consuevit, quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.* Placuit Pamelio Valesioque, diversos unius ejusdemque esse libri titulos. Quæ tamen materiæ libri appellationes, non aptæ sunt atque congruæ. D. Petri sanè judicio, in Pastore ne verbum quidem. Neque verisimile admodum, Patres qui Pastoris libro frequenter utantur, titulos omisisse ejusmodi. Probabilius est igitur, geminorum librorum esse titulo, repetendamque esse *libelli* vocem, quæ subintelligitur: *Libellus qui dicitur Pastoris, sive Hermetis: Qui appellatur duæ viæ, vel judicium Petri.* Scilicet Libellus.

Hermas obieritne martyrio?

XI. Martyris titulo Hermam ornatum esse Romanum tradit Martyrologium septimo Idus Mai: *Romæ S. Hermæ, cujus Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos meminit. Hic dignè semet ipsum sacrificans, acceptabilisque Deo Hostia factus, virtutibus clarus, cœlestia regna petivit.* Nullus tamen Veterum, qui quàm frequentissimè de Herma commemorant, illum Martyribus inseruit. Non Irenæus, non Clemens Alexandrinus, non Origenes, non Eusebius, non Hieronymus, qui Martyris nomine Hermam alicubi donassent, si Martyrem scivissent. Nullus etiam inter Martyres, Hermæ locus assignatur in Rosuedi Adonisve Martyrologio. Hermam tamen Martyribus inserit Libellus Adonis de Festivitatibus SS. Apostolorum. Subjungit: *Sepultus apud urbem Romam. Titulus nomine ipsius, juxta quod baptisterium ex facultatibus Sanctæ Praxedis est extructum, & B. Pio discipulo Apostolorum operante studio consecratum, venerabiliter ei statutus est.*

Anno Dom. 158.

Anno U. C. 911. Per. Jul. 4871. Jul. 203. Dom. 158. Antonini 20. & 21. *Sol.* 27. B. *Lun.* 7. *Indict.* 11. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 6. P. 3. *Apr.*

Coss. *Tertullus, & Claudius Sacerdos.*

Fronto Orator.

I. Silentibus & Imperii, & Ecclesiæ Annalibus de M. Frontone, cujus anno CLXIII. meminit Eusebius in Chronico, paucis dicendum: *Quo Oratore usi sunt M. Aurelius, atque Verus. Cui adeò Marcus detulit, ut & statuam in Senatu petierit.* Amplissimum quoque Magistratum obiit, sed suffectum. De generibus colorum, cum Phavorino sermonem instituit, cujus auditor Gellius. Pedibus tum laborabat. Vocem inopiam, in lingua magis Latina deprehendebat Phavorinus, quàm Græca. Tum Fronto ad Phavorinum: *Non inficias, inquit, imus, quin lingua Græca, quam tu videro legisse, prolixior fusiorque sit quam nostra. Sed in iis tamen coloribus, quibus modò dixisti designandis, non perinde inopes sumus, ac tibi videtur.* De eodem Frontone commemorat etiam l. XIX. c. 10. De insigni & oratore Dio: *Fuit & Cornelius Fronto, magnæ autoritatis, qui in agendis causis, Romæ primum locum obtinebat.* In pretio fuit Frontonis Pelops, de quo Sidonius: *M. Fronto cùm reliquis orationibus emineret, in Pelopem se prætulit.*

Capit. Marc. c. 2.

Gell. l. 2. c. 26.

Dio l. 69. 796.

Sid. Epist. l. 8. 10.

Anno Dom. 159.

Anno U. C. 912. Per. Jul. 4872. Jul. 204. Dom. 159. Antonini 21. & 22. *Sol.* 28. A. *Lun.* 8. *Indict.* 12. *Epact.* 33. *Epact. Sol.* 7. P. 23. *Apr.*

Coss. *Plautius Quintillus, & M. Statius Priscus.*

Lex de Adulteriis.

I. His Coss. de Adulteriis lex renovatur, ne maritus adulterii accusare posset uxorem, si impudicam ipse vitam ageret. Addamus verba Augustini, de Adulter. Conjug. lib. 2. c. 8. *Si isti quibus displicet ut inter virum & uxorem, par pudicitiæ forma servetur, & potius eligunt, maximè in hac causa mundi legibus subditi esse quàm Christi, quoniam jura forensia non iisdem, quibus fœminas pudicitiæ nexibus viros videntur constringere, legant quid Imperator Antoninus, non utique Christianus, de hac re constituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cùm moribus suis non præbuit castitatis exemplum. Ita ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse convicerit. Nam supra dicti Imperatoris hæc verba sunt, quæ in Codice Gregoriano leguntur: Sanè, inquit, meæ literæ nullâ parte causæ præjudicabunt, neque si penes te culpa fuit, ut matrimonium solveretur, & secundum legem Juliani, Eupasia uxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cùm tu pudicè viveres, illi quoque bonos mores colendi autor fuisti. Periniquum enim mihi videtur, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. Quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis, rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere. Si hæc observanda sunt propter decus terrenæ civitatis, quantò castiores quærit cælestis patria & societas Angelorum.*

Anno Dom. 160.

Anno U. C. 913. Per. Jul. 4873. Jul. 205. Dom. 160. Antonini 22. & 23. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 9. *Indict.* 13. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 14. *Apr.*

Coss. *T. Vibius Barus, Annius Bradua.*

Soror Braduæ Regilla.

I. Regilla Braduæ soror nupserat Herodi, qui Consulatum gesserat A. D. CXLIII. Quam gravidam Alcimedon Herodis libertus ita percussit, ut ex ictu mortua sit, cum embryone mensium octo. Regillæ frater Bradua Herodem accusat ut cædis illius autorem. Herodes pernegat. Erat Braduæ magna nobilitas, autoritas magna, *Sed tamen plus virium habuit veritas.*

Philost. de Sophist. l. 3.

De Titulo Pastoris.

II. Hoc anno erectum esse in thermis Novati, Pastoris titulum, legimus in Annalibus. Quâ autem occasione id factum sit, docet Baronius ex literis Pastoris ad Timotheum: *Venerabilis virgo Praxedes afflicta erat propter transitum germanæ suæ Pudentianæ. Multi Nobiles Christiani ad eam veniebant, & consolabantur eam, unà cum Episcopo Pio.* Novatus verò cùm decubuisset, funeri propior, bona sua reliquit Timotheo. Timotheus verò rescribit, Se Praxedi & Pastori, de bonis legatis potestatem faciendi quod liberet, concedere. Rogavit ergo Praxedes Pium Episcopum, ut in thermis Novati Ecclesiam dedicaret. Constituit ergo *Titulum Romanum, in quo & baptisterium consecravit IV. Idus Maias.* Abluit Baronio pudor, dum monumentis ejusmodi titulo Pastoris conciliat antiquitatem. Fato jam functus Pius, hanc dedicare Ecclesiam non potuit. Neque barbaræ voces, quibus abundant Epistolæ Pastoris ad Timotheum, & Timothei ad Pastorem, dubium faciunt animum alicujus, quin subditæ sint: *Jubeat sanctimonium vestram. Afflicta propter transitum.* Hæc non sunt secundi seculi.

Bar. An. 162.

Anno Dom. 161.

Anno U. C. 914. Olymp. 235. Per. Jul. 4874. Jul. 206. Dom. 161. Antonini 23. *Sol.* 2. E. *Lun.* 10. *Indict.* 14. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 3. P. 30. *Mart.*

Coss. *M. Aurelius Cæsar III. & Lucius Aurelius Commodus II.*

Mors Pii.

I. Hoc anno, Pius non sine ingenti omnium dolore, vitam cum morte commutavit. Mors autem ejus talis narratur. Cùm Alpinam caseum in cœna edidisset avidius, nocte rejectavit, atque aliâ die febre commotus est. Tertiâ die, cùm se gravari videret, M. Antonino Rempublicam, & filiam præsentibus Præfectis commendavit. Fortunamque auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit. Signum Tribuno æquanimitatis dedit: atque ita conversus, quasi dormiret, spiritum reddidit apud Lorium. Alienatus in febri, nihil aliud quàm de Republica, & de regionibus, quibus irascebatur, locutus est. Obiit die septimâ mensis Martii. A Senatu Divus appellatur, cunctis certatim adnitentibus, cùm omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent. Decreti etiam sunt omnes honores, qui optimis Principibus antè delati sunt. Meruit & Flaminem, & Circenses, & Templum, & sodales Antonianos.

Capit. Anton. c. 12.

Anni Marci Aurelii.

II. Antonino successit Marcus, qui Patre Annio Vero, matre Domitiâ Calvillâ Aprilis

Anno Dom. 161.

xxvi. Anno Dom. cxxi. in lucem editus fuerat M. Annio Vero ii. & L. Augure Coss. De imperii tempore consentiunt inter se Theophilus, & Dio, uno die excepto. Annos enim xix. *dies* x. Theophilus; anni verò totidem diesque xi. à Dione vindicantur: *Ipse*, inquit, *decem ac novem annos regnavit, & dies* xi.

Dio 71. 815.

Emortualem exclusisse diem videtur Theophilus, quem Dio complectitur. Quo calculo periit Marcus xvi. Calend. Aprilis anno clxxx. Ex Dione tamen difficultatis aliquid suboritur. Quippe *annos octo & quinquaginta, menses decem, dies viginti duos* vitæ Marci contribuit. Quo sequeretur xix. Martii mortem obiisse. Itaque de summa dierum, duo sunt detrahendi, ut sibi consentiat Dio. Quod accurato Chronologo Pagio mirum est non venisse in mentem. Equidem à vigesimo sexto Aprilis anni cxxi. cui quoque diei Calendarium Lambecianum, Marci Antonini nativitatem illigavit, si annos octo & quinquaginta, menses decem, dies xxii. numeremus, mors Marci in Martii xvii. incidere nequit. Legendum ergo in Dione: *ἡμέρας τὰ εἴκοσι, dies viginti,* deletis vocibus ϗ δύο. Emendationem hanc nostram firmat Suidas: *Cùm autem annos* L. *menses* x. *ἡμέρας τε κ ζήσας, diesque viginti vixisset.* Tertullianus de die Marci emortuali, paria cum Dione scribit: *Reipublicæ,* inquit, *exemptus est, die* xvi. *Calendarum Aprilium.* Anno clxxx. Martii septimus & decimus in quartam feriam incidebat, quæ Marco suprema fuit. Vixit ergo annos lviii. menses x. dies xx. Imperavit annos xix. dies xi.

Tert. Apol. c. 25.

M. Antoninus. Quis? Ejus pueritia.

II. M. Antoninus, principio avi sui nomen habuit, & Catili Severi materni proavi. Post excessum verò patris, ab Adriano Annius Verissimus vocatus est. Post virilem autem togam, Annius Verus, patre mortuo, ab avo paterno adoptatus est, & educatus. Fuit à prima infantia gravis. Duodecimum annum ingressus, habitum Philosophi assumpsit: *Et deinceps tolerantiam cùm studeret in pallio, & humi cubaret, vix autem, matre Domitiâ, qua & Lucilla, agente, instrato pellibus lectula. Tantumque operis & laboris studiis impendit, ut corpus afficeret.* Plurimum ab ipsa natura evectus fuit. Antequam vero Philosophis excolendus traderetur, contendebat ad studium virtutis, qua in re propinquis suis ita satisfaciebat puer, ut omnibus carus esset. Atque ob eam causam præsertim ab Adriano adoptatus, nihilo magis insolens fuit. Educatus in ejus gremio, vocabatur *Verissimus.* Ei honorem equi publici sexennii detulit Adrianus, quod magno favoris loco donabatur ab Imperatoribus, ut pluribus exemplis ostendit Salmasius, qui corruptissimum Capitolini locum, *& qui ei honorem etiam publicè sexennis detulit,* feliciter restituit, mutato *etqui* in *equi.* Octavo ætatis anno, in Saliorum collegium relatus, in eo Sacerdotio, & Præsulem, & Vatem, & Magistrum egit. Hinc ortus superstitionis amor, quo supra modum capiebatur. Virilem togam sumpsit xv. ætatis anno. Statimque ei L. Ceionii Commodi filia desponsata est, quam tamen non duxit. Patrimonium paternum sorori Anniæ Cornificinæ natu minori totum concessit: cùm eum ad divisionem mater vocaret, respondit, Se avi bonis esse contentum, addens, ut mater si vellet, in sororem suum patrimonium conferret, ne inferior esset soror marito. Is fuit Numidius Quadratus, ex quo matrimonio natus alter Numidius Quadratus, cui bonorum maternorum partem concessit. Pro Annio, Aurelius cœpit vocari, quòd in Antonini familiam, jure adoptionis transisset, octavo decimo ætatis anno.

Capit. Marc. c. 3.

Dio l. 71. 815.

Capit. Marc. c. 4.

Anno Dom. 161.

Marci mores.

III. Fuit eâ vitæ indulgentiâ Marcus, atque facilitate, ut cogeretur nonnunquam vel in venationes pergere, vel in theatrum descendere, vel spectaculis interesse. Amavit pugilatum, luctamina & cursum, & aucupatus; sed ab his omnibus studium eum Philosophiæ abduxit, seriumque & gravem reddidit, non tamen prorsus abolitâ in eo comitate, quam præcipue suis mox amicis, atque etiam minus notis exhibebat: cùm frugi esset sine contumacia, verecundus sine ignavia, sine tristitia gravis. Philosophiæ cupidus *Sextum* etiam Bœotium Philosophum continenter audivit, in ipsa urbe Roma, ad ipsum frequenter accedens, & ejus fores frequentans. Eum autem & Lycius quidam Orator, Herodis Atheniensis Rhetoris discipulus, prodeuntem interrogavit, Quonam iret, & qua de causa? Cui Marcus: *Etiam seni honestum est discere. Eo igitur ad Sextum Philosophum, ut discam ea quæ nondum scio.* Tum Lycius manu ad Cœlum sublatâ, ô Sol, inquit, Romanorum Imperator jam senex, libellum tractans, Ludi magistri domum frequentat! Multis virtutibus præditus fuit, sed præcipuè beneficentiâ, cui etiam Templum ædificavit in Capitolio, quod maximè proprio atque inaudito anteà nomine nuncupavit. Si quis boni aliquis faceret, cum collaudabat. Adoptatus in aulicam domum, consanguineis suis tantam reverentiam, quantam privatus exhibuit. Æstimationis autem tantam curam habuit, ut Procuratores suos puer semper moneret, ne quid arrogantius facerent, & hæreditates delatas reddens proximis, aliquando respuerit. Tantam animi firmitudinem obtinuit, ut neque propter metum, neque propter voluptatem, aut lætitiam, vultu mutato, unquam conspectus sit. Egregia sunt de M. Aurelio verba Victoris in Epitome: *Ille virtutum omnium cælestisque ingenii extitit, ærumnisque publicis, quasi defensor objectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profectò quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. . . Creda divinitùs attributum, ut dum mundi lex seu natura, aliudve quid hominibus incognitum, ea mala gignit, Rectorum consiliis, tanquam medicina remediis leniatur.* De ejus urbanitate Herodianus l. 1. *Adeò verò civilem sese & commodum omnibus Principem præstabat, ut adeuntium cuivis dextram placidè daret, neminemque à suis custodibus prohiberi aditu pateretur.* Nimiæ tamen superstitionis fuisse, vel Ethnicis ipsis in confessum venit. In Marcum enim id accipimus dictum: *Albi boves, Marco Cæsari. Si vincis, omnes perimus.*

Capit. Marc. c. 4.

Suidas.

Dio l. 71. 815.

Capit. Marc. 7.

Suidas.

Marcellin. l. 25. c. 4.

Marci Acta.

IV. Post excessum Pii, Marcus à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designavit. Causæ quamobrem Marcus collegam ascivit sibi, hæ traduntur à Dione, quòd nempe Marcus imbecillis erat, deditusque literarum studiis. Lucius verò robustus, & ad bellum aptior. Quem Marcus Lucium Aurelium, Verum Commodum appellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperunt Rempublicam regere. Tuncque primum Romanum imperium duos Augustos habere cœpit. Antonini mox ipse nomen recepit, & quasi Pater L. Commodi esset, & Verum eum appellavit, addito Antonini

Anno Dom. 161.

tonini nomine, filiamque suam Lucillam fratri despondit. Actis quæ agenda erant in Senatu, pariter castra Prætoria petiverunt, & vicena millia nummûm, singulis ob participatum imperium militibus promiserunt, & cæteris pro rata. Vicena millia quasi legitimus fuit modus donationis cuique militum Prætorianorum; hoc est, librarum Gallicarum 1861. At Centurionibus duplum dabant. Tribunis adhùc alterum tantum. Quæ magna liberalitas fuit.

Capit. Marc. c. 7.

Pius sepelitur.

V. Adriani sepulchro, corpus parentis sui intulerunt Imperatores, magnifico exequiarum officio: mox justitio secuto, publicè quoque funeris expeditus est ordo. Et laudavere uterque pro rostris Patrem, Flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianos creavere. Funebre munus patri dederunt, ludos scilicet gladiatorios, sive certamen sepulchrale.

Capit. Marc. c. 8.

Nùm à Marco Christiani ad frumentationem vocati? Abercii Acta.

VI. Despondit Vero Lucillam suam Marcus, annos quindecim natam, non ut scribit Baronius *sexdecim*, utpote quæ lucem aspexit anno Dom. CXLVII. quo pater, post ejus ortum, & imperio Proconsulari, & Trib. Potestate donatus est: *Ob hanc conjunctionem pueros puellasque novorum hominum, frumentaria perceptioni ascribi præceperunt.* Qui sint novi illi homines, in dubium cadit? Baronius in his novis hominibus quærit Christianos: *Da frumenta*, inquit, *pauperibus eroganda, ab Abercio, singulisque annis præstando intelligendum.* Quam ex Actis Abercii Hieropolitani Episcopi explicationem firmare tentat. Actorum summa hæc est. Arripitur à Dæmone Lucilla, antequam celebrarentur ejus cum Vero nuptiæ. Testatur Dæmon se nonnisi ab Episcopo Hierapolitano, quem habebat infensissimum, fore pellendum: quod cùm Marco innotuisset, Euxeniano Poplioni Provinciæ Præsidi scribit, se misisse Valerium & Bassianum, ut Abercium cum omni honore & reverentia adducant. Postquam in urbem venit Abercius, obsessam virginem à Dæmone liberat. Qua de causa, Marcus Hierapolitanæ Ecclesiæ mendicis donavit *ter mille modios frumenti*, quæ pensio ad Juliani Apostatæ, qui eam sustulit, tempora usque soluta est. Latinis ignotus Abercius, favente Baronio, locum invenit in Martyrologio Romano, Græcorumque exemplo, memoria ejus Octobris XXII. recolitur. Abercii ad M. Aurelium Epistolam possederat Baronius, qui infelici casu amissam esse queritur: *Dolemus vehementer à manibus nostris lapsam, nescimus quomodo, Epistolam illam, quam ab Abercio ad Marcum scriptam, piæ memoriæ Illustrissimus Gullielmus Syrletus Cardinalis Bibliothecarius pro magno munere nobis concesserat.* Verùm enimverò Illustrissimi Purpurati peregrinabatur animus, dum ea Abercii Actis lucis aliquid Capitolino fœnerare voluit. Subdita esse Acta hæc persuasum habemus, Veteribus Græcis Latinisque prorsus ignota. Docet ipse Marcus, qui libro primo vitæ suæ, testatur à Diogneto se didicisse, *Fidem abrogare iis quæ de incantationibus, Dæmonumque profligationibus, ad id genus aliis rebus præstigiatores & impostores referunt.* Atqui si insidentem Lucillæ Dæmonem pepulisset Abercius, exorcismis fidem Marcus multam adjunxisset. Insuper id miraculi ab Episcopo Hieropolitano patrati, favorem animumque Marci Christianis conciliasset. Jam verò constat, infelicem hoc uno Marcum, non solùm fuisse alienum ab iis qui Christo dixissent sacramentum, sed exquisitissimis quoque suppliciis in eos sævisse. Quibus accedat, nec liberationem Lucillæ, nec munificentiam Ecclesiæ Hierapolitanæ concessam, Tertullianis Eusebiis notam fuisse, de quo nil mentionis egere. Neque occasionem præteriissent Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, aliique, qui in Julianum invecti sunt Apostatam coarguendi, qui à M. Aurelio concessum Christianis beneficium revocasset. Ex quibus intelligitur nil causæ esse cur unà cum Baronio, Abercianæ ad Marcum Epistolæ jacturam defleamus, ejusdem atque Acta furfuris, ut fit vero simile, & bonis Antiquisque Scriptoribus ignotæ. Concedamus tamen Abercii acta esse legitima, ne illa quidem continent, undè Baronianæ explicationi fides possit astrui. Ipse Purpuratus scripserat, hæc dixisse Capitolinum *de frumentaria Marci largitione erga pueros & puellas, novorum hominum, id est, novorum civium, qui in urbem nuper ascripti, frumentariorum jure, hactenus caruerant.* Non ergo Capitolinus, vel minimo indicio significat, collatam rogante Abercio Ecclesiæ Hierapolitanæ munificentiam. Imò sui immemor Baronius miratur, *neque Capitolinum, neque alium quenquam horum temporum Ethnicum Scriptorem, memoranda alterius Marci liberalitatis meminisse, quater mille modios frumenti, Hierapolitanis in Phrygia civibus, qui Christiani omnes erant, in perpetuum præstandos præscripsit.* Equidem absonum est extramodum, *novos appellari homines*, qui novam religionem suscepere. Placet itaque doctissimi explicatio Salmasii: Legendum *pueros & puellas, novorum nominum frumentaria perceptioni ascribi præceperunt.* Primus Trajanus pueros & puellas alimentarias constituerat, quibus liberalitatis incrementum adjecit Adrianus. Pius etiam in honorem Faustinæ, novas puellas ascribi fecit, quas Faustinianas appellavit. Nunc Marcus & Verus ob conjunctionem, & participationem imperii, novorum pueros & puellas nominum ascribi præcipiunt; hoc est, hominum qui Faustinianarum, aut Trajanicorum titulo non donabantur.

Capit. Marc. c. 7.

Bar. An. 163. n. 15.

Ibid.

Anno Dom. 161.

Bar. An. 163. n. 9.

Ibid.

Tiberis inundatio.

VII. Dabat se Marcus totum Philosophiæ, amorem civium affectans. Sed interpellavit istam felicitatem securitatemque Imperatoris prima Tiberis inundatio, quæ sub illis gravissima fuit. Quæ res & multa urbis ædificia vexavit, & plurimum animalium interemit, & famem gravissimam peperit. Quæ omnia mala, Marcus & Verus suâ curâ & præsentiâ temperarunt.

Severiani infelix in Armeniam expeditio.

Dio l. 71. 802.

VIII. Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus jam paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit. Totum exercitum Romanorum Severiano commissum, ad Elegiam oppidum Armeniæ quoddam undique conclusum, unà cum ipsis Ducibus, sagittarum ictibus confecerat. Hanc in Armeniam expeditionem Alexandri Pseudomantis carminibus deceptus Severianus susceperat, teste Luciano: *Adhortans enim illum ad incursum ejus Regionis, sic ait:*

Parthis Armenisque citato Marte subactis
Romam urbem repetes, & claras Tybridis undas,
Vertice serta gerens radiis distincta serenis.

Deinde posteaquam vecors ille Gallus, persuasus incursionem fecisset, evenissetque ut unà cum exercitu caderetur ab Othryade, hoc oraculum à monumentis sustulit, atque aliud in ejus locum substituit ejusmodi:

Agmen

Anno Dom. 161.

Agmen in Armentos ne duc, neque enim expedit istinc
Ne tibi fœmineis vir amictus vestibus, arcu
Exitum immittat, vitáque ac lumine privet.

Quæ vitam adhuc retinente Pio, Severiani clades contigerat. Quò pertinent verba Capitolini: *Alienatus in febri, nihil aliud quam de Republica & de his Regibus, quibus irascebatur, locutus est.* Quin etiam Vologesus Atidium Cornelianum, qui Syriam tunc administrabat, in fugam verterat.

Veri in Orientem profectio.

IX. Ergo ad Parthicum bellum, Senatu consentiente, Verus missus est. Quem Marcus Capuam usque prosecutus, amicis è Senatu qui se comitabantur ornavit, *additis officiorum omnium Principibus.* Hoc est, qui inter sui ordinis homines, principem locum tenerent. Sed cùm Romam rediisset Marcus, cognovissetque Verum apud Canusium ægrotare, ad eum videndum contendit, susceptis in Senatu votis, quæ posteaquam Romam rediit, auditâ Veri transmissione, statim reddidit. Quam Veri ex urbe profectionem hoc anno contigisse, cum Baronio Pagioque probabilius existimamus. Nostræ quidem sententiæ adversatur Eusebius in Chronico, dum anno Domini CLXII. hæc habet: *Lucio Cæsari Athenis sacrificanti, ignis de Cœlo ab Oriente in Occidentem ferri visus.* At eùm extinctus est Pius, Oriens bello agitabatur. Hinc illæ morientis iræ. Hoc etiam Victor innuit in Epitome: *Ab armis nusquam quies erat.* Itaque ad discedendum ea urbe nulla Vero mora esse debuit, Parthis in Syriam ingruentibus. Fallitur sanè Eusebius, dum Vologesi in Romanas Provincias impetum Veri profectioni postponit. Optimè Pagius: *Viri eruditi profectionem hanc in annum sequentem distulere, decepti, uti existimo, Nummo hujus Imperatoris qui extat apud Mediobarbum, in quo dicitur, Lucius Trib. P. II. Cos. II. Profectio Aug. Visitur Imperator eques, jaculum per transversum tenens, qui Nummus anno sequenti, quo Tribunitiam Potestatem II. Lucius iniit, cusus. At animadvertere poterant alia hujus Imperatoris Numismata apud Antiquos extare, in quibus legitur Tr. P. III. Cos. II. Profectio Aug. S. C. . . . Illi itaque Nummi, non cum ex urbe Romana, sed cum ex Antiochena, ubi Lucium in deliciis vixisse prodit Capitolinus, aut ex aliis civitatibus discessit, percussi.* Multa ignava & sordida, dum petebat Orientem, Verus egit. Nam eùm interfecto Severiano, cæsis legionibus, Syris defectionem cogitantibus Oriens astaretur, ille in Apulia venabatur, & apud Corinthum, & Athenas, inter Symphonias & cantica navigabat, & per singulas maritimas civitates Asiæ, Pamphiliæ, Ciliciæque clariores, voluptatibus immorabatur. Qua de causa nonnisi anno sequente Syriam ingressus, eùm autem *per quadriennium, hyemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnem, reliquam partem Antiochiæ egerit*, ut anno CLXVI. triumphum Romæ duceret, anno quidem CLXI. urbe proficisci debuit. Quod etiam ex Capitolino palam est, dum narrat Verum *post quinquennium esse reversum.*

Pag. Crit. an. 161. n. 10.

Capit. Ver. c. 6.

Capit. Marc. c. 13.

Commodi nativitas.

X. Intereà Faustina Marci uxor, Commodum partu edit. Natus est apud Lanuvium, cum fratre Antonino Gemino, pridie Cal. Septemb. Patre patruoque Coss. ubi & avus maternus dicitur natus. Faustina cùm esset Commodo cum fratre prægnans, visa est in somnio serpentes parere, sed ex his unum ferociorem.

Lampr. Com. c. 1.

Ferunt multi, Commodum ex adulterio natum, cùm satis constet apud Cajetam, Faustinam conditiones sibi, & nauticas, & gladiatorias elegisse. Ex gladiatore vitam hausisse Commodum, verisimile ex eo habetur, quòd his moribus fuit, quibus nullus lanista, nullus scenicus, nullus harenarius, nullus postremò ex omnium dedecorum ac scelerum colluvie concretus.

Anno Dom. 162.

Capit. Marc. c. 19.

ANNO U. C. 915. PER. JUL. 4875. JUL. 207. DOM. 161. MARCI 1. & 2. *Sol.* 5. D. *Lun.* 11. *Indict.* 15. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 4. *P.* 19. *Apr.*

COSS. *L. Junius Rusticus, & C. Vettius Aquilinus.*

I. JUnius ille Rusticus, qui annum aperuit, Stoicorum disciplinam colebat, quem Marcus docentem libenter audiebat. Domi militiæque pollebat. Cum eo Marcus omnia communicavit publica, privataque consilia. Cui etiam antè Præfectos Prætorio semper osculum dedit. Quem & Consulem iterum designavit, cui post obitum à Senatu statuas postulavit.

Jun. Rusticus.

Capit. Marc. c. 3.

II. Verus postquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam, & Daphnem vixit, armisque se gladiatoriis exercebat, dum Legati ejus bellum Parthicum gerebant. Daphne locus erat ita infamis voluptatibus, ut modestioribus, ac frugi propè inaccessus esset. De celeberrimo hoc Antiochiæ suburbio, pauca hæc liceat in Annales nostros referre ea Sozomeno: *Daphne nobile Antiochiæ suburbanum, multarum quidem cupressorum nemore vestitur. Sed & aliis inter cupressos consitis arboribus variatur. Sub arboribus autem pro temporum vicissitudine, fragrantissimos omnis generis flores tellus gignit. Porro lacunar potius quoddam, quam umbra locum undique obtegit, præ frondium ac ramorum densitate, Solis radios, humum usque pertingere non sinens. Amœnus præterea ac jucundus est locus, ob aquarum copiam ac pulchritudinem, & ob temperiem cœli, & propter auras molliter spirantes. Ibi fabulantur Græci Daphnem Ladonis fluvii filiam, ex Arcadia fugientem Apollinem amatorem, in arborem nominis sui fuisse conversam. . . . Cùm igitur hujusmodi esset suburbanum Daphne, pedem eò inferre viris bonis turpe habebatur.* Hic Verus sese voluptatibus ingurgitabat, dum Marcus horis omnibus, Reipublicæ negotiis incubaret, patienterque delicias fratris & *propè invitus ac volens ferret*; hoc est, medius inter volentem & nolentem.

Daphne Antiochiæ suburbium.

Sozom. l. 6. c. 19.

Capit. Marc. c. 8.

III. Hoc anno, Avidium Cassium Syriacis Præfectum legionibus probabile judicamus, qua de re extat Marci Epistola: *Avidio Cassio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuriâ, & Daphnicis moribus agentes, quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit. Et puto me non errasse, siquidem & tu notum habeas Cassium, hominem Cassianæ severitatis & disciplinæ.* Cui Præfectus respondit: *Rectè consuluisti, mi Domine, quòd Cassium præfecisti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit, quàm homo severior Græcanicis militibus. Ille sanè omnes flores, de capite, collo, & sinu, militi excutiet. Annona militaris omnis parata est.*

Cassius legionibus præficitur.

Vulcat. Cass. c. 5.

IV. Sub idem tempus adversa persecutionis procella ferit Ecclesiam. Cui otia pollicebatur, quæ Marco inerat animi mansuetudo. Sed superstitionis quam penè cum lacte hauserat alumnus,

Persecutio Ecclesiæ.

alumnus, Christianos ut impios odio habebat. Octavo suæ ætatis anno, ab Adriano in Saliorum collegium relatus fuerat, quod & pietatis odium inflammabant Philosophi, quibus familiariter libenterque Marcus utebatur. Audiamus Justinum hujus ætatis & virum, & Martyrem: *Mulier quædam virum habebat intemperantem. Ipsa quoque prius quidem lascivè admodum se gesserat. Sed postquam salutarem Christi doctrinam accepisset, statim modestior facta*, viro etiam persuadere studuit, ut castius viveret, & Christiana præcepta suggerens, & ignis æterni supplicium paratum iis, qui obscenè, & sine ratione vixissent. Verùm ille in eadem semper lascivia perseverans, ea agebat, quæ uxoris animum penitùs ab ipso alienarent: *Mulier enim nefas esse existimans cum eo viro, qui contra naturæ leges, undecumque voluptatis libidinis exquireret, tori consortio jungi, discedere ab illo constituit.* Ut historiam in pauca contrahamus, consiliis amicorum obtemperans mulier, ac sibi ipsa vim faciens, mansit cum viro. At cùm gravioribus Alexandriæ criminibus inquinari voluptuosum accepisset, misso ei repudio discessit. Qua de causa, vir ipse Christianismi mulierem accusat. Quæ oblato Imperatori libello, postulat ut prius rei familiaris procurandæ sibi facultas daretur, ac deinde accusationi se esse responsuram pollicetur. Tum maritus in *Ptolemæum*, qui mulierem Christi præceptis imbuerat, impetum vertit suum.

Just. Apol. p. 40.

Mors Ptolomæo Martyri, ab Urbicio imperatur. Quis Urbicius?

V. Centurio quidam viri consilio, Ptolomæum comprehensum in vincula conjicit; hoc unum petens, Essetne Christianus? Quod cùm Ptolomæus confessus fuisset, eum Centurio custodiæ mancipavit, diuque in carcere afflixit. Oblatus tandem *Urbicio* Judici, Ptolemæus id unum similiter interrogatus est, Utrùm esset Christianus, quod & iterum confitetur. Tum *Urbicius* Ptolomæum ad supplicium duci jussit. In Octobris XIX. confertur Ptolomæi martyrium. Falluntur tamen Rosuedi Adonisque Martyrologia, quæ sepultum fuisse Alexandriæ tradunt, quasi hîc vitam cum morte commutasset. Urbicius vir erat clarissimus, cujus meminit Apuleius in Apologia. Testamentum quod pro falso infamabat Æmilianus, *Cùm Lollius Urbicus V. C. verum videri, & ratum esse debere, de consilio Consularium virorum pronuntiasset, contrà clarissimâ voce juraverit vecordissimus iste tamen, illud testamentum fictum esse, adeò ut ægrè Lollius Urbicus ab ejus pernicie temperarit.* Imperante Pio de Britannis claram Urbicius victoriam retulerat.

Justin. Apolog. 2.

Apul. Apol. p. 274.

Lucii martyrium.

VI. Ptolomæi mortem mox excepit Lucii martyrium. Auditâ enim injustâ Urbicii sententiâ, sic Judicem alloquitur Lucius: *Quid causæ est, quòd hominem, neque adulterii, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem, nec raptorem, nec ullius sceleris reum, nominis duntaxat Christiani vocabulum confitentem condemnaveris? Hujusmodi forma judicii non convenit temporibus Pii, nec Philosophi Cæsaris filii, nec Senatui Romano. Tum Urbicius, nullo alio responso hominem dignatus, sic eum alloquitur: Tu quoque, inquit, Christianus esse mihi videris. Cùmque Lucius ita esse respondisset, jussus est itidem ad supplicium duci. Statimque magnam se gratiam Urbicio debere professus est, quippe qui hujusmodi malis dominis liberatus ad optimum patrem, Regemque esset migraturus. Sed & tertius quidam cùm accessisset, eodem supplicio condemnatus est.*

Justin. Apol. 2.

VII. Hæc ex posteriore Justini Apologiâ desumpta, ingignunt animis temporis notitiam, quo ea oblata fuit, anno scilicet currente. Posteriori enim huic suæ Apologiæ Sanctus ille Martyr non diu superfuit, cum gloriosum pro fide certamen jam expectaret: *Ego etiam*, inquit, *exspecto, ut ab aliquo eorum, qui Philosophi appellantur, insidiis appetar, & in nervum compingar, ab ipso fortè Crescente, veræ Philosophiæ ignaro, & vanitatis potius quam veritatis amatore. Neque enim Philosophi vocabulum meretur, qui de rebus quas prorsus ignorat, publicè loqui, & Christianos impios ac profanos affirmare non dubitat, quò gratiam capiat plebeculæ errans omninò. Si enim cùm doctrinam Christi nunquam legeret, eam tamen sugillat, profectò nequissimus est, & vulgi hominibus multò deterior, qui plerumque cavere solent, ne de iis rebus loquantur, quas ignorant, neve falsum testimonium proferant. Si verò cùm eam doctrinam legerit majestatem illius minimè intellexit, aut si intellexit quidem, verùm ita, ut dixi, se gerit, ne fortè eum Christianum esse homines suspicentur, longè adhuc ignavior pejorque judicandus est, quippe qui popularibus atque insanis opinionibus metuque inferiorem se esse fatetur.* Obiit autem anno CLXIII. Non multò pòst Lucii Ptolomæique martyrium, librum Apologeticum esse conditum testantur verba hæc: *Quæ nuper in urbe vestra, ô Romani, sub Urbicio accidere, & quæ ubique locorum similiter citra rationem omnem à Præsidibus fiunt, necessitatem hanc mihi imposuere, ut pro vobis orationem hanc componerem.*

Anno Dom. 162.

Posterior Apologia Justini.

Eusib. l. 4. c. 16.

Justin. Apol. 2. 41.

Marco oblata est secunda Justini Apologia.

VIII. Sunt Viri doctissimi, qui se adversarios intendunt nostram in Chronologiam: Valesius enim, Fellus, Oxoniensis Episcopus, Dodwellus &c. non M. Aurelio quidem, sed Antonino Pio, Apologeticum nuncupatum esse putant. A quorum opinione non dissidere non possumus. Primùm enim nova hæc Chronologia Veterum nemini suboluit. Imò omnes uno ore affirmant, M. Aurelio fratrique ejus Lucio Vero, posteriorem Justini Apologiam oblatam esse. Eusebius: *Cùm Justinus*, inquit, *alterum librum pro fidei nostræ defensione, Imperatoribus superioribus memoratis obtulisset, sacro martyrio exornatus est.* Hieronymus assentitur Eusebio: *Justinus pro religione Christi plurimum laboravit, in tantum ut Antonino quoque Pio, & filiis ejus, & Senatui librum contra Gentes scriptum daret... & alium librum successoribus ejusdem Antonini, M. Antonino Vero & L. Commodo.* Est autem eò gravius Eusebii, Hieronymique testimonium, quòd non mancam, mutilamque, qualem habemus, sed plenam integramque Apologiam legerint. Alium sanè gessisse titulum, vix negari potest, cùm in eo qui orationi huic præfigitur, nulla mentio fiat Imperatoris alicujus. Titulus hic est: *Ad Senatum Romanum pro Christianis defensio.* Quis verò sibi inducat in animum, Imperatorum ne verbo quidem meminisse Justinum, qui priore in Apologia, non Pii Augusti modò, sed filiorum ejus etiam meminerat, licet Marcus, quem *Verissimum* appellat, imperio Proconsulari nondum exornaretur, Luciusve munere publico non fungeretur, non titulum gestaret Cæsaris? Inscribebantur ergo posteriori Justini Apologiæ Imperatorum nomina, quibus nuncupabatur, quæ legerunt Eusebius atque Hieronymus. Quo casu pro nihilo non est habendum eorum testimonium de Imperatoribus, quibus oblatus est posterior

Eusib. l. 4. c. 16.

sterior ille Justini Apologeticus. Atqui disertè tradit Eusebius: *Altera verò oratio Justini, defensionem fidei nostræ continens, Antonino Vero nuncupata est.* Præterea ex ipso Apologetico, gravissimum in adversarios argumentum ducitur. Hæc Urbicio ingerit Lucius, qui tristem Ptolomæi casum indignabatur: *Quid, malum! ratio hæc est? Numquid infamis maleficii, vir hic admisisse convictus est? ... Hujusmodi forma judicii non convenit temporibus Imperatoris Pii, nec Philosophi Cæsaris filii, nec Senatui Romano?* Græca sunt φιλοσόφῳ Καίσαρος παιδὶ, ut legit Eusebius, non φιλοσόφῳ, ut perperàm Justinus habet. Quod si Antonino Pio nuncupatur posterior Apologeticus, primùm quid causæ est, cur cùm Senatus meminerit, de Lucio Vero nil mentionis fecerit Justinus, quem memoraverat priore in Apologia? Est enim certo certius, duos solummodò Principes verbis Justini contineri. Deinde absonum M. Aurelium his designari: *Non hoc ut Cæsaris filium Philosophum decet.* Cùm enim titulus Cæsaris, infra vocabulum Augusti foret, Justinus utique scripsisset Σεβαστοῦ παιδὶ, non Καίσαρος; *Augusti filio*, non *Cæsaris*. Ac sanè Justinum ex Justino interpretari, est rationi consonum. Non lac lacti similius est, quàm inter se similia sunt verba prioris & posterioris Apologiæ. In priore autem φιλοσόφου Καίσαρος φύσει υἱῷ, *Philosopho natura Cæsaris filio*, Lucium Verum designant, quem Lucius Cæsar Adriani adoptione filius genuerat. In posteriore igitur Apologia, φιλοσόφου Καίσαρος παιδὶ, *Philosopho Cæsaris filio*, Verus Ælii Cæsaris filius, Marcique & frater, & collega significatur. Incongruum est quidem, quòd imperante Pio, Marcus *filius Cæsaris* appelletur. His accedat quòd cùm propior funeri esset Justinus, eo tempore, quo posteriorem condidit Apologiam, mortem obiisset imperante Pio, si ipsi hunc obtulit libellum. Excessisse verò dum imperabat Aurelius, loco suo demonstrabitur.

Objectiones solvuntur. IX. Non ignobilibus tamen argumentis hanc suam Chronologiam clarissimus astruit Valesius, quæ sunt solvenda. Primum sic habet: *Mulier illa Christiana, cùm à viro accusata esset, dedit libellum Imperatori. Quòd si Apologeticus ille successoribus Antonini Pii dicatus fuisset, ut vult Eusebius, certè Justinus in plurali numero dixisset, ὑμῖν τοῖς αὐτοκράτορσιν. Marcus enim & Verus ambo simul erant Augusti.* De hac tamen difficultate facillimè nos expedimus. Migrarat enim in Orientem Lucius Verus, anno vel proximo, uti censemus, vel currente, ut Eusebius statuit. Equidem non multò postquam Verus particeps imperii designatus est, ad *Parthicum bellum consentiente Senatu*, profectus est, docente Capitolino. Ut nil miri sit, si unius duntaxat Imperatoris, cui Christiana mulier librum obtulit suum, Justinus meminerit, cùm alter procul abesset. Itaque argumento hoc Valesiano, nostra non evertitur, sed confirmatur sententia: imò telum facillimè retorquemus. Etenim si Antonino Pio, posteriorem Justinus Apologeticum nuncupasset, fecisset eo tempore, quo Marcus imperio Proconsulari induebatur. Quo casu scripsisset non *libellum* σοὶ τῷ αὐτοκράτορι, *tibi Imperatori*, sed ὑμῖν τοῖς αὐτοκράτορσιν, *vobis Imperatoribus obtulit.* Eo quippe titulo afficiebantur Augustorum filii, cùm imperium Proconsulare gerebant, ut est suo loco probatum. Pio autem qui in Provincias non profectus erat, Marcus perpetuus comes Romæ fuit. Addamus & Pagii solutionem: *Videtur putasse doctissimus Valesius, in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis, ad Ecclesias Ponti scripta, post Polycarpi martyrium, quod Marco Aurelio & L. Vero imperantibus, etiam dum plures imperium administrarent, in Actis publicis sæpe unius tantum mentionem factam. Herodes enim Irenarcha, & pater ejus Nicetes, dicebant Polycarpo, quidnam mali esset dicere hoc verbum, Domine Cæsar, & sacrificare, atque ita incolumem evadere. Ibidem narratur Proconsulem semel & iterum his verbis Polycarpum jussisse, Jura per genium Cæsaris.* Objici tamen posset ex verbis & Herodis, & Proconsulis rectè colligi, unum Augustum imperio præfuisse, cùm extinctus est Polycarpus, Antoninum Pium, quo imperante Sanctum Martyrem igni traditum esse clarissimus statuit Pearsonius. Itaque alia afferenda sunt exempla, quæ in disceptationem non cadant. Extant vero in Lugdunensium Epistola: *Rescriptum fuerat à Cæsare, ut confitentes quidem gladio cæderentur.*

Euseb. l. 5. c. 1.

Quamcunque porro Chronologiam amplectamur, vel Eusebiani Chronici cum Dodwello, à quo anno Dom. CLXVIII. persecutio hæc illigatur; vel Eusebianæ historiæ, à qua in annum CLXXVII. confertur, Marcus Aurelius non solus rerum potiebatur, sed vel unà cum Vero fratre, vel cum filio suo Commodo imperabat. Objicitur quasi palmarium his verbis: εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, *non hæc decent Imperatorem Pium, non Philosophi Cæsaris filium*, palàm apertèque *Antoninum Pium designari.* Respondemus nil esse invidiæ, quominus Pii titulus Marco inditus Aurelio fuerit, sive quia moribus erat optimis, sive etiam quòd paterni nominis hæres audiret. Testem damus Suidam: *Marcus Romanorum Imperator, ὁ εὐσεβὴς ἐπικληθείς, cognomento Pius.*

Suidas. t. 2. 99.

Testem Themistium: *Cùm Antonini Romanorum Imperatoris, cui ab eadem illa pietate cognomen inditum fuit, siti laboraret.*

Themist. Orat. xv.

Affert & Nummos Pagius, in quibus Marcus inscribitur *Pius.* Apud Mediobarbum, *Divus M. Antoninus*; in postica, *Consecratio.* Sponius in Miscellaneis eruditæ Antiq. p. 269. refert inscriptionem Commodi Imperatoris, quæ Romæ extat in thermis Antonianis, cujus initium:

Divo Commodo Divi. Pii F. Cob. VII. Vigil.
L. Antoninus Aurelianus.

Instat tamen Valesius: *Sed si hoc conceditur, quisnam erit ille Philosophus Cæsaris filius.* Quisnam? L. Verus, Marci & frater, & Collega, Ælii Veri Cæsaris filius. Itaque non datus est oblivioni, ut sibi perperàm persuasit Valesius, quem vel una hæc ratio, ab ea Chronologia revocare debuit. Instabimus enim, urgebimus, poscemus, si Apologia Antonino Pio Marci decessori nuncupatur, *Cur Lucium Verum hic omisisset Justinus, cùm in priore Apologetico ejus mentionem faciat?* Nova Bibliotheca D. Du Pin in Hist. Justini, *Non hæc decent Philosophi Cæsaris filium*, Commodum reperit Marci filium, p. 61. Non advertebat tamen animum ætati Commodi, qui tum temporis vix annum primum evaserat. Dixisset quoque Justinus, non *Philosophi Cæsaris*, sed *Philosophi Augusti filium*, quia Marcus non amplius Cæsar, sed Augustus erat. Uno adhùc argumento militat Valesius: *Urbicius ille Præfectus, cujus ibidem meminit Justinus, vixit sub Antonino Pio.* Vixit quidem, sed non mortuus est sub Pio. Itaque nil est impedimento, quominus & imperante Marco, munere Præfecti urbis functus sit, biennio post excessum Antonini.

Pag. Crit. an 162. n. 2.

Euseb. l. 4. c. 18.

Vales. Annot. in Euseb. p. 68.

Anno Dom. 163.

Anno U. C. 916. Per. Jul. 4876. Jul. 208. Dom. 163. M. Aurelii 2. & 3. *Sol.* 4. C. *Lun.* 12. *Indict.* 1. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 5. P. 11. *Apr.*

Coss. *L. Papirius Ælianus, & Junius Pastor.*

Marci Acta.

I. DUm suis in Syria voluptatibus Verus indulget, Marcus omnia quæ ad bellum necessaria erant, sapienter ordinabat, & Rempublicam administrabat. Jus ipse dicebat, & mensuram aquæ copiosam Oratoribus concedi jubebat. In probationibus cognoscendis & examinandis longior erat, ut undecunque jus investigaret. Nam de eadem causa dies XI. & sæpè XII. aliquando etiam noctu cognovit. Cùm enim esset amans laboris, tum diligenter animum his advertebat, quæ Principatus erant. Nihil dicere solebat, nihil facere obiter, sed vel in minimis rebus, diem sæpenumerò consumere, quòd existimaret non decere Imperatorem transcursim agere. Si quid enim prætermisisset in minimis rebus, non putabat se in cæteris posse calumniam effugere.

Dio l. 71. 804.

De bello Marci cum Parthis locus Nazarii.

II. De Panegeryco Nazarii Constantino dicto, ea legimus quæ nostram admirationem moverunt: *Antoninus Imperator, in toga præstans, & non iners nec futilis bello, cùm adversum Parthos armis experiretur, visis cataphractis, adeò totus in metum venit, ut ultrò ad Regem conciliatrices pacis literas daret. Quas quam Rex immodicus animi respuisset, insolentia quidem barbari debellata est. Sed patefactum est, in his tantam inesse violentiam, ut ea vincendis armis fideret, & superaturus timeret.* Clavas ferratis nodis armatas innuit Nazarius. Antoninus tamen Philosophus Parthis non ipsemet concurrit. *Marcum* ergo cum *Vero* Nazarius permiscuisse videtur, qui diu bello Parthico detentus est.

Bellum Armeniacum.

III. Intereà Romanis prosperè eveniebant res in Armenia. Statius Priscus, qui anno Dom. CLIX. Consulem egerat, Artaxata expugnavit, præsidiumque in loco, cui Neapoli nomen reliquit. Delatum ea de causa Armeniacum, nomen utrique Principum, quod Marcus per verecundiam primò recusavit, posteà tamen recepit.

Lucillæ cum Vero nuptiæ.

IV. Hoc anno Veri cum Lucilla nuptiæ celebrantur. Medio belli Parthici tempore, & *Civicam* patruum Veri, & filiam suam nupturam, commissam sororis suæ curæ, Brundusium usque deduxit, & ad eum misit. Romam verò statim rediit, revocatus eorum sermonibus, qui dicebant, Marcum velle finiti belli gloriam sibimet vindicare, atque idcircò in Syriam proficisci. Ad Proconsulem scribit, ne quis filiæ suæ iter facienti occurreret. Porro Verus, qui ad Euphratem impulsu comitum suorum secundo profectus erat, Ephesum etiam rediit, ut Lucillam uxorem à Marco missam susciperet: & idcircò maximè ne Marcus cum ea in Syriam veniret, ac flagitia ejus cognosceret. Nam Senatui Marcus dixerat, Se filiam in Syriam deducturum. Navibus Ephesum venisse Verum, colligunt ex Nummo eruditi, cujus in aversa parte legitur: *Felicitati Aug. Trib. P. III. Cos. II. S. C.* Prætoria navis exhibetur.

Capit. Marc. c. 9.

Capit. Ver. c. 7.

Pag. Crit. an. 163. n. 5.

Apuleius.

V. Augeat anni hujus materiam Apuleius, Scriptor non ignobilis, qui floruit Pio & Marco imperantibus. Hoc ex eo constat, quòd in sua Apuleius Apologia non semel *Lollii Urbicii* mentionem fecerit, qui dum Pius rerum potiebatur, claram de Britannis victoriam fuerat consecutus. Sed & Magiæ postulatus orationem habuit apud Claudium Maximum Africæ Proconsulem, qui annum Christi CXLIV. aperuerat. Quin etiam lepidissimæ fabulæ de Asino aureo libri XI. Luciani est imitamentum, qui jocosam scripsit narrationem, cui titulum fecit, *Asinus*. Dum enim in avem converti, eoque periculum artis facere cupit, in asinum mutatur. Quæ leguntur & Apulei in Metamorphosi, mutatis solummodò nominibus. Hospes Luciani Hipparchus, cujus ancilla Palæstra vocabatur. Apulei verò hospes Milonis quidem, ancilla Photidis nomen accepit. Lucianus porrò imperante Aurelio, condidit suum de morte Peregrini tractatum. In transcursu est observandum, non ex Luciano modò, sed ex Lucii quoque Patrensis Metamorphosi, multa Apuleium in Opus suum transtulisse. Qua de re legenda Salmasii in Solinum Prolegomena. Maudura Africæ civitas, Apuleio patria fuit. Patrem habuit *Thoseum*, Matrem *Saviam*, ortam Viris illustribus: *Thessaliam, nam & illic originis materna nostra fundamenta, Plutarcho illo inclito, ac mox Sexto Philosopho, nepote ejus prodita, gloriam nobis faciunt, ex negotio petebam.* Præstantissimo venustissimoque corpore fuit, teste ad ipsum Byrrhœnæ oratione, Metamorph. l. 2. 115. Quâ pulchritudine ditissimæ mulieris Pudentillæ sibi conciliavit amorem. Opum divitem non fuisse, ostendunt verba libri XI. p. 271. de Pastophororum uno: *Cui mitti debuit Madaurensis, sed admodum pauper, qui statim sua sacra deberet ministrare.* Sacerdotem Provinciæ Africæ munera edidisse, & venatores vestivisse, Autor est Augustinus: *Qui Sacerdos Provinciæ pro magno fuit, ut munera ederet, venatoresque vestiret, & pro statua sibi apud Oenses locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorumdam civium litigaret.* Oenses legendum, non ut habent exemplaria, Cœnses. Uxor enim Apulei erat ex Oea urbe Africæ, uti observat Valesius. Apuleium infamavit amor Magiæ, de quo *solent & multa & mira memorari.* Versum tamen esse in asinum, non est putandum. De mutationibus quas stabulariæ mulieres, dato caseo, in viatoribus efficere dicebantur, *unde in jumenta illicò verterentur*, hæc habet Augustinus: *Nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque servari, sicut Apuleius in libris, quos Asini aurei titulo inscripsit, sibi accidisse, ut accepto veneno, humano animo permanente asinus fieret, aut judicavit, aut finxit. Hæc vel falsa sunt, vel tam inusitata, ut meritò non credantur.* Reverà hæc fingit Apuleius, cujus Metamorphosis amplificatio est asini Luciani, quod non venit in mentem Augustino. Multa scripsit, quæ damnosa ætas posteris invidit. Quæ supersunt cùm manibus omnium terantur, ipsis recensendis supersedemus. De stilo ejus prudens est eruditi Vives censura hæc: *Phrasi illa complura dixit, quæ nec appositius dici, nec majore cum gratia poterant. Quem nonnulli cùm imitari conantur, in ridiculas ineptias incidunt. Puto enim gratiam illam esse propè immutabilem.*

Apul. Metamor. l. 1. p. 103.

August. Epist. 5.

Lactant. l. 5. c. 3.

August. de Civit. l. 18. c. 18.

Anno Dom. 164.

Anno U. C. 917. Per. Jul. 4877. Jul. 209. Dom. 164. M. Aurelii 3. & 4. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 13. *Indict.* 2. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 26. *Mart.*

Coss. *M. Nonius Macrinus, & Celsus.*

Acta Marci de Judiciis exercendis.

I. HOnorem Senatus amplificare Marcus contendebat Aurelius, teste Capitolino. In Senatus autem honorificentiam, multis & Prætoriis & Consularibus privatis decidenda negotia delegavit, quo magis eorum eum exercitio juris autoritas cresceret. Multos ex amicis in Senatum allegit, eùm aut ædilitiis Prætoriis dignitatibus. Multis Senatoribus, vel pauperibus sine crimine, dignitates Tribunitias, ædilitiasque concessit, nec quenquam in ordinem legit, nisi quem ipse bene scisset. Hoc quoque Senatoribus detulit, ut quoties de eorum capite esset judicandum, secreto pertractaret, nec pateretur Equites Romanos talibus interesse causis. Semper autem cùm potuit, interfuit Senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romæ fuit. Si verò aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit. Comitiis præterea etiam usque ad noctem frequenter interfuit, neque unquam accessit de Curia, nisi Consul dixisset: *Nihil vos moramur, Patres Conscripti.* Senatum appellationibus à Consule factis Judicem dedit. Judiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit. Fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constituerit. Quo Augustum est imitatus: *Ne quod autem maleficium, negotiumve impunitate, vel morâ elaberetur, xxx. amplius dies, qui honorarius ludis occupabantur, actus rerum accommodavit.*

Capit. Marc. c. 10.

Suet. l. 2. c. 32.

Veri mollities.

II. Interea Verus per quadriennium, quo Parthicum bellum agebatur, hyemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnem, reliquam partem Antiochiæ transigebat. Risui fuit omnibus Syris, quorum multa joca in theatro in eum dicta extitere. Vernas in triclinium Saturnalibus, & diebus festis semper admisit. Fertur præterea ad amicæ vulgaris arbitrium, in Syria posuisse barbam. Ab Adriano omnes ferè Rom. Imperatores barbati, sed qui molliores inter illos, ii in gratiam Antiochensium barbam posuere. Bellum conficiebant Statius Priscus, Avidius Cassius, & Martius Verus.

Capit. Ver. c. 7.

Alexander Pseudomantis.

III. In tanta rerum, & politicarum, & Ecclesiasticarum penuria, de celeberrimo Impostore, qui his temporibus floruit, Alexandro, cujus vitam scripsit Lucianus, nonnulla proferre juvat. Corporis dotibus abundabat, atque animi. Ingenio, solertiâ, acumine præstabat cæteris mortalibus, quibus in sui aliorumque perniciem abusus est. Tenerâ ætate copiam fecit corporis sui. Mortuo amatore ejus, qui Apollonii Thyanæi auditor fuerat, cum Byzantino quodam Annalium Scriptore, nomine *Cocconа*, coluit commercium. *Macetim* opulentam nacti mulierem, ex Bithynia in Macedoniam usque sunt consecuti. Cùm Pellæ conspicerent immani magnitudine dracones adeò placidos, ut cum pueris unà cubarent, ex his serpentibus unum mercati sunt, qui esset pulcherrimus, obolis sanè paucis. Tum visum est oraculum constituere. Profecti Chalcedonem, in vetustissimo Apollinis Templo, æneas defodiunt tabellas, quæ dicerent, brevi admodum Æsculapium unà cùm patre Apolline, in Pontum adventurum. Ubi morsu vipereo hac in urbe relictus diem obiit Cocconnas, accersitus Alexander, tunicâ indutus purpureâ, albo intermixta, falcemque tenens, exemplo Persei, à quo se maternum genus ducere prædicabat. Repertum est & aliud oraculum, quasi Sibyllæ prædivinantis, quo numeri xcvi. ope, significabatur Alexander. A. 1. Λ. 30. Ε. 5. Ξ. 60. Ubi cum ejusmodi tragœdia in Paphlagoniam impostos concessit, conspicuus pluribus erat. Interim furore afflatum, sese nonnunquam assimulabat. Ut autem inceptum opus feliciter perageret, in templi fundamentis, ubi aqua constiterat, ovum, cui recens editum serpentem incluserat, deponit. Ac mane cùm in forum penè nudus prosilisset comam jactans, voces sonabat incognitas, quibus tamen Apollinem Æsculapiumque passim admiscebat. Ubi cùm aqua hausit ovum, in quo serpentem incluserat, id cum manu cœpisset, affirmabat jam Æsculapium tenere sese. Simul atque serpentem plebs aspexit, illum quasi Deum salutaverunt. Non multò pòst, cùm urbs jam Paphlagonibus abundaret, qui famâ permoti illâ concurrebant, Alexander in lecto residens, eo ornatu, qui Vatem mirè deceret, imponit in sinum Pelleum draconem, cujus caput sub alis abditum tenebat. E linteis verò confectum draconis caput, quod speciem quandam humanam præ se ferebat, ac pilis equinis os aperiebat & claudebat, quasi verum draconis caput, spectatorum statuit ante oculos. Prodigio ergo fuit, quòd pusillus serpens intra pauculos dies, immanis extitisset draco, & humanâ specie, & mansuetus ac tractabilis. Serpentino huic Deo nomen *Glycon* inditum. Mox oraculum extructum, & apparatæ cortinæ. Quod quis maximè vellet, id in libello scribebat, benè obsignato. Cùm verò Alexander varias esset commentus artes, quibus signa tollerentur, quæ quisque sciscitabatur ea legebat, deinde rursum obsignata reddebat, sic semper optimè ad interrogata respondebat. Jussit tamen & Christianos, & Epicureos pelli lapidibus, si modò vellent propitium habere Æsculapium, quòd non vererentur in sese turpissimè maledicere. Rutilianus illustris Romanus, hujus oraculi famâ deceptus, servos Alexandro misit, poscens numinis responsa, & de uxore percontanti palam respondit vates:

Duci e Alexandro natam, Lunâque puellam.

Rutilianus nil cunctatus, virginem accersit, sexagenarius nuptias conficit, socrum suam Lunam hecatombis placans. Quod matrimonium cùm Lucianus conaretur avertere, in odium incidit Alexandri. Hic autem tragœdiæ finis est. Luciano manum osculandam porrexerat, quam is acri morsu corripuit. Cùm ergo præsentes Lucianum quasi sacrilegum præfocare conarentur, Alexander eos compescuit, pollicitus *Glyconem* posse illos qui maximè sævirent, sibi amicos reddere. Ablegatis omnibus negat se clam esse, quæ Lucianus suaserat Rutiliano: suamque offert operam, quâ ad res magnas promoveretur. Quibus sibi Lucianum conciliat. Missis muneribus permultis proficiscenti & navim & remiges pollicetur. Datum tamen nautis mandatum, ut Lucianum in mare jacerent. At ope lachrymisque Gubernatoris ereptus periculo, pervenit Amastrim. Ad accusationem intenderat animum, sed à Ponti Bithyniæque Præsidis precibus cohibitus est ob necessitudinem, quâ cum Rutiliano conjungebatur, quâ prohibebatur Alexandrum vel in manifesto crimine deprehensum, afficere supplicio.

Anno Dom. 164.

Anno Dom. 164.

plicio. Porrò cùm impostor esset de sese vaticinatus, fatis decretum esse, ut annos viveret CL. dehinc fulmine ictum periturum, nondum septuaginta annos natus interiit, pede ad inguen usque putrefacto. Utinam artes ejusmodi atque præstigiæ, quibus mortalium mentibus illusit Alexander, apud solos Ethnicos valuissent. Fœdum dictu, modis ejusmodi Christianorum credulitati sæpius illusum est. Alexandro quasi Deo propitio, sacrificia & festa peracta sunt, teste Athenagorâ.

Marci Epistola.

IV. Hoc anno scriptam esse ad Commune Asiæ, Marci de Christianis Epistolam, nobis est vero simile. Hanc Pio vindicavit Eusebius, quem sequuntur Baronius an. 154. n. 5. Cavius, aliique eruditi. Nos potius assentimur Valesio, qui Marci rescriptum esse statuit, ut ex titulo palam est: *Imperator Cæsar. M. Aurelius Antoninus Aug. Armeniacus. Pontif. Max. Trib. P. XV. Cos. III.* Pius autem nunquam Marci Aurelii nomen habuit: neque tertius ejus Consulatus, quem anno CXL. gessit, cum Trib. P. XV. copulari potest. Quod maximum esse putamus argumentum, Pius *Armeniaci* titulo non est insignitus. Marcus ergo accuratè pingitur. Cui quoque Tertullianus, nec non Chronicum Alexandrinum Epistolam vindicant. Errasse tamen in anno fatendum, quem CLXIX. esse Chronicum statuit, Prisco, & Apollinario Coss. quo Marcus non XV. sed XXIII. Trib. Potestatem gerebat. Rectè tamen observatur à Pagio in Epistolæ titulum errorem irrepisse, quia anno Dom. CLXI. quo XV. Marcus Trib. iniit Potestatem, nondum Armeniacus audiebat; scribendum ergo Trib. Pot. XVIII. Observabilia sunt verba Epistolæ: *De terræ motibus non absurdum vos commonere, qui & animos abjicitis, quoties hujusmodi casus contingunt, & vestra cum illorum institutis comparatis. Atqui Christiani quidem, tunc majorem fiduciam in Deo collocant. . . Vos tum alias cæremonias insuper habetis, tum cultum immortalis illius.* Et Christianos, *qui illum venerantur expellitis, & ad mortem usque infestius perurgetis. Porrò de his hominibus, plurimi Provinciarum rectores Divo patri nostro anteà scripserunt. Quibus ille rescripsit, ejusmodi homines nullâ molestiâ afficiendos esse, nisi fortè contra statum imperii Rom. aliquid moliri videantur.* Præcipit etiam Christianum eo nomine absolvi, delatorem puniri.

Euseb. l. 4. c. 13.

Anno Dom. 165.

ANNO U. C. 918. OLYMP. 236. PER. JUL. 4878. JUL. 210. DOM. 165. M. AURELII 4. & 5. *Sol.* 6. G. *Lun.* 14. *Indict.* 3. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 1. P. 15. *Apr.*

COSS. *Arrius Pudens, M. Gravius Orphitus.*

Vologesus à Cassio vincitur.

I. AVidius Cassius, cui exercitum Verus permiserat, adorientem se Vologesum fortiter sustinuit, desertumque à sociis, ac terga vertentem insecutus, Seleuciam & Ctesiphontem venit. Deinde vastatâ Seleuciâ, atque incensâ, regiam Vologesi, quæ in urbe Ctesiphonte erat, solo æquavit. Cùm autem reverteretur, magnum numerum militum amisit, qui partim fame enecti, partim morbo extincti sunt. Rediit tamen in Syriam cum reliquis militibus. Perfidè tamen Cassius Seleuciæ potitus est, à quo contra fidem urbs hæc, quæ ut amicos milites Romanos receperat, vastata est. Quadratus tamen belli Parthici Scriptor, incusatis Seleucenis, qui fidem primi ruperant, Avidium purgat.

Dio L. 71. 802.

Capit. Ver. c. 8.

Cassii mores.

II. Cùm magna esset apud omnes gloria nomen Cassii, de usurpando imperio cogitavit. Tentasse in pueritia dicitur extorquere Pio Principatum, sed per patrem virum frugi, latuit tyrannidis affectatio. Ex Cassiorum familia, qui in Julium Cæsarem conspirarant, natus, oderat tacitè Principatum, nec ferre poterat Imperatorium nomen. Fuit his moribus, ut nonnunquam trux & asper videretur, aliquando mitis & lenis, sæpè religiosus, aliàs contemptor sacrorum, avidus vini, interim abstinens, cibi appetens, & inediæ patiens, Veneris cupidus, & castitatis amator. Fuit præstereà disciplinæ militaris tenax, & qui se Marium dici vellet. Milites qui Provincialibus aliquid tulissent per vim, in illis ipsis locis quibus peccaverant, in crucem sustulit. Primus etiam id supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & à summo usque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret incensis aliis, cæteros vel fumi cruciatu, vel timore necaret. Cùm exercitum duceret, & inscio ipso, manus auxiliaria, Centurionibus suis autoribus, tria Sarmatarum millia negligentius agentium, in Danubii ripis occidissent, & cum præda ingenti ad eum rediissent, sperantibus Centurionibus præmium, rapi eos jussit, & in crucem tolli, servilique supplicio affici. Et cùm ingens seditio in exercitu exorta esset, procedens nudus: *Percutite*, inquit, *me si audetis, & corruptæ disciplinæ facinus addite.* Tunc conquiescentibus cunctis, meruit timeri, quia non timuit. Ubi Syriacis legionibus luxuriâ diffluentibus impositus est, edictum proposuit, ut si quis cinctus inveniretur apud Daphnem, discinctus rediret. Arma militum septimâ semper die respexit, delicias omnes de castris submovit, jussitque eos hyemem sub pellibus degere, nisi corrigerent suos mores. Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita ut & sagittas mitterent, & armis luderent. Vulcatio tamen de Cassii prosapia repugnat Dio, qui Syrum ex urbe Cyro fuisse tradit.

Vulcat. Cass. c. 4. 5. &c.

Cassius de imperio cogitat.

III. His præditus moribus Cassius, Vero dum Syriam regebat, insidias parat. Quod & ipsi suboluit. Scripsit igitur Marco: *Avidius Cassius avidus est imperii, quantum & mihi videtur; & jam inde sub avo meo patre tuo innotuit, quem volim observari jubeas. Omnia ei nostra displicent: opes non mediocres parat: literas nostras ridet. Te Philosopham aniculam, me luxuriosum morionem vocat. Vide quid agendum sit.* Rescripsit Marcus: *Epistolam tuam legi, & solicitam potius quàm Imperatoriam, & non nostri temporis. Nam si ei divinitùs debetur imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi tui dictum, Successorem suum nullus occidit. Sin minus, ipse spontè sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde quod non possumus reum facere, quem nullus accusat, & ut ipse dicis, Milites amant. . . Scis ipse quid avus tuus Adrianus dixerit, Misera conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide nisi occisis, non potest credi. . . Sibi ergo habeat suos mores, maximè cùm bonus Dux sit, & severus, & fortis, & Reipublicæ necessarius. Nam quod dicis liberis meis cavendum esse morte illius, planè liberi mei pereant, si magis amari merebitur Avidius, quàm illi, & si Reip. expediet, Cassium vivere quàm liberos Marci.* Auream hanc Aurelii Epistolam, nostris in Annalibus desiderari nolumus.

Vulcat. Cass. c. 2.

Mors Peregrini.

IV. Hic annus Peregrino, cui *Proteï* cognomen additum, fatalis fuit. Viri olim percelebris,

 qui

qui Christi Religionem quandoque professus fuerat, obitum suis in Annalibus præterire Baronius non debuit. Præbeamus aures Luciano, mortis Peregrini testi oculato. De Peregrino suis locis quæ dicenda fuere, jam tradidimus. Illum observandum, non in Paro Insula quidem, sed in Pario urbe Hellesponti editum esse, teste in ipsius vita Luciano p. 296. negans facultates Peregrini trium millium talentorum fuisse, ut Theagenis dictum: *Tanti enim neque tota Parianorum urbs, tametsi quinque civitates sibi vicinas adjungeret, venderetur.* De impostoris obitu hæc subjungimus: *Finitis certaminibus Olympicis, quæ omnium pulcherrima fuisse cognovi, cum curruum inopiâ laborarem, multis discedentibus invitus relinquebar. Cæterùm Proteus exitiosum sibi spectaculum subinde protrahens, noctem demum postremum tempus ei rei destinavit, quando seipsum esset concrematurus. Sub noctem itaque mediam assumptus à quodam familiari, cum e strata surrexissem, concessi rectà in harpinam, ubi pyra erat. Quàm primum verò eò ventum est, ascendimus pyram altè conjectam. . . Crebræ faces præstò aderant, aridis insuper sarmentis, & stipulis pyra erat intexta, ut quàm primum igne suscepta, in flammam erumperet. Exortâ Lunâ, prodit ille, eo quo semper more solebat exornatus, ac cum illo reliqua Cynicorum multitudo. Ipse quoque Proteus face armatus incedebat. Tum depositis perâ, & pallio, ac baculo illo Herculeo, in sordidissimo astitit amiculo. Deinde postulata thure, ut in ignem spargeret, quidam illi porrexit, quo in ignem conjecto, & versis ad meridiem oculis, sic exorsus est: O materni, atque paterni Dæmones, suscipite me propitii. Quibus dictis, actutum in ignem insiluit, nec amplius à quoquam visus est, sed à flamma, quæ multa erat, circumfusus disparuit.* Quibus apparet accuratam non esse doctissimi Moynii Chronologiam, dum in Prolegomenis scribit suis ad Varia Sacra, Peregrini mortem *contigisse anno* CLXVI. *Æra Domini nostri, anno vix elapso ante martyrium B. Polycarpi, vel forsan eodem ipso anno* CLXVII. Etenim illo ipso anno in rogum se præcipitem dedit, quo Pisis celebrabatur certamen Olympicum, anno videlicet primo Olympiadis CCXXXVI. non secundo, nedum tertio. Sed & Athenagoras, virum eruditissimum ab errore revocare debuit: *Protei, quem non ignoratis, in ignem se conjecisse ludo Olympica, dicitur etiam oracula fundere.* Consentit & Ammianus: Simonides, inquit, *immobilis conflagravit, Peregrinum illum imitatus Protea cognomine, Philosophum clarum, qui cum mundo digredi statuisset, Olympia quinquennali certamine sub Græciæ conspectu totius, ascensa rogo quem ipse construxit, flammis absumptus est.* Atqui certamen illud Olympicum anno 165. est agitatum. Impurum fidei desertorem multis laudibus celebravit Gellius: *Philosophum, nomine Peregrinum, cui postcà cognomentum Proteus factum est, virum gravem atque constantem vidimus, cùm Athenis essemus, diversantem in quodam tugurio extra urbem. Cumque ad eum frequenter ventitaremus, multa hercle dicere eum utiliter & honestè audivimus, in quibus id fuit, quod præcipuum auditu meminimus. Virum quidem sapientem, non peccaturum esse dicebat, etiamsi peccasse eum, Dii atque homines ignorarent.* Peregrino statua posita est, quæ teste Athenagorâ, *responsa dare perhibetur.*

Lucian. Peregr.

Athen. Legat. p. 30.

Marcel. l. 19. c. 1. 604.

Gell. l. 12. c. 11.

Mors Justini.

V. Funere longè præclariori annum nobilitavit Justinus ille Martyr. Nescimus unde Aponius Commentariorum in Cantica Cant. libro primo, eam de Justini obitu traditionem hauserit, quòd clam à Philosophis percussus fuerit. Quo quidem sancto viro martyrii palma eripitur. Aponii verba sunt: *Conversus cum sancta religione, contra Gentiles, & quosdam filios matris Philosophos, redarguit blasphemantes, callide in secreta vocatus, ab eis Magistris interfectus est.* Absurdior adhùc recentiorum est Græcorum traditio, indicantium Justinum obiisse haustâ *cicutâ*. Quo supplicio Martyrum neminem periisse novimus. Hinc ansa Papebrochio fingendi, Crescentem occultum Justino venenum propinasse. Quas Hieronymus fabulas disertè refellit, scribens de Justino: *Pro Christo sanguinem fudit.* Sophronius similiter in sua Epistola Synodica apud Photium p. 890. *Justinus martyrii sanguine Philosophiam confirmat.* De anno ejus supremo, Autorem sequimur Chronici Alex. qui Justini obitum in Consulatum Pudentis Orphitique contulit, quo præsens annus insignitur: *Justinus Philosophus nostrarum partium, cum alterum pro nostra sententia decretis volumen Marco Aurelio & Antonino Augustis porrexisset, non longa post tempore, cælesti martyrii laureâ à Crescente delatus, exornatur.* Eusebius quidem in historia, quem sequitur & Hieronymus, sub Marco Aurelio passum esse tradit: *Hic cùm in urbe Roma haberet τὰς διατριβὰς, & Crescentem Cynicum, qui multa adversum Christianos blasphemabat, redargueret, gulosum & mortis timidum, luxuriæque & libidinum sectatorem, ad extremum studiis ejus, & insidiis accusatus, quòd Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit.* Quibus liquet Eusebio Hieronymoque hanc opinionem fuisse, quòd imperante Marco, Justinus vitam reliquerit. Neque ab ea Sulpitius, Orosiusque sententia diffident. Tradunt enim Pio imperante, *pacem Ecclesiis fuisse.* Est autem creditu difficillimum, tranquillis Ecclesiæ temporibus imperium Pii esse à Veteribus appositum, si Ptolomæi, Lucii, Justini, aliorumque tot illustrium Martyrum sanguine delibutum fuisset, ut Valesius, Dodwellus, aliique contendunt. Tantarum enim, quibus infamatum fuisset Pii regnum, persecutionum memoria nunquam abiisset. Nunquam dictum scriptumve priorem Justini Apologiam, *benignum erga Christianos Antoninum Pium* fecisse: quomodo nunquam venit in mentem, Nerone, Domitiano, Trajano, faventibus æquisque, usos esse Christi discipulos. Ex Irenæo quoque nostræ Chronologiæ præsidium accedit: *Post martyrium Justini, Tatianus Doctoris arrogantiâ elatus, novam quandam formam doctrinæ conflavit.* Tatianus verò anno CLXXII. palam apertèque errorem professus est. Quòd si passus fuisset sub Pio Justinus, Tatiani superbia non expectasset tandiu, ad excludendam, quam fovebat, hæresim. Non multum temporis interjectum fuisse mortem Justini inter, & errorem Tatiani, verba innuunt Irenæi. Ex Dodwelli Chronologia, quæ passionem Justini illigavit anno 149. nonnisi post 22. annos familiam habuisset Tatianus, quod incredibile. Cùm ergo Marco Veroque imperantibus perierit Justinus, multam veri speciem habet Chronici Alexandrini sententia, quæ S. Justini martyrium huic anno illigavit: quæ Chronologia nullis sanè premitur angustiis, nullo incommodo afficitur: cùm maximè ostensum sit, posteriorem non Pio, sed Marco Apologiam esse nuncupatam. Baronius, quem sequuntur Calvisius, aliique eruditi, anno Christi CLXIII. Sancti Martyris obitum affigunt. Cui Chronologiæ

B. M. P. c. XIV. p. 105.

Hieron. de Vir. illust.

Euseb. l. 5. c. 29.

Epiph. h. 46. n. 1.

logiæ præsidium quæritur ex Epiphanio: *Perfectissimam*, inquit, *coronam* Justinus *adeptus est Romæ sub Rustico Præfecto.* Thomas autem Renesius contendit, anno CLXIII. Rusticum urbis fuisse Præfectum. At legitimas assertionis utriusque probationes nondum vidimus. Nempe quòd & Justinus perierit, Rustico Præfectum agente urbis, & anno CLXIII. id muneris Rusticus gesserit. Quibus tertium accedit, quòd Rusticus Epiphanii, unus idemque Rusticus, cum illo esse non doceatur, qui anno CLXIII. Romæ præficitur. Immanis sanè de Justini morte Epiphanii Chronologia, omnem ejus narrationi fidem detrahit. Observetur in transcursu, clarissimum falli Tentzelium, qui selectarum exercitationum parte primâ p. 169. scribit anno Christi CLXIV. *Baronium martyrium Justini* assignasse. Supremum enim B. Martyris diem à Purpurato in annum CLXIII. quem errando pro CLXV. habet, conferri exploratum est. Porro tertio Idus Junii morti missum esse Justinum, tradunt Græcorum Menologia. Martyrologium verò Romanum Justini obitum Idibus Aprilis assignat. Nos verò diem Justino fatalem ignoramus, neque Menæis aut Martyrologiis in ea re fidem habemus, cùm Eusebio, Hieronymo, dies Justini ultimus in notitiam non venerit. Itaque frustrà quæritur in Rosuedi Martyrologio, quod antiquitati aliquid sibi vindicat.

Quoto ætatis anno perierit Justinus Martyr?

Epiph. h. 46. n. 1.

VI. Cæterùm quoto ætatis suæ anno perierit Justinus, quærendi ansam præbuit Epiphanius: *Justinus genere Samaritanus, cum in Christum credidisset, multâ virtutum exercitatione perpolitus, vitâque ad omnem honestatem institutâ, tandem pro Christo martyrio functus, perfectissimam coronam adeptus est Romæ, sub Rustico Præfecto, Adriano imperante, in ipso flore juventutis, anno videlicet ætatis tricesimo.* Ætatem quod attinet, Dodwellus sequitur Epiphanium: *Passum ait Justinum, hodiernus Epiphanius, ἐπ' Ἀδριανοῦ βασιλέως ἡ Ρουστικοῦ ἡγεμόνος, Errore si de passione intelligatur, manifestissimo. Sed de Natalibus illa Justini intelligenda erant, non de passione... Sic omnia optime respondebunt. Ita enim egerit Justinus annum cùm pateretur XXX. ut fatetur eodem loco Epiphanius.*

Dodw. Dissert. 3. in Iren. p. 19.

Id tamen acuminis respuit Epiphanius, qui de nativitate Justini capi non potest. Quid his disertius? *μαρτυρήσας, passus martyrium?* Quando? *Sub Rustico.* Nativitate sane suâ *perfectissimam Justinus coronam non adeptus*, sed morte quam oppetiit clarissimâ. Obiit ergo, si creditur Epiphanio, anno CXIX. quem Adrianus & Rusticus aperuere. Quin etiam tam maturam Justino mortem contigisse, ac sibi fingunt Epiphanius atque Dodwellus, credere non possumus. 1°. Non levis Justino causa fuit, cur Christi disciplinæ animum adjiceret, quod constanti mente Martyres vim tormentorum perferrent: *Nam & ego ipse Platonis disciplina sectator cùm calumniose audirem Christianos deferri, intrepidè autem ad mortem & alia quæ terribilia esse censentur omnia, adire conspicerem, statui ipse mecum fieri haud quaquam posse, ut illi in vitiorum pravitate viverent.*

Just. Apol. 1. 50.

Quò: si Justinus anno Christi CXIX. lucem aspexit, qui oculatus persecutionum testis esse potuit, quæ Ecclesiam lacerabant & cruentabant, cùm ultima Adriani tempora Christiano sanguine infecta non fuerint? Ne verò quis verba hæc accommodet Barcochebæ, qui miseris Christianos modis in Palæstina vexatus est, ad Romanorum persecutiones ea pertinent Justini ad Diognetum Epistolæ: *Dum Christiani suppliciis afficiuntur, quotidie numerum eorum crescit.* Tum etiam ex verbis Apologiæ, apparet eam indicari persecutionem, quæ judicum ministerio exerceretur. 2°. Anno circiter CXXXIX. oblatam esse Pio priorem Justini Apologiam, consentiunt eruditi. Ac prius Justinus se variis Doctoribus excolendum tradiderat. Stoico primum, quo cum *longo satis tempore versatus est.* Deinde ad *Peripateticum se contulit*, quo relicto, quia mercedem flagitabat, ad *Pythagoricum magni nominis accessit.* Tandem Platonico præceptore usus est, cum quo, inquit, *συνδιέτριβον ὡς τὰ μάλιστα, maximè commoratus sum.* Atque hisce gradibus ad Philosophiam ascendit, antequam Christi sapientiam perdisceret. Deinde Christianus factus, *Librum contra hæreses & sectas omnes composuit.* Qui edi non potuit à tyrone, & rudi in fidei notitia. Multum ergo in ea excolenda temporis Justinus posuerat, cùm adversus hæreses scriptis pugnavit suis. Quis autem sibi inducat in animum, hæc omnia peregisse Justinum, annos natum octodecim; quod est dictu necessarium, si ortus sit anno CXIX. Vix enim annum ætatis egressus decimum nonum, Pii scilicet secundo, Apologeticum obtulisset, qui librum adversus hæreses excepit.

Justin. p. 498.

Justin. Dialog. 219.

Just. Apol. 1. p. 50.

3°. In Epistola ad Diognetum, hoc de se testatur Justinus: *Sed cùm Apostolorum fuerim discipulus, fio Gentium doctor.* Quod ab homine dici haud potuit, qui demum anno CXIX. ortus est, quo tempore in Apostolorum nullo vita morabatur. Fuit ergo annorum amplius triginta Justinus cùm cœlestem Deo animum reddidit. Quot verò annos natus fuerit, non sine multa temeritate definiri posse putamus. Longævum tamen fuisse, ex laudatis ad Diognetum verbis, quibus apparet Justinum Apostolis Magistris usum esse, facillimè sciri potest, quamvis verba ad unum Joannem Evangelistam referantur. Fingamus animo, decem duntaxat annos agenti, auditum fuisse Joannem, ineunte secundo post Christum seculo, excessisset Justinus anno ætatis LXXV. Illud tamen quæri potest, num verba hæc *Apostolorum discipulus*, auditorem significent Apostolorum, an doctrinæ sectatorem? Quomodo Pharisæi cœco quem Christus sanaverat, dixere: *Nos Mosis discipuli sumus.* Quòd si Justinus id sibi velit, se Apostolicæ disciplinæ fautorem esse, ex verbis laudatis ipsius ætas colligi nequit. Ex Epiphanio tamen Justini ætatem colligere tentat Papebrochius, restituto sic Epiphanio: *Οὗτος ὁ Ἰουστῖνος Σαμαρείτης ἦν τῷ γένει ἐπὶ δὲ τῶν Ῥωμαίων ἡγεμόνος Ρουστικοῦ, καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ εἰς Χριστὸν πεπιστευκώς: Qui Justinus Samarites fuit genere, sed sub Romano Consulatu Rustici & Adriani Imperatoris, cum esset jam annorum triginta, in perfecta ætate fidem Christi amplexus est.* Quâ emendatione admissâ Justinus ante annum Christianæ Æræ LXXXIX. natus, penè fuerit octogenarius, cùm mortem obiit, Orphito & Pudente Coss. Verùm enimverò hac in correctione Papebrochium habemus, non Epiphanium, à cujus mente diversus abis. De martyrio quidem Justini, non de tempore, quo migravit in Ecclesiam, loquitur Epiphanius. Neque probari unquam nobis potuit Criticorum audacia hæc, qui ut præjudiciis inserviant suis, adeò immutant Autorem, ut non cognoscas eundem esse. Sed & hanc emendationem frigidam esse, testatur ordo Consulum: *Sub Romanorum*

Justin. p. 501.

Joan. ix. 28.

Con-

Consulatu Rustici & Adriani Imperatoris. Rusticum sanè Adriano non præposuisset Epiphanius. Neque versatur ante oculos exemplum ejusmodi, ut dum proferuntur Consules, quorum alter Augustus est, privatus alter, privati nomen prius scribatur quàm Augusti: quin etiam insipida hæc phrasis est, *Romanorum Consulatu Rustici* &c. Cui bono vox *Romanorum?* Unquamne adhibita est ab Epiphanio, dum Consulem meminit? Dixisset simpliciter, Consulatu Adriani Imperatoris & Rustici. Perpetua ergo nox offusa sit, & S. Martyris ætate, & diei, quâ abiit ad plures, cùm neutrum certis exhibeatur Veterum monumentis. Gallico Monumentorum Ecclesiasticorum Autori venit in mentem, Justinum Episcopi, vel Presbyteri gradum adeptum esse. Verbis autem Justini innititur: *Nos autem secundum hujuscemodi lavationem, credentem jam & nobis ascitum, ad fratres adducimus.*

Just. Apol. 2. 47.

Quæ partes esse videntur, viri sacris undis homines expiantis. Nobis tamen ea conjectura non placet. Nullus certè Veterum, Episcopi Presbyterive titulum indidit Justino. Neque liberior vita Justini, qui hùc & illùc cursitabat, modò Romæ agens ubi obtulit suas Imperatoribus Apologias, modò Ephesi, ubi cum Tryphone colloquium habuit, Presbyteri vel Episcopi indicium est, Ecclesiæ suæ ad pascendum gregem affixi. Neque est in verbis Justini aliquid virium, nomine Christianorum suæ disciplinæ ritus exponentis: *Mutuis*, inquit, *nos osculis salutamus.* Imò plurali relicto, singulare tertiæ personæ adhibet designando Presbyteri Eucharistiam Consecrantis officio: *Ei qui Fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini.* Atqui dixisset Presbyter: *Nobis offertur panis & vinum, quibus acceptis laudem Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offerimus.* Philosophus ergo & Martyr Justinus fuit, Presbyter non fuit. De ipsius morte hæc in Actis legimus: *Præfectus conversus ad Justinum dixit, Audi tu qui eloquens esse diceris, & putas te veram disciplinam tenere, si a capite per totum corpus flagellis cæsus fueris, persuasumne habes, fore ut in Cœlum ascendas? Cui Justinus, Spero, inquit, me habiturum, quod habent, qui Christi dogma servaverint, si hæc ipsa, quæ dicis, perpessus fuero... Præfectus Rusticus dixit: Nisi jussis nostris parere volueritis, cruciatus sine ulla misericordia patiemini. Justinus autem: Maximè nos in votis habemus, propter Dominum nostrum J. C. cruciatus perpeti, ac salvari.* Justino Comites erant, Chariton, Evelpistus, Hierax, Pæon, Liberianus, Charitana mulier, omnes in fidem benè animati, gloriæque cælestis cupidi, qui constantiore dixerunt Rustico: *Fac quodvis, nos omnes Christiani sumus, & Idolis non sacrificamus.*

De Actis S. Justini & sociorum.

Ruin. Acta Martyr. 43.

VII. Sex illos egregios Confessores pietatis cum Justino ad mortem à Rustico damnatos fuisse, in Sancti Martyris Actis reperimus, ex quibus hæc lectori suppeditamus: *Quæsivit Præfectus, quem in locum Christiani convenirent. Cui respondit Justinus, Eò unumquemque convenire quò vellet ac posset. An, inquit, existimas omnes nos in eundem locum convenire solitos? Minimè res ita se habet, quoniam Christianorum Deus, loco non circumscribitur, sed cum invisibilis sit, cælum & terram implet... Tunc Præfectus, Age, inquit, dicas quem in locum convenatis, & discipulos tuos congreges. Respondit Justinus, Ego prope domum Martini cujusdam, ad balneum, cognomento Timiotinum, hactenus mansi. Veni autem in urbem secundò, neque alium quempiam locum, nisi quem dixi, cognosco. Ac si quis ad me venire voluit, communicavi cum illo veritatis doctrinam... Tunc Præfectus dixit Charitoni, An & tu Christianus es? Cui Chariton, Christianus ego sum, Deo ipso adjuvante. Quæsivit Rusticus a Charitana muliere, Num & ipsa Christi fidem sequeretur, cui respondit illa, Se quoque Deo dante Christianam esse. Tunc Rusticus dixit Evelpisto, Tu verò quisnam es? qui respondit, Servus quidem Cæsaris sum, sed Christianus, à Christo ipso libertate donatus. Post hæc Præfectus quæsivit ab Hierace, Num & ipse Christianus esset: cui Hierax dixit, Certe Christianus & ego sum, eundem enim Deum colo, atque adoro. An, inquit Præfectus, Christianos vos fecit Justinus? Ego, inquit, Hierax, & fui, & ero Christianus. Stans quoque & Pæon dixit, Ego quoque sum Christianus. Et quisnam, inquit Præfectus, te docuit? Respondit ille, A parentibus bonam hanc confessionem ego accepi. Post hunc Evelpistus dixit, Et ego Justini quidem sermones magna cum voluptate audiebam, sed à parentibus tamen & ipse Christianus esse didici. Tunc Præfectus, Et ubinam parentes tui sunt? In Cappadocia, inquit Evelpistus. Quæsivit Præfectus ab Hierace, Ubinam gentium essent ejus parentes? Cui respondit Hierax: Verus pater noster Christus est, & mater fides, quia in ipsum credimus, terreni verò parentes mei mortui sunt. Cæterùm ego ab Iconio Phrygiæ abstractus, hùc veni. Quæsivit Præfectus à Liberiano, Quidnam & ipse diceret, num & Christianus esset, atque in Deos impius. Et ego, inquit, Christianus sum.* Omnibus porro fidem constanter profitentibus, *Præfectus talem sententiam pronuntiavit: Qui Diis sacrificare, & imperatoris edicto parere noluerunt, flagello cæsi, ad capitalem pœnam abducantur. Itaque S. Martyres Deum collaudantes, ad consuetum locum perducti, post verbera, securi percussi sunt... Post hæc quidam Fideles, clam illorum corpora sustulerunt, & in loco idoneo ea condiderunt.* Cæterùm etsi Acta hæc, adultam spirare antiquitatem videantur, impressa tamen in eis extant nonnulla novitatis vestigia. Quippe Actorum Autorem latuit, imperantibus M. Aurelio & Lucio Vero, ereptam esse Justino lucem: *Qui Diis*, inquit, *sacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt.* Atqui Præfectus dixisset *Imperatorum.* Præterea ab *Iconio Phrygiæ*, abstractum se fuisse Hierax prædicat. Nulla autem in Phrygia urbs est ejus nominis. Autor de locis Hebraicis apud Hieronymum: *Iconium civitas celeberrima Lycaoniæ est, & altera in Cilicia.* Stephanus: *Iconium urbs Lycaoniæ ad Tauri terminos.*

Crescens Cynicus.

VIII. Constitit causa mortis Justini, in Crescentis Philosophi Cynici persona, quod & ipse Justinus prævideerat: *Ego etiam expecto, ut ab aliquo eorum, qui Philosophi appellantur, insidiis appetar, & in nervum compingar, ab ipso forsitan Crescente, veræ Philosophiæ ignaro, & vanitatis potius, quàm veritatis amatore.*

Justin. Apol. 2.

De Philosophis quibus delectabatur M. Aurelius, nec non Crescente, scripto id mandat Tatianus, Justini discipulus. Tantum à mortis contemptu, & animi tranquillitate, nihil extra se, suamque fortem desiderantis, *Philosophi vestri absunt, ut nonnulli sexcentos in annum aureos ab Imperatore Romano ad nullum utilem finem accipiant, ne scilicet vel barbam frustra prolixam alant. Crescens quidem, qui in urbe Roma nidulum suum fixerat, fœdis puerorum amoribus, & avaritia supra omnes mortales deditus fuit. Et qui alios hortabuntur,*

Tatian. Orat. p. 157.

ANNO DOM. 165.

tur, ut mortem contemnerent, ipse tantopere eam formidabat, ut Justino tanquam gravissimum malum, mortem concinnaverit, eò quòd ille veritatem prædicans, Philosophos helluones, & deceptores esse convinceret. Et hæc quidem Justino causa martyrii fuit. Tatiani mentem non est assecutus sua in versione Gesnerus, τῇ μεγάλῃ πόλει vertit *Megalopoli*, quasi Græca essent nomen proprium: cum *magna urbs* Tatiano *Romam* significet, ubi Justinus morabatur, mortemque invenit Crescentis machinationibus.

Libri Justini.

Euseb. l. 4. c. 18.

IX. Amplissimis eruditionis pietatisque suæ monumentis, memoriam nominis Justinus consecravit. De quibus Eusebius: *Primum igitur locum inter libros obtinet, oratio ad Antoninum cognomento Pium, & ad ejus liberos Senatumque Romanum. Altera verò ejusdem oratio, defensionem similiter fidei nostræ continens, Antonino Vero nuncupata est, Imperatoris supradicti successori. Est & alius ejus liber, adversus Gentiles, in quo cum de aliis plurimis Quæstionibus, quæ tam à nostris, quam à Gentilium Philosophis agitari solent, uberrime disputat, tum de Dæmonum natura sententiam suam exponit. Alius præterea ejusdem liber adversus Gentiles ad nos pervenit, quam ille Confutationem inscripsit. Præter hos libros est etiam alius de Monarchia Dei, quam quidem non solùm autoritate sacrorum apud nos voluminum, sed Gentilium etiam Scriptorum testimoniis asserit. Est & alius liber, cui titulum fecit Psaltes. Alius item excerptorum liber de anima... Composuit etiam Dialogum adversus Judæos, quem apud Ephesum habuit cum Tryphone, omnium tunc temporis Judæorum celeberrimo. . . . Extant & alia complura ejusdem opuscula penes multos fidei nostræ cultores. Tanti porrò æstimati sunt etiam à Veteribus illius libri, ut Irenæus ejus testimoniis interdum utatur. Nam & in libro quarto contra hæreses hæc habet: Præclarè, inquit, à Justino dictum est, in libro adversus Marcionem, ne ipsi quidem Domino crediturus essem, si alium Deum prædicaret, quàm mundi conditorem.* Ex verbis Eusebii apparet atque extat, alia & Justini fuisse Opera, de quibus mentionem non agitavit. Meminit ipse Justinus priore Apologiâ p. 70. libri adversus hæreses: *Est autem*, inquit, *nobis liber contra hæreses & sectas omnes compositus, quem si legere volueritis, dabimus.* Manibus omnium quoque teritur ad Diognetum Epistola, quæ nostro judicio, eminet inter antiquitatis monumenta. Magnum est in Epistola hoc vetustatis monumentum: *Christiani enim, neque regione, neque sermone, neque politicis vitæ institutis à cæteris hominibus sunt distincti . . . neque vitæ genus habent, quod re aliquâ sibi peculiari sit notabile.* Quibus liquet, in vita Anachoretica nondum Christianos se constituisse. Florebat etiam ætate Justini *Diognetus*, pictor, Philosophusque insignis, qui Marco Aurelio magna in commendatione fuit. Qua de causa stilus Epistolæ paulò floridior est, quàm vulgò Justini esse solet. Sunt eruditi nonnulli, qui à Justino Epistolam ad Diognetum abjudicandam esse censeant, quòd stante adhùc Templo Hierosolymitano, scripta esse videatur. Quæ sententia de dignitate Epistolæ nil delibat. Nituntur autem in his verbis:

Ad Diog. p. 496.

Illi qui per sanguinem, & nidorem & holocausta facere se Deo sacrificia putant, nihil mihi differre videntur ab iis qui sensu carentia, eodem honore studiosè prosequuntur. Quâ censurâ Judæos vexari, ex orationis serie apertè liquet: *At eorum circa cibos meticulosam cautionem, & superstitionem circa Sabbata, & jactantiam de circumcisione non opus est ut à me discas.* Ex iis tamen non satis aptè concluditur, Templum Hierosolymitanum adhùc stetisse, cùm vel eo everso ea Judæis mens fuerit, victimarum sanguine Deum coli. Nonne in cineres redacto Salomonis Templo, cùm nulla Judæi sacrificia perpetrarent, dici licuit, illos *per nidorem & sacrificia* putare, quod Deo pergratum facerent. Epistolam verò esse excidio Hierosolymitano posteriorem, his docemur. Id Autor queritur: *Adversus Christianos, tanquam alienigenas, Judæi bellum gerunt*, πολεμοῦνται p. 497. Quæ apertè bellum à Barcocab gestum indicant, quo Christiani complures miserè mactati sunt. De Judæis quidem, non de Ethnicis, quamvis persecutoribus Ecclesiæ, verbum πολεμοῦνται, non usurpat Epistola. Deinde sic Diognetum compellat: *Nonne vides quo plures qui suppliciis afficiunt, tantò majorem aliorum esse numerum?* p. 499. Quæ plures Cæsarum persecutiones ostendunt, in quibus Christiani *feris objiciebantur*. At ante annum LXX. unus Nero, ferro, flammis, feris vastaverat Ecclesiam. Nil igitur causæ est quo minus Epistola ad Diognetum Justino tribuatur. Librum de *Monarchia* Natalis Alexander, aliique à Justino abjudicant, quia ille cujus Eusebius, Hieronymusque meminere,

Nat. Alex. Sec. 2. p. 55.

Inscribebatur de Monarchia Dei, hic verò simpliciter de Monarchia. Secundò, quia hujus libri autor ex solis Poëtarum Græcorum testimoniis, ex Gentilium libris petitis, sed etiam ex sacris Literis roboravit, unde cùm ne unus quidem Sacrarum Scripturarum apex, in eo qui extat sub nomine S. Justini de Monarchia libro citetur, constat illum Pseudepigraphum esse. Quæ tamen rationes sunt nihili, cùm solummodò probent & paululum diversum esse titulum, & libri integri quem Eusebius Hieronymusque legerant, partem esse deperditam: partem verò alteram adhùc extare planum est ex verbis, quæ in Justino leguntur:

Just. de Monar. p. 103.

Ego etiam, sicut paulò antè promisi, divinâ usurpata sententia, humanâ etiam voce utar. Abundat etiam de Monarchia liber, permultis Ethnicorum testimoniis, quibus refertum fuisse Justini librum ex Eusebio didicimus. Itaque liber de *Monarchia*, pars est genuina operis ejus, quod plenum atque integrum extabat ætate Eusebii atque Hieronymi.

De Epistola ad Zenam, librisque Justini contra Gentes.

X. De Epistola ad Zenam & Serenum, in contrarias partes ab eruditis disputatur. Nos magis eorum sententiæ sumus, qui credunt non esse Justini. Ut enim stilum mittamus, qui obscurior est, & impeditior, quàm ille Justini fuit, scrupulum injiciunt verba hæc: *De quorumdam institutione & disciplina . . . qui persimilia Pharisæis & sentiunt, & faciunt, in Epistola ad Papam, perquam diligenter & accuratè disseram.* Atqui ætate Justini, nulli Christianorum disciplinam Pharisæorum imitatione prosequebantur. Hæc erat vita Christianorum, teste ad Diognetum Justino: *Uxores ducunt ut omnes & liberos procreant. Sed non abjiciunt fœtus. Mensam communem apponunt, sed minimè pollutam. . . . Mendici sunt & multos ditant, rebus omnibus indigent, & omnia illis redundant.* Defuncto sanè Justino, Encratitæ orti sunt, quorum fons & principium Tatianus Justini discipulus. Quis verò *Papa*, cui scripsit autor Epistolæ ad Zenam & Serenum? Doctissimus Tentzelius acerri-

ANNO DOM. 165.

mus Epistolæ defensor: *Colligere est*, inquit, *& Zenam & Serenam Romæ vixisse, neque alium quam Romanum Episcopum sui temporis viventem, per Papam intelligi debere.* Quæ sententia nostro probari calculo non potest, nisi ostendatur, ætate Justini, *Papa* vocem significando Episcopo Romano esse adhibitam, quod à vero procul esse existimamus. Nomen Papæ appellativum, Episcopis fuisse impositum, compertum habemus, sed cum proprio nomine conjunctum. Sic in Epistola Cleri Romani ad Presbyterium Carthaginense: *Didicimus secessisse benedictum Papam Cyprianum.* Hieronymus ad Pammachium Epist. 61. c. 4. *Nunquam te Papa Epiphanius, super Origenis errore convenit.* In secunda quidem persona, absque proprio nomine effertur, quomodo in Actis Perpetuæ, Martyres Optato dicunt Episcopo: *Non tu es Papa noster.* In tertia verò persona, nunquam apud Veteres simpliciter usurpabatur. Blandientium vox Græcorum est, *Papa*, quæ idem significat ac pater. Itaque in Epistola Lugdunensium, quâ commendabatur Irenæus, legitur: *Te per omnia optamus in Deo valere, pater Eleuthere.* Quòd verò ævo Justini, Romanus Episcopus absolutè *Papa*, per excellentiam vocaretur, omisso proprio nomine, frustra quæsivimus Veterum in monumentis, neque doceri posse censemus. Idcircò Baronius, in mentem sibi induxit, *Papam* viri nomen esse proprium: *Papa nomen penes Græcos, interdum contigit esse proprium viri alicujus, non dignitatis; nam celebrant illi nobilem Martyrem in Lycaonia, Papam nomine.* Quod sanè dictu tolerabilius. Detrahunt & Justino Epistolam verba hæc: *In Epistola quam ad Principes dedi.* Respondent significari *Apologiam.* At Justini Apologia nunquam à Veteribus Epistola vocatur, quod nomen scripto suo imposuit Autor. Etenim, ἐν τῇ γραφείσῃ, refertur ad superiora illa, πρὸς Παπᾶν ἐπιστολὴν, Scriptum verò Justini, Apologia fuit, Epistola non fuit, vel Judice titulo. Deinde quænam indicatur Apologia? Prior utique. Atqui non data est ad ἄρχοντας, *Principes*, cum eo tempore nil Principatus Marcus Verusque gererent. Quibus accedat in Epistola ad Zenam & Serenum, nullum extare præceptum de fugiendis idolis, ferendoque aptè & quietè, quocunque casu, quem persecutiones tum temporis invehebant. Hæc Justinus præcepta inculcasset, utpote Christianorum conditioni maximè accommodata. Hæc sanè longè magis necessaria, quàm quæ mandantur: *Vino utendum, cùm lectioni non incumbemus, adversus clamitantem silentium tenendum.* Quod porro de vino habet, refellit & Elias du Pin, & illos qui Monachis scriptam esse Epistolam existimant. De Opere adversus Gentiles, in quo disputabat de natura Dæmonum supersit nec ne, quæstionis est. Desiderari censemus, cùm neque in parænesi, neque in oratione ad Gentes, ulla sit de Dæmonum natura disputatio. Qui verò titulum habuit ἔλεγχος, etiamnum extare putamus, alio tamen titulo notatum, λόγου παραινετικοῦ, factâ tituli mutatione. Argumento est Stephanus Gobarus, qui è libro, quo Gentium errores Justinus refellit, testimonium adducit. Quod in oratione cohortatoria ad Gentes etiamnum reperitur p. 21. Græca enim, quæ sic in Latinum transfudit Langus: *Quando quidem geniti estis, immortales quidem non estis, neque prorsus indissolubiles. Verùm tamen neque interibitis, neque fatalem mortis necessitatem experiemini, voluntatem meam majus multò & fortius vinculum habentes,* disertè leguntur in Gobaro, apud Photium cod. 232. n. 38. p. 899. Itaque fallitur eruditus Cavius scribens, *Adductam a Gobaro lacinam, in Orationibus Justini adversus Gentes desiderari.* Imò expressa verbis in Parænesi lacinia hæc reperitur. De operibus, quæ Doctorum ferè omnium consensu Justino perperàm vindicantur, tractare, nostri neque otii est, neque instituti.

Tentzel. Exerc. p. 194.

Cypr. Epist. 3.

Act. Perp. c. 13.

Baron. an. 165. n. 10.

Cav. Hist. Lit. p. 28.

X I. Hoc anno Anicetum Pio successisse, à Baronio traditur: *Vigesima quinta die Julii*, inquit, *creatur Papa Anicetus.* Quæ Chronologia à vero longius abest, ut Aniceti in decessoribus jam observavimus. Imperante Pio, Pontificatum gessisse Anicetum, docet Eusebius: *Porro Marco Imperatore jam octavum Principatus annum agente, cùm Anicetus Ecclesiæ Romanæ Episcopatum undecim annis obtinuisset, Soter in ejus locum successit.* Quo calculo, sedebat Anicetus anno Christi CLVIII. Deest quidem Aniceti Pontificatus in Bucheriano Catalogo. Ex Episcopatu tamen Soteri, error Baronii deprehenditur. Soteri enim initium cum Severi & Herenniani Consulatu copulatur, anno CLXXI. Mendosè quidem legitur *Veri.* Non dubitamus tamen scribendum esse Severi, qui Herenniano collega fuit. Anno CLII. Anicetum Episcopum creatum esse, docet in Pontificibus Romanis Onuphrius. Pagius biennio citius sedisse statuit. Pearsonius ab anno CXLII. ad usque CLXI. Dodwellus verò à CXLII. ad usque CLIII. Ecclesiam administrasse censet. Eò coarguitur Baronii Chronologia, quòd Polycarpus, qui sedente jam Aniceto, Romam venerat, anno CLXIX. martyrio perfunctus sit. Ubi figenda sint initia Aniceti, definire non sustinemus. Anicetum ferunt *natione Syrum, ex patre Joanne, de vico Humissa, obiisse Martyrem, sepultum esse in cœmeterio Callisti via Appia* XV. *Kalend. Maias.* Quæ nullo Veterum testimonio fulciuntur. Imò in Pseudosynodo Romana, sub Aniceto, Polycarpo titulus Martyris imponitur, non Aniceto. Posterior Justini Apologia, quæ Ptolomæi, Luciique Martyrum meminit, multò magis Martyrem exhibuisset Anicetum, qui ad fata jam sua venerat, cùm ea Apologia Marco, Veroque nuncupata est. Martyrem quoque nescivit Irenæus, qui eo nomine atque honore perinde Anicetum affecisset, atque *Telesphorum.* Itaque fidem adjungere non possumus Romano Martyrologio: *Romæ S. Aniceti Papæ & Martyris, qui in persecutione M. Aurelii Antonini, & Veri, martyrii palmam accepit*, Aprilis XVII. Quem Martyrem frustra quæreremus vel in Adonis, vel in Rosuedi Martyrologio.

Anicetus: num obiit martyrio?

Bar. an. 167. n. 4.

Euseb. l. 4. c. 19.

X I I. Una prædicatur Aniceti Epistola, cujus capita sunt quatuor. Primum, de ordinationibus Episcoporum. Secundum, de Primatibus & Metropolitanis. Tertium, si Metropolitanus sine consilio egerit, vel si Episcopi eum suspectum habuerint. Quartum de tonsura Clericorum & habitu. Scribitur *Universis Ecclesiis per Galliæ Provincias constitutis.* Data est *octavo Cal. Junii Gallicano & Rufino V. C. Coss.* In quibus extant multa falsi vestigia. Aniceto sedente, Galliæ Provincias nondum oppleverat Evangelium. Fictitius est Gallicani & Rufini Consulatus: *Archiepiscoporum Metropolitanorum, Primatum* tituli, nondum emerserant in Ecclesia. Tonsura clericalis in modum sphæræ non introducta fuerat, multò minus *rasura*, quam larvatus præcipit Ani-

Epistola Aniceti subdita.

ANNO DOM. 165.

Auicetus: *Caput in modum sphara radant.* Est autem suo loco demonstratum, Veteres à *rasura* quàm maximè abhorruisse. Præterea initium Epistolæ, *Bonorum operum, & spiritualium studiorum Deum autorem esse non dubium est*, verba sunt Leonis, Epistola XXIII.

Romana Synodus sub Aniceto subdita.

Concil. t. 1. p. 583.

XIII. In Conciliorum Collectione Maxima, extat Græcè Romana Synodus Aniceti, ex Synodico libello: *Synodus divina & Sancta Provincialis, Roma congregata, à Beatissimo Aniceto ejusdem urbis Papa, & Polycarpo S. Martyre Smyrna Episcopo, aliisque Episcopis decem, contra eos qui Judaico more, Luna decimâ quartâ, divinum celebrabant Pascha, aliisque ritibus & typis. Id ipsum perficiebant. Hac igitur Synodus definivit tremendam & salutarem Domini nostri J. C. & Dei passionem, in Sancla parasceve mysticè celebrandam, resurrectionem autem vita auctricem, ipsa celebri & magna Dominica, omni modo esse peragendam.* Suodiram esse Synodum, egregiè demonstrat Irenæi ad Victorem Epistola: *Neque enim Anicetus, Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuò observasset.* Nempe Polycarpus, cum Asiaticis Luna XIV. Pascha celebrabat, quem morem ab illo Aniceti diversum constantissimè retinuit, nedum in Romana Synodo, unà cum Aniceto id consuetudinis abrogandum esse sanxerit.

Euseb. h. l. 5. c. 24.

ANNO DOM. 166.

ANNO U. C. 919. PER. JUL. 4879. JUL. III. DOM. 166. M. AURELII 5. & 6. *Sol.* 7. F. *Lun.* 15. *Indict.* 4. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 2. P. 7. *Apr.*

COSS. *Servilius Pudens, & Lucius Fusidius Pollio.*

Pudens à Consule Pudente superioris anni diversus?

I. ANnum aperuerat proximum *Pudens*, quem cum præsentis anni Consule, unum eundemque putant Onuphrius, Calvisius, Jacobus Capellus, ideòque numeralem huic Consulatui notam impressere. Quorum sententiæ Chronicum favet, quod vocatur Alexandrinum, Pudentem Consulem iterum exhibens. Abest tamen nota numeralis in Indiculo Dodwelli, neque immeritò, cùm moris non esset, duos privato alicui Consulatus ordinarios continuè adjungere. In inscriptione Gruteriana, quam Norisius exhibet, Pudentis Consulatus nullâ notâ signatur. Lampridius qui nominatum inter Cæsares Commodum, docet *Pudente & Pollione Coss.* dixisset Pudente II. si jam Consulatu perfunctus fuisset. Diversi itaque homines, *Pudens* Consul superioris anni, & *Pudens* præsentis. Ille ex familia Arria, hic ex gente Servilia. Jam observavit Pagius, Baronium perperàm alterum Consulem vocasse *Sufidium* pro *Fusidio*. Meminit Pudentis Tertullianus, *Qui missum ad se Christianum in elogio, concussione ejus intellectâ, dimisit scisso eodem elogio, sine accusatore, negans se auditurum hominem, secundum mandatum.*

Tertul. ad Scap. c. 4.

Triumphus Marci & Veri.

Capit. Ver. c. 8.

II. Peracto bello Parthico Verus, Romam inde ad triumphum invitus, quòd Syriam quasi regnum suum relinqueret, rediit, & pariter cum fratre triumphavit, susceptis à Senatu nominibus, quæ in exercitu acceperat. Habuit hanc reverentiam Marco Verus, ut nomina, quæ sibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi, quem pariter celebrarunt. Corona civica oblata est ambobus, petiitque Lucius, ut secum Marcus triumpharet. In triumpho liberos Marci, utriusque sexus, secum vexerunt, pueros & puellas virgines. Ludos etiam ob triumphum decretos spectaverunt, habitu triumphali. Patris Patriæ nomen, quod absente fratre Marco delatum fuerat, ambobus est impositum. Posteaquam à Syria victor Verus rediit, Patris Patriæ nomen *ambobus decretum est, cùm se Marcus absente Vero, erga omnes Senatores atque homines moderatè gessisset.* Petiit etiam Verus, ut Marci filii Cæsares appellarentur. Qua die id factum sit, docuit Lampridius in vita Commodi: *Nominatus inter Cæsares quarto Iduum Octobrium, Pudente & Pollione Coss.* Quos idcirco Herculeas posteà nominavit.

Capit. Marc. cap. 12.

Capit. Marc. cap. 12.

Lampr. Com. c. 11.

Num anno CLXV. Actus de Parthis triumphus?

III. Anno superiore ductum fuisse Marci Verique de Parthis triumphum Pagius opinatur. Quam Cassiodori autoritate Chronologiam statuit, qui in Pudentis Orphitique Consulatum, hunc triumphum retulit: *His Coss. Lucius Cæsar de Parthis, cum fratre Antonino triumphavit.* In testimonio quidem Cassiodori, momenti minimum est, cùm accurata non sit ejus autoris Chronologia. Ex nummis itaque sibi comparat auxilium: *Mediobarbus enim M. Aurelii Nummum exhibet, in Postica inscriptum P. M. Trib. P. XIX. Imper. III. Cos. III. Anno igitur CLXV. quo Trib. Pot XIX. auspicatur, ante diem septimum mensis Martii, frumentum nave advectum, & Populo distributum.* Vim tamen rationis nulli videmus, cùm ex ea liberalitate Marci non sequatur, illo ipso anno, Verum & ex Oriente rediisse, & triumphum egisse. At plus erit in alio Nummo virium: *M. Aurelius Antoninus Aug. Armeniacus. Parth. Max.* in Postica, *P. M. Trib. Pot. XIX. Imper. III. Cos. III.* Jam verò scribit Capitolinus: *Habuit hanc reverentiam Marci Verus, ut nomina, quæ sibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi.* Huic uno argumento aliquid est speciei. Cui tamen nervi non difficulter inciduntur. Discimus enim ex Capitolino, quæ prius ab exercitibus imposita fuerant nomina, à Senatu deinde Verum habuisse: *Pariter cum fratre triumphavit, susceptis à Senatu nominibus, quæ in exercitu acceperat.* Quid ni ergo cudi & Nummi potuere, in Marci honorem, ante triumphum, eo tempore, quo ab exercitibus Verus Parthicus appellabatur, ut potestate & adoptione conjunctis par geminusque honos accumularetur? Eò magis quò Marcus senior erat Augustus, qui prudentiâ providentiâque sua in victoriæ partem jure vocandus erat: *Deinde cùm gratias ageret Senatui, quòd fratrem consecrasset, occultè ostendit, omnia bellica consilia sua fuisse, quibus superati sunt Parthi.* Itaque Nummus ille, ejusque similes cusi fuerunt ante triumphum. Neque vana fingentis animi conjectura hæc est. Testetur ipse Capitolinus: *Profligato autem bello, uterque Parthicus appellatus est. Sed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiavit, quod posteà recepit.* Quo igitur momento *Parthici* delatum à Senatu vocabulum, eo & jam cusi hoc titulo Nummi, in Marci honorem.

Capit. Ver. cap. 8.

Capit. Ver. cap. 7.

Capit. Marc. cap. 20.

Capit. Marc. cap. 9.

IV. Nostræ verò Chronologiæ firmiora videntur argumenta. Non ante quinquennium reversum esse Verum, scimus ex Capitolino: *Et cùm famis tempore, populo insinuasset de bello, fratre post quinquennium reverso, in Senatu egit, ambos necessarios esse dicens bello Germanico Imperatores.* Quod quinquennium incurrentem an-

Anno CLXVI. actus de Parthis triumphus.

Capit. Marc. cap. 13.

Anno Dom. 166.

annum incidit. Deinde postquam in Syriam venit Verus, *egit per quadriennium hyemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnem, reliquam partem Antiochiæ.* Hoc autem quadriennii ab hyeme, quæ anno CLXII. Decembri insidebat, est numerandum, quia nonnisi CLXII. jam adulto, Syriam ingredi potuit. Dum enim proficiscebatur in Orientem, *apud Corinthum & Athenas inter symphonias, & cantica navigabat, & per singulas maritimas civitates Asiæ, Pamphiliaque, voluptatibus immorabatur.* Cùm ergo integrum quadriennium in Oriente constiterit, anno CLXV. in urbem redux esse non potuit. Quòd si concederemus initium quadriennii ab illa hyeme esse repetendum, quæ à mense Novembri anni CLXI. incipit, uti statuit Pagius, firmum adhùc foret argumentum. Est enim incredibile, *Verum* qui & inertiâ mollicieque animi laborabat, & invitus à sua Syria abstrahebatur, hibernum carpsisse iter, ut urbem repeteret. Nectendi moras glacialis hyems, voluptuoso Principi ansam præbuisset. Tertiò, bellum Parthicum anno demum CLXV. fuit exhaustum: *Quo confecto, regna Regibus, Provincias verò comitibus suis regendas dedit; Romam inde ad triumphum invitus, quòd Syriam, quasi regnum suum relinqueret redit.* Non ergo reliquit Orientem, nisi elapso jam post bellum absolutum, longo satis temporis spatio. Ex quo fit, triumphum ejus in annum CLXV. non incidisse. Denique constat, tempore triumph. petiisse Verum, ut Marci filii, Cæsares appellarentur, quod factum IV. *Iduum Octobrium, Pudente & Pollione Coss.* Quòd si id anno proximè elapso Verus flagitasset, sitne vero simile, tandiu dilatam fuisse hanc appellationem, ut solummodò Octobris XII. currentis anni Marci filii Cæsaris titulo decorarentur? Quid causæ fuit, cur honestæ æquæque Veri postulationi, tantum moræ afferretur? Uno igitur eodemque anno, & actus de Parthis triumphus, & filii Marci, nomen Cæsarum sortiti sunt. Itaque quin unius anni prochronismo laboret, Eusebii, quem Pagius sequitur, de triumpho fratrum Augustorum, Chronologia, vix dubitamus.

Capit. Ver. cap. 7.

Capit. Ver. cap. 6.

Pax post bellum Parthicum.

V. Parte anni aliquâ post debellatos Mauros, pax in orbe Romano fuit. Mauri Hispanias propè omnes vastarant, sed res per Legatos benè gestæ sunt. Hùc refert Casaubonus, quod in saxo quodam Hispanico dicitur Marcus, *Devictor omnium Gentium Barbararum.* Pacis indicia extant in Nummis Marci, Verique à Mediobarbo Pagioque exhibitis: *M. Antoninus. Aug. Armen. Parth. Max.* in Postica, *Tr. P.* XX. *Imper.* XV. *Coss.* III. *Pax.* Cernitur figura, dextrâ ramum, sinistrâ cornu copiæ tenens. Anno verò currente XX. Tribunitiam Potestatem Marcus iniit. Præbebant quidem belli materiam Marcomanni. Quippe dum Parthicum bellum geritur, natum Marcomanicum, quod diu eorum qui aderant, arte suspensum est, ut finito jam Orientali bello, Marcomannicum agi posset.

Capit. Marc. cap. 21.

Capit. Marc. cap. 13.

Verus histrionibus deditus.

VI. Reversus è Parthico bello Verus, minore circa fratrem cultu fuit. Nam & libertis inhonestius indulsit, & multa sine fratre disposuit. His accessit, quòd quasi Reges aliquos ad triumphum adduceret, sic histriones eduxit è Syria, quorum præcipuus fuit Maximinus, quem Paridis nomine nuncupavit. Adduxerat secum & fidicinas, & tibicines, & histriones, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate, prorsus ut videretur bellum non Parthicum, sed histrionicum.

Capit. Ver. cap. 8.

Anno Dom. 166.

Pestis Romanum orbem invadit.

VII. Fuit ejus fati Verus, ut in eas Provincias per quas rediit, Romam usque, luem secum deferre videretur. Et nata fertur pestilentia in Babylonia, ubi de Templo Apollinis, ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, spiritus pestilens evasit, atque inde Parthos orbemque complesse. De ea peste Marcellinus: Seleucia *per Duces Veri Cæsaris expulsata, avulsum sedibus simulacbrum, Comes Apollinis, perlatumque Romam in Æde Apollinis Palatini Deorum antistites collocarunt. Fertur autem, quòd post direptum hoc idem figmentum, incensâ civitate, milites saxum scrutantes invenere foramen angustum, quo reserato, ut pretiosum aliquid invenirent, ex adyto quodam concluso a Chaldaeorum arcanis labes primordialis exiluit, quæ insanabilium vi conceptâ morborum, ejusdem Veri Marcique Antonini temporibus, ab ipsis Persarum finibus ad usque Rhenum & Gallias cuncta contagiis polluebat, & mortibus.* Marcellino opus esse emendatione, visum erat doctissimo Casaubono: *Noli dubitare quin sit legendum, Apollo Cochem. Seleucia enim illa etiam Coche dicta, teste ipso Ammiano* l. XXIV. At Clarissimus ille Valesius, *Apollinis Comei* lectionem retinendam esse statuit, ex Athenæo l. 4. Apollo enim cognomento Comæus, ab aliis colebatur: *Apud Naucratitas, ut inquit Hermias in secundo de Grynæo Apolline libro, in Prytanæo epulantur natalitiis Vestæ frumentorum dispensatricis, & Dionysiis ἔτι δὲ τῇ τοῦ Κωμαίου Ἀπόλλωνος πανηγύρει, & Comæi quoque Apollinis festivitate.*

Marcel. l. 23. c. 6. 403.

Anno Dom. 167.

ANNO U. C. 920. PER. JUL. 4880. JUL. 212. DOM. 167. M. AURELII 6. & 7. *Sol.* 8. E. *Lun.* 16. *Indict.* 5. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 3. *P.* 23. *Mart.*

COSS. *L. Aurelius Verus Augustus* III. *& Quadratus.*

Veri convivia.

I. Villam Verus extruxit in via Clodia famosissimam, in qua permultos dies & ipse ingenti luxuriâ debacchatus est, cum libertis suis, & amicis paribus, quorum præsentiæ nulla inerat reverentia. Et Marcum rogavit, qui venit ut fratri venerabilem morum suorum & imitandam ostenderet sanctitudinem, & quinque diebus in eadem villa residens, cognitionibus continuis operam dedit, aut convivante fratre, aut convivia comparante. Hoc ipso anno, probabile est celeberrimum à Vero convivium agitatum esse, in quo duodecim accubuisse dicuntur: *Donatos structores, & lances, singulis quibusque, denata & viva animalia, vel cicurum, vel ferarum avium, vel quadrupedum, quorum cibi appositi erant. Donatos etiam calices singulis per singulas potiones, murrhinos, & chrystallinos, quoties bibitum est: data etiam aurea atque argentea pocula & gemmata. Coronas quin etiam datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus. Data & vasa aurea cum unguentis, ad speciem alabastrorum. Data & vehicula cum mulabus, & mulionibus, cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent.* Omne autem convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus sestertiis, sive libris Gallicis 558300. Post convivium, lusum est tesseris usque ad lucem. Hoc convivium posteaquam Mar-

Capit. Ver. cap. 8.

Capit. Ver. cap. 5.

ANNO DOM. 167.

Marcus audivit, ingemuisse dicitur, & doluisse *publicum fatum*. Cùm *post bellum Parthicum* celebratum sit convivium, *in currentem annum* illud consecimus, quia ob publicas calamitates, quæ & urbem, & imperium invaserunt, voluptatibus ejusmodi vacare Vero non licuit.

Publius Atheniensis afficitur Martyrio. An proxime successit Dionysio?

II. Legimus in Tertulliano: *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.* Cùm ergo in orbem Romanum pestis horrenda virus effunderet suum, gravi persecutione in Provinciis Christiani vexantur. Itaque quartam huic anno persecutionem, Eusebii Chronicum illigavit. Quâ miseranda Ecclesiarum carnificinâ, *Publium* Athenarum Episcopum extinctum esse existimamus, etsi annum ignoremus. Sancti Martyris Corinthius meminit Dionysius, in sua ad Athenienses Epistola. Qua eorum negligentiam arguit, *Quippe qui à fide propemodum descivissent, ex quo Publius ipsorum Episcopus, in persecutionibus tunc temporis excitatis, martyrium subierat.* Publium Dionysio Areopagitæ proximè fuisse suffectum, multorum est sententia, cui Martyrologia sunt præsidio: *Athenis S. Publii Episcopi, qui Mibtennis à Paulo Episcopus ordinatus est.* Quæ leguntur in Veteri Rosuedi Martyrologio. In Usuardi quoque Martyrologio ad diem XXI. Januarii, *Natalis B. Publii Episcopi, qui secundus post Dionysium Areopagitam Atheniensium Ecclesiam rexit.* Penè similia Romanum habet Martyrologium. Dubitat tamen Valesius, nec immeritò, Publiusne Dionysio proximè successerit. Cùm nec Eusebius, nec Dionysius scripserint Publium Dionysio proximè successisse. Dionysius Areopagita principatu Domitiani abiit è vita. Quòd si Publius ei proximè successerit, cùm hic imperante M. Antonino martyrium fecerit, plusquàm LXX. annis in Episcopatu vixisset. Polycarpus quidem diutius Smyrnensem administravit Ecclesiam. Sed rarissima est tam longa Præfectura, neque annositas Polycarpi, ab Irenæo aliisque oblivioni data est, cùm de longævitate, quæ Publio vindicanda foret, si proximè ipsi Dionysius decessit, altum sit Veterum in monumentis silentium. Quòd si Publius sub Trajano passus esset, ut censet eruditissimus ille Sirmondus, nihil jam causæ esset, cur Dionysius Corinthius, Atheniensibus tanto post tempore scriberet, ad suscitandam eorum fidem, cùm jam à Quadrato id cumulatè præstitum fuisset.

Tertul. Apol. c. 40.

Quadratus creatur Atheniensis Episcopus.

III. Quadratus in locum Publii recens substitutus, labentem Atheniensium fidem erigere atque excitare cœpit. Quem ab illo Quadrato, Apostolorum discipulo, qui Adriano pro Christianis Apologiam nuncuparat, omninò diversum esse censemus, repugnante Hieronymo, & secundum Hieronymum, Cavio. Non surdum verò inter utrumque discrimen assignat Eusebius. Quadratus enim, qui Propheticâ gratiâ illustris prædicatur, Evangelistæ munere fungebatur. Evangelistæ verò certo gregi non affigebantur, ut rectè docet Eusebius: *Deinde relictâ patriâ, peregrè proficiscentes, munus obibant Evangelistarum, iis qui fidei sermonem nondum audivissent. Christum prædicare, & sacrorum Evangeliorum libros tradere ambitiosè satagentes. Hi postquam in remotis quibusdam, ac barbaris regionibus, fundamenta fidei jecerant, aliosque Pastores constituerant, & novellæ plantationis curam iisdem commiserant, eo contenti ad alias gentes ac regiones constante Dei gratiâ ac virtute properabant.* Instructum donis ejusmodi fuisse Quadratum, qui Imperante Adriano floruit, documento est, & donum Prophetiæ, quo ornabatur, & Eusebii testimonium: *Præter hos, alii quoque complures eodem tempore viguerunt inter Apostolorum successores, principem obtinentes locum. Qui utpote discipuli, tantorum virorum, admirabiles plane ac divini, Ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis extruxerunt.* Cùm pronomeo *hos*, ad Quadratum Apostolorum discipulum referatur, est igitur Evangelistis apponendus: eoque ab Atheniensi Episcopo Quadrato diversus. Neque etiam verosimile est, discipulum Apostolorum, cui Prophetiæ donum indultum fuit, privatæ Ecclesiæ Episcopo Publio successisse.

Euseb. l. 3. cap. 37.

ANNO DOM. 168.

ANNO U. C. 921. PER. JUL. 4881. JUL. 212. DOM. 168. M. AURELII 7. & 8. Sol. 9. D. C. Lun. 17. Indict. 6. Epact. 2. Epact. Sol. 4. 5. P. 11. April.

COSS. *L. Vettius Paulus, & T. Junius Montanus.*

Consules.

I. De hujus anni Coss. subit animum dubitatio. Quippe editi à Dodwello Fasti *Apronianum* habent & *Paulum*. Eosdem quoque exhibent Chronicum Alex. Cassiodorus, Idatius, Cuspiniani anonymus, ut in hac quæstione omninò pendeamus animi.

Pestis gravissima.

II. In vitam Romanorum, quæ anno præterito pestis invadere cœperat, præsente crudelius grassatur. Tanta vis ejus fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata, sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi, sepulchrorumque asperrimas sanxerunt, quandoquidem caverunt, *Ne quis bellè fabricaretur sepulchrum.* Sic corruptissimum Salmasius locum emendavit: *Ne nti quis vellet, fabricaret sepulchrum.* Et multa quidem millia pestilentia consumpsit, multosque ex Proceribus, quorum amplissimis Antoninus statuas collocavit. Tantaque Clementia fuit, ut sumptu publico, vulgaria funera juberet efferri. Eò gravior pestis, quòd universi ferè exercitus periere: *Roma ac per Italiam Provinciasque maxima hominum pars, militum omnes ferè copiæ languore defecerint.* Ne hic quidem prætereundum, quòd Alexander ille Pseudomantis ad cavendam pestilentiam, certa se remedia traditurum, fuerat pollicitus. Cùm ingruisset pestis, oraculum autophonum ediderat. Responsa ejusmodi dicebantur, quæ Æsculapii voce reddebantur. Gruum enim arteriis contextis, per linenm draconis caput, quod erat arte simulatum insertis, alioquopiam per has, foris insonante, ad ea quæ proponebantur, respondebat. Quæ otacula *αὐτόφωνα*, neque quibuslibet, neque passim dabantur, verùm splendidis modò, atque opulentis, & qui grandia largirentur. Unum ergo depellendæ pesti oraculum autophonum, & hoc quoquoversum gentium prodiderat Alexander, unico carmine comprehensum:

Capit. Marc. cap. 13.

Eutrop.

Intonsus nubem pestis depellit Apollo.

Atque hunc versiculum videre erat passim pro foribus descriptum, tanquam adversus pestem remedio futurum. Verùm ea res plurimis diversam in partem evenit. Domus enim, quibus hic versus inscriptus, potissimum desolabantur.

Luciani Pseudom.

ANNO DOM. 168.

Sacra ob bellum Marcomannicum.

Capit. Marc. cap. 13.

III. Immissa Romanis exercitibus à peste clades, non minima causa fuit, cur à Marcomannico tumulto, in metum urbs Romana compelleretur. Tantus autem timor belli hujus fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, quò plures victimæ immolarentur. Peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit, aspergine circumlatæ aquæ. Celebravit & Romano ritu lectisternia, per septem dies. Intereà hoc ipso anno, Augustorum Legati de Marcomannis victoriam retulisse, innuit Eusebius, ideòque Imperatores v. nuncupantur.

Augustorum Aquileam profectio.

Capit. Marc. cap. 14.

IV. Cùm bello Germanico necessarii forent Imperatores, profecti sunt paludati ambo, Victovalis & Marcomannis cunctis turbantibus, aliis etiam Gentibus, quæ pulsæ à superioribus Barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus. Sunt viri doctissimi, qui pro secunda Marci in Marcomannos profectione, istam habuere. Existimant enim jam anno CLXVI. Marcum primam in Marcomannos expeditionem suscepisse, quia legitur in nummis hujus anni, *Profectio Augusti*. Multa sunt tamen hanc in Chronologiam argumenta. Prima cujus Capitolinus meminit profectio hæc est, quæ præsentis anni fuit. Deinde diserte tradit, ubi Marcus innuisset in Senatu, ambos necessarios bello Germanico Imperatores, *retardatum esse a bellica profectione*. Prætereà anno CLXVI Romæ adhuc agebat Marcus die Octobris duodecimâ, quâ Marci filii in Cæsares relati sunt. Commodus *nominatus inter Cæsares quarto Iduum Octobrium, Pudente & Pollione Coss.* Quod absente patre factum fuisse, vix fidem invenit. Ergo Novembri circiter hanc expeditionem suscepisset. Hoc autem nullam veri speciem habet. Ubi profectus? Quid hac in expeditione gessit? Quando rediit? Solusne, an unà cum Vero eam profectionem instituit? A solo Marco expeditionem non susceptam fuisse, eò liquet quòd *Senatui insinuarat* Marcomannico bello *ambos Imperatores esse necessarios*. Nulla tamen Veri in Marcomannos profectio fuit, nisi illa quâ cum fratre Aquileam usque progressus est.

Capit. Marc. cap. 13.

Lampr. Com. c. 11.

Hermogenis Hæretici patria & errores.

V. Dum orbis terrarum peste vastatur, Ecclesiaque omnibus lacerantur injuriis atque tormentis, gravius adhùc malum exoritur. Hermogenes enim venenis Religionem inficere suis cœpit. Fuit ille Hermogenes ab eo diversus, cujus Paulus meminit Apostolus in posteriore ad Timotheum: *Aversi sunt à me Phygellus & Hermogenes.* Fatale ambobus nomen, quod hæreseos infamiâ macularunt. Hinc scriptum Tertulliano: *Nec ipse Apostolicus Hermogenes, in Regula perseveravit.* Hermogenianæ hæreseos nativitas in hunc annum conferri potest, quam scriptis perstrinxit suis Theophilus Antiochenus, qui imperante Marco floruit, librosque ad Autolycum scripsit, imperante Commodo Marci filio. In *Africa docuisse*, scribit Baronius, anno 170. n. 11. Qua de causa pœnas Pagio dedit, atque Valesio, cujus hæc verba sunt: Baronio *tamen assentiri non possum, in eo quod dicit, Hermogenem docuisse in Africa, quod nescio undenam hausit Baronius. Nam si ex eo quòd Tertullianus adversus illum scripsit, eum in Africa vixisse putandum est, pari jure eum esse Syrum credemus, eò quòd Theophilus Antiochenus in eum scripsit.* Immerenti tamen Baronio censura inuritur. Ea quippe de Hermogene, scripto prodit Tertullianus, quibus non iners conjectura duci potest, Hæreticum ipsi fuisse notissimum. Quæ de homine, qui longè procul ab Africa degebat, difficilius sciri possunt: *Hermogenis autem doctrina tam novella est, denique ad hodiernum homo in seculo, & natura quoque Hæreticus, etiam turbulentus: qui loquacitatem, facundiam existimet, & impudentiam constantiam deputet, & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicet. Prætereà pingit illicite, nubit assidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falsarius, & cauterio, & stilo, totus adulter & prædicationis & carnis . . . sed viderit persona, cum doctrina mihi quæstio est.* Cùm ergo persona, ars, actiones Hermogenis adeò notæ sint Tertulliano, probabilissimum est, Hermogenis domicilium ab illo Tertulliani non longè fuisse remotum; cum eorum, qui in locis dissitis degunt, vita moresque sint ignotiores. Sed haud conjecturis opus. Audiatur Augustinus: *Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt, qui Praxeas & Hermogenes eadem sentientes, in Africa fuisse dicuntur.* Præiverat Augustino Philastrius de Hæresibus c. 7. *Sabelliani posteà sunt appellati, qui & Patripassiani, & Praxiani a Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui & ita sentientes abjecti sunt ab Ecclesia Catholica.* Quos Augustini & Philastrii locos Valesii fugisse oculos, prodigio est. Hermogenes autem à *Christianis conversus, ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam & porticum, inde sumpsit à Stoicis, materiam cum Domino ponere, quæ ipsa semper fuerit.* Hermogeni socius erroris fuit Nigidius: *Nigidius nescio quis, & Hermogenes, & multi alii adhuc ambulant pervertentes vias Dei.* Album & in errorem delapsus est Hermogenes, docente in excerptis Theodoti Clemente Alex. p. 578. *In sole posuit tabernaculum suum. Quidam ajunt, Christum in sole corpus suum deposuisse, ut Hermogenes.* Quod etiam de Hermogene testantur Philastrius atque Theodoritus. De Hermogenis errore sic è Tertullianus c. 1. *Hermogenes Christum Dominum non videtur aliter cognoscere. Alium tamen facit, quem aliter cognoscit, imò totum quod Deus est aufert, nolens eum ex nihilo omnia fecisse.*

Vales. Annot. in Euseb. l. 4. c. 24.

ANNO DOM. 168.

Tertul. adverf. Hermog. cap. 1.

Aug. de Hær. c. 41.

Tertul. de Præscr. cap. 30.

ANNO U. C. 922. OLYMP. 237. PER. JUL. 4882. JUL. 214. DOM. 169. M. AURELII 8. & 9. *Sol.* 10. B. *Lun.* 18. *Indict.* 7. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 6. *P.* 3. *April.*

ANNO DOM. 169.

COSS. *Socius Priscus & P. Cælius Apollinaris.*

Res Germaniæ.

I. DUm Imperatores Aquileæ hyeme commorantes, exercitus suos colligunt, Marcus omnia ad bellum necessaria curabat, Verus autem convivia agitabat. Neque minimum ista profectio profuit. Nam plerique Reges, & cum populis suis se retraxerunt, & tumultus autores interemerunt. Quadi autem amisso Rege suo, non prius se confirmaturos eum, qui creatus, dicebant, quàm id placuisset Imperatoribus. Plerique etiam ad Legatos Imperatorum defectionis veniam postulabant. Et Lucius quidem, quòd amissus esset Præfectus Prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interiisset, redeundum esse censebat. Marcus autem fingere Barbaros existimans, & fugam, & cætera, quæ securitatem bellicam ostenderent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur, instan-

ANNO DOM. 169.

Capit. Marc. cap. 14. *Capit. Ver. c. 9.*

standum esse ducebat. Lucius ergo invitus profectus est, itaque transcensis Alpibus, longius processerunt, composueruntque omnia, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. In Pannoniam quoque protectionem instituerunt, quod non obscure indicat Capitolinus: *Composito autem bello, in Pannonia, urgente Lucio Aquileiam redirent.* Quò pertinet Nummus æreus, cujus meminit Pagius: *M. Antoninus Aug. Trib. Pot.* XXIII. Cernitur caput M. Aurelii laureatum, in postica, *Profectio Aug. Cos.* III. Repræsentatur Imperator equo insidens, habitu militari, tenens dextrâ lanceam, miles ante eum graditur, & tres alii eum subsequuntur.

De Germanis Victoria Romanorum.

II. Eodem tempore Germani, qui trans Rhenum incolunt, venere usque ad Italiam, attulereque Romanis gravissima incommoda. Quibus Marcus occurrit, Pompeiano atque Pertinace Legatis exercitus eis oppositis, quo in bello optimè se gessit Pertinax. Intereà cadavera Barbarorum, corpora mulierum armata reperta. Confecto maximo prælio, paratâque insigni victoriâ, Imperator cùm rogatus esset à militibus, pecuniam tamen non dedit, quòd diceret, Si quid plus quàm esset usitatum acciperent, id ex sanguine parentum exactum iri, *Principis enim solum Deum Judicem esse posse.* Labente anno, insignem hanc victoriam relatam esse, eliciunt eruditi, ex Nummo apud Mediobarbum. M. Antoninus Aug. Trib. Pot. XXIII. in Postica, Germanico Aug. Imp. VI. Cos. III. S. C. Duo captivi ad trophæum, alter stans, alter sedens repræsentatur. Cujus victoriæ nuntium, mortuo Vero Romam pervenit. Qua de causa non VI. sed solummodò V. Imperator, & in Nummis, & in Epitaphio nuncupatur.

Dio l. 71. 802.

Pag. Crit. an. 169. n. 4.

Pestis Marcum & Verum pellit Aquileiâ.

Galen. de libr. Propr. cap. 2.

III. Ubi ex Pannonia Aquileiam Augusti redierunt, statuerant ex hibernis expeditionem contra Germanos facere. Ex ea igitur urbe, literæ Galeno medico perferuntur ab Imperatoribus, quibus illum huc revocabant. Cum eò pervenisset, pestis quantum anteà nunquam grassari cœpit, unde Imperatores statim Romam cum paucis militibus fugere coacti. Quæ redeundi causa nonnihil diversa est ab Historia Capitolini. Capitolinus enim id datum vult precibus Lucii urgentis reditum, quòd urbanas voluptates desideraret: *Urgente Lucio Aquileiam redirent, quòd urbanas desiderabat voluptates, in urbem destinatum est.* Quam ex Palatino codice lectionem subjicit Salmasius, pro *destinatus est.* Galenus testis oculatus Capitolino est anteponendus. Fugiendæ ergo pesti, Aquilea relictâ, properato urbem repetiere, quæ vel nulla, vel exigua, occultaque pestilentia affligebatur.

Capit. Ver. cap. 9.

Mors Veri. Ejus anni.

IV. Posteaquam iter ingressi sunt Augusti, sedens cum fratre in vehiculo Lucius, subito morbo, quem apoplexin vocant, correptus, depositus è vehiculo, detracto sanguine, Altinum perductus, cùm triduo mutus vixisset, apud eam urbem periit. Multi Lucillæ uxori ejus mortem assignant, quòd Fabiæ nimium indulserat Verus, cujus pellicis potentiam uxor ferre non poterat. Tanta sanè familiaritas inter Lucium & Fabiam sororem fuit, ut hoc quoque usurpaverit rumor, quòd inierint consilium ad Marcum è vita tollendum. Obiit Decembri exeunte, teste Galeno: *Cæterùm Lucio, mediâ hyeme ad superos concedente, ubi cadaver Marcus Romam retulit, & quæ consueta sunt fieri peregit,* iter in *Germanos suscepit.* Græci autem hyemem à die XI. Novembris incipiunt. Imperavit ergo annos octo, menses totidem, dies circiter XXV. ducto scilicet imperio à morte Pii, qui Martii septimo excessit. Itaque erravit Capitolinus, qui scriptum reliquit: *Imperavit cum fratre annis undecim,* qui vetus error Victori, Eutropio, Cedreno, Petavio, aliisque communis est. Erravit etiam Capitolinus, dum de Vero tradit: *Vixit annis quadraginta duobus.* Neque vel sibi consentit. Verba hæc sunt ejus: *Post septimum annum in familiam Aureliam traductus, Marci moribus, & autoritate formatus est.* Adoptatus est anno CXXXVIII. Februarii XXV. Quòd si de completo septennio intelligendus est Capitolinus, eum Verus lucem aspexerit XVIII. *Calendas Januarias.* Vixit annos XXXIX. diesque septemdecim, à Decembri scilicet XIV. quo nonus & trigesimus completus annus fuit, ad usque Decembris ultimum currentis anni, quo fata implevisse sua creditur. Corrigendus ergo est eo modo Capitolinus: *Vixit annis* XL. quia de quadragesimo aliquid delibavit.

Capit. Marc. cap. 14. *Capit. Ver. cap. 10.* *Galen. de Præcog. cap. 10.*

Capit. Ver. cap. 11.

Capit. Ver. cap. 2.

Veri mores.

V. Antequam in Syriam proficisceretur Verus, graviter se ad Marci mores egit. Ubi verò in Orientem profectus est, non solùm licentiâ vitæ liberioris, sed etiam adulteriis, & juventutis amoribus infamatus est. Si quidem tantæ luxuriæ fuisse dicitur, ut etiam posteà quàm de Syria rediit, popinam domi instituerat, ad quam post convivium Marci divertebat, ministrantibus sibi omni genere turpium personarum. Fertur & nocte perpeti aleâ lusisse, cùm in Syria concepisset id vitium: atque in tantum vitiorum Cajanorum, & Neronianorum, ac Vitellianorum fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas, ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, & commessaretur cum *triconibus*, hoc est, nebulonibus, nulliusque rei hominibus, & committeret rixas, dissimulans quis esset, sæpè afflictum lividâ facie redisse. Jaciebat & nummos in popinas maximos, quibus calices frangeret. Gladiatorum etiam frequentius pugnas in convivio habuit, trahens cœnam in noctem, sed Marcus hæc omnia, quasi nesciens dissimulabat, pudore illo ne reprehenderet fratrem. Volucri equo prasino aureum simulachrum fecerat, quod secum portabat. Cui quidem passas uvas & nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat. Cui mortuo sepulchrum in Vaticano fecit: *In hujus equi gratiam primum cœperunt equis aurei, vel bravia postulari.* In tanto autem honore equus ille fuit, ut ei à populo prasinianorum, sæpè modius aureorum postularetur.

Capit. Ver. cap. 4.

Capit. Ver. cap. 6.

Polycarpus martyrio fungitur.

VI. Horribilis persecutionum procella Asiaticas hoc anno vexavit Ecclesias, quâ vir Apostolicus Polycarpus lucem amisit. Quàm de martyrio ejus constat eruditis, tam fatalis annus in disceptationem cadit. In annum Christi CLXVII. incidisse obitum Polycarpi, docent Baronius, Calvisius, Valesius, Moynius, aliique complures. Eruditissimo placuit Samueli Petito, in annum CLXXV. conferri mortem B. Martyri. In aliam descendit sententiam Pearsonius, qui anno CXLVII. hoc martyrium Polycarpi illigavit. Quas à vero procul opiniones abesse omnes nobis est persuasissimum. Itaque cum Usserio Polycarpum hoc anno extinctum fuisse existimamus. Quod ut planum fiat, criteria passionis Sancti Martyris, nostris

sunt

Anno Dom. 169.

sunt ponderibus examinanda. Tria autem cogitanti subeunt animum. Primum exhibet Proconsul ille, à quo morti missus est. Secundum decet obitus mensis atque dies: ultimum petitur, ex annositate defuncti.

Statiusne Quadratus Polycarpum igni tradidit?

VII. In Eusebio legimus: *Accedentem interrogavit Proconsul, Ipsene esset Polycarpus.* Nomen tamen Proconsulis non edidit, neque mensem quo Sanctus Episcopus morti addictus est. Utrumque tamen exhibet extrema pars Epistolæ, quam Usserius primùm, deinde Valesius in Annotationibus exhibuit: *Passus est autem B. Polycarpus die secundo, mensis Xanthici, ante diem septimum Calendas Maias, Sabbato magno, horâ octavâ. Captus est ab Herode, Pontifice Asiæ Philippo Tralliano, Statio Quadrato Proconsule, regnante in secula J. Christo.* Dicamus primùm de Proconsule. Annum Christi CXLII. L. Statius Quadratus aperuerat, collegâ Cuspio Rufino. In hoc Quadrato, Proconsulem quærit Valesius: *Is est ut opinor L. Statius Quadratus, qui Consul fuit, sub Principatu Antonini Pii. Ejusdem Proconsulis Asiæ, meminit Aristides, in prima & quarta Orationum sacrarum, ubi etiam suum Rhetorem vocat.* Ut autem Statii Quadrati Proconsulatum cum anno Christi CLXVII. conjungendum esse probet, observat paulò post pestem illam, quæ in Asia grassata est, Severum Proconsulem fuisse. Eusebium verò in Chronico pestem conferre in annum VIII. M. Aurelii. Proinde Severus anno M. Aurelii IX. Proconsul Asiæ fuit. Ante Severum proximo anno Proconsul fuerat Pollio, proximè verò *ante Pollionem Proconsul Asiæ fuerat Quadratus noster.* Verùm enimverò hæc non sat commodè divisa sunt temporibus suis. Incredibile enim est tandiu Proconsulatum Statii Quadrati fuisse dilatum, ut annis sex & viginti post gestum in urbe amplissimum Magistratum, Asiæ præficeretur. Neque Veterum in monumentis, exemplum reperiri ullum putamus tantæ dilationis, Consulatum inter atque Proconsulatum unius ejusdemque viri. Prætereà qui proximè Pollioni decessit Quadratus, anno non CLXVII. sed CLXIX. Asiam administrabat. Severus enim qui Phrygiâ ortus erat, anno CLXXI. Pollio anno proximo, Quadratus anno CLXIX. Asiæ præfectus est. Denique infirmum est quod ex peste petitur Valesii argumentum, cùm pestis annis compluribus grassata sit. Anno non modò Marci septimo, sed etiam octavo, præcipuè nono, qua de causa properatò Aquileiâ recedere coactus, nec non decimo. His permotus argumentis Pearsonius, de Statio Quadrato, qui anno CXLII. Consulem egerat, Valesio quidem assentitur, de tempore verò Proconsulatus totus repugnat: *Certè*, inquit, *ex ipsis Actis statuendum est, ipsum Statium Quadratum, & non alium, eo anno Asiæ Proconsulem fuisse, quo passus est Polycarpus . . . Statuendum igitur est, secundum ordinem fastorum, Statium Quadratum Consulatum gessisse, anno Dom. CXLII. Consules autem ex jure, ad quinquennium Proconsulatum sortiri sunt. Non immeritò igitur statuendum censeo, Statium Quadratum Proconsulatum Asiæ gessisse anno Dom. CXLVII.* At rationis hujus fundamenta nutant, cùm nullo constet indicio, Statium Quadratum anni CXLII. Consulem, vel vitam quinquennio post retinuisse, vel anno CXLVII. munere Proconsulis in Asia perfunctum fuisse. Quippe legum imperio, vel aliam sortiri Provinciam potuit, vel etiam post biennium trienniumve à Consulatu, Asiam suscipere. Quo casu Proconsulatus ejus anno CXLVII. affigi nequit. Illud verò palmarium, quòd Imperante Pio, objectus morti Polycarpus fuisset, quod Veterum consensioni atque autoritati repugnat, quæ imperante Marco, extremum diem Polycarpum confecisse credit. Ab uno Socrate si discesserimus, qui errante memoriâ scripsit: *Polycarpus martyrium passus sub Gordiano.* Vix autem in ea re decipi potuere. Scripta Sancti Martyris passio, palam ab omnibus legebatur, docente Eusebiano Chronico. Narratur etiam in historia, *cum gravissimi persecutionum motus Asiam concussissent* imperante Vero, *Polycarpus vitam martyrio terminavit.* Quòd si Pio rerum domino, ingens hæc persecutionis procella Ecclesiam vexasset, in cruentis utique regnis Antonini Pii imperium à Veteribus fuisset collocatum, quod tamen Christianis benignum fuisse prædicant. Neque horrendas strages in M. Aurelii tempora magis transtulissent, quàm vel Neronis in Vespasianum, vel Diocletiani in Constantium, Ecclesiæ persecutionem contulerunt. Quid his Hieronymo disertius? *Polycarpus regnante M. Antonino & L. Aurelio Commodo, quartâ post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente Proconsule, & universo Populo in amphitheatro adversus eum personante, igni traditus est.* Si ergo Statius Quadratus, qui anno CXLII. amplissimo Magistratu Romæ functus est, Asiæ Proconsulem egit anno CXLVII. Non ille quidem Statius Quadratus est, qui Polycarpum imperante, non Pio, sed Marco peremptum, affecit supplicio. De Clarissimi sententia Moynii dicere non opus est, cùm illam amplectatur, quæ *viri magna doctrina & judicii maximi, Henrici Valesii* fuit.

Pears. de Successi. disser. 2. c. 16. 286.

Socr. l. 5. cap. 22.

Euseb. l. 4. cap. 15.

Valef. Annot. pag. 63.

Quadratus Judex Polycarpi, neque Statius est, neque Numidius Quadratus.

VIII. Quis igitur Quadratus ille Proconsul, qui Polycarpum flammis comburendum tradidit? Hic animus est in dubio. Vellemus quidem Numidium esse Quadratum, qui anno CLXVII. Consulatum gesserat. Injecti sunt tamen nobis eo de Quadrato scrupuli, qui assensum cohibent. Nil nos quidem movet ratio, quâ Samuel Petitus Polycarpi martyrium ad annum usque CLXXV. distulit: quod nempe Titus Quadratus, qui Consulatum gessit anno CLXVII. *Non nisi post exactum a Consulatu quinquennium potuerit Proconsul Asiam obtinere, idque è veteri jure.* Est enim ea ratio falsissima. Annum Dom. XXXV. aperuit L. Vitellius, Auli, qui rerum potitus est, pater, qui circiter sesquianno post Syriæ Proconsulatum obtinuit, ut novimus ex Josepho: *Vitellius Marcello amico ad procurationem Judææ misso, Pilatum jussit Romam proficisci, responsurum apud Cæsarem ad objecta per Judæos crimina.* Annus erat Domini XXXVI. cùm Pilatus Romam non ingressus sit, nisi defuncto jam Tiberio, qui periit Martii XVI. anni XXXVII. Superiore igitur anno, Vitellius nobilem Syriæ Proconsulatum gerebat, post Consulatum saltem biennio. Alia sunt tamen argumenta, quæ assensus nostros sustinent. Primùm enim, Polycarpi in Actis, Quadratus non *Titus* quidem, sed *Statius* appellatur. Sic habet vetus versio Epistolæ, quam Philomelensibus scripsere Smyrnenses. Et in prænominis corruptione, extant adhùc veri vestigia, *ἀνθυπατεύοντος Στρατίου Κοδράτου*, *Statio Quadrato Proconsule.* In Chronico verò, quod vulgò dicitur

Petit. Var. Lect. l. 4. cap. 7.

Joseph. l. 18. c. 5. 624.

Anno Dom. 169.

tur Alexandrinum, habetur Τάτιος, *Tatius*. *Tatius* autem & Statius germanam indicant lectionem, quæ vocabula ad veram prænominis istius scriptionem ducunt. Quippe tam *Stratius*, quàm *Tatius*, à voce *Statius* deflunere. Quæ mutatio ex *Statio* potius, quàm ex *Tito* orta est, ut ex cognatione liquet, quam corruptum adhùc retinet cum germano vocabulum. Deinde moris erat, ut qui prius Consulatu perfuncti fuerunt, prius quoque Provinciis Consularibus præficerentur. Sic anno V. C. 775. Servio Maluginense Flamine Diali, ut Asiam forte haberet postulante, cùm annua Dialibus absentia & Provinciarum administratio non concederetur, *Sors Asia in eum, qui Consulatum Maluginensi proximus erat, conlata*. De Julio Agricola Tacitus p. 743. *Aderat jam annus, quo Proconsulatum Asiæ, & Africæ sortiretur*. Quin imò qui in Consulatu collegæ fuerant, eorum ordine prior ante alterum & Provinciam capiebat. Sic Apulei in Apologia Lollianus Avitus, qui cum Claudio Maximo Fastis nomen dederat, anno Dom. CXLIV. ipsi quoque decessit in Africæ Proconsulatu: *Jam propè exacto Proconsulatus sui munere, Lollianus Avitus te, Maxime, operiebatur*. De Didio Juliano Spartianus c. 1. *Fuit Consul cum Pertinace, & in Proconsulatu Africæ eidem successit*. Cùm ergo Pollionis Consulatus illum Titi Quadrati uno anno antecesserit, eo jure quoque ante T. Quadratum, Asiam sortiri debuit. Quo consequens est, Quadratum qui anno CLXIX. in Asia Proconsulem egit, cum Tito Quadrato anni CLXVII. Consule unum eundemque non esse. Secus Pollioni in ea Præfectura successisset Quadratus, non Quadrato Pollio, quod tamen contigisse ex Aristide tenemus. Quibus accuratè perpensis, Quadratus qui Polycarpum addixit ignibus, alter à Tito Quadrato Consule non videri non potest. Neque animos turbare debet, quòd Consulatu non perfunctus fuerit Quadratus ille, qui tristem in Polycarpum sententiam tulit. Quippe Provinciæ Consulares iis non raò committebantur, qui amplissimum in urbe Magistratum non obierant. Syriæ Præses Licinius Mucianus nomen fastis non dederat. Julium Bassum *Bythiniæ Proconsulem* fuisse didicimus ex Plinio. Novimus & Serenium Granium, Minutiumque Fundanum Proconsules, quorum mentio fit Adriani in Epistola, quam Justinus Martyr adjunxit Apologiæ suæ. Servibus quoque Paulus, *Asiæ Proconsul erat*, quo tempore Sagaris martyrio functus est. Quibus omnibus non contigit annum aperire. Cùm igitur viris, qui nullum Consulatum gesserant, crebrò mandatum sit imperium Proconsulare, nil est cur de Consulatu Quadrati, qui anno CLXIX. Asiam administravit, multum laboremus.

Tacit. an. l. 3. c. 25. 143.

Plin. l. 10. Ep. 64.

Euseb. l. 4. cap. 26.

De Sabbato magno, quo passus est Polycarpus.

Euseb. l. 4. cap. 15.

Scalig. Animad. pag. 222.

IX. Secundum anni, qui fatalis Polycarpo fuit, indicium extat Smyrnensium in Epistola: *Cùm jam hora adesset proficiscendi, asino Polycarpum imponentes, in civitatem deduxerunt, die magni Sabbati*. Quam temporis notam eruditorum quilibet opinioni accommodat suæ. Scaliger enim, qui anno CLXVII. Polycarpum periisse censet: *Locus*, inquit iste, *Chronici congruit anno Christi Dionysiano* CLXVII. *Cyclo Solis* VIII. *Lunæ* XVI. *Pascha ἀναςάσιμον* XXIII. *Martii. Proinde Σάββατον μέγα* XXII. *Martii*. Quo permotus & argumento Calvisius, eundem Polycarpo & annum, & diem fatalem

ascribit cum Scaligero. Non animum tamen advertebant viri doctissimi, Asianos Pascha *ἀναςάσιμον* diei Dominicæ non illigasse, ut plerisque Christianis moris erat, sed cum illu Judaico festivitatem perpetuo celebrasse Lunæ XIV. in quamcunque feriam incideret. Quo casu, magnum Scaligeri Sabbatum, Pascha *ἀναςάσιμον* Asianorum non antecessit, cùm in illam potius feriam inciderit. Novilunium Martii anno CLXVII. nono mensis hujus cohærebat, feriâ primâ, quia Epacta XXI. Igitur dies quartus & decimus Lunæ, qui proximè Æquinoctium vernum excipiebat, cum XXII. Martii copulabatur, qua feriâ Asiani more suo Pascha celebrarunt. Magnum verò Sabbatum non dicebatur illud, quod cum Paschatis festivitate conjunctum fuit, sed quod proximè celebrationi ejus antecedebat. Anno igitur CLXVII. Sabbatum magnum Smyrnensium, Martii decimo quinto affigebatur, quia Asianorum Pascha secundo & vigesimo celebratum est. Passus ergo Polycarpus fuisset, non XXII. sed potius XV. Martii, si magno anni CLXVII. Sabbato vitam cum morte commutasset. Prætereà Smyrnensibus Christianis negotiosum diem illum fuisse, qui mortem ipsorum Præsuli attulit, apertè liquet ex Epistola: *Cum verò tantus esset tumultus in stadio, ut pauci exaudire possent, vox quædam è cœlo delapsa ad Polycarpum stadium ingredientem, pervenit ejusmodi, Fortis esto, Polycarpe, & viriliter age. Et is quidem, qui hanc vocem ediderat, à nemine visus est. Ipsa verò vox à plerisque nostrorum exaudita est*. Quæ cùm ante meridiem contigerint, apparet Smyrnensem Ecclesiam tum temporis sacris non vacasse, quæ maximè coluissent, si in diem Polycarpi supremum, festum incidisset. Etenim quantâcunque benevolentiâ pastorem complecterentur suum, solemnia tamen pietatis sacrificia non deseruissent, ut Polycarpum in studium ingredientem, *plerique omnes* sequerentur. Atqui XXII. Martii, anno CLXVII. festivus Smyrnensi Ecclesiæ dies fuit, negotiosus non fuit. Non igitur eo temporis vitam Polycarpus reliquit. Eruditissimus ille Valesius, eundem utique cum Scaligero annum, sed alium diem dicat Polycarpi martyrio: *In Epistola Smyrnaeorum de martyrio Polycarpi scribendum est, πρὸ ἑπτὰ Καλανδῶν Μαρτίων, ut legit vetus interpres. . . . Certè eo die* XXIII. *Februarii, & Smyrnæi, & omnes Græci, memoriam S. Polycarpi semper celebrarunt, ut constat tum ex Actis Pionii Martyris, tum ex Meneis Græcorum. . . . Neque enim probabile est, Smyrnæos diem, quo passus est Polycarpus, ignorasse, aut natalem ejus alio die, quàm quo passus est celebrasse*. Correctionem hanc Valesianam impugnat Claris. Pearson: *Hoc*, inquit, *merum est maximi viri παρόραμα. Nam vetus versio, ex tribus veteribus Latinis MSS. à Bollando adornata habet* VII. *Cal. Maias, ut Græca. Eadem etiam versio ex Codicibus Salisburiensi & Cottoniano, ab Usserio edita, habet pariter* VII. *Cal. Maii. Nullibi autem in Græcis aut in Latinis Calendarum Martiarum mentio fit*. Insuper non æquum est Mænea, Actaque Pionii, Græcorum recentiorum, antiquæ Smyrnensium Epistolæ anteponere. Testatur verò aurea hæc Epistola, Polycarpum igni traditum fuisse *magni Sabbati die*. Quæ phrasis notissima omnibus, diem certum publicumque indicabat. Nunquam enim hanc locutionem adhibuissent Smyrnenses,

Anno Dom. 169.

Valef. Annot. 66.

Pearf. de Success. dissert. 2. c. 18. 296.

diei quo animam Dei reddiderat Polycarpus significando, ni inter Sabbata anni omnia unum eminuisset, quod *magni* foret appellatione dignum. Quodnam verò illud Sabbatum est, nisi quod proxime celebrationi Paschati antecedebat, & in quo mors Christi in sepulchro jacentis, solemni jejunio recolebatur? Hanc fuisse *magni Sabbati* significationem, exemplis mox docebitur. Quod si magnum Sabbatum illud est, quod Pascha attingit propius, qua de re dubitare nefas, impossibile est, quod contendit Valesius, die Februarii XXIII. Polycarpum mortem obiisse, cùm citimum Pascha incidat in XXII. Martii. Quibus accedat Valesium non attendisse, quod etiam atque etiam est observandum, anno scilicet CLXVII. diem Februarii tertium & vigesimum, *Sabbatum* non fuisse, nedum *magnum Sabbatum*. Litera Dominicalis E. nec non Epacta Solaris 3. juncta literæ Calendariæ D. quam certissime declarant, anno CLXVII. Februarii vigesimum tertium primæ feriæ cohæsisse, quo liquet, Acta Pionii, Mæneaque recentiorum Græcorum, verum diem passionis Polycarpi non exhibere, cùm *magnum Sabbatum*, quo Sanctus ille Martyr igni traditus, est nunquam in Februarium incurrat. Unde apparet atque extat, quid de Clariss. Moyni conjectura statuendum sit: *Existimarem mendum irrepsisse in Epistolam Smyrnensium, in qua aliquando scriptum fuerat* πρὸ Καλ. Μαρτ. *unde factum postea* ἑπτὰ Καλ. Μαρτ. *septimo Cal. Mart. Cum prius scriptum fuisset circa Cal. Mart. seu ipsis Cal. Martii, nimirum Sabbato magno*, שבת רבא. Non observavit tamen vir doctissimus, nullum exemplar, vel Græcum exhiberi, vel Latinum, quod habeat, *Septimo Calendas Martias*, proindeque admitti haud posse divinationem, quod πρὸ in ἑπτὰ Καλ. Μαρτ. degenerarit: cùm aliundè conjecturæ ejusmodi, quibus vis autoribus infertur, sint omninò respuendæ. Verum quidem est anno CLXVII. primum Martii diem fuisse Sabbatum, nunquam tamen probabitur, Christianos quibus Smyrnensis Ecclesia constabat, primo 18. Nisan Sabbato, magni Sabbati nomen imposuisse. Hoc unum cum Judæis fuit ipsis commune, quod celebrando Paschati ἀναςασιμῷ, cum constituebant diem, quem edendo agno suo Judæi olim observarant. Quem & Smyrnenses coluere morem non ceremoniarum Judaicarum amore, sed Joannis Apostoli reverentiâ, qui die quartadecimâ Christi resurrectionem celebraverat. Annus ergo Smyrnensi Ecclesiæ geminus non fuit, civilis, & sacer, qui mensium duodecim spatio gemina exhiberent Sabbata, quorum utrique appellatio שבת רבא *magni Sabbati* competeret. Quibus & illud accedat, Judæorum calculo primum novi anni Ecclesiastici Sabbatum, anno CLXVII. non Calendis Martii, sed mensis hujusce decimo quinto esse illigandum. Primus τῦ Nisan dies incepit cum Novilunio. Novilunium verò IX. Martii affigendum feriâ primâ. Quindecimus ergo Nisan, primum fuit hujus anni Sabbatum: quod facillimâ notâ deprehenditur. Quindecimus ille Nisan fuit, cui cohærebat plenilunium, quod æquinoctium vernum proximè sequebatur, ut suo loco ex Philone, nec non Josepho observavimus. Plenilunium, autem quod propius vernum excepit æquinoctium, anno CLXVII. dies est Martii tertius & vigesimus. Primus ergo Nisan incepit

Morin. Proleg. ad Var. Sacr. p. 36.

nono Martii, feriâ primâ. Quod verò traditur Bucherio p. 349. Veterem Synagogam, *ab octavo decimo Martii* citimum Paschalem suum terminum sanxisse, si de Synagoga, quæ ætate Christi vigebat, intelligatur, nobis sanè probari nequit. Quos enim Paschatis dies designavit Josephus, illi quidem respectum habent suum ad vernum Æquinoctium in vigesimo primo Martii collocatum, ut ad annum Christi XXXIII. compluribus exempla ostendimus. Neque Smyrnensis Ecclesia, anno Christi CLXIX. magnum Sabbatum suum XXVI. Martii illigasset, si ab mensis hujusce decimo octavo suum duxisset Æquinoctium.

X. Quid rei magnum esset Sabbatum, in quo morti addictus Polycarpus, nunc est constituendum. Eruditè autem more suo Pearsonius ostendit autoritate tam Judæorum, quàm Christianorum illud esse, quod Paschatis celebrationem præcedit. In libro Schulchan Aruk tractatu Orach Chaiim שבת שלפני הפסח קורים אותו שבת הגדול מפני הנס שנעשה בו *Sabbatum quod ante Pascha, vocant ipsum Sabbatum magnum propter miraculum, quod in eo factum est*. Qua de re multa leguntur scitu jucunda, Buxtorfii in Synagoga Jud. c. 17. 388. Idem quoque Christianis sonabat Sabbatum magnum. Titulus capitis non ut legitur in Pearsonio, XIX. sed XVIII. libri V. Constitutionum Apostolicarum, de pervigilio τῦ μεγάλυ Σαββάτυ. *Magni Sabbati, & de die resurrectionis*. In vita Chrysostomi Græcè edita p. 88. *Milites benè multi magno Sabbato Ecclesias ingressi sunt*. Addamus & nos sermonem VII. Amphilochii, dictum τῷ μεγάλῳ Σαββάτῳ, *Sepulchrale festum Servatoris nostri hodie frequentamus*. Extat etiam Germani Constantinopolitani Episcopi Oratio, habita *die magni Sabbati*. Neque mirum id nominis, huic Sabbato fuisse impositum, quod memoriæ sepulturæ Dominicæ recolendæ dicatum, longo ad galli usque cantum jejunio etiam nobilitabatur. Hinc autor Epistolæ ad Philippenses, Ignatio ascriptæ: *Quicunque*, inquit, *Dominicam aut Sabbatum jejunaverit, præter unum Sabbatum Pascha, ipse est Christi interfector*. Itaque quin Smyrnensium in Epistola, *magnum Sabbatum* illud designet, quod Pascha propius attingebat & celebrandæ Christi sepulturæ dicabatur, nulli dubitamus. Neque assentiri possumus Bucherio, qui Magnum Sabbatum dictum fuisse putat, *Quod in illud azymorum prima dies Judæis celeberrima incurreret*. Sapienter enim monuit Usserius, *Aliud apud Judæos fuisse diem magnum, aliud Sabbatum magnum*. Quinque dies illi festivi, primus nimirum et septimus azymorum, dies Pentecostes, primusque & octavus Tabernaculorum, ab Hebræis ימים טובים ab Hellenistis μεγάλας ἡμέρας dicebantur, quia sacris conventibus dicabantur, teste Joanne VII. 37. & XIX. 31. At Sabbatum magnum, uno quoque anno recurrebat unicum. Verba quidem Joannis, *Erat enim magnus dies ille Sabbati*, Bucherio non sunt præsidio, cùm in azymorum non primam, sed secundam inciderit, festo manipuli oblati insignem atque nobilem. Intereà hoc in memoriam revocandum, quòd Christianis, qui Pascha die Dominico celebrabant, Pascha, magnumque Sabbatum nullo unquam die interjecto separabantur. At Smyrnensi Ecclesiæ, quæ Pascha die XIV. agitabat suum, in quamcunque hebdomadis feriam incurreret,

mag-

Magnum Sabbatum illud est quod Paschati proximè antecedit.

Pears. de success. Dissert. 2. c. 18.

B. M. P. t. 5. 1071.

B. M. P. t. 20. 1254.

Bucher. de Pasch. Jud. Cycl. c. 8. p. 418.

Usser. An. Sol. c. 3. 36.

magnum Sabbatum, & Pascha ἀναστάσιμον, dierum aliquot interstitio quàm sæpissimè dividebantur, quis raro admodum feria septima hebdomadis in diem XIII. incidebat.

De die supremo Polycarpi.

XI. Constituto quid rei esset magnum Sabbatum, de die in quod incidit, nunc videamus. In Actis Polycarpi legitur: *Passus est Polycarpus, die secundo mensis Xanthici, ante diem septimum Calendas Maias.* Qui fatentibus omnibus locus in mendo cubat, cùm magnum Sabbatum nunquam tam serò illucescere potuerit, ut cum XXV. Aprilis concurreret. Benè est quòd Chronicum Alexandrinum, verum diem ab oblivione vindicavit: CXXIII. *anno post Christi in cælum profectionem, maximis in Asia in Christianos motis tumultibus, multi pro Christo occubuere. Quos inter Smyrnæ Pontifex Polycarpus... cùm ingentia religionis causâ passus esset VII. Cal. Aprilis in profesto Pascha ipso Sabbato, horâ octavâ, vivus igne concrematus est.* Longè quidem diei facilius, quàm anni, qui Polycarpo emortualis, memoria retineri potuit, ob agitatos à Smyrnensibus illo die conventus. De anno tamen Chronicum egregiè fallitur, sive anno CLXIII. Coss. quos exhibet, *Æliano & Pastore*, sive CLXIV. illigat obitum Polycarpi. Anno CLXIV. Novilunium Martii duodecimo affigebatur ex lege Epactæ XVIII. Vigesimo quinto igitur, Martii Lunæ quarto & decimo, feriâ septimâ, Smyrnenses Pascha celebrarunt. Non igitur illo die Sabbatum magnum, sed die octavâ & decimâ Martii. Anno autem CLXIII. novilunium cohærebat XXIII. Martii, quia Epacta VII. proindeque in quintum Aprilis Ecclesiæ Smyrnensis festivitas Paschalis incidit, feriâ secundâ, ob literam Dominicalem C. Magnum ergo Sabbatum Aprilis tertio. Vera tamen prædicasse censemus Chronicum, dum tradit VII. Cal. Apriles fuisse Sabbatum. Quippe anno Christi CLXIX. sextus & vigesimus Martii, septimæ feriæ cohærebat. Novilunium verò Martii die XVII. inceperat, jubente Epactâ XIII. Pascha ergo à Smyrnensibus agitatum die Martii trigesimo, feriâ quartâ. Proindeque magnum Sabbatum Martii XXVI. Sic Regulæ temporum atque Chronologiæ, nostræ de supremo anno Polycarpi sententiæ maximè favent. Pearsonius tamen insigne hoc indicium nobis eripere tentat, dum probat, & illud anno CXLVII. competivisse, quem ultimum Sancto fuisse Martyri putat. Neque inficiamur eo quoque anno magnum Smyrnensium Sabbatum in Martii XXVI. incidisse. Martii Novilunium, die vigesimo, feriâ primâ; Pascha Smyrnensium Aprilis secundo, feriâ septimâ; proximum ergo festivitati Sabbatum, Martii XXVI. Rectè. Probandum tamen Pearsonio fuit, imperante Antonino Pio, Polycarpum occubuisse martyrio, deceptosque esse Veteres, qui regnantibus Marco & Vero, illum flammis traditum fuisse prædicant. Ea quidem nobis inesse debet Antiquitatis reverentia, ut nisi gravibus de causis, ab ejus opinione discedamus, quæ nullæ sunt hoc in negotio; cùm omnia rectè quadrent ad mortem Polycarpi, in anno CLXIX. consignandam. Quibus accedat, quod ex Pearsonii Chronologia dicendum sit, anno ætatis suæ octuagesimo sexto periisse Polycarpum, quod nullo admittere modo sustinemus.

De 86. annis quibus

XII. Verba sunt Sancti Martyris ad Proconsulem: *Sex & octoginta continuos annos Christo ministravi, nec ullâ me unquam affecit injuriâ*, quæ non ad *vitæ*, ut Pearsonio creditum, sed ad *Ministerii* annos spectare existimamus. In posteriore enim eorum annorum parte, Ecclesiasticum ministerium significatur. Cùm igitur non diversæ ministerii species, sed unum ministerii genus, verbis S. Martyris includatur, ad functiones utique Ecclesiasticas necesse est hunc referri sermonem. Neque admittere in animum valemus, de infantulo rationis experte dici posse, quòd Christo cultum exhibeat. Præterea Ethnicæ superstitionis cibo & lacte, Polycarpum nutritum fuisse, apertè liquet, ex ejus ad Philippenses Epistola: *De vobis etenim gloriatur* Paulus *in omnibus Ecclesiis, quæ Deum sola tunc cognoverant, nos autem nondum cognoveramus.* Quo tempore, Polycarpus ignorantiæ tenebris immersus, Christo nil honoris exhibebat, quem injuriâ potius affecit, ea quam exercuit Idololatria. Denique si de vita Polycarpi, anni *octoginta sex* capiantur, natus ergo fuisset anno Dom. LXI. Ab eo quippe initio ad annum usque CXLVII. qui Pearsonio fuit Polycarpi supremus, LXXXXI. annorum spatium decurrit, quo casu à B. Joanne si discesserimus, Apostolorum auditor esse non potuit, quod tamen disertè testatur Irenæus: *Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibus cum familiariter vixerat, eum morem perpetuò observasset.* Ut familiariter uteretur Apostolis, & cum ipsis die mensis XIV. crebrò Pascha ageret Polycarpus, diu ante annum LXI. lucem aspicere debuit; cùm nonnisi post relictam, quam à puero imbiberat superstitionem, Eucharisticis epulis accumbere potuerit. Sunt ergo anni *octoginta sex*, quibus Servatori ministravit Polycarpus, de Ecclesiastico ministerio capiendi, quod & anno Dom. 84. probatum dedimus. Quantum ergo conjectura possumus assequi, periit Polycarpus anno Dionysiano CLXIX. mensis Martii, die sextâ & vigesimâ, Sosio Prisco & P. Cælio Apollinari Coss. Error itaque est, & Menologii Græcorum, quod Polycarpi martyrium Februarii XXIII. & Martyrologii Rom. quod Sancti Martyris passionem Januarii 26. illigavit, cùm his diebus, *magnum Sabbatum* nunquam incidat.

Polycarpus Christo ministravit.

Polyc. Epist.

Euseb. l. 5. c. 24.

XIII. De Actis martyrii Polycarpi Scaliger: *Quorum*, inquit, *lectione piorum animus ita afficitur, ut nunquam satur inde recedat.... Certè ego nihil unquam in historia Ecclesiastica vidi, à cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar.* Hoc & nos non semel fuimus experti. Unum est quod nos non satis capere profitemur: *Confectorem propius accedere, ensemque altè in corpus adigere jusserunt. Quo facto, tanta vi sanguinis effluxit, ut ignis prorsus extingueretur.* Tantumne sanguinis senili ex corpore, penè exangui, ætateque confecto manavit, è vulnere, ut pyra ardens & magna satis, penitus extincta sit? Cætera verò mirâ dulcedine alliciunt animos. Amicorum precibus persuasus Polycarpus, quem laniato à feris Germanico, plebs requiri flagitabat, in agellum haud procul à civitate secesserat. Illic cum paucis comitibus morabatur, diu noctuque orationibus intentus. Triduo antequam comprehenderetur, inter orandum, oblata est cœlitùs visio. Videbat enim cervical suum igne consumi.

Polycarpus comprehenditur.

Anno Dom. 169.

sumi. Et mox conversus ad comites suos, prophetico spiritu dixit, Vivum me cremari oportet: *Porro cùm instarent, qui illum sequebantur, migravit in aliam villam, statimque advenerunt illi qui ipsum indagabant. Et cum illum non reperissent, duos servulos comprehenderunt. Quorum alter tormentis subditus, latebram ejus indicavit … Et Irenarchus, qui & Cleronomus dicebatur, omni ope contendebat, ut ipsum ad stadium adduceret. Igitur Diogmita & equites, assumpto secum puero, egressi sunt ferià sextà, sub horam cœnæ, armis consuetis instructi. Et sub vesperam semel ingressi, ipsum quidem repererunt in quodam solario jacentem, unde in alium locum facilè migrare posset, id tamen præstare noluit, dicens, Fiat voluntas Domini. Cum ergo introisse illos cognovisset, descendit è cœnaculo, & collocutus est cum eis. Cùm autem admirarentur omnes ætatem illius, atque constantiam, quidam ex iis dicebant, Cur tantum adhibetur studium, ut hujusmodi senex capiatur? At ille confestim cibos cum potu apponi jussit, quantum iis voluissent, petitque ab eis horæ spatium, quo libere, & absque impedimento oraret.* Finitâ oratione, cum jam hora adesset proficiscendi, asino eum imponentes, in civitatem deduxerunt die magni Sabbati. Pergenti, fortè fortunâ occurrit ei *Herodes* Irenarcha, & Pater ejus *Nicetes*. Qui cùm vehiculo suo eum accepissent, Quidnam mali, inquiunt, dicere hæc verba: *Domine Cæsar, & sacrificare atque ita incolumem evadere.* Quibus obstantibus, *Nunquam, ait, id faciam quod suadetis.* Tum convitia in eum jacientes, è curru deponunt tanto cum impetu, ut è vehiculo descendens, tibiam læderet. Alacri tamen animo properans, pergebat ad stadium. Quod ingressus, vox è cœlo delapsa ad eum pervenit, *Fortis esto, Polycarpe, & viriliter age.*

Polycarpus igni traditur.

XIV. Instanti Proconsuli, ad cujus tribunal adductus fuerat, ut convicia diceret adversus Christum, respondit: *Sex & octoginta continuos annos ei ministravi, nec ullâ me unquam affecit injuriâ, & quomodo possum impie loqui adversus Regem meum, autoremque salutis meæ.* Multis ultrò citròque habitis sermonibus, cùm minis expugnare suis Polycarpi constantiam Proconsul non posset, Præconem misit, qui in medio stadio pronuntiaret: *Polycarpus se Christianum professus est*, quo audito, statim multitudo Gentilium, & Judæorum, qui Smyrnam incolebant, incredibili furore acclamavit: *Hic est Doctor Asiæ, & Pater Christianorum, eversor Numinum nostrorum*, rogabantque Philippum Asiarcham, ut leonem adversus Polycarpum emitteret. At ille negavit id sibi licere, quippe qui amphitheatrale spectaculum jam edidisset. Quo audito omnes clamaverunt, ut Polycarpus vivus combureretur. Tum omnibus, Judæis præcipuè, operam conferentibus, ad ligna ex officinis comportanda rogus extruitur: ac subinde Polycarpus vestes omnes calceosque deposuit. Omissis clavis, quos deprecatus fuerat, vinculis duntaxat eum astrinxerunt. Ad palum revinctus, hanc fundit orationem: *Pater unigeniti, & benedicti filii tui J. C. Deus Angelorum, & Potestatum, & omnis rei conditæ, cunctorumque justorum, qui vivunt in conspectu tuo, benedico te, qui me in hunc diem, & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio Martyrum, & in calice Christi tui in resurrectionem vitæ æternæ, animæ simul & corporis, in incorruptione Spiritus Sancti. Inter quos, quæso, suscipiar hodie in conspectu tuo, tanquam hostia pinguis, & accepta, quemadmodum præparasti, adimplens quæ præmonstrasti, verax Deus. Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per sempiternum Pontificem J. Christum unigenitum filium tuum, per quem tibi una cum ipso, in Spiritu Sancto, gloria nunc & in secula seculorum. Amen.* Cùm amen insonuisset, rogus à ministris accenditur. Tum mirum dictu, ignis fornicis speciem præbens, circum corpus Martyris stetit, odoremque gratissimum qui aderant Christiani naribus carpebant. Jusserunt ergo impii, confectorem propius accedere, ensemque in corpus adigere, quo anima Martyris corpore pelleretur, quod & factum est. Centurio verò corpus in medio collocatum, ut moris est Romanis, concremavit.

Anno Dom. 169.

Memoriæ Polycarpi honores exhibiti.

XV. Polycarpi in oratione egregium inest priscæ Apostolicæque fidei monumentum. Cernitur & Christi tum divinitas, absque qua filius Dei *unigenitus* esse nequit; tum munus *sacerdotale*, quod ad sacrificium necessarium respectum habet; & gloriosissima Trinitas, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, quos adorat, quibus & demisso supplicat animo; & objectum invocandum, unus & solus Deus. Non Angelos, non cœlites, non B. virginem precibus adit Sanctus ille Martyr, quod utique fecisset, si invocatio ejusmodi ab Apostolis aut usurpata fuisset, aut instituta. Quandonam Cælitum, matrisque Domini favor, votis & precibus exposci debuit, nisi cùm mors imminet, *atrisque circumvolat alis?* Incognita igitur ætate Polycarpi Cælitum invocatio, quæ deinceps opplevit Ecclesiam. Quin etiam ex facto Smyrnensis Ecclesiæ discimus, quid honoris sit habendum & Martyribus, & Sanctorum reliquiis? Ethnicorum nonnulli *Suggesserunt Nicetæ Herodis patri, ut Proconsulem adiret, moneretque, ne cadaver Polycarpi donaret, ne fortè, ut ajebant, relicto crucifixo, hunc deinceps Christiani colere inciperent. Et isti quidem hæc dicebant, suggerentibus atque instantibus Judæis, qui etiam nostros sollicite observaverant, cum è rogo corpus auferre tentarent.* Quid ad hæc Polycarpi discipuli? *Stulti*, inquiunt, *qui ignorarent, nos nec Christum unquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulerit, nec alium quemquam colere. Illum enim, utpote Dei Filium, adoramus: Martyres verò tanquam discipulos & imitatores Domini, merito amore prosequimur ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem, ac Magistrum suum declararunt.* Non ergo Martyres religionis honore afficiebant, ob munus dignitatemque Præfectorum, qui Ecclesiam administrant & regunt, quæ vera hodie causa est, cur religiosus Sanctis honos exhibeatur, qui certis & locis, & morbis præesse prædicantur. De sacris verò Polycarpi exuviis hoc addunt Smyrnenses: *Atque ita nos demum ossa illius, gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora, colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco, nobis si fieri poterit, convenientibus concedet Deus, natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.*

Eusib. l. 4. c. 15.

Non Martyris Doctorisque sui reliquias auro includunt, collo appendendas; non sacræ mensæ, in qua celebrabatur Eucharistia, substernunt;

nunt, non circumferunt in Ecclesia, non adorandas exponunt; sed sepulchro decenter condunt, quo tempore pretiosiores erant, ut pote divino odore perfusæ, ac charitate Christi magis, quàm flammis Ethnicorum calentes. Quo exemplo monemur, quid Sanctorum exuviis sit honoris exhibendum. Corpora ossaque sunt tumulo reddenda. Ex facto Smyrnensium id manavit consuetudinis, ut Martyrum *natalitia* celebrarentur: Neque exemplum moris ejusmodi antiquius ullum reperiri posse existimamus. Quæ consuetudo posteà multum invaluit. De Natalitus ejusmodi capiendus Tertullianus, in Corona Militis c. 31. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus.* De Celerina, Laurentio, Ignatioque Martyribus, Cyprianus: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversariâ commemoratione celebramus.* Neque Smyrnensibus modò, sed toti etiam orbi Christiano Polycarpus venerationi fuit. Itaque cùm Romanæ Presbyter Ecclesiæ Florinus, in hæresim Valentini incidisset, erranti Polycarpum objicit Irenæus: *In conspectu Dei affirmare possum, beatum illum & Apostolicum Presbyterum, si quid ejusmodi unquam audivisset, exclamaturum continuò, & obturatis auribus suis, dicturum fuisse, prout ipsi moris erat, Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem. Atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans, seu sedens, ejusmodi sermones audivisset.* Quin etiam Sancti Martyris memoriam adeò recolebat Irenæus, ut hæc scripto mandarit: *Locum ipsum possum dicere, in quo B. Polycarpus sedens disserebat, processus quoque ejus, & ingressus, vitæque totius formam & corporis speciem, sermones denique, quos ad populum habebat. . . . Hæc ego divinâ mihi largiente clementiâ, tunc studiosius audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens.* Natalem quoque Polycarpi diem, in Gallia solemniter celebratum esse ex Gregorio Tur. scimus atque tenemus: *Dies passionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagensi vico civitatis Arvernæ, ejus solemnia celebrabantur. Lectâ igitur passione, cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificandum advenit.*

Cypr. Epist. 34.

Euseb. l. 5. c. 20.

Greg. Mirac. l. 1. c. 86.

Quando & à quo scripta Smyrnensium Epistola?

XVI. De Smyrnensium Epistola, ex qua gloriosum Polycarpi certamen didicimus, hæc sunt animo recondenda. 1°. Non continuò post Polycarpi martyrium, sed aliquantò pòst tempore à Smyrnæis scriptam fuisse. Cùm enim Philomelienses, de Polycarpi martyrio, famâ tantum ac rumore tenus audivissent, literas dederunt ad Smyrnæorum Ecclesiam, rogantes ut cuncta quæ in beatissimi viri passione gesta fuerant, sigillatim perscripta ad se mitterentur. Quod libentissimè præstiterunt Smyrnæi, scriptâ ad ipsos Epistolâ, quam in manibus habemus. 2°. Finem Epistolæ ab Eusebio omissum, in editione Usseriana, Valesianaque exhiberi: *Ac vos quidem petieratis, ut cuncta, quæ gesta sunt, fusim exponeremus. Nos verò in præsentiarum, brevi compendio indicavimus per fratrem nostrum Marcum. Quæ vos posteà quàm acceperitis, rogamus vos, ut ad fratres ulteriùs positos Epistolam transmittatis, quo & illi Dominum benedicant, qui ex suis famulis, quoscunque vult eligit.* Perlata ergo à Marco Epistola, quam Evarestes scripto exaravit: *Universi qui nobiscum sunt, vos salutant, & Evarestus hujus Epistolæ Scriptor, cum omni domo sua.* Evaresti *nomen adscripserunt Smyrnæi, exemplo Pauli, qui in suis ad Romanos literis, tertii quoque literarum Scriptoris nomen apposuit*, observante Valesio Annotationum in Eusebium p. 66. 3°. Ea ad Epistolæ calcem addita esse: *Hæc ex libro Irenæi, discipuli B. Polycarpi, descripsit Cajus, qui etiam versatus est cum Irenæo. Ego vero Socrates, Corinthi transcripsi ex Caii exemplari. Gratia sit cum omnibus. Post hæc ego Pionius, ex supradicto descripsi, cùm exemplaria diu quæsivissem, & Polycarpus per visionem ea mihi revelasset, ut inferius declarabo. Cum autem vetustate ac longinquitate temporis prope corrupta essent, collegi ea, ut me quoque cum electis suis colligat Dominus noster J. Christus, cui cum Patre & S. Spiritu gloria in secula seculorum amen.* Quis iste Pionius nescimus. Non quidem insignis ille Martyr, cujus meminit Eusebius. Vixit enim ævo Polycarpi, & in eadem persecutione extinctus est. At Pionius, cujus verba extant ad calcem Epistolæ Smyrnensium, diu post Irenæum floruit, eo tempore quo sive Socratis, sive Caii exemplaria *vetustate penè deleta*. Quin etiam, quam à Polycarpo sese habuisse revelationem Pionius prædicat, novitatis est argumentum. Non improbabile illum esse Pionium, qui scripsit vitam Polycarpi, quam Joannes Bolandus edidit in Actis Sanctorum, tomo 2. Januarii: Narrat *missum à Deo esse Angelum mulieri Calisto nomine, Surgo*, inquit, *& abi ad portam, quæ Ephesiaca dicitur, cumque paululum progressa fueris, occurrent tibi venient viri duo, secum puerulum ducentes, quære num venalis sit, iisque annuentibus, da quod postulaverint pretium*, &c. Nos fabulis ejusmodi non credimus, quas libenter ex historia nostra pellimus. De scriptis Pionii, hæc est Christiani Lupi censura: *S. Polycarpi per Pionium, quem aliqui existimant antiquum Martyrem, scripta Acta, affirmantia ipsum S. Bucolo successisse, probare non possim ob varia. Primò quòd dicant Polycarpum non à S. Joanne Apostolo fuisse consecratum Episcopum, sed a Provincialibus Collegis. 2°. Quod dicant S. Polycarpum fuisse Archi-præsulem. Istud enim vocabulum est multo recentius.*

Lup. Schol. in Tertul. c. 32. 518.

Scripta Polycarpi.

Iren. l. 3. c. 3.

XVII. Extat Polycarpi Epistola, de qua Irenæus: *Est etiam Epistola Polycarpi ad Philippenses scripta accuratissimè, ex qua expressam fidei illius notam & veritatis prædicationem, his quibus libitum sit, quique suæ salutis rationem ducunt, possunt manifestò perspicere.* Tanti sanè pretii fuit Epistola, ut palam in Ecclesiis legeretur, docente Hieronymo: *Scripsit ad Philippenses valde utilem Epistolam, quæ usque hodie in conventu Asiæ legitur.* Quæ versatur in manibus, eam Polycarpo vindicavimus, anno Dom. cx. Victor Episcopus Capuæ fragmenta quinque exhibet, *Ex responsione Capitulorum S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi discipuli Joannis Evangelistæ*, quæ leguntur in Max. Bibliot. Patrum. Meminit & Suidas Polycarpi, *ad Dionysium Areopagitam, & ad alias Ecclesias*, Epistolarum. Maximus etiam in suis ad Dionysium Commentariis, mentionem facit *Epistolæ Polycarpi ad Athenienses.* Ex Irenæo quidem liquet, plures S. Martyris fuisse Epistolas: *Sed & ex Epistolis illius, id liquidò comprobare potest, quas ille partim ad vicinas Ecclesias, ut eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus misit.* Quæ num ad eas, quarum meminere Maximus atque Suidas, quadrent, meritò in dubium revocari potest. Vix fidem impetrat, quod

Euseb. l. 5. c. 20.

Anno Dom. 169.

quòd Dionysium, & Areopagitam, & Pauli discipulum, silentio prætermiserit Irenæus, si ad eum Polycarpus scripsit. Quæ verò in manus Maximi Suidæve nomine Polycarpi Epistolæ venerunt, cùm Veterum testimonio non ornentur, non putamus esse Polycarpi.

Germanici aliorumque martyrium.

XVIII. In Asiæ persecutione non unus mortem invenit Polycarpus. Periit & Germanicus, qui Smyrnensium Episcopo, ad nobilem pro fide pugnam, viam stravit: *Obstupescebant omnes qui aderant, cùm illos viderent partim flagris ad intimas usque venas & arterias laniatos, adeò ut corporis membra, penitùs recondita, & viscera ipsa conspectui paterent. Partim conchaeum, quæ buccinæ dicuntur, testis & præacutis quibusdam spiculis, humi constratis, superpositos, & omni suppliciorum ac tormentorum genere excruciatos, bestiis denique ut ab iisdem laniarentur objectos. Præcipuè verò enituisse dicunt generosissimum Germanicum, qui divinâ adjutus gratiâ, mortis metum, corpori à natura insitum superavit. Nam cùm Proconsul verbis eum flectere vellet, admonensque illum ætatis, oraret ut memor adolescentiæ suæ, sibi ipse parceret, ille nihil cunctatus, ultrò in se attraxisse bestiam dicitur, propemodum eam adigens ac stimulans, quo ab hoc impio seculo velocius abscederet.* Hæc paucis ante diebus, quàm Polycarpus igni traderetur. Polycarpus verò *cum aliis duodecim Philadelphensibus*, apud Smyrnam martyrio est coronatus. Neque Hæreticis, qui sibi Christianorum nomen asciscebant, magis parcitum. *Metrodorus* enim qui Marcionis sectæ Presbyter dicebatur, flammis consumptus interiit. At *Quintus* quidam, natione Phryx, temeritate ductus, unà cum aliquot aliis ad tribunal prosilierat. Sed continuò captus, cùm feras, & quæ præterea intentabantur, tormenta vidisset, fracto animo expavit, tandemque vitæ retinendæ studio cessit.

Euseb. h. l. 4. c. 15.

Carpi, Papuli, Agathonicæ Martyrium.

Euseb. l. 4. c. 15.

Niceph. l. 3. c. 36.

XIX. Suos & Martyres Pergamus suppeditavit: *Carpum, Papulum, Agathonicem, qui post multas atque illustres fidei nostræ confessiones, gloriosò exitu consummati sunt.* Nicephoro Carpus scribitur *Pergami Episcopus*, Papulus verò *Diaconus* audit. Martyrologium verò Romanum Thyatirensi Ecclesiæ Carpum Episcopum imposuit. Ecclesiasticâ tamen dignitate à recentioribus ornati videntur, quo insignius esset martyrium. Quos utique si gessissent titulos, Eusebius non prætermisisset. Imperante Pio, Carpum & Agathonicem cruentá morte stratos esse, tradit Baronius, anno 154. *n.* 3. Qui à nostris Martyribus non videntur esse diversi. In versione Rufini, *Papulus* Papirii nomen accepit, quo clarus est in Martyrologiis Latinis, in quibus Natalitia Carpi, Papyrii & Agathonices, Aprilis die XIII. celebrantur. Quin etiam Romano legitur in Martyrologio Papyrii: *Sororem fuisse Agathonicem, optimam fœminam.*

Pionius igni traditur. Presbyterne fuerit?

Euseb. l. 4. c. 15.

XX. Claruit & hic annus ob præclarum certamen Pionii gloriâ. De quo Martyre, Eusebius: *Celeberrimus quoque inter cæliquos ejus temporis Martyres fuit Pionius. Cujus singulas confessiones, ac libertatem in dicendo, atque coram Populis ac Præsidibus, pro fidei nostræ defensione, peroraverit, conciones item de institutione fidei, præterea cohortationes atque invitationes ad eos qui persecutionis tempore lapsi fuerant, allocutiones etiam & consolationes, quas in carcere positus, adeuntibus ipsum fratribus adhibuit, quæ super his tormenta, quantosque dolores sustinuerit, clavorum injuper confixione, & mirabilem in medio rogo constantiam, mortem denique ipsam, quæ cuncta illa miracula subsecuta est, si qui volent cognoscere, eos ad Epistolam de illius martyrio scriptam, amandamus.* Presbyterum fuisse Pionium, Romanum testatur Martyrologium. Quem tamen *Pionio* titulum non indidit Eusebius, cui res S. Martyris benè nota. Chronicum Alexandrinum: *Pionius*, inquit, *cum aliis haud paucis, Christi causâ occubuit. Vir erat eruditus, & Christianarum disciplinarum sanctiore cognitione probè imbutus.* Quæ & in Laicum non raro cadunt, teste Justino Martyre, Apollonio, qui è numero fidelium in humanioribus literis & in Philosophia eximius, elegantissimam pro defensione fidei orationem habuit, Minutio Felice, aliis. Nicephorus, qui ex *Carpo* Episcopum, ex Papulo Diaconum nobis fabricat, Pionium titulo Presbyteri non induit. Calendis Februarii periisse Pionium, legitur Latinorum in Martyrologiis. Græci verò excessisse tradunt XI. Martii. Nos verò, qui eodem anni circuitu, & Polycarpum, & Pionium, mortalitatem exuisse censemus, Græcorum Menæis, Latinorumque Martyrologiis nostrum non possumus addere calculum, diem tamen S. Martyris ultimum ignoramus.

Anno Dom. 169.

Perieritne Pionius imperante Decio?

XXI. De Pionii martyrio pax est, at tempus, quo Sancta cecidit Christi victima, venit in certamen, Baronius enim, Valesius, Pagius, Usserius, Spanhemius non *Marco* quidem, sed *Decio* imperante, Pionium morte mactatum esse statuunt. Quæ annorum 82. est differentia. Imo nullam Eusebio excusationem parari posse censet Valesius: *In eo verò quod Pionium, Metrodorum, Carpum, & cæliquos passos esse existimat Principatu M. Antonini, iisdem temporibus, quibus passus est Polycarpus, nemo illum excusare unquam potest.* Hinc argumenta ducit, probando diei Polycarpi supremo: *Quare cùm paulò ante Pionii martyrium, Principatu Decii Augusti, constet Smyrnæos Natalem B. Polycarpi celebrasse VII. Calend. Martias, nefas jam esse existimo, de die passionis ejus amplius dubitare.* Nos magis sumus Chronologiæ Scaligeri, quam etiam Petavius Pearsoniusque amplectuntur, nempe Pionium & Polycarpum, eodem anno mortem obiisse, etsi de anno inter se discrepent. Nostra verò Chronologia testimonio innititur Eusebii, qui & in Chronico, & in historia, Polycarpi martyrium atque Pionii, uni eidemque anno alligavit. Deceptum verò Eusebium, fidem non habet, cùm passionem Pionii manu triverit, & de ea quoque scripserit. Assentitur & Eusebio Hieronymi Chronicum: *Persecutione ortâ in Asia, Polycarpus & Pionius fecere martyrium: quorum scripta quoque passiones feruntur.* Cùm ergo Acta Pionii quàm diligentissimè evolverit Eusebius, qui ea etiam inseruit Operi, quod de priscis Martyribus edidit, legeritque Hieronymum, & in Actis multa temporis extarent vestigia, quo fortissimus ille Martyr occubuit: v. g. & Proconsulis nomen, qui mortem imperaverat Pionio, & regnum Augustorum, aliaque ejusmodi, sitne verosimile tam turpiter hallucinatos esse Eusebium atque Hieronymum, ut Marci Imperio assignarint Pionii martyrium, si post annos amplius octuaginta, furente Decio, contigit? Equidem cùm Proconsul ille, qui dum Decius rerum potiebatur, ad ignem Pionium damnasse dicitur, *Procli* nomen

Valef. Annot. in Euseb. p. 66.

nomen

ANNO DOM. 169.

men gesserit, Eusebius ignorare non potuisset, non eidem anno contigisse, & Pionii & Polycarpi martyrium. *Quadratus* enim, non *Proclus* Polycarpum damnaverat. Præbeamus aures Eusebio: *Alia martyria sub idem tempus, quo Polycarpus passus est, apud Smyrnam facta, in eadem Epistola conjunctim leguntur.* Metrodori scilicet Marcionitæ, & *Pionii*, inter *ejus temporis* Martyres celeberrimi. Nec mirum nomina hæc legi Smyrnensium in Epistola, utpote quæ non mox à passione Polycarpi scripta sit, sed post aliquantum temporis, ut Philomeliensium de celeberrimi Polycarpo quærentium desiderio satisfieret. Quid disertius Pionii aliorumque martyria *in eadem Epistola* conjunctim reperiri? Atqui scripta est imperante non *Decio*, sed *Marco*, neque Prophetas agebant Smyrnenses, ut sua in Epistola nondum natos homines Martyribus ascriberent. Exarata igitur est, Pione jam defuncto. Eusebio assentiuntur Latinorum Martyrologia, nec non Nicephorus, qui imperante *Marco*, Pionem oblatum esse morti scribunt. Unum est quod respondeatur, quod & in mentem venit Baronio; nimirum *In eodem libello Smyrnensis Ecclesiæ, plures diversis temporibus passos Martyres, scriptos esse.* Quæri tamen potest, quâ divinatione permotus ea proferat? Viditne Smyrnæorum exemplar, ut tam fidenter ea scisceret? Illud etiam repugnat Eusebio. Etenim liber ille, quo complurium Martyrum, diversis Cæsaribus rerum Dominis morti missorum, nomina continebantur, Catalogus Calendariumve Smyrnensium fuisset, Epistola non fuisset. Disertè verò testatur Eusebius, *Smyrnensium* fuisse Epistolam. Denique quamvis figmentum adversariis suum concederetur, in eo quidem libello extitissent indicia atque vestigia, quibus tempus emortuale passorum sub Decio Martyrum, ab ætate Polycarpi annorum 82. spatio divisum accuratè secerneretur: proindeque in tam fœdum prochronismum labi non potuisset Eusebius. Scilicet Eusebius qui Smyrnæorum libellum vidit, & trivit, deceptus est, Metaphrastes novus autor, Pionii Acta rectius veriusque repræsentavit? Sed & Fasti Idatii, Pionii martyrium Marco imperante contigisse tradunt, quod cum anno CLXI. copulant. Sub hujus anni Coss. quos perperàm Antoninum V. & Aurelium Cæsarem vocant, hæc habent: *His Coss. ortâ persecutione passi sunt, Polycarpus & Pionius.*

Baron. An. 169. n. 23.

Pionius obiit non Decio, sed Marco regnante.

XXIII. Actis Eusebium esse anteponendum, doceamus argumentis. Pionis mortem, anno Christi CCLI. contigisse, Deciis Coss. Chronicum tradit Alexandrinum: *Proclo Asiæ Proconsule* IV. *Idus Martias; hoc est, Asiaticorum calculo, sexto mense Sabbati horâ decimâ, cursum confecit.* Atqui falsissimum est, quartum Idus Martias in Sabbatum incidisse. Litera Dominicalis erat E. Cyclus Solis VIII. Epacta solaris 3. litera Calendaria D. quibus certissimis temporum notis apertè liquet, Martii duodecimum diei Mercurii esse affigendum. Præterea Acta Pionii Menæaque Græcorum, de supremo Polycarpi die, testes dicit Valesius: *Vigesimâ tertiâ Februarii, & Smyrnæi, & omnes Græci, memoriam S. Polycarpi semper celebrarunt, ut constat tum ex Actis Pionii, tum ex Menæis Græcorum.* His innititur Valesius: Pionius *comprehensus* XXIII. *mensis Februarii die, cùm Sabbatum magnum instaret, natali scilicet B. Martyris Polycarpi, vigente Decii Imperatoris persecutione.* Jam verò Chronologia hæc eruditissimo est indigna Valesio. Cum *Sabbatum magnum* nunquam in Februarium incidit, neque anno Christi CCLI. quo captus dicitur Pionius, *tertius & vigesimus* Februarii Sabbato cohærebat. Feria prima fuit, teste tùm literâ Domicali E, cum Epactâ Solari 3. literâque Calendariâ D. Legitur in Actis Ruinarti: Anno CCL. *Secundo die mensis, qui dies est quarto Idus Martias, die Sabbati majore, natale Polycarpi Martyris celebrantes, Genuinum, Pionium, &c. vis persecutionis invenit.* Quæ Chronologia est & absurdissima. Cyclus Solis erat VII. F. Epacta Sol. 2. proindeque Martii XII. non in *Sabbatum*, sed in *Martis* diem incidit. Præterea Pascha celebratum est Aprilis VII. Magnum igitur Sabbatum XXX. Martii est affigendum. Hæccine sunt Acta illa sincera, ex quibus fides Eusebio detrahi debeat? Observat Pearsonius, Græcorum in Menæis, ea legi de Polycarpo: *Polycarpus in persecutione Deciana comprehensus, ad Proconsulem ductus est, & igne agonem consummavit.* Quid igitur miri, Pionii martyrium, eidem & regno ascribi? Imò hîc non alligari à Menæis non potuit, cùm eodem & imperio, & Consulatu perierint Polycarpus atque Pionius. Non dissimulare tamen valemus Clarissimi Pearsonii παρόραμα: *Nemo*, inquit, *unquam dixit, eos sub diversis Imperatoribus passos esse.* Non advertit tamen animum Chronico Alexandrino, disertè dicenti quod à nemine dictum, scribit Pearsonius, In eo Chronico, passus Polycarpus imperante Marco, mortuus Pionius regnante Decio. Ex his luce clarius est, Pionii Acta non esse sincera, quod & fatetur Usserius capite tertio, de Asianorum anno Solari *p.* 39. Quocircà mirari subit, ex Actis ejusmodi, Eusebianam impugnari Chronologiam. In ea sumus sententia, Acta hæc ab illis multum esse diversa, quæ manibus suis triverat Eusebius. Etenim si Proconsuli, qui Pionium damnavit, *Proclo Quintiliano* nomen fuisset, ut Acta habent, nunquam sanè potuisset Eusebius, nunquam Hieronymus, unum eundemque annum assignare, Polycarpi Pioniique martyrio. Aliud ergo Proconsuli nomen fuit in passione Pionii, quàm legerat Eusebius. Quin etiam quæ Acta prædicant, Pionium *sumptis tribus catenis, colloque suo, & Sabina & Asclepiadis, injectis domi expectasse*, novitatem redolent. Suus ut Actis Pionii servetur honos, dicere satius esset, duos fuisse Pionios, alterum M. Aurelio, alterum Decio imperante necatum.

Vales. Annot. in Euseb. p. 66.

Pearf. de Success. Diss. 2. c. 19. 305.

P. 303.

Cajani Hæretici.

XXIV. Ex Valentinianorum Schola teterrima prodiit Cajanorum Hæresis, quos *Cainos* perperàm appellat Augustinus, repugnantibus Tertulliano, atque Epiphanio, etsi Augustini vocem usurpet etiam Theodoritus. Hanc suam hæresim à Caino cognominarunt, quem & prædicabant, & parentem suum appellabant. Caiani, inquit Tertullianus, *magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum, & ideò inferiorem repertum.* Dum in execrandis voluptatibus immergebantur, in hunc modum præfari solebant: *O Angelus N. tuum opus exerceo. O Potestas N. Actione tuâ fungor.* Simul Judam traditorem venerabantur, quem divinum aliquid esse putabant, *Asserentes eum præscisse, quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Judæis*

De Præscr. c. 47.

Epiph. h. 38. 21.

ANNO DOM. 169.

dais propterea tradidisse. Horrendum dictu, quod ore impio in Christum evomebant, teste Appendice ad Tertullianum de Præscriptionibus: *Quidam ipsorum, gratiarum actionem Juda propter hanc causam reddendam putant, animadvertens, inquiunt, Judas, quòd Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset.* Alii verò paulò honorificentius de Christo existimantes hæc prædicabant: *Quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi, per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani Judas, tradidit Christum.* Core, Dathan, Abiron, & Sodomitas colere perhibebantur. Blasphemabant legem, & Deum legis autorem, carnisque resurrectionem negabant. Ait Nat. Alexander, *Baptismum ad salutem necessarium esse negabant.* Verùm enimverò longius eorum error processerat, utpote qui non solam necessitatem Baptismi modò, sed ipsum quoque baptismum funditùs everteret, teste Tertulliano: *Atque adeò nuper conversata istic quædam de Cajana hæresi viperâ venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit in primis baptismum destruens, plane secundum naturam: nam fere viperæ & aspides ipsique reguli serpentes, arida & inaquosa sectantur.* Monstrosissimæ huic mulieri *Quintillæ* nomen fuit. Quam ab alia Quintilla, de qua commemorat Epiphanius, diversam esse censemus. Hæc enim ex Cataphrygibus orta, quibus cum Cajanis nil commune fuit, nomen suum *Pepuzianis* imposuisse dicitur, quos & *Quintillianos* vocat Epiphanius hæresi XLIX. Cajanos ab Antiochena Synodo damnatos esse legimus in Prædestinato. lib. 1. c. 18. *Quos triginta & duo Episcopi, apud Antiochiam residentes, cum ejusdem urbis Episcopo Theodoro, in præsenti confutatos damnavit.*

Augustin. de Hæres. c. 18.

Tertul. de Bapt. c. 1.

ANNO DOM. 170.

ANNO U. C. 923. PER. JUL. 4883. JUL. 215. DOM. 170. M. AURELII 9. & 15. *Sol.* 11. A. *Lun.* 19. *Indict.* 8. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 6. P. 23. *Apr.*

COSS. *M. Cornelius Cethegus, & C. Erucius Clarus.*

De hujus anni Coss.

I. ANnum aperuisse Cethegum atque Clarum, magna Fastorum conspiratio est. De prænomine quod gesserunt existit inter eruditos controversia. Baronio aliisque benè multis, dicuntur *Severus Cethegus, & Julius Clarus.* Norisius autem vir magnæ & diligentiæ & eruditionis, ea prænomina exhibuit, quæ adduximus ex inscriptione Foroliviensi quæ habetur in historia Equitis Sigismundi Marchesii: *J. O. M. M. Varenus Polybius pro se. et. suos. V. S. L. M. M. Cornelio Cethego. C. Erucio Claro. Coss.*

Veri Apotheosis.

II. Postquam urbem Marcus ingressus est, prima cura fuit Verum in Deos referre. Divus ergo appellatus est, & sacris honoratus plurimis. Flamen, Antoniani Sodales & omnes honores, qui Divis habentur, defuncto dicati.

Capit. Mar. c. 15.

Romani debellantur à Marcomannis.

III. Intereà Marcomanni non minimâ clade Romanos afficiunt. Eo bello flagrante, Alexander larvatus ille Vates oraculum divulgavit, quo jubebat, ut duos leones vivos in Danubium Romani immitterent, variis cum odoribus, & sacris magnificis:

Gurgitibus fluvii turgentis ab imbribus Istri
Immisisse duos Cybeles edico ministros:
Monte feras alitas: tum quantum alit Indicus aër
Florum atque herbarum benè olentum; moxque futura est
Et victoria, pax & amabilis, & decus ingens.

Barbari canes quospiam aut lupos esse rati, leones qui in eorum regionem enataran, fustibus arcebant. At Romanorum protinus maxima strages est consecuta, viginti fermè millibus extinctis. Periit unà & Marcus Vindex Præfectus, cui tres M. Aurelius statuas posuit.

Lucian. Pseudom.

Dio l. 71. 803.

Belli Marcomannici apparatus.

IV. Tum Marcus instante adhùc pestilentiâ, & Deorum cultum diligentissimè restituit, & servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos *Voluntarios* exemplo Volonum appellavit. Armavit etiam & gladiatores, quos *obsequentes* nuncupavit. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit. *Armavit & Diogmitas.* Quæsivere docti de istis hominibus, quos Scaliger *Docimitas* dixit à *Docimeo* urbe Phrygiæ. Sed Docimenses aut Docimeni vocabantur, ut verè observat Salmasius, qui Diogmitarum nomen deducit à διωγμῶ, unde διωγμῖται, quod genus erat militum leviter armatorum ad persequendos fugitivos & larrones. Veram esse Salmasii conjecturam, docent Acta Polycarpi: Ἐξῆλθον διωγμῖται καὶ ἱππεῖς, *Diogmitæ & equites.* Ammianus libro 17. *Adhibitis semiermibus paucis, quos Diogmitas appellant.* Emit enim Marcus & Germanorum auxilia contra Germanos. Omni præterea diligentiâ paravit legiones ad bellum: & ne Provincialibus esset molestus, auctionem rerum aulicarum fecit in foro divi Trajani, in qua præter vestes & pocula, & vasa aurea, etiam signa cum tabulis magnorum artificum vendidit. Per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt, molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere.

Capit. Marc. c. 21. Eutrop.

Verus Cæsar moritur.

V. Sub ipsis ad bellum profectionis diebus, in secessu Prænestio agens, filium nomine Verum Cæsarem, execto sub aure tubere, septennem amisit, quem non plus quinque diebus luxit. Et quia ludi Jovis erant, interpellari eos publico luctu noluit: jussitque, ut statuæ tantummodò filio mortuo decernerentur, & imago aurea Circensibus per pompam ferenda, & ut Soliari carmine nomen ejus insereretur. Eo olim honore affectus & Germanicus: *Honores & quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti decretique: & nomen ejus saliari carmine caneretur . . . . ludos Circenses eburnea effigies præiret.* Vero Cæsari nomen fuisse *Verissimo*, docuit Herodianus. Non est quidem improbabile utroque nomine fuisse appellatum, quomodo Marcus ab Adriano, & *Verissimus* est nuncupatus. Errat tamen Herodianus, dum scribit: *Marcus mares suscepit duos, horum alter natu minor adolescentulus admodum, fato est functus, Verissimo nomen fuit.* Ignoravit Commodo geminum fratrem fuisse Antoninum, *Qui quadrimus elatus est.* Videtur etiam hujus Antonini mortem cum illa Veri permiscere. Verba κομιδῆ νέος, *admodum juvenis*, Antonino magis, quàm *Vero* competunt. Anno Dom. CLXVI. quarto Iduum Octobrium Verus cum fratre Commodo, nomen Cæsaris adeptus fuerat. Unde gravi conjecturâ ducimur ad credendum, Cæsaris titulo nil imperii necessariò fuisse conjunctum

Capit. Marc. c. 21.

Tacit. An. l. 2. 3. 15. 100.

Herodian. l. 1.

Lampr. Comm. c. 1.

ANNO DOM. 170.

junctum. Quodnam gestum est à puerulo, qui solum bienoium natus erat, cùm Cæsaris dignitatem accepit? Marcua urbe relictâ, in Germaniam proficiscitut.

Polyænus. Suid. t. 2. 559.

VI. Imperantibus Marco & Vero, floruit Polyænus: *Polyanus Maceda Rhetat scripsit de Thebis Tactica, id est, de instruenda acie libros tres, & alia.* Extant tamen hodie libri VIII. à Casaubono editi, scripti sunt vitam adhùc retinente Vero, cui perinde atque Marco nuncupaotur.

ANNO DOM. 171.

ANNO U. C. 924. PER. JUL. 4884. JUL. 216. DOM. 171. M. AURALII 10. & 11. *Sol.* 12. G. *Lun.* 1. *Indict.* 9. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 7. P. 8. *Apr.*

COSS. *L. Septimius Severus II. L. Alfidius Herennianus.*

Marcomannos vincit M. Aurelius.

I. ANoo superiote Marcua in Germaniam concesserat, præsente verò hostes adoritur. Gentes omnes ab Illyrici limite usque Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmaræ, Latringes, & Buri. Hi aliique cum Victovalis, Sosibes, Sicobotes, Rhoxelani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci. Cum Optimatibus res & bellicas, & civiles priusquam Marcus faceret aliquid, contulit. Sententia illius præcipua hæc fuit: *Æqmus est ut ega tat & talium amicarum consilium sequar, quàm ut tat & tales amici meam unius voluntatem sequantur.* Erat valetudine tàm infirmâ, ut non modò frigus imrio sufferre non posset, sed etiam antequàm milites ex jussu jam congregatos alloqueretur, secederet paululum, ac modico cibo, idque etiam noctu uteretur. Mareomannos in ipso tractu Danubii delevit, & prædam Provincialibus reddidit.

Capit. Marc. c. 22. Dio l. 71. Capit. Marc. c. 21.

De Montano, ejusque adjutoribus.

II. Circa hoc tempua, gravi Ecclesiæ damoo Montanus exoritut. Ambitio hominem de gradu dejecit, qui non fœdis voluptatibus, ut Gnostici, sed pietatis larvâ Christianos imbuit terroribus, quibus humilitaa omnia perimebatur, inductâ animi superbiâ. *Abscissum & Semivirum* Hieronymus Montanum vocat ad Marcellam Epistolâ 54. Contrà verò adulterio se polluisse, Isidorua Pelusiota prædicat. Cui credendum, Isidoro, an Hieronymo? De ortu Montani audiamua Eusebium: *Vicus quidam esse dicitur in Mysia contermina Phrygia, nomine Ardaba, in quo aiunt Mantanum quemdam, ex iis qui Fidelium numera receus ascripti fuerant, immodicâ primi locs cupiditate captum, primùm sub Grata Asia Procansule aditum Damoni prabuisse. Tum nava quadam & mandita proloqui, pradicare futura prater morem Ecclesia à majoribus traditum.* Socioa erroris atque adjutores Alcibiadem habuit & Theodotum. Quin etiam duæ mulierculæ, Priscilla & Maximilla, perinde atque Montanus, insana quædam & importuna locutæ sunt. Insignes mulieres, de quibus Hieronymus: *Montanus immundi spiritus pradicator, multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm aura corrupit, deinde haresi polluit.* Principio cùm needum prorsus evanuissent dona & miraculorum, & Prophetiæ, quæ in pluribus adhùc Ecclesiis vigebant, Novatores illi in Phrygia, opinione hominum, tanquam Prophetæ celebrari cœperunt. Pepusa & Thymium, Phrygiæ oppidula, nomen Hierusalem, à larvato Vate acceperunt; ut cunctos eò homines convocaret. Cum ergo Phryges hisce fraudibus deciperentur, Pseudovatum causâ dissensio orta est. Ac Sancti quidem Episcopi, Maximillæ Spiritum confutare conabantur. Ab aliis verò qui Spiritui favebant, fuere prohibiti. Zotico quidem Comanensi, & Juliano Apameno, optimis Episcopis, Themison aliique os obturantes, seductorem Spiritum coargui vetuerunt. Querebatur Maximillæ Spiritus: *Arcear tanquam lupus ab avibus; non sum lupus, sed verbum spiritus, & potentia.* Priscillæ autem & Maximillæ Prophetiæ, in majori erant apud Cataphrygea honore, quàm sacrum Evangelium. Post Quadratum, & Ammiam Philadelphensem, mulieres illæ Montani, in Prophetiæ gratiam se successisse prædicabant. Finem tamen se imposuisse revelationi, Maximilla narrabat: *Post me nulla amplius erit Prophetissa, sed finis sequetur.* Vaticinia sua ad Christum cuncta referebat: *Me quidem uan audite, sed Christum audite.* Diu vitam retinuisse Montanum & Maximillam, eò liquet, quòd adhuc erant inter hominea, cùm Apollonius librum scripsit suum XL. annis post exortum larvati Vatia. Interrogat enim Maximillam, quæ cum Alexandro convivabatur. Fama est Montanum Maximillamque, diversia temporibua, laqueo sibi gulam fregisse. Theodotum verò cum se Dæmoni permisisset, ab eo in altum jactatum miserabili eaitu periisse, id tameo incertum esse fatetur Scriptor anonymus, ad Avircum Marcellum Epistola: *Fortè hac, fartè etiam alio mortis genere Montanus ac Theodatus, & mulier illa* Maximilla, *occubuerunt.* Falsum rumorem esse, nos eò judicamus, quòd illi novæ disciplinæ architecti venerationi discipulis fuerint suis, quos à magistrorum reverentia tam triste, tamque infelix revocasset exitium; Tertullianum imprimis, huic sectæ addictissimum.

Hier. ad Ctesiph. t. 1. 222.

ANNO DOM. 171.

Euseb. l. 5. c. 16. Theodorit. Haret. fab. l. 3. Euseb. l. 5. c. 17. Epiph. h. 48. n. 2. N. 12. Euseb. l. 5. c. 16.

Montani & coadjutorum ejus mores.

III. Prætendisse gravem vultum & austeritatem pessimis moribus, & Montanum & socios ejus, invenimua Veterum in monumentis. Montanum his coloribus pingit Isidorua Pelusiota: Homo, inquit, *qui nihil grave, ut ipsi contendunt, admiserit, at revera in adulterio perspicuè deprehensus sit, atque hoc praclaro facinore, divinum prospectum ipsius fides creditum esse affirmet.* At si abscissua & semivir erat, ut traditur Hieronymo, vana est & ficta ea de adulterio Montani fama, quâ Isidorus afflatus est. Prophetissæ Montani viroa suos dimiserant, quo mendacii coarguebantur illi, qui *Priscam* virginem vocabant. *Themison* qui magnâ vi pecuniæ erogatâ, carcere elapsus fuerat, conscriptâ Epistolâ Catholicâ, in Dominum, in Apostolos, in Ecclesiam, impiè locutus est. Alexander Prophetissæ familiaris, qui se Martyrem prædicabat, & adorabatur à multis, judicatus erat Ephesi, ab Æmilio Frontino Asiæ Proconsule, non ob nomen Christi, sed ob ea quæ perpetraverat latrocinia, cùm jam desertor fidei esset. Hæc Apollonius, qui arruptitioa illos Vatea sic compellat: *Dic mihi, tingitne capillos Propheta? An stibio aculas linit? An studet ornari? Prophetana tabulâ ludit, & tesseris, an pecuniam locat fœnori? Ingenuè respondeant, utrùm hac agere liceat an secus? Ego verò hac apud ipsas esse convincam.* Qui mores, cùm Prophetas non deceent, ab Ecclesia pro seductoribus habebantur. Alio etiam indicio ipsos coarguebat. Montanus enim

Isidor. Epist. l. 1. 243.

Euseb. l. 5. c. 18.

& socii ejus, *in extasi* vaticinia fundebant sua, quæ species erat amentiæ. Itaque in eos librum ediderat Miltiades, hoc titulo, *Non decere Prophetam in extasi loqui.* Immissæ sunt quidem Prophetis, Petro, Paulo divinæ extases, in eo tamen statu nil edebant oraculo, sed & mentis suæ compotes vaticinabantur. At Ethnicorum divinos, larvæ, intemperiæ, insaniæque agitabant. De Sibylla Poeta:

Ut primum cessit furor & rabida ora quierunt.

Alexander ille Pseudomantis, interim furore afflatum sese nonnunquam adsimulabat, ore spumâ completo, id quod facilè faciebat, radiculæ radice manducatâ: *Cæterum illis divinum quiddam, ac venerandum spuma videbatur.* De Deæ Syræ Sacerdotibus Apuleius: *Inter hæc unum ex illis bacchatur effusius, ac de imis præcordiis anhelitum crebros referens, velut numinis divino Spiritu repletus, simulabat sanciam vecordiam prorsus.*

Lucian. Pseud.

Apul. Metamor. l. 8. c. 14.

Cùm ergo Montanus furentis insanientisque more loqueretur, hinc Catholici colligebant, vim ejusmodi à Spiritu Sancto non incussam esse, quasi Dei præscientiâ solerent homines insani fieri & furentes. Itaque Epiphanius: *Quæcunque Prophetæ locuti sunt, ea sapientes intelligentesque dixerunt.* Illudque discrimen Chrysostomus Prophetam inter & divinum statuit: *Hoc enim proprium est Vatis seu divinatoris, emota esse mentis, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Propheta verò non ita: sed mente sobriâ, & cum modesta ac temperata animi constitutione, & quæ loquitur intelligens dicit omnia.* De Adamo Epiphanius: *Adami stupor ille somni quidam torpor extitit, non mentis insania.* Porro fuit apud Montanistas fœcunda visionum officina: *Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia, per extasim in Spiritu patitur. Conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit sacramenta, & quorumdam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit.* Quantum fidei adjungendum revelationibus ejusmodi, quæ tamen *digerebantur ut probarentur*, eò liquet, quòd *ostensa erat anima aëris coloris, & forma per omnia humana.*

Epiph. h. 48. n. 2.

Chrysost. in 1 Cor. hom. 29.

Epiph. h. 48. n. 4.

Tertul. de Ani. c. 9.

IV. Montanistæ tam vetus, quàm novum instrumentum adsciscebant; mortuorum resurrectionem probabant. De Patre, & Filio, ac Spiritu S. eadem cum Ecclesia sentiebant, ab ea verò de his capitibus discrepabant: *In tantum putabant scelerata conjugia iterata, ut quicunque hoc fecerit, adulter habeatur.* Duas in anno hebdomadas Xerophagiorum, nec totas, exceptis Sabbatis, & Dominicis, offerebant Deo? Si Philastrio credimus, *Mortuos baptizabant*, quod tamen in aliis Autoribus, qui Montanisticæ disciplinæ mentionem fecere, nusquam legitur. Adventum Spiritus Sancti, à Domino promissum, in Montano potius quàm in Apostolis ejus fuisse asserebant. Hinc verba Tertulliani, qui specie quâdam sanctitatis, Montani in disciplina micantis, eam amplexus est: *Hi Paracleto controversiam faciunt, propter hoc nova Prophetia recusantur, non quòd alium Deum prædicent Montanus & Priscilla, & Maximilla. . . sed quòd planè doceant, sæpius jejunare, quàm nubere.* Tres in anno faciebant Quadragesimas. Habebant primos de Pepusa Phrygiæ *Patriarchas*, secundos, quos appellabant *Cenones*, in tertium *Episcopi* devolvebantur. In Montanum graviter invehitur Apollonius, *Quòd jejuniorum leges imposuit.* Quid hic peccaverit Novator, quæstio est inter eruditos.

Montanistarum doctrina. Tascodrugitæ.

Hier. Ep. 54.

Tertul. de Jejun. c. 1.

Hier. Ep. 54.

Eusebh. l. 5. c. 18.

Latinorum nomine respondet Valesius, Apollonium id tanquam gravissimum facinus objicere Montano: *Non quòd jejunare crimen sit, aut quasi quibusdam in Ecclesia non liceat, semperque licuerit indicere jejunia. Verum Montano id facere nulla ratione licebat, homini Hæretico nec ullum Sacerdotium gerenti.* At illi qui ideò damnatum esse Montanum putant, quòd cùm munere Episcopali non fungeretur, jus tamen sibi assumpserit figendi leges Ecclesiasticas, egregiè falluntur. Neque Veterum ullus est, qui perturbationem ordinis, quâ in officium Pastorum involarat, Montano objecerit; quæ una ejus culpa fuisset, si ea mens Apollonio, quæ ipsi ascribitur. Peccavit, Judice Theodorito: *Quia nova jejunia præter Ecclesiæ consuetudinem introduxit.* Legem pietatis & perpetuam, & generalem componebat, quod munus est Spiritus Sancti, qui Apostolorum ministerio ea statuta conscripsit, quibus universa tenetur Ecclesia. Neque mortalium olli, quantus fuerit in eo Ecclesiasticæ dignitatis apex, id contributum autoritatis, ut nova pietatis jura constituat: cùm sic Apostolicæ disciplinæ nota imperfectionis inuratur, cui veluti mancæ & mutilæ addendum sit. Ipsum audiamus Tertullianum, qui Fidelium objectiones in Montani de jejuniis doctrinam candidè repræsentat: *Certè in Evangelio, illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum. . . Itaque de cætero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio Novæ disciplinæ, pro temporibus & causis uniuscujusque. Sic Apostolos observasse nullum aliud imponentes jugum, certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Hæc erant in Montani de jejunio leges Christianorum argumenta, non verò quòd Novator ille, qui nil Sacerdotii gerebat, illud munus usurpabat, quod Episcoporum fuit. Porro cùm nil haberent quod responderent Montanistæ, *Ad Martyres suos confugiebant, asserentes multos se Martyres habere, idque potentiæ Prophetici illius qui apud ipsos est Spiritus, argumentum.* Illud & ipsis in more positum: *Desertum quendam in Phrygia locum, præcipuè venerari, ubi Pepuza quondam oppidum fuit, quod hodiè solo æquatum est. Eo si quidem descendere cœlestem Hierusalem. Ergo illo proficiscuntur, ac mysteria quædam obeunt.* Quæ verò secundum Epiphanium narrat Augustinus, Cataphryges *de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farina, panemque inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro Martyre; si autem vixerit, pro magno Sacerdote*, censemus illorum qui Montanistis erant inimici fuisse calumniam, cui credulas aures admovit Epiphanius, qui vel dubitanter ea proponit. Hieronymus verò: *Malo non credere; sit falsum omne quod sanguinis est.* Aliud autem Montanistis objicit, in eadem quæ est ad Marcellam Epistola: *Nos Patrem, & Filium, & Spiritum S. in sua unumquemque persona ponimus, licet substantiâ copulemus. Illi Sabellii dogma sectantes, Trinitatem in unius personæ angustias cogunt.* Certum tamen est, veram Montani progeniem, Trinitatis fuisse tenacissimam, quod ex libro Tertulliani adversus Psychicos abundè liquet. Permiscuit ergo Hieronymus duas Cataphrygum sectas, quas accuratè distinguit Autor additamentorum ad Tertulliani de Præ-

Vales. Annot. in Euseb. p. 88.

Tertul. de Jejun. c. 2.

Euseb. l. 5. c. 16.

Epiph. h. 48. n. 14.

Hier. Ep. 54.

ANNO DOM. 171.

Tertul. de Præscr. c. 52.

Præscriptionibus libtum: *Accesserunt alii Hæretici, qui dicuntur secundum Phrygas. Sed horum non una doctrina est. Sunt enim qui κατὰ Proclum dicuntur, sunt qui secundum Æschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem & suam: & communem quidem illam, quâ in Apostolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse: & quâ dicant Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse: nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora. Privatam autem blasphemiam illi qui sunt κατὰ Æschinem, hanc habent, quâ adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium & Patrem.* Æschini & discipuli fuisse videntur illi, qui *Tascodrugita* vocantur Epiphanio:

Epiph. h. 48. n. 14.

De Tascodrugitarum voce nonnulla dicenda sunt. Hoc enim nomen vel penes hanc ipsam, vel penes sequentem Quintillianorum hæresin resedit. Tascodrugita ideircò cognominati sunt, quod τασκὸς illorum linguâ paxillum significat, δροῦγγος verò nasum sive rostrum: quòd igitur inter orandum indicem manus digitum naso imponunt, ut animi tristitiam & affectatam quandam sanctitatem præ se ferant, à nonnullis ideò Tascodrugita nominantur, quasi Paxillo nasones dixeris. His verò, vel Quintillianis ascribit Epiphanius, *Quòd infantulum per solemne quoddam festum, acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum sanguinem sacrificiis suis adhibeant.*

Viri illustres Montani doctrinam impugnarunt.

V. Cùm multò pietatis blandimento condecretur Montani disciplina, utpote quæ jejuniis atque continentiâ constaret, magnos quidem progressus fecit. Admirationi erant homines qui monogamiam colebant, discipulos armabant suos magnanimitate, quibus inculcabant non esse in persecutione fugiendum; ut præ nova illa doctrina, ea quam Apostoli tradiderant, vilescere videretur: *Agnosco animalem fidem, studio carnis, quâ tota constat. . . ut meritò spiritalem disciplinam pro substantia æmulam, in hac quoque specie continentiæ accuset.* Excusserunt tamen hanc Montanistis jactantiam, viri graves atque pii, quos Deus excitavit errori obstituros: *Adversus Cataphrygarum hæresim propugnatorem veritatis Deus, tum Apollinarem Hierapolitanum, cùm alios cum illo quàm plures doctrinâ & eloquentiâ præstantes, tanquam validum atque invictum telum excitavit.* Apollinarem pro conditore Epistolæ ad Avircium Marcellum Baronius habet anno 173. n. 9. Quem tamen decipi docuit Valesius. Errorem sanè ipse coarguit Eusebius: *Apollinaris scripsit contra Cataphrygum hæresim, quæ quidem non longè posteà, maximos tumultus excitavit: tunc temporis verò primum enasci cæperat, Montano cum falsis Vatibus suis, adhuc erroris fundamenta jaciente.* Autor verò de Montano ad Avircium Marcellum Epistolæ, defunctis jam Montano, Maximillâ, Theodoto scripsit, utpote qui ipsorum fati meminerit. Diu autem post disseminatam novam Prophetiam, Montanus & Maximilla inter homines fuere. Itaque Hieronymus, non Apollinari, sed Apollonio vindicat ad Avircium Marcellum Epistolam: *Apollonius vir disertissimus, scripsit adversus Montanum, Priscillam & Maximillam, insigne & longum volumen, in quo asserit Montanum, & insanas Vates periisse suspendio.* Quanquam & fallitur Hieronymus. Apollonius quidem adversus Montanum calamum strinxit, quadraginta annis post exortum Hæretici. Vitam tamen retinebant Montanus, & Maximilla: *Respondeat nobis Prophetissa de Alexandro, qui se Martyrem prædicat, qui cum ea convivatur.* Anonymus igitur est Autor ad Avircium Marcellum Epistolæ. Stilo quoque suo insanos Vates pupugit Miltiades, libro cui titulus fuit, *Non decere Prophetam in extasi loqui.* Cui Baronius ascribit, quæ de Agabo, Juda, Philippi filiabus, Ammia Philadelphensi, Quadrato, leguntur apud Eusebium, libro quinto capite 17. Est tamen & in ea re illustrissimi Purpurati peccatum. Etenim ille ipse Anonymus, is est, qui verba laudata habet, neque aliud ex Miltiade profert, nisi libri titulum. Quæ verò citat, ex responsione Cataphrygum, ad Miltiadis librum, desumpta sunt: *Citatis enim quibusdam verbis illorum Hæreticorum, ita deinde scribit: Hæc cùm ego reperissem in quodam libro ipsorum, adversus Miltiadem fratrem nostrum, qui peculiari opere docuerat, non decere Prophetam in extasi loqui, in compendium redegi.* Serapio Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, in Epistola ad Caricum & Ponticum, Montani quoque impugnavit hæresim. In ea Epistola, quæ Claudii etiam Apollinaris, Hieropolitani Episcopi meminit, legebantur subscriptiones variorum Episcoporum: *Quorum unus subscripsit in hunc modum: Aurelius Cyrenius Martyr, opto vos benè valere. Alter autem hoc modo: Ælius Publius Julius Develti colonia Thraciæ Episcopus. Testor Deum, qui in Cœlis est, quòd beatus Sotas, qui est Anchiali, Dæmonium Priscillæ ejicere voluit, sed hypocritæ nequaquam permiserunt.* Quin etiam Christiani, qui erant in Gallia, privatum de Pseudo-prophetis judicium suum, *Religiosum in primis, & cum recta fide consentiens* ostenderunt. Scriptis quoque suis Montanistas Soter Papa impugnasse dicitur. Contra verò Papæ Romani, sive Eleutherius, sive Victor, sive quis alius fuit, præsidio Hæreticus adjutus est, teste adversus Praxeam Tertulliano c. 1. *Nam idem tunc Episcopum Rom. agnoscentem jam Prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione, pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesiis eorum, asseverando, . . . coegit & literas pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum cessare.*

Tertul. de Jejun. c. 1.

Eusеb. l. 5. c. 16.

Error Baronii.

Eusеb. l. 4. c. 28.

ANNO DOM. 171.

Eusеb. l. 5. c. 18.

Bar. An. 173. n. 17.

Error Baronii.

Eusеb. l. 5. c. 17.

Eusеb. l. 5. c. 19.

Eusеb. l. 5. c. 4.

ANNO U. C. 925. PER. JUL. 4885. JUL. 217. DOM. 172. M. AURELII 11. & 12. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 2. *Indict.* 10. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 20. *Mart.*

ANNO DOM. 172.

COSS. *Maximus, & Orphitus.*

Marci de Jazygibus victoria.

I. CUm quæ in bello Marcomanico gesta sunt, non satis accuratè digerantur in historia, castigatâ quidem in illis recensendis uti Chronologiâ non datur. Referatur in hunc annum, quæ legimus apud Dionem, ante victoriam, quam de Quadis non sine manifesto numinis auxilio, Marcus adeptus est. Eo tempore tandem Romani Jazygas vicere, primùm in terra, pòst in flumine, quod glacie constringebatur. Sperabant Barbari facile se posse Romanos conficere, quòd glaciei essent insueti. Ergo Romanos alii à fronte adoriuntur, alii à lateribus equites irruunt, quod eorum equi in hujusmodi glacie currere tutò didicerant. Romanorum verò pars scuta deponunt, atque quominus cadant, in iis alterum pedem firmant. Hoc pacto eorum impetum primò sustinent, arreptisque alii frænis, alii contis, & scutis, eos ad se pertrahunt. Hinc

manus cum eis conserentes, tàm sessores, quàm equos dejiciunt, nam præ violentia lapsus non amplius obniti poterant. Quamquam enim Romani cadebant, tamen si quis eorum caderet supinus, hostem pedibus trahebat, atque ut in luctis fieri solet, in retrò projiciebat, ut eo superior esset, sive pronus caderet, hostem qui antè ceciderat, carpebat dentibus. Igitur Marcus multis magnisque præliis factis, aditisque periculis, Marcomannos, & Jazygas subegit.

Dio l. 71. 804.

Marci erga Herodem benignitas.

II. In hunc quoque annum referri possunt, quæ legimus apud Philostratum. Alcimedontis qui Herodis Attici libertus fuerat, filias formâ egregiâ fulgur nocte interfecerat. Ob hanc ærumnam, Herodes amens animi factus, ad Marci Prætorium accessit, mortis cupidus. Cùm enim primùm advenit, invectus est in Imperatorem: *Hæc affert mihi Lucii hospitalitas, quem tu ad me misisti, unde jus dicis, muliercula & trienni puero me concedens.* Ibi cùm Basseas, cui commissus erat ensis regius, mortem ipsi comminitatus esset, Herodes: *Optime*, inquit, *senex carò formidat.* Hoc dicto Herodes proripuit se è Prætorio. Eo ipso tempore Demostratus Marcum alloquebatur, ut Atheniensibus faveret. Ad Demostratum verò, Praxagoram, Mamertinum, quos Herodes ad Marcum detulerat, quasi in se populum instigassent, conversus Imperator: *Causam*, inquit, *dicite, Athenienses, tametsi Herodes non permittat.* Jam verò cùm Atheniensium Apologia contineret accusationem, Marcus iram in libertos convertit. Soli autem Alcimedonti supplicium remisit.

Philostr. de Vit. Soph. p. 558.

Tatianus.

III. Tatianus Justini Martyris discipulus, qui vivente Doctore famam incolumem tuebatur, notissimus hoc anno Hæreticus. Erroris tamen sui semina paulò ante Montanum sparsit. Quæ causa est, cur in Appendice ad Tertulliani de Præscriptionibus librum, Tatianus Montano præeat: *His Hæreticis omnibus accedit Tatianus quidam, alter Hæreticus. . . Accesserunt alii Hæretici qui dicuntur secundum Phrygas.* Tatianum etiam quem perperàm *Tarcianum* vocat, Cataphrygibus antiquiorem Philastrius existimat, licet ejus exortum serò nimis in tertium seculum referat: *Post Decii persecutionem fuit Tarcianus quidam, discipulus Sancti Juliani*, Justini *Martyris.* Ingentem seculi penè integri metachronismum. Contrà verò Epiphanius citò nimis Tatiani ætatem *circa annum* XII. *Antonini cognomento Pii*, contigisse putat. Quo tempore Justinus vitæ curriculum nondum martyrio confecerat. Nil causæ est cur ab Eusebii Chronologia recedamus, qui ad annum M. Aurelii duodecimum hæc habet: *Tatianus Hæreticus agnoscitur, à quo Encratitæ.* Tatianum Assyrium Ethnicum fuisse, docuit ipsemet in oratione contra Græcos: *Hæc vobis, ô Græci, Tatianus, ego Barbaræ philosophiæ sectator, composui, natus apud Assyrios, & vestris primùm studiis imbutus, deinde verò illis, quæ nunc fovere me profiteor.* A Mesopotamia prodiisse testatur Damascenus, libro de hæresibus. Magnam terræ partem à se peragratam, & tandem Romæ versatum, ipse prædicat. Rhetoricæ professorem egisse docet Eusebius: *Tatianus vir, qui primo ætatis suæ tempore Rhetoricam docens, in Gentilium disciplinis summa cum laude versatus est.* Consentit & Eusebio Hieronymus: *Tatianus qui primum oratoriam docens, non parvam sibi ex arte Rhetoricâ gloriam comparaverat.* Hoc ipsum quoque scripto mandavit Theodoritus, Hæreticarum fabularum libro primo. Contendit tamen Valesius, vocem σοφιστεύοντα nil ad eloquentiam pertinere, *sed omnium Græcorum sapientiam, & liberales disciplinas complecti.* Librum etiam illum adversus Græcos conscriptum *satis testari*, *Auterem parum in dicendo fuisse exercitatum, utpote sine ordine & methodo compositum.* Mirum tamen est inficiari Valesium verbum σοφιστεύειν nil ad eloquentiam pertinere, cùm ipsemet fateatur id vocabuli, *liberales etiam disciplinas* complecti; quibus sanè Rhetorica est ascribenda. Neque satis capimus, qui Eusebius Theodoritusque, qui Græcæ linguæ suæ non erant imperiti, de Tatiano Rhetorem fecissent, si verbum σοφιστεύοντα nil ad Rhetoricam pertineret. Suidas de voce Sophista: σοφιστὴς ὁ τὸ λέγειν γυμνάζων, *Sophista qui dicendi facultatem exercuit.* Quibus verò de causis Tatianus relictâ superstitione Christianæ adhæsit religioni, ex ipso perdiscere jucundum est. Offensus turpitudine, quæ mysteriis Ethnicorum inerat, in quibus sacra, & per effeminatos exercebantur, & humano cruore nonnunquam constabant, quomodo tandem veritate potiretur inquirebat: *Et cùm diligenter circumspicerem, in libros quosdam barbaros incidere mihi contigit, antiquiores multò quàm Græcorum Philosophia, si spectes ætatem, & augustiores, si illorum errores. His ego fidem adhibui, quòd stilus non esset phaleratus, nec ulla Scriptorum affectatio, nec sermo usquam obscurus. Futurorum item eventuum prænotione, & magnitudine promissionum, & quòd unam universorum monarchiam statuerent impulsus.* Veteris ergo Testamenti lectione ad fidem Tatianus perductus est. Si vulgatis Tatiani exemplaribus creditur, Crescens Tatiano perinde atque Justino mortem machinatus est: *Justinum sicut & me morti tanquam extremo malo tradere satagit.* Corruptum tamen esse locum, docet Eusebius, in quo desunt verba hæc, καὶ ἐμὲ ὡς. Quamvis à vero non abhorreat, Tatiano quoque à Crescente creatum fuisse periculum. Indicioque est locus ille p. 144. *Et cur si vestris legibus suffragari nolo, tanquam sceleratissimum exponor odio omnium.* Dum Romæ Tatianus Rhodonem auditorem habuit, *Cæterùm in eodem libro, quem Callistoni nuncupavit, Romæ à Tatiano se eruditum esse testatur.*

Tertul. de Præsc. c. 51.

Epiph. h. 46. n. 1.

Tatian. Or. 174.

Euseb. l. 4. c. 16.

Hieron. Catal.

Valef. Annot. in Euseb. 67.

Tatian. Or. 165.

Tatian. Or. 158.

Euseb. l. 4. c. 16.

Euseb. l. 5. c. 13.

Tatiani errores & libri.

IV. Porro quamdiu cum Justino Tatianus versatus est, à veri vestigiis non deflexit. Mortuo Sancto Martyre, recessit ab Ecclesia, sic fatalis gladius & Justino vitam, & Tatiano fidem abstulit. Infelicem hominem, præcipitem egit, qui innumeros perdidit, ambitionis amor, laudumque immensa cupido: sectæ princeps magis haberi maluit, quàm communis fidei Christianæ alumnus atque discipulus: *Tatianus qui primùm oratoriam docens, Justini Martyris sectator fuit, florens in Ecclesia quamdiu ab ejus latere non discessit. Posteà verò inflatus eloquentiæ tumore, novam condidit hæresim, quæ Encratitarum dicitur.* Ac primùm cultor temperantiæ maximus videri voluit, cujus rectos limites transgressus, novam quandam doctrinæ formam conflavit. Vinum odio habebat, quasi perpetuum Nazaræum egisset. Queritur Amos Judæos, Dei Nazaræis propinasse vinum: *De hoc loco*, inquit Hieronymus, *hæresim suam Tatianus Encratitarum princeps struere nititur, vinum asserens non bibendum, cùm & lege præceptum sit, ne Nazaræi bibant vinum, & nunc accusentur à Propheta, qui propinent* Naza-

Hier. Com. in Amos c. 3. 98.

ANNO DOM. 172.

Nazaræis vinum. Itaque in celebrando Eucharistiæ mysterio, nil præter aquam adhibebat, quo facto Ducem se præbuit illis, qui Hydroparastatæ dicebantur. Eodem insano temperantiæ abreptus amore, Tatianus nuptias improbabat, quasi adulterium & pietatis corruptelam, carniumque abstinentiam laudabat & indicebat *perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris.* De insaniente ea disciplina verissimè Hieronymus: *Jejunat Manichæus, & multi Hæretici, maximèque Encratitæ, quorum princeps Tatianus est, sed hoc jejunium famitate & ebrietate deterius est.* Talis disciplinæ cultorem, pro damnato Adamum habuisse & nuptiis & carnibus utentem nil miri. Eò sanè processit lymphatici capitis impudentia, teste Irenæo, Philastrio, nec non Epiphanio, cujus verba sunt: *Ac primùm Adamum negat esse salvum.* Quasi verò ex homine flammis æternis addicto, Christus procreari voluisset, nec parentem suum ab iis ereptum ivisset. Quin etiam ex carnis contemptu, sanctissimæ incarnationis mysterium ausus est convellere, impurus homo, solam corporis umbram atque larvam assignans Christo, ut nos Hieronymus docuit: *Tatianus qui putativam Christi carnem introducens, omnem conjunctionem masculi ad fœminam immundam arbitratur, Encratitarum vel acerrimus Hæresiarches, tali adversum nos sub occasione præsentis testimonii usus est argumento. Si quis seminat in carne, de carne metet corruptionem, in carne autem seminat qui mulieri jungitur, ergo & is qui uxore utitur.* Egregia hæc erant argumenta quibus matrimonium improbabat. Integrum Scripturæ Canonem non recipiebat Tatianus. Hinc Hieronymus hæc Paulæ loquitur & Eustochio, suo in Epistolam ad Titum Procemio: *Tatianus Encratitarum Patriarches, qui & ipse nonnullas Pauli Epistolas repudiavit, hanc vel maximè, hoc est, ad Titum, Apostoli pronunciandam credidit.* Neque etiam magni faciebat V. Testamentum, ut ex Clemente Alex. constat: *Separat autem veterem quoque hominem, & novum Tatianus, sed non ut nos dicimus. Veterem quidem virum, legem, novum autem Evangelium. Assentimur ei nos quoque, sed non eodem modo quo vult ille, dissolvens Legem, ut alterius Dei.* Quippe ut errores impietate & idololatriâ cumularet, Æones quoque invisibiles, perinde atque Valentinus commentus est; quod secundum Eusebium, tradit Philastrius: *Æonas autem nuncians, sicut Marcion deliravit.* Verius dixisset sicuti Valentinus. Hinc Tatiana verba hæc, Dei lucem creantis, *Fiat lux*, orationem esse precantis, sibi induxit in animum, quasi numen inferius, superiorem Deum alloqueretur, ut in Clementis Alex. Eclogis legitur p. 577. Ex Julii Cassiani, sive commercio, sive libris, Valentianorum in familiam fortè migravit Tatianus. Narrat quidem Clemens, Julium Cassianum in suo opere *de Continentia*, eadem decrevisse cum Tatiano. Urbe relictâ Tatianus, ubi nobiles auditores habuerant, errores in Oriente suos & conflare, & spargere cœpit: *Post S. Justini martyrium, Româ profectus in Orientem, & ibidem habitans, in absurdas opiniones incidit. Ac nescio quos Æones è Valentinianis fabulis, & principia quadam ac propagationes commentus est. Sed Antiochiâ præsertim, quæ ad Daphnem est, illius dogma derivatum in Cilicia ac Pisidia cum primis coaluit.* Multa Tatianus Opera in lucem edidit, de quibus Hieronymus: *Infinita scripsit volumina, è quibus unus contra Gentes, florentissimus extat liber, qui inter omnia Opera ejus fertur insignis.* Eum quidem laudibus afficit Clemens Alex. dum Hebræorum Philosophiam illâ Græcorum antiquiorem esse contendit: *Ac de iis quidem accuratè dictum est à Tatiano in Oratione adversus Græcos.* Meminit quoque alius libri: *Tatianus his verbis quidem certè scribit, in libro de Perfectione secundum Servatorem.* Alium quoque librum memorat Eusebius. Rhodon, olim Tatiani discipulus, *Refert etiam à Tatiano, elucubratum esse Quæstionum librum, in quo cùm Tatianus obscuros atque involutos Sacræ Scripturæ locos se expositurum esse promisisset, ipse Rhodon solutiones Quæstionum, Tatiani peculiari Opere editurum se esse profitetur.* Severum Tatianus discipulum habuit, qui Doctoris sui erroribus vim incussit, à quo Encratitæ, *Severiani* appellati sunt, de quibus Eusebius: *Hi legem quidem, & Prophetas cum Evangeliis admittunt, sed proprio quodam sensu Sacras Scripturas exponunt. Paulum autem Apostolum maledictis impetentes, Epistolas ejus repudiant, ac ne Apostolorum quidem Actus suscipiunt.*

Hieron. in Joel. c. 2. 80.
Epiph. h. 46. n. 2.
Hieron. in Gal. c. 6. 157.
Strom. l. 4. 336.
Strom. l. 3. 339.
Epiph. h. 46. n. 1.

ANNO DOM. 172.
Strom. l. 1. 134.
Strom. l. 3. 335.
Euseb. l. v. 13.

De Tatiani oratione adversus Græcos atque harmonia.

V. Maximus librorum numerus à Tatiano relictus est, ex quibus præcipuè laudatur ille adversus Græcos liber, in quo Mosem & Prophetas, omnibus qui apud Græcos celeberrimi extiterunt, vetustiores esse contendit. Est tamen in eo libro perspicuus error de hominum anima, quam extingui disertè prædicat: *Moritur enim, & dissolvitur cum corpore, quæ veritatis ignara est, resurgit autem postea in consummatione mundi unà cum corpore. . . Et rursus anima, quæ Dei cognitione instructa est, licet ad tempus solvatur, non moritur.* Ut multum admirationis nos capiat, cur tantis à Veteribus liber laudibus efferatur, de quibus & legendus Eusebius l. IV. 29. *Qui quidem liber omnium quos ille scripsit, elegantissimus simul & utilissimus videtur.* Ajunt nonnulli, ausum illum esse dicta Pauli elegantioribus verbis exprimere, utpote qui compositionem verborum illius corrigere studeret: *Catenam & collectionem nescio quam Evangeliorum contexuit, quam διατεσσάρων, hoc est, Evangelium ex quatuor Evangeliis compositum nominavit; quod opus à quibusdam etiamnum habetur.* De quo quidem insignis est Theodoriti locus: *Eo usi sunt non ii soli, qui sunt illius secta, sed ii etiam qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem ignorantes, sed simplicius eo tanquam libro compendioso utentes. Ego quidem inveni plusquam ducentos hujusmodi libros, qui in honore habebantur in nostris Ecclesiis. Quos cùm omnes simul coëgissem, deposui, & loco eorum reposui quatuor Evangelia.* Fraus erat, teste Theodorito, quòd ex eo opere *amputarat genealogias, & alia quæcunque ostendunt, Dominum natum esse ex Davide secundum carnem.* Cui libro, nonnulli, si creditur Epiphanio, *Evangelii secundum Hebræos*, nomen imposuere. Illi tamen qui ita sentiebant prorsus fallebantur, cùm Evangelium ad Hebræos, Tatiani harmoniâ fuerit antiquius. Victor Capuanus Episcopus, aliud huic harmoniæ nomen indidit: *Ex historia quoque* Eusebii, *comperi quòd Tatianus vir eruditissimus, & Orator illius temporis clarissimus, unum ex quatuor compaginaverit Evangelium, cui titulum Diapente imposuit.* Egregiè tamen fallitur Victor, cùm Eusebius habeat διατεσσάρων. Hinc tamen adjuncto etiam loco Epiphanii, Grotius initio Operis in Evangelia, ac secundum Grotium Vossius, colligunt Tatiani harmoniam, quæ forent in Evangelio secundum Hebræos, illa esse

Tatian. Or. 152.
Euseb. l. iv. 29.
Theodor. h. f. l. 1.
Epiph. h. 46. n. 1.

ANNO DOM. 172.

complexam. Cui tamen sententiæ ansam Veterum nemo præbuit. Non Epiphanius: *Ferunt illud Opus, quod ex quatuor Evangeliis contextum est*: non ipse Victor, à quo Tatiani hæc harmonia *Diapente* nomen accepit: *Unum ex quatuor compaginavit Evangelium.* Neminem adhùc reperimus inter Veteres, qui harmoniæ Evangelium secundum Hebræos adjunctum esse tradiderit. Nisi ergo erraverit memoriâ Epiphanius, aut lapsi sint illi, qui Tatiani opus, *Evangelium secundum Hebræos* appellabant, crediderimus potius id gessisse vocabuli, quia Palæstini Syrique eo opere quàm libentissimè utebantur, quamobrem Theodoritus narrat, *se plusquam ducenta* hujus libri exemplaria, in Ecclesiis invenisse. Porro Victor ille Capuanus, & falsus est gravissimè, & alios fefellit, dum Ammonii harmoniam pro illa Tatiani habuit. Error tamen facillimè depelli potuit, cùm Tatiani in harmonia non extarent Genealogiæ, quæ Ammoniana in harmonia continentur. Ne verò cum Victore, Sexto Senensi, aliisque postmodum in ea re peccaretur, Autori suo Ammonio Alexandrino Maxima Patrum Bibliotheca harmoniam vindicavit, ac Tatiano illam, quæ Tatiani esse vulgò creditur.

Extetne Tatiani harmonia?

VI. Extetne Tatiani harmonia, controversia est inter eruditos. Baronius anno 174. Natalis Alexander, Cavius, aliique, Opus esse Tatiani putant, Evangeliorum quatuor harmoniam, quæ in Maxima Patrum Bibliotheca *Tatiano Syro* ascribitur. At Zacharias Chrysopolitanus, qui seculo XII. floruit, Tatiani desiderari harmoniam disertissimè tradit: *Sanè hujus Hæresiarchæ, si superesset Evangelium, quod S. Justini lateri adhærem, fortaßis explicent, in eo Domini Jesu verba diligenter amplecti, securè legere, ovibus ejus vocem cognoscentibus, nil prohiberet.* Zachariæ assentitur Valesius, cujus argumentis Pagius, Du Piu, Tentzelius permoti, negant extare Tatiani harmoniam. Tribus autem argumentis Valesius, cui perperàm præfixum olim fuit nomen Ammonii, harmoniam à Tatiano abjudicat: *Evangelium Tatiani*, inquit, *ipsismet Evangeliorum verbis contextum fuit, resectis duntaxat iis, quæ ad Davidicam Christi genealogiam spectant. Præterea in Opere illo, quod editum est, Christus Filius David dicitur non semel. Denique tres anni prædicationis Christi in illo Opere distinguuntur, cùm Veteres annum duntaxat unum prædicationi Christi tribuerint.* *Verißima* ea esse argumenta *planèque sufficientia, quæ vulgarem opinionem refellant*, censet Tentzelius. Nos verò secundam Valesii rationem, optimam esse judicamus, à Theodorito moniti, Tatianum ex suo Opere Genealogias non amputasse modò, sed alia quoque pepulisse omnia: *Quæcunque ostendunt, Dominum natum esse secundum carnem.* Sunt autem in harmonia, quæ vulgò Tatiani esse putatur, loci complures, in quibus Christus, *Filius David* nuncupatur. Legatur *annus tertius Dominicæ prædicationis.* In aliis verò argumentis Valesii, plus virium desideramus. Quippe Tatiani Evangelium *ex ipsismet Evangeliorum verbis*, totum fuisse contextum, ut nullum in eo reperiretur vocabulum, quod Evangelistæ non ipsi fœnerassent, aliquisne Veterum dixerit, ignoramus: non dixisse tamen Eusebium, non Epiphanium, non Theodoritum, certè certòque scimus. Quòd si Tatianus *Pauli Apostoli compositionem, elegantioribus verbis* mutavit, adeòne vocum Evangelistarum tenax fuit, ut ne vel minimam substituisse, aut addidisse voculam putandus sit? Cùm Autor ille Catholicus, cujus *conscriptam habemus epitomen*, Evangelistarum vocibus non prorsus affixus fuerit. Tertium porro Valesii argumentum, viri eruditissimi *παρόραμα* est, non ratio. Est quidem in confesso, Veterum complures *annum duntaxat unum* Christi prædicationi contribuisse. Constat tamen Irenæum ab absona hac abhorruisse sententia, utpote qui trium à Domino celebratorum Paschatum mentionem facit refellendis Valentinianis: *Quoniam autem tria hæc Paschatis tempora, non sunt unus annus, omnis quilibet confitebitur.* Quid ni ergo Tatianus, Irenæo coætaneus, ejusmodi quoque sententiæ fuerit, annos in prædicando Evangelio complures Dominum implevisse, quod ignorare non potuit homo, qui conscribendæ harmoniæ animum accommodaverat? adeò apparent extantque in Evangelio anni multi Dominicæ prædicationis, ut sanè prodigio sit, fuisse viros, qui eam annuo spatio prædicationem circumscripserint.

B. M. P. t. 19. 742.

Vales. Annot. in Euseb. p. 75.

Exercit. p. 224.

Iren. l. 2. c. 39.

ANNO U. C. 926. OLYMP. 238. PER. JUL. 4886. JUL. 218. DOM. 173. M. AURELII 12. & 13. *Sol.* 14. D. *Lun.* 3. *Indict.* 11. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 4. P. 19. *April.*

ANNO DOM. 173.

COSS. *M. Aurelius Severus II. & T. Claudius Pompeianus.*

Quis Pompeianus?

I. CLaudium Pompeianum, qui hoc anno fastos reseravit, M. Aurelii fuisse generum, nominis similitudo, Onuphrio, Baronio aliisque arbitrandi ansam præbuit. Quæ tamen sententia Annalium sanè perturbatio est. Defuncto Avidio Cassio, Pompeianum Consulem creatum esse, ex Marci ad Faustinam Epistola scimus atque tenemus: *Si ex mea sententia, de bello judicatum esset, nec Avidius esset occisus. . . Pompeianum nostrum in annum sequentem Consulem dixi.* Periisset ergo Cassius anno præterito. At non ita est. Obiit enim anno CLXXV. Itaque Pompeianus hujus anni Consul à Pompeiano, qui ductâ in matrimonium Lucillâ, Marco gener fuit, omninò diversus est.

Vulcat. Caß. c. 11.

Marci Acta quædam.

II. Cùm multi nobiles in bello Marcomanico periissent, amici Marci frequenter suaserunt, ut à bellis discederet, & Romam veniret, sed ille contempsit ac perstitit. Nobilibus qui in his bellis interierant, omnibus statuas in foro Ulpio collocavit. Intereà dum aberat, populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos editores. Reprehensiones tamen effugere non potuit. Quia durus videbatur ex Philosophiæ institutione ad militiæ labores, atque ad omnem vitam graviter carpebatur: sed malè loquentium dictis, vel literis, vel sermone respondebat.

Capit. Marc. c. 22.

Pausanias.

III. Nostris dignus est Annalibus Pausanias nobilis Scriptor, qui Marco imperante floruit, de quo Autore Suidas: *Pausanias Lacon Historicus scripsit de Hellesponto: Laconica: Annales: De Amphyctionibus: De festis Laconicis.* Extant adhùc de veteris Græciæ regionibus libri X. Eliacorum priorem, qui est numero V. currente anno scribebat, ut ex his colligitur quæ ferè initio libri leguntur: *Abhinc annos fermè ducentos decem & septem, colonia hæc ab Imperatore deducta est*, Julio videlicet Cæsare. Arcadica verò, qui liber est octavus, post exhaustum bellum Marcomanicum

condi-

ANNO DOM. 173.

conditus est: Marcus *ferocissimos Germaniæ populos, & plurimas Barbarorum in Europa nationes, & in his Sauromatarum gentem, à quibus injusto bello fuerat provocatus, armis demuit.* Itaque non ante annum CLXXVII. Arcadica scribere potuit, cùm pax anno superiore post devictos Germanos Sarmatasque io imperio constituta sit.

Dionysius Corinthius.

IV. Imperante Marco, florebat Dionysius Corinthius, vir de Ecclesia benè meritus. Quo præcisè anno Episcopatum, inierit est dictu difficillimum. Constat id gessisse muneris, eo tempore quo Soter Romanam administrabat Ecclesiam. Extat enim ejus Epistola Soteri nuncupata. Soter autem circa Marci & Lucii Augustorum initia, Episcopus creatus est. Paucis Dionysii & virtutes, & scripta complectitur Hieronymus, cujus idcircò verba repræsentamus: *Dionysius Corinthiorum Ecclesiæ Episcopus, tantæ eloquentiæ & industriæ fuit, ut non solùm suæ civitatis & Provinciæ populos, sed & aliarum Provinciarum, & urbium Episcopos Epistolis erudiret. E quibus est una ad Lacedemonios, alia ad Athenienses, tertia ad Nicomedienses, quarta ad Cretenses, quinta ad Ecclesiam Amastrianam, & ad reliquas Ponti Ecclesias, sexta ad Gnossianos, & ad Pinytum ejusdem urbis Episcopum, septima ad Romanos, quam scripsit ad Soterem Episcopum eorum, octava ad Chrysophoram sanctam fœminam.* Nil ferè præter Epistolarum materiam, & illis tutum fuit ab injuria temporis. Negligentiam accusat Atheniensium, qui à fide propemodum desciverant, ex quo Publius ipsorum Episcopus vitam clauserat martyrio. Curâ tamen Quadrati, qui Publio successerat, ipsorum pietatem reparatam esse perhibet. Epistola ad Nicomedienses, Marcionis hæresim impugnat, scripto ad Cretenses suo, Philippum ipsorum Episcopum celebrat, cujus Ecclesia generosi laudem animi retulerat, monetque ut ab Hæreticorum fraudibus careant. Epistola ad Ponticas Ecclesias, multa de nuptiis atque de castitate præcipit, & cunctos qui à quovis & lapsu & hæresi resiliunt, benignè suscipi jubet io Epistola ad Soterem. Egregium Ecclesiæ Rom. morem Dionysius docet, quem prætertire non possumus: *Hæc vobis consuetudo est jam inde ab ipso Religionis exordio, ut fratres omnes variis beneficiorum genere afficiatis, & Ecclesiis quàm plurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus faciunt necessaria suppeditatis, per hæc quæ ab initio transmittere consuevistis munera, morem institutumque Romanorum à majoribus vestris acceptum Romani retinentes. Atque hunc morem beatus Episcopus vester servavit non solùm, verùm etiam adauxit.* In Epistola ad Gnossios, Pinytum Ecclesiæ illius Episcopum monet: *Ne grave onus castitatis, fratrum cervicibus, tanquam necessarium imponat.* Tradit etiam ille Scriptor, Epistolas suas à falsariis esse corruptas: *Quos certè manet feralis illa sententia, Væ* vobis. Periere omnia Dionysii Opera, gravissimo Ecclesiæ damno.

Eusob. l. 4. c. 23.

Apollinaris Hierapolitanus.

V. Coævus Dionysio fuit Apollinaris Hierapolitanus Episcopus, qui scriptis quoque suis emolumento fuit Ecclesiis. Externis Philosophorum disciplinis imbutum fuisse, tradit Theodoritus. Opera hæc sunt, quorum meminit Eusebius, qui tamen non omnia viderat: Oratio ad Marcum Imperatorem: Adversus Gentiles libri v. De veritate duo: Duo item adversus Judæos, & alii quos postmodum scripsit contra Cataphrygum hæresim, quæ tum primùm enasci cœperat. Literæ Apollinaris, de quibus mentionem fecit Serapio Antiochenus Episcopus, nobis non discrepare videntur à libris quorum meminit Eusebius. Secus de his quoque Epistolis commemorasset, in Catalogo Operum Apollinaris. Serapionis verba sunt ad Caricum & Ponticum: *Atque ut sciatis, qualiter universa, quæ in terris est fraternitas, operationem illam, simulatæ factionis, quæ nova Prophetia nominatur, aversata atque abominata est, beatissimi patris Claudii Apollinaris, qui Hierapolitanæ urbis in Asia Episcopus fuit, literas ad vos misi. Insignem virum fuisse oportet, cui Antiochenum Episcopus patris nomen indidit.* Apollinaris autoritate atque exemplo adversus Rufinum se tuetur Hieronymus, quærentem cur io Operibus suis profanis Autoribus uteretur. Plurimi Apollinaris libros facit magnus ille Criticus Photius: *Lectus est Apollinarius adversus Gentes, de pietate. Vir sane præstans, & phrasi non usus pœnitendâ.* Octavo Januarii Apollinaris memoria in Martyrologio Rom. recolitur. Hic est ille Apollinaris, qui Christianorum legionem, cujus precibus fulmina io Quados adversus M. Aurelium pugnantes cecidere, *Exinde fulmineam ab Imperatore cognominatam esse*, scripto prodidit. Quæ traditio nostris ponderibus mox est examinanda.

Eusob. l. IV. c. 27.

Eusob. l. V. 19.

Hier. Ep. 84.

Phot. c. XIV. p. 19.

Eusob. l. V. 5.

Soter Episcopus Rom. perieritne martyrio?

Bar. An. 175. n. 3.

VI. Soterem Aniceti successorem *sedere cœpisse die quartâ Maii* currentis anni, Baronii Chronologia est. Quæ falso propius abest. Supremum diem jam morte confecerat Soter, quo tempore Episcopatum iniisse dicitur. Neque Veterum ullus Baronianæ opinioni præsidio est. Soteris initium cum anno Marci octavo copulat Eusebius l. 4. c. 19. Catalogus Bucherianus, quem hîc ingens incessit corruptio, nihilominus initia Soteris anno CLXXI. illigavit, *Severo*, quem *Verum* appellat, & *Herenniano* Coss. Aliud Chronicum, quod auctius Veterum Pontificum dicitur, Soterem fuisse tradit *à Consulatu Rustici & Aquilini usque Cethego & Claro*. Epistola prior Soteris data *est Nonis Maii Rustico & Aquilino Viris clarissimis Coss.* Quæ immeritò eo nomine rejicitur, in Collectione Conciliorum Maxima: *Hæc quoque deliriat temporis nota, anno* CLXXII. *congruens.* Imò colligendum Pseudo-Soterem in accuratiorem Pontificum incidisse Catalogum, quàm ille est, cui Baronius innititur. Vita sanè Soteris ex libro Pontificali disertè habet, Soterem fuisse *à Consulatu Rustici & Aquilini, usque ad Cethegum & Clarum.* De initio Soteris variant eruditi. Onuphrius illud ducit ab anno Dom. CLXII. Pagius à superiore, quæ Pearsonii quoque Chronologia est. Dodwellius verò Soterem ab anno CLIII. ad CLXII. sedisse statuit. Qua de re viderint, quibus ad umbras sectandas satis est otii. Soterem ajunt, *Natione fuisse Campanum, ex patre Concordio, de civitate Fundis.* Quæ recentiorum ex officina prodiere. Virum optimum fuisse, constat ex Dionysii Corinthii Epistola. Egentibus Confessoribusque necessaria vitæ subsidia transmittebat Ecclesia Rom. *Atque hunc morem beatus Episcopus vester Soter, non servavit solum, verùm etiam adauxit, tum munera Sanctis destinata copiosè subministrans, tum fratres peregrè advenientes tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando.* Scriptis quoque suis Montanistarum errores Soter impugnasse dicitur. Qua de re extat

Eusob. l. 4. c. 23.

locus

ANNO DOM. 173.

Prædest. hær. 26.

locus insignis apud Anonymum, titulo *Prædestinati* à Sirmondo editum: *Scripsit contra eos librum S. Soter Papa urbis, & Apollonius Ephesiorum Antistes. Contra quos scripsit Tertullianus Presbyter Carthaginensis. Qui cum omnia bene, & primè, & incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum urbis Papam.* Non improbanda forsan conjectura est, Soterem voluisse Asiaticos, qui Romæ versabantur, de celebrando Paschate, ad Ecclesiæ R. morem componi. Pontificibus quidem Soterem non inserit Irenæus, qui cum illis pacem colebant, qui ex Asia ad se veniebant. In persecutione, quæ anno XVII. Marci Ecclesiam invasit, Soterem periisse, creditum Baronio an. CLXXIX. n. 50. Nos verò Soterem Martyribus eximimus. Soterem sanè perinde atque Telesphorum Martyribus inseruisset Irenæus, si sanctus ille Pontifex, qui nomine suo dignum faciebat, Ethnico furori sanguinem dedisset. Ignoravit & Martyrem Soterem Eusebius:

Euseb. l. 4. c. 30.

Ecclesia Romana Episcopus Soter vivendi finem fecit. Quæ documento sunt, Soterem siccâ morte occubuisse. Ne vel Pontificalis ipse liber, innuit Soterem obiisse martyrio, de quo ne verbulum quidem habet: *Qui sepultus est in cœmeterio Callisti via Appia* 10. *Cal. Maias.* Laureâ quidem martyrii ornari Soter non potuit, in gravissima ea persecutione quæ vexavit Ecclesiam, anno Marci XVII. cui mors Sancti Pontificis antecesserat. Neque tanti viri gloriosum pro fide certamen, oblivioni dedisset aut Eusebius, aut Viennensium Epistola. Figmentum est Baronii nullo Veterum testimonio fultum, quòd Soter *in ea persecutione sublatus sit.*

Duæ Soteris Epistolæ suppositæ.

VII. Geminæ Soteri Epistolæ vindicantur. Prior de fide & incarnatione D. N. J. C. ad Campaniæ Episcopos. Posterior ad Episcopos Italiæ: *Ne femina sacra vasa, vel sacras pallas contingant, vel altaria incendant.* Utraque Epistola subdita est. Prioris titulus est, *Soter Apostolicæ sedis Archiepiscopus* &c. qui titulus secundo seculo ignorabatur. Dimidia ferè pagina, de verbo ad verbum exscripta est è libro Idacii adversus Varimadum. Conferatur Maximæ Patrum Bibliothecæ tom. v. p. 729. cum Epistola. Posterioris Epistolæ hic est titulus: *Dilectissimis fratribus per Italiæ Provincias sanctis constitutis Episcopis, Soter Papa*, quem sibi titulum Romani Episcopi non imponebant suis in Epistolis. Initium Epistolæ ex quarta Leonis decretali desumptum. Hoc solummodò discrimine, quòd Pseudo-Soter usurpat verba *informamur*, Leo verò adhibet *incitamur*. Inveniuntur etiam nonnulla Soteris apud Gratianum decreta, quæ sunt ejusdem farinæ cum Epistolis. Germana est Soteris Epistola Dionysio missa Corinthio, de qua sic loquitur:

Euseb. l. IV. 23.

Hodie sacrum diem Dominicum transegimus. In quo Epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuò deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis à Clemente scriptam Epistolam, optimis præceptis ac documentis abundabimus. Verùm insignis illa Epistola desideratur.

Bardesanes.

VIII. Sub ea tempora novis Ecclesia calamitatibus afficitur ortu Hæretici, qui ingenio & eruditione pollebat maximâ. Is Bardesanes fuit, de cujus ætate, ad annum superiorem hæc refert Eusebius in Chronico: *Bardesanes alterius hæreseos princeps notus efficitur.* Fueritne Christianus ille Abgarus, quem Epiphanius *sanctissimum* vocat, prorsus nescimus. Se dignum fecisse scimus dum illorum, qui Matris Deorum in honorem se abscindebant, manus amputari jussit: *Nec quisquam posteà in Osroëne virilia sibi amputavit.* Verùm de Bardesanis patria & cum Abgaro familiaritate, ut Epiphanio libenter assentimur, sic ab eo, atque Augustino diversi sumus, existimantibus Bardesanem ejuratâ fide, ad Valentinianos defecisse. Imò relictâ Valentini familiâ, in Christi scholam migravit, teste Eusebio, qui & antiquitate, & Historiæ peritiâ præstat Epiphanio:

ANNO DOM. 173.

Euseb. de Præp. l. 6. c. 9.

Euseb. l. IV. c. 30.

Atque Bardesanes primùm quidem sectator fuit Valentini. Posteà verò cùm doctrinam illam improbavisset, & pleraque ejus dogmata fictas esse fabulas confecisset, ipse quidem visus est ad rectiorem sententiam transiisse. Paria geminaque leguntur apud Hieronymum, in libro de Viris illustribus c. 33. *Bardesanes in Mesopotamia clarus habitus est, qui primum Valentini sectator, deinde confutator novam hæresim condidit.* Acrem quem ipsi natura indiderat animum, in Religione servans, Confessorem egit. Erat Apollonius quidam Stoicus, quem Chalcide Antoninus Pius acciverat, ut Marcum informaret Aurelium: ea de causa ipsi familiaris evaserat. Is ut se Christianum negaret, Bardesani suadere voluit. Dignum homine isto consilium, avaro scilicet, atque superbo, cujus dictum insolens celebrat historia. Quippe ad Tiberianam domum cum vocanti Pio, ut Marcum literis imbueret, responderat:

Capit. c. 10. 272.

Non Magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad Magistrum. Hic est Apollonius ille, cujus impiis sanè consiliis Bardesanes meritò acquiescere noluit:

Epiph. h. 56. n. 1.

Etenim patrocinio pietatis fortissimè suscepto, negavit mortem se timere, cujus etsi Imperatori non resisteret, sibi nihilominùs necessitas immineret. Egregium divinumque constantis animi responsum! Quem verò Bardesanes errorem seminavit atque fovit, ut novam familiam duceret, non satis scimus, neque est ab Eusebio, aut Hieronymo proditum. Id solùm narrat Eusebius:

Euseb. l. IV. 30.

Bardesanes, *vetusti atque insoliti erroris sordes, non penitùs extersit.* Num idcò erroris damnatus, quòd præter liberum mentis arbitrium, humana omnia fati potestati subjiceret, quam pro malè sana sententiam Patres habuere? Hæc narrat Epiphanius: Bardesanes *mortuorum resurrectionem sustulit, itaque privatam hæresim condidit.* Id sane mirum, si quod subjungit Epiphanius, Bardesanes, *legis at Prophetarum libros, adeòque Vetus & N. Testamentum* suscipiebat. In quibus, verbis expressis defunctorum resurrectio docetur. In Augustini de Hæresibus libro hæc legimus. Bardesanes addit *de suo, ut fato ascriberet conversationes hominum.* At vero fit proximum, verba hæc esse Augustino subdita, cùm fatum Bardesanes libris editis impugnarit, nec Veterum ullus id opinionis ascripserit Bardesani. Itaque eruditi, qui antiqua Augustini exemplaria manibus multa trivere, in eis desiderari verba testantur. Alium Bardesani errorem ascribit Sirmundi Prædestinatus c. 35. *Bardesan dicitur perfectus fuisse Catholicus, sed postea in id per Valentini discipulum incurrisse, ut malam diceret carnis humana creaturam, animæ bonam. Hunc in Cappadocia damnavit Theodoritus Episcopus.* Fides sit penes Autorem. Illud in Bardesane non laudamus, quòd referente Epiphanio, *Apocryphos quosdam libros adhiberet.* Bardesanem à Diodoro Tarsensi accusatum esse scimus, quòd corpus & ea quæ ad illud spectant, *Divitias, egestatem, morbum, vitam, mortem &*

Phot. Cod. 223. 662.

quæ

ANNO DOM. 173.

quæ non sunt in nostra potestate, Fato gubernanda subjiciat. Græcæ Syriæque linguæ, Bardesanem peritum nobis obtrudit Epiphanius. De Bardesanis in Græcis peritia, pace Epiphanii nobis dubitare liceat, cùm Opera sua Syriacè omnia condiderit, Eusebio teste: *Bardesanes quidam vir disertissimus, Syriaco sermone, & acerrimus in disputando, adversus Marcionem aliosque variarum opinionum auteres, patriâ linguâ Dialogos conscripsit, unà cum infinitis aliis opusculis. Quos discipuli illius, ex Syriaco sermone, in Græcum transtulerunt.* Quonam igitur argumento Græcam Bardesanis eloquentiam atque facundiam deprehendere Epiphanius potuit? Inter Bardesanis libros, ille *de Fato* eminebat, dignus sanè qui Imperatori M. Aurelio offerretur. In eo disputabat adversus Astrologum, nomine *Abidam*, qui perperàm *Adiba* vocatur Baronio. *Clarissimus* & *fortissimus* liber dicitur Hieronymo: *Si autem tanta vis est & fulgor in interpretatione, quantam putamus in sermone proprio?* Ex eo Dialogo fragmento nobis nonnulla servavit Eusebius, in quibus ea legitur sententia: *Quemadmodum libertas nostra cogi non potest, sic corpus nostrum non facilè potest pericula effugere. Et certè si omnia potestatis essent nostra, nos essemus universa. Si verò nihil possemus, aliorum essemus organa, nihil nostrâ voluntate producentes.* Bardesanes filium habuit nomine *Harmonium*, Athenis Græcis disciplinis excultum, de quo hæc memorat Sozomenus *l. 3. c. 16. Harmonium primum patrium sermonem metris ac modulis subjecisse dicitur, & choris tradidisse: Quâ ratione Syri etiamnum frequenter psallunt, non carminibus ab Harmonio scriptis, sed numeris ejus utentes. Nam cùm à paterna hæresi non omninò alienus esset, neque ab iis quæ de anima & de ortu atque interitu corporis, deque regeneratione, Græcorum Philosophi sentiunt, scripta sua ad lyræ cantum composuit, & opiniones illas operibus suis inseruit.* Patris filiique errores Edessenus Ephrem refutavit.

Euseb. l. iv. 30.

Euseb. de Præp. Evang. l. 6. c. 10.

ANNO DOM. 174.

ANNO U. C. 927. PER. JUL. 4887. JUL. 219. DOM. 174. M. AURELII 13. & 14. *Sol.* 15. C. *Lun.* 4. *Indict.* 12. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 5. P. 4. *April.*

COSS. *Gallus & Flaccus.*

Pluvia Romanos recreat: fulgura mittuntur in Quados.

I. POst victos Marcomannos & Jazygas, prælium acre cum Quadis Marco fuit. Cùm in maximum periculum Romani venissent, interclusi ab hostibus in locis opportunis, atque interim Barbari different prælium, sperantes Romanos ob sitim & calorem, ipsorum in potestatem facilè venturos, quos circum occupatis locis omnibus, sic concluserant, ut aquam habere nullo pacto possent. Cùmque Romani in tantas difficultates incurrissent, ut labore, vulneribus, ardore Solis, ac siti vexati, ob eas res pugnare haud possent, aut aliò secedere, sed in acie stantes, atque iis in locis constituti arderent, multæ nubes derepentè ita coactæ sunt, ut maximus imber aquæ ceciderit. Quod ubi factum est, primùm quidem Romani pluviam in ora recipiebant, deinde scutis galeisque subjectis, inde sorpsere largiter, equisque ad bibendum dedere. Tum Quadi impetu facto, gravi clade, Romanos qui simul & bibebant, & pugnabant affecissent, nisi vehemens grando, compluraque fulmina in hostes cecidissent. Quo casu claram de hostibus victoriam Marcus retulit. Hac de causa à militibus septimùm Imperator vocatus est. Quod etsi admittere non consueverat, priusquam esset decretum à Senatu, tamen non repudiavit, quasi id divinitùs acciperet. Faustina quoque, Mater legionum appellata est. Capitolinus id auxilii, Marci precibus vindicavit: *Fulmen de cœlo, precibus suis contra hostium machinamentum extorsit; suis pluvia impetrata, cum siti laborarent.* Romanis siti laborantibus, pluviam auxilio fuisse, negari non posse, nisi fortè ab iis quibus frons perierit, existimamus, cùm in ea re nil sit fide majus, neque confugiatur ad miracula Naturæ vires superantia, quæ facilè admitti non debent. Curtius de Alexandro petente Jovis Hammonis oraculum: *Sol,* inquit, *omnia incenderat, siccaque & adusta erant omnia, cùm repentè sive illud Deorum munus, sive casus fuit, obducta cœlo nubes condidere solem, ingens æstu fatigatis etiamsi aqua deficeret auxilium. Enimverò ut largum quoque imbrem excusserunt procellæ, pro se quisque excipere eum quidam ob sitim impotenter sui, ore quoque hiante captare cœperunt.* Neque etiam fides narrationi Dionis detrahi debet, quòd pluvia hæc fulminibus grandineque mixta fuerit. Cùm ingruentibus æstatis siccitatibus sæpenumerò procellæ contingant ejusmodi. Imò eo tempore vix pluvia cadat absque procellis & fulguribus. Quid obstat igitur, quominus Quados in vultum ferierit vis grandinis igne commixtæ, ventis flantibus à tergo Romanorum? Casum ejusmodi contigisse, pugnantibus Nigrianis & Severianis, à Dione est scripto proditum. Vicissent Nigriani, *Nisi Cœlo sereno & nullâ vi ventorum perturbato, nubes, venti, horribilia tonitrua ac fulgores cum maximo imbre extitissent. Quæ res ut molestiam non exhibebant Severianis, quòd à tergo essent, ita Nigrianos, quòd irruerent ex adverso, maximè conturbabant.* Cùm igitur huic casui qui ordinarius est, gravissimi Historici testimonium perhibeant, extentque nummi complures, qui historiæ suffragantur, absque ulla quidem credulitatis nota, in animum inducere nostrum possumus, & pluviam Romanis sitim levasse, & fulgura grandinemque, veluti tela vi ventorum in Barbaros vultus immissa, victoriam Romanis peperisse. In ea re quid est absurdi? Id nostro quidem judicio concedi debuit, ab autore diatribæ, *de Legione Fulminatrice.* Non dissimulare tamen possumus, nonnulla in Historicis legi, quæ à nobis fidem non impetrant.

Dio l. 71. 805.

Capit. Marc. cap. 24.

Curt. l. 4.

Dio l. 74. 843.

Pluvia Marco concessa, vi magicâ non cecidit.

Dio l. 71. 805.

II. *Fama est*, verba sunt Dionis, *Arnuphim Magum Ægyptium, qui cum Marco erat, Mercurium præsertim illum, qui est in aere, aliosque Dæmonas, quibusdam artibus invocavisse, ac per eos pluviam elicuisse.* Eodem & rumore Claudianus afflatus est, in egregio de sexto Consulatu Honorii Poëmate. 344.

Non tantis patria studiis ad Templa vocatus
Clemens, Marce, redis, cùm gentibus undique cinctam
Exuit Hesperiam paribus fortuna periclis.
Laus ibi nulla Ducum, nam flammeus imber in hostem,
Decidit hunc dorso trepidum flammante ferebat
Ambustus sonipes, hic tabescente solutus,
Subsedit galea, liquefactoque fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.
Tunc contenta polo mortalis nescia teli
Pugna fuit, Chaldæa Mago seu carmina ritu
Armavere Deos, seu quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

M. Ant. Vit. l. 1.

Arnuphim pluviam elicuisse non credimus. Magis quidem fidei nil Marcus adhibuit, monitus, ut ipse ait, *A Diogneto, studium in res inanes non conferre, fidem abrogare iis, quæ de incantationibus, Dæmonumque profligationibus, ac id genus aliis rebus præstigiatores & impostores referunt.* Verissimè quoque Xiphilinus, fabulam impugnans: *Nusquam*, inquit, *memoria proditum est, Marcum Magorum congressibus aut præstigiis fuisse delectatum.* Nullus ergo Magus, comes aut familiaris Marco, ut fabulis sit apponendum, quod de Arnuphi pluviam incantationibus eliciente cantatur. Neque nobis probatur inventum Baronii, quod Clarissimo tamen Huetio placuit, nempe Mago tributum fuisse, quod erat hominis Christiani, quia à *Gentilibus, Christiani, Magi consueverint appellari.*

Baron. an. 176. n. 8.

Quasi verò ignoravit Dio, Mercurium, Dæmonesque, à Christianis non invocari. Ille igitur Arnuphis, à quo pluviam adductam esse fama erat, à Dione pro Christiano non habebatur, cùm Dæmonum auxilio pluviam istam elicuisse dicatur. Neque etiam Christiano Philosopho Marcus familiariter utebatur. Dionis autoritatem secutus Suidas, Arnuphim Ægyptium Philosophum fuisse scribit. Imò Juliano cuidam, cognomento *Theurgi*, qui Chaldæo Philosopho, Juliano quoque dicto natus, imbrem ascribit, & tonitrua, quem non Christianum, sed Magum fuisse, documento sunt scripta ejus: *Scripsit & ipse versibus Theurgica, initiatoria, & oracula, & alia quæcunque sunt hujus scientiæ arcana.* Neque ab uno Christiano, cui Arnuphi nomen, sed à *Legione Melitinensi*, quæ tota Christum colebat, vi precum pluvia cecidisse, narratur à Scriptoribus Ecclesiasticis.

Dio l. 71. 806.

Denique exaggerata nobis est hæc Oratio Dionis: *Neque imber juvabat Barbaros, sed immissas ei flammas etiam magis velut oleum excitabat, ut aquam requirerent pluviâ perfusi, infligerentque pars sibi vulnera, quo ignem sanguine restinguerent, pars confugerent ad Romanos, quasi illis tantummodò aqua esset salutaris.* Id unum censemus esse verum, quòd procella, aquæ multum Romanis, fulgurum verò minimum ministraret, in Quados autem grandinem, fulminaque, & copiosè, & vehementer torqueret.

Vix credibilia de pluvia Marci à Christianis tradita.

Euseb. l. 5. c. 5.

III. Auxilium Marco datum, Christianorum precibus Scriptores Ecclesiæ vindicarunt: *Milites legionis Melitinæ, quæ fidei merito nunc etiam manet, dum Marci acies adversus hostes ordinatur, flexis in terram genibus, ut Christianorum mos est, preces ad Deum fudisse perhibentur. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam longè majori dignum admiratione accidisse narrant. Hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copia in fugam versa, atque extincta sunt: illinc verò imbrium vim, quibus exercitus eorum qui Deum precati fuerant, jam jam siti periturus, præter spem recreatus est. . . . Apollinaris legionem ipsam, cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo, fulmineam ab Imperatore cognominatam esse scribit.* Pluviam orationibus Christianorum ascribit & Tertullianus:

Tertul. Apol. c. 5.

De tot exinde Principibus usque ad hodiernum divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario, edimus protectorem, si literæ M. Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus, impetrato imbri discussam contestantur. Quibus sicut palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjectâ etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Novis adhùc pigmentis narrationem ornarunt, qui Tertulliano, Apollinari, Eusebio fuere recentiores. Audiamus Nyssenum: *Erat vetus circa vicinam urbem militum manus, præsidium totius gentis adversus impetus Barbarorum. Illis ex quadam ante oblata divinitùs apparitione, majori studio fides erat, quàm res ac disciplina militaris.* Quorum hoc egregium facinus fuit, dum ex aquæ penuria ad extremum exercitus periculum redigebatur:

Nyssen. Orat. 2. in 40. Martyr. t. 2. 505.

Relictis enim in castris iis qui nondum fidem receperant, ac per se separati, communi ac conjunctâ voce, precibus petunt, ut ex rebus desperatis, in quas inciderant, eriperentur. Atque illi quidem precabantur, preces verò extemplo in opus convertebantur. Scilicet incendia in hostes subitò immittuntur. Xiphilinus etiam Symbolam conferre suam voluit ornando prodigio. Nescienti Marco quid consilii caperet, Præfectus Prætorio dixisse fertur:

Dio l. 71. 806.

Nil esse quòd ii, qui Christiani vocantur, precibus impetrare non possint, esseque legionem integram in exercitu hominum ejus generis. Quâ re cognitâ, Marcum ab iis petiisse, ut Deo suo supplicarent. Abeat Xiphilinus cum suo figmento, Marcum à Christianis petiisse capiti & fortunis suis auxilium, qua de re ne vel per somnium Antiquis cogitatum. Neque erroris etiam immunis est Gregorius Nyssenus, quem perstringere non veretur Christianus Lupus:

Lup. Schol. in Tert. c. 43. 749.

Verum ex ipsis fuisse suos XL. *Martyres, labitur Gregorius Nyssenus. Hi sunt longè juniores, utpote passi sub Imperatore Licinio.* Quippe verba sunt Nysseni, de militibus qui oratione suâ, pluviam & fulgura evocasse ferebantur: *His igitur & adjunctus est, ὁ ἡμέτερος τῶν στρατιῶν χορὸς, noster militiæ cœtus.* Quæ valde obscurat versio, *noster cœtus eorum*, absque ullo sensu. Hic est autem ingens Nysseni prochronismus, ducentorum amplius annorum. Fabulam quoque redolet, quod Sanctus ille pater narrat, de *oblata* huic Christianorum legioni, *cælesti visione*: Neque verius quod habet, hosce milites, *Relictis in castris hominibus, qui nondum fidem receperant*, separatim preces fudisse: quæ cum disciplina militari omninò pugnant. De Romanorum disciplina Josephus:

Joseph. de B. l. 3. c. 3. 836.

Cùm autem, inquit, *castris egrediendum est, tuba indicium facit.* Vetat sanè ratio, prohibet vetat & obedientia, milites quosvis, injussu Imperatoris, de præsidio & statione sua decedere, præcipuè cùm undique cinguntur ab hostibus. Castrisne egrediebantur, quoties preces fundebant suas, bis scilicet, terve singulis diebus? Cur verò hâc vice potius, quàm aliâ? Ut autem præcipuè in arcem traditionis Veterum invadamus, quatuor hîc sunt à nobis diligenter examinanda. Primùm, fueritne in Marci exercitu legio Melitinensis, quæ Christianis tota constaret? Secundò, legio fulmineæ nomen adepta fuerit, ob patratum precibus ejus miraculum? Tertiò, Marcusne pluviæ quâ cum exercitu recreatus est, auxilium Christianis ascripserit? Denique ea de causa miseritne Senatui literas, *Ut ab ejusmodi hominibus pœnam dimoveret?*

Utrùm legio Christianorum Marci in exercitu?

IV. Primùm quod attinet, non ii sumus, qui inficiamur, Christianorum aliquos ad Marci signa convenisse. Scimus enim ex Tertulliano, militem fuisse qui *libero capite, coronamento in manu otioso*, Tribuno responderit, *Christianus sum.*

Anno Dom. 174.

sum. Novimus etiam imperante Galieno, Marinum Centurionem Cæsareæ, nobili functum fuisse martyrio. Illud etiam faciles largimur, Christianorum precibus, qui Romanorum in legionibus militabant, impetratam esse pluviam. Quidni *cùm multum valeat deprecatio justi efficax*, Elizæique orationibus, vallis impleta sit aquâ, cujus penuria maxima erat in exercitu Regum Israëlis, Judæ & Idumæorum. Fidelium potius quàm Marci precibus, auxilium pluviæ laboranti exercitui fuit adductum. Quod verò Legio esset, quæ tota Christianis constaret, in animum quidem inducere nostrum nequimus. Quippe etsi bellum licitè justèque geri possit, quod eruditè more suo ostendit Grotius, de Jure belli & pacis libro 1. c. 2. constat tamen veteres Christianos, alienum à militia gessisse animum, quorum mites placidique mores, cum cruentis armorum exercitiis non conveniebant: *Puto prius conquirendum*, verba sunt Tertulliani, *an in totum Christianis militia conveniat?* Adductis autem rationibus benè multis hoc addit: *Et vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum? . . . Et excubabit pro Templis, quibus renunciavit? Et quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit? . . . Vexillum quoque portabit, æmulum Christi?* Neque propria Septimio sententia hæc est. Hoc ipsum sentit & Origenes, contra Celsum, libro tertio: *Quod autem ad Christianos attinet, cùm sint instructi, ut ne inimicos quidem ulciscantur, servant hi placidam illam & clementiorem sibi impositam legem: & cùm bella gerere etsi validiores prohibentur, &c.* Lactantius quoque hoc scripto prodidit: *Ita neque militare justo licebit, cujus militia est ipsa justitia.* Præterea in castris multa erant Idololatriæ monumenta. Aræ & imagines ante vallum, sacrificia sæpius perpetrata: *Prætorium Deorum Templo simillimum*, aquilarum veneratio, à quibus Christiani abhorrebant. De Antonino Severo Herodianus: *Ut autem castra attigit, ædiculamque eam, intra quam signa, & simulacra exercitus adorantur, &c.* Neque est & illud prætereundum, Celsum in libro suo, quem Marco imperante editum existimamus, hortari Christianos, *Ne detrectent militiam*; cui respondet Origenes, *Cum ipso Imperatore licet nos impellat, non militamus, sed propter ipsum instruimus castra propria, pietatis auspiciis, rem deprecationibus gerentes.* Rarissimi ergo Christiani Marci in exercitu, quibus tamen abundabat, si vel una legio Christianis militibus tota constabat. Quantò plures igitur extabant in manipulis, cohortibus, legionibus! Quin etiam captu est difficillimum, quâ ratione Christiani in unam legionem seorsum convenere, aut qua de causa? Neque etiam animo complecti valemus, quî fieri potuerit ut grassanti imperante Aurelio persecutioni, ea legio Christianorum eximeretur. Observavimus enim cùm effrenatus & præceps furor vastabat Ecclesiam, milites qui Christo nomen dederant statim pœnas luisse. Sic generosus ille miles, de quo commemoravit Tertullianus: *Reus apud Præfectos, russatus sanguine suo, donativum Christi in carcere expectabat.* Sic Marinus Centurio ad supplicium adducitur apud Cæsaream, quod Theotecno civitatis hujus Episcopo non irrogatur. Sic Diocletianus: *Datis ad Præpositos literis, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, ut qui non paruissent, militiâ solverentur.*

Tertul. de Cor. cap. 11.

Lact. l. VI. cap. 20.

Herod. l. 4.

Orig. in Cels. l. 8. 427.

Tert. de Cor. c. 1.

Lactant. de Mort. cap. 10.

Tom. II.

Estne igitur verosimile integram Christianorum legionem, institutis & moribus, discrimen notissimum religionis suæ, ob oculos & Marci & Præfectorum dantem, adeò placidè in exercitu egisse, ut in Idololatrarum violentiam non incideret, ac ne vel penulas poneret, aut gladios redderet? Mirari quoque subit, quî scripserit Eusebius, hostes fuisse stupefactos ad spectaculi novitatem, quod flexis in terram genibus, legio hæc Christianorum preces funderet, cum eo singulis saltem Dominicis officio, coram hostibus defungi debuerit. Hæc sanè fidem à nobis non impetrant. Itaque Tertullianus, non legionis, sed *Christianorum militum* semel & iterum mentionem facit. Locum Apologetici jam exhibuimus, addamus & alium ex libro ad Scapulam c. 4. petitum: *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti sua impetravit.* Aliud verò *Christiani milites*; aliud legio Christianorum. Non si Christiani milites Marci in exercitu, ideo & legio quæ Christianis tota constaret. Quòd si Legio ejusmodi sub M. Aurelii signis non militavit, para maxima Eusebianæ narrationis perit funditùs.

V. Legio hæc *Melitina* appellatur, quod vocabulum crucem nobis figit animo. Extat columna rotunda in Capitolio, ex qua Baronius triginta nobis legionum nomina suppeditavit.

De legione Melitina: unde nomen? ubi sita Melitene?

Nom. Leg.

II.	*Aug.*	II.	*Adju.*	IV.	*Scythica.*
VI.	*Vict.*	IV.	*Flav.*	XVI.	*Flav.*
XX.	*Victr.*	VII.	*Claud.*	VI.	*Ferr.*
VII.	*Aug.*	I.	*Italic.*	X.	*Prete.*
XII.	*Prim.*	V.	*Maced.*		*Cyrenensi.*
I.	*Miner.*	XI.	*Claud.*	II.	*Traj.*
XXX.	*Ulp.*	XIV.	*Gem.*	III.	*Aug.*
I.	*Adju.*	XII.	*Fulm.*	VII.	*Gem.*
XII.	*Gem.*	III.	*Gallic.*	III.	*Italic.*
I.	*Parth.*	II.	*Parth.*	III.	*Parth.*

De Legionibus fusè satis Dio locutus est. In quo frustra legio quæreretur, cui Melitinæ nomen. Itaque proprium legioni id nomen non fuit. Sic ergo vocatur, quia Melitinem Præfecturam habitabat. Quomodo *Gallica* legio, quæ teste Dione Phœniciam incolebat, a *ferrea* quæ in Judæa consistebat, illa legio *Phœnicia*, hæc legio Judææ, rectè vocari potuit. Melitene regio est, cujus non semel Strabo meminit: *Amanus ad Euphratem, & Melitinam usque progreditur, quâ Comagena juxta Cappadociam porrigitur.* Libro quoque sequente: *Cataonum campi & Melitina civitatem nullam habent.* Ergo Provincia Melitene est, quia absonum dictu de urbe foret, *Civitatem nullam habet.* De eadem & regione Plinius: *Cappadociæ pars prætenta Armeniæ majori, Melitene vocatur.* Hanc tamen regionem, Eusebius in Armenia minore collocat: *Cæterùm paulò pòst cùm alii in Melitina Armeniæ regione &c.* Et de Constantio Marcellinus *l. 20. c. 21. Ipse per Melitinam minoris Armeniæ oppidum, Edessam venit.* Urbs autem in ea regione nominis ejusdem, quod etiam apparet ex tabula prima Asiæ Ptolomæi c. 7. Erravit Stephanus scribendo: *Melitene urbs Cappadociæ, de qua Strabo l. XI.* Quia Strabonis ætate, urbs in Cappadocia nulla fuit hoc nomine. Valesius ab *hoc oppido* legionem statuit fuisse vocatam, *in quo consistebat.* Nos à Præfectura potius nomen inve-

Strab. lib. 11.

Plin. l. 6. cap. 3.

Euseb. l. 8. cap. 6.

V 2

Anno Dom. 174.

Dio l. 55. 564.

Scal. animad. ad Eufeb. pag. 223.

Salm. Plin. Exerc. pag. 492.

invenisse censemus. Sanè moris erat Legiones in Provincia potius quàm in urbe una collocari. Sic apud Dionem: *Tertia Augusta in Numidia, quarta Scythica in Syria, quinta Macedonica in Dacia.* Doctissimus ille Scaliger: *Melitenes*, inquit, *Legionis, memoria omnis intercidit, neque unde nomen acceperit scitur.* Qua de causa non immeritò Salmasio pœnas dedit: *Hoc si advertisset Scaliger, non temere pronuntiasset, aut nullam esse Melitenen legionem, aut à Melita dictam esse, non a Melitene.* Fatendum tamen est, cùm legiones à locis, in quibus præsidium agebant, appellare moris non fuerit, Eusebium non satis accuratè scripsisse, *milites legionis Melitina*, quæ proprio nomine vocanda fuit. At eo casu evanuisset appellationis mysterium. Quippe ex Dione tenemus, duodecimam *Legionem*, quæ *fulminea* vocabatur, sedem habuisse in *Cappadocia*, cujus pars est Militene, si Plinio fides. Quæ appellatio diu ante legionem incessit, quàm Marcus in Quados expeditionem susciperet: ut id nominis, ab evocatis Cœlo fulminibus ad delendos hostes Romanorum, non sit adepta. Plures ab eruditis ea de re exhibentur Inscriptiones, quarum est una observatu dignissima, Trajani temporibus exarata:

Q. Petronius C. Fil. Pub. Modestus. P. P. Bis Leg. XII. Fulm. & Leg. I. Adjut. Victr. Trib. Mil. Coh. V. Pr. Pr. Divi Nervæ & Imp. Cæs. Nerv. Trajani Aug. Germ. Provinc. Hisp. Citer. Asturiæ & Galeciarum Flamen Divi Claudi. Dedit. Idemque Dedicavit.

Videantur Scaligeri in Euseb. Animadv. & Baronii Annales an. 176. n. 18. Cùm ergo in Dione, variisque inscriptionibus, unius fulmineæ legionis mentio fiat, cujus nomen bello adversus *Quados* à Marco suscepto, est longè antiquius, illud quidem admitti nequit, quod tradit apud Eusebium Apollinaris: *Legionem ipsam, cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congrua rei vocabulo, fulmineam ab Imperatore esse cognominatam.* Vero proxima conjectura hæc est, legionis nomen, ansam figmento præbuisse, de legione tota Christiana, quæ precibus extorserit suis fulmina, quibus rubente dexterâ, Deus Quados jaculatus est, unde nobilis ille titulus ortus etiam suos habuisse creditur.

Marcus non credidit se Christianorum precibus pluviam accepisse.

VI. Illud etiam animo ponderemus, crediderítne Marcus, pluviæ beneficium à Christianis fuisse impetratum? Hoc autem credere non possumus. Eâ Religione quâ Marci perfundebatur animus, quæ colebat numina, votis precibusque fatigavit, quod etiam testatur Themistius in Oratione ad Theodosium, hoc titulo, *Quanam regia maximè sit virtus.* Sic enim Jovem compellat suum: *Te vitæ largitorem hortor, atque oro, eâ dextrâ, quæ nullum sanguinem fudit.* Itaque in Nummis cernitur Imago vel Jovis, vel Mercurii, Marci precibus annuentis. Jovis pluvii imbres dantis, visitur effigies apud Baronium, anno CLXXVI. n. 24. Nos quoque Pagius docuit, extare in Gaza Ludovici Regia nummum argenteum, qui inscribitur M. Antoninus Aug. Trib. Pot. XXVIII. Visitur caput Antonini laureatum. In postica, *Religio Aug. Imper. VI. Cos. III.* Cernitur Mercurius stans, qui dexterâ pateram, & sinistrâ caduceum tenet. Debuit tamen Marcus in eo Nummo scribi, Imperator *septimùm*, quomodo à militibus appellatum esse, ex Dione scimus. Denique non Christianorum, sed Marci oratione pluviam impetratam esse, in Themistio legitur: *Eâ prece divinum sibi placavit numen, ac statim serenitate factâ, magnâ imbrium copiâ, ad militarem sedandam sitim erupit.* Itaque eâ specie ovans palmasque ad sidera tollens M. Aurelius depictus fuit, eodem Themistio teste: *Cujus rei*, inquit, *descriptam in imagine picturam, videre me memini, in qua media in phalange pictus erat Imperator: milites verò galeis imbrem excipientes, divinitus concesso liquore sitim explebant.* Pio Antonino perperàm tribuit Themistius, quod ad Marcum pertinebat. Quòd si Melitinensis legionis palam & publicè fusis orationibus, ruisse arduum æthera, & pluviam ingentem Romanorum curas, sitimque diluisse Marcus novisset, unà & totus scivisset exercitus, universusque Senatus. Eòne igitur impudentiæ venissent Ethnici, ut reclamantibus tot testibus, precibus Marci, numinumque favori, pluviæ beneficium acceptum referrent? Quid multa? Cùm pro impiis ac scelestis Christianos Marcus haberet, potuitne sibi hanc inducere persuasionem, quòd ipsorum commendatione à cœlo pluviæ munus obtinuerit, cùm in animis sit nostris hæc notio consignata: *Impios à Deo non exaudiri?* Equidem si tanto se beneficio Christianis devinctum esse Marcus existimasset, summâ utique ipsos benevolentiâ non complecti non potuit, cùm ab ingrati animi vitio maximè esset alienus. Est tamen certissimum Christianis longè melius fuisse sub Commodo Principe nefario, quàm sub M. Aurelio optimæ indolis viro; secus autem evenisset, ob nuper collatum Marco beneficium, cùm nullo Commodum peculiari auxilio sibi conjunxissent.

Themist. Or. 15. p. 191.

Marcus Senatui non scripsit pluviam à Christianis esse impetratam.

VII. Cùm igitur ostensum sit, neque Romano in exercitu Christianorum fuisse legionem, neque Marci animum id subiisse cogitationis, quòd à Christianis pluvia sit impetrata, consentaneum est, nullas Patribus Conscriptis à Marco literas datas fuisse, quibus hoc maximi beneficii Christianis ascriberet. Quæ res aliunde non penitùs patescit argumentis. Post exhaustum bellum Marcomannicum, scripta est Melitonis Apologia; consorte jam Imperii Commodo. Quo potius argumento uti Melito debuit, extinguendæ persecutioni, quàm beneficio quo Marcus à Christianis affectus fuerat, dum unà cum exercitu penè siti conficiebatur? Quod tamen argumenti non attulit. Dubitetur eruditis, bellumne cum Quadis gestum, huic antecesserit Apologiæ. At immeritò negatur, Athenagoræ Apologiam Marcomannico bello fuisse posteriorem. Quid, meminitne Athenagoras pluviæ à Christianis impetratæ, ut eo beneficio Marci in memoriam revocato, miseris undique vexatis, benevolentiam conciliaret? Atqui certè certòque meminisset. Imò ea de re scriptas & ad Senatum literas memorasset. Quibus accedat, compositâ cum Germanis pace, sævam adhùc in Ecclesias ingruisse persecutionem, quam extinxisset impetrata nuper à Christianis pluvia, tantique non immemor auxilii Marcus, edictis illud suis divulgasset, compescendo furori. Clarissimo Witsio visum ex edictis ejusmodi nil emolumenti Christianos percepisse, ob plebis Proconsulumque sævitiam. Est tamen explicandum, quî fiat, exarsisse hanc imperante Commodo sævitiam, non regnante Marco, cujus tamen edictis, non Cæsaris majestas modò, sed nuper & acceptum

à

Anno Dom. 174.

à Christianis beneficium maximam autoritatem iocussisset. Satisne consentaneum, Ethnicorum furorem magis sub Commodo quievisse quàm sub Marco, qui ingens, quod à Christianis sese impetrasse noverat beneficium, clavo trabali, & suis literis, & memoriæ affixisse dicitur? Est autem inprimis considerandum, quòd in Galliarum persecutione, Marcus Præfecto à quo consultus fuerat, rescripserit: *Ut confitentes quidem gladio caderentur, hi verò qui negarent, dimitterentur incolumes.* Hoccine Marcus mandasset, si adjutorea adversus sitim, Christianos se habuisse putavisset? Sævierint populi, si lubet, grassati fuerint Proconsules, edicta Marci de extinguenda persecutione spreverint, saltem gratus ille Marcus non rescripsisset, Christianos confitentes gladio cædendos esse. Id tamen decrevisse liquet, quod literis ejus ad Senatum, de pluvia à Christianis impetrata missis prorsus repugnat.

Euseb. l. 5. c. 1. 132.

De Marci ad Senatum quas scripsisse fertur Epistolis.

VIII. Objiciuntur tamen Marci Epistolæ, qui ea de re scripto ad Senatum dato, publicè testatus est: *Itaque in Christiana causa patrocinium, miraculum hoc jactasse Apollinarem Hierapolitanum Episcopum scribit Eusebius. Autoritate etiam literarum Marci Aurelii confirmat Tertullianus in Apologetico, ad Romani Imperii Antistites. Quod sanè facere non essent ausi, vel Apollinaris, vel Tertullianus, si res dubia fuisset, aut litera supposita. Extare illas suâ ætate Hieronymus in interpretatione Eusebiani Chronici, non ex aliorum relatu, sed velut rem sibi compertam asseverat.* Quæ magnâ pompâ ab eruditissimo Huetio proferuntur. Quin etiam *conjicit*, hoc scripsisse Apollinarem, *in suo ad Marcum Imperatorem Apologetico.* Quâ tamen conjecturâ nervos suo Huetius argumento penitùs incidit. Cùm & in eodem Apologetico scripserit, Apollinaris *legionem ipsam, cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo, fulmineam ab Imperatore esse cognominatam.* Atqui hoc falsissimum. Fatendum igitur est Patres Apologeticis inseruisse suis, quæ vera quidem esse arbitrabantur, à vero tamen erant aliena, quale est illud Tertulliani in Apologetico, de Christo in Deos referendo: *Quod Senatus quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Hoccine quoque verum, quod disertè testatur eò loci Tertullianus: *Tiberii tempore nomen Christianum in seculum introivisse?* An verum etiam quod legimus priore Justini in Apologia *p.* 69. Simonem Magum, in urbe pro Deo esse habitum, statuâque donatum, cum hac inscriptione, *Simoni Deo Sancto?* Si Marci literæ extitissent de impetrato à Christianis imbre, vix ac ne vix quidem magnam Eusebii in conquirendis ejusmodi monumentis diligentiam effugissent. Atqui in has literas Christianorum nemo est, qui se conjecisse oculos scripto prodiderit. Non Tertullianus, non Eusebius, imò non Hieronymus, cujus hæc verba sunt: *Extant literæ M. Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* Dixissetne, *Christianorum fortè militum*, si literas perlegisset: Siccine Marcus Senatui scripsit? Si verum volumus, in uno Tertulliani testimonio innititur Hieronymus, qui ipsissima verba ejus in medium attulit, excepto verbo *extat*, quod sibi

Huet. Dem. Prop. 3. n. 19. p. 57.

Tert. Apol. cap. 5.

collegisse videbatur ex Tertulliano, non igitur αὐτοψίᾳ, sed conjecturis fretus Tertullianus, de Marci datis ad Senatum Epistolis cogitavit. Senatui quidem scripserat Marcus, teste Dione, ac quin in literis meminerit suis auxilii, quod divinitùs acceperat, vix cadit in dubium. Tertullianus ergo, Apollinaris, aliique qui impetratum imbrem, Christianorum militum precibus assignabant, eò etiam cogitationis venere, quòd Marcus in suis ad Senatum Epistolis, pluviam Christianis referebat acceptam. Quam fovit & conjecturam Legionis fulmineæ titulus, veluti hoc ex prodigio ortus. Tertullianus quidem factâ literarum mentione subinde addit: Qui *sicut palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo dispersit, adjectâ etiam accusatoribus damnatione & quidem tetriore.* Quibus apparet & promptum est, Tertullianum eò mentis venisse, hoc decreti fructum esse, & impetratæ à Christianis pluviæ, & scriptarum Patribus Conscriptis literarum. Quem tamen sua fallit ratio. Quæ enim affert Tertullianus, desumpta sunt Marci ex Epistola ad Commune Asiæ: *Quòd si quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere ex eo quòd Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum ejusmodi Christianum esse, delator autem ipse pœnas luat.* Quod rescriptum bello Marcomanico prius est, cùm in eo *Sarmaticus* non dicatur, aut *Germanicus*. Sarmaticum autem post debellatos Quados vocatum fuisse, testis est Athenagoræ Apologia. Equidem si certum fuisset, & à legione Christianorum advocatum fuisse imbrem, & Marcum hoc scripsisse Senatui, nunquam narrationi suæ colophonem ejusmodi imposuisset Eusebius: *Sed de his quisque pro suo arbitratu statuat.* Iudicio Eusebium ipsum ea de traditione dubitasse, etsi Tertulliani verba immutarit, omisso *fortè* adverbio, quod habet Tertullianus.

Tertul. Apol. c. 5.

Euseb. l. 4. cap. 13.

Euseb. l. 5. cap. 5.

Marci ad Senatum de Christianis Epistola subdita est.

IX. Baronius tamen, Pamelius, aliique nonnulli, Marci rescriptum etiamnum extare arbitrantur. Post priorem Justini Martyris Apologiam, addita legitur Marci Imperatoris Epistola ad Senatum. Testatur Imperator barbarum exercitum, *Ex omni turba conferta, nongentorum septuaginta militum adesse. In quintum jam diem, aquam, quod eâ defecisset, Romanos non cepisse.* Ad Christianorum quorum *magnus erat in exercitu* numerus, invocationem, confestim aquam in Romanos frigidissimam, in hostes verò imminentes, grandinem igneam cecidisse. Quocirca statuit Imperator, ne hominem ejusmodi, quòd Christianus sit, accusare liceat; delatorem ipsum *vivum comburi jubet.* Constitutionem hanc suam in foro Trajani proponi mandat, ut legi possit: *In Provincias quasque mittendam curabit, Verasius Pollio Præfectus.* Subditam Epistolam ipse fatetur Huetius, adductus Scaligeri rationibus, atque Salmasii. Titulus quidem *Parthici* non omissus est, ut perperàm scripto prodit Scaliger; desiderantur tamen alii tituli, quos in Epistola Patribus missa, Marcus minimè præteriisset: *Pater Patriæ Trib. Pot. Pont. Max.* Neque laureatas literas Senatui Populoque R. mittebant Imperatores, cùm quæ Marci esse dicitur, scribatur *Populo Rom. & sacro Senatui.* Quo vel Epitheto, Epistola falsè coarguitur. Non probatur tamen Salmasio Scaligerana Critica, quæ δεχίλιοι pro δεακόσιοι reposuit. De suis enim copiis loquitur Marcus, quæ

Anno Dom. 175.

Barbarorum multitudine, multò minores fuere. Dracones decem erant in unaquaque legione. Sic *Dracones septuaginta quatuor*, efficiebant septem legiones cum penè dimidia. Ex ea verò voce Salmasio nascitur argumentum in Epistolam: *Nam dracones inter signa militaria apud Romanos nondum erant.* Draconem verò unum mille homines sequebantur.

Anno U. C. 928. Per. Jul. 4888. Jul. 220. Dom. 175. M. Aurelii 14. & 15. *Sol.* 16. B. *Lun.* 5. *Indict.* 13. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

Coss. *Piso & Julianus.*

Quados Marcus ulciscitur.

I. Fractis Quadorum viribus, de pace tractatum. Quam & à Marco impetrarunt, quo videlicet à Marcomannis avellerentur. Atque etiam propterea quòd equos & boves multos dederant, & transfugas omnes, & captivos primùm ad tredecim millia, post etiam cæteros se redditutos promitterent. Non tamen & commerciorum cum cæteris, ac mercatuum adeundorum potestas eis facta fuit, ne pariter & Marcommanni, & Jazyges ipsis permixti Quadorum specie & nomine, Romanorum res scrutarentur, sibique necessaria compararent. Infida tamen pax Quadorum fuit. Quippe non solùm Marcomannis opem, seu socii in bello tulerant, sed prius etiam ipsos, cùm bellum adhuc gereretur, suam in regionem confugientes, ubi vim Romanam sustinere non poterant, diutius susceperant. Ac neque quidquam aliud eorum, quæ legibus pacis continebantur, præstabant: neque captivos omnes reddiderant, sed paucos tantùm, & illos quidem quibus nec distrahendis, nec ad operas aliquas usus esse ullus poterat. Quòd si vegeræ quosdam ætatis restituerent, saltem propinquos eorum domi detinebant, ut & ipsi ad eos ultrò transfugerent. Ejecto quoque Rege suo Furtio, Ariogæsum autoritate propriâ Regem sibi constituerant. Qua de causa, neque hunc Marcus confirmare voluit, nec cum eis fœdera, licet quinquaginta captivorum millia se redditutos pollicerentur, renovavit. Imò viginti militum millia in castellis constituit, qui multo Quadis incommodo fuere, quibus nec securè pascendi, nec agros colendi, nec alterius rei faciendæ copiam fecere. Quæ cùm Quadi minimè ferrent, ad Semnones tota cum gente sua, mutatis sedibus migrare conati sunt. Marcus autem præcognito ipsorum consilio, itinera quibus eis transeundum erat, obstruxit, & hoc modo eos impedivit. Quippe non tam ditionem Quadorum, quàm homines ulcisci velle videbatur.

Dio l. 71. 809.

Pax cum Jazygibus.

II. Miserunt & Jazyges ad Marcum Legatos pacem postulatum, qui tamen nihil impetrarunt. Quippe cùm Marcus infidum hoc hominum genus nosset, ad bellum prodire voluit. Banadapsum quidem alterum Regem suum in vincula conjecerant, quòd de pace Legatos ad Marcum misisset. Afflicti tandem ad ineundas pacis leges venerunt, cùm ipse Zanticus Regum suorum alter suppliciter rogasset. Proceres ergo cum Zantico omnes accesserunt. Ac mens quidem Imperatoris hæc erat, ipsos penitùs exscindere, quia magnis etiamnum Romanos detrimentis afficere poterant. Rebellione tamen Cassii coactus fuit Marcus, cum Jazygibus contra animi sententiam pacem componere. Centum millia captivorum restituerunt. Nomine societatis octo equitum millia concessere, ex quibus quinque mille & quingenti in Britanniam missi. Multa etiam Jazygibus, quia Romanis erant meliores, quæ ipsis imperata fuerant, remisit. Concessit ut per Daciam commerciorum causâ, Roaclanos adirent quoties à Principe permitteretur. Propriis tamen navibus uti prohibitum, & mandatum ut ab Insulis, quæ in Istro sunt, abstinerent.

Dio l. 71. 809.

Pax cum Marcomannis.

III. Marcomanni cùm per Legatos ei significassent, omnia quæ imperabantur tandem præstitisse, tum dimidiam finitimæ ipsis regionis & agri partem concessit, uti scilicet ad trigesimum & octavum usque stadium, ab Istro sedes ac domicilia distarent. Tum loca quædam ac dies commerciorum assignavit, factâ etiam obsides permutandi potestate.

Cassii rebellio.

IV. Intereà Avidius Cassius quam meditabatur rebellionem, in Syria movet. Quâ seditione Marcus, qui Marcomanniam & Sarmatiam Provincias facere cupiebat, consilium exequi suum minimè potuit. Quam Cassii rebellionem castigavit Herodes per Epistolam, his paucis contextam: *Herodes Cassio. Insani.* Id facinus gravè Cassius fecisse dicitur, deceptus à Faustina, quæ cùm virum suum imbecillum esse animadverteret, putaretque brevi moriturum, timuit ne si Principatus ad alium perveniret quàm Commodum, qui & juvenis, & indolis simplicioris erat, ipsa privatam vitam agere cogeretur. Itaque Cassio secretò persuasit, ut se compararet, quo si quid M. Antonino accidisset, & ipsâ pariter, & Imperio potiretur. Interim nuntius de Marci interitu perfertur. Quamobrem statim affectavi imperium, cùm Divum Marcum appellasset. Rebellionis audito nuntio, usque adeò perterritus fuit, ut ne quidem Senatui conditiones perscripserit, quibus in gratiam cum Jazygibus rediisset. Cassii rebellionem per Verum, qui Cappadociam obtinebat, audivit, quam primò dissimulavit. Pòst ubi milites perlato rumore vehementer commoveri cœperunt, ipsis convocatis ostendit, velle si posset evocare Cassium, & cum illo apud exercitum, aut Senatum jure contendere, tum se libenter nullo facto prælio, Imperium rebelli cessurum, si ita publicæ utilitati conducere videretur. Ad Senatum verò scripsit, nihil Cassium criminatus, nisi quòd illum crebrò ingratum vocabat. Senatus Cassio hoste judicato, bona ejus ærario publico addixit, quia Marcus in privatum congeri noluit. Romæ tamen turbæ fuerunt, quasi Cassius absente M. Antonino adventaret. Relicto ergo Sarmatico Marcomanniticoque bello, Marcus in Italiam tendit contra Cassium profecturus.

Philostr. p. 561.

Capit. Marc. c. 25. Dio l. 71. 810.

Cassius occiditur.

V. Cassius Imperatorio nomine cùm processisset, eum qui sibi aptaverat ornamenta regia, Præfectum Prætorii fecit. Rebelli Antiochenses favebant atque Alexandrini, quorum urbs *Maciano* Cassii filio commissa fuit. Multique defecissent, nisi intercessisset Albini prudentia, quem postmodum Cæsarem creavit Severus. De Albini fidelitate extat Marci Epistola: *Laudanda est Albini constantia, qui graviter deficientes exercitus tenuit, cùm ad Avid. Cassium confugerent, & nisi hic fuisset, omnes defecissent.* De Marco tamen Cassius nihil unquam dixit contumeliosè, aut scripsit. Dum proficiscitur in

Mat-

Anno Dom. 175.

Marcum, iter facienti Antonius Centurio occurrit, eumque de improviso secundum cervicem vulneravit. Vulnus lethale non erat, quia equi impetu avectus Antonius, ictum imperfectum reliquit: evasisseque Cassius, nisi eum Decurio confecisset. Ita imperii veluti somnio, tribus mensibus & sex diebus potitus, interficitur. Absciso ejus capite, Antonius & Decurio ad Imperatorem proficiscuntur. Hâc cæde non exultavit Marcus, qui allatum ad se Cassii caput humari jussit. Mæcianus filius ejus ab exercitu occiditur. De Cassio hoc est Dionis testimonium: *Erat natione Syrus, ex Cyro civitate, vir optimus, qualem Imperatorem habere esset optabile, nisi quòd erat filius cujusdam Heliodori, cui res ex voto cesserat, quòd ob Rhetoricæ peritiam, ad Ægypti Præfecturam pervenerat.* Quæ ab historia Vulcatii Gallicani multum discrepant.

Dio l. 71. 810.

Marci in Cassianos Clementia.

VI. Mira fuit Principis clementia. Doluit ereptam sibi esse occasionem misericordiæ. Dicebat se vivum Cassium voluisse capere, ut illi exprobraret beneficia sua, eumque servaret. Ut omnes in Cassium severitatis aculeos Marcus adhiberet, Faustina cupiebat: *Mater mea Faustina Patrem tuum Pium in defectione Celsi sic hortata est, ut pietatem primùm circa suos servaret, sic circa alienos. Non enim pius est Imperator, qui non cogitat uxorem & filios. Commodus noster vides in qua ætate sit. Pompejanus gener, & senior est, & peregrinus. Vide quid agas de Avidio Cassio, & de ejus conscius. Noli parcere hominibus, qui tibi non pepercerunt: & nec mihi nec filiis nostris parcerent, si vicissent.* Cui Epistolæ respondit Marcus: *Tu quidem, mea Faustina, religiosè pro marito, & pro nostris liberis agis. Nam relegi Epistolam tuam in Formiano, quâ me hortaris, ut in Avidii conscios vindicem. Ego verò & ejus liberis parcam, & genero, & uxori, & ad Senatum scribam, ne aut proscriptio gravior sit, aut pœna crudelior. Non enim quicquam est, quòd Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quàm clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit, hæc Augustum consecravit, hæc patrem tuum inprimis Pii nomine ornavit. Denique si ex mea sententia de bello judicatum esset, nec Avidius esset occisus. Esto igitur secura, Dii me tuentur, Diis pietas mea cordi est.* Dicenti cuidam reprehendendum esse Antoninum, quòd tam mitis esset in hostem suum, ejusque liberos, atque omnes quos conscios tyrannidis reperisset, addentique quid si Cassius vicisset, dixisse dicitur: *Non sic Deos coluimus, nec sic vivimus, ut ille nos vinceret.* Enumeravit deinde omnes Principes, qui occisi essent, habuisse causas quibus mererentur occidi, nec quenquam facilè bonum, vel victum à tyranno, vel occisum: meruisse Neronem, debuisse Caligulam, Othonem & Vitellium, nec imperare voluisse. Nam de Galba paria sentiebat, cùm diceret: *In Imperatore avaritiam esse acerbissimum malum.* A Senatu petiit, ne gravius in conscios defectionis animadverteretur: neve quis Senator temporibus suis capitali supplicio afficeretur. Denique paucissimis Centurionibus punitis, deportatos revocari jussit. Antiochensibusque aliisque civitatibus, quæ Cassium juverant, ignovit, redditis etiam Antiochiæ quæ sustulerat, & ornamentis & spectaculis. Filios verò Cassii parte mediâ paterni patrimonii donavit, filiasque auro & gemmis cohonestavit. *Alexandriæ* filiæ Cassii, & genero *Druentiano*, liberam evagandi ubi vellent potestatem dedit, vixeruntque non quasi Tyranni pignora, sed quasi Senatorii ordinis in summa securitate. Illis etiam in lite objici fortunam propriæ vetuit domus, damnatis aliquibus injuriarum, quòd in eos petulantes fuissent. Solus deportatur *Heliodorus filius Cassii, & alii liberum exilium acceperunt cum bonorum parte.* Laudes Marci exuperat omnes, quod scriptas ad Cassium Epistolas cunctas prius concidit quàm legeret, ne cogeretur quemquam invitus odisse. Ferunt nonnulli, *Verum* anteà præmissum in Syriam, quam obtinuerat, literas Cassii in supellectili inventas abolevisse, cùm diceret id Marco gratum imprimis fore, sin ille rem molestè ferret, longè fore melius se unum pro multis interire.

Vulc. c. 11.

Anno Dom. 175.

Vulcat. c. 9.

Capit. M. Ant. c. 26.

Dio l. 71. 813.

Commodo imperium Proconsulare tribuitur.

VII. Cùm rebellione Cassii Marcus vehementer permoveretur, accersiri ex urbe Commodum filium jubet, veluti qui jam posset inter Puberes haberi. Urbe profectus est Commodus in Germaniam XIX. *Kalend. Ælias*; hoc est, Maii XIX. accersitoque, toga virilis data *Nonarum Juliarum die*, quo nondum annum XIV. impleverat. Ob eam rem Marcus congiarium populo divisit, eumque ante tempus Consulem designavit. Quo facto, Campaniam petiit, ut ex Faustinæ Epistola discimus: *Ipsa iter tuum mox consequor: quia Fadilla ægrotabat, in Formianum venire non potui. Sed si te Formiis invenire non potero, assequar Capuam.* Auditâ morte Cassii magno metu liberatus, scripsit Senatui: *Obsecro P. C. ut censurâ vestrâ depositâ meam pietatem clementiamque servetis, imò vestram: neque quemquam ullum Senatus occidat. Nemo Senatorum puniatur, nullius fundatur viri nobilis sanguis: deportati redeant, proscripti bona recipiant. Utinam possem multos etiam ab inferis excitare.* Hanc ejus clementiam Senatus his acclamationibus prosecutus est: *Antonine pie, Dii te servent. Dii te servent, Antonine clemens. . . Commodo Imperium justum rogamus, progeniem tuam robora. Fac securi sint liberi tui, bonum imperium nulla vis lædit. Commodo Antonino Tribunitiam Potestatem rogamus, præsentiam tuam rogamus.* Præsentiam Patribus suam Marcus abnuit, cui in animo infixum erat in Orientem migrare. Imperium verò Proconsulare Commodus adeptus est mense Augusto, ut conjiciunt eruditi. A vero quidem abest Calvisii sententia, Marcum *filio suo Commodo dedisse Trib. Potestatem die* XX. *Januarii, quò faciliùs Cassium opprimeret*. Quæ sententia ab Epistola Marci apertè refellitur. A veri quoque tramite deflectit Baronii Chronologia, quæ anno sequente statuit collatam Commodo fuisse Trib. Potestatem, etsi non dissimulandum, id innui à Capitolino, qui Commodi, quem unà cum patre duxit triumphum, Tribunitiæ Potestati anteponit: *Romam ut venit triumphavit. Exinde Lavinium profectus est. Commodum deinde sibi collegam in Tribunitiam Potestatem junxit.* Pompejanus verò Marci gener, nec non Albinus, in annum proximè futurum suffecti Consules designantur.

Vulcat. c. 10.

Vulcat. c. 12.

Capit. Marc. c. 27.

Marcus Orientem petit.

VIII. Cùm Marci præsentiam res Orientis flagitarent, eò concessit, Faustinâ & Commodo comitatus. Intereà Pertinax è Syria, in quam missus videtur ut Cassio obsisteret, ad Danubii tutelam profectus est, atque inde Mœsiæ utriusque, mox Daciæ regimen accepit. Cùm

Capit. Pert. c. 2.

redux

ANNO DOM. 176.

redux ex Oriente Marcus v. Cal. Decembr. die triumpharit anno sequente, aperte liquet, præsente quidem in Orientem concessisse.

ANNO U. C. 929. PER. JUL. 4889. JUL. 222. DOM. 276. M. AURELII 15. & 26. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 6. *Indict.* 24. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 7. t. P. 15. *Apr.*

COSS. *T. Vitrasius Pollio II. & M. Flavius Aper II.*

An Pompejanus hunc annum aperuerit?

I. CONsulem alterum fuisse suffectum, & Pompejanum generum Imperatoris, Consulatum ordinarium gessisse, Baronius putat esse verum. Hæc tamen sententia cum Chronico Alexandrino, Dodwelleo Consulum Indiculo, Cassiodoro, inscriptionibus, Historicis; fronte adversâ pugnat. De Commodo Lampridius: *Et cum Patre Imperator est appellatus v. Calend. Decembris die, Pollione & Apro Coss.* Suffectum ergo hoc anno Pompejanus Consulatum gessit, quomodo capienda est Marci ad Senatum Epistola: *Habetis igitur, P. C. pro gratulatione victoriæ, generum meum Consulem, Pompejanum dico, cujus ætas olim remuneranda fuerat Consulatu, nisi viri fortes intervenissent, quibus reddi debuit quod à Republica debebatur.* Suffectum unà cum Pompejano Consulatum gessit Clodius Albinus: *Qui graviter deficientes exercitus tenuerat*, cùm ad Avidium Cassium confugerent. Scripsit ergo Senatui Marcus: *Habemus igitur virum dignum Consulatu, quem sufficiam in locum Cassii Papirii, qui mihi exanimis prope jam nuntiatus est.*

Lampr. Com. c. 2.

Vulcat. Cass. c. 12.

Capit. Albin. c. 10.

Marci acta in Oriente.

II. Postquam in Orientem venit Marcus, nationes quæ rebellionem fecerant omnes, tractavit perhumaniter, neque quemquam ex obscuris hominibus, aut ex illustribus interfecit. Cùm Syriam peteret, noluit quidem vel Antiochiam videre, vel Cyrum, ex qua erat Cassius. Migravit tamen Alexandriam. Apud Ægyptios civem se egit, & Philosophum in omnibus stadiis, locis, Templis, & cùm multa Alexandrini in Cassium dixissent fausta, & ipsius filiam apud eos reliquit. Ubi ex Ægypto rediit, Antiochiam ingressus est.

Capit. Marc. c. 26.

Mors Faustinæ.

III. Sub idem tempus, Faustinam uxorem suam, sive doloribus podagræ, quibus laborabat, sive alia ex causa, in radicibus montis Tauri, in vico *Halala* examinatam amisit. Impudicitiæ famâ graviter laboraverat, quam vir ejus vel nescivit, vel potius dissimulavit, quod crimini ei datum, maximè quòd adulteros ejus, Tertullum, & Utilium, & Orphitum, & Moderatum promoverit ad varios honores, cùm Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit. De quo mimus præsente Antonino dixit, cùm stupidus nomen adulteri uxoris à servo quæreret, ter, Tullus, & adhùc stupidus quæreret, responderit ille, Jam dixi ter, *Tullus dicitur.* Petiit à Senatu ut honores Faustinæ, Ædemque decernerent, quæ posita fuit in pede montis Romulci. Fecit & coloniam, vicum in quo obierat, & Ædem illi extruxit. Novas puellas Faustinianas instituit defunctæ in honorem. Senatus verò Marco & Faustinæ decrevit statuas argenteas Romæ in Templo Veneris collocari, aramque dedicari, in qua virgines omnes, quæ nuberent in urbe, unà cum sponsis sacrificarent. Prætereà ut in theatrum aurea imago Faustinæ semper inferretur in sella, quæ quoties Marcus spectaculis adesset, in prima sede, unde ipsa, dum erat inter mortales, spectare solebat, poneretur: eique omnes præstantissimæ mulieres assiderent: *Emissa est Fabia, Veri soror, quam olim Marco desponsari voluerat Adrianus, ut Faustinâ mortuâ, Marco in matrimonium coiret. Sed ille concubinam sibi ascivit, quæ uxori Procuratoris sui filia erat, ne tot liberis superduceret novercam.*

Capit. Mar. c. 29.

Capit. Marc. c. 26.

Dio l. 71. 813.

Capit. Marc. c. 29.

Marcus Athenis Romam reversus triumphum egit.

IV. Orientalibus rebus ordinatis, Marcus petiit Athenas, & inter alia Cereris Templum adiit, ut se innocentem probaret, & sacrarium solus ingressus est. Postquam initiatus fuit, magnos honores tribuit Atheniensibus, quorum in urbe magistros omnis doctrinæ, annuâ mercede conductos constituit, ad omnium gentium utilitatem. Revertens ad Italiam navigio, tempestatem gravissimam passus est. Postquam Brundusium ingressus est, togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse jussit, nec unquam sagati sub eo fuere. Romam ut venit, Imperator unà cum filio appellatus est v. Cal. Decembris die, triumphavit verò cum ipso, x. *Calendas Amazonias*; id est, Decembris xxiii. Concionanti in urbe apud Populum, subindeque dicenti inter cætera, Se multos annos peregrinatum abfuisse, conclamavit multitudo, *Octo*, idque significavit porrectis manibus, ut totidem aureos in cœnam acciperet. Tum subridens ipse, Etiam octo inquit, ac posteà ducentas drachmas viritim dedit, quantam summam nunquam cœperant anteà: quibus peractis, remittit etiam omnibus, quod fisco debebant, ab annis sex & quadraginta, non inclusis annis sexdecim Adriani: omnesque de hisce rebus Syngraphas in foro comburi jubet.

Capit. Marc. 27.

Dio l. 71. 824.

Aristides Sophista.

V. In sua ad Orientem profectione, Marcus in Aristidem Sophistam incidit. Adrianis Bithyniæ civitate ortus, patrem habuit Eudæmonem Philosophum, & in patria sua Flaminem Dialem. Athenis Herodem audivit, Pergami verò Aristoclem. Smyrnam terræ motibus deletam, adeò graviter deploravit apud Marcum, ut Imperator sæpè gemuerit. Quærenti Marco, Quare te serò vidimus, respondit Aristides, *Theorema, ô Rex, nos occupabat. Atqui mens aliquid considerans ab eo quod quærit, suspensa esse non debet.* A Marco petiit, ut orationis suæ auditores non haberet modò, sed concederetur etiam ipsis exclamare & plaudere quantum volebant. Sophistarum fuit omnium artificiosissimus. Quidam ipsi domi obiisse dicunt, quidam in Ionia, cùm annos LX. vixisset. De Aristide videatur Philostratus libro 2, de Vitis Sophistarum p. 578.

Athenagoras quis?

VI. Non languidior in dies furor Ethnicus ad persecutionem redierat. Athenagoras igitur pro Christianis Apologiam obtulit: *Imperatoribus M. Aurelio Antonino & L. Aurelio Commodo Armeniacis, Sarmaticis, & quod maximum est, Philosophis.* Viri multis nominibus celebrandi Apologiam, Eusebio, Hieronymoque non venisse in notitiam, utique permirum est. Primus qui meminit Athenagoræ, is est apud Epiphanium Methodius: *Quidnam igitur tandem Diabolum esse dicemus? Spiritum videlicet qui circa materiam versatur, quemadmodum dictum est* ῷ Ἀθηναγόρᾳ. Petavii conjectura nobis maximè placet: *Suspicor Methodium scripsisse* τῷ Ἀθηναγόρᾳ: *Ex Athenagora, inquit, sententia Diabolus spiritus est, &c. Quod apud Paulum Leopardum libro* XIX, Emend.

Epiph. h. 64. n. 21.

Petav. Animad. ad Epiph. p. 261.

Anno Dom. 176.

Emend. c. IX. *posteà reperimus, qui & Athenagora ex oratione pro Christianis verba citat, qua Methodius descripserat.* Verissimam emendationem, teste Photio, cujus autoritatem Petavius omittere non debuit καθάπερ καὶ Ἀθηναγόρα ἐλέχθη, *ut & Athenagora dictum.* In quæ verba si deposuisset oculos eruditus Autor monumentorum Ecclesiasticorum, quæ Gallicè edita sunt, non utique scripsisset: *Photius ne parle point d'Athenagore.* Quæ de Athenagora ex Philippo Sidete, in lucem profert Dodwellus, nova sunt atque peregrina: *Inquit etiam Philippus Sidetes, Sermone* XXIV. *Scholæ Alexandrinæ primus præfuit Athenagoras, qui Hadriani floruit temporibus atque Antonini, quibus etiam legatoriam Orationem pro Christianis inscripsit. Religionem Christianam in ipso quoque pallio professus, & Scholæ Academicæ præfectus. Hic cum in animo haberet Christianos ante Celsum scripto oppugnare, lustratis eâ mente Scripturis, ut susceptam oppugnationem institueret accuratius, ita captus à Spiritu Sancto est, ut ad exemplum magni Pauli, ex persecutore doctor effectus sit illius fidei quam fuisset persecutus. Hujus discipulum ait Philippus fuisse Clementem, cognomine Stromatea.* Quibus multa sanè continentur à vero aliena. Athenagoram scilicet floruisse Adriani Antoninique Pii temporibus; hisce Cæsaribus Apologiam suam nuncupasse; Clementis Ales. doctorem fuisse. Etenim Clemens *in Institutionum libris à se conscriptis, Pantænum præceptorem suum diserte nominat.* Quòd si Scholæ Alexandrinæ primus præfuisset Athenagoras, admirationem habet, de tanto Doctore Clementis Origenisque silentium. Itaque laborat ea Philippi Sidetæ de Athenagora narratio. Atheniensem Philosophum Athenagoram egisse, est in confesso. Quòd verò ex hac urbe Alexandriam fuerit translatus, ut Scholæ præficeretur, uti ex Philippo Sidete tradit Dodwellus, non est vero simile, ob ea argumenta quæ attulimus. Cùm igitur currente anno, Marcus Aurelius fuerit Athenis, probabili sanè conjecturâ ducimur ad suspicandum, ibi Apologiam oblatam esse. Præsentem sanè Cæsaribus fuisse Athenagoram, verba deprecantis ostendunt: *Vos verò, ô undequaque in omnibus naturâ simul & disciplinâ boni, moderati, benigni, & Imperio digni Principes, mihi, obsecro, qui crimina nobis objecta dissolvi, capitibus regiis annuite.*

Phot. Cod. CCXXXIV. *p.* 907.

Dodwel. Dissert. in Iren. p. 448.

Euseb. l. 5. *c.* 11.

Athenag. Apol. p. 39.

VII. Chronologiæ verò nostræ adversantur Labbeus, Dodwellus, Pagius, aliique complures, qui Marco, & Lucio Vero fratribus, statuunt Apologiam esse nuncupatam. De anno tamen dissident inter se, Pagius atque Dodwellus: *Apologiam*, verba sunt Pagii, *Athenagoras Imperatoribus obtulit, anno Christi* CLXVI. *quo pacem per Orbem Romanum viguisse, monstravimus. In ea enim legatione legitur universus hic terrarum Orbis, vestra prudentia beneficio altissimâ pace perfruitur. Quare Dodwellus manifestè peccat. Ait enim, Athenagoram eam scripsisse anno* CLXVIII. *quo tamen bellum ardebat, & uterque Augustus Imper.* V. *appellatus est.* Ea verò sunt hujusce Chronologiæ præsidia. Primum in fine Apologiæ, Athenagoras ait: *Nos pro Imperio vestro, preces ad Deum fundimus, & ut filius, quod justissimum est, in regno olim parenti succedat.* Quæ verba de M. Aurelio, & Commodo ejus filio, jam Augusto, intelligi non possunt, cùm is jam cum patre imperaret, filiosque qui ei succederent, non haberet. Sed è contra anno CLXVI. quo Marcus & Lucius imperabant, Commodus à Patre, petente Lucio, Cæsar nuncupatus fuit, quem ut patri aliquando succederet, Deum deprecari Christiani poterant. Secundum argumentum, duo illi Philosophi in titulo Legationis Athenagoræ memorati sunt, M. Aurelius & L. Verus, non verò Marcus, & Commodus ejus filius, cùm is nec moribus, nec doctrinâ unquam Philosophus fuerit, sed, ut ait Lampridius in ejus vita, *A prima statim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoque pollutus, & constupratus fuerit.* Hæc sunt Dodwelli, Pagiique argumenta, quibus statuunt, Marco Veroque oblatam esse Athenagoræ Apologiam. Quorum tamen solutio facilis est. Ad primum respondemus verba hæc Athenagoræ, *Preces ad Deum fundimus, ut & filius in regno olim parenti succedat*, de Commodo non Augusto quidem, verumtamen ornatum Imperio Proconsulari, quod anno proximo susceperat, esse capienda. Optimum erat Athenagoræ votum, Marcoque perjucundum. Eò etiam vota parentum collimant, ut nati diu sibi sint superstites. Ritus erat antiquus bene precandi recens natis:

Marco Veroque oblatane sit Athenagoræ Apologia?

Pag. Crit. An. 77. *n.* 10.

Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo;
Deos quæso ut sit superstes.

Andria. Act. 3. *Sc.* 2.

Similiter Martialis:

Sic ad lethæas nisi Nestore serior undas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

Anno sanè sive CLXVI. sive CLXVIII. non unus Marco filius erat. Duos natos habuit Cæsares, Commodum scilicet, & Verum, qui mortem obiit anno CLXX. Proindèque non *unius* filii, sed *plurium* meminisset Athenagoras, utpote *Cæsarum*, quos parenti superesse pergratum fuit. Ad secundum dicimus, æquè Commodo Philosophi titulum attribui posse, ac Lucio Vero, quem eo nomine Justinus ornaverat, priore in Apologia. Quippe institutis præceptisque sapientiæ imbui Commodum, Marcus operam dederat: *Marcus & suis præceptis, & etiam magnorum atque optimorum virorum, erudire conatus est.* Quanquam tot disciplinarum Magistri nil Commodo profuerint: at neque etiam Lucio fratri Marci emolumento fuit ea disciplina, quâ educatus: cum mores imbiberit à sapientia alienissimos. Cùm ergo & *institutione* Commodus Philosophus fuerit, & patre Philosopho ortus, quid ni titulo hoc insigni & pulchro ipsum ornasset Athenagoras, eo præcipuè tempore, quo vitia Commodi nondum innotuerant, & in illa oratione, quâ vir & Græcus, & Atheniensis, laudis multum cumulabat, captandæ Principum benevolentiæ, quomodo in illa ipsa Apologia scripsit: *Sed quid opus est coram vobis, qui omne genus literarum scrutati estis, vel Poëtarum carmina, vel aliorum sententias examinare.* Quæ vel si de L. Vero capiantur, exaggerata extra modum oratio est. Eò pertinent & verba hæc: *Novi enim vos quantum intelligentiâ simul & vi imperii præstatis omnibus, tantum etiam exquisitâ scientiarum cognitione excellere, ita in singulis pariter sapientiæ partibus versatos, ut nihilò inferiores sitis illis, qui unam duntaxat aliquam sibi excolendam delegerunt.*

Lampr. Com. c. 1.

Athenag. Apol. p. 26.

P. 6.

VIII. Firmiora autem sunt ea fundamenta, in quibus nostram collocamus sententiam; quòd nempe Marco & Commodo Athenagoræ nuncupata sit Apologia, ut Baronio, Moynio, aliisque placuit eruditis. Primum ex titulo nobis

Marco Commodoque nuncupata est Athenagoræ Apologia.

ANNO DOM. 176.

nobis efflorescit argumentum: *Imperatoribus M. Aurelio Antonino & L. Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis, & quod maximum est, Philosophis.* Atqui L. Verus nunquam gessit Sarmanici titulum, quem bellum cum Barbaris, defuncto Vero gestum, Marco peperit. Qua de re Capitolinus. Gentes omnes ab Illyrici limite, usque Galliam conspiraverant. Quadi, Suevi, Sarmatæ: *Volum Sarmatiam Provinciam facere, & fecisset, nisi Avidius Cassius rebellasset.*

Capit. Marc. c. 22. & 24.

Tanti vim argumenti ut effugiant Dodwellus, atque Pagius, corruptionis titulum accusant: *Pro Σαρματικοῖς itaque omninò Παρθικοῖς reponendum.* Quæ si verum amamus, solutio desperata est. Etenim si mutandi autores usurpamus licentiam, ut nostris præjudiciis inserviant, de Antiquitate actum est omninò.

Dodw. de Pauc. Martyr. n. 37.

Aliud argumentum ipsa Apologia suppeditat: *Vos quidem in summa imperii majestate adeò conjunctis animis orbem gubernatis, ut inde calestis etiam regni contemplationem clarius animo quis complecti queat. Ut vobis enim patri & filio, in potestate sunt omnia, regno divinitùs in vos collato, sic uni Deo, & filio ejus, hoc est, verbo inseparabili, subjecta sunt omnia.* Jam verò Marco Lucius frater erat, non filius, proindeque hæc ad Marcum spectant, atque Commodum, illum patrem, hunc filium. Neque Pagii acumen subsidio est: *L. Verum, qui M. Aurelii gener erat, filium vocavit, ut comparatio melius quadraret.* Scilicet in elegantissima oratione Athenagoras ex fratre filium fecit, ut instrueret comparationem quâ ludibrium auditoribus dedisset. Ut ergo comparatio quadret, eum filium intelligit Athenagoras, qui Marco satus erat, quomodo Christus proprius Dei filius est. Præterea si Marco Lucioque oblata fuit Athenagoræ Apologia, tam de Commodo, Veroque Marci filiis, qui jam Cæsares erant, titulus Apologiæ commemorasset, quàm Marci & Veri meminit Justini prior Apologia, quæ Pio nuncupata est. Quibus accedit, quòd verba hæc Athenagoræ, rogamus *ut filius in regno olim parenti succedat*, certissimo sunt argumento, unum tum temporis Marco filium fuisse, Commodum scilicet, cujus frater Verus Cæsar, post Lucii Veri Augusti obitum, ad plures abierat. Denique florentissimam in orbe regnasse pacem, cùm oblata est Apologia, his monemur: *Denique universus hic terrarum orbis vestra prudentia beneficio altissimâ pace perfruitur.* Quæ profunda pax anno CLXVI. terrarum orbi non fuit infusa. Etenim Marcomanni bellum minitabantur, quod Præfectorum arte suspensum est, ut finito jam Orientali geri posset. Mauri etiam Hispanias devastarunt. At currente anno pax ubique terrarum mitis aderat. Anno superiore Marcus cum Marcomannis, Quadis, Jazygibus, fœdus pepigerat: quam Cassius seditionem moverat, ea feliciter extincta erat. Pagii quidem Chronologia non levi argumento pulsatur. Mortis Peregrini mentione injectâ, hoc addit Athenagoras, cujus *statua similiter responsa dare perhibetur.* In flammam se præcipitem dederat Peregrinus anno CLXV. Est autem creditu difficillimum, anno sequente eò claritudinis processisse impostoris statuam, ut rumor oraculorum quæ fundebat, longè latèque diffunderetur, cùm plus temporis requiratur ad famam ejusmodi colligendam.

Athenag. p. 17.

Pag. Crit. An. 177. n. 8.

Athenag. p. 2.

Legationem pro

IX. Legationem pro Christianis susceperitne Athenagoras, ponitur in dubio. Dodwellus, qui ex suo Philippo Sidete colligit, Athenagoram Athenis in civitatem Alexandrinam adscitum fuisse, ut Scholæ præficeretur, Christianorum hujus urbis, & legationem suscepisse tradit. Cui quidem sententiæ probabilitatis aliquid aspergi potest, ex verbo Græco πρεσβεία, quo *legatio* significatur. Scimus etiam in illorum temporum moribus fuisse receptum, ut singula civitatis alicujus corpora, singulas haberent separatasque legationes, quomodo olim ex ipsa Alexandria à Græcis Apion, à Judæis Philo ad Caium missus est. Dodwelli de Athenagoræ legatione sententiam Clarissimus Tentzelius amplectitur. Verùm enimvero quæ Dodwelliana in Chronologia obiri legatio potuit, in Tentzeliana non potuit: *Anno* CLXXVI. inquit, *quo Ægyptum cum patre petens Commodus, Alexandriam sine dubio minime præterit, optimamque adeò occasionem subministravit Athenagora nostro, Apologiam pro Christianis offerendi.* Quibus, ni fallamur judicio, vir eruditissimus quam tuetur, legationem evertit. Quippe nullus in illa ipsa urbe, cujus est incola, Legati fungitur officio, cùm legatio omnis ad aliam civitatem respectum habeat. Itaque Legatorum titulo ex Alexandrina civitate, in urbem missi sunt Philo pro Judæis, pro Græcis Apion. Si igitur Marcum & Commodum Alexandriæ, quam incolebat, convenit Athenagoras, non congruum admodum videtur tum temporis obiisse legationem. Rem quod attinet, si aliquâ pro Christianis legatione ad Cæsares perfunctus fuisset Athenagoras, majoris famæ fuisset nomen ejus apud Veteres. Præterea non uni, sed multis ejusmodi legationes injungebatur, etsi unus inter ipsos emineret. De sua ad Caium legatione Philo: *An non erat onerosum, à nobis quinque Legatis pendere omnes Judæos, quotquot usquam habitant?* Plurium etiam legatio penè necessaria videbatur, ne casu aliquo unus in calamitatem incidens, suo perfungi munere non posset. Unum autem fuisse Athenagoram, dum Marcum ejusque filium compellabat, ipse testatur: *Mihi, obsecro, qui crimina nobis objecta dissolvi, regiis capitibus annuite.* Publicâ sane legatione nil opus erat, cum pro re nata Marcum & Commodum Athenis agentes, Athenagoras adire potuerit, Philosophus Philosophos. Itaque πρεσβεία nobis *deprecatio* est, non *legatio*: *Vos obsecramus, ut & aliquam nostri curam suscipiatis.* Orationem eloquentissimam esse, illi fatentur qui legerunt. Optimè calumniam de impietate, de epulis Thyesteis, de incesto cubitu diluit. Statuas impugnat numinum præcipuèque illorum Deastrorum, qui nuper mortalitatem exuerant, quibus statuæ politæ: *Cæterùm Neryllus, & Proteus, & Alexander, quidnam opis laborantibus afferrent?* p. 30. Peritiorum de imaginibus Ethnicorum sententiam refellit: *Non desunt, qui hac nihil quàm simulachra esse dicant, Deos verò, quorum honori ea sint dedicata.* p. 27. Intolerandum verò quod de secundis nuptiis habet. *p.* 37. *Sunt quiddam decorum adulterium. Nam qui primâ uxore, licet defunctâ, seipsum privat, adulter est, quanquam dissimulanter, quoniam à principio Deus virum unum, & mulierem unam creavit.* Non sunt cogitata sapientis, quæ de Athenagoræ Apologia Baronius somniavit, quem ab Athenogene Martyre diversum non esse, existimat in notis ad Martyrologium: *Hujus Athenogenis, de quo*

ANNO DOM. 176.

Christianis obierit ne Athenagoras?

Tentzel. Exercit. p. 448.

Baron. Martyrol. Januar. 18.

ANNO DOM. 176.

quo hic agitur, esse commentarium illum pereruditum adversus Gentiles scriptum, quod fertur nomine Athenagora, aliquando sum opinatus: cùm de Athenagora nulla penes Græcos, vel Latinos mentio habeatur; Athenogenes verò Græcis notissimus fuerit, tum doctrinâ, tum martyrii coronâ celebris, facilè potuit error irrepsisse, ut pro Athenogene Athenagoræ nomine librariorum vitio ille commentarius sit inscriptus. Græcis prorsus incognitam non fuisse Athenagoræ Apologiam, testantur Methodius, Epiphanius, Photius. Se diguius demum fecit Baronius, qui in Annalibus anno CLXXIX. n. 39. de Athenagoræ Apologia sic statuit: *Ea ergo germano autori suo tribuenda est, nempe ut præ se fert vetus inscriptio Athenagora.* Extat etiam Athenagoræ egregius de Resurrectione liber, quam & possibilem, & decentem, variis argumentis ostendit, postquàm rationes quibus impugnantur, refellit. Ne prætereatur id quidem, in dubio esse Athenagoram, num humores quibus constat corpus hominis, sanguis scilicet, pituita, bilis, insint corpori quod per resurrectionem immortalitati donabitur. Cùm humor ejusmodi, *Nec membrum sit corporis, nec speciem vicemque membri exhibeat, imò nec semper permaneat cum membris alendis, aut si unà consurgat cum resurgentibus membris, nihil ad usum vitæ conferat, sive sit sanguis, sive pituita.* Ex quibus intelligitur, ignotum fuisse Athenagoræ *Transubstantiationis* mysterium, quod peragi nequit, nisi Christi venis sanguis includatur. Extat etiam in Athenagoræ legatione, egregius de Trinitate locus: *Quis igitur non miretur, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum Sanctum, ita ut & unionis eorum vim, ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari?*

Athenag. p. 46.

Athen. p. 11.

ANNO DOM. 177.

ANNO U. C. 930. OLYMP. 239. PER. JUL. 4890. JUL. 102. DOM. 177. M. AURELII 16. & 17. *Sol.* 18. F. *Lun.* 7. *Indict.* 15. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

COSS. *L. Aurelius Commodus, & Quintillus.*

Commodus creatur Augustus.

I. AD majores Commodum honores promovere Marco placuit Aurelio, qui eum creavit Augustum. Quam anno proximo contributam esse Commodo dignitatem, eruditorum nonnulli existimant: eamque Chronologiam, autoritate Chronici Alexandrini Scaliger statuit: immeritò tamen, cùm verbum ea de re nullum habeat. Id solùm refert, Pollionis & Apri *Consulatu edixit Imperator, ut ex intestato etiam liberi, in bonis patris succederent, & ingratus etiam filius ex quadrante tamen hæres esset.* Neque de Augustea dignitate Lampridius videtur esse capiendus: *Et cum Patre Imperator est appellatus v. Cal. Decembr. die, Pollione & Apro Coss.* Etenim victoriæ alicujus causâ, patri & filio titulus *Imperatoris* inditus est. Quam Lampridio fuisse mentem, vincunt verba ejus: *Cum patre Imperator est appellatus, & triumphavit cum patre, nam & hoc Patres decreverant.* Ad currentem igitur annum, Commodi in Augustum creatio est revocanda. Quò pertinet & inscriptio Epistolæ Aristidis, de Smyrna horrendo terræ motu vastata: *Imperatori Cæsari M. Aurelio Antonino Augusto, & Imperatori Cæsari Aurelio Commodo Augusto, Ælius Aristides salutem.* Eidem anno, & Smyrnæ cladem, &

Lamp. Com. c. 2.

Commodi ad Augusti titulum evectionem, illigat Eusebius, verissimè nostro judicio, etsi utrumque Marci XIX. perperàm assignarit.

ANNO DOM. 177.

Smyrna terræ motu evertitur.

II. Horrendo præsente anno, Smyrnensibus immissa clades, lachrymas excussit Marco. Quâ de calamitate hæc chartis intulit Dio: *Pecuniam multis civitatibus largitus est, in quarum numero fuit Smyrna, quæ ingenti terræ motu conquassata fuerat, eamque Senatori Prætura functo, instaurandam mandavit.* Smyrnæ cladem adeò graviter apud Marcum deploravit Aristides, ut in alia quidem parte lamentationis, Imperator sæpè gemuerit, sed in hoc loco, *Favonii ipsam desertam perflare*, lachrymas quoque libro infuderit, & restaurationi urbis Aristidæ impulsu annuerit. Ea de causa, quasi Smyrnæ conditori, æream ipsi statuam erexerunt in foro Smyrnensi.

Dio l. 71. 824.

Philostr. 579.

Quando oblata Marco Melitonis Apologia?

III. Cùm ex calamitatibus publicis Ethnici ansam arriperent in Ecclesiam asperius invehendi, more suo in Christianos, qui Asiam, quâ Smyrna continetur, incolebant, grassantur vehementius. Quam suspicamur fuisse causam, cur Melito Ecclesiæ Sardensis Episcopus, Marco pro fidei defensione nuncuparit libellum, ut laborantibus succurreret. Ac Eusebius quidem anno Christi CLXIX. Melitonis Apologiam oblatam esse tradit: Cui Chronologiæ se Pagius addixit, fretus & autoritate Chronici Alexandrini, quod Olympiadis CCXXXVII. anno primo hæc habet: *Melito Asiaticus, Sardensis urbis Episcopus, & Apollinaris Hierapoleos Antistes, & complures nostræ professionis, alii Apologeticos Marco Aurelio Antonino obtulere.* Nos verò non pedibus, sed mentibus, ut aiunt, imus in Valesii sententiam, qui jam imperante Commodo, porrectum censet à Melitone libellum. Cui Chronologiæ, verba Apologiæ magno sanè præsidio sunt: *Romanum crevit imperium, quod tu ex omnium voto successorio jure obtinuisti, obtinebisque deinceps cum filio tuo.* Quibus apertè liquet, in consortium imperii, jam à Marco ascitum fuisse Commodum. Quod argumentum ut solvat Pagius, *Non advertit Valesius*, inquit, *Commodum jam ab anno CLXVI. Cæsarem fuisse, Imperioque potitum, ideòque de Imperio Augusteo, Commodi Melitonem non loqui, ut Eusebius & Auctor Chronici Alex. viderunt.* Displicet tamen ea solutio. Ab anno quidem centesimo sexagesimo sexto, Commodum Cæsarem fuisse scimus, Imperio tunc potitum esse aliquo planè nescimus. Quid enim istud Imperii, quod nec Proconsulare fuit, nec Augusteum? Quonam ornatus Imperio Verus Commodi frater, qui Cæsar quoque creatus fuerat? Aliquidne imperii, Commodus prius gessit, antequam Sacerdotum collegiis insereretur, quod factum est anno Dom. CLXXV. Januarii vigesimo? *Nominatus inter Cæsares, quarto Iduum Octobrium, quas Herculeas posteà nominavit, Pudente & Pollione Coss. . . Assumptus est in omnia collegia Sacerdos, XIII. Calendas invictas, Pisone & Juliano Coss.* Denique ita comparata sunt verba Melitonis, ut vix in dubium cadat, quin exstincto jam Vero Cæsare, Commodi fratre, Apologia sit exarata, ut pote quæ unius filii Marci meminit, qui cum patre jam obtinebat imperium. Anno verò CLXIX. duobus filiis Cæsaribus Marcus gaudebat, & si Pagio credimus, utique Imperio Cæsareo fulgentibus, Quo casu Melito scripsisset, *Imperium obtinebis*

Pag. Crit. An. 170. n. 3.

Lampr. Com. c. 12.

ANNO DOM. 177.

deinceps cum filiis tuis; dixit autem, *Cum filio tuo*, quia jam Verus Cæsar excesserat, qui mortem obiit anno CLXX.

Apologia Melitonis.

IV. Egregia sunt Melitonis Apologiæ verba, quæ ab oblivione vindicavit Eusebius: *Quod nunquam anteà factum fuerat, persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores, & alienarum opum cupidi, ex imperialibus edictis occasionem nacti, palam diu noctuque grassantur spoliantque homines innoxios. . . Quod si hæc tuo jussu fiunt, rectè atque ordine facta sunto. Neque enim fieri potest, ut justus Princeps aliquid unquam injustè constituat, & nos libenti animo ejusmodi mortis præmium ferimus. Unum illud à te petimus, ut cum hujusmodi pertinacia præditos homines, per te ipse prius examinaveris, tum deinde pro tua æquitate statuas, utrùm supplicio ac morte affici, an salvi & securi degere mereantur. Sin verò illud consilium atque edictum planè inauditum, quod neque adversus barbaros hostes fancici decuerat, nunquam à te profectum est, obsecramus te multò magis ne nos hujusmodi publico latrocinio diutius vexari permittas.* Ostendit etiam ex Augusti tempore, quo fides illuxit Imperio, maximis incrementis auctam esse majestatem ejus. Solos ex Imperatoribus, Neronem ac Domitianum, Christianam Religionem esse criminatos. Calumniatorum imperitiam correxisse & Adrianum, qui Asiæ Proconsuli Minutio Fundano literas dedit, & Pium qui scripsit ad civitates, ne contra Christianos tumultum concitarent, nominatim ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Græcos Mandata direxisse. Hoc etiam Marco pollicetur: *Potieris imperio deinceps, unà cum filio, si modò Sectam illam, quæ cum Imperio educata & cum Augusto simul inchoata est, tueri velis.* Non solus Melito, sed Apollinaris quoque Hierapolitanus Episcopus, Marco pro Christianis Apologiam obtulit. Quo liquet persecutionem diu in Asia viguisse. Anno quippe circiter CLXV. de vexatione Christianorum ad Commune Asiæ, Marcus Epistolas direxerat. Anno CLXIX. Polycarpus Smyrnæ Episcopus aliique complures morti traditi. Sed & patri, dum Collegam Commodus agit, sanguis Martyrum Asiam infecit.

Euseb. l. 4. c. 26.

De Melitone, ejusque operibus.

Euseb. l. 3. c. 24.

V. Eximiâ pietate Melitonem ornatum esse, uno ore Antiqui testantur. Illustri sanè laude, à viro laudatissimo Polycrate celebratur: *Quid attinet dicere . . . . Melitonem Eunuchum, qui Spiritu Sancto afflatus, cuncta gessit, qui & Sardibus situs, adventum Domini de Cælis, in quo resurrecturus est, expectat.* Cur verò Melitoni titulum imposuerit Eunuchi, eam existimamus causam esse, quòd perpetuam virginitatem coluerit. Quâ ratione à Christo dictum: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt, propter regnum cælorum.* A *plerisque* Christianorum, *Prophetam putari* Melitonem, docet ex Tertulliano Hieronymus, qui *Frontonis & Oratoris, discipulum* quoque ipsum fuisse perhibet. Disertis sanè viris Melito appositus est: *Hujus elegans & declamatorium ingenium laudat Tertullianus, in septem libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano.* Extitere olim plures libri Melitonis, quorum catalogum exhibemus ex Hieronymo. Scripsit *de Pascha libros duos. de vita Prophetarum librum unum, de Ecclesia librum unum, de die Dominica librum unum, de sensibus librum unum, de fide librum unum, de plasmate librum unum, de anima & corpore, librum unum, de baptismate librum unum, de veritate librum unum, de generatione Christi librum unum, de Prophetia sua librum unum, de philoxenia librum unum, & alium librum qui clavis inscribitur, de Diabolo librum unum, de Apocalypsi Joannis librum unum, καὶ περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ librum unum, & ἐκλογῶν libros sex.* Deus ille corporeus, nostro judicio, Deus est *manifestatus in carne*, Christus scilicet Dei filius. Non nescimus tamen Veterum nonnullos id opinionis Melitoni vindicasse, quòd Deus corporis expers non esset. Sic censet de Ecclesiæ Dogmatibus Gennadius c. LV. *Nihil corporeum, ut Melito & Tertullianus*, in Deo fingendum. Extat apud Eusebium, Melitonis ad Onesimum Epistola, de Canonicis V. Testamenti libris, quibus excludit, Judith, historiam Suzannæ, Ecclesiasticum, Macchabæos, Sapientiam. Quæ enim Melitoni Sapientia scribitur, ipse liber est Proverbiorum; omisit tamen historiam Esther. Ex Melitone, id testimonii Chronicum suppeditat Alexandrinum Olympiade 236. *Melito Sardicensium Episcopus, post multa à Justino tradita scribit, Non colimus nos extensa saxa, sed solum Deum, qui est ante omnia & in omnibus, & Christum ejus verum Dei verbum ante secula, cujus cultores sumus.* Ætate Melitonis, de Paschate disceptatio coorta est, ut ipsemet testatur in libro, cui *de Pascha* titulus: *Servilio Paulo Asiæ Proconsule, quo tempore Sagaris martyrium perpessus est, magna controversia Laodiceæ excitata est de solemnitate Paschali, quæ tempestivè in illos dies inciderat.* Melitoni etiam ascribitur liber, *de Transitu Virginis, fratribus Laodiceæ constitutis*, missus. Quæ ab *Apostolo Joanne*, se audivisse prædicat autor, petentibus ea dirigit. Quod Opus antiquitatis aliquid sibi vindicat, cum Gregorium Turonensem eo labra proluisse sit vero proximum; nec Ignotum Gelasio fuerit, à quo libris *Apocryphis* apponitur. Subditum tamen esse Melitoni partum, fatentur eruditi, vel invito Trithemio. Etenim hujus libri nulli meminerunt Eusebius atque Hieronymus, qui multum diligentiæ contulerunt in recensendis Melitonis operibus. Corpoream Virginis in Cœlum assumptionem, pro re certa habet, repugnante Veterum sententiâ. Mendacii insimulatur à Beda, Retractatione in Acta Apost. c. 8.

Matth. xix. 12.

Hier. de Scrip. Eccl.

ANNO DOM. 177.

Euseb. l. 4. c. 26.

Euseb. l. 4. c. 26.

Quo anno persecutio Gallias incessit?

VI. Intereà gravissima persecutionis tempestas Gallicanam & afflictat Ecclesiam. Quæ res cùm certissima sit, de cladis tempore disceptatio est inter eruditos. Quarum litium materiam ipse sevit Eusebius, cujus Chronicum ab historia valde dissidet. Chronicum enim, Galliæ persecutionem anno CLXVII. Lucio Aurelio Vero, & Quadrato Coss. contigisse tradit, quam in annum CLXXVII. confert historia, decennii discrimine. Stabilitam à Chronico Chronologiam viri sequuntur eruditissimi. Blondellus eundem annum, & Polycarpo Smyrnensium, & Photino Lugdunensium Episcopo fatalem fuisse docet: *Polycarpus, inquit, Februarii XXIII. feriâ primâ, Juniique sequentis secundo feriâ secundâ, Photinus pro Lugdunensium tribunali Christum confessus, biduo post beatam in carcere animam efflavit.* Annum Gallicanæ persecutionis quod attinet, Blondelli sententiam tuentur magna Britanniæ magnæ lumina, Loydius Asaphensis Episcopus, atque Dodwellus. Nos verò Eusebii magis

Blondel. Apol. c. 8. p. 31.

Eusib. l. 5. Proem.

gis assentimur historiæ, quæ Chronico longè emendatior est, ejusque errores passim evellit: *Annus tunc agebatur septimus decimus Imperii Antonini Veri. Quo tempore cùm in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset, ex incursione popularium, innumerabiles propè Martyres, per universum orbem enituisse, ex iis quæ in unica Provincia contigerunt, conjicere est.* Ea autem *Provincia*, Gallia est: *Porro regio ipsa, in qua stadium ad hæc quæ diximus certamina constitutum fuit, Gallia vocatur.* Nec temerè Eusebium à priscis decessisse Chronologis, inde liquet, quòd si Lugdunensium Viennensiumque Christianorum certamina, cum anno M. Aurelii septimo conjunguntur, morti igitur Polycarpi necessariò antecellere, quod fidem non impetravit alicujus. Quippe anno demum CLXIX. periisse Polycarpum, iis ostendimus argumentis, quæ diversarum opinionum rationes suo fulgore perstringunt. Certum quoque & exploratum est, Eleutherium Romanorum jam incessisse Episcopum, cùm in Gallia Martyres venati sunt, qui ad ipsum ferendas Irenæo dederunt Epistolas. Dubium autem est omninò, ne falsum dicamus, sederitne jam Eleutherus, anno Domini CLXVII. Hoc quidem nullus Veterum dixit, neque in ullo Romanorum Episcoporum Indiculo reperitur. Denique Chronicum Alex. in annum CLXXVI. Gallicanam persecutionem contulit, quia de Chronici Eusebiani sententia conclamatum erat.

Argumenta Dodwelli solvuntur.

VII. Sua sunt tamen doctissimis adversariis argumenta, quorum palmarium è Ludis Lugdunensibus petitur. Anno U. C. 744. Julio Antonio & Fabio Coss. in Augusti honorem, Calendis sextilibus fuerant consecrati, de quibus Juvenalis:

Juven. Satyr. 1.

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Qua de re fusè suo loco disseruimus. Contendunt porrò Loydius, Dodwellusque, Ludos fuisse *Pentaetericos*. Audiantur verba Dodwelli: *Pentaetericos fuisse probabile est, id est, quarto quoque anno absoluto, quinto ineunte rediisse.* Quo casu, ludi incidebant in annos Christi CLXVII. CLXXI. & CLXXV. Jam verò in confesso est, motam esse Lugduni persecutionem eo tempore, quo ludi celebrabantur, teste Lugdunensium ad Asianos Epistolâ: *Ineunte igitur solemni apud nos mercatu, qui maximâ hominum frequentiâ celebratur.... Præses beatissimos Martyres ad tribunal adduci jussit.* Cùm igitur celebratio ludorum in annum CLXXVII. non inciderit, & quidem persecutio Gallica affigi nequit, sed ut Chronicum docet Eusebianum, annum CLXVII. pertinet, huic argumento roboris multum inesset, si Ludi Lugdunenses Pentaeterici fuissent. Illud verò probari debuit, quod constanter negamus: longèque verisimilius, ludos quotannis fuisse celebratos. Qua de re accurata est observatio Pagii: *Anno Christi quadragesimo U. C. 793. qui secundum rationes Dodwelli agonalis non fuit, Caligula dum Lugduni esset, ludos illos celebrari jussit, ut docet Suetonius in Caligula c. 20. Edidit & peregrè spectacula in Sicilia Syracusis Atticos ludos, & in Gallia Lugduni Miscellos. Sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ, quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorum & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè displicuissent, scripta sua spongiâ linguâve delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi malluissent.* Alio rursus argumento, anno M. Aurelii VII. Lugdunensem Dodwellus persecutionem affigit: *Egit Irenæus*, inquit, *anno Marci VII. pro nostris rationibus, annum ætatis LXX. At anno Marci XV. annos LXXVII. natus fuisset. Prior ætas Expeditionibus adeò longinquis tolerandis, longè magis idonea.* Nos verò *pro nostris rationibus*, suo loco ostendemus, septuaginta annos natum non fuisse Irenæum, cùm Legatus ad Ecclesiam Romanam missus est. Imo ex ea legatione, gravissimum in Dodwelli Chronologiam argumentum nascitur, utpote quæ defuncto jam Polycarpo suscepta sit, proindeque post annum Christi CLXVII. Ex Eleutheri Pontificatu argumentatur & vir clarissimus. Sedit Eleutherus, si Dodwello fides, ab anno CLXII. ad CLXVII. Jam verò vix dubitari potest, quin post motam Lugduni persecutionem, vitam extenderit Eleutherus. Proindèque Galliarum persecutio anno Dom. CLXVII. posterior esse nequit. At tanti non sunt rationes Dodwelli, quæ cogant *propius ab initio Marci Aurelii*, tempora Eleutheri repetere, quo fundamento convulso, pereat & argumentum necesse est. Probabilior ea nobis est Chronologia, quæ Eleutheri initia ducit ab anno CLXX. Pontificatum autem cùm vita deposuit anno circiter CLXXXV. Quam percellere Chronologiam non possunt Dodwelicæ machinæ. Sic non Pontificatu novo Eleutheri, Romam missus est Irenæus: non novum Eleuthero Episcopatum gratulabuntur Martyres; non excessit Eleutherus tempore Lugdunensis lanienæ, quibus tanquam certis Dodwelli Chronologia innititur.

Dodw. de R. P. Prim. Suc. c. 14. 182.

Dodwel. dissert. Cypr. 11. n. 36.

Pag. Crit. an. 177. n. 6.

Lugdunensium persecutio.

VIII. Constituto persecutionis tempore, de ipsa nunc persecutione dicamus. Eam autem dividemus in duas partes. Prior ea subjiciet oculis, quæ antè gesta sunt, quàm Martyribus mors imperaretur; posterior verò narrabit magnum, & difficile certamen, quod inierunt, in quo excitarunt omnes rationes fortitudinis & patientiæ, ut mortis acerbissimæ dolores vincerent. Eâ verò distinctione uti libuit, ne narrationem confusionis aliquid incesseret. Nil intentatum reliquerunt Ethnici, quo Christianorum constantia frangeretur. Ac primum quidem quæcunque à populo universo acervatim ingerebantur, fortissimè tolerarunt, acclamationes scilicet, plagas, raptationes, spoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres. Perducti deinde in forum à Tribuno militum, & à Magistratibus civitatis, coram universo populo interrogati, usque ad Præsidis adventum conjecti sunt in carcerem. Provinciarum Præfecti erant vel Proconsules, vel Procuratores, vel Legati Cæsaris. Legatum verò fuisse, non immeritò conjicit Valesius, quia mentio fit Tribuni militum, quod optimè convenit Cæsaris Legato, qui rem militarem curabat. Neque absona est viri clarissimi cogitatio: *Fortasse in hac Lugdunensium Epistola, Severum intelligi*, de quo Spartianus, *Provinciam Lugdunensem Legatus accepit.* Cùm ad Præsidem deducti essent, atque ille omni genere sævitiæ ferretur in Christi Confessores, Vetius Epagathus postulavit, ut sibi liceret pro fratribus causam dicere. Vir erat inter Gallos clarus: cujus posteri magni & honoribus fulsere. Qua de re egregium est Gregorii Turonensis testimonium, de Biturigensibus ad Christum adductis: *Hi verò non obtenta à quo petierant domo, Leocadium quendam primum Galliarum Senatorem, qui*

Gregor. Hist. Fr. l. 1. c. 31.

Anno Dom. 177.

de stirpe Vettii Epagati fuit, quem Lugduni passum, pro Christi nomine superius numeravimus, repererum. Cæterùm cùm Præses Vettii petitionem alioqui justissimam ægrè ferret, idque unum ex eo quæreret, Essetne Christianus, ille Christianum esse se, clarissimâ voce professus, in Martyrum numerum relatus, *Advocatus quidem Christianorum* Judicis elogio appellatur.

Lugdunenses torquentur Martyres.

IX. Gliscente Præsidis furore, Christiani omnes requiri jubentur. Quo factum, complures quotidie comprehendi ex utraque Ecclesia, Viennensi nimirum & Lugdunensi præstantissimos. Neque eorum servis, inter Ethnicis parcitum, qui cùm cruciatus timerent, & à militibus quoque incitarentur, Thyesteas quasdam cœnas, & incestos Oedipi concubitus, adversus sanctos Domini discipulos ementiuntur. Quâ calumniâ in vulgus sparsâ, acerbâ hinc in Ecclesiam indignatione commoventur. Exinde gravissimis Martyres tormentis subditi. Præcipuè tamen vulgi, Præsidis militumque furor incubuit in Diaconum Viennensem, nomine *Sanctum*, & in *Maturum* neophytum quidem illum, sed generosissimum nihilominus pugilem Christi: in *Attalum* quoque patriâ Pergamenum, in *Blandinam* mulieris Christianæ servam. *Sanctus* tantâ firmitate tormentis restitit, ut nec suum, nec gentis aut civitatis, ex qua oriundus nomen ederet, nec utrùm servus esset, an ingenuus fateretur. Sed ad omnes interrogationes, Romanâ linguâ responderit, *Christianus sum. Hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse, subinde profitebatur.* Quam etiam ob causam, maxima adversus illum, & Præsidis, & tortorum, pertinacia furoris exarsit. Adcò ut cùm nihil amplius ipsis superesset, quo illum torquerent, candentes æris laminas, mollioribus ejus membris affigerent. Ubi verò paucis pòst diebus, iterum torquere Sanctum cœpere, corpus ejus, quod ex pristino cruciatu, externam vix hominis speciem retinebat, subitò erectum constitit in tormentis posterioribus, & pristinam formam usumque membrorum recuperavit. Blandina verò, quæ tenuis mollisque corporis, impar videbatur ferendo dolori, tanto animi robore firmata est, ut tortores, qui invicem sibi succedentes à prima luce usque ad vesperam, omni tormentorum genere eam excruciaverant, resolutâ nervorum compage deficerent, se victos confiterentur. Sensum omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum, *Christiana sum, & nihil apud nos mali geritur.*

Irenæus à Lugdunensibus ad Eleutherum mittitur.

X. Intereà Sancti Martyres Epistolas Irenæo ad Eleutherum Romanum Episcopum ferendas tradunt. Lugdunensis Ecclesiæ Presbyterum tum temporis agebat Irenæus, quem testimonio suo non mediocriter ornarunt: *Has literas ut ad te perferret, fratrem & collegam nostrum Irenæum hortati sumus. Quem quidem ut commendatum habeas, rogamus utpote æmulatorem testamenti Christi. Quòd si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam Presbyterum Ecclesiæ, hunc enim gradum obtinet, tibi imprimis commendassemus.* Cuinam scripta sit Epistola hæc, controversia est inter eruditos. Etenim Blondellus, qui sectarium se nonnullis præbuit, negat *Martyrum Epistolas ad Eleutherum, qui Soteri nondum successerat, datas esse, sed ad Asianos fratres.* Quæ sententia adversâ fronte pugnat cum Eusebio, cujus tamen testimonium non est parvi faciendum: *Sed & iidem Martyres, Irenæum qui tunc temporis adhuc Presbyter Lugdunensis erat Ecclesia, supradicto Eleuthero per literas commendarunt.* Neque deceptionis aliquid passus esse videtur Eusebius, utpote qui innititur in ipsa Martyrum Epistola: *Te per omnia ac perpetuò optamus in Deo valere pater Eleuthere.* Quin etiam Pontificali jam ornatum infulâ Irenæum, *annis aliquot post Martyrum excessum, à fraternitate universa Romam destinatum, Martyrum jam coronatorum sententiam literis è carcere scriptis expressam, secum detulisse*, tradit ille ipse Blondellus, loco laudato. Quæ omnia ex ejus Chronologia fluunt, nempe Photinum anno Dom. CLXVII. periisse: *Irenæo successore relicto, qui anno Episcopatus vel exeunte nono, vel ineunte decimo, Christiana Æra CLXXVII. Romam Gallorum Legatus profectus est.* Non æquo tamen animo concedemus, ad gradum Episcopalem jam provectum esse Irenæum, cùm ad Eleutherum legatus est. Alioquin non *Presbyteri*, sed *Episcopi* titulo, qui honoratior esse cœperat, commendassent Irenæum, in Epistola quæ multis eum laudibus afficit. Neque Eusebius hanc phrasim adhibuisset: *Εἰρηναῖον Πρεσβύτερον τοτ' ὄντα, Irenæum qui tunc temporis adhuc Presbyter Lugdunensis erat Ecclesia.* Restituta Chronologia, quæ Photini confert martyrium in annum Dom. CLXXVII. Blondelli *συρραφήματα* hæc evanescunt atque diffluunt. Cæterùm Epistolæ, quas Eleuthero dare jussus est Irenæus, & Martyrum, & Cleri Lugdunensis nomine, nobis exaratæ videntur. Indicioque sunt verba hæc: *Has literas ut ad te perferret, fratrem & collegam nostrum Irenæum hortati sumus.* Directus ergo Romam Irenæus, ab omni Clero Lugdunensis Ecclesiæ, proficiscentem verò Martyres commendarunt Eleuthero. Quid porro causæ fuit, cur flagrante persecutionis incendio Irenæus Ecclesiæ suæ lumen & decus, Romam amandatus sit? Quantum proximè conjici potest, in urbem missus est, inflammandæ magis Ecclesiæ Rom. charitati erga miseros, quos vis persecutionis populabatur. Quippe Romanæ moris erat Ecclesiæ, Ecclesiis quàm plurimis necessaria vitæ subsidia transmittere, egentiumque Christianorum inopiam sublevare. *Ob quasdam Ecclesia quæstiones*, Romanam & Irenæo legationem mandatam esse, discimus ex Hieronymo. Eò referendus videtur Eusebius: *Cùmque Montanistarum causâ dissensio orta esset, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium suum, rursus eidem Epistola subjunxerunt, prolatis interfectorum apud se Martyrum variis Epistolis, quas illi dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Asia & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum scripserant, pro pace Ecclesiarum quasi legatione fungentes.* Ob utramque sanè causam Irenæum legatum fuisse nil repugnat.

Pertuleritne Romam literas Martyrum Irenæus?

XI. Quæret forsan aliquis, Lugdunensium literas pertuleritne ad Eleutherum Irenæus? Negat Valesius: *Rogatus quidem fuerat Irenæus*, inquit, *à Martyribus, & ab omni Clero Lugdunensis Ecclesia, ut literas ipsorum ad Eleutherum deferret, idque ipse se facturum promiserat. Verum cùm Photini mors subsecuta esset, Irenæus id præstare non potuit.* Cui sententiæ assentiri non possumus. Etenim si Martyrum Clerique Lugdunensis alius literas pertulisset, incongrua foret admodum Irenæi legati commendatio. Expunxissent ergo hanc Epistolæ particulam, quæ etiamnum in ea reperitur: *Has literas ut ad te perferret, fratrem & collegam nostrum Irenæum hortati sumus, quem quidem ut commendatum habeas rogamus*, Romam peti-

Euseb. l. 5. c. 4.

Blondel. Apol. c. 8. p. 32.

Euseb. l. 5. c. 4.

Blondel. Apol. c. 8. p. 26.

Euseb. l. 5. c. 3.

Hieron. de Vir. illust.

petiviſſe Irenæum, Hieronymi quoque ſententia eſt: *Irenæus Photini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat Eccleſiam, Presbyter, à Martyribus ejuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones Legatus Romam miſſus, honorificas ſuper nomine ſuo, ad Eleutherum Epiſcopum perfert literas. Poſteà jam Photino prope nonagenario, ob Chriſtum martyrio coronato, in locum ejus ſubſtituitur.* Quibus Valeſiana quoque ratio refellitur. Fingit enim Martyrum Epiſtolas: *Quas Lugdunenſes aliquanto temporis ſpatio retinuerant, tandem ſedatâ perſecutione, ad Eleutherum fuiſſe directas.* Quod quibus argumentis aſtrui poſſit nulli videmus. Quidni ingruente vel perſecutione miſſus Irenæus, quem ſuas perferre literas Martyres rogaverant? Si tempus ad legationem ſuſcipiendam oportunum non fuiſſet, neque eam precibus ſuo injunxiſſent Irenæo. Poſt mortem Photini, Irenæum legatum non fuiſſe, Valeſio concedimus.

Photinus extinguitur.

XII. Noſtra nunc ad Martyres redeat oratio. Cùm univerſa tyrannorum tormenta per Martyrum conſtantiam eſſent retuſa, alias Diabolus machinas excogitavit, ut ſcilicet in obſcuriſſimum carcerem conjicerentur, utque pedes in nervo ad quintum uſque foramen diſtenſos haberent, adeò ut ex eorum numero quàm plurimi in carcere ſuffocati interierint. Quos inter Photinus Epiſcopatum Lugdunenſis Eccleſiæ adminiſtrabat nonagenario major, corpore quidem partim ob ſenectutem, partim vi morbi penitùs exhauſto. Perlatus à militibus ad tribunal, proſequentibus ipſum Magiſtratibus civitatis interrogatur à Præſide, Quiſnam eſſet Chriſtianorum Deus? Cui reſpondit, *Si dignus fueris, cognoſces.* Poſt hæc innumeris plagis affectus, calcibus & pugnis appetitus, vix adhuc ſpirans, in carcerem projectus eſt, tandemque poſt biduum animam exhalavit. Quod ſecundo Junii contigiſſe, prædicant Martyrologia.

Euſeb. l. 5. c. 1.

Maturus & Sanctus occiduntur.

XIII. Porro non ſoli Chriſti Confeſſores vinculis onuſti, verùm illi quoque, qui à prima ſtatim comprehenſione fidem ejuraverant, in carcerem conjecti, eadem quæ cæteri Martyres perferebant, qui morſibus conſcientiæ ſaucii, dum traducebantur ipſo vultu facilè diſcernebantur ab aliis. Confeſſores enim caritate erga Chriſtum, & Spiritu Sancto recreati, majeſtatem quandam venuſtati intermixtam vultibus præferebant. Deſertores verò demiſſo vultu, omnique deformitatis genere cooperti, ab ipſis Gentilibus probro afficiebantur, utpote ignavi qui homicidarum quidem crimen ſibi impoſuiſſent, Chriſtianorum autem venerandum nomen amiſiſſent. Deinceps Confeſſorum martyria, in varias mortis ſpecies diviſa. Maturus & Sanctus, cum Blandina & Attalo ducti ſunt ad beſtias in amphitheatrum. Et Maturus quidem & Sanctus, conſueta illic flagrorum verbera pertulerunt, & beſtiarum ipſos trahentium morſus, ipſam poſtremò ferream cathedram, cui ſuperpoſita Martyrum membra torrebantur. Qui maximo certamine perfuncti, cùm vitalem ſpiritum diu protraxiſſent, tandem jugulati ſunt. Blandina in crucis ſpeciem ad palum ſuſpenſa, beſtiis objecta eſt. Cùmque nulla tunc beſtia corpus illius attigiſſet, depoſita ex ſtipite, rurſus in carcerem conjicitur, in aliud certamen reſervata. Attalus vir celebris, vehementer à populo poſtulatus ad ſupplicium, ad certamen acceſſit. Cùmque per amphitheatrum circumduceretur, præcedente ipſum tabellâ, in qua Latino ſermone inſcriptum erat, *Hic eſt Attalus Chriſtianus*, Præſes poſtquam civem Romanum eum eſſe comperit, reduci in cuſtodiam cum cæteris jubet. Inde literis ad Cæſarem datis, de his omnibus, qui incluſi tenebantur, ſententiam ejus exſpectabat.

De Alcibiade, Martyrumque affectibus.

XIV. Attalus poſt illud quod in amphitheatro certamen confecerat, in vinculis detinetur. Alcibiades unus e Martyribus, durum & ſqualidum vivendi genus ſectabatur: nullumque omninò cibum admittens, ſolo pane & aquâ ad id uſque temporis veſci conſueverat. Cùmque in carcere poſitus, eandem vivendi rationem vellet retinere, Attalo revelatur, non rectè, neque ordine facere Alcibiadem, *Qui & rebus à Deo conditis minimè uteretur, & aliis exemplum ſcandali fieret.* Paruit itaque Alcibiades, & cunctis deinceps cibis promiſcuè uti cœpit, gratias agens Deo. Martyrum porro magna modeſtia fuit, cum animi manſuetudine conjuncta. Si quis per literas, aut in familiari colloquio, eos Martyres compellaſſet, objurgabant graviter atque increpabant. Martyris enim appellationem libentiſſimè concedebant Chriſto, nec non iis qui pro fide mortem obierant; ſibi verò vilium Confeſſorum titulum imponebant. Simul profuſis lachrymis, obſecrabant fratres, ut continuæ ad Deum preces fierent, quo tandem martyrio perfungerentur. Neque faſtu intumuerunt adverſus lapſos, ſed ea quibus abundabant bona, indigentibus liberaliter ſubminiſtrabant. Non infructuoſa fuit hæc temporis mora, dum Cæſaris expectatur ſententia. Quippe per Sanctos Martyres, qui fidem negaverant, ad reſipiſcentiam adducti ſunt. Quos cùm Præſes ſeorſim interrogaſſet, quaſi mox abſolvendos, cùm ſe Chriſtianos confeſſi eſſent, reliquorum Martyrum numero aſcripti ſunt. Lapſorum de grege, qui fidem prodiderant, Biblias quædam ad ſupplicium ducta, ut fragilis & ignava, adigebatur impia de Religione loqui. At illa reſipuit inter cruciatus, & contradicens impiis, *Qui fieri poſſet*, inquit, *ut infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet?*

Euſeb. l. 5. c. 3.

Attali, Alexandri, Pontici, Blandinæ martyrium.

XV. Accepto Cæſaris reſcripto, quo Confeſſores gladio cædi, deſertores incolumes dimitti jubebantur, ipſis Auguſti Calendis, quæ Lugduni maximâ hominum frequentiâ celebrabantur, cùm ludorum in honorem Cæſaris Auguſti inſtitutorum, tum ſolemnis mercatus cauſâ, Præſes Martyres ad tribunal adduci jubet. Aſturè quidem, cùm in tanta celebritate, Cæſaris & erga proditores indulgentiâ, & in Confeſſores ſævitiâ, homines ad fidem ejurandam invitarentur. De Martyribus cùm quæſtio haberetur, Alexander quidam, natione Phryx, profeſſione Medicus, tribunali aſſiſtens, cùm illos ad fidei confeſſionem nutibus hortaretur, vulgus moleſtè ferens, quod qui anteà fidem negaverant, eandem de integro confiterentur, adverſus Alexandrum tanquam hujus facinoris autorem, conclamare cœpit. Inſtans illicò Præſes, interrogavit hominem, Quiſnam eſſet? Qui cùm Chriſtianum ſe eſſe dixiſſet, iratus Judex eum ad beſtias damnavit. Poſtridie igitur unà cum Attalo ingreſſus eſt. Attalus cùm in ferrea cathedra collocatus undique torreretur, & ambuſtum corpus nidorem graviſſimum exhalaret, Latino ſermone populum allocutus: *En*, inquit, *hoc demum eſt homines vorare, quod agitis. Nos verò neque homines voramus, neque omninò quidquam mali facimus. Interrogatus etiam quod nomen Dei eſſet, Deus, inquit,*

quit, nomen non habet, perinde ac nos mortales. Alcaander verò variis subcitus tormentis, nec ingemuit unquam, nec vocem ullam protulit, sed interius mente in se collectâ, colloquebatur cum Deo. Ambo cùm maximo certamine perfuncti essent, tandem gladio percussi sunt. Ultimo spectaculorum die, Blandina rursus illata est, unà cum *Pontico* adolescente, quindecim circiter annos nato. Ac *Ponticus* quidem sororis exhortationibus incitatus, cuncta supplicia generosè perpessus, animam exhalavit. Blandina omnium postrema, post flagra, post ferarum vellicationes, post sartaginem, reticulo inclusa, tauro objecta est, à quo diu in altum jactata, tandem & ipsa victimæ instar jugulatur. Neque Ethnicus ille furor cum Martyrum vita extinctus est. Eorum enim corpora, qui in carcere suffocati perierant, canibus objecerunt, sollicitè observantes noctu atque interdiu, ne quis ea sepulturæ mandaret. Quidquid verò aut à bestiis, aut ab igne reliquum fuerat, partim laniata, partim ambusta membra exponentes, reliquorum denique capita cum ipsis corporum truncis similiter insepulta, per plurimos dies additis militum excubiis custodierunt. Ubi sancta corpora sub dio per sex dies exposita jacuerunt, tandem cremata atque in cineres redacta, in præfluentis Rhodani alveum sparsa sunt ab impiis, ne ullæ deinceps eorum reliquiæ in terris superessent: *Videamus nunc*, inquiebant, *an sint resurrecturi, & utrùm adesse ipsis Deus suus, ac de manibus nostris ipsos eripere valeat.*

Euseb. l. 5. c. 1.

De Lugdunensium Martyrum numero.

XVI. Octo & quadraginta Martyres in Lugdunensi persecutione periisse, legimus apud Gregorium Turonensem, cujus verba exscripsit Adonis Martyrologium, paucis quidem immutatis. Nescimus tamen quo fato, Gregorius LXVI. Martyrum nomina solummodò suppeditet: *Quadraginta verò octo Martyrum nomina, qui apud Lugdunum passi dicuntur, hæc sunt. Vettius, Epagatus, Zachar as, Macarius, Alcibiades, Silvius, Primus, Ulpius, Vitalis, Comminus, October, Philominus, Geminus, Julia, Albina, Grata, Æmilia, Postlumiana, Pompeia, Rhodone, Biblis, Quarta, Materna, Elpenipsa, Stamas. Hi autem qui bestiis traditi sunt, Sanctus & Maturus, Alexander, Ponticus, Blandina. Hi sunt qui in carcere spiritum reddiderunt, Arescius, Fotinus, Cornelius, Zotimus, Titus, Zoticus, Julius, Æmilia, Gamnite, Pompeia, Alumna, Trisime, & B. Fotinus Episcopus.* Non immeritò tamen suspecta sunt ea Martyrum nomina, quæ in Eusebio desiderantur. Vettius Epagathus, non diversorum quidem hominum, sed unius ejusdemque viri, gemina sunt apud Eusebium vocabula. Zacharias qui in Martyrologiis Adonis, Usuardi, Notkeri, Presbyter audit, ex prava Rufini versione numerum auxit Martyrum, ut eruditè observatum Valesio. Rufini versio hæc est de Vettio Epagatho: *Sancti Presbyteri Zacharia, qui erga Sanctos plenitudinem charitatis ostenderat, secutus exemplum: Qua prava Rufini interpretatio* (verba sunt Valesii) *occasionem erroris præbuit Adoni Viennensi, & Usuardo, & Notkero, qui in suis Martyrologiis,* XLVIII. *Martyrum Lugdunensium nomina recensentes, Zachariam Presbyterum secundo loco nominant, post Photinum Lugdunensem Episcopum. Qui si Græcum hujus Epistolæ exemplar consuluissent, animadvertissent profectò Ζαχαρίαν Πρεσβύτερον hîc dici, non Zachariam Presbyterum Lugdunensis Ecclesiæ, sed Zachariam Sacerdotem, patrem Joannis Baptistæ.* Fabulam quoque redolet, quod scripto mandavit Gregorius: *Cùm Christiani mærorem maximum haberent, quasi deperissent beatæ reliquiæ, nocte apparuerunt viris fidelibus in eo loco quo igni traditi sunt, stantes integri ac illæsi. Et conversi ad viros, dixerunt eis, Reliquiæ nostræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periit à nobis. . . Hæc renuntiantes viri illi reliquis Christianis, gratias egerunt Deo, & confortati sunt in fide, colligentesque sacros cineres, ædificaverunt Basilicam miræ magnitudinis in eorum honorem. . . Locus autem ille in quo passi sunt, Athanaco vocatur: Ideòque & ipsi Martyres a quibusdam vocantur Athanacenses.* Disertè quidem Lugdunensium Epistola tradit: *Corpora Martyrum cremata atque in cineres redacta, in Rhodanum ab impiis sparsa fuisse.* Narratio tamen Gregorii subiit in Martyrologia, Lugdunensium natale Martyrum, die Junii secundâ celebratur. Constat tamen non eodem tempore fuisse passos. Periere Sanctus & Maturus diu satis ante Attalum, Alexandrum, Blandinam & Ponticum. Sanctus & Maturus ante rescriptum, alii post rescriptum Cæsaris, quem Præses consuluerat. Neque eodem die animam Deo reddidere, Attalus, Alexander, Ponticus, & Blandina. Attalus & Alexander morti missi sunt die Augusti secundâ, ultimâ verò spectaculorum, occisi Ponticus, & Blandina.

Greger. Mirac. l. 1. c. 49.

Greger. l. 1. Mir. c. 49.

De Martyrum & Lugdunensium Epistolis.

Euseb. l. 5. c. 3.

XVII. Porrò non est prætereundum fuisse Martyrum, & ad Asianos, & ad Eleutherum, Epistolas. De Gallis judicium in Montani disciplinam dantibus suum, hæc habet Eusebius: *Protulerunt interfectorum apud se Martyrum varias Epistolas, quas illi dum in vinculis essent, partim ad fratres in Asia & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum, Romanæ urbis Episcopum scripserant.* Quæ literæ ab illis Viennensium & Lugdunensium diversæ sunt, quibus memorata martyria continentur. Harum Autor non immeritò creditur Irenæus. Conjunctim à Viennensi, Lugdunensique Ecclesiis scribitur Epistola, quia & vinculis amoris arctè copulabantur, & idem certamen obierant, in Lugdunensi præcipuè theatro. Quamobrem verò non Viennensi, sed solius Lugdunensis Episcopi meminerint, explicatu difficillimum. Non eò tamen inclinat sententia, quòd tum temporis unus in Gallia fuerit Episcopus, alioquin ut Lugdunensis, sic & Viennensis Præsul Ecclesiæ, Pothinus scriberetur. Aliunde cùm & vetus, & nobilis colonia foret Vienna, estne credibile, Ecclesiam ea in urbe constitutam, cujus *Sanctus* Diaconum agebat, proprii Præsulis expertem fuisse? De Viennensi igitur Episcopo silentium fuit, quia nil violenti passus est, sive mors, sive fuga, sive exilium persecutioni eum exemerit. Nostræ favet sententiæ Adonis Chronicum: *Justus Viennensis Episcopus, longo tempore exilio maceratus, Martyr gloriosus efficitur.* Neque de Presbyteris Viennensis Ecclesiæ, magis quàm de Episcopo mentio mota est. Græcè autem condita Lugdunensium Epistola, quia plurimis Græcis referta fuit Lugdunensis Ecclesia. Attalus & Alexander Phryges, Irenæus quoque ex Asia ortum duxerat.

Eleutherus.

XVIII. Soteri illâ ipsâ persecutione extincto, quæ in Lugdunenses sæviit, tertiâ Maii currentis anni die successisse Eleutherum, Baronii sententia est. Quæ Chronologia non est accurata. Ad Deum migrasse Soterem, anno CLXX. Cethego & Claro Coss. docet vetus Pontificum Chronicum. Quam Onuphrius Chronologiam

Anno Dom. 177.

logiam amplectitur. Episcopatum igitur illo & ipso anno iniisse Eleutherum, fit verosimile, quod & Pearsonio placuit. Biennio pòst sedisse, anno scilicet CLXXII. statuit Dodwellus, cujus Chronologia non sibi constat. Eleutherum dicunt, natione Græcum, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedisse annos XV. sepultumque fuisse juxta corpus B. Petri VII. Kalendas Junii. Quæ ex recentiorum officina prodiere.

De Eleutheri quæ dicitur Epistola.

XIX. Eleuthero tribuitur Epistola, ad Galliæ Provincias, cujus tria sunt capita. 1°. *De escis irrationabiliter non vitandis.* 2°. De accusationibus Episcoporum & Clericorum. 3°. De accusationibus omnium Comprovincialium. Si Severino credimus Binnio, *Hæc Epistola responsoria est, ad Epistolam Episcoporum ac Martyrum Viennensis & Lugdunensis Ecclesiæ.* Fingit enim ob Martyris Alcibiadis abstinentiam, consultum fuisse Eleutherum. Quæ mera sunt Binnii somnia. Quis eum docuit, & scripsisse Eleuthero Viennensem Episcopum, de quo ne verbum quidem apud Eusebium, & Alcibiadem extinctum Lugduni, unum eundemque esse cum Alcibiade Montani discipulo, Asiaticarum Ecclesiarum turbatore; & Epistolam Lugdunensium fuisse *consultationem?* De Epistolæ materia hoc est Baronii judicium: *Si spectes argumentum, nihil est quòd de literis dubites, cùm ea illos in primis admoneant, de quibus jam sub Marco Imperatore, cùm Martyres detinerentur in vinculis, de cibis utendis, occasione Alcibiadis abstinentiæ, fuerat à S. Martyribus controversia excitata.* Atqui ut mittamus, ea uti materia non decuisse Eleutherum, ad sedem videlicet *Apostolicam*, *finitiva Episcoporum tantum judicia* esse deferenda, longè quidem falsissimum est *occasione Alcibiadis abstinentiæ*, controversiam à Martyribus fuisse motam, cùm monenti Attalo cesserit Alcibiades, *cunctisque deinceps cibis promiscuè uti cœperit.* Quin etiam non cogitavit Baronius, commentum hoc suum ab ipsa Epistola refelli. Nam ut prætereamus vel responsi ad consultationem aliquam, vel excitatæ in Gallia de cibis controversiæ, nullum in illa esse vestigium: *Data est* V. *Idus Julii, Materno & Braduâ Viris clariss. Coss.* Annus erat Christi CLXXXV. Quis verò sibi fingat animo, eo demum anno rescripsisse Eleutherum, octennio post motam, si Diis placet, Alcibiadis causâ controversiam? Nervosa est, succique plena, Blondelli nostri censura: *Impostor versionem N. Testamenti vulgatam sequitur. Paulo Joannis verba ascribit. . . Centones ex Leonis Felicis III. Anastasii, Adriani I. Victoris Carthaginensis, Autoris commentarii in Paulum, Ambrosii titulo prænotati, Canonum qui Apostolorum dicuntur, Conciliorum Carth. 4. & Toletani 6. Codicis Theodosiani, & Aniani Interpretis dictis contexti.*

Bar. An. 187. n. 1.

Blondel. Pseudo-Isid. p. 213.

Anno Dom. 178.

ANNO U. C. 931. PER. JUL. 4891. JUL. 223. DOM. 178. M. AURELII 17. & 18. *Sol.* 19. E. *Lun.* 8. *Indict.* 1. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 3. P. 20. *Apr.*

COSS. *Julianus Rufus, & Gavius Orfitus.*

Marcus in Germaniam proficiscitur.

I. VAlebant prudentiâ, fortitudineque Quintilii fratres, nec ipsis deerat maximarum rerum usus. Quæ cùm non sufficerent bello Scythico conficiendo, ad illud Imperatores proficisci debuerunt. Ob hanc causam celerius quàm vellet Marcus, *Crispinam* Brutii Præsentis, viri Consularis filiam, Commodo in matrimonium collocavit. Quas exemplo privatorum nuptias celebravit, congiarium tamen populo dedit. In Capitolio juravit, nullum Senatorem se sciente occisum, cùm etiam rebelles dixerit se servaturum fuisse, si scisset. Bello necessariam Marcus pecuniam, quæ in Ærario erat, petiit à Senatu, quòd diceret eam cæteraque omnia esse Senatus, Populique Romani. Nos enim, Patres alloquens, inquit, *usque adeò nil proprium habemus, ut etiam vestras ædes habitemus.* His dictis, hastam cruentam, juxta Bellonæ Templum hosticum contorsit, deinde contra hostes proficiscitur, tertio Nonas Augusti. Paterno magnas copias dat, eumque ad prælium committendum mittit. Restitere Barbari totam diem, tandem verò omnes à Romanis cæsi sunt, quâ de causa decimùm Imperator appellatus est. Qui si vixisset diutius, ea quæ in Scythia erant, omnia in suam potestatem redegisset. Paterni de Barbaris victoriam, in annum sequentem referunt Calvisius, aliique eruditi, quorum Chronologiæ nil litis movemus.

Anno Dom. 178.

Dio l. 71. 814. Capit. Marc. c. 27.

De ætate Irenæi atque patria.

II. Photino Lugdunensi Episcopo, magnum Ecclesiæ Galliarumque lumen, hoc vel proximo anno successit Irenæus. Asianum fuisse, ac fortè Smyrnensem, ex ejus ad Florinum verbis facimus conjecturam: *Vidi enim te cùm adhùc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, splendidè agentem in palatio, & magnoperè laborantem, ut te illi probares.* Ea quidem quæ de S. Polycarpo commemorat Irenæus, *Locum in quo Beatus ille Martyr sedens disserebat, processum ejus, & ingressum, vitæque totius formam*, non pertenui sunt indicio, Irenæum nondum ex ephebis egressum, Smyrnam incoluisse. Irenæi ætatem, solito ingenii acumine, clarissimus expiscari Dodwellus tentat. Anno Christi XCVII. imperante Nervâ, lucem aspexisse Irenæum, ex ipso Irenæo colligit, qui de Joannis Apocalypsi chartis hæc intulit: *Neque enim ante multum temporis visum est, sed penè sub nostro sæculo, ad finem Domitiani imperii.* Græca sunt ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, quæ de *nativitate* Irenæi explicanda esse, faciles largimur. Viderint tamen eruditi, an ex ea phrasi aptè satis concludatur, anno Christi XCVII. Irenæum editum esse. Alii credant, non nos. Quamvis enim ad finem jam vergente imperio Trajani, ingressus vitam foret Irenæus, ea memoriæ prodere verissimè potuit: *Neque enim dudum, sed nostrâ penè ætate, sub exitum imperii Domitiani visa est revelatio.* Quin etiam verba hæc magis officiunt, quàm favent Dodwello, cùm si eodem anno, & natus Irenæus, & Apocalypsis edita sit, non accuratè satis scriptum fuisset, οὐδὲ πρὸ πολλοῦ χρόνου, *non ante multum temporis.* Nos omisso anno natali Irenæi, qui absque temeritate via definiri potest, Irenæum juniorem fuisse quàm Dodwellus putat, existimamus. Defunctis omnibus Apostolis, & Joanne mortuo, natum esse Irenæum, non obscurè innuunt verba ejus, ex libro de octonario: *In quo primam se Apostolorum successionem contigisse significat.* Hoc est, non multò post extinctos Apostolos, hausisse lucem. Id ipsum sonare videntur, quæ scripsit Florino: *Hæc dogmata, hi qui ante nos vixerunt Presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt.* Nostram adjuvant & conjecturam verba Hieronymi ad Theodoram: *Refert Irenæus, vir Apostolicorum temporum, & Papiæ, auditoris Evangelistæ Joannis discipulus.* In quibus id unum probamus, quòd Papiam Docto-

Euseb. l. 5. c. 20.

Iren. l. 5. c. 30.

Euseb. l. 5. c. 20.

Hieron. Ep. 29.

Eusob. l. 3. c. 39.

rem habuit Irenæus. Qui etiam ab eo hausit, de millenario, in orbe terrarum Christi regno fabulam: *Papias verò in Proœmio librorum suorum, se quidem S. Apostolorum spectatorem atque auditorem fuisse non dicit, sed ab eorum familiaribus normam fidei se accepisse testatur.* Quòd si Papiæ, qui Apostolos non audierat, magisterio usus est Irenæus, vix credibile est, ortum ejus, in anno xcvii. posse consignari. Quibus accedat in Epistola ad Florinum, eam ab Irenæo pingi ætatem, quæ est infrà annum xxv. *Vidi enim te cùm adhuc puer essem in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio. Etenim ea quæ tunc temporis gesta sunt, melius memoriâ teneo quàm illa, quæ nuper acciderunt. Quippe ea quæ pueri didicimus, simul cum animo ipso coalescunt.* Illa igitur ætas Irenæo fuit, quâ cum corpore, unà crescit & animus, quod ante xxv. annum contigit. Basilica autem aula, in qua Florinum *splendidè agentem* vidit Irenæus, Adriani erat. Cùm verò sæpius Asiam ingressus est Adrianus, sit in obscuro tempus, quo Florinus agebat in aula; in hanc tamen regionem non transmisit Adrianus ante annum Dom. cxxii. quo jam xxv. annum evaserat Irenæus, si anno xcvii. editus est. Denique Irenæo majorem ætate fuisse Florinum, palam fit ex ipso Irenæo. Quo consequens foret, Florinum penè centenarium in hæresim incidisse, quam Judice Dodwello, anno Christi clxxxii. profligavit Irenæus anno ætatis lxxx. Est autem incredibile, Florinum tantæ ætatis hominem fuisse, cùm à vero deflexit.

Eusob. l. 5. c. 20.

Nùm à Polycarpo missus in Gallias Irenæus, aut creatus ab eo Presbyter?

Gregor. Hist. Fran. l. 1. c. 29.

III. A Polycarpo Irenæum in Gallias missum fuisse, scripto prodidit Gregorius Turonensis: *Primus Lugdunensis Ecclesiæ, Photinus Episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis, pro Christi nomine passus est. Beatissimus verò Irenæus, hujus successor Martyris, qui à B. Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit; qui in modici temporis spatio, prædicatione suâ maximè in integro civitatem reddidit Christianam.* Sedente Aniceto, Romam unà cum Polycarpo venisse, indeque in Gallias profectum, probabile duxit Cavius. Nobis verò in quæstionibus ejusmodi, quæ facti sunt, religio est aliquid proferre absque Veterum suffragio, quos apud de Irenæo sive Polycarpum comitante, sive à Polycarpo in Gallias misso, altum extat silentium. Multos Lugdunum ex Asia migrasse, Attalum v. g. Alexandrumque Martyres, tam certum, quàm ignotum est, quibus de causis, patriâ suâ relictâ, in Gallias concesserint. His se comitem addere Irenæus potuit. Minus etiam credere est, quod Halloixio placuit, Irenæum à Polycarpo primo Diaconum, deinde Presbyterum fuisse ordinatum. Cui sententiæ Veterum nullus suffragatur. Non Eusebius, non Hieronymus; imò traditionis hujus ignarus Gregorius Turonensis, qui à Polycarpo injuncti Irenæo Diaconatus, Presbyteratusve meminisset, dum de Irenæi in Gallias missione commemorat. Scribitur quidem Hieronymo, non Polycarpi, sed *Photini Presbyter.* Quin etiam ex ipso Irenæo, Halloixii commentum refellitur. Ille quippe qui coarguendo Florino, processum Polycarpi, & ingressum, locum ubi sedebat, sermones quos ad populum habebat, disertè memorat, multò minus prætermisisset, adjunctum sibi à S. Martyre Diaconi, Presbyterive munus. Multum sanè momenti, Irenæi de doctrina Polycarpi testimonio, ab ea dignitate fuisset additum: *Hæc ego,*

Eusob. l. 5. c. 20.

inquit, *divinâ mihi largiente clementiâ, tunc studiosè audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens.* Atqui majori fide dignior Irenæus, si puer non modò, verùm etiam Diaconus, & Presbyter, familiarissimus Polycarpo, & omnibus rebus conjunctus fuisset. In Diacono quidem & in Presbytero, longè major & judicii, & sapientiæ lumen residet.

Nùm Irenæus anno clxvii. creatus Episcopus?

IV. Anno Dom. clxvii. incalescente in Gallia persecutione, Photino Lugdunensi Antistiti successisse Irenæum, anno ætatis lxx. docent Cavius atque Dodwellus. Quam respuere Chronologiam non ignobilibus argumentis docemur, Polycarpum prius flammis traditum fuisse, quàm Irenæus crearetur Episcopus omnibus in confesso est. Itaque cum Polycarpum *die magni Sabbati* constet morti addictum fuisse, perire sanè debuit, vel anno cxlvii. qui characteres exhibet omnes temporis, quod fatale Polycarpo fuit, vel anno clxvii. Mors enim ejus differri nequit, si anno clxvii. Episcopatum iniit Irenæus. Priori verò Chronologiæ, quæ Pearsonii est, duo maximè officiunt. Prius, quòd passio Polycarpi in regnum Antonini Pii conferenda foret, repugnante Veterum omnium sententiâ, à qua nonnisi gravissima de causa est discedendum. Posterius autem, quòd *sex & octoginta anni*, quos se Christo ministrasse Polycarpus profitetur, de vita S. Martyris essent capiendi, quod abundè suo loco coarguimus. Neque etiam annus clxvii. Polycarpo supremus esse potuit, obstantibus legitimis temporum criteriis. Non litera Dominicalis *B.* non Sabbatum magnum, Martii vigesimo sexto cohærebat, quæ notæ, emortualem Polycarpi annum afficiunt. Igitur anno clxvii. Lugdunensem Irenæus Episcopatum capessere non potuit, si defuncto jam Polycarpo successit Photino. Deinde si, qua Veteribus fides, Eleutherus jam sedebat Episcopus, cùm Photinus excessit martyrio, testis Epistola Lugdunensis Ecclesiæ credita Irenæo: *Te per omnia ac perpetuò optamus in Deo valere, pater Eleuthere.* Atqui Eleuthero non adjunctus est Romanus Episcopatus, ante annum clxx. Imò à se ipso diffidens Dodwellus, biennio pòst Eleutherum Episcopum creatum esse contendit. Ad plures ergo non abiit Photinus, anno 167. non decessit Irenæo. Nostræ nos igitur Chronologiæ non pœnitet, quæ anno vel clxxvii. vel insequente Irenæum Lugduni creat Episcopum, ejus ætatis ignara, atque secura. Quis verò ipsum ordinavit? Eleutherus? Quamobrem? An quia Galliam omnes Episcopi defecerant? Id nobis incredibile. Meminit quidem Eusebius, *Epistola Ecclesiarum Galliæ, quibus præerat Irenæus.* Scripta autem est Epistola, sedente Victore, qui Eleuthero proximè successerat. Ab uno harum Ecclesiarum Antistite Irenæus ordinatus est Episcopus. Potuisset & à venerando Photino creari, si constaret eum adhùc inter homines fuisse, cùm Româ reversus est Irenæus. At verò propius animam in carcere jam exhalasse optimum virum, senio doloribusque confectum. Quippe persecutio grassabatur, cùm profectus est Irenæus, qui de rebus, quarum causâ legatus in urbem fuerat, vix tam citò sese expedire potuit, ut redux vivum Photinum amplecteretur.

Eusob. l. 5. c. 23.

Anno

Anno Dom. 179.

Anno U. C. 932. Per. Jul. 4892. Jul. 224. Dom. 179. M. Aurelii 18. & 19. *Sol.* 20. D. *Lun.* 9. *Indict.* 2. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 4. *P.* 12. *Apr.*

Coss. *Commodus Augustus II. & T. Annius Aurelius Verus II.*

De Veri Consulis nominibus.

I. COmmodi Collega, à Baronio, Calvisioque *Candidus Verus* appellatur, sed perperam, ob Paterni de Germanis victoriam, M. Aurelius decimùm Imperator dictus est.

De Judæo arenâ baptizato. *Niceph. l. 3. c. 37.*

II. Eò loci pertinere creditur Historia, quam memoriæ prodit Nicephorus: *Judæus quidam in solis aridisque locis iter faciens, communiter cum viatoribus Christianis Psalmos canebat. Cùm verò morbo repentino ita affligeretur, ut crederetur moriturus, atque ibi in locis illis permansurus esse, magnâ contentione viatoribus suis obsecrando institit, ne eum ita præsidio omni destitutum relinquerent, sed ut divini lavacri participem facerent, ac deinde abirent. Ut autem illi neque qui præstare hoc posset, Sacerdote enim opus erat, neque aquæ copiam adesse, quæ in baptismo perficiendo, & consuetudine antiquâ, & lege certâ & inviolatâ requireretur, causati sunt, & propterea in tantarum rerum penuria petitioni ejus non annuerunt. Judæus porro in sententia sua permansit; & jure jurando eos, ut sibi satisfacerent, adegit. Illi itaque detractis homini vestibus, arenâ quæ ibi erat, pro aqua usi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, tertium arenâ in eum conjectâ baptizarunt. Per hanc tam insolitam & admirandam sacrorum mysteriorum initiationem, imbecillitate omni tanquam vinculo quodam dissolutus, longè melius quàm illi, validus iter fecit. Postquam autem domum sunt reversi, rem eam ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt. Ille verò admiratione stupens, Ecclesiam de ea consuluit. Cui visum est aquâ insuper ad eum modum initiatum, juxta Ecclesiæ traditionem abluendum esse, ut ita quod sacro ei deesset, sarciretur.* Non ii sumus qui hujusce narrationis veritatem præstare velimus. Imò lubentius fabulis apponimus. Vix credimus imperante Marco eò superstitionis venisse Christianos, ut arenam adhibuerint, ministrando baptismo, non sine grandi sacrilegio. Hæc etiam inter se maximè pugnant, quòd casus ille acciderit, *M. Aurelio Antonino imperium administrante*, res verò ad Dionysium Alexandrinum relata sit, utpote qui post extinctum M. Aurelium annis amplius sexaginta Episcopatum inierit. Anno Dom. CCXLIX. inquit Eusebius in Chronico, *Alexandrinam Ecclesiam tertius decimus Episcopus tenuit Dionysius.* Ut Nicephori narrationi fidei aliquid conciliet Baronius, legit: *Rem illam ad Dionysium Corinthiorum Episcopum retulerunt.* Cujus verò exemplaris autoritate, Alexandrinum in Corinthium mutarit Dionysium, omninò ignoramus. Quæ de aquæ penuria in locis arenosis habet Nicephorus, indicio sunt, de Africa magis, quàm de Europa cogitasse.

Anno U. C. 933. Per. Jul. 4893. Jul. 225. Dom. 180. M. Aurelii 19. & 20. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 10. *Indict.* 3. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 5. 6. *P.* 3. *Apr.*

Anno Dom. 180.

Coss. *L. Fulvius Bruttius Præsens II. & Sex. Quintilius Condianus.*

I. DUm in Pannoniis Marcus agit, Marcomannos Scythasque Romanorum in ditionem redacturus se diu vixisset, tot clarum victoriis, gravis morbus invadit. Cùm ægrotare cœpisset, filium advocat, atque ab eo primùm petit, ut belli reliquias non contemneret, ne videretur Rempublicam prodere, & cùm filius ei respondisset, Cupere se primùm sanitatem, ut vellet permisit, petens tamen ut expectaret paucos dies, aut simul abiret. Deinde abstinuit cibo potuque, mori cupiens, auxitque morbum. Sextâ die, vocatis amicis, & ridens res humanas, mortem verò contemnens, ad amicos dixit: *Quid me fletis, & non magis de pestilentia, & communi morte cogitatis.* Et cùm illi vellent recedere, ingemiscens ait: *Si jam me dimittitis, Vale vobis dico, vos præcedens.* Et cùm ab eo quæreretur, cui filium commendaret; ille respondit: *Vobis si dignus fuerit, & Diis immortalibus.* Septimo die gravatus est, & solum filium admisit, quem statim dimisit, ne in eum morbus transiret. Ipsum verò militibus commendavit, Tribunoque militum tesseram postulanti, respondit: *Abi ad Orientem, ego enim jam ad Occasum commeo.* Dimisso filio, caput operuit, quasi volens dormire, sed nocte animam efflavit. Peremptus creditur à medicis, qui Commodo gratificabantur. Obiit XVII. Martii die, natus annos octo & quinquaginta, menses decem, dies viginti. Regnavit annos decem & novem, & dies XI. emortuali incluso. Mortis locum dubium fecere Scriptores: *Vendobonæ* morbo consumptum fuisse ab utroque Victore traditum. At Tertullianus Cybeli Deæ illudens, *Majestatis suæ*, inquit, *in urbem collata, grande documentum nostræ etiam ætati proposuit, cum Marco Aurelio apud Syrmium Reipublicæ exempto, die decimo sexto Calendarum Aprilium, Archigallus ille Sanctissimus, die nono Calendarum earumdem, quo sanguinem impurum lacertos quoque castrando, libabat pro salute Imperatoris Marci jam interempti, solita æquè imperia mandavit.* Mortuus magnis honoribus affectus est. Victor de Cæsaribus: *Vendobonæ interiit maximo gemitu omnium mortalium. Denique qui sejuncti in aliis patres ac vulgus, soli omnia decrevere, Templa, columnas, Sacerdotes.* Statuâ etiam aureâ in Curia donatus est. Quod verò statuis omnibus præstat, nulli Romanæ ditionis mortales fuere, qui de Marci obitu nuntium multis lachrymis non exceperint: *Omnesque eum velut unâ voce, alii parentem probum, alii bonum Imperatorem, quidam fortissimum Ducem, nonnulli etiam continentem, moderatumque Principem vocabant.*

Mors Marci.

Capit. Mar. c. 8. Dio l. 71. 815.

Tert. Apol. cap. 25.

Herodian. lib. 1.

De Marci liberis.

II. Plures ex Faustina liberos, Marcus suscepit. Filios scilicet *Commodum* cum fratre Antonino gemino, qui quadrimus elatus est: *Verum* Cæsarem, quem mors stravit, anno CLXX. Doctissimo debemus Mabillonio duos adhùc Marci filios, quorum nulla apud Veteres Historiæ Scriptores extat memoria. In Collectione in-

Anno Dom. 180.

Mabil. Analect. t. 4.

inscriptionum Romanarum duæ habentur inscriptiones. In una legitur: *T. Aurelius Antoninus M. Aurelii Cæsaris filius, Imper. Antonini Augusti Pii P. P. nepos.* Alterâ inscriptione hæc continentur: *T. Ælius Aurelius M. Aurelii Cæsaris & Faustinæ Augustæ filius, Imp. Antonini Aug. Pii nepos.* Quibus in inscriptionibus, cùm neque Pio *divi* titulus, neque Marco Augusti nomen imponatur, *Pii* ante obitum positas fuisse, certum exploratumque est. Complures quoque ex Marco filiæ genitæ. Major *Lucilla*, quæ *Vero* Augusto primùm, deinde *Pompeiano* nupsit. Conjuratione verò in *Commodum* cum Quadrato factâ, sceleris pœnas dedit cum sontibus omnibus supplicio affecta. Post Lucillam, major natu *Fadilla*, cujus monitis, de Cleandri conjuratione Commodus eruditus est. Ea forsan ipsa est, de qua Herodianus, in Antonino Caracalla: *Quin & Commodi sororem, jam anum, atque ab omnibus Imperatoribus ut Marci filiam oportuit magno in honore habitam morte affecit.* Procreavit & Domitiam Faustinam Marcus, antequam imperii fastigia susciperet, quod ex præfata Mabillonii collectione intelligitur: *Domitia Faustina M. Aurelii Cæsaris filia, Imp. Antonini Augusti Pii P. P. neptis.* Meminit & in Antonino Caracalla Herodianus *Lucillæ* minoris: *Consobrinum Severo cognominem, filiumque Pertinacis & Lucillæ Commodi sororis occidit.* Ex Gruteriana inscriptione reperiunt eruditi, Marco aliam quoque fuisse filiam, nomine *Sabinam.* Sic Marco decem liberi ex Faustina suscepti, mares quinque, totidemque fœminæ. De Commodo Lampridius c. 18. *Sorores tres superstites reliquit.*

Herod. lib. 4.

Herod. lib. 4.

De Marci libris.

III. Corporis non modò, sed animi quoque fœtus, posteris Marcus reliquit, aureos nimirum libros XII. Libro primo Diis acceptum refert, quòd bonos parentes habuerit, bonam sororem, bonos præceptores, bonos domesticos, bonos amicos, quibus nil offensionis unquam attulerit. Item quòd Benedictâ, & Theodorâ, quas deperibat, non sit potitus, quòd volenti pauperibus opem ferre, de pecuniæ inopia nunquam monitus sit. 2°. Ostendit gravius illum peccare qui cupiditate, quàm qui iracundiâ peccat. Vult etiam agi à nobis omnia, quasi vitæ in exitu essemus collocati. Ostendit & Deos esse, & providentiam. Neque honores, divitias, & voluptatea, bona esse, aut ignominiam, paupertatem, dolorem, mala, quia in ea mortales indiscriminatim incidunt. In tertio libro, iis solis animum detineri cogitationibus jubet, de quibus subinde interroganti responderi posset, *Hoc cogito*, hominemque sic comparatum, Deorum Sacerdotem esse. Contendit etiam nil melius in vita humana posse reperiri, quàm justitiam, veritatem, temperantiam, fortitudinem, cum mentis tranquillitate conjunctam. Præclaris ejusmodi sententiis scatet scriptum hoc Antonini, quod tamen iofra Scripturæ sapientiam longè subsidet.

Anni Commodi.

IV. Patris degener, Marco defuncto successit Commodus. Natus erat in villa Lanuvina: *Pridie Calendas Septemb. patre, patruoque Coss.* anno Dom. CLXI. Postremo die anni, CXCII. cui celebrando vacabant, venenum ei noctu per Marciam datur in carnibus bovinis, cùmque non posset interire subitò propter vinum quod largius biberat, operâ Narcissi suffocatur. Vixit annos XXXI. menses quatuor. Regnavit annos XII. menses IX. dies XIV. exclusâ die emortuali patris, à qua si Commodi ducitur imperium, Martii videlicet *decimâ & septimâ*, dierum numerus fit unitate major. Anno completo utitur Victoris Epitome, dum annos XXXII. vindicat Commodo.

Anno Dom. 180.

Commodi mores.

V. Commodo præter ætatis florem, etiam formæ dignitas suffragabatur, congruens corporis modus, pulchra virilisque facies, flava & crispa cæsaries, ut in sole ambulanti velut igne quodam rutilaret. Quam tamen fucasse, & auri ramentis illuminasse, tradit Lampridius. Minimè vafer à natura, vel maliciosus erat, sed si quis alius simplex. Ob nimiam verò simplicitatem hanc & timiditatem, serviebat iis quibuscum versabatur. Adhibitos custodes vitæ suæ honestiores, ferre non potuit, pessimos quosque detinuit, & submotos usque ad ægritudinem desideravit. Quibus per patris mollitiem restitutis, popinas & ganeas in Palatinis semper ædibus fecit: neque unquam pepercit vel pudori, vel sumptui. Utra major in eo esset crudelitas, an impudicitia, ambiguum fecit. Cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricumque delectu, trecentisque aliis puberibus & exoletis, in palatio per convivia & balneas bacchabatur. Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret. Bellonæ servientes, qui missione sanguinis sui Deam placabant nono Kal. Aprilis, vere exsecare brachium præcepit, studio crudelitatis. Isiacos verò, pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat. Cùm Anubin portaret, capita Isiacorum graviter obtundebat, ore simulacri. Cùm illi sæpè pugnanti, ut Deo populus favisset, irrisum se credens, Populum Rom. à militibus classiariis qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. Urbem incendi jusserat, utpote coloniam suam. Quod factum esset, nisi Lætus Præfectus Præt. Commodum deterruisset. Monstri potius quàm hominis, vitam paucis egregiè depinxit Victoria Epitome: *Sævior omnibus libidine, atque avaritiâ, crudelitate, nulli fidus, magisque in eos atrox, quos amplissimis honoribus, donisque ingentibus extulerat.*

Dio l. 72. 817.

Lampr. Com. c. 5.

Lampr. Com. c. 9.

Lampr. Com. c. 15.

Commodus urbem vult repetere.

VI. Celebrato Marci funere, placuit ejus amicis, Commodum ad milites adducere, ut & eos alloqueretur, & pecuniâ magnificè distributâ, illorum sibi animos adjungeret. Breve quidem ad tempus omnia paternis amicis autoribus gerebantur. Paulatim deinceps irrepsere nonnulli, ex aulico famulitio, qui sibi ad corrumpendam juvenis Imperatoris indolem nihil facerent reliqui. Itaque statim convocatis amicis, teneri se Patriæ desiderio non dissimulavit. Sollicitum se esse fingebat, ne quis opulentus ex nobilitate, domum occuparet Principis. Pompeianus verò vir Lucillæ, gravi oratione conatus adolescentis non nihil repressit. At ministris magis magisque instantibus, datis Romam literis, ac præpositis quos visum esset, tuendæ Istri ripæ, & Barbarorum insultibus coërcendis, profectionem continuò edicit.

Pax Commodi cum Marcomannis.

VII. Jam Marcomanni, nec alimenta, nec virorum amplius copiam ob multitudinem illorum qui peribant, habebant. Quamobrem duos ordinis inferioris, & ex Primoribus totidem Legatos ad Commodum pro pace miserunt: quam his conditionibus fecit. Ut transfugas & captivos, quos ab illo tempore accepissent, Com-

ANNO DOM. 180.

modo restituerent, frumentum quoddam certum quotannis penderent, quod eis posteà remisit. Etiam ab ipsis arma quædam exegit, & tredecim millia militum à Quadis, pauciores à Marcomannis. Hoc etiam eis dedit in mandatis, ut neque sæpius, neque pluribus in locis regionis suæ congregarentur, sed semel duntaxat mense quolibet, ac unum in locum, Centurione quodam Romano præsente. Præter hæc, ne vel Jazygas, vel Buros, vel Vandilos bello peterent. Buris quoque pacem concessit. Quo facto castella omnia, quæ in Marcomannorum regione, ultra limites, eis adempta deseruit.

Dio l. 72. 817.

Commodus Romam redit.

VIII. Postquam profectionis fama per exercitum percrebuit, ingens repentè totis castris motus extitit, nullo non redire Romam cupiente, relictoque hostili solo, urbanas affectante delicias. Ubi urbem appropinquavit Commodus, Senatus statim universus populusque Rom. laureati, ac flores quos dabat anni tempus afferentes, quam quisque ab urbe longissimè poterat, occurrebant, visuri Principem ætate atque nobilitate conspicuum. Romam ingressus, Jovisque primùm, deinde cæterorum Deorum templa consalutavit, gratiasque egit & Senatui, & iis qui relicti Romæ fuerant militibus servatæ sibi fidei, in aulam dein Palatinam se recepit.

Herodian. lib. 1.

Mors Hegesippi. Quis?

IX. Hoc anno ad plures abiisse Hegesippum legitur in Chronico Alex. Commodo *imperante moritur Hegesippus, qui de Apostolis eximiè scripsit, ut de eo memorat Eusebius Pamphili.* De antiquissimo eo autore pauca hæc, nostris etiamnum Annalibus inserimus. Judæorum religionem cum luce hauserat Hegesippus. Verùm abdicato errore Christianorum in disciplinam migravit, ut ex Eusebio discimus: *Nonnulla ex Hebræorum Evangelio, & Syriaco, & ex Hebraica lingua profert in medium: satis per hæc apertè significans, se ex Hebræis ad Christi fidem transisse.* Trajano imperante vitam ingressum esse, ex verbis Eusebii colligimus, qui *Apostolorum temporibus proximum* fuisse refert. Ubi Christo nomen dedit, Ecclesiæ Hierosolymitanæ membrum exercuit, quam simpliciter *Ecclesiam* vocat, dum turbarum à Thebuti commotarum meminit: *Et Ecclesiam quidem hactenus virginem vocabant, propterea quòd vanis Sermonibus nondum corrupta fuerat. Primus Thebutis indignè ferens, quòd minimè creatus esset Episcopus, eam occultè vitiare aggressus est.* Nil Ecclesiasticæ dignitatis gessisse, fit verò simile, cum nullo sive Episcopi, sive Presbyteri titulo, ab Antiquis afficiatur. In Hegesippo magnus inerat peregrinandi amor, ut Ecclesiasticæ traditionis peritus evaderet, argumentumque veritatis, ex Episcoporum in docendo conspiratione sibi colligeret. Desiderio videndæ Romæ permotus, dum eo proficiscitur, Corinthum appulit, ubi *Primus* Episcopi nomine, Ecclesiam administrabat, vir antiquæ fidei tenax, quo familiariter usus est. Neque minimum temporis, cum Corinthiis versatus est, ex quorum & fide, & colloquiis, solatii plurimum habuit. In urbe agentem quod hospitium exceperit, prorsus nescimus. Non ignoraremus quidem, si accurata esset Valesiana versio: *Mansi ibi apud Anicetum.* Verùm aliud Græca sonant, *διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου*, quæ scriptam potius innuerent Episcoporum Rom. successionem, ad Anicetum usque, cui Soter successit, Soteri dein Eleutherus, olim Aniceti Diaconus. Scriptane verò fuerit ab Hegesippo, Pontificum Rom. successio, sunt dubitandi causæ, quas anno Dom. CLVI. exposuimus. Ad annum usque Dom. CLXXX. vitam retinuit Hegesippus, vir candidæ quidem mentis, morumque integer, at si verum placet, non satis cocti limatique judicii. Quæ de Jacobo fratre Domini, ejusque morte memorat, fabulis sunt propiores, uti suo loco demonstravimus. Quinque libros scripsit, quibus Apostolicæ prædicationis Historiam complexus est. De quo Opere censura hæc est Hieronymi: *Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum, omnes à passione Domini, usque ad suam ætatem Ecclesiasticorum actuum texens Historias, multaque alia ad utilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinque libros scripsit sermone simpliciori, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem.* Monitu non opus est, nostri non esse Hegesippi, de bello Judæorum Historiam, quam nunquam laudat Eusebius. Neque quidquam simile habet, cum quinque libris Hegesippi, cujus verba ab Antiquis laudata in ea desiderantur.

Eusob. l. 4. cap. 22.

Eusob. l. 2. cap. 23.

Eusob. l. iv. 22.

ANNO U. C. 934. OLYMP. 240. PER. JUL. 4894. JUL. 226. DOM. 181. COMMODI 1. & 2. *Sol.* 22. A. *Lun.* 11. *Indict.* 4. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 7. P. 19. *April.*

ANNO DOM. 181.

COSS. *Commodus Augustus III. Antistius Burrhus II.*

I. DE Germania magnificum Commodus triumphum egit. Narranti Eusebio favet nummus Commodi. In ejus aversa parte repræsentatur quadriga triumphalis cum his verbis: *Trib. P. VI. Imper. IV. Cos. III. P. P.* & infra *S. C.* Triumphanti dedecus aspersere, lasciva oscula, quæ catamito imprimebat: *Subactore suo Antero, post se in curru locato, ita triumphavit, ut eum sæpiùs cervice reflexâ publicè oscularetur. Etiam in orchestra hoc idem fecit.* In Lampridium errorem irrepsisse, putat Salmasius: *Anterus*, inquit, *sub falso nomine, usque adhuc latuit. . . . Nomen igitur habuit Saoterus.* Saoteri sanè Dio meminit: *Progrediente tempore, usque adeò auctus est* Cleander, *ut ante cubiculum Commodi excubarit, ejusque concubinam Damostratiam uxorem duxerit, & præter alios multos Saoterum Nicomediensem, qui ante ipsum eundem honorem habuerat, interfecerit*; quanquam & ille potentissimus erat, & per eundem Nicomedienses, *Impetraverant à Senatu, ut certamina celebrarent, Templumque Commodo statuerent.*

Commodi de Germanis triumphus.

Lampr. Com. c. 3.

Dio l. 72. 822.

II. Persecutionis incendium, quod optimo Imperatore Marco regnante, Ecclesias ubique locorum corripuerat, Commodo monstro hominis rerum Domino penè extinguitur. Observanda hæc Eusebii: *Commodo Imperium Rom. obtinente, res quidem nostræ in tranquilliore statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas orbis terrarum Ecclesias complexâ. Atque interim salutaris Dei sermo, ex omni genere hominum, quàm plurimos ad religiosum summi numinis cultum pertrahebat: adeò ut multi ex iis qui in urbe Roma, genere atque opibus eminebant, simul cum universa domo, ac familia, salutem consecuturi accurrerent.* Martiam Commodi pellicem, Christianorum rebus favisse fama prædicat: *Hanc Chri-*

Persecutio extinguitur.

Eusob. l. 5. cap. 21.

Dio l. 72. 819.

Christianorum studiosam fuisse, & quod esset apud Commodum magna autoritatis, multa in eos beneficia contulisse, memeriæ proditum. Christum tamen, cujus Numine administrantur omnia, Ecclesiæ hæc oria fecisse existimamus: quamvis non eamus inficias, partes & hominibus quandoque suas fuisse, in comprimendis persecutionibus. Chronicum Alexandrinum docet persecutioni finem fuisse à Commodo impositum, Græca sunt παύει, quæ perperam vertit Raderus: *Commodus dum imperavit, decreta contra Christianos sustulit.* Quod vel unum Apollonii, Perenne Judice, martyrium falsi coarguit: *Quippe veteri apud eos lege sancitum erat, ut Christiani qui semel in jus vocati fuerant, nisi à proposito suo discederent, nequaquam dimitterentur.* Nullas verò Marcus in Christianos leges conscripserat, ipso teste Tertulliano.

Eusob. l. 5. cap. 21.

De Lucii Regis ad Eleutherum legatione.

Baron. an. 183. n. 4.

III. Lucium Britannorum Regem, suos ad Eleutherum Legatos misisse de accipiendis ministris, *Qui Christianæ Religionis munera obire possent*, Baronii reperimus in Annalibus: *Legationem misit per Elvanum & Medwinum Britannos, rogans per eos Eleutherum, ut per se suosque ministros ad Christianam Religionem suscipiendam aditum patefaceret, quod & obtinuit. Nam idem Pontifex Fugatium & Donatianum, aliter Damianum, in Britanniam misit, qui Regem & alios Christianâ Religione imbutos, sacris initiarent mysteriis: quod & naviter impleverunt.* Quæ ex antiquis Martyrologiis lectoribus se fœnerasse tradit. Negat verò hoc legationis imperantibus Marco & Vero fuisse susceptum, uti Beda docuit: *Nam tempora Eleutherii sedis, nullo modo cum eorum imperio congruere certum est. Magis itaque iis assentimur, qui sub Commodo id factum esse dixerunt.* Immeritò tamen Adonem iis Baronius inserit, qui Commodo imperante missos ad Eleutherum Lucii Legatos scripto prodidere. Imperantibus Marco & Commodo filio ejus, hoc contigisse, Adonis Chronologia est.

Baron. an. 183. n. 3.

De Lucio Bedæ traditio.

Beda h. Angl. l. 1. cap. 40.

III. Rem quod attinet, Venerabilis Beda hoc habet: *Anno ab incarnatione Dom.* CLVI. *Marcus Aurelius & Anton. Verus quartus decimus ab Auguste, regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit, quorum temporibus, cùm Eleutherus vir Sanctus, Pontificatui Rom. Ecclesia præesset, misit ad eum Lucius Britanniæ Rex Epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, & mox effectum piæ postulationis consecutus est.* Qua de re pauca hæc Usserii referre juvat: *De ipso Rege & ejus regno jam aliquid attexendum. Appellatus est ille Britannicâ quidem linguâ Cles. Latinâ verò Lucius, sive à Romanis, sub quibus vixit, prænomen illud traxerit; sive ab eventu, cognomen hoc illi posteà fuerit inditum. Apud Britannos enim, Lucium agnomine Lever maur; id est, magni splendoris, propter fidem quæ in ejus tempore venit, vocatum esse, in addit. ad Nennium author est Samuel Bealani filius.*

Usser. de Brit. Eccl. Primord. cap. 3.

Lucii ad Eleutherum legatio refellitur.

IV. Cæterùm in ea traditione, nulla veri species apparet. Secundo quidem seculo, Christi disciplinam jam perdidicisse Britannos, certum exploratumque est. Quippe illorum fidei fama aures Tertulliani tetigerat: *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò cognita.* Britannos quoque innocentiæ suæ testes adducit Athanasius: *Nostram verò innocentiam plures quàm trecenti Episcopi suis calculis comprobarunt, qui ex multis Provinciis Ægypti, Galliarum, Britanniarum.* Ut nostros tamen sensus fateamur, Lucii Regis ad Eleutherum legationis fides, nobis est difficillima. Eusebii Hieronymique notitiam vix effugere potuit celeberrima Britanni Regis ad Pontificem Rom. Epistola, de qua tamen altum tenuere silentium. Saltem tantæ rei oblivio, *Gildæ* sapienti non subrepsisset, qui Britannus, anno circiter DLXIV. de excidio Britanniæ scripsit. De adducta ad fidem Britannia, hæc tantùm habet: *Interca glaciali frigore rigenti Insulæ, quæ velut longiore terrarum secessu, Soli visibili non est proxima, verus ille non de firmamento solum temporali, sed de summa etiam cælorum arce, tempora cuncta excedente, universo orbi præfulgidum sui lumen ostendens Christus, sua radios, id est, sua præcepta indulget, tempore ut scimus, summo Tiberii Cæsaris, quo absque ullo impedimento ejus propagabatur religio. . . . Quæ licet ab incolis tepide suscepta sint, apud quosdam tamen integrè, & alios minus, usque ad persecutionem Diocletiani.* Quibus apertè liquet, ætate Gildæ, nondum ortam esse de Lucio Rege ad Eleutherum scribente traditionem. Quam etiam Clarissimus ille Burnetus falsi postulat: *Aucun Auteur ancien n'a parlé de ce Lucius, Bede estant le premier qui en a touché quelque chose. Et bien qu'il fut vray qu'on predinsoit en faveur de ce conte, une lettre écrite au Pape Eleuthere, & la response de ce Pape, ces deux pieces portoient si visiblement le caractere de fausseté, qu'elles étoient entierement incapables de faire foi.* Neque ex solo Veterum silentio, in Lucii legationem argumenta ducimus, verùm etiam ex aliis traditionibus, quæ cum Baroniana pugnant. Simoni Cananiti, conversæ ad fidem Britanniæ gloria ascribitur à Nicephoro: *Accepto enim is cælitùs adveniente Spiritu Sancto, Ægyptum, Cyrenem, & Africam, deinde Mauritaniam, & Lybiam omnem Evangelium prædicans, percurrit, eandemque doctrinam, ad Occidentalem Oceanum Insulasque Britannicas.* Non desunt qui Josephum nobilem illum Decurionem ex Gallia in Britanniam navigasse tradant, qua de re disseruimus nostris in Exercitationibus. Quæ traditiones, utut veri dissimiles, fide tamen evertunt Lucii Regis ad Eleutherum legationem. Majus tamen nascitur argumentum ex Britannicarum Ecclesiarum disciplina, quæ cùm ab illa Romanorum multum diversa foret, indicio est ab Ecclesiæ Rom. fontibus haustam non fuisse. Quis enim credat Eleutheri Legatos ritus suos non instillasse Britannis, qui & in ea religione mansissent? Atqui utraque disciplina multum inter se discrepabat, teste Augustino Gregorii Magni in Angliam Legato: *Dicebat autem eis, quòd in multis quidem nostræ consuetudini, imò universali Ecclesiæ contraria geritis, & tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha suo tempore celebretis, ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem Sanctæ Ecclesiæ Rom. compleatis. Cætera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus.* Qui ritus non hodie, nudiusve tertius Britanniam oppleverant. Precibus suis Augustinus cœcum luci restituerat, quem Britonum Sacerdotes curare non potuerant. Itaque fatebantur, *Veram esse viam justitiæ quam prædicaret Augustinus, sed non se posse absque suorum consensu, ac licentia priscis abdicare moribus.* Facescat ergo à Beda primum chartis mandata, de Lucii Regis ad Eleutherum Epistola traditio. Quam sanè narrationem exhibet Baronius, ea potentissimum est indicium fabulæ: *Comperit*

Tert. adv. Jud. c. 7.

Ath. Apol. t. 1. 720.

Gild. B. M. P. 1. 8. 708.

Bur. Voy. de Suisse pag. 123.

Niceph. l. 2. c. 40.

Beda Hist. Gent. Angl. l. 2. c. 29.

Bar. an. 183. n. 4.

tamen

ANNO DOM. 181.

tamen posteà Lucius, novitque ex Legatis Cæsaris, Senatores etiam aliquos Christianos factos esse, & inter alios Pertinacem quendam, atque Trebellium, Imperatoremque ipsum M. Aurelium victoria eorum precibus obtenta, benignè habuisse Christianos. Hem M. Aurelium Christianis benignum! Pertinacemque professum Domini discipulum! Cujus fabulæ originem, præstantissimus aperit Usserius. Legerat in Hectore Boëcio lib. v. Historiæ, Balæus Centuriâ primâ c. 29. Lucium *de Christianorum pietate & miraculis, à Romanis in Britanniam sub Trebellio & Pertinace mercatibus, permulta audivisse.* Quod ille mirum in modum amplificavit, nempe quod Lucius audierat, *Per Cæsaris Legatos, Trebellium & Pertinacem, Romanorum illustres aliquot*, Christianam Religionem admisisse. Quo igitur aut Imperante Cæsare, aut sedente Romano Episcopo, fides sit à Britannis suscepta, aut quis ipsis Evangelium ministravit, relinquatur in obscuro; etsi verò proximum sit ante Commodi Imperium, Christi religionem hanc Insulam subisse, cujus fides triginta circiter annis, post initia Commodi apud Afros in celebritate fuit.

ANNO DOM. 182.

ANNO U. C. 935. PER. JUL. 4895. JUL. 227. DOM. 182. COMMODI 2. & 3. *Sol.* 23. G. *Lun.* 12. *Indict.* 5. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

COSS. *Petronius Mamertinus, & Trebellius Rufus.*

Commodi voluptates. *Lampr. Com. c. 3.*

I. INdignis homine Augusto voluptatibus Commodus inhærebat. Potabat in lucem, helluabatur viribus Romani imperii, vespera etiam per tabernas & lupanaria volitabat. Intereà bella quædam per Legatos feliciter gessit. Barbari qui ultra Daciam incolunt, à Nigro, Albinoque fusi sunt. Quâ victoriâ magnam sanè gloriam sunt consecuti. Ea victoria Commodo Imperatoris titulum peperit.

Dio l. 72. 820.

ANNO DOM. 183.

ANNO U. C. 936. PER. JUL. 4896. JUL. 228. DOM. 183. COMMODI 3. & 4. *Sol.* 24. F. *Lun.* 13. *Indict.* 6. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

COSS. *Commodus Augustus IV. & Victorinus II.*

Bellum Britannicum.

I. HOc anno incepit bellum Britannicum, quod omnium longè maximum fuit. Quippe cùm ejus Insulæ populi, eum transgressi murum essent, qui inter ipsos, & Romanorum castra intercedebat, vastassentque multa, Romano Duce & militibus, quos secum habebat, cæsis, Commodus perterritus contra Barbatos Ulpium Marcellum misit. Qui maximis atque gravissimis incommodis eos affecit. Quo facto, parum abfuit, quin virtutis ipsius causâ, Commodus eum necaret. Ex clade Britannorum, Commodus sexies Imperator appellatur. Extat nummus ejusmodi: M. COMMODUS ANTONINUS AUG. PIUS BRITAN. In postica, VOTA DCCCV. N. SC. TRIB. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. SC.

Dio l. 72. 820.

Pag. Crit. an. 183.

Ulpius Marcellus quis?

II. Ulpius Marcellus Britannorum victor, vir fuit longè clarissimus. Modestus erat, & frugi. Cibum quod attinet, vivebat more militum. Ne panè repleretur, eum Româ ad se curabat exportari, non quod Britanniæ panibus vesci non posset, sed ne vel paulò plus quàm esset necesse, posset propter vetustatem comedere. Cicatrices etiam suas nec dum benè curatas, ipsâ siccitate panis hujusce curabat. Somni parcissimus fuit. Cùmque vellet cæteros vigilantes esse, duodecim tabellas, quales ex tilia fieri solent, ferè quotidie perscribebat vesperi, mandabatque uni ex suis, ut alia, aliis atque aliis horis perferret, ad diversos milites, quo Imperatorem suum vigilare semper rati, minus ipsi quoque dormirent. Et tanquam somno alioquin facilè resisteret, tamen quò magis id faceret, inedia perficiebat. Fortis erat & magnanimus, nec unquam pecuniâ corrumpebatur.

ANNO DOM. 183.

Dio l. 72. 820.

Lucillæ in Commodum conjuratio.

III. Lucillæ, quæ *Vero* Augusto defuncto, Pompeiano matrimonio conjuncta fuerat, pristinum honorem Commodus reliquerat usurpandum. Nam & sellâ imperatoriâ sessitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur. Posteà verò quam Commodus uxorem duxit *Crispinam*, ac necesse fuit Principis uxori, primo loco cedere, animum *Quadrati*, nobilissimi locupletissimique juvenis, cum quo stupri habere consuetudinem existimabatur, perpulit ad Commodum interficiendum, non sine Præfecti Prætorio, Tarruntii Paterni consilio, qui perpetàm *Tarrutinus* à Lampridio appellatur. Datum est negotium peragendæ necis, *Claudio Pompeiano*, Lucillæ *propinquo*. Ignarus insidiarum erat Claudius ille Pompeianus, qui vir Lucillæ fuit. Cùm enim Lucilla sciret Commodum ab illo diligi, minimè ausa est, quippiam ad ipsum, super occupando imperio referre. Ingredienti in theatrum Commodo, Pompeianus in aditu amphitheatri subsistens, nudato statim pugione in hæc verba prorumpit: *Hunc tibi pugionem Senatus mittit.* Detexit fatuus facinus, & non implevit, multis cum eo participantibus causam. A Quintiano tentatum fuisse scelus, scriptum reliquerunt Herodianus, atque Ammianus, cujus verba sunt: Commodus *in amphitheatrali cavea, cùm adsuturus spectaculis introiret, à Quintiano Senatore, illicitæ cupidinis homine, ad debilitatem penè pugione vulneraretur.* Nos Dioni magis assentimur, atque Lampridio, qui interficiendi Commodi datam Pompeiano dicunt esse provinciam. Commodus nulli pepercit, sed tum suam ipsius sororem, tum omnes qui conjuraverant, vel quantulâcunque suspicione attingebantur suspicio affecit, quæstiones diligenter exercente Perenni, qui Commodo persuasit, ut præcipuum quemque occideret, neque quempiam eminere pateretur. Interfecti sunt Pompeianus primò, & Quadratus, dein Horbona, Narbanus, Paralius, & mater ejus. Lucilla in exilium acta apud Capream, tandem occisa est. Periere etiam Martia, Electus aliique complures.

Amm. lib. 29.

Dio l. 72. 818. Lampr. Com. c. 3. Herodian. lib. 1.

ANNO DOM. 184.

ANNO U. C. 937. PER. JUL. 4897. JUL. 229. DOM. 184. COMMODI 4. & 5. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 14. *Indict.* 7. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 3. & 4. P. 16. *Apr.*

COSS. *M. Eggius Marullus, & Cn. Papirius Ælianus.*

Mors Saoteri.

I. COmmodo *Saoterus* erat charissimus, qui improbum Principis animum, crudeliorem turpioremque faciebat. Qua de causa, nec non favore Commodi, Præfectis Prætorio *Taruntio Paterno*, & *Perenni*, invisus erat. Cùm ergo

ANNO DOM. 184.

ergo *Saoteri* potentiam ferre non possent, eductum à palatio sacrorum causâ, & redeuntem in hortos suos, per frumentarios occiderunt. Cleandro Scioteri mortem ascribit Dio. Id verò gravius, quàm de se ipso Commodo fuit.

Mors Quintilianorum & Paterni.

II. Sceleris sui subinde Paternus dedit pœnas. Paratæ Commodo neci videbatur conscius, interventorque fuerat, ne conjuratio latius puniretur. Instigante igitur *Tigidio*, per laticlavii honorem, à Præfecturæ administratione submotus est. Post paucos dies insimulavit eum conjurationis, cùm diceret, ob hoc promissam *Juliani* filio, filiam Paterni, ut in Julianum transferretur imperium. Quare & Paternum, & Julianum, & Vitruvium Secundum, Paterni familiatissimum, qui Epistolas Imperatorias curabat, interfecit. In viros illustres, vitæ integros, grassatur & Commodi furor. Strangulari jussit Cardianum, & Maximum Quintillos, qui & doctrinâ, & scientiâ rei militaris, concordiâque & opibus, percelebres erant. Hi enim etsi nihil moliebantur novi, tamen existimabantur, propter ea quæ ipsis aderant bona, statum rerum delere: utque unà vixerant semper, ita simul mortui sunt. Sextus Condianus erat Maximi filius, qui & ingenio, & eruditione præstabat cæteris. Versabatur in Syria, cùm intellexit se morti destinari. Quam ut effugeret, poto leporis sanguine conscendit equum: cùmque ex eo consueto cecidisset, sanguinem quem biberat, evomere pro suo cœpit: sublatusque ceu confestim moriturus, in cellulam deportatus est, ac ipse quidem non amplius conspectus fuit, arietis verò corpus in loculum pro eo conjectum, & igni traditum. Ipse ex eo tempore, vario semper habitu mutatâque veste, hùc & illùc vagari cœpit. Qua de re cùm essent rumores sparsi, ubique gentium diligenter perquisitur, multique pro eo supplicio affecti. An mortem effugerit, constat nemini. Fuit qui post mortem Commodi, *Sextum* se esse diceret, ac proinde facultates ejus recuperare niteretur. Qui quanquam sæpè examinaretur à multis, scirè respondebat: tamen postquam eum Pertinax Græcè interrogavit, plurimum impegit, cùm ne quidem intelligere posset, quid diceretur.

Lampr. Com. c. 4.

Dio l. 72. 819.

Perennis autoritas.

III. Post hæc Commodus nunquam facilè in publicum processit, neque quidquam sibi nuntiari passus, nisi quod Perennis ante tractasset. Perennis autem Commodi animum præsciens, invenit quemadmodum ipse potens esset. Nam persuasit Commodo, *Ut ipse deliciis vacaret, idem verò Perennis curis incumberet*, quod Commodus lætanter accepit. Ut solus Prætorianis præesset, Paterno collegæ, autor interitus fuerat. Sic nihil non autoritatis adeptus, imperium jam ipsum animo invasit: persuasoque Commodo, ut suos liberos Illyricis præficeret exercitibus, ipse pecuniæ vim ingentem contrahebat. Si tamen Dioni fides, Perennis ad gloriam opesque non incumbebat, sed hominem modestissimum agebat, quod nobis non fit vero simile. Porro quæstionis est, Perennis ne fuerit unà cum Paterno Prætorio præfectus. Id ex Lampridio apertè colligitur: *Cùm Præfecti Prætorio vidissent Commodum in tantum odium incidisse obtentu Anteri.* Lampridio tamen obstare videtur Dio, nec non Herodianus. Ille: *Perennis verò*, inquit, *qui post Paternum præfuit Prætorianis cohortibus, accidit ut propter seditionem militum necaretur.* Hic verò narratâ morte Perennis, *Post hæc*, inquit, *Commodus duos constituit Præfectos, tutius fore ratus, tantam illam potentiam non uni duntaxat credere.* Argumento hactenus unum Commodo fuisse Prætorio Præfectum. Verùm enimverò cùm in conjuratione Lucillæ, Quadrati & Pompejani *Quæstiones diligenter exercuerit Perennis*, in dubium revocari nequit, quin Prætorio præfuerit. At priorem Paternus, posteriorem Perennis locum occupabat. Paterno autem successit Perennis solusque præfuit.

Lampr. Com. c. 4.

Herodian. l. 1.

Lampr. Com. c. 4.

Dio l. 72. 821.

Herodian. l. 1.

Nova mensibus nomina imponuntur.

IV. Commodo blandiendi causâ, nova mensibus nomina imposuerunt: *Menses quoque in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex signo ipsius adulatores vocabant. Amazonius autem vocatus est ex amore concubinæ suæ Marciæ, quam pictam in Amazone diligebat.* Errasse tamen Lampridium, hac in nominum impositione, ex Dione sciri potest: *Menses*, inquit, *omnes ex eo nominati, atque ita numerati sunt. Amazonius, Invictus, Felix, Pius, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Superans.* Cuinam verò dubium esse potest, quin menses ordine enumeraverit, ut primo primus, postremo loco, postremus sit positus? Legitima igitur mensium dispositio hæc est:

Lampr. Com. c. 11.

Dio l. 72. 824.

ΑΜΑΖΟΝΟΣ	*Amazonius*	*Januarius.*
ΑΝΙΚΗΤΟΣ	*Invictus*	*Februarius.*
ΕΥΤΥΧΗΣ	*Felix*	*Martius.*
ΕΥΣΕΒΗΣ	*Pius*	*Aprilis.*
ΛΟΥΚΙΟΣ	*Lucius*	*Maius.*
ΑΙΛΙΟΣ	*Ælius*	*Junius.*
ΑΥΡΗΛΙΟΣ	*Aurelius*	*Julius.*
ΚΟΜΜΟΔΟΣ	*Commodus*	*Augustus.*
ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ	*Augustus*	*September.*
ΗΡΑΚΛΕΙΟΣ	*Herculeus*	*October.*
ΡΩΜΑΙΟΣ	*Romanus*	*November.*
ΥΠΕΡΑΙΩΝ	*Exuperatorius*	*December.*

Ex hoc indiculo explicandus Lampridius: *Nominatus inter Cæsares IV. Iduum Octobrium, quos postea nominavit. . . . Assumptus est in omnia collegia Sacerdos XIII. Calendas Invictas, Pisone & Juliano Coss. Profectus in Germaniam XIV. Calend. Ælias, ut posteà nominavit iisdem Coss. Appellatus Imperator V. Calendas Exuperatorias, Pollione iterum & Apro Coss. Triumphavit X. Cal. Amazonias iisdem Coss. Iterum profectus III. Nonas Commodias, Orphito & Rufo Coss. Datus in perpetuum ab exercitu & Senatu in domo Palatina Commodiana conservandus XI. Calendas Romanas.* Calendarum Invictarum *tertius decimus*, Januarii *vigesimus* est: Calendarum Æliarum decimus quartus Maii, est *decimus nonus*. Quintus Calendarum Exuperatoriarum, est Novembris *vigesimus septimus*. Decimus Calendarum Amazoniarum, *vigesimus tertius* est Decembris. Lampridii autem in indiculo, Calendarum Amazoniarum decimus, in *vigesimum secundum Novembris*, quintus verò Calend. Exuperatoriarum, in *vigesimum octavum Octobris* incideret, qui maximus error est, temporisque confusio.

Lampr. Com. c. 12.

De Versione Theodotionis.

V. Celeberrimâ Theodotionis versione insignis etiam hic annus fuit, si Chronico creditur Alexandrino, quod versionem confert in Marulli, quem *Marcellum* vocat, Ælianique Consulatum: *His Coss. Theodotio quispiam in Ponto natus*

ANNO DOM. 184.

natus Marcionis Hæresiarchæ, qui & ipse Sinope Ponti oriundus erat, posthumus & successor, alienus & ipse postea à Marcione in Judaismum inclinavit. Quæ Chronico fœneravit Epiphanius: *Theodotio quidam*, inquit, *genere Ponticus, ex Marcionis Sinopensis Hæresiarchæ factione, suis partibus offensus, ad Judæos defecit, & circumcisus est. Deinde Hebraicâ linguâ, & eorum literis institutus privatam editionem exersus est. Qui quidem in plerisque cum LXX. consentit.* Ebionitam, non Marcionitam egisse Theodotionem, scribit Hieronymus. De Theodotionis verò patria, Epiphanii videtur esse peccatum. Theodotio enim non *Ponticus* quidem, sed *Ephesinus* fuit, docente Irenæo: *Non ergo vera est quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam. Ecce adolescentula in ventre habebit, quemadmodum & Theodotion est interpretatus Ephesius, & Aquila Ponticus, utrique Judæi Proselyti.* Ireoæo assentitur Autor Synopsis sacræ Scripturæ, opud Athanasium. *Quarta*, inquit, *versio Theodotionis Ephesi est.* Genre Ponticum, domicilio Ephesinum fuisse Theododonem, Covii sententia est, quæ quibus fulciatur argumentis, nulli tenemus. De anno quo Theodotionis versio publicato est, pendemus animi, citiusque videtur edito, quàm Chronicum statuit Alexandrinum. Quippe notissima Irenæo fuit versio Theodotionis, cujus & meminit. Sedente Eleuthero scripsit adversus hæreseo Irenæus: *Cùm autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherus.* Cùm ergo anno sequente, mortem obiisse putetur Eleutherus, si presente Theodotionis edita versio est, vix probabile fit, notam lectamque fuisse Irenæo, dum vita manebat Eleuthero. Mojore opus erat temporis spatio, quam mensium circiter duodecim, ut Theodotianæ versionis exemplar ex archetypo describeretur, ex Asia dein io Galliam mitteretur, Irenæique manibus tereretur. Itaque non æqua videtur esse Pagiana Baronii censura, existimantis anno Christi 182. inootuisse Theodotionis versionem. Anno CLXXV. *emissam* esse Theodotionis versionem, arbitratur Dodwellus Differ. IV. io Irenæum o. 40. 377. Quæ Chronologia nil habet absurdi. Ea tamen admissa ægrè fidem impetrat, quòd Irenæus, qui de Theodotione commemorat, anno CLXXVI. libros adversus Hæreses vulgarit suos. Cæterùm Christianis despectui non fuit Theodotionis translatio, qua de re locus extat insignis Hieroymi, procemio io Danielem: *Illud quoque lectorem admoneo, Danielem non juxta LXX. Interpretes, sed juxta Theodotionem Ecclesias legere, qui utique post adventum Christi incredulus fuit, licet eum quidam dicant Ebionitam, qui altero genere Judæus est. Sed & Origenes Theodotionis Opere in editione vulgata asteriscos posuit, docens defuisse quæ edita sunt, & rursus quosdam versus obelis prænotavit, superflua quæque designans. Cùmque omnes Christi Ecclesiæ, tam Græcorum, quàm Latinorum, Syrorumque & Egyptiorum hanc sub asteriscis & obelis editionem legant, ignoscant invidi labori meo, qui volui habere nostras, quæ Græci in Aquila, & Theodotionis, ac Symmachi editionibus lectitant.* Quin etiam ex ea lectione Theodotianæ versionis, clypeum sibi fecit Hieronymus adversus Augustinum, qui Hieronymianam ex fontibus Hebraicis translationem improbabat: *Miror quomodo LXX. Interpretum libros legas non puros... & Christianum hominis interpretatiunculam non sequaris, præsertim cum ea quæ addita sunt ex hominis Judæi atque blasphemi, post passionem Christi transtulerit* Origenes.

Epiph. de Mensur. n. 17.

Iren. l. 3. c. 24.

Iren. l. 3. c. 3.

Hier. Ep. 89. 267.

VI. Quamvis mollibus imperiis Christianos regeret Commodus, in quos gladio oon animadvertebat, nonnulli tamen Martyres morti missi sunt, quos inter Sanctus eminet Apollonius. Quo perierit anoo, non sotis liquet. Baronii respuimus Chronologiam, existimantis annum Christi CLXXXVII. Apollonio fuisse supremum. Quippe Perennis, à quo damnatus, anno CLXXXVI. interfectus est, uti declarabitur inferius. Neque audiendi Jacobus Capellus, Sueurius aliique, qui Apollonii martyrium conferunt in annum Christi 181. cùm eo tempore Perennis, quo Judice Sanctus Martyr occubuit, necdum dignitatem Præfecti Prætorio induisset, quam defuncto Paternio solum odeptus est, teste Dione: *Perenni verò, qui post Paternum præfuit Prætorianis cohortibus, accidit ut propter seditionem militum necaretur.* Paternus verò anno currente, vel saltem proximo, vitâ expulsus est. Soli igitur tres anni supersuot, nempe 184. duoque sequentes, quibus Apollonianum affigi martyrium possit.

De anno Apollonii emortuali.

Dio l. 72. 821.

VII. Apollonius io humanioribus literis & in Philosophia eximius habebatur. Perditissimus autem homo quidam intempestivè susceptâ accusatione, cùm ex M. Aurelii edicto capitalis pœna in eos qui talis detulissent, esset constituta, confestim fractis cruribus occiditur, Perenne ejusmodi odversus ipsum sententiam pronuntiante: *Martyr verò Deo acceptissimus, cùm Judex multis eum precibus obsecrasset, petissetque ab illo, ut coram Senatu rationem fidei suæ redderet, elegantissimâ oratione, pro defensione fidei suæ, coram omnibus pronuntiatâ, capitali supplicio à Senatu damnatus est. Quippe veteri apud eos lege sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nisi à proposito suo discederent, nequaquam dimitterentur.* A servo suo, cui *Severo* nomen, proditum fuisse Apollonium, oarrat Hieronymus libro de Viris Illustribus, quæ ex Actis passionis Apollonii scire potuit. Sancti oatale Martyris, Aprilis XVIII. in Martyrologiis celebratur.

Mors Apollonii.

Euseb. l. 5. 21.

VIII. Quis verò Apollonius, controversia est inter eruditos. Hieronymo oudit & Scriptor Ecclesiasticus, & Senotor Urbis: *Hippolytus quoque, & Apollonius, Romanæ urbis Senator, propria Opuscula condiderunt.* Nec in Scriptores Ecclesiasticos refert modò, sed iis etiam apponit, *Qui in tantum Philosophorum doctrinis atque sententiis, suos refersiunt libros, ut nescias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum.* Senatoriâ quoque dignitate Apollonium induit libro de Viris Illustribus. Quod ex Eusebio Hieronymum collegisse, contendit Valesius: *Potuit*, inquit, *Hieronymus legere Acta ipsa passionis Apollonii, ad quæ nos ablegat Eusebius, in quibus Actis, & Senator Romanus, & à servo suo proditus dicebatur, ut credibile est.* Non tamen in animum inducere nostrum valemus, quòd Senatorem egerit Apollonius, quo insigni sanè pulchro titulo Sanctum Martyrem ornasset Eusebius. Hanccine dignitatem omisisset Eusebius, qui de Apollonii in humanioribus literis & Philosophia, eruditione commemoravit? De Apollonio in errores incidisse Hieronymum, quos ex Actis

Apollonius num Scriptor Senatorque fuerit?

Hier. Epist. 84.

ANNO DOM. 184.

Hier. de Vir. Ill.

Sancti Martyris hausisse non potuit, certum exploratumque est: *Imperato ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in Senatu legit.* Atqui nec Scriptor Ecclesiasticus fuit Apollonius ille Martyr, nec insigne volumen in Senatu legit. Hoc divinavit Hieronymus, absque Eusebii suffragio. Equidem *ἐμμάρτυρον ἀπολογίαν*, quam adhibet orationem Eusebius, nil lectionis indicat. Sapienter Scaliger ὁ πάνυ: *Ex verbis autem Eusebii non magis colligi potest, Apologeticum librum ab Apollonio editum, quam ex illis Pauli Apostoli 2 Timoth. IV. 16. In prima mea Apologia, nemo mihi adfuit. An dicendum Apostolum quoque Apologeticum librum scripsisse?* Ex prava Rufini versione ea hausisse Hieronymum, quæ de Apollonio chartis intulit secundum Scaligerum, affirmat Valesius, quem meritò vexat censura Pagii: *Octo enim ad minimum annis, Eusebium Latine reddidit Rufinus, postquam Catalogum suum scripserat Hieronymus.* Itaque non Rufini interpretationem Latinam in manibus habuit Hieronymus, cùm illa de Apollonio scriberet, sed ex præpostero Eusebiani loci interpretatione, perinde atque Rufinus, in sua scripta derivavit. Dixerat Eusebius: *Porro cuncta ab Apollonio in judicio dicta, & quæcunque Perennii interroganti respondit, & orationem illam quam pro fidei nostræ defensione in Senatu habuit, quisquis nosse voluerit, ex Antiquorum Martyrum passionibus a nobis collectis poterit percipere.* Quibus conjecturam fecerunt Rufinus, atque Hieronymus, Apologiam & scriptam ab Apollonio, & coram Patribus Conscriptis lectam esse. Quod tamen non satis aptè concluditur, cùm non magis scripto mandata sit ab Apollonio, quàm quod ipse Perennio interroganti respondit. Itaque tam ea *vocalis* fuit Apologia, quàm Sancti Martyris responsiones, & dicta coram Judice, quæ à Christiano quodam, qui judicio interfuit, scripto prodita.

Qui Perennis Apollonio præcepit ut in Senatu fidei suæ rationem redderet?

Vales. Annot. in Euseb. 91.

IX. Movet quæstionem Valesius: *Quomodo fieri potuerit, ut Perennis, qui erat Præfectus Prætorio, præciperet Apollonio, ut in Senatu rationem cultus sui redderet.* Ratio autem difficultatis hæc est: *Quòd erant Præfecti Prætorio illis temporibus, ex equestri ordine, nec in Senatu jus sedendi haberent.* Quòd si dicatur, Apollonium *fuisse Senatorem, tunc nascetur alia difficultas, quomodo Perennis de capite Senatoris Rom. judicare potuerit. Neque enim Præfectus Prætorio, sed Præfectus urbi de causis Senatorum cognoscebat.* Nos qui Apollonium Senatorem fuisse inficiamur, non premit ea difficultas; *Quomodo Perennis de capite Senatoris Rom. judicare potuerit*, imò hinc conjectura fieri posset, Senatoriâ dignitate ornatum non fuisse Apollonium, quia capitis sui Prætorio Præfectum Judicem habuit. Quo & argumento fretus Clarissimus Stephanus Moynius, negat *Apollonium fuisse dignitatis Senatoriæ, cùm fuerit damnatus à Perenni Prætorio Præfecto, ad quem in Senatores, nullum jus & imperium pertinebat.* Eâ tamen responsione non solvitur difficultas: *Quomodo Perennis, qui erat Præfectus Prætorio, præciperet Apollonio ut in Senatu rationem cultus sui redderet.* Interfuisse quidem Senatorum judicio Perennem, ex Eusebio non fit ambiguum. Nos alio modo nodum expedimus. Præfectos Prætorio Senatoribus ordinariè additos non fuisse, in confessum venit. Itaque Paternum per *laticlavii*, hoc est, Senatorium *honorem, à Præfecturæ administratione sub-*

Moynius Proleg. 126.

moveri Commodus. Adrianus Attianum ex Præfecto Prætorii, ornamentis Consularibus præditum fecit Senatorem. Denique notissimum est Alexandri Severi factum: *Præfectis Prætorio suis Senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi & essent, & dicerentur: quod anteà vel rarò fuerat, vel omninò non fuerat: eò usque, ut si quis Imperatorum, successorem Præfecto Prætorii dare vellet, laticlaviam eidem per libertum submitteret. Alexander autem ideircò Senatores esse voluit Præfectos Prætorii, ne quis non Senator, de Romano Senatore judicaret.* Non desunt tamen exempla Prætorio Præfectorum, qui simul & Senatoriâ dignitate ornarentur. Sejanus quidem & Senator fuit & Præfectus Prætorio. Utramque conjunxere dignitatem Arretinus Clemens, atque Titus. Plautianus quoque Caracallæ socer, & Senator erat, utpote qui Consul processit, & Præfectus Prætorio. Vero quidem proximum Perennem magnæ & potentiæ & autoritatis virum, qui de Imperio cogitabat, muneris Senatorii expertem non fuisse. Constat etiam Præfectis Prætorio de Senatoribus fuisse judicandi facultatem, secus non opus erat Senatores creari eos qui Prætorio præficiebantur, incommodo vitando: *Ne quis non Senator de Romano Senatore judicaret.* Senatorum judicio Equites nonnunquam interfuisse, ex historia palam est. De Marco Capitolinus: *Hoc quoque Senatoribus detulit, ut quoties de eorum capite esset judicandum, secretò pertractaret . . . . nec pateretur Equites talibus interesse causis.* Ex quo intelligitur, ante Marci ea de re legem, Senatorum judiciis Equites interfuisse.

Lampr. Com. c. 4.

Lampr. Alex. c. 21.

Capit. Marc. c. 10.

ANNO U. C. 938. OLYMP. 241. PER. JUL. 4898. JUL. 230. DOM. 185. COMMODI 5. & 6. *Sol.* 26. C. *Lun.* 15. *Indict.* 8. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 5. P. 4. *Apr.*

ANNO DOM. 185.

COSS. *Triarius Maternus, & M. Attilius Metilius Bradua.*

Commodi libidines.

I. DUm Perennis rebus incumbit, Commodus in Palatio per convivia & balneas bacchabatur. Sororibus dein suis constupratis, consobrinâ patris complexibus suis conjunctâ, uni etiam ex concubinis patris nomen imposuit uxoris. Intereà Perennis, cujus filii Illyricis præficiebantur exercitibus, pecuniæ vim ingentem contrahebat, ut Prætorianos à Commodo amplissimis largitionibus abalienaret. Filii item ejus clanculum copias colligebant, eo consilio, ut cùm primùm Perennis Commodum occidisset, ipsi Principatum arriperent.

Lampr. Com. c. 5.

Herodian. l. 1.

Victorinus.

II. Victorinus Præfectus urbis, qui virtute animi & sermonis elegantiâ nemini secundus erat, odio erat Commodo, qui illum sæpius interficere voluit. Quod cùm differret, Victorinus ad Perennem accessit aitque, Audio jam esse à vobis constitutum me occidere: *Quid igitur cunctamini, aut quid prætereà, cùm id vobis hodierno die facere liceat, expectandum putatis?* Mortuo Victorino statua posita est. Cùm sterilis sit de rebus Ecclesiasticis historia, ex Eusebio Episcoporum Hierosolymitanorum Catalogum mutuari placet.

Dio l. 72. 814.

Episcopi Hierosolymitani.

III. Illud non mirari, etiamque non queri non possumus, quòd tam steriles Hierosolymitanorum Præsulum tabulas habeamus, cùm priscis seculis, pro Ecclesiarum matre, illa haberetur

ANNO DOM. 185.

Chron. Euseb.

cetur, quæ versabatur Hierosolymæ. Mera ferè nomina suppeditat Eusebius: *Hierosolymis vicesimus sextus ordinatur Episcopus Maximus. Post quem vicesimus septimus Antoninus. Vicesimus octavus Valens. Vicesimus nonus Dolichianus. Tricesimus Narcissus. Tricesimus primus Dius. Tricesimus secundus Germanio. Tricesimus tertius Gordius. Tricesimus quartus rursum Narcissus. Tantis apud Hierosolymam constitutis Episcopis non potuimus discernere tempora singulorum, eò quòd in præsentem diem, Episcopatus eorum anni minimè servarentur.* Hinc colligitur nulla olim Ecclesiis celebrioribus Calendaria fuisse.

ANNO DOM. 186.

ANNO U. C. 939. PER. JUL. 4899. JUL. 231. DOM. 186. COMMODI 6. & 7. *Sol.* 27. B. *Lun.* 16, *Indict.* 9. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

COSS. *Commodus Augustus V. & Glabrio II.*

Commodus classem instruit.

I. COmmodus classem Africanam instituit quæ subsidio esset, si fortè Alexandrina frumenta cessassent. Ridicule etiam Carthaginem Alexandriam *Commodam togatam* appellavit, cùm classem quoque Africanam *Commodianam Herculeam* appellasset. Quam hoc anno institutionem factam esse, ex nummis docent eruditi. Extat nummus, in cujus postica legitur: P. M. Tr. P. XI. Imper. VIII. Cos. VI. P. P. S. C. Provid. Aug.

Pag. Crit. An. 186.

Mors Perennis.

Dio l. 72. 821.

II. Perennis, qui magnâ apud Commodum gratiâ erat, annum fatalem explevit. De morte ejus variant historici. Qua de re Dio: *Milites quoties eis aliquid parum ex sententia eveniret, conjectâ in Perennem culpâ, eidem graviter irascebantur. Idem fecere cæteri qui erant in Britannia objurgati quòd seditionem fecissent. Qui in Italiam quingentos misere jaculatores, quibus cum à nemine prohibiti, jam Romam adventarent, occurrit Commodus, eosque ita interrogavit, Quid hoc rei est, Commilitones, quamobrem venistis? Illi respondere, Propterea quòd Perenni tibi insidias parat, ut filium suum Imperatorem designet. Quod ubi Commodus facilè credidisset, instante potissimum Cleandro, qui Perennem graviter oderat, Præfectum Prætorio Prætorianis militibus dedit. Illi Perennem contumeliis gravibus affectum obtruncant.* Britannici exercitus hostem appellatum, lacerandumque militibus esse deductum tradit Lampridius. Rem alio modo exequitur Herodianus. Ludi Capitolini celebrabantur, cùm repentè quidam Philosophi habitu, manu gestans baculum, & cui seminudo pera dependebat, curriculo prodiit: mediaque in scena consistens, manuque silentium imperans, Non hoc, inquit, ludorum tempus, ô Commode, *Imminet cervicibus tuis, Perennis gladius. Hic adversus te copias pecuniamque colligit, & nati exercitus Illyricos sollicitant.* Perennis comprehendi hominem jubet, ac tanquam furiosum, & vaniloquum igne comburi. Haud multò post milites quidam clam Perennis filio nummos quosdam attulerunt, illius imagine percussos, & latente insidiarum arte patefactâ, maximis muneribus sunt affecti. Inscio negotii totius Perenni, ac tum nihil minus expectanti, submissi noctu à Commodo quidam, caput absciderunt. Deinde mittit quàm primùm ad rumorem eorum quæ facta erant antevertendum, qui celeriore cursu contendant, & supervenire filio Perennis possint, dum adhùc quæ Romæ contigerunt, ignorat. Scriptis etiam literis amicis, quibus illum sub spe majore accersi à se dicit, venire jubet. Credidit adolescens, qui ut attigit Italiam, per eos, quibus negotium datum fuerat, occiditur. Mirum unius filii Perennis meminisse Herodianum, cum ipse scripserit duos Perenni fuisse filios, quos Commodus Illyricis præfecerat exercitibus. Assentitur & Herodiano Lampridius: *Multa sanè post interfectum Perennem ejusque filium, quasi à se non gesta, rescidit.* Duos tamen Perennis periisse filios, in Dione legimus: *Perennis uxor, soror, filiique duo interfecti sunt.*

ANNO DOM. 186.

Herodian. l. 1.

Lampr. Com. c. 6.

Anno 186. Perennis occisus est.

III. Perennis mortem in annum Christi CLXXXVII. refert Baronius, cujus Chronologia unius anni metachronismo laborat. Insigni enim temporis notâ, Perennis obitum notavit Herodianus. Ludos Jovi Capitolino tum Romani faciebant. Agon ille à Domitiano *Institutus fuit duodecimo ejus, & Serg. Dolabella Consulatu.* Hoc est, anno Christi LXXXVI. Anno igitur CLXXXVI. celebratus est agon XXVI. quo periisse anno Perennem existimamus. Anno quidem CLXXXII. agitati quoque ludi Capitolini, in quem si Perennis obitus conferretur, major esset Baronii hallucinatio. Credere tamen non possumus hunc annum Perenni fatalem, cùm ex ea Chronologia nil temporis relinqueretur Præfecturæ Perennis, cui Paternus decesserat. Utrumque Saotero superfuisse constat, quem in triumpho de Germanis anno CLXXXI. ducto Commodus cervice reflexâ sæpius osculabatur. Præterea jam bellum inceperat Britannicum, cùm morti Perennis missus est. Dionem jam testem adduximus, audiamus & Lampridium: *Hic tamen Perennis qui tantum potuit, subito quod bello Britannico militibus equestris loci viros præfecerat amotis Senatoribus, proditare per Legatos, exercitus hostis appellatus, lacerandusque militibus est deductus.* Denique observanda sunt de Pertinace verba Capitolini: *Jussus est à Perenne in Liguriam secedere ... fuitque illic per triennium. Occiso sanè Perenni Commodus Pertinaci satisfecit, eumque petiit per literas, ut ad Britanniam proficisceretur.* Eo labente triennio, Perennis & vivebat, & in autoritate erat.

Censor. c. 18.

Lampr. Com. c. 6.

Capit. Pert. c. 3.

Cleandri & potentia & facinora.

IV. In Perennis potentiæ locum, Cleandrum ex cubiculariis Commodus subrogavit. Phryx erat genere, ex ea nota hominum, qui publicè per præconem veneunt. Hic cùm in domum Imperatoriam servitio esset traditus, & cum ipso Commodo accrevisset, eò honoris atque autoritatis provectus est, ut & cubiculi curam, & corporis custodiam, militumque Præfecturam obtineret. Pellicem Commodi *Demostratiam* duxit. Suo arbitratu dignitatem Senatoriam dedit, officia militaria vendidit, Consules XXV. in annum unum designavit, in quorum numero Severus, qui posteà rerum potitus est, Consulatum gessit. Commodi concubinas constupravit, de quibus filios suscepit. Byrrum sororis Commodi virum reprehendentem, nunciantemque Commodo quæ fiebant, in suspicionem regni affectati tractum, cum defensoribus ejus benè multis occidit.

Dio l. 72. 822.

Lampr. Com. c. 6.

Plures Præfectos constituit Commodus.

V. Porro Commodo visum duos constituere Præfectos, tutius fore existimanti, tantam illam potestatem non uni duntaxat credere. Niger sex tantum horis Præfectus Prætorii fuisse perhibetur. Mutabantur Præfecti per horas & dies,

Anno Dom. 186.

dies, Commodo pejora omnia quàm fecerat ante faciente. Fuit *Martius Quartus*, Præfectus diebus quinque. Præfectus etiam Æbutianus inter hos est interemptus, in cujus locum ipse Cleander, cum aliis duobus, quos ipse delegerat, Præfectus est factus, tuncque primùm tres Præfecti Prætorio fuere, inter quos Libertinus, qui à pugione appellatus est.

Lampr. Com. c. 6.

Britannicam seditionem compescit Pertinax.

VI. Jussus à Perenne Pertinax in Liguriam secedere, villam paternam petierat, fueratque illic per triennium. Occiso Perenne, Commodus Pertinaci satisfecit, eumque rogavit per literas, ut ad Britanniam proficisceretur. Profectus, milites ab omni seditione deterruit, cùm illi quemcumque Imperatorem vellent habere, & ipsum specialiter Pertinacem. Et seditiones quidem compescuit in Britannia: verum ingens periculum adiit, seditione legionis penè occisus, certè inter occisos relictus, quam quidem rem acerrimè vindicavit. Posteà veniam legationis petiit, dicens, Sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones.

Anno Dom. 187.

ANNO U. C. 940. PER. JUL. 4890. JUL. 232. DOM. 187. COMMODI 7. & 8. *Sol.* 28. A. *Lun.* 17. *Indict.* 10. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 7. P. 16. *April.*

COSS. *Crispinus, & Ælianus.*

Theodotus Hæreticus.

I. DUm silent persecutiones, paceque utitur Ecclesia, bellum ab Hæreticis exoritur. Pontificatum Romanum defuncto Eleuthero jam administrabat Victor, cùm Theodotus divinitatem Christo suam abdicat: *Theodotus ille Byzantio oriundus, arte coriarius erat, homo apprimè literis eruditus. Qui cum aliis plerisque ineunte persecutione comprehensus, cùm de omnibus quæstio ob Christi nomen haberetur, cæteri quidem Dei famuli reportatâ victoriâ, cæleste præmium consecuti sunt, martyrio pro Christo perfuncti. At ille Christum negans, transgressor est factus. Qua ex re cum probro omnium appetitus pudorem sustinere non posset, relictâ patriâ profugus Romam contendit, & illic habitavit. Sed & Romæ à quodam agnitus, in eandem ignominiam incidit. Quare ad sui excusationem vanum dogma commentus est, atque ita jactare cœpit: Ego, inquit, non Deum negavi, sed hominem. Interrogatus, Quem demum hominem? Christum, inquit, hominem negavi. Hinc prædicanda falsa hujus opinionis occasionem accepit.* Hoc erat caput erroris: *Ipsum hominem Christum tantummodò diceret, Deum autem illum negaret, ex Spiritu quidem Sancto natum ex Virgine, sed hominem solitarium, atque nudum, nullâ aliâ præ cæteris, nisi solâ justitiæ autoritate.* Itaque errorum Doctoris sui sensum auxerunt discipuli: *Qui nudum hominem esse Christum asserunt, atque ex humano semine genitum.* Theodotum beatissimus Victor Romanorum Episcopus abdicavit, & excommunicavit, ut qui decreta Ecclesiæ conatus erat adulterare. In Hæretici nomine errat Augustinus de hæresibus capite 33. *Theodotiani à Theodotione quodam instituti, hominem tantummodò Christum asseverant.* Vocari debuit *Theodotus*, non *Theodotion.* Hæresim impugnavit Autor libri, cui parvo labyrintho nomen, docente Theodorito: *Adversus ejus hæresim parvus conscriptus est labyrinthus, quem nonnulli esse Opus Origenis existimant, sed eos qui hoc dicunt ipse stilus convincit.* Caium libri Autorem esse, Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, nos Photius docuit c. 48. agens de libro qui *de Universo* inscribitur, quem multi Josepho vindicant: *Comperi annotatum fuisse, non esse Josephi hoc Opus, sed Caii cujusdam Presbyteri Romæ agentis, quem & Autorem faciunt Labyrinthi.* Artemonis qui Christum ψιλὸν fuisse hominem statuebat, discipulum fuisse Theodotum, Danæus aliique nonnulli putant. Ex Eusebio tamen hanc facimus conjecturam, quòd Artemone Theodotus antiquior fuerit. Quippe Artemonianæ sectæ Principes hoc affirmabant: *Prædicationis veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus à Petro, Romanæ urbis Episcopus fuit. A Zephyrini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem.* Theodotus verò ante Zephyrini Episcopatum à Victore remotus ab Ecclesia fuerat. Propterea in libro jam laudato Cajus tradit Theodotum *primum fuisse*, qui Christum nudum esse hominem asseruit. Cæterùm noster ille Theodotus, ab alio ejusdem nominis Hæretico distingui debet. Discrimen dedit Autor Appendicis ad librum Tertulliani, de Præscriptionibus: *Alter post hunc, Theodotus Hæreticus erupit, qui & ipse introduxit alteram sectam, & ipsum hominem Christum tantummodò dicit ex Spiritu Sancto, ex Virgine Maria conceptum pariter & natum, sed hunc inferiorem esse quam Melchisedech, eò quòd dictum sit de Christo, Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Theodotus ille *argentarius*, Theodoti *coriarii*, quem ex Ecclesia Victor ejecerat, discipulus fuit.

Epiph. h. 25. n. 1.

Tertul. de Præscr. c. 53.

Epiph. h. 54. n. 1.

Theodoret. Hær. Fab. l. 2.

Anno Dom. 187.

Euseb. l. 5. c. 23.

Tertul. de Præscr. c. 53.

Anno Dom. 188.

ANNO U. C. 941. PER. JUL. 4891. JUL. 233. DOM. 188. COMMODI 8. & 9. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 18. *Indict.* 11. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 31. *Mart.*

COSS. C. *Allius Fuscianus II. Dullius Silanus II.*

Ortus Caracallæ. An ex Julia genitus?

I. CAracalla qui rerum potitus est, Lugduni quarto Aprilis, ex Patre Septimio Severo ortum habuit. Quâ matre, variant Historici. Juliam enim Getæ matrem Caracallæ *novercam* fuisse, scripsere Spartianus, Eutropius, atque Victor: *Severus cùm Amissâ uxore, aliam vellet ducere, genituras sponsarum requirebat, ipse quoque matheseos peritissimus. Et cum audivisset esse in Syria quandam, quæ id genitura haberet, ut Regi jungeretur, eandem uxorem petiit, Juliam scilicet, & accepit interventu amicorum, ex qua statim pater factus est.* Priori uxori nomen Marcia, cui posteà in Imperio statuas collocavit, si Spartiano credimus, vitæ Severi capite 3. Quibus Juliam Caracallæ novercam esse placuit, scripsere Caracallam fuisse *Impatientem libidinis, ut qui novercam suam Juliam uxorem duxerit.* Nos verò ipsâ Juliâ, currente anno Caracallam editum esse existimamus. Marco imperante, nuptiæ Severi cum Julia celebratæ sunt: *Cùmque Juliam uxorem ducturus esset, Faustina Marci uxor, apparavit utrique thalamum in templo Veneris, quod in palatio est.* Juliam Syram fuisse, in confessum venit, quod & nos Dio monuit, cui ea mulier notissima fuit: *Caracallæ inerat fraus & malitia matris, Syrorumque, ex quibus illa orta fuerat.* Juliæ cognomen *Domna* fuit. In nummis sæpius legitur: *Julia Domna Augusta.* Lapis Narbonensis apud Scaligerum:

Spart. Sever. c. 3.

Dio l. 74. 840.

Dio l. 77. 874.

Julia Domna Augusta Imp. Cæs. L. Septimi. Severi Pii Pertinacis. Aug. Arabici Adiabenici P. P.

Anno Dom. 188.

P. P. M. Trib. Pot. Imp. VIII. Cos. II. & M. Aurelii Antonini Cas. Matri. Itemque Castror. Decur. Narb.

Formosissima Julia fuit, sed libidinibus infamis. Victor de Cæsaribus: Severo *tanto, domi forisque, uxoris probra, summam gloriæ demsere, quam adeò famose amplexus est, ut cognitâ libidine, ac ream conjurationis retentarit.* Matre Juliâ, non *Martiâ* natum esse Caracallam, non ex uno Dione, cujus testimonium audivimus, sed ex aliis quoque Autoribus, Severo coætaneis, palam est. Cùm Caracalla Getaque convocatis paternis amicis coram ipsa matre, de Imperio dividendo disceptarent, Julia dissidentes allocuta est:

Herodian. l. 4.

Terram quidem & mare, ò filii jam invenistis, quo pacto dividatis, matrem verò, quonam modo dividetis? ... Me primam igitur occidite, dimidiamque uterque apud se partem sepeliat. Hæc sanè non sunt novercæ dicta, sed germanæ matris, quæ ambos tenero amore filios complectebatur. Addamus & Oppiani carmen, qui Caracallam Juliæ Domnæ filium esse testatur:

Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

His accedit, quòd fatente Spartiano c. 3. de Martia Severus *tacuit in historia vitæ privatæ.* Quod non fecisset, si Martiam matrimonio tenuisset. Concesso tamen duarum nuptiarum fuisse Severum, defunctâque Martiâ, Juliam duxisse, præcisè negamus ex Martia ortum esse Caracallam. Neque sanè sibi constat Spartianus, qui antequam Germanico exercitui Severus præponeretur, ei fuisse brevissimas Romæ ædes, & unum fundum scripto prodit:

Spart. Sever. c. 4.

In his hortis, cùm humi jacens epularetur cum filiis parca cæna, pomaque apposita, major filius, qui tunc quinquennis erat, cum collusoribus puerulis, manu largiore divideret, paterque illum reprehendens dixisset, Parcius divide, non enim regias opes possides, quinquennis puer respondit, Sed possidebo. Quòd si ex alia uxore quàm Julia Caracallæ pater Severus fuisset, non eo tempore, quo puerulis poma dividebat *quinquennis*, sed natu longè major fuisset. Vitam enim adhùc agente Faustinâ Augustâ matre Commodi, quæ anno Christi CLXXVI. ad plures abiit, Juliæ celebratæ fuerant cum Severo nuptiæ. Christianam nutricem Caracallæ admovisse ubera, prædicat Tertullianus: Proculeium *& Antoninum optimè noverat, lacte Christiano educatus.*

Tertul. ad Scap. c. 4.

Severus Majestatis læsæ postulatur.

II. Siciliam cùm forte meruisset Severus, hac in Provincia, quasi de Imperio, vel Vates, vel Chaldæos consuluisset, reus factus apud Præfectos Prætorio, quibus audiendus datus fuerat, jam Commodo in odium veniente absolutus est, calumniatore in crucem acto.

Spart. Sever. c. 4.

Demetrius Alexandrinum capessit Episcopatum.

III. Alexandrinum currente anno Episcopatum iniisse Demetrium, cui decesserat Julianus, Baroniani tradunt Annales. Hanc tamen Chronologiam perperàm Eusebii defendit auxilio, qui Demetrii Episcopatus initia cum Olympiade CCXLII. conjungit in Chronico. Hoc est, cum anno Christi CLXXXIX. Veram tamen Baronii sententiam existimamus quòd nempe Fusciano Silanoque Coss. Juliano Demetrius successerit, qui annus Domini non 190. sed 188. dici debuit. De hoc Episcopatu Eusebius:

Euseb. l. 6. c. 2.

Severo annum Imperii decimum agente, Alexandriæ & totius Ægypti Præfecturam obtinente Læto, Episcopatum verò Ecclesiarum illarum post obitum Juliani, Demetrio recens adepto. Undecimus erat Alexandriæ Episcopus, cui præfuit *anno* XLIII. ut habet Chronicum Eusebii. Unde liquet mendum irrepsisse in Indiculum Nicephori: *Δημήτριος ἔτη ια Ἡρακλᾶς ἔτη μγ, Demetrius an. XI. Heraclas an. XLIII.* In Ms. Londinensi codice, observante Pearsonio, legitur, *Δημήτριος ἔτη μγ Ἡρακλᾶς ἔτη ις, Demetrius annis XLIII. Heraclas annis XVI.* Pagii error est scribentis, in Indiculo Nicephori Parisiis impresso legi, *Δημήτριος ἔτη ι, Demetrius annis X.* Diutissimè Episcopatum tenuit Alexandrinum Demetrius, tres scilicet & quadraginta annos. Qui primum Origeni benevolus, vel post audax in sese facinus admissum, ut instituendis Catechumenia vacare pergeret, cohortatus est. At celebritate Origenia accensus invidiâ, scriptis ad omnea ubique terrarum Episcopos literis, Origenis facinus insectatus, virum illustrem excedere Alexandriâ tandem coegit, congregatâ & adversua illom Episcoporum & Presbyterorum Synodo, quâ decrevit, *Alexandriâ pellendum Origenem, neque in ea versari aut docere permittendum.* Presbyteri quoque munus illi abdicavit. Ad annum usque CCXXXI. Pontificatum tenuit Demetrius, illumque reliquit Heraclæ.

Phot. Cod. 118. p. 298.

De Eusebiana Episcoporum Antiochenorum Chronologia.

IV. Invitat nos atque allectat materiæ affinitas, de Episcopis Antiochenis aliquid adjungere. Anno CCXXXV. Olympiadis quarto, qui Christi partim CLXVIII. partim sequentem occupat, Theophili Episcopatum illigavit Eusebiua: *Antiochia sextus Episcopus ordinatur Theophilus, cujus plurima ingenii opera extant.* Anno CLXXVIII. Maximinus, qui Theophilo successit, Episcopatum affigit. Quæ Chronologia confusa est omninò, atque perturbata, concesso Theophilum librorum ad Autolycum Autorem esse, quæ Eusebii Hieronymique sententia est: cui sese Baronius addicit anno CLXX. Verùm enimverò labyrinthum ingressi sunt, quem nullius Ariadnes auxilio exire queant. Theophilus enim librorum ad Autolycum conditor, imperante Commodo scripsit; utpote qui mortis Marci Aurelii meminerit: *Verus*, inquit, *imperavit annis XIX. diebus X.* Cæsarum autem quem exhibet Indiculum, hausit ex Marci Aurelii liberto Cratore. Absonum igitur extra modum anno CLXXVIII. Maximino decessisse Theophilum Autorem trium librorum ad Autolycum, cùm defuncto Marco Aurelio anno CLXXX. etiamnum superstes fuerit. Luce ergo ipsâ clarius est, Antiochenorum Episcoporum *χρονόταξιν* in Chronico Eusebiano esse erroneam. Quamobrem ipsorum annos digerere in ordinem, atque cum Consulibus Rom. conjungere non potuimus, ut aliorum errores effugeremus. Neque Veterum extant monumenta, ex quibus intelligamus, quot annos quisque regendo impleverit.

Num Theophilus Antiochenus ab Autore librorum ad Autolycum diversus?

V. Porro insanabilia quibua hîc scatet Chronicum Eusebii ulcera, ansam dedere Dodwello, Theophilum Antiochenum Episcopum, à Theophilo, librorum ad Autolycum conditore, discriminandi. Quam rationibus nonnullis sententiam stabilire conatur. Theophili hæc verba sunt ad finem libri tertii:

Theoph. l. 3. 140.

Præterea Christianos, qui verum Deum venerantur, hactenus sunt persecuti, nec adhùc hodie persequi cessant, quosdam eorum qui festinant ad virtutem capessendam, & sanctam vitam agunt, lapidibus obruerunt, quosdam interfecerunt. Adhùc hodie non cessant Christianos cru-

ANNO DOM. 188.

Dodw. ad D'.sert. de Success. Pr. Rom. Episc. c. 2. p. 11.

Euseb. l. 5. c. 21.

crudelissimè & immanissimè virgis cædere. Ex his nectit argumenta Dodwellus: *Facile colligimus*, inquit, *persecutione etiamnum vigente, nostrum hæc scripsisse Theophilum, nec verò aliam quam Severi fuisse persecutionem, argumento est, quòd tum ejus ἐκνόμοις πρὸς αὐτοὺς practipuè sustinuerint, Proselyti nimirum.* Vis hujus argumenti in pace collocatur, quam Ecclesiæ Commodus dedit: *Eodem tempore, Commodum Imperium Rom. obtinente, res quidem nostra in tranquilliori statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas orbis Ecclesias complexâ.* Atqui in alia ea tranquillitate non versabantur Christiani, eo tempore quo Theophilus scribebat Autolyco. Floruit ergo imperante Severo, cujus ætate ad plures abierat Theophilus Antiochiæ Episcopus. Cæterùm tanti non est hoc argumenti, ut cum Dodwello, erroris dicam scribamus Eusebio, quasi perpetàm *duos Theophilos Antiochenos in unum confudisset.* Quam enim pacem imperante Commodo floruisse prædicat Eusebius, ea comparatè est intelligenda, cùm sanguine Christiano perfusum quoque fuerit Commodi regnum. Nonne Apollonius vir illustris, capitis à Perenni damnatus est? Quia verò ibit inficias, Provinciis & suos fuisse Martyres? Quasi verò ibi defuerint vel odia hominum, vel accusatores, mentia ejusmodi, quæ fuit in Apollonii servulo: vel eò non processerit, sive Præfectorum, sive Sacerdotum sævitia, ut Christianos benè multos virgis cædendos non traderent, quod ipsis impune licebat. Hoc verò queritur Theophilus, quòd immerentibus virgas admoverint, quo tempore librum edebat suum. Itaque non affectu solo, sed actu quoque in Ecclesiam satis sævire Ethnici, ut de persecutionibus in Christianos, imperante Commodo, Theophili querela esse debuerit.

Libri ad Autolycum Theophili sunt Antiocheni Episcopi.

Euseb. l. 4. c. 24.

VI. Nos verò vestigiis Eusebii incedentes, atque Hieronymi, libenter Antiocheno Episcopo Theophilo libros ad Autolycum ascribimus: *Theophili, quem Antiochena Ecclesia Episcopum fuisse superius retulimus, tres sunt ad Autolycum libri, Institutionem fidei continentes.* Paria atque gemina scribit Hieronymus. Testimonium autem Eusebii apud nos plurimum valet, utpote qui & ipsa Theophili exemplaria, quæ apud Antiochiam recondita erant, oculis lustrare potuerit, & titulum librorum, Autoris nomen continentem, legerit, & famæ constantis, quæ vigebat in urbe Antiochena, id Operis Antiocheno Episcopo vindicantis, testis fuerit. Equidem in Chronotaxi Antiochenorum Episcoporum, errorem pati longè facilius Eusebio fuit, quàm in Autore librorum ad Autolycum. Nullæ Eusebio visæ sunt Antiochenorum Præsulum tabulæ, quibus de ipsorum annis moneretur. Neque eorum unique, cui disertè annos ascribit suos, quod de Romanis, Alexandrinisque Episcopis fecit. Itaque in ea re divinatio fuit Eusebii. At libros ad Autolycum, quibus inscriptum nomen Autoris erat, perlegerat, & quisnam eos edidisset, in ore erat Antiochensibus. Præterea non *Severi*, sed *Commodi* ætate scripsisse Theophilum, argumento sunt verba ejus: *Universum tempus quod decurrit à morte Cyri, & à regno Tarquinii Superbi, usque ad obitum Imperatoris Veri, contrahitur in annos* 744. Quibus annis, & illos Commodi addidisset, si eo defuncto scripsisset Autolyco. Hoc enim Theophilo fuit in mente constitutum, annos defunctorum Cæsarum ad sua

Theoph. l. 3. 138.

usque tempora subjicere. Meminit & librorum Theophili Lactantius: *Theophilus in libro de temporibus ad Autolycum scripto ait.* Cum ergo de duobus *Theophilis Antiochenis*, & Christianis, & imperante Commodo inter homines versantibus Veterum nemini suboluerit, ab Eusebii sententia discedere religio nobis est. A fide Christi alienum olim fuisse Theophilum, nos ipse monuit: *Et ego quidem non credidi resurrectionem futuram, nunc verò ea cum animo revolvens, iis fidem addo, quam plurimum adjuvarunt literæ sacræ, quas legi.* Ad amplectendam Christi Religionem, amicum hortatur suum Autolycum, qui *propter Deos suos lapideos multum gloriabatur.*

ANNO DOM. 188.

Lact. l. 1. c. 23.

Theoph. l. 1. p. 78.

De aliis Theophili libris.

VII. Alios & libros condidit Theophilus, quos verbis Hieronymi recensemus: *Theophilus sextus Antiochensis Ecclesiæ Episcopus, sub Imperatore M. Antonino Vero, librum contra Marcionem composuit, qui usque hodie extat. Feruntur ejus ad Autolycum tria volumina, & contra hæresim Hermogenis liber unus, & alii breves elegantesque Tractatus, ad ædificationem Ecclesiæ pertinentes. Legi sub nomine ejus, in Evangelium & in Proverbia Salomonis Commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia & phrasi non videntur congruere.* Quo loco perspicuum est, errore vel Librariorum, vel Hieronymianæ memoriæ, legi quæstione sextâ Epistolæ ad Algasiam, quæ numero est CLI. *Theophilus Antiochenæ Ecclesiæ septimus post Petrum Apostolum Episcopus.* Sextus quidem scribi debuit. Opera Theophili periere omnia, exceptis libris tribus ad Autolycum, quem superstitionibus addictissimum sapienter monet, ut speculum sic mentem hominis mundam esse debere cognoscendo Deo: *Sin autem objeceris, Age ergo, ostende mihi Deum tuum; respondebo, Age ergo ostende mihi hominem tuum.* Egregius est Theophili locus ad tribuendum uni Deo cultum religionis: *Nomina quidem eorum Deorum, quos te colere ais, nomina sunt mortuorum hominum.* Ex quibus intelligitur Theophilum sententiæ fuisse ejusmodi, nullâ adoratione Martyres esse prosequendos, utpote homines mortuos. Quærenti & Autolyco, *Quare Cæsarem adorare recusas?* Respondet, *Cæsar subditorum neminem, Regem aut Cæsarem appellari vult. Regium enim sive Cæsarum nomen ipsi soli competit, nec alius id vendicare audet. Ita adorandi cultus nemini, nisi Deo soli deferendus est.*

Theoph. l. 1. 75.

ANNO U. C. 942. OLYMP. 242. PER. JUL. 4902. JUL. 234. DOM. 189. COMMODI 9. & 10. *Sol.* 2. *E. Lun.* 19. *Indict.* 12. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 3. P. 20. *April.*

ANNO DOM. 189.

COSS. *Servilius Silanus, & Dullus Silanus.*

Cleandri ambitio & acta.

Lampr. Com. c. 17.

Herodian. l. 1.

I. MAxima cum potentia Cleander in Imperio Romano versabatur. Viginti quinque Consules hoc anno creati, quos inter Septimius Severus, qui postmodum rerum potitus est. Commodi nomine lavacrum statuit. Cæterùm divitiæ ac luxus, etiam illum ad Imperii spem instigabant. Quocirca grandi coactâ pecuniâ, plurimum frumenti coëmit. Id autem occlusum habebat, sperans sibi Romani populi, atque exercitus voluntates adjunctum iri, si prius rerum necessariorum penuriâ laborantes, magnis repentè largitionibus demereretur. Gymnasium quoque maximum ædificavit, publicatis etiam balneis, ut eo modo populum inescaret.

II. Co-

Anno Dom. 189.

Colossus. II. Colossi caput, quod Neronis fuerat, dempsit Commodus & suum imposuit. Sublato Neronis capite, Soli Colossum Vespasianus consecrarat. Neque caput suum solummodo imposuit Commodus, sed *titulum quoque more solito subscripsit, ita ut illum gladiatorium & effeminatum non prætermitteret.* (Lampr. Com. c. 17.) Effeminatus ille titulus est *Amazonius*, qui valde placebat Commodo. In basi Colossi suscripsit, *Mille gladiatorum Victorem.* Quæ ornamenta Colosso addiderit, à Dione monemur: *Abscisso Colossi capite, sui capitis imaginem reposuit, datâ ei clavâ, leoneque æneo subjecto, ut Herculi similis esset.* (Dio l. 72. 828.)

Getæ ortus. III. Maji XXVII. Geta Severi, qui rerum potitus est, filius lucem accepit: *Natus est Severo & Vitellio Coss. VI. Kalend. Junias ex Julia.* (Spart. Get. c. 3.) Qui Consules suffecti hoc anno processere. Cui Chronologiæ Dio maximè favet. Geta *natus erat XXII. annos, menses novem*, cùm à fratre interfectus est. (Dio l. 77. 872.) Cùm igitur mors Getæ in annum Dom. CCXII. inciderit, nativitas ejus est labenti anno affigenda.

De Serapione Antiocheno, & ejus operibus. IV. Octavum Antiochiæ Episcopum, Serapionem hoc anno ordinatum fuisse, in Eusebiano Chronico legimus. Quam præstare nolumus Chronologiam. Ea quidem defendi posset, si Theophilus mortuo *Erote*, circa annum CLXVIII. promotus, anno circiter CLXXXI. cursum absolverit suum, uti tradit Cavius. Quo casu, Maximini Episcopatui, qui Theophilum inter & Serapionem medius fuit, locus esse posset. Verùm enimverò non juventis animi, sed Veterum monumentis Episcoporum Chronologia constitui debet. Maximino autem Antiocheno Pontificatus plures, si credimus Eusebio, anni fuere, quàm octo, qui soli ipsi ascribendi forent, si & anno CLXXXI. mortem obiit Theophilus, & præsente Serapio ordinatus est. Itaque in ea Chronologia constituenda, laborem serere nolumus. Serapionis Episcopatum in XI. Commodi annum contulit Hieronymus, quod ad annum sequentem pertinet. Eruditionis suæ monumenta posteris reliquit Serapio. Audiamus Eusebium: *Porro Serapionis multa quidem alia doctrinæ monumenta, penes alios extare credibile est. Ea tamen ad nos duntaxat pervenerunt, quæ scripsit ad Domninum quemdam, qui persecutionis tempore, à fide Christi ad Judæorum superstitionem desciverat. Item illa quæ ad Pontium, & Caricum Ecclesiasticos viros, exaravit; alia quoque ad alios viros Epistolæ. Prætereà liber de Evangelio Petri, quæ in eo falsa erant, coarguens. Quem quidem librum composuit, in gratiam quorumdam ex Rhossensi parrocia, qui occasione illius Evangelii, ad doctrinam à recta fide alienam declinaverant.* (Euseb. l. 6. c. 12.) Rossensem Ecclesiam in Cilicia fuisse, ex Hieronymo didicimus. Evangelium Petri commodatum accepit Serapio à successoribus Docetarum, quorum hæresim sectabatur Marcianus: cujus Evangelii lectionem Roseosibus Serapio concesserat, cùm nondum illud perlegisset. In Epistola ad Ponticum & Caricum, quem perperàm *Carinum* vocat Hieronymus, libro de Viris Illustribus, Cataphrygum perstringit Hæresim: *Ut autem sciatis falsi hujus dogmatis, id est, novæ Prophetiæ, ab omni mundo insaniam reprobari, misi vobis Apollinaris beatissimi, qui fuit in Hierapoli Asiæ Episcopus, literas.* Videatur & Eusebius l. 5. c. 19.

Anno U. C. 943. Per. Jul. 4903. Jul. 235. Dom. 190. Commodi 10. & 11. *Sol.* 3. D. *Lun.* 1. *Indict.* 13. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 4. P. 12. *Apr.* — Anno Dom. 190.

Coss. *Commodus Augustus VI. & Petronius Septimianus.*

Conjuratio Materni. I. Mira de interficiendo Commodo conjuratio facta est. Facinoris autor Maternus, miles quidem anteà, sed homo audacissimus, qui multa nefaria ausus fuerat. Is repentè desertis castris, atque aliis qui & ipsi eadem perpetrarant, in fugæ societatem ascitis, manum hominum qui facinorosi erant, brevi collegerat, virosque primò & agros populabatur. Magnas etiam urbes occupaverat. Galliam omnem atque Hispaniam incursibus vastaverat. Quibus cognitis, plenas iræ atque minarum Epistolas Provinciarum Præfectis Commodus miserat, quibus mandabat, comparare exercitum adversus Maternum. Quod ubi latrones acceperunt, clam per avia quædam compendia, seorsum alii ab aliis in Italiam pervenerunt. Ac jam de regno *Maternus* cum suis deliberabat. Sed impar viribus Commodo, arte sibi consilioque grassandum statuit. Veris initio quotannis, stato solemnique die, pompam matri Deûm Romani celebrant, in qua preciosior Cæsarum supellex ante Deam præferri solet. Ac summa tunc omnibus, quovis ludendi modo concessa est licentia, adeò ut unusquisque quamcunque vult personam repræsentet. Martii XXVII. Matris Deûm festivitas celebrabatur, ceremoniis impuro idolo congruis, ut apparet Pseudo-Tertulliani carmine ad Senatorem, qui Christi relictâ Religione, Ethnicæ superstitioni se dicarat. Sic de Sacerdotibus canit:

Leviter incedunt, mollitâ voce loquentes,
Lapsatosque tenent extenso pollice lumbos:
Et proprium mutant, vulgato crimine sexum;
Mente fremunt lacerantque corpus funduntque cruorem,
Quale sacrum est vero, quod fertur nomine sanguis?

Putavit hoc Maternus idoneum celandis insidiis tempus, ratus fore, ut si personam stipatoris alicujus indueret, suosque ad eandem similitudinem armis ornaret, repentè impetu facto, Commodum obtruncarent. At Maternus à sociis quibusdam invidentibus, si pro latrone Imperatorem habituri essent Commodo, antequam dies festus adesset, proditus, comprehensus est, & mulctatus capite, & qui ejusdem factionis erant, meritis suppliciis affecti. (Herodian. l. 1.) Anno labente interemptum fuisse Maternum, ex nummo statuit Pagius: *Mediobardus Nummum Commodi exhibet, in cujus postica legitur: Matri Deûm salutari Cos. VI. P. P. S. C. Visitur Dea leonem inequitans, qui nummus ad sacrificia à Commodo facta in honorem Matris Deûm, cùm Materni insidiæ detectæ sunt, referendus.* (Pag. Crit. an. 190. n. 3.) Hanc adjuvare Chronologiam possunt verba hæc Herodiani: *At Commodus factâ re divinâ, gratulatusque Deæ festum agitabat, pompamque gaudens frequentabat.* Itaque periit Maternus circa initium Martii.

Mors Cleandri. II. Dum voluptatibus indulget Commodus, Italiam universam pestis occupat, sed in urbem Romanam gravius sævit. Quare magna jumentorum, atque hominum strages consecuta. Tum Commodus suadentibus medicis, Laurentum secess-

ANNO DOM. 190.

secessit. Frigidior enim regio sylvis è lauro spatiosissimis opaca, conservandæ idonea saluti existimabatur. Tanta vis morbi erat, ut narrante Dione, uno die Romæ morerentur sæpènumero ad duo millia hominum. Sed & fames eodem tempore civitatem oppresserat. Tum Romani Cleandro jam pridem infensi, & illorum malorum causam in eum conferentes, prius quidem confertim per theatra traducentes, tandem agente in Suburbanis Commodo, repentè universi magnis clamoribus concurrerent, Cleandrum ad necem deposcentes. Cùm autem Suburbanum omne tumultu compleretur, & Commodus ipse inscius quæ gererentur, voluptatibus diffluebat, equites Principis, populum Cleandri jussu obvium vulnerant. Quare fugâ factâ, in urbem rejiciuntur, multique neci dediti ab equitibus, qui fugientes ad urbis portas persecuti sunt. Qui in urbe remanserant, calamitate suorum intellectâ, cùm in tecta evasissent, lapidibus equites incessebant. Qui saucii terga fugæ mandarunt. Sed & pedites, qui in urbe stationem habebant, populo suppetias adversus invisos sibi equites raptim tulerunt. Itaque cùm bellum civile esset, nemoque quæ gererentur, Commodo nuntiare auderet, metu Cleandri, Fadilla, quæ tum soror maxima natu erat, currens ad Imperatorem, crinibus solutis, projectâ humi, de tumultu docet. Commodo rem omnem à Martia Quadrati pellice indicatam fuisse, apud Dionem legimus. Princeps expavefactus, acciri ad se Cleandrum properè jubet. Accedentem imperat comprehendi, & caput ejus amputatum contoque præfixum circumferri. Sic malum sedatum, atque utrinque dimicatio dirempta. Cleandri liberi, quos binos virilis sexus habebat, & quotquot illius amici fuerant ad unum omnes trucidati, tractaque in urbem cadavera, postremò in cloacas abjecta. Filiorum unus, qui Commodi in manibus educabatur, solo allisus interiit.

Herodian. l. 1.

Commodi crudelitas. Mors Julii Alexandri.

III. In locum Cleandri, Julianus & Regillus subrogati sunt, quos & ipsos Commodus posteà pœnis affecit. His occisis, interemit Servilium, & Dulium Silanos cum suis, mox Anitium Lupum, & Petronios, Mamertinum & Suram, filiumque Mamertini, Antoninum ex sorore sua. Et post eos sex simul ex Consularibus, Allium Fuscum, Celium Felicem, Luceium Torquatum, Larium Eupianum, Valerium Bassianum, Paculeium Magnum cum suis, atque in Asia Sulpitium Crassum Proconsulem, & Julium Alexandrum cum suis, Claudiumque Lucanum Consularem, & consobrinam patris sui Faustinam Anniam in Achaia & alios infinitos. Julius Alexander gente Emesenus, vir fortis, qui leonem ex equo confoderat, eùm interfectores adesse cognovit, eos de nocte trucidavit, Emesenosque nonnullos sibi inimicos interemit. Quo facto, conscenso equo, tendit ad Barbaros, effugissetque omninò, nisi puerum, quem habebat in deliciis, comitem accepisset. Cùm enim incitato equo, iter sine ulla mora faceret, adolescentulum defessum labore, atque itinere non passus est à se relinqui, ac deprehensus ab insecutoribus, & illi, & sibi mortem attulit. Destinaverat Commodus & alios quatuordecim occidere, cùm sumptus ejus vires Romani Imperii sustinere non possent.

Lampr. Com. c. 7.

Dio l. 72. 823.

Lampr. Com. c. 7.

Pacis & Vestæ

IV. Cùm neque imbres ulli, neque nubes, tantumque exiguus terræ motus antecessisset, seu nocturni casu fulminis, sive igni aliquo in ipso terrarum motu, velut extrito, totum de improviso Pacis templum consumptum incendio est: quod unum scilicet opus, cunctorum totâ urbe maximum fuit atque pulcherrimum, idem Templorum omnium opulentissimum, quod esset egregiè munitum, donis aureis, atque argenteis ornatum. Quippe universi fermè suas illùc divitias, quasi in thesaurum congerebant, ideòque per noctem debacchatus ignis, multus ex opulentis egenos reddit. Sed ubi Templum omne consumptum est, plurima quoque & pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt. Interque etiam Vestæ Templum, sic ut Palladium quoque conspiceretur, quod in primis colunt, atque in arcano habent Romani, Trojâ ut perhibent advectum. Tum primùm postquam in Italiam devenit, conspectum est ab hominibus ejus ævi. Raptum enim id Vestales, mediâ sacrâ viâ in aulam Imperatoris transtulerunt. Multæ præterea aliæ pulcherrimæ urbis partes combustæ, plurimosque dies pervagatum incendium non prius sedatum est, quàm repentinis ignibus extingueretur. Ignis consumptis tabernis, in quibus merces Ægyptiorum & Arabum erant, conscendit Palatium, ubi adeò exusta multa sunt, ut tabulæ quæ ad Imperium pertinebant, omnes ferè interierint. Hanc Eusebius cladem affigit anno Commodi XII. Nos vero similius cum anno Cleandri emortuali, Herodiano Autore copulamus. Nunc res Ecclesiæ recordemur.

ANNO DOM. 190.

Templa consumpta.

Herodian. l. 1.

Dio l. 72. 829.

V. Magnas cum Ephesino Polycrate Victori Papæ fuisse lites, vel pueris notum, qui necdum uno ære lavantur. Quo verò tempore motæ fuerint est in ambiguo. Anno Christi CXCVI. contigisse Chronicum tradit Eusebii, quàm Baronius, Pagiusque sententiam amplectuntur. Verùm enimverò advertere animum debuerunt errori Eusebiano, qui serius quàm par fuit, Victoris consignavit initia, anno quarto CCXLII. Olympiadis sive Christi CXCII. quem Victoris quintum fuisse putat. Quòd si quinto Victoriani Pontificatus anno, exortæ sunt de Paschate lites, ut placuit Eusebio, has affigere Pagius debuit anno vel CLXXXIX. vel CXC. quibus quintus Victoris annus insidet. Porro non leves conjecturæ sunt, Paschales tumultus imperante Commodo à Victore fuisse commotos. In libello Synodico, quem maximâ Collectione Conciliorum profert Labbeus, verba hæc continentur: Victor *Synodicè etiam ea, quæ ad hoc festum pertinebant, persequitur, & cum ipso Synods in plurimis Provinciis, & partibus terra congregata, idem unanimiter statuunt. Hæc verò Commodo imperante evenerunt.* Regnante Commodo motam esse controversiam memoriæ prodidit & Nicephorus: *Enimverò circa finem imperii Commodi, inter Orientales & Occidentales Ecclesias, non parva incidit quæstio.* Prætereà ingentes ea de quæstione pugnæ, nec non frequentes Synodi congregatæ, non minimæ sunt indicia, in orbe Christiano pacem adfuisse, quæ Imperante Commodo floruit, quam Severus postmodum eripuit. Asiani anno 189. Pascha suum celebrarunt, Martii XIX. feriâ quartâ, quia sexto mensis hujus incepit Novilunium. Pascha igitur agitatum triduò ante Æquinoctium Vernum, quod Victori displicuit. Hinc datam putamus litium occasionem, atque pugnarum, quas currenti anno affigimus.

Tempus litis Victoris Papæ cum Polycrate.

Concil. t. 1. p. 599.

Niceph. l. 4. c. 36.

VI.

ANNO DOM. 190.

Controversia de die Paschatis.

Euseb. l. 5. c. 23.

VI. His ergo temporibus *gravis controvesfia exorta, eò quòd omnes per Asiam Ecclesia, vetustâ traditione nixa, quartâ decimâ Luna salutaris Pascha festum diem celebsandum esse putabant, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent. Eaque omninò Luna in quemcunque demum diem septimana incidisset, finem jejunii imponendum esse statuebant. Synodi ob id, cœtusque Episcoporum convenere. Atque omnes uno consensu, Ecclesiasticam regulam universis fidelibus per Epistolas tradiderunt, ne videlicet ullo alio quam Dominico die, mysterium resurrectionis Domini unquam celebretur. . . Extat etiamnum Epistola Sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt, quibus præsidebant Theophilus Cæsarea Palæstina, & Narcissus Hierosolymorum Episcopus. Alia item extat Epistola Synodi Romana, cui Victoris Episcopi nomen præfixum est. Habentur præterea literæ Episcoporum Ponti, quibus Palma, utpote antiquissimus præfuit. Epistola quoque Ecclesiarum Galliæ extat, quibus praerat Irenæus.*

De fragmento Synodi Palæstinæ. An genuinum?

VII. Palæstini, ut ajunt, Concilii extat fragmentum apud Bedam, de Æquinoctio Vernali. Vesba Concilii hæc sunt: *Papa Victor, Romanæ urbis Episcopus, direxit autoritatem Cæsariensis Palæstinæque Antistitem, ut quomodo Pascha recto jure à cunctis celebsaretur Ecclesiis, ibi fieret ordinatio, ubi Dominus & Salvator mundi fuerat in carne versatus. Perceptâ itaque autoritate, prædictus Episcopus, non solum de sua Provincia, sed etiam de diversis Regionibus Episcopos evocavit. Ubi cum illa multitudo Sacerdotum convenit, tunc Theophilus Episcopus protulit autoritatem ad se missam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset injunctum, ostendit.* Hæc porro sibi probanda sumunt Episcopi. 1°. Factum fuisse in mundo primum Dominicum diem. 2°. Vernum tempus primum factum in mundo, quia scriptum: *Germinet terra fœni herbam secundùm genus suum. Hoc autem temporibus Veris accipitur.* 3°. Caput mundi esse in Æquinoctio VIII. Calend. Aprilium: *Quia scriptum est, Fecit Deus lucem, & vocavit Deus lucem Diem.* 4°. Plenam Lunam à Deo esse creatam, quod ostendunt verbis Scripturæ: *Et fecit Deus duo luminaria magna, non poterat aliter nisi esset plena.* Quærenti Theophilo, Quomodo Pascha celebrari debeat, respondent: *Numquid potest Dominicus dies præteriri, ut in eo Pascha minime celebretur, qui tot & talibus benedictionibus sanctificatus est?* Quas benedictiones sex esse numero tradunt. Hoc tandem addunt: *Principium mundi esse æquinoctium* VIII. *Calendarum Aprilium, & ab* VIII. *Calendarum Aprilium usque ad* VIII. *Calendas Majas, legimus esse consecratos. Theophilus dixit, Ecce impium non est ut passio Dominica tantum sacramenti mysterium extra limitem excludatur? Passus namque Dominus ab* XI. *Calendarum Aprilium, quâ nocte à Judæis traditus est, & ad* VII. *Kalendas resusrexit. Quomodo ergo tres dies extra terminum excluduntur? Omnes Episcopi dixerunt, nullâ ratione fieri debet, ut tantum sacramentum extra limitem excludatur, sed hi tres dies intra terminum inducantur & desuper retrahere est constitutum.* Quæ decreta, si Palæstinæ esse Synodi concesserimus, fatendum utique erit, in falsis hypothesibus inniti. Non fit sanè nobis verosimile, & mundi principium *esse in Æquinoctio* VIII. *Calend. Aprilium*, quod potius est in Autumno constituendum: & plenam Lunam à Deo esse creatam, cùm principium mensium in Novilunio ab ipso Numine positum fuerit, Exodi XII. ubi die mensis XIV. Pascha jubetur immolari: & Christum passum esse XI. Calendarum Aprilium, utpote qui Aprilis tertio in crucem actus est. Porrò etsi antiquitatis aliquid præ se ferat fragmentum Synodi Palæstinæ, à Beda suppeditatum, *planeque aureum*, Labbeo & eruditis nonnullis nuncupetur, germanumne sit, meritò dubitamus. Tradit fragmentum, *Theophilum non solùm de sua Provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes Episcopos evocasse*; quæ sunt fide majora. Eusebius enim de solis Palæstinæ Episcopis, non etiam *de diversarum regionum* Præsulibus commemorat: *Episcopi Palæstinæ, quos paulò suprà memoravimus, Narcissus scilicet & Theophilus, & cum illis Cassius Tyri, & Clarus Ptolemaidis Episcopi, & qui simul cum ipsis convenerant.* Solos eo Concilio interfuisse Palæstinæ Episcopos, eò liquet, quòd soli præfuerint Theophilus Cæsareæ, & Narcissus Hierosolymorum Episcopus. Cui Synodo ex aliis regionibus Episcopi quoque nonnulli Præsides impositi fuissent, præcipue Præsul Antiochenus. Nil quidem juris Theophilo fuit, evocandis aliarum Provinciarum Episcopis, ad Palæstinum Concilium. Deinde suspicionem injiciunt verba hæc: *Theophilus Episcopus, protulit autoritatem ad se missam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset injunctum, ostendit.* Quæ non sonant ætatem Theophili, in quem nil Victori autoritatis erat; insolens quoque fuit illis temporibus, *Papæ* nomen à Synodis Romano tribui Episcopo, in tertia persona. Præterea si Palæstina Synodus statuisset, Christum Martii XXII. mortem obiisse, opinionis ejusmodi non meminisse non potuisset Clemens Alexandrinus, dum de Dominicæ passionis die mentionem movet: *Et de passione Christi subtilius differentes, aliqui quidem* XVI. *anno Tiberii Cæsaris,* XXV. *Phamenot, alii verò* XXV. *Pharmuti, alii autem Pharmuti* XIX. *dicunt passum esse Dominum.* Quantò magis celeberrimæ Synodi de supremo Servatoris die sententiam Clemens protulisset Alexandrinus? Quam sanè ignorare non potuit doctissimus ille Presbyter, cùm à Palæstinis ad Alexandrinos, & vicissim ab Alexandrinis ad Palæstinos literæ perferrentur, ut uno consensu ac simul diem Paschatis agitarent. Denique Palæstinæ Synodi extitisse suo tempore Epistolam docet Eusebius, de Actis verò scriptis ne verbum quidem, quæ dubio procul ipsi, utpote & Cæsariensi Episcopo, & Theophili successori, venissent in notitiam, si aut acta ejusmodi aliqua fuissent, aut Eusebii ævo temporum injuriæ exempta fuissent.

Euseb. l. 5. c. 25.

Clem. Strom. l. 1. 249.

Palæstinæ Synodi Epistola.

Euseb. l. 5. c. 25.

VIII. Epistolâ autem Palæstinæ Synodi, quam Narcissus, Theophilus, & cum illis Cassius Tyri, & Clarus Ptolomaidis Episcopi, & qui simul cum eis convenerant exaraverunt, hæc continentur: *Date operam, ut Epistola nostra exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas suas à recto veritatis tramite facilè abducunt. Illud etiam vobis significamus, eodem quo apud nos die, Pascha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, & vicissim ab illis ad nos literæ perferuntur, ita ut uno consensu & simul sacrosanctum peragamus diem.*

Polycratis ad Victorem responsum.

Euseb. l. 5. c. 24.

IX. Autoritate tot Synodorum, quibus Romana de celebrando Paschate disciplina statuebatur, permotus Victor, Polycrati excommunicationem minatur, quod ex verbis Epistolæ ad Victorem colligimus: *Ego verò, fratres, qui-*

ANNO DOM. 190.

que & sexaginta annos natus in Domino, qui cum tot fratribus, toto orbe dispersis, sermones sæpè contuli, qui Scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis quæ nobis ad formidinem intentantur. Victori respondit Polycrates, Episcoporum Asiaticorum Præses, qui morem sibi à majoribus traditum retinendum esse censebant: *Nos igitur verum ac genuinum agimus diem, nec addentes quidquam, nec detrahentes.* Asiaticam magnis exemplis consuetudinem firmat *Philippi*, quem pro uno ex XII. Apostolis habet immeritò: *Joannis* qui in sinu Domini recubuit, & apud Ephesum extremum diem obiit: *Polycarpi* Martyris, *Thrasea*, Eumeniæ Episcopi & Martyris, *Sagaris*, Episcopi quoque & Martyris, qui Laodiceæ fato functus erat, *Papirii*, Melitonis Spiritu Sancto afflati, *Qui omnes diem Pascha, quartâ decimâ lunâ, juxta Evangelium observarant.* Septem etiam Episcoporum, qui cognati ejus fuerant, meminit Polycrates, quibus octavus accesserat: *Qui omnes semper Paschæ diem tunc celebrarunt, cum Judæorum populus fermentum abjiceret.*

Euseb. l. 5. c. 24.

Victor Asianos excommunicat.

Euseb. l. 5. c. 24.

X. Asianorum constantia cùm Victorem malè haberet, ipsos excommunicationis fulmine percutit, Eusebio teste: *Victor Romanæ urbis Episcopus, illicò omnes Asiæ vicinarumque Provinciarum Ecclesias, tanquam contraria rectæ fidei sentientes, à communi unitate abscindere conatur, datisque literis, universos qui illic erant fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos pronunciat.* Quo quid clarius dici potest Excommunicationi significandæ? Ejusmodi quoque sententiæ est libellus Synodicus, quem exhibet Synodorum collectio maxima p. 599. *Victor autem, Romanorum Ecclesiæ sanctissimus Papa, excommunicationem mittit Polycrati, qui huic præerat Synodo.* Neque in diversum afficitur Epiphanius: *Nec illud eruditis hominibus ignotum est, quam sæpè diversis temporibus de illius festi celebritate, variis Ecclesiasticæ disciplinæ tumultus ac contentiones obortæ sint, præsertim Polycarpi (Polycratis) ac Victoris ætate, cum Orientales ab Occidentalibus divulsi, pacificas à se invicem literas nullas acciperent.* Asianos quoque à Victore excommunicatos fuisse, Socrates tradit: *Victor Romanæ urbis Episcopus, immodico iracundiæ succensus æstu, Quartodecimanis qui in Asia erant excommunicationis libellum misit.* Denique sententia hæc est Nicolai primi Papæ, Epistolâ nonâ ad Michaelem Imperatorem: *Deinde cùm Asiani omnes, inter cæteros, Evangelistâ Joanne autore, quartâ decimâ Lunâ cum Judæis putarent Pascha celebrandum, hos Præsul meritis, & nomine Victor, à communione Collegii separavit.* Quod ea publica Ecclesiæ Romanæ traditione famâque constante, Nicolaus prædicasse videtur. Equidem cùm excommunicationem Polycrati Victor primùm minatus fuerit, fide caret, post acceptam Polycratis Epistolam, *Nil moveor iis quæ nobis intentantur*, excommunicationis fulmen non torsisse in Ecclesias, quæ monitis, minisque suis, tam apertè constanterque repugnabant. His punctus aculeis Victor, publicis literis Asianos proscribit, & ab unitate Ecclesiæ alienos esse pronunciat.

Epiph. h. LXX. n. 9.

Socrat. l. 5. c. 22.

Valesii & N. Alexandri negantium Asianos excommunicatos, rationes solvuntur.

XI. At viri doctissimi, Valesius atque Natalis Alexander, Victorem intra minas hæsisse, nec Asianos à communione reverà præcidisse, pacem procurante Irenæo, multis argumentis tuentur, quæ nostris sunt ponderibus examinanda. Objicit Valesius: *Eusebium disertè dicit, ἀποτέμνειν πειρᾶται, abscindere conatur.* Quibus videtur esse consequens, merum fuisse conatum, cui Sanctus obstitit Irenæus, nec minas ad effectum usque esse perductas. Verùm enimverò in Eusebiani loci expositione id non attendit Valesius, quod Victori non satis erat, ab unitate Ecclesiæ Asianos alienos pronuntiasse, nisi & alii Episcopi idem facerent. Ab Ecclesiæ Romanæ communione Polycratem Victor segregarat, quæ particularis excommunicatio fuit. Pedibus vero manibusque conabatur, ut cæteræ orbis Ecclesiæ, quæ Paschatis festum die Solis agitabant, Asianis nuntium remitterent, sui ad exemplum. Hoc sibi vult Eusebius, cujus verba malè vertit Valesius: *ἀποτέμνειν τῆς κοινῆς ἑνώσεως*, non significat à *communione* abscindere, uti reddit Valesius, sed à *communi unitate* amputare, ut melius Christophorson Latinè transtulit. Eò scilicet processerat Victoris indignatio, ut vellet ab omnibus, qui de celebrando Paschate cum Rom. conjungebantur, adversariorum copulationem dissolutionibus relaxari, & à finibus Ecclesiæ totius, Asianos veluti membra male sana, putridaque penitùs exterminari. Pergit Valesius: *Deinde Epistola Irenæi, & aliorum Episcoporum ad Victorem scripta, satis arguunt, rem adhuc in pendenti fuisse. . . Sic enim scribit Eusebius, de Irenæi literis ad Victorem. Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à majoribus traditum custodientes à communione abscindat.* Quibus colligit Valesius: *Nondum ergo Ecclesias Asiæ à communione Victor absciderat.* Perperam tamen inde concluditur, nondum latam esse excommunicationis sententiam. Nicephorus qui rectè mentem Eusebii assecutus est: *Victor*, inquit, *subitò literas conscripsit, quibus illos publicè notabat, omnesque simul à communione prohibebat.* Non ergo in *pendenti* excommunicatio erat. Phrasis igitur Irenæi factum non negat, sed facti continuationem vetat, quomodo Domini oratio hæc, *Videte ne contemnatis aliquem ex parvis istis.* Nonne frequenter furi dicitur aut scortatori, Ne facias? Si Christophorsonianam admitteremus versionem, Victorem *tamen de hoc monet, ne tam multas Ecclesias à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitùs amputet*, diceremus monitum ab Irenæo fuisse Victorem, ne tentaret id procurare. At hanc mentem verba respuunt Irenæi. Objicit Natalis Alexander autoritatem Firmiliani: *Eos qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita. . . Scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates. . . secundum quod in cæteris quoque plurimis Provinciis, multa pro locorum & nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc, ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum.* Quo Firmiliani ad Cyprianum scripto id argumenti ducit Alexander: *Atqui ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque unitate aliquando discessum esset, propter varias observationes in tempore celebrandi Paschatis, si Victor eam ob rem Asiaticos excommunicasset. Ergo Victor illos non excommunicavit.* Nos verò negamus de Quartodecimanis verbum ullum Firmillianum movisse: cùm Romanorum in disciplina Pascha quod attinet, illa sive Firmilliani, seu Cypriani, seu Hierosolymitanorum nil discreparet: itaque ratio hæc est nihili. De die Paschatis disturbatam esse Ecclesiæ pacem, quis neget, scribente Eusebio, ob eam sanè quæstionem, *gravem controver-*

Valef. Annot. in Euseb. l. 5. p. 94.

Niceph. l. 4. c. 38.

Matth. 18. 10.

Nat. Alex. Hist. Sec. 2. dissert. 5. 362.

ANNO DOM. 190.

Anno Dom. 190.

troversiam fuisse exortam. Imò Episcopi, Victorem hortati sunt, ut ea potius sentiret, *quæ paci & unitati congruebant.* Dies *Pascha*, Firmiliano tempus significant, quod impendebant jejuniis antepaschalibus, non ipsum resurrectionis diem, quæ Pascha *ἀναστάσιμον* dicebatur. De aliis ergo capitibus cogitabat Firmilianus, ob quæ ab unitate atque pace discessum non fuisse fatemur. In Victoris verò cum Polycrate litibus revulsa esse concordiæ vincula, omninò contendimus. Instat adhùc N. Alexander ex Hieronymo: *Victor multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui* XIV. *Lunâ cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat, in qua sententia, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.* Quibus N. Alexandro id conclusionis oritur: *Ergo non damnaverat Asiaticos anathemate Victor, licet damnandos credidisset.* Nos verò de verbis Hieronymi aliud damus judicium, nempe Asianos verè à Victore fuisse damnatos, quia *damnandos* crediderat, qua in re morem gessit animi sui affectibus. Diversum sanè ab Eusebio abiisse Hieronymum, credere non possumus. Urget Alexander verba Photii Codice CXX. *Victor eâ tempestate, Romæ Pontificatum tenuit, quem crebris literis hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem, ab Ecclesia aliquos abdicaret.* Facilis responsio est. Græca habent, *μὴ ἀποκηρύττειν.* Ea autem vis infinitorum ejusmodi, ut non *actum*, sed rei quoque *continuationem* significent. Nempe monuit Irenæus, ne Victor Asianos à se segregare pergeret. Ne hic quidem error N. Alexandri est prætereundus. Quippe Sozomeni adhibet autoritatem, probando pacem *Victoris temporibus, inter Asiaticas Ecclesias, & Romanam fuisse servatam.* Atqui memoriæ lapsu, nomen *Victoris* loco *Aniceti*, à Sozomeno fuisse positum, certo certius est. Quòd enim *ex communi consilio placuit, ut singuli festum, prout consueverant, celebrantes, à mutua inter se communione nequaquam discederent,* Anicetum quidem attinet, atque Polycarpum, uti loco suo demonstratum.

Hieron. de Script. Eccl.

Victor Episcoporum perstringitur Epistolis.

XII. Porrò displicebat Episcopis, quod Asiæ, vicinarumque Provinciarum Ecclesias, ab unitate Ecclesiæ prorsus alienas esse pronuntiasset. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet, quæ paci, & unitati, caritatique erga proximum congruebant. Extabant ævo Eusebii *eorum literæ, quibus Victorem acerbius perstringunt.* Irenæus quidem nomini suo verè respondens, nec solo nomine, sed etiam vitæ instituto pacificus, non ad Victorem modò, sed ad multos quoque alios Ecclesiarum antistites, pacificas de ea quæstione literas misit. Observatu verò dignæ sunt illæ, quibus adiit Victorem: *Presbyteri illi, qui ante Soterem Ecclesiam, cui tu nunc præes, gubernarunt, Anicetum, & Pium, & Hyginum, cum Telesphoro, & Xysto, neque ipsi unquam observarunt, neque his, qui cum ipsis erant, ut id observarent, permiserunt. Ipsi tamen cùm hoc minimè observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex Ecclesiis, in quibus id observabatur. . . . Nec ulli unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Et cùm B. Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos, de quibusdam aliis rebus, modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt, de hoc capite non magnoperè inter se contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuò observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est, ut observaret, cùm Anicetus eorum, qui ante se fuerant, Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret. Quæ cùm ita se haberent, communicarunt sibi invicem.*

Euseb. l. 5. c. 24.

XIII. Tot Episcoporum literis compositam fuisse pacem, Victoremque in concordiam rediisse cum Polycrate existimamus. Utrum verò hoc ex Sozomeno evinci possit, meritò dubitamus, quidquid contendat doctissimus Marca de Concord. Sacerd. l. 3. c. 9. p. 156. *Dissimulandum*, inquit, *non est, errorem irrepsisse in textum Sozomeni, in Polycratis nomine, cum lectio integra rem asserit in nomine Victoris. . . Legendum est Polycratem.* Nos verò mendum esse in voce *Victoris*, non *Polycarpi* contendimus. Legendum est *Aniceti*, ut olim monuimus. Secus in falsum incideret Sozomenus: *Decreto communi singuli, ut consueverant, festum agentes, à mutua communione non recesserunt.* Quæ de Victore, qui ab Asianorum communione recesserat, capi non possunt. Moris sui servantissimi postmodum Asiani, imò si per Eusebium non decipimur, Ecclesiæ nonnullæ, quæ die Dominicâ festum Paschatis agitabant, abdicatâ suâ consuetudine, Asianorum ad disciplinam adhæserunt. Etenim Ecclesiæ in Mesopotamia constitutæ Romanis quidem assentiebantur: *Ecclesiarum quoque in Osdroene Provincia & in urbibus regionis illius constitutarum, literæ visuntur. . . Qui omnes eandem fidem eandemque doctrinam proferentes, unam edidere sententiam.* Eusebii testimonium, de Epistolis Osdroenæ Provinciæ, quæ Mesopotamiæ pars est, in dubium revocare veremur. Constat tamen & certum est, Syros, Cilices, Mesopotamiæque Ecclesias, post Victoris cum Polycrate certamina, ab antiqua, quam olim tenuisse perhibentur, disciplina deflexisse. Audiatur Athanasius, de celebrandæ Synodi Nicenæ causis: *Illa enim Synodus ob Arrianam sectam, & controversiam Paschatis celebrata fuit, eò quòd Syri, Cilices & qui in Mesopotamia degunt, nobiscum dissentiebant in temporibus Paschatis celebrandi, quod eodem die cum Judæis celebrabant.* Litium ea de re omnium ansam removere Nicæni Patres: *Communi omnium sententiâ decretum est, eam festivitatem uno eodemque die, ab omnibus ubique celebrari oportere.*

Lis de Paschate componitur.

Sozom. l. 7. c. 19.

Euseb. l. 5. 23.

Athan. c. 1. p. 933.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 18.

XIV. Polycrati de die Paschatis, *Blastus* Presbyter Romanus accessit. Qua fortè de causa commotus Victor, majores in Asianos severitatis aculeos adhibuit. De Blasto, vetustus Autor apud Tertullianum: *Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, decimâ quartâ mensis.* Nec veri dissimile in eandem quoque opinionem *Florinum* incidisse, utpote qui olim familiariter usus Polycarpo fuerat. Ex schismate ambo non multò pòst in hæresim lapsi sunt: *Sed Florinus, & Blastus, Presbyterorum in albo Romæ conscripti, in Valentini pestem declinarunt.* Marcionis quoque in sententiam Blastum nonnunquam inclinasse, innuit Theodoritus: *Potitus autem & Blastus, & Syneros. . . diversis doctrinis præfuerunt, illi autem omnes acceperunt occasionem ex blasphemia Marcionis.* Sed de Blasto iterum.

Blastus. Quis? Polycrati favet.

Tertul. de Præscr. c. 55.

Theodorit. l. 1. Hær. Fab. c. 23.

Theodor. hær. Fab. l. 1.

XV. Vertitur eruditorum in scriptis quæstio momenti maximi, an ex Apostolicâ traditione manarit Ecclesiæ Romanæ, aliarumque

An Paschæ festum manarit ab Apostolis?

Anno Dom. 190.

Ecclesiarum disciplina, Pascha celebrantium Dominicâ die illâ, quæ Lunam decimam quartam primi mensis pr[illegible]ximè sequitur? Affirmat Eusebius: *Reliqua orbis Ecclesia, eo more utebantur, qui ex Apostolorum traditione profectus, attamnum servatur, ut scilicet non alio quam resurrectionis Dominica die, jejunia solvi liceat.* Et capite xxv. *Traditionem diei Paschalis, jam inde ab Apostolis* ad Palæstinæ Episcopos, *continuâ successione manasse* prædicat. Interrogatnri Constantino Augusto, num Acesius definitioni de die Paschæ, consensum accommodaret, ipse respondit: *Nil novi à Concilio definitum est, Imperator. Sic enim olim ab initio, & ab ipsis Apostolorum temporibus, tum fidei definitionem, tum festi Paschalis tempus traditum accepi.* Assentitur & Sozomenus. Occidentales Episcopi traditionem Pauli ac Petri, abrogandam non esse censebant, Asiani verò, Joannem Evangelistam sequi se velle affirmabant. Cyrilli Prologus apud Bucherium de Doctrina temporum p. 481. *Sanctum Pascha mysterium, ejusque sacra solemnitas, si sicut est a Salvatore nostro, Apostolis tradita observaretur, illibata mansisset, si eam quorumdam perversitas inter catera fidei sacramenta minimè temerasset.* Quorum Scriptorum secutus autoritatem, Baronius indubitanter statuit *placuisse Petro, in primam diem Pascha transferre.* Videatur & Natalis Alexander, sec. 2. dissert. v. p. 350.

Euseb. l. 5. c. 23.

Socr. l. 1. c. 10.

Sozom. l. 7. c. 19.

Bar. An. 58. n. 82.

Cur Pascha Apostolicæ traditioni vindicetur?

XVI. Cui quidem sententiæ, album nos addere calculum non possumus. Moris erat Antiquis, vetustas, quarum Autores incogniti, ceremonias Apostolorum adscribere institutioni. Omnium ore celebratur illud Augustini: *Illa autem qua non scripta, sed tradita, non custodimus, qua quidem tota terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri, sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti anniversariâ solemnitate celebrantur.* Quam ad normam, si Paschalis festivitas dirigatur, ab ipsis manasse Apostolis existimabitur, cùm & antiquissima, & in Orbis Christiani parte longè maxima agitata sit, nec à plenario instituta Concilio. Verùm enimverò hæc Augustini regula causarum non meminit omnium, quibus Paschæ solemnitas ubique locorum facillimè diffundi potuit. Quippe multa valent imitatione, quæque privatorum institutio est, publica tandem evadit pietatis obtentu. Sic Eucharistiæ puerulis distributio omnes pervasit Ecclesias. Sic ævo Augustini, Natalis Dominici festum in toto orbe observabatur, quod neque à *plenariis Conciliis* institutum, neque *ab ipsis Apostolis* constitutum est, cùm celebritatem ejusmodi Ecclesia nesciret ætate Origenis. Alioquin Natalis quoque festivitatis meminisset, dum lætos sacrosque dies Christianis usurpatos accuratè memorat: *Quòd si quis ad hæc objecerit, vel Dominicos dies, vel Parasceves & Paschatis, vel Pentecostes tempora.* Prætereà didicimus ex Hieronymo, vetustis institutis, Apostolicæ traditionis impositum esse ritulum, quod constat ex ejus ad Lucinium Epistola: *Unaquaque Provincia abundet in sensu suo, & pracepta majorum, leges Apostolicas arbitretur.* Traditio dicitur & Apostolorum, illa quæ jejunis imperat usum Eucharistiæ: *Placuit Spiritui Sancto per Apostolos, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Nulla igitur causa est aut ratio, cur ab Apostolis sancitam existimemus anniversariam Paschatis solemnitatem: imò multis ad credendum inducimur, humani fuisse instituti.

August. Epist. 118. c. 1.

Origen. in Cels. l. 8.

Hier. Ep. 28.

August. Epist. 118.

Ex Scriptura ostenditur Paschæ feriam non esse traditionis Apostolicæ.

XVII. Notissimum est fusum instinctu afflatuque divino oraculum: *Placuit Spiritui Sancto, & nobis, nihil amplius oneris vobis imponere, quam ista necessaria, Abstinentiam videlicet ab Idolothytis, sanguine & suffocatis.* Quo decreto, ceremoniarum festorumque institutioni metas posuere, neque post Synodum, Paschatis quotannis in orbem redeuntis, magis opus erat adminiculo, quàm ante Synodum, quo tempore Ecclesia floruerat, & ad miraculum usque creverat. Apostolorum ævo, singulis Dominicis Pascha utrumque & θανάσιμον, & ἀναστάσιμον agitabatur. Illud in Eucharistiæ celebratione, hoc verò in ipsius diei solemnitate, qui ita comparatus erat, ut magnum perpetuumque extaret Christi ad vitam revocati monumentum. Hinc primæ feriæ, *diei Dominica* nomen, in Apocalypsi impositum, quod verissimè quidem, inconsideratè tamen observatur Baronio: *Nam cùm in Apocalypsi, Joannes ejus diei meminerit, quænam quæso potest esse ratio, diei Dominici in Ecclesia celebrande, nisi quòd esset resurrectioni Dominica consecratum, nempe quòd eâ die Christiani sacramentum resurrectionis Domini religiosis studiis, votisque recolerent.* Rectè, gemino itaque celebrando Paschati, & *passionis*, scilicet quâ agnus ille immaculatus, *Pascha nostrum immolatum est*, & *resurrectionis*, quâ ex morte ad vitam Christus migravit, Dominica dies inserviebat, absque peculiaris alicujus festi auxilio, quòd eo casu diei Dominicæ nomen præcipuè accipere debuisset. Alterum nobis argumentum Scriptura suppeditat. Pauli monita hæc sunt, ad Galatas: *Dies observatis & menses, & præstituta tempora, & annos.* Sed & *festorum, & Noviluniorum* observationi Colossenses eximit. Jam verò Paschalis festi celebratio, non minus ex Astrorum cursibus pendet, quàm Pascha Judaicum. Audiamus Epiphanium: *Tria sunt præcipuè, quibus Paschatis celebritas alligatur. Solis imprimis cursus propter Dominicam & mensem. Luna itidem cursus, idque propter legem, qua* XIV. *Lunâ immolari Pascha pracipit: itaque neque celebrari anteà potest, quàm aquinoctium confectum sit, quod Judæi nequaquam observant.* Mense Xantico, qui annum exordiebatur, *Luna* XIV. *Sole arietem obtinente*, Pascha quotannis Judæi instaurabant. Jam verò Astronomicæ regulæ *menses*, & *Novilunia*, Christianis quoque observanda sunt, agitando Paschatis sui festo, quod Bellarmini verbis est aperiendum: *Secundum est Concilium Nicænum, tres regulas constituisse ad inveniendum Pascha diem. Una fuit, ut semper Pascha ageretur post diem* XXI. *Martii, quia illo die erat Æquinoxium Veris, & Pascha post Æquinoxium agi debet. Altera fuit, ut post* XX. *Martii exspectaretur Luna* XIV. *& post eam diem quæreretur Pascha. Pascha enim agi debet in tertia hebdomada Luna; id est, à Luna* XIV. *exclusivè usque ad* XXII. *exclusivè, ad inveniendam Lunam composuerunt Cyclum aurei numeri. Ubicunque enim in Calendario invenitur aureus numerus illius anni, ibi est Novilunium. Tertia regula fuit, ut post Lunam* XIV. *occurrentem post vigesimum diem Martii, expectaretur dies Dominicus, & ille esset Pascha.* Quæ est temporum, mensium, Noviluniorum observatio, si hæc non est? A cujus molestissima servitute, pietatem Ecclesiamque liberat Apostolus,

Anno Dom. 190.

Act. 15.

Bar. An. 159. n. 3.

Gal. 4. 10.

Epiph. h. LXX. n. 11.

Joseph. Ant. l. 3. c. 10. 93.

Bellarm. de cult. Sanct. l. 3. c. 12.

ANNO DOM. 190.

stolus, qui non Astronomiæ regulis, sed pietate Fideles imbuebat. Ecclesiæ disciplinam diligenter exposuit Justinus ille Martyr in sua ad Antoninum Pium Apologia. De Festo tamen Paschatis ne verbum quidem in ea habuit, quod sanè prodigio est, si Apostolis fuit institutum. Diem sanè Dominicam non prætermisit.

Pascha ab Apostolis non manasse, rationibus demonstratur.

Eusеb. l. 5. c. 24.

XVIII. Ostendamus & variis rationibus, Paschatis festum non fuisse ab Apostolis institutum. Verba sunt Irenæi: *Neque enim Anicetus, Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuò observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est, ut observaret, cum Anicetus eorum qui ante se fuerant Presbyterorum, morem sibi retinendum esse diceret.* Quis fingat animo Apostolorum traditionem Polycarpo ignotam fuisse? Atqui Polycarpus die Dominica, quæ proximè Vernum Æquinoctium excepit, Pascha non celebrabat, & facto exemploque Apostolorum disciplinam tuebatur suam. Aut igitur mentiebatur Polycarpus, aut Apostoli non affixerunt diei Dominico, qui Vernum Æquinoctium proximè sequitur, Paschalem solemnitatem. Illud quoque in verbis Irenæi est etiam atque etiam considerandum, morem de die Paschatis suum, Petri Apostolisve, Anicetum non vindicasse, sed *Presbyteris, qui ante se fuerant.* Atqui Apostolicam Anicetus præscriptionem non omisisset, partim ut plus majestatis disciplinæ suæ contribueret, partim ut eam colere facilius suaderet Polycarpo, partim ut Joannis Apostolorumque autoritati, in qua Asianorum consuetudinem Polycarpus collocabat, Petri quoque & Pauli traditionem opponeret. Quod ergo Anicetus in sua de die Paschatis Polycarpo disceptatione, solorum *Presbyterorum* meminerit, argumento est maximo, Romanorum ea de re consuetudinem, præcepto fuisse Apostolico destitutam, quam utique laudasset. 2°. Quæ Apostoli constituerunt, communia sunt omnium Ecclesiarum, eaque germana nota est traditionis Apostolicæ, cui ubique locorum Christiani audientes erant, animoque parebant. Jam verò Joannes, Philippus Evangelista, Polycarpus, Thraseas, aliique multi, quos memorat Polycrates, *diem Pascha* XIV. *Lunæ juxta Evangelium observarunt.* Neque à Joanne modò, sed ab aliis etiam Apostolis id factum est, docente secundum Polycarpum Irenæo. Quo concesso, absonum extra modum, Petrum festum Paschatis instituisse, quo consuetudo, quam unà cum Apostolis tenuerat, prorsus improbabatur. Ac eò absurdius, quòd cùm Judæorum Apostolum ageret, diem potius XIV. servare debuisset, ut discipulis pergratum suis faceret. Vim argumenti corroborat Epiphanius, adversus Audianos: *Etenim Apostoli in illa constitutione definiunt, Vos, inquiunt, temporum rationes ne subducite, sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex circuncisione prodierunt, cùm iis Pascha peragite. . . Porrò post constitutionem illam quindecim è circuncisione fuerunt, idque Hierosolymis, quorum autoritatem Christianum orbis sequi, & cùm illis Pascha celebrare debuit.* Quorum mens hæc est, vel Petavio Judice: *Pacis & concordiæ studio, constitutum ab Apostolis, ut quandiu οἱ περιτετμημένοι Christianis Hierosolymis præsiderent, quod ad Adriani usque tempora perseveravit, ab iis ne dissentirent reliqui.* Quòd si Hierosolymitanorum autoritatem totus orbis ad Adriani usque tempora sequi debuit, præscriptio quidem illa quam affigunt Apostolis, evanescit atque diffluit. Futilis enim & vana fuisset, utpote quæ cedere debuerit Hierosolymitanorum disciplinæ, quam ab illa Romanorum diversam fuisse indicat Epiphanius. Constitutionis quidem, quam laudat Epiphanius, nolumus nos constituere patronos. Quin ignota quidem Asianis fuerit, non ponendum in dubio, cujus autoritatem Victoris fulminibus non apposuerunt. Ex illa tamen sequitur, Apostolorum id non esse decretum, ut Dominica dies, quæ à XX. Martii, Lunam excipit decimam quartam, Paschati dicaretur, autoresque constitutionis, quibus adulta fuit antiquitas, Romanam de festo Paschatis disciplinam Apostolis non vindicasse. 3°. Maximo nobis est argumento, solemnitatem Paschatis ab Apostolis non manasse, quod prudenter institui non potuerit, absque & Astronomiæ peritia, & regularum ope, veluti freno, quod errantem atque vagantem retineret. Cùm enim cælestis annus, Juliano minor sit scrupulis horariis XI. quorum sexaginta in una quælibet hora & 1440. in quolibet die continentur, annis ferè centum & triginta uno, cælestis anni caput unâ die Julianum antevertit. Quâ re quidem vitari non potuit, fastos adeò turbari, ut Paschæ feria hiemi competeret, nisi Astronomicarum regularum auxilio, sedibus suis alligaretur. Id visum, ut vulgò putant, Patribus Nicænis, quorum immanis labor in definiendo die Paschali, errorem eximere omnem non potuit, quem effugere non dabatur, nisi Solis Lunæque motibus accuratè deprehensis, ut Cælestis annus cum Juliano componeretur. Itaque ope Gregorii Papæ XIII. opus fuit Calendario restituendo, qui ne deinceps evagari illi cardines desinerent, anno 1581. interposuit mandatum, ut singulis annorum centuriis vertentibus, dies unus bissextilis omitteretur, quartâ duntaxat exceptâ centuriâ, quæ bissextilem de more retinet. Quo cessante remedio, Paschæ feria tandem omnes vel Nicænarum regularum lineas transiisset. Neque tàm serò error in celebrando Paschate oriri cœpit, teste Paschasini ad Leonem Epistolâ: *Cùm apud Occidentales error exortus fuisset, consuetis lectionibus, nocte sacrâ discussis, cum Presbyter secundum morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aquâ non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ego breviter narrem illâ nocte quæ lucescebat in diem Dominicam, X. die Kal. Maii fons sacer horâ competenti repletus est. Evidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuisse errorem.* His accedat, alium Alexandrinis, alium Latinis Cyclum fuisse, alios Paschales terminos. Itaque anno CCCCLV. de die Paschatis magna disceptatio fuit. Alexandrini quippe Aprilis XXIV. Latini verò Aprilis XVII. Pascha suum celebrare debuerunt. Audiantur verba Leonis ad Marcianum, de Theophili Alex. Cyclo: *In anno qui erit* LXXVI. *Pascha dies invenitur ascriptus, quem à passione Domini, nullius constitutionis admittit autoritas. Nam diem* VIII. *Kal. Majarum ab eo cognoscimus præfinitum qui anni limitem antiquitùs constitutum excedit: cùm alii* XV. *Kal. Majar. huic festivitati deputaverint diem.* Quibus observatis, apparet temerè imprudenterque Pascha ab Apostolis institutum esse quotannis celebrandum, ni ex Astronomiæ suæ peritia, regulas & statuerent quibus fastorum perturbationi

Epiph. h. 70. n. 10.

Leo Epist. 63.

Leo Epist. 64.

Anno Dom. 190.

cautum esset atque provisum, ut eodem die ubique locorum, sacrum festum ab omnibus agitaretur. Atqui nec Astronomi erant Apostoli, quorum mentes scientiâ ejusmodi non imbuit Spiritus ille Sanctus: neque regulas impediendæ festi Paschalis evagationi posuerunt. Quas si dedissent, non opus fuisset tot Cyclis Paschalibus, aut Patrum Nicænorum, si Diis placet, præscriptionibus. Nostris & argumentis illud addatur, quod illum ipsum diem, quo Christus morti missus est, Paschati *θανάσιμῳ*, illum verò quo à morte revocatus est, Paschati *ἀναστασίμῳ* dicassent Apostoli, atque consecrassent: Festumque non vagum & mobile, sed statum fixumque extitisset, quod est & rationi consentaneum. Etenim ille ipse dies, quo Christus suscitatus est, anniversariâ celebritate perpetuò consecrari debuit. Qui cùm ex nostra Chronologia, in quintum Aprilis inciderit, quia tertio vitam cum morte commutavit, tertius Aprilis *Paschati passionis*, quintus *Paschati resurrectionis*, perpetuâ temporum feriæ esset affigendus. Sic lege quidem certâ, Pascha Judaicum mensis XV. Deus alligavit, quia eâ nocte Ægyptiorum primogenitum omnem percusserat: *Quamobrem erit dies iste vobis in monimentum, ut celebretis eum festum Domino, per ætates vestras, statuto perpetuo celebrate ipsum.* Sic Cyprianus dat in mandatis, ut dies emortualis Martyrum literis consignetur: *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Sic ex opinione, quod Servator Decembris XXV. lucem aspexit, Natale festum huic tempori clavo trabali Latini fixerunt. In alium sanè diem, Pascha transcribi non debuit, qui Christo animam non reddidit: secùs in anniversariæ solemnitatis tempore peccantur. Quibus Sole clarius est, si Paschæ feria sit ab ipsis Apostolis constituta, quod in germanum resurrectionis diem, id festi lege immobili constituissent. Hoc autem non fecisse adeò constat, ut Antiquitas incerto animo fuerit atque ignaro, anni dicique, qui Christo sive mortem, sive vitam attulit. Bellis quidem suis regulis nunquam vitabunt, quin eo tempore resurrectionis solemnia celebrent, quo Servator nondum in morte sepulchroque jacebat. Quòd ex feriali disciplina non satis est rationi congruum.

Exod. XII. 14.

Cypr. Epist. 37.

Ex Antiquorum testimonio probatur Paschæ feriam Apostolicam non esse.

XIX. Neque Veterum præsidio, nostra destituitur sententia. Primus omnium Eusebius Paschæ feriam de hortulis deduxit Apostolorum. Non Origenes, non Clemens, non Irenæus, non aliquis, qui ætate antecesserit Eusebio, eam solemnitatem pro Apostolica habuit. Præterea extat locus insignis apud Hieronymum ad Galatas, capite IV. quo monemur, de fonte feriæ Paschalis, atque principio: *Si dies observare non licet, & menses, & tempora, & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati observantes, & parasceven, & diem Dominicam, & jejunium Quadragesima, & Pascha festivitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum, diversa in honore Martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet, Non eosdem Judaicæ observationis dies esse, quos nostros. Nos enim, non azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis, & crucis. Nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas, in Pentecoste, sed Spiritus Sancti veneramur adventum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa, quâ convenimus: sed quo quâcunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia major oriatur. Qui verò opposita Quæstioni acutius respondere conatur, illud affirmat, Omnes dies æquales esse. . . Jejunia autem & congregationes, inter dies, propter eos, & à viris prudentibus esse constitutos, qui magis sæculo vacant, quàm Deo.* Mens hæc est Hieronymi, Festa Christianorum inter & Judæorum hoc interesse, quòd Judæorum solemnitates non ordinis modò, sed pietatis quoque causâ fuerant institutæ, proindèque dies illi, & sanctiores erant, & partem constituebant Religionis. Contra verò Christianorum solemnitates statutas esse, non quo *celebrior* dies evaderet, sed quo plebs stato tempore, in unum locum conflueret, majori lætitiæ percipiendæ. Quâ vel unâ differentiâ constare potest, ab Apostolis præceptam non esse Paschæ feriam. Alioquin & in partem divini cultus referenda, & aliis diebus sanctior foret, atque celebrior, vi institutionis; quomodo sacra festa Judæorum negotiosis temporibus longè antecellebant. Sed nil opus argumentis, cùm disertè tradat Hieronymus, *Pascha festivitatem, & congregationes inter dies, à viris prudentibus esse constitutos.* Viri quidem prudentes, imò sapientissimi Apostoli fuere. Incredibile autem hanc phrasim, *viris prudentibus*, esse ab Hieronymo adhibitam, designandis Apostolis, neque exemplum extat ejusmodi. Non ea sanè divinam decet Apostolorum & sapientiam, & autoritatem, cùm multi sint *viri prudentes* infra Apostolicam amplitudinem. Denique festivitatibus, quas viri illi prudentes constituerunt, *diversa in honore Martyrum tempora* statuta, apponit Hieronymus, quorum sanè nulla est ab Apostolis origo. Autor Decretalis Epistolæ primæ Victoris, Ecclesiæ Romanæ Episcopis, præscriptionem tribuit de Paschæ celebratione: *Celebritatem sancti Pascha, die Dominicâ agi debere prædecessores nostri statuerunt.* Si Victoris decessores, ut larvatus Victor perhibet, non igitur Apostoli Pascha instituerunt.

De die Paschatis sententia Socratis expenditur.

Socrat. l. V. c. 22.

XX. Hieronymo Socratem adjungamus, luculentum sanè pro nostra sententia testimonium dicentem: *Certè Apostolus & Evangelista, nusquam servitutis jugum illis imposuerunt, qui ad prædicationem fidei accessissent, sed Pascha diem aliosque festos dies arbitrio æquitateque eorum, qui beneficia illis diebus acceperant, colendos reliquerunt. Proinde quoniam homines festos dies amant, propterea quod laborum remissionem ipsis afferunt, singuli locatim prout cuique libitum fuerit, salutaris passionis memoriam ex quadam consuetudine celebrarunt. Nam nec Servator, nec Apostoli, id observandum esse nobis, lege aliquâ præscripserunt: Ac mihi quidem videtur, ut alia multa variis in locis usu quodam invaluerunt, sic etiam Paschale festum apud singulos ex insolita quadam consuetudine peculiarem observationem habuisse, propterea quòd nullus ex Apostolis, ut dixi, de illo festo quidquam lege sancivit.* Hoc Socratis judicium nobis videtur esse verissimum, quod nullâ arte labefacere possunt. Hinc tot molestiæ, in definiendo die Paschæ, tot regulæ positæ, ut ne vel ipsi Latini iisdem Canonibus Paschalia curricula regerent. Mediolanensibus Alexandrinorum methodus placuit, teste Ambrosii ad Æmiliæ Episcopos Epistolâ. Romanis verò displicuit. Alii aliâ fortè regulâ utebantur. Itaque Carthaginenses,

ANNO DOM. 190.

ginenses, anno 398. c. 65. hæc statuunt: *Pascha solemnitas uno die, & tempore celebranda.* Hinc in festo agitando diversitas, atque decretum Arelatensium Patrum, Sylvestro Papæ missum:

Arelat. 1. cap. 1.

Primo loco de observatione Paschatis Dominici, ut uno die, & uno tempore, per orbem omnem à nobis celebretur, & juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas. Eò pertinet & Carthaginensium Præscriptio:

Cart. 3. cap. 41.

Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt, Quoniam de Concilio quædam tractata noscuntur, adjicimus etiam de die Paschæ nobis esse mandatum, ut de Ecclesia semper Carthaginensi, sicut prædictum est, instruamur, & non sub angusto temporis spatio. Aurelius Episcopus dixit, Si Sanctitati vestræ videtur, ut singulis quibusque annis ad tractandum conveniamus, & cum convenerimus in unum, tunc divulgabitur Sanctus Paschæ dies per Legatos qui fuerant in Concilio. Astronomicam hanc Religionem ab Apostolis manasse, in animum inducere nostrum nequimus. Ea hominibus tradiderunt, quæ pietatem docerent, non peritiam in cognoscendis Astrorum motibus, aut imponendis rectè Mathematicorum calculis, ad inveniendum numerum aureum, absque quo Paschæ dies sciri nequit. Est tamen quod objiciatur Socrati:

Bar. an. 58. n. 81.

Manifestè igitur, Baronius inquit, *Socrates Novatianus homo hallucinatur, dum ex decreto Novatianorum, confirmat esse debere, in cujusque voluntatis arbitrio, quando velit Pascha peragere.* Quæ si verè cogitare & loqui volumus, nec accuratè, nec prudenter scripta.

Error Baronii.

Non sanè Novatianis persuasum fuit, posse ad libitum Pascha peragi. Non Acesio Novatianorum apud Constantinopolim Episcopo, qui *ab ipsis Apostolorum temporibus, festi Paschalis tempus traditum* existimabat.

Socrat. l. 1. cap. 10.

Neque Novatiani, qui Romam incolebant Lunâ XIV. suum Pascha celebrabant, sed mordicus communiori disciplinæ adhærescebant:

Socrat. l. 5. cap. 21.

Sed & Novatianos qui Romæ degunt, morem Judæorum nunquam secutos esse, verùm post æquinoctium Pascha perpetuò celebrasse, Socrates ipse tradit. Alii verò de grege Novatianorum, qui Quartodecumanos agebant, Lunâ decimâ quartâ Pascha celebrandum esse censebant. Itaque vix ullus inventus est Novatianus, qui innuerit, *rem esse indifferentem, quo tempore Pascha celebraretur*, ut Natali visum Alexandro. Pars utraque addicta suæ consuetudini fuit, quam & præstare putabat. Imò ob Paschatis diem, *Novatianorum Ecclesiam fuisse divisam*, à Socrate monemur. Sabbatius quidam ex Judæo factus Christianus, & à Marciano ad Presbyteri dignitatem promotus, Judæorum opinioni, quâ prius fuerat imbutus, studiosè inserviebat. Ac Paschalis festi solemnitatem, quam Valentis Augusti temporibus, in vico Phrygiæ Pazo Novatiani innovaverant, defendere instituit. Hæc ubi comperisset Marcianus, Concilium Novatianorum fieri curavit apud Sangarum Bithyniæ oppidum. Cùm Sabbatius jurasset in eo conventu, se nunquam Episcopatus dignitatem suscepturum, tum *regulam de Festo Paschali promulgarunt, quam ἀδιάφορον, hoc est, indifferentem vocarunt, affirmantes dissensionem de festo Paschæ tanti non esse, ut ejus causâ quisquam ab Ecclesia secedere debeat, nec eos qui Pazi convenerant, præjudicium Catholicæ & universali regulæ fecisse.*

Socrat. l. 5. cap. 2.

Ergò regula hæc *indifferens* dicta est, non uti opinantur Baronius & N. Alexander, quod putarent Novatiani, *Esse in cujusque voluntatis arbitrio, quando velit Pascha peragere*, sed quòd *unicuique liceret pro arbitrio Pascha celebrare, juxta eam consuetudinem quam semel animo imbiberit, nec ulla sit in communione discrepantia, sed ut si qui diverso more festum celebrant, nihilominus in unitate, & concordia Ecclesiæ perseverent.*

Socrat. l. 5. cap. 21.

Eadem & olim animo mens Aniceto infixa fuerat, & Polycarpo; quorum neuter eò progressus est, ut statueret *rem esse indifferentem, quo tempore Pascha celebraretur*, cùm uterque suam consuetudinem tenaciter defenderit, inviolatâ tamen charitate atque concordiâ.

ANNO U. C. 944. PER. JUL. 4904. JUL. 236. DOM. 191. COMMODI 11. & 12. *Sol.* 4. C. *Lun.* 2. *Indict.* 14. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Mart.*

ANNO DOM. 191.

COSS. *Cassius Apronianus, & Valerius Bradua Mauricus.*

I. INgenti scelere annus infamis fuit. Multi & in urbe, & in omni imperio, homines necabantur à maleficis, qui acus parvas venenis pestiferis imbutas in alios conjiciebant, ob eamque causam innumerabiles interibant. Nulla tamen vis maleficiorum gravior erat Populo Rom. quàm Commodus. Jubebantur Romam ipsam Commodianam, & exercitus Commodianos, denique diem quo hæc decernebantur, Commodianum appellare. Ad hæc ei statua aurea mille librarum, cum tauro & vacca facta est.

Res Urbis.

Dio l. 72. 814.

II. Florinus Blastusque suo schismate viam ad hæresim Valentinianorum sibi fecere. Qua de re hæc habet Eusebius: *Alii verò in urbe Roma viguerunt, quorum Dux fuit Florinus quidam, Presbyterii in Ecclesia gradu dejectus, & Blastus simili errore implicatus, qui quidem quam plurimos ab Ecclesiæ gremio abstrahentes, in suam sententiam perduxerunt. Cum uterque seorsum novam doctrinam adversus fidei veritatem invehere laboraret.* Quæ tamen Valesii versio erroris non est immunis, quod etiam observavit Dodwellus, Dissertatione VI. De scriptis Irenæi n. 3. 423. πρεσβυτερίου potius de *exautoratione*, quàm de *hæresi* accipi debet, quia primum erroribus discrepabant Blastus atque Florinus. Blastus Pascha dicebat, *Non aliter custodiendum esse, nisi secundum Legem Moysi, decimâ quarta mensis*, ut habet Appendix ad Tertullianum de Præscriptionibus. Deinde ἑκάτερος, apud Eusebium *uterque* verti non debuit, sed *alter, seorsim veritatem innovare tentavit.* Quod primùm fecit Florinus, excogitatâ hæresi, quòd Deus esset autor malorum. Quem refutavit errorem Irenæus. Post modum verò Florinus & Blastus, in Valentini hæresim inciderunt. Primùm ergo intra Schismatis sui metas Quartodecumanum agens, Blastus sese continuit, idcircò ad eum Irenæus de Schismate Epistolam scripsit. Polycarpo olim Florinus familiariter adhæserat, multis studens obsequiis benevolentiam ipsius sibi comparare, oculato teste Irenæo: *Vidi te cùm adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, & magnoperè laborantem, ut te illi approbares.* Quibus colligimus, Florinum aliquando aulicum egisse, & patriâ Asianum esse. Infelix homo cùm à pietate recessisset, plurima invehens rerum principia, Deum mali conditorem imaginatus est. Errori pondus accessit, quod Presbyteri gradum Florinus

De Blasto Florinoque Hæreticis.

Euseb. l. 5. cap. 15.

Euseb. l. v. cap. 20.

Anno Dom. 191.

rinus in Ecclesia Rom. adeptus erat, quo meritis suis dejectus est. Facit ad gloriam Irenæi, qui laboriosissimè, & diligentissimè invigilabat, ne fides in discrimen veniret, quod *alteram ad Blastum, quam inscripsit de Schismate, alteram ad Florinum, de Monarchia scripsit Epistolam.* Deum quippe causam esse malorum, Florinus defendere videbatur; Cùm verò postmodum in errorem Valentini abreptus esset, iterum Irenæus ejus gratiâ librum de octonario composuit, cujus in fine adnotatio extabat utilissima: *Adjuro te qui transcripseris hunc librum per Dominum nostrum J. Christum, & per gloriosum adventum ejus, in quo judicaturus est vivos & mortuos, ut conferas quod transcripseris, & diligenter emendes ad exemplar ex quo transcripsisti, utque adjurationem istam similiter exscribas, & codici tuo inseras.* De Florini verò dogmatibus hæc in Epistola continebantur: *Hæc dogmata, Florine, ut parcissime dicam, non sunt sana doctrina. Hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, & in maximam impietatem conjiciunt qui illis assentiuntur. Hæc dogmata ne ipsi quidem Hæretici, extra Ecclesiam positi, proferre unquam ausi sunt. Hæc dogmata hi qui ante nos vixere Presbyteri, qui etiam Apostolorum discipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt. . . . Et in conspectu Dei affirmare possum, beatum illum & Apostolicum Presbyterum Polycarpum, si quid ejusmodi unquam audisset, exclamaturum continuò, & obturatis auribus suis dicturum fuisse, prout ipsi moris erat, Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem! Atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans, seu sedens ejusmodi sermones audisset.*

Euseb. l. 5. cap. 20.

Anno Dom. 192.

ANNO U. C. 945. PER. JUL. 4905. JUL. 237. DOM. 192. COMMODI 12. & 13. *Sol.* 5. B. A. *Lun* 3. *Indict.* 15. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 16. *April.*

COSS. *Commodus Augustus VII. P. Helvius Pertinax II.*

Insania Commodi.

I. COmmodus insanire pergebat, atque furere. Scripsit ad Senatum his verbis: *Imperator Cæsar Lucius, Ælius Aurelius, Commodus, Augustus, Pius, Felix, Germanicus, Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum, invictus, Hercules Romanus, Pontif. Max. Tribunitia Potestatis* XVIII. *Imperator* VIII. *Consul.* VII. *Pater Patriæ. Consulibus, Prætoribus, Tribunis Plebis, Senatuique Commodiano felici, salutem.* Pleræque statuæ habitu Herculis ei collocatæ sunt, decretumque fuit, ut id ævum quo Principatum teneret, nominaretur Seculum aureum. Hic verò aureus, hic Hercules, hic Deus, nam hoc quoque nomine appellabatur.

Dio l. 72. 824.

Albinus Cæsaris titulum repudiat.

II. Jussu Commodi, Albinus Britannicis imperabat exercitibus. Audito quòd Severus & Nonius Murcus de imperio cogitarent, manu suâ scripsit Albino: *Tibi do facultatem, ut si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Cæsareum nomen assumas. Audio enim & Septimium Severum, & Nonium Murcum male de me apud milites loqui, ut sibi parent stationis Augustæ procurationem. Habebis præterea cùm id feceris, dandi stipendii usque ad tres aureos liberam potestatem. . . . Sanè ut tibi insigne aliquod imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem, me præsente & ad me, & cùm mecum fueris, habiturus purpuram, sed sine auro.*

Capit. Alb. c. 2.

Quibus omnibus prudenter abstinuit, dicens: *Commodum quærere, qui aut cum eo perirent, aut quos cum causa ipse posset occidere.* Quin etiam procedens ad milites, hâc concione usus est: *Commilitones, ego Cæsareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo. Dii faxint, ut ne alii quidem velint. Senatus imperet, Provincias dividat, Senatus nos Consules faciat, & quid dico Senatus? Vos ipsi, & patres vestri, estis enim ipsi Senatores.* Hæc concio vivo adhuc Commodo Romam delata est. Quæ Commodum in Albinum exasperavit, statimque successorem misit Junium Severum, unum ex contubernalibus suis.

Anno Dom. 192.

Capit. Alb. c. 6.

Capit. Alom. cap. 13.

Ludi, umbratilesque pugnæ Commodi.

III. Intereà Commodus ludis vacabat, & spectaculis. Solebat antequam veniret in theatrum, amictus esse tunicâ manicatâ albâ, auro interstinctâ, eumque hoc habitu amictum Senatores salutabant. Cùm autem ingressus esset, induebatur purpureâ auro distinctâ, acceptâ pari chlamyde, more Græco, & coronâ ex gemmis Indicis, & auro factâ. Ferebat etiam caduceum, quale Mercurius solet. Pellis quidem Leonis, clavaque gestabantur ante eum, cùm iter faceret; in theatris autem, sive adesset ipse præsens, sive abesset, in sella aurea collocabantur. Commodus verò, abjectis cæteris vestibus, præter tunicam, nudis pedibus ad rem gerendam aggressus est. Cervos, damas, item cornigera alia, præter tauros currens pariter ipse atque insequens, certissimis ictibus prostravit. Leones verò & pantheros, currens in orbem, supernè jaculis confodiebat. Primo die centum ursos telis confecit. Defessus in medio certamine cepit poculum vini dulcissimi refrigerati manu mulieris. Quo exhausto, Populus Senatoresque magno clamore dicebant, ut in conviviis, *Vivas.* A prandio fungebatur muneribus gladiatoriis, tenens scutum dextrâ, gladium ligneum sinistrâ, quia scæva erat. Certabat cum eo gladiator, cui ferula erat in manibus. Commodo numerabantur singulis diebus decies sestertium, sive libræ Gallicæ 93055. Assistebant pugnanti *Æmilius Lætus* Præfectus Prætorio, & *Electus* cubicularius, quos pugnatâ eâ umbratili pugnâ, victor scilicet, osculabatur per galeam. Pòst revertit in sellam, indeque ludos cruentos spectabat, in quibus multi necabantur. Quatuordecim dierum fuere hujus generis spectacula, quibus Claudius Pompeianus nunquam interfuit, quòd mallet occidi, quàm eò venire ubi Imperatorem Marci filium, talia facientem spectaret; filios tamen suos ad spectandum misit. Ad ludicras hasce Commodi victorias, Senatores clamare jubebantur: *Dominus es, primus es, omnium felicissimus, vincis, ab avo vinces, Amazonie vinces.* In metu ipsi Senatores erant, ne ab eo necarentur. Abscisso enim capite struthocameli, quem occiderat, eò venit ubi Patres Conscripti sedebant, cùmque avis caput sinistrâ, dexterâ verò gladium cruentum porrigeret, nil dixit, tantum caput movit ut ostenderet, idem se facturum Senatoribus. Quod cùm non mœrorem quidem, sed risum potius commovisset, multi periissent, ni Dio folia lauri, quæ habebat, ex corona comedisset, persuasissetque cæteris, ut & ipsi manducarent. Cùm rursus gladiatorum more pugnaturus esset, Senatores equestri amictu, & penulis indutos in theatrum venire jussit. Sed & ejus galea postremo ludorum die, elata fuit per por-

Dio l. 72. 825.

Herodian. lib. 1.

Anno Dom. 192.

Dio l. 72. 827.

Commodus occiditur.

portas, efferendis mortuis destinatas. Quibus opinio cunctis injecta fuit, Principis mortem instare, cùm eo habitu, nunquam theatrum Senatores ingrederentur, nisi defuncto Imperatore.

IV. Tandem Commodi tyrannide urbs liberatur. Decreverat anno ineunte, qui Jano sacer est, non ex palatio, sed ex gladiatorio ludo prodire in publicum, ac pro purpura Imperatoria procedere armatus, deducente gladiatorum agmine. Quod ubi consilium suum ad Martiam, è concubinis unam, quam propè uxoris loco habebat, aperuit, mulier supplex ad genua accidere, ne aut Romanum Imperium contumeliâ afficeret, aut ipse vitam suam perditis hominibus tam periculosè committeret. Sed cùm nihil profecisset, lachrymans discessit. Commodus *Latum*, & *Electum* ad se accitos id parare jubet in ludo ipso gladiatorio, quo se dormitum recipiat, ut illinc ad sacrificandum manè procederet, ac se armatum populo ostenderet. Illi verò supplicabant, ne quid Principatu indignum faceret. Quibus Commodus irâ percitus, facessere à se jussis, in cubiculum reversus, sumpto in manus libello, conscripsit in eo quoscunque illâ nocte interficere decreverat. Ex quibus prima erat Martia, mox Lætus atque Electus, Erycius Clarus, Sossius Falco, qui annum aperire debebant, post hos ingens eorum numerus, qui plurimùm autoritatis in Senatu obtinebant. Eum libellum ita conscriptum, supra lectulum deposuit. Erat pusio quidam, ex istis qui nullum quidem amictum gestant, sed auro & lapidibus pretiosissimis sunt ornati, quibus semper gaudent ex Romanis, qui sunt luxui dediti. Is ita Commodo charus erat, ut cum illo sæpè etiam cubaret, ac Philocommodus appellaretur. Dum ad consueta balnea & crapulas profectus esset Commodus, puer cubiculum ingressus, sumpto in manus qui supra lectulum jacebat libello, qui cùm lusitaret, foras procedens in Martiam incidit, quæ cùm puerum complexa esset, libellum manu aufert, verita ne quid puer rerum necessariarum labefaceret. Agnitâ Commodi manu, ac legendi cupidine magis illectâ, ubi mortiferum esse comperit, Electum ad se accersit, traditoque libello, *Vide*, inquit, *Electe, cujusmodi festum sumus hâc nocte celebraturi.* Is eo lecto, statim signatum libellum per hominem sibi fidum, Læto legendum mittit. Qui item exterritus, ad Martiam contendit. Placitum est Commodo vitam venenis eripi. Redeunti ex balneo Martia commixtum vino odoratissimo virus in calice obtulit, mox gravedine capitis occupatus Commodus, atque in soporem prolapsus, quieti se tradidit. Pauxillum cùm quievisset, vomitus affatim consecutus est. Veriti illi ne veneno quoque omni ejecto, colligeret sese, atque unà omnes cædi imperaret, Narcisso persuasere, viro robusto, ut ingressus Commodum strangularet, magna præmia se datos polliciti. Hic irrumpens illum, & veneno & crapulâ languescentem, constricto gutture interfecit. Excubias aulicas ut fallerent interfectores, vili quodam stragulo involutum cadaver, duobus exploratæ fidei famulis exportandum velut aliquid supervacuum

Herodian. l. 1. 2.

ex cubili suppellectile curaverunt. Deinde per noctem vehiculo impositum in Aristeum miserunt. Hunc exitum Commodus habuit, cùm imperasset annos XII. menses IX. dies XIV. Vixit annos XXXI. menses IV. & in ipso domus Aureliorum Principatum amisit. Liberos superstites nullos reliquit, sorores tres. Timens in se quod fecerat aliis, comam & barbam metu tonsoris sibi adurebat. Tantæ fuit crudelitatis, ut & suis, quasi vellet eorum capillos radere, nasum & aurem, aut aliud quidpiam præcideret.

Anno Dom. 192.

Dio l. 72. 825.

De Phrynico, Julio Polluce, Athenæo.

Phot. Cod. 158. p. 323.

V. Commodi imperium viri docti nobilitarunt, Phrynicus, Julius Pollux, Athenæus. De Phrynico Photius: *Legi Phrynici Arabii oratorii apparatus libros 36. Collectio est vocum atque incisorum. . . . . Floruit hic Scriptor imperante Roma Marco Antonino Augusto, ejusque filio Commodo, cui etiam Operis initium ita inscribit, Commodo Cæsari Phrynicus salutem. Dum in sua ad eum præfatione ad discendi studium hortatur, & Opus hoc verbis extollit, septem sese ait supra triginta in illum usque diem composuisse libros, quos & Imperatori obtulerit, seque alios totidem præter hos editurum promittit, si longior vita usura detetur.* De Polluce hæc habet Suidas: *Pollux Naucratita. Quidam verò per jocum dicunt ipsum fuisse Sophistam Arduenna. Arduenna verò urbs est Phœnicia. Docuit autem Athenis sub Commodo Imperatore, & obiit anno ætatis LVIII. Composuit hos libros, Onomasticum L. X. Est autem collectio eorum quæ de eodem dicuntur: Disputationes sive sermones: Declamationes: Commodi Cæsaris Epithalamium: Romanam Orationem: Buccinatorem, sive certamen Musicum: Contra Socratem: Contra Sinopenses: Panhellenium, id est, orationem habitam in totius Græciæ conventu: Arcadicum, & alia.* De Polluce hoc est Philostrati judicium: *Pollucem Naucratitem, an doctum, an indoctum appellare oporteat, nondum satis compertum habeo, sive quod ineptum, fatuumque esse videretur, eruditum simul, & ignarum.* Adriani Sophistæ factus auditor, æquè ab ejus virtutibus, atque à vitiis abstinuit. Dicitur mellifluâ voce pronuntiasse, quâ cùm Imperatorem etiam Commodum allexisset, ab eo suggestum Athenis obtinuit. Legitimo, sed indocto superstite filio, è vivis excessit. Addamus & aliquid de Athenæo: *Athenæus Naucratita, Grammaticus, qui Marci tempore vixit. Scripsit librum nomine Δειπνοσόφισαι, in quo commemorat, quotquot inter Veteres magnifici splendidique convivatores fuisse visi sunt.*

Suid. t. 2. 559.

Philostr. de Vita Soph. l. 2. 589.

Suid. t. 1. 111.

Victor Papa. An Martyr?

Bar. an. 194. n. 2.

VI. Supremum Eleuthero contigisse diem Commodo VII. & Pertinace secundùm Coss. creditum Baronio, successisseque Victorem, primâ Junii die: *Hoc ipso anno Calendis Junii, Victor Afer Felicis filius, in locum ejus Romanus Pontifex subrogatus est.* Nos verò Victorem longè ante ea tempora inivisse Pontificatum existimamus. In Chronico auctiori Pontificum, Victor à *Consulatu Commodi V. & Glabrionis usque ad Lateranum & Rufinum*, sedisse dicitur. Commodi quintus ille Consulatus in annum Dom. CLXXXVI. incidit; sed & Autor Decretalium Victoris primam Epistolam, quam *Theophilo Alexandrino* missam esse fingit, scribit *datam esse XIII. Kalend. Augusti, Commodo, & Gravione* (Glabrione) *Coss.* Lateranus verò atque Rufinus annum CXCVII. aperuerunt. Catalogus Bucherianus totâ hic erravit viâ: *Victor annis novem, mensibus duobus, diebus decem, à Consulatu Saturnini & Galli usque Præsente & Extricate*, qui anno CCXVII. Consules processere. De Victoris initiis lis est in-

ter Chronologos. Ab anno CLXXXV. ad CXCVII. sedisse docent Onuphrius, Pearsonius, Pagius, quorum & sententia vero similior. Dodwellus verò ab anno CLXXVII. ad CXCV. Pontificatum gessisse prædicat. Auctius Chronicum Vet. Pontificum magis sequimur: Victor *sedit annos* X. *menses duos, dies decem. Fuit à Consulatu Commodi* V. *& Glabrionis, usque Laterano & Rufino.* Nempe obiit Victor anno CXCVII. Creatus Episcopus anno CLXXXV. *martyrio coronatum fuisse, sepultumque juxta corpus Petri in Vaticano* V. *Kalendas Augusti*, tradit ex Pseudo-Damaso Baronius. Nos Victorem Martyribus eximimus, quippe à Veterum nemine eo titulo ornatus est, iisque temporibus Romanæ præfuit Ecclesiæ, quibus Cæsares nil persecutionis movere. Neque sive in Rosuedi, sive in Adonis Martyrologio Victor nomen Martyris invenit, quod accepit à Romano.

De IV. Epistolis Victoris.

VII. Victori quatuor tribuuntur Epistolæ. Prima est ad Theophilum Alexandriæ Episcopum, in eaque tria capita continentur. Primum, de celebratione Paschæ & baptismi. Secundum, ne quis incerta judicet. Tertium, de causis Episcoporum terminandis. Secunda est ad Afros, *de causis superioribus.* Tertia scribitur Desiderio Viennensi Episcopo, quam *Eubolus* attulit, de Paschate *non decimâ quartâ Lunâ cum Judæis, sed decimâ quintâ usque ad vigesimam primam* celebrando. Quarta & omnium brevissima, *Paracauda* Episcopo nuncupata, docet *Orientalem Ecclesiam, propter Celebrationem Paschæ ab Occidentali disjunctam esse.* Baronius & illam, quæ ad Desiderium, & eam quæ ad Paracaudam missa est Epistolam, pro legitima habens, utramque anno CXCVIII. integram exhibuit. Epistolarum verò quatuor nullam germanam esse profitemur.

Quatuor Epistolæ Victoris subditæ.

VIII. Primæ titulus Epistolæ hic est: *Victor Romanæ ac universalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophilo Episcopo, & cunctis fratribus in Alexandria, Domino famulantibus, in Domino salutem.* Quo vel uno argumento larva impostori detrahitur. Tam claris Victoris ævo titulis Romani Episcopi non superbiebant, nec *Universalis Ecclesiæ Archiepiscopi* nuncupabantur. Neque sedente Victore ullus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit impositus, cui Theophilo nomen. Impostor Antiquitatis imperitus, Theophilum Alexandrinum cum Cæsariensi Theophilo permiscuit. Neque Turriani inventum momenti est alicujus, *Quod de Alexandria Asiæ loquitur Victor, sive illa quæ Alexandria Aria, sive illa quæ Alexandria Oxiana dicitur.* Neutra enim ad Romanum pertinuit imperium. Neque Veterum in monumentis Theophilus reperitur aliquis, Alexandriarum, quæ in Asia multæ erant, qui Episcopum ageret Victori coætaneum. Verba quibus clauditur Epistola, *certus autem sum, vos ad hæc emendanda, vel defendenda, Domino auxiliante proficere*, ex Leonis ad Marcianum Augustum Epistola, quæ numero est LIX. desumpta sunt. Similia imposturæ extant indicia in secunda Epistola, cujus etiam titulus nonnihil absurdior: *Victor Ecclesiæ Romanæ & urbis Archiepiscopus, universis Episcopis per Africam constitutis.* Meritò quærit Blondellus, *An alius Archiepiscopatus urbis, ab Ecclesiæ Archiepiscopatu?* Præterea hæc scribit Leo ad universos Episcopos, per Siciliam constitutos, Epistolæ IV. capite secundo: *Semper quidem in æterno consilio Dei mansit, incommutabiliter præordinata reparatio, sed ordo rerum per Jesum Christum Dominum nostrum, temporaliter gerendarum, in incarnatione verbi sumpsit exordium.* Quæ unâ alterâque voce exceptâ, subditi Victoris inchoant Epistolam. Ut ad brevia veniamus, sententiæ ex Leone plurimæ, locique ex Vulgata Scripturæ versione petiti, sparsi hac in Epistola fusique videntur. In Epistola Victoris ad Desiderium Viennensem secretiores quidem sunt falsi notæ. Sunt tamen multæ nec fallaces, quæ hanc & Epistolam à Victore abjudicant. *Doctrinam*, inquit, de Paschate, à decima quinta Luna usque ad vigesimam primam celebrando, *Romæ Petrus & Paulus instituerunt.* Quæ si vera sunt, ea non præteriisset Anicetus, in suo cum Polycarpo de celebratione Paschæ colloquio. Atqui non Apostolorum Petri ac Pauli institutionem, sed *Presbyterorum, qui ante se fuerant* morem urgebat Anicetus. 2°. Desiderium hortatur larvatus ille Victor, *Presbyteris Galliarum literæ mittantur, ut observent Pascha, non cum Judæis negatoribus Christi, sed cum sequacibus Apostolorum.* Jam vero Galliarum Ecclesiæ ab Asianorum more prorsus erant alienæ, utpote quæ Solâ die Dominicâ Paschæ solemnitatem observarent. Testem damus Eusebium: *Epistola quoque Ecclesiarum Galliæ extat, quibus præerat Irenæus . . . qui omnes eandem doctrinam proferentes unam edidere sententiam.* Ac Irenæus quidem illud defendebat: *Solo die Dominico resurrectionis Christi mysterium esse celebrandum.* Verba hæc autem ad Desiderium, *Presbyteris Galliarum literæ mittantur, ut observent Pascha, non cum Judæis negatoribus Christi*, aperte indicant, Asianorum morem, & in Gallia viguisse, quod longe falsissimum. 3°. Victoris ævo non *Desiderius*, sed *Dionysius* Viennensem administravit Ecclesiam, eamque retinuit imperantibus Commodo, Pertinace, Didio Juliano, teste Chronico Adonis: *Dionysius quoque discipulorum Christi auditor, Viennensem tunc Ecclesiam regebat.* Impossibile igitur est, regnante Septimio Severo, à Victore Epistolas Desiderio Viennensi missas esse, utpote qui Dionysio decesserit. Denique Victoris tam quæ ad Desiderium, quàm quæ ad Paracodam, Dionysii Viennensis successorem Epistola, Veteres non modò omnes, sed & ipsum Adonem latuit, ex Floriacensis Bibliothecæ monumentis à Joanne Bosco Celestino, superiori seculo primùm edita.

Euseb. l. 5. cap. 23.

ANNO U. C. 946. OLYMP. 243. PER. JUL. 4906. JUL. 238. DOM. 193. *Sol.* 6. G. *Lun.* 4. *Indict.* 1. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

Anno Dom. 193.

COSS. *Q. Sosius Falco, & Julius Erucius Clarus.*

I. MOrte Commodi, Senatus Populusque Romanus excitatus est ad lætitiam. Nulli Panegyrici, nulli honores defuncto decreti: *Corpus ejus, ut unco traheretur atque in Tiberim mitteretur, Senatus & Populus postulavit.* Patrum de Commodo judicium, acclamationes, Senatusconsulti sententiam, Marius Maximus apud Lampridium ab oblivione vindicavit: *Hosti Patriæ honores detrahantur. Parricidæ honores detrahantur. Parricida trahatur. Hosti Patriæ,*

Elata defuncto Commodo ignominis.

Lampr. Com. c. 19. & 20.

Patria, parricida, gladiator, in spoliario lanietur. Hostis Deorum, carnifex Senatus. Hostis Deorum, parricida Senatus. Cum jussu Pertinacis, per noctem Commodi cadaver sepultum fuisset, Senatus acclamavit, *Quo autore sepelierunt*, Parricida sepultus eruatur, trahatur. Cingius Severus dixit, Injuste sepultus est. Quæ Pontifex dico, hoc Collegium Pontificum dixit: *Censeo quas is, qui nonnisi ad perniciem civium, & ad dedecus suum vixit, ob honorem suum decerni coegit, abolendas statuas. Quæ undique sunt abolenda, nomenque ex omnibus privatis, publicisque monumentis eradendum, mensesque his nominibus nuncupandos, quibus nuncupabantur cùm primum illud malum in Rempublicam incubuit.* At cùm dixisset Pertinax cadaver terræ jam esse mandatum, ab eo se abstinuerunt. In monumentum Adriani fuerat translatum. In cæteris nihil ad satietatem prætermisere Patres, quin jacerent in defunctum contumelias cujusvis generis. Hunc tamen Severus Imperator inter Deos retulit, Flamine addito, quem ipse sibi vivus paraverat Herculeano Commodiano. Instituit etiam ut natalis ejus celebraretur.

Lampr. Com. c. 17. Dio l. 73. 830.

De Pertinacis prænomine. Præfueritne Prætorio?

Baron. an. 195. n. 1.

II. Commodo successit Helvius Pertinax, de quo geminus est error Baronii, in prænomine scilicet, atque dignitate Pertinacis: *Ælius*, inquit, *Pertinax, ex Præfecto Prætorio decernitur Imperator.* Maxima quippe Nummorum Historicorumque conspiratione, *Helvius* quidem, non *Ælius* est nuncupandus. Legantur Capitolinus, ambo Victores, &c. quibus omnibus Helvius scribitur, etsi in primo Pertinacis prænomine, Victorem de Cæsaribus inter, & Capitolinum sit aliquid discriminis. A Victore *Aulus Helvius*, à Capitolino *Publius Helvius*, Pertinax appellatur.

Error Baronii.

Gravius errat Baronius, dum Pertinacem Præfectum *Prætorio* fuisse credidit. Errorem Victor refellat de Cæsaribus: *Confestim Præfecto urbis Aulo Helvio Pertinaci, imperium defertur.* Refellat Victor alter, in Epitome, *Helvius Pertinax Præfecturam urbis agens, Imperator effectus.* Imperante Marco, dignitas Senatoria, quâ Pertinax induebatur, impedimento fuit, ne Prætorianis Præfectus imponeretur: *Doluit palam Marcus, quòd cum Senator esset, Præfectus Prætorii fieri à se non posset.*

Capit. Pert. c. 2.

Ex Præfecto urbis Augustus ergo creatus est, ut ostendunt verba hæc Capitolini: *Reliquit filium & filiam superstites, & uxorem Flavii Sulpitiani filiam, quem Præfectum urbi loco suo fecerat.* Videatur & Herodianus, qui Pertinacem *multos annos urbis Præfectum fuisse* prædicat, libro 2. Prætorii Præfectum agebat Lætus eo tempore, quo Commodus interfectus est.

Capit. Pert. cap. 13.

Anni Pertinacis.

Capit. Pert. cap. 15.

III. Natus erat Pertinax, Calendis Augustis, Vero & Ambibulo Coss. anno Dom. CXXVI. Occisus est Martii XXVIII. *Interfectus est v. Kal. Aprilis Falcone & Claro Coss.* Vixit ergo annos LXVII. quatuor mensibus, & tribus diebus exceptis. Regnavit dies LXXXVII. Mendum est in Capitolino: *Vixit annis LX. mensibus VII. diebus XXVI. Imperavit mensibus duobus, diebus XXV.* Legendum vixit *annis* LXVI, mensibus VII, diebus *octo & viginti*. Imperavit mensibus *duobus*, diebus *viginti octo*, qui & Dionis calculus est.

Pertinacis mores & dignitates.

Capit. Pers. c. 1.

IV. Ignobilis obscuraque Pertinaci nativitas fuit, Pater libertinus Helvius Successus, filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur. Literis elementariis & calculo imbutus, datus Græco Grammatico, atque inde Sulpitio Apollinari, post quem Pertinax Grammaticam professus est. Sed cùm in ea minus quæstus proficeret, per Lollium Avitum Consularem virum, patris patronum ducendi ordinis dignitatem petiit. Ne ignobilitas generis sibi objiceretur, suis & virtutibus perfecit, & laboribus. Per Claudium Pompeianum Marci generum, quasi adjutor ejus futurus, vexillis regendis ascitus est: *In quo munere approbatus, lectus est in Senatum.* Prætorium quoque Marcus fecit, & primæ legioni regendæ imposuit. Ob res præclarè gestas, suffecti Consulis dignitatem adeptus est, anno, ut videtur, Christi CLXXV. Qua de causa multi indignati sunt, quòd obscuro loco natus esset, canebantque tragicum illud:

Talia infelix bellum efficit.

Dio l. 71. 810.

Vict. Epit.

Blandus magis erat, quàm beneficus, undè eum Græco nomine χρηστόλογον appellavere. Nunquam injuriâ acceptâ ad ulciscendum ductus. Amabat simplicitatem, communem se affatu, convivio, incessu præbebat. Illud quoque laudibus ejus accessit, quòd cùm plurima omnium administrasset, *tamen erat omnium pauperrimus.* Quod Herodiani testimonium vero propius est narratione Capitolini, qui Pertinacem avarum, vacationes & legationes militares vendentem exhibet. Ac hanc contraxisse famam videtur, quòd cùm vir frugi esset, & sobrietati deditus, pro sordido & illiberali, ab hominibus lautis haberetur. Carduos enim, & dimidiatas lactucas in privata vita convivis apponebat. Et nisi quid missum esset edulium, quotcunque essent amici, novem libras carnis per tres missus ponebat: *Imperator etiam, si sine convivis esset, eadem consuetudine cœnitabat.*

Capit. cap. 12.

Capit. Pert. cap. 12.

Hanc frugalitatem divites irridebant, viri boni laudabant. Fuit senex venerabilis, immissâ barbâ, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, staturâ Imperatoriâ, eloquentiâ mediocri. Uxorem habuit Flavii Sulpitiani filiam, *Flaviam Titianam*, circa cujus pudicitiam minus curiosus fuit, cùm palam citharedum illa diligeret. Infamiæ notam ipse contraxit, quòd Cornificinam *infamissimè* dicitur dilexisse.

Capit. cap. 13.

Ex Tiriana duos suscepit liberos, filium & filiam. Capitolinus semper de filiis Pertinacis, quasi plures fuerint, loquitur: *Filios suos in Palatio nutriri noluit.* Dio tamen, qui Pertinacem vidit, unicum ei filium tribuit. Quo die Principatum adeptus est, quas prius possederat facultates, statim dimissas, inter filium & filiam distribuit, eosque apud avum degere jussit, & cum eis non ut Imperator, sed ut pater, idque perrarò, versatus est.

Dio l. 73. 833.

Capit. cap. 14.

Uxorem Titianam Augustam, aut filium Cæsarem, quamvis Patres id decrevissent, fieri noluit: ne petulantissima fœmina Augustæ nomen pollueret, filiusve spe dignitatis corrumperetur. Fuit in Curia honorificentissimus, *ita ut Senatum faventem adoraret*, gratias agens eo vultu & gestu, quasi Deos adoraret, & quasi Præfectus urbi cum omnibus sermonem participaret. Talis tantusque Pertinax, funesto tamen diademate ornatus est.

Pertinax creatur Imperator.

V. Pertinacem nocte intempestâ Lætus atque Electus adeunt, & janitorem excitant, Qui ubi milites adesse vidit, expavefactus Pertinaci renunciat. Tantâ fuit animi constantiâ, ut ne vel lecto quidem se moverit, aut habitum oris de-

Anno Dom. 193.

demutaverit, sed ingressis Læto atque Electo, quos ad se occidendum missos putabat, *Jam pridem*, inquit, *hunc exitum vitæ singulis etiam noctibus sperabam.* Cùm autem Læto affirmanti in Romani Imperii salutem, non *Pertinacis* perniciem eum adventum esse institutum, haud crederet, tum mortiferum Commodi libellum dubitanti legendum tradunt. Quod ubi Pertinax fecit, totum se illorum potestati permisit. Unum tamen ex familiaribus suis, quem fidelissimum habebat, misit ad inspiciendum corpus Commodi, à quo posteà quàm res confirmata est, clam ad exercitum venit, elapsâ jam noctis parte maximâ. Hoc adventu milites perterriti, sed cùm Pertinax singulis tria drachmarum millia se daturum pollicitus fuisset, omnes sibi facilè devinxit, acquievissentque penitùs, nisi ille perorasset in hæc verba: *Multa sunt, Commilitones, in hoc statu, qui nunc est, perversa & difficilia, sed ea aliquando ope vestrâ corrigentur.* Quæ milites graviter tulere, licet iram dissimularent. Suspicabantur enim ea sibi ablaturum iri, quæ Commodus contra morem dedisset. Lætus etiam apud milites concionatus, illis nunciat Commodum apoplexiæ morbo periisse, Pertinacemque eum esse, qui & parens sit militum, & fines imperii tueatur. Quæ dicente Læto, milites & pauci, & inermes, utpote die festo, necessitate impositâ ab ea quæ aderat multitudine, unà cum populo acclamarunt, & Pertinacem Augustum vocaverunt. Post egressus extra murum castrorum Pertinax, nocte in Senatum venit, & cùm cellam Curiæ jussisset aperiri, neque inveniretur Æditũus, in Templo Concordiæ resedit. Salutatisque qui aderant Senatoribus, *Ego*, inquit, *à militibus Imperator appellatus sum, non tamen egeo imperio, quo me hodierno die propter ætatem, & imbecillitatem meam ac summam rerum difficultatem abdico.* Prehensum etiam manu Glabrionem, omnium Patriciorum nobilissimum, iterum Consulem, quique ad Æneam genus suum conferebat, sessitare sellâ Imperatoriâ jubebat. Urgenti dixit Glabrio: *Ea quem tu omnium dignissimus putas, cedo tibi imperio, atque unà mecum, Senatus omnes summam tibi potestatem decernimus.* Sic omnium consensu electus est, & Commodus hostis judicatus. Tum acclamatum est: *Qui te accisurus fuit, unca trahatur. Nobiscum timuisti, nobiscum periclitatus es. Ut salvi simus, Jupiter optime maxime, serva nobis Pertinacem. Fidei Prætorianorum feliciter, Prætoriis cohortibus feliciter, exercitibus Romanis feliciter. Parricida trahatur, rogamus, Auguste, parricida trahatur.* Cùm dixisset Pertinax, sepultum esse Commodi cadaver, ab eo se abstinuerunt. Primus omnium eâ die, quâ Augustus appellatus est, etiam Patris Patriæ nomen recepit, simul etiam imperium Proconsulare, & jus quartæ relationis. Pertinax post laudes suas, à Coss. dictas, egit gratias Senatui, & præcipuè Læto Præfecto Prætorii, quo autore Imperator factus fuerat. Tum Falco Consul, *Qualis*, inquit, *Imperator es futurus, hinc intelligimus, quòd Lætum, & Martium, ministros scelerum Commodi, post te videmus.* Cui Pertinax respondit: *Juvenis es, Consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerunt inviti Commodo, sed ubi habuerunt facultatem, quid semper voluerint, ostenderunt.* Eâdem die Flavia Titiana Pertinacis uxor, Augusta est appellata, quem imputæ mulieri honorem decerni noluit.

Herodian. lib. 2. *Dio l. 73. 830.* *Herodian. lib. 2.* *Capit. c. 4.* *Herodian. lib. 2.* *Lamprid. Com. c. 18.* *Capit. Pert. c. 5.* *Capit. Pert. c. 5.*

Pompeianus Marci gener, qui Commodi metu, ruri vitam plurimum agebat, senectutis & morbi oculorum excusatione, cùm ad Pertinacem venisset, eum hortatus est Pertinax, ut imperium sumeret, sed ille recusavit, quia jam Imperatorem Pertinacem videbat. Apud Pertinacem Pompeianus maximo in honore semper fuit, cui in Senatu locum juxta se in subselliis sedendi dedit. Post mortem Pertinacis, Pompeianus iterum ægrotavit, neque frequentavit Senatum. Non soli Pertinaci, sed Senatoribus etiam, quibus à Commodo terror imprimis incumbebat, à Populo acclamatum: *Age verò, age, salvus evasisti, vicisti.* Tanta fuit de Pertinace expectatio, ut Barbari nonnulli, qui à Commodo multum auri acceperant ut pacem servarent, ex itinere dum domum repetebant, à Læto revocati sint, repetitâque pecuniâ, *Referte*, inquit, *vestris, Pertinacem Imperatorem esse.*

Dio l. 73. 831.

VI. Ad Palatium Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat, petenti signum primâ die Tribuno dedit, *militemus*, exprobrans utique segnitiem superiorum temporum. Exprobrationem autem istam milites non tulerunt, statimque de Imperatore mutando cogitarunt. Porro cùm ærarium adeò exhaustum esset, adeò ut in eo tantum inventum sit decies sestertium, sive librarum Gallicarum millia nonaginta tria, Pertinax quæ Commodus ad luxum & ludos gladiatorios, & ad currus agitandos comparaverat, hastæ subjecit, in primis vendendi causâ, tum etiam ut ostenderet, in quo genere vitæ Commodus versatus esset, atque ut eos qui illa emerent, cognosceret. Difficulter ex imaginibus, armis, equis, pueris ac suppellectile Commodi pecuniam redegit, unde Prætorianis quantum promiserat, ac deinde populo viritim centum drachmas daret. Auctio rerum Commodi, in his insignior fuit. Vestes sub tegmine serico filis aureis insigni opere, lacernas & chiridotas Dalmatarum, & cirratas militares, purpureasque chlamydes Græcanicas atque castrenses, & *cuculli Bardaici.* Bardæi populi sunt Illyrici, à quibus Bardaici isti cuculli. Toga armaque gladiatoria, gemmis & auro composita, & machæras Herculanas, & torques gladiatorias, vasaque è ludo, auro, ebore, argento, citroque composita atque etiam *phandovitrobuli* ex materia eadem. Quam vocem cùm Salmasius nescivérit, à nobis explicatio non est expectanda. Casaubonus quidem legit *phallovitroboli.* Pocula scilicet, quæ obscœnitatem illam, figurâ suâ referebant, quam Græci φαλλον, Latini *belum* vocabant. Hinc Juvenalis: *Vitreo bibit ille Priapo.* Meritò tamen quærit Salmasius, cur in eodem verbo, duæ voces ejusdem significationis, phallos, & bellum, quorum illa purè Græca, hæc semibarbara. Sed & veteres & meliores libri habent *Phandovitrobuli.* Addit Capitolinus: Item vasa Samnitica calefaciendæ resinæ, ac pici devellendis hominibus & levigandis, nec non vehicula arte fabricæ nova. Professus Pertinax nullius se aditurum hæreditatem, quæ adulatione alicujus delata esset, addidit Senatusconsulto, *Sanctius est P. C. inopem Rempublicam obtinere, quàm ad divitiarum cumulum per discrimina atque dedecoris vestigia pervenire.*

Acta Pertinacis Augusti. *Dio l. 73. 832.* *Capit. Pertin. cap. 8.* *Capitol. cap. 7.*

VII. Timore coactus Pertinax, omnia quæ Commodus militibus & veteranis dederat, promissis confirmaverat. Nihilominus in eorum odium

Pertinacem odio prosequuntur milites.

Anno Dom. 193.

odium incidit. Cùm postero die Calendarum statuæ defuncti dejicerentur, gemuerant simul, quia iterum signum dederat, *milites mus*. Tertio Nonarum die, Triarium Maternum, Lascivium Senatorem nobilem, ducere in castra voluerunt, ut eum Romanis rebus imponerent, sed ille nudus fugerat, atque ad Pertinacem in

Capit. c. 6. Palatium venerat, & pòst ex urbe discesserat. Lætum etiam pœnituerat, quòd Imperatorem

Capit. c. 10. fecerat Pertinacem: *Idcircò quia eum velut stultum æstimatorem nonnullarum rerum reprehendebat.* Cùm verò non liceret amplius militibus rapere, aut Cæsarianis omnia pro libidine agere, utrisque tandem in odium acerbissimum venit. Prætoriani ergo milites, unàque cum eis Lætus, contra Principem conjurantes Falconem Consulem Imperatorem deligunt. Pertinax tum temporis versabatur in mari, ut rei frumentariæ provideret. Cognitâ seditione, properè in Senatum venit. Dicit se cùm in ærario à Cæsarianis exhausto duntaxat ad decies sestertium invenisset, non minus tamen dedisse militibus, quàm Marcus aut Lucius, quibus relictum fuerat vicies septies millies sestertium, sive Gallicarum librarum 251249999. Parem tamen militibus pecuniam non dederat, quàm Marcus & Lucius. Ille enim sestertia duodecim, hi verò viginti dederant. Propterea milites simul & Cæsariani, quorum tum magnus aderat in Senatu numerus, tulere ac murmuravere graviter. Cùm verò Patres essent Falconem damnaturi, surgens Pertinax exclamavit: *Absit ut me tenente Principatum, ullus Senator, vel jure interficiatur.* Itaque Falco in rebus suis securus vixit,

Dio l. 73. 834. & hærede filio periit. At Lætus quasi si faceret jussu Imperatoris, Falconem morti misit.

Pertinax occiditur.

VIII. Id ubi milites intelligunt, correpti metu, ne quoque pœnas suo sanguine darent, tumultuantur. Ex ipsis ducenti audaciores cæteris, in Palatium districtis gladiis contendunt, quorum adventum non antè Princeps cognovit, quàm illi conscendissent, uxorque ejus rem omnem significasset. Supervenerunt Pertinaci, cùm

Dio. l. 73. 834. ille aulicum famulitium ordinaret, ingressique porticus Palatii usque ad locum, qui appellatur Sicilia, & Jovis cœnatio. Hoc cognito Pertinax, Lætum ad eos misit. Sed ille declinatis militibus per porticus egressus, adoperto capite, domum se contulit. Pertinax verò cùm irruentes facilè posset interficere, quod & vigilibus nocturnis, & equitibus munitus erat, vel saltem clausis Palatii portis aufugere, neutrum eorum fecit. Sed ratus se aspectu suo eos esse perterrefacturum, & oratione persuasurum, processit obviam. Ut primùm videre Principem, milites omnes præter unum, pudere cœpit. Is *Tausius* erat, unus è Tungris, qui cùm in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in Pertinacis pectus objecit. Tunc ille precatus Jovem Ultorem, togâ caput operuit, atque à cæteris confossus est. Autore Clodio Albino occisum esse Pertinacem, docent Capitolinus Victorque de Cæsaribus. Electus occisis duobus, cum Domino suo periit, reliqui cubicularii Palatini diffugerunt. Caput ejus conto fixum, interfectores per urbem in castra pertulerunt. Reliquiæ ejus recuperato capite, in sepulchro avi uxoris locatæ sunt. Julianus successor ejus, corpus quanto potuit honore funeratus est, cùm id in Palatio reperisset. In Deos à Senatu, Populoque relatus est. Sub Severo funus imaginarium ei, & censorium ductum est, &

Anno Dom. 193.

ob ipso Severo funebri laudatione ornatus est. Filius Pertinacis, patris Flamen est factus. Marciani sodales, qui Marci sacra curarunt,

Capit. c. 11. 14. 15. *Helviani sunt dicti propter Helvium Pertinacem. Marcianorum* tamen nomen non fuit sublatum, sed *Helvianorum* additum, teste veteri lapide Ro-

Dio l. 73. 834. mæ; ubi hæc inter cætera: *Sodali. Marciano. Aureliano. Commodiano. Helviano. Severiano.* Periit Pertinax Martii XXVIII. feria quartâ, cùm vixisset annos LXVI. menses VII. dies XXVIII. imperasset menses duos dies XXVIII. De optimo Principe notabilia sunt verba Victoris in Epitome: *Huic mortuo Divi nomen decretum est, ob cujus laudem, ingeminatis ad vocis usque defectum, plausibus acclamatum est, Pertinace imperante, securi viximus, neminem timuimus, patri Pio, patri Senatus, patri omnium bonorum.*

Anni Didii Juliani.

IX. Pertinaci Didius successit Julianus. Natus erat Mediolani, patre Petronio Didio Severo, matre Clarâ Æmiliâ, anno Dom. CXXXIII.

Dio l. 73. 839. Januarii XXIX. Hibero & Sisennâ Coss. Quam Dio testatam Chronologiam fecit: Didius *vixit annos LX. menses quatuor, dies totidem, ex quibus imperavit dies LXVI.* A Martii octavo & vigesimo, quo periit Pertinax, si sex & sexaginta dies numerantur, primo Junii Didius Julianus interfectus est. Quo constituto termino, si in anteriora tempora ascendamus, numeratis annis LX. mensibus quatuor, diebus totidem, ad Januarii nonum & vigesimum anni Dionysiani CXXXIII. pervenimus. Non nescimus

Spart. Jul. cap. 9. apud Spartianum legi: *Vixit annis quinquaginta sex, mensibus quatuor.* At Dionis autoritas, qui Romæ agebat, cùm Julianus imperavit, magis apud nos valet: Regnavit *mensibus duobus, diebus quinque.* Magnus est Victoris error in Epitome: *Imperavit mensibus septem.* Primo quippe Junii, die Veneris occisus est.

Juliani mores.

X. Multis & dignitatibus, & egregiis facinoribus, gloriam sibi Julianus pepererat. Quæstor ante annum, quàm legitima ætas sinebat, designatus fuerat. Ædilitatem suffragio Marci, Prætoris quoque munus gesserat. Cauchis Germaniæ Populis, qui Albim incolebant erumpentibus, restiterat, tumultuariis auxiliis Provincialium, ob quæ Consulatum meruerat, testimonio Imperatoris. Cattos debellaverat; Dalmatiam, quam regendam acceperat ab hostibus, vindicaverat; Germaniam inferiorem rexerat. Conjurationis in Commodum, à milite Severo nomine, postulatus, liberatus fuerat accusatore damnato. Bithyniam deinde rexerat.

Spart. Jul. c. 2. & 3. Tantæ fuisse parsimoniæ perhibetur: *Ut per triduum porcellum, per triduum leporem divideret, si quis ei fortè misisset; sæpè autem oleribus, leguminibusque contentus, sine carne cœnaverit.* Vitæ tamen dissolutæ fuisse, tradunt Dio atque Herodianus, quibus major fides habenda: *Didius Julianus pecuniæ corrasor inexplebilis, & flagitiosus* dissipa-

Dio l. 73. 835. tor ejusdem, ac *novarum rerum cupidus, quibus etiam de causis Mediolanum in patriam à Commodo relegatus est.* Neque dissimulat Spartianus, quòd

Spartian. cap. 9. in vitia hæc Juliani senectus inciderit: *Objecta sunt Juliano hæc, quòd gulosus fuisset, quòd aleator, eaque omnia senex fecerit, cùm anteà nunquam adolescens, his vitiis infamatus esset.* De Juliano notandum Victoris testimonium, libro de Cæsaribus: *Genus ei pernobile, jurisque urbani præstans scientiâ, quippe qui primus edictum,*

Anno Dom. 193.

quod variè inconditèque à Prætoribus promebatur, in ordinem composuerit. Hincque satis compertum cohibenda cupidini, ingenium ni juvet; eruditionem imbecillem esse. Uxorem habuit *Malliam Scantillam*, & filiam Didiam Claram, quæ postquam imperium adeptus est, Augustæ sunt appellatæ. Gener Cornelius Repentinus, quem in locum Sulpitiani, Urbis Præfectum fecit.

Spart. c. 3.

Julianus creatur Imperator.

XI. Occiso Pertinace, milites cogniro, & quietum esse Populum, & existere neminem, qui Principem interfectum vindicaret, ipsi quidem castris se continebant. Constituto autem supra murum vocalissimo quoque, edicunt venale imperium, traditurosque se ei, qui plurimum pecuniæ polliceretur. Sulpicianus Pertinacis socer, urbique Præfectus, dato pretio, imperium sibi comparare statuit. Cùm Sulpitianus Imperator in castris appellari vellet, Julianus cum genero, ad Senatum quem indictum acceperat, se contulit. Cùmque clausas valvulas invenisset, atque illic duos Tribunos P. Florianum & Vectium Aprum, cœperunt eum hortari Tribuni, ut locum arriperet, quibus cùm diceret, jam alium Imperatorem esse appellatum, renitentem eum ad Prætoria castra duxerunt. Intus erat Sulpitianus, priorque vicena sestertia promiserat, potiorque eâ ratione fuisset, ni ad illa, altera quina Julianus adjecisset, eamque summam magno edito clamore, in manibus ostendisset. Monuit quoque Prætorianos, ne Sulpicianum facerent Augustum, qui Pertinacem vindicaret. Deinde scripsit in tabulis, se Commodi memoriam restituturum, atque ita & admissus, & Imperator appellatus, rogantibus Prætorianis, ne Sulpiciano aliquid noceret. Tum Julianus, *Flavium Genialem*, & *Tullium Crispinum*, suffragiis Prætorianorum Præfectos Prætorii fecit, stipatusque est catervâ Imperatoriâ, per Maurentium, qui se anteà Sulpitiano conjunxerat. Cùm Julianum magni facerent milites, quem & Commodum appellabant, metus injectus est Senatoribus, præcipuè Dioni historico, quem Pertinax Prætorem designaverat, quique in causis agendis, quarum patrocinium susceperat, sæpiùs Julianum injuriam fecisset. Senatores tamen ante cœnati, per medios milites ingrediuntur Senatum. Ibi Julianus: *Video*, inquit, *vos Imperatore carere, meque Imperio dignissimum esse. Quamobrem mihi non opus fuit militibus, solusque ad vos veni, ut ea, quæ mihi ab illis data sunt, confirmetis.*

Herodian. l. 2.

Spart. c. 2.

Dio l. 73.

Spart. c. 3.

Dio l. 73. 836.

Acta Juliani in Imperio.

Dio l. 73. 863.

XII. Adeptus imperium Senatus autoritate, Julianus in Palatium proficiscitur, ubi cùm invenisset cœnam paratam Pertinaci, statim cœpit ei pluribus illudere, accersitisque unde & quoquomodo tum potuit, pretiosissimis quibusque rebus, mortuo adhùc intus jacente semet ingurgitavit, lusit aleis, & Pyladem saltatorem cum aliis quibusdam admisit. Dioni tamen repugnat Spartianus: *Neque cœnavit prius quàm sepultus esset Pertinax, & tristissimus cibum ob ejus necem sumpsit, & primam noctem Vigiliis continuavit, de tanta necessitate solicitus.* At eo verisimilior est narratio Dionis, qui tum temporis in urbe erat, quod in ipso Spartiano legimus: *De ipso Pertinace, neque malè, neque benè quidquam egit, quod gravissimum plurimis visum est.* Erat enim moris, ut novi Principes de honoribus defunctorum Imperatorum relationem statim facerent. Ubi primùm illuxit, Senatum & Equestrem ordinem, in Palatium venientem admisit, atque unumquemque ut erat ætas, vel patrem, vel filium, vel parentem, affatus est blandissimè. Sed Populus in Rostris atque ante Curiam eum convitiis lacessebat, sperans deponi ab eo posse imperium, quod milites dederant. Lapidationem quoque fecere: descendenti cum militibus, & Senatu, in Curiam, diras imprecati sunt: rem divinam facienti, ne litaret, optarunt. Lapides etiam in eum jecerunt, cùm Julianus manu eos semper placare cuperet. Egit gratias Patribus in Curia, quòd & ipse, & uxor, & filia ejus Augustorum nomen acceperunt. Patris Patriæ nomen recepit, argenteam statuam respuit. E Senatu in Capitolium pergenti Populus obstitit, sed ferro & vulneribus, & pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat, depulsus est. Cùm esset Jano, qui ante fores Curiæ stabat, sacrificaturus, uno ore acclamatum est ab omnibus, Eum rapuisse imperium, & parricidam esse. Promissam pecuniam spernunt, exclamantque omnes, *Nolumus, non accipimus.* Quibus commotus, proximos quosque interfici jubet. Quare Populus multò gravius concitatus, non desinebat Pertinacem desiderare, Julianoque maledicere. Ad extremum arma omnes capiunt, & in circum undique concurrunt: ibi transigunt eam noctem, & posterum diem, sine potu & cibo, inclamantes cùm cæteros milites, tum maximè Pescennium Nigrum. Tandem clamore fameque exhausti discesserunt.

Spart. c. 4.

Anno Dom. 193.

Spartian. c. 4.

Dio l. 73. 836.

Deficienti Severo Julianus obsistit.

XIII. Tres viri in Imperio insignes, Severus qui Pannoniis; Niger qui Syriæ; Albinus qui Galliæ præerat, à novo Principe deficiunt. Nigrum, misso Primipilario, occidi præceperat, timens præcipuè Syriacos exercitus. Cùm nuntiatum est Juliano, Severum quem suspectum non habebat, etiam descivisse, perturbatus ad Senatum venit, impetravitque ut is hostis declararetur. Militibus qui Severum sequebantur, dies præstitutus, ultra quem si cum Severo fuissent, hostium numero haberentur. Missi sunt etiam Legati Consulares à Senatu, ad milites, qui suaderent ut is imperaret, quem Senatus elegerat. Missus & Aquilius Centurio, notus cædibus Senatoriis, qui Severum occideret. Julianus verò Prætorianos in campum deduci jubet, muniri turres; sed milites urbanâ luxuriâ dissolutos, invitissimos ad exercitum militare produxit, ita ut Vicarios operis, quod unicuique præscribebatur, mercede conducerent. Classis milites, quæ apud Miscenum erat in statione, accersit, quomodo se exercerent nesciebant. Julianus igitur septo munitoque Palatio, credidit se, si fortè vinceretur, conclusum in eo superstitem esse futurum. Pueros complures rerum magicarum causâ occidit, quasi si quid eorum quæ futura erant, evertendi potestatem habiturus esset, modò ea præcognovisset. Ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere feruntur, Julianus fecit. Tuncque puer vidisse dicitur, & adventum Severi, & Juliani discessionem. Occidit & Martiam, Lætumque, per quem Commodi manus evaserat, ingratus tanto beneficio, quòd Severo ipsum favere opinaretur. Dum hæc agit, Severus & classem, & urbem Ravennatem occupat. Legati Senatus, qui operam Juliano suam promiserant, ad Severum transierunt. Tullius Crispinus Præfectus Prætorio, contra Severum mis-

Spart. c. 5.

Dio l. 73. 839.

sus

ANNO DOM. 193.

ſus ut claſſem produceret, repulſus Romam rediit. Hæc cùm Julianus videret, Senatum rogavit ut Veſtales & cæteri Sacerdotes, cum Senatu obviam exercitui Severi prodirent, & prætentis infulis rogarent. Cui Fauſtus Quintillus Conſularis Augur contradixit, aſſerens non debere eum imperare, qui armis adverſario non poſſet reſiſtere, cui multi Senatores conſenſerunt. Quare iratus Julianus, milites ex caſtris petiit, qui Senatum cogerent, aut obtruncarent, ſed id conſilium diſplicuit.

Spartian. c. 6.

Mors Juliani.

XIV. Meliore igitur conſilio uſus, ad Senatum venit, petiitque ut Senatuſconſultum fieret de participatione imperii, quod ſtatim factum eſt. Poſt Senatuſconſultum ſtatim Julianus unum ex Præfectis, Tullium Criſpinum miſit, tertium vero Præfectum fecit Veturium Macrinum, ad quem Severus literas miſerat, ut hoc muneris obiret. Sed pacem ſimulatam mandatamque cædem Severi Tullio Criſpino, & Populus locutus eſt, & Severus ſuſpicatus. Hoſtem ſe Juliano Severus eſſe maluit, quàm participem. Tum Julianus gladiatores juſſit armari, per Lollianum Titianum, & Claudium Pompejanum partiario Imperio cohoneſtare voluit, quòd & gener Imperatoris Marci fuiſſet, & diu militibus præfuiſſet. Sed Pompejanus hoc recuſavit, ſenem ſe, & debilem luminibus reſpondens. Brevi autem ab omnibus deſertus Julianus, remanſit in Palatio cum uno de Præfectis ſuis Geniali, & genero Repentino. Etenim Prætoriani perſuaſi Severi literis, ſe ſi modò Pertinacis interfectores dederent, & ab armis diſcederent, nullum damnum paſſuros, interfectores comprehendunt, & ab armis diſcedunt, idque factum eſſe, Silio Meſſalæ Conſuli ſignificant. Meſſala convocatis in Templum Minervæ Patribus, quid factum ſit à militibus exponit. Senatus Juliano & abrogat imperium, & illum capitis damnat. Cùm fingeretur ſe veneno abſumpſiſſe, miſſus eſt Tribunus militum, cui cædes mandata. Jacens in Palatio per militem gregarium occiſus eſt, nihilque dixit percuſſoribus, niſi, *Quid tei gravis admiſi, quem interfeci?* Vixit annos LX. menſes IV. dies totidem. Imperavit dies LXVI. Corpus ejus uxori Manliæ Scantillæ, ac filiæ Didiæ Claræ, ad ſepulturam redditum, & in proavi monumento tranſlatum milliario quinto, viâ Lavicanâ.

Spartian. c. 7.

Dio l. 73. Spartian. cap. 8.

Anni Severi.

XV. Interfecto Juliano, Severus imperium obtinuit. Natus erat Aprilis XI. Erucio Claro bis, & Severo Coſſ. anno Dom. CXLVI. Alium nativitati diem aſſignat Spartianus c. 1. *Sextum Iduum Aprilium.* Spartiano Dionem anteponimus, cui favet etiam vetus Calendarium de Natalibus Cæſarum. Extrema duorum II. vitio coaluiſſe, quo factum ut legeretur in Spartiano VI. *Idus Apriles*, eſt vero quàm proximum. Porro de Severi annis difficilem in nodum incidimus: quem non ſolvit Spartianus, qui ſecum unique pugnat: *Severus ſomniavit quatuor aquilis, & gemmato curru prævolante, neſcio quâ ingenti humanâ ſpecie ad cælum ſe raptum, cùmque raperetur, octoginta & novem numeros explicuiſſe, ultra quot annos, ne unum quidem annum vixit.* Quo conceſſo, natus foret anno CXXIII. Aviolâ & Panſâ Coſſ. Præterea ex Dione colligitur, anno Dom. CXLV. Pio Auguſto IV. & Marco Aurelio II. Coſſ. lucem hauſiſſe Severum: *Vixit annos LXV. menſes IX. dies XXV.* Cùm ergo Severus mortem obierit quarto Februarii, anni CCXI. naſci debuit anno CXLV. Quam Pagius Chronologiam in ſua Critica ſequitur, cum magis Spartiano adhæſiſſet in Diſſertatione Hypathica. Nos verò in ea re Spartiano potius aſſentimur, quàm Dioni, quia longè facilius fuit in annorum numeros, quàm in Conſulum nomina, errorem irrepere. Cùm ergo disertè tradat Spartianus, Severum natum eſſe *Erucio Claro bis, & Severo Coſſ.* non putamus Severi nativitatem in Conſulatum Pii IV. & Aurelii II. poſſe conferri. Neque ſatis probabilitatis habet, quòd germanus natalis Severi annus ignotus Spartiano fuerit. Anno imperii XVIII. periiſſe legimus apud Spartianum. Quippe regnavit *annos decem & ſeptem, menſes octo, dies tres*, autore Dione. Sed turbarum & aliquid hîc movet Spartianus c. 5. *Imperator eſt appellatus apud Carnutum, Idibus Auguſtis.* Non poteſt autem de Auguſto menſe eſſe verum, niſi, quod creditu difficillimum, erratum ſit in numeris temporum, quibus imperarunt Pertinax & Julianus. Baronius anno CXCV. n. 2. legit *Idibus Aprilis.* Erravit tamen memoria, dum Capitolino fœnerat, quod Spartiani eſt. Vigeſimum octavum Martii inter, & Aprilis XIII. ſatis fuit temporis, ut de morte Pertinacis, venalique Imperio à Prætorianis oblato Severus certior fieret. Clariſſimo tamen aſſentiri Dodwello non poſſumus VIII. *Id. April.* Severi eſſe *natale* Auguſteum. Quaſi verò ſatis temporis eſſe potuerit, ut de Pertinacis obitu, nuntium die VI. Aprilis Severo afferretur. Porro miſſâ diſquiſitione temporis, quo Severus à militibus Imperator creatus eſt, quod in incerto eſſe fatemur, initium Severiani imperii à prima Junii, quo periit Julianus, repetendum eſſe exiſtimamus. Tunc enim Juliano damnato, Severus à Senatu Imperator eſt appellatus. Quam Dio amplectitur Epocham, à noſtra eò ſolùm diverſam, quòd ſupremo Juliani die excluſo, natalé Severi Auguſteum in ſecunda Junii die collocarit. Ex noſtra ergo Chronologia, vixit Severus annos *quatuor & ſexaginta, menſes IX. dies XXV.* Regnavit annos *ſeptemdecim, menſes octo, dies quatuor*, primo Junii incluſo, qui à Dione excluſus eſt.

Spart. Sever. c. 22.

Dio l. 76. 870.

Dodw. Diſſer. Cypr. XI. c. 41.

Severi mores, munera, liberi.

XVI. Severo patris *Leptis*, pater *Geta*, mater *Fulvia* Pia, majores, Equites Romani. Latinis Græciſque literis egregiè imbutus, octodecimo anno publicè declamavit. Studiorum cauſâ cùm Romam veniſſet, latum à Marco clavum accepit, favente affine ſuo Septimio Severo, bis Conſulari. Quæſturâ diligenter actâ, poſt Quæſturam ſorte Bæticam accepit. Dum in Africa verſabatur, ut mortuo patre rem domeſticam componeret, Sardinia ei attributa eſt, deinde legationem Proconſolis Africæ accepit. In qua legatione, cùm eum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ut antiquum contubernalem ipſe Plebejus amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio ejuſdem Præconis cecidit: *Legatum Populi Romani, homo Plebejus temerè amplecti noli.* Lugdunenſem deinde Provinciam adminiſtravit. Severus decorus fuit, ingens, promiſſâ barbâ, cano capite & criſpo, vultu reverendus, canorus voce. Tam exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix & tunica ejus aliquid purpuræ haberet, cùm hirtâ chlamyde humeros velaret. Cibi parciſſimus, leguminis patrii avidus, carnis frequenter ignarus. Belicoſiſſimus fuit, acer ingenio, benevolentiâ, quo

Spartian. cap. 3.

Spart. c. 19.

incli-

inclinasset, mirabili & perpetuâ. Ad quærendum diligens, ad largiendum liberalis, in amicos vehemens, quos ditavit. Nulli in dominatu suo permisit honores venumdari. Viam tamen virtutis in multis deseruit. *Vict. Epit.* Juventam plenam furorum, nonnunquam & criminum habuit. Vindictæ cupidissimus erat. Athenas petierat, studiorum sacrorumque causâ, & operum, ac vetustatum, ubi cùm injurias quasdam ab Atheniensibus pertulisset, inimicus his factus, minuendo eorum privilegia jam Imperator se ultus est. Sanguine multo suam explevit crudelitatem: *Victor. de Cæsar.* *Infinitâ cæde, crudelior habitus, ac cognomento Pertinax, quanquam ob vitæ parsimoniam similem, ipsum magis ascivisse plures putent, nobis mens ad credendum prona acerbitati impositum.* In Julianum & amicos ejus vehementior. Salvii nomen atque ejus scripta factave, aboleri jubet, quod unum effici nequivit: *Victor. de Cæsar.* *Tantum gratia doctarum artium valet, ut Scriptoribus, ut sævi mores quidem, ad memoriam officiant, quin etiam mors hujuscemodi ipsis gloria, execrationibus, actoribus est, cùm omnes præcipue posteri sic habent, illa ingenia nisi publico latrocinio, ac per dementiam opprimi non potuisse.* Eò minus Juliani memoriæ infensus esse debuit, quod ab eo Proconsule adulterii absolutus fuerat. Denique leges atque virtutes suâ perfidia sunt atque scelere violatæ. Non solùm juravit, sed præcepit etiam, ut publico decreto sanciretur, Imperatorem si Senatori mortem afferret, eumque cujus operâ ad eam rem uteretur, liberosque ipsorum, hostes Reipub. futuros. Verum is primus omnium contra hanc legem fecit, quòd eâ minimè observatâ multos sustulit: *Dio l. 74. 840.* *In his fuit Julius Solon, qui superius decretum, jussu Imperatoris scripserat, nec ita multò post occisus est.* Uxorem duxisse Martiam, quâ defunctâ, Juliam sibi conjunxisse matrimonio, legimus apud Spartianum c. 3. De prioribus Severi nuptiis nobis est ingens animo dubitatio, de quibus ipse Severus *tacuit in historia vitæ privatæ*; quam rem non dedisset oblivioni, cum Marciæ *posteà in Imperio statuas collocasse* dicatur. His accedit, quòd autores qui nuptiarum ejusmodi meminere, ea Marcia tradant Caracallam fuisse susceptum, qui ex Julia Domna ortus est, uti suo loco vidimus. Quòd si largiamur, Severum cum Martia celebrasse nuptias, ne vilescat Spartiani autoritas, asserentis defunctæ statuas esse positas, nullo concedi modo debet, Juliam Caracallæ fuisse novercam. Ex Julia quatuor suscepit liberos, Caracallam, Getam, filiasque duas, quas adeptus imperium dotatas maritis Probo, & Ætio dedit. Et cum Probo Præfecturam urbis obtulisset, ille recusavit, dixitque minus sibi videri Præfectum esse, quàm Principis generum. *Spart. c. 8.* Utrumque statim Consulem fecit. Suffecti fuere ex Calendis Juliis, ambos & ditavit.

Juliæ Augustæ mores. Num uxor Caracallæ?

XVII. Juliam ex Syria fuisse, monuimus ad annum U. C. 941. quam anno circiter Christi LXXXV. Severo fuisse conjunctam, ex Dione conjicimus. *Dio l. 74. 840.* Utrique enim Faustina Marci uxor, thalamum apparaverat in Templo Veneris. Mulier hæc voluptatibus inserviebat suis, quod in opprobrium vertit Severo: *Spartian. c. 18.* *Domi minus tantus, qui uxorem Juliam famosam adulteriis tenuit etiam conjurationis consciam.* Qua de re Juliæ urbanè illusit Britanna quædam, *Argentocoxi* Caledonii uxor. Ipsam Julia mordebat, quòd liberè cum maribus coirent. Cui barbara respondit: *Nos multò melius explemus, ea quæ natura necessitas postulat, quàm vos, Romanæ. Nam apertè cum viris optimis habemus consuetudinem, vos autem occultè, pessimis hominibus adulteriis polluunt.* *Dio l. 76. 869.* Ingenio pollebat atque prudentiâ. Hinc ipsi curam libellorum atque Epistolarum, Caracalla commiserat, quem etiam de justis & utilibus sæpius monebat, sed recta suadenti non obtemperabat. *Dio l. 77. 880.* Eruditorum scientiarumque studiosa fuit, teste Philostrato, cui eam mandavit, Damidis commentarios in ordinem redigere. *Philostr. l. 1. c. 3.* Ambitione multâ laborabat. Vivum Caracallam odio prosequebatur, utpote qui in ipso fratris cubiculo, supra matris pectus eum obtruncarat. Caracallam tamen defunctum adeò luxit, ut cognitâ ejus cæde, se graviter percuteret, ac inediâ mortem sibi consciscere conaretur, quòd privatam vitam sibi agendam graviter ferret. Ob eam causam Macrinum contumeliis vexabat. Sed postquam ille non modò nihil de regio cultu, aut stipatoribus quos habebat immutavit, verùm etiam ad eam benignè scripsit, mortis desiderium deposuit. Ubi verò Macrinus intellexit, quæ convitia sibi ab ea facta essent, sensitque regnum affectare, mandavit ut quàm celerrimè Antiochiâ quò vellet, proficisceretur. Tum Julia abjecto vitæ desiderio, inediâ consumpta moritur, contulit & cancer ei nonnihil ad mortem, quem percusso inter plangendum pectore irritavit. *Dio l. 78. 888.* Obiit anno Dom. CCXVII. Cadaver ejus, Romam avectum, Caii Luciique monumento fuit illatum. *Dio l. 78. 899.* Deinde verò à Mœsa sorore ejus, in Antonini fanum comportatur. A Caracalla acceptam fuisse in matrimonium, vetus fama est. Julia cùm esset pulcherrima, & quasi per negligentiam, se maximâ corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus: *Vellem si liceret, respondisse fertur, Si libet licet, an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere.* Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est, nuptiasque eas celebravit, quas si sciret se leges dare, verè solus prohibere debuisset. *Spartian. Caracal. c. 10.* Nos verò Juliæ Domnæ cum Caracalla nuptias ad fabulas relegamus, cùm ex Oppiano, Herodiano, Dione, Philostrato, quibus probè nota mulier hæc fuit, certum sit, Juliam Caracallæ *matrem*, non *novercam* fuisse. Neque tam nefarium matrimonium oblivione contrivissent coætanei Historici.

Prætorianos armis Severus exuit.

XVIII. Ubi Julianum à Senatu damnatum, à Tribuno interemptum esse audivit Severus, consilium iniit capiendorum militum omnium, qui Pertinacem occidissent. Edictum proponit, ut relictis inter castra armis, exeant pacifico habitu, sicut sacrificante, aut festum aliquod celebrante Imperatore, in pompam ante illum procedere consuevissent. Milites suasu quoque Tribunorum, relictis armis, pomparum habitu, laureati processerunt. Cùm ad tribunal Principia accessissent, dato repentè signo, comprehenduntur. Jussu Severi detrahuntur gladioli, quos auro argentoque ornatos in usum pompæ suspensos habebant. Tum veste, & militiæ insignibus ablatis, nudos ad unum, exautoratosque dimiserunt. Ne verò castris repetitis, arma resumerent, Severus mittit, qui vacua castra irrumperent, armaque occuparent. *Herodian. l. 2.* Unus ex iis fuit, quem cùm equus sequeretur hinniens, & illum & seipsum interfecit.

Dio l. 74. 839.

XIX.

ANNO DOM. 193.

Severus urbem ingreditur.

XIX. Post hæc cum reliquo exercitu Romam petit. Cùmque sedisset in equo usque ad portas urbis, amictus veste equestri, inde urbanâ indutus, pedibus introiit: fuitque spectaculum magnificentissimum. Urbe totâ floribus & laureis coronatâ ornatâque vestibus in magno splendore ignis & suffituum, Populus acclamabat albatus, lætusque. Totâ deinde urbe milites in Templis, in porticibus Palatinis, quasi in stabulis manserunt. Incempta diripiebant, vastationem urbi minantes. Postridie ubi Curiam iniit, venisse in urbem dicebat, ut occisum Pertinacem ulcisceretur, nullum Senatorem suo jussu interfectum iri, quod addito juramento confirmavit. Cùm in Senatu esset, qui eum in urbem deduxerant milites, per seditionem dena millia poposcerunt à Senatu, exemplo eorum, qui Augustum Octavium Romam deduxerant, tantumque acceperant. Et cùm voluisset eos comprimere Severus, nec potuisset, tamen additâ liberalitate, mitigatos dimisit.

Dio l. 74. 839. — *Spartian. cap. 7.* — *Dio l. 74. 840.* — *Spartian. c. 7.*

Pertinax Apotheosi donatur.

XX. Jucunda Severo erat Pertinacis memoria. Vix Romam ingressus heroicum monumentum defuncto constituit, ejusque nomen in votis & sacramentis omnibus jussit usurpari, præcepitque ut statua ejus aurea, curru ab elephantis veheretur in circum, utque ei tres sellæ aureæ in reliqua theatra perferrentur. Funus ita factum est. Extructum erat in foro tribunal ligneum, pone lapideum. Super eo ædicula parietum expers, columnis inniaa ebore & auro, variè ornatis. Eò allatus est lectus consimilis, cui stragulis purpureis, atque auro intextis, ornato, erant circum capita belluarum terræ, & maris. In eo ponitur imago Pertinacis cerea, ornatu triumphali, à qua puer egregiâ formâ, quasi dormiret Pertinax, pennis pavonis muscas abigebat. Tum Senatores, cum uxoribus accessere, funebri vestitu, illi sub dio, hæ in porticibus sederunt. Transierunt statuæ veterum Romanorum illustrium, chori puerorum & virorum, qui lugubre de Pertinace carmen cantabant. Deinde nationum omnium Imperio R. subditarum, statuæ æneæ, sic ornatæ, ut est cujusque gentis consuetudo. Aderant equites peditesque armati, certatores equi. Postremò ferebatur altare inauratum, ornatumque ebore, & lapillis Indicis. Quæ posquam transierunt, Severus laudationem Pertinacis recitavit. Lectum tulere à tribunali Pontifices & Magistratus, eundemque tradiderunt Equitibus ferendum. Multi canebant flebile carmen ad tibias. Imperator postremus sequebatur: sic in campum Martium ventum. Cùm rogo ignis à Consulibus accensus est, aquila ex rogo evolavit, Pertinaxque apotheosi donatus.

Dio l. 74. 841.

Adversus Nigrum Severus proficiscitur.

XXI. His confectis, Nigro bellum Severus intulit. Dominium Dextrum in locum Bassi Præfecti urbi reliquit, atque intra triginta dies, quàm Romam venerat est profectus, missis ad Africam legionibus, ne à Nigro per Egyptum, Libyamque occuparetur. Creavit etiam Albinum Cæsarem, ne urbem occuparet, dum adversus Nigrum arma movet. Egressus ab urbe, ad Saxa rubra seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum, ab exercitu passus est. Occurrit ei statim Geta frater suus, quem Provinciam sibi creditam regere, præcepit aliud sperantem. Nigri liberos ad se adductos in eo habuit honore, quo suos.

Spartian. c. 8.

ANNO DOM. 193.

Severus favet Christianis. Quid Torpacion apud Tertullianum?

XXII. Ex rerum Romanarum campo ad res Ecclesiæ revocamur. Persecutionis expertes in pace vivebant Christiani, quam non disturbarunt initia Severi, facilem benignumque ipsis reddebat mansuetudo Imperatoris cum animi modestia conjuncta. Id monuit Tertullianus ad Scapulam c. 4. *Ipse etiam Severus, Pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodea Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem & Antoninus optimè noverat, Lacte Christiano educatus. Sed & clarissimas fœminas, & clarissimos viros, Severus sciens hujus Sectæ esse, non modò non læsit, verum & testimonia exornavit, & Populo furenti in os palam restitit.* Caracalla quidem in infantia sua Christianos pueros arctâ familiaritate complectebatur, teste Spartiano: *Septennis puer, cum collusorem puerum ob Judaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri velut autores verberum, diu respexit.* Judaicæ appellatione Christianam & intelligi religionem, notum omnibus. Alliciebat & Severi benevolentiam summa Christianorum erga ipsum Cæsaresque fidelitas: *Si & circa majestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani.* Porro verba Tertulliani, de *Proculo, qui Torpacion cognominabatur, Evhodea Procuratore,* sunt illustranda. Loco *Evhodea*, legendum esse *Evodi* existimamus. Evodum Caracallæ educatorem fuisse, ex Dione tenemus: *Per Euhodum educatorem suum, Saturnino Centurioni persuasit, ut renuntiarent Severo, jussisse Plautianum decem Centurionibus, Severum cum Antonino occidere.* Et paginâ sequente: *Saturninus quoque & Evhodus, licet tunc honore affecti, tamen ab Antonino postea occisi sunt.* Pro Torpacion, *Torpaion* legendum, cum editione Basileensi, Anni 1528. quam Beatus Rhenanus procuravit: Euhodus ab Afris, Punico nomine *Torpeion* appellabatur. Quid verò Torpeion sibi velit, docet magnus ille Bochartus: תורבין *turbejan*, τροφεὺς, *Pædagogus, nutricius, quia Imperatoris Severi Popularis sui filium educaverat, atque inde Procurator ipsius Proculus, Torpeion, id est,* Πρόκλος τοῦ τροφέως, *Proculus Cæsarei Pædagogi.* Vox תורבין *turbejan, à qua Torpaion, Chaldæis, & Syris est in multo usu. Sic Num. XI. 12. in Onkelo*, ut portat תורביינא *turbeiana, infantem suum, Turbeiana, id est,* ὁ τροφεύς. *Hebraicè habetur* האמן *& in Jonathane,* פדגוגא *pædagoga, pædagogus.* Hæc est ergo mens Tertulliani. Cùm Severus miraculum à Proculo fuisse editum, ex Euhodo per oleum sanatu comperisset, hunc requisivit Proculum, quem & in palatio suo habuit usque ad mortem ejus. Itaque verba hæc, *qui Torpeion cognominabatur*, non cum *Proculo*, sed cum *Evodo* sunt copulanda.

Spartian. Carac. c. 1. — *Tertul. ad Scap. c. 2.* — *Dio l. 76. 861.* — *Bochar. Phal. l. 2. c. 16. 854.*

Uter prior extiterit Symmachus, an Theodotus?

XXIII. In Græcis Scaligeri collectaneis, hæc habentur de Symmacho, in Pertinace: *Sub eo fuit Symmachus, unus Interpretum Hebraicæ Scripturæ, hæresi Ebionæus.* Paulò juniorem fuisse, Chronicum tradit Alexandrinum, anno Christi CCII. Severo Augusto III. & Antonino Caracallâ Coss. Imperante quidem Severo, operam in vertenda Scriptura collocasse suam, nobis est vero simile, etsi annum præcisè designare, nostris sit viribus editius. Si vera prædicant Scaligeri Collectanea, Symmachi versio

P. 392.

anno

ANNO DOM. 193.

anno Dom. CXCII. est assigenda, quo Pertinax imperavit. Qui annus Severi etiam initiis clarus est: ut sub utroque Cæsare, Symmachum floruisse dici possit. Inveteraverat apud doctos opinio hæc, Symmachum post Theodotionem extitisse. Quam eruditissimus ille Petavius Chronologiam in dubium revocat. Argumenta autem sua ducit ex Epiphanio, & Synopsi Scripturæ apud Athanasium: Epiphanius, *Severi temporibus*, inquit, *Symmachus quidam Samaritanus extitit. . . . Post hunc brevi posteà tempore, hoc est, Commodo altero Imperante, qui post Lucium Aurelium Commodum, tredecim annis imperavit, Theodotio quidam genere Ponticus . . . ad Judæos defecit & circumcisus est. Dehinc Hebraicâ linguâ, & eorum literis institutus, privatam editionem exorsus est.* Synopsis Scripturæ apud Athanasium, agens de versionibus V. Testamenti, primam numerat versionem LXXII. interpretum, secundam Aquilæ, *Tertiam Symmachi sub Severo Rege, quartam Theodotionis, sub Commodo Rege, eo ipso tempore quo Symmachus ad subversionem prædictæ hæresis* (Marcionis) *interpretatus est.* Rationibus etiam Petavius opinionem defendit suam: *Symmachi priorem editionem esse plura mihi persuadent. Imprimis ordo ille quem in Codicibus Origenes instituit, in quibus post Aquilam perpetuò Symmachus ante Theodotionem ponitur. Quod nisi antiquior esset ille, cur ita disponeret Origenes, causam nullam habuisset.*

Epiph. de Mens. n. 16. 172.

Atha. s. 2. 156.

Petav. Animad. ad Eph. p. 359.

Theodotius Symmacho prior. Solvuntur argumenta Petavii.

XXIV. Nos tamen in Petavii sententia acquiescere non possumus. Etenim Irenæus, qui Eleuthero sedente, librum adversus hæreses scripsit suum, de Symmachi versione silentium agit, dum & Aquilæ, & Theodotionis meminit: *Non ergo vera est quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam. Ecce adolescentula in ventre habebit, & pariet filium, quemadmodum & Theodotion est interpretatus Ephesius, & Aquila Ponticus, utrique Judæi Proselyti.* Quòd si Theodotionis versio ab illa Symmachi antiquitate superatur, quamobrem prætetitus est ab Irenæo Symmachus, qui non minus quàm ambo illi, pro virgine *νεᾶνιδα* reddiderat? Theodotionis ergo versionem perstrinxit Irenæus, non Symmachi, quia tum temporis illius, non hujus extabat editio: secus & Theodotionem ac Symmachum memorasset, & utriusque versionem confutasset. Præterea Hieronymus libro de Viris Illustribus, in quo sequitur ætatis ordinem, Theodotioni Symmachum postponit in Origene: *Exceptis LXX. Interpretibus, alias quoque editiones in unum congregaret volumen, Aquilæ scilicet Pontici Proselyti, & Theodotionis Ebionæi, & Symmachi ejusdem dogmatis.* Eò pertinet & locus Hieronymi, in quatuor Evangelia, ad Damasum Præfatione: *Non quæro quid Aquila, quid Symmachus sapiant, quare Theodotio inter novos & veteres medius incedat.* Qui sunt novi illi Interpretes, quos inter Theodotio medius est, nisi Aquila & Symmachus? Ad Petavianas rationes respondemus immeritò dubitari, nùm Epiphanio, Symmachus fuerit Theodotione antiquior? Etenim Severum, quo imperante Symmachum tradit versionem edidisse suam, post Pertinacem collocat, quomodo & Pertinacem post Commodum, Marci filium: *Qui post Lucium Aurelium Commodum imperavit, annis XIII.* Hoc verò regnante, Theodotio *privatam editionem exorsus est.* Quin etiam hanc ab Antonino Pio Romanorum Imperatorum seriem ejusmodi fuisse scribit: *Antonino Pio successit Marcus Aurelius, qui & Verus dictus est, annos XIX. Post hunc Commodus alius imperat, annos XIII. Cujus tempore Theodotionem extitisse diximus, qui quartæ editionis est autor. Commodo successit Pertinax. Imperavit menses sex. Hinc Severus cum Antonino filio annis XVIII.* Cum ergo Severo imperante doceat Symmachum editionem suam protulisse, non minus post Theodotionem scripsit Symmachus, quam post Commodum regnavit Severus: *Quomodo igitur Theodotionem Symmachus antecessit. Mirum hoc*, inquit Petavius, *& inextricabile plerisque visum.* Verba quibus innititur Petavius, ut ostendat Symmachum antiquiorem ab Epiphanio fuisse habitum, sic sonant: *Post hunc* (Symmachum) *Theodotio ad Judæos defecit. Dehinc Hebraicâ linguâ, & eorum literis institutus, privatam editionem exorsus est.* Quod si sit, in nobis aliquid ingenii meritò colligimus, vel Epiphanio Judice, Symmachum Theodotione fuisse juniorem. Etenim verba *post hunc*, ordine retrogrado sumi debent, quo processus fit in anteriora, ut primum posteriores, quidem secundum priores locum obtineant. Sic cùm Lucas dixisset, *Ante hæc tempora exortus est Theudas*, addit subinde, *Post hunc exortus est Judas ille Galilæus*, qui ætate tamen Theudam antecessit. Quâ etiam ratione scriptum Clementi Alex. *Marcion cùm natus esset eadem quâ ipsi ætate, versabatur ut senex cum Junioribus, μεθ' ὃν post quem, Simon Petrum audiit paululum prædicantem.* Facto in anteriora regressu, certissimum est, Simonem Magum post Marcionem fuisse. Eâdem ratione Autor Chronici Alex. interpretatur Epiphanium, quâ & nos intelligimus, utpote qui Theodotionis, in annum Dom. CLXXXIV. Symmachi in ducentesimum secundum versionem contulerit. Urget Petavius ordinem, quem in Codicibus Origenes instituit, in quibus, *Post Aquilam, Symmachus ante Theodotionem ponitur.* Nos verò facti hujus negamus esse causam, *Quòd Theodotioni Symmachus ætate præcesserit.* Aliam clarissimus Huetius rationem affert, quæ nobis arridet: *Origeni aliud fuisse causa puto, cur ita interpretationes illas digereret. Ad Hebraica maximè accedebat Aquila, hunc illis ideò proximè adjunxit. Ab iisdem plus reliquis recedebat Symmachus, quippe qui sententiarum fuisset quàm verborum retinentior. Ut ex conflictu Aquilæ & Symmachi, qui abierant in diversa, & extrema fuissent persecuti, verum eliceretur, optimâ ratione uterque simul conjunctus est.* Ex ea versionum serie error Synopseos apud Athanasium exortus esse videtur. *Tertiam* enim numerat *Symmachi sub Severo* versionem, *quartam* verò *Theodotionis sub Commodo.* Quæ prorsus sunt ἀσύγκλωστα, cùm Severo prior sit Commodus. Nempe quòd Symmachi versio, Origenianis in Hexaplis legenti, prior occurrebat, eo conjecturam fecit translatione Theodotionis esse vetustiorem. Hanc itaque pro *quarta*, illam pro *tertia* habuit. Quem tamen evellere errorem debuere Cæsarum nomina, quorum Imperio prodiere versiones, ut quæ regnante Commodo, *tertia*, quæ Severo, *quarta*, meritò sit nuncupanda.

Iren. l. 3. c. 24.

ANNO DOM. 193.

Epiph. de Mens. n. 18.

Petav. Animad. 358.

Act. 5. v. 37.

Clem. Strom. l. 7. 549.

Huet. Origen. l. 3. p. 256.

De Symmacho ejusque versione.

XXV. Symmachi historia hæc est referente Epiphanio. Samaritanus erat, ex eorum numero, qui apud illos Sapientes habentur. Qui ambitione ac Principatus cupiditate ductus, cùm voti apud suos compos esse non posset, tribulibus

ANNO DOM. 193.

bus iratus suis, ad Judæos transfugit, & inter Proselytos professus, iteratò circunciditur. A Judæis dein ad Ebionitas defecit. Meminit enim Hieronymus, libro de Viris illustribus, *Theodotionis Hebionas, & Symmachi, ejusdem dogmatis, qui in Evangelium quoque κατα Ματθαιον scripsit Commentarios, de quo & suum dogma confirmare conatur.* De Symmachi Operibus hoc scripto mandat Eusebius: *Extant etiamnum Commentarii Symmachi, in quibus adversus Evangelium Matthæi acriter disputans, supradictam hæresim astruere videtur.* Ebionæorum scilicet, qui Christum ex Josepho, & Maria genitum esse dicebant: *Atque hos Symmachi Commentarios, unà cum aliis Sacræ Scripturæ interpretationibus, ab eodem elaboratis, testatur Origenes, se à Juliana quadam accepisse, ad quam ii libri successionis jure pervenerant.* Editionem Symmachi geminam fuisse, novimus ex Hieronymo in Hieremiam c. 32. *Verbum Hebraicum* את *Aquila interpretatus est πλὴν, quod conjunctionem significat, verùm tamen Symmachi prima editio, & LXX. & Theodotio, solos interpretati sunt. Secunda quippe Symmachi vertit, διόλου, quem & nos in præsentiarum secuti sumus, ut diceremus jugiter.* Neque hominis Hæretici versio, in contemptum à viris Ecclesiasticis adducta est: *Quòd si apud Græcos, post LXX. editionem jam Christi Evangelio coruscante Judæus Aquila, & Symmachus, ac Theodotion Judaizantes Hæretici sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdolâ interpretatione celarunt, & tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis viris, &c.*

Epiph. de Mens. n. 16.

Euseb. l. 6. c. 18.

Hier. Adv. Ruf. l. 2. 209.

Symmachiani Hæretici.

XXVI. Extitere olim Hæretici, qui à Symmacho quodam nomen invenere, qui tamen neque à Symmacho Ebionita orti fuere, neque ejusdem temporis. Fons & caput hujus erroris *Patricius*, de quo Philastrius c. 15. & 16. *Patriciani à Patricio quodam, qui fuit Romæ, dicti sunt. Hi carnem hominis non à Deo factam asserunt, sed à Diabolo arbitrantur. Hanc etiam contemnendam, & modis omnibus abjiciendam decernunt, ut etiam ultro quidam de eis sibi mortem inferre non dubitaverint. Symmachiani discipuli istius, eadem sentientes in omnibus, non sperantes judicium, vitiis secularibus, & concupiscentiis prædicant serviendum.* Diversi quoque generis illi Symmachiani, de quibus Ambrosiaster, Præfatione in Epistolam ad Galatas: *Symmachiani qui ex Pharisæis originem trahunt, qui servatâ omni lege, Christianos se dicunt, more Photini, Christum non Deum & hominem, sed hominem tantummodò definientes.* Monuit nomen, ut de Hæreticis Symmachianis hoc loco mentionem faceremus.

ANNO DOM. 194.

ANNO U. C. 947. PER. JUL. 4907. JUL. 239. DOM. 194. SEVERI 1. & 2. *Sol.* 7. F. *Lun.* 5. *Indict.* 2. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 2. P. 24. *Mart.*

COSS. *Severus Augustus II. Clodius Albinus Cæsar II.*

Albinus; mores ejus.

I. CLodius Albinus, familiâ nobili Adrumetinus, ex Africa originem à Romanis trahebat, Posthumiorum scilicet, & Albinorum Cejoniorum. Natus lare modico, patrimonio pertenui, parentibus sanctis, patre Cejonio Posthumo, matre Aureliâ Messalinâ. Cùm exceptus utero, quod contra consuetudinem puerorum, qui sanguine materno rubent, esset candidissimus, Albinus est dictus. Latinis Græcisque literis mediocriter eruditus, quòd jam esset animi militaris & superbi, cantabat inter pueros:

Arma amens capio, nec sat rationis in armis.

Adolescens statim se ad militiam contulit. Egit Tribunus milites Dalmatas. Bithynicos exercitus, eo tempore, quo Ovidius rebellavit, fideliter tenuit. Ad Gallias translatus per Commodum, celebre nomen suum, & apud Romanos, & apud Barbaros fecit. Plautilli filiam duxit. Gulosum fuisse dicunt, utpote qui quingentas ficus passarias jejunus comederit, centum persica Campana, melones Hostienses decem, uvarum Lavicanarum pondo viginti, ficedulas centum & ostrea quadringenta. Uxori odiosissimus fuit, servis injustus, atrox circa militem. Centuriones sæpè levi de causa in crucem sustulit. Agriculturæ peritissimus, ita ut etiam Georgica scripserit. Herodianus tamen ut illustri genere, sic bonæ indolis juvenem fuisse scribit lib. 3. Quod etiam patet ex M. Aurelii ad Præfectos suos Epistolis. Albinus *homo est exercitatus, vitâ tristis, gravis moribus.* In alia quoque Epistola: *Habemus igitur virum dignum Consulatu, quem sufficiam in locum Cassii Papirii.* Neque à Senatu tantum amatus fuisset quantum ullus Principum, nisi virtutibus claruisset. Doctrinâ ut nobilitate Severum antecellebat. Cùm accepit imperium, anno superiore Severi voluntate firmatum, hæc militibus locutus est: *Invitum me, Commilitones, ductum ad imperium, etiam illud probat, quòd Commodum donantem me Cæsariano nomine contempsi. Sed & vestræ voluntati, & Severi Augusti parendum est, quia credo sub homine optimo, & viro forti posse benè Rempublicam regi.*

Capit. Alb. c. 11.

Capit. Alb. c. 10.

Capit. c. 3.

Pescennius Niger: mores ejus.

II. Pescennius Niger, patre Anno Fusco, matre Lampridiâ, avo curatore Aquini, ex equestri familia ortum ducebat. Nec virtutibus clarum nec vitiis insignem fuisse Nigrum, Dio testatur Historicus. Contrà verò virum illustrem fuisse, Spartianus tradit. Staturâ erat prolixâ, formâ decorus, vocis canoræ, ut in campo loquens per mille passus audiretur, oris verecundi, cervice adeò nigrâ, ut ab ea Nigri nomen accepisse dicatur: *Miles fuit optimus, Tribunus singularis, Dux præcipuus, Legatus severissimus, Consul insignis, vir domi forisque conspicuus.* Tantæ fuit autoritatis, ut ad Marcum Antoninum primùm, deinde ad Commodum scriberet, cùm videret Provincias facili administratorum mutatione subverti, primùm ut nulli ante quinquennium succederetur Provinciæ Præsidi, quòd prius deponerent Provinciam, quàm scirent administrare. Cùm apud Ægyptum milites vinum peterent, dixit: *Nilum habetis & vinum petitis.* Tumultuantibus iis, qui à Saracenis victi fuerant, & dicentibus, Vinum non accepimus, pugnare non possumus, Erubescire, inquit, *Illi qui vos vincunt, aquam bibunt.* Jussit vinum in expeditionem neminem bibere, sed aceto universos esse contentos. Quo tempore Severus Lugdunensem regebat Provinciam, ipsi Niger amicissimus erat. Suffragio Narcissi athletæ, qui Commodum strangulavit, Syriam obtinuit. Audito Julianum jussu Senatus occisum fuisse, ab exercitibus Imperator nuncupatus est. Syri etiam Nigrum vehementer amabant, quòd humanum erga omnes erat ejus imperium, quodque sæpius ludis eorum, ac celebritatibus interrat, Nigrum autem Severus Cæsarem esse noluit,

Spart. Nig. c. 6. & 7.

Spart. c. 2.

Herodian. l. 2.

lut, efferentem se, quòd ejus fidem auxiliumque adversus Julianum populus imploraverat.

Dio l. 73. 837.

Nigrianorum cum Severianis pugnæ.

III. Niger ubi Severum à Senatu Augustum appellatum esse, præterea navales, pedestresque copias, contra se educi novit, monet Provinciarum Præsides, aditus omnes portusque custodiant: mittitque rogatum auxilia ad Parthorum atque Armeniorum Reges. Ex Atrenis sagittarii venerunt auxilio, missu Regis Barsemii. Parthi quoque copias pollicentur. Præmisit etiam Niger exercitum, qui Byzantium præoccuparet.

Herodian. l. 3.

Cùm bellum motum esset, ipse venit Byzantium, inde Perinthum exercitum ducit.

Dio l. 74. 842.

Sed cùm nonnulla prodigia ei minus evenissent prospera, revertit Byzantium. Interfectis verò multis viris illustribus, ad participandum imperium Severum vocat. Commisso cum Severianis apud Cyzicum prælio, Æmilianus Legatus ejus victus & interfectus est. Posthæc in angustiis Nicææ & Cii iterum dimicatur. Primò superiores Severiani, sub Candidi signis militantes. At ubi conspecto Nigro, Severianos Nigriani insecuti sunt, victoria apud ipsos fuit. Cùm verò Candidus fugam militibus exprobrasset, Nigrianos pugnando vincunt, quos perdidissent funditùs, nisi propè adfuisset civitas. Rursum maxima apud Pylas pugna committitur. Severianis præerant Valerianus & Anulinus. Niger suas legiones præsens instruxerat. Pugna utrinque diutissimè fuit æqualis, vicissentque omninò Nigriani, nisi cœlo sereno, venti, tonitrua, fulgura cum maximo imbre extitissent. Quæ nil molestiæ Severianis, incommodi verò plurimùm Nigrianis afferebant, quòd ex adverso irruerent. Quare perterriti, sese fugæ mandarunt.

Dio l. 74. 843.

Desiderata sunt Nigrianorum viginti millia. Tum Severus tutum Nigro promisit exilium, si ab armis discederet, sed deceptus consiliis Severi Aureliani, qui filias ejus filiis suis desponderat, imperium retinuit.

Spartian. c. 7.

Niger verò, relicto ex militibus qui evaserant, ad Tauri montis angustias præsidio, Antiochiam proficiscitur, ut exercitus pecuniamque contraheret.

Niger occiditur.

IV. Duo vires reparat, Laodicea Antiochenorum odio, Tyrusque Berytiis infensa, sublatis Nigri honoribus, Severo prosperè acclamarunt. Quâ contumeliâ iratus, immittit utrisque urbibus Mauros, qui Laodicenis de improviso oppressis, urbem vastarunt. Inde Tyrum pergentes, direptis omnium bonis ac patratâ ingenti cæde totam incenderunt. Quæ dum in Syria agebantur, Severianis qui Tauri munitionem oppugnabant, defatigatis, imbres auxilio fuere. Cùm enim munitio torrentis impetum sustinere non posset, Nigriani proditâ custodiâ, cuncti dilabuntur. Quo cognito, Severiani Tauro monte facilè superato, in Ciliciam impetum faciunt. Intereà Niger collecto ingenti exercitu, ad Issicum sinum, Darii Alexandrique pugnâ jam nobilem, Severianis concurrit. Pugnatum acertimè, tantaque utrinque edita strages, ut flumina per planiciem decurrentia, majore aliquantò vi sanguinis, quàm aquarum in mare se volverent. Fusi tandem Orientales imminentibus à tergo Illyricianis.

Herodian. l. 3.

At Niger valido evectus equo, paucis comitantibus Antiochiam pervenit. Captâ non multò pòst Antiochiâ, Niger ex ea ad Euphratem fugit, sed eum insecuti Severiani capiunt, eique caput abscindunt.

Dio l. 74. 844.

Id Severus misit Byzantium, & summo palo præfixit, ut eo viso capite Byzantii ad se accederent. Caput circumlatum pilo, Romam missum perperam tradit Spartianus c. 6. Sed Byzantii non solùm Nigro vivo, sed etiam mortuo multa egregia gesserunt. Occiso Nigro, Severus statim illius amicos supplicio afficit, militibus tantùm qui trans Tigrim metu ad Barbaros abierant, impunitate propositâ receptis. Cassius Clemens, cùm apud ipsum Severum causa ejus ageretur, liberè in hanc sententiam dixit, Ego te ante æquè Nigrum ignorabam. Partes ejus sum secutus, non ut tibi bellum inferrem, sed ut Julianum imperio dejicerem. Neque peccavi,

Dio l. 74. 844.

Quod ad te, posteà relicto eo, qui mihi datus erat divinitus, non deseci. Severus libertatem loquendi miratus, dimidiam Clementi partem bonorum concessit. Occiso Nigro, Severus, qui filios ejus suorum liberorum cultu habuerat, in exilium cum matre misit. Literas ad Senatum de victoria dedit: *Nullum Senatorum, qui Nigri partium fuerant, præter unum, supplicio affectum fuisse*, tradit Spartianus c. 9. Quæ non sunt intelligenda de Senatoribus, qui Ducum vel Tribunorum nomine, Nigro militaverant, quos omnes occisos fuisse, docet eo ipso capite Spartianus: *In multos animadvertit præter ordinem Senatorium, qui Nigrum fuerant secuti. . . Eos Senatores occidit, qui cum Nigro militaverant Ducum, vel Tribunorum nomine.*

Irenæus periitne martyrio?

IV. Imperante Severo, Irenæum vitâ expulsum esse, omnes profitentur. Dubitationem tamen aliquam apud eruditos relinquit martyrium ejus: quâ dubitatione incertus quoque fit annus, quo Sanctus ille Pater finem hujus lucis, & amissionem omnium vitæ bonorum fecit. Titulo Martyris ornatum fuisse ab Hieronymo, ex commentario in caput Esaiæ LXIV. scimus atque tenemus. De portentis Hæreticorum, inquit, *Diligentissimè vir Apostolicus scribit Irenæus, Episcopus Lugdunensis & Martyr.* Nomine quoque Martyris, Irenæum induit Autor Quæstionum & responsionum ad Orthodoxos, apud S. Justinum:

Q. cxv.

Beatus Irenæus Martyr, & Episcopus Lugdunensis. Quòd si assensum Gregorio Turonensi præbemus, nefas erit Irenæum, Martyrum eximere numero:

Gregor. Hist Franc. l. 1. c. 29.

Beatum Irenæum, diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum, Christo Domino per martyrium dedicavit. Persecutione Severi *cum omni ferè civitatis suæ populo gloriosè coronatum martyrio*, narrat Adonis Martyrologium, ad diem vigesimum octavum Junii, quo natale Irenæi celebratur. Non immeritò tamen de martyrio Irenæi Clarissimus dubitavit Dodwellus. Cujus tamen de illato apud Hieronymum *Martyris* nomine, nobis conjectura displicet:

Dodw. Dissert. 3. in Iren. n. 22. p. 264.

Vereor ne è margine, quod sæpè evenire solebat, à studioso aliquo recentiore notatum in textum irrepserit. Quippe pereque vereri debuit, ne sciolus aliquis in Quæstiones Justini, quem pro *Siculo* quinti seculi homine habet, vocem *Martyris* intulerit. Salvo igitur Hieronymo observandum, apud Veteres, Martyris titulum bifariam sumi; laxiore nimirum, & strictiore significatione. Priori quidem Confessores, Martyres etiam nuncupantur. Serapionis Antiocheni de Cataphrygibus Epistolæ, unus subscripsit in hunc modum:

Eusob. l. 5. 19.

Aurelius Cyrenius Martyr, opto vos benè valere. De Christi consanguineis, Hegesippus:

Eusob. l. 3. 32.

Universæ Ecclesiæ præsident, utpote Martyres, & agnati Christi. De Valentino Tertullianus: *Speraverat Episcopatum, quem alius ex prærogativa martyrii adeptus est.* Martyrium quoque

que

ANNO DOM. 194.

que suum jactabat Praxeas: *Insuper de jactatione martyrii inflatus ob solum, & simplex, & breve carceris tadium.* Neque Cypriano alienus est ille sensus, Epistolâ 11. *Si Martyres per calorem gloria, Scripturam minus contemplantes, plus aliquid cuperent à Presbyteris & Diaconis suggerentibus, admoneri deberent.* Nec mirum Confessoribus, iis præcipuè qui vim tormentorum pertulerant, absque ullo tamen vitæ suæ damno, Martyrum vocabulum affixum fuisse. Etenim, monente Cypriano, *Contingit hic per tormenta consummari martyria, sed qui in congressione pracedens, exemplum virtutis fratribus factus est, cum Martyribus in honore communis est.* Hoc sanè sensu, Martyris nomen Sancto Irenæo non invidemus. At cruentâ morte à tortoribus immissa, vitâ non abiisse Irenæum, pace Gregorii Turonensis, mens nobis prona est ad credendum. Tertullianus qui multis Irenæum laudibus afficit, gloriâ *Martyris* non attollit nomen ejus: *Ipsarum Haresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus & prodiderunt, & retruderunt, ut Justinus Philosophus & Martyr, ut Miltiades Ecclesiarum Sophista, ut Irenaus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Quòd si Irenæum periode atque Justinum, pro Martyre Septimius habuit, quamobrem Martyris titulum, quo Justinum decoravit, non addidit Irenæo, vel eo ipso tempore, quo sanguis ejus calebat, & omnium ante oculos obversabatur? Multa Irenæo præconia tribuit Eusebius. Quis hoc non perspicit, accuratum diligentemque Historicum martyrium Irenæi nunquam prætermissurum, si Martyrem novisset? Quod Irenæo honorificum fuit, memorat Hieronymus Libro de Viris Illustribus: auditorem extitisse Polycarpi, Photini Lugdunensis Presbyterum, Martyrum in urbem legatum. De martyrio tamen ejus ne verbulum quidem, quod extramodum absonum est, si Martyrem novit. Cùm enim passione suâ sempiternæ se gloriæ commendasset Irenæus; id omitti ab Hieronymo neque debuit, neque potuit, dum facta, scriptaque Irenæi, verbis exequitur. Non sinè cruentam Ignatii, non Justini, non Polycarpi mortem dedit oblivioni. Denique nos à communi de Irenæano supplicio opinione, hæc ratio distrahit atque segregat, quòd nullam ante annum Christi CCII. persecutionem Severus moverit in Ecclesiam, ad usque annum imperii sui decimum, mitis & benevolus. Quo tempore civitas Lugdunensis penè eversa erat. Victo enim Albino die XI. Calendas Martii, anno CXCVIII. *direpta mox & incensa Lugdunum*, teste Herodiano, *l.* 3. In his ruderibus florentissimam numerosissimamque Ecclesiam constitisse, *Ex qua tanta multitudo Christianorum sit jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano*, ut apud Gregorium Tur. legitur, est omninò incredibile. Neque plus fidei inveniunt sequentia: *Post hunc*, Irenæum, *&* XLVIII. *Martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus, Vettium Epagathum.* Quæ si vera sunt, morti missus est Irenæus imperante M. Aurelio: quo tempore passus est Vetius Epagathus anno CLXXVII. Itaque si martyrio coronatus est Irenæus, in clade Albini, quâ Lugdunum involuta est, perire debuit. Quæ nostri Blondelli sententia est: *Mactatus igitur anno Dom.* CXCVII. *cum universa propemodum grege Pastor.* At repugnant antiqua monumenta huic Chronologiæ, utpote quæ Severi persecutionem anno CCVII. amplius triennio posteriorem esse tradant. Neque Religionis nomine, sed ob Albini factionem Christiani à Severianis occisi fuissent, Quæ vera causa fuit, cur Lugdunum ferro flammisque vastaretur.

Tertul. in Prax. c. 1.

Cypr. Epist. 25.

Tertul. in Valentin. c. 5.

Greg. Tur. Hist. Fr. l. 1. c. 29.

Blond. Apol. p. 32.

Scripta Irenæi.

V. Siccâ igitur morte animam Deo reddidisse Irenæum, nobis est verosimile. Annum divinent quibus concessum divinandi munus. Egregia pietatis suæ monumenta posteris reliquit Irenæus: *Scripsit quinque adversus Hareses libros, & contra Gentes volumen breve, & de Disciplina aliud, & ad Marcianum fratrem de Apostolica pradicatione, & librum variorum tractatuum, & ad Blastum de Schismate, & ad Florinum de Monarchia, sive quòd Deus non sit conditor malorum, & περὶ τῆς ὀγδοάδος egregium commentarium, in cujus fine significat, se Apostolorum vicinum fuisse. . . Feruntur ejus & alia ad Victorem de Quastione Pascha Rom. Epistola, in quibus monet eum non facile debere unitatem Collegii scindere.* Hæc de scriptis Irenæi Hieronymus. Quæ omnia periere exceptis libris V. adversus Hæreses, qui si à fragmentis nonnullis apud Eusebium, Epiphanium, Theodoritum disseminatis, discesserimus, non extant nisi in Latina versione barbara. De Irenæo hoc est Photii judicium: *Plura S. Irenai ac varia scripta, & Epistola circumferuntur, etsi in aliquibus Ecclesiasticorum dogmatum certa veritas, spuriis rationibus fucari videtur, qua observasse convenit.* De stilo suo testimonium ipse dicat Irenæus, Præfatione in libros ad Hæreses: *Non autem exquires à nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum sermonem plerumque avocamur, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conscriptionis, quam non affectamus, neque ornamenta verborum, neque suadelam, quam nescimus, sed simpliciter & verè, & idiaticè, ea qua tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies.* Fuit aliquando tempus, quo Opera Irenæi, Tertullianis; Eusebiis, Epiphaniis, Hieronymis, Græcis, Latinisque nota, profundâ & in Galliis, & in urbe Romana oblivione sepelirentur. Extat ea de re Gregorii M. ad Ætherium Viennensem Episcopum, locus observatu dignissimus: *Gesta verò vel scripta B. Irenai jam diu est, quod sollicitè perquisivimus. Sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit.* Floruit Irenæus maximè sub Commodo Principe. Jam sedebat Eleutherus, cùm libros adversus Hæreses edidit, quod & ipse testatum facit: *Cùm successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherus. Episcopatum verò iniit Eleutherus anno Dom.* CLXXXV. Ætate Irenæi non extinctum fuisse miraculorum donum, ex ipso discimus: *Alii infirmos per impositionem curant ac pristina sanitati restituunt. Sed & mortui aliquoties excitati, & pluribus deinceps annis nobiscum manserunt.*

Phot. c. CXX. p. 302.

Gregor. l. IX. Epist. 50.

Euseb. l. 5. c. 7.

Praxeas Hæreticus.

VI. Victore sedente, floruisse Praxeam, quondam Ecclesiæ hominem, dein desertorem, est verosimile. Adversabatur primùm Montani disciplinæ, quam Româ pellere totis nervis conatus est. Pro fide etiam in carcerem ductus fuerat: sed dementiâ erroris sui depravatus, hostis Ecclesiæ tandem factus est. Audiamus Tertullianum: *Iste primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romana humo, & aliàs inquietus. Insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum & simplex & breve carceris tadium: quando etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, cujus charismata*

ANNO DOM. 194.

mata quoque expugnavit. Nam idem tunc Episcopum Romanum, agnoscentem jam Prophetias Montani, Prisca, Maximilla, & ex ea agnitione, pacem Ecclesiis Asia & Phrygia inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesiis eorum asseverando, & prædecessorum ejus autoritates defendendo, coëgit & literas pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit. Prophetiam expulit, & hæresim intulit. Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit. Duabus extremis vocibus apparet, quid monstri Praxeas aluerit. Nempe Patrem, Filium, Spiritum S. pro una eademque persona habuit. Quo errore, sequitur quidem Patrem in crucem actum fuisse. Recantatus tamen à Praxea error fuit: *Fructificaverant avena Praxeana, hic quoque superseminata, dormientibus multis in simplicitate doctrinæ: traducta dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsa videbantur. Denique caverat pristinum Doctor de emendatione sua, & manet Chirographum apud Psychicos, apud quos tunc gesta res est, exinde silentium.* Ecclesia scilicet Chirographo resipiscentis & assensum veritati pollicentis, contenta fuit. Addit Tertullianus: *Ita, Praxeas, aliquandiu per hypocrisim subdolâ vivacitate latitavit, & nunc denuò erupit.* Laudandus quidem, pace Tertulliani, Praxeas, quòd Episcopum Romanum, quisquis ille fuerit, coëgerit pacis Epistolas revocare, jam Montanistarum Ecclesiis missas. Ac Soter Cataphrygum impugnarat hæresim, teste Prædestinato, quem librum Sirmundo debemus: *Scripsit contra eos librum S. Soter Papa urbis.* Id innuit Tertullianus: *Prædecessorum ejus autoritates defendendo.*

Tertul. in Prax. c. 1.

Prædest. h. 26.

Quis Episcopus R. favit Montano? Solvuntur rationes N. Alexandri.

VII. Quis verò fuerit Episcopus ille Romanus, qui *agnovit* Montani Prophetias, est in ambiguo. Viro doctissimo *Ludovico du Four* Abbati assentitur Pagius, fretus verbis appendicis ad Tertullianum, quæ perperàm Tertulliano vindicat: *Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus corroboravit.* Quis ille Victorinus? *Id est*, inquit, *Victor Papa.* Nobis quidem verosimile est, Victorem illum esse Romanum Episcopum, quem pacis literas Montanistis datas, Praxeas revocare coëgit. Spatio temporis aliquo opus fuit, ut omnia ea peragerat Hæreticus, quæ antè facta memorat Tertullianus, quàm & in Africa lolium Praxæanum *fructificaret.* Prius igitur in urbem Praxeas venit, quàm Romanam Zephyrinus Ecclesiam administraret. At non patimur facilès, Victorem Pontificem R. in *Victorino* quæri: non modò quia nominibus discrepant *Victor*, & *Victorinus*, verùm etiam quia nunquam tam malè audivit Victor, ut perfidam Praxeæ hæresim corroborare curarit. At quam hæresim! Quæ *Deum Patrem omnipotentem J. Christum esse dicit, hunc crucifixum passumque contendit.* Quo in errore absurditas cum impietate certat. Hæccine corroboravit Victor? Cùm porro speciem pietatis aliquam indueret Montani disciplina, ejus splendore primùm Victor perstringi potuit. Eò magis quòd hâc ætate cælestia dona vigebant, & Prophetiæ, teste Irenæo: *Alii præscientiam futurorum & visiones sortiti sunt, & Propheticas prædictiones.* Revocatis verò ad incudem Montani, Priscæ, Maximillæ Propheriis, Victor à fide alienas esse pronunciavit, monente, impellenteque Praxea. Hinc Optatus: *Marcion*, inquit, *Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri temporibus suis, à Victore, & Zephyrino Urbico, & Tertulliano Carthaginensi, usque ad Cataphrygas, & à cæteris assertoribus Catholicæ Ecclesiæ superati sunt.* Tertulliano fidem adhibendam non esse, cùm professus fuerit Montanista, multis argumentis contendit Natal. Alexander. Ostendit Zephyrinum nullatenus Cataphrygibus favisse, qui à Caji cum Proclo acerrimo Montanistarum defensore, disputationem non permisisset, si favisset eorum erroribus: Natalium in hæresim lapsum, actâ exomologesi, in Ecclesiam recepisse. Hæreticos qui suis temporibus Ecclesiam infestabant, superasse. Decretum quo fornicationis reos ad pœnitentiam invitabat, promulgasse. His tamen argutiolis, mendacii dicam scribere Tertulliano, de rebus, quæ coram oculis facta sunt, illiberale videtur. Neque vel communem eruditorum Chronologiam, Septimii verba, Zephyrino accommodantium, labefactant rationes ejusmodi. Duo dixit Tertullianus, prius *Episcopum Romanum*, quisquis ille fuerit, *agnovisse Prophetias Montani*; posterius, *Episcopum R.* à Praxea coactum *pacis literas*, Cataphrygibus *missas, revocasse.* Quibus accuratè observatis, cadunt argumenta Alexandri, quibus id solummodò colligitur, Zephyrinum Montanistis non favisse perpetuo, quod palam etiam Tertullianus profitetur. Eo tempore, Zephyrinus & Caji cum Proclo permisit disputationem, & *Natalium* ad pœnitentiam admisit. At nunquam benevolo in Montanistas animo Zephyrinum fuisse, id N. Alexandro probandum erat: quam frustrà provinciam susciperet. Hoc autem est quod scripsit Tertullianus, *Episcopum Rom.* Zephyrinum si lubet, Montanistis favisse aliquandiu. Sic ex accusatione narrationis fides liberatur.

Pag. Crit. An. 171. n. 3.

Euseb. l. 5. c. 7.

Optat. l. 1.

N. Alex. Sec. 3. Dissert. 1. 188.

De Praxeæ baptismo. An Trinitatis in nomine collatus?

VIII. Pertinet eò loci quæstio de Praxeæ baptismo, utrùm Trinitatis in nomine collatus fuerit. A Catholicorum baptismi forma non recessisse Praxeam, sibi aliisque Blondellus persuasit: *Optat au v. livre, allegue l'exemple de Praxeas, duquel comme gardant la forme du batême Catholique, l'Eglise Rom. recevoit le Batême.* Opinione tamen suá fallitur vir doctissimus. Erroris testem Optatum suppeditamus: *Aqua igitur sola & vera illa est, quæ non de loco, non de persona, sed de Trinitate condita est. Et quia dixisti aquam esse mendacem, etiam hoc disce, ubi eam poteris invenire. Apud Praxeam Patripassianum, qui ex toto Filium negat, & Patrem passum esse contendit. Cum apud Patripassianos non est Filius, non est nec veritas: & ibi veritas non est, ubi est aqua mendax. Quare vel serò desine confingere crimina, & quod in Patripassianis dictum est, in Catholicos noli transferre.* Non igitur de Trinitate condita fuit aqua Praxeæ. Est quidem incredibile, Hæreticum qui tres Trinitatis personas in unum confundebat, Patrem, Filium, & Spiritum S. inter baptizandum invocasse. Fallitur iterum vir doctissimus, qui ne ad latum unguem à Cypriani disciplina Optatum deflexisse arbitratur: *Il marche sur la piste de St. Cyprien sans varier.* Atqui Novatianorum baptismum, Trinitatis in nomine baptismum ministrantium, pro nullo habuit Cyprianus. Donatistarum verò baptismus legitimus est Optato: *Est quidem nobis & illis, una spiritalis nativitas, sed diversi sunt Actus. . . Ideò post vos non emendamus, quia & apud vos, unum est sacramentum.* Et libro v. *Apud vos & apud nos, una est Ecclesiastica conversatio, communes lectio-*

Blond. Prim. p. 57.

Optat. l. v. 362.

Opt. l. 5.

ANNO DOM. 194.

lectiones, eadem fides, ipsa fidei sacramenta, eadem mysteria. Disciplinam Optatus suam Arelatensi decreto obedientem effecit, de Hæreticis id statuente: *Si crediderint, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, manus eis tantum imponatur.* Itaque viris doctissimis, Albaspineo, Felloque assentiri non possumus, dum Optatum illis inserunt, qui *generatim docebant apud Hæreticos nulla esse sacramenta.* Quæ mens Optato si fuisset, Donatistarum & baptismum repudiasset, quem tamen admisit. Optato igitur Praxeæ baptismus renovari debuit, Donatistarum non debuit. Praxeæ tamen Baptismum Romana suscepit Ecclesia. Itaque sic ejus nomine, Hilarium Diaconum compellat Hieronymus: *Cum Ario adulteria commisto, feci & antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho.* Miram sanè indulgentiam! Porro si qua Paciano fides, Montanistarum nonnullis, virus Praxeas suum incussit Sympronianom sic compellans: *Scripta tua pœnitentiam usque damnantibus, secundum Phrygas, te assensisse pronuntias. Verùm his ipsis, Domine clarissime, tam multiplex & diversus error, ut non hoc unum in illis quod contra pœnitentiam sapiunt, sed quasi quædam capita Lernæa cadenda sint. Et primum hi plurimis utuntur Autoribus. Nam puto & Græcus Blastus ipsorum est. Theodotus quoque & Praxeas vestras aliquanda docuera.* Praxeæ quidem impietati Cataphrygum illi assentiebantur, qui Æschinem sequebantur: *Privatam autem blasphemiam illi qui norâ sunt Æschinem, hanc habent, quâ adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium, & Patrem.* Nil igitur pugnæ est aut contradictionis, quòd Praxeæ africans se Æschines, partem Montanistarum corrupetit. Nostro tamen judicio, ex Paciano colligere Baronius non debuit, Praxeam *primò fuisse Montani sectatarem, ex eorumque numero, qui dicebantur notà Proclum.* Hanc quippe Praxeæ mutationem, perinde atque Pontifici Rom. Tertullianus objecisset. Non igitur ex Montanistis Praxeas unus fuit, quibus infensissimum se præbuit, sed Montanistarum pars adhæsit Praxeæ, errore ipsius suscepto.

Arelat. c. 8.

Fel. Not. in Concil. Carth. p. 243.

Hier. Ep. 68. t. 9.

Pac. Ep. 1.

Tert. de Præscr. c. 52.

Bar. An. 196. n. 17.

IX. Anno Severi Augusti secundo Pantænum floruisse, atque Clementem Alexandrinum, in Eusebiano Chronico scribitur: *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & Pantænus Stoicus Philosophus, in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.* Pantænum tamen ætate antecessisse Clementi, omnibus est in confesso: Clemens enim *in Institutionum libris à se conscriptis; Pantænum præceptorem suum disertè memorat.* Pantænum origine Siculum fuisse, ex Clemente colligit Valesius. Verba sunt Clementis: *Cùm autem in eum ultimum incidissem, erat autem primus potestate, conquievi in Ægypto, venans ea quæ latuerant. Sicula reverà apis, Prophetici & Apostolici prati flores decerpens.* Quæ sic illustrat Valesius: *Siculam igitur apem, eum nominat Clemens, eò quòd è Sicilia esset oriundus. Cur enim Siculam potius apem eum vocaret quàm Atticam?* Verba verò Græca, ὑστάτῳ δὲ περιτυχών, non sunt ad Palæstinum Judæum referenda. Eum enim non in Ægypto, sed in Oriente audierat. Postremus ille Pantænus est, Judice Eusebio, in quem ultimum Clemens incidit apud Ægyptum. Postremus quidem tempore non in ordine narrationis. Punctum post δυνάμει est inserendum. Fidelium scholæ Alexandrinæ, quæ jam inde à priscis temporibus fuerat instituta, Pantænus præfuit. Præceptis Stoicæ Philosophiæ primùm innutritus fuerat. Tanto porro Christi amore inflammabatur, *Ut Orientis nationibus Evangelii Christi præco extiterit, ad Indiam usque progressus.* Ibi *Evangelium Matthæi* apud quosdam Christi notitiâ imbutos reperisse dicitur: *Quibus Bartholomæus unus ex XII. Apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi Hebraicis conscriptum literis reliquerat, quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur.* Pantænus post multa præclare gesta tandem Alexandrinæ præfuit scholæ, ubi partim vivâ voce, partim scriptis, divinorum dogmatum thesauros exposuit. Pantæni ætate multi etiamnum Evangelistarum munere fungebantur. Porro non in Orientalem Indiam, sed in Æthiopicam migrasse Pantænum, nobis opinio est. Æthiopes enim olim Indorum nomen accepere, teste Virgilio:

Pantænus. Quis? peregrinationes.

Eusèb. l. v. c. 11.

Strom. l. 1. 201.

Eusèb. l. v. c. 10.

Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

Quam & in *Indiam* pervenit Frumentius, qui hujus etiam regionis Episcopus ab Athanasio creatus est: *Frumentius ergo Episcopali apice decoratus, ad regionem Indorum revertitur.* Auxumeos autem Æthiopiæ Metropolis, Episcopum egisse, monet Constantii Imperatoris rescriptum ad Aizanam, & Sazanam hujus regionis Tyrannos. Quibus præcipit, Frumentium *ad Georgium, & alios per Ægyptum Episcopos mittere. Periculum est*, inquit, *ne peragratâ Auxumi, vestrates nefariis sermonibus corrumpat.* Similiter Philostorgius Æthiopum regioni nomen imponit Indiæ. Theophilum enim Æthiopem *Indum* appellat: *Hujus porro legationis Princeps erat Theophilus Indus.* Hanc in Indiam Evangelii prædicandi causâ migrasse Pantænum Alexandrinum, non in eas regiones, quas Indus alluit fluvius, vero proximum. Linguæ quidem Æthiopicæ, non Indicæ, Ægyptius peritus erat. Non ignoramus tamen Hieronymum ejusmodi opinionis fuisse, quòd in Indiam Orientalem Pantænus profectus sit. Scribit enim Magno: *Pantænus à Demetrio Alexandriæ Episcopo missus est in Indiam, ut Christum apud Brachmanas, & illius gentis Philosophos prædicaret.* Ad postulationem Indorum eò missum esse Pantænum, scimus ex Hieronymo: *Tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in Scripturis divinis, quàm in seculari literatura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis Legatis à Demetrio Alexandriæ Episcopo mitteretur.* Quin etiam hoc addit Hieronymus: Pantænus Matthæi Evangelium *Hebraicis literis scriptum, revertens Alexandriam secum retulit.* Quæ tamen non habet ab Eusebio. Nil ex Pantæno superest præter explicationem verborum Davidis, *in Sole posuit tabernaculum*, quam Clemens exhibet in Eclogis p. 578.

Socr. l. 1. c. 19.

Athanas. tom. 1. p. 696.

Philoster. l. 3. 479.

X. Doctoris sui celebritatem superavit discipulus Clemens Alex. Titi Flavii Clementis gerebat nomen. Atheniensem origine fuisse, à nonnullis traditum, teste Epiphanio h. 32. n. 6. Quam verosimilem opinionem faciunt verba Clementis: *Cùm in ultimum Doctorem incidissem, conquievi in Ægypto, venans ea quæ latuerant.* Quibus quidem apparet, Clementem patriâ Ægyptium non egisse. Duos audierat insignes pietate, & eruditione viros, à quibus *efficaci, animatâque doctrinâ* imbutus fuerat. Alterum in Achaia, nomine *Jonicum*, è Cœlesyria ortum, alterum in Italia, gente Ægyptium audierat. Verba Clementis apponamus: *Horum alter in Græcia Jonicus, alter in magna Græcia fuit.*

Clemens Alex.

Strom. l. 1. 201.

Quo-

Eusеb. l. v. c. 11.

Quorum ille quidem ex Cœlesyria erat oriundus, ille verò ex Ægypto. Alii autem in Oriente vixerunt, ex quibus alter quidem fuit Assyrius, alter in Palæstina, ab ultima origine Hebræus. Novissimum verò tametsi hic doctrina meritò omnium primus erat, cùm casu quodam offendissem, tandem in eo acquievi, quem quidem in Ægypto latentem, tanquam venator indagaveram. Hi doctrinæ Apostolicæ notitiam, quam jam inde à Petro, Jacobo, Joanne, Paulo, traditam acceperant, Clementis mentibus inseruere. De Magistris, quibus Clemens usus est, hæc est conjectura Baronii: *Putamus per eum quem in Græcia nactus est, intellige Dionysium Corinthiorum Episcopum, vel Caium: per Syrum, Theophilum Antiochenum: per Assyrium, Barsanem, & per Palæstinum, Theophilum Cæsariensem.* Quæ conjectura meritò displicet eruditissimo Valesio. Theophilus enim Cæsariensis, qui temporibus Victoris Papæ floruit, æqualis fuit Clementi: Hebræum quoque egisse Theophilum, Veterum nullus dixit. Neque Bardesanes Assyrius erat, sed Osdroënus, oriundus Edessâ, quæ caput est Osdroënæ. Neque etiam quem in Græcia audivit Clemens, Caius est, aut Dionysius Corinthius: utpote qui disertè *Jonicus* à Clemente nuncupetur. Quibus Valesii rationibus conjectura Baronii meritò refellitur. Vero propius est *Assyrium* illum, Tatianum esse, Justini discipulum: Palæstinum verò in *Theodoto* esse quærendum, illo videlicet, qui cum Montano, Alcibiadeque, nomine Prophetæ celebratus est. Mortuo Pantæno, in locum ejus Clemens sufficitur: *Post ejus* (Pantæni) *mortem Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit, & κατηχήσεων Magister fuit.* Quæ magni nominis schola diu perseveravit, ab hominibus tum eloquentiâ, tum divinarum literarum studio instructissimis administratâ. Alexandri Hierosolymitani Episcopi ad Antiochenses Epistolam Clemens pertulit. Cujus Epistolæ finis multis Clementem laudibus afficit: *Has literas, Domini fratres, per beatum Presbyterum Clementem ad vos misi, virum virtute præditum & probatum, quem vos & nostis jam & amplius noscetis. Qui quidem Dei nutu ac providentiâ, dum hic apud nos præsens esset, Ecclesiam Christi & confirmavit, & magnopere auxit.* Ille ipse Alexander pro Patribus habet *B. Pantænum, & Sanctum Clementem*, à quo plurimùm se adjutum fuisse prædicat. Illud in Clemente probare non possumus, quòd legendis Apocryphis deditus, loca non pauca ex illis in sua scripta intulerit. Hinc mentio *prædicationis Petri*, *Revelationis Petri*, quæ opera quasi genuina laudat. V. g. Stromatum l. 6. 457. *dicit Petrus in prædicatione.* In Electis, *statim Petrus in Apocalypsi ait.*

Bar. An. 185. n. 4.

Error Baronii.

Hieron. de Vir. illust.

Euseb. l. 6. c. 11.

Euseb. l. 6. c. 14.

Opera Clementis.

XI. Clementina recenset Opera secundum Eusebium Hieronymus: *Feruntur ejus insignia volumina, plenaque eruditionis & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quàm de secularis literaturæ instrumento. E quibus illa sunt* στρωματεῖς *libri octo*, ὑποτυπώσεων *libri* VIII. *adversus Gentes liber unus. Pædagogi libri tres, de Pascha liber unus: de jejunio Disceptatio, & alius qui inscribitur, Quisnam dives ille sit qui salvetur. De Obtrectatione liber unus, de Canonibus Ecclesiasticis & adversum eos qui Judæorum sequuntur errorem liber unus, quem propriè Alexandro Hierosolymorum Episcopo* προσεφώνησε *nuncupavit. Meminit autem in Stromatibus suis, voluminis Tatiani adversus Gentes, & Cassiani cujusdam Chronographiæ, quod Opusculum invenire non potui. Nec non & de Judæis, Aristobulum quendam, & Demetrium, & Eupolemum Scriptores adversus Gentes refert, qui in similitudinem Josephi,* ἀρχαιογονίας *Moysi, & Judaicæ gentis asseverent.* Hæc Hieronymus, qui oblivioni dedit librum inscriptum, Exhortatio ad patientiam, scripta ad Neophytos, cujus meminit Eusebius l. VI. c. 13. Neque omnia quoque recenset Eusebius. Mentionem facit Clemens libri, cujus titulum sic exhibet Cavius: *Veram turpitudinem non in rerum nominibus, sed in Actionibus consistere.* Verba Clementis hæc sunt: *Prolixâ oratione tractavimus, quòd neque in nominibus, sed neque in partibus ad coitum pertinentibus, & nuptiali congressione, in quibus obtinent nomina, quæ usu minime trita sunt, ejus quod vere turpe est, ponitur appellatio.* Est liber de *Continentia*, item de Matrimonio. Ex Clementinarum lucubrationum naufragio supersunt, Protreptica ad Gentes, Pædagogus, Hymnus in J. C. laudem, Stromata, liber Quis dives salutem consequi possit. Excerpta verò ex Theodoto, nec non ex Scripturis Prophetarum *electa*, quæ post Stromatum libros VIII. leguntur, descripta videntur ex libris Hypotyposeon, quod & observavit Valesius. In illis enim Excerptis ea traduntur, quæ Photius in libris Hypotyp. à se lecta esse testatur, & Autor electorum Pantænum Magistrum suum appellat. De Hypotyposibus porro hoc est Photii judicium: *In quibusdam rectè sentire visus est, in aliis rursus impiè omninò fabulosèque disserit. Asserit enim materiam æternam esse. . . Filium quoque in rebus creatis numerat. Adhæc animarum migrationem, multosque ante Adamum mundos prodigiosè comminiscitur. Evam præterea ex Adamo, non ut sacri Libri tradunt, sed obscenè atque impiè eduxit. . . Quin & verbum carnem non esse factum, sed ita visum duntaxat* &c. Quæ cùm Christianæ sint Religionis funera, si ea Clemens edidit, mirum Hypotyposes in pretio fuisse Veteribus, neque nefaria hæc ab Eusebio, Hieronymoque fuisse observata. De Clemente ejusque Hypotyposeon libro, potuitne Hieronymus magnificentius, aut dignius loqui? *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, meo judicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros & totidem Hypotyposeon, & alium contra Gentes, Pædagogi quoque tria volumina, quid in illis indoctum, imò quid non è media Philosophia est?* Equidem si tot impietatibus refertus erat Hypotyposeon liber, tantis eum laudibus non affecisset Hieronymus, Epistolâ suâ ad Magnum, quæ numero est LXXXIV. Neque Alexander Hierosolymitanus, qui superfuit Clementi, hæc mandare scripto potuisset, in sua ad Origenem Epistola: *Patres agnoscimus beatos illos, qui viam nobis præiverunt, & quos brevi secuturi sumus. Pantænum scilicet verè beatum, ac Dominum meum, & S. Clementem, Dominum item meum, qui me plurimùm adjuvit.* Hæccine impia Clemens protulit, eo tempore quo plenam consummatamque pietatis notitiam, nondum adeptus fuerat, quos teterrimos sanè errores postmodum deposuit? Num potius liber ille impius Photio lectus, *Hypotyposeon titulo* Clementi subditus, ab illo quem Eusebius manibus triverat, multum diversus? Hic nobis aqua hæret. Cæterùm frustrà est Baronius, dum suam ex Clemente Chronologiam stabilire conatur. Hoc habet Clemens: *Fiunt autem, ex quo natus est Dominus, usque ad mortem Commodi, anni omnes* CXCIV. *mensis unus.* Quo in-

Phot. Cod. c. IX. 286.

Euseb. l. 6. c. 14.

Strom. l. 1. 249.

Anno Dom. 195.

Bar. An. 194. n. 4.

insigni loco, exultat Baronius atque triumphat: *Jam vides*, inquit, *lector*, *Chronologiam nostram his egregiè consentire.* Non advertit tamen Alexandrinam incarnationis Æram, integro biennio nostram superare. Orditur enim ab anno Juliano XLIII, nostra verò incipit anno XLVI.

Anno U. C. 948. Per. Jul. 4908. Jul. 240. Dom. 195. Severi 2. & 3. *Sol.* 8. E. *Lun.* 6. *Indict.* 3. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *April.*

Coss. Scapula Tertullus, & Tineius Clemens.

Hic est ille Scapula ad quem posteà Africa Proconsulem, librum Tertullianus suum misit.

Acta Severi in Oriente.

Dio l. 75. 848.

I. DUm muri Byzantinorum obsidentur, Severus gloriæ cupiditate inductus, exercitum contra Barbaros Osroënos, Adiabenos & Arabas duxit. Antequam eò perveniret, Antiochiensibus iratior, quòd & ipsi illuserant, & Nigrum etiam victu juvarant, multa eis ademit. Neapolitanis etiam Palæstinensibus, jua civitatis abstulit, quòd pro Nigro in armis diu fuerant. Adiabeni, Osdroënique castellis nonnullis captis, Romanos milites occiderant. Quæ cùm Severi causâ hæc se fecisse dicerent, per Legatos beneficiam postularunt. Miserunt munera, captivos etiam spoliaque omnia se reddituros pollicebantur. Cùm verò castella quæ cœperant, retinere vellent, Romanosque milites extra regionem suum abduci postularent, bellum inceptum est. Ubi superato Euphrate, Severus terram hostilem invasit, defessis viâ, caloreque militibus pulvis tantùm molestiæ exhibuit, ut ne vel unum proferre verbum possent, præter *Aquam, aquam.* Cùmque laticis aliquid conspectum fuisset, Severus calicem postulatum, & aquâ repletum, in oculis omnium ebibit. Postquam Nisibim venit, ibi substitit. Laternum verò, Candidum & Lætum, contra Osroënos, Adiabenosque misit, quorum captæ urbes, regionesque incensæ, causam magnificè se iuferendi Severo præbuere. Magnam Nisibi dignitatem dedit, eamque commisit Equiti Rom. Ea tamen regio, quæ Syriæ propugnaculo esse dicebatur, Romanis fuit incommodo, ob magnos sumptus qui faciendi erant. Admirationi fuit omnibus audacia Claudii latronis, qui cùm ob direptam Syriam, Judæamque studiosè conquireretur, ad Severum pro Tribuno militum venit, cumque osculatus salutavit. Neque tamen ab eo statim agnitus, neque unquam captus postmodum. Quod Claudii factum, ad secundam Severi in Orientem expeditionem Baronius immeritò retulit. Neque vel minimo indicio colligi potest, quod Purpuratus illustrissimus affirmat: *Claudium ex Nigri partibus hominem fuisse.* Per idem tempus Scythæ statuebant bellum Romanis inferre, at in deliberantes immissum fulmen, quo tres eorum viri primarii percussi sunt, eos ab incœpto revocavit. Arabes quia nemo finitimorum ipsis operam ferre voluit, iterum Legatos ad Severum miserunt, quædam æquiora prætendentes. Non tamen impetrarunt quæ cupiebant.

Bar. An. 199. n. 3.

Dio l. 75. 849.

Severi in Albinum insidiæ.

II. Cùm Albinum sibi parum usui fore Severus arbitraretur, vulgato rumore, jam nimis illum impotenter Cæsaris nomen usurpare, præterea multos esse è Primoribus Senatus, qui ad eum clam literas darent, hortantes ad reditum, absente occupatoque Severo, his cognitis, Severus decrevit, Albinum dolo insidiisque tentare. Quare tabellarios aliquot, fidissimos sibi homines, cum literis ad Albinum misit, præmonitos uti redditis publicè Epistolis quædam habere se dicerent, quæ apud illum, remotis arbitris loquerentur. Severi Epistolam exhibet in vita Albini Capitolinus. Albinum fratrem amantissimum, & desideratissimum vocat, verbisque ejusmodi Epistolam claudit suam: *Tu velim exercitus Reip. ac nobis retentes, mi unanime, mi charissime, mi amantissime.* Ubi in secretum venissent Severi stipatores, quasi mandata dicturi, quinque validissimis præceptum, ut Albinum interimerent, gladiolis intra vestem latentibus. Neque illorum fides defuit. Nam cùm ad Albinum venissent, & Epistolam dedissent, quâ lectâ, cùm dicerent quædam secretius suggerenda, & locum semotum ab omnibus arbitris postularent, & cùm omninò neminem paterentur ad porticum longissimam cum Albino progredi, eâ specie ne mandata proderentur, Albinus intellexit insidias. Denique indulgens suspicionibus, eos tormentis dedit. Qui diu primò pernegarunt, sed posteà victi necessitate, confessi sunt ea, quæ Severus præceperat. Tunc jam proditis insidiis, Albinus exercitu ingenti collecto, contra Severum atque ejus Duces venit. Quæ anno præsente gesta esse testatur Herodianus. Auditâ Severi oratione confestim exercitus universus, Albinum hostem declarat: Severus verò *amplissimo donativo milites prosecutus, statim universos contra Albinum educit, missis item paritet, qui Byzantium expugnarent, clausam adhuc receptis Nigri Ducibus.* Ad res Ecclesiæ veniamus.

Anno Dom. 195.

Herodian. l. 3.

Capit. Albin. c. 8.

Herodian. l. 3.

Narcissus Hierosolymitanus.

Euseb. l. v. c. 22.

III. Hoc anno legimus apud Eusebii Chronicum: *Narcissus Hierosolymorum Episcopus, Theophilus Cæsariensis, Polycrates quoque & Bachylus, Asiana Provincia Episcopi insignes habentur.* Bachylus tamen *Achaia*, non *Asia* Episcopus fuit, utpote qui Corinthiam administrabat Ecclesiam. Ordine tricesimus erat ab Apostolis, & Narcissus quintum decimum successionis locum obtinuit, post obsessionem illam Judæurum, quæ Adriano regnante facta est. Multa ab eo patrata miracula narrantur. In magna Paschæ vigilia oleum ministris deerat. Qua de causa cùm universus populus gravissimo mœrore perculsus esset, Narcissum ferunt mandasse iis, quibus curæ erat lucernas accendere, ut aquam ex propinquo puteo haustam ad se deferrent. Oratione super aquam factâ, jussit sincerâ in Christum fide, ut eam lucernis infunderent. Quo peracto, *Ajunt, aquam mirabili quadam virtute, in olei pinguedinem esse conversam. Ex eoque oleo, apud plurimos fratres exiguum quoddam specimen ad memoriam tanti miraculi diutissimè fuisse servatum.* Cæterùm neque viri sanctitas, neque miracula, Narcissi innocentiæ adversus calumniam præsidio fuere. Quippe homines quidam nefarii, qui Narcissi constantiam vitæque integritatem ferre non poterant, veriti ne scelerum suorum pœnas darent, gravissimam ei calumniam asperserunt, quam sacramenti religione accusationem firmabant. Unus inter jurandum imprecabatur sibi, ut incendio periret, si falleret. Alter ut sævo, ac pestilenti morbo corpus absumeretur. Tertius, ut luminibus orbaretur. Perfidi mox juramenti pœnas dedere. Primus ea modica scintilla, quæ noctu incenderat ædes, cum universa familia

ANNO DOM. 195.

conflagravit. Alterius corpus, ab imis pedibus ad summum usque capitis verticem, eo morbi genere, quo seipsum mulctaverat, correptum est. Tertius Dei veritus vindictam, calumnias confessus, lachrymas tot tandiuque effudit, ut oculos amitteret. Narcissus verò cùm dictorum infamiam sustinere non posset, & alioqui Philosophicæ vitæ jam dudum amore teneretur, relictâ Ecclesiâ suâ, in solitudine plurimos annos delituit. Ignaris omnibus, ubinam locorum ageret: *Visum est finitimarum Ecclesiarum Episcopis, alium ejus loco Episcopum ordinare, Dium nomine. Qui cùm modico tempore præfuisset, successor ei datus est Germanio, quem deinde Gordias excepit.*

Euseb. l. VI. c. 9. 10.

ANNO DOM. 196.

ANNO U. C. 949. PER. JUL. 4909. JUL. 241. DOM. 196. SEVERI 3. & 4. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 7. *Indict.* 4. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 4. *Apr.*

COSS. *Cn. Domit. Dexter II. & Lucius Valerius Messala.*

Byzantium capta.

I. VAlidâ Byzantium obsidione cingebatur, quam ab anno CXCIV. fortiter pertulerat. Urbs erat Thraciæ maxima, felicissimaque viribus, & opibus florens. Quippe in angustissimo Propontidos constituta freto, vectigalia piscatumque a mare accipit, simul agros possidens amplissimos, ex utroque velut elemento, magnum lucrum facit. Habebat mœnia munitissima, quorum lorica crassis erat constructa lapidibus, per laminas ferreas colligatis. Aderant & magnæ turres, propugnaculum è regione continentis, portus intra murum, duabus catenis clausus, machinæ generis cujusvis, quibus saxa in hostes conjiciebant. Inerant & nonnullis machinis harpagones, quæ demissæ subitò, rapta celeriter sursum trahebant, quarum machinarum partem, Priscus Nicææ urbis civis fabricaverat. Byzantiis paratæ naves erant quingentæ, magna ex parte uniremes, nonnullæ etiam biremes & rostratæ. Machinis & munitionibus ejusmodi septa Byzantium, toto trium annorum spatio, à cunctis ferè orbis exercitibus obsessa, eorum impetum pertulit. Consumptis omnibus quæ intus erant, utuntur tignis ædium ad naves, & funiculos ex mulierum capillis faciunt. Cùmque hostes invaderent, lapides ex theatris, & equos ex ære, statuasque æneas integras jaculari cœperunt. Postquam cibus usitatus eos defecit, comederunt pelles maceratas, quibus consumptis, magna pars observatis procellis abnavigant, ut vel intereant, vel commeatum comparent. Tum inopinato impetu ruunt in agros cunctaque eodem modo prædantur. Qui remanserant in urbe, cœperunt mutuò contra se converti, seque inter se comedere. Alii cùm naves supra vires onerassent, magnâ tempestate observatâ solverunt, quod tamen nihil illis profuit. Romani enim citra intermissionem, naves aut tundebant, aut subvertebant. Hæc dum intuebantur, qui in urbe remanserant, Deorum opem implorabant. Ubi tempestas cessavit, totum mare proximum urbi, cadaveribus, fractis navibus, sanguine refertum erat. Quo spectaculo permoti, vel inviti statim deditionem faciunt. Tum Romani Byzantinos & milites, & Magistratus occidunt, uno pugile excepto, qui magnis Romanos incommodis affecerat. Ille verò cùm militum unum pugno percussisset, & alteri calcibus insultasset, ab iis occisus est. Priscus verò reus capitis factus, ob industriam suam, à Severo servatus est. Captâ Byzantio, tantâ Severus, qui tum in Mesopotamia versabatur, lætitiâ affectus est, ut militibus dixerit, *Tandem Byzantium cepimus.* Ad hanc cladem spectare videntur verba Tertulliani ad Scapulam: *Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamavit.* Civitati Severus abstulit libertatem, dignitatem municipalem, urbemque cum regione, quæ suæ ditionis erat, Perinthiis concessit, qui Byzantio usi, quasi vico, à nullo injuriarum genere temperarunt. Dolori magno Byzantiniis fuit, quòd mœnia suæ civitatis à Severo excisa sint: in quibus sese efferebant. Quâ eversione, ingens & adversus Barbaros, Romanorum præsidium eversum est. In muris septem turres erant. Harum ad aliam quandam si quis se contulisset, ea silebat, sin autem ad primam quis voces aliquas emisisset, aut lapidem injecisset, tum ipsa per machinam loquebatur, tum id ipsum alteri faciendum tradebat, atque ita per omnes illud eodem modo tendebat.

Dio l. 74. 846.

Byzantium ædificiis ornat Severus.

II. Etsi Byzantinis plurimùm infensus esset Severus, interventu tamen Caracallæ, vetusta jura restituta sunt, si Spartiano credimus, in vita Caracallæ *c.* 1. Ædificiis à Severo ornata fuisse Byzantii rudera, testatur & Zozimus: *Et alam quidem eo loco portam habebat, quo porticus illa desinunt, quas Severus Imperator extruxit, cùm suas adversus Byzantios iras deposuit.* Quin etiam dum Romam ex Oriente proficisceretur, Byzantium inivisse dicitur: *Cùm autem vidisset cives, cum oleaginis ramis, faustis acclamationibus celebrantes, & salutem petentes, & excusationes afferentes, à cædibus quidem abstinuit. Sed Perinthiis eos iterum subjecit, & theatri venationumque porticus ipsis præbuit, & Circum equestrem ædificavit, & tabulatis navium hostilium rostris exornavit, Templis, ædibus & hortis quorumdam pupillorum stratum, & arboribus resectis, quæ circum Circum illum equestrem erant, eâ figurâ quæ nunc cernitur, exornavit, adjunctis etiam balneis in Jovis Templo, quod Zeuxippum vocabatur. Quæ omnia Severus est auspicatus, ejus verò filius Antoninus perfecit.*

Zozim. l. 2. c. 30.

Suid. 724.

Caracalla Cæsar creatur.

III. Severo Romam redeunti, bellum civile Clodii Albini nuntiatum est. Albinum igitur statim hostem judicavit, & eos etiam qui ad illum mollius scripserant, aut rescripserant. In itinere filium suum majorem Bassianum, apposito Antonini nomine, Cæsarem appellavit, ut fratrem suum Getam, à spe imperii, quam ille conceperat, submoveret. Et nomen quidem Antonini, idcircò filio apposuit, quòd somniaverat Antoninum sibi successurum, vel quòd Severus in Marci familiam transire voluerit. Viminiacum ubi Caracalla Cæsar creatus est, urbs est Mysiæ superioris, teste Ptolomæo, in IX. Europæ tabula l. 3. *Viminatium legio.* Cæsaris titulus anno sequente, decreto Senatus, Caracallæ confirmatus est. Error est Baronii ad annum CXCIX. n. 1. quòd Bassianus tum *à patre nominatus Antoninus, simulque Cæsar sit appellatus.*

Spart. c. 10.

Prodigia.

IV. Toto orbe ob Severi Albinique dissidia commoto, Senatores quiescebant, quotquot non erant apertè in hunc, aut illum propensi. Populus autem teneri non poterat, quin hoc malum manifestissimè deploraret. Nam cùm esset ante Saturnalia, postremus dies ludorum Circensium, spectabantur currus certantes inter se seni. Postquam aurigas alterum cursum aggredi oportuit, simul omnes maximo applausu manuum

manum

ANNO DOM. 196.

Dio l. 75. 850.

nuum conclamant, populoque felicitatem precantur, Romam reginam & æternam vocant, atque uno ore, Quousque tandem, inquiunt, hæc patiemur, Quousque bello vexabimur? Præterea ignis repentinus in aëre, quâ parte ad Septentrionem spectat, est visus, ut eo plerique totam urbem comburi existimarent. Quod denique admirationi fuit Dioni, cœlo sereno, pluvia rori similis, colorisque argentei, in forum Augusti defluxit, quâ cùm æreì nummuli obliti essent, mansit is color tres dies, quarto verò die quidquid oblitum erat evanuit.

Numerianus Grammaticus.

V. Iisdem temporibus Numerianus Grammaticus, Româ nescio quo consilio adductus, in Galliam profectus est. Ubi dum se Senatorem esse simulat, missumque à Severo ad comparandum exercitum, primo parvas copias cogit, iisque conficit aliquot equites Albini, atque alia multa pro Severo fortiter egit. Quibus cognitis, Severus verè Senatorem esse ratus, ad eum scripsit, & ut majores sibi copias compararet jussit. Qui ampliore facto exercitu, præter cætera quæ præclarè gessit, misit ad Severum pecuniam quam coëgerat ad septigenties sestertium. Post venit ad Severum potitum victoriâ, eumque nihil celavit, neque petiit ab eo ut se cooptaret in ordinem Senatorium. Et cùm magnos honores consequi posset, ruri contentus, parvo quod à Severo in diem accipiebat, vitam egit. Albinus primo conflictu habito contra Duces Severi potior fuit.

Dio l. 75. 851.

Capit. Albin. cap. 9.

ANNO DOM. 197.

ANNO U. C. 950. OLYMP. 244. PER. JUL. 4910. JUL. 242. DOM. 197. SEVERI 4. & 5. *Sol.* 10. B. *Lun.* 8. *Indict.* 5. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 6. P. 24. *April.*

COSS. *Claudius Lateranus, & Titius Rufinus.*

Pugna Albinianorum cum Severianis.

I. UBi jam in Galliam Severi copiæ pervenerunt, leves quædam primò pugnæ quasi velitationes fuerunt, donec postremò apud Lugdunum majoribus præliis dimicaretur. Erant utrinque militum quinquaginta millia. Aderant & Albinus, atque Severus. Priore pugnâ Albinus Lupum vicit, unum ex Severi Ducibus, multique è copiis ejus milites interfecti sunt. Sed genus alterius pugnæ varium fuit. Nam cùm primo sinistrum cornu Albini victum, in munitionem castrorum profugisset, eosque insecuti Severiani simul in castra cum ipsis irruerent, eosque trucidarent, Albiniani qui dexterum cornu tenebant, habebantque ante se cæcas fossas, tecta ipsarum superficie ad eas usque progressi jaculabantur eminus, simulato verò timore retrocedebant, ut hostes ad insequendum se pellicerent. Cùm ergo Severiani impetum in fugientes fecissent, rati campum, qui inter utramque aciem medius erat, pervium esse, ex fossis gravissimam cladem acceperunt, occisis & equis & hominibus, qui in eas incidebant. Cæteri dum retrocedunt, novissimum agmen conturbant. Severus cum Prætorianis ad opem ferendam venit, at tantum abfuit ut illos auxilio juvaret, ut etiam Prætorianos ferè perderet. Ipse quidem amisso equo, in periculum venit. Sed ut vidit suos omnes fugere, statim discissâ chlamyde, districtoque gladio in fugientes insiliit, ut vel reverterentur, vel ipse unà cum eis occideretur. Multi qui viso Severo constiterant, in suos qui sequebantur conversi, magnum numerum eorum pro Albinianis concidunt. Pòst hostes insequentes se, in fugam convertunt. Lætus unus è Severi Ducibus, quandiu pugna æqualis fuit, substiterat, sperans utrumque periturum, sibique reliquos utrinque milites imperium daturos. Sed postea quam Severum jam superiorem esse cognovit, tandem ad rem aggressus, Albinianos confecit. Apud *Tibuttium* die XI. Calendas Martii, Severus claram hanc de Albino victoriam retulit. Eruditorum verò simillima conjectura est, *Tibuttium* urbem esse *Trevaux*, non longè ab Arari fluvio sitam. Tantum sanguinis effusum est, ut in fluvios influeret.

ANNO DOM. 197.

Dio l. 75. 850.

Mors Albini.

II. Albinus in domum quandam ad Rhodanum confugerat, quam ut sensit septam undique custodia teneri, mortem sibi conscivit. Ut Severus vidit corpus Albini, equum supra illud egit, expavescentemque admonuit, ut effrenatus audacter procederet. Defuncti caput misit Romam, ut summo palo affigeretur, reliquum verò cadaver in Rhodanum abjici jussit, simul etiam uxoris liberorumque ejus. Albinum anno CXCVIII. occisum fuisse, putant Pagius atque Calvisius. Nos verò nostræ Chronologiæ non pœnitet. Cùm enim Byzantium adhùc oppugnaretur, Severus *amplissimo donativo milites prosecutus, statim universos contra Albinum educit*, quod Herodianus scriptum reliquit. Anno quoque proximo Caracallam Cæsarem creatum fuisse, exploratum est: quo tempore contra Albinum jam arma movebat. Cùm ergo in Gallias Severus venerit anno CXCVI. incredibile est ad usque CXCVIII. decretoriam cum Albino pugnam fuisse dilatam. Prætereà currente anno, Caracalla Senatusconsulto Cæsar appellatus est, ut docent Inscriptiones: quos à Patribus honores non impetravit, nisi Albino defuncto. Albinus enim *à Senatu tantum amatus est, quantum nemo Principum, in odium speciatim Severi, quem vehementer ob crudelitatem oderant Senatores.* Unum est statuendæ opinioni suæ, viro doctissimo argumentum. Quòd nempe anno CXCVIII. Severus Romæ Quinquennalia celebrarit. Illud autem ex Herodiano colligit: *Posteà verò quàm in Templum Jovis ingressus est, omniaque sacrificia de more peregit, reversus in Palatium, magnoque Congiario populum Romanum victoriæ nomine prosecutus, ac nummos militibus largitus est, simul alia permulta indulsit, qua nunquam anteà acceperant.* Hinc nascitur argumentum: *Quæ novitates*, inquit, *gratiaque Quinquennalium Severi indicia.* Brevi respondemus, Beneficia hæc non *Quinquennalium*, sed *Victoriæ* nomine Populo, & militibus fuisse distributa, docente Herodiano, quo casu Quinquennalia Severi non erant expectanda. Mors Albini tempore moveri suo non potest, quin perturbatio incidat in expeditionem Severi Parthicam.

Dio l. 75. 853. Spart. cap. 11.

Capitol. Alb. c. 12.

Herodian. lib. 3.

Pag. Crit. an. 198. n. 5.

In Albinianos Severi crudelitas.

III. Post victoriam direpta mox & incensa Lugdunum. Interfecti sunt complures viri illustres, qui faverant Albino. Cùm quidam hostium, quem tamen uti bellis civilibus solet, conditio loci ad Albinum detulerat, causâ expositâ, novissimè conclusisset, Quid quæso faceres si tu hic esses, Severus respondit, *Ea perferrem quæ tu.* Interfectis innumeris, inter quos multi Principes civitatis, multæ fœminæ illustres fuerunt, bona omnium publicata sunt, quæ æra-

Vict. de Cæsar.

Spart. Sever. cap. 12.

ærariumque auxerunt Hispanorum, & Gallorum Proceribus multos occiderunt. Itaque Filiis suis ex hac proscriptione Severus tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum. Fallitur tamen Spartianus, dum scribit: *Tuncque primùm privatarum rerum procuratio constituta est.* Imò jam ab Augusti temporibus, & res, & nomen ipsum fuit cognitum, ut egregiè ostendit Salmasius. Occisi sunt etiam filii Nigri cum matre. Deinde Senatum Populumque R. per literas perterruit. Extat Epistola apud Capitolinum, in Albino. Ea multis quæ continet, pauca hæc lectori fœneramus: *Unum ex Afris, & quidem Adrumetinis, fingentem quòd de Cejonorum stemmate sanguinem duceret, usque adeò extulistis, ut eum Principem habere velletis, me Principe, salvis liberis.*

Acta Severi in urbe post victoriam.

IV. Occisis qui in Gallia erant, Albini amicis, Severus continuò Romam proficiscitur, exercitum omnem adducens, quo terribilior videretur. Urbem intrat occurrente laureato populo, ac magno honore, faustisque acclamationibus excipiente, Senatuque universo consalutante. Postcaquam in Templum Jovis ingressus est, omniaque sacrificia de more peregit, reversus in palatium, magnoque congiario Populum Romanum victoriæ nomine prosecutus, ac nummos militibus largitus est, simul alia permulta indulsit, quæ anteà nunquam acceperant. Nam & frumenti summam adauxit, & aureis annulis uti, & domi habere mulierem permisit. Senatum oratione suâ in gravissimum metum conjecit, quòd Syllæ, Marii, Augusti crudelitatem veluti rem tutissimam extolleret, humanitatem verò Cæsaris & Pompeii, ut rem perniciosam reprehenderet. Ad defendendum Commodum processit, cujus se fratrem Marco procreatum dixit. Non Commodum laudavit modò, sed *Deum* quoque dixit. Ad hunc igitur annum pertinent verba Lampridii de Apotheosi Commodi: *Hunc Severus inter Deos retulit, Flamine addito, quem ipse vivus sibi paraverat.* Hâc oratione recitatâ, viginti novem viros capite damnavit, in quorum numero fuit Sulpicianus, socer Pertinacis. Occisorum nomina refert Spartianus. Cincium Severum calumniatus est, quòd se veneno appetiisset, atque ita interfecit. Narcissum Commodi strangulatorem leonibus objecit. Multi obscuri loci homines morte quoque mactantur. Damnabantur autem plerique, aut quia jocati essent, aut quia tacuissent, aut quia pleraque figurata dixissent, *Ut esset Imperatar verè nominis sui, verè Pertinax, verè Severus.* Ut tamen clementiæ daret suæ specimen, viros XXXV. ex Albini comitibus absolvit, iisque usus est non aliter, ac si omni culpâ caruissent. Horum tantorum ac illustrium virorum interfector, ab Afris ut Deus habebatur.

Herodian. lib. 3.

Spart. cap. 14. Dio l. 75. 853.

Spart. cap. 13.

Cæsaris titulus Caracallæ confirmatur à Senatu.

Spart. cap. 14.

V. Cæsaris titulum, quem Caracallæ anno superiore Severus indiderat, præsente voluit à Senatu decerni: *Cæsarem deinde Bassianum filium suum Antoninum, à Senatu appellari jussit, decretis Imperatoriis insignibus.* Qua de re extant inscriptiones in Animadversionibus Scaligeri:

Laterano & Rufino Cos. Cooptatus. Ex. S. C. M. Aurelius Antoninus Cæsar. Destinatus.

Quin etiam Caracalla Imperator destinatus appellatur, quod apparet ex insigni inscriptione, quæ legitur & apud Scaligerum:

M. Aurelio Antonino. Cæs. Imp. Destinato. Imp. L. Septimi Severi. Pertinacis. Aug. Filio. Resp. Aqu.

Cùm Soror Severi *Lepitana* ad eum venisset, vix Latinè loquens, ac de illa multum Imperator erubesceret, dato filio ejus, lato clavo, atque ipsi multis muneribus redire mulierem in patriam præcepit, & quidem cum filio, *Qui brevi vitâ defunctus est.* Suspectam de vitio vulgatam Salmasius lectionem habet: *An reponendum*, inquit, *qui brevis ævi defunctus est?* Quidni potius *qui brevis vita*, pertenui facillimâque mutatione.

Spart. cap. 15.

Anno U. C. 951. Par. Jul. 4909. Jul. 243. Dom. 198. Severi 5. & 6. *Sol. 11. A. Lun. 9. Indict. 6. Epact. 4. Epact. Sol. 7. P. 9. April.*

Anno Dom. 198.

Coss. Ti. *Saturninus, & C. Gallus.*

Geta Cæsar creatur.

I. PArte aliquâ currentis anni Romæ versabatur Severus, quo tempore Caracalla Augustus vocatus est, Getaque Cæsar creatur. Qua de re insignis est Herodiani locus: Διατρίψας δ' ἱκανὸν χρόνον ἐν Ῥώμῃ, *cùm autem longo tempore Romæ esset moratus, ac filios imperii participes*, καὶ Αὐτοκράτορας, *& Imperatores designasset.* Quibus perspicuum est, anno proximo, ut eruditi nonnulli opinantur, Severum in Orientem non migrasse. Non assentimur tamen Herodiano, quòd imperii pars aliqua sit Getæ contributa: cùm neque Augusteo, neque Proconsulari donatus sit Imperio: *Post Parthicum bellum, pater cùm ingenti gloriâ floreret, Bassiano participe Imperii appellato, Geta quoque Cæsaris & Antonini, ut quidam dicunt, nomen accepit.* Qui locus est de priori bello Parthico intelligendus, de quo & Spartianus hæc scripsit: *Deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in ditionem redactis. Atque ob hoc reversus, triumpho delato, appellatus est Arabicus, Adiabenicus, Parthicus.* Turbat tamen ipsemet Spartianus, qui post captam Ctesiphontem, Cæsaris titulo Getam à militibus decoratum fuisse tradit: *Ob hoc etiam filium ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem imperii dixerunt milites, Getam quoque minorem filium, Cæsarem dixerunt.* Quin tamen in errorem lapsus sit Spartianus, nulli dubitamus. Ante captam Ctesiphontem Caracalla & Imperatoris titulo, & Tribunitiâ Potestate ornatus est. Ante secundam Severi in Parthos expeditionem decreta Caracallæ fuisse *Imperatoria insignia*, monet ipse Spartianus. Neque XIII. annum agebat Bassianus, cùm capta est Ctesiphon, secus anno Dom. CCI. expugnata fuisset. Ex Actis Perpetuæ & Felicitatis, Natale Getæ Cæsareum, in Martii VII. incidisse, colligi potest: *Munere Castrensi eramus pugnaturi. Natale tunc Getæ Cæsaris.* In Martyrologiis autem die Martii septimo Perpetua mortem obiisse dicitur.

Spart. Get. c. 5.

Spart. Sever. c. 9.

Spart. Sever. cap. 16.

Act. Perp. cap. 7.

Potestas Tribunitia Caracallæ.

II. Duo Tribunitiæ Potestatis, quæ Caracallæ collata est, initia sunt etiam atque etiam distinguenda. Prius ab anno CXCVII. cùm Imperator designatus est, posterius à præsente deducitur, quo Potestas hæc confirmata: quâ distinctione adhibitâ, plurimæ circa nummos & inscriptiones difficultates evanescunt. Inscriptionem quæ Romæ extat in Panthei fronte, Baronius exhibet anno 197. n. 2.

Im-

Anno Dom. 198.

Imperator Cæsar Septimius Severus, Pius Pertinax Arabicus, Adiabenicus, Parthicus, Pont. Max. Tribunit. Pot. XI. Cos. III. P. P. Et Imp. Cæs. M. Aurelius Antoninus Pius Felix Trib. Pot. V. Cos. Proc. Pantheum vetustate corruptum cum omni cultu restituerunt.

Severus anno Dom. CCIII. Potestatem Tribunitiam inibat undecimam, cui si quinta Caracallæ jungatur, anno CXCVIII. primùm incepisse statuendum. Nodos hosce solvemus verbis Clarissimi Pagii: *Tribunitia Potestas Severi ab Idibus Aprilis, seu die decimâ tertiâ ejusdem mensis anni CXCIII. quo à militibus acclamatus est Imperator, deducta, non verò à Calendis Junius, ut Onuphrius omnibus persuasit. Tribunitia Potestas Caracalla, in aliquibus Nummis & inscriptionibus, ab anno CXCVII. quo Imperator destinatus est, in aliis autem ab anno CXCVIII. dieque incerta, desumi solita. Quare in superiori parte Panthei, Tribunitia Potestas V. Caracalla, rectè cum undecima Severi copulatur, quia anno ducentesimo tertio, die XIII. Aprilis, Severus Tribunitiam Potestatem XI. init, quo tempore Trib. Potestas V. Caracalla adhuc per aliquot dies, ac fortè menses, in cursu erat, annoque CXCVIII. post diem XIII. Aprilis incboata fuerat. In arcu Septimii Severi eadem Tribunitia Potest XI. cum sexta Caracalla conjungitur, quia is anno CIII. post diem XIII. mensis Aprilis, sextam Trib. Pot. suscepit. Propter eandem rationem, prima Caracalla, cum sexta & septima Severi rectè congruit, quia Severus die XIII. Aprilis anni CXCVII. septimam capessiit, eoque die, prima Caracalla nondum absoluta erat, ideòque cum sexta & septima concurrere potuit. Ad hæc Caracalla die VIII. Aprilis anni CCXVII. interemptus, cum ageret Trib. Pot. XX. ab anno Christi CXCVII. incboatam, quo pacto anno Christi ducentesimo, die quartâ Aprilis tertia Trib. Pot. Caracalla currebat, quia quæ cœpit anno CXCVII. die quartâ Aprilis anni ducentesimi adhuc durare potuit.*

Pag. Crit. an. 198. n. 9.

Severus in Parthos proficiscitur.

III. Postquam Caracalla Augustus, ac Geta Cæsar nuncupatus est, Severus prætextu vindicandi Barsemii Atrenorum Regis, qui Nigri partes foverat, exercitum in Orientem eduxit. Bellum etiam Parthis minabatur, qui occupato bellis civilibus Severo, Mesopotamiam ditionis suæ fecerant cœpissentque *Nisibim*, nisi Lætus obsessam conservasset. Trajecto exercitu, à Brundusio continuato itinere, venit in Syriam. Parthi adventu Severi minimè expectato, domum sunt reversi. Præerat ipsis Vologæsus, cujus frater cum Severo erat. In Armeniam facturus impetum Severus præventus est à Rege, mittente obsides ultrò & munera, ac suppliciter petente, ut sibi cum illo fœdus & amicitiam inire liceret. Sed & Rex Osroënorum Abgarus, ad eundem transfugit, traditisque obsidio liberis, fidem suam auctoravit, sagittariorumque vim magnam misit auxilio. Posteà in Syriam rediit, ad ea paranda, quæ bello Parthis inferendo necessaria erant.

Dio l. 75. 853.

Spart. cap. 15.

Dio l. 75. 854.

Herodian. lib. 3.

Anno U. C. 952. Per. Jul. 4912. Jul. 244. Dom. 199. Severi 6. & 7. *Sol.* 12. G. *Lun.* 10. *Indict.* 7. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 1. P. 1. *April.*

Anno Dom. 199.

Coss. *Cornelius Anullinus II. & M. Aufidius Fronto.*

I. DUm in Syria belli gerendi tempus expectat Severus, Pescennianas reliquias Plautiano autore persequebatur. Plautianus ab initio ætatis tenui fortunâ fuit, sedi ionisque & aliorum criminum reus, ac mulctatus exilio. Sed erat Severi municeps, Afer natione, atque ut quidam putant, etiam consanguinitate propinquus, ut verò alii affirmant, flore magis ætatis per stuprum conciliatus. Hunc Severus ex parva humilique fortuna, ad opes maximas evexit. Plautiano prænomen fuit non *L. Septimius*, ut vulgò traditur, sed L. Fulvius, ut ex Spartiano tenemus: *Severus Heraclium ad obtinendam Bythiniam misit. Fulvium autem ad occupandos adultos Nigri filios.* Is autem qui ad eos comprehendendos missus est, Plautianus fuit: *Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit.* Tam profusæ luxuriei fuit, ut vomeret in conviviis, pueris & puellis non sine probro uteretur, cùm interim uxori suæ non permitteret, ne à Severo quidem ipso, vel Juliâ conspiceretur. Homo erat inexplebilis, multoque plura munera ab omnibus ad illum, quàm ad Severum mittebantur. Tantâ cupiditate flagrabat, ut equos Solis, tigribus simillimos, ex Insulis maris rubri, missis Centurionibus furatus sit. Excidit centum nobiles viros Romanos, quorum nonnullis uxores erant, quo Plautillæ filiæ suæ, major esset eunuchorum famulatus. Officium Præfecti Prætorio adeptus, Principibus Romanis potentior erat. Statuæque ei multò majores pluresque, & Romæ, & in aliis urbibus, ab ipso Senatu collocatæ sunt. Quidquid diceret, aut ageret Severus, id Plautianus perspectum habebat. Arcana verò Plautiani sciebat nemo. Cùm Nicææ mugilem aliquando postularet Severus, misit qui à Plautiano peterent, acceptumque ad se perferrent. Patiebatur illum in meliora diversoria recipi. Cùm Tyanis, quæ urbs est Cappadociæ, Plautianum ægrotantem Severus visitaret, milites Plautiani non sunt passi eos qui Severum sequebantur unà ingredi. Et qui causas coram Plautiano dici solitas ordinabat, jussus aliquando à Severo tunc otioso, litem ut aliquam introduceret, noluit, testatus id se non posse facere, nisi Plautianus jussisset. Consulatum cum Geta gessit anno CCIII. quo etiam Plautillam filiam Caracallæ collocavit nuptum. Adeò charus Severo fuit, ut de eo in Epistola scripserit: *Virum diligo, ut cupiam mihi esse superstitem.* Attamen si Spartiano credimus, parte temporis aliquâ de amoris erga Plautianum ardore remisit Severus: *Plautianum ex amicissimo, cognitâ ejus vitâ, ita odio habuit, ut & hostem publicum appellaret, & depositis statuis ejus per orbem terra, gravi eum insigniret injuriâ, iratus præcipuè, quòd inter propinquorum & affinium Severi simulachra, suam statuam ille posuisset. Posteà iterum cum Plautiano in gratiam rediit.* Conflatas à Severo nonnullas Plautiani statuas, easque de causa, & à multis imagines ejus concisas esse, scriptum Dioni. Hinc eo nomine postmodum pœnas dedere. Quæ de Plautiano suse fatis

Plautianus. Q...?

Herodian. lib. 3.

Spart. Nig. c. 6.

Spart. Sever. c. 6.

Dio l. 75. 857.

Spart. Sever. cap. 14.

ANNO DOM. 199.

tis à nobis sunt observata, eripiunt errorem Baronio, qui anni 201. n. 20. scribit, *Roma relictum qui omnium curam gereret Plautianum.* Certo enim certius est, in Parthica expeditione Plautianum comitem fuisse Severo.

Error Baronii.

Ctesiphon expugnatur a Severo.

Spart. cap. 16.

II. Æstate exeunte Severus Parthiam ingressus, Ctesiphontem pulso Rege Vologæso pervenit, & cœpit hyemali propè tempore, quòd in illis regionibus melius per hyemem bella tractantur. Cùm herbarum radicibus milites viverent, atque inde morbos contraherent, obsistentibus Parthia, fluente quoque per insuetudinem cibi alvo militum, longius ire non posset, perstitit tamen, & oppidum cœpit; Regem fugavit, ac plurimos interemit, & Parthicum nomen meruit. In ea expeditione, omnia quæ à Parthis parata fuerant, itemque Seleuciam & Babylonem desertas celeriter occupavit, Ctesiphontem diripiendam dedit militibus, cœpitque superstitum hominum centum millia. Eam tamen urbem non retinuit, tanquam ob id solum venisset, ut eam diriperet, discessitque coactus ignorantiâ locorum, & inopiâ rerum necessariarum, reversusque est aliâ viâ, quòd fœnum lignaque inventa in superiore itinere consumpta essent.

Dio l. 75. 854.

ANNO DOM. 200.

ANNO U. C. 953. PER. JUL. 4913. JUL. 245. DOM. 200. SEVERI 7. & 8. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 11. *Indict.* 8. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 2. & 3. P. 20. *Apr.*

COSS. F. *Claudius Severus*, C. *Aufidius Victorinus.*

Atra frustra à Severo obsidetur.

I. SEverus ubi transiit Mesopotamiam, in Arabiam Felicem excurrit. Ibi expugnatis vicis, urbibusque permultis, omnemque agrum depopulatus, in Atrenorum regionem mox ingressus, Atras circumsedit, urbem altissimo impositam monti, ac maximis validissimisque obseptam mœnibus, florentemque ingenti sagittariorum copiâ. Oppidum Severianus exercitus quantâ maximâ vi poterat, oppugnabat, machinasque omnifariam mœnibus admovebat, nullo oppugnationis genere prætermisso. Contrà autem Atreni audacter urbem defensare, sagittisque ac lapidibus non parum negotii Severiano exercitui facessere. Quin etiam vasa fictilia volucribus parvis quidem, sed venenatis bestiolis implentes, in eos projiciebant. Defatigatis ergo militibus, Severus exercitum ne universus interiret, re infectâ reduxit. Porro de situ Atræ urbis quæstio est, nempe fueritne intra, vel extra Mesopotamiam. Extra fuisse, hæc monent Dionis: *Severus ut transiit Mesopotamiam, Atra quæ non longè aberant, frustrà adortus est.* Stephanus verò in ipsa Mesopotamia urbem eam sitam esse tradit: *Atra urbs inter Euphratem & Tigrim, cujus Arrianus libro* XVII. *Parthicorum meminit.* Non falli Stephanum testis est Marcellinus: *Universi præter mersos ad ulteriores venimus margines*; Tigridis scilicet fluminis de quo capite VI. dixerat, *Exercitus vociferans immodestè, dari sibi copiam transeundi Tigridis flagitabat.* Quo superato, *prope Hatram venimus.* Atra igitur erat Tigrim inter & Euphratem. Hujus civitatis obsidio clarissimis fatalis Imperatoribus fuit, teste Ammiano: *Prope Hatram venimus, vetus oppidum, in media solitudine positum, olimque desertum, quod diruendum adoriis temporibus variis Trajanus & Severus Principes bellicosi, cum exercitibus penè deleti sunt.* Atræ obsidione solutâ, Severi exercitum navibus multis devectum, non ad Romanas ut volebat ripas, sed ad Parthicas appulisse, ac vicis aliquot incensis, paulatim ad Ctesiphontem usque, in qua Rex commorabatur Artabanus, perrexisse, urbemque fuisse direptam, tradit Herodianus. Quæ multum à Dione dissident atque Spartiano. Prima enim Atræ obsidio Ctesiphontis excepit expeditionem: neque Parthorum Regi *Artabano*, sed *Vologæso* nomen fuit.

Herodian. lib. 3.

Dio l. 75. 854.

Marcell. l. 25. c. 8.

Lætus & Crispinus occiduntur.

II. Dum adversus Atrenos bellum Severus gerit, jussit occidi Julium Crispinum Tribunum Prætorianorum militum, qui defessus belli laboribus ac irâ incitatus, Carmen Maronis cecinerat:

Scilicet ut Turno contingat regia conjux,
Nos animæ viles inhumata infletaque turba
Sternamur campis.

Æneid. lib. 11.

Valerium verò militem, qui Crispum accusaverat Tribunum, Severus in ejus locum designavit. Flebilior fuit mors Læti, viri prudentissimi & perchari militibus, qui nisi Læto Duce negabant se pugnaturos. Cujus cædis nullam sanè causam nisi invidiam habuit. Memor tamen videtur fuisse pugnæ cum Albinianis commissæ: quasi Lætus eventum pugnæ expectarit, retento de industria milite, ut sibi imperium vindicaret. Si quidem non prius in pugnam processit, quàm ubi Severus cecidisse nuntiatus. Cædis culpam militibus imputavit Severus, quasi contra voluntatem suam id facinus perpetrassent.

Dio l. 75. 854.

Herodian. lib. 3.

Tertullianus. De vita ejus atque officio.

III. Eo tempore florebat vir, cujus fama per orbem Christianum longè percrebuit, Septimus Tertullianus. Patriâ Carthaginensis erat: *Infantes*, inquit, *penes Africam Saturno immolabantur palam, usque ad Proconsulatum Tiberii, qui eosdem Sacerdotes in eisdem arboribus Templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militiâ patriæ nostræ, quæ id ipsum munus illi Proconsuli functa est.* Id etiam disertè legitur in Hieronymo. Tertullianus *Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginensis, patre Centurione Proconsulari.* Proconsularis officii Centuriones, ignobilis militiæ munera exercebant, utpote Proconsulum apparitoribus Præfecti. Constat è tenebris Idololatriæ in fidei lucem fuisse vocatum. Quippe de extremo loquens judicio, *Suscitatisque omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recensitis ad utriusque meriti dispunctionem, Hæc*, inquit, *& nos risimus aliquando: de vestris fuimus, Fiunt, non nascuntur Christiani.* Dum superstitionibus immergebatur, fœdissimis etiam voluptatibus persluebat, quod & ipse profitetur: *Ego me scio, neque aliâ carne adulteria commisisse, neque nunc aliâ carne ad continentiam eniti.* In foro patronum egisse, indicio est peritia legum, quam in Tertulliano laudat Eusebius: *Tertullianus vir legum Romanarum peritissimus*, quas sæpenumerò laudat suis in Operibus. Quo tempore superstitionem ejurarit, divinare non possumus. Tertio ineunte seculo ab Ecclesia descivisse Tertullianum, Eliæ du Pin sententia est. A qua nostra meritò diffidet, cùm anno CCI. in Ecclesiam asperè invectus sit, libro de Corona militis. Montanistam agebat ex eo tempore quo condidit Apologeticum, quod librum excipit, de Corona Mil. Itaque vel ex sua Chronologia quæ anno CC. vindicat Apologeticum, Clariss. du

Tertul. Apol. c. 9.

Tertul. Apol. cap. 18.

Tertul. de Resurr. cap. 59.

Euseb. l. 2. cap. 2.

ANNO DOM. 200.

du Pin fateri debet, lapsum Tertulliani tertio antecessisse seculo. Est igitur vero simile, sedente Victore, qui excessit anno CXCVII. Tertullianum Montanistarum in partes transiisse. Pamelio non credimus, existimanti Tertullianum ob repulsam Episcopatus Carthaginensis ab Ecclesia descivisse. Cùm similem discessionis causam in Valentino graviter perstrinxerit c. 4. In errorem impulit durum hominis ingenium, severioris quo flagrabat, amor disciplinæ. Cujus causâ à Clericis Rom. vexatus, ad Montanum se recepit. Defectionis Tertulliani germana ergo causa fuit, novæ disciplinæ fulgor, qui severum hominem specie alliciebat suâ: *Et nos quidem*, inquit, *posteà agnitio Paracleti, atque defensio disjunxit à Psychicis.* Non à vero diffidet, quòd *Proclus* ejus animum corruperit: *Proculus*, inquit, *noster, Virginis senecta, & Christiana eloquentia dignitas.* Autor quidem Appendicis ad librum de Præscriptum mentionem Cataphrygum fecit, *Qui κατὰ Proclum dicantur.* Ex libro de Anima c. IX. colligitur Tertullianum functum esse officio Presbyteri: *Fortè nescio quid de anima disseraeramus, cùm ea soror in Spiritu esset. Post transacta solemnia dimissâ plebe, quo usa solet nobis renunciare quæ viderit.* Presbyterorum verò partes erant, palam in Ecclesia docere. Presbyteri quidem munere Tertullianum ornatum fuisse, ex Hieronymo scimus. Tertullianus, *Cùm usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, invidiâ posteà & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ Prophetiæ meminit.* Agitatur inter eruditos quæstio, an Romæ versatus fuerit Tertullianus, uti verba Hieronymi subindicare videntur. Id præcisè negat Pagius: *Nullus*, inquit, *Veterum, Tertullianum Romæ versatum esse scripsit.* Hem nullus Veterum scripsit! Quid si scripserit ipse Tertullianus? Verba ejus audiantur de Habitu muliebri c. VII. *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ, de fastigio Parthorum & Medorum, cæterorumque gentilium suorum.* Eò etiam pertinere existimamus locum Eusebii: *Hæc Tertullianus, vir legum Romanarum peritissimus, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν, & aliis rebus illustris, & jam inter eos, qui Romæ insignes erant.* Certè dura nostris est auribus versio Valesii, *inter Latinos* Scriptores, cùm vox Ῥώμης, urbem Romanam significet, in qua ob eruditionem suam Tertullianus inclaruit. Non ignarum fuisse uxoris legitimæ Tertullianum in confessum venit. Quâ & usum esse dum Presbyterum agebat, innuunt verba ejus: *Quare facultatem continentiæ quantum possumus, non diligamus? Quam primùm obvenerit imbibamus, ut quòd in matrimonio non valemus, in viduitate sectemur.* Dixissetne quod in matrimonio non valemus, si perpetuam in eo continentiam sibi injunxissent? *Acrem & vehementis ingenii* extitisse Tertullianum, ejus Opera prædicant, vel tacente Hieronymo. Insigne est Vincentii Lirinensis de Tertulliano testimonium, Commonitorii primi c. 24. *Sed & Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille* (Origenes) *apud Græcos, ita hic apud Latinos, nostrorum omnium facilè princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, Autores, assertoresque Sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem Historiarum ac studiorum varietatem mirâ quâdam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi & vehementi excelluit, ut nihil sibi ad expugnandum proposuerit, quòd non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit. Jam porrò orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tantâ nescio quâ rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non poterit, impellat. Cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, cæterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit.* Ne id quoque prætereundum, quod apud Hieronymum legimus: *Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se B. Cypriani jam grandis ætatis, notarium, cùm ipse esset admodum adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præterisse; ac sibi crebro dicere, Da Magistrum, Tertullianum videlicet significans. . . . Fertur vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa quæ non extant Opuscula condidisse.* Eruditionem cum mentis acrimonia conjunctam, ut extitisse in Tertulliano profitemur, in ejus tamen oratione facunditam desideramus, utpote quæ ambage novorum verborum, à lingua sanè Latina alienorum obscura sit. Placet nobis Lactantii de Tertulliano judicium: *Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in eloquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obscurus fuit.*

Tertul. adver. Prax. c. 8.

Tert. in Valent. c. 5.

Pag. Crit. an. 199. n. 3.

Tertul. ad Uxor. l. 1. cap. 7.

Lactant. lib. V. c. 1.

Librorum Tertulliani Chronotaxis.

IV. Plurima etiamnum Tertulliani monumenta supersunt, quorum Chronotaxin sic digerendam esse putamus. Librorum ipsius nonnulli prius conditi sunt, quàm Montani in errorem delaberetur, alii verò scripti sunt, postquam ab Ecclesia separatus est. Ut autem Tertullianeorum librorum ætatem accuratius noscamus, id etiam atque etiam observandum, Severi persecutioni errores Tertulliani antecessisse, uti ex verbis libri de Corona militis colligimus c. 1. *Mussitant denique, tam bonam, & longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quasdam Scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem; nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi & Pastores eorum, in pace leones, in prælio cervos.* Cùm igitur ex intimis præcordiis Montanismum anhelaret Septimius, eo tempore quo librum de Corona confecit, cùm propediem pax Ecclesias relictura erat, consequens est Opera Tertulliani omnia, quæ Catholicâ manu exarata sunt, ante annum CCI. prodiisse, quo liber de Corona militis editus est imminente jam persecutione, quæ anno CCII. exorta est: ante lapsum ergo Tertulliani, confecti sunt libri de Baptismo adversus Quintillam, de Pœnitentia, de Oratione, de Spectaculis, de Habitu muliebri, de Cultu fœminarum, ad Uxorem. Alia verò Tertulliani Opera, post annum ducentesimum Æræ nostræ sunt concionata. Porro quos probabiliter admodum suis temporibus libros Tertulliani generatim divisimus, sigillatim ordine disponere, ætatique suæ dispensare, est longè difficillimum.

Liber de Baptismo. Quæ Quintilla?

V. Libris à Tertulliano manu Orthodoxâ ante annum CCII. scriptis, sequentes apponimus. De Baptismo adversus Quintillam, mulierem

lierem *de Caiana hæresi viperam venenatissimam.* Quintillæ meminit Epiphanius, quæ ab illa Tertulliani multum diversa, quas Pamelius mulieres immeritò permiscuit. Alia sanè Cataphrygum, alia Caianorum hæresis. Quintilla verò Epiphanii inter Cataphryges censebatur: *Cataphryges Quintillam aut Priscillam, neque enim utra sit certò scimus, sed harum alteram dicunt Pepuzæ aliquando somno correptam. Tum ad eam descendisse Christum, ac simul cum ipsa ejusmodi habitu dormiisse, ut vana muliercula jactabat. Muliebri, inquit, specie ac veste splendidâ, venit ad me Christus, mihique sapientiam indidit.* Quintilla Tertulliani Baptismum tollebat è medio: *Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet, nisi si qua nova bestia evenerit similis pristinæ, ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat.* Quintilla Epiphanii baptismum retinebat: cujus administrandi facultatem mulieribus largiebatur. Apud Pepuzianos, *Mulieres Episcopi sunt, & Presbyteri, & ad eos cæteros gradus alleguntur, nullum ut discrimen sexus servetur.* Quintilla Tertulliani in Africa & Carthagine docuit: *Nuper conversata istic, quadam de Caiana hæresi, vipera venenatissima, doctrinâ suâ plerosque rapuit: in primis baptismum destruens planè secundum naturam.* Quintilla Epiphanii in Phrygia docebat: Pepuzam *locum sanctum esse significans, in eumque Sanctam Hierosolymam delabi.* In Africam verò docendi causâ transmisisse, nullo vestigio reperitur. De Baptismo librum Tertulliani ante lapsum, scriptum fuisse eò nonnulli statuunt, quòd docendi, baptizandique munus fœminis abdicat, capite octavo, exemplumque Theclæ, quo ad licentiam docendi tinguendique abutebantur, ab Asiæ Presbytero confictum fuisse testatur. Id quidem in confesso est, Quintillianos qui inter Cataphryges censebantur, & ab iis orti erant, mulieribus docendi facultatem contribuisse: *Sæpenumerò in illorum Ecclesiam, septem cum facibus virgines ingrediuntur, candidâ veste, populo ut oracula reddant.* Ab insano tamen eo more Tertullianus maximè alienus fuit. Soror illa, quæ apud ipsum *revelationum charismata sortita erat,* nonnisi *dimissâ plebe*, renunciabat, quæ viderat.

Epiph. h. 49. n. 1.

Tertul. de Bapt. cap. 17.

Epiph. h. 49. n. 2.

Tertul. de Bapt. c. 1.

Epiph. h. 49. n. 2.

Tertul. de Anim. c. 9.

De aliis Tertulliani libris scriptis ante lapsum.

VI. Tertulliano de Pœnitentia librum ascribimus, Autore Paciano. *Tertullianus post hæresim, nam multa inde sumpsistis, ipsum Epistola sua, & ea ipsa, quam Catholicus edidit, audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere.* Liber ille de Pœnitentia eo tempore exaratus est, quo Tertullianus nondum in errorem inciderat. Peccatoribus enim secundæ pœnitentiæ adhibebat remedia: *Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed jam semel, quia jam secundò . . . iterata valetudinis iteranda est medicina.* Pulsantibus tamen post baptismum peccatoribus, qui in fornicationem delapsi fuerant, durus ille Tertullianus, Montani sui spiritu plenus, aperire noluit, teste libro de Pudicitia. Est etiam de Oratione liber, ab omni Montanismi labe alienus: *Die Pascha, communem & quasi publicam* esse fatetur *jejunii religionem.* Cujus causâ deponebatur osculum. Hujus verò diei non modò meminisset Montani de grege Scriptor, sed etiam quindecim illos dies memorasset, qui ex nova novi Prophetæ disciplina jejunio dicabantur: quibus & ab osculo temperatum. De Spectaculis, deque Idololatria libri, pace virorum eruditissimorum Guillelmi Cavii, & Petri Alix, ante annum CCIV. innotuerunt, quia Operi de Corona militis antecessere. Libri de Spectaculis mentionem fecit de Corona militis c. 6. Agens enim de voluptatibus Spectaculorum: *Sed*, inquit, *& huic materiæ propter suaviludios nostros, Græco quoque stilo satisfecimus.* Tractatus verò de Idololatria, illum de Spectaculis excepit: *De Spectaculis autem & voluptatibus ejusmodi, suum jam volumen implevimus.* Itaque & sibi, & aliis errorem Baronius incussit, dum anno Dom. CCIV. de Spectaculis & Idololatria libros putat esse conditos. Duos ad uxorem libros, editos etiam antè putamus, quàm Tertulliani fides à veritate degenerasset. Docet enim disertè, & fugam in persecutionibus esse permissam, & secundum matrimonium esse legitimum: *Nam etsi non delinquas renubendo, carnis tamen pressuram subsequi dixit.* Secundas quoque nuptias concessas esse non diffitetur: *Nullam aliam formam repetundarum nuptiarum nisi in Domino præscribit. Huic soli conditioni, continentiæ detrimenta concedit.* Quantum diversus ab illo Tertulliano, qui imbutus Pseudoparacleti sui disciplinâ, hæc de persecutione sciscit: *Si enim persecutio à Deo evenit, nullo modo fugiendum erit, quod à Deo evenit.* Et in libro de Monogamia dutissimam hanc sententiam profert c. 1. *Unum matrimonium novimus, sicut unum Deum.*

Epist. 3.

Tertul. de Pœnit. c. 7.

Tertul. de Idol. c. 13.

Tertul. ad Uxor. l. 1. cap. 7.

Tertul. ad Uxor. l. 2. cap. 2.

Tertul. de Fuga cap. 3.

De libris Tertulliani post lapsum.

VII. Post lapsum, sequentia scripsit Tertullianus: librum de Corona militis, de Jejuniis, de Pudicitia, de Monogamia, de Fuga in persecutione, Apologeticum, ad Nationes libros duos, librum adversus Judæos, contra Marcionem libros v. De Præscriptionibus, de Pallio adversus Hermogenem, de Anima, de Carne Christi, de Resurrectione carnis, adversus Praxeam, Scorpiacum, ad Scapulam, ad Martyres, de Patientia, de Testimonio animæ. Quorum penè omnium accuratam conscribere Chronologiam, nostras vires longè superat. Liber de Corona, anno CCI. prodiit, cùm in procinctu persecutio fuit. Montano jam suo vehementer militabat Septimus: *Planè superest*, inquit, *ut etiam martyria recusare meditentur, qui Prophetias ejusdem Spiritus Sancti respuerunt.* Quod telum torsit in Ecclesiam, somnia Montani repudiantem. Hactenus diu satis in pace Christiani vixerant: *Mussitant denique tam bonam & longam sibi pacem periclitari.* Pugnæ veluti classicum dedit vis illata militi, *Qui russatus sanguine suo, donativum Christi in carcere expectabat.* Itaque N. Alexandri conjectura nobis probari non potest, quod occasione libri de Corona Militis à Clero Romano graviter exceptus, Montani errores palam propugnare cœpit. Jam enim desciverat ab Ecclesia, cùm admovit animum scribendo *de Corona* libro.

Tertul. de Cor. c. 1.

Tertulliani Apologeticus ubi & quando scriptus?

VIII. Præstantissimus ille liber, *Apologeticus*, ubi, & quando scriptus sit, disputatio est inter eruditos. *Apologeticum*, inquit Scaliger, *dubito an sub Severo scripserit* Tertullianus, *cùm dicat, Papias leges hæres constantissimus Principum exclusit. Videtur de mortuo loqui.* Atqui ex verbis Septimii colligendum potius, Severum adhùc inter homines fuisse. Neque eo extincto, gravis ulla persecutio fuit ad usque Decium. Romæ anno CXCIX. conditum fuisse, creditum

Scalig. in Euseb. n. 2223.

ANNO DOM. 200.

tum Baronio: *Cùm adhùc quærerentur ad necem, à Plantiano adversatiarum partium consci, ipse Tertullianus librum Apologeticum pro Christianis ad urbis An...stites elucubravit.* Alii anno CCXVII. editum fuisse putant, sæviente in Christianos *Scapulâ* Proconsule. Quæ sententiæ sunt rejiciendæ. Anno CXCIX. nil adhùc persecutionis motum. Vigebat felix longaque pax illa, cujus meminit Tertullianus, quæ cùm anno CCII. turbata sit, antè id tempus vulgari Apologeticus non potuit. Est & unus ex Baronianis erroribus, quòd Romæ scriptus sit, & ad Senatum missus. Cui aberrationi ansam Apologetici initium præbuit: *Si non licet vobis, Romani imperii Antistites, in aperto, & edito ipso ferè vertice civitatis præsidentibus, ad judicandum* &c. Ex ipso tamen Tertulliano moneri Baronius potuit, verba hæc ad Provinciarum attinere Præsides: *Sed hoc agite, boni Præsides, meliores multò apud populum, si illis Christianos immolaveritis.* Et capite secundo: *O quanta illius Præsidis gloria, si eruisset aliquem, qui centum jam infantes comedisset. . . Leges, malos erui jubent, non abscondi; confessos damnari præscribunt, non absolvi; hoc Senatusconsulta, hoc Principum mandata definiunt, hoc imperium cujus ministri estis.* Idcircò mutatâ personâ, Romam ipsam alloquitur c. 35. *Ipsos Quirites ipsam vernaculam septem collium plebem convenio.* Baronii sententiæ meritò adversantur Pagius atque du Pin, quam tamen imbelli hoc argumento refellunt: *Civitatis nomen, ipso Apologia initio memoratum, non de Roma, quæ non civitas, sed urbs ab Antiquis vocari solet, verùm de Carthagine intelligenda.* Atqui civitatis nomen Romæ non semel imponit Livius *lib.* 1. *Ut fides ac jusjurandum, proximo legum ac pœnarum metu, civitatem regerent.* Libro quoque secundo: *Hîc primo sensim tentantium animos, sermo per totam civitatem est datus.* Civitas etiam Roma dicitur in percelebri illa Getæ sententia: *Ergo in civitate plures erant tristes quàm læti, quòd vicimus.* Ab Antiquis ergo Roma *civitas* appellatur: etsi nobis sit infixum animo, *Carthaginem*, non *Romam* à Tertulliano significari: quod & apertè indicant verba capitis XLV. *Deum, non Proconsulem timentes.* Anno Dom. CCIII. Carthagine Apologeticum scriptum esse censemus. Quo tempore Severus ex Oriente reversus triumphum egit, ac Plautianus in gratia fuit, quo impellente, qui Nigri partibus, atque Albini faverant, diligentissimè quærebantur: *Inter hæc Pescennianas reliquias, Plautiano autore persequebatur.* Quærendi sanè finem non inveniebat insatiabilis avaritia Plautiani, cum crudelitate conjuncta. Quò & alludunt verba hæc Tertulliani c. 35. *Sed & qui nunc scelestarum partium socii, & plausores quotidie revelantur, post vindemiam patricidarum racematio superstes, quam recentissimis & ramosissimis laureis postes præstruebant.* Quæ in annum Christi CCXVII. conferri nequeunt. His accedat, cùm anno CCIII. & proximè sequentibus, ingrueret persecutio Carthaginensis, antequam Geta Augusti titulo indueretur, quem demum accepit anno CCVIII. incredibile est in silentium descendisse Tertullianum, eo præcipuè tempore, quo Africana Ecclesia persecutionis incendio corripiebatur, & Perpetua, aliique Martyres crudeli morte mactabantur. Quæ Getâ adhùc Cæsare contigisse, Acta Perpetuæ testantur. In Græcum

Bar. An. 201. n. 37.

Error Baron.

Apolog. c. 50.

Pag. Crit. An. 199. n. 6.

Spart. Get. c. 4.

Spart. c. 15.

translata fuit Tertulliani hæc Apologia: *Ab ipso quidem*, inquit Eusebius, *Latine conscripta, posteà verò in Græcum sermonem translata.* Cujus versionis Autorem Eusebium Valesius inficiatur: quia non omissurus utique fuisset, id quod ad institutum ipsius maxime faciebat, mentionem scilicet miraculorum Christi, quæ Pilatus ad Tiberium retulerat. Libri ad Martyres, & de Patientia anno CCIII. vel sequente vulgati sunt, furente persecutione.

IX. Librorum ad Marcionem Epocha ex ipsis facillimè sciri potest: *At nunc quale est, ut Dominus à XII. Tiberii revelatus sit, substantia verò ad decimum quintum jam Severi Imperatoris, nulla omninò comperta sit.* Severi decimus quintus partim anno Dom. CCVII. partim sequenti insidet, itaque vel anno CCVIII. vel proximo Opus in Marcionem confectum est. Quem librum excepit ille de Præscriptionibus, ipso docente Tertulliano: *Sed alius libellus hunc gradum sustinebit adversus Hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis.* Totâ itaque viâ erravit Baronius, qui de Præscriptionibus librum anno CXCV. scriptum esse tradit. Neque momenti est alicujus conjectura, quâ id probatum voluit: Nempe *quia de Artemone Hæresiarcha, qui sub Victore prodiit, nullam penitùs mentionem fecerit, quòd scilicet nondum ipse Artemon cognitus esset.* Jejunum sanè argumentum, quia obscurus ille Hæreticus vel ignotus esse Tertulliano potuit, vel labente memoriâ oblivioni dari. Ex insigni temporis nota, quam libro de Præscriptionibus apposuit Tertullianus, apparet & errasse Christianum Lupum, qui scripsit: *Libellum hunc Septimius nobis dedit adhuc Catholicus.* Huic libro assuta lacinia est, quæ in melioris notæ exemplaribus desideratur. Subditam esse, vel ex ipso Tertulliano deprehenditur, qui libro suo finem imposuit ejusmodi: *De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus. Hæc in fide veritatis legentibus, pax & gratia Domini nostri Jesu Christi in æternum.* Quæ verba sunt Scriptoris Opus suum absolventis. Quæ sequuntur ergo, Tertulliani esse nequeunt, sed Autoris ætate vel ipsi Epiphanio posterioris, quocum facit, Marcionem Episcopi filium & Virginis stupratorem, quæ germano Tertulliano ignorantur. Denique Montanum Hæreticis inserit, cujus discipuli *dicunt, Paracletum plura in Montano dixisse, quàm Christum in Evangelio protulisse.* Illud verò à Tertulliano scribi haud potuit, utpote qui addictus Montani disciplinæ fuit, cùm librum de Præscriptionibus edidit.

X. Liber de Pallio prodiit anno CCXI. Quæ nostra conjectura his innititur: *Quantum reformavit orbis seculum istud? quantum urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit, præsentis Imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente. Quot census transcripti? Quot populi repaginati? Quot ordines illustrati. Quot Barbari exclusi? Reverà orbis cultissimum hujus imperii rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, & cacto, & rubo subdola familiaritatis, consitum & amœnum, super Alcinoi pometum & Midæ rosarium.* Triplex hæc Imperii virtus, non *Nigrum* spectat, ut visum Centuriatoribus; non *Albinum*, ut placuit Pamelio, quasi verò Pescennium Nigrum, hostem Severo infensissimum, pro virtute imperii Tertullianus habuisset. Neque etiam Albinus

ANNO DOM. 200.

Euseb. l. 2. c. 2.

Libri Tertulliani ad Marcionem & de Præscript. quando scripti?

Tert. adver. Marc. c. 15.

Tert. in Marcion. l. 1. c. 5.

Error Baronii.

Anno CXCVII. n. 21.

Tert. de Præscr. c. 45.

Tert. de Præscr. c. 52.

Ætas libri de Pallio. Pallium, cujus vestis.

Tert. de Pall. c. 2.

binus

binus est intelligendus. Quippe Caracalla Cæsar creatus est, dum Severus in Albinum arma moveor: *Cùm iret contra Albinum in itinere, apud Viminatium, filium suum majorem Bassianum, apposito Aurelii Antonini nomine, Cæsarem appellavit.* Quin etiam in Albinum & Nigrum Tertullianus invehitur: *Unde Cassii, & Nigri, & Albini?* Perduellium partibus Christianorum favisse neminem, scriptum reliquit ad Scapulam c. 2. *Nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani.* Fuisset autem Albinianus & Nigrianus, si eos tanti fecisset Septimius, ut præclaro *virtutis imperii* titulo Albinum afficeret, aut Nigrum. Triplex igitur imperii virtus, Severus est, cum duobus filiis. Cùm porro ipsos *Augustorum nomine* donaverit, *Deo tot Augustis in unum favente*, luce clarius est hæc scripta esse, postquam Geta Augustus creatus est, anno CCVIII. ut tum declarabitur. Insuper quæ de *tot Barbaris exclusis*, Tertullianus habet, Parthos indicant, atque Britannos. Illos Syriâ submovit, hos exclusit muro, qui anno CCX. extructus est. De Parthis Spartianus c. 15. *Trajecto denique exercitu, à Brundusio continuato itinere, venit Syriam, Parthosque submovit* Severus. Muri aut valli, in Britannia missi, meminit & Spartianus. Quibus argumentis apertè liquet, librum de Pallio pro Tertullianicorum *Operum primitiis* immeritò fuisse habitum à Scaligero. Probabilissimum est anno CCXI. editum esse. Causam scribendi libri dedit togæ in pallium mutatio. Quod cùm novum in Tertulliano videretur, sibi jocando dictum audivit, *A toga ad pallium*, permotus igitur est, de pallii laudibus ut scriberet. Quæ vestis *non Christianorum, non Presbyterorum* erat, ut eruditi nonnulli imaginantur, sed *Philosophorum*. De M. Aurelio Spartianus c. 2. *Duodecimum annum ingressus, habitum Philosophi assumpsit, & deinceps tolerantiam, cùm studeret in pallio, & humi cubaret.* Julianum, qui Marci mores exprimebat, usum esse pallio tenemus: *Julianum patruelem fratrem, ab Achaico tractu accitum, etiam tum palliatum, in societatem Imperii, asciscere cogitabat* Constantinus. Eustathius Sebastæ Episcopus, more Philosophorum pallium sumpsit: *Ipse verò Philosophi habitum gestans, sectatores suos, novâ atque insolenti veste indui jussit.* Quam propriam & sibi vestem fecere Monachi, qui vitam ducebant Philosophicâ austeritate dignam: *Non sine causa itaque istud fuit, quòd intra Africa civitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium jubis, ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quàm infidelis, sine convitio & execratione vix poterat.* Philosophum se assumpto pallio ostendere, Tertulliano constitutum in animo fuisse, ipse testis est: *Gaude pallium, & exulta, melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Propriam quidem Philosophis fuisse vestem, docet Philostratus de vita Apollonii *l. 1. c. 5.* qui de Philosophis voluptuosis hæc habet: *Facilè apparebat eos vestem duntaxat, non autem sapientiâ moribusve Athenienses imitari.*

Spart. Sever. c. 10.

Tertul. Apol. c. 35.

Ammian. l. xv. c. 8.

Socr. l. 2. c. 43.

Salvian. l. 8.

De aliis Tertulliani libris. Annus libri ad Scapulam.

XI. Libri adversus Hermogenem ætatem juxta scimus cum ignarissimis. Novimus tamen & adversus Valentinianos, & de Anima, tractatibus esse vetustiorem, cùm uterque de eo scripto commemorarit. Ille capite XVI. *Hac erit materia, quæ nos commisit cum Hermogene.* Hic vero capite XXIV. *Satis de isto cum Hermogene.* Et inferius: *Quæ proposuimus jam Hermogeni.* A Christianis ad Philosophos conversus ille Hæreticus, materiam esse Deo coævam statuebat. Arte pictor erat: *Pingit solicitè, nubit assiduè.* Quibus apparet, jam acerrimum Monogamiæ defensorem extitisse Tertullianum, cum hunc librum emisit. Tractatus de Anima insaniâ Montani conditus est. Subit animum admiratio, quòd vir gravis, magnique ingenii, deliras anus credulitate vicerit, ac mulierculæ somniis, de natura animæ crediderit: *Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita. . . Inter cætera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter. . . tenera, & lucida, & aerei coloris.* Libros & de Anima & de Carne Christi excepit egregium Opus de Resurrectione carnis: *Decursum est jam suo quoque titulo de Deo quidem unico, & Christo ejus, adversus Marcionem, de carne verò Domini etiam adversus quatuor hæreses. . . Habet & iste à nobis plenissimum de omni statu animæ stilum.* Scorpiaci ætatem quoque ignoramus, etsi nos non lateat, libris ad Marcionem esse posteriorem, quod patet ex capite v. *Ut Deum meum bonum ostendam, quod jam à nobis didicerunt Marcionita.* De libro ad Scapulam Chronologia Scaligeri hæc est: *Liber ad Scapulam sub Heliogabalo scriptus est, mortuo jam Antonino Caracallâ. Hoc satis illa verba declarant. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodeæ Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem & Antoninus optimè noverat, lacte Christiano educatus. Nemo sana mentis putaverit de Antonino Caracalla dictum.* Ad Scaligerum accedunt Cavius, Alix, aliique eruditi, quibus placuit librum ad Scapulam missum esse, anno CCXVII. Hanc tamen Chronologiam, Sulpitius refellit Severus: *Sexta deinde, Severo imperante, Christianorum vexatio fuit. . . Interjectis deinde annis octo & triginta, pax Christianis fuit, nisi quòd medio tempore, Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit.* Atqui fervebat persecutio, cùm liber ad Scapulam lucem aspexit. Nos itaque qui mentem sanam in corpore sano nobis inesse putamus, ex verbis Tertulliani, Caracallam vita nondum abiisse colligimus, cùm liber ad Scapulam vulgatus est. Quippe compescendo Scapulæ furori, mentio imperantis Augusti, qui Christiano lactè educatus erat, longè potentior fuit ad permovendum, quàm defuncti. Eò pertinet, quod & Scapulæ subjicit: *Nunquam Albinianos, nec Nigrianos, vel Cassianos inveniri potuisse Christianos*, ut nempè Antonini Caracallæ Legatum facilius exarmaret, adducto coram oculis exemplo Christianæ fidelitatis erga Severi domum. Omnibus igitur accuratè perpensis, anno Dom. CCXII. defuncto Getâ, Scapulæ Africæ Proconsuli scripsisse Tertullianum existimamus. Argumento est, quòd non plurium *Augustorum*, ut in libro de Pallio, sed unius duntaxat *Augusti* meminit: *Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum.* Ab anno CCXII. ad usque Decium, quo imperante, *Septimâ persecutione, sævitum in Christianos esse*, Sulpitius tradit, anni quidem *octo & triginta* numerantur, quibus labentibus, pax est in Ecclesia constituta. Librum de Testimonio

Tert. adv. Hermog. c. 1.

Tertul. de Anim. c. 9.

Tert. de Resur. c. 2.

Scalig. Animad. n. 2223.

Sulp. Hist. l. 2. 383.

Tertul. ad Scap. c. 2.

Anno Dom. 200.

monio animæ quod attinet, jam Montanistæ Tertulliano ipsum vindicamus. Diversam Eliæ *Du Pin* scimus esse sententiam, in nova sua Autorum Ecclesiasticorum Bibliotheca: *Le livre du temoignage de l'an, n'a point d'Epoque assurée. Mais commo on n'y trouve aucun vestige des erreurs des Montanistes, on peut croire qu'il a esté écrit par Tertullien, avant qu'il se fust separé de l'Eglise.* Atqui in confesso est, de Testimonio Animæ librum, esse Apologetico posteriorem, quem & innuit c. v. *At enim cum divina Scriptura. . . multo secularibus literis, non modicâ tantum ætate, aliqua antecedunt, ut loco suo edocuimus.* Is extat Apologetici cap. xix. quo multis probatur argumentis, Mosem Homero antecessisse, Ethnicorumque Deos, *templa, oracula, ab unius Prophetæ scrinio, seculis vinci.* Jam verò Montanus Tertullianum depravaverat cùm in lucem Apologeticum emisit suum.

XII. Desiderantur quos teste Hieronymo ediderat, Tertulliani *de Extasi libri sex, & septimus quem adversum Apollonium composuit.* Periere & alii complures, quorum catalogum Pamelius exhibuit. De Virginitate, De Fato, De mundis & immundis animalibus, De Circumcisione, De Vestibus Aron, De Censu animæ adversus Hermogenem, adversus Apelletianos, De Paradiso, De Spe Fidelium. Quorum index vel ex ipso Tertulliano, vel ex Hieronymo conficitur: *Fertur vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa quæ non extant Opuscula condidisse.* Contra verò ad id damni reparandum, alia Tertulliano vindicata sunt. De Trinitate liber, qui Novatiani est, certè non Tertulliani, utpote qui cxii. Sabellii meminerit, qui ætate Tertulliani nondum exortus erat: *Sabelliana hæresis sacrilega corporatur.* Constat nunc inter eruditos, carmina, quæ Tertulliani dicebantur, ab ipso esse abjudicanda.

Anno Dom. 200.

Opera Tertulliani multa desiderantur.

Hier. de Vir. Ill.



ANNALES POLITICO-ECCLESIASTICI

Annorum DCXLV. à Cæsare Augusto ad Phocam usque.

In quibus res Imperii Ecclesiæque observatu digniores subjiciuntur oculis, erroresque evelluntur Baronio.

SECULUM TERTIUM.

Anno Dom. 201.

Anno U.C. 954. Olymp. 245. Per. Jul. 4914. Juliano 246. Dom. 201. Severi 8. & 9. *Sol.* 14. D. *Lunæ* 12. *Indict.* 9. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 4. *P.* 5. *April.*

Anno Dom. 201.

Coss. *L. Annius Fabianus*, *& M. Nonius Mucianus*.

Severus ab Atrensibus repellitur.

I.  Um se tot victoriis, totque urbium expugnatione, clarum, ab Atrensibus repelli doluisset Severus, comparato magno commeatu, iterum in hanc civitatem exercitum duxit. In ea obsidione multos milites amisit, impetum io ipsos faciente Arabum equitatu, Atrenisque tela ignita conjicientibus, ope machinarum, quæ uno impulsu, bina tela emittebant. Maximum Severianis damnum illatum est, cùm propius ad muros accessere, eorumque partem diruissent. Conjecto enim bitumine, qui attingebantur milites, comburebantur. Conflagratæ sunt & machinæ, tam quæ à Prisco, quàm quæ ab aliis factæ fuerant. Subrutâ parte muri aliquâ, milites promptis animis mœniorum reliqua invadere cupiebant. Quod ne facerent, Severus jussir palam canere receptui. Magna quippe opinio fuit, grandem pecuniam, & solis donaria, eo io oppido esse reposita, sperabatque Arabas, ne vi capti in servitutem redigerentur, ultro pactionem inituros. Uno interjecto die, postquam frustrà urbis deditionem expectavit, imperavit ut in murum milites irrumperent, quem noctu Atreni reparaverant. Præcipienti cùm ex Europæano milite nullus obtemperare valuisset, Syri coacti irruptionem facere, magnam cladem acceperunt. Ex Ducibus unus tantummodò petierat quingentos quinquaginta milites Europæos, seque sine aliorum periculo urbem capturum pollicebatur. Cui Severus militum infensus contumaciæ, qui ejus mandato non audientes fuerant, respondit: *Unde tot milites habebo.* Relictâ ergo urbe, post viginti dierum obsidionem, Palæstinam venit, ac Pompejo parentavit. Cùm Antiochiam transiisset, datâ virili togâ filio majori, secum eum Consulem designavit.

Dio l. 75. 855.

Spartian. c. 16.

Zephyrinus. An Martyr?

II. Fatalem Victori hunc annum fuisse, cui Zephyrinus successit, *Octavâ Augusti die*, tradit Baronius in Annalibus. Zephyrinum tamen anno CXCVII. Episcopatum inivisse, vero similius est: quam ad Chronologiam accedunt viri eruditissimi. Onuphrius, Pearsonius, Pagius, & subindicat Bucherianum Chronicum, quæ Victoris enim Pontificatui tribuuntur, ad illum Zephyrinici, cujus nomen supprimitur, pertinere videntur: *A Consulatu Saturnini & Galli, usque Præsente & Extricato.* In libro quoque Pontificali legitur: *Fuit temporibus Antanini & Severi, à Consulatu Saturnini, & Galli, usque ad Præsentem, & Strigatum Coss.* Hoc est, ab anno Dom. CXCVIII. ad usque CCXVII. Decretales duæ, quæ Zephyrino vindicantur, datæ sunt *Saturnino & Gallicano viris Clarissimis Coss.* Quam temporis notam impostor non apposuisset, nisi libris antiquis edoctus fuisset, his Coss. Zephyrinum jam egisse Pontificem. Non eo igitur nomine Decretales sunt à Zephyrino abjudicandæ. Natum dicunt *ex Patre Abundio, nationeque Romanum. Sepultumque in cœmeterio suo, non longè à cœmeterio Callisti, viâ Appiâ, septimo Kal. Septembr.* Martyribus Zephyrinum apponit Roman. Martyrologium, ad Augusti sextum & vigesimum: *Romæ S. Zephyrini Papæ & Martyris.* Cujus Martyrologii autoritatem secutus Baronius, *Opportuna*, inquit, *videri potest ablata causa martyrii, quod Elagabalo restiterit.* Zephyrinus tamen placidâ morte quievisse videtur, cùm Imperante Heliogabalo nil persecutionis Romæ motum fuerit. De pace, quæ Severi persecutionem excepit, Sulpitius: *Interjectis deinde annis octo & triginta, pax Christianis fuit, nisi quòd medio tempore, Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit.* Quantò magis Heliogabali persecutoris meminisset, utpote qui Romano Episcopo Zephyrino mortem obtulisset: Imò, inquit,

Bar. An. 221. n. 2.

ANNO DOM. 201.

quit, pax ad Maximinum usque, à quo aliquid nubeculæ Christianorum tranquillitati fuit offusum. Neque Eusebio Zephyrinus Martyr audit, aut Hieronymo. In Veteri Rosuedi Martyrologio Natale quidem Zephyrini celebratur VII. Kal. Sept. non tamen nomine Martyris. Hoc tantum habet, *Zephyrini Papæ*. Martyrem quoque Platina nescivit.

Duæ Zephyrini Epistolæ subditæ sunt.

III. Binæ extant Epistolæ ascriptæ Zephyrino. Prioris titulus est: *Romanæ urbis Archiepiscopus Zephyrinus, Omnibus per Siciliam constitutis Episcopis.* Epistolæ materia est, *De judiciis Episcoporum, & majoribus Ecclesiæ causis, in sede Catholica Apostolica terminandis.* Altera scribitur, *Ægypti Provinciæ Episcopis, Carissimis fratribus per Ægyptum Domino militantibus, Zephyrinus Romanæ urbis Archiepiscopus.* Duo capita continet. Primum, *de Episcopis rebus spoliatis, vel à sede pulsis.* Secundum, *de ordinatione Presbyterorum, atque Diaconorum.* Utraque Epistola subdita, quod vel ex titulo *Archiepiscopi*, certum exploratumque est. Prioris verba hæc, *Sicut stellas cæli non extinguit nox, sic mentes Fidelium firmamento inhærentes S. Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas.* Ipsissima Prosperi verba sunt, ex sententia CXX. nisi quod scripserit *adhærentes*, non *inhærentes*. In eadem Epistola, sententia Prosperi XXXIV. totidem verbis legitur. Verba etiam capitis XXIX. Jobi laudat ex Versione vulgatâ. Initium quoque Epistolæ, *divinæ circa nos gratiæ memores esse debemus*, ex Hilarii Papæ, qui Leoni successit, desumpta sunt. Secunda, *Apocrisiariorum Ægypti, apud sedem Apostolicam*, mentionem facit. Diaconis *Levitarum* nomen imponit, quæ novitatis signa sunt certissima. Integras Prosperi sententias sibi accommodat, trigesimam secundam, & vigesimam tertiam, ut cæcos reddat suum præjudicium, qui Epistolarum ejusmodi patrocinium suscepere.

Natalis Confessoris lapsus & castigatio.

IV. Sedente Zephyrino, Romæ gravis casus contigit Theodoti coriarii, quem Victor ab Ecclesiæ communione removerat, discipuli. Asclepiodotus & Theodotus argentarius, Natali cuidam de Confessoribus uni persuaserunt, ut hujusce hæresis Episcopus crearetur, eâ conditione, ut menstruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur Hæreticorum partibus, qui Christo numen abdicabant suum, sæpè à Domino corripiebatur in somnis: *Sed cùm nocturnas ejusmodi visiones negligeret Natalis, utpote & honore prima apud illos sedis, & turpis lucri cupiditate inescatus, tandem à Sanctis Angelis per totam noctem flagris cæsus, & gravissimè verberatus est. Adeò ut primo diluculo consurgens, saccum induerit, & cinere conspersus, confestim cum lachrymis ad pedes Zephyrini Episcopi sese abjecerit, non solum Cleri, verum etiam sæcularium vestigiis advolutus, & Christi misericordis Ecclesiam ipsam quoque misericordem fletibus suis commoverit. Multisque precibus usus, ostensis etiam vibicibus plagarum quas pertulerat, vix tandem ad communionem admissus est.* Hanc Cajus retulit historiam, in libro qui Parvus Labyrinthus inscribebatur, ex quo desumptam esse testatur Theodoritus.

Euseb. l. 5. c. 28.

Viri illustres ætate Zephyrini.

V. Sub idem tempus viri illustris florebant, qui Operibus suis Ecclesiæ prodesse enitebantur, de quibus Eusebius: *Eorum*, inquit, *quos ipsi dignoscere potuimus, hæc ferè sunt. Heraclitis Commentarii in Apostolum. Maximi quoque volumina de vulgatissima illa apud Hæreticos quæstione, Unde sit malum, & de eo quòd materia facta sit. Præterea Candidi in Hexameron, & Apionis de eodem argumento Commentarii. Item Sexti liber de Resurrectione, & Arabiani Opus quoddam. Quorum nec tempora literis mandare, cum nullum nobis indicium aut argumentum suppetat, nec narrationem ullam libris nostris intexere possumus.* Judas etiam qui de LXX. apud Danielem hebdomadibus disseruit, ad decimum usque annum Severi supputationem temporum perduxit.

Euseb. l. 5. c. 27.

ANNO DOM. 201.

Euseb. l. 6. c. 7.

Artemonis hæresis.

VI. Illis quoque temporibus, Artemon nefario Pauli Samosateni errori præludens, Christum merum esse hominem statuit, quam opinionem sectæ illius principes vetustissimam esse statuebant. Custoditam quidem ad Victoris usque tempora veritatem, à Zephyrini autem temporibus adulteratam fuisse prædicabant. Quod figmentum refellit Cajus, in libro cui Parvo Labyrintho titulus est: *Ac fortè id quod dicunt credibile videretur, nisi eis refragarentur primùm quidem divinæ Scripturæ, deinde fratrum quorumdam scripta Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus Gentes & contra sui temporis Hæreticos pro veritatis defensione scripserunt, Justinum intelligo, & Miltiadem, & Tatianum ac Clementem, aliosque quàm plurimos, in quorum omnium libris Christi divinitas astruitur. Nam Irenæi quidem & Melitonis & reliquorum scripta, quis est qui ignoret? In quibus Christum, Deum simul atque hominem prædicarunt. Psalmi quoque, & Cantica fratrum, jam pridem à Fidelibus conscripta, Christum verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo.* Qui perfidi Hæretici audacter in Scripturas manus intulerunt, eo prætextu ut eas emendarent. Idcircò eorum exemplaria inter se plurimùm dissidebant: *Certè Asclepiodoti exemplaria non conveniebant cum illis, quæ sunt Theodoti.* Relictis Dei oraculis, Geometriæ studebant. Aristotelem & Theophrastum summâ admiratione suscipiebant. Galenus à quibusdam adorabatur. Porro Artemas, cujus Synodus Antiochena meminit in Epistola adversus Paulum, etsi erroris concordiâ cum Artemone copularetur, ab eo distingui debet, jubente ætatis nominisque differentiâ, quam ultimam perperam removit Christophorsoniana versio: *Ejurato religionis mysterio, ad execrandam transgressus est hæresin Artemæ.* Quem inter mortales etiamnum fuisse anno CCLXIV. patet ex Epistola Synodi eo tempore scripta: *Hic verò ad Artemam scribat si lubet, & qui Artemam sectantur cum eo communicent.* Si verò placet Artemam & Artemonem unum eundemque hominem fuisse, quia docente Theodorito Artemonem nonnulli nominabant Arteman, in multos annos vitam extendisse suam fatendum erit, ut anno CCLXIV. cum illo amicitiam Paulus copularit Hæreticus.

Euseb. hist. l. 5. c. 28.

Euseb. l. 7. c. 30.

ANNO U. C. 955. PER. JUL. 4915. JUL. 247. DOM. 202. SEVERI 9. & 10. *Sol.* 15. C. *Lun.* 13. *Indict.* 10. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Mart.*

ANNO DOM. 202.

COSS. *Severus Augustus III. Antoninus Caracalla.*

Severi in Ægyptum profectio.

I. CUm in Syria Consulatum inivissent Severus & Caracalla, dato stipendio cumulatiore militibus, Alexandriam proficiscuntur. Alexandrinis jus Bileutarum dedit Severus, qui sine publico consilio, Præfecto quem Cæsar mise-

miserat, uno utebantur. Inventâ in quam primam incidit, inscriptione ejusmodi, *Domini Nigri hæc est urbs*, multum quidem indignabatur. At Populus obviam illi procedens, clamavit: (*Spart. cap. 17.*) *Scimus nos dixisse hanc urbem esse Domini Nigri, quod consultò diximus. Tu enim ei Nigri dominus.* Quam expeditam defensionem, cum probasset Severus, illam inscriptionem cum venia concessit. (*Suid. 724.*) Nihil fuit divinarum aut humanarum rerum, quod perscrutari non voluerit. Libros omnes in quibus arcana continentur, quotquot potuerunt inveniri, ferè ex omnibus adytis sustulit. Clausit & monumentum Alexandri, ne quisquam corpus ejus videret in posterum, neve ea quæ in libris illis erant, legeret. (*Dio l. 75. 856.*) Memphim, Memnonem, Pyramides, Labyrinthum diligenter inspexit, jucundaque ipsi fuit peregrinatio hæc, propter Religionem Serapidis, animalium locorumque novitatem. (*Spart. cap. 17.*)

(Severianæ persecutionis Epocha & diuturnitas.) II. Ictu gravissimo calamitatis pulsa fuit tranquillitas de Ecclesia. Persecutionis hujus Epocham ab oblivione Spartianus vindicavit: Severus *Judæos fieri sub gravi pœnâ vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit.* (*Spart. cap. 17.*) Cùm hoc quoque anno eam Severi vexationem & in Chronico, & in Historia alligavit Eusebius. Propterea Judas Scriptor Ecclesiasticus, qui de LXX. apud Danielem Septimanis disseruit, cùm ad decimum usque Severi supputationem temporum perduxisset, (*Euseb. l. 6. c. 7.*) *Antichristi adventum jam tum imminere existimabat, adeò commota tunc adversus nostros persecutio, multorum animos vehementer conturbaverat.* Neque citius in Christianos involavit Severus, variis bellis, & civilibus, & externis distractus. Imò principio imperii sui, benigno erat in Ecclesiam animo: (*Tertul. ad Scap. c. 4.*) *Clarissimas fœminas, & clarissimos viros, Severus sciens hujus sectæ esse, non modò non læsit, verùm & testimonio exornavit, & Populo furenti in os palam restitit.* Christianos eò indulgenter habuisse videtur, quòd nunquam *Albiniani, aut Nigriani* inveniri potuissent. Nostram ad Chronologiam propius accedit Chronicum Alex. quod in anno superiore Severianam vexationem collocavit, unius anni prochronismo. Falluntur ergo qui citius huic persecutioni Ecclesiam subdunt, præcipuè Baronius, qui eam ab anno CXCVIII. repetit. Cujus errorem sua adjuvit opinio, quòd Apologeticus à Tertulliano scriptus fuerit, dum Romæ versabatur, anno CXCIX. (Error Bar.) Neque advertit illustrissimus Purpuratus, in urbe tum non remansisse Plautianum, sed comitem Severo fuisse, in Orientem adversus Parthos proficiscenti. (*Spartian. cap. 15.*) Quo tempore *Pescennianas reliquias, Plautiano autore, persequebatur.* Quas anno CCII. & apud Alexandriam vexasset, ni subtili invento frenassent ejus iracundiam. Quid causæ Severo fuerit, cur in immerentes Christianos inveheretur, dictu non adeò expeditum. Crudelissima lanienа hæc fortè debetur Plautiani consiliis, cujus avaritia cum ferocitate certabat. In Ægypto quidem persecutio præcipuè sævit, dum ibi versabatur Plautianus, cujus erat apud Severum maxima autoritas: (*Dio l. 75. 856.*) *Morte afficiebat magnum numerum clarorum, & honore sibi parium virorum. Appetebat omnia, flagitabat ab omnibus omnia, capiebat omnia, nec vel Provincia ulla, vel ullum oppidum inviolatum relinquebat.* Ex Ecclesiæ vexatione, immensa illa vorago, gurges ille vitiorum turpitudinumque omnium Plautianus magnas exorbere prædas sperabat. De persecutionis diuturnitate sic censet Dodwellus: (*Dodw. Dissert. XI. n. 41.*) *Durasse autem constat duobus annis, anno videlicet Origenis XVII. & XVIII. Præfectis duobus Læto & Aquilâ.* Longiorem fuisse nos putamus. Quippe Alexander Hierosolymitanus Episcopus, anno CCXI. manu catenatâ scripsit ad Antiochenos Epistolam, quam Clementi Alexandrino perferendam dedit. (*Euseb. l. 6. c. 11.*) Argumento nondum extinctam esse Severi persecutionem. Præterea Africæ Præsides sex numerat Tertullianus, quibus hanc Provinciam obtinentibus persecutio fervebat, etsi per intervalla temporum, ardorem nonnihil suum remitteret: *Vigellius*, inquit, *Saturninus, qui primus in nos gladium egit, lumina amisit.* Secundus Hilarianus nuncupabatur: *Sub Hilariano Præside cùm de areis sepulturarum nostrarum acclamassent, areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt.* Subjungit quatuor Præsides: (*Tertul. ad Scap. c. 4.*) *Quanti autem Præsides & crudeliores & constantiores, dissimulaverunt ab hujusmodi causis? Ut Cincius Severus, qui Thystri ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent: ut Vespronius Candidus, qui Christianum quasi tumultuosum, civibus suis satisfacere dimisit: Ut Asper, qui modicè vexatum hominem, & statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos & adsessores, dolere se incidisse in hanc causam. Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio concussione ejus intellectâ, dimisit scisso eodem elogio, sine accusatore, negans se auditurum hominem secundum mandatum. Hæc omnia tibi & de officio suggeri possunt, & ab eisdem advocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum.* His septimus accedat: Scapula, qui *Adrumeticum Mavilum ad bestias damnavit.* Scapula verò occiso Getâ, administrabat Africam. Plus igitur sexennio persecutio continuata est. Ex his error evellitur Baronio, qui anno CCI. jam à Scapula persecutionem motam esse tradit. (*Bar. An. 203. n. 7.*) Qui plusquam decennii prochronismus est.

(Leonidis martyrium.) III. Vires suas ubique locorum diffudisse persecutionem, tradit Eusebius: *Cùm Severus persecutionem adversus Ecclesias excitasset, per omnes ubique locorum Ecclesias ab Athletis pro pietate certantibus, illustria sunt confecta martyria. Præcipuè tamen Alexandriæ increbuerunt, cùm ex universa Ægypto, ac Thebaide, levissimi pugiles, eò tanquam in amplissimum Dei stadium deducerentur.* Cùm *innumerabiles* martyrio coronarentur, Origenis animum anno XVII. nati, tanta occupavit martyrii cupido, ut irruere ad certamen gestiret. Cùm precibus suis martyrii amor flagrantem retinere non posset, mater ejus, absconditâ omni illius veste, domi manere invitum coëgit. Cùm igitur nil nisi calamus ipsi permitteretur, scripsit ad patrem literas, quibus illum ad martyrium hortabatur: *Cave, mi pater, ne nostrâ causâ sententiam muter.* Leonides, id nominis gerebat pater Origenis, capite truncatus, uxorem filiosque septem superstites reliquit, ad summam rerum omnium penuriam reductos, quia Leonidis facultates in fiscum Principis illatæ sunt. Episcopum fuisse, Suidas memoriæ prodidit, quod falso propius est, cùm insignem hunc Leonidi titulum non adjunxerint Eusebius atque Hieronymus. *Aprilis* XXII. occisum fuisse, legitur quibusdam in Martyrologiis. Nos natalem Sancti Martyris diem in incerto esse putamus, utpote qui notitiæ Eusebii ereptus fuerit, atque Hieronymi.

ANNO DOM. 203.

ANNO U. C. 956. PER. JUL. 4916. JUL. 248. DOM. 203. SEVERI 10. & 11. Sol. 16. B. Lun. 13. Indict. 10. Epact. 29. Epact. Sol. 6. P. 17. April.

COSS. *Fulvius Plautianus & P. Septimius Geta.*

De hujus anni Coss. Num Geta ille Severi filius?

Error. Bar.

Spart. Sever. c. 8.

I. GEtam *Cæsarem* Plautiani collegam fuisse creditum Baronio. Fallitur tamen egregiè. Hic ille Geta Severo Augusto frater erat, de quo Spartianus: *Occurrit ei & fratrem Geta frater suus, quem Provinciam sibi creditam regere præcepit aliud sperantem.* Itaque apud Mediobarbum extant nummi, in quibus Geta Cæsar dicitur *Pontif. Trib. Pot. IV. Cos. II. Designatus III. P. P.* Jam verò si hunc annum aperuisset, Consul III. scribi debuit, quia anno CCV. & CCVIII. Consul ordinarius processit. Neque Plautianus ab illustrissimo Purpurato *Silvanus* vocari debuit, sed Fulvius. Spartiani Pescennius c. v. misit *Fulvium, ad occupandos adultos Nigri filios.* Quæ Provincia Plautiano data, teste eodem Spartiano, in vita Severi cap. VI. Plautius secundùm Consul Baronio scribitur ob *Suffectum quem egerat Consulatum.* Nullum tamen hactenus Consulatum gesserat: Ornatus tantum Consularibus insignibus. Qua de re eximius est locus Dionis: Augustus, *tametsi jam ante Consularibus ornamentis decoratus fuerat, non tamen hunc suum Consulatum secundum nuncupavit. Idque in similibus omninò deinceps, usque ad nostra tempora observatum est. Primus enim omnium Severus Imperator, tùm Plautiano honores Consulares tribuisset, eumque deinde in Senatum adscriptum, Consulem fecerat, iterum Consulem dixit, idque exemplum alii deinde secuti sunt.* Autor tamen ipse Dio: Macrinum *noluisse iterum dici Consulem, qui honores se Consulares adeptum diceret.* Plautiano in Fastis nota numeralis non apponitur. Geta Consul hoc anno ad plures abiit, qui cùm fratri suo Severo, moriens omnia significasset, quæ Plautianus agebat, Severus Getæ statuam ex ære in foro posuit, magnamque ex parte Plautiani potentiam comminuere cœpit.

Tertul. ad Scap. c. 4.

Bar. An. 206. n. 1.

Dio l. 46. 321.

Dio l. 78. 893.

Dio l. 76. 860.

Severus Romam revertitur: ejus triumphus.

II. Rebus ad Orientem gestis, Severus Romam reverti noluit. Dum iter per Provincias ad urbem habet, Natale Getæ in Thracia celebrat, *Cæsareum* ut videtur, quod Martii VII. vulgò affigitur. Ibi Maximinus, qui rerum posteà potitus est, vix adhùc Latinæ linguæ, à Severo publicè petiit licentiam contendendi cum iis, qui jam non mediocri loco militabant. Ne disciplina militaris corrumperetur, primùm eum cum fortissimis quibusque lixis composuit, quorum sexdecim uno sudore devicit. Volens quoque Severus explorare, quantus in currendo Maximinus esset, equum admisit multis circuitionibus, & cùm senex Imperator laborasset, neque illi à currendo per multa spatia desiisset, ait ei, *Quid vis Thrascisce? Numquid delectat luctari post cursum?* Tum ille, *Quantum libet, Imperator*: Tum more solito septem fortissimos uno sudore milites, ad terram elisit. Sic argenteis non modò, sed aureis quoque præmiis donatus, jussus inter stipatores corporis, semper in aula consistere. Severus deinde Mysiorum, & Pannoniorum ordinatis exercitibus, urbem triumphans invectus est. Populo ipse festos dies, spectaculaque indulsit: ac magno dato congiario, ludos pro victoria celebravit. *Parthicum deferentibus sibi Patribus ideo recusasse, quòd consistere in curru, affectus articulari morbo non posset, filio tamen concessisse ut triumpharet,* Spartiano traditum, c. 16. Nos magis Herodiano assentimur, qui à ætate floruit, triumphum à Severo fuisse ductum. Militibus Prætorianis, tot aurei viritim dati sunt, quot annos imperaverat. Pro numero dierum festorum, qui septem fuere, septingentæ feræ occisæ sunt. Quibus & in spectaculis, apri sexaginta Plautiani ex præcepto invicem certaverunt.

Capit. Maxim. cap. 3.

Herodian. lib. 3.

Dio l. 76. 859.

Nuptiæ Caracallæ cum Plautilla.

III. Eodem anno celebratæ sunt Caracallæ cum Plautilla nuptiæ. Filiæ suæ tantum dedit Plautianus, quantum reginis quinquaginta satis fuisset. In Palatio paratum Senatoribus epulum, regio & Barbarico apparatu. Aderant tes omnes quibus vesci homines solent, multaque cocta, multa cruda, nonnulla etiam viva convivæ cœperunt. Tantæ Plautiano opes erant, ut pallenti trementique cùm propter rationem victus, tum propter spem metumque futurarum rerum, in quibus erat, Populus in Circo dixerit: *Quid tremis, cur palles? Tu quidem certè plus quàm tres viri possides?* Severum cum duobus filiis significans.

Dio l. 76. 860.

Locus & tempus martyrii Perpetuæ, & comitum ejus.

IV. Dum cantu vocum & cervorum, nocturnis conviviis, ludis, spectaculis ob victorias Severi imperium personat, tristi luctu Ecclesia fatiatur, fervente extra modum persecutione, cujus Carthago non fuit immunis. Porro inter Martyres Perpetua eminet, mulier nobilis, & ab Antiquis multâ laude celebrata. De qua Tertullianus: *Quomodo Perpetua fortissima Martyr sub die passionis, in revelatione Paradisi, solos illic Commartyres suos vidit.* Neque semel Perpetuæ mentio fit apud Augustinum: *De fratre autem S. Perpetua Dinocrate,* &c. Videantur liber IV. c. 18. & in Psalm. XLVII. &c. Currente anno Perpetuam morte mactatam esse, facimus conjecturam ex ipsius Actis: *Hilarianus Procurator, qui tunc loco Proconsulis Minucii Timiani defuncti, jus gladii acceperat, Parce, inquit, canis Patris tui.* Hilarianus autem apud Tertullianum, secundus Africæ Præses esse videtur, qui imperante Severo, in Christianos grassatus est. *Tuburbi in Mauritania* passas esse præclarissimas & re, & nomine Martyres, creditum Baronio. Quod etiam in Rosuedi, Adonis, Romano Martyrologiis traditur: *In Mauritania civitate Tuburbitanorum SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis.* Eruditissimus verò Valesius morti apud Carthaginem missas esse, contendit, quod nobis & verisimilius, cùm Hilarianus Præses Carthaginem habitaret. Præterea Sanctarum mulierum corpora hac in urbe quiescebant, teste Victore Vitensi, de Persecutione Vandalica libro primo: *Et ut de necessariis loquar, Basilicam majorem, ubi corpora SS. Martyrum Perpetuæ atque Felicitatis sepulta sunt, Celerinæ vel Scillitanorum, & alias quas non destruxerant, sua religioni licentia tyrannica manciparunt.* Prosper quoque in Codice Labbeano, Beda in libro de sex ætatibus mundi, Regino, Rabanus in Martyrologio, verbis expressis Sanctis Martyribus Carthagine mortem oblatam esse prædicant, ut observarunt eruditi. Tuburbitanæ Martyres apud Augustinum Sermone XXXVI. Maximam, Donatillam, ac Secundam designant, quæ imperante Valeriano & Gallieno, Martyrium obiere. Martyrii dies obscurâ ambage in Actis involvitur: *Munere castrensi eramus pugnaturi.* Natale

Tertul. de Anim. c. 55.

August. de Anim. c. 10.

Acta Perp. cap. 6.

Bar. An. 205. n. 21.

Acta Perp. c. 7.

Natalo tunc Geta Cæsaris. Est enim Getæ natale geminum, verum scilicet & Cæsareum. Prius in VI. *Kalend. Junias* incidit. Cum autem VII. Martii Perpetuæ martyrium illigarint Martyrologia omnia, Natale Cæsareum Perpetuæ venit in mentem. Nil quidem pugnæ est, quod eo die animam Deo reddiderit.

Num Collector passionis Perpetuæ, Catholicus an Montanista fuerit?

V. Cæterùm antequàm celeberrimum Perpetuæ, Felicitatisque martyrium retulerimus, de Actorum Scriptore nobis est commemorandum. De Montanistarum familia unum fuisse, vir candidus juxta atque eruditus olim sensit Valesius, cujus & opinioni nos adhærere, lubentes profitemur. Argumento nobis est Autoris Præfatio: *Sed viderint qui unam virtutem Spiritus unius Sancti pro ætatibus judicent temporum: Cum majora reputanda sint novitiora quæque, ut novissimiora, secundum exuberationem gratiæ, in ultima seculi spatia decreta. In novissimis enim diebus, dicit Dominus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii filiæque eorum. Itaque & nos qui sicut Prophetias, ita & visiones novas pariter repromissas & agnoscimus & honoramus.* Quibus ingenium Montanisticum accuratè depingitur. Montanistis id opinionis fuit, Spiritum Sanctum à Domino promissum, *in se potius quam in Apostolis fuisse.* Hinc scriptum Tertulliano, de Christo Spiritum permittente, qui Fideles in veritatem duceret: *Satis utique prætendit, ea acturum illum, quæ & nova existimari possint, ut nunquam retro edita.* Non ovum ovo similius est, quam ea Tertulliani verba sermoni Collectoris similia sunt: *Majora reputanda esse novitiora.* Nempe si delirantibus Montanistis fides, majori Charismatum copiâ affluebant, quàm Apostolorum familia. Id disertè testatur Catalogus Hæreseon libro Tertulliani de Præscriptionibus additus: *Dicunt Paracletum plura in Montano dixisse, quam Christum in Evangelio protulisse.* Crebrò mulierculæ à numine actæ, immissis, si Deo placet, visionibus, oracula fundebant, quæ à solis Philippi Evangelistæ filiabus, in N. Testamento edita referuntur. Deinde Autor parem & Prophetiis, & *visionibus novis*, honorem habuit, quod Montanistarum odorem refert. Denique Joelis vaticinium suis præcipuè temporibus Collector accommodat: *Secundum exuberationem gratiæ, in ultima seculi spatia decreta.* Hinc Ruinarti solutio refellitur: *Non iste Autor visiones novissimas, cum Scripturis Canonicis, sed solummodò cum V. Martyrum visionibus & revelationibus comparat.* Atqui visionibus ævi sui, parem Autor honorem exhibet, atque *Prophetiis.* Vox verò *Prophetia*, ex se & simpliciter spectata, divina sacra oracula designat. Id mentis Autori fuisse, eò liquet, quòd suæ sectæ Prophetiis, Joelis locum aptarit. Deinde fermenti Montanistici pars non exigua fuit, quod *nova Prophetia* Veteres illas Apostolicas æquarent autoritate, qua de causa Orthodoxis pœnas dabant, teste Tertulliano: *Hi Paracleto controversiam faciunt, propter hoc nova Prophetia recusantur.* Neque Christianus ullus rectæ fidei, eodem loco atque numero & Apostolicas, & Novas recentiorum seculorum visiones ducere potuit, cùm adolescente Ecclesiâ fulgor charismatum sensim evanescens, minoris fieret. Existimamus tamen, Acta hæc non esse Tertulliano vindicanda, cui nullus Veterum ea tribuit. Quin etiam stilus illo Tertulliani humilior est, nec paribus ignibus micat. Denique Acta Perpetuæ laudat ipse Tertullianus, suppresso suo nomine quod edit, dum Operum suorum meminit. Vix tamen dubitamus, quin Autor, Carthaginensium Montanistarum Episcopum, vel Presbyterum egerit, utpote qui Actorum Lectores, vel auditores, *fratrum & filiolorum* nomine affecerit in Præfatione, passionisque Perpetuæ testis oculatus fuerit. Probabile est admodum, *Optatum* Episcopum, vel *Aspasium* Presbyterum, Acta hæc concinnasse. Constat Doctoribus ejusmodi usos fuisse Saturum, Perpetuam, Felicitatem, quos ad genua sibi cadentes vidit Saturus: *Nonne tu es Papa noster, & tu Presbyter, ut quid vos ad pedes nostros mittatis.*

De Monog. c. 2.

Tert. de Præ. c. 52.

De Jejun. cap. 1.

Act. Perp. c. 13.

Perpetua & Felicitas Montanistas agebant.

VI. Ex Actorum Collectore verosimillima nobis conjectura nascitur, Perpetuam, eosque Martyres, qui se mortis socios ipsi addidere, de grege Montanistarum fuisse. Nemo sanè familiæ hujus, Catholicorum Acta Martyrum luci dedisset, quos utpote *Psychicos* contemptui habebant. Constat etiam Perpetuam, Felicitatem, Saturum, eandem cum Act. Autore fidem profiteri, ut ex verbis ipsius exploratum est: *Et nos itaque quod audivimus, & contrectavimus, annuntiamus & vobis fratres, & filioli, & vos qui interfuistis rememoremini gloriæ Domini, & qui nunc cognoscitis per auditum, communionem habeatis cum Sanctis Martyribus.* Atqui Collector Actorum suo se indicio Montanistam prodit. Deinde Tertullianus, Catholicis infensissimus Montanique defensor acerrimus, magnis Perpetuam laudibus afficit, ejusque visionibus utitur, ad probandum, solos ante diem judicii solemnis Martyres, in Cœlum recipi: *Quomodo*, inquit, *Perpetua fortissima Martyr, sub die passionis, in revelatione Paradisi, solos illic Commartyres suos vidit.* Eò gravius id argumenti, quod Tertullianus & Perpetuæ coætaneus, & incola Carthaginis, ubi Perpetua vitam cum morte commutavit, ignorare non potuerit, cujusnam sectæ esset sive mulier illa, sive passionis ejus Collector. Est autem certo certius, Tertullianum, neque Psychicorum alicui, tot tantaque præconia noluisse tribui, multo minùs verba ipsius, autoritatemque adhiberi, ad probandam quam astruebat sententiam. His argumentis insita præstant. Quippe eo se modo Perpetua gerit, quasi Spiritum Sanctum, veluti monile quoddam, in arca inclusum sua haberet ad nutum, ejus illustrationibus, quando vellet, usura ad arbitrium. Audiantur verba ejus c. 4. *Dixit mihi frater meus, Domina soror, jam in magna dignitate es, & tanta ut postules visionem & ostendatur tibi, an passio sit, an commeatus? Et ego quæ me sciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram, fidenter repromisi ei, dicens, Crastinâ die tibi postulabo.* Miram sanè fiduciam & solâ Montani familiâ dignam. Neque satis cum gravitate decentiaque oblata, Perpetuæ visa conjunguntur. Homo in habitu Pastoris, *De caseo quod mulgebat, dedit Perpetuæ, quasi buccellam.* Hinc colligit sibi mortem imminere. Notabilius illud, quod capite decimo Perpetua narrat: *Exivit quidam contra me Ægyptius, fœdus specie, cum adjutoribus suis pugnaturus mecum. Veniunt ad me adolescentes decori, adjutores & fautores mei, & expoliata sum, & facta sum masculus.* Procedit igitur cum Ægyptio ad pugnam Perpetua sexu mutato, victoriæ pretium acceptura, *Ramum viridem, in quo erant mala aurea. Accessimus ad invicem & cœpimus mittere pugnos. Ille mihi pedes appre-*

Tert. de Anim. c. 55.

ANNO DOM. 203.

apprehendere quærebat, ego autem illi calcibus faciem cadebam. Hæccine sunt Spiritu Sancto digna? Similiane Prophetis obtulit unquam: scilicet ea visa sunt, quibus sacrum Joelis accommodetur oraculum: Montani prorsus redolent officinam somnia ejusmodi, extasis ejus simillima, quâ Tertullianus probat, animam esse *aërei coloris, & formæ per omnia humana.* Horum constantia Martyrum, nec non Actorum Antiquitas, posteris fucum fecit, ut in pretio haberentur. Non existimamus tamen Augustini sermonem esse de *natali S. Perpetuæ & Felicitatis Martyrum*, ubi hæc leguntur: *Exhortationes earum in divinis Revelationibus triumphosque passionum cùm legerentur audivimus.* Quæ sane non quadrant ad Augustini mentem, qui verbis expressis, Perpetuæ visiones Scriptoris Sanctis eximit: *De fratre autem S. Perpetuæ Dinocrate, nec Scriptura ipsa Canonica est.* Quid verò magis Canonicum, quàm *divina Revelationes*, quales sermonis Autori existimantur. Concedatur tamen, verba hæc Augustini esse: Quæstio facti est, Perpetua fuerit ne Ecclesiæ mulier, an sectæ Montanisticæ. Jam verò in quæstionibus ejusmodi, viri boni sæpenumerò totâ errant via, & Hæreticos Martyres irrepsisse in Martyrologia, suo loco ostendimus. Non ingratum tamen nobis erit, audax Perpetuæ Felicitatisque pro Christo certamen referre, tum ut Historici fungamur officio, tum ut exemplis ejusmodi permoveamur ad fundendum propietate sanguinem.

Tert. de An. c. 9.

Aug. de Anima. l. 1. c. 10.

Visiones Perpetuæ in carcere.

VII. Ex Actis Perpetuæ, quæ antiqua esse existimamus, adeò cum particulis quæ in Tertulliano extant atque Augustino, omni modo conspirant, sequentia suppeditamus. Vivia Perpetua, annorum circiter duorum & viginti, filium habens ad ubera, cùm apud persecutores ageret, baptismum adepta, post paucos dies ducitur in carcerem obscurissimum. *Tertius* verò & *Pomponius*, Diaconi, dato pretio effecerunt, ut in meliorem locum, cum sociis reciperetur. Hic infantem jam inediâ confectum *lactabat*. Rogante fratre, precibus adiit Christum, ut visione ostenderetur, morsne an liberatio esset expectanda. Vidit *scalam auream, mira magnitudinis pertingentem usque ad cœlum, & ita angustam, per quam non nisi singuli ascendere possent: & in lateribus scala omne genus ferramentorum infixum. Erant ibi gladii, lancea, machera, ut si quis negligenter, aut non sursum attendens ascenderet, laniaretur, & carnes ejus inhærerent ferramentis. Et erat sub ipsa scala, draco cubans mira magnitudinis, qui ascendentibus insidias parabat, & exterrebat ne ascenderent.* Vidit & Saturum, qui prior ascenderat se sustinentem, & cum calcato draconis capite scalam ascendisset, ingressa immensi horti spatium, intuita est hominem canum in habitu Pastoris, oves mulgentem, qui manducandam casei *buccellam* ipsi dedit. Quam cùm fratri visionem Perpetua retulisset, mortem sibi imminere cognoverunt. Ad tribunal ut accessit, dixit ei Præses: *Parce canis patris tui, parce infantia pueri. Fac sacrum pro salute Imperatorum*, cui respondit, Christiana sum. Tunc Hilarianus universos damnat ad bestias. Post paucos dies cùm mediâ oratione nominasset Dinocratem, pro illo cœpit orare. Frater erat Perpetuæ, qui annos septem natus, *facie cancerata* obierat. In nocturna visione, Perpetua Dinocratem vider exeuntem de loco tenebroso, *sitientem, sordido vultu, & colore pallido.* In illo ipso loco piscina extabat aquâ plena, ex qua propter altitudinem marginis, quam cupiebat aquam, bibere haud poterat. At die quo mansit in nervo, Perpetua locum tenebricosum videt esse lucidum, Dinocratemque *mundo corpore, benè vestitum & refrigerantem*: & ex piscina, cujus margo erat usque ad umbilicum pueri submissus, liberè affatimque bibentem. Tunc *intellexit translatum eum esse de pœna.* De qua visione audiendus est Augustinus libro 1. de Anima c. 10. *De fratre autem S. Perpetuæ Dinocrate, nec Scriptura ipsa Canonica est. . . . Quis igitur scit utrum puer ille post baptismum, persecutionis tempore, à patre impio per Idololatriam fuerit alienatus à Christo, propter quod in damnationem mortis ierit, nec inde nisi pro Christo moritura sororis precibus donatus exierit.* Baptismum non adeptum fuisse Dinocratem, qui septennis fato functus erat, eò liquet, quòd & soror ejus jam nupta, jam annos duos & viginti nata, tamen erat inter catechumenos, & pater à religione Christiana foret alienus. Quo casu, precibus Perpetuæ Dinocrates liberari non potuit. Deinde ex hac visione purgatorius ignis extinguitur. Non enim in flammis, sed in *locis tenebrosis* versantem Dinocratem vidit Perpetua, soli pœnæ, quæ *damni* est, non *sensus*, subditum. Itaque Ruinartum nil juvat visio hæc, probando *mortuos posse à pœnis quas patiuntur, per vivorum preces liberari.* Etenim ex Latinorum sententia, pœnâ sensus, qui baptismum consecuti sunt, soli per vivorum suffragia liberantur. Quòd si post baptismum Dinocrates Idololatriâ pollutus fuit, uti innuit Augustinus, nullis sanè precibus meritis pœnis eximi potuit. Denique *tenebrosus* ille locus, ubi Dinocrates includebatur, à Purgatorio prorsus diversus, communem illum carcerem sonat, in quem omnes præter Martyrum animas conjici, Patrum benè multis, Montanistisque creditum. Hinc scriptum Tertulliano: *Tota Paradisi Clavis tuus sanguis est.* Et ipsos Patriarchas inferis detineri putavit, donec à Christo liberarentur. In eo carcere, quem Limbum recentiores dicunt, Dinocrates collocari censebatur. Saturus unus ex Martyribus, suam quoque visionem habuit: *Lucem immensam, vocemque dicentium, Agios, agios, agios, sine cessatione.*

ANNO DOM. 203.

Acta. Perp. c. 8.

Act. Perp. c. 11.

Mors Perpetuæ, Felicitatis, aliorumque Martyrum.

VIII. Instante spectaculi die, *Felicitas* in magno dolore erat, ne propter uterum octo mensium, quem gerebat, pœnæ non repræsentaretur, quia prægnantes morte affici haud licuit. Ante tertium diem muneris, cùm Martyres conjunctis precibus orarent, statim post orationem, dolores Felicitatem invadunt. Et cùm pro difficultate octavi mensis in partu laborans, doleret, ait illi quidam ex ministris cataractariorum: *Quæ sic modò doles, quid facies, objecta bestiis?* Illa respondit, *Modò ego patior quod patior, illic autem alius erit in me qui patietur pro me, quia ego pro illo passura sum.* Ita enixa est puellam, quam sibi quædam soror in filiam educavit. Revocati Felicitas conservaverat. Cùm à Tribuno Martyres in carcere castigatius tractarentur, dixit ei Perpetua: *Quid utique non permittis refrigerare noxiis nobilissimis, Cæsaris scilicet & natali ejus pugnaturis? Aut non tua gloria est, si pinguiores illo producamur.* Horruit Tribunus, & jussit illos humanius haberi. In illa cœna ultima, quam liberam dicunt, agapen cœnantes,

Anno Dom. 203.

concurrentium curiositatem irridebant. Quibus Saturus hæc locutus: *Crastinus dies satis vobis non est, quod libenter videtis, quod odistis, hodie amici, cras inimici. Notate tamen nobis facies diligenter, ut recognoscatis nos in die illo judicii.* Cùm ex carcere delati essent in portam, & cogerentur viri quidem, Sacerdotum Saturni, fœminæ verò sacratarum Cereri, habitum inducere, vehementer repugnarunt, dicentes: *Ideò animas nostras addiximus ne tale quid faceremus, hoc vobiscum pacti sumus.* Concessit Tribunus, ut quomodo erant, simpliciter inducerentur. Perpetua psallebat, caput jam Ægyptii, quam viderat in visione, calcans: *Revocatus & Saturninus, & Saturus, Populo spectanti comminabantur de hoc.* Ubi sub conspectu Hilariani pervenerunt, gestu & nutu cœperunt Hilariano dicere, *Tu nos, te autem Deus judicabit.* Ad hoc Populus exasperatus, flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulavit. Et utique illi gratulati sunt, quòd aliquid & de Dominicis passionibus essent consecuti. In commissione spectaculi, Saturninus & Revocatus, Leopardum experti, etiam super pulpitum ab urso vexati sunt. Cùm aper subministraretur, venator subfossus ab eadem bestia, post dies muneris obiit. Saturus solummodò tractus est, & cum ad ursum substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire noluit. Itaque Saturus secundo illæsus revocatur. Perpetuæ & Felicitati ferocissima vacca comparatur. Despoliatæ & reticulis indutæ producebantur. Inducitur prior Perpetua jactata est, & concidit in lumbos, & ut conspexit tunicam à latere discissam, ad velamentum femorum adduxit, pudoris potius memor, quàm doloris. Dehinc requisita, & dispersos capillos *infibulavit.* Non enim decebat Martyrem dispersis capillis pati, ne in sua gloria plangere videretur. Ita surrexit, & elisam Felicitatem cùm vidisset, accessit, & manum ei tradidit, & *sublevavit illam.* Devicta Populi duritia, revocatæ sunt in portam *Sanevivariam.* Saturus in fine spectaculi leopardo objectus, de uno morsu ejus, tanto perfusus est sanguine, ut Populus revertenti illi, secundi baptismatis testimonium reclamaverit, *Salvum lotum, salvum lotum.* Dein Saturus Pudenti militi: *Vale*, inquit, *& memor esto fidei meæ, & hæc te non turbent, sed confirment.* *Simulque ansulam de digito ejus petiit, & vulneri suo mersam reddidit ei, hæreditatem pignoris relinquens illi, & memoriam sanguinis.* Exinde jam exanimis prosternitur, cum cæteris ad jugulationem loco solito. Et cùm Populus illos in medium postularet, ultrò se quò volebat transtulerunt: *Ante jam osculati invicem, ut martyrium per pacis solemnia consummarent.* Cæteri immobiles, & cum silentio ferrum receperunt. Saturus qui & prior scalam ascenderat, prior reddidit Spiritum. Perpetua autem ut aliquid doloris gustaret, inter costas puncta exululavit, & errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum posuit.

Act. Mart.

Deus Onocnycites.

Tertul. Apol. c. 16. Rainart. c. 16. &c.

IX. Neque verberibus suppliciisve modò, sed verbis quoque & dicteriis, illusum Christianis: *Nova jam Dei nostri in civitate proximè editio publicata est, ex quo quidem in frustrandis bestiis, mercenarius noxius, picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione, Deus Christianorum Onocoetes. Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans & togatus, Risimus & nomen & formam.* De voce explicanda multa variant. Crojus legit ὀνοκοιχαστής, Morellus ὀνοχελής. Quæ à voce scripta nimis recedunt. Scribi malumus *ononychodes*, ὄνος enim *asinus* est, ὀνυχώδης, *ungulatus.*

Perfecutio Alexandrina.

X. Alexandrinam civitatem gravior afflixit persecutio. Ægypti Præfecturam obtinebat Aquila, cui Lætus decesserat. Cùm ab Origene multi fide imbuti fuissent, vexationis hujus tempore non minimum inclaruerunt, usque adeò ut quidam ex ipsis comprehensi, martyrio perfuncti sint. Horum primus fuit Plutarchus, cui dum ad extremum usque vitæ terminum individuus adhæret Origenes, parum abfuit quin ab ipsius civibus occideretur, utpote qui necis illius Autor fuisset. Post Plutarchum, secundus ex Origenis discipulis martyrium obiit Serenus, igne consumptus. Tertius ex eadem Schola Martyr extitit Heraclides, quartus Heron, ambo securi percussi, prior dum adhuc esset Catechumenus, alter verò neophytus. Quintus ex eodem auditorio Victor renuntiatus est, Serenus priori illi eognominis, qui cùm plurimos cruciatus pertulisset, tandem capite truncatus esse perhibetur. Sed & ex mulierum numero, *Heraïs* Catechumena per ignem baptismum adepta, ex hac luce migravit. Quorum natale Martyrum XXVIII. Junii celebratur.

Eusèb. l. 6. cap. 4.

Potamiænæ Basilidisque martyrium.

XI. Virgo & animi, & corporis, excellenti pulchritudine florens *Potamiæna*, quæ pro pudicitia conservanda adversus amatores varia certamina subierat. Aquila cùm eam sævissime excruciasset, ad extremum interminatus ei esse dicitur stuprum à gladiatoribus. Damnata à Judice, cùm plebs illuderet, Basilides de apparitoribus unus, multa virgini humanitatis præbens indicia, eos qui contumeliam ei faciebant, propellebat. Potamiæna verò post obitum, Basilidi se salutem à Domino impetraturam pollicetur. Quæ cùm dixisset, ferventi pice per varia corporis membra ab imis pedibus ad ipsum usque capitis verticem latè ac paulatim circumfusa, mortem constanti animo pertulisse memoratur. Mater ejus cum filia igne consumitur. Brevi autem posteà Basilides à contubernalibus suis sacramento adactus, cùm sibi Christiano juramentum nefas putaret, ad Judicem perductus, in vincula conjicitur. Post hæc signaculo Domini à fratribus accepto, postridie Christum gloriosè confessus, capite truncatus est. Natale Basilidis Junii XXX. Romanum affigit Martyrologium. Hâc tamen die abire vitâ non potuit, si Potamiæna quarto Kalend. Julii igni tradita est: cùm hujus inter & illius mortem amplius quàm bidui spatium antecessisse, indicat Eusebius.

Eusèb. l. 6. cap. 5.

De Ætate Origenis. Natalis ejus, supremusque annus.

XII. Furente Alexandrinæ persecutionis procellâ, Origenes natus annos XVIII. jam in gloriâ erat. Anno Dom. CLXXXVII. editum fuisse, Crispino & Æliano Coss. Chronicum tradit Alexandrinum. Cujus in ea re peccatum est. Neque etiam erroris est immunis doctissimus ille Valesius, dum Origenis nativitatem confert in *quartum Commodi annum.* Commodi quartus, Dionysianus est CXXXIII. decimus septimus igitur Origenis, in CLXCIX. Dom. vel in sequentem incideret, quod repugnat Eusebio, cujus de ætate Origenis magna apud omnes autoritas esse debet. Annum agebat septimum & decimum, cùm Alexandrina persecutio commota est, Severi decimo, Dionysiano CCII. Natus igitur est Origenes anno CLXXXV. Commodi VI. Triario Materno, & M. Atilio Meti-

Vales. Annot. in Eus. p. 125.

lio

ANNO DOM. 203.

lio Braduâ Coss. Quæ Chronologia ex anno quoque Origenis ultimo stabilitur: *Vixit usque ad* LXIX. *ætatis suæ annum, & mortuus est Tyri, in qua urbe sepultus est.* Quâ etiam ætate excessisse, Photius docuit: *Alii volunt ad Galli, ac Volusiani usque tempora perdurasse, & sexagesimum nonum ætatis annum agentem, Tyri mortuum. . . . Quæ quidem narratio verior est.* Obiit ergo anno Dom. CCLIII. quo & fata, Gallus & Volusianus sua impleverunt. Clarissimus ille Huetius, cui multum debet eruditus orbis, ob Origeniana, ad annum usque CCLIIII. vitam prorogat Origenis: *Cùm enim*, inquit, *natum eum demonstraverimus anno post Christum* CLXXXV. *adjectis* LXIX. *quot explevit annos, omninò efficitur summa annorum* CCLIV. Non attendit tamen vir doctissimus, annum *post Christum* CLXXXV. partem annorum esse, quos explevit Origenes. Itaque anni non *novem & sexaginta*, sed sexaginta octo sunt adjiciendi. Cæterùm & suam, & nostram Eusebius Chronologiam turbat: *Decio simul cum liberis interfecto, Gallus in ejus locum succedit, quo tempore Origenes septuagesimo ætatis anno, ex hac vita migravit.* Cùm enim paulò ante Galli & Volusiani obitum, qui anno CCLIII. contigit, vitâ functus sit Origenes, anno quidem CLXXXIV. lucem aspexit, si annos vixit *septuaginta*. Rotundumne numerum adhibuit Eusebius, quia ad septuagesimum accessit Origenes? Nùm peccarunt librarii, cùm Eusebius Photiusque annos tantum LXIX. vindicent Origeni? Utut res sese habeat, non audiendus Natalis Alexander, qui anno CCLVI. Origenem ad plures abiisse tradit.

Hieron. de Vir. illustr.
Phot. Cod. 118. 298.
Huet. Origen. l. 1. c. 4. 23.
Euseb. l. 7. c. 2.

Origenis pueritia. De ejus castratione.

XIII. Leonidi præter sex filios, unus fuit & Origenes, quem ab Oro Ægyptiorum Deo appellatum fuisse, Huetius existimat, quemadmodum à Jove profluxit Diogenes, à Mercurio Hermogenes. Nec ejusmodi nomina, utut à numinibus derivata, abjiciebant Catechumeni, cùm fidem amplectebantur. Atque hinc Dionysius Areopagita, Apollos Alexandrinus, Phœbe, Hermas, Hermes, Nereus & Diotrephes. Annis subinde prodeuntibus, Adamantius cognominatus est, vel *quòd rationes quas colligaret, adamantinis quibusdam quasi vinculis, non absimiles viderentur*, ut habet Photius, vel, ut tradit Hieronymus, Epistolâ XVIII. ad Marcellum, *quod innumerabiles libros, verè Adamantius, & Chalcenterus explicavit.* Ante Græcarum literarum studium, & sacris eum disciplinis exerceri, & quosdam Scripturæ locos memoriæ mandare præcepit Leonides. Quæ in studia cùm libenter incumberet, patri facessebat negotium, dum quid sententiæ Scripturæ significarent requirebat. Qua de re, etsi puer in speciem objurgaretur, clam tamen Deo gratias agebat maximas Leonides, quòd talem filium suscepisset. Imò dormientis pueri cubiculum ingressus, pectus ejus sæpenumerò & nudasse, & veluti sacrarium Spiritus deosculatum fuisse dicitur. Pantæni successori Clementi Alex. qui Catechumenorum institutioni præerat, in disciplinam traditus est. Parentis qui Martyr excesserat, bonis in fiscum redactis, in magna rerum omnium inopiâ versatus, ab opulentissima matrona exceptus est. Compellebatur tum cum Paulo viro eloquentissimo, Antiochiâ oriundo, Hæreticorum apud Alexandriam propugnatore, quem matrona adoptarat, miscere commercium. Nunquam tamen adduci potuit, ut cum Paulo in precatione consisteret. Intereà magnus ille martyrii amor non quiescebat in Origene. Adrasum illum Græci pro Templi Serapidis gradibus collocantes, palmarum surculos in eos distribuere jusserunt, qui ad simulachrum venerandum adibant. Ramis acceptis, magnâ voce vociferatur: *Adeste, capite non simulachrorum Templi, sed Christi surculum.* Cum post parentis obitum, liberalibus se studiis magis addixisset, peritiam Grammaticæ assecutus, eam artem professus, necessaria sibi vitæ subsidia abunde comparavit. Pulsis ob persecutionem, qui tradendis fidei rudimentis operam dabant, instituendis Catechumenis à Demetrio Episcopo Alexandrino præficitur, anno ætatis suæ XVIII. qui Dionysianus est CCIII. De fide disserentem, ex Ethnicis audierunt nonnulli, quorum complures, ut vidimus, martyrio coronati. Neque impositum Origeni munus, à studio Martyrum eum revocavit, quibus & in vinculis, & apud Judicem comes aderat, & ad supplicium ductis oscula dabat, ut à plebe lapidibus jamjam obruendus videretur. Domum ejus dispositis militibus obsessere, ac dum ex aliis ædibus in alias migrat, vix ab urbe Alexandrina capi potuit. Tum ob Catechumenorum multitudinem, abjectâ scholâ Grammaticâ, se totum addixit imbuendis fide animis. Ac ne alieno subsidio indigeret, venditis artis pristinæ voluminibus, quæ habuit elegantissima, contentus fuit quatuor obolis, qui ab emptore ipsi in dies singulos suppeditabantur. Interdiu jejuniis insudabat: noctu somni spatia dimetiebatur, quem nudo solo capiebat, multos per annos, abjectis calceis, nudis pedibus ambulasse dicitur. Vino & diutius abstinuit usque adeò, ut pectus suum in labis discrimen adduceret. Anno Dom. CCVI. ætatis suæ XXI. ut calumniæ occasionem Ethnicis adimeret, dum fœminis fidei præcepta compluribus tradit, Servatorisque mandatum, quod simplicius, & juvenilius intelligebat, implet, non ferendâ quidem audaciâ, semet ipsum eviravit. Quibus instrumentis hoc facinoris perpetravit, adducitur in dubium: *Origenem narrant quiddam in corpusculum excogitasse suum, sive nervum sibi, ut quidam existimant incidere, quo se illecebrarum molestia liberaret . . . sive, quod alii malunt, medicamento aliquo partibus illis imposito resiccarit.* Cicutam genitalibus illevisse, credit eruditissimus Huetius, quam Athenienses Hierophantas ad compescendam libidinem adhibere solitos, ipse prodidit Origenes, libro 7. contra Celsum: *Cohibendæ quippe veneris gratiâ, cicutam locis illis admoveri tradunt Dioscorides, & Plinius.* Nos ferro potius evirationem fuisse censemus, quod & disertè tradit Hieronymus: *Voluptates in tantum fugit, ut zelo Dei, sed tamen non secundum scientiam, ferro truncaret genitalia.* Hoc & ipsum indicat Eusebius. Quippe cicutam genitalibus illinere, temperantiæ castitatisque conservandæ causâ, *Facinus non est, quod minus perfecti sensus, & juvenilis cujusdam audacia videri possit;* neque adhibito tali remedio Christi verba hæc, *Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, simplicius & juvenilius* accipiuntur. Aliud quidem semet ipsum castrare, aliud medicamentis venerem sedare. Hierocles veritus ne Zoticus Heliogabalum sibi manciparet, veneno per pincernas dato, vires ejus enervavit. Non tamen Zoticum castravit Hierocles. Videatur & Nice-

ANNO DOM. 203.

Euseb. l. 5. c. 3.
Epiph. h. 63. n. 3.
Huet. Origen. l. 1. c. 2. 8.
Hier. Epist. LXV. c. 3.
Euseb. l. 6. cap. 8.
Dio l. 79. 914.

Nicephorus lib. v. c. 8. Neque caruit incentivo vetitum nefas, teste Justino Apol. 11. p. 71. *Nostrorum juvenum quidam, ut vobis persuaderet non esse nobis mysterium propatulam & promiscuam mixturam, libellum obtulit Alexandriæ Felici Præsidi, medico permitti postulans, ut testes sibi abscinderet. Felice verò prorsus petitioni ejusmodi subscribere nolente, perseverans in proposito suo adolescens in sua tandem, & eorum qui idem secum sentiebant, conscientia acquievit.* Tantum facinus quamvis maximè vellet, Origenes occultare non potuit. At Demetrius, juvenis audaciam miratus, collaudatâ primum fidei sinceritate, bono animo esse jussit, atque tanto majore curâ instituendis Catechumenis vacaret, cohortatus est.

Peregrinationes Origenis: linguam Hebræam addiscit.

XIV. Mortuo Severo, antiquissimam Romanorum Ecclesiam videndi cupido incessit Origenem. Per ea tempora sedebat adhùc Zephyrinus. Quam Baronius Origenis profectionem confert in annum Christi CCXVIII. *Fortasse*, inquit, *Mammæam eò secutus est.* Quæ illustrissimi Purpurati Chronologia à vero labitur. Vitâ functus est Zephyrinus, anno CCXVII. Itaque citius in urbem proficisci Origenes debuit: *Adamantius Zephyrino per hæc tempora Romanam Ecclesiam gubernante, se in urbem advenisse scribit, cum sibi in votis esset antiquissimam Romanorum Ecclesiam coram videre.* Cur Valesius verterit, *Romanam Ecclesiam omnium antiquissimam*, prorsus ignoramus: ἀρχαιοτάτην non quidem id significat, neque etiam verum est, cæteras orbis Ecclesias vetustate à Romana superari, non sanè Hierosolymitanam, non Cæsariensem, non Judææ multas, non Antiochenam. Neque Mammæam anno CCXVIII. in urbem sequi Origenes potuit, cùm demum anno CCXXIX. Antiochiam à Mammæa fuerit accitus. Si quis conjecturæ locus, anno CCXIII. Romam transmisit, audito Caracallæ de extinguenda persecutione decreto. Tunc enim id itineris commodius suscipere potuit. Ibi paulisper moratus, Alexandriam rediit, ubi consueto Catechumenos docendi officio functus est, hortante & tantum non supplicante Demetrio. Cùm autem à primo lucis exortu ad vesperam usque scholam ejus frequentarent, divisâ auditorum multitudine, Heraclam in docendi officio sibi socium adjunxit, cui rudiorum institutionem mandavit, reservatâ sibi perfectiorum curâ. Cæterùm tantum in Scripturis divinis habuit studii, ut etiam Hebræam linguam contra ætatis, gentisque suæ naturam edisceret, & Autheoticos Scripturæ libros Hebraicos sibi compararet. Neque Judæorum monita in explicandis divinis oraculis respuit. Testis Hieronymus Epistolâ 67. ad Pammachium c. 3. *Certè etiam Origenes, Patriarcham Hullum, qui temporibus ejus fuit, nominat, & tricesimum tomum in Esaiam, in cujus fine edisserit, Væ tibi civitas Ariel, illius expositione concludit, ut cùm aliter prius sensisse se dicat, doctum ab illo, id quod verius est, confitetur.* Per idem tempus Ambrosius Valentinianâ hæresi imbutus, ab Origene convictus, fidei adhæsit, cujus potentiam sensit. Intereà dum Alexandriæ moratur, miles Demetrio Alexandriæ Episcopo, & Præfecto Ægypti, literas à Duce Arabiæ detulit, ut confestim ad se doctrinâ Christi imbuendum mitterent Origenem. Qui perfecto in Arabia negotio, Alexandriam regreditur.

Bar. An. 220. n. 7.

Eusеb. l. 6. c. 14.

Euseb. l. 6. c. 18.

Euseb. l. 6. c. 19.

Aliæ peregrinationes Origenis. Audit Ammonium.

XV. Anno CCXV, cùm Caracalla perfidam Alexandrinis vim intulisset, Origenes ne in Ægypto quidem commorari tutum ratus, Palæstinam petit. Dum Cæsareæ moratur, nondum Presbyteri gradum adeptus, rogatur ab Episcopis Scripturas in Ecclesia exponere. Quod factum excusant Alexander Hierosolymorum & Theoctistus Cæsariensis Episcopus, adductis exemplis compluribus. Evelpis Larandis rogatus erat à Neone, Paulinus Iconii à Celso, Theodorus apud Synada ab Attico, ut explicandæ palam Scripturæ operam darent. Revocatus per literas à Demetrio, qui missis Ecclesiæ suæ Diaconis, reditum urgebat, consuetum Alexandriæ munus obiit. Intereà succisivis horis, Ammonii Saccæ, Philosophi celeberrimi, scholam frequentabat. Qua de re non videtur dubitandum post expressum Porphyrii testimonium: Origenes, inquit, *cum auditor fuisset Ammonii illius, qui nostrâ ætate maximos progressus in Philosophia fecerat, quod quidem ad doctrinam pertinet Philosophia, plurimum ex Magistri sermonibus profecit.* Id tamen Baronio fere perabsurdum videtur: *Illud mirari subit, quomodo Porphyrius dicat Origenem Ammonii auditorem fuisse, cum constet Origenem ante annos XXX. Alexandriæ docere cœpisse.* Admirationem evellit Baronio Clariss. Huetus, adducto ex Suetonii de Illustr. Grammaticis exemplo c. 7. M. Ant. Gniphonis *Scholam, claros quoque viros frequentasse ajunt, in his Marcum Ciceronem, etiam cum Præturâ fungeretur.* Nos & alia subjiciemus, ut Baronii aliorumque admiratio decrescat. M. Aurelius Imperator: *Honestum est*, inquit, *etiam senescenti addiscere, ideò ad Sextum Philosophum vado, ut discam quæ nondum scio.* Accedat & de viris Ecclesiasticis exemplum. Ob maximam omnium de Heracla famam, Africanus jam ætate gravis Alexandriam profectus est. De se hoc refert & Hieronymus: *Jam canis spargebatur caput & Magistrum potius quàm discipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum, & multis ei gratias ago, quod nescivi, didici.* Quidni igitur & anno trigesimo Ammonium audierit Origenes, Philosophiæ cupidissimus?

Euseb. l. 6. c. 19.

Euseb. l. 6. c. 19.

Bar. An. 234. n. 3.

Philostr. l. 2. de Vit. Soph. 556.

Euseb. l. 6. c. 31.

Hieron. Epist. 65. cap. 1.

Origenes Mammæam adit. Presbyter creatur.

XVI. Anno CCXXIX. Origenes ab Alexandri Imperatoris matre Mammæa accitus, venit Antiochiam. Imperabat jam Alexander, quantum ex Eusebio assequi conjecturâ possumus. Narratâ enim morte Heliogabali, hoc addit: Mater Alexandri Imperatoris nomine *Mammæa, pia in primis, & religiosa fœmina, cum Origenis nomen ubique jam celeberrimum haberetur, conspectu ejus frui concupivit. Igitur illa Antiochiæ degens, misso militari satellitio, hominem accersit.* Qui post expositam mulieri Dominicam disciplinam, ad urbem Alexandrinam reversus est. Nostra itaque Chronologia ab illa Huetii septennio dissidet. Alexandrum filium in Orientem comitata est Mammæa, quo tempore Persis bellum intulit, quod anno CCXXIX. factum. Eusebii tamen, uti putat, autoritate fretus vir doctissimus, *Persicum bellum secundo Alexandri anno* assignat. Rectè tamen observatum Pagio, verba Chronici Eusebii non esse, sed Hieronymi, utpote quæ in octavo Eutropii libro disertè legantur. Huetii sanè Chronologiam percellit Herodianus, Alexandro coætaneus: *Neque Popularium quisquam fuit, qui sine lachrymis Alexandrum deduxerit abeuntem. Quippe omnem multitudinem sui cupidam habebat, educatus ab ipsis imperioque tam multos*

Euseb. l. 6. c. 21.

Herodian. lib. 6.

Anno Dom. 203.

multos annos modestissimè administrato. Anno CCXXX. Origenes in Achaiam proficiscitur. Tunc Romanam Pontianus, Antiochenam Zebinus administrabat Ecclesiam. Ea de causa venisse in Græciam conjicit Baronius, ut Nicopolitanam editionem circa hæc tempora repertam,

Bar. An. 230. n. 7.

sibi compararet. Quâ divinatione nil opus est, cum non satis ad Eusebium quadret: *Origenes*

Euseb. l. 6. c. 23.

compellente ipsum necessitate, ob Ecclesiastica negotia, in Achaiam proficiscitur. Quid rei esset necessitas hæc, discimus ab Hieronymo in Origene: *Et cum jam media esset ætatis, & propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ Epistolæ Athenas per Palæstinam pergeret*, &c. Ut erroribus igitur obsisteret, non ut Nicopolitanam sibi editionem compararet, Origines in Græciam tendit. Dum in Palæstina versatur, ab Hierosolymitano Alexandro, & Theoctisto Cæsariensi Episcopo, ad Presbyteri gradum evehitur, anno ætatis suæ circiter XLIV. Hinc illæ Demetrio lachrymæ. Tunc facinus ab adolescente patratum, gravissimè criminatus, Episcopos qui illum ordinaverant suis & accusationibus involvit. Ex Achaia reversus, Alexandriam anno Alexandri Imperatoris decimo, qui CCXXXI. & CCXXXII. Dionysiano insidet, inde Cæsaream migraturus, scholam Heraclæ reliquit, qui non multò pòst in Episcopatum defuncti Demetrii sufficitur. Quibus verò de causis relictâ patriâ, in alias regiones migrarit, dicemus inferius. Agentem Cæsareæ Origenem, veluti Magistrum suum auscultati sunt Alexander, & Theoctistus, solique ipsi Scripturæ interpretationem permiserunt. Quin etiam Firmilianus Cæsareæ Episcopus, ad visendum Origenem Cæsaream Palæstinæ usque profectus, unà cum ipso aliquandiu mansit, ut majorem rerum divinarum notitiam perciperet. Ad eum quoque accesserunt Theodorus, Gregorius, qui Thaumaturgus est nuncupatus, & frater ejus Athenodorus, qui suadente Origene, objectis prioribus studiis, ad sacram se Philosophiam contulerunt, Quinquennio in Doctoris sui auditorio versati sunt.

Origenis apud Julianam mansio.

XVII. Anno Dom. CCXXXV. cùm Alexandro successisset Maximinus, gravis in Clerum persecutio exoritur. Cui præcipuè Origenes pietate, concionibus scriptis clarus, cùm destinatur, ingruenti se periculo fugâ subduxit. Fugienti Juliana latibulum in domo sua præbuit. Quandiu ibi delituerit, ex Palladio novimus. Virgo nomine Juliana, in Cæsariensi Cappadociæ civitate, à mundanis rebus alienissima esse, & fidelissima perhibebatur. Quæ Origenem

Pallad. h. L. c. 51.

Ethnicorum vexationes fugientem, *Per biennium totum suscepit atque celavit, propriis ei sumptibus necessaria cuncta sufficiens, ac ministerio suo eundem recreans.* Julianæ in tectis abditum fuisse Origenem, imperante Severo, ex Palladio Baronius conjecturam fecit. Verba sunt Palladii: *In vetustissimo quodam codice versibus scripto hæc ego inveni, scripta manu Origenis, hunc librum inveni apud Julianam virginem, in Cæsarea civitate, dum apud ipsam laterem, quæ illum ab ipso Symmacho Interprete Judæorum se accepisse referebat.* Hinc Baronio conclusio nascitur, non ad alia quàm *ad Severi persecutionis* tempora, fugam Origenis esse

Bar. An. 205. n. 6.

referendam, *Quia longè ante Maximini, vel Decii persecutionem, libri illi Symmachi reperti erant.* Quasi verò hic ille liber, apud Julianam, ad quam Symmachi Bibliotheca jure successionis pervenerat, ab Origene reperiri non potuerit. Neque lectus à Palladio libellus, à Symmacho editus fuerat, utpote qui carminibus scriptus erat, cùm Symmachi & versio, & Commentarii, solutâ oratione conditi fuerint. Ingruente Severi persecutione, Origenes non fugit Alexandriam, sed ex aliis ædibus in alias transmigrabat. Extincto Maximino, anno CCXXXIV. Origenes Athenas proficiscitur, ac Cæsaream dein revertitur. Inde Bostram, causâ Berylli hujus civitatis Episcopi petit. Negabat Beryllus, Christum ante nativitatem suam, ex Virgine in propria persona substitisse. Cum illo familiariter collocutus Origenes, errantem ad rectum viam

Euseb. l. 6. c. 32. 33.

reduxit. Jam sexagenario major, anno CCXLVII. rogatus à Synodo Arabiam iterum petit, ut adversus autores erroris, qui animas cum corporibus & corrumpi, & ad vitam redire statuebant, disputationem instituerent. Tanto verò robore pugnavit, ut à veri tramite deflectentibus errorem

Euseb. l. 6. c. 37.

rem ademeret.

Origenis persecutio, obitus, laudes.

XVIII. Anno CCL. Imperante Decio, Origenes multa graviaque passus est vincula, cruciatus, & in intimo carceris recessu ferrei torquis ærumnas. Multorum dierum spatio, pedes in nervos ad quatuor usque foraminum interstitia distenti sunt. Ignium & minas fortiter pertulit, Judice ambitiose contendente, ne illum interficeret. Tandem vir ille percelebris,

Euseb. l. 6. c. 11.

vitæ suæ cursum in labore corporis, atque in animi contentione, confecit anno CCLIII. Gallo & Velusiano imperantibus, ætatis LXIX. Mortuus est Tyri ubi & sepultus. Defunctum illustri laude celebravit Vincentius Lirinensis Commonitoriis l. 1. c. 23. *In Origene plura adeò præclara, adeò singularia, adeò mira extiterunt, at inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem, quivis ille facilè judicaret. Nam si vita facit autoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia? Si genus vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio? Deinde pro Christo, non solùm patre, sed omni facultate privatus, tantum inter sancta paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominicæ confessionis, sæpius, ut ferunt, affligeretur. Neque verò hæc in illo sola erant, quæ cuncta posteà tentationi forent, sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum longèque superaret. Tantâ doctrinæ ac totius eruditionis magnificentiâ, ut pauca forent divina, penè forsitasse nulla humana Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur, cujus scientia, cùm Græca cederent, Hebræa quoque elaborata sint. Eloquentiam verò quid memorem, cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius, non tàm verba quàm mella quædam fluxisse videantur . . . Sed credo pauca conscripsit? Nemo mortalium plura, ut mihi sua omnia non solùm perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur. Cui ne quidquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis unquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores & Martyres extiterunt.* Legatur & Hieronymi ad Pammachium & Oceanum Epistola LXV. c. 3. *Magnus vir ab infantia & verè Martyris filius . . . Voluptates in tantum fugit, ut zelo Dei, sed tamen non secundum scientiam, ferro truncaret genitalia. Calcavit avaritiam, Scripturas memoriter*

ter tenuit, & in studio explanationis earum, diebus desudavit & noctibus, mille & eo amplius tractatus in Ecclesia locutus est. Edidit innumerabiles prætereà Commentarios. Quis nostrûm tanta potest legere, quanta ille conscripsit?

Pluresne Origenes Ammonio discipuli?

XIX. Antequam de librorum Origenianorum chronotaxi aliquid dicamus, nonnullæ de Autore quæstiones sunt expediendæ, quibus Historia non minimum illustratur. Controversia est inter eruditos, pluresne fuerint Origenes Ammonio discipuli? Hoc nolint Baronius, Holstenius, Spencerus, aliique eruditi. Penè quidem Eusebio succenset Baronius, quòd *adventus Origenis Romam, Philippi temporibus,* non meminerit, *quem tamen Porphyrius in vita Plotini perspicuè demonstrat.* Hæc quidem Porphyrius habet in vita Plotini: *Cum Origenes aliquando venisset in scholas, Plotinus statim genas pudore suffusus assurgere voluit. Sermonem verò ab Origene continuare rogatus respondit, studium loquendi cessare, quando qui loquitur animadvertit, se ad illos, qui idem ipsi noverint, verba facturum, atque ita cùm pauca quadam differuisset, inde surrexit.* Nos tamen Valesio assentimur, atque Huetio, qui hunc Origenem ab Adamantio diversum esse statuunt. Doctissimorum virorum rationes, eleganti Huetii oratione lectoribus exhibemus: *Adamantium Origenem, Ammonii auditorem, multam ex scriptis apud posteros gloriam fuisse consecutum, à Porphyrio traditum est. At Origenem alterum Plotini sodalem, nihil præter libellum de Dæmonibus scriptum reliquisse, docent iidem Porphyrius & Longinus. Imperantibus prætereà Gallo, & Volusiano, Origenem eum, qui Adamantii usurpavit, extremum clausisse diem, prodit Eusebius. Origenem verò alterum sub Gallieno librum quemdam elaborasse, in eadem Plotini vita, scriptum Porphyrius reliquit. Origenem Adamantium sibi valde adolescenti, cognitum aliquando fuisse Porphyrius tradit, quod non dixisset profectò, si diurna sibi cum illo & constans intercessisset necessitudo. Origenis autem alterius, Romæ condiscipulum & æqualem fuisse Porphyrium, memoriæ prodidit Eunapius.*

Bar. An. 248. n. 3.

Huet. Orig. l. 1. c. 1. n. 7.

Sacrificaritne Idolis Origenes?

XX. Vertitur & in eruditorum judicio quæstio, Origenesne sacrificaverit Idolis? Id posteris persuasit Epiphanius. Ut ad turpitudinis necessitatem hominem adigerent, ad illius stuprum corpori inferendum, Æthiopem compararunt. Duobus illis propositis, sacrificare maluit. Ubi semel hoc se facturum assensus est, thus in manum ipsius impositum, in subjectum aræ focum excussisse, Gentiles asserunt. Accidit hoc Alexandriæ, ubi cùm exprobrantium ludibria ferre non posset, illinc abiit, & in Palæstina domicilium constituit. Forte Hierosolymam profectus, ad verba in Ecclesia facienda solicitatur: *Ille in pedes consurgens, reliquis versibus prætermissis, postquam hunc unum ex Psalmo* XLIX. *locum attulisset, peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Complicatum librum reddidit, fleusque & lachrymans resedit flentibus, qui cum ipso aderant universis.* Hanc Epiphanii narrationem præstant Petavius, Huetius, Natalis Alexander, qui Justinianum, Leontium de Sectis, Nemesianum, testes & Origeniani lapsus excitat, quorum tamen utpote recentiorum autoritas, in uno recumbit Epiphanio. Nobis verò, pace Epiphanii, commentum est ea de Origene traditio. Bonus quidem ille pater, qui velut compertam, minimèque dubiam rem ipsam retulit, fallitur egregiè, dum Origenem in urbe Tyro, viginti octo annos, excellenti quâdam vitæ ratione, in otio ac commentandi labore transegisse, non titubanter prodit. His porro rationibus hanc Epiphanii narrationem impugnamus. 1°. Qui antiquiores Epiphanio, vel illius sanè temporis suppares, sive defensores Origeni forent, sive inimici, tanti lapsus non meminere, quem non prætermisissent, sive excusandi, sive vituperandi causâ. Evirationem disertè memorant Eusebius & Hieronymus, quibus notissimæ res Origenis. De thure focis imposito, ne ab Æthiope stuprum pateretur, altum est silentium. 2°. Demetrius Alexandriæ Episcopus, laudi gloriæque Origenis infensissimus, *qui tantâ in eum bacchatus est insaniâ*, in Idololatriam potius, quàm evirationem invectus fuisset. Quod Presbyter ordinatus fuerat, tam iniquo tulit animo, *ut per totum mundum super nomine ejus scripserit*, imò docente Photio, *Synodum Episcoporum & Presbyterorum contra Origenem coegerit, quæ ut Pamphilus refert, decretum fecit, Alexandriâ quidem pellendum Origenem, neque in ea versari aut docere permittendum; Sacerdotis tamen dignitate nequaquam submovendum. Verùm Demetrius unà cum Ægypti Episcopis aliquot sacerdotio illum abjudicat, subscribentibus etiam edicto huic, quotquot anteà suffragati ei fuissent.* Atqui ob Idololatriam pelli potius sacerdotio debuit. Cùm igitur ea de causa non tonuerint abdicationem Origeni, apparet lapsum ejus esse confictum. 3°. Ubi relictâ Alexandriâ, Cæsaream migravit Origenes, Theoctistus hujus urbis, & Alexander Hierosolymæ Episcopus, *Ipsi soli interpretationem Scripturæ permiserunt.* Quòd si numinibus sacrificasset, pœnitentiâ quidem publicâ fungi debuisset, ex immota Ecclesiæ regula: quod lamentabile munus nunquam peregit, sive Alexandriæ, sive Cæsareæ, in qua confestim post adventum suum, Presbyteri confecit officium. 4°. Prorsus ἀσύστατα sunt, quòd imperante Decio, thus apud Alexandriam adoleverit Origenes. Quippe patriis sedibus excedere coactus, nunquam in eas reversus est postmodum, prohibente Synodi decreto, à quo pulsus fuerat in exilium. Imò imperante Decio, mirâ patientiâ cruciatus omnes superavit, ne dum turpiter laberetur. Vi hujus argumenti oppressus Clariss. Huetius lapsum Origenis contigisse tradit anno *Christi* CCXXXI. *Origenis* XLVI. *Alexandri Severi decimo.* Quâ Chronologiâ testem suum ejurat Epiphanium, qui Deciano Imperio lapsum vindicat Origenis, quam & Chronologiam Petavius tuetur, atque N. Alexander. *Decio*, inquit, *Imperatore, Alexandriæ claruit . . . & ob eximiam sanctitatem & eruditionem, summam est in invidiam adductus, eaque res Magistratus & Præfectos majorem in modum acuit.* Perpetuò sibi constans Epiphanius similia memoriæ mandat, libro de Ponderibus n. 18. 174. *Decii porro tempore, illustris habitus est Origenes.* Cùm igitur sacrificasse numinibus dicatur, quo tempore multum sibi famæ collegerat, clarus verò dicatur Epiphanio, Decio rerum Domino, luce clarius est, lapsum Origenis, in Decii persecutionem ab Epiphanio conferri. Quæ Chronologia, cùm procul à vero sit, falsus quoque est lapsus ille Origenis. Prætereà nil persecutionis Alexandriæ motum est, imperante Alexandro, qui Eccle-

Epiph. h. 63. n. 2.

Phot. Cod. CXVIII. 298.

Euseb. l. 6. c. 27.

Huet. Orig. l. 1. c. 2. n. 13.

Epiph. h. 64. n. 1. & 2.

ANNO DOM. 203.

Ecclesiæ adeò favit, ut in *lararia suo Christum & Abraham haberet.* Nulli Martyres hujus temporis Veterum in monumentis reperiuntur. Insuper à fide lapsus Origeniani nos abducit stuprum, quod ipsi Æthiops minatus esse dicitur, quæ pœna à moribus Romanis erat alienissima, ac nullius quidem exempli. Cruces, ignes, feras, non præpostcrum Martyribus stuprum intentabant. Denique suspicione lapsus Origenem absolvit Eusebius: *Igitur cum Origenes ingenti gloriâ floreret . . . Demetrius quando nihil aliud habebat, quod ei objiceret, facinus illud, quod olim adolescens patraverat, gravissimè criminatus est.* Hem nil aliud habebat Demetrius quod objicere set Origeni! Atqui numinum aris Honores ab Origene impositos accusare, meliori jure potuisset. Commentum igitur & lapsus ille Origenis.

Euseb. l. 6. cap. 8.

Fueritne Origenis eviratio ordinationis impedimentum? De ejus excommunicatione.

XXI. Ex ea quæstione in aliam incidimus, Utrùm eviratio Origenis canonicum fuerit ordinationis impedimentum? Affirmat Baronius anno 230. n. 5. Quas quidem ex Leontio, ex Canone Apostolorum XXII. ex Mosaicis Sacerdotibus rationes ducit in gratiam Demetrii, infirmas esse profitemur. Leontius Arianus, ut liberè cum Eustolio dormiret, seipsum castraverat, quo facto, leges à S. Nicæna Synodo latas bifariam perrumpebat. Qui seipsum sanus absciderat, hunc & in Clero constitutum officio abstinere suo, Patres decreverant c. 1. Agapetarum & contubernio Clericos prohibuerant c. 3. Quas Leontius regulas prorsus violaverat. Canones qui Apostolici usurpantur, post Origenem editi sunt. Lex Mosaica de Sacerdotibus castratis, ceremoniis est inferenda. Repugnamus tamen N. Alexandro neganti, *Evirationem Origenis canonicum fuisse ordinationis impedimentum*, culpantique Demetrium, quòd ob id facinus Origenem insectatus sit. Eviratio quidem Origenis, & Naturæ, & Principum legibus, injuriam faciebat. Apostoli scitum est, nullus *carnem suam odio habet*: nec ferro quidem humani corporis violatore, sed precibus, continentia à Deo est impetranda. Itaque Canon Apostolicus, etsi non extaret ævo Origenis, in æquo tamen & bono innititur, quod juris æterni est atque perpetui: *Qui seipsum mutilavit, ne fit Clericus. Est enim sui homicida, & Dei opificii hostis.* Licet ergo amore continentiæ manaris Origenis eviratio, facinus tamen indignum fuit, quo sapientissima Dei institutio evertebatur. Quin etiam eo facto, Cæsarum leges perfringebantur, quod impunè non licuit. Solâ Magistratuum permissione hanc Origenes libertatem assequi potuit. Quam Christianorum unus, sui purgandi causâ à Felice Præside frustrà impetrare voluit, teste Justino Martyre. Itaque etsi invidiæ aculeos habuerit multos Demetrii insectatio, remotis tamen præjudiciorum nebulis, evirationc suâ à sacris Origenes arcebatur. Qua de causa Demetrius illum ad Presbyteri gradum, castratum fortè evehere noluit, eo tempore quo sibimet ipsi percharus erat. Itaque quin *Alexander, Theoctistusque*, eruditionis pietatisque quam in Origene mirabantur, amore capti, in eo ad sacerdotium promovendo nonnihil à jure deflexerint, nulli dubitamus. Demetrio consensit, Christiani orbis pars longè maxima. Testem damus Hieronymum: *Cùmque illa Epistola tota Demetrium Alexandrinæ urbis Pontificem laceret, & in totius orbis Episcopos & Clericos invehatur, & frustrà ab Ecclesiis excommunicatum esse se dicat.* Pauci quidem fuere numero, qui faverent Origeni, fatente vel ipso Rufino: *Damnatur à Demetrio Episcopo. Exceptis Palæstinæ, & Arabiæ, & Phœnices atque Achaiæ Sacerdotibus, in damnationem ejus consensit orbis. Roma ipsa contra hunc cogit Senatum, non propter hæresim, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant, sed quia gloriam eloquentiæ ejus, & scientiæ ferre non poterant.* Inficiari quidem non possumus, illatam Demetrio injuriam, dum Presbyter Origenes creatus est. Ab Origene quidem, quòd ab externis Episcopis manum sibi imponi passus fuerit, nec ab Episcopo civitatis suæ, honorem Presbyteri expectarit, à Theoctisto verò & Alexandro, quod Alexandrinæ scholæ Magistrum hoc facto ad Ecclesiam suam transtulissent. Ex Rufino atque Hieronymo Origenem ab Ecclesia Rom. excommunicatum fuisse, apertè colligitur. Cujus judicio non steterunt complures orbis Ecclesiæ, non Palæstinæ, non Arabiæ, non Achaiæ Clerici, quorum præsidio fretus, Presbyteri munus, Origenes ad obitum usque retinuit.

N. Alex. Sec. 3. Dissert. 15.

Can. 22.

Hier. Apol. lib. 2. c. 5.

Ruf. Invect. 2. pag. 151.

Librorum Origenis Chronotaxis.

XXII. In tempus suum, nunc Origenis libri sunt digerendi, quem clariss. Huetus laborem nostrum non minimum adjuvit, etsi illius Chronologiæ nostra quandoque repugnet. Anno Dom. CCXXX. ætatis suæ XLVI. Origenes Mammæâ relictâ Alexandriam reversus, ad scribendos commentarios animum appulit. Quem sive Marcionitarum, sive Valentinianorum ex schola, ad Christi disciplinam adduxerat Ambrosius, & verbis, & largissimis sumptibus, ad hanc provinciam obeundam incitavit. Septem Notarii dictanti præstò aderant, qui præstituto tempore, sibi per vices succedebant, nec pauciores antiquarii simul, cum puellis elegantius scribere assuetis. Quinque priores libros in Joannis Evangelium, octo priores in Genesim, Commentarios in primos XXV. Psalmos. De Resurrectione libros duos, in Lamentationes Hieremiæ, in quibus mentio fit librorum de Resurrectione. Item libros de Principiis, στρωματέων libros X. Alexandriæ condidit, imperante Alexandro Severo. In primi Psalmi expositione, Veteris Testamenti libros *Duos esse ac viginti*, testatur. Cæsareæ verò in Esaiam commentarios edidit, nec non partem explicationum in Ezechielem. Epistolæ etiam Africani de Historia Susannæ copiosissimè respondit. Nicomediâ scriptam esse, cùm Athenas proficisceretur Origenes, credimus Huetio. Aliud tamen innuit Eusebius, sed & Africanum salutat nomine Ambrosii, *Qui operam suam contulit, in dictanda Epistola.* Ambrosium *Ecclesiæ Diaconum* fuisse, scimus ex Hieronymo. Cujus verò ignoramus. Eò tamen inclinat conjectura, ut in Cæsariensi Diaconum egerit. Origeni comes erat, qui plurimùm Cæsareæ versatus est. Protecto quoque Cæsariensi Presbytero, conjungit Ambrosium, dum ambobus librum de martyrio suum nuncupat. Anno CCXXXV. imperante Maximino, qui in Ecclesiæ Antistites persecutionem intenderat, Origenes librum edidit de martyrio, quem Ambrosio & Protecto Ecclesiæ Cæsariensis Presbytero dedicavit. Annis CCXXXVIII. & CCXXXIX. dum Athenis versatur, suos in Joannem Commentarios absolvit, indicioque est Maximini persecutionis mentio, quæ libro XXI. inse-

Euseb. l. 6. cap. 23. 24. 25.

Euseb. l. 6. cap. 32.

Euseb. l. 6. cap. 31.

Orig. l. 1. cap. 3. n. 6.

Anno Dom. 203.

inscritur. Commentariis & in Ezechielem colophonem imposuit, explicationem Canrici Canticorum inchoavit, quam ad quintum usque librum produxit. Quod Opus, reversus Cæsaream ad exitum perduxit. Post annum CCXLIV. Origenes jam sexagenario major, conciones quas habebat ad populum, à Notariis excipi permisit, cùm id anteà fieri nunquam concessisset. Sub idem tempus, anno circiter 245. octo in Celsum libros confecit, rogante Ambrosio. Quinque prætereà ac viginti volumina, in Matthæi Evangelium elaboravit, & in XII. Prophetas Expositiones. Scripsit etiam ad Imperatorem Philippum, & ad conjugem illius Severam, quæ geminæ Epistolæ hodie non extant.

Euseb. l. 6. cap. 36.

Hexapla Origenis.

XXIII. Immensum Hexaplorum Opus, cui preconii satis nunquam tribui potest, noster verè Adamantius, verè Chalcenterus imperante Philippo confecit: quod in urbe Tyro conditum esse existimamus. De loco testis Epiphanius: *Origenes Cæsaream Stratonis primùm, inde Hierosolymam sese conferens, paululum istic moratus Tyrum postea concessit. Ubi annorum octo & viginti spatia degens, cum severissimam, uti ferunt, vitæ disciplinam instituit, tum ad Scripturarum enarrationem animum adjecit. Quo tempore Hexapla illa sua composuit, Hebraicis duabus paginis adjectis.* Vix ante Philippi Imperium, in urbe Tyriensi domicilium collocare potuit, ut in peregrinationibus Origenianis observavimus. *Jam primam Hexaplorum descriptionem animo præformasse, cùm versaretur Alexandriæ,* censet Huetus. De Hexaplis tamen condendis, non antè cogitare potuit, quàm sex versionibus instructus esset, quibus Hexapla constabant, quas non nisi post ejus ex Alexandrina orbe discessum, omnes sua in potestate habuit. De ejusmodi versionibus Eusebius: *Nonnullas interpretationes, à tritis illis & vulgatis Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis diversas reperit. Quas quidem ille, ex nescio quibus erutas angulis, in quibus jamdudum delituerant, primus in lucem produxit. Et cum obscurum incompertumque haberet, cujusnam essent Autoris, hoc solum de ipsis annotavit, alteram quidem à se repertam Nicopoli, juxta Actium, alteram verò in alio loco.* Priorem reperisse videtur, cum ob Ecclesiastica negotia transiisset in Achaiam. Utriusque Autores fuere Judæi: *Magnus, ut scio, sumptibus redemisti Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis, quintæque & sextæ editionis Judaicos translatores.* Accuratam Hexaplorum notionem nobis in animo consignat Epiphanius: *Primùm Origenis studium fuit sex in unum interpretationes conserre, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta duorum, Theodotionis, unà cum editione quinta & sexta, quibus singulas Hebraicas dictiones, propriis elementis perscriptas, addidit. Tum ex adversa, altera in pagina contextum fecit ex Hebraicis dictionibus, Græcis literis exaratis. Hunc in modum volumina illa, quæ Hexapla dicuntur, composuit, quæ præter Græcas editiones, duas etiam Hebraici sermonis columnas continent, alteram Hebraicis ipsis, alteram Græcis elementis conscriptam.* Septimam Hexaplis suis versionem addidit Origenes, de qua Eusebius: *Quin etiam in Hexaplis Psalmorum exemplaribus, post insignes illas versiones, cùm non quintam modò, sed etiam sextam & septimam apponeret versionem, rursus in principio unius, notavit inventam illam fuisse Hierichunte in dolio, temporibus Antonini Caracallæ.* Sapienter tamen observatum Valesio: *Cùm hæc septima editio Psalmos tantum haberet, ideo Origenes titulum editionis suæ, ἑξαπλῶν scilicet non immutavit.* Quæ Epiphanio dicuntur *Octapla*, de Ponderibus n. XIX. semper Eusebio *Hexapla* vocantur, quæ à Græcis versionibus nomen habebant suum: *Has igitur omnes interpretationes cùm in unum corpus collegisset, & per certa membra distinxisset, & sibi invicem è regione opposuisset, una cum ipso Hebraico textu, Hexaplorum nobis exemplaria reliquit.* Viderit Epiphanius quo Autore *Octaplarum* titulum fabricarit. Hexaplorum diagramma exhibent, Huetius Origenianorum l. 3. p. 215. atque Petavius Animadversionibus in Epiphanium p. 404. De Origenis Operibus, quorum notitia ad nos pervenit, legantur Cavius & du Pin. Nos ad alia festinamus.

Epiph. de Pond. n. 18. 175.

Origen. lib. 1. c. 3. n. 3.

Hieron. Apol. in Ruf. l. 2. cap. 9.

Epiph. h. 64. n. 3.

Euseb. l. 6. cap. 16.

Anno Dom. 203.

Euseb. l. 6. cap. 16.

De Doctrina Origenis.

XXIV. Cæterùm hic ille Origenes, de quo olim Hieronymus hæc locutus: *Quem post Apostolos, Ecclesiarum Magistrum nemo nisi imperitus negat,* in errores bene multos delapsus est: Rufinus quidem Origenis laudator maximus, id fatetur: *Inveniri in ejus libris, quæ veritatis regula non admittit, quæ nos quoque nec recipimus, nec probamus.* In Epistolâ tamen ad Macarium, errores istos ab Hæreticis manasse putat, qui scriptis Origenis, *Venenatum virus infudere.* Illud sanè questus est ipse Origenes, Epistolâ ad quosdam Alexandrinos scriptâ. Autor hæreseos, quo cum disputaverat, *Descriptum accipiens codicem, quæ voluit addidit, & quæ voluit abstulit.* Quâ de causâ Palæstini miserunt ad Origenem Athenas, hominem qui acciperet authenticum exemplar. Hanc verò & corruptionis Rufinus affert rationem: *Dubitari non puto, quòd hoc nullo genere fieri potuit, ut vir tam eruditus, tam prudens, certè quod indulgere etiam accusatores ejus possunt, vir qui neque stultus, neque insanus fuerit, ipse sibi contraria & repugnantia in suis sententiis scriberet. . . . Quid faciemus quod interdum in eisdem locis, atque ut ita dixerim, in consequenti penè capite, sententiæ contrarii sensus inveniuntur inserti?* Prætereà tot viri pietate insignes, qui ex ejus schola prodiere, tot insignes Episcopi, quorum nonnulli miraculis clari, Narcissus, Theoctistus, Firmilianus, Gregorius Thaumaturgus, qui docentis Origenis ab ore veluti pendebant, tot errorum labe ejus innocentiam liberare videntur. Viris piis & Orthodoxis admirationi nè fuisset Doctor tantis scatens erroribus. Magna quidem est inter Veteres de Origene controversia: *Defensores ejus, dicunt Origenem, Patrem & Filium & Spiritum S. unius ejusdemque substantiæ docuisse, neque resurrectionem repulisse mortuorum. Sed qui ejus plura legerunt, contradicunt.* Ac sanè fieri potuit, quòd crudam Origenis Theologiam maturior ætas coxerit. Neque omnes ipsius errores pietatem evertunt. Multa etiam allegorico sensu capienda proprio capta sunt, ut Clarissimus observavit Huetus. Nobis tamen hæc sunt intoleranda à quocunque fluxerint: *Repugnat Christum, vel prolatum esse, vel natum, ne Deus pater dividatur in partes, sed dicit sublimem & excellentissimam creaturam voluntate extitisse Patris, sicut & cæteras creaturas.* Neque laudandum, quod habet l. 3. de Principiis c. 6. Diabolum olim esse salvandum, impios felicitate donandos c. 5. æternas beatitudinis & miseriæ fore vices in spiritibus, & humanis, & Angelicis.

Ruf. Apol. pag. 130.

Rufin. Macar. pag. 129.

August. de Hær. cap. 43. Legatur & Socrates l. 6. c. 13.

Hieron. Apol. l. 2. cap. 5.

Metho-

ANNO DOM. 203.

Methodius quidem, qui anno CCXC. floruit, Origenis de resurrectione sententiam impugnavit, ut liquet ex Epiphanio. Quo de articulo Rufinum & interrogat Hieronymus: *Quæro quod Origenes negat, utrum in eodem sexu quo mortua sunt corpora suscitentur.* Audiamus & Augustinum: *Sunt & alia hujus Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omninò non recipit, in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab ejus defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala, revolutione rationalis universa creatura.* Itaque Hieronymi, quæ est Pammachio & Oceano, Epistola LXV. docetur Origenem in Epistola ad Fabianum scripta errorum suorum *pœnitentiam egisse.* Neque negari potest quin Pelagio præluserit, ex ea voluntatis ad benè malèque agendum indifferentia, in qua humanæ libertatis naturam collocat. Quo fonte ortum videtur quod in libro de Oratione, sibi in mentem induxit, divinam de actibus liberis præcognitionem antecedere decreto. Unde consequitur, gratiam prævenientem efficacemque penitùs destrui. Ut absque invidia ad Ctesiphontem Pelagianom scripserit Hieronymus: *Doctrina tua Origenis ramusculus est c. 2.* Erroribus quoque apponi debet, quod animas ante humana corpora conditas, ne vel Christi mente exceptâ, Origenes existimat: *Hâc ergo substantiâ animæ inter Deum carnemque mediante, non enim possibile erat Dei naturam corpori sine mediatore misceri, nascitur Deus homo, illâ substantiâ existente cui utique contra naturam non erat, corpus assumere.* Sed de doctrina Origenis obiter. Videantur Sixtus Senensis, Halloixii *Origenes defensus*, Hueti Origeniana, N. Alexandri dissertatio XVI. qui fusè cumulatèque hanc materiam tractarunt, de qua etiam recurret dicendi locus.

Hieron. Apol. 2. cap. 1.

August. de Hær. cap. 43.

Origen. Princ. l. 2. cap. 6.

Origenistæ Hæretici.

XXV. Defuncto Origene, Hæretici exorti sunt, qui ab eo nomen hauserunt, ut tanti viri titulo infamiam suam obnuberent. Quæ secta bifariam divisa fuit. In dubium quidam revocat Epiphanius, an Origenistæ, qui *fœdi* nuncupantur, ab Adamantio, an ab aliquo altero appellationem sortiantur. At binis Origenistarum sectis, bina capita indubitanter assignat Augustinus, & post Augustinum Damascenus. Quæ de *duobus Origenibus dicuntur, commentum esse*, Baronius edicit. Baronio quidem non *nisi unum Adamantium* extitisse largimur. Plures tamen fuisse præter Adamantium Origenes, certè & certò scimus. Misso Origene, qui Plotino amicus fuit, alius est & Origenes Monachus Antonii M. discipulus: *In monasteriis Sciticis claruerunt senes quidem, Origenes qui ex magni Antonii discipulis adhùc supererat, &c.* Quidni igitur ignotus & Origenes aliquis, turpibus Origenistis se fontem præbuit? Ab Origene quidem Adamantio, castitatis supra fidem cultore, fœdos Origenistas manasse, non multum probabilitatis habet. Hæc hominum secta, quæ non usquequaque diffundebatur, monasticam vitam cùm specie ipsâ profiterentur, corruptis tamen corporibus erat, & de sua venere palam gloriabatur. Libros Apocryphos, veluti Andreæ, & aliorum Actus adhibebat. Origeniani alii, qui & Adamantii sectatores sese profitebantur, *Mortuorum resurrectionem negabant. Christum & Spiritum S. creaturam dicebant. Paradisum autem, & cælos, & alia non credebant esse secundum literam, sed in Allegoria.*

Bar. An. 256. n. 47.

Sozom. l. 6. c. 30.

Epiph. h. 63.

August. de Hær. cap. 43.

ANNO U. C. 957. PER. JUL. 4917. JUL. 249. DOM. 204. SEVERI 11. & 12. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 15. *Indict.* 12. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 8. *April.*

ANNO DOM. 204.

COSS. *L. Fabius Cilo II. & Marcus Annius Libo.*

I. Plautianus, qui tantâ apud Severum gratiâ erat, ut palam diceret, Non posse ullum malum à se Plautiano accidere, fortunæ tandem ludibrium dedit. Caracallæ infensus, qui Plautillam uxorem non satis honorificè tractabat, dolensque ob imminutam à Severo potentiam suam, imperium insidiis appetere non dubitavit. Saturninus genere Syrus, vir acerrimi ingenii, erat unus eorum quos sub se Tribunos habebat. Cui mandatum dat Severum, Caracallamque interficiendi. Cùm lubentia audire se simulasset, adorato Plautiano tanquam Imperatore, jam libellum petit demandatæ sibi cædis. Quod cùm accepisset Saturninus, ad Severum adit, ostendit libellum, ac ut conjurationem certiorem faceret, fidissimum sibi hominem misit, qui Plautianum accelerer. Is loricâ indutus, conscenso curru, mox palatium ingreditur. Quem manu prehensum deducit intra cubiculum. Neganti Plautiano se voluisse Imperatorem interficere, Caracalla gladium abstulit eumque pugno percussit. Volebat & eum occidere, sed prohibitus à patre, jussit uni ex famulis morti mittere. Quidam pilos ex mento ejus evulsos, Juliæ, Plautillæque attulit antequam de cæde cognovissent. Cadaver è palatio in viam projectum, tandem jussu Severi sepultum. Plautus & Plautilla, defuncti liberi, in Liparam releganter. In Siciliam eum filiolo, quem pepererat postmodum, Plautillam misit Severus, datis opibus quantæ ad victum sufficerent. Venere multi in periculum Plautiani causâ, quorum nonnulli morte affecti. Cæcilius Agricola, qui in primis ejus assentatoribus habebatur, plenus vini refrigerati, poculum duobus aureorum millibus emptum allisit, deinde sectâ venâ mortuus est.

Mors Plautiani.

Herodian. lib. 3.

Dio l. 75. 859.

Herodian. lib. 3.

Dio l. 75. 861.

II. Ludorum secularium celebratione annus insignis est. Censorinus c. 17. *Octavos, Imperatores Septimus & M. Aurelius Antoninus, Chilone & Libo Coss. anno* DCCCCLVII. *Hinc animadvertere licet, neque post centum annos ut hi referrentur ludi, statum esse, neque post* CX. Proximos ediderat Domitianus se XVI. & L. Mimicio Rufo Coss. Visi sunt omnis generis ludi cunctis editi theatris simulque supplicationes & pervigilia.

Ludi seculares.

III. Eo tempore Alexandriæ florebat Ammonius Philosophus, omnium ore celebratus, de quo Longinus apud Porphyrium in vita Plotini: *Sed in secundo genere Platonici quidem Ammonius & Origenes, quibuscum nos diu versati fuimus, viris profectò intervallo non parvo sui seculi Philosophos intelligentiâ superantibus.* Legitur & apud Ammianum l. 22. c. 16. *Saccas Ammonius Plotini magister.* Saccarii vocabantur, qui mercibus comportandis, victum sibi quærebant, quod & fecisse videtur Ammonius. De quo Suidas in Plotino: *Discipulus quidem Ammonii qui saccifer antè fuerat.* Divinus audit Photio, & Platonis Aristotelisque Philosophiam in concordiam adduxit. Tantæ fuit eruditionis ut cùm ejus scholam ingressus, docentem audiisset

Ammonius Alex. num autor harmoniæ in Evangelia?

ANNO DOM. 204.

dixisset Plotinus, dixerit amico, *Hunc ipsum quærebam*, teste in vita Plotini Porphyrio. Ammonium fidem ejus esse Christi, mentitur Porphyrius. Quem falsi coarguit Eusebius: *Ammonius divinæ Philosophiæ præcepta ad extremum usque terminum vitæ, integra retinuit. Testantur id etiamnum lucubrationes illius viri ob ea quæ reliquit ingenii monumenta celeberrimi. Exempli gratiâ, liber ille cui titulus est, De consensu Mosis, & Jesu, & quicumque alii apud studiosos reperiuntur.* Plus quinquennio Heraclas, qui Demetrio Alexandriæ Episcopo successit, Ammonii scholam frequentavit, quot posteris memoriæ mandavit Origenes: *Heraclam ego apud Magistrum Philosophiæ reperi, quintum jam annum ei operam dantem, priusquam ego ejusmodi doctrinam auscultare cœpissem.* Nostri non esse Ammonii *Evangeliorum harmoniam*, quam ipsi Victor Capuanus vindicat, & secundum Victorem eruditi complures, eximiâ ratione demonstrat Valesius: *Opus Ammonii nil aliud erat quam Evangelium Matthæi, cujus singulis capitibus adjuncta erant ad latus capitula aliorum trium Evangelistarum, quæ cum Matthæi consentiebant Evangelio. Atqui in harmonia illa, quæ à Victore Capuano prolata est, nil ejusmodi cernitur.* Alius igitur est Harmonia, quam nostri Ammonii.

Euseb. l. 6. cap. 19.

Euseb. l. 6. cap. 19.

Vales. in Euseb. pag. 75.

IV. Ammonii discipulorum unus Heraclas fuit, qui Presbyteri gradum adeptus, palliatus etiamnum processisset. Quibus apertè liquet, illis temporibus Clericos, peculiarem sibi vestium formam non tribuisse ex Apostolorum, vel Synodorum decreto. Heraclas qui nunc inter Presbyteros Alexandrinæ sedet Ecclesiæ, *Cùm vulgari veste anteà usus fuisset, eâ depositâ, Philosophicum induit habitum, quem etiamnum retinens Græcorum libros evolvere non desistit.* Pallium vestis erat Philosophica, quam & laici sumebant, & mulieres. Unus è Pamphili Martyrio familiaribus, cui Porphyrio nomen, ad mortem accessisse, *Habitu Philosophico, uno scilicet, quod habebat pallio.* Ea quoque ornamenta adhibebant, religiosæ fœminæ. De S. Euphemia Asterius: *Adstat autem Virgo pullâ veste, ac pallio Philosophiam professa.* Tertullianus quem Presbyterum fuisse tenemus, non peculiari Clericis veste, sed Philosophicâ tegebatur, cujus causâ, de *Pallio* librum edidit: *Sed ista pallium loquuntur. At ego jam me illi etiam divinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero. Gaude pallium & exulta, melior jam te Philosophia dignata est ex quo Christianum vestire cœpisti.* Neque peculiares Cypriano vestes fuere, cum ad mortem duceretur. In agrum Sexti productus, *Ibi se lacernâ byrro exspoliavit. . . & cum se Dalmaticâ expoliasset & Diaconibus tradidisset, in linea stetit.* Byrrus vero & lacerna, unum est atque idem. Dalmaticam verò gestabant & Cæsares. De Heliogabalo Lampridius c. 26. *Dalmaticatus in publico post cœnam sæpè visus est.* Chrysostomus quoque de Babylæ vestibus cum Cæsarum purpuro collatis, hæc habet: *Ac ne hic quidem loci cœpta à te imaginis istius faciem finias, quin eandem proferas ad Dei usque servum illum, Beatum, inquam, Babylam, ejusdemque hiatalem habitum, vulgarem vestem.* Denique certam statamque Clericorum vestibus non fuisse, aut formam, aut colorem, indicio est Hieronymi ad Nepotianum Epistola v. *Vestes pullas aquè devita, ut candidas.* Imò Martinus jam Episcopus, *Bigerrigâ veste, brevi atque hispidâ, à proximis tabeentis quinque argenteis comparatâ indutus, oblaturus sacrificium processit.* De Jacobo, qui ex Monacho Episcopus creatus est, testatur Theodoritus, *Neque cibum mutasse, neque vestitum.*

Heraclas. Num Clerici peculiaribus vestibus induerentur?

Euseb. l. 6. c. 19.

Euseb. de Martyr. c. 11.

Act. Ruinar. 544.

Chrysost. Or. advers. Gent.

Sulpit. Dial 2. 545.

Theodorit. h. P. c. 1.

V. Martyrum fusus cruor nondum Severum satiaverat. Ethnico furori novæ victimæ debebantur, quæ sunt hoc & anno immolatæ. Gemini *Ferreoli* memoriam Galliæ recolunt: alterum Presbyterum, quem Vesuntione passum dicunt, Junii die XVI. Alterum Tribunum Militum, qui Viennæ Allobrogum, hoc circiter anno mortem obiit. Sidonius quidem Apollinaris, & Ferreoli, & Juliani Martyris meminit, in sua ad Mamertum Epistola: *Quia tibi soli concessa est. . . in partibus Orbis Occidui, Martyris Ferreoli solida translatio, adjecto nostri capite Juliani, quod istinc turbulento quondam persecutori, manus retulit cruenta carnificis.* De Ferreolo Acta ipsius memorant, quòd cùm in carcerem trusus fuisset, *Biduo exacto, certâ die mane, arctiori somno oppressis custodibus, spontè solutis vinculis,* libertatem sibi divinitùs oblatam amplectitur. Transmisso Rhodano, felici natatu ad ulteriorem rippam appulit. Cùm usque ad *Jarem* fluvium, vulgo *la Gere*, qui in Rhodanum labitur, ibi à persecutoribus comprehensus: *Revinctis post tergum manibus, ducitur in eum locum in quo sepulchrum Sancti corporis ejus veneramur, subito instinctu crudelitatis percussus occubuit.* Carminibus Ferreolus, & Julianus à Fortunato celebrantur:

Ferreoli martyrium.

Sidon. l. 7. Ep. 1.

Ruin. Act. 511.

Privatum Gabalus, Julianum Avernus abundans,
Ferreolum pariter pulcra Vienna gerit.

Fort. l. 8. c. 4.

ANNO U. C. 958. OLYMP. 246. PER. JUL. 4918. JUL. 250. DOM. 205. SEVERI 12. & 13. *Sol.* 18. F. *Lun.* 16. *Indict.* 13. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 2. P. 24. *Mart.*

ANNO DOM. 205.

COSS. Caracalla II. & Septimius Geta Cæsar.

Quorum Consulatus incepit die Martis.

I. CAracallæ Getæque voluptatibus frenum adhibuerat Plautiani potentia. Eo liberati, omnia pro libidine agere cœperunt: pueros violare, ioiquè pecuniam sibi comparare, gladiatores atque aurigas sui societate devincire. Inter se tamen contrariis studiis dissidebant. Cùm exercendi causâ de curribus, quos agebant, certarent, in tantam contentionem venerunt, ut cadens Antoninus sibi crus fregerit.

Caracallæ & Getæ mores.

II. Calendis Octobris Alexandrum Imperatorem natum esse fatentur eruditi, & verbis expressis tradit Bucherianum Calendarium. An verò hoc anno lucem aspexerit, disputant. Dubitandi ansam Herodianus præbuit: *Cæsar declaratus Alexander, Consulque factus cum Antonino est, cùm omnes perridiculè decrevissent quæ jubebantur, illum quidem haberi Patrem, qui natus annos foret XVI. Alexandrum verò filium, τῦ δωδεκάτῳ ἐπιβαίνοντα, qui tum XII. ingressus erat.* Anno Dom. CCXXI. Alexander & Cæsar creatus, & Consul designatus est. Cui lux anno CCXXXV. erepta est. Vixisset igitur annos circiter viginti sex, ejusque nativitas primo Octobris anni CCIX. cohæreret. At diutius vixisse tradit Lampridius c. 60. *Vixit annis XXIX. mensibus tribus, diebus septem.* Ab eo calculo minimùm abest Chronicum Alexandrinum: *Alexander*

De tempore nativitatis, Patreque Alexandri Severi.

Herodian. l. 5.

vixit

Anno Dom. 205.

vixit annos XXX. In hanc tamen Chronologiam potentissima ratio militat. Sequeretur enim Alexandrum uno anno minorem fuisse Heliogabalo, qui annos *natus octodecim*, interfectus est, docente Dione. Alexandro autem ætate antecedebat Heliogabalus: *Et quidem Baßianus natus erat annos circiter quatuordecim, Alexianus autem decimum jam annum attigerat*, inquit in Macrino Herodianus l. v. Denique errore affectum esse Lampridium, non inficiatur Pagius, etsi ipsi adhæreat, spreto Herodiano. Locum ergo Lampridii sic emendat Alexander: *Vixit annis* XXIX. *mensibus* v. *diebus* XIV. Quæ correctio necessaria est, ut in primo Octobris Alexandri nativitas collocetur. Fruatur unusquisque suâ Chronologiâ. Nos etsi magis in Herodianum atque Dionem propendeamus, de Alexandri origine nonnulla hic referemus: *Aurelius Alexander urbe Arcenâ genitus, Varii filius, Variæ nepos*, inquit Lampridius. Arcem urbem esse Phœniciæ certum eruditis, quis verò Alexandro genitor fuerit, nondum constat. Quippe verba Dionis sunt in ambiguo: *Cùm Mæsa Julia Augusta soror, duas filias haberet, Sæmidem, & Mammaæam, ex usque nepotes duos masculos, harum altera Vario Marcello nupserat, altera Genesio Marciano.* Hinc dubitandi ansa, annon Vario Marcello procreatus sit. Quò & referri Lampridius potest: *Syrum se dici noluit, sed à majoribus Romanum. Et stemma generis depinxerat, quo ostendebatur genus ejus à Metellis descendere.* Fortè legendum *Marcellis*. Equidem *Varii* filius disertè dicitur: quo nomine Genesius Marcianus non afficiebatur. Contrà verò Dionis in excerptis, Heliogabalus *Varii Marcelli* filius scribitur. Imò de Heliogabalo apud Lampridium legimus: *Et hic quidem primò dictus est Varius*, ortâ, uti videtur, à nomine paterno appellatione. Quod etiam vero propius est. Miras historiæ tenebras, quæ Alexandri nobilissimi Imperatoris, & genitorem, & natalem annum relinquunt in incerto. In confesso est matrem Alexandro fuisse Mammæam. A prima pueritia artibus bonis imbutus, tam civilibus, quàm militaribus, ne unum quidem diem sponte suâ transire passus est, quo se non & ad literas, & ad militiam exerceret. Literatores habuit Valerium Cordum, & Lucium Veturium, in Latinia tamen non multum profecit. Porro cùm hic annus rerum historiarumque proventu sterilis sit, celebrem de pœnitentiâ quæstionem ingredi juvat.

Dio l. 78. 889.

Lampr. Alex. c. 44.

Lampr. c. 1.

De perpetua absque reconciliatione pœnitentia.

III. Publicam peccatoribus pœnitentiam impositam esse, vel pueris ipsis notum, qui nondum ære lavantur. Variabat tamen ea de re Ecclesiarum disciplina, quarum nonnullæ pœnitentium reconciliationem abnuebant. Quæ severitas apud Montanistas obtinuit. Objecerat sibi Tertullianus, *Frustra agetur pœnitentia, si caret veniâ*. Ac frustra fatetur esse, *Quantum ad illos, à quibus humanam pacem consequitur, quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustrà agetur.* Orthodoxorum nonnullorum quoque fuit rigidior hæc disciplina, teste Cypriano: *Et quidem apud antecessores nostros, quidam de Episcopis, istic in Provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentia locum contra adulteria clauserunt, non tamen à Coëpiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholica Ecclesia unitatem, vel duritia, vel censura sua obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur.* Quin etiam Idololatriæ & homicidio ab Ecclesiis reconciliationem negatam esse, disertè à Tertulliano traditur: *Quid agis mollißima & humanißima disciplina. . . Idololatram quidem & homicidam semel damnas, mœchum verò de medio excipis.* Et capite nono: *Hinc est quòd neque Idololatria, neque sanguinis pax ab Ecclesiis redditur.* Mentitum vero fuisse Tertullianum, ægrè nobis persuadet autoritas Pamelii. Cui bono, cùm de re & sui temporis, & notissima, loquatur Tertullianus? Imò Catholicam ut molliorem hic quoque de homicidio & Idololatria disciplinam perstrinxisset. Eâdem & severitate tinctus Eliberitanus Canon primus de Idololatria. Eodem quoque rigore secundus de Flaminibus miscetur. Cæterùm peccatores ante Tertulliani tempora, Clementius tractatos esse, certè certòque ex Dionysio Corinthiorum Episcopo deprehendimus: *Cunctos qui à quovis lapsu, sive delicto, sive etiam ab hæretica pravitate resiliunt, benignè suscipi jubet.* Lapsos quoque in gratiam ab Ecclesia Lugdunensi receptos fuisse, documento est Lugdunensium Epistola: *Mortua jam Ecclesia membra viventium ope atque auxilio, ad vitam revocata sunt, & Martyres gratificati sunt iis, qui fidem negaverant, ingentique gaudio mater eademque virgo Ecclesia cumulata est, cum eos, quos tanquam extinctos abortu ejecerat, vivos jam ac spirantes recuperaret.*

Cyprian. Epist. 52.

Anno Dom. 205.

Tert. de Pud. c. 5.

Euseb. l. 4. c. 23.

Euseb. l. 5. c. 1.

Manaritne ab Apostolis perpetua, diuturnaque pœnitentia?

IV. Cæterùm severissima disciplina, quâ peccatores omni eum Ecclesia reconciliatione excludebantur, ab Apostolis ortum non habuit. Neque vel ab eo quoque fonte manasse putamus, laboriosam illam diuturnamque pœnitentiam, quæ solis morti vicinioribus remissionem imperrabat. Cujus moris plurima extant exempla. Nota est Serapionis, qui in persecutione lapsus erat, historia. Et cui non dictus Nicænus Canon 13. qui pœnitentibus, qui ad exitum venerant, viaticum indulget. Petrus sanè, qui post aliquot pœnitentiæ dies remissionem obtinuerat ad obitum usque resipiscentis, eam differri noluit. Diutinam quoque non fuisse incesti Corinthii castigationem, ex Scriptura tenemus. Vix annus intercesserat, cùm Paulus hæc scripto mandavit: *Sufficit istiusmodi homini ista increpatio, à pluribus illi profecta, ut è contrario potius, vos aliquid ei condonetis, eumque consolemini ne quomodo redundante tristitiâ absorbeatur vir ejusmodi. Quapropter rogo vos, ut ratam faciatis in illum charitatem.* Cujus & mansuetudinis, multa extant in secundo seculo vestigia. Nota est omnibus, Joannis Apostoli clementia, qui juvenem quem jam abluerat baptismus, cædibus ac prædationibus latrones, quibus præerat longè superantem, reduxit in Ecclesiam: *Ac continuatis cum juvene jejuniis, simul decertans, non prius abscessit, quàm illum Ecclesiæ restituisset.* Non ex *disciplina* quidem, sed ex *potestate* Apostolica id à Joanne factum censet Valesius, cui assentiri haud possumus. Quam exquirebant per Christi viscera, peccatoribus Ecclesiæ pacem concedebant. De flagitioso Corinthio, *sufficit* increpatio hæc, *Ne quomodo redundante tristitiâ absorberetur.* Quæ ratio omnes attinet, quos criminum seriò pœnitet. Hi similiter concessâ veniâ, erigi debent atque recreari. Nec ab Ecclesia excludi debent, quos benignitate suâ Deus in cœlum recipit. Gravissimus sanè est prudentiâ simul & humanitate conditus Canon 52. qui

Tertul. de Pud. c. 3.

Euseb. l. 6. c. 44.

2 Cor. 2. 6.

Euseb. l. 3. c. 23.

ANNO DOM. 205.

qui perperam Apostolicus usurpetur: *Si quis Episcopus vel Presbyter, eum qui a peccatis convertitur non recipit, sed ejicit, deponatur. Quemam Christum molestiâ afficit, dicentem, Gaudium est in cœlo, propter unum peccatorem pœnitentiam agentem.* Constitutiones Apost. l. 2. c. 16. Pœnitentes Ecclesiâ ejectos *Castigant jejuniis duarum, trium, aut quinque, aut septem hebdomadarum.* Sedente Hygino, Cerdon impius ille Hæreticus ad exomologesin non semel receptus est. Natalis, qui hæreseos Episcopus creatus fuerat, à Zephyrino tandem ad communionem admissus est. Hæc erant antiqua Apostolicæ disciplinæ vestigia. At quandonam mansuetudo pristinæ erga pœnitentes disciplinæ, in severam inhumanamque illam conversa est, quam Montanistæ Orthodoxorumque nonnulli sequebantur? Salvo eruditorum judicio. Hujus regulæ fundamenta

Past. l. 2. Mand. 3.

in verbis Pastoris videntur esse collocata: *Audivi à quibusdam Doctoribus, quod alia pœnitentia non est, nisi illa cum in aquam descendimus, & accipimus remissionem peccatorum. Et ait mihi Angelus, Rectè audiisti. . . . Si autem subinde peccet, & pœnitentiam agit, non proderit homini talia agenti.* Non proderit, inquit, quia post baptismum pœnitentia inutilis est, paci Ecclesiasticæ impetrandæ. Quamquam Hermas sibi non adeò constare videatur. Itaque est vero simillimum, Montanum rigidioris disciplinæ patronum id consuetudinis in Ecclesiam introduxisse, ut peccata quæ *mortalia* nuncupabant, fornicatio scilicet, homicidium, Idololatria, ab Eucharistia perpetuò flagitiosos segregarent. Antiquioribus sanè hunc esse morem negat Irenæus, de mulierculis à Marco seductis, verba

Iren. l. 1. c. 9.

faciens: *Hæ sæpissimè conversæ, ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, & secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine & inflammatas, valdè illum se dilexisse.* Quamquam tam gravia tantâque cumulata fœditate peccata nonnunquam extiterint, ut vel antè Montanum, perpetua pœnitentia indicta sit imminente morte solummodò relaxanda, quod contigisse videtur uxori Diaconi, quæ cùm *& sententiâ & corpore corrupta esset à Mago isto, & secuta eum esset multo tempore*, nec nisi tandem difficulter fuisset conversa: *Omne tempus in exomologesi consummavit.* Quod injunctæ potius à Presbyteris pœnitentiæ, quàm liberè, & ex devotione ab ea muliere susceptæ, ascribendum existimamus, repugnante Joanne Morino.

Quis Pontifex Maximus qui mœchis peccata dimittit apud Tertullianum?

V. Antiquam Tertullianus reprehendit disciplinam: *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium. Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit, ego mœchiæ & fornicationis pœnitentiâ functis dimitto. O edictum cui ascribi non poterit bonum factum.* Hoc sale

Tertul. de Pud. c. 1.

Episcopum Carthaginensem aspergi, sibi in mentem induxit eruditissimus Larroquanus, Adversariorum libro 1. c. 5. quia & ante Cypriani tempora, *hanc litem primò moverunt Africæ Episcopi*, & Cyprianus in Oratione quam apud Patres Carthaginenses habuit, *hunc sarcasmum Tertulliani à se avertere voluisse* videtur. Eò tamen propendet animus, ut Romanus potius quàm Carthaginensis Episcopus, eâ Tertulliani dicacitate perstringatur. Vix aliò hæc detorqueri possunt:

Tert. de Pud. c. 21.

Exhibe igitur & nunc mihi Apostolicè, Prophetica exempla . . . si quia dixerit Petro Dominus, Super hanc petram &c. idcirco præsumis, & ad te derivare solvendi & alligandi potestatem. Carthaginensis quidem Episcopus, cujus Ecclesia ab Apostolis fundata non fuit, dici *Apostolicus* non debuit, verbaque hæc, *Tu es Petrus*, ad Episcopum Rom. quem in Petri Cathedra sedere existimabat Tertullianus, magis pertinent, quàm ad Carthaginensem. Denique cùm Pontifex Max. Romam habitaret, hinc Tertullianus jocando Romanum Episcopum, Pontificis Max. titulo affecisse visus est. Neque verba Cypriani, *Neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem si diversum senserit amoventes, neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit*, alium indicant, quàm Stephanum Rom. Episcopum. Nullus, quod sciamus, Carthaginis Episcopus, suæ ditionis Præsulibus minas intenderat ejusmodi. Annon etiam Africanis Episcopis, qui adultero pacem negabant, includi Carthaginensis debeat, ex Cypriano ansa quærendi præbetur? *Apud antecessores nostros*, inquit, quo casu Pontifex Carthaginensis, utpote severioris in mœchos disciplinæ patronus, Tertulliani telis peti non potuit. Ad quem verò Romanorum Episcoporum digitum Tertullianus intenderit, dictu difficillimum. Zephyrinum potius quàm Victorem, qui anno CXCVII. excesserat, significari nobis sit vero simile.

ANNO U. C. 959. PER. JUL. 4919. JUL. 251. DOM. 206. SEVERI 13. & 14. *Sol.* 19. E. *Lun.* 17. *Indict.* 14. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *Apr.* ANNO DOM. 206.

COSS. *Nummius Albinus & Fulvius Æmilianus, die Mercurii.*

Mors Quintilli, Aproniani, Bebii Marcellini.

I. DUm legibus optimis imperium administrat Severus, multorum intereà virorum illustrium sanguine suam crudelitatem explet. Apertè complures cædes fecit, atque in primis Quintili Plautiani, viri nobilissimi, qui unus erat ex primis Senatoribus. Grandis natu, ruri degebat, quibus calumniam repellere debuit, quam tamen non effugit. Paulò antequam moreretur, postulavit ut ea quæ ad sepulturam suam jamdudum comparaverat, ad se perferrentur. Quæ postquam vidit vetustate consumpta, *Quid hoc rei est, inquit, ita ac cunctati sumus?* Deinde facto suffitu, Idem, inquit, peto à Diis immortalibus, quod Adriano Severianus optavit, atque interiit. Mira etiam Aproniani accusatio, qui tum Asiæ præficiebatur. Quòd nempe nutrix ejus vidisset per quietem, ipsum regnaturum, eaque de causa magicis usum artibus, absens igitur damnatur. Dum quæstio habebatur, non nemo interrogatus, præter alia respondit, Visum à se Senatorem calvum, qui tunc intrò spectasset. Quæ res non calvos modò, quibus nil societatis cum Aproniano, sed eos quoque turbavit, quibus caput capillis tegebatur, ut Dio Historicus, qui tunc aderat, crines suos quæreret. Indicatus ex veste purpurea Bebius Marcellinus, qui calvus erat, illicò surrexit, *Me*, inquit, *ille agnoscet, si quidem vidit.* Index observato nutu cujusdam obscuro, Marcellinum esse ait. Igitur quòd calvus erat, visusque esset per transennam intrò spectasse, supplicio addicitur. Salutatis quos quatuor habebat filiis,

Dio l. 76. 865.

Hoc unum, inquit, *magno me dolore afficit, filii charissimi, quòd vos superstites relinquo*, deinde capite truncatur, antequam Severo renuntiaretur,

ANNO DOM. 206.

tur, jam esse damnatum. Ad res Ecclesiæ veniamus.

Exomologesis. Quid significet?

II. Perpetuam absque venia pœnitentiam, diuturnamve illam, quæ ad mortem usque protendebatur, quo tempore lapsis demum Eucharistia concedebatur, veluti pignus reconciliationis suæ, institutionis Apostolicæ non fuisse, multis argumentis vicimus. De Exomologesi nunc est disserendum, quæ nobilem fusamque ad dicendum materiam præbet. Nos chartæ parcentes, atque tempori, in pauca rem contrahemus, exhibitis quæ illustrandæ Antiquitati necessaria sunt. Explanandæ voci Exomologeseos, totos Baronius pandit sinus crisis suæ: *ἐξ propositio idem est, quod foris, & ὁμολογία, quod ut declarat Suidas, confessio, sic dicta à verbo ἐξομολογοῦμαι, hoc est, foris dicere, vel fateri.* Tanta scilicet mysteria fidem non invenissent, nisi Autore Suidâ. Cæterùm de propositione ἐξ error puerilis est. Nam si ἐξ in compositione significat *foris*, igitur ἐκκτῶ erit *foras* vigilare, ἐξαγορεύειν *extra* declarare, ἐκπνεῖν *foris* spirare, neque poterit aliquis expirare domi. Quid vero sequetur ex acumine? Nulla quidem Romanis in Ecclesiis erit ἐξομολόγησις, extraque eas versabuntur omnes confitentes. Nulla quoque à Fidelibus Sacerdotibusve peccatorum in orationibus confessio peragetur apud Ecclesias. Moguntini Patres de eo vocabulo: *Inter λιτανείας autem & ἐξομολογήσεως hoc differt, quòd exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur, litania verò dicuntur propter rogandum Deum & impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur.* Exomologesis ergo non foris, sed intus & in Ecclesia. Porro Exomologesis tria Patribus significat. Cypriano Exomologesis, oratio est, quâ agnito crimine Deum ambimus: *Ananias, Azarias, Misael, illustres ac nobiles pueri, quominus exomologesin Deo facerent, nec inter flammas, & camini exæstuantis incendia quieverunt.* Quo & nomine preces donantur Antiochi: *De oratione, καὶ ἐξομολογήσεως.* Et Moguntinæ Synodo, exomologesis pro litania usurpatur. Est etiam exomologesis peculiaris pœnitentiæ publicæ actus: *Nondum actâ pœnitentiâ, nondum exomologesi factâ. . . Eucharistia illis datur.* Et Epistola 62. de virgine corrupta, *Agat*, inquit, *pœnitentiam plenam. . . & ideò æstimata justo tempore, posteà exomologesi factâ ad Ecclesiam redeat.* Notabile adverbium *posteà*, quo perspicuum, actus pœnitentiæ complures huic exomologesi antecessisse. Denique exomologesis totum sonat pœnitentiæ mysterium. Uxor Diaconi à Marco seducta post resipiscentiam, *Omne tempus in exomologesi consummavit, plangens & lamentans, ob hanc quam passa est, à Mago corruptelam.* Quâ & significatione usurpatur à Tertulliano: *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem.* Hoc sensu Exomologesim accipimus.

Error Baron.

Bar. An. 56. n. 17.

Mogunt. c. 32.

Cypr. de Laps.

B. P. t. 2. 1247.

Cypr. Epist. 10.

Iren. l. 1. c. 9.

Tert. de Pœnit. c. 8.

De Narthece. Núm Ecclesiæ pars? Cur id nominis acceperit?

III. Cæterùm cùm pœnitentiæ Actus complures in *Narthece* peragerentur, quid rei sit *Narthex*, antè constituendum, quàm alterius progrediatur Oratio: Narthecem *porticum esse, in qua consistebant, quibus audire tantum permittebatur*, perperàm eruditissimo Heinsio creditum. Quem & in errorem delapsus est Salmasius ὁ πάνυ Plinianarum Exercitationum p. 855. Describendæ Nartheci, verbis Gregorii Thaumaturgi, nil aptius afferri potest: *Auditio est intra portam in Narthece.* Porticus verò extra quidem, non intra fores Ecclesiæ constituebatur. Neque in porticu collocatis, facultas ulla fuisset audiendi Scripturas dum legebantur, aut conciones, quæ habebantur. Sed & *lugentes*, loco ab *audientibus* separabantur; cujus discriminis nullum fuisset in porticu vestigium. Narthex igitur pars fuit Ecclesiæ, quæ constituendo ordini, tres in partes dividebatur. Pars ædis augustior, velis cancellisque à reliquis partibus Ecclesiæ sejuncta, Presbyterorum erat atque Diaconorum. Secundo loco continebantur Fideles, qui nullis innocentiam suam flagitiis polluerant. Quæ pars Templi, cancellorum, & limitibus circunscribebatur. Pars Ecclesiæ ultima nullis quidem vallata cancellis, communibus tamen munita muris, pœnitentibus, Energumenis, Catechumenis relicta, Narthexque vocabatur. Eò pertinet locus insignis ex Simeonis Thessalonicensis Mystagogia: *Sacrum Templum ut tripartitum, seu trifariam divisum consideratur, in locum, inquam, ante Templum, seu vestibulum, in ipsum Templum, & in sacrarium, quibus partibus tribus, Trinitas & cælestes beatarum mentium ordines, per tres ternarios distincti, piorum item populus sub triplici discrimine Sacerdotum videlicet, Fidelium perfectorum, & publicè pœnitentium significatur. Insuper quæ in terris, quæ in cælis, & super cælos sunt, sacra ædis constitutio, & habitus denotat. Narthex, terrena, media Templi, Cælum, sanctissimum tabernaculum, sive sacrarium, quæ in cælis sunt.* Narthex igitur Ecclesiæ pars una fuit: ingredientibus prima quidem, exeuntibus verò ultima. Illud ipsum probant verba Dionysii: *Convocato sacro choro, divinus Antistes, si is qui excessit è vita, erat ordinis Sacerdotum, eum ante Sanctum Sanctuarium eum posuit, Deum precari incipit, eique agere gratias, sin autem sacris Monachis, sanctove populo annumeratus erat, eum ad dignum veneratione* ἱερατεῖον *sacrarium collocat.* Locus verò in quo Monachorum Fideliumque corpora ponebantur, ut ceremoniæ circa defunctos peragerentur, Narthex utique fuit, cui ἱερατεῖου *sacrarii* nomen inditum. Cùm igitur cadaverum nulli sanctuarium pateret, Templum ipsum bifariam dividi debuit. Clericorum corpora è regione altaris, in nobiliori parte, quam Fideles occupabant, reponebantur. Laicorum verò cadavera in loco ignobiliori, *Hieratio* scilicet, vel *Narthece* collocabantur. Hoc testatur & Pachymeres in Paraphrasi: *Si ex sacris ordinibus initiatus erat defunctus, coram divino sanctuario, illum inclinans, preces & gratiarum actiones exorditur: si Monachus est, aut è sacro populo Fidelis, παρὰ τὸν Νάρθηκα κατακλίνει, apud Narthecem collocat.* Consulantur Leo Allatius de Narthece veteris Ecclesiæ, Schelstratus, Beveregius atque Larroquanus in Adversariis. Est ergo Narthex ea pars Templi, quæ prima ingredientibus patuit, pœnitentibus, Energumenis, Catechumenis destinata. Hinc pellebantur foras, cùm sacris adesse non licuit: Eoque de loco capiendus Canon 75. in Epistola Canonica Basilii: *Triennio defleat stans, propter fores domus oratoriæ. . . Posteà autem alio triennio, ad solam auditionem admittatur, & Scripturam ac doctrinam audiens, ejiciatur.* Audiebat autem in Ecclesia, non in porticu. At quid causæ fuit cur locus ille, qui sacram ædem intranti primus occurrebat, Narthecis nomen habuit?

Heins. Exerc. Sacr. ad Acta c. 27.

M. B. P. t. 22. 768.

Dionys. Hier. Eccles. c. 7.

habuit? Narthecem enim Baccho dicatum fuisse scimus, & ναρθηξ thyrsum ferulamque significat: *Quippe senex ferulâ titubantes ebrius artus Sustinet. . . .*

Metam. l. 3. F. 3.

De Domitiano, nudum Apollonium advocanti Thyanæum, ne secum ferret fascinum μηδε νάρθηκα, *An etiam nec ferulam, ad hos cadendos, qui ipsi tam stulta persuaserunt.* Pastorali pedo inditum & ferulæ nomen: *Baculus ex antoritate Legis, & Evangelii assumitur; quis & virga Pastoralis, & ferula, & pedum dicitur. . . . Et quia Episcopi Pastores gregis Dominici sunt, ut Moses & Apostoli fuerunt, ideò baculum in custodia præferunt. Per baculum quo infirmi sustentantur, autoritas doctrina designatur. Per virgam quâ improbi emendantur, potestas regiminis figuratur. . . Virgam bajulant, ut per potestatem inquietos corrigant, qua virga baculus est recurvus, ut aberrantes à grege, docendo ad pœnitentiam trahat.* Ergone Catechumenorum & pœnitentium locus Narthecis nomen accepit, quia utrique sub ferula versabantur? Pœnitentes enim ob errores præteritos, pœnitentiâ quasi virgâ paternâ feriebantur, juxta Paulum: *Quòd si estis absque castigatione, cujus participes sunt omnes, nempe suppositum estis, non filii.* Qui verò ad fores Ecclesiæ lugebant, quasi projecti & abdicati liberi, Narthecis ingressu arcebantur. Catechumeni autem perinde atque discipuli, rudimentis pietatis imbuendi, Doctorum virgæ subjiciebantur. Num potius Narthecis ferulæve appellationem habuit, ob figuram, quia vestibuli instar, longitudine latitudinem superabat, Critici viderint? Illud certum exploratumque est, Veterum Ecclesias formam navis induisse. Constitutiones l. 2. c. 57. *Ac primùm quidem sit adea oblonga, Orientem versus navi similis.* Quâ figurâ innuebant, Christianos veluti *navigantes* esse in mundi salo.

Philostr. l. 8 c. 2.

Gem. Anim. l. 1. c. 217. & 218.

Hebr. 12.

De pœnitentium fletu.

IV. Decursa pœnitentibus spatia omnia, Gregorius ille Thaumaturgus Canone suo complexus est: *Fletus est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem, oportet Fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam, in loco quem Narthecem vocant, ubi oportet eum qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur. Substratio est, ut intra Templi portam stans, cum Catechumenis egrediatur. Consistentia est, ut cum Fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur. Postremò est participatio Sacramentorum.* Hos quoque gradus Basilius enumerat, Epistolæ Can. 22. Porro προσκλαυσιν egregiè depingit Tertullianus: *De ipso quoque habitu, ac victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa qua peccavit tristi tractatione mutare. Cæterùm pastum & potum, pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ. Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum. Presbyteris advolvi & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis injungere.* Hinc ansa calumniæ, quòd Christiani *ipsius Antistitis ac Sacerdotis colerent genitalia, & quasi parentis sui adorarent naturam.* Clero laicisque se ad pedes abjiciebant, *lugentes*, atque prosternebant. Corpus cinere perfundebant, uti docent Tertullianus de Pudicitia c. 13. Cyprianus de Lapsis, Pacianus in Parænesi. Quam disciplinam firmant

Gregor. Epist. c. 11.

Tertull. de Pœnit. c. 9.

exempla, atque Canones. Sic Romæ, Natalius ad pedes Zephyrini se abjecit, Cleri non modò, verùm etiam secularium vestigiis advolutus. Sic Fabiola, quæ dimisso viro suo adultero, alium sibi sponsum quæsiverat, *Ante diem Pascha*, stetit in ordine pœnitentium: *Dissuta habuit latera, nudum caput clausum est: Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra, cum Maria sorore Moysi separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret.* Sic Ecebolius, abjiciens se ante Ecclesiæ portam clamabat, *Me quasi salem insipidum pedibus conculcate.* Porro luctum prorogabat atrocitas criminis. Qui ad Judaismum, Idololatriam, Manichæismum voluntariè defeciverat, diutius etiam versabatur inter lugentes, quia totum vitæ spatium pro pœnitentiæ tempore habuit, sacramentorum omnium usu alienus, nisi morte imminente. Quam si fortè evaserat, ad pristinum tamen pœnitentiæ statum redibat. Qua de re legenda Nyssenì ad Letoium Epistola Canonica. Qui spontè homicidium perpetrarat, viginti annis exclusus Eucharistiâ, ex iis quatuor in luctu transigebat. Variabat hic Ecclesiarum disciplina, & Episcopalis erat arbitrii, ut pœnitentiæ, sic & luctus tempora breviare: *In iis autem qui diligentiori conversione usi fuerint. . . Licet ei qui dispensat, pro Ecclesiastica œconomia utilitate, tempus auditionis contrahere, & celerius ad conversionem deducere, & cursus hoc quoque tempus contrahere, & celerius communionem reddere.* Id decreti à Carthaginensibus Patribus prolatum fuit: *Pœnitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentia tempora decernantur.* Adulteris mandat sexta Synodus, *per annum extra portam lugere.* Quod verò lugentes lumen Ecclesiæ penetrare vetarentur, & tam diu ibi subsisterent, antequam inter audientes reciperentur, ab Apostolico more, & omni etiam ratione videtur esse alienissimum: cùm verbi divini prædicatio, sive procreandæ, sive excitandæ pietati instrumentum sit efficacissimum, quod & Valentinum agnoscit Concilium, regnante Theodorico in Hispania celebratum c. 1. *Inter cætera hoc esse censuimus observandum, ut Sacro-Sancta Evangelia ante munerum illationem in Missa Catechumenorum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Dom. nostri J. Christi vel Sermones Sacerdotis, non solùm fideles, sed etiam Catechumeni ac pœnitentes, & omnes qui è diverso sunt, audire licitum habeant.*

Euseb. l. 5. c. 28.

Hieron. Epist. 30. ad Ocean.

Socr. l. 3.

Basil. Epist. Can. 56.

Nyss. ad Let. t. 2. 119.

Cart. 3. c. 31.

V. Pœnitentium ordo fuit, quibus *Hyemantibus* nomen, de illis sic sancit Ancyrana Synodus, c. 17. *In his qui cum brutis rem habuerunt, quique leprosi sunt, vel fuerunt, jussit S. Synodus, ut inter Hyemantes orarent.* Qui ad lugentes revocari possunt, etsi deteriori loco essent, cùm nec vel in Ecclesiæ porticum subirent, quâ flentes non arcebantur. Quid autem sibi voluerint Patres, etiamnum disputatur inter eruditos, Dionysio Exiguo, Martino Bracarensi, Ferrando, Beveregio, alüsque non assentimur, qui *Dæmoniacos* in *Hyemantibus* invenere. Quippe Energumeni Narthecia aditu non prohibebantur. Versabantur inter audientes, aderant ceremoniis defunctorum causâ peractis, ut mortis imaginem ad animos revocarent: *Pavimenta domorum Dei verrebant.* Imò quandoque Eucharistiam participabant, cùm blasphemiæ erant immunes; quod Timotheo Alexandrino placuit atque Cassiano: *Communionem verò eis Sacro-Sanctam à Senio-*

De Hyemantibus.

Conc. Coll. 7. c. 30.

ANNO DOM. 206.

Senioribus nostris nunquam meminimus interdictam, quin imò si possibile esset, etiam quotidie eis impatire eam debere censebant. Energumeni igitur cum hominum monstris, qui naturam ipsam violabant, conjungi, aut Hyemantium appellatione indui non poterant. Non minus à vero aliena est Leonis Allatii explicatio, *Cur Hyemantes* illi sunt, *qui variis voluptatum ac deliciarum fluctibus à vero bono, ad inanes istas, & variis mortiferarum delectationum vortices animum adverterunt, qui verè χειμαζόμενοι, in continua sunt semper hyeme.* Incredibile quidem, tam insolentem ab Ancyranis significationem fuisse adhibitam. Quis unquam voluptatum gurgitibus, χειμαζομένων nomen imposuit, præcipuè in Canone, à quo voces à communi usu remotæ, sunt rejiciendæ? Quin etiam *Hyemantes* ab ebriosis, adulterisque non secernerentur, utpote qui se totis & voluptatum vorticibus proluunt. Vero similior ea sententia est, quæ in *Hyemantibus*, reperit homines vitiis, atque omni dedecore infames, qui sub Jove frigido pœnitentiâ fungebantur. Id quidem Cangius in Glossario inficiatur, fuisse homines ejusmodi qui extra tectum, munus exomologeseos persolverent, *Quia etsi extra Ecclesiam essent, stabant sub portica, non dio.* At immensæ diligentiæ atque doctrinæ virum fugit ille Tertulliani locus: *Reliquas autem libidinum furias, impias & in corpora, & in sexus, ultra jura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Qui locus egregiè docet, quid sibi velit *Hyemantium* vocabulum. Nempe qui ne vel porticum Ecclesiæ ingressi, sub dio, frigora, procellas, aerisque patiebantur inclementiam, quo corpora sua magis subigerent. Propterea cum leprosis junguntur; qui & procul & ab Ecclesiæ porticu stare jubebantur, ne cæteros inficerent, quomodo & Judæorum in Republica castris urbibusque pellebantur. Qui in naturam peccarant eorum tristissima conditio fuit: *Stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem,* sciscunt Patres Eliberitani c. 71.

Allat. de Narth. p. 62.

Tert. de Pud. c. 4.

VI. Secundus pœnitentiæ Actus versabatur in auditione apud Narthecem, intra Ecclesiæ fores, qui locus vel ipsis Ethnicis, Hæreticisque pervius erat, quibus permissum erat audire verbum divinum, quo ad frugem se reciperent: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.* Quibus luce clarius est locum audientium intra, non extra Ecclesiam fuisse. Hoc constat & ex Ilerdensi Synodo c. 4. *De his qui se incestâ pollutione commaculant, placuit ut quousque in detestando, & illicito carnis contubernio perseverant, usque ad Missam tantùm Catechumenorum in Ecclesia admittantur.* Dimittendorum pœnitentium solemnis ea formula fuit: *Nullus Catechumenorum, nullus eorum, qui nondum initiati sunt ad sacra, nullus eorum qui orare nobiscum non possunt, intersit.* Quæ quidem in Ecclesia versantibus dici possunt, extra Ecclesiam agentibus dici non possunt. Diutius in eo statu pœnitentes perseverabant, quàm Catechumeni, tanquam propter majorem Dei fideique ignorationem, in eo loco esse debuerint. Lapsi Catechumeni *tribus annis inter audientes* consistebant. De homicida Basilius: *Quinque annis cum audientibus egredietur.* Nyssenus verò homicidæ novem inter audientes imperat annos. Adulteris *biennium* auditionis sexta Synodus præcipit. Concessa tamen Episcopis fuit in ea re Canonicæ severitatis relaxatio: *Ut pro novem annis, in uno quoque gradu, vel octo, vel septem, vel quinque solum anni fiant, si pœnitentiæ magnitudo tempus vincat.*

Pœnitentium auditio.

Cart. 4. cap. 84.

Liturg. Jacob. pag. 16.

Nican. Syn. c. 13.

ANNO DOM. 206.

Nyss. ad Let.

VII. Tertius Actus pœnitentiæ ὑπόπτωσις, *substratio* vocabatur. De quâ multa variant eruditi. Maldonatus de pœnitentia c. 9. cui & accedit Beerlingius, in Theatro: *Locus*, inquit, *in quo pœnitentes consistebant, dicebatur ὑπόπτωσις, id est, contemplatio rerum supernarum, quâ illic orabant Deum.* Qua in descriptione largissimè peccant, cum neque contemplationem, neque destinatum precibus locum, ὑπόπτωσις significet. Unâ sanè Narthece audientes, substratique continebantur. Ὑπόπτωσις igitur perinde est atque γονυκλισία, *genuflexio*, quia coram Antistite pœnitentes in eo actu procidebant. Imò Episcopus ipse, tum unà cum Clero Populoque procidens, & dein exurgens, pœnitentibus manum imponebat. Clericorum quidem dum consecrabantur, genuflexio, ὑπόπτωσις à Dionysio non semel appellatur. De substratione insignis est Canon XVI. Ancyranæ Synodi, quo vis etiam vocabuli ὑποπτώσεως egregiè illustratur: *Quicumque priusquam viginti quidem annos nati essent, peccarunt, postquam quindecim annis substrati, ac supplices fuerint, communionem ad preces assequantur. Deinde & cum in ea communione quinque annis perseveraverint, oblationem attingant, examinetur autem & eorum in substratione vita, & ita humanitatem consequantur.* Eò pertinent & verba Sozomeni de Rom. Ecclesia: *In propatulo est Pœnitentium locus, in quo illi stant mœsti ac veluti lugentes, peractisque jam Missarum solemnibus, exclusi à communione sacrorum, quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis, pronos se in terram abjiciunt. Tum Episcopus cum lachrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humi provolvitur, & universa Ecclesiæ multitudo, simul confitens, lachrymis perfunditur.* Fugienda tamen est doctissimi Philippi Priorii, aliorumque aberratio, qui ad *pœnitentialem substrationem* referunt Theodosii Magni *humiliationem.* *Non stans, nec genibus flexis, sed pronus humi jacens, supplicavit Deo. . . . Denique manibus comam vellens, frontemque percutiens, & lachrymarum guttis solum rigans, veniam sibi dari poscebat.* Hæc, inquam, ad pœnitentiam *substrationem* non spectant, quæ fuit absolutioni prævia. Ambrosius autem Theodosio jam vincula relaxaverat, cùm Templum suis lachrymis rigavit. Imò jam ad altare progrediebatur Theodosius, & sacrorum mysteriorum perceptionem præstolabatur. Ad *contritionem* igitur, quæ & sacerdotalem absolutionem, & cum Ecclesia reconciliationem nonnunquam excipit, Theodosiana hæc *humiliatio* est referenda. Quomodo David olim de adulterii pœnâ securus, post prædicatam à Nathane indulgentiam, dolorem adhùc suum fletibus pascens, sæpius ingeminabat, *Miserere mei Domine.* Sua porro inerant substrationi mysteria: *In unaquaque genuflexione, & assurrectione, reipsâ ostendimus, quòd etiam propter peccatum in terram delapsi sumus, & per ejus, qui nos creavit, Clementiam in cœlum revocati sumus.* Hæc sanè genuflexionis ceremonia, significandæ mentis abjectioni est perquam idonea. Hinc observatum Alcuino, *Per omnes alias orationes*

De pœnitentium substratione: quid rei sit?

Ecclesiastica Hier. cap. 5.

Theodorit. l. v. c. 18.

Basil. ad Amph. cap. 27.

Alcuin. de div. Off. pag. 252.

Anno Dom. 206.

tiones genuflectimus, ut per hunc habitum corporis mentis humilitatem attendamus: excepto quando pro perfidis Judæis oramus. Illi enim genuflectebant Domino, opus bonum male operantes, quia illudendo hoc faciebant. Nos ad demonstrandum, quia fugere debemus opera quæ simulando fiunt, vitamus genuflexionem pro Judæis. Genuflexionis, sive substrationis mysteria fusius exequitur Honorius, de Gemma Animæ l. 1. c. 117. Dum genua pœnitentes submittebant tempore synaxeon constituto, impositioni manuum capita subjiciebant. Quò pertinent Veterum Canones: *Omni tempore jejunii, manus pœnitentibus imponantur.*

Cart. 4. cap. 80.

Frequentem & manuum impositionem imperant Toletani Patres: *Jubemus ut secundum formam antiquorum Canonum, detur pœnitentia. Hoc est, ut prius eum quem sui pœnitet facti, à communione suspensum, faciat inter alios pœnitenter ad manus impositionem crebrò recurrere.*

Tolet. 3. cap. 11.

Substrationis ut plurimum diuturniora erant, quàm auditionis fletusve tempora. De vaticinantibus hoc sciscunt Ancyrani Patres: *In quinquennis Canonem incidant, secundum gradus definitos tres annos substrationis, & duos annos Orationis sine oblatione.*

Can. 24.

Adeant Lectores & Nicænum Canonem XI. Egregius & ea de re Canon est apud Basilium: *Qui suâ sponte interfecit, & posteà pœnitentiâ ductus est, XX. annis sacramento non communicabit. Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuncians. Post quatuor autem annos, inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur. Septem autem annis, cum iis, qui in substratione orant, egredietur.*

Basil. Epist. Can. 56.

Qui se novo tingi baptismate permiserant, iis Felix Papa tertius mandat, ut *tribus annis inter audientes sint, septem autem annis subjaceant inter pœnitentes, manibus Sacerdotum.*

Fel. Ep. 7.

Facultatis tamen Episcoporum erat, indulgentius habere pœnitentes, quorum ob flagitia fuit omnino via consolabilis dolor, ut omissâ vel *substratione*, ab auditione in consistentiam transirent: *Quicunque & metu, & lacrymis, & tolerantiâ, & bonis operibus, conversionem & opere, & habitu ostendunt, hi impleto auditionis tempore, quod præfinitum est, meritò orationum communionem habebunt, adeò quòd liceat etiam Episcopo humanius aliquid de iis statuere.*

Nicæn. Syn. c. 12.

Quæ cum ὑποπτώσει conjuncta erat manus impositio, *sacramentalem* reconciliatoriamque fuisse, Petavius opinatur: *Neque enim quod sciam*, inquit, *Antiqui Canones post σύστασιν, pœnitentibus impositam esse significant, sed eam impositionem cùm ὑποπτώσει conjungunt.*

Petav. Anim. in Epiph. pag. 252.

Petavius tamen ex Antiquitate, cujus magnam sibi notitiam comparaverat, ab hoc errore facillimè revocari potuit. Quippe *reconciliatoria* manus impositio semel fiebat. Quæ verò substrationis erat, sæpius repetebatur. Neque *reconciliatoria* esse potuit, utpote quæ nil juris daret ad percipiendam Eucharistiam, à qua pœnitentes excludebantur, toto *consistentiæ* tempore, quod vel ad *quadriennium* usque protendebatur. Quo casu improbabile est, in substratione, *per impositionem manuum sacramentalem illis absolutionem fuisse impertitam*, quam jus ad Eucharistiam subinde sequebatur. Reconciliatoriam manuum impositionem ab illa esse diversam, quæ substratis ministrabatur, ex Antiquorum Canonibus probabimus inferius. Substrationis verò locus, media erat audientes inter, & Fideles ad ambonem usque protensus.

Anno Dom. 206.

VIII. Ultimum pœnitentiæ gradum ingredimur, qui συστάσεως nomen habuit. De quo Basilii Canon 56. est accipiendus: *In quatuor annis solùm stabit cum Fidelibus, sed non erit oblationis particeps.*

De pœnitentium consistentia.

De Consistentibus quoque Ancyrana Synodus c. 4. *De iis qui vi sacrificaverunt, & præterea ad Idola pransi sunt . . . visum est anno audire, tribus autem annis substerni, ac supplices esse, solis autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad id quod est perfectum accedere.* Quibus apparet & promptum est, verum esse quod observavimus, ὑπόπτωσιν cæteros pœnitentiæ Actus, ex communiori disciplinâ diuturnitate superasse. *Consistentia* verò inde nomen accepisse videtur, quòd & orantium in Ecclesia Fidelium, cœtui interesse poterant, & stantes preces fundebant suas, quod prostratis negatum Carthaginensium Patrum omnibus obvia præscriptio est: *Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.*

Cart. 4. cap. 82.

Qui in Antiquitatis monumentis vestigia posuerunt, probè sciunt die Dominicâ Christianos inter orandum, genua non posuisse Deo: *De die Dominico jejunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.*

Tert. de Cor. c. 3.

Cui ceremoniæ affixa sunt hæc mysteria: *Stantes oramus, quod est signum resurrectionis.*

August. Ep. 119.

Basilius de Spiritu S. c. 27. *In prima hebdomada erecti perficimus orationes, non solum quòd velut simul cum Christo resuscitati, quæ sursum sunt quærere debeamus, sed quòd is dies videatur aliquo modo imago futuri seculi.* Inspiciatur & Quæstio CXV. apud Justinum. Eâ quoque immunitate *Consistentes* gaudebant, ut cum Fidelibus starent inter orandum. Actum συστάσεως, à Cypriano donatum esse, nomine *exomologeseos*, perquam probabile existimamus: *Nondum actâ pœnitentiâ, nondum exomologesi factâ.*

Cypr. Epist. 2.

Quem peculiarem pœnitentiæ actum Petavius ascribit ὑποπτώσει, quia *& reconciliationi, ac communioni propiorem, ostenderit Cyprianus, & σύστασις non jam miseria dici possit, at ὑπόπτωσις multas acerbissimasque molestias habuit.*

Petav. Anim. in Epiph. 250.

Nostra verò sententia his Cypriani innititur: *Cum in minoribus peccatis, peccatores agant pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem, ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant.*

Cypr. Ep. 9.

Cum igitur exomologesin, reconciliatoriæ manuum impositioni proximè copularit Cyprianus, hinc conjecturam ducimus, exomologesin pro singulari pœnitentiæ actu usurpatam, *consistentiam* quidem esse, non substrationem, cujus facultatis non erat, jus dare ad Eucharistiam, aut ad absolutionem. Neque in Petaviana ratione aliquid virium. *Consistentia* quidem, utut status pœnitentiæ commodissimus, miseria tamen dici potuit, quia pars magna est infelicitatis, Eucharistiâ solos oculos pascere, dum Fideles cœlesti hoc cibo suum explebant animum. Imò adulteria, aliaque peccata, pœnâ συστάσεως quandoque plectebantur. Id castigationis furibus irrogatum, qui crimen suum spontè aperiebant: *Qui furatus est, si spontè pœnitentiâ motus, seipsum accusaverit, per annum à sola Sacramentorum communione arcebitur.*

Basil. Can. 61.

De mulieribus quæ adulterio se dederant, Canone 34. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem Patres nostri*

ANNO DOM. 206.

nostri prohibuerant, ne convictis mortis causam præbeamus, eas autem stare, sine communione jusserunt, donec tempus impleretur pœnitentiæ. Ea quoque pœna illorum fuit, qui emensis pœnitentiæ publicæ spatiis, post absolutionem, leges Ecclesiasticas perstringebant pœnitentibus impositas. Quæ mens est Siricii, Epistolâ ad Himerium c. 4. Qui *militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivere concubitus*, solâ intra Ecclesiam, Fidelibus oratione jungebantur, sacræque mysteriorum celebritati intererant. Sedes Consistentium, erat ab Ambone versus Sanctuarium. Sejunctos tamen à Fidelibus fuisse non permixtos, vero simili conjecturâ deducit Bona Cardinalis: *Quia alioquin potuissent cancellis appropinquare, quod illicitum erat non offerentibus, atque exclusis à communione.* Cui & causa hæc accedit, quòd ea mixtura Fidelium & consistentium, perturbationi fuisset atque impedimento percipientibus Eucharistiam. Hactenus de quatuor pœnitentiæ publicæ gradibus, quibus tot pœnitentium classes efflorescebant. Quintam procudunt Bellarminus, atque Maldonatus, illorum nempe qui expletâ omni pœnitentiâ suâ non expectabant nisi reconciliationem, ut accederent ad Communionem: *Quapropter eorum locum in Ecclesia destinatum, dictus est* πλήρωσις, *expletio.* Quæ somnia sunt ea eburnea porta. Ultimus quippe pœnitentiæ gradus, *consistentia* absolvebatur, quod liquet ex Gregorio Thaumaturgo, quem quintæ hujus pœnitentium classis immeritò testem adducunt: Τελευταῖον ἡ μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων, *postremò est participatio Sacramentorum.* Similiter Basilius, de homicida *in quatuor annis solùm stabit cum Fidelibus, sed non erit oblationis particeps, iis autem expletis, erit* c. 56.

Bon. Litur. l. 1. c. 17.

Maldon. de Pœn. cap. 9.

Gregor. cap. 11.

De ceremoniis quibus pœnitentia suscipiebatur.

IX. Faciendis pœnitentibus, ceremoniæ sunt adhibitæ, à nobis brevi percurrendæ. Pœnitentiam petentibus primùm manus imponebatur. Velis capita obnubebantur, crines tondebantur, veste sordidâ induebantur. Optatum audiamus: *Has plebes coegisti flectere, & inclinare cervices, & serie capitum junctâ, massam pœnitentium facere. Has plebes dolet Deus, per Ezechielem dicens, Væ filiabus Israël, quæ sarciunt cervicalia, ut supponant sub cubito, & sub manu: utique sub cubito, & sub manibus vestris, cùm super earum capita velamina pœnitentiæ tenditis.* Cilicii cum manuum impositione conjuncti, meminit Agathense Concilium c. 11. *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput à Sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimentum non mutarint, abjiciantur.* Forficibus verò capillos persecabat Presbyter, vel Episcopus: *Quicunque ab Episcopo, vel Presbytero, sanus vel infirmus pœnitentiam postulat, id antè omnia Episcopus servet, & Presbyter, ut si vir est, sive sanus, sive infirmus, primùm eum tondeat, & in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & sic ei pœnitentiam tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum.* Psalmi quoque cantabantur, dum pœnitentibus manus imponebatur, quod Rege Ludovico suscipiente pœnitentiam, factum esse legimus in Agobardo: *Innotescitur lex & ordo publicæ pœnitentiæ, quam non renuit, sed ad omnia annuit. Demum pervenit in Ecclesiam, coram cœtu Fidelium, ante altare & sepulchra Sanctorum, & prostratus super cilicium, bis terque confessus in omnibus clarâ voce, cum abundanti effusione lachrymarum, depositisque armis manu propriâ, & ad crepidinem altaris projectis, suscepit mente compunctâ, pœnitentiam publicam, per manuum Episcopalium impositionem, cum Psalmis & orationibus.* Sacco corpus involvebant ac cineribus perfundebant. Quâ de re legendi Tertul. de Pudicitia c. 13. Cyprianus de Lapsis, Pacianus de Parænesi. Suscepto pœnitentium habitu barbam alebant atque comam, quod suo mysterio non caruit: *Hi verò qui pœnitentiam agunt, proinde capillos nutriunt, ut demonstrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro vitiis accipiuntur, sicut scriptum est, Crinibus peccatorum suorum, unusquisque constringitur. Vir quippe si comam nutriat, ignominia est, ut ait Apostolus. Ipsam ergo ignominiam suscipiunt pœnitentes, pro merito peccatorum. Quod verò in cilicio prosternuntur, per cilicium quippe recordatio peccatorum est, propter hœdos ad sinistram futuros. Inde ergo confitentes in cilicio prosternimur, tanquam dicentes, Et peccatum meum coram me est semper. Quòd autem cinere asperguntur, vel ut sint memores quia cinis & pulvis sunt, vel quia pulvis, id est, impii facti sunt. Unde & illi prævaricatores primi homines, recedentes à Deo, malisque factis offendentes creatorem, in pulverem unde sumpti sunt, redierunt.* Volventibus seculis, inusta sunt & pœnitentibus flagella. Rex Angliæ Henricus II. *Ab Episcopis, qui tunc præsentes erant, absolutionem petit, carnemque suam nudam disciplinæ virgarum supponens à singulis viris religiosis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos accepit.* Duræ fuerunt partes pœnitentium, utpote qui sacris exclusi, pullâ veste induti, vilissimis operibus addicerentur: *Mortuos pœnitentes Ecclesiæ efferant, atque sepeliant.*

Optat. lib. 2.

Tolet. 3. cap. 12.

B. P. t. 1x. pag. 1340.

Isidor de Off. l. 2. cap. 16.

Matth. Par. pag. 125.

Carth. 4. cap. 82.

X. Emenso immani exomologeseos spatio, pœnitentes reconciliabantur. De more verò, absolutio dabatur, adhibitâ manuum impositione. Post εὐχαῖς, pœnitentibus manum impositam non esse, credidit Petavius, qui impositionem *reconciliatoriam* cum ἐπευχαῖς conjunctam fuisse existimat. Quem in errorem incidere non debuit vir ad miraculum antiquitatis peritissimus. Triplici manuum impositione pœnitentes donabantur. Prima *initialis* dici potuit, quia ab ea sumebatur primus publicæ pœnitentiæ gradus, ut planum fecimus capite proximo. Secunda *substratoria* nomen accipere potest, quia substrationem comitabatur perpetuò. Cujus mentio est in Veterum scriptis frequentissima: *Id à Sancto Concilio jubetur, ut secundum formam Canonum Antiquorum, detur pœnitentia. Hoc est, ut prius eum quem sui pœnitet facti, à communione suspensum, faciat inter pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere.* Hujus & impositionis meminit Synodus Laodicena c. 19. *Catechumenis egressis, orent etiam hi qui in pœnitentia sunt constituti, & post manus impositionem, his quoque abscedentibus, tunc Fideles orare debent.* Qua in *substratoria* manuum impositione nil erat absolutionis. In ulteriorem gradum evadere opus pœnitentibus fuit, *consistentiam* scilicet, absolutioni præviam. Igitur aut reconciliatio fiebat, absque impositionis manuum interventu, quod absonum, aut admittenda est nova impositio manuum, quæ *consistentibus* da-

Absolutio pœnitentium. Manuum impositio reconciliatoria.

Petav. Anim. in Epiph. 252.

Tolet. 3. cap. 12.

ta, *reconciliatoria* nomen habuit. Hanc memorat Cyprianus, Epistolâ IX. *Cum in minoribus peccatis, peccatores agant pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem, ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant.* Hic exomologesis *consistentia* est, in qua pœnitens particeps fuit orationis Fidelium. Disertus & Optatus l. 2. *Dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad altare conversi, Dominicam orationem prætermittere non potestis.* Inspiciatur & Carthaginensis Synodi IV. Can. 76. nec non Agathensis c. 44. Disertior adhùc Arausicana Synodus prima c. 3. *Qui recedunt de corpore, pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione, eis communicari, quod morientis sufficit reconciliationi. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.* Hæc autem absolutio Ecclesiæ vel ante fores, vel ante Absidem peragebatur: *Presbyter inconsulto Episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente. Cujuscunque pœnitentis publicum & vulgatissimum est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante Absidem, manus imponatur.* In ipsa quoque Ecclesia factam quandoque reconciliationem, non innuit modo Optatus jam laudatus, sed Concilium etiam Carth. 2. Canone 3. *Reconciliare quempiam in publica Missa, Presbyteris non licere.* Feriâ V. Sanctæ hebdomadæ, Cleri manibus pœnitentes capita subjiciebant: *In istis omnibus cognoscimus, præsentem diem consecratum esse remissioni peccatorum. Non enim putamus præsenti V. feria, fortuitu hoc accidere. Nos scioli interim dicamus, quid nobis rationis videatur habere, quod in ipsô die voluit Dominus pedes lavare, quæ lavatio remissionem peccatorum significat. Quapropter & pœnitentes eâdem die ad manus Sacerdotum recurrunt.* Quibus luce clarius est, totâ Petavium aberrasse viâ, dum *manuum impositionem, propriam τῆς ὑποπτώσεως fuisse* statuit. Quasi verò die Jovis Sanctæ hebdomadæ pœnitentes *substrationem* ingrederentur. Atqui tum temporis peccatorum remissionem obtinebant, & ad manus Sacerdotum recurrebant. Absolutionis modum fusè refert ordo Romanus. Die Jovis Sanctæ hebdomadæ, sedente Pontifice *pro foribus Ecclesiæ*, pœnitentes in atrio Ecclesiæ, eminus cum Archidiacono mandata illius expectabant. Dicente antiphonâ *Venite*, & Diacono ex parte pœnitentium respondente, *Flectamus genua*, pœnitentes omnes genua submittebant. Ubi ad medium usque atrium venerant, clamante Pontifice, *Venite, venite, venite*, mox cum Diacono pœnitentes corruebant ad pedes Episcopi, sicque prostrati jacebant, donec Episcopus surgens innueret alteri Diacono *Levate*; prosequente Clero Antiphonam, *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, post preces procedit Episcopus ad absolvendum. Ordo R. B. P. t. X. 56. Legatur & Gratianus in Can. *cum aliquis*. Q. 2.

Carth. 3. cap. 32.

Amal. de Off. Eccl. l. 1. c. 12.

Unane an gemina olim pœnitentia concederetur?

X. Deducitur in Quæstionem, utrùm geminæ pœnitentiæ facultas precantibus permissa fuerit? Negant eruditi complures, etsi fateantur privatam pœnitentiam, absolutionemque in morte datam esse iis, qui vel in eadem, vel in æquè gravia peccata delapsi fuerant. Quam N. Alexander sententiam multis argumentis statuit. Contrà verò Petavius, Larroquanus, aliique viri doctissimi, pœnitentiam plus semel adhibitam esse docent: Nec ubique terrarum observatam esse difficillimam illam disciplinam. Imò *Alexandriæ, atque in aliis si fortè Provinciis, diversum atque indultorem usum, probabile esse*, ex Origene docet Petavius. Nos distinguendum esse censemus. Peccata vel morum erant, vel doctrinæ. Ad hæreseon indulgentiam longè faciliores erant Antiqui, neque immeritò. Quamvis enim gravissima hæreticis nota improbitatis sit inurenda, in eas tamen Christianus delabi potest, absque ulla peccati conscientia, quia veri specie indutus error, mentem decipit: quo casu ἐν ἀγνοίᾳ peccatur, & mos etiam Deo geri putatur, ex sincero mentis affectu. Nullus verò Christianus, homicidium, adulterium, Dæmoni sacrificium, perpetrare potest, quin conscientiæ stimulus factum improbantis agitetur: ut nil miri sit, Veterum disciplinam clementiæ, mansuetudinis, humanitatis pleniorem erga Hæreticos fuisse, quàm erga Idololatras, homicidas, adulteros. Itaque geminam ad pœnitentiam admissos olim fuisse *Hæreticos*, ex Cerdone liquido constat: *Cùm ad Ecclesiam venisset, & errorem suum confessus esset, ita deinceps perseveravit, interdum occulte docens, interdum rursus confitens errorem, nonnunquam convictus impiæ doctrinæ, & à concione fratrum se segregans.* Unde meritò colligit Valesius, in Hæreseos crimine, *Relapsos tunc temporis ad secundam confessionem, & pœnitentiam, admissos fuisse.* Quam de Hæreticis disciplinam perdurasse, testis est Tertullianus, qui de Marcione, Valentinoque, ea perhibet: *Constat illos, neque adeò olim fuisse Antonini ferè Principatu, & in Catholicam primo doctrinam credidisse, apud Ecclesiam Rom. donec sub Episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam eorum curiositatem, quâ fratres quoque vitiabant, semel & iterum ejecti.* Pœnitentia quæ ob vitia morum irrogabatur, bifariam dividitur. Est enim vel *perpetua*, vel *relaxanda*. Secundam pœnitentiam peccatoribus, qui vel in eadem, vel in æquè gravia crimina inciderant, quandoque concessam fuisse, sed *perpetuam* nec nisi imminente morte relaxandam, docetur exemplis. Audiatur ad Himerium Siricius: *De iis qui in capitale crimen iterum delabuntur, quia jam suffragium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut solâ intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur, sacra mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, à Dominica autem mensa convivio segregentur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.* Atqui consistentia, in quam recipiebantur, pars pœnitentiæ fuit. Secundæ ergo & pœnitentiæ locus, sed perpetuæ, cui nil spei relictum, ad reconciliationem cum Ecclesia resarciendam, nisi fortè dum mors erat in procinctu. Tertullianus quidem Montanisticæ disciplinæ custos acerrimus, ad pœnitentiam *irremissibilem* incumdam, peccatores hortatur: *Ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quòd eam à solo Deo exorat, quòd delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quòd Ecclesiæ mavult erubescere, quàm communicare.*

Animad. in Epiph. 237.

Eusеb. l. 4. cap. 11.

Tert. de Præscr. cap. 30.

Siric. Epist. 1. cap. 5.

Tert. de Pudic. c. 3.

Anno Dom. 206.

care. Adsistit enim pro foribus ejus, & Denota sua exemplo, cæteros admonet, & lacbrymas fratrum sibi quoque advocat. Ad ejusmodi pœnitentiam relapsos admissos fuisse credimus. Exclusos verò & spe omni veniæ Ecclesiasticæ, & jure communionis Eucharistiæ, nisi fortè ut esset *viatico* illos qui post exomologesin, Idololatriâ, homicidio, adulterio sese polluebant, Veterum testimoniis est exploratum. Antiquissimus ille Hermas, *Servu Dei*, inquit, *pœnitentia una est.* Ambrosius etiam sententiæ est ejusmodi: *Meritò reprehenduntur, qui sæpius agendum pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam non putarent, quia sicut unum Baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur.* Uni quoque pœnitentiæ locum assignat Augustinus: *Quamvis ergo cautè, salubriterque provisum sit, ut locus illius humillima pœnitentia semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo, Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhùc iterum parcis?* Ne longius excurrat oratio, consulantur Tertullianus de Pœnit. c. v. Tolet. 3. c. 11. Objicit Petavius verba Origenis, Hom. 15. in 25. caput Levitici: *In gravioribus criminibus, semel tantùm, vel rarò, pœnitentiæ conceditur locus.* At mutila esse verba hæc, non est negandum. Ut ergo struatur argumentum, vocula *bis* subaudiri debuit, *vel raro bis.* Quo casu nostram Origenes non subruerat opinionem, quæ Hæreticis secundæ pœnitentiæ facultatem olim concessam esse statuit. Quanquam in eo testimonio Origenis non multum sit præsidii, cùm Lombardus sententiarum l. iv. dist. 14. c. laudato Origene, verba hæc omiserit, quibus datur occasio conjiciendi, in textum alienâ irrepsisse manu. Origenis verba sic refert Lombardus: *In gravioribus enim criminibus, semel tantum pœnitentiæ conceditur locus. Communia quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt.* Ad hæc verò Petavii, *Alexandria plus semel adhibitam esse pœnitentiam*, animi nostri assensionem adjungere non possumus. Clemens quidem Alex. unicæ post baptismum pœnitentiæ patronus est: *Dedit ergo cùm sit multa misericordia, iis etiam qui fide in aliquod peccatum incidunt, secundam pœnitentiam quam si quis tentatus fuerit post vocationem coactus, & callidè circumventus, unam adhùc non pœnitendam acceperit pœnitentiam. . . . Apparet ergo, sed non est pœnitentia, sæpè petere veniam, de iis quæ sæpè peccamus.* Ac Serapioni Alexandrino, qui sæpenumerò veniam petierat, nemo *quisquam attendebat, quod sacrificasset.* Larroquanus objicit Dionysium, apud Eusebium l. 4. c. 23. Pseudoignatium Epistola ad Philadelphenos, Constitutiones Apost. l. 2. c. 15. Canonem l. 11. Apostolorum. Verùm enimverò testes à viro Clarissimo citati, solummodò ostendunt, pœnitentes in gratiam esse restituendos: quos ab omni venia excludebat rigidior nonnullorum disciplina. Non magis verò secunda, quàm tertia pœnitentia colligitur ex testimoniis ejusmodi: *Recipi libenter pœnitentes* poterant, etsi pax non daretur hominibus, qui post longam laboriosamque pœnitentiam bis terve se flagitiis capitalibus ingurgitarant. Ad secundam quoque pœnitentiam, sed perpetuam admittebantur, verùm absque spe ulla adipiscendæ Eucharistiæ, nisi morte imminente, ut ex Siricio ostendimus.

Ambr. l. 2. de pœn. c. 10.

August. Maced. Epist. 54.

Clem. Strom. l. 2. 280.

Euseb. l. 6. cap. 44.

Anno Dom. 206.

Num Clerici pœnitentiæ immunes?

XI. Existit autem hoc loco quæstio non injucunda, utrùm Clerici pœnitentiæ publicæ forent immunes? Quin huic pœnæ, labente quarto seculo, fuerint exempti, nil habet dubitationis. Notissima est Basilii Magni præscriptio: *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur, à laicorum autem communione non arcentur. Non enim vindicabis bis in ipsum.* Huic quoque disciplinæ patrocinatur Africani Ecclesia in Carthaginense Concilium v. c. 2. *Si quando Presbyteri, vel Diaconi, in aliqua graviore culpa convicti fuerint, quâ eos à ministerio necesse fuerit removeri, non iis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam Fidelibus imponatur.* Hanc ad regulam, disciplinam quoque suam direxit Ecclesia Rom. *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere, cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem, ac reconciliationem, nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci.* Quem Leo Magnus morem deducit ab Apostolis: *Sine dubio*, inquit, *ex Apostolica traditione descendit, quòd Presbyteri Diaconique inter pœnitentes non censeantur.* Quâ autoritate freti, par Jesuitarum nobile, Bellarminus de pœn. l. 1. c. 21. Maldonatus de pœn. c. 9. sciscunt, pœnitentiam publicam Sacerdotibus non fuisse impositum. Egregiè tamen falluntur. Episcopus Hæreticorum erat Natalius, qui ad genua & Zephyrini, & laicorum advolutus, vix tandem in communionem Ecclesiæ receptus est. Presbyter erat Trophimus, de quo Cyprianus: *Redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentiâ deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione revocante, audita sunt ejus preces. . . . Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet.* Meminit & Victoris Presbyteri, qui pœnitentiæ munus implevit: *Significasti de Victore quondam Presbytero, quòd ei antequam pœnitentiam plenam egisset, temerè Therapius . . . præpropera festinatione pacem dederit.* Ex illis qui Novatianum crearant Episcopum, unus qui etiam Episcopus erat, *Ad Ecclesiam redit, delictum cum lamentis ac fletibus confitens.* Clerici erant Apollinares: Pater Presbyter, filius Lector, quos Ecclesiâ ejecit Theodotus Episcopus, quia hymno in Bacchi laudes recitato interfuerant: *Aliquantò post tempore elapso, cùm in lacbrymis pœnitentiam delicto suo congruentem egissent, Theodotus eos denuò recepit.* Unde liquet, egregiè falli N. Alexandrum, dum scribit ex Ecclesiæ disciplina majoribus Clericis, *Post tertium seculum pœnitentiam publicam non fuisse impositam.* Post tertium seculum, Eliberitana Synodus est celebrata, anno scilicet Christi CCCV. Concilium tamen pœnitentiæ publicæ Diaconos addicit c. 76. *Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & posteà fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si spontè fuerit confessus, placuit eum actâ legitimâ pœnitentiâ, post triennium accipere communionem. Quòd si alius eum detexerit, post quinquennium, actâ pœnitentiâ, accipere communionem laicam debere.* Anno CCCXIV. Neocæsariense Concilium coactum est, quo tempore majores Clerici pœnitentiæ non eximebantur: *Presbyter si uxorem duxerit, ordine suo mo-*

Basil. Ep. cap. 32.

Siric. Ep. 1. cap. 14.

Leo Ep. 2. ad Rust.

Epistolâ LII. p. 69.

Cypr. Ep. LIX.

Euseb. l. 6. cap. 43.

Sozom. l. 6. c. 25.

N. Alex. Sec. 3. dissert. 21.

veatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur & ad pœnitentiam deducatur. Quarto igitur labente seculo, variabat Ecclesiarum de majoribus Clericis pœnitentiæ disciplina. Nonnulli pœnæ huic eos subjiciebant, alii eximebant quæ Petri fuit Alexandrini sententia. De lapsis enim Clericis, *Non possunt*, inquit, *amplius sacra ministeria obire ... eis sufficit communio.* Iniit autem Episcopatum anno circiter CCC. Neque Autorem deprehendimus antiquiorem ullum, qui Clericos pœnitentiæ eripuerit.

Petri Can. X.

An pœnitentia publica mulieribus imposita?

XII. Quid verò de mulieribus statuendum? Pœnitentiæ obnoxiæ, necne? De ea quæstione Bona Cardinalis suam sic ostendit sententiam: *Mulieribus unquam publica pœnitentia, saltem primis Ecclesiæ seculis, imponi solebat, sed privatim flebant.* Quæ pugnaot antiquitati. Uxor enim Diaconi, quam Marcus corruperat, *Omne tempus in exomologesi consummavit.* De mulieribus quæ lapsæ fuerant Lucianus: *Factâ exhomologesi, habeant pacem, non tantum hæ, sed & quas scias, ad animum nostrum pertinere.* Item Mappalicus, *Matris suæ & sorori, quæ lapsæ fuerant, mandavit pacem dari.* Exomologesis autem privatam Patribus pœnitentiam non significat. De corrupta virgine Ambrosius: *Lugubris tibi accipienda est vestis ... amputentur crines. ... denique totum corpus incuriâ maceretur cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat.* Incredibile quidem Fabiolam, quæ repudiato ob adulterium marito, nupserat alteri, publicæ pœnitentiæ onus suscipere voluisse, si hoc è priscis moribus fuisset alienum: *Quis hoc crederet ut post mortem secundi viri, in semet reversa, quo tempore solent viduæ negligentes jugo servitutis excusso, agere se liberius ... errorem publice fateretur, & totâ urbe spectante Romanâ, ante diem Paschæ, in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium?* Quibus exemplis adjungenda est Eliberitana Præscriptio: *Si qua mulier usque in finem mortis suæ cum alieno viro fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam ei esse communionem: Si verò eum reliquerit, post X. annos recipi ad communionem, actâ legitimâ pœnitentiâ.* Mulieres quæ partus suos necabant, antiquâ definitione, usque ad exitum vitæ ab Ecclesia removebantur, quibus Ancyrani Patres C. XXI. decem annorum pœnitentiam tribuunt. Adulteras ad consistentiam fuisse relegatas, testis est Basilius, c. 34. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus. Eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.*

Bon. Litur. c. 17 n. 5.

Cyprian. Epist. 22.

Cypr. Ep. 22.

Ambros. ad Virg. Corr. c. 8.

Hieron. Ep. 30.

Eliber. c. 64.

De peccatis quibus pœnitentia irrogabatur.

XIII. Hæc est res diligenti contemplatione dignissima, quænam peccata oneri pœnitentiæ subjicerentur? Flagitia Patribus bifariam dividebantur. In mortalia scilicet, & remissibilia, illa *capitalia*, hæc *venialia* dicebant. Quæ distinctio non ad Dei quidem judicium, sed ad Ecclesiæ tribunal respectum habuit. Mortalia intelligere vulgò solent, *quæcunque Dei nos gratiâ, ac spiritalibus charitatis ornamentis spoliant*, vel, ut verius dicamus, quæ germanæ sinceræque pietati pugnant. Venialia vero, quæ cum charitate & sanctitate copulantur, quorum relaxationem precibus quotidianis flagitamus. Quippe *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus.* Verè & sapienter Tertullianus: *Sunt quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes simus objecti, cui enim non accidet, aut irasci inique, & ultra Solis occasum, aut & manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia, aut necessitate mentiri. In negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in visu, in auditu, quanta tentamur, ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat.* Idcircò peccatis ejusmodi, quæ tamen ex se & natura sua mortalia sunt, exomologesis non imponebatur. Aliâ ergo more Patres distinctionem usurpabant suam. Quibus *mortalia* forte peccata, quæ excommunicationis aut abdicationis fulmine feriebantur. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciantur.* Pacianus in Parænesi: *Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia.* Tertullianus Montano addictus sum, *Delicta*, inquit, *dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia, secundum quod nemini dubium est, alia castigationem mereri, alia damnationem.* In peccati mortalis censum præcipuè veniebant Idololatria, homicidium, fornicatio, quod ex Luca deducebant: *Abstinete ab iis, quæ sunt immolata simulachris, & sanguine, & scortatione.* Veteris ea de re disciplinæ, Tertullianus neminem patitur esse peregrinum: *Mœchia affinis Idololatriæ. Nam & Idololatria mœchia nomine, & fornicationis, sæpè populo exprobrata, etiam sorte conjungetur illi, sicut & sorte; etiam damnatione cohærebit illi, sicut & dispositione.* Et paulò interius: *Si rei voce deficiunt, adsistit Idololatres, adsistit homicida; in medio eorum assistit & mœchus. Pariter de pœnitentia officio, sedent in sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu ingemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem.* De tribus hisce flagitiis mens eadem Paciano: *Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia.* Id clamant & omnes Veteris Ecclesiæ Canones, quorum etiam nonnulli tantâ severitate conditi sunt, ut omnem sontibus pacis Ecclesiasticæ spem evellant. Patres Eliberitani: *Placuit ut quicunque post fidem baptismi salutaris, adultâ ætate ad Templum Idoli idololatraturus accesserit, & fecerit quod est crimen capitale, nec in fine eum communionem suscipere.* Eandem in *homicidas* Canon VI. in *adulteros* Canon VII. severitatem adhibet. Nec mollior Ambrosii disciplina, virginem lapsam his dictis compellantis: *Inhære pœnitentiæ, usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humano die, posse veniam dari: decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit.* De ejusmodi peccatis inspiciantur & Ancyrani Canones IV. XXI. XXII. Non tamen sola hæc flagitia pœnitentiæ publicæ subjiciebantur, cui non eximebantur ea crimina, quibus Magistratus mortis pœnam non irrogabat. Id negat quidem N. Alexander, dum multis astruit argumentis, *Idololatriæ, homicidii, mœchiæ duntaxat, vel aliorum graviorum scelerum, quæ seculi leges nece plectebant*, reos pœnitentiæ publicæ fuisse addictos. Atqui simplex furtum, cui mors Cæsarum legibus non imponebatur, pœnitentiæ publicæ subdebatur, cùm reus vel nullo accusante suum exonerabat animum: *Qui furatus est, si spontè pœnitentiâ motus, seipsum accusaverit, per annum a sola sacramentorum communione arcebitur.* Quòd si in furem edunt testes, majore

1. Joan. c. 8.

Tertull. de Pud. c. 19.

Basil. Epist. c. 32.

Tertul. de Pud. c. 3.

Act. 15.

Tert. de Pud. c. 5.

Pacian. Paran.

Elib. c. 1.

Ambr. in Virg. Cor. c. 8.

N. Alex. Sec. 3 Dissert. 3.

pœnâ

pœnâ afficiebatur: *Sin autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem dividetur, & consistentiam, & tunc communione dignus habeatur.* Basilio antiquior Gregorius Thaumat. *qui aliena propter turpe lucrum attingunt*, illos à Dei Ecclesia abdicat. Neque falsi testes qui leviora accusabant, ultimo supplicio afficiebantur, in quos tamen pœnitentia publica constituebatur: *Falsus testis prout crimen est abstinebitur, si tamen non fuerit mortis quod objecit, & probaverit quod diu tacuerit, biennii tempore abstinebitur.* Delatoribus illatam quoque pœnitentiam, docent Eliberitani Canones: *Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem, si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem.* Mors autem delatoribus non inferebatur. Peccata illa omnia, de quibus Paulo dictum, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, pœnitentiæ subdit Augustinus, homiliâ quinquagesimâ. In illis autem Apostolus annumerat *ebrietates & comessationes*. Vix igitur inficiari possumus, quin ebriosis in Africa pœnitentia sit imposita. Qui horum talium rei fuere, illos hortatur Augustinus venire ad Antistites, & *in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam*. Cæterùm etsi corde graviter peccetur, mentis tamen flagitia opere perfici debuere, atque consummari, ut pœnitentiâ publicâ coërcerentur, nisi ab Idololatria discesserimus, quæ vel solâ mente concepta, forsan & ad exomologesin deposcebatur: Capitale crimen adulterium, at *si quis proposuerit concupiscere mulierem ad dormiendum cum ipsa, ejus autem desiderium ad opus non venerit, videtur esse à gratia liberatus.* Itaque Zonaras in Basilii Canonem XXXII. *Ad mortem igitur*, inquit, *peccatum esse dicitur, quod ad opus usque progreditur. Quod verò in consultatione & consensu sistit, non est ad mortem, animi utrumtum. Nec enim fornicarius judicaretur, qui cum fornicatione assensus fuerit, ab actione ipsa nihilominus abstinuit.* Quibus liquet, ex solius animæ peccatis, pœnitentiæ publicæ materiam non fuisse quæsitam, vel saltem necessariò. Qui mente solâ in Idololatriam inciderant, eorum aliquos suscepisse pœnitentiam, ex Cypriano sciri potest: *Quanto & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licet & modicis vulneribus exponunt.* Scilicet magnam Idololatriæ atrocitatem inhærere putabant: *Gravissimum atque extremum delictum*, Cypriano Epist. X. *Principale crimen generis humani, summus seculi reatus*, Tertulliano dicitur.

Basil Ep. c. LXI.

Elib c. 74.

Elib. c. 73.

Neocæsar. c. 4.

Cyprian. de Lap. 176.

An arcanis peccatis publica pœnitentia irrogaretur?

XIV. Veniat nunc in manus quæstio hæc, utrùm peccatis capitalibus, quæ arcana fuere, privata pœnitentia imponeretur. Affirmant Baronius anno 56. n. 18. Bellarminus de Pœnit. lib. 1. c. 21. Pamelius, aliique innumeri. Quibus assentiri non possumus. Privatam quidem fuisse pœnitentiam, quam pro mortali peccato, flagitiosus sibi irrogabat, faciles largimur. Potamius ille Bracarensis Episcopus, qui sese fornicatione polluerat, per novem menses sponte deseruit regimen Ecclesiæ suæ; *Et ergastulo quodam, pro admisso flagitio acturus pœnitentiam, se conclusit.* Ac multos ejus similes fuisse, qui ex satisfactione privata, pro occulto peccato quærebant sibi remedia, repudiatâ exomologeos disciplinâ, ne eos attingeret hæc infamia, nulli dubitamus. At ea pœnitentia, neque à Presbyteris imponebatur, neque satisfaciebat Ecclesiæ, pacemve à Sacerdotibus extorquebat. Itaque pro peccatis capitalibus, vel occultis, si veniebant Sacerdotis alicujus in notitiam, sive ex spontanea delinquentis confessione, sive alio indicio, publica quidem pœnitentia satisfiebat, quæ consuetudo sexcentis circiter annis in Ecclesia viguit. Primùm omnium, loco pœnitentium soli habebantur, qui publicæ exomologeseos munus conficiebant, definientibus Patribus Toletanis: *Eum verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis, publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino reconciliatus fuit altario.* Hic igitur ille modus observabatur, reconciliandis peccatoribus. 2°. De arcanis flagitiis verba Origenis non capi non possunt: *Sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam; aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter & molestè immanentia, si vomuerint relevantur, ita ii qui peccaverunt, si quidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur & suffocantur à phlegmate, vel humore peccati: si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum, & confitetur, simul evomit delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodò circumspice diligenter cui debeas confiteri peccatum tuum: Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere. . . : Si intellexerit & prævidetit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse sanari, multâ hoc deliberatione; & satis perito medici illius consilio procurandum est.* Atqui arcanus ille languor potuit esse ejusmodi, ut palam exponi debuerit, quod solâ fiebat exomologesi. Arcana quoque culpa fuit, cujus meminit Ambrosius: *Plerique futuri supplicii metu, peccatorum suorum conscii, pœnitentiam petunt, & cùm acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore.* De publicis sanè flagitiis dici non potuit, *peccatorum suorum conscii.* Occultum quoque fœminarum scelus fuit, de quo Basilius c. XXXIV. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas; publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus. Eas autem stare sine communione & jusserunt, donec implerent tempus pœnitentiæ.* Consistentia verò quâ defungebantur, pars pœnitentiæ publicæ fuit. Eò pertinet & Leonis rescriptum, ad Episcopos Campaniæ. Mos invaluerat, *ut de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio, publicè recitaretur*, quam meritò Pontifex abrogat: *Removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio quæ primùm Deo offertur; tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Legatur Cæsarii Arelatensis hom. 1. qui capitalia flagitia vel arcana negat expiari penitùs posse *satisfactione secretâ.* 3°. Exemplis antiqua hæc disciplina confirmari potest. Potamius Bracarensis Episcopus,

Tol. 1. c. 2.

Orig. Hom. 2. in Psal. 37.

Amb. l. 2. de Pœn. c. 6.

Leo. Epist. 80.

ANNO DOM. 206.

Tolet. x.

pus, ad Toletanorum oculos crimen detulerat suum. Ubi ante Synodum adfuit, *Mox flebili voce luminibusque ploratu madentibus, & fragore singultuum cum unius Dei nominis juramente clamavit, se & verè eadem mala de se confiteri, & ad hæc confitenda, nullâ se violentia prægravari. Unde etiam per novem menses sponte deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam pro admisso flagitio acturus pœnitentiam, se conclusisse dixit. Tunc per fidelem confessionem ejus, agnito quòd tactu fœmineo sorduisset, & declarato, licet hunc paterna antiquitas sacris regulis dejicere ab honore decernat, nos tamen miserationis jura servantes, non abstulimus nomen honoris, sed validâ autoritate decrevimus, perpetua pœnitentia hunc inservire officiis & ærumnis.* Privata ea pœnitentia non fuit, quæ post confessionem publicam à Synodo est injuncta Potamio, qui tamen in muliere clam peccaverat. Aliud exemplum affert N. Alexander, de Genebaldo scilicet, qui S. Remigii neptem in uxorem duxerat. Qui cùm posteà Laudunensium Episcopus à Remigio creatus esset, geminos ex uxore, clanculario concubitu liberos suscepit. Quod cùm Remigio fateretur, Remigius *factâ mansiunculâ cum lecto in modum sepulchri, & parvissimis fenestellis, ac Oratorio, Genebaldum in ea reclusit.*

Neque Clerici, neque Laici pœnitenter quandoque à sacris ordinibus arcebantur.

XV. Si quæ de Clericorum pœnitentia variant Ecclesiastici Canones, omnia exequi velimus, longius excurreret oratio. Prisca Veterum severitas, publicæ, uti vidimus, pœnitentiæ vincula Clericis injiciebat, quæ à molliore disciplina soluta sunt postmodum, ne geminâ pœnâ sontes afficerentur; suæ nimirum dignitatis jacturâ, atque Excommunicatione. Itaque flagitiis cooperti Clerici, quandoque Monasteriis includebantur. Hinc *Sabiniano* Diacono, qui Virginem sacram polluerat, scriptum Hieronymi: *Hortatus sum ut ageres pœnitentiam, & in cilicio & cinere volutareris, ut solitudinem peteres, ut viveres in monasterio.* At Seculo sexto, Aurelianense Concilium, anno DXI. celebratum, Clerum pœnitentiæ publicæ jugo subdidit, Canone septimo: *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in Religionis professione viventibus, sine discussione vel commendatione Episcoporum, pro petendis beneficiis, ad Dominos venire non liceat. Quòd si quisquam præsumserit, tamdiu loci sui honore & communione privetur, donec per pœnitentiam plenam ejus satisfactionem Sacerdos accipiat.* Neque ipsi Præsules, non modò pœnitentiæ non eximebantur, verùm etiam eâ peractâ, suæ dignitatis officiis fungebantur.

Hier. Ep. 48. 4.

Insignis est in eam rem Toletanæ Synodi Canon anno DCLXXXIII. conscriptus: *Frater noster Gaudentius Valeriensis sedis Episcopus, insinuans quòd per manus impositionem subactus fuisset pœnitentiæ legibus. Sed utrùm acceptâ pœnitentiâ liceret sibi præcepta sui ordinis contrectare mysteria, vel Missarum solita explere officia, per Synodalia rogavit certificari responsa. Tunc collatis in unum hujusmodi Canonicis instrumentis, hoc Sancta Synodus definivit, ut reconciliatione præmissa, soliti ordinis retineret officio. Si enim regula præcedentium Patrum, eos qui pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla de se manifesta scelera confitentur, (si adsit tamen in his & talibus probitas morum) ad Ecclesiasticos gradus pervenire permittunt, quantò magis ut hi qui in ipso Sacerdotio constituti pœnitentiam accipiunt à sui ordinis officio non retrahantur? Tantum si se ipsi mortalium criminum professione propriâ non notarunt.*

Tolet. 13. c. 10.

Laici verò pœnitentiæ publicæ subditi, Clericale munus adire non poterant. Id sanxit Synodus Carth. c. 68. *Ex pœnitentibus Clericus, quamvis sit bonus non ordinetur.* Siricius quoque Epistolâ ad Himerium c. 24. *Illud quoque par fuit nos providere, ut sicut pœnitentiam agere non conceditur Clericorum cuiquam, ita post pœnitudinem & reconciliationem, nulli unquam liceat Laicorum, Clericatus honorem adipisci.* Ut illi Canones disciplinæ reconcilientur, quæ & Clericos à pœnitentia, & Laicos pœnitentes à sacris ordinibus excludit, pœnitentiæ tum causa, cum modus in observatione poni debent. Clerici qui suam gravi scelere innocentiam maculârant, Idololatria nimirum, adulterio, homicidio, sacrilegio, ac crimine ejusmodi quo infamia contrahitur, officio suo pellebantur, ne essent scandalo. Sic in Toletana Synodo decima *Potamius* Bracarensis Episcopus, qui mulieris usum habuerat, perpetuæ pœnitentiæ laboribus addictus est, licet nomen titulusque dignitatis delinquenti relinqueretur. Ubi verò in levius delictum Clericus inciderat qualis est, Præsule nescio, vagatio Presbyteri, aut Abbatis alicujus, injuncta quidem ob culpam ejusmodi pœnitentia, à sacro ministerio non prorsus excludebat: ab omni officio reus aliquandiu temperabat, ei reddendus postmodum. Deinde longè majoria momenti crimen quod ignorationis velo tegebatur, neque Clericum à sacris pellebat, neque pœnitentem laicum ab ordinibus arcebat. De Clericis, disertum est Auriacense decretum: *Pœnitentiam desiderantibus etiam Clericis non negandam.* De Laicis extat insignis regula à Toletanis posita: *Hi qui in discrimine constituti, pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum se peccatores profitentes, hujusmodi si revaluerint, possunt etiam pro morum probitate ad gradus Ecclesiasticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum se perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum pervenire nullatenus poterunt.*

Arauf. 1. c. 4.

Tolet. IV. c. 4.

Absolutio data à Diaconis.

XVI. Cæterùm etsi pœnitentium absolutio sacerdotalis jurisdictionis foret, instante tamen necessitate Diaconis permittebatur. Insignis est ea de re locus, apud Cyprianum: *Occurrendum puto fratribus, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativâ eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præsentiâ nostrâ, apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu ei in pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.* Hanc & disciplinam tenuerunt Eliberitani Patres c. XXXII. *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum. Cogente tamen infirmitate, necesse est Presbyterum communionem præstare debere, & Diaconum si jusserit Sacerdos.* Quo casu, Diaconus Presbytero Vicarius manus absolvendo pœnitenti præbuit. De reconciliatoria quoque manuum impositione Toletanum, de pœnitentibus ad Clerum non admittendis, decretum est intelligendum: *Si qui autem ante ordinati sunt Diacones, inter Subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, nec sacra contingant.* Cùm enim neque ordi-

Cypr. Ep. 13.

Tolet. 1. c. 2.

ANNO DOM. 206.

ordinationis sit, aut *confirmationis*, aut *sanationis* ea impositio manuum, utique non reconciliatoria non esse potest. Hoc consuetudinis diu perduravit in Ecclesia, ut Diaconi absente Presbytero, pœnitentibus absolutionem impertirent, quod testatum reliquit Alcuinus: *Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, & det Sanctam communionem.* Quod si ne vel Diaconus inveniri posset, usurpatione Eucharistiæ pœnitens cum Ecclesia reconciliabatur, quomodo apud Alexandriam Serapio, qui sacrificarat Idolis, infusa à puero in os ejus Eucharistia madefacta, venit in pacem. Cæterùm vel post reconciliationem duræ fuerunt partes pœnitentium: *Resipiscentes haud secus quam redivivos recipiunt tandem post longam mentis approbationem, quam cum primum ad religionem discendam admitterentur. Eâ tamen conditione, ut quoniam lapsi sint, excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus, & Magistratibus Ecclesiasticis.* Itaque Fortunatiano Episcopo irascitur Cyprianus, quòd post gravem lapsum, *Episcopatum sibi vindicare* cœpisset: *Quasi post aras Diaboli accedere ad altare Dei fas sit.* Hanc quoque disciplinam sancit Agathensis Synodus c. 29. *De pœnitentibus id placuit observare, ut nullus de his Clericus ordinetur.* Urgente tamen necessitate, Ostiarii lectoresve creari poterant, eâ tamen conditione *ut Evangelia non legerent.* Clerici verò mortalis peccati rei in monasterium detrudebantur.

Alcuin. de D. Off. B. P. t. 2. 242.

Orig. in Cels. l. 3. 143.

Cypr. Ep. 64.

Tolet. 1. c. 2.

Agath. c. 33.

ANNO DOM. 207.

ANNO U. C. 960. PER. JUL. 4920. JUL. 252. DOM. 207. SEVERI 14. & 15. *Sol.* 10. D. *Lun.* 18. *Indict.* 15. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *April.*

COSS. Aper & Maximus, die Veneris.

Aper in Fastis Bucherianis Cari nomen habet.

Felix Bula latro insignis.

I. DUm Severus Senatui, urbique terrori est, multa audacter, multa sceleratè à latrone facta sunt. *Felix Bula* vocabatur, qui comparatâ sexcentorum prædonum manu, biennio maximas in Italia prædas egit, Imperatoribus ipsis, militibusque præsentibus. Sciebat & numerum, & facultates hominum, qui Româ exirent, & qui Brundusium appellerent. Ex quibus nonnullos dimittebat, statim acceptâ eorum quæ habebant parte aliquâ. Artifices verò retinebat aliquandiu, ut eorum operâ uteretur, quos datis muneribus dimittebat postmodum. Captos ex suis comitibus duos, mox ad bestias damnandos, carcere liberavit, cùm simulasset se regionis esse Præfectum, ac egere hominibus ejusmodi. Centurioni, cui Severus mandaverat, hosce prædones tollere, pollicitus si sequi vellet se latronem in manus daturum, eum ad vallem saxosam, & concavam duxit. Tum Magistratus veste indutâ, ascendit in tribunal, Centurionique cui caput radi jusserat, Imperatoribus dici mandat, ut servos suos alant, ne latrocinarentur. Cæsarianorum enim complures se Felici adjunxerant. Quibus cognitis, iratus Severus Tribunum mittit qui latronem ad se vivum adducat. Quod & perfecit, proditione mulieri cum qua stupri consuetudinem habebat. Dormiens igitur, in spelunca comprehenditur. Cùm à Papiano Præfecto Prætorio interrogaretur, cur latrocinia fecisset, respondit, *Et tu cur Præfectus es?* Voce Præconis, bestiis objectus, prædonum turba dispergitur.

Dio l. 76. 865.

ANNO DOM. 207.

Motus in Britannia.

II. Caracallam & Getam voluptatum omnium irritamentis incitatos, etiam adulatorum ministeria diversos trahebant. Quorum nonnullos Severus afficit supplicio. Dum filiorum suorum vitam indecoram fert graviter, literas à Britanniæ Præfecto accipit, quæ docebant, Barbaros regionem omnem depopulationibus vastare. Quare majore manu ad resistendum, vel etiam Principis ipsius præsentiâ opus esse. Quæ lætus Imperator accepit, cupiens & trophæa contra Britannos excitare aliqua, & filios abducere ex urbe, ut in castris militari vitæ ac sobriæ insuescerent.

Herodian. l. 3.

De jejunio Mercurii & Veneris, fueritne ab Apostolis institutum?

III. Cùm impensam operam illustrandæ Antiquitati nobis dederimus, quid in celebrandis jejuniis Ecclesiæ morie fuerit, nunc est videndum. Multum sibi vetustatis assumere jejunia Mercurii & Veneris, documento est Clemens Alexandrinus, qui de Gnostico suo id scriptum reliquit: *Novit ipse jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & sexti. Dicitur ille quidem Mercurii, hic verò Veneris.* Stationibus quæ semijejunia erant, dicatos fuisse, discimus ex Tertulliano: *Cur stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus?* Quæ disciplina omnes pervasit Ecclesias. Hinc sibi objiciendi ansam arripuit Hieronymus in Galatas c. IV. *Si dies observare non licet, & menses, & tempora, & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati observantes, & Parasceven.* Itaque Canon Apostolicus LXIX. fulminibus percellit suis, Clericos abnuentes ea jejunia: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, Sanctam Pascha Quadragesimam non jejunat, vel quartam, vel Parasceven, deponatur.* Quid verò causæ fuerit, quòd ad ea colenda jejunia Ecclesias impulerit, non est in obscuro. Esurialis fuere, quod quartâ feriâ de prodendo Domino pactum cum Judæis perfidum, à Juda initum fuisse, sibi persuaserant, sextâ verò in crucem Servator actus fuerat, quos dies mœrori addicendos esse voluerunt. Hanc illorum jejuniorum rationem afferunt Constitutiones, quæ vindicantur Apostolis: *Jejunia verò vestra, ne sint cum hypocritis communia. Jejunant enim secundâ hebdomadis feriâ, & quintâ. At vos quinque diebus jejunate, aut quartâ & sextâ feriâ. Quoniam quartâ quidem judicium in Dominum pronunciatum est, postquam Judas proditionem pecuniâ promiserat. Sextâ verò mortem in cruce sub Pontio Pilato passus est.* Paria ferè ac gemina scribit Epiphanius: *Quartâ sextâque feriâ, jejunium ad horam usque nonam indictum, propterea quòd quartâ feriâ comprehensus est Dominus, & sextâ in crucem sublatus.* Errante tamen calamo scripsit optimus ille pater, quòd feriâ quartâ Dominus captus fuerit, quod quintâ contigisse, sacris ex monumentis certum exploratumque est. Ne nostra prolixior sit oratio, inspiciantur, & Petri Alexandrini Canon XV. & Augustini ad Casulanum Epistola 86. in quibus eadem ratio redditur disciplinæ esurialis, quæ quartâ sextâque feriâ colebatur. Hos *stationum*, sive *minorum jejuniorum* dies, ab ipsis Apostolis ortum habuisse, post Baronium Clarissimus opinatur Beveregius Vindiciarum lib. 3. c. 10. Cui sententiæ præsidium ex Herma quærit, libro qui ex omnium consensu est antiquissimus: *Cum jejunarem, & sederem in monte quodam, & gratias agerem Deo, pro omnibus quæ fecerat mecum, video Pastorem illum sedentem juxta me,*

Strom. l. 7. 534.

Tert. de Jej. c. 14.

Const. l. 7. c. 24.

Epiph. Expos. n. 22.

Past. l. 3. Simil. v.

ac

ac dicentem mihi, Quid tam mane huc venisti? Respondi, Quoniam, Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi jejunium. Et dixit, Quid est illud jejunium? Sicut solebam, inquam, sic jejuno. Hâc tamen ratione noster nondum persuasus est animus, feriæ IV. & VI. jejunium *Apostolicam sibi traditionem meritò vindicare posse.* Nullum ea de re in scriptis Apostolicis reperimus, sive præceptum sive vestigium. Nullum quoque Justini in Apologia, quæ fuse Christianorum disciplinam exequitur. Quin etiam ex Tertulliano ducitur argumentum, quo ab Apostolis ea traditio meritò abjudicatur. Quippe Synaxim etiam Ecclesiæ, cum publico jejunio mandassent. Neque patitur ulla ratio, indictum Christianis omnibus fuisse diei alicujus jejunium, quod privatim à unoquoque sua in familia perageretur. Itaque Epiphanius IV. & VI. feriæ, & jejunia & synaxes tribuit Apostolis: *Sacri porro conventus & synaxes ab Apostolis instituti sunt, his potissimum diebus, quartâ sextâque feriâ & Dominicâ. Item quartâ sextâque feriâ jejunium ad horam usque nonam indictum, propterea quòd quartâ feria comprehensus est Dominus, & sextâ in crucem sublatus. Ideò per illos dies jejunandum esse, decreverunt Apostoli.* Jam verò ex Tertulliano liquet, stationibus IV. & sextæ feriæ, publicas synaxes non fuisse: *Similiter*, inquit, *& stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quòd statio solvenda sit, accepto corpore Domini.* Neque igitur præscriptum ab Apostolis IV. & VI. feriæ jejunium. Quam & Ecclesiæ sententiam olim fuisse, docet Tertullianus, qui Christianorum nomine, quos odiose *Psychicos* vocat, talia fatur: *Proinde nec stationem, quæ & ipsa suos quidem dies habeant, quarta feria & sexta: passivè tamen currant, neque sub lege præcepti.* S. Fulgentii vita, *per singulas*, inquit, *septimanas omnes Clericos ac viduas & quicunque potuisset ex Laicis quartâ & sextâ feriâ statuit jejunare.* Cùm ergo non instituto aliquo, aut more, aut lege divinâ ea disciplina constituta sit, intelligi necesse est, ex re nulla alia, quàm privata observatione nasci potuisse, quæ suis progressionibus aucta, opplevit Ecclesias. Hermas quidem, qui primus *stationis* meminit, privatam à se non publicam ab Ecclesia, sive Mercurii, sive Veneris die celebratam esse docuit.

Epiph. Exp. n. 22.

Tertul. de Orat. c. 14.

Tertul. de Jejun. c. 2

Vit. Fulg. c. 29 t. 9. M. B. P.

Unde ortum stationis vocabulum?

IV. De *stationibus*, quorum usus est antiquissimus, dicturis, nobis & vocis origo est observanda. Militare norunt esse vocabulum, quo & locus, & excubandi functio, & ipsa militum manus significatur. Virgilio statio locus est:

Æn. 9.

Vigiles simul excitat, illi
Succedunt servantque vices statione relictâ,
Ipse comes Niso graditur.

Pro militibus excubias agentibus, Livio sumitur: *Consules præsidium & ipsum pro statione habituri erant. Suam tamen alteram stationem, propius contra castra, sexcentorum equitum posuerunt.* Hinc stationis nomen in Ecclesiam derivatum: *Si statio de militari exemplo nomen accipit, nam & militia Dei sumus, utique nulla lætitia, sive tristitia obveniens castris, stationes militum rescindit.* Hoc nominis Patribus multa significat. Apud Cyprianum *statio* conventus est Fidelium: *Qui cum in statione, invidiosis quoque conviciis & clamoribus turbulentis ruerent.* Quæ ad ipsum quoque congregationis diem, extendi Petavio placuit Animadversionum in Epiph. p. 387. De die tamen phrasis videtur esse paulò durior. Jejunantium conventus, *statio* Tertulliano dici videtur: *Jam & stationes, aut alii magis faciet, quam Christo, aut Dominico die, quando nec Christo.* Statio standi actus est, cum ciborum abstinentia conjunctus, quia diem Dominicam, quæ ob Christi resurrectionem hilaris erat, nefas fuit deflorare jejunio. Ab Hebræorum lingua stationem præstantissimus Dailleus deducit, quòd מעמד *statio, Hebræis sit oratio.* Vix putamus tamen quòd Patres, quibus familiarissimum *stationis* vocabulum, Hebræam linguam sibi incognitam attenderint. Aliud sanè *statio*, aliud *oratio*, quæ non rarò disjuncta fuere, cùm nempe preces diebus hilaribus fundebantur. Placet magis Etymologia Tertulliani: *Statio de militari exemplo nomen accipit*, itaque Latinæ est, non Hebraicæ originis.

Liv. l. 38.

Tertul. de Orat. c. 14.

Cypr. Ep. 21. 1.

Tertul. de Cor. c. 10.

Daill. de Jej. l. 4. cap. 5.

Quid statio? Num stationibus perpetuò dicati dies Mercurii & Veneris?

V. Onuphrius libello de stationibus, stantium nunc in hac, nunc in alia Basilica orationes esse docuit: *Quamobrem*, inquit, *precationes illæ stationes vocantur.* Quæ sententia à vero longissimè abest. Impugnetur à Tertulliano: *Hæc erit statio sera, quæ ad vesperam jejunans, pinguiorem orationem Deo immolat.* Immolatne orationem oratio? Alia igitur *oratio*, alia *statio* est. Itaque nullæ Tertulliano stationes die Dominicâ, quod & rectè observatum Bellarmino de bonis operibus l. 2. c. 22. Expressa sunt verba Septimii: *Jam & stationes aut alii magis faciet quàm Christo, aut die Dominico, quando nec Christo.* Non minus totâ erravit viâ Bellarminus, qui stationes sic describit: *Statio nihil aliud erat nisi vigilia diurna, tempore solemnis jejunii.* Somniantis quidem nugæ sunt, *vigilia diurna*, cùm noctu semper, interdiu nunquam, pervigilia agitarentur:

Tert. de Jejun. c. 11.

Tertul. de Or. c. 10.

Attenuant juvenum vigilata corpora noctes
Curaque, & immenso qui fit amore dolor.

Ovid. l. 1. de Art.

Mens & eadem est Autoribus Ecclesiasticis. De Vigilia Paschæ Lactantius: *Hæc est nox, quæ nobis propter adventum Regis ac Dei nostri pervigilio celebratur, cujus noctis duplex ratio est, quod in ea, & vitam tum recepit cum passus est, & posteà orbis terræ regnum recepturus est.* Videatur & Isidorus de Officiis Ecclesiasticis l. 2. c. 22. Baronio stationes describuntur *jejunia*, anno 57. n. 99. Quæ definitio manca est, nec suis numeris absoluta. Aliquid sanè discriminis esse, stationem inter & jejunium, argumento est & vocabulorum varietas, & descriptio Tertulliani: *Cur stationibus*, inquit, *quartam & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis parasceven?* Parasceven autem, id est, Sanctum Veneris diem, *stationibus* dicatum, nec dixit, nec dicere potuit, ob stationis & jejunii differentiam, quam ipse exhibet de jejuniis c. 13. *Convenire vos & præter Pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est Sponsus, & stationum semijejunia interponentes.* Sit ergo statio jejunium, quo nomine & à Herma affectum esse audivimus, atque Clemente, sed jejunium minus, & mutilum, quod ad tertiam usque horam pomeridianam extendebatur. Quo tempore & celebrabatur, & sumebatur Eucharistia. Jejunium verò dies erat perfectæ, confertæ, plenæque abstinentiæ, quæ non ante vesperam solvebatur. Itaque Epiphanius: *Quartâ*, inquit, *sextâque feriâ, jejunium ad horam usque nonam indictum.* Hæc statio est, cujus

Lact. l. 7. cap. 19.

Tert. de Jejun. cap. 14.

ANNO DOM. 207.

cujus mentio in Actis Fructuosi : *In carcere quartâ feriâ stationem solemniter celebraverant.* Itaque non audiendus Rabanus de discrimine stationis & jejunii : *Discreverunt autem quidem inter jejunium, & stationem. Nam jejunium indifferenter cujuslibet diei est abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio observatio statorum dierum & temporum.* Has stationes cum ad vesperam usque produceret Montani familia, novitatis ab Ecclesia postulabatur : *Arguunt nos quòd jejunia propria custodiamus, quòd stationes plerumque in vesperam producamus.* Et capite decimo : *Æque stationes nostras, ut indignas, quasdam verò in serum constitutas novitatis nomine incusant, hoc quoque munus, ex arbitrio obeundum esse dicentes, & non ultra nonam detinendum, de suo scilicet more.* Est & aliud jejunium inter & stationem differentia. Solemni quippe jejunio non consecrabatur Eucharistia, cujus distributio semper erat cum osculo conjuncta : *Die Pascha, quo communis & quasi publica jejunii religio, meritò deponimus osculum, nihil curantes de osculando, quod cum omnibus faciamus.* At stationum dies non erant alitrugici. Hoc vincit egregius Tertulliani locus : *Similiter de stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini.* Illud etiam demonstrat Basilii ad Cæsariam Epistola : *Nos quater in hebdomada communicamus Dominicâ, feriâ IV. Parasceve, Sabbato. Sed & diebus ceteris, in quos memoria Martyris alicujus incidit.* Matisconenses etiam de Missis IV. & VI. feriâ celebratis commemorant. Attamen apud Ecclesiam Romanam, feriâ sextâ atque septimâ, *Sacramenta penitùs non celebrabantur*, docente ad Decentium Innocentio c. 4. Denique illud de quartæ, sextæque feriæ stationibus est observandum, non quibuslibet hebdomadibus fuisse agitatas, etsi Baronius aliique eruditi nobis in ea re adversentur. Etenim dies qui Paschatis & Pentecostes terminis circumscribebantur, eximebantur omni jejunio. Testis Tertullianus : *Cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? Cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus.* Dies autem exultationis, jejuniorum sunt nescii. Neque etiam à die Paschæ ad Pentecosten usque, *de geniculis adorabant*, quod signum lætitiæ cum jejunio, doloris argumento, conjungi non potest. Nil rationibus opus, cùm veritas Epiphanii testimonio comperta habeatur : *Porro istiusmodi jejunium, toto anno in Ecclesia Catholica diligenter observatur, quartâ, ut dixi, sextâque feriâ, ad horam usque nonam, exceptis quinquaginta Pentecostes diebus, quibus neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur.* Nonnullis tamen Ecclesiis aliud moris fuit. Verba sunt Philastrii : *Jejunandum est in ascensione ejusdem in cœlum, post Pascha de Quadragesimo, inde usque ad Pentecostem diebus decem. Id quod postea fecerunt Apostoli, post ascensionem jejuniis & orationibus insistentes.* Intereà à Paschate ad usque Ascensionem, nulla dies sive jejuniis, sive stationibus addicebatur. Feriam sanè sextam perpetuò esurialem non fuisse, verba declarant Isidori : *Omni v. feriâ propter passionem Domini, à quibusdam jejunatur.* Paucorum igitur erat ea disciplina, quæ omnes Veneris dies dicabat abstinentiæ ciborum.

Raban. de Inst. Cler. l. 2. c. 18. — *Tert. de Jejun. c. 1.* — *Tert. de Orat. c. 14.* — *Synod. Mat. c. 6.* — *Tert. de Jejun. c. 14.* — *Epiph. Exp. n. 22.* — *Philastr. de Hæres. c. 97.* — *Isidor. de Off. l. 1. c. 42.*

Jejunium S. Veneris. Quid Parasceve apud Tertullianum?

VI. Inter dies Veneris, unus erat qui majori religione colebatur, de quo Tertullianus : *Cur stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis parasceven?* Quem ad scopulum eruditi complures navem suam alliserunt. Parasceve feria est septima, Onuphrio atque Pamelio, *utpote qua sit Parasceve Dominica, sicut olim feria sexta apud Judæos fuit Parasceve ante Sabbatum.* Portentum explicationis, quippe certo certius est, *Parasceve* vocabulo feriam septimam à Patribus nunquam fuisse designatam. Id nominis induit dies Veneris appellatione, quæ ex Scriptura ortum habuit : *Porro dies erat Parasceve.* Sexta scilicet feria, quâ omnia parabantur à Judæis, quæ cibo erant, die Sabbati. Neque ignotum Ethnicis vocabulum, quod à Cæsare Augusto adhibitum fuisse legimus, in decreto de Judæis non cogendis : *Ad præstanda vadimonia Sabbatis, aut pridie Sabbatorum, post horam nonam in Parasceve.* Eodem quoque sensu Parasceven usurpavit Ecclesia. Canon Apostolicus LXIX. Clericum deponit, qui *Parasceven non jejunat.* Basilius Epistolâ 299. ad Cæsariam, synaxeon meminit, quæ *in Parasceve & Sabbato* peragebantur. Constitutiones Apost. l. 5. c. 14. *Quartâ verò feriâ, & Parasceve, jussit nos jejunare, illâ quidem propter proditionem, hâc verò propter passionem.* Atqui septimâ feriâ in crucem Dominus actus non fuit. Neque alia mens est Petro Alex. Canone XV. aut Hieronymo ad Galatas, capite quarto, quibus *Parasceve* diem Veneris designat. Id ipsum sibi vult & Tertullianus, cujus ævo unum solum Sabbatum quotannis esuriale fuit : *Quanquam*, inquit, *vos etiam Sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum secundum rationem alibi redditam.* Scilicet quòd in Evangelio, *dies jejuniis determinatos* Christiani putabant, *In quibus est ablatus sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum*, c. 2. Porro etsi Parasceve sit dies Veneris, illum tamen à sexta feria apertissimè distinguit Septimius, quia quotannis unus fuit, qui longè majori religione colebatur. Alii stationibus, sive *semijejuniis* consecrabantur, hic verò pleno perfectoque jejunio ad vesperam usque producto dicabatur. Dies autem ille is est, qui Christo fatalis, κατ' ἐξοχήν, *Parasceve* Tertulliano nuncupatur; oratione ut videtur, ex Evangeliis desumpta, in quibus feria sexta, quâ Servator mortem obiit, plus semel *Parasceve* nomen habet. Tertulliani phrasim imitatus Isidorus, hoc scriptum reliquit : *Parasceve, id est, sexta Sabbati, ideò in solemnitate habetur, quia in eo die Christus mysterium crucis explevit.* Hic est & ille dies, cui *dies Pascha*, nomen imponit Tertullianus : *Sic & die Pascha, quo communis & quasi publica jejunii religio est, meritò deponimus osculum.* Neque expolita est N. Alexandri explicatio, scribentis : *Nomine Paschatis, significasse Tertullianum, totum illud quadraginta dierum intervallum, quod ante Pascha decurrit.* Non in absurdum quidem incideret interpretatio de antepaschali jejunio, si simpliciter dictum à Tertulliano fuisset, *Pascha, quâ communis jejunii religio*, aut *diebus Paschæ*, quæ Constitutionum phrasis est libro v. c. 17. Illud verò non absonum esse non potest, quod *die Pascha* Quadragesima significetur. Quasi verò *uno die* Tertullianus *quadraginta dies* designasset. Quid nodos in scirpo quærimus? Dies Paschæ, & Parasceve apud Tertullianum, Sancta dies Veneris est, quæ propius festum resurrectionis attingit. Est enim Pascha σωτήριον & ἀναστάσιμον.

Tert. de Jejun. c. 14. — *Luc. 23.* — *Joseph. l. 16. c. 10.* — *Tert. de Jejun. c. 14.* — *Isidor. de Off. l. 1. cap. 259.* — *Tertul. de Orat. c. 14.* — *N. Alex. 2. Sec. Diss. 4. p. 240.*

Pascha crucifixionis innuunt hæc Tertulliani, *die Paschæ, quo communis jejunii religio est.* Quomodo hanc quoque vocem usurpasse videtur Hieronymus de Fabiola, *ante diem Paschæ, in Basilica quondam Laterani.* Nempe feria v. Romæ pœnitentes reconciliabantur. Pascha verò resurrectionis, indicat Tertullianus de Corona, immunitate de geniculis adorandi *à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* Habemus ergo majoris hebdomadæ feriam sextam jejunio pleno dicatam. Num Apostolicâ institutione? Non credimus. Id jejunii debetur potius consuetudini, ea privatorum pietate ortæ. Itaque non dicit Tertullianus, *quo publica jejunii est*, dixit *quasi publica*, quia nonnullorum disciplina, ejusmodi religione libera fuit, quam non statuerat Apostolorum præscriptio, eoque ad arbitrium suscepta erat ea jejunandi devotio. Quibus verò admitti placuit, illi ad vesperam usque ciborum omnium abstinentiam præstabant, non verò *stationem*, quæ aliorum dierum fuit. Hæc est mens Tertulliani, cujus in explicatione Petavio aqua hæsit. Feriæ IV. statim post stationis exitum, horamque nonam, jejunium solvere licitum fuisse, sexta verò expleto stationibus tempore, *non statim fas esse vesci, sed ad vesperam tantum*, contendit vir ille doctissimus, Animadvers. in Epiph. 358. Non videmus tamen quid ineptius fingi possit. Quippe non *stationibus*, quod disertè dicit Tertullianus, sed *jejuniis*, quod expressè negat, feria sexta consecrata fuisset. Jejunium sanè ad vesperam usque productum, neque statio est, neque appellari potest, utpote quæ ad solam nonam usque prorogaretur. Itaque & sibi, & Tertulliano laqueos injicit. Nos ex angustiis *Septimium* liberamus, adhibitâ distinctione Parasceves, communis scilicet, & solemnis. Communis semijejuniis dicabatur, solemnis pleno jejunio nobilior fuit. Quod & observarunt viri de antiquitate benè meriti, Rigaltius atque Priorius.

De Sabbati jejunio.

VII. Quoniam hic jejuniorum materia tractatur, attingatur & septimæ feriæ jejunium. Diem septimum, quo Christus jacuit in sepulchro, honori habitum, & abstinentiæ dicatum fuisse, nos monuit Tertullianus: *Quanquam vos etiam Sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum, secundum rationem alibi redditam.* Sabbati hæc continuatio semel olim quotannis fiebat, dum monumenta mortis Dominicæ commemorabantur in jejuniis majoris hebdomadæ, qui *dies Pascha* dicebantur. Ab uno Sabbato si discesserimus, trecentis annis jejunii VII. feriæ, neque vola est, neque vestigium, ne vel apud Romanam Ecclesiam. Nam si quæ varietas fuisset, eam nunquam Tertullianus omisisset, utpote quæ causæ suæ maximè faciebat, ut sapienter observat Albaspinæus l. 1. c. 13. Quin læti quidem fuerint dies Sabbati, poni non potest in dubio: *Sabbatum & Dominicum festos dies agitate, quod ille quidem dies recordatio sit fabricationis mundi, hic verò resurrectionis. Unum verò tantum Sabbatum toto anno nobis observandum est, Sabbatum scilicet sepulturæ Christi, quo quidem jejunare deceat.* Imò non verbis, sed fulminibus Sabbati jejunium Pseud-Ignatius, Apostolicique Canones jaculantur: *Si quis Clericus deprehendatur, die Dominicâ jejunans, vel Sabbato, præter unum solum deponatur.* Pseud-Ignatius verò Sabbati jejunatorem pro *Christi interfectore* habet, in Epistola ad Philippenses. Cui severitati ansam præbuisse videtur Marcionis disciplina, quæ septimæ feriæ jejunio infamis fuit: *Sabbato autem, hanc ob causam instituunt jejunium. Cùm enim, ait, Judæorum Dei, qui hunc mundum fabricavit, illa sit requies, cùm die septimâ requieverit, eâdem nos jejunare instituimus, ne Judæorum Dei ritibus uti videamur.* Quibus probabilissima duci conjectura potest, secundo seculo Ecclesiam Romanam Sabbatici jejunii fuisse peregrinam. Quippe Marcio in urbe familiam habuit impulsque minis stetit, quas in hanc Ecclesiam effuderat: *Ecclesiam vestram ego dissociabo, in eamque schisma perpetuum immittam.* Hinc in promptu est, quàm deliret Baronianum acumen, de discrimine Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ, circa Sabbati jejunium. Quasi in *sugillationem* Basilidis, Saturnini, Marcionis, Ecclesia Orientalis diem Sabbati feriasset, dum Occidentalis jejunabat. Atqui causa hæc *feriandi* Sabbatum, perinde Romanis communis esse debuit, atque Orientalibus, quia Marcio familiam in urbe habuit. Prima Sabbatici jejunii monumenta anno 305. exhibent Elibertani Patres c. 26. *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die, jejunii superpositionem celebremus.* Quam si & disciplinam sibi adoptavit Ecclesia Romana, Romanæ quidem & Hispanicæ Ecclesiæ hoc fuisse jejunium, testatur Hieronymus ad Lucinium: *De Sabbato quod quæris, utrùm jejunandum sit, & de Eucharistia, num accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia, & Hispana observare perhibentur, scripsit quidem & Hippolytus, vir disertissimus* &c. Non omnia tamen Sabbata, quæ anni curriculo includebantur, Romanis erant esurialia. Eximebantur jejuniis illa omnia quæ à Paschate ad Pentecostem currebant, uti mox probatum ibimus. Quæ Elibertanis disciplina etiam placuisse videtur. Quandonam verò Romæ observari cœptum Sabbatorum jejunium, quæstio est inter eruditos. Falsissimam eam putamus traditionem, cujus Augustinus Epistolæ ad Casulanum LXXXVI. & Cassianus lib. 3. c. 10. meminere: *Apostolum Petrum in eodem die, contra Symonem conflictaturum, asserunt jejunasse.* Quam plurimorum opinionem perhibebant *esse falsam, plerique Romani.* Vero propius est, sedente Sylvestro, Romanos hunc sibi ritum ascivisse, quod nos & monuit Nicolaus Papa primus Epistolâ LXX. ad Gallicanos: *De jejunio Sabbati tempore S. Sylvestri Confessoris Christi satis discussum est, atque disputatum, atque ut celebraretur per omnia definitum, nullusque post hac ausu temerario contra istud statutum venire, aut saltem mutire præsumpsit.* Quam ad ceremoniam usurpandam Romani moveri potuerunt recenti Elibertanæ Synodi decreto. Hanc tamen conjecturam impugnant Quesnellus & N. Alexander. Quia *Augustinum, Innocentius, Cassianus, qui de Sabbati jejunio, Romana in Ecclesia observari solito, scripserunt, Silvestri decretum laudassent.* Nil tamen in hac objectione virium. Autorem mutatæ disciplinæ ignoratum à Cassiano & Augustino, quid miri? Nescivisse quidem, ex eorum verbis apertè liquet. Innocentius verò de autore mutationis, cujus tamen constat aliquem fuisse, ne verbulum ullum habet. Expatiatur in causas susceptæ consuetudinis: *Nam si diem Dominicum, ob venerabilem resurrectionem Domini nostri J. Christi, non solùm Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequen-*

De Jejun. c. 14.

Constit. Ap. l. 7. c. 24.

Can. Apost. 66.

Epiph. h. 42. n. 2.

Bar. An. 57. n. 202.

Hieron. Ep. 28.

N. Alex. sec. 2. diss. 4. 309.

Innoc. Epist. 11. c. 4.

ANNO DOM. 207.

frequentamus. Ac si sextâ feriâ, propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus. . . Quòd si putant semel atque uno Sabbato jejunandum, ergo & Dominicâ, & sextâ feriâ semel in Pascha erit utique celebrandum. . . Non ergo nos negamus sextâ feriâ jejunandum, sed dicimus & Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, & his qui Christum secuti sunt, indixerunt. Cujus observationis principium nullum, non Apostolicam traditionem, non Petrum laudat Innocentius. Illud quidem constat, paucarum olim Ecclesiarum fuisse Sabbati jejunium. Augustino ad Casulanum scribenti præbeantur aures: *Quis ferat per omnes Orientales, & multos etiam Occidentales populos Christianos, de tot tantisque famulis famulabusque Christi, Sabbato sobrio modestèque prandentibus, ab isto dici, quòd in carne sint, & Deo placere non possint?* Superius diaerat Urbicum, *Toto orbe diffusam, exceptis Romanis, & adhùc paucis Occidentalibus apertissimè blasphemasse Ecclesiam.* Romanam sanè disciplinam non amplexi sunt Mediolanenses, non Ambrosius, non Orientales, qui sextâ Synodo in Ecclesiam Rom. involarunt: *Quoniam intelleximus in Romana civitate, in Sanctis Quadragesima jejuniis, in ejus Sabbatis jejunare, præter Ecclesiasticam traditam consuetudinem, Sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia, inconcussè vires habeat Canon qui dicit, Sic quis Clericus inventus fuerit in Sancta Dominica & Sabbato jejunare, præter unum & solum deponatur, sin autem Laicus segregetur.*

Synod. Const. c. 55.

Non ubique observatum Sabbati jejunium in Latina Ecclesia.

VIII. Cæterùm an omnia anni Sabbata, jejuniis Occidentis Ecclesiæ dicarint, est paulò accuratius examinandum. Non ubique locorum Ecclesia Latina Sabbata jejuniis destinabat. Prandebant omnes cunctis Sabbatis, quæ Pentecostes festo includebantur. Hinc apud Cassianum, Germani hæc interrogatio: *Quare totâ Quinquagesimâ, abstinentiæ rigorem prandiis relaxamus.* Respondet Theonas: *Cujus festivitatis traditio, per Apostolicos viros ad nos usque transmissa, eodem tenore servanda est. Ideò namque in istis diebus, nec genua in oratione curvantur, quia inflexio genuum velut pœnitentiæ ac luctus indicium est. Unde etiam per omnia eandem in illis solemnitatem, quam die Dominicâ custodimus, in qua majores nostri, nec jejunium agendum, nec genu esse flectendum, ob reverentiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt.* Ad hanc quoque consuetudinem Romana accedebat Ecclesia, cujus Pontifex Leo M. hæc habet sermone 4. de jejunio Pentecostes: *Ad hanc ergo utilitatem nos præsens tempus invitat, ut à resurrectione Domini, usque ad adventum Spiritus Sancti, quinquaginta diebus emensis, quos in lætitia præcipuè festivitatis exegimus, ad jejuniorum remedia recurramus.* In Gallia Sabbata omnia, præter Quadragesimalia, fuere olim jejunii expertia. Id probat Agathensis Canon, anno DVI. conditus: *Ut omnes Ecclesiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbati, Sacerdotali ordinatione, & districtionis comminatione jejunent.* Cur solius Quadragesimæ meminere Agathenses, si omnia per anni circuitum, Sabbata prandii expertia forent? Extat etiam insignis ea de re locus apud Gregorium, in sua Francorum Historia: Perpetuus *instituit jejunia, vigiliasque, qualiter per circulum anni observarentur, quod hodie apud nos tenetur scriptum, quorum ordo hic est, De jejuniis. Post Quinquagesimam, quarta & sexta feria usque ad Natale S. Joannis. De Calendis Octobris usque ad depositionem Domini Martini, bina in Septimana jejunia. A depositione Domini Martini usque ad Natale Domini, terna in Septimana jejunia. De Natali S. Hilarii usque medium Februarium, bina in Septimana jejunia.* Quæcunque igitur hebdomadæ binis jejuniis gaudebant, esurialis Sabbati expertes egere, secus terno jejunio floruissent, diebus scilicet Mercurii, Veneris, atque Sabbati. Neque tamen terna illa jejunia, quæ à depositione Martini, ad usque Natale Dominicum, quàvis hebdomade celebrabantur, septimam feriam includebant, ut ex Matisconensis Concilii primi Canone VI. liquidò constat: *Ut à feria Sancti Martini usque ad Natale Domini, secunda, & quarta, & sexta Sabbati jejunetur, & sacrificia, quadragesimali ordine debeant celebrari.* Septimam sanè feriam Matisconenses non præteriissent, si jejuniis consecrata fuisset. Vulgò creditur Gregorium Papam VII. perpetuam carnium abstinentiam, omnibus qui corpore valebant, Sabbatorum curriculis indixisse. Nec diu multumque lex ea viguit. Itaque Avenionense Concilium, anno 1270. solis Clericis carnium abstinentiam imperavit, verbis ejusmodi: *Statuimus quod Clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, ab indè in anteà, semper in diebus Sabbatis, pro honore Beatæ Mariæ carnibus abstineant, nisi ex causa necessitatis, de qua comedentis conscientia relinquatur, vel nisi festum Natalis Domini in die Sabbati contigerit evenire.* Seculo XV. è tenebris in lucem revocatum Gregorianum decretum, esurialia Clericis, Laicisque, vincula injecit, ut prorsus à carnibus abstinerent.

Agat. c. XII.

Greg. h. Franc. l. 10. c. 31.

ANNO U. C. 961. PER. JUL. 4921. JUL. 253. DOM. 208. SEVERI 15. & 16. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 19. *Indict.* 1. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 5. & 6. P. 24. *Apr.* ANNO DOM. 208.

COSS. *M. Ant. Caracalla Aug. III. & P. Septimius Geta Cæsar II.*

Geta creatur Augustus.

I. BArbarorum seditiones in Britannia agitantium motus, lætus acceperat Severus, novæ gloriæ cupidus. Itaque expeditionem in Britanniam edicit, Getâ Augusto prius creato. Hæc est triplex illa imperii virtus, cujus meminit Tertullianus, libro de Pallio. Extat Getæ nummus, quo sciri potest, præsente anno dignitate Augusteâ à Patre indutum fuisse: *Imp. Cæs. P. Sept. Geta. Pius. Aug. Pontif. Trib. P. II. Cos. II. desig. III. P. P. S. C.* qui anno sequente cusus est. Jam ab anno Dom. CCIV. Augustum audiisse Getam, creditum Scaligero, cujus Chronologia in nummo collocatur: *Imper. Cæs. P. Sept. Geta. Pius. Aug. sæcularia sacra. S. C.* Ludi verò seculares à Severo celebrati sunt anno CCIV. Qui nummus si verus est, dicendum cum Pagio, quæ ad gloriam Cæsarum conferebant, fuisse in Decennalibus renovara. Anno quidem Christi CCIV. Geta Cæsar nondum Consul processerat. Quòd si tum temporis Augustus creatus est, secunda Tribunitia Potestas ejus, cum Consulatu suo secundo copulari non posset, quinta nimirum in cursu fuisset. Neque errorem effugit omnem vir eximius, dum verba hæc Dionis de Plautiano, *Cur palles? Tu quidem certè plus quàm tres viri possides*, triplici potestati, cujus meminit Tertullianus, accommodat. Triplex enim illa potestas, tres *Augustos* designat. Quam

 vivente

vivente Plautiano dignitatem Geta nondum adeptus fuerat.

Severus Britanniam ingreditur. Mores Britannorum.

II. Severus jam senex, jam articulari morbo laborans, ingressus lecticâ, & spe omni celerius enavigato Oceano, Britonniam ingreditur. Britannorum duæ sunt nationes amplissimæ, Caledonii, & Meatæ, ad quos cæteri referuntur. Habitabant Meatæ, juxta murum, qui duas in partes insulam dividit. Caledonii post illos sunt. Incolunt utrique montes asperos, & inaquosos, & campos desertos, & plenos paludibus. Non habent castella, non oppida, non agrorum culturam, sed è pastura & venatione, fructibusque nonnullarum arborum victitant. Pisces quorum magna est ibi copia, non gustant. Degunt in tentoriis nudi, & sine calceis. Utuntur promiscuis uxoribus, & quidquid eis nascitur alunt. Statu populari ut plurimum reguntur. Arma sunt scutum, & hasta brevis, in cujus inferiore parte pomum est ex ære, ut dum concutitur, hostes sonitu perterrefaciant. Mersi in paludibus capite tenus, inediam diu sustinent. In sylvis, corticibus & radicibus aluntur. Certum cibi genus parant ad omnia, quem si cœperint, quanta est unius fabæ magnitudo, non esuriunt aut sitiunt. Notant corpora picturâ variâ, & formis animalium: quocirca non induuntur, ne picturas ejusmodi operiant. Repentino Severi adventu territi, Legatos ad eum mittunt, sui expurgandi causâ, quos re infectâ domum dimisit, Britannici cognominis cupidus. Ubi prompta sibi esse ac parata omnia intellexit, quæ bello erant necessaria, Getam in parte Insulæ Romanis subjecta reliquit, ut juri dicundo præesset, Antonio secum adversus Barbaros educto.

Dio l. 76. 868.

Herodian. l. 3.

Diadumeni ortus.

III. Septembris XIX. natus est Diadumenus, Opelii Macrini filius, qui post Bassianum imperio potitus est: *Natus est præterea natali Antonini, & eâ horâ, & signis prope concinentibus, quibus & Antoninus Pius.* Extat Macrini Epistola, quâ gloriatur non tam se ad imperium pervenisse, quàm quòd Antoniani nominis esset pater factus: *Opilius Macrinus, Nonia Celsa conjugi, Antonini pater factus sum, Antonini mater es facta.* Die quâ natus est, mulier exclamavit, *Antoninus vocetur.* Sed Macrinus abstinuit nomine imperatorio. Cùm in cunis esset Diadumenus, leo ferus, ruptis vinculis ad illum veniens, puerum delinuit & inviolatum reliquit, cùm nutrix ejus morsu violata periisset. Puer fuit omnium speciosissimus, staturâ longiusculâ, crine flavo, nigris oculis.

Capit. Diad. c. 5. & 7.

Synaxes, num communicationem Eucharistiæ significent?

IV. Stationum diebus sumptam fuisse Eucharistiam, ex Tertulliano observavimus, cùm in plenis jejuniis, ubi deponebatur osculum, sacramenta non consecrarentur priscis seculis. Hinc doctis quæsitum, num Mercurii, Venerisque dies, quibus & synaxes, & stationes celebrabantur, expertes fuerint Eucharistiæ? Et quid tandem rei sint *synaxes*, quarum mentio est apud Epiphanium? *Sacri porro conventus, & synaxes, ab Apostolis instituta sunt, his potissimum diebus, quarta sextaque feria, & Dominica.* Synaxin cum sacramento conjunctam esse, sibi in mentem induxit Baronius, anno LVII. n. 157. Quod tamen neque ex vi verbi σύναξις, neque ex conventuum Christianorum natura, atque consuetudine deduci potest, cùm cœtus benè multi, synaxeon nomen à Patribus acceperint, in quibus Eucharistia non sumebatur. Athanasius: *Nec tamen celebrata sunt à nobis Encænia, sed tantummodò synaxis precationum habita.* Autor libri de Virginitate apud Athanasium pag. 1051. *Post tertiam synaxes confuses, quoniam eâ horâ defixus est in ligno crucis Christus omnium vita.* Sextâ magnæ hebdomadæ feriâ, synaxes peragebantur, in quibus ævo Tertulliani omissa celebratio Eucharistiæ. Neque etiam in Ecclesia Rom. feriæ sextæ, & septimæ collectis, ulla sacramenti consecratio, teste Innocentii ad Decentium Epistolâ. Itaque *synaxis* collecta est Fidelium, sive experta foret Eucharistiæ, sive cum sacramento copularetur. Cyrillus Hierosl. *nobis in synaxi differentibus.* Socrates de rituum apud Ecclesias varietate: *In collectis verò, non minor diversitas.* Id sanè fatetur Petavius, *Vetustissimos Christianorum in synaxibus suis, non perpetuò communicasse.* Non ideò tamen inficias ire debemus, quod negat Frontoducæus, notatum in Chrysostomi l. 2. adversus Judæos paginâ 76. ipsam Eucharistiæ celebrationem quandoque synaxin dici, cùm ejus rei extent apud Dionysium testimonia: *Consideremus ipsam hujus sacramenti consecrationem, quomodo videlicet mysterium synaxeos celebrent, τὸ μυστήριον τῆς συνάξεως.* Neque semel ab eo Autore id nominis Eucharistiæ inditum est. Anastasius Sinaita egregiam de *Sancta Synaxi*, id est, Eucharistia, orationem edidit. Quam & Aquinas appellationem usurpat: *Eucharistia nominatur communio, vel synaxis.*

Ep ph. Exp. n. 22.

Ath. Apol. c. 1. 683.

Cyr. Catec. 1. 88.

Socr. l. 5. c. 22.

Petav. animad. in Epiph. 353.

Dionys. Hier. Eccl. c. 3. 266.

Thom. 3. P. Q. 73. a. 4.

An Cypriorum Synaxes expertes Eucharistiæ?

V. Porro dubitant Casaubonus, atque Petavius, utrùm aliturgicæ necne fuerint synaxes, apud Epiphanium. Ille Exerc. XVI. n. 42. Hic Animadversionibus p. 350. Nobis verò probabilius est, in Cypro, Synaxes IV. & VI. feriæ, fuisse cum Eucharistia conjunctas. Cùm enim perpetui moris esset, die Dominico Eucharistiam celebrare, uti liquet ex Justini Apologia, Chrysostomo in Acta homil. 18. Augustino Epistolâ 118. synaxis & hujus diei, apud Epiphanium, à sacramento corporis Domini sejuncta non fuit. Quo concesso, quartæ sextæque feriæ synaxes, consequens est & ab Eucharistia non fuisse divulsas; cùm in uno eodemque loco, idem vocabulum eandem & significationem inducere sit consentaneum: *Synaxes*, inquit, *ab Apostolis instituta sunt, his potissimum diebus, IV. & VI. feriâ, & Dominicâ.* Atqui non aliturgicæ fuere diei Dominicæ collectæ, neque igitur & synaxes quartæ & sextæ feriæ. Præterea cum IV. & VI. feriæ synaxes Apostolis ascribat Epiphanius, hinc etiam colligi potest, expertes non fuisse Eucharistiæ, quæ publicis in conventibus, ævo Apostolico distribuebatur. Neque hoc quoque intelligere possumus, cur Epiphanius de agitata Saturni die silentium egerit, si quartæ sextæque feriæ collectæ erant aliturgicæ. Annon in Ecclesiam feria VII. coïbant Cyprii, ut publicum pietatis munus conficerent? Orientia quidem Ecclesiæ die Sabbati Templa frequentabant, ut palam est ex libro VII. Constitutionum c. 24. Nysseno Socrate libro sexto. Hunc quoque morem Cyprus tenuit. Quid igitur causæ est, cur Sabbaticorum collectarum non meminerit Epiphanius? Nulla quidem silentii ratio probabilis afferri potest, præter hanc quæ & Petavio placuit. De Sabbati Synaxibus ita loquitur Epiphanius: *In quibusdam verò locis, & diebus Sabbati collecta peraguntur.* Ut in Ecclesia sua institutas negare videatur. Alexandrinorum ergo in ea re disciplinam imitabatur Cyprus, quos septimâ feriâ Eucharistiam non consecrasse cœtum

Epiph. Exp. n. 23.

tum

ANNO DOM. 208.

tum est: *Cùm omnes ubique terrarum Ecclesiæ per singulas hebdomadas, die Sabbati sacra mysteria celebrent, Alexandrini tamen, & Romani, vetustam traditionem secuti, id facere detrectant.* Omisit ergo Sabbati Synaxes Epiphanius, quia dissimiles erant collectarum primæ, quartæ, & sextæ feriæ. Expertes scilicet Eucharistiæ, quæ cibo erat in aliis synaxibus. Quod alio quoque loco illustrari potest: *Porro istiusmodi jejunium toto anno in Ecclesia Catholica diligenter observatur. Quarta ut dixi, sextaque feria, ad horam usque nonam, exceptis quinquaginta Pentecostes diebus, neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur. Pro illis verò conventibus, qui ad horam nonam, quartis sextisque feriis celebrari consueverunt, per illos dies perinde ac Dominicâ die, matutina synaxes obeuntur.* Quæ matutinæ collectæ non videntur immunes Eucharistiæ. Neque igitur expertes & illæ vespertinæ, quæ extra spatium Pentecostes, & Paschæ solemnitatibus inclusum, agitabantur, à matutinis eo solummodò diversæ, quod & vespere, & cum semi-jejuniis celebrarentur. Quidquid sit de more Cypriorum, in confesso est compluribus in Ecclesiis IV. & VI. feriæ synaxes dicatas esse Eucharistiæ. Basilius Epistolâ ad Cæsariam Patriciam: *Nos quater in quaque hebdomada communicamus, Dominicâ, feriâ IV. parasceve, Sabbato.* Quam & consuetudinem innuunt Patres Laodiceni c. 49. *Ne in Quadragesima panis offeratur, nisi Sabbato,* & die Dominicâ. Quâ præscriptione ostenditur atque demonstratur, feriâ quartâ atque VI. extra Quadragesimam celebrata etiam fuisse Eucharistiæ mysteria. Contraria verò ibat Alexandrinorum consuetudo: *Alexandriæ IV. feria, & ea quæ dicitur parasceve, & leguntur Scripturæ, & Doctores eas interpretantur, & omnia quæ ad synaxin pertinent, administrantur, præter mysteriorum celebrationem.* Quo testimonio, conjecturâ auguramur, hunc Cypriorum non fuisse morem, ut hos dies absque Eucharistia transigerent. Porro hinc liquet, certam non esse regulam rituum Ecclesiasticorum, variantibus privatarum Ecclesiarum consuetudinibus.

Socrat. l. 5. c. 22. — *Epiph. Exp. n. 22.* — *Socr. l. 5. c. 22.*

ANNO DOM. 209.

ANNO U. C. 962. OLYMP. 247. PER. JUL. 4922. JUL. 254. DOM. 209. SEVERI 16. & 17. *Sol.* 22. A. *Lun.* 1. *Indict.* 2. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 7. *P.* 9. *Apr.*

COSS. Claudius Pompeianus & Avitus.

Jam eruditis observatum, Avitum perperam à Baronio Lolliani nomine fuisse donatum.

Acta Severi in Britannia.

I. BRitanniæ non multò minus quàm dimidia pars Romanorum erat. Insulam cùm vellet omnem Severus suam in potestatem redigere, ingressus est Caledoniam. Pertranseunti magna fuere negotia. Sylvas enim cædebat, loca alta perfodiebat, paludes obruebat aggeribus, pontes in fluminibus faciebat. De qua expeditione hæc memoriæ mandavit Orosius: *Severus victor in Britanniam, defectu penè omnium sociorum trahitur. Ubi magnis gravibusque præliis sæpè gestis, receptam partem insulæ, à cæteris indomitis gentibus, vallo distinguendam putavit.* Quæ de magnis gravibusque præliis narrat Orosius, ea non habent fidem, cùm pugnent Herodiano atque Dioni: *Nullum prælium pugnavit, neque copias hostium instructas acie adversâ vidit.* Oves autem bovesque datâ operâ Barbari Romanis objiciebant, ut cùm milites ea raperent, facilè opprimerentur. Qui verò iter facere non poterant, à suis occidebantur, ne in Caledoniorum potestatem venirent. E Romanis periere ad quinquaginta millia. Neque tamen destitit Severus, quousque ad extremam insulæ partem venit, ubi maximè cursus solaris diversitatem, noctiumque ac dierum tam æstivorum, quàm hybernorum accuratè deprehendit. Tandem lecticâ vectus, cùm omnem hostilem ferè terram peragrasset, reversus ad socios, Britannis ad fœdus faciendum coactis, eâ conditione, ut non parvâ regionis parte cederent.

Oros. l. 7. cap. 17. — *Dio l. 76. 867.*

An qui Eucharistiæ celebrationi aderant, perpetuò communicarent?

II. Ætate Tertulliani cadebat in consuetudinem ut illi Eucharistiam sumerent, qui ejus celebrationi interer ant. Hinc quibus infixum animo fuit, usurpato Sacramento solvi jejunium, illi Ecclesiam non frequentabant, dum sacra corporis & sanguinis Christi mysteria distribuebantur, ut ex Tertulliano sciri facillimè potest: *Similiter de stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quòd statio solvenda sit, accepto corpore Domini.* Quam in rem Tertulliani sunt aculei: *Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Quæ materia visa est idonea, ut de ea disseratur. Dicamus primùm de usu, deinde de reservatione Eucharistiæ. Tantus olim Christianorum in medullis pietatis amor insidebat, ut laudi non esset præsentibus, ab usu corporis Christi temperare. Quippe mandati Servatoris sui memores, *Hoc facite in mei commemorationem*, cœlesti hoc alimento prius suum explebant animum, quàm Ecclesiâ discederent. Qua de re aureus est Justini locus: *Præsidens verò, postquam Gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione lætâ eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt unicuique præsentium, ut illum panem participet, in quo gratiæ actæ sunt.* Non igitur solos oculos divino hoc cibo pascebant, sed illum etiam ore sumebant, imo ad absentes quoque mittebatur, ne dum præsentes immunitatem sibi darent abstinendi à Sacramento. Huic etiam consuetudini innititur Canon IX. qui vulgò audit Apostolicus: *Omnes Fideles qui ingrediuntur, & Scripturas audiunt, in precatione autem & sacra communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem afferentes segregare oportet.* Paria atque gemina continentur Canone secundo Antiocheno, ex quo haustus ille videtur, qui Apostolici appellationem induit. Neque aliud sonant Constitutiones, quæ vindicantur Apostolis l. VIII. c. 13. Corpus Christi *Sumat Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & Ascetici, & ex fœminis, Diaconissæ, ac virgines, & viduæ, posteà pueri, & deinde tunc îm Populus, ordine, cum pudore, & reverentia.* Hanc & disciplinam coluit subditus Areopagita Dionysius: *Pontifex laudatis sacris Dei operibus ea quæ divinissima sunt ritè perficit, quæ dixit in aspectum, profert per signa sancta proposita: Donisque divinorum operum monstratis, ad eorum sacram communionem, tum ipse venit, cùm cæteros hortatur.* In Missa Æthiopum mandatur egressus illis qui communicare nolunt: *Exite foras, qui non vultis accipere Sacramentum.* Flagitiorum quidem notatissi-

Tert. de Orat. c. 14. — *Just. Apol. 2. 97.* — *Dion. Hier. Eccl. c. 3.*

tatissimus olim ille fuisset, qui præsens abstinuisset Eucharistiâ, quasi conscientiæ morsibus cælesti pane prohibitus, à Christi corpore separaretur.

Multi spectatores mysteriorum aderant absque usu.

III. Ea porro consuetudo cum alia mutatâ est nonnullis in Ecclesiis, labente jam quarto seculo. Aderant Missarum spectatores, expertes Eucharistiæ. Cùm & nonnullum utilitatis ad pietatem fructum habuerit, vel sola Sacramenti contemplatio, atque consideratio. Quippe illi ipsi Fideles, qui tum temporis corpore Christi non utebantur, versabantur tamen in meditatione immensæ charitatis, quâ pro salute peccatoribus obtinenda, preciosum sanguinem Christus suum fudit. Itaque Baronio, Casaubono, aliisque eruditis humanitùs aliquid accidisse fatendum est, quibus solos communicantes, Missarum olim celebrationi interfuisse placuit. Quem evellere errorem debuit nobilis & perantiquæ Mediolanensis Ecclesiæ consuetudo. Audiamus Ambrosium, sermone XXXIV. *Moneo etiam, ut qui juxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam. . . . In Quadragesima verò moneo, ut die omni, aut saltem, ut dixi, Dominicâ offeratis, & communicetis.* Quibus apertè liquet, in jejunio majus officium & munus pietatis imperari, quàm aliis diebus. Communibus quidem & negotiosis diebus, ille qui proximus est Ecclesiæ, quotidie audire Missam debuit. In Quadragesima verò offerre, & communicare monetur. Mediolanenses igitur sæpenumerò Missam audiebant, expertes Eucharistiæ. Profectò si solemne fuit cunctis Missæ auditoribus, tum sumere corporis & sanguinis Christi mysteria, nil causæ fuit, cur Ambrosius magis hortaretur, ad Eucharistiam singulis Quadragesimæ diebus sumendam, quàm alio tempore, quo & Missis intererant. Imò ex verbis, *aut saltem Dominicâ*, statim intelligimus Mediolanensibus non fuisse moris, vel in Quadragesima singulis diebus communicare, hoc liberæ pietati permissum, eâ lege tamen, ut Dominicis Quadragesimæ diebus, offerrent atque communicarent. Incredibile est Christianis ab Ambrosio negatam fuisse facultatem frequentandi quadragesimales Missas, quæ negotiosis diebus celebrabantur. Anno CCCC. Toletena Synodus est celebrata, quæ Canone XIII. hæc statuit: *De his qui intrant in Ecclesiam, & deprehenduntur unquam communicare, admoneantur, ut si non communicant, ad pœnitentiam accedant: Si communicant, non semper abstineant.* Non igitur perpetuò communicabant, dum aderant mysteriorum celebrationi. Satisfaciebant officio, si diebus nonnullis Eucharistiâ uterentur. Ex Agathensi Synodo constat, eam Gallis non fuisse consuetudinem, omnibus quibus aderant Missis, sumere Eucharistiam: *Seculares qui in Natali Domini, Pascha, Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur.*

Agath. cap. 8.

Fingemusne animo, Christianos illos qui solis tribus festivitatibus per annos sumebant Eucharistiam, aliis non adfuisse Missis, quæ per dierum Dominicarum curriculum celebrabantur? Aderant igitur, etsi non communicarent. Imò præscribunt Agathenses, singulis Dominicis Missas frequentari: *Missas die Dominicâ secularibus totas tenere, speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat, quòd si fecerint, ab Episcopo confundantur.*

Agath. cap. 47.

Non ita est profectò tam dirum Laicis fuisse pectus, tam religione solutum, ut Sacerdotis ante benedictionem exirent Ecclesiâ, illo die quo sumpserant Eucharistiam. His accedit Aurelianense Concilium tertium c. 28. aliàs 22. *De Missis nullus Laicorum antè discedat, quam Dominica dicatur oratio, & si Episcopus præsens fuerit, ejus benedictio expectetur.* Eo pertinent & verba Cæsarii Arelatensis: *Qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usque quo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde, debet se in Ecclesia continere.*

Cæsar. Hom. 12.

Oratio Dominica consecrationi Eucharistiæ colophonem imponebat, observante Strabone: *Quæ oratio Dominica, quæ priusquam cætera in consecratione sacrificiorum assumpta est, in expletione ejusdem sacratissimæ actionis digne ponitur, ut per hanc purificati, qui communicaturi sunt, quæ sanctè confecta sunt, digne ad salutem veram percipiant.*

Strab. de Reb. Eccl. cap. 22.

Sive ergo soli consecrationi, sive etiam communioni præsentes forent, spectatores multos adfuisse liquet. Quin etiam pluribus placuit, multis adesse Missis, etsi semel Domini corpus caperent: *Hoc addendum videtur, esse quosdam, qui semel in die communicare, etiam si pluribus interfuerint Missis, pro dignitate Sacramentorum sufficere credant. Esse verò alios, qui sicut in una, sic in omnibus quibus affuerint Missis, in die communicare velint, quorum neutros culpandos existimo.*

Strab. cap. 22.

De privata Sacramenti reservatione. Manaritne ab Apostolis?

IV. Acceptum corpus Domini à jejunantibus reservatum fuisse, privatim sumendum, audivimus ex Tertulliano. Qui mos, etsi multum sibi antiquitatis assumat, Apostolicum tamen esse negamus, & pernegamus: itaque nostra sententia ab illa Baronii plurimum differt. Contendit enim, *Semper in Ecclesia, asservandi sacram Eucharistiam, sive in loco sacro, sive in privatis domibus ad illorum usum qui accepissent, consuetudinem viguisse.* Utra verò sententia firmioribus stet argumentis, Lectorum esto judicium.

Bar. an. 57. n. 152.

Geminæ Purpuratus asservationis meminit, *privatæ* scilicet & *publicæ*. Illa in *domibus*, hæc in *Ecclesia*: de utraque videamus. Christus Apostolique hoc compararunt, ut benedicta fractaque Eucharistia, in manus Fidelium tradita, mox ori consumenda inferretur, *Accipite, edite.* Neque vel minimam Sacramenti particulam sibi servarunt, ut mortem Domini sui lugentibus foret solatio. Est etiam Pauli mandatum ab asservatione Sacramenti prorsus alienum: *Exploret autem quisque sese, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.*

1. Cor. 11. 28.

Evolvantur sacri Codices, nulla in eis asservationis Eucharistiæ vola est, nullum vestigium, de qua potius commemorandum fuit, quàm de asservatis quinque panum multiplicatorum fragmentis. Sapienter Humbertus Cardinalis: *Quotidie sive tertiâ, sive nonâ, sive quâcunque horâ fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta. Nec reservatur ex oblatione ejus pars aliqua, ut per dies quinque agatur inde Missa imperfecta. Quia neque Apostoli leguntur quidquam, ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio, sub ipsa cœna distributo reservasse, nec actus eorum indicant, eos aliquando tale quid egisse, aut præcepisse.*

B. P. t. 4. 246.

Plurimam sanè segetem atque occasionem nacti sunt custodiendi Eucharistiam. Passus est naufragium Paulus, cum Christianis comitibus. Illorum nemo involutam orario Eucharistiam collo circumligavit, quod remedium adversus procellas maris

Am-

ANNO DOM. 209.

Ambrosii frater Satyrus sibi comparavit. Sæviente in Ecclesiam persecutione, Petrus non detulit inclusam, sive linteo, sive vasculo Eucharistiam. Quem sibi thesaurum recondebant Christiani, ex quo mos invaluit asservandi Sacramentum. Sudaria, oleum, corporis umbræ, Apostolis instrumento fuit, ad morbos pellendos, porro Eucharistiam ad sanandum nunquam adhibuere, quam medicinam Gorgonia quæsivit. Viderit ergo Baronius, unde statuit, *Semper in Ecclesia viguisse sacra Eucharistia reservandæ consuetudinem.* Hujus nulla quoque sunt apud Justinum, aut Irenæum vestigia, quæ non multò pòst plurima reperiuntur. Ille Diaconorum manu ad absentes fuisse missam, hic in amicitiæ tesseram, ad Presbyteros perlatam esse scribit. Quod verò Fideles acceptum in Ecclesia Domini corpus, sibi servarint, ne verbulo quidem indicant. Quantum animi nostri conjecturâ possumus assequi, Missio hæc Eucharistiæ reservationi ansam præbuit. Primus ut nostra memoria est, qui moris hujusce meminit, Clemens est Alexandrinus: *Quemadmodum Eucharistiam, cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex Populo, ejus partem sumere,* cùm populis in mentem venisset, ex Eucharistia reservata, aliquid haberi utilitatis. Hoc ipsis indulserunt Episcopi. Quam reservandi facultatem, optantibus concessam, indicat vox ἐπιτρέπουσιν. Argumento, id Apostolico sanè sive more, sive præcepto, factum non fuisse, cùm quæ sunt ejusmodi, Presbyterorum licentiam non desiderent. Exinde frequentissima *reservationis* exempla. De voluptuario Christiano, Autor de Spectaculis apud Cyprianum p. 291. *Qui festinans ad spectaculum dimissus, & adhùc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam, inter corpora obscena meretricum tulit.* Basilius ad Cæsariam Patriciam Epistolâ: *Quoniam verò per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario, Sacerdote, vel ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum, ut demonstrem illam ipsam rem, non esse graviter & iniquè ferendam, eò quòd inveterata consuetudo hoc ipsum reverà confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi non est copia Sacerdotis, cùm habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum, unusquisque etiam de plebe, ut plurimum habet domi suæ communionem.* Palladius in vita Chrysostomi c. VII. 57. narrat Monachorum cellulas sarmentis incendisse, Theophilum combustis sacris Codicibus, & *Sancta Eucharistia.* Satis exemplorum: Inspiciantur Nazianzeni oratio XI. Hieronymi ad Rusticum Epistola IV. Displicuit tamen nonnullis ea consuetudo, quam decreto suo sapienter abrogant Toletani Patres: *Si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non consumpserit, velut sacrilegus propellatur.* Neque Æthiopibus probatur, si Zaga Zabo vera prædicat: *Omnes tam Laici, quàm Clerici, consueverunt Sacramentum ad minus bis in hebdomade accipere: & omnes idem volentes facere, Templum accedunt. Quippe nemini datur nisi in Templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipsi pretioso Joanni.* Cæterùm si Patres Sacramentum pro ipso Christi corpore habuissent, nunquam sane Laicis permisissent Deum suum tam indignè tractari, ut vili linteo, vel arculæ semesæ privatim à muliercula includeretur.

Clem. Strom. l. 1. 198.

Tolet. 1. cap. 14.

Vetus tamen & insolita ea consuetudo diu perduravit apud Latinos. Peractâ suâ consecratione Episcopi, & virgines reservatam sibi præbuerunt Eucharistiam. De Episcopis Alcuinus: *Ad communicandum verò Pontifex porrigit ei* (Episcopo) *formatam, atque Sacram oblationem. Quam accipiens, communicat super altare. Cætera verò reservat sibi ad communicandum, usque ad dies* XL. De virginibus verò Ordo Romanus: *Imponatur Evangelium, & illa ad manus Episcopi offerat, & Missa ordine suo finitâ, communicet. Postquam communicavit, referret de ipsa communione, unde usque in diem octavum communicet.* Scriptor vitæ S. Laurentii Dublinensis apud Surium die XIV. Novembris, narrat quatuor Sacerdotes, Sacramentum secum portantes, incidisse in latrones, qui sacra donaria irreverenter tractantes, eos spoliarunt, & mox injuriam Deo ulciscente, suspendio interierunt. Laurentius ille anno 1131. floruit. Anno 1232. nondum in desuetudinem abierat mos gestandæ privatim Eucharistiæ. Milites à Rege Angliæ Henrico 3. missi, *Cum festinatione profecti, invenerunt Hubertum, in quadam capella, hospitio suo vicina, crucem in una manu Dominicam, & in altera corpus Domini bajulantem. . . . Godefredus & ejus complices, rapuerunt de manibus ejus crucem, & Dominicum corpus.* Transubstantiationis opinio extinxisse videtur atque funditùs delevisse morem, qui tam diu regnaverat.

ANNO DOM. 209.

Alcuin. de div. Off. B. P. c. 2. 271.

M. Paris. pag. 365.

V. Priscis Ecclesiæ seculis, Eucharistiam in Ecclesiis asservatam fuisse, ut morientibus ægris esset viatico, non Latinis modò, sed Evangelicorum quoque multis placuit, Juelio Sarisburiensi Episcopo in Hardingum art. IX. Hospiniano Histor. Sacram. l. 2. c. 2. qui subnixo innititur Synodi Arelatensis Canone, quem fœneravit ipsi Gratianus: *Qui non bene custodierit sacrificium, & mus vel aliquod aliud animal illud comederit,* XL. *dies pœniteat.* Cùm autem ea eruditorum sententia, specie & veritatis, & antiquitatis aliquâ indui videatur, paulò accuratius est examinanda. Pœnitentibus ultimum diem obeuntibus, porrecta fuisse sacra mysteria, in signum redditæ pacis Ecclesiasticæ, ex Veterum monumentis colligitur. Quippe sacrum eis viaticum concedebatur, quod de Eucharistia sitne accipiendum, ab eruditis nonnullis in dubio ponitur, existimantibus *absolutionem* significari. Ne verò novæ lites incidantur, concedimus, *viatico* Eucharistiam intelligendam esse, & pœnitentibus moribundis ministratam fuisse. At summâ integritate & innocentiâ viros, qui nullo facinore, à sacra mensa depulsi fuerant, cùm ægroti supremum explebant diem, Eucharistiâ à Clericis fuisse donatos, nil habet probabilitatis. Mos ille privatim asservandi Sacramentum, qui secundo seculo præcipiti est introductus, Presbyteros sanè Diaconosve levabat onere, ad moribundos deferendi corporis Christi mysteria, cùm ex arca sua Eucharistiam sibi depromere quilibet posset. Neque ex Apostolorum Traditione, *infirmorum communio* deduci potest. Jacobi scitum est Apostoli: *Ægrotat aliquis inter vos advocato Presbyteros Ecclesiæ, & precentur pro eo, ungentes eum oleo, in nomine Domini.* Quantò magis usum Eucharistiæ moribundis imperasset, si jam invaluisset infirmorum communio. Fusâ oratione, scripta sunt Acta *Perpetuæ*, & Felicitatis, & *cœna libera* quam Martyres cœnaverunt, & cura quam

Priscisne seculis viguerit infirmorum communio?

Ter-

Tertius & Pomponius Diaconi, qui ipsis ministrabant, adhibuere, diligenter meminerunt: omisissentne allatam à Clericis Eucharistiam, ut Christi victimis esset solatio? S. Antonii vitam susissimè scripsit Athanasius. Extant Orationes Nazianzeni de patre suo, de Cæsario fratre, de Gorgonia sorore, quos omnes multis laudibus afficit. Cæterùm de sumpto viatico ne verbum quidem. Manibus eruditorum teruntur complures Hieronymi Epistolæ consolatoriæ, ad Paulam super obitu Blæsillæ filiæ; ad Pammachium, de obitu Paulinæ uxoris; ad Eustochiam virginem, de morte matris. Leguntur & vitæ Pauli Eremitæ, S. Hilarionis, Malchi Monachi. Scripsit Nyssenus Gregorii Thaumaturgi vitam, Orationes in laudes Basilii fratris sui, in funus Pulcheriæ. Atqui tot in monumentis, nulla prorsus viatici à religiosissimis & mulieribus & viris suscepti, mentio inseritur. Quam rem, si fuisset in usu, perinde memorassent, atque Latini nuperi, qui de viris piis, Christiani numeros implentibus, nunquam darent oblivioni, reverenter ab ipsis Sacramenta fuisse suscepta. Absonum sanè fuisset, de allata moribundo Constantino M. Eucharistia nil Eusebium dixisse, si cœlesti hoc cibo à Clericis munitus excessisset. Chrysostomus quidem paulò ante obitum participavit Eucharistiam. Sed in Ecclesia, licet infirmitate, & molestiâ laboraret, *Ad martyrium unde discesserant redierunt, cùm graviter Joannes sese haberet . . . & sumptis Dominicis symbolis, coram adstantibus ultimam orationem fecit.* Quo ad sumendam Eucharistiam in martyrium reditu, opus non fuisset, si ad ægros perferebatur. Primus Sanctorum virorum qui viatico usus est, is Mediolanensis Episcopus Ambrosius, anno Dom. 397. Honoratus Vercellensis vocem audivit, Surge, festina, quia modò est recessurus, qui descendens obtulit Sancto Domini corpus. Quo accepto, ubi deglutivit, emisit spiritum. Quod exemplum eo seculo est sine exemplo, atque prorsus extraordinarium, & fortè aliâ manu additum. Cùm porro certum sit tertio labente seculo, *pœnitentes* qui ad ultima fata venerant, donatos esse Eucharistiâ, adhùc sub judice lis est, utrum ad hos usus Sacramentum in Ecclesiis reconderetur.

Pallad. Vit. Chrysost. c. XI. 100.

Paulin. Vit Ambrosii.

Eucharistia in carcere propter Martyres celebrabatur.

V I. Si verum volumus, moribundorum pœnitentium communio, legitimum asservatæ iis Templis Eucharistiæ, non est argumentum. Potuit enim ad hunc usum ex tempore consecrari. Ex privatis etiam thesauris, quibus includebatur, suppeditari potuit. Confessoribus quidem qui mortem expectabant, concessam tenemus Eucharistiam, sed in ipso carcere consecratam. Quò pertinet Cypriani Epistola IV. Clero suo scripta: *Consulite ergo & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit, ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis, Diaconos per vices alternent.* De Luciano Martyre legimus apud Philostorgium: *Cùm jamjam moriturus esset, & tyrannica vis, nec Ecclesiæ, nec altaris copiam faceret, cumque vincula, & plagæ, ne quidem ut se commoveret, ei permitterent, supinum jacentem, supra proprium pectus tremendum sacrificium peregisse, & tum ipsum participasse, tum aliis ut de immaculato sacrificio participarent, copiam fecisse. Peractum autem est hoc sacrificium in carcere, cùm sacer Christianorum chorus, qui illum impotè morientem, undique cingebat, Ecclesiæ speciem referret, ac simul munimentum præstaret, ne ab impiis spectari possent, ea quæ gerebantur.* Palladius in vita Chrysostomi c. I. 88. *Et hymni quidem atque oblationes mysteriorum in carcere peragebantur.* Ut pœnitentibus erogabatur Eucharistia, veluti suæ reconciliationis cum Ecclesia pignus, quo lætam pacificamque mortem obirent, sic Confessoribus præbebatur, ut his armis muniti, fortius adversus hostes suos, & mirabilius pugnarent. Quam consuetudinis hujus rationem exhibuit Cyprianus, Epistolâ LIV. Angl. Edit. LVII. *Non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Quam offerendi in carcere consuetudinem, post Perpetuæ martyrium exortam fuisse existimamus, cùm in Actis hujus fœminæ nil de eo ritu mentionis agitetur. Cæterum in asservationem publicam Sacramenti, gravissimum ex eo more argumentum ducitur. Quippe & honori Sacramenti, & Fidelium utilitati magis consentaneum fuisset, consecratam ex Ecclesia adduci à Clericis Eucharistiam, quàm in carceris pædore offerre Sacrificium, absque altaris copia. Non ergo repositum erat in sacrario Sacramentum, ut Confessoribus & pœnitentibus esset viatico.

Philostorg. l. 2. c. 13.

Asservatio Eucharistiæ in Ecclesiis non olim obtinuit.

V I I. Aliud argumenti, in sacramenti apud Ecclesiam reservationem petimus ex miraculo, quod ad memoriam commendat Augustinus: *Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Zebedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & servorum suorum, domum suam, spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illicò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; Deo protinus miserante cessavit.* Quanò lætius, juxta ac decentius fuisset, ut Presbyter ille ex Ecclesiæ sacrario depromeret Eucharistiam, ad fundum Zebedi deferendam, quàm ut in loco profano celebraret? In ea igitur domo consecravit Eucharistiam, quia nulla tum fuit in Templo, quam afferret. Constitutiones Apostol. L. VIII. c. 31. de Reliquiis Eucharistiæ hoc sanciunt: *Quæ in mysticis superant, de sententia Episcopi distribuant Clero Episcopo partes quatuor, Presbytero tres, Diacono duas, reliquis verò Hypodiaconis, aut Lectoribus, aut Cantoribus, aut Diaconissis, partem unam.* Nil reponi jubent, quod infirmis sit viatico. Atque ex verbis Constitutionum laudatis apparet, quo fine Diaconis mandent, sacramenti reliquias post peractam communionem *Pastophoriis inferre*, c. 13. nempe ut Clero distribuerentur. Pugnat etiam cum more asservandi Eucharistiam, Constantinopolitana consuetudo vetus, ut quoties *ex sacris partibus immaculati corporis Christi*, numerus superesset magnus, pueri impuberes ex iis qui scholas frequentabant, *Evocarentur qui eas manducarent.* Cui disciplinæ adhærebant & Matisconenses: *Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post peractam Missam*

August. de Civit. l. 22. c. 8.

Evagr. l. 4. c. 36.

Matisc. 2. cap. 6.

Missam superfuerint, quartâ, vel sextâ feriâ, innocentes ab illo cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant. Cur enim pueris edendæ reliquiæ illæ præbebantur, quæ ad Fidelium decumbentium usum poterant adhiberi? Pugnat & Gorgoniæ factum, quæ ante *comparata corporis Christi antitypa*, pro morbi sui remedio habuit, non ex Ecclesiæ sacrario deprompta. Pugnat & Ecclesiæ Hierosolymitanæ consuetudo, quæ more Judæorum reliquias agni Paschalis in ignem mittentium, superstites & sacramenti particulas flammis abolebat: *Sed hoc quod reliquum est, de carnibus & panibus, in igne incendi præcepit, quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contigit inconsumpta.* Denique ex subdita Clementis Epistola nobis & argumenta nascuntur: *Tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore & tremore, Clericorum diligentiâ consumantur.* Clementinâ hâc autoritate Humbertus Cardinalis Græcorum percellit disciplinam de præsanctificatis, doletque quòd ad Clementis Papæ Epistolam non attendant. Ante Ararim bibet Parthus, aut Germania Tigrim, quàm Clementina hæc Epistola, cum ritu asservandæ in in Templis Eucharistiæ, concordiam copulet. Quippe quæ remanserunt particulæ, non ægrotis, aut Laicis, sed Clericis cibo erant, qui tamen non ad communes cibos mox conveniebant, sed vel ad sextam horam jejunabant, si manè Dominicam portionem edidissent, aut si tertiâ quartâve horâ acceperant, ad vesperam usque ciborum abstinentiam præstabant. Ut prodigio sit, quod Bellarminus ex Clementis Epistola probaverit, *partem Eucharistiæ asservari debuisse.* Quasi verò particularum sacramenti & casu superstitum, & à Clericis illo ipso die consumendarum custodia, Latinorum sit asservatio. Æthiopibus non probatur mos ille recondendi Eucharistiam, quæ moribundis sit viatico, teste Zagâ Zabo: *Sacramentum Eucharistiæ, non servatur apud nos in Templis, ut fit hic apud Europæos. Nec ægroti corpus Dominicum accipiunt, nisi dum convaluerint. Id fit, quoniam omnes tam Laici, quàm Clerici consueverunt illud ad minus bis in hebdomada accipere, & omnes idem volentes facere, Templum accedunt.* Itaque non adducere in suspicionem non possumus, quæ prædicant Abyssini Monachi, quos Cardinalis Bona *per interpretem* allocutus est. Nempe viaticum moribundis Æthiopibus, sub sola specie panis fuisse ministratum. Aut si vera dixerunt, id eos attinet, qui Romanam Religionem suscepere. Porrò si non Orthodoxis, at Hæreticis quidem olim asservata Eucharistia, non ægris privatim, sed sanis in ipsa Ecclesia usui fuit. Acephali *communionem à plurimo tempore asservatam habentes, feriis Paschalibus, in minutas incisam partes, convenientibus ad se hominibus dederunt.* Octavo seculo ad exitum vergente, Eucharistiam in Templis reconditam, ut morientibus cibo esset, docet Caroli Magni Capitularium CLV. l. 1. *Presbyter*, inquit, *semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.* Consuetudinem tamen illam antiquiorem fuisse, ex Prætextati Rothomagensis Episcopi facto status videtur: *Qui mox ut vulnera sensit, ad altare cucurrit, & illud amplexatus, viatico Dominici corporis & sanguinis se muniens animam Deo reddit.* Prætextatus autem seculo VI. præcipue floruit. Elumbe tamen est id argumenti, cùm Prætextatus uti potuerit Eucharistiâ, illo ipso die consecratâ, quià resurrectionis Dominicæ festo, dum antiphonas canit, juxta altare percussus est. Neque de sumpto viatico, dum Prætextato mors imminet, ulla in Gregorio mentio est: *Plenas sanguine manus super altarium extendens, orationem fundens, Deo gratias agens, in cubiculum suum inter manus Fidelium deportatur.* Plus pompæ est in Fortunato, cujus carmen extat ad Felicem Biturigensem, scriptum in turre ejus l. 3. c. 25.

Hysych. in Levit. l. 2.

Clem. Epist. 2.

Humb. B P. t. 4. p. 247.

Niceph. l. 18. c. 45.

Mabill. Anal. t. 1. 432.

Greg Tur. l. 8. 31.

Quam bene juncta decent, sacrati ut corporis agni,
Margaritum ingens, aurea dona ferant.

Non est improbabile, in turri Felicis Eucharistiam custodiri, ut recens baptisatis cibo esset, ex solemni more, ut qui sacris undis renovabantur, mox Eucharistiam sumerent. Quod à reservandi sacramenti, ut ad ægrotos deferretur, more multum discrepat. Aut quod verò est longè similius, Felicis illa turris recondendo Eucharistiæ ministerio inserviebat. Cujusmodi turris illa fuit, quam Gregorius Turonensis memorat, quæ de manu Diaconi elapsa, *ferebatur per aera.* Gregorii verba mox proferemus. Quin etiam concesso Fortunatum Eucharistiam in mente habuisse, id unum consequeretur, sexto seculo morem invaluisse apud nonnullas Ecclesias, ut sacramentum reconderetur. Quæ disciplina nec universalis erat, nec antiqua appellari potest.

VIII. Argumenta quibus sententiam Baronius firmat suam, nunc audiamus. De *asservata in Ecclesia Eucharistia*, Optatum l. 2. statuit esse intelligendum. Donatistæ, inquit, *jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii.* A canibus enim, quasi latrones sancti corporis rei laniati sunt. Præcise tamen negamus, de asservata Eucharistia Optatum esse capiendum, qui celebratam in mente habuit. Quippe dum peragebantur mysteria, œstro furoris perciti Donatistæ, in Ecclesiam irruerunt. Quod suâ rabie dignum fecere, quomodo Philagrius in Christianos injurius, Ethnicos immisit atque Judæos: *Cives ea quæ fiebant, indignè ferre, acclamare Præsidi, vim protestari, eò quòd Virgines Sanctæ & incontaminatæ, nudatis corporibus nefaria paterentur. . . . Monachi pedibus obtriti expirarent.* Dum cogebatur Ecclesia, irrupisse Donatistas, ex projecta canibus Eucharistia conficimus. Explicationi favet laudatus nuper Athanasius. Philagrii comites, qui in sacram mensam scelesti, *nuces avesque Dæmonibus immolarunt*, pedibus quoque proculcassent Eucharistiam, ut majorem Christo inferrent injuriam. Id verò sceleris non patraverunt, quia alienum erat, peractis mysteriis, in Ecclesia custodire Eucharistiam. Baroniano argumento nos aliud reponimus. Jubente Diocletiano, dubiâ luce ad Ecclesiam Nicomediensem Præfectus cum Ducibus venit: *Scriptura reperta incenduntur, datur omnibus præda.* Sacrilegorum quidem manus non evasisset Eucharistia, si tum temporis in Templis requievisset.

Ex Optato pro asservata Eucharistia objectio solvitur.

Bar. An. 57. n. 152.

Athan. ad Orth. t. 1. 945.

Lact. de Mort. c. XII.

IX. Pergit Baronius suam novis argumentis stabilire sententiam, cui præsidium adducit, ex Canone tertio Turonensis 2. Concilii: *Ut corpus Domini in altari, non in armario, vel ut aliter*

Canon Turonensis ad asservatam Eucharistiam non attinet.

ter legitur, imaginario ordine sed sub crucis titulo componatur. Hoc in Canone exultant atque triumphant, Bona Cardinalis, Bossuetusque Meldensis Episcopus, qui ex illo quoque imagines expiscatur, dum, *non in imaginario ordine, vertit, Non dans le rang des images*, quod Binnio, & in mentem venerat. Asservandæ tamen in Ecclesia Eucharistiæ morem, Canon ille non tuetur: *Ut corpus Domini, in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Quem doctissimus Harduinus Canonem egregiâ explicatione illustravit: *Ac primùm quidem imaginario ordine, crucisque titulo, ut ipsa orationis structura, sublatis ac deletis propositionibus admonet, non locus aliquis designatur, sed modus, seu forma Dominici corporis, vel panis, qui consecratur in corpus Dominicum, in altari ipso componendi. . . . Denique titulus crucis, figura & effigies crucis est, ut glossaria indicant. Titulus, χαρακτὴς, ἐνλογεᾶδια. In altari autem ipso, non extra altare, sed in ipsa mensa Dominica, corpus Domini crucis titulo componi debet. Nempe cum mos esset illis temporibus, panes simul in ara multos offerendi, statuitur in hoc tractu Galliæ, ne temerario ordine, sive quem quisque pro arbitratu finxerit, aut aliquâ fortassis falsâ religione ductus imaginetur. Denique ne imaginariâ ratione, ut Augustini verbo utamur, sed in crucis formam modumque disponantur.* Rectè & sapienter. Non igitur habet, vel tenuissimam asservatæ Eucharistiæ umbram, Canon ille Turonensis, cùm non in *altari* quidem, in crucis titulo atque figura, corpus Domini componi jubetur, sed in sacrario recondatur. Adjuvat explicationem libellus à doctissimo Mabillonio editus: *In Pascha*, inquit, *scilicet Dominica resurrectionis, centum triginta & quinque panes sunt offerendi, in crucis modum, per trium Missarum officia videlicet quadraginta & quinque, in unaquaque Missa, ita.* Inspiciamur apud Harduinum figuræ. Codex Bellovacensis, & collectio Bonævallis omittunt propositiones: *Non imaginario ordine, sed crucis titulo componantur*, observante doctissimo Sirmondo. Quod multum lucis canoni fœnerat, & aberrationem Baronii, aliorumque de mente Canonis coarguit.

Hardui. de Cano. Tur. pag. 226. 228.

Paulinus de recondita Eucharistia non est intelligendus

X. Instat adhuc Baronius ex disticho Paulini:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur & qua
Promitur alma sacri, pompa ministerii.

Bar. An. 57. n. 152.

A dextera parte absidis Ecclesiæ S. Felicis, ubi positum distichum, contendit Eucharistiam asservatam fuisse. Id tamen argumenti omitti debuit, cùm magna sit differentia, Eucharistiam inter & corporis Christi *ministerium*. Quid rei sit hoc ministerii docent Scriptores, & profani, & Ecclesiastici. De M. Antonino Philosopho Capitolinus c. 17. *Tunc viris claris permisit, ut eodem cultu, quo & ipse, vel ministeriis similibus convivia exhiberentur.* De Alexandro Severo Lampridius c. 41. *Et cùm argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet, argentum & ministros anteà quando pascebat, accipiebat ab amicis.* Quâ etiam significatione scriptum à Victore Vitensi: Gensericus *mittit Proculum quendam in Provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradenda ministeria divina.* Eò pertinet *turris*, cujus meminit Gregorius Tur. in qua reconditum erat ministerium corporis Domini, Paulum mutato nomine, viri clarissimi Bona, Bossuetusque, *mysterium corporis* Christi fecere, ut pro custodia sacramenti haberent argumentum. Quàm sapienter viderint eruditi! En verba Gregorii: *Acceptâ turre Diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusque Templum, ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus ferebatur per aëra.* Aliud est corporis Dominici *ministerium*, aliud *mysterium*. Neque turris, quâ id *ministerii* continebatur, sacrario inclusa fuit, cùm eâ acceptâ, Diaconus Templum ingressus sit. Eâ quoque significatione vox ministerii usurpatur in Actis Philippi Heracleæ Episcopi: *Postero die stationarius ministeriis omnibus Ecclesiæ inventis atque signatis, egrediebatur.* Sacri igitur pompa *ministerii* apud Paulinum, instrumenta sunt ad Eucharistiam celebrandam requisita, calices, disci aliaque ejusmodi. Latinorum vocem Galli imitantur, quibus argenti ministerium dicitur, *un service d'argent.* Verba Cyrilli Alex. ad Calosyrium: *Porro alios etiam audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem proficere dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem*, frustra vocantur in auxilium. Ad privatam quidem in domibus Eucharistiæ custodiam valere possunt, ad publicam in sacrario valere non possunt. Neque moramur Basilii vitam ascriptam Amphilochio, in qua mentio fit suspensarum in altari aurearum columbarum, recondendo sacramento. Non satis candidè hunc testem Baronius suppeditat, quem ipse disertè sublevat anno 378. n. 10. Constat apud eruditos, subditam esse vitam Basilii, nomine Amphilochii scriptam.

Vict. de Pers. Vand. l. 1.

Greg. Tur. Mir. l. 1. cap 86.

Ruin. Act. 444.

X I. Placuit nonnullis columbas custodiendo sacramento dicatas fuisse, sed immeritò, si prisci moris ratio habeatur. Columbarum apud Veteres multiplex usus fuit. Sepulchris in ornamentum sublatæ cedebant, uti didicimus ex Gregorii Turonensis narratione de Dionysio Parisiensi Præsule: Alius *super sepulchrum sanctum calcare non metuens, dum columbam auream quærit elidere elapsisque pedibus, ab utraque parte qua turritus erat tumulus, compressis testiculis, lanceâ in latere defixâ, exanimis est inventus.* Quod forsitan signum S. Spiritus fuit, cujus munus est, defunctorum corpora ad vitam revocare. Alia de causa gens Longobardorum sepulchris suis vilioris materiæ columbas imponebat. Audiatur Warnefridus: Si quis *in aliquam partem aut in bello, aut quomodocunque extinctus fuisset, consanguinei ejus intra sepulchra sua perticam figebant, in cujus summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc versa esset, ubi illorum dilectus obiisset.* Sed & Ecclesiæ præstantis metalli columbis fulgebant, cujus moris vestigia cernimus, eo tempore quo quartum Æræ Christianæ seculum in præceps ferebatur. Paulinus quidem de sua Basilica sic canit:

Num columbæ Ecclesiæ ad custodiendam Eucharistiam factæ?

Greg. Mir. l. 1. c. 72.

Var. de Gest. Long. l. 5. c. 34.

Vox Patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.

Paul. Ep. 12.

Columbarum ejusmodi meminere Monachi Antiochenses, in suo ad Joannem Constantinopolitanum libello contra nefarium Severum, cujus vim accusant verbis ejusmodi: *Columbas aureas, & argenteas, in formam Spiritus Sancti, super divina lavacra, & altaria appensas, unà cum aliis sibi applicuit, dicens, Non oportere in specie columbæ Spiritum Sanctum nominare.* Symbola hæc erant Spiritus Sancti, numine suo, & aquam & panem vinumque consecrantis, ut in sacramenta mutarentur. Necdum tamen conditorio corporis Dominici columbæ fungebantur,

Sym. sub. Men. Act. 1.

Anno Dom. 209.

tur, quod Severi crimen intendisset, atque sanè Monachi id oblivioni dedissent, quo Episcopi sui facinora gravioribus verbis depingerent.

Ex Serapionis historia, asservationi Eucharistiæ nil præsidii.

XII. Gravissimorum pro recondita in Ecclesiis Eucharistia argumentorum in numero habetur Serapionis historia, de pœnitentium grege unus, qui moriturus, Presbyterum de nocte accersivit, sumendo viatico. Cum autem Presbyter ægrotans, ad eum accedere non posset: *Exiguam Eucharistiæ partem, puero tradidit, jubens ut madefactam, seni in os instillaret.* Verùm enimverò nullum hic est asservatæ in sacrario Eucharistiæ vestigium; quam Presbyter non misit quæsitum ex Ecclesia. Extemplò ex cubiculo in quo decumbebat, sacramenti partem eam puero à Serapione misso tradidit. Quam pro re nata, ab ægro Presbytero consecratam esse non credimus; neque minimo vel indicio innuit Eusebius. Existimamus igitur, partem eam sacramenti fuisse, quod privatim Alexandrini servabant. Quo de more Basilius ad Cæsariam: *Nam & illi omnes qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cùm habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum unusquisque etiam de plebe, ut plurimum habet domi sua communionem.* Verba hæc, *etiam de plebe*, perspicuè ostendunt, depositam quoque fuisse Presbyterorum in penatibus Eucharistiam, qui thesaurus eò magis ibi condi debuit, quòd Dionysius Alexandrinus in mandatis dederat, Eucharistiam pœnitentibus morituris præbendam esse, quam anteà suppliciter postulassent, quos ad usus, apud Presbyterum ægrotantem prompta parataque fuit, quam & roganti Serapioni misit. Est & aliud argumenti, quo mori recondendi in Ecclesiis sacramenti, antiquitas vindicatur. Queritur Chrysostomus scribens ad Innocentium, milites in Templum ingressos, omnia perlustrasse: *Et sanctissimus*, inquit, *Christi sanguis, in tanto tumultu, in eorum militum vestimenta effusus est.* Hinc acutè observatum Bellarmino, hoc factum esse, cùm mulieres jam præparabantur ad baptismum, qui Sabbato Paschali celebrari solebat. Mysterium autem Eucharistiæ, semper celebrabatur post baptismum: *Quare sanguis ille Dominicus, qui in sanctuario erat, non consecrabatur, aut distribuebatur, sed aliquo alio die consecratus fuerat.* Hoc telo tamen Bellarminus illos non prosternet, qui nonnullam antiquitatis notitiam sibi compararunt. Sabbati diem apud Orientales celebrandæ Eucharistiæ fuisse destinatum, jam observavimus. Neque vel labente Quadragesimâ, præsanctificatis usus fuit septimâ feriâ: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominicâ & Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum.* Porro qui sacro baptismo expiabantur, illi continuò participabant Eucharistiam, ut ex Dionysio Hierarchiæ Eccles. c. 2. Alcuino pag. 259. aliisque monumentis exploratum est. De Constantino M. Eusebius: *Episcopi solemni ritu, divinas ceremonias peregerunt, injunctisque ei quæcunque necessaria erant, sacrorum mysteriorum participem fecere.* Quibus accuratè perpensis, argumentatio Bellarmini diffluit. Quo tempore sacrarium milites irruperunt, magni Sabbati dies aderat: ideòque eo tempore corporis Christi sacramentum consecratum est, baptizandis mulieribus, quæ jam propter baptismum vestimenta deposuerant, sumendum. Non ergo recondita erat Eucharistia, ægris solemni pompâ deferenda; sed illo ipso die consecrata, mox post baptismum à mulieribus viisque, qui undis expiatoriis abluti fuerant, edenda erat & consumenda. Itaque Diaconi in manibus erat, non in baptisterio. Lucius *in Diaconum procaciter illusus, symbola effudit. Presbyteros verò grandævos fustibus in capite feriens, sacrum fontem cruore conspersit.*

Euseb. l. 6. c. 44.

Bellar. de Euch. l. 4. c. 4.

Const. Syn. c. 52.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 62.

Pallad. Dial. c. 9. 85.

Solane panis species privatim vel publicè reservaretur?

XIII. Eâ quæstione peroratâ, aliam ingrediamur, quæ proximæ apta est atque congruens, an utrumque signum, quo constat Eucharistia, panis & vinum reconditum sit. Qua de re suam Baronius sic ostendit sententiam: *Cum vel privatim, in suis domibus, Eucharistiam acciperent, vel aliter in Ecclesia extra sacrificii tempus, sub una tantùm specie, nempe panis, ut asservata erat (aliter enim nunquam reposita alicubi reperitur) sumere consueverant.* Nos speciei utriusque custodiam Antiquis in usu fuisse, certis argumentis comperimus. Absentibus mitti, & à Diaconis utrumque perferri signum, ex priore Justini Apologia scimus atque tenemus: *Diaconi ex pane & vino, & aqua consecratis partes dividunt unicuique præsentium, & ad absentes portant, & hic cibus vocatur Eucharistia.* Nos quidem in hac re nil reperimus, ut statuit Valesius, quod ad ægrotorum communionem pertineat. Aliud *absentes*, aliud *ægroti*, neque moris est, qui ob morbum desiderantur in Ecclesia, illos *absentium* appellatione inducere. At ex eo more satis intelligimus, vel repugnante Baronio, privatam communionem sanguinis Christi mysterio expertem non fuisse. Quòd si utraque species deferebatur, quidni & utraque recondi potuit? Accedat & ad Justinum Clemens Alexandrinus: *Quemadmodum Eucharistiam permittunt unicuique ex populo, ejus partem sumere.* Jam verò Eucharistia eo seculo speciem utramque significabat. De Gorgonia sorore Nazianzenus, Oratione XI. *Si quid uspiam antityporum pretiosi corporis, sanguinisve, manus reconditerat.* De Exuperio, Hieronymus ad Rusticum Epistolâ IV. *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Utrumque innuit Justin. Novella CXXIII. n. 107. *Mulieribus autem quæcunque elegerint, sive Presbyterum, sive Diaconum, ut pro ipsis respondeat, aut sanctam communionem deportet, religiosissimus Episcopus sub quo sunt, quasi ductis sortibus attribuito.* De Maximiano Abbate, qui posteà Syracusanus Episcopus creatus est, legimus apud Gregorium: *In eadem navi residentes, non jam ex morte vicina, sed ex ipsa ejus præsentia et visione turbati, omnes sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem redemptoris acceperunt.* Eò pertinet, quod Rom. habet Martyrologium. *Romæ viâ Appiâ, Sancti Tharasicii Acolythi, quem Pagani cùm invenissent, corporis Christi sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid ageret.* Vox pluralis *sacramenta*, utramque speciem non significare non potest. Completam Virginibus Eucharistiam ministratam aliquando fuisse, ipsemet Bona fatetur: Maria Ægyptia, *cùm in vasta eremo annis XLVII. vitam rigidissimam egisset, ab Abbate Zozimo, Dei nutu reperta, sibique mortem imminere cognoscens, rogavit illum ut reversus in monasterium, divini corporis, & vivifici sanguinis portionem, in vase sacro sibi afferret, quia nunquam communicaverat, ex quo desertum ingressa fuerat.*

Bar. An. 57. n. 153.

Clem. Strom. l. 1. 198.

Greg. Dial. l. 3. c. 36.

Bon. Litur. l. 2. c. 18. n. 2.

ANNO DOM. 209.

fuerat. *Ille verò statuto tempore, mittens in modico calice intemerati corporis, & pretiosi sanguinis portionem ad eam attulit, qua susceptis sacris mysteriis, in pace quievit.* Quid multa? Ne vel Clinicorum communionem siccam fuisse, ostendit Serapionis historia: *Exiguam Eucharistia partem puero tradidit, jubens ut madefactam seni in os instillaret.* Quam *intinctam in aqua*, ut vertit Valesius, credere non possumus. Pœnitenti quidem plenum consummatumque sacramentum longe conducibilius fuit, quàm mancum & parte sui mutilum. Idcirco decrevere

Cart. 4. c. 76.

Carthaginenses: *Pœnitens si continuò creditur moriturus, concilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Porro & in Ecclesiis speciem utramque reconditam fuisse, cùm mos invaluit asservare Eucharistiam, docent quæ de Prætextato observavit eruditissimus Ma-

Mabil. Anal. t. 1. 432.

billonius: *Mox ut vulnera sensit, ad altare accurrit, & illud amplexatus, viatico Dominici corporis & sanguinis se muniens, animam Deo reddidit.* Quamquam si verum placet, commentis non apponere non possumus, quæ de Prætextato narrat Mabillonianus ille Scriptor, adeò pugnant cum historia Gregorii Turonensis, Prætextato & coætanei & amicissimi. Isaaci Lingonensis Canones, qui ex Veterum Conciliorum decretis desumpti sunt, titulo de Pœnitentibus c. IV. *Si quis in periculo, vel pace aut in infirmitate pœnitentiam acceperit, si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Quo apertè liquet, siccam non fuisse morituri communionem, sola quippe panis species *infundi* nequit. Canone VI. pœnitentibus *legitimam communionem* imperat; quænam verò illa est, nisi quæ constat gemino signo. Ad præsanctificatorum sacrificia diebus Quadragesimæ asservatam fuisse panis & vini speciem, monet nos Nicetas

B. P. t. 4. 212.

Pectoratus: *Sic ergo accipientes nos Sabbato, & Dominicâ die, secim tertiam diei horam, in qua & Spiritus Sanctus descendit super discipulos immolantes, in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conservamus.* Sui quidem immemor Baronius, ex Chrysostomi ad Innocentium Epist. quam superius expendimus col-

Bar. An. 404. n. 32.

ligit, *Non sub specie panis tantùm, sed etiam sub specie vini olim consuevisse recondi.* Cæterùm ut sincerâ fide agamus, solum panem à privatis nonnunquam reservatum fuisse, lubentes profitemur. Quod indicasse videtur Cyprianus, de Lapsis: *Alius quia & ipse maculatus sacrificio à Sacerdote celebrato, partem ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit.* Panis quoque fuit, quem servus non nemo Christianus edendum in armario condiderat. Quod cùm multo pòst tempore à servi Magistro, Severianorum disciplinæ addicto, aperiretur, ec-

Mosch. Prat. Spir. c. 79.

ce objicitur oculis miraculum. Quippe ex pane recondito in altum spicæ surrexerant. Nulli tamen concesserimus, sub una tantùm specie Eucharistiam sumptam fuisse. Pars enim sancti fuit epuli, pane & vino constantis, quorum ultimum jam ad mensam Dominicam haustum fuerat. Quo casu panis esus pro integra consummataque Eucharistia non habebatur, sed cum altera prius hausti sacramenti parte copu-

Cassand. de Com. sub. utr. p. 1028.

lari debuit. Quod subtiliter juxta & eruditè observat Georgius Cassander, & probat ex Ruardo Tappero Lovaniensi Decano: *Ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent.* Quarum tamen partium usus, etsi spatio temporis valdè disjunctis, unum instructum paratumque convivium constituebat. Addamus etiam Veterum multos sententiæ fuisse ejusmodi, quòd species communis consecratæ, permixtâ sanctitate afficeretur, ac in verum sacramentum mutaretur: *Cùm capsa, & calix inferendus est, & admixtione Eucharistia consecrandus.* Cujus & moris meminit Alcui-

Arausi. t. c. 17.

nus: *Sanctificatur autem vinum non consecratum, per sanctificatum panem.* Quem & morem tenuit Ecclesia Romana: *Vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum.* Itaque de sancto calice parum refundebat Archidiaconus, in majorem calicem quem tenebat Acolythus, *ut ex eodem vase confirmaretur populus.*

Or. R. B. P. t. X 22.

Videatur & Durandus Ration. l. 4. cap. 43.

XIV. Antequam Baronium absolvamus, errores ejus omnes purgamus. Sumpturis, inquit, Eucharistiam, *tabella quadam apponebantur veluti mensula.* Hoc autem firmat autoritate Athanasii, qui de Ethnicis jubente Constantio, Ecclesiam invadentibus, hæc scripta prodidit:

Num ad Eucharistiam sumendam appositæ mensulæ?

Bar. An. 57. n. 146.

Cùm mandatum Cæsaris omnibus suis partibus implevissent ... subsellia, thronum, mensam, quippe qua lignea esset, καὶ τὰ βῆλα τῆς Ἐκκλησίας, & vela Ecclesia combusserunt. Cùm in versione Baronius legisset, *tabulas Ecclesia*, videre sibi visus est *tabellas quasi mensulas*, communicantibus appositas. Indignam tanto viro aberrationem, quam sanè vitasset, si Græca consuluisset. Velorum ergo, non *mensularum* mentio est. Velorum autem magnus fuit usus in Ecclesia. Vela suspendebantur ante fores: quorum meminit Epipha-

Athan. ad Solit. t. 1. p. 847.

Error Baron.

Epiph. Epist. ad Joan.

nius: *Inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem Ecclesia, tinctum atque depictum.* Velo Sancta Sanctorum à loco Fidelium separabantur: *Basilius intra sacra vela, ubi ipse residebat, accedere Valentem jubens, multa ad illum verba fecit, de recta fidei doctrina.* Est & aliud Baronii peccatum. Ut probet usum Eucharistiæ Veteribus frequentissimum fuisse, Ignatii ad Ephesios Epistolam profert: *Fidem, inquit, facit ejus rei Ignatius ad Ephesios, scribens, Date operam ut crebrius congregamini ad Eucharistiam.* Atqui sacramentum non indicat Ignatius: Σπουδάζετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν τοῦ Θεοῦ καὶ δόξαν: *Date igitur operam ut frequentius conveniatis ad gratias Deo agendas, & eum laudandum.* Non igitur sacra corporis Christi mysteria, sed Christianorum in Dei laudes erumpentium actiones verbaque significantur. Quomodo vox *Eucharistia* & à Beato Paulo sumitur: *Obscenitas, stultiloquium & scurrilitas, quæ non conveniunt, sed potius εὐχαριστία, gratiarum actio.*

Theodorit. h. l. 4. c. 19.

Bar. An. 57. n. 154.

Error Baron.

Ignat. ad Ephes. p. 132.

Eph. v. 4.

ANNO U. C. 963. PER. JUL. 4923. JUL. 255. DOM. 210. SEVERI 17. & 18. *Sol.* 23. G. *Lun.* 2. *Indict.* 3. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 1. P. 1. *April.*

ANNO DOM. 210.

COSS. M. Acilius Faustinus & Triarius Rufinus.

Collega Faustini, Triarii, *non* Macri *prænomen habet. Perperam quoque* Rufinianus *à Baronio aliisque appellatur. Rufinus vocandus est, ut apparet tam ex Bucheriano, quàm ex Dodwelleo Consulum indiculo.*

I. VIctor tot gentium Severus, tot victoriis clarus, domesticis ærumnis atringebatur.

Caracallæ in patrem conjuratio.

Anno Dom. 210.

tur. Perturbabat illum, & vitiis diffluens vita Caracallæ, & prava indoles, quæ patri insidias fecerat. A Castore Cæsarianorum omnium optimo, cui consilia Severi omnia credita, curaque cubiculi mandata, sibi interri injuriam questus, exiluerat è tabernaculo. Præstò fuere pauci milires, à quibus & unà conclamatum est. At ii quòd repentè visus esset Severus, capti sunt, & in seditiores animadversum. Cùm alio tempore cum patre Caracalla equitaret, gladium distrinxit, ut à tergo Severum feriret. At clamore eorum qui aderant perterritus, manum abstinuit. Reversus in Prætorium Severus, Papinianum, & Castorem, & Caracallam ad se vocat, deinde gladium in medio collocari jubet. Filium increpat, quòd omnium in conspectu parricidium perpetrare voluerit. Quòd si tantum scelus aggredi cupiat, eo potius clam fungatur, vel si moribundum senem suâ occidere manu metuat, Papiniano Prætorii Præfecto, cujus Imperator erat, cædem quam cupiebat perficere, mandet.

Dio l. 76. 887.

Nil tamen parricidæ filio nocuit, etsi per iram mortem ipsi crebrò minitaretur.

Severi murus.

Spart. c. 18.

II. Sub idem tempus Severus Britanniam, quod maximum ejus imperii decus, muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit, unde etiam Britannici nomen accepit. Murus autem cespititius erat, non lapideus, qui Eutropio *vallum* dicitur. Murum describit Beda, Historiæ Anglorum libro primo: *Severus receptam partem insulæ, à ceteris indomitis gentibus, non muro, ut quidam existimant, sed vallo distinguendum putavit. Murus enim de lapidibus, vallum verò, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus, quibus circumcisis è terra, velut murus extruitur altus super terram, ita ut in ante sit fossa, de qua levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Severus magnam fossam, firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum, à mari ad mare duxit.* Cespititium ejusmodi murum duxerat Antoninus Pius, ad submovendos Barbaros. Alium statuerat & Adrianus:

Spart. Adr. c. 11.

Britanniam petiit, in qua multa correxit, murumque per octoginta millia passuum primus duxit. Muri Severiani longitudo CXXXII. millia passuum complectebatur. In vetustioribus Eutropii exemplaribus deest nota centenarii. Abest etiam à Victoris Epitome: *Hic in Britannia vallum per triginta duo passuum millia à mari ad mare deduxit.* Centenarium tamen addendum esse numerum monent Hieronymus in Chronico, nec non Orosius:

Oros. l. 7. c. 17.

Magnam fossam firmissimumque vallum, crebris insuper turribus communitum, per centum & triginta duo millia passuum à mari ad mare deduxit. Hujus se vidisse reliquias, cùm Londino in Scotiam iter faceret, scripsit Josephus Scaliger. Est tamen inter eruditos controversia, ubinam extructus ille murus fuit, quam litem nostram non facimus.

Minucius Felix.

III. Quàm certum *Minutium Felicem* tertio floruisse seculo, tam dubium Tertulliano suppar fuerit necne. Anno Domini CCIX. Minucium floruisse, creditum Baronio. Eâ conjecturâ hanc in Chronologiam adductus, quod Cæcilius ille, qui in semetipsum de religione disputanti Octavio herbam porrexit, Cypriani sit *Carthaginensis Episcopi Magister*.

Bar. An. 211. n. 2.

Quæ tamen *magna & vehemens* Baronii conjectura non satis virium habet ad permovendum, cùm plures Cæcilii, vel in ipsa Carthagine, Christiani fieri potuerint, abjectâ superstitione. Itaque malumus ἐπέχειν. Eò tamen inclinat animus, ut Minutius ille Felix, Cypriano major ætate fuerit. Minutium quidem ante Gaium, qui Zephyrino sedente floruit, collocavit Hieronymus. Romæ Causidicum egisse, extra dubium existimamus. Quod & apertè verba ejus indicant, dum Ostiam petebat: *Sane & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant.* Afrum fuisse, probabili ex stilo conjecturâ ducimur ad opinandum. Illumque cum Tertulliano & Cypriano, qui Afri erant & Carthaginenses, conjungit Lactantius *l. v. c. 1.* Addamus de nobili Christianorum patrono testimonium Hieronymi: *Minucius Felix Romæ insignis Causidicus, scripsit Dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui Octavius inscribitur. Sed & aliud sub nomine ejus fertur de fato vel contra Mathematicos. Qui cùm sit & ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libri stilo convenire. Meminit hujus Minucii & Lactantius in libris suis.* Non abs re dictum *libris suis*, cum & libro I. c. 11. & l. v. c. 1. de Minucio mentionem faciat: *Hujus liber, cui Octavio titulus est, declarat quàm idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.* Nomina Octavii Cæciliique subdita esse, quod *verosimile* putat clarissimus Du Pin Bibliothecæ p. 120. largiri non possumus. Aliud sanè indicat libri præfatio. Egregiam verò Christianæ Religionis informationem in sua disputatione Minutius insculpsit: *Cruces nec colebant, nec optabant.* Nullas *aras* habebant, *Templa* nulla, nulla *simulacra*, nullos *Deos ligneos* consecrabant, caput floribus non coronabant, quæ ad hodiernam Ecclesiæ Rom. disciplinam non quadrant.

Cajus Presbyter: ejus opera.

IV. Sedente Zephyrino, floruit & vir insignis, cui Cajo nomen. Imperatore Caracallâ, disputationem adversum *Proculum* Montani sectatorem valde insignem habuit, arguens eum temeritatis, super novam Prophetiam. In eodem volumine Epistolas Pauli tantum XIII. enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non ejus esse.

Hieron. de Script.

De Universo librum, sive de universi causa, qui Josepho ascribitur Historico, Photius comperit annotatum: *Non esse Josephi hoc Opus, sed Caii cujusdam Presbyteri, Romæ agentis.* Autor quoque fuit Labyrinthi, in quo de *Natali*, qui Theodoti partes secutus fuerat, mentionem facit, quod & ex eo libro transcripsit Eusebius. Scripsit & alium Tractatum Cajus, contra Artemonis hæresim, teste Photio Cod. XLVIII. 38. Proclus verò, in quem disputationem Cajus instituit, is esse videtur, cui multum honoris habuit Tertullianus:

Tert. Adv. Valent. c. 5.

Proculus noster virginis senecta & Christiana eloquentia dignitas. In ea disputatione, de Petro Pauloque id scripto Cajus mandavit:

Euseb. l. 2. c. 25.

Ego verò Apostolorum tropæa possum ostendere, nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundarunt. Præsulis dignitate ut ad Gentes prædicatum iret, ex Photio liquet, cujus de Cajo testimonium referre juvat:

Phot. Cod. 48. 37.

Hunc Cajum Presbyterum Rom. Ecclesiæ floruisse affirmant sub Victore & Zephyrino Pontificibus, ordinatumque & Gentium Episcopum. Scripsisse quoque peculiarem librum contra Artemonis hæresim, & adversus Proclum Montani studiosum, accuratam disputationem, in qua tredecim duntaxat B. Pauli Epistolas enumeret, non receptâ in censum eâ quæ est ad Hebræos.

Anno Dom. 210.

Galenus.

V. Ad ultima Severi tempora Galenus celebris ille Medicus, vitam extendit suam, quæ multum spatii percurrit. Vixit enim annos septuaginta. Pergamenus fuit, Niconis Geometræ & architecti filius. Sub Marco, Commodo, Pertinace, Romæ egit. De Sectis Medicorum Opus omnibus libris ejus Photius anteposuit. Dictionem quod attinet purum eum esse, venustumque tradit. Magnæ quoque existimationis fuit apud Artemonis Hæretici discipulos, quorum à nonnullis adorabatur.

Phot. Cod. 143. 150. Suid.

Euseb. l. v. c. 28.

Philostratus.

Philostr. l. 1. c. 3. 5.

VI. Imperante quoque Severo floruit Philostratus. Dum id familiaris non nemo, necdum editos, de vita Apollonii Thyanæi commentarios Juliæ Augustæ notos fecerat, in cujus aula cùm frequentissimè versaretur Philostratus, ipsi ut transcriberentur mandavit. Philostrati Lemnii, qui & *Verus* dicebatur, filius dicitur apud Suidam: *Et ipse secundus Sophista, qui primùm Athenis, deinde Romæ docuit.* Quæ an vero sint consentanea, necdum novimus. Lemnium scimus Philostratum quemdam, cujus meminit ipse Philostratus, de vitis Sophistarum: *Philostrato Lemnio publicarum functionum immunitatem quartum & vigesimum annum agenti, Senatusconsulto idem Imperator pro declamatione concessit.* Is erat Caracalla, quem dicit *Antoninum Philosophi ex Julia filium.* Num verò de seipso ea prodiderit Philostratus, Autor octo librorum de vita Apollonii, nobis est in ambiguo. Non sanè credit Photius, qui non *Lemnio*, sed *Tyriensi* Philostrato vitam ascribit Apollonii. De eo Autore verò hoc est Photii judicium: *Stilo usus est aperto, gratioso, conciso, pleno etiam dulcedine, ac cum ex priscis loquendi formis, tum ex recentioribus elegantius laudem quærit.* Contendit etiam *doctissimum fuisse, & à vero non aberrantem* p. 1018. Tantas tamen laudes deterit fabulosa vita Apollonii. Sub idem tempus vixit & Diogenes Laertius, cujus libri extant de vitis Philosophorum.

Philostr. de Vit. l. 2. 618.

Phot. Cod. 44. 35.

Anno Dom. 211.

ANNO U. C. 964. PER. JUL. 4924. JUL. 256. DOM. 211. SEVERI 18. *Sol.* 24. F. *Lun.* 3. *Indict.* 4. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 2. P. 14. *April.*

COSS. *Lollianus Gentianus & Pomponius Bassus.*

Caracalla vult sibi soli imperium vindicare.

I. CUm vi morbi Severus domi residere atque Caracallam mittere in bellum, ad obeunda Imperatoris munia cogeretur, de Barbaris vix sollicitus, exercitum sibi adjungere tendebat, soli sibi imperium vindicans, & germano obtrectans. Medicis quoque subinde persuadere conabatur, Severum ut quoque modo è medio tollerent. Quibus illustratur Spartianus: *Cùm milites filium Bassianum, qui unà erat, Augustum fecissent, tolli se atque in tribunal ferri jussit. Adesse deinde omnes Tribunos, Centuriones, Duces, & cohortes, quibus autoribus id acciderat, sisti deinde filium, qui Augusti nomen acceperat. Cùmque animadverti in omnes autores facti, præter filium juberet, rogareturque omnibus ante tribunal prostratis, caput manu contigens, ait, Tandem sentitis caput imperare, non pedes.* Inter res quæ mirandæ sunt, hoc maximè miratur Salmasius, quamobrem reum illo tempore filium egerit Severus, quod *Augusti nomen* accepisset, qui post victoriam Parthicam à militibus vocatus erat Augustus, & quidem patris consensu. Verum quidem est, anno CXCVIII. Caracallam dictum Augustum fuisse; quod tradit & Spartianus. At secundum Augusteæ dignitatis gradum pertæsus, patrem de summæ autoritatis apice deturbare voluit, sibique soli omnem autoritatem ascribere. Id sibi voluit Spartianus, dum scribit, milites Bassianum Augustum fecisse, hoc est, qui unus & solus esset Imperator, translatâ in eum & patris & fratris autoritate.

Herodian. l. 3.

Spart. Sever. c. 18.

Anno Dom. 211.

Mors & sepultura Severi. Philosophus fuit.

II. Britannis iterum deficientibus, Severus militibus præcepit ut eorum regionem invaderent, omnesque in quos incidissent interficerent. Comparabat etiam sese ad bellum gerendum, sed gravi morbo impeditus est, quod destinaverat perficere. Urnam alabastri, cui post obitum ipsius cineres includi debuere, paulo antequam animam exhalaret, jussit ad se perferri, eâque contractâ: *Tu*, inquit, *virum capies, quem totus orbis terrarum non cepit.* Dixit etiam filiis: *Facite ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* Ultima verba ejus dicuntur hæc fuisse: *Turbatam Remp. ubique accepi. Pacatam etiam Britanniam relinquo, senex & pedibus æger. Firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt, imbecillum si mali:* jussit deinde signum Tribuno dari *laboremus*. Periit Eboraci, quartâ Februarii die, ætatis anno LXIV. mense IX. die XXV. Imperii verò, anno XVII. mense VIII. die IV. quod à primo Junii deducimus. Moriens, *septem annorum canonem, ita ut quotidiana septuagena quina millia modiûm expendi possent, reliquit, olei verò tantum, ut per quinquennium, non solùm urbis usibus, sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret.* De Severo Senatus judicavit: *Illum aut nasci non debuisse, aut non mori, quòd & nimis crudelis, & nimis utilis Reip. videretur.* Corpus ejus militariter ornatum, & rogo fuit impositum, honestatumque filiorum decursione, qui & ignem accenderunt. Reliquiæ ejus urnulâ conditæ, Romam perferuntur. Præibant Caracalla Getaque cum purpura Imperatoria. Post sequebantur Coss. urnam cum Severi reliquiis gestantes. Qui autem novos Imperatores consalutaverant, progressi deinde, urnam quoque ipsam supplices adorabant. Ita magnâ pompâ composuerunt urnam in Templo, ubi Marci ac superiorum Principum monimenta quiescebant. Severum Philosophi titulo decoratum fuisse, scimus ex Philostrato, qui Antoninum vocat, *Philosophi, & Juliæ filium*, qui dubio procul Antoninus est Caracalla. Quem Spartianus titulum illustrat in vita Getæ c. 2. In animo habuit *Severus, ut omnes deinceps Principes, quemadmodum Augusti, ita etiam Antonini dicerentur, amore Marci, cujus Philosophiam literarumque institutionem semper imitatus est.* De Severo quoque hoc memoriæ Dio prodit: *Cùm jam esset Imperator, versabatur cum Doctoribus, ac magnam diei partem philosophabatur.* Quæ si attendisset Scaliger ὁ πάνυ, in Philostrati loco non hæsisset, cùm Severus meritò *Philosophus* vocari potuerit.

Dio l. 76. 868.

Spart. c. 23.

Dio l. 76. 868.

Herodian. l. 4.

Dio l. 77. 875.

Anni Caracallæ.

III. Severo successit major natu filius Caracalla. Natus erat Lugduni IV. Aprilis, anno Dom. CLXXXVIII. *Juliâ* Augustâ, non *Martiâ* editum fuisse, multis argumentis suo loco demonstravimus, quibus & accedat testimonium Philostrati, Juliæ Augustæ, quæ Rhetoricæ studiosissima fuit, notissimi: *Antoninus*, inquit, *Philosophi ex Julia filius.* Vixisse Caracallam *annis* XLIII. apud Spartianum legimus c. 9. Quam & Chronologiam, amplectuntur Eutropius atque Hiero-

Philostr. de Vit. Soph. l. 2. 617.

ANNO DOM. 211.

Hieronymus, errore maximo inde orto, quòd Martiâ fatum fuisse existimarint, Juliamque pro noverca, uxoreque Caracallæ habuerint. Qui error est longè pellendus. Neque sibi constat Spartianus, qui Caracallam *quinquennem* fuisse memorat, cum pater ejus in Germaniam proficisceretur, unno jam post suffectum Consulatum elapso. Quæ profectio in annum Christi CCII. incidit. Occisum fuisse VIII. Idus Aprilis, scribit & Spartianus, in ejus vita c. VI. Qui biduo differt à Dione, Caracallæ obitum in VI. Idus conferente; quem utpote coætaneum Spartiano anteponimus. Periit igitur Caracalla Aprilis octavo, anno CCXVIII. Vixit annis XXIX. diebus quinque. Imperavit *annos sex, menses duos, dies quinque*, incluso die patris emortuali, quarto nimirum Februarii. Verba sunt Dionis: *Vixit annos* XXIX. *regnavit annos sex, menses duos, dies duos.* Qui numeri librariorum vitio non sunt accurati. Omittuntur enim vitæ dies quinque, regni verò tres. Victoris Epitome: *Vixit annos ferè triginta.* Rectè, cùm trigesimum fuerit ingressus, etsi à seipso Victor diffideat, utpote qui ejus opinionis sit, Caracallam cum Julia noverca sua matrimonio fuisse conjunctum.

Dio l. 78. 882.

Caracallæ mores.

IV. Bassianus multorum nominum erat. Vocabatur enim Aurelius Antoninus Bassianus. Quod ultimum Victoria Epitome ex avi materni nomine deducit: *At cum è Gallia vestem plurimam devexisset, talaresque caracallas fecisset, coegissetque plebem ad se salutandum, indutam talibus introire, de nomine hujus vestis, Caracalla cognominatus est.* Videatur & Spartianus c. IX. Pueritia ejus blanda & amabilis fuit, non tenax in largitate, non lentus in clementia. Si quando feris objectos damnatos vidit, flebat, & avertebat oculos, quos effecisse mores videtur lac Christianum, quo innutritus fuerat. Quæ à parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel amicis dabat. Egressus pueritiam, restrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus, ut quem puerum scirent, multi eum esse non crederent. Malè moratus fuit, & patre duro crudelior. Avidus cibi, vini appetens. Illud horrendum, quòd emendis venenis, septingentas & quinquaginta drachmarum myriades impenderit: quibus quotquot voluisset, fraudulenter de medio tolleret. Quæ post mortem ejus in palatio reperta, igne concremata fuerunt. Nihil non iracundè faciens, minitando, quàm suadendo, metu quàm benevolentiâ sibi amicitias quærebat. Usus est magisterio Antipatri Sophistæ, cui etiam institutio Getæ credita est, unde in auditorii laudibus Antipater *Deorum doctor* appellabatur. Dissimulatum Caracallæ animum innuunt verba ejus de Geta, quem occiderat: *Sit divus, dum non sit vivus.*

Spart. c. 1. & 9.

Dio l. 78. 891.

Philostr. de Vit. Soph. l. 2. 604.

Spart. Get. c. 2.

Caracallæ sæva initia.

V. Mortuo Severo, summam Caracalla potestatem nactus, medicos qui jubenti parricidium non obtemperaverant, affecit supplicio. Longius progresso furore, Evodum educatorem, Castorem Severo amicissimum, uxorem suam Plautillam, fratremque ejus Plautium interemit. De tempore tamen, quo Plautinæ mortem imperavit, nonnihil à Dione differt Herodianus, qui innuit anno sequente contigisse Getæ post obitum. Partem quoque domesticorum dimisit, in quorum numero fuit Papinianus. Militibus persuadere voluit, ut se unum Imperatorem declararent, qui dicto ejus obsequentes non fuere. Icto cum Barbaris fœdere, obsidibusque acceptis, ad Juliam Getamque festinat. Precibus & matris, & amicorum, ad concordiæ simulationem adductus, ex Britannia solvens, cum fratre, patrisque reliquiis Romam contendit. Funere paterno de more celebrato, partitur cum fratre domum, januis secretioribus obstructis, custodibusque separatim sibi delectis, nonnisi in publico cum Geta conspiciebatur.

ANNO DOM. 211.

Dio l. 77. 870. Herodian. l. 4.

Rutilii & Manili martyrium. De Andeolo.

VI. Cum Severo persecutio non extinguebatur. Detinebatur in vinculis Alexander Hierosolymitanorum Antistes. In Severi & persecutione, quo tempore non satis liquet, periit Rutilius, cujus non sine laude meminit Tertullianus: *Rutilius Sanctissimus Martyr, cum toties fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum, ut putabat, nummis redemisset, post totam securitatem quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, & Præsidi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fuga castigatione debitæ ignibus datus, passionem quam vitarat, misericordia Dei retulit.* Die Februarii XVIII. Romano in Martyrologio legitur in Africa: *Sanctorum Martyrum Lucii, Sylvani, Rutuli, Classici, Secundini, Fructuli & Maximi.* Rutulus ille à nostro *Rutilio* diversus non videtur. Supremum tamen B. Martyris & annum, & diem ignoramus. Aliorum quoque Martyrum mentio in Tertulliani ad Scapulam libro, quem insequente anno oblatum esse, extincto Getâ existimamus: *Cùm Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses, & statim hæc vexatio subsecuta est, & nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis.* In Martyrologiis Sanctus celebratur Andeolus: *In Galliis territorio Vivariensi, in loco qui vocatus est antiquitùs Gentibus, S. Andeoli Subdiaconi, quem misit ab Oriente S. Polycarpus, cum B. Benigno & Andochio Presbyteris, & Thyrso Diacono, ad prædicandum verbum Dei in Galliam. Cujus prædicatione Cæsar Severus compertâ, spinosis fustibus crudelissimè flagellatum, in carcerem trudi præcepit, & alià die productum, cùm videret superari non posse, jussit ad similitudinem gladii de ligno durissimo ensem fieri, & in crucis modum caput ejus scindi.* Andeolum quidem imperante Severo, mortem pro Christo oppetivisse concedimus. At plurima sunt in ejus martyrio, quibus fidem afferre non possumus. Subdiaconus in Gallias Andeolus à Polycarpo mitti non potuit, cùm ætate Polycarpi, Subdiaconi nondum venissent ad lucem: teste Sanctissimi Martyris ad Philippenses, quæ de solis Presbyterorum Diaconorumque ordinibus commemorat. Insuper præsente in Galliis Severo, mortem Andeolo oblatam fuisse, docetur Martyrologiis. Quorum & in ea re fides vacillat. Anno CXCVII. versabatur in Gallia Severus, committendo adversus Albinum prælio. At eo tempore Christianam pacem nondum violaverat. Anno CCIX. festinans in Britanniam, Gallias pertransivit. Quo tempore Andeolo mortem imperare debuisset. Verùm enimverò fidem non habet, quòd constituta publicis legibus suppliciorum genera, immutari voluerit. Feris, crucibus, gladiis, securibus, ignibus noxios Romani tradebant, *ligno crucis in modum*, reorum capita non scindebant.

Tertul. de Fug. c. 5.

Tertul. ad Scap. c. 3.

Ado. Mart. 1. Maii.

Scillitanorum martyrium.

VII. Inter Martyres, quos Severi persecutio morti misit, eminent *Scillitani*. Absit à nobis gloriosum commilitonum Domini certamen in dubium revocare, qui scimus, claram Scillitanorum mortem Veterum monumentis fuisse conse-

consecratam: *Per Natalem S. Martyrum Scillitanorum*, ab Augustino sermonem esse habitum, testatur Possidius in Indiculo c. IX. Quòd si eruditis credimus nonnullis, plus semel de *Scillitanis* Martyribus, concionem Augustinus habuit. Quia sermo LV. novæ editionis, alius est ab eo, cujus meminit Possidius. Quippe sermo ille LV. pronuntiatus est mense Octobri. Scillitanorum verò festivitas mense Julio celebratur. Scillitanorum quoque memoria est, apud Victorem Vitensem, libro primo de persecutione Vandalica: *Basilicam majorem, ubi corpora Sanctarum Martyrum Perpetuæ, atque Felicitatis sepulta sunt, Celerinæ, vel Scillitanorum, & alias quas non destruxerant, suæ religioni, licentiâ tyrannicâ mancipârunt.* Duodecim fuisse numero Scillitanos, eorum in Actis reperimus. Saturninus Proconsul recitavit ex tabella: *Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, Felicem, Acyllinum, Lætantium, Januariam, Generosam, Vestinam, Donatam, & Secundam Christianos se esse confitentes, & Imperatoris honorem & dignitatem dare recusantes, capite truncari præcipio.* Annum martyrii definire non possumus, quem ex Actis, Christi esse ducentesimum existimant: die Julii XVII. natale eorum celebratur. Imperante Carolo M. reliquias Carthagine translatas esse, quarum pars magna *Scillitanorum* exuviæ, cecinit Agobardus, Lugdunensis Episcopus:

B. M. P. t. XIV. 329.

Sperati quoque Martyris beati,
Nec non Pantaleonis ossa raptim
Tollunt cuncta simul, liganique pannis.

Acta Scillitanorum Martyrum subdita.

VIII. Porro Scillitanorum numerum, annumque, diemque fatalem, ex Actis legitimo probari argumento non posse existimamus. Baronius quidem: *Habemus*, inquit, *horum Sanctorum Martyrum Acta, prout excepta fuerunt à Notariis, & relata in Acta Proconsularia absque ullo fuco.*

Baron. Martyr. XVII. Jul.

Quovis thesauro Acta ea esse cariora, unà cum Baronio Ruinartus statuit. Nostro tamen judicio, tantum hisce mercibus pretium constitui non debuit, cùm multis rebus Actorum novitas cernatur: *Existente Claudio Consule, quartodecimo Kal. Augustas, Carthagine Metropoli, statuto forensi conventu præceperunt Magistratus, adstare sibi Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, Secundam, & Vestinam, & astantibus eis, Saturninus Proconsul dixit, Potestis veniam à Dominis nostris Imperatoribus Severo & Antonino promereri, si bono animo conversi fueritis ad Deos nostros.*

Bar. An. 202. n. 2. Ruin. Act. 77.

Quibus multa congeruntur novitatis vestigia. Primum omnium Acta Proconsulum sincera, non Consulis unius, sed geminorum, qui vel annum aperuerant, vel sufficiebantur Consulum nominibus, notabantur. Præterea ex Consulis nomine, gravi argumento comperimus, Acta esse subdita. Quippe imperante Severo, duo fuere Consules, qui *Claudii* nomen gessere: *Titus* videlicet *Claudius Severus*, qui collegam habuit *C. Aufidium Victorinum*, anno Dom. CC. & *Claudius Pompeianus*, qui cum *Avito* Consul processit anno CCIX. Baronius atque Ruinartus, de Claudio Severo, Acta docent esse intelligenda; eòque in ejus Consulatum mortem *Scillitanorum* contulere. Mittamus incredibile fieri, in Actis Proconsularibus nudam *Claudii* vocem esse positam, suppresso *Severi* vocabulo, illum sanè intelligi Claudium, Acta prohibent, quia anno ducentesimo exorta non erat Severi persecutio, quæ longam florentissimamque Ecclesiæ pacem turbavit. Neque etiam *Claudius Pompeianus* significari potest. Vigelius enim Saturninus, à quo Scillitani damnati dicuntur, Africæ Proconsulem non egit anno Servatoris CCIX. De Vigelio Proconsule expressa sunt verba Tertulliani: *Vigelius Saturninus qui primus gladium in nos egit, lumina amisit.*

Tertul. ad Scap. c. 3.

Non est autem verisimile, in Africa persecutionem anno tantum CCIX. incepisse. His accedat, quòd tum temporis Geta Augustâ dignitate jam ornatus, non magis in Actis prætermissus fuisset, quàm Antoninus Caracalla, nec tantam Proconsul injuriam Getæ intulisset, qui & Juliæ Augustæ, & Romanis, Caracallâ longè gratior erat. 3°. Nimis audacem nimisque bardum autorem Actorum fuisse oportet, qui Saturnino verba hæc fœneravit: *Jura per genium Regis nostri*, quasi verò *Regis* nomen, quod maximo Romanis odio erat, Proconsul imposuisset Severo. Quæ ex Bibliotheca Colbertana Acta deprompta sunt, multo elaboratiora nitidioraque videntur. Nil de Martyrum intercessione, nil de insolenti Regis titulo, quæ in Baronianis continentur. Cæterùm vel ex Colbertanis Scillitanorum Actis, nobis unus scrupulus etiam restat, qui nos malè habet. Nempe Actorum stilus non est Severiani temporis. Nunquam sanè Saturninus Proconsul dixisset: *Admonui, ut furoris hujus dementiæ, non annuatis esse participes.* Neque Latina est Sperati phrasis: *Deliberavimus nos à cultura Christi non deserere.* Culturam etiam pro cultu usurpat Saturninus: *Redeundi ad Deorum culturam.* Id quidem vocabuli scimus à Lampridio fuisse usurpatum, in vita Heliogabali c. 3. *Ut omnium culturarum secretum Heliogabali Sacerdotium teneret.* At Lampridius centum annis Scillitanis Martyribus ætate posterior fuit. Quòd si Romanâ civitate vox *cultura* pro *cultu*, ævo Severi donata erat, barbara tamen phrasis est: *Deliberavimus à cultura Christi non deserere.* Barbara quoque oratio Proconsulis, *ut vita istius lætitiâ perfruatis.* Sic est: floribus ejusmodi non vernabat Romanorum Consulum oratio. Vix in dubium cadere debet, quin nova hæc Acta sint, diu post mortem Scillitanorum scripta atque confecta. Martyres igitur Scillitanos agnoscimus, numerum verò mortisque annum incertis apponimus.

Martyrium Celerinæ.

IX. Furente Severo coronatos fuisse Martyres, quorum memoria extat in Cypriano, nobis est probabile. Celerinam videlicet, Laurentium, & Ignatium. Non imperante quidem Maximino periere, utpote qui *solos Clericos* vexarit, non Decio rerum Domino, morti missi sunt, cùm veluti vetustæ quidem, non recentis Cyprianus passionis meminerit. De Celerino Confessore, quem Lectorem dixit Sanctus ille Pater: *Avia ejus Celerina, jam pridem martyrio coronata est. Item patruus ejus, & avunculus Laurentius, & Ignatius, in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spirituales Dei milites, dum Diabolum Christi confessione prosternunt, palmas Domini, & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebramus.*

Cypr. Epist. 34.

Quæ ultima verba indicio sunt, Celerinæ, Laurentii, Ignatii natalitia, multoties jam fuisse celebrata Carthagine, ubi morte mactati. Eorum natale tertio Februarii affigitur in Martyrologiis. Celerinæ in memoriam, extructam Carthago Basilicam habuit.

ANNO

Anno Dom. 212.

Anno U. C. 965. Per. Jul. 4925. Jul. 257. Dom. 212. Caracallæ 1. & 2. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 4. *Indict.* 5. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 3. & 4. P. 5. *Apr.*

Coss. *M. Pomp. Asper, & P. Asper.*

Getæ mores.

I. Geta ex Julia, Severoque ortus erat, Severo & Vitellio suffectis Coss. *sexto Calendas Junias*, anno CLXXXIX. Fuit adolescens moribus asperis, sed non impiis: *A natura decorus, loculejus, gulosus, cupidus ciborum, & vini varie conditi.* A crudelitate paterna adeò alienus erat, ut cùm Severus volens diversarum partium viros occidere, inter suos diceret, *Hostes vobis eripio*, Geta interrogasse fertur, Quantus esset interficiendorum numerus? Cùmque dixisset pater, ille interrogavit, *Isti habent parentes, habent propinquos?* Et cùm responsum esset, Habere complures, *Ergo in civitate*, ait, *plures erunt tristes, quam læti, quòd vicimus.* Et obtinuisset ejus sententia, nisi Plautianus Præfectus, vel Juvenalis institissent, spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt. A Grammaticis quærebat, singula animalia quomodo in vocem emitterent, velut *agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, ursi sæviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt.* Prandia etiam per singulas literas jubebat, veluti in quo erat, anser, aprugna, anas, item pullus, perdix, pavus, porcellus, perna. Vestitus nitidi fuit cupidissimus, quod à præsentibus accipiebat, id ad suum cultum conferebat.

Spart. Get. c. 4. & 5.

Caracalla Getaque dividunt imperium.

II. Magnum Caracallam inter & Getam dissidium erat. Ad singulare imperium quâcunque viâ grassantes, nil prætermittebant, dum potestatis consortem expungerent. Major tamen pars ad Getam spectabat, quòd speciem quandam probitatis præ se ferret, ac moderatum se, & lenem omnibus ad se accedentibus præstaret, placidus prætereà in omnes, atque humanus. Contrà verò Caracalla omnia asperius ferociusque gerebat. Cùm diu frustrà mater dissidentes inter se germanos redigere in gratiam studeret, visum ambobus, imperium inter se dividere. Europa Caracallæ, Getæ Asia adjudicabatur. Europæi Senatores in urbe remanebant, cæteri Getam sequebantur, qui Antiochiam, vel Alexandriam sedem imperii destinabat. Hæc dum illi agitarent, Julia à dissidentibus petiit: *Matrem quonam modo dividetis, aut inter utramque distribuar?* Itaque consilium de dividendo imperio repudiatur.

Herodian. l. 4.

Geta à fratre occiditur.

III. Caracalla imperii totius cupidine flagrans, fratri tandem ferrum cædemque molitur. Statuerat Getam Saturnalibus occidere, non potuit tamen facinus eo tempore perpetrare, ne manifestius foret quàm occultari posset. Ex illa die complures eorum pugnæ factæ sunt, quasi mutuò sibi insidiarentur. Cùm verò multis militibus Geta custodiretur, Caracalla Juliæ persuasit, ut se ambos in thalamum vocaret, ut de mutua reconciliatione ageretur. Geta, qui matri confidebat, ingreditur cum Antonino. Tum Centuriones, qui in insidiis erant à Caracalla collocati, simul in Getam impetum faciunt, adhærentemque matris pectori, occidunt, clamantem, *Mater, mater, genitrix, genitrix, fer opem, occidor.* Ne verò ullum facinus abesset, Caracalla gladium fraterno sanguine imbuit suum, quem etiam postmodum Serapi Deo consecravit. Ita Getæ sanguine perfusa est Julia, ut vulnus, quod acceperat in manu, nihili faceret. Neque licuit ei charissimi filii flebilem interitum lugere, sed quasi in maxima felicitate versaretur, lætari coacta est. Natus erat Geta *duos & viginti annos, mensesque novem* cùm extinctus est. Ex qua Dionis observatione liquet, Getam die Februarii XXVI. currentis anni, fraternæ ambitioni fuisse immolatum. A die Maii septima & vigesima, anni Dionysiani 189. quo natus erat, ad currentis anni Februarii sextam & vigesimam quâ periit, repletur Dionianus ille annorum, mensiumque numerus. Error igitur est Baronii atque Calvisii, quòd Geta *quinto Kal. Martii* mortem invenerit. Funus Getæ accuratius fuit, quàm ejus qui à fratre videretur occisus. Illatusque est Severi sepulchro. Telis tamen ardentibus furiarum fratricida terrebatur. Toties flebat, quoties nominis Getæ mentio fiebat, & quoties imago videretur aut statua. Cùm postremam profectionem pararet ex Antiochia, Severus ei cum gladio adstitit in somnis: *Et ut tu, inquit, fratrem tuum interfecisti, ita ego te interficiam.* Ad eum Antipater, quem filiorum institutioni Severus præfecerat, epistolam scripsit lugubrem: *Quòd ex duobus, unus sibi oculus, unaque manus superesset, & quos docuerat arma pro se invicem ferre, hos audiret in mutuam perniciem esse congressos.* Pars militum apud Albam, Getæ mortem ægerrime accepit. Dicebant se fidem promisisse liberis Severi, duobus servari debere. Clausis diu portis, Caracalla non est admissus, nisi munerum magnitudine delinitis animis. Defuncto Bassiano, Getæ ossa à Mœsa ejus matertera, in fanum Antonini illata sunt.

Dio l. 77. 872.

Error Baronii.

Spart. Get. c. 7.

Dio l. 78. 883.

Philostr. l. 2. de Vit. Soph. 614.

Spart. Carac. c. 2.

Dio l. 78. 899.

IV. Perpetrato scelere Caracalla per totam regiam currens clamitat, magnum se periculum effugisse, vixque evasisse incolumem. Simul imperat militibus, in castra se deducerent, ut tutius asservaretur. Vespere ut castra attigit, ædiculamque eam, intra quam signa & simulacra exercitus adorantur, procidens humi, gratias egit, votis pro salute susceptis. Progressus in medium, clamitat insidias hostis effugisse, vixque tandem post longum certamen adversarios superatos, se postremo unicum Imperatorem fortunæ relictum domino. Tum pro salute imperioque suo, singulis militibus Atticarum drachmarum duo millia supra quingentas pollicetur, prætereàque annonæ supra quàm sueti, accipere dimidium. In tantam denique adulationem dimittitur, ut thesauros diceret militum omnes esse, seque velle cum ipsis & vivere, & mori. Postero die loricam sublato clavo habens, curiam ingressus, ait, venenis in se comparatis, gladioque impendente, ultum fuisse hostem, gratiasque Diis agendas imperat, quòd alterum Patribus Principem servaverint. Extat Helvii Pertinacis dictum occasione fratricidii hujus non illepidum. Victis Alemannis, cùm Caracalla Germanici, & Parthici, & Arabici, & Alemanici nomen ascriberet, joco dixit Pertinacis filius: *Adde, si placet, etiam Geticus maximus.* Goti, Getæ quoque vocabantur. Hoc dicterii Pertinax morte luit postmodum.

Getam conjurationis accusat Bassianus.

Herodian. l. 4.

V. Alterâ die Capitolium petiit. Quos occidere parabat, benignè est allocutus, innitensque Papiniano & Chiloni, ad palatium rediit. Ex Cæsarianis militibus, qui cum Geta fuerant, ad hominum mulierumve viginti millia peremit. Lætum qui inter primos Getæ mortem suaserat, misso

Bassiani in amicos Getæ crudelitas. Mors Papiniani. Quis Papinianus?

ANNO DOM. 212.

nullo veneno, ad mortem coëgit. Severum patruelem, cui pridie partes de cœna miserat, jussit occidi. Interfecit & Pompeianum, quem & Consulem bis fecerat, ex Lucilla, Marci nepotem. At inter illustres quos occidit, eminebat *Papinianus* Præfectus Prætorio. Severo propter Juliam habebatur affinis, ipsique erat amicissimus, cui & in advocatione fisci successerat: *Juris erat asylum, & doctrina legalis thesaurus.* Vir fuit *justissimus, & qui tam cognitione quam expositione legum, omnes ante partier, & post se Romanos Jurisconsultos superavit*, docente Zozimo libri primi capite IX. Mandatum à Bassiano ferunt, ut facinus suum apud Senatum Populumque dilueret, Papinianum autem respondisse: *Non tam facilè parricidium excusari posse, quàm fieri.* Cum raptus à militibus ad palatium traheretur occidendus, dixisse fertur: *Stultissimum fore qui in suum subrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter Præfecturam vindicaret.* In conspectu Caracallæ, Papinianus securi percussus est, quo facto, percussori dixit: *Gladio te exequi oportuit meum jussum.* Filium etiam Papiniani, qui ante triduum Quæstor opulentum munus ediderat, morti misit. Multos Papinianus discipulos, quasi liberos superstites habuit, Fabium Sabinum Catonem sui temporis, Domitium Ulpianum Alexandri Imperatoris Prætorio Præfectum, Modestinum, aliosque complures, quibus amicis Alexander usus est. Nonnullos & cœnantes occidit Caracalla, quos inter Sammonicus Serenus, cujus libri fuere complures, ad 72. scilicet millia, quæ Gordiano reliquit. Cilonem qui ipsum educaverat, quem etiam patrem sæpenumerò appellaverat, qui imperante Severo, urbis Præfectus fuerat, extinguere voluit. Milites quibus cædem facere præceperat, captum cum in balneio κλαίοντα, *soleas* indutum, per viam foedam ad palatium ducunt, ut ibi interficiant. Ubi plebs viri illustris faciem percutientes milites vidit, cum Urbis cohortibus tumultuatur. Quorum pudore, metuque adductus Bassianus, militibus procedens obviam, Chilonem suâ chlamyde contegit: *Nolite, inquit, educatorem percutere.* Dein Tribunum militesque omnes, quos miserat, morte afficit, eo prætextu, quòd Ciloni vim intulerant, sed reverà quòd illum non occidissent. Cùm Juliam aliasque mulieres necem Getæ flentes vidisset, illas & interficere voluit, sed retentus ne summam in crudelitatis invidiam adduceretur.

Spart. Sever. c. 21.

Spart. Carac. c. 8.

Lampr. Sever. c. 6.

Spart. c. 4.

Dio l. 77. 872.

Spart. Carac. c. 3.

Persecutioni vires adimit Bassianus. Quis apud Tertullianum Arrius Antoninus?

VI. Cæterùm, quod miramur, nonnullas persecutioni metas posuit monstrum hominis. Surrexerat è sede, jamque ad Curiæ fores adstabat: *Audite, inquit, rem maximam, ut totus orbis terrarum gaudeat. Omnes exules rei facti, cujuscunque sceleris, quomodocunque damnati sint, restituantur.* Quibus & includi Christianos, qui *impietatis* causâ deportati fuerant, non est negandum. Perdurasse tamen aliquandiu persecutionis incendium, docemur libro Tertulliani ad Scapulam, quem scriptum anno currente existimamus. Nondum ad Præsides pervenerat Caracallæ mandatum, quo tempore etiamnum asperius in Ecclesiam invehebantur: *Nunc à Præside Legionis, & à Præside Mauritaniæ vexatur hoc nomen, sed gladio tenus, sicut à primordio mandatum est, animadverti in hujusmodi.* Quis verò fuerit Arius ille Antoninus, de quo in eodem capite meminit, est paucis videndum: *Arius Antoninus, in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia ejus, se manu factâ obtulerunt. Cum ille paucis duci jussis, reliquis dixit, O miseri si perire vultis, præcipitia aut restes habetis.* Tres viri dignitate virtuteque illustres, & id nominis gesserunt, & Proconsulatu Asiæ donati sunt. Primus est Arrius Antoninus: *Bis Consul, homo sanctus, & qui Nervam miseratus est, quòd imperare cœpisset.* Is Pio Augusto avus maternus erat. Secundus est Antoninus Pius, qui ante adoptionem Arius, & Antoninus vocabatur: *Adrianus ingruente tristissimâ valetudine, adoptavit Arium Antoninum, qui posteà Pius dictus est.* De quo Capitolinus c. 3. *Proconsulatum Asiæ sic egit, ut solus avum vinceret.* Tertium & Asiæ Proconsulem memorat Lampridius, in vita Commodi c. 7. *Cum Cleandri insidiis, Arrius Antoninus fictis criminibus in Attali gratiam, quem in Proconsulatu Asiæ damnaverat, esset occisus* &c. Quis trium Arriorum Antoninorum in mentem Tertulliano venerit, est in ambiguo. Baronius anno CLXXIII. n. 4. *Antoninum Pium* esse existimat. Quam opinionem meritò repudiat Casaubonus. Quare enim veteri eum & obsoleto nomine, Arrium Antoninum, potius quàm Pium dixisset Tertullianus? Ita moris est, etiam cùm de rebus ante susceptum imperium gestis Scriptores loquuntur. De Pii Proconsulatu loquitur Marcianus libro secundo de judiciis publicis: *Caput mandatorum extat, quod Divus Pius cùm Provinciæ Asiæ præerat, sub edicto proposuit, ut Irenarchæ, cùm apprehenderent latrones, interrogent eos de sociis.* Fallitur etiam Baronius, quòd Plinii Epistolas Arrio Antonino scriptas, ad Pium missas existimet. Pius enim tum tempo is vix ex ephebis egressus, utpote qui natus erat anno Dionysiano LXXXVI. Domitiano XII. & Dolabellâ Coss. Neque placet quod Casaubono placuit, de tertio Arrio Antonino, qui Commodo imperante occisus est, Tertullianum esse capiendum. Quia imperante Commodo, pax est Ecclesiæ reddita. Illum ergo Arrium Antoninum esse putamus, qui Pio avus maternus erat. De quo Plinius: *Quod semel atque iterum Consul fuisti, similis antiquis, quòd Proconsul Asiæ qualis ante, qualis post te, vix unus aut alter* &c. Hic enim ille Arrius Antoninus & Asiæ Præfectus fuerat, vigente Domitiani persecutione, & Arrio Antonino, qui imperante Commodo periit, longè clarior fuit.

Tertul. ad Scap. c. 4.

ANNO DOM. 212.

Capit. Ant. c. 3.

Spart. Adr. c. 24.

Error Baronii.

Plin. l. IV. Epist. 3.

Dio l. 77. 872.

VII. Cùm ob extremam senectutem suo muneri Narcissus non sufficeret, quem quasi redivivum Presbyteri susceperant, Alexander Flaviadis in Cappadocia Episcopus, coadjutor illi datur. Anno CCIV. gloriosam Christi confessionem ediderat. Qua de causa diu in vinculis fuisse videtur. Manu quippe catenatâ ad Antiochenses scribit, qui Asclepiadem sibi Episcopum imposuerant: *Alexander servus Dei, & vinctus J. Christi beatissimæ Antiochensium Ecclesiæ, in Domino salutem. Expedita mihi ac levia vincula Deus effecit custodiæ meæ tempore, postquam comperi Asclepiadem virum fidei meritò maximè idoneum, sanctissimæ Ecclesiæ Episcopatum divinâ providentiâ suscepisse.* Asclepiadis verò initia cum anno CCXI. copulat Eusebium Chronicum. Alexandri Epistolam attulit Clemens Alex. qui Flaviadensi Ecclesiæ multum auxilii attulerat. Vinculis liberatus Alexander, monente Deo, ut cum Narcisso Episcopale munus obiret, Hierosolymam proficiscitur, & orandi, & locorum visendi

Alexander creatur Æliensis Episcopus.

Euseb. l. 6. c. 11.

ANNO DOM. 212.

sendi causâ. Dum iter conficit, vox audita, illos qui sanctitate eminebant, monuit, ut civitatis portus egressi, destinatum sibi à Deo Episcopum susciperent. Non minimum favebat Alexandro gloria confessionis suæ, ob quam ad Episcopatum Æliensem promovetur, consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis. Sic unà cum Narcisso Ecclesiam Hierosolymitanam administrat. Cujus Præfecturæ initia, in anno CCXII. Chronicum consignat Eusebii. Similiter in historia: *Cùm*, inquit, *Severus* XVIII. *annis imperium tenuisset, Antoninus filius ejus, in locum ejus successit. Quâ tempestate, Alexander ob insignem Christianæ fidei confessionem, ad supradictum Episcopatum promotus est.*

Euseb. l. 6. c. 8.

ANNO DOM. 213.

ANNO U. C. 966. OLYMP. 248. PER. JUL. 4926. JUL. 288. DOM. 213. CARACALLÆ 6. & 3. *Sol.* 26. *C. Lun.* 5. *Indict.* 6. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 5. *P.* 08. *Mart.*

COSS. *Caracalla Augustus IV. & D. Calius Balbinus II.*

Caracalla in Galliam proficiscitur.

I. GEtæ amicos sine ulla intermissione persequebatur furor Caracallæ. Commodi sororem, quæ Imperatoribus omnibus venerationi fuerat, morte affecit, causatus quòd Getæ necem apud Juliam deflevisset. Stimulante facinorum conscientiâ, statuit Româ discedere. Atque ut primum in Galliam venit, Narbonensem Proconsulem occidit. Sibi perpetuò similis jura civitatum violavit, & in medicos qui morbum in quem inciderat, curaverant, crudelissimus fuit. Contracta ex morbo debilitas eum in urbem revocavit. Romæ quidem anno insequente versatum fuisse demonstrabimus.

De Ecclesiarum antiquitate.

II. Cùm prosperos Evangelio successus dedisset summa Christi potentia, Fideles qui primùm clandestinos cœtus agebant, tandem in locos publicos convenere, quibus *Ecclesiæ* nomen est impositum. Porro de Ecclesiarum antiquitate non una est eruditorum sententia. Primo labente seculo, nullas Christianis Ecclesias fuisse, nobis est persuasum. Privatorum quidem in domibus cogebantur, audiendis concionibus, celebrandæque Eucharistiæ. In Marci domum conveniebant Hierosolymis. Ephesi, Paulus, & Judæorum Synagogâ, & scholâ Tyranni cujusdam usus est, *Ad ea docenda, quæ pertinent ad regnum Dei.* Indicio nil Ephesinis Ecclesiæ fuisse, in qua Paulus officio publico fungeretur, cùm in loco mutuatitio congregarentur. Neque Corinthi felicior sors eorum fuisse videtur, etsi non ignoremus, eruditorum nonnullos in verbis Pauli Ecclesiam quæsivisse: *Num domos non habetis ad edendum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis.* Quasi hic institueretur loci ad locum, privatæ ædis, ad publicam oppositio. Si verum placet, Ecclesia non ædem, locumve eò loci significat, sed conventum ipsum Christianorum: *Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos, qui nihil habent?* Præoccupatâ cœnâ non parietes quidem, sed pauperes in contemptum adducti fuerant. Quos utut ob injuria prohiberet, egregio titulo donat, *Ecclesia Dei.* Neque id moris est N. Testamento, ut phrasi *Ecclesia Dei*, loci alicujus significationem imprimat: indicat perpetuò Fidelium societatem. Exempla sunt Act. XIX. 29. 1 Cor. 1. 2. X. 32. & in illo quoque ipso capite, ex quo verba laudata desumuntur: *Nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Cur igitur phrasis mutanda significatio? Nonne in homines potius quàm lapides contemptus incidit? Principio secundi seculi, nullas Christianis Ecclesias adhùc fuisse, ex Plinii ad Trajanum Epistola conjecturam fecimus: *Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die, ante lucem convenire.* Quòd si Ecclesiæ palam extructæ fuissent, *antelucanos* conventus colendo Deo non celebrassent, sed commodiores *diurnos* scilicet agitassent. Neque in ea persecutione, quæ gravis fuit, mentio ulla *Dominici* alicujus, mandante Trajano, vel diruti, vel subruendi. Ex Actis, quæ Justini nomine decorantur, liquidò constat, in civitate Romana nullam Christianos Ecclesiam possedisse: *Quæsivit Præfectus, quem in locum Christiani convenirent, cui respondit Justinus, Eò unum quemque convenire quò vellet, & posset. . . Tunc Præfectus, Age, inquit, dicas, quem in locum convenitis, & discipulos tuos congreges. Respondit Justinus, Ego prope domum Martini cujusdam ad balneum, cognomento Timiotinum, hactenus mansi. Veni in urbem Romam secundò, neque alium quempiam locum, nisi quem dixi cognosco. Ac si quis ad me venire voluit, communicavi cum illo veritatis doctrinam.* Anno Dom. CLXV. Romanorum crudelitati sanguinem Justinus dedit suum. Hactenus multa Christianorum Templa in urbe videbantur, quæ Rusticus ignorare non potuisset, ut opus esset quærere, *quem in locum Christiani convenirent.* Denique certissimis Veterum in monumentis, ab ineunte seculo secundo, ad annum usque LXV. nullum *Dominici*, sive Ecclesiæ, ne perrenue quidem vestigium est, quibus non pepercisset, quæ violenta fuit, sive Trajani, sive Marci persecutio. Cùm ergo subrutas tum temporis Ecclesias fuisse non legamus, quomodo furente Diocletiano eversæ sunt? Discriminis causa hæc est, quòd nullus adhuc locus publicus extaret, in quo Christiani sacra conficerent, quibus peragendis, vel cryptis, vel privatorum domibus utebantur. Idcircò Celsus vehemens ille Christianorum accusator, in libro suo, quem furente M. Aurelii persecutione contectum esse putamus, primum criminationis argumentum habet, quòd ab illis *clancularii conventus* agitarentur. Quibus sanè nil opus erat, si publicas Ecclesias jam Christiani possedissent.

Act. 19. 9.

1 Cor. 11.

1 Cor. 11. 16.

Plin. Epist. l. x. 97.

Acta Ruinar. 44.

Origen. in Cels. l. 1. 4.

Locus Luciani an de sacris ædibus intelligendus?

Lucian. Philopatr.

III. Baronio tamen persuasum fuit, imperante Trajano, in extruendis Ecclesiis magnos sumptus fuisse factos, quod ex Dialogo Philopatris apud Lucianum probari contendit, anno LVII. p. 101. Verba sunt Critiæ: *Atque ita ferreas portas, & area limina pertransivimus, ac per plurimas scalas, in gyrum circumacti, in domum laquearibus aureis insignem ascendimus, qualem Menelai Homerus fuisse ait, atque ipse quantum insularis ille adolescens speculabar. Video verò non Helenam, per Jovem, sed cernuos, totosque pallore perfusos viros.* Quibus illustrissimus Purpuratus vult intelligi, *quo olim sumptu, quâ impensâ, & ornatu*, Basilicæ extruerentur. Ea tamen conjectura, postulatis sanè compluribus innititur, quæ non admittimus. Primùm enim quæ de domus hujus magnificentia Lucianus prædicat, ea εἰρωνικῶς à magno cachinnone scripta videntur. Pauculos sanè homines, *in faciem inclinatos atque pallidos*, inaurata fastigium domus maximè dedecebat. Deinde nil sacræ publi-

ANNO DOM. 213.

publicæque ædis in ea descriptione depingitur. Nil explanationis Evangelicæ, nil mensæ ad celebrandam Eucharistiam, nil psalmodiæ, nil sacrorum. Apparent viri pauci numero, nullis verò mulieribus, pueris nullis comitati, qui tamen ævo Trajani frequentabant Ecclesiam. Nec fidem invenit, Christianos variis tum calamitatibus agitatos, ac paupertatis onera ferentes, Basilicarum suarum si quas habuissent, inaurasse fastigia. Quod & agnovit Baronius: *Temporum enim ratio id minus posse fieri permittebat, cum clanculum sæpius in privatis ædibus, sive interdum in cryptis, eos oportuit convenisse.* Denique etsi viri longè doctissimi, Seldenus, Bona, Dodwellus, unà cum Baronio, hoc in Luciani loco, Christianorum conventum invenerint, alia nobis insidet animo sententia; nempè non *Christianorum* quidem, sed *Mathematicorum*, & res, & studia, Critiæ verbis fuisse depicta. Quod si *Mathematicorum*, non igitur *Christianorum*, quibus odio erat Astrologia. Tertullianus: *Animadvertimus*, inquit, *inter artes, etiam professiones quasdam obnoxias Idololatriæ. De Astrologis ne loquendum quidem est.* De Juliano Nazianzenus: *Ipsi porro Asia impietatis schola erat, tam quæ circa siderum scientiam, & genituras vanissime occupatur.* De Pharisæis Epiphanius: *Sed hæc omnia nequaquam ad lectorum perniciem commemorare studuimus, neque ad eorum vanitatem commendandam, qui stolidam & ineptam Astronomiæ scientiam in hominum vitam invexerunt.* Jam verò Mathematicos agebant illi, quos in tecto aurato Critias invenerat: *Ut autem sublimes illi, & in aëre gradientes, interrogarunt, quo pacto se res civitatis, & mundus adeò totus haberet, respondens ego, Benè, inquam, & insuper etiam habebunt. Illi autem abnuentes superciliis, Haud ita, inquiunt, malè enim parturit civitas. Tum ego secundum mentem ipsorum, Vos, inquam, supra terram, & in sublimè sublati, & ceu ex alto cuncta intuentes acutissime, & hæc intellectu assecuti estis scilicet. Sed quo pacto ea quæ in æthere sunt, habent sese? Num deficiet Sol, & ad perpendiculum Luna interponetur? Num Mars quadrangulo aspectu Solem aspiciet? Num Venus cum Mercurio congredietur, & Hermaphroditos procreabunt, quibus vos delectamini? Num pluvias impetuosas dimittent?* His de rebus Mathematici interrogari possunt, Christiani non possunt. Quid conjecturis opus? Nonne verbis amaris in Mathematicos Critias invehitur? *Sed ista in vestrum caput convertantur, quando ita patriam vestram deprimitis, non enim in aëre gradientes ista audivistis, neque negotiosam Mathematicam perfectò adeò assecuti estis.* Præterea Christianos non fuisse illos, quorum meminit Critias, ostendit *Tryphon*, cui Autor Colloquii, Christiani personam imposuit, utpote qui Critiam jurare doceat: *Deum altè regnantem, magnum, æthereum atque æternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria.* Ille verò ipse Trypho, pallidos quos in aurata domo homines Critias invenerat, verbis amaris incessit: *Quid autem ad hæc responderunt, optime Critias, isti mente pariter, & sententiis detonsi?* Atqui consecraneis Trypho suis hanc non fecisset injuriam. Egregios scilicet Christianos, *Qui pessima optare videbantur, gaudebantque tristibus & malis perinde atque in theatro furia.* Itaque ex Luciano, neque Christianorum Basilicæ, neque illarum ornatus colligi potest.

Bar. An. 57. n. 102.

Tert. de Idol. c. 9.

Naz. Or. 3. 61.

Epiph. h. xvi.

Lucian. Philopatr.

IV. Secundo seculo præcipiti, nonnullas Christianis Ecclesias fuisse censemus, imperante fortè Commodo extructas, atque fundatas. Ecclesia verò nobis est, certum publicumque ædificium, cultui divino dicatum atque consecratum. Alia quidem mens Polydoro Virgilio fuit, Hospiniano atque Blondello negantibus circa annum CC. *Templum aliquod, Christianis esse publicè ædificatum.* Quam Clemens Alex. sententiam refellit: *Non enim nunc locum, sed Electorum congregationem appello Ecclesiam.* Vox quidem *Ecclesia* à Clemente, loco accommodari non potuisset, nisi ex usu populari sacris Ædibus imponeretur. Erant ergo Clementis ætate loci publici, sacro cultui destinati, qui nomen *Ecclesia* induerant. Qua etiam significatione vocem *Ecclesia* frequens usurpat Tertullianus: *Totâ die, ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire.* In eodem quoque Tractatu, *De adversaria Officina in domum Dei venire.* De libidinum furiis, & in corpora & in sexus ultra jura naturæ impiis: Illas, inquit, *non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus.* Quid disertius? Publicam à Septimio pingi Christianorum Ecclesiam, vero propius est: *Nostra columba domus simplex etiam in editis semper & apertis, & ad lucem, amat figuram Spiritus Sancti orientem Christi figuram.* Neque est improbabile, Christianos in extruendis Ecclesiis Judæorum attendisse Synagogas. Olim ni mirum, ut & hodie, suas Judæi Synagogas statuunt: בגבהה על עיר *in altissimo loco civitatis.* Nicomediensis quidem Basilice situm obtinuit ejusmodi, *In alto enim constituta Ecclesia, ex Palatio videbatur.* Quanquam id perpetuum non fuisse, sive loci conditione, sive alia de causa, lubentes profiteamur. Subrutarum imperante Maximino Ecclesiarum mentio est apud Origenem: *Scimus autem, & apud nos terræ motum factum in locis quibusdam. . . propter quod & persecutiones passæ sunt Ecclesiæ, & incensæ sunt.* Carthaginensis Basilicæ meminit Cyprianus: *Locuples es & dives, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis.* In Dominicum venire, est Ecclesiam ingredi, quæ Latinis *Dominicum*, Græcis κυριακὸν dicebatur. Quam Neocæsarienses significationem usurpant c. v. *Catechumenus si in κυριακὸν ingrediens.* Similiter in Actis Philippi Heracleæ Episcopi, *& Dominici foribus innixus.* In ipso Imperii capite non unam Ecclesiam fuisse, testatur Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum Epistola, in qua mentio est Presbyterorum XLVI. undè Valesio creditum, Ecclesiarum numerum illum æquasse, qui Presbyterorum erat. Nec sacræ ædis expers Palæstinæ Metropolis Cæsarea, imperante Valeriano. Marinum quippe Centurionem, *Prehensâ manu, Theotecnus Episcopus ad Ecclesiam perduxit.* Multas ubique locorum Ecclesias fuisse, quæ furente Diocletiano funditùs eversæ sunt, vel ex uno Lactantio scire possumus: *Constantius ne dissentire à majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est.*

V. Cæterùm quomodo sacræ Ædes dedicatæ sint, magnæ quæstionis est. Nullam nos aliam Basilicarum olim consecrationem fuisse existimamus, quàm quæ cultus divini celebratione peragitur: lectione scilicet Scripturæ, Psalmorum cantu, Dei laudibus, Evangelii prædicatione,

ANNO DOM. 213.

Jam secundo seculo Ecclesias Christiani possidebant.

Clem. Str. l. 7. 514.

Tert. de Idol. c. 7.

Tert. de Pud. c. 4.

Tertul. advers. Valent. c. 3.

Lact. de Mort. c. 12.

Orig. in Matth. 24. hom. 28.

Cypr. de Op. & Eleemos. 218.

Ruin. Act. 444.

Lact. de Mort. c. 15.

De Ecclesiarum consecratione.

Anno Dom. 213.

tione, sacramentorum consecratione, pietatis denique omnis exercitio. Alia Latinis insidet animo sententia, quibus Ecclesiæ suæ Templa sunt veri nominis, ad verum sacrificium perpetrandum destinata. Hinc Bonæ Purpurati scitum: *Templorum consecratio è V. Testamento ad Novum, ab Apostolis ad successores manavit.* Neque patitur id ritus, Evaristo Papæ vindicari. Hinc Baronio nostro scriptum: *Ab ipsis primordiis exorientis Christianæ Religionis, fuisse erectas sacras ædes.* Hinc dictum Shelstrato, *continuatâ utriusque legis consuetudine, Templa Deo fuisse dedicata*, cui probando, adduxit Canonem primum Londinensis Concilii, anno 1237. celebrati: *Basilicarum dedicatio, a V. Testamento initium dignoscitur habuisse, & in novo & a SS. Patribus usurpata.* Libenter tamen ab illis requiremus, velintne antiquam illam Ecclesiarum dedicationem, pompæ & ceremoniarum plenam fuisse, illustrem & splendidam, ut haberet summam speciem eam, atque dignitatem, quæ in ordine Romano describitur: *Aperto ostio, Episcopus intrans Ecclesiam cum Ministris duobus, vel tribus, dicat, Pax huic domui. Respond. Amen. Et clauditur ostium Ecclesiæ. . . , Deinde incipiat Pontifex à sinistro angulo, ab Oriente scribere per pavimentum, cum cambuca sua, alphabetum usque in dextrum angulum Occidentalem: incipiens similiter de dextro angulo Orientali, alphabetum scribat usque ad sinistrum angulum Occidentalem. Deinde veniens ante altare, dicat, Deus in adjutorium meum intende. . . Sequitur exorcismus salis . . . & miscet salem cum cinere faciens inde crucem super ipsam aquam. . . Deinde ponat vinum in ipsam aquam benedictam. . . Inde faciat crucem digito suo, cum ipsa aqua in dextera parte altaris. . . . Postea offerat in censum, & mittat oleum super altare, in medio crucem faciens, & super cornua. . . Deinde in circuitu Ecclesiæ per parietes, de dextro usque in dextrum faciat cruces cum pollice, de chrismate in XII. locis dicens, Sanctificetur hoc Templum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sua sunt huic & consecrationi mysteria, quorum fusam præbent explicationem, Gemma Animæ libro 1. cap. 150. Thomas, Durandus, aliique complures. Quod verò longè majus, Ecclesia & altare *adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui, unde & quidam probabiliter dicunt, quòd per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium.* Ut ad brevia veniamus, Ecclesiæ consecrandæ, instrumenta sunt reliquiæ, quæ in ea reconduntur, antequam eam Pontifex ingrediatur, aqua benedicta, oleum, chrisma, quæ magnis solemnibus ab Episcopo dispensantur. In animum verò nostrum haud inducere possumus, totam hanc ceremoniarum suppellectilem, vel illarum partem aliquam, à Clementibus, Tertullianis, Cyprianis, Episcopis denique ullis, qui ante Constantinum M. floruere, consecrandis Ecclesiis fuisse adhibitam.

Bar. An. 57. n. 99.

Shelst. Antioch. Conc. c. 4. 185.

Ordo R. p. 145.

Thom. 3. P. Q. 83. a. 3.

Consecratio Templorum à Judæis, Ethnicisque ortum habuit.

VI. Post exortum Constantinum, novi ritus irrepsere, partim ex Mosaico, partim ex Ethnico fonte deducti, quo splendidior Ecclesiarum consecratio evaderet. Romanorum Pontificibus solemne fuit Templa sua dedicare. Probè nota est eruditis Aureliani Imperatoris ad Bassum Epistola: *Ego ad Senatum scribam, petens ut mittat Pontificem, qui dedicet Templum.* Id quoque moris fuit ut Ethnicorum in Templis, Cæsarum reliquiæ reconderentur. De Severi exuviis Herodianus: *Qui novos Imperatores consalutaverant, progressi deinde, urnam quoque ipsam supplices adorabant. Ita comitati magnâ pompâ, composuerunt ipsam in Templo, ubi Marci ac superiorum Principum sacra visuntur monumenta.* Quo exemplo, placuit sacris Martyrum exuviis, afferri honorem ejusmodi. Christianorum Romam incolentium, id consuetudinis fuit, quam alii sibi proposuere ad imitandum. Ambrosius ad Marcellam sororem Epistolâ LIV. *Cùm ego Basilicam dedicare vellem, multi tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes, Sicut in Romana sic Basilicam dedices. Respondi, Faciam si Martyrum reliquias invenero.* Id igitur prius in animo constitutum habuit Ambrosius Basilicam absque reliquiis dedicare, quem rogante populo morem mutavit, repertis Gervasii & Protasii reliquiis. Quæ consuetudo Orientis etiam pervasit Ecclesias. Itaque Nicæna Synodus secunda, legem eam promulgavit c. 7. *Quæcunque Templa consecrata sunt absque reliquiis Martyrum, in iis fieri statuimus reliquiarum depositionem, cum consuetis precibus, qui autem Templum consecrat sine sanctis reliquiis, deponatur.* Quo Canone, luce clarius est, non perpetuam, non omnium fuisse consuetudinem consecrandis Templis, Martyrum adhibere reliquias. Anno DVI. unctione altarium consecrationem peractam fuisse, Agathense Concilium docuit c. 10. *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.* Sic sensim structus est immensus aliarum super alias acervatarum ceremoniarum cumulus.

Herodian. l. 4.

Priscis seculis incognita Templorum hodierna dedicatio.

VII. Brevi nunc ostendamus, trecentis amplius annis, reliquiarum, aquæ benedictæ, Chrismatis suppellectilem, ad dedicandas Ecclesias non fuisse usui. Ætate Clementis Alexandrini Christianos, nil reliquiarum in Basilicas consecrandas intulisse, locus vincit eximius, de Templis Ethnicorum: *Quæ quidem, nam nec ipsa prætereo, specioso quidem nomine Templa dici, fuisse autem sepulchra. Hoc est, sepulchra ipsa vocata fuisse Templa.* Quæ Clemens nonquam objecisset Ethnicis, si Christianorum Dominica illatis Martyrum exuviis consecrata fuissent. Etenim subinde regessissent Ethnici, Quid sunt vestræ quoque Basilicæ, nisi defunctorum sepulchra, quarum & parietibus, & altaribus vim cælestem imprimunt reliquiæ. Insolentem quoque reliquiarum fuisse sacrarum ædium consecrationem, testatur Arnobius: *Ex eo nonne patet, & promptum est, aut pro Diis immortalibus, mortuos vos colere; aut inexpiabilem fieri Numinibus contumeliam, quorum delubra & Templa, mortuorum superlata sunt bustis.* Longè majori probabilitatis specie objectum ab Ethnicis fuisset, turpiorem esse Christianorum morem, qui ex mortuorum ossibus, majestatem Ecclesiis suis, atque sanctitatem affigebant. Id sanè ritus ab Apostolorum sive instituto, sive exemplo, manare non potuit, quo Judæis iram movissent, atque indignationem. Quippe vel sanctissimorum Prophetarum ossa Templi Mosaici sanctitatem deflorassent, nedum amplificassent. Unctione porro chrismatis peractam non fuisse Basilicarum dedicationem, documento est apud Minutium Felicem Octavius, Cæcilii superstitionem irridens: *Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhærentem, sic in hac imperitia vulgaris cæcitate deserere, ut tam luculento*

Clem. Protrep. 22.

Arnob. l. 6. 54.

Vopisc. c. 31.

lento die, in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sanè, & unctos, & coronatos. Argumento atque indicio, nil chrismatis oleive, dedicandis Ecclesiis fuisse comparatum. Quo casu, *lapides uncti* Octavio non dedissent ludibrium, quibus disciplina quoque Christiana floruisset. Ignotum etiam fuisse aquæ benedictæ usum ad dedicandas Ecclesias, ex eo liquet, quòd Optatus in Donatistas invehatur, qui purgandis Basilicis, aquam sale conditam usurparant: *Jam illud quale est, quod in multis locis etiam parietes lavare voluistis, & inclusa spatia, salsâ aquâ & spargi præcepistis. O Aqua quæ dulcis a Deo creata es. . . Præscutiâ Moysi in te amaritudo moritur, & à Schismaticis, hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur.*

Opt. l. 6.

Præterea solemne fuit Ethnicis objicere, nulla Christianis esse Templa. Cæcilius: *Cur nullas aras habent, Templa nulla.* Objectionem fatetur Octavius, fatetur & Arnobius: *In hac consuestis parte, crimen nobis maximum impietatis affingere, quòd neque Ædes sacras venerationis ad Officia construamus. . . non altaria fabricemus, non aras.* Quòd si in dedicandis Basilicis, ceremoniarum Latinarum sibi pompam adhibuissent, quid tam absonum, quàm objectio ejusmodi? Quis nisi desipiat, Latinos tali fatigatione premet? Rotundè verò & absque ulla circuitione Veteres respondent, se Templa nec *exædificare, aut facere.* Objectum crimen & rationibus etiam detrudunt. Quòd si mente percurramus Basilicarum dedicationes, imperante Constantino celebratas, nil reliquiarum, nil aquæ benedictæ, nil chrismatis usurpatum reperiemus. Audiamus Eusebium, qui dedicationibus ejusmodi non semel interfuit: *Sacerdotes Dei, partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi Imperatoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant, & martyrii magnificentiam oratione persequebantur. Alii sacris Theologiæ dogmatibus, ad præsentem celebritatem accommodatis, spirituale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & mysticos sensus in lucem proferentes. Qui verò ad hæc aspirare non poterant, incruentis sacrificiis, & mysticis immolationibus Deum placabant, pro pace communi, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore, tot bonorum auctore, ejusque piissimis liberis preces Deo suppliciter offerebant.* Macario scripsit Hierosolymitano Constantinus, de ædificando Servatoris martyrio. Quòd si mos invaluisset illatis Martyrum reliquiis consecrare Basilicas, Protomartyris Stephani ossa ad hunc usum comparata fuissent, quæ tamen non antè revelata sunt, quàm labente anno CCCCXV. Honorio X. & Theodosio VI. Coss. Quâ ratione Encænia celebrarentur, docet & Athanasius. S. Præsuli instruxerant inimici calumniam, quod inscio Constantio, Ecclesiæ cujusdam fecerat Encænia. Crimen inficiatur Athanasius: *Non celebrata sunt à nobis Encænia, sed tantummodò precationum synaxis habita est. . . Locus enim ille precibus in eo fusis antè expiatus, præsentiam tuæ pietatis requirit. Hoc enim solum ei deest ad plenum ornatum.* Non aquâ benedictâ, non fuso chrismate, sed precibus locus dedicatus fuit. Quomodo & pietatis exercitiis ab Alexandro Ecclesia quoque consecrata fuit. Athanasio iterum præbeantur aures: *Idem illud à B. memoriæ Alexandro, aliisque Patribus factum, qui populi conventus habuere, & absoluto opere, gratiis Deo persolutis, Encænia celebrarunt.* Invaluit postmodum mos uti reliquiis ad dedicandum. Quod lucem fœnerat Carthaginensi Synodo V. c. 6. quæ anno CCCXVIII. coacta fuit: *Similiter de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est: id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.* Cùm in dubium adducitur, fuerintne reconditæ reliquiæ, tum ab hisce reliquiis fiat consecratio. Qua de causa etiam jubent c. 14. *Ut altaria, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri possit, evertantur.* Post annos circiter XX. loco *sacri cineris, qui ad Basilicam dedicandam necessarius erat, particulam de ligno, divinæ crucis,* Paulinus Severo misit. Sequens & ea de re legatur Epistola. Multâ dignum est observatione, anno MCCXXXVII. extitisse in Anglia Basilicas complures, unctionis expertes, quæ non obscura sunt antiquæ consuetudinis vestigia atque rudera: *Porro quia vidimus per nos ipsos, & à plerisque audivimus, tam salubre ministerium contemni, vel saltem negligi à nonnullis, dum multas invenimus Ecclesias & etiam Cathedrales, quæ licet ab antiquo constructæ, nondum tamen sunt consecratæ oleo sanctificationis, volentes huic periculosæ negligentiæ obviare, statuimus, & statuendo præcipimus, ut omnes Ecclesiæ Cathedrales, Conventuales, & Parochiales, quæ perfectis parietibus sunt consecratæ, infra biennium per Diœcesanos Episcopos ad quos pertinent, vel communi autoritate per alios consecrentur.* Cæterum præcipuè observandum, nulla olim Templa cælestibus sive mentibus, sive Angelis, posita fuisse. Audiamus Agobardum libro de Imaginibus c. XI. *Non solùm lapidi sacrificandum non est, sed nec ulli corporali, incorporalive creaturæ, nec in alicujus honorem, præter solius Dei vivi Templum construendum. . . Nonne si Templum alicui Sancto Angelo excellentissimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo?* Id verò probat Agobardus adducta B. Augustini adversus *Maximum* Manichæum disputatione. Templi quidem dedicatio Latriæ honor est, ipso Judice Augustino: *Si Templum ei facere, sicut Salomon fecit, de lignis & lapidibus juberemur, utique faciendo Templum, Latriam exhibere convinceremur.* Itaque eo Patres argumento Spiritum Sanctum ostendunt Deum esse, quia Templum ipsius sumus.

Arnob. l. 6. — *Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 45.* — *Ath. t. 1. 686.* — *Paulin. Epist. 11.* — *M. Paris. 433.* — *Aug. Ep. 66.*

VIII. De Ecclesiarum structura & situ aliquid est adjiciendum, illustrandæ antiquitati. Priscis erat in moribus, fundere preces, vultu ad Orientem converso. Cujus consuetudinis rationem Clemens affert Alexandrinus: *Quoniam autem diei natalis imago est Oriens, atque illinc quoque lux augetur, quæ primùm illuxit è tenebris, iisque qui volutantur in ignoratione exortus est dies cognitionis veritatis quemadmodum Sol oritur, ideò ad ortum matutinum habentur preces.* Ritus ejusmodi meminit & Tertullianus: *Alii planè humanius, & verisimilius, Solem credunt Deum nostrum. . . . Denique inde suspicio, quod innotuerit, nos ad Orientis regionem precari.* Morem istum ab Apostolis deductum fuisse, opinatur Autor Quæstionum apud Justinum: *Quam ob causam*, inquit, *tanquam opus veneratione dignum, & quasi habitaculum divinum esse existimamus, Solis plagam intentis in id oculis Deo hymnos, & orationes offerimus? Qui verò sunt, qui hanc con-*

Nùm traditione Apostolicâ sanctuarium Ecclesiæ Orientem respiciebat?

Clem. Strom. l. 7. 520. — *Tert. Apol. c. 16.* — *Just. Q. 118.*

ANNO DOM. 213.

consuetudinem Christianis tradiderunt. Respondit autem: *Quòd ad Orientem spectantes, precationes peragimus, non id Propheticis & Apostolicis adversatur vocibus. . . . Porro à quibus Orationem Ecclesia accepit, ab eisdem quoque ubi orare soleat consuetudinem accepit, à Sanctis nimirum Episcopis.* Itaque Elxai ascribit errorem Epiphanius, quòd vultu ad Orientem converso, precari prohiberet. Cum ergo hic ille precandi ritus à Veteribus in morem inductus fuerit, Ecclesias Orienti obverti Soli, par fuit atque consentaneum. Qua de re locus insignis est in Constitutionibus Apost. l. 2. c. 57. *Sit ædes oblonga Orientem versus, navi similis, utrinque Pastophoria in Orientem.* Autor Quæstionum ad Antiochum apud Athanasium Q. 37. *Audiant verò Fideles & discant, quòd S. Apostoli Christianorum Ecclesias Orientem versus converti fecerunt, ut ad Paradisum unde excideramus respicientes, suppliciter à Deo petamus, & à nostro Domino, ut in antiquam nos patriam, & locum unde excidimus, restituere velit.* Communiorem illum esse Ecclesiarum situm, ut precantium facies obverteretur Orienti, faciles profitemur. De eo tamen more discessisse complures instruendis Ecclesiis, experientiâ ducimur ad credendum. Servatoris Basilicam Hierosolymis condidit Constantinus Magnus, Sanctuarium autem sacramque mensam Occidenti fuisse oppositam, testis est Eusebius: *Porta tres ad orientem Solem disposita, introëuntium turbam exceperunt.* Non sacrarium igitur, non altare Orienti obvertebantur, Latinorum more. Sed & Antiochena Basilica contrarium aliis Ecclesiis situm habuit: *Antiochia autem, qua est in Syria, inversus est Ecclesia situs. Neque enim altare ad Solis ortum spectat, sed ad Occasum.* Neque diversa Tyri nsis Templi positura: *Jam verò hoc spectaculum prætervectus pluribus aliis interioribus vestibulis, aditus ad Templum patentes effecit. Rursus ad ipsos Solis orientis radios, tribus ordine januis, in uno eodem latere constructus.* Atqui vespertinos Solis radios Templi hujus tores excepissent, si sacrarium & mensa, more Latino, in Orientem fuissent obversa. Conditam à se Basilicam egregiè depingit Paulinus, Epistolâ ad Severum duodecima: *Prospectus verò Basilicæ, non ut usitatior mos est, Orientem spectat, sed ad Domini B. Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus aspiciens.* His accedat Strabonis locus, observatu dignissimus: *His & aliis exemplis edocti, cognoscimus non errasse illos, vel errare, qui Templis vel noviter Deo constructis, vel ab idolorum squallore mundatis, propter aliquam locorum opportunitatem, in diversas plagas altaria statuerunt, quia non est locus, ubi non sit Deus. Verissimâ enim relatione didicimus, in Ecclesia quam apud Æliam Constantinus Imperator, cum matre Helena, super sepulchrum Domini, mira magnitudinis in rotunditate constituit; itemque Romæ in Templo, quod ab Antiquis Pantheum dictum, à B. Bonifacio Papa, permittente Phocâ Imperatore, in honorem omnium Sanctorum consecratum est. In Ecclesia quoque B. Petri, principis Apostolorum, altaria non tantum in Orientem, sed etiam in alias partes esse distributa. . . . Sed tamen usus frequentior, secundum quod & supra memoravimus, rationi vicinior habet, in Orientem orantes converti, & pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constitui. . . . Unusquisque in sensu suo abundet. Propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.* Hinc patet temeritatis non

Epiph. h. 19. n. 3.
Eusеb. Vit. Constant. l. 3. c. 37.
Socrat. l. 5. c. 22.
Eusеb. l. 10. c. 4.
Strab. de Reb. Eccl. c. 4.

esse omnis immune dictum Baronii: *Penes antiquos Christianos, quam inviolabiliter observatum fuisse, ut ad Orientem conversi funderent Deo preces, huncque orandi ritum ab Apostolis esse traditum.* Quippe in illis Basilicis, quarum vel sacrarium, vel altaria in Orientem non obvertebantur, precantibus Christianis Ortus occurrere non potuit. Neque traditio Apostolorum fuit, ut vultu ad Orientem converso, Fideles cæleste implorarent auxilium, à qua non deflexisset Ecclesia, sive Hierosolymitana, mater omnium Ecclesiarum, sive Antiochena, quæ Apostolorum Petri, Pauli, Barnabæ ministerio fuit edocta. Mandatum hoc fuit Apostolorum, ut *in quovis loco Christiani precarentur, puras manus attollentes.* Ac Judaicam sanè disciplinam sapit, quod certæ cæli plagæ, sacra Ecclesiæ affigantur, quo servitutis jugo nos Evangelium liberavit.

IX. Neque in ea re Baronii simplex, sed multiplex error nobis est purgandus: *Salomonis Templum*, inquit, *ad orientem Solem conversum fuisse, Aristeas testatur, ad cujus fortasse imitationem, olim ad Orientem conversas ædificare majores nostri consueverunt Ecclesias, in quibus & altaria essent ad Orientem æquè conversa.* Quæ paucula tergemino afficiuntur errore. Falsum, Templum Salomonis ad Orientem fuisse conversum: falsum, id ab Aristea scribi: falsum, uti ostendimus, Christianos omnes morem tenuisse ejusmodi, ut orienti Soli, sua & sacraria, & altaria opposuerint. De Templo Hierosolymitano videamus. Mosis Tabernaculum, quod circumductile Templum fuit, ad Occidentem, non ad Orientem convertebatur: *Qui autem castrametantur ante Tabernaculum, ab anteriore parte, ante tentorium conventus, Orientem versus, sunt Mose & Aron, cum filiis suis.* Quòd si porta Tabernaculi, Orientis è regione fuit, utique Sanctum Sanctorum Occidentem versus, necessariò converti debuit. Quo consequens est, Templum Hierosolymitanum, quod Tabernaculi situm imitabatur atque posituram, Occidentem etiam prospexisse. Orientem sanè lucem in Templi fores admissam fuisse, Propheta monet: *Tum attollens me Spiritus, adduxit ad portam domus Domini primum, qua spectat Orientem versus.* Templi igitur adyta ad Occasum convertebantur, quam & in plagam oculorum aciem dirigebant Judæi, dum suum Numen precibus ambiebant. Contrà verò qui superstitione religionem contaminabant, orienti Soli facies obvertebant suas: *Et deduxit me in atrium domus Domini interius. Ecce autem in porta Templi Domini, inter porticum & altare, quasi viginti quinque viros, quorum posteriora obversa erant versus Templum Domini. Facies autem Orientem versus, & adoratio ipsorum, Orientem versus, ad Solem ferebatur.* Sapienter à Deo constiturum fuerat, ut Judæi inter orandum, genua decidentem versus ponerent: ne Ethnicorum more, orientem Solem veneratione prosequerentur. Cujus ritus initium deduxit ab Abrahamo Maimonides: *Secundum hoc usus est Abraham monte Morija, utpote præ cæteris illis montibus eminentiore: & revelatâ ibi dedicationis ratione, & manifestâ plagâ versus quam orandum est, dedicavit eam: id est, Occidentem, quoniam Sanctum Sanctorum est in Occidente, quod innuit effatum illud; majestatem divinam esse in Occidente, uti & Rabbini nostri piæ memoriæ tradunt in Gemara Joma, Abra-*

bamum

ANNO DOM. 213.
Error Baronii.
Bar. An. 58. n. 106.
1 Timot. 2. 8.
Templumne Salomonis Orienti obvertebatur?
Error Baronii.
Bar. An. 57. n. 103.
Num. 3. 38.
Ezech. XI. 1.
Ezech. 8. 16.
Seld. de Synedr. l. 3. c. 16.

ANNO DOM. 213.

bamum scilicet dedicasse locum, quem versus est orandum, nimirum Sanctum Sanctorum etiam tunc in monte illo. Ostendit & Hieronymus, orasse Judæos, facie ad Occasum versâ: *Quæ est autem major abominatio superiorum trium scelerum? . . . Quòd contempto Domino, id est, creatore, adorarent Solem, id est, Domini creaturam, præcipiente ipso Domino per Mosem, quod nequaquam in morem Gentilium contra Orientem, Deum adorare deberent.* Eadem & Cyrillo Alex. mens est: *Templum quod erat Hierosolymis, Orientem ita respiciebat, ut orientes Solis radios statim admitteret.* Quod probat ex visione Ezechielis. Proindeque Templi fores orienti luci obvertebantur. Quid multa? De situ Templi audiatur & Josephus: *Versum autem erat ad Orientem,* hoc est, vestibulum objiciebatur auroræ: *Porro ascensum in superiorem Templi partem, sic commentus est Rex, ut cochleam in hunc usum crassitudini parietis includeret. Hæc enim pars non habebat ab Oriente magnam januam, ut inferior.* Templi quoque Hierosolymitani situm exprimebat antiquæ Judæorum Synagogæ Hinc effatum Maimonidis: *Neque fieri debent ostia Synagogæ alibi atque in Orientem, juxta quod dicitur, & qui castrametabantur ante Tabernaculum, Orientem versus, ante Tabernaculum fœderis, ad Ortum.* Hinc luce clarius est, errore liberari non posse Autorem Quæstionum ad Antiochum Q. 37. *Quanam de causa adoramus ad plagam mundi orientalem, & quare hoc faciunt Judæi versus Austrum? Ad Austrum intendere Judæis Prophetæ præceperunt, quòd ex Austro, Hierosolymæ respectu,* scilicet ex Betlehem nasciturus erat Dominus. Non enim *Austrum*, sed *Occidentem* versus adorare datum in mandatis Judæo. Perpendant nunc cordati homines, num Salomonici Templi ad imitationem, extructæ sint Latinorum Ecclesiæ, quod nobis persuadere Baronius voluit. Imò contrariæ prorsus & oppositæ sunt positiones. Templi sacrarium in Occasum vergebat: Basilicarum Latinarum Sanctuarium in Orientem respicit. Facies Judæorum ad Occidentem, Latinorum vultus ad orientem Solem vertitur. Itaque Baronius sibi prorsus repugnat, Anno LVIII. n. 105. *Judæi ad Occidentem spectantes, adorandi usum habebant.* Templi igitur vestibulum è regione auroræ fuit, situ ab illo communiori, usitatiorique Ecclesiarum penitùs diverso. Neque figmento Baronii Aristeas præsidio est: *Templum*, inquit, *spectat ad Ortum τὰ δὲ ὀπίσθια αὐτοῦ, posterioribus ad Occasum tendentibus*, quibus Aristeæ ad Philocratem verbis, Baronius coargitur. Parte enim Templi postica, quæ versus Occasum, Sanctum Sanctorum continebatur. Antica verò, quæ ingredientibus occurrebat, *auroræ* obvertebatur. Alioquin ad Orientem Judæi adorassent, quod longè falsissimum.

Hieron. in Ezech. c. 8.

Cyril. in Joan. l. 4. c. 31.

Joseph. l. 8. c. 3.

Sell. de Synedr. l. 3. c. 16.

Pastophoria.

X. Sua Ecclesiis fuisse *Pastophoria*, jam ex Pseudo-Clemente nobis auditum. Quid verò rei fuerint, paucis aperiendum. Eruditis ludibrium debet Pastophorii apud Bellarminum definitio: *Apostoli vas illud in quo sacramentum asservandum recondebatur, Pastophorium dixerunt, quòd in eo sacramento verè Christus sit, qui est verus Templi præpositus.* Egregiam divinamque sapientiam! Voces Hebraicas ועל הלשכות LXX. Interpretes, Græcè reddunt καὶ ἐπὶ τὰ παστοφόρια. לשכה verò Hebræis *cubiculum*, *cella*. Quæ vox sæpius in Scriptura usurpatur. Pastophorium probè notum Autori apocrypho Libri Esdræ: *Cum autem surrexisset Esdras, ex aula Templi, abiit in Pastophorium Jonæ Filii Eliasib.* Id vocabuli adhibuit & Josephus: *Quartâ verò turris supra verticem παστοφορίων Pastophoriorum condita erat.* Hieronymus in Ezechielem c. XLII. *Inductus autem est in Gazophylacium, sive ut LXX. transtulerunt, exedram, vel ut Theodotio παστοφόριον, quod in thalamum vertitur, quod erat contra separatum ædificium.* Suidas Pastophorium describit, *Id quod fert τὸν παστὸν, id est, thalamum nuptialem.* Delirat igitur quisquis ille est, qui vas *Pastophorium* esse statuit. Aliâ notione Pseudo-Clemens nos informat: *Sit ædes oblonga . . . utrinque Pastophoria in Orientem.* Quæ suâ sic illustrat explicatione Joannes Carolus Bovius, Ostunensis Episcopus: *Pastophoria existimo fuisse Tabernacula quædam, quasi armaria in fronte Templi, utrinque posita, in quibus Eucharistia, vestes, & vasa sacra condebantur.* Non satis accuratè. Pastophorium igitur illud est, quod Latinis *Secretarium* appellatur. Ædicula erat sive thalamus, in quo Ecclesiæ suppellex recondebatur, & Clerici recipiebantur. De Martino Sulpitius: *Mansionem ei in secretario Ecclesiæ paraverunt.* Id forte thalami Matisconensibus Patribus in mentem venisse videtur: *Ut nulla mulier in cubiculo Episcopi, absque duobus Presbyteris, aut certè Diaconis ingredi permittatur.* Gemina verò fuisse pluribus saltem in Ecclesiis *secretaria*, sive *Pastophoria*, testis est & Severus: *Secretarium ingressus, cùm solus, ut erat consuetudo, resideret . . . cum quidem in alio secretario Presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati.* Secretariorum & locum, & officium indicat Paulinus, Epistolâ ad Severum XII. *In secretariis verò duobus, quæ supra dixi, circa absidem esse, hi versus indicant officia singulorum:*

Bell. rom. de Euch. l. 4. c. 4.

1 Paral. 23. 28.

Nehem. XIII 5. Jerem. XXXV. 4.

Esdr. l. 1. c. 9.

Joseph. de B. l. 5. c. 9.

Constit. l. 2. c. 57.

Sulp. Epist. 1.

Matisc. 1. c. 2.

Sever. Dial. 2. c. 1.

A dextra Absidis:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri, pompa ministerii.

A sinistra ejusdem:

Si quem sancta tenet meditanda in lege voluntas;
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Secretarium, sive Pastophorium, ab usu *salutatorium* quoque dicebatur, quo nomine illud afficit Theodoritus. Accedit Theodosius ad Ambrosium, qui in ἀσπαστικῷ, *salutatorio* residebat. Gregorius quoque Turonensis: Eparchio, inquit, *Sacerdoti, in ipso quod modo salutatorium dicitur, mansio erat.* Pallii usum præscribens, Mariano Ravennæ Archiepiscopo, hæc scribit & Gregorius Magnus: *Quo non aliter uti memineris, nisi in propria tua civitatis Ecclesia, dimissis jam filiis procedens à salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda. Peractis verò Missis, idem in salutatorio curabis deponere.* Hic nempe Fidelium, à quibus Clerici salutabantur, oscula excipiebantur. Quem Augustinus locum innuit: *Ad me curritur, ubi sedebam jam processurus . . . ingreditur etiam ipse Paulus, cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum.* Alia sunt & nomina Pastophorio indita, quod Græcis σκευοφυλάκιον, Latinis *receptorium* nuncupatur. Legatur Sidonii Apollinaris *Epist. l.* V. c. 17.

Theodorit. l. 5. 18.

Greg. l. 4. Epist. 54.

August. de Civ. l. 22. c. 8.

ANNO DOM. 214.

ANNO U. C. 967. PER. JUL. 4927. JUL. 259. DOM. 214. CARACALLÆ 3. & 4. *Sol.* 27. B. *Lun.* 6. *Indict.* 7. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

COSS. *Silius Messala & Sabinus.*

Acta Caracallæ in urbe. Caracallæ.

I. BAssianus ex Gallia Romam reversus, *Caracalla cognominatus est, propter genus vestis, quod Roma erogaverat. Et è contrario caracalla ex ejus nomine Antoniana dicta*, docente Cassiodori Chronico, nec non Spartiano c. 9. Vestis erat ad talos usque demissa: *Coegitque plebem ad se salutandum indutam talibus introire*, ut scripto prodit Victor in Epitome. Aliam tamen caracallarum figuram fuisse, Dio prodidit, (Dio l. 78. 881.) & alio etiam tempore usurpatam. Penulæ species erat, *ex multis partibus consuta, quâ & semper indutus erat*, & milites tegebantur. Caracallarum non unum genus fuisse, est probabilissimum. Vestimentum quod populo dederat, *demissum usque ad talos*, docet Spartianus c. 9. Quæ longitudo militibus impedimento fuisset. Breviores igitur erant & caracallæ, docente Hieronymo Epistolâ CXXVIII. *Efficitur palliolum mira pulchritudinis, perstringens fulgore oculos in modum caracallarum, sed absque cucullis.* Talari veste milites expediti non fuissent ad cursum & prælia. De caracallis inspiciantur Casaubonus atque Salmasius. Bonis tamen moribus se non ornavit monstrum hominis. Vestales occidit quatuor, ex quibus quantum in ipso fuit, unam vitiavit, nomine Claudiam Lætam, quæ viva sepulta est, cùm tamen altum exclamaret, (Dio l. 77. 877.) Scire ipsum Antonium se Virginem esse. Cùm Circenses spectante eo, Populus Romanus in aurigam, cui studebat, nonnihil cavillatus esset, ratus illatam sibi contumeliam, repentè omnem exercitum facere impetum jussit in populum, occidereque qui aurigæ convitiati erant. Milites acceptâ vim inferendi potestate, quinam protervius essent locuti, non inquirunt, sed obvium quemque interficiunt, qui omnibus ereptis, quasi salute redemptâ, vivos ægre dimittunt. His Actis Italiâ discedens, ad ripas Danubii pervenit. Ibi corpus exercebat aurigando & venando. Nullum etiam non militiæ genus obiit. Si quid fodiendum foret, primus fodiebat. Tenui mensâ, ac ligneis poculis contentus erat. Tritico quantum satis uni foret, suâ manu molito, massâque inde factâ atque in carbonibus decocta, vesci solebat. Raró vehiculum equumve conscendens, pedibus iter faciebat, armis onustus suis. Tum gratius esse sibi commilitonem ab exercitibus quàm (Herodian. l. 4.) Principem vocari simulabat. Quibus famam fortissimi viri sibi comparavit.

Victoria Caracallæ de Alamannis.

II. Ex hostibus, illos qui corporis viribus præstarent ad singulare certamen invitavit, quasi victoria in militis officio, laboribusve posita esset; cùm interim boni Imperatoris officio minimè fungeretur. Bellum gessit cum Kennis, qui tanto in Romanos impetu irruebant, ut Osrenorum tela, quibus vulnerabantur, dentibus ex corpore evellerent, ne intereà manus à cædendo Romano milite averterent. Horum captæ uxores, à Caracalla interrogatæ, Utrùm vendi mallent an occidi, Mori se malle, responderunt; cùmque essent posteà venditæ, omnes mortem sibi consciverunt, nonnullæ etiam unà filios interfecerunt. Non semper usus est felici pu- (Dio l. 77. 876.) gnâ. Barbaris enim redempto magnâ pecuniâ libertatis nomine, ut salvus se in Germaniam reciperet, impetravit. Hostibus juncti erant Alamanni, gens populosa, quam *ex equo mirificè pugnantem, prope Mœnum omnem devicit.* (Spart. c. 10.) Itaque *Alemannici* nomen assumpsit. Hæc est antiquissima Alemannorum in historia Romana mentio: gens cujus nomen ætate Vopisci, qui imperante Diocletiano scripsit, percelebre fuit. Porro astù omnes sibi Germanos conciliavit, ut ex his socios bellorum & custodes corporis, validissimum quemque & pulcherrimum sibi asciverit. Sæpè etiam Romano cultu deposito, vestem Germanicam induebat, flavamque capiti (Herodian. l. 4.) cæsariem imponebat.

De Calicum Ecclesiæ, & pictura, & materia.

III. Quibus vasculis Ecclesia preciosum consecraret Christi sanguinem, res est cognitione dignissima. Legimus apud Tertullianum: *A parabolis licet incipias, ubi est ovis perdita, à Domino requisita, & humeris revecta. Procedant* (Tertull. de Pud. c. 7.) *ipsa picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrùmne Christiano, an Ethnico peccatori, de restitutione colliniet.* Quæ de calicibus, & communibus & sacris esse accipienda putamus. De Emblematibus ejusmodi Eusebius: *Vidisses in fontibus, qui sunt in medio foro, boni Pastoris imagines, divinorum oraculorum peritis notissimas.* (Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 49.) In vasculis, effigies quoque Apostolorum impressas fuisse tenemus: *Et reverà in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo Saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare.* (Hieron. in Jon. c. 4. 142.) Sacros quoque calices boni Pastoris effigie perditam ovem requirentis ornatos fuisse putamus, ut hoc veluti Symbolo, & in peccatores Pastorum mansuetudo commendaretur & crudelissima Montani disciplina proscinderetur. Peculiares Orthodoxis fuisse calices ejusmodi, perspicuè docent verba Septimii: *Procedant ipsa picturæ calicum vestrorum.* Quibus in picturis exultat Baronius atque triumphat: *Apertissimè declaratur*, inquit, *sacrarum* (Bar. An. 216. n. 14.) *imaginum usum fuisse communi consensu Fidelium in Ecclesia antiquitus consecratum.* Animum tamen advertere debuit picturas, quæ symbolicæ sunt, vel ornamenti causâ fiunt, *sacrarum imaginum* numero esse ejiciendas; quia neque sui causâ, ut sint venerationi, neque ut exemplaris sui vultum reddant, in Ecclesia collocantur. Eo fine instituuntur, ut & decoris addant aliquid, & virtutis speciem aliquam ingenerent in animo: *Quoties enim figura aliqua veluti appendix & ornamentum alicujus operis ponitur, ad nullam sui adorationem movet*, ut sapienter observatum Vasquesio Disputatione 104. c. 6. Itaque Judæorum disciplina imaginibus nuda erat, licet Templum compluribus figuris repleretur, quia in ornatum cedebant, ænigmaticumque documentum. Neque *calicum pictura*, utut Ethnicis benè notæ, impedimento fuere, quominus Christianis objicerent, apud ipsos imagines deprehendi nullas, quia neque consecratæ erant, neque adorationi expositæ. Propterea Tertullianus imaginibus infestissimus, picturas ejusmodi Orthodoxis non exprobravit, quas à simulachrorum censu, & natura, sciebat esse alienissimas. Vitreum igitur est argumentum, quod pro *antiquitate sacrarum* imaginum, ex Ecclesiæ calicibus ducitur, ipsis sanè longè fragilius. Porro non ex uno Tertulliano discimus, quânam materiâ calices sacri consisterent. Vitrea quoque fuere pocula vino temperata, quæ impurus ille Magus Marcus, Ecclesiæ ad exem-

plum adhibuit. Efficiebat enim *ut purpurea rubraque apparerent*, quasi ad ejus invocationem Christus suum in illa sanguinem instillasset. Vitrea erant & in Gallia. De Exuperio Hieronymus Epistolâ IV. *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Cyprianus non Martyr ille Carthaginensis, sed Gallus in vita Cæsarii Arelatensis, *An non in vitro habetur sanguis Christi.* De Nonnoso monasterii in monte Soractis Præposito, Gregorius testatur ipsum imitatum fuisse: *In reparatione lampadis, virtutem Donati qui fractum calicem pristinæ sanitati restituit.* Non inficiamur tamen, aliquando solidiorem calicibus fuisse materiam. Adhibitos & ligneos Synodus Triburiensis ostendit c. 18. *Statuimus ut deinceps nullus Sacerdos, sacrum mysterium corporis & sanguinis Domini, in ligneis vasculis, ullo modo conficere præsumat.* Ex auro argentoque conflatos fuisse calices, quos Donatistæ fregerunt, ostendit Optatus: *Hoc tam immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores, quorum species revocastis in massas.* Qui vitreis portando Christi sanguini poculis utebantur, à fide *præsentia*, ut aiunt, realis, alieni non esse non potuere. Secus solidiori materia providissent, ne sacer ille cruor tam facilè effunderetur.

Epiph. h. 34. n. 2.

Gregor. Dial. l. 2. c. 7.

Optat. l. 6.

ANNO DOM. 215.

ANNO U. C. 968. PER. JUL. 4928. JUL. 260. DOM. 215. CARACALLÆ 4. & 5. *Sol.* 28. A. *Lun.* 7. *Indict.* 8. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 7. P. *April.* 2.

COSS. *Æmilius Latus, & Anicius Cerealis.*

Acta Caracallæ in Dacia.

I. DUm expeditionem in Orientem parat Bassianus, omisso itinere aliquandiu resedit in Dacia. Quo tempore de Getis victoriam consequitur. Cùm sibi Germanici, & Parthici, & Arabici, & Alemanici nomen ascriberet, recitanti Faustino Prætori, Sarmaticus Max. filius Pertinacis, Pertinax dixisse dicitur: *Adde & Geticus Maximus.* Quod cum ingressu Caracallæ in Curiam, ut Geticæ mortis rationem redderet, perperàm jungit Spartianus. Jam relata erat de Getis victoria, quos pro Gothis Spartianus habet, ut posset locus esse dicterio. Germanici nomen, quod vivo patre fuerat consecutus, iterum assumpsit non sine ludibrio. Erat enim res ridicula, Germanicum dici velle eum qui fratrem occidisset. Daciâ profectus per Thraciam, cum Præfecto Prætorii iter fecit, inde cùm in Asiam trajiceret, naufragii periculum adiit, antennâ fractâ, ita ut in scapham cum corporis custodibus descenderit, unde in triremem à Præfecto classis receptus evasit.

Spart. Get. c. 6.

Spart. c. 5.

Caracalla Alexandri Magni memoriam colit.

II. Sub idem tempus Alexandri Magni memoriam adeò dilexit, ut Romam, Capitolium, Templa universa simulachris ejus repleverit, quorum nonnulla duas facies præferebant Antonini & Alexandri. Prodibat Macedonio habitu, causiam supra caput gestans, & crepidas indutus, ac lectissimam juvenum manum in exercitu phalangem Macedonicam appellabat, jussis Ducibus, nomina sibi Ducum Alexandri imponere. Neque his contentus, Alexandrum Orientalem Augustum appellavit. Scripsitque ad Senatum, animum ejus in corpus suum migrasse, ut in eo diutius viveret. Aristotelis discipulos magno odio persecutus, libros etiam comburi voluit, quod Alexandro mortis Autor fuisse videretur. Pergamum adiit, ut Æsculapii curationibus uteretur. Quò postquam pervenit, somnis quandiu voluit captatis, Ilium petens, ad Achillis tumulum processit. Eoque coronis floribusque magnificè exornato, imitari Achillem cœpit. Patroclum desiderante aliquem, libertorum omnium charissimus Festus extinguitur. Cujus cadaver efferri jussit. Ipse rogo subjecit ignem, vinumque libans, ventos precabatur. Cùmque raro esset capillo, crinem tamen quærebat, ut imponeret ignibus. Ex iis tamen quos habebat capillis aliquos totondit. Ilio decedens, Nicomediam venit, ubi Saturnalibus epulum dedit, cui Dio interfuit Historicus, postquam mensæ remotæ erant, recitavit Euripidis carmen, quo veluti vaticinio quodam, fata sua cecinisse visus est. Denique hyemem in ea civitate transegit, in qua plurima fecit, & Principe & homine indignissima.

Herodian. l. 4.

Dio l. 77.

Herodian. l. 4.

Synodus Africana sub Agrippino.

III. Africanum de renovando Hæreticorum baptismo Concilium, cui præfuit Agrippinus, hoc anno celebratum fuisse, Baronii sententia est, in quam descendunt complures de grege eruditorum. Nos verò antiquius esse credimus, cùm Agrippini disciplina prius imbutus fuerit Tertullianus, quàm relictâ Ecclesiâ Montani migraret in factionem: *Unus omninò baptismus est nobis, tam ex Domini Evangelio, quàm ex Apostoli literis, quoniam unus Dominus, & unum baptisma, & una Ecclesia in Cælis. Sed circa Hæreticos sanè quid custodiendum sit, dignè quis retractet, ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur, ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere, quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis & illis, nec unus Christus, id est, idem; Ideoque nec baptismus unus, quia non idem.* Quibus non privatam sibi opinionem, sed quæ Afrorum Carthaginensiumque animos imbuerat, exponit Septimius. Secus ut disciplinæ violator, atque perturbator, à Carthaginensi Clero, suo & loco, & Ecclesiâ pulsus fuisset. Insuper si fons principiumque fuisset renovandi in Africa Hæreticorum baptismi, sitne verisimile tot Episcopos Africæ, & Numidiæ conjurasse, ut in disciplinæ veteris perniciem, coactâ Synodo grassarentur, eo tempore quo Tertullianus in Catholicos debacchabatur? Quòd si ex Tertulliano Agrippinus opinionem hausit, quam à Concilio Africano novimus stabilitam, illi sanè ex Tertulliani odioso nomine invidiam commovissent, quod à Veterum ullo, quantum scire datur, factum esse non invenimus. Imò Vincentius Lirinensis huic sententiæ quidem *Agrippinum*, non *Tertullianum*, autorem se præbuisse memorat: *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem, rebaptizandum esse censebat.* Augustinus quoque saluberrimæ, ut ait, consuetudini, primam ab Agrippino labem illatam esse tradit: *Verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, quàm corrigi.* Atqui novitatis ejus *primus* Tertullianus accusari debuisset. Denique Epistolâ Cypriani anno CCLVI. Jubaiano scripta, indicat Synodum Carthaginensem ab Agrippino antè currentem annum fuisse coactam: *Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab Hæreticis ad Ecclesiam veniunt; quando multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Episcopi plurimi,*

Tert. de Bapt. c. 15.

Vincent. Com. l. 1.

August. de Bapt. l. 2. c. 7. 8.

Cypr. Epist. 73.

ANNO DOM. 215.

rimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia Hæreticorum in Provinciis nostris ad Ecclesiam converserum, non aspernati sint, neque cunctati, imò & rationabiliter & libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis, & salutaris baptismi gratiam consequerentur. Longa hæc ætas totque Hæreticorum ad frugem venientium millia, quorum meminit Cyprianus, intervallum temporis longius designant, quàm ut ab anno CCXV. repetatur. Itaque etsi annum ignoremus, secundo tamen seculo Agrippini Synodum ascribimus, ad quam mentis suæ direxisse aciem videtur & Tertullianus, in verbis supra laudatis. Neque nostram Augustinus Chronologiam impugnat, utpote qui mutatæ disciplinæ Autorem Agrippinum dicat: *Quam tamen consuetudinem, nisi prior antè Agrippinus, & nonnulli per Africam Episcopi ejus, etiam per Concilii sententiam describere tentavissent, non auderet iste* (Cyprianus) *saltem ratiocinari adversus eam.* Quò consequens est, Agrippinum Tertulliano, non Tertullianum Agrippino sectarium fuisse. Tertullianus verò ante annum ducentesimum, librum de Baptismo suum confecit. Hæc igitur verba Augustini: *Consuetudinem tam robustam antea Cyprianus invenit, ut cum ejus mutanda autoritatem quam sequeretur, vir tantâ scientiâ præditus quæreret, nonnisi in Africa sola factum paucis ante se annis, Agrippini Concilio reperiret.* Verba hæc, *paucis ante se annis*, comparatè ad veterem consuetudinem, quam ex Apostolis deducit Augustinus, sunt intelligenda. Septuaginta enim circiter annorum antiquitas, quibus Agrippini Synodus Cypriani Episcopatum antecedit, pro novitate *paucisque annis* habetur, facto ad Apostolicæ traditionis ætatem respectu.

August. de Bapt. lib. 2. c. 9.

August. l. 4. Cont. Don. c. 6.

IV. Porrò Agrippini de Hæretici baptismi reiteratione constitutio, quæ magnos in Ecclesia motus postmodum attulit, disciplinæ quæstio fuit, fidei non fuit. Constabat Afris omnibus, baptismum esse unum, nec absque sacramenti injuria posse renovari. Esset verò Hæreticorum lavacrum baptismus, nec ne, immensæ difficillimæque quæstionis est, quæ certis perspicuisque Scripturæ oraculis definiri non potest. Imò cùm è finibus Ecclesiæ pelli debeat Hæreticus, jubente Paulo, hinc colligi posse videtur fidei proditores jus non retinuisse dispensandorum sacramentorum, non baptismi magis quàm Eucharistiæ. Quam Tertullianus rationem urget. Extranei baptismum, *Cùm ritè non habeant, sine dubio non habent . . . ita non possunt accipere, quia non habent.* Erat & hoc in more positum apud Judæos, ut Samaritanorum circuncisionem renovarent, teste Epiphanio: *Sic ut velim id moris esse, ut qui à Samaritanis ad Judæos transeunt, aut vicissim qui ad Judæos à Samaritanis confugiunt, novam circuncisionem suscipiunt.* Fuit autem circuncisio non secus ac baptismus, signum & sigillum fidei, insitionisque in Ecclesiam sacramentum. Quid ni igitur, ut circuncisio, sic Hæreticorum baptismus renovari potuit? Arduam sanè quæstionem fuisse, fatetur Augustinus: *Irruente itaque tam magnâ quæstione, cùm de remissione peccatorum, & de spirituali hominis generatione, utrum posset apud Hæreticos vel Schismaticos fieri, difficile ratio redderetur, & præcederit autoritas Agrippini, & nonnullorum qui ei consenserant hominum in hac quæstione deficientium, qui maluerant aliquid novum moliri, quam retinere consuetudinem, cujus defensionem non intelligebant, irruerunt in oculos animæ verisimiles rationes, & intercluserunt iter pervestigandæ veritatis.* Ad fidem quæstionem eam non pertinuisse, sciscit cum Cypriano Synodus Africana: *Cæterum scimus quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus; cum habeat in Ecclesiæ administratione, voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Paria geminaque habet Concilium Carthaginense, quod Episcopis 87. constabat. Legem verò promulgassent in adversarios, si in articulis fidei hanc Quæstionem habuissent. Itaque nulla in Stephanum excommunicationis fulmina torsit Cyprianus, quod dubio procul fecisset, si fidem ab illo deflorari, persuasum habuisset. Hoc observatum Hieronymo in Dialogo adversus Luciferanos c. 9. *Sciant illum* (Cyprianum) *hæc non cum anathemate eorum qui se sequi noluerunt, edidisse.* Neque Nicæni Patres, qui Canone 19. Paulianistarum baptisma renovari jubent, Afrorum damnant sententiam, qui aliorum & Hæreticorum baptismum non admittebant. Denique suo loco planum faciemus Dionysium, Petrum, Athanasium Alexandriæ Episcopos, Basilium M. aliosque Cypriani adhæsisse disciplinæ, quos Hæreticis apponere non sustinemus.

Quæstione fidei fuerit, rebaptizandi Hæreticos Afrorum consuetudo?

Tert. de Bapt. c. 15.

Epiph. de Mens. n. 16.

August. Cont. Don. l. 2. c. 7. 8.

Cypr. Ep. 72.

ANNO U. C. 969. PER. JUL. 4929. JUL. 261. DOM. 216. CARACALLÆ 5. & 6. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 8. *Indict.* 9. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 1. & 2. P. 21. *April.*

ANNO DOM. 216.

COSS. C. *Atius Sabinus II. & Cornelius Anullinus.*

I. DUm in Oriente Caracalla versatur, ingens opus molitur, thermas Antonianas, quas hoc anno ædificavit, teste & Hieronymi, & Cassiodori Chronico: *Opera Romæ reliquit, thermas nominis sui eximias, quarum cellam soliarem architecti negant posse ullâ imitatione, quâ facta est, fieri. Nam ex ære, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus concameratio tota concredita est.* Has quoque thermas miratur apud Photium Olympiodorus Historicus: *Sed & lavacra publica ingentis prorsus fuere magnitudine, è quibus quæ Antoniana nominantur thermæ, ad commodiorem lavantium usum, mille sexcenta habuerunt sedilia, è marmore polito facta.*

Thermæ Antonianæ.

Spart. cap. 9.

Phot. Cod. 80. 198.

II. Dum Nicomediæ versatur Bassianus, hyemis molestias compotationibus diluit. Currus agitabat, bestias cædebat, gladiatorem more pugnabat, ad ebrietatem usque potabat. Præsentibus qui sequebantur Senatoribus, cibos vinumque in pateras, & calices infusum, ad milites quibus custodiebatur mittebat. His confectis, nonnunquam jus reddebat. Ac cùm Julia tot in milites sumptus fieri quereretur, diceretque non amplius modum pecuniæ conficiendæ, nec justum, nec injustum esse relictum, gladium ostentans, *Bono*, inquit, *animo esto mater: nam nobis quamdiu hunc habebimus, pecunia non deerit.* Finxit etiam ipsi nummus adulterinus, nam pro argento, aurove, quod Senatoribus daret, plumbum argentatum,

Acta Bassiani Nicomediæ.

ANNO DOM. 216.

& æs inauratum parabat. Duas ingentes confecit machinas, ad bellum Parthicum & Armeniacum, ut eas dissolutas navibus in Syriam mitteret. Ubi Antiochiam pervenit, voluptatibus hujus urbis diffluens, querebatur se in gravissimis laboribus, periculisque versari, Senatumque increpabat quasi otiosum. Ad extremum scripsit in hanc sententiam: *Scio vobis mea non placere. Propterea arma & milites habeo, ut rumores qui sparguntur, non curem.*

Dio l. 77. 875. & 876.

Dio l. 77. 879.

Bellum Caracallæ cum Armeniis.

III. Interea bellum Parthis inferre voluit. Belli causa fuit, quod Vologæsus Antiochum & Tiridatem, quos poscebat ad supplicium, non dederat. Antiochus Cilix erat, secta Cynicus, qui militibus frigore torpentibus, ut animum incuteret, in nive sese volutaverat. Quam ob rem, cùm à Severo Caracallaque multum accepisset pecuniæ, ad Parthos dein cum Tiridate defecerat. Destitit à bello, postquam à Parthis utrumque recepit. Dissidium erat Regi Armeniæ cum filiis, quos veluti inter eos pacem facturus accersivit. Regem & uxorem ejus conjecit in vincula, sperans ea via facile regnum invadi posse. Armeni tamen arma capere quàm ad eum deficere maluerunt. Militibus Dux imponitur. Theocritus servo natus, & à pueris in orchestra exercitus, sed tantæ apud Bassianum autoritatis, ut Præfectis Prætorio superior esset. Qua fretus, multos impune interfecit, quorum unus Titianus Procurator Alexandriæ, in quem cùm distrinxisset gladium, Id, inquit, ut gladiator fecisti. Impurum hunc hominem Armeniaco bello præfecit Bassianus, quod infeliciter ab eo gestum est.

Dio l. 77. 875.

Dio l. 77. 879.

Abgarum Bassianus in carcerem ducit.

IV. Non novum Caracallæ fidem frangere. Ante bellum Armeniacum, Abgarum Osroënorum Regem, qui ad ipsum ut amicum venerat, miserat in vincula. Capto Rege, Osroënem in potestatem facillimè redegit. Edessæ coloniam imposuit. Non extinctum tamen hoc regnum fuit. In Eusebiano Chronico anno CCXVII. *Abgarus vir sanctus regnavit Edessæ, ut vult Africanus.* In Nummis Gordiani, ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ cum capite Regis Barbari tiaram gestante.

Bassiani in Alexandrinos crudelitas.

V. Relicta Antiochia, Alexandriam Bassianus petit, specie quidem & videndæ urbis ab Alexandro constructæ, & consulendi patrii Alexandrinorum ominis; reverà tamen ut illos ulcisceretur. Nuntiatum sibi audierat, homines suapte natura dicaces, multa in eum dixisse, nec dissimulata fraterna cæde. Matrem etiam Jocastam vulgò appellasse. Quibus accensus, vindictam meditatur. Ingredientem magnificè excipiunt, tædarum gestationibus, & florum sparsionibus honorant, musicæ harmonia, suffituumque odoribus aditus omnes complent. Ubi in urbem pervenit, victimis in Templo prius immolatis, ad Alexandri monumentum se contulit, paludamentumque purpureum, annulos gemmis conspicuos, aliaque elegantiora dempta sibi, imposuit tumulo. Ut vidit maximam ex vicinis regionibus multitudinem in urbem confluxisse, monuit edicto, ut in planitiem quandam juventus universa conveniret, velle affirmans, se in Alexandri honorem, ipsius Herois cognomento, phalangem construere. Tum Bassianus singulos inter se distantes juvenes contrectans, præteribat, donec universos eos circumveniret exercitus. Ac signo dato, inermem juventutem & quotquot aderant, milites interficiunt. E militibus alii cædem faciebant, alii foveis ingentibus cadavera obruebant. In eas complures semivivi protrahebantur, multi adhùc integri detrudebantur. Periere & militum nonnulli, à morientibus in foveam tracti. Ex cæde rivi sanguinis, per planitiem decurrentes, Nili fauces infecere. In urbe quoque cædes plurimæ, diu noctuque factæ sunt: mercatorum facultates direptæ, fana quædam expoliata, quorum magnam partem imperabat Bassianus, è Templo Serapidis in quo agebat. Ad Senatum scripsit, non referre, qui & *quot essent occisi, quia omnes idem meriti fuissent.* His confectis, spectacula, publicaque convivia Alexandrinorum sustulit, orbemque muro duas in partes dividi jussit, & castellis muniri, ne securè impostèrum cives ad se mutuò accederent.

ANNO DOM. 216.

Herod. lib. 4.

Dio l. 77. 880.

Parthiam Bassianus vastat.

VI. Perpetratis tot sceleribus, venit Antiochiam. Erat in votis, de Parthis debellatis gloriam sibi comparare. Ergo in altissima pace hoc machinatur. Regi scribit Artabano, Velle se filiam ejus in matrimonium ducere. Quam Parthus conditionem eùm respueret, quòd sciret Bassianum verbotenus ambire nuptias, reverà regnum cupere, subito in Parthiam fit irruptio. Arbela subigit, castella diruit, sepulchra Regum Parthorum, abjectis ossibus, diruit. Barbari fugerunt in montes, & trans Tigrim, ut se ad bellum compararent. Joculare est, quod à Dione de duobus militibus scripto proditum. Utrem vini plenum rapuerant: cùm uterque prædam sibi vindicarent, ad Imperatorem venere ut judicium interponeret. Jussi ab eo vinum partiri, strictis gladiis, utrem secuerunt. Defessis rapiendo cædendoque militibus, Bassianus revertitur in Mesopotamiam. Edessâque Senatui significat, subactum à se Orientem. Tum Patres Conscripti, metu atque assentatione, cunctos illi honores victoriæ decernunt.

Dio l. 77. 881.

Oppianus Poeta.

VII. Oppiano Poetæ per celebri annum currentem fatalem fuisse, conjectura vero propior est. Obiit enim triginta annos natus, circa finem Imperii Caracallæ. Error est Eusebii, quem Hieronymus, Suidas, aliique imbibeburunt animo, Oppianum imperante M. Antonino floruisse. Ad annum Dom. CLXII. *Oppianus, Cilix Poeta cognoscitur, qui Haleutica miro splendore conscripsit.* Quem Sozomenus errorem coarguit: *Severus verò, cum Oppiano singulos aureos, pro singulis versibus Poematis, & quidem mediocris donavisset, ea liberalitate tantopere omnes obstupefecit, ut Oppiani carmina à plerisque etiamnum aurea nominentur.* Pro suis ergo carminibus omnibus accepit *viginti millia nummorum aureorum.* Suidas *ex urbe Coryco*, alii *ex Anazarbo*, Oppianum fuisse tradunt. Scripsit Haleutica, id est, piscatoria, libris quinque: Venatoria lib. 4. de Aucupio lib. 2. Non Marco Aurelio Antonino, sed Antonino Caracallæ Haleutica nuncupavit. Itaque *Julia Domina* meminit, quæ Caracallæ mater fuit.

Euseb. Chron.

Sozom. l. 1. 394.

ANNO U. C. 970. OLYMP. 249. PER. JUL. 4930. JUL. 262. DOM. 217. MACRINI 1. Sol. 2. E. Lun 9. Indict. 10. Epact. 4. Epact. Sol. 3. P. 13. April. — ANNO DOM. 217.

COSS. C. *Bruttius Præsens & T. Messius Extricatus II.*

In Bassianum Macrini conjuratio.

I. ERant Caracallæ duo Præfecti Prætorio. *Adventus*, qui perperàm apud Herodianum

Anno Dom. 217.

num *Audentius* scribitur, stolidus quidem, sed artis militaris peritus, atque Macrinus. Audito illum usurpare cibos liberaliores, vilissimaque quibus Bassianus delectabatur, cibaria aspernari, vestemque ad urbanum modum gestare, quasi degenerem ipsum morboque muliebri laborantem, calumniabatur, minitans etiam occisurum. Quibus vehementer exacerbatus Macrinus, aliam prætereà causam habuit, cur contra Principem conjuraret. Insidiarum metu Dæmonum arcana, aruspicum ope scrutari Caracalla conabatur. Veritus tamen ne ad assentationem vaticinarentur, Flavio Materniano, qui rerum ipsius curam in urbe gerebat urbanisque militibus præerat, scribit, Magos undique optimos conquirat, ut evocatis manibus de fine ipsius vitæ consulant. Maternianus, sive id Manes significaverant, sive Macrinum perosus, rescribit Principi, Macrinum esse, qui insidietur imperio. Bassiano ad aurigandum intento, tabellarii reddunt integrum Epistolarum fasciculum. Quocirca imperat Macrino, ut ipse literas seorsim inspiciat. Solutis Epistolis, Macrinus in eam incidit, quæ legenti perniciem afferebat. Subtractâ eâ Epistolâ, cæterarum argumenta de more Principi renunciat. Sed metuens ne Maternianus iterum ea de re scriberet, ferro Bassianum occupare constituit. Paulò aliter rem exequitur Dio. Materniani literæ, ad Juliam Antiochiæ versantem perferuntur, cui mandatum erat, omnia quæ illùc pervenirent discernere, ne Epistolarum multitudo militiæ rebus intentum Imperatorem fatigaret. Aliæ ab Ulpio Juliano, qui tum Censorem agebat, rectà per alios tabellarios ad Macrinum perferuntur, in quibus scripta erant omnia quæ gererentur. Quæ cùm sibi priusquam Principi nota forent, timuit ne ob eam rem morte afficeretur.

Herodian. lib. 4.

Dio l. 78. 882.

Caracalla occiditur.

II. Ad conjurationis causas accessit, quòd *Serapio* quidam Ægyptius, paucis antè diebus palam dixerat Bassiano, ipsum brevi tempore victurum, eique Macrinum successurum. Cùm igitur Macrinus de se actum putaret, non cunctatur amplius. Centurionem *Martialem*, unum è corporis custodibus, cujus fratrem paucis antè diebus, delatum quidem, sed minimè convictum occiderat Bassianus, ideòque dolentem, ad se vocat Macrinus; studiosuque sui, ac multis obstricto beneficiis, persuadet Imperatorem occidere. Ut venit Carras, Deæque Lunæ ad Templum, distans aliquantum ab urbe proficiscitur, ventris purgandi causâ, cominibus absistere jussis, dum subligacula sibi deducit, Martialis pugione, quem celatum manu attulerat, aversum trajicit. Et cùm in ipsam juncturam ferrum incidisset, lethali vulnere periit. Fugientem equo Martialem, equites Germani assecuti, missilibus confodiunt. Obiit Caracalla, octavâ die Aprilis, feriâ III. cùm vixisset annos viginti novem, & dies quinque; imperasset verò annos sex, menses duos, dies quinque. Macrinus porrò primus supra cadaver lamentari cœpit. Tradito igni corpusculo, reliquias intra urnam conjectas, Juliæ matri ad sepulturam remisit. Hic omnium durissimus, patricida, patris, matris, & fratris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum, & maximè Prætorianorum, inter Deos relatus est. Habuit Templum, habuit Salios, habuit Sodales Antonianos. Ejus tamen memoria odio erat Senatui. Itaque non Antonini nomine illum donabant, sed *Tarautas*, qui deformis, exiguus, sanguinariusque gladiator fuerat. Defunctâ Juliâ, quæ ex urbe Antiochena à Macrino pulsa fuerat, Bassiani reliquiæ Romam illatæ sunt. Quod ex Capitolino discimus, licet corporis vocabulum perperàm adhibuerit: *Corpus Antonini Romam remisit, sepulchris majorum inferendum. Mandavit Collegæ dudum suo Præfecto Prætorii, ut munus suum curaret, ac præcipue Antoninum honorabiliter sepeliret, ducto funere regio.* Ossa tamen Bassiani in urbem invecta, noctu clam illata fuisse monumento Antoniano, legimus apud Dionem l. 78. 892. Cujus etiam narratio est Spartiani traditioni anteponenda: *Publico funere elatus est c. 9.* Tanto honore non affectus est homo, qui Senatui maximo odio erat.

Herodian. lib. 4.
Dio l. 78. 882.

Spart. Caracal. cap. 11.

Dio l. 78. 884.

Anno Dom. 217.

Capit. Macr. c. 5.

Anni Macrini.

III. Caracalla Macrinum successorem habuit. Biduo vacaverat imperium. At *quartâ die, quæ Severi natalis erat, Imperator à militibus, quasi vi coactus scilicet, creatus fuit.* Quibus Macrini imperii initia patescunt. Severus Aprilis undecimo ortus fuerat. Unus igitur idemque dies, & Severo lucem, & Macrino imperium dedit. Quod etiam Dionis autoritate declaratur: *Quarto die post imperium accepit.* Perierat Bassianus Aprilis octavo, quo incluso, quartus ab illo dies in Aprilis XI. incidit, quæ VI. feria fuit. Periit anno vitæ quinquagesimo quarto. Imperavit annum, & mensem unum, & dies viginti octo, numero ad usque tempus pugnæ ducto. Clades ejus septimo junii, anni CCXVIII. est affigenda, quæ finem attulit imperio.

Dio l. 78. 893.

Dio l. 78. 885.

Dio l. 78. 890.

Origo Macrini.

IV. Macrinus natione Maurus erat, è civitate Cæsarea, parentum origine ignobili. Pro consuetudine plerorumque Maurorum, etiam ei perforata erat auris altera. Cùm Plautiano innotuisset, primo procurator bonorum ejus factus est. Quo pereunte, præter opinionem à Cilone pro eo deprecante servatur. Severi vehiculis illis, quæ viâ Flaminiâ dispositæ erant ad cursum, Præfectus fuit. Ex Aurelio Victore primò hæc de Macrino Capitolinus suppeditat: *A Severo, remotum etiam à miserrimis officiis, relegatumque in Africam fuisse, ubi ut infamiam damnationis tegeret, lectioni operam dedisse, egisse clausulas, declamasse, jus postremò dixisse. Donatum autem annulis aureis, patrocinante liberto suo Festo, Advocatum fisci factum, sub Vero Antonino.* Hæc dubia quidem, certum tamen est eò dignitatis processisse, ut Prætorio præficeretur Papiniani post obitum.

Dio l. 78. 892.

Capit. Macr. c. 4.

Macrini mores.

V. De Macrini moribus variant Autores. Æquitatem coluisse munusque Præfecti Prætorio, optimè justissimèque gessisse, Dio testis est. At Capitolinus: *Fuit*, inquit, *superbus & sanguinarius, volens militariter imperare.* In crucem milites tulit, & servilibus suppliciis semper affecit. Duos boves miræ magnitudinis, vivos aperiri jussit, atque his singulos milites inseri, qui ancillæ stuprum intulerant. Reddidit Mezentii supplicium, vivos mortuis illigando, unde etiam in Circo in Diadumenum acclamatum:

Egregius formâ juvenis, cui pater haud Mezentius esset.

Servi illum sui non *Macrinum*, sed *Macellinum* dicebant, quòd macelli specie domus ejus vermulatum sanguine afficeretur. Vini cibique avidissimus erat, nonnunquam usque ad ebrietatem. Adhibuit tamen literatos convivio, jusque

Capit. Macr. cap. 12.

ANNO DOM. 217.

Herodian. lib. 5.

fideliter tractavit. Histrionibus & saltatoribus intentus incedebat, cum fibulis ac balteo auratis gemmarisque. Lento gradu iocedens, ac submissâ voce respondens, ut vix ac ne vix quidem exaudiri posset, Marcum Antoninum exprimebat. Uxor ipsi fuit *Nonia Celsa*, quæ castos pudicosque mores non induerat:

Capit. Macr. cap. 14.

Centum nam mœchos passa est, centumque rogavit.

Macrinus Diadumenusque Imperatores creantur.

VI. Defuncto Caracallâ, *Adventus* in Præfecti Prætorio dignitate Collega Macrino, ausus erat dicere, Imperium sibi deberi, qui Macrino ætate præstaret, sed quod nimiâ senectâ premeretur ipse Macrino libenter imperio cedere. At Macrinus non apertè quidem, nec eâ die, nec duobus sequentibus imperium invasit, ne hanc ob causam Caracallam occidisse videretur. Intereà per idoneos dispersum sibi adjunxit exercitum; pollicitus se à bello quod militibus grave erat, ipsos liberaturum. Undecimo igitur Aprilis, quasi vi coactus, suscipit imperium. Audito milites in luctu esse, quòd defuncto Caracallâ Aotoninum in Republica non haberent, quo nomine stare Romanum putabant imperium, veritus ne eorum aliquem, qui Antoninum Pium cognatione attingeret, Imperatorem dicerent, statim concionem vocat, cui talia locutus est: *Intelligo desiderium ingens Antonini nominis apud vos manere. Quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ, non multum superesse videtur ad vitam, hunc puerum Antoninum vobis autoribus nuncupo, diu vobis Antoninum repræsentaturum.* Acclamatum, *Macrine Imperator, Dii te servent, Antonine Diadumene, Dii te servent. Tu scis Jupiter, Macrinus vinci non potest. Antoninum habemus, omnia habemus.* Pro imperio, cuique militum assignat aureos ternos, pro Antonini nomine, aureos quinos, quod cunctis Quinquennalibus, se munus daturum pollicetur. Post hoc Diadumenus Antoninus Imperator dixit: *Gratias ago vobis, Commilitones, quòd me Imperio donastis, & nomine si quidem dignos & me, & patrem meum duxistis, quos Imperatores Rom. diceretis, & quibus committeretis Rempub.* Quas Macrinus promotiones militibus promiserat, duplicavit Diadumenus. *Sic profuit pecunia, cui innocentia prodesse non poterat.* Macrinus verò Severi nomen assumpsit, unde jocus extitit: *Sic Macrinus est Severus, quomodo Diadumenus Antoninus.* Tantam Macrino lætitiam attulit Antonini nomen, inditum Diadumeno, ut Noniæ Celsæ conjugi scripserit: *Quid boni adepti sumus, mea uxor, caret æstimatione. Et fortassis de Imperio me putes dicere. Non magnum istud, quod etiam indignis fortuna concessit. Antonini pater factus sum, Antonini mater facta es. . . . Dii faxint, & bona Juno, quam colis, ut & ille Antonini meritum effingat, & ego, qui sum pater Antonini, dignus omnibus videar.* Scripsit etiam Senatui, Se tutelam imperii recepisse, regimen verò retenturum, si Patribus placeat, quod militibus placuit. Lectis literis, cùm de morte Caracallæ dubitaretur, silentium fuit. Sed posteaquam constitit occisum, Senatus in defunctum velut in tyrannum invectus est. Vox una fuit, *Quemvis magis quàm parricidam, quemvis magis quàm impurum, quemvis magis quàm interfectorem, & Senatus, & populi.* Statim Macrino & Proconsulare imperium, & Potestatem Tribunitiam detulerunt. Pii quoque nomen decreverunt, quod non accepit.

Lampr. Diadum. cap. 1.

Lampr. Diadum. cap. 7.

Capit. Macr. cap. 7.

Itaque Diadumenus non Cæsar modò, sed Augustus quoque dictus est. Statim Cæsar paterni imperii initio, deinde Augustus, postquam Antiochiâ à patre per milites accersitus est. Post recitatam in Senatu primam Macrini Epistolam, Diadumenus *patricius & Princeps juventutis est appellatus.*

ANNO DOM. 217.

Dio l. 78. 895.

Bellum Macrini cum Artabano.

VII. Intereà Parthorum Rex Artabanus Romanis bellum minitabatur, acceptam à Caracalla ulturus injuriam. Quem cùm videret Macrinus cum magnis copiis, infestoque animo Romanis insurgere, conatus est missis ad eum quos habebat captivis, miti oratione placare infensum ejus animum, & à proposito abducere. Sed cùm ille non leve quid exigeret, ac juberet ut Macrinus urbes eversas à Bassiano restitueret, decederet ex Mesopotamia, illatumque Regum monumentis damnum resarciret, nullum tempus ad deliberandum habuit. Artabano igitur, qui jam ad Nisibim venerat, occurrit. Propter aquam commisso prælio, victoriâ Barbari potiuntur. Cùmque ad novam pugnam ventum fuisset, res Romanis infeliciter cessit, non incruenta tamen Parthis victoria. Tanta enim virorum jumentorumque multitudo cecidit, ut omnis campus compleretur cadaveribus, præcipuè camelorum. Igitur Legatos Macrinus misit ad Artabanum, pacemque multâ redimit pecuniâ, quam in Regem Proceresque Parthorum profudit. Fuit is sumptus aureorum vicies centena millia. Parthi moræ impatientes, quòd diu præter consuetudinem domo abessent, ac propter annonæ penuriam pacem admiserunt. Decreta sunt Macrino veluti victori sacrificia, datumque *Parthici* nomen. Quod meritiò repudiavit, cùm eum puderet ab hoste sumere cognomen, à quo victus fuerat. Pressit Romanos hæc importuna clades, post XXIII. Augusti. Quippe calamitatis hujus causam Dio in id retulit, quòd Macrinus, *Ludos Vulcani Circenses abolevisse visus sit.* Quo factum etiam dicit, ut prædia Augustalia sæpius incendiis vastata perierint. Ut respuimus omen, sic temporis amplectimur vestigium, quo Herodiani Chronologia arguitur erroris. Tradit enim, Senatui Macrinum notificasse, à militibus Imperatorem creatum, postquam venit Antiochiam; lectâque Epistolâ, scribenti honores Augustorum fuisse decretos. Quo temporis perturbatio est. Vix enim Antiochiam pervenire potuit ante mensem Novembrem. Augustus verò XI. Aprilis dictus est. An suæ ad imperium electionis significationem distulisset in Novembrem. Fuit quoque bellum Armeniacum à Macrino compositum, cùm Tiridates missum diadema accepisset, ac matrem, quam XI. mensibus Caracalla in carcere detinuerat, impetrasset. Quibus peractis, Antiochiam proficiscitur.

Dio l. 78. 887. & 900.

ANNO U. C. 971. PER. JUL. 4931. JUL. 263. DOM. 218. HELIOGABALI I. *Sol.* 3. D. *Lun.* 10. *Indict.* 11. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

ANNO DOM. 218.

COSS. *Macrinus Augustus II. & Adventus.*

De hujus anni Coss.

I. ADvento Collegam Diadumenum dicunt Baronius, Calvisius, aliique eruditi. Neque dissimulandum Fastos Bucherianos opinioni huic videri præsidio. Consules enim habent *Antoninum, & Adventum.* Antonini verò nomen acceperat Diadumenus. Cæterùm si

rem

ANNO DOM. 218.

rem accuratius expendamus, Antoninus ille, qui in Fastis Chronicoque Alexandrino collega datur Advento, Heliogabalus est, qui Antonino Caracallâ ortum se esse jactabat, non Antoninus Diadumenus. Nos enim hoc Dio monuit, quòd Heliogabalus, *Consulatus Macrini loco, qui jam antè gestus fuerat, nomen suum substituerit, cum nec Consulatum à nobis accepisset, nec prorsus eum attigisset.* Quibus luce clarius est, Macrinum hunc annum aperuisse. Quod etiam ex alio loco liquet, quo & Adventi fortuna egregiè depingitur: *Hæc igitur in Macrino plerique reprehendebant, quòd Adventum, qui stipendia fecerat inter speculatores, eorumque desertis ordinibus, inter tabellarios operam navarat, & cubicularius designatus, inde Procuratoris ad officium evectus fuerat, non modò Senatorem, sed etiam Collegam in Consulatu, & Præfectum urbis creasset. . . . Delirare profectò visus est Macrinus, quòd maximam in Senatu dignitatem ejusmodi viro daret, qui ne quidem adloqui rectè quenquam in Senatu cùm Consulatum gereret potuit, eaque de causa calatorum comitiorum die morbum simularet.* Ex Fastis erasum fuisse Macrini nomen demonstrat Norisius ex inscriptione Gruteri p. 300. *Imp. . . . Severus . . . cooptatus .C. Bruttio Præsente T. Messio Extricate II. Coss. . . . P. R. C. anno* CCCCLXXI.

Dio l. 78. 909.

Dio l. 78. 894.

Macrini vitia & laudes.

II. Ut securius rerum potiretur, Macrino opus erat dimittere exercitum, & Romam ipsius copidam reverti. At moratus Antiochiæ, barbam nutriebat, voluptatibusque vacabat, dum milites in tabernaculis agebant, rerum sæpius necessariarum egentes. Culpæ datum & Macrino, quòd Præfectos Prætorio Ulpium Julianum, & Nestorem Julianum designasset, viros nullâ virtute claros, imò imperante Caracallâ, delatorum arte famosissimos, quique curiosis in explorationibus operæ multum navarant. Est ea vitiis ejus præcipuum quòd eos qui aliquid in ipso reprehendebant, aversatus est. Illud laudi fuit, quòd delatorum indicia, uti postulatum fuerat, nullo modo protulit, vitando tumultui. Tres solummodò Senatores, qui majori odio digni erant, Manilium, & Julium, & Sulpicium Arrenianum edidit, vetito tamen, ne morte quis eorum afficeretur, *Ne*, inquit, *quæ in illis reprehendimus, ipsi facere videamur.* Igitur in Insulas deportati: *Aurelianum* verò qui Caracallæ statuas plerasque, quæ vel Alexandri vel proprio nomine Romæ extabant, clam subverterat, pergratum ut militibus faceret, morti tradidit.

Dio l. 78. 897.

Conjuratio in Macrinum.

III. Fato datum erat, ut paucis mensibus in deliciis absumptis, Macrinus simul cum vita Imperium amitteret. Paraverat penulas populo, coloris russei in honorem filii sui, quæ vocarentur Antoninæ, asserens Diadumenum melius *penularium* dicendum, quam *Caracallus* dictus esset Bassianus. Promiserat & Congiarium, pueros Antonianos, & puellas Antonianas, qui tam grati nominis gloriam propagarent. Munus intercepit militum conjuratio. Mœsa Juliæ Augustæ soror, jubente Macrino, in patriam cum bonis suis redierat. Emesam igitur reversa, filiabus comitata Soemi, Bassiani matre, & Mammæâ, Alexiani, nepotes suos educabat. Soli sacer erat Bassianus, quem Caracallâ genitum profitebatur, quo tempore in palatio simul cum Julia agitabat. Formosissimus ille puer omnium in se oculos convertebat. Abundabat & opibus Mœsa, quæ militibus erogandæ promittebantur, si imperium suæ soboli restituerentur. Milites qui & nullum amplius suâ sponte laborem sustinebant, & immensa cupiebant, & dolore afficiebantur, quòd stipendio detractum esset aliquid, Mœsæ pollicentur, se eam cum suis, si noctu clanculum in castra venisset, patentibus portis excepturos, atque Antonini Caracallæ filium declaraturos. Noctu igitur urbe egressa, cum liberis nepotibusque suis, deducente ipsos profugorum militum agmine, facilè in castra recipitur. Confestim puerum Antoninum appellatum, & indutum purpurâ custodiunt, ac se ita comparant, ut si opus foret, castrorum obsidionem excipiant.

ANNO DOM. 218.

Herodian. lib. 5. Dio l. 78. 900.

Mors Macrini.

IV. Quæ ubi Macrino nuntiata sunt, rem totam quasi puerilem contemnens, consuetamque obtinens animi alacritatem, domi sedebat. De Pseudantonino quoque ad Senatum scripsit, puerum illum vocans, atque amentem. Lectis literis dixere aliqua Consules in rebellem: consobrino ejus, aviæ, matribus bellum denuntiatum, & iis qui defecerant impunitas, si resipuissent, proposita. Cæterùm Macrinus Julianum unum è Prætorio Præfectis mittit, traditis copiis quæ ad rebelles expugnandos sufficerent. Ac poterat quidem castra eo die capere, quòd Mauri pro populari suo tum acriter pugnarint, ut portas quasdam perfregerint. Noluit tamen in castra irrumpere, sive metu, sive spe ductus nonnullâ, obsessos ultrò se dedituros. Cùm nemo per Legatos ageret, obstructis portis, milites admovit. At obsessi Pseudantoninum Macrianis exhibentes, ab obsidentibus quærebant, cur benè de se meriti filium Imperatoris oppugnarent. Quibus rerum novarum cupidi adeò permoti sunt, ut Præfectos omnes, præter Julianum occiderint, armaque Pseudantonino tradiderint. Ad quod facinus eos impulit Eutychianus, qui Festo, Caracallæ à cubiculis misso, ipsis persuasit, ut Centuriones omnes jugularent, concesso percussoribus loco, quem Præfecti minores occupabant. His commotus Macrinus, Apameam ad Albanios milites per ipsa mœnia venit, mille drachmas ipsis viritim distribuit, quæ ipsis ademerat restituit, ut eos placaret. Intereà Julianus deprehensus in latebra interficitur, cujus caput, militum unus qui defecerant, multis involutum linteis affert, quasi Pseudantonini esset, ut pote quod Juliani annulo obsignabatur. Quo cognito dum miles fugam maturat, Macrinus festinanter petit Antiochiam. Inde cum exercitu ad oppugnanda castra contendit. Pseudantoniani obviam ad dimicandum prodiere. In Phœniciæ Syriæque finibus acriter pugnatum, languidius tamen à Macrinianis, quorum etiam multi ad hostes transfugerunt. Quo animadverso, stante adhùc acie, Macrinus chlamydem sibi cæterumque Imperatorium detrahit ornatum, paucisque comitatus, fugam occupat, detonsâ barbâ, capiteque obvelato, famam fortunæ prævertens. Intereà Prætoriani pro Macrino, cætera omnis multitudo pro Pseudantonino pugnabat. Ut autem à captivis novit aufugisse Macrinum, mittit statim nuntios, qui doceant, frustrà pro fugitivo certare; veniam & oblivionem omnium pollicetur. Quo credito Prætoriani cessere. Voluceri porro Macrinus fugâ Romam petebat, quæ in ipsum propendebat, contemptu Gannis & Comazontis. Provectus per Cappadociam, Galatiam, Bithyniam,

Dio l. 78. 902.

Eri-

Anno Dom. 218.

Embolum usque, quod est Nicomediensis oppidi navale, jam Byzantio appropinquabat, cum ventus adversus ad supplicium retrudit. Latitanti Chalcedonensi in suburbio, caput abscissum est, ab iis quos Pseudo-Antoninus ad illum assequendum miserat.

Dio l. 78. 913.

Mors Diadumeni.

V. Occiso Macrino, quidam Diadumenum servare voluerunt. Sed prohibuere Epistolæ ejus, quæ à cubiculario coram concione lectæ sunt. Querebatur patrem tyrannidis conscios reservasse:

Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Ascanium surgentem & spes hæredis Juli
Respice, cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debetur.

Quam Epistolam, Magistri Cellani, Afri quondam Rhetoris esse ferunt. Erat & alia ad matrem Epistola: *Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos servat. Age igitur, ut Arabianus, & Thusius, & Gebius ad palum deligentur.* Quæ literæ puero multum obfuisse dicuntur, quasi ultra ætatem sævüsset. Interfectus est cum patre XIV. mense imperii. Occisis ambobus capita pilo circunlata ad Pseudo-Antoninum perferuntur.

Lampr. Diadum. c. 8.

Anni Heliogabali.

VI. Post Macrinum, imperii successor & hæres Heliogabalus, non vir, non mulier, sed monstrum ex utroque sexu conflatum, quo, Dei numine, terrarum orbis citò liberatur. Vixit enim *desem octo annos*, ætatem superante malitiâ. De regni diuturnitate, difficillima quæstio est. *Tricesimo* regni mense, oppressum fuisse, tradit Victor de Cæsaribus, cujus & in sententiam ire debet Victoris Epitome, quæ annos vitæ *sexdecim*, assignat Heliogabalo. Herodianus verò qui Heliogabalo superstes fuit: *Antoninus*, inquit, *sexennium imperio occupato, simul cum matre occisus est.* Quorum Scriptotum Chronologia errore contaminatur, cùm & sexennio brevius fuerit imperium Heliogabali, & longius mense tricesimo. Quos errores effugere nos Dio monet: *Tres annos tantummodò mensesque novem, & dies quatuor, imperium tenuit: quod tempus ego numero, ex quo prælio facto, omnem potentiam adeptus est.* Firmat & hanc Chronologiam Hippolytus, horum temporum Scriptor, cujus Canon sic incipit: *Anno primo regni Alexandri*, XIV. *Luna Paschalis fuit Idibus Aprilis, Sabbato cum mensis intercalatus fuisset.* Quæ anni Dionysiani CCXXII. non dubia sunt indicia, Epacta fuit 29. litera D. 7. Epacta Solaris 2. Luna igitur XIV. in XIII. Aprilis incurrit, feria VII. Hic igitur annus Heliogabalo ablatum regnavit Alexandro tradit imperium. Cæterùm de diebus quos Heliogabalus, difficiliorem in nodum incidimus. Hæc enim legimus apud Lampridium: *Ex Actis urbis ad pridie Nonas Martias, cùm Senatus frequens in Curiam, hoc est, in Ædem Concordiæ Templum inauguratum convenisset, rogatusque esset Aurelius Alexander Cæsar Augustus, ut concineret, ac primò recusasset, quòd sciret de honoribus suis agendum, deinde postea venisset, acclamatum, Auguste innocens, Dii te servent.* Sextâ igitur Martii die non fuit inter homines Heliogabalus. Hinc labor ingens nascitur eruditis, ut Lampridium Dioni concilient. A debellato Macrino ductum Heliogabali imperium, *annos tres, menses novem, dies IV. complectitur.* Retulit autem de Macrino victoriam septimo Junii, anno CCXVIII. quia annum & mensem unum, diesque viginti octo Macrinus tenuit imperium; à die XII. Aprilis, quo Augustus à militibus dictus est ad usque cladem ejus. Qui Dionis est calculus. Initium ergo imperii Heliogabali, à die VII. Junii currentis anni est repetendum. Quòd si ab illa die tres annos, menses novem, dies quatuor numeramus, ante decimum Martii vitâ abire Heliogabalus non potuit; quem tamen Lampridius ex Actis publicis, *sextâ* Martii die narrat extinctum. Ad concordiam Dionem Lampridiumque adduci facilè putat Pagius, quia *Macrinus anno* CCXVIII. *die tertiâ mensis Junii fusus fugatusque fuit; & Heliogabalus imperium suscepit.* Quæ admitti solutio non potest, nisi de tempore Macriniani imperii falsi dica scribatur Dioni. Quippe à die tertia mensis Junii, anni CCXVIII. ad XI. Aprilis anni superioris facto regressu, annus unus, mensis unus, dies viginti octo numerari nequeunt, quos tamen imperando Macrinus exhausisse perhibetur. Quod non semel à Dione scripto proditum: *Anno duntaxat uno, duobus mensibus, tribus demptis diebus, si quidem ad pugnam usque cogitationes referamus, imperio præfuit.* Quoquò se verterit Pagius, demonstrando Dionem & Lampridium inter se non dissidere, jaceat omnis ejus necesse est solertia. Utri verò adhærebimus, Dioni testi oculato, an Lampridio, qui ex Actis publicis nobis ea fœneravit? Nos magis propendemus in Dionem, cujus de Macrino prorsus luxatur historia, si repudiatur ejus Chronologia. Neque facilè concesserimus, memoratum à Lampridio diem Alexandro natalem imperii fuisse. In Ædem Concordiæ processit jam *Augustus*, à Senatu salutatur jam *Augustus*. Post ab obitu Heliogabali dies aliquot, eas quas Lampridius memorat contigisse acclamationes, vincunt verba hæc Alexandri: *Nuper certè P. meministis, cùm ille omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum spurcissimus, Antonini nomen præferret.* Adverbium *nuper* vix consonum, si dies ille *acclamationum*, Heliogabalo supremus fuit. Denique Lampridius ipse innuit, convenisse Patres, non ut Alexandrum Imperatorem dicerent, sed ut Alexandro pulchros darent insignesque titulos: *Recusavit & Magni nomen, quod ei quasi Alexandro est oblatum Senatus judicio. Interest retexere orationem, quâ nomen Antonini, & Magni, delatum sibi à Senatu recusavit, quam priusquam referam, addam acclamationes Senatus, quibus id decretum est.* Nostrum igitur animum subit suspicio hæc, quòd librariorum errore vox *Nonas* in Lampridium irrepserit, scribique debeat, *pridie Idus Martias.* Quidquid sit, à Dione divelli non possumus, quo freti, diem Martii X. morti Heliogabali dicamus.

Herodian. l. 5.

Dio l. 79. 910.

Lampr. Sever. c. 6.

Pag. Crit. an 222. n. 2.

Dio l. 78. 890. & 905.

Lampr. Sever. c. 9.

Lampr. Sever. c. 6.

Soemis etymon. Mater Heliogabali.

VII. Heliogabalo pater fuit, *Varius Marcellus*, mater *Soemis*, Moesæ major natu filia. Vim nominis *Soemis* Scaliger explicuit: שהמיא, *hoc est, onychitis. Sed nomen non est sine suo substantivo. Quare vocata est Soemia Sibera, hoc est, ὀνυχίνη σελήνη, lunula onychine.* De significatione vocabuli *Soemis*, viro maximo assentimur. Est enim שהם lapis preciosus, sive *onyx*, sive *sardonyx* vocetur. Ab eo verò dissidemus, quòd id nominis statuat, non esse sine suo substantivo, cùm substantivum sit, non adjectivum. *Soham* lapis est quo summus Judæorum Pontifex ornabatur. Id & nominis gestavit vir ille, quem Herodis zelotypia sibi mactavit, Josepho dictus Σοαίμος. Absque ullo quidem adjectivo, *Soemis* mulier hæc ab Herodiano appellatur, atque Dione,

Exod. xxv. 7.

Anno Dom. 218.

Dione; Σεμιάμις, quam Gallicè diceremus *Agathe.* Corrupto vocabulo *Semiamira* nomen accepit à Lampridio. Apud Eutropium legimus *Semia Syra*, quarum vocum ultima, Soemidis patriam designat, quia *ab Emesa urbe Phœnicia* quæ Syriæ includitur. Itaque Julia Augusta, Soemidis matertera, *Syra* Dioni vocatur.

Heliogabali etymon.

Scalig. Anim. in Euseb. p. 231.

VIII. Unde deducatur vox Heliogabali, magna inter eruditos disceptatio est. Scaliger confidenter nimis: *Elagabal, hoc est, Deus Gabalitarum, quo quis certius etymon quærit, sensu in his literis caret.* Fallitur tamen vir doctissimus: *Emissenus* enim erat Heliogabalus, non *Gabalitanus.* Et Templum Solis, cui nomine Sacerdotis ministrabat, non in *Gabala* urbe, sed in *Emesa* civitate collocabatur. Quæ urbes, etsi ambæ sint in Phœnicia, valdè tamen discrepant. Nihilò melius est Etymon Casauboni atque Salmasii, quibus ob immensam eruditionem multi sunt creduli: *Alagabal dictus Sol, apud illos, quasi Deus meus, ejus enim simulachrum erat ingens saxum, rude & impolitum, in modum planè montis, aut rupis.* Atqui hoc etymo, & sibi, & nobis illudunt Salmasius atque Casaubonus. De Templo Solisque imagine audiamus Herodianum: *Templum illi maximum constructum habent, auro argentoque plurimo, ac lapidum eleganti magnificentiâ exornatum. . . Simulacrum verò nullum Græco aut Romano more manufactum, ad ejus Dei similitudinem, sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram.* Quæ imago neque moris erat, neque appellatur. Hieroglyphicum Solis simulacrum fuit, quod formâ suâ radios Solis exprimebat, quibus est figura κωνοειδὴς. Itaque lapis ille Templi Emeseni, obeliscus fuit, quâ quidem specie lapides in Ægypto plurimos Soli novimus fuisse consecratos. De obelisco, quem Constantius transtulit, Marcellinus: *Discant qui ignorant, veterem Principem translatis aliquibus, hunc intactum ideò præteriisse, quòd Deo Soli speciali munere dedicatus, fixusque intra ambitiosi templi delubra, quæ contingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat.* Sic est, Solis apud Emesenos imago *obeliscus* fuit, *mons* non fuit, proindeque Heliogabalus *Deus meus* significare nequit. Neque rationi satis consonum, quod, sive Sol, sive Solis imago, *Deus meus* nomen habeat. Verissimam magnus ille Bochartus nominis notionem affert: *Neque enim aliud Elagabalus, quam* אלה גבל *Elagabal, ὁ Θεὸς, ὁ πλάστης, vel ὁ κτίστης, Hebraice* אל העצר *Deus ille qui omnia finxit. Nempe Phœnicum Philosophis id fuisse persuasum, Solem esse visibilium omnium conditorem, discere est ex Jamblici libro de mysteriis Ægyptiorum c. 17. cujus vestigiis insistens Julianus Apostata, in oratione de Sole inter cætera hæc habet: Formarum enim alias perficit Sol, alias efficit, alias ornat, alias excitat, nec quidquam est, quod citra Solis vim effectricem in lucem prodeat, & generetur. Addo* אלגאבר *algabil, plasmatorem unum esse è Dei Epithetis inter Arabes.* Itaque vera nominis Scriptura est *Elagabalus*, quam tamen non usurpamus, quia Latinis scribi placuit *Heliogabalus*, consuetudinique parendum.

Herodian. l. 5.

Ammian. l. 17. c. 4.

Bochart. Phal. l. 2. c. 5. 797.

Heliogabali mores.

Victor de Cæs.

IX. In egregium hocce nomen mores Heliogabali non congruebant. Unde meritò ad Diocletianum scripsit Lampridius: *Vitam Heliogabali Antonini impurissimam, qui Varius etiam dictus est, nunquam in literas misissem, ne quis fuisse Romanorum Principem sciret, nisi ante Caligulas, & Nerones, & Vitellios hoc idem habuisset imperium.* Solâ libidine nobilis fuit: *Hoc impurius, ne improba quidem, aut petulantes mulieres fuere. Quippe orbe toto obscœnissimos perquirebat, visendis tractandisque artibus libidinum.* Quis enim ferre posset, Principem per cuncta cava corporis libidinem recipientem, cùm ne belluam quidem talem quis ferat? Aurelio Zotico verbis consuetis, *Domine Imperator*, salutanti voce effeminatâ respondit, *Ne me Dominum voces, nam ego Domina sum*, ac in ejus sinu, velut amica cœnam cœpit. Omnem superat turpitudinem, quòd staret nudus ante forea cubiculi, ut scorta solent, concutiebatque sindonium connexum aureis annulis, ac molli & fractâ voce prætereuntes alliciebat. Uxorem Deo suo dedit *Uraniam* Carthaginensium, eamque exportatam ex ea civitate collocavit in palatio. Ipsi pueros sacrificavit, & in Templo ejus leonem, simiam, & serpentem vivos conclusit. Nupsit Hierocli, Caricum mancipio, quem adeò ardebat, ut coactus dedere ad supplicium eos qui secum turpiter vivebant, pro Hierocle jugulum dederit, lachrymisque suis ejus salutem vix redemerit. Servis jubebat, ut millena pondo sibi aranearum deferrent, proposito præmio, collegisseque dicitur decem millia pondo aranearum, ut hinc intelligeretur, quàm magna Roma esset. Cum annona, quam dividebant cellarii, vasa scorpiis & serpentibus referta mittebat. Gemmas miscuit pomis, atque floribus. Convivis tabulas quandoque pictas exhibuit, ut fame macerarentur. Canes quaternos ingentes junxit ad currum, junxit & tigres, Liberum sese vocans.

Dio l. 79. 914.

Dio l. 79. 918.

Lampr. c. 26. 28.

Acta Heliogabali post victoriam.

X. Postridie victoriæ Heliogabalus Antiochiam ingressus, quingentas militibus drachmas dedit, ne diriperent, quas ab ea urbe exegit. Nestorem, qui Macrini Præfectus Prætorio fuerat, Fabium Agrippinum, qui Syriæ præerat, & ex Equitibus primarios, quos Macrinus penes se habuerat, interemit. Scripsit Senatui, licet & Caracallam & se, verbis, & facto læsissent, nil horum tamen vindicaturum. Antiochiâ profectus, Nicomediæ hyemavit. Tum cultum patrii numinis supervacuis saltationibus celebrat, indutus purpurâ & auro, armillis redimitus, coronas gerens ad tiaræ modum, auro gemmisque insignitas: ad tibias & tympana procedens, quasi orgia agitasset. Hæc iniquo ferens animo *Mæsa*, illum hortabatur, Romanum cultum assumere. At cùm cultum retinere ejusmodi statuisset, consilio aviæ contempto, imaginem & Dei sui, & propriam præmisit Romam, jussis qui eam ferrent, in media Curia supra Victoriæ caput collocare, ut cùm Senatus haberetur, thura unusquisque adoleret, merumque libaret. Edixit etiam, ut ante alios Deos, quorum Magistratus inter sacrificandum meminisse solent, novum numen Heliogabalum nuncuparent. Quas Nicomediæ turpitudines sibi infligebat, in pœnitentiam induxerunt milites, quòd conjurassent contra Macrinum, ac infamem Romanis Principem imposuissent: ac in Alexandrum exercituum animos inclinaverunt.

Dio l. 79. 907.

Herodian. l. 5.

Mors Maximillæ.

XI. Currente anno percelebrem Montanistarum Vatem *Maximillam* naturæ satisfecisse, ex Autore colligimus Anonymo, qui verba sua fœneravit Eusebio. Falsi ut coarguat Maximillæ oracula, quæ bella terrarum orbi imminere canebant: *Nonne*, inquit, *etiam hoc mendacium omnibus manifestum apparuit. Etenim ab obitu*

Euseb. l. v. c. 16.

Anno Dom. 218.

Maximillæ usque in hunc diem, plusquam tredecim anni jam elapsi sunt, nec tamen ullum, aut particulare bellum, aut universale in terris fuit. Qui tredecim anni, in quibus belli expers floruit Romanus orbis, ab anno Dom. CCXVIII. sumunt initium. Extincto enim Macrino, pax alta fuit ad usque bellum Persicum, quod anno CCXXX. cum Artaxerxe Alexander gessit Severus. Fama est, Maximillam laqueo sibi gulam fregisse. Quam tamen falsi magis, quàm veri nunciam fuisse existimamus. Neque etiam id affirmat Auctor ille anonymus: *Quoniam ipsi non vidimus, nequaquam existimamus nos quidquam eorum certò cognoscere. Nam fortè hoc, fortè etiam alio mortis genere, Montanus, ac Theodotus, & Maximilla occubuerunt.* Tristissimum miserabileque mortis genus Tertullianum ab ea secta revocasset, cui tamen constat fuisse addictissimum.

Euseb. l. v. c. 16.

Anno Dom. 219.

Anno U. C. 972. Per. Jul. 4932. Jul. 264. Dom. 219. Heliogabali 2. *Sol. 4. C. Lun. 11. Indict. 12. Epact. 26. Epact. Sol. 5. P. 18. April.*

Coss. *Anton. Heliogabalus Aug. II. & Licinius Sacerdos II.*

Acta Heliogabali in urbe.

I. UT Romam se contulit Heliogabalus, matrem in Senatum rogari jussit. Quæ cùm venisset, vocata ad Consulum subsellia, Senatusconsulti conficiendi testis adfuit. Fecit & in colle Quirinali *Senaculum*, hoc est, mulierum Senatum. Ibi decreta sunt *Soemica Senatusconsulta* ridicula, de legibus matronalibus, quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret, quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ sellâ veheretur, & utrum pelliceâ, an osseâ, an eboratâ, an argentatâ. Adeò matris voluntati deditus erat, ut sine illa nil faceret. Quam natura non modò, sed communia studia moresque filio conjunxerant. Quippe in aula omnia turpia exercens, meretricio more vivebat.

Lampr. c. 4.

Lampr. c. 2.

Templum & processio Heliogabali.

II. Vix ingressus in urbem, omissis quæ in Provinciis gerebantur, Heliogabalum Deum suum in Palatino monte juxta ædes Imperatorias consecravit. *Uraniam* quam Afri vocant, Phœnices Astarten, perperàm enim *Astroarchen* habet Herodianus, Lunamque esse affirmant, Carthagine jussit afferri, consonam esse dicens, Lunam cum Sole matrimonio conjungi. Quidquid in Templo auri erat, pecuniamque quam plurimam, Deo suo, dotis nomine, dari præcepit. Quod simulacrum ubi allatum est, ac prope Heliogabalum constitutum, jussit urbe, tota Italia, festos dies, quasi Diis nubentibus, agitari. Fecit & in suburbano Templum magnificentissimum, in quod anno vertente, Deum suum adultá æstate deducebat. Imponebatur vehiculo auro & gemmis exornato, trahentibus equis emaculato candore, ac magnitudine præcellentibus, quorum ipse tenebat habenas, retrorsus currens, ac simulacrum ipsum aspectans. Quò verò tutius retrocederet, multum aurei pulveris substraverat, militesque utrinque retentabant. Discurrebat cum facibus populus, coronas & florea jaciens. Quidquid conspicuum in Templis, Cæsarum preciosa suppellex, equitea, & exercitus, pompam comitabantur. Peractis sacris, turres ad id ipsum extructas ascendebat, inde in plebem missilia sparsurus, aurea pocula, vestes, bestias, exceptis suibus, quibus ipse, ut mos est Phœnicibus, abstinebat. Voluit & Vestæ ignem, & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis veneranda, in illud Templum transferre, ut solus Heliogabalus coleretur. Dicebat etiam Judæorum, Samaritanorum & Christianorum religionem illùc esse transferendam, ut omnium cultuum secretum Heliogabali Sacerdotium teneret. Illud Romanis molestum fuit, quòd Jovi numen suum anteposuerit, seque Flaminem ejus Senatus decreto fieri jusserit, quòd sese circumciderit, & à porcinis carnibus abstinuerit.

Herodian. l. 5.

Anno Dom. 219.

Lampr. c. 3.

Dio l. 79. 911.

Heliogabali nuptiæ.

III. De nuptiis cogitans vir ille mulierum omnium, virorumque omnium mulier, Corneliam Paulam duxit in matrimonium, celerius ut pater fieret. Quibus in nuptiis nonnulla & Senatoribus, & Equitibus largitus est. Plebs est epulata sex aureis viritim, milites quatuor amplius, in ludis bestiæ complures cæsæ, præsertim elephas, & tigres ad quinquaginta unam. Repudiatâ ob corporis maculam Paulâ, Vestalem duxit nomine Aquiliam Severam, ut ex sese Pontifice Max. & Vestalium maximâ, liberi divini nascerentur. Aquiliam tamen diu non habuit. Itaque sibi conjunxit Claudii Severi & Marci Antonini neptem, Anniam Faustinam pulcherrimam & nobilissimam, interfecto prius viro ejus Pomponio Basso, cujus mortem lugere viduæ negatum. Mox aliam, iterumque ad Aquiliam Severam rediit.

Dio l. 79. 911.

Complures occidit Heliogabalus.

IV. Porro confusa adeò erant omnia, ut complures imperium arripere voluerint, quibus nec generis claritas erat, nec rerum gestarum. Severus Gallicæ legionis tertiæ ductor, Gellius Maximus qui secundum à Duce locum, in quarta legione Scythica obtinebat. Qui supplicio affecti sunt. Centurionis filius, in eadem Gallica legione, aliquid & turbarum movit. Periere etiam viri illustres. Sejus Carus Fusciani urbis Præfecti nepos, quasi milites quosdam coëgisset, in Palatio jugulatur. Pætus Valerianus, qui imagines quasdam suas aureas, ad concubinarum ornamenta finxerat, quasi rerum novandarum causâ, signatam imagine suâ monetam cudisset, morti mittitur. Senatus quoque judicio damnantur capitis Silius Messala & Pomponius Bassus, illatis criminibus, quasi non probarent quæ ab Heliogabalo fiebant.

Dio l. 79. 909.

Callisti Pontificatus.

V. Ad res Ecclesiæ redeamus. Defuncto Zephyrino, Callistum *secundâ Septembris* Pontificem Rom. creatum esse, tradit Baronius in Annalibus an. 221. n. 2. *Quem dicunt natione Romanum, ex patre Domitio, de regione urbis Ravennatium.* Citius tamen Episcopatum iniviſſe, Bucherianus ostendit Pontificum Rom. Catalogus: *Callistus annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, à Consulatu Antonini & Adventi, usque Antonino III. & Alexandro.* Hoc est, ab anno Christi CCXVIII. ad usque CCXXII. Perabsurda est ea temporis nota, quâ Pontificatus Callisti, in Pontificali Damasi designatur: *Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, à Consulatu Antonini & Alexandri.* Quippe temporibus Macrini Papa esse non potuit, si fuit à Consulatu Antonini & Alexandri, qui quadriennio gestus est Macrini post obitum. Hinc tamen liquet, Veterum nonnullis fuisse creditum, Callisti Episcopatum, cum Macrini imperio parte aliquâ temporis esse conjungendum. Quo apparet ejus initia, cum Septembri hujus anni copulari non posse. Utrùm

verò

ANNO DOM. 219.

verò ab anno CCXVII. quod censent Onuphrius, Pearsonius, Pagius, aliique eruditi, an à sequente sint deducenda, ut disertè habetur in Bucheriano Catalogo, detinire non sustinemus, cùm obscurissima sit Veterum Pontificum Chronologia. Eusebius anno CCXIX. Callisti illigavit initia. Dodwellus ad annum CCXIV. illa revocavit. Pearsonianam in Chronologiam magis propendet animus.

Callistus obieritne martyrio?

Buch. de Doctr. Temp. p. 269.

V I. Martyrio coronatum esse Callistum, cum Baronio statuunt eruditorum plurimi. In parvulo quidem Bucheri Martyrologio, mense Octobri legitur: *Pridie Idus Callisti, in via Aurelia, milliario tertio.* Nec ab eo dissidet Rosuedi Martyrologium: *Romæ Callisti Papæ & Martyris.* Non dissimulabimus tamen martyrium ejus à nobis non una de causa in falsi suspicionem adduci. Movet nos altum de eo martyrio Eusebii silentium, & in Chronico, & in historia. Movet beneficus Alexandri Imperatoris, benignusque in Christianos animus. Quippe Christum tanti faciebat, ut ipsi *templum facere voluerit, eumque inter Deos recipere.* Quin etiam locum ad cultum Domino exhibendum Christianis concessit: *Cum Christiani quendam locum qui publicus fuerat occupassent, contrà popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit, Melius esse, ut quoquomodocunque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur.* Sic animatum in Christianos Alexandrum, quis credat mortem obtulisse Callisto? Movent quoque multa de Callisti obitu in Martyrologiis incredibilia: *Natalis B. Callisti Papæ & Martyris, qui Alexandri Imperatoris jussu, diu fame in carcere cruciatus, & quotidie fustibus cæsus, tandem è fenestra domus, in qua custodiebatur, præcipitatus, atque in puteum demersus, victoriæ triumphum promeruit.* Paria penè & gemina tradit Adonis Martyrologium, quæ nobis videntur esse falsissima. Hem jussit hæc Alexander! Alexander hæc jussit, qui Christi imaginem habuit in larario! Absurdum olfecit Baronianarum narium sagacitas. De Martyribus plurimis, Calepodio, Quiriacio Ostiensi Episcopo, Tatiana aliisque, quos imperante Alexandro, perinde atque Callistum pro fide pœnas dedisse memorat: *Qui dicuntur*, inquit, *jubente Alexandro, fuisse sic occidi jussi, sic id accipiendum, quòd quidquid hi fecissent, Imperatoris nomine se egisse jactarent.* Egregiè & subtiliter! Scilicet ea jussisse dicitur Alexander, de quibus ne vel tantillum cogitavit, Imò eo quo erat in Christianos affectu, persequentem Ulpianum cohibuisset. Equidem annis Severum inter atque Maximinum interjectis, *pacem Christianis fuisse*, prædicat in Historia Sulpitius. Quod à vero quàm longissimè abest, si Callistum, si Calepodium, si Tatianam, si gregem Martyrum, carnificum manu imperante Alexandro, mortem invenisse constat. Imò latas à Severo persecutionis leges, Alexander revocavit. Quid enim aliud sibi volunt verba Lampridii c. 22. *Judæis privilegia reservavit, Christianos esse passus est.*

Lampr. Sev. c. 43. & 49.

Martyr. Rom. 14. Oct.

Bar. An. 226. n. 4.

Callisti Epistolæ subditæ.

VII. Geminæ Callisto ascribuntur Epistolæ. Prioris titulus est: *Callistus Archiepiscopus Ecclesiæ Catholicæ, urbis Romæ, Benedicto fratri, & Coepiscopo, salutem in Domino.* Duo capita continet: Prius *de Temporibus Jejuniorum*, posterius *de Criminatoribus Doctorum. Data est undecimo Calendas Decemb. Antonino & Alexandro, viris clarissimis Coss.* Posterior ad omnes Galliarum Episcopos scripta, sex articulos complectitur. 1°. De iis qui conspirant adversus Episcopos. 2°. De iis qui excommunicatis communicant, vel infidelibus. 3°. Ut nullus Episcopus de alterius parrochiâ aliquid præsumat, & de mutationibus Episcoporum. 4°. De conjunctionibus consanguineorum. 5°. Qui non debeant admitti ad accusationem, vel ad testimonium. 6°. Si possit Sacerdos post lapsum ministrare. Utraque Epistola partus est Callisto subditus. Datæ sunt Antonino & Alexandro Coss. Est autem absurdissimum Antonino qui Augustus, Alexandro qui Cæsar erat, inditum fuisse titulum *virorum clarissimorum.* Aliis quidem honoribus Imperatores ornabantur. Prior Epistola hanc ex Prospero descripsit sententiam: *Nullus bonorum inimicum habet nisi malum, quod ideò esse permittitur, ut aut corrigatur, aut per ipsum bonus exerceatur.* Integra lacinia, iisdem penè verbis Leonis ex Epistola 53. desumitur: *Doctorem enim Catholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem* &c. Epistolæ initium Gelasii ex Epistola nona acceptum est: jejunium quatuor temporum, ætate Callisti longè posterius est. In secunda Epistola mentio est, *Primatuum & Metropolitanorum.* Denique versione Bibliorum vulgatâ locisque constat ex Ambrosio, Augustino, Simplicio, Gregorio desumptis; quæ certissima sunt novitatis indicia. Porro cùm Callisto quatuor temporum jejunium tribuatur, de ejus institutione & antiquitate nobis est differendum.

Prosper. Sent. 202.

De quatuor temporum jejunio.

Zachar. 8.

VIII Jejunio quod quatuor temporum vocant, maxime floret esurialis disciplina: cujus instituendi plures causas expromunt. 1°. Quod Christianorum pietas illâ Judæorum non languidior esse debeat, quibus solemnia quotannis quatuor fuere jejunia, mense quarto scilicet, quinto, septimo, & decimo. 2°. Quia iis quatuor temporibus fructus omnes ac fruges, vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Alias Bellarminus causas exequitur, quæ sunt apud ipsum legendæ l. 2. de bon. Oper. c. 19. Quatuor verò tempora hodie celebrantur, quarta, & sexta feria, & Sabbato, post tertiam Dominicam adventus; post primam Dominicam Quadragesimæ; post Pentecosten; & post festum exaltationis S. Crucis. Atque hujus jejunii ipse Callistus Autor fuisse dicitur, In Decretali ejus & Pontificali Damasi: *Jejunium quod ter in annos apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor anni tempora fieri decernimus, ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus jejunium, per anni quatuor tempora*, quæ Pseudo-Callisti verba sunt ad Benedictum. Quibus liquidò constat, hanc veteratori fuisse mentem, quod ante Callistum, trium solummodò temporum jejunium viguerit, uti ab eo Pontifice Benedictus ipse didicerat, Quæ disciplina, melioribus avibus, decreto Callisti mutata est, constituendo quatuor temporum jejunio. Hujus & jejunii Callistum Autorem dicit Pontificale Damasi: *Hic constituit jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini, & olei gratiâ, secundum prophetiam.* Quod potentissimo nobis est argumento, ad Decretalem Callisti rejiciendam. Persuasum enim habemus, ætate Callisti nondum orta fuisse quatuor temporum jejunia. Baronius verò nobiliorem huic jejunio originem tribuit: *Ipsa quidem quatuor anni temporum jejunia, quæ in Ecclesia servari solent, ex Apostolica institutione sumpsisse principium, S. Leo absque ulla dubitatione confirmat.*

Bar. An. 57. n. 206.

ANNO DOM. 219.

Manavitne vel ab Apostolis, vel à Callisto quatuor temporum jejunium?

IX. Verùm enimverò cùm feriæ septimæ perpetuò insideat jejunium quatuor temporum, vel ex eo certum exploratumque est, neque ab Apostolis, neque à Callisto manasse. Quippe pauci numero fuere, qui septimam, unâ exceptâ, feriam inediæ consecrarent, neque ullum ea de re afferri monumentum potest, quod decretum Eliberitanum anno CCCVI. conditum, antiquitate superet. Deinde Tertullianus, qui sedente Callisto adhùc inter homines erat, nos docuit quid jejuniorum tum temporis ab Ecclesia celebraretur, cùm Catholicos Montani sui disciplinam sic jaculantes inducit: *Certè in Evangelio, illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus & Propheticis vetustatibus. . . Itaque de cætero differenter jejunandum, ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus & causis uniuscujusque. Sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Cujus objectionis invidiam in Orthodoxos rejecisset Septimius, adductâ de jejunio quatuor temporum præscriptione. Imò publicorum multitudine Montanistas longè superassent, quod minus credere est. Præterea quæ jejunia essent agitanda, sciscunt Patres Eliberitani: *Jejunia seu abstinentias, per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium, Julii & Augusti.* De quatuor temporum jejunio ne verbum quidem habent, imò percellunt, cùm in singulorum mensibus imperent jejunium. Insuper ætate Philastrii, qui anno circiter CCCLXXX. floruit, quatuor à nonnullis jejunia quotannis observata fuisse tenemus: *Per annum quatuor jejunia in Ecclesia celebrantur. In Natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste.* Quis quatuor temporum datum oblivioni jejunium credat, si tum temporis fuisset usui? Atqui Philastrii jejunia quatuor, ab illo quatuor temporum quàm longissimè discrepant. Ab ascensione enim ad Pentecosten usque, diebus x. jejunabat Philastrius: jejunabat & in Epiphania. Neutra verò sedes est quatuor temporum jejunii. Quod & dierum XII. numero circumscribitur, cùm longè pluribus constarent Philastriana jejunia. 5°. Si jejunia quatuor temporum institutionis forent Apostolicæ, ab ea quidem ne vel transversum digitum Christiani recessissent. Atqui in illis observandis multum variatum. Audiamus Moguntinæ Synodi præscriptionem: *Constituimus ut quatuor tempora anni, ab omnibus cum jejunio observentur. In mense Martio hebdomadâ primâ, & feriâ quartâ, & sextâ, & Sabbato, veniant omnes ad Ecclesiam horâ nonâ cum litaniis ad Missarum solemnia. Similiter in mense Junio, hebdomadâ secundâ, feriâ IV. & sextâ, & Sabbato, jejunetur usque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembri, hebdomada tertia, & in mense Decembri, hebdomada quæ fuerit plena, ante vigiliam natalis Domini.* Cui quoque disciplinæ adhæret Rabanus de Instit. Clericorum l. 2. c 24. Aliorum verò diversa fuit. Quocirca Moguntiacum decretum, anno 813. promulgatum, Micrologi non effugit censuram, libro de Ecclesiasticis observationibus c. 24. *Nullum autem*, inquit, *commoveat, quòd tempore Henrici secundi Imperatoris, duodecim Episcopi Moguntiæ congregati, aliter de hoc jejunio statuisse leguntur. Cùm enim apud ipsos non modica varietas de hujusmodi jejuniis accideret, eo quòd antiquam Sanctorum Patrum traditionem in hac re minus attenderent, pro hujusmodi confusione corrigenda, hanc sibi regulam proposuerint, ac deinceps in prima IV. feria Martii, & in secunda Junii, & in tertia Septembris, omni anno jejunarent. Sed hæc regula Apostolicæ autoritati præjudicare, nec debet, nec potest.* Communioris moris erat primum, prima hebdomadâ Quadragesimæ, secundum hebdomadâ Pentecostes, tertium tertiâ hebdomada Septembris, quartum, tertiâ hebdomadâ Decembris indicere quatuor temporum jejunium. Quæ diversitas ab institutione Apostolica prorsus abfuisset, ut consuetudinis unius vinculo constringeretur Ecclesia. Denique Berno, non *Apostolis* quidem, sed *Patribus*, ejus jejunii ascribit institutionem: *Multa consuetudines Ecclesiasticæ inveniuntur à Sanctis Patribus infra canonicæ regulæ terminos constituta, sicut sunt adventus Domini, Quadragesima, nec non & hæc ipsa quatuor temporum jejunia, quæ præ manibus habentur.* Neque à vero aversa ea sententia est, cum hujus jejunii nullus meminerit ante Leonem: *Hujus observantiæ utilitas, in Ecclesiasticis præcipuè est constituta jejuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit ascripta temporibus, si quidem jejunium vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste. Autumnale in mense septimo, hyemale autem in eo qui est decimus.* Neque ea Leonis disciplina à Gallis observabatur anno DLXVI. quo Patres Turonenses, hanc Monachis jejuniorum imperant disciplinam: *Ut de Pascha usque ad Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die, fratribus prandium præparetur. Post quinquagesimam totâ hebdomada exactè jejunent. Postea usque ad Kal. Augusti ter in septimanâ jejunent, secundâ & quartâ, & sextâ die. . . In Septembri toto, & Novembri, sicut prius dictum est, ter in septimana.* De quatuor Temporum jejunio silent Turonenses, cujus religione Monachi potius quàm Laici constringi debuere. Neque hebdomadibus, quarum pars esurialis fuit, includunt feriam septimam in qua quatuor temporum abstinentia moratur. Contrà verò feria secunda, quæ à Turonensibus diebus esurialibus apponitur, jejunio quatuor temporum eximitur. Ac Baronius quidem, cujus in scrutandis Veterum monumentis diligentia maxima est, in verbis Athanasii hoc jejunii sese invenisse putat: *In hebdomade siquidem post sacram Pentecosten, populus complens jejunia, ad orandum ad cœmeterium abiit.* Nil tamen est in eo loco, quod quatuor temporum jejunio præsidio sit, cùm de statis hebdomadæ jejuniis locus percommodè accipiatur. A Paschate ad Pentecosten usque intermissa fuerat jejunandi disciplina, quæ post Pentecosten repetebatur. Est ergo vero simillimum, quartæ sextæque feriæ jejunia venisse in mentem Athanasio.

Tertul. de Jejun. c. 2.

Elib. Syn. c. 23.

Philast. de Hær. c. 97.

Mogunt. Syn. c. 34.

Bern. c. 9.

Leo Serm. 8. de Jej. x. mens.

Turon. 2. c. 13.

Athan. t. 1. 704.

ANNO DOM. 219.

ANNO U. C. 973. PER. JUL. 4933. JUL. 265. DOM. 220. HELIOGABALI 3. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 12. *Indict.* 13. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 6. 7. *P.* 9. *Apr.*

ANNO DOM. 220.

COSS. *Heliogabalus August. III. Eutychianus Comazon.*

I. COllega Heliogabali, ab arte histrionum, & joculatorum nomen habuit. Nulla in Præfecturâ, præterquam castrensi versatus,

Comazon.

Præ-

ANNO DOM. 220.

Prætorii tamen Præfectus factus est. Honores Consulares adeptus, posteà Consularum gessit. Urbanâ quoque Præturâ functus est, non modò semel, sed iterum atque tertiùm, quod nemini unquam contigit, & inter ea refertur, quæ maximè sunt illegitima. Factus est & iterum ac tertiùm Consul.

Dio l. 79. 908.

Acta Heliogabali.

II. Dum nefandis liquescit voluptatibus Heliogabalus, de bello Marcomannis inferendo cogitat. Dictum verò à nonnullis, Marcum Antoninum id egisse, ut populo Rom. Marcomanni semper devoti essent, atque amici, idque factis carminibus, & consecratione. Cùm quæreret quæ illa essent, vel ubi essent, suppressum est. Quippe consecrationem quærebat, ut eam dissiparet spe belli concitandi. Senatum adeò contempsit, ut mancipia togata Patres Consc. appellaret. Præfectum Urbicum sæpè post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & Præfectis Prætorio. Si recusabant, Magistri officiorum eos cogebant. Voluit & per singulas urbis regiones, lenones Præfectos urbi facere, ut essent in urbe quatuordecim.

Lampr. c. 19.

ANNO DOM. 221.

ANNO U. C. 974. OLYMP. 250. PER. JUL. 4934. JUL. 266. DOM. 221. HELIOGABALI 4. Sol. 6. G. Lun. 13. Indict. 14. Epact. 18. Epact. Sol. 1. P. 25. Mart.

COSS. *Gratus Sabinianus & Claudius Seleucus.*

Alexander adoptatur ab Heliogabalo.

I. Cum ob impuram vitam Heliogabalo *Mæsa* metueret, illi persuadet Alexandrum adoptare, Cæsaremque declarare, ut res humanas curaret, dum ipse numinis sui religioni vacat. Aviæ oratione commotus Heliogabalus, consobrinum suum introducit in Senatum, eùmque utrinque Mœsam, & Soæmidem stetisset, filium adoptavit, seque ut tanti filii patrem, extemplo factum, beatum prædicavit, dixitque, Se nihil aliis liberis indigere: addit præceptum quoque à Deo suo, ut quem adoptaverat ei, Alexandri nomen imponeret. Decrevit Senatus quod placuit Heliogabalo, etsi perridiculum videretur patrem solo quadriennio esse filio majorem. Posteaquam Alexander Cæsar est appellatus, voluit eum statim Heliogabalus institutis suis imbuere. Filium tamen suum Mammæa à fœdis illis & quæ Imperatores dedecebant, actionibus avocabat. Atque omnium disciplinarum Doctores clam accersebat, qui Alexandrum bonis artibus imbuerent. Quibus rebus valde indignabatur Heliogabalus, jamque adoptionis pœnitebat. Quapropter omnes Alexandri Doctores aulâ exegit, quosdam illustriores morte etiam affecit atque exilio, quòd filium, ut aiebat, corrumperent, dum agitare choros, & bacchari non sinerent. Itaque mutatâ sententiâ, omnia ad Alexandri perniciem molitur. Milites verò servabant eum diligenter ab insidiis. Neque Mammæa aliquid eum gustare permittebat, quod ab Heliogabalo mitteretur. Dabat etiam furtim Alexandro pecuniam, quam inter milites clanculum divideret. Posteà verò quàm insidiæ parum procedebant, detrahere juveni Cæsaris honorem decrevit. Misit ad milites literas, quibus jubebantur Alexandro nomen abrogare Cæsaris. Misit qui in castris statuarum ejus titulos luto tegerent. Educatoribus imperavit, ut vel in balneis, vel veneno, vel ferro occiderent: *Sed nihil agunt improbi contra innocentes.*

Herodian. l. 5.

Dio l. 79. 914.

Herodian. l. 5.

Ibid.

ANNO DOM. 221.

Ut luto infectos Alexandri titulos, videre milites, irâ perciti in Palatium tendunt, ut Heliogabalum pellerent imperio, Alexandrumque vindicarent, quem cum matre & aviâ diligentissimè custoditum, in castra duxerunt. Heliogabalum verò invenerunt certamen aurigandi parantem, expectantemque cupidè mortem consanguinei. Antiochianus ex Præfectis unus, milites qui in hortos venerant exoravit, ne latitantem in velo cubiculi Heliogabalum occiderent. In castris verò milites, precanti Præfecto dixerunt, se parsuros Heliogabalo, si & impuros homines, & histriones à se removeret, & ad frugem rediret. Remoti sunt ab eo Hierocles, Gordus, Murissimus, & duo improbi familiares, qui eum ex stulto stultiorem faciebant. Qui omnes ad supplicium dediti, excepto Hierocle, cujus salutem lachrymis impetravit. Mandatum Præfectis, ne paterentur ita diutius Imperatorem vivere, simul ne Alexander quempiam amicorum Heliogabali videret, ne ulla fieret imitatio turpitudinis.

Lampr. Heliog. c. 17.

Julius Africanus ejus scripta.

Hieron. de Vir. illustr.

II. Hoc anno Julius Africanus, insignis ille temporum Scriptor, Legatum egit urbis Palæstinæ Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur. Eo consilio legatio suscepta est, ut civitas hæc restitueretur: *Hujus Africani extat Epistola ad Origenem, super quæstionem Susannæ, eo quòd dicat in Hebræo hanc fabulam non haberi, nec convenire cum Hebraica etymologia. Contra quem doctam Epistolam scribit Origenes. Extat ejus ad Aristidem altera Epistola, in qua super diaphonia, quæ videtur esse in Genealogia Salvatoris apud Matthæum, & Lucam, plenissimè disputat.* Verba sunt Africani ad Origenem, de historia Susannæ: *Miror autem qui te latuerit, hanc libri ejus partem adulterinam esse.* Respondet Origenes, *Quod non absurdum sit, factam quidem esse hanc Susannæ historiam.* Octoque allata in historiam argumenta solvit. Utramque Epistolam egregiis notis illustravit Clarissimus Joannes Rodolphus Westenius. Porro insignis & scripti meminisse Hieronymus debuit, de quo mentio est apud Eusebium: *Ejusdem Africani quinque de Chronographia libri accuratissimè compositi, ad nos etiam pervenerunt. In quibus se Alexandriam profectum esse testatur, ob maximam omnium famam, atque existimationem de Heracla.* Quod ingens opus currente anno absolvit. Tertium quippe *Antonini Aviti*, hoc est, Heliogabali annum memorat. Itaque error est Photio, qui de eo Africani Chronico, scripto prodit: *Succinctè commemorat gesta, jam inde à Christi ætate, usque ad Macrini Imperatoris tempora.* Alius fuit Africanus, quem Autorem Epistolæ ad Origenem perperàm laudat Suidas: *Africanus, cognomento Sextus, Philosophus Afer, qui Cestos descripsit libris XXIV. Sunt autem ut quædam Physica volumina, quæ continent remedia ex sermonibus, & incantamentis, & quibusdam scriptis characteribus constantia, & alios effectus habentia.* Quibus à Julio Africano non obscurâ notâ secernitur. Africanus enim Chronographus, & Palæstinus, & Christianus erat. Alter verò Africanus, Ethnicus fuit, ut ex materia librorum apertè liquet, & ex Africa ortum habuit. Suidæ quoque errorem Photius errat, dum ambos permiscet Africanos. Africani etiam historiam, cui *Cesto* nomen, constare dicit *libris* XIV. quod librariorum peccatum est, vel Photii σφάλμα μνημονικόν. Cestorum enim Opus complectitur libros XXIV.

Euseb. l. 6. c. 31.

Phot. Cod. 34. p. 19.

Suid. t. 1. 512.

ANNO

Anno Dom. 222.

Anno U. C. 975. Per. Jul. 4935. Jul. 267. Dom. 222. Alexandri I. *Sol.* 7. F. *Lun.* 14. *Indict.* 15. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* x. P. 14. *April.*

Coss. *Heliogabalus Aug.* IV. *Severus Alexander Cæsar.*

Odium Heliogabali in Alexandrum.

I. Amor militum in Alexandrum, tanto Heliogabalum odio inflammaverat, ut Calendis Januarii noluerit cum eo procedere. At cùm ei avia & mater dicerent, imminere milites ad ejus exitium, nisi concordiam cum consobrino copularet, sumptâ prætextâ, horâ diei sextâ processit ad Senatum, ad quem vocata Mœsa venit, sellâ perducta. In Capitolium tamen ad vota concipienda, & perficienda, ire noluit Heliogabalus. Omnia per Præfectum Urbanum facta sunt, quasi Consules abessent. Tum cædem Alexandri differre noluit, cui peragendæ jussit Senatum urbe decedere, tam festinantes, ut nonnulli per bajulos, alii per fortuita animalia, & mercede conductâ veherentur. In metu enim erat, ne occiso Alexandro alium Augustum crearent. Sabinum Consularem virum, quòd in urbe remansisset, vocato Centurione, mollioribus verbis jussit occidi. Sed aure surdior Centurio, Sabinum urbe pepulit, cùm id sibi mandari existimasset. Silvinum Rhetorem, quem Magistrum Alexandri fecerat, occidit, Ulpianum celeberrimum Jurisconsultum removit. *Lampr. c. 16.*

Mors Heliogabali.

II. Porro quonam animo milites mortem Alexandri laturi essent, prius periclitari voluit. Sparsit itaque rumorem, quasi jam obiisset. Quâ famâ exulcerati, videre Alexandrum velle in ipso suo Templo dictitant. Eo metu percitus Heliogabalus, Alexandro secum in vehiculo imperatorio considente, quod erat auro multo, gemmisque exornatum, descendit in castra. Portis reseratis, accepere utrumque milites, atque in Templum deduxerunt, lætis clamoribus prosequentes Alexandrum, spreto propemodum Pseudo-Antonino. Quæ ille ægrè ferens, cùm in Templo castrorum pernoctasset, iratus militibus, notatis qui Alexandro acclamaverant, quasi seditionis autoribus, arripi omnes ad supplicium imperat. At Prætoriani eorum gnari quæ in ipsos parabat Heliogabalus, factâ conspiratione ad liberandam Rempublicam, scelerum Heliogabali conscios primùm exterminant. *Herodian. l. 5.* Alios vitalibus exemptis necant, alios ab ima parte perfodiunt, ut mors esset vitæ consentiens. Post hoc in eum impetus factus est, & in latrina ad quam confugerat occisus. Tractus deinde per publicum, additaque injuria cadaveri, ut in cloacam à militibus mitteretur. At cùm foramen cloacæ corpus non reciperet, tractum per circi spatia, ad Tiberim usque ductum, adjecto pondere ne unquam emergeret, projectum est. Nomen Antonini erasum, jubente Senatu, appellatusque post mortem *Tiberinus*, & *tractitius*, & *impurus*. Cum Heliogabalo Soæmis mater ejus, ipsum mordicùs amplexa interficitur, utriusque capita abscissa, denudataque corpora, contumeliis affecta, Tiberinis aquis conduntur. Periere cum ipsis præter alios, Hierocles & Præfecti, itemque Aurelius Eubulus Emisenus, qui cùm in universum præesset rationibus, bona multorum publicaverat, à plebe & militibus distractus est, & cum eo Fulvius Præfectus urbis. Deus quoque Heliogabalus, cujus omnes Deos ministros esse atque cubicularios prædicabat impurus ejus cultor, Româ expulsus est. Periit Heliogabalus Martii decimo, feriâ primâ, anno ætatis XVIII. imperii tertio, mense nono, die IV.

Anno Dom. 222.

Dio l. 79. 916.

Anni Alexandri.

III. Natus erat Heliogabali successor, anno CCIX. Calendis Octobris, quæ Chronologia illâ Lampridii nobis est vero similior, ut ad annum Domini 205. fusè satis ostendimus. Annum ingressus erat duodecimum, cùm Cæsar creatus est, teste Herodiano, quam anno superiore dignitatem adeptus erat. Imperavit annos quatuordecim, si & Herodiano fides: *Hunc vitæ finem habuit Alexander, unà cum matre, cum annos* XIV. *sine ulla subditorum querela imperasset.* *Herodian. l. 6.* Quo calculo annum sextum & vigesimum complere non potuit. Quippe tertium & decimum ingressus est Calendis Octobris anni CCXXI. Sibi quoque constans Herodianus: *Milites*, inquit, *Alexandrum Imperatorem consalutatum in aulam Palatinam deduxerunt, adolescentulum admodum, atque adhùc matris & aviæ tanquam Pædagogorum præceptis obtemperantem.* *Herod. l. 5.* Annis tredecim, diebus novem imperasse, tradit Lampridius c. 60. Quod si est, mense Martio, die 13. anni CCXXXV. interfectus est. Quo calculo minimum abest Eutropius: *periit* XIII. *imperii anno, & die* VIII. Abiit igitur ad plures, die Martii XVII. ex Eutropii Chronologia, quæ nec ab illa Lampridii diffidet, si diem emortualem exclusit Eutropius. Pagius Alexandrum die decimâ quartâ Martii refert occisum, quia Martii sextum, Heliogabalo supremum fuisse credit, consequenterque Baronium vexat, quòd in Martii XVIII. Alexandri obitum contulerit. Quem tamen erroris immunem existimamus, prælucente Dione, qui Heliogabali imperio, ab ejus victoria repetito, *tres annos, menses novem, & dies quatuor* contribuit, qui finem habent Martii decimo. Supremus autem Heliogabali dies, primus est imperii Alexandri, cujus annus XIII. nono Martii completur anno CCXXXV. cui, quos Lampridius memorat, dies IX. addantur, morti missus est XVIII. Martii. Quod nobis sit verosimilius. Est unum tamen quod objicit Dodwellus. Nempe Legem reperiri in Codice Justiniani ff. 2. de Off. Præt. ab Imperatore Alexandro datam Idibus Augusti Severo & Quintiano Coss. Mendosam tamen inscriptionem esse, liquet ex Imperio Maximini, qui mense Martio jam Augustum agebat.

Feritne Christiana Mammæa?

IV. Alexander patrem *Genesium* habuit Marcianum, matrem verò *Mammæam*, quam Christi religione imbutam fuisse Antiquis creditur. Eusebio quidem dicitur, *pia imprimis, & religiosa femina.* *Euseb. l. 6. c. 21.* Qui tituli sunt mulieris, quæ ejuratis numinibus fidem susceperat. Disertior adhùc Orosius. Alexandri *mater Mammæa Christiana, Origenem Presbyterum audire curavit.* *Oros. l. 7. c. 18.* Amore cælestis sapientiæ flagrasse, Vincentius quoque Lirinensis memorat. Cui sententiæ favent complures eruditorum. Hujus verò opinionis unum est præsidium, quòd audiendi Origenis Mammæa fuerit cupidissima, cui jam Christianæ accessisse Origenem, Veteribus persuasum. Quorum fundamentum videtur in arena collocatum. Cùm enim eruditionem Origenis, quæ ubique terrarum percrebuerat, famâ accepisset Mammæa, tam viri percelebris videndi, incessere mulierem cupido potuit, quàm & Regia Agrip-

pæ

pæ involare animo B. Pauli audiendi desiderium, Agrippam tamen non habemus Christianorum in numero. Hæ autem nobis causæ sunt, cur à Veterum recentiorumque sententia discedamus. Quo tempore Heliogabalus dictus est Imperator à militibus, Mammæa Christi Religionem nondum imbiberat animo. Quippe Soli ministrabant, Sacerdotum nomine Heliogabalus, atque Alexander:

Herodian. l. 5.

Sacerdotes ambo Solis, quem maxime indigenæ colunt, Phœnicum linguâ Heliogavalum vocantes. Neque etiam nostræ adhæsit disciplinæ Mammæa, postquam filius ejus ad imperium evectus est, utpote quæ Alexandri vitricum interfici jussit, uxorem verò ædibus Imperatoriis enactam, in Africam relegarit & auri cupidine laborarit, quæ filio causa exitii fuit:

Ibid.

Nisi filium mater avara & sordida infamasset, nil planè in ejus gubernatione desiderari potuisset. Quin etiam quâ autoritate apud Alexandrum pollebat, eum ab Idololatria revocasset, cui tamen addictissimum fuisse constat. Oblatos enim uxori uniones, qui pretium non invenerant, Veneris in auribus dedicavit. Aruspicinæ etiam peritissimus fuit, & ipsius jussu Mathematici Romæ professi sunt.

Lampr. c. 27.

Quæ omnia utpote à Christianis aliena, à filio matri obsequentissimo, Mammæa exerceri prohibuisset. Simulachra numinum, quæ sedibus propriis extulerat Heliogabalus, Templis restituit suis. Denique Mammæa à Romanis Apotheosi donata est. De Alexandro Lampridius c. 63. *Dati sunt & sodales, qui Alexandrini appellati sunt, Addita & festivitas, matris nomine atque ipsius, quæ hodieque Romæ religiosissimè celebratur, natali ejus die.* Quis verò putet Christianam mulierem à Senatu in Deos fuisse relatam? Principibus qui Ecclesiæ favebant *religiosi* titulus à Patribus libenter imponebatur, ut nil miri sit Mammæam *religiosam* ab Eusebio fœminam dici. De Gallieno Dionysius Alex.

Euseb. l. 7. c. 23.

religiosissimus Deique amantissimus Imperator &c. Ethnicam tamen superstitionem Gallienus non ejuravit. Non fidem igitur, sed ex virtutibus moralibus nonnullas quidem amplexata est Mammæa, temperantiam, gravitatem, pudicitiam, quarum exercitio in laude fuit. Potuit etiam audito Origene, Religionem Christi nonnihil æstimare, quod & Agrippæ in mentem venerat post habitam à B. Paulo orationem. Quomodo & ipse Alexander, utcunque in Christum inclinaverat animos, cujus imaginem in suo larario habuit. Quod tamen non satis est, ut Christianus audiat.

Alexandri mores.

V. Fuit ita moratus Alexander, ita vitâ atque animo constitutus, ut inter Ethnicos, paucos æquales habuerit, superiorem fortè neminem. Corporis venustate decorus, illustrior fuit mentis modestiâ. Gemmas de calceis & vestibus abstulit, quibus usus erat Heliogabalus. Veste albâ utebatur, nec auratâ. Recusavit Magni nomen, oblatum Senatus judicio. Salutabatur nomine suo, hoc est, *Ave Alexander*, si quis caput flexisset, aut quid blandius dixisset, ut adulator, vel abjiciebatur, vel ridebatur ingenti cachinno.

Lampr. c. 18.

Ex aulico ministerio obscœnos & infames removit. Malum populi villicum, Imperatorem esse dicebat, qui ex visceribus Provincialium, homines non necessarios, nec Reipublicæ utiles pasceret.

Lampr. c. 15.

Erat prætereà hæc illius sententia: *Solos fures de paupertate conqueri, dum volunt scelera sua vita tegere.* Matutinis horis, in larario rem divinam faciebat, si id non poterat, piscabatur, vel deambulabat, vel venabatur, deinde actibus publicis post multam horam operam dabat. Cogitabat secum, & descriptum habebat, cui quid præstitisset, & si quos sciebat, vel nihil, vel non multum petisse dicebat, *Quid est cur nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? Pete, ne privatus de me queraris.* In milites tam beneficus erat, ut eos mulis & camelis sæpius adjuverit, dicens:

Lampr. c. 47.

Milites se magis servare quàm seipsum, quòd salus publica in his esset. Per præconem cùm aliquem emendaret, dici jubebat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, quam sententiam usque adeò dilexit, ut & in Palatio, & in publicis operibus præscribi juberet. Quam à Christianis sententiam didicerat. De stipendiis militum quidquam accipi vetuit, quia

Lampr. c. 51. & 52.

Miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus & satur, & habens aliquid in zonula. Voluptates scenicas in convivio nunquam habuit, sed summa illi oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter se pugnarent. Non multum in ligna, aut ad apparatum regium auri sericique deputabat, dicens,

Lampr. c. 33.

Imperium in virtute esse, non decore. Cùm Vetronium Turinum, quem familiarissimum habuit, in causis ab utraque parte accepisse, reperiisset, fumo ex humidis lignis apposito necavit, Præcone dicente,

Lampr. c. 32.

Fumo punitur, qui vendidit fumum. Quos malos affines habuit, vel punivit, vel à se dimisit:

Lampr. c. 67.

His, inquit, *charior est mihi tota Respublica.* Cùm furem Judicem videbat, tantâ irâ commovebatur, ut paratum digitum haberet ad eruendum fonti oculum. Non nisi honestos & bonæ famæ homines ad salutationem admisit, jussitque quemadmodum in Eleusiniis sacris, dici,

Lampr. c. 18.

Nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit. Nonnulla tamen in Alexandro reprehensa sunt, Syrus esse nolebat, aurum amabat, suspiciosissimus erat, Magnum Alexandrum videri volebat, nimiam in milites severitatem adhibuit: matri nimis obsequens fuit, quæ tandem exitii causa.

Vict. Epit.

Eò filium coëgerat, ut illa ipsa quamvis permodica, si mensæ prandioque superessent, altero convivio reponerentur.

Alexandri modestia.

VI. Pridie Idus Martias Senatus, qui in Ædem Concordiæ convenerat, Alexandrum Augustum novis decorare titulis voluit. Cùm acclamatum fuisset,

Lampr. c. 11.

Antonine Auguste, Dii te servent. Dii te Antoninum conservent, moneta nomen Antonini reddatur; respondit, *Ne quæso, Patres Conscripti, ne me ad hanc necessitatem vocetis, ut ego cogar tanto nomini satisfacere.* Cùm acclamatum esset: *Magne Alexander, Dii te servent, si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe*; dixit Alexander, *Facilius, fuit Patres Conscripti, ut Antoninorum nomen acciperem: aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperialis. Magni verò nomen cur accipiam? Quid enim jam magnum feci?* Porro etsi nomen insigniaque gereret imperii, negotiorum tamen administratio Mœsæ & Mammææ incumbebat, quæ ad modestiam omnia transferre conabantur. Sexdecim ordinis Senatorii viros Principis Consiliarios delegerunt, virtute præcellentes, nihilque agebatur, nisi suffragio suo confirmarent. Igitur primò Deorum simulacra, quæ propriis sedibus extulerat Heliogabalus, suis quoque Templis restituerunt.

Herodian. l. 6.

Quos verò vitiis nobilitatos ad honores evexerat, ad pristinam vitam redegerunt.

VII.

ANNO DOM. 222.

De Hippolyti Episcopatu.

Euseb. l. 6. c. 20.

VII. Hic annus non imperio Alexandri modò, sed Canone etiam Paschali Hippolyti percelebris fuit. De quo antequam dicimus, de ipso Autore nonnulla sunt proferenda. De Hippolyti Episcopatu nullam apud nos dubitationem relinquunt Eusebius, atque Hieronymus: *Similiter* (verba sunt Eusebii) *& Hippolytus alterius cujusdam Ecclesiæ Episcopus.* Quinam verò Ecclesiæ præfectus fuerit, nec dicit Eusebius, & à se ignorari profitetur Hieronymus: *Hippolytus cujusdam Ecclesiæ Episcopus, nomen quippe urbis scire non potui.* In Oriente tamen officio functum esse Episcopi, conjecturam ducimus ex Hieronymo: *Scripsit de laude Domini Salvatoris, in qua præsente Origene se loqui in Ecclesia significat*, quem dicentem audisse videtur Origenes, cùm in Arabia versaretur, quo bis, tertiùmve se contulerat. Primum scilicet à Duce Arabiæ accersitus scriptis, & ad Ægypti Præfectum, & ad Demetrium Alexandriæ Episcopum; literis deinde à Christianis vocatus, ut cum Beryllo Bostrorum Episcopo disputationem institueret; tertiò rogatus ab Arabica Synodo, ut illorum qui animas ad resurrectionem usque extinguebant, errorem evelleret. Itaque eo inclinat animus, ut in Arabia Episcopatum obtinuerit Hippolytus, non in Italia, cùm Portuensem Origenes Ecclesiam non adierit, ut auditor esset Hippolyto. In Arabia Episcopali munere ornatum fuisse, testatur quidem Gelasius, libro de Duabus naturis in Christo. Est inter Veterum testimonia à Gelasio laudata, illud *Hippolyti Episcopi, & Martyris, Arabum Metropolis, in memoria hæresium.* Multâ se probabilitatis specie commendat doctissimi conjectura Lemonii, Hippolytum scilicet *Episcopum fuisse Portus Romani, non quidem Portus Ostiensis, ad ostia Tiberis, sed Portus Romani in Arabia.* De Theophilo Indo Constantii Imperatoris Legato, Philostorgius: *Aliam verò ædificavit Ecclesiam in eo loco, in quo Romanum erat emporium, ad exteriorem Oceanum vergens. Vocatur autem hic locus Adane, quo cuncti, qui ex Romanorum ditione veniunt, appellere solent.* Quæ urbs vocatur *Aden*, viatorum præconiis celeberrima. Incredibile est ignoratum Hieronymo fuisse locum Episcopatus Hippolyti, si Portuensem Italiæ Ecclesiam administrasset.

Lemoin. Prolegom. 116.

Philostorg. l. 3. c. 4.

Hippolyti martyrium.

VIII. Martyrem Hippolytum non dixit Eusebius. At dixit Hieronymus, Præfatione in Matthæum: *Legisse me fateor Theophili Antiochenæ urbis Episcopi commentarios, Hippolyti quoque Martyris.* Dixit Gelasius loco nuper laudato, dixit Theodoritus Dialogo tertio, qui *impatibilis* scribitur. *S. Hippolyti Episcopi & Martyris, ex Epistola ad reginam quandam.* Nostrum Ruinartus Hippolytum invenit, in Hymno Prudentii:

Prud. de Cor. Hym. XI.

Ille supinatâ residens cervice, Quis, inquit,
Dicitur? Affirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat, turbetque jugales,
Intereatque feris dilaceratus equis.

Quem tamen canit Prudentius, multo discrimine à nostro Hippolyto secernitur. Ille Presbyter, hic Episcopus. Ille Novatiano addictus, hic alienus ab ejus disciplina. De tanto viro quidem superbiisset Hæreticorum familia, neque dissimulassent Veteres, qui de rebus Novatianorum commemorarunt. Ille solo martyrio insignis, nullâ librorum gloriâ inclaruit, quos in Hymno Prudentius suo non omisisset. Hic scriptis suis fama super æthera notus. Alio & Hippolytum Episcopum periisse supplicio, Romanum testatur Martyrologium: *In Portu Romano S. Hippolyti Episcopi eruditione clarissimi, qui sub Alexandro Imperatore, ob præclaram fidei confessionem, manibus pedibusque ligatis, in altam foveam aquis plenam præcipitatus, martyrii palmam accepit. Cujus corpus à Christianis, juxta eundem locum sepultum fuit.* Cæterùm quæ de tempore & loco martyrii prædicant, scrupulum injiciunt, cùm Arabico non conveniat Episcopo, in Italia ad mortem mitti, multò minus temporibus Alexandri Imperatoris, qui Christianos fieri non modò passus est, sed Christianorum etiam Deo honorem habuit. Decio imperante, qui in Christianos involavit, vel Maximino potius rerum Domino, qui Ecclesiarum præfectos vexavit, Hippolytum periisse, credibilius est. Locum & tempus martyrii lubentes in ignoris collocamus, etsi imperante Maximino excessisse, sit nobis verisimilius.

ANNO DOM. 222.

Martyrol. 23. August.

Canon Paschalis Hippolyti.

IX. Anno MDLI. in agro Virano, non procul ab Æde B. Laurentii, nobile monumentum Antiquitatis erutum est, quo de multis Hippolyti docemur Operibus. Statua marmorea est, sedens in Cathedra, utrinque literis Græcis inscripta. In ea Canon Paschalis habetur, cujus ad marginem extant Opera Hippolyti. Quem indiculum doctissimis notis illustrarunt Scaliger libro VII. de Emendatione Temp. p. 723. Bucherius Doctrina Temp. p. 291. Petavius l. II. de Doctr. Temp. Lemoinius Observationibus ad Hippolyti sermonem p. 930. Canonis titulus est: *Anno I. Imperii Alexandri Imperatoris facta est XIV. Pascha Idibus Aprilis Sabbato, cum mensis Embolimæus fuisset. Sequentibus annis contingot, sicut in tabula subjectum est. In præteritis autem evenit sicut indicatum est. Solvendum est verò jejunium, quando Dominica inciderit.* Porro Canone, duo laterculi continentur, *terminalis* scilicet, & *Dominicalis*. Terminalis diem designat, quem Pascha sequitur. Dominicalis ipsum Paschatis festum indicat. Termini Paschales sunt numero XVI. in quibus primus annus, qui Dionysianus CCXXII. intercalaris est, quartus quoque qui Dionysiano CCXXV. similites est embolimæus. Quippe in Heccædecateride Hippolyti, anni duo simplices, duobus intercalaribus includuntur, in laterculo verò Cycli solis Dionysiano, anni Bissextiles tribus communibus separantur. Præterea Hippolyti in Canone, Paschales tam *termini*, quàm *dies*, à Dionysianis longè discrepant. Exempli gratiâ, anno Domini CCXXII. terminus Paschalis Hippolyti Aprilis est XIII. Festum verò Paschatis non in Dominica, quæ terminum proximè sequebatur, sed in ea quæ post terminum secunda est, Aprilis videlicet XXI. celebratur: at in Dionysiano Canone anni CCXXII. terminus Paschalis, est XII. Aprilis, Pascha verò decimo quarto celebratur, diebus septem ante illud Hippolyti. Anno CCXXVII. Hippolyti terminus Paschalis, in Martii XVIII. Pascha in XXV. incidit, Dionysii verò terminus Paschalis est in XVII. Aprilis, Pascha in vigesimo secundo. Occasionem scribendi Canonis præbuit Hippolyto, controversia inter Ecclesias, de die celebrandi Paschatis, quòd lunâ decimâ quartâ mensis, more Judaico ab Asianis agitabatur. Canonis meminit Hieronymus, ut tamen in illum oculos conjecisse non videatur.

Hip-

ANNO DOM. 222.

Hippolytus, inquit, *rationem Paschæ, temporumque Canones scripsit, usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sexdecim annorum circulum, quem Græci ἑκκαιδεκαετηρίδα repperit, & Eusebio, qui super eodem Paschæ Canonem decem & novem annorum circulum, id est, ἐννεαδεκαετηρίδα composuit, occasionem dedit.* Atqui non ad usque primum Alexandri annum Canones scripsit suos, sed ab eo incepit Hippolytus. Cæterùm condendo Canoni, primam ab Hippolyto operam esse collocatam, innuit Hieronymus, quod disertè testatur Isidorus, libro VI. Orig. c. 17. *Paschalem Cyclum Hippolytus Episcopus, temporibus Alexandri Imperatoris primus conscripsit.* Ex eo Canone, potentissimo argumento Baronii Chronologia, atque Onuphrii refellitur. Ille cum anno Dom. CCXXIV. hic cum CCXXII. primum Alexandri copulat. Jam verò in primo Alexandri Imperatoris anno, Aprilis decimus tertius feriæ VII. cohærebat, teste Hippolyti Canone, quam frustra feriam quærimus, anno sive CCXXIII. sive CCXXIV. Idus Apriles in primam feriam incidunt, anno CCXXIII. quia litera Dom. E. Epacta Solaris 3. Anno verò CCXXIV. qui est Bissextilis, Idus Apriles, ad feriam tertiam pertinent, jubentibus & literis Dom. D. C. & Epactis Solaribus 4. 5.

ANNO DOM. 222.

X. Ad Canonis Hippolyti marginem extat Operum ejus indiculus: De aliis Hippolyti Operibus.

ΙΟΥΣ
ΝΙΑΣ
ΑΛΜΟΥΣ
ΙΥΣΤΡΙΜΥΘΟΝ: *De Pythonissa.*
Α ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ ΚΑΙ ΑΠΟΚΑΛΥΨΕΩΣ:
De Joannis Evangelio & Apocalypsi.
ΠΕΡΙ ΧΑΡΙΣΜΑΤΩΝ: *De Charismatibus.*
ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟΣΙΣ: *Apostolica traditio.*
ΧΡΟΝΙΚΩΝ: *Chronicum.*
ΠΡΟΣ ΕΛΛΗΝΑΣ: *Ad Græcos.*
ΚΑΙ ΠΡΟΣ ΠΛΑΤΩΝΑ: *In Platonem.*
Η ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΑΝΤΟΥ: *Vel etiam de omni.*
ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΣ ΠΡΟΣ ΣΕΒΗΡΕΙΝΑΝ: *Exhortatio ad Severinam.*
ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ ΧΡΟΝΩΝ ΤΟΥ ΠΑΣΧΑ ΚΑΤΑ ΕΝ ΤΩ ΠΙΝΑΚΙ:
Demonstratio temporum Paschæ etiam in tabula.
ΩΔΑΙ ΕΙΣ ΠΑΣΑΣ ΤΑΣ ΓΡΑΦΑΣ: *Odæ in omnes Scripturas.*
ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΚΑΙ ΣΑΡΚΟΥ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ: *De Deo & carnis resurrectione.*
ΠΕΡΙ ΤΑΓΑΘΟΥ ΚΑΙ ΠΟΘΕΝ ΤΟ ΚΑΚΟΝ: *De bono & unde malum.*

Fragmenta hæc eruditi pro animi sui conjecturâ, variâ explicatione illustrant. Scaliger Bucheriusque restituunt εἰς τοὺς μετανοίας ψαλμοὺς, ut μετανοίας sit error Fabri, pro μετανοίας. Hoc est, *in Psalmos pœnitentiales.* Quam meritò conjecturam alii eruditi respuunt, quia in tertio inscriptionis versu, mentio est operis in Psalmos, & divisio Psalmorum in pœnitentiales, posterior est ætate Hippolyti. Arbitratur Clarissimus Lemonius ΙΟΥΣ & ΝΙΑΣ, reliquias esse vocum προσπλασεὺς & περὶ κοσμογονίας, quæ designent Hippolyti lucubrationes in ἑξάμερον, quarum mentio est apud Eusebium, atque Hieronymum. Ea tamen nobis conjectura non arridet. Quippe vero proximum est, germanos Operum Hippolyti titulos statuæ marmoreæ inscriptos fuisse. Hos verò suis Hippolytum Operibus indidisse, quos adduxit Lemonius, non liquet, neque etiam fit credibile. Quos enim in cosmopæam Commentarios edidit Hippolytus, illi nomen habent, non προσπλασεως, non περὶ κοσμογονίας, sed εἰς τὴν ἑξάμερον, *in opus sex dierum*, ut docet Eusebius l. VI. c. 22. Divinent quid fragmenta significent, illi quibus est concessa divinatio. Αλμοὺς pars est vocabuli ψαλμοὺς, in quos scripsit Hippolytus, teste Hieronymo. Ιγαστριμυθον vox est ἐγγαστριμύθου, nonnihil deformata, quia *de Saul, de Pythonissa* librum edidit, referente Hieronymo. Α ὑπὲρ placet Cavii conjectura, legendum τὰ ὑπὲρ, Commentarii enim ejus in Apocal. meminit Hieronymus. Quænam verò sit illa *Severina* cui scripsit exhortationem Hippolytus, aperiunt Lemonius atque Cavius; *Severam* scilicet Augustam Philippi Imperatoris conjugem, quam & literis compellavit Origenes. Ex Theodorito quidem audivimus, ad *quandam Reginam* scripsisse Hippolytum. Non nobis tamen placet audax illa crisis, quæ nullâ cogente necessitate, veteres mutat inscriptiones. *Severinam*, non *Severam* habet marmor Hippolyti. *Severa* verò, non *Severina*, Philippo uxor fuit. Neque in marmore vestigii est aliquid, quo Augusteâ dignitate ornatam fuisse Severinam colligamus, quod tamen oblivioni datum non fuisset. Incertum etiam an ad Philippi imperium usque annos Hippolytus suos extenderit. Probabilius periisse imperante Maximino. Denique nil pugnæ est, quòd fœminam aliquam nomine *Severinam* scripto adierit. Porro ne nostra eo de indiculo prolixior sit oratio, legantur Scaligeri, Le Moinii, Cavii conjectura. Scripsit & Hippolytus adversus Marcionem, in Canticum Canticorum, in capita quædam Ezechielis, adversus omnes hæreses, in Exodum, in Genesim, in Zachariam, in Esaiam, de Daniele, de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Antichristo, Προσομιλιῶν, sive colloquiorum, de laude Domini Servatoris, ut tradunt Eusebius atque Hieronymus. Extant hodie duæ de Antichristo Homiliæ sub nomine Hippolyti. Prior titulum habet *de Consummatione mundi, & Antichristo.* Posterior de Antichristo. Illam Joannes Picus Parisiensis Præses, hanc Franciscus Combefix. Ordinis Prædicatorum in Latinum transfudit. Ac posterior quidem est Hippolyto longè dignior: nobisque ea insidet animo sententia, quòd illa ipsa est, de qua mentionem movit Photius: *Legimus ejusdem Homiliam de Christo & Antichristo, in qua eadem dicendi forma servata, & sensuum simplicitas major est ac vetustas.* Phot. Cod. 202. p. 526. Errores quidem benè multos, quibus prior illa scatet à Pico edita, notasset Photius. Quidquid sit, Orationem *de Consummatione Mundi, & Antichristo*, indignam Hippolyto

ANNO DOM. 222.

polyto existimamus. Glorioso Christi adventui Præcursorem dicit, cum Enocho & Elia, *Joannem Baptistam*, iterum occidendum. Dæmonem fore Antichristum, sed *opinione* tantum hominem, qui tamen in *primordiis suis amabit Scripturam, severebitur Sacerdotes, abominabitur adulterium, hospitalis erit, & studiosus hominum.* Scilicet ea Dæmoni cura, atque is amor est! Principes etiam populorum Dæmones, humanâ specie constituit. Parcant nobis Bellarminus, N. Alexander aliique, quibus placet orationem ipsissimam esse, cujus meminit Hieronymus, si ab Hippolyto eam abjudicamus, nebulone potius dignam, quàm gravissimo Scriptore, Episcopo, & Martyre. Editum est ab Henrico Canisio S. Canonum Ingolstadii Professore, Chronicum Hippolyti Thebani, longè ab eo diversum, quod Hippolyto Episcopo Romano in marmore vindicatur. Quippe in eo reperiuntur nomina Constantini Magni, Eusebii, Arii, Basilii Magni, imò Metaphrastis etiam, qui initio decimi seculi floruit. Cujus Chronici Autor, Hippolytus Thebanus nuncupatur.

ANNO DOM. 223.

ANNO U. C. 976. PER. JUL. 4936. JUL. 268. DOM. 223. ALEX. 2. *Sol.* 8. E. *Lun.* 15. *Indict.* 1. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

COSS. *L. Marius Maximus* II. *& Lucius Roscius Ælianus.*

De uxoribus Alexandri.

I. ACcuratam de Alexandri matrimoniis sequi Chronologiam, cùm nobis non detur, unâ orationis serie conjuges exhibebimus. Prima ejus uxor Macriani filia. De quo hæc prodit Dexippus, eundem ab Alexandro Cæsarem nuncupatum: *Verùm cùm vellet insidiis occidere Alexandrum Marcianus, detectâ factione, & ipsum interemptum, & uxorem abjectam.* Hujus mulieris mentio est apud Herodianum, cujus tamen narratio ab illa Dexippi valde dissidet. *Lampr. c. 49.* Puella hæc marito chara imprimis erat. Mammæa verò, quæ volebat Augustæ titulum esse sibi proprium, multis & Macrianum, & filiam ejus injuriis affecit. Quibus commotus Macrianus, confugiens in castra de Mammææ injuriis querelam instituit. Quâ re indignata, interfici eum jussit, puellam verò ædibus Imperatoriis exactam relegavit invito Alexandro. *Herodian. lib. 6.* Aliam duxit, nomine *Memmiam*, Sulpitii viri Consularis filiam, Catuli neptem. Quæ cùm sæpius dixisset Alexandro, ob nimiam urbanitatem: *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti*, ille respondit, *Sed securiorem atque diuturniorem.* *Lampr. c. 20.* Tertiam Alexandri uxorem, in Nummis inveniunt eruditi: *Sallustiam Barbiam Orbianam.* *Lampr. c. 23 & 25.* A mulieribus famosis, matrem & uxorem suam salutari vetuit Alexander, cui etiam Eunuchos, quos de ministerio abjecerat, ut servos servire jussit.

ANNO DOM. 224.

ANNO U. C. 977. PER. JUL. 4937. JUL. 269. DOM. 224. ALEXANDRI. 3. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 16. *Indict.* 2. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 28. *Martii.*

COSS. *Julianus* II. *& Crispinus.*

De Alexandri Præfectis Prætorio.

I. IN præcipua commendatione habetur Alexandri modestia, qui Præfectum Prætorii sibi ex Senatus autoritate constituit, Præfectum urbis à Senatu accepit, alterum Præfectum Prætorii fecit, qui ne fieret, etiam fugerat. Dicebat enim, *Invitos, non ambientes, in Rempublicam collocandos.* Præfectum ex autoritate Senatus, Ulpianum esse existimamus: *Ulpianum pro tutore habuit, primùm repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpe à militum ira objectu purpuræ summa defendit.* *Lampr. c. 19. Lampr. c. 55.* Alter forsan Paulus est, Domitio Ulpiano in Præfectura Prætorii collega: *Paulum & Ulpianum, in magno honore habuit, quos Præfectos ab Heliogabalo alii dicunt factos, alii à se ipso.* *Lampr. c. 26.* Alios & Præfectos ante Ulpianum habuisse, in Dione legimus: *Ulpianus multa, quæ non rectè à Sardanapalo facta erant, emendavit. Flavianum verò & Chrestum interfecit, ut eis succederet.* *Dio l. 80. 917.* Alio rem modo narrat Zozimus. Flaviano enim, & Chresto Præfectis Prætorio, Ulpianum à Mammæa inspectorem datum dicit; quâ re offensi milites, mortem homini clandestinam moliuntur. Detectis insidiis, soli Ulpiano Præfectorum Prætorio munus committitur. Hic quidem perturbatio est historiæ & magna confusio. *Zozim. l. 1. c. 11.* Solusne Ulpianus Præfectus qui collegam Paulum habuit? Qui Flaviano & Chresto successit, cùm ante ipsorum mortem, diu satis Prætorii Præfecturâ functus esse videatur? Fingemusne animo, quatuor fuisse Præfectos Prætorio, quos inter eminebat Ulpianus, deinde Paulus, tum Flavianus & Chrestus? Id quidem innuunt Autores laudati, si unà componantur. Tres sanè simul fuisse, disertè tradit Zozimus; Flavianum, Chrestum & Ulpianum, quem non inspectorem modò, sed & *quasi consortem officii* ipsis Mammæa dederat. Initio Imperii Alexandri, Ulpianum Prætorio fuisse Præfectum, scripto mandat Victor de Cæsaribus: *Domit. Ulpianum, quem Heliogabalus Prætorianis præfecerat, eodem honore retinens, Pauloque inter exordia patriæ reddito, juris autoribus, quantus erga optimos atque æqui studio esset educuit.*

Urbanus Papa. Obierit ne martyrio?

II. Callisto Papæ hunc annum fatalem fuisse, eoque defuncto, *vigesimâ primâ die Octobris, substitutum Urbanum*, traditur Baronianis in Annalibus. Nos citius naturæ satisfecisse Callistum existimamus: *Callistus annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, à Consulatu Antonini & Adventi, usque Antonino III. & Alexandro.* *Bar. An. 226. n. 12.* Quæ Chronici Damasi verba sunt. Unus verò idemque annus, & Callisto mortem, & Urbano Episcopatum attulit. Eadem & Chronologia est larvati Urbani in Epistola sua, *data Nonis Septembris, Antonino & Alexandro, viris clarissimis Coss.* Antoninus Heliogabalus, & Alexander Cæsar, annum CCXXII. aperuerunt. Nostro itaque judicio, eruditissimus Labbæus, ex Consulibus, Urbani Decretali falsi notam inurere non debuit, quasi anno demum CCXXIV. Callisto successisset Urbanus. Nostram amplectuntur Chronologiam Onuphrius, Pearsonius, Pagius aliique eruditi. Urbanum dicunt *natione Romanum, ex Patre Pontiano.* Urbano annos novem Eusebius; octo Buch. Catalogus; quatuor, menses decem, dies XII. liber Pontificalis ascribit. Buch. Catalogo nos magis assentimur. Sedit igitur Urbanus ab anno CCXXII. ad usque CCXXX. *Urbanum cùm sedisset annos sex, menses septem, & dies quatuor, martyrio functum fuisse*, scripto prodit Baronius. *An. 233. n. 1.* Quippe à Romano discedere Martyrologio, illustrissimo Purpurato religio fuit. Maii XXV. verba sunt Martyrologii, *Romæ via Nomentana*

ANNO DOM. 224.

mentana, natalis B. Urbani Papæ & Martyris, cujus exhortatione, & doctrinâ, multi in quibus fuere Liburtius & Valerianus, Christi fidem susceperunt, & pro ea martyrium subierunt. Ipse quoque in persecutione Alexandri Severi pro Ecclesia Dei multa passus, tandem cervicibus abscissis, martyrio coronatus est. Sepultum ferunt via Appia VIII. Kalendas Junias. Neque diffitemur & Rosuedi, & Adonis in Martyrologio, Urbanum audire *Martyrem.* At si non populari trutinâ, sed aurificis staterâ hanc examinamus traditionem, facilè Urbanum erit Martyribus eximere. Martyris enim nomen non habet à Veteribus, non ab Eusebio, non ab Hieronymo, non ab indiculo Bucheriano, non à veteri Calendario Rom. Mabillioniano, in quo exhibentur depositiones Martyrum, non à libro Pontificali. Neque tot martyria, quæ Imperium Alexandri sanguine inundasse prædicantur, satis commode divisa sunt temporibus. Christianis quidem favisse, & Alexandrum, & Mammæam Augustam, illi tenent qui vel à limine historiam salutarunt. Imò *Christianam* Veteres dicere Mammæam, quæ *filio supra modum imperitabat, & dicto audientem semper habebat.*

Herodian. l. 6.

Quis verò comprehendere animo potest, in ipsa urbe, cervicem Urbano fuisse decussam eo tempore, quo illi, qui rerum potiebantur, & mente, & edictis Christianæ plebi maximè favebant? Fuerit in Ecclesias male animatus Ulpianus, ad Dominorum tamen voluntatem sese composuit, utpote qui de mente Alexandri in Christianos benigna, nil consiliis immutarit suis, quibus Alexander & Mammæa multum credebant. Imò Urbani fata prævenit mors Ulpiani. Itaque siccâ morte excessisse Urbanum, existimamus in illa Ecclesiæ pace atque tranquillitate, quæ non abiit ante Imperium Maximini. Videatur anni Dom. CCXXX. caput 4.

Urbani Epistola subdita.

III. Urbani nomine circumfertur Epistola, cujus capita sunt septem numero. 1°. De vita communi, & quam ob causam Ecclesia possessiones habuerit. 2°. A quibus, vel in quos usus res Ecclesiasticæ dispensentur, & de invasoribus earum. 3°. Si quis ab Ecclesia jus possidendi avellere tentaverit. 4°. De Cathedris Episcopalibus. 5°. Ut nullus communicet iis quibus Episcopus non communicat, vel recipiat quos abjecerit. 6°. De Sponsione in baptismo facta, & de iis qui communem vitam susceperunt. 7°. De impositione manus Episcopalis. Scribitur Epistola *omnibus Christianis.* Data est *Nonis Septembris, id est, V. die ejusdem mensis Antonino & Alexandro viris clarissimis Coss.* Quæ vel una subscriptio falsi coarguit Epistolam. Nullo enim modo ignorare Urbanus potuit, Antoninum Imperatorem, Alexandrum Cæsarem fuisse, tantæque dignitati aptum congruentemque non esse, *virorum clarissimorum* titulum. Deinde verba hæc de bonis Ecclesiæ: *Vota sunt Fidelium & precia peccatorum, & patrimonia pauperum*, ipsissima sunt verba Julii Pomerii de vita Contempl. l. 2. c. 9. Quod Opus vulgò Prospero tribuitur. Neque Urbanum spirat, quam bonorum Ecclesiasticorum prædonibus pœnam imponit: *Quòd si quis fecerit, post debitæ ultionis Acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetuâ damnetur infamiâ, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis uratur.* Solas Urbanus castigationes Ecclesiasticas sontibus irrogandas esse noverat, scilicet sacrorum abstinentiam, Excommunicationem. Pœna hæc quam larvatus infligit Urbanus, desumitur ex Cod. Theodos. tit. 2. Const. XL.

ANNO U. C. 978. PER. JUL. 4938. JUL. 207. DOM. 225. ALEX. 4. *Sol.* 10. B. *Lun.* 17. *Indict.* 3. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

ANNO DOM. 225.

COSS. *Fuscus II. & Dexter.*

De loco quem Christianis vindicavit Alexander, reclamantibus popinariis.

I. Dum præclaris legibus, urbem regere pergit Alexander, popinarios inter & Christianos aliquid litium exoritur. Rem sic exequitur Lampridius: *Cùm Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, Melius esse, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Annum contestatæ litis, definire mortalium viribus editius est. Clarissimo tamen Blondello non assentimur, qui in ipsis Alexandrini imperii *auspiciis, causa popinarios cecidisse* scribit. Ex Lampridio colligimus, non novo quidem Alexandri Imperio contigisse, sed paucis annis ante expeditionem Parthicam. Ac verba quidem optimi Imperatoris ostendunt coctius maturiusque judicium, quàm erat anno CCXXII. Locum quem sibi Christiani vindicabant, aream esse, in qua *erigeretur Ecclesia*, creditum Baronio. Nostro tamen judicio, de ædificio potius quam areâ capiendus est Lampridius. Quippe jure postliminii, hunc suo locum vindicare Christiani videbantur, cùm in aliena bona non invaderent. Sacra igitur jam sua in eo loco confecerant, non tamen sub Jove frigido. Tum ut popinarii, cum sibi locum deberi jure contenderent, necesse fuit, eos aliquandiu ejus possessionem occupasse. Domus ergo fuerat quæ popinis inservierat. Fruatur quisque suo judicio. Putat Blondellus ædificium fuisse: *Quod exinde Callisti & Julii titulum, sive S. Mariæ trans Tiberim, vocavit posteritas.* Cùm verò nullus avium volatus, quod ex Lampridio petatur indicium, locum indicet, malumus hic ἐπέχειν, quàm divinare temerè. Hoc anno thermas Alexandrinas ædificatas esse, tradit Eusebius in Chronico. Quo de ædificio Lampridius: *Opera Veterum Principum instauravit, ipse nova multa constituit: in his thermas nominis sui juxta eas, quæ Neroniana fuerunt, aqua inducta quæ Alexandrina nunc dicitur.*

Lampr. Sev. c. 49.

Blondel. Apol. 129.

An. 57. n. 102.

Blond. Apol. 129.

Lampr. c. 24.

ANNO U. C. 979. PER. JUL. 4939. JUL. 271. DOM. 226. ALEXANDRI 5. *Sol.* 11. A. *Lun.* 18. *Indict.* 4. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 7. P. 2. *Apr.*

ANNO DOM. 226.

COSS. *Alexander Augustus II. & C. Quintillus Marcellus.*

Parthica Monarchia ad Persas transfertur Artaxerxes.

I. Labentem annum casus insignis nobilitat. Quod diu floruerat regnum Parthorum, cum Artabano Rege Magno extinctum, quasi jure postliminii redit ad Persas. Primus Arsaces Parthis persuaserat, ut à Macedonibus deficerent. Impositoque sibi diademate, imperium tenuerat, quod longâ 470. circiter annorum serie posteris reliquerat. Rex erat Artabanus, victoriâ clarus, quam de Macrino retulerat. Romanos etiam turpem emere pacem coëgerat, dato ingenti pretio. Hinc *Magni* sibi nomen assumpserat, quod videbatur suo jure quodam modo vindicare. Duplici quoque dia-

Anno Dom. 226.

dcinate urebatur. Quam cum regno, vitaque gloriam Rex superbus amisit. Artaxerxes Persa cum Parthos tribus prælius superasset, Regem interficit Artabanum. Extincto Parthorum nomine, mortua suscitatur Persarum Monarchia: *Annis* DCCCVIII. *post Alexandri Magni obitum, quarto verò Alexandri Mammaæ filii*, ut docet Agathias l. 4. c. 11. Hoc quippe anno Martii usque decimum, quartus Alexandri erat in cursu. Quanquam farendum designata accuratius fuisse tempora, si quintum Alexandri Imperatoris annum Agathias adhibuisset, cùm à Septembri annos deducat Artaxerxis. Error igitur est Eusebio, qui ad annum Christi CCXXII. scribit in Chronico: *Alexander Xerxem Regem Persarum gloriosissimè vicit.* Duravit institutum ab Artaxerxe regnum ad annum Dom. DCXXXII. quo Rex Persarum Jezdegird ab Othoman filio Ophan Scenitarum Arabum Amiran, victus est atque interfectus. Porro Artaxerxis matrem ferunt *Pareco* cuidam nupsisse, infimæ sortis viro, & coriariam exercenti, sed Astrologiæ perito, cujus ope cùm prævideret filium militis, nomine *Sanni*, futurum esse celeberrimum, noctu uxore appositâ, toro cessisse, inde ortum Artaxeraem. Vir ille obscurissimus, cùm factis suis gloriam sibi comparasset, conjuratorum factâ manu, *Artabanum Regem obtruncat & tiarâ, regio insigni, sibi impositâ, Parthorum viribus debilitatis, denuò Persis pristinum regnum restituit.*

Agath. l. 2. c. 14.

Primis seculis fuerintne viri tabulato à mulieribus in Ecclesiis disjuncti?

III. Aliquas publici juris ædes, sacro cultui dicatas, Christianis fuisse, dum secundum præcipitabat seculum, ostendimus, multaque de ipsarum dedicatione diximus. Deficiente sive Ecclesiasticâ, sive politicâ hujus anni materiâ, perjucundam ingredimur quæstionem, fuerintne in Ecclesiis distincta virorum & mulierum loca, atque cancellis separata? Volventibus quidem seculis, cùm Imperatores Christi disciplinam amplexi sunt, locorum distinctione se viros à mulieribus separatos fuisse, facilè concedimus. Tabulatum enim murusve intermedius virorum stationem ab illa fœminarum dirimens, pertingebat à primis Ecclesiæ foribus ad usque ambonem, & sanctuarium. Neque nos fugit Ecclesiæ descriptio, quam memorant Apostolicæ quæ dicuntur Constitutiones l. 2. c. 57. *Ac primum quidem sit ædes oblonga, Orientem versus navi similis, utrinque Pastophoria in Orientem. Sit solium Episcopi in medio positum, & ex utroque latere sedeant Presbyteri, & astent Diaconi succincti & expediti, sine multa veste, sunt enim similes nautis illis qui per fores navis cursitant. Sit autem horum cura, ut laici in altera parte, ordine & decorè, & quiete sedeant, item ut sedeant mulieres separatim, ac cum silentio. In medio autem lector, ex loco edito legat. Janitores stent ad introitus virorum, custodiendi causâ, Diaconissæ verò ad mulierum. . . . In Tabernaculo enim testimonii, & in Templo Dei, eadem ratio & forma observabatur.* Cui locorum in Ecclesiis distinctioni ultimam Baronius Antiquitatem contribuit, probatque ea Philone: *Commune semneum, in quod septimo quoque die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum cœtibus. Medius autem paries, à solo surgit, tribus quatuorve cubitis, in modum loricula.* Hos verò Therapeutas Christianorum in numero habuit. Hinc illustrissimi Purpurati scitum: *In Ecclesiis fuisse Fideles ab invicem locorum distinctione separatos.* Nos verò indecorum esse putamus, antiquos mores ea posterorum ætate existimare. Ægrè quidem nobis persuaderetur, ætate Justini Martyris, ne Apostolorum dicamus, observatam fuisse eam Christianorum in cœtibus locorum distinctionem. Cujus ne minimum extat indicium, in ejus Apologia. Admissâ quidem hâc separatione, nil loci fuisset Ethnicorum calumniæ: *Ad epulas solemni die coëunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines & omnis ætatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, & incestæ libidinis ebrietatis fervor exarsit, canis qui candelabro nexus est, jactu offæ, ultra spatium lineæ quâ vinctus est, ad impetum & saltum provocatur.* Neque similis injuria Judæis est imposita, quorum in Synagogis, viri à mulieribus loco cancellisque separantur. Objectioni quidem Cæcilii diluendæ, Octavio responsio erat in promptu, figmenta hæc Ethnicorum, silentiis Christianorum abs ipsis vel Ecclesiis refelli, ubi sexus muliebris à virili seorsim sedebat, tabulatis disjunctus & separatus. Quâ tamen defensione non utitur eruditus ille patronus Christianorum. Neque etiam virorum hæc à mulieribus in Ecclesia separatio, apta est conveniensque Agaparum usui, in quibus Eucharistia celebrabatur: *Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus sumimus.* Separandis à virorum grege mulieribus, parietem in Ecclesiis non fuisse medium, quomodò vel in Therapeutarum Semneo, vel in Templo Hierosolymitano, quem ferunt altum triginta duobus cubitis & dimidio, non obscurè indicat Tertullianus: *Certè in Ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra Ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur & fratres, aut constanter audeant, & in vicis virgines videri, sicut audent in Ecclesiis.* Atque cancelli parietesve intergemini, crassissimi veli officio functi fuissent, ne *fratrum* oculi in virgines conjicerentur. Nec virgines an nuptæ forent, sciri potuisset, prohibente locorum divortio. Quid argumentis opus, & ratiocinationibus? Arbitrum dicamus Chrysostomum: *Oportet quidem vos interiore pariete à mulieribus separari. Verùm quoniam non vultis, necessarium patres nostri putaverunt saltem his ligneis parietibus vos disseparare. Audivi autem ego à Senioribus, non fuisse hos parietes ab initio. In Christo enim Jesu non est mas, neque fœmina. Apostolorum autem tempore unà viri & mulieres orabant.*

Bar. an. 57. 523.

Anno Dom. 226.

Min. Fel.

Tert. de Cor. c. 3.

Tert. de Vel. Virg. cap. 13.

Chrysost. in Matt. Hom. 74. pag. 762.

Olim ad aram laici participabant Eucharistiam.

IV. Porro quo tempore distinctio hæc locorum obtinuit, in sacrario tamen viri mulieresque olim participabant Eucharistiam: *Oblatione factâ quisque ordo seorsim, corpus Domini & preciosum sanguinem sumat, accedentes ordine cum pudore & reverentia, utpote ad corpus Regis. Item mulieres operto capite, ut ordinem earum decet, accedant. Januæ autem Ædis sacræ custodiantur, ne quis infidelis aut non baptizatus ingrediatur.* Id moris quoque Afris fuisse, ex Tertulliano tenemus: *Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris?* Neque ab ea consuetudine recesserat Cyprianus, qui verba laudat Apostoli, qui ad sacram mensam Laicos admittebat: *Non potestis mensæ Domini communicare & mensæ Dæmoniorum.* Ad altare igitur Domini laicis distribuebatur Eucharistia. De sene qui ab Hæreticis baptismum consecutus fuerat, testatur Dionysius, quòd *ad sacram mensam astiterat.* Canon secundus, qui Dionysio ascribitur Alexan-

Tert. de Orat. c. 14.

Cypr. Ep. 10.

Eusob. l. 7. c. 10.

ANNO DOM. 226.

xandrinn: *De mulieribus*, inquit, *sanguinis profluvio laborantibus, an eas sic affectas, oporteat Dei domum ingredi, supervacaneum vel interrogare existimo. Neque enim arbitror illas, si sint pia & fideles, sic affectas, ausuras vel ad Sanctam mensam accedere, vel corpus & sanguinem Domini attingere. Neque enim qua* XII. *annorum fluxum habebat, ipsum ad medicinam tetigit, sed solùm ejus fimbriam. Orare enim quomodocunque se habeat aliquis, & utcunque sit affectus, Domini meminisse, & auxilium implorare, non est reprehendendum. Ad Sancta autem Sanctorum, qui non animâ & corpore purus est, accedere prohibitur.*

Euseb. l. 6. cap. 43.

Ad altare sacri corporis & mysteria susceperant illi, quorum manus retinens Novatianus, jurare cogebat, nunquam se ad Cornelium reversuros. Lapsu temporis immutata consuetudo, soli quippe Clero concessum in sacrario participare Eucharistiam, quod Canone Laodiceno XIX. decernitur: *Solis licere sacratis, ad altare accedere, & communicare.* Canone 44. *ad altare ingredi* mulieres prohibentur. Eandem sancit disciplinam Toletana Synodus IV. c. 17. *Sacerdotes & Levita ante altare communicent in choro, extra chorum Populus.* Eadem & mens Bracarensis Synodi I. c. 31. Neque Imperatoribus id concessum privilegii, ut intra cancellos ad altare communicarent. Id quidem ipsis licebat Constantinopoli, at mos à Theodosio abrogatus est, autore Ambrosio. Ad cancellos sacrorum mysteriorum perceptionem expectabat Theodosius Magnus, cui per Archidiaconum hæc significavit Ambrosius: *Interiora loca, solis Sacerdotibus patent, reliquis omnibus sunt inaccessa. Abscede igitur, nam purpura Imperatores facit, non Sacerdotes.* Non existimamus tamen Eucharistiam ab altiori percipiendam, à Cypriano Laicos prohibitos esse, dum scribit Epistola ad Antonianum, *Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicat.* Quæ in percipienda Eucharistia locorum differentia nondum obtinuerat. Id sibi vult Cyprianus, ut non unà cum Clericis, sed cum plebe communicet, quæ plebis communio illâ Laicorum tempore posterior erat, servando ordini etsi utraque ad altare perageretur.

Theodor. h. lib. 5. cap. 18.

Fuerintne olim altaria multa in qualibet Ecclesia.

V. Crescit nobis scribendi materies, cùm proximæ quæstioni alia connexa sit, multane olim in qualibet Ecclesia altaria fuerint, an duntaxat unum? Qua de re hæc est sententia Baronii: *Non incedens visum esse, in eadem Ecclesia plura constitui altaria. Nam cùm ea essent sepulchra Martyrum, ubicunque esset Martyr conditus, illic altare erigi consuevit.* Cujus opinionis fundamentum in uno Gregorio M. collocavit, etsi faciles largiamur longè antiquiorem fuisse Gregorio consuetudinem, multa in una Ecclesia altaria ponendi. Quod ætate Ambrosii, Mediolani factum novimus. A Mediolanensibus Ecclesiam flagitabat Valentinianus, Arianis tradendam: *Trade Basilicam . . . mandatur trade altaria Dei.* In illa ipsa Basilica, quam Valentiniano Ambrosius abnuerat, *Certatim milites nunciare & irruentes in Altaria, osculo pacem significare* cœperunt. Quæ tamen Mediolanensibus consuetudo, hâc illâ ætate videtur fuisse propria. Neque ut nostra memoria est, de pluribus in una Basilica altaribus est testimonium eo antiquius. Ante Constantinum M. cùm Templis Christianorum non conderentur Martyrum reliquiæ, nil quidem causæ fuit, cur multiplicarentur altaria. Ac uno altari contentos fuisse Græcos, vetusta diligentius monumenta rimanti, certum exploratumque est. Autor ille cui nomen Ignatio: *Unum*, inquit, *est altare, unus Episcopus.* In pulcherrima Tyrensi Basilica, quam accuratè describit Eusebius, *Paulinus postremò Sanctum Sanctorum, altare videlicet in medio constituit.* De Philagrio, qui strage multâ Alexandrinam cumulaverat Ecclesiam, Athanasius: *In sacram mensam, quanta impietas & facinora commissa. Vidisses enim eos aves, & nuces sacrificare, idola sua laudibus efferre.* Non unum quidem, sed omnia quoque, omni flagitio altaria impii polluissent, si plurima fuissent. De Servatoris Basilica Hierosolymis à Constantino M. condita, Theodoritus: *Porro sacrum altare, regalibus velis & aureis donariis, gemmarum fulgore distinctis, cernebatur ornatum.* Non unum modo, sed multa etiam à Constantino altaria ornata fuissent, si multa templum Servatoris habuisset. Unum quoque altare fuit, in Ecclesia, quam Gorgonia Nazianzeni soror ingressa est, ut morbo suo remedium inveniret: *Intempestâ nocte captata, cum morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit.* Ad majus altare, vel ad unum ex altaribus dici debuit, si plura in illo Templo altaria posita fuissent. Simplex etiam altare in Ecclesia montis Nitriæ: *Sunt octo Presbyteri, qui præsunt huic Ecclesia, in qua quamdiu vivit primus Presbyter hujus Ecclesia, nullus alius offert, nec judicat, nec habet sermonem, sed tacitè solùm cum eo sedent.* Uno consecrante, altarium sanè multitudo nulli fuisset usui. Unum & indicat Synodus Trullensis, c. 69. *Nulli omnium qui sit in Laicorum numero, liceat intra sacrum altare ingredi, ab eo tamen non prohibetur regia majestas cùm voluerit dona offerre creatori.* Græcis fuerant mensæ geminæ. Prior dicebatur πρόθεσις, in qua sacrificii peragitur præludium. Quam ad mensam vel ipsi Catechumeni invitantur: *Omnis non illuminatus, & non initiatus, quique etiamnum est in reatu, festinato, venite, illuminemini, & ad animarum nutricem mensam propius accedite.* Altare verò est in Sancto Sanctorum, quo *Angelis, quasi satellitibus, comitatus Christus*, proficiscitur ad mysticum sacrificium: *Sacrorum translatio à prothesi corporis Dominici & sanguinis, & eorum ingressus ad altare, & Cherubicum à Betania in Hierusalem Domini introitum significat.* Duarum mensarum altera quæ in sacrario est, sola altaris officio fungebatur, cùm in prothesi non celebraretur Eucharistiæ sacrificium. Quæ verò de recentiorum Græcorum Templis Leo tradit Allatius, relatu digna sunt: *In Bemate duo altaria, quandoque etiam tria extructa. Ubi tria sunt, in eo quod ad sinistram est, exeuntibus, libri, vestes, & alia utensilia reponuntur. In nonnullis tamen Ecclesiis, muro etiam medio, vel tabulato, à reliqua Bematis parte separatur, & aditu adaperto, in eodem muro cum Bemate communicat. . . . In eodem loco carbones ad altare pro suffitu ferendos accendunt, sacris lebetibus calefaciendis occupantur, ut more solito, aqua fervens, sacro calici tempestivè infundatur, cereis etiam accensis. Evangelium antecedunt, quando lectionis causâ fertur ad suggestum, & sacra munera cùm ab altari minori, ad sacram mensam quod μεγάλη εἴσοδος magnus ingressus appellatur, solemniter antequam consecrentur, deferuntur, & tum demum postquam consecratæ fuerint, à sacra mensa ad al-*

Bar. an. 57. n. 105.

Ambros. Ep. 33.

Ignat. ad Philadel.

Euseb. l. 10. c. 4.

Athan. ad Orth. l. 1. 945.

Theodori. l. 1. c. 31.

Nazian. Or. XI.

Pallad. h. Laus. c. 6.

Germ. Theor. B. P. t. 2.

Allat. de Rec. Græc. Templ. 136.

tare minus quod πρόθεσις est, reportantur, ut quidquid reliquum est, à Sacerdote vel Diacono absumatur. Quibus liquidò constat, unum esse Græcis eccenoosibus altare, quia in uno tantùm Eucharistiæ sacrificium perpetratur. Hoc rotundè fatetur Jacobus Goar: *Unum namque est, & ut* (Goar ris. Græc. p. 16.) *Eusebius loquitur, μονογενὲς θυσιαστήριον, etiamnum hodie apud Græcos & non nisi semel per diem propter sacrificii unitatem in eo celebrant.* Id ipsum fatetur illustrissimus Bona Liturg. l. 1. c. 14. Nec ea de re Latinorum consuetudo olim ab illa Græcorum discrepabat. Testis Cyprianus, qui *confidentium Dei Sacerdotum, & altaris positi*, meminit Epistolâ XLII. quia, ut verè monuit Pamelius, *In Basilica quapiam ubi erectum erat altare, & juxta altare fiebant tum stationes, tum conventus omnes Ecclesiastici, & ante tractationem negotiorum offerebatur sacrificium, & communicabant omnes.* Extat & pro uno altari locus, Epistolâ Cypriani LV. *Quid superest quàm ut Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, in Cleri nostri sacrum venerandumque consessum, simulachra atque Idola, cum aris suis transeant.* Neque in Ecclesia Romana vel anno CCCCXL. moris erat plures aras in eodem Templo collocari, teste Leonis ad Dioscorum Epistolâ 79. *Illud quoque volumus custodiri, ut cùm solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne unius tantum Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint.* Cùm igitur moris esset unam celebrare Missam, unum & altare fuisse concedi debet. Propterea festis solemnioribus, sacrificii oblatio *iterabatur*, quia in eodem altari iterum consecrabatur Eucharistia. Consentanea rationi Æthiopibus non apparet altarium in Ecclesia multitudo. Audiatur Zaga Zabo: *In nostris Templis, singulis diebus una tantùm celebratur Missa, quam sacrificii loco habemus, nec plures ex veteri instituto celebrare licet.* Unam & in qualibet Æthiopum Ecclesia aram stare, legitur apud Alvarem de Æthi. c. 11. *Non est in eorum Ecclesia nisi unum altare.* Hoc tradit & Vincentius le Blanc: (Le Blanc 2. p. cap. 7.) *Il ne se dit en toutes les Eglises, qu'une seule Messe par jour, avec tant de reverence, qu'il n'est pas permis d'y cracher, ou s'asseoir.* Quod ergo Palladius Sanctonensis Episcopus, apud Ecclesiam quam in honorem B. Petri & Pauli Apostoli construxerat, *tredecim altaria* posuit, ab antiqua Ecclesiæ disciplina prorsus abhorret. Ex Latinorum sanè mysteriis, atque opinione, *indecens* est altarium in uno Templo multitudo. In Mosaico Tabernaculo, quod exprimant Ecclesiæ, unum fuit altare sacrificiis destinatum. Sed & additæ suis altaribus significationes, eorum multitudinem respuunt: *Altare super quod sacrificatur, est Christus, super quem sacrificium Ecclesia acceptatur.* (Gem. Anim. l. 1. c. 134.) Plurima & à Durando Mimatensi altari affinguntur mysteria; quibus altarium multitudo convellitur. Nempe & *mortificationem*, & (Dur. Rat. lib. 1. c. 3.) *Ecclesiam spiritualem*, & *Christum*, & *corpus Christi* significat. Atqui unus est Christus, unum corpus Domini, una Ecclesia, una mortificatio, qui nobiles respectus ex altarium multitudine diffluunt. Liceat & Baronium Latinosque urgere ex verbis Apostoli: (Hebr. XIII. 10.) *Habemus altare, ex quo edendi non habent jus, qui Tabernaculo cultum præstant.* Quomodocunque verba Pauli capiantur, sive de *cruce*, sive de *Christo*, quæ mens est Apostoli, illud unum altare mysticum, uno in eadem Ecclesia altari repræsentari, multò decentius est, quanquam hic etiam ratio necessitatis habenda sit, ut nil repugnet, imò consonum videatur, plures mensas adhibere, ubi cœtibus numerosis Ecclesiæ florent.

(Veterum altaris mensæ erant.) VI. Frequentissimum fuisse Patribus & *ara*, & *altaris* vocabulum, complures ex ipsorum monumentis laudati loci satis superque testantur. Quid verò hâc voce sibi voluerint, est paucis docendum, licet jam ea de re nostram ostenderimus sententiam, ad annum Dom. XXXIII. Nobis verò infixum est animo, non veri proprique nominis altaria cruento sacrificio faciendo constituta, sed mensas quidem sacras fuisse, quæ *altarium* nomine donatæ sunt, quia Eucharistia cruenti Servatoris sacrificii imago est, atque monumentum. Quam Patribus fuisse mentem, duo imprimis fidem faciunt. Alterum quòd nullas sibi aras esse candidè profiteantur, alterum quod *altaribus* suis quàm frequentissimè *mensarum* nomen imponant. Verùm autem altare mensæ non potest induere appellationem. Primum quod attinet, sapienter Clemens Alex. *Est ergo quod est hic apud nos altare, terrestris congregatio eorum qui sunt dedicati orationibus.* (Clem. Strom. l. 7. 525.) Clementis discipulus Origenes: *Omnes*, inquit, *Christiani conantur dedicare aras, & statuas, quales diximus, non sensu & animâ vacuas, nec furconum Dæmonumque iisdem insidentium capaces . . . Consecat igitur qui vult aras, quales diximus, cum statuis Phidiæ & Polycleti similiumque, & benè sciet, has quidem inanimas esse, obnoxiasque temporum injuriis, illas verò sitas in immortali anima mansuras, quamdiu mens voluerit & ratio.* (Orig. in Cels. l. 8. cap. 590.) Quòd si tum temporis, veri nominis altaria Christianis fuissent, frons periisset Origeni, dum negat suas aras inanimas esse, obnoxiasque temporum injuriæ; aut posse conferri cum cruentis altaribus Ethnicorum. Neque objectum unquam Christianis fuisset, quod à Cæcilio objectum fuisse scimus, *Cur nullas aras habent?* Nil cruenti quidem sacrificii, aureo incensi altari imponebatur Mosis in tabernaculo. Vera tamen ara fuit, ne fortè respondeant, & fuisse Christianis altaria, cruentis destinata sacrificiis, idque Patres sibi voluisse, dum nullas sibi aras fuisse profitentur. Quomodo etiam præcisè inficiari Latini possent, penes se ulla altaria reperiri. Certo quoque nomine *mensarum* ea supellectilia vocata esse, in quibus offerebatur Eucharistia, testimonium dant veteres tabulæ. Ante altare Episcopi consecrabantur. Quod tamen Theodorito *sacra mensa* (Theodor. l. 4. c. 15.) dicitur, ad quam adductus Antiochus, postquam Jovianum vidit manum capiti suo imponentem, dextram ejus repulit. Græca sunt *παρὰ τὴν ἱερὰν τράπεζαν*, quæ Valesius *altare* reddidit. Sacra quoque mensa fuit, in qua sacrificio Eucharistiæ *Piamon* operabatur, cùm Angelum vidisse dicitur, *Stantem juxta divinum* (Sozom. l. 6. c. 29.) *altare.* Similiter festo Theophaniorum, Valens *munera sua ad altare obtulit.* Jam verò *ἱερὰ τράπεζα sacra mensa* fuit. (Sozom. l. 6. c. 16.) In Ecclesia Constantinopolitana sacram pro virginitate sua mensam Pulcheria dedicavit. In ea verò consecrabatur Eucharistia. Percelebris est & illa Cypriani mensa, ad quam Augustinus sermonem habuit in eo loco collocata, ubi Sanctus ille Mar-

ANNO DOM. 226.

August. Serm. 310.

Anast. de Synax.

Zosim. l. 5. c. 19.

Martyr sanguinem suum fuderat. *In eodem loco, mensa Deo constructa est, & tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi unquam Cyprianus est epulatus, sed quia est ibi immolatus. Et quia ipsâ immolatione suâ paravit hanc mensam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.* Anastasius Sinaita Sacerdotem sic loquentem inducit: *Quandoquidem charissimi, me inter vos & Deum ad mysticam hanc mensam mediatorem constituistis.* De Pseudalexio, Michaelis Archangeli violante Templum, Nicetas Choniates in Annalibus p. 208. *Nec spectare dubicavit execrandas ille . . . sacrosanctam sacrisque usibus dicatam mensam prophanari humique abjici.* Neque Zozimus licet Ethnicus ignoravit non veri nominis altare, sed mensam esse in sacrario collocatam: qui de interfectis in urbe regia, Gainæ militibus hæc habet: *Visum est demoliri tectum, quod mensæ sacrarii, sic enim vocant, impositum est.* Hæc illustrandæ antiquitati sufficiant.

ANNO DOM. 227.

ANNO U. C. 980. PER. JUL. 4940. JUL. 272. DOM. 227. ALEXANDRI 6. *Sol.* 12. G. *Lun.* 19. *Indict.* 5. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 1. P. 22. *April.*

COSS. *M. Nummius Albinus & Maximus.*

De meretricum vectigali leges Alexandri.

Lampr. cap. 24.

In Esaiam cap. 2.

I. PUlcherrimis legibus constituere, & regere Rempublicam pergebat Alexander. Itaque Lenonum vectigal & meretricum, & exoletorum, in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis, ad instaurationem theatri, circi, & amphitheatri deputavit. Habuit in animo exoletos vetare, quod posteà Philippus fecit; sed veritus est, ne prohibens publicum dedecus, in privatas cupiditates converteret, *Cum homines illicita magis poscant, prohibitaque furore persequantur.* Reformandi & recoquendi mores urbis Romanæ gloria Evangelio debebatur; quod factum imperante Constantino M.: qua de re Hieronymus: *Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum, pueri steterunt publica libidini expositi, donec sub Constantino Imperatore, Christi Evangelio coruscante, & infidelitas universarum gentium, & turpitudo deleta est.*

Beryllus Bostrensis.

Euseb. l. 6. c. 20. & 33.

II. Imperante Alexandro, florebat Beryllus, Bostrorum in Arabia Episcopus, qui præter Epistolas & lucubrationes, varia quoque elegantis ingenii monumenta reliquit. Quæ unà cum eruditorum virorum Ecclesiasticorum scriptis, in Æliensis urbis Bibliotheca ab Alexandro Episcopo constructa asservabantur. Post annos aliquot, Beryllus in errorem incidit, quo fidem labefaciebat. Asseruit enim Christum, antequam inter homines versaretur, *Non subsistisse in propria persona differentia, nec propriam, sed paternam duntaxat divinitatem, in se residentem habere.* Quod ex priori errore necessariò sequebatur, nempe quòd naturâ Deus non esset, utpote qui ante suam ex Maria nativitatem, nil fuerit. Sed precariam solummodò divinitatem habuerit, ex paternæ Deitatis habitatione temporali. Rogatus ab Episcopis Origenes, Arabiam petit, & Beryllum erroris convictum, ad rectam viam revocavit.

De jejunio ad Eucharistiam sumendam prævio.

III. Est inter Latinorum scita, ab Apostolis indictum fuisse jejunium, sumentibus Eucharistiam. Quod à Baronio, quem omnium nomine audimus, disertè affirmatur: *Ut à jejunis offeratur, atque sumatur Eucharistia, non aliud certè quàm ex Apostolica Traditione, universa Ecclesia custodivit.* Neque mirum illustrissimum Purpuratum in eam descendisse sententiam, quam & B. Augustinus amplectitur: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi.* Neque sanè id consuetudinis, ut cæteris cibis antecedat Eucharistia, nobis vel ludibrium debet, aut in vituperationem venit, quòd & decentiâ conditum, & ab Evangelicis observatum profitemur. Non si vero mos ille laudabilis, ideò consequens est, quod institutus sit ab Apostolis, cum contraria consuetudo in vitio poni non possit. Neque id peccare est, cibi paululum langoenti stomacho recreando, sumere ante Eucharistiam: *Non enim est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium per spiritum S.* Ac de pransis, vel jejunis, qui participant Sacramentum, Apostoli verba sunt usurpanda: *Qui edit, Domino edit, gratias enim agit Deo, & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.* Itaque ut dignè quis fruatur Eucharistiâ, mandatur, non ut *jejunet*, sed ut *exploret sese*, quod omisso sanè jejunio fieri potest. Atumo quidem concipi nequit, ob prægustatum panis frustulum, pietatem everti, quæ sumendo Sacramento requiritur. Decens quidem esse videtur, ut sicut ante, sic & post communionem ne quid alimenti subinde capiatur, ne cibus communis, corpori & sanguini Christi in stomacho permisceatur. Admonebat tamen Chrysostomus, ut post communionem, omnes *aquam, aut pastillum* degustarent, ne cum saliva, aut pituita, aliquid è Symbolis expuerent. Itaque liberæ pietati permiserunt Apostoli, vel *pransos*, vel *jejunos*, ad corporis & sanguinis Christi mysteria accedere: nullo decreto interposito, quo jejunium communicantibus indiceretur. Quæ quæstio cùm facti sit, vetustissima Antiquitatis testimonia poscenda sunt. Est enimvero proximum, de jejunio ad sumendam Eucharistiam nil legis ab Apostolis promulgatum fuisse, si *pransi* non minus quàm *jejuni*, ad mysteria corporis & sanguinis Dominici percipienda, à Veteribus indiscriminatim admittebantur. Quo facto, in Constitutionum Apostolicarum violationem incidissent. Quod nefas, vel à minima suspicione averti debet.

Baron. an. 57. n. 144.

August. Janu. Epist. 118.

Rom. XIV. cap. 6.

Pallad. Vit. Chrysost. c. 9. 66.

Jejuniumne naturale requirant Patres sumendæ Eucharistiæ?

Thom. 3. P. Q. 80. ar. 8.

IV. Cæterùm antequam longius procedat oratio, quid jejunii requirant Latini ad sumendam Eucharistiam, est paucis aperiendum. Ex Aquinate, à quo ne ad latum unguem discedunt, commodè res explicari potest: *Duplex est jejunium. Primum est jejunium naturale, quod importat privationem cujusque præsumpti, per modum cibi, vel potus, & tale jejunium requiritur ad hoc sacramentum, propter prædicata: & ideò nequè post assumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantacunque parvâ quantitate, licet hoc sacramentum accipere. Nec refert, utrùm aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodò sumatur per modum cibi vel potus. Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodò non trajiciantur in magna quantitate, sed permixta saliva, quod*

vitari

ANNO DOM. 227.

vitari non potest. Aliud est jejunium Ecclesiæ, quod instituitur ad carnis macerationem. Et tale jejunium per prædicta non impeditur, quia prædicta non multum nutriunt, sed magis ad alterandum sumuntur. Itaque autoritate Augustini, aliorumque Veterum, qui communicaturis præscribunt jejunium, nondum Latinorum disciplina stabilitur: cùm quæstionis sit, *naturale*, an *Ecclesiasticum* jejunium, in mentem venerit Augustino. Æstimanti quidem ac suo momento Augustinum ponderanti, rigidæ de jejunio naturali disciplinæ favisse non videtur: *Placuit*, inquit, *Spiritu Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani, prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* In dubio tamen est, frustulumne mali citrei, emendandæ oris graveolentiæ, vinive guttula, adversus stomachi debilitationem adhibita, aut cariophylum depellendo noxio aëris vapori, in alvum cum saliva trajectum cibis apponantur. *Cibus* ille est, qui adhibetur eximendæ fami. Ab alimentis quidem remedia quàm longissimè discrepant. Itaque *cibi* Augustino non significant, vel piperis granulum pellendis flatibus sumptum, vel *medicinam in quantacunque parva quantitate*, quæ omnia à severo Romanorum supercilio prohibentur. Vix credimus ex communicantium numero illos ejecisse Augustinum, qui cinamomi tantillum ori prius admoverant, quàm ad sacram mensam accederent. Ac sane ex Scholasticis, viri non ignobiles, nullum ad Eucharistiam sumendam jejunium *naturale* requiri, apertè prædicarunt, quod observatum Vasquetio: *Opinio fuit Gotfredi, & Joannis Parisiensis, ut notatur in margine Paludani. . . satis esse jejunium Ecclesiasticum, ut quis hoc sacramentum dignè percipiat, sicut Ecclesia præcipit, cum ad perceptionem illius jejunium indicit, ac proinde post sumpta medicamenta, imò & post sumptum cibum per modum medicinæ, licitum esse hoc sacramentum percipere. Cujus opinionis duo fundamenta adducit Durandus in* IV. *Dist.* 8. *Quæst.* IV. *n.* 6. *Alterum est quia cùm hoc præceptum jejunii, sit Ecclesiæ, eodem modo jejunium intelligendum est, sicut illud interpretatur Ecclesia. Atqui ea quæ solvunt jejunium naturale, non impediunt Ecclesiasticum, qualia sunt medicamenta. . . Alterum est, quia licet parum cibi sumatur per modum medecinæ, non solvit jejunium Ecclesiasticum, eò quòd Ecclesia præcipiens jejunium, solum prohibet sumere cibum ad præcipuum usum illius, qui est nutritio, non autem ad sanitatem, per modum medicinæ.* Equidem apud Lombardum, nulla distinctionis in *naturale* & *Ecclesiasticum* jejunium apparent vestigia. Christus, inquit, *ideò etiam post alia dedit mysterium Eucharistiæ, ut hoc unum arctius memoriæ discipulorum infigeretur, & ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, ut post alios cibos sumatur, sed potius à jejunis sumi oportet.* Quibus liquet, solos excludi *cibos*, non verò piperis granum, non cariophyli frustulum, ad repellendos vel noxios vapores aëris, vel tumultuantes flatus stomachi. Quorum usu, jura legesque naturalis jejunii, violari putantur à Latinis. Nullis ergo Patrum testimoniis, nullis Veterum Synodorum decretis, *naturalis* jejunii disciplina communicantibus imposita stabilitur, sed solâ Scholasticorum autoritate. Ex ea tamen opinione scrupulus oritur, & dubitatio, quale intervallum interjici debeat cibum inter & usum Eucharistiæ. Quem Thomas scrupulum eximit: *Cùm dicitur quod hoc sacramentum priusquàm alii cibi, debet in os Christiani intrare, est intelligendum quantum ad eundem diem. Et licet principium diei, secundum diversos, diversimodè sumatur, nam quidam à meridie, quidam ab occasu, quidam à media nocte, quidam ab ortu Solis diem incipiunt, Ecclesia tamen Rom. diem à media nocte incipit, & ideò si post mediam noctem aliquid sumpserit per modum cibi vel potus, non potest eâdem die hoc sumere sacramentum, potest verò si ante mediam noctem.* Quæ non frustra observamus, cum ex ea disciplina pateat, legem naturalis jejunii ad usum Eucharistiæ observatu necessariam, Ecclesiæ ab Apostolis non fuisse positam. Etenim constitutio ejusmodi custodiri non potest, nisi ex variis Calendarii regulis, variisque computistarum placitis, quæ Apostoli nec curabant, nec discipulis suis imponebant. Hinc patet, sive arte, sive incuriâ, confusè admodum à Baronio jactum esse quæstionis fundamentum, cùm non jejunium quodlibet, sed *naturale*, cui ad percipiendam Eucharistiam Romana addicitur Ecclesia, ex Patrum testimoniis astrui debuerit. Quod demonstrare nullo curavit modo.

Vasq. t. 7. Disp. 221. c. 3.

Lomb. l. 4. Dist. 8. c.

Thom. p. 3. Q. 80. a. 8.

V. Argumentis nunc ostendamus, nil jejunii ab Apostolis esse iis impositum, qui Eucharistiam participant. Anno Christi LV. exarata est prior ad Corinthios Epistola: quo tempore, nondum promulgata lex, ut ad sacram mensam jejuni accederent. Corinthios sic compellat Apostolus: *Cum igitur convenitis eadem loci, hoc non est Dominicam cœnam edere.* Quid rei sit cœna hæc, accuratius inquirere non opus est. Sive enim Christianorum *Agapæ*, sive ipsa Eucharistia significetur, nil interest, dummodò concedatur, quod nullâ prorsus ratione negari potest, Eucharistiæ celebrationem cum *Agapis* esse conjunctam. Nec enim tradidisset Paulus, ritumque Eucharistiæ à Christo consecratæ Corinthiorum animis inculcasset, si ab Agapis divulsa fuisset Eucharistia. Idcircò sacramenti hujus institutionem ponit ob oculos, ut exemplum haberent ad imitandum. Illorum quoque pœnas proponit, qui *rei fuerant corporis Christi*, ut ab eodem crimine alios revocaret. Quæ non sunt ad rem, si *Agapæ* ab Eucharistia divellebantur. Itaque & Agaparum, & Eucharistiæ conjunctio quàm commodè intelligitur: *Hoc non est Dominicam cœnam edere, nam unusquisque propriam cœnam præoccupat in edendo.* Cœnæ quidem Dominicæ appellationem Agapæ non induissent, nisi earum pars magna fuisset Eucharistia. Illud certum exploratumque est. In eo solùm cardo quæstionis vertitur, utrùm *Agapæ*, Eucharistiæ celebrationi antecesserint, an vice versâ sacramenti usum Agapæ exceperint. Chrysostomo Hieronymoque Baronius assentitur: *Sacra primum mensa*, inquit, *deinde communis.* Est tamen opinio Augustini, Ambrosiastrique longè verisimilior: Agapas videlicet præmissas fuisse Eucharistiæ: *Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere.* Disertior adhùc Ambrosiaster: *Ostendit illis mysterium Eucharistiæ inter cœnandum celebratum, non esse cœnam.* Præmissam quidem Eucharistiæ fuisse cœnam, non titubante calamo tradit Aquinas: *Primò dico, quòd non licet vobis Dominicam cœnam manducare, quia unusquisque vestrum præsumit, id est, ante sumit suam cœnam,*

ANNO DOM. 227.

Corinthii post Agapas Eucharistia celebratur.

1 Cor. 11. 19.

Bar. An. 57. n. 130.

Aug. Ep. 118.

Thom. in Cor. c. 11. Lect. IV.

scilicet

Anno Dom. 227.

scilicet ciborum communium ad manducandum. Quilibet enim eorum portabant ad Ecclesiam fercula præparata, & comedebant quilibet seorsum, antequam sumerent mysteria. Rectè atque sapienter. Cùm enim Christi exemplar Corinthii sibi proponerent ad imitandum, ac cœnam, non prandium agitarent, & ad Domini similitudinem propius accederent, more instituentis sacramentum, post cœnam etiam illud celebrabant. Prætereà Apostolica præscriptio hæc est: *Fratres mei, cum convenitis ad edendum, alius alium expectate.* Cui mandato nil loci relictum, si Agapas occupasset Eucharistiæ celebratio, quæ non fiebat, nisi jam congregato populo. Denique quæstionem ita perorat Apostolus: *Quòd si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem conveniatis.* Concedit ergo esurientibus, famem prius pellere cibo, quàm ad Ecclesiam veniant, sumendo sacramento. Adventum in concionem prævertit esus, non excipit. Non permittit edere domi, post reditum; quâ licentiâ non opus erat: neque etiam Corinthiis necessarium fuit ad tecta redire sua, depellendæ fami, cùm in Ecclesia mensæ forent dapibus extructæ, ad Agaparum convivia. Concedit ergo Paulus esurientibus, ut alimenta domi antè prægustent, quàm ad sacram mensam accedant. Ac illis temporibus hoc eò magis permissum fuit, quòd sermones sæpius in mediam usque noctem producebantur. Quod factum scimus ab Apostolo.

Act. xx. 7.

Ac tantò magis jejunium communicantibus Corinthiis imponi debuit, quòd intemperantiâ suâ, corporis & sanguinis Christi mysteria profanaverant: *Unusquisque propriam cœnam præoccupat in edendo, & hic quidem esurit, ille verò ebrius est.*

1 Cor. xi. 21.

Cui tollendo abusui, legem hanc Paulus scribere debuisset: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quàm cæteri cibi.* Est igitur incredibile, Paulum pransorum communionem prohibuisse postmodum, quam tam liquidò anno LIV. permiserat: aut Apostolis in numero sacrilegiorum fuisse, quòd quis non jejunus ad sacra mysteria accesserit, cùm in Ecclesia Apostolica nobilissima, Corinthia scilicet, id consuetudinis obtinuerit, non improbante Paulo.

Ex Antiquitate ostenditur jejunium requisitum non fuisse ad communionem.

VI. Labente tertio seculo, à pransis & Eucharistiam sumptam fuisse, monuit nos Tertullianus: *Eucharistia sacramentum in tempore victus, omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.* Quid verò sibi vult, *in tempore victus*, nisi inter edendum? Quæ à jejuno, latrantique stomacho ante cibos omnes capiuntur, inter cibos sumi, dici nequeunt.

Tert. de Cor. c. 3.

Quòd si Apostoli ante omnia alimenta jussissent admovere Eucharistiam, ab eo disciplinæ curriculo non deflexissent Christiani; non sanè Tertullianus, jejuniorum maximus laudator. Ætate Cypriani, impressa supererant priscæ consuetudinis vestigia. Ex Christianorum nonnullorum persona objicit sibi Cyprianus: *An illâ sibi aliquis contemplatione blanditur, quòd etsi mane, aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus.*

Cypr. Ep. 63.

Quo casu vespertinam Eucharistiam pransi sumebant. Quod patet etiam rationibus quas Cyprianus affert, explicando quamobrem Christus de nocte celebravit Eucharistiam, ut & hinc certum sit, vestigiis ipsius Christum persequi voluisse, ac post cœnam simili modo Eucharistiam participasse. Quos tamen violatæ religionis non accusat Sanctus ille Martyr, accusandos utique, si solis jejunis Apostoli distribui mandassent Eucharistiam. Extant adhòc Timothei Alexandrini, quem de CL. Patribus, qui Synodo Constantinopolitanæ interfuere, unum fuisse prædicant, responsiones ad interrogata Ecclesiasticam spectantia disciplinam. Quarum decima sexta sic habet: *Si quis jejunans ut communicet, os lavans, vel in balneo aquam bibit nolens, debetne communicare?* Respondet interroganti Timotheus: *Quia etiam invenit Satanas occasionem prohibendi eum à communione, frequentius hoc faciet.* Ex Latinorum verò disciplina, prorsus ab Eucharistia sumenda temperare debuisset. Neque etiam mos Ægyptiorum in oblivionem adduci debet:

Socrat. l. v. c. 22.

Ægyptii qui Alexandrinis vicini sunt, & ii qui Thebaidem incolunt, Sabbato quidem collectas celebrant, non tamen, sicut mos est Christianorum, sacra mysteria percipiunt. Postquam enim epulati sunt & omni ciborum genere saturati, sub vesperam oblatione factâ communicant. Quem sanè morem non nescivit Strabo: *Hoc quoque commemorandum videtur, quòd ipsa sacramenta quidam interdum jejuni, interdum pransi percepisse leguntur.*

Strab. de Reb. Eccl. c. 19.

Nempe hoc consuetudinis usurpatum, ut Apostolorum disciplina observaretur, quæ sacram mensam cum communi conjungebat. Neque pransos magis Eucharistiam participare, quàm aut orationibus Deum audire, aut divinas laudes canere, aut Scripturam legere prohibuit. Ex Socratis observatione liquet, non accuratè scriptum ab Augustino, jejunam communionem *ab universa per orbem Ecclesia fuisse servatam*, quo optimus ille Pater ab Apostolis præceptam esse collegit, *quod nullâ morum diversitate variabatur.* Antiqui quoque moris rudera erant atque vestigia in eo ritu, qui diu satis obtinuit, ut Sanctæ hebdomadæ feriâ v. à pransis sacramentum sumeretur:

Cart. 3. c. 29.

Sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Dominica celebratur. Quam & coluit disciplinam Gallia, anno DLXXXV. ut constat ex Matisconensi Synodo secundâ. Vigebat etiamnum usus, ut Presbyteri jejunii expertes Eucharistiam celebrarent, quod à Matisconensibus abrogatur:

Matisc. 2. c. 6.

Ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut Missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat. Invaluerat & apud Hispanias consuetudo, à pransis Missas defunctorum celebrari; quod à Synodo Bracarensi vetitum:

Bracar. 2. c. 10.

Cognovimus quosdam Presbyteros in hujus præsumptionis audacia reciders, ut Missas mortuorum etiam post acceptum merum, vel oblationem, ausi sint consecrare. Ideòque si quis Presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus; hoc est, non jejunus, sed quocunque cibo præsumpto, oblationem consecraverit in altari, continuò ab officio suo privatus, à proprio deponatur Episcopo. Stabile igitur fixumque sit, esurialem de usu Eucharistiæ disciplinam *Ecclesiasticam* esse, *Apostolicam* non esse, recentiorem, non antiquiorem. Quod & Walafridus agnovit Strabo:

Strab. de Reb. Eccl. c. 19.

A sequentibus honestâ & rationabili deliberatione statutum esse cognoscitur, ut omni tempore à jejunis Sacrosancta celebrentur mysteria. Porro fidem non impetrat, illos qui pransi edebant Eucharistiam, animo suo fixum habuisse, sacrum Domini corpus verè præsens adesse sacramento. Non enim ingestis stomacho cibis divinum Servatoris corpus, preciosumque sanguinem permi-

ANNO DOM. 228.

permiſcuiſſent, quod conſtitutâ ſtabilitâque hujuſce præſentiæ fide, grande ſacrilegium, ferro flammiſque expiandum, non immerito exiſtimatur.

ANNO U. C. 981. PAX. JUL. 4941. JUL. 273. DOM. 228. ALEXANDRI 7. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 5. *Indict.* 6. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 6. *April.*

COSS. *Ti. Manilius Modeſtus, & Sergius Calpurnius Probus.*

Alexander in condendis legibus adhibet peritorum conſilia.

Lampr. c. 16.

I. AD Reipublicæ ſalutem prudentiam Alexander ſuam impertiebat: *Negotia enim & cauſas prius à ſcriniorum Principibus, & doctiſſimis Juriſperitis & ſibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita referri ad ſe præcepit. Leges de jure populi, & fiſci moderatas, & infinitas ſanxit. Neque ullam conſtitutionem ſancivit ſine viginti Juriſperitis & doctiſſimis & ſapientiſſimis, iiſdemque diſertiſſimis non minus quinquaginta, & id quidem ita ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur, quod quiſque dixiſſet, dato tamen ſpatio ad diſquirendum, cogitandumque prius, quam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.* Quo uno tenore ſemper adminiſtravit imperium.

Artaxerxes bellum infert Romanis.

II. Florentem fortunam cùm perpetuò trahere ſperaret Artaxerxes, iruit in Armeniam, ex qua pulſus ab incolis, Mediſque nonnullis & filiis Artabani, receſſit ut majores copias compararet. Quibus collectis, non Meſopotamiam modò, ſed Syriam etiam invaſit: minitabaturque ſe recuperaturum omnia quæ Perſæ olim tenuiſſent, quaſi bonorum, quæ majores olim poſſederant, hæres relinqueretur. Quæ cùm intellexiſſet Alexander, re ſubitâ & inopinatâ non minimum perturbatur. Neque immeritò compellebatur in metum.

Dio l. 80. 918.

Ita enim affecti Romani milites erant, ut pars ad Artaxerxem deficeret, pars Alexandro opem ferre nollet: tantus denique erat luxus, diſciplinæque militaris contemptus, ut exercitus qui in Syria verſabatur, Flavium Heracleonem, qui ipſi præerat, interfecerit. Tum ipſe Alexander in altiſſima pace à puero, atque urbanis deliciis innutritus erat. Convocato amicorum conſilio, decrevit Legatos cum literis mittere, qui ſpem Artaxerxis, conatuſque inhiberent.

Herodian. l. 6.

Quibus ille contemptis, Romanorum oppugnat caſtra, ripis fluviorum impoſita, quæ limites imperii tuebantur.

Ulpianus occiditur à Prætorianis.

Dio l. 80. 917.

III. Cùm ex parva cauſa ſeditionem populus contra Prætorianos moviſſet, tribus diebus tam acriter pugnatum eſt, ut magnus utrinque numerus ceciderit. Victi tandem milites, cæperunt ædificia incendere. Metuens verò populus, ne urbs tota conflagraret, invitus cum Prætorianis reconciliatur. Hinc mors Ulpiano accelerata videtur. Ulpianus qui juriſperitiâ multam ſibi famæ collegit, ex Phœnicia ortum ducebat, ipſo teſte:

Dig. l. 80. tit. 15.

Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum colonia, unde mihi origo eſt nobilis regionibus. Vir erat prudentiſſimus, eoque percharus Alexandro, cujus & conſiliarius fuerat, & ſcrinii Magiſter, deinde præfectus Prætorio.

Lampr. c. 31.

Solum intra palatium *præter Præfectum, & Ulpianum quidem, neminem videbat* Alexander. Cùm autem alterum adhibuit, & Ulpianum rogari juſſit. Tanti faciebat Ulpiani conſilia, ut cùm in animo habuiſſet omnibus officiis, dignitatibuſque, genus veſtium proprium dare ſententiam mutarit, Ulpiano, Pauloque dicentibus, *plurimum rixarum fore, ſi faciles eſſent homines ad injuria.*

Lampr. c. 27.

Inviſus tamen Prætorianis Ulpianus, quem ſæpè à militum ira objectu purpuræ defenderat Imperator.

Lampr. c. 50.

Tandem ipſorum furori immolatur, etſi in palatium ad Alexandrum, Mammæamque confugiſſet, ac de nocte interficitur.

Dio l. 80. 917.

Rem ſic exequitur Zozimus: Præfecti Prætorio conſtituti fuerant, Flavianus, & Chreſtus, viri ad res militares, & togatas gerendas idonei. At ubi Mammæa Ulpianum eis inſpectorem præfecit, & conſortem officii, offenſi milites, mortem homini clandeſtinam moliuntur. Quod cùm animadvertiſſet Mammæa, ſtatimque detectis inſidiis, horum conſiliorum autores è medio ſuſtuliſſet, ſoli Ulpiano Præfectorum Prætorio munus committitur. Sed quòd exercitibus in ſuſpicionem veniſſet, ſeditione motâ trucidatur.

Zozim. l. 1. c. 11.

Cùm nec ipſe quidem Imperator ei opem ferre potuiſſet. Dio ſuperſtitem non fuiſſe Chreſto & Flaviano, quos interfecerat ut ipſorum muneri ſubrogaretur, ſcriptum Dioni. Sed aliorum quoque criminum pœnas dedit. Malè quidem in Chriſtianos animatum fuiſſe Ulpianum, teſtis Lactantius:

Lact. l. 5. c. 11.

Quin etiam ſceleratiſſimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes Juriſperitorum leguntur injuſtæ. Domitius de officio Proconſulis, libro ſeptimo, reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur. Quæ collectanea edidiſſe exiſtimamus, imperante Severo, cùm Papiniano in conſiliis fuit. Regnante quidem Alexandro, nil perniciei Chriſtianis machinatus eſt Ulpianus, quos Mammææ, & filio ejus acceptos eſſe noverat. Ad Dominorum ergo ſuorum ſtudia ſeſe compoſuit aulicus homo. Nec Alexandri Mammææque gratiam retinuiſſet, ſi Eccleſiam, cui favebant, ad ſanguinem uſque perſecutus fuiſſet. Quod ergo de immenſa Martyrum ſtrage memorant Martyrologia, dum rerum potiebatur Alexander, fabula propius eſt. Neque abſente Imperatore, Chriſtianis mortem Ulpianus offerre potuit, utpote qui antè perierit, quàm Alexander Româ relictâ, ad bellum Perſicum proficiſceretur, aut Italiâ excederet.

Ovinius Camillus conſors imperii creatur.

IV. Mora Ulpiani, cujus conſiliis Alexandri ſtare videbatur imperium, multorum fortè cupiditatem accendit. Verùm Ovinius Camillus, Senator delicatiſſimus, antiquæ familiæ, apertè tyrannidem affectavit. Quo nuntiato, *Ad Palatium eum rogavit Alexander, gratiaſque egit, quòd curam Reip. quæ recuſantibus bonis imponeretur, ſponte reciperet.* Deinde ad Senatum proceſſit, & timentem ac tantæ conſcientiæ tabe confectum, participem imperii appellavit, convivio adhibuit, ornamentis Imperialibus & melioribus, quàm ipſe utebatur, affecit, & cùm expeditio Barbarica eſſet nuntiata, ut ſecum iret hortatus eſt. Poſt quinque millia pedibus confecta cunctantem, equo ſedere juſſit, & poſt duas manſiones equo fatigatum carpento impoſuit. Abdicantem etiam imperium, & mori paratum dimiſit, commendatumque militibus, tutum ad villas ſuas ire præcepit, in quibus diu vixit:

Lampr. c. 48.

Sed poſt injuſſu Imperatoris occiſus eſt. Sic obſcuriſſimum Lampridii locum cum Salmaſio reſtituendum eſſe putamus.

V.

ANNO DOM. 228.

Zebinus Antiochenus creatur Episcopus. *Euseb. l. 6. c. 23.*

V. Hoc anno Pontianus Urbano, Phileto Zebinus Antiochenus succedit. Quæ observanda sunt, refellendæ Baronii Chronologiæ. Jam Pontianus Romanum, Zebeanus verò Antiochenum Episcopatum inierat, cùm Origenes ob negotia Ecclesiastica in Achaiam profectus, dum per Palæstinam transit, Presbyter creatus est. Anno sequente Presbyterum factum esse existimamus.

ANNO DOM. 229.

ANNO U. C. 982. OLYMP. 252. PER. JUL. 4942. JUL. 274. DOM. 229. ALEXANDRI 8. *Sol.* 14. D. *Lun.* 2. *Indict.* 7. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 4. P. 29. *Mart.*

COSS. *Alexander Augustus III. & Cassius Dio II.*

Dio Historicus.

I. PRætorianis invisus erat Dio Cassius, qui unà cum Alexandro Fastos reseravit. Metucbant enim, ne dum militibus in Pannonia præerat, postularet ut & ipsos institutis Pannoniorum vivere cogeret. Nullâ verò Prætorianorum ratione habitâ, Dionem sibi Consulatus collegam assumpsit Alexander, sumptusque quos ea dignitas postulabat, se facturum recepit. Quod cùm molestè ferrent Prætoriani, timuit Dio, ne sibi manus inferrent, vel insignibus imperii decorato. Propterea mandatum ab Imperatore accepit, ut tempore Consulatus sui, extra urbem in Italia moraretur. Quo facto, Romam venit, deinde ad Alexandrum in Campaniam se contulit. Cùm verò pedibus laboraret, ab Imperatore dimissus est. Hic est ille Dio, historiâ magis suâ, quàm dignitate Consulari nobilitatus. Patrem habuit *Apronianum*, virum Consularem, Dalmatiæ primum, post Ciliciæ Præsidem. Natus Nicææ in Bithynia. Cognomento Cocceius, vel Cocceianus appellabatur. A Macrino Imperatore, Pergamo & Smytnæ Præfectus, post Africæ Rector fuerat impositus. Pannoniam hinc administravit, Consulque iterum creatus est. Scripsit historiæ Rom. libros LXXX. quorum XXXIV. magno literati orbis damno desiderantur. Persica edidit, Getica, itineraria, Res à Trajano gestas, Arriani Philosophi vitam, docente Suidâ 753. Thucydidis maximè fuit æmulus. Grandis ejus sermo & tumidus. Hæc de se refert Historicus: *Cùm librum de somniis, & prodigiis scripsissem, quorum causâ Severus Principatum sperabat, eumque editum in lucem ad Severum misissem, illeque legisset, & ad multa commodè rescripsisset, literis sub vesperam acceptis, obdormivi. Tum dormienti mihi imperatum est divinitùs, ut historiam conficerem. Me verò labori cedentem, Deus confirmavit in somniis, ac in spem bonam adduxit, hanc historiam quam relinquerem nullo unquam temporis spatio esse perituram.* Ille ipse genius, quo consulente historiam se composuisse dicit, visus est & in somnis scribenti præcipere, ut ad historiæ finem carmina hæc adderet:

Jupiter è multis crudelibus Hectora telis
Pulvereque & cæde eximit, belloque tumultu.

Capuam sibi delegit, ut à curis molestiisque urbanis vacuus, scribendæ vacaret historiæ. Gravis tamen ille Historicus in vituperationem præcipuè incidit, quòd in levissimis prodigia quærit & præsignificationes. Exemplo sit, quòd graculus nomine *Martialis*, cùm in summo obelisco garriens resedisset, spectatores uno ore acclamarunt, *Ave Martialis*, quasi *divino afflatu* Martialem Caracallæ percussorem salutassent.

Dio l. 80. 981. *Phot. Cod. LXXI. 206.* *Phot.* *Dio l. 73. 828.* *Dio l. 78. 883.*

De profectione Alexandri in Orientem.

II. Belli Persici, quod cum Artaxerxe gessit Alexander, difficillima est Epocha, variante & Veterum, & recentiorum Chronologiâ: *Tredecim annos* jam imperando Alexandrum contrivisse, cùm redditæ sunt, de Artaxerxis in Syriam impetu literæ, tradit Herodianus. Contrà verò Hieronymus in Eusebiano Chronico, ad annum Christi CCXXI. hæc habet: *Alexander Xerxem Regem Persarum gloriosissimè vicit.* At quin in errorem lapsus sit Hieronymus, non est ponendum in dubio, quem gravissimi Historici, Dio, Herodianusque coarguunt, ut mirum sit eruditissimum Huetium huic se Chronologiæ addixisse. Contendit quidem vir ille clarissimus, *Qui ætatis illius res gestas complexi sunt, Herodianum, & Xiphilinum, Persicæ expeditionis neutiquam expressisse tempus.* Quem tamen sua tollit ratio. Quamvis enim annum profectionis Alexandri in Orientem explicatè non designent, atque distinctè, ea tamen dicunt, quibus apertè liquet, diu post susceptum imperium, Alexandrum in Orientem ad bellum Persicum transmisisse. Mortuo jam Heliogabalo, hæc sibi contigisse Dio prædicat: *In morbum incidi, cùm ex Asia in Bithyniam venissem, ex qua profectus sum ad Africæ Præfecturam, post ubi reversus sum in Italiam, penè rectà in Dalmatiam, atque inde Pannoniam superiorem missus sum.* Quæ Præfecturæ tres, ante secundum Alexandri annum à Dione geri non potuere. Nondum tamen ad bellum Persicum profectus Alexander fuerat. Quin etiam Dio de Alexandri in Artaxerxem expeditione ne verbum quidem habet, etsi secundi sui Consulatus meminerit. Hunc ergo Consulatum excepit Alexandri in Orientem præfectio. Herodianus verò adulto jam imperio Alexandri, susceptam esse in Persas expeditionem disertè memorat: *Neque*, inquit, *popularium quisquam fuit, qui sine lachrymis Alexandrum deduxerit abeuntem. Quippe omnem multitudinem sui cupidam habebat, educatus ab ipsis, imperioque tam multos annos modestissimè administrato.* Potuitne apertius doceri, anno Dom. sive CCXXII. sive CCXXIII. bellum Romanos inter & Persas non esse coortum? Non etiam ad ultima Alexandri usque tempora Persicum differri bellum potest; quod primâ specie ex Herodiano colligitur: *Cum ad hunc modum, tredecim annos sine querela cujusquam imperium gubernasset, litteræ afferuntur, Artaxerxem Syriæ minitari.* Vitium tamen irrepsisse in numeros ostendunt, quæ in eodem libro leguntur: *Triennio mox, aut quadriennio, Barbari nequaquam arma resumpserunt. Quibus intellectis, Alexander Antiochiæ commorabatur.* Est verò illud longè falsissimum, si Alexandri demum anno XIII. bellum Persicum exortum est, quia solos quatuordecim annos imperavit Alexander. Quid porro emendationis afferendum, loco Herodiani corruptissimo, est ex ipso Herodiano requirendum. Postquam aliquandiu, Marte incerto, variâ victoriâ, à Romanis in Persas pugnatum, quadriennii quies secuta est, quam allatus turbat nuntius, Germanos scilicet *Rhenum, Danubiumque transgressos, Romanos in fines hostiliter intrasse.* Quibus dum relicto Oriente occurrit, à Maximino interficitur. His accuratè perpensis, loci vitium sic emendari debet, ipso Herodiano jubente: *Cum ad hunc modum,*

Origen. l. 1. 10. n. 7. *Dio l. 80. 917.* *Herodian. l. 6.* *Herodian. l. 6.*

septem annos, sine querela cujusquam imperium gubernasset. Quo nostra quoque Chronologia firmatur, quæ Alexandri in Orientem profectionem currenti anno affigit. Quippe si serius prorogatur, quæ de commoratione Alexandri in Oriente ad quinque circiter annos chartis Herodianus intulit suis, ea forent omninò rejicienda. Præterea secundum gerente Consulatum Dione, nuntii & literæ de irruptione Artaxerxis in Syriam illata, Romam venerant: *Artaxerxes nobis formidolosus fuit, quòd maximis copiis non modò Mesopotamiam invaderet, sed etiam Syriam,* ut pars etiam Romanorum ad Persas transiret. Acceptis verò literis, Alexander discessum non sustinuit suum, sed illo ipso anno in Syriam abiit. Ubi Alexandro nuntiatum Artaxerxem præ se agere, oppugnare Romanorum castra, *Minimè ferendam putans insolentiam Barbari, ad expeditionem se comparat.* Nostræ tamen Chronologiæ adversantur verba Anonymi, qui scriptis Montanistas suis confutavit: *Ab obitu Maximillæ, usque in hunc diem plusquam tredecim anni jam elapsi sunt, nec tamen ullum aut particulare bellum, aut universale in terris fuit.* Quibus vir eruditus colligit, anno Christi 232. affigendam esse Alexandri in Orientis regiones profectionem. Quod profunda pax eo terrarum orbi incubans, à septimo Junii CCXVIII. quo debellatus est Macrinus, ad usque belli Persici initia extendi debet, ut Alexander in Orientem non migrarit, nisi anno, vel CCXXXII. vel insequente. Perpendant verò quibus veritas cordi est, utrùm Anonymus qui à re obscurissima, anno nimirum Maximillæ emortuali calculos ducit suos, quique non Historicum, sed Ecclesiasticum Scriptorem agit, & Dioni & Herodiano debeat anteponi. Ac fieri sanè potuit Anonymum, qui in regione à finibus imperii remota, scripsit de irruptione Persarum in Syriam, ac de Romanorum in Barbaros impetu, necdum aliquid audivisse, cùm res Maximillæ chartis intexuit, anno CCXXXI. qui à clade Macrini quartus & decimus erat. Neque absonum videri debet, belli in Mesopotamia anno CCXXX. gesti, rumorem ad Anonymum anno 231. nondum pervenisse, cùm neque Herodiani aures tetigerit Alexandri de Persis victoria atque triumphus.

Dio l. 80. 918. — Herodian. l. 6. — Euseb. l. v. c. 16.

III. Parte aliquâ hujus anni, in Campania Alexander versabatur, ubi cum Dio convenit, postquam abiit Consulatu. Dato militibus largiter stipendio, jubet ad iter accingi, diemque discessus præstituit. Quæ ubi advenit, sacris quæ discedentibus consueta sunt, peractis, deducente Senatu populoque universo, Româ proficiscitur, respectans urbem identidem, & lachrymans. Festinato itinere, cùm Illyricas etiam gentes exercitusque lustrasset, magnis inde quoque viribus collectis, Antiochiam contendit. Ibi quæ belli usus postulat, diligenter comparans, milites exercebat. Porro antequam impetum in Persas faceret, visum est sibi ad Artaxerxem legationem mittere, quæ de pace ageret. At Barbarus re infectâ, Oratores Alexandri domum remisit. Quadringentos verò è suis vestitu eleganti ornatos, ad Alexandrum misit, quorum hæc fuit oratio, Jubere magnum regem Artaxerxem, Romanos Asiâ omni excedere. Quibus auditis, Legatos quadringentos omni adempto cultu in Phrygiam relegavit Alexander, vicis concessis quos colerent. Aderat & Antiochiæ Mammæa, quæ misso militari satellitio, Origenem, cujus nomen ubique locorum in gloria erat, accersivit viri audiendi cupida.

Alexander proficiscitur Antiochiam. — Herodian. l. 6. — Euseb. l. 6. c. 21.

ANNO U.C. 983. PER. JUL. 4943. JUL. 275. DOM. 230. ALEXANDRI 9. *Sol.* 15. C. *Lun.* 3. *Indict.* 8. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 5. *P.* 18. *Apr.*

COSS. *L. Virius Agricola, & Sextus Catius Clementinus.*

I. COmparante se ad bellum Alexandro, milites qui lavacris, muliebribusque deliciis vacabant, comprehensos in vincula duci jussit. Quod ubi compertum, movet seditionem legio, cujus socii erant. Tum ille tribunal ascendit, vinctisque omnibus adductis, cùm tumultus oriretur, *Quin*, inquit, *continetis vocem, in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum necessariam.* Et cùm vehementius fremerent, ac ferro quoque minitarentur: *Deponite*, ait, *dextras contra hostem erigendas, si fortes estis, me enim ista non terrent. Si enim unum hominem occideritis, non vobis deerit Resp. non Senatus, non P. R. qui me de vobis vindicet.* Cùm nihilominus post ista fremerent, exclamavit, *Quirites discedite, atque arma deponite.* Tum depositis armis & sagulis militaribus, non ad castra, sed ad diversoria recesserunt. At Alexander legionis Tribunos capitali affecit supplicio, quod per eorum negligentiam milites apud Daphnem luxuriabantur, legionem quoque ipsam exauctoravit. Rogatus tamen post dies XXX. priusquam ad expeditionem Persicam proficisceretur, loco suo restituit, eâque pugnante, maximè vicit.

Alexandri in milites tumultuantes severitas. — Lampr. c. 54.

II. Comparabat jam se Alexander, ut fluvios transgrederetur, cùm defecere milites nonnulli ex Ægypto acciti; neque non in Syria quoque res novas contra imperium moliti sunt. *Taurinus* Augustus effectus, ob timorem ipse se Euphrati fluvio objecit. Universi tamen oppressi statim, suppliciòque affecti sunt. Porro de amicorum sententia Imperator milites trifariam distribuit. Pars una per Armeniam, Romanis amicam in Medorum fines impetu facto, vicos concremavit, prædamque coëgit. Quam exercitus partem Alexandrum ipsum duxisse, perperàm scribit Calvisius, repugnante quem laudat Herodiano. Altera per Persarum agros, ubi confluunt Tigris, & Euphrates, contendit. Tertiam verò Alexander in Barbaros adducturum se pollicebatur. Quo verò successu, non convenit inter Autores, Alexandrum sive à metu, sive à matre retentum, non venisse auxilio, eoque exercitum qui Persarum fines ingressus erat fuisse perditum, tradit Herodianus. Etenim Artaxerxes omnibus copiis occurrens, imperatos Romanos, qui confertim clypeis quasi muro tecti fortiter dimicabant, sagittarum multitudine confixit. Contrà verò fusum esse, fugatumque ab Alexandro Artaxerxem, actumque de Persis triumphum, Sciptores Latini apertè testantur. Quantum animi nostri conjecturâ datur assequi, ad Persas Romanosque victoriam fortuna transtulit. Nempe Artaxerxes delevit exercitum, qui Euphratem, Tigrimque superarat. Non est enim verosimile, Herodianum alius temporis hominem, id scripto mandaturum, si falso propius esset. At non minus ad Verum accedit, Artaxerxem tantarum rerum successu superbum, ab

De Belli Persici successu. — Vict. Epit.

Anno Dom. 230.

Alexandro dein fusum fuisse. Cujus rei argumentum præbet ipse Herodianus. Tanta enim Persarum strages fuit, ut attritis viribus, per triennium, quadrienniumve arma non resumpserint. Quæ clades ipsis immitti non potuit ab illo exercitu, quem circumfusi penitus profligaverant. Neque quâ fuit Alexander animi modestiâ, de Persis ducere victus triumphum voluisset, aut palam in Senatu dicere, *Persas P. C. vicimus*. Sic Scriptores ad concordiam utcunque redigi posse putamus. Itaque post Herodianum Lampridius audiri debet: *Magno igitur apparatu inde in Persas profectus* Alexander, *Artaxerxem Regem potentissimum vicit, cùm ipse cornua adiret, milites admoneret, sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret, singulos quoque milites ad laudem verbis adduceret. Fuso denique fugatoque tanto Rege, qui cum septingentis elephantis, falcatisque mille & octingentis curribus, ad bellum venerat, equitum multis millibus, statim Antiochiam redit.*

Lampr. c. 55.

Alexander redit Antiochiam.

III. Quippe Alexander morbi cœlique æstuosi impatiens, laborante pariter omni exercitu, maximèque Illyricianis, qui largius cibum more suo capientes, lethaliter ægrotabant, Antiochiam repetere coactus est, accitis etiam eò militibus, qui montium atque hyemis asperitate attriti, paucissimis tantùm reliquis perierant. Ut verò Antiochiam pervenit Alexander, facilè & ipse convaluit, spiritu illo cæli, & aquarum abundantiâ, post æstuosos Mesopotamiæ calores refectus. Pecunias ex ærario distribuit militibus, quos etiam de præda, quam Persis diripuerat, locupletavit. Quæ verò Tribuni per vicos sibi comparaverant, ipsos habere jussit. Servos accepto pretio, Persis reddidit, quod vel militibus, à quibus capti fuerant, dedit, vel in ærarium contulit.

Herodian.

Lampr. c. 55.

De Cæciliæ, Valeriani, aliorumque ficto martyrio.

IV. Gravem persecutionis æstum Romæ commotum fuisse, tradit Baronius in Annalibus, etsi impulsorem nescire se profiteatur. *Cæciliæ* clarissimæ virginis sponsus, *Valerianus*, atque *Tiburtius*, ejus germanus, quos ambos ad fidem adduxerat, nec non *Maximus* cubiculi Imperatoris Præfectus gladio cæsi, *coronam martyrii adepti sunt*. Cæciliam verò *Turcius Amalachius* urbis Præfectus, in domum suam reductam, balneo inclusam consumi jubet. At ne vel minimo sudore madefacta est egregia Martyr, etsi calefaciendo balneo, die & nocte, vis magna lignorum adhiberetur. Quod cùm audivisset Amalachius, carnificem misit, qui Cæciliæ caput amputaret. Spiculator tribus percussam ictibus, cùm putaret defunctam, reliquit. Qui astabant, spongiis siccatum sanguinem linteis absterserunt: *Sicque tribus adhuc diebus superstes vixit, quæ Dei sunt loquens*. Vigesimâ secundâ Novembris, cùm martyrium consummasset, illam Urbanus Papa sepelivit, in cœmeterio Callisti, ubi Valerianus, Tiburtius, Maximus conditi fuerant. Similia & in Adonis, & in Romano legi Martyrologio profitemur, neque negamus virginem aliquam, Cæciliam nomine, in certamen pro fide venisse. At Romæ imperante Alexandro, illud inivisse, eâque ratione quâ refertur in Martyrologiis, constantissimè negamus. Adonis Martyrologium passam M. Aurelii & Commodi temporibus Cæciliam, disertè habet. Sed non conveniunt tempora, cum Episcopatu *S. Urbani Papæ*, itaque ventum ad Severi ætatem, quo sedebat Urbanus. Nos verò ad magnam traducit admirationem, quòd Baronius vir immensæ diligentiæ, Autoris Anonymi apud Eusebium verbis, non adverterit animum, quibus tot fabulosa, superstitiosis quæ placent martyria pelluntur Historia: *Ab obitu Maximillæ, usque in hunc diem, plusquam tredecim anni jam elapsi sunt, nec tamen ullum, aut particulare bellum, aut universale in terris fuit. Imò Christianis præcipuâ quâdam Dei misericordiâ, pax stabilis & firma permansit.* Quæ annorum Epocha, est ab anno Dionysiano CCXVIII. deducenda. His verò annis, Callisti Urbanique Pontificatus includitur. Lætâ igitur pace tranquillus fuit, non Cæciliæ, non Valeriani, non Tiburtii, non Maximi sanguine respersus. Ac ut iterum iterumque moneamus, ab anno Domini CCXII. ad usque CCXXXV. quo Maximinus imperium adiit, tranquillæ fuerunt orbis Ecclesiæ, atque omnis persecutionis perturbatione caruerunt: *Interjectis deinde annis VIII. & XXX. pax Christianis fuit, nisi quòd medio tempore, Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit.* Quæ Veterum testimonia obruunt innumera martyria, à fabulatoribus supplendorum Martyrologorum causâ falso addita atque consarcinata.

Bar. An. 232. n. 15.

Anno Dom. 230.

Euseb. l. v. c. 16.

Sulp. b. l. 2.

Anno U. C. 984. Per. Jul. 4944. Jul. 276. Dom. 231. Alexandri 10. *Sol.* 16. B. *Lun.* 4. *Indict.* 9. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 6. *P.* 3. *Apr.*

Anno Dom. 231.

Coss. *Pompeianus & Pelignianus.*

De hujus anni Coss.

I. BAronianis in Annalibus, Pompeiani collega sociusque dicitur *Felicianus*, qui & in Prospero Cassiodoroque reperitur. Quos sequuntur Onuphrius, Calvisius, Capellus aliique complures. Pellendus tamen Fastis *Felicianus*, locusque dandus *Peligniano*, quem exhibent & Bucherii, & Theonis indiculus, nec non Chronicum Alex. In Chronico Damasi Pelagianus nuncupatur.

Alexander Antiochiæ commoratur.

II. Alexander Antiochiæ degens, copias instaurabat, comparatque de integro, quasi iterum in Persas exercitum deducturus, si molesti esse pergerent, sed & Artaxerxem dimisisse milites nuntiabatur. Crebris enim præliis, in Media Parthiaque gestis, pars ceciderant, alii attriti, & saucii super fuerant. Itaque nonnisi triennio pòst, aut quadriennio arma resumpserunt. Quibus intellectis, Alexander Antiochiæ commorabatur, hilariorque jam & liberior, laxatis bellorum curis, Antiochiæ deliciis indulgebat. Clarissimi ergo Pagii Chronologia, de Alexandri triumpho, quem anno superiore gestum existimat, cum Herodiano, quem præcipuè testem audiri jubet, consentire non potest.

Herodian. l. 6.

Pontianus, à quo in Sardiniam relegatus? Ejus martyrium.

III. Defuncto Urbano, post triginta dierum Interpontificium successisse Pontianum, habetur in Annalibus. Baronio favet Damasi Chronicum: *Pontianus annis quinque, mensibus duobus, diebus septem. Fuit temporibus Alexandri, à Consulatu Pompeiani, & Pelignani.* Non tamen sibi consentit Autor Chronici. A Consulatu enim Maximi, & Æliani, ad usque Agricolam, & Clementinum, non sunt anni novem, detractis diebus octodecim, quos ascribit Urbano. Neque etiam à Pompeiani Pelignianique Consulatu, ad illum usque Severi & Quintiani, quo excessisse Pontianus dicitur, *anni sunt quinque, menses duo, dies septem*, quos

P p 3 Chro-

Anno Dom. 231.

Chronicum ascribit Pontino. Quin etiam unus idemque annus, *Urbano* mortem, *Pontiano* Pontificatum attulit. Cum ergo Urbanus excesserit anno ccxxx. Agricolâ & Clementino Coss. in eum quoque annum Pontiani Pontificatus conferri debet. Hoc & innuit Eusebius: *Urbanum Ecclesiæ Rom. Episcopatu octennio perfunctum, excepit Pontianus.* Eusebius tamen initia Pontiani anno ccxxxii. in Chronico perperam illigavit. Pontianum ergo anno ccxxx. die vigesimâ secundâ mensis Junii, Urbano successisse probabilius est. Sedit ad annum usque ccxxxv. *Eo tempore Pontianus Episcopus, & Hippolytus Presbyter, exules sunt deportati in Insulam nocivam Sardiniam, Severo & Quintiano Coss. In eadem insula discinctus est* iv. *Kalendas Octobris.* Pontianum tradunt *natione Romanum, ex Patre Calpurnio.* In Sardiniam à *Maximino* relegatus est, gravissimi cœli insulam. Itaque admirationem nobis efficit Romanum Martyrologium, in quo legimus: *Ab Alexandro Imperatore*, Pontianum cum Hippolyto Presbytero, in Sardiniam fuisse deportatum; quod *Maximino* est ascribendum. Sævissimus enim ille Imperator *nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit*, ut jam à Sulpitio auditum. Contrà verò benè in Christianos animatus fuit Alex. Severus. Itaque Adonis Martyrologium, Pontiani exilium ascribit *Maximino*. Libro tamen Pontificali, quem Rom. sequitur Martyrologium, assensum Baronius præbuit. Ac ut ingenii pollet acumine, *Aliquâ potius calumniâ circumventum à Gentilibus Pontianum existimat, quàm religionis causâ, negotium illi facessitum ab Alexandro.* Deo autem hoc facinus ulciscente, à suis militibus occisum Alexandrum putat. Animum tamen advertere debuit, die xvii. Martii anni ccxxxv. periisse Alexandrum, quo tempore nondum deportatus Pontianus fuit. Cui simul & patria, & Episcopatus eripitur. Septembris xxvii. in Sardinia eadem agenti, Episcopatus abdicatur. Idque sibi vult Auctor Chronici, *in eadem insula discinctus est.* Ut enim discincti milites illi dicuntur, qui sunt inhabiles militiæ, quia cincti fuere omnes, qui militabant, sic Pontianus fertur esse *discinctus*, ob detractam ei facultatem peragendi munia Ecclesiastica. *Fustibus mactatum* fuisse optimum Pontificem, fama est in Martyrologiis. Variant de natali die Martyris. Rosuedi enim, nec non Adonis Martyrologium, xii. Cal. Decembris, at Romanum, Kal. xiii. lucem Pontiano ereptam esse tradit. Quod discrimen tanti non est. Corpus ejus *Fabianum cum Clero adduxisse navigio, & sepelivisse in cœmeterio Callisti, via Appia*, refert liber Pontificalis, qui ascribitur Damaso.

Euseb. l. 6. c. 23.

Baron. an. 237.

IV. Nomine Pontiani geminæ ornantur Epistolæ. Prior ad Felicem Subscribonium, *de honore quo Sacerdotes sunt prosequendi.* Data est x. Kal. Februarii Severo & Quintiano Coss. Posterior est, *de fraterna dilectione & vitandis malis.* Titulum habet: *Pontianus Sanctæ & universalis Ecclesiæ Episcopus, omnibus rectè Dominum colentibus.* Data est 4. Calend. Maii, Severo & Quintiano Coss. Utraque Epistola Pontiano subdita est. Posterioris titulus à Pontiani ævi moribus abhorret quàm maximè; indicioque sunt genuinæ Cornelii Epistolæ, quæ tanto titulo non superbiunt. Quam Cypriano misit Cornelius, simplicem exhibet titulum, *Cornelius Cypriano fratri salutem.* Nondum titulo *universalis Ecclesiæ Episcoporum*, Pontifices Romani decorabantur. Prioris verba hæc, *studium sanctæ religionis summoperè adimplere studens, & fratres mœrentes ac destitutos in fide & religione confortans*, impostor Gregorio Magno suffuratus est, apud quem leguntur Epistola 95. l. vii. Denique in utraque Epistola variæ & Vulgatæ Bibliorum versionis, & Patrum qui nondum lucem aspexerant, & Sixti Pythagorei ex translatione Rufini, integrasque sententias observare licet, ut certissimis jam rationibus ostendit Blondellus ὁ πάνυ.

Epistolæ Pontiani subditæ.

V. Hoc ipso anno Heraclam Alexandrinum Episcopatum inivisse, in historia docet Eusebius. Decimus erat annus Alexandri, *Cum Origenes Alexandriâ Cæsaream migraturus, scholam ad Fideles ejus loci instituendos Heracla dereliquit. Nec multò post Demetrius, Alexandrinorum Episcopus fato functus est, cùm per* xliii. *annos Ecclesiam administrasset. In hujus locum successit Heraclas.* Alexandri verò Imperatoris annus x. non in Christi ccxxx. sed in sequentem incidit. Itaque nil causæ Pagio fuisse putamus, cur Eusebii Chronicum potius, quàm historiam secutus, initium Heraclæ ad annum ccxxx. pertinere statuerit. In historia enim quàm in Chronico longè est accuratior Eusebius. Dum Presbyterum adhùc agebat Heraclas, vulgari veste depositâ, *Philosophicum habitum induerat.* Porro Heraclas annos xvi. Alexandrinæ præfuit Ecclesiæ, ad usque annum ccxlvi. quo Dionysio decessit: *Anno Philippi Imperii tertio, cùm Heraclas post sexdecim Episcopatus annos diem extremum obiisset, Pontificatum Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit Dionysius.* Quibus apparet à Christi ccxxxi. Heraclæ initium esse deducendum. Ad Episcopatum Alexandrinum evectus Heraclas, scholam cui post Origenem præfuerat, reliquit Dionysio. Hic est ille Heraclas, cujus meminit Hieronymus, Epistolâ ad Evagrium: *Alexandriæ à Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.*

Heraclas fit Episcopus.

Euseb. l. 6. c. 26.

Euseb. l. 6. c. 35.

Hieron. Ep. 85.

Anno U. C. 985. Per. Jul. 4945. Jul. 277. Dom. 232. Alexandri 11. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 5. *Indict.* 40. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 25. *Martii.*

Anno Dom. 232.

Coss. *Lupus & Maximus.*

I. A Gente apud Antiochiam Alexandro, nil nostris Annalibus includendum reperimus. Ne verò optimi Principis digna memoriæ facinora prætereantur, nonnulla & hic subjicere placuit: *Multis civitatibus, quæ post terræ motus deformes erant, ad instaurationem operum, & publicorum, & privatorum, pecuniam ex vectigalibus dedit. In Templis sanè nunquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem, aut bracteolam posuit, susurrans versum Persii:*

In Sancto quid facit aurum?

Itinerum dies publicè proponebat, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset: *Illâ die, illâ horâ ab urbe sum exiturus, & si Dii voluerint, in prima mansione mansurus.*

Alexandri præclaræ sententiæ.

Lamprid. c. 44.

II. Plotinus Platonis sectæ addictissimus, Lycopolitanus, currente anno Ammonium Alexandriæ docentem audiit. Anno xiii. Severi

Plotinus Philosophus.

natus

ANNO DOM. 232.

natus erat, ubi verò XXVIII. ætatis annum implevit, Philosophiæ amore vehementer accensus, commendatus iis fuit, qui tunc Alexandriæ excellentiores habebantur. Ex eorum tamen scholis tristis admodum discessit. Cùm amico cuidam mœroris causam sui declarasset, ille dolentem ad Ammonii scholam adduxit. Quam ingressus, cùm Ammonium disserentem audivisset, dixit amico, *Ipsum, ô amice, quærebam.* Ex illo die undecim annos sedulò audivit Ammonium. Fuit imbecilli corpore, propter morbum sacrum. Nihilominus amore Philosophiæ captus, ut Persas primùm ac hinc Indos frequentaret, Gordiani exercitui se comitem addidit. Anno circiter CCXLIV. qui Philippo Augusto primus fuit, in urbem Plotinus venit. Hic Ægyptius Sacerdos, *Cùm exoptaret suam Romæ sapientiam ostentare, suasit Plotino, ut secum accederet, familiarem sibi Dæmonem, eo advocante præsens inspecturus, cui facilè Plotinus est obsecutus. Acta verò est in Æde Isidis Dæmonis invocatio. Solum namque hunc locum, Romæ purum, ait, Ægyptium invenisse. Sed cum in aspectum proprium ipse Dæmon accerseretur, pro Dæmone Deus accessit, qui non erat ex genere Dæmonum. Sic ergo repentè Ægyptius exclamavit, Beatus, ô Plotine, qui habeas pro Dæmone Deum, neque ex inferiori genere sis Deum sortitus familiarem.*

Porphyr. vit. Plot.

Porphyr.

De sacramenti elevatione apud Latinos.

III. Silente & Politicâ, & Ecclesiasticâ hujus anni materiâ, non omissam in Annalibus, de elevatione Eucharistiæ quæstionem ingredi placet, ut ritus Latinorum in disciplina oobilis, acceptam animo informationem habeamus. De Eucharistiæ ceremoniis ait Baronius: *Prolatis quæ ad consecrationem spectant verbis, Sacerdos in altum elevat sacrificium.* Verissimè, ex recenti Ecclesiæ Rom. consuetudine, quam tamen à majoribus acceptam inficiamur. Quin etiam eo ambiguo illustrissimus Purpuratus fallit lectores, cùm non omnis Eucharistiæ elevatio illa sit, quæ à Latinorum Presbyteris usurpatur. Græcis & suam fuisse sacramenti *elevationem*, non ignoramus, ab ea quæ nunc fit Romanis in altaribus longè antiquiorem, sed naturâ, & fine multum diversam, quod est aperiendum, ne specie vetustatis aliquâ induta novitas, indebitam sibi venerationem conciliet. Latinorum in *elevatione* parcant nobis Ciceronis manes, si vocem minus Latinam, tritam tamen, scholisque familiarem adhibeamus, tria maximè debent attendi. Primùm is qui attollit sacramentum, deinde attollendi modus, denique finis *elevationis*. Qui sacramentum attollit in sublime, is est qui celebrat Eucharistiam. Prolatis enim verbis consecrationis, ubi dixit, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis, Sacerdos extendit brachia.* Modus attollendi Eucharistiam, non qualiscunque est, sed is qui supra caput offerentis sacramentum attollit, ut spectatorum omnium qui sunt à tergo, Sacerdotis adducatur coram oculis. Finis elevationis multiplex esse dicitur, præcipuus tamen refertur ad sacramenti adorationem: *Dictis verbis illis, Hoc est corpus meum, Sacerdos elevat corpus Christi, primò ut cuncti astantes illud videant, & petant quod proficit ad salutem, juxta illud, ego si exaltatus fuero à terra &c. Secundò ad notandum, quod non est aliud dignum sacrificium, imò est super omnes hostias. Tertiò exaltatio Eucharistiæ in manu Sacerdotis significat Christum verum panem per Prophetas in Scripturis exaltatum. Quartò significat resurrectionem. Quintò hostia elevatur, ut populus non præveniens consecrationem, sed ex hoc cognoscens illam factam esse, & Christum super altare venisse, reverenter ad terram prosternatur, juxta illud ad Philippenses, In nomine Jesu omne genu flectatur.* Quæ ultima causa, germana est & præcipua attollendi ratio. Plebs quidem, quæ sacrificio interest, de mysticis elevationis causis nil cogitat. Hoc unum sibi proponit, ut audito nolæ sonitu, subitò in genua procumbat ad exhibendam Deo suo, quem maximè præsentem arbitratur, debitam adorationem. Hinc pervulgata Latinorum devotio, *aller à l'élevation.* Idcircò supra caput Sacerdotis attollitur & sacramentum, ut spectatorum oculis exhibitum, quem ipsi deberi putant honorem accipiat. Ea quoque de causa, non *paulò ante communionem*, ut Græcorum mos est, sed peractâ consecratione, attollunt subitò Eucharistiam, rectè quidem consequenterque ad finem suum: nec illam attollendi tempus magis opportunum constitui potuit, admissâ corporis Christi præsentiâ. Ut enim debitus Principi cultus eo momento redditur, quo domum alicujus ingreditur, sic concesso Christum vi consecrationis reipsâ subire panis species, appositè quidem, eo ipso momento in genua cadunt, ut immortali seculorum Regi venerationem exhibeant.

Bar. an. 57. n. 146.

Durand. Ration. l. 4. c. 42.

De elevata à Græcis Eucharistia.

IV. Sexto demum seculo Græcorum in disciplinam introducta fuit elevatio Eucharistiæ, ab illa sanè Romanarum Ecclesiarum valde discrepans. Cujus elevationis meminit Anastasius Sinaita, in præclara de *sacra synaxi* oratione: *Sacerdos post sacrificii illius incruenti consecrationem, panem vitæ sustollit, ipsumque omnibus ostendit. Postmodumque exclamat Diaconus, & ait, Attendamus.* Elevationem quoque memorat Missa, quæ Chrysostomi dicitur: *Quando autem videris Diaconus, Sacerdotem manus extendentem, & Sanctum panem tangentem, ad hoc ut faciat Sanctam exaltationem, effatur, Attendamus.* Hanc quoque consuetudinem tradit Maximus, in scholiis suis ad verba Dionysii, *& in aspectum ducit.* Quæ sic illustrat Commentator: *Forsitan intelligit elevationem, & exaltationem, quæ fit post divini panis consecrationem, dum hunc Sacerdos attollit, dicens Sancta Sanctis, quod magis congruit veritati.* Eò pertinet & Pachymeræ Paraphrasis: *Detecta sancta dona post preces attollit, de cætero tecta manent, usque ad tempus sumptionis.* Id verò elevationis non eo fine peragebatur à Græcis, ut sacramentum adoratione perfunderetur. Ceremoniæ scopum ostendit Germanus in theoria: *Elevatio autem in altum venerandi corporis, repræsentat crucis elationem, & mortem in ea, & ipsam resurrectionem.* Propterea in Missa Chrysostomi, Sancti panis elevatio, clausis adytorum januis, à consecrante peragitur, & signi nil habet, quo populis denuntietur tempus adorandi sacramenti: neque fideles exhibet, exaltationis momento, genua ponentes Eucharistiæ. Ac sanè cùm post elevationem, quatuor in partes dividatur, eò liquet elevationis in ceremonia quæri Christi in crucem acti adumbrationem: quomodo & in panis divisione, ostendunt illata sacro corpori vulnera. Quin etiam adoratio, quam in adytis Christo exhibent, sacramenti præit elevationi: ex quo intelligimus, non eo fine institutam esse,

Anast. B. M. P. 1. 9. 945.

B. P. 1. 2. p. 83.

Dionys. de Eccl. Hier. c. 3.

Germ. B. P. 1. 2. 163.

ANNO DOM. 232.

Bon. Litur. l. 2. c. 13. n. 2.

esse, ut ad Eucharistiæ adorationem Fideles permoveret. Eò quoque pertinet elevationis mysterium, quæ Æthiopum disciplinam pervasisse dicitur: *Sancta dona elevant ante communionem, dicente Diacono, Inspiciamus. Tum ait Sacerdot, Sanctum date Sanctis. Subdit Populus, unus Pater Sanctus, unus Filius Sanctus, unus Spiritus Sanctus. Et Sacerdos elevans sacramentum, dicit altâ voce, Domine Jesu Christe, miserere nobis.* Cui quoque ceremoniæ alius finis adjungi potest, verbis à Sacerdote prolatis, maximè congruus. Quippe elevatio hæc muta veluti exhortatio est, quâ Fideles invitantur, habere *corda sursum.* Quomodo in Missa Chrysostomi, apertis adytorum foribus, Diaconus venit ad portam, *& sustollens sanctum calicem, ostendit eum populo*, ut indicet Sancta Sanctis esse præbenda, & sublimi cœlum versus animo, sacra ad mysteria accedendum. Cæterum nostros sensus ut fateamur, suspecta nobis est ea sacramenti apud Æthiopes, quæ narratur elevatio, cùm ordine celebrandæ Liturgiæ, *In regno Preste Joannis* en Opere Lusitanico, & posteà Italico Francisci Alvares ea legantur: *Consecrat in lingua sua iisdem verbis, quibus & nos, & non sublevat, id ipsum quoque facit in calice, & non elevat.* Nullius etiam elevationis meminit Zaga Zabo. De ea re tamen cum ullo contendere nolumus. Nobis satis est Æthiopicam sacramenti elevationem, Eucharistiæ adorationi non fuisse destinatam.

De antiquitate elevandi sacramenti.

V. Cæterùm tam Græcorum, repræsentando sublato in crucem Christi corpori, quàm Latinorum, ad exhibendam sacramento adorationem, elevatio Eucharistiæ, novitas est, quingentis amplius annis Ecclesiæ incognita. Christus quidem fons sacramentorum nostrorum atque principium, panem suis manibus sumpsit, fregit benedictumque distribuit. Ut verò crucem instantem designaret accuratius, sacramentum in sublime non extulit. Domini sui exemplo, Apostoli, Patresque sese addiderunt. Accuratam quæ ætate obtinuit suâ Eucharistiæ celebrationem, Sanctus proponit Justinus; Constitutiones Apostolicæ exhibent & amplam fusamque sui temporis liturgiam, ne prætermisso quidem, *Presbyteros adesse Episcopo, ad dextram & lævam ejus, duosque Diaconos, ex utraque parte altaris, flabella tenentes, ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, ut parva animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant.* Atqui neque in Justino, neque in Constitutionibus, ulla vel tenuissima est *elevati* sacramenti. Proclive tamen creditu, Constitutiones quæ minutias ejusmodi non prætereunt, Diaconos scilicet, pennis avium armatos, fugandis culicibus, Eucharistiæ multò magis elevationem scripto prodituras, si fuisset ului. Gestus sumendo sacramento aptos & congruentes, in Catechesibus S. Cyrillus inculcat. Imperat non *expansis manuum volis*, accedere, *non disjunctis digitis.* Vult *sinistram veluti sedem subjiciat dextræ*, quæ Regem susceptura est, & *cavâ manu* suscipi. De elevato sacramento ne μὺ quidem. In Marci quæ dicitur Liturgia, Sacerdotem videmus *diptycha* legentem, sancta mysteria *signaculo crucis signantem*; ea verò in sublime attollentem non videmus. Sacramentum per urbes, compita, à privatis comportatum; pacis veluti pignus, pœnitentibus concessum animam exhalaturis; absentibus missum veluti amicitiæ fideique vinculum; permixtum lachrymis, ut

Constit. l. 8. c. 12.

Cyril. Cat. Myst. v.

in medicinam cederet, probè scimus, *elevatum* verò nescimus. Cum ergo nulla ceremoniæ ejusmodi mentio sit ante sextum seculum, quis non inde jure colligat, eâ demum ætate ceremoniam exortam esse? Ex Tert. quidem hunc expiscari ritum conatur Maldonatus: *Nam in libro de Idololatria, & de Spectaculis, sic ait eas manus quas ad Dominum extuleris, laudando histrionem fatigare, atqui videtur de Eucharistia loqui, quia statim addit ex eo ore, quo in Sanctum Dominus amen protuleris, testimonium dicere.* Sed subtilitate ejusmodi, ea re quâlibet elevatio extundi potest. An non etiam ex verbis Pauli: *Volo igitur viros precari in omni loco puras manus attollentes.* Orationes ergo, sive Presbyterorum, sive Fidelium, vel ante vel post Eucharistiam, vel in celebratione, vel extra celebrationem sacramenti fusas significari existimamus. Majori specie quidem Dionysius objicitur: *Sancta hæc munera Dei Pontifex post hymnum dictum divinissimè consecrat καὶ ὑπ᾽ ὄψιν ἄγει, tum in conspectum profert, per proposita Symbola.* Neque hunc testem omisit illustrissimus Bona: *Elevationem tamen* Eucharistiæ à revelatione diffidere plurimum, certè certòque scimus. Neque si Maximus, aut Pachymeres, ut multis solemne est, ex hodiernis consuetudinibus, Antiquos æstimare, sacramenti elevationem reperiunt in Dionysio, consequens est, de ea Dionysium esse locutum. Maximus sanè dubitanter de elevationis ceremonia, Dionysii locum interpretatur: *Forsitan*, inquit, *intelligit elevationem.* Aliam quoque suppeditat explicationem, quam veram esse censemus: *Vox autem illa, sub aspectum, fortassis etiam hoc significat, tum aperiri detegique sancta dona, post preces, manere autem obtecta, usque ad tempus communionis.* Nec alii quærendi testes, cùm Dionysium ipsum habeamus locupletissimum. Ævo Dionysiano, panis sacer involutus proponebatur, perinde atque poculum: *In conspectum*, inquit, *profert ea quæ in hymnis celebrata fuerant per symbola sacrè proposita. Etenim panem involutum, nec divinum cum revelavit, & in plurima divisit, unicumque poculum omnibus distribuit, symbolicè unitatem multiplicans.* Moris & Armenis est, sacramento velum obducere: *Sacerdos silenter inclinatus, orat Deum ut dimittat in oblationem ante se positam Spiritum Sanctum, & detecto calice & hostiâ, inquit, ut sanctificetur iste panis, verum corpus Christi Salvatoris Domini nostri.* Si Basilio ἀνάδειξις τοῦ ἄρτου, *sacramenti confectionem* non significat, quod tamen Erasmo placuit, sacramenti non *elevationem*, sed *revelationem* quàm commodè designabit. In sexto igitur seculo elevationis Eucharistiæ quærenda sunt incunabula. Quæ ceremonia diu multumque Græcis propria hæsit. Quis enim comprehendet animis atque cogitatione, Ordinem Romanum, Amalarium, Rabanum, Alcuinum, Micrologum, hanc oblivioni ceremoniam dedisse, si jam in Ecclesia recipiebatur? Atqui in illorum scriptis, altum de elevato sacramento silentium. Vim incutit argumento calicis exaltatio multiplex: *Archidiaconus levat calicem, & dat eum Subdiacono regionario, quem tenet juxta cornu altaris dextrum.* Archidiaconus non *Presbyter* qui consecraverat, attollentis partes implebat. Calicem quoque Sacerdos attollebat, sed ante consecrationem. *Calix elevatus, ante depositionem benedicitur.* Quæ benedictio panem non afficiebat: *Panis in manus accipitur, & antequam*

ANNO DOM. 232.

Maldonat. de Euchar. t. 1. 428.

1 Tim. 2. 8.

Dionys. Eccl. Hier. c. 3.

Cassand. Litur. c. 12.

Ord. R. p. 15.

Microl. Observ. c. 15.

Anno Dom. 232.

tequam reponatur, in altare non benedicitur. Cùm ergo de elevato sacramento Liturgicorum illi Scriptores silentium egerint, non incertâ conjecturâ ducimur ad credendum, id moris Latinorum in ritibus nondum fuisse susceptum anno MLXXX. Cujus sanè consuetudinis mentionem potius fecissent, quàm sublati calicis nondum consecrati. Animo quoque custodienda sunt, quæ vir eruditus Edmondus Martenus, de antiquis Monachorum ritibus habet: *Cistercienses factâ consecratione, hostiam & calicem adorandum Populo non ostendebant, ut patet ex libro usuum. Cùm pervenerit ad, qui pridie quàm pateretur, sumat hostiam, & elevans ante calicem paulò altius inter alios digitos, quos ad hoc conservavit, benedicat eam; si verò plures fuerint, non deponens ipsam quam tenet, & simul omnes benedicat, & iterum utrâque manu eam teneat, usque quo dicat, hoc est enim corpus meum, & tunc remittet eam in loco suo. Cùm autem dixerit, simili modo postquam cœnatum est, accipiat calicem, stringens corporale cum calice, inter utramque manum, & sic elevet eum paululum, usque ad signum faciendum, & tunc deponat, faciens signum crucis desuper, quod postquam fecerit, elevet sicut superius, donec dicat, In mei memoriam facietis, & tunc dimittat. Ita primi Cistercienses, qui tamen non multò pòst in Capitulo anno* MCCAV. *statuerunt, ut cùm Missa celebrabantur, consecratione peractâ, hostia elevaretur.* Ineunte seculo XII. quin susceptus sit elevandi sacramenti ritus, vix ponimus in dubio, quem disertè legimus in Hugone de S. Victore, qui eo tempore vixit. Gemina est apud Autorem elevatio, altera panis & calicis ante consecrationem, altera sacramenti. Audiamus de utraque loquentem: *Qui pridie quàm pateretur, in his verbis sumit ab altari panem adhùc communem, & elevatum benedicit, & signum crucis imprimit, & priusquam deponat, repræsentat verba Domini, dum dicit, benedicit & fregit, & quæ sequuntur; posteà tollit calicem, & signat.* De elevato verò sacramento: *Et ut ostendat*, inquit, *Sacerdos, qualiter per Christum, gloria Trinitatis sit acquisita, in mentibus Fidelium, quantum potest, exprimit passionis mysterium. Post signa crucis, utrâque manu elevat sacramentum corporis & sanguinis Dominici, & paulò pòst deponit, quod significat elevationem corporis J. Christi in cruce, & ejusdem in sepulchrum depositionem, unde & calicem corporali pallâ tegit, quod significat sindonis involutionem.* Hactenus tamen solâ vi significandi, elevatio sacramenti inducebatur. Christum affixum Cruci adumbrabat, ad adorationem verò Eucharistiæ procurandam non erat comparata. Itaque cum Mimatensi Hugo non scripsit, elevationem fieri, *ut populi reverenter ad terram prosternantur.* Hinc aptè satis colligitur, apud Antiquos non inductum fuisse morem adorandi sacramenti, peractâ consecratione. Quo cultu vix affici potuit, nisi *elevationis* beneficio, adorandum populis exhiberetur. Incognita verò multis seculis elevatio fuit, igitur & adoratio, cum qua tam aptè, tamque concinnè conjungitur.

Edmond. Mart. l. 2. c. 4. 183.

Hug. Erud. Theol. c. 7. B. P. t. 2. c359.

Hug. de Off. Eccl. l. 2. c. 38.

Anno U. C. 986. Olymp. 253. Per. Jul. 4946. Jul. 278. Dom. 233. Alexandri 12. *Sol.* 18. F. *Lun.* 6. *Indict.* 11. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 2. *P.* 14. *April.*

Anno Dom. 233.

Coss. *Maximus & Paternus.*

I. CUm hoc anno maxima sit nobis materiæ penuria, de ritibus nonnullis quos ab ultima antiquitate repetere Baronio placuit, disserere fert animus: *Ab ipsis rerum nostrarum initiis*, inquit, *ordinem fuisse constat, Ceroferariorum Clericorum, quorum muneris erat ad sacram mysteriorum pompam ferre accensos cereos, atque exploratum habetur, adhiberi solita in Ecclesia luminaria, non ad tenebras tantum propellendas, sed ad sacri quoque cultus celebritatem illustrandam.* Nobis igitur cum Baronio controversia est, cùm in eam adduci opinionem non possimus, *diurnorum luminarium* sacris cohonestandi usum, rerum Christianarum initio introductum fuisse. Imo trecentis amplius annis incognitum prorsus fuisse, persuasum habemus. Cæterùm dum nocturnis cœtibus agitandis, temporum iniquitate Christiani cogebantur, atque etiam dum miti pace apud Ecclesiam manente pervigilia quædam celebrarentur, non necessitatis modò, sed honestatis quoque causâ nocturnis luminibus opus erat. Ac tum adhibitos quandoque cereos, lubentes profitemur. Eorum quidem gravissimus ille Pater meminit Athanasius, dum vim Arianam queritur: *Candelabra inibi ad parietem deponerent, τοὺς κηρίους, cereosque Ecclesiæ Idolis adolerent.* Cantatur omnibus de S. Laurentio Hymnus Prudentii:

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Imò nocturnorum cereorum usus ex Patrum Eliberitanorum decreto apertè colligitur: *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non accendi.* Neque adeò difficiles aut morosi sumus, ut accensos ad tenebrarum solatia cereos è finibus Ecclesiæ exterminandos esse velimus. Est tamen infixum animo nostro, nocturnos cereos annis compluribus Ecclesiam nescivisse. *Lucernæ* erant non paucæ in cœnaculo ubi Paulus concionem habuit, nulli verò cerei ardebant ad fugandas tenebras. Multa de Christianis in vulgus facinora spargebantur. Ad λυχνίας lucernæ *eversionem*, nefarii concubitus, Justino teste in Apologia pag. 70. Similia leguntur apud Tertullianum: *Præterea candelabra & lucernæ, & canes aliqui, & offula quæ illos ad eversionem luminum extendant.* Lucernas videmus, non cereos in pervigiliis, lampadum quidem usum non ignoramus, à Narcissi miraculo moniti. Forte in magna *Paschæ vigilia, oleum ministris deerat.* Quod ut haberetur, precibus Narcissus suis in oleum aquam convertit. Ac sanè cùm Mosis disciplinam quantum per honestatem licuit, atque religionem, Antiqui imitatione prosequerentur, serius utique sacris nocturnis cerei inservierunt, quorum nullus usus erat Judæorum in cultu. Lampades adhibuerunt, non *cereos*, etsi ut mellis, sic magnâ ceræ copiâ affluerent, neque in Templo modò, sed & in Antonia turri. Cujus Præfectus in cella, ubi stola Pontificia reponebatur, *Quotidie λύχνον lucernam accendebat.*

An ab initio religionis cereorum diurnorum usus in Ecclesia?

Bar. An. 58. n. 70.

Ath. Epist. ad Orth. t. 1. 946.

Tert. Apol. c. 10.

Euseb. l. 6. c. 9.

Joseph. l. 18. c. 6.

ANNO DOM. 233.

Si quis conjecturæ locus, tertio seculo jam adulto, cùm ditescere inciperet Ecclesia, cereorum nocturnorum usus exortus est. Quos de die lucentes prohibuerunt Patres Eliberitani, de nocte quidem ardentes non improbaverunt. Improbat tamen Autor Epistolæ ad Præsidium, apud Hieronymum: *Lege Pentateuchum, instrumentum percurre vetus, nusquam in Dei sacrificiis mella, nusquam cera usum, sed lucernarum lumina, & oleo foveri videbis igniculos. Quid censes de Veteri Testamento? Novos percurre libros. Hi ut opinor sunt Evangelia quatuor, Apostolorum Actus, Epistola Joannis, Apocalypsis. Nihil præter ista: numquid aliquis cereus? Nonne in fine Evangelii deambulantis inter septem candelabra, & lucernas aureas sponsus revelatur incedens.* Quæ de cereo Paschali scripto prodidit.

Hier. t. 9. Epist. 29.

Ex Antiquitate diurnorum ignium in Ecclesia usus repetitur.

II. Ad diurna lumina veniamus, quibus rutilat Latinorum Religio, quam ab Apostolis disciplinam, non Baronio modo, sed & illustrissimo Bonæ aliisque repetendam esse placuit. Nos verò annis amplius trecentis, negamus morem esse Christianorum, diurnas accendendere faces ad pompam, decus, honoremve religioni conciliandum. Primum ducimus argumentum ex insultatione, quâ Antiqui Ethnicos fatigant, ob accensa de die lumina, obtentu pietatis. Neque enim eo inverecundiæ processerant, ut in eas Ethnicorum ceremonias inveherentur, quas usurpabat Ecclesia. Ridiculum quidem & turpe fuisset, illa ipsa incusare, quibus Christianorum disciplina patrocinabatur. Propterea hæc Ethnicis ingerebat Arnobius: *Res agitis satis injustas, ut id nobis constituatis esse damnabile, quod & ipsi vos factitatis, aut quæ vobis licere permittitis, consimiliter aliis licitum esse nolitis.* Quod sine dubio telum Ethnici suos in accusatores retorsissent. Audiamus ergo Patres, qui ante Nicæni Concilii tempora floruerunt: *O nos damnandos*, inquit Tertullianus, *cur enim vota, & gaudia Cæsarum, casti, & sobrii, & probi, expungimus? Cur die læto, non laureis postes adumbramus, nec lucernis diem infringimus.* Septimii jocus est, & moris Ethnici insultatio, *lucernis diem infringere.* Quâ constat, ætate Tertulliani, ex diurnis ignibus honorem religioni quæsitum fuisse. Acrior adhùc instat nervosus ille Christianorum Orator: *Quis enim Philosophum sacrificare, aut dejerare, aut lucernas meridie vanas proferre compellit?* Quod si Ecclesiæ in consuetudinem tum cecidisset, rutilante Sole, ad honorem exhibendum reliquiis, imaginibus, Eucharistiæ, lucentes utique de die ignes, pro vanis non habuisset Tertullianus. Ethnicam quoque superstitionem sic illudit Arnobius: Dii vestri, *amissi quæruntur, ut homines, & sub Sole clarissimo, cum lucernis & facibus, orbis peragrant vastitatem.* Quæ tela in Ethnicos spargere non potuisset Arnobius, si reliquiæ Martyrum, corporisque Dominici sacramentum, cereis, lucernisque comitantibus, in vicis compitisque spatiabantur, aut *Sole clarissimo*, diurnæ faces in Ecclesiis accendebantur. Gravioribus adhùc verbis diurna luminaria extinguit Lactantius: *Si cæleste lumen, quod dicimus Solem, contemplari velint, jam sentiant quàm non indigeat lucernis eorum Deus, qui ipse in usum hominis, tam claram, tam candidam lucem dedit. . . . Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui autori, & datori luminis, candelarum ac cerarum lumen offert pro munere. Aliud verò à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed ut ait Poeta, liquidum, atque clarum, mentis scilicet, propter quod a Poetis φῶς nuncupatur, quod exhibere non potest, nisi qui Deum agnoverit. Illorum autem Dii quia terreni sunt, egent luminibus ne in tenebris sint.* Ex insigni loco, Sole clarius est, rutilantibus cereis lucernisque ætate Lactantii necdum exornatam fuisse lucidè diurnam Ecclesiæ religionem. Neque Ethnicus eâ solùm ratione perstringit Lactantius, quòd lumina Deo accendebant, quasi *luce indigenti*, quo Purpuratus Bona Lactantii ictum exire conatur, hoc etiam argumento eos fatigat, quòd *mentis suæ compos* non sit putandus, qui datori luminis, *candelas ac cereorum lumen* dat muneri. Cùm igitur sapientissima Lactantio existimaretur Christianorum Religio, *diurnorum* luminum honorem Deo non afferebat, neque ulli id absonum unquam venire in mentem potuit, Deum Luminis fontem luce indigere. Eò loci quo nunc est cultus Latinorum, qui prædicaret & scriberet, ea quæ Lactantius Ethnicis ingerebat, ille esset scandalo. Imò majori nunc religione, is suum perfundit animum, qui complures cereos, veluti donaria reponit in Templis. Quacunque de causa Canonem suum condiderit Eliberitana Synodus, in cœmeteriis utique lucentes cereos prorsus extinguit: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non accendi* cap. 34. Hoc æstimari potest, quo jure Baronius dixerit: *Primum Vigilantius, de non incendendis cereis in Ecclesia ausus est affirmare.* Quasi verò Lactantius, Arnobius, Tertullianus, non essent antiquiores Vigilantio.

Lactant. l. vi. c. 2.

Arnob. l. 1. p. 10.

Tertul. Apol. c. 35.

Tert. Apol. c. 46.

Arnob. l. v. 77.

Bar an. 157. n. 121.

III. Aliud argumenti nobis exoritur. Certa res est, volvente trecentorum annorum spatio, Christianos à ritibus Ethnicorum fuisse alienissimos. Instituta Tertullianus nonnulla, *Eò coercenda* statuit, *quòd gentibus adæquarent.* Cum igitur longè lateque *diurnorum* ignium decore, Ethnicorum superstitio ubique colluceret, extra dubium esse debet, ritum ejusmodi à gravissima Christianorum disciplina fuisse repudiatum. De *religioso* Ethnicorum *discursu* Apulejus: *Magnus præterea sexus utriusque numerus, lucernis, tædis, cereis, & alio genere facis luminis, siderum cælestium stirpem propitiantes.* De Romanorum moribus Hieronymus: *Ipsa Roma orbis domina, in singulis insulis, domibusque, tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine.* De facis Atheniensium Suidas: *Lampadis tria festa agunt Athenienses: Panathenæis, Vulcanalibus, Prometheis. Ister ait Athenienses primum facibus usos in Vulcani sacris, qui usum ignis primus deprehenderit & mortales docuerit.* Eleusiniorum δᾳδουχίαν canit Statius in Sylvis:

Tuque Actæa Ceres cursu cui semper anhelo,
Votivam taciti quassamus lampada dextra.

Coram idolis accensos fuisse cereos non inficiatur Hieronymus, cujus hæc verba sunt adversus Vigilantium: *Illud fiebat idolis, & idcircò detestandum, hoc fit Martyribus & idcircò recipiendum.* Quæ consequentia legitima sit nec ne, non disquirimus. Satis nobis sit, ignes diurnos, partem Ethnicæ superstitionis fuisse, quam ne vel purgatam, in suos admisere ritus, Justini, Athenagoræ, Clementes Alex. Tertulliani, aliique heroës ejusmodi, quibus flagrantissimum odium fuit numinum in suppellectilem.

Diurnis cereis Ethnicorum superstitio collucebat.

Tert. de Orat. c. 12.

Apul. Metam. l. 11.

Hieron. in Esai c. 27.

Anno Dom. 233.

lectilem. Itaque factum Christianorum Septimius incusat, qui Ethnicos imitabantur: *Sed luceant*, inquit, *opera vestra. At nunc lucent taberna, & janua nostra. Plures jam invenies Ethnicorum fores sine lucernis, & laureis, quàm Christianorum.*

Tertul. de Idol. cap. 15.

Diurnæ faces non ante 4. seculum in Ecclesiæ ceremoniis.

IV. Primus si benè meminimus, diurnorum cereorum & lucernarum usus in Ecclesiæ ceremoniis emersit, anno Dom. CCCXXXVII. Ut nempe Constantini M. funus honore afficeretur: *Aurea super candelabra, luminibus undique accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebatur, & quale in nullo unquam mortalium, ab ipso orbis conditu, visum in terris fuerat.* Sic in morte, & de morte magnus ille Imperator triumphum duxit, quomodo Cæsares de victis hostibus gloriosè triumphabant. De Galieni triumpho Trebellius Pollio p. 202. *Jam primum inter Togatos Patres, & equestrem ordinem, albatos milites, & omni populo præeunte, servis etiam propè omnium & mulieribus cum cereis, & facibus, & lampadibus præcedentibus Capitolium petiit.* Cyprianus quidem prælucentibus cereis sepultus fuisse dicitur, at noctu conditus est sepulchro, ut legitur in passionis Actis: *Ne a Gentilibus tolleretur, nocte adveniente, ex eodem loco ubi positum fuit, sublatum est, & inde cum cereis & scholacibus, in area cujusdam Candidi Procuratoris cum magno triumpho sepultum est.* Diurnos cereos accenderant in cœmeteriis quidam superstitiosi apud Hispaniam, sed ritum abrogaverant Eliberitani Patres. At quod nullo exemplo factum fuerat Constantini in funere, deinceps in more positum, ut rutilantibus lucente Sole cereis, Christianorum funera efferrentur. De Paula Hieronymus ad Eustochium Epistolâ XXVII. *Translata Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cùm alii Pontifices lampadas, cereosque præferrent.* Quibus indicabant, Fidelium mortem esse benedictam, ac veluti diem esse natalitiorum, nuptiarum, triumphorum, eâ luce decorandum. Quin etiam, si Damasceno fides, vel ad pauperum sepulchra lampades lucebant, quod probat ex Athanasii sermone, in eos qui dormierunt: *Si quis vel in aëre piè diem ultimum obiit, ne abnuito oleum & ceram, ad sepulchrum in quo conditus est accendere.* Irrepserunt & in Ecclesiam lumina diurna, ut decus & splendor adderetur Religioni, quæ lapsis temporibus solâ simplicitate & castitate fulgebat. Addita sunt & mysteria, nempe ut signum exhiberetur lætitiæ. Testis Hieronymus: *Nam & absque Martyrum reliquiis, per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: unde & virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas, & ad Apostolos dicitur, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris . . . ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus, Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Alia quoque de causa diurnis luminibus Ecclesiæ collustrantur apud Latinos, dum Missa celebratur: *Juxta Romanum ordinem, nunquam Missam absque lumine celebramus. Non utique ad depellendas tenebras, cùm sit clara dies, sed potius in typum luminis, cujus sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie palpabimus, ut in nocte.* In Epistola quidem Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum, hæc habentur: *Cùm venissem in villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque prætereuns ibi lucernam ardentem, interrogassemque, Quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam.* Quòd si requiratur à nobis, quid de diurnis apud Ecclesias luminibus censeamus, ingenuè respondebimus, antiquam simplicitatem magis probari, vanas meridie lucernas esse, nec cereis *diem infringi* debere. Ac mysteria quæ cereis suis affixerunt, Judæorum ad ceremonias & figuras esse pietatis inclinationem. Nunquam purior est lætiorve religio, quàm cùm umbris liberatur, ut *spiritus & veritatis* luce fulgeat.

Euseb. Vit. Const. l. IV. cap. 66.

Damasc. Or. de defunct. pag. 424.

Hier. adv. Vigil.

Microlog. de Eccl. Obs. c. XI.

Anno Dom. 233.

Num probandi cerei in honorem Martyrum lucentes?

V. Quod verò multò magis est improbandum, diurni cerei pars est venerationis, quæ reliquiis, imaginibus, Eucharistiæ exhibetur: *Nam quòd lumen sit honoris signum*, Bellarminus inquit, *patet ex candelabro, quod semper lucebat ante arcam.* Honorandis sanè numinibus, *accensos circa delubrum fuisse cereolos*, quos Leo Martyr *pedibus conculcavit*, in Actis Paregorii legimus. Et Themistius oratione 4. ad Constantium de Minervæ apud Soidem festo: *Ubi*, inquit, *Deæ simulachrum erectum est, inter alios ritus & ceremonias, sub dio circa tentoria atque extremos Templi ambitus lucernas accendunt.* Simili de causa Licinius Imperator, cùm *cereos accendisset*, statuis sacrificavit. Et ad *pium Religionis cultum amplificandum, & in honorem numinis, accendi lumina*, jam docuit Baronius. Quem semper in Ecclesia morem servatum esse ab usque Apostolorum temporibus, ex septima Nicæna Synodo Marianus probat Victorius, observatione quintâ in verba Hieronymi ad Riparium. Quod mirum quantum à vero dissideat, ut adductis Tertulliani, Arnobii, Lactantii testimoniis, planum fecimus. Hieronymus sanè perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, Apostolorumve traditionem non objecit Vigilantio, ut diurna lumina improbantem opprimeret. Neque solus & ejusmodi sententiæ patronus Vigilantius, vel ipso fatente Hieronymo ad Riparium, Epistolâ LIII. *Mirum Sanctum Episcopum, in cujus parrochia esse Presbyter dicitur, acquiescere furori ejus.* Parum verecundè quidem in Vigilantium bacchatur Hieronymus, ut censet Erasmus, nec solidè satis argumentatur: *Illud fiebat Idolis, & idcircò detestandum; hoc fit Martyribus, idcircò recipiendum.* Quasi in jus occupantium Martyrum transivissent honores redditi numinibus. Ex ratione quidem Hieronymi vitari nequit, quin Martyres divinâ veneratione afficiantur, quia talis fuit numinum religio, dum cereorum donariis colebantur. Iterum atque iterum dicimus, non scitis Apostolorum, non Patrum consuetudine, non decretis Synodorum, Hieronymus edicit, accensorum honorandis Martyribus cereorum ceremoniam esse recipiendam. Factum urget populorum, quod cum specie quidem pietatis aliquâ, ac veluti umbra regeretur, ob propensum in Martyres animum, palam improbari noluit. Quanquam imprudentem esse, datum cælitibus honorem ejusmodi, non diffiteatur ipsemet Hieronymus: *Cereos autem non clarâ luce accendimus, sicut frustrà calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd si aliqui, propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere,*

Bell. de Rel. l. 2. cap. 3.

Rom. Act. 611.

Euseb. Vit. Const. l. 2. 5.

Hier. ad Vigil.

cere, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? Non negat quidem cereos in honorem accendi Martyrum. Id à plebe fieri rotundè fatetur. Inficiatur verò, hoc vel à se, vel à prudentibus perpetrari: *Cereos autem non clarâ luce accendimus.* Quid disertius? Imò queritur sibi in ea re calumniam à Vigilantiu esse impositam: *Sicut*, inquit, *frustra calumniaris.* Quin etiam expressis verbis morem accendendi Martyrum in honorem cereos, ascribit plebis imperitiæ & simplicitati, insipientique mulierculanum Zelo. Quo fonte, ritum ejusmodi manasse persuasum habemus. Sic ex inordinata ænei serpentis veneratione, Judæi thura adoleverunt. Martyres amabant populi, religiosæque fœminæ: incomptus tamen & perturbatus hic amor fuit. Cui obsisti debuit, ne in superstitionem abiret. Cæterùm cultus humani fines, terminosque, principio sibi constituebat honos ille diurnorum ignium, utpote defunctis exhibitus, qui nondum ad divinam dignitatem ascenderant, consecrationis beneficio: *Cereos gestabant Diaconi*, dum Macrinæ funus efferebatur, docente Nysseno. Lucebant & ignes ad pauperum tumulos, ut ex Athanasio docuit Damascenus. Testimonium erat fidei, sanctitatis, immortalitatis quam adepti defuncti erant, signumque lætitiæ quâ perfundebantur: qui honos veluti fratribus paribusque afferebatur. Ad majores vero gradus ascendit postmodum. Religio Martyrum fuit, atque veneratio, ob divinam exsortemque, quâ cultores suos eminebant, excellentiam. Ut meritò Micionis carmen usurpari possit:

Aldelph. Act. v. sc. 3.

Duo cum idem faciunt sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet.

Accensis enim diurnis lucernis, & ignibus æternis, cælites divinum cultum participant, à clientibus quasi patronis redditum suis, quo factum, ut numinum locum occupent.

De Acolythorum Antiquitate.

Bar. an. 58. n. 70.

VI. Gravissimo tamen argumento nos irretitos à se constringi Baronius existimat. Nempe *ab ipso rerum nostrarum initio, ordinem fuisse constat in Ecclesia, Ceroferatiorum Clericorum, qui & Acolythi dicebantur.* Atqui vis argumentationis hujus, duobus innititur, quæ pro suo jure assumere sibi non debuit illustrissimus Purpuratus. Et antiquitate ultimâ *Acolythorum*, & muneris naturâ scilicet, quod ferendorum cereorum causâ institutum fuisse dicitur. Hæc verò pernegamus. In tertio seculo sunt Acolythorum incunabula à *Ceroferariis* tamen longè discrepantium, quorum ordo Græcorum in disciplina desideratur. Quo certum exploratumque est, id muneris non esse institutionis Apostolicæ, quæ non minus, imò quæ prius ad Græcos pervenit, quàm ad Latinos. Ordinum qui vigebant in Ecclesia, meminit Clemens Rom. in aurea Epistola sua. Solum verò Episcopatum, & Diaconatum docet originis esse Apostolicæ: *Episcopos & Diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt.* Sanctus ille Martyr Polycarpus, dum officia Ecclesiastica memorat, de solis Presbyteris, & Diaconis mentionem habet, quibus Philippenses vult esse subditos. Munia omnia Ecclesiastica minora accuratè enumerat Pseudignatius, in sua ad Antiochenses Epistola: *Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores. Saluto Custodes sacrorum vestibulorum in Christo Diaconissas.* Communi hâc salutatione, dignos putasset & *Acolythos*, si id muneris in Ecclesia Antiochena viguisset. Constitutiones quæ Apostolicæ usurpantur libro VIII. distinctis capitibus agunt de Ecclesiæ muneribus. Est de ordinatione Presbyterorum, constitutio Joannis c. 16. de ordinatione Diaconorum, constitutio Philippi c. 17. De Diaconissa, constitutio Bartholomæi c. 19. De Hypodiaconis, constitutio Thomæ c. 21. De Lectoribus, constitutio Matthæi c. 22. De Confessoribus & Virginibus, constitutio Jacobi Alphæi c. 23. De viduis, constitutio Thaddæi c. 25. Capite sequenti mentio est de Exorcista, qui ordinatione non creatur. Quòd si *Acolythus* Ecclesiæ ex muneribus unum fuisset, neque nomen ejus, neque creationem oblivioni dedisset Autor Constitutionum, quem penes tam altum est de *Acolytho*, quàm de Turcarum *Muphti* silentium. Ut ad brevia veniamus, inspiciantur Canones Apostolici XLII. & XLIII. Epiphanius de expositione fidei, Novella Justiniani tertia, quâ præscribitur Clericorum omnium numerus, qui in *sacrosancta majore Ecclesia* Constantinopolitana officio fungi debent, quos inter non magis apparent *Acolythi*, quàm pascentes in æthere cervi. Acolythorum tamen ordinem, in Oriente receptum fuisse, autoritate Eusebii demonstrari posse censet Shelstratus, ad Canones Antiochenos capite XVII. n. 8.

Euseb. l. 3. De Vit. Const. c. 8.

Presbyterorum verò qui eos comitati sunt, Diaconorum, ἀκολούθων vertit Valesius, *Acolythorum, aliorumque complurium numerus iniri vix potest.* Quæ si de Ecclesiasticis *Acolythis* essent capienda, de *Latinis* quidem, non *Græcis* intelligeremus, multominus de *Ceroferariis*, ad diurna accendenda lumina destinatis. Quippe si Acolythi ordinem constituebant Græcorum in Ecclesia, capi vix animo potest profundum de hoc officio antiquis in monumentis silentium. Antiochena Synodus Nicæna annis XVI. posterior est. Illud autem decernit de Chorepiscopis c. X. *Creent Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas.* Cur de Acolytho tacet, cujus ordinatio æquè permitti Chorepiscopo debuit, ac creatio Subdiaconi? Neque majus Acolythorum vestigium est in Canone Laodiceno XXIV. *Non oportet sacratos à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps, quemlibet Ecclesiastici ordinis usque ad Subdiaconos, ne vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Ascetas in cauponam ingredi.* Cur in accurata ea minorum Ecclesiasticorum functione supprimuntur Acolythi, Ascetis & Ostiariis nobiliores? Si verum amamus, fateamur ingenuè, *Acolythos* nullo numero locove fuisse Græcorum in disciplina; proindeque de illis Eusebium non cogitasse in verbis quæ repræsentavimus. Pace ergo Valesii, Eusebium sic vertendum esse existimamus: *Presbyterorum verò qui Episcopos comitati sunt, Diaconorum asseclarumque aliorum complurium numerus vix iniri potest.* Quæ versio eo probatur, quod Græca sunt ἀκολούθων τε πλείστων. Quòd si germanos Eusebius *Acolythos* designasset, virgula post ἀκολούθων fuisset apposita, ac conjunctio τε vocabulum sequens πλείστων afficeret. ἀκολούθων, πλείστων τε. Deinde non satis consonum, quòd omissis Subdiaconis *Acolythorum* Eusebius disertè meminisset, cùm de dignitate Subdiaconis, Acolythi concederent. Latinorum ergo proprium id muneris fuit, quod tamen

ANNO DOM. 233.

men ineunte tertio seculo nondum emersisse putamus. Ne minimo quidem indicio extat apud Tertullianum. Non multò post verò exortum fuisse constat, cùm Cyprianus bis meminerit *Nicephori Acolythi*, Epistolâ scilicet XLII. & XLVI. & Cornelius ad Fabium Antiochenum scripto testetur, Romanorum in Ecclesia reperiri, *Acolythos duos & quadraginta*. Per totam tamen Ecclesiam id muneris eo seculo fuisse receptissimum, eruditissimus Fellus contendit: *Quod Orientales attinet, nomen à Græcis haustum ostendit apud illos in usu fuisse.* Quo & argumento probari potest, id officii Christo esse antiquius, quia vox ἀκόλουθος jam erat in usu. A Græcis ergo id vocabuli desumpserunt Latini, neque tamen munus apud Græcos floruit, quia novam Græco vocabulo Latini significationem imposuerunt, ut munus Ecclesiæ suæ proprium indicarent. Quòd si vir doctissimus cum intelligat Acolythum, qui ministret Episcopo, & ut verba ejus adhibeamus, θεράπων ὁ περὶ σῶμα, tum profitebimur Orientalibus fuisse quidem Acolythos ejusmodi, pernegabimus tamen, eorum officium ejus esse simile, quod describunt Patres Carthaginenses, aut quale etiam habuerunt Romanæ Ecclesiæ Acolythi *duo & quadraginta*.

Euseb. l. 6. cap. 43.

Fel. in Cypr. Epist. VII.

De Acoluthorum officio tempore Cypriani.

VII. Quid verò muneris primùm gesserint *Acolythi*, non adeò liquet. Volventibus annis, cereis ferendis addictos fuisse non ignoramus: *Acolythus cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium, cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari. Accipiat & urceolum vacuum, ad suggerendum vinum, in Eucharistiam sanguinis Christi.* Cujus officii mysterium aperit Alcuinus: *Illorum officium est, ut deportent cereos ante Diaconum, quando legitur Evangelium in Ecclesia, & non ad effugandas tenebras cùm sol in die rutilet, sed ut demonstret quòd de tenebris infidelitatis venimus ad lucem fidei, & ut signum lætitiæ sit, quatenus sub typo corporalis luminis, lux illa in memoria habeatur, de qua dicitur, Erat lux vera.* Id officii Acolythis injunctum fuisse ætate Cypriani atque Cornelii, credere non possumus, cùm diurnorum cereorum usus nondum irrepsisset in Ecclesiam. Quòd si in pervigiliis, faces & lucernæ accendebantur, *Ceroferariorum* munere nil opus fuit. In antiquissima quidem omnium Ecclesiarum Hierosolymitana ministros fuisse scimus, quibus *cura erat lucernas accendere*. In ea tamen Ecclesia Acolythorum munus non fuit constitutum & Janitorum potius fuisse videtur. In eam olim sententiam propendebamus, quòd Acolythi dicebantur Episcoporum Notarii. Re tamen accuratius ponderatâ, à vero deflectere conjecturam existimamus. Quippe Græcis Episcopis sui fuere Notarii. Attici Constantinopolitani *Notarium* egit *Proclus*. Similiter Alexander Alexandrinus Episcopus, Athanasium *Notarium* habuit. Nullo tamen loco fuit apud Græcos Acolythi munus. Sed & in Ecclesia R. Acolythi *duo & quadraginta* erant. Non est autem credere, tot Notarios fuisse Cornelio. Ex Cypriano colligimus officium Acolythorum esse, & literas, & quæ munera dabantur deferre. De muneribus Epistolâ ad Clerum XXXVI. *Misi eidem* (Rogatiano Presbytero) *per Naricum Acolythum, aliam portionem.* De literis Epistolâ ad Cornelium XLII. *Exemplaria autem eadem nunc quoque per Mettium Hypodiaconum à me missum, & Nicephorum Acoluthum transmisi.* Quo etiam munere fungebantur Ecclesiæ Romanæ Acoluthi. Nemesianus in Epistola ad Cyprianum missa, Acoluthorum meminit *Lucani*, & *Maximi*, & *Amantii*, qui Confessoribus distribuerant quæ mandaverat Cyprianus. Eucharistiam etiam, Romæ ab Episcopo consecratam, ad Presbyteros deferebant, teste Innocentii ad Decentium Epistolâ: *Fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt.* Quem diu ante Innocentium morem in urbe viguisse, nobis est exploratum. Hinc magnus apud illam Ecclesiam Acoluthorum numerus, quia ex celeberrima, & in orbis capite constituta, nuntii mittebantur in varias regiones, & vicinas, & longinquas, ferendis & Epistolis, & eleemosynis, quæ pauperibus, & ad metalla damnatis erogabantur. Erant ergo tum temporis quasi *cursores* Ecclesiæ, sed absque *ordinatione* ulla, aut ceremonia tradendi *Ceroferarium cum cereo, & vacuum urceolum*, ab Archidiacono peracta.

Cart. 4. cap. 6.

Euseb. l. 6. cap. 9.

Socrat. lib. 7. c. 41.

ANNO DOM. 233.

Cypr. Ep. LXXVIII. 77.

ANNO U. C. 987. PER. JUL. 4947. JUL. 279. DOM. 234. ALEXANDRI 13. *Sol.* 19. E. *Lun.* 7. *Indict.* 12. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

ANNO DOM. 234.

COSS. *Maximus II. & Cælius Urbanus.*

De triumphali Alexandri anno.

Herodian. lib. 6.

I. DUm Antiochiæ laxatis bellorum curis moratur Alexander, literas ab Illyricis Procuratoribus accepit, quibus significabatur, Germanos, Rhenum Danubiumque transgressos, Romanos in fines hostiliter intrasse, oppugnareque jam exercitus ripis insidentes, perque urbes, & vicos magnis copiis excurrere. Quibus auditis, in Germaniam migrare constituit, urbe prius salutatâ, ad quam & triumphi causâ revocabatur. Hic Capitolinum inter, & Herodianum tanta pugna est, quanta potest esse maxima. Triumphum Alexandri nescit Herodianus, hujus ætatis Scriptor. Ex Oriente rectà Alexandrum deducit in Germaniam, omissâ Italiâ: *Confecto celeriter itinere, constitit ad Rheni ripas, atque ibi res ad bellum Germanicum necessarias comparabat.* Profundo hoc silentio de Alexandri triumpho, qui coætaneum Scriptorem latere vix potuit, mens quidem dubitationum pungitur aculeis. Contrà verò non sine pertinacia repugnari Capitolino posse videtur, qui quæ de Alexandri triumpho commemorat, in *Annalibus, & apud multos* se reperisse profitetur. Quòd si Capitolino fidem adjungimus, hunc triumpho Alexandri annum vindicamus, vel repugnante Pagio, cui triumphalis ille annus, Dionysianus est CCXXX. A qua sanè Chronologia multæ nos causæ revocant. Primùm enim adversâ fronte pugnat cum Herodiano, quem vir Clarissimus sectarium habet: *Triennio aut quadriennio, Barbari quiescentes, nequaquam arma resumpserunt. Quibus intellectis, Alexander Antiochiæ commorabatur.* Neque se vestigio Alexander Oriente antè movit, quàm nuntii adfuissent, ab Illyricis Procuratoribus de Germanorum tumultu. Præterea geminandæ forent Alexandri ex urbe in Orientem profectiones; altera ante bellum, altera post triumphum. Id quidem admittit Pagius: *Liquet Alexandrum, post triumphum Româ Antiochiam rediisse.* Sed nullo teste, ille post trium-

Herodian. lib. 6.

Pag. Crit. an. 230. n. 4.

ANNO DOM. 235.

ANNO U. C. 988. PER. JUL. 4948. JUL. 280. DOM. 235. MAXIMINI I. *Sol.* 20. E. *Lun.* 8. *Indict.* 13. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 4. P. 19. *April.*

COSS. *Severus & Quintianus.*

Mors Alexandri.

I. MAgnis itineribus in Germaniam contenderat Alexander, ut citius motui occurreret. Cum ibi seditiosas legiones comperisset, abjici eas præcepit. Verum Gallicanæ mentes, quæ duræ sunt, & sæpè Imperatoribus graves, Alexandri severitatem non ferentes, ad Maximinum adjiciunt animos, quem ob rei militaris peritiam, tyronibus universis Alexander præfecerat. Decreverunt igitur Alexandrum obtruncare, Maximinumque Augustum vocare. Venienti ad consueta exercitia purpuram circumdant, Imperatoremque salutant. Ille primò reniti, & abjicere purpuram, ut antem nudos à militibus gladios intentari vidit, oblatam dignitatem recepit. Tum ignarum rei Alexandrum opprimi jubet, ac ubi duplicatâ annonâ, & ingenti promisso donativo, eorum alacritatem provocavit, confestim ad Alexandri tabernaculum universos educit. Exterritus Alexander prosilit è tabernaculo, nunc Maximinum ingratum vocans, nunc tyrones accusans, qui neglecto Sacramento, id facinus auderent. Milites qui eum tuebantur, fausfis in præsens acclamationibus prosecuti, defensuros eum cunctis viribus affirmabant. Nocte exactâ, cùm Maximinum adesse nuntiaretur, in planitiem egressus arma capere milites imperabat. At etsi primò omnia pollicebantur, paulatim tamen alii aliò dilabebantur. Quidam etiam Prætorio Præfectum, atque Alexandri familiares, ad supplicium deposcebant, ortam ab illis defectionem causantes, alii Mammææ culpabantur avaritiam. Ut verò exercitus Maximini in conspectum venit, confestim universi ab Alexandro desciverunt, atque Maximinum consalutaverunt. Maximinus autem postquam eum exercitus universus Augustum appellavit, Tribuno & Centurionibus aliquot negotium dat, Alexandrum & amicos ejus occidendi. Illi impetu facto in Prætorium, ipsum cum matre, amicisque & honoratissimo quoque obtruncant. Periit Martii XIX. natus annos XXVI. menses V. dies XIX. Imperavit annos XIII. dies X. quæ causa est, 'cur anni XIV. imperii ejus ab Herodiano numerentur. Vico ubi occisus est *Sicilia* nomen, prope Moguntiam, qui Germanice *Sulingen* nuncupatur. Mortem ejus milites, qui vel ipsi ab eo exautorati fuerant, gravissimè tulerunt, autoresque cædis trucidarunt. Populus verò R. Senatusque omnis cum Provincialibus cunctis, neque tristius unquam, neque asperius acceperunt. Senatus eum in Deos retulit. Cenotaphium in Gallia, & Romæ sepulchrum amplissimum meruit. Dati sunt sodales Alexandri appellati, addita & festivitas, matris nomine, atque ipsius, quæ Constantino imperante religiosissimè celebrabatur, Kalendis Octobris, natali ejus die. Etsi Alexandri mores in severitatem propenderent, *incrementum* tamen imperium ejus vocatum est, quia Senatorum nulli mortem impetravit. Erat ipsius pulcherrima sententia: *Ego de Præfectorum, & Consulum, & Senatorum capitibus, mancipia are empta, judicare non patiar.* Laboravit ut suo nomine dignus videretur, & ut Macedonem Alexandrum vinceret. Dicebat etiam inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere. Alexandri imitatione fecerat Argyraspidas & Chrysoaspidas.

Lampr. cap. 64. Herodian. lib. 6.

Lampr. cap. 65.

Lampr. cap. 50.

Anni Maximini.

II. Irato Deo arripuit Imperium Maximinus, monstrum sanguine concretum, natum ad perniciem Reipublicæ, simul & Ecclesiæ. Obscuri humilesque Maximini ortus, annum ejus natalem nostræ notitiæ eripiunt. Erat è quodam Thraciæ vico, non *Thraciæ vicino*, ut perperàm habet Capitolinus, qui etiam sibi repugnat: *In Thracia, in vico ubi genitus fuerat, possessiones comparavit.* cap. V. Patri qui ex Gothis erat, *Micca* nomen, mater ex Alanis genita, *Ababa* vocabatur. Quæ nomina Maximinus primis temporibus prodidit, ubi verò ad imperium venit, occuli præcepit, ne utroque parente barbaro genitus Imperator esse videretur. Quin etiam ignobilitatis tegendæ causâ omnes conscios sui generis interemit: *Aquileæ, cùm annum ageret quintum supra sexagesimum, trucidatum fuisse*, Chronicum tradit Alexandrinum. Quo calculo, lucem hausisset anno CLXXII. Juniorem tamen credere par est, ex verbis Capitolini c. 3. *Hic adolescens, & Semibarbarus, & vix adhuc Latinæ linguæ*, ab Imperatore petit anno 203. ut sibi licentiam daret contendendi cum iis qui jam non mediocri loco starent. Sed ea res tanti non est, ut diutius nos detineat. De annis Augusteis quæstio momentosior, quæ & subdifficilis est, variante eruditorum Chronologiâ. Anno CCXXXVII. periisse Maximinos, statuunt Calvisius, Petavius, Onuphrius, alii. Quin etiam Clarissimus Dodwellus erroris Autores postulat, qui ante mensem Augustum, *Constituunt Natalem Maximini*, cujus ratio hæc est, *quòd Augusti tertio & decimo anni CCXXXV. Legem habeamus Alexandri Imperatoris, in Codice Justiniani.* Sed mendum in ea subscriptione extra dubium est, ut ex ea non satis rectè de Maximini imperii diuturnitate, pars aliqua detrahatur. Mendis affectas in Codice Justiniano subscriptiones plurimas, in Annalibus Cyprianicis eruditissimus ostendit Pearsonius anno Dom. CCL. p. 17. Sic Cod. l. 7. tit. 32. Decius legem sciscit Rufino missam, quæ data dicitur Decio A. V. & Grato Coss. Loco V. legendum II. Similiter Cod. l. 7. Tit. 57. Gordianus *Jucundo* rescriptum mittit XII. Kal. Febr. *Gordiano Augusto* V. *& Pompeiano Coss.* Atqui iterum Consul processerat Gordianus, cùm Pompeianum collegam habuit. Nos assentimur Eutropio, qui Maximinum *imperasse triennio, & paucis diebus* scripto prodidit. Ab eo non multum abest Eusebius in Historia: *Maximinus non plusquam triennii spatium perduravit.* Paucos quippe dies triennio additos omisit Eusebius. Multis verò rationibus fides affertur Eutropio. Vere novo, Maximinum obsidione cinxisse Aquileam, monuit nos Herodianus: *Anni tempore soluta vicinorum montium nives, quas longa hyems duraverat, maximum torrentem effecerant, sic ut nullo pacto transire exercitus posset.* Anni verò CCXXXVII. verna tempestas hæc esse non potuit, alioquin biennio solo, & paucis diebus Maximinus imperasset, quod ab omnibus Historicis abhorret. Victor: *Horum imperio ad biennium, per hujusmodi moras annus quæsitus.* Hieronymus in Chronico, pruchronismi quidem reus est, annum tamen

Capit. cap. 9.

Dodw. Dissert. Cypr. XI. n. 50.

Euseb. l. 6. cap. 28.

Herodian. lib. 8.

tamen imperii tertium evasisse Maximinum, scriptum reliquit, ab anno scilicet CCXXXIV. quo Moguntiaci tumultu militari Alexandrum occisum narrat, ad usque CCXXXVII. quo Maximinum à Pupieno interemptum prædicat. Præterea auditâ morte Maximini, Senatus dixit: *Præsentem annum Consulibus vos ornetis, in locum Maximini Gordianus sufficiatur.* Quæ anno CCXXXVIII. eo dicta esse liquet, quòd annum insequentem aperuerit Gordianus, eo Consulatu, qui Maximino destinabatur, secus annus CCXXXVIII. Gordianum Consulem habuisset. Insuper anno quo ludi Capitolini celebrabantur, periisse Maximinum invenimus in Herodiano atque Capitolino. *Paucis enim dies* Aquileæ commoratus, Maximus Pupienus Romam rediit, occisus est autem cum Balbino, quo tempore ludi Capitolini celebrabantur, qui ut Censorino constat, anno CCXXXVIII. editi sunt. Nostræ quoque Chronologiæ complures nummi favent à Pagio exhibiti, alter ex Occone, alter ex Gaza Medicea describitur, in quibus legitur: Maximinus Pius Aug. Germ. In postica: P. M. Tribunit. P. IIII. Cos. P. P. S. C. Quartam Maximinus Tribunitiam Potestatem inierat Martii XIX. anno CCXXXVIII. ac non multò pòst à militibus, unà cum filio occisus est. Gravissimus de Maximino error Suidæ est, qui Maximinum unum, ex duobus Imperatoribus Maximinis conflavit. Itaque Maximino nostro Alexandri successori tribuit, quòd intestina ejus ab inflammatione vehementissima corrumperentur, corpusque incendio flagraret, qui Maximino Daia, Constantini M. æmulo, infelix obitus fuit.

Capit. Max. c. 25.

Pag. Crit. an. 238. n. 3.

Maximini mores.

III. Maximinus erat magnitudine tantâ, ut octo pedes digito egrederetur, pollice ita vasto, ut *uxoris dextrocherio* uteretur pro annulo. In prima pueritia fuerat pastor, nonnunquam propugnator qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus vindicaret. Tantæ fuit roboris, ut rhedam onustam solus moveret: equo si pugnum dedisset, dentes solveret, si calcem, crura frangeret. Quomodo Severo natale Getæ celebranti innotuerit, suo est loco observatum. Imperante Caracallâ ordines duxit, ac sæpè famam factis extendens, inter plures militiæ gradus Centuriatus quoque strenuitatis suæ pretium tulit. Caracallæ interfectorem Macrinum maximo odio prosecutus, relictâ militiâ, in Thraciæ vico, ubi genitus fuerat, possessiones comparavit, ac semper cum Gothis commercia exercuit. Occiso Macrino, Heliogabalum adiit, qui cum eo turpissimè jocatus fuit: *Maximine* XV. XX. *&* XXX. *milites diceris aliquando lassasse, potes tricies cum muliere perficere.* Impuro dicto meritò indignatus, à militia discedere voluit, sed ab amicis Heliogabali retentus, Tribunatus honorem adeptus est, nunquam tamen ad mollem effeminatumque Imperatorem salutandi causâ venit. Ubi Alexandrum Principem esse comperit, Romam contendit. Venientem mira cum gratulatione accepit Alexander, ut etiam *ei latum clavum addiderit*, Tribunumque legionis quartæ dixerit, quam ex tyronibus ipse composuerat. Acceptâ legione, statim eam exercere cœpit, tantâ curâ adhibitâ, ut & arma militum & calceamenta ipse prospiceret. Quod cùm nonnulli reprehenderent, dicentes: *Quid tantum laboras, cum ejus loci jam sis, ut Ducatum possis accipere?* præclarè suis Censoribus respon-

Capit. c. 6.

Capit. c. 6.

derit, *Ego verò quò major fuero, tantò plus laborabo.* His rebus conspicuum universis tyronibus præfecit Alexander in suam perniciem. Eâ enim semper fuit astutiâ, ut milites non solùm virtute regeret, sed etiam præmiis sui amantissimos redderet. Sed virtutes ejusmodi immani sævitiâ contaminabat. Alios cruci donabat, alios animalibus nuper occisis includebat, alios feris objiciebat, alios fustibus elidebat, atque hæc omnia sine delectu dignitatis, unde Cyclopis, Busiridis, Scironis, Phalaris nomen sibi compararit. Senatus eum tantum timuit, ut vota in Templis publicè privatimque mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille unquam urbem videret.

Capit. c. 8.

Acta Maximini.

IV. Persuasum erat Maximino, *nisi crudelitate imperium teneri.* Quam ingenitam auxit sensus ignobilitatis suæ, quæ servorum contemptum moverat, ut ne vel à nobilium Procuratoribus videretur, & tales erga se credebat futuros, cùm jam imperaret: *Tantum valet conscientia degeneris animi.* Nobilem ergo circa se passus est neminem, prorsus ut Spartaci aut Athenionis Ducis non obscuræ famæ servorum, qui in Sicilia rebellaverant, exemplo imperaret. Sine delatore, sine defensione interimebat, bona auferebat, & plus quatuor millibus hominum occisis se satiare non potuit. Omnes Alexandri ministros variis modis interemit. Amicos Consiliariosque ejus à Senatu lectos abjecit, ac partim Romam dimisit, partim officio privavit. Cùm ita moratus, ferarum more viveret, immanior factus est, viri Consularis & patricii, cui Magno nomen, conjuratione. Placuerat cùm ponte juncto in Germanos transire Maximinus vellet, pons solveretur, occisoque tyranno, imperium Magnus arriperet. Tum Maximinus, nulli dato ad sui defendendi spatio, quoscunque suspectos habebat, repentè correptos, crudeliter interfecit. Fuit etiam alia conjuratio, deficientibus ab eo Osdroënis, ob amorem Alexandri, quem à Maximino occisum sibi persuaserant. Unum igitur ex suis, nomine *Tycum*, vel potius, ut habet Herodianus, *Quartinum*, quem Maximinus dimiserat, purpurâ ornatum, vel repugnantem Imperatorem creant. Tycus tamen inter dormiendum, ab uno ex amicis suis, nomine Macedonio interficitur, qui dolebat alium sibi esse præpositum. Defuncti caput ad Imperatorem affertur, qui offerenti primùm gratias egit, posteà tamen illum ut proditorem occidit. His peractis, magnâ vi militum, quos Alexander collegerat, secutus, ponte intrepidè transito, bellum Germanis intulit. Per trecenta, vel quadringenta millia Barbari soli vicos incendit, greges abegit, prædas sustulit, Barbarorum plurimos interemit, & nisi Germani per amnes, & paludes confugissent, Germaniam in Romanorum ditionem redegisset. Ipse manu suâ pugnabat, & paludem ingressus, circumventus ab hostibus fuisset, nisi equo inhærentem, sui liberassent. Stilo, qui Barbaro militi, quàm Imperatore dignior, de victoria Senatum monuit: *Non possumus tantum, P. C. loqui, quantum fecimus. . . Pervenissemus ad sylvas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.*

Capit. c. 9. 10.

Herodian. l. 7.

Capit. c. 12.

Persecutio Maximini, ejusque diuturnitas.

V. Quæ imperantibus Caracallâ, Macrino, Heliogabalo, Alexandro in Ecclesia floruerat pacem, Maximinus ereptam voluit. Qui in suos crudelissimus existimabatur, sanguine quoque Christianorum sævitiam explevit suam, ad id facinoris innatam provocante barbariem, odium,

quo

Euseb. l. 6. c. 28. quo flagrabat in Alexandrum: *Gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitatâ, solos Ecclesiæ Antistites, utpote Evangelicæ prædicationis autores, interfici jussit.* Commotum & præcipuè propter Origenem, testatur Orosius l. VII. c. 19. Gravissima quidem, non generalis tamen persecutio fuit, cujus flamma non Asiam corripuit. Hanc à Firmiliano vexationem indicari putamus: *Firmil. Epist. p. 147.* *Ante viginti & duos ferè annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem, multa istic conflictationes, & pressura acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis, terra etiam motus plurimi, & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam, & per Pontum, multa subruerent, quædam etiam civitates in profundum receptæ, dirupti soli hiatu devorarentur, ut ex hoc, persecutio quoque gravis adversum nos Christiani nominis fieret. Quæ post longam retrò ætatis pacem, repentè oborta, de inopinato, & insueto malo ad turbandum populum nostrum, terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra Provincia Præses, acerbus & dirus persecutor. In hac autem perturbatione, constitutis Fidelibus, & hùc atque illuc persecutionis metu fugientibus, & patrias suas relinquentibus, atque in alias partes regionum transeuntibus, erat enim transeundi facultas, eò quod persecutio illa non per totum mundum, sed localis fuisset.* Quâ vexatione Origenes, qui probè Mammææ notus fuerat, ad mortem cùm deposceretur, arreptâ fugâ, apud Julianam latuit. En hac persecutione lucrum fecimus, editâ tunc ab Origene exhortatione ad martyrium potentissimâ, quæ ad nos usque pervenit: *Devotissimo Ambrosio, & pijssimo Protocteto* opus nuncupatur, quòd uterque in ea persecutione non mediocre discrimen subierat. Presbyterum Cæsariensis Ecclesiæ agebat ille Protectus. Pulcherrima sunt verba Origenis ad Ambrosium: *Orig. Exh. 176.* *Optarim ego, etsi tanta possiderem in his terris, quanta tu possides, aut his etiam plura, Martyr fieri in Christo Deo, ut multò plura recipiam.* Ubi verò locorum agebant Protectus & Ambrosius, furente Maximino, docet Origenes in libro quem laudavimus p. 207. *Paulus equidem dicat, Si secundum hominem cum bestiis pugnavi Ephesi; nos verò dicamus, Si secundum hominem interemptus sum in Germania.* Ubi verò sita urbs hæc fuerit, pendemus animi, cùm viris eruditissimis, quibus assurgimus, Huetio atque Westenio ignoretur. Quanquam inclinet animus *Germaniceam, Euphratensia urbem*, significari. Meminit & hujus persecutionis Origenes, quæ Christianorum Ecclesiis non pepercit: *Orig. in Matth. hom. 28.* *Scimus autem & apud nos, terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas, ita ut qui erant impii extra fidem, causam terræ motus dicerent Christianos, propter quod, & persecutiones passæ sunt Ecclesiæ, & incensæ sunt.* Quibus verba Firmiliani non minimum illustrantur. Ea verò clades, de qua mentionem inseruit Origenes, Decianæ antecessisse persecutioni, eò liquet, quòd *Euseb. l. 6. c. 36.* *quinque & viginti in Matthæum volumina* ab Origene, imperante Philippo, confecta sint. De diuturnitate persecutionis assentiri *Dodw. Dissert. Cypr. XI. n. 49.* Dodwello non possumus, scribenti: *Hanc persecutionem omninò fuisse brevissimam.* Quippe biennio saltem perdurasse, testis est Origenis apud Julianam latitatio: *Pallad. Laus. c. 51.* *Quædam virgo, nomine Juliana, in Cæsariensi Cappadociæ civitate, studiis ac contemplationi deditissima esse, & fidelissima dicebatur. Quæ Origenem illum, qui multa conscripsit, Paganorum seditiones metuendo fugientem, per biennium totum suscepit atque celavit, propriis et sumptibus necessaria cuncta sufficiens, ac ministerio suo eundem recreans.* Ea quidem totius biennii latitatione apud Julianam opus non fuisset Origeni, nisi toto hoc tempore Clericos Maximiana tempestas agitasset. Neque clarissimus Dodwellus satis aptè colligit: *Quo tempore tuti erant Romani Episcopi ab omni persecutionis incommodo, remissam esse à Maximino persecutionem.* Occiso enim Vitaliano, qui Prætorianis militibus præerat, vis persecutionis in urbe defervuerat. Jubente Senatu interfectus est: *Capit. Gord. c. 10.* *Quòd se anteà crudeliter egerat, & tunc ejus magis immanitas timebatur, amica & familiaris moribus Maximini.* Periit verò Vitalianus, auditâ Gordianorum ad imperium evectione. Cujus sævissimi hominis, & digni Principe suo interitus, Clero in urbe constituto ex Senatus Populique in Maximinum odio, aliquid otii fecit. Hactenus Clerus Romanus vexatus esse videtur ad annum usque CCXXXVII. quo Gordiani Cæsares dicti, mortique missus Vitalianus; ut vel ex hoc criterio promptum sit, persecutionem *brevissimam* non fuisse. In Provinciis verò quæ Maximino obtemperabant, verisimile est, diutius perdurasse, ac Tyranni mortem vexationi huic finem imposuisse. Sic enim animus ejus constitutus fuit, ut naturâ suâ crudelissimum, seditiones magis efferarent. Has sanè persecutioni metas posuit Rufinus: *Ruf. l. 6. c. 19.* *Maximus numerus extitit Confessorum tribus annis, à Maximiano* (Maximino) *persecutione commotâ.*

De Martyribus, Maximino imperante trucidatis. VI. In ea verò persecutione nobiles & victimæ Maximino mactatæ sunt. Pontianus Romanus Episcopus primum in *nocivam Sardiniam*, hoc ipso anno relegatur, ut Bucherianus Pontificum habet indiculus, qui non immeritò *nocivam* epithetum Insulæ huic imponit:

Martial.

Nullo fata loco possis excludere, cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

In exilium quoque cum Pontiano agitur *Hippolytus* Presbyter, qui vitam expleveritne martyrio, nobis non liquet. In Bithynia, Maximini securès tinxisse S. Barbaram, Romanum tradit Martyrologium: *Nicomediæ passio S. Barbaræ virginis, & Martyris, quæ in persecutione Maximini, post diram carceris macerationem, lampadarum adustionem, mamillarum præcisionem, atque alia tormenta, gladio martyrium consummavit* IV. Decembris. At tamen id certaminis inivisse, imperante Maximiano, Ado testatur: *In Tuscia natale S. Barbaræ virginis & Martyris sub Maximiano Imperatore*, Decembris XVI. De die, & loco assentitur Adoni vetus Rosuedi Martyrologium, & Maximiano potius quàm Maximino, rerum Domino, periisse Barbaram, verosimilius, cùm in solos Clericos grassatus sit Maximini furor. Quorum tamen nomina injuriâ temporis deleta sunt Martyrologiis. Multos morti misisse Serenianum, dubium non faciunt animum alicujus verba Firmiliani: *Serenianus acerbus & dirus persecutor.* Alexandri à consiliis fuerat *Ælius Serenianus, omnium vir sanctissimus*, teste Lampridio capite ultimo. Hinc conjectura Baronio nascitur atque Casaubono, illum esse Firmiliani *Serenianum*. Consentiunt optimè quidem, & nomen, & tempora. Cogitent tamen eruditi, an non conjecturam infringat Herodianus: *Herodian. l. 7.* *Omnes confestim amicos Consiliariosque Alexandri, à Senatu lectos abjecit, partimque Romam*

manu dimisit, partim administrationem rerum cassatum officio privavit. Quibus nostrorum dubitatio subit animum, quòd Firmiliani Serenianus ab Ælio Sereniano discrepet, cujus consiliis usus fuerat Alexander, cùm non satis vero proximum videatur, viro qui fuerat Alexandro familiarissimus, & à consiliis, permitti à Maximino Ponti Præfecturam. Qua de re tamen ulli lites intendere nolumus.

Anterosnum obierit martyrio?

VII. Defuncto, quem fustibus mactatum dicunt, Pontiano successit Anteros, *ordinatus* XI. *Kalendas Decembris*, quem fata terris ostenderunt: *Anteros mense uno, diebus decem. Dormit* III. *Nonas Januarii Maximo & Africano Coss.* Itaque errore gravissimo libri Pontificalis afficitur Chronologia, quæ annos XII. mensem unum, dies XII. Antero vindicavit. Quem refellit & errorem Eusebius: Anteros *intra unius mensis spatium Sacerdotio perfunctus, Fabianum successorem reliquit.*

Euseb. l. 6. c. 29.

Non potuisset quidem Consulatu Maximini & Africani, diem morte conficere, si tot annos fecisset. Anteros *natione Græcus, ex patre Romulo natus*, dicitur & *martyrio coronatus* in Pontificali Damasi, cujus & sententiæ Romanum adhæret Martyrologium. Illud ipsum in veteri Rosuedi Martyrologio legitur: *Romæ Anteros Papa, & Martyris* 3. Januarii. Neque desunt aliorum ea de re Martyrologiorum testimonia. Quæ tamen, verè ut dicamus, fidem nondum à nobis impetrarunt. Quippe si Martyrem Eusebius Anterotem scivisset, illum ipsum non minus quàm Fabianum tanto titulo exornasset. Neque verba Indiculi Bucheriani, Anterotem Martyrem sonant, *dormit* III. *Nonas Januarii*, quæ siccam magis, quàm cruentam mortem indicant. Dixisset perinde atque de Fabiano, cui Anteros decesserat. *passus est tertio Januarii.* In Calendario quoque Romano locum Anteros habuisset suum Martyrum in depositione. Ipse quidem Ruinartus: *Nil*, inquit, *de ejus martyrio exploratum habemus.* Hoc addit de Anterote Pontificale Damasi: *Hic gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit.* Quod successori ejus Fabiano potius tribui debuit. De ea Anterotis Notariorum institutione, ne verbum quidem in Bucheriano indiculo, neque Pontificatus ejus brevitas gerendæ huic Provinciæ satis est idonea.

Anterotis decretalis subdita est.

VIII. Extat inter Decretales, Anteri Epistola ad Episcopos Provinciarum Beticæ & Toleranæ, de mutatione Episcoporum: Data est XII. *Kal. Aprilis, Maximiano & Africano viris clarissimis Coss.* Quo vel uno argumento subdita deprehenditur. Cùm enim *tertio Januarii* ad plures abierit Anteros, Martii XXI. Epistolam ad Hispaniæ Episcopos scribere non potuit. Falsa quoque & subdita habet: *Eusebius de quadam parva civitate, Apostolicá autoritate mutatus est Alexandriam, similiter Felix de civitate quâ ordinatus erat, electione civium translatus est Ephesum.* Id figmenti refellit Hieronymus, de Eusebio ex parva civitate Alexandriam translato: *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant.*

Hier. Epist. 85.

Impostoris ad impudentiam vix addi potest, qui totidem verbis, ex Hieronymi ad Heliodorum Epistola, hæc in suam transfudit: *Absit ut quidquam sinistrum de his loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes, ante judicii diem judicant.* Id solum discriminis intercedit, quòd Hieronymus habeat *per quos & nos*, cùm Pseudanterotem apud legatur, *per quos nos etiam.*

ANNO U. C. 989. PER. JUL. 4940. JUL. 281. DOM. 236. MAXIMINI 2. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 9. *Indict.* 41. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 10. *April.*

COSS. *Julius Verus Maximinus Augustus, & Julius Africanus.*

Maximinus Cæsar.

I. MAximino paterni nominis filius erat, matre genitus cujus nomen ignoratur. Si conjecturam eorum, qui Veteres nummos tractarunt, sequi placet, *Paulina* erit uxor Maximini, quam is mortuam consecravit. In nummis enim legitur *Diva Paulina.* Benè moratam fuisse, & miti benignoque animo constitutam, Ammianus indicat Marcellinus, qui comparatione Constantinæ uxoris Galli Cæsaris, cum Maximini conjuge institutâ hæc habet: *Abruptè mariti fortunas trudebat in exitium præceps, cum eum potius lenitate fœmineá, ad veritatis, humanitatisque viam reducere, utilia suadendo, deberet, ut in Gordianorum Actibus factitasse Maximini truculenti illius Imperatoris retulimus conjugem.*

Marcel. l. 14. c. 1.

Natus erat anno CCXVI. ut ex Capitolino colligimus: *anno vicesimo & primo periit in ipso flore juventutis.*

Capit. c. 1.

Miræ pulchritudinis fuit quam Fabilius, quo Doctore in Græcis usus est, suis in Epigrammatibus celebravit. Latina quoque Virgilii carmina hæc Græca fecit:

Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ
Extulit os sacrum cælo, tenebrasque resolvit:
Talis erat juvenis, patrio sub nomine clarus.

Ob nimiam pulchritudinem infamiam contraxit, spurcitiesque objecta, quæ tamen longè ab ejus vita absunt. Vestibus tam accuratus fuit, ut cum ipsis mulieribus mundicie certaret. Loricâ quæ ex auro tota erat utebatur, quod à Romanorum militia alienum erat. Vini parcissimus, & ad liberalitatem adeò propensus, ut amicis paternis immane quantum obsequeretur, quo donaret & largiretur. At modestia deficiebat juvenem, quem tantâ superbiâ incesserat, ut cùm pater ejus, utut crudelissimus, plerisque honoratis assurgeret, ille resideret: in salutationibus tam superbus, ut manum porrigeret, genua osculari sua pateretur, & nonnunquam etiam pedes, quod à patris moribus alienum: *Dii prohibeant*, inquit, *ut quisquam ingenuorum, pedibus meis osculum figat.* Adolescenti Alexander Imperator sororem matrimonio conjungere voluit, eaque de re Mammææ scripsit: *Mi mater, si Maximinus senior Dux noster, & quidem optimus, non aliquid in se barbarum contineret, jam ego Maximino juniori Theocliam tuam dedissem. Ipse adolescens, & pulcher, & Scholasticus, ad Græcas munditias eruditus esse videtur.* A patre Cæsarem creatum fuisse, est in confesso. Qua de re est Epistola:

Capit. c. 3.

Ego eùm propter affectum, quem pater filio debet, Maximinum meum Imperatorem appellari permisi, tum etiam ut populus R. & Senatus illo antiquus juraret, se nunquam pulchriorem Imperatorem habuisse. Nunquam tamen ad Augusteos honores ascendit, soloque Cæsaris titulo fulsit, ut constat inscriptionibus, quarum una legitur apud Forum Sebusianorum in Gallia, anno CCXXXVII. lapidi indita, uti liquet ex tertia Maximini Augusti Potestate Tribunitia, de qua mentio est:

Et

Et C. Jul. Vero Maximo Ger. M. Nobil. Cæs. Aug. N. Filio. Inscriptionibus consentiunt Historici: *Filius ejus pari nomine Caius Julius Maximinus Cæsar factus est.* Ipse Capitolinus, qui Maximinum Juniorem titulo donat Imperatoris, tradit tamen adolescentem à Patre *Cæsarem appellatum* cap. 22. Ut in suspicionem non immeritò eruditis veniant nummi Goltzii, in quibus Maximinus Junior *Augusti* nomen habet. Quo tempore Cæsar creatus est, non satis liquet. Anno proximo post relatam de Germanis Victoriam Cæsarem dictum fuisse, ea Capitolino (*Vid. de Cæs.*)

Cap. c. 3. facimus conjecturam: *Epistolam tradidi Patris Maximini jam fuit: Maximinum meum Imperatorem appellari permisi.* Proneptem Antonini desponsavit Juniam Fadillam, quam apud manserunt arrhæ regiæ, *monolinum* ex albis novem, Gallicè *un fil de perles*; reticulum de prasinis undecim, deatrocherium, cum copula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas, & omnes regias, cæteraque ornamenta sponsalium.

Capitol. Max. Jun. cap. 1. *Copulam* pro *costula*, quod habent exemplaria, aptius legi monent eruditi. Mors adolescentis prævenit nuptias.

Maximini victoriæ. II. Maximinus Augustus, ad labores belli impiger, ad pericula fortis, novis Germanos præliis fatigat, ex quibus semper victor rediit, non sine ingentibus spoliis, atque captivis. Quas

Capitol. cap. 13. Senatui victorias significavit: *Brevi tempore P. C. tot bella gessi, quot nemo Veterum. Tantum prædæ in Romanum solum attuli, quantum sperari non potuit. Tantum captivorum addaxi, ut vix sola Romana sufficiant.* Sua quoque facinora, maximis depicta imaginibus, ante Curiam publicavit, ut non tam audire, quæ gesta forent, quàm etiam subjicere oculis Romani possent. Instante hyeme in Pannoniam reversus est, ac Sirmii, quæ maxima ejus regionis civitas habe-

Herodian. l. 7. betur, in hybernis agens, ad vernam sese expeditionem comparavit.

Fabianus Papa. Ejus martyrium quando contigerit? III. Anteros Papa, cùm tertiâ die Januarii vitam morte commutasset, Fabianum successorem reliquit, qui præter omnium expectationem Pontificatum adipiscitur. De Episcopo elegendo in Ecclesiam populi convenerant, ac de Fabiano præsente, nemo ne tantisper quidem cogitabat, cùm columba quæ è sublimi, ut fertur, delapsa, capiti insidens, eo permovit populum, ut uno ore & consensu exclama-

Euseb. l. 6. c. 29. ret, Dignus est Fabianus. Quem statim comprehensum, Sacerdotali cathedræ imposuerunt. Fuit hæc solemnis acclamatio Episcoporum in electionibus. In Actis designationis Eradii apud Augustinum: *Dignus & justus est, dictum est vicies: benè meritus, benè dignus, dictum est quinquies.* Itaque cùm in sede Constantinopolitana Demophilus à Theodoro collocaretur, multi

Philostorg. l. 9. c. 10. ex populo, Non *dignus* acclamaverunt, sed *indignus.* Fabianum dicunt natione Romanum, Patre Fabio. De S. Martyris Episcopatu, Bucherianus Indiculus: *Fabianus*, inquit, *annos XIV. mensem unum, dies decem... Fuit temporibus Maximini, Gordiani, & Philippi. A Consulatu Maximini, & Africani, usque Decio II. & Grato. Passus est XII. Calendas Februarii.* Quæ tamen non cohærent, cùm Januarii tertio Anteros naturæ satisfecerit. Ut ergo supra annos quatuordecim, mensem unum, & dies decem vivendo Fabianus impleret, Januario mense perire non potuit. Ex die beati Martyris natali, cujus memoria multis celebrata monumentis, difficulter deleri potuit, ab ejus Pontificatu mensis est detrahendus, qui perperam & invasit Pontificale Damasi. Sic omnia limpidè fluent. Obiit Anteros Januarii tertio. Post octo dierum interpontificium, creatur Fabianus, Januarii XII. completisque annis XIV. anno decimo quinto Episcopatus sui, cujus dies decem delibarat, duodecimo Kal. Februarii anno CCL. morte mactari potuit. Turbat tamen Pontificale Damasi, *martyrio coronatur XIV. Kalend. Febr.* cui fidem astruit Calendarium Romanum de depositione Martyrum XIII. *Kal. Febr. Fabiani in Callisti, & Sebastiani in Catacumbas.* Quo die natale ejus celebrant & Martyrologia. Ut de die fatali ex utraque parte calculus moveatur, exploratumque sit, quod non semel observavimus, Chronologiam Pontificiam verum esse labyrinthum, adeò impeditum atque inextricabilem, ut nulla reperiatur Ariadne, quæ laborantibus veniat in auxilium. Quid certi habebimus, si de die pendemus animi quo Decianos gladios sanguine suo tinxit Fabianus? Has veterum monumentorum pugnas extingui posse Pagius opinatur. Si in Indiculo depositionis Martyrum, *diem mortis Fabiani*, in *Chronico* verò *Damasi*, *diem sepulturæ* significetur. Fallimur tamen, si verba Chronici & Indiculi id explicationis admittant. Quis unquam phrasi ejusmodi, *passus est XII. Kal. Februarii*, sepulturam indicavit? Vice versâ *depositio Martyrum*, sepulturam potius, quâ corpora humo conduntur, quàm mortem innuit. Cæterùm etsi dies Fabiani supremus sit in ambiguo, martyrium tamen est in confesso omnibus. Eò pertinet Epistola Cypriani ad *Romanum Clerum*, numero tertia: *Vobis plurimum gratulor, quòd ejus* (Fabiani) *memoriam tam celebri, & illustri testimonio prosequamini, ut per vos innotesceret nobis, quòd & vobis esset circa præpositi memoriam gloriosum, & nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum.* Deciana in persecutione *Fabianum Romæ martyrium pertulisse*, tradit Eusebius *l. 6. c. 39.* Id quoque scripto prodit Epiphanius, libro de Ponderibus n. 18. Ut ea de re dubii nil relinquatur in animo.

IV. Notarios à Fabiano, gestis Martyrum colligendis, in urbe fuisse constitutos, opinatur Pearsonius *ὁ πάνυ*, cujus conjecturæ sua est quidem probabilitas. De Fabiano Bucherianus Catalogus: *Hic regiones divisit Diaconibus.* Et in Pontificali: *Hic regiones divisit Diaconibus, & fecit septem Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent.* Itaque Fabiani successor Cornelius, *septem Subdiaconorum* meminit in sua ad Fabium Antiochenum Epistola. Ac sanè cùm Subdiaconi non Apostolicæ, sed Ecclesiasticæ sint institutionis, eorum ortus Fabiano non immeritò vindicatur, quorum ante Fabianum nulla quidem, post Fabianum verò mentio extat plurima. Romanæ civitatis æmula Carthago, de Subdiaconorum institutione Romana & disciplinam, imitatione videtur prosecuta. Nulla sanè ante Cyprianum, Subdiaconorum mentio Veterum in monumentis. De eo munere silet Tertullianus, dum causam habet illud memorandi: *Jus*, inquit, *dandi baptismum summus Sacerdos habet, de hinc etiam Presbyteri & Diaconi.* Hic subsistit, quia nondum exorti Subdiaconi, quorum ne vel semel nomen usurpat in officiis Ecclesiasticis recensendis. Apud Cyprianum verò, Tertul- *Subdiaconi & Notarii, à Fabiano instituti.* *Tertul. de Bapt. c.*

Anno Dom. 236.

liani discipulum, *Clementium invenimus Hypodiaconum.* Itaque acutissimis Blondelli oculis caligo offundebatur, dum negavit *anno* CCLI. *in Cleri Romani* Syntagmate Subdiaconos ullos reperiri, qui tamen extant Cornelii in Epistola. In Catholica Ecclesia sciebat Novatianus, *septem esse Diaconos, totidemque Subdiaconos.* Eadem & *Notariis*, atque Subdiaconis videntur esse incunabula. Cyprianus Fabiani coætaneus, de Martyribus hoc dat in mandatis: *Dies eorum quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum, inter memorias Martyrum, celebrare possimus.* Eo quippe seculo multum involuerunt festivitates ejusmodi, quarum initia à morte Polycarpi ducimus. Illarum meminit libro de Corona militis Tertullianus, et de illis & agitandis leges tulit Gregorius ille Thaumaturgus: *Omni regione perlustratâ additamentum, & quasi corollarium studii, erga numen divinum instituebat, apud omnes ubique populos sanciens, ut nomine eorum, qui pro fide decertassent, dies festi atque solemnes conventus celebrarentur. Cùmque alius in alium locum corpora Martyrum diduxissent, per anniversarium circuli ambitum congregati latabantur, in honorem Martyrum ferias agentes.* Solemnitatibus ejusmodi peragendis, constitutio Notariorum perquam fuit idonea. Notariorum verò id opus fuisse videtur, ut non dies modò, qui Martyribus mortem attulerant, sed ea quoque quæ & in carcere, & in tormentis ex ore Martyrum audiverant, scripto consignarent. Cui perficiendo, veloci calamo opus erat, & qualis Martiali describitur:

Cypr. Ep. 37.

Nyssen. Vit. Greg. Thaum. t.3. 574.

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Hanc Notariorum & institutionem Fabiano ascribit Epistola, quæ Sancti Pontificis nomine circumfertur: *Septem similiter Subdiaconos ordinavimus, qui septem Notariis imminerent, & gesta Martyrum veraciter in integro colligerent, nobisque rimanda manifestarent.*

Decretales Fabiani subditæ.

V. Jactantur Fabiani Epistolæ tres. Prima, *dilectissimis ubique Catholicæ Ecclesiæ Comministris* scripta, ostendit *qui non debeant admitti ad accusationem, & non esse communicandum excommunicatis.* Secunda, quæ dirigitur ad omnes Orientales Episcopos, duo capita complectitur. Primum, ut per annos singulos novum Chrisma conficiatur, & vetus incendatur. Secundum, de Episcopis non accusandis, ac obtrectationibus lacerandis. Tertia ad Hilarium scripta, articulos quinque continet. Primus, qui non debeant admitti ad accusationem. Secundus, de peregrinis judiciis. Tertius, de pulsatis. Quartus, si quis iratus crimen objecerit, vel objecta non probaverit. Quintus, si Episcopus accusatus sedem Apostolicam appellaverit. Harum decretalium nulla est legitima. Prima *data est Calendis Julii, Maximino & Africano, viris Clarissimis Coss.* Alter Consulum Maximinus est Augustus, quem verus Fabianus titulo viri clarissimi non affecisset. Ignoravit ergo impostor, Imperatorem annum aperuisse, quem Senatoris titulo non cohonestasset. Est etiam in ea Epistola non ferendus prochronismus: *Supervenit Novatus ex Africa, & separavit de Ecclesia Christi Novatianum.* Hoc suo indicio miser quasi sorex perit. Ab Ecclesia enim, Novato impulsore, sese non separavit Novatianus, nisi jam defuncto Fabiano. Cujus argumenti pondere oppressi Baronius atque Binnius, *Auctorem hujus Epistolæ Cornelium potius quàm Fabianum fuisse* profitentur. Cùm tamen Subdiaconorum mentio fiat in Epistola, *tutius & verius* Binnio videtur, *prædicta de Novato & Novatiano ab aliquo sciolo superaddita.* At non si Binnio, Decretaliumque patronis, lubeat mutare quadrata rotundis, atque fingere, à sciolo & addita esse de Novato & Novatiano, quæ continentur Epistola, & additam quoque subscriptionem, non ideò tamen effugiet, cùm ex Rufiniana Clementinæ ad Jacobum Epistolæ versione, periodi integræ desumantur, ut Epistolas inter se componenti est manifestum. Neque sincerior secunda, quæ dicitur Epistola Fabiani, utpote quæ testimoniis Augustini constet, atque Gregorii Magnii. Fraudem & apertè sonant verba hæc: *Statuimus ut si aliquis Clericorum suis Episcopis infestus fuerit, ut mox ante examinatum judicium, submotus à Clero, Curiæ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat.* Tertia quoque Epistola infanda est & subdititia: *Data est decimo septimo Calend. Novembris, Africano & Decio viris clarissimis Coss.* Qui Consulatus fictitius est, locisque compluribus ex Codice Theodosiano, Hilarii qui Leoni Magni successit Epistola 3. Gregorii l. VII. Epist. 54. componitur, ut à nostro Blondello accuratissimè demonstratur: cujus in ea re, & memoria, & diligentia non satis prædicari possunt.

Anno Dom. 236.

Ortus Pseudovatis.

VI. Dum Ponticas Serenianus Ecclesias persequitur, emersit istic subitò quædam mulier, *quæ in extasi constituta, Propheten se præferebat*, & quasi pleno Spiritu Sancto sic agebat: *Ita autem principalium Dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus sollicitaret, & deciperet fraternitatem, & mirabilia quædam, & portentosa perficiens, & facere se terram movere polliceretur. Non quòd Dæmoni tanta esset potestas, ut terram movere, aut elementum concutere jussu valeret, sed quòd nonnunquam spiritus nequam, sciens & intelligens terræ motum futurum, id se facturum esse simularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis & jactationibus subegerat mentes singulorum. . . . Hic & unum de Presbyterio, Rusticum, item & alium Diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiscerentur.* Tamen *Exorcista, inspiratus Dei gratiâ, fortiter restitit, & esse illum nequissimum Spiritum, qui prius Sanctus putabatur, ostendit.* Ausa fuerat ea mulier, *ut & invocatione non contemptibili sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet, & sacrificium Domino, sine sacramento solitæ prædicationis offerret, baptizaret quoque multos, usitata & legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur.* Hæc habet Firmiliani Epistola.

ANNO U. C. 990. OLYMP. 254. PER. JUL. 4950. JUL. 282. DOM. 237. MAXIMINI 3. *Sol.* 22. A. *Lun.* 10. *Indict.* 15. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 7. P. 2. *April.*

Anno Dom. 237.

COSS. *L. Ovinius Cornelianus & P. Titius Perpetuus.*

Occasio seditionis in Maximinum.

I. DUm ad Germanicam sese expeditionem Sirmii compararat Maximinus, minitans excisurum, subacturumque Oceano tenus Barbaras nationes, domesticum Romanis bellum avaritiâ ac crudelitate suâ infert sævissimus ille tyrannus. Omnis non modò libertas, sed in-

fligatio

ANNO DOM. 237.

ſtigatio etiam delatoribus permiſſa, ut qui pridie opulenti erant, cras ſtipem emendicare viderentur, obtentu largitionum in milites. Viri Conſulares, & triumphales, leviſſimâ calumniâ attacti, de improviſo corripiebantur, ac ſine ullis miniſteriis, vehiculis impoſiti, in Pannoniam adducebantur. Tum exilio, vel morte puniebantur. Poſtquam plurimas illuſtres ad inopiam familias redegit Maximinus, animum & ad publicas opes transferens, pecunias ad publicam annonam repoſitas, aut in plebem dividendas ſibi adjudicavit. Templorum etiam donaria, ſtatuaſque conflavit. Quæ res quaſi luctum publicum effecit. Non fuit crudelior in terris beſtia, omnia in viribus ponens, quaſi occidi non poſſet. Eo præſente tamen Mimus ea carmina Græcè dixit, quorum hæc eſt Latina ſententia:

Herodian. l. 7.

Et qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur:
Elephas grandis eſt, & occiditur:
Leo fortis eſt, & occiditur.

Capitol. c. 9.

Gordianus creatur Imperator.

II. Hiſce igitur momentis maxima fit in imperio mutatio. Fiſci Procurator in Libya, crudelitate ſuâ dignum ſe Maximino miniſtrum præbens, omnes fortunis ſuis ſpoliaverat, multos etiam interfecerat. Cùm nobilibus & Conſularibus viris minas intendiſſet, talibus exacerbati adoleſcentes nonnulli, damnatione circumventi, pecuniam quidem ſe daturos pollicentur, petito trium dierum ſpatio. At factâ conjuratione, omnes quos noverant, aliquid grave paſſos, vel metuere ne paterentur, in ſuam ſententiam pertrahunt, jubentque nocte, ex agris ſervos cum fuſtibus & ſecuribus adeſſe. Ubi dies illuxit, adoleſcentes miniſtrorum ſuorum grege comitati, reconditis intra ſinum pugionibus, adeunt Procuratorem, tanquam cum eo de ſolvendis pecuniis acturi, continuòque nihil tale ſuſpicantem interficiunt. Militibus defunctum ire ultum volentibus, repentè agreſtes cum ſecuribus occurrunt, fortiterque pugnando, omnes in fugam convertunt. Deſperatis rebus, juvenes unam ſibi reliquam ſalutem fore arbitrati, ſi perpetratum nuper facinus majore aliquo facinore cumularent, populos ad defectionem ſollicitant. Tum *Mauricius*, potens apud Afros Decurio, plebem in agro ſuo hortatur, ut Gordianum Proconſulem, filiumque ejus Legatum, quorum utrique Procurator mortem minitatus fuerat, ſublatâ de vexillis purpurâ, Imperatores dicerent. Mauricio acclamatum: *Æquum eſt, juſtum eſt, Gordiane Auguſte, Dii te ſervent. Feliciter, Imperator es, cum filio imperes.* His actis ad *Thyſdrum*, ubi Gordianus commorabatur, properè veniunt, ac cùm jam meridies adeſſet, domum Proconſulis petunt, qui Actibus rerum ſuſpenſis, jacebat in lecto. Proturbatis janitoribus, impetum in ædes faciunt, requieſcentem ſenem purpurâ induunt, atque Auguſtalibus honoribus ſalutant. Ille inſidias in ſe compoſitas ratus, obſecrat inſtantes, parcerent ſeni à quo nil injuriarum accepiſſent, fidemque Principi, ac benevolentiam ſervarent. Illis verò urgentibus, ac nudos manu gladios tenentibus, Gordianus vitando periculo, quod ſibi à Maximini furore imminebat, Imperatorem ſe appellari paſſus eſt, anno ætatis octuageſimo. Tum Maximini ſtatuæ dejiciuntur, nomen ejus eraditur, Gordianus apellatur *Africanus*, quòd de Scipionum ſanguine duceret originem. Poſt hæc Carthaginem ventum, cum pompa regali, igne, & faſcibus, laureatis urbem, quæ vel opibus,

Herodian. l. 7.

vel populi frequentiâ, vel magnitudine tantum Romæ concedens, cum Alexandria Ægyptiaca de ſecunda palma contendit. Gordiani filio imperium in exercitum creditur. Tum Gordianus delatores omnes ſupplicio affecit, iis qui parum juſto judicio damnati fuerant, iterum defendendi ſui poteſtatem indulſit, exules in patriam reſtituit. Miſſa quoque Romam legatio eſt, cum Gordianorum literis, quibus quæ in Africa geſta fuerant, ſignificabantur. Cùm ventum eſſet in Ædem Caſtorum VI. Kal. Junias, Junius Sillanus Conſul literas recitavit. Dicebat Gordianus: *Ego uſque ad Senatus judicium incertus & varius ſuſtinebo.* Tum ſtatim Senatus acclamavit: *Gordiane Auguſte, Dii te ſervent. Per te ſalva Republica, omnes tibi gratias agimus.* Item Conſul retulit, P. C. de Maximinis quid placet? Reſponſum eſt: *Hoſtes, hoſtes, qui eos occiderit, præmium merebitur.* Curavit etiam Gordianus, Vitalianum Præfectum Prætorio, Maximino chariſſimum, in urbe occidi. Mittitur Provinciæ Quæſtor, ad omne periculum ſuſcipiendum promptiſſimus & audaciſſimus adjunctis militibus nonnullis, qui remotis arbitris, de rebus ad ſecuritatem Imperatoris ſpectantibus, cum illo loqui ſimulantes, porrectis Epiſtolis, contemplantem eum ſigna diligentius, prolatis pugionibus confodiunt, nudoſque eos manibus præ ſe tenentes proſiliunt, omnibus loco cedentibus, qui id Maximini imperio factum eſſe putabant, cùm ſæpenumero chariſſimos ſibi immolaret.

ANNO DOM. 237.

Capitol. Maxim. c. 16.

Herodian. l. 7.

De Imperio Gordiani.

III. De anno quo Auguſti creati ſunt Gordiani, non minima quæſtio eſt. Nos à Calviſio, Petavio aliiſque compluribus diffidentes, qui anno proximo factam creationem eſſe putant, Capello potius, atque Pagio aſſentimur, anno currente Thyſdri dictos eſſe Imperatores, Aprilis circiter duodecimo. Sunt autem rationum momenta, quibus in eam Chronologiam impellimur. Primùm, ſi anno CCXXXVI. ad imperium evecti ſunt, inſequente periiſſet Maximinus, qui Gordianis biennio non ſuperfuit. Atqui non infirmis demonſtravimus argumentis, anno CCXXXVIII. occiſos eſſe Maximinos. Præterea biennium jam imperio potitus erat Maximinus, cùm Thyſdri purpuram Gordianus induit. Cùm Carthaginem veniſſet, inquit Vict. Epitome, *Ibi avertendis prodigiis, quorum motu haud inane angebatur, rem divinam ſolitus ageret, repentè hoſtia partum edidit. Id Aruſpices atque ipſe ita accepere, illum deſtinatum necis, liberis parturum imperium, progreſſiſque conjectu longius, liberi quoque exitum denuntiavere; mitem atque innoxium præſantes fore, ut illud pecus, nec diuturnum tamen ſubjectumque inſidiis.* Quid verò rei fuerint prodigia hæc, oſtendit Ecclipſis Solis magna, quæ accidit die XII. Aprilis, horâ quartâ poſt meridiem, obſervantibus Aſtronomis. His accedat, quòd Maii XXVII. lectæ ſunt Gordiani ad Senatum literæ: *Invitum me, P. C. juvenes, quibus Africa tuenda commiſſa eſt, ad imperium vocarunt, ſed intuitu veſtri neceſſitatem libens ſuſtineo.* Totum verò temporis ſpatium, quod à duodecimo circiter Aprilis, ad Maii uſque XXVII. extenditur, neceſſarium fuit, & creationi Gordiani, & afferendis literis, quibus electio hæc eſt Senatui ſignificata. Obſcuriſſima quoque eſt Gordianorum imperii diuturnitas: *Imperaverunt anno uno, menſibus ſex*, inquit Capitolinus, ſed longè

Capitol. Maxim. c. 16.

fallitur.

fallitur. Gordianus enim docente Herodiano, in *quadam imagine Principatus extinctus est*, quibus umbratilis Imperii diuturnitas indicatur. Prætereà Gordianorum necis nuncius Romam venit mense Julio. Tum *Senatus prætrepidus, in Ædem Concordiæ* VII. *Idus Julii concurrit, ludis Apollinaribus remedium contra furorem hominis improbissimi requirens.* Ludi verò Apollinares à Julii quinto, ad decimum usque tertium edebantur, ut non totum trimestre, Gordiani perdurasse imperium, in confesso esse debeat.

Capit. Balb. c. 1.

Gordiani mores.

IV. Gordianus antiquæ nobilitatis erat. Natus Patre Metio Marullo, Matre Ulpiâ Gordianâ. Originem paternam ex Gracchorum genere habuit, maternam ex Trajano Imperatore. Romæ ditissimus, Pompejanam domum possidebat. Puerulus, *Antoniniados*, hoc est, Antonini Pii, & Marci vitam, & bella, libris triginta, versibus elegantissimis descripserat. In Athenæo audientibus Imperatoribus declamaverat. Ædilitatis suæ tempore, per singulos menses, munera de suo exhibuerat. In Consulatibus tantæ claritudinis fuerat, ut ei Antoninus invideret, miratus & prætextas, & latum clavum, & Circenses ultra Imperatorium modum. Post Consulatum, Proconsul Africæ factus, lætante Alexandro, qui ex tanto viro Imperium in Africa suum firmum futurum esse existimabat. Qua de re scripsit ad Senatum, nil gratius sibi esse posse, quàm quòd Antonium Gordianum ad Africam misissent, *Virum nobilem, & magnanimum, disertum, justum, continentem & bonum.* Cùm edictum Imperatorium legisset, atque à Proconsulibus Scipionibus cœpisset, acclamatum est: *Novo Scipioni, vero Scipioni, Gordiano Proconsuli*, adeò Afris amabatur. Moribus erat moderatus, vini cibique parcissimus, cum Platone, Aristotele, Tullio, Virgilio semper agebat.

Capit. Gord. v. 6.

Gordiani Junioris mores.

V. Gordianus filius, ex Fabia Orestilla, Antonini pronepte genitus, formâ conspicuus, memoriæ singularis, bonitatis insignis fuit, adeò ut si quis in scholis puerorum verberaretur, ille lachrymas non teneret. Præceptorem habuit Serenum Sammonicum, Sammonici filium, à Caracalla interfecti. Doctori suo adeò charus, ut librorum ejus, qui ad duo & septuaginta millia censebantur, hæres relictus fuerit. Vini fuit cupidus, at longè mulierum cupidissimus, utpote qui duas & viginti concubinas habuerit, ut à multis sui temporis Priamus, & Priapus vocaretur. Civibus tamen, Reipublicæque consultationibus Legatus nunquam defuit. Anno CCXXXV. Patri Africæ in Proconsulatu datus est, servis, & omnibus suis charus. Id mirabile fertur de Gordianis, quòd Pater Augusti vultum sic repræsentaret, ut vocem, & staturam ejusdem ostentare videretur, filius Pompejo simillimus videretur, nepos Scipionis Asiatici faciem referret.

Capitol. Gord.

Num quatuor Gordiani? Nullum Gordianus ex filio nepotem Cæsarem habuit.

VI. De tertio Gordiano, senioris Gordiani in Africa Proconsulis ex filio nepote, nullum est in Historia Augustea, nullum in Herodiano vestigium. Extitit tamen vir eruditus, qui ex tenebris quartum nobis Gordianum excitavit, libro Gallico, cui titulus est: *L'histoire des quatre Gordiens, prouvée & illustrée par les medailles.* Contendit filio Gordiani Proconsulis natum fuisse, qui illo tempore Cæsar creatus est, quo Pater, avusque à Senatu Imperatores renuntiati sunt. Hanc opinionem umbrâ veri aliquâ septam, amplissimus Cuperus doctissimè refellit in sua trium Gordianorum Historia, & falsam quoque putamus. Profectò si qua fides historiæ, quartus ille Gordianus omninò expungi debet. Capitolinus in suo de *tribus* Gordianis ad Constantinum Augustum libro, quarti Gordiani ignarus est, prorsus atque insolens: *Gordiani, non ut quidam imperiti Scriptores loquuntur, duo, sed tres fuerunt, idque docente Arriano Scriptore Græca historia, docente item Dexippo, Græco Autore, potuerunt addiscere.* Ea quoque de quatuor Gordianis sententia decreto Senatus potentissimè opprimitur: *Diis faventibus, Gordianum Proconsulem, virum sanctissimum, & gravissimum Senatorem, Principem meruimus, Augustum appellavimus. Nec solùm illum, sed etiam in subsidium Reip. filium ejus Gordianum, nobilem juvenem.* Quod Senatus Consultum, cum Proconsulibus, Præsidibus, imò *vicis & castellis* Imperii missum fuerit, quis sibi fingat animo, tertium Gordianum fuisse prætermissum, si reverà senioris Gordiani Proconsulis ex filio nepos, à Patribus Cæsaris dignitate ornatus esset? 3°. Militaris concio Maximini hæc est: *Duos nobis Gordianos, quorum alter ita senio fractus est, ut non possit assurgere, alter ita luxurie perditus, ut debilitatem habeat pro senectute, Imperatores fecerunt.* Estne vero simile, de Gordiano, quem doctus ille Gallus Cæsarem à Senatu dictum fuisse putat, Maximinum in silentium descensurum, si id honoris à Patribus impetrasset. 4°. Cùm ambo Gordiani Augusti tristi morte perierint, Pater laqueo, filius gladio, quænam fuere quarti Gordiani fata, qui tum in Africa constitisse dicitur? Nonne aut fortunæ Maximini immolari, aut fugâ cruentis Capelliani gladiis eripi debuisset? Quorum neutrum factum invenimus. 5°. Si quatuor Gordiani in rerum natura fuere, duos igitur nepotes sui nominis Gordianus Proconsul habuit, alterum ex filio, alterum ex filia *Metia Faustina*, Junio Balbo Consulari viro nupta. Unum autem Gordiani Proconsulis nepotem novit Historia: *Affectus suos unicè dilexit, filium & nepotem, ultra morem.* 6°. Cordus Scriptor antiquus, Gordianum Proconsulis filium, legitimæ conjugis expertem fuisse prodit: *Cordus dixit, uxorem eum nunquam habere voluisse.* Neque id falsum, cùm gauderet concubinis, quæ duæ & viginti numerantur. Num à Cordo, eorum penè temporum Historico, cælibibus Junior ascribi Gordianus potuit, si filium ex uxore procreatum habuit, Cæsaris ad dignitatem evectum? 7°. In Senatu hæc à Consule dicta legimus: *P. C. Gordiani duo, pater & filius, ambo ex Coss. unus vester Proconsul, alter vester Legatus, Magno Afrorum Consilio Imperatores sunt appellati.* At si nepotem ex filio Gordianum habuisset in Africa, illi ipsi Afri, qui Gordianis Imperium detulerunt, eum simul Cæsaris dignitate induissent, ut patris avique animum ad purpuram capessendam magis inflammarent. Perpetuas igitur ad tenebras quartum Gordianum relegamus. Unum quod cum specie aliqua objici potest, ex verbis Senatus petitur: *Gordiani Augusti, Dii vos servent, ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani Præturam decernimus: nepoti Gordiani Consulatum spondemus: nepos Gordiani Cæsar appelletur.* Gordianus verò qui extinctis Balbino & Papiano rerum potitus est, post Gordianorum in Africa mortem, mense Julio Cæsar est appellatus, eo tempore quo Balbinus & Pupienus, Augusti sunt renuntiati.

Capit. Gord. c. 2.

Capit. Maxim. c. 25.

Capit. Maxim. c. 14.

Capit. Gord. c. 6.

Capit. Gord. c. 19.

Capit. Gord. c. 11.

Capit. Gord. c. 16.

Anno Dom. 237.

nuntiati. Verùm enimverò observari debuit, vora hæc Patrum fuisse, non decretum, quo Gordianus ex illa die titulo Cæsaris reverà donaretur. Itaque nulla Gordiani mentio Cæsaris in Senatusconsulto, quod imperii Præsidibus civitatibusque missum est. Neque consonum satis fuisset, ut Patres absque Gordianorum Augustorum notitia assensuve, ad dignitatem Cæsaream aliquem evehetent, non illæso Principatus fastigio. Gordianus igitur, cui titulum optant Cæsaris, non est ab illo diversus, qui postmodum avo & patruo extinctis, nomen Cæsaris accepit, cùm Balbinus & Pupienus summæ rerum impositi sunt.

Imperium abrogatur Maximino.

VII. *Tacito* Senatusconsulto post lectas à Consule Gordiani literas, Maximinus cum filio diris devotus fuerat, & Gordiani Principes appellati. *Tacitum* verò Senatusconsultum illud est, quod convocatis ad interiora Majoribus, ea disponit, quæ non sunt omnibus publicanda. Decreti tamen non ignarus fuit Maximinus, quod & Sabino urbis Præfecto notum fecit: *Senatusconsultum tacitum vestrorum illorum Principum legi, quod Præfectus urbis factum esse fortasse non nosti: nam nec interfuisti, cujus exemplum ad te misi, ut scires quomodo R. Rempublicam regeres.* Eo decreto Gordiani dicebantur Augusti, nepos Gordianus Cæsar designabatur, & Præturam accipiebat. Quod ubi accepit Maximinus, jaciebat se in parietes, arripiebat gladium, vestem discindebat, & nisi filius de medio recessisset, oculos ei eruisset, quòd nimio amore patris, in urbem quam petere jubebatur, ire neglexerat. Ac ut furoris oblivionem in animum induceret, vino se primo die obruit. Cæterùm ut facilius seditionem opprimeret, legationes Romam misit, abolitionem præteritorum spondentes. Vicit tamen Gordiani legatio, quæ bona omnia pollicebatur. Itaque viginti viros Senatus elegit, quibus divideret Italiæ regiones, contra Maximinum pro Gordiano tuendas. Præfectus urbis, acceptis actioribus Maximini literis, populo & militibus persuadet periisse Maximinum. Quo nuntio ad majorem lætitiam urbs excitatur. Tum dejiciuntur Maximini statuæ, victoriarum Germanicarum imago, quæ ante Curiam collocata fuerat, removetur, omnes Maximianæ tyrannidis faces, calumniatores, & Procuratores occiduntur jubente Senatu. Sabinus vir Consularis, urbi Præfectus, fuste necatus in publico relinquitur. Literas quoque Senatus mittit ad omnes Provincias, ut communi saluti libertatique subveniant, quibus pars Provinciarum maxima morem gessit. Ubique amici, Tribuni, milites Maximini occiduntur. Pauci tamen inventi sunt qui Legatos ad se missos interficerent, aut ad ipsum mitterent adhibitis custodibus, qui deinde omnes exquisitissimis à Maximino suppliciis interfecti sunt.

Capit. Maxim. c. 17.

Capit. Gord. c. 13.

Capit. Max. c. 15.

Herodian. l. 7.

Gordianorum obitus.

VIII. At Maximino præter spem res magnoperè successerunt. Capelliano ordinis Senatorii viro, veteres cum Gordiano inimicitiæ ex forensi quadam disceptatione intercesserant. Numidiæ Procuratorem agebat, cui adeptus imperium, abire & munere, & Provinciâ Gordianus jubet. Quâ re indignatus, coacto exercitu Carthaginem contendit. Carthaginenses verò Capelliano effunduntur obviam, quibus Ducem se Junior Gordianus præbuit. Sed facilis de rerum bellicarum imperitis Capelliano victoria, accedente & ingenti, quæ Africæ rara est, tempestate, quæ Gordiani exercitum ante pugnam ita dissipavit, ut milites minus idonei bello fierent. Tantus Carthaginensium numerus oppressus est, ut cùm diu corpus Gordiani quæreretur, non potuerit inveniri. Cladem ubi comperit Gordianus Senior, modicas vires suas, Maximini magnas, instantem Capellianum, ut vincula vitaret, laqueo vitam cum imperio finivit, quod tribus penè mensibus gesserat. Capellianus Carthaginem ingressus, præcipuum quemque ex iis qui pugnæ superfuerant, neci dedit, neque à Templis despoliandis, privatisque pecuniis diripiendis abstinuit: agros & vicos militibus concremandos tradidit, prætextu ulciscendi injurias Maximino factas: cæterùm clam animos militum sibi concilians, ut si cubi res à Maximino titubassent, ipse ad occupandum imperium benevolis militibus uteretur.

Anno Dom. 237.

Capit. Gord. cap. 16.

Herodian. lib. 7.

Maximus & Balbinus dicuntur Imperatores.

IX. Lætante animo Capelliani victoriam, Gordianorumque obitum audierat Maximinus. At Senatusconsultum aliud accipiens, quo Maximus & Balbinus creati fuerant Augusti, & Gordianus Cæsar appellatus, intellexit odia P. C. esse perpetua, & se verè hostem omnium judicio haberi. Quippe auditâ morte Gordianorum, Senatus in Templum Jovis Capitolini convenit. In Ædem Concordiæ venisse Patres narrat Capitolinus, in utrumque fortè concurrerunt, primùm in Concordiæ, deinde in Jovis Capitolini, quod in arce summa Templum præcipuæ venerationi habebatur. Ibi clausis foribus, qui primæ sententiæ Senator erat: *Agite*, inquit, *P. C. Principes dicite. Quid moramini? Neduum singulatim pertimescitis, in timore potius quam in virtute opprimamini.* Cum Maximus dicere sententiam cœpisset, duos Principes esse faciendos, Vectius Sabinus rogato Consule, ut sibi dicere liceret: *Ego*, inquit, *Principes dico, firmate, si placet, sin minus, meliores ostendite. Maximum igitur atque Balbinum, quorum unus in re militari tantus est, ut nobilitatem generis splendore virtutis allexerit, alter ita clarus nobilitate est, ut & morum lenitate Reip. sit necessarius.* Omnium conspiratione sententiæ Sabini consensum, acclamatumque: *Maxime, & Balbine, Augusti, Dii vos servent, quod vobis Senatus detulit, fortiter agite.* Creatio hæc facta VII. *Idus Julii, ludis Apollinaribus.* Sic enim purganda est error Capitolini: *Senatus in Ædem Concordiæ* VII. *Cal. Junii concurrit ludis Apollinaribus*, quia mense Julio ludi celebrabantur, ut docet Calendarium Romanum vetus apud Bucherium, incipiebant III. Non. desinebant III. Idus. Ut ne vel Casauboni emendationi loci aliquid relinquatur, *scribendum est* VII. *Kal. Julii.* Maximo & Balbino Augustis nuncupatis, rem divinam faciunt in Capitolio. Dum verò sacrificia perpetrantur, Populus Romanus, qui Maximi severitatem timebat, ejus imperio contradicit, Gordianumque Principem petit. Nec prius permissi sunt ad palatium stipati armis ire, quàm nepotem Gordiani Cæsaris nomine nuncuparent. Convocato ad rostra populo, cùm de sua electione orationem habuissent Maximus & Balbinus, qui aderant cum militibus, clamarunt, *Gordianum Cæsarem omnes rogamus*, qui statim raptus & inductus in Curiam, Cæsar est appellatus. De dignitate Cæsaris, verba Dionis sunt animo recondenda: *Cæsaris & Augusti*

Capitol. Max. c. 20.

Capit. Balb. c. 3.

Dio l. 53. 509.

Herodian. l. 7.

sti vocabula, nihil eis quidem potentiæ adjiciunt peculiaris, sed alterum successionem stirpis, alterum splendorem dignitatis significat. Itaque nil imperii titulus Cæsaris attulit Gordiano, etsi secus sentiat Pagius, quem & ab ea opinione revocare Herodianus debuit: *Cùm itaque Senatus Cæsarem Gordianum declarasset, quando adhùc per ætatem Rempublicam gerere non poterat.* Puerum domi ludibundum offenderunt, quem conspergente frondibus populo, in Capitolium pertulerunt, Cæsaris ut honorem acciperet.

De diuturnitate imperii Balbini & Maximi.

X. Maximi & Balbini imperii diuturnitas est inter historiæ obscurissima. In horum Augustorum vita Capitolinus cap. 15. *Imperarunt autem Maximus & Balbinus anno uno.* A se tamen ipso dissidet in Gordiano tertio cap. 22. *Cùm Maximus & Balbinus, militari seditione interempti essent, qui biennio imperaverant.* Non integrum tamen annum imperando contriverunt. Octavo Julii die Patrum consensu, Imperatores creati sunt. Anno verò CCXXXVIII. dum ludi Capitolini celebrabantur, à Prætorianis interficiuntur: *Cum ludi Capitolini celebrarentur, deditis festo & spectaculis omnium mentibus, repentè dissimulatum diu sensum milites indicarunt.* Quonam mense ludi Capitolini celebrarentur, non est satis exploratum. Integrum Petavius Catalogum Bucherianum edidit, in quo ad Martii XIII. legitur, *Jovi Cultori.* Eo tempore ludi illi agitati esse videntur. Qui vel Julio, vel Augusto occisos esse putant, viri eruditi non satis attenderunt ad ludos Capitolinos, qui in eos sanè menses non incidebant. Quod argumentum maximo esse loco debet, ne ad id usque temporis hoc imperii prorogetur. In Codice quidem l. 2. tit. 2. extat Lex Gordiani Augusti. *Nocturno* data VIII. *Novembris, Gordiano A. & Aviolâ Coss.* Chronicum quoque Alexandrinum Maximi & Balbini vitæ metas ponit ante mensem Julium, anni CCXXXVIII. *Imperavit Balbinus menses tres, & occisus est. Imperavit Publius dies centum, & interfectus est.* Quæ Epocha à morte Maximini ducitur. Est verò simile, mense Martio vertente ludos Capitolinos celebrari, quo tempore optimis & Imperatoribus vita eripitur. Quam & conjecturam firmat Pagius: *Gordianus septimum imperii annum attigit, quod ex nummo à Mediobarbo in Numismatis Imperatorum è Musæo suo producto, certum redditur. In eo legitur: Imp. Gordianus Pius Felix Aug. In Postica: P. M. Trib. P. VII. Coss. II. P. P. S. C.* Ut autem septimum imperii annum ingressus sit Gordianus, mense Aprili Augustus creari debuit. Est porro de Maximo & Balbino magna Capitolini incogitantia, quæ tyrones, vel doctos etiam incautos in errorem facilè ducit: *Tanta est autem Historicorum inter se certantium imperitia, vel usurpatio, ut multi eundem Maximum, quem Pupienum velint dici, cùm Herodianus vita sua temporum Scriptor, Maximum dicat, nos Pupienum.* Quippe ignoravit, Maximum, & Pupienum, unius ejusdemque Imperatoris esse nomina, quod ex nummis certum exploratumque est, in quibus vocatur, *Imperator Cæsar Pupien. Maximus Aug.* Balbinus verò appellatur in nummis, *D. Cælius Balbinus*, ut jam observatum Casaubono.

Herodian. l. 8.

Capit. Balb. c. 15.

Mores Maximi & Balbini.

XI. Maximo Pater fuit Maximus, ut ferunt nonnulli, faber ferrarius, ut alii, rhedarius, vehicularius fabricator. Matre verò *Primâ* genitus. Operam Grammatico, Rhetori non multam dedit, si quidem virtuti semper & militari severitati studuit. Vini & veneris parcissimus, domi forisque semper severus, ut & Tristis cognomen acciperet, non injustus tamen aut inhumanus: rogatus semper ignovit, nec iratus est, nisi ubi eum irasci debuit. Sumptu Pescenninæ Marcellæ, quæ illum loco filii suscepit & aluit, Præturam egit. Inde Proconsulatum Bithyniæ, deinceps Græciæ, tertiò Narbonæ. Præfectus orbis prudentissimus, & severissimus habitus est. Balbinus à Balbo Cornelio Theophane Mitylenæo, patriæ suæ nobilissimo, qui per Cn. Pompejum civitatem meruerat, ducebat originem. Eloquentiâ clarus, inter temporis sui poetas præcipuus, vini, cibi, veneris avidus, quas voluptates adjuvabat divitiarum copia. Asiam, Africam, Bithyniam, Galatiam, Pontum, Thracias, & Gallias administrarat; rebus quidem bellicis minor quàm civilibus; bonitate tamen suâ ingentem sibi amorem conciliaverat capit.

Seditio in urbe.

XII. Celebratis sacris, datisque ludis, & scenicis, & circensibus, nec non gladiatorio munere, Maximus susceptis votis in Capitolio, cum ingenti exercitu contra Maximinum mittitur. Provinciis & regionibus Præsides præficiuntur, annonæ ex agris in civitates colliguntur, ne quid hostis publicus inveniret. Intereà incidit urbi maxima calamitas. Duo ex militibus Maximini emeritæ jam ætatis, ad Curiæ fores accesserunt, exploratum quæ gererentur, ibique cum multitudine consistunt. Cæteris ante fores præstolantibus, duo tresve curiosiores audiendi, ultra aram Victoriæ penetrant. Tum Gallicanus, qui nuper Consulatum deposuerat, Mæcenasque Prætorius, milites nihil tale expectantes, repentè adactis in corda pugionibus interficiunt. Quo viso, cæteri commilitonum interitu expavefacti, inermes fugam arripiunt. At Gallicanus gladium sanguine stillantem ostendens, ad occidendos Maximini socios populum adhortatur. Quibus inducta plebs, milites lapidibus incessit. At Gallicanus jussis effringi publicis armamentariis, bellum civile suscitat. Omnes conferti & conglobati ad castra contendunt, portasque obsident; milites verò sagittarum ictu multitudinem repellebant. Defatigato populo, sauciisque gladiatoribus, regredi in urbem decernunt. Conspicati milites securitatem abeuntium, confestim in vulgus impetum faciunt. Gladiatores ad unum cædunt, magnam populi partem collidunt. Hinc Senatui populoque major indignatio. Juventus ergo in unum collecta, subitariis armis adornatur, & quotidie ad muros castrorum pugnabatur. Cùm oppugnatio parum procederet, visum Ducibus omnes intervertere rivos, qui in castra pervenirent, ut milites siti conficerent. Sed enim intellecto periculo milites erumpunt universi patentibus portis, ac post pugnam dum plebem persequuntur, longè intra urbem sunt progressi. Cùm verò lapidum & testarum jactu urgerentur, ignem januis illicò admovent, quo facto, bona pars urbis conflagravit, multique ex opulentis pauperes facti. Templa fœdata sunt, plateæ cruore pollutæ, neque Balbinus, qui in publicum processerat, manus singulis quibusque tenebat seditionem sedare potuit. Penè etiam ictum lapidis passus est, neque tumultus extinctus fuisset, nisi Gordianum Purpuratum ad populum longissimi hominis

Capit. Balb. c. 10.

Herodian l. 7.

collo

Anno Dom. 238.

collo superpositum produxisset. Quo viso, populus & milites usque adeò placati sunt, ut amore illius io concordiam redirent.

Capit. Balb. c. 9.

Anno U. C. 991. Per. Jul. 4951. Jul. 283. Dom. 238. Gordiani I. *Sol.* 23. G. *Lun.* 11. *Indict.* 1. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 1. *P.* 22. *April.*

Coss. *Pius & Pontianus.*

De hujus anni Coss.

Censor. cap. 21.

I. Multum difficultatis est inveniendis Consulum hujus anni nominibus. Censorinus, qui eo tempore de die oatali librum edidit suum, alio vocabulo *Pium* afficit: *Hic annus, cujus velutt Index & titulus quidam est, Ulpu & Pontiani Consulatur.* Ulpius quidem, non *Ulpianus*, ut Pagio scriptum. Censorinus Baronio, aliisque benè multis sectarius est. Scrupulum tamen alii Fasti movent. Bucherianus enim Indiculus *Pium* habet, & *Pontianum.* Legitur & in Cassiodoro *Pius*, cujus Collega dicitur Proculus, quæ nomina quoque reperiuntur in Fastis Heraclii. Quod verò Pagius aliique eruditi prædicant Theonis in Fastis *Pium* quoque reperiri, est verum quidem de anno CCXXXVII. quem referant *Pius & Cornelianus*, falsum verò de anno currente, quem Theonianis in Fastis aperiunt *Gordianus & Pontianus.* Cæterùm Pium retinendum esse, clarissimus docet Norisius, ex inscriptionibus, & Codice.

Quâ anni tempestate obsessa Aquilea.

Capit. Max. c. 18.

II. Anno proximo, Gordianorum defectionem furenti Maximinus audierat animo. Habitâ itaque militari concione, *Si viri estis*, dixerat, *eamus contra Senatum, & Afros, quorum omnia bona vos habebitis.* Quæ de tempore, quo Maximinus Aquileam obsidione cinxit, nos ducunt in angustias. Cùm enim de Gordianis ad Imperium evectis nuncium antè acceperit, quàm Maximus & Balbinus septimo Idus Julii, Augusti à Senatu dicerentur, ac ad eum ulciscendum festinaret, hinc conjectura ducitur, labente autumno anni præteriti muris Aquileæ exercitum admotum fuisse, quæ complurium & sententia est. Quæcunque tamen moræ causa fuerit, injectam quidem furenti Maximino monet Herodianus, qui vere novo factam scribit Aquileæ obsidiooem. Ac legationes à Maximino in urbem novimus esse missas, quæ præteritorum abolitionem spondebant, quarum successus expectare potuit. Capelliani quoque victoria festinos Maximini cursus inhibere potuit, quare *creatus* fuerat. Bello etiam impeditus, Africanæ seditionis nuntium accepisse videtur. Utpote qui anno CCXXXVII. in hybernis agens, ad vernam sese expeditionem compararat. Denique *tardius iter faciebat, ob vehicula, resque alias usui necessarias, qua undique importabantur.* Itaque non nisi vertente aono CCXXXVII. ad Alpes, quibus Italia clauditur, accedere potuit. Vere quidem, non autumno Aquilejam obsessam esse, hæc testantur Herodiani de fluvio, qui muros hujus urbis præterfluit: *Soluta montium nives, quas longa hyems duraverat, maximum torrentem effecerant.*

Herodian. l. 7.

Maximinus Aquileam obsidet.

III. Postquam hyems præcipitavit, Emonam Pannoniæ superioris urbem, in finibus ejus sitam, quâ in Noricum ibatur, & Italiam, pervenit Maximinus, cui exploratores narrant aufugisse omnes iocolas, templorum etiam ac domorum januis incendio corruptis, nihil aut jumentis, aut hominibus relictum. Quam rem imprimis gratam Maximino, milites indignè tulerunt, quòd fame laborarent. Ingens verò Alpes transiturum formido exercitum habuit, veritum summa juga, quæ superare nubes videbantur, jam ab hoste teneri. At absque ullo impedimento superatis Alpibus, ubi in planiciem descenderunt, nihil non sibi ex sententia cessurum Maximinus arbitrabatur. Lætanti tamen dolorem nuntius attulit: portas occlusisse Aquileam, urbem nobilem sanè & populosam; Pannoniorumque acies, quæ præiverant, frustrà murum oppugnasse. Civitati Duces erant, viri Consulares, lecti à Senatu, *Crispinus, ac Menophilus*, qui maximâ diligentiâ procuraveraot, ut necessaria quæque in urbem importarentur. His ita comparatis, Maximinus quem in exercitu Tribunum habebat, Aquileæ civem, cujus uxor, & nati in urbe concludebantur, unà cum Centurionibus Oratorem misit. Jubere communem Imperatorem, pacem depositis armis colere, sacrisque faciendis potius vacare quàm cædibus. Quibus populus penè consenserat, nisi vehementer Crispinus, & Menophilus obstitissent. Jactabant Deum Belenum per Aruspices respondisse, Maximinum esse vincendum. Quod numen unum idemque est cum Apolline, cujus etiam speciem pro Aquilea pugnantem, quidam è Maximini militibus visam sibi sæpè in cœlo affirmabant, ad levandam sanè infamiam tanti exercitus; ut scilicet à Diis potius, quàm ab hominibus victi viderentur. Infecto negotio, actus furore Maximinus, ad urbem accelerat. Fluvio verò *Natizone*, quem solutæ nives profundissimum effecerunt, transitu prohibitus, triduum in tentoriis deliberabundus permansit, quonam tandem pacto fluvium ponte jungeret. Quem enim pulcherrimum veteres Imperatores lapide quadrato construxerant, ruperant Aquileenses. Dum anxius hæret, fabri nuntiant, permultas in agris esse vacuas cuppas, quæ devinctæ inter sese, scapharum more erant innataturæ. Quâ ratione, milites in ulteriorem ripam transgressi, vites arboresque excidunt, suburbanisque ædificiis ignem admovent, quorum rudetibus Maximinus ad machinas utebatur.

Herodian. l. 8.

Maximini interficiuntur.

IV. Ingens autem oppugnationis vis fuit, obsessis sese fortiter defendentibus, qui sulfure, & flammâ milites petebant, quorum vel vestes incendebantur, vel oculi extinguebantur. Intereà Maximinus cum filio suo circuire muros, nunc milites, nunc oppidanos rogare. Verùm nil profecit: nam multa & in eum crudelitatis causâ, & in filium probra congesta sunt. Tantâ fide Aquileenses contra Maximinum pro Senatu fuerunt, ut funes de capillis mulierum fecerint, nervis ad sagittas emittendas deficientibus. Magnâ quoque rerum penuriâ laborantes Maximini milites, vix aquæ satis habebant, quam etiam pollutam sanguine, & cadaveribus de flumine hauriebant, in quod defunctos suos, qui humari non poterant, Aquileenses præcipitabant. Tot contumeliis irritatus Maximinus, cùm effundere in hostes iram non posset, plurimos è Ducibus suis, quasi parum strenuè pugnarent, supplicio affecit, quo sibi iratiorem militem reddidit. Dum igitur in tentorio quiescit, visum est militibus, quorum ad urbem Romanam, sub monte Albano castra erant, neci dare Maximinum. Sub medium ferè diem ad illius tentorium contendunt, conspirantibus unà corporis custodibus. Ibi postquam de signis militaribus illius ima-

Capit. Max. c. 7.

imaginem detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio ut ad eos loqueretur, continuò obtruncant, unàque Præfectum Prætorio Anulinum, & quoscunque charissimos ille habuerat. Maximinorum capita præfixa contis, ostenduntur Aquileensibus. Tanta in Juniore pulchritudo fuit, ut caput ejus jam nigrum, jam sordens defluente tabo, velut umbra pulcherrima videretur. Et cùm patris caput pilo circumferretur, & ex hoc ingens gaudium esset, propè par mœror erat, quòd & filii caput pariter portaretur. Projecta ad ludibrium eorum cadavera, canibus volucrisque lanianda relinquuntur, & postmodum in profluentem jacta. Missa Romam amborum capita, in campo Martio exultante simul & insultante populo exusta: *Filius anno vicesimo & primo periit in ipso flore juventutis*, Pater anno, ut videtur, LV. interfectus est.

Capit. Max. c. 6.

Acta Maximi.

V. Occiso tyranno sævissimo, milites ejus, depositis armis, ad Aquileæ muros accesserunt, petentes ut sibi portæ aperirentur, amicis jam qui pridie hostes fuissent. Crispinus verò & Menophilus haud passi, subjiciunt Maximi & Balbini, atque Gordiani imagines, coronis & lauro redimitas, sed & mercatum supra muros proponunt rerum omnium ad vitam necessariarum, ut manente sub muris exercitu, quæ cuique usui forent inde sumerent. Omnes ergo in Maximi & Balbini verba jurarunt, Gordianosque Divos appellarunt. Intereà equites qui Maximinorum capita Romam ferebant, Maximum in urbe Ravennæ invenerunt, delectos ex urbe & Italia milites contrahentem. Qui auditâ Maximinorum morte, peracto sacrificio Romam dimittit equites, capita occisorum laturos. Tanta laureatæ Maximi literæ urbem lætitiâ impleverunt, ut per omnes aras gratias agerent. Balbinus qui audito Maximini nomine, totus tremebat, Hecatumbem fecit, jussitque per omnes urbes supplicari sacrificio. Maximus verò Aquileam petit, à qua lubentissimè excipitur. Maximini quoque exercitus pacato habitu procedebat laureatus, ficta benevolentia ad fortunam principis accommodata. Dimissis in Provincias militibus Romam revertitur. Ingredientem Balbinus, Gordianus Senatusque, veluti triumphantes exceperunt. Maximo, Balbino, Gordiano statuæ cum elephantis decernuntur, currus triumphales & trophæa.

Capitol. Max. c. 24.

Maximus & Balbinus occiduntur.

Capitol. Balb. c. 13.

VI. Eo tempore floruit imperium. Imperatores leges optimas condebant, res bellicas pulcherrimè disponebant. Maximus in Persas, in Germanos Balbinus profectionem parabat. At brevis hæc lætitia fuit. Qui Maximinum Imperatorem dixerant, extinctum lugebant. Et quamvis Maximus magna militibus stipendia dedisset, *Animi militum semel imbuti odio, refrenari nequeunt*. Iram accendere Senatusconsulti verba hæc: *Sapienter electi Principes sic agunt; per imperitos electi Principes sic pereunt.* Quo dicto de militibus triumphare videbantur. Augebant prætereà eos Germani, quos in urbe secum Maximus retinuerat. Quærebant ergo occasionem, quâ datos sibi à Senatu Principes extinguerent, quam ipsis Maximus & Balbinus improvidi præbuerunt. Tacitæ Balbinum inter & Maximum erant discordiæ. Balbinus Maximum quasi ignobilem contemnebat, Maximus Balbinum, quasi debilem proculcabat. Sic occasio data militibus intelligentibus, *Facilè discordes Imperatores posse interfici*. Cùm itaque

Capit. Balb. c. 14.

ludi Capitolini celebrarentur, repentè dissimulatum milites odium indicant: Imperatoribus irruptione factâ superveniunt. Quo audito, Maximus accersere statim Germanos auxiliares statuerat, quod prohibuit Balbinus, dicens vocari, ut summâ rerum solus Maximus potiretur. Dum inter se disceptant, cùm irruentibus Prætorianis custodes cessissent, senem utrumque corripiunt, laceratis vestibus nudos ex aula abstrahunt, per irrisionem vocantes *Senatorios Imperatores*. Per urbem in castra deducebant, vivos cruciatibus afficere decreti. At ubi Germanos in auxilium concurrere nuntiatur, statim illos nullâ non parte corporis jam fœdatâ contrucidant. Germani cùm nollent irritum pro defunctis bellum suscipere, in sua diversoria revertuntur. Sic anno non integro, imperio defuncti optimi viri, qui à nefarii latronis scelere, consensu orbis Romani, servandam regendamque Remp. acceperant, indignâ morte perierunt, quam & Maximus subauguratus fuerat. Collegæ dixerat: *Quid tu Balbine, & ego merebimur, cùm hanc tam immanem belluam extinxerimus.* Cùm respondisset Balbinus, *Senatus populique Rom. ferventissimum amorem, & orbis terrarum*, dixisse fertur Maximus, *Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem.* Primo Aprilis die videntur extincti.

Herodian. l. 8.

Capit. Balb. c. 15.

Gordianus Augustus ne fuerit Maximi ante mortem?

VII. Prætoriani, relictis in viis Maximi & Balbini cadaveribus, tollentes in altum Gordianum Cæsarem, Imperatorem consalutarunt, identidem ad populum vociferantes, jacere ipsorum manu, quos populus ab initio recusaverat, electumque Gordianum, quem ipse populus Rom. ad imperium protulisset. Controversia est inter eruditos, vitam retinentibus Maximo & Balbino, Gordianus creatusne Augustus fuerit? Affirmat Petavius, qui falsi quoque dicam scribit Herodiano, quòd *post amborum cædem, ex Cæsare, Augustum esse factum* asseruerit, contendit itaque Maximo & Balbino vigentibus, Gordianum *primùm Cæsaris titulo, paulò pòst etiam Augusti adjunctum fuisse*. Neque dissimulandum, Petavio apertè favere Eutropium: *Posteà tres simul Augusti fuerunt, Pupienus, Balbinus, & Gordianus.* Sed & in Senatusconsulto, quod historiæ suæ Capitolinus inseruit, Augusteâ dignitate Gordianus afficitur: *Maxime Auguste tibi gratias, Balbine Auguste tibi gratias, tibi gratias Gordiane Auguste.* Est tamen creditu difficillimum, quam viventibus Maximo, & Balbino Gordianus dignitatem gesserat, Herodiano illius temporis Scriptore fuisse ignoratam, ac quæ omnia de ejus ad imperium à militibus evectione tradit, fabulosè fuisse narrata. Eadem quoque scripto prodidit Capitolinus: *Et cùm extinctis Maximinis, Maximus etiam, & Balbinus militari seditione interempti essent, Gordianus adolescens, qui Cæsar eatenus fuerat, à militibus & populo & Senatu, & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio & gratiâ Augustus est appellatus.* Quod igitur de Senatusconsulto Capitolinus habet, in quo acclamatum, *Tibi gratias Gordiane Auguste*, mendosam defendi non debet. Certè sibi pugnaret Capitolinus, quod ab eruditissimis Capitolini Commentatoribus. Casaubono, Salmasioque non fuit observatum. Neque Herodiano est anteponendus Eutropius, qui de Balbino & Maximo in manifesto peccato tenetur, quos dicit *obscurissimo genere*: cùm tamen Balbino non minimum nobilitatis esset. Argu-

Herodian. l. 8.

Capitol. Max. c. 25.

Capitol. Gord. c. 22.

Anno Dom. 238.

mento eſt, Gordianum Maximo & Balbino cum titulo Augusti adjunctum nno fuiſſe, quòd Maximini exercitus, *In Maximi & Balbini verba jurarunt, ac Gerdianos Principes, Divos appellarunt.*

Capitol. Maxim. c. 24.

Qindni quoque in Gordiani verba juratum, ſi honore Auguſteo fulſiſſet? Ex nummis ſententiæ quam tuemur, præſidium quærit Pagius anno CCXXXVIII. n. 7.

De annis Gordiani.

VIII. Gordianum tertium, Maximi & Balbini ſucceſſorem, vigeſimo Januarii editum fuiſſe, ex veteri Calendario Romano ſcimus, cujus hæc verba ſunt: XIII. Cal. Febr. *Natalis Gordiani*; Annum verò neſcimus, pugnantibus inter ſe Hiſtoricis. Annorum fere fuiſſe tredecim, cùm ab universa Auguſtus declaratus eſt Gordianus, tradit Herodianus. Alii verò aliter:

Capit. Gord. c. 22.

Gordianum parvulum annos agentem, ut plerique aſſerunt, undecim; ut nonnulli tredecim; ut Junius Cerdus dicit ſexdecim, petiverunt ut Cæſar appellaretur. Eò ſanè grandiuſculus quàm annorum XII. cùm imperium adiit, videri poteſt ex acclamationibus, quibus à Senatu Cæſar dictus eſt:

Capitol. Maxim. c. 16.

Nepoti Gordiani Præturam decernimus, nepoti Gordiani Conſulatum ſpondemus. Nepos Gordiani Cæſar appelletur. Tertius Gordianus Præturam accipiat. Hanccine dignitatem ſuſcepiſſet anno ætatis duodecimo? Quòd ſi annos agens ferè tredecim imperium adiit, periit igitur anno XIX. Cordus verò teſtatur, vitâ abiiſſe *anno vigeſimo ſecundo.* Victoris tamen Epitome habet: *Occiditur anno vitæ unde viceſimo*, quod & calculo Herodiani conſentit. Cui quoque favent hiſtoriæ circumſtantiæ complures; quod verbi gratiâ Balbinus tumultum ſedarit producto ad populum infante Gordiano purpurato, quem longiſſimi hominis collo ſuperpoſuerat. Sit igitur in dubio Gordiani natalis annus. Neque magis de parentibus ejus liquet. Conſtat quidem, Gordiano Auguſto fuiſſe nepotem. Incertum tamen, num ejus ex filia, aut filio qui in Africa periit. Magis tamen placet ex Gordiani filia ſuſceptum, quæ & complurium ſententia eſt, & præcipuè Herodiani, cui utpote coætaneo, fides potius adjungi debet:

Herodian. l. 7.

Erat puer quidam, infans adhùc ex Gordiani filia natus, nomen avi referens. Cordus quoque narrat, Gordianum ſecundum uxorem

Capitol. Gord. c. 19.

nunquam habuiſſe concubinis deditum. Patrem ergo habuit Junium Balbum, matrem Metiam Fauſtinam, ut diſcimus ex Capitolino, qui de ſenioris Gordiani liberis hæc commemorat:

Capitolin. Gord. c. 4.

Filios duos habuit, unum Conſularem qui cum ipſo Auguſtus appellatus eſt. . . & filiam Metiam Fauſtinam, quæ nupta eſt Junio Balbo Conſulari viro. Imperavit annos totos ſex. Teſtis Euſebius:

Euſeb. l. 6. c. 34.

Gordianus ſex totis annis Romanum imperium adminiſtravit. Aliud agebat Pagius inter ſcribendum: Oroſius l. VII. Gordianum *ſeptem annis in imperio manſiſſe* ſcripſit. Id narrat Oroſius c. 19.

Pag. Crit. An. 244. n. 2.

Gordianus vigeſimus tertius ab Auguſto Imperator creatus eſt, manſitque in eo annis ſex. Vero tamen proximum eſt, ſeptimum iniviſſe, ex nummo Mediobarbi quem exhibet Pagius: *Imperator Gordianus, Pius, Felix, Auguſtus.* In Poſtica: *P. M. Trib. P. VII. Coſ. II. P. P. S. C.* Anno CCXLIV. lex 6. de Collationibus data eſt à Gordiano VII. *Kal. Majs Peregrino & Æmiliano Coſſ.* Vertente Aprili, anno quem hi Coſſ. aperuerunt Gordianum interfectum fuiſſe fit probabiliſſimum. Cùm verò anno CCXXXVIII. Pio & Pontiano Coſſ. *Rogato* militi ſcripſerit X. Cal. Jul. ante id temporis initia Gordiani ſunt conſtituenda, ludis ſcilicet Capitolinis, qui *ſecunda Aprilis* anteceſſere.

Anno Dom. 238.

Gordiani mores.

IX. Gordianus fuit lætus, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in literis nobilis, prorſus ut nihil præter ætatem deeſſet imperio. Omnes milites Gordianum filium appellabant ſuum, à Senatu filius quoque dicebatur, populus

Capit. Gord. c. 31.

delicias ſuas Gordianum nuncupabant. Sapientia fuit in eo cum pietate conjuncta, utpote qui fretus optimi ſoceri Miſithei conſiliis, officia imperii, per Spadones ac miniſtros aulicos, matris, vel ignorantiâ, vel conniventiâ vendi noluerit. Indicium tamen non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quòd

Capit. Gord. c. 23.

Eclipſis Solis facta eſt, ut nox crederetur, neque ſine luminibus accenſis quidquam agi poſſet. Quæ de Eclipſi anni ſuperioris intelliguntur à Petavio atque Scaligero. Perperàm tamen, ſi quid in nobis eſt acuminis. Contigit hæc Eclipſis, obſervante Calviſio, *duodecimo Aprilis, horâ quartâ poſt meridiem.* Quo tempore, ne dictus quidem Cæſar erat Gordianus, cùm ludis Apollinaribus, ſeptimo Idus Julii celebratis, Maximus & Balbinus creati ſunt Auguſti. Sed & imperium Gordiani, à morte Maximi & Balbini numeratur, qui ludis Capitolinis percuſſi ſunt anno CCXXXVIII. editis. Indicavit ergo Capitolinus, eclipſim currentis anni, *Factam Romæ, die ſecundâ Aprilis, horis quatuor ante meridiem.* Hoc vidit & Pagius, at non attendit ad contradictionem in

Pag. Crit. An. 238. n. 5.

quam neceſſariò delabitur: *Ante Majs exitum*, & ludos Capitolinos editos, & Maximum, & Balbinum interfectos eſſe ſtatuit. Atqui ante Eclipſim occiſi ſunt, quæ contigit poſtquam Gordianus creatus fuit Auguſtus. Cùm igitur Eclipſis in ſecundam Aprilis inciderit, certum eſt & ludos Capitolinos, & mortem Maximi & Balbini, ſecundam Aprilis prævertiſſe, quam tamen ad menſem uſque Maium diſtulit Pagius.

Epochæ Cenſorini.

X. Memoriâ recondendum, celebriores temporum Epochas, currente anno, quaſi adamantinâ catenâ unâ fuiſſe à Cenſorino copulatas, ut lux præferretur Chronologiæ, & inſignium Epocharum tituli, incolumes ad nos & incorrupti, hoc ſequeſtre, & fidejuſſore pervenirent:

Cenſor. de die Nat. c. 21.

Hic annus, cujus velut index & titulus quidam eſt Ulpii & Pontiani Conſulatus, ab Olympiade prima, milleſimus eſt & quartus decimus, ex diebus duntaxat æſtivis, quibus agon Olympicus celebratur, à Roma autem condita nongenteſimus nonageſimus primus, & quidem ex Palilibus unde urbis anni numerantur. Eorum verò annorum, quibus Julianis nomen eſt, ducenteſimus octogeſimus tertius, ſed ex die Kal. Jan. unde Julius Cæſar, anni à ſe conſtituti fecit principium. At eorum qui vocantur anni Auguſtorum ducenteſimus ſexageſimus quintus, perinde ex Calendis Januariis, quamvis ante diem decimum ſextum Cal. Februarii Imperator Cæſar Divi filius, ſententiâ L. Munacii Planci à Senatu cæteriſque civibus, Auguſtus appellatus eſt, ſeptimum & M. Vipſanio Agrippâ Coſſ. Sed Ægyptii quòd biennio ante in poteſtatem ditionemque pop. Rom. venerunt, habent hunc Auguſtorum annum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum. Nam ut à noſtris, ita ab Ægyptiis, quidam anni in literas relati ſunt, ut quos Nabonazari nominant, quod à primo imperii ejus anno conſurgunt, quorum hic nongenteſimus octogeſimus ſextus eſt. Item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc uſque perducti, annos ſexaginta duos conſummant. Sed horum initia ſemper à

Anno Dom. 238.

primo die mensis ejus sumuntur, cui apud Ægyptios nomen est Thot, quique hoc anno fuit, ante diem septimum Kalend. Jul. cùm abhinc annos centum, Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præsente Coss. Romæ iidem dies fuerint ante diem duodecimum Kal. Aug. quo tempore solet canicula in Ægypto facere exortum. Quare scire etiam licet anni illius magni, qui ut supra dictum est, solaris, & canicularis dici annus vocatur, nunc agi vertentem annum centesimum. Hæc Censorinus, qui post Calendas Octobris hujus anni libellum edidit suum, ex insigni hac Epocha luce clarius est, Baronium annos Dionysianos antevertisse biennio, quorum in CCXL. tradit Censorinum librum suum absolvisse. Ludorum quoque Capitolinorum celebratione annus celebritatem habuit. Audiatur iterum Censorinus: *Annus idem magnus per Capitolinos Agonas, cœptus est diligentius servari, quorum Agonum primus a Domitiano institutus fuit, duodecimo ejus & Ser. Cornelii Dolabellæ Consulatu. Itaque hoc nunc anno, qui celebratus est Agon, undequadragesimus numeratur.*

Censor. c. 18.

De Censorino & Herodiano.

XI. Cæterùm Censorinus, ex quo insignem locum descripsimus, Q. Cærellio, *virtutis non minus quàm pecuniarum diviti, id est, vere diviti,* librum nuncupavit suum. Hunc magni fecit Sidonius Apollinaris Epistolâ ad Polemium, necnon Cassiodorus, lib. o de Musica. Censorino quoque eruditus Gallicæ de Cæsaribus historiæ Scriptor, de *indigetamentis* opus ascribit. Cujus à sententia nos revocant Censorini verba hæc: *Eundem esse Genium, & Larem, multi Veteres memoria prodiderunt, in quis etiam Granius Flaccus, in libro quem ad Cæsarem de indigitamentis scriptum reliquit.* Liber igitur de *indigitamentis*, Granii Flacci est, non Censorini. Currente quoque anno, historiæ suæ finem Herodianus imposuit. Libros octo complectitur, quibus sæpius usi fuimus. Incipit à Marci Aurelii excessu, & ad Gordiani tertii ad imperium evectionem opus perduxit suum: *Scriptoris hujus dictio clara est atque perspicua, quin & jucunda. . . . Ad hæc nec supervacuis tumet, neque necessarium quid omittit. Sed, ut uno verbo absolvam, omnibus Historiæ virtutibus, paucis sanè cedit.* Quòd de Herodiano est Photii judicium Cod. XCIX. Fuit & alius Herodianus, Alexandrinus Grammaticus, Apollonii Grammatici, cognomento *Difficilis*, filius; vixit sub Antonino Cæsare. De Grammatico mentionem fecit Suidas, sed Historicum omisit.

Censor. c. 3.

Anno Dom. 239.

ANNO U. C. 992. PER. JUL. 4952. JUL. 284. DOM. 239. GORDIANI 2. *Sol.* 24. F. *Lun.* 12. *Indict.* 2. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 2. *P.* 7. *April.*

COSS. *M. Anton. Gordianus Augustus & M. Acilius Aviola.*

Num hoc anno Babylas creatus Episcopus?

I. CUrrente anno, Babylam mortuo Zebenno, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum creatum fuisse, Baronio placuit. Citius tamen Pontificatum adiit, si vera Nicephori Chronologia: *Babylas, qui Decio imperante, martyrium passus est, annos* XIII. Obiisset igitur anno CCLI. qui & Decio mortem attulit. Jam verò anno vel CCXLIX. vel sequente, animam Deo reddidisse, innuit Eusebius. Narratâ enim Fabiani Papæ electione, subjicit, *Per id tempus, mortuo Zebinno, Antiochenorum Episcopo, subrogatus est Babylas.* Præterea Græco in Chronico, Demetrianus Antiochiæ creatur Episcopus anno CCLII. Demetrianum verò inter & Babylam Fabius collocatur. Eò igitur propendet animus, ut anno CCXXXVII. Antiochenæ Ecclesiæ Babylas præfectus sit. Repugnante vel Hieronymo, qui in Chronico, Babylæ mortem cum anno Dionysiano CCLI. copulat. Nostræ favet sententiæ Chronicum & Alexandrinum, dum Flavio, cui Heraclas decessit, tres annos ascribit: *Eodem tempore Babylas Antiochenus Antistes, curriculum martyrii absolvit, cujus vicem subiit Flavius, tertius decimus à Primo, qui item sedem per tres annos obtinuit.* Cui triennio nil loci relictum, si Babylas excessit Deciis Coss. Itaque sibi non constat Chronicum, dum in hunc Consulatum confert Babylæ martyrium. Fabius sanè Antiochenam administrabat Ecclesiam, cùm Cornelii de Novatiano accepit Epistolam, anno CCLI. scriptam.

Eusèb. l. 6. cap. 29.

Babylæ fortitudo.

II. Fortem constantemque Babylæ animum contra Philippi Imperatoris audaciam, Veterum monumenta prædicant. Babylam enim innuit Eusebius: *Fama est Episcopum, qui tunc Ecclesiæ præerat, non prius illi aditum permisisse, quam Confessionem scelerum fecisset, usque qui humanitùs lapsi erant, & in pœnitentium ordine stabant, sese adjunxisset. Quippe ob multa, quæ commiserat crimina, nunquam omnino ab Episcopo fuisset admissus, nisi prius id fecisset.* Hanc quidem narrationem scrupulos nobis injicere, dissimulare non possumus. Admissa tamen, Baronio non assentimur, *Hæc contigisse Romæ, sub Fabiano Papa.* Cujus sententiam refellit Leontius Antiochiæ Præsul, apud Chronicum Alex. *Decius hic S. Babylam non solùm ob Christi religionem interfecit, sed quòd ausus esset Philippi Imperatoris conjugem, & ipsum Philippum, ut Christianos ab aditu Templi arcere.* Sunt tamen qui hanc habuisse in animo constantiam dicant adversus Decium, vel Numerianum. Audiamus Philostorgium: *Quodam tempore, Numerianum Rom. Imperatorem, sive ut alii dicunt, Decium à Dæmone invecta cupiditas incessit ingrediendi in Ecclesiam Christianorum, cùm Populus ad eam frequentissimus convenisset. Verum Sacerdos Dei ad Ecclesiæ vestibulum stans, aditum ei interclusit, asserens non passurum se, quantum quidem in ipso erat, ut lupus in ovile irreperet. Imperator verò ab incœpto destitit, seu quòd seditionem reformidaret, seu ob aliam quampiam causam mutata sententia. Episcopum verò primùm quidem temeritatis accusavit, deinde Dæmonibus sacrificare jussit . . . Episcopus verò cum iis quæ ipsi proponebantur; forti & generoso animo restitisset, martyrii coronam adeptus est.*

Euseb. l. 6. cap. 34.

Bar. an. 246. n. 9.

Philostorg. lib. 7. c. 8.

Babylæ martyrium.

III. Martyrio vitam profudisse Babylam, imperante Decio constat, narrante Eusebio: *Apud Antiochiam Episcopo Babylâ post confessionem in vinculis mortuo, Fabius Ecclesiæ illi præficitur.* Babylæ mortem anno CCXLIX. affigimus. Porro Eusebianæ narrationis veritatem variis modis contaminavit fabulatorum audacia, fingentium foras ductum esse Babylam, ut ferro caput ejus meteretur: quibus immeritò fidem adjunxit Chrysostomus, vir cætera magnus. Hinc colores additi martyrio, quibus Lectores suum pascerent animum. Cùm ad mortem duceretur, cecinit, *Revertere anima mea ad tuam quietem, quia Dominus tibi benefecit. Ajunt etiam tres pueros fratres, iisdem parentibus procreatos, valde juvenes, qui ipsius consuetudine utebantur,*

Eusèb. l. 6. cap. 39.

&

ANNO DOM. 239.

& ipsos ab Imperatore simul abreptos fuisse. Cùm autem ne ipsi quidem immolare vellent, & ipsos capite plecti jussit. Quos postquam ad propositum supplicii locum venerunt, Babylas ante se posuit, & gladio priores admovit, ne quis ipsorum perterritus mortem detrectaret: *Dum autem ipsis capita præscinderentur, has protulit voces: Ecce ego & filioli, quos Deus mihi dedit. Deinde cervicem ipse gladio porrexit, & mandavit illis, qui cadaver ipsius collecturi erant, ut catenas & compedes secum sepelirent, ut, inquit, hæc mihi sint ornamento.* Ac mirum sanè est, Chrysostomum, quondam Ecclesiæ Antiochenæ Presbyterum, hoc fonte non leviter aspersum fuisse: Neque ex Eusebio deprehendisse, ea omnia quæ perfusa lepore patulis auribus excipiuntur, ad ostentationem Babylæ martyrii fuisse addita, cùm Sancto Episcopo intra carceris vincula mori contigerit. Festum Babylæ à Græcis die IV. Septembris, à Latinis XXIV. Januarii celebratur. S. Martyris reliquiæ jubente Juliano Imperatore, translatæ sunt anno CCCLXIII. ut Deo dante declarabimus.

Suidas 525.

ANNO DOM. 240.

ANNO U. C. 993. PER. JUL. 4953. JUL. 285. DOM. 240. GORDIANI 3. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 13. *Indict.* 3. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 29. *Mart.*

COSS. *Sabinus II. & Venustus.*

Seditio Afrorum in Gordianum.

I. CUm Gordiani adolescentia nonnullis esset contemptui, in juvenem Imperatorem seditio conflatur apud Africam. Mirum quòd illa regio, quæ Gordiano seniori dignitatem Augusteam attulerat, ejus nepoti abdicare voluerit. Factionis dux *Sabinianus*, quem Gordianus per Præsidem Mauritaniæ obsessum à conjuratis ita oppressit, ut ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent, & criminum veniam postularent.

Capit. Gord. c. 23.

Privatus Lambesitanus Hæreticus.

II. Hoc anno Privatum Lambesitanum à celeberrima Synodo Africana damnatum esse, eruditorum Chronologia. Cujus damnationis meminit Cyprianus, Epistolâ ad Cornelium LV. *Per Felicianum autem significavi tibi, frater, venisse Carthaginem Privatum veterem Hereticum, in Lambesitana colonia, ante multos ferè annos, ob multa gravia delicta, XC. Episcoporum sententiâ esse damnatum, Antecessorum etiam nostrorum, quod & vestram conscientiam non latet, Fabiani & Donati literis severissimè notatum.* Qui fuerint Hæretici hujus errores, juxta scimus cum ignarissimis. Et alienæ potius hæresis sectatorem, quàm novæ alicujus fontem fuisse probabilius existimamus. Privatus tamen quiescere non potuit, & communicatorias à Clero Romano literas extorquere conatus est, quam nos rem monuit Cleri R. ad Cyprianum Epistola, anno CCL. scripta: *Quòd autem pertinet ad Privatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nunciare voluisti. . . . Sed nos etiam ante literas tuas, fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum ante hac quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset vexillarius Privati Futurus, & fraudulenter literas à nobis elicere curaret, nec quis esset latuit, nec literas quas volebat accepit.*

Athenis & Beryti studueritne Gregorius Thaumaturgus?

III. Gregorii, qui miraculis suis *Thaumaturgi* nomen adeptus est, vitam ingredimur, quam temporibus dividere suis vellemus quidem, est tamen nostris viribus editius, cùm ad id perficiendum, nil ferè lucis nobis præferant monumenta Veterum. Fusam quidem de Gregorio orationem Nyssenus habuit, sed Chronologiæ securus, de anno ejus natali, parentum nominibus, tempore quo vir ille Sanctus Episcopatum adeptus est, ne minimo vel indicio patefecit. In ea exspatiatur, quorum multis fidem addicere non possumus. *Theodorus*, qui & *Gregorius* nuncupatur, natus est *Neocæsarea*, quæ *Ponticæ* regionis urbs nobilis est. *Neocæsarea Cappadocum natum* esse, *Cavius* tradit, repugnantibus & Nysseno, & Socrate, cujus hæc verba sunt: *Sciendum est, alium esse Ponticum Gregorium, qui ex urbe Ponti Neocæsarea oriundus.* In eam fortè Cavius sententiam descendit ob verba Hieronymi, *Theodorus de Cappadocia Berytum transiit.* Ponticum tamen fuisse extra dubium est. Patrem habuit, quem cultus numinum à Christi religione alienissimum reddiderat. Hunc mors abstulit, cùm filius annum XIV. ageret. Matri, quæ sola ex parentibus superstes Gregorii curam gerebat, placuit ut Rhetori commissus, eloquentiæ daret operam. Doctorum unus, quo ad perdiscendam linguam Latinam utebatur, cum legum non imperitus esset, autor Gregorio fuit, ut & Legum Romanarum sibi notitiam compararet. Mox ei injecta est occasio veniendi Cæsaream. Affinis ejus, qui sororem duxerat à Præside Palæstinæ abductus fuerat administrationis curas participaturus, Assessoris nomine. Is uxorem non multò post evocat, quam ad virum venturam, fratres Gregorius, Athenodorusque comitantur, eo consilio, ut Cæsareâ se Berytum conferrent, Romani Juris scholâ nobilem. Ex Cappadocia hanc civitatem petiisse Gregorium, tradit Hieronymus: *Theodorus*, inquit, *qui posteà Gregorius appellatus est, ob studia Græcarum, & Latinarum literarum de Cappadocia, Berytum, & inde Cæsaream Palæstinæ transiit, juncto sibi fratre Athenodoro.* Autore Hieronymo, Valesius, Cavius, aliique in eam descendere sententiam, quòd Beryti juri civili animum Gregorius admoverit. Addit & Cavius, *Athenis Berytum* venisse, neque id Socrati scriptum fuisse ignoramus. Vix tamen dubitamus, quin commentum sit ille Gregorii Berytum adventus. Constituerat quidem in animo Gregorius, addiscendis legibus, Berytensem in scholam proficisci. At invento apud Cæsaream Origene, consilium mutavit, & Cæsareæ remansit. Habemus regulam, quâ verane sit an falsa Gregorii Berytensis ea commoratio, sciri potest; orationem scilicet ejus panegyricam ad Origenem: *Divinus quidam via comes, & deductor bonus, atque custos, qui per totam hanc vitam nos custodit, tum alia prateriens, tum Berytum quam optare maximè putabamur, huc nos rectà perductos constituit*, Cæsaream videlicet, ubi Panegyricum Gregorius suum præsente Origene recitavit. Quod ex verbis quoque sequentibus planum est: *Principio ceu feras agrestes, aut pisces, aut aves, in retia vel sagenam illapsos, elabi, & fugere conantes, & secedere ab ipso, Berytum versus, aut in patriam cogitantes, constringere omninò ac retinere studuit.* Verba sunt ea de re Origenis, Philocaliæ c. 13. *Gaude in Deo, Domine mi Sanctissime, & multum venerabilis fili Gregori, ab Origene . . . Potest ingenium tuum Romanum te Jurisconsultum facere absolutissimum, & Græcum Philosophum ex iis Sectis, quæ præstantiores habentur. Ego verò omni ingenii & animi contentione te uti volebam,*

ANNO DOM. 240.

Socr. l. 4. cap. 27.

Gregor. Or. Pan. 58.

bam, quod finem attinet ad Christianismum, sed & qua ad effectionem. Cùm igitur Gregorii & Athenodori in animos Philosophiæ amorem instillasset Origenes, *Integro quinquennio in ejus auditorio versati sunt.* Unde verò id quinquennii peti debeat, est in obscuro. Circa annum CCXXXIV. Origenis curæ cum fratre Athenodoro se commisisse Gregorium, Cavius arbitratur, qui maximus error est. Quippe anno CCXXXV. interfecto Alexandro Imperatore, gravissima in Clerum à Maximino oritur persecutio; cujus vi pulsus Cæsareâ Origenes, crudelitatem tyranni timens, biennio in Ponto apud Julianam latitavit. Sunt ergo quinquennii hujus initia in eo tempore collocanda, quo relictâ Origenes Alexandriâ, Cæsaream se recepit. Quod & ab ipso Gregorio indicatur: *Sacrum verò hunc virum ab Ægypto, ab Alexandrinorum urbe, in qua domicilium prius habebat, in hunc locum, velut nobis occursurum, res alia trahebant, & transferebant.* Anno Dionysiano CCXXXI. id contigisse vero proximum, neque alio tempore ob Maximini persecutionem, Gregorii occursus & Origenis constitui potest. Sic *quinquiennio* audire de Schola Origenem apud Cæsaream Gregorius potuit, ab anno CCXXXI. scilicet ad usque CCXXXV. quod ratione annorum *integrum est quinquennium*, etsi primus & ultimus annis incompletis sint apponendi. Anno igitur CCXXXV. antequam Maximini procella Palæstinæ vexaret Ecclesias, præsente Origene in urbe Cæsarea, Gregorius in patriam discessurus, gratias Doctori suo publicas egit, recitatâ *oratione Panegyricâ.*

Euseb. l. 6. cap. 30.

Gregor. Paneg. 57.

Studueritne Alexandriæ Gregorius?

IV. In vita Gregorii Thaumaturgi, Nyssenus, qui de Berytensi commoratione ne verbum quidem ullum habet, profectionis Alexandrinæ meminit, miraculique in ea urbe à Gregorio patrati. Cùm ibi degeret, ad eum unà cum viris gravissimis de Philosophia disserentem accedit meretria, quæ debita mercede, se à Gregorio fraudatam querebatur. Tum ille ad familiarem quendam conversus, jubet numerari pecuniam, ne disserentes interturbaret. Ubi pecuniam accepit meretrix, diverso à voce humana sono ingemiscens collabitur, nec prius suffocari desiit, quàm Deo pro laborante Gregorius supplicasset. Percursis apud Alexandriam Philosophiæ disciplinis, ubi in patricium Cappadocem Firmilianum incidisset, unà cum eo venit ad Origenem, cujus fama ubique locorum percrebuerat. Hæc fusâ oratione prosequitur Nyssenus, in vita Gregorii Thaumaturgi p. 540. Hinc eruditis benè multis creditum, Gregorium Alexandriæ operam dedisse literis. Itaque vix temperat animis Baronius, quin negligentiæ, atque incuriæ Eusebium postulet, atque Hieronymum: *Miramur Eusebium atque Sanctum Hieronymum, non nisi de Gregorii profectione in Palæstinam mentionem facere.* At majori admiratione illustrissimus affici Purpuratus debuit de ipsius Gregorii silentio, quem apud nulla extat Alexandrinæ profectionis commemoratio. Imò in Charisteriis ad Origenem ea habet, quæ illam penitùs obruunt. Ponticâ Cæsareâ simul cum sorore, quam maritus ejus evocabat, in Palæstinam proficiscitur: *Statim ergo nescio quomodo nobis peregrinari quidem, sed aliò potius quàm ad hac loca pergere cogitantibus, miles adfuit, cum mandatis, ut sororem quidem ad virum venturam, nos verò cum illa, via socios deducere . . ., Domesticis ipsis & cognatis hortantibus, & non exiguum aliud opera pretium contendentibus, si ad Berytiorum urbem, legum illic studia pertractaturi veniremus.* Quin etiam solâ famâ Gregorio notus erat Origenes, cùm in eum apud Cæsaream incidit. Secus in ipsa Alexandria versanti sapientiæ Christianæ amorem injecisset, quod Cæsareæ factum extra dubium est, ipso monente Gregorio. Quæ igitur & de meretrice Alexandrinæ, quæ sese cum Gregorio consuescere simulavit, & numeratâ scorto pecuniâ, & Dæmone in fauces ejus involante narrantur, lepidæ sunt fabulæ, quæ fractis illabentis Alexandrinæ profectionis ruderibus obruuntur. Neque veris apponimus Firmiliani Gregoriique occursum, atque consilium, ut relicto omni externæ Philosophiæ studio, ad Origenem adirent. Id quippe non præteriisset Gregorius: neque ejus narrationi est consentaneum. Non enim Alexandriâ, sed Ponticâ Cæsareâ profectus, occurrit Origeni. Quòd si Nysseno creditur, post relictam Alexandriam obvius Firmiliano Gregorius fuit. Fingit etiam Nyssenus, Gregorium jam Philosophiæ Christianæ cupidum, docentem unà cum Firmiliano, Origenem convenisse. Cùm ipse Gregorius de se prædicet, injectum sibi ab Origene cælestis sapientiæ studium, dum ad Berytensem civitatem legum perdiscendarum studio proficisceretur. Ex Socrate Gregorianam Cavius Athenas profectionem hausit: *Cùm ex Atheniensium scholis discessisset juris civilis discendi causâ, Berytum profectus est.* Falso tamen rumore aspersum esse Socratem putamus, ut apparet & extat ex oratione Gregorii Panegyrica. De ea sanè Atheniensi profectione ne *μῦ* quidem in Gregorio, Eusebio, Nysseno, Hieronymo.

Bar. an. 233. n. 12.

Greg. Paneg. 57.

Socrat. l. 4. cap. 27.

Gregorius fit Episcopus. Expositio fidei ejus.

V. Ubi patriam Gregorius suam repetiit, seculo valedicens, inhæsit sapientiæ studio, quam solam sibi conjugem adjunxit. Ubi verò intellexit Phædimum Amasenensis Ecclesiæ Episcopum, velle ministerio Ecclesiastico ipsum præficere, aliam ad solitudinem transit. At Phædimus, etsi tridui spatio à Gregorio dirimeretur, *Loco manus impositionis et sermonem adhibet, Deo consecrans illum, qui corpore non adesset.* Miram sanè consecrationem, quam non satis intelligimus. Itaque Nyssenus novæ consecrationis meminit, quâ prior illa evertitur, cùm unius Episcopi una sit ordinatio: *Jugum subire coactus, omnibus post hac qua fieri solent, solemnibus, in eo peractis,* acquiescendum putavit. Creatur Cæsareæ Episcopus, anno ut videtur circiter CCXL. cùm urbem & regionem circumjacentem, non plures quàm septemdecim Christiani incolerent. Non prius tamen prædicationi operam dedit, quàm per quandam apparitionem sibi veritas revelaretur. Pervigilem igitur noctem agenti conspicuus est senex, sacrum præ se ferens decorem, qui sedatâ Gregorii perturbatione dixit, Se illi apparuisse, *ut pia fidei veritas revelaretur.* Ostendit & augustus ille senex figuram muliebrem, tantum luminis fundentem, ut nocte vel obscurâ tæda lucidissima videretur. Ille Joannes erat Evangelista, hæc Domini mater, quæ Joannem hortatur Gregorio aperire veritatis mysteria. Exposito sermone, subitò mirantis ex oculis evanuit, qui extemplò divinam illam institutionem literis mandavit. Summa hujus disciplinæ hæc est: *Trinitas perfecta, qua gloriâ, atque ater-*

Nyss. Vit. S. Greg. 544.

Nyssen. Vit. Greg. 546.

ANNO DOM. 240.

æternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur. Revelationis ejusmodi nobis est difficillima fides. Tanto nil opus miraculo fuit, ad indicandum Beatissimæ Trinitatis mysterium, quod oraculis Scripturæ diserté panditur. Neque Deo moris est, Sanctos e cœlo mittere, qui Scripturarum contenta consignent in animo. Diviti apud inferos agenti, rogantique ut quis è mortuis ad fratres abiret, responsum est: *Habent Mosem, & Prophetas, audiant eos.* Quin etiam, etsi magnâ visionum segete Gregorii seculum induerctur, animæ tamen Virginis & Joannis nondum è cœlo in terram migrare didicerant. Neque etiam miraculosæ revelationis hujus meminit Rufinus, dum de Gregorii, quem Martyrem vocat, fide mentionem inseruit. Verba sunt Rufini: *Catholicæ fidei expositionem breviter editam dereliquit.* Neque condonandum Eusebio esset, atque Hieronymo de Gregoriano Symbolo, quod egere silentium, si tanta pompâ, cælestique apparatu, ac memorat Nyssenus, patefactum fuisset atque revelatum.

Miracula Gregorii atque obitus.

VI. Gregorii multa feruntur miracula. De lacu quodam lis inter fratres erat, cujus dirimendæ Gregorio facultas datur. Cùm verò ad componendam inter se pacem frustrà eos hortatus fuisset, pridie ejus diei, quo prælium utrinque committendum erat, lacum in *vastam terram* precibus redegit suis. Aliud & miraculi narratur: Lycus fluvius, ex improviso aquis inundantibus, veluti naufragio in ædibus incolas opprimebat. Ab iis rogatus Gregorius, innixus baculo, locum petit ubi flumen ruptis aggeribus à suo cursu deflexerat. Tum invocato Christo, scipionem quem in manu tenebat, incorrupto ripæ loco defigit. Nec multo tempore pòst, baculus radicibus in ripa actis, arbor evasit, quæ pro inundationis meta posita est. Furente Decio, exemplo secedendi, autor Christianis factus, collem desertum occuparat. Fugientem immissi undique persecutores quærebant, ne locus evadendi esset. Investigantibus, tum ille, tum Diaconus ejus, veluti arbores subjiciebantur oculis. Digressis scrutatoribus, cùm substitisset index, atque in oratione ambos perseverantes offendisset, procumbens Gregorio ad pedes, fidem amplectitur. In vitam hominum pestis invaserat sævissima. Una periclitantibus salutis ratio fuit, si ædes languentium Gregorius ingrederetur, ac per preces morbum repelleret. Sunt ejusmodi multa apud Nyssenum, quibus Gregorius nomen Thaumaturgi adeptus est. Solo nutu atque imperio lapidem & movisse dicitur, ut Ethnicos ad Christi disciplinam adduceret. Fidem tamen à nobis non imperrat festiva Nysseni narratio. Nempe quòd Dæmoni, quem Templo suo expulerat, rogatus à Sacerdote, ut rursus in ædem suam exulem introduceret, in exiguo libri frustulo scripserit: *Gregorius Satanæ, Intra.* Quæ licentia vix absque peccato dari potuit, neque vel ad eam concedendam, missâ ad Diabolum Epistolâ opus fuit. Quod sanè mirum est scribendi genus, ac indignissimum viro Sancto commercium. Dum administrando gregi suo invigilat Gregorius, *Comana* urbs legationem ad eum mittit, ut apud eos, Episcopo designato, Ecclesiam constitueret. Cùm verò insignes viros, qui Episcopatus ad honorem veherentur Comanenses proferrent, Gregoriusque ipsos, ut viliorum quoque rationem haberent hortaretur, utpote qui splendore virtutis nonnunquam præstarent, nonnulli qui suffragiis ferendis præerant, pro contumelia sententiam ejusmodi ducentes, eligendum ergo Alexandrum carbonarium suggerunt. Alexander Philosophiæ deditus, nativam corporis sui pulchritudinem, atro carbonarii colore, quasi personâ velabat, pecuniamque quam suo labore sibi comparabat, ad mandatorum executionem dispensabat. Accitus Alexander, Gregorii vestibus indutus, observatis solemnibus creatur Episcopus, qui rogatus, ut initio suæ administrationis concionem haberet, talem quidem auditorum in aures effundit, quæ gravis esset & sententiarum plena. Cæterùm gregis sui in animos adeò influxit Gregorius, ut ad Templum ædificandum animum adjecerit, quod ad multos annos perduravit, & à terræ motu, qui Nysseni ætate plurima subruit ædificia, tutum fuit. Cùm porro nefandos in religionem errores induxisset Paulus Samosatenus, coactæ ea de causa Synodo Gregorius interfuit, anno CCLXIV. Anno verò sequente, ante secundæ adversus Paulum Antiochenæ Synodi celebrationem, ultimum obiisse diem, eò liquet, quòd nomen ejus non inveniatur inter Episcopos, qui nigro calculo impurum damnarunt Hæreticum; secundæ verò, non minus quàm primæ Synodo adfuisset, si vitam etiamnum retinuisset. Antequam excederet, scire voluit ecqui essent adhùc expertes fidei. Ubi cognovit non esse plures quàm XVII. qui in antiquo errore permansissent, gratias egit Deo, quòd totidem simulachrorum cultores successori relinqueret, quot ipse Christianos invenisset cùm Episcopatum adiit. Precatur etiam & iis, qui jam crediderant, pietatis incrementum, & Infidelibus, Dei notitiam. Denique necessarios obtestatur suos, ne peculiarem sibi locum sepulturæ compararent: *In sequenti seculo,* inquit, *fama prodatur, quod Gregorius ne vivens quidem ab aliquo loco cognominatus sit, & post mortem ne vel sepeliri in proprio loco sustinuerit.* Ita tandem ad Deum migrat anno CCLXV. Observetur in transcursu, virum illum sanctissimum morti proximum, saluti suæ non petivisse aut Eucharistiæ viaticum, aut unctionis extremæ subsidium.

Nyssen. Greg. Vit. 559.

Nyssen. 577.

Nyssen. Greg. Vit. 549.

ANNO DOM. 240.

Scriptorum Gregorii Chronotaxis.

VII. Non miraculis modò, sed scriptis quoque Gregorii nomen inclaruit. Primum opus ejus oratio est Charisteria, quam Cæsareæ habuit, de qua mentio est apud Hieronymum: *Theodorus proficiscens πανηγυρικὸν εὐχαριστίας scripsit Origeni, & convocatâ grandi frequentiâ, ipso quoque Origene præsente recitavit.* Conditam esse putamus anno CCXXXV. paulò ante Maximini persecutionem, quæ Origenem Cæsareâ pepulit. In hac oratione non Deo solùm & Origeni, sed Angelo quoque custodi gratias agit, quòd se ad Origenem deduxerit. Ejusmodi sententiæ fuit Gregorius, datum sibi à Deo custodem Angelum, qui ad extremum usque spiritum esset pædagogus. Quâ & opinione imbutum novimus Censorinum: *Genius autem ita nobis assiduus observator est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ comitetur.* Non in dubio tamen ponere debuit Gregorius Angelum, qui ab adolescentia Jacobum pavit, *Fuisse magni consilii Angelum, omnium Salvatorem.* Secundum *expositioni fidei* brevissimæ locum vindicamus,

Censor. de Die Nat. cap. 3.

Anno Dom. 240.

Nyssen. 545.

cimus, quam Episcopatus initio scripsit, si Nysseno fides: *Ac non prius prædicationem sermonis aggredi sustinuit, quam per quandam apparitionem ei veritas revelaretur.* Incredibile verò fit, nullam apud populum concionem habuisse, primo sui Episcopatus anno, contra morem Ecclesiæ atque militatem. Mystica igitur expositio hæc anno CCXL. videtur exarata. Num ascribenda sit Gregorio, movere scrupulum potest silentium Hieronymi, qui Gregorianis operibus illam non inseruit. At cùm & à Nysseno, & à Rufino vindicetur, recentiores ut prætereamus, faciles largimur esse Gregorii. Tempus Metaphrasis in Ecclesiasten juxta scimus cum ignarissimis. Epistola Canonica, quam Episcopo anonymo scripsit, anno CCLXII, confectam fuisse existimamus. In Asiam Gothi impetum fecerant: *Scytha autem, hoc est, pars Gothorum, Asiam vastabant.* Quæ Trebel. Pollionis verba sunt in vita Gallienorum c. 6. Quam à Barbaris immissam cladem memorat Epistolæ Canon V. in rapaces qui aliena detinebant conditus: *Ut quoniam Boradi & Gothi eis hostilia fecerunt, ipsi fiant alius Boradi & Gothi.* Boradi corrupta vox esse videtur, legendum *Boram*, Autore Zozimo, *Borani verò, & Gothi, & Carpi, & Vrugundi, nationum hæc nomina propter Istrum sedes habentium.* At cùm *Scytha, in Asia Romanorum Ducum virtute, vastati ad propria recessissent, Gallienus Romam rapido cursu convolavit, convocatisque Patribus, decennalia celebravit, novo genere ludorum.* Pulsis Barbaris, consultus Gregorius de iis qui Idolothyta ederant, aut corrupti à Gothis fuerant, responsa dedit anno CCLXII. quo Barbarorum recessu Asiæ regionibus factum est otium. Hæc sunt germana Thaumaturgi Gregorii Opera. Alia verò quæ celeberrimo nomine ornantur, cùm subdita sint, illorum tempora non investigamus. Gregorium absolvemus ubi observaverimus, apud omnes populos instituisse, ut nomine eorum qui pro fide certassent, solemnes conventus celebrarentur. Quippe animadverterat, causâ voluptatis vulgus superstitione detineri. Ut igitur à vanis istis animos ad Deum converteret, permisit ut in memoriam Martyrum sese oblectarent, ac in lætitiam effunderentur.

Zoz. l. 1. cap. 31.

Treb. Poll. Gall. c. 7.

Nyssen. 574.

De Nepote ejusque doctrina.

VIII. Anno circiter CCXLI. in Arsinoitica Præfectura floruit Episcopus, nomine *Nepos.* Vir erat Scripturæ studiosus, multos quoque hymnos pietate conditos scripserat, quibus Fideles maximè delectabantur. At pravâ Apocalypsis explicatione deceptus, *Nescio quod mille annorum spatium corporalibus referium deliciis in hac terra fore affirmavit.* Librum etiam de hac quæstione composuit, quem Allegoristarum confutationem inscripsit. In tantum invaluit ea Nepotis sententia, ut ansam daret litibus, integrarumque & Ecclesiarum defectionibus. Extincto Nepote, opinionis hujus patronum atque signiferum se *Coracio* præbuit. Cùm Nepotis in librum incidisset Dionysius Alex. illum, & vivâ voce, institutâ apud Arsinoiticam Præfecturam tridui disputatione publicâ, quâ convictus Coracio, & scripto confutavit editis libris duobus, quibus de Promissionibus nomen. Anno CCLXIII. tumultus ob Nepotis doctrinam exortos esse, tradit Baronius anno 264. Cujus in ea re Chronologia non nobis probatur. Porrò *Nepotis* mentionem injecisse videtur libellus Synodicus, à quo Nepotianus vocatur: *Synodus divina & Sancta Provincialis collecta Alexandria, ab eodem Dionysio, qua damnavit, & post mortem abdicavit, Nepotianum Episcopum Ægypti, & Cerinthum, tanquam asseverantes, eoque errori plurimos alios involventes, in terrena Hierusalem Christi esse regnum, & millenarium annorum docentes, & prætereà boum sacrificia, & ovium mactationes, tanquam legitimas exigentes.* De Synodo fides sit penes Autorem. Quod verò Nepotem scribit docuisse *cruenta boum sacrificia* in millenario regno esse perpetranda, à fide quàm longissimè abest.

Eusèb. l. 7. cap. 24.

Anno Dom. 240.

Lab. Concil. Coll. Max. t. 1. 831.

ANNO U. C. 994. OLYMP. 255. PER. JUL. 4954. JUL. 286. DOM. 241. GORDIANI 4. *Sol.* 26. C. *Lun.* 14. *Indict.* 4. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *April.*

Anno Dom. 241.

COSS. *Gordianus Augustus II. & Pompeianus.*

Gordiani nuptiæ.

I. ARma moventibus Persis, Gordianus antequam adversus eos proficisceretur, uxorem duxit, *Furiam Sabinillam Tranquillinam.* Filia Misitheo fuit, viro & doctissimo, & sapientissimo, quem Præfectum statim fecit. Consiliis soceri adjuto Gordiano, non puerile quidem, non contemptibile videbatur imperium, multaque perperàm facta sunt emendata. Qua de re extat soceri ad generum Epistolâ: *Domino filio & Augusto Misitheus socer & Præfectus. Evasisse nos gravem temporum maculam, quâ per spadones, & per illos qui amici tibi videbantur, erant autem vehementes inimici, omnia vendebantur, voluptati nobis est, & eò magis, quò tibi gratior emendatio est: ut si qua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet, fili mi venerabilis.* Cui Gordianus respondit: Imperator Gordianus Augustus, Misitheo patri & Præfecto: *Nisi Dii omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos spadones, velut in hasta positi venderemur. . . . Ni pater, verum audias velim, miser est Imperator, apud quem vera reticentur.* Gratiâ quâ apud Gordianum pollebat, cùm Maurus abuteretur, omnia vendebat, consilio cum Gaudiano, Reverendo, & Montano habito. Ac illorum consensu quasi testium quod dixerat, vel laudando, vel vituperando Gordianus approbabat. Ingens hoc anno terræ motus civitates & populos obruit, ob quæ sacrificia per urbem orbemque terrarum celebrata sunt. Eò spectasse Origenem, dum scribit adversus Celsum, calumniatores motuum quibus res agitantur Romanæ, causas in Christianos contulisse, quòd non impugnarentur à Principibus, existimatum Baronio, anno 243. n. 2. Quam laudare conjecturam non possumus, cùm ab Eusebio didicerimus, Origenem sexagenario majorem, libros adversus Celsum composuisse, jam Imperante Philippo anno CCXLV.

Capitol. Gord. cap. 25.

Pseudo martyrium Helconidis.

Bar. an. 243. n. 4.

II. Annum Martyrum sanguine imbutum fuisse, sibi persuasit Baronius, & Lectoribus persuasum esse voluit: *His temporibus*, inquit, *accidisse putamus nobile illud Helconidis Corinthia martyrium.* Natale *Helconidis* Maii XXVIII. celebratur: *Corinthi S. Helconidis Martyris, quæ primùm Gordiano Imperatore sub Perennio Præside, multis tormentis afflicta, deinde sub Justino ejus successore iterum cruciata, sed ab Angelo liberata, demum dissectis mammis, ferisque objecta atque*

igne

ANNO DOM. 242.

igne probata, capitis obtruncatione martyrium complevit. Hanc Græcorum figmentis Martyrem debemus, non veritati. Extincto Maximino, nil persecutionis in Christianos motum, ad usque Decii tempora, nisi apud Alexandriam, non judicum quidem edicto, sed furore populi, anno CCXLVIII. Itaque Veterum in monumentis nulla Martyris Heliconidis mentio.

ANNO U. C. 995. PER. JUL. 4955. JUL. 287. DOM. 242. GORDIANI 5. *Sol.* 27. B. *Lun.* 15. *Indict.* 5. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 6. P. 3. *April.*

COSS. *Vettius Atticus & C. Asinius Prætextatus.*

Gordiani de Persis victoriæ.

I. PRofecturus in Persas Gordianus, more Veterum portas Jani patentes fecit. Gravissimum hoc vel in Italia bellum timebatur. Artaxerxes Saporem ut regni, sic & ambitionis successorem reliquerat. Jam Persarum sub ditione erat Antiochia. Apparatu ingenti belli, auro, militibus, Gordianus occurrit. Facto per Mœsiam itinere, quidquid in Thracia hostium fuit, delevit, fugavit, expulit. Inde Antiochiam venit, quæ à Persis jam tenebatur. Illic frequentibus prœliis pugnavit, vicit, Saporem submovit, Antiochiam recepit, Carras, Nisibin, quæ sub Imperio Persarum erant. Ac tanto Gordiani metu correptus Sapor fuit, ut cùm suis copiis instructus esset, Romanorum tamen civitatibus præsidia spontè deduceret, easque integras civibus suis redderet, nullâ fortunarum direptione factâ. Victoriarum Gordianus suarum laudem socero contribuit. Qua de re scripsit ad Senatum: *Si Dii faverint, Ctesiphonta usque veniemus. Valeat tantum Misitheus Præfectus, & parens noster, cujus ductu hæc transegimus, & reliqua transigemus. Vestrum est igitur, supplicationes decernere, nos Diis commendare, Misitheo gratias agere.* His in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, ut Persarum victor, triumphum & Persicum ageret. Misitheo quadriga equorum, & triumphalis currus decernitur, nec non titulus hujusmodi: *Misitheo eminenti viro, parenti Principum, Prætorii Præfecto, Tutori Reip. S. P. Q. R. vicem reddidit.*

Capit. Gord. c. 27.

ANNO DOM. 243.

ANNO U. C. 996. PER. JUL. 4956. JUL. 288. DOM. 243. GORDIANI 6. *Sol.* 28. A. *Lun.* 16. *Indict.* 6. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *Mart.*

COSS. *Arianus & Papus.*

Mors Misithei: ejus laudes.

I. GRavem Gordiano calamitatem attulit mors Misithei, cujus consiliis stabat imperium. Alvi effusione laborabat, atque à medicis sistendi ventris gratiâ poculum jussus accipere, mutatis quæ parata erant, id bibit, quo magis solveretur. Atque ita extinguitur, Philippi, ut plerique dicunt, artibus. Honestam Misithei vitam moriens testamentum exornat. Hærede Populo R. relicto, ut quidquid ejus fuerat, urbis vectigalibus accederet. Merito suo diligebatur ab omnibus, quòd & Rempublicam amaret, & Principem. Tantum ad Imperii utilitatem prudentiæ impertiit, ut nulla urbs potior limitanea esset, quæ annonarium aceti, frumenti, laridi, hordei, palearum provisionem, alendo ad annum exercitui non haberit. Minorum verò civitatum aliæ, triginta dierum, aliæ XL. nonnullæ duorum mensium, quæ minimum XV. dierum alimenta suppeditabant. Arma militum semper inspexit: nullum senem militare passus est, nullum puerum annonas accipere: *Castra omnia fossato circumibat, noctibus etiam plerumque vigilias frequentabat.* Zonaræ Misithæus *Timesocles* dicitur. Misitheo defuncto successit Philippus.

Capit. Gord. cap. 28.

De Processionibus sacris.

II. Cùm nobis sit in animo constitutum, Baronium vestigiis ipsius persequi, ac de rituum Ecclesiasticorum antiquitate nostris ponderibus ejus examinare sententiam, de *Processionibus* tractare visum est, quibus Latinorum religio maximè floret. Solemnis enim Cleri ordine suo incedentis pompa, volitantia labara, cruces argenteæ, Sanctarum reliquiarum gestata humeris feretra, cantus & symphoniæ, apparatissimum admirandumque oculis exhibent spectaculum. Ac eò quidem gratius, quòd reconditis est mysteriis refertum. Audiamus Honorium Augustodunensem: *In Missa quadam agebatur Christi pro nobis in mundum legatio. In Processione agitur nostra ad patriam reversio. Pro Processionis itaque solemnitate, imitatur Ecclesia, Populi Dei de Ægypto egredientis jucunditatem. . . Tabulæ Testamenti à monte accipiuntur, & libri Evangelii ab altari ad portandum sumuntur. Populus ibat armatus, & Populus Christianus vadit fide & baptismate signatus. Pro turmis illorum signa ferebantur, & ante nos cruces & vexilla portantur. Eos columna ignis præcessit, & nos candela lumen præcedit. Ille populus sanguine aspergebatur, iste aquâ benedictâ aspergitur. Levitæ tabernaculum fœderis portaverunt, & hic Diaconi, & Subdiaconi plenaria & capsas gerunt. Arca testamenti à Sacerdotibus portabatur, & scrinium vel feretrum, cum reliquiis à Patribus portatur. Aron summus Sacerdos sequitur ornatus, & apud nos Episcopus, summus scilicet Sacerdos, sequitur infulatus. Rex si adest, cum Sceptro Rector Populi significat Moysem, cum virga Ductorem Populi.* Processionum originem si quærimus, respondet Christianus Lupus, duci *ex Antiquo Testamento. Etenim sacra Arca ad urbem Hiericuntinam circumductio, fuerat vera Processio, & nobis demonstravit sacrarum Processionum virtutem & effectum.* Non advertit tamen mandante Deo, Arcam fuisse circumductam, & hanc ceremoniam ad edenda miracula institutam. Quæ hodiernis Processionibus non competunt. Nullas urbes funditùs evertunt, neque præcipiente Domino celebrantur.

Gem. Ani. l. 1. c. 68. 69.

Lup. de Sacr. Proc. c. 1.

De Processionum antiquitate. Quid Patribus processio?

II. Fretus autoritate Tertulliani, Baronius adultam Processionibus antiquitatem conciliavit: *Sed illud quoque ad ritum precandi spectat, procedentes aliquando consuevisse Fideles, publico conventu fundere ad Deum preces. De procedendo meminit Tertullianus, dum ait, Si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adveniat.* Eadem quoque de Processionum Antiquitate Pamelio est, Binnioque sententia. Cautior tamen est in ea re Lupus, qui Processionum distinctionem adhibet. Prius Processionis genus solemnis est: *Missæ introitus, quo gloriosè ornatus Episcopus, cum multo Clero, procedit ex Ecclesiæ vestiario ad altare.* Posterior verò species Processionis est: *Quæ cum Populo & Clero fit extra Ecclesiam, per civitates & agros.* Priores quod attinet, contendit ab Apostolis fuisse institutas, probatque ex S. Jacobi Liturgia. Posteriorum verò usum, *post datam Ecclesiis à M. Constantino pacem*, cœpisse profitetur. Verùm enimverò antiquas non inficiamur

Bar. An. 58. n. 112.

ANNO DOM. 243.

ciamur eas esse Processionis, quæ Cleri ad Ecclesiam itionem significant. Quibus & *Processionis* nomen impositum, quod & ingenuè Cardinalis Bona fatetur: *Procedere apud Antiquos nihil aliud est, quam in Ecclesiam ad synaxin celebrandam convenire.* Quod multis probari exemplis potest. Augustinus: *Inde ad me curritur, ubi sedebam, jam processurus.* De Possidio Leo M. *Remeanti filio nostro Possidio Presbytero, hanc ad fraternitatem tuam Epistolam dedimus perferendam, qui nostris Processionibus, atque ordinationibus frequenter interfuit.* Audiatur & Liberatus: *Itum est Constantinopolim, & supradicti Episcopi, in custodiam sunt redacti, chartis sublatis, ne Catholicis quibus scriptum fuerat redderentur. Quos iterum Acacius, post hac de custodia ejiciens, secum fecit procedere, ut quasi confirmatio Petri Sacerdotio dimitteretur.* Procedenti ad celebrandam Missam Episcopo sua pompa non defuit. Eò spectare putamus Synodi Laodicenæ decretum: *Non oportet Presbyteros ante Episcopi introitum in sacrum Tribunal ingredi & sedere, sed cum Episcopo ingredi, nisi forte ægrotet Episcopus, aut profectus sit peregrè.* Episcopi ex domo in sacrarium tendentis processio sic Romano in ordine describitur: *Denuntiatâ statione diebus festis, primo mane præcedit omnis Clerus Pontificem ad Ecclesiam, exceptis qui in obsequio illius comitantur, qui ordine suo serviunt, expectantes Pontificem in Ecclesia. Sed dum venerit Pontifex prope Ecclesiam, exeuntes Acolythi, & defensores, ex regione illa, cujus dies ad officium fuerit in obsequio, præstolantur eum loco statuto, antequam veniat, ubi descensurus est. Similiter & Presbyter Tituli, vel Ecclesiæ, ubi statio fuerit, unà cum majoribus domus illius civitatis, vel parte Diaconia fuerit, cum subdito sibi Presbytero, & mansionario thymiateria deferentibus, in obsequium illius, inclinato capite, dum venerit, Acolythi quidem cum defensoribus primùm, deinde Presbyteri cum suis petitâ benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad Ecclesiam.* Hinc lucis aliquid suboritur, cùm explicando Tertulliano, tum coarguendo Baronio. Verba sunt Tertulliani: *Si procedendum erit, nunquam magis familia occupatio adveniat.* Quorum in mentem Centuriatores non penetrarunt, dum scribunt Tertullianum *Meminisse Processionum, quæ fiebant apud Montanistas.* Procedere Tertulliano significat ire in Ecclesiam. Quo sensu id vocabuli frequenter Patres usurpant. Hieronymus ad Eustochium: *Nunquam deerit tibi procedendi causa, si semper quando necesse est, processura sis.* De Paphnutio Cassianus: *Non nemo de numero fratrum, qui nevo quodam, & maculâ pulchritudinem ejus cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat ut opportunitatem temporis captaret, quo Paphnutius ad Ecclesiam, die Dominico processurus, ab eis, & à cella.* Quod ab usu civili petitum est. Cùm enim Imperatores irent aliquò, procedere dicebantur. De Cassio Vulcatius: *Imperatorio nomine cùm processisset.* Consules quoque procedebant: *Omnes eorum in publicum Processus septem esse volumus.* Est & id verbi usurpatum designandæ sive Cleri, sive Laicorum itioni ad Ecclesiam. Itaque totâ aberrat viâ Baronius, dum Processionum antiquitatem extundit ex Tertulliano. Neque Latinis Processiones Cleri, Laicorumve, ad Ecclesiam profectionem adorando Deo significant. Processiones sunt, *quæ fiunt extra Ecclesiam, per civitates, & agros* comitantibus labaris, crucibus, reliquiis, sacrâ denique omni supellectile. Cujus ceremoniæ terminus & *à quo* & *ad quem* Ecclesia est, in quam post egressum redeunt, circuitu, & quasi confecto ambulationis orbe. Cæterùm quæ à *salutatorio* Pastophorioque Processio fiebat, Episcopo magnificè ornato, ac cum Clero ad altare procedente, Apostolorum ævo non obtinuisse luce clarius est. Quo tempore nec Ecclesiæ extabant *vestiariis* suis vallatæ, atque munitæ, nec sacrarum *vestium* ornamenta, frustraque id ostendi ex Jacobi Liturgia Christianus contendit Lupus, ut suo loco probatum. Quod si concederetur, nil tamen ad Processionum disciplinam pertineret, quibus alia omninò diversa, à Cleri ex salutatorio ad sacrarium itione significantur.

Bon. Litur. l. 1. c. 32. n. 5.
Augustin. de Civit. l. 22. c. 8.
Leo Ep. 67.
Liber. Brev.
Laod. c. 56.
Ord. R. B. P. 1. x. 63.
Tertul. ad Uxor. l. 2. c. 4.
Cent. 3. 168.
Hier. Ep. 22. c. 6.
Cass. Coll. l. 18. c. 15.
Justin. Novel. 105.

III. Ignotas Veteribus Processiones fuisse quæ fiunt extra Ecclesiam, populo, Cleroque per compita, urbes, agros, ambulantibus ostendere, nostrarum nunc partium est. Ab Ethnicorum institutis maximè alienum fuisse Tertullianum, certum exploratumque est. Una & Christianorum hujus ævi conspiratio fuit, qui dicatas numinibus ceremonias indignas Deo existimabant. Atqui si verum tueri sententia est, Processiones pars non minima fuit superstitionis Ethnicæ. Nec ovum est ovo similius, quàm cultus ille Latinorum supplicationi Dianæ in honorem institutæ geminus est. Testis Apuleius: *Jam sospitatricis Deæ peculiaris pompa moliebatur. Mulieres candido splendentes amicamine, vario lætantes gestamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, quâ sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis. . . Illa etiam quæ cæteris unguentis, & geniali balsamo guttatim excusso conspergebant plateas. Magnus præterea sexus utriusque numerus, lucernis, tædis, cereis & alio genere facis luminis, siderum cælestium stirpem propitiantes: symphoniæ dehinc suaves, fistulæ tibiæque modulis dulcissimis personabant.* Et cui ignotus Virgilius:

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos & miti dilue Baccho:
Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, & socii comitentur ovantes.

Hinc certè certòque colligitur, à *religiosis discursibus* liberam fuisse Christianorum pietatem, ante M. Constantini initia, cum à ceremoniis, quæ in more erant Ethnicis Patres vehementer abhorrerent. Aliud in Processionum antiquitatem Tertullianus argumentum fœnerat, dum sic compellat Ethnicos: *Vos denique cùm ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti, statimque pransuri balneis & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denunciatis, Cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi à Deo, & cælo. Nos verò jejuniis aridi, & omni continentiâ expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidiâ cælum tundimus.* Hæc erant placando Deo Christianorum auxilia, preces & jejunia, non verò nudipedalia, Processionesque Cleri, cruces reliquiasve gestantis. Quos tamen adhibuissent, cùm gravissimum casum habebat Ecclesia, si jam invaluissent, uti nunc est in more positum. Ecclesiam quoque Processionum insolentem fuisse Tertulliani ævo, vincunt verba ejus de cultu fœminarum: *Nec Templa circuitis, nec spectacula nostis.* Quibus apparet, sa-

cras

ANNO DOM. 243.

Nullus ante Constantinum M. Processionum usus.
Apul. Metam. l. xi. 261.
Georg. l. 1.
Tertul. Apol. c. 40.

eras circum Ecclesias mulierum deambulationes, præcedente Clero, nondum obtinuisse: cùm eas Septimius ceremonias Ethnicorum perstringat, quarum ne levis umbra quidem Christianam disciplinam incessetat. Ethnicis quidem Latini nonnisi extincto pudore objicere possent, *Templorum circuitus*, utpote qui tam Romanæ sint, quàm Ethnicæ religionis communes. Quænam ergo tertii seculi Processiones? Dicat Tertullianus: *Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica, aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur.* Ut vel ex uno hoc loco constet, immane quantum erraverint Baronius, Pamelius, aliique, qui in *procedendi* verbo, hodiernas *Processiones* videre sibi videntur. Neque ab ejusmodi cultu abstinebant Veteres, quia *sub Gentili imperio sacra erant clandestina*, sed quia & non satis rationis erat in ceremoniis ejusmodi, & solemnia hæc ab Ethnicis promiscuè usurpantur. Cùm enim labente tertio seculo, publicæ Fidelibus essent Ecclesiæ ad Dei cultum, potuissent etiam religiosis circa Templa sua circuitibus palam & in luce defungi, Ethnicorum metu posito, quorum etiam benevolentiam elicuissent, solemnitatibus ejusmodi ad numinum ceremonias accedentibus.

Tertul. de cult. Fœm. c. 11.

IV. Neque pace in orbe Christiano per Constantinum M. constitutâ, subinde Processiones exortæ. In vita Martini legimus, sancto Episcopo obvium fuisse Ethnici funus, quod inter & Martinum, ferè quingentorum passuum intervallum erat: *Ut difficile fuerit cognoscere, quid videret. Tamen quia rusticam manum cerneret, & agente vento, linteamina corpori superjecta volitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit. Quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulachra Deorum, candido tecta velamine, miserâ per agros circumferre dementiâ.* Quid ad hæc Martinus? *Elevato signo crucis, imperavit turbæ non moveri loco.* Quod factum Martini à temeritate & imprudentia defendi nequit, si Processionum usus invaluerat, cùm enim è longinquo constitutus, ignoraret quid rei esset, tam Christianorum sanè quàm Ethnicorum sistere potuisset Processionem. Observetur etiam Sulpitio dementiæ apponi, quòd imagines in Ethnicorum Processionibus per agros circumferrentur, qui mos Latinorum in Processionibus invaluit. Neque adhùc in quarto seculo ulla deprehendere potuimus vestigia de Processione *palmarum*, quæ antiquiorum una est. Flores tumirum palmasque benedictas, quæ populis gestandæ traderentur. Diaconos bajulantes Evangelium, præcedente aquâ benedictâ, cum candelabris, atque thymiateriis, cum aliis ornamentis, plebem decantantem antiphonam, *Osanna Filio David*: Clerum, populumque, ex Ecclesia exeuntem, cum ea pompa religiosè circa Ecclesiam deambulantem, peractoque orbe *intrantem ad Missas*, quæ legere sunt in Alcuino aliisque Liturgicorum conditoribus. Quantum ipsâ conjecturâ consequi possumus, occasionem Processionibus instituendis subministravit reliquiarum translatio, quæ ad sanandos ægrotos afferebantur: *Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente Projecto, reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus & occursus.* Plurima sunt exempla ejusmodi. Hinc orta videtur Processionum religio, quæ lapsu temporis adolevit. Additæ cruces, imagines, cerei, frondes,

Processiones nondum quarto seculo institutæ: solvuntur objecta.

Sulp. de Vit. Mart. c. 9.

August. de Civit. l. 22.

flores, Psalmodiæ, Evangelii codex, quo indicant, *Christi onus esse leve*, litaniæ quibus Deo supplicant, & Cœlitibus. Objicit Baronius: *Est mentio de Processionibus, in Concilio Laodiceno.* Græca tamen si consuluisset, ab hoc errore liberasset animum: Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐν ταῖς συνάξεσιν ἐπισυνάπτειν τοὺς Ψαλμοὺς, *Non oportere Psalmos in synaxibus sacris connectere, sed ex intervallo, post unumquemque Psalmum lectionem fieri.* Græca verterunt, *in Processionibus non connectere*, quâ versione Isidori Mercatoris deceptus Baronius, Processiones fabricavit. Quasi verò synaxes & collectæ, Cleri sit per plateas & agros cantantis deambulatio. Quanquam vox *Processionis* de Collectis explicari possit, quia in Ecclesiam cultui divino celebrando, Sacerdotalis itio *processio* dicebatur. Exemplis jam laudatis addatur & Ennodii dictum, in vita S. Epiphanii, Episcopi Ticinensis: *Procedendum censuit omnibus, in qualibet aëris terrore matutinus, ita ut vigiliarum formam, lectoribus antecedens, præberet Episcopus.* Paschalis noctis Processionem Christianus extundit Lupus, ex verbis Gregorii Nazianzeni: *Præclara quidem nobis fuit hesterna facium, & luminum gestatio, quam privatim juxta ac publice, omne genus hominum, fermè atque omnes Magistratu ac dignitate insignes largo igne noctem illustrantes.* Atqui Cleri extra Ecclesiam per civitatem & agros ea Processio non est, cui peragendæ non noctis tenebras, sed diei lucem elegissent. Accensa ea fuere lumina ad Paschale pervigilium agitandum, de quo suo loco tractatum. Ac primùm intra Ecclesiam lucernæ tenebras pellebant. Constantinus verò Magnus, ut sacræ nocti honoris aliquid adderet, cereos complures passim accendi jussit: *Sacram autem vigiliam, in diurnum splendorem converterat, accensis totâ urbe cereorum columnis, per eos quibus id operis erat injunctum.* Ætate Gregorii Nazianzeni, anno circiter 370. in eo Paschatis pervigilio, & privatim, & publicè faces accendebantur. Nulla verò tum temporis erat sacra Cleri vicos Ecclesiamve obeuntis ambulatio, comitante populo. Neque Processio quærenda est, in facto Chrysostomi. Circa porticus publicas, Ariani nocturnos hymnos ad Arianam hæresim compositos, alternatim canebant. Veritus ergo Chrysostomus, *Ne quis ex simplicioribus hujusmodi cantibus ab Ecclesia abstraheretur, quosdam ex Catholica plebe, quæ sub ipso erat, eis apposuit, qui nocturnos perinde hymnos decantando, & Arianorum circa hæc studium obscurarent, & suos in professione rectæ fidei confirmarent.* Quæ in institutione Chrysostomi, ne umbra quidem fuit Processionis. Non *Clerus* ipse, qui Processionum pars nobilior est, sed ex *plebe* nonnulli, ad id officiū à Chrysostomo designati, quibus Briso Imperatricis Eunuchus præerat, neque ex Ecclesia, circuitu facto tendebant in Ecclesiam. Quis gentium audivit factam Processionem nocturnam ex solis Laicis constantem? Neque ex Ecclesia exeuntem? Processiones eruditissimus Cangius invenisse putat in Epistola XXIX. Ambrosii ad Theodosium. Sed fallitur egregiè: verba sunt Epistolæ de Monachis: *Qui prohibentibus iter Valentinianis, quo Psalmos canentes ex consuetudine, usuque veteri, pergebant ad Maccabæorum martyrium, moti insolentiâ incenderunt fanum eorum.* Atqui eo tempore Monachi Laici erant, qui dum Templum petebant, Dei laudes cantabant inter eundum. Hæccine sacra Processio est?

Bar. An. 58. n. 112.

Laodic. c. 17.

Naz. Or. 42.

Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 22.

Socr. l. 6. c. 8.

ANNO U. C. 997. PER. JUL. 4957. JUL. 289. DOM. 244. PHILIPPI I. *Sal.* G. F. *Lun.* 17. *Indict.* 7. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 14. *April.*

COSS. *Peregrinus & Fulvius Æmilianus.*

Gordiano Philippus fit Collega.

I. AD Præfecti Prætorio dignitatem defuncto Misitheo, Philippum infaustis avibus evexerat, adeò ingratum, inhumanum & ferum se præbuit, ut Domino vitam eripuerit. Quò verò facilius meditatum scelus exequeretur, suis artibus primùm naves frumentarias avertit: deinde in ea loca deduxit milites annonæ vacua. Sparsit & rumorem Philippus, adolescentem Gordianum administrando imperio imparem esse. Corrupit etiam Principes, ut palam ad imperium posceretur. Amici Gordiani primùm vehementissimè resistebant. Sed cum milites fame vincerentur, imperium Philippo mandatur, jussumque à militibus, ut quasi tutor ejus Philippus cum Gordiano pariter imperaret. Cùm inter eos non satis conveniret, quilibet privatim leges promulgavit suas. In Codice Justiniani Lex VI. ad exhibendum, à Philippo Augusto data est II. Id Martii. Peregrino & Æmiliano Coss. Lex verò VI. de Collationibus, promulgata est à Gordiano VII. Kal. Maii, Peregrino & Æmiliano Coss.

Capitol. Gordian. c. 19.

Mors Gordiani.

II. Suscepto imperio Philippus, Gordianum floccifacere cœpit. Quem Gordianus nobilissimæ familiæ contemptum cùm ferre non posset, apud Duces & milites astante Mæcio Gordiano, & affine, & Præfecto suo, in Tribunali conquestus, imperium Philippo abrogare tentat. Sed cùm milites rogasset, aperteque Duces ambisset, factione Philippi minor fuit. Cùm se sperni videret, petiit ut æquale saltem inter eos esset imperium. Quod cùm non impetrasset, petiit ut saltem loco Cæsaris haberetur, nec id obtinuit. Rogavit etiam ut Præfecti loco Philippo esset, quod & ipsi negatum: ultimæ preces fuerunt, ut pro Duce haberetur, pateretur que Philippus se vitam retinere. Ac primùm penè consenserat Philippus: ubi verò in mentem revocavit amorem Senatus & Populi erga Gordianum, clarasque de Persia quas retulerat victorias, posseque fieri, ut ipsi quandoque restitueretur imperium, tandem clamantem ante conspectum, ad supplicium duci jussit, quod primò dilatum, deinde executioni mandatum. Periit ætatis anno XIX. cùm septimum imperii delibasset. Milites sepulchrum defuncto extruxerunt, apud Circeium Castrum. Qui locus in finibus Persidis nomen habet, quod Aboras fluvius & Euphrates circumfluit. Additus & titulus, Græcis, Latinis, Persicis, Judaicis Ægyptiacisque literis, ut ab omnibus legeretur: *Divo Gordiano, Victori Persarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatarum, Depulsori Romanarum seditionum, Victori Germanorum, sed non Victori Philipporum.* Quæ verba ultima extincto Gordiano addita putamus. Conspicuum fuisse tumulum, Ammianus testatur Marcellinus. Licinius cùm à Philippo originem ducere videri se vellet, titulum evertit. Gordianus inter Deos à Senatu relatus est. *Exequiæ ejus*, si Festo credimus atque Eutropio, Romam cum maxima reverentia deductæ. Nec diu defuncti manes inulti. Quicumque illum gladio appetiverant, qui novem fuere numero, extinctis Philippis, suâ manu, suisque gladiis, quibus illum percusserant, interiisse dicuntur.

Capit. Gord. c. 30. & 34.

Capit. Gord. c. 33.

Quis Gordiano proximè successit?

III. Quis extincto Gordiano proximè successerit, ab eruditis in dubium adducitur. Narrat Zonaras, Patres cùm mortem Gordiani cognovissent, usos suo jure, Marcum sapientiæ & Philosophiæ deditum, Imperatorem creasse, qui mox in Palatio morbo absumptus est. Cui Severus Hostilianus, Patrum suffragiis successit, qui morbo statim correptus, post missum sanguinem fatis concessit. Zonaræ memoriam imperii sui debent hi Cæsares, atque Cedreno. Quibus tamen & fidem afferre, nummi imperare nonnulli videntur, à Goltzio aliisque exhibiti, cùm Marcum, Hostilianumque Augustorum dignitate induant, nec non Potestate Tribunitiâ atque Pontificatu Max. Quæ tamen de Marci & Hostiliani dictorum à Patribus Imperatorum tradita persuasio, in parte licet aliqua eruditorum duret, nos nunquam credulos habuit, cùm Veterum Scriptorum omnium obruatur silentio, quo res ea memoriæ dignissima involvi non potuit. Zonaræ quoque narrationem impugnat Capitolinus: *Philippus autem ne à crudelitate nancisci videretur imperium, Romam literas misit, quibus scripsit, Gordianum morbo periisse, seque à cunctis militibus electum. Nec defuit ut Senatus de his rebus quæ non noverat, falleretur. Appellato igitur Principe Philippo, & Augusta nuncupata, Gordianum inter Deos retulit.* A vero non aberrasse Capitolinum, argumento est gestus à Philippo Consulatus anno CCXLV. qui Augustæ dignitatis contemplatione ipsi à Senatu delatus est. Neque eò temeritatis Patres processisse videntur, ut Philippo, quem à triumphante exercitu Imperatorem dictum acceperant, dignitatem abrogarent, creato Marco. Qui Maximinum feram crudelissimam electum à militibus tulerant Principem, Philippum quoque pati poterant sævitiæ affectu non infamem. Denique asperrima Philippo odia movisset Senatus, si extincto Marco, Hostilianum etiam contra se nuncupassent Imperatorem. Omnem sanè iram in osores sui Philippus evomuisset, eoque pars magna Senatorum deleta fuisset, in quos tamen nil severitatis adhibuisse dicitur: Imò *ubi Romam venit, ordinis Senatorii viros oratione benignâ sibi conciliavit.* Itaque Zonaræ fidem haud gravatim detrahimus, freti Capitolini, Eusebii, Veterum denique omnium Scriptorum conspiratione, qui proximum Gordiano imperii hæredem Philippum dicunt. Nummos quod attinet, in quibus Marcus & Hostilianus vocantur Augusti, si probi genuinique sint habendi, quod rei nummariæ peritia examinandum relinquimus, Tyrannorum potius, qui extincto Gordiano imperium arripuere voluerunt, quàm Imperatorum à Senatu creatorum nummos esse putamus.

Zonaras l. 10. 19.

Capit. Gord. c. 32.

Zozim. l. 1. c. 19.

Anni Philippi.

IV. Marcus Julius Philippus, Araba Thraconites, humillimo ortus loco fuit, patre nobilissimo latronum ductore. Genitoris, matrisque nomen ignoratur. Uxorem habuit *Otacilam Severam*, ex qua filium suscepit, parenti cognominem. Victori tamen in Epitome vocatur *Caius Julius Saturninus*, quod fortè nomen cùm à teneris unguiculis accepisset, in illud Philippi senioris deinde mutatum est. Alexandri Imperatoris vel filiam, vel sororem fuisse Severam, clarissimus Monius opinatur. Quo tamen fonte conjecturam hauserit suam, prorsus nescimus. Nobis sanè ea probari nequit, qui tenemus

mus fororem Alexandri fuisse *Theocliam.* De Severa sive sorore, sive Alexandri filia silent Autores. Severa quidem major natu erat, quàm ut Alexandro Imperatori filia esset. Anno quippe currente, *Severianum generum* habuit. *Anno* XLV. *periisse* seniorem Philippum, Chronicum prædicat Alexandrinum. Quo consequens est, anno CCV. lucem aspexisse, imperante Severo. Nutat tamen Chronici fides, quod in rebus Philippeis frequentissime à vero labitur, quo factum, ut *Junioris* vocabulo Philippus pater, quasi cognomine afficiatur. Periisse magis longævum, indicat Victor: *Ipse quanquam debili per ætatem corpore, adversus Decium profectus, Veronæ perit.* Sed eò res non est tanti, majoris longè momenti quæstio nascitur, de annis Philippi Augustalis, in quibus decipi nullus potest, absque perturbatione Chronologiæ. Quod Baronio in Annalibus accidit. Cum enim septem annos, Philippi imperio illustrissimus Purpuratus contribuerit, per decennium & amplius Chronologia ejus miserè depravatur. Corruptus etiam Fastorum Consularium ordo, quo tempora illustrantur, at certo velut indicio patescunt. Philippo annos septem vindicat Eusebius: *Philippo cum septem annis regnasset, successit Decius.* Errorem auxit Orosius, qui Decii initia in anno urbis MIV. collocavit, quem ad usque annum imperare Philippus debuit, cùm Decii primus, Philippi fuerit ultimus. Eusebium secutus Baronius, Philippum septimo imperii anno periisse contendit, cui Chronologiæ auxilium affert ex Veronensi inscriptione; *Anno Christi* CCLIII. *Imp. Divus Philippus Senior Veronæ, & Romæ Junior à satellitibus interficiuntur.* Mirum est autem, virum oculatissimum tam futili monumento decipi potuisse, quod ἀσύγχρονα connectit annos Christi scilicet, cum *Divi* titulo, quo Philippus insignitus est. Inscriptionis novitatem prodit ductum ex annis Christi criterium; quæ ante Dionysium Exiguum Epocha nullo loco erat. Quicunque ergo Christi annus in mentem veniat, sive *Dionysianus*, sive *Baronianus*, *anno Christi* CCLIII. Philippus occidi non potuit. De Philipporum imperio, Aurelius Victor in Cæsaribus: *Annos potentia quinque egere.* Quam & Chronologiam amplectitur Eutropius: *Annis* V. *imperaverunt.* Qui de completis sunt intelligendi, ut sexti pars aliqua accesserit. Mense Martio, Philippus Gordiani Collega ab exercitu creatus fuerat, circa Julium mensem fato concessit, anno CCXLIX. Fulvio Æmiliano II. & Vectio Aquilino Coss. Quod & ostendunt nummi ab eruditis exhibiti, quorum in Postica scribitur: *P. M. Trib. P.* VI. *Cos.* III. *P. P.*

Zosim. l. 1. c. 19.

Eusch l. 6. c. 39.

Bar. An. 253. n. 2.

Acta Philippi.

V. Extincto Gordiano, nil injuriæ Philippus intulit, non imagines sustulit, non statuas deturbavit, non nomen ejus abrasit, imò de eo nil mentionis fecit, nisi honore præfato, quam quo sceleri calliditatem obtendit. Auditâ morte Misithei Asgunthis Scytharum Rex, finitimorum suorum regna vastabat, quos tumultus Philippus composuisse videtur. Sacramento interposito, amicitiam cum Sapore Persarum Rege constituit, sic bello sopito, iter in Syriam convertit. Cùm verò imperium sanguine partum, propagari ad posteros vellet, filium suum, septem annos natum, Cæsarem fecit, quod observatum Eusebio: *Philippus Philippum filium suum consortem regni fecit.* Scripsit Senatui, Gordianum morbo periisse, seque à cunctis militibus electum, quod & à Patribus sancitum. Ubi Romam venit, ordinis Senatorii viris oratione benignâ sibi conciliatis, Magistratus amplissimos hominibus sibi conjunctissimis tradendos statuit: *Priscum fratrem, Syriacis exercitibus præfecit, Severiano genero, Mysiæ Macedoniaque copiis creditis.*

Capit. Gord. c. 31. Zoz. l. 1. c. 19.

Zosim. l. 1. c. 19.

Fueritne Christianus Philippus?

VI. Vertitur in pluribus eruditorum judiciis quæstio, utrùm Philippus Christianum egerit. Atque in eam concessisse sententiam Veterum complures non ignoramus. Professum quidem & notissimum Christianum fuisse dicendum, si verus ille rumor, quo afflatus est Eusebius: *Fama est, illum utpote Christianum, in postrema Paschæ vigilia, precationum in Ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse. Sed Episcopum, qui Ecclesiæ præerat, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset.* Chrysostomus quoque, qui de Babyla multa incredibilia retulit, Philippum tamen subindicavit, dum Imperatorem, cujus nomen ignorabat, narrat, Regis cujusdam filium obsidem, violato jure gentium, interfecisse, ac quasi nullius sceleris reum, Dei Optimi Maximi templum ingressum, à Babyla repulsum fuisse, qui injectâ in pectus ingredientis manu, *Homicidam, multarum gentium Dominum quasi vile quoddam ac nullius pretii mancipium, à Dei templo exegit.* Constat quidem in ea de Babyla narratione, Chrysostomum multa peccasse, utpote qui *Philippum*, cum *Decio* permiscuerit. Ex ea tamen apparet, Imperatorem ejectum à Babyla, Christianorum in numero à Chrysostomo fuisse habitum: quod de uno Philippo dici potest. Absque ulla quidem ambage, Philippum Christianis inserunt Hieronymus atque Orosius, quos apud legitur: *Primus omnium ex Romanis Imperatoribus, Christianus fuit.* Veri specie aliquâ hanc tingere traditionem videntur Origenis Epistolæ: *Extat ejus Epistola ad Imperatorem ipsum Philippum, & altera ad conjugem illius Severam.* Quas tamen Epistolas, lectas Hieronymo non credimus, adeò turpiter in illis laudandis hallucinatur: *Ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem ejus literas fecit, quæ usque hodie extant, quis ignorat.* Uxorem sanè, non matrem ejus scribere debuit. Hanc de religione Philippi traditionem, totis nervis viribusque tuentur viri doctissimi Baronius, Huetius, Westenius, aliique complures, quorum ad sententiam accedere non possumus, cùm ingens ea manus Scriptorum, quorum conspirationem clarissimus jactat Westenius, in uno Eusebio recumbat, à quo & Græci, & Latini, qui famæ huic patrocinantur, Philippi Christianismum acceperunt. Porro Eusebius ipse solam famam laudat, tam ficti tenacem, quàm veri nunciam, ut de religione Philippi nil certi exploratique habuerit. Quod & verbis ejus de Constantino planum est: *Qui cum solus ex Romanis Imperatoribus, Deum omnium Regem excellenti quâdam pietate coluisset, solusque doctrinam Christi, universis ore libero prædicasset &c.* Quòd si pœnitentiâ publicâ functus est Philippus, neque solus, neque primus Cæsarum Constantinus Christi religionem professus est.

Eusch. l. 6. c. 34.

Chrysost. Or. in Gent.

Eusch. l. 6. c. 36.

Eusch. Vit. Const. l. 4. c. 75.

Philippus Christianus non fuit.

VII. Adducamus nunc rationes, quibus fide evertitur Philippi Christianismus. Primum omnium, vita Philippi Domini disciplinam non sonat. Ambitione flagrans, infectis Domini sui cruore manibus, impiè rapuit imperium:

Anno Dom. 244.

Ludis Secularibus petulantius cachinnantem, Junior Philippus, *quanquam adhùc tener*, *vultu notavit aversato.* Qui mores non erant Christianorum, Ævo Philippi. Tali quidem indole præditus Philippus, religionem potius ejurasset, quæ fortunæ ipsius opposuisset obstacula. Objicit quidem clarissimus Larroquanus Phocam, qui simul & parricida fuit, & Christianus. Hoc tamen inter Phocam & Philippum interest, quòd tranquilla quidem Phocæ erant, agitata verò persecutionibus Philippi secula. Quibus verò sua Deus ambitio est, litatâ pietate omni, atque virtute, mundanis voluptatibus indulgent. Phocas igitur Christiani nomen cum magnis dignitatibus conjungere potuit, Philippus non potuit; obstante superstitione, quæ rerum potiebatur. Aliud & discriminis dant Philippus atque Phocas. Ille Proselytus creditur, hic negatur. Est autem Proselytorum quàm aliorum pietas longè major. Eòque alios sanè mores, quàm superbiam, truculentiam, perfidiam, imbibisset animo. Præterea si Philippus Christi disciplinæ adhæsit, id à Veteribus aut in dubium revocari, aut ignorari non potuit. Quem latuit Constantinum Servatoris tenuisse disciplinam, Julianum à fide, quam professus olim fuerat, descivisse, Valentem Artianis addictum fuisse? Jam verò Philippi Christianismus coætaneo Dionysio Alexandrino fuit in incerto. Sic enim de Valeriano: *Ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur, tantâ humanitate & benevolentiâ nostros complexi sunt, quantam Valerianus præ se ferebat.* Quibus Philippum pingi nemo non videt. Quòd si apertam fidei professionem confecisset, scripsissetne Dionysius, *illi ipsi qui palam Christiani fuisse dicuntur*? Ut liquidò constet, quæ de religione Philippi ferebantur, sine autore disseminata fuisse, rumore nuncio, cui præbuit ansam Imperatoris hujus erga Christianos mansuetudo atque humanitas, ut tyrannidis notam, quam partum vi imperium impresserat, facilius elueret. Porro Lactantius, qui imperante Philippo lucem aspexisse videtur, illum eximit Christianorum numero, dum Constantinum ita compellat in libro de Religione: *Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis, ac veri cognovisti, & honorasti.* Lactantio Sulpitius consentit Severus: *Tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit.* Accedat & Ambrosii de eo Imperatore testimonium: *Quia primus Imperator credidit . . . magni meriti locum reperit.* Primus verò Romanorum Principum Christianus non fuit Constantinus, si fidem Philippus coluit. Quo jure verò Lactantium, ex Orosio, qui centum & amplius annis eo posterior est, limitari jubeat clarissimus Westenius, prorsus nescimus. Quas, si addere Autoribus limitationes licet, de antiquitate actum est atque de historia. Equidem si pro primo omnium Cæsarum Christiano Philippum habuissent Lactantius, Ambrosius, Sulpitius, aliquid exceptionis addidissent, dum primum Constantinum credidisse prædicant. Facescant illæ Autorum limitationes, quæ non ea ipsorum verbis, sed ex posterorum præjudicio petuntur.

Euseb. l. 7. c. 10.

Ambros. Serm. 34.

Nequeante, neque post ludos seculares Philippus Christianum egit.

VIII. Si Philippus Christianum egit, vel antè quidem, vel post ludos seculares, anno 247. celebratos, fidem professus est. Hîc variant adversatiorum sententiæ: *Sub ipsa imperii sui initia, Christi doctrinam amplexum fuisse Philippum*, clarissimus Huetius statuit: *Et Christi sacris à Fabiano Papa initiatum fuisse, sed occultè, ne quid inde res suæ detrimenti caperent.* Quod & in mentem venit N. Aleaandro: *Ratio*, inquit, *erat occultandæ Ethnicis suæ religionis, ut vitæ suæ, atque imperio consuleret. Sic enim Ecclesiæ rebus utilior erat.* Egregiam pietatem divinamque sapientiam! Scilicet quo majori rebus Ecclesiasticis esset auxilio, licentiam fortè & Philippo dedit Fabianus, clanculariam eaercendi religionem. Sic Tunetano Principi Philippo, qui ne ingratum inire matrimonium cogeretur, nostro est seculo concessum, ut intus fide servatâ, Mahumetanam impietatem palam & apertè profiteretur. Atqui veteratorias artes ejusmodi, solâ fortè Atheorum scholâ dignas, rigidæ antiquæque fidei cultores ignorabant ævo Philippi Imperatoris, quibus insidebant animo verba Servatoris: *Quisquis abnegaverit me coram hominibus, eum abnegabo coram patre meo.* Quòd si ne quid inde aut res suæ detrimenti caperent, aut Ecclesiæ fortunæ, Philippo fidem dissimulare licuit, licuit & Fabiano, licuit & Babylæ, licuit & Martyribus atque Confessoribus, ab aulica verò disciplina tantum aberant, ut qui vel metu vexationis sacrificaverant idolo, gravissima illis publicaque pœnitentia imponeretur. Occultam ergo Philippi fidem haud passi fuissent Episcopi, imò eam cum perfido cultore, diris devovissent. Ac sanè Veteres, qui Philippum Christianorum in numero collocant, pro religionis dissimulatore non habent. Pugnant sanè Philippum & exomologesi defunctum Antiochiæ, & occultùm Christianum præstitisse, quia Christianæ professionis nullum apertius est indicium, quàm pœnitentia solemnis. Cæterùm sub imperii initia, Philippum non coluisse fidem, ostendit factum ejus. Gordianum *Divinum semper appellans, etiam apud ipsos milites, cum quibus factionem fecerat, serio animo & peregrinâ calliditate veneratus est.* Hæccine nota est Christiani! Præterea Gordianus qui pedibus manibusque conatus est imperium abrogare Philippo, ingratumque in tribunali quo processerat objecit animum, multò magis cum impietatis postulasset, quòd Romanæ religionis proditor fuisset, atque desertor, quá accusatione maximis odiis favorem militum permutasset. Quibus accedat, ludos seculares, anno CCXLIII. à Philippo fuisse celebraros, quæ pura puta erat Idololatria. Hujus tamen argumenti vires enervare rentavit Orosius: *Nec dubium est, quia Philippus hujus tanta devotionis gratiam & honorem ad Christum, & ad Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse ab eo Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus Autor ostendit.* Atqui neque immolatas ab Augusto, Claudio, Domitiano, ex more hostias diait Suetonius, cùm seculares ludoa edidere. Ex ipsa quidem ceremonia, cui ea sacrificia includebantur, satis intelligimus, horum talium non expertem fuisse. Quòd si tanta mutatio, quanta ab Orosio fingitur, à Philippo in ludos seculares, inducta est, rem tam novam, tamque inauditam memorasset historia. Ægrè quidem nobis persuaderetur, quod traditum Orosio, ludos à Philippo celebratos fuisse ad Christi gloriam. Ludis sanè publicis Christus non pascitur, Circensibus non delecta-

Huet. Origen. l. 1. c. 3. 19.

N. Alex. H. E. Sec. 3. 182.

Capit. Gord. c. 31.

Oros. l. 7. c. 13.

Anno Dom. 244.

delectatur animalium mactatione, equorum cursibus, Comœdorum clamoribus non honoratur. Porro suo loco planum faciemus, ludos à Philippo celebratos, cultu numinum fuisse conditos, neque diversæ ab illis naturæ, quos Augustus, Claudius, Domitianus ediderunt. Observentur intereà verba Capitolini de animalibus, quæ ad triumphum Persicum Gordianus paraverat: *Omnia hæc Philippus exhibuit secularibus ludis, & muneribus atque Circensibus, cum millesimum ab urbe condita annum in Consulatu suo, & filii celebravit.* Figmentum tamen Orosii nobis lucro est, adversus occultum, quem vindicant Philippo, Christianismum. Apertus sanè professusque fuit, si neque hostias immolavit, neque in Capitolium ascendit: *At Philipporum conversio*, si Pagio credimus, *ludos seculares subsecuta est.* Quæ quidem Chronologia longè cautior est. Suis tamen & difficultatibus afficitur. Primùm enim falsi postulat Leontium, atque Chrysostomum, qui docent Philippum Templum Antiochenum subeuntem, à Babyla fuisse repulsum, ut anno CCXXXIX. declaratum. Post enim annum urbis millesimum Philippus in Orientem non migravit. Deinde si post celebratos ludos, numinum superstitionem ejurasset Philippus, cùm inter audientes aliquandiu prius versari debuerit, quàm sacris initiaretur, tanta hæc religionis mutatio in notitiam venisset Scriptoribus Ethnicis, qui de ea silentium non egissent. Quos tamen ille Philippi Christianismus omninò latuit. Denique si Christi religionem suscepisset Philippus, nunquam eum in Divos Senatus retulisset, quia maximæ Patribus impietatis erat, repudiatis numinibus, soli Christo honorem habere. Apotheosi tamen Philippum novimus esse donatum: *Ambo inde ab exercitu interfecti sunt, Senior Philippus Verona, Roma Junior, inter Divos tamen relati sunt.* Quibus luce clarius est, de addicto ad fidem Philippo Ethnicis nil suboluisse: quod omninò fit impossibile, si verè Christianum egit. Palam enim numinum fanis abstinuisset, Ecclesiasque vel Catechumeni, vel Fidelis nomine ingressus fuisset. Tam igitur falsum est Christianum fuisse Philippum, quàm absonum Christianum esse numinibus insertum. Si tamen Actis Pontii credimus: *Cùm ad Principes Philippos venissent Pontius, & Fabianus, & sacramenta eis divina demonstrassent, baptismi gratiam consecuti sunt.* Quæ quidem ad fidem Actis detrahendam valere possunt, ad probandum Philippi Christianismum pertinere non possunt, ut dicetur inferius. Quid multa? In musæo nobilissimi Domini Baronis de Hekeren vidimus & nos nummum, in antica stat caput Philippi, cum radiis; in postica, Jupiter dextrâ fulmen, sinistrâ hastam tenet, cum inscriptione, *Jovi Conservatori*, qui nummus cusus est Philippo III. Consule, hoc est anno CCXLVIII. Meminit & doctissimus Spanhemius, nummi Philippi qui exhibet, *Septem figuras ante aram thurificantes, cum inscriptione, Seculum novum.* Quibus omnibus obruitur Philippi Christianismus.

Capit. Gord. c. 33.

Pag. Crit. 247. n. 5.

Eutrop.

Baluz. Miscel. p. 133.

Anno U. C. 998. Olymp. 256. Per. Jul. 4958. Jul. 290. Dom. 245. Philippi 2. *Sol.* 2. E. *Lun.* 18. *Indict.* 8. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 3. P. 30. *Mart.* — Anno Dom. 245.

Coss. *M. Julius Philippus Augustus & T. Fabius Titianus.*

I. Celebertimam hoc anno scholam Romæ Plotinus instituit: *Imperante Philippo Plotinus Romam venit, XL. jam natus ætatis annum. Cum verò Herennius, & Origenes, & Plotinus, olim inter se constituissent, ne Ammonii dogmata ederent, quæ ab eo audita, tanquam in primis purgata præcipuè comprobarentur. Plotinus quidem stetit promissis, familiariter nonnullos excipiens salutantes, instituta verò Ammonii secreta, integraque conservavit. Primus verò Herennius pacta dissolvit, & Origenes anticipantem Herennium est deinde secutus.* Quibus moneri Baronius potuit, illum Origenem cum Adamantio Origene Presbytero, unum, eundemque hominem fuisse. De hac Plotini schola, Augustinus Dioscoro: *Tunc Plotini schola Romæ floruit, habuitque condiscipulos multos, acutissimos & solertissimos viros. Sed aliqui eorum, magicarum artium curiositate depravati sunt. Aliqui Dominum Jesum Christum, ipsius veritatis atque sapientiæ incommutabilis, quam conabantur attingere, cognoscentes gestare personam, in ejus militiam transierunt.*

Plotinus.

Porphyr. Vit. Plot.

Augustin. Ep. 56.

Anno U. C. 999. Per. Jul. 4959. Jul. 291. Dom. 246. Philippi 3. *Sol.* 3. D. *Lun.* 19. *Indict.* 9. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 4. P. 19. *April.* — Anno Dom. 246.

Coss. *Brutius Præsens & Nummius Albinus.*

I. Cum stabilia imperii fundamenta se collocasse Philippus existimaret, contra *Carpos*, qui bella moverant, expeditionem suscepit. Jam Istro vicina loca populabantur, at Romani prælio conserto, ac in Barbaros impetu facto, illos in fugam convertunt. Ubi suos hinc inde dispersos rursum colligi cernunt, receptis animis egressi castello, Romanum in exercitum ruunt. Sed quòd impetum Maurorum ferre non possent, mentionem pangendi fœderia injecerunt, quo non difficulter inito Philippus discessit.

Philippi de Carpis victoria.

Zosim. l. 1. c. 20.

II. Heraclas, qui annos XVI. Alexandrinæ præfuerat Ecclesiæ, fatis concessit. Cujus annum supremum cum Philippi tertio copulat Eusebius: *Anno autem hujus imperii tertio, cum Heraclas post sexdecim annos diem extremum obiisset, Pontificatum Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit Dionysius.* Hanc in Chronologiam, quam tuetur & Baronius, calamum strinxit Pagius, qui in annum sequentem Heraclæ obitum conferendum esse statuit. Quâ quidem opinione, ab anno Philippi *tertio* non prohibemur, utpote qui & annum CCXLVII. ad mensem usque Martium complectitur. Obstat tamen huic sententiæ temporis spatium, quo Episcopatus circumscribitur Heraclæ, cui annos non XVI. cum Eusebio, sed XVII. Pagius contribuit, ducto scilicet initio ejus ab anno Dionysiano CCXXX. Extincto Demetrio, *quæ adversus scripta Origenis excitatæ fuerant turbæ, penitùs consopitas esse,*

Mors Heraclæ. Faveritne Origeni?

Euseb. l. 6. c. 35.

ANNO DOM. 246.

se, in omnibus Origeni favente Heraclâ, sibi persuasit Baronius, anno CCXLVIII. n. I. Quam non immeritò sententiam eruditissimus perstrinxit Huetius: *Gennadius in libro de Viris illustribus, scribit Theophilum Alexandrinum Episcopum tradidisse, non a se Origenem primùm, sed ab antiquis Patribus, & maxime Heracla, fuisse & à Presbyterio ejectum, & de Ecclesia pulsum, & de civitate fugatum. Idem habet Scriptor Vita Sancti Pachomii, & Epistola Synodica Episcoporum Ægypti, cujus fragmentum affert Justinianus, in Epistola ad Mennam.* Verba hæc sunt: *Cùm enim impias orationes habere cupisset; beata memoria Heraclas Episcopus, qui tunc florebat, tanquam arator, & vinitor veritatis, studiosus Ecclesiastici agri, eum è medio pulchra segetis, sic tanquam vere malam zizaniam evellit.* Est quidem vero proximum, Heraclam qui dum Presbyterum agebat, Demetrii Episcopi sui adversus Origenem decreto suscripserat, illud & sancivisse, ubi Episcopatum adeptus est. Quænam verò de creando apud Alexandriam Episcopo, ad usque Heraclam disciplina obtinuerit, docet Hieronymus ad Evagrium: *Alexandria à S. Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos; Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.*

Huet. Origen. l. 1. c. 2. n. 15.

Hier. Ep. 85.

III. Origenes quod anteà non concesserat, quas ad populum habuit conciones, à Notariis excipi permisit. Quos ταχυγράφους, *Scribas veloces* appellat Eusebius. De Notariorum in scribendo celeritate, Ausonii egregium est Epigramma:

Conciones Origenis scripto mandantur. Libri adversus Celsum.

Auson. Epigr. 137. c. 3.

Quam prapetis dextra fugâ
Tu me loquentem pravenis:
Quis, quaso, quis me prodidit,
Quis ista jam dixit tibi,
Qua cogitabam dicere?
Qua furta corde in intimo,
Exercet ales dextera?

De Origenianis concionibus legitur in Hieronymo Epistola LXV. cap. 3. *Mille & eo amplius tractatus in Ecclesia locutus est.* Sub idem tempus, rogante Ambrosio Diacono, octo libros composuit adversus Celsum Epicureum. In hanc Philosophiam *Celsi* duo descenderant, teste ipso Origene: *Traditur autem duos fuisse Celsos Epicureos, alterum antiquiorem, Neronis atate, hunc autem Adriani, & posterioribus temporibus.* Hic est ille Celsus, cui suum Lucianus *Pseudomantem* nuncupavit, roganti ut Alexandri Abonotichitæ impostoris vitam ad se transmitteret, quem tractatum edidit Lucianus, mortuo jam Imperatore Marco Aurelio, quem scilicet *Divi* titulo ornat. Videtur autem impurus ille Celsus librum confecisse suum, furente Marci Antonini persecutione, conjecturamque ducimus ex verbis Origenis: *Primum criminationis caput Celso est, à Christianis clancularios conventus haberi solere, legibus vetitos.* Quod præstantissimum Opus, de Origene palmam fert Origeni, quæ tamen pace dicta sint Hieronymi, cui in prima commendatione suot Commentarii in Canticum: *Non mihi nocebit si dixero, Origenes cùm in cateris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit*, quæ scripsit Pammachio & Oceano. Scripsit & ad Fabianum Origenes de recta fide sua, nec non & ad alios Ecclesiarum Antistites eadem de causa. Epistolæ ad Fabianum meminit & Hieronymus: *Ipse Origenes in Epistola, quam scribit ad Fabianum Romana urbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit, & causam temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita in publicum protulerit.* Conjecturâ ducimur ad suspicandum, anno insequente Epistolam Fabiano direxisse Origenem, ubi novit Heraclæ successisse Dionysium, quem apud in gratia erat.

Orig. in Cels. l. 1. 8.

Orig. in Cels. l. 1. 4.

Epistola LXV. r. 2.

ANNO DOM. 247.

Euseb. l. 6. c. 36.

Hieron. Ep. LXV.

ANNO U. C. 1000. PER. JUL. 4960. JUL. 292. DOM. 247. PHILIPPI 4. *Sol.* 4. C. *Lun.* 1. *Indict.* 10. *Epact.* 6. *Epact. Sol.* 5. *P.* 11. *April.*

COSS. *Julius Philippus Augustus II. M. Julius Philippus Cæsar.*

I. SUb imperii sui initia filium suum Cæsarem dixerat Philippus. At currente anno, decennem puerum novis titulis cumulavit, addito honore Augusti, ut ludi seculares duobus Augustis, patre & filio, imperantibus, majore pompâ & claritate celebrarentur. Proximi à Severo editi fuerant, anno urbis 257. Chilone & Libone Coss. hoc est, Dionysiano CCIV. ut nil Philippo causæ fuisse videatur, cur post annos XLIII. seculares ludos exhibuerit, qui extra tempus suum non edebantur, etsi una cum Censorino fateamur, non satis perspectum esse spatium, quo ludi separari debuerint: *Temporum enim intervalla, quibus ludi isti debeant referri, non modò quanta fuerint retrò ignoratur, sed ne quanta quidem esse debeant, scitur.* Itaque certum ex ludorum celebratione nascitur argumentum, Philippum hoc anno Christianum non fuisse, à qua Domini cultor prorsus abstinuisset, eò magis quòd ad eos exhibendos nullâ necessitate cogeretur, ne vel anni, qui finem imponebat decimo seculo, à condita urbis repetito. Quintos enim Augustus ludos fecerat C. Furnio & C. Junio Silano Coss. anno urbis septingentesimo tricesimo septimo; sextos quidem fecit Claudius se IV. & L. Vitellio Coss. anno U. C. 800. At septimos Domitianus edidit se XVI. & L. Minuciu Rufo Coss. anno 841. Octavos Severus & Antoninus Caracalla, anno 957. Nonos ultimosque Philippus exhibuit anno præsente.

Ludi seculares Philippi.

Censor. c. 17.

II. Pompæ plenam, illustrem & splendidam fuisse ludorum celebrationem, scriptum reliquere Historici: *Fuerunt sub Gordiano Roma Elephanti triginta & duo, quorum ipse XII. miserat, Alexander X. Alces X. tigres X. Leones mansueti LX. leopardi mansueti XXX. Belbi, id est, hyena X. gladiatorum fiscalium paria mille: Hippopotamus & rhinoceros unus: archoleontes X. Camelopardali X. onagri XX. equi feri XL. & catera ejusmodi animalia innumera & diversa, qua omnia Philippus ludis secularibus vel dedit, vel occidit.* Pompam agnoscit Orosius: *Ita ludis magnificis, Augustissimus omnium Prateritorum, hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est.* Contendit tamen nulla perpetrata fuisse sacrificia: *Nec dubium est, quin Philippus hujus tanta devotionis gratiam ad Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse Capitolium, immolatasque more hostias, nullus Autor ostendit.* Quibus Baronius in errorem ductus, *More majorum immolatis sacrificiis Diis*, ludos editos inficiatur. Uterque tamen à vero labitur. Chronicum Eusebianum:

An ludos sacros edidit Philippus?

Capit. Gord. c. 33.

Oros. l. 7. c. 20.

Bar. an. 249. n. 5.

sebianum : *Regnantibus Philippis, millesimus annus Romanæ urbis expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ, ludique in campo Martio theatrales, tribus diebus & tribus noctibus populo pervigilante celebrati.* Quid est more Majorum celebrare ludos, si hoc non est? Pueris sanè cantatur :

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Quòd si Majorum à consuetudine deflexisset Philippus, id sanè ab Historicis fuisset observatum, præcipuè ab Ethnicis, quibus insidebat animo urbis salutem, in legitima horum ludorum celebratione recumbere. Priscum quoque morem à Philippo servatum fuisse, Victor testatur libro de Cæsaribus : *Marcus Julius Philippus, sumpto in consortium Philippo filio . . . Romam venere. Extructoque trans Tiberim lacu, quòd eam partem aquæ penuria fatigabat, annum urbis millesimum ludis omnium generum celebrant. Et quoniam nomen admonuit, nostrâ quoque ætate, post mille centesimus, Consule Philippo excessit, nullis, uti solet, solemnibus frequentatus, adeò in dies cura minima Romanæ urbis.* Quòd si ludi generum omnium editi sunt, igitur & sacri, quibus honorem numinibus afferebant. Sed & verbis Victoris, qui Constantii ævo queritur *ludos, uti solebat,* non fuisse celebratos, perspicuè ostenditur, tenorem adhùc servasse suum ætate Philippi, neque de ceremoniis antiquis vel tantillum fuisse immutatum. Quam utique Victor varietatem accusasset. Quibus perspicuum est, Acta Pontii, ab eruditissimo Baluzio edita, falsa prædicasse, dum de Philippis ea commemorant : *Ex illa die, & deinceps, sacrificia idolorum declinantes, spectacula tantum pro conclusione millesimi anni, quo natalem urbis celebrabant, fieri imperarunt.*

Cur de ludis Philippeis silentium egerit Zozimus?

Baron. an. 249. n. 5.

III. Opinioni tamen suæ ex Zozimi silentio Baronius præsidium quærit : *Fortasse*, inquit, *ludos à Philippo celebratos, tacendos Zozimus existimavit, quòd à Christiano Imperatore non fuerint celebrati more Majorum.* Vanam esse illustrissimi Purpurati conjecturam, laudata loca satis superque testantur. Cùm porro non injucundam eruditi quæstionem moveant, cur seculares ludos à Philippo editos prætererit Zozimus, hanc quoque materiam ingredi placet. Quos Chilone, & Libone Coss. Severus ludos exhibuit, supremi videntur esse Zozimo. Aliorum sanè non meminit, imò illud quoque scripto mandat : *Iisdem verè ludis neglectis, cùm imperio se Diocletianus abdicasset, paulatim quasi effluxit, delituitque tacitè redactum ad barbariem. . . . . Nam a Consulatu Chilonis & Libonis, quo Severus ludos seculares exhibuit, usque ad Diocletiani nonum, Maximi octavum Consulatum, centum & unus annus elapsi fuerunt : ac tum quidem privatus ex Imperatore Diocletianus factus est.*

Zoz. l. 2. c. 7.

Cur à Consulatu Chilonis & Libonis intermissorum ludorum ducit Epocham, si post annos septem & quinquaginta à Philippo sunt editi? Silentii hujus causas afferunt Blondellus de Primatu pag. 1132. atque Pagius Dissertatione Hypaticâ n. 12. Nempe quòd *ludi à Philippo editi, alterius classis ac ordinis erant, quàm illi, de quibus loquitur Zozimus.* Quam nos rationem non capere, ingenuè profitemur. An ludi seculares fuere varii generis atque ordinis? Quis gentium eos divisit in varias classes, ac veluti species? Nonne una ludis secularibus origo, finis unus, similes ceremoniæ? Illud quidem probè scimus, incerta fuisse temporum intervalla : ac ita nonnullis institutum, ut centesimo quoque anno fierent, aliis verò ut decimo centesimoque anno repeterentur, ut à Censorino monemur. Non ideò tamen nascuntur duo ludorum secularium ordines. Itaque Plinio unius generis erant, qui & ab Augusto, & à Claudio exhibiti sunt : *Minus miror Stephanionem, qui primus togatus saltare instituit, utrisque secularibus ludis saltasse & D. Augusti, & quos Claudius Cæsar Consulatu IV. fecit, quando tres & sexaginta non amplius anni interfuere.* Equidem si ludi seculares bifariam dividebantur, in *centenarios* nimirum & *centesimos decimos*, mirum est ambos à Cæsarum nullo fuisse celebratos. Unus ab Augusto, unus à Claudio, unus à Domitiano, unus à Severo, non multiplex ludus secularis editus est. Denique concesso ludos Philippeos, *alterius classis & ordinis fuisse*, quàm illi de quibus loquitur Zozimus, nondum quæstio soluta est. Quippe tam de Philippi, quàm de Claudii ludi mentionem agere Zozimus debuit, cùm utrique *centenarii* fuerint, sive ultimo sui seculi anno celebrati. Claudiani scilicet anno urbis 800. Philippei anno 1000. Claudianorum tamen meminit Zozimus : *Post Augustum Claudius ludos celebravit, numero præstitutorum annorum neglecto.* Est igitur alia Zozimiani silentii quærenda causa. Si vel labentis memoriæ, vel incuriæ Zozimum damnari non placet, non improbabile est, ex Eusebio, Hieronymo, ac sparsâ de Philippo Christiano vulgi famâ deceptum, in mentem sibi induxisse, ludos anni millesimi reverà *seculares* non fuisse, sed sola *spectacula*, quibus nil sacri conjunctum conservando Romanorum imperio, cujus incolumitatem ab hisce ceremoniis, atque sacrificiis petendam existimabat.

Plin. l. 7. c. 48.

Zozim. l. 2. c. 4.

Philippi Leges de m[illegible] exsanguinis.

Victor. de Cæsar.

IV. Ludorum occasione æquissima simul & sanctissima lex à Philippo promulgatur : *Cùm Pontificum lege hostia mactarentur, suis utero maris fœminarum genitalia apparuere. Id haruspices solutionem posterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretari. Quod frustratum iri æstimans Imperator Philippus, tum quia fortè prateriens, filii similem pro meritorio ephebum conspexerat, usum virilis scorti removendum, honestissimè consultavit.* Id quoque testatur Lampridius Alexander : habuit in animo exoletos vetare, *Quod posteà Philippus fecit.* Extincto tamen Philippo restituti videntur, cùm infame genus Constantinus exterminarit : *Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi, donec sub Constantino Imperatore, Christi Evangelio coruscante, & infidelitas universarum gentium, & turpitudo deleta est.* Aliam quoque legem tulit Philippus, quæ honestate condita est : *Poetæ nulla immunitatis prærogativâ juvantor.* Frustrà tamen in legibus ejusmodi Philippi Christianismus quæreretur. Imò extispiciorum superstitioni addictum fuisse, ex Victore liquet. Secus ex deprehensis in porco genitalibus fœmineis, imminere malum imperio non credidisset.

Lampr. c. 24.

Hier in Esai. c. 2.

Dionysii Alexandrini vita.

V. Heraclæ, qui superiore anno mortem invenerat, successit Dionysius, qui annis XVII. Alexandrinæ præfuit Ecclesiæ, initio à currente deducto. Ac faustis quidem avibus Episcopatum adipiscitur, cùm pietate, eruditione, eloquentiâ, patientiâ, & in adversis animi constantiâ, decus Ecclesiæ fuerit, atque ornamentum. Genere Alexandrinum, & nobilita-

Euseb. l. 7. c. 11.

teclarum fuisse, verbis ipsius ducimur ad credendum: *Quot verò Germanus commemorare potest, perinde atque ego, sententias Judicum, publicationes, proscriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, contemptus gloria secularis, Laudum à Prafectis & Decurionibus profectarum despectus.* Quæ verba obscuri non sunt hominis, humilique loco nati. Anno CCXXXI. Heraclæ in scholæ Alexandrinæ Præfectura, successerat, quam eum multa laude Provinciam annis XVI. ut administravit, Presbyterorum suffragio creatur Episcopus. Non ideò tamen odii Heraclæ adversus Origenem, ut & Cathedræ hæres relictus. Id quidem sibi persuasit Annalium parens: *Dionysius licet Origenis olim fuisset discipulus, attamen veritatis ardore æstuans, Origenem cœpit acriter impugnare, & in multis hæreseos accusare.*

Bar. An. 248. n. 1.

Non advertit tamen animum dicto Eusebii: *Est & Dionysii libellus de martyrio, ad Origenem scriptus.*

Euseb. l. 6. c. 46.

Quod indicium est, ab Origenis amicitia sese non avertisse Dionysium, amoremque quo Doctorem coluerat suum, stabilem fuisse, fortunæque casuumque ludibriis non obnoxium. Sic Protecto, Ambrosioque dum à Maximino vexabantur, Origenes non defuerat, librumque ad ipsos de martyrio, veteris amicitiæ memor miserat, quo animos dolore & miseriâ tabescentes relevaret. Mens erat Dionysio Hæreticorum libros, & traditiones cognoscere, id ex ea lectione utilitatis percipiens, quod & refelleret, & eorum nugamenta magis abominaretur. Ab eo studio cùm Presbyterorum unus revocare vellet, ne hoc fortè cœno inquinaretur, voce ad aures perlatâ, pergere jussus est: *Lege omnia quæcunque in manus venerunt. Idoneus namque es, qui singula disquiras & examines.*

Euseb. l. 7. c. 7.

Persecutiones Dionysii Alex. & Obitus.

VI. Anno Episcopatus secundo, qui CCXLVIII. Dionysianus est, coorto à plebe tumultu, qui ingenti luctu & mærore Alexandrinam afflixit Ecclesiam, multosque Martyres morti misit, generosus ille Dionysius malis non cessit, etsi Christianis, non per viam publicam, non per angiportus noctu interdiuve incedere liceret, Ethnicis passim & ubique clamantibus, qui fidei proditor esse nollet, *Eum illi. flammis ultricibus absumendum.* Hisce tamen calamitatibus contrà audentior ivit Magnus ille Dionysius: *Primum quidem*, inquit, *nos expulerunt, cùmque soli ab omnibus fugaremur, & morti exponeremur, etiam tum festum celebravimus*; Paschale scilicet, quod XV. Aprilis, anno CCXLIX. est celebratum.

Euseb. l. 6. c. 41.

Euseb. l. 7. c. 22.

Ubi verò Alexandrinorum furori Decianum decretum accessit, omnibus penè exterritis, atque exanimatis, Dionysius cum aliis numero paucis infracto pugnavit animo. Quatriduo enim domi mansit, adventum exspectans Frumentarii, quem ad se requirendum Sabinus miserat. Mentis quâdam caligine percussus Frumentarius, vias, fluvios, agros perscrutabatur; domum verò Dionysii non petiit, cùm in mentem sibi inducere non potuisset, grassante persecutione, Sanctum Episcopum domi consistere voluisse. Quintâ die, accepto divinitùs mandato, Dionysius aliò migravit, famulisque, Christianisque nonnullis comitatus, eâ quam Numen aperuerat viâ egreditur. Cùm in domo versaretur, quam post fugam incolebat, circa Solis occasum unà cum comitibus, à militum manipulo comprehensus, *Taposirim* perducitur. Urbs est in Hammoniaca regione, docente Ptolomæo libro IV. Aberat fortè Timotheus, qui domo vacuâ repertâ, cùm intellexisset Dionysium unà cum comitibus in servitutem abduci, correptâ fugâ prætrepidus in rusticum incidit, qui ad convivium nuptiale, totâ nocte celebrandum properabat. Ubi rem discumbentibus narravit, subitò quasi dato signo consurgunt, irruentesque cum clamore, militibus in fugam versis, ad Dionysium in lectulo jacentem solâque amictum interulâ accedunt. Quos rogavit, ut sibi caput amputarent, idque loco beneficii futurum. At illi qui Dionysio comites erant, invitum surgere cogunt, ac nudo impositum asino abduxere.

Euseb. l. 6. c. 40.

Neque res Dionysii meliore fuere loco, quòd Mareotorum ope, à Centurione, Magistratibus, militibus, apparitoribus liberaretur. Orbatus enim Fidelium solatio, ac Petri, & Caii tantùm comitatu gaudens, in deserto & squalido quodam Libyæ loco concludebatur, qui tridui itinere distabat à Paretonio. Hic solitariam, & velut umbratilem vitam toleravit, ad usque Decii obitum, qui tranquillitatis aliquid attulit Ecclesiæ.

Euseb. l. 7. c. 11.

Alexandriam igitur repetiit, ut officio suo fungeretur, anno CCLI. Porro dum Ecclesia à Valeriano crudeliter vexatur, novis ecce laboribus Dionysius defatigatur, anno CCLVII. ut ipse retulit ad Hermamonem Epistolâ. Ab Æmiliano Ægypti Præfecto accitus, comitantibus Maximo Presbytero, Fausto, Eusebio, Chæremone Diaconis, à Christi fide discedere jubetur. Præcipienti subitò responsum: *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Dionysium verò cùm minis, promissisque flectere non posset Æmilianus, in Libyæ locum, cui *Cephro* nomen, ne concessâ quidem diei unius morâ, ægrotantem licet, ire compulit. Quo favente Deo factum, ut Christi religio Barbaros loci ejus homines illustraret. Dionysio aderat magnus Fidelium numerus, qui vel Alexandriâ ipsum secuti fuerant, vel ex Ægypto confluebant. Conventus ergo agi sancto Præsuli placuit. Ac initio quidem lapidibus petebantur: postmodum verò Ethnicorum non pauci Servatoris ad disciplinam deducuntur. Alexandrinos quoque literis adjuvit suis: *Eos qui in urbe erant, perinde ac si adessem, majore studio congregavi in Ecclesiam, absens quidem corpore, animo autem præsens.* Tristissimum hunc exuli locum imperaverat Præfectus, ut facilius Dionysius comprehenderetur, utpote à via publica minus remotum. Nihilominus ad eum constanti animo pertexerat. Ægrè verò & molestè tulit Æmiliani mandatum, ut relicto Cephro, ad Colluthionis regionum migraret. Audito tamen ab urbe Alexandrina propius abesse, eoque se carissimorum aspectu facilius fruiturum, non minimum recreatus est. Pace apud Ægyptum constitutâ, post extinctum *Macrianum*, ejusque liberos *Macrianum* & *Quietum*, Dionysius quadriennii exilium passus, edicto Gallieni Alexandriam anno CCLXI. revocatur: *Imperator Cæsar P. Licinius Gallienus, Pius, Felix, Augustus, Dionysio, Pinna, Demetrio, & reliquis Episcopis. Indulgentiam beneficii nostri per universum orbem diffundi præcepimus, ut cuncti à religiosis locis abscedant. Quocircà & vos rescripti nostri formâ uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam facesset.* Reversus igitur officio suo non defuit. Motâ ab Æmiliano, qui imperium arripuerat, seditione, distractos Christianos Epistolis

Euseb. l. 7. c. 11.

Euseb. l. 7. c. 13.

ANNO DOM. 247.

stolis compellavit. Ob hos tumultus secessisse Alexandriâ, doctissimus *du Pin* opinatur: *Il fut bientost obligé d'en sortir.* Quam & opinionem Baronius tenuit anno 263. n. 2. Aliud tamen cogitationis nobis injiciunt verba Eusebii: *Ipso Pascha die, ex urbe Alexandria, tanquam extorris, fratres per literas alloquitur.* Urbe igitur eâ non aberat, sed cùm Christiani distraherentur, nonnullis Æmiliano, aliis Gallieno faventibus, eos literis compellavit: *Facilius enim*, inquit, *quis ab Oriente ad regiones Occidentis ultimas commeare possit, quam ex ipsa urbe Alexandria, Alexandriam pergere.* Cùm bellum excepisset, imminente Paschâ, *fratres per literas allocutus est.* Vocatus ad concilium anno CCLXIV. contra Paulum Samosatenum congregatum, adventum quidem suum abnuit, senectutem caussatus, & corporis infirmitatem, de ea tamen quæstione mentem missis literis suam aperuit, & non multò pòst naturæ satisfecit, anno imperii Gallieni duodecimo, cùm Episcopatum septemdecim annis obtinuisset. Qui de completis annis sunt intelligendi. Octavum & decimum enim Præfecturæ annum delibasse videtur, ut natalem annum cum supremo componenti liquebit. Vir fuit beatus omni laudum cumulo. Eusebius eum Magni nomine afficit: *Septimum Ecclesiasticæ historiæ librum Magnus ille Dionysius suis verbis nobiscum unà contexet.* Eusebium imitatur & merito suo Magnus Basilius, Epistolâ ad Amphilochium cap. 1. *Miratus sum quomodo hoc Magnum Dionysium præterit.*

N. Bibl. p. 188.

Euseb. l. 7. c. 21.

Euseb. l. 7. c. 28.

Scriptorum Dionysii Alex. Chronotaxis.

VII. Non voce modo Magnus ille Dionysius, sed scriptis quoque profuit Ecclesiæ, quorum luculenta quæ supersunt fragmenta monent in tam gravi Operum Epistolarumque jactura esse dolendum. Quæ apud Eusebium confusiora sunt, in ordinem digerere scripta ea tentabimus, temporis legibus obtemperantes. Cùm furente Decio, Origenes ferrea vincula, gravesque crucistus in carcere pateretur, Ecclesiaque Alexandrina vexaretur, Dionysius exulem agens, objurgatoriam Epistolam scripsit ad gregem suum, & libellum de martyrio ad Origenem. Ad Origenem quidem, quem ut Doctorem suum honore & amicitiâ dignabatur, ad gregem verò suum, qui innatâ ut videtur levitate abreptus, in persecutione officio suo non fungebatur. Anno CCXLIX. exeunte, vel ineunte sequente, confecta ea scripta putamus. Dionysii ad Fabium Epistolam anno CCLI. missam esse, fit nobis vero simile. Doctissimus Elias du Pin aliam Chronologiam secutus, Dionysianam hanc Epistolam confert in annum superiorem, *à la fin de l'année* CCL. *de J. Christ*, N. Bibl. 187. Seditionem tamen jam in Ecclesiam induxisse Novatianum, cùm à Dionysio Fabius scripto aditus est, extra dubium poni videtur. Martyrum enim meminit, qui misereri lapsorum, ubi resipiscentiam viderunt, *In orationibus ac cibo, cum ipsis communicarunt*, *Quid ergo*, inquit, *nobis fratres de his suadetis: Utrum sententiæ Martyrum accedemus, an contra judicium illorum irritum faciemus, ordinem constitutum evertemus, Dei ipsius indignationem provocabimus?* Quæ ad Novatiani inclementiam respectum habent, ipso teste Eusebio: *Hæc Dionysius consultò videtur adjecisse, loquens de iis, qui persecutionis tempore, præ infirmitate animi lapsi fuerant. Etenim Novatus* (Novatianus) *Ecclesiæ Romanæ Presbyter, arrogantiâ adversus eos elatus est, quasi nulla spes salutis, ipsis post hæc superesset.* Anno verò CCLI. Novatianus insurrexit Cornelio, ac Catharum sese professus est. Ejusdem temporis esse, & Epistolam de pœnitentia ad fratres per Ægyptum constitutos, & ea de materia librum ad Cononem, Hermopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, & ad Laodicensem Ecclesiam, cui præerat Thelymidres Episcopus, & ad Armenios, quorum Præsul Meruzanes, Epistolas existimamus, quas Eusebius literis ad Cornelium scriptis præponit. Ejusdem & ætatis est scriptum, quo Novatianum adit Episcopum. Se invito à fautoribus suis creatum fuisse, Dionysio notificarat Schismaticus. Cui respondit vir magnus, proinde ipsi gloriosum fuisse subire martyrium, ne divelleret Ecclesiam, atque pro fide interfici: *Si tamen vel nunc persuaseris fratribus, aut eos coegeris, ut ad concordiam redeant, majus tibi meritum erit, quàm culpa. Quod si fratribus parere recusantibus id efficere non potes, tuam ipse animam serva.* Eundem & annum CCLI. assignamus Epistolis, quas Romam misit. Prima est de officio Diaconi, quam Hippolytus attulit, secunda de pace & pœnitentia: utraque data ad fratres Romæ constitutos. Scripsit etiam ad Confessores, qui Novatiani partibus etiamnum favebant, Maximum Urbanum, Sidonium & Macarium. Anno CCLII. Cornelio misit Epistolam, in qua significat, se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo, Firmiliano Cappadociæ, Theoctisto Cæsareæ Palæstinæ invitatum esse, ut Synodo Antiochenæ interesset, in qua quidem Novatiani schisma, confirmari posse sperabant. Cujus Epistolæ tempus in dubio esse nequit, cùm in ea mortis Fabii meminerit, qui anno CCLII. Demetriano decessit. Ubi audiit ad Ecclesiam Confessores rediisse, duabus adhùc Epistolis eos compellavit. Cùm magna Stephanum inter & Cyprianum, de Hæreticorum baptismo lis exorta fuisset, Stephano literas direxit Dionysius, ac illum monuit, Ecclesias, quarum copulationes Novatiani factio dissolverat, rediisse ad concordiam, omnesque ubique terrarum ob eam rem gestire lætitiâ. Quæ anno Stephani tertio, qui Dom. CCLVI. cohæret, quo commissæ sunt Cypriani & Stephani pugnæ, exarata est. Hinc liquet, Stephani initio in anno superiore, ab Elia du Pin non debuisse collocari. Defuncto Stephano, ad Sixtum Dionysius scripsit, anno CCLVII. ne decessoris vestigiis incederet, qui de Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas Provincias constitutis testatus fuerat, sese ab eorum communione discessurum, quòd Hæreticos baptizarent: *Ac vide*, inquit, *gravitatem negotii. Reverà enim in maximis, ut audio, Episcoporum Conciliis decretum, ut qui ab Hæreticis ad Catholicam Ecclesiam veniunt, primum Catechumeni fierent.* Unà quoque Dionysio, & Philemoni Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, qui Stephano assensi fuerant, de eadem quæstione scripsit; Sixti & in Epistola, Sabellianorum meminit Hæreticorum, qui tum temporis increscebant. Complures verò Dionysii ad Philemonem fuerunt Epistolæ, quarum in tertia hoc de se tradit, quòd à Presbyterorum uno prohibitus, traditiones librosque Hæreticorum legere, de quorum refutatione cogitabat, ad id Operis suscipiendum, voce divinitùs missâ impulsus sit, utpote qui examini ejusmodi peragendo esset idoneus. Quæ sedente non Stephano, ut opinatur Baro-

Euseb. l. 6. c. 46.

Euseb. l. 6. c. 42. 43.

ANNO DOM. 247.

Euseb. l. 6. c. 46.

Euseb. l. 6. c. 45.

Euseb. l. 6. c. 46.

Ibid.

Euseb. l. 7. c. 7.

Baronius, sed Sixto, Philemoni scriptæ sunt. Quatuor Dionysii Alex. ad Dionysium Presbyterum antequàm Episcopatum Rom. adipisceretur, Epistolas memorat Eusebius. Quarta asperè in Novatianum invehitur, utpote qui nefariam de Deo doctrinam invexerit, & elementissimum J. Christum calumnietur. Anno CCLVIII. qui Sixto supremus fuit, consilium ab eo petit, de Fideli quodam, qui ab Hæreticis baptismum susceperat, qui cum Ecclesiæ lavacro nil commune quidquam habuit. Obnixe ergo flagitabat, ut regenerationis sacramento tingeretur. Rogantem abnuit Dionysius, quòd ad sacram mensam astiterat, corpusque sanguinemque Christi participarat. Quintam etiam de baptismo ad Sixtum Epistolam misit, & ad Ecclesiam Rom. eodem anno scriptam. Dum exilem agit Dionysius, anno CCLIX. ab Æmiliano pulsus, adversus Germanum insignem scripsit Epistolam, quæ gravia passus est complectentem. Biennio post, insignem ad Hermammonem Epistolam contexuit, anno scilicet CCLXI. ut ex clade Macriani, cujus mentionem facit, ducimus conjecturam: In Macriano ejusque filiis, inquit, *evidentissimè impleta est prædictio Dei, Ego sum, qui ulciscor peccata parentum in liberis.* Chronologiam sanè Eliæ du Pin admittere haud possumus: *La lettre à Hermamon, ecrite la VII. année de Gallien, qui est CCLXIV. de J. Christ.* In ea enim Epistola legitur: *Dei amantissimus Imperator, septennalem circulum jam emensus, IX. imperii annum degit.* Atqui IX. Galieni in Christi 261. incidit. Sub eadem penè tempora eas condidisse videtur Epistolas, de quibus apud Eusebium memoria est, antequam pace à Galieno restitutâ repeteret Alexandriam. Harum unam Flavio nuncupavit, alteram Domitio & Didymo, in qua probat festum Paschale post vernum æquinoctium esse celebrandum, cuique octo annorum Canonem adjunxit. Videatur Nicephorus l. 6. c. 20. Alexandriam reversus ad Hieracem unum ex Ægypti Episcopis, Dionysius de seditione ab Æmiliano mota, direxit Epistolam anno CCLXII. Cui subjungi potest & Canonica ad Basilidem Episcopum Epistola, quâ Canones quatuor continentur, quorum primus variam observandi jejunii ante Paschalis disciplinam exhibet. Secundus paulò morosior, non fert mulieres menstruo sanguinis profluvio laborantes, ad sacram mensam accedere. Anno CCLXIII. post debellatum à Theodoto Æmilianum, cùm gravissima pestis incubuisset Ægypto, imminente Paschate, calamitatis magnitudinem descripsit missâ fratribus Epistolâ. Dionysio Rom. Episcopo quatuor de Sabellii doctrinâ libros nuncupavit, qui in eo intervallo, quod ab anno CCLIX. ad usque CCLXIII. labitur, conditi sunt. Fuere & alia Dionysii Opera, quorum tempus ignoramus. Libri de Natura Timotheo dedicati, liber de Tentationibus ad Basilidem Pentapolitanum, Commentarius in Ecclesiasten, aliique non pauci, de quibus videndi Autores. Illa tanquam cygnea fuit Sancti viri Epistola, quam ad Patres Antiochenos de Pauli Samosatensis doctrina scripsit anno CCLXIV. qui ipsi mortem attulit. Atque hæc de plerarumque Dionysianarum Epistolarum Chronotaxi, quarum fragmenta nonnulla supersunt, veluti ereptæ è naufragio tabulæ.

Euseb. l. 7. c. 10.

Euseb. l. 7. c. 23.

Euseb. l. 7. c. 26. & Hieronymus de Viris illustribus.

Nepotis doctrinam refellit Dionysius.

VIII. Maximam quoque curam ut fides tecta sartaque remaneret, Dionysius adhibuit. Nepos Episcopus Ægypti, ut dignum suo nomine faceret, spatium in terra millenarium voluptatibus refertum sibi fingebat. Ac ex Apocalypsi opinionem stabilire suam conabatur. Librum quem de ea quæstione Dionysius condidit, Confutationem Allegoristarum inscripsit. In Nepotem ergo, qui jam naturæ satisfecerat, stricto calamo libros de Promissionibus geminos edidit. In priore suam de hac quæstione sententiam profert. In secundo hæc habet: *Cum essem in Arsinoitica Præfectura, in qua jam pridem increbuit opinio hæc, adeò ut schismata, & integrarum Ecclesiarum defectiones fierent, convocatis Presbyteris, ac Doctoribus, qui per singulos vicos fratribus prædicabant, præsentibus item fratribus, qui adesse valuerant, hortatus sum illos, ut ea doctrina palam in concione examinaretur.* Cùmque hunc librum tanquam murum inexpugnabilem opposuissent, triduo à prima luce ad vesperam cum ipsis sedens Dionysius librum discutit. Quo facto, Coracio hujus doctrinæ signifer, pollicetur se imposterum hanc opinionem amplexurum non esse. Errante memoriâ, Hieronymus Præfatione l. 18. Commentariorum in Esaiam, ad Eustochium virginem hæc scripsit de Irenæo: *Adversum quem vir eloquentissimus Dionysius, Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex, elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam.* Errorem ipse suum purgat Hieronymus libro de Viris illustribus in Dionysio: *Duo libri adversum Nepotem Episcopum, qui mille annorum corporale regnum suis scriptis asseruerat.*

Euseb. l. 7. c. 24.

Num Dionysius faverit Arianis?

IX. Cùm anno CCLVI. apud urbem Pentapoleos, nomine *Ptolemaidem*, Sabellius teterrimum errorem Ecclesiæ intulisset, tam ab ejus discipulis, quàm à Christianis literæ ad Dionysium perferuntur. Rescripsit igitur ad Ammonium, & Euphranorem, ut impia quæ disseminarat Hæreticus lollia evelleret. In ea verò Epistola, quædam admiscuit, in quibus exultarunt Ariani, Dionysium suum esse prædicantes. Scriptum enim habebatur: *Filium Dei opus esse factitium, neque natura proprium, sed secundum essentiam à Patre alienum esse.* Quibus offensi fratres nonnulli, non interrogatum Dionysium apud Episcopum Rom. nomine & *Dionysium* accusant. Quod ubi compertum Præsul Alexandrinus habuit, Romano scribit, ut objecta sibi indicarentur, quibus acceptis, Apologiam edidit, in qua sceleratam Christi hostium disciplinam redarguit. Purgandi verò sui causâ his verbis utitur: *Ostendo crimen quod deferunt contra me, falsum esse, quasi dicerem Christum non Consubstantialem esse Deo. Nam tametsi dico, me id nomen non reperisse, nec legisse me alicubi in Sacris Literis, rationes tamen nostræ non abludunt ab hac sententia.* Quo præcisè tempore hanc Dionysius Epistolam scripserit, dicere haud possumus: eò tamen inclinat animus, ut anno CCLX. confecta sit. Quippe anno CCLVII. Sixto Papæ scripserat, se conditarum in Sabellianos Epistolarum exemplar ad eum misisse. Postquam igitur sedes Romana, quæ vacaverat, à Dionysio Rom. occupata est, Pentapolitani fratres, audito Ecclesiæ Rom. Episcopum impositum esse, de accusando Alexandrino Præsule urbem petunt. Rem quod attinet, de augustissimo Trinitatis mysterio vera sensisse Dionysium existimamus; incommodam tamen duramque locutionem ipsius prorsus improbamus. Neque etiam laudatur Basilio: *Non omnia,* inquit, viri

Athan. c. 5. de Sent. Dion. 551.

Ath. c. 2. 558.

Ath. s. 1. 918.

Euseb. l. 7. 6.

Basil. Epist. 41.

ANNO DOM. 247.

viri hujus laudamus. Sunt quæ prorsus etiam damnamus. Ipse propemodum quantum nobis liquet, primus hominibus impietatis istius anommana, quæ jam passim obstrepit, seminaria præbuit. Nec à Basilii mente discrepat Gennadius, qui in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus hæc habet: *Dionysius fons Arii.* Verùm Rufinus queritur, Dionysii Opera ab Arianis esse corrupta. Non tamen prudenter satis vocabulo ὁμοούσιος offensus fuit, quòd non extaret in Scriptura. Satis erat si res nominis in ea comprehenderetur.

An de rebaptizandis Hæreticis Dionysius Cypriani sententiam sit amplexus.

X. Relictâ Alexandrinæ Ecclesiæ disciplinâ, an Dionysius Cypriani de rebaptizandis Hæreticis sententiam amplexus fuerit, in quæstione ponitur. Affirmat Hieronymus: *Hic in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma consentiens, de Hæreticis rebaptizandis, ad diversos plurimas misit Epistolas, quæ usque hodie extant.* Valesius, Pagius Criticæ anno 256. n. 12. Hieronymo fidem adjungunt, à quo tamen dissentire cogimut Autore ipsomet Dionysio, qui de sententia sua omnibus est anteponendus. Mortuo quippe Stephano, cùm æstus contentionis deferbuisset, consilium à Sixto petit, de fideli quodam Alexandrino, qui Catechumenorum baptismo interfuerat: *Ad me*, inquit, *accessit flens, & vicem suam ingemiscens, pedibusque meis advolutus dejerare cœpit, baptismum quo apud Hæreticos initiatus fuerat, non ejusmodi esse, nec cum eo nostro commune quidquam habere. . . Provideque orabat, ut hoc purissimo lavacro donaretur. Quod equidem facere non sum ausus, sed diuturnam illi communionem ad id sufficere dixi.* Quòd si Cyprianicarum Dionysius partium fuisset, utique baptismum renovasset hominis, quem lavacro Hæretici suo tinxerant. Præterea erat Heraclæ in institutis, absque baptismo suscipere Hæreticos: *Ad communionem eos admittebat, nequaquam existimans, iterato baptismate eis opus esse. Quippe jam anteà Spiritum Sanctum ab eo acceperant.* Noluit verò Dionysius, antiquos Ecclesiæ ritus mutatum iri, Mosis verbis fretus, Non commutabis terminos proximi tui, quos parentes tui constituerunt. Insuper Pepuzianorum baptismum à Dionysio susceptum fuisse, testatur, indignaturque Basilius, Epistolâ ad Amphilochium c. 2. *Pepuzianorum autem baptismus nullam mihi habere rationem videtur, & miratus sum quomodo hoc Magnum Dionysium præterit, qui κανονικός, regularis & Canonum peritus* fuerit. Quod enim aiunt nonnulli, Dionysium ejuratâ Cypriani opinione, Stephani in sententiam iterum delapsum esse, figmentum est, quod & ipsimet Hieronymo pugnat, & ex gravissimo constantique Episcopo *Vertumnum* facit. Deinde de Firmiliano aliisque Dionysius ad Stephanum scripsit, ut de renovando baptismo lis componeretur. Illum *rogavit & obtestatus est*, quod non fecisset, si Cypriani partibus militasset. Nil ergo mutationis attulit Dionysius consuetudini, quæ Demetrio Heraclâque sedentibus, apud Alexandrinam Ecclesiam obtinuit. Verùm cùm mansueto esset animo, & pacis cupido, ob quæstionem de baptismo renovando, Christianorum concordiam non disturbandam esse putavit. Eam obtinere disciplinam voluit, quæ in more posita fuit & instituto Majorum.

Baronius anno 258. n. 48.

Euseb. l. 7. 9.

Euseb. l. 7. 7.

Ibid.

Epistola Dionysii ad Paulum Samosatenum subdita est.

XI. Extat Epistola contra Paulum Samosatenum, ornata Dionysii Alex. nomine, quæ magno Præsuli, à Turriano Epistolæ interprete, Baronio, Bellarmino, Nat. Alexandro, ascribitur. Epistolæ titulus est: *Dionysius & Compresbyteri Ecclesiæ Alexandrinæ in Domino salutem.* Pauli Hæretici quæstiones decem exhibet, quibus Dionysius responsionem affert. Quarta tamen quæstio deest in Codicibus MS. quam verbis Latinis lacunam supplevere: *Scriptum est in Evangelio, & accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & dividite inter vos. Hic calix est novum Testamentum in meo sanguine qui pro vobis fundetur. Quomodo igitur est sanguis incorruptibilis, si dividitur & funditur.* Ex responsione verò Dionysii, Baronius colligit, Paulum *Veritatem carnis & sanguinis Christi esse in Eucharistia, affirmasse.* Quam & Dionysio fuisse mentem contendit laudatis verbis ejus, ex quarta septimaque ad quæstiones responsione: *Quamobrem & mysterium illud inenarrabile sic ab ipso vocatur, novum Testamentum Dei dare seipsum nobis in mystica cœna.* Ejusmodi orationibus, quæ multæ sunt in Epistola, illustrissimus Purpuratus sibi videre visus est corporis sanguinisque Domini ipsissimam substantiam panis vinique *accidentibus* inclusam. Nullo jure tamen nisi & baptismo quoque contineri fingamus, de quo & ea tradit Autor Epistolæ: *Unus fons pelvis, in qua baptismus salutaris perficitur in aqua viva, & sanguine vivifico, & Spiritu Sancto.* His verò missis illud potius videamus, utrùm germana sit Dionysii Epistola. Nos quidem Valesio accedimus, qui notis in l. VII. Eus. c. 30. p. 139. Dionysii Epistolam abjudicat. Quam sententiam verissimam esse, insitis assumptisque argumentis demonstramus. Antiochenæ Patres Synodi in Epistola adversus Paulum hæc habent: *Dionysius quidem Antiochiam scripsit. Sed erroris ducem ne salutatione quidem dignatus est, neque ad eum nominatim, verum ad universam Antiochensium Ecclesiam literas suas direxit.* Atqui autor Epistolæ, & Paulo se scripsisse dicit, & *amici* nomine Paulum compellat: *Rescripsimus ad ea quæ prius scripsisti, ut eliceremus te ad dicendum aperte, quod vis dicere. . . Volens ignoras, ô amice, unum & ingenitum Filium Dei.* Præterea Dionysio nobilis stilus erat, pompæ & majestatis plenus, cùm Epistolæ tenuis sit, & humilis, ut qui Epistolam Dionysio vindicet, ne ignorasse videatur, quantum distent æra lupinis. 3°. Puerilibus utitur allegoriis indignis Magno Dionysio: *Erant duo hirci simul ad altare alligati, accipiebatque Sacerdos alterum duorum, & mactabat, postquam unus ex duobus mactatus erat, dimittebatur alter vivus in montes.* In *desertum* potius quàm in *montes*, scribi debuit. Vox enim est Hebræa במדבר quam & LXX. vertunt εἰς τὴν ἔρημον. Audiamus nunc lepidam mysterii hujus explicationem: *Hæc prædelineatio erat Patris & Filii. . . Sed dicet mihi aliquis, hircis assimilasti Patrem & Filium.* Vivum vero hircum Patris putat fuisse figuram, quia *ducendus Deus Israel J. C. ad Sanctam suam, & vivificam crucem, ad altare Dei, non ducebatur solus, sed Pater erat cum eo.* Absona est extramodum explicatio. Vivus hircus *Christum* adumbrabat, non *Patrem*. Idcircò hujus animalis capiti Aaron manus imponebat, confitebaturque simul omnes Israelis iniquitates, significando Christum peccatorum omnium successisse oneri, ut ab eo gravissimo sanè & molestissimo populus ejus liberaretur. Aliud in Epistolam telum torquet clarissimus Elias du Pin. Constat vocem *homousii* ab Autore Epistolæ fuisse usurpatum: *Desertum dicis eum. . . quem SS. Patres homousium Patri voca-*

Bar. An. 263. n. 5.

Dionys. Epist. 879.

Dion. Epist. Q. 3. 867.

Euseb. l. 7. c. 30.

Levit. XVI. 10. 21.

Dionys. Epist. Q. 4. 863.

vocaverunt p. 811. Hinc colligit: *Or il est certain que Denys d'Alexandrie, & le Synode d'Antioche ont desaprouvé ce terme.* Metuimus tamen ut vir antiquitatis Ecclesiasticæ peritus *de Dionysio* in errorem inciderit, si vera prædicat Athanasius: *Meritò igitur impiorum impudentiam stupeas, quòd Dionysium dicentem Filium esse Patri consubstantialem, secum affirment ejusdem esse sententia.* Post ergo institutas in se querelas vocem non repudiasse visus est. Hæc quidem extant in ejus ad Dionysium Rom. Epistola: *Ostendo crimen quod deferunt contra me falsum esse, quasi qui dicerem Christum non ὁμοούσιον, consubstantialem esse Deo.* Misso igitur eo argumento, aliud nectimus. Pseudo-Dionysius inquit, SS. *Patres* Christum dixisse *homousion.* Qui sunt illi Patres Germano Dionysio, qui Christum consubstantialem vocaverunt? Quæstio nominis est, non rei. Quod vocabulum, si usurparunt Episcopi, qui tempore longè satis antecessere Dionysio, ut ab eo Patrum nomen acceperint, septuaginta Episcopos, qui Paulum damnaverunt, *Christum non esse consubstantialem* dixisse, quis credat? Atqui dixerunt, teste Athanasio, Epistolâ de Synodis Arimini & Seleuciæ, *t.* 1. 920 Est extra dubium igitur Epistolam non esse Dionysii. Quod verum ex Pagio bina Valesii argumenta extorserunt. Attamen contendit inferendum quidem, *Falsò eam Epistolam Dionysio Alex. attribui, non autem scriptam non fuisse ab aliquo ex Episcopis, qui Synodis adversus Paulum Antiochenum celebratis interfuerunt.* Poscimus tamen, imò flagitamus argumentis doceri, mutatum Epistolæ fuisse titulum. Nùm antiqua extant exemplaria tituli, quem hodierna habent expertia? Imò non Epistolæ modò, sed primæ quoque responsionis titulus, Dionysii nomen exhibet, *Responsio Papa Dionysii.* Cur *prima* diximus, cùm omnes omninò responsiones *Papa Dionysii* nomen exhibeant? Pro certo igitur habemus, eo titulo Epistolam perpetuò fuisse consignatam ab impostore, qui suppositâ personâ, falsum Opus magni nomine Dionysii obsignare curavit. Autorem verò Antiochenâ Synodo longè juniorem fuisse, non ex his modò, *Christum Sancti Patres homousion Patri vocaverunt,* sed ex aliis quoque verbis deprehendimus, quæ Epistolæ patronis ante oculos non venisse miramur: *Dicis duas hypostases esse, & duas personas, unius & solius Christi, & duos Christos, ac duos Filios, unum naturâ Filium Dei, qui fuit ante secula, & unum homonyme, Christum & Filium David, qui non fuit antè.* Quibus certo certius est, Epistolæ Autorem superfuisse Nestorio, cujus hic error fuit, Samosateni non fuit. Equidem fictam vanamque, quam Samosateno ascribit opinionem, quod nempe Deo Filius esset, & *naturâ Filius & ante secula,* prorsus ignorant Veteres, quibus tamen probè nota Samosateni disciplina, Trinitatis peregrina, ut tempore suo docebitur. Cùm igitur conditor Epistolæ erroris Pauli tam hospes fuerit, apparet quidem unum eorum non fuisse, qui Synodis adversus Paulum congregatis interfuit, quem latere non potuit impuri hominis opinio.

N. B. p. 190.

Athan. de sent. Dion. c. 1. 562.

Athan. t. 1. 918.

Pag. Crit. An. 264. n. 3.

Dionys. Epist. 850.

Synodus Arabica.

XII. Currente anno Synodus in Arabia celebratur contra Hæreticos, qui animas cum corporibus extinguebant. Cujus Synodi mentio est apud Eusebium. Asserebant, hominum animas unà cum corporibus uno eodemque temporis articulo occumbere, & penitùs extingui, at tum demum tempore resurrectionis universæ carnis cum iisdem vitam denuò recuperaturas: *Non exiguo igitur Episcoporum conventu ea de re coacto, Origenes ibi etiam rogatus ut partes de illa controversia disputandi susciperet, sic oratione vi, & impetu ferebatur, ut eorum mentes, qui se ante ei errori implicuissent, ad rectam fidem & sanam doctrinam traduceret.*

Euseb. l. 6 c. 31.

Synodus Iconiensis contra Montanistas.

XIII. Iconiensem Synodum anno CCLVI. celebratam fuisse, Baronii, Labbei aliorumque eruditorum sententia est. Quæ Chronologia Firmiliano repugnat, qui in sua ad Cyprianum Epistola adultiorem huic Concilio antiquitatem vindicavit. Annum nos ignorare fatemur. Cùm verò imperante Decio, Concilium coactum fuisse non videatur, prohibente vi persecutionis, & ejus ut antiqui Firmilianus meminerit, ideò conjecturâ movemur, in hunc annum conferri posse. De Montanistarum Baptismo hanc legem promulgavit: *Quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui etsi novos Prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem & Filium nosse nobiscum videantur, plurimi simul convenientes in Iconio, diligentissime tractavimus, & confirmavimus repudiandum esse omne omninò baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.* Synodum verò antiquiorem esse, quàm sibi in mentem Baronius induxit, vincunt hæc Firmiliani: *Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygia locus est, collecti in unum convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & cæteris proximis regionibus confirmavimus.* Sub extrema Alexandri Severi tempora Synodum collectam esse, Valesius existimat. Quin etiam pronomen *nos,* non de Firmiliano, *sed potius de ejus decessoribus, accipiendum* dicit. Cui assentiri conjecturæ non possumus. Quid est enim docere Firmilianum interfuisse Synodo, si hoc non est? *Simul convenientes in Iconio, diligentissimè tractavimus.* Neque criterium temporis, *jam pridem in Iconio,* Valesio favet. Sic de Marciano Arelatensi Cyprianus: *Jampridem jactat, quòd Novatiano studeat,* quod temporis adverbium, non ultra annum CCLI. removeri potest.

Cyprian. p. 148.

Val. Annot. in Euseb. p. 128.

ANNO U. C. 1001. PER. JUL. 4961. JUL. 293. DOM. 248. PHILIPPI 5. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 2. *Indict.* 11. *Epact.* 17. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 26. *Mart.*

ANNO DOM. 248.

COSS. *Philippus Augustus III. & M. Julius Philippus Augustus.*

Alexandrina persecutio.

I. DUm clementi Philippi Imperio Alexandrini parent, ac illi qui nomen Christo dederant, existimant Ethnicos ab injuria & maleficio temperaturos, ortus subitò vulgi tumultus, gravissimum Ecclesiæ hujus civitatis damnum attulit. Ignotus seditionis autor, quem his coloribus depingit oculatus malorum testis, Magnus ille Dionysius: *Et præveniens malorum huic urbi, Vates & autor, quisquis ille fuit, commovit & incitavit adversus nos Gentilium turbas.* Quam Pearsonii versionem omnibus anteponimus. Facem seditionis atque turbinem, *Magistrum & Archi-Synagogum Magorum Ægypti,* Baronius esse putat, qui Valeriani mutavit animum, qui primùm benignam in Christianos mentem acceperat. Quam probare conjecturam non possumus. Alioquin pro seditionis hujus incentore Magum illum æquè Dionysius habuisset, ac fontem & principium duxit motæ persecutionis à Valeriano. Autor tamen popularis tumultus

Euseb. l. 6. c. 41.

Diony-

Dionysium latuit. De tempore quoque persecutionis, Baronii Chronologiam error invasit, quod confert in annum Christi CCL. Decio & Grato Coss. Cui aberrationi Dionysius ipse medicinam facit: *Nequaquam ex Imperatoris edicto persecutio cœpta est, quippe quæ integro anno anteverterat.* Atqui vix imperium erat adeptus Decius, cùm tristem in Christianos sententiam tulit. Non improbabili conjecturâ ducimur ad opinandum, mense Septembri accensum esse furorem Alexandrinorum, cùm anno insequente, extincto Philippo, rerum habenæ mense Julio, Decio traditæ sint. Sic complebitur is ille integer annus, cujus Dionysius meminit. Ad usque verò mensem Aprilem anni CCHLIX. vis persecutionis perduravit, utpote quæ ejectos Alexandriâ Christianos in locis desertis Pascha agitare coëgerit. Hoc sibi volunt verba Dionysii, dum obortæ ob pestem afflictionis meminit, cui multa acerba antecesserant. Primùm quidem plebis in Ecclesiam Alexandrinam furor, *Nos*, inquit, *urbe expulerunt. Cumque soli ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc festos dies egimus. Quivis deinde locus, in quo varias ærumnas pertulimus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar Templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

Eusb. l. 6. cap. 41.

Eusb. l. 7. cap. 22.

Alexandrini in ea persecutione Martyres.

II. Persecutionis Alexandrinæ diuturnitati multum furoris accessit, quo Martyres multi morte mactati. Senem optimum *Metram*, qui fidem ejurare nolebat, fustibus verberatum, oraque discerptum, quæ acutis arundinibus pupugerant, deductum posteà in suburbium lapidibus opprimunt. *Quintam*, fidelem fœminam, saxis illisam molaribus, flagrisque laniatam, ad suburbium quoque perductam lapidibus obruunt, quòd Idola adorare noluerat. Apolloniam & provectæ ætatis virginem comprehensam, tantâ vi verberant, ut ei dentes excusserint. Neque tam quievit rabies. Accenso extra urbem rogo, Sanctæ Martyri ignem minantur, ni verbis impiis Christum incessat. Quæ veniam deprecata, cùm dimitteretur, in ignem insiliens conflagravit. *Serapionem* in ædibus suis comprehensum, acerbissimis tormentis excruciarunt, ac dein membris omnibus confractum, ex cœnaculo præcipitem dederunt. Non per viam publicam, non per angiportus, diu noctuve securis incedere Christianis licuit. Apolloniæ Natale nono Februarii celebratur in Martyrologiis, in quibus etiam Imperante Decio mortem obiisse fertur. Moneri tamen à Dionysio debuerunt, Philippo Imperium adhùc retinente immolatam esse Apolloniam, cujus etiam obitum in alium diem videtur esse conferendus.

Eusb. l. 6. cap. 41.

S. Cyprianus creatur Episcopus. De vita ejus, antequam Clero insereretur.

III. Dum Alexandrinam in Ecclesiam Ethnicus grassatur furor, Carthaginensi, quæ alta in pace erat, novum sidus exoritur B. Martyr Cyprianus, qui ut conjectura est, currente anno Episcopatum adipiscitur. Afrum fuisse Cyprianum, ex Hieronymo scimus, quâ urbe & parentibus editum nescimus. Ac *Carthaginensem* quidem *Senatorem* fuisse, Nazianzenus memoriæ prodit: *Maximum nobilitatis argumentum est, Senatorem esse.* Gregorio Baronius fidem adhibuit, nos verò detrahimus. Tantæ quippe dignitatis immemor non fuisset Pontius, non Hieronymus. Porro Thascius Cyprianus primùm vocabatur, sed ad fidem converso, prænomen *Cæcilius* adjunctum, ut Presbytero ejus nominis, à quo Christi religionem susceperat, honor haberetur. Quo prænomine Ethnicis notus erat, ut appàret extatque ex formula proscriptionis: *Si quis tenet & possidet de bonis Cæcilii Cypriani, Episcopi Christianorum.* Non ignobilem Sancto Viro originem contigisse, non inopem tenuemque fortunam, verba Pontii indicio sunt: *Domus ejus patuit cuicunque venienti, nulla vidua reversa est sinu vacuo.* De fortunæ suæ splendore ipse Cyprianus testis est omni exceptione major, dum sic Donatum compellat: *Quando parsimoniam discit, qui epularibus cœnis, & largis dapibus assuevit, & qui pretiosâ veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus & honoribus, privatus & inglorius esse non potest.* Frugi virum fuisse, quantum Ethnico esse licuit, ex Pontio novimus: *Fuerint licet studia, & bona artes devotum pectus imbuerint, tamen illa prætereo.* Utinam nec ea prætermisisset, quæ de patria, nativitate, ætate, parentibus Cypriani cognitu & jucunda essent, & necessaria ut plena consummataque Sancti Episcopi notitiâ imbueremur: *Gloriose Rhetoricam docuisse*, dixit in ejus vita Hieronymus. Ac sanè præclaras viro illustri fuisse animi dotes, scriptum reliquit Lactantius: *Erat enim ingenio facili, copioso, suavi, & quæ sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* Cùm verò in Cæcilium Presbyterum incidisset, favente Deo ejuratâ superstitione, Christianorum disciplinam perdidicit. Cælibem fuisse Cyprianum, sibi persuasit Clarissimus Cestriensis Episcopus, cujus hæc verba sunt: *Nihil de uxore, aut liberis Cypriani dixit Pontius.* Quam viri magni ἀβλεψίαν, mirari satis non possumus. De liberis quidem nil dixisse Pontium ultrò concedimus, eòque mens inclinat, ut Cypriano nil liberorum fuerit. De uxore verò discrtè Pontius habet: *Non uxoris suadela deflexit*, quæ de homine cælibem agente scribi non possunt. Prima Cypriano religione imbuto cura fuit, continentiam tueri; secunda, legendis Scripturis operam dare; tertia, pauperibus facultates erogare. De prima testis Pontius: *Inter fidei suæ prima rudimenta, nihil aliud credidit Deo dignum, quàm si continentiam tueretur.* De secunda extat & testimonium: *Cùm de lectione divina quædam jam non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod invenit.* Tertiam denique prædicant Pontius, atque Hieronymus: *Distractis rebus suis, ad indigentiam pauperum sustentandam tota prædia pretio dispensavit.* Ut & gloriam Christo, & gaudium Ecclesiæ attulit Cypriani fides, sic Ethnicis odium movit, & indignationem, adeò ut verbis amaris ipsi illuserint: *Audivi ego quendam hominem sanè disertum, qui eum immutatâ unâ literâ Coprianum vocaret, quasi quod elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset.* Græcis κοπρία *stercus* est. Itaque maledico nebuloni Cyprianus *stercoreus* dicebatur. Carthagini verò & initia fidei, & baptisma suscepisse Cyprianum, non dubium faciunt animum alicujus verba ejus ad Clerum Carthaginensem Epistolâ XXXVI. novæ editionis VII. *Ubi enim mihi aut melius possit esse, aut latius, quam illic ubi me Deus & credere voluit, & crescere.* Ex Carthaginensi verò disciplina

Lactant. lib. v. c. 2.

Lactant. lib. v. c. 1.

Paſ-

Anno Dom. 248.

Pascha inter & Pentecosten baptismum est consecutus: *Diem baptismo solemniorem, Pascha præstat & passio Domini, in qua tingimur adimpleta est. . . . Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.* Autumno verò sequente eloquentem vernantemque ad Donatum scripsit Epistolam. De qua Augustinus: *Est tamen aliquid (spumei ambitus) in Epistola B. Cypriani, quod ideò puto vel accidisse, vel consultò factum esse, ut sciretur à posteris, quam linguam doctrinæ sanitas ab ista redundantia revocaverit, & ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit, qualis in ejus consequentibus literis secure amatur, religiosè appetitur, sed difficillime impletur.* Anno Dionysiano 246. Cyprianum Christo initiatum fuisse, Pearsonii conjectura est in Annalibus. Nos tempus in incerto esse malumus. Cæterum antequàm Clero adderetur, charissimum sibi Presbyterum amisit Cæcilium, quo illustrante errorem abdicaverat: *Ille demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensa meritò provocatus est, ut de seculo excedens, arcessitione jam proximâ commendaret illi jam conjugem, & liberos suos.* Cyprianus nec dum Cleru insereb*a*tur ex prisca Afrorum disciplina, quam ab optimo Presbytero animam exhalante, violatam esse credere non possumus. Graviter quidem commotum sese testatus Cyprianus, quòd *Geminius Victor, de seculo excedens, Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominasset.* Non sine legum Ecclesiasticarum injuria: *Cum*, inquit, *jam pridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, & Dei Ministris, tutorem, vel Curatorem, testamento suo constituat, quando singuli divino Sacerdotio honorati, & in Clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant.* Itaque Cypriano Presbytero familiam Cæcilius suam ut tutori non credidisset. Sunt porro de Cæcilio Presbytero errores gemini, Baronianis in Annalibus. Primùm enim Cæcilium illum fuisse putat, qui & Diadumeno Cæsari Doctor datus erat, & in schola successorem Cyprianum habuit. Baronio tamen caligabant oculi, cum hanc suam conjecturam chartis illevit, ut ex ipso Lampridio planum est de Diadumeni Epistola: *Hanc Epistolam quidem ipsius, quidam Magistri ejus Celiani ferunt, Afri quondam Rhetoris.* Celiano ergo *Afro & Rhetore*, Diadumenus Doctore usus est, non *Cæcilio Presbytero*. Quem & Rhetorem egisse, non est credibile. Quod insigne munus non prætermisissent, Pontius atque Hieronymus. Majora peccat etiam Baronius, dum scribit, Cyprianum *charissimam conjugem, & dulcissimos liberos Cæcilio Presbytero commendasse.* Quam salvâ disciplinâ provinciam Cæcilius suscipere non potuisset. Quæ de *Cæcilio* disertè tradit Pontius, illustrissimus Purpuratus in Cyprianum improvidè transtulit. Non Cæcilio Cyprianus, sed Cypriano Cæcilius liberos, conjugemque suam moriens commendavit.

Tert. de Bapt. c. 19.

August. de Doctr. Christ. l. 4. cap. 14.

Cypr. Epist. LXVI. n. Edit. 2.

Bar. an. 250. n. 6.

Error Baronii.

Lampr. Diadum. cap. 8.

Baron. an. 250. n. 10.

Diaconusne Cyprianus fuit ante Presbyteratum? De ejus in Episcopum electione.

IV. Dum laicum adhùc agit Cyprianus, de *vanitate Idolorum* libellum confecit. Cui conjecturæ præsidio est, quòd & libri ejusmodi ab eruditis componi solerent, demonstrando, se non immeritò desertis numinum castris, in Ecclesiam transivisse, & Pontius libri ejus non meminerit, dum Episcopi secessui affert excusationem. Quod & auguratur Pearsonius, qui anno CCXLVII. scriptum quoque opinatur. Qua de re satius est ἐπέχειν. Verùm & eodem anno, Presbyterii dignitate ornatum fuisse contendit, neque adeò repugnamus, cum vero fiat simile. Diu quidem inter laicos agere Cyprianum non sivit Carthaginensium Ecclesia: *Judicio* quippe *Dei; & plebis favore, ad officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum adhuc neophytus, & ut putabatur, novellus electus est*, referente Pontio. Quibus indicatur, omisso Diaconatu, ad Presbyteratum Cyprianum evectum esse. Contendit tamen Pearsonius, Cyprianum prius Diaconum egisse quàm Presbyterum. Nititur verò consuetudine veteri, quæ *hoc postulabat.* Illudque extundit ex verbis Pontii: *Quis enim non omnes honorum gradus crederet, tali mente credenti?* Quibus subdit, alia Pontii quæ multum noctis allumunt: *Erat sane illi, etiam de nobis, contubernium viri & laudabilis memoriæ Cæcilii.* Quæ sic interpretatur: *Cestriensis etiam cum Diacono, sive de nostro ordine fuit*, quia Pontius horum Scriptor, tantùm Diaconus fuit. At certè mirum est, de Diaconi officio à Cypriano gesto, nil commemorasse Pontium Diaconum, si hoc muneris & adeptus est: *Mora denique circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio. Parum dixi, Presbyterium & Sacerdotium statim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti?* Cur de Diaconatu silentium egit Pontius, si hoc gradu sibi viam fecit ad Presbyterium? *Omnes* igitur *honorum gradus*, de iis quorum meminit Pontius, Presbyterio, & Episcopatu sunt accipiendi. Ignotus quoque Eusebio ille Cypriani Diaconatus: *Cyprianus primùm Rhetor, deìn Presbyter, ad extremum Carthaginensis Episcopus.* Quantò magis de Diacono, quàm de Rhetore mentio agitari debuit? Nescivit & Cypriani Diaconatum Hieronymus: *Post non multum temporis, electus in Presbyterum, etiam Episcopus Carthaginensis constitutus est.* Urget quidem vir doctissimus verba Pontii, *etiam de nobis*, quasi de Diacono Cypriano, à Pontio Diacono prolata sint. Officit tamen explicationi, quod est nuper observatum, de Clero unum non fuisse Cyprianum, cùm ipsi familiam moriens Cæcilius suam credidit. Africanis verò canonibus prohibitum, Clericos bonorum alicujus curatores, aut pupillorum tutores institui. Obscura igitur Pontii verba, *etiam de nobis*, potius de *Christianis* quàm de *Diaconis* sumi debent; ut Cypriano jam Christiano, sacrisque undis expiato, fuerit & *contubernium Cæcilii, ætate tunc & honore Presbyteri.* Neque in consuetudine quæ objicitur, momenti aliquid est, quasi non nisi ex Diacono, Cyprianus Presbyter creari potuerit. Ab eo more non semel descitum, populorum ut desiderio satisfieret. Sic Ambrosius Mediolanensis *initiatus sacris Sacerdos effectus est*, omisso & Diaconi, & Presbyteri gradu, quo de more, ad Episcopatum ascendebatur. De *Macedonio* Monacho quoque in SS. Patrum Historia apud Theodoritum legitur, quòd adductum ad altare, Flavianus eum *cooptarit in numerum Sacerdotum* omisso Diaconatu. Ac ut ad Cypriani veniamus ætatem, nonne ex laico Novatianus Presbyter creatus est? *Post susceptum baptismum, Presbyteri gradum est consecutus*, Clero multisque ex populo repugnantibus, quòd qui in lectulo sacris undis perfundebantur, iis negatum *in Clerum assumi.* Similiter factum in ordi-

Anno Dom. 248.

Rufin. Eccl. Hist. l. 2. cap. 11.

Euseb. l. 6. cap. 43.

ordinatione Cypriani, qui ex Laico ad Presbyteri munus subinde evectus est. Neque diu in eo gradu constitit, sed non multò pòst ad Episcopatum promovetur. Ac primùm ipse obstitit electioni suæ, quasi à populo dictus eò fuisset Episcopus, ut nova virtutis specimina præberet. Adeò enim modestè, & abstinenter se gessit, ut *humiliter ille secesserit, antiquioribus cedens, & indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret*, observante Pontio. Hâc ergo modestiâ cùm populi amorem magis inflammaret, multitudo domui quam petierat circumfunditur: *Obsederat fores domus copiosa fraternitas, & per omnes aditus solicita charitas circuibat. Erat videre cæteros omnes suspensos, anxio spiritu, expectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem.* Porro in ea dignitate adipiscenda passus est & adversarios. Oppositionis ipse meminit Epistolâ XL. novæ Edit. XLIII. *Quorumdam Presbyterorum malignitas & perfidia perfecit, ne ad vos ante diem Pascha venire licuisset, dum conjurationis suæ memores, & antiqua illa contra Episcopatum meum, imò contra suffragium vestrum, & Dei judicium venena retinentes, instaurant veterem contra nos impugnationem suam, & sacrilegas machinationes insidiis solitis denuò revocant.* Seditiosi erant numero quinque, Fortunatus, Jovinus, Maximus, Donatus, & Gordius, qui tandem ad Felicissimi partes desciverunt. Id sibi vult Pontius: *Quidam illi restiterunt ut vinceret. Quibus tamen quantâ lenitate, quàm patienter, quam benevolenter indulsit, quàm clementer ignovit, amicissimos eos postmodum & inter necessarios computans mirantibus multis?* Extincto igitur Donato Carthaginensi Episcopo, currente anno successit Cyprianus. Quod probabiliter admodum ex ejus ad Cornelium Epistola colligitur: *Quando Episcopus in locum defuncti substituitur . . . Collegis omnibus fideliter junctus, plebi suæ in Episcopatu quadriennio jam probatus, in quiete serviens disciplinæ.* In eo porro munere Cyprianus semper sui similis, uno tenore vitam instituit. Gravis vultus, & lætus pauperum amans: *Sed nec cultus dispar fuit à vultu, temperatus, & ipse de medio. Non illum superbia secularis inflaverat, nec tamen prorsus affectata penuria sordidarat. Quia & hoc vestitus genus à jactantia minus non est, quàm ostentata taliter ambitiosa frugalitas.* Quibus Pontii intelligitur, ævo Cypriani non proprias certasque Episcopis vestes fuisse. Hoc quoque anno CCXLVIII. sub Episcopatus initia, nocturnum Cyprianum visum habuisse putamus, de quo mentio est Epistolâ VII. *Illud ostensum est, quòd sederet paterfamilias, sedente sibi ad dextram juvene, qui juvenis anxius, & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu sustinens, mœsto vultu sedebat. Alius verò in sinistra parte consistens, rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur.* Quo ostento Decii persecutio designabatur: *Hoc prius longè ostensum est, quàm tempestas vastitatis hujus oriretur.*

Cypr. Ep. LV. 59.

Fueritne Magus Cyprianus Carthaginensis?

V. Mirabitur quisquam nos Cypriani magiam, nec non quibus urebatur, Justinæ amores silentio præteriisse. Quæ cultori numinum vitia inerant in Cypriano, si vera prædicat Gregorius Nazianzenus. Summa narrationis hæc est. Justinam Christi virginem ardebat Cyprianus, ut autem amanti in amore responderet virgo pulcherrima, conciliatorem Dæmonem Magus adhibet. Ubi ab immundo se spiritu impugnari Justina sensit, Mariam invocat, ut virgo virgini suppetias ferret. Cum fractæ Dæmonis vires essent, fide Justinæ magia Dæmonque venit in contemptum Cypriano. Quem subitò spiritus ille nequam aggreditur, ut spernentem se ulcisceretur. Cum autem in corpus ejus esset ingressus, per fidem à vexante tortore liberatur. Tum nullâ interpositâ morâ Christi disciplinam amplexus, libros magicos omnes comburit. Neque de alio Cypriano, quàm de Carthaginensi, & Episcopo & Martyre ea profert Nazianzenus, quod nostro judicio negare non debuit Pagius anno 248. n. 4. Hæccine ad alium possunt, quàm ad nostrum referri Cyprianum? *Cyprianus magnum quondam Carthaginensium, nunc autem totius orbis nomen.* Et inferius: *Neque enim Carthaginensi tantùm Ecclesiæ præficitur, verùm etiam occiduis omnibus regionibus.* Denique iis coloribus Cyprianum pingit suum, qui Cæcilium Thascium Cyprianum nostrum egregiè referunt: *Eruditionem illius quidem libri ipsi testantur, quos ille complures & luculentos pro nobis conscripsit.* De eloquentia ejus docet Cyprianum: *Tantò reliquos mortales anteivisse, quantò nos brutis viventibus præstamus.* Illud quidem nobis certum est, Cyprianum Carthaginensem Episcopum venisse in mentem Nazianzeno. Quin tamen splendente fuco Sancti Martyris vitam ornarit, adhibitis ex populari rumore coloribus, nulli quoque dubitamus. Itaque Cypriani & magiam, & amores Justinæ ad fabulas relegamus, adversâ fronte cum Pontii scripto pugnantes, cui utpote Cypriani & Diacono, & familiari, potior fides habetur. De Mago quidem dici non potuit, quòd *bonæ artes pectus devotum imbuerint*, cùm vel ipsis Ethnicis magia esset infamis. Magi *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax*, ipso teste Tacito, à quo scimus, *Etiam facta & de Mathematicis Magisque Italiâ pellendis Senatusconsulta, quorum è numero L. Pituanius saxo dejectus.* Tum etiam à Cæcilio Presbytero ad fidem perductus est Cyprianus, non verò ex impotentia Dæmonis frustrà Justinæ castitatem impugnantis, quod Nazianzeno traditum. Virorum illustrium vitas multo rumore corruptas fuisse scimus, exemplaque sunt in Gregorio Thaumaturgo, de quo multa prædicavit Nyssenus, & rationi, & ipsi Thaumaturgo pugnantia, uti multis ostendimus.

Nazianz. Or. 18.

Annal. lib. 2.

De Antiocheno Cypriano narratio expenditur.

VI. Sunt tamen eruditi, qui vel memoriæ lapsu, vel alia de causa putant Nazianzenum, quæ duorum Cyprianorum erant, in unum Cyprianum conjecisse. Ac Billius ipse fatetur, de Carthaginensi quidem dixisse Gregorium, cujus tamen vitæ nonnulla addidit, quæ ad Antiochenum Cyprianum pertineant. Martyrologia quidem geminos nobis obtrudunt Cyprianos, quibus pro fide cervices decussæ. Alter Carthaginensis est, alter Antiochenus; ille *Rhetor*, hic *Magus*; ille *Valeriano* imperante morti missus, hic rerum habenas tenente *Diocletiano*; ille interfectus *Carthagine*, hic *Nicomedia*. Carthaginensis natale XIV. Septembris, Antiocheni XXVI. Septembris celebratur. Quam rem nunc extra controversiam esse, contendit Pagius cum Baronio & eruditis compluribus. Nos verò Antiochenum illum subditum prorsus esse contendimus, ortum ex fabella Justinæ, à Mago Cypriano adamatæ. Quippe ne tam ele-

elegans, tam plebis auribus jucunda traditio periret, quâ Nazianzenus Panegyricum resperserat suum, novus Antiochenus ille Cyprianus excogitatus est, qui produret in scenam, ac ex Mago Episcopus, ex Episcopo Martyr evaderet. Pauca de Antiocheno, si Diis placet, Cypriano dicamus, quo nervosior sit nostra confutatio. De eo Cypriano tres libros edidit Eudoxia Augusta, uxor Theodosii Junioris, ex quibus non pauca exscripsit Photius, quæ in summam contrahemus, ne plus nimio crescat oratio. Justina, cui patrem *Dusium* dicunt Martyrologia, in Christianorum numerum adoptata, parentes suos ab idolorum veneratione ad veri Dei cultum transtulit. Captus ejus amore Cyprianus, magicis artibus deditus, Dæmones immisit oppugnandæ virginis pudicitiæ, qui sancto crucis signo victi repelluntur. Quare propensum suum in magiam affectum deposuit. Tum minitantem sibi Dæmonem, & ad desperationem usque territantem sensit, cujus metu à Timotheo viro pio liberatur. Ex facinorum tamen memoria iterum in desperationem incidisset, nisi Eusebius, sacris Scripturæ oraculis doloris caliginem dissipasset. Ab eo viro in Templum deductus, præsente populo, manu suâ libros magicos suos combussit, ac bona insuper sua pauperibus distribuit. Baptismum adeptus, Templi Janitor constituitur. Deinde etiam Antiochiæ Episcopatum post Anthimum administravit. Diocletiano & Maximino Romæ imperantibus, *Aglaidas* unus è Justinæ procis, qui nuncio Dæmonibus remisso, Christianis sese sacris addixerat, Justina, & Cyprianus capiuntur. Cùm verò minis, flagris, ungulis non cederent fortissimi Christi milites, Judex impius in æream sartaginem, pice, adipe, & cerâ, in eadem simul mixtis, multo igne accenso, Martyres Dei conjecit. Cùm verò veluti in rore versantes Deum laudarent, Athanasius Dæmonum Sacerdos, B. Cypriano anteà familiaris, in ignem Diis invocatis ingressus, confestim ab igne absumptus in cineres vertitur. His permotus Judex, Martyres ad Diocletianum mittit agentem Nicomediæ. Cùm verò quæ passi Martyres fuerant intellexisset, ad vicinum urbi flumen, cui Gallo nomen, capite truncari jussit. Eruditissimus Fellus partem mediam Operis ex Græco in Latinum conversam unà edidit cum suo Cypriano. Titulum habet *Confessio Cypriani*, neque dubitamus, secundum de Cypriani Martyris laudibus, Eudoxiæ librum esse, de quo apud Photium mentio est. In eo fusissimè ea narrantur, quorum epitomen Photius habet. Jocularis est Cypriani in Dæmonem impetus, & *puto*, inquit, *quia & alapâ eum percussi*. Speciem quoque Justinæ induit, ut Cypriano illuderet. Accedenti verò ad oscula cùm dixisset, *Benè venisti, Justina, omnium feminarum decora*, Dæmon non ferens *vel nominis ejus appellationem, sicut fumus dissolutus est*. Non assentimur tamen viro clarissimo, scribenti, *Quod ad scripti natales attinet, Constantini M. tempora antevertisse, aut saltem attigisse*. Quæ de Justina & Cypriano Mago Nazianzenus habet, ex rumore per ora volante, non ex illo scripto hausta sunt. Quo fonte multa Nyssenus & in Thaumaturgi vitam deduxit. Neque Carthaginensi ea Nazianzenus vindicasset, quæ *Antiocheno Archiepiscopo* id scripti vindicavit, si jam liber in vulgi manibus fuisset. Operis igitur Autorem Eudoxiam Augustam existimamus, prælucente Photio: *Hoc ipso item volumine continebantur, simili versuum formâ conscripti libri tres in laudem B. Cypriani Martyris, ostendebantque vel ipsa carmina, ut liberi matrem solent, hunc quoque Augustæ partum esse legitimum*.

Phot. Cod. 184. 415.

Phot. pag 415.

VII. Totam hanc narrationem constare falláciis ad delectationem, nunc argumentis ostendimus. Ac primùm non est de nihilo, quòd Antiquis omnibus, Martyr unus Episcopus, nomine Cyprianus celebratur. Unum scivit Cyprianum Episcopum & Martyrem Nazianzenus, quem & oratione publicâ laudavit. Duos si novisset, discriminis aliquid attulisset, ne gemini Martyres in unum permiscerentur. Unum novit & Prudentius, qui vulgi licet rumore deceptus Carthaginensi magiam ascribit:

Cypriani Antiocheni fabula evertitur.

Unus erat juvenum, doctissimus artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare,
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulchra.

Prud. de Cor. Hym. 13.

Ne verò Antiochenum quæramus Cyprianum, his carminibus prohibemur:

Est proprius patria Martyr, sed amore & ore noster:
Incubat in Libya sanguis, sed ubique lingua pollet.
Lætior interea, jam Tasiius ob diem suorum,
Sistitur indomiti Proconsulis eminus furori.

Equidem si gemini Episcopi nomine Cypriani, capite pro fide truncati sunt, alter Imperante Valeriano, alter Diocletiano rerum Domino, certis utique notis distincti fuissent, natalibus scilicet, quæ ubique locorum variis temporibus celebrarentur. Quâ viâ interceditur confusioni. Neque differentia hæc latere Nazianzenum potuisset, cujus pater jam rationis compos erat eo tempore, quo Antiochenus Cyprianus mortem oppetiisse dicitur: *Patrem enim is habuit Episcopum, qui Diocletiani rebus & magnæ Nicenæ Synodo intererat*, ut verè & sapienter observat Oxoniensis Episcopus. Præterea si Cyprianus, nomine Episcopus aliquis, furente Diocletiano, Nicomediæ celeberrimo martyrio functus est, postquàm insigni miraculo ardentem, in quam conjectus erat, sartaginem evasit incolumis, quâ, malùm, causâ factum est, ut id martyrii ab Eusebio, Lactantioque coætaneis altissimâ oblivione obrueretur, cùm nulla felicior in Historiam posset materia reperiri? Non potuisset sanè de nobilissimo Cypriani Antiocheni martyrio, non commemorare cùm meminerit, *Anthimi Nicomediensis Episcopi, qui in ea urbe capite truncatus est*. Ac tantò magis meminisset, quòd si nonnullis creditur, Cypriano decessit Nicomediensis Anthimius. Neque Cypriani martyrium obitum, ut ajunt, agente apud Nicomediam Diocletiano omisisset Lactantius, insigni de mortibus Persecutorum libello, qui multa hactenus abscondita de persecutione Nicomediensi in lucem edidit. Quis etiam credat Diocletianum morti misisse Martyres, quos certè certòque noverat naturæ vires superante miraculo ignibus ereptos? Non sic Nabucatnezar, qui Martyribus Schadracho, Mesacho, Nabednego in fornace ambulantibus trepidus dixit, *Egredimini*, Martyrumque benedixit Deo, quòd similiter quoque fecisset Diocletianus, cognito Cyprianum, Justinam, Aglaidam simili periculo divi-

Eusob. l. 8. cap. 13.

ANNO DOM. 248.

divinitùs fuiſſe liberatos. Præterea nugæ ſunt nugaciſſimæ, quæ narrantur de Anthimo Antiochiæ Epiſcopo, cui ſucceſſit Cyprianus. Nulli ante Diocletianum Epiſcopi hujus nominis Antiochenſem Eccleſiam adminiſtrarunt, ut ex Euſebio, Nicephorique Indiculo ſciri poteſt. *Cyrillus* deceſſor, *Tyrannus* ſucceſſor eo tempore ſedebant, quo Anthimus & Cyprianus præfuiſſe dicuntur. Noſtris & argumentis illud accedat, quod via comprehendi poſſit animo, quâ ratione Cyprianus virginis Chriſtianæ in amorem inciderit. Cujus ad vultum oculos torquere non potuit. Non in Eccleſia quidem, quam Magus Ethnicus non frequentabat, neque vel clam fortuitòque ingredienti virginem velo ſanè ſuo abſconditam intueri dabatur. Multò minus domi aſpexit Juſtinæ pulchritudinem, cùm Antiochiæ Ethnicorum ab oculis Chriſti virgines removerentur. Neque hanc immeritò rationem afferimus, utpote quæ graviſſimum & virum Nazianzenum non minimum permoverit: *Juſtina amore Magnus Cyprianus captus eſt, unde & quomodo haud ſcio, quippe virginis omni ex parte tuta, & morum gravitate prædita.* Quid eſt laqueis implicari, ſi hoc non eſt? Magnum quoque in fabulam argumentum ſuppeditat, quod ajunt Cyprianum, qui & Magus, & Energumenus fuit, Epiſcopale munus adiiſſe. Quod non in Eudoxiæ libris modò, ſed in Martyrologiis etiam legitur: Cyprianus *factus eſt Epiſcopus, ſanctamque Juſtinam virginum matrem conſtituit.* Dæmonem *intraſſe in Cyprianum*, diſertè memoriæ Nazianzenus prodidit. Quorum verò corpora Dæmon incoluerat, ſacris ordinibus pellebantur: *Energumenum qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen, neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum ut ſuâ manu ad altare miniſtret.* Quam ſanxit, & diſciplinam Toletana Synodus XI. c. 13. Itaque profeſſus apertuſque Magus Epiſcopatui gerendo inhabilis cenſeri debuit, ne ex tam nefaria arte polluto infamia redundaret in Eccleſiam. Scandalo quidem fuiſſet Senatui Populoque R. Præſul ejuſmodi. Neque ſcientes & prudentes hominem magiâ notatum, ſacris Pontificem ſuis impoſuiſſent. Quantò magis à caſtiore Chriſtianorum diſciplina homo, qui ſceleſtam probroſamque artem exercuiſſet, ab officiis repelli Eccleſiaſticis debuit, ne ſuâ facilitate in dedecus incurreret. Denique adeò ſibi repugnat ea de Cypriano Antiocheno traditio, ut undique effluat. Eudoxiæ Auguſtæ Antiochenus dicitur Archiepiſcopus, aliis Nicomediæ Præſul habetur. Periiſſe imperante Diocletiano, nonnullorum ſententia eſt: obiiſſe Principatu Claudii, alii referunt, cujus tamen Imperium Chriſtiano ſanguine non fuit imbutum. Unus ergo Cyprianus Epiſcopus Martyrem egit, nobilis ille Cæcilius Thaſcius, cujus pietas cum eloquentia certabat. Cui licet novam perſonam optarint fabulatores, utcunque tamen agnoſcitur, eum & bona ſua pauperibus diſtribuiſſe, & Archiepiſcopum exercuiſſe dicatur. Prius quippe noſter fecit Cyprianus, & ad Epiſcopatum Carthaginenſem evectus eſt, cujus in Africa magna fuit autoritas, ut ea de cauſa *Archiepiſcopi* titulo ornari potuerit.

Naziang. Or. 18.

Ado. Martyrol.

Eliberit. Can. 29.

ANNO DOM. 249.

ANNO U. C. 1002. OLYMP. 257. PER. JUL. 4962. JUL. 294. DOM. 249. DECII 1. *Sol.* 6. G. *Lun.* 3. *Indict.* 12. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 1. *P.* 15. *April.*

COSS. *Fulvius Æmilianus II. & Veſtius Aquilinus.*

I. MOllibus imperiis orbem Romanum adminiſtrabat Philippus, neque ſævitiâ, aut tyrannide proclives ad ſeditionem animos invitabat. At Priſcus frater ejus, quem Syriæ exercitibus præfecerat, cùm Orientis regionibus gravia imponeret onera, ad ſeditiones itur. Jotapianum igitur, quem *Papianum* vocat Zoſimus, ad rerum ſummam evexerunt. Alexandri Severi, quem Maximinus interfecerat, affinis erat Jotapianus. Imperante adhùc Philippo eos tumultus in Oriente fuiſſe concitatos, teſtis Dionyſius Alexandrinus: *Secuta deinde ſeditio, & bellum civile, miſeros excipiens, crudelitatem quâ in noſtros graſſati fuerant, in ipſos mutuò convertit.* Quæ imperio Decii antecelluere. Seditionis quoque contagione Pannonicæ legiones afflatæ ſunt, quæ *Marinum* Imperatorem dixere. His turbatus Philippus, Senatum rogat, vel opem ſibi ad rerum præſentem ſtatum ferrent, vel ſi ſuum Patribus diſpliceret imperium, hoc ſe abdicarent. Nemine quidquam reſpondente, Decius dixit, Nullam eſſe trepidandi cauſam, levique momento futurum, ut per ſe ipſa hæc evaneſcerent. Decii prædictionem non abnuit eventus, Marinus non magno labore deturbatus eſt. Nihilominùs in metu Philippus erat, qui odium militum erga Tribunos & Duces in iis locis perſpectum haberet. Itaque Decium obſecrat, ut legionum quæ in Pannonia erant, imperium acciperet. Illo recuſante, quod iſtud neque ſibi, neque Philippo expedire duceret, Theſſalicâ perſuaſione uſus, quæ eſſet cum coactione conjuncta, hominem ablegat in Pannoniam, caſtigaturum ibi Marini factionis complices.

Jotapiani, & Marini in Philippum ſeditio.

Euſeb. l. 6. c. 41.

Zoſim. l. 1. c. 21.

II. At milites ut viderunt Decium ad eos mulctandos venire, periculum quod imminebat effugere ſtatuunt, creato Decio Imperatore, qui militari peritiâ, virtuteque civili longo intervallo Philippum ſuperabat. Amictum igitur purpurâ Decium, & ſibi jam metuentem ad imperii faſtigium vel invitum compellunt. Quibus auditis Philippus, quanquam debili per ætatem corpore, coactis exercitibus ad opprimendum Decium movit. Cujus milites licet ab adverſariis numero ſe vinci noſſent, freti tamen Imperatoris ſui & peritiâ, & prudentiâ, fidentibus animis erant. Ubi concurrerunt, exercitus complures à Philippi partibus ceciderunt. Veronæ cadit ipſe Philippus, pulſo amiſſoque exercitu. Quibus Romæ compertis Philippus Junior, apud caſtra Prætoria occiditur, agens vitæ annum XII. Adeò ſeveri fuit, & triſtis animi, ut jam tum à quinquennii ætate nullo prorſus cujuſquam commento ad ridendum ſolvi potuerit, patremque ludis ſecularibus petulantius cachinnantem, quanquam adhùc tener, vultu notaverit averſato. Julio circiter menſe Philippi perierunt. Senior ſextum imperii annum ingreſſus eſt. Extat lex l. 8. Cod. Tit. 35. ubi lex 1. de revocandis donationibus inſcribitur, *Imp. III. Philippus Auguſtus Caſinno.* Suſcribitur verò XV. Kal. Jul. Æmiliano & Aquilino Coſſ. At in eodem Codice libr. 4. Tit. 16. cum hac inſcri-

Decius creatur Imperator. Mors Philipporum.

Zoſim. Vict.

inscriptione rescriptum legitur, *Imperator Decius A. Telemacho.* Subscriptio verò hæc habet: *P. P. XIV. Kal. Nov. Æmiliano, & Aquilino Coss.* Quod ab eruditissimo Pearsonio, alisque observatum. His accedat, quòd imperante non *Philippo*, sed Decio Fabianus Papa morti missus est. Periit autem anno CCL. Januarii XXI. uti liquet ex Bucheriano Catalogo Pontificum: *Passus est XII. Kal. Februarii*, Decio II. & Grato Coss. Quibus Baronii, Calvisii, aliorumque Chronologia refellitur, qui non sine perturbatione temporum Eusebium secuti, Philippi mortem in Dionysianum CCL. contulere. Inter Divos Philippi relati sunt.

Error Baronii.

Anni Decii.

III. Decius, qui defunctis Philippis imperio potitur, natus erat *Budaliæ* in Pannonia inferiore. Natalem ejus annum obscurum faciunt varia Scriptorum. Periisse ætatis anno LX, Chronicum tradit Alex. Aurelii Victoris Chronologia est verosimilior: *Vixit annos quinquaginta*, quò consequens est, in vitam introivisse Decium anno Dionysiano CCII. cùm CCLII. excesserit. Familiâ & dignitate præstantem fuisse, tradit Zozimus. Multorum nominum erat: *Messius*, *Quintus*, *Trajanus*, *Decius*, quibus nominibus appellatur. De annis Decii Augusteis quæstio longè momentosior est. Qui Philippo septem annos vindicant, de Decianis partem detrahere aliquam necessariò tenentur, quod & à Baronio factum, atque Calvisio, quibus anni unius, & mensium aliquot spatio Decianum contrahi imperium placuit. Quo multa quidem absona sequuntur. Sic Alexandrina persecutio, tumultuante populo mota, imperante Decio, non Philippo ortum habuisset, quod adversâ fronte cum Dionysio teste oculato pugnat. Contrà verò Fabianus, Romanus Episcopus sanguinem pro Christo fudisset suum, imperium administrante, non Decio, sed Philippo, quæ Chronologiæ portenta sunt, & quasi funera. Cum meliore ergo Chronologia, Decium de tertio imperii anno aliquid degustasse persuasum habemus: *Imperasse menses* triginta, tradit Victoris Epitome. Victor alter, cui solos completos adhibere annos placuit, Decios narrat cecidisse, *exacto regni biennio*. Biennium quidem evasisse, indicio sunt leges, currente anno à Decio promulgatæ XIV. Kal. Novemb. *Æmiliano & Aquilino Coss.* Anno quidem CCLI. Octobris XXVI. nondum de morte Deciorum nuncius Romam allatus erat: *Duobus Deciis Coss. VI. Cal. Novembr. die, cùm ob Imperatorias literas in Æde Castorum Senatus haberetur* &c. Ex urbe Venciensi in Provincia Pagius insignem suppeditat inscriptionem, quâ Victoris Epitome de imperio Deciano egregiè confirmatur:

Trebel. Valer. c. 2.

> *Imp. Cæs. C. Messio. Quinto Trajano, Decio, Pio, Felici, Invicto, Aug. P. M. Tribun. Pot. III. Cos. II. Proc. civit. vint.*

Perierunt Decii ineunte circiter Decembri anno CCLI. quod etiam ex Galli & Volusiani Consulatu, anno insequente gesto liquet. In mense igitur Julio currentis anni Deciani imperii initia collocamus.

Decii mores, uxor, liberi.

Victor. Epit.

IV. Decii mores laudantur ab Historicis. Vir erat *artibus cunctis, virtutibusque instructus, placidus & communis domi, in armis promptissimus.* Specimen quidem temperantiæ suæ dedit, atque honestatis, cùm se præsente Claudius, qui postmodum imperavit, dentes uno pugno excussit luctanti, qui genitalia sibi contorserat. Decius enim *& virtutem & verecundiam Claudii publicè prædicavit, donatumque armillis, & torquibus, à militum congressu facessere præcepit.* Magnanimitatis ejus & indicium est, quod à Victore refertur. Audito filium audacius congredientem in acie cecidisse, militibus qui solatii causâ multa proferebant, strenuè dixit: *Detrimentum unius militis parum videri sibi.* Lactantius quidem nil nisi in Christianos sævitiam objecit Decio: *Execrabile animal, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam nisi malus prosequatur?* Uxorem habuit Herenniam Etruscillam. Extat in Regis Christianissimi cimeliis rarissimus Nummus inscriptus *Græcis* literis, quæ Latinè sic sonant: *Imperator Cæsar Caius Messius Trajanus Decius Augustus, Herennia Etruscilla Augusta. Septima Colonia Rhæsenanorum. Anno* CXVIII. Hinc filius Decii in nummis dicitur Quintus Herennius Etruscus Messius Decius, observante *Norisio*, qui & eruditos coarguit, qui Decii uxori *Salustiæ Barbiæ Orbianæ* nomen imposuere. Ex Herennia Decius complures filios suscepit: *Decium*, quem & Cæsarem fecit: alium quem Gallus adoptavit, teste Zozimo. Gallus initio imperii *Decii memoriam, cum honore & benevolentia usurpabat, & alterum ex filiis ejus superstitem adoptabat.* Non unum cum Decio, sed plures & filios interfectos esse, verba vincunt Eusebii: *Decio simul cum liberis interfecto.* Mors Jotapiani, qui imperante adhùc Philippo, rebellare in Oriente cœperat, imperii Deciani læta fecit initia: *Arbitrio militum accubuerat, oraque, uti mos est, inopinato feruntur.*

Trebel. Claud. c. 13.

Zozim. l. 1. c. 25.

Eusеb. l. 7. c. 1.

Decii persecutio.

VI. Alexandrinæ persecutioni, quæ ad annum usque currentem perduravit, remedii aliquid attulit Jotapiani rebellio: *Secuta deinde seditio, & bellum civile, miseros excipiens, crudelitatem quâ in nostros grassati fuerant, in ipsos mutuò convertit. Ac nos quidem paululum respiravimus, dum illorum cessaret furor.* Id tamen tranquillitatis momentarium fuit. Extincto enim Philippo, qui benigno erat in Christianos animo, *Decius* irato Deo suscipit imperium, ac pax quæ annos XXXVIII. lætitiam attulerat, *nisi quòd medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexaverat*, miseris modis disturbatur. Qua de re gravissima sunt verba Cypriani Martyris: *Quia traditam nobis divinitùs disciplinam, pax longa corruperat, jacentem fidem, & penè dixerim dormientem, censura cælestis erexit: cùmque nos peccatis nostris amplius pati mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne quod gestum est, exploratio prorsus quàm persecutio videretur. Studebant augendo patrimonio singulis, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in Ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata.* Reliqua inspiciantur. Decio igitur quasi fulmine Deus usus est percutiendæ Ecclesiæ, quod & visis multis prænuntiaverat. Miratus erat Cyprianus, quid sibi vellet rete, quod qui in sinistra parte patris familias consistebat, manu portabat, responsum: *Juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari, & dolore quòd præcepta sua non observarentur.* Audito Decium imperare, gravissimus Christianis minarum terror intentabatur. Jamque aderat terribile Imperatoris edictum: *Ad prima statim verba mi-*

Cypr. de Laps. 167.

Cypr. Ep. VII. 17.

ANNO DOM. 249.

minantis inimici, maximus fratrum numerus fidem suam prodidit, nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. Præclara, & Spiritus Sancti igne veluti tincta, Cypriani verba hæc præterire non possumus: *Quid hostiam tecum miser, quid victimam supplicaturus imponis? Ipse ad aras hostia, victima ipse venisti. Immolasti illic salutem tuam, spem tuam, fidem tuam funestis ignibus concremasti. . . Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus, vel impositi, vel attracti. Amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti.* Eadem ubique locorum se prodidit ignavia, Alexandriæ ut Carthagini. Qui ad sacrificia nominatim citati, eorum nonnulli accidebant pallidi & tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potius victimarum loco idolis essent immolandi. Qui ideo à circuostantibus irridebantur, utpote qui tum ad moriendum, tum ad sacrificandum pusillo animo erant. Multi verò ex illustrioribus ad numina statim festinarunt. Tantus lapsorum numerus fuit, ut Cyprianus testetur, à Martyribus *dari quotidie libellorum millia.* Martyrum nomina anni sequentes exhibebunt,

Cypr. de Lapf. 170.

Eufeb. l. 6. c. 41.

Cypr. Ep. XV. 20.

ANNO DOM. 250.

ANNO U. C. 1003. PER. JUL. 4963. JUL. 295. DOM. 250. DECII 2. *Sol.* 7. F. *Lun.* 4. *Indict.* 13. *Epact.* 9. *Epact. Sol.* 2. *P.* 7. *April.*

COSS. *Decius Augustus II. & Annius Gratus.*

Decii Cæsaris in Illyricum profectio.

I. ETrusco Decio, quem pater Cæsarem fecerat, in Illyrios misso, Decius Augustus Romæ aliquantum moratur, murorum gratiâ quos iostituit dedicandorum. Philippi quietem amantis socordia ad impetum ultra Danubium faciendum Scythas permoverat. Quæ causa fuisse videtur, cur Decius Cæsar Illyricum peteret. Cui Jornandes expeditioni lucis aliquid fœnerat: *Cniva exercitum dividens in duas partes, nonnullos ad vastandam Mœsiam dirigit, sciens eam negligentibus Principibus defensoribus destitutam. Ipse verò cum LXX. millibus ad Eustepium, id est, Novas conscendit, unde à Gallo Duce remotus, Nicopolim accedit, quæ juxta Jatrum fluvium est constituta, notissima.*

Jornand. c. 18.

Persecutio Romana Decii.

II. Quæ anno superiore promulgatis Decianis edictis persecutio inceperat, currentem multitudine Martyrum, cruciatuum, vinculorum lamentabilem fecit. Anni penè initia Fabianus Papa sanguine imbuit suo: *Passus est XII. Kalendas Februarii.* Ut Bucheriani habet Pontificum Catalogus, vel ut legitur in Calendariis, & Martyrologiis Januarii die XX. De cujus excessu cùm Cyprianum Clerus monuisset Romanus, per *Clementium Hypodiaconum* optimus ille Præsul ad Presbyterium Rom. gratulatoriam de gloriosa S. Martyris certamine Epistolam misit: *Nam quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina Præpositi, in tantum contrà utile est, & salutare, cùm se Episcopus, per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum.* Post Fabiani passionem, Moyses & Maximus Presbyteri, & Nicostratus Diaconus comprehensi, in carcerem mittuntur. Meminit Urbani Presbyteri Celerini quoque Cornelius, in sua ad Fabium Antiochenum Epistola: Celerinus *vir, qui cuncta tormentorum genera per Dei misericordiam fortissimè sustinuit.* Celerinum *bonum & robustum Confessorem*, vocat Cyprianus, qui ejus & ad *Lucianum* Confessorem Epistolam memorat, quæ numero est XXI. Gloriosissimis fratris sui vestigiis non incessit soror Celerini. Qua de re gravissimæ sunt ejus ad Lucianum querelæ: *Peto ut annuas desiderio meo, & mecum doleas in morte sororis meæ, quæ cecidit in hac vastatione à Christo. Sacrificavit enim, & exacerbavit Dominum nostrum. . . Pro cujus factis ego in lætitia Paschæ, flens die ac nocte, in cilicio & cinere lacrymabundus, dies exegi, & exigo usque in hodiernum.* Vult etiam ut pro *Numeria* & *Candida* peccatis doleat, quæ dubio procul persecutionis oneri succubuerant. Complurium quoque Confessorum nomina edidit Lucianus, in sua ad Celerinum Epistola: *Salutate Confessores Domini, qui ibi vobiscum sunt, quorum nomina significasti. Inter quos & Saturninus, cum omnibus suis, sed & Collega ejus, & Macharius, Cornelia, & Emerita, Calphurnius, & Maria, Sabina Spesina, & sorores Januaria, Dativa Donata.* Insignes Coolessores, fidei columnas, egregiâ Epistolâ adiit Cyprianus, quam læto gratantique animo acceperunt. Cypriano *Papæ* rescripserunt Moyses, & Maximus Presbyter, Nicostratus & Rufinus Diaconi, cæterique Confessores. Testantur verò ex literis ejus, *erectos fuisse.* Nec minus coronæ mercede dignum esse, *Qui hortatus est, quàm qui & passus est.*

Cypr. Epist. IV. 9.

Eufeb. l. 6. c. 42.

ANNO DOM. 250.

Cypr. Epist. XX. 22.

Cypr. Epist. XXVI. 31.

Persecutio Deciana Alexandriæ.

III. Non Alexandriæ mitior quàm Romæ persecutionis furor. *Cronion* cognomento *Eunon*, nec non *Julianus*, podagræ doloribus constrictus, per urbem camelis iosidentes, flagris sublimes verberati, tandem ardentissimo igne circumfusâ totius populi multitudine consumpti sunt. *Besas* miles, qui plebem contumelias ad supplicium ductis ioferentem propulerat, in jus raptus, post gloriosum certamen securi percussus est. Alius re, & nomioe Macar, qui nullâ ratione adduci potuit, ut Christum negaret, igni traditur. Post hos *Epimachus*, & *Alexander*, ubi flagra, ferreos ungues passi sunt, vivæ calcis incendio periere. *Ammonarium* virgo sanctissima, cùm vel torta, Christum apertè profiteretur, ad supplicium abducitur. *Mercuria* anus veneranda, *Dionysia* plurium liberorum mater, alia *Ammonarium* gladio cæduntur. *Heron*, *Ater*, *Isidorus* crudelissimè verberati, in ignem mittuntur. *Nemesion* Ægyptius, qui tanquam latronum contuberoalis fuerat accusatus, cùm apud Centurionem hanc calumniam depulisset, delatus quòd Christianus erat, verberibus affectus à Præfecto, inter latrones iocendi jussus est. Adductus fuerat ad Tribunal cum *Herone* juvenis *Dioscorus*, annorum XV. qui cùm nec tormentis cessisset, nec persuasionibus, à mirante Judice dimittitur. Productus & in judicium fuerat Christianorum unus, qui cùm jamjam fidem proditurus videretur, Ammon, Zeno Ptolomæus, Ingenuus, senexque Theophilus, manipulus militum, qui ante Prætorium stabant, negaturo dentibus stridere, vultu innuere cœperunt. Ac prius quàm comprehenderentur, facto ad subsellia cursu sese Christianos profitentur. Quâ audaciâ Judices perterriti, Confessores ex Prætorio ovantes dimiserunt. *Ischyrion*, qui Magistratus cujusdam Procuratorem exercebat, cùm multis injuriis affectus fuisset, nec ideò numinibus sacrificasset, sude per media viscera mano Domini sui transfixus, animam exhalavit. Sed & alii complures per oppida, & vicos à Gentilibus discerpti sunt. Magnus quoque &

Eufeb. l. 6. c. 41. & 42.

eorum numerus fuit, qui in montibus ac per deserta oberrantes, fame, frigore, & siti, latronum aut ferarum incursu obsessi periere. Dionysius verò Præsul Alexandrinus, cùm à Sabino Præfecto per frumentarium quæreretur, fugam Deo mandante corripuit. Quæ verò fugienti contigerint, in ejus vita declaravimus. Fugit quoque cum uxore sua *Charemon*, grandævus Nili Episcopus, qui in Arabicum montem delatus, non ulterius reversus est, neque etiam quæsita eorum cadavera reperiri potuerunt. Aliorum ex Thebaïde Martyrum meminit Hieronymus, etsi in ambiguo sit, Decii an Valeriani persecutione perierint. Perseverantem in fide Martyrem, inter eculeos, laminasque Victorem, Judex jussit melle perungi, & sub ardentissimo sole *ligatis manibus post tergum resupinari, ut muscarum aculeis cederet.* Florentem & ætate juvenem in amœnissimos hortos præcepit abduci, & super extructum plumis lectum resupinari, blandis serico nexibus irretitum. Cujus formosa meretrix collum strinxit amplexibus, ut libidinem excitaret: *Quem tormenta non vicerant, voluptas superabat. Tandem cœlitùs inspiratus, præcisam morsu linguam, in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit.*

Euseb. l. 6. c. 42.

Hieron. Vit. Pauli. 90.

Carthaginensis persecutio imperante Decio.

IV. Gravis quoque Ecclesiæ Carthaginensi malorum incubuit cohors, ex Deciana persecutione. Multorum nomina Martyrum subjicit Lucianus suâ ad Celerinum Epistolâ: Bassi, qui in *Petrario*, hoc est, lapidicina constituebatur: *Mappalici in quæstione, Fortunionis in carcere, Pauli à quæstione, Fortunæ, Victorini, Victoris, Hereni, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venusti, Fructi, Juliæ, Martialis & Aristonis, qui Deo volente in carcere fame necati sunt.* Multâ laude *Mappalicum* celebravit Cyprianus. Inter cruciatus suos Proconsuli dixit: *Videbis cras agonem. Agon cælestis exhibitus, & Dei servus in agone promissi certamine coronatus* est. Martyribus & Confessoribus gratulatus est & Cyprianus insigni Epistolâ, quæ plurium meminit morte missorum: *Quosdam jam compers coronatos, quosdam verò ad coronam victoriæ proximos, steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes ungulas, pulsata, ac laniata membra vicerunt.* Inspiciatur Epistola XIX. 24. Compluribus etiam exilium indicitur, in Confessionis pœnam, qui *extorrium* à Cypriano nomen accepere, cujus mentem Baronius non assequitur. *Extorres* enim eos esse putat, qui tormentorum metu, arreptâ fugâ spontè solum verterunt. Quem ab errore revocare debuerunt verba B. Martyris: Ecclesia *gloriata est nuper quidem cum Confessione perstante, suscepta pœna est, quæ Confessores Christi fecit extorres.* Itaque Cyprianus, qui non imperante Magistratu, sed proprio motu secesserat, *extorribus* apponi non debet, qui Judicis decreto patriâ pellebantur. Neque discriminis ignarus Pontius: *Vultis scire secessum illum non fuisse formidinem.* Secessus ergo fuit, exilium non fuit. Postmodum verò accidit exilium: *His tam bonis, & tam piis actibus supervenit exilium.* Quod imperante Valeriano mandatum. Dum verò persecutio grassatur, Tertullus qui in curandis Martyrum corporibus vinculis detentorum, diligentem curam adhibuit, scriptis quoque significavit Cypriano, dies quibus beati Martyres ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transierunt: Ut nempe *celebrarentur oblationes & sacrificia, ob commemorationes eorum.* Quem Fellus Oxoniensis Episcopus morem eruditâ explicatione illustrat: *Quò magis constaret Fideles vitâ defunctos, minime periisse, sed etiamnum membra Ecclesiæ existere, oblationes eorum nomine, ac si in vivis essent, usque offerebantur, quod præcipuè in anniversario dormitionis die factum, quando & nomina recitata.* Gratiarum quoque actiones, quæ Martyrum nomine Deo solvebantur, sacrificiorum nomen induebant: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebramus.* Cùm ad leonem à furente plebe Cyprianus deposceretur, Carthagine recessit, ne præsentiâ suâ persecutionis æstum magis ac magis inflammaret. Quem sancti Episcopi secessum complures verterunt in contumeliam, quasi mercenariorum Pastorum more, instante periculo fugæ terga dedisset. Aculeis sanè non caret Cleri Romani ad Carthaginensem Epistola, quâ occultè perstringitur Cyprianus. Cui multis Pontius argumentis excusationem paravit: *Fuit verò formido illa, sed justa formido, quæ Dominum timeret offendere. Credidit se nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsâ passione peccare.* In secessu quidem emolumento fuit Ecclesiæ, Virgines dignam professione suâ disciplinam, lapsos pœnitentiam, Schismaticos unitatem docuit. Quibus monemur, Tractatum de Habitu Virginum anno non CCXLVIII. ut arbitratur doctissimus Pearsonius, sed CCL. fuisse conditum, dum nempe Cyprianus agebat in secessu. Quid enim aliud sibi volunt verba Pontii? *Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimoniâ dignum, velut frenis quibusdam lectionis Dominicæ coërceret?* Multis etiam Epistolis Cleri sui animos ad pietatem Cyprianus informavit. Dum in secessu versatur, Castus & Æmilius martyrio mactantur, quorum fidem *primâ congressione supplicia longa vicerunt.* At in secundo prælio victores evaserunt: *Deprecabantur illi, non lachrymarum miseratione, sed vulnerum, nec solâ lamentabili voce, sed laceratione corporis & dolore. Manabat pro fletibus sanguis, & pro lachrymis cruor semiustulatis visceribus defluebat.*

Bar. An. 253. n. 67.

Cypr. Epist. XX. 21.

Cypr. Epist. IX. 10.

Cypr. Epist. XXVII. 12.

Cypr. Epist. XXXIV. 39.

Cypr. de Laps. 172.

Persecutio ubique locorum furit. Agathæ, Saturnini Episcopi martyrium.

V. Omnes denique imperii Romani partes corripuit persecutionis incendium, teste Nysseno. Sperans enim Decius, se potentiâ suâ Evangelii prædicationem inhibere, Ecclesias evertere, pietatem ad simulachra adjungere: *His de causis misit ad Rectores gentium edicta, quæ terribilium pœnarum in eos statuendarum minas continebant, nisi omni genere tormentorum mulctassent eos, qui Christi nomen invocabant.* Hisce aculeis nil opus erat Ponticæ regionis Præfecto, qui naturâ sævus, Christianis & infensus erat. Enses igitur, ignem, bestias, scrobes, ferreas, sellas, cruces adhibuit extinguendæ religioni. Quantum sævitia gliscebat, miserario arcebatur, ut Gregorius Thaumaturgus Autor fuerit Ecclesiæ, terribilem illum impetum atque incursum fugâ paulisper declinare, cui corripiendæ exemplum ipse præbuit. Cùm enim à Præside maximo studio quæreretur, unà cum Diacono suo, relictâ Cæsareâ desertum collem occupat. Periit *Alexander* carbonarius, quem Ecclesiæ Comanensi Gregorius præfecerat, vitæque curriculum per ignem confecit. *Troadii* quoque meminit, qui post multa tormenta, *martyrii coronâ* redi-

Nyss. Vit. Greg. 564.

Anno Dom. 250.

redimitus est. p. 571. In Palæstina Alexander Hierosolymorum Episcopus, Cæsareæ in carcerem conjectus, unimam exhalavit anno CCLI. Babylas Antiochenus, post egregiam confessionem in vinculis, Spiritum cælestem Deo reddidit. Origenes Adamantius in intimo carceris recessu ferrei torquis ærumnas passus est, multorumque dierum spatio, captivi pedes in nervo, ad quatuor usque foraminum interstitia distenti sunt. Suos & Martyres Sicilia suppeditavit. Præcipuè nobilis est Agatha, de qua in Canone Missæ mentio est. Natale ejus Februarii v. celebratur: *Catanea in Sicilia natalis S. Agathæ virginis, & Martyris, quæ temporibus Decii Imperatoris, sub Quintiano Judice, post alapas & carcerem, post eculeum & torsiones, post mamillarum abscissionem, post volutationem in testulis, & carbonibus, tandem in carcere, Deum precando consummata est.* Sanctæ virginis martyrium Damasus carmine celebravit:

Damas. Carm. v.

Martyris ecce dies Agathæ,
Virginis emicat eximia:
Christus eam sibi qua sociat,
Et diadema duplex decorat.

Galliæ Martyres Decio imperante.

VI. Galliam sanguine suo respersit Saturninus, primus Episcopus Tholosanus: *Saturninum ad officium solemne venientem, unus ex illa malignantium turba eminus agnoscit, & dicit, En ipsum adversarium cultibus nostris nova religionis signiferum, qui destruenda prædicat templa... Nostram pariter Deorumque nostrorum vindicemus injuriam, quos jam nunc compellentibus nobis, aut sacrificando placet, aut moriendo lætificet.* Presbytero, Diaconisque duobus, quibus comitatus erat, fugâ dilapsis, Saturninum ad *Capitolium* trahunt. Non in sola urbe Rom. Capitolium erat. Propter amplitudinem majestatemque populi Rom. cujus coloniæ quasi effigies parvæ esse, simulacraque quædam videbantur, sua quoque coloniis fuere Capitolia. Hinc Eliberitanus Canon LIX. *Prohibendum ne quis Christianus, ut Gentilis ad Idolum Capitolii, causâ sacrificandi ascendat.* Cyprianus quoque suum Carthagini fuisse Capitolium, disertè testatur: *Nonne quando ad Capitolium sponte ventum est... labavit gressus?* Nil ergo miri, Tholosæ suum fuisse Capitolium, in quo cùm Saturninus immolare cogeretur, *Clarâ voce testatus est, unum & verum Deum novi. Huic laudis hostias immolabo, Deos vestros, homines, nescio, quos in cassum non tam hostiis pecudum, quàm animarum vestrarum mortibus honoratis.* Quibus auditis, immolandi tauri funem Saturnini pedibus illigant: *Actumque stimulis acrioribus taurum de superiori Capitolii parte in plana præcipitant. Nec mora inter primos descensus ipsius gradus, capite colliso, cerebroque excusso, & omni membrorum parte corpore lacerato, dignam Deo animam Christus excepit.* Exanime corpus neque obnoxium jam ullius injuriæ, usque ad eum locum, tauro furente perductum est, ubi fune disruptâ tumultuariam habuit sepulturam, duarum mulierculárum manu. Sancti Martyris funus suo carmine signarunt Venantius Fortunatus l. 2. 8. 9. & Sidonius Apollinaris l. 6. Epist. 16.

Cypr. de Lap. 177.

Quem negatorem Jovis ac Minervæ,
Et Crucis Christi bona confitentem,
Vinxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.
Ut per abruptum bove concitato
Spargeret cursus lacerum cadaver.

De Saturnino, id à Gregorio Turonensi memoriæ proditum. Cùm se à Presbyteris cerneret derelictum, *Orasse fertur, Domine J. Christe, audi me de Cœlo sancto tuo, ut nunquam Ecclesia de his civibus mereatur habere Pontificem in sempiternum. Quod usque nunc in ipsa civitate evenisse cognovimus.* Quæ cum Actis non consentiunt annis L. post mortem Saturnini conditis.

Anno Dom. 250.

Greg. Hist. l. 1. c. 30.

Pionii martyrium. Num imperante Decio contigit?

VII. Sanguine quoque suo *Pionium* Ethnicorum superstitioni litasse prædicant. Cujus acta nostris sunt ponderibus examinanda. Imperante Marco Aurelio Pionium morti missum fuisse declaravimus. Nostræ tamen Chronologiæ viri repugnant eruditissimi, Baronius, Valesius, Usserius, Spanhemius &c. qui furente Decio Pionium mortem invenisse prædicant. Ac forsan fieri potuit, ut Marci Antonini, sic Decii quoque ætate, Martyrem extitisse Pionium aliquem, cui quæ prioris erant Pionii, posteriori vindicarentur. Quidni cùm duarum Dionysius fœminarum meminerit ejusdem nominis, *Ammonarum* scilicet, quæ Alexandriæ eodem tempore Ethnicorum furori sunt immolatæ. Equidem nullo apparet indicio, Pionium Eusebianum egisse Presbyterum, quo insigni titulo eum non cohonestavit historia. Pionius verò, qui in Actis, Decio & Grato Coss. martyrium obiisse fertur, unus de grege Presbyterorum fuit, utpote qui Proconsuli responderit interroganti, *Sum Catholicæ Ecclesiæ Presbyter.* De Pionio autem suo id habet Eusebius: *Celeberrimum quoque inter reliquos ejus temporis Martyres fuit Pionius.* Invidissetne Sancto Martyri *Presbyteri* titulum, quo vel Metrodorum affecit *Marcionis secta Presbyterum?* Porro Acta, quibus Eusebianum Decianæ persecutioni Pionium ascribere malunt, multa habent quæ in summam contrahemus: *Secundo die sexti mensis, qui dies est quartus Idus Martias, die Sabbati majore, natale Polycarpi Martyris celebrantes genuinum, Pionium, Sabinam, Asclepiadem, Macedoniam quoque & Lemnum Presbyterum Catholicæ Ecclesiæ vis persecutionis invenit.* Futuram Pionius in somnis captivitatem suam viderat, ideòque funis vinculo, sua, & Sabinæ, & Asclepiadis colla circumdedit, ut cùm ab illaturis vincula vincti invenirentur, scirent qui venerant, nihil novi se esse facturos. Die Sabbato cùm *sanctum panem & aquam* degustassent, *Polemon* neochorus advenit, qui vinctos ad forum adducit. Hortanti Polemoni, ut Imperatoris jussa capesserent, Pionius talia refert: *Vos viri, qui exultatis pulchritudine murorum, & Smyrnæ civitatis decore gaudetis, & Homero Poëtâ gloriamini, & si qui vobiscum à Judæis adsunt, paucis audite.* Habitâ verò oratione fusâ satis, de ingrato in Deum Judæorum animo, de pœna Sodomitis inflicta, qui peregrinos vel extinguebant, vel cogebant pati muliebria, de Mari Mortuo, ejusque natura verba facit, ad interrogata verò respondet, Se esse Christianum. *Cujus Ecclesiæ?* Pionius ait, *Catholicæ.* Ductus cum sociis in carcerem, ubi custodes cognoverunt Pionium, quæ offerebantur ab Infidelibus respuere, in tenebrarum situ, & fœtore carceris Christi Martyres constituunt. Inde vi ad aram Pionium abripiunt, ejusque capiti quas gestabant coronas imponere conantur, quas generosè discerpsit. Postquam Proconsul Smyrnam venit, cùm multis Martyrem ut sacrificaret frustrà hortatus fuisset, tandem recitari jussit ex tabula: *Pionium sacrilega virum mentis,*

Act. c. 19.

Euseb. l. 4. c. 16.

qui

qui se Christianum esse confessus est, ultricibus flammis jubemus incendi. Impositus pyræ, ut clavis trabalibus figeretur, membra composuit. Ac populo patientis miserenti, imò si sacrificaret, veniam pollicenti, respondit: *Sensi vulnera, & utrum sim fixus intelligo, atque interposito tempore ait, hæc me ducit causa, hæc me potissimum ratio compellit ad mortem, ut populus omnis intelligat, resurrectionem futuram esse post mortem.* Ardente pyrâ, *clausis Pionius oculis, tacitâ, ut benè quiesceret, Deum suum oratione poscebat.* Ac cùm vultu læto flammas aspexisset, commendatâ Deo animâ suâ, dixit, *Domine, suscipe animam meam.*

Acta Pionii sincera non esse, argumentis ostenditur.

VIII. Dissimulare quidem non possumus, Pioniana Acta hæc nonnullam eorum accipere similitudinem, quorum meminit Eusebius. Hîc & illic extant & liberæ orationes coram populis defendendæ fidei, & ad lapsos cohortationes. Hîc & illic Pionius clavis figitur, admirandamque præbet in rogo constantiam. Ut autem liberè animi sensa exprimamus, in Actis hisce Pionianis licet existimare aliquid non esse sinceri, ut Eusebii ad narrationem composita videantur. In his verò rationibus nostra sententia collocatur. Acta sincera certas temporum notas non violant, pro Sabbato diem non habent diversum à Sabbato. Quæ hallucinationes certissima sunt novitatis indicia. Jam verò anno, quem Decius & Gratus aperuerunt, feriâ VI. non incidit in *quartum Idus Martias*, ut Acta prædicant. Martii duodecimus dies Martis cohærebat, ut certum exploratumque est, tam ex litera Dominicali F. quàm ex Epacta Solari 2. quæ juncta Calendariæ literæ, inuicat Martium mensem à VI. feria incipere. De die magni Sabbati errat, vel potius insanit Autor Actorum. *Diem Sabbati majorem* illum esse, qui Paschati propius antecedebat, anno CLXIX. planum fecimus. Quo vitari nequit, Pascha à Smyrnensibus ante vernum æquinoxium esse agitatum, quia festum Paschatis à magno Sabbato amplius hebdomadâ distare non potest. Quod verò Smyrnenses ante XXI. Martii Paschalem festivitatem celebrarint, est longè absurdissimum. Insuper fingi non potest animo, Acta sincera in mense Martio Pascha collocasse, quod Aprilis erat. Hoc est Chronologiam prodere, temporaque omnia violare. Illud verò in Actis factum esse deprehendimus. Annus enim qui Decium & Gratum Coss. habuit, Martii Novilunium diei XXI. feriæ V. illigavit vi Epactæ IX. Smyrnenses igitur more Judæorum, Luna XIV. Pascha celebrarunt, hoc est, Aprilis *tertio*, feriâ *quartâ*. Nostri vim argumenti ut effugiant Usserius, atque Pagius, in annum CCLI. Pionii mortem conferunt, *Nonis Aprilis, die Sabbati.* At primùm Actis repugnant, quæ non Decios, sed Decium & Gratum Coss. habent. Quòd si ad libitum Veterum scripta emendare placet, peribunt argumenta omnia Chronologica, quibus subdita monumenta evertimus. Deinde Chronicum Alex. Pionii quoque mortem in IV. *Idus* contulit. Quòd si *Nonis Aprilis* legatur, cum anno CCL. Nonæ Apriles in *sextam* feriam inciderint, ex Actis sunt evellendi, tum dies, tum Coss. ut ad veri normam quadrent. Quid est Autores ad nostra inflectere præjudicia, si hoc non est? Denique anno CCLI. mense Martio, jam persecutio deferbuerat, reste Cypriano, qui secessum exivisset suum, Carthaginem repetiturus, nisi Presbyterorum nonnullorum tumultu impeditus fuisset: *Quorumdam*, inquit, *Presbyterorum malignitas, & perfidia perfecit, ne ad vos ante diem Paschæ venire licuisset.* Quibus non immeritò colligitur anno CCLI. mense Martio captum non fuisse Pionium, *Nonis Aprilis* comburendum. Primùm hoc nostrum est in Acta Pioniana argumentum, ex penu Chronologiæ petitum. Sequitur secundum ex Actorum subscriptione: *Acta sunt hæc sub Proconsule Julio Proclo, & Quintiliano. Consule Imperatore, Gaio, Mense, Quinto, Trajano, Decio & Vizeto Grato, & ut Romani dicunt, IV. Idus Martii, & ut Asiani dicunt, Mense sexto, die Sabbati, horâ decima. Sic autem facta sunt, ut nos scripsimus imperante Domino nostro J. C.* Quâ suscriptione luce clarius est, Actorum Autorem nominum fuisse peregrinum, quibus hujus anni Coss. inducebantur. Grati Prænomen *Annius* fuit, *Vizetus* non fuit. Decius etiam *Messius* vocabatur, non *Mensis*. Germana ergo inscriptio hæc esse debuit, *Imperatore Cajo Messio, Quinto Trajano Decio, & Annio Grato Coss.* Tum in legitima Actorum suscriptione, nota Consulatuum numeralis non omittebatur, quæ tamen Pionianis in Actis desideratur. Decii secundus erat Consulatus, quem gessit cum Grato: neque in Fastis, Annalibus, Legibus, singulari numero vox *Consul* ponebatur. Sorex quidem suomet indicio periit, in scribendo, Facta hæc sunt *imperante Jesu*, quâ clausulâ ne vel Actis Christianorum imponebatur imperantibus Cæsaribus. Sed & Actis repugnat suscriptio, non enim IV. *Idus Martii, die Sabbati, horâ decimâ* morti Pionius addici potuit, qui illo ipso die in carcerem ductus esse dicitur, in quo aliquandiu detentus fuit, donec Smyrnam veniret *Julius Proclus* Proconsul, ut ex Actorum *c.* XII. apparet & promptum est: *Diem noctemque ita occupaverunt lectionibus, aut oratione tenuerunt, ut esset pertinacibus altercatio religionis documentum fidei, & medicina supplicii.* Ex Actorum materia ea argumenta colligimus. In oratione quam apud populum Pionius habuit, & pulchritudinis mœniorum Smyrnensium, & Homeri Poetæ, & Maris Mortui, & Sodomitarum, qui *peregrinos extinguebant*, mentionem inserit, quæ virum martyrium jam anhelantem, jam in sinu mortis constitutum dedecent. Neque credere fas est, Pionium Scripturæ peritum, ea Sodomitis vindicasse, quæ Sodomitæ non patrabant, quòd nempe *peregrinos extinguerent.* Illud etiam à veri vestigiis abesse putamus, quòd Pionius, quem lignis sarmentisque ambulendum circundederant, post ignem quo consumi debuit, habuerit *erectas aures, meliores crines, barbam florentem, & juvenis crederetur.* Capillos quidem trium Martyrum in fornace Babylonica, Deus vi suâ potentissimâ tutos fecit ab incendio. At eo miraculo & Martyrum vita servata est, & Rex magnus eò adductus, ut Regum Regem adoratione prosequeretur, veræque religioni, quam maledictis insectabatur, se patronum diceret. Ut verò in defuncti corpore id miraculi Christus patraret, quo barba ab igne violentissimo ne minimùm violaretur, credere non possumus. Tanti quidem miraculi ne pertenue est in Eusebio vestigium. Neque tanto prodigio extinctus persecutionis furor. Otiosi commentum hominis esse eam narrationem existimamus, cui nullum exemplum fidem astruit, etsi numerosa Martyrum cohors igni

Pag. Crit. An. 251. n. 11.

Cypr. Epist. XL. 43.

ANNO DOM. 250.

tradita sit. Sine capite quidem fabula est, cùm quid de Pionii corpore post ignem, quasi *in minorem ætatem redacto*, factum sit, & ubi sepultum, Acta memoriæ non prodiderint. Nostris & argumentis illud accedat, quod de Metrodoro Presbytero Pioniana Acta memorant: *Post hac Pionium & Metrodorum Presbyterum cum his, in quibus fixi erant stipitibus, erexerunt*, quæ de Metrodoro sectæ Marcioniticæ Presbytero sunt intelligenda, quod & Acta Bollandiana disertè tradunt, vel fatente Ruinarto. Metrodorum quidem huic hæresi præfectum, *flammis consumptum interiisse*, scriptum reliquit Eusebius. Atqui imperante non Decio, sed M. Aurelio, Metrodorus ad fata venit eodem quo Polycarpus anno: *Sed & alia martyria sub idem tempus, quo Polycarpus passus est, apud Smyrnam facta. In quibus & Metrodorus quidam, qui Marcionis secta Presbyter dicebatur.*

Euseb. l. 4. c. 15.

Num mense Novembri extincta Decii persecutio? Aurelius Lector creatur.

IX. Affecto jam Novembri, persecutionem in Africa sedatam esse, Clarissimus statuit Pearsonius. Ac micantium hujus pacis radiorum ope nonnullos ad Cyprianum adducit Episcopos, *Tempore ad ordinationem Clericorum accommodatissimo, unde & eorum ut Collegarum operâ usus est.* Calendis quoque Decembris Aurelium Lectorem ordinatum esse putat, quia prima mensis hujus dies incidit in *Dominicam*. A qua quidem sententia nun alieni non esse possumus. Quippe si Africanam Ecclesiam jam radiis pax suis illustrasset, Cyprianum adhùc in secessu delituisse suo, quis credat? Adeòne gregis sui socors, adcò rerum Ecclesiasticarum negligens, ut Carthaginem quam anhelabat, non subinde advolaret, quo Clerum gaudio, se lætitiâ, Ecclesiam mœrentem consolationibus impleret? Quod adhùc secessum incoluerit suum, argumento est, pacem nondum fuisse restitutam. Itaque in latibulo suo Lectorem ordinavit Aurelium. Imò pacis expertem tunc fuisse Carthaginensium Ecclesiam, ex Cypriano colligimus: adeò variant ingenia. Ex his pacem extundit Pearsonius: *Et quoniam semper gaudium properat, nec potest moras ferre lætitia, Dominico legit interim nobis; id est, auspicatus pacem, dum dedicat lectionem.* Quorum mentem optimè exprimit amplissimus Rigaltius: *Intereà, dum sese vobis cum pace, Deo favente sistet, Dominicis diebus apud nos leget.* Hæc illa sunt pacis auspicia Cypriano, qui Aurelium Confessionibus nobilem, velutpacis quem expectabat Angelum amplexus est. Scripta hæc fuisse inter prælia belli, documento sunt verba quæ sequuntur: *Vos orationibus frequenter insistite, & preces nostras vestris precibus adjuvate, ut Dominus misericordia favens nobis, citò plebi sua, & Sacerdotem reddat incolumem, & Martyrem cum Sacerdote Lectorem.* Expectabant ergo pacem atque votis suis flagitabant, non possidebant. Alioquin ad Aurelium in secessu ordinandum non festinasset, sed in ipsa Ecclesia consecrasset, cui etiam, & non soli Cypriano legisset. Neque etiam probamus, quod vir habet eruditissimus, de Episcopis ad Cyprianum, tempore ad ordinationem Clericorum accommodato venientibus, & de Aurelio, *Calendis Decembribus ordinato*, cùm experimentis benè multis atque rationibus suo loco ostenderimus, non statis temporibus, sed quocunque die indiscrimina Cleri ordinationes, ante Constantinum fuisse peractas. Atque ex eo specimine liquet, non satis doctissimo Annalium Cyprianicorum fuisse causæ aut rationis, cur Sancti Martyris Epistolas gestaque minutatim divideret mensibus suis, ut illas Septembri, has Octobri ineunte, alias Decembri assignaret. Quod absque invidia viri eruditissimi, cujus doctrinam, ingenium, diligentiam miramur, dictum volumus. Ignoretur igitur à nobis tempus, quo Aurelius Lector à Cypriano creatus est; non prætereatur verò nobilis Confessoris fortitudo. Illustris ille adolescens, in annis adhùc novellus, in virtutis laude provectus erat: *Bis confessus, & bis confessionis suæ victoriâ gloriosus, & quando vicit in cursu factus extorris, & cum denuò certamine fortiore pugnavit, triumphator & victor in prælio confessionis extitit.* Placuit ergo Cypriano, ut *ad pulpitum post catastatam* veniret, ac divinis lectionibus vox ea personaret, quæ Dominum gloriosâ prædicatione confessa fuerat.

Cypr. Ep. XXXVIII. 38.

Cypr. Ep. XXXIII.

Numidici fortitudo. Clero Carthaginensi inseritur.

X. Monente quoque Deo, *Numidicus* Presbyter Clero Carthaginensi additus est, ut desolatam Presbyterorum nonnullorum defectione Ecclesiam *gloriosis Sacerdotibus adornaret.* Numidicus hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum, ante se miserat. Uxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris lætus aspexerat. Ipse semiustulatus, & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, dum postmodum filia solicito pietatis obsequio, cadaver patris inquireret, semianimis inventus extractus fuerat. Sibi tamen & lectoribus Baronius illudit, dum Presbyteros, qui *Cathedrali* Ecclesiæ allegebantur, *Cardinales Presbyteros* nuncupari statuit, qui mos à Cyprianicis temporibus abfuit.

Cypr. Ep. XXXV. 40.

Bar. An. 253. n. 95.

Felicissimus: ejus mores, schisma, damnatio.

XI. Dum vis persecutionis ingruit, novum prætereà malum exoritur, & seditione, quæ Carthaginensem incessit Ecclesiam. Cypriano, qua de causa nescimus, semper adversus homo fuerat Felicissimus. Hunc ergo Novatus elegit, quem Diaconum constitueret: *Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum, Diaconum, nec permittente me, nec sciente, suâ factione & ambitione constituit.* Gravem is vultum & Diacono dignum moribus pessimis prætendebat: *Pecunia commissa sibi fraudator, stuprator virginum, matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor*, pingitur à Cypriano, Epistolâ ad Cornelium LV. Tot tantisque criminibus quasi homini infamando non sufficerent, adjunxit & nefarium schisma, quo Carthaginensis Ecclesiæ anno labente membra discerpsit. Quam rem gravissimè questus est Cyprianus: *Nunc quoque cum Episcopo portionem plebis dividere tentat.* Ac primùm secum plurimis proripuit magnæ factionis ille Princeps, à qua tamen recessere complures. Eò etiam temeritatis atque furoris delapsus est, ut comminatus sit, *non communicaturos in monte secum*, qui Cypriano communicassent. Mons locus erat, in quo cum suis satellitibus congregabatur. Jubente igitur Cypriano Caldonius, Herculanus, Victor Episcopi, necnon Rogatianus, & Numidicus Presbyteri *abstinent communicatione Felicissimum*, ut Epist. XXXVIII. & sequente palam est. Sed & plurimorum Episcoporum sententiâ deinde condemnatur. Schismati faciendo ansam præbuit acris illa disciplina, quam lapsis imponebat Cyprianus, quos mitiori castigatione Felicissimus corripi voluit. Seditioso quinque favebant Presbyteri, quos ordinationis suæ principio Cyprianus tulerat adversarios. Quam gravissimis verbis rem deplorat:

Cypr. Ep. XLI n. 52.

Anno Dom. 250.

Cypr. Ep. XL.

At ne parum fuisset, corrupisse quorumdam Confessorum mentes, & contra Sacerdotium Dei portionem rupta fraternitatis armare voluisse, nunc se ad lapsorum perniciem venenatâ sua deceptione verterunt, ut agros & saucios ad capienda fortiora consilia per calamitatem ruina sua minus idoneos . . . à medela vulneris sui avocent. Nova hæc persecutio fuit. Idcircò Cyprianus, quinque *Felicissimi* socios Presbyteros figuram eorum gessisse vult, atque imaginem aliorum, *Quinque Presbyterorum, qui edicto nuper Magistratibus fuerant copulati, ut fidem nostram subruerent.* Eadem, inquit, *rursus eversio per quinque Presbyteros Felicissimo copulatos, ad ruinam salutis inducitur.* Ne verò aliquid deesset seditioni, CCLII. unum creant Episcopum, nomine Fortunatum:

Cypr. Ep. LV. 59.

Fortunatus autem unus erat ex quinque Presbyteris, jam pridem de Ecclesia profugis, & sententia Coëpiscoporum nostrorum multorum & gravissimorum virorum nuper abstentis, qui super hac re priore anno ad te literas fecerant. Item Felicissimum signiferum seditionis recognosceret, ut Cornelio Cyprianus scribit. Ut misellus ille homo dignitate Præsulis indueretur, *de sacrificatis*, vel de *Hæreticis*, quinque Pseudo-Episcopi veniunt Carthaginem, & Fortunatum sibi dementiæ suæ socium constituunt. Quorum Pseudo-Episcoporum hæc sunt nomina: *Privatus* vetus Hæreticus, pridem ob gravia delicta à 90. Episcopis damnatus: *Felix*, quem in hæresi Episcopum olim constituerat: *Jovinus & Maximus*, ob nefanda sacrificia à duabus Synodis, altera IX. Episcoporum, altera complurium, palam damnati: *Repostus*, qui in persecutione & ipse eeciderat, & maximam plebis partem suâ persecutione dejecerat. Qui omnes à Carthaginensi Synodo Idibus Maji anno CCLII. celebrata rejecti.

Ibid.

Ut verò Ecclesiarum captaret favorem Felicissimus, Provincias oberrabat, spoliandis & circumveniendis fratribus. Ubique prædicabat viginti quinque Episcopos Fortunati ordinationi adfuisse. Ausus est etiam Romam navigare, ut Epistolas communicatorias à Cornelio extorqueret. Ac primùm rejectus fuit pulsusque de Ecclesia, in quam stipatus catervâ desperatorum venerat. Verùm enimverò cùm Felicissimus ejusque satellites minitarentur, quòd si quas attulerant literas, Cornelius non acciperet, publicè eas recitarent, & multa turpia proferrent; talibus minis aliquantum commotus Cornelius, ardorem constantiamque, quam ostenderat, nonnihil remisit anno CCLII. Duos porro Felicissimos Baronio distingui placet, alterum *Diaconum*, *Presbyterum* alterum. Geminâ verò ratione in hanc opinionem ducitur. Prior est,

Baron. An. 254. n. 61.

quòd Cypriani *Presbyter, jam fuisse* dicitur posterior, quòd *sententia Novati adversarius erat.* Quæ pace illustrissimi Purpurati, distinguendi causæ nullo loco sunt, quod & visum Pearsonio. Equidem nil est in Cypriano vestigii, quo Felicissimus Presbyteris ascribatur. Id solùm habet Cyprianus Epistolâ XL. *Quinque Presbyteros Felicissimo copulatos, ejusque satellites fuisse.* Presbyteris verò nunquam Felicissimum inseruit, aut titulo affecit Presbyteri. Majori forsan specie Felicissimum Baronius dixisset Episcopum, innixus his Cypriani:

Cypr. Ep. XLII.

De eodem Felicissimo, & de Presbyterio ejusdem. Sed nec in eo loco virium inest aliquid. Nil enim aliud sibi vult Cyprianus, quàm Presbyteros qui partibus Felicissimi favebant, & ut explicat Rigaltius, *qui circa illum.* Neque plus momenti est in posteriore Baronii argumento. Quamdiu enim Novatus in Africa fuit, de lapsis recipiendis sententiæ patrocinabatur. Ubi verò Romam advenit, de prisca opinione decessit, ut Cornelio magis obniteretur. Sic Novatianus lapsos recipi olim voluerat, quos mutatâ dein sententiâ, Ecclesiasticæ pacis prorsus expertes esse voluit.

Anno Dom. 250.

Dionysius Parisinus ab Atheniensi diversus.

XII. Decii & Grati Consulatu Dionysium Parisiensem in Gallias venisse, Gregorius Turonensis memoriæ prodit: *Missi sunt Turonicis Gratianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Tholosa Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Arvernis Stremonius Episcopus, Lemovicinis Martialis est destinatus Episcopus.*

Greg. Tur. H. Fr. c. 30.

Quo insigni testimonio veram liquet esse sententiam, quæ Dionysium Areopagitam à Parisiensi Dionysio secernit. Quippe traditionis peregrinus esse Gregorius non potuit, quæ tum temporis obtinuit. Referebat autem Dionysium, qui Lutetiæ martyrium obiit, alium esse ab Atheniensi Dionysio. Hoc clamabat Parisiensis Ecclesia, hoc prædicabant Episcoporum successiones, atque tabulæ: quorum omnium ignarum fingere Gregorium, qui plus semel Lutetiam venit, & cum Parisiensi Clero commercii multum habuit, quid est homines ad insaniam adigere, si hoc non est? Gregorii fidem præstant Martyrologia, illud præcipuè quod Rosuedus edidit, quod suâ simplicitate ex antiquissimis unum meritò judicatur. Duorum verò Dionysiorum meminit, quorum natalitia diversis diebus celebrantur: *V. Nonas Octobr. Athenis, Dionysii Areopagitæ sub Adriano diversis tormentis passi.* Paulò infrà verò: *VII. Id. Parisiis Dionysii Episcopi cum sociis suis à Fescennio gladio animadversi.* Cum autem ea de quæstione nostram olim ostenderimus sententiam, satis erit aliud afferre argumenti distinguendis Dionysiis. Nempe Areopagitam ætate confectum, imparem fuisse Gallicanæ legationi. Annorum fe XXV. fuisse tempore passionis Dominicæ, Pseudo Areopagita testatur ad Apollophanem Epistolâ XI. Annum igitur quintum & octuagesimum prius agebat, quàm Joanni Apostolo Pathmum insulam incolenti scriberet. Quo tempore, nondum in Gallias profectus est. Imò eò mitti non potuit, nisi post Joannis ex exilio suo reditum, quem & illi pollicetur, sibi verò gratulatur futurum cum B. Apostolo colloquium:

Dionys. Ep. X.

Paulò verò post ausim dicere, licet confidentius vobis ipsis conjungendos. Imperante Nervâ anno XCVI. Joannes liberatus exilio redit Ephesum, teste Hieronymo in Viris illustribus. Itaque annus Christi XCVII. antecurrebat, quàm Dionysius in Gallias se contulerit, quo tempore annos circiter XC. natus erat. Quis verò comprehendere potest animo, virum tanti senii, desertâ Ecclesiâ suâ, laboriosam suscepisse Galliarum legationem, quæ non ætate jam confectum, sed robustum, & valentem juvenem flagitabat. Credant qui sibi somnia fingunt, non nos. Itaque Parisinus ab Atheniensi Dionysius non diversus esse nequit.

Dionysius Parisinus ante annum CCL. venit Lutetiam.

XIII. Illud verò etsi lubentes fateamur, sunt tamen Gregorii in narratione nonnulla, quæ nos vellicant & pungunt. Vix enim fidem impetrat, Decio imperante anno CCL. *ad prædicandum in Gallias septem missos esse Episcopos*, qui dubio procul ex urbe mitti debuerunt. Atqui tanta hoc anno vis persecutionis fuit, tanta Rom. Ecclesiæ calamitas, ut Fabiano, qui XII. Kal.

Fe-

Anno Dom. 250.

Februarii morti missus est, successorem Clerus dicere non potuerit, sedesque integro anno vacaverit. Qui fieri igitur potuit, Decio & Grato Coss. Romæ septem Episcopos ordinatos fuisse legandos in Galliam. 2°. Ante Decianam persecutionem Saturninum Episcopatum Tholosanum adiisse, ex Actis ejus colligimus: *Supradicto Episcopo ad Ecclesiam id temporis parvulam, juxta Capitolium, quod inter domum suam, & domum Dei erat.* Quæ *parvula* licet Ecclesia furente Decio extrui non potuit. Ante cruenta Decii imperia conditam quidem fuisse, eò liquet, quòd in id temporis Saturnini mortem conferant Martyrologia. Non igitur satis spatii Saturnino fuit, ut Dæmonibus silentium imponeret, Ethnicos ad fidem adduceret, Ecclesiam statueret in civitate Tholosana, si demum Decii & Grati Consulatu missus est in Galliam. 3°. Etsi faciles assensum Sulpitio præbeamus Severo, de *serius trans Alpes Dei religione suscepta*, vix tamen credere possumus, nullum Arelatensibus ante currentem annum Episcopum fuisse, cùm imperante Marco, Lugduni, & Viennæ Ecclesiæ florerent. Ab eo verò intervallo, quod ab anno CLXXX. qui Marco supremus fuit, ad usque CCL. extenditur, Romanorum in Provinciam Evangelium non migrasse, non Arelatensibus illuxisse, vix capimus animo. De imperio Commodi Eusebius: *Atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quam plurimos ad religiosum Numinis cultum pertrahebat.* Multò magis imperante, & Alexandro Severo cujus domus Christianis replebatur, & Philippo, quo benigno & facili Ecclesia utebatur, Meridionales Galliæ partes fides ingressa est. 4°. Calamitosis Decii temporibus vix ea patrari potuerunt, quæ patrata narrat Gregorius: *Gratianus verò, Trophimus, Stremoniusque, & Paulus, & Martialis, in summa sanctitate viventes, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrarunt.* Rerum habenas tenente Decio, in vinculis, in carceribus, in desertis locis includebantur Episcopi, ut adducta nobis exempla plurima fidem fecere. Denique Acta Saturnini de Dionysio ejus comite nil referunt. Hæc tantùm habent: *Decio & Grato Coss. sicut fideli recordatione retinetur, primum & summum Christi, Tholosa civitas, S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem.* Quæ sequuntur apud Dionysium: *Hi ergo missi sunt* &c. non Actorum, sed Gregorii verba sunt, cujus non tuta satis Chronologia, utpote quæ initia Valentini Hæretici, Sixtique Papæ, & Laurentii Diaconi martyrium sub Decio collocarit. Quàm ergo certum nobis est Parisinum Dionysium ab Atheniensi distingui, tam probabile adventum ejus in Gallias anno CCL. esse anteriorem.

Act. Saturn. c. 2.

Euseb. l. 5. c. 21.

Gregor. H. Fr. l. 1. c. 30.

Dionysio mors imperatur.

XIV. Vitam explevisse martyrio Dionysium Parisinum, non est quod in dubium adducamus, etsi nobis non liqueat, Decio, an Valeriano imperante lucem amiserit. Ejus tamen obitum in Decianam persecutionem, & morte Saturnini, & Gregorii testimonio referre placuit: *B. Dionysius Parisiorum Episcopus, diversis pro Christo affectus pœnis, præsentem vitam gladio imminente finivit.* Non sine pigmentis fucoque puerili Sancti Martyris obitum memoriæ prodit nobilis ille Hilduino, & N. Alexandro, fide dignissimus Autor Visbius Lisbii filius. Cujus mater Larcia, *Cùm Dionysium cæsâ cervice vidisset caput suum cum grandi luce portare, clamavit, Se esse Christianam, & occisa est.* Hoc verò figmenti satis superque refellit scriptum Gregorii, hominis ad credulitatem nati, cui magnum illud Visbii prodigium, cadaveris cæsam cervicem manibus tenentis, luce multâ circumfusam, & ad multa milliaria ambulantis, non venisset in oblivionem. Nondum igitur è tenebris emerserat lepida fabula ætate Gregorii, qui gravissimo quoque telo id commenti conficit. Nempe Dionysii corpus non quinque ab urbe Lutetia milliaribus, sed in ipsa civitate collocatum erat, quod certissimè testantur miracula ab eo prodita: *Tempore verò, quo Sigebertus Rex cum exercitu ad urbem illam venit, & maximam vicorum ejus partem incendio concremavit, quidam de Primoribus ejus ad Basilicam antedicti Martyris properat, non orationis devotione, sed tantum ut aliquid fraudaret ab æde.* Ad castra redeunti fuit necesse navigare. At puer furis navem vix ascenderat, cùm *subitò à nullo tactus de navi decidit, oppressusque aquis, nunquam potuit inveniri.* Templum igitur Dionysii Lutetiæ erat, quæ illo tempore Insulam tantùm complectebatur, ideò furi erat necessariò navi excundum, nam ponte non audebat, ne in itinere deprehenderetur, ut verè simul ac solerter observat Joannes Morinus de sacris Ordinat. p. 5. c. 3. qui aliis & argumentis probat, Dionysii *sepulchrum in medio Parisiensis urbis, non extra, situm & cultum fuisse.* Nos ad alia properamus.

Gregor. Mir. l. 1. c. 72.

Ambrosii Diaconi vita.

XV. Sub idem tempus ad plures, siccâ morte tamen, abiisse videtur Ambrosius, nobilitate, eruditione, pietate, Diaconatu, Originisque amicitiâ nobilis. Alexandrinum fuisse, probabili conjecturâ duci potest. In ea civitate versabatur, cùm ab errore Origenis ope revocatus est. Virum *insignem in Aulis Regum esse*, prodit Epiphanius h. LXIV. n. 3. Ditissimum sanè fuisse liquet. Uxorem habuit *Marcellam*, ex qua liberos multos suscepit, quod didicimus ex Origenis ad Africanum Epistola: *Salutat te Dominus meus, & frater S. Ambrosius; salutat te pariter fidelissima uxor ejus Marcella, unà cum liberis.* Valentinianorum, imò si Hieronymo creditur, Marcionitarum errores imbiberat, quos ejuravit, docente Origene: *Sic ad rectæ fidei, quæ in Ecclesia prædicatur, professionem transiit.* Largissimis sumptibus adjutor Præceptori fuit ad scribendos in Scripturam Commentarios, septem quippe & amplius Notariis, puellisque elegantius scribere assuetis, copiosè sumptus necessarios suppeditavit. Impensam pietati operam dedisse, docet Hieronymi ad Marcellam Epistola XVIII. Ambrosius in quadam Epistola, quam ad Origenem de Athenis scripserat, refert: *Nunquam se cibum, Origene præsente, sine lectione sumpsisse, nunquam iniisse somnum, nisi unus è fratribus Sacris Literis personaret. Hoc diebus egisse, & noctibus, ut & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem.* Diaconi ad officium promotus, Maximini in persecutione gravissimum periculum adiit, quo tempore egregio, quem de martyrio Origenes edidit, libro recreatus est. Cùm autem incensus esset amore incredibili virtutum Doctoris sui, illi nocuit imprudenter. Origenes enim ad Fabianum scribens, Romanæ urbis Episcopum pœnitentiam errorum egit. *Et causam temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita in publicum protulerit.* Ante Origenem obiisse constat, qui ad Gallum usque

Euseb. l. 6. c. 18.

Hier. Ep. LXV. c. 3.

usque & Volusianum vixit. Quæ causa est, cur ad Decium usque, annos Ambrosium extendisse suos existimemus. De morte ejus Hieronymus: *Obiit ante mortem Origenis, & in hoc à plerisque reprehenditur, quòd vir locuples, amici sui, egeni senis & pauperis, moriens non sit recordatus.* Extat non in *Hieronymo*, uti doctissimus putat Spencerus, sed in *Sophronio*, insigne Ambrosii Epitaphium:

Vixit Ambrosius, imperante Severo, dives, stirpe clarâ prognatus,
Sanctus, doctus, Mecænas, idemque Ecclesiæ Diaconus.

Anno U. C. 1004. Per. Jul. 4964. Jul. 296. Dom. 251. Decii 3. *Sol.* 8. E. *Lun.* 5. *Indict.* 14. *Epact.* 20. *Epact. Sol.* 3. *P.* 23. *Mart.*

Coss. *Decius Augustus III. & Quintus Herennius Etruscus Decius Cæsar.*

De hujus anni Coss.

I. LAbentem annum Metium Quintum Trajanum *Decium III. & Gratum II. Consules* duxisse, tradit Baronius in Annalibus. Quâ mendosâ notâ magnam in Fastos, Historiamque perturbationem induxit. Subdititius enim ille Consulatus Baronianam Epocham, quæ à Dionysiana biennio jam dissidebat, nunc triennio removet. Ac quem CCLI. Christi numeramus, illustrissimo Purpurato *ducentesimus quinquagesimus quartus* evasit: non sine Epocharum, temporumque omnium insigni confusione. Hanc verò Chronologiam amplexus est, Actorum Pionianiorum autoritate permotus: *Hæc Acta sunt, Julio Asiæ Proconsule, Proclo & Quintiliano Magistratum gerentibus, Consule tertium Messio Quinto Trajano, & Decio Grato secundùm.* Acta quidem Bollandiana sic habent. At MS. Sancti Maximini Trevirensis Codex, apud eundem Bollandum aliam subscriptionem exhibent, referente Ruinarto. Abest enim nota numeralis; aliam quoque reperimus in Codice MS. Abbatis de Noaille, ut non levis conjectura sit, germana non esse Acta Pionii, cùm sincera Acta certis Consulum nominibus consignentur. Baronius verò suffecto Decii Imperatoris Consulatu deceptus, illum mutavit in ordinarium. Quo factum, ut anno adhùc excreverit ejus Chronologia. Atqui ex Trebellio Pollione, veros currentis anni Coss. discere potuit, quem apud extat decretum Senatus, *duobus Deciis Coss.* VI. *Cal. Nov. die.* Quos etiam Bucherianus exhibet Coss. indiculus. Theonis Fasti gravi errore habent, *Gallus II. & Decius.*

Seditiones in Decium.

II. Cniva Rex Gothorum à Gallo, *Novis*, quas obsidere volebat, pulsus, *Nicopolim* festinanter pergit. Gothorum concursu permotus Decius, quàm potuit celerrimè Româ digressus, obsidione civitatem liberare cupiens, jugo transacto Borream venit. Dum fessum fovet exercitum, subitò Cniva fulminis in modum invectus vastat Romanos, Deciumque ipsum in fugam vertit. Itaque diu obsessa Nicopolis, Gothorum tandem in ditionem venit. Ut verò facilius Decii vires attereret, Lucio Prisco, qui Macedoniam administrabat, defert imperium. Quem Senatus hostem patriæ dicit. Nec una hæc contra Decium conjuratio facta. Quippe Julius Valens, *cupientissimo vulgo* imperium capit. Neuter verò ex ambitione diu fructum decerpsit, utroque mox post rebellionem cæso. Porro Decius qui aufugerat in Mœsiam, reparato exercitu, in Gothos movet, Gallo ad Danubii ripam cum magnis copiis collocato. Rebus ex animi sententia succedentibus, Gallus ad res novas conversus, Legatis ad Gothos missis, ut in societatem insidiarum adversus Decium venirent, hortabatur. Qui cupidissimè quod proponebatur, accipiunt. Hinc prima Decio mali labes.

Zozim. l. 1. Jornand. c. 18. Victor.

Mors Decii.

III. Numinis iram fuso immerentium Christianorum sanguine sibi contraxerat Decianus furor. Itaque morte funestâ in solo Barbaro opprimitur. Properabat annus ad exitum, ut ex Trebellio exploratum est. In Senatus potestate Decii posuerant, cui deberet Censura deferri, quod Censuræ veteris ultimum fuit, & longo intervallo repetitum exemplum. In procinctu cum Decio Valerianus agebat, quem uno ore Patres Censorem creant dicentes, *Valeriani vita Censura est.* Decretum conditum est Octobris XXVII. Accepit tamen Decius Senatusconsultum, convocatisque omnibus Aulicis, & in conventu summorum virorum recitato decreto: *Felicem te*, inquit, *Valeriane, Senatus sententiâ, imò animis atque pectoribus, totius orbis humani suscipe Censuram, quam tibi detulit Romana Resp.* Quæ dici à Decio non potuere, nisi Novembri jam adulto. Hinc conjectura Valesio nascitur, sub Consulatu Galli & Volusiani Decium periisse: *Cùm enim cæsi sint Decii in prælio haud quaquam verisimile est, eos hiberno tempore bellum in Thracia gessisse.* Quæ ratio si vera est, non ante Martium anni insequentis vitâ spoliati sunt, cùm mensis Februarius non magis bello gerendo quàm November, Decemberve sit idoneus. Clementem adeò hyemem quandoque sortimur, ut ad Decembrem usque bellum facillimè protrahi possit. Ex Galli quidem & Volusiani Consulatu apparet, anno quem aperuere, illos jam imperasse, secùs patri filioque delatum simul non fuisset & amplissimum munus, quod vi dignitatis summæ impetrarunt. Exeunte igitur Novembri, vel ineunte Decembri, Decii morte sternuntur, quam sic invenerunt Barbari trifariam divisi, quodam in loco primam aciem instructam collocabant, palude quâdam à fronte munito. Ubi multos ex eis Decius interemisset, acies secunda supervenit, quâ ipsâ quoque in fugam actâ, pauci quidam ex acie tertia propter paludem conspecti sunt. Ibi cùm Gallus per indicia Decio significasset, ut eos per ipsam paludem invaderet, imprudenter ob locorum ignorationem progressus, & cum copiis quas secum ducebat in luto defixus, & à Barbaris undique telis petitus, unà cum iis quos propter se habebat, oppressus est. Mortem plerique illustrem ferunt. Cùm enim Decius Cæsar in acie cecidisset, strenuè Pater dixit, *detrimentum unius militis parum videri sibi*, ita refecto bello, cùm impigrè decertaret, interiit pari modo. Locus ubi perierunt, *Abrittus* vocatur Historicis. Quin etiam Jornandes de rebus Geticis c. 18. de loci nomine hæc habet: *Hodie Decii ara dicitur, eò quòd ibi ante pugnam miserabiliter idolis immolaret.* Gurgite paludis submersum esse, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri, legitur Victoris in Epitome. Ambo Decii in Deos relati sunt. Pater menses imperavit triginta.

Trebel. Valer. c. 2.

Vales. Annot. in Eus. 124.

Zozim. l. 1. c. 23.

Vict. de Cæs.

Novatus fuerit ne Episcopus? Usus-

IV. Dum Christianis iniquum se Decius præbet, incidit Ecclesiæ nova calamitas, quasi ad

ANNO DOM. 251.

ad eam opprimendam non satis virium fuisset Principum furori. Novati superbia id mali multis Ecclesiis intulit, de cujus & officio & moribus nunc est dicendum. Baronius ejusmodi sententiæ fuit, *Novatum* de Africanis Episcopis unum fuisse, cujus & in opinionem ivit Petavius: quam *certo* probari *argumento* contendit illustrissimus Purpuratus; nempe quòd à *Novato sit ordinatus Diaconus Felicissimus.* His verò innititur ea ordinatio: *Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum Diaconum, nec permittente me, nec sciente, suâ factione & ambitione constituit.* De Novati munere in errorem Baronium incidisse constat. Quid verbis Hieronymi disertius? *Novatus Cypriani Presbyter fuit*, quæ leguntur libello de Viris illustribus. Non semel quidem Novati Presbyteri Cyprianus ipse meminit, cui probè notus erat ille Schismaticos. Nostrum designari *Novatum*, Cypriani ad Clerum suum Epistolâ, nulli dubitamus: *Ad id verò quod scripserunt mihi Compresbyteri nostri, Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, solus rescribere nil potuit.* Ab invitis quidem extorquere possumus, digito monstrari Novatum Schismaticum, in Epistola Cypriani ad Cornelium XLIX. 52. *Propter hoc se, non Presbyterio excitari tantùm, sed & communicatione prohiberi, pro certo tenebat.* Qui verò Presbyterio ejicitur, Presbyterum illum fuisse necesse est. *Presbyter* ergo fuit, *Episcopus* non fuit. Neque cum *Centuriatoribus*, aliisque eruditis, sibi fingendum animo, *admissum* quandoque fuisse Romanorum in Presbyterorum ordinem. Quo casu nil juris in ipsum fuisset Cypriano, ut de Presbyterio pelleret. *Cypriani* igitur, non *Cornelii* Presbyterum egit. Argumentum verò, quo Baronius Petaviusque sibi persuasere Novatum Episcopum fuisse, sic solvit clarissimus ille Pearsonius: *Non dicit Novatum ordinasse Felicissimum, neque suâ manu, sed suâ factione eum constituisse Diaconum; hoc est, potentiâ factionis suæ, ut Diaconus ordinaretur, sine venia, aut notitia Episcopi sui effecisse.* Quam probat explicationem ex phrasi gemina: *Qui istic adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit.* Sic vir ille doctissimus Annalium Cypr. p. 25. enervando Blondelli argumento, quod proposuit in Apologia pro sententia Hieronymi p. 352. Nondum tamen acutâ hâc suâ responsione, *nobili Presbyterialis potestatis exemplo*, vires ademit. Quippe nullus absente Cypriano Carthagini fuit Episcopus, ordinando Felicissimo. Procellâ persecutionis agitati Præsules, vel in desertis latebant, vel Ecclesiæ quisque suæ includebantur. Nec si fingeremus, Carthaginem ex Africa venisse Episcoporum aliquem, non eò temeritatis processisset, ut inscio Cypriano, cujus magna & autoritas per Africam, & dignitas fuit, Diaconum in Ecclesia non sua crearet, non sine Ecclesiasticæ disciplinæ violatione, atque contemptu Cypriani, quam dubio procul & accusasset injuriam. Idoneum sanè fuisse Novatum ordinando Diacono, vincunt ipsa verba Cypriani, *nec permittente me, nec sciente* Felicissimum Diaconum constituit. Quòd si permisisset Cyprianus, legitimè ergo fuisset ordinatus à Novato Felicissimus argumento atque indicio, Novatum quamvis Presbyterum, creandis Diaconis fuisse idoneum. Peccavit ergo Novatus, non quòd alienam à se ordinandi autoritatem usurparit, sed quòd illam nescio Episcopo exercuerit, quòd servando ordini & decoro facere non debuit. Corruptos Novato fuisse mores, perspicuè docet Cypriani ad Cornelium Epistola: *Spoliati ab illo pupilli, fraudata vidua, pecunia quoque Ecclesiæ denegata.* Quæ crimina novis sceleribus cumulavit: *Pater ejus vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus.* Utrùm verò hæc Novati ordinationi prævia fuerint, quæstionis est; imò non quæstionis foret, nisi Pamelius, Schelstratus, Pagius contenderent usu uxoris prohibitum fuisse Novatum, postquam ad Presbyteratum evectus est. Quos suum fallit præjudicium. Quis enim tot tantisque sceleribus polluto, dignitatem Presbyteri adjunxisset. Itaque ab eo jam in eo munere constituto, ea sunt perpetrata, qua de causa officii abdicationem verebatur. Est quidem Ecclesiasticæ disciplinæ, Clericos ob flagitia exautorare, quæ ordinationem excepere suam, non ob ea quæ antecessere: *Hanc conscientiam criminum jam timebat, propter hoc se non de Presbyterio excuti tantùm, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & urgentibus fratribus, imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ageretur, nisi persecutio antevenisset.* Quibus luce clarius est, nova hæc fuisse Novati scelera, nec ante, sed post ordinationem commissa. Secùs Decianam ante persecutionem in mores ejus fuisset inquisitum. Honestum matrimonii usum ætate Cypriani Presbyteris non fuisse vetitum, documento est Carthaginensis Synodi decretum: *Placet ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus abstineant.* Ex quibus intelligitur ante id decreti, quod anno demùm CCCXC. promulgatum est, majoribus & Clericis permissum fuisse uxorum suarum commercium, quod eo Canone prohibetur.

V. Hisce moribus præditus Novatus, inconsulto Cypriano Felicissimum anno CCL. ordinavit Diaconum. Ad Clerici quidem alicujus electionem, quæ laicorum erat in arbitrio atque suffragio, Cypriani permissione nil opus erat, ad ordinationem verò Episcopi consensus requirebatur, quo dato, Novatus Presbyter tam potuit Carthaginensi in Ecclesia Diaconum ordinare, quàm in Alexandrinâ: absente Episcopo Presbyteri consignare potuerunt. Cùm igitur multis peccatis sordidus Novatus, novarum rerum semper cupidus, sibi timeret, judicio Sacerdotali prævento, ab Ecclesia voluntariè discessit. Ac remotus à tranquillitatis studiis, Carthaginensi Ecclesiæ pacem eripuit: *Idem est Novatus, qui apud nos primum discordiæ, & schismatis incendium seminavit, qui quosdam istic è fratribus ab Episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione, ad evertendas fratrum mentes, alia quædam persecutio nostris fuit.* Nempe ut gratiam populorum sibi conciliaret, absque laboriosa diuturnaque pœnitentia lapsos recipi volebat. Relictâ Carthagine, sub anni currentis initia, vitam adhùc retinente Moyse Martyre, Romam se contulit, ut narrat vetustus Romanorum Episcoporum Indiculus: *Eo tempore supervenit Novatus ex Africa, & separavit de Ecclesia Novatianum & quosdam Confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est.* Fusius rem exequitur Pacianus Epistolâ tertiâ ad Sempronianum: *Novatianum Episcopatu Cornelii anxium,*

Marginal notes: ne sit uxore post ordinationem? — *Bar. an.* 254. n. 59. — *Cypr. Ep.* XLIX. 52. — Error Baron. — *Cypr. Ep.* VI. 14. — *Cypr. Ep.* XLIX. — *Cart.* 2. c. 1. — Novati schisma. — *Cypr. Ep.* XLIX. — *Epistola* XLIX.

cum aliquantis, ut in tali re solet, ex sua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem sovet, ut magnum aliquid speret hortatur. Invenit aliquos ex eorum numero, qui tempestatem persecutionis illius evaserunt, apud quos hanc ipsam de lapsis receptis Cornelio conflaret invidiam. . . . Dat eorum Epistolas ad Novatianum. Hic adeò teterrimo schismati movendo infelix ille homo initium fuit. Ubi verò attenuatam depressamque, quam tuebatur factionem vidit, urbe relictâ aliò secessit; quo recedente, turbæ Romanæ non minimum decrevere: *Novato illinc à vobis recedente, id est, procellâ & turbine recedente, ex parte illic quies facta est*, bonique Confessores ad Ecclesiam redierunt: *Quasi Hæreticum semper & perfidum, omnium Sacerdotum voce damnatum* esse, ex Cypriano novimus.

Epistola XLIX.

Novatianus: ejus mores.

VI. Nefandæ seditioni tamen *Novatianus*, non *Novatus* nomen imposuit. Quos cum Græci Scriptores Eusebius, Theodoritus, aliique permiscuissent, non minimum caliginis in historiam induxere. Novatianus religione primùm Ethnicus professione fuit, & ut vero simile, *Stoicus.* Quo videtur allusisse Cyprianus, Epistolâ ad Antonium de Cornelio & Novatiano l. *51.* 55. *Alia est Philosophorum, & Stoicorum ratio.* Dum à Dæmone, quo vexabatur, ab Exorcistis liberatur, Dei religionis suscipiendæ occasionem habuit. Collapsus in gravissimum morbum, in lectulo, quo jacebat, sacris undis expiatus, non ab Episcopo consignatus est juxta Ecclesiasticam regulam. A Fabiano nihilominus Ecclesiæ Romanæ Presbyter creatur, repugnante primum Clero, qui tandem se exorari passus est. Clerici dignitatem illis negabat Ecclesiæ disciplina, qui urgente morbo in lecto baptismate perfundebantur. Quem utique morem non Romana modò, sed & Græca tenuit Ecclesia, teste Neocæsariensis Synodi Canone XII. Ingruente persecutione à Diaconis monitus, ut Christianis esset auxilio, Presbyterum se amplius esse nolle respondit, alterius Philosophiæ cupidum. Mortuo Fabiano, toto animo Episcopali Cathedræ inhiabat. Cujus impetrandæ spes ejus alebat, eruditio cum eloquentia conjuncta, quas in Novatiano facultates fuisse, Cyprianus non inficiatur: *Jactet scilicet Philosophiam, & eloquentiam suam superbis vocibus prædicet.* Ambienti tamen Episcopatum Cornelius anteponitur. Tum & à Novato, & à cupiditate sua inflammatus, omnem lapidem movet, ut Cornelius removeretur. Dilpergebantur ubique locorum rumores, quibus Cornelio infamia inurebatur. Quam rem nos Cyprianus monuit: *Quod autem quadam de illo inhonesta, & maligna jactantur, nolo mireris.* Addebatur, Cornelium *sacrificatis* communicare. Qui porro Carthagini versabantur Episcopi, malis Ecclesiæ, si quam poterant, attulere medicinam. Caldonium ergo miserunt, & Fortunatum Episcopos, qui non Afrorum modò literis, sed suâ quoque præsentiâ, *Ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent.* Sed gliscente discordiâ pars opposita Cornelio, Episcopum sibi constituit. Quippe sui immemor juramenti Novatianus, quo affirmaverat se Episcopatus non esse cupidum, satellitum suorum duos in ultimas Italiæ partes misit, qui tres Episcopos accerserent, componendæ Romanorum discordiæ.

Cypr. Ep. LVIII.

Cypr. Ep. LII.

Cypr. Ep. XLII.

Schisma Novatiani.

VII. Ubi advenerunt, inclusos horâ decimâ temulentos, & crapulâ oppressos, manum impositione Episcopatum per vim sibi tradere cogit. Neque deerant complures, qui Novatiani partes tuerentur. Favebant Maximus Romanæ Presbyter Ecclesiæ, & Confessionis honore clarus. Urbanus unus de grege Confessorum, Sidonius, Celerinus, qui cuncta tormentorum genera fortissimè sustinuerat. Patrocinabatur Nicostratus Diaconus, vinculis, quibus in carcere constrictus fuerat, insignis. Aderat Trophimus Presbyter, qui multos Novatiani in communionem perduxerat. *Cum Trophimo partem maximam plebis abscessisse*, non diffitetur Cyprianus ad Antonianum Epistolâ. Meminit & *Evaristi* Pacianus, quem Episcopum fuisse scimus: *Evaristum verò autorem schismatis fuisse, & successorem, plebs, cui antè præfuerat, Zetum in locum ejus Episcopum esse constitutum*, narrat Cornelius ad Cyprianum. Ex ejus etiam ad Fabium Epistola scimus, quinque Presbyteros Ecclesiæ Romanæ Novatiani studiosos fuisse, quibus communionem renunciavit Moses, qui vitam in vinculis etiamnum retinebat. Ut firmioribus verò nexibus suos sibi sociaret Novatianus, dum Eucharistiæ particulas distribuit Communicantibus, manus illorum, quæ sacra pignora acceperant, retinens, non prius dimittebat, quàm in facinus suum & rebellionem jurassent: *Jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri J. Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum.* Moris erat insignioribus Episcopis, ad Collegas de sua ordinatione, vel Epistolas, vel legationes mittere, ut scirent quos adire scripto, aut communione sibi sociare deberent. Novatianus igitur Carthaginem Legatos misit, teste Cypriano: *Venerunt ad nos, frater charissime, missi à Novatiano, Maximus Presbyter & Augendus Diaconus, & Macheus quidam & Longinus.* Ex literis verò & asseveratione testabantur, Novatianum Episcopum factum. Quos à sua communione Carthaginenses Clerici cohibendos esse censuerunt. Dum expectabatur reditus Caldonii & Fortunati Episcoporum, quos ad Cornelium miserat Synodus Carthaginensis, supervenerunt Pompejus & Stephanus Episcopi, qui de legitima Cornelii ordinatione testimonium dixerunt. Proruunt ergo Novatiani Legati, cùm in *statione*, hoc est, diei Mercurii, vel Veneris semijejunio frequens adesset Ecclesia, flagitant, quæ crimina se afferre & probare dicebant, ut publicè à Clericis & plebe cognoscerentur. Quod cùm non impetrassent, & ostiatim per multorum domos, & oppidatim per urbes nonnullas obstinationis suæ comites quæsiverunt. Dum Africam obeunt, Novatiani literæ ad Dionysium Alex. perveniunt, quibus indicabat, Se vi coactum ad Episcopatum capessendum fuisse. Quibus graviter & venustè simul respondit Dionysius: *Erat non inferior gloria sustinere martyrium, ne scindatur Ecclesia, quam est illa, ne idolis immoletur.* Quòd si fratres ad concordiam redigat, majus fore meritum, quàm culpam. Si parere recusent, suam ipsius animam servet. Operam quoque suam interposuit Cyprianus, ut seditionem extingueret, Missâ Maximo, Nicostrato cæterisque Confessoribus Epistolâ, ut ad Ecclesiam redirent, quam *Metrio Hypodiacono* ferendam dedit. Eos hortatur ad matrem reverti unde prodierant, & ad confessionis gloriam venerant. Nec successu caruit sancti Episcopi diligentia.

Ep. XLVIII. 50.

Eusеb. l. 6. c. 43.

Euseb. l. 6. c. 43.

Cypr. Ep. XLI. 44.

Euseb. l. 6. c. 45.

Cypr. Ep. XLIV.

Urbanus

ANNO DOM. 251.

Urbanus enim, & Sidonius Confessores, ad Presbyterium venientes, testantur Maximum quoque Presbyterum velle ad Ecclesiam redire. Itaque Cornelius cogit Presbyterum, cui etiam Episcopi quinque interfuerunt, ut firmius decretum evaderet. Venerunt igitur in Presbyterium Maximus, Urbanus, & Macarius, cum maxima eorum parte qui se ipsis adjunxerant, enixè flagitantes, gesta omnia cederent in oblivionem. Palam & publicè etiam professi sunt, Cornelium Ecclesiæ Catholicæ Episcopum esse. Maximus ergo loco suo restituitur, alii verò cum ingenti populi suffragio recepti. Quem Cornelio reditum Cyprianus gratulatus est.

Cypr. Ep. XLVII. 49. & 51.

Schisma Novatiani extinguitur & damnatur à Synodo Romano.

VIII. Majore fulminis ictu *Novatianus* prosternitur. Sexaginta enim Episcoporum, & Presbyterorum Diaconorumque longè plurium, mense circiter Octobri, Concilium in urbe cogitur, quo Novatianus & fautores ejus alieni habentur ab Ecclesia, cujus decreti exemplar ad Fabium mittitur Antiochenum. Episcoporum munus, qui Novatianum consecrarant, ut se nocentem fassus est, rogante Populo, ad communionem laicam relegatur. Duobus aliis Episcopis successores destinantur, & in illorum loca mittuntur. Quorum unus *Zetus* nomine, *Evaristi* sedem obtinuit. Trophimus Presbyter cum maximo fratrum numero, Novatiani familia ejurata, eâ lege admittitur, *ut Laicus communicet.* Ne quid tamen ad pœnam futuram scelerati hominis Novatiani aliquid deesset, cùm capulsi Româ essent Maximus, Longinus & Machæus, prostratus denuò revivisicit. Nicostratum ergo Diaconum, Novatum Presbyterum, Evaristum Episcopum, Primum, & Dionysium, & mittit in Africam. Quo cognito, Cornelius Cyprianum monet, esse vigilandum. Nicostratum *Ecclesiæ deposita non modica abstulisse*: Evaristium autorem fuisse schismati. Non omninò frustrà fuit ea Novatiani legatio. Antonianus enim Africæ Episcopus, qui Cornelio favebat, Novatiani literis mutatus scripsit Cypriano, per Quintium Presbyterum, ut sibi rescriberet: *Quam hæresim Novatianus introduxisset, vel Cornelius, quâ ratione Trophimo & thurificatis communicet.* Cui literas direxit Cyprianus de pietate Cornelii atque modestia, fraudibusque Novatiani. Sed & apud Antiochiam fautores invenit Schismaticus; idcircò in ea urbe convocatur Synodus anno CCLII. *In qua quidem Novatiani Schisma confirmare tentabant.* Concilium tamen obstante Fabii morte non fuit celebratum. Sic favente Deo, schisma quo partes Ecclesiæ Romanæ divellebantur, penitùs oppressum est. Reliquiæ Novatianæ factionis dispersæ remanserunt. Cyprianus quidem Epistolâ ad Stephanum LXVII. *Per totum orbem à Sacerdotibus Dei abstentum* Novatianum esse tradit. Novatianus verò, si Socrati fides, imperante Valeriano, *martyrium passus est.* Liber quoque circumferebatur, cui titulus, *Martyrium Novatiani.* Librum apud Photium refellit Eulogius Alexandrinus, sed tota scatet fabulis ea refutatio. Narrat enim Novatianum, *Diaconi gradum à Cornelio accepisse*: fuisse etiam institutum Ecclesiæ, *Archidiaconum mortuo Episcopo*, in ejus dignitatem substitutum fuisse, & alia farinæ ejusmodi, quæ Eulogium ostendunt, historiæ non minus, quàm Grammaticæ hospitem, utpote qui, teste Photio, *Interdum solæcismos, & Barbarismos admittat.* Itaque nil pugnæ est; Novatianum pro religione Christiana morti fuisse missum. Id tamen Paciano negatur Epistolâ 2. ad Sempronianum: *Novatianus martyrium nunquam tulit, nec ex verbis B. Cypriani auditum istud aut lectum est.* Id sanè à Cypriano prodi non potuit. Si vel eodem ipso tempore, quo Cyprianus, vel defuncto Cypriano, Novatianus mortem invenit. Antiquum de Novatiani martyrio rumorem inficiari non possumus, ut ex Paciano liquet. Quo ea nobis fama fit credibilior, accidente præsertim ea quæ Novatiano fuit morum severitate.

Euseb. l. 6. c. 43.

Cypr. Ep. XLVIII. 50.

Euseb. l. 6. c. 46.

Socr. l. 4. c. 28.

Phot. p. 1623.

Novatianus sectæ est Novatianorum origo: ejus dogmata & scripta.

IX. Hic est ille Novatianus, qui sectæ Novatianorum fons & principium fuit, quam ex Novato Græci perperàm deduxere, confusâ nominum & personarum differentiâ. In dubitationem quidem Pacianus adducit, utròm ab hoc, vel ab illo Novatiani dicantur: *Novatianos audie de Novato, aut Novatiano vocari.* Eo tamen propendet magis, ut à Novatiano nomen acceperunt. Itaque in secunda ad Sempronianum Epistola; *Negastisne*, inquit, *Novatianos à Novatiano vocari*; Id quoque pro certo habet Hieronymus: *Novatianus Romanæ urbis Presbyter, adversus Cornelium, Cathedram Sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod Græcè καθαρῶν, dogma constituit.* Paucis, sed perspicuis verbis Novatiani errores exponit Pacianus: *Quòd post baptismum pœnitere non liceat. Quòd mortale peccatum Ecclesia donare non possit.* Itaque Novatiani mentem Eusebius animo non complexus est, dum hanc ipsi opinionem ascribit: *Nullam spem salutis lapsis superesse.* Asclepiades, qui Novatianorum Episcopum agebat, opinionis quam profitebantur non imperitus, respondit Attico: *Sunt & alia multa peccata ad mortem, propter quæ vos quidem Clericos, nos verò etiam Laicos a communione removemus, Soli Deo potestatem condonandi illis relinquentes.* Eusebii de Novatianorum opinione errorem & erraverunt Epiphanius, Theodoritus, aliique complures. Duram sanè & illiberalem esse Novatiani disciplinam, quæ Tertulliani quoque fuit, atque immani superbiâ conditam existimamus. Ea tamen de causa Schismaticus potius a dit quàm Hæreticus. Hinc dictum Socrati: Novatiani *nihil quod ad fidem pertinet, innovarunt.* Basilius quidem Epistolâ ad Amphilochium, Novatianos non Hæreticis, sed Schismaticis inserit: *Schisma autem est, de pœnitentia dissentire ab iis qui sunt ex Ecclesia.* Id ipsum quoque innuit Cyprianus, dum respondet Antoniano quærenti, *Quam hæresim introduxisset* Novatianus. Neque solus *pœnitentiæ locum contra adulteria claudebat.* Faciebant & in Africa Orthodoxi nonnulli, sed unitatem non ruperunt. Elegantissimam ante schisma Cleri Romani nomine, Novatianus Cypriano Epistolam scripsit, quæ numero est XXXI. 30. Post schisma hos tractatus edidit, teste Hieronymo: *De Pascha, de Sabbato, de Circumcisione, de Sacerdote, de Oratione, de Cibis Judaicis, de Instantia, de Attalo, multaque alia, & de Trinitate grande volumen, quasi ἐπιτομὴν Operis Tertulliani faciens, quod plerique nescientes Cypriani existimant.* Ejus opinionibus addiderunt Novatiani discipuli: *Eos qui secundum matrimonium inivissent, à sacris mysteriis arcebant. Baptizatis Chrisma non præbent.* Neque figmentum hoc esse Theodoriti, testatur Pacianus tertiâ ad Sempronianum Epistolâ: *Vestra plebi unde Spiritus, quam non consignat unctus Sacerdos.*

Pac. Ep. 1.

Pacian. Ep. 3.

Euseb. l. 6. c. 43.

Socr. l. 7. c. 25.

Socrat. l. 7. c. 25.

ANNO DOM. 251.

Theodoris. H. Fab. l. 3.

Cypr. Ep. LXXIII.

Sacerdos. Unctionis consignationisve hujus experte Magistro, sectæque parente, discipulos ea quoque caruisse ceremonia, quid mini? Quicunque igitur ex hac secta Ecclesiæ adhærebant, eos Chrismate ungi Patres voluere. Vicissim Novatiani eos rebaptizabant, quos ab Ecclesia sollicitabant.

Cornelius fit Episcopus: ejus mores, & acta.

Cypr. Ep. XXXI. 30.

X. Explicato quod ad Novatiani schisma pertinebat, de Cornelii creatione dicere ingredimur. Defuncto Fabiano, qui anno superiore martyrio obierat XII. *Calendas Februaris*, Romana sedes vacavit persecutionis calamitate. Quam Pontificatus intermissionem Romanum deplorat Presbyterium: *Post excessum nobilissimæ memoria viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultatem constitutus.* Menses sexdecim, diesque XIV. hoc Interpontificium perduravit. Absente Decio, qui testimantur Româ excesserat debellandis Gothis, cùm vires persecutio suas remisisset, Ecclesia colligitur, ut Fabiano successorem nuncuparet. Solemnis quidem fuit Cornelii consecratio:

Pacian. Ep. 3. 310.

Cornelius jam Roma Episcopus à sexdecim Episcopis factus, locum Cathedræ vacantis acceperat. Tot etiam adfuisse, docet Antonianum Cyprianus, quos inter ex Africa Pompejus & Stephanus: *Et factus est Episcopus a plurimis Collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio sua prædicationis illustres, de ejus ordinatione miserunt.* Vir erat quietus, modestus, & qui *vim passus est, ut Episcopatum coactus acciperet.* Omnium igitur ferè Clericorum & plebis, quæ tum adfuit, suffragio creatus est. Signo aliquo

Cypr. Ep. LII. 55.

Bar. an. 54. n. 44.

Deum admonuisse quem vellet eligi, Baronius colligit ex verbis Cypriani: *Factus est autem Cornelius Episcopus, de Dei & Christi ejus judicio.* Nostrum tamen non est fingere miracula. Neque ulla fuisse memorat historia. Dei igitur & Christi *judicium* illud est, quod in Scriptura promulgatur, cùm Episcopus iis virtutibus ornatur, quæ sunt huic muneri consentaneæ, & Ecclesiæ suffragio inauguratur. Cornelium verò sibi prælatum ægrè ferens Novatianus arguit, quòd lapsis communicasset, se vindicat innocentem, adjutusque compluribus Episcopis sibi nomen assumit. Legitimam tamen fuisse Cornelii consecrationem, extra dubium est, ut Schismatici notam Novatianus effugere non possit. Præclarius adhùc legitimi Episcopatus sui testimonium Cornelius accepit à Synodo Romana, cui sexagima Episcopi, Presbyteri verò, & Diaconi multò plures interfuere, à quibus Novatiani & Episcopatus, & disciplina

Euseb. l. 6. c. 43.

damnatur: *Decretum cunctis promulgatur, Novatianum quidem, & eos qui unà cum ipso sese insolentius extulerant, & quicunque inhumanissimæ, & à fraterna caritate alienæ ejus opinioni, consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesia habendos esse, fratres verò qui in calamitatem inciderant, pœnitentiæ remediis curandos esse.* Unam porro, non plures à Cornelio Synodos in urbe congregatas, ut sibi persuasit Baronius, documento est Eusebius, qui unius tantùm Romanæ meminit, unius decreta Fabio Antiocheno misit. Unam memorat Cyprianus ad Antonianum Epistolâ. Unâ & confirmatum Afrorum decretum, & excommunicationis fulmine percussus cum satellitibus suis Novatianus. Pontificatum tenuit Cornelius, *annum unum, menses tres, & dies decem.* Bucheriano quidem in indiculo legimus: *Cornelius annos duos, menses tres, dies decem.* At mendum irrepsisse certissimum est, quod vel ex ipso indiculo purgari debet, *à Coss. Decio IV. & Decio II. usque Gallo & Volusiano.* Anno insequente Gallus & Volusianus Consules processere, quibus terminis Cornelii Pontificatus includitur. Igitur toto biennio Episcopatum tenere non potuit. Licentius adhùc errat Pontificale Damasi: *Sedit annos tres in Episcopatu, & dies decem.* Pearsonio igitur aliisque eruditis assentimur, qui Cornelii initium cum Junii quarto copulant. Patrem habuisse *Castinum*, tradit Pontificale Damasi. Eruditione quidem & eloquentiâ Novatiano æmulo longè inferior erat. At plus animi, constantiæ, modestiæ, pietatis in eo fuit. Sedit intrepidus Romæ in Sacerdotali Cathedra: *Eo*

Cypr. Ep. LII. 55.

tempore cum tyrannus infestus Sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cum multò patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quam constitui Romæ Dei Sacerdotem. . . . Nonne inter gloriosos Confessores, & Martyres, qui tantum temporis sedit expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera ejus & membra laniarent. Æmulum illum Principem *Julium* fuisse Priscum, Pagius opinatur. Malumus nos *Julium Valentem* intelligi, quia & oppositio concinnior est Valentem inter & Cornelium, illum in urbe imperium arripientem, hunc Episcopatum gerentem, & oratio Cypriani apertè indicat, Româ abfuisse Decium, cùm Cornelius Ecclesiæ Præfectus imponitur. Nobis sanè probari nequit Chronologia Pagii, scribentis An. 251. n. 28. Decium *adhuc Romæ fuisse, die* XXVI. *Octobris.* Audito enim Gothorum concursu, *quàm potuit maturrimè Româ digressus erat*, ut Victor memoriæ prodit. Neque in urbem rediit, postmodum retentus tumultu Gothico. Non est dissimulandum, Cornelium humani aliquid passum esse ad minas Felicissimi. Furentem Schismaticum, catervâ desperatorum, & factione comitatum, de Ecclesia pepulerat. Deinde sceleratorum minis utcunque commotus, pristinum vigorem repressit, mirante Cypriano.

Synodus sub Cypriano de recipiendis lapsis, quo anno congregata est?

XI. Quid apud Carthaginem actum sit, paucis nunc videndum. Deficientibus ad Felicissimum quinque Carthaginensis Ecclesiæ Presbyteris, Fortunato, Jovino, Maximo, Donato, Gordio, pars Cleri reliqua officio fungebatur. Britium sanè, *Fidelissimum atque integerrimum Presbyterum*, Rogatianum, Numidicum *Presbyteros & Confessores, & gloriâ divinæ dignationis illustres*, bonos quoque Diaconos laudibus Cyprianus affecit, quòd lapsorum mentes consiliis salubribus regere & reformare non desinerent. Cùm vis persecutionis deferbuisset, decretum Cypriano fuerat, Ecclesiam visitare suam. At *quorumdam Presbyterorum malignitas & perfidia perfecit, ne ante diem Pascha ad gregem veniret* illorum nempe, qui totis nervis atque viribus sese ordinationi Cypriani opposuerant. Pascha, secundum Canonem Hip-

Cypr. Ep. XL. 43.

polyti, *in* XXIII. *Martii* incidebat, quo etiam secundum Æram Dionysianam celebrari debuit. Suboritur tamen quæstio non injucunda, utrùm

orbis

Anno Dom. 251.

Euseb. l. 7. cap. 20.

orbis Ecclesiæ sese Hippolyti Canoni addixerint. Quippe Dionysium, in Epistolâ ad Domitium & Didymum, octo annorum Canonem de Paschate celebrando vulgasse scimus atque tenemus. Canones etiam ea de re condidit Anatolius, quibus nomen erat *Canones Paschales Anatolii*. Dionysii verò & Anatolii Canonibus nil opus erat, si ad Paschalem Hippolyti regulam adhæsissent omnes Ecclesiæ, quæ die Dominicâ festum agitabant post vernum Æquinoctium. Quoquo verò tempore celebratum dicamus, ejus sanè solemnitati Cyprianus non interfuit. Ubi verò Carthaginem reversus est, mense circiter Maio Synodus habetur de lapsorum negotio, quæ prima fuit sub Cypriano. Fallitur egregiè Baronius, qui anno Dom. CCLIV. n. 88. putat esse celebratam. Neque immunis etiam erroris Labbæus, qui Concilium in annum CCLII. contulit. Egregium est apud Cyprianum criterium, quod hujus conventus temporanos monet, in Epistolâ ad Antonianum: *Secundum quod tamen anteà fuerat destinatum, persecutione sopitâ, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & Domini tutela protexit, in unum convenimus. Et scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis, & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, eò quòd sibi Ecclesia clauderetur. . . . Nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.* In observatione ponenda ea verba sunt *persecutione sopitâ*, quæ certam faciunt fidem, Decios vitam adhùc retinere. Quibus defunctis, pax momento rediit ad Ecclesiam, quo perdurante extincta persecutio fuit, sopita non fuit. Eodem quoque anno, & Carthaginensem & Romanam Synodum celebratam esse, ostendit Eusebius, qui de Cornelii ad Fabium Epistolis hæc habet: *In quibus & Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliasque locorum illorum Provincias sententia declarantur.* Romanam verò, quæ Carthaginensi posterior est, Deciano ascribit imperio. Denique dum in Mose vita morabatur, orta est Novatiani seditio, à cujus communione B. ille Martyr se separavit. Moses verò, qui in carcerem ductus fuerat, post passionem Fabiani anno CCL. in vinculis obiit, ubi fuerat menses undecim, dies XI. Quis verò credat, Cornelium annum CCLII. expectasse congregandæ Synodo, quâ schismaticum opprimeret æmulum, cùm labente CCLI. facultas non deesset ad præclatum istud remedium malis Ecclesiæ comparandum?

Cypr. Ep. LII.

Euseb. l. 6. cap. 43.

Mosis martyrium.

XII. Antequam furentem & exultantem Decium Christus sopitâ persecutione cohibuerit, multi Martyres vel in vinculis, vel in suppliciis vitam reliquere, quos inter eminet Moses, Romanæ Presbyter Ecclesiæ. Ductus in carcerem fuerat, non multò post extinctum anno superiore Fabianum. Ac in eo retentus est *menses undecim*, totidemque dies, ut ineunte Februario anni CCLI cælestem Deo reddidisse spiritum sit vero simillimum. Ex quo intelligitur, non accuratè satis in Martyrologio Rom. XXV. Novembris B. Martyris natale celebrari. Captus enim fuisset Decembris 25. anno CCL. post Fabiani martyrium, mensibus circiter decem. Vix autem oblata mors Fabiano fuerat, cùm Mosi injiciuntur vincula. Itaque sic Confessores scripto compellat Cyprianus, quorum Moses præcipuus fuit: *Vos Primores & Duces, ad nostri temporis prælium facti, cælestis militiæ signa movistis. Vos spiritale certamen, quod nunc geri Deus voluit, vestris virtutibus imbuistis.* Ejus Epistolæ Autor Moses fuisse videtur, utpote & Presbyter, & Confessorum præcipuus, quæ missa est Cypriano. Insignem sanè Epistolam, cujus lectione vel ad martyrium ipsa moveri possit ignavia. Cypriani literas sibi illuxisse prædicant, *Ut in tempestate quadam serenitas.* Subjungunt: *Percepimus igitur, iterum dicimus, frater Cypriane, magna gaudia, magna solatia, magna fomenta, maximè quod & gloriosas Martyrum, non dicam mortes, sed immortalitates gloriosis & condignis laudibus prosecutus es.* Schismatis odio pietatem Moses cumulavit suam. Deficientibus enim ad Novatianum, de Confessorum grege Maximo Presbytero, Nicostrato Diacono, aliisque non paucis, Moses firmissimis vinculis adhæsit Cornelio, & Schismaticis communionem renunciavit. Ac ut beatus esset omni laudum cumulo, in carcere extinctus, *Admirando martyrio perfunctus est.* Porro hîc totâ errat viâ Baronii Chronologia, quæ Mosis mortem affigit anno Domini CCLIV. Quò consequens est, neque imperante Decio, Mosem ad plures abiisse, neque Mosi superstitem fuisse Cornelium, qui tamen de morte Mosis mentionem egit in sua ad Fabium Antiochenum Epistolâ. In eam verò sententiam descendit, quòd librum de *laude martyrii*, germanum putet opus esse Cypriani, cujus titulus est, ad Mosem & Maximum, & cæteros Confessores, quod tamen eruditi nunc eximunt Cypriano.

Anno Dom. 251.

Cypr. Ep. XXV.

Cypr. Ep. 26.

Euseb. l. 6. cap. 43.

Error Baronii.

Alexandri Hierosol. martyrium & scripta.

XIII. Hoc quoque anno, sed præcipiti, Alexandrum Æliæ Episcopum in vinculis excessisse, nobis est probabilissimum. Episcopum Flaviadis Cappadociæ primùm egerat. Ubi verò sacrorum locorum visitandi causâ Hierosolymam sese contulit, Narcisso ætate confecto, ejusque Clero divinitùs ostensum fuerat, *alterâ die mane intraro Episcopum*, qui Narcisso esset auxilio. Omnium itaque consensu Æliensis Ecclesiæ gubernacula susceperat anno CCXII. Cultor maximus Origenis illorum unus fuerat, qui utut laico, munus palam & publicè in Ecclesia Scripturas interpretandi injunxerant, & postmodum ad Presbyteri dignitatem evexerant. Imò ipsum veluti Magistrum perpetuò auscultabatur Alexander, & soli interpretationem Scripturæ mandaverat. Cum Clemente Alex. magnam Alexandro fuisse amicitiam, testatur liber, qui inscribitur *Ecclesiastica regula*, quem Alexandro Clemens nuncupavit. Persecutione Severi illustris Episcopi gloria claruerat ob confessionem fidei, quam anno CCIV. Eusebius in Chronico consignat. Furente Decio iterum Alexandri laudibus accessit nova victoria. Præsidis ad tribunal adductus, semper sui similis, ex secunda Christi confessione magnam gloriam adipiscitur. Neque viro decora senectus & veneranda canicies inhibuere vincula. In carcerem conjicitur, ubi extremum diem morte confecit. Quis Sancto Martyri supremus annus fuerit, primus, secundus, an ultimus Decii, quo imperante certè certòque periit, controversia est inter eruditos. Nos ex Dionysii Alex. Epistolis, Alexandri mortem anno currenti

Euseb. l. 6. cap. 27.

Euseb. l. 6. cap. 13.

Anno Dom. 251.

renti illigamus. Scripsit ad Cornelium, *Sibi nuntiatum esse, quòd Fabius extremum diem obiisset, & Alexandrum in carcerem conjectum, beato exitu defunctum fuisse.* Quòd si anno vel CCXLIX. vel sequente animam exhalasset, ea de re tanquam nova mentionem fecisse Dionysium in Epistolâ sub anni CCLII. initia missam, quis credat? Ac sanè cùm & Fabii Antiocheni, & Alexandri Hierosolymitani mortem, Dionysius in Epistolâ sua conjunxerit, indicio est, per idem penè tempus utrumque excessisse. Alexandrum exeunte circiter Novembri, vel incunte Decembri, quia Decio imperante fato functus est, Fabium novo adhùc anno CCLII. Gallo & Volusiano Coss. Epistolas Alexander nonnullas exaravit, quorum mentio est Veterum in monumentis. Primam esse putamus illam, quæ Antiochenses adiit, de *Asclepiade*, quem Episcopum sibi imposuerant, utpote missam ex vinculis, quæ passus erat imperante Severo. Clementi Alex. Epistolam ferendam dedit, anno circiter CCXI. Epistolæ latorem multis laudibus exornat, virum virtute prædirum, qui quidem, *Cùm apud nos esset, Ecclesiam Christi & confirmavit, & magnopere auxit.* Secundam de Ecclesiæ pace misit ad Antinoitas, quam his verbis clausit: *Salutat vos Narcissus, qui ante me hic tenuit Episcopalem locum, & nunc mecum eundem orationibus regit, annos natus circiter CXVI. & vos mecum precatur, ut unum idemque sapiatis.* Tertiam direxit ad Origenem, quæ *Clementis simul & Pantæni tanquam familiarium mentionem* fecit. Scripsit etiam unà cum Theoctisto, ad Demetrium Alexandriæ Episcopum, ut ostenderet fas fuisse laicis, præsentibus Episcopis concionari: *Sic Euelpis Larandis rogatus est à Neone, Paulinus Iconii à Celso, Theodorus apud Synada.* Missa est Epistola anno circiter CCXXX. Sed & aliæ Alexandri ad diversos feruntur Epistolæ, teste Hieronymo, quæ temporum malignitate perierunt. Cùm Cæsareæ animam exhalasset, *Mazabanes* in ejus locum Hierosolymorum creatur Episcopus.

Euseb. l. 6. cap. 46.

Euseb. l. 6. cap. 11.

Euseb. l. 6. cap. 14.

Euseb. l. 6. cap. 19.

Euseb. l. 6. cap. 39.

Acta Maximi, Petri, Achatii Martyrum fu. dita. De VII. dormientibus.

XIV. Ad numerum Martyrum, quos Deciî persecutio morti misit, ascribitur Maximus, homo *plebeius, negotii sui curam gerens. Qui comprehensus, oblatus est Optimo Proconsuli apud Asiam.* Maximum, cui frustrà sacrificare imperaverat Optimus, jussit fustibus cædi. Dum cæderetur, Proconsul dicebat, *Sacrifica, Maxime, ut ab his liber sis.* Cui respondit Martyr: *Hæc non sunt tormenta, quæ pro nomine Domini nostri inferuntur, sed sunt unctiones.* Cùm nullis adigi tormentis posset ad sacrificandum, tristi sententiâ damnatur: *Qui sacris legibus assensum noluit accommodare, ut magnæ Deæ Dianæ sacrificaret, ad metum reliquorum Christianorum, obrui lapidibus præcepit divina clementia.* Ductus foras, lapidibus cæsus reddidit spiritum. Aliarum quoque victimarum sanguine odium suum Ethnicos saturasse, in Actis Martyrum legimus. Optimus Proconsul Petrum, qui impudicitiæ Venerem coarguerat, jussit tendi in rotis, & vinculis ferreis constringi, *ut minutatim ossa ejus comminuerentur*, deinde gladio percuti. Eunti Troadem Proconsuli oblati sunt *Andreas, Paulus, & Nicomachus.* Cùm vexatus morti propior esset Nicomachus; exclamat voce magnâ, *Nunquam fui Christianus, sed sacrifico Diis.* Vix sacrificarat, cùm *statim arreptus à Dæmone, & in terram allisus, dentibusque linguam suam comedens, emisit spiritum.* Ad hoc spectaculi cùm Dionysia, virgo sexdecim annos nata, exclamasset, *Infelicissime homo, cur propter unius horæ spatium, acquisisti tibi perpetuam & inenarrabilem pœnam*, audaciâ virginis offensus Proconsul, tradit eam *duobus juvenibus corrumpendam.* At cùm ad mediam usque noctem insisterent, *Quidam splendidus juvenis illis apparuit, illuminans totam domum.* Quo viso, formidine correpti ad virginis pedes ceciderunt. Postridie Onesicrates, & Macedon, Sacerdotes Dianæ plebem commovent, ut Andreas & Paulus sibi traderentur. Quos flagellis cæsos, populo lapidandos dedere. His auditis Dionysia, *Currit ad locum, jactavitque se super eos, dicens, Ut vobiscum possim vivere in cœlis, opto vobiscum hic mori in terris.* Quod & impetravit. Proconsul enim jussit, ut *duceretur, & decollaretur. Actum apud Lampsacum, die Iduum Maiarum, Decio Imperatore, Optimo Proconsule.* Quæ in Ruinarto narium est sagacitas, sincerum germanumque horum Actorum olfecit odorem. Nos qui obesioris sanè naris sumus, Acta hæc Maximi, Andreæ, Pauli, Dionysiæ, falsis non apponere non possumus. Stilus quidem humilis & barbarus non est Deciani temporis. Quis sibi inducat in animum, Romanum Proconsulem, cui ingenium cultissimum erat, & elegans oratio, certè non rudis, & impolita verba fudisse ejusmodi de Nicomacho: *Iste modò requiem invenit, quando Diis, & invictissimis Principibus sacrificando satisfecit. Sed propter vestram vanam religionem ne impropria sustineret, magna Diana, & Venus eum rapere dignatæ sunt.* Fuitne Romani moris Acta Proconsularia tali subscriptione consignare, *Actum Decio Imperante, Optimo Proconsule*, omissis qui annum aperuerant Coss.? Denique eo tempore Acta hæc sunt fabricata, quo mos invaluerat adhibere clausulam: *Regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria, honor & potestas.* Quæ clausula à scriptis publicis annis amplius quingentis prorsus abfuit. Ante Dionysium Exiguum Æra incarnationis erat incognita. Quam primus adhibuit anno DXXV. Probo Consule, Indictione 3. neque tamen formula usurpabatur, *Regnante Domino* Jesu. Seculo nono à Carolo Magno & Ludovico Pio Capitularia multa condita sunt, quæ clausulæ ejusmodi expertia certò certèque novimus. Ut Actorum novitas ex ea subscriptione in dubium revocari non possit. Eodem loco ducimus Acta disputationis S. Achatii Episcopi & Martyris: *Scutum hoc ac refugium Antiochiæ regionis*, ad Martianum Consularem adducitur. Quærit ab Achatio Martianus, quis vocetur Deus: *Respondit Achatius, Altissimus Adonai sedens super Cherubim & Seraphim. Martianus ait, Quid est Seraphim? Cui Achatius, Altissimi Dei Minister, & excelsæ sedis Antistes.* Egregiè, lautè, lepidè, supra quàm cuique credibile. Quasi verò *Seraphim* singulare nomen sit, non plurale. Ejusdem farinæ est, quod Martiano ingerit Achatius: *Si cordi tuo nomina sunt, Achatius dicor, & si proprium nomen meum exploras, Vocor Agathos Angelus, & Piso, Trojanorum Episcopus, & Menander Presbyter.* Hui tot nomina, quibuscum Sancto certare Achatius potuit!

Ruin. Act. Mart. 147.

Nomina terna gero, sic voluere Patres.

An quicquam superbius, insulsius stolidius esse quàm ludificari sic majestatem nominis Romani

&

ANNO DOM. 251.

& Proconsulis dignitatem. Scilicet Acacius simul Angelus, simul Trojanorum Episcopus, simul Menander Presbyter, & tamen refugium Antiochiæ regionis. Fungos, non homines esse oportet, quibus & hæc persuadeantur: *Lectis omnibus gestis, Decius Imperator altercationem jam redditæ responsionis admirans, versus in risum est, & Marciano Præfecturam Pamphiliæ mox dedit, Achatium verò vehementer admirans, æstimationi propriæ & legi suæ reddidit.* Ruinart. Act. Mart. 142. Atqui petulantius convitia Acatius in Decii numina jactaverat: *An Æsculapio fulminato, an adulteræ Veneri, & portentis cæteris sacrificium impendam*, cap. 2. Hæc risum Decio movere, egregio cultori numinum? Nec sanguine pœnas dedit Achatius, imò Decium admiratione implevit, & Deorum conviciatorem, vinculis exemptis, Decius libertati reddidit? His esse creduli non possumus. Neque magis fidem adjungimus martyrio *septem puerorum*, quos vulgò vocant VII. *dormientes*. Quod memoriæ prodiderunt Gregorius Turonensis, lib. de Gloriâ Martyrum c. 95. & ex Gregorio Papa Photius Bibliothecæ p. 1399. His VII. patriciis nomina erant: *Maximilianus, Jamblichus, Martinus, Dionysius, Exacustodianus, Antonius, & Joannes.* In spelunca, furente Decio, quæ juxta Ephesum, latebras quæsivere. Quæ necessaria erant, Jamblichus sibi sociisque comparabat. At Decius cognito loco ubi degebant, obstrui os speluncæ jussit, ut fame necarentur. Post annos CCCLXXII. Imperante Theodosio apparuerunt, *vitâ recuperatâ*. Assedit illis Imperator, & Archiepiscopus Ephesinus, & mutuo colloquio habito, in conspectu Cæsaris, & præsentium, in ipso iterum antro in quo jacuerant, simul quieverunt: *Octavum & tricesimum annum tum Theodosius imperabat, quando hoc maximum miraculum orbi ostensum voluit Deus.* Figmentum hoc esse apparet extatque ex silentio Prosperi, & Marcellini Comitis, qui eo tempore florebant, quo gestum dicitur miraculum. Insuper de Martyrum nominibus variant Scriptores: *Horum nomina hæc sunt: Maximianus, Malchus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Joannes, Serapion.* Apud Gregorium Turonensem, cujus etiam narratio ab illa Photii non minimum differt. 3°. Traditionis vanitatem ostendit causa miraculi: *Surrexit*, inquit Gregorius, *hæresis immunda Sadducæorum, qui negant resurrectionem futuram.* Natale tamen septem dormientium, Julii XXVII. Romanum celebrat Martyrologium. In Rosuedi, Adonis aliorumque Martyrologiis desideratur.

Paulus Thebæus fugam capessit.

XV. Ab his nugis, ad veriora certioraque animo nos & cogitatione convertimus, ad *Paulum* illum *Thebæum*, à quo primòm eremus habitari cœpta est. Anachoretarum principis hujus vitam eleganti oratione descripsit Hieronymus. Chronologiæ tamen securus, Pauli neque natalem annum, neque fugæ tempus satis accuratè complexus est. Ipsum audiamus: *Sub Decio & Valeriano Persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, & Cyprianus Carthagine felici morte damnati sunt, multas apud Ægyptum, & Thebaida Ecclesias tempestas sæva populata est. . . . Per idem ergo tempus quo hæc alia gerebantur apud inferiorem Thebaida, cum sorore jam viro tradita, post mortem amborum parentum in hæreditate locuplets Paulus relictus est annorum circiter XV. literis, tam Græcis, quàm Ægyptiacis apprimè eruditus, mansueti animi, Deum valde amans, & cùm persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorem secessit. Verùm quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Sororis maritus cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Non illum uxoris lachrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus ab scelere revocavit. Ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem convertit, ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem. Ad cujus radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur, quo remoto, ut est cupiditas hominum occulta cognoscere, avidius explorans, animadvertit intus grande vestibulum, quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis, vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens. . . . Erant præterea per exesum montem haud pauca habitacula, in quibus scabra jam incudes, & mallei, quibus pecunia olim signata videbantur. Hunc locum Ægyptiorum literæ ferunt, furtivæ monetæ officinam fuisse, eâ tempestate quâ Cleopatræ junctus est Antonius: igitur adamato, quasi quod à Deo sibi offerretur habitaculo, omnem ibidem in orationibus, & solitudine duxit ætatem: cibum & vestimentum ei palma præbebat.* Paulus verò qui ad annos CXIII. vitam extendit suam, utpote qui anno circiter CCCXLI. eam finivit, natus est anno CCXXIX. Si Decio & Grato Coss. quibus maximè persecutionis procella detonuit, fugiendo desertum petit, annos non XV. sed XXII. natus erat, si currente solitudinem incepit incolere, tertium & vigesimum annum agebat, unde promptum est XC. annos vixisse in solis locis, à mortalium remotum commercio.

Hieron. Vit. Paul.

Antonius Monachus nascitur.

XVI. Dum Martyrum vitam profundit Deciana persecutio, lucem aspicit Anachoretarum decus & lumen, Antonius Monachus, cujus nativitatem anno currenti affigit Eusebius in Chronico. Genere erat Ægyptius, à nobilibus juxta & divitibus parentibus ortus, & quod maximum putamus, Christianis, à quibus more Christiano educatur. Puerorum aversatus commercium, literis erudiri noluit, in Templum ductus, lectioni Scripturarum attendebat. Ciborum voluptatem aversatus, inventis contentus erat. Defunctis parentibus, cùm annos XVIII. vel XX. natus esset, templum pro more ingressus, dum Evangelium legitur, audit Dominum divitii dixisse: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me & habebis thesaurum in cœlis.* Hæc sibi dicta putans, illicò egressus è Templo, trecentos campos fertiles quos habebat vici sui incolis distribuit. Distractis quoque mobilibus, pecuniam ex iis collectam pauperibus dedit. Reversus in Templum, audito, *Nolite esse de crastino soliciti*, quæ pauca propter sororem asservarat, pauperibus distribuit, Sororeque virginibus fide præditis commendatâ, in vita se ascetica collocavit. Dignum videtur habitaculum tanti viri describere: *Saxeus & sublimis mons, per mille circiter passus, ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arena ebibunt, alia ad inferiora delapsa, paulatim rivum efficiunt, super quem ex utraque ripa, palmæ innumerabiles, multum loco, & amœnitatis, & commodi tribuunt. . . . Erat autem cellula, non*

Athan. Vit. Anton. s. 2. 451.

Hieronym. Vit. Hilarion. 96.

ANNO DOM. 251.

plus mensura per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus ardua valde duæ ejusdem mensuræ cellulæ videbantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens, moratus est. Insignes illi viri Paulus & Antonius Eremiticæ disciplinæ fontem & principium se præbuerunt. Qua de re verba referre Hieronymi est operæ precium: *Alii in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium hujus propositi fuisse caput, quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata studia. Amathas verò & Macarius discipuli Antonii, quorum superior Magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebaum principem istius rei fuisse.* De Paulo & Antonio plura suo loco.

Hieron. Vit. Paul.

ANNO DOM. 252.

ANNO U. C. 1005. PER. JUL. 4965. JUL. 297. DOM. 252. GALLI. 1. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 6. *Indict.* 15. *Epact.* 1. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 11. *April.*

COSS. C. *Vibius Trebonianus Gallus, Augustus* II. & C. *Vibius Volusianus Cæsar.*

An Volusianus currente anno iterum Consul?

I. DE Volusiani Consulatu Baroniani Annales culpâ tenentur erroris, quem secundum fuisse tradunt freti Occonis inscriptione: *Imp. Cæs. C. Vib. Volusianus: Aug. P. M. Trib. Pot. II. PP. Cons. II.* Non ideò tamen consequens est, Gallum & Volusianum secundum Consulatum *simul* inivisse. Quam laudat inscriptionem illustrissimus Purpuratus, ea est insequentis anni, quem Volusianus aperuit, eoque Consul iterum processit. Nobis assentiuntur Fasti Bucheriani, qui *primum* Volusiani Consulatum in præsentem, *secundum* verò in annum proximè futurum contulere. Ex Theoniano quoque indiculo, utut corrupto, duci argumentum potest. Volusianum hoc anno primum Consulatum gessisse: *Volusianus II. & Volusianus.* Primi Volusiani loco Gallum Augustum substitui debere liquidò constat.

Bar. an. 255. n. 1.

Galli patria & acta.

II. Gallus, qui Decio defuncto suffectus est, genere Tripolitanus erat, in *insula Meninge, quæ nunc Girba dicitur*, anno circiter CCV. editus, ut ex Victoris Epitome colligitur: *Cæditur anno ætatis septimo circiter, & quadragesimo.* Cùm anno superiore sub initia Decembris ad imperium pervenisset, tantumque non clamaret, Decium cum exercitu suis insidiis perditum, filium Cæsarem dixit. Principio quidem, imperii Deciani memoriam cum honore & benevolentia adeò recolebat, ut *Hostilianum Perpennam* unum ex Decii filiis superstitem adoptarit. Hæc ubi Patres comperere, Gallo, Hostilianoque Augustea Imperia, Volusiano Cæsaream dignitatem decernunt. Porro Gallus pacis & otii cupidus, vix rerum habenas tenuit, cùm fœdus Gothis honestum, Romanis probrosum pepigit: permisso, ut cum præda, quam capta Thraciæ Philippopoli fecerant, in fines suos redirent, promissaque quotannis certa pecuniæ summa. Cæterùm benevolum trucidatorem agebat Gallus. Veritus enim ne qui rerum novarum studiis assueti, heroicarum quæ in Decio fuerant, virtutum memoriam repetentes filio ejus, summam rerum traderent, mortem Hostiliano per insidias parat, nullâ honesti, adoptionisve ratione habitâ. Mira hìc est Orosii aberratio, qui *Hostilianum* in Galli cognomen mutavit: *Gallus Hostilianus*, inquit, XXVI. *ab Augusto regnum adeptus.* Cui ansam Eutropius præbuit: *Imperatores creati sunt Gallus, Hostilianus, & Galli filius Volusianus.* Nil tamen ambigui, si Gallum inter & Volusianum inferatur virgula. Peste atrocius sæviente interiisse Hostilianum, Victores ambo prodidere. Est tamen vero simillimum, pestem Gallo occasionem suppeditasse struendi in Hostilianum insidias, ut scelus suum morbi velis obtenderet.

Zosim. l. 1. c. 25.

ANNO DOM. 252.

Oros. l. 7. cap. 21.

Pestis invadit imperium R. Morbi magnitudo.

III. Subditis verò suis æquum benignumque se Gallus præbuit. Ipso biennio, quo pater & filius imperarunt, *Ubique pacati, ubique regnavere gratiosi, præterquam quòd unum eorum fortuna reputatum est, id est, generalis morbus.* Quo etiam factum, ut imperii mansuetudo in sævitiam erga Christianos converteretur. Tantâ vi lues mortalium corpora depopulabatur, ut memoriæ hoc prodiderit Eutropius: *Solâ pestilentiâ & morbis, atque ægritudinibus, notus Galli & Volusiani Principatus fuit.* Ægrotis non modò auxilii aliquid Imperatores attulere, sed & anxiè studiosèque tenuissimi cujusque exequias curarunt, quod sibi in laudes verterunt. Ubique locorum grassata pestis omnes indiscriminatim adoritur. Qua de re notanda verba Cypriani: *Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, hoc est, multi ex nostris de seculo liberantur. Mortalitas ista, ut Judæis, & Gentibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus.* Quod insigni visione Deus ipse patefecit: *Cum quidam de Collegis & Consacerdotibus nostris, jam infirmitate defessus, & de appropinquante morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, astitit deprecanti, & jam penè morienti juvenis, honore & majestate venerabilis, statu excelsus, & clarus aspectu, & quem assistentem sibi, vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri. . . . Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit, Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Morbi magnititudinem egregiè describit Nyssenus. Referto undique loco, ubi Dæmones festivitate colebant Ethnici, sic precabantur: *Jupiter, fac nobis locum.* Quibus significavit Gregorius Thaumaturgus, *Laxitatem ipsis mox dari majorem.* Non multò pòst pestis eos invadit. Si spectrum ad ædes accederet, certum exitium subsequebatur. Una periclitantibus ratio erat, si illas ædes Gregorius ingrederetur, ac precibus suis morbum depelleret. In tanta verò calamitate ægris nullum amoris, nullum studii, nullum pietatis officium à Christianis defuit. Audacter domos decumbentium fratrum ingressi, ministrabant assiduè, fovebant, curabant. Defunctorum corporum, quæ gremio exceperant, oculos & ora claudentes, complectentes, lavacro & vestimentis ornantes, humeris suis monumento inferebant. Qua de causa eodem etiam morbo confecti contabuere. Nihilominùs superstites semper eorum qui præcesserant, vestigiis inhærebant. Quo pacto optimi quique, quorum & nonnulli Presbyteri erant atque Diaconi, mortem obiere. Quam sanè martyrio non inferiorem existimarunt, ob pietatem fideique constantiam. Contrà verò Gentiles, qui ægrotare incipiebant, eos exturbarunt, carissimosque refugerunt, ut ex diversa agendi ratione discrimen & religionis patefaceret. Ingens verò hæc sævissimaque lues

Jornand. cap. 19.

Cypr. de Mort. 212.

Nyss. Vit. Greg. t. 3. 574.

Euseb. l. 7. cap. 22.

non

ANNO DOM. 252.

non est permiscenda cum peste, quæ terrarum orbem invasit imperante Galieno, etsi utriusque eadem in Epistola Dionysius meminerit. Eusebius quidem in Chronico nostræ sententiæ favet: *Pestilens morbus multas totius orbis Provincias occupavit, maximeque Alexandriam & Ægyptum, ut scribit Dionysius, & Cypriani de Mortalitate testis est liber*, quem hoc & anno condidit. Neque sine argumento sic statuimus: *Rursus oblectavit nos pax illa, quam Christus nobis solis indulsit. Cum autem brevissimo temporis spatio respirassemus, repentè ingruit lues illa.* Brevissimum temporis spatium illud est, quo pax defuncto Decio ad menses aliquot est constituta.

Euseb. lib. 7. 22.

De lapsis. Qui Libellatici?

IV. Quæ belli intestini æstus commoverat *lapsorum* petulantia ansam Cypriano præbuit egregium *de Lapsis* conficiendi Tractatum. Cùm vero qui Decianâ in persecutione ceciderant, variis motibus, schismatibusque materiam subministrarint, res ea non est perfunctoriè tractanda. Qui pietatis in cursu cadunt, sive morum vitio, sive imbecillitate fidei, persecutionis ponderibus oppressæ, cùm in scelus labantur, lapsorum quoque nomen gerunt. Hinc Joannes in Apocalypsi c. 2. *Memento unde excideris.* Qui verò firmis vestigiis, pedeque inoffenso cursum pietatis conficiunt, illi *stare* dicuntur. Sunt in Scriptura frequentissimæ phrases: *In gratia stare.* Paulus Rom. XI. v. 20. *Tu autem fide stas*, & CXIV. v. 4. *Domino suo stat, aut cadit.* Quam & phrasim adhibuit, dum scribit ad Corinthios: *Qui se stare existimat, videat ne cadat.* Neque frustrà hæc observamus. Arbitratur enim doctissimus Fellus, Oxoniensis Episcopus, qui persecutioni non cedentes, firmi in fide permansere, quos *stantes* appellabant, à Zacharia fuisse adumbratos c. III. v. 7. *Ubi ambulanti in viis Domini*, promittitur sors בין העמדים *inter stantes.* Apparet tamen ex locis quos laudavimus, *stantes* non eos dici solos, qui contra tormenta fuere fortissimi, sed & illos qui non in peccata lapsi sunt, quia ut nobis benè sit, non animi fortitudo tantùm, atque constantia, sed sanctitas quoque requiritur. Porro contractâ voce magis *lapsi* Patribus dicuntur illi, qui in *Idololatriam* ruerunt: quâ mente hoc nominis usurpat Cyprianus. Nec mirum iis, qui idololatriâ fidem contaminarant suam, *lapsorum* vocem præcipuè accommodari. Quippe *principale crimen generis humani, summus seculi reatus, tota causa judicii, idololatriâ.* Hinc gravissimam Cornelio conflabant invidiam Novatiani, dum ubique locorum disseminabant, quòd *passim communicaret cum sacrificatis.* Et Martiali quondam Episcopo, vitio vertit Cyprianus, *Filios apud profana sepulchra depositos, & alienigenis consepultos.* Sic est, *gravissimum extremumque delictum* habebatur idololatria. Lapsorum verò tria veluti genera fuere, qui *Libellatici*, *thurificati*, *sacrificati* vocantur. Libellatici duas & in classes dividi possunt. Alii dabant, alii accipiebant *libellos.* Priorum meminit Clerus Rom. Epistolâ XXXI. apud Cyprianum: *Vobis sententiam nostram dilucidâ expositione protulimus adversus eos, qui seipsos infideles illicitâ nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri irretientes illos Diaboli laqueos viderentur, quo non minus quàm si ad nefarias artes accessissent, hoc ipso, quod ipsum contestati fuerant, tenerentur. Sed etiam adversus illos, qui accepta fecissent, licet præsentes cùm fierent, non affuissent, cum præsentiam suam utique ut sic scriberentur, mandando fecissent.* Qui libellos dabant, vel suâ, vel aliorum manu nomina perscribebant Jovis, Martis, & cæterorum numinum cultum profitentibus. Accipientium libellos duæ veluti quoque classes erant. Nonnulli enim à Præside vel avaro, vel misericorde libellos emebant, quibus testimonium dabatur emptoribus, ipsos numinibus sacrificasse, quo à pœna tuti forent. Id sibi vult Cyprianus: *Is cui libellus acceptus est, dicat. . . . Cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio, ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere . . . dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam.* Libellaticorum alii non à Judicibus libellos ejusmodi emisse videntur, sed Ethnicos submisisse, qui eorum nomine sacrificarent. Quâ fraude deceptus Magistratus, suam sacrificanti tesseram dabat, quæ in submittentium Christianorum manus perveniens, adversus vim persecutionis erat præsidio. Quod libellaticorum genus innuit Cyprianus: *Illa professio denegantis contestatio est Christiani, quod fuerat abnuentis, fecisse se dixit, quidquid alius faciendo commisit.* Horum verò peccatum, quàm illorum longè gravius. Neque tamen libellorum emptores puri fuere sceleris. Itaque qui Cornelio adversabantur, falsos ubique terrarum rumores spargebant, *Illum libelli labe fuisse maculatum.* Libellaticis sanè quam sibi personam imponebant, evellit Cyprianus: *Nec sibi quo minus agant pœnitentiam blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt.* Fatetur tamen Cyprianus meliorem Libellaticorum esse quàm sacrificatorum conditionem: *Ne tu existimes, frater charissime, sicut quibusdam videtur, Libellaticos cum sacrificatis, æquari oportere.* Libellaticorum manus pura erat, ipsorum ora feralis cibi contagia nulla polluerant. Cùm Sacrificatorum & ora, & manus contaminarentur. Omnibus verò pejores Apostatæ, qui vel Præsidibus auxilio erant ad vexandam Ecclesiam. Ex eo grege fuere quinque Presbyteri Carthaginenses, *Primores illi scilicet, qui edicto nuper Magistratibus fuerant copulati, ut fidem nostram subverterent.* Tantus lapsorum numerus fuit, ut quotidie darentur à Martyribus *libellorum millia.*

Tert. de Idolo. c. 1.

Cypr. Ep. LXVIII.

Cypr. Ep. LII. 70.

Cypr. de Lapf.

Cypr. de Lapf.

Cypr. Ep. LII.

Cypr. Ep. XL.

De litibus ortis in causa lapsorum.

V. Anno CCL. cùm imminui cœpere vires persecutionis Decianæ, lapsorum complures ad Ecclesiam redire cupiebant, absente Cypriano. Imò non defuere Presbyteri, qui *ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo, & Clero in pœnitentiam impositam, offerre pro lapsis, & Eucharistiam dare sustinerent.* Hoc queritur Cyprianus: *Aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, cum contumelia, & contemptu Præpositi, totum sibi vendicent, atque utinam non contra fratrum nostrorum salutem sibi omnia vendicarent.* Si quis conjecturæ locus, Presbyteri erant numero quinque, Jovinus, Maximus, Fortunatus, Donatus & Gordius, qui postmodum Cypriano valde molesti fuere. Quibus graviter minatur Cyprianus: *Si in iisdem perseveraverint, ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confessores ipsos, & apud plebem universam, causam suam, cum Domino permittente, in sinum matris*

Cypr. Ep. XI.

Cypr. Ep. X. 16.

Cypr. Ep. X. 16.

Ecclesia colligi cœperimus. Lapsos verò hortatur, ut Episcopi sui reditum expectent: Tunc *convocati*, inquit, *Coëpiscopi plures, secundum Domini disciplinam, & Confessorum præsentiam, Beatorum Martyrum literas & desideria examinare possimus.*

Cypr. Ep. XII. 17.

Intereà si lapsis imminebat à morte periculum, vult Sanctus ille Pater, *Apud Presbyterum quemcunque præsentem, & si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque, exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentia impositis, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.*

Cypr. Ep. XIII. 18.

Pace Martyrum, turbulenta, temeraria periculosa sæpius eorum petitio fuit. Inverecundè satis Lucianus hæc scripsit Celerino Confessori: *Cùm benedictus Martyr Paulus adhùc in corpore esset, vocavit me, & dixit mihi, Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post accersitionem meam à te pacem petierit, des in nomine meo.*

Cypr. Ep. XX.

Quin etiam scripsere Cypriano: *Scias nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem.* Imperiosè satis, cùm injunctum sibi pœnitendi tempus lapsi nondum implevissent, quæ legis Ecclesiasticæ violatio fuit, Episcopalisque dignitatis imminutio. Neque Carthagine solum, sed per universam & Africam pacem, quam dederant, voluerunt esse constitutam. Quas Confessorum literas cùm Episcoporum compluribus misisset Cyprianus, rescripserunt, Placere sibi quod statuerat, donec redditâ pace in unum convenirent. Quod prudentissimum consilium probavere Romani Confessores, Moses, Maximus, Nicostratus, & cæteri qui vinculis constringebantur: *Animadvertimus te congruente censurâ, & eos dignè objurgasse, qui immemores delictorum suorum, pacem à Presbyteris, per absentiam tuam festinatâ, & præcipiti cupiditate extorsissent.*

Cypr. Ep. XXVI.

De Synodis in lapsorum causa anno CCLI. congregatis.

VI. Anno CCLI. cùm mollescente persecutione, è secessu suo Carthaginem rediisset Cyprianus, ut ortam de lapsis controversiam sedaret, mense Majo Concilium celebrat, de quo mentio est Epistolâ ad Antonianum LII. *Persecutione sopitâ, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes, fides sua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus.* Quid verò de lapsis decretum sit, ostendit ipse Cyprianus: *Temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eò quòd sibi Ecclesia clauderetur, secuti seculum, gentiliter viverent; nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia.* In eadem Synodo Romam mittuntur Caldonius, & Fortunatus Episcopi, omniaque *interim integra suspenduntur* ad Legatorum usque reditum, à quibus certè certòque scirent, num lites Cornelium inter & Novatianum essent compositæ. Prorogatam fuisse Synodum, conjecturam fecit clarissimus Pearsonius, quam veram esse, dubium non faciunt animum alicujus verba Cypriani: *Et ego, & Collegæ plurimi, qui ad me convenerant, expectavimus adventum Collegarum nostrorum Caldonii & Fortunati, quos ad te nuper Legatos miseramus, ut eis advenientibus, & rei gestæ veritatem reportantibus, majore autoritate, & elucidâ per eos probatione, partis adversæ improbitas frangeretur.* Ubi supervenere Pompeius & Stephanus Episcopi, qui Cornelii ordinationi adfuerant, comperto Cornelium Episcopum esse legitimum, qui à Novatiano venerant missi, Maximus Presbyter, Augendus Diaconus, Macheus, & Longinus repudiantur: *Gravitati nostræ negavimus convenire ut Collegæ nostri jam delecti & ordinati, & laudabili multorum sententiâ comprobati, ventilandum ultra honorem maledicâ æmulantium voce pateremur.*

Cypr. Ep. XLI.

Post aliquot menses, sed eodem ipso anno CCLI. lapsorum quoque causâ longè celebrior Synodus Romæ congregatur, utpote quæ Episcopis LX. majorique Presbyterorum & Diaconorum numero constabat. In ea etiam promulgatur decretum: *Fratres, qui in calamitatem inciderant, pœnitentiæ remediis esse curandos.*

Euseb. l. 6. c. 43.

Novatianus etiam cum fautoribus Ecclesiâ pellitur. Eadem de causa duo Concilia annis diversis coacta, secundum Baronium Labbeus opinatur. Prius Cypriani ad Antonianum in Epistola quæritur: *Ac si minus sufficiens Episcoporum numerus in Africa videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus, ad Cornelium Collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coëpiscopis, habito Concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit.* Posterius verò illud esse arbitrantur, cui sexaginta Episcopi interfuere. Non est tamen legitima satis Synodorum Romanarum multiplicandarum causa. Quippe ea, de qua commemorat Cyprianus ad Antonianum Epistolâ, una eademque est cum eo Conventu, cujus meminit Eusebius. Duorum quidem Conciliorum, si tot Romæ coëgisset Cornelius, Acta Fabio Antiocheno misisset, ad quem tamen unius decreta direxit: *Extant adhuc Epistolæ Cornelii, in quibus Romanæ Synodi gesta declarantur.*

Euseb. l. 6. c. 43.

Dixit *Synodi*, non *Synodorum*, quia unica numero fuit. Unam quoque memorat Hieronymus in vita Cornelii: *Cornelius Romanæ urbis Episcopus, scripsit Epistolam ad Flavianum Antiochenæ urbis Episcopum, de Synodo Romana.* Non nescimus in libello Synodico hæc legi: *Synodus divina, & sacra Provincialis, Patrum beatorum Romæ congregata à Cornelio beatissimo Papa, aliisque octodecim Episcopis, quæ Novatianum laqueum illum pœnitentiam agere volentium abdicavit.*

Lab. Conc. t. 1. 719.

Verùm enimverò in Episcoporum numero graviter errasse libellum, exploratum est: ut ex eo peccato duæ Romanæ Synodi colligi non possint, altera Episcoporum XVIII. altera Episcoporum LX. Imò cùm unius Concilii Rom. meminerit, argumento est unum fuisse nec geminum, locoque *octodecim*, poni debere *sexaginta*. Præter Romanum fuit & in causa lapsorum Concilium Italicum, eodem anno CCLI. celebratum. De eo quidem dubitat Pearsonius: *Concilium Italicum ex Hieronymo conflatum est, an rectè dubito.*

Pearf. An. Cypr. p. 31.

Nil tamen nobis videtur esse causæ, cur ea de re dubitetur. Verba sunt Eusebii; Cornelii in Epistolis: *Et Romanæ Synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliasque locorum illorum Provincias sententia declarantur.* Sententiæ verò Afrorum Synodalis constitutio fuit, igitur & Italorum. Eadem mens & Hieronymo: *Cornelius Romanæ urbis Episcopus scripsit Epistolam ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana, Italica, & Africana.* Potuissetne de Synodo Italica ad Fabium scribere Cornelius, si nulla fuit Italica? Privatæ Episcoporum sententiæ *seorsim postulatæ*, Synodumne constituunt? Equidem sopitâ persecutione, tam Italicum, quàm Romanum cogi Concilium potuit. Debuit etiam propter causæ gravitatem, quâ & Oriens, & Affrica addu-

adducebantur, ut sui Episcopi in unum convenirent. Imò multò magis Italicum cogi Concilium debuit, quia his regionibus malum propius imminebat:

Jam proximus ardet Ucalegon.

De Synodis anni CCLII. in causâ lapsorum. Cælestes in lapsos pœnæ.

VII. Anno currente CCLII. Fabius apud Antiochiam Concilium indicit, de & Lapsorum, & Novatiani causâ. Helenus Tarsi Episcopus, Firmilianus Cappadociæ, Theoctistus Cæsareæ, Epistolis Dionysium Alex. invitarant, ut Synodo interesset, in quo Novatiani fautores schisma ejus confirmare tentabant. Concilium mense Martio indictum fuisse existimat Pearsonius. Ac prævento morte Fabio, à Demetriano qui successerat, Synodus celebratur. Ejus memoriam posteris commendat libellus Synodicus: *Synodus divina & sacra Provincialis, Antiochiæ collecta à Demetrio, ejusdem sanctissimo Episcopo, quæ Novatianum deposuit, tanquam qui peccatoribus patrocinaretur.* Ac primâ specie, à mente Novatiani, qui lapsis severissimum se præbuit, libellus non minimum aberrasse videtur. Reverà tamen inflexibili obstinatione suâ, quâ ad pacem Ecclesiæ obstructus omnis erat aditus, peccatis nutrimenta dedit, quia lapsi *Plus desperatione deficiebant, & secuti seculum, gentiliter vivebant.* Cæterùm tot decretis nondum pax constituebatur: quocirca Cyprianus Gallo jam imperante, egregium de Lapsis tractatum edidit: *Mortiferos Idolorum cibos adhùc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt. Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis. . . . pacem putant esse, quam verbis fallacibus venditant: non est pax illa, sed bellum.* Addit & exempla in illos facta, qui ante pœnitentiam susceperant Eucharistiam. Lactanti parvulæ, quam ad Idolum nutrix adduxerat, de immolatione panem mero mixtum tradiderant. Cùm postmodum in Ecclesia de sacramento calicis puellæ infudisset Diaconus: *Sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato, Eucharistia permanere non potuit.* Mulier quæ sacrificanti Cypriano latenter obrepserat, non cibum, sed gladium sibi sumens, *palpitans & tremens concidit.* Alius quia & ipse maculatus: *Sanctum edere, & contrectare non potuit, cinerem ferro se apertis manibus invenit.* Lapsorum igitur causâ denuò tractatur in Concilio anno CCLII. *Idibus Maii*, apud Carthaginem celebrato. De numero Episcoporum lis est & disceptatio. Quadraginta duos interfuisse Episcopos, tradit Baronius An. 255. n. 5. In Oxoniensi tamen editione numerus est uno minor: *Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Nicomedes, Cæcilius, Junius, Marrutius, Felix, Successus, Faustinus, Fortunatus, Victor, Saturninus, alius Saturninus, Rogatianus, Tertullus, Lucianus, Eutyches, Amplus, Sattius, Secundinus, alius Saturninus, Aurelius, Priscus, Herculanus, Victoricus, Quintus, Honoratus, Montanus, Hortensianus, Verianus, Jambus, Donatus, Pompeius, Polycarpus, Demetrius, alius Donatus, Privatianus, alius Fortunatus, Rogatus & Monulus.* Quid Synodus in causâ lapsorum gesserit, exponunt Cornelio. Nempe etsi in Concilio superioris anni decrevissent, lapsos *agere diu pœnitentiam plenam, etsi periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent.* Mitigatâ tamen hujus disciplinæ severitate, Patres pœnitentiæ tempus hac in secunda Synodo contrahunt. Mutandi verò causas afferunt, *diem alterius infestationis* appropinquantem: *Meritò enim trahebatur dolentium pœnitentia, tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies aderat, quæ differre diu plangentium lachrymas, & subvenire, serò morientibus, in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus.* In illo quoque Concilio, *Privatus vetus Hæreticus*, in Lambesitana colonia, olim ob multa, & gravia delicta, XC. Episcoporum sententiâ damnatus, cùm *agere velle se diceret*, non admissus est. Quâ contumeliâ offensus, Felice, Jovino, Maximo, & Reposto, paucisque vel sacrificatis, vel malè sibi consciis, Fortunatum sibi Pseudo-Episcopum cooptant. Quibus partes Felicissimi augentur, & ut fucum ubique locorum facerent, jactabant *viginti quinque Episcopos* interfuisse.

Lab. Conc. t. 1. 719.

Cypr. Ep. LII.

Cypr. de Lapf. 176.

Cypr. Ep. LIV. 57.

Cypr. Ep. LV.

De diversa erga lapsos disciplina.

VIII. Non eadem porro severitas lapsis adhibebatur. Clericis munus abdicabatur suum, absque spe ulla restitutionis. Jovinus & Maximus Episcopi, ob nefanda sacrificia, sententiâ novem Episcoporum prius damnati, anno superiore à Carthaginensi Synodo iterato *à pluribus abstenti* fuerant. Basilidi verò, & Martiali Episcopis, qui se Idololatriæ labe polluerant, spem recuperandæ dignitatis nullam esse, testatur Cyprianus: *Frustra tales Episcopatum sibi usurpare conantur, cùm manifestum sit ejusmodi homines, nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere.* Et ab omnibus Episcopis in toto orbe constitutis, decretum fuisse testatur: *Ejusmodi homines ad pœnitentiam quidam agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.* Qui vi tormentorum superabantur, illis brevior imperabatur pœnitentia. Ninus, Clementianus, Florus, qui prius populi frementis impetum vicerant, apud Proconsulem gravioribus tormentis subacti, cùm à fide defecissent, post triennium, quo labente fleverant, Ecclesiæ restituti: *Cupientibus mori, non permittebatur occidi.* Libellaticorum & reconciliatio facilior, quàm sacrificatorum, quos inter aliquid etiam discriminis: *Cùm ergo inter ipsos qui sacrificarint, multa sit diversitas, quæ inclementia est, & quàm acerba duritia Libellaticos cum iis qui sacrificarint jungere.* Grave tamen Libellaticorum peccatum fuisse, extra dubium est. Ignaviæ tribuendum, quòd libellis ejusmodi sese protegerent. Dedecori quoque fuit, quòd labentes se idololatriæ infamiâ aspergi, & accusari sinerent. Hinc promulgata de Libellaticis lex ejusmodi: *Flamines qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se à funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in fine præstari eis communionem.* Inspiciatur Tertullianus de Fuga c. 12.

Cypr. Ep. LV.

Cypr. Ep. LXVIII.

Cypr. Ep. LIII.

Cypr. Ep. LII.

Eliber. c. 3.

Persecutio Galli an Deciana gravior?

IX. Visa multa, sanctis Episcopis divinitùs ostendebant, pacem Ecclesiæ fore momentaneam, ac bellum imminere, quo hoc & ipso anno non pauci Martyres opprimuntur. Qua de re pulcherrima sunt verba Dionysii: *Gallus culpam Decii non intellexit, nec prospexit quid tandem illum pessumdedisset. Quin potius ad eundem lapidem, ante oculos suos positum impegit. Qui cùm imperium ipsius prospero statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent, viros sanctos, qui pro pace & incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant,*

Euseb. l. 7. c. 1.

Anno Dom. 252.

legabant, *insectatus est*. *Cum illis ergo orationes pro ipso fieri solitas simul fugavit*. Pulsus Centumcellas Cornelius Romanus Episcopua, vitam ibi cum morte commutavit. Persecutio primùm in solam Ecclesiam R. invehitur, quæ ad Lucii usque tempora perduravit, cujus & ince odio correptus est. Itaque in Epistola, quam Lucio scripsit Cyprianus, solos Romanos à Gallo vexatos esse tradit: *Intelligimus, frater charissime, & tatâ cardis nostri luce perspicimus, divina majestatis salutaria & sancta consilia, unde illic repentina persecutia nuper exorta sit, unde contra Ecclesiam Christi, & Episcapum Cornelium, beatum Martyrem, vosque amues secularis potestas subitò preruperit*. Voculæ *vos*, & *illic*, indicio sunt, soli Ecclesiæ Rom. molestam tum fuisse vexationem, cujus & immunis videtur pars Novariani. Addit enim

Cypr. Ep. LVIII.

Cyprianus: *Ut ad caufundendos Hareticos, & retundendos ostenderet Dominus, qua esset Ecclesia, quis Episcapus ejus unus, divinâ ardinatiane delectus, qui cum Episcopo Presbyteri Sacerdotali honore conjuncti?* Quod judicium ex ea ferri persecutione oon potuisset, si Novatianos simul cum Catholicia apud urbem involvisset. Nolumus tamen inficiari, post scriptas *Lucia* Epistolas, Magistratuum odio obortam esse in Africa persecutionem. Quæritur enim Cyprianus, Demetrianum admovete laniandis corporibus longa tormenta: imò innoxios Christianos *bestiis, gladio, ignibus punire*. Quin etiam Cyprianua, non minimum mortis adiit periculum, teste ad Cornelium Epistolâ LV. *His etiam ipsis diebus, quibus ad te literas feci, ob sacrificia qua edicta proposito celebrare Papulus jubebatur, clamore populurium ad leonem denuò postulatus in circo*. De Clero tamen nullus tum temporis apud Carthaginens. morti missus est. Itaque Dodwellum miramur, qui Galli persecutionem *Decianâ graviorem* fuisse statuit. Quæ procella si acrior fuit, quid causæ est, cur de illa silentium egerint Lactantius, Eusebius, Hieronymus, Augustinus,

Dissert. Cypr. XI. n. 58.

Sulpitius Severus, Orosius? Revelationes quidem quæ Cypriano contigerunt, quibus *respondit eventus*, objicit Dodwellus. Ad Galli tamen vexationem visa hæc referenda non esse putamus, *astentionesque*, de quibus mentionem Cy-

Cypr. Ep. LIV.

prianus inseruit, *Diem certaminis appropinquasse, hostem vialentum contra nos exsurgere, pugnam non talem qualis fuit, sed graviarem multò & acriorem venire: hoc nobis divinitùs frequenter ostenditur*. Spectant potius Valeriani persecutionem, quæ & generalis, & violenta, & aliis quoque gravior Cypriano fuit, quem gladio Proconsulis abstulit. Quanquam meritò dubiretur, utrùm & Decianâ persecutione *acriar* fuerit. Sapienter clarissimus Fellus: *Prapheta visarum suorum nan semper fidi interpretes. Donum Prophetias interpretandi prorsus erat distinctum à Prophetia charis-*

1 Cor. XII. 9.

mate. Paulus quidem alii dari dicit *Prophetiam, alii discretianem spirituum, alteri genera linguarum, alii interpretationem linguarum*. Ut interpretandis visionibus suis à vero nonnihil aberrasse Cyprianus videatur.

Cornelii martyrium.

X. Anno CCLII. Gallo & Volusiano Coss. ut magnum & difficile certamen iniret Cornelius, quod sibi cum capitali adversario depugnandum videbat, excitavit omnes rationes fortitudinis & patientiæ suæ. In orbem Romanum acerbissima pestis invaserat, cui extinguendæ victimarum fibris numinum ardebant altaria. Impia sacrificia pro imperii salute perpetrata, cùm abnuisset Cornelius, urbe primùm pellitur. Exilii locua Centumcellæ, jucundua tamen & amœnus. Ibi recreandi causâ secesserat olim Trajanus: *Evocatus in consilium à Cæsare nostro, ad Centumcellas, hoc loca nomen, longè maximam cæpi voluptatem*. Abest à Corneto passuum millia

Anno Dom. 252.

Plin. l. 6. Epist. 31.

decem portus celebris, arcem habens munitissimam, cui Civitati veteri nomen est. Cornelio ob exilium Cyprianus gratulatus est: *Exprimi*

Cypr. Ep. LVII. 60.

satis non potest, quanta istic exultatio fuerit, & quanta latitia, cùm de vobis prospera & fortia comperissemus: Ducem te illic cansessionis fratribus extitisse, sed & confessionem ducis, de fratrum confessione crevisse, ut dum pracedis ad gloriam, multos feceris gloria comites, & Confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pra omnibus canfiteri. Mense Julio exilium Cornelio imperatum esse, clarissimus arbitratus Pearsonius: neque immeritò, cùm B. ille Confessor Septembri objectus morti fuerit. Spatio igitur temporis fuit, ut de Cornelii exilio monitus Cyprianus, ad eum Carthagine scriberet. Glorioso certamine extremum Cornelius diem confecit. Damasi in Pontificali, nec oon Adonis Martyrologio legitur, audivisse Decium, quòd Cornelius à Cypriano Epistolam accepisset. Adductum Centumcellis Cornelium jussisse, *sibi cum Præfecta urbis, in Telluris noctu præsentari*. Responsorum causâ quæ Cornelius dederat, interroganti, iratum Decium, jussisse ut oa *ejus plumbatis caderetur*; præcepisse etiam duci *ante Templum Martis, ut adoraret*. Cùm duceretur, unum è militibus nomine Cerealem, rogasse Cornelium, ut visitaret *Salustiam uxorem*, quæ aonis quinque paralytica jacebat. Ægram audito *in namine J. Christi Nazareni, Surge*, protinus se erexisse, clamantem, *Verè Christus est Dei Filius*. Viso miraculo, militea ad Cornelii pedes se misisse rogantes baptismum, quem uoà cum Eucharistia perceperunt. Quo cognito, jussisse Decium, si nollent sacrificare, capite plecterentur, repudiantes cum Cornelio capite truncatoa fuisse, *numera viginti unum*. Memorat & Pontificale, Cornelium antequam pateretur, *omnia bona Ecclesia tradidisse Stephana Archidiacona*. Silentibus nobis, traditio hæc falsitatem prodit suam, cùm certo certius sit, Decio Cornelium superfuisse. Purgatam tamen Baronius narrationem admittit, eraso *namine Decii, quod in tex-*

Bar. An. 255. n. 58.

tum irrepserat, & Valusiani, ut par erat, restituto. Pontificalis quoque Chronologiam respuit, quòd Cornelianum martyrium in Martium mensem retulit. His emendatis, cætera salva sunt. Nos verò Adonia, Actorumque traditionem ad fabulas aniles relegamus. Primum enim emendationem respuunt Martyrologia, & Pontificale Damasi, quæ non *Volusiani*, sed Decii nomen habent. Est autem falsissimum, gesta ea fuisse, quæ de Cereali, Sallustia, militibus in Martyrologiia narrantur, imperante Decio. Deinde cùm Volusiano Gallus pater esset, ejus utique nomen potius quàm filii fuit substituendum. Denique figmentum esse hanc Martyrologiorum narrationem, egregio argumento ostenditur ex Bucheriano Pontificum Catalogo. Cornelius *Centumcellas expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit*. Ut autem vera sint, quæ de *plumbatis* Cornelii vultui admotis, sanata Sallustia, baptizatia militibus prædicantur, Romæ beato Martyri mors offerri debuit. Cùm ergo non in urbem ad supplicium ductum fuisse, sed apud Cen-

tumcel-

tumcellas periisse, memoret vetus Autor Catalogi, apparet lepidam Martyrologiorum fabulam nondum ex tenebris emersisse. Non nescimus de loco Corneliani martyrii variare Veteres. Hieronymus in vita Cypriani: *Passus est sub Valeriano & Gallieno Principibus, persecutione octavâ, eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.* Si *Romæ*, non igitur *Centumcellis*. Nobis verò potior est autoritas Catalogi, cujus Autor & Hieronymo vetustior est, & ea prodit, quæ majori veri specie sese commendant, cùm moribus Romanorum consentaneum esset, extorres quibus mora imperabatur, ibi interfici, ubi io exilium pulsi fuerant. Cùm verò supremus Cornelii dies ille sit, qui Cypriano quoque mortem attulit, periit ergo Septembris die XIV. quo & natale ejus in Martyrologiis celebratur. Cypriani tamen atque Cornelii obitus die Septembris XVI. in Romano Breviario recolitur. Hujus martyrii meminit Cyprianus
Cypr. Ep. Lettres. 61. ad Lucium Cornelii successorem Epistolâ: *Intelligimus unde illic repentina persecutio exorta sit, unde contra Ecclesiam Christi & Episcopum Cornelium B. Martyrem vosque omnes secularis potestas proruperit.* Cornelii corpus nocte collegisse ferunt Lucinam cum Clericis, & sepelivisse in crypta, juxta cœmeterium Callisti, in prædio suo, viâ Appiâ. Biennio & mensibus aliquot Cornelium sedisse, annoque CCLIII. periisse, tradit Elias Du Pin, cui assentiri non possumus: *Rexit Ecclesiam*, verba sunt Hieronymi, *annis duobus, sub Gallo & Volusiano.* Quod biennium est ab omni parte incompletum.

Cornelii scripta genuina. XI. Epistolis quoque suis oblivioni Cornelius nomen exemit suum. Quarum Catalogum exhibet Hieronymus: *Scripsit Epistolam ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana, Italica, Africana, & aliam de Novatiano & de iis qui lapsi sunt, tertiam de gestis Synodi, quartam ad eundem Flavianum valde prolixam, & Novatianæ hæreseos causas & Anathemata continentem.* De Cornelii ad Cyprianum Epistolis Hieronymum silentium egisse miramur, quarum duæ temporum injuriæ exemptæ sunt, quæ Pamelianæ editionis numero sunt XLVI. & XLVIII. Aliam quoque Cypriano scripsit, per *Saturum ejus Acoluthum*, de Felicissimi rejectione. Aliam iterum, quæ minis sceleratorum *Aliquantum fuisse commotum* tradidit, de
Cypr. Ep. LV. 59. qua Cyprianus: *Lectâ aliâ tuâ Epistolâ, frater, quam primis literis subjunxisti, satis miratus sum.* Quas præteriit Epistolas Autor novæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ Elias Du Pin. Sed & errante memoriâ quatuor Epistolas Cypriani memorasse videtur Hieronymus, cùm trium solummodò Eusebius meminerit, Historiæ l. VI. c. 43. Prima Romanæ Synodi gesta & omnium per Italiam, & Africam sententiæ declarabantur. Secunda ea narrabat, quæ Synodus decreverat. Tertia de facinoribus Novatiani mentionem faciebat. In scribendo neque dulcis, neque facundus Cornelius est.

De falsis Cornelii Epistolis. XII. Hactenus de germanis scriptis Cornelii. Sunt & alia, quæ optimo Martyri vindicantur. Prima est Epistola de translatione corporum Apostolorum Petri & Pauli, & de Novato, aliisque Hæreticis, quæ sanctæ Dei Ecclesiæ filiis scribitur: Data est *septimo Idus Septembris, Decio & Maximo viris clarissimis Coss.* Secunda ad *Rufum*, vel *Rusticum* Coëpiscopum Orientalem missa: duo continet, *si sacramentum ab Episcopis fieri debeat, & de causis Episcoporum.* Data undecimo Calend. Junii Maximo & Decio viris clariss. Coss. Tertia ad Lupicinum Viennensem dirigitur Episcopum, quem monet, Christianos ubique locorum tormentis variis affici. Quæ trea Epistolæ ootho parente creatæ sunt. Nullus sedente Cornelio, Decii & Maximi Consulatus. Decii annum aperuere, quo Pontifex dictus est Cornelius, periit verò Gallo & Volusiano Coss. Absonæ sunt quæ prima Epistola de *levatis corporibus Apostolorum Petri & Pauli de catacumbis* habet. Cujus enim Presbyter, qui sub initia tertii seculi diu ante Cornelii Episcopatum floruit, testis est in Vaticano & Ostiensi viâ condita jam fuisse
Petri Paulique corpora: *Sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent ubi tropæa eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt.* Gregorio M. quidem larvatus non consentit Cornelius. Narrat enim quo tempore passi sunt Apostoli, venisse ex Oriente Christianos aliquos, qui defunctorum corpora repeterent. Quæ cùm ad catacumbas collocata essent, & ea exinde levare omnis multitudo niteretur, ne faceret fulguribus prohibita est: *Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora qui hoc ex Domini pietate meruerunt levaverunt, & in locis in quibus nunc sunt condita posuerunt.* Falsum ergo à Cornelio fuisse sublatum. Secunda quæ ad Rufum est Epistola, utitur versione Vulgatâ, Gregorii Epist. l. XII. 32. Pseudo-Hieronyminiana ad Oceanum de vita Clericorum Epistolæ verba mutuatur t. 9. 218. Tertia quoque ad Lupicinum scripta, Cornelio est eximenda. In imperitorum fraudem imposturam ab Autore fieri, testimonio sunt verba hæc: *In urbe Roma Imperator ad hoc constitutus est, unde publicè neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet. . . Jam plures fratrum martyrio coronati sunt.* Cornelii temporis non ea fuit oratio, *Missas agere*: neque etiam verum est imperante Gallo Romæ plures obiisse martyrio. Pluribus quidem mortem imperavit Decii sævitia. At eo tempore, quo in urbe sanguinem anhelabat, nondum creatus Cornelius. Ubi verò Episcopatum adeptus est, cùm in Gothos movisset Decius, minis, non ferro Romanam persequebatur Ecclesiam. Cui Deum otia fecisse, indicio est Synodus septuaginta Episcoporum, & complurium Presbyterorum, quæ Romæ coacta est.

XIII. Cornelio Martyri successor datur Lucius, quem Pontificale Damasi ex patre *Porphyrio* editum esse memorat. Quamdiu verò sederit, non satis exploratum. Antiquus Pontificum Bucherianus Catalogus hæc habet: *Lucius annos tres, menses octo, dies decem. Fuit temporibus Galli & Volusiani, usque Valeriano III. & Gallieno II.* Quæ tamen ipsi Catalogo pugnant. Addit enim subinde, Stephanum Lucii successorem, *fuisse à Consulatu Volusiani & Maximi*, qui in annum CCLIII. incidit. Stephanus verò nonnisi decessore mortuo Pontificatum iniit. Eundem ferè errorem cum Catalogo erravit Pontificale Damasi, Anno CCLII, quem CCLIII. vocat Onuphrius, XII. Kal. Decembris Lucium creatum esse Pontificem, sedisseque *annum unum, menses tres, dies tredecim*, scripto prodidit. Quæ Chronologia est quoque repudianda. Eusebius enim: *Lucius*, inquit, *in Cornelii locum substituitur, qui vix octo mensium spatio eo munere persungitur.* Non integris septem mensibus Episcopatum tenuisse Lucium existimamus. Mense quippe Martio anni CCLIII. abiit ad plures, & si de die penden-

Euseb. l. 2. c. 25.

Gregor. l. 3. Epist. c. 30.

Lucii Papæ exilium & martyrium. Quamdiu sederit?

Euseb. l. 7. c. 2.

ANNO DOM. 252.

pendeamus animi. Tertio nonas Martii excessisse in Chronico Damasi legimus. Bucherianus tamen depositionis Episcoporum indiculus, de *Lucio* hoc commemorat, *Tertio Nonas Martii Lucii in Callisti*. Et *quarto* Nonas mortem obiisse docet Pontificale Damasi. Quod est etiam verosimilius, ex defuncti *depositione* postridie facta. Ubi Cypriano notum, Lucium successisse Cornelio, id ipsi gratulatus est. At paulò pòst novam gratulandi causam habuit. Lucius enim à Gallo in exilium pulsus, non multò pòst in urbem revocatus: *Et nuper quidem tibi, frater charissime, gratulati sumus, cùm te honore geminato in Ecclesia sua administratione, Confessorem pariter, & Sacerdotem constituit divina dignatio, sed & nunc non minus tibi & comitibus tuis, atque universæ fraternitati gratulamur, quòd cum eadem gloria & laudibus vestris reduces vos denuò ad suos fecerit benigna Domini & larga protectio.* Quam repugnante Pearsonio, non eutreore, sed sequente anno Epistolam confectam arbitramur. Cùm enim Septembris decimo quarto anni CCLII. passus sit Cornelius, nobis incredibile videtur, partem anni reliquam spatii ampli satis fuisse, ut Cyprianus, Lucii & ordinationem, & exilium, & reditum ab exilio famâ acceperit, ut eodem ipso anno gratulationis literas reduci mitteret. Oblatam esse Lucio mortem putamus, Autore Cypriano scribente ad Stephanum: *Servandus est enim antecessorum nostrorum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor gloriosus. . . Illi enim pleni Spiritus Dei, & in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt.* Passum esse IV. Nonas Martii anno CCLIII. probabilius existimamus. In errore versantur Martyrologia, Autoresque, quibus placet *Lucium* extinctum esse imperante Valeriano, quorum sententiam refellit Dionysius Alexandrinus, qui de Valeriano illud memoriæ prodit: *Nullus superiorum Principum, ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur, tantâ humanitate, & benevolentiâ nostros complexus est, quantam ille præ se ferebat initio Principatus sui.* Actum est de Chronologia, si mors Lucii, in tertium Valeriani Consulatum confertur. In cœmeterio Callisti viâ Appiâ Lucium sepultum tradidere.

Cypr. Ep. LVIII.

Cypr. Ep. LXVII.

Euseb. l. 7. c. X.

Lucii Decretalis subdita.

XIV. Una Decretalis Lucio ascribitur Epistola, quæ multa complectitur. 1°. Ut Episcopus semper testes secum Presbyteros ac Diaconos habeat. 2°. De criminationibus Episcoporum, sive majorum natu, & ut audientia ad majores personas appellantibus non negetur. 3°. Ut Metropolitanus sine consilio Episcoporum nihil agat, nec ipsi sine illius, nisi quod ad proprias Ecclesias pertinet. 4°. Ut Metropolitanus sine Episcopis causam eorum non audiat. 5°. Ne posteriores Episcopi prioribus se præferant, nec eis inconsultis aliquid agant. 6°. Ne iis qui res Ecclesiæ vel oblationes Fidelium auferunt, & qui eis consentiunt. Missa est Epistola ad Galliæ atque Hispaniæ Episcopos: *Data Calendis Aprilis, Gallo & Volusiano, viris clarissimis Coss.* Quæ subscriptio impostorem prodit. Vitam enim adhùc retinebat Cornelius, Calendis Aprilis, Galli & Volusiano Coss. Neque tam bardus, aut imperitus fuit Lucius, ut Imperatores Rom. titulo *Virorum clarissimorum* indueret. Verba hæc capitis VI. *Hortor dilectionem vestram, obtestor & moneo ut quâ debetis & potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos* Hæreticos, Leonis ex Epistola secunda desumpta sunt. Psalmum 82. laudat ex versione Hieronymi: ex Gregorii M. Libro XII. Epist. 32. petitas adhibet sententias. Videatur & Blondellus in Pseudo-Isidoro.

ANNO DOM. 253.

ANNO U. C. 1006. OLYMP. 258. PER. JUL. 4966. JUL. 298. DOM. 253. VALERIANI & GALLIENI 1. *Sol.* 10. B. *Lun.* 7. *Indict.* 1. *Epact.* 12. *Epact. Sol.* 6. *P.* 3. *April.*

COSS. C. *Vib. Volusianus Augustus II. & M. Valerius Maximus.*

Nùm secundus Volusiani Consulatus ad hunc annum pertineat?

I. VOlusianus qui anno superiore ex Cæsare Augustus factus fuerat, præsentem secundum init Consulatum. Id quidem inficiatur Baronius: *Loco Volusiani*, inquit, *restituendus est Valerianus, qui hoc anno primùm suum Consulatum gessit.* Atqui hoc ipso anno nullo Valerianus Consulatu functus est, neque ordinario, neque suffecto. Baronio quidem favent Fasti Theoniani, qui Consules habent *Valerianum & Maximinum*. Itaque tam securè prodere non debuit Pagius, Baronium *contra omnium antiquorum Chronicorum Consularium fidem*, proposuisse Coss. *Valerianum & Maximum*. Nulli tamen dubitamus, quin de Valeriano peccarint Theonianus indiculus, atque Baronius. Bucherianus enim indiculus, Victorius, Chronicum Alexandrinum, Cassiodorus, secundum Volusiani Consulatum, cum illo Maximi copulant. Ac Valerianus quidem diu ante Galli imperium, Consulari dignitate ornatus fuerat, teste Zozimo: *Afri Gordiano, ejusque cognomine filio, designatis Imperatoribus, cùm alios Romam legatos misere, tum Valerianum virum Consularem, qui deinceps imperio potitus est.* Ut ne vel suffecto Valeriani Consulatui, quem ad hunc annum Pearsonius imaginatur, locus ullus esse queat. Itaque si annum præsentem aperuisset Valerianus, Consul iterum scribi debuisset, quam tamen notam numeralem non exhibent Baroniani Annales, Fastive Theoniani.

Bar. An. 256. n. 1.

Error Baronii.

Zozim. l. 1. c. 14.

Æmilianus creatur Augustus.

II. Securè agentibus Gallo & Volusiano, ut voluptatibus fruerentur suis, Persæ Orientem, Gotthi Europam populantur. Anno quidem superiore, antequam pestis corpora occuparet, impetum fecerant Romanorum in regiones. Currente verò lætis successibus invitati, iterum irrumpunt. Quin etiam, si Zozimo creditur, Persæ Antiochiam ceperunt, incolis partim cæsis, partim in servitutem abductis, omnibus tam privatis quàm publicis ædificiis, nullo penitùs resistente dirutis. Quorum nobis est difficillima fides. Tantamne imperante Gallo cladem, silentio præteriissent alii Historici antiquiores Zozimo? Tantam oblivioni dedissent Dionysius Alex. atque Eusebius? Cùm in illa Antiochiæ direptione, Ecclesia hujus urbis prædæ relicta fuisset atque incendiis. De Antiochia Mesopotamiæ, non Syriæ, Zozimus intelligi posset. Sed repugnare videtur Trebellius Pollio in vita Cyriadis: *Cùm hortator belli Romanis inferendi fuisset, Odenatum primùm, deinde Saporem, ad Romanum solum traxit, Antiochiâ etiam captâ, Cæsarianum nomen accepit.* Capta igitur Antiochia imperante non Gallo, sed Valeriano, ut dicetur inferius. Dum Gothi Mœsiam diripiunt, Æmilianus qui Pannoniæ legionibus præerat, militibus suis prosperâ Barbarorum fortunâ consternatis, cùm animos addidisset, dignitate Romani nominis in memoriam revocatâ, repen-

tè

ANNO DOM. 253.

tè Barbaros adoritur. Magnam eorum partem occidit, in Barbarorum regionem exercitum transducit, quidquid obvium obtruncat. Quibus præclaris sanè facinoribus cùm à furore Gothico Romanum liberasset imperium, militum suffragiis Imperator dicitur. Tum quàm celerrimè potuit, coactis eorum locorum copiis, quæ parta de Barbaris victoria animo jam confirmatiores erant, Italiam versus movit, cum imparato Gallo dimicaturus.

Mors Galli. Utrum quadriennio imperarit?

III. Auditâ Æmilii Æmiliani seditione Gallus, Volusianusque ad opprimendum rebellem Româ proficiscuntur. Ubi Interamnam venere, propeque constitissent hostiles exercitus, Galli milites, qui impares numero erant, ejusque negligentiam animique molliciem habebant contemptui, Patre & Filio necatis, in partes Æmiliani transeunt. Hoc igitur anno Gallum & Volusianum periisse persuasum habemus, mensem in ambiguo esse patimur, etsi Junio circiter id contigisse, nobis sit probabile, cùm apud Georgium Syncellum, Dexippus nobilis illius ævi Scriptor, *mensium octodecim*, spatio imperium Galli, & Volusiani circumscripserit. Non *completo biennio* rerum potitos esse prodit Eutropius. Similia tradit & illo antiquior Eusebius. Periit Gallus, *Non integris duobus annis imperio occupato.* Quibus & accedat Jornandes de rebus Geticis c. 19. *Gallus & Volusianus Imperatores, quamvis vix biennio in imperio perseverantes, ab hac luce migrarint.* Historicis assentiuntur & Fasti. Annum enim CCLIV. aperuerunt Valerianus II. & Gallienus, quod privatis non contigisset. Neque fingendum animo, Gallo & Volusiano biennium esse arrogandum, quod cum Valeriano & Gallieno commune est. Quo casu quatuor simul Augusti præfuissent imperio, quam rem novam sanè & miram nulla prodidit historia. Imò defunctis Gallo & Volusiano, imperium adeptos esse Valerianum atque Gallienum, Zozimus scriptum reliquit. Denique Numismatum periti plurima afferunt, quibus constat, Valeriani imperium atque Gallieni anno CCLIII. incepisse. Apud Occonem, secundus Gallieni Consulatus, quem anno CCLV. gessit cum Tribunitia Potestate conjungitur. Cusus est nummus anno CCLVI. in quem cum P. T. IV. Gallieni conferatur, ejus imperium anno CCLIII. incipere debuit. Similiter in aliis nummis à Pagio exhibitis, unà junguntur Trib. P. IX. Gallieni cum quarto Consulatu anno CCLXI. gesto. Occurrit tamen Baronius aliis fretus monumentis, ut quadriennium ascribat Gallo, & Volusiano. Affert enim ex Huberto Goltzio, & Adolpho Occone nummos, in quibus mentio est Tribunitiæ Pot. quartæ, tam Galli, quàm Volusiani. Inspiciatur annus 256. n. 36. Est autem verissimum, Tribunitiæ Potestatis annos cum annis imperii incepisse. Observant tamen eruditi, non semel nummorum inscriptiones esse confusas, ac quæ unius sunt Imperatoris, alii vindicari. Nos falsis Nummis eos indubitanter apponimus, quibus Baronius utitur. Tanta sanè tot Historicorum, Fastorum, numismatum concordia pluris est apud nos, quàm exhibita à Baronio aliisque monumenta, quibus quadriennium Gallo vindicatur, non sine labe historiæ.

Euseb. l. 7. c. 10.

Mors Æmiliani.

IV. Æmilius Æmilianus, qui summam corruptis militibus potestatem arripuerat, *genere Maurus erat, pugnax, nec tamen præceps*, anno circiter CCVIII. editus, utpote qui vixerit *annos quatuor minus quinquaginta*, uti tradit Victoris Epitome. Deficiente ad eum Galli exercitu, imperium stabilivisse suum videbatur. Ac Patres primò hostem, extinctis deinde Gallo & Volusiano, pro fortuna, uti solet, Augustum appellaverant. Modesto etiam imperio utebatur. At milites, qui contracti undique apud Rhetias morabantur, cùm Valeriano detulissent imperium, Æmilianum veluti imperio haud idoneum, de medio tollunt. Periit apud Spoletium, propè pontem, quem ab ejus cæde, *sanguinarium* accepisse nomen ferunt. Quatuor circiter menses imperavit, quorum pars cum Galli, pars cum Valeriani imperio conjungenda.

ANNO DOM. 253.

Valeriani mores & anni.

V. Infelix Valeriani regnum ingredimur, qui omnium consensu dignissimus erat imperio, si nunquam imperasset. Nobilis erat genere, Patre *Valerio* natus. Annum quo lucem aspexit, dicere difficillimum. Eutropius periisse *imperii sexto, ætate robustiore*, scripto mandavit Aurelius Victor. At Trebellius Pollio *per annos* LXX. *vitâ laudabilem fuisse* dicit. Quæ primâ specie de annis, qui captivitati Valeriani antecessere, videntur intelligendi. Jam Princeps erat Senatus, cùm Gordiani ex Africa in urbem misere legationem. Decium adversus Cnivam Regem Gothorum arma moventem, comitanti absenti licet Censoria dignitas delata fuerat. Ubi primum Prætor edixit, Quid vobis videtur, Patres Conscripti, de Censore eligendo, omnes uno ore dixerant: *Valeriani vita censura est.* Tanti denique factus est, ut *si data esset omnibus potestas promendi arbitrii, quem Imperatorem vellent, alter non esset electus.* Majorem tamen animum flagitabat imperii fastigium, quodque in privato arduum videbatur, in Principe humile abjectumque ingenium fuit: *Parentibus ortus splendidissimis, stolidus tamen & multum iners, neque ad usum aliquem publici officii, consilio, seu gestis accommodatus.* Quod Victoris judicium firmat & ratio imperii ejus. Aliorum magis quàm suis Rempublicam consiliis administrabat, eò tamen laudandus, quòd prudentiæ gloriam aliis debitam sibi non asciuit. Balistæ viro clarissimo scriptis literis gratias egit, ob præcepta gubernandæ Reip. sibi data, *Gaudens quod ejus consilio nullum stipatorem habebat, qui non verè pugnaret.* Geminum matrimonium contraxit, ex primo *Gallienum*, quo cum imperavit, ex posteriore, juniorem *Valerianum* suscepit. Septimum imperii annum ingressus, anno CCLIX. ad vilissimi mancipii fortunam captus à Sapore redigitur.

Treb. Pol. Valer.

Acta Valeriani.

VI. In Gallias Valerianus à Gallo adducendis legionibus missus, Æmiliano qui summam arripuerat potestatem, occurrere decrevit. Profectus in Italiam, jam à militibus dictus Augustus, occiso Æmiliano, jure meritorum, & quasi ex totius orbis unâ sententiâ factus est Imperator. Ejus filium *Galienum Senatus Cæsarem creat, statimque Tiberis adultâ æstate, diluvii facie inundavit. Prudentes perniciosum Reip. cecinere, adolescentis fluxo ingenio, quia Etruriâ accitus venerat, unde amnis prædictus.* Quæ indicio sunt, in æstate Valeriani initia esse collocanda. Summam rerum adeptus, magno rebus rectè constituendis studio incubuit: *Cejonio Albino Præfecto urbi* egregia scripsit: *Vellemus quidem singulis quibusque devotissimis Reip. viris, multò majora deferre compendia, quàm eorum dignitas postulat,*

Vict. de Cæsar.

Vopisc. Aurel. c. 9.

maximè ubi honorem vita commendat. Debet enim quid præter dignitatem pretium esse meritorum. Sed facit rigor publicus, ut accipere de Provinciarum illationibus, ultra ordinis sui gradum nemo plus possit. Extulit & Ecclesiam lætitia imperium Valeriani, quo Galli persecutio compressa. Nullus enim superiorum Principum tantâ humanitate ac benevolentiâ nostros complexus est, quantam ille præ se ferebat initio Principatus sui: *Totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ecclesia esse videbatur.*

Euseb. l. 7. c. 10.

Stephanus Papa.

VII. Defuncto Galli in persecutione Lucio Papâ quarto Nonas Martias, cùm ob Æmiliani seditionem deferbuisset vis procellæ, quâ Romana agitabatur Ecclesia, Stephanus in locum defuncti subrogatur. Natione Romanus, *Patre Julio* creatus dicitur, in Pontificali Damasi. Cujus tamen in annis Stephani constituendis, maximum peccatum est: *Sedit*, inquit, *annos septem, menses quinque, dies duos.* In Indiculo Bucheriano supersunt veri vestigia: *Fuit à Consulatu Volusiani, & Maximi, usque Valeriano* III. *& Gallieno secundùm*; id est, ab anno CCLIII. ad usque CCLVII. Ex Catalogo depositionis Episcoporum Bucheriano, ad usque Calendas Augusti vitam retinuisse colligimus: *Quarto Nonas Augusti, Stephani in Callisti*, ut primâ mensis hujus die ad plures abiisse videatur. Depositio quidem ad sepulturam pertinet, vel teste Pontificali libro: *Sepultus est in Cœmeterio Callisti, viâ Appiâ* IV. *Nonas Augusti.* Majoris Stephanum inclementiæ fuisse quàm eruditionis, ex verbis ejus, quæ ab oblivione Cypriani ad Pompejum vindicavit Epistola, est cognitu facillimum: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. Cum ipsi Hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* Utrùm etiam plus modestiæ, charitatis, prudentiæ in Stephano requiri non possit, abundè docebunt lites, quas habuit cum Cypriano. Fatendum quoque, non satis diligentem se præbuisse in causa Basilidis, quamobrem in eum Cypriani sunt aculei: *Neque enim tam culpandus ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.*

Cypr. Ep. LXVIII.

Stephani Epistolæ subditæ.

VIII. Stephano geminæ Epistolæ vindicantur. Prima, quæ ad Hilarium scribitur Episcopum, declarat 1°. qui sint infames, vel qui ad gradus Ecclesiasticos, sive ad accusationem non sint admittendi. 2°. De reverentia propositis exhibenda. 3°. De vestimentis Ecclesiasticis, quæ nec ferri debent, nec contingi, nisi à sacratis hominibus: *Data est* v. *Nonas Maji, Valeriano & Gallieno viris Clarissimis Coss.* Secunda capita benè multa complectitur. Primum, de accusationibus Sacerdotum. Secundum, de Episcopis rebus suis expoliatis, aut à se depulsis. Tertium, si quis Episcopos, vel actores, sive defensores Ecclesiæ antequam eos *caritativè conveniat*, accusare præsumpserit, ut sit puniendus. Quartum, qui non debeant admitti ad accusationem. Quintum, accusationem per scripta non suscipiendam, nec absentem posse accusari, vel accusare. Sextum, de Primatibus & Metropolitanis, & de negotiis Episcoporum ad eos referendis. Septimum, ut Episcopus accusatus, ab omnibus Comprovincialibus Episcopis audiatur. Octavum, ut omnis accusatio intra Provinciam terminetur, nisi ad sedem Apostolicam fuerit appellatum. Nonum, si Clericus Episcopum accusaverit, aut insidiatus fuerit. Decimum, si laici res Ecclesiasticas dispensare debeant. Undecimum, de personis accusatorum. Duodecimum, de criminationibus Doctorum, vel quod divinis vocibus damnati, Episcopos non possunt accusare, vel in eos testificari. Mittitur ad omnes Episcopos, per diversas Provincias constitutos: *Data est Nonis Aprilis Valeriano & Gallieno, viris Clarissimis Coss.* Verùm enimvero illæ Epistolæ nos non fallos habent, quas vel sola subscriptio coarguit. Stephanus sanè eam adhibuisset, quâ Acta publica, Fastique consignabantur. Proindeque non simplicem, sed geminum Valeriani Consulatum apposuisset more temporis sui: neque Imperatores *virorum Clarissimorum* titulo insignes fecisset. Præterea cùm fumante etiamnum Lucii Martyris sanguine, Stephanus creatus sit Episcopus, ac non multò post Valerianus imperium adeptus, Galli persecutionem extinguerit, tantum Dei beneficium dissimulassetne bonus ille Pontifex? Illud quidem memorasset, ut Christi gratia laude illustri ubique locorum celebraretur. Prioris Epistolæ caput III. *quod ut recta observantia valeat custodiri* &c. Verbis expressis legitur in Leonis Epistola XLVI. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum Titulus Epistolæ posterioris: *Stephanus Sanctæ Apostolicæ, & universalis Rom. Ecclesiæ Episcopus*, necnon capit. VI. *Nulli Metropolitani, aut alii Episcopi appellentur Primates*, novitatem sonant Epistolæ. Quibus accedat initium Decretalis, *Gaudemus in Domino, & in dono gratiæ ipsius gloriamur*, quod Leonis ex Epistola XL. ad Anatolium Constantinopolitanum totidem verbis desumitur.

Persecutio in Africa ob luem grassantem. Quis Demetrianus?

IX. Dum in Gallo vita moratur, gravem Africa ex persecutione calamitatem acceperat. Anno superiore tumultuante populo, Cyprianus ad feras petitus fuerat: *His ipsis etiam diebus, quibus has ad te literas feci, ob sacrificia quæ edicto proposito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuò postulatus in circo.* Præsente quoque anno antequam Gallus periret, vires in Africa suas intendit vexatio, autore Demetriano. Quis verò Demetrianus ille fuerit, variant eruditi. Demetrianum *in Africa his diebus fuisse Proconsulem*, visum Baronio. Illustrissimo Purpurato accedunt & viri eruditione suâ celebres. Nos Pearsonii magis sententiæ sumus, qui de Carthaginensibus Judicibus unum fuisse Demetrianum putat. Proconsulem sanè non tot injuriis onerasset Cyprianus: *Oblatrantem te & adversus Deum, qui unus, & verus est, ore sacrilego, & verbis impiis obstrepentem frequenter, Demetriane, contempseram.* Neque etiam sequentia Proconsuli satis aptè accommodantur: *Nam cùm ad me sæpè studio magis contradicendi, quàm voto discendi venires, & clamosis vocibus personans, malles tua impudenter ingerere, quàm nostra patienter audire.* Hem Proconsulem Episcopi Carthaginensis frequenter tecta subeuntem! Judicem tamen egisse Demetrianum, extra dubium est: *Qui alios judicas, aliquando esto tui Judex . . . Innoxios, justos, Deo caros domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis.* Quæ non Proconsulari tamen autoritate faciebat, sed voto atque suffragio, dum judiciis Christianorum aderat, & fortè etiam munere Præsidis ordinarii. Quid verò causæ Demetriano fuerit, cur sic sæviret, exposuit

Cypr. Ep. l. v. 59.

An. 256. n. 22.

Anno Dom. 253.

exposuit Cyprianus. Dicebat impius ille Judex, *Plurimos conqueri, quòd bella crebrius surgant; quòd lues, quòd fames saviant; quòdque imbros & pluvias serena longa suspendant, nobis imputari.* Volebat itaque Christiano sanguine placari numina. Tristem calamitosamque eo tempoe fuisse Ecclesiæ conditionem, verbis Cypriani monemur: *Fumant ubique in Templis vestris hostiarum busta, & rogi pecorum: & Dei altaria vel nulla sunt, vel occulta.* Quomodo verò Cyprianus se gesserit in lue, quæ grassabatue, audire voluptati est: *Jacebant interim totâ civitase, non jam corpora, sed cadavera plurimorum, & misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutua flagitabant. Nemo respexit aliud, prater lucra crudelia. . . Quid inter hac egerit Christi & Dei Pontifex, qui Pontifices mundi hujus tantò plus pietate quantò religionis veritate pracesserat, scelus est praterire. Aggregatam primo in loco uno plebem, de misericordia bonis instituit, docens divina lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis. Distributa sunt ergo pro qualitate hominum, atque ordinum ministeria. Multi qui angustiâ paupertatis beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem.*

Pont. Vit. Cypr.

Carthaginensis Synodus.

X. Dum Valeriani munere luce pacis exultat Ecclesia, hoc anno sexaginta sex Episcoporum Synodus Carthagini celebratur. *Victori*, qui dum Presbyteri fungebatur officio, idololatriâ se polluerat, Episcopus Confessor, nomine *Therapius* à Bulla, *praposterá festinatione pacem dederat* ad laicam communionem recepto. Ea de re quod à superiorum Synodorum decretis recesserat Therapius, quibus statuebatur, ut non ante plenum satisfactionis tempus, nisi necessitate cogente, pax lapsis concederetur, Synodus Therapium objurgat, quòd *temerè hoc fecerit*, monetque *ne quid tale* de cætero faciat. Permittit tamen *Victori communicationem sibi concessam usurpare.* Quæstioni quoque Synodus respondet, quam de infantium Baptismo *Fidus* moverat Episcopus. Negabat Fidus *intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari oportere:* sed considerari volebat, legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem *natus non baptizaretur.* Fido quoque molestum erat, infantem exosculari, primis partus sui diebus adhùc sordidum. Longè aliud visum Synodo, cùm infantis in osculo, *Unusquisque nostrum, pro sua religione ipsas adhùc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato, & recens nato, quodam modo exosculamur.*

Cypr. Ep. LIX.

Aquariorum errorem, confutaritne Cyprianus ad Cecilium Epistolâ?

XI. *Redditâ Ecclesia pace* defunctis Gallo & Volusiano, refellendæ *Aquariorum* hæresi invigilasse Cyprianum, datâ ad Cecilium Epistolâ, prodit Baronius in Annalibus. Illud quidem faciles concesserimus, hoc anno esse confectam Epistolam. Negamus tamen, aut *redditam fuisse pacem*, aut Aquariorum errore affectos esse illos, quos redarguit Cyprianus. Sæviisse etiamnum Demetriani persecutionem, indicio sunt verba Epistolæ: *In sacrificiis matutinis, hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi. Sic ergo incipit & à passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus, & cruore confundi.* Pace in Ecclesia constitutâ, quis ex sapore vini matutino relictus timendi locus? At Judicum animos extimulante furore, qui in sacrificiis matutinis calicem vino mixtum hauserant, in metum conjiciebantur, ne à vini odore proderentur. Neque etiam Baronium erroris immunem esse, dum Aquariis, Encratitisve illos inserit, quos perstringit Cyprianus, vincunt sancti verba Martyris: *An illâ sibi aliquis contemplatione blanditur, quòd etsi manè, aqua sola offerri videtur, tamen cùm ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?* Non igitur meticulosis illis hominibus vinum odio erat, quæ Encratitarum, Aquariorumve fuit disciplina: *Aquam ad mysteria solam adhibent. Nam vino penitùs abstinent, & diabolicum appellant, quod qui bibant, eove utantur, improbos & peccatores esse statuunt.* A qua scelesta quidem opinione, quàm longissimè aberant illi, quorum meminit Cyprianus. Est tamen illud verissimum, eos qui vel *ignoranter, vel simpliciter* ab institutis Domini deflectebant, grande scelus perpetrasse, mutatâ, quæ mutari nequit, sacramentorum materiâ. Quos meritò urget Cyprianus: *Apparet sanguinem Christi non offerri, si vinum desit calici.* Et paulò infrà: *Quam verò perversum est, quàmque contrarium, ut cum Dominus de aqua vinum fecerit, nos de vino aquam faciamus.* Gravissimum autem in *humanam, & novellam institutionem* affert argumentum: *In calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerat.*

An. 257. n. 9.

Error Baron.

Cypr. Ep. LXIII.

Anno Dom. 253.

Epiph. h. 47. n. 1.

Cypr. Ep. LXIII.

Anno U. C. 1007. Per. Jul. 4967. Jul. 299. Dom. 254. Valeriani & Gallieni 2. *Sol.* 11. A. *Lun.* 8. *Indict.* 2. *Epact.* 23. *Epact. Sol.* 7. P. 23. *April.*

Anno Dom. 254.

Coss. P. Licinius Valerianus Augustus II. & P. Licinius Gallienus Augustus.

Prafectus urbis Lollianus.

I. UT offusas, quibus Valeriani involvitur historia, tenebras scintillâ lucis aliquâ pellamus, de liberis ejus est differendum. Valeriano Augusto filii fuere, Gallienus Augustus, & Valerianus Junior, diversis procreati matribus. Gallienus Augustus, ex uxore *Chrysogone*, quæ Corneliæ quoque Saloninæ induta nominibus, duos filios suscepit, Major qui & Gallienus scribitur in nummis, *Publius Licinius, Cornelius, Saloninus, Valerianus, nobilissimus Casar, Princeps juventutis.* Minor Saloninus Gallienus, ac Quintus Julius Saloninus, in Nummis appellatur. De Gallieno ejusque filiis, mentio est in Senatusconsulto, die septimo Kal. Julias facto: *Divinos honores Pisoni decerno, P. C. Gallienum, & Valerianum, & Saloninum Imperatores esse confido.* Gallienus Junior diversis nominibus in historia designatur, quibus gerentis notitia nonnihil eripitur. In Actis Cypriani, *Valeriani* nomen habet: *Sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Casar.* De eodem Gallieno Juniore, Trebellius Pollio: *Saloninum filium etiam Gallieni, qui & Gallienus dictus est, huic libro adjungam*, Trebel. Valer. Et in libro de duobus Gallienis: *Saloninus hic Gallieni filius fuit, nepos Valeriani.* Quòd apud Salonas natus esset, ideò Saloninum cognominatum ferunt. Hic est ille ipse Gallienus, de quo Valeriani est ad Antoninum Gallum Consulem Epistola: *Culpas me familiaribus literis, quòd Postumio, filium meum*

De Valeriani filiis.

Trebel. Pis. c. 20.

Vopisc. Aurel. c. 8.

Gallienum, magis quàm Aureliano commiserim. Neque Gallienum Augustum, quod eruditorum nonnulli opinantur, intelligendum esse, eò liquet, quòd Saloninum Gallienum Posthumo Gallienus Augustus crediderit. Ipse verò Germanis, qui imperio infestiores erant, occurrit absente Posthumo, qui Gallias administrabat. Duobus verò Gallienis altero patre, altero filio, tutor non datus est Posthumus. Gallienus quidem jam & Augustus & annis major, non ejus ætatis fuit, qui Posthumio crederetur. Tres ergo fuere Valeriani, quos accuratè distinguit Pagius Dissertatione Hypathicâ p. 46. Valerianus scilicet Augustus, Valerianus Junior ejus filius, Gallieni Augusti frater, Valerianus Saloninus Gallieni Imperatoris filius. Tres itidem Gallieni, unus pater, duo filii.

Valeriani ex Gallieno nepos fit Cæsar.

II. Cùm effusis habenis Barbari invaderent imperium, Valerianus animadverso periculo, Gallienum imperii consortem facit, nepotemque Gallienum Cæsarem dicit, ut triplici eâ potestate innixum firmius esset imperium. Controversia tamen est inter eruditos, utrùm Valerianus Junior, Gallieni filius, dignitate Cæsaris affectus hoc anno fuerit. In difficillima ea quæstione, sententia Pagii nobis est probabilior. Nempe anno currente, Gallieni filium à Valeriano Cæsarem dictum fuisse. Primum nobis exoritur argumentum ex imperio, quod gessit apud Gallias, tutore Posthumo. Cui *Saloninum filium suum, Gallienus in Gallia positum credidit, quasi custodi vitæ & morum, & actuum imperialium institutori.* Quòd si Augustorum filii, vacuum imperio, non semel gessere Cæsaris titulum, at nunquam imperio præfecti sunt, expertes dignitatis Cæsareæ. Præterea Rex Cadusiorum Balerus, captivo Valeriano, id Sapori scribit: *Valerianus, & filium Imperatorem habet, & nepotem Cæsarem.* Itaque non Valerianum Juniorem, sed Cornelium Saloninum Gallieni filium, Justiniani in Codice invenimus l. 2. Tit. 4. l. 11. P. P. XV. Kal. Decemb. Valeriano & Gallieno AA. utrisque Coss. Inscribitur verò: *Imp. P. P. Valerianus, Gallienus AA. & Valerianus nobilis Cæsar Cajano militi.* Dum versus Orientem Valerianus movet, ut Persis resisteret, Europæos exercitus filio tradit. Ac ipse quidem Rheni transitus quantum potuit hostes prohibuit.

Treb. Posth. 258.

Trebel. Valer. c. 6.

Zozim. l. 1. c. 38.

De Basilide & Martiali.

III. Dum extinctis persecutionibus, in altissima tranquillitate versatur Ecclesia, Concilium in Africa celebratur. Episcopi aderant Cyprianus, Cæcilius, Primus, Polycarpus, Nicomedes, Lucianus, Successus, Sedatus, Fortunatus, Januarius, Secundus, Pomponius, Honoratus, Victor, Aurelius, Sattius, Petrus, alius Januarius, Saturninus, alius Aurelius, Venantius, Quietus, alius Saturninus, Lucius, Vincentius, Libosus, Geminius, Marcellus, Jambus, Adelphius, Victoricus & Paulus. Quos literis adeunt, missis etiam Sabino & Felice Episcopis, tres Hispaniarum Ecclesiæ. Legionensis scilicet, Asturicensis, & Emeritensis. Scribendi hæc causa fuit: Basilides Episcopus *Præter libelli maculam, cùm in infirmitate decumberet, in Deum blasphemarat*, & crimen fassus erat. Itaque deposito Episcopatu, pœnitentiæ onus acceperat, id unum in votis habens, *Si sibi, vel laicu communicare contingeret.* Martialis quoque, qui & Episcopus, libello nefando sordidus, *Præter Gentilium turpia & lutulenta convivia, & collegia diu frequentata, & filios in eodem collegio exterarum gentium more, apud profana sepulchra depositos, & alienigenis consepultos, actis etiam publicè habitis apud Procuratorem Ducenarium, obtemperasse se idololatriæ, & Christum negasse* testatus erat. Ad tantum scelus nil accedere poterat. Hominibus ejusmodi Clericorum officio fungi, vetitum legibus Ecclesiæ: *Jampridem nobiscum, & cum omnibus omninò Episcopis, in toto mundo constitutis, etiam Cornelius Collega noster, Sacerdos pacificus, ac justus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus*, decreverat *ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.* Ad hanc regulam sese componentes Hispani, *Sabinum* de universæ fraternitatis Episcoporumque qui convenerant judicio, Episcopum creatum, in locum *Basilidis* imposuerant. At Basilides, gradus sui retinendi cupidus, petitâ Româ, Stephanum *tacita veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum, de quo fuerat justè depositus.* Hic quasi spolia ampla Baronius retulisset, exclamat: *Videas hoc exemplo, antiquissimum usum Ecclesiæ, ex remotissimis orbis partibus, Episcopos provocare solere ad Rom. Pontificem.* Miram Baronii Geographiam, qui extendendis Papalis monarchiæ limitibus, Hispaniam Terraconensem, ex qua Basilides, in remotissimis terrarum partibus collocavit.

Cypr. Ep. LXVIII. 67.

Cypr. Ep. LXVIII.

Bar. An. 258. n. 3.

Num ad Papam Basilides provocarit?

IV. Rem quod attinet, Basilidis in facto ne levis quidem umbra est appellationis. Quippe appellatio est omnis, cum causæ cognitione conjuncta, ut partibus auditis Judex sententiam ferat suam. Quòd si ab Hispaniæ subselliis ad Pontificalia Stephani rostra Basilides litem detulisset, Legatis vel literis suis, Hispani Stephanum, ut Judicem majorem adiissent, causæ totius notitiâ instruendum. Hoc verò observatum non fuisse, liquet ex Epistola Cypriani: *Basilides Romam pergens, Stephanum Collegam nostrum longè positum, & gesta rei, ac tacita veritates ignarum fefellit.* 2°. Si partibus Judicis Stephanus in ea re functus fuisset, ad Hispanos scripsisset tabulas mitterent suas, ut lite contestatâ, daretur judicium. Hoc autem à Stephano factum non fuisse certum exploratumque est: *Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.* 3°. Ea vis appellationum est omnium, ut justæ vel sententiæ sustineant effectum, donec summus Judex decretum interponat suum. Neque fieri aliter potest, præcipuè in rebus gravis momenti, nisi perturbato jure omni Ecclesiastico. Sabinus verò in locum Basilidis, totius Ecclesiæ Episcoporumque suffragio, subrogatus fuerat. Fingemusne tot viros pios, adeò disciplinæ Christianæ imperitos, ut vel invitâ, *ad primarium Ecclesiæ universalis Antistitem*, provocatione Basilidi successorem darent? Illegitima quidem fuisset ordinatio Sabini, quæ ante Stephani judicium peracta est. Stetit autem Carthaginensium animo mens ea, quòd *jure perfecta sit* Sabini ordinatio. 4°. Non temerariam incusat Basilidis provocationem Synodus, sed fraudem, quæ in provocatione nulla est: *Basilidis non tam abolita sunt, quàm cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus, etiam fallaciæ & circumventionis crimen accesserit.* Denique si nomine summi Judicis sententiam Basilidis in negotio dixit Stephanus, tum sanè rescindi

scindi non potuit, & injustæ licet, ac quiescendum fuit, deficiente autoritate superiore, quâ tandem abrogaretur. Atqui ore & calamo Cypriani Synodus testatur: *Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quòd Basilides Romam pergens Stephanum fefellerit.* Non ergo ad Stephanum provocavit Basilides, ut Baronius, Bellarminus aliique Majestatis Pontificalis præsidia perperàm sibi inducunt in animum; sed à Stephano extorsit communionis libellum, quo ab Ecclesia Romana pro legitimo Episcopo habebatur. Ut nisi concordiâ positâ, ab Hispanis respui non ille posset; quem celeberrima totius orbis Ecclesia Episcopum agnoverat. Erat enim in more atque instituto positum, servandæ Ecclesiarum omnium unitati, ut quem illarum una ejecerat aut admittebat Episcopum, ab aliis quoque vel respueretur, vel probaretur. Idcircò de Marciano Arelatensi hæc Stephano scribit Cyprianus: *Significa planè nobis, quis in locum Marciani fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.* Adeò firmæ erant unius Episcopi sententiæ, ut à proprio parente excommunicatum Marcionem, neque Romana susceperit Ecclesia, neque absque excommunicantis consensu se posse recipere professa sit. Itaque Stephani factum nullâ excusatione defendi potest, quo Ecclesiæ solvebat copulationes, lites serebat, sancta & totius orbis Episcoporum, & Cornelii Martyris decreta abrogabat; quorum causâ Cypriani pungitur aculeis.

Cypr. Ep. LXVII. 68.

De Marciano Arelatensi. Potueritne à Stephano deponi?

V. Novatianus, qui *& abstentus, & hostis Ecclesiæ judicatus erat*, raros quidem, nonnullos tamen sui fautores invenerat, quos inter *Marcianus* extitit Arelatensis Episcopus. Qui inflexibilis Stoicæ potius, quàm Christianæ disciplinæ patronus, lapsos *sine spe pacis, & communicationis relictos, ad luporum rapinam, & prædam Diaboli projiciebat.* Quam rem Faustinus Cyprianum monet Lugdunensis Episcopus. Stephanum ergo Cyprianus hortatur, ut dirigat *in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem*, literas, *quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.* Hic etiam Baronius exultat, atque triumphat. Noverat Cyprianus, *Deponere Metropolitanum Episcopum, juris esse Principis omnium Episcoporum, Romani Pontificis.* Nil tamen Baronio causæ fuit, cur Pontificis sui autoritati adeò velificaretur. Non Stephanum monet potestate suâ, ut Marcianum sede moveat. Rogat mittere literas, quibus Provinciæ Episcopi, jure suo utentes, Marciano munus abdicent. Potuit quidem Stephanus, Marcianum leges Ecclesiæ perfringentem, ac cum publico hoste excommunicato, societatis vinculo conjunctum *abstinere*, sed & eadem Cypriano, aliisque Episcopis facultas fuit. Nimirum Clericus quis *absolutè*, ut aiunt, vel *respectivè* exautoratur. Priori modò, cùm ipsi munus detrahitur, & ad sortem Laicorum relegatur. Posteriori verò, cùm pro Cleri parte aliqua ab Episcopis non habetur, neque cum ipsis communionis vinculo copulatur, Synodorum est suæ ditionis Episcopos loco suo movere. Sic Privatus Lambesitanus *Ob multa & gravia delicta, XC. Episcoporum sententiâ condamnatur.* Sic Jovinus & Maximinus sententiâ novem Episcoporum exautorari. Omnium verò Episcoporum est, Schismaticos Hæreticosve, qui Ecclesiæ Catholicæ perfringunt regulam à sua ditione, vel alienos, veluti membra à corpore Ecclesiæ, atque unitate remota, à sua communione repellere, societatemque ipsis renunciare, ut sarta tectaque sit divina disciplina. Episcopis quoque omnibus incumbit Ecclesias, quibus Schismatici, vel Hæretici præficiuntur, monere officii sui, ne copulentur cum nefariis, qui Ecclesiastica fœdera polluunt. Neque hæc nos ad libitum fingimus, qui monitorem habemus Cyprianum, hanc Episcoporum omnium autoritatem, has partes fuisse: *Cui rei*, inquit, *nostrum est consulere, & subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis, & curandis vulneratis bonitatis, & misericordiæ divinæ medicinam, non denegemus.* Neque postulat à Stephano, ut fulmine bullarum suarum Marcianum prosternat, sed ut literas *dirigat ad Coëpiscopos in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum, pervicacem & superbum, divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur.* Denique Cypriano Marciani exautoratio æquè competebat; ac Stephano, uti Cyprianus ipse prodidit: *Necdum videtur à nobis abstentus, qui jam pridem jactat & prædicat, quòd Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens à communicatione se nostra segregaverit.* Idcircò non Stephano soli, sed Cypriano quoque non semel, sed iterum etiam de Marciano scripserat Faustinus: argumento id juris, tam Carthaginensi quàm Romano esse Præsuli commune. Porro pro sua munificentia Marcianum ad honores Metropolitani evehit Baronius, qui solens more suo, antiquos Episcopatus ex novellis institutis existimat.

Bar. an. 258. n. 8.

Cypr. Ep. LV.

Cypr. Ep. LXVII. 68.

An Cypriani sit de Marciano ad Stephanum Epistola?

VI. Cæterùm ne id quidem est prætereundum, Cypriani de Marciano ad Stephanum Epistolam doctissimo Launoio dubiam esse. Ac clarissimus quidem Fellus fatetur *inter viginti circiter codices MSS. quos evolvit, se nondum in aliquem incidisse, qui hanc contineret.* Nobis tamen religio est, hanc à Cypriano Epistolam abjudicare. Cypriani stilo scripta est: ea complectitur, quæ Cypriani tempora, mores, disciplinam maximè sonant, ut ovum non sit ovo similius, quàm Epistola hæc Operum Cypriani similis est. Gravi argumento eam Autori suo Fellus addixit: *Cùm D. Augustinus in libro VI. de Baptismo contra Donatistas c. 15. Epistolæ Cypriani ad Stephanum meminerit, quæ prorsus ad quæstionem de Baptismo non pertinet, & duæ tantùm noscantur à Cypriano ad Stephanum scripta, omninò hanc respexisse Augustinum dicendum est, si quidem altera, LXXII. nimirum, causam illam expressè tractat.* Tria sunt argumenta Launoii, quæ sola videntur ponderis alicujus. Primum, quod disciplinæ Cypriani repugnet, abstentum à se Marcianum fuisse, ipso scribente Cypriano, Epistolâ LV. *Æquum esse ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est admissum crimen.* Verùm enimverò regula hæc Cypriani Marcianum non attinebat. Aliæ facti quæstiones, aliæ juris. Cùm inquirendum quemadmodum vixerit reus, aut quid egerit, æquum & justum est, illic audiri causam, ubi est admissum scelus, quia & audiendi testes & revocandi. In quæstionibus verò doctrinæ, & disciplinæ, de quibus jam extant Synodorum judicia, cùm

reus

Anno Dom. 254.

reus ipse, & errorem, & schisma palam apertèque suum profitetur, tum ex Canonum Præscriptione jure damnari potest, quia disquisitione non opus est, atque testibus, qui frustrà colligerentur rem ipsam fatente reo. Restat aliud nihil, quàm latam in errores & schismata Synodi sententiam applicare noxiis. Atqui eò loci res erant Marciani, qui ad Novatianum, à Synodis damnatum pluribus, ab Ecclesiæ unitate extorrem apertè defecerat, quod & palam jactabat. Iterum objicit vir eruditissimus. Incredibile est Cyprianum jam à Stephano abstentum, ad eum Epistolam tantâ humanitate conditam direxisse. Cui argumento frustra solutionem affert N. Alex. dum Epistolam initio Pontificatus Stephani scriptam contendit. Quippe sub initiis Episcopatus Stephani nondum præterierat biennium, ex quo Marcianus Novatiano adhæserat, cujus schisma Junio circiter anni CCLI. inceperat. Stephanus verò Episcopatum iniit mense Majo anni CCLIII. Testatur autem Cyprianus, Marcianum jampridem *jactasse*, quòd Novatiano studens à communione se Cypriani separaverat. Atque ex separationis hujus diuturnitate sic colligit: *Sufficiat multos illic ex fratribus nostris, annis istis superioribus excessisse sine pace.* Melius ergo respondet argumento Pearsonius: *Jurgium inter Stephanum & Cyprianum maximè ortum esse, ante tertium Stephani annum, & quidem jam affectum.* Multo majoris momenti est, quod objicit Launoius, Trophimum Presbyterum, à Pontifici Romano in Gallias missum, primum Arelatensis Ecclesiæ fuisse Episcopum anno CCL. Decio & Grato Coss. *Gratianum verò, Trophimum, Stremonium &c. post acquisitos Ecclesia Populos, ac fidem Christi per omnia dilatam, felici confessione migrasse.* (Greg. Tur. h. l. 1. c. 30.) Quî potuit igitur Marcianus anno CCLIV. Ecclesiam Arelatensem dudum administrasse? Profectò si vera prædicat Gregorius ille Turonensis, Epistola Cypriano est eximenda. Nos verò, etsi totis viribus de duobus Dionysiis sententiæ patrocinemur, Gregorii tamen Chronologiam falsam esse putamus, anterioremque anno CCL. Trophimi in Arelatensi Ecclesia Episcopatum existimamus, ut suo tempore traditum.

Rixæ Pupieni cum Cypriano.

VII. Florentius Pupienus Episcopus, gloriâ Confessionis & martyrii clarus, sed nimium credulus, turpibus, & Gentibus etiam execrandis, quæ de Cypriano falsus rumor spargebat, fidem adjunxerat. Ac conjectura est, in sua ad Cyprianum Epistola, Pupianum etiam invidisse Cypriano Cæcilii nomen, quod ab optimo Presbytero acceperat, & per contemptum, *Thascii*, quem Ethnicus gesserat, titulo salutasse. Convitiatori dum respondet, inscriptionem adhibet ejusmodi: *Cyprianus qui & Thascius, Florentio, qui & Pupiano fratri.* Lepida est Epistola, variis & salibus, & aculeis ubique respersa: *Pupienus solus integer, inviolatus, sanctus, pudicus, qui nobis miscere se noluit, in paradiso atque in regno cælorum solus habitabit.* (Cypr. Ep. LXIX.)

Anno Dom. 255.

Anno U. C. 1008. Per. Jul. 4968. Jul. 300. Dom. 255. Valeriani & Gallieni 3. *Sol.* 12. G. *Lun.* 9. *Indict.* 3. *Epact.* 4. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

Coss. P. Licinius Valerianus Aug. III. & P. Licinius Gallienus Aug. II.

Valerius Maximus Præfectus Urbis.

Borani Asiam vastant.

I. Cum gentibus propter Istrum incolentibus, Boranis, Gothis, Carpis nemo resisteret, post vastatum vexationibus Illyricum, in Asiam quoque barbarè migrare conantur. Quod ab incolis Bosphori facilè impetraverunt, qui metu potius, quàm animi voluntate adducti, naves illis suas præbuere. Dum obvia quæque diripiunt, Pityuntem muro maximo circundatam, & portum commodissimum habentem, adoriuntur. At ingruentibus Barbaris cùm obstitisset Successianus, veriti ne milites, qui castella implebant, Pityunteis aggregati se funditùs delerent, compluribus amissis, quantam potuere navium copiam nacti, summo cum periculo domum repetunt. Hinc Ponti Euxini oras incolentibus spes facta securitatis, neque Scythas repulsos, eò progressuros audaciæ, ut iterum mare transjicerent. Sed ubi Valerianus accersitum ad se Successianum Præfectum Prætorii dixisset, novam denuò irruptionem moliuntur. (Zoz. l. 1. c. 32.)

Antiochiam Valerianus recuperat. Cyriadis seditio.

II. Anno superiore in Orientem Valerianus moverat, ut Persis resisteret. Cyriades dives & nobilis, cùm luxuriâ perditisque moribus, parenti suo gravissimo seni tædio esset, direptâ maximâ auri argentique copiâ Persas petierat, Saporique Regi conjunctus, Autor fuerat belli Romanis inferendi. Antiochiâ, & Carris captis, Cæsarianum nomen acceperat. Neque eo titulo ejus ambitioni satisfactum. Usurpatâ Augusti dignitate, Orientem omnem vel virium, quas Odomastes & Sapor suppeditabant, magnitudine, vel audaciæ terrore quatiebat. Ad eam fortè Cyriadis expeditionem ea referri historia potest, quam Marcellinus memorat l. XXIII. c. 5. *Cùm Antiochia in alto silentio, mimus cum uxore immissus, in medio sumpta quadam imitaretur, populo venustate attonito, Conjux nisi somnus est, inquit, Ex Persæ, & retortis plebs universa cervicibus, exacervantia in se tela declinans spargitur passim.* At suorum insidiis cùm Valerianus ad bellum Persicum veniret, Cyriades occiditur. Quem Cyriadis casum in primam Valeriani, quàm cum Calvisio, in secundam adversus Persas expeditionem conferre malumus. (Poll. 256.) Quippe Antiochiam à Valeriano esse recuperatam, nos Zozimus monuit. Eò loci Valerianus agebat, cùm *Successianum* ad se vocavit, *ut res Antiochena civitatis, & instaurationem ejus ordinaret.* (Zozim. l. 1. c. 32.) Anno CCLVIII. Successianum à Valeriano accitum fuisse contendit Pagius, & cum eo Antiochenas res ordinasse, cujus ratio est, quòd *postquam Antiochiam venit, amplius Byzantium non redierit* Valerianus. Observare tamen debuit, de adventu Valeriani Byzantium nil commemorasse Zozimum, geminamque fuisse Valeriani in Orientem profectionem. *Antiochiâ ad Cappadociam usque progressum esse*, auditâ clade Niceæ, & Nicomediæ, testis ipse Zozimus. Ignoravit autem Valerianum Byzan-

tium

ANNO DOM. 255.

tium se contulisse, quod ex Trebellio discimus. Incredibile est Valerianum, qui primo imperii sui anno in Orientem moverat, ut Persis resisteret, anno tantùm 258. Antiochiam venisse.

Concilium Carthaginense: ejus de Novatianorum baptismo sententia.

III. Dum res Ecclesiæ tranquillæ sunt, ardua apud Africam quæstio exoritur. In Concilium convenerant Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Junius, Primus, Cæcilius, Polycarpus, Nicomedes, Felix, Marrucius, Successus, Lucilianus, Honoratus, Fortunatus, Victor, Donatus, Lucilius, Herculanus, Pomponius, Demetrius, Quintus, Saturninus, Januarius, Marcus, alius Saturninus, alius Donatus, Rogatianus, Sedatus, Tertullus, Hortensianus, item alius Saturninus, Sattius. Hos literis adeunt suis XVIII. Numidiæ Episcopi, Januarius, Saturninus, Maximus, Victor, alius Victor, Cassius, Proculus, Modianus, Cittinus, Gargillius, Eutychianus, alius Gargilius, alius Saturninus, Nemesianus, Nampulus, Antonianus, Rogatianus, Honoratus, de Schismaticorum & Hæreticorum baptismo. Quæstioni ansam præbuerat, quæ scripta Magno fuerat, Cypriani Epistola. Magnus, qui de Laicis unus fuisse videtur, utpote qui *filii* nomine à Cæsriano afficitur, Cyprianum consuluerat, an *inter cæteros Hæreticos eos quoque, qui à Novatiano venerant, post profanum ejus lavacrum baptizari, & sanctificari in Ecclesia Catholica, legitimo, & vero, & unico Ecclesiæ baptismo oporteat.* Quæsierat item, quid censeret de illis, qui in infirmitate, & languore baptismum consequebantur, *an legitimi Christiani, eò quòd aquâ salutari non loti sint, sed persusi.* Priori verò quæstioni hanc affert responsionem, *Omnes omninò Hæreticos nil habere potestatis, ac juris: propter quod Novatianus nec debet, nec potest excipi.* Quæ Cypriani sententia Numidiæ Episcopis scrupulum cùm injecisset, Carthaginense hujus anni Concilium ea de re consuli placuit. Respondet interrogationi: *Sententiam nostram non novam promimus, sed jampridem ab antecessoribus nostris statutam, & à nobis observatam, vobiscum pari consensione conjungimus, censentes scilicet, & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse.* Neque tamen eá Synodi præscriptione omnibus satisfactum. Itaque ad unum de Mauritaniæ Episcopis, *Quintum* nomine, Cyprianus dirigit Epistolam: *Nescio quâ præsumptione ducuntur quidam de Collegis nostris, ut putent eos, qui apud Hæreticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere.* Ut verò consuetudinis suæ antiquitatem ostenderet, ejus originem ab Agrippino repetit: *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coëpiscopis suis, qui illo tempore in Provincia Africa, & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant statuit, & librato consilii communis examine firmavit.* Porro si Carthaginensium Patrum ad Numidas rescriptum Baronius animo ponderasset, neque Annales errore, neque Sanctum Cyprianum affecisset injuriâ. Prætextum baptizandi Hæreticos ait, *Habuisse quosdam Episcopos in Africa, eorumque Primatem sanctissimum Cyprianum, quod Novatiani Catholicos iterum baptizarent.* Quid est Carthaginensibus Patribus, quid Cypriano mendacii dicam scribere, si hoc non est? *Sententiam nostram*, inquiunt, *non novam promimus, sed jampridem à nostris antecessoribus statutam.* Nova verò fuisset, neque à majoribus observata, si à Novatiano-

Cypr. Ep. LXXVI. 69.

Cypr. Ep. LXX.

Cypr. Ep. LXXI.

Error Baronii.

Bar. an. 258. n. 12.

rum æmulatione ortum duxisset. Eadem & Tertulliano disciplina fuit: *Apud nos, ut Ethnico par, imò & supra Ethnicum, Hæreticus etiam per baptisma veritatis utroque homine purgatus admittitur.* Ante triennium suam & ea de quæstione sententiam Cyprianus ostenderat, libro de Unitate: *Quando aliud baptisma præter unum esse non possit, baptizare se posse opinantur. . . . Non Deo nativitas illa, sed Diabolo filios generat.* Hoc verò, non sequente anno Concilium congregatum esse, rectè probat Pearsonius ex literis Firmiliani ad Cyprianum, imminente hyeme anno CCLVI. scriptis. Cùm enim post & secundam Synodum de baptismo celebratam, & literas Stephani missa sit Epistola Firmiliani, eodem utique anno prima de baptismo Synodus congregari non potuit.

ANNO DOM. 256.

Tertul. de Pudic.

ANNO U. C. 1009. PER. JUL. 4969. JUL. 301. DOM. 256. VALERIANI & GALLIENI 4. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 10. *Indict.* 4. *Epact.* 15. *Epact. Sol.* 2. 3. P. 30. *Martii*,

COSS. Valerius Maximus & M. Acilius Glabrio.

Nummius Albinus Præfectus Urbis.

I. ABsentiâ *Successiani*, qui à Valeriano Imperatore accersitus, Antiochiam petierat, invitati Scythæ, sumptis à Bosphoranis navibus, iterum mare transjiciunt. Quibus retentis, nec concessâ potestate, ut eorum ope Bosphorani in patriam reverterentur, propter Phasidem profecti sunt, ubi fanum Dianæ Phasianæ cum Oetæ regia collocatum perhibent. Postquam frustrà fanum occupare tentarunt, *Pityuntem* rectà contendunt. Castello perfacilè capto, pergunt ulterius. Cùmque & navigiis abundarent, & captivis compluribus remigandi peritis, commodâ æstatis tempestate usi, *Trapesuntium* urbem amplam & populosam, multisque militibus compleram petunt. Vix urbe duobus muris circundatâ se potituros sperabant: At dum milites præ ignavia ne murum quidem conscendunt, neque ullo tempore compotationes intermittunt suas, Scythæ admotis de nocte arboribus, quas ad hoc paraverant ascendentes, urbem capiunt, præsidiariis ob improvisam hostis irruptionem metu perculsis, & fugâ dilapsis, cæteris ab hoste peremptis. Sic acta ex hominibus, qui in urbem munitam veluti certum præsidium ex regione confluxerant, ingenti prædâ Templis ædificiisque ditatis, domum navibus discessere.

Borani urbes in Asia capiunt.

II. Neque Barbarorum excursionibus solus Oriens vexabatur. Franci per totam Galliam vagabantur. At Aurelianus, qui postmodum rerum potitus est, tum temporis Tribunus Legionis sextæ Gallicanæ irruentes sic afflixit, ut trecentos ex iis captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Celebrandæ victoriæ ea à militibus facta cantilena: *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Prima hæc est gentis, quæ secutis temporibus magnam celebritatem habuit apud Historicos mentio. Factâ sibi ex cladibus famâ, Aureliano imperante gens iterum innotuit. Cujus in triumpho cum aliis gentibus, *Franci religatis manibus captivi præcessere.* Perfidiâ celebres fuisse,

Franci ab Aureliano fusi: hujus gentis mores.

Vopisc. Aur. cap. 7.

Aurel. c. 33.

prodit Vopiscus in Proculo: Quem *Probus fugatum usque ad ultimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, à quibus originem se habere ipse dicebat, prodentibus Francis, quibus familiare est, ridendo fidem frangere, vicit & interemit.* Neque de Francorum fide meliora Vopiscus, habet, quos mortalium omnium *fallacissimos* fuisse tradit. De Francorum moribus addamus & Salviani testimonium: *Gothorum genus perfida, sed pudica est: Alemannorum impudica, sed minus perfida: Franci mendaces, sed hospitales.*

Salv. de Prov. l. 7.

Saxonum vicinos Francos fuisse, docuit nos Zozimus: *Cauchos nationis suæ partem, Saxones in solum à Romanis occupatum emittunt. At finitimis Francis eos transitu prohibentibus &c.*

Zozim. l. 3. c. 6.

Ut eas regiones incoluisse Franci videantur, quibus Westphaliæ & Massiæ nomen inditum. Quem & situm ipsis ascribit Hieronymus in vita Hilarionis: *Candidatus Constantii Imperatoris, rutilus comâ, & candore corporis, indicans Provinciam, inter Saxones quippe & Alamannos, gens ejus non tam lata, quam valida apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur.* Atque hæc obiter de gente, quæ deinceps multum sibi famæ peperit. Aureliani de Francis victoriam laudibus cumulavit Valerianus, ad Cejonium Albinum Præfectum urbi Epistolâ: *Quid enim in illo non clarum? Quid non Corvinis & Scipionibus conferendum? Ille liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor?*

Vop. Aurel. cap. 9.

Etsi verò tantis respondere laudibus Aureliani Victoria non videatur, cum tamen & molestiis Francorum vexationibus Gallias liberarit, & de ipsa mentio sit commendatitiis in Epistolis, exaggeratâ hâc oratione usus est Valerianus, qui & in eadem Epistola, multa Aureliano munera dari jubet. Nullum sanè Aureliani aliud præclari facinoris memorat historia, quo Gallicarum restitutor dici meruerit.

Concilium Africanum de rebaptizandis Hæreticis.

III. Cùm de Hæreticorum baptismo lis nondum componeretur, nonnullis veterem consuetudinem in Numidia prædicantibus, visum est Episcopis hanc rem tractare accuratius. Ansam congregandæ Synodi præbuit veteris amor instituti. Rescripserat ad Quintum Cyprianus, *Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.* Itaque ante Pascha, ut probabiliter admodum, conjicit Pearsonius, ex Africa Numidiaque complures Episcopi congregantur. Quid vero statuerint, tam in superioris, quàm in hujus anni Synodo, Jubajanum docet Cyprianus, missis utriusque decreti exemplaribus. Prioris sic meminit: *Exemplum earumdem literarum tibi misi, quid in Concilio, cum complures adessemus, decreverimus.* Posterioris sic mentionem agit: *Et nunc quoque cùm in unum convenissemus, tam Provincia Africa, quàm Numidia, Episcopi numero septuaginta & unus, hoc idem denuò sententiâ nostrâ firmavimus, statuentes unum baptisma esse, quod sit in Ecclesia constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari à nobis.* Diu ante Novatianum, qui ad se accedentes Catholicos baptismo perfundebat, id obtinuisse moris, ut in Africa Hæretici sacris undis expiarentur, ostendit Cyprianus: *Longa ætas est, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia Hæreticorum in Provinciis nostris, ad Ecclesiam conversi non aspernati sint neque cunctati, imò & rationabiliter & libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis*

Cypr. Ep. LXXIII.

& salutaris baptismi gratiam consequerentur. Unde non satis Baronium mirari, Shelstratumque possumus, qui exemplo Novatiani Catholicos rebaptizantis, volunt ortam Cypriani esse, & consuetudinem, & controversiam. Neque solum Jubaianum, sed Stephanum quoque, Romanorum Episcopum, certum Cyprianus facit, eorum quæ gesta fuerant in Africano Synodo. Nempe parum esse Hæreticis *manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum*, ut sacramento utroque nascantur. Addit etiam, Diaconos & Presbyteros in Ecclesia Catholica ordinatos, si à Pseudepiscopis profanâ ordinatione promoverentur, ea si revertantur conditione suscipi, ut solâ communione laicorum fruerentur. Non malè tamen Cyprianum habuit contraria consuetudo: *Sed salvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata retinere*, æquo tulit animo.

Cypr. Ep. LXXIII.

Stephani de baptismo Hæreticorum sententia.

IV. Lectis Cypriani literis, Afrorumque Numidarumque de rebaptizandis Hæreticis decreto, Stephanus

Ultrò implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo.

Itaque scripto Cyprianum adortus, Concilii Carthaginensis sententiam damnat. Cyprianum ipsum *Pseudochristum, & Pseudapostolum, & dolosum operarium* dicit. En viri modestiam & mansuetudinem! Non eâ tamen injuriâ sanctum affecerat Martyrem in sua ad Afros Epistola. Has disseminarat calumnias in missis ad Orientales, literis quam rem Afros Firmilianus monuit. Stephani Epistolam fata nobis invidere: Fragmenta quædam supersunt, veluti ereptæ è naufragio tabulæ: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. Cum ipsi Hæretici propriè alter utrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Quæ Epistolæ suæ ad Pompejum Cyprianus inseruit. Hinc multa seges, nobiliumque quæstionum materia. Quæritur enim inter eruditos, utrùm ea Stephano sententia fuerit, *Quorumcunque Hæreticorum, etiam non consueta Ecclesiæ forma, collatum, legitimum, nec reiterandum esse* baptisma? Ac N. Alexander, Shelstratus, Pagius, eam summo Ecclesiæ capiti inuri injuriam nolunt, ut *quorumvis* Hæreticorum baptismum admiserit. Quid igitur litium Stephanum inter & Cyprianum fuit? *Tota*, inquiunt, *quæstio fuit de baptismo Hæreticorum, supposito quòd in nomine Christi, seu Trinitatis, baptismum conferrent.* Nos verò extra omnem dubitationis aleam constitutum esse putamus, *quorumcunque* Hæreticorum baptismum susceptum fuisse à Stephano. Primum omnium id disertè sonant verba Stephani: *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Aliud est *à quacunque hæresi*, aliud *à quacunque hæresi, quæ integram servat baptismi formam.* Prius scripsit Stephanus, non posterius, distinctionem utique non omisisset, si de illa cogitasset. Neque magis limitationem adhibuit Eusebius, qui de Stephano hæc scripto prodit. Literas scripserat Episcopus per Ciliciam, & Cappadociam constitutis, *Sese ob eam causam, ab illorum communione*

Euseb. l. 7. c. 5.

Anno Dom. 256.

nione discessurum, quòd Hæreticos rebaptizarent. Hæc est Orientalium disciplinæ improbatio, atqui non Hæreticorum aliquos, sed *omnes* omninò Hæreticos sacris undis expiabant. Ac sanè ex parte laudare, ex parte respuere disciplinam debuisset Stephanus: laudare quidem, dum illos baptizabant, qui non invocatâ Trinitate sacro lavacro perfusi fuere. At nullo discrimine adhibito, Afrorum Orientaliumque ritum repudiat. Sed & illi Hæretici, *qui ad se venientes non baptizabant*, illi ipsi erant, qui Ecclesiæ baptismo non utebantur. Quippe Montanistæ, Novatianique, qui adhibitâ Ecclesiæ formâ, sacramentum ministrabant suum, Christi transfugas rebaptizabant. De aliis ergo Hæreticis cogitabat Stephanus, qui aquam Trinitatis invocatione suam non condiebant. Equidem prodigio est, Veterum neminem eâ limitatione, quam imaginantur recentiores, Stephani sententiam circumscripsisse, quæ omitti neque debuit, neque potuit: tum ne absurda Pontifici Romano sententia vindicaretur, tum ut mens ejus apertè fideliterque redderetur. Quid multa? Unde inter orationem Stephani, & illam recentiorum tantum discriminis, si communis sententia fuit? 2°. Exploratam Cypriano fuisse Stephani sententiam candidèque, & expressam, & exhibitam, negari non potest. Legerat Stephani Epistolam, neque perfunctoriè aut indiligenter confutarat, ut absonum sit extra modum, mentis & opinionis Stephani, Cyprianum fingere peregrinum, aut pravitatis ejusmodi, ut ea Stephano vindicarit, quæ ab ejus ingenio, sententiâque erant aliena.

Cypr. Ep. LXXIV.

Audiamus ergo Cyprianum: *A quacunque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, id est omnium Hæreticorum baptismata justa esse, & legitima judicavit, & cùm singulæ hæreses singula baptismata, & diversa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans, universorum delicta in sinum suum coacervata congessit.* Quid clarius dici, aut apertius potuit? Hæreses sanè, quæ legitimam baptismi formam usurpabant, non *singula baptismata*, sed unum baptisma habebant. Aut igitur Stephani sententiam ignoravit Cyprianus, aut perfidè dissimulavit. Utrùmque verò indignum sancto Martyre. 3°. Marcionitæ, Valentiniani, Apellis discipuli, in Trinitatis nomine baptismum non administrabant, quam funditùs exterminabant. Hæc erat Valentiniani lavacri forma: *In nomine ignoti Patris omnium, & in veritate, matris omnium, & in nomine descendentis Jesu, ad unitionem & redemptionem, & communem virtutem.* Neque magis Ecclesiæ formam in

Cypr. Ep. LXXIII.

baptismo usurpabat Marcio: *Numquid Marcio hanc Trinitatem tenet? Numquid eundem asserit quem & nos Patrem Creatorem? Numquid eundem unum Filium Christum de Maria Virgine?* Jam verò monstrorum ejusmodi baptismum suscipiebat Stephanus. Testem damus Cyprianum, quem

Cypr. Ep. LXXIV. p. 131.

nullus accusavit calumniæ: *Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura tantum prorumpit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini & Apelletis, & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem, contendat Filios Deo nasci.* Unde

N. Alex. Sec. 3. Dissert. 13. 495.

patescit candor N. Alexandri, scribentis *incertum esse, quòd Stephanus Marcionis baptisma probaverit.* Imò negat etiam, *Stephani mentem assecutum esse Cyprianum.* Scilicet in eam magis penetravit N. Alexander, qui unum Epistolæ fragmentum legit, quàm Cyprianus, qui totam legerat, & non indiligenter confutarat.

Anno Dom. 256.

Quorumvis Hæreticorum baptisma Romana suscepit Ecclesia.

V. Quorum Hæreticorum baptisma Romana ceperit Ecclesia, omni exceptione major testis est Hieronymus, adversus Luciferanos, Epistolâ LVIII, c. 9. *Quòd si negandum quispiam putaverit, Hæreticos a majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat B. Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem.* A statu ergo quæstionis non aberravit Cyprianus, teste Hieronymo. Ascribit autem Stephano Cyprianus, quòd eorum & Hæreticorum baptisma susceperit, quod expers erat solemnis Ecclesiæ formæ: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Quas divinas personas non admittebat Valentinus, non Marcion, non Apelles. Quid opus argumentis? Habemus confitentem Hieronymum, veterem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem fuisse, ut solâ impositione manuum eos susciperet, quia è pestifera Hæreticorum familia prodibant, quibus insolens erat baptizare in nomine Trinitatis:

Hieron. Ep. 68. c. 8.

Ad eos venio Hæreticos, qui Evangelia laniaverunt, Saturninum quendam, & Ophitas, & Gnoitam Carpocratem, & Cerinthum, & hujus successorem Hebionem, & cæteras pestes, quorum plurimi, vivente adhuc Joanne Apostolo, eruperunt, & tamen nullum eorum legimus rebaptizatum. Quid est dicere, si hoc non est earum sectarum transfugas, sacro lavacro non perfusos fuisse, dum ad Ecclesiam R. sese recipiebant? Quod si factum fuisset, id novisset, id legisset Hieronymus: *Nullum tamen eorum*, inquit, *legimus rebaptizatum.* Hilarius R. Ecclesiæ Diaconus, quem jocando *Deucalionem* orbis appellat Hieronymus, totis viribus contendebat, Arii baptismum esse rejiciendum. Hilarium verò sic urget Hieronymus: *Antequam Ariminensis Synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ab Hæreticis venientes, in eo quod prius acceperant baptismate, suscipiebat. Nisi fortè tantùm Ariani Hæretici sunt, & ab his solis baptisatum recipere non licet, ab aliis licet. Diaconus eras, Hilari, & à Manichæis baptizatos recipiebas. Diaconus eras, & Hebionis baptisma comprobabas. Repentè postquam exortus est Arius, totus tibi displicere cœpisti.* Denique sic loquentem Hieronymus Romanam inducit Ecclesiam:

Hieron. Ep. 68. c. 9.

Si verò in sinu meo natus, si uberum meorum lacte nutritus, adversum me gladium levas, redde quod dedi, & esto si poteris aliter Christianus. Meretrix sum, sed tamen mater tua sum. Non servo unius thori castitatem; talis eram quando conceptus es. Cum Ario adulteria committo, feci & antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho. Aut igitur Praxeas, Hebion, Ophitæ, Trinitatis in nomine baptismum ministrabant, quod absurdissimum, cùm Praxeas Patripassianus fuerit, Ophitæque, Carpocrates, Hebion mysterium augustissimæ Trinitatis ejurarint, aut fatendum necessariò, vel ab Ecclesia Romana baptismum quoque illum admissum esse, qui Trinitatis in nomine collatus non fuit. Ac ritus Alexandrinæ Ecclesiæ observatus, consuetudinem sanè Romanam loquitur, quia utrique eadem de Hæreticorum baptismo sententia. Quippe bonus ille senex, qui Hæretico baptismo

Eusob. l. 7. c. 9.

perfusus fuerat, Dionysii genibus advolutus, *Dejerare cœpit, baptismum quo apud Hæreticos initiatus fuerat, non hujusmodi esse, nec cum hoc nostro quidquam habere commune. Quippe illum plenum esse blasphemiæ, & impietatis.* Quæ optimus ille senex de baptismo, qui appellato Patre, Filio, Spiritu S. collatus esset, nunquam prædicasset. Eam

sanè rationem Dionysius maximè attulisset inter ea argumenta, quibus motus est, ne orantem, flentem, flagitantem iterum baptizaret. Denique Stephani opinionem ignorari non patitur Augustinus: *Erant duarum eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet, & Carthaginensis Episcopi duo, Stephanus & Cyprianus. Ambo in unitate Ecclesiæ constituti, quorum Stephanus in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in hæresi, vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat.* Sic amborum sententiæ erant ex diametro oppositæ, ut omnium Hæreticorum baptismum Stephanus admitteret, Cyprianus repudiaret.

August. in Petilian. c. 14.

Solvuntur argumenta Shelstrati, Pagii, &c.

VI. Sedem & fundamentum contrariæ opinionis nunc subruamus. Objiciunt Schelstratus, Pagius, N. Alexander 1°. Literas & Firmiliani, & Cypriani. Ex priore *Perspicuum, Stephanum semper supposuisse, Baptismum verbis Evangelicis conferri debere, ut ratum esset.* Ex posteriori, in qua *Cyprianus testatur, Stephanum baptismum Hæreticorum ratum habuisse, ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur.* Sic & ingenio suo, & patientiâ lectorum abutuntur viri eruditi, ne Stephanus in absonam opinionem inciderit. Hoccine *supposuerit* Firmilianus, ipse testetur: *Quantum ad id pertineat, quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos qui ab hæresi veniant, baptizari prohibuerint, & hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissimè vos respondistis, neminem tam stultum esse, qui hoc credat Apostolos tradidisse; quando etiam ipsas hæreses constet, execrabiles ac detestandas posteà extitisse.* Adductis verò Marcionis, Apellis, Valentini, Basilidis sectis, hoc addit Firmilianus: *Quorum baptisma, qui confirmat, quid aliud quàm cum ipsis se adjudicat.* Quæ verba cùm Stephanum perstringant, luce clarius est horum Hæreticorum baptismum à Stephano susceptum fuisse. Quod & jam testatus est Hieronymus. Ante Tatianum quidem nullus fuit Hæreticus, qui invocatâ Trinitate baptizarit. Atqui verba Stephani, tempora ætate Tatiani longè antiquiora designant: *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Denique Firmilianus non *supposuit*, quod non *supponebat* Cyprianus, à quo & controversiæ notitiâ instructus fuit, & literas Stephani habuit, ex quibus nonnulla & in suam inseruit. Cyprianus verò *supponere* non potuit, admissum à Stephano baptisma illud esse, quod in nomine Trinitatis conferebatur. Quo casu solos absque renovato baptismo Encratitas, Montanistas, & Novatianos recepisset. Atqui testatur sanctus ille Pater, Marcionis, Apellis, Valentini baptisma à Stephano comprobari: *Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini, & Apelletis, & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem, contendat Filios Deo nasci.* Verba Firmiliani, quæ objiciunt, *baptizatos* non *baptizantes* attinent: *Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eò quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocatâ Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus S.* Quanquam & concedi possit, in Encratitas, Montanistas atque Novatianos, quos iterum baptizabant Cyprianus & Firmilianus, Stephanum aciem oculorum direxisse. Cujus recta fuisset sententia, si absque novo baptismo in nomine Trinitatis jam sacris undis expiatos suscepisset. At omnes omninò à *quacunque* hæresi venirent admittebat, qua in re peccatum fuit. Neque satis candidè afferunt & verba Cypriani ad Pompeium: *Aut si effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Christi ubicunque, & quomodocunque baptizantur, innovati & sanctificati judicantur.* Cùm enim omnium omninò Hæreticorum, vel appellatâ Trinitate baptizantium, baptisma repudiarent Firmilianus atque Cyprianus, meritò ipsis *majestas nominis* objiciebatur, cùm eorum recipi baptismus debuerit, quorum de Trinitate, Christique persona fides erat rectissima. Aliorum verò Hæreticorum, qui ab ea fide alieni erant, baptismus à nomine Christi sanctificari non potuit. Itaque non sine causa dixit Cyprianus: *Qui in nomine Christi quomodocunque baptizantur.* Vix enim ullus Hæreticus fuit, qui in celebrandis sacramentis Christi nomen non usurparit. Secus Ethnicus fuit, Hæreticus non fuit. Valentini quidem in baptismo Christi nomen inserebatur: *In nomine descendentis Jesu.* Filii quoque nomen adhibuit inter baptizandum Eunomius, hostis Trinitati infensissimus. Impia hæc fuit Hæretici formula: *In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, à creato Filio conditi.* Sapienter Isidorus: *Nequaquam Baptismi sanctificatur officio, nisi qui sub Trinitatis tingitur sacramento, sicuti Dominus ait. . . Proinde si omissâ qualibet Trinitatis personâ baptisma detur, manifestè regenerationis aqua nil agitur, nisi tota Trinitas invocetur.*

Cypr. Ep. LXXIV.

Iren. l. 1. c. 18.

Epiph. h. 76. n. 6.

Isidor. l. 2. de Off. Eccl. c. 24.

Aliis objectionibus respondetur.

N. Alex. Sec. 3. Diss. 14. 507.

VII. Pergit in argumentando N. Alexander. Concilium Arelatense, quod *Afros rebaptizantes Hæreticos singulari Canone percellit, Romanis minimè pepercisset, si in contrario errore versati fuissent.* Scilicet Synodus Romanam perstrinxisset Ecclesiam, cujus de Hæreticorum baptismo disciplinæ adhærescebat. Canon est octavus: *De Afris, quòd propriâ lege suâ utuntur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur ut accipiat Spiritum S. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Donatistarum, Novatianorum, Montanistarum, Encratitarum causâ conditus ille Canon fuit, quorum baptismus ab illo Ecclesiæ non dissidebat. Est autem Africanæ limitatio consuetudinis, quæ nihilominùs propria ipsis fuit. Secùs specialem hujus Ecclesiæ ritum in communem Arelatenses mutassent. Post emissum ergo Synodi decretum, etiamnum Patripassianos, Marcionitas, Basilidianos Afri tingebant, quos solâ manuum impositione Romana suscipiebat Ecclesia, ut ex Hieronymo didicimus. Cantilenam rursus suam canunt: *Quòd impossibile est Ecclesiam errare universam.* Versata autem fuisset in errore: *Si quidem omnes Episcopi vel Cypriani, vel Stephani sententiam propugnabant.* Atqui de errore, qui pietatem non evellit, & in obscurissima materia versatur, Ecclesiam errare universam nil prohibet. Quasi verò non erraverit, cùm infantibus ministravit Eucharistiam, aut sacrum Domini corpus privatis auferre concesserit.

Num de recipiendis absque baptismo Hæreticis traditio manarit ab Apostolis?

VIII. Majoris argumenti specie pugnant, quod nostris est ponderibus examinandum, antiquâ scilicet consuetudine, quam à fontibus Apostolicis manasse prodit Augustinus: *Consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est. Sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab*

Aposto-

Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur. In eandem & sententiam Vincentius loquitur Lirinensis: *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus, Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. . . Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum Sacerdotes, pro suo quisque studio reniterentur, tunc B. memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ sedis Antistes, cum cæteris quidem Collegis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum opinor existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci autoritate superabat.* Hanc Baronius quæstionem copiosè tractavit. Pace tamen Augustini, Stephanianæ traditioni non ea est antiquitas quæ vindicatur. Et solemne est consuetudinem, cujus fons ignoratur, quo jure quâ injuriâ ab Apostolis deducere. Veniat igitur in disquisitionem, fueritne Apostolica ea, quam de Hæreticis absque baptismo suscipiendis disciplinam Stephanus tenuit? Hæreticorum alii, vitam retinentibus Apostolis, alii defunctis floruere. Quæritur Joannes, multos jam extare *Antichristos*, & ad Hæreticos attinent, quæ scripta reliquit: *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, si enim ex nobis fuissent, nobiscum mansissent.* Illi verò *Pseudo-Prophetæ*, illi *Seductores*, qui jam è tenebris emerserant, appellatâ Trinitate aquam condidisse suam, omninò est incredibile. Quippe Joanni dicuntur *Antichristi*. *Etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse*, quorum nefarius error, & *Trinitatis*, & *incarnationis* extinguebat mysterium: *Quis est mendax, nisi qui negat Jesum esse Christum illum. Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.* Quibus pestiferam horum impostorum doctrinam perstringit. Quicunque verò sese fidei Trinitatis, & incarnationis addixere, non ejusmodi opinionis fuere, ut Patrem negarent atque Filium. Antiquiores & illi fuere Hæretici, quos nominatim Paulus vexat Apostolus; Hymenæus scilicet & Philetus, qui jam *factam esse resurrectionem* prædicabant, 2 Timoth. II. v. 17. Phygelli quoque & Hermogenis meminit, qui à sancto se Apostolo averterant, quos Hæreticis inseruit Tertullianus: *Minus est si & Apostolum ejus aliqui Phygellus, & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt. Ipse traditor Christi de Apostolis fuit.* Porro familiam duxisse aliquam Phygellum, Hermogenem, Philetum & Hymenæum, non fit verosimile. Ad Judæos, Ethnicosve deflexisse multò probabilius. Alioquin sectarum hujusmodi meminissent Hegesippus, Irenæus, aliique de Veterum grege, quos apud priscarum hæreseum mentio est. Non est igitur de eorum baptismo suscipiendo ulla Pauli traditio. In societatem coaluisse aliquam *Nicolaitas*, seductoresque quos Joannes perstrinxit, certum nobis exploratumque est. Horum verò baptisma à Joanne comprobatum fuisse, fidem non habet; nec hodie quidem Romana susciperet Ecclesia. Hostes acerrimi Trinitatis Nicolaitæ, qui Cerintho præluxerant: *Joannes, Domini discipulus volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui à Corintho inseminatus erat hominibus errorem, & multò prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ.* Septem quoque Deos adorabant, ut suo loco observatum. Quis verò credat in nomine Trinitatis baptizasse Nicolaitas, quam funditùs evellebant? Joanni quoque coætaneos dicunt Cerinthum atque Menandrum. Ac Menandro baptismus fuit ab Apostolico omninò diversus. Neminem ajebat *Angelos posse superare, nisi qui prius magicâ disciplinâ à se institutus, & baptismo, quem ipse tradebat, initiatus fuisset.* Hoccine fuit baptisma collatum nomine Trinitatis? Neque magis illud Cerinthi probare Joannes potuit, quod de Trinitate conditum non fuit. Scilicet Joannes admisit baptismum nefarii hominis, à quo, dum in balneo versabatur, fugiendo recessit, ne ruinis tecti cum illo obrueretur. Extincto Joanne, ex inferis prodiere Basilidea, Valentinus, Marcion, imperante Adriano, ut tradit Clemens Stromat. l. VII. 549. Monstra hominum à fide Trinitatis aliena. Itaque si temporis, doctrinæve ratio habeatur eorum, qui de sectis ejusmodi in Ecclesiam se recipiebant, baptisma defuncti jam Apostoli, admittere non poterant. Quod verè simul & sapienter à Cypriano observatur & Firmiliano: *Cùm & Marcion Cerdonis discipulus, inveniatur serè post Apostolos, & post longa ab eis tempora, sacrilegam adversus Deum traditionem induxisse, Apelles quoque blasphemiæ ejus consentiens, multa alia nova & graviora fidei, ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini, & Basilidis tempus manifestum est, quòd post longam ætatem, adversus Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint.* Itaque meritò ad Stephani scriptum, traditionem jactantis, exclamat Cyprianus, *Unde est ista traditio?* Novo & argumento demonstratur Stephani traditionem ab Apostolis non manasse. Nempe si Shelstrato, Baronio, Pagio, N. Alexandro, Stephani defensoribus credimus, eum solum probavit Hæreticorum baptismum, qui nomine Trinitatis collatus fuit. Jam verò ante Tatianum qui emersit, anno circiter CLXX. Hæreticorum nullus sacrum Ecclesiæ baptismum ministrabat. Multa Veterum monumenta percurrantur, extra dubium erit, qui antecessere Tatiano Hæreticos, ut Trinitatem sic & appellationem Trinitatis in baptismo repudiasse. De Apostolorum igitur autoritate Stephani traditio descendere non potuit. Nostris & rationibus accedat, ante ortam non modò de Novatianis disceptationem, sed & ante Agrippinum, à viris sapientissimis Hæreticorum baptismum esse repudiatum. Ejusmodi sententiæ Clemens Alex. fuit, qui verba Scripturæ, *Ita trajicies aquam alienam*, sic explanat, *baptisma hæreticum, non convenientem & germanam aquam sic reputat.* Ac ut mittamus Tertullianum, qui Agrippini disciplinam secutus esse videtur, nunquam sanè priscam Afrorum disciplinam mutasset Synodus, cui Agrippinus præfuit, quam pro Apostolica habuisset. Denique in patriis Cappadociæ Ecclesiarum moribus fuit, aliarumque regionum, Hæreticorum baptisma respuere, quam consuetudinem à principio observatam fuisse, docet Firmilianus: *Adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognitâ veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse. Cæterùm nos veritati, & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod à Christo, & ab Apostolis traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse.* Totâ igitur errat viâ Vincentius Lirinensis, dum scribit: *Primùm omnium mortalium Agrippinum, contra universalis Ecclesiæ regulam, rebaptizandum esse statuisse*, nec fraudi debet esse veritati tanta Scriptoris hujus hallucinatio. Nulli quidem dubitamus,

August. de Bapt. cont. Donat. l. v. c. 23.
Vincent. Com. l. 1. c. 9.
Anno 258. n. 39.
1 Joan. II. 19.
Joan. 1. II. 21.
Tertul. de Præscr. c. 3.
Iren. l. 3. c. 11.
Euseb. l. 3. c. 26.
Firm. Ep.
Clem. Strom. l. 1. 233.

Anno Dom. 256.

bitamus, quin Apostolica fuerit Firmiliani traditio, ut illis qui ab hæresi qualibet in Ecclesiam se recipiebant, à Joanne, virisque Apostolicis sacro foote sint expiati. Nonnihil tamen Firmilianus peccavit in applicando veteri regula, quæ eorum solummodò Hæreticorum respuebat baptisma, qui Trinitatis mysterio fidem detrahebant, quos solos prisci noverant Hæreticos. Quam od Montanistas Trinitatis cultores, Schismaticosque perperàm extendi placuit.

Afrosne excommunicarit Stephanus?

IX. Tantam Stephano animi commotionem injecit Afrorum de rebaptizandis Hæreticis decretum, ut ab eorum se communione segregarit. Baronius quidem, Valesius, N. Alexander, ut alios benè multos prætereamus, Cyprianum à Stephano excommunicatum esse negant. Nobis verò extra dubium est, Stephanum Afris renunciasse societatem. Quid in ea lite factum sit, non benè ignoravit Firmilianus, qui dissidii pars magna fuit. Concedamus iratum fuisse, dicamus etiam cum Poëta:

Iratus nihil nisi monstra loquitur.

Non convenit certè in virum sanctum suspicio hæc, quòd scripserit, ea Stephanum fecisse, quæ non fecisse certè certòque noverat. Itaque ex Firmiliani judicio ea quæstio decidi debet. Testimonium igitur dicat, annon se ab Afrorum communione Stephanus separarit: *In cæteris quoque plurimis Provinciis multa pro locorum, & nominum diversitate variantur. Nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt.* Quid est à communione Ecclesiasticâ discedere, si hoc non est? Non solis certè excommunicationis minis pax Ecclesiæ rumpitur. Factâ demum secessione ea frangitur. Pergat Firmilianus, ne irato forsan ex calamo hæc excidisse putentur: *Quid enim humilius, aut lenius, quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiarum genere rumpentem, modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus; modò vobiscum, qui in Meridie estis.* Non satis quidem aptæ connexæque sunt partes Baronianæ sententiæ: *Orientales enim Episcopos Apostolicæ sedis communione privatos esse* fatetur. De Cypriano verò illustrissimus Purpuratus: *Constat*, inquit, *Cyprianum nequaquam à Stephano Papa Apostolicâ communicatione privatum.* Atqui cum Afris non minus quàm cum Orientalibus ruptam Firmilianus pacem queritur, neutros igitur, vel utrosque Stephanus excommunicavit. Neque Firmilianus *Oratorum more rem exaggerat.* Hoc Valesius velit, sed eâ exceptione nihil est quod eludi non possit. Num etiam Oratoris ea est amplificatio: Ab Afris *legatos Episcopos, patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem colloquii communis admitteret. Ad hæc insuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.* Certioribusne indiciis excommunicatio designati potuit? Eo Afros modo tractavit Stephanus, quo pestilentiores Hæreticos Apostolus tractari jubet: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum domum, neque ave ei dicite.* More & instituto majorum, quibus cum Romana communicabat Ecclesia, illis mittebat Eucharistiam. Quam cùm Afrorum Legatis Stephanus non dederit, apparet Afrorum ejurasse communionem. Negata *pax*, negata *communio*, negatum tectum, hospitium negatum. Hoccine servato societatis Ecclesiasticæ vinculo fieri potest? Pejorine excommunicati esse loco possunt quàm Dominicâ mensâ, sacramentis, Ecclesiâ, profanâ etiam domo privati? Quid multa? Stephanum sic compellat Firmilianus: *Excidisti te ipsum, noli te fallere. Si quidem ille est verè Schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ unitatis Apostatam fecerit. . . Dum enim putas omnes à te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti.* Quòd si à Cypriani & Firmiliani societate sese non segregavit Stephanus, delirum atque mendacem Firmilianum fuisse dicendum; quod de sanctissimo Episcopo dictu nefas & cogitatu. Firmiliano accedat & potentissimus excommunicationis testis Dionysius Alexandrinus: Stephanus *literas scripserat de Heleno, Firmiliano, omnibus denique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam constitutis, sese ob eam causam cum ipsis non communicaturum, quòd Hæreticos rebaptizarent.* Itaque non decreta modò, sed notificata etiam Orientalibus excommunicatio fuit. Denique ipse Cyprianus ad Pompeium Epistolâ: *Dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum, Sacerdotes Dei, veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes, abstinendos putat.* Id verò Stephani judicium non in minis stetit, sed ad usque executionem processit, cùm Afrorum Legatos suâ communione non dignatus sit. Quin etiam ea contraria sententia consequens est, Afros fuisse excommunicatos: Stephanus, inquiunt, *minatus est, se pacem cum iisdem rupturum, si in pristina sententia manerent.* Atqui de sua opinione lectis Stephani literis non modò non discesserunt, verùm etiam majori congregato Concilio, disciplinam confirmarunt suam, neglectis Stephani minis & fulminibus. Nostræ quoque sententiæ favet libellus Synodicus: *Synodus divina & sacra Provincialis Romæ collecta à S. Stephano, Martyre & Papa, quæ eos qui in Africana Synodo sine ratione concesserant eos rebaptizari, qui ex quacunque hæresi ad Catholicam accederent Ecclesiam, abdicavit.*

An. 258. n. 16.

Bar. An. 258. n. 50.

Joan. 2. Ep. 10.

Euseb. l. 7. c. 5.

Vales. Annot. in Euseb. p. 126.

Solvuntur objectiones negantium Afros à Stephano excommunicatos.

X. Jejuna sunt argumenta, quibus contendunt, Afros Orientalesque à Stephano non fuisse excommunicatos. Objiciunt Augustinum, qui de ea discordia scripto mandavit: *Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur.* At in facti quæstione, Firmiliani testimonium longè est Augustino anteponendum, qui CLX. & amplius annis post extinctum dissidium scripsit. Testis oculatus Firmilianus disertè prodit, pacem à Stephano ruptam fuisse. Cui affirmanti potior fides habetur, quàm Augustino neganti, qui in Firmiliani Epistolam oculos nunquam deposuisse videtur. Illud quidem est verissimum, Christi pacem Cypriani in animo adeò infixam esse, ut nil schismatis ab eo exortum sit. Per Stephanum tamen non stetit, quominus concordiæ vincula dissilirent, qui indignis modis Legatos excepit Afrorum, quibus & *pacem negavit*, & *communionem*, & *hospitium*, quæ ignoravit Augustinus. Instar N. Alexander: S. Dionysius Alex. in sententiam Firmiliani de rebaptizandis concessit; at incredibile, quòd sententiam amplexus esset, ob cujus defensionem Firmilianum ac Cyprianum novisset excommunicatos. Non ignoramus quidem, & sibi, & aliis persuasisse Hieronymum, quòd repudiatâ Alexandrinorum disciplinâ, Dionysius in Cypriani,

August. l. v. de Bapt. cont. Donat. c. 25.

N. Alex. H. E. Sec. 3. Dissert. 13. 463.

priani, & Africanæ Synodi dogma consenserit. Errante tamen calamo id ab Hieronymo proditum esse, multis, nec frigidis, suo loco argumentis demonstravimus. Partibus sanè deprecatoris apud Stephanum fungi Dionysius non potuisset, si in adversariorum ejus castra volitantibus vexillis transivisset. Deprecatorem se fuisse testatur ad Xystum Epistolâ: *De his omnibus ego ad illum Epistolam misi, rogans atque obtestans.* Cætrùm improvisè satis hoc adhibetur argumenti, quo colligi posset, ne vel excommunicationis minas Stephanum Afris atque Orientalibus intendisse. Regeremus enim adversariis incredibile esse, illam opinionem amplexum esse Dionysium, ob quam in Afros & Cappadoces Stephanus excommunicationis minas effuderat. Itaque eo argumento vites suas cædunt. Nunquam porro largiemur, Dionysium Cypriani in sententiam descendisse atque Firmiliani. Secùs nomine mediatoris apud Stephanum fungi non potuisset. Fingit quidem N. Alexander, Dionysium rogasse, ut *suam Stephanus opinionem toleraret*, at repugnante Dionysio fingit, qui de se verbum nullum habet. Ut igitur alienos à Polycratis, Asianorumque de Paschatis celebratione placitis, Irenæus Victorem adiit Epistolâ, sic diversæ de rebaptizandis Hæreticis à Cypriano, & Firmiliano sententiæ, Dionysius idoneus fuit, qui de constituenda pace scriberet ad Stephanum. Pergit N. Alexander. Interfuit Firmilianus Antiochenæ Synodo; at sanctissimi Episcopi *Sedi Apostolicæ communione juncti non fuissent, passi suo in cœtu Episcopum ejus communione privatum.* At suis præjudiciis obsequens talia torquet argumenta vir eruditus. Videre sibi videtur Stephanum summâ majestate fulgentem, jus totius terrarum orbis Episcopis dicentem, & ad pedum oscula omnes admittentem. Alia tamen ætas, alios mores afferebat. Cypriano & Firmiliano Stephanus *frater* fuit, Dominus non fuit. Minas quas fulminabat, spernebant & pro nihilo putabant. Absque ulla circuitione, aut præfata venia, Stephanum *stultum* dicebant, & *Hæreticum*. Et in Africana Synodo hanc Cyprianus orationem habuit: *Neque quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicare ab alio non possit, quam nec alium judicare.* Quæ tela torquet in Stephanum. Neque alicujus fuisse momenti injustam, quam vibrabant excommunicationem, Episcopi Romani, multis liquet experimentis. Asianis neglectui fuit Victoris excommunicatio, neque ab illorum communione orbis Ecclesiæ discessere. Ab Ecclesia quoque Rom. excommunicatus Origenes, ut monuit nos Rufinus invectivâ 2. p. 151. Nec non Hieronymus Apologiæ l. 2. c. 5. Origenis tamen communionem retinuere complures, magnique nominis Episcopi, quibus admirationi erat. Injustam verò fuisse Afrorum, & Orientalium excommunicationem, luce clarius sive disciplinæ antiquitas spectetur, sive rei pondus. Itaque illos fulminibus suis non jaculati fuerant decessores Stephani, neque etiam obruerunt successores ejus, qui inviolatâ concordiâ, Cyprianum, & Firmilianum ritus suos retinere passi sunt. Eò Pontius allusit Diaconus, qui de proximo Stephani successore ea scripto mandavit: *Jam de Xysto bono & pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo Martyre, ab urbe nuncius venerat.* Quibus observatis, cadit & aliud N. Alexandri argumentum, quòd Patres Antiochenæ Synodi secundæ, in sua Synodica Epistola, *Vocent Firmilianum atque Dionysium Alex. beatæ recordationis virum.* Quo titulo nunquam Antistitem in *excommunicatione defunctum* affecissent, in Epistola ad Pontificem R. scripta. Quidni cùm excommunicatio foret injusta? Addimus ex abundanti, Xystum, Dionysiumque, pacis & concordiæ tenaces, vincula quæ Stephanus temerè disciderat, resarsisse, communione cum Cypriano, & Firmiliano redintegratâ. Alio sanè modo animatos fuisse ac Stephanus erat, inde liquet, quòd in Afros & Orientales, improbatam à Stephano consuetudinem pertinaciter observantes, nil minarum effuderint.

[Margin: Euseb. l. 7. c. 5.]

XI. Ex proxima quæstione in aliam delabimur. Quippe Baronius sibi induxit in animum, Firmilianum, & Orientales, abjectâ sua disciplinâ, Stephani consuetudinem amplexus fuisse. Quæ opinio veritati pugnat. Defuncto Stephano morem suum adhuc retinuisse Firmilianum testatur Dionysii ad Sixtum Epistola: *At vide, quæso, gravitatem negotii. Reverà enim in maximis, ut audio, Episcoporum Conciliis decretum est, ut qui ab Hæreticis ad Catholicam Ecclesiam accedunt, primum catechumeni fierent.* Atqui nil negotii fuisset de Firmiliano, Heleno, Cappadociæ & Ciliciæ Episcopis, quorum causa hæc dicta sunt, si Ecclesiæ Romanæ de non baptizandis Hæreticis, consuetudini tandem adhæsisset Firmilianus. Præterea si in Ecclesiæ Rom. sententiam descendisset, ejus quoque disciplinam observasset Firmiliani successor, Basilius Magnus. Est autem certissimum, in ea re à Romanis dissidisse, teste Canonicâ suâ Epistolâ c. 47. *Encratitæ, & Saccophori & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de illis editus est Canon, etsi diversus. Quæ autem fiunt adversus eos, silentio prætermissa sunt. Nos autem unâ ratione eos rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & a Romanis, alicujus œconomiæ gratiâ, nostra tamen ratio vires obtineat.* Decessoris sui consuetudinem Basilius retinuit: *Antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uni calculo subjicere, Catharos, & Encratitas, & Hydroparastatas, & Apotactitas, quoniam separationis quidem principium, per schisma, qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent amplius in gratiam spiritus.* Vanis quidem rationibus hanc Orientalium sententiæ mutationem sibi Baronius persuasit. Primam petit ex Dionysii ad Stephanum Epistola: *Scias autem, frater, cunctas per Orientem, & ulterius positas Ecclesias, quæ prius erant discissæ, nunc tandem ad unitatem reversas esse.* Verum enimverò verba hæc non de litibus Firmiliani cum Stephano ob Anabaptismi causam, sed de orto Novatianorum gratiâ dissidio sunt intelligenda, Judice qui verba refert Eusebio: Stephano *indicat, omnes ubique Ecclesias, mollito jam persecutionis furore, Novatiani turbulentam novitatem detestantes, inter se pacem iniisse.* Instat adhùc illustrissimus Purpuratus, Firmilianum communioni Ecclesiasticæ fuisse restitutum; interfuisse Antiochenæ Synodi; coli Græcorum in Menæis. Illud quidem fatemur, Firmiliani memoriam Ecclesiæ gratissimam fuisse, ob mutatam verò sententiam communioni restitutum fuisse negamus. Quam temerè Stephanus

[Margin: Amplexusne sit Firmilianus Ecclesiæ R. sententiam? — Bar. An. 258 n. 47. & an. 259. n. 1. — Error Baronii. — Euseb. l. 7. c. 5. — Basil. Epist. c. 1. — Euseb. l. 7. c. 5. — Bar. An. 258. n. 47.]

phanus concordiam ruperat, ea à Stephani successoribus, Xysto, & Dionysio est redintegrata. Ob quæstionem sanè difficillimam, & antiquitatis præsidio e nctam, Ecclesiæ copulationes divellendas non esse, pacifici illi Pontifices rectè & sapienter judicarunt.

An Cyprianus sententiâ discesserit?

XII. Venit & in disceptationem, núm Cyprianus, Afrique suâ sententiâ decesserint. Ac Baronio certum est, Cyprianum tandem adhæsisse Romanæ disciplinæ. Illud autem probat ex B. Martyris die natali, qui ubique locorum in Ecclesia celebratur. Verùm enimverò quod Baronio *certum* videtur, Augustino minus certum fuit, teste ad Vincentium Epistolâ: *Correxisse istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quòd correxerit, & fortasse suppressum sit, ab eis qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* De Afris quidem non dubia est Hieronymi sententia: *Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos Hæreticos cum eo* (Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.* Aliquâ tamen culpâ erroris humani teneri, & Augustinum, & Hieronymum, extra dubium est. Quippe Basilius, nomine Cypriani, magno veluti præsidio suam cingit disciplinam. Huccine fecisset, si repudiatam novisset à Cypriano? Præterea ad Arelatense Concilium usque Afrorum viguisse disciplinam, testis est ipsa Synodus c. 8. *De Afris, quòd propriâ lege suâ utuntur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum: & si perviderint illum in Patre, & Filio, & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantum imponant, ut accipiat Spiritum S.* Hactenus ergo qui vel invocatâ Trinitate baptizati fuerant, denuò sacris undis expiabant. Ad antiquam ergo consuetudinem non relapsi illi fuerant, qui cum Cypriano Anabaptismum constituerant; quorum & vestigiis posteri inhæsissent, ut Arelatensi decreto nil opus fuisset abrogandæ consuetudini. Ac sanè tantum abest Ecclesiæ Rom. consuetudini Cyprianum tandem adhæsisse, ut hujus Ecclesiæ Presbyteri, qui prius Stephano patrocinabantur, Cypriani in opinionem concesserint. Id enim sibi velle videntur verba Dionysii: *Charissimis fratribus, & Compresbyteris nostris, Dionysio & Philemoni, qui prius idem cum Stephano senserant, scripsi.* Cypriano accessit & Petrus Alex. à quo Arius pulsus est: *Quod cùm Petrus fautores Meletii excommunicasset, nec eorum baptismum admitteret, ipse Petri acta reprehendebat.* Africanæ quoque disciplinæ favet Canon Apostolicus XLVI. *Episcopum vel Presbyterum, qui Hæreticorum baptisma, vel sacrificium admiserit, deponi jubemus.* Inspiciatur & Homelia VI. Autoris imperfecti in Matthæum apud Chrysostomum. His explicatis, actum est de Baronii fabula: *Primos hujus tempestatis fluctus in Oriente motus esse* dicit, quod ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, Iconium convenerant Episcopi. Quæ ab illis statuta erant, Stephanum improbasse, Orientales Episcopos ad Stephanum Legatos misisse, reddituros rationem de iis quæ in Synodo gesta fuerant. Sed quod queritur Firmilianus: *Ab eo nec auditi, nec recepti sunt.* Quæ portenta sunt omnia, magno Annalium conditore indignissima. Diu ante Stephani Pontificatum Iconiense Concilium celebratum est. Neque primùm in Oriente, sed in Africa vis hujus procellæ detonuit. Neque Iconiensis Synodi, sed Afrorum Legatos non admisit Stephanus, quæ ex Firmiliani Epistola tam certa sunt, quàm quæ certissima.

Bar. An. 258. n. 51.

August. Ep. 48.

Hieron. Adver. Lucifer. c. 8.

Euseb. l. 7. c. 5.

Sozom. l. 1. c. 15.

Bar. An. 258. n. 14. 15. 16.

Error Baronii.

Synodus Africana de Anabaptismo. Mittit Firmiliano.

XIII. Acceptis Stephani literis, quibus Afri excommunicabantur, numerosissimum conventum agunt Episcoporum LXXXVII. ex Africa, Numidia, Mauritania. *Calendis Septembris* apud Carthaginem congregantur cum Presbyteris, & Diaconis, præsente etiam maximâ plebis parte lectis Jubaiani ad Cyprianum, & Cypriani, & ad Stephanum, & ad Jubaianum literis, Cyprianus hortatus est Episcopos, ut de hac ipsa re singuli quid sentirent proferrent, qui communi consensione Hæreticorum omnium baptisma nullum esse decernunt. Quam constitutionem cum superioribus decretis, Epistolisque, tam Cypriani ad Stephanum, quàm Stephani ad Cyprianum, mittunt Firmiliano, per *Rogatianum Diaconum.* Afris autem insignem Firmilianus rescripsit Epistolam, quâ illorum sententiam valde laudat. Tempus datæ Epistolæ à conditore consignatur: *Quoniam verò Legatus iste à vobis missus, regredi ad vos festinabat, & hibernum tempus urgebat, quantum potuimus, ad scripta vestra rescripsimus.* Tantus amor veri Pamelio fuit, ut perpetuis Epistolam tenebris damnari consultius censuerit, nisi jam à Morello fuisset edita. Ea nempe vis est Epistolæ, ut Pontificis Rom. & majestatem, & & ἀναμαρτησίαν demedio tollat, & ad æqualitatem, cum aliis Episcopis, *fratribus & Collegis suis* redigat. Observentur illa Firmiliani: *Quæ à Stephano gesta sunt, prætermittantur ne dum audacia & insolentia ejus meminimus, de rebus ab eo improbè gestis longiorem mæstitiam nobis inferamus.* Infrà verò disertè prædicat: *Eos qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sunt ab origine tradita, & frustra Apostolorum autoritatem prætendere.* Deinde conversus ad Stephanum: *Tu*, inquit, *Hæreticis omnibus pejor es. Nam cùm inde multi cognito errore suo ad te veniant, ut Ecclesiæ verum lumen accipiant, tu venientium errores adjuvas.*

Noetus Hæreticus.

XIV. Dum Ecclesias Anabaptismi fluctus agitat, in Pentapolitanâ regione aliud procellæ exoritur, pestilentissimo errore Sabellii. Non novus tamen & inauditus erat. Hunc primum *Valentinus* imbiberat animo, si Athanasio fides: *Valentinianus passionem Trinitatis communem esse dicit.* Valentinum vestigiis ipsius persecutus erat *Praxeas*, de quo Tertullianus: *Hæresim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Impietatis hujus venenum suxerat & Noetus, anno circiter CCXL. Hæretici ætatem ostendit Epiphanius: *Hæreticis Noetus nomine prodiit, neque multis ab hinc annis, sed ante hos ferè centum triginta.* Veri tamen limitibus egreditur Epiphanius, dum hæreseos fontem Noetus habuit, cujus majores *Valentinus*, aut certè *Praxeas*, qui anno circiter CXCIV. floruit. *Patripassianorum* sanè, ut jam in ore omni populo, meminit Cyprianus ad Jubaianum Epistolâ. Porro etsi antiquitate *Sabellium* Noetus vincat, consanguinitate doctrinæ conjunctos simul exhibemus Hæreticos, appositâ ætatis differentiâ. Noetus Asiâ oriundus erat: de urbe variant. *Ephesinus* Epiphanio, *Smyrnæus* Theodorito scribitur, quod & verosimilius, cùm id ipsum quoque tradat Epiphanius in Anacephalæosi. p. 145. Porro Theodoritus de Hæretico ea commemorat, quæ latuerunt Epiphanium:

Athan. de Adv. J. C. c. 1. 635.

Tertul. in Prax. c. 1.

Epiph. h. 57 n. 1.

ANNO DOM. 256.

nium : *Renovavit Hæresim, quam quidam Epigonius nomine primus peperit, Cleomenes autem acceptam confirmavit.* Elatus superbiâ impurus ille homo sese Mosem, fratrem verò suum Aaronem dixit. Cùm Patrem passum asseruisset, eâ impietate perculsi Presbyteri, vocatum hominem interrogant, utrumnam tam perniciosum in Patrem dogma proposuisset. Inficiari quidem primò, ubi verò decem homines sibi adjunxit, palam hæresim disseminare cœpit. Pulsus ab Ecclesia cum discipulis, non multò pòst unà cum fratre extremum diem morte confecit. Ambo verò ut desertores abjecti, à nemine Christianorum sepulturæ mandati fuere. Unum dicebat Patrem & Filium, genitum & ingenitum, mortalem & immortalem, qui & in crucem actus fuerat.

Theodor. H. F. l. 3. *Epiph. h. 57. n. 1.*

Sabellius Hæreticus.

XV. Sabellius Afer erat, Pentapolitanus, ac ut vero proximum, *Ptolemaide* oriundus. Qua in civitate virus sparsit suum. Noeti discipulum fuisse ferunt, cujus opinio ab illa Doctoris sui non dissentiebat. Epiphanius referente Augustino, inter utramque hæresim discriminis aliquid statuit : *Sabelliani similia Noeto dogmatizantes, præter hoc, quod dicunt Patrem non esse passum.* Quæ ex Epiphanii Anacephalæosi hausta sunt p. 146. *Sabelliani cum Noetianis in omnibus propemodum consentiunt, nisi quòd Patrem ipsum negant esse passum.* Hanc tamen nec immeritò differentiam repudiat Philastrius : *Sabellius post illum de Lybia discipulus ejus* (Noeti) *similitudinem sui Doctoris itidem secutus est, & errorem, unde & Sabelliani posteà sunt appellati, qui & Patripassiani, & Praxeani, à Praxea.* Similiter Athanasius : *Nam Sabelliani dicti sunt quidam Hæretici, qui vocantur Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse.* Una igitur eademque secta fuit, sed trinominis : *At Sabellius famosior, & ideò ex illo celebrius hæc hæresis nomen acceperit. Noetiani enim difficillime ab aliquo sciuntur. Sabelliani autem sunt in ore multorum.* Eorum hæc opinio est, eundem esse Patrem, & Filium, & Spiritum S. ut ad eandem hypostasim tres appellationes conveniant. Quem errorem *ex Apocryphis quibusdam hauserunt, præsertim ab Ægyptiorum Evangelio. Hoc enim illi nomen indiderunt.* Ut Sabellianæ impietatis tumor ad Dionysium Alex. pervenit, quo in errores erat odio, subinde Epistolam contra Sabellium Euphranori scripsit, & Ammonio. Cùm autem nonnulla non satis accuratè scripta viro optimo excidissent, Christianorum aliqui de fide rectè sentientes Romam navigant, ipsumque apud Dionysium hujus urbis Episcopum accusant. A Concilio Alexandrino damnatam esse Sabellii sententiam, in libello Synodico legimus : *Synodus divina & Sancta particularis, Alexandria collecta, à Confessore Dionysio, ejusdem Archiepiscopo, quæ Sabellium divinitatis inimicum abdicavit.*

August. de Hær. cap. 41. *Athan. de Synod. n. 2.* *August. de Hær. cap. 41.* *Epiph. h. 62. n. 2.* *Athan. t. 1. p. 558.*

ANNO U. C. 1010. OLYMP. 259. PER. JUL. 4970. JUL. 302. DOM. 257. VALERIANI & GALLIENI 5. *Sol.* 14. D. *Lun.* 11. *Indict.* 5. *Epact.* 26. *Epact. Sol.* 4. P. 19. *April.*

ANNO DOM. 257.

COSS. Licinius Valerianus Augustus IV. & Gallienus Augustus III.

Baronius ex Nummis, tertium Gallieni Consulatum cum Tribunitia Potestate VI. conjungendum esse statuit. Inscriptio est ejusmodi : Imper. Gallienus P. F. Augustus. P. M. Trib. P. VI. Coss. III. P. P. *Verissima inscriptio hæc est. Non advertit tamen animum vir doctissimus, tertium Gallieni Consulatum cum singulis Tribunitiæ Potestatis annis esse conjungendum, donec quartum gereret.*

Bar. an. 260. n. 1.

Scythæ Nicomediam vastant & Nicæam.

I. VIsâ ingenti opum copiâ, quam Borani attulerant, horum finitimos Scythas incessit cupido simile facinus audendi. Ac navigia quidem parabantur mancipiorum operâ. Decreverunt tamen longâ, periculosâque abstinere navigatione, quâ Borani usi erant. Expectatâ hyeme Tomos, & Anchialum ad dextram prætergressi, pedestribus copiis, ad Phileatinam paludem venere, Byzantii è regione Ponto adjacentem. Ubi noverc hujus lacus piscatores in adjacentibus lacui paludibus, cum iis quas haberent, navibus abditos delitescere, interpositâ cautione perfecerunt, ut sese sisterent. Cùmque naves copiis pedestribus suis onerassent, transire per id fretum, quod Byzantio Chalcedonique interjacet nitebantur. Non Chalcedone modò, sed & in fano, quod ad ostium Ponti situm præsidium constituebatur, quod Barbarorum vires superabat. At milites partim discessere, quasi obviam ituri Duci ab Imperatore misso, partim tanto timore correpti, ut ad primam Scythici transitus famam citato cursu diffugerent. Quo facto, simul & transjecere Barbari, & Chalcedon nullo resistente capta est. Hinc Nicomediam contendunt, urbem maximam, divitiisque celeberrimam. Aufugerant cives cum opibus suis, quas auferre potuerant. Nihilominùs Barbari repertarum reliquiarum copiam mirati, omni honore *Chrysogonum* prosequuntur, qui jamdudum autor illis fuerat, ut Nicomediam peterent. Nicæâ, Cio Apamæâ, Prusâ vexatis, Cyzicum petiere. At exundantes Rhyndaci fluvii aquæ, imbribus auctæ, cùm transire volentibus obstitissent, pedem Barbari retulere. Nicomediâ dein, & Nicæâ injecto igne succensis, spoliisque in plaustra, navesque conjectis, de reditu tandem cogitant. Neque Scythæ modò, sed Gothi quoque Romano imperio molesti fuere. Vincuntur tamen ab Aureliano, cujus victoriam & laudibus, & honoribus anno insequente Valerianus cumulavit.

Valeriani persecutio: ejus autor Macrianus.

II. Valerianus, qui hactenus volente Deo acceperat in Christianos animum mentemque benignam, mansueta corda ponens, consilium init eos vastandi, urendi proscriptionibus, & fame necandi. Rem Dionysii Alex. verbis memoremus : *Tota Valeriani familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ecclesia esse videbatur. Verùm Magister & Archisynagogus Magorum Ægypti ei tandem persuasit, ut ab hoc instituto desisceret, jubens ut castos quidem, & Sanctos viros persequeretur,*

Euseb. l. 7. cap. 10.

vetur, quippe qui scelestis ac detestandis incantationibus adversarentur, atque obstarent. Initiationes autem impuras, & abominanda sacrificia peragere eum jussit. Miseros infantes mactare, immolare liberos infelicium parentum, recens natorum rimari viscera. Autorem persecutionis *Magum* extitisse Ægyptiacum, Baronii sententia est. Nempe Dionysium orationem propriam adhibuisse ratus, verba ut sonant, intelligit, quæ sunt per figuram accipienda. Neque fax illa persecutionis Magus appellatur, sed Magorum Archi-synagogus; hoc est, fautor, patronusque maximus. Is *Macrianus* erat, quem non obscurè Dionysius pingit. Primùm eum *rationalem* aliquando fuisse dicit, & tamen *nil rationale, aut catholicum* sensisse. Deinde *alienum & extorrem se fecisse à misericordia Dei, in hoc exprimentem veritatem nominis sui.* Allusio est ad Græcorum *μακρὰν, longè*, quasi *Macrianus* ab ea voce deduceretur, ut eleganter observat Pearsonius. Denique disertè *Macriani* nomen usurpat Dionysius: *Egregiam verò gratiam, ob speratum imperium, & præclara munera en obtulit.* Figmenta ergo sunt omnia, quæ de suo Mago Baronius habet, qui *& anno ante imperium Decii, Ægyptios in Christianos ferociter grassari persuasit, & Plotinum magia præstigiis dementavit.* Macrianus verò Ægypti Magis favebat, qui ipsi imperium pollicebantur. Vero quoque proximum, Magum fuisse aliquem Valeriani in comitatu, quomodo & olim fuerat unus nomine *Arnuphis*, qui & Ægyptius in M. Aurelii exercitu. Adjuvere persequendi consilium calamitates, quibus imperium obruebatur, quarum causas Christianis ascribebant. Dicebant Ecclesiæ hostes, *Plurimos conqueri quòd bella crebrius surgant, quòd lues, quòd fames sæviant, quòdque imbres & pluvias serena longa suspendant, nobis imputari.* Quæ mala, facto impetu simul, in Valeriani imperium invadebant, quibus avertendis, sanguine Christiano faciendum esse putavit.

Baron. an. 250. n. 6.

Error Baronii.

Cypr. ad Demetr. 198.

III. De persecutionis diuturnitate disceptationis est aliquid. Ac primâ specie in obscuro non esse videtur, lucem præferente Dionysii ad Hermamonem Epistolâ: *Joanni quoque similiter revelatum est. Ait enim, Et datum est illi os loquens magna, & impia. Et data est illi potestas, & menses quadraginta duo. Utrumque porro in Valeriano impletum mirari licet.* Quibus permotus Baronius, dirissimæ persecutionis initia in anno proximè elapso consignavit, Maximo & Glabrione Coss. *Tribus annis & sex mensibus, antequam à Persis caperetur.* Quam & calculo suo Chronologiam Valesius comprobavit, Annotationibus ad verba Dionysii. Est quidem in confesso, generalem persecutionem perdurasse ad usque Valeriani captivitatis initia. Quo tempore æstuantem vexationis ignem oppressit Gallienus. Nos cum Pagio, Valerianum anno CCLIX. ad mancipii fortunam redactum esse existimamus. Quo tempore persecutioni finis imponitur. Initium verò in hoc anno collocamus, cum superiore celebrata Concilia, numerosissima Carthagini, litesque de Hæreticorum baptismo constitutæ complures, magno sint indicio, Ecclesiæ pacem à Valeriano nondum esse violatam. Itaque de calculo Baroniano sesquiannum detrahimus, ut persecutio generalis biennio circiter grassata sit. Non enim ante mensem Augustum incœpit in Africa, ut

Diuturnitas persecutionis Valeriani.

Euseb. l. 7. cap. 10.

Bar. an. 257. n. 8.

ex dicendis constabit. Sub idem verò tempus ubique locorum exorta videtur, cùm turbata pace, quæ florebat, generali Imperatoris mandato in partibus imperii omnibus accensa sit. Eodem & penè momento Romanam corripuit Ecclesiam. *Quadraginta duos menses* quod attinet, quos persecutioni vindicat Dionysius, ad peculiarem Alexandrinorum vexationem pertinent, quæ tandiu continuata est, post Valeriani vincula, imperium in Ægypto gerente Macriano: *Pravis enim cupiditatibus suis, quibus ipse frui non poterat, in filiorum capita translatis, improbitatem suam, & odium divini numinis in eos pariter transfudit.* Quæ fusius in sequentibus explicabuntur.

Euseb. l. 7. cap. 10.

IV. Stephanum Valeriano quartùm, & Gallieno tertiùm Coss. naturæ satisfecisse, tradit Damasi Pontificale, cujus Chronologiam veram existimamus. Supremum ejus diem ab oblivione vindicat, Bucherianum de Episcoporum depositione Calendarium: *Quarto Nonas Augusti, Stephani in Callisti.* Unàque cum eo sepultæ lites, quas temere concitarat. Martyrio coronatum esse tradunt Martyrologia, nec non Pontificale Damasi. Etsi verò indigna multis videatur ea de re dubitatio, non dissimulamus tamen scrupulum nobis esse relictum. Cujus rationes sunt nobis promendæ, ne hanc in sententiam temerè descendisse existimemur. Primùm omnium Cyprianus, qui Fabiani, Cornelii, Lucii, Xysti Martyrum meminit, & Pontius, qui de Sixto quoque mentionem egit, de martyrio Stephani silent, quod odio memoriæ Stephani silentium tenuisse, credere vix possumus. Offensionem extinxisset omnem Martyris cruor pro fide fusus. Neque etiam apparet passio Stephani, in Bucheriano Martyrum depositionis Calendario. Fatemur quidem & *Lucii* nomen in eo desiderari, sed in Cypriano, teste certissimo, Lucium Martyrem legimus, cùm de Stephani passione nullam apud Veteres memoriam invenerimus. Non extat etiam Stephani nomen in Calendario Carthaginensi Mabilloniano, quod tamen, & *Sixtum* Episcopum memorat, & *Laurentium* Diaconum, qui in ea Valeriani persecutione mortem obierunt, quæ Stephanum & oppressisse dicitur. Prætereà Damasi Chronicum Stephanum fuisse prodit, à Consulatu Volusiani & Maximini, usque Valeriano III. & Gallieno, quam in Chronologiam descendere non potuisset, utut corruptam, si Stephanum Martyrem scivisset. Est enim certissimum, nullam Romæ persecutionem fuisse anno CCLV. quem Valerianus III. & Gallienus II. aperuere. Insuper de passione Stephani ne vel minimum habet indicium. De Cornelio tradit, *Cum gloria dormitionem accepisse*; de Sixto similiter, *Passus est*, inquit, VIII. *Idus Augusti.* Cur Stephani martyrium oblivione obruit vetustus ille Catalogus? Cur de passione, de gloriosa ipsius dormitione ne *μύ* quidem? Num tanto, tam egregio Stephani facinori invidus? Sed & mollior primo anno persecutio fuit. Non ferro, non sanguine adhùc transigebatur, sed exilio, vinculis, ad metalla damnatione, ut ex Actis Æmiliani constat, Cyprianique Epistolis. *Tusco* demum & *Basso* Coss. crudele promulgatur edictum, quo Episcopi, Presbyteri, Diaconi, morte mactari jubentur. Secus in Dionysium Alex. Cyprianum aliosque Confessores, Episcopos

Stephanus Papa peritne martyrio?

ANNO DOM. 257.

pos gladio fuisset animadversum. His accedat, Acta Stephani falsitatis fœtorem undique redolere. Anoo CCLVI. datam à Valeriano legem esse dicunt, *Ut quicunque proderet Christianum occultum, omnes facultates ejus acciperet, & honorem militiæ obtineret.* Jussisse Stephanum, eos qui noodum baptismi Sacramentum susceperant, in Cryptâ Nepotianâ baptizari: ioventos esse centum & octo, quos beatus ille Pontifex *Signo sacri Mysterii consecravit.* Nemesium Tribunum militum Stephano cecidisse ad genua, dicentem, *Obsecro, domine mi Papa, baptiza me, & filiam meam*, quod & Pastoris in titulo peractum. Quo audito, Valerianum ad se vocasse Maximum, & Glabrionem Coss. & unà decrevisse, *Ut ubicunque inventus esset Nemesius, sine audientiâ puniretur.* Maximum suffocatum à Dæmone periisse. Nemesium inventum, ad Valeriaoum in palatium Claudii ductum fuisse, & tandem *Capite truncatum, inter viam Latinam, & Appiam* VIII. *Kal. Septembris.* Post multos dies, Valerianum misisse milites, qui tenerent B. Stephanum, & eos qui cum en erant Clericos, ductosque esse ad Valerianum, à quo Stephanus ad Templum Martis mittitur. Tum dixisse Stephanum: *Dominus Deus Pater, qui destruxisti turrim confusionis in Babylone, destrue locum hunc, in quo Diabolus superstitione decipit populos.* Tunc facto tonitruo Templum *ex parte corruisse.* Ad hæc misisse Valerianum milites capiendo Stephano, *Quem invenerunt sacrificium Deo offerentem. Qui intrepidus & constans, perficiens cœpta Mysteria, in eodem loco ante altare in sua decollatus est sede*, IV. *Nonas Augusti.* Acta hæc esse *legitima* censet Baronius anno 259. n. 20. Quibus tamen fidem detrahere est facillimum. Primùm enim falsissimum est, edictum persecutionis promulgatum fuisse anno CCLVI. quo in alta pace Christiani vivebant, quæ solo bello domestico, ob *anabaptismum* commoto, deflorata fuit. Falsum quoque, ad Valerianum ductum fuisse Stephaoum. In Oriente tum temporis Valerianus versabatur, ac eò profectus fuerat primo imperii sui anno, Persis ut obsisteret: nec in urbem postmodum revetsus est, ut constat ex Historia. In præsentia tamen Valeriani, Romæ agentis, tanquam in fundamento, Acta martyrii Stephani collocantur. Quin etiam Actorum Autor Stephanum obtrudit Scripturæ imperitum. Hem *Deus destruxit turrim confusionis in Babylone*! Hoccine Mosi scriptum? Linguam ædificantium confudit, turrim non subruit. Aliena igitur est à summo Ecclesiæ Pontifice oratio, quam ipsi vindicant. Denique tot & tanta, quæ in Actis proferuntur prodigia, Lucillæ sanatio, cui cæcæ lux restituitur à Stephano; vox cælestis, *Requiescet in te spiritus meus*, audita Olympio, lararii sui idola frangenti; aliaque ejusmodi incognita Veteribus miracula Actorum produnt novitatem. Eò igitur mens inclinat, ut Stephanus siccâ morte excesserit, quæ cùm in ipsum anoum inciderit, quo promulgatum est persecurionis decretum, nuperis Martyrologiorum conditoribus Stephanum illis addi placuit, qui pro Christo victimæ ceciderunt. In Actis de Cleri grege XII. numerantur: *Bonus, Faustus, Maurus, Primitivus, Calumniosus, Joannes, Exuperantius, Cyrillus, Theodorus, Basilius, Castulus & Honoratus, qui absque audientia capitibus truncari jubentur.* Quorum martyrium cùm ex Actis Stephani patescat, fidem à nobis impetrare non potest.

ANNO DOM. 257.

Cypriani apud Paternum Confessio.

V. Cypriano exilium esse mandatum, in confessum venit: *Quid Sacerdos Dei Proconsule interrogante responderit, esse Acta quæ referant*, Pontius docuit Diaconus. Quorum jacturam dolemus. Non enim legitima omninò sunt atque sinceta, quæ cum Cypriani Operibus edita sunt ex Vet. Cod. Ms. Etsi multa in illis verissima contineri, faciles largiamur. Ubi in Secretario *tertio Calendarum Septembrium*, Paterni Proconsulis tribunali admotus est Cyprianus, dixit, Christianus sum, & Episcopus, nec alios Deos novi, nisi unum & verum Deum. Postulavit Aspasius Paternus Proconsul, perseveraretne in voluntate unum colendi Deum? *Cyprianus Episcopus respondit, Bona voluntas quæ Deum novit, immutari non potest.* Petiit iterum à S. Martyre *Paternus*, Qui Presbyteri Carthagini consisterent? Quos Cyprianus prodere noluit. Addidit Proconsul, capitis pœnâ Christianis prohibitum, & conciliabula facere, & ingredi cœmeteria: cui respondit Cyprianus, *Fac quod tibi præceptum est.* Prima hæc fuit apud Africam Valeriani in persecutione Confessio, quam Lucius Episcopus, & qui cum illo Confessores versabantur, multa laude celebrant: *Ante passionem à te sumus ad gloriam provocati, qui prior nobis ducatum ad confessionem nominis Christi præbuisti. Nos verò secuti vestigia confessionis tuæ, parem gratiam tecum speramus.* Paria ferè illustri Confessori scripsere Nemesianus, Dativus, Felix, & Victor, Epistolâ LXXVIII. 77. Ex vestigio temporis, quo Confessionem Cyprianus edidit suam, & Curubitanam in civitatem venit, liquet, in Africa non ante Augustum mensem persecutionem incepisse.

Cypr. Ep. LXXIX. 78.

Cypriani aliorumque Confessorum relegatio.

VI. Ubi confessione suâ, veluti tubâ cecinit Cyprianus, ut ad gloriosum pro fide prælium Christi milites armaret, Curubim *urbem liberam* Zeugitanæ Provinciæ relegatur. In deserto loco quidem sita erat, *apricus tamen & competens locus, hospitium pro voluntate* Martyris *secretum*, ubi visitantium fratrum frequentia, ipsorum inde civium charitas, relictam exuli Carthaginem repræsentabat. Die XVIII. Calendarum Octobrium *Curubim* venit, Pontio Diacono comitatus, quem inter domesticos voluntarium exulem sibi delegerat. Illo ipso die, quo primùm in exilii loco mansit, apparuit ipsi oondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum hominis enormis, à quo sedentis Proconsulis tribunali admoveri videbatur. Qui *adnotare statim cœpit in tabula sententiam*, cujus tenorem juvenis, qui à tergo Proconsulis stabat, nutu declaravit, *Manu expansâ, & complanatâ ad spathæ modum, ictum solitæ animadversionis imitatus.* Ubi intellexit sententiam passionis futuram Cyprianus, petere continuò cœpit, sibi unius diei dilatio concederetur, ut de rebus suis disponeret. Quam moram rogarri datam esse cognovit, tum ex serenitate vultus Judicis, cùm ex clandestino juvenis nutu: *Qui dies annum significabat.* Eo quippe die post exactum annum coronatus est. In ea persecutione Nemesianus, Felix, Lucius, Felix alter, Litteus, Polianus, Victor, Jaderus, Dativus Episcopi, Presbyterique, Diaconique complures, laici quoque Confessores, ad metalla relegantur. Siguensi ex metallo data est Felicis, Jaderi, Poliani Epistola. Igitur in diversis fodinis constituti Confessores, quibus scri-

ANNO DOM. 257.

scribit Cyprianus. Non à Paterno Proconsule, sed à Præside longè ferociore, ad metalla damnatos esse *Nemesianum*, *Dativum*, *Felicem & Victorem*, Clarissimus statuit Pearsonius, cujus sententia nobis probatur, cui & magnum est ex Nemesiani ad Cyprianum Epistolâ præsidium:

Cypr. Ep. LXXVIII. 77.

Quasi bonus & verus Doctor, quid nos discipuli secuti apud Præsidem dicere deberemus, prior apud Acta Proconsulis pronunciasti. Erant autem Proconsules à Præsidibus diversi. Hinc in Epistola Senatus de Gordiano Augusto apud Capitolinum, in Maximinis c. 15. *Proconsulibus*, *Præsidibus*, *Legatis*, *Ducibus*, *Tribunis*, &c. Itaque Baronianorum errorum unus hic est, quòd à *Paterno Proconsule* Nemesianus, Dativus, Felix & Victor ad metalla damnati sint. In quos sanè *Præses* tulit sententiam. Metallum porro *Siguense*, in quo Felix, Jader, Polyanus aliique multi commorabantur, *apud Sigam civitatem Mauritaniæ Tingitanæ* constitutum esse, Baronius arbitratur. Ac verum quidem fatemur, *Sigam* Syphacis olim regiam, in Mauritania Tingitana quondam fuisse. Verum enim verò cùm Plinii ævo, Mauritaniæ Cæsariensi includeretur, in Tingitana à Baronio poni non debuit. Verba hæc sunt Plinii: *Siga oppidum ex adverso Malachæ in Hispania sita, Syphacis regia, alterius jam Mauritaniæ.* Præthereà sapienter à Pearsonio observatur, *æris fodinas*, Sigæ proximas, non memorasse Strabonem, ut traditum illustrissimo Purpurato. In Mauritania quidem rara hæc esse dicit: *Bituminis fontem*, *æris fodinas*, *pennatorum*, *& non pennatorum scorpionum multitudinem.* Has verò æris fodinas juxta *Sigam* inveniri, non scripsit Strabo. Denique Martyrum Epistolæ titulus est: *Cypriano carissimo, & dilectissimo Felix, Jader, Polyanus, unà cum Presbyteris, & omnibus nobiscum commorantibus, apud metallum Siguense.* Ex suâ verò autoritate *Siguense* in *Sigense* mutare Baronius non debuit: *Metallum*, inquit, *Siguense*, *aliter Sigense*. Existimamus ergo id metalli in Numidia esse, quia versantes in eo Felix, Jader, Polyanus erant, Episcopi Numidiæ. Utrùm verò ad urbem *Siguitam*, *Numidiæ sedem Episcopalem*, hoc pertinuerit metalli, ut secundum Holstenium affirmat Pearsonius, definire non audemus. Tot clarissimis exulibus Cyprianus non defuit, quos & consolationibus adjuvit, & opibus. Extat ea de re lectu dignissima Sancti Episcopi Epistola LXXVII. 76. *Quomodo possum, repræsento me vobis, & ad vos etiam, si corpore & gressu venire non datur, dilectione, & spiritu venio.* Quorum & ad complexum venisset, nisi præfiniti loci terminis coerceretur. Maximo Martyribus adjumento fuit ea Cypriani Epistolâ, quod & ipsi testantur: *Literis tuis laborantia pectora recreasti, fustibus vulnerata membra curasti, compedibus pedes ligatos resolvisti, semitonsi capitis capillaturam adæquasti, tenebras carceris illuminasti, montes metalli in planum deduxisti.* *Quirini & Cypriani* eleemosynas ad Confessores in metallo detulerunt *Herennianus Hypodiaconus, & Lucanus, & Maximus, & Amantius Acoluthi.* Qua de re diversis Epistolis, quia variis in metallis distribuebantur, Cypriano grates à Confessoribus dignæ persolutæ sunt.

Bar. an. 260. n. 42.

Error Baronii.

An. 260. n. 42.

Plin. l. 5. cap. 2.

Strab. l. 17. 653.

Cypr. Ep. LXXVIII. 77.

Dionysii & Alexandrinorum persecutio.

VII. Neque melior Alexandrinorum Christianorum conditio fuit. Actorum verba ipsa proferemus, ut hinc liqueat, quantum distent & æra lupinis, & germana Acta à subditis, quæ fabulatores nobis obtrudunt: *Inducto Dionysio, Fausto, Maximo, Marcello & Chæremone, Æmilianus Præfectus dixit, Non solùm scripto, sed etiam vivâ voce, vobiscum disserui de humanitate Principum nostrorum. Vobis enim potestatem fecerunt salutis vestræ retinendæ, dummodò ad id quod naturæ consentaneum est, ferri, Deosque imperii illorum custodes adorare, & eorum quæ naturæ ipsi repugnant, oblivisci velletis. Quid ad hæc dicitis? Dionysius respondit: Non omnes ab omnibus coluntur Dii, sed eos singuli colunt, quos arbitrantur Deos. Nos quidem unum Deum omnium rerum Opificem, qui Valeriano & Gallieno, sacratissimis Augustis, imperium tradidit, colimus & adoramus. Huic continuas preces offerimus, pro imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat. Æmilianus Præfectus iterum dixit, Quis vos prohibet, quominùs & hunc, si quidem Deus est, cùm iis qui naturâ Dii sunt, adoretis? Deos enim colere jussi estis, eosque quos cuncti norunt esse Deos. Dionysius respondit, Nos nullum alium adoramus. Æmilianus Præfectus dixit: Video vos ingratos esse, simul & stupidos, qui clementiam Augustorum minimè sentiatis. Quamobrem non manebitis in hac urbe, sed mittemini in partes Libyæ, ad locum qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu Augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscunque aliis conventus agere, aut ea quæ vocantur cœmeteria adire. Quòd si quis ad eum quem jussi locum minimè profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus, is sibi ipse periculum arcesset. Non enim deerit congrua animadversio. Abscedite igitur, quò jussi estis.* Dionysius ille Episcopus est Alexandrinus, Maximus Presbyterum agebat, Faustus & Chæremon Diaconi munere fungebantur. Dionysium ægrotantem statim compulit Æmilianus, ne dici quidem unius dilatione concessâ. Cephro Dionysius alacri constantique animo perrexit, ubi Christianorum ex variis locis confluentium multitudo non defuit. Initio quidem ab Ethnicis lapidibus impetuntur, postmodum verò non pauci fidem amplexi sunt. Tum Æmilianus ex eo loco in *Colluthionis* regionem Dionysium misit, quæ cùm vicinior esset Alexandriæ, à fratribus ex ea civitate venientibus ad amplexum & colloquium solatii multum accepit.

ANNO DOM. 257.

Euseb. l. 7. cap. 11.

VIII. Suos & Martyres Gallia suppeditavit, si Gregorio Tur. credimus: *Ibi Cassius ac Victorinus in dilectione Christi, fraterno affectu sociati, per effusionem cruoris proprii cælorum regna pariter sunt adepti.* Victorinum ferunt fuisse Sacerdotis servum, qui dum Christianos persequitur, in Cassium incidit, cujus miraculis & concionibus ad fidem adductus est. Mentionem quoque facit *Liminii* & *Anatoliani* Martyrum. Quæ si non vera, sunt tamen vero similia. Sed in annum proximè sequentem potius quàm in præsentem referenda videntur.

Galliæ persecutio.

Greg. Tur. H. F. l. 1. cap. 34.

ANNO U. C. 1011. PER. JUL. 4971. JUL. 303. DOM. 258. VALERIANI & GALLIENI 6. *Sol.* 15. C. *Lun.* 12. *Indict.* 6. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 5. *P.* 11. *April.*

ANNO DOM. 258.

COSS. M. Aurelius Memmius Tuscus & Bassus.

Cornelius Secularis Præfectus Urbis.

Num Memmius dici Fuscus debeat, an Tuscus?

I. PAulùm mutato nomine, *Fuscum* legimus Baronii in Annalibus, cujus sententiam Cal-

Anno Dom. 258.

Calvisius, Capellus aliique amplectuntur. Neque dissimulandum id nominis apud Vopiscum, & Trebellium legi. Monuit tamen Salmasius, legendum Tusco & Basso, *Ita enim omnes hoc loco libri.* Tuscus quidem germana lectio est, quam exhibent & Fasti Theonis, & libellus de Præfectis urbi, & Consulum Indiculus Cuspiniani, & Chronicum Damasi, & Cassiodorus, & Acta passionis Cypriani. Observavit & doctissimus Norisius in Dissert. de votis Decennalibus c. 5. extare Epigramma dicatum Tusco & Basso.

Ingenui rebellio.

II. His Coss. dum vino & amoribus vacat Gallienus, securus calamitatum quæ Romanum lacessebant imperium, *Ingenuus*, qui Pannonias tunc regebat, à Moesiacis legionibus Imperator dicitur, quibus & Pannonicæ assentiuntur. Causam electioni Sarmatæ præbuerunt, quibus instantibus Imperatore opus erat, qui fessis rebus suâ mederi virtute posset. Metuit etiam ne Imperatoribus ob fortitudinem & virtutem suspectus fieret. Auditâ rebellione, Celeri Veriano scribit Gallienus: *Perimendus esset omnis sexus virilis, si & senes, atque impuberes sine reprehensione nostra occidi possent. Occidendus est quicumque male voluit, occidendus est quicumque maledixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot Principum patrem & fratrem, Ingenuus factus est Imperator. Lacera, occide, concide. Animum meum intelligere potes, meâ mente irascere, qui hac manu meâ scripsi.* Commissâ pugnâ, vicit Gallienus. *Ingenuus* pugione se transfodit, ne in Gallieni potestatem veniret. Post victoriam in omnes Mœsiacos, tam milites, quàm cives asperrimè sævit. Plerasque civitates virilis sexus vacuas reliquit. Trebel. xxx. Tyran. c. 8. Post captum Valerianum Ingenuum rebellasse, tradit Victor de Cæsaribus: *Gallienus cùm à Gallia Germanos strenuè arceret, in Illyricum properans descendit, ibi Ingenuum, quem curantem Pannonias, compertâ Valeriani clade, imperandi cupido incesserat, Mursiæ devicit.* Nos Trebel. Pollionem, utpote antiquiorem secuti, ante captum Valerianum factam esse *Ingenui* rebellionem, ejus verò cladem in vinculis agente Valeriano contigisse existimamus Anno circiter CCLX. Itaque incompleto biennio Ingenuus imperio potitus est.

Valerianus Aurelianum Consulem dicit.

III. Cognito quid in Bithynia Scythæ gessissent, Nicomediam Nicæamque flammis vastatas esse, Ducibus diffisus suis Valerianus, nulli regionis hujus defensionem credere sustinebat. Felice misso, qui Byzantium tueretur, ab Antiochia Cappadociam usque progreditur. Ex ea Provincia pedem in Orientem retulisse tradit Zozimus. Nos & Byzantium se contulisse, ex Vopisco novimus: *Cùm consedisset Valerianus Augustus in thermis apud Byzantium, præsente exercitu, præsente etiam Memmio Tusco, Consule ordinario, Bebio Macro Præfecto Prætorii, Valerianus Augustus dixit, Gratias tibi agit, Aureliane, Respub. quòd eam Gothorum potestate liberasti. Abundamus per te prædâ, abundamus gloriâ, & his omnibus quibus Rom. felicitas crescit. . . . Te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à Senatu quando fit Consul accipere.* Sic Valerianus implevit promissa. Aureliano scripserat, *Consulatum cum Ulpio Crinito in annum sequentem à die XI. Calend. Juniarum in locum Gallieni & Valeriani sperare*

Vopisc. Aur. c. 13.

convenit, sumptu publico. Levanda est enim paupertas eorum hominum, qui diu Republica viventes, pauperes sunt, ut nullorum magis. Scripsit etiam Ælio Xifidio Præfecto Ærarii, ut ad editionem Circensium daret & *aureos Antonianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia.* Hæc ad Consulum millia pertinebant, quæ in Populum spargere solebant. Ubi Consulatum sibi delatum accepit Aurelianus, *Ulpius Crinitus*, qui se de Trajani genere referebat, à Valeriano petiit, ut Aurelianus, quem sibi Vicarium fecerat, hæres sacrorum, nominis & honorum, totiusque juris diceretur. Quæ primâ specie etsi minimi esse momenti videntur, non parum conferunt illustrandæ historiæ. Hinc enim apparet, bis in Orientem Valerianum se contulisse, quem initiis imperii sui petierat. Longe quidem à Mœsia, Thracia, Bithynia abfuisse anno præterito, & præsentis parte, argumento sunt Gotthorum excursus, Scytharum direptiones, *Ingenui* rebellio. Neque fingendum Romæ egisse, quod in Actis Martyrum legimus. Zozimus enim disertè prodit, Valerianum auditâ clade Bithyniæ, *Antiochiâ ad Cappadociam usque progressum.* Quòd si in urbe egisset Valerianus, cum & senior esset Augustus & Pater Gallieni, manu suâ Gallienus Celeri Veriano, de Ingenuo opprimendo non scripsisset. Eæ Valeriani partes fuissent. Hoc ergo fecit Gallienus, quia pater in Oriente versabatur. Quod si hoc demum anno primâ vice Antiochiam petiit Valerianus, quo jure Aurelius Victor, libro de Cæsaribus scribere potuit, *Bellum per Mesopotamiam anceps diuturnumque instruit?* Vix enim unius anni fuisset. Non igitur Pagio assentimur narranti, *Successianum* in *Bebii Macri* locum, Præfectum Prætorio creatum fuisse. *Successiana* potius *Bebium* successisse existimamus. Quippe Zozimus post accitum à Valeriano Successianum, varios Scytharum memorat excursus, qui variis & annis insident, *Pityuntem* capiunt & *Trapezuntium*, deinde domum redeunt. Boranorum finitimi Scythæ, visâ prædâ, exspectato hyemis insequentis tempore, Nicomediam & Nicæam invadunt. His auditis, Valerianus relictâ Antiochiâ Cappadociam petit. Non igitur currente anno Successianus Præfectus Prætorio creatus est. Neque etiam Bæbium Macrum decessorem habuit.

Vopisc. Aurel. cap. 14.

Macrianus toti militiæ præficitur.

IV. Rebus apud Byzantium ordinatis, Valerianus iterum Antiochiam proficiscitur ad bellum Persicum. Persidis verò e finibus Senatui Valerianus scripsit: *Ego, P. C. bellum Persicum gerens, Macriano totam Remp. credidi quidem à parte militari, ille vobis fidelis, ille mihi devotus, illum & amat, & timet miles.* Inerant quidem Macriano præclaræ virtutes gerendo muneri. Nemo eo tempore sapientior Ducum habebatur, nemo ad res gerendas aptior, deinde ditissimus erat, & qui privatis posset fortunis explere dispendia. Sed & liberi ejus fortissimi juvenes, legionibus erant exemplo. Ex militari imperio, quod Macriano additum erat, recruduisse persecutionem, Clarissimus existimat Pearsonius. Sixtus tamen Episcopus, aliique complures Romæ prius occisi videntur, quàm ex finibus Persidis scripta de creditis Macriano militibus Epistola ad Senatum perveniret. Etsi non negemus, impiis Macriani consiliis Valeriani furorem magis ac magis in Christianos accensum fuisse.

Treb. Trig. Tyr. c. 11.

Treb. Gall. cap. 2.

Edictum Valeriani in Christianos.

V. Furiis ergo agitatus Valerianus, cruentum in Christianos edictum misit: *Rescripsit Valerianus ad Senatum, ut Episcopi, Presbyteri, Diacones animadvertantur. Senatores verò, & viri egregii, & Equites Rom. dignitate amissâ etiam bonis spolientur, etsi ademptis facultatibus Christiani esse perseveraverint, capite quoque mulctentur. Matronæ ademptis bonis, in exilium relegentur. Cæsariani quicunque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi sunt, confiscentur, & vincti, in Cæsarianas possessiones descripti mittantur.* *Cypr. Ep. LXXXII.* Subjecit etiam orationi suæ exemplum literarum, quas ad Præsides Provinciarum de Christianis fecit. Ubi decretum innotuit, qui in Christum benè animati erant, non magis mortem cogitarunt, quàm immortalitatem, gaudebantque magis quàm timebant in futura confessione.

Sixtus Papa II. ejus martyrium.

VI. *In ea* persecutione Sixtus, secundus hujus nominis Ecclesiæ Romanus Episcopus, glorioso martyrio coronatur. Defuncto Stephano Sixtus successerat post viginti duorum dierum Interpontificium. Quarto Nonas Augusti sepulto Stephano, ejusdem mensis die circiter XXIV. Cleri suffragio Episcopatum inierat, *Natione Græcum* fuisse ferunt, *ex Philosopho de Athenis.* Cùm igitur passus sit VIII. *Idus Augusti, Tusco & Basso Coss.* non toto anno sedisse fatendum est, deficientibus præter propter diebus viginti. Ubi Ecclesiam R. administrare auditum Dionysio Alexandrino, ipsum adiit Epistolâ: *Quæ de baptismo secunda est, in qua Stephani simul ac reliquorum Episcoporum sententiam ac judicium exponit.* *Euseb. l. 7. cap. 5.* Virum prudentissimum fuisse, docet altera Dionysii Epistola, quâ Sixti consilium petit, de sene, qui ab Hæreticis baptizatus, Catholicum precibus, lachrymisque suis Sacramentum regenerationis flagitabat. Affirmans Hæreticorum baptisma cum Ecclesiastico nil commune habere. Verba sunt Dionysii: *Opus habeo, frater, consilio tuo, & sententiam tuam expeto, ne fortè ipse halluciner.* *Euseb. l. 7. cap. 9.* Quæ miro commentario explicat Baronius: *Dionysius, inquit, illorum sententiæ suffragabatur, qui dicerent ab Hæretico baptizatos, iterum baptizandos; quòd à Stephano reprehensus esset, nil temerè ausus est suâ sponte decernere, sed sedem Apostolicam ex more statuit consulendam.* *Bar. an. 260. n. 9.* Egregium sanè commentum quod uni Baronii debetur acumini. Neque Dionysius Cypriani in sententiam descendit, neque si descendisset, testis adest aliquis, qui à Stephano reprehensum memoret. Sixto non placuisse morosam decessoris sui asperitatem, ostendunt verba Pontii, cui Sixtus audit, *Bonus & Pacificus Sacerdos.* Quæ in Pontificatu suo gessit, eorum ferè omnium abiit memoria. In Calendario de depositione Martyrum, legitur quidem, *Mense Junio, tertio Calendas Julii, Petri in Catacumbas, & Pauli Ostiense.* Quæ sic explicat Pearsonius: *Hæc trophæa qualiacunque fuere, in Catacumbas transtulisse videtur Sixtus, magis indies saviente persecutionis ardore, ut ibi stationes tutius haberi possent.* *Pears. an. Cypr. an. 258. n. 2.* Cujus explicationem amplectitur Pagius. At utrùm verba Chronici, Pauli reliquias quod attinet, id sibi velint, illi perpendant, quibus veritas cordi est. *Pauli Ostiense*, id est, exuvias Apostoli transtulit in Catacumbas. Miram expositionem! Præterea cùm reliquias, *Aut propter injuriam vetustatis, aut propter fluminis incursum, aliaque ejusmodi*, tantummodò transferre liceret, neque sine permissu collegii Pontificum, quod in urbe adiri debuit, ut ex Plinii Epistolis exploratum est, sitne vero simile Apostolicas exuvias à Sixto, suo fuisse loco motas? Quo facto, & sibi, & Ecclesiæ temerè creasset periculum? Cui bono, quo fine translatio ejusmodi? Quid securitatis, quid auxilii ea trophæa Christianis dabant, stationes suas celebrantibus? Itaque Apostolicarum exuviarum *translationi* huic fidem non afferimus. Solemne est *translationes* fingere ejusmodi. Sic in libro Pontificali Damasi, Cornelius Papa: *Rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum Beatorum Petri & Pauli è catacumbis levavit noctu.* Quæ tam vera esse existimamus, quàm illa sunt de Sixto, eas ipsas exuvias in Catacumbas transferente. Cæterùm præclarissimo omnium facinore nominis sui memoriam Sixtus consecravit, inito pro fide martyrii certamine. Sanctus enim ille Martyr non in Catacumbis, sed in *cæmeterio* sanguinem fudit: *Xystum autem in cæmeterio animadversum sciatis, octavo Iduum Augustarum, die & cum eo Quartum.* *Cypr. Ep. LXXXII.* Romano in Martyrologio, *Callisti cæmeterium* vocatur in via Appia. Quid Prudentio in mentem venerit nescimus, dum Sixtum cruci affixum esse cecinit, in Hymno de S. Laurentio:

Fore hoc Sacerdos dixerat,
Jam Xystus affixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite.

Complures cum *Sixto* & *Quarto* morti missos, Romanum memorat Martyrologium. Natale *SS. Martyrum Felicissimi & Agapiti, ejusdem B. Sixti Diaconorum, Januarii, Magni, Vincentii, & Stephani Subdiaconorum, qui omnes cum eo pariter decollati sunt.* Quibus etsi fortè non invideamus martyrii lauream, cum Sixto tamen periisse credere non possumus. Ipsorum enim perinde atque *Quarti* Cyprianus meminisset. Ac sanè in Catalogo depositioni Martyrum Bucheriano, pauciores inveniuntur Sixto passionis comites; nempe, *Agapitus & Felicissimus*, qui *Pretextatis* in cæmeterio sepulti dicuntur. Nisi, quod vero similius, Pretextatum pro Martyre habuerit. Non enim *in Pretextati*, sed *& Pretextati* scripsit. Porro Calendariis, Martyrologiisque omnibus præstat Cypriani Epistola.

Geminæ Epistolæ Sixti subditæ.

VII. Geminas Sixto Epistolas ascribunt. Prior ad *Gratum* quendam Episcopum, quam occasione Sabelli, Noeti, Ebionis & Cerinthi scriptam contendit Binnius. Ostendit autem Epistola, licere damnatis Episcopis adire sedem Apostolicam. Data est *Kal. Septembris Valeriano & Decio viris Clar. Coss.* Posterior missa est Episcopis per Hispaniarum Provincias constitutis. In ea autem capita V. continentur. Primum, si quis adversus Episcopos vel actores Ecclesiæ causam habuerit, quô se geret? Secundum, de Episcopis rebus expoliatis, aut à sede pulsis. Tertium, ut nullus Episcopus alterius Parochianum retineat, ordinet vel judicet. Quartum, de Episcopis injustè damnatis, & Apostolicâ autoritate restitutis. Quintum, quòd Excommunicati Episcopos accusare non possunt. Data est XVII. *Kalendas Augusti, Valeriano & Decio viris Clariss. Coss.* Nobis in silentium descendentibus, quivis has Sixto Epistolas detrahere est idoneus. Primùm falsissima est Consulum adnotatio. Valeriano non *Decius*, sed

Gal-

ANNO DOM. 258.

Gallienus Collega fuit in Consulatu, sedente Sixto. Insuper eodem anno scriptas esse Decretales, ostendit inscriptio. Anno vero CCLVIII. *Sixtus*, qui sexto Augusti passus est, Calendis Septembris ad *Gratum* scribere non potuit. Potuisset quidem anno superiore, at impossibile est, dedisse ad Hispanos Epistolam Julii XVI. anno CCLVII. quo Pontificatum nondum inierat. Deinde cùm toto Sixti Episcopatu gravissima persecutio Romanæ incubuerit Ecclesiæ, est longè absurdissimum, Epistolas ejus tenoris Sixtum condidisse, in quibus nulla afflictionis Ecclesiæ mentio; nulla ad cruces patienti animo ferendas instigatio. Priori Epistolâ impostor paginam includit integram, ex Idacio Claro adversus Varimadum petitam. Componatur cum p. 730. B. M. P. t. V. Posterior verò quinquagesimæ quartæ Leonis Epistolæ suffuratur initium: *Magno munere misericordia Dei, totius Ecclesiæ Catholicæ multiplicata sunt gaudia.*

De Xysti sententiis. Num sint Papæ Sixti?

VIII. Quadringentæ & triginta sententiæ sunt Sixti Ethnici Philosophi, quæ in Latinum à Rufino translatæ, nonnunquam *Sixto* Papæ ascriptæ fuerunt. Quem cùm Augustinus errasset errorem, libro secundo Retract. c. 42. hæc chartis mandavit: *In libro de Natura & gratia, verba quædam, quæ velut Sixti Rom. Pontificis & Martyris Pelagius posuit, ita defendi, tanquam reverà ejusdem Sixti essent, id enim putaveram, sed postea legi Xysti Philosophi esse, non Sixti Christiani.* Christianum sanè non sonat sententia CXX. *Non petas à Deo id quod cùm habueris, non perpetuò obtinebis.* Non igitur aut pax animi, aut tranquillitas Ecclesiæ, aut corporis sanitas esset precibus impetranda. Abhorret & à fide sententia CXXV. *Quidquid non convenit ad beatitudinem Dei, non conveniat homini Dei.* Non igitur resurrectio corporis pars erit felicitatis Sanctorum, utpote quæ gloriæ Dei immortalis pugnet. Neque satis pia hæc est sententia CLXXXIV. *Derogare viro sapienti ac Deo, æquale ducito peccatum.* Cùm splendente fuco Rufinus Xysti Philosophi sententiis Sixti Papæ Martyris nomen imposuisset, meritas Hieronymo pœnas dedit. Qua de re insignis locus est in Epistolâ adversus Pelagium, ad Ctesiphontem c. 2. *Illam autem temeritatem, imò insaniam ejus* (Rufini) *quis digno possit explicare sermone, quod librum Xysti Pythagorei, hominis absque Christo, atque Ethnici, immutato nomine, Sixti Martyris, & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit? In quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur, ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio, ut Episcopum & Martyrem sine Christi fuisse fide contendat.* Inspiciantur sententiæ, & CCXLVIII. quæ purum putum Pelagianismum olet, & CCLXV. quæ facinus probat Origenis virilia amputantis temperantiæ causâ.

Laurentius Diaconus: ejus martyrium.

IX. Sixti & Quarti sanguine non extinguitur Romana persecutio. Cui quotidie insistebant Præfecti in urbe, ut qui sibi offerebantur, eos ultimo supplicio afficerent. Triduo post Sixti obitum, Laurentius Diaconus ejus igni traditur. Cùm duceretur Sixtus, fletibus ora rigans Laurentius, in hæc verba eruperat:

Ambr. Off. l. 1. c. 41.

Quò progrederis sine filio pater? Quò Sacerdos Sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine Ministro offerre consueveras? Quid ergo in me displicuit pater? Numquid degenerem probasti? Experire certè utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem? . . . Tunc Xystus, Non ego te, fili, relinquo & desero, sed majora tibi debentur certamina. . . Mox venies, flere desiste. post triduum me sequeris. Cùm à Laurentio quærerentur Ecclesiæ thesauri, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit: *Interrogatus ubi essent thesauri, quos promiserat, ostendit pauperes, dicens, Hi sunt thesauri Ecclesiæ, & verè thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est.*

Ambr. Off. l. 2. c. 28.

Post triduum, cùm illuso Tyranno, impositus super craticulum exureretur: *Assum est*, inquit, *versa, & manduca.* Sancti Martyris mortem celebrant plurima Veterum monumenta, quæ laudantur in Martyrologio Rom. Actisque Martyrum Ruinarti. Natale Laurentii Augusti die X. recolitur. Turpiter errat Ado in Martyrologio, qui & Sixtum, & Laurentium passos esse tradit, *Sub Decio Imperatore, Valeriano Præfecto.*

Cypriani martyrium.

X. Ubi ab urbe nuncius venit, *Xystum bonum & pacificum Sacerdotem*, gloriosè excessisse martyrio, carnificem quotidie expectavit Cyprianus. Aspasio Paterno Proconsul successerat Maximus, qui Curubi Sanctum Martyrem in hortos suos revocaverat, quò citius, & facilius, cùm opus foret, tribunali admoveretur. Illi ipsi horti erant, quos inter initia fidei suæ vendiderat: ac Dei beneficio restitutos iterum vendidisset, nisi invidiam vitare voluisset. Tum viri & ordine, & sanguine suo illustres secessum Cypriano subinde suadebant, locaque in quibus secederet offerebant. Rogantibus tamen non obtemperavit. At ut audivit Frumentarios esse missos, qui se Uticam perducerent, cessit charissimorum consilio. De hortis igitur secedens suis, ne *mutilaretur honor* Carthaginensis Ecclesiæ, si Uticæ martyrio functus fuisset: in abdito constitutus, adventum Proconsulis expectavit Carthaginem rediturі. Monuit interim Clerum suum, ne de fratribus aliquis ultro se offerret Ethnicis, *Apprehensus enim, & traditus, loqui debet.*

Cypr. Ep. 83.

Redeunte Maximo, hortos quoque suos repetit Cyprianus. Cui Proconsul veritus ne se iterum subduceret, subitò misit Principem officii militaris, quo statorum loco Proconsules utebantur. Processit Cyprianus *animo sublimi, hilaritatem præferens, vultu & corde virtutem.* Sed dilatus in crastinum, ad domum Principis à Prætorio revertitur. Nec id casu quidem, sed administrantis omnia numinis consilio factum, ut nocturnum anni superioris impleretur oraculum, dieque divinitùs ostensâ vitam relinqueret. Unâ nocte, Principis in domo *custodiâ delicatâ*, & liberâ detentus, Pontio aliisque convivis usus est, excubante plebe Principis ante fores. Ubi illuxit dies, multo milite comitatus, quasi ad expugnandam mortem manu facta veniretur, locum futuri mox certaminis præteriit. Ad Prætorium cùm venisset, nondum procedente Proconsule, secretior locus datus est. Ac in sedili sessus sedit, quod *fortuito linteo* tegebatur, *ut sub ictu passionis Episcopatus honore frueretur.* Sudore ob longum iter madido, eorum unus, qui tesseram per contubernia militum nunciabat, & ab hoc officio *tesserarii* sortitus nomen, quondam Christianus, vesti-

vestimentis humidis ejus ficciora sua mutare voluit, eo fine tamen, ut proficiscentis ad Deum Martyris sudores jam sanguineos possideret. Tesserario respondit: *Medelas adhibemus querelis, quæ forsitan non erunt.* Quæ in Actis leguntur, subjiciemus: *Galerius Maximus Proconsul eâdem die Cyprianum sibi offerri præcepit, in atrio sauciolo sedenti.* *Sauciolum* Prætorii atria denotat. Concilio Matisconensi II. c. 19. dicitur, *Ut ad locum examinationis reorum nullus Clericus accedat, neque intersit atrio sauciolo, ubi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est.* Oblatus Proconsuli dixit Maximus: *Tu es Thascius Cyprianus. Cyprianus Episcopus respondit, Ego sum. Galerius Maximus dixit, Tu Papam te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Cyprianus Episcopus respondit, Ego. Galerius Maximus dixit, Jusserunt te sacratissimi Imperatores ceremoniari. Cyprianus Episcopus dixit, Non facio. Galerius Maximus ait, Consule tibi. Cyprianus Episcopus respondit, Fac quod tibi præceptum est. In re tam justa nulla est consultatio. Galerius Maximus collocutus cum consilio, sententiam vix ægrè dixit, verbis hujusmodi: Diu sacrilegâ mente vixisti, & plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis, & sacris legibus constituisti, nec te pii & sacratissimi Principes Valerianus, & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectam ceremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideò cùm sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos sceleri tuo aggregasti, sanguine tuo sancietur disciplina. Et his dictis, decretum ex tabella recitavit. Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus Episcopus dixit Deo gratias.* In agrum Sexti productus, *Ibi se birro expoliavit, & genu in terrâ flexit, & in orationem se Domino prostravit. Et cùm se tunicâ expoliasset, & Diaconibus tradidisset, in linea stetit, & cœpit speculatorem sustinere. Linteamina verò, & manualia à fratribus ante eum mittebantur: posteà vero B. Cyprianus manu suâ oculos sibi texit. Qui cùm lacinias manuales ligare sibi non potuisset, ei ligaverunt, & ita B. Cyprianus passus est,* die octavâ decimâ Calendarum Octobrium: *Eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno*, observante Hieronymo. Tusco & Basso Coss. Septembris XIV. periisse Cyprianum, docet Chr. Alex. Sic *Sacerdotales coronas in Africa primus imbuit.* Nullus enim decessorum ejus vitam martyrio finiverat. Passionis annum in Tusci & Bassi Consulatu rectè consignat Scaliger ὁ πάνυ. Fallitur tamen, dum diversis annis Sixtum, & Cyprianum morte mactatos existimat, quem errorem Pontius evellit. Majorem movet admirationem, quod vir ille magnus habet, *Tusco & Basso Coss Cyprianum passum, die Dominico, Cyclo Solis XIX. postridie Idus Septembris.* Ex regulis enim Chronologiæ, Septembris *decimus quartus* Tusco & Basso Coss. in tertiam feriam incidit, Cyclo Solis XV. Cypriani corpus *In proximo positum est, cum cereis, & scolacibus, in areis Macrobii Candidi Procuratoris, quæ sunt in via Mappaliensi juxta piscinas cum voto & triumpho magno. Post paucos dies Galerius Maximus Proconsul decessit.*

Scalig. Anim. in Euseb. p. 236.

De vestibus Cypriani Baronii sententia refellitur.

XI. Cæterùm hîc in Baronium non animadvertere non possumus, qui à vero aliena quædam habet. Ex Actis Cypriani colligit, quid vestis gestarent Episcopi. *Lineam*, in quo stetit B. Martyr, de *interula* negat esse intelligendum: *Quia non decebat Sacerdotalem decorem, Cyprianum adusque interulam denudari.* Id Proconsul curabat scilicet! Quid rei igitur linea hæc? *Commune illud omnibus Episcopis lineum indumentum, quod Ephod alii dicunt, Italice verò rocheto.* Quid verò lacernum birrum? *Birrus*, inquit, *ad colorem pertinet. Lacernum byrrum, hoc est, sericum, βήρυς enim Veteres dixere serica.* Nos verò credere non possumus, Cypriani tempore certas Episcopis fuisse vestes, quibus & à laicis, & à Clericis minoris dignitatis distinguerentur. Quo indumento carnificibus Judicibusque, à quibus ad mortem deposcebantur, sese prodidissent. Figmentum sanè Baronii refellit Pontius, Cypriani Diaconus: *Nec cultus fuit dispar à vultu, temperatus, & ipse de medio.* Non ergo Purpuratorum instar vestiebatur optimus ille Martyr, cùm vestes sericæ, *tyrios infecta colores, de medio vestes* dici nequeant. Incredibile quidem nobis videtur Cyprianum iis tectum esse vestibus, quas vel seculi pompam Episcopis jam imitantibus, Narbonense Concilium anno 589. improbavit: *Nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem.* Pax mitis in orbe Christiano jam aderat, cùm Episcopi plebejis communibusque vestibus tegebantur. Sedem Pontificalem acceperat Aphraates, qui nec *calcium mutavit, nec tunicam contextam ex pellibus caprarum*, quam gesserat Monachus. Neque sericis purpureis fulgebat Abraames *Carrarum Pontifex*, qui vitæ monasticæ labores adauxit. Sed plura de Clericali veste jam observavimus in vita Heraclæ. *Byrrum* coloris nomen esse non ignoramus, at scimus etiam, familiarem, & frequentem eum colorem fuisse vulgarium lacernis, præcipuè in Gallia:

Bar. An. 261. n. 40.

Bar. An. 261. n. 41.

Narb. Syn. c. 1.

Theodorit. H. P. c. 5.

Vestitur Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusque color.

Martial.

Quanquam nil necesse sit, Cypriani *lacernam* hujus coloris fuisse, si legatur simpliciter *byrro*, quod solum nonnullis in codicibus inveniri fatetur & Ruinartus. Ibi se *Byrro exspoliavit*, quâ lectione retentâ, nil causæ Baronio erit Cardinalium Ecclesiæ Rom. vestem ab illa Cypriani deducere. Birrus enim pro lacerna, vel veste cujuslibet coloris quàm frequenter accipitur. Verba sunt Augustini de amatore fœmina: *Si illi dixerit, Nolo te habere tale birrum, non habet.* August. Serm. 18. de Verb. Apost. Videatur Cangius in voce *birrus*. Erravit & iterum Baronius. In Actis legerat, S. Martyris corpus *in proximo positum, cum cereis, & scholacibus*, hinc nata hæc observatio: *Pristinus hic mos referatur Christianos sepeliendi, præcedente Clero, diversarum classium & scholarum.* Antiquum tamen morem, ex eo loco extundi non posse pridem observavit Rigaltius: *In exemplaribus legitur ad cereos & scolaces.* Scolaces sunt funes intorti, quibus ceratis fiebant funalia in usum nocturni luminis. Magnâ vero diligentiâ Cypriani corpus sepulchro condiderunt Christiani, ne S. Martyris exuvias aut contumeliâ afficerent, aut igni traderent. Itaque cum cereis sepultæ, & scolacibus.

Bar. An. 261. n. 36.

XII. De Actis passionis Cyprianicæ aliquid est & subjiciendum, quæ viris eruditis pro germanis habentur, atque sinceris. Neque nos inficiamur, multa Actis contineri, ex priscis petita monumentis, quæ à vero non aliena, germanam antiquitatem redolent. Illa tamen ipsissima

Num sincera sint Acta passionis Cypriani?

ANNO DOM. 258.

sima Acta esse, quorum meminit Pontius, *Et ut quid sacerdos Dei, Proconsule interrogante responderet taceam, sunt Acta qua referant*, credere non possumus. Actorum ergo materiam à forma secernimus. Partem materiæ multò maximam, quàm antiqua monumenta Autori suppeditarunt, nil ficti, nil à veri norma dissidentem exhibere, nobis est certissimum. Formæ novitatem ostendit clausula, quæ multò pòst exorta: *Passus est sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus, regnante verò Domino nostro J. Christo.* Prætereà quæ fama, tam ficti, quàm nuncia veri spargebat in vulgus, Actis ornamento fuere, ut Martyres majori gloriâ splenderent. His apponimus, quæ de spiculatore narrantur: *Cùm venisset autem spiculator, jussit suis, ut eidem spiculatori* XXV. *aureos darent.* Quæ largitio ex librariorum munificentia facta esse videtur, ut solerter Clarissimus Fellus observat. Hanc sanè liberalitatem oblivioni non dedisset Pontius, non Augustinus in sermonibus de Natali Cypriani. Non multum quidem probabilitatis habet, Cyprianum spiculatori aureos dedisse, potius erogandos pauperibus Ecclesiæ, quorum quotidie crescebat numerus egestasque, ob Valeriani rescriptum, quo divitibus Christianis suæ facultates adimebantur. Hæc ergo posterorum & obscuræ traditionis sunt additamenta, quomodo & apud Augustinum, qui in sermone de Natali Cypriani n. v. aliàs 12. ea memorat, quæ Pontio pugnant: *Jam verò, quòd ad eum passioni exhibendum duo missi sunt, qui eum etiam secum in curriculum levaverunt, in medioque posuerunt.* Pontius verò hæc habet: *Cum militibus suis Princeps repentè subitavit.* De curru duobusque militibus in eo sedentibus, ne verbum quidem. Ea tamen valde placuerunt Augustino, utpote quæ lepidæ comparationi materiam præbuere. Sic enim Cyprianus magis referebat Christum *inter duos latrones ligno suspensum.* Mantissa quoque posterorum nobis est pars hæc Actorum. Cyprianus *cùm lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus Presbyter, & Julianus Diaconus ei ligaverunt.* Pontius enim, qui minima quæque observat, de ea circunstantia silet. Ac à Pontio potius, quem exilii comitem elegerat Cyprianus, quique Martyris lateri perpetuò adhæserat, id officii fuisset exhibitum. Denique vix in mentem inducere nostram possumus, quòd ipsissima Galerii Maximi Proconsulis verba in Actis exhibeantur: *Jusserunt te sacratissimi Imperatores ceremoniari.* Ceremoniari verbum nec est Romanum, nec Proconsule, cui sermonis inerat elegantia, dignum. Dixisset *sacrificare.* Sed & Africanum stylum redolet, non Romanum Paterni hæc oratio Proconsulis: *Sacratissimi Imperatores literas ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt, eos qui Romanam Religionem non colunt, debere Romanas ceremonias recognoscere.* Verba hæc de suo, Proconsuli fœneravit Autor Actorum Afer, cujus incomptus erat sermo, nec satis Latinus. In Actis antiquis verbum *ceremoniari* reperiri scimus, utpote quod legatur in sermone v. Augustini de Natali Cypriani. Ægrè tamen nobis persuaderetur exscriptum fuisse è tabulis Proconsularibus, quod necessarium est ut Acta sincera prædicentur. De Actis tam Cypriani, quàm aliorum Martyrum, placet nobis Clarissimi Rigaltii judicium: *Jam pauca supersunt, qua præstare possimus sincera.*

XIII. Glorioso martyrio, animi mansuetudine, pauperum charitate, scriptorum elegantiâ, ubique locorum fama Cypriani percrebuit, ut ex Veteribus nemo sit, qui omni ex parte tanto viro æquiparari possit. De Operibus ejus Hieronymus: *Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cùm Sole clariora sint ejus Opera.* Carthagini memoriæ S. Martyris Templa duo consecrata sunt. Unum ubi sanguinem fudit, alterum ubi sepultus est, *qui* locus *Mappalia* vocatur, ut narrat Victor de persecutione Vandalica. In priore, celebris illa mensa fuit, de qua Augustinus: *In eodem loco mensa Deo constructa est, & tamen dicitur mensa Cypriani. Non quia ibi unquam Cyprianus est epulatus, sed quia ibi est immolatus: & quia ipsâ immolatione suâ paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.* Festum etiam defuncto Carthaginenses dicarunt annuum, quod *Cypriana* vocabant. Neque sui memoriam Martyris soli Carthaginenses celebrarunt, ubique locorum consecrata est & in orbe Christiano. Cyprianum laudibus extulerunt Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Maximus Taurinensis, Prudentius, ecquis non? Justas fuisse laudes, testimonio sunt benè multa, quæ de Sancto Martyre passim nostris in Annalibus protulimus. Inspiciantur & Joannis Launoii viri & doctissimi, candidissimique ad Jacobum Bevilaquam Epistola, numero XV. & Clarissimi Ruinarti *admonitio in vitam & Acta S. Cypriani.* Frons perierat *Joanni Davidi*, inter scribendum *quòd Cyprianus fundamenti ordinis Hierarchici Ecclesiæ sit eversor, & privilegiorum sedis Apostolicæ irrisor.*

Cypriani fama.

August. de divers. Serm. 113.

XIV. Operæ pretium fecere viri magnæ eruditionis Pearsonius atque Fellus, qui Cypriani scripta Chronologiæ ad normam digessere, ut hoc labore nostros Annales penè levasse videantur. Ea igitur animadvertemus, quæ nostro judicio in alia distribui tempora debuere. Ad Donatum librum *de Gratia Dei, & indulgente vindemia, cùm solutus est animus*, scriptum esse, & primigenium Cypriani adhùc laici fœtum, certum nobis exploratumque est. Secundum quoque occupare locum *de Idolorum Vanitate* librum lubentes patimur. Quòd autem priori annum assignent CCXLVI. posteriori verò CCXLVII. suo jure fecisse videntur. Quippe tempus, quo Servatori Cyprianus nomen dedit suum ignoratur. Diu ante annum CCXLVI. Cyprianus baptizatus est, si quod Fellus statuit, *de Pascha computus* Sancto Martyri vindicatur. Qua de re viri doctissimi non constat sententia. Prodiit ille liber anno Dionysiano CCXLIII. *Arriano & Papo Coss.* quo tempore Autor magnam sibi Scripturæ notitiam comparaverat, utpote qui Chronologiæ ad regulas explicet Scripturæ oracula, quod Catechumeni viribus editius est. Ad Ecclesiastica munera Cyprianum citò promotum esse scimus: baptismum autem anno CCXLVI. adeptum fuisse, sequente Presbyterum esse creatum, & CCXLVIII. Episcopum Carthagini impositum, nisi doceatur argumentis, non magnam probabilitatis speciem habet, cùm non natus, sed Christianus factus sit, cujus mores & vita diutius explorari debuere, ut ad majores Cleri honores ascenderet. Multò minus tam citò Presbyter dici potuit, si, quod contendit Pearsonius, Diaconi officio Cyprianus functus est. Itaque satius est, in

Operum Cypriani Chronotaxis.

obscuro annos relinquere, quibus hæc Opera confecta sunt. Scilicet definiemus nos tempora quæ Veteribus confusè cognita, à quibus tamen ea ad nos manare notitia debuit. Dicamus ergo cum Hieronymo, *post non multum temporis, electus in Presbyterum*, quod fotet & verissimum, si triennio à baptismo ad muneris induisset. Tres adversus Judæos libros à Cypriano jam Episcopo scriptos, anno CCXLVIII. existimant. Cui sententiæ conjectura præsidio est, Quirino *datus filii charissimi* titulus. Quod argumentum videtur esse jejunum. Ut enim mittamus hanc compellationem in exemplaribus nonnullis desiderari, moris erat Presbyteris eo illos afficere nomine, quos in Christo sibi genuerant. Ipse Cyprianus *tanquam vitæ novæ parentem*, Cæcilium Presbyterum habuit. Itaque nullo loco est Pearsonii eo de libro Chronologia. Ni à vero aberret conjectura, non ex titulo, quo *Quirinus* afficitur, sed ex verbis Pontii, librum ab Episcopo Cypriano, sed extinctâ Decii persecutione, confectum fuisse censemus: *Quis emolumentum, gratiæ per fidem proficientis ostenderet?* Quibus innuit libros ad Quirinum, quorum ad præfationem digitum Pontius intendisse videtur. Egregius est Cypriani tractatus de Habitu Virginum, quas vocat *illustriorem portionem gregis Christi*. Quæ Virgines bona sua non abdicabant, non vota solemnia nuncupabant, non velo benedicto tegebantur, non degeneris formæ vestibus amiciebantur, sed sancto animi proposito, à nuptiis temperabant, ut liberius vacarent Deo. De libri ætate disceptatio est. Anno CCXLVIII. *sub exordio Episcopatus sui* à Cypriano editum esse, contendit Pearsonius. At Pamelius cùm *ex plebeio excessisset*, confectum esse statuit. Nobis verò certum est, Episcopali manu scriptum fuisse. Plebeium quidem non innuunt verba Autoris: *Nos adhortamur affectione potius, quàm potestate.* Quæ hominis non sunt, nullius in Virgines potestatis, sed qui amore potius, quàm autoritate in officio Virgines retinendas esse putavit. Nos post Decii persecutionem librum editum esse arbitramur, verbis Pontii freti: *Finge enim tunc illum martyrii dignitate translatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimoniâ dignum, veluti frenis quibusdam lectionis Dominicæ coerceret.* Libro de Unitate Ecclesiæ schisma Novatiani occasionem præbuit, cui extinguendo conditus est anno CCLI. Quod verò eidem & anno librum *de Lapsis* ascribit Pearsonius, nobis probari non potest. Quippe restitutâ jam pace in Africa, certè certòque vulgatus est egregius ille tractatus de Lapsis: *Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est.* Extincta verò persecutio non fuit, nisi cùm Decii mors in Africa audita est, quæ demum innotuit labente jam anno CCLI. Tunc qui nefandis se cultibus polluerant, aureo libro hortatus est Cyprianus ad pœnitentiam. Hoc ipso anno emisit Orationis Dominicæ explicationem, quâ digna cedro sententia continetur: *Quæ vera magis apud Patrem oratio, quàm quæ à Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est, Ut aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa.* Cùm imperantibus Gallo & Volusiano gravissima pestis in orbem invasisset, fomenta morbo Cyprianus adhibuit, edito egregio de Mortalitate libro anno CCLII. Animadverterat *in plebe quosdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine secularis vitæ, vel sexus mollitie, vel quod majus est, veritatis errore minus stare fortiter.* Manum igitur calamo admovit optimus ille Pastor, ut delicatæ mentis ignavia comprimeretur. Anno proximè sequente CCLIII. scilicet, *Demetrianum*, qui adversus Deum oblatrabat, scripto adiit Cyprianus. De Mortalitate verò tractatum excepit ille, quo iniquum Judicem perstringit, grassante non peste modò, sed etiam fame, ob aëris contagionem, & mortalium penuriam, quorum partem in Africa maximam vis morbi sepulchro demiserat. Itaque librum ad *Demetrianum* tractatui de Mortalitate præponere Pearsonius non debuit. Queritur Demetrianus, *quòd lues, quod fames sæviant.* A pestilentia verò fames ea ducebat originem, itaque fami lu m præmisit Cyprianus. Sed & eo temporis spatio, quo componendo suo de Mortalitate libro vacabat, nil persecutionis adhùc commovebatur. Alioqui morbi solicitudinem atque dolorem, quo ignavæ mentes maximè urgebantur, eo solatio temperasset, quod carnificibus vis morbi ægros eximebat. At inflammabatur persecutio, cùm in vulgus emissus est ad Demetrianum liber: *Admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia.* Quæ Demetriani crudelitas immanisque persecutio, quâ Africana premebatur Ecclesia, ansam Cypriano præbuit scribendi librum de *Exhortatione martyrii*: utrumque tractatum peperit unus idemque annus; ille nimirum, qui Æræ nostræ CCLIII. est. Gravissimus dein Numidiæ casus incidit. A Barbaris captivi *fratrum* ducti sunt benè multi, quam rem cùm Cyprianum monuissent Numidiæ Episcopi, Januario, Maximo, Proculo &c. gratias egit, quòd Carthaginensibus *obtulerint agros uberes, in quibus spes sua semina mitterentur.* Excitandæ liberalitati librum confecit *de Opere, & Eleemosynis*: nec caruit labor successu. Ex Carthaginensi enim Ecclesia missa sunt *sestertium centum millia nummum*, quæ libras Gallicas conficiunt 9305. Cui summæ addita sunt erogantium nomina. Annum assignant CCLIV. Angli doctissimi, neque pugnamus, cùm nullâ ratione ab ea Chronologia revocemur. Sequitur liber de Bono Patientiæ, cujus Epocha non est in obscuro. Ad Jubaianum enim Epistolam verbis ejusmodi claudit Cyprianus: *Propter hoc etiam libellum de Bono Patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Deo, & inspirante conscripsimus.* Ferventibus ergo de Hæreticorum baptismo Disceptationibus anno CCLVI. componendo libro adhibuit operam. Post missam Jubaiano Epistolam imposuit manum tractatui *de Zelo & Livore*, qui eodem & anno CCLVI. lucem aspexisse videtur. Egregiis refertur sententiis, quarum est una animo maximè recondenda: *Mala cætera habent terminum. . . In adulterio cessat facinus perpetrato stupro. In latrone conquiescit scelus, homicidio admisso, & prædonis rapacitatem statuit præda possessa, & falsario modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet.* Hæc nostro judicio verosimilior est Operum Cyprianicorum Chronotaxis. Mirabitur fortè quispiam, librum de *Laude Martyrii ad Mosem & Maximum* silentio nos præteriisse, quem Baronius totis viribus asseruit Cypriano, cui exemerat Erasmus: *Indignissimè tulimus à Momo illo, Erasmum intelligimus,*

Cypr. Ep. LX.

Cypr. Ep. LXXIII.

Bar. An. 255. n. 37.

ANNO DOM. 258.

gimus, Cypriani esse negari. Nos magis assentimur Erasmo, cujus judicium hodie probat pars eruditorum longè maxima.

Liber de Laude Martyrii & de Pascha computus an Cypriani?

XV. Ac stilus sanè ab illo Cypriani prorsus abhorret. Non scripsisset Cyprianus, *Majestas nominis redampliatur.* Præterea una est Cypriani Epistola, ea nempe, quam scripsit Donato, *spumeo ambitu* plena ac luxuriantem seculi redolens eloquentiam, teste Augustino libro IV. de Doctrina Christiana c. 14. Jam verò juvenili Rhetoricæ redundantiâ Epistolam ad Donatum superat tractatus de Laude martyrii. Perpendantur descriptiones & flammæ agris immissæ, & tempestatia maria commoventis, & gennæ, cui præjudiciis emunctæ nares, gravitate & lepore conditam, non olfacient orationem Cypriani. Declamatoris opus esse, vincunt tractatus initia, *Etsi incongruens est, fratres charissimi, in hoc favore dicendi, aliquid trepidationis afferre.* Maximo hoc & argumento esse potest, quòd aliam Cyprianus, aliam Autor *de Laude Martyrii* Scripturæ versionem adhibeat. In primo libro ad Quirinum, versus 9. capit. VI. Esaiæ sic habet: *Ne revertantur & curem illos.* At in libro de Laude Martyrii legimus: *Ne quando convertantur & salvem illos.* Capitis VIII. ad Rom. v. 18. Cyprianus usurpat *revelabitur.* Autor de Laude Martyrii habet, *revelatur.* Quòd si *Momum*, Erasmum videlicet, sectatus fuisset Baronius, Annales sanè suos insigni errore liberasset, in quibus mora Mosis anno CCLV. consignatur, quo consequens est, Mosem Cornelio Episcopo Rom. superfuisse. Perversæ Chronologiæ ansam præbuit opinio, quòd Cypriani Opus erat liber de Laude Martyrii. In libris & de singularitate Clericorum, & de Spectaculis, & de Disciplina, & Bono Pudicitiæ à Cypriano abjudicandis, non est quod immoremur. Observetur in transcursu, Antonium Maliabechium magni Hetruriæ Ducis Bibliothecæ Præfectum literis Pagio notificasse, librum *de Singularitate Clericorum* à Baronio, Pamelio &c. Cypriano vindicatum, in novo decreto librorum prohibitorum Romæ emisso fuisse notatum, *quòd habeat aliqua fidei Catholicæ repugnantia.* Doctissimus Fellus ad calcem Operum Cypriani *Bissexti expositionem edidit*, quam B. Martyri addixit. Quem de Paschate computum notis illustravit *Joannes Wallis, Geometriæ Professor Oxonii.* Antiquum Opus esse censemus. Utpote scriptum anno Æræ Vulgaris CCXLIII. *A passione usque ad annum quintum Gordiani, Arriano & Papo Coss. suppleti sunt, anni* CCXV. Quo tamen jure Cypriano vindicetur, nondum vidimus, stilus sanè non illum Cypriani spirat. Non semel vocabulum *sedecennitates* adhibet. Quòd si Operis Autor est Cyprianus, fide prius imbutus est, quàm statuit Pearsonius. Peritum enim Scripturæ, quisquis ille sit, fuisse necesse est, ut anno CCXLIII. tractatum conderet ejusmodi, quo V. T. oracula Chronologicè explicantur. Illud in observatione ponendum, ab Autore Christi nativitatem in Martii die XXVIII. fuisse consignatam: *O quàm præclara, & divina Domini Providentia, ut in illo die quo factus est Sol, in ipso die nasceretur Christus* V. *Kal. Aprilis feriâ* IV. Quem etiam anno Tiberii XV. baptizatum, decimo sexto in crucem actum fuisse prodit.

ANNO DOM. 259.

ANNO U. C. 1012. PER. JUL. 4972. JUL. 304. DOM. 259. VALERIANI & GALLIENI. 7. *Sol.* 16. B. *Lun.* 13. *Indict.* 7. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

COSS. *Æmilianus & Bassus.*

De hujus anni Consulibus.

I. MAgnas in Historiam tenebras induxere Baronius, Petavius, aliique, qui Gallieni IV. & Valeriani Cæsaris Consulatu hunc annum consignavere, repudiatis germanis Coss. Faciendi causa fuit Valeriani Augusti ad Aurelianum Epistola, perperàm intellecta: *Consulatum cum eodem Ulpio Crinito, in annum sequentem à die undecimo Kal. Juniarum in locum Gallieni & Valeriani, sperato te conventi, sumptu publico.* (Vopisc. Aurel. c. 11.) Quibus illustrissimus Purpuratus colligit, hoc anno Gallieno IV, & Valeriano Cæsari ordinariis Coss. suffectos fuisse, Crinitum atque Aurelianum. (Bar. An. 261. n. 2.) Quâ conclusione *Fasti* non *restituuntur*, sed depravantur, ut jam observatum eruditis. Nempe quem pro ordinario Baronius habuit, Consulatus suffectus est. Neque Gallienus ille Augustus est Valeriani filius, sed Gallienus Junior, filius Gallieni Augusti, & Valeriani Imperatoris nepos. Ordinarium verò non fuisse Gallieni & Valeriani Consulatum, eo conjectura ducitur, quòd ad Calendarum Juniarum undecimum usque continuatus fuerit. De more autem circa Calendas Martias Consulatu abibant, qui ordinarium gesserant. Sunt ergo Æmilianus & Bassus retinendi, astipulantibus Fastis, & Theonianis, & Heraclianis, libello de Præfectis urbi, Catalogo Bucheriano, Actis Fructuosi, Cassiodoro. Quin etiam Valeriani, & Gallieni rescripta, Æmiliani & Bassi nominibus, in Codice Justiniani consignata reperiuntur: *Imper. Valer. & Gallien. AA. & Valerianus nobilis Cæsar, Pactumeio, cui subscribitur* P. P. X. *Kal. Martii Æmiliano & Basso Coss.* (Codic. 2. Tit. 3.) Quòd si Gallienus Augustus hunc annum aperuisset, in Fastis octo Consulatus ipsi vindicarentur, in quibus septem duntaxat numerantur.

Valerianus à Persis captus: ejus calamitas.

II. Valerianus fortunam iniquam trahens, magnum conditionis humanæ posteris exemplum præbuit. Anno proximo repetierat Antiochiam, ut Persis obsisteret. At cùm pestis in exercitum invasisset, partem militum majorem absumpsit. Sapore omnia exitio dante, Valerianus fractus animo, cùm de restituendis rebus prolapsis desperasset, datâ pecuniâ, bello finem imponere voluit. Missos hoc nomine Legatos, rebus infectis Sapor dimisit, postulans ut Valerianus ipse de conditionibus pacis secum veniret in colloquium. Ille temerè, & insipienter assensus, cum paucis ad Saporem proficiscitur, sicque ab hoste apud Edessam subitò comprehenditur. Tum Sapor neque Majestatem Imperatoris reveritus, neque rerum humanarum veritus inconstantiam, captivum suum pro vili mancipio habuit. Ac majoris ignominiæ causâ *in vinculis circunducebatur cum chlamyde purpurea, & reliquo imperiali cultu.* (Constant. Or. c. 24.) Quam Valeriani captivitatem verbis pulcherrimis depingit Lactantius, de Mortibus Persecutorum c. 5. *At illum Deus novo & singulari pœnæ genere affecit, ut esset posteris documentum, adversarios Dei sæpè dignam scelere suo recipere mercedem. Hic captus à Persis, non modò imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam cæteris*

ANNO DOM. 259.

teris ademerat, perdidit vixitque in servitute turpissimè. Nam Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerit, aut vehiculum ascendere, aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat, ac terga præbere, & imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, exprobrans ei cum risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Quam Romani Principis injuriam ne vel Reges probabant, qui contra Valerianum Sapori fuerant auxilio. Ea de re scripsit Balsolus: *Quia vel fato, vel virtute gens illa plurimum potest, vide ne quòd senem Imperatorem cepisti, & id quidem fraude malè tibi cedat, posterisque tuis.* Sed & *Balerus* Rex Cadusiorum sic

Trebel. Valer. c. 3.

scripsit: *Captum Valerianum Principem Principum non satis gratulor, magis gratularer si redderetur. . . . Age igitur ut prudentem decet, nec fortuna te inflet, quæ multos decipit. Valerianus & filium Imperatorem habet, & nepotem Cæsarem. Et quid? Habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus insurget. Redde igitur Valerianum, & fac cum Romanis pacem.* Clade tamen paternâ non commotus est Gallienus. Imò quasi remoto potestatis æmulo, voluptatibus vacabat,

Trebel. Gallien. c. 9.

id unum quærens, *Quid haberet in prandio? Qualis erat scena* futura erat? Ac cùm per pompam Rex Persarum, quasi captivus duceretur, scurræ quidam qui Persis mixti diligentissimè quærebant, interrogati, Quid rerum agerent? responderunt, *Patrem Principis quærimus.* Quibus irâ percitus Gallienus, scurras vivos comburi jussit. Ne infelicis Valeriani malis aliquid deesset, parentis sui vinculorum filius securus erat, quod eleganter tradit Lactantius: *Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quòd cùm filium haberet Imperatorem, captivitatis suæ tamen ac servitutis extremæ non invenit ultorem, nec omninò repetitus est.* Decennio miseram mancipii vitam traxit, quam reliquit anno CCLXIX. Claudio Augusto,

Lactant. de Mort. c. 5.

& Paterno Coss. *Posteà verò quàm pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis; & exuta visceribus pellis infecta rubro colore, ut in Templo Barbarorum Deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, Legatisque nostris semper esset ostentui, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cùm exuvias captivi Principis apud Deos suos cernerent.* Patrem in Deos, sed coactus retulit Gallienus, cùm mortuum audiisset falso ru-

Trebel. Gall. c. 11.

more deceptus. Vitam enim adhùc retinebat: consecratione omnium dementissimâ, quæ agentem in vinculis captivum numinibus inserebat. Porro Valeriani captivitate Barbari dolore affecti, Bactriani, Albani, Scythæ Saporis literas non receperunt, sed ad Romanos Duces scripserunt, auxilia pollicentes, ad Valerianum de captivitate liberandum quasi filialem, quem Gallienus ejurabat, Barbari pietatem induissent.

Error Baron.

Baronius pravâ Christophorsoni versione in errorem inductus, *Valerianum Macriani proditione*

Bar. an. 262. n. 72.

in hunc miseriam delapsum, contumeliis Barbarorum objectum fuisse, secundum Isaiæ vocem, scriptum reliquit. At Græca si consuluisset, ab eo errore se revocasset. Non *Valeriano*, sed *Macriano* Esaiæ verba Dionysius accommodat Alexandrinus. Neque Valerianum indignum imperio scripsisset Dionysius, qui non ignorabat, *jure meritorum & quasi ex totius orbis unâ sententiâ* dictum fuisse Imperatorem. Inficiari tamen nolumus id existimatum Dionysio, Valerianum à Macriano fuisse proditum. Ipsum au-

Eusob. l. 7. cap. 23.

diamus: *Et ille quidem cùm Imperatorum suorum alterum prodidisset, alteri bellum intulisset, brevi cum universa familia stirpitus interiit.* Rem in dubio reliquit Trebellius: *Valerianus victus est à Sapore Rege Persarum, dum ductu cujusdam sui*

Trebel. Valer. c. 3.

Ducis, cui summam omnium bellicarum rerum agendarum curam commiserat, seu fraude, seu adversâ fortunâ in ea esset loca deductus, ubi nec vigor, nec disciplina militaris, quin caperetur, quicquam valere potuit. Porro ne quid dissimulemus, dubia nobis ea est, quam de Valeriano Trebellius historiam memorat. Fronte adversâ pugnat & cum Zozimo, & cum *Belsoli* Epistola. Non enim fraude Saporis captus Valerianus, si locis iniquis, in quæ à suo Duce deductus fuerat, pugnando libertatem amisit. Tum quæ de gravi peste Zozimus habet, quâ deletus magna ex parte exercitus, non satis consentiunt Trebellianæ narrationi, historiamque Zozimi de captivitate Valeriani vero faciunt longè similiorem. Fieri tamen potuit, ut post initum prælium, in quo Sapor vicerat, Valerianus victorem convenerit. Pugnæ enim meminit & Rufus, excusandæ forsan Valeriani socordiæ: *In Mesopotamia adversum Persas Valerianus congressus, à Sapore Persarum Rege superatus est, & captus.* Quâ forte viâ Autores ad concordiam adduci possunt.

Valerianus anno CCLIX. captus.

III. Inter obscura Chronologiæ annus captivitatis Valeriani numeratur, neque immeritò. Verba hæc sunt Trebellii: *De annis autem Gallieni, & Valeriani ad imperium pertinentibus, adeò incerta traduntur &c.* Auget difficultatem lo-

Trebel. Gallieni. cap. 3.

cus Dionysii ad Hermammonem de Valeriani persecutione, cui Joannis accommodat oraculum: *Et data est illi potestas, & menses quadraginta duo.* Jam verò unus idemque annus, & Valeriani libertati, & Ecclesiæ persecutioni finem imposuit. Cùm igitur persecutio anno CCLVII. inceperit, ad annum usque CCLX. continuari debuit, ut menses exhauriret XLII. Citius ergo libertate Valerianus exui non potuit. Verùm enimverò jam indicavimus placere nobis Pagii sententiam, quæ Dionysii verba de Alexandrinorum persecutione statuit esse intelligenda, cui Valeriani captivitas finem non imposuit, furente adhùc Macriano. Nil obstat igitur, quominus currente anno Valerianus in vincula Saporis inciderit. Duo Pagius affert argumenta, quæ huic Chronologiæ præsidio sunt. Primum ex Dionysii Rom. Pontificatu petitur, quem hoc anno adeptus est post annuum ferè Interpontificium ob vim persecutionis. Secundum ex historia colligitur. Trebellius enim Pollio, nec non Victor annos Valeriano sex, Victoris verò Epitome, & nummi septem contribuunt. Quibus consequens est, non toto septennio imperasse. Anno CCLIII. *adultâ jam æstate* rerum habenas Valerianus susceperat. Itaque pars æstatis ultima, nec non autumnus integer, ad septimum Valeriani annum pertinent. Argumentum illustrat Imperium Gallie-

Trebel. Gall.

ni, quod captivo parente gessit: *Cùm XV. annos imperasse constet, Valerianus verò sexto sit captus, alii novem annis, alii X. etiam Gallienum imperasse in literas mittunt.* Cùm igitur Gallienus perierit anno CCLXVIII. sub Martii initia, imperii quod absque parente tenuit, principium non est à currente anno distrahendum. Quibus accedat, si ad verba Dionysii annos Valeriani dirigamus, sequitur ipsum non ante annum CCLXI. Saporis catenis onustum fuisse.

Perse-

Persecutio quæ consiliis Macriani à Valeriano commota est, anno CCLVII. incipit sub initia mensis Augusti. A quo vel incluso, si menses *quadraginta duos* numeramus, ultimus in Januarium anni CCLXI. incidit. Pugnat autem cum historia, quòd eo demum anno Valerianus Saporis in potestatem venerit. Objicit Pearsonius inscriptiones, *quæ Valeriano septimum imperii annum tribuunt. Imp. C. P. Lic. Valerianus P. F. Augustus. P. M. Trib. P. VII. Cos. IV. P. P.* At eo argumento premuntur Baronius atque Lointeus, qui sex solummodò annos ascribunt Valeriano, non nos, qui septimum ingressum esse fatemur. Paulò plus momenti est in rescriptis Valeriani & Gallieni, quibus *Donatus* & *Secularis* subscripsere, quos annum CCLX. aperuisse constat. Parte igitur hujus anni aliquâ libertate gaudebat Valerianus. Mendosas inscriptiones esse statuit Pagius. Admitti tamen facilè possunt, quia non amissa spes erat Valeriano libertatis recuperandæ, cui Tauro-Scythæ aliique Barbari auxilium pollicebantur. Quo casu is Imperatori vel captivo honor haberi potuit, ut ejus nomine decreta conderentur.

Martyres Massa Candida.

IV. Cùm anno præcipiti injectæ sint Valeriano catenæ, ante id temporis multum Christiani sanguinis carnifices effudere. Inter Martyres eminent Africani, quibus nomen *Massa Candida* imponitur: *Massa ob numeri multitudinem, Candida ob causa fulgorem.* Non constat tamen de tempore, loco supplicii, Martyrumque numero. Hoc anno mortem ipsis imperatam fuisse, vero propius est. Cùm enim in Calendario Carthaginensi, eorum memoria celebretur mense Augusto, si anno 258. periere, incredibile est de tam insigni martyrio nil commemorasse sive Pontium, sive Cyprianum, qui Uticensis persecutionis meminit, in ultima sua Epistola Ecclesiæ Carthaginensi missa. Post ergo Cyprianum videntur martyrio coronati, etsi diversæ Prudentius sententiæ fuerit:

Lætior interea jam Tascius ob diem suorum
Sistitur indomiti Proconsulis eminus furori.

Carthagini periisse, tradunt secundum Prudentium Martyrologia. Credibilius tamen, igni traditos Uticæ. Observat enim Ruinartus, *Uticensem Massam Candidam* appellari ab Augustino, sermone 311. qui tertius est in Natali Cypriani. Habuit & sermone apud Uticensem plebem in *Basilica Massa Candida*, qui extat Expositione in Psal. XLIV. Tristem sanè in Christianos Uticæ sententiam datam esse, testatur Cyprianus, qui ex hortis secessit suis: *Ne Episcopus alterius Ecclesiæ, acceptâ apud Uticam super confessione sententiâ, exinde Martyr ad Dominum proficisceretur.* Incertus & Martyrum numerus, quos plures quàm *centum & quinquaginta* fuisse, docet Augustinus Enarratione in Psal. XLIX. Numerum duplicat Prudentius hymno XIII.

Cypr. Ep. LXXXIII.

Fama refert, foveam campi in medio patere jussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam:
Appositam memorant aram fovea stetisse summa
Lege sub hac, salis aut micam, jecur aut suis litarent
Christicolæ, aut media irruerent in ima fossa.
Prosiluere alacres cursu rapidi, simul trecenti
Gurgite pulvereo, mersos liquor aridus voravit.
Præcipitemque globum, fundo tenus implicavit imo:
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes:
Candida Massa dehinc dici meruit per omne seculum.

Gladio tamen animadversos fuisse, asserit Autor sermonis 317. Appendicis Augustinianæ.

Fructuosi martyrium. Num Acta ejus ab omni parte sincera?

V. Insigne est & Fructuosi Tarraconensis Episcopi, Augurii, & Eulogii, Diaconorum martyrium: *Valeriano & Gallieno Imperatoribus, Æmiliano & Basso Coss. XVII. Kal. Februarii, die Dominico*, dum in cubiculo suo jacet Fructuosus, *beneficiarii* milites, Aurelius, Festucius, Ælius, Pollentius, Donatus & Maximus, ad ipsum comprehendendum venere. Quibus in soleis occurrit. Ubi calceatus est, milite permittente, à Præside cum suis Diaconis in carcerem mittitur. Secundâ feriâ Rogatiano in carcere baptismum ministrat. Cùm in vinculis *sex dies* fuissent Fructuosus, Augurius, & Eulogius, XII. Kal. Februarii feriâ VI. audiuntur ab Æmiliano Præside, qui Fructuoso dixit: *Audisti quid Imperatores præceperunt. Fructuosus Episcopus dixit, Nescio quid præceperunt, ego verò Christianus sum. Æmilianus Præses dixit, Præceperunt Deos coli. Fructuosus Epis. dixit, Ego unum Deum colo, qui fecit cœlum & terram.* Eâdem & animi constantiâ Æmiliano interroganti respondere Diaconi. Memoriâ maximè id recondendum: *Eulogio Diacono dixit Præses, Numquid & tu Fructuosum colis. Eulogius Diaconus dixit, Ego Fructuosum non colo, sed ipsum colo, quem Fructuosus. Æmilianus Præses Fructuoso Episcopo dixit, Episcopus es? Fructuosus Episcopus dixit, Sum. Æmilianus dixit, Fuisti, & jussit eos suâ sententiâ vivos ardere.* Multis autem ex fratribus, qui Fructuoso offerebant *conditi permixti poculum*, respondit S. Martyr, *Nondum est hora solvendi jejunii, agebatur enim hora diei quarta.* Ubi ad amphitheatrum pervenit, lector ejus nomine *Augustalis*, rogavit ut calceos ejus exueret, cui Martyr respondit: *Missum fac, fili, ego me excalceo fortis, & gaudens, & certus Dominicæ promissionis.* Cùm apprehensâ dexterâ ejus Christianus nomine *Felix*, rogasset ut memor esset sui, Fructuosus clarâ voce respondit: *In mente me habere necesse est, Ecclesiam Catholicam ab Oriente usque in Occidentem diffusam.* In foro Amphitheatri constitutus, fratribus Fructuosus dixit, *Jam non deerit vobis Pastor.* Ignem ingressi Episcopus & Diaconi, ubi exustæ fasciolæ, quibus manus Martyrum colligabantur, *Orationis divinæ, & consuetudinis solitæ memores, gaudentes, positis genibus, de resurrectione securi, insignoque tropæi Domini constituti Dominum deprecabantur, donec simul animas effuderunt fratres supervenientes nocte, ad Amphitheatrum cum vino festinanter pervenerunt*, quo semiusta corpora extinguerent. *Quo facto, eorumdem Martyrum cineres collectos, prout quisque potuit, sibi vindicavit.* In Actis B. Martyris, ut multa sincera esse existimamus, non dissimulabimus tamen iis contineri nonnulla, non satis aptè divisa temporibus, quibus coronatus est. Apertum est cœlum videntibus *Babylan*, & *Mygdonio* Christianis

ANNO DOM. 259.

stianis ex familia Præsidis, *Qui etiam filie ejusdem Æmiliani, Domina eorum carnali, ostendebant S. Fructuosum Episcopum cum Diaconibus, adhuc stipitibus, quibus ligati fuerant permanentibus, in cælum ascendentes coronatos.* Vocatur ad spectaculum Æmilianus, sed tantâ visione haud dignus, frustra venit: *Post passionem Fructuosus apparuit fratribus, & monuit, ut quod unusquisque per charitatem cineribus usurparat, restituerent sine mora, unoquoque in loco simul condendos curarent. Æmiliano etiam qui eos damnaverat, Fructuosus pariter cum Diaconibus suis ostendit se, in stolis repromissionis, increpans pariter, & insultans.* Quantum animi nostri conjecturâ assequi possumus, pars ex Prudentio in Acta migravit, pars & post Prudentium addita. Quippe longè simplicior est quàm Actorum, Prudentii narratio, etsi Poetis lusus conveniat atque licentia. Unius Satellitis, cujus & nomen ignoratur, meminit Prudentius:

Ruinart. Act. Mart. 223.

Vidit Præsidis ex domo satelles
Cælum Martyribus patere apertum.

Prud. de Cor. hym. 6.

Acta verò *duos* Æmiliani servos exhibent *Babylan, & Mygdonium*, qui etiam ex *fratribus* dicuntur, quasi domesticos Christianos apud se habere voluisset Æmilianus, quo momento Martyres morti addicebat. Neque meminit Prudentius Martyrum Æmiliano minantium, quod in Actis legitur. Rem quod attinet, cùm pars nobilior Fructuosi, Augurii & Eulogii Spiritus videlicet ille sit, qui Deo reddebatur, creditu difficilimum est, mentes invisibiles in cœlum abeuntes, Babylam & Mydonium oculis fuisse prosecutos. Neque fide dignius quod Acta habent, & hymnus Prudentii:

Cernuntur niveis stolis amicti,
Mandant restitui cavoque claudi,
Mistum marmore pulverem sacrum.

Nempe quæ raptim ex cineribus quisque sibi vindicabat, possessoribus inviderunt:

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Novitatis & indicium est ea cælitum patefactio, cujus priscis in Martyrum Actis sive Polycarpi, sive Lugdunensium, neque vola est neque vestigium. Quibus nobis est injecta suspicio, germanis Fructuosi Actis hasce lacinias assutas esse. In Actis quidem Mariani Jacobo agenti in carcere, *Agapius* Episcopus Martyr *per tempus quietis apparuit.* Sed & Flaviano Diacono *Cyprianus* & *Successus* apparuisse dicuntur. At neque Martyrum erant animæ, neque de mistim sepeliendis cineribus mandabant. Visa erant per noctem conspecta, qualia contigere Paulo, cùm vir Macedo astitit, rogans ut sibi succurreret. Sed & illa quorum Acta Martyrum meminere visa, Christi milites ad prælium animabant.

Act. xvi. 9.

Mariani & Jacobi martyrium. Varii Africæ Martyres.

VI. Ingenti quoque persecutione Cirtensis affligitur Ecclesia. Cirta urbs est Numidiæ, qua in regione multi Martyres coronantur. Ab exilio perducuntur ad Præsidem *Agapius & Secundinus Episcopi, prædicandi ambo spiritali dilectione, alter etiam carnalis continentia sanctitate.* Inter eundum, Mariano inciderunt & Jacobo, quos exemplo suo, ad fundendum pro Christo sanguinem accendunt. Vix biduum fluxerat, *ecce Marianum & Jacobum sua palma quærebat. Mugus* Cirtensis Coloniæ suburbano, in civitatem perducti, à centuria militari, cùm interrogati à Præside, apertè & constanter Christum profiterentur, conjiciuntur in carcerem. Jacobus se non Christianum modò, sed Diaconum quoque confessus, exquisitis in carcere tormentis cruciatur: *Nexus qui pendentem gerebat, non manus, sed summos apices pollicum vinxerat, addita etiam pedibus injusta pondera, ut vis rerum convulsione resolutâ de nervis suis totius corporis compago penderet.* At Jacobus, qui in ferendis cruciatibus tyro ac rudis non erat, utpote qui *infestationes jam semel Decianæ persecutionis evicerat, quantum corpore torquebatur, tantum mente crescebat.* Post cruciatum rursus carceri inclusus, dum alto sopore irrigatur, dormienti apparuit Cyprianus, & porrectâ manu, *Veni* inquit, *sede mecum.* Tum arrepta phiala, quæ ad marginem fontis jacebat: *Cùm illam de fontis rivulis implesset, & iterum implens, Jacobo porrexit, qui libenter bibit.* Producti Martyres in publicum, damnati mittuntur ad Præsidem Lambesiranæ urbis, cujus in carcere reconduntur. Ubi dies illuxit, quo morte mactari debuere, perducuntur *ad locum qui riparum collibus, hinc & inde sublimis, mediâ fluminis valle subsederat.* Tum Marianus prædixit *futuram justi sanguinis ultionem, variasque seculo plagas, veluti de cæli jam culmine minabatur, luem, captivitatem, famem, terræ motus, cynomyia venena cruciantia.* Vaticinio fides non defuit. Valeriani non multò pòst lues occupat exercitum, & infelix ille Princeps vinculis circundatur. Post fusum à Mariano oraculum, tam ipse, quàm socii capite plectuntur. At Maria Mariani mater, gaudio exultans, *in ipsa cervicis vulnera frequens osculum fixit.* Suos & Africa Martyres suppeditavit Lucium, Montanum, Flavianum, Julianum, Victoricum, Primolum, Renum & Donatianum. Donatianus *in carcere statim spiritum reddidit ab aqua baptismo ad Martyrii coronam immaculato itinere festinans.* Primolus simili quoque fato concessit, cæteri ad Procuratoris ducti tribunal, qui defuncti Proconsulis Galerii, ut videtur, Maximi partes administrabat, glorioso apertæ confessionis inito prælio vincunt, *& ad alteram victoriam reservati.* Inter Martyres erat Victorius Presbyter, cui puer vultus lucidissimi dixit in visione: *Adhùc modicum laboratis, quia nunc impedimini, sed confidite, quia ego vobiscum.* Statim verò post visum, Victorius passus est. *Quartillosa*, cujus & maritus, & filius, ante triduum, martyrium obierant, offertur & visum. Quas lacte plenas juvenis phialas portabat, unam ad dexteram posuit, alteram ad sinistram, & ait: *Ecce satiati estis, & abundat, & tertia adhùc phiala superveniet vobis, & abiit.* Die visionem secutâ, quâ Martyres jejuni permanserant, *Lucianus disrupto catenarum durissimarum obice, velut per duas phialas, Herennianum Hypodiaconum, & Januarium catechumenum, alimentum indeficiens omnibus ministravit.* Postquàm multis mensibus tulerunt carceris pœnas, famem, & sitim, tandem à Præside in Lucium, Montanum, Julianum, Victoricum sententia dicitur. Lucio ad supplicium eunti, cùm fratres dicerent, *Memento nostri; Vos inquit mei mementote.* Montanus quoque *Hæreticorum contumaciam retundebat, contestans eos, ut vel de copia Martyrum intelligerent Ecclesiæ veritatem, ad quam redire debebant.* Imminente jam carnifice, expansis ille ad cœlum manibus, altâ voce rogavit, ut Flavianus sequeretur, die tertiâ, *& quo precis suæ fidem faceret,*

manua-

ANNO DOM. 259.

manualem, quo oculos fuerat ligatus, in partes duas discidit, & jussit alteram reservari, quâ Flaviano oculi post extremum ligarentur. Flaviani lateri adhærebat mater ejus, in biduo illo quo expectabatur mors Martyris, intereà de nocte apparuit passuro *Vir quidam, dicens, Quid contristaris, bis Confessor es, tertio Martyr eris per gladium.* Eo tempore ad Prætorium ductus quo ducendum Flavianus cecinerat: *Discipuli ejus suadebant cum lachrymis, ut sacrificaret interdum, postea quidquid vellet facturus.* Ille gratias agens, quod præ amicitia dare quantum in ipsis erat, consultum sibi vellent, dixit, *Multò melius esse occidi, quam lapides adorare.* Tum ad cruciatorem se misericordiam contulere, datâ Centenario *notariâ*, hoc est, scriptâ relatione, quâ continebatur Flavianum non esse Diaconum. Quin etiam se apertè Diaconum profitenti populus palam clamavit, *Mentiris*, & cùm iterum a Præside interrogaretur an verè mentiretur, respondit, *Quid est compendium mentiendi?* Damnatus igitur à Præside, dum ducitur, decidit imber largus & lenis, quasi curante Numine, *ne sacramentis legitimæ pacis*, nempe osculi traditione *ullus profanus arbiter interesset*, & ut *Dominicæ passionis exemplo, aqua sanguini jungeretur.* Pace perfectâ, processit ex stabulo, quod Fusciano de proximo junctum est. Et cùm editiorem locum, & sermoni aptum conscendisset: *Habetis, inquit, fratres dilectissimi, nobiscum pacem, si noveritis Ecclesiæ pacem, & dilectionis unitatem servaveritis*: & supremum adjunxit, quòd *Lucianum Presbyterum commendatione plenissimâ prosecutus, quantum in illo fuit Sacerdotio destinavit.* Lucianum Cypriano successisse testatur Optatus lib. I. *Erat altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus & cæteri.* Ad locum victimæ perfecto sermone Flavianus descendit, *& fixis tanquam ad precem genibus, passionem suam cum oratione finivit.*

Acta Martyr. Ruin. 225. &c.

Palestinæ Martyres. De S. Nicephoro. Num acta ejus sincera?

VII. Neque sunt prætereundi silentio tres Palæstinæ Martyres, quos Eusebii memorat historia: *Horum unus dicebatur Priscus, alter Malchus, tertius autem Alexander.* Qui cùm in agro degerent, primum quidem seipsos insimulasse dicuntur, tanquam ignavos, quòd martyrii coronam non præriperent. Cæsaream igitur profecti, Judicem adorti, ad bestias damnati coronantur. In eadem & civitate, & persecutione, ea Marcionis sectæ mulier simili certamine perfungitur. Actis etiam Martyrum Nicephori memoria celebratur. Summa narrationis hæc est: *Sapricio* Presbytero maxima cum Nicephoro laico amicitia fuerat. Ruptis concordiæ vinculis omnibus graves simul inimicitias cepere, ut ne vel in platea sibi occurrere vellent. Cùm ad frugem rediens Nicephorus, multas amicorum de reconciliatione legationes ad *Sapricium* frustra misisset, ortâ subitò persecutione, comprehensus *Sapricius*, sistitur Præsidi. Qui interrogato Presbytero, injunxit sacrificare numinibus. Quod cùm Sapricius forti abnuisset animo, projicitur in cochleam. Tum infractâ quoque mente Præsidi dixit: *Carnis meæ habes potestatem, animæ meæ potestatem non habes, sed Dominus J. C.* Capitis ad supplicium damnato, Nicephorus cadit ad genua, *dicens, Martyr Christi, ignosce mihi, si quid in te peccavi.* Roganti nil Sapricius respondit. Iterum procedenti, prius occurrens quàm urbem exiret, veniam petit, neque etiam responsi à *Sapricio* aliquid habuit. Tertio Nicephorus in loco supplicii *Sapricium* rogat, ut eum exoraret, qui ne verbo quidem uno precantem compellare dignatus est: *Tum dicunt lictores Sapricio, Flecte genua, ut caput tibi amputetur. Dicit autem eis Sapricius, Quare? Dicunt ei lictores, Quoniam noluisti sacrificare.* At Sapricius, *Dii*, inquit, *sacrifico, nolite ferire me.* Hæc ubi audita Nicephoro, multis Sapricium hortatur, ne Christum prodat. At recta monenti non obtemperavit. Tum Nicephorus se Christianum fassus, carnifices rogat, ut pro Sapricio morte immolaretur. Re nunciata Præsidi, jubet Nicephorum capite truncari, quod & a lictoribus peractum. Dissimulare non possumus, Acta hæc, quæ multis videntur esse sincera, nobis redolere fabulam. Mittamus incredibile fieri Martyrem cœlum anhelantem, eò processisse temeritatis, ut obnixe roganti veniam abnuerit, hæc sane vera consentire non possunt: *Dixit Præses, Augusti nostri & Domini hujus regionis, & principes Romanorum, Valerianus & Gallus.* Valeriani Collega in imperio *Gallienus* erat, non *Gallus*, quo vel uno proditur fabulator. Sed & Præsidibus aliena verba fœnerat. Quis Proconsulum unquam orationem fudit ejusmodi? *Augusti nostri & Domini hujus regionis, & primum Romanorum?* Neque in Actis legitimis moris erat Martyribus, Imperatorum numina afficere contumelia, quod à temeritate & imprudentia vix excusari potest. Id verò Sapricius fecisse perhibetur: *Omnes Dii Gentium Dæmonia & pereant à facie universæ terræ.* Insulsum etiam videtur, quòd à lictoribus petierit, *Cur sibi flectenda essent genua*, cùm non nesciret à damnato id esse faciendum, ut caput amputaretur. Illud & absonum, quod inconsulto Præside, lictores Sapricium dimiserint, quibus nil nisi cæca obedientia relinquitur.

Eusеb. l. 7. c. 12.

ANNO DOM. 259.

Ruin. Act. Martyr. 244.

VIII. Sixto in Valeriani persecutione extincto, Romana sedes aliquandiu vacaverat, à sexto scilicet mensis Augusti anni CCLVIII. Currente anno, cùm Romæ mollesceret Ecclesiæ vexatio, Julii XXII. Dionysius Papa creatur, docente Chronico Damasi, quod in ea re sequi nulla invidia est: *Fuit temporibus Gallieni, & die XI. Calendarum Augusti, Æmiliano & Basso Coss. usque in diem septimum Kalendas Januarii Coss. Claudio & Paterno.* Liber Pontificalis, *Monachum* fuisse tradit, quod est longè falsissimum. Romanæ Presbyterum agebat Ecclesiæ, quem Epistolis suis adiit Dionysius Alex. Ea illa, quæ quarta erat de baptismo: *Hunc ipsum Romanum Dionysium eruditissimum, planèque admirandum fuisse, testimonio Dionysii Alexandrini licet cognoscere.* Stephano faverat Dionysius, qui de sententia discessit postmodum, sive Hæreticos cum Cypriano baptizandos esse judicarit, sive durius Stephani Afros excommunicantis factum improbaverit. Id docet Dionysii Alex. ad Sixtum Dionysii Rom. decessorem Epistola: *Sed & carissimis fratribus, & Compresbyteris nostris, qui prius idem cum Stephano senserant, anteà quidem breviter, nunc verò pluribus verbis scripsi.* Ubi Pontificatum adeptus est Dionysius, de Pentopolitanis nonnulli, literis offensi, quas adversus Sabellium Dionysius scripserat Alexandrinus: *Alexandrinum apud Romanum accusant, quasi qui filium rem conditam, & patri minimè consubstantialem diceret, & Synodus Romæ coacta, indignè tulit, & Romanum ad cognominem sibi Episcopum*

Dionysius Papa citari ne Dionysium Alex. Synodus Rom. de doctrina Dionysii Alex.

Eusеb. l. 7. c. 7.

Eusеb. l. 7. c. 5.

Athan. de Synod. t. 1. 918.

Anno Dom. 259.

Episcopum omnium sententiam perscripsit. Cujus Synodi anous est in obscuro. Baronius illam confert in annum 263. Est tamen probabile Pentapolitanorum accusationem anno 260. fuisse institutam. Ultra eum annum prorogati posse non existimamus. Ex quo enim Pentapolitanis concessa facultas adeundi Dionysium Rom. de Epistolis Dionysianis adversus Sabellium, anno circiter CCLVI. editis, quæ offensionem moverant, querelas obtulere suas: *Cùm ipsum non interrogassent, ut scirent quo pacto scripsisset, Romam ascenderent, ibique eum accusant apud Dionysium, ejusdem nominis, Romanum Episcopum.* Accusatione auditâ, Romæ cogitur à Dionysio Synodus, quæ doctrinam, cujus Alexandrinus postulabatur, indignè tulit: *Et Romanus ad cognominem sibi Episcopum, omnium sententias rescripsit.* Quæ lucis aliquid fœnerant verbis Athanasii, cujus mentem neque versionis Autor, neque Baronius sunt assecuti. Infinitivum δηλῶσαι, mutat Pearsonius in participium δηλώσας. Unde exoritur sensus versioni contrarius, quæ sic habet: *Postulavitque à Rom. Præsule, ut objecta sibi indicarent.* At si legitur ἐπιστεῖλαι δὲ ϰ Διονυσίῳ δηλώσας, Dionysius est Rom. qui scripsit Alexandrino: *Scripsit verò & Dionysio, notificans ea de quibus ipsum accusaverant.* Quippe post accusationem Romæ peractam, cujus ignarus erat Alexandrinus, Romano incumbebat Alexandrinum, de instituta accusatione monere, quod & fecit missâ Synodi sententiâ. Quâ accepta, librum condidit suum Dionysius, cui titulum imposuit, Confutatio & Apologia. Hîc Baronius more suo Pontificis Rom. autoritati velificatus, æquum fuisse dicit, *Ad primarium Antistitum omnium Judicem, Rom. Episcopum*, de ea quæstione Alexandrinum deferri. Legitimam tamen, & regulis Ecclesiasticis consentaneam non esse eam Dionysii Alex. accusationem, in confesso est. Non enim se inscio, neque interrogato, Dionysius ad Dionysium Rom. deferri debuit, aut potuit. Convenire prius reum oportuit, apud Synodum Alexandrinam. Nil itaque ex Pontapolitanorum facto autoritatis accrescit Rom. Pontifici. Neque nomine Judicis Antistitum omnium Romanum appellavere Dionysium. Ecclesiastici id instituti erat, cùm Episcopus aliquis errores spargebat, hanc rem Sacerdotes monere omnes, ut scirent, quocum religiosam communionem colerent, ut infinitis doceri exemplis potest. Satis sit observare, id quoque factum in causa Pauli Samosateni, quem violatæ fidei ad Dionysium Alex. & Firmilianum Antiochena Ecclesia detulit. De suo commentatur Labbeus, in Conciliorum collectione maxima t. 1. 830. Dionysium *Pontificem, hoc Episcoporum conventu indicto, Dionysium Alex. ad Concilium citasse.* Dixit Athanasius, Dionysium Rom. *ad cognominem sibi Episcopum, omnium perscripsisse sententiam.* Hoccine *citare* est? Nullum sanè citati Dionysii comparet in antiquitate vestigium, neque sese Dionysius Alex. excusat in Epistola sua, quòd citanti non paruerit. Alexandrinum Dionysium à Romano excommunicatum esse, ubi Centuriatores invenerint, prorsus nescimus, id factum non fuisse, certè certòque scimus. Acceptâ enim Dionysii Rom. Epistolâ, ad defensionem subinde se comparavit Alexandrinus, condito libello, cui titulum fecit, *Refutatio & Apologia.* Romano quoque Dionysio Epistolam scribit, cujus pars extat apud Athanasium, libello de Synodis t. 1. p. 918. De Dionysiani Pontificatus annis magna inter eruditos controversia est. Baronius ejus Pontificatui *annos* XI. *menses tres & dies* XIV. vindicavit. Censet enim Dionysium ad plures abiisse anno CCLXXI. Aureliano Augusto, & Basso Coss. Nos magis Chronici Damasi sententiæ sumus, nempe Dionysium sedisse annis X. mensibus V. totidemque diebus, quod temporis spatium includitur à Julii XXII. quo Pontificatum iniit, Æmiliano & Basso Coss. ad usque XXVI. Decembris anni CCLXIX. Claudio & Paterno Coss. quo naturæ concessit. Itaque ex ipso Chronico Chronicum emendatur: *Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor.* Legendum, Dionysius annis X. mensibus V. diebus V. liquet ex sequentibus: *Fuit temporibus Gallieni, ex die undecimo Kal. Augusti, Æmiliano & Basso Coss. usque in diem septimum Kalendas Januarii Coss. Claudio & Paterno.* Ut imperante jam Aureliano mortem Dionysius obierit, eo Baronius argumento statuit, quòd secunda Synodus adversus Paulum Antiochiæ celebrata sit defuncto jam Claudio Augusto, qui decessit Aureliano. Nos verò vitam adhùc retinente Claudio, Synodi Epistolam ad Dionysium Rom. & alios Episcopos scriptam fuisse censemus, ut suo loco explicabitur. Dum ergo secunda Synodus Antiochena celebratur, Dionysius animam exhalavit. Sepultus est in cœmeterio Callisti viâ Appiâ. Magno Ecclesiæ damno Dionysii scripta periere. Librum edidit *de duplici Hæresi.* Nec semel de viri magni lucubrationibus mentionem egit Athanasius: *Ex Dionysii Rom. Operibus*, inquit, *contra eos, qui filium Dei opus asseverant, ostenditur Arianorum Hæresim olim ab omnibus damnatam fuisse.* Verba quoque Dionysii affert libro de Decret. Synodi Nic. t. 1. 275.

Ath. t. 1. 558.

Athan. de Synod. t. 1. 918.

Lib. de Succes. Pr. Rom. Epist. c. X. p. 103. n. 4.

Ath. t. 1. 558.

Bar. an. 263. n. 31.

Bar. an. 272. n. 22.

Ath. t. 1. 558. & 918.

Epistolæ Dionysii subditæ.

IX. Epistolæ illustri Dionysii ornatæ nomine circumferuntur. Prior ad Urbanum Præfectum, hortatur eum, *sapienter disponere, & judicare, quæ illi commissa sunt.* Data est XV. *Nonas Februarii, Aureliano & Basso viris clarissimis Coss.* Posterior Severo scribitur Episcopo: *De Ecclesiis Parrochianis, ut singula singulis dentur Presbyteris, & ut nullus alterius Parochiæ terminos, vel jus invadat.* Data est V. *Idus Septemb. Claudio & Paterno viris clarissimis Coss.* Subditas esse Dionysio Epistolas, docent & stilus, Dionysio viro doctissimo indignus, & inscriptiones. Annum CCLXXI. aperuere *Aurelianus & Bassus*, quo tempore Dionysius ad fata venerat, Claudii quidem & Paterni Consulatu Epistolam scribere Dionysius potuit. Ad Severum tamen non scripsisse, eò constat, quòd ignoraverit larvatus Autor Epistolæ, Paterni Collegam Claudium Imperatorem fuisse, quod verum Dionysium latere non potuit. Initium Epistolæ impostori fœneravit Leonis Epistola XXIV. *Olim & ab initio, tantam percepimus à B. Petro Apostolorum Principe fiduciam.* Locos etiam inseruit ex Gregorio M. Consulantur & libri XV. Epistola 52. & libri VII. Epistola 113.

Regilliani rebellio.

X. Anno proximè elapso Tusco & Basso Coss. purpuram sumpserat *Ingenuus*, quem hoc anno Gallienus vicit. At Mœsii, quorum in parentes graviter Gallienus sævierat, Regillianum Imperatorem crearunt. Valerianus Tribunus dixerat, Regilliani nomen unde credimus dictum? Alius continuò, *Credimus quòd à Rege.* Dixerunt ergo milites, Potest Rex esse? Aliâ die,

ANNO DOM. 260.

die, cùm manè processisset, à Principibus exercitus Imperator salutatur. Dacus erat, &, ut fertur, affinis Decebalo, vir militiâ insignis, & Gallieno suspectus, quòd dignus videretur imperio. Non multò pòst consentientibus militibus, ne iterum Gallienus graviora faceret, interficitur. *Treb. c. 9.*

ANNO U. C. 1013. PER. JUL. 4973. JUL. 305. DOM. 260. GALLIENI 8. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 14. *Indict.* 8. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 7. 1. *P.* 15. *Apr.*

COSS. Cornelius Secularis II. & Julius Donatus.

Cornelius Secularis Præfectus Urbis.

Nùm Secularis & Donatus annum aperuere?

I. QUi Secularis & Donati Consulatum explodunt Baronius atque Petavius, multum perturbationis in Fastos induxere, cùm eâ ratione anni Juliani Olympiadesque mutentur. Eo tamen errore ad Epocham Christianam Baronius propius accessit, extincto Consulatu tam Æmilii & Bassi, qui superiorem, quàm Secularis & Donati, qui currentem annum aperuit. Baronii Æra à Christiana ad annum usque CCLI. biennio recesserat. Exinde triennio aberraverat, Consulatu suffecto Decii in ordinarium mutato. Porro Secularis & Donati Consulatum retinendum esse, docent Fasti & Theoniani, & Heracliani, Cassiodorus, Alexandrinumque Chronicum, Bucherianus Consulum Indiculus, & de Præfectis Urbi libellus. Tot Fastorum & Græcorum, & Latinorum conspiratio, magnum utique est argumentum veritatis.

Gallieni mores.

II. Gallienus auditâ parentis sui captivitate, dedecoris, quod ex ea Romano nomini inferebatur, securus, in lætitiam conjicitur. Ac quod amisso filio Xenophoo usurparat: *Sciebam me genuisse mortalem*, dixisse fertur, *Sciebam patrem meum esse mortalem*. Severiorem quippe Valeriani disciplinam ferre non poterat Princeps voluptatibus penitùs immersus. Neque magis cladibus imperii movebatur, obstupefacto deliciis animo. Audito Ægyptum descivisse, dixisse fertur, *Quid sine lino Ægyptio esse non possumus?* Perditâ Galliâ, arrisisse perhibetur: *Non sine Atrebaticis sagis tuta Resp. est*. Ac ne voluptuosi Imperatoris omninò prætereatur miseranda solertia, verno tempore *cubicula de rosis fecit*, de pomis castella composuit, hyeme summâ melones exhibuit. Crinibus suis auri scobem aspersit, cum corona radiata, quæ numinum propria sæpius processit. Nunquam in uno convivio ex uno vino duo pocula bibit. Crudelitate quoque laborabat, quam militum sanguine explevit, ex quibus terna & quaterna millia uno die occidit. Contemptâ penè Rep. Areopagitarum numero inseri valde cupiebat. Erat enim oratione, poëmate, atque artibus omnibus clarus. Epithalamium quod condiderat, *Inter centum Poëtas præcipuum fuit*. Erat & ingeniosissimus. Productum in arenam taurum, cùm venator decies occidere tentasset, missâ venatori coronâ, per Præconem dici jussit, *Taurum toties non ferire difficile est*. Clementiæ nonnunquam specimen exhibuit. Gemmas vitreas pro veris uxori ejus *Saloninæ* negotiator vendiderat. Re proditâ, surripi quasi ad leonem venditorem jussit. Deinde è cavea capone emisso, per Curionem dici præcepit, *Imposturam fecit, & passus est*: deinde negotiatorem dimisit. Nonnulla & in eo virtutis indoles apparuit. Cùm enim nuntiatum esset per frumentarios, *Claudium* irasci, quòd mollius viveret, hoc graviter accepit. Scripsit igitur Venusto: *Quæso ut Claudium facias, à Grato & Herenniano placari.* Iratò etiam multa muneri dedit. Amori diverso pellicum deditus erat, & *Saloninæ* conjugis, & concubinæ, quam per pactionem concessâ parte superioris Pannoniæ, à patre Attalo Marcomannorum Rege, matrimonii specie susceperat, Pipam nomine. Ex Salonina suscepit Cornelium Valerianum, Saloninum Gallienum, qui Cæsar à Valeriano avo dictus est, & Q. Julium Saloninum, qui defuncto fratre Cæsar creatur.

Gallien. c. 17. *Treb. Gal. c. 6.* *Gallien. c. 12.* *Claud. c. 17.* *Vict. Epit.*

Scytharum in Italiam impetus.

III. Dum his moribus Gallienus vino vacat & amoribus, in Oriente omnia velut destituta Principe, confusa pariter & indefensa jacebant. Et Scythæ conjunctis animis, in unum ex qualibet gente congressi, parte quâdam copiarum suarum in Illyricum prædatum exibant, & civitates vastabant. Cum alia verò parte Italiam ingressi, ad ipsam usque Romam pervenerunt. At Gallieno Transalpinis in locis hærente, Germanicisque bellis intento, Senatus urbem in summum discrimen adductam videns, & milites quotquot erant ad urbem instruxit, & arma valentioribus ex plebe dedit, & hoc modo exercitum barbarico majorem coëgit, quem Scythæ veriti, Româ præteritâ, Italiam universam afflixerunt. Ad hanc Scytharum irruptionem collimat Vopiscus in Aureliano c. 21. *Cùm videret posse fieri, ut aliquid tale iterum quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio Senatus, muros urbis Romæ dilatavit.* Tanta belli calamitatibus & pestis accessit, quanta nunquam prius ullo tempore extiterat, calamitates à Barbaris illatas leviores reddidit. *Zozim. l. 1. c. 37.*

Aureoli rebellio. Quot annos imperavit?

IV. Cùm tantis calamitatibus Romanum quassaretur imperium, extinctum penè ac deletum videbatur, ut umbræ regni potius, quàm germani imperii speciem gereret. Ne verò dolori ejus aliquid deesset, coorti ubique locorum tyranni, quos Gallieni socordia audaces faciebat, exanimis penè Reipublicæ reliquias vitæ lacerant. Primus post captum Valerianum Aureolus, in contemptum Gallieni ab Illyricianis exercitibus, quibus præfectus erat, coactus sumit imperium sub anni hujus initia. Quod & ad annum usque CCLXVIII. tenuit. Utebatur Domitiano Duce fortissimo, qui ad Domitianum Augustum genus referebat suum. Cujus & virtute Macrianum in Illyrico & vicit, & occidit anno sequente. Ex victo exercitu triginta militum millia Aureoli in potestatem concessere. Quo auxilio factus validior, secum pacem inire Gallienum coëgit, qui virum expugnare fortissimum frustrà tentarat. Dum Posthumi rebellione Gallienus in Gallia retinetur, pacatè tranquillèque regnavit. Anno CCLXVIII. dum Romam contendit, ipsum Gallienus, ut Victor habet, vel Claudius apud Pontem, cui ex eo Aureolii nomen est, fudit acie, & Mediolanum se recipere coëgit. Extincto Gallieno cùm Claudius successisset, Aureolum *Tyrannum, missis ad Populum edictis, datis etiam ad Senatum orationibus, judicavit.* Rogantem, & fœdus petentem tali responso repudiavit: *Hæc à Gallieno petenda fuerant, qui consentire moribus poterat, & timere.* Ubi se dedit militibus, qui propter Imperatorem erant, interficitur anno imperii sui nono. Aureolum Historicorum nonnulli laudibus affecere, quorum unus *Gallus Antipater* de eo sic habet: *Vo-* *Treb. Claud. c. 5.*

Anno Dom. 260.

nimus ad Imperatorem nominis sui. Sepulchro humiliore defunctum donavit Claudius, cui Græcum Epigramma additum, quod Latinè vertit Grammaticus:

Donat sepulchro Victor, post multa tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum.

Vict. de Cæs.

Non nos latet, Victorem, Zonaramque, Aureoli rebellionem in ultimos Gallieni annos contulisse: *Postquam periculum propinquabat, tandem urbe egreditur* Gallienus. *Namque Aureolus, cum per Rhetias legionibus praeesset, excitus, uti mos est, socordiâ tam ignavi Ducis, sumpto imperio Romam contendebat.* Pollionem tamen, & Zozimum secuti sumus, quorum prior Victorem, posterior Zonaram antiquitate superat. Neque tanti sunt argumenta quibus nostra Chronologia impugnatur. Objicit vir eruditus, Aureolum Illyrici potentem fuisse. Ubi igitur Regillianus ille, qui teste Pollione, in *Illyrico Ducatum gessit?* Fingemusne ambo simul Illyricum tenuisse? Respondemus, brevissimum fuisse imperium Regilliani, qui metu Gallieni, mox extinctus est anno proximo: ut nil absurdi sit, currente anno Aurelium sibi imperium ascivisse. Objicit iterum ex ipso Trebellio: *Contra Posthumum Gallienus cum Aureolo & Claudio Duce bellum incepisse.*

Gallien. c. 7.

At corruptum locum esse, vero propius est. Vix credibile quidem, post rebellionem, *Aureolum* Gallieno socium comitemque fuisse belli adversus Posthumum. Itaque legendum *Aureliano & Claudio.* Gallieno sanè in comitatu fuisse Aurelianum, dum adversus Aureolum arma movet, Victor testatur: *Aureliani consilio, cujus gratia in exercitu, atque honore præstabant.* Quòd si vulgatam retineri lectionem placet, alia & afferri solutio potest: *Pacem cum Aureolo contra Posthumum pugnaturus* Gallienus fecit, teste Pollione. Ex pacis conditiones fuisse videntur, ut Illyricum retineret Aureolus, eâ lege tamen, ut Gallieno tanquam seniori Augusto ad delendum Posthumum, Gallieni Cæsaris percussorem, esset auxilio. At sorte suâ non contentus Aureolus, majora molitur postmodum: *Excitus socordiâ tam ignavi Ducis sumpto imperio Romam contendebat*, ut habet Victor de Cæsaribus. Eò potest & Pollio referri: *Gallienus ab Aureolo, qui Principatum invaserat, dissidebat, sperans quotidie gravem & intolerabilem tumultuarii Imperatoris adventum.*

Gallien. c. 14.

Macriani rebellio. Quamdiu imperavit?

V. Hoc ipso anno, sed jam rebelle Aureolo, Macrianus in Oriente Imperator creatur. Cùm Gallienum contemnendum, Ballista Præfectus Valeriani, & Macrianus intelligerent, quærentibus etiam militibus Principem, constituitque Aureolum imperium usurpasse, unum in locum concessere, quærentes quid faciendum esset. Verba Ballistæ hæc fuere: *Quis tandem est, qui Valeriani locum possit implere, nisi talis qualis tu es, ô Macriane, fortis, constans, integer, probatus in Repub. & quod maximè ad imperium attinet, dives. Arripe igitur locum meritis tuis debitum.* Respondit Macrianus: *Volo Resp. subvenire, atque illam pestem à legum gubernaculis demovere. Sed non hoc in me ætatis est. Juvenes alii sunt quærendi, nec unus, sed duo vel tres fortissimi, qui ex diversis partibus orbis Remp. restituant, quam Valerianus fato Gallienus vita sua genere perdiderunt.* Macriani mente intellectâ, dixit Ballista: *Prudentia tua Rempublicam tradimus. Da igitur liberos tuos, Macrianum & Quietum, fortissimos juvenes, olim Tribunos à Valeriano factos, qui Gallieno imperante, quòd boni sunt, salvi esse non possunt.*

Trebel. c. 11.

Anno Dom. 260.

Sic Magorum promissionibus non defuit eventus, qui fauturi suo Macriano imperium polliciti fuerant. Qui & odium numinis in liberos transfudit suos. Ex verbis consilii, quæ Mæonio Astyanacti debemus, qui ei interfuerat, colligimus, præsente potius, quàm insequente anno, Macrianum Imperatorem fuisse creatum. Etsi non nos lateat *Gallieno & Volusiano Coss.* Macriano imperium esse delatum apud Pollionem legi. Quæ tamen de *reliquiis exercitus* à Macriano & Balista convocatis, habet in Gallienis, restantur non labente post captum Valerianum biennio indictum esse conventum. Eò loci res Orientis erant, ut citius Princeps quæri debuerit. Deinde cùm Macrianus anno Gallieni nono perierit, qui partim CCLXI. partim CCLXII. Dionysiano insidet, in priore potius quàm posteriore parte periisse, magis est consentaneum. Relicto Oriente, Macrianus XLV. militum millia secum ducens, in Illyrico, vel in Thraciarum extremis, congressus Aureolo, à Domitiano, qui copiis præerat Aureli, victus cum Macriano juniore filio occiditur anno CCLXI. Sic non toto biennio imperium tenuit. Quod & indicat Dionysius Alex. *Religiosissimus Imperator septennalem circulum jam emensus, nonum imperii annum degit.* Septimum inter & nonum Macrianus, nubis instar, quæ Solis radios subiens, ejus splendorem brevi tempore obscurat, liquifacta deinde, solis jubar subjicit oculis, Gallieni majestatem cùm exiguo tempore obscurasset, eam luci restituit, & sua, & filiorum clade. Quâ auditâ, Odenatus *Quietum* interemit. Extincto Macriano Ægyptus, quæ à Gallieno desciverat, in ejus ditionem redigitur. Anno CCLIII. Macrianum Imperatorem creatum fuisse, Pagio creditum. Cui assentiri non possumus. Cùm enim audito Aureolum imperasse, purpuram sumpserit Macrianus, ejus initia ab anno CCLX. divelli non possunt, obstante maximè Regilliani rebellione, quæ Aureoli defectioni antecessit. Quin etiam cùm Valerianus septimum imperii annum ingressus sit, nec nisi post menses aliquot, ab ejus captivitate Macrianus Augustus dictus fuerit, longè satius est in annum CCLX. ejus initia conferre.

Valentis rebellio, atque Pisonis.

VI. Hoc & ipso anno CCLX. Valens Romanum divellit imperium. Militiæ peritus, & civilium virtutum gloriâ pollens, Proconsulatum Achaiæ à Gallieno acceperat. Quem cùm Macrianus timeret, vitæ clarum, & sibi inimicum, misso Pisone nobilissimæ & Consularis familiæ viro interfici præcepit. Valens aliter sibi non posse subveniri ratus, sumit imperium. Ubi Valentem imperare novit Piso, paucis consentientibus & imperium usurpat *Thessalicusque* vocatur. Vir erat summæ sanctitatis, temporibus suis frugi dictus, omnibus Principibus gratus, & cui similem Romana Resp. non haberet. Ad eum percussores misit Valens, testatus tamen, non sibi apud Deos inferos constare rationem, quòd quamvis hostem Pisonem jussisset occidi. Non moltò pòst Valens à suo milite interficitur. Amborum morte auditâ, die VII. Kal. Julias, Aurelius Fuscus Consularis primæ sententiæ, qui in Valeriani locum successerat, ait, Consul consule. Cùmque consultus esset: *Divinos*, inquit, *honores Pisoni decerno, neque enim melior vir quisquam fuit, neque constantior.* Cæteri statuam inter triumphales, & currus quadrijugos Pisoni decreverunt.

VII.

ANNO DOM. 260.

Posthumi rebellio. Quot annos imperavit?

VII. Sub idem penè tempus, quo honoribus afficitur memoria Pisonis, Posthumus in Galliis occupat imperium. Obscurissimo loco, & ut iouere videtur Eutropius, in Gallia natus erat. At generis obscuritatem virtutibus illustravit. Vir erat & in bello fortissimus, & in pace constantissimus, & in omni vita gravia: ac tantæ apud Gallienum existimationis, ut Salooinum filium suum io Gallia positum crederet, *quasi custodi vitæ, & morum, & actuum imperialium institutori*. Ubi verò animum ad res novas adjecit, Gallis ægrè ferentibus pueri imperium, Posthumus sumptis secum militibus, qui cum ipso defecerant, Agrippinam contendit. Obsesso Valeriano Gallieno Salonino Cæsare Gallieni Augusti filio, minatur se obsidionem noo soluturum, nisi deditus ille fuisset. Militibus obsidione compulsis, *Saloninum* tradidere, qui à Posthumo interficitur. Sic in Gallia imperio potitur, multo Reip. commodo. Maximus Gallorum omnium erga Posthumum amor fuit: *Quòd submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem revocasset imperium.* Quod ut firmius evaderet, Victorinum imperii Collegam ascivit anno CCLXII. Aureliano & Claudio comitatus, Posthumo bellum Gallienus indixit. Multis commissis præliis, victrix pars Gallieni fuit, cui nonnunquam subita inerat virtutis audacia: qui & ioter pugnandum sagittâ vulneratur circiter CCLXIV. Seditione militum vir ille fortissimus Posthumus interfectus est: *Quod Moguntiacum, quæ adversus eum rebellaverat, Lolliano res novas moliento, diripiendam militibus tradere noluisset.* Posthumus Cæsar, Imperatoria filius, cum patre occiditur. In declamationibus tantæ fuit eloquentiæ, *Ut ejus controversiæ Quintilliano dicantur insertæ*. Matrem habuit *Juniam Donatam*, senioris Posthumi conjugem. Quot annis administravit imperium Posthumus, est inter Veteres non minimum disceptationis. Pollio: *Salonino*, inquit, *interfecto, ab omni exercitu, & omnibus Gallis, Posthumus gratanter acceptus, talem se præbuit, per annos septem, ut Gallias instauraverit.* Diversa est Eutropii sententia: *Posthumus in Gallia obscurissimè natus, purpuram sumpsit, & per annos decem ita imperavit, ut consumptas penè Provincias, ingenti virtute, & moderatione reparaverit.* Gallieno quoque superfuisse, non obscurè Zozimus indicavit. Aureolum enim Ducem omnium copiarum, ad urbem Mediolanum: *Posthumi in Italiam transitum* observare jussum fuisse tradit. Affert & Posthumi nummum Pagius, cujus in postica inscribitur: P. M. *Trib.* P. X. *Cos.* V. P. P. Quo ad usque annum CCLXIX, vitam retinuisse videtur. Quamcuoque sanè Chronologiam amplectamur, aquam oobis hærere necesse est. Anno tamen CCLXIX. inter homines non fuisse Posthumum, gravi argumento comperimus, quod sibi non objecit Pagius. Nunciato Claudium dictum esse Imperatorem, itum est ad Apollinis Templum, *Dictumque, tu nos ab Aureolo vindica, tu nos à Zenobia, & Victoria libera.* Quod à Patribus acclamatum, *nono Kalendas Aprilis*, anno CCLXVIII. Quòd si Posthumo, & Victorino vita tum superstes fuisset, multò magis dixissent: *Tu nos à Posthumo, & à Victorino libera.* Ac sanè nil esse causæ videtur, cur noo æquè à Posthumo, & Victorino liberari flagitarint atque ab Aureolo: nisi quòd vivebat Aureolus, alii verò naturæ concesserant. Ex acclamatione Senatus aliud & affertur argumenti, quod sibi Pagius objicit: *Claudi Auguste, Tetricus nihil fuit.* Respondet vir doctissimus: *Non inde sequitur, Victoriam & Tetricum jam tum imperasse, sed tantùm Romanos graviter tulisse, quòd in Oriente & Occidente à fœminis urgerentur.* Nobis tamen hoc effugii videtur esse vanissimum. Instamus enim & urgemus, cur de Posthumo & Victorino Patres liberari oon optarint, si tum temporis imperabant. Deinde quomodo à Zenobia, sic & à Victoria liberari cupiunt. Jam verò certo certius est, eo tempore quo acclamabatur Claudio, rerum habenas in Oriente Zenobiam tenuisse, in Galliis igitur regnabat & Victoria. Tertiò, nil causæ Patribus erat, *Tetrici* meminisse, si privatum agebat. De Tetrico mentionem fecere, quia purpuram induerat, quod extinctis Victorinis, & Posthumo contigisse extra dubium est: *Victoria ubi filium ac nepotem à militibus vidit occisos, Posthumum deinde ac Lollianum, Marium etiam, quem Principem milites nuncupatant interemptos, Tetricum ad imperium hortata est.* Nostris & argumentis illud accedat, quòd, missis ad Populum edictis, datis etiam ad Senatum orationibus, Posthumum & Victorinum, oon minus quàm Aureolum, Claudius à *Reip. gubernaculis pepulisset, tyrannosque judicasset.* Quod fecisse non reperimus. Eò igitur magis inclinat propendetque sententia, quòd *septennii* spatio inclusum sit imperium Posthumi, ac anno CCLXVII. superstite etiamnum *Gallieno*, ad fata venerit. Cur autem Posthumo annos X. vindicarit Eutropius, & secundum Eutropium Orosius, ratio hæc esse potuit, quòd decennio Galliis præfuit, sed duplici titulo, quem non satis accuratè distinxerunt. Primum Præfecti nomine, quoad libertatem Valerianus retinuit, quæ administratio triennio perduravit, ad usque annum CCLX. quo rebellavit, extincto filio Gallieni, Salonino Cæsare. Quantum in tenebris quibus Gallieni offunditur imperium videre licuit, Trebellii de Posthumiano regno Chronologia est omnibus anteponenda.

Europ.

Pol. Trig. Tyr. c. 2.

Zozim. l. 1. c. 40.

Trebel. Claud. c. 4.

Pag. Crit. an. 269. n. 4.

Treb. Trig. Tyr. c. 30.

Persecutio extinguitur a Gallieno.

VIII. Dum variis motibus concutitur imperium, ferialia Valeriani in Christianos edicta à Gallieno revocantur. Gallienus solus imperium obtinens, moderatius se gessit: *Missisque rescriptis, persecutionem adversus nostros commotam sedavit, atque religionis nostræ Antistites securè deinceps munus suum obirent, edictis præcepit.* Rescriptum ejusmodi in illo indicatur, quòd Ægyptiaca Episcopis, *Dionysio, Pinnæ, Demetrio*, cæterisque regionis hujus Præsulibus, extincto Macriano misit: *Indulgentiam beneficii nostri per universum orbem diffundi præcepimus, ut cuncti à religiosis locis abscedant. . . Atque id quod vobis exequi licet, jamdudum à me concessum est.* Nondum tamen otia facta Ægypto, cui Macrianus Christo infestissimus imperabat. Secus nil peculiaris rescripti, quod Dionysio, Pinnæ, & Demetrio missum est, opus fuisset, si quæ Ecclesiis concessa Christiania & Ægyptiis paa fuisset restituta.

Euseb. l. 7. c. 13.

Marini martyrium De Astyrio, Martyrne fuerit?

IX. Porro Gallieni benignitas, militum qui Christi religionem amplectebantur, paci noo consuluit. Marinus splendore generis & opibus clarus, militari officio fungens, ad Centurionis dignitatem ordine suo vocabatur. At Marini æmulus, ad tribunal accedens contendit, eo honore indignum esse Marinum, utpote qui Christianum agens, Imperatoribus sacrificare renuebat. Eâ re commotus *Judex, Achæus* nomine, primùm quidem interrogat *Marinum*, cujusnam esset sententiæ? Audito Christianum se esse,

trium horarum spatium ad deliberandum confitenti concessit. Egressum è Prætorio, Theotecnus Cæsariensis Episcopus prehensâ manu ducit ad Ecclesiam. Cùmque interius ad ipsum altare eum statuisset, reductâ tantisper ejus chlamyde, gladium illi quo præcinctus erat ostendens, mox sacrorum Evangeliorum codicem ex adverso locat, jubens ut ex duobus, utrùm mallet, eligeret. Marinus nihil cunctatus, protensa dextrâ, codicem cùm apprehendisset, his eum verbis Theotecnus compellavit: *Adhære igitur, adhære Deo, ejusque virtute roboratus, consequere quod elegisti, vade in pace.* Admotus tribunali Marinus, cùm majorem vim fidei ostendisset, statim ad supplicium adductus, martyrio coronatur. Supplicio Martyris *Astyrius* interfuerat, unus ex Romanis Senatoribus, Imperatoribus unicè charus, splendoreque generis, divitiisque notissimus. Humeris ille suis Marini corpus impositum, candidâ & pretiosâ amictum veste bajulavit, & magnifico cultu ornatum sepulchro condidit. Nec pietate modò, sed miraculis quoque *Astyrii* nomen inclaruit. In fontes Jordanis, ac pedes Panii montis, festo quodam die Ethnici victimam projicere dicebantur, quæ arte Dæmonis evanescebat. Ubi his fortè ceremoniis Astyrius interfuit, precibus Christum enixè rogat, ut constrictâ Dæmonis potentiâ plebs miserè delusa non posthac deciperetur. Peractâ oratione, victimam fontibus supernatasse, fama est, miraculumque prorsus intercidisse. *Astyrium* & obiisse martyrio, scripsit Rufinus: *Honorem quem Martyri detulit, continuò ipse Martyr assequitur.* Et in Latinorum Martyrologiis, Natale tam Marini, quàm Astyrii tertio Martii celebratur. Traditio tamen Rufini non multum probabilitatis habet. Martyrium quidem Astyrii silentio Eusebius non præteriisset. Sed & pace à Gallieno redditâ, Senatorem Romanum Imperatoribus charissimum, pro Religione morti adductum fuisse, fides est difficillima.

Euseb. l. 7. c. 16. 17.

Rufin. H. E. l. 7. c. 13.

Anno Dom. 261.

Anno U. C. 1014. Olymp. 260. Per. Jul. 4974. Jul 306. Dom. 261. Gallieni 9. *Sol.* 18. F. *Lun.* 15. *Indict.* 9. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 2. P. 7. *April.*

Coss. Gallienus Augustus IV. & Petronius Volusianus.

Nummius Albinus Præfectus Urbis.

Acta Saporis.

I. CApto Valeriano Sapor, qui se superbum in fortuna præbebat, æquè ad vastandum ac vincendum aptus, anno CCLX. impetum in imperium facit. Audiamus Agathiam: *Artaxerxi in imperium Sapores succedit, omnium crudelissimus: vixit hic unum & triginta integros annos, & ingentibus jacturis Romanos affecit, utpote qui Imperatorem eorum necando, nil denique ad eam rem sibi impedimento fore præcogitarat. Mesopotamiam vastavit, deinceps finitimos quosque Cilices, Syros, Cappadoces usque pervadens, depopulatus est, & incredibilem his intulit cladem, atque adeò ut abruptas illas & vacuas montium intercapedines, anfractusque cæsorum impleverit cadaveribus, complanaverit colles, & loca editiora inter se distantia; ac postmodum fertur sic equitasse, & pervasisse, ac si montium fastigia in infimo descendissent.*

Agath. l. 4. c. 11.

Odenatus. Fuitne Palmyræ Princeps?

II. Dum decursionibus per equites quos habebat innumeros, Sapor vastat regiones in quas incurrit, totumque nutat Orientis imperium, inexpectatum ecce Romanis auxilium adest, Odenatus præclaris facinoribus ad sidera notus. Palmyrenum fuisse, Historicorum est omnium magna consensio. Palmyrenorum & *Principem* fuisse, Pollio testatur. Quæ res non extra dubium. Zozimus quidem omissa Principis dignitate, Odenatum vocat ἄνδρα Παλμύρηνον, *virum Palmyrenum.* Palmyra urbs ea nobilis, quæ Palmyrenensi tractui nomen imposuit suum, pro colonia Rom. habebatur. Stephanus: *Palmyra,* inquit, *castellum Syriæ. Iidem etiam Adrianopolitæ appellati sunt, civitate ab Imperatore instauratâ.* Sed & Ulpianus coloniis Palmyram inseruit: *Est & Palmyrena civitas in Provincia Phœnice, prope Barbaras gentes, & nationes collocata.* Vocula *&* indicio est, Palmyram coloniarum unam esse, quarum Ulpianus numerum exhibet. Alioquin dum colonias recenset, in eis Palmyram collocare non debuisset. Quæ cùm ita sint, urbis quæ colonia erat, Princeps Odenatus esse non potuit. Princeps sanè Rufo Festo non audit, sed *Decurio Palmyrenus.* Imò Agathiæ obscurus homo scribitur: *Odenatus Palmyrenus obscurus homo primùm, & ignotus, Saporis verò calamitatibus, & præclaris adversus ipsum facinoribus magnam sibi gloriam comparavit.* Salva tamen esse potest Pollionis historia. Palmyrenorum Princeps erat Odenatus, non Palmyræ civitatis. Plurimas enim in Palmyrene urbes fuisse, docet Ptolomæus: *Rhasapham, Collen, Orizam, Puteam, Adadam* &c. quarum uni præfuisse potuit. Dignitatem ab Imperatoribus fuisse consecutum indicat Zozimus: *Odenatus vir Palmyrenus, & inde usque à majoribus suis eum honorem adeptus, qui concedi ab Imperatoribus solet.* A prima ætate capiendis feris, leonibus, ursis operam dederat, quasi præliorum committendorum tyrocinio. Patiens frigoris atque caloris, in montibus quibus oberrabat venando, solem ac pulverem in Persicis bellis facilius tulit. Huic uxor erat Zenobia, nobilissima omnium mulierum Orientalium, simul & speciosissima: Palmyra *privatâ forte, inter duo imperia summa Romanorum Parthorumque, & prima in discordia, semper utrinque cura.* Agente Saporis in vinculis Valeriano, Odenatus superbo Regi multa miserat munera, victorisque gratiam humillimâ Epistolâ ambiebat. At Sapor fortunâ tumidus suâ, laceratâ indignè Epistolâ, in flumen munera conjecit, mandatque Legatis, Principi suo dicere, vinctis manibus se conveniret, exhibendæ Regi Regum venerationi. Quibus offensus Odenatus, partes Gallieni tenere decrevit. Is ubi reliquis Romanorum exercitibus copias suas quàm poterat maximas, admiscuisset, strenuè Saporem adoritur: *Odenatus Decurio Palmyrenus,* inquit Rufus, *collectâ Syrorum agrestium manu, acriter* Persis restitit, qui jam Syriam sibi ceperant vindicare. Agrestes illi, id nominis etiam retinent, hodie *Beduini* vocati; id est, explicante Scaligero, Ἀγρῖωται, *Agrestes.* Genus hominum montanum, imperii impatiens, quales Cosaki & Bandolieri.

Digest. l. 50. Tit. 15.

Zozim. l. 1. c. 39.

Plin. l. 5. c. 25.

III. Pacatis jam rebus, Macrianus retento in Oriente *Quieto* filiorum uno contra Gallienum movet. Asiam primùm ingressus, Illyricum inde petit, ibique cum Domitiano Aureoli Duce manum conseruit, à quo unà cum filio Macriano natu minore interficitur. Ubi Odenatus comperit Macrianum cum filio esse peremptum, ad Quietum alterum Macriani filium capiendum,

Macrianorum obitus hoc anno contigisse probatur.

Anno Dom. 261.

si hunc daret fortuna, properavit. Versabatur *Emesæ* cum *Ballista*, Macriani Præfecto. Quo autore juvenis occiditur, missoque per murum corpore, Odenato se dederunt. Non extincta tamen est omnis Macriani familia. Imperante Diocletiano adhùc familia florebat, cujus erat Cornelius Macer, vir insignis, qui eo tempore cœnam in Templo Herculis dedit. Solemne huic familiæ Alexandrum velut Deum venerari, quem viri in annulis & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt. Macriani cladem, in annum Gallienum nonum incidisse testis est Dionysius Alex. *Macrianus qui seipsum præposuerat, & ad ipsum Gallieni imperium proximè admoverat, ipse quidem jam non est, quippe qui nec anteà fuerat. Religiosissimus verò Deique amantissimus Imperator, septennalem circulum jam emensus, nonum imperii annum degit, quo nos festa celebraturi sumus.* At cum duos annos dividat Gallieni nonus, utpote qui initium ab adulta jam æstate ducit, ex Dionysiano hoc criterio non satis liquet, utrùm vel in currentem, vel in proximè futurum annum clades Macriani contigeret. Quia hic & ille, partis alicujus respectu Gallieni nono includitur. Ex circumstantiis autem deprehendimus anno potius CCLXI. cladem Macriani esse vindicandam. Relicto quippe Oriente, Asiam primùm, deinde Illyricum Macrianus petiit. Solutâ jam hyeme, se adversus Gallienum movit. Neque eum exercitu tantum spatii emetiri potuit, nisi appetente jam autumno, quo ad Illyricum usque pervenit. Opus etiam temporis intervallo, ut cladis hujus nuncius afferretur Dionysio, cujus ad *Hermammonem* Epistola post Macrianos oppressos exarata est. Quòd si anno CCLXII. debellati sunt, fama cladis hujus afflare Dionysium non potuit, anno Gallieni nono labente, decimum jam ingressus erat. Præterea festivitatem anno Gallieno novo sese celebraturum, tradit Dionysius. Quam solemnitatem? Paschalem, ut opinamur, quæ juxta Hyppolyti calculum, anno CCLXII. *Idibus Aprilis*, secundum verò Canonem Dionysianum, *Martii* XXIII. celebrari debuit. Ex quo conficitur, cladem Macriani, quam in Epistola mensibus aliquot ante celebrationem Paschatis anni CCLXII. scripta memorat, in illum annum non incidisse, sed CCLXI. esse vindicandam. Sed & pestis ingens, quæ vastavit Alexandriam, docet Macrianam cladem huic quoque anno ascribendam esse: *Secutâ deinde post bellum peste, cùm Paschalis solemnitas immineret.* Bellum illud est Æmiliani rebellione exortum. Pestis verò grassata est *Gallieno & Faustino Coss.* anno CCLXII. Cùm igitur pestilentia hæc post seditionem Æmiliani, ante Pascha anni CCLXII. Alexandriæ inciderit, anno igitur CCLXI. Macrianum deletum esse, concedi debet. Quibus accedat, Calvisium, Pearsonium eruditos denique, quorum Chronologiam impugnamus, Macrianiani imperii initia cum anno CCLXI. conjungere, quo concesso, ante Pascha anni CCLXII. perire *Macrianus* non potuisset, quia *biennio* imperavit. Quod ex nummo Goltzii Pagius ostendit: *Imperator Cæsar M. Fulvius, Macrianus, Pius, anno secundo.* Non igitur anni CCLXIII. Pascha indicat Dionysius, quod non ad IX. sed ad X. Gallieni annum pertinet, sed illud innuit, quod est anno CCLXII. celebratum.

Eusob. l. 7. c. 23.

Eusob. l. 7. c. 22.

IV. Ballista, quem Macrianus Præfectum Prætorio fecerat, vir illustris erat: *Eruditus ad gerendam Remp. in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in provisione annonaria singularis.* Qua de causa Valerianus Ragonio Claro Præfecto Illyrici, & Galliarum scripserat: *Si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio, parens Clare, dispositionem Ballistæ prosequere.* Ballistæ ipsi gratias Valerianus egerat, ob data sibi administrandæ Reip. præcepta. Adeptus Prætorio Præfecti dignitatem, Valeriano fidissimus fuerat. Quo captivo, cum Gallieni socordiâ rueret imperium, sumendæ purpuræ Macriano autor fuerat, cujus & Prætorio Præfectum egerat. Fidelitatem tamen exuit, quam Imperatori suo debuerat. Multos enim Emisenos, ad quos confugerant Macriani milites, cum *Quieto*, & thesaurorum custode interfecit, ut civitas penè deleretur. Quænam viri fata fuerint, est in incerto. Utrùm imperium usurparit necne, in dubio reliquit Pollio. In tentorio suo cubantem, à gregario milite, in Odenati & Gallieni gratiam occisum fuisse, vero propius existimamus. Annum quo periit ignoramus. Placuit eruditis, morti missum anno CCLXIV. quia eo tempore Odenatus Orientis imperium obtinuit.

Anno Dom. 261.

Ballista.

Gallien. c. 3.

Poll. Trig. Tyr. c. 18.

V. Extincto Macriano, Ægyptiacæ Ecclesiæ pax reposita est, quam à Valeriano primùm excussam eripere pertexerat infensissimus hostis. Cujus auditâ clade, Gallienus rescriptum Ægypti Episcopis misit: *Imperator Cæsar P. Licinius, Gallienus, Pius, Felix, Augustus, Dionysio, Pinnæ, Demetrio, & reliquis Episcopis. Indulgentiam beneficii nostri, per universum terrarum orbem diffundi præcepimus, ut cunctis à religiosis locis abscedant. Quocirca, & vos rescripti nostri formulâ uti potestis, ut nullus deinceps molestiam vobis facessat. Atque id quod vobis exequi licet, jamdudum a me concessum est. Proinde Aurelius Cyrenius Procurator summæ rei, datis à nobis rescriptis summam sequetur.* Hactenus ergo cruenta in Ægypto viguerant rescripta Valeriani, quia tyrannidem arripiente Macriano, Clerus Ægyptiacus benignitate Gallieni, quæ in aliis imperii partibus persecutionem extinxerat, nondum usus erat. In his itaque regionibus, Valeriani persecutio diutius perduravit, ad *menses* scilicet XLII. Quibus & imperium Macriani includitur. Hac de causa, cùm ad Joannis Apocalypsim allusione factâ, Dionysius de persecutione scripsisset, *& data est illi potestas, & menses* XLII. ad bestiam quoque, quam Joannes viderat, habito respectu, de Macriano hoc addit, ipse quidem *jam non est, utpote qui nec anteà erat.* Pace vix restitutâ exilio egressus, Alexandriam repetit Dionysius, ubi egregiam ad *Hermammonem* confecit Epistolam, quam nonu Gallieni anno scripsit. Nos verò in ea parte hujus anni, quam Gallieni nonus occupat, potius scriptam esse putamus, quàm insequente, quia tranquilla Ecclesia condita est. Pax autem initio anni CCLXII. ex Ægypto abierat ob *Æmiliani* seditionem. Pace quidem utebatur Dionysius, dum *Hermammoni* scribebat: *Gallienus nonum imperii annum degit, quo nos festum agitabimus.* Gallieni Decennalia in mentem Dionysio venisse, sibi persuasit Pagius, quod ἑορτῆς *nomine liquet ex oratione Eusobii in Tricennalibus Constantini M. habita, in qua hujusmodi voce Græcâ festivitas Decennalium explicatur.* In animum tamen inducere nostrum non possumus, de Gallieni Decen-

Pax Ægypti Ecclesiis reddita. Num Decennalia Dionysius celebrarit?

Eusob. l. 7. c. 13.

Eusob. l. 7. c. 23.

ANNO DOM. 261.

cennalibus Dionysium cogitasse. Longè satius est, Dionysio Episcopo, qui longum pertulerat exilium, Festum sacrum in animum incidisse. Alieni quidem erant Christiani à Decennalium celebratione; quoad Ethnici imperarunt, utpote multâ superstitione contaminata. Hinc ansam arripiebant Ethnici, asperius in Christianos invehendi: *Propterea igitur publici hostes Christiani, quia Imperatoribus, neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant; quia veræ religionis homines etiam solemnia, eorum conscientiâ potius quàm lasciviâ celebrant. Grande videlicet officium focos, & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.* Denique Festum indicat Dionysius, quòd anno Gallieni non *decimo*, sed *nono* labente celebrari voluit, ut ne vel umbra quidem Decennalium in verbis ejus reperiatur. Optimus ergo Dionysii interpres audiatur Eusebius: *Cùm bellum rursus illic exortum fuisset, iterum ipso Pascha die ex urbe Alexandria, tanquam extorris eos per literas alloquitur.* Hoc illud Festi est, quod jam mente & animo agitabat Dionysius in Epistola ad *Hermammonem*. Cujus tamen contra spem viri sanctissimi defloratur lætitia ob coortam subitò Æmiliani seditionem, de qua anno sequente tractabitur.

Tertull. Apol. c. 35.

Euseb. l. 7. c. 20.

ANNO DOM. 262.

ANNO U. C. 1015. PER. JUL. 4975. JUL. 307. DOM. 262. GALLIENI 10. *Sol.* 19. E. *Lun.* 16. *Indict.* 10. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 3. P. 23. *Mart.*

COSS. Gallienus Augustus v. & Faustinus.

Nummius Albinus Præfectus Urbis.

Pestis imperium invadit.

I. INfamem annum ingredimur, pestilentiâ, cladibus, incendiis, seditionibus, quibus & malis accessit Gallieni socordia. Istas nos calamitates totidem verbis à Pollione in Annales transferemus: *Gallieno & Faustino Coss. inter tot bellicas clades, etiam terræ motus gravissimus fuit, & tenebræ per multos dies. Auditum præterea tonitruum terrâ mugiente, non Jove tonante. Quo motu multæ fabricæ devoratæ sunt, cum habitatoribus, multi terrore mortui. Quod quidem malum tristius in Asiæ urbibus fuit. Mota est & Roma, mota & Lybia: Hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, cùm aqua salsa in fossis appareret. Maria etiam multas urbes occuparunt. Pax igitur Deum quæsita, inspectis Sibyllæ libris, factumque Jovi salutari, ut præceptum fuerat, sacrificium. Nam & pestilentia tanta extiterat, vel Romæ, vel in Achaicis urbibus, ut uno die quinque millia hominum pari morbo perirent.* Invasit & Alexandriam lues hæc sævissima, terræ visceribus malignos vapores exhalantibus quibus aura corrumpebatur. Magnitudinem audire morbi tristissimum est: *Aliis quidem hominibus præsens hoc tempus non videatur esse festivitatis. Neque verò illis tempus festivitatis est, nec hoc quod à nobis celebratur, nec ullum aliud, non dicam eorum quæ luctuosa sunt, sed etiam eorum, quæ vel maximè læta & hilaria existimantur: Nunc quidem certè plena sunt omnia lamentationum, lugent cuncti, & ob mortuorum hominum, ac quotidie morientium multitudinem tota urbs gemitibus personat. Nulla quippe domus est, in qua non sit aliquod funus.* Bellum ob Æmiliani rebellionem coortum excepit lues, imminente Pa-

Gallien. c. 5.

Euseb. l. 7. c. 22.

Error Baron.

schate. Ne hic quidem dissimulanda aberratio Baronii, qui quæ de peste, & persecutione uno Dionysius tenore prosequitur, in hunc annum omnia contulit, perturbatâ temporum serie. Quippe ea complectitur Epistola, quæ Decium, Gallum, & Volusianum attinent: *Multa quidem,* inquit, *& acerba ante hanc calamitatem nobis contigerunt.* Pacis deinde meminit, quæ brevissimo temporis spatio Alexandrinos oblectavit, initiis scilicet Galli & Volusiani, quibus extincta Decii persecutio, ut de Lapsis Cypriani liber documento est. Addit Dionysius: *Cùm autem brevissimo temporis spatio nos & illi respirassemus, repentè ingruit lues illa.* Ea scilicet pestilentia; *Quâ atrocius sæviente, Gallo & Volusiano, favor quæsitus, quod anxiè studioseque tenuissimi cujusque exequias curarent,* ut habet Victor de Cæsaribus.

ANNO DOM. 261.

II. Vacuo ob luem hominibus imperio alia calamitas incidit ex Gothorum decursionibus. Gothi, virque nomine *Clodius*, ab eo qui postmodum rerum potitus est, multum diversus, occupatis Thraciis, Macedoniam vastant, Thessalonicam obsident, Gallieni ad omne dedecus paratissimi contemptu. Neque spes quietis vel minima afflictis rebus affulgebat. Macrianus tamen, vir bellicis rebus exercitatissimus, præsidio fuit. Victi Gothi, *per Achaos recessere.* Eruditorum nonnullis *Macrianus* ille ipse est, qui imperium arripuerat. Quo argumento permoti colligunt, hoc demum anno occisum ab Aureolo fuisse, neque ante proximum annum Purpuram Augustam induisse. Quos sua fallit ratio. Gothorum enim Victor ille *Macrianus*, non obscuro discrimine ab Imperatore distinguitur. Jam usurparat imperium Æmilianus apud Ægyptum, cùm Gothi in Macedoniam impetum fecere, quod non Macriani Imperatoris ante obitum factum fuit. Sed & non multò ante Gallieni fata, Dux ille Macrianus etiamnum erat inter homines. Ad Aureoli motus turbatus Gallienus, *Statim ad iter Italicum semet accingit, relicto cum imperio belli Scythici conficiendi causâ Marciano, rei bellicæ peritissimo.* Pars alia Gothorum Asiâ vastatâ, Templum Dianæ Ephesiæ spoliatum incendunt. At Romanorum Ducum virtute profligati in sua loca rediere. Porro ne quid calamitatis deesset Gallieni temporibus Byzantiorum civitas, clara navalibus bellis, claustrum Ponticum, per ejus milites ita vastata est, ut nullus ferè superesset. Quod facinus tamen Gallienus non impunè tulit esse. Byzantium progressus, cùm non putaret recipi se posse muris, alio die receptus, omnes milites inermes, armatorum coronâ circundatos interemit, fracto fœdere, quod promiserat. Non Ethnicorum modò, sed suas quoque miserias flevere Christiani, quos Scytharum impetus, atque Gothorum afflixit. Vim passæ virgines, bona direpta, abducti homines, quodque magis dolendum, Scythis Christianorum nonnulli se comites addidere, inferendæ consecraneis injuriæ: qua de causa Gregorius ille Thaumaturgus, ab Episcopo consultus Canonicam edidit Epistolam; cujus hoc unum est è multis decretum: *De iis qui inter Barbaros annumerati, obliti se esse Ponticos & Christianos, efferati autem Barbarique redditi, ut & eos qui sui generis, vel ligno, vel suffocatione interficiant, vias autem, vel domos nescientibus Barbaris ostendant, etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis congregatis*

sanctis

Gothorum in imperio decursiones.

Zozim. l. 1. c. 40.

Poll. Gallien. c. 7.

Sanctis aliquid communiter visum fuerit, & ante eos Spiritui Sancto c. 9. Qui à Gothis, & Boranis hostilia passi fuerant, ipsi quoque aliis, Borani & Gothi fuere. Propterea Gregorius *Euphrosynum fratrem & consenem* misit ad Episcopum, qui consilium flagitabat, ut constitutâ regulâ sciret, *Et quorum accusationes admittere oporteat, & quos à precibus abdicare*, c. 7. Lectu dignam Epistolam, ex qua cladis à Gothis illatæ magnitudo intelligitur.

Æmiliani rebellio, mors. De obsidione Bruchii.

III. Sed & in Ægypto imperii viscera quasi morsu lacerabantur. Est huic genti familiare, ut de levissimis rebus usque ad summæ Reipublicæ pericula perducantur. Consueto furore cùm servus cujusdam Procuratoris, qui Ægyptum regebat, à milite ob hoc cæsus esset, quòd crepidas suas meliores esse quàm militis diceret, collecta multitudo domum Æmiliani Ducis veniens, ipsum omni seditionis instrumento, & furore persequitur. Ictus lapidibus, & ferro, coactus sumit imperium, quia sciebat sibi undecunque pereundum. Consenserunt rebelli. Ægyptiacus exercitus maximè in Gallieni odium, neque regendo impar imperio. Illud in ea seditione miserum, quòd in partes distrahebatur Alexandrinorum Ecclesia, illis Gallieno, his, Æmiliano faventibus. Qua de causa Dionysius quasi extorris, ipso die Paschæ fratres literis compellavit: *Ad mea*, inquit, *ipsius viscera, ad Contubernales fratres, ejusdemque Ecclesiæ municipes, missis Epistolis, opus habeo, easque quomodo transmittam vix reperio. Facilius enim quis, non dicam extra fines Provinciæ, sed ab Oriente ad regiones Occidentis ultimas commeare possit, quàm ex ipsa urbe Alexandria Alexandriam pergere.* Verba hæc Dionysii non minimum illustrat Eusebii, qui Romanis favebat, & Anatolii, qui contrariarum partium erat, historia, quam alio loco memorabimus. Ut ex his liqueat, vel anno proximo vertente, vel sub currentis initia, *Æmilianum* rebellasse. Quod cùm Gallieno nunciatum esset, stolidâ animi constantiâ dixisse fertur, *Quid sine lino Ægyptio esse non possumus?* Cæterùm occupatis horreis Æmilianus, oppida multa fame oppressit, Thebaidem totamque Ægyptum peragravit. Eòque gloriæ processisse dicitur, ut *Alexander*, vel *Alexandrinus* merito suo vocaretur. Diu tamen quod usurpatat, non tenuit imperium, quod vel hoc, vel insequente anno cum vita deposuit. Parabat contra Indos expeditionem, cùm misso Theodoto Gallieni Duce Ægyptio vivus captus Romam ducitur: Ibi *strangulatus, in carcere captivorum, Veterum more perhibetur.* Ut Theodoti ob victoriam muneris aliquid Gallienus rependeret, voluit imperium Proconsulare decernere. Quod à Sacerdotibus prohibitum, dicentibus, *Fasces Consulares ingredi Alexandriam non licere.* Ferebatur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis literis scriptum: *Tunc demum Ægyptum liberam fore, cùm ad eam venissent Romani fasces & prætexta Romanorum.* Anno vel labente, vel sequente, Bruchium Romanorum in potestatem venisse, capto Æmiliano, à veri specie non abhorret. Anatolius quidem, qui post belli hujus tempora in Syriam migravit, à Theotecno creatus Episcopus, Cæsariensem Ecclesiam cum eo aliquantisper administravit. Deinde anno CCLXIX. ad Synodum Antiochenam se contulit. Insuper Eusebium Anatoliumque, *Continuâ serie sibi succedentes, Laodicensis Ecclesia sortita est.* Eusebius autem, qui ob negotium Pauli Samosatensis in Syriam venerat, a Laodicenis retentus est. Quòd si Eusebianus ille adventus in posteriorem Synodum Antiochenam confertur, nil est tempori relictum, quo Laodicensem Episcopatum tenuit, cùm finitâ secundâ Synodo, Anatolius à Laodicenis retentus, defuncto Eusebio suffectus sit. Post priorem igitur Synodum Eusebius, post posteriorem Anatolius à Laodicensibus retineri debuit. Quo casu Bruchii obsidio soluta est ante annum CCLXIV. quo Pauli Samosi causâ, prius apud Antiochiam Concilium est convocatum. De Bruchio iterum tractabimus anno CCLXIX.

Poll. Trig. Tyr. c. 21.

Euseb. l. 7. c. 21.

Euseb. l. 7. c. 32.

Poll. Tr. Tyr. c. 22.

Euseb. l. 7. c. 32.

Gallienus magnâ pompâ Decennalia celebrat.

IV. Audito Macrianum cum suis liberis occisum esse, quasi securus rerum, ac Patre recepto, libidini se Gallienus dederat. Circenses, ludosque scenicos exhibuerat, ludicramque venationem. Ubi milites Byzantinos fide proditâ ultus est, quasi magnum aliquid gessisset, Romam rapidissimo cursu convolavit, convocatisque Patribus, Decennalia celebravit, novo genere ludorum, novâ specie pomparum, exquisito genere voluptatum: *Jam primum inter Togatos Patres, & Equestrem Ordinem, & albatos milites, & omni populo præeunte, cum cereis, facibus, & lampadibus Capitolium petit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes, ab utraque parte CC. præcesserunt, & decem elephanti, qui tunc erant Romæ: mille ducenti gladiatores pompaliter ornati, cum auratis vestibus matronarum, mansuetæ feræ diversi generis CC. ornatu quàm maximo affectæ. Carpenta cum Mimis, & omni genere Histrionum... Omnes via ludis strepituque, & plausibus personabant: ipse medius, cum picta toga, & tunica palmata, inter Patres, omnibus Sacerdotibus prætextatis Capitolium petit. Hastæ auratæ altrinsecus quingentæ, vexilla centena, & præterea quæ collegiorum erant dracones & signa templorum omniumque legionum ibant. Ibant prætereà gentes simulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ, ita ut non minus quàm ducenti singulis globis ducerentur.* Sunt eruditi qui hoc anno de Persis actum esse triumphum ferant. Quos refellit Pollionis narratio. Quippe *simulata Persarum gens* Decennalia non ornasset, si veri Persæ adfuissent. Anno demum CCLXIV. *Gallienus* de Persis triumphum ducet.

Poll. Gallien. c. 9.

Saturninâ rebellio.

V. Dum Decennalibus vacat Gallienus, novus ecce tumultus exoritur. Saturninus optimus Ducum, qui exemplo non Imperatoris, sed suo milites regebat, dissolutionem Gallieni in publico pernoctantis cùm ferre non posset, ab exercitibus sumit imperium. Vir erat prudentiæ singularis, gravitatis insignis, relatisque de Barbaris victoriis percelebris. Modestiæ exemplum est, quòd convivio discumbere milites ne inferiora nudarentur cum sagis jussit. Quâ die à militibus imperiali peplo amictus est, dixisse fertur: *Commilitones, bonum Ducem perdidistis, & malum Principem fecistis.* Defectionis hujus rumor Romam affertur, Decennalium ludis operam dante Gallieno. Ubi & quandiu imperarit, magnâ incuriâ Pollioni prætermissum. Quòd severior esset militibus, ab ipsis occiditur.

Anno Dom. 263.

Anno U. C. 1016. Per. Jul. 4976. Jul. 308. Dom. 263. Gallieni 11. Sol. 20. D. *Lun.* 17. *Indict.* 11. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 4. *P.* 12. *April.*

Coss. Nummius Albinus II. & Maximus Dexter.

Nummius Albinus Præfectus Urbis.

Gallienus bellum indicit Posthumo. Victorinus Tyrannus.

Poll. Trig. Tyr. c. 6.

I. ANno præterito Posthumus certus se Gallieni viribus peti, atque auxilium & militum, & alterius Principis necessarium, Victorinum imperii participem fecit. Victorinus vir erat militaris industriæ. Neque multæ Victorino virtutes deerant, teste Julio Ateriano: *Victorino*, inquit, *neminem existimo præferendum. Non in virtute Trajanum, non Antoninum in clementia, non in gravitate Nervam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura totius vitæ, ac severitate militari Pertinacem, vel Severum.* Victorinum igitur imperii sui participem fieri Posthumus voluit. Currente ut videtur anno in Posthumum Gallienus bellum intendit, comitatus Aureolo, & Claudio, cui decessit. Bellum diu satis protractum. Posthumo Celtæ & Franci erant auxilio. Per diversas obsidiones ac prælia rem modò feliciter, modò infeliciter gessit Gallienus, qui dum civitatis alicujus muros circuit, sagitta vulneratur. Tanta historiam incessit confusio, ut ignoretur annus, quo id vulneris illatum Gallieno, neque magis in notitiam venit, quandiu bellum cum Posthumo continuatum. Id unum scimus, *longum* fuisse, partemque Gallieni tandem victricem egisse. Ad annum tamen usque CCLXVII. Posthumus imperium tenuit, donec suorum tumultu periit.

Odenatus Regis titulum sibi imponit.

Poll. Trig. Tyr. c. 15.

II. In Oriente Odenatus Romani ultor imperii, fusis aliquoties Persis, non modò Romanorum limitem defendit, sed in Saporis quoque regnum invadit. Præclaris tot facinoribus clarus, quo dignum erat, Regis sibi nomen imposuit: *Assumpto nomine regali, cum uxore Zenobia, & filio majore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano & Timolao, collecto exercitu, contra Persas profectus est. Nisibin primum, & Orientis pleraque, cum omni Mesopotamia in potestatem recepit, deinde ipsum Regem victum fugere coëgit.*

Trebelliani seditio.

Poll. Trig. Tyr. c. 26.

III. Ne Gallieno contumeliæ deesset aliquid, Trebellianus Principatum in Isauria adipiscitur. Quippe ob crudelitatem timori, ob voluptates contemptui erat omnibus Romani Rector imperii, cui & *Archipirata* præponitur. Talis erat Trebellianus, quem Isauri sibi præfecere. At Archipiratæ titulum in illum Imperatoris ipse permutavit. Monetam cudi jussit, Palatium in arce Isauriæ constituit. Montibus verò & locorum difficultatibus sese, resque suas in Isauria tuebatur. Ulterius etiam progressus, *Aliquandiu apud Cilicas imperavit. Sed per Gallieni Ducem Lausisoleum, natione Ægyptium, fratrem Theodoti, qui Æmilianum cœperat, ad campum deductus, est victus, & occisus.*

Anno Dom. 264.

Anno U. C. 1017. Per. Jul. 4976. Jul. 309. Dom. 264. Gallieni 12. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 18. *Indict.* 12. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 5. & 6. *P.* 3. *April.*

Coss. Gallienus Augustus VI. & Saturninus.

Paternus Præfectus Urbis.

Odenatus creatur Imperator: ejus de Persis victoriæ.

Gallien. c. 12.

I. UT primum accepit famâ & auditione Gallienus, ab Odenato Saporem fusum fuisse, receptam Mesopotamiam, redactam Nisibin, & Carras in potestatem Rom. captos Satrapas, plurimos Persarum occisos, consilio *Valeriani* fratris sui, Lucilliique propinqui, sapienter usus, *Odenatum participato imperio, Augustum vocavit, ejusque monetam, quâ Persas captos traheret, cudi jussit, quod & Senatus, & urbs, & omnis ætas gratanter accepit.* Tantâ quidem majestate dignus erat Odenatus, qui Romanum tuebatur imperium, quod ineptiis Gallienus suis, atque voluptatibus perditum ibat. Contrà verò Odenatus omnia faciebat, ut Valerianum liberaret, qui miseram in vinculis vitam trahebat. Non semel, sed iterum Ctesiphontem usque processit, Persas intra munitiones suas compulsos occlusit, contentos si liberorum, & uxorum, & suam tueri salutem possent. Quippe vastatis circum locis omnibus, innumeram Barbarorum copiam occiderat. Quin etiam captas regias pellices concubinas abduxit cum immensa præda. Cùm autem Herodi majori natu filio morem gereret, *Quidquid concubinarum regalium, quidquid divitiarum, gemmarumque cœpit, eidem tradidit, paterna indulgentia affectione permotus.* Neque tamen Odenato defuit reverentia Gallieni. Captos enim Satrapas ostentandi sui gratiâ ad eum misit. Qui cùm Romam deducti essent, vincente Odenato, triumphavit Gallienus, nullâ patris mentione factâ. Porrò Odenatus imperavit quadriennio, quo labente, pugnas cum Persis multas gessit. Cùm enim Satrapæ omnes, ex omnibus Persiæ regionibus, defensionis communis causâ convolassent, *Fuerunt longa & varia prælia, longior tamen Romana victoria.* Anno demum CCLXVII. generosissimus ille Princeps, composito magna ex parte Orientis statu, à Mæonio occiditur, ut declarabimus

Gallien. c. 10.

Scytharum discursiones.

Gallien. c. 11.

II. Dum hæc apud Persas geruntur, Scythæ in Cappadociam invadunt: *Captis civitatibus, bello etiam vario, diu acies ad Bithyniam contulerunt. Quare milites iterum de novo Imperatore faciendo cogitaverunt, quos omnes more suo, cùm placare, atque in gratiam suam reducere non posset occidit.* De ea Scytharum expeditione nonnulla sunt observatu digna apud Jornandem. Respa & Veduco, Thuro, Varoque, Duces Gothorum, partibus Bithyniæ delati, Chalcedonem subvertere, quam post Cornelius Avitus aliquâ parte reparavit: *Hâc ergo felicitate Gothi quâ intravere, partibus Asiæ prædâ potiti, Hellespounticum fretum retransmeant, vastantes in itinere suo Trojam Iliumque, quæ vix à bello illo Agamemniaco aliquantulum respirabant, rursus hostili mucrone deleta sunt. Post ergo tale excidium, Thracia eorum experta est feritatem.*

Jorn. de R. G. c. 20.

Paulus Samosatenus: ejus mores, secretumque. Vult dici Ducenarius: Ducenarius quis?

III. Quæ Religionum contemptorem omnium Lucianum genuerat Samosata, Paulum quoque edidit Antiochenum Episcopum, Christo, quem Numine exuebat, Augustissimæque Tri-

ANNO DOM. 264.

Trinitati hostem infensissimum. Anno CCLX. defuncto Demetriano, Antiochenæ Episcopus Ecclesiæ, quintus & decimus fuerat constitutus. Delira sanè Epiphanii Chronologia: *Paulus*, inquit, *Samosatis Mesopotamiæ ad Euphratem urbe natus, Aureliano & Probo imperantibus, Antiochenæ Ecclesiæ præpositus est.*

Epiph. h. 65. n. 1.

Atqui prius pulsus est Episcopatu, quàm Aurelianus rerum potiretur. Pauper erat & mendicus, utpote qui nullas à parentibus facultates acceperat, nullas exercitio sibi comparaverat. In Episcopatu verò, quem non toto novennio gessit, ad incredibilem opulentiam pervenit, *per scelera, sacrilegia, fratrumque concussiones*, cùm per fraudem obtentu suffragii sui fratres emungeret pecuniâ. Superbiâ quoque elatus, per forum magnificè incedens, Epistolas legebat, & dictabat inter ambulandum, & publicè stipatus maximâ hominum multitudine, ut ex eo fastu odium in fidem atque invidia conflaretur. *Ducenarius* etiam quàm *Episcopus* vocari maluit. Quis verò sit *Ducenarius*, paucis explicandum. Ducenarius & militaris, & civilis administrationis nomen erat. Qui ducenos milites ducebat in acie secunda, *Ducenarius* vocabatur, de quo Vegetius de re militari l. 2. c. 8. Quæ significatio est à Patrum Antiochensium mente aliena: ad aliam ergo veniendum. De Claudio Imperatore legitur apud Suetonium c. 24. *Ornamenta Consularia etiam Procuratoribus Ducenarus concessit*, qui à stipendio, quod annuatim sortiebantur, nomen habuere. Ducenis scilicet sestertiis; hoc est, Gallicis circiter libris 186. quod ex Dione liquet:

Dio l. 53. 506.

Procuratoribus istis ipsum nomen effìcii sui, à numero pecuniæ, quam eo nomine accipiebant, inditum est. Ducenariorum meminit Cyprianus. Martialis Episcopus indignum se suo munere gessit, *Actis publicè habitis apud Procuratorem Ducenarium.*

Cypr. Ep. LXVIII.

Cod. l. 12. Tit. 20.

Hujus & muneris mentio est, in Lege Leonis Augusti: *Matriculam agentium in rebus à tua celsitudine confectam admittentes, jubemus, ne Ducenarii plusquam* XLVIII. *in singulis habeantur inposterum.* Inspiciatur & Salmasius in notis ad vitam Pertinacis p. 534. qui de *Ducenariis* multa lectu digna prodit. Non igitur immeritò Antiochensibus Patribus vituperationi fuit fastus ille Pauli, qui *sæculares* quasi *gerens dignitates*, Ducenarius vocari, quàm Episcopus maluit. Potuit & ipsis in mentem venire Judicum ille ordo, de quo *Suetonius* in Augusto c. 34. *Ad tres Judicum Decurias quartam addixit, ex inferiore censu, quæ Ducenariorum vocaretur, judicaretque de levioribus summis.* In Ecclesiasticis quoque conventibus ambitionem Paulus ostendebat suam: *Tribunal & sublimem thronum, & secretum, perinde ac seculares Magistratus habuit.* Quæ sortem, Episcopique conditionem dedecebant. Episcopi quidem in cathedra sedebant *linteo tecta*, ut ex Pontio Cypriani Diacono liquidò constat, & *thronum* Jacobi diligenter asservabant Hierosolymitani. At Paulus cathedrâ non contentus, tribunal sibi extrui voluit, in quo sublimis thronus est collocatus. Neque id suffecit ambitiosæ Pauli cupiditati. Judicum more, suum habuit *secretum*; hoc est, exercendi judicii locum, cancellis munitum velisque oppansis inclusum, in quo Magistratus sedebant, dum reorum causas cognoscebant. Ad hæc femur percutiebat, tribunal pedibus pulsabat, eos verò qui cum gravitate & modestia dicentem audiebant, contumeliis afficiebat. Laudari volebat, more theatrorum, *orariis concussis.* Quæ species plausus erat à consessu dati. Quem ex Oriente morem in ritus Romanos Aurelianus transtulit Augustus, de quo prodit Vopiscus, *Ipsum primùm donasse oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.*

Vopisc. Aur. c. 48.

Ante Aurelianum plausus fiebat manibus, vel vestibus. De Nerone Dio: *Cùm dicturus aliquid erat, tum ipsi* Burrus & Seneca *manus atque vestes attollebant, tum alios, ut idem hoc facerent, pertrahebant.*

Dio l. 61. 699.

Sic est, ante Aurelianum ignotus in urbe orariorum favor. Hinc acutissimi Poëtæ Nasonis carmen:

Et date jactatis undique signa togis.

Subintroductæ mulieres Pauli. Quale genus fœminarum?

IV. Eò etiam progressa est Pauli petulantia, atque superbia, ut Doctores vitâ functos petulanter in concione laceraret, de se verò magnificè loqueretur. Mulieres magno Paschæ die in media Ecclesia Psalmos quosdam canere instituit. Episcopos quoque vicinorum pagorum & civitatum, nec non & Presbyteros assentatores sui submisit, qui in concionibus ad Populum eadem prædicarent eumque venerarentur, velut Angelum de cœlo delapsum. Erant & ipsi subintroductæ mulieres, atque ad exemplum Episcopi sui, Presbyteri Diaconique talibus mulieribus utebantur:

Eusеb. l. 7. cap. 30.

Is qui unam quidem jam dimisit, duas verò ætate florentes, & formâ conspicuas secum habet, & quòcunque proficiscitur, circumducit, idque deliciis diffluens, & epulis sese ingurgitans. De Clericorum grege complures fuere, qui se cœlibatui liberè addixerant, amore virginitatis. Obtentu verò pietatis atque charitatis, Episcopi, Presbyteri, Diaconique nonnulli mulieres fovebant, quæ nec uxores erant, nec concubinæ. A vero non abhorret, quod Joannis Apostoli, qui B. Virginem à Christo sibi commendatam, domum suam receperat, exemplum quasi imitatione prosecuti, contubernales habuerint. Quod & subindicat Epiphanius:

Epiph. h. 78. n. 11.

Vereor ne hoc ipsum quod dicimus, fraudi sit aliquibus, ut ad contubernales ac dilectas, quas vocant, fœminas retinendas, quod genus pessime sibi animis errore machinati sunt, fucum inde aliquem & colorem arcessisse videantur. Hisce mulieribus mollia teneraque nomina imponebant: *Agapetæ, sorores, dilectæ* vocabantur. In quas nec immeritò Epistolâ ad Eustochium invehitur Hieronymus, qui velo reducto, quidquid hoc Agapetarum mysterii fuit, subjicit oculis:

Hier. Ep. 22. cap. 6.

Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imò unde novum concubinarum genus? Plus inferam: Unde meretrices univiræ, eâdem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur & lectulo? Neque ea est exaggeratio Hieronymi. Cypriano per Paconium literas Pomponius miserat, *De virginibus quæ detectæ fuerant, in eodem lecto permansisse cum masculis, ex quibus unus Diaconus erat.*

Cypr. Ep. LXII.

Quem ea de causa de gradu suo Pomponius moverat. Epiphanius quoque de ejusmodi *sororibus* atque dilectis:

Epiph. h. 63. n. 2.

Ac nonnulli ex iis certos homines, qui jam vitâ functi sunt, ad me detulerunt, à quibus commissum hoc flagitii genus affirmarent, idque se ab ipsis, quas illi compresserant, mulierculis accepisse. Inter quos quendam Episcopum nominabant, qui in exigua Palæstinæ oppido multis annis Ecclesiæ præfuit, & contubernales istiusmodi fœminas ad domesticum ministerium habuit, quem nos etiam ex Confessorum numero fuisse scimus. Prudentiâ igitur & gravitate tincta sunt Antiochensium Patrum verba,

ANNO DOM. 264.

de extraneis, Agapetisque Pauli mulieribus: *Non illud ignoramus, quot ex ejusmodi mulierum contubernio partim in præceps lapsi sint, partim in suspicionem venerint. Itaque etiam si quo concesseris, nihil ab eo turpe commissi, suspicionem tamen, quæ inde nasci solet, vitari oportebat, ne quemquam offenderet, neve aliquos ad imitationem sui provocaret.* Qua de causa hanc legem & tulit Synodus Nicæna c. 3. *Interdixit per omnia magna Nicæna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui ex Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm quæ omnem suspicionem effugiant.* Eandem & disciplinam statuunt Carth. 3. c. 17. Arelat. 2. c. 3. Neque tamen legibus Ecclesiasticis obtemperatum, *adeò* Agapetarum morbus invaluit. Hinc Clericorum complurium in Chrysostomum odia, quòd hoc mali persecaret, docente Palladio: *Adhibens etiam pedum increpationis, intendit sermonem adversus fictam sororiam, ut vocant, vitæ societatem, revera autem adversus inverecundam & improbam vitam cum mulieribus illis, quæ dicuntur subintroductæ. . . . Inde pars Cleri minimè religiosa, quæque illo morbo tenebatur, commota est.* Ecclesiæ decretis accessit legum imperialium Majestas, ut hæc pestis extingueretur. Arcadii & Honorii A A. rescriptum est *Palladio*, Præf. Urb. *Eum qui probabilem seculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicunque igitur cujuscunque gradus sacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicto consortia cognoscant.*

Pal. Vit. Chrys. pag. 45.

Cod. Th. l. XVI. Tit. 2. Leg. 44.

Pauli Samos. errores.

V. His moribus præditum Paulum, in hæresim ruisse, quid miri? Artemonis errorem imbibit animo, quo fundamenta Christianæ religionis omnia convellebat. Docebat *Filium ante Mariam non fuisse, sed ab ea initium suæ essentiæ accepisse.* Quamobrem *Psalmos, in honorem Domini Jesu cani solitos, quasi novellos, à recentioribus hominibus compositos abolevit.* Factitium Deum asserebat, & solâ prædestinatione æternitatis compotem, ut disertè tradit Athanasius, oratione de salutari adventu J. C. *Paulus Samosatenus Deum ex virgine confitetur, Deum Nazarethi conspectum, inde suæ naturæ substantiæque initium habuisse, & initium regni accepisse. Verbum tamen efficax è cœlo, & sapientiam in eodem agnoscit. Ac prædestinatione quidem ante secula fuisse putat, sed Nazarethi primùm existentiam adeptum.* Ex nefanda hac opinione, mysterium Trinitatis evanescebat & diffluebat, quod etiam apertè inficiabatur Hæreticus: *Est autem Pauli hæc opinio, Deum Patrem, & Filium, ac Spiritum S. unum esse Deum. Verbum Dei ejusque Spiritum inesse Deo perpetuo, sicut hominis in corde proprium verbum inesse cernimus. Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere.* Quibus patet, Paulo unam Dei, ut naturam, sic & personam fuisse, ac quæ Dionysii Alex. nomine ornatur, Epistolam non esse Dionysii; in qua legimus, Paulum duos Christos, & duos filios prædicasse, *Unum naturâ Filium Dei, qui fuit ante secula, & unum œconomicè Christum, & Filium David.* Dionysius enim ignorare non potuit, à Paulo extinctum prorsus fuisse Trinitatis mysterium, nec non divinam Filii personam, quam quidem à Paulo agnosci tradit larvatus ille Dionysius. Sic est, tam Trinitatis quàm incarnationis Paulus evertebat mysterium, ut verè tradit Leontius de Sectis Act. 3. *Alia quoque secta Pauli Samosatensis his temporibus extitit, qui & circa divinitatem, & circa incarnationem errabat. Circa divinitatem, quia Patrem solum fatebatur: circa incarnationem, quia purum, solumque hominem dicebat.* Propterea Paulianistarum Baptismus nullo loco fuit: *De Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, statutum est ut ii omninò rebaptizentur.* De Pauli erroribus inspiciantur Philastrius, Augustinus, Theodoritus, &c. Zenobiam Paulo favisse, plures sunt qui tradant: *Judæa Zenobia erat, & protectrix Pauli Samosateni.* Ac ut ipsam *demereretur*, Paulum hæresim suam *condidisse* prodit Theodoritus: *Paulus in Artemonis impegit hæresim, se eâ ratione Zenobiam sibi conciliaturum existimans, quæ idem cum Judæis sentiebat, & illis favebat.* Quo autore hæc scribat, prorsus nescimus, non sanè Philastrio: Zenobiæ potius virus suum instillavit Paulus, quàm Paulo Zenobia: *Hic Christum hominem justum, non Deum verum prædicabat, Judaizans potius, qui & circuncisionem docebat, unde & Zenobiam quandam Reginam in Oriente, tunc temporis ipse docuit Judaizare.* Equidem pro impostore Christus à Paulo habitus fuisset, si Zenobiæ Judææ pergratum facere voluisset, quæ Messiæ in expectatione erat. Porro nil fidei Philastrio habemus, quòd Paulus *circuncisionem docuerit*, cui errori non pepercissent Antiocheni Patres, in sua de Pauli sceleribus Epistolâ. Observetur & in transcursu de Zenobia aberratio Theodoriti: *Persæ victis Romanis, Zenobiam Syriæ & Phœniciæ gubernatricem dederant.* Quem Pollio emendat errorem: *Gallieno adhuc regente Remp. regale mulier superba munus obtinuit.* Imo Persis bellum intulit: *Bibit & cum Persis, & Armeniis, ut eos vinceret.*

Ath. ad Solit. t. 1. 857.

Theodor. H. F. l. 2.

Philastr. h. 17.

Ath. or. t. 1. 920.

Eusob. l. 7. cap. 30.

Ath. t. 1. 635.

Epiph. h. 65. n. 2.

Nic. Syn. cap. 19.

Poll. Trig. Tyr. c. 30.

Antiochena Synodus adversus Paulum.

VI. Paulino errori opprimendo undique Antiochiam confluunt Episcopi, tanquam adversus divini gregis vastatorem. Complures numero fuere Præsules, multi quoque Presbyteri, & Diaconi. Inter Sacerdotes præcipuè eminebant, Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus, qui Synodi Præses fuisse videtur; Gregorius & Athenodorus apud Pontum Præsules; Helenus Tarsi, *Nicomas* Iconii, *Hymenæus* Hierosolymæ, *Theotecnus* Cæsareæ, *Maximus* Bostrensis Antistes. Rogatus Dionysius Alex. adventum distulit, senectutem & infirmitatem corporis causatus. Cæterùm quid ipse de hac quæstione sentiret, per Epistolam indicavit. In ea porro Epistola erroris ducem ne salutatione quidem dignatus est. Multæ disputationes in uno consessu agitantur, *Cùm hinc Paulus dogmatis sui novitatem occultare adhuc niteretur, illinc Sacerdotes hæresim illius, & adversus Christum blasphemiam denudare, atque in apertum producere laborarent.* Posteà quàm verò veterator apertè negavit, se tale aliquid sensisse, sed Apostolica se decreta sequi professus est, *laudato pro concordia atque consensione Christo*, ad suos Episcopi redierunt. Quæ verba Theodoriti etiam atque etiam sunt observanda. Quibus docemur, tum temporis Paulum mutaturum se sententiam non promisisse, cùm se fingeret Orthodoxum, neque nocentem fateretur: atque hujus disceptationis tres veluti actiones fuisse. Primâ, errorem Paulus inficiatur suum. Secundâ, cùm iterum ea de re Antiochiam venisset Firmilianus, damnavit *novitatem invecti dogmatis*, pepercit tamen Hæretico, qui muta-

Eusob. l. 7. cap. 27.

Eusob. l. 7. cap. 28.

Theodor. H. E. l. 2.

tionem

Anno Dom. 264.

tionem erroris pollicebatur. Tertiâ actione munus perfido simul & Hæretico abdicatur. Quæ apparent extantque Veterum in monumentis. Quippe soluto Concilio, benè dissimulatum & celatum errorem indicare, & spargere cœpit Hæreticus. Iterum igitur Antiochiam se contulir Firmilianus, ut Antiochensium testatur

Eusеb. l. 7. cap. 30.

Epistola: *Firmilianus verò cùm bis Antiochiam venisset, damnavit quidem dogmatu ab illo invecti novitatem, ut testamur nos qui adsumus, & alii plures, perinde atque nos optimè norunt. Sed cum ille mutaturum se sententiam promisisset, credens ei Firmilianus, speransque sine ullo religionis nostræ dispendio, rem optimè posse constitui, distulit sententiam suam.* Non nobis quidem displicet Baronii conjectura, mitius actum cum scelestissimo Hæretico, quòd illi Zenobia faveret. Non verò nobis arridet, quod in prima Antiochena Synodo, *palinodiam à Paulo recantatam esse* tradit. Quod cùm in *secundo* Firmiliani Antiochiam adventu factum sit, apparet sententiæ mutandæ promissionem, ab Hæretico neque in prima, neque in secunda Synodo exactam fuisse, sed in eo intervallo, quod inter Synodos est constitutum, etsi tempus ignoremus. Secundæ non interfuit Firmilianus, morte præventus. Primæ quidem aderat, sed primus ea de causa Antiochiam adventus ille fuit, non secundus. Nostræ quoque sententiæ favet Theodoritus jam auditus. In eo & intervallo collocandam esse putamus Epistolam à Francisco Turriano Græcè Latinèque editam, Paulo *ab Orthodoxis Episcopis missam, priusquàm deponeretur*, si germana foret Epistola, cujus titulus est, *Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proclus, Bolanus, Paulo in Christo salutem.* Addunt: *Jam quidem in congressum & colloquium inter nos venimus, ac fidem nostram ostendimus. Ut verò manifestim fiat quod quisque sentiat, & ea quæ in quæstionem ac dubitationem vocantur certiorem exitum accipiant, decrevimus fidem scripto edere & exponere . . . scire volumus an eadem nobiscum sentias, & doceas, & nobis significes, an iis quæ superius scripsimus assentiaris, an non.* Totam Baronius Epistolam Annalibus inseruit, Anno 266. Extat & Græcè, & Latinè in Conciliorum collectione max. t. 1. 843. At variant eruditi de tempore Epistolæ. Baronius, Labbæus, aliique statuunt prioris esse Synodi, Clarissimus verò *Matthæus Larroquanus* in adversariis p. 4. Valesius, Pagius, posteriori Antiochenæ vindicant. Ab utraque verò Chronologia nostra dissidet. Cùm enim præsens & priori, & posteriori Synodo Paulus adesset, Epistolâ utique non opus erat, quâ adiretur, & absonum fuisset ab illo literas flagitare, quibus rescriberetur Episcopis, cùm vivâ voce in Concilio responsum dare suum facilè posset, & manu consignare. Titulus etiam Epistolæ, quo sex duntaxat Episcoporum nomina continentur, perspicuè demonstrat, neque prioris, neque posterioris Synodi confessionem esse, cui longè plures suscripsissent, quorum saltem generatim meminisset ille titulus, quomodo de omnibus & mentionem inseruit, Epistolâ posterioris Antiochenæ Catholicâ, additâ causâ compendii ea clausula, *Et reliqui omnes qui nobiscum sunt vicinarum urbium, & Provinciarum Episcopi, Presbyteri & Diaconi.* Quod in Confessione fidei nomine Synodi totius edita maximè necessarium. Epistolâ si germana est, scripta igitur fuit post priorem, seu ante posteriorem Synodum, quo tempore Hæreticus Zenobiâ fretus, verecundiæ omnis fines transiit, & graviter impudens cœpit esse, errore palam disseminato.

Epistola Antiochenorum ad Paulum subdita est.

VII. Cæterùm etsi Epistola Episcoporum, quæ Paulo dicitur esse missa, Baronio sit *præclarissimum antiquitatis fidei Catholicæ monumentum*, communiorque ea eruditorum animo sententia insideat, Epistolam germanam esse; non dissimulabimus tamen, nobis in ea te fieri scrupulum. L. Elias du Pin in nova sua Bibliotheca scribit: *Il y a apparence que cette lettre donnée par Turrien, est supposée.* Nullas tamen judicii sui rationes protulit. Nobis verò hæc sunt νοθείας argumenta. Primùm ex Veterum silentio petitur, quibus tam insignis celeberrimæ Synodi confessio ignorari non potuit. De ea sane mentionem fecissent Antiochenses, in sua ad Ecclesiam Catholicam Epistolâ, cùm hac in confessione non minimum ponderis esset patefaciendæ Hæretici perfidiæ. 2°. Cùm antequam condemnaretur Paulus, ipsi missa dicatur esse confessio, indicio est imminere jam nefarii hominis abdicationem; eòque ad posterioris potius quàm ad prioris Synodi tempora esse ascribendam. Valesius quidem Baronium coarguit, quòd priori Synodo Epistolam vindicarit, censuræque egregium affert argumentum, ex nominibus Episcoporum petitum, Hymenæus, Theophilus, &c. *Neque enim Hymenæus in priore Antiochena Synodo præsedit, sed Firmilianus.* Rectè. At non desunt argumenta, quibus & à posteriore Synodo Epistolâ abjudicetur. Quippe Epistola Episcopi nomine consignari debuit, qui Synodo præfuit. Is autem *Helenus* erat, *Tarsi* Antistes, qui agmen ducit Episcoporum, quorum nomine Epistola Synodica *Dionysio Maximo*, Ecclesiisque scribitur. Libellus quoque Synodicus Concilii hujus Principem *Helenum* fuisse testatur. Atqui quæ Paulo missa Epistola dicitur, *Heleni* nomen non habet. Deinde perfidum *Paulus* notissimumque agebat Hæreticum, cùm Patres iterum Antiochiam convenere. Quo casu incredibile fit, nefario homini Patres scripsisse, *Paulo in Christo salutem.* Testantur quidem, Dionysium Alex. *erroris ducem ne salutatione dignatum esse, neque ad eum nominatim literas direxisse*, eo tempore quo ad istum improbitatis gradum nondum venerat. 3°. Hymenæus, Theophilus, aliique de mente Paulique sententia in dubio versari dicuntur. Quem ideò rogant sibi *significare, an scripto assentiatur.* Post verò colloquium, & congressum cum Paulo, de doctrina Hæretici nullus erat dubitandi locus. Jam sine circuitione mentem aperuerat suam. Imò congressus vix alius intelligi potest, quàm ille cujus meminit Eusebius: *Malchion adversus Paulum susceptâ disputatione, occultos hominis sensus, fraudesque detegere solus valuit.* Etenim cùm in priore Synodo institutum est cum Paulo colloquium, non erat abdicationi proximus, quæ nonnisi post quinquiennium facta. Denique Synodo sive priori, sive posteriori stanti tamen Epistola ab Autore vindicatur. In unum convenerant Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proculus, Bolanus, quorum nomina Epistolæ titulo exhibentur. Ubi verò congregati nisi apud Antiochiam? Tum privatis non licuit Episcopis, editæ Confessioni subscriptionem aut responsionem Antiocheno

Eusеb. l. 7. cap. 29.

ANNO DOM. 264.

imperare Præsuli. Confessio egitur, Epistolaque quâ continetur, Synodi totius esse debuit, quod certissimis rationibus falsum esse jam ostendimus.

Dionysii Alex. mors. *Euseb. l. 7. cap. 28.*

VIII. Dum Patres Pauli causâ versantur Antiochiæ, naturæ concessit Magnus ille Dionysius: *Dum hæc aguntur, Dionysius extremum diem obiit, anno Principatus Gallieni* XII. *cum Alexandriæ Episcopatum septemdecim annis obtinuisset. In ejus locum subrogatus est Maximus.* Illustris viri vitam descripsimus, ac quantum licuit, pleraque ejus Opera ad temporum rationem direximus. Dionysii memoria in Martyrologio R. celebratur XV. Kal. Novemb.

ANNO DOM. 265.

ANNO U. C. 1018. OLYMP. 261. PER. JUL. 4977. JUL. 310. DOM. 265. GALLIENI 13. *Sol.* 22. A. *Lun.* 19. *Indict.* 13. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 7. *P.* 23. *April.*

COSS. P. Licinius Valerianus II. & Lucilius Macer Rufinianus.

Paternus Præfectus Urbis.

Qui Valerianus Consul? Frater erat Gallieni.

I. VAleriani duo fuere, Gallieno sanguine conjuncti frater, & filius ejus: quorum alter hunc gerere Consulatum debuit, qui Valeriano Patri, Persarum in vinculis agenti, ascribi nequit. Repudiatâ Pollionis autoritate, Baronius Gallieni filium in Lucilii Collega quærit: *Qui præsenti anno ponitur Valerianus Consul, non frater, sed filius fuit Gallieni.* At nullo rationis præsidio illustrissimi Purpurati sententia cingitur. Jam fato functus erat Valerianus, Gallieni Imperatoris filius, à Posthumo occisus in Gallia. Ab ea cæde Posthumus orsus imperium fuerat. Consul igitur Valerianus est junior, *Aliâ quàm Gallienus matre genitus, formâ conspicuus, eruditione pro ætate clarus, moribus perjucundus, atque à fratris dissolutione sejunctus.* Suffectum anno CCLIX. Consulatum gesserat, de quo mentio est apud Vopiscum, qui Aureliano talia loquentem Valerianum exhibet Augustum: *Consulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum sequentem, à die undecimo Calendarum Juniarum in locum Gallieni & Valeriani, sperare te convenit, sumptu publico.* Porro Valerianum & Lucilium in Consulatu Collegas esse, consentaneum videtur, qui ejusdem sententiæ fuerant ut summa dignitas *Odenato* adjungeretur. Gallienus enim consilio, *Valeriani fratris sui, & Lucilii propinqui, Odenatum participato imperio Augustum vocaverat.*

Bar. an. 266. n. 1.

Error Baronii.

Poll. Valer.

Vopisc. Aurel. cap. 11.

Gallien. cap. 12.

Francorum in Hispaniam irruptiones. *Vict. de Cæs.*

II. Dum balneis & lenonibus vitam Gallienus suam addicit, imperium undique collabitur, ac quasi ventis undique sævientibus, parvis maxima, ima summis, toto orbe miscebantur. Francorum gentes dereptâ Galliâ, Hispaniam possident, vastato ac penè direpto Tarraconensium oppido, nactisque in tempore navigiis, pars ad usque Africam permeavit. Hujus & expeditionis meminit Nazorii Panegyricus, Constantino dictus: *Franci ipsi, præter cæteros truces, quorum vis cum ad bellum effervesceret, ultra ipsum.... Oceanum, æstu furoris evecta, Hispaniarum etiam oras armis infestas habebat.* Infixa tanta cladis diu perduravere monumenta, teste Hispano Orosio: *Extant adhuc per diversas Provincias in magnarum urbium ruinis, parvæ & pauperes ædes, signa miseriarum & nominum indicia servantes, ex quibus nos quoque in Hispania, Tarraconem nostram ad consolationem miseriæ recentis ostendimus.* Chrocii quoque mentio est in Gregorio Tur. *Qui per consilium matris iniquæ, collectam Alemannorum gentem, universas Gallias pervagatur, cunctasque ædes, quæ antiquitùs fabricata fuerant, à fundamentis subvertit.* Ex Francorum porro expeditione crassissimus N. Alexandri, viri cætera docti, error coarguitur. Dum Gelasium Cyzizenum hallucinationis postulat, quòd de *Francis* mentionem fecerit: *Quod nomen, inquit, Concilii Nicæni tempore longe recentius est.* Atqui Nazarii Panegyricus, qui Francorum meminit, anno CCCXXI. dictus est. Sed & antequam imperaret Aurelianus, qui purpuram sumpsit anno 270. quinquaginta & eo amplius annis ante Synodum Nicænam de eo facta erat cantilena, *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus.*

Oros. l. 7. cap. 22.

ANNO DOM. 265.

Greg. H. F. lib. 1. cap. 33.

N. Alex. Sæc. 4. Dissert. 13. pag. 126.

Vopisc. Aurel. c. 7.

Celsi rebellio.

III. Occupatis partibus Gallicanis à Posthumo, Orientalibus ab Odenato, Illyrico ab Aureolo, novus ecce hostis Gallieni lacerat imperium: *Celsus privatus ex Tribunis in Africa positus, in agris suis vivebat, sed eâ justitiâ & corporis magnitudine, ut dignus videretur imperio.* Per mulierem nomine Gallienam, Gallieni consobrinam creatur Imperator. Afri consensere, *Autore Vibio Passieno Proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano, Duce limitis Libyci.* Ac quia aliundè purpura non suppetebat ad amiciendum novum Augustum necessaria, detractum, quo *Dea Cælestis* ornabatur, peplum adhibent. Umbratilis ille Princeps septimo imperii die occiditus. Corpus ejus à canibus consumptum est. Siccienfibus, qui fidem Gallieno servaverant, urgentibus, & novo injuriæ genere imago ejus in crucem attollitur, *Quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.* Cui simile in totâ Historiâ, sive Græca, sive Romana non reperimus.

Poll. Trig. Tyr. c. 28.

ANNO DOM. 266.

ANNO U. C. 1019. PER. JUL. 4978. JUL. 311. DOM. 266. GALLIENI 14. *Sol.* 23. G. *Lun.* 1. *Indict.* 14. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 1. *P.* 8. *April.*

COSS. Gallienus Augustus VII. & Sabinillus.

Paternus Præfectus Urbis.

Valerianus junior Cæsar creatur.

I. VAlerianus junior, qui proximum annum aperuerat, à patre suo Valeriano ante captivitatem Cæsar creatus fuerat, si Pollioni credimus: *A patre absente Cæsar est appellatus, à fratre, ut Cælestinus dicit, Augustus.* Vero tamen nobis similis videtur Pagii sententia, quòd utramque dignitatem à fratre Gallieno Augusto adeptus sit, & hoc ipso anno. Cui opinioni fidem facit inscriptio: *Colonia Augusta Verona Nova Gallieniana Valeriano II. & Lucillo Coss.* Dedicata est anno proximo pridie Non. Decembris, quo tempore titulo *Cæsaris* non ornabatur, quem inscriptio non præteriisset. Ac primùm Cæsar, deinde Augustus à Gallieno dictus est. Quod vetus inscriptio à Pollione lecta testatur: *Capto jam Valeriano, scriptum invenimus in Fastis, Valeriano Imper. Cos. Quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater?*

Poll. Gallien. c. 14.

Scytharum direptiones. *Pol. Gallien. 12.*

II. Scythæ prædis assueti atque direptionibus, sua iterum flagella imperio retulere: *Occupato Odenato Persico bello, & Gallieno rebus ineptis-*

Anno Dom. 267.

ineptissimis ut solebat incumbente, Scythæ navibus factis Heracleam pervenerunt, atque inde cum præda in solum proprium reverterunt, quamvis multi naufragio perierant, multi naufragio superati.

Anno U. C. 1020. Per. Jul. 4979. Jul. 312. Dom. 267. Gallieni 15. *Sol.* 24. F. *Lun.* 2. *Indict.* 15. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Mart.*

Coss. Paternus & Arcesilaus.

Petronius Volusianus Præfectus Urbis.

Odenatus & Herodes occiduntur.

I. ODenatus, qui fessis Romanorum viribus Imperator à Gallieno dictus fuerat, Persas absque intermissione lacessebat, irato Reipublicæ Deo, miserè tandem occiditur. De percussore variant Historici. Diversas etiam mortis causas afferunt. Ex venationum æmulatione à fratris sui filio interemptum, prodit Zonaras. Nos ad Pollionem magis accedimus, & antiquiorem, & vero similiora scribentem. Degebat *Emesæ*, ubi natalitiam festivitatem celebrabat. Tum à consobrino Mæonio interemptus est, cum filio *Herode*, qui post patris ex Perside reditum Imperator fuerat appellatus. *Herodes* homo fuit omnium delicatissimus, Orientalisque luxuriæ, cui erant sigillata tentoria, aurati papiliones, & omnia Persica. In illum Zenobia erat novercali animo, quâ re commendabiliorem patri fecerat. Optimus Imperator Odenatus erat, cui nil aliud objici poterat, præter Herodis delicias filii natu maximi, cujus ingenio nimium obsequebatur. Fama est, cædi consensisse Zenobiam, quæ ferre non poterat Herodem priore apud Odenatum esse loco. Brevi à militibus Mæonius, qui nomen Imperatoris usurparat, suæ luxuriæ merito interficitur.

Poll. Trig. Tyr. c. 17. Zozim. l. 1. c. 39.

Zenobia arripit imperium: ejus mores & liberi.

II. Odenatus moriens Zenobiam virtutis suæ gloriæque reliquit hæredem. Orientalium mulierum omnium nobilissima erat, & speciosissima. Fusci coloris fuit, oculis supra modum vigentibus, nigris, spiritus divini, venustatis incredibilis, tantus candor in dentibus, ut margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. Neque virtutes animi formæ superabat. Severitas ubi necessitas postulabat tyrannorum; bonorum Principum clementia, ubi pietas requirebat. Larga prudenter conservatrix thesaurorum ultra femineum modum. Tantæ castitatis erat, ut ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Ad conciones galeata processit, cum limbo purpureo, gemmis etiam ex ultima fimbria pendentibus. Fertur tria vel quatuor milliaria frequenter cum pedibus ambulasse: *Vixit regali pompâ, more magis Persico. Adorata est more Persarum, convivata Imperatorum more Rom. Latini sermonis non usque quaque ignara, sed ut loqueretur pudore prohibita. Loquebatur & Ægyptiacè ad perfectum modum. Historiæ Alexandrinæ atque Orientalis ita perita, ut eam epitomasse dicatur. Latinam autem Græcè legerat.* De Cleopatrarum gente, & Ptolomæorum esse se jactabat. Hisce moribus prædita, extincto Odenato, diademate accepto, nomine filiorum imperavit. Trium filiorum pulchrâ prole Odenatum parentem fecerat. Duorum tantum meminit Trebellius, *Herenniani*, & *Timolei*, quibus tertium addit Vopiscus, cui *Balbato* nomen: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filii nomine, Zenobiam, non Timolai, & Herenniani imperium tenuisse.* Eò quidem propendet Casaubonus, ut nullo loco sit ille Balbatus. Suspicatur enim ex ignoratione Syriacæ linguæ, quâ Palmyreni utebantur, Regem fuisse confictum: *Nam cum multa Syros audirent Græci de sua* בעלה *Bibala vel Babalat, id est, Regina prædicantes, putarant Principis ipsorum hoc esse nomen, atque ex eo Regem hunc, aliis incognitum, procuderunt.* Ingeniosam sanè cogitationem, quæ nostro tamen judicio Vopisci narrationem, quâ perstringitur Pollio, evertere fide non debet. Vopisco etiam varii nummi præsidio sunt, à Goltzio, Spanhemio, aliisque eruditis exhibiti. Filios Latine loqui jussit, adeò ut Græcè, vel difficile, vel raró loquerentur. Timolao tantus fuit studiorum Rom. amor, ut vel summus Latinorum Rhetor evadere potuerit. Fatigatâ Republicâ eousque perventum, ut optime Zenobia imperarit.

Vopisc. Aurel. cap. 38.

Poll. Trig. Tyr. c. 30.

Acta Gallieni: Scythas debellat.

III. Ubi Gallienus novit Odenatum periisse, bellum Persis ad seram patris vindictam parat, collectisque per Heraclianum Ducem militibus, *Solertis Principis rem gessit.* Aliquid tamen dissidii Gallienum inter & Zenobiam exortum esse oportet, cujus causa ignoratur. Indignabatur fortè Gallienus absque suffragio suo imperasse Zenobiam. Quod subindicant verba Pollionis: *Gallieno adhùc regente Remp. regale mulier superba munus obtinuit.* Extincto Odenato, quidquid potestatis concessum fuerat, ad Romanos rediisse fortè arbitrabatur. Quæcunque sanè discordiæ causa fuerit, parato Persis bello in Palmyrenos invadit, sed infelici successu: *Heraclianus à Palmyrenis victus, omnes quos paraverat milites perdidit.* Aliud & calamitatis incidit Gallieno. *Inter hæc Scythæ per Euxinum navigantes Istrum ingressi, multa gravia in solo Rom. fecerunt.* Quibus compertis, Gallienus Cleodamum & Athenæum Byzantios instaurandis urbibus muniendisque præfecit. Pugnatum est circa Pontum, & à Byzantiis Ducibus vincuntur Barbari. Veneriano quoque Duce navali bello Gothi superantur, sed ubi militari morte concessit, Gothi Cyzicum, Asiam, deinceps Achaiam omnem vastant. Grassantibus occurrit Atheniensium Dux Dexippus, eorum temporum Scriptor, qui insignem de Barbaris victoriam retulit. Achaiâ pulsi, per Epirum, Macedoniam, Boetiam vagantur. Tum Gallienus vix excitatus publicis malis, per Illyricum occurrit, & fortuitò plurimos interemit. Quo comperto, Scythæ factâ carragine per montem Gessacem fugere sunt conati.

Gallien. cap. 13.

Lollianus à Victorino interficitur.

IV. Magnus Gallorum omnium erga Posthumium amor fuerat, labente septennio, quo imperium administravit, neque immeritò, cùm submotis *Germanis* securum ab hac parte reddidisset imperium. At gravissimè se gerenti, Galli more suo, novarum rerum cupidi, impellente Lolliano, mortem inferunt, ut Posthumi in Historia fusius narratum. Neque Lolliano militaris virtus defuit: *Plerasque Galliæ civitates nonnulla etiam castra, quæ Posthumus per septem annos in solo barbarico ædificarat, quæque interfecto Posthumo subitâ irruptione Germanorum & direpta fuerant & incensa, in statum veterem reformavit.* De morte Lolliani, primâ specie Pollio sibi consentire non videtur: *Interemptus est*, inquit, *à Victorino, Victoriæ filio.* Paulò infrà tamen:

Anno Dom. 267.

Deinde à suis militibus, quòd in labore nimius esset, occisus est. Quæ tamen venire possunt in concordiam, ut Victorino impellente, Lollianus suorum militum gladio perierit. Sic Tyranni Reipublicæ erant auxilio, quam Gallienus comporationibus & luxuriâ perdebat. Apud *Moguntiacum, Ælianum* rebellasse, prodit Victoris Epitome, quæ Lollianum silentio præteriit. Contrà verò Pollio, qui Lollianianæ seditionis meminit, de Æliano ne verbum quidem babet. Aliundè Gallieno rerum domino, Moguntiaci imperium arripuisse feruntur Ælianus atque Lollianus. Quibus conjectura duci posset, unum eundemque esse hominem Ælianum atque Lollianum, diversis nominibus designatum. Observant tamen periti nummorum, utrumque distingui. Quæstionis tamen est, utrùm ejusdem sint temporis Ælianus ille, atque Lollianus, quod rei nummariæ consultis disquirendum relinquimus. Neque ea res est tanti, ut crucem animo figat.

Anno Dom. 268.

ANNO U. C. 1021. PER. JUL. 4980. JUL. 313. DOM. 268. CLAUDII 1. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 3. *Indict.* 1. *Epact.* 28. *Epact. Sol.* 3. 4. *P.* 19. *April.*

COSS. Paternus II. & Marianus.

Petronius Volusianus Præfectus Urbis.

Victorinus occiditur.

I. INterfecto Lolliano, Victorinus, quem imperii Collegam anno CCLXXII. sibi Posthumius asciverat, solus in Galliis potitur imperio, quod *biennio* retinuit, si credimus Aur. Victori atque Eutropio, incompleto scilicet, quod per annos Julianos duos diffunditur. In viro strenuissimo, & ad militiam idoneo, libido cum fortitudine certabat. At venereis voluptatibus deditus, aliena matrimonia corrumpebat, quam tamen libidinem imperii exordio cohibuerat. Constupratis vi plerisque, Attitiani conjugem concupivit. Actuariorum unus erat Attitianus, quorum in exercitibus factiones maximè vigent. Attitiani corruptam uxorem fuisse, tradit Pollio. Mulieris verò castitatem prædicat Aur. Victor, à qua facinus Victorini *viro patefactum*. Accensis igitur furtim militibus, Victorinus per seditionem Agrippinæ occiditur. Sub illam horam quo interficitur, Victorinus junior, adhùc puerulus, à patre, & avia Cæsar nuncupatur. Sed irâ militum statim extinguitur. Defunctorum extant sepulchra circa Agrippinam, brevi marmore humilia, quibus inscribitur titulus unus: *Hic duo Victorini tyranni siti sunt.*

Marius: mors ejus.

II. Victorino, Lolliano, Posthumio interemptis, contemptu Gallieni Princeps alius quæritur, & in *fabro ferrario* reperitur, cui Mario nomen. Vir strenuus erat, & qui militaribus gradibus ad imperium usque provectus est. Tantarum fuisse virium ferunt, ut currus venientes digito repulerit, & fortiores homines ita afflixerit, ut quasi ictu ferri percussi dolerent. Prima ejus concio animi redolet magnitudinem: *Utinam ferrum semper exerceam: non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus, indignus patre suo, & sui generis nobilitate. Depeream, nisi mihi objiciatur ferraria, dum me & cæteræ gentes ferrum tractasse suis cladibus recognoscant in Italia.* Cùm in tanto rerum fastigio modestiam tenere Marius non posset, ac operarium quendam, cujus manu olim sua in officina usus fuerat, militem sprevisset, indignatus contemptu miles, Marium occidit dicens, *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Hisce Tyrannis superstes Gallienus fuit.

Anno Dom. 268.

Poll. Tr. Tyr. c. 8.

Tetricus creatur Imperator.

III. Tot æmulorum morte Galliarum imperium in *Gallieni* ditionem redüt. Quæsitus iterum Princeps, qui nobilitate generis *Marium* superaret. Victorini mater *Victoria*, quæ ab exercitu nomen *Matris castrorum* acceperat, Tetricum Senatorem Rom. Galliæ Præfectum ad capiendum imperium hortatur. Tetrico affinis erat, itaque opibus, quibus pollebat, Augustum Tetricum fecit, filiumque ejus Cæsarem. Neque indignus erat imperio, quod ad usque Aurelianum tenuit, ut declarabitur.

Gallieni Colossus: Mors.

IV. Intereà Gallienus, perpetuâ ob socordiam oblivione dignus, quod præclaris facinoribus non poterat, Colosso posteris nomen mandari voluit. Statuam sibi fieri præcepit Solis habitu, ac tantæ magnitudinis, ut duplex ad Colossum videretur. Quam & poni voluerat, in summo Esquiliarum monte hastam tenentem, per cujus scapum infans ad summum posset ascendere. Equos & currum fieri jusserat pro conditione statuæ, atque in amplissima base poni. At dum de minimis cogitat, Duces qui Principis sui improbitatem & socordiam amplius ferre non poterant, quem sufficere imperanti possent, in secreto simul volutant Martianus, & Heraclianus. Consilium igitur inferunt, ut alter eorum Imperium caperet. Quos & prudenter adjuvit Cecropius Dux Dalmatarum. Heracliano consensisse Claudium, Gallieni successorem, legimus apud Zozimum: *Heraclianus Præfectus Prætorio socium consilii Claudium nactus, necem Gallieno molitur.* Quod penè fatetur ipse Pollio: *Claudius*, inquit, *Gallienum prodigiosum Imperatorem, etsi non Autor consilii fuit, tamen ipse imperaturus bono generis humani, à gubernaculis publicis depulit.* Utcunque res sese habeat, Gallienum insidiis appetendum duxerunt, ne diutius theatro & circo addicta Resp. per voluptatum periret illecebras. Componendis insidiis ansam Aureolus præbuit, qui sorte suâ non contentus, summam imperii cupiebat. Urgebat bellum Scythicum Gallienus, cùm nuncius affertur, res novas moliri Aureolum. Ad cujus rei famam conturbatus, statim ad iter Italicum se accingit. Ad pontem, qui ex ejus nomine *Aureolus* vocatur, fusum acie Aureolum, detrusumque, Mediolanum obsedit. Tum conjurati consilium exequi suum decernunt. Cœnanti Gallieno Cæcropius adstabat, cùm exploratorem quendam nunciasse dicit, Aureolum cum suis copiis accedere. Quo rumore territus arma Gallienus poscit, signoque militibus dato, ut se sequerentur, ne corporis quidem stipatoribus exspectatis equitabat. Quem Præfectus alæ nudum conspicatus, interfecit. Aureoli potius, quàm Ducum suorum insidiis Gallienum periisse, Victores testantur: *Aureolus ubi solvendi obsidii spem inanem videt, Ducum Gallieni Tribunorumque nomina, quasi destinata ab eo ad necem, astu composuit, literasque è muro quàm occultissimè potuit, abjecit, quæ fortè à memoratis reperta, metum suspicionemque injecerunt mandati exitii, verùm eas effluxisse incuriâ ministrorum.* Simulatâ igitur proruptione hostium, nullis, uti re trepidâ ac repentinâ solet, tectum stipatoribus, tabernaculo educunt, nocte intempestâ: *Teloque trajicitur, cujus nam per tenebras*

Zozim. l. 1. c. 40.

Pol. Claud. cap. 1.

Zozim. l. 1. c. 40.

Vict. de Cæs.

ANNO DOM. 268.

nebras incertum. Pollionis tamen atque Zozimi narratio, quæ Ducum sub Gallieni socordia gementium conjurationi Gallieni mortem ascribit, fit vero similior. Periit mense Martio, die circiter vigesimo, imperii labente decimo quinto. Vixit annos quinquaginta. Continuò frater ejus, meliore fortunâ dignus, interficitur, cujus corpus propè Mediolanum sepultum, addito titulo, Claudii jussu, *Valerianus Imperator.* Quintus Julius Saloninus Gallienus Cæsar, quem teste Victoris Epitome, *in locum Cornelii filii sui*, Gallienus Augustus *subrogarat*, à Senatu Romæ dicitur interfectus. Senatus quidem comperto Gallieni Imperatoris exitio, *Satellites, propinquosque per scalas Gemonias præceps agendos decrevit, patronaque fisci in Curiam perducto, effossos oculos pependisse satis constat.* Irruens vulgus pari clamore, Terram matrem, Deosque inferos precatur, sedes impias ut Gallieno darent. Et Patres quidem, præter commune Romani malum orbis, stimulabat proprii ordinis contumelia, quia primus ipse metu socordiæ suæ, ne imperium ad optimos nobilium transferretur, Senatum militiâ vetuit, etiam adire exercitum. In cælestium tamen numerum Gallienus relatus est ægrè exequiis dignus, quod à Patribus, Claudius precibus suis impetravit.

Vict. de Cæs.

Claudius creatur Augustus.

V. Occiso Gallieno, seditio ingens militum fuit. Defuncti quidem amore non tangebantur, à quo crudelius vexati fuerant, ut uno die quaterna eorum millia morti mitterentur. Spe prædæ, ac publicæ vastationis Imperatorem sibi utilem, necessarium, fortem, ad invidiam faciendam, raptum dicebant. Placuit Ducibus, ut tumultuantes, quo solent milites placari modo, sedarentur. Præstò erat thesaurorum copia, ex quibus viritim aurei viceni seditiosis suppeditantur. Quo facto, Gallienum tyrannum in fastos publicos retulerunt. Militibus sedatis, *Claudius vir sanctus, ac jure venerabilis, & bonis omnibus charus, amicus patriæ, amicus legibus, acceptus Senatui, populo benè cognitus accepit imperium.*

Poll. Gallien. c. 25.

Claudii origo: Anni.

VI. Claudii Principis origo in obscuro latet. Patris matrisque nomen ignoratur, quod de tanto Imperatore mirum, certissimo quidem indicio se nil claritudinis à parentibus accepisse, ac solo virtutis suæ splendore illustrem fuisse. Ex Dalmatia originem habuisse creditum. De qua suavis est historia Vict. in Epit. *Claudium plerique putant Gordiano satum, dum adolescens à muliere matura institueretur ad uxorem.* Erant quidem illius palæstræ artifices mulieres, quæ veneris rudes mysteriis initiabant:

Martial.

Ergo suburana tyronem trade magistra;
Illa virum faciet, non benè virgo docet.

Claudius tamen natu major erat, quàm Gordiano Augusto nasceretur. Alii à Dardano, alii ab Ilo originem traxisse Claudium fabulabantur, ut lucis aliquid obscuris inclyti Principis Natalibus adderent. *Sexto Idus Maii* natus erat, ut tradit libellus de Natalibus Cæsarum apud Bucherium. Obiit anno ætatis LVI. ut habet Græcum Eusebii Chronicum, ex quo annus nativitatis innotescit, qui vel in CCXIV. vel CCXV. Dionysiano est consignandus. Creatus est Augustus Martii die circiter XXI. ut indicant verba Pollionis: *Cùm esset nuntiatum IX. Calendas Aprilis, ipso in sacrario Matris, sanguinis die, Claudium Imperatorem factum.* In veteri quidem Kalendario, ad IX. Kal. Aprilis legitur, *sanguem.* Tertium imperii annum Claudius ingressus est, licet Eutropius scribat intra *biennium imperii periisse.* Nostra verò Chronologia ex Pollione certè certòque colligitur: *Cùm consuleret factus Imperator, quandiu esset imperaturus, in Apennino responsum hujusmodi accepit:*

Pol. Claud. cap. 4.

Pollion. Claud. c. 10.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Quòd si non ad usque Octobrem anni CCLXX. Claudius vitam retinuit, ne vel levis umbra quidem fuisset fingendi talis oraculi. Est & in Codice, ut clarissimus observat Norisius, Claudii rescriptum *Epagatho, datum VII. Kal. Novembris Antiochiano & Orfito Coss.* Biennio igitur & mensibus septem Claudius imperavit.

Cod. l. 1. Tit. 23. l. 2.

Claudii mores.

VII. Magnis Claudium laudibus certatim cumulant Historici: *Parcus vir, ac modestus, & justi tenax, atque Reip. gerendæ idoneus.* Quibus paucis multa complexus est Eutropius, quæ fusius exequitur Pollio: *Claudius insignis morum gravitate, insignis vitâ singulari, & unicâ castimoniâ, vini parcus, ad cibum promptus, staturâ procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu, digitis usque adeò fortibus, ut sæpè equis & mulis ictu pugni dentes excusserit.* Virtutem ejus profligatissimus omnium mortalium, & perditissimus Gallienus venerabatur. Cui cùm nunciatum esset per frumentarios, Claudium irasci quòd mollius viveret, scripsit Venusto, Nihil se gravius affecisse, quàm quòd Claudius *falsis plerisque gravius irasceretur.* Antequam rerum potiretur, jam Patribus Conscriptis percharus erat. Ubi enim nuntiatum est, in Illyrico fortiter dimicasse, Senatus acclamavit: *Claudio statuam omnes dicamus. Claudium Consulem omnes cupimus . . . Vivas, Valerio, ameris à Principe.* Multis itaque gaudiis exultavit Senatus, audito Claudium à militibus Augustum esse dictum. Acclamatum: *Claudi Auguste, Principem te, aut qualis tu es, semper optavimus. Claudi Auguste, te Respublica quærebat.*

Claud. c. 18.

Mors Aureoli.

VIII. Ut primùm ad Aureolum pervenit rumor imperare Claudium, eruptione factâ novum Imperatorem adoritur. Conflictu habito, vincitur Aureolus, tyrannusque missis ad populum edictis, datis etiam ad Senatum orationibus, judicatur. Ad preces igitur se humiliter demisit Aureolus, quem rogantem & fœdus petentem, Imperator gravis & severus non audiit, responso tali repudiatum: *Hæc à Gallieno petenda fuerant, qui consentire moribus poterat, & timere.* Periit itaque Aureolus, interfectus à militibus, exitu vitæ, moribusque dignissimo. Non bello intestino modò, sed & hostili Claudius liberat imperium: *Extincto Aureolo, receptis legionibus, adversum aciem Alemannorum haud procul à lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægrè pars dimidia superfuerit.* Quæ victoria Germanici titulum Claudio peperit.

Pol. Claud. c. 5.

Vict. Epit.

ANNO U. C. 1022. OLYM. 262. PER. JUL. 4981. JUL. 314. DOM. 269. CLAUD. 2. *Sol.* 26. C. *Lun.* 4. *Indict.* 2. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 5. P. 4. *April.*

ANNO DOM. 269.

COSS. M. Aurelius Claudius Augustus II. & Paternus.

Flavius Antiochianus Præfectus Urbis.

Scythæ à Claudio debellantur.

I. SCythæ à Marciano viro bellicis rebus exercitatissimo, anno CCLXVII. debellati fuerant. Quorum reliquias repugnante Claudio dimiserat. Præsagiebat animo vir sagacissimus,

ANNO DOM. 269.

simus, Scythicas gentes omnes à fugitivis ad Romanorum prædam, direptionesque excitatum iri. Nec coojecturæ defuit eventus. Classicum conentes Barbari, Peucini, Trutuogi, Ostrogothi, Virtungi, Sigipedes, Celtæ, Heruli, in Romaoum solum impetum faciunt. Tantus militum numerus fuisse dicitur, ut fide major videatur: *Armatorum trecenta viginti millia fuerunt. Adde servos, adde familias, adde carraginem, & epota flumina, consumptasque silvas.* Habuerunt præterea duo millia novium, quorum etiom Zozimus multiplicat numerum: *Barbari*, inquit, *propter Tyram fluvium, in Pontum semet exonerantem, sexies mille navibus extructis, ac trecentis ac viginti millibus hominum, in eas impositis, navigatione per Pontum institutâ, Tomis munito mœnibus oppido tentato, rejecti sunt. Progressi verò & Marcianopolim delati, qua Mysiæ civitas est, ac ne illâ quidem potiti, vento usi prospero, navigabant ulterius. Ubi Propontidis angustias attigere, quòd ea multitude navium celeritatem fluxus ferre non posset, naves inter se collidebantur, & nullo ferebantur ordine lembi, cùm Gubernatores ipsi clavos è manibus dimisissent, adeò quidem ut partim demergerentur cum hominibus ipsis, partim vacuæ littoribus appellerent, magnâ tum hominum, tum navium multitudine pereunte.* Placuit ergo Cyzicum versus navigare. At tebus infectis od montem Atho delati, naves ibi suas refecere. Admotisque machinis, Cassandriæ & Thessalonicæ muris, parum aberat quin urbes caperent. Audito tamen Claudium odventare cum copiis, petitâ regione Macedoniæ mediterraneâ, omoem præter Doberum, & Pelagoniam agrum, prædiis agendis infestabant. Hic tribus hominum millibus omissis, cùm in equitatum Dalmatarum iocidissent, cum reliquis adversus copias Imperatoris dimicarunt. Cùm ab utraque parte multi cecidissent, Romani quidem io fugam se conjiciebant, sed per itinere nullis hominum trita vestigiis adorti, quinquaginta millia Barbarorum ceciderunt. Pugnatum & in variis locis, & ubique Claudianis auspiciis Scythæ vincuntur.

Zozim. l. 1. c. 43.

Zenobia parte potitur Ægypti.

II. Dum magno suorum amisso numero Scythæ vagantur, majora quædam appetens Zenobia, *Zabdam* in Ægyptum mittit, cujus regionis Timagenes Palmyrenis dominatum tradere conatur. Coacto exercitu ad septuaginta millia eoocurrerunt Ægyptiis, quorum copiæ quinquaginto circiter militom millibus constabant. Commisso pælio, Palmyreni superiores evasere, & imposito v. millium præsidio, pedem retulerunt. *Prebus*, quem *Probatum* vocat Pollio, cui datum erat negotium pugandi piratis maris, ubi Ægyptum à Palmyrenis teneri novit, cum copiis suis, Ægyptiisque qui à Palmyrenorum partibus alieni erant, hostes aggressus præsidium ejecit. Iterum Palmyreni coactis exercitibus, in Ægyptom venientes, pugnam cum Probo renovant, qui victoriâ potitus è finibus Ægypti Palmyrenis exigit. Dum verò montis jugum, Babyloni Ægyptiacæ vicinum, occupat Probus, ut hostes in Syriam reditu prohiberet, peritus locorum Timogenes, cum duobus Palmyrenorum millibus montis occupato vertice, nil tale cogitantes Ægyptios occidit. Captus Probus, violentas sibi maous intulit. Sic pars Ægypti Palmyrenorum in potestatem redacta. Sic explicandus videtur Zozimus, ut cum Pollione consentiat.

Zozim. l. 1. c. 43.

ANNO DOM. 269.

Bruchium quid? A Romanis captum.

III. Æmiliani seditione, qui imperante Gallieno rebellaverat, in partes abierot Alexandria. Bruchium occupaverat Tyronnus regionem urbis munitissimiom, in qua muscum erat, nec non frumentum, alendis eruditis destinatum. *Bruchium* sanè corrupta vox esse videtur, à Græco *πυροχεῖον* deducta. Erat enim ibi & onnona, & eruditorum domicilium, quibus inseri gloriæ fuit. Itaque Adrianus Imperator jus mensæ io eo loco, Polemonii Laodicensi, in Bruchio concesserat: *In Musas κύκλῳ mensa, ab eo annumeratus, & ad tesseram frumenti Ægyptiacam admissus est.* Bruchium igitur, cùm exrincto vel Æmiliano Romanis obsisteret, tandem in eorum ditionem concessit anno currente, si fides Hieronymo: Alexandriæ *Bruchium quod per multos annos fuerat obsessum, tandem destruitur.* Aureliano jom imperante id contigisse, Scaligero Ammianus persuasit Marcellinus: *Alexandria ipsa non sensim ut aliæ urbes, sed inter initia. Prima aucta per spatiosos ambitus, internisque seditionibus diu aspera fatigata, ad ultimum multis post annis, Aureliano imperium agente, civilibus jurgiis ad certamina internecina prolapsis, diruptisque mœnibus, amisit regionum maximam, quæ Bruchium appellabatur, diuturnum præstantium hominum domicilium.* Potior tamen nobis Eusebii outoritas, quàm Marcellini, cùm post solutam Bruchii obsidionem, vir insignis nomine Eusebius, io Syriam migrarit, ut interesset Synodo Antiochenæ. Porrò etsi Hieronymum sequamur, fatemur tamen de ejus Chronologio dubitationem injici, nobisque vero similius, anno circiter CCLXIII. imperante Gallieno captum esse Bruchium, cùm à Theodoto Æmiliaous debellatus est. Creditu sanè difficilimum, septennio contiouatam esse Bruchii obsidionem, quod est admittendum, si demùm imperaote Claudio Romanorum in potestatem venit. Præterea priori Synodo Antiochenæ interfuisse videtur Eusebius, cui successit Anatolius, cùm posteriore Synodo relictâ, à Laodicenis retentus est. Atqui finitâ Bruchii obsidione, ambo in Syriam migrarunt. De Bruchii obsidione ex Eusebii historia observatu hæc dignissima, nostros io Annales transferimus: *Cùm frumentum obsessis deficeret, adeò ut hostium impetum facilius quam famem tolerarent, Anatolius qui cum obsessis erat, hujusmodi quiddam providè excogitavit. Altera pars civitatis, cum exercitu Rom. societate conjuncta erat, ac proinde minimè obsessa. In hac versabatur Eusebius, cujus celebre nomen, & insignis gloria ad aures etiam Rom. pervenerat. Hunc Anatolius, misso Clanuntio, certiorem facit de numero eorum, qui fame in obsidione interirent. Quo comperto, Eusebius à Romano Duce maximi beneficii loco postulavit, ut iis qui transfugere ab hostibus vellent, incolumitatem concederet. Id cùm impetrasset, statim Anatolio indicavit. Ille promissione Ducis libenter acceptâ, Alexandrinum convocat Senatum. Ac primùm quidem suadere cœpit omnibus, ut cùm Romanis in gratiam redirent. Sed cùm illos hujusmodi verbis exasperatos videret, At hoc certè, inquit, nequaquam vos arbitror repudiaturos, si vobis suasero, ut supervacuam atque inutilem turbam, anus scilicet, & infantes, ac senes extra portas abire quò volent sinatis.* Consentiente Senatu, imbellis tam virilis, quàm muliebris sexus ex urbe emittitur, eoque universi ferè obsessi, ab Anatolio servati sunt: *Ægyptios omnes se Romano Imperatori dedisse, in absentis Claudii verba jurantes,*

Philostr. l. 1. de Vit. Soph. 532.

Amm. l. 22.

Euseb. l. 7. c. 32.

tradit

Anno Dom. 269.

tradit Pollio, quæ non satis Zozimo consentiunt.

Antiochena Synodus. Tempus Synodi: Episcoporum numerus.

Error Barron.

IV. Paulus Samosatenus, promissi immemor sui, quo Patribus Antiochenis persuaserat, se ad frugem rediturum, apertius in hæresin prolapsus, quam ubique locorum spargebat, ansam Episcopis præbuit novo agitando conventui, de cujus tempore controversia est inter eruditos. Ac Baronio Synodum conferri placuit in annum Dom. CCLXXI. Aureliano Augusto II. & Basso Coss. Quam damnat Chronologiam Chronicum Damasi de Dionysio Papa: *Fuit temporibus Gallieni, ex die undecimo Kalendarum Augusti, Æmiliano & Basso Coss. usque in diem septimum Kalendas Januarii Coss. Claudio & Paterno.* Jam verò ex Epistola Patrum Antiochensium, quæ Dionysio Rom. Maximo Alex. aliisque scribitur Episcopis, constat Dionysii obitum nondum innotuisse Synodo. Non potest igitur Concilium illud Antiochenum affigi anno CCLXI. quo mors Dionysii omnibus venerat in notitiam. Hanc illustrissimi Purpurati sententiam meritò repudiat clarissimus ille Pearsonius, cujus tamen Chronologia nobis probari nequit. Secutus enim Eusebii Chronicum, in annum CCLXVI. refert Concilii celebrationem. Verba sunt Chronici: *Paulus Samosatenus à cunctorum prædicatione desciscens, Artemonis hæresim suscitavit. In cujus locum Antiochena Ecclesia XVI. ordinatur Domnus.* Censet itaque vir magnus, *Gallieni anno* XIII. *Paulum à Synodo condemnatum.* At Eusebius repudiatâ suâ Chronologiâ, aliam in historia amplectitur vero propiorem: nempe quòd Aureliano imperante Concilium sit Antiochiæ congregatum. Accuratior autem Eusebius est in Historia, quàm in Chronico. Porò etiamsi Claudius rerum adhùc potiretur, cùm Paulo munus abdicatum est, id tamen factum anno CCLXX. qui cùm primus Aureliani fuerit, non magno sanè metachronismo Synodus in tempus Aureliani ab Eusebio collata est, ut nil causæ Pearsonio fuerit, cur Chronicum anteponeret historiæ. Currente igitur anno, qui Christi CCLXIX. est, posterior Synodus Antiochena celebratur. Quod & insigni argumento Valesius firmat, etsi errante calamo bis Claudii Paternique Consulatum, cui meritò Synodum affigit, in anno CCLXX. consignarit. Argumentum verò petitur ex libello contestationis Cleri Constantinopolitani, scripto Consulibus Theodosio Augusto XIII. & Valentiniano III. hoc est, anno Dom. CCCCXXX. antequam Ephesi Synodus congregaretur. Verba sunt libelli: *Quòd Nestorius ejusdem sententiæ sit cum Paulo Samosateno, ante annos* CLX. *ab Orthodoxis Episcopis Anathemate condemnato.* Deductis de CCCCXXX. annis CLX. damnatio Pauli incidit in primum anni CCLXX. trimestre. Quo consequens est, Synodum incœpisse ultimo superioris anni trimestri. Helenum Tarsi Episcopum, Synodi Principem fuisse, testatur libellus Synodicus: neque errasse videtur, cùm Synodi in Epistola priorem *Helenus* locum occupet. De numero Episcoporum qui interfuere, variant Antiquorum monumenta. Septuaginta numerat Athanasius libello de Synodis Arimini & Seleuciæ: *Duo Dionysii diu fuere, ante septuaginta illos, qui Samosatensem sustulerunt.* Auxit numerum Facundus, pro defensione trium Capitulorum l. x. c. 6. *Beatus*, inquit, *Hilarius, non unius hominis verba privatim dicta, sed publica decreta Concilii approbat, quibus octuoginta nostri Patres, pro Paulo Samosateno repudiaverunt, ut homousios, id est, unius essentiæ cum Patre Filius vocaretur.* Multiplicat numerum Basilius Diaconus in libello supplice, quem Theodosio obtulit & Valentino: *Sancta Synodi* CLXXX. *Episcoporum apud Antiochiam congregata adversus Paulum Samosatenum.* Numerosum conventum fuisse liquet, suffragante Eusebio: *Postrema*, inquit, *Synodus innumerabilium ferè Episcoporum congregata est.* Ne verò numerus sit fide major, cùm ex Occidentalibus Episcopis nemo adfuerit, advertendus est animus verbis Epistolæ Synodicæ, de ambitione Pauli: *Episcopos quoque vicinorum pagorum, & civitatum, nec non & Presbyteros assentatores suos submisit.* Erant igitur tum temporis Episcopi in pagis constituti, ex quibus ingens Episcoporum confici numerus ille potuit, de quo mentio est apud Eusebium. Quid igitur Athanasio causæ fuit, cur ad *septuaginta* contraheret Episcopos? Nùm sub initia Synodi, eo numero Episcopi conscribebantur, qui in progressu longè major evasit? Nùm quod sæpius contigit, corrupti numeri? Desiderabatur ingens illud Ecclesiæ lumen, *Firmillianus* Cæsareæ Episcopus, qui priori Antiochenæ Synodo præfuerat. Tarsum jam usque venerat, at intereà loci, dum Patres adventum ejus expectant, abiit è vita non sine Ecclesiæ detrimento. Constitit sacer ille conventus non Episcopis Presbyterisque modò, sed Diaconis etiam, & Laicis, ad quos & pertinet, ut tecta sartaque sit fides Ecclesiæ. Testis Epistolæ titulus: *Helenus, & Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proculus, Nicomus, Ælianus, Paulus, Bolanus, Protogenes, Hierax, Eutychius, Theodotus, & Malchion, & Lucius, & reliqui omnes, qui nobiscum sunt vicinarum urbium, & Provinciarum Episcopi, & Diaconi, & Ecclesiæ Dei, charissimis fratribus in Domino salutem.* Hæc erant consuetudinis Apostolicæ vestigia. In Synodo Hierosolymitana suffragium tulere suum *Apostoli, Presbyteri, fratres*, quorum omnium nomine scribitur Antiochensibus Epistola. Sanctum divinumque morem tenuit & Synodus Carthaginensis, cui præfuit Cyprianus: *Cùm in unum Carthagini convenissent Kal. Septembris Episcopi plurimi ex Provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris & Diaconibus, præsente etiam plebis maximâ parte.* Neque à majorum instituto Patres Eliberitani recessere: *Cùm consedissent sancti & religiosi Episcopi, in Ecclesia Eliberitana, residentibus viginti & sex Presbyteris, adstantibus Diaconibus, & omni plebe.*

Pears. de Success. Dissert. 2. c. 10. 106.

Athan. t. 1. 918.

Euseb. l. 7. c. 30.

Id. ibid.

Malchion Presbyter. Ejus cum Paulo disputatio.

V. Ubi in unum Patres convenere, Malchion Antiochenæ Presbyter Ecclesiæ, vir disertissimus, qui & scholæ in ea urbe constitutæ præfuerat, adversus Paulum institutâ disputatione, excipientibus cuncta Notariis, *occultos hominis sensus, fraudesque detegere solus valuit.* Extabat Dialogus temporibus Hieronymi, imò ad tempora usque sua; hoc est, annum circiter DCCCXL. perdurasse, subindicare videtur Freculphus Lexoviensis, licet & aliqua sit subdubitandi ratio, quia verba Hieronymi sua fecit. Hæc enim in utroque leguntur: *Adversus Paulum Samosatenum, qui Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, dogma Artemonis instauraverat, excipientibus Notariis disputavit, qui Dialogus usque hodie extat.* Quanquam & Dialogus superesse patuerit, Malchionem Epistolæ Synodi conditorem

Anno Dom. 269.

quoque fuisse, tradit Hieronymus: *Sed & alia grandis Epistola, ex persona Synodi, ab eo scripta ad Dionysium, & Maximum, Romanæ & Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopos dirigitur.* Malchionis extat memoria Græcorum in Menæis Octobris XXVIII. utpote qui ob sua in Ecclesiam merita consecratione se dignum præbuit.

Vox homousios, cur ab Antiochensibus repudiata; Paulus loco movetur.

Athan. t. 1. 919.

VI. Cæterùm Antiocheni Patres voci ὁμοούσιος fuere infensissimi, fide tamen inviolatâ, ut testatur Athanasius, quia alia Nicænis, alia Antiochenis significatio venit in mentem. Audiamus Athanasium: *Qui Samosatensem sustulerunt, hanc vocem Consubstantiale corporaliter accepere, cùm Paulus sophisticari vellet, & diceret, Si Christus non ex homine Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri, & necessariò sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit ut princeps, reliquas verò duas ex ea ortas. Ideoque meritò vitantes illud sophisma Pauli, dixere Christum non esse consubstantialem, non enim ita se habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat.* Id igitur sibi voluerunt Antiochenses, Patrem & Filium in divinis non ejusdem essentiæ esse, quomodo in humanis Pater & Filius sunt ὁμοούσιοι, quorum diversa numero natura est, altera producens, altera producta, quæ solâ mentis ope sunt unum specie. Nicæni verò, qui sentiebant, *Veram undecunque esse similitudinem geniti cum genitore, & nequaquam uti nos, diversa natura esse, ac proinde separari à Patre, sed ipsius eum esse Filium, nec ab eo dividi posse, ut nec splendor à luce, his de causis meritò inducti sunt, ut Filium consubstantialem dicerent.* De repudiato quoque ab Antiochenis *consubstantialis* vocabulo, hæc habet secundum Hilarium Facundus: *B. Hilarius non unius hominis verba privatim dicta, sed publica decreta Concilii approbat, quibus LXXX. nostri Patres pro Paulo Samosateno repudiaverunt ut homousios, id est, unius essentia cum Patre Filius vocaretur, & rationem cur hanc vocem repudiaverint talem reddit, quoniam memoratus Paulus Hæreticus solum Patrem Deum esse confitebatur, Filium verò à Maria matris generatione cœpisse, & hominem tantùm esse dicebat, & docebat; propterea malluisse illos Patres, remoto homousio, homoeusion statuere; id est, similis essentia, quoniam similitudo unionem non permittit intelligi. At cùm Arius postea homoeusion malè intelligeret . . . alii Patres homousion resumpserunt.* Atque hæc de doctrina ab Antiochensibus constituta. Hæretico autem munus abdicaverunt, Domno substituto, qui sextus & decimus Antiochiæ Episcopus fuit: *Hunc igitur Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, cùm à communione nostra abdicassemus, necesse habuimus, alium ejus loco Ecclesiæ Catholicæ Episcopum ordinare, Demetriani scilicet B. memoriæ Episcopi qui ante hunc magna cum laude eandem rexit Ecclesiam, filium Domnum, virum omnibus quæ Episcopum decent dotibus exornatum. Quod quidem idcircò nobis significavimus, ut & ad eum scribatis, & ab eo communicatorias literas accipiatis. Hic verò ad Artemam scribat si lubet, & qui Artemam sectantur cum eo communicent.* Quam autem communi sententiâ ad Dionysium Rom. urbis Episcopum, & ad Maximum Alex. Epistolam scripserunt, eam ad omnes deinde Provincias transmiserunt. Sententiâ tamen Synodi Paulus loco suo motus, sedem invitis Patribus suam retinuit, fretus Zenobiâ, quæ Orientis potiebatur. Triennio pòst, anno videlicet CCLXXII. quo ab Aureliano vincitur Zenobia, tandem Hæreticus pellitur: *Sed cùm Paulus è domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus rectissimè hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis Antistites & Romanus Episcopus scriberent.* Hoc modo Paulus cum summo dedecore per secularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est. Mentem Eusebii non assecutus est Baronius. Fingit Imperatorem decretum promulgasse ejusmodi: *Id debere esse ratum, quod unà cum Romano Episcopo, Italiæ Christiani decernerent.* Atqui neque Aureliani rescriptum vidit illustrissimus Purpuratus, ut verba hæc veluti ex eo proferret, neque decretum ea de re Italorum Episcoporum fuit. Id sibi vult Eusebius, Ecclesiæ domum tradendam illis esse, quibus Italiæ Episcopi Romanusque Antistes *communicatoriarum Epistolarum* vinculo conjungebantur: quia & Christiani erant, & Episcopi, quo jure exciderant Paulianistæ, quibuscum Orthodoxi nil habebant commercii.

Athan. de Syn. t. 1. 920.

Facund. l. 10. c. 6.

Euseb. l. 7. c. 3.

Bar. an. 272. n. 18.

Rom. Synodus contra Paulum subdita. Num ab Antiochena edita sit professio fidei.

Athan. de Syn. t. 1. 918.

Bar. an. 265. n. 10.

VII. Hanc in explicationem Baronius inducitur, à ficto quod somniavit Romano de Pauli damnatione Concilio. Quem & errorem imbiberunt animo Petavius, Valesius, aliique de grege eruditorum. Cujus opinionis fundamentum in Athanasio collocatur: *Duo enim Dionysii diu ante eos septuaginta fuere, qui Samosatensem sustulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præsul erat.* Hinc effatum illustrissimi Purpurati: *Concilium contra Paulum à Dionysio Papa cogitur.* Hujus tamen Synodi nullum est Veterum in monumentis vestigium, non in Eusebio, non in Hilario, non in Facundo, non in libello Synodico. Meminit quidem Athanasius Synodi à Dionysio Papa congregatæ, sed adversus *Sabellium*, non contra *Paulum*: Septuaginta, inquit, Episcoporum, qui Paulum Samosatensem damnarunt, *Antecessores fuere duo isti Dionysii, cæterique qui Romæ tum congregati fuere. . . . Et hi quidem Samosatensem, illi verò Arrianam Hæresim damnaverunt.* Pronomen hi ad Synodum *Antiochenam* refertur, non ad *Romanam*. Est & alius error eripiendus Baronio de Antiochena Synodo, à qua fidei professionem editam esse statuit, quæ *apud Synodum Ephesinam habetur.* Hoc addit in Eusebium, cui est infensissimus: *Ex his detegitur conniventia Eusebii Historici cum Arrianis.* Quamobrem? Quia, inquit, quæ in Epistola Synodica ad Dionysium Papam *de fide Catholica tractatio scripta erat*, ab Eusebio *subducta est.* Est tamen in ea re non *dolus* Eusebii quidem, sed aberratio Baronii, ut jam observatum Valesio. Illa quippe fidei professio, quam illustrissimus Purpuratus Annalibus inseruit suis, *Nicæna* est, non *Antiochena* Synodi. Titulus professionis tomo 3. Actorum Ephesinæ Synodi sic habet: *De incarnatione Verbi Dei, Filii, Patris, definitio Episcoporum, qui Nicææ in Synodo convenerunt, & expositio ejusdem Synodi adversus Paulum Samosatensem.* Sed & Basilii Diaconi, Monachorumque libellus, Theodosio oblatus, atque Valentiano testatur, *Synodum apud Nicæam habitam, suo comprobasse calculo sententiam eorum, qui Antiochiæ contra Paulum Samosatensem convenerant.* Sed sola vel professio fidei Baronium erroris sui monere debuit. Quippe exploratissimum est eruditis, ingratum esse Patribus Antiochenis vocabulum ὁμοούσιος. Audiatur iterum Athanasius:

Error Baron.

Cæterùm

ANNO DOM. 269.

Athan. l. l. 917.

Catorùm qui affirmant Episcapas, qui Samosatensem caudemnatunt, dixisse Filium non esse Patris consubstantialem &c. Illa igitur professio fidei, quam Antiochenis Patribus Baronius vindicat, cùm sæpius vocem ὁμοούσιος adhibeat, Antiochenæ Synodi esse non potest: *Tatum Dea homousion consubstantialem eum corpore, sed non secundum corpus consubstantialem &c.* Quid clarius verba hæc Nicænorum esse? Certè non Antiochenorum, qui à *consubstantialis* voce abhorrebant.

Firmilianus Cæsariensis.

Nyssen. Vit. Greg. 542.

VIII. De magno *Firmiliano*, qui dum peteret Antiochiam, ut Synodo interesset, Tarsi naturæ concessit, pauca sunt dicenda. *Τῶν εὐπατριδῶν, Patriciorum* nobiliumve Cappadociæ unum fuisse, Nyssenus scripto prodidit, in vita Gregorii Thaumaturgi: *Posteaquam omnibus disciplinis externa sapientia percursis, incidisset in Firmilianum quendam Patricium Cappadocem, & animi sui consilium, ac vitæ propositum amico patefecisset, relicto omni studio externæ Philosophiæ, accedit cum illo ad Origenem.* Quæ Nysseni narratio, licet eruditissimo Huetio arrideat, nobis quidem suspecta est. Jam enim Episcopatu fungebatur Firmilianus, cùm relictâ Alexandriâ Origenes venit Cæsaream. Quippe extincto Demetrio successit Heraclas. At Eusebio teste: *Florebat tum temporis Firmilianus Cæsareæ apud Cappadoces Episcopus.* Laicorum tamen unus erat, cùm occurrit Theodoro Thaumaturgo, si Nysseno fides: *Incidit in Firmilianum, similem moribus, & ingenio, ut ille in sequenti vita ostendit, cùm Cæsariensium*

Euseb. l. 6. c. 26.

Ecclesiæ ornamento fuit. Anno CCXXXI. Demetrio successit Heraclas, dum Alexandri Imperatoris *decimus* in cursu erat. Quòd si tum temporis florebat Firmilianus, utique antequam Episcopatum iniret, Heraclas jam Præsulem agebat. Atqui non ante annum CCXXXI. ad Doctorem Origenem se Gregorius applicuit. Cum Firmiliano laico Gregorius igitur Origenis auditor esse non potuit. Atque ex nostra hac observatione Cavii Chronologia rejicitur, qui *circa annum* CCXXXIII. *Firmilianum Cæsareæ Cappadocum Episcopum factum esse tradit.* Quo casu biennio post Heraclam Episcopatum adeptus fuisset. Cum Origene tenetam Firmilianus amicitiam copula-

Euseb. l. 6. c. 27.

vit: *Tam propensa erga Origenem anima fuit, ut modò illum in suam Provinciam ad Ecclesiarum utilitatem evocaret, modò ad ipsum visendum in Judæam usque proficisceretur, & unà cum ipso aliquandiu maneret, ut majorem rerum divinarum notitiam perciperet.* Jam famâ celebrem multò notiorem Firmilianum fecit Stephani Papæ R. protervia. Cùm enim quem à majoribus acceperat, de renovando Hæreticorum baptismo morem Firmilianus teneret, Stephanus ea de causa scripsit, ab ejus se communione discessurum. Tantæ Baronius modestiæ fuit, ut in gratiam Stephani Firmilianum pro *Schismatico*, & *Quartadecimano* habuerit, anno 258. n. 46. Quam immeritò impositam viro magno injuriam eluimus. Figmentum quoque Baronii fuit, *palinodiam recantasse* Firmilianum, quod Canonica Basilii ad Amphilochium Epistola coarguit *c.* 1. Synodis benè multis Firmilianus interfuit, quarum una *Iconia Phrygiæ* loco celebrata est, de qua Firmilianus ipse commemorat in sua ad Cyprianum Epistola. At nostro judicio, maximè Cavius errat, dum scribit: *Firmilianum coactâ Episcoporum Galatiæ, Phrygiæ, Ciliciæ, Synodo Iconiensi, Cypriani sententiam adversus Stephanum confirmavit. Propterea à Stephano malè habitus.* Aute obortas Cypriani cum Stephano lites Synodus Iconiensis coacta est: *Quod ratum*, inquit, *nos jampridem in Iconio confirmavimus.* Anno CCLXIV. Firmilianus Antiochenæ Synodo interfuit, atque præfuit, neque semel, sed iterum in hanc civitatem Pauli causâ

ANNO DOM. 269.

Euseb. l. 7. c. 30.

se contulit: *Firmilianus cum bis Antiochiam venisset, damnavit quidem dogmatis ab illo invecti novitatem. Sed cùm Paulus mutaturum se sententiam promisisset, credens illi Firmilianus, speransque sine ullo religionis nostræ dispendio, rem optime posse constitui, distulit sententiam suam.* Anno currente CCLXIX. cùm damnando Paulo Antiochiam peteret, flebili bonis omnibus apud Tarsum fato fungitur. Scripta à Firmiliano nonnulla edita fuisse, testatur Basilius libro de Spiritu S. *c.* 29. Quæ fuerint ignoramus. Superest ejus de rebaptizandis Hæreticis ad Cyprianum Epistola, appetente jam hyeme anno CCLVI. condita, quam perpetuâ oblivione sepultam Pamelius voluisset. Firmilianum in nova sua Bibliotheca clarissimus *Du Pin* præterire non debuit.

Eusebius atque Anatolius, Laodicenses Episcopi.

IX. Causam ex patria migrandi Eusebio præbuit Alexandrino negotium Pauli Samosatensis, cujus gratiâ, cùm in Syriam venisset, anno CCLXIV. à Laodicensibus, qui cælestium rerum amore flagrabant, detentus domum redire prohibitus est, cui defuncto successit Anatolius domo Alexandrinus. Tantæ fuit eruditionis, ut ab Alexandrinis rogatus sit, Aristotelicæ successionis scholam instituere. Est & Valesii conjectura vero similis, Jamblichum auditorem fuisse hujus Anatolii, qui tum temporis in Philosophia secundum à Porphyrio locum obtinebat. Anatolio *Theotecnus* Cæsareæ Palestinæ *Episcopus, primus manus imposuit, Episcopumque ordinavit.* Ambo aliquantisper eandem Ecclesiam simul administrarunt. Cùm autem Patres Antiocheni ad Synodum evocassent Anatolium, per urbem Laodiceam iter faciens, defuncto Eusebio à fratribus ejus loci detinetur. Non prudentiâ modò, cujus specimina in obsidione Bruchii multa ediderat, sed pietate etiam, atque eruditione inclaruit. Hanc ab Hieronymo laudem retulit: *Anatolius Alexandrinus, Laodiceæ Syriæ Episcopus, sub Probo & Caro Imperatoribus floruit. Miræ doctrinæ vir fuit, in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, cujus ingenii magnitudinem de volumine, quod super Pascha composuit, & ex decem libris de Arithmetica Institutionibus intelligere possumus.* Ex Canonibus Anatolii Paschalibus fragmenta quædam nobis fœneravit Eusebius l. 7. c. 32. Quem integrum è veteri MS. se edidisse Bucherius putat, de Doctrina Temporum Commentatio p. 439. Multa quoque alia suæ in Sacris Literis diligentiæ atque doctrinæ monumenta ab Anatolio fuisse relicta, reperimus apud Eusebium l. 7. c. 31. Porro non Valesio placet Eusebiana de Anatolio narratio, quòd dum Antiochiâ redit, à Laodicensibus Eusebio defuncto retentus fuerit: *Nullâ*, inquit, *ratione defendi posse mihi videtur.* Quippe illud ipsum de Eusebio Alex. testatus fuerat. At vero simile est, Eusebium ex priore Synodo Antiochena redeuntem, à Laodicenis anno CCLXIV. retentum. Quo casu nil sit in ea re scrupuli, cùm posteriore jam finitâ Anatolius, anno CCLXX. à Laodicenis quoque retineri potuerit, ut defuncto Eusebio succederet. Urget Valesius, Eusebium vitam retinuisse, imperante jam Aureliano, ut docet Hieronymus, anno Dom. CCLXXII. *Eusebius Laodicenus insignis habetur.* Atqui uter à ve-

si tramite deflexerit Eusebius, an Hieronymus, nondum liquet: quærant quibus otium est. Magis apud nos Eusebii autoritas valere debet, quàm Hieronymi.

Anno U.C. 1023. Per. Jul. 4982. Jul. 315. Dom. 270. Aureliani 1. *Sol.* 27. B. *Lun.* 5. *Indict.* 3. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

Coss. Flavius Antiochianus & Turius Orfitus.

Flavius Antiochianus Præfectus Urbis.

De Barbaris Claudii victoriæ.

I. Scytharum qui multitudine suâ Romanum penè imperium inundarant, pars anno superiore Cretam usque, & Rhodum circunvecta, nullâ re memorabili gestâ recesserat. Quotquot etiam ex pugna Claudii, ad Naissum pugnata, supererant Barbari, curribus se munientes, in Macedoniam contenderant. Hoc verò ipso anno auspicia Claudiana divinus favor adjuvit. Cùm enim in Hæmimontum se Barbari contulissent, ibi à Romanis exercitibus circundari, non paucos ex suis amiserunt. Posteaquam verò dissidentibus inter se peditibus, & equitibus, visum Imperatori fuit, ut pedites adversus Barbaros dimicarent, acri exorto prælio terga Romani dabant. Quorum jam non paucis interemptis, equitatus adventu factum est, ut modicum ex admisso delicto detrimentum sentiretur. Quo tempore plena parta est victoria, milites Claudii secundis rebus elati, dum prædis avertendis incumbunt, eorum duo millia à paucis Barbaris, qui & fugæ se mandarant, interficiuntur. Quo comperto, Claudius impetu in rebelles facto, captos Romam misit, ludo publico deputandos. Fames quoque & pestis Scythas incessunt, ut jam Claudius dedignaretur & vincere: *Sic finitum est asperrimum bellum, terroresque Romani nominis sunt depulsi.* Plerique Barbarorum capti Reges, captæ nobiles fœminæ, impletæ Barbaris servis, senibus cultoribus Romanæ Provinciæ: ex Barbaris militibus facti coloni: nec ulla fuit regio, quæ Gothum servum triumphali servitio non haberet. Citatur Claudii ad *Brochum* Epistola, clarissimæ testis victoriæ: *Delevimus* CCCXX. *millia Gothorum, duo millia navium mersimus. Tecta sunt flumina scutis; spathis & lanceolis omnia littora operiuntur. . . Tantum mulierum cepimus, ut binas & ternas mulieres, victor sibi miles possit adjungere.* Neque officio suo Senatus defuit, à quo clypeus aureus in Curia collocatus est. Populus quoque suo sumptu in Capitolio ante Jovis Templum statuam auream decem pedum collocavit: Domitiano aureæ argenteæque in Capitolio positæ erant: at nulli ante Claudium contigit, ut & ejus altitudinis, & sumptu populi statua aurea in eo loco collocaretur. In rostris etiam posita est columna cum palmata statua, librarum argenti mille quingentarum.

Zon. l. 1. c. 45.

Pollion. Claud. c. 9.

Pol. Claud. c. 3.

Mors Claudii.

II. Claudium gloriâ victoriâque sepeliri suâ in fatis erat. Quæ Barbaros lues invaserat, in Romanos quoque sævire cœpit. Quorum complures cùm corripuisset, Claudius ipse eodem affectus morbo, *Sirmii* vivendi finem fecit. De mortis genere dubitationem esse non ignoramus. Dexippus enim, temporis ejus Scriptor, *Claudium non dicit occisum, sed tantùm mortuum, nec tamen addidit morbo, ut dubium sentire videatur.* Aliâ Victores famâ afflati sunt: Claudius *cùm pellere Gothos cuperet, quos diuturnitas nimis validos ac prope incolas effecerat, proditum ex libris Sybillinis est, primum ordinis amplissimi victoria vovendum. Cùmque is qui esse videbatur, semet obtulisset, sibi potius id muneris competere ostendit, qui reverà Senatus atque omnium Princeps erat. Ita nullo exercitus detrimento fusi Barbari summotique, postquam Imperator vitam Reipublicæ dono dedit.* Quæ Victoris narratio ex eburnea porta somnium est. Præclarum mortis genus non præteriisset Dexippus, non Pollio: sed & Gothi jam debellati, jam fusi, cùm Claudius ad fata venit. Morbo periisse verosimilius. Annum tertium ingressus fuerat, cùm mortales reliquit. Porphyrius, ejus ætatis Autor, in vita Plotini: *Agebat*, inquit, *Plotinus annos sex & sexaginta, secundo Claudii Imperatoris anno jam peracto.* Octobri mense occubuit annos sex & quinquaginta natus. Illum Senatus & populus sic dilexit, ut constet, neque Trajanum, neque Antoninos, neque quemquam alium Principem sic amatum, ut nil miri sit, *Divum* fuisse appellatum, arisque Templisque honoratum.

Pol. Claud. c. 13.

Num Claudius in Christianos persecutionem movit?

III. Ecclesiæ persecutoribus Claudium inferunt Martyrologia, quorum autoritatem Baronio sequi placuit. Imò Sueurius noster id non relinquit in dubio: *Il est certain, qu'il reveilla la persecution contre les Chretiens.* Martyrum imperiis Claudianis immolatorum nomina leguntur in Annalibus. Ubi comperit Claudius, nobilissimos viros, clarissimasque fœminas Christianam religionem profiteri, ac inter eas Decii conjugem, seu concubinam *Tryphoniam*, ejusque filiam *Cyrillam*, milites etiam complures ad Christianos defecisse, Romæ *Cyrillam* virginem sic compellat: *Sic tibi visum est præcepta, & morem clarissimorum parentum, regiamque educationem negligere? Cyrilla respondit, Ego Christiana sum, ancilla Christi, respuoque Dæmonia, quæ vos perducent ad supplicia æterna, cum illis pariter perituros.* Virgini clarissimæ sponsum offert *natalibus respondentem*: Cyrilla dixit, Se nuptam esse Domino J. C. Irâ percitus Claudius, jussit virginem *jugulari, corpusque ejus in platea canibus relinqui.* Illud tamen collegit Justinus Presbyter, & sepelivit juxta corpus B. Laurentii. Cyrillæ natale XXVIII. Octobris in Martyrologiis celebratur. Eodem tempore Claudius ex *Prætorianis quadraginta sex pro Christi nomine decollari fecit, cum uxoribus suis.* Sed & ex Perside, qui Romam venerant ad orationem Apostolorum, *Marius*, & *Martha* ejus conjux, cum filiis *Audifase* & *Abachum* jubente Claudio *decollantur: Ducentos quoque sexaginta duos Christianos, qui damnati antè fuerant ad fodiendam arenam, milites sagittantes interfecerunt.* Quid multa? *Jussit Claudius, ut Christiani, qui inventi fuissent in vulgo, aut in carceribus, sine interrogatione punirentur.* Hisce deliciis Baronius lectorum pascit animos in Annalibus. Nos verò martyria hæc omnia in fabulis habemus. Quippe Claudium odii in Christianos Veterum nemo infamavit, non Lactantius, non Eusebius, non Hieronymus, non Sulpitius, non Orosius. Quis verò fingat animo, tam gravem, tam violentam persecutionem silentio penitùs esse dissimulatam ab Autoribus, qui brevissimam Aureliani persecutionem oblivioni non dedere? Apertè etiam redolet fabulam, quam Decio Imperatori uxorem dedere *Tryphoniam*. Decio uxor fuit *Herennia Etruscilla*, non *Tryphonia*. Plures quoque Decio filios fuisse non ignoramus, filiam habuisse nomine *Cyrillam*, est inauditum in omni antiquitatis memoria. Denique si tam male in Christianos

Sueur. An 269.

An. 269. & 270.

nos Claudius fuit animatus, vix effugere Dionysius martyrium potuit: imò in Episcopum Rom. Claudianus furor maximè grassaretur. Morte siccâ tamen Dionysius abiit ad plures. In depositione *Episcoporum*, non Martyrum, Dionysii nomen legitur, neque titulo Martyris illum ornavit Rom. Martyrologium: *Romæ via Appia, depositio S. Dionysii Papæ, qui multis pro Ecclesia impensis laboribus, fidei documentis clarus effulsit.* Viderit itaque Sucurius, ubi invenerit Claudii in persecutione occubuisse Dionysium.

Quintillus fit Imperator.

IV. Claudio absque liberis defuncto successit *Quintillus* frater ejus, *vir sanctus, & sui fratris verè frater.* Delatum sibi omnium judicio suscepit imperium, non hæreditarium, sed merito virtutum, qui factus esset Imperator, etiamsi frater Claudii Principis non fuisset. Quintillus tamen ob brevitatem temporis nihil dignum gerere potuit. Nam septimâ decimâ die, quòd se gravem & serium contra milites ostenderat, ac verum Principem pollicebatur, à militibus Aquileæ interficitur. Alio occubuisse modo, in Vopisco reperimus: *Ubi Aurelianum comperit imperare, à toto exercitu derelictum, cùmque contra eum concionaretur, nec à militibus audiretur, incisis sibimet venis, die xx. imperii periisse.* Simul quidem imperasse Quintillum atque Aurelianum, à diversis factionibus, extincto Claudio, ad summam rerum electos, vero fit simillimum. Dum imperii quasi somnium habet Quintillus, Barbari superstites, Anchialo vastatâ, Nicopolim etiam obtinere conantur, sed Provincialium eos virtus oppressit. *Paucos menses* Quintillo tribuit Zozimus. Probabile ducit Casaubonus, scriptum fuisse ἡμέρας, dies, quod vocabulum in μῆνας degeneravit. Porro in observatione ponendum, quod ad illustrandam Constantini Magni Genealogiam est maximè necessarium, Claudium, *Quintillum*, Imperatores, & *Crispum*, fratres fuisse. Crispi filia *Claudia*, ex qua *Eutropius*, nobilissimus gentis Dardaniæ vir Constantium Cæsarum genuit.

Vopisc. Aurel. c. 37.

Pollio Claud. c. 13.

Rebellio Censorini.

V. Sub illa tempora, quo Claudius fato functus est, Censorinus antiquæ in Curia dignitatis, bis Consul, bis Præfectus Prætorii, ter Præfectus Urbis, quartò Proconsul, aliisque dignitatibus fulgens, cùm in agro suo degeret senex, pedeque claudicaret ex vulnere, quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, creatur Imperator, & scurrarum joco, *Claudius* appellatur. Cùm verò ob censoriam disciplinam à militibus ferri non posset, interficitur. In ejus monumento, quod circa Bononiam erat, grandibus literis incisi sunt quos defunctus honores gesserat. Ultimus tamen versus ille fuit: *Felix ad omnia, infelicissimus Imperator.*

Pol. Trig. Tyr. c. 33.

Anni Aureliani.

VI. Extincto Quintillo solus rerum potitur Valerius Aurelianus, cui tam ignobiles ortus contigere, ut parentum nomina ignorentur. Patrem ferunt Aurelii clarissimi Senatoris colonum fuisse, matrem Callicrates Tyrius memorat Sacerdotem egisse Templi Solis, in eo vico, quem parentes incolebant. Atque hinc fortè veneratio, quâ Solem prosecutus est Aurelianus. Alii Sirmii, nonnulli Daciâ Ripensi genitum fuisse prædicant. De Cæsarum natalibus indiculus nativitatem ejus nono Septembris affigit, quòd si anno LUUV. periit, ut legitur in Chronico Alex. anno ducentesimo, quinto Idus Septembris editus est. Ea tamen Chronologia non magnam habet probabilitatem. Zabdas enim, Zenobiæ Dux repertum *hominem senicanum*, qui vultum speciemque Aureliani utcunque referebat, per mediam Antiochiam duxit, quasi vivum Imperatorem cœpisset. Exhausta quoque bella indicant, Aureliano fuisse corpus vegetum patiensque frigoris & caloris, quod in homine *septuagenario*, eoque amplius, difficillimè reperitur. Si tantæ ætatis fuisset, nil causæ Tacito, dum oblatum repudiabat imperium, sic Patres alloqui: *Miror, P. C. in locum Aureliani fortissimi Imperatoris, senem velle Principem facere. En membra quæ jaculari valeant.* Quibus apparet, Aurelianum ad senectutem nondum pervenisse cùm electus est. Cæterùm ea quæstio tanti non est. De annis Augusteis alia major exoritur, in qua errari sanè non potest absque labe Chronologiæ: *Imperavit annis sex, minus paucis diebus*, si creditur Vopisco c. 37. Vopisco accedit Eutropius: *Imperavit annos v. menses sex.* Existimamus tamen, detractam Claudianorum annorum partem Aureliano vindicari. Ne verò morosâ diversarum sententiarum refutatione detineamur, Aureliani imperii, cùm finis, tum initia sunt constituenda. Claudium secundum imperii annum evasisse, multis jam probavimus, cui & sententiæ nummi præsidio sunt. Affert Pagius & inscriptionem, *in qua Claudius dicitur, Trib. Pot. III. Cos. II.* & nummum æreum, in quo cernitur caput Claudii laureatum, in postica: E. Γ. id est, *anno tertio.* Imò dum imperat, tres ætates effluxisse, suo est loco demonstratum. Exeunte circiter Octobri Claudius decesserat. In Novembri igitur currentis anni initia Aureliani collocamus. Periit autem anno CCLXXV. Dies obitus innotuit mense Februario, si vulgatam Vopisci lectionem sequimur: *Cùm die tertio Nonas Febr. Senatus amplissimus in Curiam Pompilianam convenisset, Aurelius Gordianus Consul dixit, Referimus ad vos, Patres C. literas exercitus felicissimi.* Quibus Epistolis mors Aureliani continebatur. At non vanis argumentis colligitur, Vopisci locum in mendo esse. Aurelianus Gordianus jam suffectus Consul erat; ordinarii verò Coss. Magistratu non abibant initio Februarii. Deinde, mortem Aureliani inter, & Taciti Imperatoris electionem, mensium sex interregnum interjicitur: *S. P. Q. R. perpessus est, ut Imperatorem per sex menses, dum bonus quæritur, Respub. non haberet.* Interregnum auget & Victoris Epitome: *Hoc tempore septem mensibus interregni evenit.* Tacitus verò creatus est Augustus, Septembris XXV. anno Dionys. CCLXXV. Quòd si mors Aureliani Patribus innotuit tertio nonas Februarii, octimestre interregnum fuisset. Emendandus ergo Vopiscus placetque nobis ea Pagii correctio: *Cùm die tertio Nonas Aprilis*, ut vigesimo circiter Martii morti missus sit Aurelianus, anno CCLXXV. Sic annos quatuor, totidem menses, dies præter propter viginti imperando contrivit. Rejicienda penitùs est Baronii de Augusteis Aureliani annis Chronologia, quâ nulla fingi potest à vero magis aliena, utpote quæ Aurelianum tradat, septimo imperii sui anno periisse, Domini CCLXXVII. Aurelio Probo Augusto, & Aurelio Paulino Coss. Quo tempore Tacitus, qui Aureliano successit, jam fato concesserat. Ex ea quoque Chronologia Baronius anno CCLXXVIII. Consules imponit, Tacitum atque Æmilianum, qui anno CCLXXVI. Consulatu functi fuerant. Anno sanè CCLXXVIII. nonnisi apud inferos Consulem agere Tacitus potuit. Legionum omnium consensu ad summam

Zozim. l. 1. c. 51.

Vop. Tacit. c. 4.

Vop. Aurel. c. 41.

Vop. Tacit. c. 2.

mam

Aureliani mores.

mam dignitatem Aurelianus evehitur, veroque proximum est, id ab exercitu factum, ubi innotuit Claudium animam exbalasse.

VII. Multis virtutibus animi corporisque, laudi summæque se commendavit Aurelianus. Fuit decorus, staturâ procerior, nervis validissimis, libidinis raræ, severitatis immensæ, disciplinæ singularis. Medicum ad se cùm ægrotaret nunquam vocavit, sed inedia sese curavit. Quo ab alio Aureliano, qui cum Valeriano à Persis captus est, secerneretur, in exercitu, cognomen ipsi est appositum *manus ad ferrum*, ut si fortè quæreretur, quis Aurelianus aliquid fecisset, responderetur, *Aurelianus manu ad ferrum*. Refert Theoclius Historicus, Aurelianum manu suâ bello Sarmatico, uno die, quadraginta & octo interfecisse, plurimis autem & diversis diebus ultra nongentos quinquaginta, ut vel pueri militariter saltantes in Aurelianum cantitarent: *Mille, mille, mille decollavimus. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.* Tantæ severitatis fuit, ut nepotem suum Gallienum ipsi Valerianus committi noluerit. Præclaris facinoribus sub Ulpio Crinito, anno CCLVIII. adoptari meruit, & à Valeriano Augusto, apud Byzantium agente, palam & publicè laudari. Suffectus Ulpio, limitem restituit imperii, ovium decem, capriarum quindecim, vaccarum duo millia, manubiasque multas, in privatam Valeriani villam congessit. Militibus tanto timori fuit, ut nemo peccaverit. Militem qui hospitis uxorem adulterio polluerat, inflexis arboribus ligatum, & subinde dimissis, discerpserit. Observatu dignissimam vicario suo, de militari disciplina Epistolam scripsit: *Si vis Tribunus esse, imò si vis vivere, manus contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat: segetem nemo deterat; oleum, sal, lignum nemo exigat; annonâ suâ contentus sit: de præda hostis, non de lachrymis Provincialium habeat.* Tantæ apud Claudium Imperatorem existimationis fuit, ut opprimendis Gothis, omnes exercitus Thracicos, omnes Illyricanos, totumque limitem, in sua potestate constitutos habuerit. Aurelianum quoque Rex Persarum plurimi fecit. Cùm enim ad eum Legatus ivisset tali paterâ donatus est, qualem Imperatores accipiunt, in qua insculptus erat Sol eo habitu quo colebatur in Templo, cui Sacerdotis nomine mater Aureliani præfuerat. Elephantus quoque muneri datus, quem obtulit Imperatori. Cum tantis tamen virtutibus vitia nonnulla certabant. Superbis vestibus tegebatur vir ille severitatis immensæ: *Primus apud Romanos, diadema capiti innexuit, gemmisque & auratâ omni veste, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, usus est.* Nimiâ quoque crudelitate omnibus terrori erat: *Sævus & sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quàm in ullo amabilis Imperator: trux omni tempore, etiam filii sororis interfector.* Profuit tamen imperio, quod verba Taciti Imperatoris testatum relinquunt: *Viveret Princeps noster Aurelianus, quo neque utilior fuit quisquam. Respirare certè post infelicitatem Valeriani, post Gallieni mala, imperante Claudio cœperat nostra Respublica, & eadem reddita fuerat, Aureliano toto penitùs orbe vincente.* Uxorem habuit *Ulpiam Severinam*, ut creditur eruditis, ex qua filiam sibi superstitem reliquit. Ubi imperium adeptus est, Romam profectum esse tradit Pagius anno 270. Hæc illa tamen profectio non satis ad bellum Marcomannicum quadrat.

Vop. Aurel. c. 6.

Vop. Aurel. c. 7.

Vop. Aurel. c. 18.

Vop. Aurel. c. 6.

Vict. Epit.

Eutrop.

Vop. Aurel. c. 41.

Cui gerendo, mense Decembri circa Mediolanum morabatur Aurelianus, cujus literæ post acceptam à Barbaris cladem tertiu Idus Jan. anni CCLXXI. in Senatu lectæ sunt. Neque hujus profectionis meminit Vopiscus.

Felix Papa O ienne martyrio?

VIII. Dionysio Papæ, qui septimo Kal. Januarii anno superiore mortem obierat, Felix sufficitur Decembris die XXVIII. feriâ tertia. Natione Romanum fuisse dicunt, ex patre *Constantio. Fuit à temporibus Claudii & Aureliani, a Consulatu Claudii & Paterni usque in Consulatum Aureliani & Capitolini*, ut habet Bucherianus Catalogus; hoc est, ab anno CCLXIX. usque CCLXXIV. Itaque ex ipso Catalogo Catalogus emendatur, quem error occupat: *Felix annis quinque, mensibus XI. diebus viginti quinque.* Est enim eo ipso certius memoratum, quòd Claudii Paternique inter & Aureliani Capitolinique Consulatum spatium extenditur, *quadriennio*, non *quinquennio* contineri. Ex eo quoque Catalogo mors Felicis Decembris vigesimâ secundâ consignari debet. At num eâ die vitam reliquerit, ambiguum facit Felicis depositio, *tertio Calendas Januarii.* Sed ea differentia tanti non est. Sedit ergo Felix à Decembris XXVIII. anni CCLXIX. ad usque vigesimam secundam Decembris anni CCLXXIV. Martyrio fuisse coronatum, prodit Pontificale Damasi, cui Baronius accedit: *Felix Papa*, inquit, *tertio Calendas Junii martyrio coronatur.* Neque diffitemur id ipsum legi & in Adonis, & in Rom. Martyrologio. Expungendum tamen è Martyrum Catalogo *Felicem* existimamus. Trigesimo Maii martyrio sanè coronari Felix non potuit, qui eo die animam non exhalavit. Neque locum habet ullum in Martyrum depositione Bucheriana, quem dubio procul invenisset. Non etiam Martyris titulo ornatur in Rosweidi Martyrologio. Denique antequam persecutionem moveret Aurelianus, animam Felix Deo reddidit. Persecutio incepit anno CCLXXV. quo tempore Felix naturæ satisfecerat. Legimus quidem apud Vincentium Lirinensem Commonit. c. 42. mentionem fieri *Epistola Felicis & Martyris & Rom. Episcopi.* Frustra tamen Felix ille, cui Dionysius decessit, in Vincentio quæreretur. Ad Felicem II. Liberii successorem intendit animum. Quòd si quis pertinacius contendat de *Felice* primo *Vincentium* esse capiendum, in promptu responsio est, crebrò titulum Martyris fuisse Confessoribus inditum, quomodo & in S. Felicis Presbyteri Nolanensis apud Paulinum:

Bar. An. 275. n. 1.

Cælestem nactus sine sanguine Martyr honorem,
Nam Confessor obit, pœnas non sponte lucratus.

Sic apud Eusebium h. l. 5. c. 19. Episcopus unus scribit in hunc modum: *Aurelius Cyrenius Martyr opto vos benè valere.*

Epistolæ Felicis suppositæ.

IX. Quatuor Felici assignantur Epistolæ. Prima ad *Paternum* Episcopum sex capita continet. 1°. Quòd fautores inimicorum ab accusatione Episcopali submoveantur. 2°. Ne majores à minorum accusationibus impetantur. 3°. Ne in re dubia non judicetur certa sententia. 4°. Ut Clerici suas actiones exerceant. 5°. Quomodo Primates in accusatum Episcopum se gerere debeant. 6°. Judices Ecclesiæ ne absente eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant: *Data est Nonis Junii Claudio & Aureliano viris clariss. Coss.* Secunda Epistola, de autoritate sedis Apostolicæ, & de Episcopis accusatis, universis per Gallias Episcopis constitutis missa est. Data est V. Idus Augusti Claudio & Paterno viris clariss. Coss.

ANNO DOM. 270.

Coss. Tertia Epistola ad *Benignum* Episcopum duo complectitur. Damnat & eos, qui Filium non videre Patrem contendunt, & illos qui affirmant Filium esse Patre minorem: *Data Nonis Februarii Claudio & Paterno, viris clariss. Coss.* Quarta, fragmentum est ad Maximum, & ad Clerum Alexandriæ, de Christi divinitate, & humanitate. At frustrà subdolum rete suum larvatus ille Felix tendit eruditis. Primæ Epistolæ falsissima subscriptio est. Sedente Felice nullus Claudii, & Aureliani Consulatus. Initium hoc Epistolæ, *Gaudere me plurimum & exultare in Domino*, verbaque sequentia benè multa castant Leonis in Epistola XXXI. Secunda subscriptio veteratorem prodit. Vita in Dionysio morabatur Idibus Augusti Claudio & Paterno Coss. Qui Felix ergo eo tempore, Galliarum Episcopis, Decretalem mittere suam potuit? Initium quoque Decretali fœneravit Leo, Epistolâ XXXII. *Bonorum operum, & spiritualium studiorum* &c. Nec uno hoc furto contentus subditus ille Felix, ex Petri Episcopi Ravennatis ad Eutychem Presbyterum Epistola verba desumpsit. Inspiciatur B. M. P. t. VII. p. 979. Neque tertia Epistola sincerior, scripta dicitur *Nonis Februarii, Claudio & Paterno Coss.* quo tempore Episcopatum Felix nullum gerebat. Constat etiam integris Ithacii locis, qui diu post Felicem floruit. Ultima denique, non Epistola, sed fragmentum est, ex Apologetico Cyrilli Alex. petitum, pro XII. capitibus adversus Orientales. Cui fragmento nomen Felicis additum nullâ observatâ Epistolæ formâ. Id fragmenti Felici ascribendi ansam fortè præbuit Vincentius Lirinensis, cujus hæc verba sunt, Commonitorii c. XLII. In Concilio Ephesino *Lecta sunt quoque quædam ad quosdam Epistolæ, S. Felicis Martyris, & S. Julii, urbis Romæ Episcoporum.* Sed Vincentii ætate nullæ Felicis primi mortalium manibus Epistolæ terebantur. Felix itaque secundus Vincentio venit in mentem. Titulus sanè Martyris primo Felici addi non potuit, nisi fortè latius sumatur.

Plotini Platonici obitus & celebritas.

Porphyr. Vit. Plot.

X. Plotinus, cujus eruditionem suspiciebant Ethnici omnes, atque admirabantur, anno labente terras reliquit, ætatis suæ sexagesimo sexto: *Senatores non pauci Plotinum sedulò audiebant, inter quos Marcellus Orontius Philosophiæ diligentissimè incubuit, maximèque profecit. Similiter Sabilinus, ac pariter ex eodem Senatu Rogatianus, qui usque adeò ab hac vita animum segregavit, ut bonorum suorum curam neglexerit, & servos omnes expulerit, respueritque dignitates. Jam verò Prætor proditurus, lictoribus jam astantibus, neque prodiit, neque ullam habuit publici muneris rationem, neque lares proprios habitabat, sed quosdam amicorum familiariumque conveniens, apud eos cœnabat, & dormiebat, cibumque in dies unicum assumebat, quâ quidem negligentiâ vitæ, extremâque incuriâ factum est, ut cùm acriter podagris anteà vexaretur, neque progredi posset, nisi vectus sellâ, robur tandem inde resumpserit.* Neque Senatoribus modò, sed Principi quoque percharus Plotinus fuit: *Gallienus Imperator, uxorque ejus Salonina Plotinum honorabant, maximèque colebant. Hic igitur eorum benevolentiâ fretus, ut dirutam quandam olim in Campania civitatem, Philosophis aptam, instaurarent, regionemque circumfusam, cultæ civitati donarent, concederentque civitatem habitaturis, Platonis legibus gubernari, atque ipsam Platonopolim appellari, pollicebatur se illùc habitatum cum amicis omnibus profecturum. Quod facilè Philosophus ad votum impetravisset, nisi quidam Imperatoris familiares invidiâ, vel indignatione, vel alia iniqua de causa acriter obstitissent.* Quæ anno CCLXII. contigere. In domicilio non tam Philosophiæ, quàm superbiæ Plotinus collocabatur, ut vel ipsorum quæ colebat numinum, contemptor existeret: *Cùm Amelius sacrorum observator esset, atque per Calendas sacra faceret, & quandoque rogaret Plotinum illuc secum accedere, Illos, inquit Plotinus, decet ad me, non me ad illos accedere.* Fœdo cruciabilique morbo periit, quantumvis amœnus locus esset, quem incolebat. Quod nos docuit Julius Firmicus Firmianus: *Primum membra ejus frigidâ sanguinis torpore riguerunt, & oculorum acies splendorem attenuati luminis perdidit. Posteà per totam ejus cutem magnis humoribus nutrita pestis erupit, ut putro corpus deficientibus membris corrupti sanguinis morte tabesceret. Per omnes dies, horasque serpente morbo, minuta partes viscerum defluebant, & quidquid paulò ante integrum videras, statim confecti corporis exulceratio deformabat. Sic corruptâ ac dissipatâ facie, tota ab illo figura corporis dissidebat, & in mortuo corpore solus retinebatur animus.* Neque vis morbi superbiam evulsit Plotino: *Cùm jam morti appropinquaret, quemadmodum nobis Eustachius retulit, qui Puteolis habitabat, & fermè tardius ad eum accesserat, Adhuc te, inquit, expecto, atque ego quidem annitor quod in nobis divinum est, ad divinum quod viget, in universo redigere, spiritumque his verbis emisit. Interea draco sub lecto, in quo jacebat ille, pererrans, mox in parietis foramen se prorsus occuluit.* Imbecilli corpore fuisse Plotinum propter sacrum morbum, in Suida legimus. Composuit tamen libros LIV. qui in novenos sunt divisi, & ideò Græcæ vocantur Enneades. Libros Plotini magni fecit Longinus. Sic enim Porphyrio scribit: *Tibi significavi, argumentis me plerisque Plotini minus affici. Verùm cùm scribendi characterem ac stilum, tum & sententiarum hujus viri densitatem, ac verè Philosophicam quæstionum tractationem, immanè quantum suspicere, & admirari: Quin & ab omnibus iis, qui in rerum momenta & veritatem inquirunt, libros illius in præstantissimorum Scriptorum numerum, jure ac meritò referendos esse, audacter pronuntio.*

Porphyr.

Jul. Firm. l. 1. c. 3.

Porphyr. Vit. Plot.

Longin. p. 253.

ANNO U. C. 1024. PER. JUL. 4983. JUL. 316. DOM. 271. AURELIANI 2. *Sol.* 28. A. *Lun.* 6. *Indict.* 4. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 7. P. 16. *Apr.*

ANNO DOM. 271.

COSS. Valerius Aurelianus Augustus II. & M. Cejonius Virius Bassus.

Posthumius Varus Præfectus Urbis.

I. AUrelianus, qui annum reseravit, de privatis unum fuisse, eruditis benè multis creditum. Imperatorem tamen Basso Collegam fuisse, in confessum venit. Distinguendi causâ vox Σέβαςος in Fastis additur, tam *Theonianis*, quàm *Heraclianis*: & rationi consuetudinique magis consentaneum fuit, Imperatorem, qui anno proximo creatus fuerat, quàm privatorum aliquem Consulatum gessisse. Id docet & inscriptio, quam Pagius affert ex Renesio: *Imperatori Cæs. Valerio Aureliano Aug. II. & M. Cejonio Virio Basso.* Quâ etiam liquet, Aureliani Collegam Bassum non de Pomponiorum, ut vulgò creditur, familia fuisse. Anno CCLIX. suffectum Aurelianus cum Ulpio Crinito Consulatum gesse-

Aurelianus Augustus Consul processit.

ANNO DOM. 271.

gesserat: currente igitur Consul secundum dici debet.

Bellum Aureliani cum Marcomannis.

II. Marcomanni, gens assueta direptionibus, imperium ingressi, cuncta vastabant. Jam imminebant Italiæ, ac ne quid Romanorum metui deesset, dum Aurelianus Barbaros à tergo adoriri conatur, subitò illi erumpentes, omnia circum Mediolanum graviter vastant. Hinc in urbe *seditiones motæ paventibus cunctis, ne eadem quæ sub Gallieno fuerant, provenirent.* Quin etiam cùm Aurelianus vellet factâ exercitus sui constipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est, ut Romanum penè solveretur imperium. Et causa quidem hujus periculi calliditas Barbarorum: *Nam cùm congredi aperto Marte non possent, in sylvas se densissimas contulerunt, atque ita Romanos vesperâ incumbente turbarunt.* Ad tantum ergo periculum numinum auxilia opponi placuit. Scripsit Patribus Aurelianus: *Miror vos, Patres sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in Templo Deorum omnium tractaretis. Agite igitur, & castimonia Pontificum ceremoniis solemnibus juvate Principem necessitate publicâ laborantem. Inspiciantur libri, quæ facienda fuerint celebrentur. Quemlibet sumptum, cujuslibet gentis captivos, quælibet animalia regia non abnuo, sed libens offero, neque enim indecorum est, Diis juvantibus vincere.* Die tertio Idus Januarii, Fulvius Sabinus, Prætor Urbanus acceptis literis, dixit: *Referimus ad vos, Patres Conscripti, Pontificum suggestionem, & Aureliani Principis literas, quibus jubetur ut inspiciantur fatales libri, quibus spes belli terminandi sacrato Deorum imperio continetur.* Surgens verò primæ sententiæ Ulpius Syllanus, ita loquitur: *Serò nimis, P. C. de Reip. salute consulimus, serò ad fatalia jussa respicimus more languentium, qui ad summos Medicos, nisi in summa desperatione, non mittunt.* Cùm primum nuntiatum est, Marcomannos erupisse, censuerat Ulpius *consulenda Sibylla decreta, utendum Apollinis beneficiis, inserviendum Deorum immortalium præceptis.* At nonnulli recusaverant, cùm adulando dicerent: *Tantam Principis esse virtutem, ut opus non sit Deos consuli.* Cùm Ulpii sententiam omnes amplecterentur, conditum est Senatusconsultum. Itum ad Templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, quo urbem ambiebat victima, ambarvalia promissa, atque ita solemnitas, quæ jubebatur, expleta est. Inventum fuerat, ut in certis locis sacrificia fierent, quæ Barbari transire non possent, atque ita restituerunt, quos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Pluribus præliis vicisse, scimus ex Victoris Epitome: *In Italia tribus præliis victor fuit apud Placentiam, juxta amnem Metaurum, ac Fanum Fortunæ, postremò Ticinensibus in campis.*

Vop. Aurel. c. 21.

Vop. Aurel. c. 19.

Vop. Aurel. c. 18.

Aurelianus Romam petit: multos morti mittit: Mœnia dilatat.

III. Finito prælio Marcomannico, Aurelianus ut erat naturâ ferocior, plenus irarum, Romam petit, vindictæ cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat, incivilius deinde usus imperio, seditionum Autoribus. Interemptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda compescuit. Seditionis Autores esse putamus, quorum nomina Zozimus exhibuit: *Eodem tempore venerunt in suspicionem rerum novarum Epitimius, & Urbanus, & Domitianus, statimque deprehensi pœnas dederunt.* Interfecti sunt nonnulli etiam nobiles Senatores, cùm ipsis leve quiddam, & quod contemni à mitiore Principe potuisset, vel unus, vel levis, vel vilis testis objiceret. Sic timeri cœpit, non amari: *His actis, cùm videret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio Senatus, muros urbis Romæ dilatavit.* Crassissimus Zozimi error est, Aureliani ante imperium urbem muris caruisse, *eaque res ab Aureliano cœpta.* Pomærium quidem non amplificavit, sed muros solos dilatavit, & validiores, munitioresque reddidit. Quod hoc anno factum testatur cùm bellum Marcomannicum, quo finito, in urbem venit Aurelianus, tum Idacius in Fastis, qui ad Aureliani & Bassi Consulatum hæc habet: *Muri urbis cœpti fieri*; hoc est, ut tradit Eutropius, *urbem Romam muris firmioribus cinxit.* Triumphata Zenobia, anno CCLXXSV. muros etiam ampliasse videtur, ut ex Vopisco colligitur: *Templum Solis magnificentissimum constituit. Muros urbis Romæ sic ampliavit, ut quinquaginta propè millia murorum ejus ambitus teneant.* Aurelianus confirmato imperio, cùm Româ movisset, Aquileam contendit, & inde Pannonicas ad nationes accessit, quæ à Scythis vastari cognoverat. Cùmque misisset ad eos exploratores, qui nunciarent, ut annonas, & jumenta, & quidquid aliud hostibus usui futurum esset, in oppida conveherent, hâc ratione famem quæ hostes urgebat, augere cogitabat. Posteaquam Barbari flumen transjecissent, & in Pannonia prælio ancipiti dimicatum esset, nox interveniens, victoriam utrisque dubiam reddidit. Eâdem nocte Barbari transmisso flumine, simul ac illuxisset, de pace Legatis missis agebant.

Zoz. l. 1. 49.

ANNO DOM. 275.

Vopisc. Aur. c. 21.

Zozim. l. 1. c. 49.

Vopisc. Aur. c. 39.

Zozim. l. 1. c. 48.

ANNO U. C. 1025. PER. JUL. 4984. JUL. 317. DOM. 272. AURELIANI 3. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 7. *Indict.* 5. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 1. 2. *P.* 31. *Mart.*

ANNO DOM. 272.

COSS. Quietus & Voldumianus.

Flavius Antiochianus Præfectus Urbis.

Aureliani in Oriente Victoriæ.

I. Zenobiæ sub imperium, ditionemque pars magna regionum Orientalium ceciderat. Jam in potestate sua Galateæ tenebat Ancyram. Ipsamque Bithyniam Chalcedonem usque sibi vindicare volebat, nisi Gentes illæ, famâ tradiit Aureliano imperii ad se perlatâ, Palmyrenorum jugum excussissent. Peractis itaque quæ ad Romæ statum, & civilia pertinebant, tanto hosti occurrere decrevit Aurelianus. Multa in itinere, magnaque bella confecit. Obvios sibi in Thracia & Illyrico Barbaros vicit. Gothorum Ducem *Cannabaudem* cum quinque millibus hominum trans Danubium interemit. Decem mulieres virili habitu pugnantes cœpit, quas & in triumphum duxit. Illæ ipsæ videntur esse, quæ sunt apud Perinthum collocatæ, decretis salariis, de quibus Gallonio scripsit Avito. Inde per Byzantium in Bithyniam transiit, quam nullo certamine obtinuit, utpote quæ se ob Aureliani famam, repudiatâ Zenobiâ Romanorum in potestatem concesserat. Ubi Thyanam invenit occlusam, iratus dixisse fertur: *Canem in hoc oppido non relinquam.* Militibus spe prædæ acrius incumbentibus, *Heraclammoneque*, ne inter cæteros occideretur patriam prodente, civitas capta est. Locum enim aggeris naturali specie tumentis cùm ostendisset Heraclammon, quâ posset Aurelianus cum ornamentis imperialibus ascendere, ille conscendit, atque elatâ se chlamyde

Vopisc. Bon. c. 15.

myde ostendens, quasi totus in muris Romanorum fuisset exercitus, urbs in potestatem Aureliani mittitur. Thyanæ eversionem poscente milite, respondit: *Canem negavi in hac urbe me relicturum, canes omnes occidite.* Perfidiæ tamen suæ pœnas dedit Heraclammon, qui in periculum solus incidit, quod proditâ patriâ effugere voluerat. Qua de re *Mallio Chiloni* hæc scripsit Aurelianus: *Occidi passus sum, cujus quasi beneficio, Thyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui, & libenter tuli, quòd eum milites occiderunt. Neque enim mihi fidem servare potuisset, qui patria non pepercit.* Bona tamen defuncti liberis ejus reddidit, ne quis causâ pecuniæ locupletem hominem occidi se passum esse criminaretur. Ferunt Apollonium Aureliano se recipienti, in tentorium eâ formâ quâ videtur in Templis astitisse, eaque Latinè dixisse: *Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de civium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te age, si vis vincere.* Ex eo tempore clementiorem animum induisse fama est.

Vopisc. Aur. c. 24.

Zenobiam vincit Aurelianus. Paulum Sam. Ecclesia pellit.

II. Relictâ Thyanâ, Antiochiam iter direxit. In ea civitate Zenobia versabatur, magnis instructa copiis, cui Aurelianus paratus ad pugnam occurrit. Pugnæ loco nomen *Immas*, haud procul ab Antiochena civitate. Cùm autem Palmyreorum equitatus, & armorum gravitate, & equitandi peritiâ longè Romanis præstaret, visum Aureliano pedites trans Orontem fluvium separatim constituere, & ex composito equitibus præcipere, ne rectâ cum viribus integro Palmyrenorum equitatu manum consererent, sed expectato impetu, fugam se capere simularent, donec & equos, & equites ob æstum, & gravitatem armorum à persequendo desisterent. Ubi fatigatos Zenobiæ equites aspexit, Romanos eques eos adortus, sponte suâ delabentes, ex equis obtriverunt. Fit promiscua cædes, cùm alii gladiis, alii partim à suis, partim ab hostium equis perirent. Eâ clade acceptâ Zabdas Dux Zenobiæ, veritus ne Antiochenses adversi prælii famâ perceptâ, suos invaderent, repertum hominem semicanum, qui vultum speciemque Imperatoris utcunque referebat, tali amictum habitu, quali prælhantem Aurelianum usum fuisse, vero simile videbatur, per urbem mediam ducit, quasi qui vivum Imperatorem cepisset. Quo commento deceptis Antiochenis, noctu cum exercitu, Zenobiaque ex urbe clam egressus, Emesam petit. Cognitâ Zenobiæ fugâ Aurelianus ingressus Antiochiam, perlubenter à civibus excipitur. Comperto autem urbem multis esse civibus vacuam, qui quòd Zenobiæ adhæsissent, metu recesserant, edictis ad quævis loca missis, profugos domum revocavit. Quibus cognitis, qui recesserant concursu ad urbem facto, comiter ab Imperatore tractantur. In prælio apud Imaa commisso, *Strenuissimè adversùm Zenobiam dimicavit Pompejanus Dux cognomento Francus, cujus familia apud Antiochiam perseverabat ætate Hieronymi, Ex cujus, Evagrius Presbyter ipsi charissimus stirpe descendebat.* Sub idem tempus impurus Hæreticus Paulus Samosatenus, qui Zenobiâ fretus, è domo Ecclesiæ nullatenus excedere voluerat, ab Aureliano cum summo dedecore exturbatur. Interpellatus enim à Christianis Antiochensibus Imperator, prudentissimè judicavit, iis domum esse tradendam, *Quibus Italici Christiana reli-*

Zos. l. 1. c. 50. &c.

Euseb. Chron.

Euseb. l. 7. c. 30.

gionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent. Quo decreto luce clarius est, nil persecutionis etiamnum in Christianos fuisse motum.

Emesæ potitur Aurelianus: victa rursus Zenobia.

III. Constitutis rebus urbanis, Emesam versus copias duxit Aurelianus. Ac Palmyreni collem suburbio Daphnes imminentem occuparant, ubi se propter idoneum altioris loci situm impedituros hostium transitum putabant. At Imperator mandato militibus dato, ut consertia clypeis ad repellenda, & saxa, & tela, si quæ fortè conjicerentur, clivum ascenderent; postquam ubi, ceu jussi fuerant, acclivem locum subirent, jam pares ad pugnam facti, Palmyrenos in fugam agunt, quorum alii per præcipitia labuntur, alii cæduntur à sequentibus: sic partâ victoriâ securè transierunt. Victorem Principem Apamea, Larissa, Arethusa exceperunt. Pugnatum est post hæc de summa rerum contra Zenobiam, ejusque Ducem *Zabdam* apud Emesam: Zenobiæ septuaginta millia militabant. Sub Aureliano pugnabant equitatus Dalmaticus, Prætoriæ cohortes, Maurus equitatus, & quod maximo victoriæ adjumento fuit, Syriæ, Phœnices, & Palæstinæ ordines, qui præter arma cætera, clavas atque fustes secum afferebant. Exercitibus inter se congressis, eques Romanus ex parte defleait. Quos terga dantes, cùm Palmyreni persequerentur, per pedites pugna restituitur. Cùm enim Palmyreorum acies rupta ex eo esset, quòd equitum pars in persequendis Romanis occuparetur, conversis ordinibus confusos ac dispersos pedites adoriuntur; clavis & fustibus ictus palantibus inferunt, inter fugiendum eos obterunt, lætâque victoriâ potiuntur. Quotquot effugere poterant, Emesam se recepere. Victa Zenobia, ingenti affecta dolore, quid agendum deliberat. Visum omnibus spem rerum Emisenarum abjiciendam, quòd ipsi vel Emiseni propenso in Romanos erant animo: occupandam Palmyram, urbem munitissimam, ubi de summa rerum majori otio consilium iniri posset. Dictum factum: fugam arripit Zenobia. Quo cognito, Emesam victor ingreditur Aurelianus, & statim ad Templum Heliogabali tendit, quasi communi officio vota soluturus. Fama est, ibi formam numinis reperiisse, quam in bello sibi faventem viderat, quare illic Templa fundavit, donaria ingentibus positis. Post hæc Palmyram iret flexit, in quo à Syriæ latronibus, qui exercitum ejus frequenter invasere, multa passus est. Dum urbem obsidet, usque ad ictum sagittæ periclitatur.

Zosim. l. 1. c. 52.

Vopisc. Aurel. c. 25.

Palmyram obsidet Aurelianus. Zenobiam capit.

IV. Palmyrensi obsidione fatigatus Aurelianus, Zenobiæ scribit, vitam pollicitus si se dederet: *Aurelianus Imperator Romani orbis, & receptor Orientis, Zenobiæ cæterisque, quos societas tenet bellica. Sponte facere debuistis, id quod meis literis nunc jubetur. Deditionem præcipio impunitate vitæ propositâ, ita ut illic, Zenobia, cum tuis agas vitam, ubi te ex Senatus amplissimi sententiâ collocavero. Gemmas, argentum, aurum, sericum, equos, camelos in ærarium Rom. conferatis, Palmyrenis jus suum conservabitur.* Acceptâ Epistolâ, Zenobia superbius rescripsit, quàm ejus fortuna poscebat: *Zenobia Regina Orientis, Aureliano Augusto. . . Deditionem meam petis, quasi nescias Cleopatram Reginam perire maluisse, quàm in qualibet vivere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quæ jam speramus. Pro nobis sunt Sarraceni, pro nobis Armenii. Latrones Syri exercitum tuum, Aureliane, vicerunt. Quid igitur si illa*

ANNO DOM. 272.

illis venerit manus, quæ undique speratur. Syriacè à Zenobia dictatam Epistolam in Græcum transtulit Nicomachus. His asperata ira Aureliani, undique Palmyra obsidione cingitur. Interreà Palmyreni Principem dicteriis insectantur, quasi urbs expugnari non posset. Fortibus muris muniebatur, & ut *Mucapori* scribit *Aurelianus*, *Nulla pars muri est, quæ non binis & ternis balistis occupata sit, ignes etiam tormentis jaciuntur. Quid plura? timet, quasi femina; pugnat, quasi pœnam timens. Sed credo adjuturos Rom. Rempub. Deos, qui nunquam nostris conatibus defuerunt.* Cùmque fœda verba obsessorum unus in ipsum quoque jactasset, Persa quidem, Si jubea, inquit, hominem maledicum, jam mortuum conspicies. Annuente Imperatore Persa aptatum telum emittit, quod Palmyrenum adhuc contumelias effutientem, ab ipsis mœnibus occisum dejecit. Cùm nil intentatum reliquisset Aurelianus, nil imperfectum, ut urbis poriretur, auxilia à Persis missa intercepisset, alas Saracenas, Armeniasque corrupisset, obsessi alimentorum penuriâ pressi, habito consilio, ad Euphratem fugiendum statuunt, inveniendo à Persis auxilio. Fugiens dromadibus Zenobia, in quibus magna velocitas equorum celeritatem superat, Euphratem transjectura, ab equitibus quos miserat Aurelianus, è navi abrepta, ad Imperatorem perducitur. Ne vero fortunæ Aureliani aliquid deesset, Probus vir fortissimus, qui posteà rerum potitus est, eo ipso anno pugnavit *Contra Palmyrenos, Odenati, & Cleopatra partibus, Ægyptum defendentes, primò feliciter, posteà temere, ut pene caperetur, sed posteà refectis viribus, Ægyptum & Orientis maximam partem in Aureliani potestatem redegit.* Vopisci verba repræsentavimus, etsi nomina *Odenati & Cleopatra* nos malè habeant. Defunctus erat *Odenatus*, cùm Palmyreni in Ægyptum impetum fecere, quam & sub ditione non *Cleopatra*, sed *Zenobia* redegerunt. Historiæ consonum est, etsi nomina valde discrepent, legi, *pro Balbati & Zenobia partibus.*

Vopisc. Aurel. c. 27.

Vopisc. Aurel. c. 26.

Zozim. l. 1. c. 54.

Zozim. l. 1. c. 55.

Vop. Prob. c. 9.

ANNO DOM. 273.

ANNO U. C. 1026. OLYMP. 263. PER. JUL. 4985. JUL. 318. DOM. 273. AURELIANI 4. *Sol.* 2. E. *Lun.* 8. *Indict.* 6. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 3. *P.* 20. *April.*

COSS. M. Claudius Tacitus & Placidianus.

Furius Orsitus Præfectus Urbis.

I. PLacidiani in vicem ordinarium Consulem substituunt *Furium Placidum* Onuphrius, Calvisius, Capellus, aliique eruditi. Innititur Calvisius Vopisco: *Vidimus proximè Consulatum Furii Placidi, tanto ambitu in circo editum, ut non præmia dari auriga, sed patrimonia viderentur.* Longè tamen fallitur vir doctissimus: *Vidimus proximè*, ad præsentis anni Consulatum non pertinet. Vopiscus enim vitam Aureliani scripsit, post annum CCXCI. Tiberiano II. & Dione Coss. Suffectus ille Consulatus fuit, quem gessit *Furius* Placidus. Alius sanè *Placidus*, alius *Placidianus*, quem Fasti exhibent. Legitur hoc nominis in libello de Præfectis Urbis, in Fastis Heraclii, in Chronico Alex. in Cassiodoro, itaque *Placidianus* retinendus, pellendusque *Placidus*.

Placidus Taciti ne collega?

Vopisc. Aur. c. 15.

II. Quam molestè Zenobiæ fugam tulerat Aurelianus, tam lætus & Orientis Reginam vidit in vinculis suis. Ambitioso quidem victori nonnihil molestiæ fuit, quòd ob victam fœminam non multum gloriæ apud posteros inveniret, quod & ipse indicavit, scriptâ ad *Mucaporem* Epistolâ: *Romani me modò dicunt bellum contra feminam gerere, quasi sola mecum Zenobia, & suis viribus pugnet ac non hostium. . . . Dici non potest, quantum hic sagittarum, qui belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum.* Capta Zenobia Aureliani in conspectum ducitur, cui Princeps: *Quid, Zenobia, ausa es insultare Romanis Imperatoribus?* Illa respondisse fertur: *Imperatorem te esse cognosco, qui vincis. Gallienum & Aureolum, & cæteros Principes non putavi. Victoriam mei similem credens, in consortium regni venire, si facultas locorum pateretur, optavi.* Ingens tum militum strepitus fuit, Zenobiam ad pœnam poscentium. Sed Aurelianus indignum existimans mulierem interimi, triumpho eam reservavit, ut populi Rom. oculis esset ostentui. Anno CCLXXIV. triumphata urbem ingressa est, curru quem sibi composuerat, sperans se Romam cum eo visuram. Vincti erant pedes auro, aureæ quoque catenæ manus detinebant. Nec collo aureum vinculum defuit, quod scurra Persicus præferebat. Vix onera gemmarum ferre poterat: *Fertur vixisse cum liberis, Matrona jam more Romana, datâ possessione in Tiburti, quæ Zenobia dicitur, non longè ab Adriani Palatio.* Hieronymus in Chronico, more suo, Eutropium secutus: *Zenobia*, inquit, *in urbe summo honore consenuit, à quo hodieque Romæ, Zenobiæ nuncupatur familia.* Baronius suis, uti solet, conjecturis indulgens: *Prope Christianam Rom. Ecclesiæ fidem esse sectatam Zenobia*, scripto mandavit; *fortasseque ex ea nomen, & originem accepisse Zenobium, insignem illum Florentinum Episcopum æqualem Ambrosii.* Valbalato Zenobiæ filio, Armeniæ minoris partem ab Aureliano concessam fuisse, ex nummis colligunt eruditi. Quod cum Pollione, Eutropio, Hieronymo non satis consentit. Neque prudentiæ Aureliani congruum, ut Zenobiæ filio pars Orientis aliqua traderetur, in quo mater gloriosè olim regnaverat, amicosque benè multos sibi paraverat. Qui igitur apud Goltzium nummi habent, *Vaballatus Armenia*, de alio *Valbalato* nobis videntur explicandi.

ANNO DOM. 273.

Zenobia Aureliano sistitur: triumpho Aureliani superstes fuit.

Vopisc. Aur. c. 26.

Poll. Tri. Tyr. c. 31.

Vopisc. Aurel. c. 39.

Poll. Tr. Tyr. c. 30.

Bar. An. 274. n. 2.

III. Dum Zenobiam è navi abreptam perducunt ad Aurelianum, obsessi Palmyreni, partim eo erant animo, ut oppidum periculo suo propugnare vellent, omnibusque viribus bellum Rom. sustinere, partim de muro preces porrigebant supplices, & præteritorum veniam poscebant. Bono animo Imperator precantes esse jubet. Tum extra urbem effusi, dona cum hostiis adducunt, quos Aurelianus honore hostiis habito, donisque susceptis, illæsos dimittit. Civitate suam in potestatem redactâ, opibus donariis, rerumque omnium apparatu potitus, Emesam revertitur. Hic Zenobiam cum suis complicibus pro tribunali sistit, ac plerosque, quibus autoribus illa bellum moverat, paraverat, gesserat, occidit. Longini mortem, quo ad Græcas literas Magistro usa fuerat, gravissimè tulit.

Palmyra capitur.

IV. Pacato Oriente, Victor in Europam rediit Aurelianus, ubi novus gloriæ campus laudibus ejus prosternitur. Carpos enim debellavit, quorum & partem Romanum in solum transtulit.

Carpos debellat Aurelianus.

Anno Dom. 273.

tulit. Qua de causa *Carpicum* Senatus absentem vocavit. Quem titulum Aurelianus indignatus subinde scripsit: *Superest, P. Conscripti, ut me etiam carpisculum vocetis.* Carpisculus calceamenti genus est, quod Gallis vocatur *des escarpins.* Cognomen quidem deforme videbatur, cum Gothici, Sarmatici, Armeniaci, Parthici, Adiabenici titulis conjunctum.

Palmyrenorum rebellio, & pœna.

V. Rarum est, imò difficile Syris servare fidem. Victi jam contusique Palmyreni, Aureliano rebus Europæ occupato rebellant. Sandarionem in præsidio illic ab Imperatore positum, cum sexcentis sagittariis occidunt: viro Zenobiæ affini, cui vel *Achilleo*, vel *Antiocheo* nomen, nam illud Vopiscus, hoc Zozimus imponunt, purpurâ injectâ imperium parant. Quin etiam Apsæus Marcellinum tentat Mesopotamiæ Præfectum, & cui Orientis administratio tradita erat, ut imperatoriâ veste circundari se pateretur. At ambiguis rebelles responsis deludens Marcellinus, quid rerum moliebantur, significabat Aureliano. His auditis, ut instructus erat, subinde in Orientem reversus, Antiochensibus, qui peragendo ludo equestri intenti erant, semet exhibuit, omnibusque ob inopinatum adventum perterritis, Palmyram copias duxit, urbemque evertit. Quam in puniendis Palmyrenis severitatem adhibuerit, sua ad Cejonium Bassum Epistola profitetur: *Non oportet ulterius progredi militum gladios. Jam satis Palmyrenorum casum, atque concisum est. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, senes jugulavimus, rusticos interemimus, cui terras, cui urbem reliquemus? Parcendum est iis qui remanserunt.* Templum Solis direptum à militibus, ad eam formam quæ fuerat, reddi Aurelianus voluit. Cui perficiendo trecentas auri libras è Zenobiæ capsulis, argenti mille octingenta pondo, gemmæ regiæ sunt adhibitæ. Scripsit & ad Senatum, ut mitteret Pontificem, qui dedicaret Templum. Captâ sine prælio civitate, & eversâ, Antiochum tamen propter conditionis humilitatem, ne supplicio quidem dignum arbitratus, dimisit.

Vopisc. Aur. c. 31.

Zozim. l. 1. c. 61.

Firmi rebellio.

VI. Cùm securior deinde iterum in Europam rediens, *Carras* pervenit, ad Firmum in Ægypto agentem iter deflexit. Firmus patriâ Seleucensis erat, Zenobiæque amicus & socius. Staturâ erat ingenti, mente firmissimus, nervis robustissimus, qui & incudem superpositam pectori constanter, aliis tundentibus pertulit. A Barbaro vexillariorum uno potatore notissimo provocatus ad bibendum, situlas duas plenas mero duxerat, toto posteà convivio sobrius. Et cùm ei Barbarus diceret, *Quare non feces bibisti*; responderat, *Stulte, terra non bibitur.* Opulentiæ erat ingentis. Bitumine aliisque medicamentis insertis, vitreis quadraturis domum induxerat, quod ad magnificentiam spectabat: *Pulsa deinde ex humo pavimenta, in cameras transiere è vitro, novitium & hoc inventum.* Seneca quoque Epistolâ 86. *Pauper sibi videtur & sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserunt, nisi vitro absconditur camera.* Tantum & Firmus chartarum habuit, ut publicè sæpè diceret, *Exercitum se posse alere papyro & glutine.* Quippe papyrus Ægyptiis cibo erat: *Mandunt quoque crudum, decoctumque succum tantum devorantes.* Societatem quoque cum Blemmyiis Firmus maximam tenuit, & cum Saracenis naves quoque ad Indos negotiatorias sæpè misit. His fretus contra Aurelianum sumpsit imperium, ad defendendas partes quæ supererant Zenobiæ. Sed Carris Aureliano redeunte, superatus est. Qua de re populo Rom. scripsit: *Pacato undique gentium toto quà patet orbe terrarum, Firmum etiam latronem Ægyptium, Barbaricis motibus æstuantem, & feminei propudii reliquias colligentem fugavimus, obsedimus, cruciavimus, & occidimus.* Sic solitâ felicitate Ægyptum statim recepit, & iratus quòd adhùc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petit.

Plin. L. XXXVI. c. 25.

Plin. L. XIII. c. 11.

Vopisc. Firm. c. 3.

Vopisc. Firm. c. 5.

Tetrico abrogatur imperium.

VII. Anno Dom. CCLXXVIII. Tetricum Romanum Senatorem, *Victoria* Augustum appellari fecerat, filiumque ejus Cæsarem. Multa dum imperat Tetricus, feliciter egit. Cùm verò militum suorum impudentiam, & procacitatem ferre non posset, scripsit Aureliano:

Eripe me his, invicte, malis.

Poll. Tr. Tyr. c. 24.

Ubi ergo in Galliam venit Aurelianus, Tetrico *apud Catalaunos prodente exercitum*, & Gallias recepit, & deditas sibi legiones obtinuit. Rem sic Aur. Victor exequitur: *Tetrici cæsa legiones, proditore ipso Duce. Nam Tetricus, cùm Faustini Præsidis dolo, corruptis militibus plerumque peteretur, Aureliani per literas præsidium imploraverat, eique adventanti, productâ ad speciem acie, inter pugnam se dedit. Ita uti Rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt.* Pugnæ speciem fuisse aliquam oportet, ut de Tetrico Aurelianus triumpharet. Quandiu imperaverit Tetricus, in disceptationem cadit. *Biennii imperii* fuisse, tradit Aurel. Victor, quam Pagius Chronologiam amplectitur: *Cùm enim*, inquit, *constet, Tetricum præsenti anno in potestatem Aureliani venisse, tertio imperii anno inchoato, anno* CCLXX. *anni insequento eum regnare in Galliis cœpisse oportet.* Quam adducto nummo sententiam fulcit atque sustinet: *Imperator Tetricus, Pius, Augustus.* In postica: P. M. Trib. P. III. Cos. P. P. Hanc tamen in sententiam descendere non possumus. Primùm enim Pollio disertissimè tradit, diuturnum fuisse imperium Tetrici, quod de biennii regno dici nequit: *Et cùm multa Tetricus feliciter egisset, diuque imperasset, ab Aureliano Principe vincitur.* Deinde agente adhùc inter homines Gallieno, Tetricus usurpavit imperium. Cùm enim *Nono Calendis Aprilis*, anno CCLXVIII. nunciatum esset, Claudium Imperatorem factum, in Templo Apollinis dictum septies, *Claudi Auguste, Tetricus nil fuit.* Quòd si tum temporis privatum adhùc egisset, nil causæ Patribus fuisset, asperius in Tetricum invehendi. Sic ergo Claudio acclamatum, ut ostenderetur, Tetricum Claudio imperii æmulum nullo loco haberi. Momenti non est alicujus, Pagii Nummus ex Mediobarbo exhibitus, in quo annus non apparet, quo cusus est, qui ex nostra Chronologia annus est CCLXX. non ut censet Pagius, ille ipse annus, quo Aureliani in potestatem Tetricus venit. Sextum ergo imperii annum *Tetricus* ingressus est. Ad privatam redactus fortunam Tetricus, ab Aureliano, qui nihil simplex, neque mite facilè cogitabat, anno CCLXXIII. in triumphum ductus est. Quod triumphanti laudi esse non potuit, quia Tetricus Senator erat, & Consularis, ut de ipso Senatu Aurelianus triumphare videretur. Cui etiam accedit, quòd non Marte, aut arte suâ vicerat, sed quia spontè sese Tetricus tradiderat. Itaque pudore victus & pœnitentiâ ductus Aurelianus, eum quem triumphaverat, Correctorem Lucaniæ fecit,

Pag. Crit. 273. n. 3.

Treb. Claud. c. 4.

ANNO DOM. 273.

aspergens hominem eleganti joco, *Sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem, quàm trans Alpes regnare.* Tetrici filius in Senatu mansit, & in Tetricorum domo, quæ in Cælio monte pulcherrima erat, pictus erat Aurelianus utrique & prætextam tribuens, & Senatoriam dignitatem. Quæ domus cùm dedicaretur, *Aurelianum ipsum, dicuntur duo Tetrici adhibuisse convivio.*

Vict. Epit. Pol. Trig. Tyr. c. 25.

Longinus Cassius: vita & mors ejus.

Longin. de subl. sect. XII. 93.

VIII. Longinus quem hoc anno morti misit Aureliani crudelitas, doctissimos ævi sui viros eminebat. Dionysius Longinus Cassius vocabatur. De patria non liquet. Græcum fuisse testatur: *Si qua & nobis Græcis, Terentiane charissime, de Latinis Oratoribus judicandi facultas permittitur, inter Ciceronis, & Demosthenis granditatem diversitas.* Matrem illi fuisse *Frontonidem*, quæ fratrem habuit Cornelium Frontonem, Magni Plutarchi nepotem, qui Athenis vitâ functus, Longinum Criticum, sororis filium hæredem scripsit, ut observat *Gerardus Langbainus: Ammonii & Origenis, diu se auditorem fuisse, quippe qui inter æquales omni omnium rerum scientiâ altissimè* excellerent, profitetur ipse Longinus libro ad Marcellum Philosophum. Ammonium verò Saccam, Origenemque Adamantium significari putamus. Alii enim fuere, & Ammonii, & Origenes. Meminit ipse Longinus Ammonii Peripatetici, & Origenis, qui de Dæmonibus scripsit. Tantæ fuit existimationis, ut ex illius ferè judicio Critici penderent, qua de re egregius est locus apud Eunapium: *Cùm Longinus esset cæteris suæ ætatis illustrior, ut ex librorum ingenti & mirabili copia, atque ex ejusdem autoritate intelligi potest, si quis enim veterum autorem aliqua in parte reprehendisset, non prius firma habebatur sententia, quàm Longinus eam suo comprobasset judicio.* Viro & crisis, & Philosophiæ perito, Magistro usa est Zenobia. Hinc mors illata Longino: *Quem quidem Aurelianus ideircò dicitur occidisse, quòd superbior illa Epistola ipsius diceretur dictata consilio, quamvis Syro esset sermone contexta.* Convicto, de iis quorum nomine accusabatur, statim pœnam mortis Imperator statuit: *Quam adeò Longinus fortiter pertulit, ut illos etiam qui hanc calamitatem ejus indigno ferebant animo, consolaretur.* Semichristianum Longinum fuisse, sibi in mentem induxit Casaubonus ὁ πάνυ. Id quidem tàm nobis falsum videtur, quàm certum, Mosem à Longino à fuisse laudatum. Verba sunt observatu dignissima: *Hâc item mentis altitudine Judæorum Legislator, vir minimè contemnendus, Numinis potentiam, ut dignum est, notam fecit in ipso Legum suarum ingressu. Dixit Deus, inquit, Quid? Fiat lux, & facta est; fiat terra, & facta est.* Ethnicum verò fuisse Longinum, apparet ex ejus exclamatione, in fragmentis confutationis, de anima sententiæ, τί γὰρ ὦ πρὸς θεῶν: *Quid enim Dii boni.* Hæc non sunt dicta Semichristiani. Ex tanti viri lucubrationibus, quas enumerat Suidas, pauca hæc supersunt: Aureus de *sublimitate* liber, *Posthumio Terentiano* nuncupatus, ac fragmenta quædam: Proœmium scilicet libri de Fine adversus Plotinum & Gentilianum Amelium, *Marcello* dicatum; pars Epistolæ ad Porphyrium; de Anima sententiæ confutatio, quæ anno 1694. Trajecti ad Rhenum à Francisco Halma excusa sunt.

Vopisc. Aur. c. 30.

Zozim. l. 1. c. 56.

Long. de subl. Sect. IX. 62.

Long. p. 225.

ANNO U.C. 1027. PER. JUL. 4986. JUL. 319. DOM. 274. AURELIANI 5. *Sol.* 3. D. *Lun.* 9. *Indict.* 7. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 4. *P.* 12. *April.*

ANNO DOM. 274.

COSS. Aurelianus Augustus III. & Julius Capitolinus.

Furius Orsitus Præfectus Urbis.

Aureliani triumphus, & largitiones.

I. EXtinctâ Tetrici factione, dum Gallias peragrat Aurelianus, Lugdunenses contundit. His tot tantisque in Oriente & Occidente prosperè gestis, triumphi causâ in urbem revertitur. Speciosa splendidaque hujus triumphi gloria. Currus regii tres fuerunt. In his unus Odenati, argento, auro, & gemmis distinctus. Alter quem Persarum Rex dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus: tertius quem sibi Zenobia composuerat, sperans se Romam cum eo visuram, in quo & triumphata est. Visus est & alius currus quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum, quo, ut multi memoriæ prodiderunt, Capitolium Aurelianus invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos vovisse Jovi ferebatur. Præcesserunt elephanti XX. feræ mansuetæ Libycæ, Palestinæ diversæ ducentæ, quas statim Aurelianus privatis donavit, ne fiscum annonis gravaret. Tigrides quatuor, Camelopardali, Alces, gladiatorum paria octingenta. Præter captivos gentium Barbararum, Blemmyes, Axumitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ cum suis muneribus, Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Suevi, Vandali, Germani, religatis manibus præcesserunt. Ductæ sunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gothos cœperat. Inter hæc fuit Tetricus, chlamyde coccineâ, tunicâ galbinâ, braccis Gallicis ornatus adjuncto filio. Incedebat etiam Zenobia ornata gemmis, catenisque aureis quas alii sustentabant, Vix nonâ horâ in Capitolium pervenit, serò autem ad Palatium. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates. Aureas bilibres coronas populus sperabat, quas ad bellum Orientale proficiscens promiserat Aurelianus, si victor rediret. Quas cùm dare non posset aut vellet, coronas fecit de panibus siligneis, & singulis quibusque donavit. Tesseras frumentarias dederant Imperatores qui Aureliano antecesserant. Severus moriens septem annorum Canonem reliquerat, ut quotidiana LXXV. millia modiorum expenderentur. Primus panes distribuit Aurelianus, porcinam quoque carnem primus erogavit. Ne id quidem est prætereundum quod triumphi speciem superat: *Deleta fiscales, & quadruplatorum, quæ urbem miserabiliter affecerant calumnia, consumptis igni tabulis, monumentisque hujuscemodi negotiorum: atque ad Græciæ morem, decretâ abolitione.*

Vop. Aurel. c. 34. 35.

Aur. Vict.

Templum Soli Romæ constituitur.

Zozim. l. 1. c. 61.

II. Magna Solis veneratio Aureliano fuerat: superbum igitur numini suo Templum in urbe consecravit, quod magnificè constructum donariis, quæ Palmyra secum advexerat, ornavit, collocatis in eodem Solis & Bahalis simulachris. Vestes erant confertæ gemmis, Persici dracones, thiaræ, pallium breve, purpureum, lanestre, *Ad quod cùm matronæ, atque ipse Aurelianus, jungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cætera, divini comparatione fulgoris.* Quod munus Hormisda Persarum Rex,

Ab

ANNO DOM. 274.

Vop. Aurel. cap. 29.

Monetariorum in urbe rebellio.

Ab interioribus indissumptum, dederat Aureliano scribens, *Sume purpuram, qualis apud nos est.* Quod tamen genus purpuræ missi ab Aureliano, Probo, Diocletiano, diligentissimi confectores invenire non potuerunt.

III. Non omnem in urbe seditionem severitas Aureliani atque fortitudo impedire valuit. Autore *Felicissimo* rationali, monetarii *nummariam notam corroserant*, pecuniasque vitiarant. Pœnæ ergo metu bellum movent. Septem ferè millia pugnantium per Cælium montem congrediuntur, quos Aurelianus severissimè compescuit, quod & Ulpio scripsit: *Monetarii autore Felicissimo, ultimo servorum, cui procurationem fisci mandaveram, rebelles spiritus extulerunt. Hi compressi sunt, septem millibus Hiberorum, Ripariensium, Castrianorum & Daciscorum interemptis.* In Prætorianis Legionibus, aut inter auxiliares militabant. Fures Provinciales, repetundarum ac peculatus reos ingenibus quoque suppliciis affecit.

Vop. Aur. 38.

Aureliani in Galliam profectio. Daciæ mutatio.

IV. His Romæ gestis, in Gallias proficiscitur, quo tempore Genabo urbi aliud nominis videtur inditum, ab Aureliano desumptum. Posteriorem appellationem antiquam esse, docet Sidonii Apollinaris *Prospero* Epistola, quæ *Atilæ* belli meminit, quo *Aurelianensis urbs* obsessa est. Solitâ Aurelianus felicitate usus, Vindelicos obsidione Barbaricâ liberavit, deinde ad Illyricum rediit, quod cùm vastatum videret, *Provinciam trans Danubium Daciam à Trajano constitutam sublatu exercitu & Provincialibus reliquit, desperans eam posse retineri. Abductosque ex ea populos, in Mœsiam collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit.* Daciam tamen Aureliani nunquam invenimus nominatam, ut vero proximum sit legendum, *Appellavitque eam Daciam.* Tum temporis una Dacia erat, quam recentiores geminam fecere, *Mediterraneam* scilicet, & *Ripensem*, ex qua ortum esse Aurelianum, tradit Jornandes de Regnorum Successione. Sic novo exemplo falsum deprehenditur præsagium, cujus apud Florum mentio est. De manubiis captarum urbium, Templum à Tarquinio Superbo cùm inaugurarетur, *Cedentibus ceteris Diis, restitere Juventus & Terminus. Placuit Vatibus contumacia numinum, si quidem firma omnia, & æterna pollicebantur.* Jam ætate Adriani imperii termini mutabantur.

Vop. Aur. cap. 39.

ANNO DOM. 275.

ANNO U. C. 1028. PER. JUL. 4987. JUL. 320. DOM. 275. TACITI 1. *Sol.* 4. C. *Lun.* 10. *Indict.* 8. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Mart.*

COSS. L. Domitius Aurelianus Augustus IV. & T. Avonius Marcellinus.

Posthumius Syagrius Præfectus Urbis. Sic in libello de Præfecto Urbis. Id muneris tamen gessisse Ælium Cesetianum, *legitur in Vopisco c. 7.*

Mors Aureliani: Mores.

I. OBsessæ Zenobiæ Persæ fuerant auxilio, quos Aurelianus solitâ felicitate vicerat. Longius tamen bellum non processerat. Quin etiam fœderis aliquid cum Romanis Persæ contraxisse videntur. Missus Aureliano currus superbus, ab Hormisda Rege Persarum missa purpura muneri. Bellum tamen Persis indixit Princeps Romanus. At dum pugnas, victorias, triumphos volutat in animo, mortalitate præventus est. Causa hæc mortis fuit. Truculentus erat, severus, & sanguinarius, neque sororis filio pepercerat: quem non satis idoneâ ratione occiderat. Itaque in odium suorum venit. A secretis Mnestheus erat, quem infensiorem sibi minando reddiderat. Noverat Mnestheus Aurelianum neque frustrà minari solere, neque si minaretur, ignoscere. Breve igitur nominum conscripsit, mixtis iis quibus verè irascebatur, cum iis de quibus nihil asperius cogitabat, addito etiam suo nomine, quo magis fidem faceret ingestæ solicitudinis. Breve singulis legit, quorum nomina continebat, additque debere suæ vitæ, si viri sint, subvenire. Cùm igitur iter faceret apud *Cænophrurium*, mansionem quæ est inter Heraclam, & Byzantium, fraude Mnesthei, & Mucaporis manu interficitur, Martii die circiter vigesimo. Mors tamen ejus non inulta fuit. Mnestheus, cujus dolo occisus fuerat, *Posteà surrectus ad stipitem, bestiis objectus est.* De percussoribus Aureliani, Victor: Tacitus *autores Aureliani necis, maximèque Mucaporem Ducem, quòd ipsius ictu occiderat, excruciavit.* Cùm de interfectoribus Aureliani nonnulli Tacito superfuissent, Probus eos *vario genere vindicavit, mollius tamen moderatiusque quàm prius exercitus, & posteà Tacitus vindicaverant.* Senatus mortem Aureliani graviter tulit, gravius tamen Pop. Rom. qui vulgò dicebat, *Aurelianum Pædagogum esse Senatorum.* Sepulchrum ingens, & Templum illi detulerunt, à quibus interemptus. Tacitus Imperator statuam defuncto auream in Capitolio ponendam decrevit, item argenteam in Curia, in Templo Solis, in foro Trajani; sed aurea non est posita, dedicatæ solæ sunt argenteæ. Imperavit annis quatuor, mensibus totidem, diebus circiter viginti. Non dissimilis fuit Alexandro M. atque Julio Cæsari, utpote qui *Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit.* Necessarius Reipublicæ fuit. Præclara sunt Epistolæ verba, quam scripsit Flavio Arabiano Præfecto annonæ: *Inter cætera quibus Romanam Remp. juvimus, nihil mihi est magnificentius, quàm quòd additamento unius unciæ omne annonarum urbicarum genus juvi. Quod ut esset perpetuum, navicularios Niliacos apud Ægyptum, novos & Romæ amnicos posui: Tiberinas extruxi rippas: vadum tumentis alvei effodi.* Rarus fuit in voluptatibus, servis suis vestes easdem Imperator, quas & privatus dedit. Servorum multos è familia propria, qui peccaverant, legibus audiendos publicis judiciis dedit. At non uno vitio virtutes deformavit suas, crudelitate & fastu nimio: *Superbior atque insolentior egit ea, quæ temporis ratio postulabat.* Denique in Christianos, quos primùm benevolentiâ complexus erat, se adversarium tandem intendit.

ANNO DOM. 275.

Vop. Prob. cap. 13.

Vop. Aur. cap. 37.

Vop. Tacit. cap. 9.

Vop. Aur.

Vop. Aur. cap. 28.

Num executioni mandata Aureliani persecutio?

II. De Aureliani persecutione ex diametro opponuntur eruditorum sententiæ: *Intentatam duntaxat* à severissimo Principe, *non item executioni mandatam, statuit* Dodwellus. Contrà verò Baronius, & violentam, & longam fuisse putat, ab anno videlicet CCLXXII. inchoatam, & continuatam ad usque ultimum Aureliani, quam CCLXXVII. Dionysiano affigit, Probo Imperatore & Paulino Coss. Nos verò ab utraque sententia discedendum esse putamus. Non intentatam modò, sed executioni quoque brevissimo tempore mandatam, nobis est infixum in animo. Inceptæ persecutionis testem constituimus Lactantium, qui spectator esse potuit: *Aurelianus, qui esset naturâ vesanus & præceps,*

Differ. Cypr. XI. n. 64.

Lact. de Mort. Pers. cap. 6.

ceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus & pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verùm illi ne perficere quidem quæ cogitaverat licuit, sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, & jam Cænofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus humi jacebat. Quibus luce clarius, intra minas persecutionis non stetisse: *Iram Dei*, Lactantius inquit, *crudelibus factis lacessivit.* Quis verò gentium minas pro *crudelibus factis* habuit? Nonne facta hæc crudelia Christiano sanguine manus Aureliani commacularunt? Quæ cruenta ad ulteriores Provincias scripta non pervenerunt, ad citeriores utique, propinquioresque venisse necesse est. Quo casu à Magistratibus præcipienti obtemperatum, quis neget? Ac sane si nil nisi vanus persecutionis strepitus auditus est, quo jure dictum Lactantio: *Protinus inter initia sui furoris extinctus est?* Non nihil certasse illum oportet, qui pugnæ inter initia periit. Processerat igitur & aliquantum Ecclesiæ ad vexationem, ille qui inter initia furoris hujus oppressus est. Lactantio consentit Hieronymus: *Aurelianus cùm adversus nos persecutionem movisset, fulmen juxta eum, comitesque ejus fuit.* Aliud minari persecutionem, aliud movere. Hoc ab Aureliano factum. Igitur persecutionem executioni mandavit. Audiamus & Augustinum: *Nonam ab Aureliano*, inquit, *persecutionem computant.* Quam inire numerandi rationem non potuere, si nil crudelitatis ab Aureliano in Christianos adhibitum. At morte ejus momento extinguitur cum persecutore vexatio, ut tot tantisque oppressa malis Ecclesia respirare nonnihil posset. Neque dubitamus, id sibi Eusebium voluisse, cujus patrocinio sententiam Dodwellus suam cingere voluit. Verba sunt Eusebii: *Processu temporis* Aurelianus *aliter de nobis sentiens, quorumdam consiliis cœpit impelli, ut persecutionem adversus nostros commoveret. Jamque ea de re multus ubique rumor spargebatur. Sed eum paratum jam, & compositis contra nos edictis, ut ita dixerim, suscribentem, ulta est divina justitia, quasi constricto cubito conatum ejus reprimens, simulque omnibus apertissime ostendens, nihil unquam hujus mundi Principibus adversus Christi Ecclesias licere, nisi propugnatrix Dei dextera arcano quodam, ac cælesti judicio ad castigationem & emendationem nostram, quibus ipsi visum est temporibus id fieri permiserit.* Sparsus de persecutione multus ubique locorum rumor ex edicto in propinquiores Thraciæ Provincias emisso manabat. Quomodo *varia illa & incerta opinionibus quæ ventilabantur*, persequente Valeriano, edicto ejus innitebantur. Cujus rumor Cyprianum permovit Legatos in urbem mittere, ut exploratam veritatem ad Carthaginensem referrent Ecclesiam. Si rescriptum persecutionis ab Aureliano nullum fuisset, unde fama quæ de Christianorum vexatione ubique locorum discurrebat? Itaque Constantinus notissimis Aurelianum persecutoribus apponit: *Tu item, Aureliane, dum furore percitus, Thraciam percurreres, in medio via publica cæsus, sulcos aggeris publici impio sanguine complevisti.*

Hier. Chr. — *August. de Civ. l. 18. c. 52.* — *Eusb. l. 7. cap. 30.* — *Const. Or. cap. 24.*

Aureliani persecutio quando mota? Longane fuit?

III. Falsâ Chronologiâ, subditisque tabulis innixus Baronius, multa Martyrum ab Aureliano morti missorum plaustra in Annales invexit suos. Dixerat Leo M. capite septimo sermonis secundi de Pentecoste: *Post resurrectionem Domini* CCLX. *annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinoque Consule, cùm octava jam in Christianos persecutio ebulliret, & innumera Martyrum millia ipsis suis victoriis probavissent, impletum esse quod Dominus promiserat.* Probi autem Paulinique Consulatum in ultimum Aureliani confert illustrissimus Purpuratus. Initium verò persecutionis anno CCLXXII. illigavit. Hinc immensa in Annalibus Martyrum cohors. Baronio quoque *Suenrtus* accedens, non atramento, sed Martyrum sanguine totum penè regnum Aureliani conscripsit. Baronius Romæ, *Stacium Lectorem, Basilidem, Tripodem, Mandalim, & alios viginti* Martyres memorat. In Romano Portu *martyrium obiere Eutropius, Zozimus atque Bonosa fratres, hortante eos* S. Felice Papâ. In Cappadocia Athenodorus Episcopus, magni illius Gregorii Thaumaturgi germanus. In Gallia periere, *Claudius, Justus, Jocundinus, & quinque socii, & S. Patroclus. Grassata in Palæstinam quoque est eadem persecutio.* Ptolomaide *passi Paulus*, soror ejus *Juliana*, *Stratonicus* carnifex ad Christum conversus. Quæ nobis suppeditant Annales, an. 273. & 275. in quibus multi & inveniuntur, quos brevitatis causâ præterimus. De Aureliani persecutionis & diuturnitate, & magnitudine, Baronii sententiam haud dubitamus falsam esse. Cujus fundamentum in verbis Leonis immeritò collocatur. Fallitur enim egregiè parens Annalium, dum Annum CCLXXVII. quo Probus & Paulinus Consules processere, ultimum Aureliani fuisse putat, qui biennio ante perierat. Neque *innumera Martyrum millia*, de quibus mentionem Leo Magnus inserit, sunt ascribenda Aureliano. Eos in mente habuit, qui ad id usque temporis in motis Cæsarum persecutionibus sanguinem suum fudere, quibus paucissimos addidit Aurelianus.

Bar. an. 273. n. 4.

Brevissima Aureliani persecutio. Paucissimos Martyres fecit. De Charitone.

IV. Nostra verò sententia Veterum suffragio constat, qui Vincentio Bellovacensi, Petro de Natalibus, obscurisque Martyrologis sunt anteponendi. Est in confesso quidem, Aurelianum erga Christianos benè animatum fuisse, eo tempore, quo Paulum Samosatenum, cui Zenobia favebat, cum dedecore Ecclesiâ pepulit. Exturbatus verò Hæreticus anno CCLXXII. cùm Aurelianus Antiochiâ potitus est, *Quieto & Voldumiano* Coss. Hactenus igitur nulli Martyres sub Aureliano. Deinde Chronicum Eusebii, anno CCLXXV. Aureliani persecutionem affigit, ac ex verbis Lactantii liquet esse brevissimam: *Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, & jam Cenofrurio humi jacebat.* Tranquillus ergo fuit totus annus CCLXXIV. neque ullâ persecutionis procellâ turbidus, cùm si tum temporis incepisset, utique Aureliani ante obitum cruenta ejus rescripta, ad ultimos imperii fines venire quàm facillimè potuissent. Ut ex hac observatione certè certòque deprehendatur, *Felicem* Papam, quem Ruinartus, Baronium secutus, pro Martyre habuit, siccâ morte ad plures abiisse, utpote qui excesserit XXII. Decembris superioris anni, quo nil motum persecutionis erat. Figmenta verò esse omnia, quæ de tot factis in Gallia Martyribus memorant, apparet ex Sulpitio Severo. Cùm enim Gallus esset, quam Aureliani omisit persecutionem, dubio procul aliquo loco numerasset, si tantas in illis regionibus strages edidisset. Gregorius quoque Turonensis, vir sanè credulissimus, de Aureliani persecutione silentium agit, quod profectò mirum est, si Christiano

ANNO DOM. 275.

stiano sanguine Gallias Aurelianus inundavit. Persecutionis brevitatem ostendit & Orosius: *Hic itidem nona correptio fuit, cùm Aureliano persecutionem decernenti, diris turbinibus terribile ac triste fulmen sub ipsis pedibus ruit, ostendens quid cùm ultio talis exigeret, tantus posset ultor, nisi clemens esset, & patiens, quanquam intra sex abhinc menses, succidivi tres Imperatores; hoc est, Aurelianus, Tacitus, & Florianus diversis causis interfecti sunt.* Creditum igitur Orosio, persecutionis decreto paucis diebus Aurelianum supervixisse. Symphoriani, Patroclique martyrium imperante Aureliano contigisse, legimus in Martyrologiis. Symphoriani natale Augusti XXII. celebratur, Patrocli verò memoria recolitur XXI. Januarii. Verùm enimverò in Actis Symphoriani loco *Aureliani*, legendum *Aurelii*, contendit *Ruinartius*. Quæri tamen potest, nec immeritò, fuerintne Christiani Augustoduni, M. Aurelii temporibus. Symphoriano Patrocloque gloriam martyrii non invidemus. Quippe Chilperico regnante, Basilicam Beati Symphoriani ab Euphronio Presbytero constitutam esse, in Gregorio Tur. legimus. Patrocli quoque Martyris non semel meminit. Ut verò martyrium agnoscimus, sic martyrii tempus à nobis ignorari lubentes profitemur. Illud tamen præcisè negamus, passos imperaote Aureliano. Cùm enim currente anno persecutio inceperit, Symphorianus *Augusti* vigesimo secundo morti ab Aureliano mitti non potuit, qui ante Aprilem perierat. Patroclus verò, ut rectè observatum Pagio, capite truncatus fuisse dicitur XII. *Kal. Februarii die*, VI. *feriâ. Feria verò sexta cum die* XXI. *Jaunarii, regnanto Aureliano non concurrit, nisi anno* CCLXXI. *quo tempore Christianis favebat.* Confessoribus, qui acerbissima sub Aureliano supplicia pertulere, *Charitonem* Baronius annumerat, Anno 275. n. 9. Qua de causa Papebrochio, Pagioque dedit pœnas. Contendunt enim, Charitonem quarto duntaxat seculo floruisse. Neque inficiamur, Acta quibus Baronius innititur, esse subdita. At Charitonis nomen complures cùm gesserint, nil est absurdi, Confessorem nomine *Charitonem* gloriosam pro fide pugnam iniisse, imperante Aureliano. Nicephori Chronicum diu ante ætatem Metaphrastis editum hæc habet; *Tacitus menses* VI. *occisus est in Ponto, sub illo B. Chariton Confessorem egit.* Memoriæ lapsu Nicephorus In regnum Taciti contulit, quod Aureliani imperio, de quo profundum in silentium descendit, ascribi debuit.

Oros. lib. VII. c. 27.

H. F. l. 2. cap. 15.

Pag. Crit. An. 277. n. 3.

Interregnum. Tacitus creatur Imperator.

V. Occiso Aureliano, Imperatoris electionem retulit ad Senatum exercitus, quod nullum de his faciendum putabat, qui illustrem Principem occiderant. Verùm Senatus electionem in exercitum refudit, quia non libenter jam milites accipiebant Imperatores, quos Senatus creaverat. Cùm igitur tertio Nonas Aprilis in Curiam Pompilianam Patres convenissent, literisque exercitus de Aureliani morte constitisset, *Aurelianus* Tacitus primæ sententiæ Senator talia fatur: *P. C. vel ipsos Deos jure convenio, qui talem Principem interire passi sunt, nisi fortè eum secum esse maluerint. Decerno igitur divinos honores, id quod vos omnes existimo esse facturos. Nam de Imperatore deligendo, ad eundem exercitum censeo esse referendum. Etenim in tali genere sententia, nisi fiat quod dicitur, & electi periculum erit, & eligentis invidia.* In his altercationibus exercituum Senatusque mutuò sibi deferentium jus tradendi imperium, per sex menses Imperatorem Romanus orbis non habuit, omnesque Judices ii permanserunt, quos aut Senatus, aut Aurelianus elegerat. Unus Proconsul Asiæ *Falconius*, in locum *Aurelii Fusci* suffectus est. Orto in urbe rumore, Tacitum Imperatorem esse faciendum, discessit ipse, & in Balano duobus mensibus fuit, sed inde deductus est, ut Senatusconsulto interesset. Cum igitur exercitus sine Principe diutius stare non posset, ac limitem trans Rhenum Germani rupisse dicerentur, occupasse urbes validas, die VII. Kal. Octobrium, cùm in Curiam Pompilianam amplissimus ordo consedisset, Velius Cornificius Gordianus Consul dixit: *Agito, P. C. & Principem dicite, aut accipiet eum exercitus, quem elegeritis, aut si refusaverit, alterum faciet.* Cùm sententiam, incertum quam, vellet dicere Tacitus, subitò Senatus omnis acclamavit: *Tacite Auguste, Dii te servent, te deligimus, te Principem facimus, tibi curam Reip. orbisque mandamus.* At ille: *Miror, P. C. in locum Aureliani fortissimi Imperatoris, senem velle Principem facere. En membra quæ jaculari valeant, quæ hastile torquere. Vix munia Senatus implemus, vix sententias, ad quas nos locus coarctat, edicimus. Videte diligentius, quam ætatem de cubiculo atque umbra in pruinas æstusque mittatis.* Tum Metius Falconius Nicomachus Consularis Senator, qui post Tacitum sedebat: *Te Tacite*, inquit, Auguste *convenio, petens, obsecrans liberè, pro communis patriæ legibus deposcens, ne parvulos tuos, si te citius fata praevenerint, facias Romani hæredes imperii. Ne sic Remp. Patresque Conscr. Popul. R. ut villulam tuam, colonos tuos, ut servos tuos relinquas. Ingens est gloria Romani Principis Remp. magis amare, quàm filios.* Quâ oratione & Tacitus, & Senatus vehementer commotus, statimque acclamatum, *Omnes, omnes.* Imperium ergo Taciti à Septembris XXV. initium ducit. Cuncti ferè lætati sunt, quòd legendi jus Principis Proceres recepissent. Quam ob caosam decretæ supplicationes, hecatombæ à singolis promissæ: literæ ad Proviocias missæ, ut scirent omnes in antiquum statum Remp. rediisse. Brevis tamen ea lætitia fuit, cùm anni sequentis *Idibus Aprilis*, imperium cum vita reliquerit Tacitus, qui ducentis duntaxat diebus rerum potitus est.

ANNO DOM. 275.

Vop. Tacit. cap. 8.

VI. Tacitus fuit vitæ parcissimæ, ut sextarium vini totâ die nunquam potaverit. Convivium verò unius gallinacei, ita ut sinciput adderet, & ova. Præ omnibus oleribus affatim ministratis lactucis indulsit. Uxorem gemmis uti non passus est. Primâ post electionem oratione ad Senatum dixit: *Ita mihi liceat, P. C. sic imperium regere, ut à vobis me constet electum, ut ego cuncta ex vestra sententia facere decrevi. Vestrum est igitur ea jubere, atque sancire, quæ digna vobis, digna modesto exercitu, digna Populo R. esse videantur.* In illa ipsa oratione cavit, ne servi in Dominorum capita interrogarentur, ne in causa majestatis quidem: addidit ut Aurelianum omnes pictum haberent. Divorum Templum fieri jussit, in quo statuæ bonorum Principum collocarentur. In eadem & oratione fratri Floriano Consulatum petiit, quem non impetravit, quia jam suffecti Consules à Senatu designati erant. Placuit Tacito Patrum libertas, ferturque dixisse, *Scit Senatus quem Principem elege-*

Taciti mores.

ANNO DOM. 275.

elegerit. Prima Imperatori facto hæc cura fuit, ut omnes qui Aurelianum occiderant, bonos malosve interimeret. Ab autoribus cædis Muestheus statim feris objectus fuerat, sed Tacitus pœnitentiâ Mucaporis non contentus, & ipsum, & alios necis autorea excruciavit. Probo quoque cui decessit, hanc scripsit Epistolam: *Me quidem Senatus Principem fecit, de prudentis exercitus voluntate. Attamen sciendum tibi est, tuis nunc humeris incubuisse Remp.* Patrimonium suum publicavit, *Quod habuit in reditibus, sestertium bis millies octingenties*; hoc est, Gallicarum librarum 26055555. Togia & tunicia iisdem est usus, quibus privatus. Meritoria intra urbem stare vetuit. Cornelium Tacitum, quòd affinem suum diceret, in omnibus Bibliothecis collocari jussit, ne lectorum incuriâ periret. Argentum mensale, quod privatus habuerat, ministeria convivionum, quæ in Templis fierent, dedicavit. Mensem quoque Septembrem Tacitum appellari jussit, quòd eo in mense, & natus, & factus Imperator.

Vop. Tacit. cap. 13.

Vop. Prob. cap. 7.

Vop. Tacit. cap. 11.

Eutychianus Papa. Num Martyr?

VII. Post Fœlicem Eutychianus Papa Ecclesiæ R. præficitur, quem Pontificale Damasi tradit, *Natione fuisse Tuscum, ex patre Marino, de civitate Lunensi.* Creatus est die quintâ Januarii tertiâ feriâ. Tempus Episcopatus docet Damasi Chronicum: *Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani, à Consulatu Aureliani III. & Marcellini, usque in diem VII. Idus Decembris Caro II. & Carino Coss.* Excessit igitur anno Dom. CCLXXXIII. die septimâ Decembris. Totâ igitur errat viâ Eusebii Chronologia, quæ *vix decem menses* tribuit Eutychiano. Neque multò melior est Pontificalis Damasi traditio: *Sedit anno uno, mense uno, die uno.* Martyrio ad fata venisse, vulgò creditur. Neque traditionem novam esse fatemur. Legitur enim in veteri Rosuedi Martyrologio: *Romæ Eutychiani Papæ & Martyris, qui CCCXLII. Martyres suâ manu sepelivit.* Vacillat tamen in ea re Martyrologorum fides, cùm extincto Aureliano pax læta Ecclesiæ fuerit ad usque Diocletianum, quod apertè liquet ex capite I°. libri VIII. Eusebianæ Historiæ. Deinde in Catalogo depositionia Martyrum nil est Eutychiano loci. Sedem habet suam in Episcoporum depositione: *Sexto Idus Decembris Eutychiani in Callisti.* Neque Scaligeri Collectanea Martyribus Eutychianum inserunt. Libentes igitur Martyrum numero Eutychianum expungimus, etsi Blondellus ἀ πάνυ, pro Martyre illum habuerit in suo Pseudo-Isidoro.

Eutychiani Epistolæ subditæ.

VIII. Nomine Eutychiani duæ prodierunt Epistolæ. Prior ad Joannem, & ad omnes Episcopos Bæticæ Provinciæ, de fide incarnationis Domini. Posterior ad Episcopos, per Siciliam constitutos tria complectitur 1. de modo recipiendi accusationem adversus Clericos. Secundum, qui non admittantur ad accusationem Religiosorum. Tertium, de modo procedendi in negotiis Ecclesiasticis, cùm procedi non debeat modo seculari. Notas tamen Decretalibus suis apposuit Autor, quæ vero Eutychiano non conveniunt. Epistola ad Episcopos Bæticæ *Data est II. Idus Aprilis, Aureliano & Marcello viris Clarissimus Coss.* Atqui verus Eutychianus *Marcellinum* scripsisset, non *Marcellum*, notasque Aureliani Consulatus numerales de more addidisset. Nil ad veteratoris impudentiam addi potest, qui integrum ex Hilario capitulum, quod extat, & Leonis Magni ad Leonem Augustum Epistola XCVII. c. 3. Decretali inseruit suæ. Verba quoque, *Admonemus etiam vestram fraternitatem*, &c. petuntur ex Gregorii Epistola 25. l. 2. Posterior Epistola Scripturam laudat ex versione mixta, ex Italica, & Hieronymiana. Adriani I. decreta in gratiam *Ingelrami* Metensis Episcopi interpolat, ut jam eruditè noster observavit Blondellus.

ANNO DOM. 276.

ANNO U.C. 1029. PER. JUL. 4988. JUL. 321. DOM. 276. PROBI I. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* II. *Indict.* 9. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 6. 7. *P.* 16. *April.*

COSS. M. Claudius Tacitus Augustus II. & Fulvius Æmilianus.

Ovinius Pacatianus Præfectus Urbis.

De hujus anni Coss.

I. LAbentem annum Consules duxisse *Probum & Paulinum*, secundum Cassiodorum Baronius docuit, quem Jacobus *Capellus*, *Suenum*, aliique sequuntur. Quos refellunt libellus de Præfectis Urbis, Fasti tum Theonis, cùm Heraclii, Idacius, atque Chronicum Alex. à quibus Consules exhibentur *Tacitus*, atque *Æmilianus*, qua de re non est amplius dubitandum.

Mors Taciti Imper.

II. Defuncto Aureliano, qui Barbaris terrori fuerat, Scythæ movere lacertos. Transjectâ palude Meotide, per Pontum ad Ciliciam usque sita incursionibus omnia vexant. Quos aggressus Tacitus, partim ipse debellatos ad internecionem delevit, partim Floriano Præfecto Prætorio debellandos tradidit. Dum in Europam tendit, egregiè moratus ille Princeps, & Reip. gerendæ idoneus, in percussores incidit. Cujus seditionis hæc causa fuit: Maximino propinquo suo Syriæ Præfecturam concesserat. Is erga Principes viros asperrimè se gerens, eorum invidiam, atque odium inflammavit. Ulciscendi ergo sui causâ Maximinum interficiunt. Atque sibi metuentes, factâ conjuratione Tacitum quoque morti mittunt. Mortis locus est in ambiguo. Victor *Tyana*, Victoris Epitome *Tarsi* mortem obiisse prædicat. Alii morbo interiisse tradunt. Ferro periisse verisimilius. Constat factionibus oppressum mente atque animo defecisse. Obiit die Aprilis XIII. cùm dies ducentos præfuisset imperio. Neque mors inulta fuit, animadvertente Probo in eos, qui insidias fecerant.

Zoz. L. 1. cap. 63.

Vop. Prob. cap. 13.

Florianus.

Vop. Flor.

III. Extincto *Tacito*, ad civiles tumultus res rediere, *Floriano & Probo* simul gerentibus imperium. Florianus Tacito ex matre germanus, at patre diverso natus, nullo Senatus, seu militum suffragio arripuit imperium, quasi foret hæreditarium, immemor adjuratum esse Tacitum, ut non liberos suos, sed optimum aliquem Principem faceret. Nobis igitur extra dubium est, deceptum errore Zozimum prodidisse, Romæ electum esse Florianum. Taciti mores Florianus utcunque imitabatur. Ejus tamen profusionem frater, vir frugi reprehendebat. A Cilicia regiones ad Italiam usque Galli, Hispani, Britannia, omnisque Africa, Floriano obsequebantur. Qui imperfectâ de Scythis victoriâ suâ relictâ, Tarsum veniens, ibi castra collocavit. Ad bellum instructi erant tam is, quàm Probus, qui tamen copiis inferior erat. At Floriani milites insueti caloris, gravem in mor-

Anno Dom. 276.

morbum incidebant æstivis fervoribus. Quo cognito, tentandum hostem Probus statuit. Ac velitationes nonnullæ ante urbem factæ, nil tamen memoratu dignum gestum est. Deinceps ex Floriani partibus Probo accedentes, imperium abrogant Floriano. Quo facto, aliquandiu costoditur. Sed cùm sui dicerent, non hoc de Probi factum sententia, purpuram Florianus iterum sumit, donec reversi qui significarent, quid Probus de imperii æmulo statueret, à propriis militibus Tarsi occiditur. Vix duobus mensibus imperavit. Tacito Florianoque liberi multi extitere. Interamna defunctorum constituta cenotaphia in solo proprio, ibique duæ statuæ, pedum tricenum ex marmore collocatæ, quæ dejectæ fulmine ita contritæ sunt, ut membratim dissipatæ jacerent. Hinc natum Haruspicibus vaticinium, ex eorum familia futurum Imperatorem, qui terram omnem quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus suam faciat. Quod Vatum mendacium fuisse, non oraculum, experientia testatur.

Vop. Flor. c. 2.

Anni Probi Imperatoris.

III. Magnum præclarumque Principem, & qualem Romana vix novit Historia, dicere ingredimur, cujus virtutes, nomini quod gerebat, aptè respondebant. Aurelius Probus oriundus erat Pannoniâ, civitate Sirmiensi. Pater nomine *Maximus* fuit, qui cùm ordines honestissimè duxisset, Tribunatum adeptus, apud Ægyptum vitâ functus est, uxore cujus nomen ignoratur, ac filio, & filiâ relictis. Ex Chronico Alexandrino, Probi natalem annum expiscari possumus: Probus, inquit, *Augustus Sirmii interficitur, annos natus quinquaginta.* Cùm igitur perierit anno CCLXXXII. lucem anno CCXXXII. vel insequente, aspicere debuit. De annis Augusteis ejus major est controversia. Tacitum ad annum usque 278. vitam retinuisse, cùm statuat Baronius, Probi quoque initia, in eo ipso anno collocavit, quo consequens est, annis duntaxat quinque imperium tenuisse. Sectarium illustrissimus Purpuratus babet ipsum Vopiscum: *Milites confugientem Probum in turrem ferratam interemerunt anno imperii sui quinto.* Certo tamen certius est, hanc Chronologiam errore contaminari, ac de septimo anno Probum aliquid delibasse. Annos sex & tres menses ei vindicat Eusebius in Chronico. Annis sex, menses quatuor addit Eutropius: Julianus de Cæsaribus *septem annos* nondum completos imperasse tradit. Unusque Vopiscus est de Veteribus, qui *quinquennio* imperii hujus spatia circumscripserit. De mense Optimi Imperatoris extremo litigant inter se eruditi. Die Novembris secundo Probum periisse, tradit Calvisius, cui de mense consentit Petavius Animadversionibus ad librum Epiphanii de Mens. & Pond. p. 410. Existimant enim viri doctissimi, Probum *mense circiter Julio* imperium iniisse, quos tamen sua fallit Chronologia: *Dum adsiccandam lacunis & fossa urbem sibi patriam* milites adigit, interficitur. Ad hoc autem operis November non erat idoneus. Hanc quoque Calvisii Petaviique Chronologiam perstringit ipse Vopiscus: *Tacito absumpto fataliter, ac Floriano imperium arripiente, omnes Orientales exercitus eundem Imperatorem fecerunt,* Ex quo intelligitur, non multò post extinctum Tacitum, Probum Imperatorem fuisse dictum. Atqui fato præventus Tacitus, Aprilis die XIII. Denique si Julio imperium Probus iniit, defuncto Floriano imperare cœpisset. Jam

Vop. Prob. c. 21.

Vop. Prob. c. 10.

varò creatus est Augustus vitam retinente Floriano, quod non unus testatur Zozimus, sed literis quoque Vopiscus mandavit: *Florianus vix duobus mensibus imperium tenuit, & occisus est. Tarsi à militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat.* Romanum igitur orbem administravit Probus, à mense Maio præcipiti anni CCLXXVI. ad usque Augustum anni CCLXXXII. quo à militibus Sirmii interficitur, ut eodem loco, & vitam, & mortem inveniret.

Probi mores.

IV. Probus nobiliore matre, quàm patre, patrimonio moderato, affinitate non magnâ, & privatus, & Princeps nobilissimis virtutibus claruit. Valeriani judicio, Tribunatum propè imberbis accepit. Qua de re Gallieno Valerianus scripsit: *Meum secutus judicium, quod semper de Probo adolescente primo habui, & omnium bonorum, qui eundem sui nominis virum dicunt, Tribunatum in eum contuli. . . . Te quæso, fili charissime, ut eum juvenem, quem imitari pueris omnibus volo, in tanto habeas honore, quantum virtutes ejus & merita pro debito mentis splendore desiderant.* Tribunus transmisso Danubio, multa egregia fecit, adolescentemque nobilem Valerium Flaccum, Valeriano affinem, Quadorum liberavit manu, qua de causa civicam illi coronam Valerianus detulit. Tanti eum Gallienus fecit, ut Tribunis Illyricianis scripserit: *Etiamsi patrem meum fatalis belli Persici necessitas tenuit, habeo tamen parentem Aurelium Probum, quo laborante possim esse securus.* Maximus militum erga Probum amor erat, in quos peccari nunquam passus est, quibus etiam si quid prædæ ita divisit, ut sibi nihil præter tela & arma servaret, Aradionem in Africa singolari certamine à se prostratum, quia fortissimum viderat, sepulchro ingenti honoravit. Nunquam milites otiosos esse passus est, quorum manu opera multa perfecit, dicens: *Annonam gratuitam militem comedere non debere.* Extant apud Ægyptum opera multa, quæ per milites struxit. In Nilo tam multa fecit, ut vectigal frumentarium solus adjuverit, ora fluminum patefecit, paludes siccavit, atque in his segetes agrosque constituit. Aurelianum à crudelitate sæpius retraxit, cujus & in potestatem Ægyptum maximamque Orientis partem redegit. Tacito quoque percharus fuit, à quo literas accepit ejusmodi: *Adesto nostris necessitatibus, familia assere, ut soles, Remp. Nos tibi decreto totius Orientis Ducatu salarium quintuplex fecimus.*

Vop. Prob. c. 4.

Vop. Prob. c. 6.

Vop. Prob. c. 20.

Vop. Prob. c. 7.

Probus creatur Imperator. Ejus Acta.

V. Cùm ad exercitum de morte Taciti nuntius venisset, animus fuit militibus prævenire Italicos exercitus, ne iterum Senatus Principem daret. Sed cùm inter milites sermo esset quis fieri deberet, dicerentque requirendum esse Imperatorem *fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum*, quasi divino nutu undique ab omnibusque acclamatum, *Probe Auguste, Dii te servent.* Deinde concursus & cespititium tribunal, ornaturque pallio purpureo, quod de statua Templi ablatum est, appellaturque Imperator, ipso repugnante, nec semel dicente, *Non vobis expedit, milites, non mecum benè agetis. Ego enim vobis blandiri non possum.* Primâ ejus ad Capitonem Præf. Præt. Epistolâ hæc continentur: *Agenda est persona, quam mihi miles imposuit. Te quæso annonam & commeatum, & quidquid necessarium est, ubique militi pares. Si rectè omnia gubernaveris, Præfectum al-*

Anno Dom. 276.

terum non habeo. Obtinuit primùm Syriam, Phœnicem, Palæstinam, Ægyptum, & cùm minoribus copiis instructus esset, bellum cum Floriano gerendum esse decrevit. Sed qui Floriano militabant, scientes neminem Probo esse imperio digniorem, Florianum interimere. Vix æmulo liberabatur, cùm amplissimo ordini literas mittit: *Quoniam Florianus imperium arripuit, nobis à militibus delatum est nomen Augustum, vindicatum quin etiam in illum à prudentioribus militibus, quod fuerat usurpatum. Quæso ut de meis meritis faciatis, quidquid jusserit vestra Clementia.* Ubi Senatus in æde Concordiæ ab Ælio Scorpiano Cos. interrogatus est, Quid de literis Aurelii Valerii Probi videretur, acclamatum est: *Probe Auguste, Dii te servent.* Manlius Statianus, qui tum primæ sententiæ erat, ita locutus est: *Si rectè cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Trajanus, non Claudius requirendi sunt. Omnia in uno constituta sunt, rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ Reip.* Post hæc omnes honores Probo decreti. *Die tertio Nonas Februarias* factum Senatusconsultum, tradit Vopiscus cap. 11. Sed mendum esse nemo non videt. Jam summo Magistratu abierant Coss. ordinarii. Suffectum Consulem agebat *Ælius Scorpianus*, quod post Nonas Februarias contigit. Scripta quoque est anno currente Probi Epistola: *Rectè atque ordine, P. C. proximo superiore anno factum est, ut vestra Clementia orbi terrarum Principem daret.* Proximus ille annus est Dom. CCLXXV. quo à Senatu Tacitus dictus Augustus fuerat. Mendum vidit & sustulit Petavius, qui legit, *die tertio Nonas Augustas.* Accepto Senatusconsulto permisit, ut ex majorum judicum appellationibus ipsi cognoscerent, Proconsules crearent, Legatos Consulibus darent, leges quas ederet, Senatusconsultis propriis consecrarent. Deinde *qui de Aureliani interfectoribus superfuerant, vario genere vindicavit, mollius tamen moderatiusque quàm prius exercitus, & postea Tacitus vindicaverant.* Quæ igitur de eorum supplicio commemorat Zozimus, fabulam redolent, nec satis tanto Principe digna. Animadvertit & in eos, qui Tacito insidias fecerant. Floriani sociis pepercit, quod non tyrannum aliquem videbantur secuti, sed sui Principis fratrem. Recepit deinde omnes Europenses exercitus, qui Florianum & Imperatorem fecerant & occiderant.

Vop. Prob. c. 13.

Anno Dom. 277.

Anno U. C. 1030. Olymp. 264. Per. Jul. 4989. Jul. 322. Dom. 277. Probi 2. *Sol.* 6. G. *Lun.* 12. *Indict.* 10. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

Coss. Aurelius Valerius Probus Augustus & M. Aurelius Paulinus.

Ovinius Pacatianus Præfectus Urbis.

De hujus anni Coss.

I. Consulatum hujus anni loco movere suo Annalium conditori placuit. Anno superiori Consules præficit *Probum & Paulinum*, præsenti *Probum & Paternum*, sequenti *Tacitum* Augustum & *Æmilianum*. Quæ misera Fastorum perturbatio est. Quis ferat anno Probi tertio Tacitum imperantem obtrudi? Mirari quidem Baronius debuit, Probi & Paulini Consulatum ab Onuphrio prætermitti, quasi suffectis Consulatibus apponeretur. Sed non minore nos admiratione afficit illustrissimi Purpurati Chronologia, quæ *Probi & Paulini* Consulatum imperante etiamnum Aureliano gestum esse statuit. Nos melioribus auspiciis currenti anno *Probum* Augustum, & *Paulinum* præponimus, quos etiam exhibent Fasti, & Idaciani, & Theoniani, & Heracliani, & libellus de P. U. Extat & in Codice Justinianeo Lex de *instrumentis exustis*, missa Felici: *PP. tertio Nonas Maii Sirmii Probo & Paulino Coss.* Addit doctissimus Norisius inscriptionem: *Ded. III. Non. Jul. D. N. M. Aur. Probo. Aug. & M. Aurelio. Paulino Coss.* Leo quoque de Pentecoste, sermone 22. narrat Manetes hæresim innotuisse *Probo Imperatore & Paulino Coss.* Quibus omnibus Chronologia adeò illustrata est, ut quod in illa fece imperii Rom. quasi impunè propter Annalium tenebras facere licuit, nunc nullo modo liceat.

Cod. l. 8. Tit. 56. l. 2.

Egregia Probi in Gallias facinora.

II. Probus, qui Maii quinto *Sirmii* agebat, in Gallias non multò post se contulit, ut Eusebiano Chronico docemur: *Probus Gallias Barbaris occupatas ingenti virtute restituit.* Quippe interfecto Posthumo tutatæ quidem, occiso autem Aureliano, à Germanis possessæ sunt Galliarum regiones. Germanici motus rumor Patres Conscriptos anno CCLXXV. afflaverat. Cùm enim die septimo Kal. Oct. de creando Imperatore ordo amplissimus in Curia Pompiliana deliberaret, Velius Cornificius Consul suffectus dixerat; *Limitem trans Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse urbes validas, nobiles, divites, & potentes.* Multa igitur præclaraque Probus gessit, dum per Gallias Barbari securi vagabantur. Citatur Probi Epistola, clarissimæ testis victoriæ: *Quadraginta millia hostium cæsa sunt, & sexdecim millia armatorum nobis oblata, & septuaginta urbes nobilissimæ, captivitate hostium vindicata, & omnes penitùs Galliæ liberatæ.* Acres præcipuè duæ pugnæ initæ sunt. Prior contra *Logiones*, gentem Germanicam, quorum Ducem Semnonem cum filio vivum in potestatem redegit. Supplices factos in fidem recepit, recuperatâque omni prædâ, Barbaris *Semnonem* cum filio reddidit. Alterum contra Francos prælium pugnavit. Quibus victis, cum Burgundorum Vandalorumque copiis dimicavit. Ac Barbaros in adversa rippa consistentes, ad pugnam Romani provocabant. Illi irâ perciti transjiciebant quotquot poterant, eoque vel cædebantur vel capiebantur. Reliqui cùm eâ lege pacem impetrassent, ut prædam cum captivis redderent, non omnia restituerunt. Perfidos adortus Princeps, ipsos trucidat, *Igillumque* Ducem cepit. Vivos verò, quos in potestatem redigere potuit, in Britanniam misit, utiles futuros, si quis seditionem moliretur. Cum aliis pugna perpetua erat. Quotidianis quæ committebantur certaminibus, ad singulos aureos singula Barbarorum capita afferrebantur. Suis ergo cladibus permoti reguli novem ex diversis Gentibus ad pedes Probo cecidere: quibus ille primùm obsides imperavit, qui statim dati sunt, deinde frumentum, postremò etiam vaccas & oves. Ipsis etiam Regibus consentientibus, in eos vindicatum est, qui prædam fideliter non reddiderant. Accepit præterea sexdecim millia tyronum, quos per diversas Provincias dispersit. Quinquagenos, vel sexagenos limitaneis militibus inserebat, prudenter dicens: *Sentiendum esse, non videndum, cum auxiliaribus Barbaris Romanus juvatur.* Tot victoriis castra in solo

Vop. Tacit. c. 3.

Zos. l. 1. c. 68.

Bar-

ANNO DOM. 277.

Barbarico posuit. Agros, horrea, domos, annonam illis dedit, quos in excubiis collocavit. Subactâ omni quà latè tenditur Germania, coronas quas Probo obtulerant Galli aureas Romam misit: *Vestra*, inquit, *Patres Conscripti, clementia dedicavi, & has Jovi Op. Max. cæterisque Diis Deabusque immortalibus, vestris manibus consecrate.* Lectu dignissima est Probi hæc ad Senatum Epistola. Prodigii meminit Zozimus, cujus fides est difficillima: *Immensus imber delapsus, unà cum guttis frumentum quoque detulit*, quo adversus famem comparato remedio Romani panem fecere, mirati Principis sui fortunam.

Vop. Prop. c. 15.

Zoz. l. 1. c. 67.

Manetis hæresis.

III. Manichæorum originem, veluti insignem Christiani nominis labem, diligenter annotavit Eusebii Chronicum: *Secundo anno Probi, juxta Antiochenos* CCCXXV. *anno, juxta Tyrios* CCCCII. *juxta Laodicenos* CCCXIV. *juxta Edessenos* DLXXXVIII. *juxta Ascalonitas* CCCLXXI. *insana Manichæorum hæresis in commune humani generis malum exorta.* Currentem quoque annum teterrimæ pestis incunabulis ascribit Leo Magnus: *Manichæus ergo Magister falsitatis Diabolicæ, & conditor superstitionis obscœnæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus & sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinoque Consule.* Quem annum designet, apertè ostendit *Probi* Augusti, & *Paulini* Consulatus, qui Dionysianum annum CCLXXVII. aperit. At accuratus non est Leonis ille computus, de Dominicæ resurrectionis Epocha, seu *vera*, quæ ab anno XXXIII. deducitur *Galbâ* & *Sillâ* Coss. seu *apparente*, quam ipse Leo cum Veterum benè multis sequitur, ab anno XXIX. Geminis Coss. petita. Post resurrectionem Dominicam, anni sunt CCXLIV. ex Leonis verò Chronologia sunt CCXLVIII. Observavit doctissimus Quesnellus, in uno MS. Oxoniensi haberi CCL. unde colligit, inter concionandum numero rotundo Leonem dixisse, *ducentesimum & quinquagesimus annus*, cùm accuratè loquendo, dici debuerit *ducentesimus quadragesimus octavus.* Natale igitur Manichæismi quod attinet, omnibus Epochis Eusebiana est anteponenda. Epiphanius enim [illegible] Aureliani & Probi temporibus emersisse scribit. Erravit itaque Baronius, dum in anno CCLXXVI. Manichæismi ponit incunabula. Moneri quoque à Leone debuit, Probum jam imperium adeptum esse, cùm *Paulinum* in Consulatu Collegam habuit.

Leo Hom. 2. de Pentec. cap. 7.

Error Baron.

IV. Porro etsi *Manes* hoc demum anno eruperit, monstrosæ tamen opinionis origo altius repeti debet. *Scythianus* Saracenus in Arabia educatus, Græcorum & literis, & studiis institutus, non spernendâ mundanæ disciplinæ scientiâ imbutus erat. Profectus in Indiam mercaturæ causâ, sibi multum divitiarum comparavit. Cùm *Hypselen* Thebaidis oppidum venisset, inventam eleganti corpore meretricem adeò flagravit, ut in libertatem assertam sibi in matrimonium adjungeret. Progressu temporis ex boni & mali, virtutis & vitii pugna, geminas rerum esse causas Scythianus collegit. Qua de re quatuor etiam libros conscripsit. Quorum unum *Mysteriorum* inscripsit, alterum *Capitum*, tertium *Evangelium*, quartum *Thesaurorum*. Ubi verò novit Scripturæ oraculis, unum rerum omnium Principium celebrari, Hierosolymam proficiscitur, statimque cum Presbyteris disputationem instituit. Cùm victus recessisset, Magiæ, cujus peritus erat, præstigiis illudere conatur, ac domo conscensâ, præceps decidens, ex vita migravit. Defunctum quàm honorificè sepelivit *Terebinthus*, quem unum secum discipulum Scythianus habuerat. Terebinthus Scythiani supellectilis, librorum, præstigiarum hæreditatem adiit. Qua fortè de causa librorum, quos Scythianus condiderat, Socrati Autor scribitur. Literarum studiis apprimè eruditus erat. Itaque cum omni suppellectile in Persidem aufugit, mutatoque nomine, pro Terebintho *Buddam* se appellavit. Dum apud viduam habitat, cùm Mithræ Sacerdotibus, inprimisque *Parco & Labdaco* Prophetis, de duobus Principiis contenderet, Scythiani exemplo magiam efficere studens, simili modo periit. Anus sepulto Buddâ pecuniam omnem obtinuit. Quæ cùm temporis lapsu puerum septennem, nomine *Cubricum*, emisset, eum posteà libertate donatum literis instituit: quem etiam, dum non multò pòst abit è vita, opum, librorumque Scythiani testamento hæredem instituit. Hic est fons Manichæismi atque principium. Ea de duobus Principiis doctrina ex Empedoclis disciplina hausta est, quæ malam quidem naturam *discordiam*, bonam verò naturam *amicitiam* appellat. Libros quatuor quos memoravimus, ab ipso Terebintho, quem Scythianus instituerat, conscriptos esse, tradit Socrates, à quo didicimus etiam, Buddam & confinxisse se natum ex virgine.

Origo Manichæismi. Scythianus & Budda.

Socr. l. 1. cap. 22. Epiph. h. 66.

V. *Cubricus* infamis est ille Manes, qui maximo Ecclesiæ detrimento, insigni facinorosæ doctrinæ suæ notâ annum præsentem celebravit. Mutato suo nomine, aliud sibi imposuit, ut ex Cubrico *Manes* fieret. Manes verò linguâ Chaldaicâ [illegible] σκεῦος, *vas* significat, referente Epiphanio. Sed an non ex Perside, ex qua ortum Cubricus ducebat, potius quàm ex Chaldæa hoc nominis petitum, in dubium jure vocatur. Sicque pro varietate regionum, vox *Manes* aliud atque aliud significavit. Cyrillus quidem Catechesi sextâ: Cubricus, inquit, *se Manem nuncupavit, quod Persicâ linguâ τὴν ὁμιλίαν, doctrinam significat.* Doctrinam vertere malumus, quàm *allocutionem*, cum Grodecio, *Dialectum enim nominis alicujus videbatur* pag. 17. De impuro homine errarunt quidem Augustinus atque Theodoritus, ille dum *Urbicum* vocat, quem *Curbicum* appellare debuit: *Anteà*, inquit, *Urbicus vocabatur.* Hic verò, qui Manem cum Scythiano permiscet: Manes Persa, *dum servus erat, appellabatur Scythianus.* Observat Petavius, *Eliam in Tisbi mirum esse scripsisse, quòd cùm Judæi* מינין *vocent Hæreticos, in Græcorum Commentariis scriptum sit, Hæreticum quendam extitisse, qui Manes diceretur, ejusque sectatores* מינין. Cur id miraretur, nil causæ fuit. Vocis *Manes* significationem ignorabat Elias, quæ non sonat Hæreticum. Cæterùm Manes ipse, deflexo vocabulo, sese Manichæum appellavit. Id nominis præfigit in Epistola ad Marcellum: *Manichæus Apostolus J. Christi, & qui mecum sunt, Sancti omnes, & Virgines, Marcello filio charissimo.* Itaque Scaligeranâ indignus censurâ fuit Leo Magnus, ob id quòd *Manichæum* potius quàm *Manem* scripserat. Quid ni *Manichæum*, non Manem Leo hominem vocasset, qui sibimet ipsi Manichæi nomen imposuit? Quod etiam vocabulum usurpat Hieronymus, dum meminit disputationis quam Archelaus habuit *adversum Manichæum.* Deflexi rationem

De Manetis nomine significatio. Vocandusne sit Manichæus? Vita Manetis.

August. de Hær. c. 46.

Theodor. H. F. l. 1.

nem nominis eam esse putamus. Manea ad Græcum vocabulum *µανία*, *furor* alludebat. Epiphanius: *Atque*, inquit, *hoc divinâ quâdam providentiâ factum arbitror, furoris uti sibi nomen asscisceret.* Ut vitaret quod Græcis nomine suo ludibrium dabat Hæreticus, Manichæus dici voluit. Sommiabat Augustini crisis de Manetis nomine: *In Græcia*, inquit, *discipuli ejus, evitantes nomen insaniæ, quasi doctiores & eo ipso mendaciores geminatâ N. literâ, Manichæum quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est, insana appellaverunt.* Hem Manichæum, id est, insanum! Id de *Mane* quidem dici potuit, de *Manichæo* sanè non potuit. Neque vel concesso, Manichæi discipulos, vocis hujus geminasse literam N. apta foret Etymologia, *Mannichæum*, *quasi manna fundens*, quo casu non per dipthongum *αι*, sed per ε nomen efferri debuisset, non *Μανιχαῖος*, ut solet, sed *Μαννιχεῖος* scriberetur. Hactenus de celeberrimi impostoris nomine.

Epiph. l. 66. n. 1.

Aug. l. de Hær. c. 46.

Dum agebat in Perside, discipulos XXII. sibi collegit. Quorum è numero tres elegit, *Thomam*, *Hermeam*, & *Addam*, quos Hierosolymam mittit, ut datâ pecuniâ Scripturæ libros emerent. Intereà disputationes varias instituit, sed infelici successu. Itaque occasionem quandam excogitavit, quâ autoritatem sibi asciisceret. Cùm enim percrebuisset Persarum Regis filium in regia urbe decumbere, ad palatium tendens, Regi opem pollicetur. Sed spes illum fefellit; inter medicamenta Principis filius ad fata venit. Regio jussu Manes temeritatis daturus pœnas, in vincula conjicitur. Reversi discipuli Magistro in carcere compacto, libros offerunt. Quibus acceptis, & diligenter evolutis, pleraque depravavit, veritati mendacium suum admiscens. Interim precibus pecuniaque exorato Commentariensi, arreptâ fugâ, Romanorum fines ingreditur. Tum se promissum Paracletum esse jactavit: *Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim Apostolos habuit, ad instar Apostolici numeri, quem numerum Manichæi hodieque custodiunt. Nam ex Electis suis habent XII. quos appellant Magistros, & tertium decimum Principem ipsorum, Episcopos autem LXXII. qui ordinantur à Magistris.* Ut Mesopotamiam venit, audivit virum insignem, nomine *Marcellum*, Cascharam civitatem incolere. Ad illum ergo per *Tyrbonem*, unum ex discipulis, ex castello Arabione scribit. Titulus Epistolæ est: *Manichæus Apostolus J. C. & qui mecum sunt, Sancti omnes, & Virgines, Marcello filio charissimo gratia, misericordia, pax à Deo Patre & Domino nostro J. C.* In Epistola, ad corrigendum genus humanum se missum esse testatur. Dum Epistolam Marcellus accipit, Archelaus Episcopus unà cum eo domi erat. Lectâ Epistolâ mirum in modum obstupuerunt. Cùm Tyrbo ad Manichæum redire nollet, Marcellus cursorem è familia sua destinat, per quem ad illum literas dedit, quibus adventus ejus flagitabatur. Ac Archelaus Manetem ut lupum morti tradendum esse censebat, quem leniter potius in colloquio tractandum Marcellus judicavit. Itaque in urbe Caschara collatio publica instituitur. Arbitri deliguntur, *Marsippus* gentilis sapientiæ, *Claudius* Medicinæ Professor, *Ægealeus* Grammaticus, & *Cleobulus* Sophista. Ac de Judicum sententia veritati victoria cessit. Manetem lapidibus obruere populus volebat, sed ejus impetum Marcellus repressit. Fugâ igitur sibi consulens, *Diodoridem*, qui in Cascharis pagus est, venit. Erat ibi optimus Presbyter, nomine Tryphon, sed orationis præsidio destitutus, cui tamen frustra Manes illudere colloquio voluit. Cùm verò iterum unà cum Tryphone congredi vellet, ab Archelao literas petit, quibus perniciosæ doctrinæ rationibus resisti possit. Episcopum quoque hortatur, ut ipse venire dignetur. Dum Tryphonem inter & Manetem est in pago disputatio, repentè venit Archelaus, quem ut Manes aspexit simulatâ blanditiâ, *Sine me*, inquit, *cum Tryphone contendere, tu enim me, cum sis Episcopus, dignitate superas.* Sed Hæretico os prorsus occlusit Archelaus. Igitur fugâ sibi mandatâ, Arabionem petit. Ibi à Persicis satellitibus comprehensus, in Persidem abducitur, ubi Rex calamo cute detractâ ultimum de eo supplicium sumpsit. Defuncti cutis infartis paleis diu servata est. Ob id Manichæi lectulis suis arundines substernunt. Quin etiam *diem, quo Manichæus occisus est, quinque gradibus instructo tribunali, & pretiosis linteis adornato, ac in promptu posito, & objecta adorantibus, magnis honoribus prosequebantur.* Manetis & diem emortualem *Bema* vocaverunt.

Aug. l. de Hær. c. 46.

Epiph. h. 66. n. 11. &c.

August. cont. Ep. Fund. c. 8.

VI. Antequam pœnas sceleratus ille lueret, libros conscripsit varios. Scribendi initium fecit ab eo libro, quem *de Fide* edidit. Libri hoc est exordium: *Erat Deus & materia, lux & tenebræ, bonum & malum, quæ tam penitùs sibi invicem erant contraria, nulla ut alterum cum altero communione jungeretur.* Unos pro Syriacarum literarum numero in duas & viginti partes distributos, inscriptionem habet, Manichæi Mysteria. Alius est, cui *thesauro* nomen inditum. Præter hos contexuit *minorem thesaurum*. Item *de Astrologia*, de qua scientia ejus discipuli gloriantur. Extat & apud Epiphanium Manetis ad Marcellum Epistola, quæ præcipua impietatis capita complectitur. In prima commendati apud Manichæos erat Epistola Doctoris sui, quam *Epistolam fundamenti* vocabant, quâ nefariæ sectæ principia continebantur. Eo titulo insignis erat: *Manichæus, Apostolus J. Christi, providentiâ Patris.* Lecta est Epistola in Hipponensi collatione, anno 404. habita Augustinum inter atque Felicem. Utebantur & Manichæi Actibus & S. Thomæ, & S. Andreæ, & S. Joannis, *quos sacrilego Leucius ore conscripsit.* Inspiciatur Turbii ad Idacium, Ceponiumque Epistola, apud Baronium, anno 447. n. 6. Tres verò celebriores discipulos Manes instituit, Addam, Thomam, & Hermæam, quos varia in loca dimisit. Hermeas in Ægyptum profectus est. Addas *in superiorem regionem* abiit. Thomas in Judæam. Atque ab his secta vires & incrementum habuit. De numero discipulorum Theodoritus assentitur Epiphanio. Dicit tamen *Addam*, quem *Addam* vocat, in Syriam, *Thomam* verò in Indiam esse profectum. Nos magis assentimur Epiphanio, qui multa se audisse testatur à viris illis, qui cum *Hermea* versati sunt. *Thomas* librum edidisse fertur, nomine Evangelium, de quo Cyrillus: *Nemo legat Evangelium Thomæ, non enim est unius duodecim Apostolorum, sed unius de tribus discipulis Manis.* Quem tamen librum ab eo differre existimamus, cujus meminit Eusebius. Libri fuere ab Hæreticis vulgati, *Qui Petri, Thomæ, Matthiæ & quorumdam aliorum Evangelia* continent. Quibus Thomas Apostolus indicatur.

Libri Manetis, præcipuique discipuli.

Epiph. h. 66. n. 13. 14.

Epiph. h. 66. n. 12.

Cyr. Cath. 6. p. 61.

Euseb. l. 3. c. 25.

VII.

ANNO DOM. 477.

Doctrina Manichæorum, & Sectæ.

VII. De Manichæorum doctrina, sectis, moribusque aliqua subjungamus. Caput erroris, ac velut fons, quo impia multa manabant, in eo collocatur, quòd Principia duo statueret invicem contraria, alterum bonum, alterum malum. Ab his exorta, & constituta sunt omnia ipsius nefanda. Quam ex verbis Salvatoris doctrinam astrui censebat: *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Hinc Christo naturam humanam prorsus abdicabat. Sic enim Marcello scripsit: *Utinam nec unigenitum Dei Filium Christum Dominum, qui de Patris sinu descendit, Mariæ cujusdam mulierculæ filium esse dicerent, atque ex sanguine carneque tum verò reliquo mulierum fœtore prodiisse.* Hinc Christi passionem, cui tota religio innititur, inficias ibant. Itaque interroganti Augustino, *Quæ causa esset, quòd Pascha Domini plerumque nullâ, interdum à paucis tepidissimâ celebritate frequentaretur; bema verò, id est, diem, quo Manichæus occisus est,* honoribus prosequerentur, *Respondebatur, ejus diem passionis celebrandum esse, qui verè passus est; Christum autem qui natus non esset, neque veram, sed simulatam carnem humanis oculis ostendisset, non pertulisse, sed finxisse passionem.* Duas etiam animas in uno corpore existimabant: *Unam de Deo, quæ naturaliter hoc sit, quod Deus ipse, alteram de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit.* Patrem incolere lucem summam, & principalem credebant. Christi virtutem in Sole habitare, sapientiam in Luna, Spiritum Sanctum, qui est majestas tertia, aëris hunc omnem ambitum, pro diversorio uti profitebantur. Hominem asserebant non esse à Deo procreatum, sed à *Principe materiæ, quem Saclam nominabant.* Christum fuisse affirmabant, quem Scriptura dicit serpentem, à quo Protoplastos illuminatos asseruerunt, ut bonum & malum ignoscerent, eumque Christum novissimis temporibus venisse, ad animas, non ad corpora, liberandas. Deum qui Legem per Mosem dedit, *Non esse verum Deum, sed unum ex Principibus tenebrarum.* Electos suos peccati esse omnis immunes jactabant: *Manichæus Electos suos, quos inter animas Platonis in cælestibus collocat, dicit omni carere peccato, nec si velint posse peccare: ad tanta enim eos virtutum culmina transcendisse, ut casus operibus illudant.* In Hispania pro aqua oleum adhibebant ministrando baptismo, teste Turibio: *In illis Actibus, qui S. Thomæ dicuntur, præ cæteris notandum atque execrandum est, quòd dicit eum non baptizare per aquam, sed per oleum solum, quod quidem isti nostri non recipiunt, sed & Manichæi sequuntur.* Quid multa? Fatum introduxit Manichæus, libertatem humani sustulit arbitrii, corpora ex aliis in alia transmutari asseruit, Legem & Prophetas rejecit? Hæc sunt impuri hominis præcipua errorum capita, ut non tam monstrum, quàm monstrorum colluvies esse videatur. Erroribus adjunxit & idololatriam. Multos Deos colendos esse dixit: *Solem quoque adorandum esse docuit.* Neque immeritò Valesius conjecturâ ductus est ad scribendum, Manichæos suppresso nomine, Prisciano Palæstinæ Præsidi fuisse commendatos: *Viri illi qui Solem colunt, absque sanguine, & Deum secundâ appellatione honorant, qui ventrem suum castigant, & diem obitus in lucri parte reponunt, multis quidem in locis reperiuntur, ubique tamen pauci sunt. Et ipsi quidem neminem injuriâ afficiunt, quidam tamen facescunt eis negotium.* Cur verò Solem colerent, docet Augustinus: *Solem illi sic colunt, ut particulam dicant esse lucis illius, in qua habitat Deus.* Ad ejus quoque *gyrum*, Manichæorum *orationem circumconvolvi* docuit.

Epiph. h. 66. n. 6. — *August. cont. Ep. Fund. c. 8.* — *August. de Ver. Rel. c. 9.* — *Aug. l. 20. cont. Faust. c. 2.* — *Theodor. H. F. l. 8.* — *August. de Hær. c. 46.* — *Hieron. Ep. ad Ctesiph. c. 2.* — *Socr. l. 1. c. 22.* — *Liban. l. 4. Ep. 140.* — *August. de Genes. l. 1. c. 3.*

Audientes & Electi Manichæorum.

VIII. Generatim Manichæi in Electos, & Audientes dividebantur: *His duabus professionibus, Electorum & Auditorum Ecclesiam suam constare voluerunt.* Auditoribus multa concedebantur, quæ *Electis* fuere vetita: *Auditores autem qui appellantur apud eos, & carnibus vescuntur, & agros colunt, & si voluerint uxores habent, quorum nihil faciunt, qui vocantur Electi. Sed ipsi Auditores ante Electos genua figunt, ut eis manus supplicibus imponant, non à solis Episcopis, vel Presbyteris, aut Diaconis eorum, sed à quibuslibet Electis. Solem etiam & Lunam, cum eis adorant, & orant. Die quoque Dominicâ cum illis jejunant, & omnes blasphemias cum illis credunt, quibus Manichæi hæresis detestanda est: negantes scilicet Christum natum esse de Virgine, nec ejus carnem veram confitentes fuisse, sed falsam, & per hoc & falsam ejus passionem, & nullam resurrectionem fuisse contendunt.* Præterea vim Electis tribuebant suis, quæ in Auditoribus desiderabatur. Audiamus iterum Augustinum: *Ipsam verò boni à malo purgationem, ac liberationem, non solum per totum mundum, & de omnibus ejus elementis virtutem Dei facere dicunt, verùm etiam Electos suos per alimenta quæ sumunt, & eis quippe alimentis, sicut universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam, quam purgari putant in Electis suis, eo genere vitæ, quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius & excellentius Auditoribus suis. In cæteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ, quæ mixta & colligata in escis detinetur, maximèque in eis qui generant filios, arctius & inquinatius colligari putant.* Animas Auditorum in Electos, vel in escas Electorum revolvi arbitrabantur, ut jam purgatæ in nulla corpora revertantur. Ut ad brevia veniamus, Manichæorum Electi *tribus signaculis* prædicabantur, *oris, manuum* & *finus. Oris*, quòd nec vinum biberent, nec carnibus vescerentur; *manuum*, quòd ab animantium cæde, stirpiumque laceratione temperarent; *finus*, quòd à nuptiis temperarent. Ex Electis creabant Episcopos, *Qui ordinantur à Magistris; & Presbyteros, qui ordinantur ab Episcopis. Habent etiam Episcopi Diaconos.* Cæteri vocabantur *Electi*, ex quibus & mittebantur qui videbantur idonei ad errorem disseminandum.

Lib. 20. contra Faust. c. 6. — *August. de Hær. c. 46.* — *August. Deuterio Ep. 74.* — *August. de Hær. c. 46.* — *August. de Mor. Man. c. 20.*

Sectæ Manichæorum. Catharistæ.

IX. In plures sectas Manichæismus dividebatur. In *Macarios* scilicet, *Manichæos* specialiter, & *Catharistas.* Omnes autem *hæ tres formæ* ab uno Autore propagabantur, quod Manichæorum unus, nomine *Viator*, negare non potuit. Catharistarum fuit execranda illa superstitio quâ Electi eorum Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere cogebantur. Neque falso rumore infamati sunt: *Carthagini instante Urso Tribuno, qui tunc domui Regiæ præfuit, aliqui adducti sunt, ubi puella illa, nomine Margarita, istam nefariam turpitudinem prodidit. Quæ cùm esset annorum nondum duodecim, propter hoc scelestum mysterium dicebat esse violatam. Tunc Eusebiam quandam Sanctimonialem, id ipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri, cùm primùm illa se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset: quæ inspecta, & quid esset inventa, totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum & commiscendum concumbentium*

August. de Hær. c. 46.

ANNO DOM. 277.

semen farina substernitur, quod Margarita indicante, absens non audierat, similiter indicavit. Nefanda quidem ea superstitio ex Manichæorum principiis necessariò sequitur, ut ex semine humano, divina substantia, quæ captiva detinetur ab Electis id seminis sumentibus in libertatem vindicaretur. Catharistarum quoque simili de causa mos is fuit, quem Cyrillus memorat Hierosolymitanus: *Vereor dicere, ne quam rem caricam intingentes, miseris eam porrigant. Viri quæ in somnis accidere solent, cogitent, & mulieres quæ in menstruis.* Non omnes tamen in hanc se turpitudinem demisere: propria hæc disciplina Catharistarum fuit, ut ex *Viatoris* confessione exploratum est.

Cyrill. Cateth. 6. 62.

Mores Manichæorum. Manichæorum debellatores.

X. Jam didicimus, Manichæis qui Electi nuncupabantur, carnium omnium atque Nuptiarum fuisse abstinentiam. Auditoribus verò atque Electis magnum vini odium fuit: *Vinum non bibunt, dicentes fel esse Principum tenebrarum, cùm vescantur uvis.* Itaque ab Eucharistiæ calice temperabant. Hinc Leonis M. querelæ: *Ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant.* Die Dominicâ jejunabant, superstitionis causa, ut in eodem sermone nos Leo monuit: Manichæi *in honorem Solis ac Lunæ, die Dominico & secundâ feriâ deprehensi sunt jejunare.* Nuptias quidem Auditoribus suis non interdicebant, at non eo fine permittebant, ut liberi procrearentur, à quorum generatione abhorrebant, ut certissimo Augustini testimonio comperimus: *Nonne vos estis, qui nos solebatis monere, ut quantum fieri posset observaremus tempus quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore à concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur.* Magnæ quoque voracitatis erant, quam suus error ipsis imperabat. Cùm enim sacrilegium putarent, quod ex cibis redundabat, vel aliis dare, vel certè abjicere, pueros ad devoranda reliqua crudeli dominatione compellebant: *Ita ut cuidam sit Romæ objectum, quòd miseros parvulos cogendo ad vescendum, tali superstitione necaverit.* Poterant quidem Auditores poma decerpere, herbasque vellere, quod vetitum Electis, animalia verò occidere non poterant. Eleemosynam quod attinet, Baronius ejusmodi sententiæ fuit, quòd Manichæi *execrarentur eos, qui pauperibus eleemosynam darent.* Cui opinioni illustrissimus Purpuratus fidem ex Athanasio quærit: *Pro re hostili habetur apud Manichæos pauperum commiseratio.* Id etiam indicasse videtur Augustinus, disciplinæ Manichææ peritissimus: *Credidi miser, magis esse misericordiam præstandam fructibus terræ, quam hominibus propter quos nascerentur. Si quis enim esuriens peteret, qui Manichæus non esset, quasi capitali supplicio damnanda buccella videretur, si ei daretur.* Hanc tamen Manichæorum disciplinam limitare Baronius debuit. Primùm quidem suæ sectæ hominibus libentissimè eleemosynas erogabant. Aliis verò nil alimentorum largiebantur, sed solam pecuniam, ut ex ipso Augustino colligitur: *Quid hic prius arguam crudelitatem, an vecordiam? Quid enim si eo loco res agatur, ubi venalis cibus inveniri non potest? Homo egens ille famo moriturus est, dum tu, vir sapiens & benignus magis cucumerem, quàm hominem miseraris. Hæc est profectò falsa misericordia, & vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim si nummis illis quos dederis, sibi panem emat?* Cur verò de alimentis eleemosynam aliis præberi hominibus nollent, aperit Augustinus: *Mendicanti homini, qui Manichæus non sit, panem vel aliquid frugum, vel aquam ipsam quæ omnibus vilis est, dari prohibetis, ne membrum Dei, quod his rebus admixtum est, suis peccatis sordidatum, à reditu impediat.* Libenter tamen ipsi à quibusvis, dum fame premebantur, accipiebant alimenta; at execrandam orationem fundebant: *Paululum feris*, inquit ille eroganti, *mane, & tibi benedicam. Tum in manus sumpto pane, ut qui ex iis resipuerunt confessi sunt, Ego, ait, te non feci, dirisque devovet eum qui fecit, & ita vescitur.* Nefariam Manichæorum hæresim primus omnium Archelaus confutavit, de quo Hieronymus: *Archelaus Episcopus Mesopotamiæ, librum disputationis suæ, quam habuit adversum Manichæum exeuntem de Perside, Syro sermone composuit, qui translatus in Græcum habetur à multis. Claruit sub Imperatore Probo.* Neque ab Orthodoxis modò, sed ab Hæreticis etiam debellatum hoc monstrum fuit. Qua de re extat Theodoriti locus silentio non prætereundus: *Adversus Manetis impietatem scripserunt præclari veritatis patroni, Titus & Diodorus, quorum alter fuit Pastor Bostrenorum Ecclesiæ, alter verò rexit Ciliciæ Metropolim. Scripsit etiam Georgius Laodicenus, vir qui fuit quidem fautor hæresis Arianæ, in Philosophicis autem disciplinis eruditus. Præter eos autem Phœnix Eusebius.* Omnium felicissimè errorem debellavit Augustinus, qui Manichæorum cuniculos & latibula rimatus erat. In Libello Synodico extat Concilium Mesopotamicum Archelai: *Synodus divina & sacra particularis, collecta in Mesopotamia ab Archelao Carcharerum Episcopo, & Diodoro Sacerdote, contra Manem infernalem, & Diodoriadem Presbyterum, quæ multis modis confutatos hosce abdicavit.* Concesso ejusmodi Synodum celebratam esse, de qua tamen Veterum nemini suboluit, multum fallitur Synodorum ille collector. De Clero unus *Manes* non fuit, ut abdicaretur. Diodoris pagi nomen erat, cui præerat Triphon optimus Presbyter, quem locum in hominem mutat libellus. Neque in notioribus Manetis discipulis apparet extare *Diodorias Presbyter.*

Leo Serm. 4. de Quadrag.

Aug. de Mor. Man. c. 18.

Aug. de Mor. Man. c. 16.

Bar. An. 277. n. 29.

Error Baronii.

Ath. Ep. ad Solit.

Aug. Conf. l. 3. c. 10.

Aug. de Mor. Man. c. 15.

Aug. de Mor. Man. c. 15.

Cyr. Cat. 6. 61.

Lab. Conc. t. 1. 923.

ANNO U. C. 1031. PER. JUL. 4990. JUL. 323. DOM. 278. PROBI 3. *Sol.* 7. F. *Lun.* 13. *Indict.* 11. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 2. *P.* 31. *Mart.*

ANNO DOM. 278.

COSS. Probus Augustus II. & Furius Lupus.

Virius Lupus Præfectus Urbis.

I. Huic anno, *Tacitum & Æmilianum* præponere Consules Baronio placuit, qui annum CCLXXVI. aperuerant, quo etiam Tacitus morte præventus est. Neque unus is est error Annalium, qui Probi & Lupi Consulatum penitùs extinxere ea de causa: *Quòd Probus & Lupus nunquam inter Coss ordinarios sunt recensendi.* Baronio tamen errorem evellunt Fasti Idacii, Theonis, Heraclii, nec non Libellus de Præfectis Urbi, qui omnes Probum exhibent atque Lupum, qui tamen silentio Coss. suffectos prætereunt. Sed & in Cod. L. 2. Tit. 17. Probi Lex est *Octavio* missa, quæ data 4. Kal. Julii, Probo Aug. II. & Lupo Coss. ut observatum doctissimo Norisio. Hoc Consulatu expuncto, pereat & necesse est annus quem consignarit.

De hujus anni Coss.

Bar. An. 279. n. 1.

II. Probi ad classica ubique locorum agilis venit lætaque victoria. Restitutis mirâ felicitate Gal-

Probi victoriæ.

ANNO DOM. 278.

Galliis, post hæc Illyricum petit. Et prius quàm veniret, Rhetias sic pacatas reliquit, ut illic ne suspicionem quidem ullius terroris relinqueret. In Illyrico Sarmatas, cæterasque Gentes ita contudit, ut propè sine bello cuncta reciperet, quæ illi diripuerant. Tetendit deinde per Thracias, atque omnes Geticos, famâ rerum territos, & antiqui nominis potentiâ pressos, aut in deditionem, aut in amicitiam recepit.

Vop. Prob. c. 16.

Porphyrius: ejus patria, & vita. Baronii ea de re errores.

III. Cùm in hoc anno sit magna rerum penuria, de Porphyrio insigni Platonico, Plotinique discipulo, nonnulla nostros in Annales referri placuit. De Porphyrii patria hæc est sententia Baronii: *Eum constat natione Judæum, Batanæa, quæ est in Judæa civitas, natum.* Neque negamus Hieronymum fuisse opinionis ejusmodi: *Quod nequaquam intelligens Bataneotes, & sceleratus ille Porphyrius, in primo Operis sui adversum nos libro, Petrum à Paulo objicit esse reprehensum.* Errantem tamen Hieronymum sequi Baronio non licuit. *Tyrium* fuisse Porphyrium, vincit egregius ille locus, qui in Proœmio libri de Fine adversus Plotinum, & Gentilianum Amelium etiamnum legitur: *Ad hæc communem nostrum omnium amicum, Regem illum Tyrium, qui & ipse non pauca ad exemplum imitationemque Plotini commentatus est.* Jocando Porphyrium *Tyrium Regem* vocat Longinus, allusione factâ ad nomen ejus. Porphyrio enim nomen erat Malchus, מלך autem *Regem* significat, quod non latuit Eunapium: *Cæterùm Porphyrius fuit primo appellatus nomine Malchus, quod Syrorum linguâ Regem sonat. Unde datâ Longino occasione, à regiis in veste insignibus Porphyrium quasi purpureum nominavit.* Itaque Eunapius & Suidas indubitanter tradunt, Tyrium fuisse Porphyrium: *Porphyrio igitur patria fuit Tyrus, priscorum Phœnicum primaria civitas, majores non obscuri.* Id ipsum de se Porphyrius profitetur in vita Plotini: *Habuit prætereà me Porphyrium, patriâ Tyrium, inter amicissimos numeratum, quem instituit sua scripta corrigere.* Neque ulla Porphyrio causa, aut ejurandi Batanæam civitatem, quam patriam habuisse dicunt Hieronymus atque Chrysostomus Hom. VI. in Corinth. aut tam apertè mentiendi. Falso igitur rumore de Porphyrii patria deceptos fuisse Chrysostomum atque Hieronymum, credere cogimur, quem ideò *Bataneotem* dixere cùm *Tyrius* vocari debuisset. Christianum olim egisse, scriptum reliquit Socrates: *Cùm apud Cæsaream Palæstinæ à quibusdam Christianis verberatus fuisset, iram comprimere non valens, præ nimio furore Christianam Religionem deseruit.* Hoc verò dissimulatum aut ignoratum Eunapio. A Longino prima Porphyrius eruditionis rudimenta habuit. Deinde Romam venit decimo Gallieni anno, Christi CCLXII. cùm Decennalia celebrabantur, quod & ipse testatur: *Decimo Gallieni Imp. anno, ego Porphyrius è Græcia unà cum Antonio Rhodio Romam veniens, Amelium reperi, octo & decem jam annos Plotino familiariter usum.* Annum eo tempore trigesimum impleverat. Romam ubi primùm venit, valere jussis cæteris, in Plotini consuetudinem se insinuavit. Tandem cùm animum scientiâ, citra tamen satietatem explevisset, excellentis doctrinæ magnitudine victus, corporis naturæque humanæ odio, trajecit Siculum fretum. Inde cùm Lilybæum contendisset, jacuit animi deliquio & mediâ propè confectus, neque tamen cibum, neque hominum accessum admittens. At Plotinus qui juvenem profugum inquirebat, decumbenti supervenit, ac dicendi arte evolaturam jam corpore animam à mortis limine revocavit. Romam reversus, intermptum studiorum cursum prosecutus, sæpè in publicum prodiit, ut doctrinæ specimen exhiberet. Relictâ Româ, Siciliam repetit, ubi diu commoratus, strinxit in Christianos calamum. Testis Eusebius: *Porphyrius, qui nostrâ propemodum memoriâ in Sicilia degens, contra fidem nostram libros conscripsit.* Et in Epistola sua, cujus etiamnum fragmentum extat, ex ea, uti videtur, Insula in Orientem migret, hortatur Longinus, ut fruatur aëris clementiâ restituendo in integrum malè affecto corpusculo perquam idoneâ. In libro adversus Christianos edito, præ rationum inopiâ, ad convitia conversus, interpretes ipsos criminatur. Sparsas passim in Hieronymo calumnias deprehendere facile est. Christianorum miracula Dæmonum *præstigias* vocat, tom. 2. p. 160. Christum inconstantiæ arguit: Petrum de morte Ananiæ reprehendit: denique ex intimis præcordiis rabiem in Christum exhalat. Mentitur etiam, cùm Origenem Gentilem fuisse, Ammonium verò Saccam à Numinis cultu ad Ethnicam se disciplinam contulisse tradit. Quam ob calumniam pœnas dedit Eusebio. Porro connubium Porphyrius contraxisse videtur: *Fertur enim liber ad Marcellam conjugem, quam in matrimonium duxisse prædicat quinæ sobolis matrem, non suscipiendæ ex ea prolis gratiâ, sed ut eos erudiret, quos ex amico suo uxorem peperisse noverat. Videtur extremam senectutem attigisse: Romæ vitam cum morte commutasse dicitur.* Ad usque Diocletianum Imperatorem vitam produxisse Suidas prodidit. Porphyrius Philosophorum Princeps omnium scribitur Augustino: *Doctissimus*, inquit, *Philosophorum, quamvis Christianorum acerrimus inimicus.* Nil tamen sancto Patri rationis fuit, cur duos existimarit fuisse Porphyrios, alterum inimicum Christianorum, alterum *Siculum*. De Porphyrio enim, cujus quæstiones solvendas Ethnicus amicus ejus ipsi proposuerat, hoc habet: *Sed non eum esse arbitror Porphyrium, Siculum illum, cujus celeberrima est fama.* Multos edidit libros, quorum Catalogum Suidas exhibuit; eorum pars maxima desideratur. Prima in commendatione fuerunt libri quatuor de Abstinentia. De Porphyrio multi sunt errores Baronianis in Annalibus, quos jam notavit eruditissimus Lucas Holstenius: 1°. *Decem & octo annos Romæ Plotini auditorem* Porphyrium fuisse dicit. Quod nullo vestigio in Porphyrio reperitur. Quod *Amelio* contigit, Porphyrio illustrissimus Purpuratus perperam tribuit. 2°. In Antistite Philosophiæ, qui *dum justus Populus lacerabatur*, Diocleriano furente, *tres libros evomuit contra Religionem nomenque Christianum*, de quo mentio est apud Lactantium l. v. c. 2. In Porphyrio Baronius quærit: *Nullus alius*, verba sunt Baronii, *quem opinari possumus, occurrit, nisi Porphyrius.* Quam conjecturam vanam esse, jam nos monuit Eusebius, qui libros à Porphyrio adversus Religionem Christianam editos non in Bithynia, sed in Sicilia conscriptos esse tradit, quod etiam habet Hieronymus in Eusebio: Libri *contra Porphyrium, qui eodem tempore scribebat in Sicilia.* Lactantius iis certè Philosophiæ Antistitem coloribus pingit, qui Porphyrium dedecent: Antistes ille *ita vitiosus, ut continentiæ Magister non minus avaritiâ quàm libidinibus arderet, & qui pejus in palatio cœnaret, quàm domi.* Quæ vitia à vita Porphyrii fuerunt alienissima. Ex numero quidem libro-

Marginal notes: *Bar. An. 302. n. 52.* — *Hier. Præf. in Galat.* — *Long. Fragm. 249.* — *Socrat. l. 3. c. 23.* — ANNO DOM. 278. — *Eunap. Porph. Vit.* — *Euseb. l. 6. c. 19.* — *Eunap. Vit. Porph.* — *Aug. de Civit. l. 19. c. 22.* — *Aug. l. 2. Retract. c. 31.* — *Bar. An. 302. n. 54.* — *Bar. An. 302. n. 51.* — *Lact. l. v. c. 2.*

Anno Dom. 278.

librorum in Christianos à Porphyrio editorum, ab errore suo revocari Baronius debuit. Eos enim quindecim numero fuisse, testes sunt & Hieronymus, & Suidas. At Philosophiæ Antistes, in quem Lactantius invehitur, *tres solummodò libros evomuerat*. 3°. Decipitur quoque Baronius, cùm imperante Constantino Porphyrium vitâ excessisse tradit. Ad fata venit sub Diocletiano, ut ex Suida jam audivimus. 4°. Fallitur & illustrissimus Purpuratus scribendo, libris xv. Porphyrius *adjecisset & alios, nisi Constantinus eum exterruisset, à quo in exilium pulsus est*. Somnia hæc sunt indigna Baronio, cui errorem eripit Eunapius. In urbe Romana, stratum morte Porphyrium fama fuit, quæ ne fingi quidem potuisset, si Porphyrio exilium Constantinus imperasset. Paucis Baronii de Porphyrio peccata castigat Marianus Victorius in Indice Operum Hieronymi: *Porphyrius acerrimus Christianorum hostis è Tyro Phœnices, & Jamblichi Platonici Præceptor fuit, Ameliique discipulus. Vixit sub Aureliano Imp. usque ad Diocletianum.* Porphyrium, qui libris xv. Religioni Dei insurrexerat, confutarunt Eusebius Cæsariensis: Methodius Tyriensis, *qui nitidi compositique sermonis adversum Porphyrium confecit libros*. Apollinarius Laodicenus Syriæ Episcopus, cujus *extant adversum Porphyrium* xxx. *libri, qui inter cætera Opera ejus vel maximè probantur.*

Bar. An. 302. n. 56.

Hieron. de Vir. illustr.

Anno Dom. 279.

Anno U. C. 1032. Per. Jul. 4992. Jul. 324. Dom. 279. Probi 4. *Sol.* 8. E. *Lun.* 14. *Indict.* 12. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *April.*

Coss. M. Aurelius Probus Augustus iii. & Ovinius Paternus.

Virius Lupus Præfectus Urbis.

De hujus anni Coss.

I. Fastos adhùc turbat Baronius, pulsis germanis hujus anni Coss. ut Probi Paternique in vicem, *Tacitum* Augustum substituat, atque *Æmilianum*. Atqui biennio antè Tacitus mortem obierat. Chronologiæ verò nostræ præsidio sunt Fasti, & Idacii, & Theonis, & Heraclii, nec non Libellus de P. U. ut de Probi Paternique Consulatu non sit amplius dubitandum.

Palfurii & Lydii latronum interitus.

II. Getis in deditionem, vel amicitiam receptis, Probus Isauriam petit, quam potentissimo latrone *Palfurio*, capto & interfecto liberavit. Alium & latronem molestissimum Isauria patiebatur, nomine *Lydium*, qui consueto latrocinio innutritus, agmine sibi comparato, totam Pamphyliam Lyciamque invadebat. Cùm autem Romanorum exercitui viribus impar esset, *Cremnam* Lyciæ oppidum adiit situm in loco prærupto, profundissimisque fossis munito. Ubi Romanos obsidionis moram fortiter ferre vidit, ædificiis dirutis, solum arabile reddidit, & frumentum serens, obsessis victum paravit. Quidquid inutile urbis defensioni fuit, mares & fœminas dimisit. Ejectos in oppidum reverti cùm Romani coëgissent, in valles oppidum ambientes Lydius præcipites dedit. Ducto etiam ex urbe meatu, qui ultra hostium castra porrigebatur, quosdam emittebat, qui pecora, cæteraque alimenta raperent. Atque hinc alimentorum satis obsessis sufficiebat, donec mulieris cujusdam indicio id Romanis nosceretur. Verùm ne sic quidem animum despondit Lydius, qui vini, frumentique suis solito minus distribuit. Deficientibus alimentis eò redactus est, ut omnes quotquot erant in opido perderet, exceptis idoneis sibi viris, qui ad oppidi præsidium sufficerent. Retinuit & mulieres nonnullas, quas ad usum naturæ necessarium communes omnibus esse jussit. Tandem cùm adversus quodvis periculum dimicare constituisset, crudelitate suâ mortem invenit. Erat cum eo quidam, qui & machinas conficere, & machinis tela apte conjicere poterat, ut nunquam à scopo aberraret. Huic cùm imperasset, ut misso telo Romanorum unum occideret, vel casu, vel datâ operâ hostem non ferit. Veste nudatum flagris miserè cædit Lydius, mortem prætereà minatus. Ille minis territus, oblatâ occasione usus semet ex oppido subducit. Romanis pollicetur se Lydium per fenestram quidquid in castris gereretur, more suo prospectantem, telo se petiturum. Constitutâ machinâ, nonnullisque collatis ante se, per quos absconderetur, ne ab hostibus conspici posset, *Lydium* per foramen prospectantem intuitus, emisso telo, vulnere letali percutit. Ille cùm post acceptum vulnus, in quosdam ex suis crudeliter sævisset, ac jurejurando superstites obstrinxisset obsidioni nullo modo cessuros, vix tandem animam reddidit. Tum obsessi se Romanis dederunt, atque hunc finem latronum illud agmen habuit. Isaurorum loca vel per terrorem, vel per voluntatem ingressus, cùm Probus peragrasset, dixit: *Facilius est ab istis locis latrones arceri, quàm tolli.* Veteranis omnia illa loca, quæ angustè adeuntur, donavit, addens, ut eorum filii ab anno xviii. ad militiam mitterentur, ne latrocinari condiscerent.

Zozim. l. 1. c. 70.

Vop. Prob. c. 16.

Blemmyes à Probo victi. Legatio Persarum ad Probum.

III. Pacatis omnibus Pamphyliæ partibus, cæterarumque Provinciarum quæ sunt Isauriæ vicinæ, ad Orientem iter flexit. Ptolemais in Thebaide sita defecerat, sediriosis auxilio erant Blemmyes, populi Ægypti Æthiopiæque in limitibus siti, quos Probus Ducum suorum operâ ad deditionem compulit. Ex Blemmyiis captivos Romam misit, qui mirabilem sui visum stupente Pop. præbuerunt. *Copton* prætereà & *Ptolomaidem*, ereptas Barbarico jugo urbes, Romano juri reddidit. Tot victoriis Persæ territi, ad Probum de pace Legatos cum muneribus mittunt. Quibus repudiatis, sic scripsisse Narseo perhibetur: *Miror te de omnibus quæ nostra futura sunt, tam pauca misisse. Habeto interim omnia illa quibus gaudes, quæ si nos habere cupiamus, scimus quemadmodum possidere debeamus.* Ad eam fortè legationem pertinet, quæ de *Carino* Synesius habet, qui errore memoriâ Principi omnium contaminatissimo tribuit, quæ fortissimi Imperatoris Probi fuere. Conjectura Petavii hæc est, quæ sit nobis vero proxima. Synesii ergo verba repræsentabimus, mutato in *Probum* Carino. Cœnanti Principi adfuere Persarum Legati: *Purpurea veste humi per herbam jacebat. Cibus erat pridianum ex pisis elixu pulmentum, inque his frusta quadam, & inveterata porcinarum carnium salsamenta. Eos ergo cùm vidisset, neque surrexisse, neque quidquam mutasse fertur, sed e vestigio vocatis dixisse, Se quidem illos scire ad sese venire, se enim Carinum* (Probum) *esse, juvenique Regi, ut eâdem die renunciarent jubere, ut saperet, omnem ipsorum saltum, campumque omnem intra lunare spatium Carini* (Probi) *capite fore nudiorem, simulque dicentem, detracto pileo caput ostendisse, nihil galeâ adstante villosius. Ac si quidem esurirent, ut manum unà in ollam immitterent permissurum, sin minus, jubere se eâdem*

Zoz. l. 1. c. 71.

Vop. Prob. c. 17.

Synes. de Reg. p. 18.

horâ

horâ discedere, & quasi jam finito legationis tempore extra Romanam vallam esse. Factâ cum Persis pace, Probus ad Thracias redit, & centum millia Bastarnarum in solo Rom. constituit, qui omnes fidem servaverant.

Vop. Prob. c. 18.

ANNO U.C. 1033. PER. JUL. 4993. JUL. 325. DOM. 280. PROBI 5. *Sol.* 9. D.C. *Lun.* 15. *Indict.* 13. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 4. 5. *P.* 4. *April.*

COSS. Messala & Gratus.

Virius Lupus Præfectus Urbis.

Baronius Dionysianam Epocham assequitur.

I. TAndem gratulandum Baronio, quòd post depravatos diu Fastos in viam redierit ad Epocham Christianam, quam biennio in Annalibus anteverterat. Cùm enim sibi in mentem induxisset, Christum Calendis Januarii anno U. C. 752. Augusto XIII. & Plautiano Coss. circumcisum fuisse, eâque ipsâ Epochâ usum esse Dionysium, in biennii prochronismum non incidere non potuit. Anno CCLI. triennio ab Æra communi recesserat, invecto suos in Annales ordinario Decii tertio Consulatu, Gratique secundo, qui nullo loco fuit. Qua de causa, ut veram Dionysii Epocham assequeretur, tres illustrissimo Purpurato Consulatus extingui debuere. Consulatus scilicet *Æmiliani & Bassi* anno CCLIX. Consulatus *Secularis* II. *& Donati* anno CCLX. Consulatus *Probi* II. *& Lupi* anno CCLXXVIII. gestus. At si Dionysianam tandem Æram adeptus, non ideò ab aliis Epochis gratiam iniit, quas miserè mutilavit ob oppressos Consulatus. Neque Onuphrio, Petavio, Cointio, tam felicibus esse licuit, ut Fastos, quod sibi proposuerant, erroribus emendarent. Destinabatur hæc laus clarissimo Norisio, nec non doctissimo Pagio, qui confusam perturbatamque illorum temporum Chronologiam restituerunt, redditis annis suis germanis Consulatibus, ut nisi spontè nemo nunc errore decipiatur.

Gepidæ à Probo victi.

II. Ex Gepidis & Vandalis in solum Rom. complures Probus transtulerat. At quod Jasonem fecisse fabula memorat, à Probo reverà perpetratum fuisse deprehensum est. Serpentinos dentes sevit, qui in armatos milites mutati, satori perniciem minati sunt. Illi enim omnes fidem fregerunt, & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum penè orbem pedibus, & navibus vagati sunt, nec parum molestiæ Romanæ gloriæ intulerunt, quos quidem ille diversis vicibus, variisque victoriis oppressit, paucis cum gloria domum redeuntibus, quòd Probi evasissent manus.

Vop. Prob. c. 13.

Saturnini tyranni vita & obitus.

III. De Barbaris Probi victoriæ seditiones interpellarunt, ut de prostratis tyrannis magna Probo gloriæ seges nasceretur. In Oriente Saturninus arripit imperium. Ex *inquietissima* Gallorum gente oriebatur. Rhetoricæ operam dederat, Romæque frequentaverat *pergulas Magistrales.* Duces imperii Rom. eminebat eumque Aurelianus limiti Orientali præposuerat, sapienter præcipiens, ne unquam Ægyptum videret, ne si perturbidam Alexandrinam civitatem ingrederetur, à populo rerum novarum cupido, ad usurpandam tyrannidem inflammaretur. Imperante Probo, ut primùm Ægyptii Saturninum ad se venisse vident, statim acclamaverunt: *Saturnine Auguste, Dii te servent.* Auditis clamoribus, de Alexandrina civitate mox fugiens, in Palæstinam rediit. Ubi tamen cogitare cœpit, tutum sibi non esse, si privatus viveret, arreptâ ex simulachro Veneris purpurâ, *cycladeque uxoriâ*; hoc est, preciosissimâ veste muliebri auro textâ, militibus circumstantibus amictus adoratur. Obortis tamen lachrymis, dixit: *Necessarium Resp. virum perdidit. Ego certè instauravi Gallias, ego à Mauris possessam Africam reddidi, ego Hispanias pacavi. Sed quid prodest? Omnia hæc affectato semel honore perierunt.* Induentibus se purpurâ hæc quoque locutus: *Quòd Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.* Ad eum Probus frequentes literas misit, veniam pollicitus, sed milites qui ipsi favebant, non credidere. Obsessus in castro ab iis quos Probus miserat, invito Probo jugulatur. Locum in quo mortem Saturninus invenit, ab oblivione vindicat Eusebii Chronicum: *Saturninus Magister exercitus novam civitatem Antiochia exorsus est condere, qui posteà imperium molitus invadere, Apamea occiditur.* Nova hæc Antiochia Antiochenæ civitatis nova accessio est, cui novæ urbis nomen impositum. Quos Probi nummos affert Scaliger, non ad nostrum spectare Saturninum existimamus: *Imp. Caj. Pub. Saturninus Pius, An.* IV. Duos Saturninos accuratè distinxit Vopiscus: *Errare quosdam scio, & putare hunc esse Saturninum, qui Gallieni temporibus imperium occupavit, cum hic longè alius fuerit, & penè Probo nolente sit occisus.* Non sanè quadriennio imperare potuit ille Saturninus, qui regnante Probo tyrannidem occupavit, utpote qui non multò pòst sub initia seditionis fuerit extinctus. Ad Gallieni Saturninum nummi potius referri debent.

Vopisc. Saturn.

Proculi rebellio, vita, mors.

IV. Alium quoque tyrannum Gallia promovit ad imperium, nomine *Proculum*, cui patria *Albigaunum.* Domi nobilis, sed majoribus latrocinantibus, atque adeò pecore & servis dives. Vir erat fortissimus, & qui legionibus multis Tribunus præfuerat. Stultissimæ sese gloriæ commendavit, scribens Metiano affini suo: *Centum ex Sarmatia virgines cepi. Ex his unâ nocte decem inivi, omnes tamen quod in me erat, intra dies* XV, *mulieres reddidi.* Quasi inter viros illustres haberetur, densatorum flagitiorum causâ. Proculo uxor erat *Viturgia*, quæ imperii cupiditatem viro injecit suo. Mutato deinde nomine, *Sampso* appellata est. Hortantibus & Lugdunensibus, *qui Probum vehementissimè pertimescebant*, ad imperium vocatur, ludo penè & joco. In quodam convivio latrunculis ludebatur, ipseque cùm decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, *Ave*, inquit, *Auguste*, allatamque lanam purpuream humeris ejus injecit, eumque adoravit. Timor inde sociorum, atque inde jam exercitus tentatio, & imperii, quod Agrippinæ sumpsit. Quo tempore duo millia servorum armasse ferunt. Nonnihil imperio profuit, cùm *latrocinandi pugnans modo*, non sine gloriæ splendore Alamannos contriverit. Germani quos ad auxilium rogaverat, Probo potius servire maluerunt, quàm cum Proculo esse. Hunc ad ultimos Galliarum fines fugatum, & cupientem in auxilium Francorum venire, à quibus originem se trahere jactabat, ipsis prodentibus Francis, *quibus familiare est ridendo fidem frangere*, vicit Probus & interemit. Filium habuit *Herennianum*, quem si quinquennium implesset, dicasset imperio. Posteris ejus, qui apud Albingaunos agebant, dicere solitum: *Sibi non placere esse Principes, vel latrones.*

Vop. Prob. c. 18.

Vop. Prob.

ANNO DOM. 280.

Bonosi seditio; vita; mors.

V. Proculo Bonosum seditio conjunxit, Domo Hispaniensi ortus, origine Britannus erat, sed matre Gallâ editus. Pædagogi literarii filius parvulus patrem amisit. Educatus à matre, literatum nil didicit. Ad militiam cùm se convertisset, *duxit ordines*; *Tribunatus egit*; *Dux limitis Rhetici fuit*. Ab fortitudinis causâ diu in honore ab Aureliano habitus est. *Hunilam*, de Gothorum gente nobilem fœminam, & singularis exempli, Bonoso conjunxerat Aurelianus, ut Gothorum sciret arcana. Quantum libet enim bibisset, semper securus erat & sobrius, & in vino prudentior. Barbarorum Legatis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret. De illo sæpius dixit Aurelianus: *Non ut vivat natus est, sed ut bibat*. Germani cùm lusorias naves incendissent, timore pœnæ Bonosus sumit imperium. Longo gravique certamine superatus, laqueo vitam finivit. Hinc jocus: *Amphoram pendere, non hominem*. Filios duos reliquit, quibus Probus pepercit. Uxorem quoque in honore habuit, salario præstito.

Vop. Bon.

Britanniæ seditio.

VI. In Britannia fuit & aliquid seditionis. Victorini Mauri suasu Probus non neminem huic insulæ præfecerat, qui tyrannidem arripuit. Accersitum ad se Victorinum, de consilio dato Probus reprehendit, delictumque illud correcturum in Britanniam ablegat. Victorinus statim profectus, solerti commento perduellum interficit.

Zoz. l. 1. c. 66.

Francorum audacia: Gladiatorum seditio.

VII. A Probo *Franci* sedes obtinuerant, eâ conditione, ut secundum leges & instituta Romanorum perpetuò viverent. Sed varium & mutabile Barbarorum ingenium violato fœdere defectionem molitur. Ingentem igitur navium nacti copiam. Græciam totam turbant, in Siciliam quoque delati, magnam Syracusis stragem edunt. Tandem cùm in Africam appulissent, copiis Carthagine adductis rejecti, nihilominùs domum absque detrimento rediere. Tanti facinoris memoriam celebravit & Panegyricus dictus Maximiano: *Recursabat quippe in animo, illa sub D. Probo, & paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas* &c. Vi gladiatorum aliquid mali illatum urbi. Gladiatores numero circiter octoginta factâ conspiratione, custodibus interemptis in urbem progressi, quidquid offertur diripiunt. Ac multi sese prædonibus adjungunt, quos missis copiis Probus excidit.

Zoz. l. 1. c. 71.

Vites institui Probus permittit.

VIII. Domitianus ad summam quandam ubertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva edixerat, ne quis in Italia novellaret, utque in Provinciis vineta succiderentur, relictâ ubi plurimum dimidiâ parte. Quin etiam, si Philostrato credimus, *Iones* ad Imperatorem pro viribus Legatos miserant, à quo ulterius plantare prohibiti fuerant. Cùm igitur promiscui juris non esset vites instituere, veniam à Probo Provinciales impetrarunt serendi vites: *Gallis omnibus, Hispanis ac Britannis permisit, ut vites haberent, vinumque conficerent. Ipse Almam montem in Illyrico, circa Sirmium militari manu fossum lectâ vite consevit.* Anno superiore Gallis & Pannoniis hanc facultatem concessam esse, tradit Eusebii Chronicum, qua de re cum nullo litigabimus.

Suet. l. 8. c. 7.

Philostr. l. 6. c. 17.

Vop. Prob. c. 18.

ANNO U. C. 1034. OLYMP. 265. PER. JUL. 4994. JUL. 326. DOM. 281. PROBI 6. *Sol.* 10. B. *Lun.* 16 *Indict.* 14. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

ANNO DOM. 281.

COSS. M. Aurelius Probus Augustus IV. & C. Junius Tiberianus.

Ovinius Paternus Præfectus Urbis.

Probi triumphus.

Vop. Prob. c. 19.

I. DE Blemmyis Germanisque devictis gloriosum Probus triumphum egit: *Arbores validæ per milites radicitùs vulsæ, connexis longè latèque trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusque circus ad sylvæ consitus speciem gratia novi viroris effrondnit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ, & cætera herbatica animalia. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit. Addidit aliâ die in Amphitheatro unâ missione centum jubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitavant. . . Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci, centum leænæ, & ursi simul trecenti. Edita gladiatorum paria trecenta, Blemmyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisque Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris.* Anno CCLXXXIII. triumphum ductum esse, creditum Baronio. Quod si est, mortuus ergo Probus triumphavit, utpote qui anno CCLXXXII percussorum manu mortem invenit. Triumphum in annum Probi emortualem contulit Pagius, ob quintum Principis hujus Consulatum, quem ea de causa gestum esse contendit. Cui quidem rationi Hypothicarum regularum parens nervos ipse concidit. Quartam enim regulam suam ex *expeditionibus, aut victoriis reportatis* conflavit. Quidni ergo quintum Probus Consulatum inierit ob *expeditionem Persicam*, quam anno CCLXXXII. parasse certum est? Cùm igitur debellatis hostibus Romæ Probus ageret anno currente, nil causæ fuit, cur ab illo triumphum evelleremus.

ANNO U. C. 1035. PER. JUL. 4995. JUL. 327. DOM. 282. CARI I. *Sol.* II. A. *Lun.* 17. *Indict.* 15. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 7. P. 16. *April.*

ANNO DOM. 282.

COSS. Aurelius Probus Augustus v. & Pomponius Victorinus.

Pomponius Victorinus Præfectus Urbis.

Mors Probi.

I. PErsis gloriæ Romanæ infensissimis bellum parabat Probus, quo tempore dictum gravissimum excidit ore. Si unquam eveniat salutare Reip. *brevi, milites, necessarios non habebimus.* Quod ad iram milites provocavit. Ipsi quoque indignabantur, quòd nunquam otiosos esse patiebatur. Ut ad Sirmium venit: *Ac solum patrium effœcundari cuperet, & dilatari, ad siccandam quandam paludem, multa simul millia militum posuit. Permoti milites, confugientem eum in turrem ferratam, quam ipse speculæ causâ editissimam exædificaverat, interemerunt. Postea tamen ingens ei sepulchrum elatis aggeribus omnes pariter milites fecerunt, cum titulo hujusmodi inciso marmori: Hic Probus Imperator, & verè probus situs est, Victor omnium Gentium Barbararum, Victor etiam Tyrannorum.* Periit imperii anno septimo labente, Augusto mense. Defunctum Imperatores R. consecrandum vultibus, ornandum Templis, celebran-

Vop. Prob. c. 21.

ANNO DOM. 282.

lebrandum ludis Circensibus judicarunt. Fuit Princeps verè nominis sui. Neque enim hoc homine probior, neque in omnibus officiis sive belli, sive pacis retinendis, diligentior esse quisquam potuit. Posteri ejus, vel metu, vel odio invidiæ Româ excesserant, & in Italia circa Veronam, ac Benacum larem collocarunt.

Carini nomina, patria.

II. Romanis rebus fatalis optimi Principis Probi obitus in eam desperationem votum publicum redegerat, ut timerent omnes Domitianos, Vitellios & Nerones. Ab ejusmodi monstris quàm longissimè abfuit Probi successor, etsi decessoris virtutibus longissimè subsideret: *Vir inter bonos magis, quàm inter malos Principes collocandus.* Cari nomina multa erant. Epistolâ quam Ciliciæ Proconsulem agens *Junio* Legato scripsit, semetipsum hisce nominibus donat: *Carus, Manlius, Aurelianus.* Secutus Epistolam Baronius ea nomina imposuit Caro. Constat tamen scribendum, *Marcus Aurelius Carus*, ut passim in saxis nominatur. Cari patria est in ambiguo. Alii Pœnis, alii Illyricianis parentibus ortum scripsere. Verisimilior nobis est narratio Eutropii, qui *Narbona* in Gallia *Carum natum* esse prodidit. Quâ ratione majoribus quoque Rom. editus esse poterit, quam sibi originem palam asserit in

Plin. l. 4. c. 4.

Epistola sua ad Junium: *Fac igitur ut majoribus nostris, id est, Romanis, non discrepemus viris.* Erat *Narbo Martius Decumanorum colonia.* Urbs antiquitate clara, & prima omnium Europæ Romana colonia, quam *Decumanorum* Plinius nuncupat, quòd decimæ legionis milites in eam deducti sint, observante Magino. Narbonam Cari natalibus nobilem fuisse, Sidonius canit Apollinaris carmine XXIII.

Quid quod Cæsaribus ferax creandis,
Felix prole virum simul dedisti
Natos cum genitore principantes.

Carum scilicet, & filios ejus, *Carinum*, atque *Numerianum.* Falsi quidem Autores putat Scaliger, qui Carum Narbonensem è Gallia fuisse

Scalig. Animadv. in Euseb. p. 241.

dixerunt: *Cùm tamen esset Narbonensis quidem, sed ex Illyrico. Apud Ptolomæum Narbona colonia insignis.* Verùm enimverò jam observatum Salmasio, corruptum esse Ptolomæum, qui ex Pli-

Plin. l. 3. c. 22.

nio emendari debuit: *Narona colonia tertii conventus, apposita cognominis sui fluvio.* Quin etiam ipse Plinius videtur emendandus, & loco *Narona*, legendum *Naro*, ut nomine cum fluvio con-

Mela l. 2. c. 3.

veniat. Est enim ibi *Naro* fluvius: *Amnes autem Aas & Naro.* Narone tamen, non *Naro* civitas Melæ vocatur. Quoquomodo verò scribatur hujus urbis nomen sive *Naro*, sive *Narona*, nulla certè *Narbona* in Illyrico, ut ex ea civitate Carus *Illyricus Narbonensis* dicatur. Per civiles & militares gradus Carus eò provectus est, ut Probi Præfectus Prætorio esset, à quo etiam Senatui commendatus est: *Felix esset nostra Resp. si qualis Carus est, aut plerique vestrum, plures haberet in Actibus collocatos. Quare equestrem statuam viro, morum veterum, si vobis placet, decernendum censeo, addito eo, ut publico sumptu, vel eidem ædificetur domus marmoribus à me delatis.* Tantâ verò benevolentiâ milites sibi Carus conjunxerat, ut mortuo Probo solus dignus videretur imperio.

Vop. Car. c. 6.

Anni Cari.

III. Breve Cari imperium fuit. Mense circiter Augusto, anno CCLXXXII. Imperator creatur à militibus: vitam verò retinuisse videtur ad usque Decembrem anni CCLXXXIII. quo ictu fulminis naturæ satisfecit. Extat in Codice l. V. Tit. 71. Lege 7. Lex missa *Isidoro*, quæ *data est* VI. *Idibus Decembris, Caro & Carino A. A. Coss.* Januarii verò XII. anni CCLXXXIV. non amplius erat inter homines. Documento est Lex tertia, de revocandis Donationibus Cod. l. VIII. Tit. 56. data nomine *Imperatorum Carini & Numeriani*, omisso Caro. *P. P. 2. Id. Januarii Carino* II. *& Numeriano A. A. Coss.* ut eruditis observatum. Itaque Carus menses circiter sexdecim imperium tenuit. Non *annos duos*, ut habet secundum Eutropium, Eusebii Chronicum, nisi incompleti intelligantur. Cùm primùm Imperator creatus est, Senatui scripsit:

Vop. Car. c. 6.

Gaudendum est, P. C. quòd unus ex vestro ordine, vestri etiam generis Imperator est factus, quare annitemur ne meliores peregrini, quàm vestri esse videantur. Primo quoque curæ fuit: *Ut Probi mortem & acerrimè, & constantissimè vindicaret.* Carinum quoque & Numerianum Cæsares creavit, consensuque militum omnium bellum Persicum, quod Probus parabat, aggreditur.

ANNO U. C. 1036. PER. JUL. 4996. JUL. 328. DOM. 283. CARI 2. *Sol.* 12. G. *Lun.* 18. *Indict.* 1. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 1. P. 1. *Apr.* — ANNO DOM. 283.

COSS. M. Aurelius Carus Augustus II. & Carinus Cæsar.

Titurius Roburrus Præfectus Urbis.

Nùm Cari Consulatus, Collegâ Carino, primus fuerit?

Error Baronii.

I. ANtequam rerum potiretur, jam suffectum Carus Consulatum gesserat, itaque nota est numeralis ordinario Cari Consulatui affigenda, cujus omissio Baronio errandi ansam præbuit. Cùm enim inscriptionem invenisset, quæ secundum Cari Consulatum memorat, sibi in mentem induxit, Carum annum CCLXXXIV. aperuisse, Probumque anno 283. morti missum. Quæ tamen inscriptio in præsentem annum conferri debuit. Lapis Tarraconensis hæc habet:

Victoriosissimo	*Fortissimo atque*	*Victoriosissimo*
Principi juvent.	*Clementissimo*	*Principi juvent.*
M. Aurelio Carino	*Imper. Cæs. M. Aurelio*	*M. Aurel. Numeriano*
Nobilissimo Cæsari	*Caro invicto. Aug.*	*Nobilissimo Cæsari*
Cos. Procons.	*P. M. Trib. Pot.* II. *Coss.* II.	*Procons.*
	P. P. Procons.	

M. Aurelius Valentianus U. C. Legatus Augg. Proprat.
Hispaniæ citerioris, D. N. M. Q. Eorum.

Inscriptioni de secundo Cari Consulatu, quo Carinum collegam habuit, consentiunt Fasti Consulares Idacii, necnon Chronicum, quod vocatur Damasi, in quibus adjecta *Caro* numeralis nota reperitur. Erravit tamen Pagii calamus, dum scripsit: *Hunc Cari Consulatum cum*

Pag. Crit. An. 283. n. 1.

nota numerali profitentur Heraclius, Autor libelli de P. U. Numeralis hæc nota non magis extat in libello de Præfectis U. Fastisque Heraclianis, quàm in Theonianis, & Chronico Alex. in quibus desideratur.

Cari mors & victoria.

Vopisc. Car. c. 9.

II. Cognitâ Probi morte, Barbari receperant animos. Sarmatas Carus ipse contudit: *Occisis sexdecim millibus, captis diversi sexus* xx. *millibus.* Sic paucissimis diebus *Pannonias securitate donavit.* Carino verò in Galliam misso, ut munimento esset, in Orientem cum Numeriano proficiscitur. Seditione domesticâ Persæ agitabantur, quos in Mesopotamia fudit. Persidem ingressus, quasi nullo obsistente vastavit. Colchen & Ctesiphontem urbes Persarum nobilissimas cœpit. At cùm gloriæ avidus, longius procedit, in morbum incidit. Ac dum in tentorio jacet, *Ingenti exortâ tempestate, immani coruscatione, immaniori tonitru exanimatus est.*

Vopisc. Car. c. 8.

Bonus Princeps Carus erat, literis imbutus, dignus sorte meliori. Junius Calpurnius, qui Cari ad memoriam erat, mortis genus, quod infaustum Romanis, in dubium revocari voluit Epistolâ, quam ad Præfectum Urbi dedit: *Fama emersit fulmine interemptum eum, quem quantum scire possumus, ægritudine constat absumptum.* Fulminis tamen ictu concidisse, & fama est, & ex Calpurnii Epistola colligi potest. Decembri mense periit. Octavo sanè Decembris mors Romæ nondum innotuerat.

Nùm vivente Caro filii ejus Augusti?

Bar. An. 283. n. 7.

III. Dum adhùc inter homines Carus versatur, filios quos anno superiore Cæsares fecerat, præsente dixit Augustos. Baronius quidem diversæ opinionis est: *Ait Cæsares tantùm dictos esse, non tamen Augustos.* Nos verò Pagio magis attentimur, qui Carinum & Numerianum à patre suo Augustos factos esse statuit. 1°. Extat Lex xvi. in Cod. l. vi. Tit. 42. de Fidei commissis, promulgata *ab Imperatoribus Caro, Carino, & Numeriano Augustis, data pridie Idus Novembr. Caro & Carino AA. Coss.* Similiter Cod. l. v. Tit. 71. de prædiis l. 6. *Imperatores Carus, Carinus, Numerianus* A. A. A. *data Non. Maji Caro & Carino AA. Coss.* Sequens etiam quæ missa est Isidoro, horum quoque Imperatorum nomine scripta est, vi. *Idib. Decembris Caro & Carino Coss.* 2°. Nummi nostræ sententiæ præsidio sunt. Unum ex Mediobarbo affert Pagius inscriptum, *Carus & Carinus Augg. in quo visuntur capita jugata Carini.* Alium & Nummum exhibet Numeriani, ex Gaza Regia Galliæ, A, K, M, A. ΝΟΥΜΕΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. *Imp. C. M. Aurelius Numerianus Augustus. Visitur caput Numeriani coronatum.* In *postica* E. B. *anno secundo.* Intereà non diffitemur scrupulum à Vopisco nobis injici: *Apparet verum esse, quod Onesimus dicit, habuisse in animo Carum, ut Carino Cæsareum abrogaret imperium.* Cæsareum dixit imperium, quod ab Augusteo discrepat, neque meminit imperii Augustei quod patris ante obitum tenuerit, & dum Consul labente procedit, non Augustus, sed *Cæsar* nuncupatur.

Pag. Crit. An. 284. n. 1.

Vopisc. Car. c. 7.

Nùm Ecclesiæ Thessalonicensi Carus capitationem sublevarit?

Cod. L. 1. Tit. 2. de Sacrosanctis Ecclesiis l. 8.

IV. De Christianis benè meritum esse Carum, statuit Baronius, ex Codice Justinianeo. Lex est, cui Titulus: *Imperator Carus Præf. Præt. Sacrosancta Thessalonicensis civitatis Ecclesia apertè sciat, propria tantummodò capitationis modum beneficio numinis nostri sublevandum. Nec extraneorum gravamine tributorum, Remp. Ecclesiastici nominis abusione lædendam. Data* vi. *Idus. Octobr.* C. P. *Victore V. C. Coss.* Verùm enimverò primâ vel specie creditu difficillimum, Carum cultui numinum addictum, Thessalonicensem Ecclesiam *Sacrosanctæ* affecisse titulo. Itaque, ut observatum doctissimo Gothofredo, Lex est non *Cari*, sed *Theodosii* Junioris, promulgata Constantinopoli anno ccccxxiv. quo Victor Consulem egit Collegâ Castino. Ac sanè cùm ipsissima Lex ea in Codice Theodosiano reperiatur, indicio certissimo est, in Cod. Justinianeo Titulum Legis esse corruptum, vocemque *Theodosius* in vicem *Carus* esse substituendam. Hæc Theodosius mandat *Isidoro* Præf. Pr. Illyrici libro xi. Cod. Th. Tit. 1. Lege 33. de Annona & Tributis. Ex interpolato tamen Legis hujus Titulo apertè liquet, nullos sub ea tempora Martyres fuisse immolatos.

Carini mores.

V. Carus se miserum esse dixerat, quòd Carinum ad Gallias Principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriano, ut illi Gallicanum, quod maximè constantem Principem quærit, crederetur imperium. Pessimi quippe Carino mores. Adulter, corruptor juventutis, amicos optimos quosque relegavit, pessimum quemque elegit: *Condiscipulis quoque, qui eum in auditorio verbi fatigatione taxaverant, perniciosus fuit.* Id maximè vitio datum, quòd Præfectum Urbi unum ex *Cancellariis* suis fecit. Cunctis quæ intra urbem sunt, antecellebat dignitatibus Præfectus Urbis, sedebat in Curia ante Patricios, Consules, Consulares. *Cancellarii* verò, *κιγκλίδας* seu *δικτυωτὰς θύρας*, *reticulatas fores* custodiebant: eo fungentes officio, quod Gallis dicitur *huissiers*. Quod maximum excellentissimæ dignitati dedecus à Carino inurebatur, dum viles homines amplissimo muneri præponebat. Præfectum Prætorii quem habebat occidit, in ejus locum *Matroniano* vetere lenone suffecto. Notarium, quem libidinum conscium semper & coadjutorem habuerat, invito patre Consulem fecit. Præfectis, aut Consulibus nunquam obviam processit. Centum libras avium, centum piscium, mille diversæ carnis in convivio suo frequenter exhibuit, ad quod improbos homines semper vocavit. Uxores novem duxit, pulsis plerisque prægnantibus. Aquâ, quæ naturâ suâ prætepida erat, cùm hyeme in piscina usus esset, balneatoribus dixisse fertur, *Aquam mihi muliebrem præparatis.* Hoc unum ejus clarissimum dictum celebratur, quis excaldationes pro magno luxuriæ argumento habebantur. Audiebat pater ejus quæ ille faceret, & clamabat, *Non est meus.* Statuerat etiam Constantium, qui posteà Cæsar factus, tunc autem Dalmatiam administrabat, occiso Carino in ejus locum subrogare, sed fato præventus, turpissimo filio reliquit imperium.

Vopisc. Carin. c. 17.

Numeriani mores.

VI. At Numeriano diversi mores fuere. Verè dignus erat imperio, & tantâ eloquentiâ præditus, ut etiam publicè declamaverit, feranturque illius scripta nobilia. Hujus oratio ad Senatum missa tantum habuisse eloquentiæ dicitur, ut illi statua, non quasi Cæsari, sed quasi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliotheca Ulpia, cui subscriptum est: *Numeriano Cæsari, Oratori temporibus suis potentissimo.* Mortuo Caro, cui comes in bello Persico fuerat, fletu nimio in oculorum dolorem incidit.

Vopisc. Numer.

Caji Pontificatus: excesseritne martyrio?

VII. Die septimâ Decembris hujus anni, defuncto Eutychiano Papâ successit *Caius*, quem Pontificale Damasi tradit *natione fuisse Dalmatam, ex genere Diocletiani, ex Patre Caio.* Cujus Pontificatus diuturnitatem scripto mandavit Damasi Chronicum: *Caius annis duodecim, mensibus quatuor, diebus septem. Fuit temporibus Cari & Carini, ex die* xvi. *Kalendas Januarii Coss. Caro* ii. *& Carino usque in* x. *Kalendas Maji, Diocletiano* vi. *& Constantio Coss.* Ex eo Chronico

ANNO DOM. 283.

nico incidit Caji creatio in Lunæ diem, jubente Epactâ Solari I. & literâ Dominica G. Itaque Pagium miramur, qui feria septimâ Caji ordinationem tribuit, cùm litera Dom. hujus anni fuerit G. & December à die Saturni inceperit: ex quo intelligitur decimum sextum esse feriæ secundæ assignandum, quâ Caius Pontificatum adiit. Indicio certissimo Episcoporum Consecrationes nondum diebus Dominicis affixas fuisse. Porro verba hæc Chronici, *usque in X. Kal. Maji*, Catalogo depositionis Episcoporum non satis consentiunt: *Decimo Kalendas Maji, Caji in Callisti.* Quippe septem illi dies, quos mensibus & annis Caji Chronicum addit, ab Aprilis decimo septimo incipiunt: si quidem Caius Episcopatum accepit Decembris XVII. Obiit ergo *vigesimo tertio* Aprilis, nedum sepulchro mandari potuerit *secundo & vigesimo.* Componant hæc qui possunt. Nos in Catalogo mendum quoque deprehendimus, quia *septem illi dies*, quos assignat Caio, in IX. non X. Kal. Maji incidunt. Itaque aut non Kal. Maji scribendum, aut de septem diebus unus evelli debet. Quo casu Caius Episcopatum inivit anno CCLXXXIII. decimo septimo Decemb. feriâ secundâ, excessit anno CCXCVI. Aprilis die XXII. feriâ quartâ. An verò martyrio coronatus sit, quæstionis est. Affirmat Baronius, cui Martyrologium Adonis præsidio est: *Romæ viâ Appiâ in cœmeterio Callisti, S. Caji Papæ, qui cum Ecclesiam undecim annos, menses quatuor, dies duodecim rexisset, martyrio coronatus est, sub Diocletiano Principe.* Itaque Martyris nomine in Romano Martyrologio celebratur. Hanc tamen lauream figmentis posterorum Caius debet, veritati non debet. Quippe Caii nomen in Romanorum Episcoporum, qui martyrio extincti sunt, locum invenisset, quem in sola Episcoporum depositione habuit. Præterea Chronicum Damasi tam persecutionis in Caio meminisset, quàm in Marcellino meminit. Denique loco suo demonstrabimus, nil persecutionis an. CCXCVI. à Diocletiano esse motum, ut Caius morti mitteretur. Placidâ ergo quiete ad plures abiit.

Caji Decretalis subdita.

VIII. Unam Caio Decretalem vindicant Felici Episcopo scriptam, sexque capita complectentem. Primum, Paganos & Hæreticos non posse accusare Christianos. Secundum, Episcopum non esse accusandum apud Judices seculares. Tertium, de Episcopo, Presbytero, Diacono vel reliquis Clericis, apud Episcopos accusandis. Quartum, de his qui negant Verbi Dei incarnationem. Quintum, quod ad spem vitæ æternæ perveniri non possit, nisi per mediatorem Dei & hominum Christum Jesum. Sextum, de Ordinibus Ecclesiasticis: *Data est Kalendis Martii Diocletiano VI. & Constantio II. viris Clariss. Coss.* Quæ vel una subscriptio fraudem prodit. Sed impostoris imprudentia cum pravitate certat, utpote qui integrum Leonis caput, quod in Epistola XCVII. secundum est, suum fecerit, & totidem verbis in Decretalem intulerit. Quæ si Leoni Caius fœnerasset, in Veterum testimoniis, quibus ad Leonem Augustum constat Epistola, ea dubio procul Leo Papa annumerasset. Multò magis enim Caium, & decessorem & antiquiorem memorare debuit, quàm *Athanasium, Ambrosium, Augustinum*, quorum autoritatem usurpat debellandis Hæreticis.

Dorotheus Presbyter Antiochenus. Martyrne fuerit?

IX. Anno CCLXXI. Domno Antiocheno successerat Timæus, XVII. hujus urbis Episcopus, cui defuncto anno CCLXXIX. sufficitur Cyrillus, qui ad annum usque CCCII. Sacerdotium tenuit. Quo sedente, vir insignis floruit, nomine Dorotheus: *Ab ipso matris utero Eunuchus. Unde Imperator tanquam miraculo obstupefactus, eum in familiaritatem ascivit, & Baphii, quod est apud Tyrum, Procuratorem constituit.* Quis verò fuerit Imperator ille, qui officio ejusmodi Dorotheum præfecit, ignoramus. Philippusne, qui benigno in Christianos animo fuit? Valerianus, qui primis imperii annis Ecclesiæ favebat? Divinatione hîc opus est, cujus expertes nos profitemur. Dorotheus verò ad officium Ecclesiasticum promotus, Presbyteri gradum adeptus est, ac quantum conjecturâ assequi datur, à Cyrillo Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter ordinatus. Dorotheus verò *cùm Scripturæ studiosissimus esset, Hebraicam quoque linguam addidicit, adeò ut ipsos Hebraicos codices peritissime legeret. Erat hic ingenio admodum liberali, & humanioribus disciplinis apprimè eruditus.* Cæterùm errori vitando, in quem eruditi inciderunt, memoriâ recondendum, duos fuisse Dorotheos, ab Antiochiæ Presbytero Dorotheo diversos. Dorotheus scilicet Diocletiani cubicularius, qui martyrium passus est, qui cum Presbytero permisceri non debet, quod à Blondello factum. Presbyter sanè neque Diocletiani à cubiculis esse potuit, neque ab Eusebio Martyribus inseritur. Est & alius Dorotheus Presbyter, ab Antiocheno Presbytero distinctus, cujus memoria est in Martyrologio Rom. V. Junii: *Tyri S. Dorothei Presbyteri, qui sub Diocletiano mala passus, & usque ad Juliani tempora superstes, sub eo annum agens septimum supra centesimum, venerandam senectam martyrio honestavit.* Quem Tyriensem Dorotheum cum Antiocheno Presbytero unum eundemque esse, perperàm Baronio creditum.

Euseb. l. 7. c. 32.

ANNO DOM. 284.

ANNO U.C. 1037. PER. JUL. 4997. JUL. 329. DOM. 284. DIOCLETIANI I. *Sol.* 13. F E. *Lun.* 19. *Indict.* 2. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 2. 3. *P.* 20. *April.*

COSS. M. Aurelius Carinus Augustus, & M. Aurelius Numerianus Aug.

Cejonius Varus Præfectus Urbis.

Mors Numeriani.

I. NUmerianus amisso patre confectum bellum existimans, ex Perside reduxit exercitum. Oculorum dolore correptus egregiæ indolis adolescens, opus lecticâ habuit. Dum in ea vehitur, impulsore Apro, qui socer ejus erat, & Prætorii Præf. per insidias occiditur. Dolo mors ejus occultabatur, quousque *Aper* invadere posset imperium. Sed fœtore cadaveris prodita est. Quo milites qui sequebantur commoti, diductis lecticæ palliis, mortuum Numerianum cernunt. Tum habita est ingens concio, & cùm quæreretur quis vindex Numeriani justissimus esset, & bonus Reipublicæ Princeps daretur, Diocletianum omnes Augustum appellaverunt. Qui cùm tribunal conscendisset, & quæreretur, Quomodo Numerianus esset occisus, *Educto gladio, Aprum Præfectum Prætorii ostentans, percussit, addens, Hic est autor necis Numeriani.* Ferunt dum percuteret, dixisse Diocletianum, *Gloriare, Aper, Æneæ magni dextrâ cadis.* Post mensem Augustum egregius ille Princeps ab Apro socero interfectus est. Extat enim in Codice Justiniani, L. X. Tit. 11. de Delatoribus, Lex IV. cui ti-

Vop. Numer. c. 13.

ANNO DOM. 284.

tulus est: *Imper. Carinus & Numerianus AA. Candido. PP. 3. Kal. Sept. Carino & Numeriano Coss.* Periit *Perinthi Thracia, quam nunc Heracleam vocant*, ut Chronicum habet Alexandrinum.

Diocletianus creatur Augustus. De die natali ejus.

II. Extincto Numeriano Valerium Diocletianum, *Domesticos tunc regentem*, Chalcedoni communi consensu exercitus *Augustum* dicit, de quo hæc posteris mandat Victoris Epitome: *Diocletianus Dalmata, Anulini Senatoris libertinus, matre pariter atque oppido nomine Diocleâ, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles appellatus.* Dubiam tamen Victoris narrationem facit Lactantius, de Mortibus Persecur. c. 19. *Veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur.* Jam verò *Salonas* concessisse, testis Eutropius, testis Hieronymus: *Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul à Salonis est, præclaro otio consenuit.* Sed ea res non est tanti; inspiciantur doctissimi Cuperi notæ in Lactantium. Natales sanè Diocletiano obscurissimos contigisse constat, *adeò ut à plerisque Scribæ filius fuisse credatur.* Cùm apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhùc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem convictus sui quotidiani faceret, atque illa diceret, *Diocletiane, nimium avarus, nimium parcus es*, joco Diocletianus respondit: *Tunc ero largus, cùm Imperator fuero.* Post quod verbum Druias dixisse fertur, *Diocletiane, jocari noli, nam Imperator eris, cùm aprum occideris.* Illud notum atque vulgatum, cùm occidisset Aprum Prætorio Præf. clamasse, *Tandem Aprum fatalem occidi.* Quæ si vera sunt, jam Diocletianus prius vocabatur, quàm purpuram sumeret. Vero proximum est, ubi facinoribus egregiis ac dignitatibus inclaruit, repudiato priori nomine Diocle, illud Diocletiani sibi ascivisse. Annum ejus natalem subindicat Victoris Epitome: *Diocletianus vixit annos* LXVIII. Cùm igitur exeunte anno CCCXII. vel sub initia sequentis obierit, apparet anno CCXLIV. editum fuisse. De Diocletiani initiis variat eruditorum Chronologia. Scaliger, quem sectantur Capellus & Cointius, ab anno sequente CCLXXXV. Diocletianei imperii ducit initia: *Annus 285. est primus Diocletiani à Martio.* Cui sententiæ Fasti Consulares Idacii sunt auxilio. *His Coss.* Diocletiano II. & Aristobulo, *occisus est Carinus Margo, & levatus est Diocletianus Imperator.* Idacium verò in hanc ivisse sententiam tradit Petavius, quia Diocletiano gemina veluti initia perinde atque Herodi Magno assignari possunt. Alterum cùm partem Romani orbis tenuit, hoste & æmulo Carino, cui pars alia obtemperabat; alterum, cùm solus & absque rivali rerum potitus est, extincto Carino. Sed ex Valesio, in notis ad Marcellinum, necnon Pagio, teste oculato didicimus, Jacobum Sirmondum quædam ex conjectura sua inseruisse, quæ absunt à MS. Codice Idacii, qui hæc tantùm habet: *His Coss. occisus est Carinus Margo, qui hoc ipso anno cum Aristobulo Consul processerat.* Est itaque falsissimum, Diocletiani initia in anno CCLXXXV. ab Idacio fuisse consignata. Cæterùm anno CCLXXXIV. Augustum creatum fuisse, certissimis argumentis comperimus. Primum docet Æra, quæ & Martyrum vocatur, & *Diocletianea*, quæ à die XXIX. Augusti currentis anni ducit originem, ut paulò inferius explicabitur. Secundum suppeditat Marcellinus, qui de Juliani facto, in collegio trabeæ Sallustium Galliarum Præfectum sibi asciscentis hæc habet: *Et videbatur novum adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum.* Quod si jam Augustus Diocletianus erat cùm Aristobulum Consulatus Collegam habuit, imperii ejus initia anno CCLXXXIV. certè certòque sunt affigenda. Tertium Lactantius argumentum exhibet. Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coss. *Diocletianus perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret.* Atqui si anno demum CCLXXXV. Diocletianus imperare cœpisset, *vicennalia* ejus non in annum Dionysianum CCCIII. incidissent, sed in sequentem. Non est igitur imperium Diocletiani ab anno currente distrahendum. At de mense, quo rerum potitus est, in nodum difficilem incidimus. Eruditissimus Baluzius Novembris vigesimum anni CCLXXXIV. Augusteis Diocletiani natalibus vindicat, Autore Lactantio: *Diocletianus cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecimum Kal. Decembres.* Lactantio consentit Eusebius: Alphæus & Zachæus *abscissis cervicibus interiere, die septimo mensis Dii, quod est apud Romanos ante diem XV. Kal. Decembris.* Non multò pòst verò *Romanus*, Cæsariensis Ecclesiæ Diaconus, & Exorcistæ, *cùm Imperatoris Vicennalia jam adessent*, martyrio sicut optaverat exornatus est. In sententiam tamen Petavii, Pagii, Norisiique magis inclinat animus, Septembris XVII. purpuram à Diocletiano sumptam esse. Hoc diei natalibus Diocletiani Augusteis Chronicum assignat Alex. *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octobris Chalcedone renuntiatus, V. Kalendas Octobres Nicomediam Purpuratus intravit, & Calendis Januariis Consul processit.* Accurata hæc tot circumstantiarum observatio, non spernendum est veritatis initium. Cui & ea Lex accedit: *Invitus agere, vel accusare nemo cogatur. Datum Idib. Octobris Carino II. & Numeriano Coss.* Titulus Legis est: *Diocletianus Augustus Camerio.* Quod argumentum magni facimus, etsi non nos fugiat, Baluzium Vetustos XIV. Codices laudare, in quibus nota ea temporis desideratur. Sed nostro judicio Codices illi XIV. mutili mancique sunt, cùm de more tempus legibus ascribatur, quo conscriptæ sunt. Neque tamen existimandum, falsos esse Lactantium atque Eusebium de *vicennalium* celebratione, quæ XX. Novembris edita sunt. Sed ut conjecit Pagius, Natalis Augustei celebratio in diem Maximiani Herculii natalem Cæsareum translata est. Imperavit autem Diocletianus ad usque diem primum Maji anni CCCV. quo abiit imperio: *Cùm hæc essent constituta, proceditur Kalendis Majis.* Itaque regnavit annos viginti, menses septem, dies quindecim, quibus illum & includimus, quo se abdicavit imperio. Numero completo & rotundo annos viginti Diocletiano ascribit Lactantius: *Ita viginti annorum felicissimus Imperator ad humilem vitam dejectus, postremò fame atque angore confectus est.* Post abdicatum imperium vixit annis septem, mensibus septem, diebus aliquot; excessit enim anno CCCXII. circa tertium Nonas Decembris, ut fusius suo loco declarabimus. Vixit annos LXVIII.

Diocletiani mores.

III. Diocletiani mores hisce coloribus depingit Vopiscus: *Diocletianum omnes divino consensu*,

Marginal notes: *Europ.* — *Vop. Numer. c. 14.* — *Scalig. Anim in Euseb. 243.* — ANNO DOM. 284. — *Amm. Marcel. l. XXIII. c. 1.* — *Lact. de Mort. c. 17.* — *Ibid.* — *Euseb. de Mart. Pal. c. 1. & 2.* — *Cod. L. III. Tit. 7.* — *Lact. de Mort. c. 19.* — *Lact. de Mort. c. 42.*

ANNO DOM. 285.

sensu Augustum appellaverunt, virum insignem, callidum, amantem Reip. amantem suorum, & ad omnia quæ tempus quæsierat, paratum. Consilii semper alti, nonnunquam tamen effrontis, sed prudentis, nimiâ pervicaciâ, motus inquieti pectoris comprimentis. Superbiam in eo maximam fuisse, non dissimulat Victor de Cæsaribus: *Magnus vir, his moribus tamen, quippe qui primus ex auro veste quæsitâ, serici ac purpuræ gemmarumque vim plantis concupiverit: quæ quanquam plusquam civilia, tumidique & affluentis animi, levia tamen præ cæteris. Namque se primus omnium Caligulam post Domitianumque Dominum palam dici passus, & adorari se appellarique uti Deum.* Non moris tamen autor fuit calceos preciosis lapidibus distinctos induendi. Calceos gemmis ornatos habuerat *Heliogabalus*, habuerat *Alexander*, habuerat *Carinus*, de quo Vopiscus: *Habuerat gemmas in calceis.* Lactantius verò multum in Diocletiano vitiorum fuisse prodit: *Insatiabili avaritiâ thesauros nunquam minui volebat, sed semper extraordinarias opes, ac largitiones congerebat, ut ea quæ recondebat integra, atque inviolata servaret. Idem cùm variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua & vilia multus sanguis effusus. . . Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor Provinciarum exactio in exhibendis operariis, & artificibus, & plaustris omnibus quæcunque sint fabricandis operibus necessaria. Hîc Basilica, hîc circus, hîc moneta, hîc armorum fabrica, hîc uxori domus, hîc filiæ. Repentè magna pars civitatis exciditur. Migrabant omnes cum conjugibus ac liberis, quasi urbe ab hostibus captâ. Et cùm perfecta hæc fuerunt cum interitu Provinciarum, Non rectè facta sunt, aiebat, alio modo fiant. Rursus dirui ac mutari necesse erat, iterum fortè casura. Ita semper dementabat, Nicomediam studens urbi Romæ coæquare.* Porro animo recondendum, Diocletiano conjugem fuisse *Priscam*; filiam verò *Valeriam*, quæ Galerio Maximiano patrimonio juncta est. Depositis affectibus quos Diocletiani persecutio Christianorum in animis movere potuit, non contemnendas in Diocletiano ingenii dotes agnoscimus. Laudanti quodam Cari ludos, quibus populo placuerat, sapienter respondit: *Ergo benè risus est imperio suo Carus*, & cùm omnibus Gentibus advocatis daret ludos, parcissimè usus libertate, dixit, *Castiores esse oportere ludos, spectante Censore.*

Vop. Numer. c. 13.

Lact. de Mort. c. 7.

Vop. Carin. c. 20.

Acta Carini.

IV. Ubi patrem fulmine absumptum, fratrem à socero interemptum, Diocletianum Augustum appellatum, Carinus comperit, majora vitia edidit, quasi jam liber à frenis domesticæ pietatis, suorumque mortibus absolutus. Habuerat Firmus, Zenobiæ amicus ac socius, duos dentes elephanti, pedum denum, ex quibus Aurelianus sellam constituerat facere, additis aliis duobus, in qua Jupiter aureus & gemmatus sederet cum prætexta, ponendus in Templo Jovis. Hos dentes Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex iis fecisse narratur: *Ita donum Indicum Jovi consecratum, per deterrimum Principem, & ministerium libidinis factum videtur & pretium.* Carino tamen non defuit animi fortitudo ad vindicandum sibimet imperium.

Vopisc. Firm. c. 3.

Maximianus fit Cæsar.

V. Quò Carinum Diocletianus facilius debellaret, Maximianum Herculium Cæsarem fecit *Novembris vigesimo*, quo die anno CCCIII, Vicennalia Diocletiani celebrata sunt. Non nescimus, Cæsaream hanc Maximiani dignitatem à viris illustribus Cupero, Baluzio, Norizio, in dubium fuisse revocatam. Nos verò nostram in sententiam ducit Ammiani autoritas. Gratianum filium suum nondum Cæsarem Augustæ dignitatis sibi Collegam Valentinianus asciverat. Quod cùm institutis Romanorum non satis responderet, talia fatur Marcellinus: *In hoc tamen negotio Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares, sed Augustos germanum nuncupavit, & filium, benevolè satis. Nec enim quisquam antehac ascivit sibi pari potestate Collegam, præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua autoritatis Imperatoriæ socium fecit.* Quæ verba falsissima sunt, si Augusteam Maximianus dignitatem, omissâ Cæsareâ, adeptus est. Nil sanè Diocletiano causæ fuit, cur à consuetudine deflecteret. Imò novo imperio, in quo æmulum habebat, moris Rom. se tenacem præbere debuit. Ac sanè Eutropius, dum scribit, *Ad subigendos Bagaudas, Maximianum Herculium Cæsarem misit* Diocletianus, ejusmodi opinionis fuit. Maximianum dignitate Cæsareâ ornatum fuisse, quem ea fama constante rumorem hausit. Ex Cæsare ergo Maximianus factus est Augustus. Quòd si Maximianus nunquam Cæsar fuit, mirum est, à Veterum nullo fuisse observatum, in creando Augusto Diocletianum ab antiquis moribus deflexisse, uti fecisset, si nondum Cæsarem Maximianum dixisset Augustum. Nil igitur invidiæ est, si ad Maximianum Herculium nummus referatur, quem Franciscus Angeloni exhibet. In Antica cernitur: *Maximianus Nob. Cæsar.* in *Postica*: *Princeps juventutis.* Porro obscurissimo loco in Pannonia Maximianus natus erat, ut discimus ex Victoris Epitome: *Maximianus, cognomento Herculius, ferus naturâ, ardens libidine, consiliis stolidus, ortu agresti, Pannonioque. Nam etiam nunc haud longè Sirmium eminet locus, Palatio ibidem constructo, ubi parentes ejus exercebant opera mercenaria. Genuit ex Eutropia, Syra muliere, Maxentium & Faustam, conjugem Constantini, cujus patri Constantio tradiderat Theodoram privignam.*

Marcel. l. 27. c. 6.

Maximiani mores.

VI. Pessimis moribus moratum fuisse Maximianum, Historia testatur: *Herculius propalam ferus, & incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans. Hic natura sua indulgens, Diocletiano in omnibus est severioribus consiliis obsecutus.* Herennianus Præfectus Prætorio Diocletiani sæpè dixit, ipsum Diocletianum *Maximiani asperitatem* reprehendisse. Non ad omnem asperitatem sævitiamque proclivis modò, sed *infidus* etiam, *incommodus*, *civilitatis penitùs expers.* Non itaque falso calamo Maximiani famæ detraxit Lactantius: *Et cùm opus esset, non deerant locupletissimi Senatores, qui subornatis indiciis affectasse imperium dicerentur, ita ut effoderentur assiduè lumina Senatus. Cruentissimus fiscus malè partis opibus affluebat. Jam libido in homine pestifero non modò ad corrumpendos mores, quod est odiosum & detestabile, verùm etiam ad violandas Primorum filias. Nam quacunque iter fecerat, avulsæ à conspectu parentum virgines statim præstò.* De Maximiani moribus jam nobis etiam audita est Victoris Epitome.

Entrop.

Vopisc. Aur. c. 44.

Entrop. l. x.

Lact. de Mort. c. 8.

Æra Diocletianea, quæ & Martyrum.

VII. Hoc ipso anno instituta est Æra celebris, quæ *Diocletianea* dicitur, & *Martyrum*, propter motam à Diocletiano persecutionem, Æræ Actiacæ victoriæ successit, quæ à capta Alexandria incipiebat, die XXIX. Augusti. Quæ

Epocha

Anno Dom. 284.

Epocha cùm per annos CCCXIII. obtinuisset, in Æram Diocletianeam mutata est, quod currente anno oblatum sumpsit imperium. Incepit ab Augusti die XXIX. in quem incidit Novilunium. Ac ut in Æra Actiaca, Augustorumque, singoli anni quatuor lustri cujusvis, ab aliquo sive Deo, sive Heroe Ægyptiorum nomen accipiebant, placuit & Christianis Ægyptiis in Æra Martyrum hosce quatuor annos à quatuor Evangelistis appellari. Primus itaque annus à XXIX. Augusti dictus annus Matthæi, secundus annus Marci, tertius annus Lucæ, quartus annus Joannis vocatur. In anni Lucæ fine diem intercalarem inserunt, & hac de causa quartus annus, qui est Joannis Evangelistæ, non incipit, ut reliqui, die XXIX. Augusti, sed trigesimo: atque ita omnes Fasti stabiles, ut dies Apostolorum, festum Nativitatis, Conceptionis, Epiphaniæ sunt uno die posteriores ab initio anni, qui Joanni tribuitur. Cùm autem Calippi Lunarem Periodum XIX. annorum in usum revocare vellent, & Cyclum Paschalem condere, ab hoc anno 284. initium sumere voluerunt, quòd Novilunium in XXIX. Augusti incideret, qui propterea annus primi Cycli lunaris appellatus est. Latini verò, cùm Cyclum suum Paschalem incipiant à Paschate, sequentem annum pro Cyclo lunari primo habent, ubi Novilunium in Pascha proximè post XXI. diem Martii incidit. Distat enim XXI. Martii à die XXIX. Augusti præcedente, diebus CCVI. qui efficiunt septem menses Lunares, & paulò plus. Consulatur Calvisius, è quo hæc desumpsimus. Rediguntur autem anni Diocletiani ad annos Æræ Christianæ, si ipsis addantur CCLXXXIII. Vice versâ ex annis Dionysianis Diocletianos venaberis, si abjiciantur 283. Ab anno currente eam Æram incepisse, Dionysii ad Petronium ostendit Epistola: *S. Cyrillus prim. in Cyclum ab anno Diocletiani* CLIII. *cœpit, & ultimum in* CCXLVII. *terminavit. Nos a* CCXLVIII. *anno ejusdem tyranni potius quàm Principis inchoantes, noluimus Circulis nostris memoriam impii & persecutoris innectere.* Atqui Anno Christi 531. Paschales Dionysius Circulos scripsit, qui ad usque Augustum mensem erat Diocletiani 247. Deductis 247. de 531. relinquentur 284. Prætereà, Ambrosius Epistolâ ad Æmiliæ Episcopos dicit, XIV. *Lunam, nono Kal. Aprilis* in Annum Dioclet. 89. incidisse. Is verò est Dom. 377. Fallitur ergo Bucholtserus qui ab anno 285. Æram deducit.

Anno Dom. 285.

ANNO U. C. 1038. OLYMP. 266. PER. JUL. 4998. JUL. 330. DOM. 285. DIOCLET. 2. *Sal.* 14. D. *Lun.* 1. *Indict.* 3. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 4. P. 12. *April.*

COSS. C. Valerius Diocletianus Augustus II. & Aristobulus.

Cejonius Varius Præfectus Urbis.

Mors Juliani & Carini.

I. CAri morte cognitâ, *Sabinus Julianus* Venetorum corrector arripit imperium, adventantique Carino obviam procedit. Rebellionis enim certior Carinus, Illyricum properè Italiæ circuitu petierat. Commissâ pugnâ, *Julianum* pulsâ ejus acie obtruncat. Eâ victoriâ lætus, Diocletiano occurrens, *Contra eum multis præliis conflixit.* Ultimâ pugnâ Carinum Diocletianus apud Margum ingenti prælio victi, proditum ab exercitu, quem fortiorem habebat. Margus ad Istrum sita erat, è regione Constantiæ. Neque ignaviter pugnavit Carinus: *Dum victos avide premit, suorum ictu interiit, quòd libidine impatiens, militarium nuptas affectabat, quarum infestiores viri, iram tamen & dolorem in eventum belli distulerant. Quo prosperius cedente, metu ne hujusmodi ingenium magis magisque victoriâ insolesceret, sese ulti sunt.* Ejus præcipuè Tribuni dexterâ, cujus conjugem polluisse dicebatur, occisum fuisse, narrat Victoris Epitome. Victis veniam Diocletianus dedit, *Retentique hostium ferè omnes: Quæ res post memoriam humanam nova atque inopinabilis fuit civilis bella, fortunis, fama, dignitate, spoliatum neminem, cùm piè admodum mansuetèque geri lætemur, exilia, proscriptiones, atque etiam supplicia & cædibus modum fieri.*

Vict. de Cæs.

Anno Dom. 285.

Vict. de Cæsar.

Vict. de Cæs.

Bagaudarum seditio. Qui Bagaudæ.

II. Extincto Carino, solus rerum potitur Diocletianus. Intereà tumultum Rusticani in Gallia concitant, & factioni suæ *Bagaudarum* nomen imponunt. Gallicum id nomen fuit, teste Aurelio Victore: *Excita manus agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant.* Bagaudarum & mentio est in Zosimo: *Sarus evasit universâ prædâ, Bagaudis qui ad Alpes illi occurrerant, concessâ.* Salvianus: *Vocamus rebelles, vocamus perditos, quos compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti sunt nisi iniquitatibus nostris.* Tales in Saltu Pyrenæo, *les Bandoliers.* Itaque eruditorum non nobis conjectura placet, qui id vocabuli vel à Græco *βαγεύειν, vagari*, vel ab Hebræo בגדים *perfidi* derivarunt. Gallico vernaculoque sermone orta est hæc appellatio. Veteribus Gallis *Bagat* numerosam multitudinem significat, ut observatum Boxhornio. Factiosorum ergo cohors Bagaudæ, qui in obvios latrociniis & cædibus grassabantur. Hinc seditioni nomen quoque fœneravere suum. Prosperi in Chronico ad annum Theodosii XIX. *Omnia penè Galliarum servitia in Bagaudam conspiravere*, & anno XXV. *Eudoxius arte Medicus, pravi & exercitati ingenii, in Bagauda id temporis mota delatus ad Chunnos confugit.* Quæ loco seditionis minus aptè doctissimus Cangius accommodavit. Ad locum verò pertinet, quod ex Charta Caroli Calvi profert: *In cœnobia Fossatensi, quod vocatum olim fuit Castrum Bagaudorum.* Nescimus tamen an Bagaudæ, qui imperante Diocletiano coorti sunt, hunc locum incoluerint, quia non una Bagaudarum seditio. Meminit enim & *Bagaudarum* tumultus Salvianus jam laudatus: *De Bagaudis nunc mihi sermo est, qui per malos Judices, & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam jus Romanæ libertatis amiserant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt.* Cæterum cum Scaligeri Collectaneis Bagaudarum seditionem hunc in annum conferimus: *Diocletianus anno secundo imperii sui Maximianum Herculium participem fecit, qui novas res movente in Gallia Amandaquodam seditionem repressit.* Neque citius Bagaudarum motus incepisse, subindicat Aurelius Victor: *Namque ubi comperit Diocletianus Carini discessu Helianum, Amandumque per Galliam, excitâ manu agrestium, ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris, plerasque urbium tentare, Maximianum statim fidum amicitiâ, quanquam semiagrestem, militia tamen atque ingenio bonum, Imperatorem jubet.*

Zos. l. 6. cap. 2.

Salv. de Gubern. Dei l. 5.

Salvian. lib. 5.

Scal. Coll. pag. 395.

Pe-

ANNO DOM. 285.

Vict. de Cæs.

Perierat jam Carinus, cùm in Galliam Maximianus missus est, teste tam Victore, quàm Eutropio. Maximianus *in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis quieta omnia brevi patravit. Quo bello, Carausius Menapia civis, factis promptioribus enituit.*

De Diocletiani & Aristobuli Consulatu. Quis Aristobulus?

III. Aristobulus qui annum aperuit non nobis est prætereundus, vir erat illustris, quem Carinus Prætorio præfecerat. Modestè Diocletianus victoriâ usus suâ, victis pepercerat: *Cæteris veniâ datâ, retentique hostium ferè omnes, ac maximè vir insignis Aristobulus Præfectus Prætorio, per officia sua.* Cæterùm de Diocletiani & Aristobuli Consulatu difficultaria aliquid exoritur. Quippe in MS. Idacii Codice legitur: *His Coss.* (Diocletiano scilicet & Aristobulo) *occisus est Carinus Margo, qui hoc ipso anno cum Aristobulo Consul processerat.* Ac vera prædicasse, ex officio Aristobuli, qui Carino Prætorio Præfectus erat, videtur esse certissimum. Prætereà cùm præsente anno Carinus interfectus sit, sitne verosimile, Aristobulum ei militantem ab hoste Imperatoris sui Diocletiano dignitatem Consularem accipere voluisse? Carini loco se Consulem renunciasse Diocletianum, retento Aristobulo expunctoque Carino, censet Valesius in Notis ad Marcellinum *l.* 27. *p.* 380. Qua de

Cod. l. VI. Tit. 34.

causa pœnas dedit Norisio. Annum enim aperuisse Diocletianum, testatur Lex secunda Tituli, *Si quis aliquem*, missa Nicagoræ P. P. Kal. Januariis Diocletiano II. & Aristobulo Coss. Quo igitur loco erunt Fasti Idaciani, *Carinus hoc ipso anno cum Aristobulo Consul processerat?* Nùm vivente Carino in tabulis Senatus suis, Diocletiani ut Consulis ordinarii nomen inscripsit, quo tempore alter in alterum arma movebat? Equidem non satis esse præsidii in Codicis subscriptionibus apparet, vel ex Titulo Legis, quam Calendis Januarii Diocletianus promulgasse dicitur: *Imper. Diocletianus & Maxim. A. A. & C. C. Nicagora.* Nondum enim Maximianus dignitatem erat Augusteam adeptus. Nulli tum temporis Cæsares, sed unus Cæsar Maximianus. Quantum in hisce tenebris videre datur, existimamus ut imperii, sic & Consulatus Carinum, & Diocletianum rivales fuisse. Utrumque sese Consulem designasse, ab utroque Aristobulum in trabeæ societatem ascitum esse. Ac victore Diocletiano, ex hujus anni Fastis Carini nomen pulsum fuisse, quod tamen in superiorum annorum tabulis retentum est, uti patet ex Lege, *Ut nemo invitus.*

Hierax Hæreticus: Ejus doctrina: Hostisne Trinitatis?

IV. Post improbam Manichæi hæresim, *Hierax*, sive *Hieracas*, infaustis avibus prodiit, à quo Hieracitæ nominati sunt. Vixit in *Ægyptiaca Leontono.* Est enim & *Leontos oppidum* in regione Decapolitana, teste Plinio *l.* V. *c.* 20. Humanioribus literis erat eruditus, medicinâ, & aliis artibus imbutus, & acutissimo in omnibus ingenio. Ac primùm Christianus, tandem à veritate excidit. Cùm enim Vet. & N. Testamenti scientissimus esset, ut ea de pectore suo velut expromeret, ac Commentaria scripsisset, multa de suo dogmata vanissimè aspersit. Negat is omninò resurgere carnem. Nuptias in V. T. licitas, in Novo illicitas esse statuit. Negat puerulos post obitum adire regnum cœlorum, quia nil certaminis inierunt, quo coronam mereantur. Melchisedec putat esse Spiritum Sanctum. Rectane fuerit Hieracis de Trinitate fides, est in ambiguo. Ait Epiphanius, negat

Epiph. h. 67.

Hilarius. Epiphanius: *De Patre, Filio & Spiritu S. non eadem cum Origene sentit. Quin potius, & à Patre Filium verè genitum, & Spiritum S. credit à Patre procedere.* Hilarius verò à Hierace Patris & Filii naturam dividi tradit: *Hieracas nesciens unigeniti nativitatem, nec Evangelicorum Sacramentorum virtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicavit, ut lychnorum bipartita divisio, substantiam Patris & Filii imitaretur.* Disciplinam quod attinet, severam prorsus Hierax adhibuit. Ab eduliis omnibus sibi temperavit, ut & vino careret. Ultra annos XC. vixisse fertur, & ad extremum vitæ tempus libros Antiquarii more scripsisse, quâ ætate nec oculus illi caligavit. In Hierachitarum gregem nemo admittitur nisi virgo sit, aut Monachus, aut continens, aut vidua.

ANNO DOM. 285.

Hilarius de Trinit. lib. 6.

Epiph. h. 67.

ANNO U. C. 1039. PER. JUL. 4999. JUL. 331. DOM. 286. DIOCLET. III. MAXIMIANI I. *Sol.* 15. C. *Lun.* 2. *Indict.* 4. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 5. P. 28. *Mart.*

ANNO DOM. 286.

COSS. Maximus II. & Vetrius Aquilius.

Junius Maximus Præfectus Urbis.

Maximianus Augustus creatur: Ejus anni.

I. BAgaudis debellatis, Maximianus Nicomediæ agentem Diocletianum convenit, à quo novâ, majoreque dignitate, *Augusteâ* scilicet decoratur. Locum ab oblivione Lactantius vindicavit, ibi enim purpuram exuit, ubi induerat: *Erat locus altus extra civitatem ad millia ferè tria, in cujus summo Maximianus ipse purpuram sumpserat, & ibi columna fuerat erecta, cum Jovis signo.* Celeberrimæ inaugurationis diem Fasti nos Idaciani docuere: *Maximus II. & Aquilinus. His Coss. levatus est Maximianus Imperator senior, die Kal. April.* Hinc non minimum præsidii eorum sententiæ, quæ Maximianum Cæsarem dicunt. Secus in Bagaudas privatus adhùc missus fuisset. Nondum Augustus quidem eos debellavit, utpote primo Aprilis currentis anni ad id honoris evectus, Bagaudis jam oppressis. Atqui jam Imperii participem hoc expeditionis suscepisse, Veterum monumenta testantur. Victor de Cæs. *Maximianum statim fidum amicitia, quanquam semiagrestem, militiâ tamen atque ingenio bonum, Imperatorem jubet.* Statim, inquit, ubi tumor affertur, *Ælianum Amandumque* cum latronum manu populari. Eusebii Chronicum, Collectaneaque Scaligeri apertè docent Maximianum, privato majorem fuisse, cùm de Bagaudis victoriam retulit. Augustus igitur, aut Cæsar fuit. Atqui non Augustus, utpote Cal. Aprilis Anni CCLXXXVI. demum creatus. Cæsar igitur fuit. Ab illo tempore anni Augustei Maximiani labuntur. Victor de Cæs. Diocletianus *celebrato regni vicesimo anno, valentior curam R. P. abjecit, cùm in eam sententiam Herculium ægerrimè traduxisset, cui anno minus potentia fuerat.* Quæ etsi non satis accuratè scripta, Fastis tamen, & Lactantio utcunque aptari possunt. Maximianus enim nonum & decimum imperii ingressus est, quod Calendis April. anni CCLXXXVI. induit; exuit verò Calend. Maii, anno CCCIV. Imperavit ergo annis octodecim, menseque uno. Itaque non nobis probatur Chronologia Victoris in Epitome, qui Maximianum *viginti annorum Imperatorem* scribit. Non nescimus, in Co-

Lact. de Mort. cap. 19.

ANNO DOM. 286.

dice subscriptiones esse plurimas, quæ ante Calendas Aprilis Maximiani constituant initia. Lex sexta Tituli *de Fide instrumentorum*, ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano A. A. data dicitur XII. Kal. Februarii Nicomediæ Maximo II. & Aquilino Coss. Sunt & Leges quæ Diocletiano II. & Aristobulo Coss. à Maximiano conscriptæ dicuntur. Erratum tamen esse in his, sive Titulis, sive subscriptionibus existimamus, quem Fasti Idaciani errorem evellunt. Ac sanè si jam ab anno CCLXXXV. Maximianus incessisset Augustus, annum sequentem aperuisses, cui *Maximus* & *Aquilinus*, nomine Consulum præfuere. Quod ergo anno duntaxat CCLXXXVII. Fastos reseravit Maximianus, argumento est, non ante CCLXXXVI. Augustum fuisse nuncupatum.

Maximiani de Barbaris victoriæ.

II. Ubi purpuram Maximianus adeptus est, Nicomediâ relictâ, in Galliam proficiscitur. Non multò post extinctam Bagaudorum seditionem, ad vastandas Galliarum regiones, Barbari confluxerant. Quos debellavit Maximianus. Audiamus Mamertinum in Panegyrico Maximiani c. 5. *Quod statim vix dum misere illo furore sopito, cùm omnes Barbaræ nationes excidium universæ Galliæ minarentur, neque solum Burgundiones & Alamanni, sed etiam Chaibones, Eruli-que, viribus primi Barbarorum, locis ultimi præcipiti impetu in has Provincias irruissent, quis Deus tam insperatam salutem nobis attulisset, nisi tu affuisses?* Quâ ratione victoria de Barbaris relata, ostendit & ille ipse Mamertinus: *Tu enim divina Providentia consilio, priusquam vi bellum gerendum ratus, cæteros quidem perduelles, quibus ista pestiferata multitudo ire passim et in profundam famem, & ex fame in pestilentiam, mox triumphi ornamenta capienda militum manibus usurus. Chaibonas tamen, Erulosque non dignatus pariter prodere, atque ut interim divina virtus tua exercitatione solitâ non careret, aperto Marte atque uno impetu perculisti, non universo ad id prælium usus exercitu, sed paucis cohortibus. Quid enim opus erat multitudine, cùm ipse pugnares?* Porro antequam Maximianus dignitate Augusteâ indueretur, à Diocletiani Legatis tam in Galliâ, quàm in Britanniâ res gestæ feliciter. Qua de re extat inscriptio à Baronio in Annum CCLXXXV. relata:

Imp. Cæs. C. Valerio Diocletiano Pio. Felici invicto.
Aug. Pont. Max. Britannic. Max. Germ. Max.
Trib. Pot. II. Cos. II. P. P. Procos.
Honorati & Decuriones & Numerus militum Caligatorum.

Carausii rebellio. Quamdiu imperavit?

III. Seditionis non expers hic annus fuit. *Carausius* Menapiæ civis gubernando officio, quo adolescentiam mercede exercuerat, gnarus, qui & in bello Bagaudis illato clarum se reddiderat, parandæ classi, ac propulsandis Germanis maria vastantibus à Diocletiano, & Maximiano præfectus erat. Apud Bononiam per tractum Belgicæ, & Armoricæ, pacandum mare acceperat, quod Franci, & Saxones infestabant.

Eutrop.

Multis Barbaris sæpè captis, nec præda integra, aut Provincialibus reddita, aut Imperatoribus missa, cùm suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti Barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atque hác se occasione ditaret, à Maximiano jussus occidi, purpuram ergo sumpsit, & Britannias occupavit. Tyranno *remissum Insula imperium, postquam jussis ac munimento incolarum, contra gentes bellicosas opportunior habitus.* Sexennio Carausius in Britannia regnavit. Quem posteà, *Allectus nomine dolo circumvenit.*

Vict. de Cæs.

Qui cùm ejus permissu summæ rei præesset, flagitiorum, & ob ea mortis formidine imperium extorserat. Quo usum brevi, Constantius Asclepiodoto qui Prætorianis præfectus præerat, cum parte classis ac legionum præmissa delevit. Post septennium ab Allecto Carausium occisum esse, scribit Historia Miscell. Subdit etiam: *Atque ipse post eum Britannias triennio habuit. Qui dolo Asclepiodoti Præf. Præt. oppressus est. Ita Britannia decimo recepta.* Quæ ipsi fœneravit Orosius, hæc uno tenore exhibuimus, ut acri & seditione, & virtute suâ clari, fata regnaque simul innotescerent.

Diocletianus in Persas proficiscitur. Narseusne ipsis imperabat?

IV. Dum famam in Gallia Maximianus factis extendit suis, Diocletianus Bithynia Nicomediâque relictâ, adversus Persarum Regem *Narseum* proficiscitur, qui Orienti bellum intulerat. Dissimulare verò non possumus, Historiam Romanam cum Persicâ vix posse componi. Quippe currente anno, nullus erat Rex Persarum nomine *Narseus*. Anno CCXXVI. occiso Artabano, Artaxerxes Persicam Monarchiam instituerat. Numeratis successoribus ejus, Narsei ad initia nondum pervenimus, ut demonstrat laterculum:

AN. DIONY. CCXXVI.	1. *Artaxerxes.*	AN. 14.		Menses 10.	
CCXLI.	2. *Sapores.*	31.			
CCLXXII.	3. *Hormisdates.*	1.	———		Dies 10.
CCLXXV.	4. *Varenes.* 1.	3.			
CCLXXVIII.	5. *Varanes.* 2.	16.			
CCXCI.	6. *Varanes.* 3.	———		Men. 4.	
CCXCII.	7. *Narsem.*	4.	—	Men. 9.	

Agat. l. 4. cap. 11.

Hoc laterculum ex Agathia desumpsimus, ab illo Petavii diffidens, quia typographorum vitio corruptum est. Nullus ergo Persarum Princeps nomine *Narseus*, ante annum CCXCII. Attamen Vopiscus non spernendus Autor, imperante Probo, jam Narseum Regem Parthorum exhibet:

Vop. Prob. cap. 17.

Fertur etiam Epistola illius, repudiatis donis, quæ Rex Parthorum miserat, ad Narseum talis fuisse. . . . His acceptis literis, Narseus maximè territus, &c. Toto quidem cœlo errat conjectura Casauboni, qui Narseum illum, *Regulum Armeniæ* fuisse prodit. Persarum sanè Principem à Vopisco pingi, luce clarius est. Ex Chronologia Agathiæ, *Varanes secundus* ille fuit, qui anno circiter CCLXXIX. Probo munera misit. Tenebat etiamnum habenas imperii Persici, anno currente, quo Nicomediâ relictâ in Orientem à Persis vastatum tendit Diocletianus. Cùm igitur ex Persarum monumentis Agathias laterculum nobis fœnerarit suum, perpendant eruditi, annon in nomine erraris Eutropius, dum scripsit, *Narseus Orienti bellum infert*, cùm potius scribere debuerit *Varanes*. Eutropii errorem Vopiscus & adjuvare potuit.

Cùm

ANNO DOM. 286.

Cùm enim constaret unum eundemque Persarum Regem fuisse, cui & hoc anno CCLXXXVI. Diocletianus occurrerat, & Probus Augustus scripserat, exemplo Vopisci, Eutropius *Narsei* nomen imposuit *Varani*. Eutropium more suo secutus Hieronymus, verba ejus in Chronicum transmisit: *Narseus Orienti bellum intulit.* Ac forsan existimare liceret Varanem binominem Narseum quoque vocatum fuisse. Restat tamen adhùc scrupulus, quia Persica Historia id nominis non imponit Varani, unumque Narseum, qui ab Artaxerxe septimus numeratus, agnovit. Porro tantum terroris Persarum Principi Diocletiani incussit adventus, ut relictâ Syriâ, venienti Romano supplex fuerit, legationemque, muneraque miserit. Qua de causa Diocletiani laudes ad coelum usque extulit Mamertinus Maximiani in Panegyrico: *Crede itidem, optimam illam fertilemque Syriam, velut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam Diocletiano spontè se darent regna Persarum. Verùm hoc Jovis sui more, nutu illo patrio, quo omnia contremiscunt, & majestatis vestra nominis consecutus est.* Et capite 2. *Hoc eodem modo Rex ille Persarum, nunquam se antè dignatus hominem confiteri, fratri tuo* (Diocletiano) *supplicat, totamque si ingredi ille dignetur, regnum suum pandit, offert, interim varia miracula eximia pulchritudinis feras mittit, amicitia nomen impetrare contentus, promeretur obsequio.* Ob quæ facinora anno insequente quadrigam Diocletiano triumphalem Patres decrevere. Pridie Kalend. Januarii Tiberiade consistebat Diocletianus, uti liquet ex subscriptione Legis tertiæ Tit. de *Obligationibus & Actionibus.*

Cod. L. 4. Tit. 10.

ANNO DOM. 287.

ANNO U. C. 1040. PER. JUL. 5000. JUL. 332. DOM. 287. DIOCLAT. 4. MAXIMIANI 2. *Sol.* 16. B. *Lun.* 3. *Indict.* 5. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

COSS. C. Valer. Diocletianus August. III. & Maximianus Augustus.

Junius Maximus Præfectus Urbis.

Fueritne hoc anno Maximianus Consul iterum?

Error Baronii.

I. QUem primùm Maximiani Consulatum dicimus, ille Baronio, Onuphrio, Calvisio, aliisque eruditis *secundus* appellatur, sed perperàm. Quippe in Fastis tam Idacii, quàm Heraclii, nec non in libello de Præfectis Urbis, absque nota numerali profertur. Baronianum quoque errorem refellit Lactantius, qui *agentibus Consulatum senibus ambobus octavum & septimum*, persecutionem motam esse tradit. Annus est Christi CCCIII. Quòd si Maximianus anno CCLXXXVII. iterum Consul processit, anno igitur CCCIII. non *septimùm*, sed *octavùm* Consul scribi debuit. Secundum hunc Maximiani Consulatum refellit illustris Norisius ea inscriptione Gruteriana, quæ dicitur dedicata Kal. Januarii: *D. D. N. N. Diocletiano & Maximiano Coss.* Ut illatam Fastis injuriam Baronius elucret, anno CCLXXXVIII. *Maximum* II. Collegam dedit *Januario*. Quo factum, ut in Consulatuum à Maximiano Herculio gestorum, numero non peccaret. Sed alio errore obstitit errori, cùm *Maximus* ille subdititius, in *Maximianum* sit mutandus, qui illo anno Fastos iterum reseravit.

Maximiani de Germanis victoriæ.

II. Treveris agebat Maximianus, cùm insignem Calendis Januarii de Germanis eò usque progressis victoriam retulit. Complures quidem Principis hujus pugnas Mamertinus memorat in Panegyrico: *Vidimus te, Cæsar, eodem die, & in clarissimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu . . . hastam posito scipione rapuisti, à tribunali temet in campum, à curuli in equum transtulisti. . . . Tale igitur auspicium illius anni quod sequebatur, nisi novum aliquod & ingens miraculum? Quod autem majus evenire potuit, illâ tuâ in Germaniam transgressione? . . . Ille quidem Magnus Alexander jam mihi humilis videtur, Indo Regi sua regna reddende, cùm tam multi Reges, Imperatores vestri clientes sint. Cùm per te regnum receperit Genobau, Esatech verò munus acceperit.*

ANNO DOM. 287.

De Carausio debellando Augustorum colloquium.

III. Pace cum Persis compositâ, Diocletianus Occidentem repetit. Extat in Codice Lex *data* 2. *Id. April. Byzantii*, anno currente. Ac in ea forsitan urbe institutum duorum Augustorum de Carausio debellando colloquium, cujus Mamertinus meminit: *In quo vobis mutua præbuistis omnium exempla virtutum, atque invicem vos, quod fieri jam posse non videbatur, auxistis. Ille ostendendo dona Persica, tu illi spolia Germanica.* Ad deturbandum solio usurpato Carausium navium copia paratur, ut ex Panegyrici c. XII. colligimus: *Quid nunc animi habet ille Pirata, cùm fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remeratus est, penè vestros exercitus videat ingressos, oblitosque navium refugium, mare secutos esse quà cederet. Quam nunc insulam remotiorem, quem alium sibi optet Oceanum? Quo denique pacto effugere pœnas Reip. potest? Nisi si haustu terra devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapiatur? Ædificata sunt ornataque plurima Classes, cunctis simul amnibus Oceanum petitura. Neque solùm ad perficiendas eas certatim homines laborarunt, sed etiam ad excipienda flumina repentè creverunt. Toto ferè anno Imperator, quo tibi opus erat serenitate, ut navalia texerentur, ut trabes caderentur, ut artificum animi vigerent, ne manus torpescerent, nullus ferè dies imbre fœdatus est.* Novos meritis quoque suis titulos imposuisse videntur Diocletianus atque Maximianus. Veroque fit simile, ea tum contigisse, quæ Aur. Victor memorat: *Huic posteà cultu numinis Herculei cognomentum accessit, uti Valerio Jovium. Unde etiam militaribus auxiliis, longè in exercitum præstantibus nomen impositum.*

Cod. L. 4. T. 14. l. 6.

Mamer. Paneg. c. 9.

Rescriptum Diocletiani de Manichæis, an legitimum?

IV. Non solos imperii hostes, sed Hæreticos etiam profligarunt Augusti, si Rescripto credimus, quod ex Antiquo Codice Gregoriano, Titulo de Maleficis & Manichæis, libro VII. Baronius exscripsit: *M. Diocletianus & Maximianus nobilissimi Augusti, Juliano Proconsuli Africæ. . . . Quoniam nobis, de quibus solertia tua serenitati nostra retulit, Manichæos audivimus, eos nuperrime veluti nova inopinata prodigia in hunc mundum de Persica adversaria nobis gente progressos, vel orta esse, & multa facinora ibi committere; populos namque quietos perturbare, nec non civitatibus maxima detrimenta inferre. . . jubemus auctores quidem ac principes unà cum abominandis scripturis eorum, severiori pœna subjici, ita ut flammeis ignibus exurantur. Consectaneos verò & usque adeò contentiosos capite puniri præcipimus, & eorum bona fisco nostro vindicari sancimus. Si qui sanè etiam honorati, aut cujuslibet dignitatis, vel majoris persona ad hanc inauditam & turpem atque per omnia infamem sectam, vel ad doctrinam Persarum se transtulerunt, eorum patrimonia*

Anno Dom. 287.

monia fisco nostro associari facies, ipsosque forensibus vel Proconesibus metallis dari. . . . Datum pridie Calend. Aprilis Alexandria. Quod legitimum Baronio est atque Calvisio, subditum nobis rescriptum videtur. Altum est ea de lege in Eusebio, Cyrillo, Augustino silentium. Fit ne vero simile Augustino & rerum Manichæarum indagatori, & Africano, & olim Manichæo, notitiæ ereptum fuisse, cùm præcipue extra dubium sit, si decretum ejusmodi promulgatum est, quod à Juliano Proconsule executioni mandatum fuerit, non sine Manichææ sectæ maximo damno. Deinde quorsum Hæreticos quorum & mores, & cultus cum Ethnicorum superstitionibus multum affinitatis habebant, Diocletianus crudelibus pœnis subjecisset, eo ipso tempore, quo Christianis parcebat, quorum ritus ab Ethnica impietate magis abhorrebant? Manichæi quidem Pythagoræ magis, quàm Domini disciplinam colebant, Solem adorabant, & è Libanio acerrimo Ecclesiæ hoste laudibus affecti sunt, ut suo loco demonstratum. 3°. Grandior litera *M. Diocletianus*, Diocletiani prænomen sonare videtur. Nil verò prænominis gessit Diocletianus, quòd à litera M. inciperet: *Caius Valerius Diocletianus* dicebatur. 4°. Moris erat, Augustorum rescriptis Consules addere, quibus tempora designarentur. Atqui nullo Consulatu rescriptum consignatur. 5°. Pridie Calendas Aprilis, *Alexandria* non versabantur Diocletianus, atque Maximianus, ut eo tempore in ea civitate legem conderent in Manichæos. Lex VI. missa *Feliciano*, Tit. *An servus*, data est II. *Idus Aprilis, Byzantii*, hoc ipso anno CCLXXXVII. Est autem prorsus impossibile, Diocletianum Martii 31. fuisse *Alexandria*, & Aprilis proximè sequentis duodecimo constitisse *Byzantii*. Neque etiam hoc anno in Alexandrina civitate vestigium posuere Diocletianus atque Maximianus, ut ibi leges conscriberent. Suspicionem quoque falsi injicit mandatum Africæ Proconsuli datum, ut de grege Manichæorum nobiles *Proconesibus Metallis* includat. *Proconeson* novimus Insulam, marmoribus insignem. Plinius l. v. c. 31. *Insula in Propontide ante Cyzicum Elaphonesus, unde Cyzicenum marmor, eadem Neuris, & Proconesus dicta.* Scimus etiam latomiis, unde eruuntur marmora, metallorum nomen imponi. At siccine metalla deerant Africæ, ut Manichæi à *Proconsule Africæ* in Propontidis insulam mitterentur? Quid in *Signense*, ad quod damnati Martyres multi, Valeriani in persecutione? Quin etiam Criticis, qui nobis sunt oculatiores, perpendendum relinquimus, utrùm ea phrasis, *Patrimonia fisco nostro associari facies*, ævi sit Diocletiani, etsi non nos lateat verbum ipsum *associo* benè Latinum esse. Qui rescriptum anno CCXCIV. datum esse prædicant, illud quidam absurdi vitare voluerunt, quod ex suscriptione nascitur. Non vitant tamen, cùm anno CCXCIV. Diocletianus *Alexandria* non fuerit, quam tenebat Achilleus, qui anno duntaxat CCXLVI. à Diocletiano debellatus est. Perperàm quoque Suevius sibi finxit, edictum in Christianos omnes fuisse promulgatum, cùm anno duntaxat CCCIII. ea persecutio inceperit. Itaque de vexandis Manichæis rescriptum Diocletiani, figmentum esse videtur, Imperatori potius Christiano tribuendum.

Cod. L. IV. Tit. 14.

Anno Dom. 288.

Anno U. C. 1041. Per. Jul. 5001. Jul. 383. Dom. 288. Diocletiani 5. Maximiani 3. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 14. *Indict.* 6. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 7. I. P. 8. *April.*

Coss. Maximianus Augustus II. & Pomponius Januarius.

Pomponius Januarius Præfectus Urbis.

I. Onuphrius, Baronius, Calvisius, eruditorumque complures, non *Maximianum*, sed *Maximum* huic anno præposuere. Quorum opinio in Marcellino innititur: *Julianus jam ter Consul, ascito in collegium trabeæ Sallustio Præfecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat Magistratum. Et videbatur novum adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum.* Quòd si Maximianus Augustus Consul processit cum Januario, post Diocletianum & Aristobulum utique, *Adjunctus est Augusto privatus.* Verùm enimvero errante memoriâ ea prodidisse Marcellinum, Fastis monemur, tam Theonianis, quàm Idacianis, etsi Theoniani habeant *Maximinus Augustus*, quo etiam nomine ab Heraclianis appellatur, qui tamen de *Maximiano* sunt intelligendi, uti ex Consulatu proximo perspicuum est: *Diocletianus III. & Maximinus Augustus.* Sed & libellus de Præf. U. Maximianum cum *Januario* copulat, ut nil dubii sit, quin *post Diocletianum & Aristobulum, adjunctus sit Augusto privatus*, in gerendo Consulatu. Ac sane si cum Baronio in vicem Maximiani Augusti, Maximum substituerimus, secundum Maximiani Consulatum eâdem operâ ex Fastis eradamus. Nusquam enim alibi, quàm in hoc anno reperitur.

Maximianusne hoc anno Consul processerit?

Marcel. l. XXIII. cap. I.

II. Labente anno, XXI. Aprilis, die urbis Natali, Mamertinum Maximiano Augusto Panegyricum dixisse suum existimat Pagius, quem Norisius in annum sequentem pronunciatum esse voluit. Res sit in ambiguo. Quanquam si ex Quinquennalibus de rebus ejusmodi ferri judicium debeat, non Aprili mense hujus anni, quo nondum aderant Diocletiani Quinquennalia, sed anno potius CCLXXXIX. dici Panegyricus debuit. Non existimamus tamen ad Quinquennalia esse recurrendum, ut Maximiani in laudem oratio Panegyrica recitaretur. In præsentem sanè, aut sequentem Maximiani Quinquennalia non inciderunt. In eo Panegyrico semet ipsum blandiendo superat Mamertinus: *Italia quidem sit gentium domina, gloria vetustate, sed Pannonia virtute. An divinam generis tui originem recensebo, quam tu non modò factis immortalibus, sed etiam nominis successione testaris? An quemadmodum educatus, institutusque sis prædicabo, in illo limite, in illa fortissimarum sede legionum, inter discursus strenuæ juventutis, & armorum sonitus, tuis vagitibus obstrepentes? Finguntur hæc de Jove, sed de te vera sunt.*

Mamertini Panegyricus.

III. Anno CCLXIV. Maximus Dionysio Alexandrino successerat, cùm Episcopatum annis XVIII. tenuisset, anno CCLXXXI. ad plures abiit, cujus in locum Theonas sufficitur, qui annis XIX. Ecclesiæ præfuit. Quo tempore vir insignis floruit, nomine Pierius: *Pierius Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, sub Caro & Diocletiano Principibus, eo tempore quo eandem Ecclesiam Theonas Episcopus regebat, florentissime docuit populos,*

Pierius, Achillasque Alexandrini Presbyteri.

Hier. de Scrip. Eccl.

ANNO DOM. 288.

pulos, & in tantam sermonis diversorumque tractatuum qui usque hodie extant, venit elegantiam, ut Origenes Junior vocaretur. Constat hunc miræ ἀσκήσεως, & appetitorem voluntariæ paupertatis, scientissimumque Dialecticæ, & Rhetoricæ artis, & post persecutionem omne vitæ suæ tempus Romæ fuisse versatum. Hujus est longissimus tractatus de Propheta Osee, quem in pervigilio Paschæ habitum, ipse sermo demonstrat. De Pierio nonnulla quoque scitu jucunda prodit Photius: *De Patre & Filio piè credit, verum tamen de Spiritu Sancto periculosè nimis, atque parum piè docet, dum inferiorem esse gloria, quàm sit Pater & Filius affirmat. . . . Secundum Origenis nugas, dicit animas præexistere.* Photius, qui Pierii volumen legit librorum XII. *Stilus*, inquit, *illi clarus & perspicuus, & quasi spontè fluens, nihil exquisitum præ se fert, sed velut ex tempore fusus, placidè ac leniter sensimque decurrit.* Pamphili Martyris in Sacrarum Literarum studio Doctorem, atque Alexandrinæ Scholæ Præfectum fuisse ferunt. Nonnulli Pierium cum *Isidoro, germano fratre*, martyrii subiisse certamen credidere, quos coarguit Hieronymus. Eodem quoque tempore Alexandrinæ Presbyter Ecclesiæ Achillas floruit: *Sub Theona etiam Achillas, eodem quo Pierius tempore, Presbyterii honore decoratus, Alexandriæ claruit. Cui etiam Christianæ fidei institutio commissa erat. Hic præ cæteris omnibus sublimioris Philosophiæ, & Evangelicæ conversationis sincerum specimen Operibus ipsis exhibuit.*

Phot. pag. 299.

Euseb. l. 7. cap. 32.

ANNO DOM. 289.

ANNO U. C. 1042. OLYMP. 267. PER. JUL. 5002. JUL. 334. DOM. 289. DIOCLET. 6. MAXIMIANI 4. *Sol.* 18. F. *Lun.* 5. *Indict.* 7. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 2. P. 24. *Mart.*

COSS. Bassus II. & Quintianus.

Pomponius Januarius Præfectus Urbis.

Primisne imperii annis persecutionem moverit Diocletianus? Acta Asterii subdita.

I. CUm Augustæ Ecclesiasticæque Historiæ sterilitas huic anno dominetur, examinare visum nobis est, atque expendere, Baronii de multitudine Martyrum traditionem, quos ab initiis penè imperii Diocletianei morti missos esse prædicat. Ægææ in Cilicia, Augusti XXIII. in Martyrologio Rom. celebratur natale *SS. Martyrum Claudii, Asterii & Neonum fratrum, qui Christianæ Religionis à noverca accusati, sub Diocletiano Imperatore, & Lysia Præside, post acerba tormenta cruci affixi, victores cum Christo triumpharunt. Passæ sunt post eos Donnina & Theonilla.* Passionis annus in Actis indicatur: *Habita est passio hæc in civitate Ægea, sub Lysia Præside X. Kalendas Septembris, Dioclet. Augusto & Aristobulo Coss.* In eadem & urbe, & anno *Cosmas* & *Damianus* mortem invenisse dicuntur, de quibus multa narrantur in Adone, quæ vix fidem inveniunt. Arabes erant, professione Medici, quos concatenatos in mare mergi Lysias jussit. Sed Angelus, *Diruptis vinculis, eos è mari liberavit.* Sequenti die productos iterum Martyres, *Copiosi ignis in medio jactari* voluit. *Sed orantibus Sanctis, ignis virtutem suam amisit.* Superatus Præses, novo Martyres addixit supplicio: *Lapidibus in cruce levatos persequi jubet. At ictus lapidum in jacientes retorquentur. Martyrizati sunt B. Cosmas, Damianus, Anthimus, Leontius, & Eutropius,* XVII. *die mensis Septembris.* Anno CCLXXXVI. *Coss. Maximo, & Aquilino, tam immanem exertam esse persecutionem, ut nulli quidquam vel vendere, vel emere liceret, nisi parvis quibusdam statuis thura incenderet*, ex Actis Martyrum probat Baronius. Martyresque hujus anni numerat *Tiburtium, Zolam, Sebastianum* militem. Nos verò nullam annis CCLXXXV. & CCLXXXVI. Christianorum persecutionem fuisse persuasum habemus, testesque damus Eusebium, atque Lactantium, qui imperante Diocletiano vixerunt. Lactantius nil commotum persecutionis ait, nisi post debellatum à Galerio Maximiano Narseum, quod anno CCCVII. Maximiano Augusto V. & Galerio Maximiano II. Coss. contigisse, monet Idacius in Fastis: *Cùm ageret in partibus Orientis*, Diocletianus *ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus eorum ventura quærebat.* Cùm quidem ministrorum quibus fides inerat, signum crucis frontibus imposuissent, sacra turbata sunt: *Tunc irâ furens sacrificare non eos tantùm qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio jussit, & in eos si detrectassent, verberibus animadverti, datisque ad Præpositos literis etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, ut qui non paruissent, militia solverentur.* 2°. Ex Hieronymo liquet, à militibus incepisse persecutionem: *Veturius Magister militiæ Christianos milites persequitur, paulatim ex illo jam tempore persecutione adversus nos incipiente.* Est quidem controversia inter eruditos de initio militaris persecutionis hujus, ob diversas Chronici Eusebiani editiones. Nulla tamen est quæ non nisi post annum CCXCVII. Veturianam eam militum persecutionem incepisse tradat. Qui potuerunt igitur Ægeæ, sub Lysia Præside claram pro Christo tot Martyres mortem oppetere? Quos milites non egisse, certum exploratumque est. 3°. Complures in aula Diocletiani Christianos vixisse, cùm anno CCCIII. persecutionis promulgatur edictum, est in confesso: *Gloriosos atque illustres Dei Martyres ea tempestas tulit, Dorotheum scilicet, & reliquos cubicularios pueros.* Quos & cordi Imperatoribus, & honoribus affectos fuisse, testatur Eusebius *l.* 8. *c.* 6. Cui assentitur & Lactantius. Quòd si *Maximo* & *Aquilino*, Coss. anno CCLXXXVI. immanis orta fuisset ea persecutio, de qua Baronius commemoravit, in qua & Sebastianus periisse dicitur, *quem inter Primarios Palatii Diocletianus habuerat*, quis sibi inducat in animum, tot aulicis, Ministrisque Christianæ fidei adhærentibus, Diocletiani regiam abundasse, multis post annis CCLXXXVI. Nonne immani eâ persecutione, quâ negatum emere aut vendere, nisi numinum in honorem thus prius offerretur, Palatio, & dignitatibus ejecti fuissent? 4°. Annorum decem spatio Diocletianæ persecutionem circumscriptam fuisse, Veteres tradunt. Aures præbeamus Orosio: *Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente vastari Ecclesias, affligi, interficique Christianos, decimo post Neronem loco præceperunt. Quæ persecutio omnibus ferè anteactis diuturnior atque immanior fuit; nam per decem annos, incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, cædibus Martyrum, incessabiliter acta est.* Unde verò cruenti hujus decennii petendum sit initium, docuit & Orosius: *Secundo persecutionis anno Diocletianus ab invito exigit Maximiano, ut simul purpuram imperiumque deponerent.* Annus is erat CCCIV. Falsum igitur est, ab anno CCLXXXV. in Ecclesias invasisse Diocletiani furorem,

ANNO DOM. 289.

Lact. de Mort.

Euseb. Chron.

Oros. l. 7. cap. 25.

ANNO DOM. 289.

rorem, quo casu penè *vicennio* persecutio perdurasset. Pace igitur Ruinarti, Acta Claudii, Asterii, & aliorum Martyrum, qui Diocletiano & Aristobulo Coss. anno CCLXXXV. à Lysia ad mortem damnati dicuntur, pro germanis atque sinceris habere non possumus, cùm nullo Christianorum sanguine is annus respersus sit, Actaque pugnent Lactantio, Eusebioque, persecutioni Diocletianeæ coætaneis, quibus didicimus à militibus incepisse persecutionem. Jam verò nil militiæ, nisi quæ Christi est, exercebant Claudius, Asterius, Neon, Domnina, & Donatilla, quos acta perhibent, crudelissimâ morte peremptos. Ac sanè fabulatorem fuisse Actorum conditorem, eò liquet, quòd Ægeam urbem in Lycia collocarit: *Lysias Præses Provinciæ Lyciæ in civitate Ægea sedens pro tribunali.* Nullæ quidem in Lycia Ægeæ, licet nominis ejusmodi complures apud Stephanum urbes reperiantur. At Ægeas in Cilicia Geographi collocant juxta mare. Quem hunc ubi situm ascribit & Lucanus l. 3.

Act. Mart. Ruin. 279.

Mallos, & externa resonant navalibus Æga.

Sebastianum, Cosmam, & Damianum martyrio coronatos, faciles quidem largimur. Furente quoque, si lubet, Diocletiano passos esse concedemus. Alia verò tempora quàm quæ eorum martyrio Baronius ascribit, sunt omninò vindicanda. Miracula verò multa, quibus eorum pro fide certamen illustratur, ad fabulas Veteribus prorsus incognitas relegamus.

ANNO DOM. 290.

ANNO U. C. 1043. PER. JUL. 5003. JUL. 335. DOM. 290. DIOCLETIANI 7. MAXIMIANI 5. *Sol.* 19. E. *Lun.* 6. *Indict.* 8. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 3. P. 13. *April.*

COSS. Diocletianus IV. & Maximianus III.

Turrianus Gratianus Præfectus Urbis.

Carausii & Diocletiani fœdus.

I. CArausio multum minatus erat Mamertini Panegyricus: *Effugere pœnas non poterat, nisi haustu terra devoraretur, aut turbine aliquo in devia saxa raperetur.* Principum tamen Romanorum viribus non cessit *ille Pirata.* Non insulam remotiorem, non alium sibi optavit Oceanum: *Cum Carausio tamen, cùm bella frustra tentata essent, contra virum rei militaris peritissimum ad postremum pax convenit.* Extant nummi testes pacis hujus. Ex Gaza Medicea Numisma Clarissimus profert Norisius, cujus in antica cernitur Carausius, cum hac inscriptione: *Imperator C. Carausius P. F. Aug.* in postica: *Pax Augg.*

Eutrop.

Acta Tarachi num sincera?

II. Christianorum persecutionem non intermittebat Diocletianus, si creditur Baronio, cujus tantum apud Calvisium, Sueurium, aliosque non spernendæ eruditionis viros valuit autoritas, ut cum illustrissimo Purpurato, Tarachum, Probum, & Andronicum velint contra verbera, fustes & experimenta ignium, mortis pertulisse patientiam. Quæ Chronologia non immeritò displicuit Valesio: *Mendosa mihi videtur inscriptio illa Actorum Præsidialium*; nempe *Coss. Diocletiano IV. & Maximiano III.* scribendumque *Coss. Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Primò enim mentio fit in illis Actis præcepti Imperatorum, quo scilicet jussum erat, ut omnes Diis immortalibus sacrificarent. Hæc autem præcepta sunt anno XIX. Imperii Diocletiani. Deinde in capite IX. Præses dixit, Maledicis Principes, qui diuturnam, & altam pacem præstitere. Andronicus ait: Ego execratus sum pestem, & sanguibibulos, qui evertunt mundum.* Validis hisce machinis inscriptionem Actorum Proconsularium Tarachi, quæ legitur in Annalibus, evertit Valesius, atque perculit. Cæterùm si nostras cogitationes omnes explicare liceat, Actorum non inscriptio sola mendosa est, sed & Acta ipsa tota nobis subdita sunt, de quibus tamen hoc est judicium doctissimi Ruinarti, à quo Græceque Latineque Acta anno 1689. edita fuere: *Nullum ferè ex Antiquis monumentis, aut pretiosius, aut sincerius habere.* Antequam vero nostra proferamus argumenta, Acta à nobis edentur, non integra quidem, nam hoc esset longissimum, sed ipsæ summæ rerum, atque circumstantiæ, quæ nobis ad refellenda Acta argumento erunt.

Valef. Annot. in Euseb. 165.

Tharacus.

III. Tarachus, Isauriæ civitate Claudiopoli natus, militiam primum exercuit, quo tempore *Victoris* nomen sortitur. Cùm vero fidem coleret, castris emigrat, impetratâ à *Polybione* ex militia discedendi veniâ. Jam senex erat annorum 65. cùm *Maximo* Præsidi Tarsi Ciliciæ Metropoli agenti offerretur à *Demetrio* Centurione. Quis vocaretur, interroganti Præsidi, respondit Tarachus, *Christianus sum.* Repetitâ interrogatione, *Dic quis vocaris*, iterum respondit, *Christianus sum.* Tum iratus Maximus, dixit, *Frangite illi maxillas, dicentes aliud pro alio, noli respondere.* Imperanti sacrificare respondit: *Ego Deo meo sacrifico, non in sanguine, sed in corde mundo.* Neque admotarum corpori suo virgarum ictibus cedens, obtemperare unquam voluit, ut in fidem peccaret. Ferreis igitur catenis constrictus, carcere conditur. In alia urbe, *Mopsuestia* scilicet, Tarachus iterum ad Maximi Tribunal adducitur. Jubetur immolare; renuenti lapidibus franguntur dentes, atque comminuuntur. Cæditur iterum, quibus injuriis cùm Martyris expugnari constantia non posset, affertur ignis, quo Tarachi manus *exterminantur.* Doloris Victori pedes ligantur, fumusque naribus subjicitur, præstò dein sal est, nec non acetum, quæ in nares immittantur patientis. Tum Tarachus: *Fallunt te ministri, Præses, mel pro sinape infuderunt mihi.* Absolutâ confessione, ferreis vinctus catenis in carcerem ducitur. Tertiò sistitur ante tribunal *Anabarzi* Ciliciæ. Maximus reluctantem imperiis suis Tarachum suspendi jubet: deinde minas spernenti omnes frangere labia, faciem laniare jubet. Adducuntur posteà obelisci igniti, qui mammis apponuntur, affertur & novacula, aures abscinduntur, raditur caput, prunæ vertici imponuntur, caput pelle suâ nudatur, quibus tormentis cùm non frangeretur Tarachus, servatur proximo muneri ad bestias.

Probus.

IV. Probo, cui pater Thrax, natus erat in civitate Pamphiliæ Side. Plebeius erat, sed dives, qui opibus valedixerat, ut serviret Deo. Quem Tarsi sibi oblatum Maximus, *nervis crudis cædi* jussit. Verùm fidus Christi Martyr manantem plagis sanguinem pro unguento habuit. Abnuenti sacrificia numinum venter multis ictibus percutitur, quos fortiter pertulit. In carcerem reducto, manus & pedes stringuntur nervo. Mopsuestiæ dum præsens adesset Maximo, sacrificare Jovi jubetur. Quem Deum cùm *adulterum* Probus vocasset, in os quasi blasphemus cæditur. Deinde ferro ignito comburitur, capiti

rafo

Anno Dom. 290.

raſo primæ imponuntur, miriſque modis cruciatus carceri rurſus Martyr includitur. Tertiâ vice Præſidi, qui tum Anabarzi verſabatur, Probus ſiſtitur. Suſpenſo pedibus, candentes & obeli, & lateres apponuntur. Cùm doloribus ſuis major eſſet Probus, in os ipſi vinum & carnes de ara infunduntur. Candentibus quoque clavis, manus figuntur. Ad hæc Probus: *Gloria tibi, Domine, quoniam & manus meas dignatus es crucifigi in nomine tuo.* Tum ea imo pectore crudelitatem anhelans Maximus, pungi Martyris oculos jubet, ut luce omni careret, ſed pœna oculorum nulla fuit in viro, cui nil cæcitatis in mente fuit. Tormentorum victor in vincula abripitur.

Andronicus.

V. Andronicus genere nobilis, & genitore qui in urbe Epheſo eminebat editus, juvenis erat cùm in Tarſenſi civitate Maximo oblatus eſt, qui adoleſcentiæ miſertus, ad ſacrificandum impellere Martyrem voluit. Ad omnes cruciatus parato corpus percutitur, torquetur tibia, teſtæ ſamentis vulnera perfricantur, quo tempore vir nominis ſui clamat, *Corroboraſtis corpus meum.* Ferro deinde collum pedeſque vinctus, habetur in carcere. Mopſueſtiæ in judicium producto Andronico mentitur Maximus, Probum, Tarachumque tandem ad numina fuiſſe converſos, illumque hortatur ipſorum exemplis ut ſeſe addat. Ubi immotam Andronici mentem videt Maximus, nervis crudis renitentem ſacrificare, cædi jubet, ſale dorſum perfricari, in ventrem verberari. Ad hæc clamabat Andronicus: *Præſtò eſt nunc qui me curat, & ſalvat*, neque apparebant vulnerum veſtigia. Miranti Maximo: *Pegaſius Commentarienſis dixit, Nemo eum curavit, aut intravit ad illum, neſcio quomodo curatus ſit.* Tum juſſu Præſidis ad imo carceris detruditur. Anabarzi Maximi ante tribunal, ubi productus eſt Andronicus, ac minis omnibus obſiſteret, ignem ventri ejus Præſes apponi jubet. Incenduntur obeliſci, apponuntur inter digitos. Quin etiam renitenti vinum de altaribus, & carnes in os immittuntur. Cùm verò dixiſſet Andronicus: *Ego maledico Poteſtates & ſanguibibulos, qui ſeculum evertunt*, hæc ingerenti dentes excutiuntur, lingua excidiтur, comburitur, in cineres redigitur.

Mors Tarachi, Probi & Andronici.

VI. Martyrium ſic obiiſſe Confeſſores, in Actis legitur. Ciliciarcham Terentianum Maximus juſſit alterâ die parare munus civitati. Ubi jacentium gladiatorum corpora à feris devorata ſunt, Martyres jubentur adduci. Vectoribus impoſiti, quia ignium vi cruciatis ambulare negabatur. Vix in medio amphitheatri collocabantur, cùm iniquo Maximi judicio complures ſpectatorum permoti, abiere ſpectaculo, non ſine murmure, quos Præſes notari juſſit. In Adronicum, Probum, Tarachum immiſſæ feræ, ab eorum corporibus abſtinent. Iratus Maximus, virgas admovet cuſtodibus, quibus & mandat atrociſſimam beſtiam dimittere. Quem illâ ipſâ die tres homines occidiſſe dicebant, ſæviſſimum urſum immittunt, qui cùm ad Andronicum veniſſet, ſedens lingebat vulnera ejus. Andronicus verò ponens caput ſuper urſum: *Eum inſtigabat ut iraſceretur, & celerius redderet ſpiritum.* Quare percitus Maximus, juſſit urſum occidi. Tum Terentianus caire juſſit leænam ab Herode Antiochenſi Syriarcha miſſam, quæ ſpectatoribus timori fuit. Quæ cùm veniſſet *ad Tarachum, depoſuit ſe ante pedes ejus, quaſi eum adorans.* Quo viſo, Maximus *juſſit leænam provocari, quæ cum magno rugitu poſticam confregit, ut omnis populus à pavore clamaret, Aperiatur leæna.* Introducuntur dein gladiatores, qui Martyres interfecere. Dum recedit Maximus, reliquit in amphitheatro x. milites, ut Martyrum corpora gladiatorum cadaveribus permiſcerent. At *Marcion, Felix, & Verus*, cùm precibus Deum ambiiſſent, ut Sanctorum corpora oſtenderet, ecce *ſubitò terra motus, fulgura, tonitrua.* Ubi verò vis tempeſtatis evanuit focum, quem vigilandi cauſâ milites accenderant, inveniunt extinctum. Cuſtodes autem tempeſtatis metu ſeſe fugæ mandarant. Iterum Marcion, Felix, & Verus Deum rogant, Sanctorum ut oſtendat reliquias: Qui *ſubitò ſtellam ſplendidam de Cœlo miſit, quæ ſedebat ſuper ſingula corpora Sanctorum*, ſed & *ſplendor ſtellæ* illos *antecedebat*, qui Martyrum vehebant exuvias, *iter demonſtrans.* Neque ſtella receſſit, donec veniſſent in montis partem, in qua Sanctorum corpora collocarunt. Maximus verò milites affecit ſupplicio, quòd corpora Martyrum non inveniſſet.

Anno Dom. 290.

Acta Tarachi ſubdita ſunt.

VII. Summa Actorum hæc eſt: Utrùm verò *non ſolùm ex ipſa eorum lectione, ſed etiam ex omnium eruditorum conſenſu certum ſit, nullum ferè ex antiquis monumentis aut precioſius, aut ſincerius haberi*, nunc eſt videndum. Non ii quidem ſumus, qui inficiemur, furente Diocletiano Martyres fuiſſe aliquos nomine Probi, Tarachi, Andronici donatos, qui Anabarzi præclarâ morte coronati ſunt. Quippe non ignoramus, magnam ubique locorum editam Chriſtianorum ſtragem fuiſſe. At non ſi Tarachus, Probus, Andronicus exceſſere martyrio, ideò germana ſunt, quæ Sanctorum horumce Martyrum Acta feruntur. Primùm omnium immania, quæ variis in urbibus, tormenta, repetitis vicibus, toleraſſe dicuntur, à figmentis Græculi alicujus propius abſunt. Neque in certis, legitimiſve Antiquitatis monumentis Martyr eſt, qui tam exquiſitis ſuppliciis cruciatus fuerit. Ubi Chriſtiano dignam conſtantiam exhibuerat, morti continuò addicebatur. Non oculi effodiebantur, non lingua excindebatur, non ſale & aceto perfricabatur. Debentur hæc omnia Actorum conditori, movendis lectorum affectibus. Ac ſanè contra ipſius Diocletiani leges, tot tantiſque cruciatibus tortus à Maximo fuiſſe Tarachus dicitur. Tarachus militiam coluerat. De militibus autem extat Diocletiani reſcriptum ejuſmodi, ad Saluſtium Præſidem: *Milites neque tormentis, neque plebeiorum pœnis in cauſis criminum ſubjungi concedimus, etiamſi non emeritis ſtipendiis ſuis videantur eſſe dimiſſi, exceptis his qui ſcilicet ignominioſe ſunt ſoluti, quod & in filiis militum & veteranorum ſervabitur.* Jam verò Tarachus militiam exercuerat, eâque non ignominioſè ſolutus fuerat: *Precatus ſum*, inquiebat, *Publionem qui ordines ducebat, & dimiſit me.* Eſtne igitur credibile Tarachum militarem iis tortum fuiſſe modis, quibus dicitur, in triplici confeſſione ſua, igne membris admoto, fumo, ſale, aceto naribus immiſſo? 2°. Martyrum mos ille fuit, ut Imperatores, vel ſæviſſimos & Eccleſiæ iniquiſſimos, veluti Dei ſui animatam imaginem, multâ veneratione proſequerentur. Sanctis auribus verba Pauli perpetuò reſonabant: *Non maledices Principi populi tui.* Atqui Andronicus, Probus & Tarachus in Actis perpetuas Imperatoribus contumelias inferunt, atque Maximo, qui

Cod. Leo Tit. 41. de Quæſtionibus l. 8.

Act. Tarac. c. 1.

Act. 21.

Pro-

ANNO DOM. 290.

Act. Thar. c. 3.

Proconsulis nomine Ciliciam administrabat: *Athanasius Corniculari us dixit, Obtempera τῷ ὑπατικῷ, Consulari.* Anno quidem CCXXXVI. Maximus Consul processerat, ideoque furente persecutionis procellâ Ciliciam regere, ut *Consularis* potuit. Quis ergo credat Andronicum verum Martyrem, spiritûs Christi sui plenum, hæc ingessisse amplissimæ dignitatis viro: *Vos ipsi patrem habetis Satanam, nam filii Diaboli estis*, c. 3. Et inferius c. 9. *Insensate & Dei contemptor, omni cogitatione Satana plenus es totus, qui omnium bestiarum ferocior es, & omnium homicidarum sceleftior.* Nil miri tamen quæ Proconsuli debebatur, omisisse venerationem, cùm amarioribus dictis ipsos & Imperatores incesserit Andronicus: *Ego maledixi, & maledico Potestates, & sanguinibibulos, qui seculum evertunt, quos Deus brachio suo evertat, & conterat, & perdat, & det super eos iram*, c. 9. Hæc sunt dicta furentis, non Martyris, qui *orare debuit pro iis, qui se persequebantur.* Jocularis est Tarachi distinctio. Dixerat *Imperatores errare multo errore Satana*, qua de causa verberatur. Tum quasi dictum excusaturus: *Ego dixi & dico, quoniam errant quasi homines*, cap. 1. Quæ cùm legeremus, subit animum cantata illa distinctio, quâ scholæ personant, Papam *quâ hominem* errare, non *quâ Papam*. 3°. Ducimus argumentum ex miraculis, quibus totum scatet Andronici, Tarachi, Probique martyrium. Plagæ quibus totus coopertiebatur Andronicus, subitò evanuerunt, mirante & Maximo Præside, & Pegasio Commentariensi, c. 6. Ursus sævissimus cruenta Andronici vulnera lambit, ex fera immani quasi subinde mutatus in catellum Melitensem. Ferocissima leæna, quæ rugitibus suis terrori erat omni populo, ad pedes cecidit Tarachо, quasi illum adorans: coortus subitò terræ motus gravisque tempestas, milites qui foco assidebant, ad custodienda Martyrum corpora, vertit in fugam: denique, quasi nulla fuissent in sanctis exuviis indicia, quibus à gladiatorum cadaveribus secerni possent, non effossi oculi, non aures præcisæ, non candentium ferrorum corporibus admotorum vestigia, stellæ cæleſtes sanctis exuviis insident, Marcionique Vero, & Felici viam monstrant ad sepulturam. Ni aberret calculus, sex ecce miracula id illustrant martyrii, quo Veterum in monumentis nullum aut clarius inveniri potest, aut augustius. Præ illo sordent Polycarporum, Cyprianorum, Heroumque ejusmodi passiones. Qui fit ergo, ut oppetitum Anabarzi ab Andronico, Probo, Taracho martyrium, ab Eusebio diligentissimo horum talium venatore, ne minimo quidem verbulo celebretur? Tantorum fama miraculorum potuitne non opplere aures Scriptoris, & coætanei, & in vicina Provincia Episcopatum gerentis? 4°. In Actis nobis argumentum fœnerant falsissima Actorum Epocha. Constat, Acta omnia Proconsularia Consulatibus consignari, quo suis temporibus aptè dividerentur. Atqui in variis exemplaribus Consulatus non variant modò, verùm etiam annis persecutionis Diocletianæ respondere nequeunt. Græca habent, *primo Diocletiani Consulatu.* Absurdissimè, cùm suffectus ille fuerit, atque à Diocletiano gestus, quo tempore ad honores Augusteos nondum ascenderat. Acta à Baronio edita, Consulatu Diocletiani IV. & Maximiani III. consignantur. Quo tempore Christianum sanguinem nondum sitiverant, atque potarant. Quibus apparet & promptum est, Actorum conditorem diu post fata Diocletiani floruisse, utpote qui sibi finxerit, totum penè Principis hujus regnum sanguine Christiano inundatum, quod & posteri Martyrologorum Scriptores sibi in animum induxere. Nostri is accedat & argumentis illud quod solvi non metuit. Verba hæc sunt Maximi c. 9. *Iniquissime, non scis quem invocas Christum, hominem quendam factum, sub custodia Pontii Pilati punitum, cujus & Acta reposita sunt.* Acta verò hæc Pilati fabricata sunt Diocletiano & Maximiano jam ad privatam fortunam redactis. Testetur Eusebius: Cùm *Acta quadam apud Pilatum super Servatore nostro habita composuissent plena impietatis adversùm Christum, ea per omnes Provincias imperii Maximini, ipso jubente diriguut.* Porro Maximinus Cæsar vocatus est, dum Diocletianus & Maximianus abeunt imperio anno 305. Augustus verò dictus anno CCCVII. quibus Sole clarius est, Diocletiano & Maximiano imperantibus Maximum Acta Pilati memorare non potuisse, quæ ad minimum triennio post Diocletiani & Maximiani abdicationem lucem aspexere.

Euseb. l. 9. c. 5.

ANNO DOM. 291.

ANNO U. C. 1044. PER. JUL. 5984. JUL. 336. DOM. 291. DIOCLETIANI 8. MAXIMIANI 6. *Sol.* 20. *D. Lun.* 7. *Indict.* 9. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 4. *P.* 5. *April.*

COSS. Junius Tiberianus II. & Cassius Dio.

Junius Tiberianus Præfectus Urbis.

Achillei rebellio: Augusti Mediolanum veniunt.

I. PErniciosam in Ægyptum seditionem Achillei induxit ambitio. Imperium usurpat, quod sexennio tenuit, ad annum usque CCXCVI. quo à Diocletiano debellatus est. Plures Achillei nummos exhibet Scaliger in Animadversionibus. Cùm igitur gravissimum ex ea rebellione malum exoriretur, placuit Augustis venire Mediolanum, ubi de creandis Cæsaribus consilium ineunt. Eorum adventum describit Mamertini Genethliacus: *Quâ tandem vice temporum? Qua tempestatis habitu? Nempe hyeme sævissimâ, & in his quoque regionibus insuetâ, cùm algor, glacies nivem premerent... Quid illud, Dii boni? Quale pietas vestra spectaculum dedit, cùm in Mediolanensi palatio, admissis qui sacros vultus adoraturi erant, conspecti estis ambo, & consuetudinem simplicis venerationis geminato numine repentè turbastis?... Ut verò limine egressi, per mediam urbem simul vehebamini, tecta ipsa se, ut audio, penè commoverunt, omnibus viris, fœminis, parvulis, senibus, aut per superiora adium liminis imminentibus.*

Meletius Ponti Episcopus.

Euseb. l. 7. c. 32.

II. Eo tempore vir insignis floruit Meletius, Ponticis Ecclesiis Præfectus: *Meletium, quem vulgò mel Atticum docti homines vocabant, talis omninò fuit, qualem quis hominem perfectissimum in omni genere doctrina vellet describere. Eloquentiam quidem quod attinet, nemo illam pro merito laudaverit. Reliquam verò peritiam, ac multiplicem eruditionem, quis est qui possit unquam superare?.. Jam verò virtus vitaque sanctimonia, nullatenus iis dotibus inferior erat.* Meletium persecutionis tempore in Palestina septennio latitantem vidit Eusebius.

ANNO

Anno Dom. 292.

Anno U.C. 1045. Per. Jul. 5005. Jul. 337. Dom. 292. Diocletiani 9. Maximiani 7. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 8. *Indict.* 10. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 24. *April.*

Coss. Annibalianus & Asclepiodotus.

Claudius Marcellus Præfectus Urbis.

Constantius & Galerius creati Cæsares.

I. REmoti studiis tranquillitatis animi, in Occidentalibus Meridionalibusque imperii partibus seditiones movebant. Busiris & Coptos in Ægypto rebellabant. Julianus in Italia imperium arripuerat. Placuit igitur Imperatoribus, Cæsares creari Julium *Constantium*, atque *Galerium*, quos etiam in affinitatem vocaverunt. Diocletiano filia erat *Valeria*, quam ex *Prisca* uxore susceperat. Maximiano Herculio nata *Theodora*. Hæc Constantio, illa Galerio destinatur: *Prior Herculii privignam, alter Diocletiano editam sortiuntur, diremptis prioribus conjugiis, ut in Nerone, Tiberio, ac Julia* filia Augustus *quondam fecerat.* Die Kal. Martii creatos esse Cæsares, Fasti testantur Idacii. De illa quoque die inscriptus Maximiano Panegyricus: *O Kalendæ Martiæ, sicut olim annorum volventium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum! Quanta enim invictissimi Principes, & vobis, & Reipublicæ propagatio, orbis vestri participando tutelam!* Galerium Armentarium novo etiam nomine Diocletianus induit, quod admissâ Anglicanâ Lactantii emendatione, uti admitti debet, perspicuè colligitur: *Jam & ipsi (Galerio) Diocletianus nomen ex parte mutaverat ominis causâ, quia Maximianus fidem summâ religione præstabat.* Cùm enim Maximiani Herculii fides erga se summa fuisset, communicato ejus nomine, fidelitatem quoque se inditurum Galerio arbitrabatur. Hanc Augustorum concordiam celebrat Mamertinus in Genethliaco: *Quæ ulla unquam videre secula talem in summa potestate concordiam? Qui germani geminive fratres in diviso patrimonio tam æqualiter utuntur quàm vos orbe Romano? Ex quo profectò manifestum est, mentes cæterorum hominum esse humiles & caducas, vestras verò cælestes, & sempiternas.* Tot porro Principum multiplicatio Reipublicæ oneri fuit. Qua de re verba Lactantii sunt in observatione ponenda: *Tres participes regni sui fecit, in quatuor partes orbe diviso, & multiplicatis exercitibus, cùm singuli eorum longè majorem numerum militum habere contenderent, quam priores Principes habuerant, cùm soli Remp. gererent. Adeò major esse cœperat numerus accipientium, quàm dantium, ut enormitate indictionum, consumptis viribus colonorum, desererentur agri, & culturæ verterentur in sylvam.* Neque incommoda dissimulavit Aurelius Victor: *Hinc denique parti Italiæ invectum tributorum ingens malum.* Ingruentibus bellis, in partes dividitur imperium: *Quoniam bellorum moles urgebat, quasi partito imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa. Africa Italiaque Herculio; Illyricique ora, ad usque Ponti fretum Galerio; cætera Valerius retentavit.*

Vict. de Cæs.

Lact. de Mort. c. 18.

Lact. de Mort. c. 7.

Utrùm anno 291. an sequente Constantius & Galerius creati Cæsares?

II. De die, quo Constantius Galeriusque creati Cæsares, eruditorum consensio quidem, de anno verò discordia est. Fasti enim Idaciani, Calvisius, Valesius, Capellus anno superiori Cæsarum affixere creationem. Nos magis assentimur Græcis Scaligeri Collectaneis: *Novo Diocletiani anno, Constantium propter luteum vultus colorem, Chlorum nuncupatum, & Maximianum Galerium Cæsares fecere.* Annus verò Dom. 291. Diocletiani *novus* non fuit. 2°. Nostram Chronologiam veram esse, ostendit rescriptum Galerii: *Imperator Cæsar Galerius, Valerius, Maximianus, Invictus, Augustus. Tribunitiæ Potestatis* XX. *Imperator* XIX. *Consul* VIII. *Pater Patr. Proconsul.* Rescripti tempus ab injuria temporis Lactantius vindicavit: *Hoc edictum proponitur Nicomedia, pridie Calendas Majas ipso (Galerio) octies, & Maximino iterum Coss.* Annus erat Christi CCCXI. Jam verò si Calendis Martii anni CCXCI. Maximianus Galerius Cæsar nuncupatus, non vigesimam sanè, sed primam & vigesimam Tribunitiam Potestatem agens, edictum promulgasset, uti numeranti liquet; ut mirum sit, magnum Chronologum Calvisium in Historia Eusebii opinionis suæ fundamenta collocasse. 3°. Lactantius Chronologiæ nostræ præsidio est: *Jam decimus & octavus annus agebatur, cùm percussit eum (Galerium) Deus insanabili plagâ. . . & hæc facta sunt per annum perpetem.* Cùm igitur obierit Galerius, anno CCCXI. & imperii XIX. Calendis utique Martii anni CCXCII. Cæsareâ dignitate ornatus est. Quod egregiè illustrat Lactantius in sequentibus: Galerius *horrendâ tabe consumptus est, idque cognitum Nicomediæ, cum futura essent vicennalia, Kalendis Martiis impendentibus* c. 35. Quæ dubio procul futuræ erant anno CCCXII. utpore quæ dictum pridie Calendas Majas propositum excepere. Denique Excerpta Valesii de Constantino M. testantur Galerium *imperasse annos* XIX. Est igitur imperii initium Martii currentis anni primo illigandum, quod Baronius, Pagiusque tradidere.

Lact. de Mort. c. 35.

Lact. de Mort. c. 33.

Constantius Cæsar. Mores ejus. Uxores.

III. Constantius Claudiam Crispi, qui Claudio Augusto frater erat, filiam matrem habuit, patrem Eutropium, *Nobilissimum gentis Dardanæ virum.* A faciei colore *Chlori* cognomen habuit. Tantæ virtutis erat, ut eo tempore, quo *Præsidatum Dalmatiæ administrabat*, ipsum in Carini locum Carus subrogare voluerit, quia *Constantio nemo tunc vir melior videbatur.* Ferunt etiam Aurelianum consuluisse Druidas, utrùm apud posteros ejus imperium permaneret. Tum illos respondisse: *Nullum clarius in Republica nomen, quàm Claudii posterorum futurum. Et est quidem jam Constantius Imperator, ejusdem vir sanguinis, cujus puto posteros ad eam gloriam quæ à Druidibus prænuntiata sit, pervenire.* Quæ Vopisci verba sunt in Aureliano c. 44. Constat *naturâ fuisse mitem*, utpote qui commotâ gravissimâ persecutione à fundendo Christianorum sanguine temperarit. Protector primùm, exinde Tribunus, posteà Præses Dalmatiæ fuerat. Helenam mulierem *vilissimam*, Daciæ Nayso, ut conjectura est, ortam, vel *uxorem* habuit, vel *concubinam*. Qua de re variant Autores. Zozimus: *Constantinus*, inquit, *natus ex consuetudine mulieris, quæ matersamilias non esset, nec in manum Imperatori Constantio legitimè convenisset.* Constantio tamen uxorem Helenam fuisse prodit Aurelius Victor: *Diremptis prioribus conjugiis,* Theodora Constantio, Valeria Galerio nupsit. Excerpta quoque Valesii: Constantius *relictâ Helenâ priore uxore, filiam Maximiani Theodoram duxit uxorem.* Ni fallamur conjecturâ, concubina primum, deinde uxor Constantio fuit Helena. Conditionis humilitas indicio est concubinam fuisse, quo tempore

Treb. Pol. Claud. c. 13.

Vop. Carin. c. 17.

Zoz. l. 2. c. 1.

ANNO DOM. 292.

Constantinum peperit. Quam tamen lapsu temporis justæ uxoris loco habuit. Quod non ex Aur. Victore modò, verùm etiam ex Eutropio scire licet: *Ambo*, Constantius scilicet, atque Galerius, *quas habuerant, repudiare compulsi*. Ex Theodora complures liberos suscepit: Ex Theodora *posteà sex liberos Constantius fratres babuit*. Tres masculini, tres quoque fœminei sexus. Mares *Dalmatius*, *Constantius*, *Annibalianus*; fœminæ *Constantia*, quæ Licinio nupsit; *Eutropia*, & *Anastasia*. Porro de matre Constantini Helena hæc scripto mandavit Nicephorus: *Constantius ab Occidente in Orientem navigans ad locum, qui Drepanum dicitur, applicat. Situm est Drepanum ad Nicomedia sinum. Ibi Constantio desiderium concubitus incessit. Quod ubi cognovit hospes ejus, magnificentiâ & splendore ipsius regio permotus, filiam ei suam, venustâ formâ ætatisque flore jam nubilem conciliat. Ille cum ea rem habet, concubitusque mercedem peplum ex purpurâ intextum donat.* Hanc Baronius narrationem refellit, quia Helena filia erat *unius è Britanniæ Regulis*, *nomine* Coel, & *apertissimè constet Constantinum in Britannia esse ortum.* At figmentum alio Baronius figmento refellit: *Constantinus enim natus Helenâ matre vilissimâ in oppido Naiso, atque eductus*, ut habent Excerpta Valesii, quod testatur & Stephanus de Urbibus. Fabula verò Nicephori eò refellitur, quòd non multò antè quàm Constantius Cæsar crearetur, tradit gravidam ab eo Helenam factam, quod absurdissimum; cùm vix annos natus XVI. Constantinus fuisset, cùm imperium adeptus est. Commentum est & Nicephori, quòd comitatu regio puerum Constantinum unà cum matre Romam adduci curaverit, veritusque Theodoræ æmulationem, illum Diocletiano Nicomediam miserit.

Eutrop.

Niceph. l. 7. c. 18.

Baron. An. 306. n. 16. & 21.

Galerius Cæsar: mores ejus.

Vict. Epit.

IV. Galerio sordidi obscurique natales. Ortus erat ex Dacia Ripensi *haud longè à Sardica*, matre cui *Romula* nomen: *Galerius autem fuit, licet incultâ agrestique justitiâ, satis laudabilis, pulcher corpore, ortus parentibus agrariis, Pastor armentorum, unde ei cognomen Armentarius fuit.* His verò Galerium coloribus pingit Lactantius: *Alter verò Maximianus, quem sibi generum Diocletianus asciverat... omnibus qui fuerunt malis, pejor. Inerat huic bestia naturalis barbaries, efferitas à Rom. sanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus Transdanuviana infestantibus Carpis, in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, status celsus, caro ingens, & in horrendam magnitudinem diffusa, & inflata. Denique & verbis, & Actibus, & aspectu terrori omnibus, ac formidini fuit.* Stultissimâ ambitione *Romulam* matrem stupro infamavit, ut Diis oriundus videretur: *Is insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis, Alexandri Magni creatricis, compressam dracone, semet concepisse.* Non ex Jove tamen, sed *ex Marte se procreatum, tanquam alterum Romulum* videri voluit. Eximius & felix bellator fuit. Ex priore conjuge filiam habuit, *Magnam Urbicam* eruditis dictam, quæ *Maxentio* Maximiani Herculii filio nupsit. Repudiatâ priori uxore, *Valeriam*, Diocletiani ex *Prisca* filiam duxit, ex qua nullos liberos tulit. Creatis his Cæsaribus, Imperatorum generis Romanus orbis quatuor in partes dividitur, diuque retenta concordia. Ascribamus verba Vopisci, in quibus tamen aliquid apparet adulationis: *Diocletianum & Maximianum Principes Dii dederunt, jungentes talibus viris, Galerium atque Constantium. Quorum alter natus est, qui acceptam ignominiam Valerianæ captivitate deleret, alter qui Gallias Romanis legibus redderet. Quatuor sanè Principes mundi, fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales, unum in Rep. sentientes. Præterea Senatus Rom. moderati, populo amici, potestate graves, religiosi, & quales Principes semper oravimus.* Hoc forte anno *Julianus*, qui in Italia imperium usurparat, *Acto per costas pugione, in ignem se conjecit.*

Vict. Epit.

Lact. de Mort. c. 9.

Prob. Carin. c. 19.

ANNO DOM. 292.

Vict. Epit.

ANNO U. C. 1046. OLYMP. 268. PER. JUL. 5006. JUL. 338. DOM. 293. DIOCLET. 10. MAXIMIANI 8. *Sol.* 22. A. *Lun.* 9. *Indict.* 11. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 7. P. 9. *April.*

ANNO DOM. 293.

COSS Diocletianus V. & Maximianus IV.

Septimus Acyndinus Præfectus Urbis.

I. CArausio artis militaris peritissimo pacem Augusti concesserant: *Jussis ad munimento incolarum, contra Gentes bellicosas opportunior habitus erat.* Dum optimus Britanniam imperiis regit, Principatus septennio, socii perfidiâ extinguitur. Facinoris autor *Allectus*, qui Britannias triennio tenuit.

Allectus Carausium occidit.

II. Ex Metaphrastis thesauris Baronius Annales suos Martyrum cruciatibus locupletat. Domna virgo Gentilis, Sacerdotum maxima, cùm Christi religionem amplexa fuisset, unà cum *Inde*, Barbaro Eunucho, Servatoris cultore, in carcerem à Præfecto detruditur. Confessorum cubiculum ingressus *invenit divina crucis figuram, Apostolorum Deo gratas actiones; fictile thuribulum & lucernam, & ligneam arculam, in qua reposuerant Eucharistiam.* Domna in carcere *simulavit insaniam, arrepta à Dæmone speciem præ se ferens.* Meritò insanis addiceremur, si figmenta ejusmodi lectoribus obtruderemus pro germanis Martyrum Actis. Historiam scribimus, non fabulas, superstitiosis quæ placeant. Anno currente nil persecutionis Nicomediæ commotum. Publica Christianis erat Ecclesia, è regione palatii constituta, anno duntaxat CCCIII. diruta. Atqui si in vivum verumque Dei Templum, Nicomediæ sævîisset furor Ethnicus, quantò magis in parietes? Immissi undique ministri, securibus & ferramentis Ecclesiam solo adæquassent, Scripturis non pepercissent, quæ tamen Nicomediensi in *conventiculo* quietè repositæ sunt ad usque Edictum Diocletiani, quibus dirutum est. Quærat & peregrinos Baronius, quibus persuadeat, cruces, thuribula, & lucernas, anno 293. sacram Christianorum fuisse suppellectilem, ut honori essent Eucharistiæ privatorum in arca reconditæ.

Domna & Indes acta subdita.

Bar. An. 293.

ANNO

ANNO DOM. 294.

ANNO U. C. 1047. PER. JUL. 5007. JUL. 339. DOM. 294. DIOCLETIANI 11. MAXIMIANI 9. *Sol.* 23. G. *Lun.* 10. *Indict.* 12. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 1. P. 1. *April.*

COSS. Flav. Valerius Constantius Cæsar, & C. Galerius Maximianus.

Septimius Acyndinus Præfectus Urbis.

Carpi debellantur.

Cod. L. 4. Tit. 16. l. 4.

Cod. L. 4. Tit. 16. l. 5.

I. ANno superiore, Diocletianus in Panno-niam se contulerat, *Sirmiique*, de pupillo hærede Legem dederat x. *Kal. Decembris.* Anno currente in eadem quoque civitate versabatur, uti liquet ex Lege, *Si creditor debitori successerit*, nomine Augustorum & Cæsarum promulgata, *dataque pridie Non. Mart. Sirmii* C. C. *Coss.* Neque dubia causa est, cur cum Galerio genero hanc in regionem migrarit. Lacertos movebant Carpi, atque Bastarnæ, quibus occurri debuit. Fasti quidem Theoniani habent, Constantio & Maximiano Coss. *Castra facta in Sarmatia, contra Acineo, & Bononia.* Acineum illa ipsa urbs est *Aquisum*, cujus meminit Ptolomæus in Pannoniæ inferioris descriptione l. 2. c. 16. Quæ hodie *Buda* nuncupatur, in eadem & regione sita *Bononia.* Ad annum usque sequentem protractum bellum. Fasti Idacii: *Tusco & Anulino Coss. Carporum gens universa in Romania se tradidit.* Postmodum tamen ad nova bella Barbari consurrexere. Itaque Pagio assentiri haud possumus, qui bello hujus anni Sarmatico Eutropii verba accommodavit. Alias omninò pugnas memorat Eutropius, quæ Narsei cladem excepere. Quâ narratâ hæc addit: *Varia deinceps & simul, & viritim bella gesserunt*, Diocletianus scilicet atque Galerius, *Crapis & Bastarnis subactis, Sarmatis victis.*

Europ. l. 9.

Diocletianus adorari voluit.

II. Abdicatâ mortalium conditione, humanum excedere fastigium Diocletiano placuit. Ad hunc quippe annum in Chronico Eusebiano legimus: *Primus Diocletianus adorari se ut Deum, & gemmas vestibus calceamentisque inseri jussit. Cùm ante eum omnes Imperatores in modum Judicum salutarentur, & chlamydem purpuream à privato plus haberent.* Superbiæ tamen Diocletiani exemplum præbuerant Caligula, Domitianusque, quod & observatum Aurelio Victori de Cæsaribus: *Se primus omnium Caligulam post, Domitianumque, Dominum dici passus, & adorari se, appellarique uti Deum.* Hinc venusta Scriptori huic observatio: *Queis rebus quantum ingenium est, compertum habeo, humillimos quosque, maximè ubi alta accesserunt, superbiâ atque ambitione immodicos esse.* Moris tamen videbatur, adorari Imperatores cùm purpuram primùm induerent, quod in suis ad Lactantium notis firmat clariss. Baudri autoritate Vopisci in Saturnino: *Cùm cogitare cœpisset, tutum non esse, si privatus viveret, depositâ purpurâ ex simulacbro Veneris syslade uxoriâ militibus circunstantibus amictus & adoratus est.* At Diocletianus & perpetuò, & ab omnibus cujuscunque dignitatis adorari voluit. Quod ex Lactantio liquet: *Maxentius hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosa ac mala mentis, adeò superbus & contumax, ut neque patrem, neque socerum solitus sit adorare.* Quibus indicatur, & id honoris seniori Augusto fuisse à Maxentio exhibitum & ipsos Senatores Maximianis genua posuisse, quâ veneratione Maxentium contumaciâ suâ prohibuit. Neque ut observavimus alibi, primus Diocletianus gemmas vestibus calceisque inseruit. De Aureliano gravissimo cæteroquin Principe, Victoris Epitome: *Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisque & auratâ omni veste, quod adhùc ferè incognitum Romanis moribus videbatur, usus est.*

Lact. de Mort. c. 18.

ANNO DOM. 295.

ANNO U. C. 1048. PER. JUL. 5008. JUL. 340. DOM. 295. DIOCLETIANI 12. MAXIMIANI 10. *Sol.* 24. F. *Lun.* 11. *Indict.* 13. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 2. P. 21. *April.*

COSS. Nummius Tuscus & Annius Anulinus.

Aristobulus Præfectus Urbis.

Constantii Thesaurus in subditorum opibus.

I. COnstantius Cæsar mansuetudine atque in omnes benignitate celebris erat, quodque ob incredibilem erga subditos indulgentiam, nullam pecuniam in thesauris reconditam haberet. Diocletianus igitur, missis hominibus, objurgavit ejus in Republ. gerenda negligentiam, & paupertatem ipsi probro vertit, hoc maximè argumento fidem dictis faciens, quòd nihil in thesauris reconditum haberet. At ille eos qui ab Imperatore venerant rogavit, ut apud se aliquantisper morari vellent. Deinde ex omnibus Provinciis, quæ ipsius imperio parebant, convocato opulentissimo quoque se pecuniâ opus habere iis significavit: hancque occasionem oblatam esse, quâ suam quisque erga Principem benevolentiam sponte declararet. Hoc audito, confestim auro & argento ac reliquis opibus thesauros ejus compleverunt, ambitiosè certantes inter se, ut se invicem in largiendo superarent. Post hæc Constantius Diocletiani Legatos thesaurorum suorum spectatores esse jussit, & ea quæ vidissent renuntiare. Se quidem in præsentiarum hæc apud se congregasse. Cæterùm ea jampridem apud ipsos Dominos tanquam apud fidos depositarum opum custodes sibi servari. Post Legatorum discessum Constantius obsequio subditorum erga se laudato, jussit ut cunctis opibus suis receptis, domum reverterentur. Quod præclarum facinus non repugnante Chronologiâ hunc in annum contulimus.

Euseb. Vit. Const. l. 1. c. 14.

Quinquegentiani à Maximiano victi.

II. Diviso orbe Romano, Africa Italiaque Maximiano Herculio commissa fuerat. Africam *Quinquegentiani* infestabant. Illi ipsi populi sunt, qui Pentapolim incolebant. A quinque illius regionis civitatibus nomen accepere, Cyrenis, Ptolemaide, Arsinoë, Darnis, & Berenice. Quinquegentianos Maximianus in Africa perdomuit.

ANNO DOM. 296.

ANNO U. C. 1049. PER. JUL. 5009. JUL. 341. DOM. 296. DIOCLET. 13. MAXIMIANI 11. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 12. *Indict.* 14. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 5. *April.*

COSS. Diocletianus IV. & Constantius Cæsar II.

Cassius Dio Præfectus Urbis.

Achilleus extinguitur.

I. AChilleus qui sexennio tyrannidis in Ægypto potitus erat, gravissimas tandem

dem ambitionis suæ pœnas pependit. Profectus in Ægyptum Diocletianus, totis rebellem viribus adoritur. Cui animos, fortitudinemque suppli-cli metus addiderat: *Obsessum Alexandriæ Achilleum, octavo ferè mense superavit, eumque interfecit.* Mense nono debellatum tradit Historia Miscellanea: *Victoriâ acerbè usus* Diocletianus, *totam Ægyptum gravibus proscriptionibus cædibusque fœdavit.* Alexandria direptioni data: eâ tamen occasione ordinavit providè multa, & disposuit, quæ ad diuturnam memoriam mansere. Constantii filius Constantinus, qui obses erat apud Diocletianum, in ea expeditione fortem se juvenem exhibuit. Summo in honore apud Imperatores erat. Cùm per Palæstinam transiret, unà cum Diocletiano, ad dextram ejus assistens, cunctis qui videndi desiderio tenebantur, præstantissimus apparebat, & regiæ celsitudinis animi jam tum indicia præbebat.

Eutrop. l. 9.

Eusub. Vit. Const. l. 1. c. 19.

Alectus à Constantio vincitur.

II. Suæ quoque laudes in Occidente Constantio fuere Cæsari. *Alectus*, qui Carausii permissu summæ rei præerat, flagitiorum, & ob ea, mortis formidine per scelus imperium extorserat. Constantius ergo perfidum tyrannum adoritur, Asclepiodoto, qui Prætorianis Præfectus præerat, cum parte classis ac legionum præmisso. De qua expeditione observabilis est Panegyricus Constantino Constantii filio dictus: *Quid ego de receptione Britanniæ loquar? Ad quam ita quieto mari navigavit, ut Oceanus ille tanto vectore stupefactus, caruisse suis motibus videretur, ita pervectus, ut non comitata sit, sed præstolata victoria.*

Marcellinus Papa.

III. Die Aprilis XXII. si Damasi Chronicum sequimur, Caius Papa vitam cum morte commutavit. Defuncto successit Marcellinus, postquam sedes vacasset mensibus duobus, & diebus octo. Natione Romanus dicitur, *ex patre projecto.* Ultimâ die Junii Pontificatum iniit, quem ad usque quartam & vigesimam Octobris anni CCCIV. tenuit, si Chronico Damasi fides: *Marcellinus annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani & Maximiani, ex die pridie Kalendas Julias, à Coss. Diocletiano VI. & Constantio II. usque in Consulatum Diocletiani IX. & Maximiani VIII. Quo tempore fuit persecutio.* Errant igitur & Pontificale Damasi, & Adonis Martyrologium, dum annos IX. menses duos ascribunt Pontificatui Marcellini. De Marcellino legimus in Pontificali: *Marcellinus ad sacrificandum ductus est, ut thurificaret, quod & fecit, & post paucos dies pœnitentiâ ductus, ab eodem Diocletiano pro fide Christi, cum Claudio, & Cyrino, & Antonino capite truncatus est, & martyrio coronatus.* Existunt igitur hoc loco jucundæ, subdifficilesque quæstiones. Altera, Marcellinus Idolisne sacrificarit; altera, vitamne martyrio confecerit?

Marcellinus sacrificaritne Idolis?

IV. Dudum est quòd verè, an falsò in Marcellini famam redundavit infamia idololatriæ. Testemque damus Augustinum, libro de unico Baptismo contra Petilianum, c. 16. *Quid ergo jam opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus, Melchiades, Marcellus, & Sylvester, traditionis Codicum divinorum, & thurificationis, ab eo crimine arguuntur.* Qui rumor adeò deinceps diffusus est, ut ipsi Romani Pontifices ei tandem fidem adjunxerint. Nicolaus sanè primus in sua ad Michaëlem Græcorum Imperatorem Epistola hæc habet: *Tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorum, Marcellinus Episcopus urbis Romæ, qui posteà insignis Martyr effectus est, adeò compulsus est à Paganis, ut in Templum eorum ingressus, grana thuris super prunas poneret, cujus rei gratiâ collecto numerosorum Concilio Episcoporum, & inquisitione factâ, hoc se idem Pontifex egisse confessus est.* Extra omne dubium, hunc Marcellini lapsum posuit Pontificale Damasi à nobis jam laudatum. His se fontibus asperserunt & Breviaria Rom. & Platina, & Baptista Mantuanus, quibus certa res est hoc ingens Marcellini facinus. Egregia sunt ea de re Mantuani carmina:

At scelus id mox erubuit, sensuque recepto
Incepit damnare Deos, extollere Christum:
Nec mors horribilis visa est, sed sponte cucurrit
In medios hostes, jugulumque tetendit ad ensem.

Denique extat inter Marcellini lapsus monumenta, *Concilium Sinuessanum* de Marcellini Papæ condemnatione: *In fine autem trecentorum Episcoporum, caput cinere convolutum habens Marcellinus Episcopus urbis Romæ, voce clarâ clamans, dicebat, Peccavi coram vobis, & non possum in ordine esse Sacerdotum, quoniam avarus corrupi me auro. Subscripserunt igitur in ejus damnationem, & damnaverunt eum extra civitatem. . . Hoc autem facto Diocletianus cum esset in bello Persarum, audivit quòd trecenti Episcopi, & triginta Presbyteri, & tres Diaconi in eandem damnationem convenissent, quòdque cum suscriberent omnes, ipse omnium primus Marcellinus manu suâ concinserat in suum anathema anathemati suscribens. Et iratus Diocletianus in eandem civitatem misit, & multos Episcopos ad martyrii coronam traxit. . . Damnatus est Marcellinus suo judicio X. Kal. Sept. Diocletiano VIII. & Maximiano viris Clariss. Coss.* Sinuessana hæc monumenta pro verisimilibus obtrudit Baronius, ne venerandæ Antiquitati in throno suo residenti fiat injuria.

Marcellinus thus idolis non obtulit.

V. Nil quidem in eo Marcellini lapsu verum sincerumque esse existimamus. Fabula est, undique diffluens, falsum & Sinuessanum Concilium. Ex ea tamen anili fabella fructum aliquem decerpimus, nempè persuasum olim fuisse, Romanos Pontifices posse in hæresim incidere. Quibus enim creditum, numinibus Marcellinum sacrificasse, illis quidem & in publicam hæresim Papam labi posse, tueri necesse est, cùm Idololatria sit erroribus longè deterior. Atqui seculo IX. extra dubitationis aleam lapsus ille Marcellini ponebatur. Rem quod attinet, totis viribus innocentiæ Marcellinianæ patrocinamur. Primò incredibile est, lapsum Marcellini aut ignotum Eusebio fuisse, si contigisset, aut dissimulatum, si novisset. Thurificatio verò Marcellinum non inferunt: *Caius successorem habuit Marcellinum, in cujus etiam tempora incidit persecutio.* De tanti viri famoso lapsu altum agit silentium. Imò magnam apud Christianos omnes fuisse gloriam Marcellini, ex persecutione partam narrat Theodoritus: *Erat*, inquit, *Sylvester successor Melchiadis illius, qui post Marcellinum eum, qui persecutionis temporibus inclaruit, ejusdem Ecclesiæ administrationem susceperat.* Ille verò in persecutionibus non inclaruit, qui socordiâ atque ignaviâ suâ promissionibus, aut minis cedens, thura Dæmonibus adolevit. Sibi sanè

Euseb. l. 7. c. 32.

Theodoric. h. l. 1. c. 3.

infa-

ANNO DOM. 296.

infamiam, Ecclesiæve dolorem attulit. 2°. Vanam fuisse Petiliani accusationem, ostendit Augustinus: *Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit*, Marcellinum scilicet, & Presbyteros ejus, Melchiadem, Marcellum & Sylvestrum, quos *& traditionis Codicum divinorum*, & *thurificationis* arguebat: *Ego innocentes fuisse respondeo.* Frontem perfricuisset Augustinus, & nihil profecisset in defendendo Marcellino, si de thurificatio unus fuisset, cujus lapsus, & exinde damnatio, atque publica pœnitentia, negantem temeritatis atque falsitatis apertè convicisset. Ac sanè cùm non Marcellinum modò, verùm etiam Melchiadem, Sylvestrumque Idololatriæ postularet Petilianus, liberata quidem Sylvestri Melchiadisque innocentia, sanctus etiam, purusque Marcellinus deprehenditur. Quis verò sibi persuadeat, Sylvestrum Melchiademque *thurificatos*, & officium retinuisse suum, & ad majores honores, Episcopatum scilicet, promotos fuisse? Quàm igitur thurificationis immunes Sylvester atque Melchiades, tam & Idololatriæ Marcellinus purus fuit. 3°. Falsum esse de *thurificatione* Marcellini rumorem, docet antiquum Damasi Chronicum. Lapsus Marcellini ante Augustum mensem anno CCCIII. contigisse dicitur, utpote Episcopatu moti x. Kal. Sept. Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coss. Atqui teste Chronico, Pontificatum Marcellinus etiamnum retinebat, anno CCCIV. *Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss.* Denique Sinuessanum Concilium, quod lapsui Marcellini fundamento est, omninò subditum est, quod paucis demonstrandum.

August. de Un. Bapt. c. 16.

Synodus Sinuessana de lapsu Marcellini.

VI. In ea Synodo legimus, *Urbanum Capitolii Pontificem*, Marcellinum convenisse, atque ab eo petiisse, cur Christo Magi, aurum, thus, & myrrham obtulerint? Audito Episcopali responso, nempe obtulisse, non ut sacrificarent, sed ut *Dominum altissimum ostenderent.* Venientibus Diocletiano & Maximiano die, quem *Vulcanalia* dicunt, Urbanus Marcellino persuadet adire Imperatores de thurificatione, quam vanam esse ostendit Marcellinus. Urbanus verò, *Quare*, inquit, *hic Marcellinus Pontifex non thurificat, sicut ego Majestatibus.* Diocletianus respondit: *Non exorrate hominem hunc, quoniam nobis nullam difficultatem exhibet.* Tum Romanus, atque Alexander *dixerunt secretò Diocletiano, Si hunc, Domine, consilio tenueris, & blandimentis, habebis omnem urbanam plebem in unitate.* Vix Diocletianus dixerat Marcellino, *Veni, & eloquentia tuâ nostro incrementum facias favori. Veniens autem ad Templum Vestæ & Isidis, introduxit Episcopum. Qui dum introissent, erant cum eo duo Diaconi, Cajus & Innocentius, & tres Presbyteri, Urbanus, Castorius, & Juvenalis. Et dum vidissent eum introeuntem non tamen mittentem & thurificantem, fugerunt hi ad omnes Compresbyteros, & invenerunt eos in Vaticano Palatio Neroniani, & dixerunt rem quam gestam vidissent. Euntes autem multi Christiani propter veritatem, ad Templum abierunt, & viderunt eum mittentem, & thurificantem, & factum amicum Principum.* Testes adfuere numero LXXII. quorum nomina exhibentur in Synodo. Facta est itaque Synodus CCC. Episcoporum: *Introivit autem universa Synodus in cryptam Cleopatrensem, in civitate Sinuessana, & quia tota multitudo non recipiebatur in crypta Synodi, quinquageni introibant.* *Quærenti* Marcellino à testibus, quo die thurificantem vidissent? *Respondit unus eorum, Quo die exuisti purpuram, & induisti soccum, & gaudebat super te Diocletianus.* Recollectis testibus, Marcellinus *damnatus est suo judicio.* Damnati etiam *Urbanus, Castorius, Juvenalis Presbyteri, & Caius, & Innocentius Diaconi, quia Marcellinum dimiserant.*

ANNO DOM. 296.

Sinuessana Synodus subdita est.

VII. Egregia hæc sunt monumenta atque fundamenta opinionis, quæ nonum opplevit seculum, de perpetrato numinibus Marcellini Papæ sacrificio. De quibus si verè judicaverimus, nil insulsius, nil horridius, nil à veritate remotius censebimus. Prodigio est, Baronium atque Binnium, tabularum Ecclesiasticarum venerarione, Actis Sinuessanis veri speciem inducere voluisse. Quid enim hac in Synodo sincerum? Oratio barbara est, & à Latinitate Diocletiani ævi prorsus aliena. Quid hæc sibi volunt? *Damnaverunt Urbanum, Castorium, & Juvenalem Presbyteros, & Diacones Caium, & Innocentium qui evacuaverunt hortum, & dimiserunt arcam apertam, ut introiret immundus, & comederet triticum.* Quid peccaverant miseri, arripiendo fugam, dum Marcellinus Isidis Templum subiisse dicitur? Quid, trecentorum Episcoporum Synodus grassante immani persecutione potuitne Sinuessæ congregari, cùm furente Decio Ecclesia Romana cogi non potuerit, ut Fabiano Episcopum sufficeret, eaque de causa sedes anno vacaverit? Potuitne tam numerosi Concilii intercidere memoria omnis, ut nil Eusebio suboluerit, nil Augustino, qui diu Romæ versatus est? Ne vel minima quidem Synodi Sinuessanæ Marcellini causa coactæ, vel auditiuncula afflatum fuisse Augustinum, perspicuè ejus verba demonstrant. Marcellinum, Miltiadem, Silvestrum, *Ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?* Atqui probationes Petiliano erant in promptu. Marcellini scelus trecentorum Episcoporum ore comprobabatur. Cœtum tam celebrem nulla obscurare poterat oblivio? Quâ fronte igitur tam audacter Augustinus dixisset, *Ego innocentes fuisse respondeo*, imò *nocentes*, saltem Marcellinum, nisi ficta Synodus. Neque probabilitatis aliquid habet, anno CCCIII. *die quem dicunt Vulcania*, Diocletianum adfuisse Romæ. Vulcani feriæ mense Maio celebrabantur, serius verò in urbem se contulit Diocletianus quam petiit, agitando vicennalium die, *Qui erat futurus ad duodecimum Calend Decembres.* Est etiam falsissimum, Diocletianum *cùm esset in bello Persarum, audivisse, quòd trecenti Episcopi, & triginta Presbyteri, & tres Diaconi, Marcellini in damnationem convenerint.* Pax cum Persis ante persecutionem constituta est, peractisque dein vicennalibus, cùm Diocletianus gravissimum in morbum incidisset, Calendis Majis anni CCCV. exuit imperium. Absurditatem superat omnem testatio hæc in Marcellinum: *Vidimus te thurificantem, quo die exuisti purpuram, & induisti soccum.* Scilicet ævo Diocletiani, Romanos Episcopos purpura tegebat. Addamus & non spernendum in Acta Nat. Alexandri argumentum, ex Ecclesiæ disciplina petitum, quâ Fidelibus negatum spectatores esse Ethnicorum sacrificiorum. Verba hæc sunt Tertulliani: *Si ergo gulam & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto*

Bar. An. 303. n. 100.

August de Un. Bapt. c. 16.

Lact. de mort. c. 17.

Tert. de Spectac. c. 13.

tò magis Augustiora nostra, oculos & aures ab Idolothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur, sed in ipso spiritu & anima digeruntur, quorum munditia magis ad Deum pertinet quàm intestinorum. Hinc colligit N. Alexander, quantò *magis ipsis erat illicitum, sacrificia ipsa falsis exhibita Numinibus spectare.* Tantus quidem testium ille numerus, persecutionis tempore Isidis Templum ingressus, ut Marcellinum numinum aris honores imponentem intueretur, à veri fide diffidet. Certè superfluus erat, cùm ad rei alicujus damnationem tres solummodò testes lex ipsa Dei requirat.

Marcellinus Papa perieritne martyrio? Marcellinus Presbyter Martyr.

VIII. Alteram nunc quæstionem ingredimur. Marcellinusne extremum diem martyrio confecerit? Affirmant Martyrologia, in quibus ejus natale Aprilis XXVI. affigitur: *S. Marcellini Papæ, & Martyris, qui sub Maximiano, pro fide Christi unà cum Claudio, Cyrino, & Antonino capite truncatus est; quo tempore magna fuit persecutio, ita ut intra mensem, decem & septem millia Christianorum martyrio coronarentur.* (Martyr. R.) Longè tamen verisimilius est, mortem placidam Marcellinum obiisse. Primum enim, Veterum nullus Martyris titulo ornavit Marcellinum; non Theodoritus, non Eusebius, nisi in versione Christophorsoniana, quam sequitur N. Alexander: *Eusebius*, inquit, *Martyrem meminit, non thurificatum.* Græca sunt Eusebii, ὃν κὴ αὐτὸν ὁ διωγμὸς κατείληφε. Vertit Christophorson, *in qua ipse martyrio occubuit.* Græca tamen aliud sonant. Rufinus sic in Latinum transfudit, *Quem jam persecutionis tempus invenit.* (Euseb. l. 7. c. 32.) Valesius eodem omninò sensu, *In cujus etiam tempora incidit persecutio.* Vi tamen persecutionis eripi potuit, quæ non omnes Episcopos extinxit. Itaque nostro judicio Marcellinus *Confessor* fuit, *Martyr* non fuit. Confessorem egisse, ex Theodorito colligimus, (Theodorit. l. 1. c. 3.) *Marcellinus persecutionis temporibus inclaruit.* In persecutione tantam sibi gloriæ segetem non comparasset, nisi cum persecutoribus in certamen venisset. Deinde si carnifices vitam eripuissent Marcellino, in depositione Martyrum locum invenisset. Atqui in Bucheriano Catalogo reperitur inter Episcopos, qui siccâ morte perierunt: *Decimo Calendas Februarii, Marcellini in Priscilla.* 3°. In Pontificali Damasi, *à Diocletiano*, in Martyrologio verò Rom. *sub Maximiano capite truncatus fuisse dicitur.* Illud autem falsissimum est, cùm vitam etiamnum retineret Marcellinus, postquam Maximianus & Diocletianus purpuram exuerunt: *Annis enim octo, mensibus tribus, diebus viginti octo sedit*, cujus temporis initium est in Junii XXX. anni CCXCVI. finis verò in XXIV. Octobris anni CCCIV. Diocletianus autem atque Maximinianus Kalendis Maji abierunt imperio, sex penè mensibus Marcellini ante obitum. Ac sanè cùm in Marcellino persecutionis meminerit Damasi Chronicum, ejus martyrium non præteriisset, si morte cruentâ periisset. 4°. Quem martyrio Marcellini diem addicunt Martyrologia, in illum incidere non potuit. Aprilis XXVI. optimus ille Pontifex adhùc inter homines versabatur: ut nil nisi affanias spiret lepida hæc Pontificalis traditio: Marcellinus *dum pergeret ad passionem suam, adjuravit Marcellum Presbyterum, ut præcepta Diocletiani non impleret. Jacuerunt autem corpora Sanctorum in platea dies XXXVI. ex jussu Diocletiani. Exinde Marcellus Presbyter noctu collegit corpora Sanctorum, cum Presbyteris & Diaconibus, cum hymnis, & sepelivit ea VI. Kalend. Maji.* Denique non ea Petiliano petulantia fuisset, ut Marcellino thurificationem objiceret, si sanguinem pro Christo fudisset suum, quam maculam cruore abluisset: certè Augustinus adducto Marcellini martyrio, adversarii sui compressisset impudentiam. Loco Marcellini Papæ alium Martyrem ei cognominem subjiciemus, Marcellinum Presbyterum. Quo tempore obierit, definire non sustinemus. In Diocletiani tamen persecutione periisse probabile est. Ejus certamen unà cum Petri Exorcistæ obitu celebravit Damasus carmine XII.

Marcelline tuos, pariter, Petre, nosce triumphos.
Percussor retulit Damaso mihi, cùm puer essem.
Hoc sibi carnificem rabidum mandata dedisse.
Sentibus in mediis, vestra ut tunc colla secaret:
Nec tumulum vestrum quisquam cognoscere posset.

Marcellini Decretales subditæ.

IX. Geminæ Marcellini jactantur Epistolæ. Prior, quâ confutatur error dicentium, Patrem esse Filio majorem, titulum habet: *Marcellinus Episcopus S. Ecclesiæ Catholicæ urbis Rom. Salomoni Coëpiscopo.* Data est VIII. *Idus Septembris Diocletiano* VI. *& Constantio* II. *Viris Clariss. Coss.* Posterior quatuor capita complectitur. Primum, de contentionibus inter Christianos ortis, ad Ecclesiam deferendis, & ab Ecclesiasticis jure terminandis. Secundum, quòd major à minori judicari non debeat, nec Episcopi ullum præjudicium inferre Pontifici, à quo consecrari probatur. Tertium, quòd Clericus absque permissu Episcopi sui neminem ad judicium seculare trahere præsumat, nec laico quemlibet Clericum accusare liceat. Quartum, quòd injustum judicium metu Regis, vel jussu à Judicibus factum non valeat, & quòd statuta infidelium delebuntur: *Data* V. *Idus Sept. Diocles.* VII. *& Maximiano* VI. *viris Clariss. Coss.* Hæc tamen Augiæ stabuli stercora sunt, quæ dudum viri doctissimi purgarunt. Ac prioris Epistolæ initium totidem verbis ex Epistola Leonis ad Turibium Episcopum petitum est. Cui attexuit multa ex Idacii libro adversus Varimadum. Conferatur Epistola cum t. V. B. M. P. p. 737. Posterior verò incipit ab Hormisdæ Papæ, qui anno DX. florebat, Epistola LXV. Laudat etiam verba Synodi Nicenæ Can. IX. *In omnibus enim quod irreprehensibile est, defendit Ecclesia Sancta.*

Anno Dom. 297.

Anno U. C. 1050. Olymp. 269. Per. Jul. 5010. Jul. 342. Dom. 297. Dioclet. 14. Maximiani 12. *Sol.* 26. C. *Lun.* 13. *Indict.* 15. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 5. *P.* 28. *Mart.*

Coss. Maximianus Herculius Aug. v. Galerius Maximianus Cæsar 11.

Æranianus Annibalianus Præfectus Urbis.

Galerii de Persis victoria.

I. Diocletiano in Ægyptum proficiscente ad debellandum Achilleum, Provincia credita Maximiano Cæsari, uti relictis finibus, in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus. Ac primò infaustissimum Galerius prœlium habuerat, anno superiore. Callinicum enim inter Carrasque congressus, cùm inconsultè magis quàm ignavè dimicasset, parvâ admodum manu cum copiosissimo hoste pugnâ commissâ pulsus fuerat. Hoc anno, cùm ad Diocletianum victus venisset, turpissimè excipitur: *Hic tantâ à Diocletiano indignatione susceptus est, ut ante carpentum ejus per aliquot millia passuum concurrerit Purpuratus.* (Ruf. Brev.) Precibus tamen suis tandem impetravit, ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu, eventum Martis repeteret. Contracto igitur confestim exercitu è veteranis ac tyronibus, per Armeniam majorem in hostes contendit, quæ fermè sola, seu facilior vincendi via est. Nec minore consilio, quàm fortitudine bellum gessit. Quippe ipse *cum duobus equitibus exploravit hostes, & cum viginti quinque millibus militum superveniens castris hostilibus, subitò innumera Persarum agmina aggressus, ad internecionem cecidit. Rex Persarum Narseus effugit: uxor ejus, & filia capta sunt, & cum maxima pudicitia reservata. Pro qua admiratione Persæ non modò armis, sed etiam moribus Romanos superiores esse confessi sunt.* (Ibid.) Cum Narsei uxore, sorores, infinita Persarum nobilitas, Gaza Persica copiosissima, Galerii quoque in potestatem venit. Narseus arreptâ fugâ, in ultimas se regni sui solitudines abdidit. Tam lætam de Persis victoriam Galerius retulit, ut ni Valerius Diocletianus, *Cujus nutu omnia gerebantur, incertum quâ causâ, abnuisset, Romani fasces in Provinciam novam ferrentur.* (Vict. de Cæsar.) Mesopotamiam Persæ cum Transtigritanis quinque regionibus reddiderunt. (Eutrop. l. 9.) Ovans regressus Galerius, à Diocletiano *in Mesopotamia cum præsidiis tum morante*, ingenti honore susceptus est. (Scal. Collect. 395.) Plenas gemmis preciosisque lapidibus crumenas attulit Galerius, quibus Diocletianus usus est ornandis calceis atque vestibus. Maximiano Cæsari, cum Narseo Persarum Rege jam congressuro, leo & aper ingens trucidati simul oblati sunt. (Ammian. l. 23. c. 5.) Porro ingens hæc de Persis victoria Galerio attolit superbiam, Diocletiano timorem, quæ ratio fortè fuit, cur Galerianæ victoriæ cursum inhibuerit: *In tantos namque fastus post hanc victoriam elatus est, ut jam detrectaret Cæsaris nomen. Quod cùm in literis ad se datis audisset, truci vultu ac voce terribili exclamabat, Quousque Cæsar? Exinde insolentissimè agere cœpit, ut ex Marte se procreatum, & videri, & dici vellet, tanquam alterum Romulum.* (Lact. de Mort. c. 9.) Sub idem fortè tempus statua ipsi posita, cujus meminit Marcellinus: *Maximiani statua Cæsaris, quæ locata est in vestibulo regiæ, amisit repentè sphæram æream, formatam in speciem poli quam gestabat.* (Marcell. l. 25. c. 10.) Cæterùm hanc de Persis Galerii victoriam in annum CCXCVII. conscrimus, autore Idacio, cujus hæc in Fastis verba sunt: Maximiano v. & Maximiano II. *victi Persæ.*

Anno Dom. 298.

Anno U. C. 1051. Per. Jul. 5011. Jul. 343. Dom. 298. Diocletiani 15. Maximiani 13. *Sol.* 27. B. *Lun.* 14. *Indict.* 1. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 6. *P.* 17. *April.*

Coss. Anicius Faustus II. & Severus Gallus.

Artorius Maximus Præfectus Urbis.

Constantii de Alemannis victoriæ.

I. Non ea receptis modò Britanniis, sed aliis quoque victoriis inclaruit gloria Constantii. Numerosus Alemannorum exercitus in Gallias impetu facto, ad Ligonensem usque tractum provectus erat. Ibi à Constantio pugnatum. Die unâ adversam, & secundam fortunam expertus est. Nam cùm repentè Barbaris ingruentibus intra civitatem esset coactus tam præcipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis adventante exercitu LX. ferè millia Alemannorum cecidit. (Eutrop. l. 9.) In ea pugna vulnus Constantium accepisse, ex Constantini Panegyrico tenemus: *Quid commemorem Lingonicam victoriam, & Imperatoris ipsius vulnere gloriosam?* Hanc ante pugnam Francis in Gallia regiones incolendas dederat, quod & Autor Panegyrici memorat: *Quid loquar rursus intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed à propriis ex origine suis sedibus, atque ab ultimis Barbariæ littoribus avulsas, ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ, etiam pacem Rom. imperii cultu juvarent, & arma delectu.*

Galerii in Constantinum invidia.

II. Constantinus Constantii Cæsaris filius, sicuti Moses, in Tyrannorum ædibus educatus, Imperatoribus percharus erat, ut testatum reliquit Eusebius: *Summo in honore apud Imperatores erat.* Itaque figmentum est, quod Paulus tradit Diaconus: *Constantinum intuens Diocletianus, intellectu animæ, & corporis robore atque ingenio circa eruditionem proficere, & deprehendens hunc futurum tyrannidis, & ejus dogmatis destructorem, invidiâ ductus, dolo perimere satagebat.* (Paul. Diac. l. 2.) Invidia hæc Galerii fuit. Fortiter in Asia Constantinus militaverat. In insidiis ergo sæpè juvenem appetiit, quia palam nihil audebat, ne contra se arma civilis, & quod maximè verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitii & lusus feris illum objecit: *Sed frustra, quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipso cardine.* (Lact. de Mort. c. 24.) Rem sic Praxagoras exequitur: *Aderat tum fortè Maximinus ille, qui inferiori Asia imperitabat, & insidias adolescenti tendere in animum inducens, ad pugnam cum fero leone ineundam composuit, ille verò feram superans occidit.* (Phot. Cod. 72. p. 63.) Quando ea pugna commissa sit cùm ignoremus, in hunc annum conjicimus. Ex historiis sanè à Maximiano Cæsare objectum periculis Constantinum scimus.

ANNO DOM. 299.

ANNO U. C. 1052. PER. JUL. 5012. JUL. 344. DOM. 299. DIOCLETIANI 16. MAXIMIANI 14. *Sol.* 28. A. *Lun.* 15. *Indict.* 2. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 7. P. 2. *April.*

COSS. Diocletianus Aug. VII. & Maximianus Herculius VI.

Anicius Faustus Præfectus Urbis.

Diocletiani de Sarmatis victoriæ. *Eutr. l. 9.*

I. PErsis debellatis Diocletianus Galeriusque varia deinceps & simul, & vicitim bella gesserunt. Carpis & Basternis subactis, Sarmatis victis, quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt. Ad hoc bellum spectare putamus, quæ leguntur in Excerptis Autoris incogniti de Constantino: *In Sarmatas juvenis equestris militans, ferocem Barbarum capillis tentis raptum, ante pedes supplicem Galerii Imperatoris adduxerat. Deinde Galerio mittente per paludem equo suo, viam cæteris fecit ad Sarmatas, ex quibus plurimis stratis Galerio victoriam reportavit.* Idacius in Fastis hoc anno Marcomannos victos fuisse memorat.

ANNO DOM. 300.

ANNO U. C. 1053. PER. JUL. 5013. JUL. 345. DOM. 300. DIOCLET. 17. MAXIMIANI 15. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 16. *Indict.* 3. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 24. *Marti.*

COSS. Constantinus Cæsar III. & Maximianus Cæsar III.

Pompeius Faustinus Præfectus Urbis.

Misdates Narseo succedit. *Agath. l. 4. c. 11.*

I. NArseus Rex Persarum, quem Galerius vicerat, calamitatibus oppressus, amissâ conjuge, liberis in triumphum reservatis, naturæ satisfecit: *Cujus Misdates filius in Principatu succedit, patris hæres effectus, non solum potentiæ, sed annorum æqualitatis, & spatii.*

Petrus Alex. succedit Theonæ.

II. Post Theonam, qui annis XIX. Alexandrinam rexit Ecclesiam, Petrus hujus urbis sortitur Episcopatum. Qui quidem toto Sacerdotii tempore, quod annis gessit XII. maximam quoque gloriam adeptus est. Et ante persecutionem quidem tribus fere annis Ecclesiam rexit. Deinceps verò reliquum tempus ætatis arctiore disciplinâ semet exercens transegit, nec minus interim communi Ecclesiæ utilitati magnificè prospexit. Quam ob causam IX. persecutionis anno capite truncatur. Obiit Theonas Petri decessor tertiâ die Januarii feriâ IV. *Euseb. l. 7. c. 32.*

Methodius Olympi Episcopus. *Hieron. de Vir. illustr.*

III. Eâ ætate florebat Methodius, quem in Viros illustres retulit Hieronymus: *Methodius Olympi Lyciæ, & posteà Tyri Episcopus, nitidi compositique sermonis adversus Porphyrium confecit libros, & Symposium decem virginum. De Resurrectione Opus egregium contra Origenem, & adversus eundem de Pythonissa, & αὐτεξουσίῳ. In Genesim quoque, & in Cantica Canticorum Commentarios, & multa alia quæ vulgò lectitantur, & ad extremum novissimæ persecutionis, sive ut alii affirmant, sub Decio & Valeriano, in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est.* Quibus sanè verbis continentur nonnulla, quæ obscurâ fictâque famâ nata sunt. Itaque nostræ orationis vinculis, de Methodii Episcopatu, morte, libris nonnulla constringenda sunt nobis, quibus & sancti historia Martyris illustrati, & eruditorum fortè nonnullorum lapsus emendari queant.

ANNO DOM. 300.

IV. Qui Olympi duntaxat Præsul Hieronymo scribitur & Socrati, Græcis recentioribus *Patarensis* appellatur. Quo quidem titulo eum laudat Damascenus: *Sancti Methodii Episcopi Patarensium de Resurrectione Oratio secunda.* Suidas verò: *Methodius Olympi Lyciæ, aut Patarorum, & posteà Tyri Episcopus.* An una eademque civitas binâ appellatione censebatur, ut quibusdam placet? Quod pro certo accipiunt, nobis quidem in dubio est, cùm hactenus ex Antiquis invenerimus neminem, qui Pataram, Olympumque pro una civitate habeat. Pro sua liberalitate Damascenus atque Suidas Patarensem, qui Olympio Episcopatui præstat, Methodio nostro assignasse videntur: nisi fortè exhaustis vi persecutionum Præsulibus, & Patarensem Methodius, & Olympiam Ecclesiam administrarit. Utcunque sit, in Lycia sactis operabatur, ubi & Olympus, & Patar maris vicinâ, Apollinisque oraculo percelebris, cui fœmina Sacerdos præponebatur. De Olympo verò Methodius hæc habet in suo de Resurrectione libro: *Vidi in Olympo monte Lyciæ ignem sponte suâ in montis cacumine, ex visceribus terræ enascentem, juxta quem stirps pyragnus nomine, existit adeò florida, virens & opaca, ut è fonte potius nata videatur.* Hinc quintus Calepino ignotus mons nobis nascitur Olympus, ubi urbs ea, quam Episcopi nomine Methodius tenuit. Hinc quoque non admittenda Baronii conjectura purgatur, qui ex Damasceni Methodio, Patarensium Antistite, novum sibi Methodium fabricavit, in notis suis ad Martyrologium Junii XIV. Leviter prorsus, cùm Damasceni Methodius ille ab Olympio Methodio, qui laudatissimus & Scriptor, & Martyr audit Hieronymo, ne pilo quidem discrepet. Quòd verò ex Olympiensi Ecclesia in Tyriensem migrarit Methodius, pace Hieronymi fidei parum habet. Raræ admodum & penè insolitæ, eo seculo translationes Præsulum, & Socrates non Tyri, sed Olympi Episcopum, Methodium dixit, qui à posteriore nobilioreque Præfectura titulum nancisci debuisset.

Dam. de Imag. Or. 3. 815. *Phot. Bibl. 923.*

V. Cognomine Methodius *Eubulius* ferebatur, uti monet Epiphanius: *Atque hæc sunt è beati Methodii, qui Eubulius dictus est, scriptis ordine decerpta.* Cognomen ex ipsius lucubrationibus forsitan tractum. In libro quidem, cui titulus, *Convivium Virginum*, unus est ex interlocutoribus *Eubulius*, decoris causâ paululum mutato nomine, quod formâ est fœmineâ delineatum. Colloquitur enim inter Virgines *Eubulium*, non *Eubulius*, cùm à virgineo colloquio viri essent abigendi. Ut igitur doctissimus ille Alexandriæ Presbyter, Clemens ex Stromatibus *Stromateus*, nec non ex scala Joannes *Climacus* cognomen hausit, sic ex Convivio suo, cui prior *Eubulium* colloquitur, Methodius cognomento dicitur *Eubulius*. *Epiph. h. 64. n. 63.*

Martyrium Methodii.

VI. Sævo superstitionis amore Methodii sanguine constat omnibus persecutorum manus fuisse commaculatas. De anno, dieque, qui Martyri supremus obtigit, fama variat atque diffidet, neque novo sanè discrimine, cùm ætate Hieronymi creditum sit, Decio aut Valeriano imperantibus Methodium vitam morte mutasse, quod & Sirletanum Menologium habet, ubi quæ ab editis absunt, ea leguntur: *Sub Decio & Valeriano in Chalcide Græcia martyrio coronatus est.* Ac

fieri

ANNO DOM. 300.

fieri facillimè potuit, virum insignem nomine Methodium orbis habenas tenente Decio, cum capitali hoste pro Christo depugnasse. Quæ causa esse videtur, cur Methodii nostri martyrium Decianis temporibus, aut Valerianis affigatur. Serius tamen Methodius Olympi Episcopus pati debuit, utpote qui calamo in Porphyrium pugnarit, qui post Decium floruit. Imperante igitur Diocletiano Methodius fatalem annum invenit: dies est in incerto, variantibus Martyrologiis. In Romano, Septembris XVIII. excessisse dicitur: *Natalis S. Methodii Olympi Lyciæ & posteà Tyri Episcopi, sermonis nitore ac doctrinâ clarissimi, qui ad extremum novissimæ persecutionis, ut scribit S. Hieronymus, in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est.* Græcorum autem in Menologio, Junii vigesimo ad plures abiisse legitur, decussâ cervice. Cùm enim egregiam viri libertatem pietatis hostes minimè ferrent, in ejus necem armantur: Ac *amputato capite, ad meliorem vitam translatus est, ac qui prius Dei agnum immolabat, ipse postmodum immolatus, vivens hostia Christo oblatus est, unde etiam duplicem coronam consecutus est.*

Libri Methodii.

VII. Non solo martyrio, sed scriptis quoque suis Methodius maximè inclaruit. Quorum primum omnium illud edidisse videtur, quod de *Castitate*, sive *Convivium Virginum* inscribitur. Argumento sunt verba hæc, Orationis de Simeone & Anna: *Cùm jam pridem quantum quidem breviter licuit, quæ de Virginitate erant in Symposio de Castitate, velut quibusdam jactis fundamentis, abundè explicuerimus.* Mirum quantum Hieronymo hallucinationis fuerit, *Symposium decem Virginum* memoranti. Hem *decem* Virginum convivium! Atqui *duodecim* Virgines inter se colloquuntur. *Eubulium* videlicet, *Gregorium*, Areta, Marcella, Theophila, Thalia, Theopatra, Thallusa, Agatha, Procilla, Thecla, Tysiana. Ut librum vel non legerit, vel errante memoriâ laudarit Hieronymus. In eo porro Symposio multa sunt, quæ benignum potius, quàm accuratum lectorem flagitant. Exemplo sit durior *illa* verborum ex Sapientia petitorum explicatio, quæ sic sonant: *Filii adulterorum exterminabuntur.* Quæ ita commentatur ut de *adulterantibus veritatem*, erroresque religioni miscentibus ea capiat, quod prorsus improbandum. Extat interpretatio in Oratione secunda, cui *Theophila* titulus est. Sed & in sequente, quæ *Thalia* nuncupatur, fingit Dei Filium cum Adamo ita conjunctum fuisse, ut *verè Christus* extiterit. Quod lepidâ sanè ratiunculâ colligit: *Erat enim decentissimum, antiquissimum Æonum & primum Archangelorum versari cum hominibus volentem, in antiquissimum & primum hominum Adamum insinuari, in eoque habitare.* Mirum sanè Christi titulum, *antiquissimum Æonum*, & solâ Valentini familiâ dignum.

Sap. 3. 16. — *Meth. Symp. Or. 3.*

VIII. Inter omnes Methodii libros eminet ille, qui de Resurrectione conditus est, cujus partem Epiphanius longè maximam lucubrationibus inseruit suis, ut adversus Origenem felicius certaret. In editione Petaviana verba Methodii à pagina 534. ad 590. usque protenduntur: ac ut non rationibus duntaxat, sed autoritatibus etiam Origenem obrueret optimus Martyr, Proclum omissum noluit. Itaque impunitas oculatissimo concedi Petavio non debet, qui Græca hæc Epiphanii, Πρόκλῳ τῷ αὐτῷ, Latinè transtulit, *ex eodem Proclo.* Siccine? Atqui de Proclo nullum hactenus verbum, sed de Methodio. Perperàm igitur *ex eodem Proclo*, de quo mentionem Epiphanius nullam injecerat, Methodium exscribit, qui Procli sibi verba accommodaverat. Verti igitur debuit, *Procli ex eodem*, Methodio scilicet, cujus uno tenore verba refert Epiphanius, eâ teste clausulâ: *Hactenus ex Methodio. Atque hæc sunt è Beati Methodii, qui & Eubulius dictus est, scriptis ordine decerpta, quæ de Origene, depravatâque Origenis fide, sophisticis cavillationibus implicata, in eodem de Resurrectione libro disserit.* Porro quod *de Resurrectione Opus egregium* Methodii scribitur Hieronymo, non paucis erroribus scatet. In ea quippe sententia versatur, à Sanctis peractâ Resurrectione terras iri habitatum: *Nam cùm post hujus seculi exitum terra adhuc perseveratura sit, omninò necesse est, esse etiam qui eam incolant, eosque ejusmodi, ut vel non morituri sint amplius, vel copulandi nuptias, aut procreandæ soboli operam daturi.* In eo quoque libro existimat, Dæmones cum filiabus hominum stupri consuetudinem habuisse. Hoc illud Opus est, cui magnas Hieronymus laudes concessit, quod parcius forsan extulisset, nisi odium Origenis confutationi pretium addidisset. Socrates quidem Methodii lucubrationes non magni facit: *Viles*, inquit, *homines & obscuri, qui per se ipsi inclarescere non possunt, ex potiorum vituperatione famam aucupari conantur. Laboravit hoc morbo primùm Methodius, Olymp. Lyciæ civitatis Episcopus.*

Epiph. h. 64. n. 17. — *Epiph. h. 64. n. 63.* — *Socr. l. 6. c. 13.*

IX. Cæterùm qui principio ita comparatus erat, ut omnium iram in Origenem inflammaret, quique illum *Centauri* nomine affecerat, Methodius mutato dein animo, gratiam cum adversario reconciliavit, teste Socrate: *Methodius quidem, cùm in libris suis Origenem diu multumque insectatus fuisset, posteà tamen quasi palinodiam canens, in Dialogo, quem Xenonem inscripsit, summâ eum admiratione prosequitur.* Eò propendebat Valesius, ut Dialogus ille unus idemque sit cum libro de Creatis, ex quo Excerpta quædam Photius temporis ab injuria vindicavit. Nobis verò alia mens est animo, cùm liber de Rebus creatis ignominiam dedecusque imponat Origeni: *Origenes* (Photii verba sunt) *quem Centaurum appellat, asserebat Universum hoc Deo coæternum esse.* Summâne admiratione prosecutus fuisset religionis Centaurum, atque monstrum? Alius ergo Xenon, in quo Origenes à Methodio laudatur, alius liber de Rebus creatis, in quo afficitur injuriâ. De Methodii lucubrationibus satis pro nostri instituti ratione. Hoc unum addemus ex Photio: *Observandum Dialogum, qui Symposium inscribitur, magnam partem adulteratum esse; offendes enim in eo Arianas vanasque sententias, aliasque perperàm opinantium fabulas.* Piam sanè Autoris, qui Martyrem egit, excusationem! utinam & vero consentaneam! Dissimulari tamen vix potest, multa in Methodio reperiri durissima, quæque Ariana vestigia non obscurè exhibeant. Uti oculos in librum de Rebus creatis conjicienti planum fiet. Has qualescunque maculas sanguine suo Martyr delevit.

Socr. l. 6. c. 13. — *Phot. p. 934.* — *Phot. Cod. 237.*

De Canonibus Apostolicis, primævaque apud Latinos autoritate.

X. Cùm Ecclesiasticis politicisque rebus annus nobis sit penè sterilis, nobilem de Canonibus Apostolicis ingredi quæstionem nostrum juvat animum. Ac satis pro re nata quidem, cùm præstantissimis viris menti infixum sit, Canones qui *Apostolorum* nomine celebrantur, tertio seculo ortum debere suum: Canones esse octua-

ANNO DOM. 300.

ginta quinque numero, vel illi sciunt, qui nondum ære lavantur. Quorum tamen omnium non eandem aut antiquitatem esse, aut autoritatem, eruditi profitentur. Petrus Gunning, Theologiæ in Academia Cantabrigensi Professor, qui merito suo maximo Episcopus Eliensis creatus est, Canones bifariam divisit. Priores, *quinquaginta* secundæ quidem Æræ nostræ Centuriæ, posteriores verò *triginta quinque* tertiæ vindicavit, uti nos Beveregius docuit. Perspicuitatis causâ liceat & nobis Canonum Apost. Syllogen distinguere, in Græcam & *Dionysianam*, quæ Canones duntaxat quinquaginta complectitur, in Latinum à Dionysio Exiguo sexto seculo nondum adulto transfusos. Ac sanè inficiari non possumus, majoris apud Antiquos autoritatis fuisse Canones *quinquaginta*, quàm cæteros. Solos quinquaginta Dionysius Latinos fecit, quorum meminit in sua ad *Stephanum* Solonitanum Episcopum Præfatione: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus; quibus quia plurimi consensum non præbuere, facilem hoc ipsum ignorare vestram nolumus sanctitatem, quamvis posteà quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videantur.* Solos quoque quinquaginta Canones admisit Isidorus Mercator, Præfatione in suam Collectionem Canonum: *Propter eorum autoritatem, cæteris Conciliis præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum, licet a quibusdam Apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & SS. Patres eorum sententias Synodali autoritate roboraverunt.* Hos etiam solos quinquaginta recipit Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus, in sua ad Nicetam Pectoratum responsione. Latinos feriâ VII. jejunantes censurâ Nicetus suâ vexabat ex *Canonibus*. Respondet verò Humbertus: *Et hoc asserere conaris ex Apocryphis libris, & Canonibus pari sententiâ SS. Patrum repudiatis. Nam Clementis liber, id est, Itinerarium Petri Apostoli, & Canones Apostolorum numerantur inter Apocrypha, exceptis Capitulis quinquaginta, quæ decreverunt regulis Orthodoxis adjungenda.* Neque tamen Collectio Dionysiana principio id autoritatis habuit. Damnando Prætextato Rhotomagensi Episcopo, à Chilperico missus est Canonum Codex, de quo Gregorius Turonensis hæc prodit: *Ipse verò ad metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos, continentes hæc, Episcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus, à Sacerdotio divellatur.* Quibus indicasse videtur Canonem XXV. in quo tamen mentio non extat homicidii, sed necessariò subintelligitur, utpote *perjurio* gravioris. Sed nec Isidorus Hispalensis Canones Apostolicos magni facit: *Canones, qui dicuntur Apostolici, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec SS. Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab Hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab autoritate Canonica, atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata.* Sub initia seculi VII, florebat Isidorus Hispalensis, cujus ætate Dionysiana Canonum Sylloge Regulæ Ecclesiasticæ dignitatem nondum apud Latinos habuit. Anno circiter DCCCXLIX. eò processit autoritatis, ut observatum N. Alexandro, ex Leonis IV. Epistola ad Episcopos Britanniæ: *De libellis & Commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & Sanctorum Canones relinquere, vel Decretalium Regulas, id est, quæ habemus apud nos simul cum illis in Canone, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur judiciis, id est, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum* &c. Nondum tamen autoritatis aliquid Dionysianæ Canonum Collectioni Gallicana tribuebat Ecclesia. Primo loco in sua Sylloge Canones habuit Concilii Nicæni, ut ex Hincmaro liquet. Neque Apostolicos recensuit, quibus Galli uterentur ad disciplinam componendam. Videatur ea de re N. Alexander Seculi I. Dissert. XVII. p. 147.

Concil. Coll. Max. t. VI.

B. P. t. 4. p. 2. 247.

Greg. Tur. H. l. v. c. 18.

Gratian. Dist. XVI. c. v.

ANNO DOM. 300.

Canonum Apost. apud Græcos autoritas.

XI. Græcæ autem Ecclesiæ ab ineunte seculo sexto Apostolici Canones omnes fuere venerationi. Justinianus Imperator Constitutione VI. Epiphanio Archiepiscopo Constantinopolitano: *Benè autem*, inquit, *universa geruntur & congruenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur, quam justè & laudandi, & adorandi Inspectores, & Ministri Dei tradiderunt Apostoli, & SS. Patres custodierunt & explanarunt.* Trullana Synodus c. 2. *Hoc quoque huic sanctæ Synodo pulcherrimè & honestissimè placuit, ut deinceps ad animarum medelam & perturbationum curationem firmi stabilesque maneant, qui ab iis qui nos præcesserunt sanctis & gloriosis Apostolis traditi sunt, octoginta quinque Canones.* Quin etiam tantum apud Damascenum, qui anno 730. floruit, Canonum Apostolicorum valuit autoritas, ut eos libris N. Testamenti inseruerit. N. Testamenti libri sunt Evangelia. . . *Canones SS. Apostolorum per Clementem.* A Clemente Romano Græcè conscriptos esse, pedibus manibusque astruere conati sunt Turrianus atque Binnius. Duos tamen expunxit Binnius, quos à *Græcis dolosè suppositos statuit*, sexagesimum sextum scilicet, atque ultimum, qui ab Ecclesiæ Romanæ de jejunio Sabbati, librisque Canonicis disciplina non minimum dissident. Baronius verò Canones quinquaginta Dionysianæ Sylloges, *incertum* quidem fatetur, an ab ipsis Apostolis conscripti fuerint: *Ex traditione tamen Apostolica manasse*, exploratum habet. A qua sententia Bellarminus non abhorret, qui gravissimum in errorem lapsus est, dum tradit: *Tertullianus in libro adversus Praxeam scribit, Canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Sanctus quoque Athanasius in Synopsi eos numerat inter Hagiographa.* Hæc enim nullo vestigio reperiuntur in Tertulliano, atque Athanasio.

Dam. l. 4. de Fid. Orth. c. 18.

Bar. An. 102. n. 12.

Bellarm. de Script. Eccl.

Canones Apostolici non sunt ab Apostolis, aut a Clemente Romano conditi.

XII. Canonum Apost. Syllogem, sive *Dionysianam*, sive *Græcam*, neque Clementis Romani Opus, neque Traditionem Apostolicam esse, stilus Canonum atque materia testantur. Percelebris ea Christianorum in Clericos & Laicos distinctio, in Can. Apost. frequentissima Clementis ævo, qui non ultra annum LXXXIII. Pontificatum tenuit, necdum emerserat. Cleri nomine Petrus totam designabat Ecclesiam, non Ministros Ecclesiæ factâ ad privatos oppositione. Neque aliud sibi vult præcipiendo: *Ne Presbyteri dominentur in Cleros.* Quibus verbis Ecclesiasticum Senatum à *grege* summi Pastoris distinguit; Ecclesiâ scilicet, quam sibi emit sanguine suo. Est autem incredibile, usitatum Apostolis sermonem, à Clemente eorum discipulo adeò fuisse immutatum, ut contrariam prorsus significationem indueret. Ac quod Petro Clerus dicebatur, Clementi Clerus non vocaretur, & vice

1 Petr. V. 3.

versâ

ANNO DOM. 300.

Clem. Epist. p. 53. Bevereg. Cod. l. 2. c. 10. 245.

versâ. In Clementis quidem ad Corinthios Epistola doctissimus triumphat Beveregius: *Insignem Clementis R. locum*, inquit, *praeterire nequeo* τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ *summo quippe Sacerdoti sua munera tributa sunt; Sacerdotibus locus proprius assignatus est, & Levitis sua ministeria incumbunt; Laicus praeceptis Laicis constringitur.* Insignis sanè locus, verùm ad doctissimi quidem Canonum vindicis aberrationem patefaciendam, non ad antiquitatem vocis *Clerus*, designandis Episcopis, Presbyteris, Diaconis demonstrandam idoneus. Ut enim omittamus vocabulum *Clericus*, à verbis Clementinis abesse, luce clarius est, templi Mosaici munera, non Ecclesiæ officia eâ ratione significari. Quod sequentibus apertissimè docetur: *Non omni loco, fratres, offeruntur sacrificia perpetua, & divina, sed Hierosolymis tantum: neque illic in quovis loco fit oblatio, sed in atrio Templi, ad altare, prius inspecto sacrificio à summo Sacerdote, & praedictis Ministris.* Quid disertius? Prædicti igitur illi Ministri Mosaici erant, non Christiani. Ac sanè germana virorum Apostolicorum scripta, Clementis scilicet, Polycarpi, Justini, vocabula Pontificis, Sacerdotum, Levitarum Christiano Clero significando nunquam usurparunt. Neque magis Clementinæ ætatis est vocabulum *θυσιαστήριον*, *altare*, ad Eucharistiæ mensam indicandam, quod Apostolicis in Canonibus reperitur Canone 3. & 4. In stilum N. Testamenti calamum Clemens intinxerat suum. Sacri verò Scriptores semper *mensam*, nunquam *altare* locum vocant in quo consecrabatur Eucharistia. Ex rebus ipsis graviora nobis oriuntur argumenta, quibus à Clemente Romano Canones abjudicentur. Canone XXVI. mentio est *Lectorum*, & *Cantorum*. *Hypodiaconorum* meminit Canon XLIII. Quorum officiorum omnium institutio, Clemente posterior est, ut suo loco demonstratum. Frustrà quidem quærerentur & in Clementis ad Corinthios, & in Polycarpi ad Philippenses Epistola. Quorum non minus quàm Virginum meminisset Beatus ille Martyr, si eo minorum ordinum officio jam Ecclesia floruisset. Canon VIII. Episcopo, Presbytero, Diacono minatur abdicationem, qui *Pascha diem ante vernum Æquinoxium cum Judæis celebraverit.* Hæccine traditio est Apostolica? Cùm Polycarpus Apostolorum alumnus, Lunâ XIV. cum Judæis Paschæ solemnitatem agitaverit? Aculeatasne Victori, qui Polycratem Asianosque fulminibus suis jaculatus erat, Episcopi scripsissent Epistolas, si Apostolicus Canon extitisset, quo disciplina Asiaticorum ritibus contraria sanciebatur, additâ depositionis pœnâ? Laudari quidem, non perstringi *Victor* debuisset ob severitatem, quam in excommunicando adhibuisset, fretus Apostolicâ regulâ. Canon XXIII. Clericum deponit, qui seipsum mutilavit; Laicum verò ab Ecclesiastico omni officio repellit Canon XXII. Quòd si legem ejusmodi tulissent Apostoli, quâ fronte atque audaciâ Alexander Hierosolymitanus, & Theoctistus Cæsariensis Origeni præsentibus Episcopis facultatem explicandæ Scripturæ non dedissent modò, sed ad dignitatem quoque Presbyteri promovissent? Etenim sese eviraverat Origenes, quem tamen Ecclesia pro Presbytero habuit.

Num à Clemente Alex. conditi Canones Apostolici?

XIII. Conclamata nunc Turriani, Binnii, Baronii sententia est de Canonum Apostolicorum Antiquitate. Invaluit postmodum opinio,

Tom. II.

ANNO DOM. 300.

Canones *erudito Scriptori, qui tertio saltem seculo floruerit, esse vindicandos.* Quæ doctissimi Petri Marca sententia est, de Concordia Sacerdotii & Imperii l. III. c. 2. n. 2. Quam & imbiberunt animo Elias du Pin, Pearsonius, præcipuè Beveregius, Canonum vindex acerrimus. Syllogen paulò antiquiorem fuisse, contendit Cavius, quam *Synodicum* esse putat, *circa finem secundi seculi in unum redacti.* Quin etiam eò acuminis progressus est Beveregius, ut Clementi Alexandrino eam Canonum collectionem ascripserit. Nos verò longè posteriorem fuisse putamus, quod anno MDCLIII. tam splendidis argumentis planum fecit Dallæus, vir immortalis memoriæ libro 3. de Pseudepigraphis Apostolicis, ut de Latinorum grege viros doctissimos N. Alexandrum, atque Cabassutium in sententiam suam pertraxerit. Porro Clarissimi conjectura Beveregii de Clemente Alexandrino Canonum Apostolicorum Collectore, nullo nobis modo probatur. Legimus quidem apud Eusebium, Clementis librum fuisse, *Qui Ecclesiastica Regula inscribitur, seu adversus eos qui errores Judaeorum sequuntur*, quem Alexandro Hierosolimitano nuncupavit. De Canonibus Ecclesiasticis liber ab Hieronymo nomen accepit. Nil tamen est in Eusebio, aut Hieronymo, quod Beveregianæ conjecturæ præsidio sit, nec à temeritate sejunctum putamus, ex titulo libri, cujus nullam Beveregius partem vidit, colligere cum Canonibus Apost. onum eundemque fuisse. De instituta à Clemente veterum Canonum collectione in Eusebio, ne μῦ quidem. Neque Codex Canonum Apostolicorum, adversum eos qui Judæorum errores sequuntur, propriè scriptus est. Canone quidem septimo obiter illi perstringuntur, qui ante vernum Æquinoxium Pascha celebrant. Canon quoque LXX. illos damnat, qui cum Judæis vel jejunant, vel festa celebrant. At hinc conjecturam ducimus, alium Clementis fuisse librum à Canonum Apostolicorum Sylloge. Hoccine in Judæorum sequaces scribere est, LXXXV. disciplinæ Ecclesiasticæ Canones colligere, quorum unus aut duo Judaïzantes obiter vexant? Fitne vero simile tertii seculi sub initia non multò pòst extinctas de Paschate lites, quas Victor commoverat, Clementem invenisse Canonem, in quo miseri Asiani, quasi debellati in triumphum ducebantur, Victorisque factum, quod ab Irenæo aliisque Episcopis certè certòque fuerat improbatum, laudibus afficiebatur? Apage ergo Beveregianam conjecturam! Quantò satius est, Clementino libro, qui *Ecclesiastica Regula* inscribebatur, non Canonum Apostolicorum Syllogen, sed Opus intelligere in Nazaræos conditum, qui *cùm Dei Filium confiterentur esse Christum, omnia tamen Veteris Legis observabant?* Porro Clementem Alex. Canonum Apostolicorum conditorem non fuisse, vel una præscriptio hæc de non suscipiendo Hæreticorum baptismo documento est: *Episcopum vel Presbyterum qui Haereticorum baptismum, vel sacrificium admiserit, deponi jubemus.* Quæ si à viris Apostolicis lex sancita fuisset, neque opus Agrippino Carthaginensi esset, repudiatâ priori consuetudine, quæ Hæreticorum baptismum admittebat, contrariam inducere, neque Constitutionis ejusmodi hospites fuissent Stephanus atque Cyprianus, quibus constat fuisse ignota-

Euseb. l. 6. cap. 14.

August. de Haer. cap. IX.

Can. Apost. 46.

Nona tam.

Anno Dom. 300.

tam. Prætereà Clemens Alex. eum conscribere Canonem non potuit, qui Novatianorum causâ conditus est: *Si quis Episcopus vel Presbyter eum qui à peccatis convertitur, non recipit, sed ejicit, deponatur.* Quos enim percellit Canon, si non Novatianos? Antecessores quidem Cypriani in Africa *dandam mœchis pacem non putaverunt.* Sed terribili ictu fulminis hujus Apostolici percussos non fuisse, scimus ex Cypriano. Sed argumentis in hanc Beveregii sententiam parcendam, quia Canonum Apostolicorum Syllogen tertio seculo posteriorem fuisse, mox probatum ibimus.

Can. Apost. 52.

Cyprian. Ep. 52.

Collector Canonum Apost. voluerit ne eos Apostolis vindicari?

XIV. Canonum qui Apostolici usurpantur, non Clementem Rom. non Alexandrinum, sed anonymum quinto seculo Collectorem fuisse existimamus. Qui corrasis complurium Synodorum decretis, seculis secundo, tertio, quarto labentibus congregatarum, Synodicum confecit suum. Canon XLVI. quo Hæreticorum baptismus rejicitur, ex Iconiensi Synodo petitus esse videtur, de qua commemoravit Firmilianus, in sua ad Cyprianum Epistola: *Plurimi simul convenientes in Iconio . . . confirmavimus, repudiandum esse omne omninò baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.* Canon LII. qui Novatianos percellit, ex variis ortus Synodis, quæ Novatiani disciplinam damnaverunt. Testatur quidem Cyprianus, Epistolâ ad Stephanum 67. Novatianum *per totum orbem à Sacerdotibus Dei abstentum fuisse.* Canon XIV. de Clericis, qui relictâ suâ parrochiâ, in aliam concesserint, neque adhortante Episcopo redierint, totidem penè verbis ex Antiocheno tertio desumptus est. Quam & disciplinam Nicæna Synodus tradiderat Can. XVI. Canon XXII. quo sese mutilans Clericus deponitur, Canon est Nicænus I. Sylloges verò Autorem illum esse putamus, qui & Constitutiones Apostolorum edidit. Quod nos Photius monuit: *Legimus Clementis Rom. Pontificis librorum volumina duo. Horum alteri hic est titulus: Constitutiones Apostolorum per Clementem. Continetque Synodicei Canones illos, qui Apostolorum cœtui ascribuntur.* Videmus certè, non in *tertio* Constitutionum libro, ut errante calamo scripsit Clarissimus Elias du Pin, N. Bibliothecæ Eccles. p. 14. sed in *octavo* Canones Apost. fuisse subjunctos. Quin etiam eidem Autori, Clementi Romano scilicet, utrumque Opus inscribitur. Constitutionum & Autorum extollit Canonum Collector, dubio procul sibi canens, honorique proprio velificans, Canone ultimo, qui N. Testamenti libris Constitutiones apponit: *Et Constitutiones, inquit, vobis Episcopis per me Clementem in VIII. libris edita.* Hinc quæ in eruditorum judiciis quæstio versatur, decidi potest, utrùm ea Canonum Collectori mens fuerit, ut quos ab Apostolis manasse fingit, à Clemente Romano scripti crederentur. Negant Beveregius, & Elias du Pin, *Primi Canonum conditores in animo non habuerant, ut hi ab ipsis Apostolis sanciri crederentur.* Ab omni ergo fraude primum Canonum editorem alienum fuisse putant. At Canones interpolatos esse contendunt, ab *Autore Constitutionum*, uti censet *Du Pin*, quo majore Canones autoritate pollerent. Quæ utut solerter excogitata, nobis tamen sunt incredibilia. Qui enim fieri potuit, ut à Joanne Antiocheno, qui anno 520. floruit, inscriberentur Clementi Rom. nisi aliquid indicii præferrent, quo huic possent Autori vindicari? In suo Synodico his verbis utitur: *Sanctis quidem Domini discipulis & Apostolis, octoginta quinque Canones per Clementem ediderunt.* Canones quoque SS. Apostolorum per Clementem editos fuisse, docuit Damascenus. Unde hæc ipsis intima persuasio, nisi vetustissimi quos trivere, Canonum Codices eos Clementi R. vindicassent? Ut hinc liqueat, innata Codicibus, non addita verba fuisse, quibus adducti sunt, ut Clementis esse censerent. Prætereà si ante corruptorem, Sylloge Canonum jam in manibus fuisset omnibus Episcopis Orientalibus, quâ spe impletus, quo consilio ea verba addidisset, quibus persuasionem lectoribus insculperet, Clementis Romani Canones fuisse? Nonne à fama antiqua, à communi hominum opinione, à veteribus exemplaribus coarguebatur, utpote quæ diverso à Clemente R. Autori Canones vindicabant. 3°. Si Constitutionem, quæ tribuuntur Apostolis, pars aliqua Synodicum fuit, ut verè fuit, teste Photio; nonne vero proximum est, unius ejusdemque Autoris esse, tam Constitutiones, quàm Canones Apostolorum, uni Clementi Romani à veteratore contributos? Quid est in materia, stiloque Canonum, quod à Constitutionibus abhorreat, ne ab eodem fonte, calamoque Opus utrumque manasse existimetur? 4°. Ad Codices antiquos provocamus, quibus certa continentur indicia, Autorem Sylloges Operi suo Clementis nomen inscripsisse. Vetustissimus Codex ille fuit, quo Dionysius usus est Exiguus, sexto seculo nondum adulto. Atqui in Canone quinquagesimo fingit Autor Apostolis se fuisse coætaneum. Vertit enim Dionysius, *Non enim dixit nobis Dominus, In morte mea baptizate.* Pronomen *nobis* etiam atque etiam considerandum, quæ Apostolorum ad Clementem verba fuisse tradit. Similiter Canone LXXXII. *Qualis noster quoque visus est Onesimus.* Quæ de Apostolico *Onesimo* Philemonis olim servo dici palam est. Qui verò verba hæc adhibuere, *noster Onesimus*, Onesimo coætanei esse debuerunt. Hæc ergo Collector Canonum fœneravit Apostolis. Altior tamen insurgens eruditissimus ille Beveregius, huic argumento, quod meritò Dallæus objecerat, vulnus infligere tentat: *In Codice isto, quo Josephus Ægyptius Paraphrastes Arabicus usus est, pro istis verbis, in Canone 82. qualis & noster Onesimus, nihil aliud scriptum fuit, quàm qualis & Onesiphorus.* Quâ lepidâ observatione linguæ Arabicæ peritum scimus Beveregium. Josephum quoque novimus Ægyptium, in corruptum Canonum Apost. Codicem incidisse, nil prætereà. Est autem iniquissimum, unum exemplar, quod perperàm & stultissimè *Onesimum* mutavit in *Onesiphorum*, Græcis omnibus exemplaribus anteferre. Communem esse lectionem, quam Græca exhibent, testis est ipse Beveregius, qui cùm multa exemplaria vel triverit, vel ab aliis eruditis lecta noverit, unum tamen Arabicum nobis obtrudit. Eodem quoque loco habemus aliam Clarissimi vindicis observationem ad Canonem LXXXV. in quo legimus, dum libros N. Testamenti recenset, *& Actus nostri Apostolorum.* Opponit enim nobis iterum suum Paraphrastem Arabicum Josephum, qui habet, *Atque gesta Apostolorum, quæ sunt Acta.* Remoto omni præjudi-

Phot. Cod. 112. pag. 290.

Beveregius. Cod. Can. l. 2. c. 17. n. 4.

Beverog. Cod. l. 2. cap. 8. 65.

Beverog. Cod. l. 1. c. 17. 177.

ANNO DOM. 300.

judicio, pronuncietur æquumne sit, Græca exemplaria omnia Arabico uno corruptissimo postponere? Atque ex his meritò colligimus, Canonis XXIX. veram germanamque lectionem esse, quam etiam *Gregorius Holoander* anno superiore in sua versione secutus est, *à communione exscindatur, ut Simon Magus à me Petro*, etsi non nesciamus, Dionysium Exiguum legisse, *Sicut Simon Magus à Petro.* Vulgata quippe lectio Autoris ingenio magis est consentanea, qui in Constitutionibus suis, Apostolos primâ personâ loquentes passim inducit: *De Diaconissa ego Bartholomeus constituo: de Hypodiaconis ego Thomas constituo: de Lectoribus ego Matthæus constituo: de Confessoribus ego Jacobus Alphæi constituo*, &c. Porro Canonum Collectorem Pseudo-Clementem quinto floruisse seculo, documento est Joannis Antiocheni Sylloge, quâ Canones Apostolici continebantur. Vixit autem Joannes temporibus Justiniani. Sed & eâdem ætate Dionysius Quinquaginta Canones Latinos fecit. Jam verò neque in Latinum eos transfudisset Dionysius, neque Joannes Antiochenus qui Constantinopolitanæ præfuit Ecclesiæ, suæ collectioni inseruisset, nisi Ecclesiæ Græcæ jam fuissent in maximo pretio. Exeunte igitur v. seculo Sylloge Canonum Apostolicorum Græcis innotuit, & in laude fuit.

Constit. Apost. lib. VIII. c. 19. &c.

Canonum Apost. Sylloge Concilio Nicæno posterior est.

XV. Nostra nunc argumenta congeramus, probando Synodo Nicenâ Canonum Apostolicorum Syllogen posteriorem fuisse. Quod nobis satis est, ad evertendam doctissimorum & Gallorum, & Anglorum sententiam, qui tertio seculo collectionem jam extitisse, sibi in mentem induxerunt. Primam rationem petimus ex Fulgentii Ferrandi Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi *Canonum Breviatione*, anno præter propter DXXXV. concinnata. Cujus Breviarii capita sunt CCXXXI. in quibus Nicæna, Sardicensis, Laodicena, Antiochena Synodi, ut Latina Concilia prætereamus, quàm frequentissimè citantur. Quòd si Canonum Apostolicorum Sylloge jam extabat ante Concilium Nicænum, ut tam à Nicænis, quàm ab Antiochenis Patribus laudata sit, uti doctissimi adversarii statuunt, quid causæ est, *cur Ferrando* tam celebris collectio ignota fuerit? Cur ex eo fonte *Breviationem* non æquè suam hausit, atque à Synodis, quæ posteriores fuisse dicuntur, quarumque scita, & antiquitate, & autoritate, Canones Apostolici eminebant? Vertant se in omnes partes viri doctissimi, tantæ oblivionis probabilem afferre causam nullam poterunt. Nos verò silentii congruam reddimus. Nempe cùm paucis ante Ferrandum annis præcipiti seculo v. Collectio à Pseudo-Clemente edita fuisset, Breviatori nondum venerat in notitiam. Quæ germana quoque causa est, quamobrem ante Dionysium Exiguum Latinis ignorati sint Canones Apostolici. Nobis sanè fit incredibile, Pseudo-Clementinam collectionem nil autoritatis apud Latinos habuisse, si hanc sibi regulam proposuissent Nicæni, Antiocheni, Constantinopolitani, Carthaginensesque Patres, nec non Athanasius, Basilius, magnaque illa quarti seculi lumina. Sed ex ipsa quoque Canonum materia comperimus Pseudo-Clementis Collectaneis, Synodum Nicænam anteriorem esse. Canon III. *Ne liceat aliquid aliud ad altare offerre, quàm oleum ad luminare, & incensum tempore oblationis.* A tertii disciplina seculi prorsus abhorret, in quo ad altare nullus thuris, luminariumve usus fuit. Ævo Tertulliani pars erat superstitionis aliqua Christianis thura vendere, quam exerceri mercaturam prohibet Septimius, de Idololatria c. XI. Absurdissimè quidem, si tum temporis in Ecclesia incendissent thus & odores. Neque in consuetudinem venerat oblatio thuris Arnobii Afri ætate, quæ cum initiis quarti seculi conjungitur. Solebant enim Ethnici crimen *Christianis maximum impietatis affigere, quòd non thura, neque fruges salsas inferrent.* Accusationem fatetur Arnobius: *Ac primùm illud à vobis isto ipso quærimus, percontamurque de thure, unde, & quo tempore posse illud aut scire potueritis, ut meritò existimetis, aut esse Diis dandum, aut eorum acceptissimum voluntati.* Insaniisset sanè Arnobius, talia Ethnicis ingerendo, si Canonibus Ecclesiasticis jam commendati fuissent thuris honores, tempore oblationis Eucharistiæ. Hunc sibi locum non objecit doctissimus *Canonum Ecclesiæ primitivæ vindex.* Neque etiam sub initia IV. seculi, diurnorum luminarium in consuetudinem Christiani sese immiserant. Testem damus Lactantium: *Num igitur mentis suæ compos putandus, & qui autori, & datori luminis, candelarum ac cerarum lumen offert pro munere?* Sed eâ de materiâ fusè tractatum, Ann. U. C. 986. Canon. VII. Presbyteros, Diaconosque deponit, qui ante vernum Æquinoxium Pascha cum Judæis celebrant. Quæ pœna non nisi post Concilium Nicænum imposita est. Testatur quidem Irenæus, Episcopos Rom. pacem coluisse cum Asiaticis, qui cum Judæis Paschalem festivitatem agitabant. Imò post Victoris cum Polycrate certamina, Syri, Cilices, Mesopotamiæ incolæ, Asianorum in sententiam descenderunt, ut anno U. C. 943. ostendimus. Disciplinæ hujus diversitas, cùm ad Nicænam Synodum usque perseverasset, in eo conventu tandem composita est: *Communique omnium sententia decretum, eam festivitatem, uno eodemque die, ab omnibus ubique celebrari oportere.* Hactenus nil legis latum erat de Clero movendis, qui Lunâ XIV. Pascha celebrabant. Argumento sunt Episcoporum offensiones ob factum Victoris, Asianos censuris suis perstringentis. Ut incredibile sit, pace constitutâ, Ecclesiisque suas consuetudines liberè retinentibus, legem esse promulgatam, quæ ob Asianorum disciplinam Clericis abdicaret munus suum, perniciosissimumque schisma induceret. Ubi verò omnium suffragiis decretum, uno eodemque die Pascha esse agitandum, tum Diffidentibus pœna abdicationis jure irrogari potuit. Canon LXVI. Clericum deponit, *Qui Sabbata præter unum solum jejunaverit.* Quæ pœna si publicâ Ecclesiæ disciplinâ sancita fuisset, quis credat anno CCCV. quo Concilium Eliberitanum congregatum est, Episcopos novemdecim, quos inter celeberrimus ille Osius, regularum Ecclesiasticarum peritissimus eminebat, *omni Sabbati die* jejunium constituisse. Tum etiam certissimum est, qui Sabbatici jejunii disciplinæ non adhærebant, septimâ tamen feriâ jejunasse, quando in urbe versabantur, quod & à se factum Ambrosius perhibet. Hoccine fecisset, si in jejunatores Sabbati, Ecclesiasticâ Lege veteri abdicationis pœna Clericis irrogabatur? Innocentius Papa seculo v. Canonis ejusmodi omninò peregrinus fuit.

ANNO DOM. 300.

Arnob. lib. VI.

Arnob. lib. VII.

Euseb. l. 3. de Vit. Const. cap. 18.

Elib. c. 26.

Anno Dom. 300.

Innoc. Ep. 2. c. 4.

fuit. Scribit enim Decentio Eugubino, *Sabbato jejunandum ratio evidentissima demonstrat.* Imò *ratio evidentissima* Sabbato non esse jejunandum demonstrasset, Canonum scilicet Antiquorum autoritas, quos gravi pœnâ munitos pertringere non licuit Canone LXXXIII. Clericus exercitus vacans, & Romanum Magistratum, & sacerdotalem administrationem retinere volens deponitur. Mentemne subit alicujus, Ethnicis imperantibus, Episcopos & Presbyteros, militiæ operam dedisse, simulque & Magistratum exercuisse, & Sacerdotium, ut abusui removendo, Canone ejusmodi opus esset? Unum novimus Pseudepiscopum Paulum Samosatenum, qui seculares gessit dignitates, & *Ducenarius vocari, quàm Episcopus* maluit. Militiæ tamen non vacavit, neque ab Antiochenis Patribus, Pauli causâ Canon ejusmodi sancitus est. Exemplis Clericorum aliquibus, quæcunque Synodus legem eam tulerit, debuit adduci ut Clericos & arma gerentes & Magistratum loco suo moverent. Exempla verò ejusmodi nulla fuisse putamus, annorum quadringentorum lapsu. Unus Paulus seculares dignitates gessisse legitur, quia Zenobiæ Judææ percharus erat. Politici verò honores cum Sacerdotio conjungebantur apud Judæos. Canon igitur non antè conditus est, quàm fastus, divitiæ, dignitates, favore Imperatorum Christo morem gerentium in Ecclesiam exundarent. Ut totam hanc materiam concludamus atque definiamus, Canoni ultimo advertamus animum. Novi Testamenti libri sunt, *Clementis Epistolæ duæ & Constitutiones, vobis Episcopis, per me Clementem in octo libris edita, quæ non sunt vulganda propter ea quæ sunt in eis mystica.* Quid? Hæccine opinio fuit Christianorum, qui ante Concilium Nicænum floruere, Clementis & Epistolas, & Constitutiones, libros esse N. Testamenti? Imò de altera Clementis Epistola, aliisque Operibus, quæ venerando ejus nomine ornabantur, hoc est Eusebii judicium: *Sciendum est alteram quoque Clementis Epistolam circumferri, verùm hanc non perinde receptam & approbatam fuisse pro certo habemus, quandoquidem vetustiores ejus testimonio nequaquam usos comperimus. Quidam porro alia etiam Opera prolixa & copiosa sub ejus nomine heri ac nudius tertius in lucem protulerunt, puta Petri, & Apionis disputationes, quarum apud Antiquos nulla omninò extat mentio.* Hinc luce clarius est, ætate Eusebii Pseudo-Clementis non extitisse Syllogen, in qua secunda Clementis Epistola & recipitur, & approbatur, Constitutionesque sacris libris apponuntur, quæ in notitiam non venerunt Eusebio. Quis verò id sibi persuasionis induat, veteris Ecclesiæ Orientalis Synodicum ignotum fuisse Eusebio, Episcopo sui temporis doctissimo & antiquæ disciplinæ peritissimo? Neque notiores Hieronymo Constitutiones Clementinæ, quarum hospes non fuisset, si Canon veteris Ecclesiæ eas honori habuisset. Constitutionum quidem Apostolicarum meminit non semel Epiphanius, sed quæ ab octo Clementinarum Constitutionum libris non minimùm discrepabant, qua de re nostram ostendimus sententiam An. U. C. 853. n. 8. Quin etiam constat ex Epiphanio, quas Apostolorum Constitutiones memorat, in Canonem Ecclesiæ non fuisse relatas.

Euseb. l. 7. cap. 3.

Euseb. l. 3. cap. 38.

XVI. Doctissimorum adversariorum de Canonum Apostolicorum Sylloges vetustate sententia duobus in fundamentis collocatur. Qua de re acerrimum Codicis Canonum Ecclesiæ Primitivæ vindicem Beveregium differentem audire juvat: *Hæc sententia duabus observationibus explicatur, quarum prima est, frequentes secundo tertioque seculo habitas fuisse Synodos, quibus altiora quæque tractata sunt. Altera observatio est, nihil in Canonibus Apostolorum haberi, quod Ecclesiastica istorum temporum disciplina non exactè respondet.* Immensam quam in vindicandis Canonibus Beveregius adhibuit, & lectionem mirari sumus, & eruditionem. Æquè tamen miramur tam tenui tibicine virorum Clarissimorum fultam esse sententiam. Vanas quidem & inefficaces esse geminas eas observationes, ut mille & quadringentorum annorum antiquitas Pseudo-Clementis Synodico tribuatur, unum vel exemplum ostendit. Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, anno circiter DXXXV. Breviationem Canonum edidit. Quod si Autor vel ignoraretur, vel antiquioris nomen usurpasset, utique & observationibus Beveregii colligere nobis & promptum foret, Ferrandi Breviationem quarto seculo jam extitisse. Quippe labentibus tertiâ quartâque Centuriâ, frequentes habitæ Synodi; neque Ferrandi *in Breviatione* continetur, *quod Ecclesiastica istorum temporum disciplina non exactè respondet.* Falsissimum tamen est, Ferrandi Breviationem quarto seculo confectam fuisse. Concedamus ergo Beveregio, doctissimisque Anglis Pearsonio, Cavio &c. nil in Canonicis Apostolicis inveniri, quod à ritibus secundi tertiique seculi abhorreat, non tamen ex eo conficitur, horum Canonum Syllogem, vel ab illo tempore prodiisse. Scriptorem sanè v. seculi, secundi tertiique disciplinam uno Codice complexum esse, quid vetat? Assumptis ergo externisque argumentis, etiamnum ostenderemus, tantam Codici antiquitatem esse detrahendam. Quam & rationem adhibemus evertendæ Sylloges Canonum Apostolicorum antiquitati. Iterum enim atque iterum dicimus, mente capere non possumus, id Synodicum Romanæ, Africanæ, Gallicanæ, Latinisque Ecclesiis omnibus annis amplius quingentis ignotum fuisse, si jam à tertio seculo Orientalium Episcoporum in manibus versabatur. In Occidentem non minus migrasset, quàm Canones sive *Nicæni*, sive *Antiocheni*, qui Latinorum notitiæ non sunt erepti. Hæc quidem ex abundanti, cùm exemplis ostenderimus, multa in Canonibus Apostolicis reperiri, quæ à tertii seculi institutis maximè sunt aliena. Objicit Beveregius: *Nicænam Synodum Canones Apostolicos vidisse, ut patet ex Canonibus Nicænis IX. & X. cum Apostolicis LXI. & LXII. collatis. Canones Antiochenos, ex Apostolicis formatos esse. Athanasii de Antiquis Ecclesiæ Canonibus testimonium, de aliis quàm Apostolicis intelligi non posse. S. Basilium suum etiam testimonium hisce Canonibus Apostolorum tribuisse in Canonica sua ad Amphilochium Epistola Canone I. III. XII.* Quam fusius argumentationem persequitur, adductâ quæ Canones Apostolicos inter, & varias Synodos reperitur similitudine. Sed ex nostra sententia hoc argumenti evanescit atque diffluit. Anno circiter DCXC. Crisconius Africanus Episcopus, *Breviarium Canonicum* edidit, quo Capi-

Anno Dom. 300.

Beveregiana pro antiquitate Canonum Apost. fundamenta excutiuntur.

Bever. Cod. l. 1. cap. 2.

Bever. Can. l. 2. cap. 2. 3.

ANNO DOM. 300.

Capitula *trecenta* continentur hausta ex Synodorum anteriorum Paparumque decretis. Ex quo conficitur, Crisconianam Canonum Syllogen disciplinæ hujus similem esse, quæ in prioribus seculis obtinuerat. Non eò tamen consequens fit, Cresconianum Synodicum Veteribus fuisse laudatum, aut ad ejus Canones collimasse. Aliud quippe materia, aliud forma Sylloges, illa antiquior, hæc recentior est. Pseudo-Clementis Canones ex Synodorum secundo, tertio, quarto seculo celebratarum, decretis constare existimamus. Quæ cùm ita sint, nil mirì similitudinis aliquid intercedere Canones Apostolicos inter & Nicænos, Antiochenos, Gangrenses, Regulasque Ecclesiasticas, quarum Athanasius Basiliusque meminere: immeritò tamen inde colligitur, Apostolicorum Canonum Syllogen in Patrum Nicænorum, Gangrensium, Constantinopolitanorum manus incidisse. Quia ea Sylloge Synodorum labentibus IV. Centuriis celebratarum compilatio est. Non magis ergo Patres tertii quartive seculi Pseudo-Clementinum, quàm Crisconianum aut Ferrandianum Synodicum respexere, etsi in multis materia non abludat. Sic undique corruunt fundamenta, quæ immàni Beveregius Operi suo tanto molimine substravit.

Num voce Canonum Apostolicorum Patres Pseudo-Clementis Syllogen significarint?

XVII. Pellenda nunc sunt ambigua, in quibus Canonum Apostolorum antiquitatem eruditi vidisse sibi videntur. Afferunt Athanasii verba hæc: *Non nunc dierum Canones, & typi Ecclesiæ dati sunt, sed à Patribus nostris pulchrè firmiterque traditi fuerunt.* Throno detrusus erat Athanasius, priusquam causa ejus in Episcoporum Synodo examinata fuisset, contra Canonem Apost. LXXIV. Georgius Cappadox Episcopatum Alexandrinum pretio favoreque Principum consecutus erat: *Id autem Canones Ecclesiasticos violabat, quos frustra alibi quæsiveris, præterquam inter Apostolicos*, nempe XXIX. Basilius Epistolæ ad Amphilochium Canone III. memorat Apostolicum XXV. Alia benè multa adducuntur exempla, quæ videre sunt apud Beveregium, quorum tamen una vis est, quia multitudine exemplorum efficacia hujus argumenti non intenditur. Cui si responderemus, materiam Canonum Ap. laudari non Codicem atque Syllogen, nervi rationis Beveregianæ hujus facillimè inciderentur. Est præterea animo recondendum, Canonem qui Apostolicus aut Ecclesiasticus dicitur, duas significare regulas, ad quas disciplinam Veteres suam dirigebant. Prima summaque Regula Sacra Scriptura est, in qua jactum disciplinæ totius Ecclesiasticæ fundamentum. Hac in Regula innititur Canon Apost. XVII. De eo qui Concubinam post baptismum habuit, ad majores promoveri ordines nequit. Oportet enim Episcopos & Diaconos *irreprehensibiles* esse, atque benè moratos. Qualis ille non est existimandus, qui utitur concubinâ. Fundatus & Scripturæ oraculis Canon XXIV. de Laico, qui sese mutilavit; cùm nemo carnem suam *odio habere, sed fovere* debeat. Quocircà ipsi Canones Ap. non semel constitutionis suæ causam Scripturam afferunt. Canon XLVI. Presbyteros deponit & Episcopos, qui sacrificium, & baptismum Hæreticorum admittunt, *Quæ est enim*, inquit, *conventio Christi cum Belial?* Quæ Pauli verba sunt 2. Cor. 6. Similiter Canon XLIX. adhibet verba Matthæi XXVIII. 19. ad probandum, baptisma non unâ immersione, *in mortem Domini esse* administrandum. Canonis LI. præscriptio de recipiendo ad pœnitentiam peccatore, in verbis Lucæ constituitur XV. 7. Scripturam quoque laudat Canon LV. quo ab inferenda Episcopo injuria Clericus prohibetur. Sed & Canoni LXXXII. Scriptura præsidio est. Vetat enim Clericos exercitibus operam dare, ob dictum Domini, *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quidni ergo Patres dùm Canonem Apostolicum memorant, Scripturam habuerint ante oculos? Queritur Alexander Alex. Epistolâ sua ad Alexandrum Constantinopolitanum, Arianos ab Episcopis susceptos, *quod Apostolica regula non permittit.* Quidni iterum Scriptura potiusquàm Pseudo-Clementina Canonum Sylloge veniat in mentem? Nonne Paulus docuit, *Partem fideli, non esse cum infideli*, Hæreticumque *post secundam admonitionem devitandum esse?* Secundam Patres prudentiæ Regulam habuerunt, quâ communi quasi jure Ecclesiæ gubernabantur. Quæ solemnis consuetudo Canonis & Apostolici, & Ecclesiastici appellationem induit, quò pertinet cantata omnibus Augustini ad Januarium Epistola CXVIII. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri.* Quibus conjungenda verba lib. 2. de Baptismo c. 7. *Multa non inveniuntur in literis Apostolorum, neque in Conciliis posteriorum: & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Ac sanè non subinde, ne vel materiam, nedum formam Canonum Apostolicorum Sylloges laudari, cùm Regulæ Canonisque Ecclesiastici mentio injicitur, experientiâ docemur. Canon Nicænus IX. Presbyteros, qui crimina sua confessi sunt, quibus *præter Canonem, moti homines manus imposuerunt, eos Canon non admittit.* Canon XIII. de Pœnitentibus morti proximis sic sancit: *Etiam nunc lex antiqua servabitur, ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & maximè necessario viatico minimè privetur.* Canonem andimus atque legem veterem, quam qui in Pseudo-Clementis octuaginta quinque Canonum Sylloge quærit, in mari venatur apros. In Julii Papæ de Athanasio Epistolâ, Canonis Ecclesiastici commemoratio est. Falsam adversariorum accusationem esse demonstrarat Athanasius: *Quærit igitur Julius, Quid, quæso, nos oportuit facere? Aut quid Ecclesiasticus Canon exigit.* Ex LXXXV. Canonibus nullum indicat Julius, sed Ecclesiæ consuetudinem. Neque magis ab Imperatore Constantino Pseudo-Clementis Sylloge laudabatur, dum scripsit Eusebio: *Rectissimè fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei & Apostolicam atque Ecclesiasticam regulam custodire statuit, Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ repudians, & in eo potius permanere desiderans, quem Dei mandatu ab initio suscepisset.* Canonem Ap. XIV. designari arbitratur Beveregius, sed perperàm, cùm Eusebii Cæsariensis ad Episcopatum Antiochenum promotio huic Canoni non adversaretur, qui dat licentiam Episcopis, *Suâ parrochiâ relictâ, ad aliam migrare cùm possunt, majus lucrum Fidelibus conferre, idque non ex se, sed multorum Episcoporum judicio.* Quibus conditio-

Marginal notes: *Ath. t. 1. pag. 943.* — *1. Tim. 3. 2.* — *Ephes. v. vers. 39.* — ANNO DOM. 300. — *Act. XXIII. v. 5.* — *Theodorit. h. l. 1. c. 4.* — *Tit. III. 10.* — *Athan. t. 1. 748.* — *Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 61.*

ANNO DOM. 300.

ditionibus consentanea erat Eusebii ad Antiocheniam cathedram promotio. Credimus potius à Constantino subindicatam fuisse Scripturam Act. xx. 28. Epist. Petri 1. c. v. vers. 2. nec non Nicænum Can. xv. quo prohibetur, ne *propter tumultum, à civitate in civitatem, Episcopus, Presbyter & Diaconus transeat.* Denique exploratum est ad Canonem Apostolicum xxv. non collimasse Basilium, dum *antiqui Canonis* meminit, quo qui à Clero exciderunt, à Laicorum communione non arcentur. Addit enim Basilius, *Primis, ut existimo, legem illam secutis, non vindicabis bis in idipsum.* Conjectura Basilii hæc est, *ut existimo*, quam non attulisset, aut afferre potuisset, si ad Canonem Apostolicum xxv. attendisset, in quo certa res est Scripturam propositam esse ad hoc juris constituendum: *Dicit enim Scriptura, Non vindicabis bis in idipsum.* Quæ Canonis xxv. verba tam diserta sunt, tam expressa, ut nil loci conjecturis relinquant. Observetur ἐν παρόδῳ, Eliberitanum Canonem xviii. ne vel Laicorum communionem Clericis mœchantur, concedere: *Nec in fine*, inquit, *eos communionem accipere debere.* Quæ disciplina cum Apostolico Canone xxv. pugnet, consequens est anno cccv. nondum in usu fuisse. Sic certè certòque probatum est, phrasim *Canones Apostolici, regula Apostolica*, octuaginta quinque Canonum Apostolicorum Syllogen non significasse.

Basil. Epist. c. 3.

ANNO DOM. 300.



DIS-

DISSERTATIONES

AD ILLUSTRANDAM

ANTIQUITATEM

ECCLESIASTICAM

IDONEÆ.

DISSERTATIO PRIMA.

De traditione flagitiosi Diabolo 1 Cor. c. v. *deque Anathemate. Num his vocibus excommunicatio significetur?*

I. SCribenti Annales mulra illustrandæ Antiquitati necessaria tractare non licuit, ne series Historiæ divelleretur. Ea igitur coronidis loco addere placuit, partim ut Lectori veterum Ecclesiæ monumentorum cupido pergratum fiat, partim ut quæ in ea re Baronius peccavit, refelli possint, non sine veritatis emolumento. Admirationem sanè movet, errores Purpurati benè multos, animadversione castigationeque dignissimos, vigilantem Paganorum oculorum aciem effugisse. Verùm antequam longius progrediatur oratio, ultrò scribenti sese offert nobilis ille locus de Corinthio, qui flagitiosè libidinibus serviens suis, in scortationem, vel ipsis Ethnicis odiosam descenderat. Nempe scelestus ille, tacentibus Christianis, uxorem patris habebat. Indignum sanè de tanto, & tam impio facinore silentium. Ex quo fortè non immeritò colligi potest, incestuosum illum Judæum fuisse, qui recutitorum ex disciplinâ, relictam patris habere sibi fas esse putaret. Audiatur Seldenus: *Cùm Proselytus, aut Libertinus in Judaismum cooptatus erat, incestus nullius tenebatur, quia proximitas sanguinis desiit esse. Unde nec matrem, nec sororem uterinam Libertino Proselytove recens facto, volunt interdictam: etsi pater, mater, filius, soror in Judaismum cooptarentur, nullum cognationis pristina remanebat vestigium.* Cùm itaque baptismus, *regenerationis lavacrum*, vi efficaciâque longè majori polleret, quàm aut circumcisio, aut baptismus, quo genti Judaicæ Proselyti inserebantur, Christianis in mentem venire potuit, novercæ usu jura naturæ resoluta non fuisse. Id sceleris, quo ingens Ecclesiæ dedecus inurebatur, impunè esse Paulus non ferens, ipsius autorem Satanæ tradendum esse judicavit. Quid his sibi velit Apostolus, eruditis est in dubio. Ac ea de re sic censet Baronius: *Apparet illud Apostoli, Auferri de medio, nihil aliud fuisse, quàm tradere Satanæ; & tradere Satanæ, istud ipsum quod de Ecclesia ejicere. . . . Alexandrum & Hymenæum Satanæ se tradidisse, Paulus testatur ad Timotheum scribens, nec aliud significare voluit, cùm ad Galatas scriberet, Si quis annuntiaverit &c. anathema sit.* Complurium quoque Evangelicorum animos ea opplevit opinio, quæ nobis sanè non arridet.

Seld. de Jur. Nat. l. 5. c. 17.

Bar. An. 57. n. 11.

Tradere Satanæ non est excommunicare.

II. De ea explicatione sic censemus, quòd tria, quæ sunt accuratè distinguenda, in unum permisceat; cùm aliud sit prorsus, *tolli de medio*, tradi Satanæ, anathemate percuti. Verbis quidem Pauli, *Tollite improbum ex vobis ipsis*, excommunicationem significari, putamus esse verissimum. In traditione verò Satanæ nil prorsus excommunicationis, sed adjunctum ipsius extraordinarium quærendum esse censemus. Ea scilicet pœna est, jubente Paulo, à Dæmone inflicta, ut incusso timore summa flagitia compesceret. Cujus quidem explicationis plurimæ sunt, nec contemnendæ rationes. Ac primùm ab institutis Pauli Judæorum sermonem libenter imitantis, valde alienum est eam phrasim adhibere, quâ Judaica excommunicatio nunquam significata fuit, neque loquentem Corinthii cepissent. Evolvantur verò Judæorum monumenta, nusquam *tradere Dæmoni* usurpant, ut flagitiosum à Religione Mosaica exterminatum designent. Præterea excommunicationis & finis, & effectum, toto cœlo à *traditione Satanæ* discrepant. A sacramentis excommunicati pelluntur, ut sibimetipsis pudor odiumque peccati incutiatur. Hinc Tertullianus: *Conciliati & concinerati cum dedecore & horrore compositi sese prosternebant in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lachrymas suadentes, omnium vestigia lambentes, omnium genua detinentes.* Dùm verò Dæmoni peccatores traduntur, potestas defertur cruciandi corpora, quomodo variis doloribus Sanctus ille Job affectus fuit, Deo dicente, *Ecce eum in manu tua.* Insuper flagitiosi alicujus, sive corpus, sive mentem, excommunicando Diabolis Ecclesia non præbet. Ille ipse est, qui sceleribus sese suis mancipat hostibus. Imò dum eum è Sacramentorum usu exterminat, laniandum potius faucibus raptoris eripit, cùm excommunicatio remedium sit ad sananda vulnera comparatum.

Tert. de Pud. c. 13.

III. Verba sanè Paulina longè sunt magnificentiora, quàm ut excommunicationi accommodentur: *Judicavi, vobis & meo Spiritu in nomine Domini J. C. congregatis,* σὺν τῇ δυνάμει *cum potentia Domini nostri J. C. ejusmodi hominem tradere Satanæ.* Nùm splendidioribus verbis sententiam promulgasset suam, si præsenti Dæmoni reum validius cruciandum præbens, palam dixisset, *I lictor, colliga manus?* Ac primùm non Ecclesiastico Senatui, sed sibi potestatem tribuit, tradendi Satanæ, relictâ duntaxat Presbyterio facultate scelestum ejiciendi, *Tollite improbum istum ex vobis ipsis.* Neque Ecclesia Ephesina, sed Paulus ipse Hymenæum Philetumque Satanæ tradidit. Superat ea potestas Ecclesiæ vires, utpote Apostolicæ autoritatis privilegium. Verè sapienterque Hieronymus in Joëlem c. 2. Dæmones pro tortoribus habet: *Istiusmodi, ut ita dicam, quæstionariis, atque tortoribus tradidit Apostolus peccatorem in interitum carnis, ut Spiritus salvus fieret, de quibus Satanas est, cui tradidit alios, ut discerent non blasphemare.* Deinde non lac lacti similius, quàm phrasis Paulina sermoni Christi similis, *Ne quando te tradat adversarius Judici, & Judex te tradat Ministro.* Utrobique verbum παραδίδωμι, quo indicatur, hominem in manus ejus venire, cui traditur. Excommunicatione autem

Matth. v. 25.

peccator Satanæ non mancipatur: Imò ex Christianorum finibus exterminatur, quia pro vilissimo Dæmonis servo habetur. Prætereà verba hæc, *Vobis & spiritu meo congregatis*, nudam simplicemque Paulinæ mentis cogitationem non sonant. Quid virium ea incussisset, latæ in flagitiosum Corinthiorum sententiæ? Quantò augustior est explicatio Chrysostomi? *Hoc autem locutus est, non modò ut eos in sententiam suam traheret, sed ne aliud quicquam consulerent, sineret: sed ut incuteret terrorem, tanquam omnium conscius, quæ illic futura essent. Hoc autem est præsens esse spiritu, quomodo Helizæus præsens erat Giesi, cum diceret, Nonne cor meum in præsenti erat?* Miraculo fuit ea mentis Paulinæ præsentia, per Spiritum Sanctum quid in remotissimis locis ageretur, ipsi revelantem, qua ad detrudendum Excommunicatione flagitiosum potentia nil opus erat. Sed & potestas ea Domini, cujus meminit Apostolus, facultas est mortalium vires omnium superans, neque ut mea memoria est, δύναμις κυρίου, *vis Domini* in N. Testamento aliud significat: quomodo Lucæ quarto J. C. reversus est è deserto, ἐν τῇ δυνάμει, *in virtute Spiritus*; & 1 Cor. XII. *operatio virtutum*, & ad Hebræos secundo, *variis* δυνάμεσι *Spiritus*. Est ergo Paulo *vis Domini*, vasta illa potentia, quam Apostolico muneri Christus adjunxerat, quæque in afficiendis cœlesti pœnâ peccatoribus, sese nonnunquam exeruit. Eâ extinctus est cum uxore Ananias, eâ Magus Elymas luminibus orbatus, ut prodigiis ejusmodi hominibus, qui se Christi disciplinæ adjunxerant, terror incideret, ne veniret in contemptum humilitatis obtentu. Potestas quidem in Dæmones Apostolis indita fuerat, quæ licet in pellendis humanæ salutis hostibus præcipuè exhiberetur, in immittendis etiam illis, veluti ad institutionem Pædagogis, aut ad sontium cruciatum carnificibus, raro quidem, sed aliquando tamen patefacta est. Opus erat & hoc fieri, ne vilesceret ministerium Evangelicum, eò magis quòd in Ecclesia Judaica cæleste fuit judicium, quod suspiciebant Hebræi atque admirabantur.

Chrysost. Hom. XV. in Cor.

Tradere Satanæ de immissis ab eo tormentis est intelligendum.

IV. Non spiritualem duntaxat latâ excommunicatione, sed corporalem quoque pœnam Corinthius solvit, ope Dæmonis irrogatam, ut sic viribus debilitatis ad castitatem erudiretur atque pietatem. Quam Paulus castigationem his indicat: *Decrevi tradere Satanæ*, eamque remisit, sanato ægro, ne *superaretur à Satana*. Quæ si ad Excommunicationem referantur, frigida sunt & ἀσύνδετα. Num orbitas Sacramentorum paulò diuturnior, viam aperit victoriæ Dæmonum, præcipuè si reus admissi sceleris dolore moveatur? Quid de antiquâ disciplina fieret, quæ publicam ad vitæ usque spatium, pœnitentiam prorogavit. At timendum Paulo fuit, ne oneri cruciatus, Corinthius succumberet, cùm magnum illud constantiæ exemplum Job infra dolores fuerit, & natalibus suis maledixerit. Firmant explicationem verba hæc: *Ejusmodi homo tradatur Satanæ ad exitium carnis, ut Spiritus salvus sit die illo Domini.* Ac morbus quidem, *carnis exitium* dici potest, Excommunicatio non potest. Paulo quidem phrasis ea insolens est *mortificationi peccati*, ut aiunt, significandæ, quæ carnis ἀπέκδυσις, νέκρωσις, non ὄλεθρος appellatur. Sed & caro dum hominis menti opponitur, non peccatum quidem, quod in anima præcipuè moratur, sed corpus indicat, quod immissis à Dæmone cruciatibus confectum liquefiebat, quibus servandus Corinthii Spiritus ad resipiscendum inflammabatur. Notabilis est Oecumenii explicatio, quæ luce multâ Pauli verba perfundit: *Ad interitum carnis, Terminum præfigit Satanæ, ut duntaxat corpus tangeret, non etiam vitam. Simile est quod de Job ait Deus, Verumtamen vitam ejus ne tangas. Benè autem hoc ait, Ad interitum carnis; hoc est, ut ægritudine ipsum maceraret. Quoniam enim corpore procedunt concupiscentiæ, corpus vult puniri ac mortificari. Interitum itaque dixit carnis, terminum præfigens Diabolo, nec sinens ultrà procedere. Ut anima,* inquit, *servetur, nam & corpus hoc modo servabitur. Hoc autem providentia potius est, quam supplicium infligentis.*

De Anathemate. Quid rei sit?

V. Auditus est nobis Baronius, qui in *anathemate* quæsivit Excommunicationem, errore quidem, quem cum eruditis benè multis communem habet. Itaque omni ope nobis est allaborandum, ut vetus illud præjudicium evellatur animis. Advertendum, & in mente recondendum, Græcum ἀνάθεμα respondere Hebræo חרם, quæ vox perinde ac Latinis *sacer*, modò in bonam, modò in malam partem sumitur:

Quid non mortalia pectora cogis, Æneid. l. 3.
Auri sacra fames?

Et apud Horatium Lib. 3. Od. 19.

Et pugnata sacro bella sub Ilio.

Et in Juvenale:

Intestabilis & sacer esto.

Similiter *cherem*, & *consecrationem* designat, & *execrationem*. *Omne* חרם *cherem*, quod est ab Israelitis *consecratum, tibi erit*. Quem locum Num. 18. 14.
LXX. Interpretes ita verterunt, πᾶν ἀνατεθεματισμένον. Quo casu, consecrata sanctitatis aliquid induebant, ne dum delerentur. Ex illis porro quædam ad Deum, quædam ad Sacerdotes pertinebant. Quæ absolutè vovebantur, veniebant in Sacerdotum potestatem, nec unquam redimebantur: *Nullam rem devotam, quam quis Domino devoverit, ex omnibus quæ sunt ei ex hominibus, aut bestiis, aut ex agris suis, venditor aut redimitor.* Quæ verò propria Deo dicabantur, quartâ parte pretii additâ redimi poterant: *Si planè redimere volet quis de decimis suis, quintam superaddito illis.* Sic Maimonides in *Eracim*, Sect. 14. c. 6. Eo sensu, *anathema* legitur apud Lucam, qui Templum & pulcherrimis lapidibus, & ἀναθήμασι exornatum fuisse memorat. Alio prorsus significatu *cherem* accipitur, cùm rem indicat internecione delendam. *Qui Diis immolat,* יחרם *ut anathema perditor.* Quocirca Dominus Hierosolymæ misertus pollicetur, quòd non amplius *cherem*, anathema, hoc est, execratio erit. Illustriora sunt & disertiora verba Mosis, quàm ut dentur oblivioni. De Australibus Cananæis inquit, & ויחרם *& delevit eos, & vocatum est loci nomen, horma*, Græcis ἀνάθεμα. Quâ observatione patet, in Scriptura ἀνάθημα inter & ἀνάθεμα, nil esse discriminis, ut eruditis visum. Levitici ultimo quidem legitur non ἀνάθεμα, sed ἀνάθημα, *omne consecratum Domino sanctissimum erit.*

Levit. 27. 28.

Levit. 27. 31.

Exod. 22. 20.

Zach. 14. 11.

Num. 21. 3.

VI. Cherem, hoc est, execrationis anathemati, & hostes, & cives jura militaria violantes subjiciebantur: *Itaque non redimebantur, sed ad unum omnes tradebantur morti.* Quo anathemate percussi & Hierichuntini cives, & Galaditani, qui expugnandæ Guibbæ, ad castra non

Jud. 21. 10.

non venerant. Idcircò Israëlitæ, *Miserunt duodecim mille viros cum mandatis, ut percuterent gladio habitatores Jabes Galaad, etiam mulieres & parvulos.* Cæterùm ea in excisione, Excommunicationis à Sacramentorum usu submoventis, neque vola est, neque vestigium. Sacerdotes quidem, ad quos jus depellendi à sacris pertinere debuisset, id anathematis Galaditis non irrogarunt. Nec in V. Testamento locus extat ullus, in quo anathema, separationem à Sacramentis Sacerdotali autoritate factam significet. Afflictis rebus suis, Judæi jure gladii orbi, ad exscindendos contumaces, gradui Excommunicationis suæ tertio, anathematis nomen imposuere. Post triginta dierum contumaciam qui *nidui* gladio percussus fuerat, novo *ë shammata* vinculo colligabatur, שמת quippe Hebræis separare est. Eò tamen *shammata* à *nidui* discrepare videtur, quòd *nidui* maledictionis expers erat, quæ shammata adjungebatur, sicque triginta diebus iterum excommunicabatur. Quòd si nec labente eo temporis spatio, pœnitens flagitaret absolutionem, anathemate, sive *cherem* feriebatur, hoc est, gravioribus diris devovebatur solemni hoc atque horrendo carmine: *N. anathema sit, seu devotus, atque execrandus habeatur. Diræ imprecationes in eum, juramentum in eum, separatio in eum.* Si resipisceret devotus, rescindebatur anathema, simili planè formulâ, quâ excommunicatus fuerat.

Seld. de Jur. Nat. l. 4. c. 8.

Anathema non est exclusio à sacramentis.

VII. Quibus explicatis probatu facillimum est, in denuntiando anathemate, de Excommunicatione quæ peccatoribus sacramentorum usu interdicit, nil prorsus Apostolum cogitasse. Ac primùm certo certius est apud Autores V. Testamenti, *anathema* eo sensu non usurpari: neque etiam id significationis Judæis notum ævo Apostolico florentibus, qui flagitiosis quidem flagra inurebant, sacris verò eos non submovebant. Fitne igitur vero simile, Paulum phrasim adhibuisse, quæ ab omnium intellectu abhorrebat atque aliena erat? Quibus verò machinis insignem Pauli locum aptabunt Excommunicationi? *Si nos aut Angelus è Cælo evangelizet quidem vobis, præter id quod vobis Evangelizavimus, anathema esto.* Num à sacramentis Ecclesiæ Angelus pelli potest, si eò procederet ipsius mutabilitas, ut novum hominibus Evangelium ministraret? Unquamne ad Eucharistiam admissus est, ut eâ privaretur? Exscinderetur ne ab Ecclesia, cui per fidem & pœnitentiam nunquam insitus est, ad remissionem peccatorum consequendam? Prætereà Apostoli votum hoc est, *Qui non amat J. Christum, sit anathema.* Quis mente fingat atque animo solos Christianos, non Judæos etiam, qui spreto Evangelio, Christum odio plusquam Vatiniano persequebantur, terribili hoc fulmine fuisse percussos? Imò miseri illi recutiti præcipuè feriebantur. Jam verò Judæi qui cum Ecclesia Christiana in societatem non coiverant, ex communione ipsius ejici non poterant. Est ergo *anathema* ab Excommunicatione procsus diversum.

Gal. 1. 8.

1 *Cor.* 16. 22.

Quid igitur sibi vult Paulinum *anathema?* Horrendum sanè in impios Dei judicium, ut gravissimo sternantur exitio, ad terrorem hominibus incutiendum. Nec dubium faciet animum alicujus Malachias, ad quem non obscurè allusum est: *Ne veniam & percutiam terram anathemate.*

Maranatha quid?

VIII. Porro Anathemati Paulus subjungit *Maranatha*, vocem Syriacam quæ significat *Dominus venit*, ut ostenderet Judæos quibus lingua Syriaca vernacula fuit, palam & apertè designari. Itaque Maranatha non ad votum quidem, sed ad denunciationem pertinet, quasi Dominus jam staret in procinctu ad debellandos Judæos. Venit, ecce venit, inquit, summus ille Judex orbis terrarum, ut perditos illos, qui perpetuò Servatorem diris devovent suum, ferro, flammis, internecione deleat. Non est ergo cur dubitemus, quin anathema dirum sit exitium. Hoc sibi Paulus optabat, dum pro fratribus suis cupit *anathema* fieri, quasi subsidiaria victima, cujus in caput jam appetens maledictio derivaretur. De communicationis sententia à Petro, vel à Synodo ferenda, ne minimùm cogitabat. Eodem penè sensu Galatis scribit: *Utinam abscindantur, qui vos inquietant.* Abscindi perinde est atque anathemate feriri. Totâ quidem errant viâ, qui hîc Excommunicationem somniant, *ἀποκόψονται* respondet Hebræo כרת *exscindere:* quam Moses vocem adhibet scribendo: *Et exscindentur animæ sic facientes de medio populi.* Jubetne à sacris arceri? Minimè gentium hoc dat in mandatis, ut cruentâ morte è finibus naturæ humanæ exterminentur. Quomodo ille qui circuncisionem spreverat, tolli de medio debuit. Excommunicationi verò in hominem præputium retinentem locus non fuit, cùm Ecclesiæ Judaicæ sacris non initiaretur. Propria vocis *ἀποκόψαι* significatio hæc est, cùm animatis accommodatur. Cælesti judicio & anathemate olim excisi sunt Core, Dathan, Husa, Loti uxor, nec pœnæ similis immunes, qui nascente Christi Ecclesiâ præsentem Deum contempsere. Horrendo subitoque supplicio periere Ananias atque Saphira, ut exemplis ejusmodi majestas Evangelii sanciretur, & mortales insitatâ formidine à peccato revocarentur. Ea sunt supplicia, quæ & *excisionis*, & *anathematis* vocabulo designantur.

Gal. 5. 12.

Levit. 18. 29.

Marc. 9. 43. *Joan.* 18. 19.

Catathema num Anathemati proxima censura?

IX. Excidit Baronio tam absurdus error, ut vel pueris sit ludibrio. Varios excommunicandi gradus sibi fingit, quorum unus *Anathema*, alter *Catathema* dicebatur. Ne verò dicenti fidem quis abnuat, verba ipsa referre juvat: *Porro anathemati proxima censura erat catathema, quæ erat propriè eorum, qui se sic damnatis adjungerent.* Hoc monstri in verbis Pseudo-Justini Baronius videre sibi visus est quærentis, *Quæ differentia est inter anathematismum, & catathematismum, & quid significat utrumque? R. anathema dicitur quod à Deo repositum & sepositum est, catathema verò est consentire cum anathematizantibus.* Quod absurdè Pseudo-Justino scriptum Baronius non intellexit, cui catathema est se *damnatis* adjungere. Justino verò catathema est, non cum damnatis, sed cum *damnantibus* consentire. Quod à Baronii mente alienum est atque disjunctum. Sed & res ipsa in absurdum incidit: *Proximæ anathemati pœna,* quæ *catathema* diceretur, figmentum est inauditum in Antiquitate. Neque ullus eâ percussus esse legitur. Frequentes in Synodis voces auditæ sunt *Anathema* sit, nunquam verò *catathema*, quo utpote leviori, Hæreticorum discipuli perstringi debuere.

Bar. An. 57. n. 71.

Just. Q. 121.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Excommunicatione Judaica. Nùm à sacramentorum usu removeret.

Bar. An. 57. n. 12.

I. COnverto me ad coarguendos Baronii errores de Judaica Excommunicaoione, quibus Annales affecit suos: *Judæis*, inquit, *in observatione erat, ut cùm quis immane aliquod perpetrasset scelus, non à Templo tantùm, sed à Synagogis etiam dimoveretur.* Iovcteravit quidem opinio, & passim in libris eruditorum legitur, Excommunicationem Judaicam pœnam *spiritualem* esse, impuris hominibus impositam, ut à sacrorum communione pellerentur. Eò obtorto collo trahuntur verba Domini: *Sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, quæ sic explicat Du Pin, qui scriptis suis Reipublicæ eruditæ lucem quotidie fœnerat: *Qui nec privati alicujus, nec totius Ecclesiæ correptione emendati fuerint, à communione alieni esse debent.* Nos verò nullam flagitiosorum à sacris expulsionem his significari contendimus, cùm Judæis id non moris esset, Publicanos Paschatis & sacrificiorum usu removere. Noo est igitur vero simile, ad id oculos Christum inteodisse, quod Judæis in consuetudine non ponebatur. Stat nobis sententia, Judæorum Excommunicationem pœnis non Ecclesiasticis, quibus impuri sacramentis arcentur, sed politicis, quibus societatis jura reis abdicantur, esse inferendam. Clarissimi Seldeni situum Hebræorum peritissimi opinio hæc est, in quam lubentes descendimus: *Sacra Judaorum quantum ad hanc rem dupliciter consideranda. Alia fuere, quæ stante Templo ibi peragenda, alia quæ extra Templum, sive in terra Sancta, sive alibi, in proseuchis, Synagogis, alterve pro vario seculorum, locorum, personarum more. . . Jam verò neque ab his, neque ab illis, ac nomine arceri excommunicatum, quatenus solùm excommunicatus est, comperio, sed libertatis pristina usum, quo, sicut ostendimus, interdictus est, convictum familiarem, seu vulgarem societatem, duntaxat respexisse. De Synagoga hîc notione in ἀποσυναγωγον, seu extra Synagogam fieri, antè, alibique monnimus: Nimirum vocem illam non Proseucham, seu ad sacra peragenda conventum aliquem singularem, aut localem illic denotari, sed propriè τὸ קהל, seu populi Israëlitici universitatem, cujus respectu sic ab ea separatus erat, seu divisus.*

Dissert. 3. 245.

Seld. de Synedr. l. 1. c. 7.

Judæi templi ingressu sacramentisque non interdicebant excommunicatis.

II. Ea sententia gravissimis sanè rationibus comprobatur. Pœnitentes qui in ordioe lugentium stabant, templi quidem aditu, qui verò inter audientes, orantesve versabantur, Eucharistiâ exclusos fuisse, iis qui Patrum monumenta terunt, passim & ubique locorum legitur. Nullo aurem vestigio in Hebræorum scripus deprehenditur, Excommunicatos ingressu templi, usque Paschatis, sacrificiorumve fuisse prohibitos. Sacra Dei domus eis patebat, perinde atque viris religiosis, eo duntaxat discrimine, quòd aliâ viâ ingrederentur atque exirent: *Qui cætu Judaico non movebantur, intrabant viâ dextrâ, & inde circumeuntes viâ exibant sinistrâ. At verò lugentes & Excommunicati viâ sinistrâ intrabant, & sic circumeuntes exibant viâ dextrâ. Hinc si ita introeunti dixerat quis, Cur in sinistram te vertis, atque is respondisset, Quoniam ego Excommunicatus sum, ex sententia Rabbi Meir. respondendum erat; Is qui adem hanc habitat soletur te, seu cordi tuo indet quod est necessarium, & recipiant te.* In Excommunicatis, Publicanos fuisse, coostat ex Christi Pharisæorumque sermonibus. Eo accumbente, dixerant discipulis: *Quare cum peccatoribus & Publicanis edit Magister vester?* Nefas enim erat cum Excommunicato cibum capere: *Omnimodo ferè hominum consuetudine privabatur, nisi in quantum necesse erat ut aleretur. Itaque faciebant ei taguriolum quo ali posset. Qui cum eo edebat, aut intra cubitos quatuor assidebat, anathemate feriebatur.* Neque id oegatur à Baronio, illisve, qui in verbis Domini, *Sit tibi sicut Ethicus & Publicanus*, Excommunicationem quærunt. Est autem certissimum, Publicanis & Templo & sacris interesse licuisse: *Duo homines ascenderunt in Templum, ut precarentur, unus Pharisæus, alter Publicanus.*

Seld. de Syn. l. 1. c. 7.

Matth. 9.

Seld. de Jur. Nat. l. 4. c. 8.

Luc. 18. 10.

Qui nam Paschate arcerentur, accuratè narratur Hebræis; de Excommunicatis verò oe verbum quidem. Illis duntaxat immunitas Pascha celebrandi dabatur, qui surdi erant, muti, fatui, minores, cæci, claudi, immundi, incircuncisi, senio confecti, ægroti, & qui in pedes se erigere non poterant. Altum verò de Excommunicatis silentium. Quæ disciplina cum Historia Evangelica consentit. Quippe constitutum fuit Judæis, *Ut si quis profiteretur Jesum esse Christum, Synagogâ moveretur.* Quo decreto Apostoli, quibus erat in eum iofixa fides, quemque voce, operibus, sectâ, disciplinâ apertè confitebantur, Excommunicationis gladio feriebantur. Atqui Paschatis oec convivio, nec immolatione à Sacerdotibus prohibiti sunt, frequentesque horâ orandi solemni & publicâ templum, nemine intercedente, ingrediebantur.

Joan. 9.

Ex præcipuis Excommunicationis causis, hæresis una esse censetur, quâ pietas omnis corrumpitur. Porro Sadducæi in fide pessimè audiebant, utpote religionis perditores, qui animas cum corporibus extinguebant: talibus sanè monstris injicienda erant Excommunicationis vincula, & injecta fuissent, si Judæis in more positum flagitiosis sacrorum usum adimere. Id Pharisæis factu facillimum fuit, qui & oumero, & autoritate Sadducæos superabant, referente Josepho: *Sadducæorum*, inquit, *secta pauci sunt, sed ferè dignitate præcipui. Ex horum tamen sententia vix quidquam agitur. Nam quoties Magistratus licet inviti suscipiunt, Pharisæorum decretis assentiuntur, ni facerent, non ferendi à plebeiorum multitudine.* Quid multa? Christus quem pro Dæmone, Samaritano, seductore Judæi habebant, & in templo docebat, & paternis sacris utebatur.

Joseph. Ant. l. 18. c. 2.

Nùm Christus à Judæis excommunicatus?

III. Argumentum à Christo petitum illi spernent, qui oegant fuisse Excommunicatum.

Jucun-

Jucundam quippe quæstionem Seldenus movit, cur Christus non fuerit ἀποσυνάγωγος? Quam sic solvit vir eruditissimus: *Sed verò undenam advenisse putandum est, ita Pharisæos, seu qui rebus tunc ante alios præerant, minis sive Excommunicationis, sive anathematis, sive utriusque, eos qui Christum confiterentur, deterruisse, etiam & Excommunicandos, seu devovendos foro denuntiasse, nec tamen ipsum Servatorem, quem odio habebant, excommunicasse? Si conjecturam ex Hebræorum disciplina adjicere fas sit, sane in promptu satis videtur. Nam ut nemiquam omninò excommunicabant, sive Principem, sive patrem fori alicujus, sive jurisprudentiâ celebriorem, ita neque juris studiosum, quem* תלמיד חכם, *id est, discipulum Sapientis, seu Philosophum, sine summa deliberatione. . . Hinc suspicandum Excommunicatione* (Christi) *abstinuisse etiam ipsos, qui interea Christianos, seu sequaces ejus è turba Excommunicatione terrebant.* Nunquam tamen viro doctissimo largiemur, Christum Excommunicationis Judaicæ immunem fuisse. Imò ex ipsius narratiuncula pugnabimus, quâ aperte ostenditur, Christum Excommunicationis solvisse pœnas, *Ob dicterium probrosum, in Magistrum celebrem emissum.* Itaque R. Josua Ben Barachia, *Produxit quadraginta buccinas, & excommunicavit eum.* At forsitan nondum Doctoris officio fungebatur. Oste damus ergo Christum Doctoris munus administrantem, Excommunicatione fuisse proscissum. Ac primò nutat prorsus malè jactum Seldenianæ conjecturæ fundamentum, fori alicujus Principem aut Sapientem ab Excommunicationis vinculis liberum fuisse. Ex Joannis Evangelio luce clarius est, Judæos ne vel ejusmodi viris pepercisse: *Ex Primoribus multi crediderunt in Christum, sed propter Pharisæos hoc non profitebantur, ne Synagogâ moverentur.* Nullusne inter ἄρχοντες istos aut Sapiens, aut fori Princeps? Quòd si homines ejusmodi non excommunicabant, Principibus istis nullus incidere metus debuit, ne Synagogâ pellerentur. Quo tamen extra modum concussi, à Christi confessione temperarunt. Neque etiam videtur ambigendum, quin Christus diris devotus fuerit, quem Nazaræi excandescentiâ expleti, extra suam urbem ejecere, è montis supercilio præcipitandum, totoque animi corporisque conatu postmodum Romanis crucifigeodum tradiderunt: cui etiam *Samaritani* nomen imposuere. Samaritani verò Judæis in Excommunicatorum numero censebantur.

Seld. de Jur. Nat. l. 4. c. 9.

Joan. 12. 42.

Denique Excommunicationis, quæ sacrorum privatio, ea vis est, ut oblationes sacrificiaque offerentium, ab Ecclesia prorsus repudientur. Reddita Marcioni sestertia, quæ Presbyterio Romano dederat. Cyprianos laudibus afficit Presbyteros Diaconosque, qui censebant eum *Didiensi* Presbytero, ipsiusque Diacono non esse communicandum, quia *communicando cum Lapsis & offerendo oblationes eorum*, erroris viam sequebantur. Et cui ignotus Canon Patrum Eliberitanorum? *Episcopum placuit, ab eo qui non communicat, munus accipere non debere.* Jam verò Ethnicorum Publicanorumque sacrificia à Sacerdotibus in templo immolabantur. Ut vel hinc apertè liqueat, Excommunicationem Judaicam *spiritualem* pœnam non fuisse à Pontificibus irrogatam.

Cyprian. Ep. 28.

Elib. c. 28.

IV. Superiore seculo Thomas Erastus Medicus præjudicio communi remedia afferre tentaverat, omninò frustra, inveteratæ opinionis pertinaciâ superante medicinæ vires. Pauca eruditi viri verba observatu digna referre juvat: *Nullum propter dictam causam legimus apud Judæos à Sacerdotibus, Levitis, Prophetis, Scribis, Pharisæis, prohibitum venire ad sacrificia, ceremonias, & sacramenta. Sacerdotum Principes & Pharisæi pro pessimis habuerunt Christum & Apostolos, at nusquam hoc tentavisse, vel vivo, vel mortuo Christo invenimus, ut à sacrificiis & à sacramentis a Deo institutis repellerent. Sed nec Publicanum aliquem Judæum, nec alium circumcisum improbè viventem, a Templo & ceremoniis abegerunt. . . Christum reprehenderunt quidem Matthæi IX. quòd cum Publicanis ederet ac biberet: at quòd cum eis in Templo oraret, quòd sacrificiis & ritibus interesset, quòd cum his aliisque omnibus Hierosolymam ad Pascha celebrationem, aliasque solemnitates quotannis ascenderet, nusquam & nunquam ei exprobrarunt. Quemadmodum etiam Sadducæos, crudelissimos nebulones & sceleratissimos Hæreticos, adeò non conati sunt a ceremoniis suis repellere, ut eos ad summi Sacerdotii honorem conscendere permitterent. . . Quanto interim odio alteri alteros prosequerentur, ex Josepho, & Actis Apost. patet: obviis ulnis amplexati fuissent, si eis licuisset occasionem hanc ulciscendi suos hostes. Ut ad brevia veniamus,* ἀποσυνάγωγος, *Synagogâ motus,* hominem non significat, *sacrorum usu privatum*, sed politicis privilegiis, societatisque dignitate, & honoribus spoliatum. Quæ etiam in verbis Domini pœna quærenda est, *Sit tibi ut Ethnicus & Publicanus.* Minimè verò à templi ceremoniarumque consortiis depulsio, atque segregatio, quæ Excommunicatis concedebantur.

Erast. de Excom. Thes. 12.

V. Hunc igitur effectum obtinebat Excommunicatio, docente Seldeno: *Effectus & finis excommunicationis erat, ut soluta popularium consuetudini libertate reus privaretur, usque dum pœnitentiâ ad bonam mentem rediens, solveretur sententia. Scilicet ne lictum ritibus ei uti fas erat, neque censebant eum in numero hominum denario, ubicunque scilicet numerus ejusmodi necessarius. Nimirum ita cœtus esse pacs desiit, ut cum novem aliis decem non conficeret. Si ita visum foro, licuit interdici ei, ne convivio trium interesset, ne cum decem oraret, nec si mortuum haberet, quis eum sepeliret, nec si filium, eum quis circumcideret. Sed verò ex jure communi, seu receptissimis moribus, haud quaquam fas erat alteri, præter uxorem & liberos, intra spatium quatuor cubituum assidere: nec mortum plangendus erat.* Sic Excommunicatus civili morte atque infamiâ obtuebatur.

Effectus Judaicæ Excommunicationis.

Seld. de Jur. Nat. l. 4. 68.

VI. Causæ excommunicandi generales geminæ erant, pecunia videlicet, & Epicurismus. Excommunicatio ob nummum erat: *Cum in judicium vocatus, & à consessu ad solutionem adjudicatus, tamen non solverat.* Epicurismus verò latissimè patebat. De excommunicandi ritu pauca hæc ex Lightfootio subjicimus: *Ille in quem procedendum erat excommunicatione, citatus primò erat, & dies ei inditus quo compareret, misso ad eum nuntio à consessu, qui & de die eum certum faceret, & de personis coram quibus comparendum. . . Primò percusserunt eum simplici Excommunicatione, quam Nidduì vocant, in qua non erat absoluta maledictio. Excommunicatio hæc erat in 30. dies. Si Excommunicatus intra istud tempus Excommunicantes placaret, absolvunt eum illicò: si verò in perversitate sua persisteret, finitis 30. diebus, eum iterum excommunicant,*

Causæ Judaicæ Excommunicationis, & ritus.

Ligtf. t. 1. 890.

eant, additâ etiam maledictione. Hæc secunda Excommunicatio vocabatur Shammata. Si in perversitate sua adhùc per 30. dies etiam persisteret, anathematisarunt eum. Qui Excommunicatus moriebatur, ejus tumulus à consessu lapidibus obruebatur. Ad solvendum vinculis Excommunicatum formula ejusmodi adhibebatur: *Absolutio tibi est, res tibi remissa est.* Hinc liquet, Judaicam inter & Christianam Excommunicationem quid intersit. Judaica non erat actus Sacerdotalis, quo impuri homines sacris pellerentur, sed forensis, quo civitatis jura reis eripiebantur. Vice versâ Christianorum Excommunicatio non fori, sed Presbyterii decretum est, quo sacramentorum usu flagitiosi privantur, jure civitatis illæso.

DISSERTATIO
TERTIA.

De Excommunicatione Christiana.

I. HActenus de Hebræorum Excommunicatione, cujus relatis, fine, ritibus, effectis, efficienti causâ, offert se nunc Excommunicatio Christiana, quæ pluribus de causis tractari debet: partim quia valentes adversarios nacta, è finibus Ecclesiasticæ disciplinæ veluti tyrannis exterminanda putatur: partim quia temporis lapsu egregium illud peccatorum contumaciæque repagulum enormi abusu corrumpitur: partim quia materiam præbet idoneam illustrandæ Antiquitati. Thomæ *Erasto* infixum animo fuit jus illud Ecclesiæ, quæ flagitiosos Eucharistiâ submover, nullo Apostolorum sive præcepto, sive exemplo fuisse constitutum: *Quæritur*, inquit, *utrùm in Sacris Literis vel mandatum, vel exemplum aliquod extet, quo tales jubeantur, aut doceantur à sacramentis submoveri? Responsio nostra est, nullum extare, sed contrarium potius, tum exempla, tum præcepta passim in Bibliis occurrere.* Quam in sententiam plures non minorum gentium eruditi descenderunt, nec solùm addito calculo comprobaverunt, verùm etiam pro ea acriter animoséque disputarunt, quasi prora puppisque Religionis in abroganda Excommunicatione locaretur.

Erast. de Excom. Thes. 10.

Excommunicatio ratione nititur.

II. Verùm enimverò ab Erastianis præclarè non jactum est disputationis fundamentum. Quippe rerum ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentium, explicata præcepta, explanataque exempla, in Sacris Codicibus tradi non opus est. Sufficit mandatum generale Pauli: *Omnia decenter atque ordine fiant.* Quo sanè & confusio proscribitur omnis, & decentia præscribitur. Abrogatâ verò Excommunicatione, perturbatio exoritur decusque pellitur. Deinde in Scriptura res bifariam continentur, ut *tradita* scilicet, vel ut *prastructa*. *Tradita*, mysteria Religionis, morumque præcepta complectuntur: *prastructa*, jus naturæ rationisque continent, quod à Scriptura doceri non opus est, cùm in eo societas omnis collocetur. Etenim non infantibus in cunis vagientibus, non mente captis, sed hominibus rationis compotibus Scriptura tradita est, ejusque usum flagitat. Excommunicandi facultatem à naturæ fontibus ortum repetere suum, Sole clarius est, cùm ipsa ratio sanciat, & delinquenti in Leges, pœnas irrogandas esse, ne violentur impunè, licentiâque omnes deteriores fiant; & societati cuilibet facultatem inesse eas partes à se separandi, quæ dedecori sunt, atque detrimento. Sic membrum putridum resecatur, ne pars sincera trahatur, serpente veneno: sic ovis morbida à grege depellitur, ne omne pecus inficiat.

Vox una hæc est mortalium omnium, quam non obtundit, aut obscurat Evangelium. De Druidibus Cæsar: *Ferè in omnibus controversiis publicis privatisque constituunt Druidæ, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia est, iidem discernunt, pœnasque constituunt; si quis aut privatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita interdictum, ei numero impiorum & sceleratorum habentur. Ab iis omnes decedunt; aditum eorum, sermonem defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant.* In ea pœna sontibus irroganda, Druidas à recto rationis tramite deflexisse, quis unquam asseruit, aut cogitavit animo? Vitam sceleris puram agebant Esseni: *Deprehensos verò in peccatis à sua communione depellunt, & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur.* Neque ulla deliquenti fit injuria, cùm in disciplinam ejusmodi consenserit. Quidni igitur Ecclesia prophanum non verbis modò perstringere, sed societatis suæ finibus ejicere poterit, ne detrimento sit? Nulla quidem societas est hominum, quæ aliquâ in partes suas autoritate non polleat, quâ privare Ecclesiam, quæ Christi corpus est cum Deo copulatum, extramodum absonum est. Sic impunè hæreses, flagitiaque grassarentur, neque impœnitentibus immorigerisque dici posset: *Procul, procul este, prophani.* Quâ licentiâ & legum majestas violatur, & Ecclesia dissolvitur. Qui in Excommunicationem involant, fatentur fas esse delinquentes increpare, monente Paulo: *Eos qui peccant, in conspectu omnium argue, ut & reliqui metuant.* Quid si Pastores suis censuris nil agant, nec iis pertinax magis moveatur,

Cæs. de Bel. Gal. l. 6. 163.

Joseph. de Bel. l. 2. c. 12. 786.

1 Tim. 5.

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes?

Quò tandem res redibit? An Christi corpus contumacibus Hæreticis fundamenta convellentibus porrigetur, vel eo ipso tempore, quo venenum miseros Ecclesiæ depascitur artus? Nonne furentium impetus, & ea pœna quam irrogare potest, autoritate suâ cohibebit?

Solis quidem his de causis est ab Excommunicatione temperandum, vel quia nil juris habet Ecclesia in flagitiosos animadvertendi, vel quia nefaria hæresis nullâ est afficienda castigatione, vel quia Excommunicationis pœna æquitati repugnat. Atqui Hæreticum fieri impunè non licet, cùm hæresis sit animarum pernicies, pestisque religionis. Itaque Hymenæum Philetumque, Paulus gravissimâ afflictione à Dæmonibus immissâ cruciavit. Sed & Ecclesia quatenus filiorum est suorum mater, ingratos perditosque liberos bonorum exhæredes suorum scribere potest; quatenus verò societatem

agit

agit aliquam, eâ pollet autoritate, quæ cœtibus innata est omnibus, atque ingenita, ut ii rescindantur, qui corpori inurunt iofamiam. Denique bono aut æquo non contraria est Excommunicationis pœna, quâ nulla mansuetior. Non admovet flagra corporibus, non aptat vincula, non denuntiat mortem, non eripit bona, non abdicat dignitates. Indignis abnuit sacramenta, quibus in perniciem suam abuterentur. Itaque tota & ad Dei gloriam, & ad peccantis salutem est comparata, neque de medio tolli potest, quin ingens oriatur perturbatio, infamiaque, grassantibus impunè sceleribus Ecclesia obruatur.

Excommunicatio ex Scriptura demonstratur.

III. Verùm age, non ex naturæ duntaxat, sed ex ipsis quoque Scripturæ fontibus, jus excommunicandi deducamus. Offert se animis celebris ille locus de nefario Corinthio: *Tollite igitur istum improbum ex vobis ipsis.* Qui fatente Seldeno, si ita legatur, ad excommunicandum incestuosum valere potest: At, inquit, codices *prisci & optimi, habent τὸ πονηρὸν, quod personam non denotat.* Atqui τὸν πονηρὸν legendum esse, plurima docent. Negari quidem vix potest, quin Paulus ad verba Mosis attenderit suis simillima: *καὶ ἐξαρεῖς τὸ πονηρὸν ἐξ ὑμῶν, & tolletis improbum ex vobis ipsis.* Adhibitâ nimirum autoritate Mosis, Corinthii præcipienti Paulo, lubentius morem gesturi erant. Sed & ipsius conclusio ex his deducitur, *Cum ejusmodi homine ne comedatis*, quibus apparet, ad ejiciendum de societate hominem verba referri. Neque eo capite aliud Corinthiis vitium exprobrat, quàm nimiam erga incestuosum indulgentiam, quæ eo remoto corrigi debuit. Denique peccanti castigationis aliquid à Corinthiis impositum esse, aperte his ostenditur: *Sufficit istiusmodi increpatio à pluribus illis profecta, ut e contrario potius vos aliquid ei condonetis.* Nil verò pœnæ irrogatum incestuoso fuit, quàm traditio Satanæ atque Excommunicatio. A Paulo cruciatus Satanæ relaxari poterat, à Corinthiis non poterat. Excommunicationis ergo pœnam, quâ incestuosum affecerant, ei condonarunt restituto sacrorum usu.

Seld. de Syn. l. 1. c. 8.

Deut. 17. 7.

2 Cor. 2. 6.

Sollicitato textu effugium non quærit Erastus, at interpretando illum prorsus corrumpit: *Apud Judaeos*, inquit, *mos fuit observatus, ut enormia scelera, per jejunia, preces, luctumque publicum investigarentur, & punirentur inventa, secundum leges. Quare cùm gladio careret Ecclesia, hortatus eos fuit, ut à Deo hoc impetrarent, ut è medio tolleretur, quod longè aliud fuit ab eo, quod nos vocamus, Aliquem excommunicare.* Quæ explicatio & à candore viri pii, & à mente Pauli prorsus est aliena. Quis enim ut preces Deo fundendas mandet, tam peregrinam phrasim adhibuit, *Tollite?* Dictu longè facilius erat: *Rogate ut impius malâ morte pereat.* Propria, perspicua verba hæc erant, non suspensa, non obscura. Neque etiam mandatum ejusmodi, pietati charitative consonum fuisset. Christianis precandum est, ut fornicatores resipiscant, non ut à Deo morte afficiantur: præcipuè cùm nullâ pertinaciâ laborant, quâ incestuosus expers erat: imò ex scitis Hebræorum, non reclamante conscientiâ, novercâ suâ usus esse videtur. Non etiam opus erat Corinthiis, eas adhibere preces, quæ flagitiosi mortem à Deo impetrarent, cùm Apostolo vis indita esset, pœnis cœlestibus sceleratus afficiendi, cujus experimentum dederat, Mago Elymæ cæcitate immissâ. Denique pœnam incestuoso esse à Corinthiis irrogatam Paulus apertè significat: *Precor vos ut ratam faciatis in illum charitatem.* Firmum itaque argumentum est, quod ex Scriptura, *tollite impium ex vobis*, pro Excommunicatione desumitur. Vim rationis hujus intendit Pauli de flagitioso præceptum: *Si quis cùm frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi ne edatis quidem.* Quibus verbis excluditur Eucharistia, quæ tum temporis inter cœnandum sumebatur. Neque sacra mensa nobis cum eo communis esse debet, qui à vulgata & quotidiana repelli debet.

Eras. de Excom. Th. 59.

1 Cor. 5. 11.

Pro Excommunicatione argumentum quoque suppeditat Eucharistiæ ratio & natura, cum Hæreticis, impurisque nebulonibus porrigi nequeat, quin corrumpatur, ac de vero Sacramento falsum evadat. Panis quem frangimus, *Communicatio est corporis Christi.* Atqui contumacibus & Hæreticis & nefariis hominibus, fruendum se Christus non præbet. Illis itaque tradi Eucharistia non potest, quin usu, fine, officio, naturâ prorsus evertatur, utpote quæ ipsis non fiat corporis Dominici *communicatio.* Quid, si quis Basilidianorum existimatorium, non Christum quidem, sed Simonem Cyrenæum à Judæis suffixum cruci, sectam amplecteretur, & eam professus impietatem ad sacram mensam accederet, num petenti porrigenda esset Eucharistia? Certum exploratumque cruentæ mortis Domini monumentum: num salvâ veritate, atque conscientiâ inter porrigendum sacrum calicem, Presbyter monstrum hominis compellare posset verbis ejusmodi, *Hic est sanguis Christi qui pro te effusus est*, & tibi infunditur? Illisne juris aliquid est ad divinum cruorem, qui præcisè negant, ad peccata mortalium abluenda fuisse fusum? Hæccine sunt Ecclesiæ membra? Num illis ea bona ministrari possunt, quæ ad solas Ecclesiæ partes pertinent? Quæ tesseris ejusmodi, & pietatem profitentur suam, & ab impuris se hominibus segregant.

1 Cor. 10.

His accedat scitum Apostoli de sacramentis: *Qui edit & bibit indignè, ipse sibi judicium edit & bibit.* Tremendum utique vaticinium, quâ vel solâ ratione præsidium Excommunicationi quæritur, ne sceleratorum manus sacra polluant atque violent, sibique ex illata Dominico corpori injuria gravius exitium accersant. Cùm enim manifesto cuippiam Sociniano calix præbetur, utique bibenti venenum infunditur. Nec satis hominem ejusmodi monere periculi in quod sese infert, cùm ne volenti quidem, usus toxici, prudentiâ charitateque salvâ concedi debeat, si pertinacius haurire velit; prohiberi eum oportet, ne peccatum peccato cumulet. Paulus quidem Hæreticum contumacem plurium monitorum securum, abjicere jubet, quo casu in Excommunicationem incidit, nec ante resipiscentiam Christi mensâ frui potest.

IV. Atque hic non inutilis quæstio afferri potest, cur ab Eucharistia potius, quàm à Paschate Hæretici nefariique removeantur, cùm utrobique sint sacramenta, utrobique Dei instituta, utrobique divina corporis Christi mysteria. Aut igitur Judæi peccato hæresive polluti à Paschate pelli debuere, aut impuri Christiani sunt ad Eucharistiam admittendi. Causa discriminis multiplex. Prima ex Oeconomiarum varietate petitur. Ecclesia Judaica pœnis abundabat corporalibus, quibus delinquentes, tergo, libertate, capite

Cur ab Eucharistia potius quàm à Paschate scelerati arceantur?

pite plectebantur. Summum Tribunal *sacropoliticum* à Deo constitutum erat, quod de rebus ad Religionem, Rempublicamque pertinentibus decreta promulgabat: *Si occulta erit res tibi in judicio ferendo, inter cadem & cadem, inter litem & litem, aut inter plagam & plagam, tunc surgens ascendes in locum quem elegerit Deus tuus, & adibis Sacerdotes Leviticos, vel summum Judicem qui erit diebus illis, ut consulas eos. Vir autem qui superbierit, ut non auscultet Sacerdoti constanter ministranti Jehovæ Deo tuo aut Judici, utique morietur vir ille.* Ecclesia verò Christiana alias præter excommunicationem pœnas nescit. Quæ Sancti Martyris Cypriani observatio est: *Interfici Deus jussit Sacerdotibus non obtemperantes, Judicibus à se ad tempus constitutis non obedientes; sed tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circuncisio carnis manebat. Nunc autem quia circuncisio spiritalis esse apud Fideles servos Dei cœpit, spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur.* Eadem & Augustino sententia est: *Nunc agit in Ecclesia Excommunicatio, quod agebat tunc in interfectis.* Sic incusso pudore, exemplum stantibus præbetur, ne per plures dira contagia serpant: lapsis verò ut ad sanam mentem redeant, remedium affertur. Secunda causa discriminis ex sacramentorum Mosaicorum indole deducitur. Quippe in illis inerant umbræ futurorum bonorum: altare typicum, Templum typicum, agnus typicus, sacra Evangelii mysteria adumbrabant. Figuris typica sanctitas sua respondebat. Eâ qui pollebant, ad sacra admittebantur, qui carebant, ab iis removebantur, ob contractam sive ex cadaveris contactu, sive ex humoris excrementi egestione fœditatem. Ut ergo figuræ rebus significatis aptæ sint atque cohærentes, quemadmodum typica immundicies, non cœlestibus bonis, sed sacramentis Mosaicis submovebat; ita realis impuritas ex hæresi peccatoque contracta, eâ pollutos, non à sacramentis quidem, sed à gratia mysteriis ejusmodi significata excludebat. Servandæ proportioni atque decentiæ, in Ecclesia Christiana, quæ typorum umbrarumque expers est, Dominici corporis usu arcendi illi sunt, quos deficiunt animi qualitates, ad illud ritè percipiendum. Ac quemadmodum qui tacto defuncto polluebantur, illis Paschate interdicebatur, sic qui *mortuis peccati operibus* indulgent, fœtorem longè dispergentibus suum, illi accipiendâ Eucharistiâ meritò prohibentur. Tertia discriminis ratio hæc est. Sacramenta Judaica terreni monumenta beneficii censebantur. Pascha scilicet in mentem revocabat Hebræorum liberationem, & ab Angeli percutientis gladio, & à servitute Ægyptiaca, quam ope sanguinis agni exierant: *Quando dicent Filii vestri, Quid hic cultus sibi vult? Dicetis, Pascha est Domini qui transiens præter domos filiorum Israëlis in Ægypto, cùm caderet Ægyptios familias nostras eripuit.* Itaque si quis aut Pharisæum ageret, aut Sadducæum, eâ fide pollebat, cui alendæ Pascha fuerat institutum, quòd nempe ipsorum majores ab Ægyptiorum vinculis potentissimâ Dei manu erepti fuerant, ad Pascha admitti poterat: Eucharistia verò rei terrenæ monumento non est. Sanguis est novi fœderis, qui pro multis effunditur in peccatorum remissionem. In eum verò nil juria habent illi, qui palam profanos agunt, quibus calix sacer divinusque panis, Christi communicandi instrumenta distribui non debent. His accedat, quòd cùm Sacramenta Ecclesiæ, Judaicis ritibus quàm longè præstent, & sint multò augustiora, minus etiam profanari debent, atque pollui. Neque de Paschate uti de Eucharistia dicitur, *Hoc est Christi corpus*; neque additur quoque tremendum illud vaticinium, *Qui edit & bibit indignè, ipse sibi judicium edit.* Munditiem corpoream ad Paschatis fruitionem Deus accuratè mandaverat, obscurius pietate & charitate præscriptâ.

Deut. 17. 8.
Cypr. Ep. 62.
Aug. Q. 39. in Deut.
Exod. 12. 27.

V. Hactenus excommunicandi autoritatem argumenta, tam ex rationis, quàm ex Scripturæ fontibus desumpta demonstrarunt. His accedant, quæ Antiquitas Ecclesiasticæ disciplinæ ministrat. Longum est & non necessarium, multa Patrum monumenta percurrere, cùm Excommunicationis adversarii fateantur, in mores Ecclesiæ receptam esse, sedente apud Carthaginem Cypriano. Vetustatem Excommunicationis ostendit Irenæi de Marco Hæretico Historia, quæ anno Æræ Christianæ circiter CL. contigit. Nefarium Magum Asiaticorum Diaconorum unus, in domum suam receperat. At non hospitem, sed draconem admisit in contubernium: *Nam cum esset uxor ejus speciosa, & sententiâ, & corpore, corrupta esset à Mago isto, & secuta eum esset multo tempore pòst, deinde cùm magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in Exomologesi consummavit.* Exomologesis publica pœnitentia est, quæ Excommunicationem excipiebat. Quod exemplum ætati Apostolicæ penè propinquitate conjungitur. Exomologeos veluti disciplinæ cunctis Ecclesiis communis, meminit Irenæus, quâ non in sola Asia, sed in Gallia quoque hæreseos præstigiis deceptæ, functæ fuerant. In aureo quoque Tertulliani Apologetico Excommunicationem reperimus, ritus Ecclesiasticos recensentis: *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, & apud certos de Dei conspectu summum futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.* Notabilia sunt verba Septimii Excommunicationi, *divinæ censura* nomen imponentis, ut in traditiones, quas luce Scripturæ non præeunte instituit Ecclesia, referri nequeat. Incredibile sanè est, durum asperumque Excommunicationis jugum, labente secundo seculo, ubique locorum, in Africa, in Italia, in Gallia, in Asia, à Græcis, Latinisque acceptum fuisse, si Apostolorum praxi, rationi, pietati, Scripturæ, Ecclesiæ utilitati adversaretur.

Ex Antiquitate jus excommunicandi probatur.
Iren. l. 1. 89.
Tert. Ap. c. 39.

Antiquitati Excommunicationis sufficiunt laudati testes, Irenæus atque Tertullianus, cùm illi quibus odio est ea disciplina, non negent, tertii quartique seculi morem fuisse, ex Christiana societate illos ejicere, qui fidem erroribus, pietatem sceleribus contaminabant. Quod verò de oleo à primis ferè Ecclesiæ incunabulis, baptismum pervadente, contra praxim Apostolorum narrant, similique modo Excommunicationem hominum institutis ascribendam, in eo frustra sunt. Olei in baptismo à Christianis usurpati non meminit Justinus, non Irenæus, nec ante Tertullianum in ceremoniis Ecclesiæ deprehenditur. Neque Deo instituenti, ut Excommunicationem, sic oleum Tertullianus suum tribuit. Nil etiam oneris est in oleo sacris ritibus admixto, in quod propensè potius fertur animus, cùm baptismo dignitatis aliquid, atque splendoris conciliare videatur, ne veniat in contemptum simpli-

simplicitate suâ. Excommunicationi verò molestiæ multum inest, à qua mens, & luctu, & pudore maximè refugit. Quod vinculum Christiani lubenter effugissent, nisi autoritate Apostolicâ injectum fuisset. Denique baptismus olei expers esse potest, suâque simplicitate mundior est atque nitidior. Excommunicandi facultate Ecclesia carere non potest: cùm eâ remotâ, corporis compages solvatur, neque sese suosque fines tueatur, ab Hæreticorum insidiis, peccatorumque excursionibus. Itaque quærenti quo titulo nitatur jus excommunicandi, meritò respondetur, eâ potestate niti, quâ mater filio contumaci virgas admovet, aut societas quævis è sinu suo detrudit membrum, quod dedecori est. Eâ facultate nil æquius, utiliusve fingi potest, cùm excommunicando, Ecclesia & infamiam à se avertat, quá ob flagitia impunè perpetrata, & in numinis iram offenderet, & hominum in contemptum veniret, & peccantem ad resipiscendum excitet. Quo nil jucundius Deo, nil decentius Ecclesiæ, nil commodius erranti esse potest.

Num uni & soli Episcopo jus excommunicandi competat?

V I. Excommunicationis æquitate, & antiquitate demonstratâ, nunc est exquirendum, cuinam jus excommunicandi tribuatur. Lapsu temporis invaluit consuetudo, ut de societate Ecclesiastica peccatores detrudendi, privilegium Episcopo ascribatur. Quem Hierarchici morem totis viribus nervisque tuentur, ut Antiquitati & rationi consentaneum. Hinc Clarissimo Dodwello scriptum, in sua *de Unitatis principio* Dissertatione: *Suffragii negativi jus, & quidem absolutissimum*, esse penes solum Episcopum: *Is si nolit in* Presbyterorum & Diaconorum *Sententiam concedere, jus nullum habent reliqui omnes, quo invitum cogant ad sententiam mutandam.* Quibus ex principiis colligit: *Societatis Ecclesiasticæ privilegia omnia, præmiorum, pœnarumque potestas, erunt etiam penes solum Episcopum.* Quæ si vera sunt, regimen Ecclesiæ naturâ suâ & ex se Aristocraticum, in monarchicum prorsus mutatur, cùm *absolutissimum jus suffragii negativi*, regiam serenissimi Britanniæ M. Principis dignitatem constituat, atque potestatem, utpote qui dicto *non placet*, ordinum decreta rescindit. Æqualis igitur in Ecclesiasticis Præsuli autoritas competit, ac Regi in politicis, Uterque præmiorum & pœnarum solus dominus est: uterque suo *non placet*, currentia omnium vota sufflaminat.

Dod. Disser. Cypr. 7. n. 45. 47.

Quin vasta ea potentia Episcopo concessa pergrata sit, nulli dubitamus, cùm ita comparata sint mortalium ingenia, ut ad summum niti gaudeant. Verùm si ducem sequamur Scripturam, si Veteris Ecclesiæ disciplinam attendamus, jus excommunicandi non in solum Episcopum, sed in Presbyterium transferemus. Vocatis Ephesinis Presbyteris, Paulus hæc loquitur: *Attendite animum ad vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus ille Sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei.* Similì quoque ratione Presbyteros Petrus ad officium movet: *Pascite Dei gregem qui penes vos est.* Pascendi verò potestati, excommunicandi jus aptum est atque cohærens; cùm Pastori incumbat oves suas non solùm ad virentia prata ducere, sed errantes etiam pede ferire, ut ad viam reducantur, morbidasque à valentibus segregare, ne inficiantur veneno. Cùm itaque Paulus compluribus Presbyteris, Ephesinorum Ecclesiam pascendam tradat, non uni duntaxat, sed multis jus excommunicandi tribuit. Neque etiam uni præcipit, incestuosum Corinthium sacris depellere. Multos compellat, *Tollite istum improbum ex vobis ipsis.* Nesciebat igitur *pœnarum potestatem* penes unum esse. Quòd si Corinthius Antistes, ex gratia, vel consanguinitate flagitioso favens, Presbyteris eum excommunicare volentibus intercessisset, nil actum fuisset, concessâ ob vim negativi suffragii impunitate, si Hierarchicis creditur. At si Paulo fides, jus ejiciendi ad omnes æquè pertinebat: omnes alloquitur indiscriminatim, omnibus dicit, *Tollite*, nullo sanè sensu, si ab unius arbitrio Excommunicatio pendebat, in eaque ferenda, Presbyteri Consiliariorum potius quàm Judicum partes implerent. Ecclesiæ disciplina hæc fuit ab Apostolis sancita, ut à Presbyterio Excommunicationis sententia ferretur. Neque versatilem, sed certam fixamque, nullo seculorum cursu mutandam disciplinam posuere, utpote à Spiritu Sancto institutam, æquo & bono consentaneam, Ecclesiæ utilitati conducentem, cui etiam prisca gens Christiana penitùs adhæsit.

Act. Ap. 20. 28.

1 Pet. 5. 3.

Ex Antiquitate jus Excommunicandi Presbyterio competere probatur.

V I I. Labentibus annis, Apostolicum de Excommunicatione morem retentum fuisse, planum est ex Tertulliano, qui sub initia tertii seculi sic ritus Christianorum pingit: *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina: Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu.* Erant ergo in censura divina irroganda multi Judices, illi scilicet, qui certi erant se divino intuitu potituros, eaque de causa ponderatis suffragiis, judicium suum instituebant. Qui Tertullianum excepere, ætatis Apostolicæ vestigia implevere excommunicando. In vastatione Pontica, Boranis prædæ causa, Christiani se nonnulli conjunxerant, immemoresque suæ religionis, vel Ponti Christianos, *ligno aut suffocatione* interfecerant, vel Barbaris, vias domosque nescientibus ostenderant. Quos vel *ab auditione* arcendos, Gregorius statuit Thaumaturgus: *Donec de iis, congregatis Sanctis, aliquid communiter visum fuerit, & ante eos Sancto Spiritui.* Quinam illi Sancti dicat Zonaras: *Sanctos autem aut Episcopos vocat, aut qui modò Fideles sint, magni Pauli exemplo.* Posterius Zonaræ membrum placet, cùm Scriptura, cujus verba Gregorius imitatur, non Episcopos, sed *Fideles*, *Sanctorum* afficiat nomine. Neque necesse fuit ad pœnitentes in integrum restituendos, aut commodum, ut Episcoporum conventus celebraretur. Quòd si pluribus opus erat, ut lapsis indulgentia concederetur, penes unius arbitrium potestas excommunicandi non fuit, secùs solus relaxare vincula potuisset. Non multò post Gregorium hæc scripsit Cyprianus: *Ad id verò quod scripserunt mihi Compresbyteri nostri, Donatus, & Fortunatus, Novatus, & Gordius, solus rescribere nihil potui, quando à primordio Episcopatus mei statuerim, nihil sine Consilio vestro, & sine consensu plebis, meâ privatim sententiâ gerere. Sed cùm ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel gesta sunt, vel gerenda, sicut honor mutuus poscit, in commune tractabimus.* Quid ni solus rescribere potuit, si summum autoritatis Ecclesiasticæ culmen, quod in ferenda Excommunicatione versatur, solus exercere potuit? Hoc non fecit optimus Martyr, ne de honore, qui Clero debetur, deliberet. Quâ ratione liquet, Cypriano per-

Tert. Ap. cap. 39.

Greg. c. 9.

Cypr. Ep. 5.

persuasum non fuisse jus excommunicandi, aut restituendi lapsum soli Episcopo esse demandatum: *Sicut*, inquit, *honos mutuus poscit, in commune tractabimus.* Alioquin Dominus autoritatem Præsuli contribuisset, quæ honori mutuo repugnaret, quod est absonum. Non prætereantur sancti verba Martyris, quibus potestas Episcopalis accuratè pingitur ante oculos, verba sanè egregia, quæ familiarius animis affigi debent; *Desiderastis quoque ut de Philumeno & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolytho, qui medio tempore recesserunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur rescribam. Cui rei non potui me solum Judicem dare, cùm multi adhuc de Clero absentes sint.* Quid? Quantum potestatis sibi à Deo inditum foret ignoravitne Cyprianus? Si Hierarchicia fides, solus præmia distribuere, solus pœnas irrogare Cyprianus poterat. Id verò verbis disertis negat Cyprianus: *Non possum me solum Judicem dare.* Ut orationem comprimamus, exemplum duntaxat unum addere juvat ex Synesio petitum. Andronicus Beronicensis, infelici Pentapoleos fato editus, patriæ suæ imperium pecuniâ emerat, multaque flagitia perpetrarat fulminibus Ecclesiæ dignissima. Ea verò non ab uno Synesio Ptolemaidis Episcopo, sed ab Ecclesia in reum jacta sunt, ut ostendit Excommunicationis rescriptum: *Ob hac Ptolemaidis Ecclesia hac ad omnes ubique terrarum sorores suas Ecclesias mandat. Andronico & ejus sociis, Thoanti ejusque sociis, nullum ei fanum aperiatur: omne illi templum, adytum, septum claudatur.* A Clero igitur, non ab uno Synesio Christianâ societate Andronicus ejectus fuit. Episcopus sanè Ecclesia dici nequit, cùm vox ea cœtum plurium sonet. Neque hominis unius sermo hic est: *Sin quisquam velut angusta urbis Ecclesiam contempserit, & ab ea damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necesse sit, noverit is sectam à se Ecclesiam, quam unam Christus esse voluit.* Denique non magis ad unum pertinet Excommunicatio Laici, quàm abdicatio Presbyteri. Jam verò hæc uno Episcopo disertè prohibetur ab Hispalensi Synodo secunda c. 6. *Comperimus quemdam Presbyterum à Pontifice suo injustè olim dejectum, & innocentem exilio condemnatum. Ideò decrevimus, juxta Priscorum Patrum decretum, Synodali sententiâ, ut nullus nostrûm sine Concilii examine, dejicere quemlibet Presbyterum vel Diaconum audeat. Episcopus enim Sacerdotibus & Ministris, solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* Inspiciatur & Triburiensis Concilii Canon nonus, quo præcipitur, Presbyterum nonnisi à *sex Episcopis*, Diaconum à *tribus* esse deponendum. Utinam, iterumque utinam ad ea exempla & decreta Episcopi sese componerent! Sic antiqua disciplina in integrum restitueretur. Sic Ecclesiæ & paci, & ædificationi optimè consuleretur. Intereà monitu opus est Lectoribus, *Thoantis* nomen à Synesio sacris ejecti, perperàm apud Baronium scribi, qui perpetuò eum *Tonantem* vocat.

Cypr. Ep. 28.

Synes. Ep. 58.

Quinam sunt excommunicandi? Num mortui?

VIII. Ex voce naturaque Excommunicationis, certum nobis est atque persuasum, solis illis esse denunciandam, qui necdum naturæ satisfecere. *Eutychius* tamen, qui Mennæ Constantinopolitano Præsuli successor datus est, in mortuos gladium Excommunicationis stringi posse existimavit. Quæstione propositâ, utrùm liceret mortuos anathemati subjicere, Eutychius, qui tum Apocrisiarium Episcopi Amasenorum agebat, dixit: *Quæstionem illam deliberatione non egere. Quandoquidem Josias Rex Sacerdotes Dæmonum non modò vivos interfecisset, sed & eorum qui diu anteà mortui fuerant, sepulchra effodisset.* Hanc Eutychii sententiam, ut rationi consentaneam, plaudentibus manibus auditores accepere, quâ effectum est, ut Origenes trecentis circiter post obitum annis, Justiniano imperante, Constantinopoli damnaretur. Gregorii M. in animum vana hæc opinio descendit, defunctos & ab Ecclesia vi Excommunicationis ejici, & Ecclesiæ per absolutionem reddi, uti ex ipsius Dialogis compertum est. Monialibus quibusdam Benedictus Excommunicationem interminatus fuerat. Quâ spretâ, cùm à pristinis moribus non deflexissent, paulò post ad fata venere, & in Ecclesia sepultæ sunt. Mirum dictu! Cùm *ex more Diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum, nutrix earum quæ pro eis oblationem Domino offerre consueverat, eas de sepulchris suis progredi & exire videbat.* Ne ergo infelices illæ virgines moverentur sepulchro, Benedictus eas indulgenter tractare voluit: *Manu suâ protinus oblationem dedit, dicens, Ite, & hanc oblationem pro eis Domino facite, & ulterius excommunicatæ non erunt.* Jubenti paretur, & cùm pro reis immolata esset hostia ad clamorem Diaconi, *Illæ exire ab Ecclesia, ulterius non visæ sunt.* Nos nutricis hujus visionem ad nutricum fabulas relegamus. Ex ea tamen, quæ de mortuorum Excommunicatione mens Gregorio fuerit, facilè deprehenditur; & excindi possunt, & absolvi. Volventibus annis inolevit adhùc superstitio. Hinc illa Excommunicatio, quæ primò risum, dein dolorem attulit. Episcopus Londinensis Willelmum Angliæ Polemarchum, Regi Henrico tertio amicum diris devoverat. Rogante Rege ut defuncto solveret vincula, ad tumulum Episcopus accedit, Willelmum perinde atque inter homines agentem allocuturus: *O Willelme, qui hic jaces sepultus, vinculis Excommunicationis irretitus, si ea quæ injuriosè abstulisti Ecclesiæ meæ, per Regem, vel per heredem tuum, vel per aliquem tuorum propinquorum, vel amicorum competenti satisfactione restituantur, absolvo te, alioquin sententiam ipsam confirmo, ut tuis semper peccatis involutus, in inferno maneas condemnatus.*

Evagr. l. 4. cap. 38.

Greg. Dial. l. 2. cap. 23.

M. Par. Henr. 3. pag. 666.

Defuncti non possunt excommunicari.

IX. Si vis ea Excommunicationi inesset, ut in ipsos mortuos valeret, merito horrore & vivos perfunderet, & defunctorum manes, quibus tremendum esset, dum hoc fulmen rubente dexterâ Præsulis torquetur. Neque mirandum Pontifices Rom. in rem suam vertisse superstitionem animorum, quasi & inferno & Cœlo dominarentur, Excommunicationis gladio, cujus ad fulgorem omnes olim penè exanimati procidebant. Commenta hæc sunt superstitionis, religionisque ludibria. Sic est, Excommunicatio nil virium habet in mortuos. Quid enim est Excommunicatio, nisi Ecclesiastica sententia, quâ nefarius aliquis ex visibili Christianorum societate ejectus, sacrorum usu privatur. Jam verò mortui extra Ecclesiæ ditionem constituuntur, neque jus amplius habent in Sacramenta, quæ defunctis non porriguntur aut porrigi debent. Neque defunctorum Excommunicatio finem obtinere suum potest, qui totus ad vivos refertur, ut incusso pudore ad pœnitendum moveantur. Quem Strabo finem sapienter

expo-

Strabo de Reb. Eccl. cap. 17.

exponit : *Sciendum est à Sanctis Patribus, ob hoc vel maximè constitutum, ut mortaliter peccantes à Sacramentis Dominicis arceantur, ne indignè ea percipientes, vel majori reatu involvantur, ut Judas, quem post panem temerè à Magistro susceptum, Diabolus dicitur plenius invasisse, ut armen, quod prius sceleratâ præmeditatione conceperat, jam sceleratissimè consummaret effectu : vel ne quod Apostolus de Corinthiis dicit, infirmitatum corporis & imbecillitatem, ipsamque mortem præsumptores incurrant, & ut a communione suspensi, terrore ejus exclusionis, & quodam condemnationis anathemate, compellatur studiosius pœnitentiæ medicamentum appetere, & avidius recuperandæ salutis desiderio inhiare.* Ad hos sanè fines defunctorum Excommunicatio referri nequit. Denique eorum animæ vel cœlesti gloriâ perfunduntur, quo casu Excommunicatio præceps & injusta est; vel flammis inferni cruciantur, sicque inutilis est & superflua. Defunctorum ossa comburi quidem possunt, & cùm de Ecclesia malè meriti sunt, eorum nomen ex Dypticis deleri potest, memoriâque omitti, dum Eucharistia celebratur. Hæc verò nil ad Excommunicationem, sed ad solam ipsorum infamiam pertinent, quâ mortuorum honor aspergi potest. At non si Ecclesia in famam defuncti evertendam involare potest, ideò & etiam Excommunicationis gladio ferire defunctum potest, cùm in ejectione à Sacramentis, verbique divini auditione, tota consistat, quæ ad mortuos nihil prorsus attinent. Regula sanè, ad quam excommunicando maximè attendunt, *Excommunicatio sine monitione, ferè semper est invalida*, circa mortuos observari nequit.

Num Principes excommunicari possunt?

X. Existit disceptatio, minuatne Regum majestatem Excommunicatio, cui proinde parcendum sit, ne honore sibi debito Principes exuantur. Non dubitaremus quidem affirmare, Excommunicationis vinculis eos esse liberos, si dignitatem politicam deterreret, subditorumque solveret obsequia. Verùm abusus hic est Excommunicationis, religionis pernicies, Reipublicæ funus. Cùm itaque Excommunicatio non in summæ potestatis, sed in Sacramentorum privatione consistat, quin Principes, cùm in hæresim flagitiaque incidant, quæ salutarem corporis & sanguinis Christi medicinam in letiferum sumentibus venenum mutant, à sacris sint removendi, nobis non est ambiguum. Quòd si privatus aliquis ob scelera sua divinâ mensâ arcetur, quantò magis ab ea pelli debet Princeps impius, qui Ecclesiæ longè majori detrimento est? Purpura quidem ex ovili Christi Episcoporumque potestate neminem eximit. Neque astruendæ sententiæ deficiunt Antiquitatis exempla. Cum clarissimo Blondello, Julianum Apostatam testem non citabimus, de Euzoio Antiocheno scribente : *Il se mit en devoir d'exclure de l'Eglise Julien l'Apostat, comme indigne de la vûe des mysteres.* Sphalma hoc est viri magni geminum. Theodoriti verba sunt : *Et Julianus quidem sacram mensam perminxisse dicitur : cùmque Euzoius id facinus prohibere vellet, colaphum ei inflixit.* Julianus ille, Juliani Imperatoris, qui audit Apostata, avunculus erat, de quo Marcellinus : *Rufinum Arabium Comitem Orientis, in locum avunculi sui recens defuncti provexit.* Deinde sacra mysteria non peragebantur ingrediente Arianorum Ecclesiam Juliano Comite. Factum igitur Euzoii ad Principum

Blond. Prim. pag. 435.

Theodor. l. 3. c. 12.

Marc. lib. 23.

Excommunicationem nil spectat. Aliis ergo argumentis est utendum. Non existimamus quidem Philippum Imperatorem, Christianum egisse. Ex ea tamen fama nascitur nobis argumentum. Philippo in postrema vigilia Paschatis, ut precum particeps fieret, Ecclesiam ingredi volenti, Episcopus non prius aditum permisisse fertur, quàm confessionem scelerum fecisset. Ea de Philippo narratio disseminari non potuisset, si regia majestas tutum redderet ab Excommunicationis gladio. Lippis atque tonsoribus cantatur Excommunicatio Theodosii M. qui furori indulgens suo, innocuo sanguine Thessalonicam inundaverat. Anastasium Imperatorem Chalcedonensi Concilio adversarium, nonnulli è sacris tabulis exemerunt, eique anathema Ecclesia Hierosolymitana denuntiavit. Caroli Calvi filia Judith, quam ex Hermentrude susceperat, Ethelredo Angliæ Regi nupta, post ejus mortem in Gallias reversa, à Balduino Comite non invita rapitur. Episcoporum sententia, Anathemate Balduinus damnatus est. Exemplorum satis.

Eusеb. lib. 6. 34.

Petav. Rat. l. 8. cap. 10.

De causis Excommunicationis.

XI. Nunc attingendæ sunt causæ, quæ ad ferendam Excommunicationis sententiam impellunt. Eò tandem processit excommunicandi pruritus atque levitas, ut indignis de causis salutaris ille Ecclesiæ gladius stringeretur. Debita non solum Herbipolensi Synodo materiam excommunicandi præbuere : *Nonnulli, sicut audivimus, pro maritorum, seu filiorum debitis, uxores seu matres excommunicant ordinariâ fulti jurisdictione. Quod juri & æquitati contrarium reputantes, id fieri de cætero prohibemus, nisi mater & uxor succedant in bonis mariti, seu filii defunctorum.* Equidem fraudatorum hæredum impudentia censuræ obnoxia est, si expostulatio ad tribunal Ecclesiæ deferatur. Secùs temeraria est Excommunicatio. Et si verum volumus, satius esset, cum litibus ejusmodi, quæ Magistratum attinent, Episcopos non misceri. Jocularem de Thoma Cantuarensi, si Diis placet, Martyre, Historiam prodit Matthæus Paris. *Anno Dom. 1171. B. Thomas Cantuarensis Archiepiscopus, sermonem habiturus ad populum, in illa die Dominica nativitatis pulpitum ascendit, & sermone completo, Nigellum de Sackvilla, Ecclesiæ de Herges violentum incubatorem & ejusdem vicarium Ecclesiæ Robertum quoque de Broc, qui equum quemdam ipsius Episcopi victualia deferentem, ad dedecus & ignominiam ejus decurtaverat, solemniter excommunicavit.* Egregiam verò diris devovendi causam! Neque gravissimo Patri Theodorito satis causæ fuit ad torquendum Excommunicationis fulmen. Numerosa hominum multitudo, salutando Jacobo Monacho, ad eum confluxerat. Sedebat vir ille in duas partes distractus. Hinc naturâ ad excernendum vim afferente, hinc pudore multitudinis illum retinente. Quod cùm animadvertisset Theodoritus, primùm hortationes, dein minas, postremò Excommunicationis adhibuit vincula, ut homines amandaret.

Herbip. cap. 29.

M. Paris. Henr. 2. 119.

Theodorit. Vit. Patr. cap. 21.

Gravissimæ igitur excommunicandi rationes esse debent, ne sanctum adversus impietatem remedium in contemptum veniat, & profanetur. Ut enim non levibus affectum, sed gangrænâ corruptum corporis membrum amputatur, sic non levi de culpa, sed de gravi, quâ pietas violatur, peccator ex Ecclesiæ cœtu est ejiciendus. Hinc lachrymæ undique, undique

 eju-

Cypr. de Lap. p. 168.

ejulatus cùm flagitiosus olim pellebatur: *Doleo fratres* (verba sunt Cypriani) *doleo vobiscum, nec mihi ad leniendos dolores meos, integritas propria, & sanitas privata blanditur, quando plus Pastor in gregis sui vulnere vulneretur. Cum singulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera participo.* Gemino nimirum dolore corripiebatur Ecclesia: tum quòd membra corporis sui resecabantur, tum maximè quia vi morbi in eam statum venerant, ut ea amputari opus esset. Sapienter quidem Patres Aurelianenses, in quinta sua Synodo sanxere: *Ut nullus Sacerdotum quemquam recta fidei hominem, pro parvis, & levibus causis à communione suspendat, prater eas culpas, pro quibus Antiqui Patres ab Ecclesia arceri jusserunt committentes.* Illis ergo criminibus est Excommunicatio denuntianda, quibus pietas solvitur. Externa cum Ecclesia copulatio internæ signum est. Quâ deficiente, altera divelli debet. Bifariam cum Christo conjungimur, mente per fidem, voluntate per charitatem. Fides hæresi, charitas sceleribus extinguitur. In ea vitia si quis incidat, eo sanè se nil pietatis habere profitetur, alienumque se esse à Christi corpore, quod membris sanctitatem colentibus constat. Quo casu est amputandus, quia & corpori probro est, & labem ei suam aspergere potest. Hinc Paulus: *Si quis cùm frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut Idololatra, aut conviciator, aut ebriosus, cum ejusmodi ne edatis quidem.* Quibus & Hæreticus est subjungendus, qui si tertiam admonitionem spernat, est rejiciendus. Complures extant Canones de iis excommunicandis qui in longo dissidio versantur. Ad alia festinantibus sufficiat Agathensium Canon 31. *Placuit etiam ut sicut plerumque fit, quicunque odio aut longinquâ inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diutinâ intentione nequiverint, à civitatis primitus Sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de Ecclesia cœtu justissimâ Excommunicatione pellantur.* Inspiciatur & Nannetensis Canon primus, quo diebus festis, ante Missam, Sacerdotes jubentur dissidio laborantibus nunciare ad concordiam redeant, secus Ecclesiâ moveantur.

Aur. 5. cap. 2.

1 Cor. 5. 11.

De Effectis Excommunicationis: num bona temporalia eripiat?

XII. Non ea vis est Excommunicationis, ut regiam Principibus dignitatem; Magistratui autoritatem; privatis honores, bonaque auferat sua. Hildebrandi Excommunicatio hæc est fax & turbo imperiorum, quartaque inferni furia, à qua non viri pii duntaxat, sed & illi qui religionis securi, sartam tamen tectamque Rempublicam cupiunt, toto pectore abhorrere debent. Ea Excommunicatio politicam Ecclesiasticamque autoritatem, quas sanè discretas Christus esse voluit, permiscet atque confundit. Ut enim non politicæ, sed Ecclesiasticæ potestatis est, profanum sacris arcere, sic non Ecclesiasticæ, sed politicæ autoritatis jus est, scelestum bonis & dignitatibus evertere: secus ordo omnis, rerumque sapienter instituta divisio evanescit atque diffluit. Veterum quidem Excommunicatio, de Principum majestate nihil unquam delibavit, dignitates eripuit nemini, bona hominesque non proscripsit. Arianorum fautorem acerrimum se Constantius præbuit: Religionis desertorem & persecutorem Julianus egit: neque unquam Præsules potestatem adhibere suam, ut Ecclesiæ perniciosissimi illi hostes solio deturbantur. Non ignorabant Episcopi, suæ potestatis fines & amplitudinem, quam ad evertendos Reges, sibi demandatam non esse, certò certèque sciebant: imò salvâ conscientiâ in omnibus, quæ res humanas spectant, Principibus utut à fide alienis reverenter obtemperabant. Nec improbanda sunt verba Aquinatis: *Dicendum quòd duplex est Excommunicatio: una est minor, qua separat tantùm à participatione Sacramentorum, sed non à communione Fidelium, & ideò tali Excommunicato licet communicare, sed non licet Sacramenta conferre. Alia est major Excommunicatio, & hac separat hominem à Sacramentis Ecclesiæ, & communione Fidelium.* Rectè Fidelium, non *civium*, non *hominum*, quia Excommunicatus, civem hominemque adhùc exercet, & Reipublicæ emolumento esse potest. Hinc Principem suum Aquinatem secuti Scholastici fatentur varios casus esse, in quibus cum Excommunicato societatem inire licet, qui memoriæ causâ eo carmine continentur:

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile refertur *ad verba salutis*; *Lex ad matrimonium*; *humile ad subjectionem.*

Thom. Sup. Q. 23. A. 1.

Excommunicatio vinculum cum Christo internum non solvit.

XIII. Est ergo ad alia Excommunicationis Effecta veniendum, quæ ut paucis, perspicuè tamen explicentur, gemina cum Ecclesia copulatio est accuratius distinguenda; interna videlicet & externa. Priore illâ cum Christo, ut capite, & cum Electorum grege, certè certòque servando conjungimur. Posteriore Ecclesiæ quatenus incurrit in oculos, pro membris existimamur. Ac Excommunicatione quidem internum fidei charitatisque vinculum solvi non posse certum est, cùm immoto æternæ Prædestinationis decreto collocatur. Quòd si divelli posset, utique non ab Excommunicantis sententia exolveretur, sed à peccantis flagitio: cùm non potestatis alienæ, sed nostri duntaxat arbitrii sit, inditos consignatosque nostris in animis habitus affectusque evellere. Patribus sanè nunquam in mentem venit, internam fidei & charitatis cum J. Christo copulationem, posse Excommunicatione solvi. De pœnitentia perpetua, cui spem Ecclesiasticæ reconciliationis omnem eripiebat Tertullianus, hæc habet: *Ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrata, magis operabitur veniam, quòd eam à solo Deo exorat; quòd delicto suo humanam pacem sufficere non credit; quòd Ecclesia mavult erubescere quàm communicare . . . etsi pacem hic non metit, apud Dominum seminat, nec amittit, sed præparat fructum.* Non igitur ea Tertulliano mens fuit, Excommunicatione salutis vincula solvi, cùm pœnitentibus vel in Excommunicatione mortali versantibus, Dei polliceatur indulgentiam, quæ tali vinculo parabatur. Insignis est Augustini locus, peccantem inducentis, qui post altaris reconciliationem graviora commiserat, hæc loquentem: *Aut date mihi eundem iterum pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili. Aut si me ab hac nequitiâ revocatis, dicite utrùm mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosa voluptatis blandimenta contempsero; si libidinum incitamenta frenavero; si ad castigandum corpus meum, multa mihi etiam licita & concessa negavero; si me pœnitendo, quàm prius*

Tert. de Pud. c. 3.

Aug. Ep. 54.

vehementius excruciavero ; si miserabilius ingemuero ; si flevero uberius ; si vixero melius ; si pauperes sustentavero largius ; si charitate qua operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentius ? Quis nostrum ita desipit, ut hac homini dicat, nihil tibi ista proderunt in posterum ? Vade saltem, hujus vita suavitate perfruere. Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam. Quamvis ergo cautè salubriterque provisum sit, ut locus humillima pœnitentia semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis esset agrotis, qua tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo, Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhùc iterum parcis ? Hæc Macedonio loquitur Augustinus, quibus liquidò constat, pœnitentem perpetuæ Excommunicationis vinculis obrutum, & externâ Ecclesiæ communione privatum, internis adhùc nobis cum Christo Ecclesiaque esse conjunctum, ut pote qui peccatorum remissionem impetret, quæ extra Ecclesiam non habetur. Respectu igitur copulationis internæ nil est in Excommunicatione virium. Ipsius efficacia tota est in declaranda hominis contumaciâ, qui flagitiis suis indignum se præbet corporis Dominici consortio.

Vincula externa cum Ecclesia Excommunicatio solvit.

XIV. Præter internam cum Domino conjunctionem, est externa copulatio, quâ cum Ecclesia conjungimur usu mensæ sacræ, precum pro Fidelibus fusarum auxilio, consolationum fomentis, Presbyterorum benedictionibus. Hisce adminiculis pietas adolescit, & mens gaudio perfunditur. Eo verò respectu Excommunicatio efficax est, dum contumax Christianorum societate ejectus, amittit ea bona, quæ Fidelibus in pretio sunt, thesauris omnibus chariora, preces nimirum pro membris Ecclesiæ fusas, usum Sacramentorum, alimenta, quæ ærarium Ecclesiasticum, pauperibus qui Fideles agunt, distribuit. Privilegia denique externaque Ecclesiæ jura, excommunicato omnia abdicantur, utpote ab iis prorsus alieno. Olim ejus donaria repudiabantur. Sic Marcion, teste Tertulliano, *cum ducentis sestertiis qua Ecclesia intulerat*, à Romana Ecclesia ejectus est. Quam ad Sacramenta celebranda materiam, panem scilicet & vinum Fideles suppeditabant *oblationis* nomine sæpius censitam, ab Excommunicato non accipiebant. Hinc Canon 28. Patrum Eliberitanorum : *Episcopum placuit ab eo qui non communicat, munus accipere non debere.* Bonifacii Comitis, arctis ante Excommunicationem amicitiæ vinculis, cum Augustino conjuncti munera repudiata sunt. De Eusebio, Eunucho, qui apud Constantium Imperatorem multum poterat, rem observatu dignam memorat Athanasius : *Martyrium Petri Apostoli ingressus, dona in eo consecravit, quod cùm rescitum esset à Liberio, magnoperè increpuit custodem loci, quòd id non prohibuisset, ipse deinde progressus, dona illa, ut victimam illicitam projecit.* Quâ severitate pudorem & incutiebant, & alebant, ut Excommunicatus ad frugem rediret.

Ter. de Præs. c. 30.

Athan. ad Solit. p. 834.

Num Ecclesiæ censura Dei sententiam præverta t?

XV. Atque hìc jucunda, nec scitu indigna quæstio movetur. Utrùm Ecclesiæ censura Cœli sententiam excipiat, an anteverta t? Quâ de re Maldonatus non ignobilis Theologus sententiam sic peragit suam : *Secundus error est, ligare aut solvere, nil aliud esse, quàm homines aut jam à Deo ligatos, aut jam solutos declarare. . . . Sed hic error ex hoc ipso loco refutatur. Si enim non aliter Sacerdotes, aut peccata solverent aut ligarent, non dixisset Christus, Quacunque solveritis super terram, erunt soluta in Cœlis, sed Quacunque soluta erunt in Cœlis, solvetis super terram. Cùm autem è contrario dicat, Quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis, apertissimè significat, prius ab Apostolis super terram, quam à Deo in Cœlis esse solvenda.* Temerè tamen Maldonatus Antiquorum opinioni erroris notam inurit. Eo longè sapientior Balaamus, qui non ignoravit, Dei benedictionem aut maledictionem præire humanæ benedictioni, vel maledictioni : *Quid execrarer ? Non execratur Deus Israëlem ; aut quid detester ? Non detestatur Dominus.* Similiter Præsuli dicendum, Quem solverem ? Non solvit Deus. Quem ligarem ? Non ligat Deus. Quippe expressa ipsius est, disertaque sententia : *Quisquis credit servabitur : qui non credit, damnabitur.* Positâ conditione, stat sive absolutionis, sive damnationis sententia ; nec incredulum absolvere, nec Fidelem damnare potest sacerdotale judicium, quod à volente Deo efficaciam mutuatur suam. Id sapienter visum Eligio, qui sic Pœnitentes compellat : *Ante omnia vobis scire necesse est, quia licet impositionem manuum nostrarum accipere cupiatis, tamen absolutionem peccatorum vestrorum consequi non potestis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos absolvere dignabitur.* Referantur verba Hugonis, qui autoritatem & Augustini, & Gregorii M. suis inseruit : *Excommunicationis & absolutionis, idem est, quantum ad hoc judicium. De absolutione autem sic loquitur B. Gregorius : Tunc vera est absolutio Præsidentis, cùm interni arbitrium sequitur Judicis. Quod benè quatriduani Lazari illa resurrectio designat, quâ mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens, Lazare veni foras. Et postmodum is qui vivens fuerat egressus, à discipulis est solutus. Ex qua consideratione nobis intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem autoritatem solvere, quos autorem nostrum intelligimus, per suscitantem gratiam vivificare. Ex his verbis videtur, nec Excommunicationem, nec absolutionem veram esse, qua non sequitur summi Pastoris sententiam, qua merita causarum examinat, nec aliquem immeritum damnat. Augustinus in Psalm. XXVIII. Prævalebit in te falsum testimonium, sed apud homines. Nam quid apud Deum valet ? Ibi tua causa dicenda. Quando Deus erit Judex, alius testis quàm conscientia tua non erit, inter justum Judicem, & conscientiam tuam noli timere, nisi causam tuam.* Eadem & Petro Lombardo sententia fuit : *Non autem hoc Sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi & ligandi ;* id est, *ostendendi homines ligatos, vel solutos. Unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit ; deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum jam vivificatum obtulit discipulis solvendum.* Profectò cùm excommunicando & absolvendo, Presbyteri partes agant Legatorum Christi, sequuntur Domini sui judicium, non prævertunt. Maldonato distinguenda erat gemina Christi sententia : prior occulta est, cùm peccator credendi fungitur officio, aut ab eo recedit. Quo casu, & promissio Evangelica, & comminatio executioni mandatur, ob summam Dei fidelitatem. Ea sive absolutionis, sive damnationis sententia homines latet. Itaque ipsi Pastores in absolvendo,

vel

Mald. in Matth. 16. n. 19.

Num. 23.

Elig. Com. xi.

Hug. Specul. de Myst. Eccl. c. 26.

Lomb. l. 4. Dist. 18. F.

vel damnando sæpius aberrant à veri vestigiis; nec ipsorum sententia vera est, nisi ad illam Dei quadret: ex quo intelligitur censuram Ecclesiæ Dei judicio semper posteriorem esse; Ecclesiæ verò sententia solemne Christi judicium antevertit, quod in ligatos, vel solutos, coram Angelis & hominibus, palam apertèque pronuntiabit.

Excommunicationis divisio. Excommunicatio negativa.

XVI. Ad Excommunicationis divisionem progrediatur oratio. Excommunicatio *negativa* est, aut *positiva*. Positivam vocamus illam quæ cum autoritate conjungitur, quâ pietatis expertibus, jura quæ Fidelibus propria sunt, abrogantur. Negativa Excommunicatio absque ullo in reum imperio exercetur Ecclesiæ suæ membrum etiamnum agentem; à nobis tamen is pro fratre non habetur, aut communione ullâ copulatur. Sic *Moses* Christi confessor, qui Novatiani quandoque partes secutus erat, eas deseruit cum quinque Presbyteris, qui pariter cum Mose ab Ecclesia Rom. discesserant. Sic Victor Polycratem, Cyprianum Stephanus à se segregavit: temerè quidem, cùm quæstio aut de Paschatis die, aut de renovando Hæreticorum baptismo tanti non esset, ut propterea Christi corpus scinderetur. Tunc verò ea Excommunicatio legitima est, cùm Ecclesia particularis in hæresim delabitur. Eo casu dilanianda sunt conjunctionis vincula. Negativam Excommunicationem indicant Agathenses c. 3. de Episcopis, qui à Provincialium literis moniti temerariam sententiam non revocant: *Si parere noluerint, communio illis usque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis denegetur.* Inspiciatur & Carthaginensis v. Canon 13. *Si quis de alterius Monasterio rejectum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo Monasterio majorem Monasterii constituerit, Episcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione sejunctus, sua tantùm plebis communione contentus sit.* Est tamen à positiva Excommunicatione temperandum, quæ sit lata denuntiataque in delinquentes sententia, quia paris in parem nil est imperii. Itaque calculum album verbis clarissimi Blondelli addere non possumus: *Quand Hilaire eust esté du Diocese même de Rome, & eust eu Liberius pour Metropolitain, il n'eust pas laissé d'estre bien fondé de lancer le foudre sur le premier Prelat d'Occident, presupposant le droit que le premier Concile d'Ephese a depuis redigé en Canon. . . . Car sur ce seul fondement, Cosme d'Epiphanie, & Severien d'Arethuse, non seulement se retrancherent de la communion de Severe leur Patriarche, mais aussi prononcerent sentence de deposition contre lui.* His quidem assentiri non possumus, cùm æquitati rerumque ordini consentaneum esse non videatur, ut inferior in superiorem telum Excommunicationis vibret, quæ autoritatem flagitat. Nulla autem est Suffraganei in suum Metropolitanum potestas. Neque etiam sententia ejusmodi, prudentiâ videtur esse condita, cujus consilium inceptum, progressus, finis frustra est, ac periode atque brutum fulmen inani strepitu edito evanescit. Severi doctrina damnari, factum Liberii improbari potuit, meritòque Hilarius & Cosmas communionem errantibus suam abnuerunt. Hîc verò standum erat, neque Liberius ab Hilario, neque Severus à Cosmo abscindi ex Ecclesia potuit, jus nobis insitum est atque ingenitum, salutem nostram tuendi, non item in pares, vel superiores abdicationis, vel Excommunicationis decreto invadendi. Hinc quilibet in legitimo casu ab impia societate sese rescindere potest, societatem excommunicare non potest, cùm membri in corpus nil insit autoritatis. Neque favente Ephesinâ Synodo Blondellus utitur, ad sententiam stabiliendam. Primo Canone statuitur, opus esse Synodo, ad abdicandum Metropolitano munus, qui in hæresim incidit. Non verò cuilibet Episcopo sigillatim jus tribuitur, ut Metropolitanum suum excommunicet. Audiantur verba Canonis: *Si quidam Metropolita Provinciæ, derelictâ Sancta & Oecumenicâ Synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum, aut accedet in posterum, sive cum Cælestio sensit, aut sentiat, ipse nihil poterit agere adversus Provinciæ Episcopos, ut qui jam inde à Synodo, totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus: sed & ipsis Episcopis illius Provinciæ, circumque vicinis Metropolitis rectè sentientibus subjacebit, ut omninò dejectus sit à sede Episcopatus.* Quibus verbis pingitur Synodus ex Metropolitani Hæretici Suffraganeis, vicinarumque Provinciarum Metropolitanis constans ad illum exautorandum.

Blond. Prim. 493.

Eph. c. 1.

Euseb. lib. 6. 43.

Excommunicatio mortalis & medicinalis.

XVII. Excommunicatio positiva *mortalis* est, vel *medicinalis*. Cui distinctioni Augustinus ansam præbet: *Nos verò quemquam à communione prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis; nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Mortalis perpetuò Eucharistiæ usu prohibebat, vel saltem appetente morte Sacramentum concedebat. Mortali verò Excommunicatione propter peccata, quæ mortalia nuncupabantur, peccatores afficiebantur. Quò pertinent verba Tertulliani: *Ita nihil jam superest, quàm aut neges, mœchiam & fornicationem mortalia esse delicta, aut irremissibilia fatearis, pro quibus nec exorare permittitur.* Mortalis Excommunicationis plurima sunt in Eliberitana Synodo vestigia. Omnium instar erit Canon LXVI. *Si quis privignam suam duxerit uxorem, eò quòd sit incestus, placuit nec in fine dandam ei esse communionem.* Eò processit disciplinæ hujus severitas, ut rei templorum aditu penitùs arcerentur. Quæ in eos adhibita est, qui libidinibus suis jura naturæ violabant. Expressa sunt ea de re verba Tertulliani: *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verum omni tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Attamen in mortali Excommunicatione gradus erant. Secundæ pœnitentiæ cùm nil loci daretur, solatii aliquid in mortalia flagitia labentibus dabatur, quibus preces cum Fidelibus in Ecclesia concedebantur, ex eo more quem Siricius introduxisse videtur: *De iis qui in capitale crimen iterum delabuntur, quia suffragium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut solâ intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur: sacra mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur.* Patribus ea severitas placuit, partim ut metu peccata cohiberentur, partim ne remedium pœnitentiæ in contemptum adduceretur, uti innuit Augustinus Macedonio: *Ne humillima pœnitentiæ medicina vilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit.*

August. Hom. 50.

Tert. de Pud. c. 19.

Tert. de Pud. c. 4.

Siric. Ep. 1. cap. 5.

August. Ep. 54.

Cæte-

Cæterùm pace antiquorum cinerum, *mortalis* Eacommunicatio dura eatramodum videtus, nec Evangelicæ benignitati satis consentanea. Incestuosum diuturno dolore oppressum non reliquit Paulus, & verendum, ne læsa pœnitentium patientia in desperationem convertatus. Prudenter Marca: *Ecclesia non infligit Excommunicationem ut mactet, sed ut pœnitenti salutem conciliet.* Neque satis æquo & bono congruit, ut peccator qui ad multos annos flendo, & jejunando sese confecit, ac mœrore suo sinceram resipiscentiam ostendit, quâ cum Christo conjungitur, à Mysterio cosporis & sanguinis Dominici in perpetuum alienus fiat. Illud multò magis improbandum, quòd & flagitiosi illi qui *libidinum furia* Tertulliano vocantur, à limine Ecclesiæ submoverentur, & lugentium ordo ad fores staret, Templi aditu prohibitus. In Ecclesiam potius admitti debuere, ut auditis & conciooibus, & Scripturæ lectionibus, ad resipiscentiam accenderentur. Quod à Valentinis Patribus meritò sancitum est: *Intes catera hoc esse censuimus observandum, ut Sacro Sancta Evangelia ante munesum illationem in Missa Catechumenorum, in ordine Lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria Chisti psacepta, vel sormones Sacerdotis non solùm Fideles, sed otiam Catechumeni & Pœnitenses, & omnes qui diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione auditâ, nonnullos attractos ad fidem evidenter scimus.* Valent. c. 1. Inspiciatur & IV. Carthag. c. 84.

Excommunicatio minor & major.

XVIII. Res itaque suis momentis ponderanti, Eacommunicatio non *mortalis* quidem, sed tota *medicinalis* esse debet, ut contrito peccatori post gesmanæ resipiscentiæ signa, corporis & sanguinis Christi mysteria fruenda præbeantur, quibus & fidem, & spem alere suam possit. Est autem medicinalis Excommunicario gemina, *minor* scilicet, & *major*. Illa sacramentorum privatio est, quâ arcentur illi, quorum pietas deliquium passa penè mortua videtur. Io eo tamen statu vinculis quibusdam cum cospore Ecclesiæ conjunguntus. Si verò accedat pertinacia, tum minori major Excommunicatio succedit, quia superbiâ contumaciâque suâ peccator deploratum mortuumque membrum se præbet gladio extremæ censuræ resecandum. A concionibus quidem non est arcendus, quibusue vel Ethnici psohiberi debent, cùm Evangelium, medium sit ad eum finem comparatum, ut peccatores ad resipiscentiam, iocreduli ad fidem, Hæretici ad verum invitentur. Sapientiâ conditus est Canon Carthaginensium: *Episcopus nullum probibeat ingredi Ecclesiam, & audise verbum Dei, sive Gentilem, sive Haseticum, sive Judæum usque ad Missam Catechumenosum.* Cæterùm qui majore Excommunicatione feriuntur, ad conciones & preces non amplius admittuntut, ut partes Ecclesiæ, Christique discipuli, quibus jus est ad Dei promissiones, bonaque illa cælestia, quæ mentes summâ & felicitate, & lætitiâ perfundunt.

Carth. 4. c. 84.

Ritus Excommunicationis.

XIX. Perorandæ Dissertationi superest ut de Excommunicationis ritibus aliquid adjungamus. Latini quibus ceremoniarum pompa jucuoda est, splendoris multum Excommunicationi promulgandæ addiderunt, ut magis animi moveantus. Accenduntus candelæ, Campanæ pulsantur, aliaque ejusmodi peraguntus, quibus & fulgos additur Ecclesiastico tribunali, & supesstitiosis metus incutitur. Sic Thomas ille Cantuarensis Præsul, *Die Dominica Ascensionis, videntibus cunctis, qui ad diem festum convenerant, & populo civitatis, repentè in pulpitum ascendens, consuetudinum quas in regno Anglorum avitas appellant observatores, candelis excommunicavit accensis.* Simplicios olim erat excommunicandi ritua, lachrymis magis decorus quàm ornameotis, quas fuodebant dum ab ovili Christi peccatur separabatur. Lampades quasi cadentia de Cœlo fulmina in terram non misit Cyprianus, cùm Felicissimum eacommuoicavit, nil eo facto simplicius: *Abstinuimus communicatione Felicissimum & Augendum, item Repostum de extorribus, & Isenem Rutilosum, & Paulam sascinatsicem, quod ex annotatione mea scire debuistis.* Eatat adhùc formula Eacommunicationis, quam in Andronicum & Thoantem torsit Synesius Ptolemaides Episcopus: *Andronico ejusque socis, Thoanti ejusque socis, nullum Dei fanum apesiatur: omne illis Templum, & adytum claudantur. . . & privatis omnibus & Magistsatibus pracipio, eodem cum illo neque tecto, neque mensâ uti. Tum Sacerdotibus insinuo, qui nec viventes illos salutabunt, nec mortuos funebsi pompâ deducent.* Libellus Excommunicationis ea Christiana societate ejectis mittebatus, ne castigationem ignosarent suam. Hinc festiva apud Evagrium historia legitus de Severo, quem eacommuoicatum, Cosmas Epiphaniæ Episcopus, & Severianus Arethusæ eaautorarunt. Libellum Aurelio Epiphaniensis Ecclesiæ Aschidiacono tradidetunt, qui amictus muliebri veste, ad Severum jocans accessit: *Specieque supplicis libelli, Severe procedenti depositionem tsadidit.* Sic Felia Papa, postquam Acacium Constantinopolitanum anathemate feriit, *Tutum* defensorem misit, qui ei Eacommunicationis literas traderet, quas spretas recipere noluit, fretus Impesatoris patrocinio: *Ut cogerentur qui eas detulerunt, per quemdam ignotum monachum Acœmetensem, ipsam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda sacra, suspendere in ejus pallie, & discedere.* Hæc Liberatus c. 18.

M. Par.

Cypr. Ep. 39.

Synes. Ep. 58.

Evagr. l. 3. c. 34.

Excommunicatio Michaelis Patriarchæ Constantinopolitani.

XX. Coronidis loco adjungemus Excommunicationis exemplum, quæ ab Humberto Silvæ Candidæ Cardinali, Petro Amalphitanorum Archiëpiscopo, Frederico Diacooo, Leonis Papæ IX. Legatis in Michaëlem Constantinopolitanum Patriascham promulgata est: *Psafati nuntii 17. Kal. Augusti, adierunt Ecclesiam Sancta Sophia, & super obstinatione Michaëlis conquesti, Clero ex more ad Missas psaparato, jam horâ tertiâ die Sabbati, chartam Excommunicationis super principale altare posuerunt, sub oculis psasentis Cleri & populi. Inde mox egressi etiam pulverem pedum suorum excussere, in testimonium illis, dictum Evangelii promulgantes, Videat Deus & judicet.* Libellus verò Excommunicationis hæc complectitur: *Michaël abusivus Patriarcha, neophytus, ex solo humano timore, habitum Monachorum adeptus, nunc etiam esiminibus pessimis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus Episcopus dictus. . . & omnes sequaces eorum, in præfatis erroribus & præsumptionibus, sint anathema Marasanata, cum Simoniacis, Valesiis, Arianis, ac cum omnibus Hareticis, imò cum Diabolo & Angelis ejus, nisi fortè resipuerint. Amen, amen, amen.*

B. P. t. 4. 251.

Consolatio adversus injustam Excommunicationem.

XXI. Cæterùm cùm frequenter accidat Eacommunicationem esse, aut temerariam, cùm levi de causa; aut injustam, cùm absque ulla æqui specie promulgatus, consolationis fomenta adhibebimus, quæ violenter Excommunicatis Augustinus

August. de Ver. Rel. c.6.

gustinus paravit: *Sæpè sinit divina providentia expelli de congregatione Christiana, etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel injuriam suam, cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns.* Quibus mens Gregorii aperitur, dicentis: *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta timenda est.* Licet enim temerariæ Excommunicatio innocentis, vel de pietate, vel de gloria cælesti nil deterat, imò patientia utriusque amplitudinem augeat, dum mansueto fert animo illatam sibi injuriam, non immeritò tamen dolore afficitur, cùm ab externa Ecclesiæ societate pellitur: utpote qui sacramentorum usu prohibeatur, collectâque olim pietatis famâ spolietur; quod vel fortibus viris maximam ægritudinem efficit. Levius fit patientia, quod corrigere est nefas.

De interdicto. Quid sit?

XXII. Invalescente quàm solitò magis magnâ Episcoporum potentiâ, Excommunicationi successit *interdictum*, quæ generalis Excommunicatio est, in regnum, Provinciam, urbem promulgata. Audiatur Lemovicensis Synodus anno 1031. celebrata: *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publicâ Excommunicatione, eo videlicet modo, ut nemo nisi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu, & infrà, in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur. . . Altaria per omnes Ecclesias sicut in parasceve nudentur, & Cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitia omnibus est. . . Nemo in ipsa Excommunicatione uxorem ducat.* Anno 1148. Remense Concilium de iis qui tectum Hæreticis præbebant, sic statuit: *Quia etiam Apostolica sedes quod rectum est, consuevit attentâ consideratione defendere, & quod devium invenitur esse devitare, præsentis decreti autoritate præcipimus, ut nullus omninò hominum Hæresiarchas & eorum sequaces, qui in partibus Gasconiæ, aut Provincia. . . vel alibi commorantur, manu teneat vel defendat, nec aliquis eis receptaculum in terra sua præbeat. Si quis autem vel eos de cætero retinere, vel ad alias partes proficiscentes, eorum errori consentientes recipere fortè præsumpserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, & in terris eorum donec condignè satisfaciant, divina celebrari officia interdicimus.*

Lemov. Sess. 2.

Rem. c. 18.

Interdictum æquitati non consentit.

XXIII. Interdicti ejusmodi nullum est in Antiquitate vestigium: neque sanè cum æquitate conspirat, dum innocentes cum sontibus feriuntur. Rectè & sapienter Thomas: *Dicendum quòd excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali: peccatum autem in actu consistit; actus autem non est communitatis, sed singularium personarum, ut frequenter, & ideò singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas. . . Non enim est probabile, quòd aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes.* Itaque Hildebrandiano interdicto, Henricus Secundus Angliæ Rex, subditos meritò suos exemit: *Nullus qui de Rege tenet in capite, nec aliquis Dominicorum Ministrorum ejus excommunicetur, nec alicujus eorum terra sub interdicto ponantur, nisi prius Dominus Rex, si in regno fuerit, conveniatur, vel Justitiarius ejus, si fuerit extra regnum, ut rectum de eo faciat, & ita ut quod pertinebat ad Regis Curiam, ibi terminetur, & de eo quod spectat ad Curiam Ecclesiasticam, ad eandem mittatur, & ibidem terminetur.* Quin etiam urbs Romana negavit, se Papalium interdicto obrui posse. Ægregia ea de re disceptatio legitur apud M. Paris. *Anno 1234. exorta est Romæ gravis dissensio inter Dominum Papam Gregorium, & cives Romanos, his de causis: Usurpant sibi cives memorati ex antiquo jure, quòd Romanus Pontifex non potest aliquem ex civibus excommunicare, vel urbem pro quolibet excessu supponere interdicto. Ad hoc dicit summus Pontifex, Quòd minor est Deo, sed quolibet homine major: ergo major quolibet cive, vel etiam Rege, vel Imperatore. Et cum eorum sit pater spiritualis, debet & de jure potest filios corrigere, vel corripere delinquentes ut sibi in fide Christi subjectos: etiam deviare volentes, in viam dirigere veritatis: unde de jure potest rationalibus de causis eos excommunicare, & civitatem interdicere.* Cives Romani his verò rationibus jus suum tuebantur: *Potestates urbis & Senatores annuum tributum exigunt ab Ecclesia Rom. quòd eis tam ex novo, quàm ex antiquo jure Romani Pontifices persolvebant, de quo semper usque ad istius Papæ tempora in possessione fuerant.* Pernicies hæc est interdictorum, quæ gregis & Pastoris copulationes divellit. Si suis liminibus Excommunicatio contineretur, sacramentorum privatione lites ejusmodi non exorirentur. Verùm malis avibus nata ex superstitione & ambitione interdicta, in fortunas, dignitates, Principum coronas involarunt. Hinc ferrea de Henrico Imperatore verba Hildebrandi: *Post datam reconciliationem, solam ei communionem reddidi, non tamen in Regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, restauravi.* Hinc rabies canina in cadavera defunctorum, quæ sine horrore nec legi, nec referri potest. Urspergensem audiamus Abbatem: *Fatet & respuitur, condemnatur & anathematizatur hæresis Wigbertina, vel Henriciana: Abdicatis sive fugatis hæresibus, Catholici Cathedris Pontificalibus destinantur, ex quibus etiam aliqui inter ipsa festa consecrantur. Denique in tantum divinæ legis subitus zelus efferbuit, ut etiam ipsa cadavera Pseudo-Episcoporum ab Ecclesiis eliminarentur. . . Jam enim exaltatis sibi divinitùs Ecclesiæ Rom. cornibus, ad incutiendum timorem, cunctis usquequaque schismatum membris, etiam capitis ipsius, ossa Wigberti scilicet & dicti Papæ, de sepulchro suo per quinque jam annos in Ecclesia Ravennensi possederat, projici fecerat.* Siccine prisci Christiani nefariorum Hæreticorum Basilidis, Carpocratis, Arii, Macedonii exuvias olim agitabant atque insectabantur? Nùm Excommunicatorum corpora sepulchro condere prohibebant, invitâ humanitate, quæ sepulturæ jubet officium? Quam nec Petrus Ananiæ atque Saphiræ Dei manu percussis invidit. Juliano Apostatæ funebris honos nemine contradicente à Joviano delatus est. Henrici verò Imperatoris corpus per quinquiennium sepulchro negatum est.

Thom. Sup. Q. 22. a. 5.

M. Paris. p. 96.

M. Par. 394.

Ursperg. Chron. p. 170.

Ursperg. Chron. p. 189.

DISSERTATIO QUARTA.

De Ecclesiastico Tribunali.

I. AB Excommunicatione ad Tribunal Ecclesiæ transitus commodus est, quod jubente Deo erectum fuisse, faciles largimur Baronio. Etenim nulla societas consistere potest absque autoritate pœnas illis irrogandi, qui compositas sancitasque leges evertunt atque perfringunt. Propterea Apostolus meminit *Presbyterorum, qui benè præsunt*; & Timotheum monuit, *Accusationem ne recipito, nisi sub duobus aut tribus testibus.* (1 Tim. 5. 15.) Quibus constitutum in reos judicium indicatur. Suæ sunt delinquentibus castigationes ab Ecclesia impositæ, irrogatio censurarum, interdictio sacramentorum, ex grege Fidelium ejectio. Qui actus spirituali sunt potestati consentanei. Neque Ecclesia suo fungeretur officio, si flagitio coopertis hominibus sacra ministraret. Falsos testes ad biennium Eucharistiâ prohibent Illiberitani Patres c. 74. Qui acceptam à Sacerdote Eucharistiam non consumpserit, eum ut sacrilegum pellit Toletana Synodus prima c. 14. Oculos in Concilia deponenti crebrò incidunt ejusmodi judicia. Est tamen etiam atque etiam observandum, judicandi potestatem non penes unum Episcopum esse redactam. Eò pertinet Carthaginensis Synodi IV. Canon 23. *Episcopus nullius causam audiat, absque præsentia Clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi.* Et Canone 32. *Irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque conniventia & subscriptione Clericorum.* Quibus apertè liquet, judicium Ecclesiasticum *aristocraticum*, non *monarchicum* fuisse, quod & in ferenda Excommunicationis sententia suprà demonstratum est. Concilium quoque Carthaginense primum, Grato Præside, de Clericorum causis sic statuit c. 11. *Si quis tumidus vel contumeliosus exstiterit in majorem natu, vel aliquam causam habuerit, à tribus vicinis Episcopis, si Diaconus est, arguatur: si Presbyter, à sex: si Episcopus, à duodecim Consacerdotibus audiatur.* Abdicatio Clerici alicujus momenti sanè majoris est, quàm ut uni Præsuli, qui commotionibus animi, propriisque affectibus est obnoxius, tutò committatur. Neque à Principum voluntate Ecclesiæ Tribunal, sed ab ipso Christo originem ducit, præcipiente ut Hæreticus pertinax abjiciatur, quæ Lex ignaro Magistratu lata est. Imperantibus sanè Ethnicis, flagitiosos censuris Ecclesia suis vexabat, quò liquet id juris sibi proprium esse, nec à terrenis potestatibus communicatum, ad quas non pertinet indignos à Christi mensa removere. Neque Principes, sed Episcopos constituit Spiritus Sanctus ad *pascendam Ecclesiam Dei.* Neque Paulus dum Ecclesiastica munera memorat, Magistratuum meminit, sed Apostolorum, Prophetarum, Pastorum, Doctorum. Itaque Ecclesiastica negotia Cæsares, vel pietate imbuti, ad Episcopos relegarunt. Extat ea de re Gratiani Rescriptum anno [illegible]LXXVI. publicatum, Artemio cæterisque E[illegible]copis missum: *Qui mores causarum civilium*, (Cod. Theod. L. XVI. tit. 2. l. 23. t. 6. p. 52.) *iidem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi sunt; ut si qua sunt ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis, ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis & à suæ Diœceseos Synodis audiantur. Exceptis quæ actio criminalis ab Ordinariis Extraordinariisque Judicibus aut illustribus Potestatibus audientia constituit.* Similiter Lege XLI. Honorius: *Clericos*, inquit, *nonnisi apud Episcopos accusari convenit.* Nempe cùm de causis Ecclesiasticis agitur, rationi æquitatique consentaneum est, ut in illis tractandis versentur, qui munera Ecclesiastica adepti sunt. Id indicabat Valentiniano Juniori Ambrosius, qui & ipsius animum exemplo paterno commovebat: *Augustæ memoriæ pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam Legibus suis sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici Ordinis alicujus, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis: hæc enim verba Rescripti sunt, hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere.* (Ambr. Ep. 32.) Simili modo animatus Theodosius Junior, Patribus Ephesinis scripsit: *Candidianum præclarissimum strenuorum Domesticorum Comitem ad Sanctissimam vestram Synodum abire jussimus, sed eâ conditione ut cum quæstionibus, quæ circa fidei dogmata incidunt, nil quidquam commune habeat. Nefas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum Catalogo ascriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.* (Conc. Eph. p. 1. c. 35.) Displicuit & Gregorio Naz. quòd in causas Ecclesiasticas Politicum Tribunal se demitteret. Reverendum Episcopum Bosphorium commendabat Nectario Constantinopolitano: *Controversiam*, inquit περὶ τῶν ἐκκλησιῶν, *de Ecclesiis*, sic vertere malumus quàm cum Billio, *de circummanentibus exortam, ipse nimirum dissolves, juxta Spiritus gratiam quæ in te est, & Canonum tenorem. Illud autem minimè ferendum tua reverentia videatur, quòd nostra publicis Prætoriis traducantur. Nam tametsi sint Christiani, ut certè Dei benignitate sunt ejusmodi negotiorum Judices, quid commune gladio & Spiritui? Quod si etiam concesserimus, quomodo aut ubinam justam disputationem de fide cum aliis controversiis implicari*, &c. (Naz. Ep. 227.) Inspiciatur & Basilii Epistola 385. Neque ab Ecclesiastico Tribunali Principum autoritas læditur, cùm civiles imponere pœnas, verbera, catenas Ecclesiæ non liceat: utraque potestas, politica scilicet, & Ecclesiastica, cancellis, limitibusque circumscribitur suis, qui prorogari non debent. Ut enim *claves regni Cœlorum* Magistratus usurpare non potest, sic Presbyteris Episcopisque jus gladii exercere, illudque omne quod cum eo connexum est, arripere non datur.

II. Verùm enimverò Baronius aliud Tribunal, alias dictaturas cogitat, illud nempe in quo Ecclesia de βιωτικοῖς rebusque temporalibus, judicium constituit suum. (De Tribunali Ecclesiastico sententia Baronii.) Verba illustrissimi Purpurati referantur: *Cæterùm ejusmodi judiciariam potestatem in Ecclesia Dei collatam Episcopis, non tantùm ex dictis, ut vidimus, institutione Apostolicâ provenisse, sed ab ipso Domino J. C. duxisse principium, & accepisse autoritatem, certum est. Christi* (Bar. An. 57. n. 28.)

enim Sacerdotium fore secundum ordinem Melchisedec, qui simul Rex fuit & Sacerdos, David olim cecinerat. Expectamus avidissimè quid in his fundamentis collocet. Arrigamus aures: *Hanc igitur regiam dignitatem unà cum Sacerdotio ad posteros in Ecclesia Dominum transmisisse, Epiphanius eruditè testatur.* Tandem apertè sensus animi promit: *Etsi non abstulit Christus politicum imperium, ut rem à Deo institutam, subjecit tamen illud spiritualis Ecclesiæ dominio.* Sic depressâ regiâ dignitate, acutè Ecclesiasticum imperium promovet. Admissis enim Baronianis hypothesibus, precarium duntaxat & beneficiarium imperium Principes exercent, quod Ecclesiæ *dominio* subjicitur. Quòd si Papæ placitis immorigeros se præbent, de ipsorum imperio prorsus actum est: throno movebantur vi autoritatis, quam in subditos, si Diis placet, suos habere fingitur. Nobis & in Magistratus honorem, & in veritatis gratiam Baronii fundamenta hæc omnia convellenda sunt. Cui perficiendo hæc erant capita nostræ disputationis. Primum ad examen revocabit, an Paulus Sacerdotale Tribunal de litibus circa pecunias, temporaliaque dijudicandis constituerit? Secundum hanc quæstionem tractabit, utrùm Christus regiam dignitatem temporalem acceperit? Tertium inquiret, an regiam illam dignitatem in Ecclesiam transfuderit? Quartum subjiciet examini, utrùm Sacerdotium Regno præstet: ultimum quæstionem solvet, *An politicum imperium sit subjectum Ecclesiæ dominio?*

Bar. An. 57. n. 30.

Bar. An. 57. n. 33.

An Sacerdotale Tribunal de rebus temporalibus Paulus constituit?

1 Cor. 6. 4.

III. Primum quod attinet, hæc Corinthiis scribit Apostolus: *Si judicia habeatis de iis, quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qui vilissimi sunt in Ecclesia, in subselliis collocate.* In his Baronius Tribunal quærit suum. At ruit ab imo, nisi in solidioribus fundamentis collocetur. Quidquid vox ἐξουθενημένοι significet, de qua mox, id ad Episcopos sanè non pertinet, quibus vilissimorum hominum titulum Paulus addere non potuit, cùm Ecclesiasticâ dignitate cæteros emineant. Insuper, *in subselliis collocate*, conciliatam à litigantibus indicat autoritatem, quâ ante ipsorum arbitrium Judices non pollebant. Tantane verò duorum ex infimis forsan Ecclesiæ subselliis potentia fuit, ut dignitate Magistratus diminutâ novum Corinthi Tribunal constituerent? Hoccine fieri potuisset absque & Ethnicorum scandalo, & Ecclesiæ pernicie in Principum jura involantis? Itaque Paulus nullos Judices ponit publicâ autoritate indutos, quibus fas esset Christianos ad suum Tribunal evocare. Consilium dat de assumendis ex Ecclesia arbitris, quorum sententiia illi ex compromisso starent, qui controversias habuere; quo agendi modo litigantes non in Magistratus autoritatem involabant, quam sartam tutamque Paulus maximè cupiebat, ut à Deo constitutam. Neque vel sibi, vel Apostolis, vel Corinthiorum Presbyteris dirimendarum litium facultatem ascripsit. Quos si Judices movisset, ad eorum, uti ajunt, *audientiam*, litigiosos amandasset. Ea difficultas Baronio suboluit: *Quòd nulla*, inquit, *à Paulo de Episcopo mentio habeatur, cùm ex ipsius mente in Ecclesia Episcopi ejusmodi officium exercerent, ea apud Ambrosium atque omninò vera affertur ratio. Ideò fratrem Judicem eligendum esse dicit, quia adhùc Rector in Ecclesia illorum non erat ordinatus.* Decidit ergo gravissimo casu Episcopale Tribunal, cujus fundamentum fuit in aqua positum, cùm fatente Ambrosiastro, *non Rectorem Ecclesiæ*, sed *fratres* Paulus attendat.

Bar. An. 57. n. 28.

Quibus verò argutiis, quibus artibus colligetur, Episcopos vi suæ dignitatis, Judices sedere perpetuos, quòd ex Laicis nonnulli de componendis litibus, arbitri dici debuere? Imò ex Apostoli scriptis potius intelligitur, ingratum ipsi fuisse, Clericos hisce litibus immisceri, cùm non *Sacerdotes*, sed *Laicos* constitui arbitros voluerit, ne si Presbyteri in dissidia de bonis caducis se immitterent, ab officio distraherentur. Itaque longè satius est, Episcopos sevocare animos ab omni civili negotio.

Quin etiam quam Ambrosiastri rationem Baronius *verissimam* existimat, ea omninò falsa videtur. Mitto *Rectorem*, quâ voce Ambrosiaster utitur, in *Episcopum* à Baronio mutari, cùm Pauli ætate Presbyteri ad regendam Ecclesiam admitterentur: quis sibi inducat in animum, nullum Corinthi Episcopum fuisse, dum priorem ad Corinthios Paulus Epistolam scripsit? Nonne apud eos Eucharistia celebrabatur? An sine Presbyteris? Nonne apud eos agebant Prophetæ, qui Episcopos eminebant? *Prophetæ autem duo, aut tres loquantur, & alii dijudicent.* Quin etiam sibi Baronius repugnat: *Apparet illud*, inquit, *Apostoli auferre de medio, nihil aliud fuisse quàm tradere Satanæ, & tradere Satanæ istud ipsum, quod de Ecclesia ejicere.* Jam verò Corinthiis incestuosi Excommunicatio mandari non potuit, si nullus tum sedebat Episcopus, cujus ea censura actus est nobilissimus. Itaque quòd non Presbyteros, non Episcopos, sed Laicos Paulus arbitros creari voluit, alia utique causa est, & ab ea diversa quam Baronius affert. Laicos in arbitrali judicio Corinthiis Episcopis Paulus antetulit, ne illi qui sacris perpetuò vacare debent, à munere suo averterentur temporalium curâ. Quibus accedit, Apostolum qui mente divinitùs illustratâ, prospiciebat Episcopos ad dignitatem politicam ascensuros, & regionum Principes creandos, noluisse arbitros creari, ne ambitioni alendæ ansam præberet arbitris sensim in legitimos Judices mutatis, quod tandem aliquando factum est.

1 Cor. 14. 29.

Bar. An. 57. n. 29.

Cur ad Magistratus judicium lites Christianorum Paulus deferri noluit?

Basil. Or. in Julit.

IV. Pluribus de causis ab Ethnicorum Tribunali Christianos Paulus arcebat. Primùm enim magni sumptus in lites impenduntur, qui crebrò nimis familiis sunt detrimento. Deinde Apostolus cernebat animo abditos in Ethnicorum Tribunali laqueos, qui pietati minabantur, cui thus, profanique ritus imperabantur, ut jus suum obtineret. Testis Julittæ Martyris historia, cujus meminit Basilius: *Julitta ad judicium quendam in civitate potentem olim accersivit hominem, planè avarum ac violentum, qui divitias sibi multas ex præda rapinaque comparaverat. Ex quo & agros, & villas, & pascua, & servos, & omnem vitæ suppellectilem ex ea ablatam ad se traducens, judicia falsis testibus & largitione Judicum corrupit. Ut autem dies aderat, & Præfectus & Advocati assistere, cœpit illa de hominis injustitia docere, & de violentia, simul & avaritia conqueri, quòd rem sibi diu legitimè possessam per injuriam eripere vellet. Prodiens ipse, Non, inquit, judicium idoneum, neque agnoscendum: nihil enim fas eis commune cum cæteris esse, qui Deos Imperatorum non adorant, & Christi fidem sectantur: videbatur enim juri consentanea apud eos dicere, & necessaria prætendere: statim thus & mensa judicandis proposita.* Furente Diocleriano anno CCCIII. *Tormentorum ge[illegible] inaudita excogitabantur, & ne cui temerè jus [illegible]retur, ara in Secretario, ac pro tribunali posita, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas dicerent.*

Lact. de Mort. c. 15.

rent. *Sic ergo ad Judices tanquam ad Deos adiretur.* Neque charitati satis consentiebat aut Ecclesiæ honori ea litigantium Christianorum coram Ethnicis disceptatio, cùm si dissidii aliquid inter fratres exoriatur, ne vel fidelis Magistratus continuò adiri debeat, arbitri sunt ex ipsa familia postulandi. Christiani verò Patris matrisque unius, Dei nimirum & Ecclesiæ filii sunt omnes, fidei consanguinitate copulati. Quam Oecumenius rationem attendit: *Nam si etiam hoc malum est, ut frater adversus fratrem judicetur, quantò magis si etiam sub infidelibus judicemini?* Itaque Synodi Carthaginensis IV. c. 86. sancitum est: *Catholicus qui causam suam sive justam, sive injustam ad judicium alterius fidei Judicis provocat, excommunicetur.*

1 Cor. 6. 4. locus expenditur. Quid Paulo ἐξουθενημένος in Ecclesia?

V. Nunc attingendus est percelebris ille Pauli locus, cui variæ variorum explicationes tenebras offudere: *Si judicia habeatis de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qui vilissimi sunt in Ecclesia, in subselliis collocate.* Placuit nonnullis factum Corinthiorum improbari, quòd imperitos judicandis litibus suis arbitros constituissent. Quæ clarissimi *Parei* explicatio hæc est, *καθίζετε indicativè* reddit, non *imperativè*, quasi Corinthii peccassent, *deligendo arbitros ex suis non idoneos, à quibus deinde ad infideles provocandum erat.* Ea tamen interpretatio Pauli consilio non videtur esse consentanea. Litigantium nemo, sciens & prudens, arbitros rei judicandæ ineptos postulavit unquam, nisi vecors sit, & mente captus. Statuuntur, illi qui rerum consultissimi sunt, peritissimi, famâ celeberrimi. Quod & à Corinthiis observatum fuisset, si litium arbitros suarum nuncupassent. Quòd si verba Pauli, non præcipiendi, sed indicandi modo sumuntur, particula illativa *οὖν* necessariò est expungenda, ut sit sensus. Si judicia habetis, eos qui in Ecclesia vilissimi sunt, in subselliis collocatis. Retentâ verò particulâ, quæ minimi non est ponderis, præcepti vis inest in verbis Pauli: *Secularia igitur judicia si habueritis, arbitros ex Ecclesia in subselliis collocate.* Denique Pauli argumenta satis superque indicant, omisso arbitrali judicio, Corinthios Ethnicorum Magistratuum Tribunal adiisse: *An ignoratis fore ut Angelorum Judices simus, ne dum ut de iis, quæ ad hujus vitæ usum pertinent, Judices non simus?* Quæ ratio nauci est, si Corinthii arbitros dissidiorum cepissent. Regessissent enim, non sine magna specie probabilitatis, jam ad *βιωτικὰ* judicanda, Fideles tam idoneos esse censuimus, ut iis arbitris jam usi simus.

Qui illi *vilissimi in Ecclesia*, nunc explicandum. Hîc non mendicos, quibus opera vita erat, non rebus egentes omnibus fingere licet. Sapientes quidem arbitros, quorum peritiâ lites componi possent, Paulus optabat: *Itane non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit judicium ferre inter fratres suos?* Mendicis verò & pauperibus non ea sapientia est, legumque peritia, quæ est arbitris necessaria. Lightfootius qui ex Rabbinorum fontibus suas explicationes aspergit sæpius, Pauli verba sic illustrat: *Erat consessus Triumviralis in unaquaque Synagoga: erat consessus autorisatus, vel authenticus: erat consessus non autorisatus ἐξουθενημένος, non authenticus.* Consessus Triumviralis tribus constabat, qui per manus impositionem ad munus suum promovebantur. Consessus *autorisatus* ex hominibus constituebatur, qui non per ordinationem, sed per diploma à Synedrio concessum, potestatem nonnullas judicandi causas sortiebantur. Ad tertium consessum, qui nec Presbyteris per manuum impositionem creatis, nec viris diplomate ad munus provectis componebatur, Paulum respexisse, vir doctissimus existimat: *Modum lites suas finiendi Corinthiis notum, facilem & absque sumptu.* Quæ observatio utut pompæ & eruditionis plena, ad Pauli locum explicandum nil prorsus confert. Quippe incertum est, nec probabile, Ecclesiam Corinthiam tres illos Synagogæ consessus in regimen suum admisisse. Quo negato, explicatio ruit. Neque ad plurium collegium, Paulus litigantes amandat: *Itane non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit judicium ferre inter fratres suos?* Unus, inquit, non *tres*, qui superflui erant, si unus, vel duo arbitri, conspiratione animorum sententiam suam tulissent. Seldenus *ἐξουθενημένους* Presbyteros החוץ qui plateæ dicebatur, respondere existimat. Quod subtile explicandi genus adducere nil opus est, cùm pars Ecclesiæ Corinthiæ maxima ex Ethnicis constitueretur, qui de hisce plateæ Presbyteria ad suas lites dirimendas non cogitabant. Profectò omnibus à natura mos est insitus, *uti arbitris* ad componendas amicorum controversias:

Lightf. Hor. Heb. p. 895.

Selden de Synod. l. 2. c. 7.

Audiat hæc tantum, vel qui venit, ecce Palæmon.

Ut Rabbinorum ingredi penetralia non sit necesse, ad intelligendam Pauli mentem. *Vilissimi* igitur, ni fallimur animi, illi sunt, qui comparatione ad Presbyteros & Diaconos institutâ, non magni fiebant. Quippe Corinthi Prophetæ erant, virique Ecclesiastico munere præditi, qui cælestibus donis Spiritus Sancti repleti, omnium in se oculos & admirationem convertebant. In ea quoque Ecclesia versabantur homines, qui nullo munere, vel extraordinariâ facultate pollentes, minoris existimationis erant. Quibus tamen, nec candor, nec æquitas animi, nec prudentia in componendis litibus requisita, desiderabantur. Ab hominibus ejusmodi, quibus verum & sincerum placet, felicius sæpenumerò opprimuntur dissidia, quàm ab acutis illis, & litigandi peritis, qui fori tricas omnes optimè callent. Illos ergo qui respectu ad nobiliores habito pro vilibus habebantur, Paulus arbitros dicendos esse statuit. Sic divina providentia in gloria erat, quæ Corinthiam Ecclesiam eò dignitatis evexerat, ut vel inter privatos viri reperirentur, qui fratres disceptantes, dato æquo prudentique judicio, ad concordiam reducerent; quod & huic Ecclesiæ in honorem cessit. Ex ea explicatione, quæ vero est consentanea, de culmine ruit thronus ille Ecclesiasticus, quem tantâ mole Baronius condiderat.

De regia Christi dignitate.

VI. Agitanda nunc quæstio est, regiâne dignitate Christus præditus fuerit? Quæ remotis ambagibus est definienda. Regali quidem titulo, eoque gemino, Christus insignis est, quia & Deus est, & Mediator. Quà Deus naturali gaudet imperio, quod ei cum Patre & Spiritu Sancto commune est, ob unam eandemque naturam, majestatem, potentiam, sapientiam, unde jus unum in res conditas. Ad regni verò mediatorii honorem solus à Patre Christus vocatus est, ex gloriosa illa gratia, quæ lapsis mortalibus succurrere voluit. Quod imperium totius Personæ est, humanâ divinâque naturâ constantis, quorum conjunctio necessaria fuit, ut precioso sanguine regnandi facultatem sibi emeret. Ecclesiæ igitur Rex est, non ut Deus simpliciter, non ut homo, sed ut θεάνθρωπος, cùm tanto muneri

exercendo, neutra naturarum sigillatim spectata sit idonea, quod sapienter à D. Joanne traditur: *Autoritatem Filio dedit Pater, etiam judicium exercendi, quatenus Filius hominis est.* Regia hæc dignitas ad Electos Fidelesque propriè spectat, quos divini sanguinis sui pretio redemit, & vi Spiritus regit. Impii verò & Dæmones ad ipsius regnum rectâ non pertinent, cùm pro hostibus eos habeat, in quos totis viribus pugnat. Attamen pro summa potestate, quam jure mediatorio in res omnes exercet, illis utitur, quatenus opus est Ecclesiæ utilitati. Eos

Joan. 5. 26.

Imperis premit, & vinclis, & carcere frenat.

Hoc regium Christi munus cum nullo mortalium communicari potest. Quia dignitatem, sapientiam, potestatem flagitat infinitam, quæ mortalium sanè omnium captum, longissimè superant. Imperium illud cæleste est, & à temporali multum diversum, quod opibus, gloriâ, militibus constat: Leges de emptionibus, venditionibus, subhastationibus promulgat: divitias & honores caducos confert: pœnas perduellibus civiles, ferrum, ignem, patibula, cruces irrogat carnificum manu. Temporali eâ ratione Melchisedec olim Regem præstabat, & in urbe Romana hodie Pontifex jura summi Principis exercet.

Nùm Christus temporalem potestatem habuit?

Bar. An. 57. n. 29.

VII. Quibus explicatis, à Baronio quærimus quo modo scripserit: *Cùm igitur Christus Rex & Sacerdos, omne judicium à Patre acceperit, plenissimam nimirum potestatem, eandem simul cum Sacerdotio jungens instituit; quippe qui omnem quam à Patre potestatem accepit, transfundit in suos.* Nùm id sibi vult, in Fideles Mediatorium Christi imperium transfusum esse? Atqui uni soli datur. Unus ille est cui & potestas adjungitur in Cœlum & terram; & datur *nomen supra omne nomen*: Cùm homo ψιλὸς, sapientiæ atque potentiæ non sit ejusmodi, ut solo nutu, & hostes ubique locorum perimat, & doloribus subditos suis liberet. Nec quæ dignitas, & Regia, & Sacerdotalis, Fidelibus Christi sanguine ablutis, à Joanne collata esse perhibetur, regiæ potestati Mediatoriæ similis est. Vultne igitur Baronius, temporale imperium à Deo esse Christo datum, cum Romanis Pontificibus communicandum? Id quidem innuit, cùm nil aliud regiæ potestatis transfundendum supersit. At ea opinio extramodum absona est, & à ratione, Scriptura, Antiquitate alienissima.

Nùm Christus Davidici regni proximus hæres?

Becan. de Incar. c. 24. 874.

Sped. c. 10.

VIII. Non nos quidem fugit, nonnullos sententiæ hujus fuisse, Christum ex natalibus suis legitimum proximumque Regiæ, quæ in Davide fuit, dignitatis hæredem extitisse: quæ olim *Armacano* placuit, docente Becano: *Dicit B. Virginem habuisse jus hæreditarium ad regnum Judæorum, quia per lineam rectam, descendebat ex familia David, & deficiente viro, succedebat fœmina in hæreditate.* Armacani opinionem eruditus Anglus, cui *Joanni Speed* nomen fuit, probare satagit in libro quem *Testium Nubem* appellavit: *Christ Jesus by his natural descent, was the onely immediat, and Lawfst King of de Jewes.* Fundamenta Scriptoris sunt numero quatuor. Primum, Quòd terrenum Abrahamo & semini ejus regnum divinitùs promissum fuerit. 2°. Quòd summa Principis mundani Judæi expectatio fuerit. 3°. Quòd excepto Christo, vi stemmatis sui, Judaicum nemo regnum sibi vindicare potuerit. 4°. Quòd Regiæ potestatis unus & solus Davidi hæres fuerit. Ex his colligit Autor, terreni hujusce juris respectu Christum Judæorum Regis titulo semper donatum fuisse. Ad hanc opinionem illa Baronii, de Regia Christi dignitate terrena in Episcopos transfundenda, maximè quadrat. Itaque paucis est perstringenda.

Primùm affirmare licet, malè poni fundamentum opinionis hujus. Incertum quippe, ne dicam falsum, Josephum Virginis sponsum jure natalium Davidis in thronum successisse: cùm Jechoniæ posteris jus regni ab ipso Deo abrogaretur: *Sic ait Dominus, Scribite virum istum liberis carentem fore. Non prosperè aget, de semine ejus quisquam sessurus in solio Davidis & dominaturus amplius in Judæos.* Itaque *Salathiel* Babylone à Jechonia genitus, quod Deus extinxerat, jus regium in nepotem suum Josephum Virginis sponsum transmittere non potuit. Neque à Nathane Salomonis fratre, Virginis atavo, jus ad Davidis thronum in posteros transfusum fuit, cùm hæreditas sceptri, neque ad illam lineam, neque ad mulieres pertineret. 2°. Dubiæ prorsus & incertæ sunt illæ hypotheses, videlicet Josephum & proximum legitimumque hæredem fuisse sceptri Davidici, & spretis consanguineis, jus suum in uxoris suæ filium contulisse. Figmenta hæc sunt, quibus multæ tabulæ præsidio veniunt. Neque etiam admittendum, vel concessis hypothesibus, gloriæ terrenæ hæreditatem Christo fuisse pergratam, quam oblatam, testamentoque relictam prorsus repudiasset, cùm eam tenere nec voluerit, nec potuerit. Terrenum quidem imperium non secus ac serpentem fugitavit: *Jesus ergo cùm nosset venturos, & se abrepturos, ut facerent se Regem, secessit in montem solus.* Ac ut omnem affectati imperii suspicionem à se removeret, palam apertèque professus est, regnum suum *ex hoc mundo non esse.* Quòd si terreno Davidis dominatui successit, & eo respectu semper Rex Judæorum audiebat, ex veritate non prædicasset, imperio se non fuisse mundano præditum, quod à patre Davide transmissum habuisset. Est etiam incredibile, eo jure Christum indutum esse, quod muneri mediatorio repugnabat: Regis quippe terreni munia cum ea humilitate non consistebant, quæ servandis hominibus necessaria fuit, dum acceptâ servi personâ, Christus in crucem agi debuit. Denique jus regni Davidis posteris ascribi nequit, quin Maccabæi, qui Judæis imperarunt, pro usurpatoribus habeantur, quod non fit verisimile, cùm totius populi suffragio ad illud munus ob sua in gentem merita evecti fuerint.

Jer. 22. 30.

Joan. 6.

IX. Unum est quod cum aliqua probabilitatis umbra pro terreno Christi jure in Davidis sceptrum objici potest. Verba sunt Angeli ad Virginem: *Dabit* Christo *Dominus thronum Davidis patris sui.* At non Davidis more Christus in throno sedit. David quippe solitâ Regum potentiâ Judæis præfuit, leges politicas ferendo, bella gerendo, arces ædificando, populum suum vi armorum defendendo, hostes corporalibus pœnis afficiendo. At modo cælesti Christus Judæis in Regem impositus est, servando à peccatis populum suum, Dæmonum potentiam debellando, æternas Fidelibus divitias ministrando, animæ sanctitatem, corpori vitam perennem. In verbis igitur Gabriëlis, *Thronus Davidis*, non temporalem caduci Principis potestatem, sed cælestem, divinamque potentiam significat, cujus solium Davidis pertenuis umbra fuit. Hanc Deus ipse filio suo

Thronus Davidis, quomodo datus Christo?

Luc. 1. 2.

dedit

dedit nullius instrumenti ope, nullo natalium, aut hæreditatis jure, quod à Davide manaret. Insignis in verba Angeli Jansenii existit commentarius : *Dicitur autem regnum Messiæ sedes & regnum Davidis, non quòd temporale esset, sensibile, & terrenum, sed quòd in regno Davidis adumbratum fuit, & Davidi in proprio semine promissum, sub typo regni sui. Ita & domus Jacob hic non potest accipi pro familia Jacob carnali, sed pro spirituali, quæ est omnium Fidelium congregatio. Dicit autem, Dabit illi Dominus, ut significet, hunc Filium regnum Davidis non vi occupaturum, sed à Deo accepturum, postquam per tyrannidem terrenum regnum in carnali familia Jacob Herodes sibi vindicaverat. Porro sedem hanc Deus Messiæ dedit post resurrectionem & ascensionem, cùm dixit ei, Sede à dextris meis, daturus eidem regnum istud perfectius, in novissimo die, cùm omnia subjiciet sub pedibus ejus. Nam sicut David unctus quidem fuit in Regem, longè antequam in folio regni insideret, quod solium non obtinuit nisi post multas persecutiones & afflictiones, per quarum patientem tolerantiam meruit tandem à Deo magnificè sublimari in Regem, & primùm super domum Juda, deinde verò super omnes Tribus Israel; ita & Jesus à nativitate quidem sua unctus fuit à Patre, & Rex destinatus populi sui, unde & permisit à populo sibi acclamari, Rex Israel; & Pilato dixit, Rex sum ego : verùm tamen Regalis solii possessionem non obtinuit, nisi per patientiam in multis adversitatibus, per quam meruit exaltari à Patre, & accipere nomen quod est super omne nomen, & regnare primùm quidem super Judæos credentes, deinde verò etiam super Gentes, per decem Tribus Israël figuratas, ut patet Ezechiel.* 37. Sapienter certè, & solidè.

Jans. Concor. in Luc.

Num ejiciendo mercatores, Regem temporalem J. C. egerit?

X. In gratiam temporalis regni Christo collati, urgent etiam mercatorum ex Templo ejectionem, admotis flagris, veluti regiæ potestatis specimen. Sunt qui egregium illud Domini facinus vel ad jus Zelotarum, vel ad munus Christi Propheticum referant. Nos potius Regi, quàm Prophetæ vindicamus, cùm ingrediente Hierosolymam asino vectus Regem præstiterit, canente Prophetâ, *Ecce Rex tuus venit.* Templi ergo se Dominum præbuit, dum confectum ex funibus, quibus ligati boves in Templum adducebantur, flagellum adhibuit ipse, ut inustis vibicibus, impios coërceret atque ageret; sermonemque eum usurpavit, *Domus mea domus orationis vocabitur.* In eo tamen facto Principem non temporali quidem, sed cælesti potestate præditum egit. Cùm nutu suo ea miracula patravit, quæ Cæsarum omnium viribus sunt editiora, quod observatum Hieronymo: *Plerique arbitrantur, maximum esse signorum, quòd Lazarus suscitatus est, quòd cæcus ex utero lumen acceperit, quòd ad Jordanem vox audita sit Patris, quòd transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd unus homo, & eo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut posteà crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sævientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam ac sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Ad Regio non terreni quidem, sed cælestis ea pertinere quis neget?

Hieron. in Matth. 21.

De regia Christi potestate locus Epiphanii expenditur.

Epiph. h. 29. n. 4.

XI. Audiatur nunc Epiphanius, cujus autoritate Baronius utitur, firmandæ suæ sententiæ: *Quocircà thronus ille Davidis ac regale solium nihil aliud est quàm Ecclesiæ Sanctæ Sacerdotium, quod Regiâ simul ac Pontificiâ dignitate in unum contractâ ei Dominus attribuit. Manet quippe sedes illius, & regni ejus non erit finis, atque in solio Davidis considet, propterea quòd Davidis regnum transtulit, idque ipsum cum Pontificatu servis suis indulsit, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ Pontificibus.* Hic est *eruditus* ille locus, in quo Baronius exultat atque triumphat. At Nazaræorum in hæresi bonum Epiphanium dormitasse, testis est Petavius : *Quæ hic*, inquit, *ab Epiphanio narrantur, neque secum cohærent, neque cum historia fide consentiunt.* Quid igitur miri, per somnum non satis excussum ea excidisse Epiphanio, quæ ad rectam rationem non satis quadrant? Nùm thronus Davidis regale Sacerdotium est? Unquamne David Sacerdotem egit? Quidquid in mentem venerit Epiphanio, illud sanè à regno temporali plurimum abest. An Ecclesiæ Tribunal in perpetuum stabit? Hoccine Christus ei pollicitus est?

Petav. Anim. p. 51.

Illi ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Nonne terrenæ potestati Ecclesiæ certum finem dies ille constituet, qui imperiorum omnium terminum definiet? Porro etsi Epiphanii interpretationi fidem præstare nolim, quantum animi mei conjecturâ assequi possum, spirituale regnum, *quod non est ex mundo*, attendisse videtur Epiphanius; cujus ætate nil prorsus temporalis in Reges potestatis collatum fuit. Sed de violenta explicatione, in qua ne vel salis mica reperitur, licet eam magnifaciat Baronius, non est operosè laborandum.

Christus temporalis potestatis expers fuit.

XII. Afferantur nunc argumenta, quibus temporalis regnandi potestas Christo eripitur. Ac primùm verbis expressis ipse testatur, non venisse se, ut *sibi ministraretur, sed ut ministraret*, regnumque suum *mundanum* non esse. Quis unquam ex ea specie, quam Christus præ se ferebat, Regem temporalem somniavit? Qui summâ humilitate, & plusquam plebeiâ conspicuus fuit, qui alieno & commodatio jumento usus est, qui asello insedit, nil minus quàm regio vectore, qui pauperum discipulorum vestimentis, non aureis vestibus usus est, stipatus inermibus comitibus, qui pro hastis & gladiis, arborum ramusculos gestabant : qui nunquam gentium actus Principum potestati consentaneos edidit. Neque Patres eam in Christo agnoverunt, aut prædicarunt. Servatoris propinqui cùm à Domitiano de Christi regno interrogarentur, Cujusmodi esset, quando, & ubinam locorum appareret? Responderunt, Non hujus mundi, *nec terrarum imperium illud esse, sed Angelicum & cæleste.* His consentit Tertulliani sententia: *Si potestatem quoque nullam Christus ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est, si Regem se denique fieri conscius Regni sui refugit, plenissimè dedit formam suis de rejiciendo omni fastigio & suggestu tam dignitatis, quàm potestatis. Quis enim magis his usus fuisset quàm Dei Filius? Quales & quanti eum fasces perducerent? Qualis purpura de humeris ejus floreret? Quale aurum de capite radiaret, nisi gloriam seculi, alienam, & sibi, & suis judicasset?* Aurea sanè verba, quibus terrena Episcoporum potestas contunditur & perimitur. Insignis & in eam rem locus est apud Cyrillum

Euseb. h. l. 3. c. 20.

Tertul. de Idol. c. 18.

Hierof.

Hierosf. quem Baronii figmentis opponimus: *Contradicunt autem & eis, quæ in Psalmo* 88. *scripta sunt. . . Et ego Primogenitum statuam illum, excelsum super omnes Reges terræ. Si enim hæc in Davidem, vel Salomonem, vel quempiam alium, qui deinceps dicti sunt, torserint, doceant quomodo sedes ejus, qui hæc prophetavit apud eos, sit tanquam dies Cœli, & sicut Luna, & sicut Sol in conspectu Dei. . . Quæ quidem ad hominem referre longè ineptissimum est, & impietate plenum.* Jam verò si temporalis potestas Christo collata fuit in Episcopos transfundenda, nil impietatis foret aut stultitiæ, Davidis oraculum mortali alicui accommodare. Est ergo infinitum cœlesteque Filii Dei imperium, cui nec metæ rerum, nec tempora posita sunt, cum nullo aut Pontifice, aut Præsule communicandum. Atque id sibi volunt verba, sive Vigilii Tapsensis, sive Autoris diversi, Latini certè, apud Athanasium: *Ariani dicunt, post occasum mundi Regnum Filii Dei finiendum. Ego assumptum in Cœlum, unum hominem ex Maria Virgine Deum credo. Quem & sedere ad dexteram Patris confiteor. Cui omnis potestas in Cœlo, & in terra datur. Ipsum quoque judicaturum vivos & mortuos, cujus regnum nunquam finiendum esse confiteor, dicente Daniele Prophetâ, Aspiciebam & dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes populi & linguæ ipsi servient. Potestas ejus æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpitur.* Illi igitur qui in Christo temporalem potestatem imaginantur Episcopis transmittendam, imprudentes Arianæ impietati velificantur. Unum igitur est Servatoris imperium, cœleste nimirum, æternumque, nullis temporum locorumve limitibus circumscriptum, & ab illo quod Pontifex Rom. agitat longè diversum.

Cyril. Catech. 7. p. 65.

Athan. de Ar. t. 2. 578.

XIII. Cæterùm pertinet eò loci quæstio perobscura & difficilis, quæ est in transcursu solvenda. Quomodo Regnum Christi æternum prædicatur, quod est eo momento deponendum quo Ecclesia Cœli gloriam adipiscetur. Disertè Paulus: *Filius traditurus est Regnum Patri suo.* Ea Regni traditio finem imperio ponet. Contrà verò imperii nunquam deponendi meminit Angelus: *Regni ejus non erit finis*, quo & maximè celebratur, & caducis Principum thronis opponitur. Difficultatem sic perfringendam esse putamus. Tria sunt in Christi Regno diligenter attendenda. Munus ipsum, quo Mediator ornatur; regnandi actus; objectum circa quod exercetur. Munus ipsum, in summa illa dignitate atque honore versatur, ad quem ascendit, de quo futura secula nil decerpent. Imò hanc ad dignitatem si afferri aliquid posset, eam utique summa Fidelium beatitudo cumularet, quam Christo acceptam referunt. Idcircò cantatur à Cælitibus: *Ei qui insidet Throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Sic adorationem, quasi vectigal, gratis animis Redemptori suo solvunt. Regiæ Christi actiones, & in Dæmonibus, peccato, morte, salutis hostibus debellandis, exterminandisque, & in sanctificandis mentibus Fidelium, eorum corporibus æternâ vitâ donandis versantur, quæ infinitâ quâ pollet sapientiâ, potentiâque Christus perpetrat. Vacabunt verò illi actus, cùm æternis gloriæ bonis Ecclesia circumfluet, quia functionibus ejusmodi Electorum saluti nil opus erit. Deo tunc plenissimè fruentur, eruntque Angelis ab omni parte æquales, sanctitate, immortalitate, felicitate, lætitiâ. Id in honorem longè maximum nostro Servatori cedit, quòd non semper certaminibus detineatur, sed stratis tandem ultimo exitio hostibus, perpetuum triumphum reportet. Objectum circa quod Christus regnando versatur, electi sunt quos gloriâ æternâ donabit. Quibus accuratè perpensis, liquidò constat, quânam ratione Regnum Christi prædicetur æternum, quâve sit abdicandum. Nempè si munus ipsum significat, ævo sanè perpetuo Christus dignitatem retinebit suam, non ut Deus modò, sed ut Deus homo, vitæ Princeps autorque salutis in æternum adorandus. Perpetuum etiam Christi regnum est, dum pro hominibus in quibus regnat, accipitur, quos nulla vis unquam à suo Redemptore divellet, corpore & animo cœlesti gloriâ perfundendos. Ab imperii verò functionibus, quos in fide ingeneranda, remissione peccatorum impetranda, sanctificatione & consolatione suppeditanda consistunt, Christus omninò temperabit, profligato jam bello ac penitùs evacuato. Illi quippe actus mediorum naturam induunt, quæ adepto fine quiescunt. Harum functionum omissio, quas Ecclesiæ regendæ nunc Christus adhibet, eleganter à Paulo *traditio regni* vocatur, quia ejus usus nullus amplius erit in Cœlo. Regius tamen titulus, honos, laudesque Christo debitæ manebunt in æternum.

Qui regnum J. C. æternum quod est Patri traditurus?

1 Cor. 15. 24.

Apoc. 5.

XIV. Ad tertiam quæstionem venimus, *Utrùm potestatem temporalem Christus Episcopis transmiserit?* Quæ materia non diu multumque nos detinebit. Quem enim Ecclesiæ Doctoris nomine Principatum non habuit Christus, Episcopis sanè relinquere non potuit. Apostoli quidem, penes quos amplissima potestas fuit, nil civilis potestatis possedere. Quòd si nonnunquam morte, aut cæcitate impios affecere, ea facultas ad regium munus non pertinuit, nisi Eliam, Elizeumque Reges præstitisse fingamus. Eâ cœlesti ope supplicia, solo nutu & verbis, sontibus irrogabantur. Neque illam in Reges Magistratusque coërcendos potestatem adhibuere. Sermone suo quasi fulmine, Petrus Ananiam & Saphiram prostravit, non Caipham, aut Neronem. Oculorum cæcitate Paulus Elymam Magum affecit, hominem qui in Ecclesiæ ditionem susceptis sacramentis non concesserat. Simili pœnâ non Philippensem Magistratum, à quo virgis crudelissimè laniatus erat, non Ananiam Pontificem, quo jubente alapas acceperat, non ultus, non persecutus est. Cùm itaque Apostoli terreni Principis munia nunquam exercuerint, consequens est, regiam potestatem ipsis non fuisse collatam. Cui bono & emolumento ea facultas, quæ actus naturæ suæ consentaneos nusquam gentium edidit? Quin etiam à Principatu Christus Apostolos disertè prohibuit: *Scitis Principes gentium in eas dominari, & Magnates autoritate uti in eas; verùm non ita erit inter vos.*

Apostolis potestas temporalis non est tradita.

Matth. 20. 25.

Hîc eruditionis suæ penum Baronius aperit: *Non dominantes in Clero*, inquit, *quod Græcè habet κατακυριεύοντες: sicut apud Matthæum jure vertit interpres κατακυριεύειν, quod est violenter dominari.* Ea tamen crisis non est accurata. Κατακυριεύειν vox media est, quæ æquissimam dominationem significat. De Salomone Christum referente κατακυριεύσει, *dominabitur à mari ad mare usque.* Nùm tyrannicam potestatem exercuit? Dei Filium sic Pater compellat, κατακύριευε,

Bar. An. 57. n. 33.

Ps. 72. 8.

pieve dominare. Christone violentum imperium demandavit? Nil tyrannidis quidem, sed terrenum Principatum Christo venisse in mentem, quo exercendo Apostolis fuit interdictum, apertè liquet ex Luca; qui non compositum, sed simplex verbum κυριεύειν adhibet:

Luc. 22. 25.

Qui jus, inquit, *habent in nationes, benefici vocantur, vos autem non ita estote.* Terrenum Apostolis Principatum negari eò apparet, quòd Dominum exprimere suum debuerunt atque reddere, qui ab imperio mundano longissimè remotus atque diffitus fuit. Eum etiam imitatione adeo prosecuti sunt, ut procul ab aulicis negotiis semper egerint. Petro Apostolorum Principi auri argentique nil fuisse, Lucas testatur. Num terrena potestas absque opibus, quæ ad illam exercendam sunt necessariæ?

Tertul. de Idol. cap. 19.

Nescîverunt Patres politicum Apostolorum imperium. Tertullianus: *Quomodo autem bellabit, imò quomodo etiam in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit? Nam etsi adierant milites ad Joannem, & formam observationis acceperant, si etiam Centurio crediderat, omnem posteà militem Dominus in Petro exarmando discinxit.* Jus verò gladii tam arctis vinculis est cum terrena potestate conjunctum, ut ab eo divelli non possit. Exarmato igitur Petro, Principatum terrenum Christus negavit. Nec diversæ sententiæ fuit Nicolaus Papa primus, cujus verba successores ipsius memori pectore recondere debuerunt:

Car. Sum. pag. 393.

Mediator Dei & hominum Christus Jesus, idem Rex & Pontifex, actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum, imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans, minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset secularibus negotiis implicatus. Cantantur omnibus verba Bernardi ad Eugenium:

Bernar. l. 2. Cons. ad Eugen.

Apostolis interdicitur dominatus: I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Forma Apostolica hac est, interdicitur dominatio, indicitur ministratio. Quem sibi gladium vindicat Papa, utique non à Christo habuit, ut rectè observatur Bernardo: *Nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit.*

Quibus gradibus Ecclesiæ de temporalibus tribunal fabricatum est?

X V. Porro quibus gradibus Ecclesiæ Tribunal ad hoc usque dignitatis fastigium ascenderit, quod omnium oculos fulgore occupat suo, nunc paucis est aperiendum. De postulando Presbyterorum judicio, circa ea quæ ad hujusce vitæ usum pertinent, nulla Christi præscriptio fuit. Imò exemplo suo judicia ejusmodi prohibuisse visus est, cùm alicui de plebe dicenti, Magister, jube fratri meo, ut partiatur mecum hæreditatem, indignantis in morem responderit:

Luc. 12. 14.

Heus tu, quis me vobis Judicem, aut partitorem præfecit? Christi exemplo Paulus non de Presbyterorum collegio, sed de Laicorum classe ad lites judicandas arbitros eligi voluit, ne qui rebus sacris inserviunt, ab eis temporalium curâ abstraherentur. Presbyterorum tamen charitate, probitate, prudentiâ invitabantur illi, qui coibant in lites, ex Cleri cœtu Judices assumere. Facilem sanè viam & expeditam, sumptibus, odiis, maximèque tempori parcentem. Itaque qui Ecclesiæ judicium defugiebat, iniqui certè hominis & litigiosi infamiâ aspergebatur. Principio rerum Christianarum Tribunal Ecclesiæ nullum fuit, nisi arbitrali autoritate præditum, à litigantibus concessâ. Nulli tum Officiales, nulli Promotores, nulla Ecclesiastica Curia, nulli carceres: cùm non legitimi Judicis, sed arbitri ex æquo & bono sententiam ferentis officio Episcopi fungerentur. Nec eam provinciam abnuebant, cùm eâ ratione gregis sui utilitatibus servirent. Hinc frequens Antiquorum in monumentis judicii Episcopalis mentio. Audiatur Ambrosius:

Ambr. Ep. 34.

Cum jam conclusi essent dies, & paucarum horarum superesset spatium, quibus tamen alia audiret Præfectus negotia, petierunt causæ patroni, prorogari paucorum dierum tempora, ut ego residerem cognitor. Ajebat præterea nescio qua gesta indecora, & pro suo quisque judicio jactabat, quæ Episcopo potius Judice, quam Præfecto examinari oporteret. . . . Recepi conditionem, ita tamen ut compositionis essem arbiter. In vita Epiphanii *Sabinus* Diaconus, vir ingenii præstans, ab eo defensor constitutus esse legitur:

Epiph. Vit. 366.

Cùm verò aliquando duo homines apud Sabinum judicio contenderent, unus dives & unus pauper, melior erat divitis causa quàm pauperis. Cum igitur Epiphanius occulto in loco stans, judicium audiret, sensit Sabinum in pauperem magis inclinare, ejusque misereri. Cùm itaque in medium venisset Epiphanius, Sabino placido vultu dixit, Vade fili, & scribe rectè. . . . Ab eo itaque tempore omnibus qui veniebant, judicium reddebat Epiphanius: à matutina enim usque ad horam nonam audiebat eos qui disceptabant. Similibus & judiciis vacabat Abraames Carrorum Episcopus:

Theodorit. h. Patr. cap. 17.

Interdiu autem versans in judiciis eorum qui inter se litigabant & decertabant, aliis quidem persuadebat, ut inter se invicem reconciliarentur: alios autem cogebat, qui leni & mansueta doctrina non parebant. Nullus autem injustus recessit, suâ audaciâ adversus justum victoriâ potitus. Ei enim qui injuriâ afficiebatur, justi partem semper addens, reddebat eum inexpugnabilem, & eo qui volebat injuriam facere superiorem.

Vi suæ dignitatis Episcopi de politicis non judicant.

X V I. Hoc judicium *arbitrale* fuisse, neque juris aliquid in Laicorum causas posse sibi Episcopos assumere vi suæ dignitatis, apparet ex Lege Arcadii & Honorii, anno 399. conscripta:

Cod. Theod. t. 6. pag. 298.

Quoties de Religione agitur, Episcopos convenit judicare. Cæteras verò causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportere audiri. Cui rescripto consentit Valentinianus III. Novella XII. de Episcopali judicio:

Cod. Th. t. 6. p. 26.

Constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis, secundum Arcadii & Honorii Divalia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit, præter Religionem posse cognoscere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter agant publicis Legibus, & jure communi. Profectò non æquum fuisset, Episcopos eo jure privari, quod Judæorum Patriarchis concedebatur, de quibus Arcadii constitutio hæc est:

Cod. Theod. t. 1. pag. 87.

Si qui per compromissum ad similitudinem arbitrorum, apud Judæos vel Patriarchas, ex consensu partium, in civili duntaxat negotio putaverint litigandum, sortiri eorum judicium, jure publico non vetentur.

Imperatores Ecclesiæ de temporalibus tribunal constituerunt.

X V I I. Constantinus M. qui magnâ Episcopos benevolentiâ prosequebatur, arbitrali ipsorum Tribunali autoritatis aliquid tribuit, quod nisi & grato animo, & pudore posito, à

Præsulibus negari nequit. Testis Sozomenus: *Fuit hoc etiam argumentum vel maximum reverentiæ, quam pius Princeps erga Religionem gerebat. Nam & omnes ubique Clericos immunitate donavit, lege hâc de re specialiter relatâ, & litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium provocarent, si Magistratus civiles rejicere vellent. Eorum autem sententia rata esset, aliorumque Judicum sententiis prævaleret, perinde ac si Imperatore ipso data fuisset: Utque res ab Episcopis judicatas, Rectores Provinciarum eorumque Officiales executioni mandarent.* Tribunalis Ecclesiastici splendorem illustravit Theodosius, cujus Lex in Gratiani decretum refertur: *Quicunque litem habens, sive petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cùm negotium peroratur; sive cùm jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit Sanctæ sedis Antistitum, illicò sine aliqua dubitatione, & si alia pars refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. Omnes itaque causæ, quæ Prætorio vel civili jure tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec alterius liceat retractari negotium, quod Episcoporum sententiâ deciditur.* Audatur si placet, & Justiniani Novella: *Petiit summus a Menna, Deo amabili Archiepiscopo hujus felicissimæ Civitatis, & Universali Patriarcha, reverendissimis Clericis hoc dare privilegium, ut si quis habeat adversùs eos quamlibet pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Episcopum pergat, sub quo constitutus est. . . . Si verò aut propter causæ naturam, aut propter quandam forte difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Archiepiscopo decidere negotium, tunc licentiam esse & civiles Judices pergere. . . . Si tamen de criminibus conveniantur, si quidem civilibus, hic quidem competentes Judices, in Provinciis autem earum Præsides sint Judices.*

Sozom. l. 1. cap. 9.

Gratian. Caus. 12. Q. 2.

Justin. Nov. 83.

XVIII. Quod Principum beneficio Episcopi Tribunal obtinuerant, totis viribus retinuerunt, & amplificarunt, neque voluerunt illos impunè haberi, qui eo relicto lites ad rostra deferebant. Hinc Carthaginensium Patrum decretum: *Placuit ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio: in civili verò perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos Judices undique patet autoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de judicio seculari poscit auxilium, cùm privatorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi terminari præcipiat.* Pace Synodi, & sibi, & aliis illudit, cùm non præceperit Paulus, privatorum causas ad *Ecclesiam*, hoc est, ad Episcopos Presbyterosque deferri, atque ibi finiri: & ratio Magistratus Ethnici ab illa Christiani Judicis sit multum diversa. Eandem & disciplinam tenuere in sua Oecumenica Synodo Chalcedonenses c. 9. *Si Clericus adversùm Clericum habet negotium, non relinquat suum Episcopum, & ad secularia judicia non concurrat, sed prius negotium agitetur apud proprium Episcopum. Vel certè si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis verò contra hoc fecerit, Canonum correctionibus subjaceat.* Severiorem se præbuit Synodus Agathensis, quæ octavo Canone, & Clericum ad Judices seculares confugientem, & ipsos Judices qui appellanti auxilio fuere, *de Ecclesiæ communione* pellit. Increvit adhùc Matisconensium anno 581. severitas, qui flagris & carcere coërcuerunt Clericos ad politicum Tribunal negotia sua deferentes. Relatu Canon dignus est: *Ut nullus Clericus ad Judicem secularem quemque, alium fratrem de Clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere, quocunque modo præsumat. Sed omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum, aut Archidiaconorum præsentia finiatur. Quòd si quicunque Clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat: sin certe honoratior, triginta dierum conclusione multetur.* Judex verò Excommunicatione feriebatur. Inspiciatur & Cabillonensis Concilii Canon undecimus.

Episcopi sui Tribunalis autoritatem amplificarunt.

Cart. 3. cap. 9.

Mat. 1. cap. 8.

XIX. Quæstio nunc agitetur, consentaneumne rationi sit, de civilibus judicia ad Ecclesiæ Tribunal deferri? Si verum tueri sententia est, satius Episcopi creditum sibi gregem pascerent, in quem uti debent, omni cogitatione & curâ incumbere non possunt, si excussi propriis negotiis, aliena curent. Quòd si Diaconorum munere, & pauperum curâ Apostoli se liberos esse voluerunt, ne ab officio prædicandi Evangelii distraherentur, quantò magis à politicarum civiliumque causarum cognitione Clerici se segregare debent? Itaque frugi hominibus judicia ea Episcopalia maxime displicuere. Referantur verba Synesii: *Prisca tempora eosdem Sacerdotes ac Judices tulerunt: nam Ægyptii & Hebræi, longo tempore Sacerdotum imperio usi sunt. Deinde postquam, ut mihi videtur, divinum opus humano more fieri cœptum est, Deus ambo vitæ genera separavit, unumque horum sacrum, alterum ad regimen atque imperium constitutum est. Quid igitur iterum revocas? Quid ea conjungere vis, quæ à Deo separantur? . . . Nec Episcopos damno, qui negotiis distinentur, sed cùm noverim vix me horum alterutrum consequi posse, qui utrumque præstare possint, eos admirari soleo. Non est id mearum virium, duobus ut dominis serviam.* Neque judicia ejusmodi Augustino placuere: hinc illæ lachrymæ! *Multò mallem per singulos dies certis horis aliquid manibus operari, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotiis secularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præscindendis.* Ex Commentario in Psal. 118. *Suis vitiosis & negotiosis cupiditatibus adjuvandis ut occupemur, & eis nostra tempora impendamus, maligni homines efflagitant, aut certe infirmos premunt, ut causas suas ad nos deferre compellant, quibus dicere non audemus, Dic, homo, quis me constituit Judicem aut divisorem inter vos?* Sanctus ille Pater, qui Ecclesiæ magno emolumento fuit, longè majori fuisset, si quas audiendis litibus horas transmisit, in legendis Scripturis, condendisque libris impendisset. Æquissima à Constantino M. Lex conscripta fuit de Clericis: *Placuit ut homines illi, qui cum debita sanctimonia & assidua hujus Legis observantia ministerium suum divinæ Religionis cultui exhibent, laborum suorum mercedem reportent, Anuline carissime nobis. Quocircà eos homines, qui intra Provinciam tibi creditam, in Ecclesia Catholica, cui Cæcilianus præest, huic sanctissimæ Religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt, ab omnibus omninò*

Num lites de civilibus ad forum Ecclesiæ deferendæ?

Synes. Ep. 54. pag. 198.

Aug. de Op. c. 29.

Euseb. h. l. 10. c. 7.

publicis

publicis functionibus immunis volumus conservari, ac errore aliquo, aut casu sacrilego à cultu summæ divinitati debito abstrahantur, sed ut potius absque ulla inquietudine propria Legi serviant. Quantò magis opus est Episcopos à judiciorum secularium molestia liberari, quæ Epiphanium à matutina ad horam usque nonam detinuere? Sapiens dictum Apostoli animo recondi debuit: *Nemo qui militat, implicatur hujus vitæ negotiis.* Ut ad pauca veniamus, legatur doctissimi Gothefridi Commentarius in titulum de Episcopali judicio t. 6. Cod. Theod. p. 305. Pauli autoritate freti Chalcedonenses, sic statuunt Canone 3. *Definit Sancta Synodus, neminem deinceps, neque Episcopum, neque Clericum, neque Monachum, vel possessiones conducere, vel secularibus possessionum administrationibus seipsum ingerere.*

2. Tim. 2.

Ecclesiæ foro jura Principum detrita.

XX. Alia à causa *mixtum* in Ecclesia Tribunal erigi non debuit, quod ambitione Cleri crescente, jura Principum sunt imminuta: Ac non secus ac amnis sensim rippas stringit, quibus cingitur, sic judiciaria Episcoporum potestas suis finibus egressa, Magistratuum privilegia muniaque sibi vindicavit. Hinc Episcopalis carcer, in quo ab Hincmaro miser ille Goteschalcus inclusus est. Hinc *angariæ*, hoc est, onera agris & personis imposita, quibus Toletani Patres modum statuere: *Quia cognovimus Episcopos per Parrochias suas non sacerdotaliter agere, sed crudeliter desævire, & dum scriptum sit, Forma estote gregis, non ut dominantes in Clerum, quia exactiones Diœcesi suæ vel damna infligunt, ideò censemus, excepto quòd Veterum constitutiones à Parrochiis habere jubent Episcopos, ut alia quæ illis hùc usque præsumpta sunt, denegentur: hoc est, neque angariis Presbyteri aut Diaconi, neque aliquibus fatigentur indictionibus, ne videantur in Ecclesiam Dei, exactores potius quàm Pontifices nominari.* Hinc flagra contra Apostolicum morem delinquentibus inusta, quorum in Bracarensium Patrum Canonibus mentio: *Qui gradus Ecclesiasticos meruerunt, id est, Presbyteri, Abbates, & Levitæ, exceptis gravioribus, & mortalibus culpis, nullis debent verberibus subjacere.* Hinc ambitiosis manibus feuda Magnatum comparata, quasi Comitis dignitas infulam Sacerdotalem deceat: *Walterus Dunelmensis Antistes, contra dignitatem Pontificalem curis se immiscens secularibus, Willelmo emit Northambriæ Comitatum, & Vicecomitis agens vices, Laicali se foro immiscuit, atque ab omnibus Provincialibus, tam nobilibus quàm servis, insolenter extorsit pecuniam infinitam.* Hinc non ferenda Cleri rebellio, à regiis judiciis omnem sibi prorsus immunitatem dantis, quasi in ipsorum crimina seculari gladio animadvertere non liceret. Atqui Matisconenses, qui fimbrias non minimum suas extendunt, Clericorum crimina Principum cognitioni eximi nefas esse existimant. Canon recenseatur: *Ut nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui à seculari Judice injuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quòd si quicunque Judex, cujascunque Clericum absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc fortasse præsumpserit, quandiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* Itaque Principes Ecclesiasticam autoritatem extra suos limites diffluentem, sæpius coërcere coacti sunt.

Tolet. 3. cap. 19.

Brac. 3. cap. 6.

M. Paris. pag. 9.

Matisc. 1. cap. 7.

Ecclesiæ & Principum Tribunal dissitum est atque disjunctum.

XXI. His accuratè perpensis potestatis utriusque Tribunal nullo modo permiscendum esse censemus, ne quod Deus distinctum voluit, imprudenti confusione coëat. Sint Principibus, sint Episcopis jura propria. Illi carcere, mulctis, vinclis, suppliciis scelestos frenent: Hi censuris, Sacramentorum privatione, Excommunicatione in reos animadvertant. Neque illi thuribulum, neque hi gladium usurpent. Annis penè trecentis, dum Imperatores Ethnici rerum potiebantur, Ecclesia absque Magistratus cognitione disciplinam exercebat, ac Hæreticos & flagitiosos è societate sua ejiciebat. Quin etiam Imperatores Christiani hæresis crimen Ecclesiæ ditioni subditum esse voluerunt, nec immeritò, cùm artificis cujuscunque sit, de materia ad se pertinente judicium ferre. Insigne rei hujus exemplum extat apud Sulpitium Severum: *Ubi Maximus oppidum Treverorum victor ingressus est, ingerit preces Ithacius plenas in Priscillianum ac socios ejus invidiæ & criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hispaniarum literis, omnes omninò quos labes illa involverat, deduci ad Synodum Burdegalensem jubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus: quorum Instantius prior jussus causam dicere, postquam se parùm expurgabat, indignus esse Episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus verò, ne ab Episcopis audiretur, ad Principem provocavit. Permissumque id nostrorum inconstantiâ, quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere.* Quin etiam censente B. Martino, *Novum* est, *& inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ Judex seculi judicaret.* Rei æquitatem Constantinus M. agnovit, qui Cæciliani & Donatistarum causam Episcopis judicandam commisit. Augustinum loquentem audire juvat Epistolâ 166. *Scitote quòd primi majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Sed quia Constantinus non ausus est de causa Episcopi judicare, eam discutiendam atque definiendam Episcopis delegavit.* De criminibus quoque quibus societas evertitur, perinde atque de hæresibus judicium Ecclesia interponet suum, sed eâ ratione, quæ ipsius est naturæ consentanea. Ut censuris suis, adulteria, furta, ebrietatem, vitiaque ejusmodi extinguat opprimatque, illæso Magistratus jure, qui sceleribus ejusmodi, vincla, carceres, suppliciaque imperat. Sic utraque potestas pro virili Reip. tranquillitatem, hominum virtutem, gloriam Dei promovebit. Distinctionem utriusque Tribunalis ostendit insignis Hosii locus mox afferendus; intereà observetur Canon qui octogesimus in illis extat, quos vulgò Apostolicos vocant: *Diximus non oportere Episcopum, vel Presbyterum, seipsum ad publicas administrationes demittere, sed in Ecclesiasticis negotiis versari; vel ergo ita non facere persuadeatur, vel deponatur. Nemo enim potest duobus Dominis servire.* Inspiciatur & Canon 83. quo temporalis Papæ monarchia ab imo convellitur.

Sulp. l. 2. 446.

Num & quomodo Episcopatus regno præstet?

XXII. Ad quartam quæstionem calamum animosque converto, *An sacerdotium regno præstet?* De qua sic statuit Baronius: *Cum igitur Rex quantum libet Christianus, nonnisi inter Laicos adnumerandus sit, sacris Ministris minorem gerere*

Bar. An. 57. n. 31.

vere ordinem certum est. Cui probando, Ignatium, Nazianzenum, Chrysostomum, Sulpitium Severum testes adducit. Præcipuè in Sulpicio exultant aulici curiæ Rom. *Martinus ubi bibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem qui post se biberet, nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset.* Sozomenus verò Regis & Sacerdotis dignitatem parem esset censet, quod ex Communi Sepulchro, quod Apostolorum in Ecclesia, Episcopi & Imperatores Constantinopoli sortiebantur, colligit: *Sacerdotalis dignitas meo quidem judicio Imperatoria par, imò verò in sacris locis etiam superior sit.* Quæ sic illustrat Valesius: *Porro monendus est Lector, Sozomenum hic loqui non de potestate Sacerdotali, sed de dignitate. Hæc autem duo longè inter se differunt. Nam potestas quidem Sacerdotalis extra Ecclesiam nulla est, cùm Ecclesiæ finibus contineatur: dignitas verò extra Ecclesiam constat Sacerdotibus. Eam tamen Regia dignitatis parem esse, haudquaquam concesserim: Regia enim dignitas parem non admittit.* Ego verò solvendæ quæstioni distinguendum puto. Bifariam enim dignitas spectari potest: *Excellentia* nimirum, vel *potentia* respectu. Episcopatum Regiæ dignitati præstare, in muneris excellentia, tum ex institutionis fine, tum ex objecto circa quod regendo versatur, apertè liquet. Quippe Regiæ potestatis finis, pax est Reipublicæ, quæ armorum ope constituitur. Ecclesiasticæ scopus est, pax animorum, quâ homines & cum Deo, & cum semetipsis conjunguntur. Objectum quod attinet, Principes in rebus caducis, quæ unà cum mundo diffluent, mentes occupatas habent. Episcopi verò in hominibus servandis, Cœloque inferendis versantur. Ac eo quidem respectu, Episcopalem dignitatem Regiâ præstantiorem esse, quam & fine superat, & objecto, vix ac ne vix quidem dubitari potest; cùm & aliundè plus & mortalibus afferat emolumenti. Potentiæ verò ratione habitâ, Regiam dignitatem Episcopali præstare negari nequit. Cùm penes ipsam vitæ mortisque sit arbitrium, soloque voluntatis imperio, non argumentis, aut monitis, subditos ad obsequium redigat. Quam sibi assumere potestatem Episcopi non debent aut possunt. Regi dicere licet, *Stat pro ratione voluntas*; non item Episcopo, qui non crudis sanè imperiis, sed persuasionibus movent ad obediendum. Prætereà Principes Deo propiores sunt, cùm nec pares habeant, nec superiores. Ideòque *Elohim* Deorum nomine afficiuntur. Quo Episcopi titulo in Scriptura non ornantur. Nec quomodo subditis boni Principes, sic etiam fidei Pastores imperant, teste Paulo: *Non quod dominemur fidei vestræ.* Itaque non Natan Prophetam Rex David, sed Davidem Regem Natan Propheta adoravit. Ipsi quidem Episcopi Presbyterique Imperatorem mortales omnes eminere tradiderunt. Qua de re insignis extat locus Tertulliani: *Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus, æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit Imperium, sciunt quà homines, quis & animam: sciunt eum esse solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes Deos. Quidni cùm super omnes homines qui utique vivunt, & mortuis antistant.* Eadem & de potestate Regia Optati sententia est: Qui multis Donatum dicteriis proscindit, quod superbus ille Præsul in ore populi rarò appellaretur *Episcopus, sed Donatus Carthaginis diceretur. Carthaginis Principatum se tenuis tenuisse crediderat, & cùm super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut se ut Deum non hominem æstimaret, non verendo eum qui post Deum ab hominibus timebatur.* Itaque in rebus temporalibus Episcopi sunt Regibus obnoxii.

Soz. l. 2. cap. 34.

2. Cor. 1. 24.

Tert. Ap. cap. 30.

Optat. lib. 2.

Num politicum imperium sit Ecclesiæ autoritati subditum?

Bar. An. 57. n. 32. 33.

XXIII. Ad ultimam tandem quæstionem pervenimus, an politicum imperium sit Ecclesiæ *dominio* subditum? Qui Principum potestatem cuniculis everterat Baronius, nunc aperto Marte aggreditur: *Itaque*, ait, *cum quæ à Deo sunt, ordinata sint, Politicum Principatum Sacerdotali esse subjectum, nulla potest esse dubitatio.* Quæ si de *Ecclesiastica* subjectione intelligerentur, ea ut vera prædicaremus, cùm Principes suâ dignitate abutentes, ab Episcopis coargui possint, & arceri Eucharistiâ. Davidem adulterum Natanis censura vexavit: Theodosium homicidam Ambrosius sacris submovit. Generalis Pauli sententia hæc est: *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem devita.* Edicit etiam Apostolus: *Obedite Præpositis vestris.* Quam ne vel ipsi Reges exuere obedientiam debent. Verùm Ecclesiasticam illam Baronius subjectionem non curat. *Politicam* somniat, quâ Rex Hæreticus à Pontifice Rom. diris devotus, spoliatur imperio. Quippe Canonistis placet, *Per Christi adventum omne dominium Principum Infidelium translatum esse ad Ecclesiam, & residere in summo Pontifice, ut Vicario summi & veri Regis Christi.* Quam sibi potestatem assumpsit Alexander Papa VI. Cujus munificentiâ in Americæ possessionem missi sunt Hispaniæ Reges. Canonistarum opinio à Bellarmino meritò rejicitur, cùm eam Pontifici R. autoritatem tribuat, quam Dæmon sibi vindicat, cujus ad Servatorem hæc verba sunt: *Gloria regnorum mihi tradita est, & cuicunque voluero, do illam.* Contendunt tamen Itali Theologi, Sixtus Senensis, Baronius, Bellarminus, &c. Pontificem R. potestatis spiritualis ratione, *Habere saltem indirectè potestatem quandam, eamque summam in temporalibus.* Qui in Pontifice eam potestatem non agnoscunt, penè pro Hæreticis habentur. Mirum etiam in Ordinibus Galliæ hæc impunè à Perronio dici potuisse: *Le Pape tolere & patiente pour le bien de la paix Ecclesiastique, que les François tiennent en ce point une doctrine contraire à la sienne.* Quæ *toleratur* opinio, ea utique nec recta est, nec veris consentanea.

Bellar. de Rom. Pont. lib. 5. c. 1.

Har. p. 91.

Ecclesia Rom. jus sibi tribuit abdicandi Reges.

Lat. Conc. cap. 3.

XXIV. Atque hanc opinionem non solorum Paparum, sed Synodorum etiam esse, quas in pretio Latini habent, certum exploratumque sit. Quid enim est hæresis, nisi error ab Ecclesia damnatus, & cum pertinacia conjunctus? Atqui Concilia jus tribuunt Ecclesiæ, Principes exuendi regnis suis. Audiatur Lateranense sub Innocentio III. celebratum: *Si dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab Hæretica fœditate, per Metropolitanum, & Comprovinciales Episcopos Excommunicationis vinculo innodetur. Etsi satisfacere contempserit, infra annum significetur hoc summo*

Pon-

Pontifici, ut ex tunc ipse Vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis Hæreticis sine ulla contradictione possideant. Audiatur Tridentinum Sessione XXV. c. 19, *Detestabilis Duellorum usus fabricante Diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitùs exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati: ac jurisdictione & dominio Civitatis, Castri aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserunt, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur: etsi feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patroni vocantur, Excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis pœnam incurrant; & ut homicidæ, juxta sacros Canones puniri debeant.* Audiatur & Gregorii VIII. Epistola, & Gallorum Procerum ad eam responsio: *Noverit dilectus filius Ecclesiæ spiritualis, illustris Rex, & totum Francorum Baronagium, nos deliberatione & contractu diligenti omnium fratrum nostrorum condemnasse, & à culmine imperiali abjudicasse Fredericum dictum Imperatorem, & Robertum Comitem fratrem Regis Francorum, loco ipsius elegisse substituendum. . . . Ad quod inito consilio circumspecta prudentia Francorum respondit, quo spiritu vel ausu temeraria Papa tantum Principem, quo non est major, nec par inter Christianos, non convictum, vel confessum de objectis sibi criminibus exhæredavit, & ab apice imperiali præcipitavit, qui si meritis exigentibus deponendus esset, nonnisi per generale Concilium cassandus judicaretur.* Hinc liquet & Papam, & Concilia Principum in coronas jus sibi tribuere. Est tamen egregium quod Reges sibi solatium proponant, quòd nempe non Ecclesiæ potestate *directâ*, & immediatâ, sed *mediatâ*, & *indirectâ*, solio deturbentur. Hi sunt Tribunalis Ecclesiastici fructus, quibus pernicies magna Regibus impendit. Pro Dei atque hominum fidem! Nunquamne tanto iniquitatis mysterio Principum adjicientur oculi? Semperne gremio suo fovebunt homines afflatos eâ lue, quæ Magistratus autoritatem extinguit? Perpetuòne pavida figent oscula pedibus Episcopi, cujus manu ipsorum corona detrahitur?

M. Paris. pag. 500.

Ex principiis Ecclesiæ R. jus ipsi est in Principes Ethnicos, perinde ac Hæreticos.

XXV. Cæterùm Ecclesiasticæ in Reges potestatis fautoribus, distinctione uti placuit, quam Scholæ Rom. Princeps Aquinas fœnerat: *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis qui nunquam fidem susceperunt, secundum illud Apostoli, Quid mihi de iis qui foris sunt judicare? Sed infidelitatem illorum qui fidem susceperant, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quòd subditis Fidelibus dominari non possunt: hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem.* Atque eâ exceptione, in Galliæ Ordinibus usus est *Perronius*, solvendo illorum argumento, qui ex antiquis Christianorum moribus in Nerones, Diocletianosque, crudelissimos Ecclesiæ persecutores, non invadentium, colligebant Principum hæreseos labe affectorum, obedientiam abjiciendam non esse: *Les Empereurs Payens n'avoient point encor fait l'hommage à J. C. n'avoient point encor ployé & soumis leur cou sous le joug de J. C. comme nous lisons que Sainct Remi dit à nostre premier Roy Chrestien:*

Thom. 2. secunda Q. 12. a. 2.

Per. Har. pag. 69.

Mitis depone colla Sicamber.

Quand donc ils venoient à denoncer la guerre à J. C. ils ne tomboient point par leur propre profession, en crime de felonnie. Ex ea itaque sententia non Ethnicis, sed Apostatis, Hæreticisque Regibus, perduellionis in Christum actio intendi potest, quod à Tribunali Ecclesiæ est abdicatione puniendum.

Verùm enimverò Ethnicorum & Hæreticorum Principum differentia, turpi sententiæ tenebras offundere potest, virus purgare non potest. Præcipua sanè ratio, quâ moventur ad pellendos Regio solio Hæreticos, ea est, quam Thomas attulit. Quòd *hæretica dominatio* in fidei corruptionem vergere posset, utpote quæ minis, promissis, largitionibus, suppliciis, errori vires incutiat. Quæ pericula ab Ethnico Principe sunt æquè metuenda, in avitas superstitiones benè animato. Nonne Nerones & Diocletiani, qui ferro, flammis, crucibus, tormentis miserè Ecclesiam depascebantur, fidem æquè labefactabant, ac Constantii, Valentesque, pertinaces Ariani, & Zenones, qui Henotico suo, Concilio Chalcedonensi autoritatem abrogabant? Quidni ergo Pontifex R. circa Nerones, & Diocletianos, lupos crudelissimos potestatem exereret suam, tuendo gregi, qui miris modis vastabatur? Nonne & Imperatores Ethnici Christi sub ditione tenentur, cujus autoritate Reges creantur? Quidni igitur cùm debitum Domino suo obsequium negant, ab Ecclesia ejicientur imperio? Posteri sanè Noachi, qui primi ad Principatum evecti sunt, mutatâ in superstitionem religione, Sacramentum quod Deo vero dixerant, perfidè violarunt. Sunt etiam Reges, qui ejuratâ avitâ Idololatriâ, depravatam Christi fidem amplectuntur, quam ab Hæreticis suscepere, quod de Gothis narrat Historia. Fritigernus Valentis subsidio victoriam de Athanarico retulit, copiis ejus in fugam conversis: *Ob hanc causam multi ex Barbaris Christianam religionem amplexi sunt. Nam Fritigernus, ut ob acceptum beneficium Imperatori gratiam referret, tum ipse Imperatoris Religionem amplexus est, tum suos ad idem faciendum incitavit.* Quòd si Rex aliquis Fritigerni, qui Ecclesiæ fidem non astrinxerat suam, similis, Arianismo suo periculum Religioni crearet, quis credat illum à Pontifice R. non esse throno removendum? Vana igitur est, & ad fucum faciendum, Principis obnoxii Ecclesiæ, vel non obligati, excogitata adversariorum distinctio. Profectò & hic, & ille pœnas solveret abdicatione suâ, & Christi ovile detrimenti aliquid pateretur. Testem damus Becanum Thomæ, Dominici Soto, Victoriæ autoritate fretum, qui hæc loquitur: *Sequitur Ecclesiam posse concedere alicui Principi Christiano, curam & potestatem introducendi & conservandi idoneos Prædicatores in Provinciis Infidelium, & ulciscendi omnes injurias hujusmodi Prædicatoribus ab Infidelibus illatas. Imò etiam titulo belli, occupandi Infidelium Provincias, in quibus non permittitur libera Evangelii prædicatio.*

Socr. l. 4. cap. 33.

Becan. de Virt. Theol. cap. 13. Q. 5. 574.

XXVI. Nunc nostris argumentis perniciosa Principibus sententia destruenda est. Non esse potestatem nisi à Deo, & quæ sunt potestates ab illo esse ordinatas, nos Apostolus docuit. Ex quibus

Tribunal Ecclesiæ nil in abdicandos Reges juris habet.

quibus intelligitur Ecclesiæ, sive *directam*, sive *indirectam* in Reges potestatem, ab ipso numine esse repetendam. Bifariam porro autoritatem Deus alicui tribuit: vel per se, quomodo Sauli, & Davidi, regium; Petro & Paulo Apostolicum munus injunxit: vel hominum ministerio, cùm populi consensu suo sibi caput imponunt. Neutro modo Ecclesiæ potestas in Reges à Deo datur: nec in verbis Christi, *Pasce oves meas*, ea continetur. Quam à Domino sibi creditam Petrus habuit, eam exercuit sedulò, qui Cæsaribus non abrogavit imperium, cùm æquè Neronem ac Ananiam, & Saphiram, morti mittere potuisset. Neque etiam ab hominibus Ecclesia potestatem habet in Reges. Ubi sunt donationis tabulæ? Quando ad illud autoritatis evecta est? Profectò Reges qui fidem amplexi sunt, coronam suam Ecclesiæ potestati obnoxiam non effecere. Primus qui collum mitis Evangelio deposuit, Constantinus M. jus abdicandi vel sese, vel successores, si à recto fidei tramite deflecterent, nunquam contulit. Hoccine juravit, dum baptizatus est? *Promitto & spondeo perpetuum Christo obsequium, eâ lege atque omine, ut fas sit Pontifici R. & Sanctæ matri Ecclesiæ, me imperio pellere, si in hæresim vel Simoniam delabar?* Atqui Constantinus non Romæ, sed in suburbano Nicomediæ ab Eusebio baptizatus est, qui ab Imperatore promissionem ejusmodi non requisivit. Fidentissimè dicam; Principum nullus eâ conditione Christi jugum acceptaret. Postulatio quidem ejusmodi, nec honesta esset, nec utilis, & ad eam meritò omnes horrescerent. Itaque Reges qui Religioni Christi sese addixerunt, ex dignitatis suæ fastigio aliquid detrahi noluerunt. Spirituali Ecclesiæ potestati se subdiderunt, ut monerentur errantes, sacris arcerentur peccantes, non ut solio deturbarentur. Illud ergo perduellionis crimen in Ecclesiæ majestatem, quo prætextu ea utitur, ut ad privatam fortunam Principes redigat, ambitionis Pontificiæ figmentum est.

Episcopi veteres pro Domino suo Imperatorem habuere.

XXVII. Neque Patres Imperatores suos pro Cleri beneficiariis habuere. Imò Episcopi, qui Concilio Nicæno interfuere, Constantinum sibi Dominum agnoverunt, cui *diversis ex causis inter se quadam jurgia detulerunt. Interpellabatur frequenter à singulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur.* Quibus apertè liquet, Episcopos Imperatori obnoxios sese putasse, nullo sive divino, sive humano jure, ab ipsius potestate liberatos. Ipse Constantinus, qui Clero maximè favebat, suam in Episcopos autoritatem tenuit, qui de Meletianis hæc ad Athanasium scripsit: *Certum habeant me ita decrevisse, atque hujus esse sententiæ, si quid malè iterum moverint, non pro more Ecclesiarum; sed pro Legibus publicis, memet meâpte operâ causæ cognitionem suscepturum.* Constantino persuaserat Eusebius Nicomediensis, Arium quasi ad frugem rediisset, in Ecclesiam esse recipiendum. Scripsit itaque Athanasio, ut statim eum reciperet: *Quòd si*, inquit, *quempiam excluseris ingressu, mittam continuò cum mandatis meis qui te deponant, & in alium locum deportent.* Atque eò processit ira Constantini in Athanasium, ut ipsum in Gallias exulatum mitteret. Quid ad hæc Athanasius, secundæ sedis Episcopus? Queriturne nil Imperatori jus esse in Metropolitanum? Incongruum, ovem imperare Pastori, & corpus in spiritum dominari? Hæc dixisset Athanasius, si Cæsarum majestatem Ecclesiæ Tribunali subditam scivisset. At de regis dignitate nil detritum ivit: id unum queritur, quòd nimium faciles calomniæ aures præberet: *De te ac me judicabit Dominus, quòd & ipse mediocritatem meam calumniatoribus assentiaris.* Quidni ad Tribunal Ecclesiasticum provocabat, ut decretum Constantini rescinderetur? Nesciebat sanè Athanasius, in politicis Imperatores Ecclesiæ autoritati addictos esse. Ignorabat & Gregorius M. qui hæc Mauritio scripsit: *Unum est quod breviter suggeram Dominis nostris, quia si ego servus eorum, in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longabardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet.* Nùm servilis potestatis est, Dominum suum fortunis & bonis exuere?

Ruf. H. l. 1. c. 2.

Ath. Ap. t. 1. 786.

Ath. Ap. t. 1. 779.

Greg. l. 7. Ep. 1.

Imperatores Episcopos ejiciebant.

XXVIII. Sæpenumerò in Pontifices Romanos potentiam Imperatores suam adhibuere. A Constantio mittitur in exilium Liberius. A Theodora Augusta pulsus Silverius in *Pontiam* Insulam relegatus. Fama est, & Vigilium à Justiniano deportatum esse. Quis Veterum questus est, ordinis perturbatione ab Imperatoribus peccatum, quod sibi in Pontifices jus vindicarint? Id quidem queri potuit, quòd innocentes injuriâ oppresserint autoritatis abusu. Quòd verò sontes Episcopos mulctarint, nemo unquam accusavit, nemo dixit iniquum esse, quod politicæ autoritati Ecclesiastica subderetur, sicque nefandâ confusione permisceri omnia.

Episcopi Imperatores Hæreticos non abdicarunt.

XXIX. Rerum potiti sunt Imperatores, aperti Ecclesiæ hostes, qui hæresi maximè favebant. Quòd si Episcopale Tribunal eò autoritatis evectum est à Deo, ut eos arceat abdicando, graviter sanè à Pontificibus peccatum est, qui Constantium, Julianum Apostatam, Basiliscum, Eutychianæ impietatis patronum, non exautorarunt, cùm ita comparatum sit, ut inferiores à superioribus plecti debeant, cùm à recti tramite deflexerunt. Maximæ negligentiæ fuisset atque socordiæ, laniato Christi ovili nil afferre præsidii. Episcopi timidos ignavosque Pastores egissent, qui lupis insidiantibus totis viribus non obstitissent. Evelli persecutoribus sceptrum debuit, ut benè esset Ecclesiæ, cujus sanguis & lachrymæ volvebantur inanes. Id non fecere Præsules, quia id juris sibi non competere probè noverant. Egregia sunt celeberrimi Hosii, qui tot Synodis & interfuit, & præfuit, verba memori mente observanda. Sic in Arianam hæresim delapsum Constantium alloquitur: *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium occultis conatibus invadit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimine obnoxius fias. Scribitur, Cæsari date quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei Deo: neque igitur fas est nobis imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.* Insignis locus, qui nullâ arte eludi potest. Post collatam utriusque Tribunalis autoritatem, quam suis subjectis Hosius vult discretam esse, verbis expressis pronuntiat, Præsulibus nefas esse, imperium invadere occultis conatibus, quod certè certòque fit, dum Reges ab ipsis solio moventur. Neque prohibuit Hosius, imò præcepit, ut Constantio, licet Hæretico, & Ecclesiæ vastatori, Episcopi morem gestum irent. His subjungantur observabilia verba Optati. Constans

Ath. ad Solit. t. 1. 840.

Impe-

Imperator Paulum & Macarium cum eleemosynis Carthaginem miserat. Ubi ad Donatum venere, ille furore accensus, in hunc sermonem prorupit: *Quid est Imperatori cum Ecclesia?* Ad hæc quid Optatus? *Jam tunc meditabatur contra præcepta Apostoli Pauli, Potestatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. Paulus: Rogate pro Regibus, & Potestatibus, quietam & tranquillam vitam cum ipsis agamus. Non enim Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est; id est, in imperio Rom. . . . Meritò Paulus docet orandum pro Regibus, & Potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret.* Si Episcopi Imperatori vel *gentiliter viventi*, diuturnum precari debent imperium, non igitur illud abdicare debent. Si Ecclesia in imperio est, ergo imperium est Ecclesiâ antiquius, nec ab ea pendet. Audiatur etiam Agathense Concilium pro Rege suo Alarico Arianum agente vota Deo faciens: *Cum in Dei nomine, ex permissu Regis Alarici in Agathensem Civitatem Sancta Synodus convenisset, & in Sancti Andreæ Basilica consedissemus, ibique flexis genibus in terra, pro Regno ejus, pro longævitate populi Dominum deprecaremur.* Profectò Patribus non ea vis fuit hæresis, ut aliquem unquam ne vel privatum, fortunis & honoribus everteret. Baptismum suscepere Hymenæus, Philetus, Simon Magus, Nicolaitæ, neque in hominum ejusmodi bona Ecclesia involavit. Imò Clerus ipse Romanus sua Marcioni sestertia reddidit. Ecclesiæ licebitne in Principes, quod in plebeios non licuit? Ut si à fide recedant, coronâ spolientur. Quasi verò illi qui ante baptismum proprium tenebant imperium, post baptismum illud duntaxat precario possideant, cum bona Pontificis R. venia? Apage insaniam!

Opt. l. 2.

XXX. Certum igitur ratumque sit, Principes sive in fidem, sive in mores peccent, ab Ecclesia moneri posse, Eucharistiâ arceri posse, regnis pelli non posse. Quid si Princeps occupatâ tyrannide, Religionis & Reipublicæ fundamenta in Legibus constituta convellat? Fidentissimè dicam, fortis Ecclesiæ non est abdicandi ferre sententiam. Aurea sunt verba Cypriani ad Demetrianum: *Lædere servos Dei & Christi persecutionibus tuis desine, quos læsos ultio divina defendit. Inde est enim quòd nemo nostrum quando apprehenditur, reluctatur. Nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimius & copiosus noster sit populus, ulciscitur; patientes facit de secutura ultione securitas.* Verissimè Ecclesiæ non vires, sed voluntas, sed jus deerat ad puniendum. Claves Regni Cœlorum non gladium à Christo habet. Pro armis, fide, patientiâ, precibus, lachrymis utitur, Christoque causam suam tuendam præbet. His telis Ambrosius sub sacræ mensæ tegmine recubans, in Justinam Valentinianumque pugnabat, & Deo propitio vicit.

Quid auxilii Ecclesiæ adversus persecutores?

Cypr. ad Demetr. p. 203.

Si Rex igitur autoritate abutitur suâ, in Reipublicæ & Religionis injuriam, non Pontifici R. non Ecclesiæ, quà tali, sed ordinum potestati abdicatio tribuenda; cùm Proceres in ea fœdera non venerint, ut salutem publicam, quæ summa Lex est, patienter obrui sinant. Neque boni Principes id sibi juris unquam assumpsere, ut usurparent, *Si libet, licet.* Servii Tulii gravissima est apud Senatum populumque Rom. concio: *Libenter ex adversariis quærerem, Quam ob injuriam acceptam mihi bellum faciant? Utrùm quod multos sciant me regnante causâ indictâ perditos, aut iniquo judicio misere condemnatos? An verò nullum quidem ejusmodi tyrannidis scelus à me patratum dicere possunt, sed illusam matrimoniorum pudicitiam, aut contumeliose constupratas Virgines, aut aliquod aliud flagitium intemperanter in hominem liberum a me admissum sciunt? Æquum enim est si quid tale patraverim, ut regno priver.* Omnium ore celebratur illud Trajani, cùm Prætorio quemdam præficiebat: *Accipe gladium quem pro me, si bene atque ratione imperavero; sin minus, adversus me distringes.* Utinam, iterumque utinam Theopompi Spartanorum Regis verba & exemplum Principes infigerent animo, quæstio nunquam in judicium deduceretur, num dignitate Reges moveri possint? *Cùm primus instituisset, ut Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri Regiæ potestati oppositi, quemadmodum Romæ Consulari imperio Tribuni plebis sunt objecti: atque illi uxor dixisset, id egisse illum, ut filiis minorem potestatem relinqueret. Relinquam, inquit, sed diuturniorem. Optimè quidem, ea demum tuta est potentia, quæ viribus suis modum imponit. Theopompus igitur, legitimis regnum vinculis constringendo, quo longiùs à licentia retraxit, hoc propius ad benevolentiam civium admovet.* Cedro digna sunt & illa Agesilai: *Princeps verè justèque imperas, quando regitur à Legibus.* At hæc illis non placent, qui imperii infiniti fame laborant, quæ nullis limitibus coërceri potest, quam & sæpius irritant adulatores, quos Principum tyrannos appellare licet, quibus consilium dant, leges & jura susque deque habere, ut ambitionem expleant suam atque avaritiam. Felices Reges, si semper æqui bonique Legibus potentiam suam astringerent. Sic honori terreno, sic æternæ gloriæ suæ consulerent. Felicem Rempublicam, cui Reges nascuntur juri observantissimi, ut justitiâ ipsi regantur, dum subditos regunt. Hinc mutua amoris vincula, quæ nullis casibus divelli possunt.

Dion. Hal. l. 1. 330.

Dio l. 68.

Val. Max. l. 4. c. 1.

Plut. Apoph. Lac. 211.

DISSERTATIO QUINTA.

De Decimis.

I. A Tribunali Ecclesiastico ad Decimas, quæ solvuntur Clericis, idoneus est transitus. Decimarum quas Melchisedeci Pontifici solvit Abraham, adulta Antiquitas, id opinionis Latinorum Evangelicorumque benè multorum inseruit animis, juri non positivo, sed naturali, quod certum, ratum, fixumque est, Decimarum præscriptionem asserendam esse. Quam in sententiam non soli Canonistæ, sed ex nobilissima Ecclesia Anglicana viri illustres, Andræus Lancelot Wintoniensis, Carleton Cestriensis Præsul, Montacutus aliique non pauci loquuntur. Eò provectus est non ignobilis Scriptor, cui Gregorio Willelmo nomen, ut hæc vernaculo scripto prodiderit: *Credo divinum de dandis Clero Decimis mandatum, non minus verum esse, & irrevocabile, quàm necessarium est, Evangelium à Clero Christianis prædicari.* Relictis Theologorum suorum partibus, Baronius volitantibus vexillis transit in castra Canonistarum: *Jure quidem naturæ*, inquit, *quo præcepta moralia sunt servanda, imò & divino, Decimæ debentur, etiam Sacerdotibus Christianæ Religionis.* Eâ imbutus opinione hæc addit: *Sanè quidem per Melchisedec Regem & Sacerdotem, Christianæ Religionis Sacerdotium præfiguratum, & per Abraham qui illi Decimam dedit, laicos omnes adumbratos.* Festivam profectò conjecturam Paulo Apostolo pugnantem, qui non *Laicorum*, sed Cleri *Levitici* decimationem hoc in mysterio quærit: *Et ut ita loquar, in Abrahamo decimatus est ipse Levi: nam is adhuc in lumbis patris erat, cùm occurreret Abrahamo Melchisedecus.*

Wil. de ... r. Eccl. ... c. 7. ... 94.

Bar. An. 57. n. 75. 76.

Hebr. 7. v. 9. & 10.

De variis Hebræorum Decimis.

II. Cæterùm cùm quæstionis cardo in ea re versetur, pars illa proventuum Israeliticorum decima, Levitis dicata, præceptine moralis & perpetui, vel ceremonialis & politici naturam induerit, Decimis explicandis nonnihil est immorandum. Ex Mosis disciplina, Decimas plures Hæbræorum terra solvebat, quæ quatuor Hieronymo numerantur: *Δεκάδα, hoc est, decimam partem omnium frugum Leviticæ Tribui populus ex Lege debebat. Rursum ex ipsis decimis Levitæ, hoc est, inferior Ministrorum gradus Decimas dabat Sacerdotibus, & hæc est quæ appellatur δευτεροδεκάτη. Erant quoque & aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israël in suis horreis separabat, ut comederet eas, cùm iret ad Templum, in urbe Hierusalem, & in vestibulo Templi, & Sacerdotes ac Levitas invitaret ad convivia. Erant autem & alia Decima, quas pauperibus recondebant, quæ Græco sermone appellantur πτωχοδεκάδαι.* Secundæ tamen Decimæ nomen minus aptè accommodatur parti illi quam Sacerdotibus Levitæ tribuebant. Ea potius appellatio convenit alteri proventuum divisioni, quæ primam excipiebat. Neque pauperum Decima reipsâ ab illa sacra differebat, quæ Templi in vestibulo comedebatur: cùm tertio quovis anno pauperibus pars illa relinqueretur, quæ primo, & secundo Hierosolymis consumebatur. Illis itaque temporibus, quibus sacræ Decimæ frugibus eximebantur, nulla fuit πτωχοδέκατος, & vice versâ; ne quis forsan imaginetur tertium quemlibet annum, trium Decimarum vectigalem fuisse. Accuratè igitur dividendo, duæ duntaxat Decimæ erant, prior quæ Clero alendo solvebatur, & posterior, cujus geminus usus fuit; sacer nimirum, cùm Hierosolymam consumenda transferebatur; & communis, cùm pauperi tradebatur. Quibus observatis, non pugnamus quin Decimæ trifariam, & si placet, quadrifariam, distinguantur.

Hieron. in Ezech. 45.

Decimæ Primitias excipiebant.

III. Primam Decimam memorat Moses: *Filiis autem Levi, ecce do omnes Decimas ex Israële, in possessionem pro ministerio ipsorum.* Pars ea tamen de proventibus non ante deducebatur, quàm Primitiæ separarentur, quæ in usum cedebant Sacerdotibus: *Quodvis optimum oleum, & quodvis optimum musti, & frumenti, Primitias eorum quas dederint Jehovæ, dabo tibi.* Itaque egregiè fallitur Philo, qui Primitias cum Decimis permiscet atque confundit: *Omnium*, inquit, *terræ fructuum Decimæ exiguntur, Primitiarum nomine.* Longè sapientior Philone Josephus, qui à Primitiis Decimas accuratè distinguit: *Jussit ut Levitæ, Sacerdotibus Decimarum à populo quotannis acceptarum, Decimas penderent: prætereà ut populus Primitias offerret.* Prima igitur fructuum divisio Primitiis apponebatur, quarum certa ratio relinquebatur hominum arbitrio, teste Hieronymo: *At verò primitiva quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionemque accepimus Hebræorum, non Lege præceptam, sed Magistrorum arbitrio inolitam: qui plurimum, quadragesimam partem dabat Sacerdotibus: qui minimum, sexagesimam. Inter quadragesimam & sexagesimam licebat offerri, quodcumque voluissent. Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter definitur, propter Sacerdotum avaritiam, ne amplius à populo exigant, in Primitiis deferendis, id est, ut sexagesimam partem offerant eorum quæ gignuntur e terra.* Nimirum hæc sanxit Ezechiel ex versione Hieronymi: *Et hæ sunt Primitiæ quas tolletis: sextam partem Epha, de Coro frumenti, & sextam partem Epha de Coro hordei.* Separatis Primitiis, ex frugibus, pecoribusque prior Decima deducebatur, ut Levitis & Sacerdotibus alimento esset, ubicunque locorum degerent. Deinde posterioris Decimæ separatio instituebatur, de qua Mosis verba hæc sunt intelligenda: *Fideliter decimato omnem proventum sementis tuæ, qui provenit in agro quotannis, & comedes coram Domino Deo tuo, in loco quem elegerit ad collocandum nomen suum ibi.* Sanctitatis aliquid posterior ea Decima induebat, ut nefas haberetur, ex ea aliquid in cibum assumere extra locum à Deo constitutum, quò pertinet ipsius mandatum: *Non poterit comedere intra portas tuas Decimas frumenti tui, aut musti tui, aut olei tui, vel primogenita armenti tui, aut gregis, sed coram Domino tuo comedito illam, in loco quem elegerit.*

Num. 18. 2.

Num. 18. 12.

Joseph. Ant. l. 4. c. 4.

Hieron. in Ezech. 45.

Ibid.

Deut. 12. 17.

IV.

Decima pauperum.

Deut. 14. 28.

IV. Tertia Decima in his reperitur: *Tertio anno depromito omnes Decimas proventus tui, & relinquos intra portas tuas, quem venientes Levita, quia non est pars & portio tecum, & peregrini pupillique, & vidua qua sunt intra portas tuas, comedant & saturentur, & benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Nec à vero diffidet Augustini sententia Quæst. super Deuter. libro quinto: *Hinc certè manifestè verum est, non istam Decimam fieri voluisse communem ei qui offert, & his quibus impendenda est.* Ex ea Decima agri Dominus obvio pauperi cuique partem hordei dabat, cabo non minorem, ficuus verò æquantes quinque siclos pondere. Quòd si pauperum numerus non patiebatur divisionem ejusmodi, pauperes ipsi pro rata partem viritim suam sumebant. Ineunte Tisri, qui ex parte Septembri respondet, incipiebat leguminum, segetum, herbarum decimandarum annus: decimo quinto mensis *Shebat*, qui partim cum Januario labitur, principium anni decimationi fructuum dicati cohærebat. Decimarum usum mutare nefas, ne vel sacræ quidem, quamvis Dominorum alimentis inserviret. Nullæ ex ea eleemosynæ domi erogabantur, nulla debita expungebantur, nulli captivi redimebantur. Jubente Deo, in loco sancto sacris epulis consumi debuit.

Decimæ usui erant Ethnicis.

Herodot. Clio.

V. Ex Mosaica disciplina, ritus Decimarum, qui etiam Ethnicis usui fuit, derivatus esse videtur, quas summâ curâ Diis suis solvebant. Id consilii Cræsus Cyro dabat urbes expugnanti: *Siste ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus, qui vetent exportari opes, ut earum Decima Jovi necessario reddantur.* Herculi quoque Decimæ vovebantur. Hinc vel pueris nota verba Ciceronis: *Neque Herculi quisquam Decumam vovit unquam, si sapiens factus esset.* Eâ religione Sylla functus est: *Patrimonii sui universi Herculi Decimam consecrans Sylla, splendidum populo epulum præbuit.* Syllam Crassus imitatione prosecutus est. Apollini etiam Decimas solvebant. Hinc laudata Valerio Max. Matronarum Rom. pietas: *Non ignorabant captis Veis, cùm Decimarum nomine, quas Camillus voverat, aurum Apollini mitti oporteret, neque emendi ejus facultas esset, Matronas ornamenta sua in ærarium retulisse.* Hinc arrepta eruditis occasio statuendi, Decimas juris moralis lege solvendas, utpote quæ Judæorum Ethnicorumque Religionem pervaserunt, quasi uterque populus rationem, naturamque ducem sequeretur.

Cicer. de Nat. Deor.

Plutar. Syl. 474.

Val. l. 5. c. 7.

Decimæ politicis & ceremonialibus præceptis inferendæ.

VI. Verùm rem eam suo momento ponderanti, Mosaica Decimarum præscriptio Legi partim politicæ, partim ceremoniali est vindicanda. Filii Jacobi tredecim familiarum capita constituebant, Ephraim & Manasse in parentis sui Josephi locum substitutis. Inter eas familias Canaan jure œconomico dividi debuit, ut quælibet Tribus partem hæreditatis suam acciperet. Verùm summâ Dei sapientiâ cautum est, ne Levitæ terrenis immorarentur, ut omnes animorum curas in rebus sacris configerent. Aperta sunt verba Legislatoris: *Ministrent Levita ipsi ministerium tabernaculi, & statuto tempore nil habeant possessionis inter filios Israël.* Itaque in sortis quæ Tribui Leviticæ debebatur vicem, Decimæ substitutæ sunt. Quanam ergo de causa pars non decima tertia, sed proventuum decima Levitis assignatur? In promptu responsio est, Legem eam æquitate conditam esse, quia non decimam tertiam duntaxat constituebant familiam, verùm etiam pro tota gente sacris operabantur. Quo nomine mercedis aliquid ipsis solvi debuit. Itaque non fructuum decimam tertiam, quæ ratione decimæ tertiæ Tribus debebatur, sed decimam partem quà sacra familia accepit. Quin etiam Decimarum pars decima decernebatur Sacerdotibus præbenda. Itaque Levitica portio ad undecimam proventuum divisionem restringebatur. Insuper ex belli præda nil fructus ad Levitas redibat, qui tamen longè maximus fuit. Eò referuntur ab Hebræis verba Mosis: *Ne esto Sacerdotibus, Levitis, totique Tribus Levitica pars, & possessio cum reliquo Israële: ex igne absumendis Domino comedunto: quamobrem ne esto possessio ipsis inter fratres suos; Dominus est eorum possessio.* Itaque vapulabat Levita, qui aliquid prædæ sibi vindicabat, quia res non concessas sumebat. Qui enim à Bellonæ negotiis abstinebat, à fructibus militiæ carere debuit, qui pugnantium sanguini & laboribus pretio fuere. Nil ergo juris in bona bello parta habuerunt, quæ aliarum Tribuum fortunas non minimum augebant, ut ex verbis Josue liquet, Rubenitas, Gaditas, dimidiamque gentis Manassiticæ partem sic compellantis: *Cum opibus multis redite in tentoria vestra, cum pecore numeroso, cum argento, are, ferro, vestimentis multis.* Æquo igitur consentaneum fuit, ut pars Levitarum locupletior esset ad resarciendum quod ex præda non habuit.

Num. 18. 23.

Deut. 18. 1.

Jos. 22. 11.

Decimarum mysteria.

VII. Præterea in Decimis mysterii aliquid inerat, quod simul cum Mosaica Oeconomia extinctum est. Quippe non secus ac Sacerdotium Leviticum æternum Christi Pontificatum adumbrabat, sic etiam Decimæ induebant munerum imaginem, quæ Christo Templi cælestis Ministro mittenda sunt ab iis, qui mente, non carne circuncisi, germanos in occulto Judæos exercent. Hinc Paulus in Decimis Melchisedeci ab Abrahamo solutis magnam Regis hujus, qui Christi typus erat, excellentiam deprehendit: *Spectata quantus hic fuerit, cui Abrahamus ille Patriarcha Decimas spoliorum dedit.* Decimarum ergo solutione Israëlitæ omnia sua bona ad Christum Pontificem & Regem suum referebant, eumque ceremoniâ ejusmodi colebant atque venerabantur. Denique Decimis illæ opes significabantur, quibus Fideles affluunt, quos ad Sacerdotale munus Christus evehit. Tribuum sanè omnium longè ditior Leviticâ, quæ decimam proventuum Cananitidis terræ partem habuit, absque ullo sumptu, ne vel unius teruncii ad eam colendam facto: & insuper ex posteriori Decima, sive Hierosolymis consumpta, sive pauperibus erogata, partem sibi aliquam asserebat. Hisce divitiis Deus repræsentari voluit cælestes immensosque thesauros Fidelium, qui in vivo Ecclesiæ templo vera religionis sacrificia perpetrant, corporum suorum precum, laudum oblatione perenni. Quibus Sacerdotibus licet nil terrenæ hæreditatis obtingat, cùm non *sint ex mundo*, illi tamen divitiis æternis abundant: altâ pace animi, quâ conscientiæ morsus omnes extinguntur: gaudio inæstimabili, quo cumulantur: cælesti sapientiâ, quâ mentes eorum imbuuntur, sempiterno gloriæ cursu in vita brevi, & ærumnarum plena. Quas excellentissimas opes Christus suis largitur: *Divitia & honor penes me sunt: melior est fructus meus auro effosso, & quidem purgatissimo, & proventus meus argento lectissimo.*

Hebr. 7.

Prov. 8. 18.

Decimæ non ex jure morali debentur. Nec in N. T. usurpantur.

VIII. His accurate perpensis, non obscurum est Decimas ratione quantitatis habitâ, rebus non naturâ suâ moralibus, sed ceremoniali-

bus inferendas, nec ad eas solvendas obnoxios esse Christianos, qui fœdere Mosaico non obstringuntur. Hac de causa in N. Testamento nullum sanè præceptum de solvendis Clero Decimis, nullum persolutarum exemplum consignatur. Gravissimum certè argumentum adversus Hospinianum, Lancelotium, Evangelicosque illos, qui N. Testamenti plenitudinem venerationi habent: cùm alterutrum ab ipso concedi necesse sit, aut non omnia præcepta moralia Evangelio & Epistolis Apostolicis contineri, aut de Decimis mandatum numero moralium Legum eximi. Apostolorum laboribus mercedis aliquid reddendum esse, Christus edixit: *Dignus est operarius mercede suâ.* In eo fundamento debitum Pastoribus honorarium collocatur. Neque ampliora Episcopis, Presbyterisve, quàm Apostolis constitui præmia debent: viris divino Spiritu afflatis, qui infinitum impenderunt laborem condendæ Ecclesiæ, quam fide imbuerunt, miraculis illustrarunt, suo sanguine resperserunt. Ea verò merces, quam missis in terrarum orbem Apostolis Christus assignavit, Decimas non includebat, ipsis à Judæo, aut Ethnico nunquam solutas. Quas si Petrus habuisset, claudo quem sanavit, dicere non potuisset: *Nec argentum, nec aurum habeo*, cùm ex Fidelium Decimis satis pecuniæ collegisset, ad copiosam eleemosynam. Juris moralis constat Paulum peregrinum, hospitemque non fuisse, cui de Decimis Clero persulvendis nil venit in mentem. Ex bobus, quorum triturantium ora non sunt obliganda: ex militibus, qui propriis stipendiis non pugnant: ex agricolis, qui de plantatæ vitis fructu edunt: ex Pastoribus ovium, qui gregis lacte vescuntur, sua argumenta petit. Quantò facilius juxta & satius fuisset, uno verbo rem expedire, imperatis Decimis? Annon extra modum est absonum, ne minimâ illum voculâ Decimarum meminisse, longèque clarius Judæis quàm Christianis indicatum fuisse, quantum Pastoribus suis solvendum esset? Hanc de Presbyteris legem tulit: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentor: dicit enim Scriptura, Bovi trituranti capistrum non impones; &, Dignus est operarius mercede suâ.* Quæ ad Decimas non quadrant. Constat eo honore, quo Presbyteros qui benè præsunt, afficiendos jubet, stipendia quoque significari. Quòd si Decimas intelligit, geminæ bonis Præsidibus solvi debuere, vel certè Decimis majora stipendia. Hoc voluisse Apostolum quis credat? Vigente Decimarum præcepto, nil loci relictum præceptis ejusmodi: Levitæ qui egregiè funguntur officio, *duplici honore digni habentor*, quia lege fixâ, certâ, ratâque Cananitidis Regionis proventuum pars decima pro alimento Levitis erat: hanc quisque partem sumebat, dum retinebat officium. At si honesta Presbyteris stipendia, infrà Decimas tamen, solvi debent, egregium est prudentiâque conditum Pauli præceptum. Hebræis *duplex* dicitur, quod multum & copiosum est: *Rependam prius duplum iniquitatis & peccati eorum.* De afflictionibus Hierosolymæ Esaias: *Dicite eam accepisse duplum pro peccatis.* Et *duplex* ille Spiritus, quem Elisæus flagitabat, ampla spiritus dona significat. *Duplex* ille honor, quo Paulus Presbyteros cumulat lautè munus administrantes suum, de Dicimis capi nequit. Ex Pauli ergo mandato colligitur, Decimas Ephesinis Presbyteris dicatas non esse; sed honesta solùm stipendia, laborum personarumque habitâ ratione, vario tamen modo esse persoluta, quod in Decimarum usu locum non habet, quas Collegæ æquali divisione inter se partiuntur.

Luc. 10. 7.

1 Tim. 5. 17.

Jerem. 16. 18.

Es. 40. 2.

Decimæ priscis seculis non solvebantur.

IX. Vocem Apostolorum doctrinam Christi sonantem audivimus, Apostolicorum virorum scripta nunc attendamus. Quòd si Decimas nesciunt, certum exploratumque est, præceptis moralibus non inferendas esse: cùm prorsus incredibile sit, felici eo tempore Ecclesiam, cujus & magna pietas erat, & vehemens erga suos Pastores amor, morale præceptum aliquod in oblivionem, vel negligentiam adduxisse. Prodeat ergo Justinus ille Martyr, cujus hæc est pro Christianis Apologia. Quas opes habebat Ecclesia, eas ex Fidelium spontanea liberalitate possidebat: *Qui copiosiores sunt*, inquit, *& volunt, pro arbitrio quisque suo quod visum est tribuunt, & quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur, atque inde opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter morbum aut aliam causam egent.* Justino accedat Tertullianus, cujus acrem in pietatem austeramque disciplinam animum omnes norunt: *Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiamsi quod arcæ genus est, non de oneraria summa quasi redempta Religionis congregat. Modicam unusquisque stipem menstruâ die, vel cùm velit, & si modò possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert.* Decimæ verò quid aliud sunt, quàm *oneraria* summa, ad quam solvendam homines compelluntur, & Ecclesiæ censuris, & Principum edictis. Ignota & Cypriano ad Clericos alendos Decimarum solutio, à quo discimus, sportulas Presbyteris suppeditatas esse: *Cæterùm Presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut ex sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, & divisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Sportulæ cessant ubi Decimæ vigent; & perabsurda fuisset in Clero Mosaico *sportulantium* fratrum appellatio. Sportulâ figurâ synecdoche honoraria salaria designantur, quia in sportulis offerebantur. Eæ sportulæ Decimarum loco erant. Qua de re locus insignis legitur apud Cyprianum: *Qua nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione Clericâ promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis & negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam Decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant.* Sic est, de veris Decimis talem Cyprianus phrasim non adhibuisset *tanquam Decimas.* Germanæ Decimæ non sunt *tanquam Decimæ.* Innuit ergo Cyprianus sportulas Decimarum umbras esse, quia loco Decimarum suppeditabantur, non Decimas.

Justin. Apol. 2. p. 99.

Tert. Ap. c. 39.

Cypr. Ep. 34.

Cypr. Ep. 66.

Primitiæ à Decimis diversæ: à nullis tertio seculo solvebantur.

X. Non negamus pietatis obtentu, labente tertio seculo, hortantibus Presbyteris, Primitias nonnullis Clero oblatas esse. Diserta sunt verba Origenis: *Decet enim & utile est, etiam Sacerdotibus Evangelii offerre Primitias. Ita enim & Dominus disposuit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, & qui altari deserviunt, de altari participent. Et sicut hoc dignum & decens est, sic è contrario indecens & indignum existimo & impium, ut is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit Sacerdotes & Ministros assistere altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deservire, ut de fructibus terræ quos dat Deus, Solem suum producendo & pluvias suas ministrando,* non

Origen. in Num. hom. 11.

non offerat Primitias Sacerdotibus. Non enim videntur ejusmodi animi habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dedit fructus quos cepit. Non faciles tamen Baronio largiemur, quæ de Primitiis dixit Origenes, Decimis esse accommodanda. Id pro jure suo Purpuratus colligit, scribendo: *Origenes, qui hæc habet de Primitiis, ac proinde Decimis.* (*Bar. An. 57.n.78.*) Atqui Primitiæ à Decimis plurimum discrepant, neque ut Primitiarum, sic etiam Decimarum meminit Origenes. Alendo Clero Primitiæ cum sportulis sufficiebant, argumentumque præbebant Dei providentiæ, Solem suum ad fructus edendos, terrarum orbi ministrantis, absque Decimarum auxilio. Neque à Primitiis ad Decimas consequentiam legitimam esse, Baronium docere potuit Canon ille, qui inter Apostolicos quartus numeratur: *Omnis alim fructus domum mittatur Primitia Episcopo & Presbyteris, sed non super altare.* Gangrenses quoque Patres de Eustathianis ea referunt in sua ad Armeniæ Præsules Epistola: *Primitias quoque fructuum, & oblationes eorum, quas Veterum institutio Ecclesiis tribuit, sibimet vindicasse.* De Decimis ne verbum quidem. Verum demus Baronio, ad Decimas perinde atque Primitias solvendas, Christianos ab Origene excitatos esse. Vi Legis cui obnoxia foret Ecclesia, Primitias Decimasque oblatas esse negamus & pernegamus. Liberum pietatis hoc opus fuit, quod perpetratum suâ laude non caruit, omissum censurâ caruit. Sic Hierosolymitanis integrum fuit, domorum distracta pretia ad pedes Apostolorum deponere. Qui eâ liberalitate defungebantur, iis suus sanè honos fuit. Qui temperabant, nullâ pœnâ afficiebantur. Id totum arbitrio voluntatis permissum esse, Petrus ipse docuit, sic perfidum Ananiam compellans: *Nonne si servasses manebat tibi, & venundatum in tua erat postate?* (*Act. 5.4.*)

An Ecclesiæ paupertas solvendis Decimis impedimento fuerit?

XI. Marcus Antonius de Dominis, qui Decimas non jure quidem morali, divino tamen atque perpetuo solvendas esse contendit, ut alto Patrum silentio satisfaciat, ad egestatem confugit, qua Ecclesia persecutionibus vexata premebatur. (*Dom. de Rep. Ec. l.9.c.2.*) Hæc una sanè ratio est explanandæ difficultatis, quam tamen eâ ratione non solvit: cùm absurdum sit, Deum perpetuam Christianis legem imposuisse, cui annis penè tercentum volventibus, obtemperare & obedire impossibile fuisset. Deinde si alendo Clero sportulæ sufficiebant, quidni vel ex pauperibus Decimis nutrimentorum satis habuisset? Verùm ea Ecclesiæ paupertas labente saltem tertio seculo, figmentum est *de Dominis* Veterum monumentis repugnans. Pauperne Carthaginensis Ecclesia, quæ ad redimendos captivos, *sestertium centum millia nummûm* misit? (*Cypr. Ep. 60.*) Hoc est, Gallicarum librarum circiter 9305. Pauperne Ecclesia Rom. quæ teste Cornelio ipsius Episcopo: *Viduas cum infirmis & egentibus plus quàm mille & quingentas* alebat atque fovebat? (*Euseb. H. l.6.c.43.*) Pauperne Ecclesia, quæ imperantibus tyrannis, prædia, hortos, ædes possidebat, quæ omnia vi persecutionis ablata Constantinus restitui voluit, dato ad Anulinum rescripto: *Operam dabis, ut sive horti, sive ades, seu quodcunque aliud ad jus earumdem Ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quantocius restituantur.* (*Euseb. H. l.10.c.5.*) Regnante Diocletiano, antequàm ingens persecutionis procella exoriretur, res Christianæ adeò lætæ erant, ut *Prisca*, & *Valeria*, illa conjux, hæc Imperatoris filia, divinam Christi Religionem profiterentur. Paupertas igitur Ecclesiæ

non impedimento fuit solvendis Decimis, quas Fideles, qui tum temporis magno pietatis amore inflammabantur, Episcopis Presbyterisque libentissimè dedissent, si ad illud officii, perpetuo divinoque, licet positivo mandato se obstrictos esse putassent.

Quarto seculo non ab omnibus, sed à nonnullis Decimæ liberè solvebantur.

XII. Seculo quarto adulto & præcipiti, Decimarum nomen, & res simul in Ecclesiam ingreditur. Virorum quippe illustrium monitis atque instigationibus excitati Christiani complures, decimam proventuum suorum partem Clero suppeditabant. Ut condendis Templis se libenter accingerent, eo ad movendum argumento Chrysostomus utebatur: *Quid enim non erit illic bonorum? Parumne est, oro, torcular benedici? Parumne est Deum ex omnibus frugibus primi partem, ac Decimas accipere?* (*Chrysost. in Act. hom. 18.*) Disertè Chrysostomus, longè disertius Hieronymus: *Quod de Decimis, Primitiisque diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus & Levitis, in Ecclesiæ quoque populo intelligite. Quibus præceptum est, non solum Decimas dare, & Primitias, sed & vendere omnia quæ habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum.* (*Hieron. in Mal. c. 3.*) Non existimamus cum Cabassutio, sermonem, qui de *reddendis Decimis* inscribitur, esse Augustini, cùm tamen Antiquitatis aliquid habeat, utpote qui à Triburiensibus Patribus anno 895. laudetur, ipsius verba fœnerabimus Lectori. Decimas in debitis esse sic statuit: *Quid si diceret Deus, nempè meus es homo, mea est terra quam colis, mea semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, meus est Solis ardor, & cùm omnia mea sint, tu qui manus accommodas solam Decimam merebaris: sed servo tibi novem, da mihi Decimam. Si non dederis mihi Decimam, auferam novem: si dederis mihi Decimam, multiplicabo novem. Si ergo quærit aliquis, cur Decima dentur, sciat quòd ideò danda sunt ut hâc devotione Deus placatus, largius præstet quæ necessaria sunt, & ut Ministri Ecclesiæ exinde relevati, liberiores fiant ad spiritualis servitii expiationem, & ut munus populi exhinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non secundum statuta Canonum, in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiant.* (*August. de temp. Ser. 218.*) Debito religionis officio Decimas solvendas esse, germanus Augustinus arbitratur, & argumento probat: *Exime aliquam partem redituum tuorum, Decimas vis, Decimas exime, quanquam parum sit. Dictum est enim, quia Pharisæi Decimas dabant. Et quid ait Dominus? Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum: & ille super quem debet abundare justitia tua, Decimas dat, tu autem nec millesimam das.* (*August. in Psal. 146.*)

Rationibus ostenditur quarto seculo Decimas more solemni non esse solutas.

XIII. Verùm enimverò Decimarum patronis in locis ejusmodi nil est præsidii. Alia Decima, alia Decimarum necessitas, ex præcepto sive morali, sive positivo, quod tamen perpetuum sit & divinum. Pastorum suorum hortationibus Christianos benè multos dedisse Decimas, labente quarto seculo, existimamus esse verum. Eas vi legis alicujus, sive Apostolicæ, sive Ecclesiasticæ, Clero tribuisse, negamus & pernegamus. Prodeat Constantinus ille Magnus, qui pluribus & beneficiis, & Legibus, de Ecclesia benè meritus est. *Frumentarium Canonem* Ecclesiis dedisse scimus, Decimas nescimus, quarum non secùs ac Canonis frumentarii meminisset Historia. Neque Julianus Apostata Decimas Episcopis eripuit, quod dubio procul fecisset, si more publico tribuebantur. Constantini

tini quidem Frumentarium Canonem abstulit, quem Jovianus restitui voluit: *Quoniam verò fames ob impietatem Juliani exorta, tributariam functionem exigi non sinebat, tertiam partem annonæ Constantinianæ Jovianus tunc præberi jussit.* Quis sibi inducat in animum, in Constantini gestis de Decimarum aut largitione, aut exactis persecutionibus restitutione ne verbulum quidem unum reperiri, si solemni in usu fuissent? De Antistitum Romanorum opulentia hæc Am. Marcellinus habet: Episcopatus honorem adepti, *futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus Matronarum, procedantque vehiculis circumspectè vestiti.* Cur de Decimis silet, ex quibus major Episcopis R. securitas & divitiæ nascebantur, quàm ex oblationibus Matronarum? Nempè usus Decimarum in publicos Ecclesiæ mores nondum recipiebatur. Denique frequentia quarto seculo Concilia celebrata sunt, in quibus de Decimis ne vel Canon unus extat, vel excitans ad solutionem, vel objurgans avaros, qui ab ea temperarent, cùm ex illo tempore, quo scitis Ecclesiasticis Decimæ necessitatem induerunt, frequentia in Synodis decreta circa Decimas reperiantur.

Theodorit. h. l. 4. c. 4.

Marcel. l. 27. 361.

Ex Patribus Decimas à paucis datas esse probatur.

Chrysost. in 1 Cor. hom. 43.

XIV. Quid argumentis opus? In publicam Decimarum consuetudinem, atque necessitatem, excitentur illi ipsi testes, qui ad illas solvendas vehementioribus monitis Christianos hortabantur. Quos sic compellat Chrysostomus: *Opifex, utpote calceorum consarcinator, aut sutor, aut faber ærarius, aut quivis alius artifex, cùm aliquid vendiderit ex his quæ sua arte fiunt, det Deo Primitias pretii; ibi parvam partem dejiciat, & ex minori parte cum Deo partiatur. Neque enim magnum quid peto, sed tantum quantum Judæorum infantes, & mille malis pleni; tantum nos qui Cœlum expectamus faciamus. Hæc autem dico, non Legem ferens, neque prohibens ne plus eroges, sed æquum censens ut non minus deponas, quam partem decimam.* Non præcepta Dei urget Chrysostomus, non publicam Ecclesiæ Legem, privatum de æquo & bono quod sibi videbatur judicium affert, cui si quis minimè obtemperabat, non ideò ut contumax sacris arcebatur. Illustrior est Augustini locus, quàm ut silentio prætereatur, hæc in Urbicum Romanæ disciplinæ amantissimum torquentis: *Potest etiam illos qui omnium fructuum suorum Decimas dant pauperibus cum Pharisæo damnari, quia hoc quoque ille inter sua opera prædicabat, quod cupimus à multis fieri Christianis, & vix paucissimos invenimus.* Cui accedit locus alius laudato geminus: Pharisæus *super quem debet abundare justitia tua, Decimas dat, tu autem nec millesimam das.* Quibus luce clarius est, Decimas à paucis solvi, proindeque non præcepti, sed consilii fuisse, cui absque ulla Ecclesiæ censura non obedire licuit. Quis *paucissimos* repertos fuisse credat, qui Decimas solverent, si autoritate Ecclesiæ publicâ, aut divino jure constituerentur? Hodierna Christianorum pietas non est supra Antiquorum religionem. Nullus tamen Episcoporum queritur, nunc cum Augustino *vix paucissimos inveniri* Decimarum largitores. Cujus discriminis causa hæc est: quæ libera olim fuit Decimarum solutio, hodie incidit in necessitatem Ecclesiæ autoritate munitam.

August. Epist. 86.

Aug. in Psal. 146.

Regnante Justiniano nulla Decimarum necessitas.

XV. Sextum seculum labebatur imperante Justiniano, cùm Decimæ libertatem adhuc suam retinerent, quod apparet atque promptum est ex Novella tertia: *Compertum habemus, Sacrosanctam hujus Regiæ urbis majorem Ecclesiam, nostri imperii matrem, per hanc occasionem tam magno alieno ære inquietari, ut singulatim erogationes in reverendissimos Clericos aliter facere nequeant, nisi prius immensam auri vim partim sub obligatione Hypothecarum, partim donatione pignorum, in præstantissimis ejus prædiis & suburbiis mutuò desumat.* Hinc liquidò constat, non proventuum Decimas, sed sufficientem Clero stipendiorum erogationem decerni. Quod si majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyteris more solemni & publico Decimæ suppeditabantur, incredibile est, illustrem Ecclesiam eò calamitatis incidisse, quæ à Justiniano pingitur.

Anno 585. Decimarum inducta necessitas.

Matisc. 2. c. 5.

XVI. Tandem quæ rudia in Ecclesiæ furum Patres famâ insignes obtentu pietatis semina mandaverant, sensim sine sensu adolescentia Decimarum necessitatem edidere, anno quingentesimo octogesimo quinto, quo Synodus Matisconensis secunda est celebrata: *Leges Divinæ consulentes Sacerdotibus ac Ministris Ecclesiarum, pro hæreditatis portione, omni populo præceperunt Decimas fructuum suorum locis sacris præstare, ut nullo labore impediti, horis legitimis, spiritalibus possint vacare ministeriis. Quas Leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas. Nunc autem paulatim prævaricatores legum, penè omnes Christiani ostenduntur, dum ea quæ divinitùs sancita sunt adimplere negligunt. .... Unde statuimus & decernimus, ut mos antiquus à Fidelibus reparetur, & Decimas Ecclesiasticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat, quas Sacerdotes aut in pauperum usum, aut in captivorum redemptionem prærogantes, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrent.* Quo Canone apertè liquet, paucos in Gallia Decimas præbuisse Clero. Quarum necessitatem ut imponerent Matisconenses leges, longis temporibus observatas prædicant, quas neglectas, & ferè ab omnibus oblivioni datas, renovari statuunt. Ubinam verò Leges ea de re sancita reperirentur, neque dicunt, neque dicere potuissent. Eo Canone constat, eruditum Du Pin egregiè falli, qui Decimarum necessitatem assignat seculo *septimo*, eoque jam adulto. Sub ea fortè tempora impostor *Clementis* nomine, Matthæum inducit Apostolum, qui de solvendis Decimis Leges ferret. Exemplo Matisconensium secuta Concilia Decimis necessitatem imposuere, quam Edictis quoque suis Reges sanxere. Hinc Caroli M. Capitulare anno 789. conditum, *Ut Decima detur Ecclesiis de omni re, quæ ad Fiscum pervenerit.* Neque decimam laborum partem oneris hujus immunem esse voluit, quod capite 17. constituitur: *Secundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem substantiæ & laboris sui Ecclesiis & Sacerdotibus donent, tam nobiles quàm ingenui, similiter & liti, juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant.*

Argumenta pro necessitate Decimarum.

XVII. Quin pietatis specie aliquâ permoveantur illi, qui Decimarum necessitatem urgent, nulli dubitamus. Judæorum exemplo excitantur, qui Levitis Decimas assignarunt. Adducunt sibi coram oculis factum Pharisæi, vel olera sua decimantis. Hinc argumentum Augustini: *Pharisæi Decimas dabant, & quid ait Dominus? Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Ex quibus colligit Sanctus ille Pater, Decimas Christiano solvendas esse. Hinc

Hiero-

Hier. in Malach. c. 3.

Hieronymus præceptum fabricat: *Populis præceptum est, non solùm Decimas dare & Primitias, sed & vendere omnia quæ habent & dare pauperibus.* Hinc larvatus Augustinus, de laboribus Decimas imperat: *De militia, de negotio, & de artificio redde Decimas.*

Aug. de Temp. Ser. 218.

Ne ergo Christiani justitiâ à Pharisæis superarentur, & proventuum & laborum Decimas mandari placuit. Verùm enimverò non semel deprehendimus, illos quorum acres sunt in pietatem stimuli, ejus transire lineas; gravia conscientiis mortalium onera imponere: scrupulos animorum tranquillitati injicere; libertatem quam Deus indulsit eripere, inductâ necessitate, quod & in Decimis contigisse perspicuum est. Equidem, si illæ solvendæ sunt, ne Pharisæis simus inferiores justitiâ, consequens fit, omnes eos qui dandarum immunitatem sibi dedere, à regno Coelorum alienos esse. Atqui fatente Augustino, qui Decimarum officio fungebantur, extitere *paucissimi*, qui ad inferos detrudi deberent, quod est dictu horrendum. Scilicet vir voluptatum & vitiorum inimicus, mysteriorum fidei tenacissimus, pauperum studiosissimus, quia Decimas bonorum suorum non erogavit, ad quarum solutionem, Lege sive Evangelicâ, sive Ecclesiasticâ non astrictum se censuit, in flammas æternùm cruciandus projicietur. Spes quidem ei veniæ nulla relinquitur, si Decimæ divino mandato præcipiuntur, vi constitutionis Jacobææ, *Qui deliquerit in uno, reus est omnium.* Apage crudelem sententiam!

Solvitur Augustini ratio pro Decimarum necessitate.

XVIII. Ad argumentum igitur Augustini, in quo Decimarum patroni exultant atque triumphant, sic respondemus. *Justitia* bifariam spectatur, *habitus* nimirum, vel *objecti* quod amplectitur, respectu. Priori quidem ratione, Christianorum justitia illam non Pharisæorum duntaxat, quæ externa, non genuina, fucata, non candida erat, sed & Judæorum fidelium eminere debet. Nempe in excellentiori Oeconomia fundatur & extruitur Evangelii disciplina: melioribus exemplis animos excitat, præstantioribus incentivis pietatem alit. Nec ideò tamen consequens est, Christianam justitiam tot objecta, tot mandata specialia amplecti, quot Judaicam; quæ ad politica cæremonialiaque præcepta extendebatur, quorum observatione libertas Evangelica, & indulgentia nos solvit. Alioquin ne longè nobis excellat in aliqua re Hebræorum pietas, quotannis gemina quoque Decimæ suppeditandæ; arvorum anguli non sunt falce amputandi; pars massæ nostræ dum subigitur, Clero est consecranda; septennio quovis prædiorum proventus pauperibus communis esse debet. In actibus ejusmodi Hebræorum se pietas ostendebat. En quò nos perducit stricta, nimisque vehemens Chrysostomorum, Augustinorum, Hieronymorum Religio, ne superstitio vocetur. Justitia ergo Christianorum sanctitatem Judæorum superabit, si ex constanti sinceraque fide oriatur; si Deum non beneficiorum terrenorum causâ, sed propter summam ipsius & bonitatem, & excellentiam amet; si Presbyteris honesta stipendia tribuat; si pauperibus tantum eroget quantum necessarium est eis alendis; si alacriter, prompto lubentique animo officiis fungatur suis. Quibus observatis, non erit infra Judæorum justitiam, licet Decimam prædiorum, vel laborum partem non solvat. Quod à multis sanè fieri non potest, absque familiæ suæ detrimento. Ac ut illis faciles laudem conciliamus, qui spontaneâ charitate decimam facultatum suarum partem alendis pauperibus, cùm licet, impendunt, sic probare illos non possumus, qui ad illud officii obnoxios se arbitrantur vi divini præcepti. Cùm eâ ratione necessitatem pietati imponant, absque ullâ Scripturæ autoritate; falsum inferant Religioni; laqueos conscientiis injiciant, quæ parto Christi sanguine, libertate frui debent; eo autem revocato quasi cæremoniarum Mosaicarum jugo destoratur. Rectè Bellarminus de Canonistarum, quæ Baronii etiam sententia est, sic pronuntiat: *Facillimè convinci potest erroris.* Quibus Rigaltii verba addi placet: *Exolescente Sportularum honore intravere in Ecclesiam Decimæ Religionis obtentu. Ac primò quidem spontaneâ liberalitate, quasi sportulis haud sufficientibus oblata, mox avarè & crudeliter exacta.*

Rig. in Cypr. Ep. 66.

Jure duntaxat Ecclesiastico eoque novo Decimæ debentur.

XIX. Ut nostræ disputationi finis imponatur, breviter de Decimis sic censemus. Jure quidem rationis, quod nullo refigi modo potest, Ecclesiæ Pastoribus honesta stipendia debentur. Nec conscientiæ modò, sed Scripturæ quoque tabulis ea Lex inscribitur: *Dominus constituit iis qui Evangelium annuntiant, ut ex Evangelio vivant.* Ut verò Decimæ quotannis suppeditentur, nec Evangelii, nec rationis, nec seculorum Apostolicorum autoritate definitum esse putamus.

1 Cor. 9. 14.

Utroque pollice verbis Aquinati suscribimus, quæ immeritò Baronius damnat erroris: *Dicendum quòd Decimæ in V. Lege dabantur ad sustentationem Ministrorum Dei. Unde dicitur Malachiæ 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea. Unde præceptum de solutione Decimarum partim quidem erat morale, inditum naturali ratione; partim autem erat judiciale, ex divina institutione robur habens. Quod enim eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat, sicut & his qui communi utilitati invigilant, scilicet Principibus & militibus, & aliis hujusmodi, stipendia debentur à populo. Unde & Apostolus hoc probat, primâ ad Corinth. c. 9. Per humanas consuetudines. . . Sed determinatio certæ partis exhibendæ Ministris divini cultus, non est de jure naturali, sed est introducta institutione divinâ, secundum conditionem illius populi, cui Lex dabatur, qui cùm in duodecim Tribus esset divisus, duodecima Tribus scilicet Levitica, quæ tota erat ministeriis divinis mancipata, possessiones non habebat unde sustentaretur. Unde convenienter institutum est, ut reliquæ undecim Tribus decimam partem suorum proventuum Levitis darent, ut honorabilius viverent. . . Verùm quantum ad determinationem Decimæ partis, erat judiciale, sicut & alia multa specialiter in illo populo instituta erant ad æqualitatem inter homines ad invicem conservandam, secundum populi illius conditionem.*

Thom. 2. 2. Q. 87, a. 1.

Verissimè, rem ipsam quod attinet: in eo tantùm fallitur Thomas, quòd *undecim* duntaxat Tribus numeret, seclusâ Leviticâ, cùm adhùc duodenarius numerus constaret, familia Josephi in Ephraiticam & Manassiticam divisa. Æthiopicæ Ecclesiæ & antiquæ, & magnæ nil Decimarum solvitur, teste Zaga Zabo, cujus verba sunt: *Ecclesia nullas habet Decimas, nec accipit.* Argumento atque indicio Decimas neque morali, neque divino jure deberi, quod Æthiopibus non oblivioni datum fuisset.

DISSERTATIO SEXTA.

De sacris Virginibus.

I. BAronio duce Claustra Virgioum iogredimur, ad ipsorum Aotiquitatem reperiendam, quam cum ætate Apostolorum conjuoctam fuisse, Latinorum plures existimant. Baronium audiamus: (Bar. An. 57. n. 55.) *Statim igitur ut Sancta Ecclesia fertilissimus ager sanctum Virginitatu & continentia semen except, Apostolis seminantibus, mox amplissimo fænore multiplicata germina reddidit. Nam statim Sanctarum Virginum ac viduarum collegia, qua nos Monasteria dicimus, esse cœperunt.* Quam & Monasteriorum Antiquitatem Pamelius videre sibi visus est io verbis Tertulliani, (Tert. de Vel. Virg. c. 1.) *Viderit ipsum continentia totum.* Hunc deinceps errorem argumentis opprimemus. Verùm quæstiones nonoullæ prius agitandæ sunt, quibus de Virginitate materia non minimum illustrabitur, Baroniique errorea refellentur, quos non vidit Pagius, aut visos certè dissimulavit.

(Nùm virilis Virginitas Romanis in pretio fuerit?) II. Ac primum quæritur, nùm ubique locorum Virginitas perpetua in pretio fuerit? Quærenti sic respondet Barooius: *Illud certum atque exploratum habetur, non in Christi Ecclesia tantùm, post Evangelii promulgationem, sed & anteà atque adeò ubique gentium Virginitatem in pretio fuisse habitam.* (Bar. An. 57. n. 58.) *Certè apud Romanos, ut omittamus de Vestalibus dicere, Augustum constat ees qui perpetuam Virginitatem excolerent, Autore Dione, summis affecerit pramiis.* Quæ noo sunt accuratè & cogitatè scripta, cùm non de *virili*, sed de *muliebri* Virginitate Dio loquatur: (Dio l. 56. p. 578.) *Cùmque Lege Voconiâ mulieribus prohiberetur, ne qua majorem centum millibus nummûm hareditatem posset adire, eâ quoque Lege quasdam solvit, & illis qua perpetuam Virginitatem servarent, eadem qua matribus pramia largitus est.* Constat igitur mulieres à Baronio in viros esse mutatas. Deinde probabile est admodum, Augusti Legem ad Vestales pertinuisse, cùm aliarum in urbe Virginum perpetuum Cœlibatum colentium, historia Rom. sit peregrina. Ex Suetonio discimus, Romanorum compluribus displicuisse, quòd ipsorum filiæ Vestalium collegio ascriberentur, Augustumque multa eis privilegia contulisse, ut cælibem libentius vitam agerent: (Suet. Aug. c. 41.) *Sacerdotum sed & commoda auxit, pracipuè Vestalium Virginum, cùmque in demortua locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent, adjuravit, si cujusquam neptium suarum competeret atas, oblaturum se fuisse eam.* Capite quoque 44. *Solis*, inquit, *Virginibus Vestalibus, locum in theatro separatim, & contra Pratoris Tribunal dedit.* Explicationi nostræ multum & lucis fœnerat insignis Dionysii Halicarn. locus, de Vestalibus, earumque privilegiis: (Dion. l. 2.) *Vestales ob multitudinem sacrorum qua peragunt, ad senarium numerum aucta, in eodem numero ad nostra usque tempora permanent, & in Dea fane degunt, unde interdiu nullus qui ingredi velit arcetur. Sed nulli mari illic pernoctare fas est. Oportet autem illas puras à nuptiis manere, per integros triginta annos sacra facientes, & reliquas ceremonias de more peragentes. Quo tempore decem primis annis eas mysteria discere oportebat, decem sequentibus sacra facere, reliquis verò annis alias docere. Honores autem illis à Civitate delati sunt multi & insignes, quarum causâ, neque liberorum, neque nuptiarum desiderium eas subibat.* Viderit ergo Baronius, quos homines seu viros, seu mulieres præter Vestales, Augustus propter Virginitatem summis præmiis affecerit.

III. Tractatam quæstionem alia proximè excipit, nùm *ubique gentium* perpetua Virginitas in pretio fuerit? (Nùm ubique locorum perpetua Virginitas in pretio?) Ait Baronius, nos negamus. Judæis quidem, penes quos ante promulgatum Evangelium Ecclesia constituebatur, perpetua, sive virilis, sive muliebris Virginitas laudi non erat. Pharisæi durum vitæ genus tenuere, qui tamen perpetuam sibi venerem noo abdicabant. De quibus Epiphanius: (Epiph h. 16. p. 33.) *Quidam enim cùm suas illas exercitationes adhiberent, decem vel octo, vel quatuor annorum sibi spatia prafigebant, quibus Virginitatem aut castimoniam colerent. Hoc tempus continuis precibus traducebant.* Exacto eo spatio, nuptias prolis causâ contrahebant, quod de Josepho Historico Pharisæum agente palam est. Perpetuam sanè Virginitatem colere debuissent Pontifices Max. atque Prophetæ, quos tamen uxorum notitiam habuisse constat. Pars Essenorum aliqua sola cœlibem vitam ducebat, non tam Virginitatis amore, quàm quòd de fide uxorum malè existimabant. Parentibus autem apud Hebræos maxima cura fuit virgines suas collocare nuptum. Quò verba Paulina forsan referri debent: (1 Cor. 7. 37.) *Caterùm si quis sese existimat aliquid indecorum in virginem suam committere, si florem atatis excedat, & ita debet fieri, quod vult faciat, non peccat, jungantur matrimonio.*

(Metam. l. 1.)
Sapè pater dixit, Generum mihi, filia, debes:
Sapè pater dixit, Debes mihi, nata, nepotes.

Nobis sanè Aquinas assentitur: (Thom. Sum. p. 3. Q. 28. a. 4.) *Quia tempore Legis oportebat generationi insistere, tam mulieres, quàm viros, quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur, mater Dei non creditur antequam desponsaretur Joseph, absolutè virginitatem vovisse.* Cum illa Judæorum opinione laua perpetuæ Virginitatis non consentit, neque ipsi Mariæ prius placebat, quàm se Messiæ matrem futuram esse ex Angelo disceret. Itaque sponsum Josephum acceperat, in nuptiarum opus ventura postmodum, nisi à Deo prohiberetur. Sed nec sibi Baronius consentit, qui de Hebræorum more sic statuit: (Bar. App. n. 47.) *Vigebat tunc & apud Judaos consuetudo, cùm filia ipsorum adulta essent, eas nuptui tradere, vertebaturque ignominia si quis aliter faceret, & postquam adulta esset, expectaret ut esset superadulta.*

Neque magis Spartanis probabatur perpetua Virginitas. Hinc percunctanti alicui, cur corpora virginum, cursu, luctâ, disci, & jaculi jactu exercerentur, respondit Lycurgus: *Ut in valido corpore fetus validas agens radices, pulchrè adolescat, ipsaque deinde mulieres robore in partu freta, dolores facilè sustineant, atque superent,*

utque

atque si ita necessitas postulet, pro se, suisque liberis, & Patria possint pugnare. Accuratè etiam providerat Lycurgus, ut Lacædemonii liberis procreandis darent operam, utpote qui *cælibes, & gymnicorum ludorum spectaculo, & honore, & cultu quem senioribus adolescentes debent, privavit.* Quin etiam coactam apud Romanos, nec spontaneam esse Vestalium Virginitatem, magno indicio est sors adhibita, ut defunctæ, alia Vestalis sufficeretur. Hinc Suetonio scriptum, multos ambiisse, *ne filias in sortem darent.* Quod signum non præbet mentis inclinatæ in laudes Virginitatis perpetuæ.

Plut. Lac. Apophe. p. 227.

Suet. Aug. c. 41.

Errores Baronii de Virginitate circa Ebionem & Evangelicos.

IV. Cæterùm ex aliis erroribus novam Baronius refutationi materiam offert. Mente paulò commotior in Evangelicos hæc scribit: *Qui igitur Virginitatis sublimem in Ecclesia statum impugnant, eos non Apostolorum, vel Apostolicorum virorum, sed Ebionis, atque ejus gregalium partes tenere quis dubitat?* Hem Ebionis partes sequitur? Ergone Ebion ejusque discipuli Virginitatem impugnabant? Dicat Epiphanius, qui fœdum testimonio suo Baronii lapsum aperit: *Olim de Virginitate Ebionæi gloriari solebant, nimirum ob Jacobum fratrem Domini, adeòque libros suos ad Seniores, & Virgines inscribunt.* Quam laudibus cumulabant, Virginitatem sanè non spernebant. Neque in eam, quam honore dignam existimant Evangelici, se adversarios intendunt, uti Baronius opinatur. Absit, iterumque absit, Virginitatis laudes ab illis deteri, qui à Paulo moniti didicere, *Quæ est cælebs, solicita est de iis quæ sunt Domini, ut sit sancta, cùm corpore, tum spiritu; quæ verò nupta est, de iis quæ sunt mundi.* Egregiæ Nazianzeni sententiæ non inviti laudes contribuimus: *Bonum est matrimonium, sed quòd Virginitate præstantius sit, dicere non possum. . . Quæ sub jugo est, aliqua ex parte Christi sit, quæ Virginitatem amplexa, tota Christi fit.* His etiam Isidori Hispalensis lubentes subscribimus: *Sic laudanda Virginitas, ne nuptiæ condemnentur. Oportet enim non damnare quod bonum est, sed suadere quod melius est. Ante adventum quippe Christi conjugia placuere Deo, post adventum ejus Virginitas. Prima enim Dei sententia, crescere & germinare præcepit. Secunda sententia continentiam suasit.*

Bar. An. 57. n. 57.

Epiph. h. 30. n. 2.

1 Cor. 7. 34.

Naz. Or. 31. 502.

Isid. de Eccl. Off. l. 2. c. 17.

Nimiæ Virginitatis laudes improbandæ.

V. Non igitur perpetuæ Virginitati adversamur: verùm non faventibus auribus nimias ejus laudes audimus, quasi in ea flos cumulusque pietatis consisteret. Hæccine exaggerata Isidori oratio probanda est? *Quantum verò ad N. Testamentum virorum Virginum caput est Christus, fœminarum Virginum caput est Maria, earum nutrix.* Ergone matrimonio conjuncti Christo capite carent? Nùm Corinthiis Virginibus Paulus Mariam in caput imposuit? Cur igitur altâ contentâque voce clamat: *Cùm dicit aliquis, Ego quidem sum Pauli, alter verò, Ego sum Apollo, nonne carnales estis?* Si Sanctimonialibus Virgo quasi Regina præficitur, quidni Paulus Cœli ad usque fastigia evectus, Corinthiorum caput existimari potuit? Docuitne nos Scriptura, gemina esse Ecclesiæ capita; alterum virorum, fœminarum alterum? Ut Paulus Christi Minister est, sic Maria *Domini ancillam* agit, quocircà Virgines omnes & viri, & fœminæ Christum unum Regem & caput patiuntur. Itaque Tertulliano Virgines non Mariæ, sed solius Christi ancillæ sunt: *Tantò magis*, inquit, *libera, quantò Christi solius ancilla.* Exspatiatur & Cyrillus Virginitatis in laudes: *Virginitatis æqualis Angelis dignitas.* Magnum sanè Virginum privilegium, quo vilis mortalis corpusculum mortale, & carnis motibus obnoxium, de gloria cum ipsis certare Serafinis sibi videre potest. Neque sapientius aut verius est Sulpitii de Virginitate elogium: *Beata species, & Deo digna, nihil enim Virginitati est comparandum.* Nihilne? Atqui monitore B. Paulo putabamus Virginitati antecellere charitatem, virtutum Reginam, vivam expressamque Dei imaginem. Maxima autem charitas à Virginitate divelli potest. Id ergo arbitramur,

De Eccl. Off. l. 2. c. 17.

Tert. de Vel. Virg. c. 3.

Catech. 7. 63.

Sulpit. Dial. 2.

Adprime in laude esse utile, ut ne quid nimis.

Vera sinceraque Virginitas præmia sua ferat, ne sint tamen ipsius excellentiâ majora, quasi clementiam, justitiam, patientiam, longo intervallo superaret.

Quid Virginitas? Num ex se sit virtus?

VI. Porro ut nobilis fusaque ad dicendum materia magis illustretur, operæ pretium est agnoscere, virtutibusne Virginitas sit inferenda, & quomodo matrimonio præstet. Ut prior quæstio rectè definiatur, afferenda est Virginitatis descriptio. Quid rei sit Virginitas, non incommode Thomas explicat: *Virginitatis virtus non modò in carnis integritate, sed magis in perpetuo proposito abstinendi se à quacunque venereorum delectatione consistit. Quia ergo Virginitas dicitur, per remotionem prædicta corruptionis, consequens est quòd integritas membri corporalis, per accidens se habeat ad Virginitatem. Ipsa autem immunitas à delectatione, quæ consistit in seminis resolutione, se habet materialiter. Ipsum autem propositum perpetuò abstinendi à tali delectatione, se habet formaliter, & completivè in Virginitate.* Virginitas igitur ex se, naturaque sua, mentis est, non corporis, quod & Augustino observatur, dum contendit Virgines quæ alienam vim in oppresso corpore passæ fuerant, pudicitiam retinuisse: *Neque enim eò corpus sanctum est, quòd ejus membra sunt integra, aut eò quòd nullo contrectantur attactu, cùm possint diversis etiam casibus vulnerata vim perpeti: & medici aliquando saluti opitulantes, hæc ibi faciant, quæ horret aspectus. Obstetrix Virginis cujusdam integritatem, manu velut explorans, sive malevolentiâ, sive inscitiâ, sive casu, dum inspicit, perdidit. Non opinor quemquam tam stultè sapere, ut huic perisse aliquid existimet etiam de corporis sanctitate, quamvis membri illius integritate perditâ. . . An verò aliqua fœmina, mente corrupta, violatoque proposito, quod Deo voverat, pergat vitianda ad deceptorem suum, adhùc eam pergentem, sanctam vel corpore dicimus, eâ sanctitate animi, per quam corpus sanctificabatur, amissa atque destructa? Absit hic error.* Neque ab illa Augustini variat Hieronymi sententia Eustochium docentis, ad custodiendam Virginitatem hominum colloquia esse fugienda: *Nec dicat, illa & illa suis rebus fruitur, honoratur ab omnibus, fratres ad eam conveniunt, & sorores. Nùm quid ideò Virgo esse desiit? Primum dubium est, an sit Virgo talis: non enim quomodo videt homo, videt Deus. . . Dehinc etiam si corpore Virgo est, an spiritu Virgo sit nescio? Apostolus autem ita Virginem definivit, ut sit sancta corpore, & spiritu.* Hinc dictum Hieronymi continentiam difficilem esse: cùm proclive sit corporis integritatem tueri, non item mentis pudicitiam, quæ multis cogitationibus aufertur, non vigilanti modò, sed vel etiam dormienti. Mentis ergo Virginitas sola est, cui virtutis ratio ascribi potest,

Thom. 2. 2. Q. 152. a. 1.

Aug. de Civit. l. 1. c. 18.

Hier. Ep. 22. c. 17.

potest, cùm virtus omnis sit animi affectus. Neque propositum à re venerea abstinendi satis est ad virtutem, cùm apud se illud constituere quis possit, vel immensâ laudum cupidine, vel ut se à nuptiarum incommodis atque laqueis expediat, vel ut Numinibus inserviat. Quo casu illud voluntatis propositum virtutum numerum non auget. Accedat ergo proposito finis honestus necesse est, nempe ut animus melius sacris pietatis operetur pleniusque Deo fruatur. Secus in proposito nudo temperandi à delectatione venerea, virtutis aliquid non magis inest, quàm in voluntate respuendi gratum alimenti alicujus saporem, quod sanitatis tuendæ causâ, absque ullo prorsus virtutis vestigio perpetrari potest. Ubi verò finis honestus propositum Virginitatis exornat, tum in ejusmodi habitu referri potest, qui non ex sese & natura sua, sed aliunde, & *κατὰ συμβεβηκὸς* boni sunt & laudabiles. Quæ si attentis animis attenderent, Virginitatis ad Cœlum usque præcones, eam tot encomiis non onerassent.

Virginitas ex se & natura sua non est virtus.

VII. Sic igitur censemus, atque iterum dicimus: Virginitas ex se spectata, virtutis naturam non induit, neque actus est simpliciter honestus, quomodo aut injuriæ condonatio, vel eleemosynæ erogatio, quæ ex solis circumstantiis bonitatem amittunt suam. Actus est vitium inter & virtutem medius, cui perinde atque ciborum abstinentiæ, externa bonitas supervenit. Quod multis, nec inertibus argumentis demonstramus. Virtus habitus est inter duo vitia medius, quorum alterum in defectum, alterum in excessum vergit. Hinc Horatius:

Hor. l. 1. Sat. 1.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit, consistere rectum.

Plut. de Virt. Mor. p. 444.

Hoc & secundum Aristotelem Plutarchus docuit: *Hoc rationis, actiones ad præscriptum naturæ dirigentis, opus est, affectus animi, ubi ultra citrave modum se incitando, in peccant, ad mediocritatem revocare. Ad hunc itaque modum, ratio motus appetitionis definiens, morales in homine virtutes gignit, quæ sunt inter nimium & parum, à bruta animi parte proficiscens.* Quæ virtutis descriptio Virginitati non competit, quæ inter vitia media non est, cùm matrimonio opponatur, rei utique sanctæ, & laudabilis. Præterea id virtuti innatum est, atque insitum, ut rationis ad regulam perpetuò dirigatur. Itaque Clementi Alex. placet ea virtutis descriptio: *Virtus est animæ continua, & congrua affectio, quæ rationi subjicitur per totam vitam.* Sic est, virtus nunquam caret laude suâ, quia semper ad recti, decentiæque regulam quadrat. Jam verò perpetua Virginitas cum ratione non semper conjungitur, cui in statu naturæ constituendæ pugnabat, ubi Adamo nuptiarum experti vivere non licuit. Neque etiam in Abrahamo, cæterisque Patriarchis laudabilis Virginitas, quæ J. C. natalibus, Ecclesiæque amplificationi fuisset impedimento; quod vel maximi Virginitatis laudatores faciles profitentur: *Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Joanne, qui passus non est, sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios genuit. Nam illius cælibatus, & istius connubium, pro temporum distributione, Christo militaverunt. . . Esse autem castus sine conjugio potuit, sed non oportuit.* Similiter Hieronymus id Joviniano largitur: *Quis ignoret, sub alia dispensatione Dei omnes retrò Sanctos ejusdem fuisse meriti, cujus nunc Christiani sunt.* Quod si propositum abstinendi à venere, naturâ suâ virtus est, capi animo non potest, quomodo Patriarchæ, qui connubia contraxere, & Christiani qui vitam nuptiarum expertem ducunt, *ejusdem essent meriti*, cùm bonum Virginitas additâ virtute æqualitatem tolleret. Neque etiam concipi potest, germanam virtutem eam esse, quæ in Patriarchis cum recta ratione pugnasset. Sit ergo Virginitas virtus ex additis circumstantiis, cùm eo videlicet consilio suscipitur, ut curis solutus & molestiis, quibus matrimonium impeditur, animus liberius Deo serviat. Id sibi vult Apostolus dicens, *Velim autem vos absque sollicitudine esse. Qui cælebs est, sollicitus est de iis quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino. At qui ducit uxorem sollicitus est de iis quæ sunt mundi.* Hinc liquet, Virginitatem vel in ipso mentis proposito, ex charitatis & religionis imperio ad gradum virtutis evehi, quod & innuit Athenagoras in sua pro Christianis Apologiâ: *Invenias multos ex nostris, in utroque sexu, qui in Cælibatu consenescant, quòd in hoc statu Deo conjunctiores se futuros sperent.* Similiter Gennadius in libro de Ecclesiasticis dogmatibus c. 62. *Melior est continentia matrimonio, sed non sibi sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiæ retineatur, sed si & cum affectu causa vacandi Domino eligatur.* Non igitur Virginitas absolutè spectata, laudabilis est, cùm in rei licitæ honestæque abstinentia versetur. Tam demum est laudabilis, cùm ex fine quem attendit, suscipitur atque colitur. Neque id Thomas inficiatur, cujus verba sunt: Virginitatis *quidem propositum laudabile redditur, ex fine, in quantum scilicet, hoc fit ad vacandum rebus divinis.* Qui æquis momentis responderant, dicant nunc, tantumne præconii sit Virginitati tribuendum, quæ ex accidenti virtus est?

Clem. Pæd. l. 1. c. 13.

Aug. l. 1. de bon. Conj. c. 21.

Hier. l. 2. cont. Jov.

1 Cor. 7. 32.

Quomodo Virginitas matrimonio præstet & vice versâ?

VIII. Cæterùm sensim sine sensu in aliam quæstionem incidimus, Virginitasne nuptiis præstet? Quam sic solvimus. Bonum vel *privatum*, vel *commune* est. Ac privati respectu liquidò constat, cœlibatum esse connubio anteponendum. Etenim qui se matrimonii jugo implicat, utcunque servus est, multisque curis distractus, quæ à cælestibus revocant animum. De regenda familia, liberis instituendis est cogitandum, quæ cura multos animo aculeos infigit. Molestiis ejusmodi Virgo liberatur, commodiorique statu utitur, ut serviat Deo. Quòd si cælebs Evangelii præconem agit, majorem sanè diligentiam adhibere potest in administrandâ provinciâ suâ, cùm ab Ecclesia instituenda, domesticis solicitudinibus non revocetur. Pro uxore, liberis, familia, Fidelium informationem atque ædificationem habet. Alio tamen respectu sanctum matrimonium Virginitatem eminet. Cùm in eo, & Reipublicæ, & Ecclesiæ seminarium reperiatur. Sic religionis amplitudo, in plures extenditur atque amplificatur. Sic Cœlo cives, Ecclesiæ filii procreantur, quod à Clemente Alex. sapienter est observatum: *Habet enim sicut castitas, ita etiam matrimonium propria munera & ministeria, quæ ad Dominum pertinent; filiorum, inquam, curam gerere & uxoris.* Quæ pars est pietatis non minima: *Agnovi Abrahamum præcepturum filiis suis, & familiæ suæ post se, ut observet viam Domini, exercendo justitiam.* Inest etiam matrimonio sua sanctitas, cùm exhibeat Imaginem Christi cum Ecclesia, copu-

Strom. l. 3. p. 335.

Gen. 18. 19.

copulationis, provideatque fidei, & charitatis officiis, ut familia parvam Ecclesiam referat, vivumque Christi ibi incolentis domicilium. Omnibus comparatis monitore Paulo, Virginitas quidem matrimonio anteponitur, non eo tamen intervallo, quod Monachi sibi finxere.

Propositum, promissio, votum Virginitatis differunt.

IX. Ad Baronium redeamus, qui solens more suo ea involvit, quæ sunt accuratius distinguenda: perpetuam videlicet Virginitatem, & votum Virginitatis. Removendæ confusioni hæc secernimus: propositum, promissionem, votum Virginitatis. Quæ distinctio præstantioribus Scholæ Rom. Theologis non ignoratur: *Votum*, definiente Lombardo, *est testificatio quadam promissionis spontanea, qua Deo, & de his qua Dei sunt, propriè fieri debet.* Cui descriptioni magnâ conspiratione Chorus Theologorum assentitur, eamque sic illustrat Bellarminus: *Votum promissio dicitur, quasi contractus quidam inter Deum & hominem. Nec enim sufficit ad votum, proposuisse & statuisse aliquid facere, nisi etiam promittatur: votum enim includit obligationem unius ad alterum. Non enim obligat votum solum ratione veritatis, id est, quia tenetur qui vovit verum facere quod dixit, sed etiam ratione fidelitatis, quia tenetur alteri fidem datam servare: hac autem obligatio non potest nasci ex proposito solo, quod quis apud se concipit, sed necessariò promissionem requirit.* Rectè & sapienter. Nil voti quidem Daphne nuncuparat, quæ custodiendam sibi Virginitatem proposuerat:

Lomb. l. 4. Dist. 38.

Bell. l. 2. de Mon. cap. 14.

Metam. lib. 1.

Illa velut crimen tedas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffundens ora rubore,
Inque patris blandis harens cervice lacertis,
Da mihi perpetuâ, geniter carissime, dixit,
Virginitate frui, dedit hoc pater ante Diana.

Vestalium quoque perpetuum ut plurimum erat, absque concepto voto Virginitatis propositum: *Expleto triginta annorum tempore, nihil illis impedimento erat, quominus infulis & reliquis Sacerdotii insignibus depositis, ea qua vellent, nuberent. Hoc autem perpauca fecerunt, quibus vita finis non optandus, neque admodum felix contigit. Itaque reliqua earum casum pro ominoso accipientes, Virgines ad mortem usque apud Deum manent.* Promissio quoque à voto discrepat, quòd soli Deo vota nuncupari possunt: promissio verò detur & hominibus, à quibus expetitur & exigitur. Quæ si minus impleatur, in veritatem quidem fidemque peccatur, sed absque labe sacrilegii, quâ votum violatum aspergitur.

Dion. Hal. lib. 2.

Præterea Latinis votum bifariam dividitur, in *simplex* scilicet, & *solemne*, quæ sic Lombardus explicat: *Privatum est in abscondito factum, solemne verò in conspectu Ecclesia factum. Item privatum votum si violetur, peccatum est mortale; solemne verò violare, peccatum & scandalum est. Qui privatum faciunt votum continentia, matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant, si tamen contraxerint, non separentur. . . . Qui verò solemniter vovent, nullatenus conjugium inire nequeunt, quibus non solùm nubere, sed & velle damnabile est.* Hujus disciplinæ rationem si quærimus, apud Becanum reperimus: *Ordo sacer, & professio Religionis, sunt solemnes quidam actus, à quibus votum solemne dicitur, & certam quandam vim seu qualitatem ex decreto Ecclesia obtinet, nempe quod votum castitatis reddat, irritum matrimonium si attentetur.*

Lomb. l. 4. D. 38. B.

Bec. de Jur. Q. 3. p. 757.

Ad has regulas Baronii, Pamelii, Polydori Virgilii, aliorumque sententia, de Claustrorum antiquitate examinanda est. Claustrorum nomine illi Virginum cœtus intelliguntur, qui solemni voto nuncuparo, irritas sibi in æternum nuptias fecere. Jam verò in mari venatur apros, qui Claustra ejusmodi quærit Veterum in monumentis. Clamet Baronius ad ravim usque, priscis seculis ex utroque sexu multos castitatem sibi perpetuam indixisse: probet promisisse, ostendat etiamsi possit, voto privato & simplici vovisse, Claustra ea essent hodiernis multum dissimilia. Atqui candidi viri non est, falsâ antiquitatis umbrâ Lectoribus illudere. Solemnia nunc Claustrorum vota ubique locorum vigent suis nominibus, vestibus, regulis distincta. Hisce Monachorum & Monialium examinibus abundat hodie Christianus orbis, ante Nicænam Synodum ne vel ullum Monasterium extitisse, pro certo habemus, ne dum illis temporibus solemnia virginitatis vota conciperentur. Itaque non abs re propositum, promissionem, votum Virginitatis distinximus, utpote quæ non eandem sibi antiquitatem vindicent.

De priscæ Ecclesiæ Virginibus, ipsarumque vestibus.

X. Christianorum non paucos, exemplis dictisque Apostolorum instructos, perpetuam Virginitatem coluisse, scimus atque tenemus, à Justini Apologia moniti: *Permulti profectò utriusque sexus, & sexaginta, & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti & cœlibes perdurant, & glorior me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse.* Eadem quoque refert Athenagoras in sua pro Christianis Apologia, quam M. Antonino obtulit: *Invenimus multos ex nostris, in utroque sexu, qui in Cœlibatu consenescant.* Quæ uxori suæ exempla Tertullianus adducebat ante oculos, ne à secundis nuptiis eam revocaret: *Et tu adversus consilia hac* (carnis) *adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, qua nullâ forma, vel ætatis occasione pressa, maritis sanctitatem anteponunt. Malunt enim Deo nubere, Deo speciosa, Deo sunt puella, cum illo vivunt, cum illo sermocinantur, illum diebus & noctibus tractant: orationes suas velut dotes Domino adsignant, ab eodem dignationem, velut munera maritalia, quotiescunque desiderant consequuntur.* Nec mirum, vitam nuptiarum expertem plures amplexos fuisse, cùm Cœlibatus esset promovendæ pietati aptior, & vexatis persecutionum rabie, commodiorem maturandæ fugæ viam aperiret. Quin etiam illæ quæ perpetuam colere Virginitatem statuerant, simplicioribus vestibus utebantur, quod Pontius Cypriani Diaconus nos monuit: *Quis Virgines ad congruentem pudicitia disciplinam, & habitum sanctimoniâ dignum, velut frenis quibusdam Lectionis Dominica coërceret.* Cùm enim suis eas illecebris, ipsa pietas traheret ad verum decus, absurdum sanè fuisset, mundanis ornamentis uti, auroque, gemmis, splendidis indumentis, procos ad ipsarum connubia trahere, à quibus temperare volebant. Ut animo pudicitiam, sic veste modestiam colebant. Hinc exclamatio Tertulliani: *O sacrilega manus, qua dicatum Deo habitum detrahere potuerunt.* Virginea indumenta erant tunica & pallium, pulli vel furvi coloris, cingula ex lana confecta, mitræ quas capite gestabant, & velum. Antiqua sanè ornamenta, quorum in quarto seculo vestigia deprehenduntur, Apostolicâ tamen ætate posteriora, ni fallamur animi. De laudibus Asellæ Hieronymus: *Tunicam fusciorem quam à matre impetrare non poterat, in-*

Just. Apol. 2. 62.

Tert. ad Ux. l. 1. cap. 4.

Tert. de Vel. Vir. cap. 3.

Hier. Ep. 15.

duta, pio negotiationis auspicio se repentè Domino consecravit, ut intelligeret universa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ seculum jam damnasset in vestibus. Eundem & Virginum indumentis colorem tribuit Autor de Virginitate apud

Ath. de Vir. 1050.

Athanasium: *Materia tuarum vestium ne sit preciosa. Indumentum tuum fuscum sit, non tinctum, sed nativi coloris. Ejusdemque coloris sint manica lanea, brachia contegentes usque ad digitos manuum. Capilli circumtonsi, crinalis vitta ex lana sit, caput astringens. Cucull & superhumerale lascivias non habeat.* Cùm promittebatur Virginitas, nonnullis in more fuit, statim viliorem voventibus circumponere vestem, ut nos

Hier. Ep. 12.

monet Hieronymus: *Solent quadam cùm futuram Virginem spoponderint, pullâ tunicâ eam induere, & furvo operire pallio.* Cinguli virginei meminit & Hieronymus, in sua ad Marcellam

Ep. 23.

Epistola: *Cingulum non auro gemmisque distinctum est, sed laneum, & totâ simplicitate purissimum, & quod possit magis astringere vestimenta, quàm scindere.* Mitram gestare mos erat Virginibus Africæ. Hinc Optatus in *Felicem* inve-

Opt. l. 2. 350.

hitur Episcopum: *Inter crimina sua ab eo compressam puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua paulò antè pater vocabatur, nefariè incestare minime dubitavit.* Quid verò genus orna-

Opt. l. 6. 364.

menti esset, nos Optatus docuit: *Nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura tingeretur. . . . In mitrella indicium est voluntatis, non castitatis auxilium, ut tam jam Deo devotam, ne qui sponsabat, perseveret petere, aut ne raptor audeat violare, signum est ergo, non sacramentum.* Purpureum igitur capitis erat integumentum ex lana confectum, & mitræ vero simile, acuminatum, quo conditionem Virgines suam declaratum ibant, ne à procis desiderarentur. His ornamentis velum accede-

Hier. Ep. 8.

bat. Hinc scriptum Hieronymo: *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operuerit caput.* Quod & *Christi flammeum* vocat ille ipse Hieronymus in Paulæ Epitaphio. Propterea hæc Marcellæ scribit, de

Ep. 20.

acceptis munusculis: *Quia velatarum Virginum munus est, aliqua in ipsis munusculis esse mysteria demonstremus.* Talibus induta vestibus Virgo ad Episcopum benedicenda veniebat, quod à Pa-

Cart. 4. cap. 11.

tribus Carthaginensibus sancitum est: *Sanctimonialis Virgo, cum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni & sanctimoniæ aptis.* Nonnullis in Monasteriis mos fuit, qui & nunc observatur, ut quæ Virginitatem profitebantur, auro, gemmis, preciosis vestibus ornarentur, deinde sic ad altare accedentes, eâ pompâ spoliarentur, & peractâ habitus benedictione, *Nigro amictu induerentur.* Quam Constantinopolitani Patres consuetudinem anno 680. exterminarunt: *Statuimus*, inquiunt, *ut hoc deinceps fiat, ne quorum jam oblita erat, memoriam revocet, & ex eo anceps reddatur c. 45.*

Nùm primis seculis Ecclesiæ, Virgines votum continentiæ faciebant?

XI. Cæterùm etsi hodiernæ Moniales antiquis nonnihil similes sint, ab eis tamen plurimum dissident, quod nobis est demonstrandum, partim ut vetustatis larva illis detrahatur, partim ut Baronii evellantur errores. Maximi momenti quæstio est, utrùm à priscis Sanctimonialibus votum Virginitatis fuerit nuncupatum? Hoc est promissio Deo facta perpetuæ continentiæ, quâ matrimonium veluti sacrilegium, impediatur contrahendum, contractum verò dirimatur. Tale votum quadringentis amplius annis in Ecclesia incognitum fuisse, nobis est persuasissimum. Primum Argumentum exhibet Cyprianus ad Pomponium Epistola de Virgini-

Cypr. Ep. 62.

bus: *Quòd si ex fide se Christo dicaverunt, pudicè & castè, sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles præmium Virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignem suis delictis cadant.* 2°. Quæ apud Philonem Therapeutarum sunt, errando Christianis accommodat Eusebius. Ex quo conficitur, non magis apud Christianos, quàm apud Therapeutas concepta Virginitatis vota esse quærenda. Atqui Therapeutis propositum professioque Virginitatis familiaris fuit, votum non

Euseb. l. 2. cap. 17.

fuit. Therapeutrium *plurimæ ad extremam usque senectutem Virgines manent. Quæ quidem non coactæ necessitate, ut pleraque apud Græcos Sacerdotes, sed suâ sponte castitatem corporis custodierunt, illectæ amore ac desiderio sapientiæ.* Hic simplex Virginitatis propositum ex mentis arbitrio cernitur. Itaque non omnes, sed plurimæ ad extremum usque spiritum Virginitatem retinebant. Poterant ergo ejusmodi mulieres eâ abdicatâ, ad nuptias convolare, Vestalium instar, quæ nullâ lege ad vitandum matrimonium cogebantur. 3°. Hieronymus Virginum quibus non inditum est continentiæ donum, matrimonia per-

Hier. Ep. 8.

mittit, in sua ad Demetriadem Epistola: *Sanctum Virginum propositum, & cælestis Angelorumque familiæ gloriam, quarumdam non bene se gerentium nomen infamat; quibus apertè dicendum est, Aut nubant si se non possunt continere; aut contineant, si nolunt nubere.* 4°. Insignis est ea

Aug. de Sancta Virg. c. 34.

de re locus apud Augustinum: *Multas earum revocat à nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens & ipse à superbia, quâ formidant magis hominibus placere, quam Deo. Illa igitur quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impunè non possunt, quæ melius nuberent quàm urerentur, id est, quæ occultâ flammâ in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis.* Denique autoritatibus addantur exempla. Sacrata erat *Gordiana*, Gregorii Magni amita, quæ *Trasilla* & *Æmiliana* sororibus

Greg. Hom. 18. in Evang.

defunctis jugali fœdere juncta est: *Gordiana autem ut mox solam remansisse se reperit, ejus pravitas exercuit. Nam oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit.* Sub ea quoque tempora, Pictaviensis Monasterii Virgines, impellente eas *Chrodiele*, Chariberti Regis filiâ, illud egressæ, nuptias celebrarunt: *Multæ ex his à diversis circumventæ, matrimonio copulatæ sunt*, teste Gregorio Tur. l. 9. c. 40.

Sanctimonialium matrimonia non abrogabantur.

XII. Neque ea Virginum matrimonia Canonum autoritate abrogabantur, sed rata, fixaque manebant. Ancyranum Concilium anno 314. celebratum sic statuit: *Quotquot Virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contemptâ, inter Digamos haberi debebunt.* Officiis

Ancyr. cap. 19.

Ecclesiasticis quidem illi removebantur, eorum tamen nuptiæ non rescindebantur. Viduarum quæ continentiam promiserant levitas inconstantiaque, graviter à Carthaginensibus per-

Cart. 4. cap. 104.

stringitur, connubia tamen non abrogantur: *Si quæ vidua, quantumlibet in minoribus adhuc annis posita, se devoverit Domino, & veste Laicali abjectâ, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ, religioso habitu apparuerit, postea verò ad nuptias seculares transierit, secundùm Apostolum damnatio-*

nem

nem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ si in Christianorum communione maneant, quæ etiam neque in convivio, cum Christianis communicent. Paulò mitior est Chalcedonensium sententia: *Virginem quæ se dedicaverit Deo, similiter & Monachos, non licet nuptiis jungi, si verò inventi fuerint hoc fecisse, maneant excommunicati. Ostendenda tamen in eos humanitatis auctoritatem habere statuimus Episcopum.* Ex ea disciplina liquet, nulla tunc vota propriè dicta fuisse, quæ nuptias ejusmodi vanas redderent.

Chalc. cap. 16.

Perpetuæ Virginitatis votum sæpius temerarium est.

XIII. Sic igitur comparatum fuit. Primò Virginitatis amantibus propositum erat, eum statum amplecti, qui pietati commodior & aptior videbatur. Qui non absque levitate quidem, sed infidelitate cessante, mutari tamen potuit. Accessit deinde promissio, Ecclesiæ tamen non Deo facta, ut novum proposito vinculum accederet. Id sibi velle Tertullianum existimamus, qui scribit, *Viderit & ipsum continentiæ votum.* Ut arctioribus nodis adhùc promissio firmaretur, in votum tandem abiit, de quo in Carthaginensium Canone laudato mentio est: *Fidem castitatis quam Domino voverant, irritam facere ausæ sunt.* Quæ, si verum placet, vota vix à temeritate defendi possunt. Profectò si conscientiæ sensu, fideque commovemur, fatendum est gravissimum à carne bellum nobis imminere, quod exortum non opprimitur, nisi vel à matrimonio, vel à continentiæ dono cælitùs indito; cujus spem non omnibus præbet Spiritus ille Sanctus, quia non est unum ex pietatis requisitis, vel Paulo Judice: *Velim omnes homines esse, ut ipse sum, sed unusquisque proprium donum habet à Deo.* Quòd si ad unius cujusque humillimas preces continentia impetraretur, nil causæ Paulo fuisset, præcipere & junioribus viduis ut matrimonium inirent, & Corinthiis, ut adversus scortationem nuptiarum remedium sibi compararent, & Diaconissis, ne ante annum sexagesimum huic muneri ascriberentur. Contra carnis aculeos adhiberi poterant à Diaconissis Corinthiis viduis, jejuniorum & precum remedia. Quæ si satis erant ad extorquendam flagitantibus continendi gratiam, nuptias Paulus non imperasset. Imperavit verò, quia probè sciebat, precum & jejuniorum auxilia non sufficere, ob ejusmodi causam, quòd nempè continentia saluti non sit omnibus necessaria. Propterea Pauli hoc est conjugibus præceptum: *Ne fraudate alter alterum, nisi si quid ex consensu ad tempus quoddam, ut vacetis jejunio & orationibus; & rursum simul convenite, ne tentet vos Satanas per incontinentiam.* Quòd si cuilibet cupido pateret vis continendi, quamobrem jubet Apostolus, ut conjuges post jejunia ad torum redeant? Imò hortari eos debuit, instare jejuniis & orationibus, ut sibi continentiam compararent, quam nulli seriò petenti Deus unquam abnuet. Illud ergo voti temerarium genus ad frugem non pervenit, cùm absque certa continentiæ notitia sæpius fiat, nec in spe ulla innitatur, Deum preces de continentia obtinenda auditurum, ad quam dudum nullâ se promissione astrinxit, quam Paulus utique Corinthiis, & viduis repræsentasset. Igitur non satis exploratis viribus suis, reique difficultate, Virgines in ipso flore ætatis ea spondent, Deo quæ ipsarum facultati & potestati eximuntur. Continentiæ difficultatem ostendit Hieronymus: *Piget dicere, quot quotidie Virgines ruant. . . . Quas nisi tumor uteri, & infantum prodiderit vagitus, sanctas & castas se esse gloriantur.* Apostolica ergo sententia non satis inculcari potest animis: *Nubere satius est quam uri*, cùm ex qualibet appetitione nuptiarum violetur votum, quia peccatum voluntatis est, non corporis, & non actu solo, sed desiderio etiam facinus perpetretur.

Tert. de Vel. Virg. cap. 11.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7. 5.

Hier. Ep. 22.

De Virginum Consecratione.

Ord. R. pag. 159.

XIV. A Virginum voto ad Consecrationem est transeundum, quam pompæ splendorisque plenam omnes sciunt, & ex Ordine Romano palam est: *Virginem Episcopo parentes cum oblatione offerant, & ille, involutam manum ejus, in palla altaris recipiat, dicendo cum astantibus antiphonam, Ipsi sum desponsa, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur. . . . Tunc veniat illa quæ consecranda est, ante altare coram Ecclesia, palamque in conventu cum astipulatore suo, cujus licentiâ habitum religionis est susceptura, & dato ejus assensu, offerantur vestimenta religionis & velamina ante altare Episcopo ad benedicendum, & benedicat ea publicè.* Peractâ veli benedictione, *Ipsa virgo veste Laicali de capite reverenter abjectâ, recipiat ab Episcopo sacra Religionis indumenta, excepto velo: & ingressa secretarium, vestiatur. Postea sub aspectu Episcopi & Ecclesiæ suppliciter prosternat se ante altare, dicens hunc versum tribus vicibus, Suscipe me secundum eloquium tuum, Domine, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. . . . Sequitur Consecratio in modum præfationis: Deus castorum corporum benignus habitator, respice super hanc famulam tuam N. quæ in manu tua continentiæ propositum collocans, tibi devotionem tuam offert, à quo & ipsa idem votum assumpsit. . . . Benedictione expletâ, & ad interrogationem Episcopi de observatione sacri velaminis, illa coram professa, Episcopus mittat velamen super caput ipsius Virginis, ita dicens, Accipe velam sacrum, puella, quod perferas sine macula, ante Tribunal Domini J. C. cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, in secula seculorum. R. Amen. Tunc ipsa velata incipiat antiphonam, Induit me Dominus cyclade auro textâ, & immensis monilibus ornavit me.*

Nulla Apostolorum ævo Virginum Consecratio.

Bar. An. 57. n. 54.

XV. Adultam ritui consecrandarum Virginum antiquitatem Baronio vindicare placuit, cujus autorem Paulum Apostolum innuit: *Mira planè ex Pauli prædicatione facta est rerum mutatio, ut qui suas Virgines prostituere consueverant, easdem modo velantes Deo dicarent.* Non de Consecrationis Virgineæ antiquitate multum detrahimus, cujus nulla vestigia extant in sacris Codicibus, sive exemplo quodam, sive præcepto. Neque extare possunt, cùm solemnis illa Consecratio innitatur insigni sponsarum Christi titulo, quo Virgines ornari placuit. . Indecorum verò fuisset, Christi sponsarum nuptias nullâ celebritate cohonestari. Atqui sponsas ejusmodi Servatori dicatas Scriptura nescit. Unam sponsam novit, Ecclesiam scilicet, non solis Virginibus, sed viris quoque, & uxoribus constantem. Philippo Evangelistæ quatuor filiæ erant, & Virgines, & Prophetissæ. Lucæ non venit in mentem, eas Christi sponsarum nomine decorare. Neque Justini ætate, qui de utroque sexu Virgines non paucos memorat in sua ad Antoninum Pium Apologia, ne verbulo quidem uno Consecrationis Virginum mentionem

nem injecit, licet Ecclesiæ ceremonias fusè satis exponat. Cur istiusmodi consecrationem potius omisisset, quàm & baptismi, & Eucharistiæ mysteria? Constabat ergo tunc Virginitas solo mentis proposito, absque ulla solemni benedictione, quæ ab Episcopo peragеretur. Tertio quidem seculo, cùm promittebatur Virginitas, benedictio sacerdotalis intervenire potuit. Quod & innuunt verba Cypriani: *Quid? Christus Dominus, & Judex noster, cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati sua destinatam, jacere cum altero cernit, quàm indignatur & irascitur, & quas pœnas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur!* Simplex tamen ea consecratio fuit, absque pompa ceremoniarum, solisque orationibus manuumque impositione peracta. Sequentibus seculis splendor ille debetur, quo Christi sponsarum nuptiæ fulgent.

Cypr. Ep. 62.

De Virginum velo.

XVI. Incipiamus à velo sacro magno virgineæ suppellectilis mysterio. Ceremoniarum Scriptoribus velum multiplex est, de quo hæc tradit Mimatensis: *Velum aliud est conversionis, aliud consecrationis, aliud professionis, aliud ordinationis, aliud prælationis. Velum conversionis, aliqua de seculari vita ad Religionem transiens assumit, & tunc si per annum inter velatas steterit, ulterius exire non poterit. Velum consecrationis in solis Episcopis, solis Virginibus, & solum in festivis, & Dominicis diebus datur. Urgente tamen necessitate, sicut & Baptismus, omni die dari posset. . . . Velum autem professionis suscipitur à Virgine, quando continentiam profitetur, non tamen ante duodecimum annum datur velum hujusmodi, cum benedictione solemni & cum litania. . . . Velum ordinationis olim Diaconissæ in XL. anno dabatur. . . . Velum prælationis olim Abbatissis in XL. anno dabatur.* Tria vela conversionis scilicet, consecrationis & professionis in usu fuisse, cùm sacras Virgines obnubere cœperunt, eruditissimus Cangius existimat. Aliam nobis cogitationem injiciunt animo verba Innocentii, de Sanctimonialibus, quæ ante consecrationem nubunt: *Hæ verò quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se permanere promiserant, licet velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia.*

Dur. Rat. lib. 2. c. 1.

Inn. Ep. 2. n. 13. 14.

De Veli consecratione, & mysterio.

XVII. Virgineum illud velum benedictione consecratur, & oratione, quæ extat in Ordine Rom. *Caput omnium Fidelium Deus & totius corporis Salvator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua, propter tuum, tuæque Beatissimæ scilicet semper Virginis Mariæ amorem, suo capiti est impositura, tuâ dexterâ sanctifica, ut hoc quod per illud mysticè datur intelligi, tua semper custodia corpore & animo incontaminata custodiat.* Usus veli hujus sacræ est Virginis ab aliis mulieribus distinctio, ut observatum Isidoro: *Quæritur autem, cur feminæ Virgines in benedictione velentur? Quarum hæc causa est. In gradibus enim & officiis Ecclesiasticis feminæ nullatenus præscribuntur. . . . Ideòque hoc tantum quia Virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit, idcircò velaminis venia fit illi, ut in Ecclesia notabilis, vel insignis introeat, & honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostendat.* Cur verò eo potius signo quàm alio Virginitas indicetur, ex nuptiis originem traxisse videtur. Moris erat sponsas operiri flammeo. Hinc monstrum hominis Nero, *Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est, cum dote & flammeo, persolemni nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se, pro uxore habuit.* De flammeo quoque Claudianus:

Ord. R. 158.

Isid. de Off. Eccl. l. 2. c. 17.

Suet. Ner. cap. 28.

Et sparsos religant crines, & vultibus addunt
Flammea.

Claud. libr. 2. de Rapt. Proserp.

Hinc datum Sanctimonialibus velum, quia Christo nubere censentur. Quod Hieronymo *Christi flammeum* vocatur. Addita ideò fuit & *mitrella*, quâ ipsarum caput tegebatur, quasi coronâ sponsæ Regis Cælestis dignâ. Hinc scriptum Isidoro, *Mitram quasi coronam virginalis gloriæ vertice perferat.*

Isid. de Eccl. Off. l. 2. c. 17.

Antiquitas veli Virginei.

XVIII. Nunc de veli, & ipsius benedictionis antiquitate agendum. In confesso est, post Constantinum M. cùm ceremoniis benè multis Ecclesia splendere cœpit, velum virgineum fuisse usui: quod allatis ex Hieronymo locis planum jam fecimus. Qui mos ubique locorum viguit. Sacri veli meminit Innocentius Papa primus: *Quæ Christo spiritualiter nupserint, & velari à Sacerdote meruerunt, si posteà vel publicè nupserint, vel corruptæ, non admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant, de seculo discesserit.* Hinc Agathensium decretum: *Sanctimonialis quantumlibet vita earum & mores probati sint, ante ætatis suæ quadragesimum non velentur.* Cæterùm benedictio & vestium & veli, antequam Virgini imponantur, necdum obtinuisse videtur, sed post modum inducta est. Ab Episcopo vestes consecrantur verbis ejusmodi: *Exaudi, Domine, preces nostras, & hanc vestem, quam famula tua N. pro conservandæ castitatis signo se adoperiendam exposcit, oportunæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aron.* Moris hujus consecrandi Virginum vestes anno 680. Constantinopolitani Patres meminere c. 45. *Quoniam intelleximus in nonnullis mulierum Monasteriis, mulieres quæ sacro illo amictu dignæ habentur, prius sericis & omnis generis vestibus, præterea & mundis auro & gemmis variegatis, ab iis qui illas ducunt, exornari, & sic ad altare accedentes, exui tanto opum apparatu, & statim in illis fieri habitus benedictionem, illasque nigro amictu indui, statuimus ne hoc deinceps fiat.* Separata ea vestium virginalium Consecratio cum Carthaginensium decreto pugnat: *Sanctimonialis Virgo cùm ad Consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, quibus semper usura est, professioni & sanctimoniæ aptis.* Non propriâ igitur benedictione vestes, sed personæ illis indutæ consecrabantur.

Innoc. Ep. 2. n. 12.

Agath. cap. 13.

Ord. Rom. pag. 158.

Cart. 4. cap. 11.

Nùm velum apud Tertullianum sit Virginitatis nota?

XIX. Hic nobis cum Baronio in certamen veniendum. Ut adultiorem quarto seculo antiquitatem sacro velo conciliet, contendit Tertulliano scribi, velum *fuisse Virginitatis insigne.* Id verò non dixit Tertullianus, aut dicere potuit, cùm omnes prorsus mulieres, uxores, matresfamilias, viduas, perinde atque Virgines velo tegi voluerit; quo sanè casu, quod sexui muliebri commune fuit, Virginitatis insigne esse non potuit. Tertullianum audiamus: *Itaque cùm de viro, & muliere Episcopus tractet, cur illam oporteat velari, illum verò non, apparet cur & Virginis silentium fecerit, eâdem ratione scilicet, Virginem in muliere intelligendam sinens. . . . Omnis, inquit, mulier, quid est omnis, nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis.* Quid his clarius? Quid disertius? Tertulliani adhùc mentem alius locus aperit: *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia Virgo, secundùm annorum nomina, vela caput. Si mater, propter filios; si soror, propter fratres;*

Bar. An. 57. n. 54.

Tert. de Vel. Virg. cap. 8.

Tert. de Vel. Virg. cap. 16.

tres; si filia, propter patres. Omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris, circumde vallum verecundiæ, murum sexus tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. . . . Christus est qui & alienas sponsas & maritatas velari jubet, utique multò magis suas. Ea sanè Virginitatis nota esse non potest, quæ mulierum est omnium communis. Tertulliano lucem fœnerat Clemens Alex.

Pæd. l. 2. c. 10. 251.

Nullam feminæ partem nudari decorum est. Nec verò solùm calcaneum est prohibitum, ut nudentur, sed verùm etiam caput, ut tegant atque obnubant, illis est impositum. Neque enim honestum est, corporis pulchritudinem esse hominum aucupium, nec par est, ut purpureo utens velo, fœmina velit aspici. Porrò ne falsis Antiquitatis imaginibus mentes ludantur, Tertulliani scopus paucis est aperiendus. Mulieribus Carthaginensibus, quæ viris junctæ erant nuptiali fœdere, capite aperto in publicum prodire, sicuti & Romanis, dedecori habebatur. Qua de re digna memoratu à Valerio Max. Historia traditur:

Valer. l. 6. c. 3. n. 9.

Horridum C. quoque Sulpicii Galli maritale supercilium. Nam uxorem dimisit, quòd eam capite aperto, foris versatam, cognoverat, abscissa sententia, sed tamen aliquâ ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos præfinit oculos, quibus formam tuam approbes: His decoris instrumenta compara: his esto speciosa: horum te certiori crede notitiæ: ulterior tui conspectus, supervacuâ irritatione accersitus, in suspicione & crimine hæreat, necesse est. At Virgines sese velandi necessitate immunes esse volebant, adductâ autoritate Apostoli, qui velum solis uxoribus imperavit. Quam Tertullianus objectionem sibi solvendam proponit:

Tert. de Vel. Vir. cap. 4.

Opponitur nobis, nullam mentionem Virginum ab Apostolo factam, ubi de velamine præfinit, sed tantùm mulieres nominatas, cùm si voluisset & Virgines tegi, de Virginibus quoque cum mulieribus nominatis pronuntiasset. . . . Itaque non contineri eas Lege velandi capitis, ut non nominatas in hac Lege, immò ex hoc non velari, quæ non jubentur, quæ non nominantur. Mirum certè Baronii acumen, qui in velo quærit *insigne Virginitatis*, quod matrimonii nota erat. Ut velo quoque subjiceret Virgines, quæ in Ecclesia nudato capite versabantur Septimius, librum edidit suum, cujus argumentum hoc est: *Latinè quoque ostendam, Virgines nostras velari oportere.* Quid suis argumentis promoverit, nos prorsus fugit. Si vicit, velum totius sexus muliebris commune fuit. Si nil profecit, Virgines non velabantur, & gladio Baronius suo jugulatur. Aliud & adhùc peccat, cùm in suo de velandis Virginibus Libro, sacras à communibus, religiosas à secularibus, Tertullianus non discreverit: ut quod de velo sacro Baronius affert, sit prorsus alienum.

De velo benedicto Tertullianus non agit.

XX. Pergit ulterius in errando, cùm in *Virginibus Dei* Sanctimonialium suarum consecrationem, velique benedictionem videre sibi videatur:

Bar. An. 57. n. 89.

Haud alienum ab instituto putamus, si etiam de sacro velamine, quo Deo dicatæ Virgines uti solent, agamus. De ejusmodi Velaminis genere hoc & olim Tertullianus. . . . Confugit ad velamen capitis quasi ad galeam. Illud etiam amplius habuit velamen sacrum Virginum, quod à Sacerdote benedici consuevit. Vitream sanè galeam, cùm velaminis immunitatem Virgines sibi dedisse, dum Tertullianus librum condit suum, certis argumentis demonstraverimus. At exclamat tragicè:

Tert. de Vel. Vir. cap. 3.

O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt. In hoc Septimii dicto sententiam Baronius suam collocasse videtur. Sibi tamen & nobis lepidè illudit. Quasi verò dicari Deo habitus non posset, nisi Episcopali benedictione. Quidni à parentibus, quidni ab ipsis Virginibus ea vestis consecrari potuit? Quidni ab ipso usu vestis, quæ humilitatem redolebat, atque modestiam? Virtutes sanè Deo gratissimas. Tertullianus ne verbulo uno meminit impressæ huic vesti sanctitatis, ob Præsulis consecrationem. Nondum scilicet fons ille benedictionum inexhaustus aperiebatur, quo altaria, vasa, cineres, ignis, sal, aqua, cerei inundantur. Quæ se totæ pietati addixerant Virgines, spretis mundanis rebus, eam suis vel vestibus profitebantur, quasi mutâ voce affectus animi sonante. Deo dicabantur à parentibus. Arborii filiam gravi quartanæ febris igne adustam Martinus sanaverat:

Sulp. Vit. Mart. cap. 20.

Quæ tûc apud Arborium tantum valuit, ut statim puellam Deo voverit, & perpetuæ Virginitati dicarit. Dicabant Virgines & semet ipsas: Asella *tunicam fusciorem, quam à matre impetrare non poterat, induta pro negotiationis auspicio se repentè Domino consecravit.*

Hier. Ep. 15.

Ipse habitus simplicitate suâ Deo dicabatur, quasi pietatis signum. Ad velamen virgo confugiebat, *Quasi ad Clypeum, qui bonum suum protegeret adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones & susurros.*

Tert. de Vel. Virg. cap. 13.

Revocabat enim in memoriam gerenti mundi contemptum, cælestiumque amorem, quo flagrabat, ac non secus ac pallium, quod Tertullianus induerat, lascivientes hominum mores, & voluptates damnabat. Nil est igitur cur hic sacerdotalem vestium Virginalium consecrationem imaginemur.

Veteres Virgines capillos non resecabant.

XXI. Hodiernis Sanctimonialibus in more est novaculâ radi. Quæ disciplina ad illam Veterum prorsus non quadrat. Dixit Paulus, cujus autoritas apud Christianos plurimum valet,

1. Cor. 11. 15.

Mulieri comatam esse decori est, nam coma pro velamine data est ei. Pauli præceptum decentiæ & honestati consentaneum observabant in Africa Sanctimoniales retentis capillis. Testis Optatus:

Opt. l. 2.

Ut secularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent, Spirituali sponso solverant crinem. Jam cælestes celebraverant nuptias. Quid est quòd eas iterum crines solvere coëgistis? Eos quoque retinebant Mediolani, idcircò lapsam Virginem sic compellat Ambrosius:

Ambr. ad Virg. Lap. cap. 6.

Lugubris tibi accipienda est vestis: Et mens ac membra singula dignè castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxuriæ præstiterant. Displicuit & Patribus Gangrensibus muliebris tonsura:

Gangr. cap. 17.

Si qua mulier propter divinum cultum ut æstimat crines attondeat, quos Deus ei ad subjectionis materiam tribuit, tanquam præceptum dissolvens obedientiæ, anathema sit. Est & ea de re Rescriptum Theodosii M. quod anno CCCXC. promulgatum est, animo recondendum:

Cod. Th. l. XVI. Tit. 2. lib. 27.

Fœminæ quæ crinem suum, contra Divinas Humanasque Leges instinctu persuasæ professionis absciderint, ab Ecclesiæ foribus arceantur. Non illis fas sit sacrata adire mysteria, neque ullis supplicationibus mereantur veneranda omnibus altaria frequentare. Adeò quidem, ut Episcopus tonso capite fœminam si introire permiserit, dejectus loco etiam ipse cum hujusmodi contuberniis arceatur. Nonnullis quidem in more erat, capillos quasi in coronæ modum nonnihil attonsos gerere, attamen non ad cutem usque eos amputabant. Sic componebatur ea Virgo, quam informat Autor libri de

Ath. de Vir. t. 1. 1050. Virginitate apud Athanasium: *Capilli sint circumtonsi, crinalis vitta ex lana sit, caput astringens.* Capiti crinibus suis nudato, nullus sanè vittarum usus est. Non nescimus alium in Oriente fuisse morem, quem tamen ficta tasuræ sanctitas oon introduxit, qua de re insignis est Hieronymi locus in sua ad Sabinianum Diacoum Epistola: Hier. Ep. 48. c. 4. *Moris est in Ægypti, & Syria Monasteriis, ut tam Virgo, quàm vidua, quæ sese Deo voverint, & seculo renuntiantes, omnes delicias seculi conculcarint, crinem Monasteriorum matribus offerant resecandum: non intecto posteà contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter ac velato. Hoc autem duplicem ob causam de consuetudine versum est in naturam: vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite noc ore norunt, ne à parvis animalibus quæ inter cutem & crinem gigni solent, & concretis sordibus opprimantur.* Eâ formâ Ægyptiacas Virgines pingit Palladius in Lausiacis c. 41. *Atque aliarum quidem Virginum erat ejusmodi habitus ut essent tonsa, & haberent cucullos in capite.* In ea igitur Sanctimonialium tonsura nil mysterii, nil sacri quærebatur, ad capitis munditiem comparata erat. Hodierna verò tonsura non Matronarum, sed Præsulum manibus, non ad impediendam capitis illuviem, sed ad mysteria significanda peragitur.

Ætas consecrandarum Virginum. XXII. Hactenus de Virginum consecratione; de benedicendarum ætate paucis. Ex Tridentini Concilii Decretis, anni *sexdecim* completi vovendo sufficiunt. Neque diffitemur eam disciplinam noo prorsus destitui Antiquitatis præsidio. Basilius io sua ad Amphilochium Epistola, Caoone 18. sic statuit: *Virgo nominatur, quæ se sponte Domino obtulit, & matrimonio renunciavit, & vitam in sanctificatione prætulit. Professiones autem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omninò in his esse ratas existimare oportet, sed eam quæ supra sexdecim vel septemdecim annos nata fuerit rationisque compos.* Basilii præscriptionem laudat, Quini sexta Synodus c. 40. Concilium Toletanum decimum c. 6. parentibus facultatem dat liberos suos annum XIV. agentes, Religioni mancipare. At Patres Carthaginenses, eo Canone, qui vulgò Milevitanis perperàm ascribitur, maturiorem Mil. c. 46. meritò ætatem requirunt: *Placuit ut quicunque Episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiæ Virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit Virginem, seu velavit intra viginti quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de istorum annorum numero constitutum est.* Illud igitur ætatis ad Virgioum Consecrationem vulgò requirebatur, quod tamen gravibus de causis anteverti potuit. Longè sapientior Agathensium præscriptio c. 14. *Sanctimoniales quantumlibet vita earum, & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.* Agathensium Decreto consentit Majoriani Augusti Novella: *Sancimus filias, quas pater, materve à seculari permixtione translatas, Christianæ fidei servare præcepta continuatâ Virginitate censuerint, in beata vita proposito permanentes, non ante suscepto honorato capitis velamine consecrari, quàm XL. annos ætatis emensæ, talibus infulis inoffensâ meruerint observatione decorari. . . . Qui ante definitum temporis spatium Sanctimonialem puellam aliis adulti sexus sui votis calentem, memoratorum quisquam parentum velari fecerit aut permiserit, tertiâ bonorum parte mulctetur.* Profectò puerilis ætas & infirmitatis suæ, & ponderis continentiæ, & virium carnis non benè conscia, vovendo prorsus impar est. Scilicet anno decimo sexto puella, quæ regendæ familiæ oon est idonea, juveniliter exultantium affectuum impetus cohibere poterit! Hîc quidem Apollinis carmen, audaci Phaetonti loquentis usurpare fas est:

Magna petis, & quæ non viribus istis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.

Ac Paulus qui viduam anois sexaginta minorem Diaconissarum albo inscribi vetuit, haud passus fuisset, puellam annorum XVI. durum sibi continentiæ perpetuæ jugum imponere, quo crebrò nimis obruitur.

XXIII. Sacræ Virgines bifariam dividebantur: aliæ paternas domos, aliæ Monasteria De Sacris Virginibus secularibus. incolebant, de utrisque dicendum. Liberarum Sanctimonialum, quæ Claustrorum vinculis non detinebantur, plurima suot exempla. Tales Marcella, Eustochium, Demetrias, quæ Hieronymi calamo celebraotur. Demetriadem sanè ad observantiam matri exhibendam hortatur: *Imitare sponsum tuum, esto aviæ matrique subjecta,* Hier. Ep. 8. *nullum virorum, & maximè juvenum, nisi cum illis videas.* Gregorio M. tres amitæ fuere, Trasilla, Æmiliana, Gordiana, de quibus hæc scripto prodit: *Tres pater meus sorores habuit,* Greg. Hom. 38. in Evan. *quæ cunctæ tres, sacræ Virgines fuere. Uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant.* Non de Conventualibus quidem, sed de liberis Virginibus Decretum Carthaginensium capi potest: *Virgines sacræ, si* Car. 5. cap. 33. *parentibus à quibus custodiebantur privatæ fuerint, Episcopi providentia, vel Presbyteri, ubi Episcopus absens est, in Monasterio Virginum, vel gravioribus feminis commendentur, ut simul habitantes, invicem se custodiant, ne passim vagantes, Ecclesiæ lædant opinionem.* Secularibus hisce Sanctimonialibus mulieres & viros epulis excipere fas erat. Itaque Pseudo-Athanasius hæc suæ Virgini loquitur: *Si adfuerint tibi tres Virgines, pani be-* Ath. t. 1. 1051. *nedicant, & unà tecum orent. . . . Sedente tecum in mensa opulentâ feminâ, si videris pauperculam, voca eam ad cibos tuos. Cùm vir Sanctus venerit, suscipe illum, ut filium Dei; si vir justus ædes ingreditur tuas, cum timore & tremore occurres illi.* Neque modò hospites domum recipiebant, verùm etiam invitatæ ad epulas accedebant. Id oos prima Synodus Toletana docuit: *Puella Dei, nec familiaritatem habeat cum* Tolet. c. 6. *Confessore, aut cum quolibet Laico sanguinis alieni, aut convivium sola adeat, nisi ubi sit Seniorum honestorum, aut Viduarum honestarum frequentia; ubi honestè Confessor quilibet, cum plurimorum testimonio testium convivio interesse possit.* Seculo XIII. Sanctimoniales ejusmodi adhùc vigebant, si vera M. Paris. prædicat. Damascena quædam Matrona sacrâ veste susceptâ, *Ad locum* M. Par. pag. 102. *Sardenai appellatum recessit, ibique domum sibi & Oratorium in honorem Sanctæ Dei genitricis ædificans, hospitalitatis Officium devotè peregrinis, & pauperibus exhibebat.*

XXIV. De Coovevtualium disciplinâ Virginum paulò fusius est differendum. Ac primùm De Monasteriorum antiquitate. de Monasteriorum antiquitate cum Baronio certamen

[Bar. An. 57. n. 55.] tamen nobis est ineundum: *Sanctum*, inquit, *Virginitatis semen, Apostolis seminantibus, statim Sanctarum Virginum ac viduarum Collegia, quæ nos Monasteria dicimus, esse cœperunt.* Baronium non miramur, hujus sententiæ patronum, cùm seculo quinto nondum adulto Cassianus in eam descenderit: [Cass. Coll. l. 18. c. 5.] *Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit Hierosolymis, omnis illa credentium multitudo ita describitur . . . erant illis omnia communia. Sed cùm post Apostolorum recessum tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maximè quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diversis gentibus confluebat. Hi autem quibus adhuc Apostolicus inerat fervor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à civitatibus suis, illorumque consortio qui sibi, vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis per universum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, privatim ac peculiariter exercere cœperunt.* Turpiter tamen errat Cassianus, & turpius adhuc Baronius, qui non Cœnobitas quosvis, sed *Monasteria* imaginatur, quæ absque voto continentiæ publico non stant, cùm solo charitatis pietatisque vinculo Apostolicos Cœnobitas Cassianus incluserit. Frustra Pseudo-Ignatii ad Philippenses Epistola Baronio in auxilium venit: *Saluto σύστημα, Collegium Virginum.* Neque enim ea Epistola ex illis est, quas Antiquitas germano vindicat Ignatio, neque etiam ut *cœtus Virginum* ab Ignatio salutaretur, opus erat eas, nuncupato voto, Claustri alicujus sub regula vitam ducere. Satis fuit, quòd etsi privatim habitantes, orationis causâ in eundem Ecclesiæ locum convenirent. Sic Presbyterorum Diaconorumque *systema*, seu collegium dici potuit, qui tamen separatas domos incolebant.

[Nulla seculo tertio Monasteria.] XXV. Seculo tertio, ne dum primo, vel secundo, nulla fuisse Monasteria demonstramus. Ac primùm quas Tertullianus Virgines memorat, à *Conventualibus* diversas esse liquet, quibus hæc apta esse non possunt: [Tertul. de Vel. Vir. c. 14.] *Ipsa concupiscentia non latendi, non est pudica: patitur aliquid, quod Virgini non sit studium placendi utique & viris. Quantumvolis bonâ mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus & oscula assidua concalescit.* Ficta quoque Virginum Claustra Tertulliani discipulus Cyprianus evertit, scribens ad Pomponium: [Cypr. Ep. 62.] *Legimus literas tuas, frater charissime, quas per Paconium fratrem nostrum misisti, postulans & desiderans ut tibi rescriberemus, quid nobis de iis Virginibus videatur, quæ cùm in statu suo esse, & continentiam firmiter tenere decreverint, detectæ sint posteà in eodem lecto pariter mansisse cum masculis.* Quibus verbis Virgines pinguntur, quæ propria tecta incolebant. Denique ex cladibus quas Ecclesiæ Diocletianus intulit, eversas Ecclesias scimus, subruta Monasteria nescimus, quibus non magis quàm Templis furor pepercisset, uti nec pepercit post Claustra ædificata. Illud de Arianis queritur Athanasius: [Athan. ad Solit. t. 1. 859.] *Monasteria everterunt, & ignes injecerunt ad Monachos comburendos.* De Ethnicis qui ante Constantinum M. floruere, nullus unquam Scriptor talia retulit, quia nimirum Ecclesiæ erant, Monasteria non erant. De immani persecutione, cujus testis occulatus Eusebius: [Euseb. H. l. 8. c. 2.] *Proposita sunt ubique Imperialia edicta, quibus Ecclesiæ quidem ad solum usque dirui, sacri verò Codices flammis absumi jubebantur.* Eadem clades in Monasteria erupisset. Conventicula quæ restitui poterant, Constantius Chlorus dirui passus est. Quidni & Monasteria? Nondum extructa fuere, secùs ruentibus ubique locorum templis, Monasteria simul cecidissent. Hinc colligimus, Acta Martyrum *Domnæ* & *Indæ*, qui Nicomediæ Galerii jussu ad mortem missi dicuntur, vel invito Baronio subdita esse, cùm in eis legatur: Mandat Archieunucho Indi *quidem caput amputari, Virginem verò quæri in Monasteriis.* [Bar. An. 301. n. 30.]

XXVI. Est ergo necessariò fatendum, quarto duntaxat seculo Monasteria fuisse condita. [Monasteria quarto solum seculo extrui cœperunt.] Eorum sanè novitatem satis superque indicat Antonii vita ab Athanasio scripta: *Nam & apud vos jam sunt Monasteria, & Monachorum ritus servatur.* Eò pertinent verba Rufini: [Ruf. H. l. 2. c. 9.] *Basilius Ponti urbes, & rura circumiens, desides Gentis illius animos, & parum de spe futura solicitos, stimulare verbo & prædicatione succendere. Subegitque abjectis mundanis rerum & secularium curis, semet notitiam recipere, in unum coire, Monasteria construere.* Præfatio Pachomianæ Regulæ Hieronymo vindicata hæc habet. Pachomius, Theodorus & Oresiesis *primi per Thebaidem & Ægyptum Cœnobiorum fundamenta jecerunt, juxta præceptum Dei.* [B. M. P. t. 4. p. 86.] Consentiunt nobiscum de grege Latinorum eruditi complures, Rigaltius, Holstenius, Pagius, cujus verba referre juvat: [Pag. Crit. an. 318. n. 12.] *Rectè Holstenius in Præfatione ad Regulas veterum Monachorum ætati Constantini M. vitæ regularis initia imputat. Illi enim consentit Actorum S. Pachomii Autor, cùm dicit in Prologo, quòd extrema persecutionis tempore, scilicet Diocletianea, tunc & Monasteria cœpta sunt extrui, & Ascetarum habitacula in vita innocentia, & verum omnium habitatione fundari. . . Hinc in iisdem Actis ipsomet Sanctus Antonius Pachomium Cœnobitarum Autorem, & primum institutorem facit. Quo ego primùm tempore Monachum cœpi agere, nullum usquam extabat Cœnobium, in quo de aliorum salute cura aut metus cuiquam erat. Sed quisque antiquorum Monachorum persecutione jam finitâ, privatim in vita sese monastica exercebat.*

XXVII. De Conventualium Virginum disciplina nunc aliquid est adjiciendum, ut nostræ tandem disputationi finis imponatur. [Conventuales Virgines publicas Ecclesias frequentabant.] Nullum hodie Sanctimonialium est commercium cum hominibus: non audent esse in publico, non unam cum Christianis ad Missas audiendas Ecclesiam frequentant. Propria sunt ipsis sacella, in quibus sacra conficiuntur. Quæ disciplina ab illa Antiquorum maximè dissidet. Claustra quippe sua Sanctimoniales exibant, ut in Ecclesia, cum Christianorum grege sacris adessent. Verba sunt hæc Athanasii: [Athan. ad Solit. t. 1. 867.] *Vigilantibus nobis in Dominico, Dux Syrianus cum multis legionibus militum supervenit: aliqui militum ad prædam conversi, Virgines denudarunt, quibus formido vel minimi tactus ipsâ morte gravior erat.* Similiter Comite Heraclio concitante, juvenes qui colebant Idola, *Sacra Virginum corpora conscidunt, injectâque in vestes manu trahunt, capita denudant.* Verbis Ambrosii nil nubis obtendi potest, sic lapsam Virginem compellantis: [Ambr. ad Virg. Cor. c. 6.] *Quomodo in actu illo ignominioso non venit in mentem habitus Virginitatis, processus in Ecclesiam inter Virginum choros? Nonne vel illum locum tabulis separatum in quo in Ecclesia stabas, recordare debuisti, ad quem religiosæ Matronæ certatim currebant, tua oscula peten-*

petentes. Hinc discimus, Virgines non captivorum more, Claustris suis, veluti carceribus claudi, verùm ad locum sibi in Ecclesiæ dicatum adiisse, feminis pervium, ad ipsarum oscula festinantium. Subjiciantur & verba Hieronymi ad Demetriadem: *Quæ vivunt in Monasterio, nunquam sola, nunquam sine matre procedant. Scio ego Sanctas Virgines, quæ diebus festis, propter frequentiam populorum pedem cohibeant.* Illæ ergo sanctæ Virgines extra festa Ecclesiam frequentabant, aliæ verò quæ scrupulorum hujusmodi aculeis non pungebantur, à populorum multitudine, Templorum ingressu non prohibebantur. His accedat Augustinus: *Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis quò itis, simul state. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris nil fiat, quod illiciat cujusquàm libidinem, sed quod vestrâm decoat sanctitatem. Oculi vestri etsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem. Quando ergo simul estis in Ecclesia, & ubicunque ubi & viri sunt, invicem pudicitiam vestram custodite.* Lapsu temporis sua Sanctimonialibus sacella fuere, in quæ probus Sacerdos ingrediebatur, Missæ celebrandæ, quâ confectâ subinde recedebat. Id statuit Epaonensis Synodus c. 38. *Monasteria puellarum, nonnisi probata vita & ætatis provecta, ad quascunque earum necessitates, vel ministerationes permittantur intrare. Ad faciendas verò Missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt. Aliàs autem nec Clericus, nec Monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi hoc aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere.* Videatur & Novella Justiniani CXXIII. c. 36.

Hier. Ep. 8.

August. Ep. 109.

Clerici in Monasteriis olim pernoctabant.

XXVIII. Non severitatis hujus repagulis valvæ Monasteriorum olim claudebantur, non clathris cellularum fenestræ muniebantur. Fas erat Virginibus, uti servorum ad eas accedentium ministerio. Testis historia Palladii: *Virgo nobilis* summam *inter fœminas* continentiam coluerat, *posteà autem à divino deserta auxilio, propter summam superbiam lapsa est, & apertâ cellulæ fenestrâ admisit eum qui ei serviebat, & cum eo fuit commixta.* Clericos etiam ad pernoctandum in Monasteria admittebant, quod de Eleutherio narrat Gregorius M. in Dialogis: *Quâdam die, dum iter carperet, facto vespere, cùm ad secedendum locus deesset, in Monasterium Virginum devenit, in quo quidem parvulus erat, quem malignus spiritus omni nocte vexare consueverat. Sed Sanctimoniales fœminæ ut virum Dei susceperunt, eum rogarunt dicentes, Tecum, Pater, hâc nocte puer ipse maneat.* Mos ille octavo seculo adhuc invaluerat, eumque suo Canone Constantinopolitani Patres perstringunt: *Nec mulier in virorum Monasterio, neque vir in mulierum dormiat.* Ea libertas meritis vinculis est onerata, ne in abusum cederet. Hinc Canon Turonensis Synodi tertiæ, imperante Carolo M. celebratæ: *Presbyteris, Diaconibus, cæterisque Clericis, infrà claustra Monasteriorum puellarum non sit concessum habitare. Neque enim intrent Monasteria, nisi tempore quo Missarum solemnia celebranda sunt; vel alia qualibet Ecclesiastica officia peragenda, quibus peractis statim egrediantur.*

Lauf. c. 34.

Greg. Dial. l. 3. c. 33.

Quin. c. 47.

Turon. 3. c. 29.

Virgines bonis suis olim utebantur.

XXIX. Denique sacris Virginibus non licet hæreditatem adire aliquam, aut ullos sibi hæredes scribere, quia suâ professione bonorum omnium proprietatem abdicant, quasi Reipublicæ, hominumque societati mortuæ. Antiquæ verò Sanctimoniales bonorum suorum usum habebant, quod constat ex Hieronymo, parentes illos suis censuris vexante, qui sacris Virginibus pauca dabant: *Quod nuper*, inquit, *in hac urbe dives quidam fecit Presbyter, ut duas filias in proposito Virginali inopes relinqueret.* Bonorum ergo patris sui debitâ sibi parte non excludebantur. Aliud exempli, quod & magis probat, offert Hieronymus: *Fertur, & omnium Christianorum laude celebratur, quidquid fuerat nuptiis præparatum, à sancta Christi Lynoride Virgini traditum, ne sponso fieret injuria, imò ut dotata pristinis opibus veniret ad sponsum, & quod in rebus mundi periturum erat, domesticorum Dei sustentaret inopiam.* Monasteriorum ævi sui Augustinus magnum posteris monumentum reliquit. Ex ipsius autem Epistolis novimus, Virgines bona sua in Monasterium afferre: *Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingressæ sunt in Monasterium, libenter velint illud esse commune. . . Et si eisque venerunt ex moribus delicatioribus ad Monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, stramentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus & ideò felicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua seculari vita illa ad istam descenderint.* Celebratur quoque à Palladio factum *Demetrii*, viri & virtutibus, & opibus abundantis, qui cùm testamentum scripsisset, sororibus Virginibus nil pecuniæ, nil bonorum reliquit. Christo eas commendavit, dicens: *Deus qui vos creavit, vobis etiam providebit, sicut & mihi.* Nemo quidem hodie fratrem miraretur ad plures abeuntem, qui sororibus religiosam in Monasterio vitam agentibus, nil suo testamento legaret. Mirandus potius si faceret, quasi mortuis donaret. Pertinet & eò loci Gregorii M. narratio. Invito patre Spoletana quædam puella Virginitatis voto caput suum onerarat. Indutam Sanctimonialium veste filiam, pater bonorum suorum expertem esse voluit, *Nihilque ei aliud nisi sex uncias unius possessionis* reliquit. Die quodam dum Eleutherius apud Virginem sedens, de divinis eloquiis cum ea loqueretur, *Repentè ex eodem fundo, quem in sex uncias à patre perceperat, cum xeniis rusticus venit.* Tot argumentis accedant Imperatorum Constitutiones. Quibus luce clarius est, Monachos Sanctimonialesque testabiles fuisse. Extat Lex Theodosii anno CCCCXXXIV. lata: *Si Monachus aut mulier, quæ solitariæ vitæ dedita est, nullo condito testamento decesserit, nec ei parentes utriusque sexus, vel liberi, vel si qui agnationis cognationisve jure junguntur, vel uxor extiterit, bona quæ ad eum pertinuerint, Sacrosanctæ Ecclesiæ, vel Monasterio, cui fuerat destinatus, omnifariam socientur.* Justinianus de muliere, cui sunt liberi, hæc sancit: *Licitum ei esto, vel post Monasterii ingressum, ut patrimonium suum in filios dividat suos.* Cui Legi illa etiam adjungatur, de viro & uxore: *Si utrique monasticam vitam deligant, jubemus ut dotalibus instrumentis vacantibus, maritus nuptialem donationem retineat, & uxor dotem suam, & si quid aliud præterea marito dedisse probabitur, recipiat, ut unusquisque rebus suis sine damno perfruatur.*

Hier. Ep. 8.

August. Ep. 109.

Pall. Lauf. c. 1.

Greg. Dial. l. 3. c. 1.

Cod. Th. l. v. Tit. 3. l. 1.

Nov. 123.

D I S S E R T A T I O
S E P T I M A.

De Cœlibatu Clericali.

I. DE Virginitate disputationem aptissimè excipiet nostra de Clericorum Cœlibatu diatriba. Eò processit amor continentiæ, ut qui sanctis nuptiarum vinculis impediuntur, etsi in omni re alia viros bonos præstent atque exerceant, fide mysteriorum tenacissimâ, scientiâ Theologiæ exquisitissimâ, observantiâ erga parentes incredibili, charitate in pauperes ardentissimâ, temperantiâ à voluptatibus ebrietatis & scortationis alienissimâ, à Diaconi vel officio removeantur, veluti prophani, si uxorum notitiam habeant, cùm crebrò nimis asini ad lyram ornentur Episcopatu, modò à nuptiarum fœdere abhorreant. Castum quidem Cœlibatum debitis laudibus absit, ut fraudemus unquam: *Beata species est & digna Deo.* Facit ad diligentiorem expeditioremque Ecclesiæ gubernationem; aleos & generosos spiritus magis excitat; ab humilioribus cogitationibus ad magnas retrahit; amorem qui liberis conjungitur, in pauperum curam oviumque institutionem liberius effundi sinit. Verùm ficto Cœlibatui, in quo mens cupiditatibus uritur, corpusque flagitiis polluitur, castum utique matrimonium longè anteponimus. Neque displicet ea, quæ apud Sulpitium legitur, B. Martini sententia. Martini ante oculos prata versabantur, quæ boves ex parte depaverant, porci & nonnulla suffoderant: pars cætera quæ manebat illæsa, diversis floribus, quasi picta vernabat: *Speciem*, inquit Martinus, *gerit pars illa conjugii, quæ pecore depasta, etsi non penitùs gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa verò quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterùm illa portio quæ nullam sensit injuriam, gloriam Virginitatis ostendit; herbis fœcunda luxuriat: fœni in ea fructus exuberat, & ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat.* Profectò Paulus non obscurè Cœlibatum matrimonio antetulit. Et Apostolos post adjunctum munus, eò conditionis provexit, ut uxorum usu non indigerent, quò facilius expeditiusque ubique locorum Dei Religionem mortalibus ministratum irent.

Sulp. Dial. 2. c. 11.

Nùm Apostoli cum uxoribus consueverint?

Dodw. de An. Pr. Rom. Ep. Diss. 2. c. 6. n. 10.

II. Eruditissimo Dodwello alia stat animo sententia. Nempè Apostolos suo jam munere ornatos, cum uxoribus consuevisse, putat esse *verisimillimum.* Quin etiam opinionis est ejusmodi: *Celsissimis Apostolicæ Ecclesiæ locis, illos qui Dominum ipsum cognatione contigerant, fuisse conjugatos. Cùm enim hæreditaria illis esset urbis Hierosolymitanæ Præfectura, tam longè aberat ab eo, ut illos dedoceret tori conjugalis usum, ut fuerit etiam semini sancto propagando planè necessarius.* Nobis verò diversa potius insidet menti sententia. Scilicet Apostolos post illapsum Spiritus Sancti, omnem prorsus venerem abdicasse. Ac homines quidem esse nonnullos, qui *seipsos castrarunt propter regnum Cælorum*, à Servatore docemur; quem locum de Apostolis præcipuè capiendum esse non dubitamus. Quippe Apostolatus cælestium donorum omnium cumulum complectebatur pro muneris amplitudine, ac propè immensâ Spiritus indulti copiâ. Sed nec superfluum erat in Apostolis conjugalis abstinentiæ charisma, partim ut liberius expeditiusque suo muneri vacarent, à quo usus matrimonii ipsos nonnihil revocasset, partim ut exemplum pingerent oculis omnium vis cælestis, quâ in summum penè virtutis gradum evaserant. Equidem sedulò cogitanti, quantum laboris Apostolis impositum, quantum terrarum peragrandum, quantum vinculorum crebris in carceribus ferendum, quantum molestiarum injunctum, verosimillimum fiet, Apostolos continentiæ donum suscepisse, mortalium nullis magis necessarium. Illud verò favoris non frustrà ipsis concedebatur, sed eo fine atque consilio, ut conjugalis copulæ inscii forent ad provinciam suam melius administrandam. Quibus accedit, quòd si operæ aliquid dedissent procreandis liberis, eorum nomina vix oblivioni traderentur Ecclesiasticis custodita monumentis.

Nùm Ecclesiæ Hierosol. Præfectura hæreditaria fuerit?

Euseb. H. l. 3. 20.

III. Quod verò Dodwellus censet, Præfecturam Ecclesiæ Hierosolymitanæ hæreditariam fuisse, ad historiam non satis quadrat. De Judæ nepotibus ad Domitianum perductis, quos ex impresso altè manibus callo terram coluisse constat, hæc refert Hegesippus: *Illos verò ad hunc modum dimissos, Ecclesiis posteà præfuisse narrant, utpote Christi Martyres, simul & propinquos.* Quæ non successionem hæreditariam, sed electionem indicant: cùm martyrium, vel cognatio cum Christo in Judæ nepotibus attendi nil opus esset, si vi natalium suorum Episcopatum sortirentur. Quomodo absque confessione pietatis primogeniti, qui ab Arone genus ducebant suum, Pontificatum gerebant. Similiter in Judæ posteris sola nativitas attendi debuisset ex hæreditatis jure. Ad Ecclesiarum ergo Præfecturam martyrium nil eis contulisset. Neque exempto mortalibus Jacobo, qui frater Domini vocabatur, successit filius, sed Symeon Cleophæ, qui *Justo* decessit, quem proximum Symeonis hæredem credi vix patitur Eusebius: *Symeone quoque ad hunc diem defuncto, Hierosolymitanæ Episcopatus sedem Justus quidam Judæus capessit.* Hæccine, *quidam Judæus*, Symeonis sive filium, aut nepotem, sive proximum hæredem significant? Quidni de jure consanguinitatis Episcopatum largiente mentionem fecit Eusebius? Cùm ex grege Judæorum *innumerabiles* fidem amplexi fuissent, ex illis unus electus est, qui Symeoni sufficeretur, omissâ sanguinis propinquitate. Neque historia Apostolica minimo indicio est, Episcopatum jure hæreditario filiis à patre transmissum esse. Imò ubique locorum docet, electione & consensu Ecclesiæ Episcopos creatos esse. Mos quidem apud Armenos invaluerat, ut illi soli in Clerum ascriberentur, qui Sacerdotali sanguine orti erant. Eum verò disertis verbis abrogat Quin. sexta Synodus c. 33. *Quoniam cognovimus in Armeniorum regione, eos solos ad Cle-*

Euseb. l. 3. c. 35.

rum admitti qui sunt ex genere Sacerdotali... decernimus ut deinceps non liceat ad ejus, cui manus imponitur, genus respicere, sed examinantes an digni sint, eos in Cleri catalogum referri, & Ecclesiasticè promoveri, sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. Itaque tori conjugalis usus sancto semini propagando Presbyteris non erat necessarius. Eo quidem opus erat, stante Mosis œconomiâ, quæ uni familiæ Sacerdotium dicabat. Vigente Evangelio, Ecclesiæ liberum fuit, ex domo qualibet sibi Episcopos creare, modò iis virtutibus pollerent, quæ sunt tanto muneri consentaneæ. Affines quidem J. C. in gerenda Ecclesiæ Hierosl. Præfectura aliis præferri cùm licebat, decentissimum fuit; nec tamen ex eo sequitur, Episcopatum ipsis hæreditarium esse, quem ex sola vel Ecclesiæ, vel Presbyterii electione habuerunt. Non sanè ex ingenii acumine aut commentis, sed ex Veterum tabulis historia haurienda est. Ubinam verò Dodwellus legerit, consanguineis Domini hæreditariam fuisse Ecclesiæ Hierosol. Præfecturam, juxta scimus ignarissimi.

A quibus injecta Clero Cœlibatus necessitas.

IV. Apostolorum ab uxorum usu continentia, Episcopis, Presbyterisque nonnullis exemplar ad imitandum præbuit. A nuptiarum fœdere temperarunt, ut & liberius sacris vacare, & adversus vim persecutionum, fugæ remedium sibi comparare possent. Ea tamen abstinentia non præcepto quidem Apostolico, non lege ullâ imperabatur. Clericorum relinquebatur arbitrio, cœlibem, vel jugalem ducere vitam, donec Eliberitanis Patribus non multò post extinctam Diocletiani persecutionem, sub continentiæ jugum Clericos mitti libuit: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis, positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Nullo hactenus vinculo Episcoporum circa nuptias violata libertas fuerat. In Hispania palam dabant operam liberis: & quod etiam atque etiam observandum, non queruntur, talibus quas vetant, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum nuptiis, divina jura esse violata: corruptam Ecclesiæ disciplinam: opus esse intermortuam Apostolorum legem revocari. Quas utique rationes attulissent, firmando decreto suo, si novissent Legem ejusmodi. Ut luce clarius sit, præscriptionem Eliberitanorum novam esse, & ab illa antiquam libertatem extingui.

Elib. c. 33.

Siricii de Clericorum Cœlibatu constitutio.

V. Hâc suâ tamen constitutione non multum Cœlibatus necessitatem promoverunt: nec obscuro in ultimis Hispaniis Concilio satis autoritatis fuit, ut Clerum Occidentalem in ipsius decreta jurare cogeret, quibus etiam præsente Hosio, eorum uno qui Legem de Cœlibatu conscripserat, in Synodo Nicæna Paphnutius intercessit. Indulgentius quidem Concilio Eliberitano, Neocæsariense Presbyteros habuit, quibus ductarum ante ordinationem uxorum usu non interdixit. De prisca tamen libertate delibavit sanciendo: *Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine suo removeatur.* Quæ Lex anno CCCXV. composita est. Quod autem ab Eliberitanis attentatum fuerat, Siricius non deseruit. Anno igitur CCCLXXXVI. *in Concilio Episcoporum octoginta, sub die octavo Idus Januarii, post Consulatum Arcadii Augusti & Bautonis*, Legem Cœlibatus Clericis imposuit, iis fretus rationibus: Quòd si *Laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes audiri, quantò magis Sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus?* Quibus addit verba Apostoli, *qui in Carne sunt, Deo placere non possunt.* Quasi verò de puro sanctoque matrimonio Paulus ea prædicasset, quibus consequens fieret; qui uxorum notitiam nubent, illos Deo displicere. Pœnâ delinquentibus impositâ, constitutionem Siricius suam firmari voluit: *Hi verò qui illiciti privilegii excusatione nituntur, & sibi asserunt veteri hâc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè usi sunt, Apostolicæ autoritatis dejectos.* Hìc nobis ascribenda sunt de tribus Clericorum gradibus verba doctissimi Petri de Marca: *Scio tres illos gradus Universalis Ecclesiæ consuetudine ad eam temperantiam astrictos fuisse. Sed multum interest inter consuetudinem, & legem: consuetudo violata, pudore contemptores plectit; Lex verò contumaces gradibus suis mulctat. Paphnutius cum de hac lege, in Nicæno Concilio sancienda ageretur, scilicet ut superioris gradus Clerici ab uxoribus suis abstinerent, ab ea promulganda Patres avertit, relinquendosque consilio suo Clericos hac in parte suasit, cùm satis Cœlibatui prospectum videretur Canone Neocæsariensi, quo cautum est, ne Presbyter uxorem ducat, alioque gradu suo pellatur. Sed quod in Concilio Nicæno tentatum fuerat, ratione temporum suadente, Siricius in necessitatem vertit, & consuetudini vires addidit, pœnis in contemptores inflictis, sedis suæ autoritate.* De necessitate à Siricio inducta, ut doctissimo viro prorsus assentimur, sic de consuetudine, quæ universalis esset, omninò diffidemus, de qua dicemus inferius.

Neoc. c. 1.

Siric. Decr. c. 7.

Marc. Concor. l. 1. c. 8. n. 4.

Siricii decretum renovare Innocentio opus fuit.

VI. Suâ constitutione Siricius Cœlibatum injecto metu non minimum promovit. Nonnulli tamen sive dilectarum conjugum amore irretiti, sive antiqui moris tenaces, libertatem jugo mutari noluerant. Hinc Innocentio, qui quinti seculi subinitia Ecclesiam Rom. administravit, opus fuit Sicilianæ legi robur addere verbis ejusmodi: *Si ad aliquos forma illa Ecclesiasticæ vitæ, pariter & disciplina, quæ ab Episcopo Siricio ad Provincias commeavit, non probatur pervenisse, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cætero incipiant abstinere. Si qui autem scisse formam vivendi missam à Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus abjiciendi, qui post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.* Quod memoriâ custodiendum, Siricianæ, non Apostolicæ Legis meminit Innocentius. Neque Siriciani decreti ignorantiâ, Clericorum incontinentia defendi potuisset, si Apostolorum traditione prohibebatur. Sola ea de causa Clerici matrimonio utentes, gradu suo ejici debuissent, cùm majore observantiâ Apostolorum scita, quàm illa Episcopi Rom. colenda sint. Verùm Apostolorum ævo ignorabatur nuptiarum opus, *opprobrium Sacerdotum* esse, *quod potest jure etiam gentilitas accusare*, nondum eâ pœnâ in Presbyteros matrimonio utentes sancitâ: *Si quis sanè inflatus mente carnis suæ, ab hac Canonis ratione voluerit evagari, sciat se à nostra communione seclusum, & gehennæ pœnas habiturum.*

Inn. Decr. c. 12.

Afri Siricii decretum amplectuntur.

VII. Splendente Siriciani decreti fulgore perstricti Afri, in disciplinam suam Clericorum Cœlibatum admisere. Quod candidè Marca profitetur: *Constat*, inquit, *tunc primùm in Concilio præterito, id est, ad summum anno* CCCLXXXVIII. *ea de re scriptam fuisse Legem apud Africanos. Atqui Siricii Epistola ad eosdem decreta fuerat, in*

Marc. Concor. l. 1. c. 8. n. 4.

Synodo

Synodo Romana, *anno* CCCLXXXVI, *ut necesse sit post tempora Siriciani constituti, ante annum* CCCXC. *de hac continentia tractasse Concilium Africanum. Cujus definitio ob quorumdam refragationes renovanda fuit, Canone secundo dictæ Synodi Carthaginensis, habita sub Genethlio.* Hæc autem Canonis verba sunt: *Placuit & condecet, Sacros Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod à Deo postulant impetrare. Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & ii qui sacramenta contrectant pudicitiæ custodes etiam se ab uxoribus contineant.* Neque Afri Clerici omnes decreto morigeros se præbuere, tantæ molis fuit, gravi jugo ipsorum humeros adigere. Igitur anno CCCXCVIII. trium & Septuaginta Præsulum autoritate, superior Canon firmatur: *Cùm de quorumdam Clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum priora statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari.*

Cart. 2. c. 2.

Cart. 4. c. 2.

Galli se decreto Siricii morigeros præbent.

VIII. Morigeram se quoque præbuit Gallia Siricianæ constitutioni. Itaque sub annum CCCCLII. Synodus Arelato congregata, Canone secundo sancit: *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse in vinculo conjugii constitutum, nisi primùm fuerit promissa conversio.* Quid rei esset *conversio*, eruditissimum Chamierum latuit. Negat continentiæ promissionem esse, dum Canonem Concilii hujus tertium, qui à gradu Diaconatus Clericio *pro solatio aviam, matrem, sororem, filiam, uxorem conversam* relinquit, explicando sic illustrat: *Hoc loco intelligitur Episcopi, uxor etiam ipsa deberet esse conversa ad Christianitatem.* Explicationi Chronologiam vocat in auxilium: *Tum enim temporis, & dicitur sub Sylvestro hæc habita Synodus.* Sed post quartum seculum Synodum Arelatensem coactam esse constat, etsi certus ejus & annus, & Præses in ignoratione jaceat. Quippe Canone 18. Sancti Martini, & c. 28. Vasensis Synodi anno 442. celebratæ meminit. Est igitur *conversio* continentiæ promissio. Quis Presbyterum unquam ordinavit postquam pollicitus est se idololatriam Christianismo mutaturum? Quid rei sit conversio, abundè testatur Canon 16. aliis 12. Agathensis de Diaconis ordinandis: *Si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissâ, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur.* Agathensium Canon. 23. aliis 39. continentiam quoque Clericis imperat: *Presbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent conjugia.* Anno CLXX. cùm Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi nuptiarum societate conjungerentur, populo in suspicione fuerunt, quòd conjugibus uterentur. Decretum itaque fuit in conventu Turonensi, qui secundus nuncupatur, ut de Clericis unus, in cella ubi Presbyter, Diaconus, Subdiaconus jacebat, lectum collocaret, testis futurus continentiæ. Presbyter qui id mandati neglexerit, triginta diebus communione privatur: *Si inventus fuerit Presbyter cum sua*

Cham. t. 3. l. 17. c. 8. n. 14.

Tur. 2. c. 20.

Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio Clericali, inter Laicos se observare cognoscat, eo tamen permisso, ut inter Lectores in Psallentium choro colligatur. Neque tamen efficaciæ satis habuerunt tot commerciorum nuptialium prohibendorum provisiones. Episcopi ipsi imperio amoris conjugalis succumbebant, promissæ continentiæ immemores. Qua de re extat insigne exemplum apud Gregorium Tur. l. 1. c. 44. *Apud Arvernos post Stremonium Episcopum, primus Episcopus Urbicus fuit, ex Senatoribus conversus, uxorem habens, quæ juxta consuetudinem Ecclesiasticam remota à consortio Sacerdotis religiose vivebat.* Episcopa verò impotenti viri sui cupidine abrepta, nocte intempestâ surgens, domus Episcopalis pulsatis foribus dormientem clamoribus excitat: *Quousque ostia clausa non reseras? Cur conjugem spernis? Cur obduratis auribus Pauli præcepta non audis, Revertimini ad alterum, ne tentet vos Satanas?* Quid plura? intromissâ in cubiculum uxore potitur Urbicus, cui ex illo concubitu filia nascitur.

IX. Vires acquisivit eundo Siricii decretum, non tamen ubique locorum invaluit. Non in Hispania quidem cùm Presbyteris & Diaconis procreantibus liberos, suum retineri munus anno CCCC. concessum sit, teste Toleranorum Canone primo: *De Presbyteris & Diaconis, si post ordinationem filios genuerint, ad altiorem gradum non ascendant.* Seculo undecimo Clerus Anglicanus uxoribus etiamnum miscebatur: itaque Gregorio VII. Papæ opus fuit viribus, nervisque omnibus laborare, ad Sacerdotes uxoribus evellendos, ei tamen est apertè repugnatum, teste M. Paris. *Anno Dom.* 1074. *Gregorius sedit in Cathedra Rom. annis* XII. *mense uno & tribus diebus, qui Hildebrandus vocatus anteà fuerat. Iste Papa in Synodo generali Simoniacos excommunicavit, uxoratos Sacerdotes à divino removit officio, & Laicis Missas eorum audire interdixit, novo exemplo, & ut multis visum est, contra Sanctorum Patrum sententiam. . . Porrò paucis continentiam observantibus, aliquibus etiam causâ lucri ac jactantiæ simulantibus; adhæc hâc opportunitate Laicis insurgentibus contra sacros ordines, & se ab omni subjectione excutientibus, Laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido aurium humore pro sacro chrismate utentes & oleo, in extremo vitæ, viaticum Dominicum, & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ, à Presbyteris uxoratis consecratum, pedibus sæpè conculcant, & sanguinem Domini voluntariè in terram effundunt.* Egregias Legis Siricianæ fructus, quæ sapientiæ quâdam umbrâ tandem cohortem malorum invexit in Ecclesiam:

Clerus Anglicanus seculo XI. utebatur uxoribus.

M. Par. in Wil. p. 8.

Fugere pudor, verumque, fidesque,
In quorum subiere locum fraudesque, dolique.

Gregorii VII. conatibus obruta quidem libertas, sed non penitùs extincta fuit. Anno quippe MCCXXXVI. Londinensis Synodus, ab Ottone Legato Pontificio celebratur, in qua prædicat: *Innotuit nobis referentibus plurimis fide dignis, quòd multi propriæ salutis immemores, matrimoniis contractis clandestinè, retinere cum uxoribus Ecclesias, & Ecclesiastica beneficia adipisci. . . contra statuta Sacrorum Canonum non formidant.*

M. Par. p. 436.

X. Sic totam historiæ Cælibatus imaginem, brevi tabellâ amplexi sumus, ex qua de Baronii sententia judicium ferre licet: *Dicendum conju-*

Cœlibatus Cleri Lege Ecclesiasticâ introductus est.

Bar. An. 58. n. 20.

gatos olim sæpius eligi contigisse, cui tamen lege, ut quantumlibet necessitate cogente ejusmodi assumerentur, consentiente primum uxore, sic electi desinerent prorsus usu conjugii esse viri: atque adeò ut si inventi essent liberis operam dare, redigerentur in ordinem, quod traditione Apostolicâ receptum. Neque in tanta Antiquitatis luce Shelstratum, Pagium, aliosque eruditos, mirari non possumus, quibus Clericorum Cœlibatum ab institutis repeti Apostolicis placuit: *Adeò verum est,* inquit Baronianus Criticus, *ex Apostolico instituto, Presbyteros continentiæ Legi fuisse obstrictos, ut in secundo Carthaginensi Concilio, sub Genethlio anno 390. celebrato, in quo statutum, ut Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant, Genethlius subjunxerit, ut quod Apostoli docuerint, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoque custodiamus.* Ad quæ magnâ elatus lætitiâ exclamat, *Quid clarius?* Nil clarius sanè Genethlium existimasse, dixisse saltem, Clericalem continentiam in Apostolorum decreto, & Antiquitatis exemplo fundatam esse. At non ita perspicuum, vera Genethlium prædicasse, imò stat nobis sententia falsum dixisse. Qui candidè loquuntur Medina, Vasquesius, Petavius, aliique innumeri fatentur, *Ecclesiæ decreto, Clericorum ordinibus continentiam præscribi,* quæ totidem verbis leguntur apud Petavium, Animadversionum in Epiphanium paginâ 345. Qui traditioni Apostolicæ Clericalem Cœlibatum ascribunt, ab errore à Gratiano revocantur: *Cùm,* inquit, *ex Sacerdotibus nati, in summos Pontifices supra legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis conjugiis nati, quæ Sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant, & in Orientali Ecclesia usque hodie eis licere probantur.* In eam quoque sententiam pedibus ivit Scholæ Theologicæ Princeps Aquinas, qui inde colligit, votum continentiæ abrogari posse. Verba Thomæ sunt: *Non est essentialiter annexum debitum continentiæ ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ. Unde videtur quòd per Ecclesiam possit dispensari, in voto continentiæ solemnisato, per susceptionem ordinis sacri.* Ecclesiæ verò decreta infra illa Apostolorum longè subsident, & gravi de causa mutari possunt, cùm Apostolorum leges ubique locorum & temporum firmæ ratæque vigere debeant, quia à Spiritu Sancto manant, fallere fallique nescio, cùm sancienti Ecclesiæ non satis sapientiæ sit, ut incommoda constitutionum omnia prævidere possit, atque vitare. Quibus accedit, quòd vel unus Apostolus toti Siriciano Concilio autoritate antecedat. Pro certo igitur habendum, Cœlibatus Legem solius Ecclesiæ fuisse, quarto duntaxat seculo pietatis obtentu promulgatam, atque stabilitam. Autoritate quidem Hieronymi Clericorum continentiam Baronius ascribit Apostolis: Hieronymus, inquit, *hoc ipsum traditum ab Apostolis, ad Pammachium scribens docet.* Quæ si docuisset Hieronymus, ipsius dicto non magis quàm Genethlii sententiâ moveremur. Opus esset quærere, verumne an falsum prædicarint. At ni decipiantur oculi, quæ Hieronymo tribuit Baronius, in laudato loco non reperiuntur. Hæc dicit Hieronymus Epistolâ 50. *Apostoli, vel Virgines, vel post nuptias continentes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* Hæc innuunt quidem, suo muneri peragendo Clericos cælibes magis idoneos esse; non docent verò Presbyteros liberis dantes operam, jubentibus Apostolis in ordinem esse redigendos.

Pag. Crit. an. 348. n. 4.

Grat. Dist. 56. C. Cenomanensem.

Th. 2. 2. Q. 88. a. 11.

Bar. An. 58. n. 20.

XI. Nostrarum nunc partium est ostendere, non Scripturâ, non ratione, non priorum seculorum exemplo Sacerdotalis continentiæ necessitatem astrui posse. Ac primùm nulla apparent in sacris Codicibus Legis alicujus vestigia, quæ Pastoribus uxorum usu interdixerit. Imò grave est Pauli ad Corinthios præceptum: *Propter scortationes, suam quisque uxorem habeto, & propriam quæque virum habeto.* Generalem sententiam, quæ eorum est omnium qui in scortationis laqueos incidere possunt, quod non solis Laicis, sed Clericis quoque proclive est, Presbyterorum non expers erat Ecclesia Corinthia, cùm illi Epistolam Paulus suam misit. Quòd si ad cælibem vitam ipsos vocasset, distinctione opus erat: *Propter scortationes suam quisque Laicorum uxorem habeto.* Neque quam laudat nuptiarum continentiam, ulli Presbyterorum imperat. Post quinquagesimum nonum Æræ Christianæ annum exaratæ sunt tam ad Timotheum, quàm ad Titum Epistolæ, in quibus quales Episcopi esse debeant, corpore, animo, vitâ à Paulo docetur. Quòd si tori conjugalis abdicatio ex Episcopi requisitis unum censetur, prodigio est, nil à Paulo de illa præceptum esse. Probi igitur Pastoris munia ille implevisse censendus est, qui licet suâ uxore non abstineat, irreprehensibilis est, temperans, compositus, aptus ad docendum, hospitalis, non vinosus, non percussor, non turpem quæstum faciens, qui æquum se omnibus præstat, alienum à pugnis, abhorrentem ab amore pecuniæ.

Necessitas Cœlibatus Scripturâ & ratione impugnatur.

Profectò non est cur cubile impollutum & honestum Episcopali officio adversari censeatur. Tatianus quidem Encratitarum pater, in toro jugali aliquid impuritatis imaginabatur, cujus ad sententiam Siricius proximè nimis accessit. Verùm in ipso conjugali actu nil vitii esse apertè Paulus significat, dum *tori immaculati* meminit. Quippe actus ille comparatur, & ad propagandam mortalium Christianorumque societatem, & ad vim concupiscentiæ comprimendam, qui fines nulli vitio subsunt. Idcircò Clemens Alex. delicatum Tatiani fastidium arguit: *In moderato autem matrimonio intercedit consensio, & ad precationem continenter deducens, & ad procreandos liberos cum honestate concilians.* Tantum abest quod actui conjugali ulla turpitudinis macula adjungi debeat, ut Apostolus sacrum ei respectum affigat: *Qui duo erant, fiunt una caro; mysterium hoc magnum est.* Quod etiam fatetur Augustinus, qui in eo actu matrimonii complementum statuit: *Non est perfectum conjugium sine commixtione sexuum.* Illud ipsum uno ore fatentur Scholastici. Lombardus: *Ut enim inter conjuges conjunctio est secundum consensum animorum, & secundum permixtionem corporum, sic Ecclesia Christo copulatur voluntate & naturâ, quia idem vult cum ea, & ipse formam sumpsit de natura hominis.* Bellarminus: *Si desit copula, significatio quædam deerit, non tamen omnis significatio, & ideò conjugium illud sacramentum quidem erit, sed aliqua ex parte imperfectum, & non consummatum.* Estius: *Fatendum matrimonium mutuo contrahentium consensu firmatum, perfectum esse perfectione primariâ, quia veram habet matrimonii rationem, at non perfectione secundariâ, quo ad usque copula carnalis accesserit.* Ut mirum sit,

Strom. l. 3. 335.

Aug. Sol.

Lomb. l. 4. D. 26. F.

Bellarm. de Matr. l. 1. c. 5.

Est. l. 4. Dist. 26. n. 13.

inve-

inveniri Christianos, qui veluti Sacerdotalis dignitatis labem, matrimonium inhibuerint, cujus ipse actus sacri mysterii adumbrationem refert. Denique cùm donum continendi mortalium sit omnium viribus editius, neque petentibus ad illud concedendum, Deus ullâ se promissione astrinxerit, cui sit verosimile Apostolos cum Episcopatu adeò firmissimis vinculis Cœlibatum copulasse, ut vel matrimonio, vel Episcopatu sit prorsus abstinendum? Sapienter de

Chrysost. de Virg. c. 4. p. 229.

Virginitate Chrysostomus: *Virginitatis autem flos nullo modo apud Ethnicos floruit, in qua semper concesserunt nobis primam dignitatem, ingenuè fatentes rem supra naturam esse, & non humanam.* Veta hæc esse, tot Virginum ruinæ, tot Clericorum lapsus satis superque testantur. Gravissimum onus, jugo Mosaico longè intolerabilius, Episcoporum capiti ab Apostolis impositum esse quis credat?

Ex antiquitate Clericalis continentiæ necessitas refellitur.

XII. Scriptura ratioque nobis auditæ, audiatur etiam de Clericorum matrimonio Veteris Ecclesiæ disciplina. Illustrissimus est & in eam rem disertissimus Clementis Alex. locus, qui nullâ arte obscurari potest. Quem si Baronius Pagiusque attendissent, temerè non prædicassent, *ex Apostolico instituto* Presbyteros continendi legi fuisse obstrictos. Egregium verò Apostolorum institutum nobilissimæ Ecclesiæ Alexandrinæ non incognitum modò, sed disciplinæ etiam quam tenebat prorsus contrarium!

Strom. l. 3. 338.

Audiatur Clemens: *Quin & unius quoque uxoris virum utique admittit, seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu Laicus, utens matrimonio citra reprehensionem.* Neque obiter, aut semel illud à Clemente dicitur. Addatur ex abundanti alius locus, cui lux eripi nequit:

Strom. l. 3. 333.

Sed unusquisque nostrûm habeat, si velit, potestatem ducendi legitimam uxorem in primis, inquam, nuptiis. Quibus Presbyteros designari, tam certum, quàm quod certissimum: *Unusquisque nostrûm*, inquit, atqui Presbyterum agebat Clemens, neque prohibitis Clero nuptiis Sacerdos aliquis dicere potest, unusquisque *nostrûm*, sed unusquisque vestrûm, qui Laici estis, cum uxore conjungi potest. Sed & illis Clemens loquitur, quibus secundæ nuptiæ negabantur, quæ Laicis non prohibentur. Neque ea Clementis interrogatio silentio est prætereunda:

Strom. l. 3. 344.

Quid ad has leges latas possint dicere, qui sationem abhorrent & generationem, cùm Episcopum quoque qui domui rectè præsit, Ecclesiæ ducem constituat. Vicissent Tatiani discipuli, si Episcopis vetitum procreare liberos: & argumentatio Clementina fuisset ludibrio. Regessissent; atqui, ô bone vir, actus generandi tam à virtute & temperantia abhorret, ut Clero qui pietate omnibus exemplo esse debet, Apostolorum mandato prohibeatur. Est ergo Clementis argumentatio à majori ad minus. A procreandis liberis nemo abhorrere debet, cùm eorum gignendorum licentia detur Episcopo. Id ipsum hæc indicant, *qui domui rectè præsit*, cùm ex hodierna disciplina, Episcopa à suo viro segregari debeat, ne occasione familiaritatis, & contubernii continentiæ promissionem violet. Diaconorum Cœlibatum, qui perinde atque ille Episcoporum & Presbyterorum præcipitur, ignoravit & Clemens, qui Nicolaum ab Apostolis Diaconi ad munus evectum, libidinis crimine excusatum vult:

Clem. Strom. l. 3. 318.

Ego autem audio, Nicolaum quidem nullâ unquam aliâ quàm ei qua nupserat, uxore usum. Quæ de actu conjugali post susceptum à Nicolao Diaconi munus sunt intelligenda. Secùs ad Nicolaum purgandum nil facerent, cùm ante ipsius electionem virum frugi se præbuerit, incontinentiæque intolerandæ solùm accusetur, postquam Diaconi officio functus est.

Ex Tertulliano necessitas Clericalis continentiæ refellitur.

XIII. Clero nullam ab Apostolis continendi legem impositam esse, docet Tertullianus, vir si quis alius, castitatis amans. De qua librum scribit, ubi ea leguntur capite octavo: *Licebat & Apostolis habere.* Hoc sanè falsissimum est, si continendi necessitatem Episcopis injunxere, quam à se violatam noluissent pessimo prorsus exemplo. Consequentia omninò legitima est. Apostolis concessæ nuptiæ; igitur & Episcopis. Quòd si vel Pamelio concesserimus, hæc non ex persona Auctoris dici, sed eorum qui secundas nuptias inde videbantur comprobare velle, nihilominus argumentum stat firmissimum. Quos Tertullianus Psychicos impugnat, ipsissimi sunt Orthodoxi, quibus Animalium nomen imponebat. Illis ergo persuasissimum fuit, nuptias quæ Apostolico muneri non adversabantur, multò minus Episcopatui esse contrarias. Porro si alia nos Antiquitatis testimonia deficerent, in his tutò acquiescere liceret, quia Clemens & Tertullianus, traditionis Apostolicæ de Cleri Cœlibatu insolentes aut ignari esse non possent. Egregiam scilicet Apostolorum legem, quæ secundo seculo in observatione aut notitia posita non fuit. Ut ex his testibus necessitas continendi, quæ Episcopis, & Presbyteris injungitur, novitati sit ascribenda. Verùm longâ exemplorum serie nubendi libertas est Clero vindicanda, cùm in illis certa sint antiquæ disciplinæ vestigia.

Exempla Episcoporum maritorum.

Clem. pag. 30.

XIV. Clementis Romani Episcopi Epistola, necdum defuncto Nerone scripta, hæc habet: *Uxores nostras, ad id quod bonum est, emendemus.* Hæccine scripsisset Siricius, Clementis cathedræ quidem, sed non disciplinæ hæres? *Uxores nostras*, dixit optimus ille Episcopus, quia Præsulibus vel Romanis conjugatis esse licuit, & verbum *emendemus* indicat Episcoporum cum uxoribus contubernium, quod corrigendi potestati includitur. Chæremonem Eusebius Episcopum memorat, civitatis quæ dicebatur Nilus:

Euseb. H. l. 6. c. 34.

Hic in Arabicum montem unà cum uxore sua cùm confugisset, nunquam rediit. Nec de Philoromo, & Philea Thmuitensis Ecclesiæ Præsule silentium egit:

Euseb. H. l. 8. c. 10.

Hi plurimis consanguineis amicisque obsecrantibus, sed & Magistratibus, atque adeò ipso Judice exhortante, ut sui misererentur, parcerentque liberis & uxoribus, nequaquam adduci potuere ut eligerent amorem vitæ, & leges de confitendo, aut negando Servatore pro nihilo haberent.

Episcopus erat Eupsychius, cujus meminit Athanasius Oratione primâ contra Arianos, quæ imperante Constantio edita est. Vitam porro reliquit Eupsychius, furente in Christianos Juliano, cùm uxorem sibi copulasset, ut ei jam Episcopo mariti nomen cum conjuge accesserit. Testis Sozomenus:

Soz. l. 5. c. 10.

Eodem tempore martyrio vitam finiisse dicuntur Basilius Ancyranæ Ecclesiæ Presbyter, & Eupsychius Cæsariensis Cappadox, nobili ortus genere, qui recens uxorem duxerat, & quasi sponsus erat. Verùm nil potentius in Cœlibatus necessitatem afferri potest, quàm Synesii Ptolemaidis Episcopi testimonium:

Synes. Ep. 105.

Mihi igitur & Deus ipse, & Lex, & sacra Theophili manus uxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico, ac testor, neque me ab ea prorsus divelli velle, neque adulteri instar,

cum ea clanculùm consuescere: alterum enim nequaquam pium, alterum illicitum. Sed hoc utique cupiam & precabor, plurimos mihi & quàm optimos esse liberos. Non nos fugit Synesium maximo errore imbutum fuisse, cùm Episcopatum adiit, utpote resurrectioni fidem abrogantem, quam peractâ ordinatione amplexus est, ut observatum Nicephoro. De procreandorum liberorum, quo afficiebatur desiderio, aliquid delibasse, non legitur; nec erroris unquam insimulatus est, quòd & plures in Episcopatu liberos suscipere desideravit, & palam cum uxore consuescere se prædicarit. Peccatum certè corrigendum, si Lex Apostolica perpetuam Episcopis continentiam imposuit. Tanto utique viro constans publicaque Ecclesiæ consuetudo ignota esse non potuit. Atqui nec divinis legibus, nec se Præsule indignum Synesius judicavit, si procreandis liberis operam daret. Itaque non minimum admirationis nobis movet annotatio Valesii: *Valef. Annot. in Socr. p. 72.* *Sacerdotes suâ ætate, ut plurimum Virgines fuisse aut Monachos, testatur Epiphanius, sin minus, certè continentes, idque apertè convincitur exemplo Synesii Cyrenarum Episcopi.* Hem exemplo Synesii! Synesii exemplo demonstratur, Episcopos fuisse continentes! Hoccine est continentem agere, profiteri velle se uti uxore, & gignere liberos? Synesii jam Præsulis dictum atque votum est. Fallitur ergo Valesius, invictoque præsidio nostra sententia cingitur.

Episcoporum liberos procreantium Socratis historia defenditur.

X V. Non soli Synesio, verùm aliis quoque Episcopis in more positum fuit uti matrimonio; cujus consuetudinis Socrates meminit, dum varios Ecclesiarum ritus recenset: *Socr. l. 5. c. 22.* *Ipse porro in Thessalia aliam consuetudinem invaluisse novi, ut ibi qui Clericus fit, si cum uxore quam cùm esset Laicus ducebat, postquam Clericus factus est dormierit, Clericatu abdicatus sit: id adeò cum omnes illustres Presbyteri in Oriente, & Episcopi etiam, modò ipsi voluerint, nullâ Lege coacti, ab uxoribus abstineant. Nam non pauci illorum dum Episcopatum gerunt, etiam liberos uxore legitimâ procreant.* Quo insigni loco apparet de Episcoporum continentia nullam ab Apostolis Legem fuisse promulgatam, quam si novissent quinti seculi Patres, Episcopis utique liberos suscipientibus, veluti Apostolorum decretorum violatoribus munus abdicassent. Patentisne mendacii Socratem damnabunt Latinæ consuetudinis Patroni? Atqui ea prodit, quorum ipse testis oculatus fuit. Nùm apertæ falsitati sciens prudensque famam prostituere voluisset; cui bono, aut consilio tam impudens mendacium adversus se protulisset? Quis Veterum Socratem in ea re falsi accusat? De filiis Episcoporum eadem quoque Nicephorus habet.

Objicitur Epiphanius, Orientalis Ecclesiæ consuetudinis certissimus testis: *Epiph. H. 59. n. 4.* *Quin eum insuper qui adhùc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit vir uxoris, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus; quod in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.* Atqui verba hæc Epiphanii Socrati plurimùm favent; ex quibus apertè liquet, non ubique locorum Ecclesiis morem esse, Episcopos creandi & Presbyteros, qui omnem sibi uxorum usum abdicassent. Quidam benigniore faciliorque disciplinâ utentes, torum conjugalem Episcopis permittebant. Neque aliud innuit Epiphanii exceptio: *Id in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.* Profectò Epiphanium ipsum confitentem habemus, Clericos multos palam & apertè opera conjugii exercuisse, utpote qui hæc sibi objicit: *At dices, mihi, quibusdam in locis, filios gignere Presbyteros, Diaconos, aut Hypodiaconos: at non est juxta Canones, sed hominum mentem quæ per tempus elanguit.* In illis ergo regionibus, vel urbibus, ubi severiores Canones non erant in usu, Episcopi & Presbyteri admittebantur absque continendi promissione. Rudera hæc erant priscæ libertatis, quæ alibi Canonum recentiorum severitate abrogata fuerat. Neque legem divinam memorat Epiphanius, sed Canones Ecclesiasticos, quæ non minimum discrepant. Ab illis ergo Canonibus, non à præcepto Apostolorum continentis Sacerdotalis ortum habuit. De Hieronymo multum gloriatur Petavius. Epiphanii autoritati *Petav. Animadv. ad Epiph. p. 345.* *par est*, inquit, *ac geminum Hieronymi testimonium illud adversus Vigilantium, qui in hoc tempore nostrates Hæretici, Clericorum castimoniam oppugnabant. Quid facient, inquit, Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti & sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt aut continentes, & si uxores habuerint, mariti esse desierint.* Verba hæc esse Hieronymi, ingenuè fatemur. Neque etiam negamus, de Clericis multos fuisse, sive amore continentiæ, sive laudis cupidine permotos, qui à maritorum officio sese cohibuerant. Liberam tamen fuisse ipsorum continentiam contendimus, cùm certum sit & in Oriente, & in Ægypto Episcopos & Presbyteros fuisse, qui liberis dabant operam, uti testibus Clemente Alex. Synesio, Socrate planum fecimus. Quibus etiam liquet, exaggeratam esse orationem Hieronymi. Ac sanè integrum fuisse Nazianzeno Doctore Hieronymi uxorem sibi adjungere, ex ipsius verbis colligimus, quibus calumniatoribus sic respondet: *Naz. Or. 27. 468.* *In gratiam porro cum veritate redeant, qui nos alienam uxorem expertivisse ajunt, cùm ne propriam quidem habere voluerimus.* Neque uxoris nomine Ecclesiam intellexisse videtur. Incongrua est, ne profana dicatur appellatio hæc. Christi, non Episcopi Ecclesia sponsa est, neque cum ullo vero Episcopo Ecclesia Constantinopolitana conjungebatur, cùm ad eam informandam Gregorius adiit. Neque *sponsa*, sed *uxoris* vocem usurpat. Quam cur sibi matrimonio non copularit, ipsius arbitrium sola causa fuit, non Lex aliqua, cui obtemperare teneretur.

An Nazianzenus & Cæsarius nati patre Episcopo?

X V I. Candidis pectoribus verique amantibus exemplorum jam satis foret, nisi Baronii præjudiciis tractare cogeremur, nùm celebris ille *Gregorius* Nazianzenus, aut saltem ipsius frater *Cæsarius*, patre *Gregorio* jam Episcopo sati fuerint? Gregorio seniori nil erat masculæ prolis, quæ Nonnæ ipsius uxori maximè in optatis fuit. Sanctæ feminæ votis tandem aliquando Deus annuit. Primo partu Nazianzenum, secundo Cæsarium suscepit. Quæstionis igitur est, nùm Gregorius Nonnæ maritus jam Sacerdotem ageret, cùm Gregorium, Cæsarium saltem filium genuit? Negat Baronius, ex præjudicio Sacerdotalis continentiæ ab Apostolis constitutæ. *Bar. An. 371. n. 102.* In ipsius sententiam nos adversarios intendimus, quam si everterimus, constabit virum sanctum ab optimo Episcopo genitum.

Gregorius pater, errore Hypsistariorum deposito, ad sacrum baptismum accesserat; nec

multò

Naz. Or. 19. 296. multò pòst inter Presbyteros allectus est: *Sacerdotium suscepit non ea facilitate, & confusione, qua nunc viget, sed pauco interjecto temporis spatio, ut purgationi accederet purgandi peritia, & facultas.* Non dudum deinde fuit, cùm Presbytero Episcopale munus accessit ex miraculo, quod cum Gregoriano baptismo conjunctum esse traditur. Nempè illum ex aqua egressum, lumen circumfulget, quo permotus ille qui Gregorium baptizarat, Gregorium in Episcopatu sibi successurum palam & apertè prædicat, quod non post longum tempus contigit, observante Eliâ Cretensi: *Paululum enim temporis intercessit, cùm ille quidem ad Cœlum migravit, hic autem ipsius successor creatus est.* Gregorium verò jam Sacerdotalibus sacris operari, cùm filium primogenitum edidit, testantur Nazianzeni carmina, quem pater sic alloquitur:

Naz. Vit. p. 9. *Nondum tot anni sunt tui, quot jam in sacris*
Mihi sunt peracti victimis.

Præsul ergo Gregorius Nazianzenum genuit.

Ad Gregorii locum responsiones Baronii expenduntur. XVII. Quid ad hæc Baronius? *Id hyperbolicè dictum.* Quamobrem, aut quibus argumentis ostenditur hyperbole? Nempè *generare filios in Episcopatu, procul à moribus Ecclesiasticis esset, tamque in Occidentali quàm etiam in Orientali Ecclesia, hoc potissimum seculo firmiter custoditum.* Subtiliter, scilicet id quod est in controversia, fit eruditissimo Purpurato argumentum. Illud tamen Baronii, *hoc potissimum seculo*, non mirari non possumus: cùm si Apostoli uxorum usu Episcopis interdixere, non quarto potius, quàm primo, secundo, tertiove seculo, ea Lex observata est. Imò magis est prioribus seculis ei traditioni obtemperatum, ob magnam pietatem, quâ Christiani inflammabantur, quæ currentibus annis non minimum deferbuit. Quasi verò languidior disciplinæ & temperantiæ cura Justinos, Clementes, Cyprianos affecisset, quàm Siricios & Hieronymos? In versibus Gregorii filium compellantis, hyperboles nil esse, reipsâ ostenditur. Cui bono hyperbole, quæ dedecori Gregorio fuisset cùm violatam, si Diis placet, Apostolorum traditionem mireretur? Nùm sapientia est, turpem usurpare hyperbolem, quæ sit offensioni auditoribus? Egregiam verò hyperboles materiam! Verè ergo diuturnitatem sui Episcopatus repræsentat, ut potentius argumentum, quo obedientem filium facilius efficeret, quia & pater erat, qui justa poscebat, & senex Episcopus, quâ ratione gemina ad obediendum vehementius impellebatur.

Bar. An. 371. n. 102.

At fortiori adhùc argumento hyperbolem confecisse, Baronius sibi videtur: *Testatur namque ipse de se Nazianzenus cùm Athenis esset unà cum Basilio, se fuisse ætatis annorum triginta. Erat autem id tempus quando Julianus Apostata Athenas se contulit, nempè Coss. Constantio VII. & Gallo III. Is est annus Domini CCCLIV. Quòd si tunc erat Gregorius annos triginta natus, fateri opus est, natalem ejus contigisse anno Dom. CCCXXIV. nempe anno ante Nicænum Concilium, quo tempore Gregorius parens Ethnicus adhùc erat.* At ut huic argumento Chronologico virium aliquid esset, Baronio demonstrandum erat, Nazianzenum jam nonum & vigesimum annum evasisse, cùm Athenis in Julianum incidit. Annos natum triginta Nazianzenum Athenis egisse, verum est, cùm illud de se testetur:

Bar. An. 371. n. 103.

Triginta & annos penè tunc exegeram.

Hoc ipso anno incurrisse in Julianum, negamus & pernegamus: nec est verosimile, cùm diu ante tricesimum annum studiorum causâ Athenas venerit: *Lanugo nondum texerat genas, tamen me literarum ceperat fervens amor.* Relictâ Alexandriâ, Athenas se contulit urbem Musis opulentissimam, quam solo anno incoluisse virum scientiæ cupidum, incredibile est. Recta est & sapiens Valesii observatio: *Sciendum porro est, Veteres non raptim ac properanter, sicut nunc fieri solet, sed longo admodum tempore eloquentiæ operam dedisse.* In illo igitur temporis spatio, quod plurium annorum fuit, Juliano Nazianzenus obvius fuit, non illo præcisè anno, ut Baronius fingit, qui Coostantium VII. & Gallum III. Coss. habuit. Quo fundamento everso ruit & argumentum. Cæterùm tantis conatibus Baronius nil promovet. Concedatur Nazianzenum anno CCCXXIV. editum esse. Cæsarius ipsius frater natu minor nonnisi post biennium lucem aspexit, parente ipsius jam Præsule. Centenarius circiter obiit Gregorius pater, ut filius in Oratione panegyrica testatur: *Cum autem centum fermè annos vixisset, ex iisque in Sacerdotio quinque & quadraginta, quæ fere humanæ vitæ mensura est, exegisset, ita demum in bona senectute vitam claudit.* Paterni ergo Episcopatus primo, vel secundo anno Nazianzenus lucem aspexit, si verum prædicat in suis carminibus: Naz. Or. 19. 313.

Nondum tot anni sunt tui quod jam in sacris
Mihi sunt peracti victimis.

Quæ cum Papebrochii, Pagiique, de Nazianzeni anno natali opinione non consentiunt, quem initio quarti seculi vindicant. Sed de ea quæstione suo loco egimus.

XVIII. Episcopos gignendis liberis operam dedisse, multis exemplis probavimus, unum addatur de Presbyteris, quibus non minus quàm Episcopis uxorum continentiam Siricius injunxit. Presbyter erat *Novatus*, non Episcopus, ut Petavio, Baronioque creditum. Atqui nefarius ille Africanæ Ecclesiæ fax & turbo jam ad Sacerdotium promotus, uxoris implevit uterum, quod nisi pudore omni posito negari nequit. De nefario homine verba sunt Cypriani: *Uterus uxoris calce percussus, & abortione properante, in parricidium partus expressus.* Ea flagitia narrantur, quæ à Novato in Presbyteri munus allecto sunt perpetrata; cùm incredibile sit, hominem tot sceleribus coopertum, ad Presbyteri munus suscipiendum electum fuisse. Illa ergo crimina ipsius ordinationem excepere. Hinc Cyprianus: *Hanc conscientiam criminum jam pridem timebat, propter hoc se non de Presbyterio excitari tantum, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat.* Pellebantur Sacerdotio flagitiosi ob facinora, quibus se in eo munere polluerant, ut vix relinquatur dubitandi locus, quin Novati uxor à marito Presbyterum agente gravida facta fuerit. Hoccine criminis dissimulasset Cyprianus, antiquæ disciplinæ custos & vindex acerrimus? Vel una ea de causa Novatus exauctorari debuisset, si contra Apostolorum Leges uxoris suæ notitiam habuisset. Id à Cypriano non ipsi objicitur, quia libera solutaque erat Presbyterorum ab uxoribus continentia. Quin etiam ætate Hieronymi, qui totis viribus stabiliendo Siricii decreto inserviebat, Episcoporum nonnulli ei intercedebant, teste ipso adversus Vigilantium Hieronymo: *Pro nefas Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint; nulli cœlibi creden-*

Presbyteri gignendis liberos.

Cypr. Ep. 49.

Hier. adv. Vigil. t. 2. 158.

credentes pudicitiam, imò ostendentes quàm sanctè vivant, qui malè de omnibus sine suspicantur, & nisi pregnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Ex tot exemplis liquet vanam esse subtilitatem diximus, an iniquitatem Shelstrati, Pagiique, qui *Pearsonium* Protestantesque eò necessitatis, adducunt, ut ostendant *ad Sacerdotium promotos, posteà usos esse matrimonio.* Id nos certis & locis & exemplis demonstrasse confidimus. Sed nil eâ necessitate quæ nobis injicitur, iniquius. Chæremonem, Philoromum, Phileam Episcopos cum uxoribus vixisse faimus. De eorum verò matrimonio quidni ex jure communi censere licebit? Si de Laicis scribitur eum conjugibus vitam ipsos socialem duxisse, & in eodem tecto, quis sibi continentiam finget animo? Nisi ergo in Sacerdotales nuptias exceptio incidat, quâ de more omnium consensu firmato, derogatum sit, de Clericorum perinde atque Laicorum matrimonio, eodem judicio pronuntiandum. Est ergo Siriciani decreti patronorum ostendere, annexam esse jure divino Clericorum nuptiis continentiam, exceptionemque viguisse prioribus Ecclesiæ seculis. Illud affirmantium partes sunt probare, non negantium, quibus satis est, eam exceptionem sive in Scriptura, sive in Patrum monumentis, qui quarto seculo antecedunt, nullo vestigio reperiri. Cùm igitur matrimonii usus in honestis habeatur, ac Prophetarum exemplis firmetur, Episcoporum quod legitur matrimonium ab illo Patriarcharum & Prophetarum non dissideat necesse est, nisi Lex appensa sit discriminis causâ, quæ adducenda est, non fingenda. Neque justum, antiquos ex recentioribus Ecclesiæ mores existimari, ut prisci ea prohibuisse censeantur, quæ ab Eliberitanis Patribus & à Siriciana Synodo dein vetita sunt. Criteria Apostolicæ traditionis à Vincentio Lirinensi proferuntur: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus est observatum.* Ad hanc regulam Sacerdotum Cœlibatum revocari faciles patimur. Certum est, Græcos non modò, verùm etiam Æthiopicos Presbyteros uti uxoribus legitimis. Testis Zaga Zabo, cujus verba sunt: *Et quòd Presbyteri apud nos uxores possideant, ex Paulo accepimus, qui mavult Clericum & Laicum nubere quàm uri.* De Diaconis qui non minus quàm Presbyteri Episcopique nuptiis prohibentur, insignis est Canon Ancyranus x. sub annum 314. conditus: *Quicunque Diaconi ordinati in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt oportere se uxores ducere, cùm non possint sic manere, ii si uxorem posteà duxerint, sint in ministerio, eò quòd hoc illis sit ab Episcopo concessum.*

De subintroductis mulieribus.

XIX. Clerici qui continentiam profitebantur, uxorum loco extraneas sibi mulieres asciscebant, quæ forent solatio. Virgines quoque non rarò Clericos domum recipiebant, in auxilium futuros. Infirmitatem obtendebant suam, rerum suarum curandarum difficultatem, rationesque ejusmodi, quæ mulierum cum Clericis, Clericorumque cum mulieribus contubernium probabili pretextu excusatum irent. Quas Chrysostomus allatas optimè refellit: *Defensore caret, ait virgo, neque virum habet, neque tutorem, neque patrem, sæpè item neque fratrem, & indiget aliquo, qui ei manum præbeat & solitario mœrorem consoletur, & ubique se pro ea opponat adversariis, & ipsam in securitate & portu constituat.* (Chrys. t. 5. p. 257.) Mulieres extraneæ erant, quæ neque uxores, neque concubinæ videbantur, quas non sobolis procreandæ, vel libidinis causâ, sed pietatis vel studio, vel prætextu, Ecclesiastici secum ducebant. Beatam Virginem, jubente Christo, Joannes receperat domum suam. Eo exemplo si creditur Epiphanio, ortum est illud extranearum mulierum contubernium: *Vereor ne hoc ipsum quod dicimus, fraudi sit aliquibus, ad contubernales ac dilectas quas vocant, fœminas retinendas; quod genus pessimo sibi animi errore machinati sunt, fucum inde aliquem, & colorem arcessisse videantur.* (Epiph. H. 78. n. 1.) Ut vel aliquid habitationi obtenderetur, dulcia sibi nomina imponebant, quæ naturæ sanguinisque vinculo adumbrarent. Hinc Sororum Fratrumque ortæ appellationes, ut Hieronymo monemur, scribenti ad Eustochium: *Frater sororem Virginem deserit, cœlibem spernit Virgo germanum, fratrem quærit extraneum. Et cùm in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spiritale solatium, ut domi habeant carnale commercium.* (Hier. Ep. 22.) Si verum volumus, eâ ratione Clerici Virginesque retentâ palam & publicè continentiæ famâ laudeque, privatis sæpè libidinibus indulgebant. Quibus sanè dicterium Martialis conveniebat:

Fratrem te vocat, & Soror vocatur. (L. 2. Epigr. 4.)
Cur vos nomina nequiora tangunt?

Sic ait:

Dulcia fraterno sub nomine furta tegebant.

Amorem castum pulchro charitatis nomine ostendebant, domi inconcessis voluptatibus indulgebant. Mulieribus ejusmodi *Agapetarum* & nomen impositum, non ab *Agapis* Christianorum, non præcisè ab ἀγάπῃ, sed à Græco verbo ἀγαπάω deductum. Græcum nomen Latinitate donavit Hieronymus in sua ad Eustochium Epistola: *Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imò unde novum concubinarum genus? Plus inferam, unde meretrices univiræ, eâdem domo, uno cubiculo, sæpe uno tenentur & lectulo, & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimemus.* (Hier. Ep. 22.) Origeniani qui de incesta sua venere palam gloriabantur, *illos Clericos accusant qui ἀγαπητὰς dilectas, Agapetas quas vocant, & contubernales asciscunt.* (Epiph. H. 63. n. 2.)

Agapetarum exempla.

XX. Agapetæ ejusmodi Clericorum lecto utebantur, quod Cypriani ad Pomponium in Epistola legitur. Virgines quæ propositi tenaces esse decreverant, *Detectæ sunt posteà in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, ex quibus unum Diaconum esse dicis.* (Cypr. Ep. 62.) Agapetarum quoque societate gaudebat Paulus Samosatenus, in quem ea de causa Concilium Antiochenum meritò invehitur: *Quid hic referre attinet subintroductas, ut Antiocheni vocant, mulieres, tam ipsius, quàm Presbyterorum ejus ac Diaconorum.* (Euseb. H. l. 7. c. 30.) Quin etiam pietate abundantes Episcopi, animo quidem non malo, sed imprudente tamen nonnunquam mulieres ejusmodi domi habebant, quod de Episcopo, qui Confessorem agebat, memoriæ prodit Epiphanius: *Qui, inquit, in exiguo Palæstinæ oppido multis annis Ecclesiæ præfuit, & contubernales ejusmodi fœminas ad domesticum ministerium habuit, quem nos etiam ex Confessorum numero fuisse scimus.* (Epiph. H. 63. n. 2.) Ejusmodi fœminâ *Paregorius* Presbyter annos LXX. natus, ad ministerium utebatur. Basilius verò neque ætatis, neque præteritæ continentiæ Paregorii ratione habitâ, ei mandat ut mulierem subinde domo ejectam includat Monasterio. Ipsumque ut Niceni Canonis violatorem ab officio suspendit. (Basil. Ep. 198.) de *Andrea* Fundanæ civitatis Episcopo, à Gregorio

Greg. Dial. l. 3. c. 7.

rio M. mentio fit: *Cùm vitam multis plenam virtutibus duceret, seque sub Sacerdotali custodia in continentia arce custodiret, quandam Sanctimonialem feminam, quam secum prius habuerat, noluit ab Episcopii sui cura repellere; sed certus de sua, ejusque continentia, secum hanc permisit habitare. Ex qua re actum est, ut antiquus hostis apud ejus animum aditum tentationis exquireret. Nam cœpit speciem illius, oculis mentis ejus imprimere, ut intellectus nefanda cogitaret.* De tentatione Andræas à Judæo monitus, eam non modò fœminam, sed omnes etiam mulieres domo suâ expulit. Extraneis quoque mulieribus illa apponenda est, quam M. Paris. memorat: *Erat puella quadam in finibus Burgundia generis nobilitate praclara, quam parentes de possessionibus non modicis haredem sibi constituere decernentes, cuidam viro ex illustri prosapia genito nuptam tradere voluerunt. Sed puella qua ab annis puerilibus, studiis fuerat liberalibus imbuta, in secreta cordis puritate Virginitatem suam Deo dedicaverat, parentum clam deserens Palatium, in habitu peregrino, ut se liberius a paternis conspectibus amoveret, contulit se ad contubernium quorumdam fratrum de Ordine Minorum, ubi ipsâ exigente, de illius rigore Ordinis ad plenum erudita, calceamenta deposuit, saccum & cilicium induit.* Si vera fama prædicat, extraneis quoque mulieribus utebatur *Robertus de Arbrussello*, Virginum de Fonte Ebraldi Cœnobii Conditor, vel Procurator. Qua de causâ à Goffrido Vindocinensi Abbate censurâ vexatur: *Audivimus quoniam circa sexum femineum, quem regendum suscepisti, duobus modis altero alteri penitus contrario, te ita sollicitum reddis, quod modo in utroque modum discretionis penitùs excedis. Feminarum quasdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, quibus privata verba sæpius loqueris, & cum ipsis etiam & inter ipsas noctu frequenter cubare non erubescis. Hinc tibi videris, ut asseris, Domini Salvatoris dignè bajulare crucem, cum extinguere conaris malè accensum carnis ardorem.* Nobiliorem sanè victoriam eâ quæ de crucibus, triumphum Martyribus peperit, cùm carnis aculei, utpote menti infixi, sint acutioribus clavis, quibus figitur corpus, longè sæviores.

M. Par. p. 314.

God. Epist. l. 4. 47.

Extraneæ mulieres Clero prohibitæ.

XXI. Porro eas mulieres Clerici secum ducebant, quasi sorores, & ejusdem propositi, quod Ecclesiæ scandalo erat, nec sine flagitii alicujus suspicione. Impurus ille Paulus Samos. duas ætate florentes & formâ conspicuas mulieres secum habebat, quas ubicunque proficisceretur, secum ducebat. Pravæ consuetudini intercessere & Leges Imperatorum, & Conciliorum Canones. Extat Honorii ad Palladium Prætorio Præfectum Lex de extranearum mulierum consortio, Ecclesiasticis interdicto anno CCCCXX. promulgata: *Eum qui probabilem seculo disciplinam agit, decolorari consortio sororia appellationis non decet. Quicunque igitur cujuscunque gradus Sacerdotio fulciuntur, vel Clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant.* Improbæ consuetudinis cursum etiam interpellavere Patres Eliberitani Canone 27. *Episcopus vel quilibet Clericus alius aut sororem, aut filiam Virginem dicatam Deo, tantùm secum habeat; extraneam verò nequaquam secum habeat.* Majori opus erat autoritate quàm Synodo particulari, in extremis penè Hispaniis celebratâ, ut abusus emendaretur. Decretum itaque suum Nicæna Synodus interposuit Canone tertio: *Interdicit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas qua suspiciones effugiunt.* Vis morbi tamen superabat remedia, itaque nulla fusior ampliorque materia ferendorum Canonum occasionem præbuit. In Gallia Agapetas telis suis confodit Arelatense Concilium secundum c. 3. *Si quis de Clericis à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem prater aviam . . . vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur.* In Hispania eas & Agapetas obruit Ilerdensis Synodus c. 15. *Familiaritatem extranearum mulierum licet ex toto Sancti Patres antiquis monitionibus praceperint Ecclesiasticis vitandam, id nunc tamen nobis visum est, ut qui talis probabitur, si post primam & secundam commonitionem se emendare neglexerit, donec in vitio perseverat, officii sui dignitate privetur.* Ne vel ancillas concedunt Clericis Toletani Patres: *Nullus Clericorum, à gradu Subdiaconatus & supra, in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam. Sed si sunt ei hujusmodi servitia, matri, vel sorori, vel alii propinqua contradat, & quidquid manibus suis perfecerit, proprio domino deferatur.* Extraneas & mulieres damnavit Africa in Carthaginensi Synodo Præside Grato anno 348. c. 3. Nullus igitur nullaque sanctimoniæ & virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ, *Si vobis placet, in una domo cum extraneis penitùs commorari debent. Universi dixerunt, qui nolunt nubere, & pudicitia meliorem eligunt partem, hac vitare debent.*

Cod. Theod. c. 6. p. 86.

Tolet. 2. c. 3.

De mulieribus extraneis error Baronii.

XXII. Jam satis Canonum, qui plures desiderat, inspiciat Turonense Concilium primum secundumque, necnon Hispalense &c. Porro ad conciliandam de Clericali continentia Latinorum consuetudini autoritatem, ex magna Synodo Nicæna Baronio argumentum duci placuit: *Dum enim statuit, ne cum Episcopo, Presbytero, & Diacono subintroducta mulieres habitarent, sed tantùm illa quarum nulla penitus esse possit suspicio, quas & recenset, nempe matrem, sororem, aviam, amitamque, quarum admittat contubernium, cùm nec sicut de reliquis excipiat de uxore, sanè quidem non sicut cateras non admittendam, liquidò visa est statuisse.* Quam & Niceno decreto mentem affixere Bellarminus atque Turrianus. Absurdissima prorsus explicatio, quæ primâ Canonis inspectione refellitur. Extraneæ mulieres, ne vel Lectori, aut Minoribus Ordinibus conceduntur: *Nec alicui omninò qui in Clero est, licet subintroductam habere mulierem.* Verba hæc sunt Canonis, quorum intellectum rectè Vasquesius animadvertit: *Patres in illo Canone 3°. non tantùm cum initiatis sacris ordinibus, sed cum toto Clero loquuntur. Quare si usum cum propriis uxoribus prohiberent, continentia praceptum omnibus etiam in Minoribus Ordinibus constitutis indicerent, quod hactenus in Ecclesia etiam Latina non auditum.* Illæ ergo mulieres prohibentur, de quibus suspicio esse potest, quæ in uxores legitimas non cadit. Neque uxor mulier *extranea* dici potest, utpote quæ mariti sui partem carnemque agat. Rufinus quid rei sit *introducta* mulier, optimè reddit, qui sic Canonem interpretatus: *Et ne quis Episcoporum, caterorumque Clericorum cum extraneis mulieribus habitet.*

Bar. An. 68. n. 8.

Vasq. t. 7. Disp. 247. c. 4.

Pauli Samosateni historia quid sibi vellet fœmina *συνείσακτος*, *subintroducta*, Baronium docere potuit. Impurus ille homo duas ætate florentes, & formâ conspicuas mulieres, ubicunque proficisceretur, secum ducebat. Atqui Paulus non erat polygamus: duarum simul uxorum maritum, ne vel Laicum admittit Ecclesia.

Uxores Clericorum continentium olim cum ipsis manebant.

XXIII. Non eo primùm processerat amor continendi, ut uxores Clericorum domo maritorum ejiceret. Quasi sorores dilectissimæ, quæ viris solatio essent, retinebantur. Eadem tecta incolebant Paulinus Nolanus Episcopus, ejusque uxor *Terasia*, tanto digna viro fœmina. De utroque hæc habet Idacius, in Chronico ad Olympiadem CCCI. *Paulinus nobilissimus & eloquentissimus, dudum conversione ad Deum nobilior factus, vir Apostolicus, Nola Campania Episcopus habetur insignis, cui Terasia de conjuge facta soror, testimonio vita beata aquatur & merito.* Talibus exemplis autoritas accessit ex Honorii Imperatoris Rescripto, quo extraneæ mulieres prohibentur Ecclesiasticis. De legitimis verò uxoribus hæc subjungit: *Illas etiam non relinqui, castitatis hortatur affectio, qua ante Sacerdotium maritorum, legitimum meruere conjugium.* Huic disciplinæ assentiebantur Arelatenses, qui introductâ jam continendi necessitate, Clericis facultatem concedunt, suas in eodem domo uxores retinendi: *Si quis de Clericis, à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem prater aviam . . . vel conversam secum uxorem habere prasumpserit, à communione alienus habeatur.* Fuere tamen plures, qui vel pietatis specie, vel ne uxorum consortio ad usum matrimonii permoverentur, non à toro duntaxat, sed à domo etiam uxores segregabant suas. Pars magna sanctitatis, decus & ornamentum Cleri, flos & robur Ecclesiæ in disciplina ejusmodi constituebatur. Sic *Urbicus* Arvernensis Episcopus à suo consortio uxorem removit: Sic *Ursicinus* Presbyter, *ex tempore ordinationis sua, Presbyteram suam, ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere non sinebat.* Ex quibus intelligitur, quantum malorum induxerit Sacerdotalis continentiæ jugum. Quo semel admisso, conjugatorum separatio speciem necessitatis induit, ne occasione familiaritatis atque contubernii promissa continentia violaretur. Huic incommodo non satis cautum videbatur atque provisum, ex Clericorum præsentia, qui in Episcopi sui cella recubabant, quasi custodes pudicitiæ ipsius, cùm ancillarum Episcopæ ministrantium contagione illi etiam pollui possent. Qua de re inspiciendi sunt Canones XII. & XIII. Turonensi secundæ. Quibus accedat Canon Quinisextæ Synodi 48. *Uxor ejus qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, postquam in Episcopum ordinatus est & consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione extructum.* Ut igitur omnis tentationis occasio amputaretur, tecti non minus, quàm tori vincula soluta sunt. Quo facto, vis illata est juri naturæ, quæ marito uxorem dedit, ut esset auxilio.

Cod. Theod. t. 6. p. 86.

Arel. 2. c. 2.

Gregor. Dial. l. 4. c. 11.

Uxores Clericorum ejici vetat Canon VI. Apost. De illo Baronii error.

XXIV. Improbam consuetudinem damnat Canon, qui Apostolicus dicitur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, uxorem suam pratextu Religionis non abjicito, si abjicit, segregator à communione.* De alimentorum suppeditandorum cura, non de liberorum procreatione Canonem Baronius capiendum esse putat, probandæque explicationi autoritate Gregorii M. utitur: *Quomodo quaso*, inquit, *Gregorius id concedat Episcopis, qui scribens ad Petrum, nec Subdiaconos recipiendos esse constituit, nisi qui cum uxoribus anteà acceptis vixerunt continentes.* Verùm neque ea explicatio quadrat ad mentem Canonis, neque exemplum ex Gregorio petitum, erroris est omnis immune. Nullum unquam tam dira barbaraque religio incessit, ut in erepta uxori alimentorum auxiliis, partem pietatis aliquam collocaret. At non toro modò, sed tecto à conjugibus maritos divelli, non paucis flos sanctitatis apparuit, quasi in vita se collocassent, quæ Angelos exprimeret atque redderet. In ea sententia Eustathiani versabantur, docentes nullum eorum, qui in statu conjugali constitueretur, spei aliquid habere apud Deum: *Unde factum ut mulieres multa seducta, relictis propriis viris, & viri uxoribus destitutis, vinculum conjugale dissolverint*, uti Gangrensium Patrum in Epistola legitur. Quid Urbicus & Ursicinus fecerint, cætera Orthodoxi, monuere nos Turonensis, & Romanus Gregorius. Deinde ἐκβάλλειν non significat aliquem alimentis destituere. Verbum est dissolutioni nuptiarum designandæ aptum atque cohærens. Eo sensu legitur apud LXX. de summo Pontifice ἐκβεβλημένην, *ejectam, repudiatam non ducet.* De bono Pastore Christus: *Cùmque suas oves ἐκβάλῃ, emiserit*, hoc est, è stabulis eduxerit. Qui sensus & Apostolico Canoni, est idoneus, cùm quadam sanctitatis specie Clerici tectis suis uxores emitterent, ne à continentiæ proposito dimoverentur, quod laudato Canone prohibetur.

Can. Apost. c. 6.

Bar. An. 58. n. 24.

Levit. 21. 14.

Neque de Subdiaconis Baronius erroris prorsus immunis est. Non nos fugit quidem, ex Ecclesiæ Rom. disciplina uxorum usu Subdiaconia interdici, Gregorius tamen in sua ad Petrum Epistola, non probat eam quæ Siculis Subdiaconis injecta fuerat, continendi necessitatem: *Ante triennium, Subdiaconi omnium Ecclesiarum Sicilia prohibiti fuerant, ut more Romana Ecclesia nullatenus suis uxoribus miscerentur: quod mihi durum & incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentia non invenit, neque castitatem promisit, compellatur à sua uxore separari.* Neque omnes Episcopi Presbyterique, dum muneri suo ascribebantur, continentiam profitebantur.

Greg. Ep. l. 1. 42.

Nùm V. T. Sacerdotibus secundæ nuptiæ prohibitæ? Error Baronii.

XXV. Alius etiam Baronio error est evellendus. Tertullianus continentiæ amore cæcus hæc scripto prodit, de Lege Mosaïca: *Denique prohibet eadem, Sacerdotes denuò nubere:* hinc colligit, Christianis, qui Sacerdotes à Christo nuncupantur, secundas nuptias abdicandas esse. Fœdum sanè turpemque paralogismum, vel concesso Legem à Mose conscriptam esse, de uno Sacerdotum V. Testamenti connubio. At somniantis ineptias Tertulliani commentum est, Lex illa Mosis, quæ prohibet *Sacerdotes denuò nubere.* Crassissimum illum errorem Baronius ex Tertulliano haustum admisit: *Cùm igitur*, inquit, *prohiberet Lex divina Sacerdotes denuò nubere . . . non passus est Apostolus, eos qui assumendi essent in Ecclesiam Sacerdotes esse bigamos, cùm sciret in Legali Sacerdotio fuisse monogamos.* Quid absurdius, & ab eruditione, diligentiaque Baronii remotius scribi potuit? De Sacerdotum nuptiis hanc Deus legem tulerat: *Mulierem meretricem aut profanatam, ne accipiunto, nec mulierem repudiatam à viro suo.* Gemino verò connubio non prohibentur. Quasi verò secundæ illis nuptiæ legitimæ non fuerint, quibus polygamia,

Tertul. de Monog. c. 7.

Bar. An. 58. n. 18.

Levit. 21. 7.

gamia, quæ à Dei institutis abhorret, concessa erat.

Erroris sanè sui monitorem Josephum, & Sacerdotem, & bigamum Baronius habere potuit. Optimi verba sunt Historici: *A Vespasiano latifundium in Judæa accepi dono, quo tempore dimisi uxorem, offensus incommodis ejus moribus, quamvis jam tres ex ea suscepissem liberos. . . . Posteà aliam duxi mulierem Cretensem, genere tamen Judæam, parentibus natam generosissimis.* Tantùm abest, Hebræorum filios Sacerdotum gregalium unas nuptias scivisse, ut vel ipsi Pontifici Maximo secundum adipisci matrimonium fas esse putent. De Joa Rege scribitur, *cùm accepisset ei Jejohada uxores duas.* Quæ de Rege, non Pontifice sunt accipienda, vel interprete Josepho: *Duxitque uxores duas postquam ætate maturuit, conciliante conjugium eodem Pontifice Jejohadâ.* At Talmudici verba Scripturæ non de Regis, sed de Pontificis nuptiis capiunt: *Intelligi potest Jejohadam Pontificem, alteram earum, alterâ demortuâ duxisse, aut divortio separatâ.* Sciscunt videlicet Hebræi, uxorem Pontifici Max. unam simul & semel ducendam esse; hoc est, polygamiam esse ipsi vetitam. Id colligunt ex Levitico 21, 23. אשה *uxorem accipiet*, uxorem singulari numero, non *uxores.* Hinc Maimonides: *Non omninò ei ducendæ erant uxores binæ simul, nam dicitur uxor, seu fœmina singulariter, & non binæ seu plures.* Ac fortè ex malè accepto Levitici loco Tertulliani manavit error, de Sacerdotibus unius uxoris maritis. Quod sphalma crassissimum non admittere, sed depellere Baronius debuit.

Joseph. vit. p. 1031.

Paral. 2. 24. v. 3.

Jos. Ant. l. 9. c. 7.

Sold. Ux. Hebr. l. 1. c. 8.

DISSERTATIO OCTAVA.

De LXX. *Hebdomadibus Danielis.*

CEleberrimum de LXX. Hebdomadibus Danielis vaticinium in ore est Christianorum gregi, nec immeritò. Licet enim omnia quæ ex Spiritus Sancti oraculo funduntur, maximè nobis venerationi esse debeant, ob summam loquentis sapientiam atque majestatem, illud quod Danieli editum est, præcipuâ attentione curâque animi dignum videtur, cùm in eo de adventu Servatoris, quo cælestia bona ad nos perveniunt, fides maximè collocetur, & Judæorum incredulitas, Messiam expectantium suum opprimatur, ut ex pertinacioribus vix ullus hiscere audeat. Ac licet principium finisque Hebdomadarum in quæstione ponatur ab eruditis, Certo tamen certius est, præfixum ab Angelo temporis spatium terminari, cùm ante annos MDC. & amplius Templum Hierosolymitanum, cui Messias præsentiam erat allaturus suam, cum civitate ceciderit, & in cinerea abierit. Vaticinium ergo nobis jucundissimum explicare operæ pretium est, ut illustretur historia, & simul nata ad injuriam Evangelii Marshami interpretatio refellatur. Sic Danieli loquitur Angelus: *Septimanæ* LXX. *definitæ sunt super populum tuum, & super civitatem sanctam tuam, ad consummandam prævaricationem, ad obsignandum peccatum, ad expiandam iniquitatem, ad adducendam justitiam æternam, & ad sigillandam visionem & Prophetiam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum. Scito ergo & intellige, ab emisso de instaurandis Hierosolymis edicto, usque ad Messiam Ducem, Hebdomadas fore septem, & Septimanas* LXII. *rursusque ædificabitur platea, & fossa in angustia temporum. Post Septimanas autem illas* LXII. *exscindetur Messias, cum nihil erit ipsi, civitatem ipsam & Sanctum evertet populus venturi Ducis: eritque illius finis cum inundatione, & usque ad finem belli desolatio maxima* &c.

Dan. 9. 24.

Nùm Lunares, aut Solares Hebdomadæ intelligendæ?

II. Hebdomas est communis dierum septem, vel *Prophetica*, quæ annos septem complectitur. Appellationi causam præbet Dei sermo ad Ezechielem: *Feres iniquitatem domus Juda quadraginta dies, diem unum quemque do tibi pro uno quoque anno.* Neque ea Hebdomas Mosi ignota, qui eam adhibet in calculis: *Numerabis tibi septem Septimanas annorum, septem annos septem vicibus, ita ut tempus septem Septimanarum annorum sint tibi quadraginta novem anni.* De Hebdomadibus non vulgaribus, sed Propheticis oraculum capiendum esse, Interpretibus in confessum venit, cùm quæ ab Angelo narrantur, sesquianni spatio impleri nequeant. Summa ergo annorum CCCCXC. est intelligenda, quæ Judæis significatur, non ut longa temporis mora despondeant animos, verum ut in liberatione à captivitate Babylonica, quam Cyri beneficio egressi fuerant, redemptionem à peccati vinculis, quam sanguine Christi adepturi erant, oculis animisque contemplarentur.

Ezech. 4. 6.

Lev. 25. 8.

Cæterùm hîc in difficilem nodum incidimus, Interpretum cuique solvendum: utrùm de Solaribus, vel Lunaribus annis capiendæ sint Hebdomades? Quippe ne vel pueros, qui nondum ære lavantur, latet, annum Solarem popularem constare diebus CCCLXV. & horis circiter sex, annum verò Lunarem civilem dies continere CCCLIV. Hinc in Hebdomadibus discrimen annorum erit circiter quindecim, pro ratione vel Lunaris, vel Solaris circuli hujus, qui priorem diebus 539. superat. Clarissimus ille Huetius in eximio opere Demonstrationis Evangelicæ sic censet: *Vulgare est ac proclive, ad eorum quibuscum versamur & vivimus, mores & usus nos nostraque componere. Ergo vel anni Chaldaici, vel Medici, vel Persici, formam Daniel observabat, qui anni Solaresne fuerint, an Lunares, incertum planè est.* Quæ plurimam nobis admirationem effecere: cùm admisso annorum Solarium, vel Lunarium incerto calculo, nulla prorsus via superfit explicando oraculo: in dubio semper erit animus, quò se vertat. Placentne anni Solares? Aberrabit à vero calculus, si Propheta Lunares adhibuit, & vice versâ. Præstabat itaque celeberrimam Prophetiam non condi, quàm inextricabilibus ambagibus involutam consignari. Nec salvâ æquitate Deus illorum accusare cæcitatem poterit, qui ad fusum de adventu Christi vaticinium olim caligabant, cùm intelligendi oraculi, cujus notitiam disertè Christus imperabat, nullam invenire regulam possent, animis

Dem. Ev. Propos 11. n. 10.

annos Lunares inter & Solares perpetuò fluctuantibus. Neque doctissimus Præsul sibi constat, qui ex re *incerta* demonstrationem non modò nobis obtrudit, verùm etiam qui adoptatis *Lunaribus* anuis claram expeditamque Hebdomadum explicationem pollicetur: *Facilè id consequemur negotio, si a vicesimo anno Artaxerxis computemus sexaginta novem Hebdomadas, sive quadringentos octoginta Lunares annos.* Miram ingenii solertiam, quæ quod *incertum* planè est, *facili* tamen negotio consequitur.

Huet. Dem. Prop. 9. 669.

Danielis Hebdomadæ sunt Lunares.

III. Ejusmodi sententiæ sumus, absque Lunarium annorum ope Danielis oraculum explicari non posse. Verùm eruditorum non pauci, Lunarum computationem respuunt, in quibus eminent Scaliger atque Petavius, fulgida Chronologiæ sidera: *Dubitari potest*, inquit Jesuita, *utrùm Judæi Veteres, jam tum à Mosis temporibus lunari anno usi sint. . . . Verùm cùm mensium apud Mosem frequens sit mentio, & Paschale festum, ac legitimum agni epulum, decimâ quartâ die mensis ad vesperam celebrari sit jussum, nusquam tamen Luna, lunarisque mensis meminit.* Hem nusquam Moses Lunaris mensis meminit! Quid igitur fiet de Mosis præcepto circa captivam, quam Judæus ardebat? Illa *flebit patrem* ירח ימים *luna dierum.* Si Lunæ nomen mensis assequitur, lunarem fuisse necesse est, cùm absurdum foret extra modum, Solarem mensem Lunæ nomen accipere. Stylum Mosis Autor libri Regum imitatione prosequitur: *Anno quarto fundata est domus Domini* בירח זיו *in Luna* Ziu. Sed & versu sequente, mensis *Bul*, Luna vocatur. Eò pertinent verba Psalmi, *Statuit Lunam in tempora.* Quia ad hujus astri curriculum, partes temporis, mensesque dividebantur. Ante Paschatis institutionem, annorum computatio Hebræis Solaris erat. Annusque quilibet mensibus XII. constabat, quorum quisque triginta dies complectebatur. Quod apparet extatque in Historia Diluvii, quæ à decimo septimo mensis secundi ad similem septimi mensis diem, *centum & quinquaginta dies* numerat. Post exitum Hebræorum ex Ægypto, anni Solaris forma in Lunarem concessit. Etenim cùm celebratio Paschatis, die Nisan decimo quarto affigeretur, & ad Lunæ cursum, festa cætera rationem à Paschate suam mutuarentur, incredibile fit, annum Solarem fuisse retentum, quod absque intoleranda confusione fieri non potuit. Imò retineri non potuit, cùm plenilunium Nisan clavis trabalibus dici mensis hujus decimo quinto affigeretur, quod in anno Solari contingere nequit. Simplex ergo stabat anni forma, & sacri, & politici, cui præerat Luna motibus suis, etsi intercalationis freno festivitates suis temporibus dividerentur, ne vernæ tandem in autumnum inciderent, perturbatione non ferendâ. Est ergo falsissima sententia Petavii existimantis, *Non ante Græcorum tempora, post Alexandrum M. Lunarem annum, ad usum civilem accommodatum fuisse apud Judæos.* Mutationis hujus Josephus accuratus ille Historicus mentionem inseruisset alicubi, cùm certissimum sit, ipsius ætate annum Judæis Lunarem fuisse: *Mense Xanthico, qui nostris Nisan vocatur, & annum exorditur, Lunâ decimâ quartâ, Sole arietem ubtinente*, Pascha celebratur. Cùm Nisan dies decimus quartus, decimæ quartæ Lunæ nomen gerat, menses utique Judæorum Lunares erant, quorum partes à motu Lunæ numerabantur. Neque post Alexandrum M. ea mutatio contigit. Jam ab ætate Mosis anni Lunaris usus invaluerat. Vitreum sanè est argumentum, quo Petavius probat, post Græcorum tempora mutationem eam contigisse: confusiusque fecisset, si ab eo temperasset. Petitur argumentum ex Apocrypho Esdræ libro 3. c. 1. *Josias*, ait, *Pascha celebrasse* XIV. *Lunâ primi mensis.* At quæ in Vulgata legitur vox *Luna*, in Græcis desideratur: *Mactavit Pascha decimâ quartâ ἡμέρᾳ, die.* Concedamus Legi *Lunam*, quid hoc facit ad novitatem consuetudinis probandam?

Pet. De D. Temp. t. 1. p. 155.

Deut. 21. 13.

1 Reg. 6. 37.

Psal. 104. 19.

Joseph. Ant. l. 3. cap. 10. pag. 93.

Petav. Doct. Temp. pag. 156.

Ex his intelligitur, in designandis annorum intervallis ad eam anni formam non spectasse Angelum, quæ *popularis & pervulgata iis erat gentibus, inter quas Daniel versabatur.* Cùm enim Judæorum in gratiam oraculum funderetur, illa anni forma adhibita est, quæ ipsis esset usui, cùm non Danielis tantùm, sed gentis præcipuè quæ ætate Christi floruit, ratio haberetur. Discipulos sanè suos Dominus hortatur, ut eo vaticinio animis advertant, qui de pervulgata Persis, aut Chaldæis, anni forma non cogitabant, neque ab eis adhibitam fuisse vero proximum. Cùm ipsorum facultatis aut conditionis non esset, in Chronologica Babyloniorum monumenta inquirere, ad cognoscendum quibus olim annorum curriculis uterentur, ut dein intelligendo oraculo admoverent animos. His accedit, quod cùm Messias umbrarum, typorum, festorum denique omnium corpus esset, convenientius videtur Angelum in edito de Messia oraculo, ad eam anni formam attendisse, que à Deo ipso in constituenda religione, festis, & ceremoniis adhibita fuerat; quam & Sacri Scriptores in componendis libris usurparunt; quam Judæi ipsi in Patriam reduces, observatione perpetuâ custodierunt. Firmat argumentum Angeli sermo, qui cùm Hebræus sit, consuetudinibus Hebræorum accommodari debuit, secus in maximam discipuli perplexitatem à Christo conjecti fuissent, quibus præcipitur, ut Danielis oraculum legendo intelligerent. Nescivissent enim num vernaculam, an aliam anni formam adhiberent, & novam communemque veteri antetulissent. Itaque sapienter *Julius Africanus*, cujus verba commentario suo in Danielem inseruit Hieronymus, ad interpretandum oraculum, annis Lunaribus utitur: *A vicesimo autem anno Artaxerxis Regis, usque ad Christum, complentur Hebdomades* LXX. *juxta Lunarem supputationem, qui menses non juxta Solis, sed juxta Lunæ cursum numerant.* Solâ quidem Lunarium annorum ope ad mentem Danielis penetrari potest.

Hier. in Dan. c. 9.

De LXX. hebdomadum initio.

IV. Constitutâ LXX. Hebdomadarum formâ, de ipsarum initio est differendum. Hîc se prodit nova Marshami explicatio, distinguentis periodos: *Totius*, inquit, *negotii cardo est septem harum Hebdomadarum Epocha.* Quinam ille cardo, in quo sensus Prophetiæ vertitur? Respondet Marshamus: *Prior numerus Cyri tempora indigitat.* Hoc ut probet, observat interlinearem Pagnini editionem, σιγμὴν hîc rectè posuisse, propter accentum athnac, qui distinguit Periodos. Deinde contendit jejunium trium *Hebdomadarum*, quo Daniel sese maceravit, annos XXI. completi, *ab anno scilicet Nabonassari* CXLI. *quo conflagravit templum, ad annum Nabonassari* CLXII. *quo Angelus Danieli comparuit.*

V.

Marshami rationes refelluntur.

V. De interjecto puncto disceptatio facilè omitti posset, nisi occasionem præberet errori stabiliendo, cùm ne vel admisso puncto, septem priores Hebdomadæ Cyri tempora ostendant. Ut nihil tamen prætermittamus, quantum eniti possumus, quod veritati sit emolumento, breviter & in transcursu observemus, non unum duntaxat punctum, sed gemina in Pagnini editione puncta poni: tot enim apparent in nostro exemplari Antwerpiæ à Christophoro Plantino edito. Deinde subjungimus, pace *Athnac* accentus, punctum, vel puncta perperàm inseri: sola apponi virgula debuit, quomodo in Græca versione extat. Imò virgula in Vulgata Editione desideratur. Profectò puncta non sunt necessaria, imò fluenti orationi obstant, cùm septem Hebdomadæ, ut majoris numeri partes duabus & sexaginta Hebdomadibus addi debeant, ut summa LXX. Hebdomadum integra constituatur. His accedat, quòd divulsis versu XXV. ob punctum interjectum Hebdomadibus, verba Angeli vera esse nequeant, Hebdomade scilicet LXII. *plateam & fossam in angustia temporum esse adificandam*, post defunctum Antiochum Epiphanem, quæ Marshami explicatio est. Tunc enim Templum purgatum fuisse legimus, fossas Hierosolymitanas reparatas non legimus. Puncti machinâ Marshamo opus erat, ut in *Christo Duce* Cyrum, non Messiam inveniret. Quæ explicatio si falsa est, punctum evanescit atque diffluit. Sed missis punctorum tricis, illis retentis, nùm satis conclusum videtur, septem Hebdomadas Cyri tempora, & sexaginta duas, Antiochi Epiphanis ætatem indicare? Eusebius sanè, qui ad exquisitam Hebdomadum quæstionis solutionem puncti rationem habendam esse putat, *Christum*, non *Epiphanem* in Hebdomadum fine reperit: *In libro Danielis, postquam certum numerum Septimanarum, usque ad Christi Principatum, sacra Scriptura nominatim percensuit, de quibus alibi disseruimus, his demum completis, sacri olei unctionem apud Judæos abolendam esse prædicat.*

Euseb. h. l. 1. c. 6.

Jejunium Danielis annorum XXI. non fuit.

VI. Neque nobis probatur nova Marshami explicatio, tres Hebdomadas esuriales Danielis in annos XXI. mutantis. Cui fiet veri simile, *Cibum desiderabilem non comedisse, vinum non bibisse, unguentis se non unxisse*, toto illo tempore, quo Darii Medi Præfectos omnes eminebat? Præterea jejunium illud Danielis tertio Cyri anno post eversam Assyriorum monarchiam affigitur: *Anno tertio Cyri Regis Persarum, verbum revelatum est Danieli. Diebus illis ego Daniel fueram in luctu trium septimanarum diebus.* Quo tempore jam dimissi fuerant Judæi ante biennium, cùm labente primo Cyri, edicto ipsius permissi sint patriam repetere. Itaque luctus ille post finem captivitatis, non cum templi incendio initium habuit. Alia igitur de causa ingens ille dolor commotus est, ob interruptam Templi ædificationem, cui Cambyses intercesserat. Denique primum Darii Medi annum inter, & tertium Cyri, longum spatium interjicitur; ex quo consequens est, jejunium Danielis oraculi Angelici declaratione posterius esse. Quod in observatione est maxima ponendum, Chronologia Marshami laqueos sibi injicit, ex quibus expedire se, nullis aut viribus, aut arte potest. Quippe si annus Nabonassari CLXII. currebat, cùm Angelus Danieli conspicuus de LXX. Hebdomadibus illum monuit, nona & sexagesima Hebdomas terminabitur, anno Nabonassari DCXLV.

Dan. 10. 1.

Annus Nabonassari	162.
Septem Hebdomadæ	49.
Sexaginta duæ Heb.	434.
	645.

Atqui anno Nabonassari DCXLV. Antiochus Epiphanes egressus Ægypto, ascendere Hierosolymam, Templum violare, unctionem Sacerdotalem extinguere non potuit; cùm ante annos LIX. vitâ functus fuisset, labente Nabonassari DLXXXVI. Quo vel uno argumento ab imo ruit interpretatio Marshami, septem hebdomadas Cyri temporibus, sexaginta duas, ætati Epiphanis addicentis. Credibilius est, Marshamum, quàm Angelum in errorem fuisse delapsum.

LXX. Hebdomadum initium non ad Cyri tempus attinet.

VII. Ex verbis Angeli ducendum est Hebdomadum initium: *Scito ergo & intellige, à promulgato edicto de instaurandis Hierosolymis, usque ad Messiam ducem, Hebdomadas fore septem, & septimanas sexaginta duas.* Signanter dicitur, edictum de *instaurandis Hierosolymis*, ne cum illo Cyri permisceatur. Quod in explicando oraculo illi qui sibi videre videntur, nil veri prorsus vident. Decretum Cyri est ejusmodi: *Sic ait Cyrus Rex Persidis, Omnia regna terræ tradidit mihi Dominus, Deus Cæli, & ipse commisit mihi ut ædificem sibi domum Jerosolymis Judæ. Quis inter vos de Populo ejus est? Sit Deus ejus cum eo, & ascendito Hierosolyma Judææ, & ædificato domum Domini Dei Israelis.* De facultate excitandæ civitatis ne verbulum quidem unum in edicto Cyri. Sine cujus licentia Hierosolymitana instauratio absque rebellione suscipi non potuit. Neque etiam à Zorababele, reducibusve vel lapidis unius motu attentata est. Ad extruendum altare Magnates ex thesauris suis suppeditasse dicuntur, ad muros urbis resarciendos non dicuntur. Judæorum hostes flagitant, ut non urbem, sed Templum ædificantium in societatem reciperentur. Denique fraudulenta *Rechum* & Simschai Epistola interpellatur, non Hierosolymæ, sed Templi ædificatio. Quid verbis Esdræ clarius? Ex quo exemplar decreti Artaxerxis Regis lectum est coram Rechumo, & Simschai, profecti celeriter Hierosolymam, Judæos impediverunt armatâ manu: *Tunc impeditum est opus domus Dei, usque ad annum secundum regni Darii.* Hydaspidis scilicet, qui hinnitu equi in Regem, Magis extinctis, creatus est. Ex quibus intelligitur, decretum de instaurandis Hierosolymis, ad Cyri de excitando templo edictum nil pertinere, reque ipsâ, & temporibus esse diversum. Illud quidem verum est, Judæorum adversarios Persarum Regi, qui Assuerus & Artaxerxes Esdræ scribitur, nobisque Cambyses Cyri filius existimatur, Epistolâ significasse suâ, Judæos in statuendis Hierosolymæ muris desudare atque allaborare. At hostile mendacium fuit, ut eo prætextu Templi ædificatio turbaretur, quod & factum est. Præterea ab edicto Cyri ad usque Messiæ mortem annorum est DLXVIII. curriculum, quod annis LXXVIII. septuaginta Hebdomades superat. Primus Cyri Orientalem monarchiam tenentis annus est Periodi Julianæ 4178. Natale verò Christi Dionysianum in 4713. incidit annis DXXXV. post latum de renovando Templo de-

Esdr. 1. 2.

Esdr. 4. 24.

cretum. Argumento Chronologico illud Hebdomadum principium Julius Africanus refellerat, etsi ejus calculus nonnihil absit à vero: *Permansit regnum Persarum usque ad initium Macedonum, annis* CCXXX. *& ipsi Macedones regnarunt annis* CCC. *atque exinde usque ad annum* XV. *Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni* LX. *qui simul faciunt annos* DXC. *ita ut centum supersint anni.*

LXX. Hebdomadum initium in Artaxerxis regnum referendum.

VIII. Est igitur initium LXX. hebdomadum non Cyri quidem, sed Artaxerxis primi, cognomento Longimani regno affigendum: de anno quæritur inter eruditos. Labente imperii sui septimo, Artaxerxes Judæis Sacerdotibusque, Esdram comitari volentibus, Lege latâ, reditum in Palæstinam concessit, renovatumque Darii avi sui de sumptibus ad comparanda sacrificia suppeditandis diligentius sancitum ivit. (*Esdr.* 7.) Hinc eruditis benè multis placuit, initium Hebdomadum in eo anno esse collocandum. Quos tamen sua fallit ratio, cùm in ea Artaxerxis lege nil includatur, quod ad verba Angeli quadret. Non instauranda Hierosolyma permittitur. Non fossa, non plateæ urbis reparantur. Soli ex Regis ærario sumptus imperantur, qui ad sacrificia Judaica necessaria sunt, ut Regiæ familiæ benè sit. Deinde eam sententiam Chronologia deserit, cùm Solares Hebdomadas intelligat, quæ Judæis non erant usui, qui curricula Lunaria adhibuere in Fastis consignandis, uti est abundè probatum. Quo non observato, omnis ad mentem oraculi obstruitur aditus.

Vigesima Artax. Longimani Hebdomadum initium est affigendum.

IX. Est igitur in Artaxerxis vigesimo hebdomadum initium figendum. Hactenus in ruderibus, cineribusque sepulta suis urbs sacra jacebat. Hinc illæ Nehemiæ lachrymæ: hinc mœstitia in Regis ipsius oculos incurrens: hinc tristia verba paternæ urbis cladem lugentia: *Quare non esset tristis vultus meus, cùm civitas ipsa, locus sepulchrorum majorum meorum, vastata, & porta ejus maneant igne consumpta.* Hinc aspirante Deo preces Regi fusæ: (*Nehem.* 2.) *Si pergratum est Regi, mitte me in civitatem sepulchrorum majorum meorum, & ædificem eam.* Precibus Nehemiæ de renovanda urbe cùm Rex annuisset, ille profectus Hierosolymam, popularibus suis ea loquitur: (*Nehem.* 2. 17.) *Videtis malum in quo versamur. Hierosolymam vastatam esse, ipsiusque portas succensas igne: agite, ædificemus murum, ne simus amplius opprobrio.* Quid his disertius? Quid Angelicis verbis aptius? Sed & cæteris oraculi partibus optimè respondet eventus: *Ædificabitur platea, & fossa temporibus mæstis.* Quippe ubi muri excitari cœperunt, Judæorum consilia primùm Sanballat irridebat, quasi nil successus habitura. Quin etiam in muros inchoatos, *Tobija* Hammonitarum unus, sarcasmos & dicteria torquebat: *Si vulpes ascendat, murum perrumpet.* Postquam verò festinantibus Judæis muri ad dimidium usque surrexere, Arabum Hammonitarumque animi gravissimâ irâ succenduntur: factâque conspiratione, in arma ruunt, ne incœptum opus ad umbilicum perduceretur. Itaque Judæis diurna nocturnaque custodia necessaria fuit, ad repellendam hostium injuriam. Quin etiam conditores mœnium inter extruendum arma gerebant manu, ne ab hostibus impetum molientibus occiderentur. Sic eum metu saltem Judæi perpetuò confligebant, quâ vix ulla major angustia fingi potest. Rectè Hebdomadum initium à Julio Africano deprehensum est, licet non satis commodè terminum ipsarum constituerit: *A vicesimo autem anno Artaxerxis Regis usque ad Christum complentur Hebdomadæ septuaginta juxta Lunarem Hebræorum supputationem.*

Num Hebdomadum finis in excidio Hierosolymitano?

X. Constituto Hebdomadarum initio, finis facillimè deprehendi posset, nisi nobis aliquid obtenderent viri eruditissimi, Scaliger atque Calvisius, dum Hebdomadibus excidium Hierosolymitanum includunt. Perperam tamen, ac si nobis acuminis oculorum sit aliquid, contra ipsius Angeli verba, quibus dimidiam Hebdomadem Scaligero addi placuit: *Septuaginta igitur Hebdomades*, inquit, *cum dimidia desinunt in excidio Hierosolymorum.* (*Scal. Em. l. 6. p. 607.*) Siccine? Atqui solæ septuaginta Hebdomades præcisè Angelo numerantur, quas deinde in partes dividit, ut nefas sit huic summæ unam adhuc Hebdomadem addi. Quin etiam ex sententia Scaligeri sequitur, Messiam non in ultima Hebdomade esse occidendum, cùm cladem Hierosolymitanam inter, & Christi mortem anni XXXVII. interjecti sint. Periisset igitur Hebdomade LXIII. Neque excidium Judæorum septuaginta Hebdomadum includi spatio Angeli verba patiuntur: *Septuaginta definitæ sunt Hebdomadæ, super populum tuum, & super Sanctam civitatem tuam.* Non ut vastetur Hierosolyma, sed ut Sanctus Sanctorum ungatur & peccatum expietur. Angelico quidem oraculo Hierosolymitanum includitur excidium, ut pœna sontibus Judæis meritò irrogata, qui repudiatâ Numinis indulgentiâ fideque, pœnitentiâque pedibus proculcatâ in Redemptorem suum involarunt, quem misero laniandum supplicio carnificibus tradidere. Congruum itaque fuit, post injectam de Christi obitu mentionem, de supplicio Judæorum oraculum inseri, ut sic clauderetur Hierosolymorum Historia. Verùm non ut oraculo, sic & Hebdomadibus ea clades continetur.

Scaligerum ipsiusque sequaces in eam de Hebdomadum fine sententiam deduxit malè jactum illarum initium, in anno Darii Nothi secundo. At Darius ille, cujus mandato Templum instauratum est, post inventum Cyri decretum, Darius est Hydaspis, annis XCVIII. Dario Notho antiquior. Cùm Templum ad umbilicum perduceretur, exclamavit Propheta Haggæus: *Quis inter vos superstes vidit domum hanc in majestate sua priore?* (*Hag.* 2. 4.) Absurdam sanè interrogationem, nisi utrumque Templum multorum oculis objectum fuisset? Atqui superat fidem, anno imperantis Nothi sexto extitisse adhùc Judæos, qui splendoris Templi Salomonici memores forent, utpote qui centum & nonagesimum ferè annum evasissent, cùm à conflagrato regnante Sedeciâ Templo, ad sextum Nothi usque annorum CLXXIII. summa colligatur. Neque etiam in edicto Darii, vel si non Hydaspi, sed Notho vindicaretur, aliquid est, quod ad Hierosolymitanos muros pertineat. Quidquid habet, ad Templum resarciendum spectat, imposito impedientibus suspendii supplicio. Possemus igitur Scaligeri, quod *validissimum* vocat, telum spernere. Exploremus tamen ipsius aciem. Nempe quòd LXX. *jam annis, ante secundum hujus Darii annum, jejunia quinti, & septimi mensis, instituta erant, quæ non potuerunt nisi ab Ecclesia, & proinde nullibi nisi Hierosolymis institui usu sacrificiorum obtinente.* (*Scal. Em. l. 6. 602.*) Obtusum profectò, non *validissimum* telum! Quasi verò Ecclesiæ

extra

extra Hierosolymam, gravissimo dolore obrutæ, non licuisset solemne jejunium indicere, ad placandum Numen! Quis nescit Judæos in Perside, audito quòd Haman impetrarat edicto ferali, triduum egisse in luctu atque jejunio? Extra Hierosolymam sacrificare non poterant; jejunare poterant. Itaque solemnia quinti & septimi mensis jejunia Babylone post Templi urbisque desolationem instituta sunt. Incongruum prorsus est, quòd multis post reditum in patriam annis, Judæi jejunium ob vastatum Templum Hierosolymis instituerint, & ab eo dum perdurat captivitas, penitùs abstinuerint. Tanti non erant argutiæ illæ Scaligeri, ut terminum Hebdomadum, repugnante & Scripturâ, & ratione, in excidio Hierosolymitano, quod anno Dom. LXX. contigit, collocaret.

Verus LXX. Hebdomadum terminus.

XI. Nunc legitimum Hebdomadum terminum ostendamus, cùm ab eo maximè pendeat celeberrimi oraculi notitia. Jam Lectores monitum ivimus, absque Lunarium annorum auxilio spei nil superesse, ad mentem vaticinii intelligendam. Quo observato, Africani verba subjungi placet, quibus computatio nostra lucis aliquid accipit. Anni Solares CCCCLXXV. *facuint annos Hebraicos CCCCXC. juxta Lunares, ut diximus, menses. Qui secundum illorum supputationem possunt facere per singulos menses dies viginti novem & semis: Ita ut Solis circulus, per annos quadringentos nonaginta, plus habeat dies trecentos sexaginta quinque & quartam diei partem; & per XII. menses singulorum annorum, undecim dies, & quarta diei pars amplius reperiatur. Unde Græci & Judæi, per octo annos, trium mensium embolismos faciunt. Si enim octies undecim, & quartam partem volueris supputare, nonaginta dies, hoc est, tres menses efficies, & in quadringentis septuaginta quinque annis, octonarii reperientur anni, quinquaginta novem & menses tres, qui simul faciunt, plus minusve annos quindecim. Quos si quadringentis septuaginta quinque annis volueris addere, septuaginta annorum facies Hebdomadas; hoc est, simul annos quadringentos nonaginta.* Restat aliud nihil, nisi ut ab Artaxerxis Longimani anno vigesimo, cui Septimanarum Danielis initia affiximus, Solarem circulum annorum CCCCLXXV. ex quo Lunaris annorum CCCCXC. conficitur, regulam sequamur, ut ad quæsitum Hebdomadum terminum perveniamus. Ex notissimis Chronologiæ Canonibus, & celeberrimia Epochia, annorum summam omnium dividemus. In Ptolomæi Persicorum Regum Canone, Artaxerxes Longimanus imperavit annos XLI. Darius Nothus XIX. Artaxerxes Mnemon XLVI. Ochus XXI. Arogus II. Darius tertius IV. Alexander Macedo VIII. Summa est annorum CLI. ex quibus anni viginti sunt eximendi, quia Artaxerxis vigesimo, Nehemias implendo Danielis oraculo, Hierosolymitana excitare mœnia permittitur. Supersunt igitur Persicis Regibus anni CXXI. assignandi. Græcorum Regibus, qui post Alexandrum M. Alexandriæ conditorem imperarunt, à Philippo ad Cleopatram usque, Marci Antonii uxorem, ille ipse Ptolomæi Canon CCXCII. annos tribuit. Anni Persarum CXXI. cum illis CCXCII. Græcorum conjuncti reddunt collectos annos CCCCXIII. Antonius & Cleopatra mortem sibi conscivere anno U. C. DCCXXIV. A quo excluso, utpote Græcorum annis contento, ad Christi natale supersunt XXIX. Obiit

Hier. in Dan. 9.

Redemptor anno Æræ Dion. XXXIII. U. C. DCCLXXXVI. Sulpitio Galbâ & L. Cornelio Sullâ Coss. quia eo anno Paschale plenilunium in feriam sextam incidit, quâ Dominus in crucem actus est. Sic annorum Solarium summa fit CCCCLXXV. quod demonstrandum erat: Qui solaris circulus in Lunarem CCCCXC. annorum abit. Eo igitur anno, qui Tiberii XIX. censetur, ad exitum Septuaginta Hebdomades perductæ sunt. Tunc indignâ morte Innocentissimus Messias perimitur, ut suo sanguine mortalium peccata ablueret. Tunc completum non Danielis duntaxat de exscindendo, non sui causâ Christo Oraculum, sed consummatæ etiam V. Testamenti figuræ. Tunc Sanctus Sanctorum cælesti lætitiæ oleo delibutus, quâ infinitâ potitus est, receptus in Dei solium, ut Ecclesiæ, Angelis, hominibus, Dæmonibus dominetur. Hoc David eecinerat: *Unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo gaudii, præ consortibus tuis.* Est unum quod fortè objici potest, nempe Danielem disertè dixisse, *in medio* Septimanæ ultimæ sacrificium esse à Christo abolendum; quod ex nostra Chronologia in ultimo anno peractum est. Verùm Hebræis in medio rei alicujus aliquid existere dicitur, quod in ea continetur, etsi ab extremis non exquisitè distet. Sic arbor vitæ legitur fuisse in medio Paradisi, & Sol stetit בחצי *in medio* Cæli, dum Josue pugnabat adversus Cananæos. Cùm igitur Christus in ultima Hebdomade mactatus sit, phrasi Hebræis familiari, *in medio Septimanæ*, Christum sacrificiis finem imposuisse dici potuit. Inspiciatur Deut. XIX. 2.

Ps. 45. 8.

XII. Sic celeberrimæ de Hebdomadum termino quæstioni quantâ potuimus diligentiâ persolvimus. Ex illa in aliam incidimus, núm mysterii insit aliquid in Hebdomadum divisione? Negat Scaliger: *Partitio hæc Hebdomadum nihilo arcaniorem sensum habet, quam divisio minæ in 25. 20. 15. siclos apud XLV. 12. Ezechielis, quæ summa sunt sexaginta sicli.* Scaligero non assentitur Eusebius, qui in octavo libro Demonstrationis Evangelicæ hæc habet: *Non mihi videtur frustrà LXX. Hebdomadarum facta divisio, ut primum diceretur septem, deinde sexaginta duæ, & ultima adderetur Hebdomada una.* Neque nobis divisio illa Angelica frustrà fit, cujus partibus suus accommodatur eventus. Præcipuè divisorum inæqualitate movemur, & ordine. Primo membro Hebdomadæ septem, secundo Hebdomadæ LXII. tertio Hebdomada una tribuitur, contra vulgatas divisionis leges, quæ membra quantum fieri potest, ad æqualitatem redigit. In arbitraria distributione, ubi nil mysterii latet, quia unquam tertio membro solam unitatem reliquit? Neque exemplum *minæ*, allatum à Scaligero, simile est. Minæ partionem fecit Ezechiel in siclos sui valoris, & à majori summa ad minorem gradibus descendit. Major primum locum, minor ultimum occupat. Contra verò in verbis Angeli. Major Hebdomadum summa est inter minores media. Quid porro sit illud mysterii, dictu est difficillimum, somniaque Eusebii nil ferè sani habent. Quantum conjicere datur, septem Hebdomadæ spatium continent renovandæ Hierosolymæ, ut ex omni parte suam perfectionem assequeretur fossas, muros, plateas, domos, palatia. Nec mirum imponendo colophoni, annos XLIX. assignatos esse, cùm Salomo tot & opibus, & servis, & mercenariis abundans, & qui paratæ jam

Núm mysterium sit in divisione Hebdomadum?

Scal. de Emen. l. 6. 605.

jam à Davide materiæ multum invenerat, annos viginti contriverit, in domo sua & Dei Templo ædificando. Una verò Hebdomas seorsim ponitur, quia administraodo Messiæ muneri dicabatur: *Confirmabit pactum multis Hebdomada una, & in medio septimana abolebit sacrificium & munus.* Eâ labente revelata sunt occulta Numinis consilia, fax illata tenebris hominum, peccata orbis deleta precioso immaculati agni sanguine, quem Mosis sacrificia adumbrabant: de morte perpetuus gloriosusque triumphus actus est resurrectione, & ascensione Servatoris io Cælum. Denique Christus æternum adiit imperium, ut misso Spiritu Sancto Electos suos fide & charitate impleat, hostesque suos vinclis & carcere frenatos, exitio tandem ultimo perdat. Hinc sermo Petri ad Judæos: *Certò sciat tota domus Israelis, quòd Deus hunc fecerit Dominum & Christum, hunc ipsum, inquam, Jesum quem crucifixistis.*

Dan. 9. 27.

Act. 2. 36.

Nùm Danielis oraculum ad Hierosolymæ excidium spectet?

XIII. Hactenus de Hebdomadum qualitatibus, initio, fine; ingrediamur nunc cæteras oraculi partes, quæ necdum satis suot enucleatæ. Insani esse hominis fortè videretur quæstionem movere, nùm Danielis vaticinium ad Messiam, clademque Hierosolymitanam præcipuè referatur, nisi infelix Marshami interpretatio nos eò perduceret: *Hac*, inquit, *Danielis verba ad ultimum Hierosolymitanorum excidium à Christo applicantur. Est autem παρῳδία, cujusmodi allusiones apud Matthæum occurrunt plurima, sensu typico intelligenda, non historico. Illud διὰ τοῦ Προφήτου, non innuit peculiarem à Daniele editam fuisse Prophetiam de calamitate à Tito inferenda, sed significat verba Danielis, rei de qua sermo est, optimè convenire.* Dignum sanè patellâ operculum. Nec mirum eò temeritatis Marshamum progredi, cùm Danielis io oraculo Messiam non viderit, sed Cyrum, Aotiochum Epiphanem, Templi Judaici uoctionem, aliaque ejusmodi furfuris. Nos verò totis viribus contendimus, Danielem de Messia cladeque Hierosolymitana oraculum fudisse suum, nec in aliis eventibus historicum celeberrimæ vaticinationis complementum inveniri posse.

Marf. Sec. 18. p. 576.

Verba J.C. apud Matthæum non sunt allusio ad Danielis oraculum.

XIV. Non unus Matthæus, sed Marcus quoque, ut geminis testibus nostra fides firmior inniteretur, verba hæc Christi referunt: *Cùm videritis abominationem illam vastatricem quæ dicta est per Danielem, Qui hac legit, animum advertat.* Quid est sensum indicare historicum, si hoc non est? Quis unquam parodiæ, allusionive similem exhortationem adjunxit? Monentis verba sunt, indicantia maximi rem esse momenti, mentem atque oculos ad vaticinium erigendos esse; quibus apertè ostenditur, quæ prædicta erant, nondum impleri, sed brevi executioni esse mandanda. Quid, extatne ullum in Codicibus vel sacris, vel prophanis exemplum allusionis, cum appendice istiusmodi? *Qui hac legit, animum advertat.* Ad sensum verò historicum, quem Marshamus imaginatur intelligendum, nil erat opus expressis Christi monitis. Res Cyri, & Epiphanis Judæos non amplius tangebant. Pergratum quidem atque jucundum est, impletorum vaticiniorum peragrare latebras. Tanti tamen non erat, scire Antiochum Epiphanem, juge sacrificium olim abstulisse, Templique sanctitatem violasse, ut ad id intelligendum peculiari admonitione acuerentur animi. Id lippi tonsoresque tenebant, & absque ullo detrimento salutis ignorari potuit. Verùm quid Danielis oraculo contineretur, absque aoimæ pernicie Judæos latere non potuit, Messiam videlicet adesse, imminere horrendum toti genti excidium ob patrata in Redemptorem suum scelera, quæ incredulitate obstinatâ cumulabaotur indies. Patribus à quorum coosensu non est leviter discedendum, creditum est, Danielis oraculum ad Messiam, & excidium Hierosolymitanum pertinere. Clemens Alex. *Vespasianus autem & imperium obtinuit, & Hierusalem diruit, & Sanctum desolatum reddidit. Et quod hac ita se habeant, et qui potest quidem intelligere clarum est, sicut dixit Propheta.* Tertullianus in Judæos c. 8. *Atque in diem expugnationis sua Judai impleverunt Hebdomadas LXX. pradictas à Daniele.* Julium Africanum audivimus, audiamus etiam Eusebium, verba Prophetæ sic illustrantem apud Hieronymum: *Confirmabit enim pactum multis Hebdomade unâ, & in dimidio Hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, sic interpretatur, quòd Herode regnante apud Judaam, & Augusto apud Romanos Christus natus sit, qui tribus annis & sex mensibus, juxta Evangelistam Joannem, Evangelium pradicavit.* Denique Hebræorum sententiam sic refert Hieronymus: *Et non solùm hoc fiet in his LXX. Hebdomadibus, ut adificetur civitas, & Templum instauretur, sed nascetur Christus, id est, justitia sempiterna.* Quamvis igitur Patres Chronologiam non satis prosperam adhibuerint, neque Prophetiæ circumstantias suis semper objectis aptè accommodarint, quin tamen ad Christum pertioeret oraculum, & ad refelleodam Judæorum pertinaciam valde sit idoocum, nulli dubitarunt.

Mat. 24. 15.

Strom. l. 1. 242.

Hier. in Dan. 9.

Oraculum Danielis est ad Messiam referendum.

XV. Argumentis insitis nunc ostendamus, verbis Danielis Messiam repræsentari, neque posse nisi obtorto collo ad alium trahi, quæ de *adducenda justitia aterna*, & ungendo Sancto Sanctorum narrantur. Christus quidem Populi sui *justitia* est, fons inexhaustus & remissionis peccatorum, & quæ eam certissimo nexu sequitur, veræ animorum corporumque sanctitatis. Neque justitia, quæ ut Dei virtus, voluntatisque affectio spectatur, intelligi potest, repugnante verbo להביא *ad adducendum*; quod de persona rectè prædicari potest, de justitiæ habitu non potest. Ea igitur *justitia seculorum* Christus est, qui à Deo oobis *factus est justitia*, quem Pater eductum sinu suo, ubi amanter requiescebat, io mundum misit, ut saluti esset credentibus. Quin etiam verbum Danielis הביא de victimis usurpatur, quæ immolandæ ad altare sistebantur. Sic de ovili offerendas pecudes Abel *adduxit*. Phrasi igitur suâ Propheta innuit, Christum ut victimam à Deo adducendum, ut esset hominibus piaculo: *Fecit enim ut pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* Neque justitia duntaxat nostra est, sed Sanctus quoque Sanctorum, qui statis temporibus cælesti unguento perfundi debuit, ut Dei hominumque Mediatorem ageret. Rectè *Sanctus Sanctorum*. Est enim ex se, & in se sanctissimus, & persooæ divinæ, & humanæ naturæ, & muneris respectu. Cujus Sanctitatem infinitam excipit unctio, non facit, cùm non nisi personæ divinæ Mediatoris officium imponi posset. Signanter itaque Propheta, *ad ungendum Sanctum Sanctorum*, quia Sanctissimo accessit unctio. Ac ut Rex Regum ille est, qui omnes eminet Reges, & omnibus imperat, sic *Sanctus Sancto-*

2 Cor. 5. 21.

rum

rum audit ille, qui Angelos, mortalesque omnes justitiâ, & virtutibus superat, quod maximè Christo competit. Verbis paulo diversis, eodem tamen sensu, gemina pariaque Daniel cum Davide loquitur, dicente, *Unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo gaudii præ consortibus tuis.* Neque abs re Propheta Messiam eâ ratione depictum voluit. Cùm sic ostenderet excellentiam Sacerdotalis, Propheticæ, Regiæ Christi dignitatis, quæ nudo homine major est. Sic obviam ibat Judæorum incredulitati, qui nihili Christum faciebant, pro scelesto habebant, & in sacrificiis cæremoniisque Mosaicis expiationem sanctitatemque quærebant suam, quam in solo Christo reperire fas est. Hinc Christus ut se Sanctum illum esse ostenderet, quem Daniel pollicebatur,

Joan. 17. 19. suos mundantem, talia loquebatur: *Eorum causâ ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi Sancti in veritate.* Hoc est, sese Sacerdotem, simul & victimam consecrabat, non sui causâ quidem, utpote qui nullo prorsus peccato afficeretur, quòd precibus vel expiatione egeret, sed pro totius Ecclesiæ salute. Denique eâ *Sancti Sanctorum unctione* gratiarum fons omnium ostenditur, ad quem nobis est eundum, ut inde hauriamus, quidquid cælestium nobis donorum opus

1. Joan. 2. 20. est. Eò pertinet Joannis oratio: *At vos habetis unctionem à Sancto illo profectam, & nostis omnia.* Ex unguento cælesti divinoque Sanctus ille Sanctorum delibutus, inde accipit nomen *Messiæ Ducis*, qui Judæorum in expectatione erat, imò etiam Samaritanorum, teste sermone mulieris:

Joan. 4. 25. *Scio Messiam venturum, qui dicitur Christus, cùm venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Unde Messiæ titulus huic fœminæ benè notus desumptus est, nisi ex Danielis oraculo, ubi disertè legitur? Argumento veteres Judæos sententiæ fuisse ejusmodi, illud oraculi ad Christum pertinere. Neque Patrum ullus est qui non sit ejusmodi sententiæ, licet *exscindendum Messiam*, non de J. Christo, sed de Pontificatu Levitico abrogando, non satis aptè intelligant.

Marshami sententia refellitur. XVI. Contorta explicatio nostra non est, non violenta; verborum mentem plenissimè reddit, divino consilio est consentanea, Judæis salutem ostendit, quæ in uno Christo recumbit. Audiamus quid commentorum Marshamus excogitarit? Sanctus ille Sanctorum qui ungendus est, ei *Templum, & Sacerdotium* significat. Mes-

Marsh. pag. 570. sias exscindendus, *Illa unctio est, quæ jam cessat, sed ad reditum instauranda est, illa, inquam, unctio iterum ab Epiphane interrumpetur.* Quid denique sibi vult, *Messias Dux? Babylonicum Cyri initium indicatur: Deus Cyrum unctum suum vocat, quia ad Populi sui libertatem illius operâ uti decreverat p. 571.* Acutè sanè & subtiliter! Sic vox *Messias*, in eodem loco significationem prorsus diversam induit. Exscindetur Messias, id est, *Pontificum successio*: Messias Dux, id est, *Rex Cyrus*. Lepidè, lautè, nihil suprà! Proh Dei atque hominum fidem! quid est de Scriptura ludere, si hoc non est? Imperitis linguæ Hebrææ forsan condonari potest, quòd in exscindendo Messia Sacerdotii abrogationem invenerint. Extat in Editione LXX. Interpretum, *exterminabitur* χρῖσμα, *unctio*. Nil miri igitur, Tertullianum, Eusebium, Theodoritum, Hebraici textus ignaros, Sacerdotii Mosaici abrogationem hîc somniasse. Error autem ille Marshamo condonari non potest, quem non latet in Daniele, non משחה *misha unctionem*, sed משיח *Messiam*

scribi. Quid igitur causæ habuit, cur in eo vocabulo unctionem, non *unctum* reperiret, quem invenit in *Messia Duce?* Quidni utrobique persona uncta, eaque singularis intelligitur? Metuebat ne Messiæ mortem Daniel caneret: Vertendum fuisset: *Exscindetur Messias, nec propter se*, periisset itaque novum & subtile commentum, de interrupto ab Epiphane Sacerdotio. Sic ad errorem itur.

XVII. Velitatio hæc est, justiori certamine nunc est dimicandum. Augustiorem Templi partem Sancti Sanctorum habuisse nomen, in confesso est omnibus. Quod verò Templum ipsum, eo unquam nomine vocatum sit, necdum legimus. Deinde partem Templi Zorobabelitici aliquam unguento delibutam fuisse, quibus rationibus aut testimoniis probabile faciet Marshamus? Quòd si chrismate Templum illud consecratum non fuit, *Sancti Sanctorum unctio* ad Christum referri debet, ad Templum non debet. Illud etiam quærimus, quando sacro oleo perfusum est? Unctio non ei prius admoveri potuit, quàm totum absolveretur. Omnia Tabernaculi instrumenta parata à Mose fuerant, & ipsum Tabernaculum excitatum, cùm divino liquore perfusum est. Ultima hæc est Templi veluti forma, quæ à rudi & indigesta mole abesse debet. Itaque regnante Cyro, Templum ungi non potuit, cùm omni ex parte absolutum non fuerit, hostibus Judæorum operis consummationem interpellantibus. Ad perfectionem venit imperante Dario Hydaspi: *Consummatâ autem domo, ad diem tertium mensis Adar, cum esset annus sextus Darii Regis, celebrarunt Israëlitæ, Sacerdotes, Levitæ, ac reliqui Duces deportationis dedicationem domus Dei cum gaudio.* Ac ne tum quidem Templum oleo delibutum. Nullius sanè unctionis Esdras meminit, quam perinde atque numerum victimarum memorasset. Denique unctio de qua mentionem fecit Daniel, vertente Hebdomadum circulo peragi debuit: *Septuaginta Hebdomades definitæ sunt, ut adducatur justitia æterna & ungatur Sanctus Sanctorum.* Quis sibi fingat animo, Templum imminente hujus circuli hebdomadalis fine oleo fuisse consecratum? Cui bono eo liquore perfunderetur, cùm tamdiu siccum perdurasset? Cùm igitur nil unctionis habuerit Templum Zorobabeliticum, perit interpretatio Marshami, & *Sancti Sanctorum unctio* de Messiæ inauguratione est accipienda. *Sanctum Sanctorum non est Templum ungendum.* *Esdr. 6. 15.*

XVIII. Qui remotâ præjudiciorum nebulâ eos titulos ponderabit, Christum hîc egregiè depingi profitebitur. Messias vox absolutè ponitur, quâ ratione soli Dei filio competit. Nemo præter ipsum *Dux* est, sui populi, cui sectarium se præbet, doctrinâ, virtutibus, afflictionibus. Princeps est salutis, caput & consummator fidei, summus pastor, qui sequentibus se ovibus antecedit. Marshamo tamen *Dux Messias, Cyrus* est, quem Deus *unctum suum vocat p. 571.* Equidem Cyrum egregium Christi typum egisse faciles admittimus, eoque respectu *uncti*, vel si lubet, Messiæ gessisse nomen, quomodo Petra, quæ Hebræos comitabatur, *Christi* nomine est insignita. Verùm Cyrus non simpliciter, & καθ' ἐξοχὴν Messias appellatur. Sed κατά τι, & respectu nonnullo. Esaiæ verba sunt: *Cyro dixi uncto meo.* Rectè uncto *meo*, non uncto simpliciter, cùm in Daniele vox *Messias* absolutè usurpetur. Missâ *Quis Messias Dux?* *Es. 45. 1.*

 phrasi,

phrasi, res ipsa si spectetur, explicatio Marshami nulla ex parte cum Scriptura aut Chronologia consentit. Concessâ vel distinctione Marshami, qui post septem Hebdomadas punctum interjiciendum esse putat, sequitur ab exitu decreti, quo ædificatio Hierosolymitana permittitur, usque ad *unctum Ducem* annos esse XLIX. Quo quid absurdius fingi potest? Cùm primum de reducendis in Palæstinam Judæis edictum ab ipso Cyro promulgatum fuerit. Num igitur ab illo edicto ad Cyrum usque anni erunt quadraginta novem? Hoccine spatium regnando Cyrus implevit? Et quamvis implevisset, quid hoc sibi vult, à primo Cyri anno, quo vinculis Babylonicis Judæi egressi sunt, ad usque Cyrum, septem Hebdomadæ numerantur? Chronologiâ quoque Marshami commentum miserè obruitur. Anno Darii Medi primo, lugenti Danieli Angelus conspicuus factus, de septuaginta Hebdomadibus oraculum edidit. Quis ille Darius Medus, controversia est inter eruditos: aliis *Cyaxarem* Cyri socerum, aliis *Nabonnedium* Assyriorum Regum ultimum existimantibus: utraque sententia, Messiam Ducem negat, Cyrum esse. Ex Ptolomæi Canone, *Nabonidus* solus XVII. annos imperavit. Cui proximè succedens Cyrus, annos novem Orientis Monarcham egit. A primo igitur Darii Medi, ad Cyrum usque, duæ duntaxat Hebdomades cum dimidio, non septem elapsæ sunt. Quin etiam anni & Cyri, & Nabonidi collecti, non quatuor integras Hebdomadas conficiunt, sed annos solummodò XXVI. Si Darius Medus, Cyaxares esse petatur, quod falso propius, difficultatis nodus magis astringitur, cùm brevi imperio eoque precario potitus sit. Sic & telis Chronologiæ, & Scripturæ fulminibus obruta Marshami sententia cadit, cùm à fuso Danielis oraculo ad Cyrum usque anni XLIX. inveniri nequeant.

Quis Messias exscindendus?

XIX. Insigni notâ Messias describitur, partim ut Judæorum Regem terrenum, mundanâ gloriâ fulgentem sibi fingentium, error evellatur; partim ut dirum crucis supplicium, quo Christus mactatus est, fidei amplectendum objiceretur: Expectatus ille Messias, gloria Judaicæ gentis, lux mundi, ludibrio, ignominiæ, crudelissimæ morti opponendus est. *Exscindetur*, quæ vox mortem significat à Judice sive cœlesti, sive terreno infligendam. Quo modo ille qui spreto circumcisionis mandato, præputium retinebat, *è populo suo exscindi* debuit. Sic summa Dei sapientia Judæorum scandalo, & Græcorum stultitiæ obviam ibat. Quis enim Christum contemptui habebit, supplicio servili deditum, cùm mors ea dirissima, & divinis oraculis contineatur, & piacularem mortalium peccatis victimam repræsentet? Quid ad fidem alendam, quid ad amorem Dei & hominum accendendum, quid ad tranquillandos animus aptius esse potest? *Exscindetur Messias.* Solatia hæc explicatione suâ Marshamus nobis eripi voluit. Non Messias inquit, sed *unctio perdetur, extinguetur*, Pontificum scilicet *successio ab Epiphane interrumpetur.* Miseram sanè interpretationem, cui Tertullianorum, Eusebiorum, Theodoritorum Hebraicè nescientium autoritas non est præsidio. Neque Patrum ullus Sacerdotale excidium Epiphani vindicat. Tertullianus adversus Judæos c. 8. *Expletis his quoque temporibus, & debellatis Judæis, posteà cessaverunt illic libamina & sacrificia, quæ exinde illic celebrari non potuerunt: nam & unctio illic exterminata est, post passionem Christi.* Eusebius in Hyrcano Messiam extinctum quærit: *A sexto anno Darii, qui post Cyrum & Cambysem filium ejus regnavit in Persis, quando Templi opera consummata sunt, usque ad Herodem & Cæsarem Augustum numerat Hebdomadas septem & sexaginta duas, quæ faciunt annos* CCCCLXXXIII, *quando Christus, hoc est, Hyrcanus, novissimus Pontifex de genere Maccabæorum ab Herode jugulatus est.* Audiatur & Theodoritus: *Ab ædificatione Jerusalem, quæ Nehemiæ & Esdræ memoriâ facta est, usque ad Hyrcanum, ultimum ex Asamonibus Principem Sacerdotum, quem occidit Herodes, duarum & sexaginta Hebdomadum numerus expletur, & ab illius interitu, usque ad tempus illud quo, Salvator noster ad Jordanem accedens apparuit, reliquæ septem perficiuntur Hebdomades.*

Hier. in Dan. 9.

Messias exscindendus unctionis, Pontif. extinctionem non significat.

XX. Contortæ interpretationi refellendæ, magnæ sunt argumentorum copiæ. Primùm vox *Messias*, quæ Danielis est, absolutè accepta nulli Pontificum, ne vel maximo accommodatur. Adjectivi semper rationem habet, quomodo Levitici 4. 5. *Sacerdos unctus.* In Daniele verò Messias substantivum est singulare: *exterminabitur Messias.* Insuper stante Salomonis Templo Sacerdotes non immeritò unctorum nomen gerebant, utpote qui oleo sacro oblinirentur, jubente Deo. Aronis filios *unges, quemadmodum unxisti patrem eorum, ut Sacerdotio fungantur mihi.* At Salomonitici Templi ruderibus Sacerdotalis unctio sepulta est, nec ultra Sedeciam viguit, quo regnante vastata est Hierosolyma. Ex illo tempore unctionem Pontificalem evanuisse, uno ore fatentur rituum Hebræorum periti: *In secundo Templo, quoniam nullum erat unctionis oleum, Pontifex vestium indutu initiabatur, adeò ut tantùm Pontificis indumentis vestiretur, minimè verò ungeretur.* Quinque res fatentibus Hebræis Templo secundo defuere, quas primum habuit: *Ignis cælestis, arca, Urim & Tummim, oleum unctionis, & Spiritus Sanctus.* Nulla sanè in Scriptoribus sacris, qui post eversum Salomonis Templum exorti sunt, unctionis sive Pontificum, sive Templi mentio injicitur, quam in eo dedicando usurpatam Esdras oblivioni non dedisset, qui rerum minoris momenti meminit. Abrogata unctio fuit, ut remotis umbris, Judæi ad Christum verum Messiam cælesti Spiritus unguento madentem & diffluentem, facilius animum erigerent atque oculos. Compellam nunc Marshamum, quamobrem Daniel Messiæ nomen Mosaicis Pontificibus imposuisset, quibus nil prorsus unctionis fuit? Egregios unctos, qui sacro oleo non perfundebantur! Apage figmentum, *uncti* vocabulo, designari *successionem* Pontificum, quibus tamen unctio defuit. Argumento cedere non vult Marshamus, qui contendit, post eversum Salomonis Templum unctionem adhùc perdurasse. Rationem petit ex Zacharia, qui *Zorobabelem Ducem, & Josuam Pontificem appellat duos filios olei,* p. 571. Verùm unctio non externa & materialis, sed interna & spiritualis, cælestibus donis constans, hîc intelligitur. Quale candelabrum aureum, in quod geminæ oleæ influebant, tale etiam oleum erat, egregia scilicet illa charismata exercendo muneri necessaria. Neque moris unquam Judæis fuit, ut eum qui Regis, Sacerdotia, Prophetæ officio non fungebatur, sacro oleo

Exod. 40. 15.

oleo perfundere. Atqui earum dignitatum nulla Zorobabeli imposita est.

Successio Pontificum ab Epiphane non est extincta.

XXI. Est etiam falsissimum, Sacerdotum successionem ab Epiphane extinctam fuisse. Dum furit ille tyrannus, Pontificum quidem nonnullos morti misit. At hoc non est Sacerdotium delere. Sacerdotes octoginta quinque Saül occidi jusserat, qui Pontificalem unctionem extinxisse non censetur. Verbum Danielis כרת significat prorsus exscindi, & in fœderibus adhibetur, quia ad illa sancienda victimæ immolabantur. Vis verbi LXX. Interpretes non latuit, qui כרת per Græcum ἐξολοθρεύω reddidere. Quidquid ergo vocabulo Messiæ in Daniele designetur, illud è naturæ finibus deleri debuit. Quâ vel solâ ratione error Marshami evelli potest. Quippe Mosaici Sacerdotes Epiphani superstites fuere ad usque ultima Hierosolymæ fata imperante Vespasiano. Extat in eam rem insignis Josephi locus. Templo flammis correpto, *Sacerdotes oppressi fame descendunt, & à custodibus ad Titum perducti, ut salutem sibi concederet orabant. Ille autem venia quidem tempus illis præteriisse fatur, periisse verò id, cujus gratiâ meritò conservasset, decere autem Sacerdotes interire cum Templo, duci homines ad supplicium jubet.* Regnante Antiocho Epiphane Sacerdotalis officii intermissionem non toto quadriennio factam, quis unquam extinctionem nuncupatum ivit? Pro certo igitur & explorato habeatur, verba hæc Danielis, *Messias exscindetur*, non Pontificum Mosaicorum extirpationem, sed cruentam Christi Servatoris mortem portendere.

Joseph. de Bel. l. 7. c. 13. 962.

Dei Fœdus à Christo confirmatum est.

XXII. Verùm antequam vitâ abiret cælestis ille vitæ immortalis Præco, *Corroboravit Fœdus multis Septimanâ unâ.* Eò loci Judæi constituebantur, veniente Christo, ut Dei Fœdere excludi mererentur. Superstitione immani, cæcoque traditionum amore detinebantur; nihilominus pro immensa sua bonitate Christus promissiones Patriarchis factas, ingratæ perfidæque genti assertum iri voluit; ad frugem peccatores vocando, ignaros Evangelicâ luce illustrando, superstitiosos ad veram pietatem alliciendo, ut Deo populum & populo Deum quæreret. Danielis oraculo lucis non minimum fœnerant verba Pauli: *Illud autem dico J. Christum Ministrum fuisse circumcisionis pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones Patrum.* Fœdus quidem quod Angelus Prophetæ loquitur divinum illud est, quod & Danieli, & Judæis notum erat, & in quo felicitatis suæ spem collocabant: *Ero Deus tuus, & seminis tui*: non humanum certè, non ignotum fœdus, de quo Hebræorum ne vel unus cogitabat significatum ivit. Vix dubitari potest, quin Propheta Fœdus illud intelligat, quod *Fœdus sanctum appellat.* Quod postremâ Hebdomadâ à Christo corroboratum est, cùm Præconem Evangelii egit, labente ferè quadriennio, voce, miraculisque, ad resipiscentiam & fidem Judæos provocando.

Rom. 15. 8.

Dan. 11. 28.

Fœdus confirmatum non est temporale aut humanum.

XXIII. At Marshamus, qui nil aliud pensi habet, quàm ut contortis explicationibus cæleste deformet oraculum, *Pacti confirmationem de exemptione à calamitate publica* intelligit. Quod figmentum nobis est refellendum, ne veritati fiat injuria. Fœdus mutua est contrahentium promissio. Quodnam igitur pactum ab Antiocho Epiphane primo sui septennio confirmatum est? Hìc mentem Marshamus suam non satis aperit: divinatione igitur aliquâ nobis opus est. Fœdus divinum est aut humanum. Divinum solemnibus verbis constat, *Ero Deus tuus.* At non ea Epiphani facultas erat, ut illud pacti ratum faceret, quod in sola Fœdus instituentis potestate situm est. Velint nolint tyranni, stabit quidem in æternum. Humanum Fœdus, ab Antiocho Epiphanis parente cum Judæis contractum est, quibus singularem benevolentiam præstitit, teste ipsius rescripto: *Nemini alienigenæ liceat intra septa Templi ingredi contra voluntatem Judæorum; sed solis hoc facere fas sit, qui juxta præscriptum Legis patriæ purificati prius fuerint. Nemo etiam in urbem, carnes equinas aut mulinas inferat, nec asini, sive feri, sive domestici, nec panthera, aut vulpis, aut leporis, aut cujusvis omninò ex his animalibus, quæ Judæis vetitum est attingere: ac neque pelles eorum inferre liceat, aut aliquid ex his in urbe alere, sed tantum solitas more majorum mactare victimas, quibus Deus litari sibi vult.* Id Fœderis ab Epiphane firmatum existimandum foret, quia paternis promissis stetit. Quis verò sibi in mentem inducat, illud fœdus esse, quod necdum extabat, & toti Hebræorum genti ignorabatur, cujus confirmationem Angelus pollicetur? Deinde si labente primo Epiphanis septennio Fœdus Antiochi violatum est, perit interpretatio Marshami. Pollutum est autem, cùm ab Epiphane, licentia Menelao, & Tobiæ filiis data est, Græcorum Collegium extruendi Hierosolymis: *Quo impetrato, adduxerunt sibi præputia, ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles; & contemptis omnibus patriis ritibus, imitabantur mores exterarum gentium.* Hæc verò acta sunt antè susceptam adversus Ptolemæum, Ægypti Regem, Epiphanis expeditionem. Cujus finis variis temporibus à Scriptoribus assignatur. Autor primi Maccabæorum expeditionis hujus terminum sexto Epiphanis anno alligat. Posterior verò Maccabæorum liber, qui accuratiori Chronologiâ utitur, Fœderis hujus læsionem cum primo Epiphanis anno copulat: *Cùm regnum Antiochus, qui Illustris cognominabatur, accepisset, ambivit Jason frater Oniæ summum Sacerdotium, pollicitus Regi pro consecutione, trecenta sexaginta talenta argenti. . . Prætereà etiam promittebat, se alia centum quinquaginta constituturum, si concederetur ipsi, potentiâ suâ gymnasium, & epheborum ludum sibi constituere, & Cives Hierosolymitanos cum Antiochenis conscribere.*

Joseph. Ant. l. 12. c. 3.

Joseph. Ant. l. 12. c. 6.

Mac. l. 2. c. 4. v. 7. 8. 9.

Cessatio sacrificii ob Christi mortem facta est.

XXIV. Viam salutis, divinarumque promissionum confirmationem non modò Christus ostendit Judæis, verùm etiam ipsorum miseriam solatus est, oblato pro peccatis sacrificio, quo semel Numinis Justitiæ fieret satis. Victimarum quidem, quæ perpetuò immolabantur cessatione, nil utilius existimari potuit, ob tranquillitatem conscientiæ, gravissimique jugi quo premebatur, remotionem, quam Angelus pollicitus est: *Et dimidio Hebdomadæ cessare faciet sacrificium & oblationem.* Postquam enim, quod in sera tempora dilatum erat piaculum, à Christo in cruce solutum est, ceremoniæ Mosaicæ prorsus enervatæ vires amiserunt, quod morientis altâ voce significatum, clamantis, *Consummatum est.* Quòd ergo sacrificia Servatoris post obitum adhùc offerrentur, non necessitati quidem aut religioni, sed Mosis honori datum, cujus exequiæ non sine pompa celebrari debuerunt. Prædictam sacrificiorum cessationem, be-

peticio apponendam, ostendit orationis series, ubi fœderis confirmationem excipit oblationis cessatio, quæ superioribus quoque versibus promissa fuerat in LXX. Hebdomadum curriculo: *Definita sunt ad consummandam prævaricationem, ad expiandam iniquitatem, ad adducendam Justitiam æternam.* Deletâ iniquitate nullus sacrificiis Mosaicis locus esse debuit, institutis ut mortem Christi adumbrarent, bonorumque promissorum pignori forent.

Cessatio oblationis Danielitica Epiphanem non attinet.

XXV. At Marshamus in diversum affectus, sacrificii cessationem Judaicæ calamitati assignat, cùm cruentis edictis Epiphanes, holocaustis, oblationibus & festis interdixit Ecclesiæ. Verùm non eò spectare sacrificii cessationem, ex Chronologia liquet. Horrendæ profanationis, quæ ab Epimane inducta est, tempus à Josepho notatur: *Ea clades accidit anno secunda post urbem captam, regni ejus familiæ* CXLV. Annus ergo Epiphanis octavus erat in cursu, extra Hebdomadæ circulum, ne dum in medio ejus Templi profanatio constituatur. Deinde cladem Epiphanianâ longè majorem verba Prophetæ demonstrant, quâ urbs & Templum destinantur exitio: *Venturi Ducis populus civitatem & Sanctuarium perdet, & finis ejus erit in inundatione.* Finem urbi & Templo non imposuit Epiphanes. Imò in eo sacrificia perpetravit, altare non evertit, sed impuris numinibus consecravit, ut pollutum Judæis opus fuerit, propriis manibus diruere, & in illius vicem novum statuere. Obscuram dein triennii caliginem, quæ incubabat Hierosolymis, excepere lucidi dies. Anno Seleucidarum CXLV. mensis *Casleu* vigesimo quinto, qui in Decembrem incidit, Ethnici in ara super altare constituta sacrificarant. Ejusdem Æræ anno CXLVIII. novum à Judæis altare excitatur, interiores Templi partes reparantur, denique vigesimo quinto mensis Casleu oblatum est sacrificium, eo die quo Templum pollutum fuerat. Nullum ergo Hierosolymis, nullum Templo, nullum oblationibus finem Epiphanes imposuit. Ipsarum ordinem interturbavit solo triennio. At plena sacrificiorum cessatio à Daniele prænuntiatur, juris primùm, deinde facti, everso penitùs Templo, cui sacrificia affigebantur.

Joseph. l. 12. c. 7.

1 Mac. 4. 53.

Quid abominatio vastatrix?

XXVI. Non igitur ex parodia lusuque verborum, sed ex germano vaticinii Danielis sensu Christus Hierosolymis horribilia minatur, dum hæc Apostolis loquitur: *Cùm ergo videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est per Danielem Prophetam.* Mentione Messiæ exscindendi factâ, irrogatam nefariæ cædis autoribus pœnam exhiberi, omninò consentaneum fuit. Canit ergo Daniel, ultima fata contumacis perfidæque urbis. Tribus locis abominandæ desolationis meminit. Capite XI. v. 31. Græcis βδέλυγμα ἠφανισμένον: capite XII. v. 11. Græcis βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, qui loci non ad ultimum Vespasiano imperante urbis excidium, sed ad cladem ab Epiphane Judæis immissam pertinent. Tertius locus habet שקוצים משמם Græcis βδέλυγμα ἐρημώσεως Dan. IX. 27. Ubi notandum, non ut in aliis locis singulare, sed plurale nomen usurpari, *abominationes desolantes.* Quâ phrasis mutatione afflictio longè major ea portenditur, quæ ab Epiphane inflicta fuit, quasi calamitates omnes, agmine facto, in urbem Hierosolymitanam involassent. Ad illum locum verba Christi collimant, quæ sunt paucis explicanda.

Abominatio vastans, non significat Romanos.

XXVII. Abominatione vastatrici Interpretum pars multò maxima Romanos significari contendit. כנף *ala*, ad Legiones alludere videtur; quorum in signis erant aquilæ. Legiones & *abominandæ*, quia idolis serviebant, & *vastatrices*, quia Hierosolymam funditùs everterunt. Explicationi Lucas venit auxilio: *Cùm videritis Hierosolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoscite appropinquare vastationem ejus. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes.* Atqui maturanda fuga, cùm abominatio vastatrix *in loco sancto* posita fuit. Videtur ergo *abominatio* Romanos indicare. Nostros tamen sensus ut fateamur, ea nobis explicatio non arridet. Locus ille *sanctus*, Templum est, fons sanctitatis, quæ in urbem derivabatur; & Numinis cui dicabatur, præsentiâ repletum, Angelicis exercitibus refertum, qui inter exeundum altâ voce clamarunt, *Migremus hinc.* Populari sermone Templum *locus sanctus* nuncupabatur. Hinc testes adversus S. Stephanum excitati dicebant: *Homo iste non cessat loqui verba blasphema adversus locum hunc sanctum, & Legem.* Sæpius eo vocabulo Josephus utitur, in perelegant ad Judæos oratione: *Non recordamini opera divina parentum, atque hunc sanctum locum?* Et paulò inferius, tempora Epiphanis memorans: *Oppidum ab hostibus captum est, Sanctumque per triennium sexque menses penitùs desolatum.* Cùm igitur hortetur ad fugam Christus, ex illo tempore, quo abominatio vastatrix est in Templo, sive loco sancto constituta, ea de Legionibus Rom. intelligi nequit, quia fugiendi tempus non fuit, cùm Titus Templo potitus est. Perierat jam Judæorum pars maxima, urbsque ipsa cadaveribus, & sanguine sepeliebatur. Neque etiam cùm Titus Hierosolymis obsidionem admovit, fuga permissa fuit aut spes ad montes adeundi reperiendo asylo. Jam vastata erat, jam incendiis fumabat Judæa. Neque etiam cùm primùm Titus Legiones Hierosolymis suas admovit, in loco sancto collocavit. Constituebantur extra portas urbis, in locis illis, ubi fas erat, & leprosis domicilium sibi quærere, & defunctis sepulchrum habere. Hæccine loca *Sancti* titulo à Servatore decorantur? Porro exercitus apud Lucam, qui cingendo Hierosolymam de arripienda fuga monebant, copiæ sunt *Cestii*, qui anno Neronis XII. Hierosolymam obsidione cinxit. Quam explicationem verba Josephi non minimum adjuvant: *Cestius verò transgressus Besethan, quæ sic vocatur, & Canopolim, & forum, quod appellatur materiarum, incendit: deinde cùm ad superiorem civitatem venisset, propè aulam regiam castra posuit. Et si tunc valuisset intra muros violenter irrumpere, civitatem illicò possedisset, belloque finem dedisset.* Verùm res non successit, ob *Tyranni* & *Prisci* proditionem, quos *Florus* pecuniâ corruperat. Itaque repentè solutâ obsidione, tam improvidè recessit *Cestius*, ut multis Romanorum occisis, rebelles tormentorum & machinarum potiti, quasi ducto triumpho Hierosolymam reversi fuerint. Exinde crevit pertinacia, & belli cupido, veluti favente Deo arma moverent. Rectè tamen Josephus: *Jam tunc Deus infestus pessimis, ejusque sancta consilia, finem dara bello prohibuerunt.* Ex illo tempore de fuga in Judææ montes cogitandum.

Luc. 21. 20.

Act. 6.

Joseph. l. 6. 26. pag. 918.

Joseph. l. 2. de Bel. c. 38. 819.

Abominatio vastatrix Zelotæ sunt qui Templo insidebant.

XXVIII. Nobis igitur abominatio vastatrix furiosi illi sunt, qui religionis obtentu in populares suos grassabantur, divina humanaque

que pedibus conculcabant, collocatis in ipso Templo militibus. Verba Josephi egregio suot commentario: *Zelotarum quidem in populum dominatio, quæ autor erat excidii civitatis, unde cœperit, & per quos creverit, diligenter superius declaratum est. . . Eleazarus Simonis filius, qui & ab initio Zelotas in Templum à populo separaverat, velut indignari simulans, ob ea quæ in dies singulos Joannes auderet, cùm ne ipse quidem a cædibus quiesceret. Re autem verâ sese posteriori tyranno subjectum esse minimè ferens, summæ rei desiderio, propriaque potentiæ cupiditate, ab aliis defecit, ascitis etiam Judâ Chelciæ filio, & Ezronis Simone potentissimis. Præter quos erat etiam Ezechias Chobari filius, non ignobilis. Horum singulos Zelotæ non exigui sequebantur: occupatoque interiore Templi aditu, super ejus portas, in sacris foribus arma ponunt. Et abundare quidem se suis necessariis confidebant: sacrarum enim rerum copia suppetebat, nihil impium existimantibus.* Missilium jactu Templum cædibus polluebatur: in Sacerdotes sacra celebrantes, telorum omnibus cadebat. Qui ex ultimis ferè orbis partibus, ad sanctissimum locum adoraturi venerant, ante ipsas hostias procumbebant, altareque vel barbaris venerandum sanguine imbuebant. Sacerdotibus profani miscebantur, per atria stagnum fecerat cadaverum cruor. Hinc exclamatio Josephi: *Quid tantum passa es, ô miserrima civitas, à Romanis, qui tua intestina scelera purgatura flammis introiere? Jam enim Dei locus non eras, neque manere poteras, domesticorum funerum facta sepulchrum, & quæ fanum, civili bello tumulum feceras.* Non melioribus sanè coloribus *stans in loco sancto abominatio vastatrix* depingi potuit, cùm nefaria illa Zelotarum cohors, mansuetudinem rabie, religionem sacrilegio, humanos mores ferinâ barbarie, fidem perfidiâ mutasset, Romanis multò nequior calamitates Hierosolymitanas lugentibus, quibus illa non movebatur. Dignissima ergo fuit titulo & *abominationis*, quia numini maximo propter impietatem odio erat, & desolantis, quia causa fuit excidii, cùm Dei, tum Romanorum respectu.

Joseph. l. 6. de Bel. c. 1.

Joseph. de Bel. l. 6. c. 2. 905.

Quis ille Dux populi qui Hierosolymam excidit?

XXIX. Ut ingratum populum Christus perditum iret, ferrum ignemque Romanorum adhibuit: quod à Daniele prædictum est: *Populus venturi Ducis, civitatem sanctumque evertet, & finis ejus in inundatione.* Non incommodè in venturo illo Duce, *Vespasianus* filius Titus agnoscitur, qui Legionum suarum ope Hierosolymam æquavit solo. Quidni tamen Messias intelligitur, ut vox eadem duas in uno oraculo significationes induat? Versu vigesimo quinto Messias Ducis appellatione decoratus fuerat. Cur versu sequente alium nobis Ducem fingemus, quàm ipsum Christum, qui perquam aptè נגיד הבא: *Dux venturus* appellatur. Ipsius quidem auspiciis Titus Hierosolymam expugnavit, quod optimus ille Princeps, visis Judæorum munimentis, palam apertèque professus est, ut debitam Deo victoriæ laudem grato animo tribueret. Ad hanc explicationem maximè facit insignis ille locus Matthæi, de contumacibus, qui servos, quorum ministerio ad nuptias vocati erant, crudeliter interfecerunt: *Rex autem cùm hoc audisset, iratus est, & missis copiis suis, perdidit homicidas illos, & urbem eorum incendit.* Erant ergo Romani divini Regis milites, quorum gladiis usus est, ut gentem homicidam & in se rebellem, internecione deleret. Cui loco alius est par & geminus: *Meos illos inimicos qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc, & jugulate coram me.* Cùm summo Regi omnia præsto sint, fames, pestis, elementa denique omnia, hinc illæ calamitatum *inundationes*, illud desolationum omnium diluvium, quo misera gens Judæorum opprimitur. Ejecta & natali solo, & Dei fœdere, absque templo, sacrificiis, veræ Religionis notitia, perpetua sub nocte superstitionis infelicem trahit vitam. Ne verò tantorum causa malorum ignoretur, post excissum Messiam annis XXXVII. in ipso Paschatis festo, quo Servatorem suum cruci donaverant, confluentibus in unum malis omnibus, quasi fluctu inundari cœperunt, ne fides oraculo Danielis deesset, Christi verbis eximiè illustrato: *Erit tunc afflictio magna, qualis facta non fuit à principio mundi ad hoc usque tempus, neque unquam fiet: & nisi decurtati fuissent dies illi, periret omnis caro, sed propter Electos decurtabuntur.* Cui oraculo Pauli verba penitùs consentiunt: Judæi *neque Deo placent, & omnibus hominibus adversantur. Prohibentes nos Gentibus loqui, ut serventur, ut semper compleant peccata sua: occupavit enim eos ira ad extremum usque.* Dum nobis vita superest, infinitam Dei in fundendis oraculis sapientiam miremur: severitatem in punienda incredulitate horreamus, clementiam erga nos ingentem prædicemus, totâque voce ingeminemus, ut improbi ad frugem redeant:

Discite Justitiam moniti, nec temnite Christum.

Mat. 22. v. 7.

Luc. 19. 27.

Mat. 24. 21.

1 Thess. 2. 16.

DISSERTATIO NONA.

De Traditionibus.

I. CElebrem de Traditionibus quæstionem ingredimur, in qua tractandâ Baronius multum immoratur. Nec mirum, cùm maxima pars fidei Rom. in hoc fundamento collocatur. Ex Veterum monumentis testes undique excitat, ut Ecclesiæ suæ ritibus & dogmatibus in auxilium veniant. Ac tot tantisque locorum copiis fretus, quasi lætam victoriam retulisset, Gallorum segnitiem ovans insultat: *Dicant ergo Novatores, Gallorum sordes, quo fronte, per manus traditas Ecclesiæ Traditiones oppugnent, & respuent.* Cùm Gallicis nos *sordibus* permixtos esse profiteamur, lubentes illustrissimo Purpurato morem geremus, prolatis in medium rationibus, cur nostram uni Scripturæ fidem astringamus. Neque ea sola de causa hanc quæstionem inimus. Nobis etiam incumbit, & reformare ac velut recoquere malè jactum quæstionis statum, & Annalium fundamenta in Traditionis autoritate posita convellere, & errores Historicos, in quos tanti operis Autor delapsus est, evellere, ut veritati lucem fœneremus. Controversiam tamen

Bar. An. 53. n. 24.

omnem

omnem ad Theologorum locos communes regamus, ut Exercitationis Historicæ potius quàm Disputationis Theologicæ speciem Dissertatio nostra induat. Ex regulis quas constituemus, in promptu facileque erit, verum à falso secernere, & adducta Patrum pro Traditione loca explicare atque solvere.

De Hillel & Sammai. Baronii errores ex Hieronymo.

II. Non omnes Baronio Traditiones laudantur atque probantur. Commenta hominum, Pharisæorumque Traditionem damnat autore Christo: satis tamen improvidè, cùm Pharisæis, Mosis in Cathedra sedentibus, Ecclesia Judaica constaret. Illa ipsa Ecclesia, ad summum penè gloriæ gradum evecta, cui Messias nascebatur, Dei oracula credebantur, salus præcipuè offerebatur. Quòd si vanas Traditiones in fidem admisit suam, quidni nobis & metuendum sit, ne Ecclesia Rom. simili se flagitio polluat? Nùm splendidiores ei promissiones factæ, quàm Judaicæ? Nonne Judæorum exemplum Ecclesiæ Rom. ante oculos ponit, ne in simile ruat exitium: cui vitando, humilitatis & timoris freno ab omni se lapsu cohibere debet. In damnandis porro Pharisæorum Traditionibus Baronius Hieronymum secutus, aliqua ex parte à veri tramite deflexit. Amicus Hieronymus, sed magis amica veritas. Audiamus Hieronymum in Esaiam c. 8. *Duas domos Nazaræi, qui Christum ita recipiunt, ut observationes Legis Veteris non omittant, duas familias interpretantur, Sammai & Hillel, ex quibus orti sunt Scribæ, & Pharisæi, quorum suscepit scholam Achibas, quem Magistrum Aquilæ, Proselyti autumant, & post eum Meir, cui successit Joanam, filius Zathai, & post eum Eliezer, & per ordinem Delphon, & rursum Joseph Galilæus, & usque ad captivitatem Hierusalem Josue. Sammai igitur & Hillel, non multò prius quàm Dominus nasceretur, orti sunt in Judæa, quorum prior Dissipator interpretatur, sequens verò Profanus, eò quòd per Traditiones & δευτερώσεις suas, Legis præcepta dissipaverit.* Ea verba Hieronymi quasi ex tripode Apollinis dicta Baronius arbitratur, anno 53. n. 7. Fallitur tamen cum Autore suo. Errorem rectè coarguit Drusius, cujus verba exscribemus, ut latens in magno Hieronymi nomine scopulus vitetur

Drus. de Trib. Sect. Jud. l. 2. c. 10.

imposterum: *Hellel, sive Hillel, id est* הלל, *quod nomen extat Judic.* XII. 13. *Idem* (Hieronymus) *perperam interpretatur Profanum: nam profanum* חול *dicitur per* ח; *Hellel potius laudem denotat. Sic* כוס הלל *ποτήριον ὑμνήσεως... hunc Josephus, Pollionem appellat. Vixit annos* CXX. *Oriundus fuit è Babylonia, unde Hellel Babylonius appellatur. Anno ætatis* XL. *venit in Judæam, ubi annis* XL. *continuis operam dedit, & totidem rexit Israëlem. Cœpit præsidere centum annis ante Templi excidium. Erat autem* נשיא, *id est, Princeps, cùm Sammai esset* אב בית דין *pater Domus judicii. Cùm primum animum ad Legem applicaret, erat summè pauper, fratre Sobnâ, qui in re lauta erat, eum juvare detrectante, qui propterea nullam cum eo partem accepit. Patrem habuit ex Tribu Benjamin, matrem ex Tribu Juda, è semine David... Discipuli memorantur* LXXX. *quorum maximus Jonathan filius Uzielis, minimus Rab. Johanam filius Zachai Sacerdos, qui etiam ei successit, ut & Deon filius, & Gamaliel senex, qui occisus fuit in ipso excidio... Malè igitur Hieronymus, Sammai & Hellel, non multò prius quàm Dominus nasceretur, orti sunt in Judæa, quorum prior Dissipator &c... Sunt hæc folia farfari, & Nævii butubata. Nam cùm Dominus nasceretur, Hellel agebat annum circiter* CII. *Deinde ortus est non in Judæa, sed Babylonia. Hellel iste naturâ mansuetus erat, & humilis, ut Sammai* קפדן *iracundus & irritabilis.*

Baronii error de Præfectis Synedrii Judaici.

Bar. An. 53. n. 7.

III. In recensendis quoque Synedrii Principibus Baronius cum Hieronymo fallitur: *Post Aquilam Meir, cui successit Juhanam, filius Zachai, & post eum Eliezer, & per ordinem Delphum, & rursum Josephus Galilæus, & usque ad captivitatem Hierusalem Jesue.* Alio modo Rabbinorum successionem recenset Lightfootius, rerum Hebraicarum peritissimus. Defuncto Simeoni successit *Jochanam* filius *Zacchai*, qui totis viribus Cæsaris causam egit. Cùm ea de causa in discrimen venisset, assumptâ defuncti personâ, ope discipulorum R. Josue, & R. Eleazaris extra Hierosolymitanos muros feretro elatus, ad Titum pervenit, cujus captatâ benevolentiâ, imperravit ut Synedrium apud Jabnem esset in tranquillo: *Mortuum Rabban Jochanem excepit Rabban Gamaliel, seditque annos septem... Exactis* XII. *annis sub Præsidatu Rabban Jochananis, & R. Gamalielis, qui à secundo Vespasiani, quo Synedrium apud Jabnem primò sedem figebat, ad secundum Domitiani attigerunt, sedem suam occupat Rabbi Akiba, quam tenuit spatio annorum* XL. *hoc est, ad expilationem oppidi. Bitter, sive Bethar, quam Judæi eversæ ad* LII. *vel ad summum quinquagesimum quintum post Templi excidium locarunt, unde constat sedisse per totum tempus Domitiani, Trajani, & ad quintum vel ad summum ad octavum Adriani.* Cùm igitur Jochanam Zacchai filius Synedrio præesset, Tito Hierosolymam obsidente, & extinctum Jochananem Gamaliel exceperit, viderint Hieronymus atque Baronius, quo jure R. Jochanamo successores dederint Eliezer, deinde Delphum, posteà Josephum Galilæum, denique Josue usque ad captivitatem Hieros. Hoccine credibile est, fuisse Præfectorum Synedrio successiones quatuor à R. Jochanamo ad usque *Josue*, quem ad captivitatem Hierosolymæ usque præfuisse censet Baronius, cùm Jochanamus in ipsa obsidione floruerit, qui non Eliezerum, sed R. Gamalielem, Gamaliel Akibam successorem habuit.

Lightf. Chr. Temp. p. 142.

Error Pagii de Hillele.

Pag. Ap. n. 94.

IV. Ne hîc quidem erroris Pagius immunis est, scribens Hillel Babylonium *ex stirpe Davidica* fuisse. Stirps Judæorum non à matre, sed à patre censebatur, & ad eam familiam pertinebat, cujus sanguine genitor procreabatur, ex notissima Talmudicorum regula: *Familia seu cognatio materna minimè appellatur familia, seu cognatio, quæ semper sequitur patrem.* Atqui Hillel Babylonius, Tribu non Judâ, sed Benjamiticâ satus erat, & solo materno sanguine Davidis familiam attingebat. Deinde duce Hieronymo de Pharisæorum antiquitate in errorem incidit, quibus parentes dat Sammai & Hillel, cùm certissimum sit ex Josepho, Pharisæos prius extitisse, quàm Babylone Hillel Hierosolymam se conferret. Recitatâ quippe Jonathæ Judæorum Pontificis ad Ephoros Spartanos Epistolâ, subjicit: *Sub ea tempora tres erant Sectæ Judæorum.* Annus erat Seleucidarum circiter CLXVIII. & U. C. DCIX. quo tempore Hillel Babylonius lucem nondum aspexerat. De Pharisæorum ætate fusè tractavimus in Annalibus.

Joseph. Ant. l. 13. c. 9. p. 442.

Quid nomine Traditionis

V. Veniamus nunc ad Traditiones, quarum defensionem Baronius totis viribus suscipit. Ut autem

intelligitur? Traditio Scripturæ doctrina est.

autem confusionem vitemus, quâ ipsius disputatio involvitur, vox *Traditio* obscuritate & ambiguitate solvenda est. Traditio, si nomen naturâ suâ & simpliciter spectetur, benè sonat in sacris Codicibus, doctrinam scilicet ab inexhausto sapientiæ fonte manantem, & inventis hominum oppositam, quæ à Deo non profluxere: à quo quidem principium pietatis est omnis repetendum, cùm Doctorum cuilibet Pauli sermo sit usurpandus: *Accepi à Domino, quod tradidi vobis.* Quocircà Hæretici Clementi Alex. dicuntur: *Inanes Dei consiliorum, & Christi Traditionum, principes verò & autores dogmatum suorum.* Profectò insita est à natura animis hominum persuasio ejusmodi, pietatem normamque Religionis ad ipsum Deum esse revocandam. Hinc Numa Pompilius *simulavit, sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse, ejus se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituere.* Aurea sunt apud Clementem verba Platonis: *Ex Platonis sententia, aut à Deo, aut ab iis qui à Deo duxere originem, verum solum disci potest.* Non debuit clarissimus Heinsius, plurale *Diis* adhibere, cùm Græca singulare ὁ Θεὸς habeant. Mortalium ingenia, quibus ignorantiæ nox incubat atra, inveniendæ aut constituendæ Religioni, quæ veritatem sibi vindicat, prorsus imparia sunt. Neque animi commenta, nomine Traditionis simpliciter vocantur, sed *Traditionis hominum*, ut hinc pateat, doctrinam voce, vel scripto divinitùs patefactam, Traditionem esse. Quid his Pauli disertius? *Retinete Traditiones, quas accepistis sive per sermonem, sive per Epistolam.* Ab hac significatione non abludunt verba Irenæi: *Traditio Apostolorum est in Ecclesia*, hoc est, Apostolica doctrina. De Hæreticis Clemens narrat, per *humanas doctrinas illos resistere divinæ Traditioni.* De Ignatio Martyre Eusebius: *Hortatus est*, inquit, *ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent.* Eo sensu Traditio Scripturæ non opponitur, imò ipsissima Scripturæ doctrina est, Deo revelante Ecclesiæ tradita.

Strom. l. 7. p. 545.
Liv. L. 1.
Clem. Str. l. 6. 486.
Str. l. 7. 547.
Euseb. H. l. 3. c. 36.

Traditio specialius sumpta id sonat quod in Scriptura desideratur.

VI. At Traditionis vocabulum, quod ex se generale est, iis rebus accommodatur, quæ ab Apostolis in sacris Codicibus consignatæ non fuerunt. Quâ ratione Scripturæ Traditio opponitur apud Tertullianum, de Corona Militis c. 3. *Si Legem postules, Scripturam nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix.* Similiter in Cypriano legitur: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica Traditio servetur; ut calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Tridentinorum quoque Præsulum mens hæc est, in sua Sessione quarta: *Sacrosancta Synodus perspiciens hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt... Omnes libros tam V. quàm N. Testamenti, nec non Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit & veneratur.* Hâc significatione Traditionem accipit nostra Exercitatio.

Ep. 63.

Ariani ἄγραφα vocabula rejiciebant: admittunt Evangelici.

VII. Porro Traditioni à sacra Scriptura distinctæ atque separatæ, rerum nomina, tradendi modus, res ipsæ vindicantur, quæ accuratè distingui debent, ne Baronianæ incuriæ culpâ teneamur. Evangelicorum sententiæ hospes illustrissimus Purpuratus, eos Arianis permiscet, qui totis viribus ἄγραφα vocabula respuebant. Ariani quidem ejusmodi sententiæ fuerunt, ab illis vocibus prorsus esse abstinendum, quæ in Scriptura desiderantur. Quod patet ex Arianæ fidei Symbolo, coram Imperatore Constantio XI. Kalend. Junias Sirmii edito, anno Dom. CCCLIX. Eusebio & Hypatio Coss. *Vocabulum porro substantiæ, quia simplicius à Patribus positum est, & a populis ignoratur, & scandalum affert, eò quòd in Scripturis non contineatur, placuit ut de medio tolleretur.* Eodem telo Maximinus in Augustinum pugnavit: *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus: hæ verò voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur.* In Arianos asperius invehatur Baronius, ipsius commotio nobis crimini non dabitur. At non licet tranquillis audire animis, quæ in Evangelicos bacchatur: *Qui quodam furore perciti, obstinato ac pertinaci animo, negant quidquam esse in Ecclesia recipiendum, quod non fuerit Apostolicâ scriptione testatum.* Hoccine Evangelicis dictum? Nonne ab Arianorum morositate ipsorum sententia quàm longissimè distat, quibus vox ὁμοούσιος nunquam stomachum movit, quam toto pectore retinent, veluti veneno erroris dissipando aptissimam? De vocibus in lites coire quid attinet, cùm res ipsa in Sacra Pagina invenitur atque deprehenditur? Si Christus ἴσος Patri dicitur, an non & ὁμοούσιος, nisi Pater & Filius separatâ Deitate floreant, quo quidem errore Numen ipsum evanescit atque diffluit. Subtiliter simul & verè in Arium ipsius tela retorquebat Vigilius, sive quisquis Autor est disputationis Laodiceæ habitæ apud Athanasium: *Ergo tu, Ari, qui me hodie tali constringis articulo, ut homousion propriè positum in Scripturis ostendam... Ostende mihi non ex conjecturis, non ex verisimilibus rebus, non ex ratione vicini sermonis... Sed pura & nudâ verborum proprietate, ostende scriptum, ingenitum, aut impassibilem Patrem, verum Deum ex Deo, lumen de lumine, aut Patri similem esse.* Sapienter quoque Hilarius hæc ingerebat Constantio Imperatori: *Utitur etiam nunc, ut in cæteris, artis suæ consuetudine, ut per recti speciem prava confirmet, & per rationis nomen insana constituat. Nolo, inquit, verba quæ scripta non sunt. Hoc tandem ergo, quis Episcopus jubeat? Et quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius si rectè dici putas: nolo adversus nova venena, novas medicamentorum compositiones; nolo adversus novos hostes, nova bella; nolo adversus novas insidias, consilia recentia... Novitates vocum, sed profanas devitare jubet Apostolus, tu cur pias excludis?* Porro etsi non in verbis, sed in verborum mente veritas Scripturæ contineatur, cedro dignum existimamus boni senis sermonem, quem memorat Athanasius: *Ego certè, inquiebat ille, à Sapientibus audivi, olim in Israel recitandis sacris Scripturis Dæmones expelli solere, insidiasque eorum contra homines retegi. Unde quâvis pœnâ dignos censebat, qui iis vocibus omissis aliundè verba elegantia aucupantur.*

Bar. An. 53. n. 10.
Ath. de Syn. t. 1. 875.
Aug. cont. Max.
Bar. An. 53. n. 10.
Ath. t. 2. 608.
Hilar. cont. Const.
Ath. t. 2. 963.

Traditio quæ modus tradendi est, admittitur.

VIII. Tradendi quoque modus, licet ἄγραφος, à nobis facillimè admittitur, cùm doctrina in sacris Codicibus consignata, palam & publicè Pastorum concionibus exponi debeat, partim ad illustrandam veritatem, partim ad gliscentium errorum confutationem, partim denique ad mores informandos, ad depellenda vitia, ad afflictos animos consolandos, ne despondeant.

Id

Id consilii Christo propositum fuit, dum Ecclesiasticum ministerium instituit: *Dedit enim Pastores, & Doctores ad consummationem integram Sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi.* Scripturæ explicatio nil aliud est quàm ipsa Scriptura uberius proposita, cùm ex ipsius Scripturæ fontibus hauriatur, teste Cyrillo: *Nam divinorum sanctorumque fidei mysteriorum nihil ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi debet.* Secus Scripturæ corruptio erit, explicatio non erit. Neque Vincentii Lirinensis observatio nauci est: *Christi verò Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit. Non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industriâ hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractanda, si qua illa sunt antiquitùs informata accuratè expoliat: si qua jam expressa & enucleata consolidet, firmet, si qua jam confirmata & definita custodiat.* Nullus sanè adeò vecors est, qui dum locum celeberrimum, *Hoc est corpus meum* explicando illustrat, contendat se doctrinam non scriptam mentibus inculcare, cùm interpretatio Scripturæ sit ipsissima Scriptura evoluta, & clarius proposita. Ut ignarum quæstionis se prorsus ostendat Baronius, dum *Novatores* telis agens suis, instat: *Apostolicum ipsum Symbolum rejicere, suâ ipsorum sententiâ compelluntur.* Itane? Atqui partes Symboli omnes in sacris Codicibus extant. Quis ergo jure contendat, ad Traditiones non scriptas Symbolum relegandum esse, licet articulorum ipsorum coagmentatio atque compositio in sacris Codicibus non contineatur. Scilicet illud in Scriptura desiderabitur, cujus partes omnes expressis verbis in Scriptura leguntur!

Ephes. 4.
Cyr. Cat. 4 30.
Vin. Com. l. 1. c. 32.

Scriptæ doctrinæ declaratio non est Traditio ἄγραφος.

IX. Ad tradendi quoque modum spectat doctrinæ declaratio, quæ ipsissima Scriptura est, cùm extra modum absonum sit, Scripturam inferre non scriptis Traditionibus, quæ ab ea diversæ sunt, veluti pars, divisionis ope, parti suæ opposita. Quod igitur verè, non falsò Scriptura esse declaratur, reverà Scriptura est, nec articulis, voce, non scripto mandatis, apponendum. Atque eâ observatione, quæ momenti est maximi, Baronianum argumentum, quod Traditionis patroni faciunt plurimi, refellitur: *Unde acceperunt hæc illa ipsa esse, quæ ab Apostolis, & Evangelistis sunt scripta, & non potius illorum nomine dolose supposita, nisi amoritate Ecclesiæ, quæ sancito tandem Canone, quænam illa essent, & à quibus scripta, in Nicæno Concilio promulgavit. . . Hæc Apostolorum esse germana, non aliundè quàm Ecclesiasticâ Traditione potuit didicisse.* Concedamus hæc esse vera, quid aliud probant, nisi Ecclesiâ interveniente Scripturæ Canonem innotuisse? Nùm declaratione ejusmodi Ecclesia condit articulum, qui sacrorum Codicum complexu non continetur? Nil minus. Imò si Ecclesiæ definitio vera est, constat, Scripturam dolosum Hæreticorum partum non esse; verissimam regulam esse, quâ certa & falsa judicantur. Verùm ea materia fusiore explicatione digna est. Inquiramus ergo, nùm Scripturæ Canon ab Ecclesia constitutus fuerit, & quibus argumentis Canonis autoritas constituatur.

Bar. An. 53. n. 10.

Scripturæ Canon ex se certissimus est. Quamobrem?

X. Scripturæ Canon suis pollens opibus, nostrique nil indigus, à Spiritu Sancto veritatem habet suam, atque autoritatem, utpote eo fine concinnatus, ut fidei moribusque esset regula. Itaque quibus usus est Amanuensibus, Prophetis, & Apostolis, eos ita lumine dixexit suo, ut ne vel ad minimum apicem à vero dissiderent. Sive vaticinia funderent, sive mores informarent, sive amplectenda fidei mysteria traderent, sive historias conscriberent. Neque solummodò sapientiâ suâ infinitâ eorum ita mentes direxit, ut falli aut fallere nescirent, verùm etiam verba quibus uterentur, scribentium animis repræsentavit. Nempè sermo geminus est προφορικὸς, & ἐνδιάθετος, ille *externus*, hic *internus* appellatur, qui ab ipsa mentis cogitatione non discrepat, quam adhibitis quibusdam sonis auribus significatum imus. Externum sermonem scribentibus divinitùs esse dictatum non existimamus, cùm eo miraculo nil opus esset. Verba sanè ipsa ab hominibus constituta sunt atque excogitata, ut animorum sensus aperirent, ejusmodi subsidio alios contraherent ad colloquia, & devincirent hominum inter homines societatem. Verba sanè sive Hebræa, sive Græca, quibus sacri Autores usi sunt, jam erant in Populi linguis, cùm adhibita sunt. Itaque Scriptorum sacrorum stili maxima differentia est: alii sublimes fluunt, alii humiles serpunt, quod discrimen non darent verba à Deo, Prophetis Apostolisque dictata, ut mittamus phrases paulò duriores, & à concinnitate & elegantia Græci sermonis non minimum remotas, quæ frequentes legentibus occurrunt. Exemplo sit Apocalypseos capitis primi versus quartus, Lucæ XXII. 21. Marci VI. 7. Apostolos nitidæ puræque Orationis peregrinos fuisse fatetur Clemens Alex. apud Eusebium l. 3. c. 24. *Apostoli cùm essent omnibus virtutibus ornati, sermone autem rudes & inculti.* At rerum formas, quas vulgò vocant Ideas intelligendi & dicendi, Spiritus ille Sanctus scribentium objiciebat animis, ne à recta via deflecterent. Itaque non vaticinia modò, quæ res à libera voluntate mortalium pendentes certè certòque præsagiebant, verùm etiam minutiores historiæ circumstantias scribentibus suggessit, ne maculæ aliquid sanctissima Scripta deformaret, quo mentes legentium ad dubitationem veritatis adducerentur. Hinc Pauli dictum Apostoli: *Tota Scriptura divinitùs est inspirata.* Tota, inquit, non pars aliqua, non vaticinia, non dogmata, non præcepta sola, sed omnia prorsus, quibus Scriptura constat, à Deo manant. Paria & gemina Petrus loquitur: *Non libitu hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu Sancto locuti sunt sancti Dei homines.* Denique Christus ipse palam publicèque prædicat, Verbum Dei *veritas* est, quia Spiritus ille veritatis lineamenta sui sacris Codicibus impressit, ut in eis nil nisi sanctum, verumque reperiretur. In Prophetiis, Spiritu revelante; in historia scribenda, Spiritu dirigente, sacris Autoribus opus fuit.

2 Pet. 2. 21.

XI. Atque inde sciri potest, sacros inter & communes Libros quid discriminis sit. Librorum Canonicorum Autores ab ipso Deo ad scribendum erudiebantur. Hinc dictum Hieronymo in sua ad Paulinum Epistola: *Quidquid aliis exercitatio quotidiana, in Lege meditatio tribuere solet, illis Spiritus Sanctus suggerebat.* Verùm Autores Ecclesiastici vel sanctiores humanâ diligentiâ atque operâ scripserunt, & inter scribendum homines egerunt, ut nullus sit ipsorum liber, quin nævo aliquo careat, quia non impellente, non dirigente Deo agebantur, ut ab omni lapsu eorum calamos cohiberet, quæ causa fuit, cur Lu-

Discrimen Canonicorum & Ecclesiasticorum Librorum.

Ep. 103. c. 4.

cas

cas condendo Evangelio animum adhibuerit. Ex ea quippe narratione, quam boni illi viri composuerant, Theophilo non satis certum fieri poterat. Antiquissimus Scriptor est Clemens, Romanus ille Episcopus, qui egregiam Corinthiis Epistolam misit. Vir erat sanctissimus, & Apostolorum discipulus. Ejus tamen scriptum quantum à libris Canonicis distat? Phœnicis utitur fabulâ ad probandum resurrectionis mysterium. Quod argumentum Paulo non venit in mentem, utpote ex puro puto commento ductum, quo divinæ Epistolæ contaminari non debuerunt. Neque accuratis semper explicationibus Clemens Scripturæ locos illustrat. Exemplum unum omnium instar erit: *In veritate brevi & subitò voluntas ejus perficietur, Scripturâ etiam testimonium perhibente, quòd statim venturus sit Dominus in Templum ejus, & Sanctus quem vos quæritis.* Ad laudatum Malachiæ locum interpretatio non quadrat. In Templum Hierosolymitanum postremum venerat Christus, cùm eo egressus est triduo antequam cruci donaretur. Insignis etiam Scriptor est Justinus, & Philosophus Martyr, qui baptismi Dominici Historiæ fœnerat nonnulla falso propiora. Cùm Jesus in aquas descendisset, *Ignis in Jordane accensus est.* Temporis esset infiniti, errores Chronologicos, & Historicos memorare, qui passim & ubique in Patribus occurrunt. Exhibendæ Librorum Canonicorum & Ecclesiasticorum differentiæ, ad alia properantibus, sufficiunt verba Augustini ad Hieronymum: *Mihi videtur exitiosissimè credi, aliquod in Sanctis Libris haberi mendacium; id est, eos homines per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta aliquid in suis libris fuisse mentitos.* Et Epistola XIX. gravioribus adhùc verbis, quantum libri Canonici Ecclesiasticis præstent, declaratum ivit: *Ego solis iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Autorem scribendo, aliquid errasse firmissimè credam, ut si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendosum esse Codicem, vel Interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

Clem. Ep. p. 33.

Justin. Dial. p. 315.

Ep. 8.

Libris divinis Ecclesia nil autoritatis fœnerat.

XII. Quæ cùm ita sint, liquidò constat Scripturæ Canonem ex se certissimum esse, utpote à Spiritu Sancto constitutum: eâ autoritate pollere, quæ Episcopis ipsis imperet, nec posse sive ex toto, sive ex parte absque erroris culpa rejici. Profectò divinas Leges à mortalium consensu hausisse quod virium habent, longè est absurdissimum: & vel seposito Ecclesiæ decreto, ad obediendum astrictos fuisse, pœnis liquet, quæ immorigeris irrogatæ sunt. Sic non nemo à leone discerptus fuit, quòd præcipienti Prophetæ vulnus non inflixisset: obedientia quidem Verbo Dei præstita Ecclesiam constituit, nedum autoritatem ipsi aliquam Ecclesiæ decreta adjunxerint. Ut igitur Sacro Canoni autoritatem Ecclesia eripere non potest, sic nec ei adjungere potest: cùm ex se & naturâ suâ, vi ingenitæ majestatis, insitæque veritatis, eam obtineat: *Tota Scriptura divinitùs inspirata est.* Id hominum commentis, id disputantium argutiis, ut immotum fidei propugnaculum opponi debet. Si divinitùs inspirata, non igitur *Apostolorum nomine dolose supposita.* Sic Baroniano argumento persolvimus. At contra responsionem Bellarminus strenuè instat: *Non certò credam Scripturam esse divinitùs inspiratam, nisi prius credidero Scripturam qua hoc dicit, esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti passim legimus ipsum Alcoranum de Cœlo esse missum, & tamen ei non credimus.* Hoc acuminis profectò non aperti, non simplicis, non ingenui est hominis, sed versuti potius, astuti, callidique disputatoris, cùm facti quæstionem in aliam quæ juris est, fallaciter mutet. Christianis omnibus constat, Scripturam verissimam esse, non partum Apostolis subditum: hoc in fundamento atque principio, fides, pietas, religio collocatur. Principia verò scientiarum non demonstrantur, ut sapienter à Clemente Alex. est observatum: *Scripturâ tanquam criterio utimur ad res inveniendas, quidquid autem judicatur, non creditur priusquam fuerit judicatum, quare non est principium id quod opus habet judicio. Meritò ergo cum fide comprehenderimus principium indemonstrabile, ex abundanti, & ab ipso principio, de principio demonstrationes sumpserimus, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis.* Id fatentur & Scholastici, qua de re legendus in Procemio Becanus. Hoc solum ergo à Christianis in dubium revocatur, num res ea de qua disputatur, extet in sacris Codicibus. Quo demonstrato, finis disputationi datur. Cùm claris igitur locis aperté liqueat, Scripturam divinam esse, non est Christiano amplius ea de re dubitandum. Ac ut Alcorano utamur, quod in exemplum Bellarminus adduxit, si de Religione lis inter Turcas exoritur, de Alcorani autoritate nil disceptationis foret, quæ litigantibus in confesso est. Id unum controvertetur, num agitata quæstio in Alcorano sit, necne. Quòd si omissâ quæstione facti res in jus deducitur, tunc Scriptura quidem non fungitur officio principii. Quæstio demonstranda erit, quia cum Ethnicis Scripturam negantibus certamen instituitur. Verùm eo casu Ecclesiæ autoritas ad probandam Scripturæ veritatem non erit auxilio, cùm eâ vel ruente, vel ignoratâ, cadat una, pereatque Ecclesiæ autoritas, quæ in illa innititur. Daret certè Atheo, vel Ethnico ludibrium ille, qui ex Pontificum R. Conciliorumque decretis Trinitatis, aut incarnationis mysterium demonstratum iret. Quid igitur assultibus variis instant, urgent, insectantur Traditionis patroni? Quæritur an Scripturæ veritas & dignitas sit extra Scripturam, quomodo de colendis imaginibus, aut de Sanctis invocandis disciplina? An omisso Ecclesiæ decreto, nulla insit Scripturæ majestas, & divinitas, non secùs ac cessante Traditione, nulla esset adoratio imaginum, nulla Cælitum invocatio, nulla siccæ Eucharistiæ distributio? Atqui vel silente Ecclesiâ legimus: *Scriptura divinitus est inspirata.* Proindèque articulus ille ad eas Traditiones non pertinet, quæ sola voce ad nos pervenerunt.

Bellarm. l. 4. de Verb. D. c. 4.

Clem. Str. l. 7. p. 544.

An ex sola Traditione constet scripta Apostolica germana esse?

XIII. At nondum res confecta videtur urgente Baronio: *Scripta Apostolorum esse germana, non aliundè quàm Ecclesiasticâ Traditione sciri.* Nos verò & *aliundè*, & ex qualitatibus, quæ Scripturæ natales sunt & ingenitæ, præcipuè sciri contendimus. Scriptura *lux* est, à tenebris diversa: *veritas* est, à falso disjuncta: *sapientia* est, stultitiæ opposita: *potentia Dei* est, Dæmonum errorumque illusionibus inimica. De doctrina

Bar. An. 53. n. 10.

1 Tim. 1. 15.

ctrina sua Paulus: *Certus est hic sermo, & dignus qui recipiatur.* Certusne est absque certi vestigiis? Num acceptione dignus, absque insita excellentia? Quòd si Baronio non sufficiat fons ille sanctitatis, pietatis, charitatis, consolationum vivus & inexhaustus, qui in Scriptis Apostolorum jacet, ea componat cum V. Testamenti oraculis, quæ acerrimi Christianorum hostes Judæi suscipiunt & venerantur: non lac lacti similius est, quàm Vetus Testamentum Novo simile. Mirabilis ea & in dogmatibus, & in virtutum præceptis conspiratio, divinus ille consensus, demonstrabit scripta Apostolorum esse germana. Quo potentissimo sanè argumento, Beroënses permoti sunt absque Ecclesiæ autoritate, ut Paulo concionante, *Reciperent sermonem, cùm omni alacritate quotidie examinantes Scripturas, an hæc ita se haberent.* Illa ergo doctrinæ conspiratio, illa Evangeliorum & Epistolarum Apostolicarum sanctitas, illa mysteriorum sublimitas, illa præceptorum castitas, illa promissionum majestas, illa tot oraculorum antiquorum consummatio, argumento est atque indicio, Apostolorum scripta divina esse. Ecclesia his rationibus mota, illis assensum præbuit; illis & vehementer permoti Patres, Scripturam esse Dei verbum palam apertèque prædicarunt.

Act. 17. 11.

Insitas veritatis notas Scripturæ inesse Patres testantur.

XIV. Ex infinitis quæ possent afferri locis ea suppeditamus. De suis Stromatibus Clemens Alex. Sunt, inquit, *nobis imago quædam & species adumbrata efficacis illius animatæque doctrinæ, quam à viris illis beatis audire meruimus.* Origenes sic impurum Celsum coarguit: *Sed heus tu, Lini & Musæi, Orpheique Opera, & Pherecydis scripta producito, & cum Mosis Lege collata examinato, cum Historiisque conserta historias, & moralia dicta cum Legibus & mandatis, & vide utra potius horum ad se convertere poterunt auditores, & ab aliorum institutis avertere, vel vitiis coërcere.... Decebat enim hunc orbis terrarum fabricatorem, & qui universo mundo Leges dedisset, dictis suis eam vim indere, ut tenere omnia ac vincere quæ ubique terrarum sint possent.* Lactantius Ethnicos refellit, qui Prophetis non putant esse credendum: *Illas enim non divinas, sed humanas voces fuisse ajunt. Videlicet quia de uno Deo præcinunt faciunt, aut insani aut mendaces fuerunt. Atqui impleta esse in plerisque quotidie illorum vaticinia videmus, & in unam sententiam congruens divinatio docet non esse furiosos. Quis enim mentis emota, non modò futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit? Num ergo fallaces erant qui talia loquebantur? Quid ab his tam longè alienum quàm ratio fallendi, cùm cæteros ab omni fraude cohiberent.* Futurorum quæ ex libero pendent arbitrio certa præsignificatio Deique unitas, quæ una maximè perfectum decet, certa veri nota est. His accedat Augustinus, ut brevitatis causâ alios prætereamus, qui silentium imponit iniquis hominibus, ad ravim usque clamantibus: *Unde scitis Scripturam esse Verbum Dei?* Quærentibus sic respondet: *Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tantâ in omnibus ferè Gentibus autoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpandos: nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent, unde scis illos libros unius veri & veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? Id ipsum enim maximè credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum, per tam multa quæ legeram, inter se confligentium Philosophorum, extorquere mihi poterit, ut aliquando non crede-*

Euseb. H. l. 5. c. 11.

Origen. in Cels. l. 1. p. 4.

Lact. l. 2. c. 4.

Aug. Conf. l. 6. c. 5.

rem, te esse quod esses. . . aut administrationem rerum humanarum ad te minimè pertinere. Huic locum alium parem geminumque subjungamus: *Christus prius per Prophetas, deinde per se ipsum, posteà per Apostolos, quantum satis esse judicavit, locutus etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ autoritatis, cui fidem habemus de iis rebus quas ignorare non expedit, nec per nosmet ipsos nosse idonei sumus.* Sunt igitur in Scriptura impressa suæ divinitatis vestigia, secus nec *eminentissimæ autoritatis* esset, nec mundi conditor Legibus suis vim eam indidisset, ut vincere omnes posset, nec cum Religione naturali, quæ certissimis argumentis Dei existentiam docet atque Providentiam, incredibili modo consentiret. Quibus utique articulis Christiana fides tam aptè cohæret, ut partus illius esse videatur.

De Civ. l. 11. c. 3.

De Canonis constitutione tam divina quàm Ecclesiastica.

XV. Baronianorum argumentorum vanitas satis est à nobis demonstrata. Cæterùm de *Canone* quædam habet ad examen revocanda, ut huic etiam quæstioni persolvamus. Illustrissimi Purpurati verba sunt: *Autoritas Ecclesiæ, sancito tandem Canone, quænam illa essent, & à quibus scripta, in Nicæno Concilio promulgavit.* Cui sententiæ ea Dodwelli utcunque similis est, existimantis scripta Evangelistarum & Apostolorum in obscuro delituisse, donec rapido Trajani victoriarum cursu Christiano orbi innotescerent, ut ex Seniorum testimonio eâ ætate florentium, affirmantiumque scripta hæc Apostolis esse vindicanda, Scripturæ Canon constitueretur. Quæ sententia nobis admirationem movet, cùm Baroniana nihilo melior esse videatur. Constitutio Canonis gemina censeri potest, *divina* scilicet, & *Ecclesiastica*: illa Canonem facit, hæc declarat agnitum. A Deo ipso Canon habet quòd regula sit veri & falsi, secundum quam de religionis controversiis est judicandum. Ex quo igitur Libri Sacri conditi sunt à viris Deo plenis, illicò ad Canonis autoritatem ascendere. Mysteriis Christianorum adjungi fides, præceptis mos geri debuit, neque absque errore Libri alicujus ignorari autoritas potuit, qui à Deo sapientissimo exaratus est, ut normæ esset Ecclesiis ad componendam Religionem. Nolumus tamen errorem istius modi cum salutis periculo fuisse conjunctum. Alius quippe est Canon *Librorum*, alius *Dogmatum*. Dogmatum Canon, nonnisi læsâ penitùs pietate ignoratur, cùm iis articulis constet, qui fidei amplectendi discretè proponuntur. Librorum Canon salvâ pietate nescitur, quia fidei morumque præcepta ex aliis partibus Canonis quantum saluti satis est, hauriri possunt. Imò vix dubitamus, quin illi gravius simulque periculosius errent, qui librum apocryphum in Canonem admittunt, quàm qui divinum ex Canone repellunt. Quippe Apocryphis ea continentur quæ cum vero pugnant, ex quo consequens fit, errorem ingredi objectum fidei. At ex rejectione libri alicujus Canonici, falsus articulus menti assentienti credendus non apponitur, cùm ex aliis Libris Canonicis recta pietatis regula constitui possit. Itaque de Librorum Canone non eadem Veterum sententia fuit. De Jacobi Epistola Eusebius: *Hanc quidem nonnulli spuriam ac suppositiciam existimant. Sanè pauci admodum ex vetustioribus, tum hujus Epistolæ, tum illius Judæ, quæ & ipsa in septem Catholicarum numero recensetur, mentionem fecere.* De posteriore Petri Epistola ille ipse Eusebius: *Quæ verò*

Bar. An. 53. n. 10.

Dodw. Diss. 1. in Iren. p. 67.

Euseb. l. 2. c. 23.

Euseb. l. 3. c. 3.

verò secunda appellatur, eam quidem inter sacros N. Testamenti Libros censitam non esse, à majoribus accepimus. Ex eodem Eusebii capite liquet, nonnullos fuisse, qui Pauli ad Hebræos Epistolam Canone eximerent: *Sciendum est, Epistolam ad Hebræos à nonnullis ideò esse repudiatam, quòd dicerent eam ab Ecclesia Rom. pro certa ac genuina Pauli Epistola non haberi.* Denique nonnullis Apocalypsis contemptui fuit, teste Dionysio Alex. cujus verba sunt: *Nonnulli quidem ex iis qui nos præcesserunt, Librum hunc repudiarunt penitus ac refutarunt.* Liber tamen qui à viris θεοπνεύστοις scriptus est, nonnisi ab errantibus rejici potuit, cum veritatis injuria.

Euseb. l. 7. c. 25.

Ecclesiastica Canonis Constitutio.

XVI. Ecclesiastica Canonis Constitutio ea est quæ Libros sacros agnoscit, probatque, ut normæ sint fidei atque moribus. Partes Ecclesiæ sunt in ea re non autoritatis quidem, quam Canon ex se habet, adjunctio, sed declaratio, quæ fit bifariam, vel *assensu*, vel *decreto*. Priore modo à Fidelibus debitam Canone reverentiam exhibentibus Constitutio peragitur. Hinc Augustinus sapienter hæc scribit Hieronymo Epistolâ, quæ inter Hieronymianas XCVII. numeratur: *Solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Autorem scribendo aliquid errasse firmissime credam . . . Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque prapolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Constitutio Canonis, quæ decreto fit Conciliorum, est dum edictis suis divinorum librorum numerum terminis includunt, ne vel repudiato alicui fieret injuria, vel apocryphus aliquis sacris insereretur, non sine fidei periculo. Canonis Constitutio quæ stat in assensu Fidelium, Constitutioni antecedit, quæ Synodorum decretis vindicatur. Ac licet de numero Canonicorum librorum variarit Antiquorum sententia, non existimamus librum vere divinum ex Canone ab omnium Christianorum conspiratione ejectum esse. Id prohibebatur, tum Dei sapientiâ atque Providentiâ, quæ librum cum scribi voluit, ut pietati emolumento esset, tum Ecclesiarum quæ librum sibi commendatum accepere, erga Apostolos observantiâ, tum Ecclesiæ universæ conditione, quæ eò loci redigeretur, ut nil in ea re conspirationis cum primis Christianis haberet nulloque Canonis vinculo copularetur. Itaque ab incunabulis Christianismi Ecclesiæ fuerunt quæ aliis oculatiores, atque perspicaciores pro Canonicis libros habuere, quos nonnullæ respuebant. Multis Epistola Jacobæa spuria videbatur, perinde atque illa Judæ: *Verùm tamen has quoque cum cæteris in plurimis Ecclesiis publicè lectas fuisse, testatur Eusebius.* Complurium calculis Petri posterior è Canone avulsa est: non defuere tamen, *Qui cum reliquis sacræ Scripturæ Libris eam studiosè lectitarent.* Cerintho quidam Apocalypsim tribuere, quam non Apostolis modò, sed ne vel Ecclesiastico viro dignam putarunt. At Justini Martyris, Irenæi, Origenis suffragio Joanni Apostolo vindicatur. Insignis pro nostra sententia locus extat apud Eusebium, qui ubi libros omnium consensu receptos recensuit, subjungit: *Ex iis verò quæ in dubium revocantur, à multis tamen commemorari videmus, est Epistola quæ dicitur Jacobi, & quæ Judæ & secunda Petri: Joannis item altera, & tertia.* Non igitur in eam calamitatem incidit Ecclesia, ut communi omnium Christianorum conspiratione liber qui divinus esset, Canone pelleretur. Quæ causa fuit, cur debitum sibi gloriæ locum tandem assequeretur. Inventum sanè Dodwelli nobis non placet.

Eusebius l. 2. c. 24.

Eus. l. 3. c. 3.

Eus. lib. 3. c. 27.

Num Scripta Apostolica delituerint ad Trajanum usque?

XVII. Fingit vir doctissimus, Apostolorum Scripta in latebris delituisse, donec Seniorum testimonio, imperante Trajano, ad Canonis honorem ascenderent. Quæ commenta nullo Antiquitatis probata suffragio cum fastidio respui possent. Seniorum quidem de libris Canonicis testimonia nulla memorat autoritas. Figmenta verò ejusmodi historia non admittit, quæ non commentorum, sed gestorum narratio est. Porro ut gravioribus telis jugulum causæ petamus, ostendamus eam opinionem non esse rationi, non Antiquitati, non experientiæ consentaneam. Apostolorum Scripta dirigente Deo eo consilio prodiere, ut fidei procreandæ inservirent, teste Joanne: *Hæc scripta sunt, ut credatis.* Neque Evangelium, Epistolarumque Canonicarum finis ab illo diversus est, qui in sacris V. Testamenti Codicibus quæritur, de quo Paulus: *Tota Scriptura divinitùs est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.* Hæccine effecta edere, hunccine finem assequi potuerunt N. Testamenti Codices in tenebris, mortaliumque ignoratione sepulti, ac paucissimis Christianorum cogniti? Deinde Apostolorum ævo salutis suæ Fidelibus maxima cura fuit. Ad salutem verò promovendam Evangeliorum & divinarum Epistolarum lectio conducebat, ut mores probè conderentur, errores pellerentur, patientia in persecutionibus aleretur, charitas inflammaretur. Quæ beneficia ex scriptis incognitis inuriri nequeunt. Præterea Ecclesiæ ab Apostolis constitutæ, amore observantiâque ergo suos conditores, ipsorum scripta opibus & ipsâ vitâ suâ chariora habere tenebantur. Fingemusne Ecclesias sic animatas tanti pretii Codices in eam negligentiam adduxisse, ut in tenebris eos jacere paterentur, non sine crimine, pietatisque detrimento?

2 Tim. 3. 16.

Scripta Apostolica non latuisse ante Trajanum. Antiquitate ostenditur.

XVIII. Antiquitati quoque sententia Dodwelli resistit atque repugnat. Fama est, Eusebio teste, *Matthæum cùm Hebræis primùm fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturum, Evangelium suum patrio sermone conscripsisse, sicque quod præsentia sua adhùc superesse videbatur, scripto illis quos relinquebat supplevisse.* Miserum sanè supplementum, si in abdito Matthæi Evangelium occultatum fuisset. Ut absentis Apostoli vices suppleret, ab Hebræis palam & publicè legi debuit, ut sonantem Doctoris sui vocem audire sibi viderentur. Adeò quidem divina Matthæi Oracula inclaruerunt, referente Papiâ, ut illa Hebraicè Scripta *Interpretatus sit unusquisque prout potuit.* Ignorabanturne Scripta illa Matthæi, quæ ex Hebræo in alias linguas à pluribus transfundebantur? Denique de Evangeliorum ordine rumor ille dispersus est: *Cum Marcus jam & Lucas Evangelia sua, seorsum singuli edidissent, aiunt Joannem, qui hactenus nudâ voce verbum Domini prædicaverat, tandem ob hujusmodi causam ad scribendum se contulisse. Perlatis enim jam in omnium ipsiusque adeò Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis,*

Eus. l. 3. cap. 24.

Eus. l. 4. c. 39. 91.

Eus. l. 3. c. 24.

approbavisse ea Joannes & veritatem Scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur. Evangelii Lucæ, Epistolarumque Pauli adeò apud Christianos valebat autoritas, ut vetus ille Hæreticus Marcio, pro norma sectæ suæ illarum parte uteretur: *Unam Evangelii formam, quod a Luca scriptum est, admittit. Epistolas præterea Pauli Apostoli decem, quibus solis utitur, nec iis quidem integris... Atque hos duos libros duntaxat pro Canonicis habet.*

Epiph. h. 42. 19.

Experientiâ demonstratur Canonem N. Testam. notum esse ante Trajanum.

XIX. Experientiâ denique ostenditur N. Testamenti Canonem ante Trajani tempora innotuisse. De Paulinis Epistolis sic Petrus loquitur: *Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis: ut in omnibus fere Epistolis loquens de istis, in quibus sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, ut reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio.* Insignis locus, quo apertè constat, Paulinas Epistolas in fama fuisse omnibus, utpote non soli Petro, sed Hæreticis quoque & profanis notas, qui eas miserè corrumpebant. Quantò magis Fidelium in manibus erant, ut lectæ in ipsorum salutem cederent? Neque Pauli ad Colossenses verba danda sunt oblivioni: *Et cùm perlecta fuerit apud vos Epistola, facite ut etiam in Laodicensium Ecclesia recitetur, & scriptam Laodicea, vos quoque legatis.* Non igitur latebrosè à Christianorum oculis Pauli Epistolæ occultabantur. Neque magis in latibulo versabantur Evangelia Lucæ & Matthæi, quæ summam semper apud omnes autoritatem obtinuere, ac antiquitate Epistolas & Apostolicas superabant. Ad rem maximè facit observatio Origenis: *Quatuor*, inquit, *Evangelia in universa Dei Ecclesia, quæ sub Cælo est, citra controversiam admittuntur.* At non ubique locorum Epistola ad Hebræos Canoni apponebatur. Cùm igitur famam Epistolæ Paulinæ maximam consequerentur, quis feret Evangelia, quæ illas æquabant autoritate, & antiquitate vincebant, ignoratione quasi tumulo esse condita? His accedant Veterum testimonia, qui Trajano vel annis majores fuere, vel certè coætanei. Licet frequenous utantur locis V. Testamenti, quod eo tempore notius erat propter versionem LXX. quæ ubique discurrebat, & ab ipsis Apostolis laudata fuerat, & à Judæis maximi fiebat, citandis tamen N. Testamenti testimoniis non abstinent. Clementis ad Corinthios Epistola ante excidium Hierosolymitanum condita, Lucæ autoritatem adhibet: *Recolite sermones Domini Jesu quos æquitatem, & longanimitatem docens locutus est: sic enim dixit, Misereminι ut misericordiam consequamini, dimittite ut vobis dimittatur*, &c. Quæ Lucæ capite sexto continentur. Pagina quoque 60. ex Lucæ decimo septimo ea suppeditat: *Væ illi per quem veniunt scandala.* Neque Clemens Corinthios monere potuit, ut ea Domini dicta in memoriam revocarent, si Lucæ Evangelium ipsis ignorabatur. Priorem & ad Corinthios laudat Clemens his verbis: *Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit exspectantibus eum* p. 44. Affert etiam testimonia ex Epistola ad Hebræos. Perantiqua est Epistola Barnabæ, citat autem Matthæum: *Attendamus ergo ne forte, sicut scriptum est, multi vocati pauci electi inveniamur*, p. 217. Locis Evangeliorum & Epistolarum Apostolicarum innumeris scriptum Polycarpi ad Philippenses contextum est, ut sit legentibus obvium. Illinc libri latebant, qui viris coætaneis, & tanto locorum intervallo dissitis probationes suppeditabant?

2 Pet. 3. 16.

Coloss. 4. 16.

Euseb. l. 6. c. 25.

Clem. p. 18.

Condendi Canonis via Dodwelli rejicitur.

XX. Quam verò condendi Canonis rationem ex Seniorum testimonio Dodwellus affert, ea prorsus est rejicienda. Quinam illi Seniores? Quando, ubi interrogati? Simulne, an privatim? A quibus? Quamobrem? Dubitabatne hactenus Ecclesia de Evangeliorum autoritate? Cur non ipsos potius Apostolos Apostolicosve viros consulebat, quàm ignotos senes? Num Seniorum illorum graviora ad constituendum Canonem testimonia, quàm Apostolorum? Figmenta hæc si admittantur, quò tandem evadet fingendi licentia? Quanta, Deus bone, commentorum officina! Neque satis apta pietati ea sententia. Concedamus senes illos viros fuisse frugi, manuum etiam Apostolicarum peritos, ut fraudis absit suspicio omnis; id unum affirmare potuerunt, Codices Apostolorum calamo, vel exaratos fuisse, vel subscriptione munitos. Hoccine satis est constituendo Canoni? Geminam quippe Prophetæ Apostolique personam induebant privatam, vel publicam. Quæ ut privati, vel humanâ certè diligentiâ scribebant, ea Canoni non apponebantur, cùm falli in iis rebus potuerint, & à numinis aberrare consilio. De extruendo Templo consultus à Davide Nathan Regis consilium maximè probavit, quod laudabile piumque videbatur: *Quidquid est in animo tuo, abi fac, nam Dominus tecum est.* Errabat tamen Propheta, cùm Deo pergratum non foret, quam David moliebatur Templi ædificatio, quæ Salomoni destinabatur. Quin etiam ea Paulus accuratè secernit, quæ vel ex Imperio Dei, vel ex propria prudentia docebat: *De Virginibus autem imperium Domini non habeo, sententiam verò meam hac in re dico.* Itaque ut liber Canonicus evadat, non satis est quod ab Apostolo conditus sit, oportet ut impellente Deo, mentemque dirigente exaratus sit, quia Scriptura *divinitus* inspirari debuit. A Senioribus ergo libros esse Apostolicos doceri potuit, divinos & Canonicos esse constitui non potuit. Quòd si tanta fuit Senioribus istis in Canone declarando peritia, qui fit diu post ipsorum fata Canonem adhùc variasse, Ecclesiis nonnullis perfectum, aliis mutilum? Qua de re insignis est locus Eusebii: *Primò*, inquit, *collocanda est sacra Evangeliorum quadriga, quam deinde consequuntur Actus Apostolorum. Post hos numeranda sunt Pauli Epistolæ. Inde prior illa Joannis, ac similiter Petri Epistola suscipienda est. Postremò adjungenda est, si ita videbitur, Joannis Revelatio . . . Et hæc quidem omnium consensu recepta sunt. Ex iis verò quæ in dubium revocantur à multis tamen commemorari videmus, est Epistola quæ dicitur Jacobi, & quæ Judæ est, secunda Petri. Joannis item altera & tertia, sive illa ab ipso vera Evangelista, sive ab altero ejusdem nominis composita sunt.*

2 Sam. 7. 3.

1 Cor. 7. 25.

Euseb. l. 3. c. 25.

Quâ ratione constitutus Ecclesiæ Canon?

XXI. Videamus nunc annon viam Dodwelleâ meliorem invenire poterimus, explicandæ Canonis constitutioni Ecclesiasticæ. Cùm liber divinitùs inspiratus prodibat, à Scriptore Ecclesiis commendabatur, ut alendæ fidei, moribusque regendis inserviret. Pervulgata sunt, notaque omnibus Pauli verba: *Fratres, perstate & retinete Traditiones, quas edocti estis, tum per sermonem, tum per Epistolam nostram.* Libri quoque lectio injungebatur, uti liquidò constat ex Epistola Pauli ad Colossenses, quam non in

2 Thess. 2. 15.

ea

Col. iv. 16. ea tantùm Ecclesia, sed in illa quoque Laodicensium perlegi voluit. Neque solo Scribentis suffragio, sed Apostolorum quoque calculo liber commendabatur. Pauli quidem Epistolas Petri testimonio decoratas fuisse, jam nobis auditum est. De Matthæi Evangelio à Cle- *Eus. l. 5. c. 10.* mente Alex. celebris narratur historia: *Pantænus ad Indos usque penetrasse dicitur, ibique Evangelium Matthæi, quod adventum ipsius jam prævenerat, apud quosdam Christi notitiâ imbutos reperisse. Quibus scilicet Bartholomæus unus ex duodecim Apostolis olim, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi Hebraicis conscriptum literis reliquerat.* Ex qua Traditione illud conficitur, solemne Apostolis fuisse, Collegarum suorum libros θεοπνεύστους Ecclesiis commendare, ut cælestibus mandatis se obedientes efficerent, debitamque libris venerationem exhiberent. Ab Ecclesiis quæ authentica Apostolorum exemplaria possidebant, illæ quæ subinde fundabantur, ea sibi mitti curabant, ut cultum componerent suum, ortos errores extinguerent, patientiam in afflictionibus recrearent. Nec aliter fieri potuit, cùm probè scirent, libros Canonicos volente Deo prodiisse, ut Christianis regulæ forent, & ab Ecclesiis Apostolicis palam publicèque libros eos legi ad pietatem inserendam animis. Sic brevi ubique terrarum libri Canonici pervenerunt, & communi assensu, fideique acceptatione pro divinis, ut par erat, agnoti sunt. Hinc à Clemente Rom. à Polycarpo Joannis Discipulo, à Justino Martyre sæpius laudati. Hinc publici juris facti, ut eorum lectio vel in parte pietatis poneretur, quod eximiè ex Justini Apologia Antonino Pio oblata demon- *Just. Apol. 2. 98.* stratur: *Solis die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eandem locum conventus fit, & Commentaria Apostolorum aut Scripta Apostolorum, quoad tempus fert, leguntur.* Non omnibus Canonicis libris ea tamen veneratio subinde exhibita est, propter obscuriores divinitatis notas, vel rariorem Apostolorum commendationem, vel Ecclesiarum quibus crediti erant ignorationem, vel occasionem illos adhibendi erroribus refellendis minus idoneam. Pauci verò illi de quibus dubitatum, non ab omnibus rejiciebantur: ab oculatioribus Ecclesiis in Canonem admittebantur. Sic non Seniorum calculo, sub Trajani tempora, non Conciliorum decretis, sed solo assensu fidei primùm natus est Ecclesiæ Canon, non conciliatione quidem, sed agnitione autoritatis.

Concilium Nicænum de Canonicis Libris nil decrevit.

XXII. Nunc ad Baronium est redeundum: *Autoritas Ecclesiæ*, inquit, *sancito tandem Canone, quænam illa essent, & à quibus scripta, in Nicæno Concilio promulgavit.* Verùm in mari venatur apros, qui de Canonicis Libris decretum *Bar. An. 53. n. 10.* in Synodo Nicæna quærit: itaque agnitum er- *Bar. An. 325. n. 157.* rorem Baronius emendasse videtur verbis ejusmodi: *Haud affirmandum omninò existimarem, Canonem de Libris sacris statutum esse à Concilio Nicæno, à quo neminem ausum fuisse recedere, jure debet existimari. Sed non ex Canone de sacris Libris confecto, id asseruisse Sanctum Hieronymum, verùm potius ex Actis ejus, in quibus obiter citatus idem Liber inventus fuerit.* Locus Hieronymi *Hier. Præf. in Judit.* à Baronio indicatus sic habet: *Apud Hebræos Liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus autoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea putatur . . . Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numerum Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ, imò exactioni.* Verùm enimverò in verbis Hieronymi Baronius acta Synodi Nicænæ frustra sibi videre visus est. Ubinam legeretur, Librum Judith à Nicænis Patribus in Sanctos Libros relatum esse, non dicit Hieronymus, neque fidei multum huic Traditioni adjunxit, cùm librum eum ex Canone verbis expressis expunxerit. Quod enim in loco laudato legitur, *inter Hagiographa*, typographi mendum est, cùm certo certius sit, ab Hebræis Librum Judith Canoni non apponi. Legendum igitur inter *Apocrypha*, quod nos Lyranus monuit prologo suo in Biblia. Dormitabat eximius ille Criticus Richardus Simon, inter scri- *Crit. l. 3. c. 22.* bendum: *Saint Jerôme ne laisse pas d'attribuer à l'Eglise le pouvoir, d'avoir mis au nombre des Ecritures divines le Livre de Judith.* Itane? Dixit Hieronymus, *legitur computasse*; hoccine significat, Hieronymum id autoritatis Ecclesiæ tribuisse, ut divinis Scripturis Librum Judith affigeret? Non ea potestas Ecclesiæ concessa est, ut librum qui natura suâ non est divinus, divinum reddat: Canonicum declarare potest, facere non potest. Neque in Gelasii Cyziceni Historia, de inserto sacris voluminibus Libro Judith ullum vestigium est. Quod si factum fuisset, non ex eo sequeretur à Patribus Nicænis Canonem constitutum esse. Divinatio Baronii hæc est, quam refellit diversa Ecclesiarum de Canone sententia. Diserta sunt verba Hieronymi ad Dardanum, de Epistola ad Hebræos: *Quòd si eam* *Hier. Ep. 129.* *Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas; nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eâdem libertate suscipiunt.* Post decretum venerandæ Synodi Nicænæ, magna utique Ecclesiarum omnium de Canone conspiratio fuisset.

Quando Decretis Synodorum Canon constitutus?

XXIII. Quartum Æræ Christianæ seculum jam provectum erat, cùm Canon Scripturæ, qui hactenus solo assensu Christianorum viguerat, Synodicis tandem Decretis confirmatur. Non abs re quidem, cùm à multis, vel amplificatione, vel compressione Canonis peccaretur. Nonnullis Actus Pauli, Pastoris Liber, Revelatio Petri, Barnabæ Epistola, Institutiones Apostolorum, Sancti Libri videbantur. Contrà verò Marcionitæ complures Scripturæ Libros Canone pellebant. Ac ut solum Lucæ Evangelium illi, sic unum Matthæi, ne vel integrum, Cerinthiani probabant. Placuit igitur Patribus Laodicenis decretum fieri, quo certi Canoni termini ponerentur: *Non oportet privatos, & plebeios Psalmos in Ecclesia cantare, neque Libros non Canonicos legi, sed solum sacra Volumina N. Testamenti & Veteris* c. 59. Quos verò & legi, & pro Canonicis haberi oporteat, sigillatim recensent. Ipsorum verò Canon illi quem Evangelici amplectuntur, similis est, excepto quòd de Apocalypsi sileant. Anno CCCXCVII. Africana Ecclesia suam de Canone ostendit sententiam, illi Laodicenorum multum dissimilem: *Placuit ut præter Scripturas* *Cart. 3. c. 47.* *Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum.* Quibus non Apocalypsim modò, verùm & Tobiam, Judith, duos Maccabæorum Libros inserunt. Est tamen vero proximum, vocem *Canonicas* in eo Decreto paulò latius sumi, cùm permittat & Libros legi, qui omnium consensu sacro Canone non continentur: *Liceat etiam legi Passiones Martyrum*,

cùm anniversarii dies eorum celebrantur. Hieronymus quidem, qui eo tempore floruit quo Carthaginensis ille Canon conditus est, talia fatur Epistolâ CXV. *Judith, & Tobiæ, & Maccabæorum Libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit.* Quis credat, Hieronymum sacri Ecclesiæ Canonis imperitum fuisse? Cæterùm ubique locorum Canon necdum similis erat, uti ab ipso Augustino docemur, qui sic Christianum informat: *Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque autoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc invenire non possit, æquales tamen autoritatis eas habendas puto.* Ut hinc proclive fiat, quanti momenti sit distinctio Canonis Librorum, vel Dogmatum. Canon Dogmatum ad salutem pietatemque necessariò pertinet, non Canon Librorum, de quibus dissentire licet incolumi concordiâ. Non placet itaque dictatorium fulmen, in eos intentatum, qui Jacobi, vel Judæ, vel tertiam Joannis Epistolam pro Canonica non habent, licet erroris temeritatisque labe nonnulla ipsorum afficiatur sententia.

Aug. de Doct. Chr. l. 2. c. 8.

XXIV. Pervenimus ad Traditionem, quæ res extra Scripturam complectitur. Ea autem bifariam dividitur: versatur enim, vel in ritibus, qui Religionem exornant, vel in fidei, cultusque præceptis: inter quæ differentia est longè maxima. Ac si verum fateri licet, pergratum nobis foret, ex solo N. Testamento Ceremonias peti, quæ sint decori sacro cultui, qui eò melior est, quò simplicior. Ac paucissimis ritibus contentos fuisse Apostolicorum temporum Christianos, ex Justini Apologia Sole meridiano clarius est. Secutis annis pompa Ceremoniarum inducta est, ne nuditate suâ mortalium ante oculos religio in contemptum veniret splendori inhiantium. Hinc magna, quam non semel eruditi mirantur, Ceremoniarum & consuetudinum differentia, quæ Apostolicæ Traditionis nomine magnificentissimè se jactant: quasi verò diversos Apostoli ritus imperassent, & sibi contrarios. Sapientissimum est ea de re Socratis judicium: *Qui sunt ejusdem fidei, iidem in ritibus inter se dissentiunt. Ac mihi quidem videtur, ut alia multa, variis in locis usu quodam invaluerunt, sic etiam Paschale festum apud singulos ex insolita quadam consuetudine, peculiarem observationem habuisse, propterea quod nullus ex Apostolis, ut dixi, de illo festo quidquam lege sancivit.* Ad ritus quos Antiqui sacrorum Codicum autoritate fulcire non poterant, revocatur ingens ille citationum exercitus, qui apud Baronium pro Traditione militat. Quem si dimisisset, multò sapientius fecisset, cùm diverberet umbras. Fictum omninò quæstionis statum posuit, cùm in eo disputationis cardo vertatur, an omnia quæ ad fidem, moresque necessariò pertinent, in Scriptura contineantur? Negant Tridentini Patres, nos affirmamus. Dum pietatis dogmata morumque præcepta salva maneant, de Ceremoniis pax esse poterit. Licet enim nimio Ceremoniarum pondere, Fidelium colla premi, durum existimemus, in ea re tamen Ecclesiæ autoritate morem gerendum esse putamus, ne animorum dissiliat fœdus & amicitia. Quòd si parentis sui decretis paulò molestioribus olim Reccabitæ cum laude paruerunt, serendis agris, bibendo vino, ædificandis domibus parcentes; Ecclesia etiam quæ Christianorum mater est, patienter ferenda, cùm morosâ severitate Ceremoniis filios suos onerat. Eo casu jubenti autoritati non est insurgendum, ne violatâ pace, pejora morbo remedia afferantur. At fidei non scriptas cultusque Traditiones è finibus religionis prorsus exterminandas esse censemus.

De Ceremoniarum Traditione.

Socr. l. 5. c. 22.

Ut autem Baronio, illisque cumulatè satis faciamus, qui fidei proram puppimque in Traditionis autoritate constituunt, ac in eos asperius involant, qui unam Scripturam pro pietatis norma habent, hæc erant capita nostræ disputationis. 1°. Pietatem ab sola Dei revelatione esse petendam. 2°. Tutius simul & utilius esse, religionis regulam scripto consignari. 3°. Deum exemplo suo id faciendum ostendisse. 4°. Veritatem ex Traditionibus in periculum & discrimen vocari. 5°. Nullam quæ veras Traditiones à falsis secernat regulam idoneam reperiri. 6°. Totam pietatis normam in Scriptura contineri demonstrabimus.

XXV. Primum caput quod attinet, Pauli scitum est: *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia.* Cui sententiæ mortalium conscientia acclamat, totaque natura consentit. Exquisita sunt verba Xenophontis Atheniensis, & sapientiâ nocta: *Qui*, inquit, *omnia movet, & quieta efficit, magnus quidem est, & apertè potens: sed cujusmodi nam sit forma, non apparet. Sed nec Sol, qui omni ex parte videtur esse lucidus & conspicuus, ipse seipsum videre permittit. Sed si quis impudenter fuerit contemplatus, visu oculorum orbatur.* Sic est, viribus nemo suis sinceram Dei notitiam habere potest, quod fatetur superbus ille aliàque spiritus Seneca: *Nemo novit Deum: multi de illo malè existimant, & impunè.* Magnos in errores humanum delabitur ingenium, cùm sibi de constituenda religione permittitur. Quot monstra inventorum? Quot formæ Numinis corruptæ? Quot prophana sacra, quæ portenta sunt, & pietatis omnis funera? Horret animus ad immanem Romanæ superstitionis amentiam, quam memorat Augustinus: *Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui segetes commendarent: sed sata frumenta quamdiu sub terra essent, propositam voluerunt habere Segetiam. Frumentis verò collectis atque reconditis, ut tutò servarentur, Deam Tutilinam præposuerunt; cui non sufficere videretur illa Segetia, quamdiu seges ab initiis herbidis usque ad aristas perveniret. . . . Præfecerunt ergo Proserpinam frumentis germinantibus, geniculis nodis culmorum Deum Nodotum. In involumentis folliculorum, Deam Volutinam: cùm folliculi patescunt ut spica exeat, Deam Patelenam: cùm segetes novis aristis æquantur, quia Veteres æquare hostire dixerunt, Deam Hostiliam . . . Florentibus frumentis, Deam Floram; lactescentibus, Deam Lacturtiam; maturescentibus, Deam Maturam: cùm runcinantur, id est, è terra auferuntur, Deam Runcinam.* Quibus satis superque apparet, indignum esse mortalium ingenium, cui instituenda committatur religio. Propterea Deus sapienter cavit, ne vel ipsi Hebræi, qui Ecclesiam constituebant, illud circa pietatem peragerent, quod ipsis *videbatur bonum*, cùm

A solo Deo religio institui potest.

1 Cor. 2.

Clem. Protr. pag. 35.

Sen. Ep. 31.

Aug. de Civ. l. 4. c. 8.

Deus

Deus qui sapientissimus est, & sanctissimus, commentis hominum à veritate abhorrentibus non delectetur. Nec prudentiâ duntaxat, sed auctoritate etiam homo minor est constituendæ Religioni, quam ne vel ipsis Angelis, sapientiâ & sanctitate plenis, condere licet: *Si nos*, Paulus inquit, *aut Angelus è Cælo evangelizet vobis prater id quod vobis Evangelizavimus, anathema sit.* Angeli quippe servi sunt, non Domini, ministri, non Reges. Unus est Magister, unus Legislator Christus, sub cujus ditione conscientia tenetur. Ipsi Apostoli, qui omnes Episcopos, omniaque Concilia eminent, Legatorum vice fungebantur, qui ne ad latum unguem à Domini sui jussis deflectere debent. Gravissima sunt in eam rem verba Cypriani: *Ozias Rex cùm thuribulum ferens, & contra Legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azariâ Sacerdote, obtemperare noller & credere, divinâ indignatione confusus, & lepra varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis notatus offenso Domino, ubi signantur qui Deum promerentur: Et filii Aron, qui imposuerant altari ignem alienum, quem non praceperat Dominus, in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt: quos imitantur scilicet atque sectantur, qui Dei traditione contemptâ, alienas doctrinas appetunt, & magisteria humana institutionis inducunt.* Illa igitur doctrina quæ à Deo revelata non fuit, è religionis finibus prorsus est ejicienda.

Gal. 1.

Cypr. de Unit. Eccl. p. 185.

Tutius & utilius scripto quàm memoriæ Religio mandatur.

XXVI. Tutius simul & utilius scripto mandati fidei dogmata, & rerum experientiâ, & infirmitate memoriæ abundè probatur. Quippe

Verba volant, sed scripta manent.

Itaque ignoramur multa, quæ scriptio ab oblivione vindicasset. Nescimus ubi, quando, quâ ratione B. Virgo Apostolique mortem obierint, quia nullis monumentis proditum est. Quid etiam Servator in urbe Nazareth ad usque baptismum egerat, perinde nos latet. Est ergo ad conservandam veritatem præstantissimum in scriptura remedium, quod & ipsi Ethnici usurparunt, ut sacra sua oblivionis injuriæ eximerent. Apud Dionys. Halicarnassæum Ancus Martius *accitis Pontificibus sacrorum, Commentarios ab ipsis acceptos, quos Pompilius composuerat, in Tabulas transcripsit, easque in foro proposuit, quibuslibet videndas, qua tandem vetustate consumta sunt, nondum enim anea columna erant in usu; sed in quernis tabulis sculpebantur, & Leges & instituta, qua ceremonias & sacra scriptis mandata complectebantur* Cùm veritati è scriptione nil est auxilii, abit memoria & in aniles fabulas degenerat. Quis ferat Ægyptios de antiquitate sua se jactantes, narrantesque, *A Vulcano qui Philosophia aperuit principia ad Alexandrum Macedonum Regem fluxisse annos quadragies octies mille octingentos sexaginta tres*, ut Libro primo refert Laertius.

Dion. l. 3.

Aliis quoque de causis omnia religionis dogmata ab Apostolis scribi debuere. Quippe ad ea scripto mandanda promiscuus calamus non erat idoneus: sacro opus erat. Sapienter Josephus: *Neque conscribendi potestas omnibus data, neque ulla est in descriptione discordia, sed solummodò Prophetis, antiquissima quidem & vetertima secundum inspirationem factam à Deo cognoscentibus, alia verò suorum temporum sicuti sunt facta palam scribentibus.* Viris igitur θεοπνεύστοις, quos numine Spiritus ageret suo, scribendorum Religionis dogmatum provincia mandati debuit, ne errores ingenii humani manarent in fidei regulam. Quæ ratio fuit, cur florentibus Apostolis Lucas veritatis auxilio venerit, quam illi qui Evangelii narrationem componere aggressi fuerant, non satis assecuti erant. Sic certior fides ingenerabatur, sic pietatis doctrina fama tectaque conservabatur tum ab oblivionis, tum à corruptionis injuria. Quibus aliæ adhuc causæ accedunt. Una quidem, quod scriptio quæ fit impellente Deo, peculiaris est dogmatis commendatio, quæ in honorem cedit. Arguit enim maximam Providentiæ curam, utpote quæ non revelari modò, sed etiam chartis illud credi voluerit, ne efflueret. Altera verò, ut Fideles qui narrantium Pastorum ab ore semper pendere nequeunt, in legendâ privatim Scriptura suum pascere, & explere animum possint. Quâ præcipuè opus est, cùm dispersis persecutionis furore Presbyteris, Laicis copia non est audiendarum concionum. Miseria nil aliud restat, quàm ut sacrorum oraculorum lectione fidem alant spemque suam solentur. Itaque optima Tyrannia extinguendæ pietati via visa est, si Scriptura flammis aboleretur, quod imperante Diocletiano factum. Sic nudi inermesque homines ignitis Dæmonum telis objiciuntur. Ex religionis scriptione multum emolumenti hauriri, Patribus persuasum fuit. Apud Eusebium Ignatius: *Hortatus est ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam, testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit.* Clemens Alex. *Cùm autem propter proximorum utilitatem alii quidem se conferant ad scribendum, alii verò ad verbum tradendum se comparent, cum alia doctrina utilis est, tum Scripturarum lectio necessaria est, ad eorum qua dicuntur demonstrationem, & maximè si ii qui audiunt, accedunt ex Gracorum doctrina.*

Joseph. cont. Ap. l. 1. 1036.

Eus. l. 3. c. 36.

Str. l. 6. 475.

De Minutis Hebræorum Codicum Foliis R. Simonis inventum refellitur.

XXVII. Cùm tanta sit scriptionis dogmatum præceptorumque ad mores pertinentium utilitas, apparet & promptum est ab omni veri specie, Richardi Simonis de Minutis Foliis, in quibus Prophetas res religionis consignasse putat, abhorrere sententiam, utpote quæ cum Dei consilio, & Prophetarum in condendis Scripturis fine penitùs pugnet. Ex Minutis illa quasi Sibyllæ Foliis, magna non modò rerum quas continebant perturbatio atque confusio, verùm etiam jactura oriri debuit, non sine pietatis detrimento: cùm scripto mandatæ fuerint, tum ne abolerentur, tum ut legentibus essent emolumento, cui sanè fini exigua volumina minimis ventis ludibrium datura intercedebant. Exemplum Legis, ex illo volumine quod Sacerdotum in conspectu erat, Rex describebat sibi. Præceperat & Moses, in festo tabernaculorum *legi Legem coram toto Israële.* Ex dispertitis illis Simonianis Foliis ea præcepta executioni dari difficillimè potuissent, & verba Mosis, exemplar unum, non plagulas discretas atque divisas significat. Sed & Jeremias jussus fuerat *sibi sumere volumen, ut in eo scriberet omnia verba quæ Deus locutus fuerat de Israële & Juda, & de omnibus gentibus.* Amplum volumen esse debuit, quo continebantur verba omnia, ex illo die quo Jeremiam Deus compellaverat à diebus Josiæ ad Jehohakim usque. Postquam Rex tres quatuor ve paginas legit, laceratum scalpro volumen in ignem misit, ut facilius ignem admitteret. Opusne scalpro fuit ad scindenda Minuta Folia à se diffita & separata? Profectò ad eam exili-

Deut. 17. 18.

Deut. 31. 10.

Jer. 36. 1.

exilitatem volumina Hebræorum non fuisse redacta, apparet ex Zacharia: *Quid tu vides? Dixi, Video volumen, volans longitudine viginti cubitorum, & latitudine decem cubitorum.* Sed & ubi LXX. viri depromptos involucris Hebræorum Libros Ptolomæo Regi obtulerunt, ille *multum diuque miratus membranæ subtilitatem & commissuras quæ ita latebant, ut visu discerni non possent, gratias se illis habere dixit.* In disjunctis foliis nulla est commissurarum subtilitas, quæ admirationem faciat.

Zac. 5. 2.

Joseph. Ant. l. 12. c. 2. 395.

Deus voluit fidei scribi Dogmata.

XXVIII. Religionis Dogmata scribi, Deo libuisse, nunc est probandum. Non solis mandatis, aut occultis afflatibus, sed exemplo quoque suo Scripturæ necessitatem Deus astruxit, dum suo digito Legem exaravit? Quo fine? Nam Deus non id temerè fecit, aut sine consilio. Voluit Dogmata pietatis conservari scriptionis auxilio: unde mirari subit, cur partem fidei Scripturis, partem verò Traditioni creditum iri voluisset, cùm pars ea non legi, non custodiri, non speciali curâ commendari, perinde atque altera potuisset. Par sanè omnium esse ratio debuit: Dogmata erant omnia vel Traditioni, vel Scripturæ committenda. Quænam causa discriminis? Hîc nobis referre liceat, quæ Tridentinis frendentibus ex Antonio Marinario audita sunt: *Esse exploratissimum Majestatem divinam cum V. Testamenti Legem promulgaret, existimasse necessarium eam scripto tradi, eòque suo digito Decalogum tabulis lapideis inscripsisse, atque jussisse, ut in scrinium ex fœdere reponeretur. Præcepisse etiam non semel, ut in libro mandata scriberet. Eum verò Spiritum, qui Apostolis affuerit, quique eos in scribenda & prædicanda veritate direxerit, non posse dici vetuisse eos ne scriberent, ut doctrinam tanquam mysteriorum tegerent. Unde duo genera articulorum fidei non esse distinguenda, quorum alia scripto evulgari, alia solâ voce communicari jussit. Addebat insuper, Si quis contrariam opinionem tueretur, duas ei maximas difficultates superandas: unam in differentia inter verbum scriptum, & non scriptum explicanda: alteram in declarando, quando Apostolorum successores illud scripto mandarint, quod à Deo scribi vetitum fuerit. Deinde non minus esse arduum atque difficile, alteram opinionem tueri, scilicet per accidens factum esse, ut quædam singularia scripto non sint commissa; quando quidem illud valde derogaturum sit divinæ Providentiæ, in Apostolis ad Evangelii doctrinam componendam dirigendis.* Quæ rectè & nervosè dicta adeò paucis arridebant, ut Cardinalis Polus Marinarium verbis asperioribus excipiens dixerit, Sententiam digniorem esse Colloquio Germaniæ, quàm generali Concilio.

H. Trid. Conc. l. 2. p. 119.

Ex Traditione pernicies imminet religioni.

XXIX. In novo campo nostra nunc exultat oratio. Splendido Divinæ Traditionis nomine perniciem creari pietati, Pharisæorum exemplo monemur. Nobiliorem Ecclesiæ partem Pharisæi constituebant; utpote qui sedebant in cathedra Mosis. Suis verò Traditionibus *irritum faciebant mandatum Dei.* Seculo Apostolico viri illustres, & in pietatem benè animati, Traditionis capti decipulo in errorem delapsi sunt, quod de Papia Autore antiquissimo negari nequit: *Alia prætereà idem Autor, quasi Traditione non scripta, ad se pervenisse commonstrat, quæ peregrinas quasdam Servatoris parabolas, & novas ejus doctrinas, aliaque nonnulla commentitiis fabulis referta* continent. Ac Papias pertenuis quidem ingenii homo fuit. Sed Tertullianus magni vir animi, & naris emunctæ, nonne sibi ex Traditione laqueos induit eo ipso argumento, quo Traditionis patroni hodie innituntur: *Dicens enim, Adhùc multa habeo quæ loquar ad vos, sed nondum potestis portare: cùm venerit Spiritus Sanctus ille, vos ducet in omnem veritatem; satis utique prætendit, ea acturum illum quæ & nova existimari possunt, & nunquam retrò edita, & aliquantò onerosa, & idcircò non edita.* Cùm porro maximi sit ponderis id argumenti, ex periculo à Traditionibus injecto petiti, de eo paulò est fusius agendum.

Euseb. l. 3. c. ult.

Tert. de Monog. c. 2.

Traditionum Apostolis subditarum exempla.

XXX. Tertullianum urgebant Orthodoxi, quibus Psychicorum nomen Montanistæ imposuerant: *Ergo, inquis, hâc argumentatione quidvis novum & onerosum Paracleto ascribi poterit, etsi ab adversario spiritu habuerit?* Rectè: est enim Traditio perinde atque Tertulliani Paracletus, quæstuosissima falsorum commentorum officina, cùm Apostolico nomine sæpius abutantur Veteres ad incrustandas Traditiones. Traditio Apostolica fuit, die Dominico genua inter orandum non esse ponenda: *Nefas dicimus de geniculis adorare: eâdem immunitate à die Pascha in Pentecostem usque gaudemus.* Atqui Apostoli illud ipsum præstitere, quod nefas dicitur. Exacto azymorum festo, cùm ad Pentecostem Hierosolymis agitandam Paulus festinaret, de geniculis adoravit. Edicente Maximo Ecclesiæ Pontifice Leone Traditio Apostolica fuit, Presbyteros Diaconosve pœnitentiæ jugo non esse subigendos: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex Apostolica Traditione descendit.* Jam verò Leonis illud *sine dubio*, est sine dubio falsissimum, cùm vel in ipsa Romana Ecclesia *Trophimus*, qui Presbyterum agebat, pœnitentiæ satisfactione defunctus sit, teste Cypriano. Natalis quoque creatus Theodotianorum parorum Episcopus, errore cognito ad pedes Papæ *Zephyrini sese abjecit, non Clerî solius, verùm etiam sæcularium vestigiis advolutus, & vix tandem ad communionem admissus.* Traditio Apostolica fuit, sacris undis non esse expiandos, qui ab Hæreticis abluti fuerant, docente Augustino: *Consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano ab Apostolorum Traditione exordium sumpsisse credenda est.* Cypriani verò sententiam, & tolerabiliorem, & per Ecclesias longius pervasisse quàm illam Stephani, à nobis est demonstratum. Cypriano quidem maximè favent Canones, qui dicuntur Apostolorum, quorum XLVI. sic habet: *Episcopum aut Presbyterum Hæreticorum suscipientem baptisma damnari præcipimus.* Traditio Apostolica fuit, Eucharistiam à jejunis esse sumendam, quod verbis Augustini probat Isidorus Hispalensis: *Placuit Spiritui Sancto per Apostolos, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Atqui Paulus esurientibus præcipit ut domi edant ante Eucharistiæ perceptionem, quæ Agaparum celebrationem excipiebat. Sed & Ægyptii corpus Dominicum pransi participabant. Traditio Apostolica fuit, tergeminâ mersione baptismum ministrandum esse. Itaque Sozomeno pœnas Eunomius dedit, cui simplex immersio placebat, quia *Traditionem ab Apostolorum temporibus ad hoc usque tempus observatam* violabat.

Tert. de Cor. c. 3.

Act. 20. 36.

Leo. ad Rust. Ep. 2.

Ep. 52.

Eus. l. 5. c. 28.

Aug. de Bap. cont. Donat. l. 5. c. 20.

Isid. de Off. l. 1. c. 18.

At

At Toletani Patres longè sapientius statuunt, *Ut sive trinâ, sive simplâ mersione fuerit infans baptizatus, censeatur baptizatus.* Imò triplici mersione unum anteponunt, ne *Hæreticis consentire videantur.* Traditio Apostolica fuit, Christum noctе mediâ de Cœlo descensurum, cui opinioni Vigilia Paschalis innititur, monente Alcuino: *Unde & reor, Traditionem Apostolicam permansisse, ut die Vigiliarum Pascha ante noctis medium populos dimittere non liceat.* Id Apostoli tradidere scilicet, quibus dictum: *Nescitis quando Dominus veniet, vespere an mediâ nocte.* Traditionem Apostolicam dicunt Crucis *adorationem*, monente Damasceno: *Est autem Traditio non scripta, perinde ac adorationis ad Orientem, adorare scilicet Crucem.* Deum immortalem! Venerationem imaginum ex Traditione! Ex Traditione venerationem imaginum, quam Tertulliani, Clementes, Arnobii, Lactantii jaculantur. Quid non ex Traditione manabit prætereà? Si Traditionis propugnatoribus silentium objiciatur Antiquitatis, in promptu semper erit *arcani disciplina.* Sic olim Pharisæi legem *oralem* in prima commendatione habentes, hominibus illudebant. Ea laudatis exemplis constat, Patres, Pontifices Rom. Ecclesiam denique, in Traditiones Apostolicas retulisse illas, quæ non erant Apostolicæ. Sic errore veritas contaminatur, inventis hominum divina autoritas ascribitur: & quod longè pejus adhuc putamus, charitas violatur, cum ex læsæ Apostolicæ Traditionis præjudicio in disciplinarum istiusmodi securos asperius earum defensores involent, diris devoveant, anathematibus feriant, Cœloque pellant.

Tol. 4. c. 45.

Alc. B. P. c. 10. p. 256.

Dam. Ort. Fid. l. 4. c. 17.

Nullus est Judex verus Tradit. à falsis distinguendi peritus.

Bellar. de Sacr. l. 2. c. 25.

XXXI. Nunc nobis demonstrandum est, nullum inveniri Judicem, qui eximendo de Traditionibus scrupulo sit idoneus. Primâ specie audacissimum videbitur Bellarmini scitum: *Si tollamus autoritatem præsentis Ecclesiæ, & præsentis Concilii* (Tridentini) *in dubium revocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Christiana. Semper enim hæc fuit consuetudo apud Christianos, ut exortas controversias definirent Episcopi, qui tunc vivebant: & prætereà omnium Conciliorum Veterum, & omnium dogmatum pendet ab autoritate præsentis Ecclesiæ. Non enim habemus testimonium infallibile, quòd Concilia illa fuerint, & legitima fuerint, & hoc aut illud definierit, nisi quia Ecclesia quæ nunc est, & errare non potest, ita sentit & docet. Quod enim Historici quidam meminerint eorum Conciliorum, non potest parere fidem nisi humanam, cui potest subesse falsum.* Verè tamen, candidèque ex Ecclesiæ Romanæ sententia loquitur Bellarminus, tantaque ipsius argumentorum via est, ut solvi nequeant. Cum Bellarmino conspirat Richardus Simonius: *Quand St. Paul a dit, que l'Eglise étoit l'apui de la verité, il a voulu marquer, qu'on ne doit point chercher la verité de la Religion que dans l'Eglise, qui possede seule l'Ecriture, parce qu'elle en possede le veritable sens.* Profectò Patrum Conciliorumque monumenta evolventi dubitationis semper aliquid exorietur, nùm scribentium mentem rectè fuerit assecutus, cùm illa sacris Codicibus non sint clariora. Poscenda erunt Ecclesiæ oracula, quibus summâ veneratione est obtemperandum, absque ulla disquisitione, ne ipsis fiat injuria, quod & nuperrimè à Cameracensi Archiepiscopo factum, ubi novit librum suum, cui titulus est, *Explication des maximes des Saints sur la vie interieure*, à Pontifice R. esse improbatum. Una ergo Latinis judicandi Regula, utrum Traditio vera sit, necne, autoritas est *præsentis Ecclesiæ*, cujus testimonio vivo & summo Conciliorum Patrumque omnium Decreta, nec non germana Scripturæ interpretatio tota innititur.

Cris. l. 3. c. 22. p. 549.

Præsentis Ecclesiæ autoritas non est certa Tradit. Regula.

XXXII. Ea autem sententia certè certòque est absurdissima. Primùm enim illuditur hominibus, dum veluti exploratâ veri noscendi Regulâ veteris Ecclesiæ consensus obtruditur. Concilia, Patresque quid adire juvat, si germanus Traditionis sensus sit penes solam præsentem Ecclesiam? Vigilamus noctes, fuliginem bibimus, dum Antiquitatis monumenta terimus: eâ molestiâ nos levat charitas Ecclesiæ, qua monemur ad se unam pertinere, de vera mente Scriptorum judicare. Insanus ergo labor omittatur, cum nullum ad eidem fructum præbeat utilitatis. Noscendæ veritati ad præsentis Ecclesiæ vocem est attendendum, veluti certissimam compendiosissimamque viam, quâ de fidei doctrina componantur animi fluctus. Atqui hæc longissimè distant à Vincentii Lirinensis sententia, quam laudibus evehunt ad Cœlum usque: *Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur, tunc idem providebit, ut Antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitate seduci.* Non igitur vetus Ecclesia à præsenti, uti censent Latini, sed præsens Ecclesia ab antiqua judicari debet. Deinde vel ipsius Tridentini Concilii autoritas miserè sic pedibus proculcatur, cùm illud adversariis objici possit: *Non habemus testimonium infallibile quòd Tridentinum Concilium fuerit, legitimum fuerit, hoc aut illud definierit, nisi quia Ecclesia quæ nunc est, & errare non potest, ita sentit & docet.* Concilii hujus meminit historia? Nicæni quoque meminit: & auxilio præsentis Ecclesiæ indigemus, ut exploratum fiat, nùm Tridentinorum Canonum in mentem rectè penetraverimus. 3°. Illud quæri potest, quid Ecclesiæ nomine significetur? An Purpuratorum Collegium, cui Pontifex R. caput imponitur? An Episcopi omnes, qui ad Ecclesiæ Rom. disciplinam adhærescunt? An plebs ipsa, quæ Pastorum suorum pendet ab ore? Ecclesia non plebem significat, utpote quæ non docet: non Episcopos, qui docent quidem, verùm ἀναμαρτησίας privilegio non gaudent, nisi coëant in Synodum. Est etiam viribus humanis editius, cunctos orbis Latini Præsules adire, de haurienda Traditionis intelligentia. Unum igitur superest, quod Ecclesiæ nomine significetur, nempe Collegium Purpuratorum cum Pontifice. Hæccine illa Ecclesia est, cujus edicta, veluti ex oraculo Apollinis Pythii fusa esse putemus, & quibus nil verius esse possit? Fidenter dicemus, autoritatem ejusmodi Antiquitas Ecclesiæ R. non tribuit. Illustris erat Episcopus Firmilianus, cui persuasum fuit Ecclesiam R. à veri tramite deflexisse: *Eos autem*, inquit, *qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frustrà Apostolorum autoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, vident esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur.* Ad Firmiliani de Ecclesia Rom. opinionem accedebant Afri Episcopi, qui ad

Lir. Com. l. 1. c. 4.

Concilium Carthaginense octoginta septem numero convenerunt, qui contra Ecclesiæ Rom. sententiam communi consensu statuerunt, Hæreticos quosvis, *quando ad Ecclesiam venerint*, esse baptizandos. Est autem incredibile, tot graves Episcopos, quorum nonnulli Martyres egere, Ecclesiæ Romanæ ἀναμαρτησίας, privilegium prorsus abrogasse, si in eo fundamento, quidquid in fide certum est, Christus collocari jussisset. Scilicet Firmiliano, Cappadociæque Præsulibus, Cypriano Africæque Episcopis, primum religionis principium ignorabatur, præsentis Ecclesiæ Rom. autoritas videlicet, quæ mentis Scripturæ sacræ custos est, Apostolicarumque Traditionum tenax, cujus denique Decretis Concilia stant, aut cadunt. Denique ex Latinorum sententia id absurdi sequitur, Ecclesiam Rom. testimonium in suam rem afferre, quod est ab omni jure alienum. Legitur quidem in Scriptura, Ecclesiam *sedem veritatis esse, atque columnam*. Id verò ad Romanam potius quàm ad Græcam, aut Æthiopicam pertinere non dicitur, & Ephesinam potius Ecclesiam indicari, eò colligitur, quòd Timotheus, ad quem ea verba diriguntur, non Romanæ, sed Ephesinæ Ecclesiæ præfuit. Romanæ igitur Ecclesiæ autoritas ex sola Traditione noscitur. Cùm porro Traditiones non paucæ falsæ sint, Regula nobis certissima ostendenda est, Traditionem illam veram esse, quæ sancit, Ecclesiam Rom. in errorem duci non posse. Quænam est illa Regula? Per varios circuitus tandem ad ipsam Ecclesiam Rom. redimus. Illa ipsa est quæ & Scripturæ, & Antiquitatis testimonia ad se pertinere docet. Quâ agendi ratione quid iniquius fingi potest, cùm Ecclesia R. sibimet ipsi autoritatem tribuat, & in sua causa judicium pronunciet.

Vincentii Lirin. Norma expenditur.

XXXIII. Urgebimus igitur, poscemusque Latinos veræ Traditionis à falsa secernendæ criterium. Jactant vulgò Vincentii Regulam, Ecclesiæ universæ consensum: *In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Quam ambabus ulnis regulam Simonius amplectitur, ut & uniendi Religionis constituendæ, & refellendis Socinianorum argutiis, qui solâ ejusmodi viâ confutari possunt, maximè idoneam.

Crit. Præf.

Verùm enim verò Regula prorsus evanescit ex Latinorum sententia, quæ ex *præsenti Ecclesiæ autoritate*, omnia Veterum monumenta esse definienda statuit. Postquam ad multam noctem consensui inveniendo vigilaverimus, consensum duntaxat tenebimus. In quæstione adhuc erit, num erroris, aut veritatis conspiratio sit. Deinde qui disciplinæ & institutioni Ecclesiæ jam adhærent, Vincentianâ quidem Regulâ moveri possunt, Heterodoxi non possunt: imò Ecclesiæ consensum habent, pro erroris in veritatem conspiratione. Vincentii Commonitorium illis sanè traditur, qui & veri speciem aliquam, & Ecclesiæ informationem jam imbiberunt animo:

Vinc. Com. l. 1. c. 4.

Tunc, inquit, *operam dabit, ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus, & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide Magistri probabiles extiterunt.* Judæi igitur atque Gentiles illiusmodi Regulæ subsidio ad fidem adduci nequeunt. Præterea nascentem Ecclesiam ea norma deficit, neque eâ permoti sunt, vel Judæi illi, qui Petro de Christi morte & resurrectione dicenti assensum præbuere: vel Antiochenses, quibus ignoti obscurique homines pietatis notitiam initiaverant. Denique regulæ usus est difficillimus, & supra vires non plebis modò, sed & omnium fere Doctorum. Quis enim Herculeum laborem illum peragere potest, ut de iis, *quæ ubique, quæ semper, quæ ab omnibus credita sunt*, inquirere valeat? Quanta linguarum peritia! Quanta diligentia in legendo! Quantum acumen in intelligendo, ut ne vel Origenes ille *chalcenterus*, redivivus, ferendo oneri hodie par inveniretur ob ingentem Scriptorum molem.

Quo casu Vincentii Lirin. Axioma valet?

XXXIV. Vincentianum igitur Axioma ad noscendam Antiquitatem prodesse potest, ad intelligendam veritatem non potest, cùm fuerit & errori vetustas. Multis quidem exemplis axiomatis falsitas ostendi potest. Cum Veteris Ecclesiæ disciplina illa Græcorum Æthiopumque conspirat, sanguinem, suffocata, Idolotytha extra religiosum usum non esse vescendo, ne vel amoto scandalo. Illud quoque Romana credidit Ecclesia labente seculo XII. ut est ostensum alibi. Summa & Veteris Ecclesiæ contentio fuit, in ministranda infantibus Eucharistia, ad quam disciplinam Latini adhærescebant, mille & amplius annis post Apostolorum obitum: qui ritus etiamnum à Græcis, Æthiopibusque observatur. Hæccine ergo fidei unitas, atque illa cum Antiqua Ecclesia conspiratio prohibet, quominus falsa sit, & tradendæ parvulis Eucharistiæ, & suffocatorum abstinentiæ disciplina? Ad probandam tamen veritatem Vincentii Regula indirectè valere potest: non quia verum est quodcunque antiquum est, sed quia quod non est antiquum, verum esse non potest, cùm ab Apostolis tota religio doceri debuerit. Itaque illa quæ non ubique, non semper, non ab omnibus Christianis olim credita sunt, pietatis articulos subire non possunt. Pars ulla non est *fidei illius quæ semel Sanctis tradita fuit*. En argumento Epiphanius Noeti coarguebat errorem: *Qui*, inquit, *alieno afflatus spiritu, ea dicere ac docere ausus est, quæ nec Propheta, nec Apostoli, nec Ecclesia ab initio tenuit, ac ne cogitavit quidem.* Epiph. h. 57. n. 1. Hinc quæ de imaginum reliquiarumque veneratione, Sacramenti adoratione, Purgatorio, communione siccâ in Latinorum cultu obtinent, ut novitatis, sic & erroris damnantur. Valet igitur Axioma non affirmando quidem, sed negando, nisi & iis quæ *semper* credita sunt, fides Apostolorum includatur, quam in Scriptura tradidere. Fructum quoque utilitatis habet axioma Vincentii ad illustrandam veritatem, cùm in iis quæ saluti adipiscendæ necessaria sunt, cum antiqua Ecclesia conspiratio argumentum sit veritatis non contemnendum; cùm non satis probabilitatis habeat, quod ubique, quod semper, errorem cum pietate pugnantem admiserit Ecclesia, vetante Christi providentiâ, quæ pro ipsius salute diligenter invigilat. Neque illud argumenti repudiavit Autor ille, qui Artemonis hæresim refutavit. Observatione multâ ipsius verba digna sunt. *Artemonis discipuli affirmant, priscos quidem omnes, & ipsos Apostolos, ea quæ ab ipsis nunc dicuntur, & accepisse, & docuisse. Ac prædicationis quidem veritatem esse custoditam, usque ad Victoris tempora, qui XIII. à Petro Romanæ urbis Episcopus fuit. A Zephyrini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem. Ac fortasse id quod dicunt,* Eus. l. 5. c. 28.

cre-

credibile videretur, nisi eis refragarentur primùm quidem divina Scriptura, deinde fratrum quadam scripta Victoris atate antiquiora. Sic damnabantur novitatis Hæretici. Sic Orthodoxorum religio Antiquitatem sibi vindicabat. Cæterùm primas Scripturæ partes Autor ille concedebat, ad quam ut certissimam regulam Antiquorum opinio quadrare debet; secus quò altior & profundior vetustas, eò peior erit.

Perfectio Scripturæ ex Scriptura ostenditur.

XXXV. Nunc firmissimis argumentis ostendamus in rebus fidei, morumque, Scripturam regulam esse absolutissimam, à qua ne vel ad latum unguem est recedendum. Ea Judæis sententia infixa fuit, plenam ex Scriptura salutem hauriri posse, quos Christus sic compellat: *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam aternam habere.* (*Joan. 5.*) Rectène, an secus sic censebant? Si fallebantur, erravisset Ecclesia; fidei perfectam vera vel falsa judicandi normam non habuisset: errorumque ipsorum Christus coarguisset, ut ad fontes Traditionis adirent, saluti adipiscendæ, quam ex solis Scripturis haurire non poterant. At in sua existimatione deceptos non fuisse, liquet ex mandato legendi Scripturas, quia de Christo testimonium præbebant. Itaque solam divinorum Codicum autoritatem Christus Apostolique adduxerunt, probandis Evangelii mysteriis. Scripturæ perfectioni applaudit Paulus scribens ad Timotheum: (*2 Tim. 3.*) *A puero sacras Literas novisti, qua te possunt sapientem reddere ad salutem.* Sapientia autem consummata est plenaque notitia, *quâ homo Dei*, Episcopus nimirum, qui divinæ voluntatis interpretem agit, *Ad omne opus bonum instructus evadit.* Particula ἵνα, *ut*, maximi ponderis est, utpote quæ vel finem, vel eventum designet. Si priore sensu sumitur, consilium Dei fuit, ut ex Scriptura Pastores ea haurirent, quæ peragendo muneri suo conducunt. Frustra omninò, nisi illa tradat omnia, quibus Episcopus sit ad docendum idoneus. Si particula *ut* eventum notat, consequens est, Episcopis facultatem à Scriptura conferri necessariam, ut ritè provinciam administrent suam, quod ab imperitis dogmatis alicujus ad salutem pertinentis fieri nequit. Quis nisi frontis perditæ inficias ibit nosse omnia, quæ in Scriptura continentur, salutem esse hominis, qui ne vel de Traditione nil cogitant? Potestne quis sibi in animum inducere, tristem à mundi Judice sententiam in virum ejusmodi ferendam esse: Ito, maledicte, in ignem æternum, quia damnandus es impietatis. Tu solas Scripturas attendisti. Tu nil aliud sapere voluisti quàm doctrinam à Prophetis Apostolisque meis scripto exaratam. Tu Traditionis insolens, ignarusque fuisti. Discedito igitur à me, cum Diabolo incredulisque cruciandus in secula. Absit ab æquissimo Judice tam dira sententia.

Perfectio Scripturæ ratione demonstratur.

XXXVI. Profectò si tota Scriptura mortalium saluti non sufficit, vix incuriæ negligentiæque intolerandæ Apostoli excusari possent, qui quæ majoris sunt ad pietatem momenti, plus decies repetunt, & inculcant. Nonne repetitioni potius parcendum erat, ut quæ ad pietatem necessaria desiderari finguntur, scripto mandarentur? Multa in N. Testamento leguntur, ex quibus ad salutem nil emolumenti redit. Quid fidei conducit noscere, *Pharisaos Judaosque nisi pugno laverint manus, non edere.* Saducæos animorum immortalitatem corporisque re-

surrectionem inficiari? Paulum de resurrectione disserentem, à Festo insaniæ esse insimulatum? Vix pluribus verbis opus erat ad ea dogmata referenda, quæ ex Traditione peti statuunt. Hoccine sapientis est, levissima curare, gravissima verò prorsus omittere? Constat omnibus Sanctitatis præceptis abundare Scripturam, ut hac in parte nil desideretur, ad homines imbuendos consummatâ justitiâ. Consolationibus etiam omnibus circumfluit, quæ idoneæ sunt miseris ad dolorem levandum. Atqui & virtutis præcepta, & solatia miseriarum omitti satius fuit, quàm dogmata fidei, utpote quæ longioribus intervallis à rationis luce removeantur. Neque etiam rivus consolationum & præceptorum fluere plenus potest, nisi ex fecundo fonte fidei. Etenim cùm *fide corda mundentur*, si mancum mutilumque est ejus quod in Scriptura traditur objectum, partibus suis integra fides esse nequit; fides autem istiusmodi nonnisi imperfectam animis & Sanctitatem & consolationem inserit. Hoccine verò simile est, Scripturam quæ tot consolationum exemplis, tot temperantiæ, humilitatis, patientiæ, justitiæ, charitatis præceptis divea est, deficere sanctificandis hominibus in re aliqua? Quòd si eo respectu perfecta est, nec in tradendis & fidei articulis imperfecta esse potest.

Patres Scripturæ perfectionem agnoscunt.

XXXVII. Scripturæ plenitudinem circa fidei mysteria Patres agnoscunt & venerantur. Longum est & non necessarium in omnia loca ingredi; satis est ad ea attendere, quæ nullâ arte eludi possunt. Audiatur Irenæus: (*Iren. l. 3. cap. 1.*) *Non per alios dispositionem salutis cognovimus quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos. Quod quidem tunc praconiaverunt, posteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostra futurum.* Cùm igitur ea scripserint Apostoli dogmata quæ prædicarunt, aut non omnia saluti necessaria prædicarunt, aut omnia certè scripta sunt. Eadem Judice Irenæo & voce & scripto propositorum est dogmatum amplitudo. Tertullianus sic refellit Hermogenem: (*Tert. in Herm. cap. 22.*) *Adoro Scriptura plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat Va illud adjicientibus, vel detrahentibus destinatum.* Quòd si Scriptura perfecta non est fidei Regula, ejus plenitudo adorari non potest, neque quod adjicientibus tremendum va Tertullianus minatur, timeri debet, imò non adjicientibus est prorsus metuendum, quia ex Scriptura omnia saluti requisita hauriri non possent, quæ à Traditione peti deberent. Urgebat olim Traditionem adversus S. Cyprianum Stephanus: *Nihil innovetur nisi quod traditum est.* Regerebat ei Cyprianus: (*Cypr. Ep. 74.*) *Unde est ista Traditio? Utrùmne de Dominica & Evangelica autoritate descendit, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda, qua scripta sunt.* Quibus apparet, Cyprianum sententiæ fuisse ejusmodi, ex Scriptura res fidei omnes concludendas esse, atque definiendas, cùm eo argumento Stephani Traditionem rejiciat, quòd ex Scriptura illam firmare nequeat. Quanam igitur de causa tantus error, quo periret salus, in Cypriano non est notatus? Est enim in confesso, si non omnia ad fidem necessaria in Scriptura continentur, Cyprianum in ipso salutis fundamento peccasse lethaliter. Sancto quidem Martyri aliquid humanitùs accidisse de Hæreticorum baptismo, Augustinus aliique apertè profitentur. Dissimulassent-

ne errorem longè graviorem, quem fulminibus suis obruunt Tridentini? Imò Augustinus in ea re cum Cypriano conspirat: *Quidquid est in Scripturis illis, altum & divinum est. Inest omninò veritas, & reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina, & planè ita modificata, ut nemo inde haurire non possit quod sibi satis est, si modò ad hauriendum devotè ac piè, ut vera religio poscit, accedat.* Illustris sanè locus, quem nulla vitiligatorum ars inobscurare valet. Quippe si non omnes salutis articulos fidei necessarios Scriptura complectitur, quod *sibi satis est*, Christianus ex ea haurire non posset, sed mutilam sibi fidem compararet. Accedant verba Constantini imperio Magni, sed hoc axiomate longè maximi: *Cùm verò alias tum de rebus divinis disputantes, atque doctrinam Sanctissimi Spiritus literis commendatam habentes. Libri enim Evangelici, & Apostolici, quin etiam Veterum Prophetarum oracula nos evidenter docent ea, quæ oportet credere de Deo.* Ex ore Constantini nondum sacris undis expiato verba hæc mirâ cum voluptate à Patribus Nicænis audita sunt. Eâ fide Constantinum Episcopi imbuerant. Opinionem illam, quæ Traditionis fautoribus pro hæresi Tridentinis habetur, suo suffragio Nicæni Patres ornarunt: *Maxima pars Synodi dictis assensit.* Scripturæ igitur plenitudinem cum pia Antiquitate veneremur:

Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri.

Aug. de Util. Cred. cap. 6.

Theodorit. h. l. 1. c. 7.

DISSERTATIO
DECIMA.

De Periodo Juliana & Pagii Græco-Romana.

Periodus Juliana quid rei sit?

I. CUm annorum quibus Epochæ, Historiæve affiguntur, varia sint initia, atque exordia, ac eorum nonnulli à verna tempestate proficiscantur, ut anni urbis Romanæ: alii à Solstitio æstivo, ut Olympiades: alii ab autumno, ut Judaici & Seleucidarum: alii à Januario, ut Juliani; ex ea quidem Epocharum diversitate gravis molestia Chronologis exhibebatur. Fugiendæ itaque inquisitioni difficillimæ, & tricarum plenæ; consentaneum fuit Periodum quandam adinveniri, quæ esset ejusmodi, ut harum Epocharum omnium principia anteverteret, at designato certo illius anno, mens nullo negotio statim notitiâ instrueretur distantiæ Epocharum, vel à seipsis, vel ab Æra Christiana, vel à temporibus nostris. Tentavit id quidem magnus ille Josephus Scaliger, quid in invenienda Periodo posset. Solari Cyclo in Lunarem ducto, hoc est, numero XXVIII. per XIX. multiplicato, magnus Cyclus ille Paschalis annorum DXXXII. prodierat, qui ab inventore *Victorino* nomen habuit. Quem cùm per Indictionis Circulum annis XV. constantem Scaliger multiplicasset, hinc Periodus emersit annorum 7980. cujus primus annus felici amicâque numerorum conjunctione Cyclum exhibet Solis I. Lunæ I. Indictionis I. Nec in Periodi hujus decursu annum ullum invenimus alium, qui similes sibi Cyclorum characteres vindicet. Ex quo intelligitur, artificialis hujus Periodi inventum maximo rebus esse Chronologicis emolumento. Itaque eruditissimum non capimus Usserium, in Annalium suorum Præfatione hæc scribentem: *Quòd si retrorsum à præsenti anno trium minorum Cyclorum series in tempora anteriora extendatur 4713. ante initium Æræ nostræ Christianæ annus ille esse deprehendetur, in quem & Indictionis I. Cyclus Lunaris I. & Cycli Solaris I. concursus recidet.* Atqui primus Periodi 4713. annus Cyclo Lunæ non primo, sed secundo; Indictionis non primo, sed XIII. Solis non primo, sed vigesimo afficitur. Corrigendi sunt ergo numeri, qui librariorum potius quàm doctissimi Scriptoris errore videntur corrupti, & in vicem 4713. substituendum 7980. Inventæ Periodi gloriam Scaligero detrahit & Usserius, Anglis vindicandam: *Annorum 7980. Periodus à Roberto Lotharingio, Herefordensi in Britannia nostra Episcopo primum, ni fallor, notata, & post quingentos annos à Josepho Scaligero Chronologicis usibus adaptata, & Periodi Julianæ nomine, quòd totidem Julianorum annorum Cyclum contineret, nuncupata.* Ea de quæstione contendere nolumus. Potuit & Scaligero, viro solertissimo, in mentem venire, quod cogitanti Roberto Herefordiensi etiam inciderat. Cujus opus, cùm Scaligero ignotum fuisse videatur, nil est cur tantæ inventionis ei laudem invideamus. Verùm ut diximus, litem eam nostram non faciemus. Disputetur de inventore Periodi Julianæ quantum lubet, id saltem concedendum videtur, quod acerrimus Scaligeri æmulus, doctissimus ille Petavius palam apertèque profitetur: *Usus Periodi opinione major est in Chronicis, quæ ab orbe condito, vel aliquovis initio ante Æram Christianam inchoantur.*

Usser. Præf. in Annal.

Pet. Rat. pag. 2. l. 2. cap. 4.

Periodus Græco-Romana Pagii quid sit?

II. In Chronologiæ placitis hactenus feliciter Periodus Juliana & pacatè regnaverat. Usum ipsius mirabantur omnes eruditi, qui cunctas Historiarum Epochas, annosque expansos, hanc ad regulam direxerant, quâ grande sibi onus Lectoribusque levarant. Verùm Periodus Græco-Romana, clarissimo parente orta, Antonio Pagio, tantâ origine superba, fortunis Periodum Julianam suis, regnisque deturbare tentavit. Græco-Rom. Periodus annos 5493. Antiochenos complectitur, *Quæ si per XV. dividatur, reddit Indictionem Rom. quæ in cursu est. Illam autem facilè Romanam efficies, si annum non à Septembri ut Orientales, sed à Kal. Janu. cum Latinis auspiceris, ac præterea si è Cyclo Lunæ quem reddit, unitatem semper abjicias: Cyclo verò Solis ex perpetua regula quatuor unitates addas.* De bella ea inventione parens ipsius multum sibi blanditur: *Tribus quippe*, inquit, *Græcorum Periodis mundanis, exactè accuratèque discussis, quod animo intendebam, Deo votis meis obsecundante, perfeci, & Per. Græco-Rom. efformavi.* Itaque ob inventam talem Periodum multis ab ipsius amicis Autor laudibus affectus est, ut in hac parte, *Ne Scaligeris quidem, nec Petavius inferior sit*, imò si *Joannis Viany facultatis Aquensis Syndico fides*, longè Petavium, multumque superaverit. Ac Periodi suæ usum inventor ejus multum præ-

Pag. Dissert. n. 59. pag. 38.

Pag. Dissert. n. 58. pag. 38.

prædicat, utpote Julianam eminentis. Audiamus verba ipsius: *Facilè intelligere potes, quantum Per. Græco-Rom. Julianæ Scaligeranæ præstet. 1°. Omnes Æras mundanas Orientalium exhibet. 2°. Historica est, ideòque Julianâ utilior. 3°. In minori numero Æram Christianam exhibet.* Verùm enimverò & variant hominum ingenia, quamobrem clarissimus Pagius ad inveniendæ suæ Periodo tantùm laboris exhauserit, nulli quidem videmus: cùm Periodus Græco-Romana nec utilitate Julianæ præstet, nec veritate.

Periodus Græco-Romana Julianæ non præstat: inutilis est.

III. Periodorum multiplicatio *Memoriæ animoque onerosa est, & ut vulgò dicitur, frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora*, fatente Pagio, jam verò annorum 780. additio, quæ Periodo Julianæ à Græco-Romana facta est, nullum rebus Chronologicis fructum utilitatis præbet. Non Cyclorum faciliorem methodum præbet, non annos urbis Rom. non Olympiades, non Seleucidarum Epocham, non Jubilæa, non Æram sive Nabonassari, sive Dionysii melius consignat in animis. Quin etiam inutilis prorsus erit, nisi fiant novæ Tabulæ ad inveniendam verbi gratiâ Lunæ προηγησιν, Epactam æquabilem, omniaque ea habenda, quæ Chronologiæ sunt usui. Tantùmne ergo ex additis Scaligeranæ methodo 780. annis, beneficii redit ad Chronologos, ut ad reliquos hujusce disciplinæ labores ea molestia accedere debeat, ut relegatâ Periodo Julianâ, quam imbueramus, Græco-Romanam usurpemus, ex qua Epactas Lunæ, aliaque ejusmodi utilia habere non possumus? Deinde Græco-Romana Periodus non omnes orbis conditi Æras complectitur, non Alexandrinam, quæ decem, non Constantinopolitanam, quæ XVI. annis eâ major est. Itaque Pagiana tela in suum Autorem retorquemus: *Inutilis erit hæc Periodus, & Alexandrinis qui* 5503. *& Constantinopolitanis, qui* 5509. *annos ante Æram Dionysianam numerant. Nec enim annus* 5509. *nec annus* 5503. *ad annum Per. Græc. Rom.* 5493. *reduci possunt, cùm continens majus esse debeat contento.* Mirum sanè, novæ Periodi inventorem non observasse, eo argumento gladio sese suo jugulare. Quòd si urgeat, facillimum esse Periodo huic suæ addere & *decem* annos, ut Alexandrina, & *sexdecim* ut Constantinopolitana fiat: regeremus non multò difficilius esse addere Per. Julianæ annos 780. ut evadat Antiochena, quia tres cifræ duntaxat apponendæ sunt, cùm duæ Periodo Græco-Romanæ addi debeant, ut vel Constantinopolitana fiat vel Alexandrina. Augmentum verò cifræ unius tanti non est, ut expulsæ Periodo Jul. succedat Græco-Romana, aut Deum precibus fatigemus, ut nostris obsequens votis, ingens Periodi hujus arcanum mortalibus referaret. Verùm nec additamentis ejusmodi opus erit, si Per. Jul. integra adhibeatur. Fracta enim est, & mutila, cùm annos duntaxat 4713. profert, plena verò, cùm annos 7980. complectitur; quo casu omnes mundanas Æras exhibet: ac insuper Cyclorum omnium Solis, Lunæ, Indictionis exordia suis initiis continet: quæ à Per. Græcorum exexpectare non possumus. Est autem rationi maximè consentaneum, ut Cycli cum sua Periodo simul incipiant, quia rerum omnium principium unum esse debet. Neque Per. Jul. Græco-Romana eò est anteponenda, *Quia Historica est, cùm Juliana merè artificialis sit, prorsusque conficta.* Id quidem acuminis stertit, cùm Historiarum aliæ veræ sint, aliæ fabulosæ. Fabulosarum porro privilegia nulla esse debent, imò eò magis repudiandæ sunt, quò falsum veri larvæ indutum adducant ante oculos. Æra verò Antiochena veris non consentit, quæ mundo ad Natale usque Dionysianum annos assignat 5493. quod & Hebraicæ, & Vulgatæ Editionis V. Testamenti calculo pugnat. Quem Græcorum computo Pagius ipse anteponit: *Ab ea opinione non discedam, quæ veram ætatis primorum Patriarcharum supputationem ex Hebraicis Codicibus petendam esse censet.* His accedat quòd Epocha Historica Antiochena ex Pagii methodo falsa fiat, utpote quæ ad anni Juliani initia Kal. Januariis affixa revocetur, cùm Antiochenorum tempora à Septembri exordium ducant. Erit ergo Græco-Romana Periodus Antiochenæ corruptio atque depravatio. Tantone miseri mortales abundamus otio, ut dies noctesque vigilemus comminiscendis Periodis, quæ mutant quadrata rotundis, nec ad illustrandam Chronologiam sunt emolumento?

Pag. Appar. n. 5.

Periodus Græco-Romana pugnantes copulat Cyclos.

IV. Hæc velitaris pugna fuit, certamen longè majus nunc committatur, demonstrando, superbum Periodi Græcorum inventum Chronologiæ omnis funus esse. Constat inter eruditos, Cyclos & Solares, & Lunares certè certòque demonstrare, quâ ratione diversarum Epocharum anni rectè inter se comparari possint atque conferri: ne dum diversi Cycli junguntur, diversa etiam & Novilunia & plenilunia, & diversæ feriæ in uno eodemque anno statuantur, atque ausu giganteo quodam Cælorum motus conturbentur. Quocircà Cyclis veluti fibulis adamantinis Epochæ conjunguntur, ut quæ diversis Lunæ, Solisque characteribus afficiuntur, copulari, quæ iisdem gaudent, divelli non possint. Chronologiæ firmum hoc est inconcussumque fundamentum. Quòd si convellitur, cum Chronologia ratio simul ruat necesse est, cùm celebretur omnibus, *Quæ conveniunt uni tertio, convenire etiam inter se*, ac vice versâ. Ac ut rebus adjungantur exempla, à vero quàm longissimè abest Baroniana Chronologia, quæ tradit, *Redemptorem nostrum, Dominum nostrum J. C. natum esse C. Cornelio Lentulo & M. Valerio Coss. Olymp.* CXCIII. *secundo.* Quæ Epocha, cùm Cyclum Sol. 7. Lunæ 18. sibi vindicet, concordiæ sanè vinculis cum Natali Dionysiano copulari nequit, quod Cyclo Solis 9. Lunæ 1. afficitur. Hinc Periodi Græco-Romanæ deforme vitium deprehenditur, & coarguitur, utpote quæ repugnantes Cyclos conjungat. Periodi Græco-Romanæ annus 5494. primus est Æræ Domini. At in anno eo Antiocheno Cyclus Solis est 6. Lunæ 3. Epocha verò vulgata Cyclum exhibet Solis 10. Lun. 2. Itaque pugnantibus prorsus temporum criteriis primus Æræ vulgatæ annus, cum 5494. Periodi Græco-Romanæ nullis fœderibus devinciri potest.

Bar. Appar. n. 131.

Periodus Græco-Romana falsos Cyclos annis affigit.

V. Secundum in Periodum Pagianam argumentum ex Cyclorum immutabilitate ducitur. Quippe tam arctè cum annis suis junguntur, ut ab illis divelli nequeant, nisi turbatâ prorsus temporum doctrinâ. Igitur immoto rerum ordine notæ illæ assumendæ sunt, quas methodus exhibet, non verò ad nutum, & arbitrium nostrum annis imprimendæ. Quæ licentia si permittitur, jam violata est Chronologia, jam nulla.

la. Quis feret Scriptorem, verbi gratiâ, qui anno Dom. xxxiii. alios Cyclos assignaret quàm Solis 14. Lunæ 15. Id autem in Period. Græco-Romana committitur, cujus anno 5494. Cyclus Solis 14. Lunæ 3. numeratur. Qui Cycli ejiciendi sunt ut Juliana fiat, quæ Cyclum Sol. 10. Lunæ 2. postulat. Tertiâ demonstratione Per. Græco-Romana evertitur. In confesso est omnibus, Periodum, Epochamve nullam falsis characteribus esse donandam, cùm à falsitate abhorreat, tum natura cùm ratio. Jam verò Periodum instituere suam Pagius non potuit, nisi triplicis falsitatis subsidio. Falsus Cyclus Solis 10. falsus Cyclus Lunæ 2. falsa litera Dominicalis B. quibus annus Periodi hujus 5494. afficitur ut Juliana fiat: diversis prorsus & Cyclis, & notis, ex hoc anno efflorescentibus, quæ omnia deleri debent, ut cum Æræ vulgatæ initiis consentiat. Neque hoc diffitetur vir doctus, cujus hæc verba sunt: *Si è Cyclo Lunæ unitatem removeas, & Cyclo Solis quatuor unitates addas, habebis Periodum Græco-Romanam.* Sed eâ arte, ex quovis sanè ligno fiet Mercurius, nihilque tam in Epochis diversum erit atque disjunctum, quod facillimè copulari non possit. Ex Olympiadibus annos Urbis; ex annis Urbis Æram Nabonassari; ex Æra Nabonassari Epocham Christianam facilè constituemus, si addendo vel detrahendo proprii quos induunt Cycli mutentur. Vim argumenti hujus effugere Pagius tentat: *Nec est quod quis dicat, molestum videre in Per. Græco-Romanam, quod è Cyclis Lunæ unitas abjicienda, Cyclo verò Solis quatuor numeri addendi sint. Num enim quid in Cyclis Solis, Lunæ, & Indictionis ex annis Christi eruendis, addendi semper 9. numeri Cyclo Solis, unus Cyclo Lunæ, & tres Indictioni? Num quid ex Æra Hispanica demendi semper anni xxviii. ut annum Christi habere possis.* Verùm aut vim argumenti non vidit novæ Parens Periodi, aut se non videre simulavit. Quippe regulæ Chronologiæ omnes aliquos jubent addere Cyclos, ut illi reperiantur, qui quamlibet Epocham distingunt, secus germani annorum Characteres nunquam invenirentur. Similiter ad habendam ex Æra Hispanica Epocham Christianam, anni xxxviii. sunt detrahendi, quibus prior posteriorem superat. Ex ea methodo nil absurdi, quæ à Chronologiæ rationisque regulis imperatur. Neque ordinem Cyclorum methodus violat, qui sartus tectusque remanet. At in additione & detractione Pagiana, ut Periodus Græco-Romana fiat Juliana, veri Cycli annis sunt suis evellendi, adulterinique subsistuendi, quod extra modum absonum est, & si verum amamus, Chronologiæ funus dici debet. *Pag. Dissert. de Per. n. 66.*

DISSERTATIO
UNDECIMA.

De Regulis Hypathicis Pagii.

Pagii Regulæ Hypathicæ. I. Novo adhùc invento gloriam Pagius suam famæ commendat, propositis Regulis, quibus Fastos regit omnes. Sunt autem numero sex:

1. *Imperii initium.*
2. *Quinquiennalium, & id genus Festorum celebratio.*
3. *Cæsarum, vel Augustorum in eadem dignitate consortium.*
4. *Expeditiones aut Victoriæ reportatæ.*
5. *Triumphi.*
6. *Ludi seculares.*

Contendit itaque vir doctissimus, illis solis temporibus, quæ regulis indicantur, Augustos ac Cæsares Consulatum iniisse. Verba ipsius referamus: *Ad eas Regulas, omnes tum Augustorum, tum Cæsarum Consulatus revocantur. Non quidem quòd ii annis, quibus præfata contigere, semper eum Magistratum sumerent, sed quia non aliis de causis, quàm suprà memoratis juxta receptum in imperio usum, ullum inirent, à qua consuetudine paucissimos recessisse comperi.* Non ii quidem sumus, qui debitas doctissimi Critici diligentiæ laudes deformare velimus. Verùm cùm nobilis, fusaque ad dicendum materia nobis prosternatur, aliundèque quòd regularum suarum fortunis præsidium ipsarum parens attulit, scrupulos nobis aliquos injecerit, operæ precium facturos nos esse existimamus, si de regulis Hypathicis nostram quoque sententiam ostendamus. *Pag. Præf. Crit. n. 12.*

Ex regulæ notione Canones Pagiani excidunt dignitate regulæ. II. Incipiamus primùm à descriptione Regulæ, quæ nobis est *certissima veri falsique mensura*, quam ad definitionem quadrant, quæ à Scriptoribus traduntur Regulæ notiones. Apud Ciceronem Torquatus: *Si stabilem, inquit, scientiam rerum tenebimus, servata illa quæ quasi delapsa de Cœlo est ad cognitionem omnium regula, ad quam omnia judicia rerum dirigantur, nunquam ullius oratione victi, sententiâ desistemus.* Et paulò infrà: *Cognitionis regula, & judicio ab eadem illa constituto, veri à falso distinctio traditur.* In eandem quoque definitionem propendet Chrysostomus: *Canon neque additionem, neque detractationem recipit, alioquin desinit esse Canon.* Nec omninò abludit à verò, Græcum Κανὼν ab Hebræo קנה *Cane* deduci, quo calamus mensuræ fungens officio significatur. Hinc legitur apud Ezechielem בקנה המדה *calamo mensorio.* Regula ergo ἀδιάφθορος, *fallere nescia* & certissima esse debet, secus excidit fastigio, dignitateque regulæ. Itaque quas nobis Pagius regulas obtrudit Hypathicas, larvam Canonum umbramque exercent, si nos quandoque fallunt. Illud verò prorsus negare non potuit, quòd Imperatorum nonnulli ab ipsius *regulis recesserint.* Præterea immanis ac propè Herculeus excogitandis Canonibus Consularibus viri doctissimi labor eò tandem rediit, ut *negativum* nobis criterium suppeditet, ut in scholis loqui amant. Hoc est, sciri quidem poterit, quibus temporibus amplissimo Magistratu abstinuerunt, *Cicer. de Fin. lib. 1. n. 64.* *Chrys. in Philip. c. 3.* *Ezech. 42. 16.*

extra

extra nimirum imperii initia, Quinquiennalia, expeditiones, triumphos, &c. Non ideò tamen tenebimus, quando Magistratum eum sumpsere, quia illum non semper *iis annis* adierunt, quibus præfata contigere. Est tamen conditio regulæ ut cum re quam dirigit, nexum habeat necessarium, ob mutuum utriusque respectum. Neque sibi satis constare videtur Canonum pater, qui ipsorum nervos incidit. Vexat enim Petavium, qui Valeriani, & Gallieni imperium anno Dom. CCLIV. alligavit. Quod falsum ex eo demonstrat, quia eo tempore *uterque Consul ordinarius fuerit*. Errasse quidem Petavium fatemur: verùm cùm Pagius verbis expressis doceat, Imperatores non semper iis annis Consulatum gessisse, quibus eum gerendi datæ sunt occasiones, viderit nùm ex *contingentibus* nectere argumentum possit ad Petavium refellendum, qui facillimè regeret, Valeriani & Gallieni Consulatum documento non esse, quòd anno CCLIII. Imperatores creati fuerint, quia natâ occasione induendi Consulatum, eâ non semper usi fuerint. Itaque Petavii error alio erit argumento refellendus, quia Consulatus & initium imperii non necessariò copulantur. Causa verò contingens ex effectu certè certòque non colligitur.

Pag. Dissert. Hyp. pag. 2. c. 1. n. 4. 82.

Senatus autoritate Canonum Hypath. fundamenta constitui debent.

III. Vocetur nunc in disquisitionem, à quibus jacta sunt Canonum Hypathicorum fundamenta; quæ quidem à Senatu Romano constitui debuere, penes quem fuit, dum suo res ordine stabant, vel ipsis Imperatoribus tribuere Consulatum. Hinc de Augusto legitur apud Suetonium: *Multisque* Consulatibus, *mox cùm deferrentur recusatis, duodecimum magno, id est, septemdecim annorum intervallo, & rursus tertium decimum biennio pòst ultrò petiit.* Captâ à Corbulone Artaxatâ, Senatus in adulationem progressus perpetuos Neroni Consulatus decrevit: *Ob hæc consalutatus Imperator Nero, & Senatusconsulto supplicationes habitæ, statuæque & arcus, & continui Consulatus Principi.* Consulum quoque creationem Senatus autoritati ascribendam esse Antoninus Pius agnovit: *Cùm sibi, & filiis honores peteret, omnia quasi privatus fecit.* Quin etiam cùm autoritate Cæsarum fracta Senatus autoritas fuit atque imminuta, veteris tamen consuetudinis vestigia nonulla superfuere, dum designati ab Imperatoribus Consules haberent à Patribus suæ dignitatis insignia. Quippe Aurelianum sic Valerianus alloquitur: *Te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces.* Quibus subjungit Vopiscus: *Hæc enim Imperator non solet dare, sed à Senatu, quando fit Consul, accipere.* Itaque cùm non expectato Patrum Consc. suffragio Heliogabalus sibi Consulatum vindicasset, violatæ consuetudinis injuriam palàm Dio questus est: *Adversus instituta patria sanè non magni quædam momenti, nec insigne malum aliquod nobis afferentia, nisi quatenus à recepta consuetudine aliena erant, innovata fuerunt ab ipso hæc: quòd ex iis pleraque nominibus quæ spectabant ad imperium, ipse sibi prius quàm essent à Senatu decreta sumpsit: quòd Consulatus Macrini loco nomen suum substituit, cùm illum à nobis non accepisset, nec prorsus eum attigisset.* Ex ea observatione sequitur, Consulatus qui cum moribus à Senatu introductis non congruebant, omninò irregulares esse, nec ullo Canonum imperio subjici posse. Quorum sanè Consulatuum exempla mox nonnulla suppeditabuntur, quibus Pagii solertia frustra aliquid auxilii comparare conatur.

Suet. Aug. cap. 26.

Tacit. An. lib. 15.

Capit. Anton. cap. 11.

Vopisc. Aurel. cap. 13.

Dio. l. 79. pag. 909.

Quandonam jacta Canonum Hyp. fundamenta? Num a regula ab Augusto fluxit?

IV. Sæpè quæri solet de tempore, quo res gesta est: videndum igitur quando jacta Regularum Pagianarum fundamenta. Num imperante Julio Cæsare, an Augusto rerum domino, an regnante Tiberio? De primæ Regulæ initiis, quæ probabilior esse videtur, vir doctissimus nobis dubitationem relinquit. Ac in Dissertatione Hypathica primi sui Canonis principium ascribit Claudio: *Claudius qui anno Christi quadragesimo primo rei Romanæ præesse cœpit, primus ex Augustis hunc morem invexit, ut is primus post initum imperium Kal. Januar. Consules ordinarii procederent.* At sententiâ decessit Pagius in sua *Critica*, existimans potius Augustum regulæ hujus autorem fuisse: *Prima enim Augusto attribuenda, qui anno post Julii Cæsaris mortem Consulatum suffectum iniit.* Verùm hujus regulæ malè jactum est in Augusto fundamentum. Quippe suffectus ille Consulatus, quem Cæsaris post obitum adiit Octavius, violentus fuit, & præter regulas extortus, teste Suetonio: Consulatum *Vigesimo ætatis anno invasit, admotis hostiliter ad urbem legionibus, missisque qui sibi nomine exercitus deposcerent. Cùm quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio Princeps legationis, rejecto sagulo ostendens gladii capulum non dubitasset in Curia dicere, Hic faciet, si vos non feceritis.* Mirum sanè regulæ fundamentum: vis ad rapiendum invitis Patribus Consulatum, eumque suffectum, cùm de ordinariis, quem Cæsares gessere Consularibus Canones Pagii instituti sunt. Neque ex hac Augusti violentia morem introductum esse, ut Cæsares ineunte imperio purpuram Consularem induerent, ex Tiberii regno eximiè ostenditur, qui absque Consulatu imperium suum exorsus est. Augusto qui a IV. Kal. Septemb. Nolæ obiit, successit Tiberius anno Dom. XIV. Ex Canone igitur Tiberius annum sequentem aperire debuisset, qui Consules habuit, *Drusum Cæsarem, & Norbanum Flaccum.* Nondum igitur consuetudinem Augustus invexerat, ut Imperatorum initia Consulatu splendescerent, quam dubio procul Tiberius observasset. Longè quidem rectius atque consultius à Senatus decreto, initiis Caligulæ promulgato, prima Pagii regula deduceretur. Caligulæ *Consulatus abrogatus Proclo & Nigrino, confestim decernitur*, quanquam illum adire noluerit, nisi postquam Magistratu abiere. Quo tempore aliæ regulæ constitutæ sint, needum in Pagii lucubrationibus observare potuimus.

Pag. Diss. Hyp. p. 2. cap. 1. n. 8.

Pag. Crit. An. 14. n. 7.

Suet. Aug. cap. 26.

Dio. l. 59. 644.

Decennalia Proconsularis imperii causæ Cæsaribus non fuerunt sumendi Consulatum.

V. Secundam parenti suo regulam, Quinquennalia, atque id genus festorum celebrationes peperere. Quam non ad solius Augustei, sed ad Proconsularis etiam imperii Decennalia, Quinquiennaliaque extendi placuit. Itaque quem anno Dom. LX. Consulatum Nero gessit, *Sumptus est, juxta secundam Consulatuum Cæsareorum regulam. Decennalia enim Imperii Proconsularis exhibuit.* Quod inventum nostro judicio à verisimilitudine est omni alienissimum. Augusteorum quidem Quinquennalium Historici frequenter, Proconsularium nusquam meminere, nec etiam potuere. Sciunt eruditi mentem Augusto fuisse autoritatem Senatui reddere: *Sed reputans & se privatum non sine periculo fore, & Rempublicam plurium arbitrio temerè committi, in retinenda perseveravit.* Verùm quò longius Romanos à suspicio-

Pag. Crit. An. 60. n. 2.

Suet. Aug. cap. 28.

picione regiæ sibi potentiæ propositæ abduceret, suas in Provincias imperium Decennale suscepit. Eoque finito, aliud iterum decretum est: *Quam ob causam posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium, iis imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* Rationis igitur aliquid fuit cur Decennalia Augustea celebrarentur, quorum exemplar occasionemque præbuerat Augustus. Cùm verò Proconsulare Imperium non gesserit, agitandorum imperii hujus Decennalium exemplum præbere non potuit. At Criticus Baronianus à Tiberio id consuetudinis manasse tradit. Quo teste, quo Autore? Id dicitur quidem: verùm hæc assertio maximas & à ratione, & à Chronologia difficultates patitur. Proconsulare imperium Tiberius adiit anno Dom. XI. Augusteum verò accepit anno XIV. quo Augustus excessit. Hinc liquet, solius quadriennii necdum completi terminis, contineri id imperii Proconsularis. An ergo rationi consentaneum fuisset, Quinquiennalia & Decennalia imperii celebrari, quod ad annos quinque non fuit prorogatum? Cur sive Caligulæ, sive Titi Quinquiennalia non sunt agitata? utique quia prohibente fatorum suorum velocitate, quinquiennio non imperarunt. Cùm igitur quinque annos in Imperio Proconsulari Tiberius non condiderit, pati sanè non possumus, ut nobis ejus vel Decennalia, vel Quinquiennalia obtrudantur. Quæ nec ineunte, nec exeunte Quinquiennio celebrata sunt. Prætereà cum Augusteum Tiberius Principatum ingressus est, Proconsularis prorsus evanuit. Num ergo moris est festa institui atque celebrari in honorem imperii, quod rerum in natura non extabat? Sed & vota quæ in Decennalibus nuncupabantur, ostendunt Imperii Tiberiani Proconsularis nulla prorsus fuisse: *Prece posco Jupiter, uti sciens volens propitius in decennium N. Augusto. Quod si faxis, tunc tibi bove aurato vovemus esse futurum: ludis Circensibus vovemus esse futurum: ludis gladiatoriis vovemus esse futurum.* Jam verò ludibrium dedissent preces ejusmodi, ut Tiberio jam Augustum agenti, imperium Proconsulare protraheretur, quod non exercebat, utpote à longè nobiliore devoratum. Denique in Historicis, nummis, inscriptionibus frequenter occurrunt Augustea Cæsarum, Quinquennalia, & Decennalia, at Proconsularis imperii festa ejusmodi nullo vestigio reperiuntur. Vanus itaque Canon est secundus, qui Consulatus Cæsarum in talibus solemnitatibus collocavit.

Dio l. 53. 507.

Ex Imperatorum triumphis Canon Hypathicus constitui non debuit.

Pag. Diss. Hyp. c. 9. p. 165.

Pag. Crit. An. 71. n. 1.

VI. Ex Imperatorum triumphis, quinta Consulatuum Cæsareorum Pagio regula nascitur: *Triumphantes Imperatores, quo hac pompa illustrior foret, Consulatu ordinario decorari voluere.* Quòd si quæramus quandonam Canon ille institutus est, respondet vir clarissimus, jam ante Vespasianum in usu fuisse: *Tertius Vespasiani Consulatus*, inquit, *sumptus est juxta quintam Consulatuum Cæsareorum regulam, propter triumphum, nempe Judaicum.* Invaluerat igitur jam ille mos, ut purpuram Consularem Cæsarea adderent Augusteæ. Verùm enimverò nullum ante Vespasianum Imperatorum cum triumphis copulantium Consulatus, exemplum reperitur. Anno Æræ Christi XVII. triumphavit Germanicus, absque Consulatu, quem Rufus & Pomponius Flaccus gessere, cùm ex præscriptione quinti Canonis illum potius annum, quàm sequentem aperte debuisset. Anno Dom. XL. Caligula splendidum ducere triumphum decreverat: *Scripsit Procuratoribus, triumphum apparent quàm minimâ summâ, sed quantus nunquam alius fuisset, quando in omnium hominum bona jus haberent.* Ex Galliæ Proceribus seposuerat ad pompam, coëgitque non tantùm rutilare & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Debuisset igitur agendo triumpho, Consulatum sibi retinere, ut Regulia morem gereret. Amplissimo tamen se Magistratu abdicavit, Januarii die XII. ut ex Dione scimus. Anno LXXI. Vespasianus quidem, Consul tertiùm triumphavit de Judæa. At non ex vi regulæ à prioribus Augustis positæ, & à posterioribus observandæ: argumentoque est Titus, qui triumphi paterni collega fuit, Consulatus non fuit, quo Cocceius Nerva functus est. Anno CLXXVI, M. Aurelius Imperator, & filius ejus Commodus triumphum celebrarunt: *Post hæc, veniâ Legis annariâ impetratâ Consul factus est.* Commodus, *& cum patre Imperator est appellatus V. Kal. Decembr. die, Pollione & Apro Coss. & triumphavit cum Patre, nam & hoc Patres decreverant.* Tum quinta Pagii regula vires debuit explicare suas, atque proferre: cujus cùm imperitus non foret Senatus, purpuram & M. Aurelio & Commodo Consularem cùm triumpho decrevisset. Annum tamen aperuerunt Pollio, & Aper, non sine Canonis injuria; à qua cum Patres maximè essent alieni, qui M. Aurelium venerationi habebant, apparet tum temporis nullo loco quintum Canonem fuisse. Nec si Alexandri Severi successoribus accommodari potest, qui conjungendi Consulatum cum triumphis morem tenuere, ideò ea tempora prævertere debuit. Itaque expers erroris Pagius nobis non videtur, qui Canonem hunc suum Vespasiani ætate observatum esse contendit: *Cæteri*, inquit, *Imperatores annis quibus triumpharunt, Coss. processere.* Non sanè M. Aurelius, non Commodus.

Suet. Cal. c. 47.

Lampr. Com c. 2.

Pag. Crit. An. 71. n. 1.

Prima regula Hypath. æquo longior est, cujus nullum ante Vespasianum vestigium est.

VII. Quin etiam prima Hypathica regula, quæ verisimilitudine sese commendat, æquo longior est, & iis temporibus accommodatur, quibus accommodari nequit, ut & hîc, ni fallamur animi, Canonum conditor erraverit, quod exemplis multis demonstramus. Quippe nullum sub Tiberio, nullum sub Caligula, nullum sub Claudio, sub Nerone nullum vestigium reperitur, quòd imperii sive Proconsularis, sive Augustei initio Cæsares Consulatu functi sint. Augusto defuncto summam rerum administravit Tiberius anno Dom. XIV. Sequentem igitur annum reserare debuisset, quo tamen Drusus & Norbanus Coss. processere. Primus Tiberii Consulatus, ex quo Imperator creatus est, incidit in annum Christi XVIII. labente jam Principatus Augustei quadriennio. Obiit Tiberius XVII. Cal. Apriles, anno 37. quem suffecto quidem Consulatu Caligula insignem reddidit, verùm ex vi primæ regulæ ordinarium anno XXXVIII. Consulatum gerere debuisset, qui Aquilio Juliano, & Nonio Asprenæ decretus est. Claudius, cui Caligula decessit, nono Cal. Febr. anno sequente Dom. XLII. amplissimum quidem Magistratum adiit, sed absque ulla Regularum præscriptione: cùm decreto Senatus ad illum prius Consulatum designatus fuisset, quàm rerum potiretur, docente Suetonio:

Claudius

Suet. Claud. c. 7.

Claudius *sortitus est & de altera Consulatu in quartum annum.* Quod serò tandem animadvertit Canonum parens: qui quod in Dissertatione Hypathica scripserat, secundus Claudio *Consulatus sumptus juxta primam regulam*, retractat in *Critica*. Veniamus ad Neronem, qui anno Dom. LV. Consulem egit. Núm ex Canonum imperio? Id quidem ex regularum suarum amore affirmat Pagius, nos negamus, quia nulla tum intervenerat consuetudo, ut Imperatores regni sui initio purpuram Consularem induerent, quod laudatis à nobis plurium Cæsarum exemplis obvium est. Quod autem fit nullâ præeunte regulâ, utique secundum regulas factum esse dici nequit. Equidem si verum placet, primus Neronis Consulatus, quem Collegâ Antistio Vetere gessit, non minus quàm ille Claudii extra regulas aditus est testemque Tacitum damus: *Cæsar adulationibus Senatus libens cessit, ut vigesimo ætatis anno Consulatum Nero iniret, atque interim designatus, Proconsulare imperium extra urbem haberet, & Princeps juventutis appellaretur.* Designatum ergo Consulatum Nero adiit anno Dom. LV. nisi quod longè absurdum putamus, designatio evanuerit, utpote quæ in alium cadere Consulatum non possit. Ex Taciti Chronologia, quæ anno Dom. 36. Neronis nativitatem affigere videtur, habitâ incompletorum annorum pro completis ratione, quinquagesimus quintus Æræ nostræ Neronis vigesimus dici possit. Eâ tamen observatione nil opus est, demonstrando primum Neronis Consulatum designatum fuisse, licet ante vigesimum ætatis suæ annum eum gesserit. Cùm enim decimum septimum annum agens imperium adierit, decretum & sibi Consulatum biennio anticipavit: Hactenus ergo incognitam esse primam Pagii regulam fidenter dicimus. Postquam verò mos irrepsit ut Imperatores Consulatum primo imperii sui anno conjungerent, Patres consuetudini huic non semper paruere. Anno CCXXXVII. Papienus & Balbinus Augusti à Senatu creati sunt, qui vi Canonis sequentem aperire debuissent, qui Criniti & Pontiani Consulatu est insignitus. Suffectum duntaxat gessere, ut ex Capitolino discimus: *Recitatis in Senatu per Balbinum Augustum literis, acclamavit Senatus, Præsentem annum Consules vos ornetis, in locum Maximini Gordianus sufficiatur.*

Tacit. An. l. 13. c. 9.

Capit. Maximin. c. 25.

Regulæ Hyp. multis Consulatibus irregularibus frustra accommodantur.

VIII. In Regulis Hypathicis vis ea præcipuè nostrum offendit animum, quæ Consulatibus quàm plurimis infertur, ut ipsis servire cogantur. Exempla nonnulla adducemus ante oculos. Anno Dom. XXXIX. amplissimum Caligula Magistratum adiit. Atque hic parentem suum omnes deficiunt regulæ. Nullum imperii initium erat; nulla Quinquennalium & id genus festorum celebratio; nullum Cæsarum, vel Augustorum eadem in dignitate consortium; nullæ victoriæ; ludi seculares nulli. Ex difficultate Pagius non potuit urbanius elabi: *Cùm is Caji Consulatus ad nullam Cæsareorum regulam revocari possit, non dubito quin ad illum, anno Christi XXXV. quo adhùc privatus erat, aut saltem tantùm è familia Cæsarea, à Tiberio designatus fuerit in quartum annum.* Quæ licentia si datur ad fingendum, ecquis tandem erit fingendi modus? Quidni perinde Caji, atque Claudii privato decreti Consulatus Historia meminisset? Sunt igitur Consulatus, quibus Canones aptari non possunt. Qualis & suffectus ille Claudii,

Pag. Crit. An. 39. n. 2.

de quo Suetonius: *Tertiùm autem novo circa Principem exemplo, in locum demortui suffectus est.* Prætereà anno Dom. LVII. Nero iterum & L. Piso Coss. processere; neque hic ullum ex regulis subsidium quidquid conetur Pagius, cujus verba sunt: *Dum Dissertationem Hyp. composui, hic Neronis Consulatus mihi crucem fixit. Ad quam enim Consulatuum Cæsareorum regulam revocari possit, deprehendere non potui. Tandem mihi certò constitit, juxta primam sumptum. Nam anno Christi LI. Nero Proconsulari imperio donatus est?* Scilicet Nero ad Proconsulare imperium tendebat, quod quadriennio non perduraverat, & adito Augusteo prorsus evanuerat. Verùm majorem adhùc admirationem movet, quòd regularum suarum imperio ultimum Neronis Consulatum Pagius subjiciat. De eo Consulatu hæc habet Suetonius: *Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum, solus iniit Consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a Consule, & suscepit fascibus.* Regularum tamen suarum præsidio Pagius Neronis hunc Consulatum cingit. Nempe *capessitus est juxta quartam regulam* expeditiones & triumphos. Hem secundum regulam! Quâ regulâ nitebatur audax Neronis facinus? Quis Cæsarum Consules ordinarios purpurâ exuerat, ut ob expeditionem suffectum Consulatum indueret? An quæ contra leges, & morem fiunt, regularia sunt existimanda? Non ut regulis quidem obsequeretur Nero, Consules honore privavit, sed ut superstitioni suæ indulgeret, quia fatale putabat, *non posse Gallias debellari, nisi à Consule.* A qua stultitia si sevocasset animum, utique Consulatum non sumpsisset. Concedamus tamen eum Consulatum aptum esse regulis. Quid verò de immani Consulatuum numero censebimus, quos Domitianus gessit. An regulares? Etiamsi Pagio fides: *Jam mihi constat, hunc Imperatorem Prædecessorum vestigia in Consulatibus ordinariis secutum.* Nos verò existimamus, ad horrendam illam Consulatuum struem Canones Hypathicos inflecti non posse, ac nobiscum sentit Suetonius: *Domitianus Consulatus XVII. cepit, quod ante eum nemo.* Regulæ Hypathicæ in exemplis, moribusque majorum innituntur. Quânam ergo ratione Domitiani Consulatus omnes *regulares* pronuntiantur, in quibus gerendis nullam sanè consuetudinem, exempla nulla sequebatur? Quòd si illis tam dira Consulatuum fames ad regulas quadrabat, Domitiani quidem ambitioni atque superbiæ ascribi non poterit, quod tamen à Dione factum esse scimus: *Adeò verò stultè elatus est, & insolenter, ut Consul decem annos perpetuus, & Censor quandiu viveret, primus, solusque, ex privatis civibus, atque Imperatoribus designatus sit.* Quis, malùm, ambitionis & vecordiæ eò damnatur, quòd regulis obsequatur? Nonne à consuetudinis curriculo deflexit, qui ex hominibus primus, & solus sibi tot honores congessit? Insaniam quoque Domitiani risit Ausonius, in sua ad Gratianum gratiarum actione pro Consulatu: *Scis enim, Imperator doctissime, rursum enim utar laude privatâ; scis, inquam, septem ac decem Domitiani Consulatus, quos ille invidiâ alteros provehendi, continuando conseruit, ita in ejus aviditate derisus, ut hoc eum pagina Fastorum suorum, imò fastidiorum fecerit insolentem, nec potuerit præstare felicem.* Denique Heliogabalus an. Dom. CCXIX. Consulatum adiit, qui nullâ arte, aut machinâ

Suet. Claud. c. 14.

Pag. Crit. An. 57. n. 1.

Suet. Ner. c. 43.

Pag. Crit. An. 68. n. 3.

Pag. Crit. An. 86. n. 2.

Suet. Dom. c. 13.

Dio l. 76. 760.

Auson. Or. c. 9. 255.

ad Canones pertrahi potest. Nec Pagium audimus prædicantem, juxta *primam* gestam fuisse, cùm magis apud nos Dionis valeat autoritas, in rebus quæ Romanorum à moribus deflexere, secundum Heliogabali Consulatum numerantis: *Secundum sibi Consulatum arrogavit, cùm nullum antea Magistratum, nec titulum honorarium Magistratus accepisset.* Fingemusne Dionem regularum Consularium hospitem, qui & Senator, & Consul fuit? Novitatis causa hæc fuit: *In Epistola, quam ad Senatum, & scripto quod ad populum misit, Cæsarem se Augustum, Proconsulem inscripsit, hæc nomina necdum sibi decreta prior occupans.* Quippe moris erat omnia hæc a Patribus haberi. Hinc Alexandet Severus post acclamationes: *Gratias vobis*, inquit, *P. C. non nunc primum, sed & de Cæsareo nomine, & de vita servata, & Augusti nomine addito, & de Pontificatu Max. & de Tribunitia Potestate, & Proconsulari imperio, quæ omnia novo exemplo uno die in me contulistis.* Vim argumenti enervare conatur Pagius, qui contendit verba Dionis ad tertium Heliogabali Consulatum pertinere: *Sumptus hic ab Heliogabalo exlege, & stolido Imperatore, Consulatus præter regulas, quod a Dione observatum.* Verum de secundo, non de tertio Heliogabali Consulatu capiendum esse Dionem, luce clarius est, utpote qui δεύτερον, *secundum* Consulatum dixerit, non tertium.

Dio l. 79. 810.

Dio l. 79. 907.

Lampr. Sev. c. 8.

Pag. Crit. An. 220. n. 1.

Themistii locus Pagio non favet. Plures Cæsares Decennalibus Consulatum non gessere.

Them. Or. 16. p. 205.

IX. In verbis Themistii, quæ leguntur in Oratione de Saturnino, ad Theodosium Magnum, Pagius regularum suarum præsidium invenisse putat: *Magnus ex iis quæ dixi, merito præsens est habendus honor. Sed ex iis quæ deinceps audietis, multò pluris existimandus est. Nam cum superioris memoriæ Imperatores omnes, hoc sibi devitandum in primis putare consuevissent, ne quinquennali, aut decennali vertente curriculo, eum Magistratum, à quo annus inscribitur, cuiquam concederent, hanc tamen prærogativam isti detulit, & Consulatum dedit, neutiquam cum aliis annumerandum.* At locus ille Themistii non perinde aptus est atque conveniens sicut existimatur, cùm experientiæ repugnet. Itaque Oratorum more rem Themistius exaggerat. Absque purpura Consulari Tiberius, Neroque sua Decennalia celebrarunt. Trajani quoque Decennalia in annum Dom. CVII. inciderunt, qui Coss. habuit Senecionem IV. & Licinium Suram II. Anno Dom. CXVII. mense Augusto successit Adrianus Trajano, Quinquennalia igitur Adriani, in annum CXXII. referuntur, qui Aviolam & Pansam Coss. habuit. Quos anno sequente Atius Petinus & Ventidius Apronianus exceperunt. Adriani Decennalia ad annum Dom. CXXVII. pertinent, neque inter vel hujus, vel posterioris anni Consules reperitur. Antonini Pii Quinquennalia anno CXLIII. Decennalia anno CXLVIII. sunt affigenda. Nullum verò hisce annis Antoninus Consulatum adiit. M. Aurelii Quinquiennalia in annum CLXVI. Decennalia sunt in CLXXI. referenda. Quibus sanè temporibus M. Aurelius nullo Consulatu functus est. Severi Quinquiennalia anno CXCVIII. celebrata sunt, quo Saturninus & Gallus Consulatum gessere. Percurrenti Fastos ad refellendum Themistium dies utique, non exempla deficerent. Itaque Themistius Oratorum more orationem altius exaggeratam adhibuit.

De regulis Hypoth. judicium.

X. Ut coërceamus calamum, de regulis Pagianis breviter sic censemus. 1°. Multis Consulatibus perperàm accommodari, utpote qui irregulares essent, & Romanorum institutis pugnantes: ex quibus multa exempla suppeditavimus, quæ nullis Canonibus dirigi possunt. 2°. Nullum regularum usum, nullum exemplum fuisse totis illis annis, quæ ab Augusto ad Vespasianum usque fluxerunt. 3°. Imperii Proconsularis Quinquennalia, Decennaliaque, quæ causæ multis Cæsarum Consulatibus quæruntur figmentum esse, cui nulla Antiquitatis monumenta favent. Neque satis consonum esse, agitari festa imperii Proconsularis, quod Augusteo amittebatur, & veluti in nihilum abibat, quomodo imperfecta perfectionibus cedunt. Ac sanè cùm Trajani imperium Proconsulare quadrimestre duntaxat fuerit, nos non capere profitemur, potuisse imperii hujus Quinquennalia, aut Decennalia celebrari. Primam regulam, quæ imperii initium dicitur, non constantem esse, non generalem, non perpetuam, quæ sunt conditiones regulæ notioni necessariò connexæ. Mense Martio anni CLXI. Antoninus Pius excessit; neque tamen successor ejus M. Aurelius anno sequente Consulem egit quem Rusticus & Aquilinus referarunt. Severus obiit mense Februario, anno Dom. CCXI. verùm anno qui proximè successit, Coss. processere non Bassianus, non Geta Severi filii, sed Pompeius Asper, & Julius Asper. Anno CCXXII. Heliogabalo successit Alex. Severus. Ex vi Canonis Pagiani, amplissimum anno sequente Magistratum adire debuit, quia datam causam effectus excipit. At ordinarium Consulatum gessere Maximus & Ælianus. Constantinus M. filiis decessit mense Maio anni CCCXXXVII. nullus tamen eorum annum CCCXXXVIII. aperuit. Consules reperimus in Fastis, *Ursum* & *Polemium*. Itaque *Conjecturale* potius criterium, quàm regula primus ille Canon vocari debet, cujus id est officii, ut nunquam fallat. Geminas reperimus causas multò verosimiliores, cur Cæsaribus Consulatus addicerentur. Generaliores sunt honorum cupido in ambientibus: amor verò vel adulatio Imperatorum in deferentibus Consularem dignitatem. Illâ Domitianus tot Consulatus sibi cumulavit: hâc verò Senatus Consulatus perpetuos Caligulæ ac Neroni decrevit. Generalibus hisce causis speciales addi possunt, quæ à Pagii Canonibus plurimùm dissident: puta cùm Augustus Consulatum XIII. ultrò petiit, ut Caium & Lucium amplissimo præditus Magistratu suo quemque tyrocinio deduceret in forum: aut cùm Nero Consules ante tempus privavit honore, atque in *utriusque locum solus* iniit Consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari nisi à Coss. ac susceptis fascibus.

Suet. Ner. c. 13.

D I S

DISSERTATIO DUODECIMA.

De Catechumenis eorumque Baptismo.

Nomen Catechumeni.

I. CUm propter ignorationem Dei, mysteriorumque pietatis, quorum notitia ad salutem adipiscendam necessaria est, homines naturâ cœci & imperiti, veritate fideque imbui debeant, hinc ortus in Ecclesia Catechumenorum ordo, de quo nobis est disserendum, ut pars ea Antiquitatis non ignobilis illustrata nostris in Annalibus patefactaque videatur. Nomen quod attinet, è Scriptura desumptum existimare licet. De Apollo viro juxta pio & eloquente dicitur: *Hic erat κατηχημένος, initiatus viâ Domini.* De Theophilo etiam, cui Evangelium Lucas suum nuncupavit, scribitur: *Ut agnoscas, certas esse res περὶ ὧν κατηχήθης quas auditione accepisti.* Eâ nimirum significatione κατηχεῖν usurpatur: *Κατηχήθησαν, audierunt de te.* Nec diversus à Luca Paulus: *Malim quinque verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios voce instituam, κατηχήσω.* Hinc factum, ut in Ecclesia κατηχούμενοι, *Catechumeni* vocarentur, qui primis Religionis rudimentis vivâ voce instruebantur, quibus & ideò *Audientium* nomen impositum est. Sic Græcum vocabulum Latinè ab iis redditur, qui Liturgica tractarunt: *Catechumeni sunt, qui primùm de Gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Christum. Et quia primum exhortationis præceptum est in Lege Dei, Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est, inde est, ut is cui per Sacerdotem quasi per Mosem Deus primùm loquitur, Catechumenus, id est, Audiens nominetur.* Paria geminaque tradit Rabanus: *Catechumenus autem dicitur, pro eo quod adhùc doctrinam fidei audit, necdum tamen Baptismum recipit. Nam κατηχούμενος Græcè, Latinè Auditor interpretatur.* Aliquid tamen discriminis dant Nicæni Patres, Audientes inter & Catechumenos: *Placuit huic Sancto & magno Concilio, de Catechumenis qui lapsi sunt, ut tribus annis inter Audientes sint tantummodò, posteà verò orent cum Catechumenis.* Cujus Canonis ea mens esse videtur, ut qui per Apostasiam gradu suo Catechumeni exciderant, illum non recuperarent, nisi elapso demum triennio, quo currente non Catechumenorum quidem, qui manuum impositione susceptâ orationes participabant, sed Christianorum duntaxat loco & numero habebantur, quibus & sacris adesse concionibus licuit. Canon sanè, qui Concilii Constantinopolitani imperante Theodosio M. celebrati dicitur, Christianos à Catechumenis secernit: *Quicumque ex Hæreticis rectæ fidei ascribi volunt, ut Græcos admittimus. Et primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo Catechumenos, deinde tertio exercizamus sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures insufflando. Et sic eos initiamus, & curamus ut longo tempore versentur in Ecclesia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus.* Sed & Quinisexta Synodus Canone 95. discrimen statuit Christianos inter & Catechumenos: *Et primo die*, inquit, *ipsos Christianos facimus, secundo verò Catechumenos.* Neque vel Ethnicis vetitum erat audiendis concionibus Ecclesias ingredi. Extat ea de re Canon Carthaginensium: *Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.* Hinc sciri potest, quid Nicænos impulerit, ut *Audientes* à *Catechumenis* distinguerent. Sed & Theodosii M. Constitutio anni 383. Christianos in Fideles & Catechumenos dividit: *Christianis ac Fidelibus, qui ad Paganos ritus cultusque migrarunt, omnem in quamcunque personam Testamenti condendi interdicimus potestatem, ut sint absque jure Romano. His verò qui Christiani & Catechumeni tantùm, venerabili Religione neglectâ, ad aras & Templa transierint, si filios vel fratres germanos habebunt, hoc est, suam aut legitimam successionem testandi arbitratu proprio, in quaslibet alias personas jus adimatur.*

Act. XVIII. 25. — Act. XXI. 21. — 1 Cor. XIV. 19. — Isidor. de Off. l. 2. c. 20. — Rab. de Instit. l. 1. c. 26. — Nic. c. 13. — Constantinopol. c. 7. — Cart. IV. c. 84. — Cod. Th. l. 2. de Apost.

Catechumenorum Classes.

II. Celeberrima Catechumenorum est in *Audientes* & Competentes divisio, quæ Veterum in monumentis frequenter occurrit. Verba sunt Ambrosii: *Dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in baptisterii tradebam Basilica.* Similiter Augustinus: *Dedit nomen inter alios Competentes, pariter cum plurimis incognitus nobis.* Doctissimus tamen Chamierus ultimis verbis Augustini fretus, non alios intelligit, quàm Catechumenos: *Scilicet*, inquit, *poterat esse incognitus, qui inter Catechumenos esset aliquandiu versatus.* Quidni, cùm informandis Audientibus Catechetes præficerentur? Ac ingens Competentium multitudo Baptismi ardebat cupiditate. Festo Paschatis *tria Catechumenorum fermè millia* sacris undis Constantinopoli purgatos fuisse, docet Palladius in vita Chrysostomi. Cùm ex pervulgata Veterum disciplina festum Paschatis & Pentecostes ministrando Baptismo dicaretur, facillimè intelligitur, Competentium aliquem præ multitudine Augustino ignotum fuisse. Ac profectò non ita est, ut de Competentibus Afrorum disciplina ab illa Mediolanensis Romanæ, totiusque Occidentalis Ecclesiæ dissideret. Audientes quidem Baptismi cupidi erant, verùm necdum illum petebant, utpote ad eum suscipiendum non satis apti & dispositi. Quin ergo Competentes à Catechumenis audientibus diversi forent, nulli dubitamus. Neque aliter intelligenda verba Augustini: *An usque adeò dissimulamus à sensibus nostris, ut vel nosipsos non recordemur, quàm fuerimus attenti atque solliciti quid nobis præciperent, à quibus catechizabamur, cùm fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur.* Eò pertinet & Isidori locus: *Post Catechumenos secundus Competentium gradus est. Competentes autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant, ideòque appellantur Competentes, id est, gratiam Christi petentes.* Præclara certaque sunt distinctionis Competentes inter & Audientes vestigia in Codice MS. Reginæ Suecorum, ex quo Lectoribus fœnerat hæc Bona Cardinalis: *Audite, carissimi, membra Christi, & matris Catholicæ filii. Quod dico Competentibus, audiant Fideles; quod dico Fideli-*

Ambr. Ep. 33. — Aug. de Cura pro Mort. c. 12. — Cham. de Bapt. l. V. c. 15. — Aug. de Fid. & Op. c. 6. — Isid. de Eccl. Off. l. 2. c. 21. — Bona Liturg. l. 1. c. XVI. n. 4.

bus, audiant Competentes; quod dico Competentibus & Fidelibus, audiant Pœnitentes; quod dico Fidelibus, & Competentibus, & Pœnitentibus, audiant Catechumeni. Audiant omnes, omnes timeant, nemo contemnat. Crescunt doctissimo Bonæ classes Catechumenorum, quas ad quatuor redigit: *Quidam enim ab infidelitate ad fidem converti desiderantes, audiebant in Ecclesia Verbum Dei, sed nondum petebant Baptismum, & ii dicebantur Audientes. Alii audito sermone procumbebant in genua, & orationum Ecclesiæ aliquo modo participes erant, & vocabantur Substrati, sive genua flectentes. Alii in fide recte instituti Baptismum petebant, & dicti sunt Competentes. Qui verò ex istis in albo baptizandorum descripti erant, Electi nuncupari solebant.* Verùm in lubrico atque instabili distinctionis suæ fundamenta illustrissimus Purpuratus collocavit. Quasi verò *Competentium* nomina Ecclesiæ albo non inscriberentur, aut Competentes orationes Ecclesiæ non participarent. Liturgicorum sanè Scriptorum nullus est, qui harumce quatuor classium meminerit. Ad unam igitur eandemque classem pertinent Electi, genua flectentes, & Competentes, quos Neocæsariensis Synodus indicasse videtur: *Si in Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine steterit, is autem peccat, si genu quidem flectens audiat, non amplius peccans. Si autem audiens adhuc peccet, extrudatur.* Competentium orationes omnium prius in Ecclesia fundebantur, quàm dimitterentur. Qua de re insignis est Laodicenorum Constitutio: *Oportere seorsum primùm post Episcoporum sermones Catechumenorum orationem peragi. Quibus egressis, orent etiam hi, qui in pœnitentia sunt constituti.* Sed & *Electi* titulus Competenti imponebatur, quia suscipiendi Baptismi Candidatum agebat. Erat ergo non diversæ, sed ejusdem rei nomen, ut monent verba Leonis: *In baptizandis Electis, qui secundum Apostolicam Regulam & exorcismis scrutandi, & jejuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi.* Competentes quoque reperimus in Electis, quorum in Ordine Rom. mentio est: *Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo Electi nostri divinitùs instruantur, imminere cognoscitis.* Itaque Catechumenorum classes ad duas duntaxat revocatas, seorsim descripturi sumus.

Bona Liturg. l. 1. c. XVI. n. 4.

Neocæs. c. 5.

Laod. c. 19.

Leo Ep. 4. c. 6.

Ord. Rom. p. 34.

Qui Audientes creabantur?

III. Creandis Audientibus certi ritus adhibebantur. Ethnici Martini miraculorum fulgore perstricti, salutem sibi cupiebant: *Et nemo ferè ex immani illa multitudine Gentilium fuit, qui non impositione manus desideratâ, Dominum Jesum relicto impietatis errore crediderit.* Quem Chrysologus ritum, veluti exemplo Christi inclinatum mulierem sanantis deductum, memorat: *Ut incurvus peccatis erigatur Gentilis ad Cælum, prius à Gentili per impositionem manuum nequam Spiritus effugatur. . . Quare super hanc mulierem suas imponit manus? Quare circa istam curandi ordinem novat, nisi quia jam tunc in una sanat omnes: immò quia non antè suscipit Ecclesiam, nisi eam per impositionem manuum suarum purget à Diabolo, & faciat Christianam.* Meminit & Exorcismi ille ipse Chrysologus faciendo Catechumeno usurpati: *Veniens ex Gentibus, impositione manus & Exorcismis ante à Dæmone purgatur, & aperitionem aurium percipit, ut fidei capere possit auditum.* Hanc Illiberitani Patres disciplinam Decreto suo sanxerunt: *Gentiles si in infirmitate desiderent sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.* Eundem & admisere morem Arelatenses: *De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi.* Et ut Græcæ Ecclesiæ exempla quoque suppeditemus, Constantinus M. in Templo Helenopolitano peccata confessus sua, *Manuum impositionem cum solemni precatione primùm meruit accipere.* Quamquam vero similius fiat, eâ χειροθεσίᾳ Constantinum *Competentem* potius quàm Audientem creatum fuisse. De Porphyrio Gazensium Episcopo hæc Marcus narrat: *Parentes mulieris & cognati euntes ad B. Porphyrium, prociderunt ad ejus pedes, petentes Christi signaculum. Beatus verò cùm eos signasset, & fecisset Catechumenos, dimisit illos in pace, præcipiens eis, ut vacarent Sanctæ Ecclesiæ.* Manuum impositioni accedebat quandoque crucis signaculum impressum fronti, cum Catechumenus ad Pontificem adibat. Quod Dionysianis verbis indicatur: *Signatum jubet describi.* Ubi Ethnici manuum impositione susceptâ Christiani evasere, Catecheti informandi committebantur. Cui muneri vir pietate, & doctrinâ insignis præficiebatur Alexandriæ. Hanc Clemens Pantæni successor provinciam suscepit: *Apud Alexandriam Catechumenorum institutioni adhùc præerat, adeò ut auditor ejus etiamnum puer fuerit Origenes.* Fugatis vi persecutionis Doctoribus, qui tradendis fidei rudimentis operam dabant, id muneris gessit Origenes: *Annum ætatis XVIII. agens, tunc cum Catechumenis instituendis præfectus est.* Quod munus non eruditione, non diligentiâ, non constantiâ animi modò, sed audaciâ quoque juvenili nobilitavit, amputatis sibi virilibus, ne forte libidinis accusaretur, dum fœminis fidei præcepta tradit. In aliis verò Ecclesiis nullus munere singulari Catechetæ agere videbatur. Præsul ipse, vel Presbyteri eo fungebantur officio, quod de se Ambrosius testatum reliquit: *Symbolum aliquibus Competentibus in Baptisterii tradebam.* Quibus verò doctrinæ capitibus instruerentur, ea Constitutionum Autore sciri potest: *Qui initiis atque elementis Christianæ Religionis imbuendus est, doceatur ante Baptismum, ut noscat Deum ingenitum; agnoscat Filium unigenitum; habeat certum planè de Spiritu Sancto. Discat ordinem diversæ creationis, discat seriem Providentiæ, diversi Legis Tribunalia. . . Hæc & alia consequentia discat in Catechesi qui accedit.* Capita Religionis quæ indicantur à Paulo Hebr. VI. Catechumenis exponebantur, teste Augustino: *Hæc igitur omnia pertinere ad initia Neophytorum, satis apertèque Scriptura testatur.* In Catechete eruditio requirebatur. Qua de re extat præceptum in Epistola, quæ scribitur Clementis ad Jacobum: *Qui verbo instruunt incipientes, primò oportet ut ipsi instructi sint.* Catechismos *lumine adhibito* fieri, ostendit Maldonatus ex Augustino, cui verba hæc fœnerat: *In Catechismo, sicut in Baptismo, ignis adhibetur, ad significandam Spiritus Sancti illustrationem.* At verba hæc Maldonati sunt, non Augustini. Id habet Augustinus: *Per ignem transi ad aquam, ut transeas & aquam. Propterea & in Sacramentis, & in catechizando, & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam unde plerumque immundi Spiritus clamant, Ardeo, si ille ignis non est? Post ignem autem Exorcismi venitur ad Baptismum.* Adhibiti *Luminis* nulla mentio est. Quamvis enim lux ignis sit, ab eo tamen ratione differt, quia ad illustrandum, non ad urendum adhibetur. Deinde ignis Augustini metaphoricus

Sulp. Vit. Mart. c. 10.

Chrysol. Serm. c. v.

Chrysol. Serm. l. 11.

Eliber. c. 39.

Arel. c. 6.

Euseb. Vit. Const. l. IV. c. 61.

Euseb. l. VI. c. 6.

Euseb. l. VI. 3.

Const. l. VII. 40.

Aug. de Fid. c. 11.

Mald. de Bapt. tom. 1. p. 233.

Aug. in Psal. LXV.

ricus est, quo videlicet ambusti Dæmonea clamant, *Ardeo.* Est autem ignis ille vis Spiritus Sancti, Sacramenta comitantis, quo veluti flammâ Diabolus torquetur & exuritur. Disertè quidem Exorcismus Augustino *ignis* vocatur.

Arcani disciplinam Apostoli non tradidere.

IV. Porro Ecclesiæ Sacramenta Ceremoniasque Catechumenis occulere, fuit in more positum, quem ab Apostolis repetere, extra modum absonum est. Nulla tum vigebat arcani disciplina, quæ labentibus annis Ecclesias pervasit. Christi hoc erat in mandatis: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate in solariis.* Quòd si pietatis doctrinam, quæ cæcis mortalium mentibus dat ludibria, si Christi Crucem, quæ Judæis offensioni, Ethnicis contemptui est, Apostoli palam publicèque prædicabant, quis putet ipsorum conciones de Sacramentis mutas fuisse, in quibus nil reperiebant Ethnici, quod risum moveret? Baptismus quidem ablutionum Isidis similitudinem nonnihil arripiebat, de quibus Apulejus: *Jamque tempore, ut ajebat Sacerdos, id postulante, stipatam me religiosâ cohorte, deducit ad proximas balneas, & prius sueto lavacro traditum, præfatus Deum veniam, purissimè circumrorans abluit.* Et cui non cantantur Maronis carmina?

Mat. x. 27.

Apul. Metam. l. xi. 268.

Æn. l. 2.

Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penates:
Me bello è tanto digressum & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Quin imò Justinus putat Baptismi Prophetarum oraculis prænuntiati, Dæmones egisse simias: *Ablutionem hanc cùm audissent Dæmones per Prophetam promulgatam, ut & ingressuri in delubra eorum & accessuri ad illos, atque libationibus & adipis nidoribus offerendis operaturi, seipsos aqua aspersione lustrarent effecerunt.* Similiter Eucharistiam Dæmones imitatione prosecutos esse, ille ipse docuit Justinus in eadem Apologia: *Quod namque panis & poculum aquæ in sacrificiis ejus qui initiatur, verbis quibusdam additis ponatur, aut certè scitis, aut cognoscere potestis.* Quibus ergo Apostoli nota faciebant dogmata pietatia, illisne sacramentorum, quæ non displicuissent Ethnicis, & dogmatum signa sunt, manifestationem invidissent? Sanctioresne putantur aut veneratione digniores ceremoniæ, quàm Religionis articuli? Neque majestate sacramentorum Justinus Martyr prohibitus est, Ethnicis ea pandere in Apologia: *Quo verò modo Deo quoque nos dicaverimus per Christum renovati, jam exponemus, ne si hoc prætereemus, malignè quidem & dissimulanter agere in hac oratione videamur.* Sequitur deinde accurata tàm Baptismi, quàm Eucharistiæ descriptio, quâ rudes Ethnicorum animi de materia ritibusque sacramentorum perfectè plenèque instruebantur. Quin etiam *disciplina arcani*, vana superfluaque fuisset ad occultanda sacramenta, quorum ritus ab Apostatis, qui crebrò nimis tormentorum adacti metu, vel promissis in superstitionem amplectendam illecti, fidem ejurabant, palam & in luce constituebantur. Hinc Luciani cachinnus: *Quando autem me Galilæus ille convenit, recalvaster, naso aquilo, qui in tertium usque Cœlum per aërem ingressus est, quæque optima atque pulcherrima sunt inde didicit, per aquam nos renovavit.* Quibus apertè liquet, Dialogi Autorem Baptismi peregrinum non fuisse. Nec mirum, cùm Scripturarum aditus obstructus esset nemini; unde facillimè sciri Ethnicis potuit, quid rei forent Christianorum

Just. Apol. 2. p. 94.

Just. Apol. 2. 93.

Lucian. Philop.

sacramenta, quæ aliunde eò minus occultari debuere, quo timendum fuit, ne sacris ritibus turpitudinis & infamiæ labes aspergeretur, quod furente calumnia sæpenumerò contigit. Placuit tamen abscondi tandem sacramenta, quia id opinionis Patres incessit, vel ad ea cognoscenda suscipiendaque si laterent, Catechumenorum magis accendi mentes, vel ceremoniarum majestatem nonnihil deflorari, si palam vulgarentur. Quæ si verum volumus, Ethnicæ disciplinæ imitatio fuit, aliena prorsus à Christi institutis, rationisque regula; cùm justa veneratio omnis atque admiratio, non ignorationi quidem, sed rei excellentis notitiæ debeatur. Quocunque demùm consilio arcani disciplina in Ecclesiam invecta sit, ea sanè ab Ethnicorum more non abludit, quibus solemne fuit mysteria tenebris & silentio sua involvere. Hinc notum lippis & tonsoribus carmen:

Procul este profani!

Cui Horatius consuetudini allusum ivit:

Odi profanum vulgus & arceo.

Diserta sunt in eam rem verba Jamblichi: *Cùm externis, & ut sic dicam, profanis, si quandoque usus fieret congrediendum esse, nequaquam sua sacra enunciabant, sed per symbola & arcanas tesseras obscurè & latenter sibi mutuò sensa mentis velut ænigmatibus significabant.* Disciplinæ ejusmodi præclarum extat exemplum in Apulei Metamorphosi: *Semotis procul profanis omnibus, linteo & rudi me contectum amicimine, arreptâ manu Sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia. Quæras forsitan satis anxie, studiose Lector, quid deinde dictum, quid factum? Dicerem, si dicere liceret; cognosceres, si liceret audire. Sed parem noxam contraherent aures & lingua temerariæ curiositatis.* Eò processit Fidelium erga Catechumenos severitas, ut vel à conviviis suis, quasi profanos expellerent. Quam asperam sanè disciplinam in Recognitionum Autore deprehendimus: *Vos ergo magis nos prohibetis à vestro convivio, si ad purificandum moras habeatis, & tardius baptizemini.* Pseudo-Athanasius virginem sic suam informat: *Cùm Catechumena non sedebis, ut unà cum illa panem comedas.* Eâdem acerbitate conditur Carolinum Capitularium: *Non licet baptizatis cum Catechumenis manducare, nec osculum eis dare, vel ave eis dicere.*

Jamb. de Vit. Pyth. l. 2. c. 12.

Apul. Metam. l. xi. 268.

Rec. l. 2.

Ath. de Virg. pag. 1052.

Capit. l. vi. c. 93.

Patres de ceremoniis Catechumenos prohibuere.

V. Quandonam in Ecclesiam ingressa est de sacramentis Catechumeno abscondendis disciplina, dictu difficile est. Apparent in Tertulliano vestigia consuetudinis hujus, ut præcipiti jam seculo secundo Christianos ritus invasisse primùm videatur. Audiatur Tertullianus, qui in Hæreticos invehitur: *In primis quis Catechumenus, quis Fidelis incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant.* Exinde magna Patribus cura, ut Ceremoniæ Catechumenos laterent, eò magis quò Hæreticis alia consuetudo fuit. Hinc Marcioni dat Epiphanius pœnas: *Mysteria Catechumenis cernentibus apud illum celebrantur.* Immane verò scelus ferro flammisque piandum? Totis porro nervis atque viribus arcani disciplinam munitum Basilius ivit: *Benedicimus aquam Baptismatis & oleum unctionis, præterea ipsum qui Baptismum accipit. Ex quibus Scripturis? Nonne è tacita secretaque Traditione? Ipsam quoque olei unctionem quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter mergi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ sunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ & Angelis ejus, ex qua* Scrip-

Tert. de Præs. c. 41.

Epiph. hær. 42. n. 3.

Basil. de Spir. Sanct. c. 27.

Scriptura habemus? Nonne ex doctrina quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt? Pulchre quidem illi nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitùs circumferri scripto? Et interius: *Qui ab initio ritus Ecclesiasticas ordinaverunt Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omninò mysterium est, id quod ad popularem & temerarium auditum effertur.* Pseudo-Areopagita quoque [*Dion. Eccl. Hier. c. 1.*] hæc Timotheo mandat: *Vide ne Sancta Sanctorum enuncies, sed vereberis ea potius, & quæ occulti Dei sunt, cognitione mentis & animi in honore habebis ac pretio: ita tamen ut ea & minus perfectis non tradas, & cùm iis solis, qui Sancti erunt, cum sancta illustratione pro sacrarum rerum dignitate communices.* Similiter Cyrillus in Præfatione Catecheseon: *Fueras & tu aliquando Catechumenus, neque proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum quæ nunc traduntur experientiâ didiceris, tunc planè intelliges dignos non esse Catechumenos, qui ea audiant.* Hinc clamante Diacono Catechumenorum missio. [*Laod. c. 19.*] *Catechumenis egressis, orent qui sunt in Pœnitentia constituti. Et post manus impositionem, his quoque abscedentibus tunc Fideles orare debebunt.* Exploratam consuetudinem pluribus firmare testimoniis, & scribenti superfluum videtur & legenti tædio. Per partes potius cultus ceremonialis omnes eunt exempla, ad demonstrandum, quàm latè longèque diffusa fuerit arcani disciplina.

[Quas ceremonias complectitur arcani disciplina?] VI. Ac primùm non doctrina Symboli quidem, sed Symbolum ipsum *Audientibus* occultum fuit. Nec fallacem ex Sozomeno conjecturam facimus, qui Nicænum fidei Symbolum Historiæ non inseruit suæ, ne Lectoris necdum sacris imbuti incideret in oculos: [*Soz. l. 1. c. 20.*] *Ut posteris*, inquit, *in perpetuum ratum ac manifestum esset ejus fidei Symbolum, in quam universi tum consenserunt, initio quidem existimaveram, exemplum illius fidei ad veritatis demonstrationem hic necessariò apponendam esse. Sed cum quidam ex amicis, viri pii & harum rerum notitiâ præditi suasissent mihi, ut ea quidem quæ à solis initiatis ac Sacerdotibus dici audirique fas est silentio involverem, eorum consilium probavi.* Itaque de Competentibus Isidorus: [*Isidor. de Eccl. Off. l. 2. c. 21.*] *Istis salutare Symbolum traditur quasi commonitorium fidei.* Præterea Oratio Dominica ab Audientibus dicenda prohibebatur, quasi baptismi expertibus Patrem sibi Deum invocare nefas fuisset. Itaque Catechumenis unà cum Fidelibus tàm privatas, quàm publicas fundere Orationes [*Constit. l. VIII. c. 40.*] negabatur. De privatis disertus Clemens: *Fidelis unà cum Catechumeno, nec domi oret. Non est enim æquum initiatum unà cum eo qui non est initiatus, coinquinari.* Neque perindulgentior in Catechumenos Autor Libri de Virginitate apud [*Athan. de Virg. p. 1052.*] Athanasium: *Si adsit Catechumena in mensa, ne oret cum Fidelibus.* Paulò liberaliores Arausicani [*Arauſ. 1. c. 13.*] Patres hæc sanciunt: *Catechumeni nonnunquam admittendi sunt, etiam inter domesticas orationes.* Ex quibus intelligitur publicis precibus exclusos fuisse, quod verbis expressis testatur Chry- [*Chryſoſt. ad Pop. Antioch. hom. 79.*] sostomus: *Et Catechumenis quidem permissum hoc nondum est, quoniam nondum ad hanc pervenere fiduciam; vobis autem & pro terrarum orbe, & pro Ecclesia, & pro gubernantibus ipsam, & Præsidentibus jubentur orationes emittere.* Neque Catechumenis licebat adesse benedictioni quæ Fidelibus infundebatur. Hinc Arausicanorum Constitutio Patrum: [*Arauſ. c. 19.*] *Segregandi informandique sunt Catechumeni ut se revocent, & signandos vel benedicendos semotim offerant eos Fideles.* Quin etiam eò processit disciplinæ severitas, ut oculis Catechumenorum negaretur frui ordinationum spectaculo, quo à Laodicenis prohibentur: [*Laod. c. 4.*] *Non licere manus impositionem super ordinandos præsentibus Catechumenis fieri.* Nec minus expulsa humanitas, dum ab ingressu Baptisteriorum Catechumenos arcebant: [*Arauſ. 1. c. 19.*] *Ad Baptisteria nequaquam* admittendi? Neque igitur pascere oculos potuere suos administrati Baptismi. Hinc Nysseni in eos qui differunt Baptismum aculei: [*Nyſſ. t. 2. 125.*] *Meum pudet, quod cùm consenueris, adhuc ejiciaris cum Catechumenis, tanquam insipiens puellus, & qui arcana non potest celare, cùm dicendum sit mysterium.* Purgatos sacris fontibus Christianos sic Gaudentius alloquitur: [*Gaud. Serm. 2.*] *Ea solùm aperienda Neophytis, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt.* Præcipuè taciturnitas circa Eucharistiam obstabat Catechumenorum cupiditati. Adhibebant verborum involucra dum de eo mysterio disserebant. Ne vel ipse Oedipus Epiphanii mentem assequi potuisset: [*Epiph. Ancor. n. 57.*] *Videmus Salvatorem ipsum panem in manus accepisse. Quòd à cœna surgens hæc acceperit, & gratias agens dixerit, Hoc est, meum hoc.* Neque loquacior Epiphanio Innocentius, dum quæstionem tractat, quandonam pacis osculum in celebratione Eucharistiæ dispensari debuit. Quippe hæc scribit Decentio: *Post omnia quæ aperire non debeo*, ad dandam pacem veniendum. Ex ea consuetudine Julius Rom. Pontif. parabat excusationem Athanasio, fracti calicis sacri, quæ adversus illum instituebatur: [*Ath. t. 2. 747.*] *Facilè colligebamus fieri non potuisse, ut Ischyram, qui morbo post ostium decumbebat, in sacris constiterit, & oblationem confecerit, nec oblationem proponi potuisse, cùm intùs Catechumeni versarentur, quibus intùs adhùc agentibus, tempus oblationis nondum esse potuit.* Sed & Chrysostomus cruento calamo scribens Innocentio, quid Sabbato Sancto militaris manus turbarum in Ecclesia moverit, illud queritur: *Sanctuaria ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia quæ intùs erant.*

[Arcani disciplina ad dogmata non pertinebat.] VII. Cæterùm etsi in Ecclesiæ sacramenta, arcani disciplinâ diffunderetur, nullis tamen rationibus adduci possumus ad credendum, pietatis doctrinam Catechumenis absconditam fuisse, cùm silentium ejusmodi durum, ferreum inhumanumque videatur. Quippe ceremoniæ sacræ absque salutis dispendio ignorari possunt, fidei articuli non possunt. Antiqua nobilisque Alexandrinorum Ecclesia, quæ ad salutem conducit sapientiam, Catechumenis non occultabat suis, quos vel Lectoris ad officium evehebat: Alexandriæ *Lectores & Psaltæ absque ullo discrimine fiunt*, [*Socr. l. V. 22.*] *tam Catechumeni, quàm Fideles, cùm tamen omnes ubique Ecclesiæ, nonnisi Fideles ad hunc gradum promoveant.* Sapienter Tertullianus in Valentinianos: [*Tertul. in Val. c. 1.*] *Nihil magis curant quàm occultare quod prædicant, si tamen prædicant qui occultant. Custodiæ officium, conscientiæ officium est. Confusio prædicatur dum Religio asseveratur. Nam & illa Eleusinia hæresis, & ipsa Attica superstitiones quod tacent, pudor est. Eleusiana Valentiniana fecerunt lenocinia. Sancta silentio magno, solâ taciturnitate cælestia. Si bonâ fide quæras concreto vultu, suspenso supercilio, altum est, ajunt.* Aliena igitur erat Ecclesia ab illo doctrinæ silentio, in

quod

quod Tertullianus tam asperè invehitur, siparis saoè Atticis, & signaculis digniore, quàm scholâ Christi, cui pergratum fuit, *doceri gentes omnes*. Hinc subjungit Tertullianus ejusdem libri c. 3. *Nihil veritas erubescit, nisi solùm modò abscondi, quia nec pudebis ullum aures ei dedere, eum Deum recognoscere, quem jam illa natura commisit, quem quotidie in operibus omnibus sentit, hoc solo minus notum, quod unicum non putavit.* Eadem Patribus Carthaginensibus atque Tertulliano sententia fuit: [Cart. IV. c. 84.] *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.* Quam sanctionem in optima ratione extructam atque fundatam firmat Hispania, in Valentina Synodo: [Val. c. 1.] *Hoc inter cætera censuimus observandum, ut Sacrosancta Evangelia ante munerum illationem, vel Missam Catechumenorum, in ordine Lectionum post Apostolum legatur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri J. Christi, vel sermonem Sacerdotis non solùm Fideles, sed etiam Catechumeni ac Pœnitentes, & omnes qui ex diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione auditâ, nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus.* Rectè quidem cùm fides oriatur ex auditione Verbi Divini; nil igitur fidei Catechumeni haurire potuissent, obstructo sibi audiendarum Concionum aditu. Labentibus seculis evanuit arcani disciplina, sacramentaque omnia omnium oculis proposita patescunt. Quin imo eò processit insanus Religionis amor, ut qui à doctrina Latinorum alienos gerunt animos, minis tormentisque adhibitis ad Sacramentorum usum cogantur.

[Sal Catechumenorum.] VIII. Ut à Sacramentorum aspectu expulsionem Catechumeni suam solarentur, Sacramenti umbra quædam ipsis concessa est. Ac Bellarminus quidem, Maldonatus, aliique eruditi sibi in animum induxere, panem benedictum *Eucharistiæ loco* Catechumenis fuisse distributum. In eamque rem testem Augustinum excitant scribentem: [Aug. de Pec. Mer. l. 2. c. 26.] *Quod accipiunt Catechumeni, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est.* Verùm enimverò egregiè falluntur, qui in eo Catechumenorum sacramento panem benedictum quæsivere, cujus in Antiquis Liturgicorum Scriptoribus nil est vestigii. Ignotus quidem Isidoro: [Isidor. de Eccl. Off. l. 2. c. 20.] *Exorcisantur Catechumeni primùm, deinde salem accipiunt, & unguntur.* De pane benedicto verbum nullum. Non dubitamus igitur, quin alimentum illud sanctius cæteris cibis sal fuerit, quod Catechumenis dispensabatur. Testis ipsemet Augustinus: [Aug. Conf. l. 1. c. 11.] *Audieram ego adhùc puer, de vita æterna nobis promissa per humilitatem Filii tui Domini Dei nostri, & signabar jam signo Crucis, & condiebar ejus sale.* Eò spectat & Carthaginensium Canon: [Carth. 3. c. 5.] *Placuit ut per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal.* Viguit adhùc ea ceremonia apud Gallos ætate Caroli M. cujus extat decretum: [Capit. l. VII. c. 263.] *Ut per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nec eis qui à liminibus Ecclesiæ sunt exclusi, neque eis ante Canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt pœnitentiam, sed tantùm benedictum sal à Sacerdotibus pro communione tribuatur.* Ceremoniæ mentem explicat Isidorus: [Isidor. de Eccl. Off. l. 2. c. 20.] *Sal autem in mysterio Catechumenis dandus, à Patribus ideò est institutus, ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant à sapore Christi, nec sint fatui & retrò respiciant sicut uxor Loth, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant & alios condiant, quemadmodum illa quæ cum liberaretur à Sodomis, in via posita retrò respexit, ibique remansit facta statua salis.* Extat in Ordine Rom. Exorcismus salis, cui adjungitur oratio ejusmodi: [Ord. Rom. p. 35.] *Rogamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur salutare Sacramentum ad effugandum inimicum* &c. Deinde salis aliquid mittitur io ora baptizandorum.

[Competentes nomina dabant.] IX. Ad Competentes nunc accedendum, qui ad majorem gradum promoti, Baptismi Candidatos agebant. Ac primùm præmissâ benedictione, Ecclesiæ albo nomen ipsorum inscribebatur. Eòque referenda sunt verba Augustini: [August. de Ver. Dom. Serm. XLVI.] *Ecce Pascha est, da nomen ad Baptismum.* De suo quoque ille ipse sic loquitur: [Conf. IX. c. 6.] *Ubi tempus advenit quo me nomen dare oporteret.* Quam Carthaginenses consuetudinem Decreto suo sanxerunt: [Carth. IV. c. 85.] *Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini & carnium, ac manus impositione, crebrâ examinatione Baptismum percipiant.* Meminit & consuetudinis hujus Dionysius, sed paulò ante susceptionem Baptismi usurpatæ. Conventum Fidelem Competens rogabat, ut se rectà ad Sacerdotem duceret, qui *sacram mensam* osculatus, adeuntem interrogabat cur venerit? Auditâ adventus causâ, ubi rectam se vivendi rationem initurum Catechumenus professus erat, Episcopus manu ejus capiti admotâ, signoque Presbyteris edito imperabat, [Dion. de Eccl. Hier. c. 2.] *Ut viri atque sponsoris nomina perscriberent*, quo facto sacras preces perficiebat. Egregia est ea de re Nysseni ad Competentes allocutio: [Nyss. t. 2. p. 124.] *Date mihi nomina, ut ego ea imprimam Libris sensibilibus, & scribam atramento. Deus autem ea signet in tabulis, in quas non cadit interitus, scribens proprio digito, ut olim Legem Hebræis.* Ecclesiis nonnullis id moris fuit, ut professa nomina ad aquas inclamarentur, teste Dionysio: [Dion. Eccl. Hier. c. 2.] *Jubet virum proferri, ac quodam Sacerdote ex descriptione & eum, & susceptorem inclamante, ille à Sacerdotibus ad aquam deducitur. Pontifex in sublimi stans inclamantibus iterum apud Pontificem ad aquam nomen initiati Sacerdotibus, ter eum baptizat Pontifex.*

[Competentes docebantur Symbolum.] X. Postquam Competentes dedere nomina, diligentiore Presbyterorum curâ, fidei doctrinâ instruebantur. Hoc docet Hieronymus: [Hier. Ep. LXI. c. 4.] *Consuetudo autem apud nos istiusmodi est, ut iis qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publicè tradamus Sanctam & adorandam Trinitatem.* Hoc testatur Rabanus: [Rab. de Inst. Cler. l. 1. c. 26.] *Competentes jam petunt, jam accipiunt, jam catechizantur. Istis enim traditur salutare Symbolum quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant.* Addebatur & Symbolo oratio Dominica, quod quarta feria, in quarta Quadragesimæ hebdomade in quibusdam Ecclesiis peragebatur, Amalario teste: [Amal. de Eccl. Off. l. 1. c. 8.] *Eâdem die tanguntur aures & nares Catechumenorum. Eâdem die instruuntur de Autoribus & initiis quatuor Evangelistarum. Eâdem die percipiunt orationem Dominicam, & Symbolum, ad reddendum in Sabbato Sancto Pascha.* At Hispanis placuit serius doceri Symbolum, Palmarum scilicet festo: [Isidor. de Eccl. Off. l. 1. c. 27.] *Hoc die Symbolum Competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem, ut quia jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur agnoscant.* Ne prætereatur illud

lud quidem tam Græcè, quàm Latinè in Ecclesia Rom. non adultis modo, verùm etiam infantibus Symbolum fuisse traditum: *Accipiens Acolythus unum ex ipsis infantibus masculum, & tenens in sinistro brachio ponit manum super caput ejus dexteram, & interrogat eum Presbyter Græcè dicens: Ποίᾳ γλώττῃ ὁμολογοῦσι τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, & respondet Acolythus ἑλληνιστί, Et dicit Acolythus Symbolum Græcè.* Hoc expleto Presbyter vertit se ad fœminas, quarum & nomine Græcè respondens Acolythus, dein *Latinè dicebat cantando Symbolum.* Basilicæ in Baptisteriis Ambrosius Competentibus Symbolum tradiderat. Palam verò in Ecclesia doceri Agathenses statuunt: *Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis unâ die, id est, ante octo dies Dominicæ resurrectionis publicè in Ecclesia Competentibus prædicari.*

Ordo Rom. p. 42.

Agath. c. 13.

Competentium scrutinium.

X I. Ceremoniarum quibus Competentes ad Baptismum disponebantur, *scrutinium* unum fuit. Examen scilicet eorum qui sedulâ institutione ad fidem erudiebantur. Decentissimus sanè ritus rationi, Scripturæque consonus, cùm in sanctis rebus adhibenda sit diligentia, & quærenti Candaces Eunucho, *Quid prohibet me baptizari?* Responsum sit à Philippo: *Si credis ex toto corde licet*, qui statim audivit, *Credo Filium Dei esse J. Christum.* Porro de *scrutinii* vocabulo nobis est lis cum Bellarmino: *Hâc voce scrutinii*, inquit, *non solùm utuntur Ordo Rom. Alcuinus, Amalarius, Rabanus, sed etiam Antiquiores, Augustinus, & Leo.* In Augustino quidem Leoneque, rem *scrutinii* voce significatam reperimus, nomen verò haud invenimus. Augustinus hæc habet: *Ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur.* Id verò scriptum reliquit Leo: *In baptizandis Electis, quos secundum Apostolicam Regulam, & exorcismis scrutandi*, &c. Itaque vox *scrutinii* recentior est, quàm sibi Bellarminus fingit. Rem quod attinet, scrutinia fiebant numero septem, de quibus multa leguntur in Liturgicorum Scriptoribus: *Incipit ordo vel denunciatio scrutinii ad Electos, quod tertia hebdomada in Quadragesima secunda feria nunciatur.* Scrutinii diem dilectissimi fratres, *Quo Electi nostri divinitùs instruantur, imminere cognoscitis, ibidemque solitâ devotione succedente, sequenti feriâ quartâ circa horam tertiam convenire dignemini, ut cæleste mysterium, quo Diabolus cum sua pompa destruitur, & janua regni cælestis aperitur, inculpabili Domino juvante ministerio peragere valeamus.* De septenario scrutiniorum numero testis Alcuinus: *Romani intra Quadragesimam sex scrutinia celebrant, & hodie septimum. In isto septenario intelliguntur septem dona Spiritus Sancti in Baptismate data.* Celebratis feriâ quartâ Missarum solemniis nunciabat Presbyter, ut in ipsa hebdomada reverterentur ad scrutinium: *Die Sabbati veniente, colligite vos temporius ad Ecclesiam illam.* Quo facto Presbyter diem pro libitu eligebat, ut ad novum Competentes scrutinium venirent, tandemque septimum sancto Paschatis Sabbato compleretur. Inter scrutinia septem illud longè præcipuum fuit, quod die Mercurii quartæ Hebdomadis Quadragesimalis peragebatur. Audiatur Rupertus: *Sciendum est autem hoc non solùm antiqui moris fuisse scrutinium, sed omnium esse præcipuum.* Cujus rationem ea ponit capite superiore: *Quartâ feriâ potius quàm quintâ, vel sextâ maximum scrutinium celebratur, ut jejunantes & vasa sua suscipiendæ gratiæ præparantes, quindecim dies jejunii usque ad diem quo Dominus est crucifixus habeant, quintâ decimâ Lunâ Dominus noster verus agnus immolatus est.*

Act. VIII.

Bellar. de Sacr. Bapt. l. 1. c. 25.

August. de Fid. & Op. c. 6.

Leo Ep. IV. c. 6.

Ordo Rom. p. 34.

Alc. de Off. p. 258.

Rupert. de Off. l. 10. c. 20.

X I I. Sequitur edita à Competentibus *Abrenunciatio*, quâ se à Dæmonis operibus alienos prorsus fieri profitebantur. Vetustus sanè ritus, indolique Baptismi in quo sepelimur unà cum Christo consentaneus. Ritum non præterit Tertullianus: *Aquam ingressi Christianam fidem in suæ legis verba profitemur, renuntiasse nos Diabolo, & pompis ejus, & Angelis ejus, ore nostro contestamur.* Non omittit Cyrillus: *Primùm ingressi estis in porticum domus Baptisterii, & stantes versus Occidentem, mandari vobis audistis, ut protensâ manu tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis.* Non silet Clemens: *Cum erit ad ipsum deventum ut baptizetur Catechumenus, discito ea quæ pertinent ad renuntiandum Diabolo, & conciliandum se Christo.... Contestator ergo qui baptizatur in hunc modum. Abrenuntio Satanæ & operibus ejus, & cultui ejus, & Angelis ejus, & adinventionibus ejus, & omnibus quæ sunt sub eo.* In Romanâ Ecclesia signum Crucis Abrenuntiationem comitabatur, Presbyter baptizando tangit pectus: *Et inter scapulas de oleo exorcizato Crucem faciendo cum pollice, & vocato nomine ejus, dicit, Abrenuntias Satanæ.*

Competentium Abrenuntiatio.

Tertul. de Spec. c. 4.

Cyril. Cath. Myst. 1.

Const. l. VII. c. 41.

Alcuin. de Off. p. 258.

X I I I. Abrenuntiationem excipit Fidei Professio, quæ in Paschali Baptismo die Sabbati fiebat. Animos advertamus Alcuino: *Post horam denique tertiam Sabbato præparantur ad Ecclesiam qui baptizandi sunt, simul cum patrinis & matrinis, & ordinantur ab Acolyto masculi ad dexteram, fœminæ verò ad sinistram, & tunc qui possunt reddunt Orationem Dominicam, & Symbolum.* Antiquitates sibi multum vindicat ea ceremonia, quæ extat in Cypriano: *Sed & ipsa interrogatio quæ fit in Baptismo, testis est veritatis. Nam cùm dicimus, Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per Sanctam Ecclesiam, intelligimus remissionem peccatorum, nonnisi in Ecclesia dari.* Apparet in Hieronymo: *Cùm solemne sit in lavacro post Trinitatis confessionem interrogare, Credis Sanctam Ecclesiam? Credis remissionem peccatorum?* Legitur in Clemente: *Post Abrenuntiationem cùm concipiebatur, dicito, Reconcilior Christo & credo, & baptizor in unum ingenitum solum verum Deum omnipotentem &c.* Cæterùm aliàs publicè, aliàs secretius professio edebatur, ut monet insignis de Victorino locus Augustini: *Ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis, conceptis, retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu Populi fidelis, Romæ reddi solet ab eis qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à Presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis qui verecundiâ trepidaturi videbantur, offerri mos erat, illum autem maluisse salutem suam in conspectu Sanctæ multitudinis profiteri.*

Competentium Fidei Professio.

Alcuin. de Off. p. 258.

Cypr. Ep. 70.

Hier. cont. Lucif. c. 5.

Constit. l. VII. c. 41.

Aug. Conf. l. 8. c. 2.

X I V. Ut ad pietatem Baptismi cupidis accommodatam, Competentes melius disponerentur, Jejuniorum adhibebant remedia, quæ vel ævo Justini in ritus Baptismales inducta sunt. Disertissima sunt verba Sancti Martyris: *Quicunque persuasi fuerint & crediderint vera esse quæ à nobis traduntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur. Deinde eò adducuntur à nobis ubi aqua est, atque eo regenerationis modo quo ipsi regenerati fuimus, regenerantur.* Justini disciplinam illa Romanorum imitabatur, de quâ Leo Magnus: *In baptizandis Electis*

Competentium Jejunium.

Just. Apol. 293.

Leo Ep. 10. c. 5.

Electis qui secundum Apostolicam Regulam, & exorcismis scrutandi, & Jejuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi. Quin etiam Competentibus id officii imponunt Carthaginenses: *Diu sub abstinentia vini & carnium ac manuum impositione, crebrâ examinatione Baptismum percipiant.* Quindecim diebus hoc Jejunii constabat in Ecclesia Rom. Quæ causa fuit, cur præcipuum scrutinium die Mercurii quartæ hebdomadæ Quadragesimalis exerceretur: Nam si scrutinia, Rupertus inquit, *sextâ feriâ potius celebrarentur, nonnisi tredecim Jejunii dies eorum præparationi restarent. Duæ namque Dominicæ intercurrunt. Dominicis autem diebus jejunare non licet.*

Carth. iv. c. 85.
Rupert. de Off. l. iv. c. 19.

Vela Competentium.

XV. Est adhùc insignis ceremonia non obruenda silentio, quæ Bellarmino, eruditorumque pluribus latuit. Catechumeni velis è quibusdam tegebant. Quem ad morem alludit Augustinus: *Hodie octava dicuntur infantium. Revelanda sunt capita eorum, quod est indicium libertatis. Habet enim libertatem ista spiritualis nativitas.* Veli quoque mentio est Cyrilli in Præfatione ad Catecheses: *Velatus est vultus tuus, ut mens tua vacet.* Veli hujus mysteria Junilius exponit in Dialogo, *Ut est Catechumenorum humilitas. Typum enim gerunt Adæ Paradiso exclusi, & ex conscientia delictorum divinum metuentis aspectum, propter quod & per publicum capitibus tectis incedunt.* Eò pertinent & verba Theodori in Pœnitentiario, observante Valesio: *In Monachorum ordinatione Abbas debet Missam cantare, & tres orationes complere super caput ejus, & septem dies velet caput ejus, septimo die abstollat velamen. Sicut in Baptismo Presbyter septimo die velamen infantum tollit. Ita & Abbas debet Monacho, quia secundus Baptismus est juxta judicium Patrum, & omnia peccata dimittuntur sicut in Baptismo.*

Aug. Serm. 4. in Dom. Oct. Paschæ.
Jun. l. 2. c. 16.

De signaculo Crucis Competentibus impresso.

XVI. Non est prætereundum Crucis signum, quo sæpius repetito Competentes ad Baptismum parabantur. Frequentissimum ritus hujus usum in Antiquitate deprehendimus. Trita sunt verba Tertulliani: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas... frontem Crucis signaculo terimus.* Hoc signaculi innuit Cyprianus: *Frons cum signo Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit.* Indicat & Lactantius: *Quomodo autem vel in qua plaga tuti omnes sint futuri, qui signum hoc veri & divini sanguinis in summo corporis sui notaverint, in novissimo libro docebo.* Antonius viso Hippocentauro, *Salutaris impressione signi armat frontem.* Hieronymus hæc scribit Demetriadi: *De prato pulcherrimo Sanctarum Scripturarum parvos flores carpsisse sufficiat pro communitione tui, ut & claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam.* Neque ignoramus, hoc signaculi Baptismi ceremoniis insitum fuisse. In Ordine Rom. infantes signant in frontibus *patrini, cum pollicibus suis, dicendo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Acolytus quoque Crucis signaculo frontes eorum terit. Sed & Presbyter in abrenuntiatione *inter scapulas de oleo exorcizato Crucem facit.* Itaque vera scripsisse Bellarminum scimus, dum *signum Crucis in fronte & pectore* Baptismi ceremoniis ascribit. Hîc tamen duo sunt animis recondenda. Unum, pectoris in Baptismo signaculum Veteribus non fuisse usui; alterum, ne vel impressum in Baptismo Competentium frontibus Crucis signum ante quartum seculum Christiani moris fuisse. Prius quod attinet, nonnulla quidem privatorum reperiuntur exempla, qui pectora muniebant signaculo Crucis. Quod illustris mulier Eustochium fecisse legitur: *Et cùm os stomachumque signaret, & matris dolorem Crucis niteretur impressione lenire, superabatur affectu.* Quin imò Paula animam exhalaturo, *Crucis signum pingebat in labiis*, c. 13. Liber de Pœnitentia, quem falsò Ephrem vindicant: *Pingamus in frontibus nostris, & in ore, & in pectore atque in membris omnibus vivificum signum.*

Tert. de Cor. c. 3.
De Lap. p. 169.
Lact. l. iv. c. 26.
Hier. Vit. Paul. p. 91.
Hier. Ep. 8.
Ord. Rom. p. 36.
Alcuin. de Off. pag. 258.
Bellar. de Sacr. Bapt. l. 1. c. 25.
Hier. Ep. 27. c. 10.

Non omnium tamen ea consuetudo fuit. Non Antonii Eremitæ, qui impressione salutaris signi *armavit frontem*. Non Hilarionis, qui *provolutus genibus Christi Crucem signavit in fronte.* Non Cyrilli: *Tu manifestè signa te Cruce in fronte, ut Dæmones signum Regis videntes, trementes procul fugiant.* Sed & Catechesi XIII. in qua jubet pani poculisque Crucis imprimi signaculum, signatæ duntaxat frontes meminit. Non Damasceni, de Cruce scribentis: *Hæc nobis signum data est super frontem, quemadmodum Israëli Circumcisio.* Neque illa quæ frequens occurrit in Baptismi ceremoniis Crucis apud Veteres mentio, non pectus, sed frontem attinet. Augustinus: *Cujus passionis & Crucis signo in fronte hodie tanquam in poste signandus es, omnesque Christiani signantur.* Clemens in Constitutionibus: Datur Baptismus in mortem Filii Dei; aqua adhibetur pro sepultura; oleum pro Spiritu Sancto; *signaculum pro Cruce.* Novitatis igitur est, quod baptizandi pectori, aliisque corporis partibus Crucis signum pingatur, quod ad solam frontem more vetusto pertinuit. Neque exemplum adhùc ullum in adulta germanaque Antiquitate reperimus baptizandi, quem Presbyter in auribus, in oculis, in naribus, in ore, in scapulis signaverit, quod hodiernâ Latinorum consuetudine peragitur. Quod porro maximè memoriâ custodiendum, tercentum annis à nato Christo labentibus signum Crucis rituum baptismalium pars nulla fuit. Sacramenta Christianorum accuratè depingit Justinus in Apologia. Cæterùm de signaculo Crucis baptizandis impresso verbum nullum, etsi candidus ille Martyr seriò profiteatur, se nil omissurum, ne dissimulanter agere videretur. Itaque non prætermisisset, partim ut promissi munus impleret, partim ut vim signi extolleret: quæ omnia consecrare, Dæmonesque ipsos expellere existimatur. Currebat jam seculum tertium, cùm Tertullianus librum de Corona Militis suum edidit. Ceremoniarum meminit complurium, quas Traditio Baptismo fœneraverat. Abrenuntiationis sub Antistitis manu; trinæ mersionis; lactis & mellis concordiæ ablutis degustandæ; abstinentiæ à lavacro quotidiano per totam hebdomadam; de impresso fronti signaculo prorsus silet. Neque magis de illo vocalis est in libro de Baptismo. Manantem de pristina disciplina unctionem memorat, nec non manuum impositionem de *veteri Sacramento* ortam, cùm *transversum obliquatis in se manibus*, Jacob nepotibus benedixit, quod Servatoris Crucem adumbrat, benedictionum fontem omnium. Tunc signi Crucis mentio agitanda fuit, quod omninò præterit. Denique Crucis signaculum frontem terens ad omnes motus, ad epulas, ad lavacra, *ad vestitum & calceatum*, loquitur Tertullianus. De ipsius inter baptizandum usu ne *mû* quidem, quod profectò mirum est, si jam Baptismi ceremonias subiisset. Denique ne vel

Hier. Vit. Hil. p. 93.
Cyr. Cat. 4.
Damas. de Orth. Fid. l. iv. c. 12.
Aug. de Cat. Rud. c. 20.
Const. l. 3. c. 17.

ætate Constantini M. signum Crucis publicis benedictionibus accessisse, indicio sunt verba Eusebii narrantis, illum Catechumenum creatum in Templo Helenopolitano ubi *manuum impositionem cum solemni precatione primum accepit.* Hic sanè locus Crucis signaculo fuisset, si sanctificandis Competentibus jam fuisset adhibitum.

Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 61.

Competentium Exorcismus.

XVII. Ingredimur nunc Exorcismum, qui in ceremoniis Baptismi latissimè regnat, in cineribus, in sale, in abluendis hominibus usurpatus. Neque ritus novellus, cujus meminit Nazianzenus: *Ne Exorcismi medicinam respuas, nec ob illius longitudinem animo concidas.* Cyrillus Præfatione in Catecheses: *Exorcismos studiosè suscipe; sive insufflêris, sive exorcizaris, existima eam tibi esse saluti.* Græca sic vertenda esse putamus. Augustinus contra Pelagium: *Ipsa Sancta Ecclesiæ Sacramenta satis indicant, parvulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de Diaboli servitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptisantur: etiam prius exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur, sese renuntiare respondent.* Quin etiam exorcizandi ritus Leoni M. unus est ex Apostolicis: *Secundum Apostolicam regulam,* Electi *Exorcismis scrutandi, & Jejuniis sanctificandi & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi.* Exorcismi necessitas à Bracarensibus stabilita est: *Ante dies viginti Baptismi ad purgationem Exorcismi concurrant Catechumeni.* Exorcismi verò forma hæc est Latinorum in Ritualibus: *Exorcizo te, immunde Spiritus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei. Ipse enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus super mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.* Pace tamen Leonis, quam Apostolicam Traditionem dicit, ea nobis est nova, nec satis rationi consentanea, etsi complures pervaserit Ecclesias. Apostolicæ institutionis criterium hoc est, ut Christianorum sit communis omnium. Nullum verò est Exorcismi vestigium in Dionysio, qui Areopagitæ sibi larvam induit. Impositionem manuum memorat, abrenuntiationem, oleum unctionis, aquarum ex unguento perfusionem. Omnia hæc fusè grandique stilo exequitur. Nil tamen dicit quod ad Exorcismum pertineat. Itaque Bellarminus, cui Dionysius testium pro Exorcismo adductorum unus est, pergratum nobis fecisset, si verba ipsius retulisset. Hunc igitur Exorcismi testem meritò repellimus. Neque magis reperitur Exorcismi ceremonia Clementis in Constitutionibus, quibus de ritibus Baptismi accuratè docemur. Nova quoque est Exorcismi in Baptismo ceremonia, de qua silet Justinus, silet Tertullianus, silet Cyprianus, licet sibi Sanctum Martyrem cecinisse Latini putent: *Hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humanâ & potestate divinâ flagelletur, & uratur, & torqueatur Diabolus.* Verùm & sibi, & nobis illudunt Maldonatus, Bellarminus, omnesque illi, qui suum in his verbis Exorcismum quærunt. Cypriani Exorcismus extraordinarius est, non perpetuus, miraculosus, non communis, & objecto fineque ab illo differt, quo Baptismus Latinorum ditescit. Exorcismi Cyprianici objectum Energumenus constituitur, cujus corpus Dæmon incolit, & vexat. Itaque Exorcismo Martini similis est, de quo Sulpicius: *Si quoties venturus ad Ecclesiam, pedem extra cellula limen extulerat, videres per totam Ecclesiam Energumenos rugientes, & quasi adveniente Judice, agmina damnanda trepidare, ut adventum Episcopi Clerici, qui venturum esse nescirent, Dæmoniorum gemitus indicaret. Vidi quemdam appropriante Martino, in aëre raptum, manibus extensis in sublime suspendi, ut nequaquam solum pedibus attingeret.* Nulli verò, aut ferè nulli nunc extant Energumeni, neque eorum coetui includuntur sive Competentes, sive infantes qui ad sacras undas accedunt. Energumenos spectare laudatum Cypriani Exorcismum argumenta hæc demonstrant: *Per Exorcistas potestate divinâ flagellatur Diabolus.* Objectum verò muneris, quo fungebantur Exorcistæ, in Energumenis quærendum, illis scilicet quibus Dæmon intimè præsens adest, ut *motor mobili.* De quibus extant complures in Synodis Canones, Carthaginense IV. c. 90. *Omni die Exorcistæ Energumenis manus imponant.* Inspiciatur Eliberit. c. 29. Competentes igitur omnes, infantesque qui in Baptismo exorcizantur, vel Energumenis sunt apponendi, quod longè absurdissimum; aut Exorcismus Cypriani à pervulgato Baptismi Exorcismo latè dissidet, quod est sanè verissimum. Subjungit Cyprianus: *Et cùm extre se Diabolus, & homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat.* Hic Diabolum vocalem nemo non videt, & in corporibus quæ possidet loquentem, quod extraordinarium est, & quasi miraculis inserendum. Subjicit denique Cyprianus: *Rebus ipsis experimur, ut necessitate urgente in ægritudine baptisati & gratiam consecuti, careant immundo Spiritu quo antea movebantur... Et contrà sæpè nonnulli de illis qui sani baptisantur, si postmodum peccare cœperint, Spiritu immundo redeunte quatiuntur.* Quibus sanè vera Dæmonis Energumenum incolentis præsentia significatur. Cùm enim gemina sit Dæmonis efficacia, spiritualis nimirum, quâ mentem possidet, & perinde atque animum Judæ proditoris impellit ad peccandum; vel *corporalis*, cùm insolitos in corpore motus operatur, posteriorem attendit Cyprianus, cùm post Baptisatorum peccata Dæmonis reditum contingere perhibeat, ut patratorum scelerum pœnam, quâ Deo vindice; *torquentur*, carnificis provinciam administrante Diabolo, dum *quatiuntur.* Ut autem magis illustretur, explicationisque veritas patefiat, observandum est, Justinum Martyrem, Tertullianumque, Exorcismorum quibus arreptii curabantur, peregrinos insolentesque non fuisse: *Et nunc nos qui in crucifixum sub Pontio Pilato Jesum Dominum nostrum credimus, Dæmonia cuncta, Spiritusque malignos adjurantes, sub potestate eos nostra habemus.* Quam Justinus in subigendis Dæmonibus vim Fidelibus indiscriminatim tribuit, non Clericis modò, sed & Laicis, ut liquidò constet, Exorcismum Justini à Baptismi Exorcismo multum esse diversum, cujus vis & potestas Clericorum est, non Laicorum. Meminit & Tertullianus Exorcismi: Dæmon *in Exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi Deum.* Atqui nobis silentibus, hic ille Exorcismus à Baptismi Exorcismo penitus discrepat, in quo palam altâque voce Dæmones mendacia loquentes non audiuntur. Itaque nullis Justinus, nullis Tertullianus Exorcismis Baptismum condierunt, quia quos noverant, ad solos arreptitios attinere sciebant.

Naz. Or. XL. 657.

Aug. de Pec. Or. l. 2. c. 40.

Leo Ep. IV. c. 6.

Brac. 2. c. 1.

Cyprian. Ep. 76.

Sulp. Dial. 3. c. 6.

Cyprian. Ep. 76.

Just. Dial. p. 302.

Tert. de An. c. 57.

sciebant. Quæ verò Baptismum ceremoniæ subeunt, ejusdem cum eo amplitudinis esse, & omnes prorsus Christianos spectare debent. Nec à vero putamus aberrare conjecturam, Exorcismum à Veteribus in Baptismo adhibitum, hoc inniti fundamento, quòd Dæmon exorcisandorum & mentes, & corpora, quasi fundum suum possideret. Quod indicant verba Augustini: *Per ignem transi ad aquam ut transeas & aquam. Propterea & in Sacramentis, & in catechisande, & in exorcisando adhibetur prius ignis. Nam unde plerumque immundi Spiritus clamant, Ardeo, si ille ignis non est.* Ut clamarent, *Ardeo*, exorcisandos reipsâ incolebant, veluti templa sua sibi consecrata. Est autem creditu difficillimum, verâ præsentiâ exorcisandis omnibus Dæmones adfuisse, eorumque corpora subiisse; quod tamen in Recognitionibus legitur: *Amant Spiritus immundi inhærere corporibus, ut ipsorum ministerio cupiditates suas expleant.* Ex quibus intelligitur, non prudenter satis Exorcismum ad Baptismi ceremonias ascriptum fuisse. Clamat Presbyter: *Exi, Satana, ab hac imagine Dei.* Quem verò à Baptismi avidis Dæmonis exitum imperat? Corporalem? Atqui ex Competentibus rari sunt arreptitii, & nunc forsitan nulli. Spiritualem? Quis verò credat, adultorum mentes, ex imo pectore pietatem anhelantium, ad regenerationis fontem maxima cupidine accedentium, ambabus fidei suæ ulnis Christum & Servatorem & Dominum tenere amanterque complectentium, gerere adhùc Dæmonem quos jam illustrat, jam præsens incolit Spiritus ille Sanctus. Quot Competentes Cornelii similes, viri religiosi erant, eleemosynis, orationibusque suis, Dei timorem professi? Hujuscemodi hominibus opusne est Exorcismo: *Exi, Satana, ab hac imagine Dei?* Quidni igitur, dùm Philippus Enuchum, aut Petrus Cornelium abluit, id mandati Dæmoni direxere? *Exi Satana.*

August. in Psal. 65.

Recog. l. 2.

Exsufflatio Competentium.

XVIII. Exorcismo adjungebatur *exsufflatio*, quæ non ante quartum seculum usurpata est. Si recta memoria est, prima ritus hujus in Cyrillo Hierosolymitano vestigia deprehenduntur: *Exorcismos studiose suscipe, sive insuffleris, sive exorciseris, existima rem eam tibi esse saluti.* Quibus apparet, discriminis aliquid esse Exsuflationem inter & Exorcismum. Reverà Nazianzenus Competentes ad Exorcismum suscipiendum hortatus, adhibito etiam argumento: *Nam id quoque*, inquit, *lapis Lydius est, ad quem exploratur quàm sincero quisque pectore ad Baptismum accedat.* De Exsufflatione silentium egit, quam nec in Dionysio, nec in Clementis Constitutionibus reperire est. In Occidentem tamen ritus etiam progressus est. Hinc Augustini ad Julianum allocutio: *Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, quâ Princeps mundi à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.* Audiatur quoque Gennadius: *Illud etiam quod circa baptisandos in universo mundo Sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Nam sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontes adeant, quàm Exorcismis & Exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur.* Eò referunt Ambrosii verba Maldonatus atque Bellarminus: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite.* Sed ni fallamur animi, hæc ad exsufflationem minimè spectant. Indicant potius ceremoniam tangendi aures, & nares, ut ex verbis quæ connexæ sunt, intelligimus: *Quod vobis significavimus, cùm apertionis celebrantes mysterium, diceremus effeta. . . . Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, cùm mutum curaret & surdum.* De exsufflatione quidem verbum nullum, & *inhalatus* vitæ æternæ odor ad nares alludit, quas Episcopus tetigerat. Odor ille vitæ inhalatus, Dei verbum est, gratissimus sanè, & vivificus odor credentibus. Hinc mens ceremoniæ intelligitur. Nempe ut pellatur Diabolus à baptisandis, quod disertè legitur in Augustino, atque Gennadio. Itaque non satis accuratè Bellarminus Exsufflationis finem exprimit: *Ceremoniâ Exsufflationis significatur Dæmonum expulsio.* Verùm hic Bellarmino opus erat exprompta memoriâ atque astutiâ. Cùm enim Exorcismo Dæmon pellatur, nil ejectionis peragendæ relinquebatur exsufflationi. Prudenter ergo consequenterque astruit ceremonia exsufflationis, expulsionem Dæmonum jam exorcismo ejectorum significari. Sed in ea te diversus est ab Augustino atque Gennadio, ut laudata à nobis verba legenti exploratum fiet. Addantur & pauca hæc Augustini: *Prius exorcisatur in eis, & exsufflatur potestas contraria.* Quibus & subjungimus Autorem Hypognostici apud Augustinum: *Propterea catechisantur, & exsufflantur ac baptisantur, ut Princeps hujus mundi Diabolus ex eis foras mittatur. . . Exsufflatur ergo & increpatur in eis in Catholica Ecclesia opus Diaboli.* Hinc apparet exsufflationem non vim duntaxat significandæ, sed etiam efficiendæ Dæmonum ejectionis Patribus habuisse, qui sibi in mentem induxerant, exsufflandos reverà à Dæmonibus possideri, qui exsufflationis & Exorcismi ope à baptisando ejiciebantur. Quin etiam ea sententia Bellarminus obviam ivit jocis salibusque, quibus cachinno quispiam exsufflationi illuderet: *Neque*, inquit, *hac ceremonia videri potest, nisi Dominus ipse rideatur, qui Joannis vigesimo simili ceremoniâ uti voluit, cùm Apostolis Spiritum Sanctum dedit; nam insufflavit in eos.* Astutè. Atqui flatus ille Dominicus signum efficax fuit, ac veluti pignus communicati cum Apostolis Spiritus Sancti, cujus dandi potestatem arbitriumque habuit. Hanc verò facultatem Presbyteri sibi vindicare non possunt nisi præeunte Christi institutione, quam fingere quidem possunt, ostendere non possunt. Præsulum sanè nullus ante Constantini tempora Exsufflationem adhibuit suppeditando Spiritui. Quin etiam Apostoli, quibus distribuendorum Charismatum potestas concessa fuit, non *exsufflatione* quidem, sed *impositione* manuum ea largiebantur: *Cùm autem conspexisset Simon, per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum Sanctum, obtulit eis pecunias.* Profectò si verè cogitare loquique volumus, exsufflatio Dominica ab illa Ecclesiæ prorsus variat atque dissidet. Domini exsufflatio afflavit Apostolos jam legatione suâ functos in Judæa, jam creatos Sacerdotes, jam ad baptisandum missos. Ecclesiæ exsufflatio non à Clericis, non à baptisatis, sed à Catechumenis suscipitur. Exsufflatio Domini, dona quæ Apostolis obeundo muneri idonea erant subministravit. Itaque postquam insufflando Dominus dixit, Accipite Spiritum Sanctum, mox subjungit: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Ecclesiæ exsufflatio

Cyril. Præf.

Naz. Or. XL. 657.

Aug. cont. Jul. l. VI. c. 2.

Genn. de Eccl. Dog. c. 31.

Ambr. de Myst. init. c. 1.

Bellar. de Sacr. Bapt. l. 1. c. 25.

August. de Pec. Or. l. 2. c. 40.

Hypogn. l. V.

Act. VIII. 18.

tio ad hos usus non est comparata, sed ad pellendum Dæmonem, sanctitatisque aliquid sufficiendum est instituta. Unde liquet tàm *fine*, quàm *objecto* ab exsufflatione Domini discrepare. Quomodo autem exsufflationis mysterium perageretur, docet Constantinopolitanæ Synodi I. c. 7. Ter in faciem & aures Catechumeni insufflabant.

De sputo ad purgandos Competentes adhibito.

XIX. Necdum Ceremoniarum finis. Saliva baptisandi auribus atque naribus adhibetur, addito verbo *Ephata*. Ceremoniam describit Alcuinus. Baptisandi Presbyter *tangit nares & aures de sputo, & dicit ad aurem dexteram, Ephata, quod est, adaperire ad nares, in odorem suavitatis. Ad sinistram, Tu autem effugare Diabole.* Ceremoniæ mysteria pandit Rabanus: *Sacramentum hic agitur, ut per salivam typicam Sacerdotis & tactum sapientia & virtus divina salutem ejusdem Catechumeni operetur, ut aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitia Dei; ut aperiantur illi & aures, ad audiendum mandata Dei, sensuque intimo cordis reponendum.* Hujuscemodi ritum Ambrosii autoritate tuentur atque fulciunt. Ambrosium igitur audiamus: *Quid egimus Sabbato? Nempe apertionem. Quæ mysteria celebrata sunt apertionis? Quando tibi aures tetigit Sacerdos & nares? Quod significat in Evangelio Dominus noster J. Christus, cùm ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures ejus, & os ejus.* Non libet nunc repellere testem, cui immeritò imponi venerandum Ambrosii nomen, eruditi vel ex Latinorum grege profitentur. Largiamur nunc opus illud Ambrosii esse. En unicum de sputo testem, qui de sputo nihil habet. A Sacerdotibus aures naresque baptisandorum tactas quidem fuisse legimus, *sputo* illitas esse non legimus. Neque adhibitum fuisse, ex Ambrosiano silentio constat. Festivum hominem hic Bellarminus agit: *Petenti Calvino, cur etiam sputo tangamus nares & aures Catechumenis, respondeamus ut nobis dicat, cur Dominus sputo tetigit linguam & aures muti & surdi.* Scilicet Presbyteris licet, quod Christo licuit, & servorum tàm vasta potentia est, quàm Domini. Licuit sanè Christo, imbutum sputo suo digitum muti in os immittere, ad tangendam linguam, ut eâ veluti humectatione volubilis redderetur, quæ siccitate quâdam palato adhærescebat, motuque suo destituebatur. Eoque signo, veluti imagine, miraculi sui vim exprimebat, pingebatque ante oculos. Licuit Christo spuere in digitum edendo miraculo, ut cælestem suæ carnis efficaciam patefaceret, cujus vel humores miseris erant adjumento. Licuit Christo spuere in digitum, demonstrando & vim Spiritus sui, qui *Dei digitus est*, quo mentis nostræ aures peccatis obstructæ aperiuntur, & potentiam verbi sui, quo lingua nostra permovetur ad gratias Deo maximas de collatis beneficiis persolvendas. Hæc verò miseris homuncionibus non licent, utpote captum vel Angelorum superantia. Quamquam & hîc Latinorum stertat acumen, & à Servatoris deficiat exemplo. Digitum quidem siccum muti immisit in aures, madidum dein sputoque conspersum in ipsius linguam; nares tamen prorsus non tetigit. Latini verò sputo suo baptisandi naresque auresque tangunt, non linguam, ut frustra sint in laudando Christi exemplo, ad sanciendam suam disciplinam. Porro cùm ritus tangendi sputo aures & nares, non universæ quidem Ecclesiæ, non Græcæ, non Africanæ, imò Romanæ olim non fuerit, sed Mediolanensi peculiaris, mirum est, non abiisse in desuetudinem perinde atque pedum ablutionem, & gustatam lactis & mellis concordiam, quæ majore profectò rationis umbrâ retinerentur, quàm admoto sputo narium auriumque illitus. Decentius quidem unguento perfundendis auribus & naribus uterentur, ut ferebat olim Ecclesiæ Hierosolymitanæ disciplina.

Rab. de Inst. Cler. l. 1. c. 27.

Ambr. de Sacr. l. 1. c. 1.

Bellar. de Sacr. Bapt. l. 1. c. 25.

De manuum impositione.

XX. Sputo longè tolerabilior est manuum impositio baptisandis adhibita, cujus extat in Tertulliano vestigium: *Aquam adituri ibidem, sed aliquantò prius in Ecclesia sub Antistitis manu, contestamur nos renuntiare Diabolo, & pompæ ejus, & Angelis ejus.* Ex Africanis Ecclesiis hunc fuisse morem, multa demonstrant exempla. In Carthaginensi Synodo, cui Cyprianus præfuit, Vincentius à Tibari hæc loquitur; *Primò per manus impositionem in Exorcismo, secundò per Baptismi regenerationem* Hæretici *tunc possunt ad Christi pollicitationem venire.* Hoc consuetudinis retinebatur ætate Augustini: *Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari.* Hinc Carthaginense decretum: *Baptisandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini & carnium, ac manus impositione, crebrâ examinatione Baptismum percipiant.* Admisere Græci ceremoniam. Ubi Competens vitam Christiano dignam pollicitus est, Pontifex *manum ejus capiti admovet.* Neque ritus Clemens peregrinus est Constitutionum lib. VII. c. 39.

Tertul. de Cor. c. 3.

Cyprian. p. 287.

Aug. l. 2. de Pec. Mer. cap. 26.

Carth. IV. c. 85.

Dion. de Eccl. Hier. c. 2.

Competentium Unctio.

XXI. Extat & inter ritus Baptismi Competentium Unctio, quæ frequens occurrit in Antiquitatis monumentis. Vetustus ille Recognitionum Autor: *Baptisetur unusquisque vestrûm in aquis perennibus, nomine trinæ Beatitudinis super se invocato, perunctus primùm oleo per orationem sanctificato.* Clementis Constitutiones: *Tu ergo, Episcope, illâ figurâ unges caput illorum qui baptisantur, sive ii viri sint, sive mulieres, oleo Sancto in figuram spiritualis Baptismi.* Dionysius in Sacramento illustrationis: Cùm Catechumeno *vestes ministri detraxerunt, tum Sacerdotes sacrum unctionis oleum afferunt. Pontifex cùm inungendi ac perfundendi ter exprimendo signo Crucis principium fecit, virum deinceps perfundendum toto corpore Sacerdotibus tradit.* Pseudo-Justinus Quæstione ad Orth. CXXXVII. *Quomodo primùm oleo ungimur, ac deinde in sacro lavacro, symbolis quæ dicta sunt peractis, post illa unguento consignamur.* Cyrillus: *Exuti oleo exorcisato, à summis capillis ad infimos usque peruncti estis.* Neque Latinis ceremonia displicuit. Ambrosius de Sacram. l. 1. c. 2. *Unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen hujus seculi luctaturus.* Quâ ratione ceremonia conficeretur, tradit Alcuinus: *Inter scapulas de oleo exorcisato Crucem faciebat* Presbyter. Hodie verò Crucem pingit de oleo Sancto cum pollice, vel baculo qui est in vase, in pectore, & inter scapulas, dicens: *Ego linio te oleo salutis in Christo Jesu Dom. nostro, ut habeas vitam æternam.* Non existimamus Competentium unctionem ab adultiore fonte scaturire, quàm à tertio seculo, cujus initiis Recognitionum Autor floruit. Desideratur quidem in Justino Martyre. Desideratur in Tertulliano. Quam enim memorat unctionem, ea baptisati est, non baptisandi. Ignoratur etiam Irenæo, qui Marcosiis tribuit, oleum adhibere in Baptismo. Iren. l. 1. c. 18.

Recog. l. 3. p. 73.

Const. l. 3. c. 16.

Dion. Eccl. Hier. c. 2.

Cyril. Cat. Myst. 2.

Argu-

Argumento unctionis Competentium fuisse hospitem.

Consecratio aquæ.

XXII. Ceremonias quæ Baptismum antecedunt, hactenus executi sumus, quæ ipsum comitantur tractare juvat. Observatio Walaf. Strabonis est notatu dignissima: *Sciendum primò simpliciter in fluviis vel fontibus baptisatos esse credentes. Ipse enim Dominus noster J. Christus, ut in nobis idem consecraret lavacrum, in Jordane baptisatus est à Joanne . . . & Philippus Evangelista Eunuchum baptisavit in fonte, quem reperit in viâ. Sicut autem suprà ostendimus, crescente processu temporum Religionis honore, institutionum Ecclesiasticarum usque ad plenitudinem decus crevisse; ita & hujus mystici lavacri gradatim per temporum augmenta, in majus celebratio crevit.* Non existimamus quidem Religionis incrementis, tot ceremoniarum institutionem, pietatisque honori esse vindicandam. Cùm nunquam magis Religio floruerit quàm Apostolorum, virorumque Apostolicorum ævo, quibus Baptismi simplicitas placuit. Aquam additis liquoribus, crucibusque non adulterabant, quâ mundâ purâque utebantur. Quod à Justino Martyre, Tertulliano, Recognitionum Autore observatum est: *Baptisetur*, inquit ille, *unusquisque vestrûm in perennibus aquis.* Incredibile est ab Orthodoxis oleum aquæ infusum fuisse ævo Irenæi, qui hoc ritus castigat in Hæreticis: *Quidam autem eorum adducere quidem ad aquam supervacuum esse dicunt: admiscentes autem oleum & aquam in unum, cum quibusdam profanis dictionibus mittunt super eorum caput qui sacrantur.* Sed fordet ingenio humano simplicitas ceremoniarum, pompæ splendorisque, vel in Religione cupido.

Strab. de Reb. Eccl. c. 26.

Iren. l. 1. c. 18.

Qualis aquæ consecratio Veteribus?

XXIII. Memorant itaque Latini aquæ consecrationem, verùm si fraus absit, non sine ambiguo. Quippe consecratio est quæ fit in ipsa Baptismi ceremonia, & adhibitarum orationum ope. Quam sanè benedictionem aquæ non probare non possumus. Ex Cypriano venisse in mentem existimamus: *Oportet mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit Baptisma suo peccata hominis qui baptisatur, abluere.* Quomodo? Precibus Presbyteri mox Competentem baptisaturi. Quod verbis expressis in Synodo Carthaginensi, Cypriano Præside *Sedatus* docuit: *Aqua Sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata abluit delicta.* Ut enim alimenta oratione omnia consecrantur, & Calix mysticus benedictione sanctitatem induit, sic & vi precum, aqua Baptismi mundatur & sanctificatur. Itaque Ambrosianam consecrationem faciles admittimus: *Venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii & Spiritus Sancti.* Quæ invocatio proximè sacræ ablutioni antecedit. Est verò consecratio, quæ multis ante diebus aut mensibus ante Baptismum peragitur, & addito ceremoniarum benè multarum apparatu. Cujus sanè consecrationis vola est nulla trecentis post editum Dominum annis. Hanc Latini consecrationem tuentur; quam ut novam, & inclinatæ, defloratæque Religionis partum repudiamus. Pompæ plena est apud Dionysium fontis consecratio: *Sacrâ appellatione invocationeque sanctificatis aquis, cùm eas trinâ unguenti perfusione crucis specie perfecit*, &c. Signi Crucis meminit Autor Libri de iis qui mysteriis initiantur, c. 3. *Aqua sine prædicatione Dominicæ Crucis ad nullos usus futura salutis est, cùm verò salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad usum Spiritualis Lavacri, & salutaris poculi temperatur.* Splendidior est apud Alcuinum consecratio fontis: *Ad invocationem verò Spiritus Sancti, quem Sacerdos celsâ voce proclamat, id est, alto mentis affectu, deponitur cereus benedictus in aquam, sive illi qui ab eo illuminati sunt, ad demonstrandam scilicet Spiritus Sancti præsentiam, Sacerdote jam dicente, descendat in hanc plenitudinem fontis. Fonte benedicto, accipiat Pontifex Chrisma cum oleo mixto in vase ab Archidiacono, & aspergit per medium fontis, in modum Crucis. Tunc Pontifex aspergit cum manu de ipsa aqua super populum.* Magnus nobis erit Apollo, qui ritum hujusmodi aut Apostolicum esse, aut ante Constantini M. imperium in Ecclesia viguisse patefaciet.

Cypr. Ep. 70.

Ambr. de Sacr. l. v. c. 1.

Dion. Eccl. Hier. c. 2.

Alcuin. de Off. pag. 259.

De baptizatorum immersione.

XXIV. Baptisandos sacris undis immersos fuisse extra Controversiam ponitur. Clinicorum sanè Baptismus, qui prohibente morbo in fontem descendere non poterant, quia perfundendo conficiebatur, ab ea perfectione aberat, quæ immersioni tribuebatur. Itaque Novatianus, qui in ipso quo jacebat lectulo, perfusus Baptismum susceperat, vix ad sacros ordines promotus est, *eò quòd non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi morbi, in lectulo perinde ac ille perfusi fuissent, in Clerum assumi.* Hinc vir nomine *Magnus* à Cypriano quæsitum ivit, nùm qui perfundendo peragitur, legitimus esset, necne? *Quæsisti, fili charissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eò quòd aquâ salutari non loti sint, sed perfusi.* Inveteravit mos ille, ut trinâ immersione floreret Baptismus, non in Latinorum modò, verùm etiam in Græcorum disciplina, quæ obtinuit jam ab ævo Tertulliani: *Dehinc*, inquit, *ter mergitamur.* Ad hujuscemodi ritum adhæsit Basilius: *In tribus mersionibus totidemque invocationibus mysterium Baptismi conficitur, ut & mortis typus figuretur, & traditâ Dei cognitione Baptisatorum mente illustrentur.* Vigebat & trina mersio in Ecclesia Hierosolymitana, teste Cyrillo, qui Ceremoniæ mysterium docet: *Mersi ter in aqua, rursus emersistis, atque ita per hæc Symbola, triduanam Christi significastis sepulturam.* Consentit & Cyrillo Hieronymus. *Multa quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, autoritatem sibi Scriptæ Legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.* Quin etiam trinæ Immersioni necessitatis aliquid adjunxit Canon qui Apostolicus usurpatur: *Si quis Episcopus vel Presbyter non tria unius mysterii Baptismata perfecerit, sed unum Baptisma, quod datur in mortem Domini deponatur.* Quâ ratione triplex ea immersio perageretur, legimus apud Ambrosium: *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem? Et mersisti, hoc sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum Jesum Christum, & in Crucem ejus? Dixisti, Credo, & mersisti. Ideò Christo es consepultus. . . . . Tertiò interrogatus es; Credis in Spiritum Sanctum? Dixisti, Credo, tertiò mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio.* Triplex igitur mersio tribus Personis Divinis respondebat, ut Baptisatus primâ ablutione Patri, secundâ Filio, tertiâ Spiritui Sancto dicaretur; quod etiam Dionysius indicat: *Cùm rursus Sacerdotes ad aquas sub Hierarchæ manu, ejus qui initiatur, nomen recitaverunt, ter quidem illum demergat, atque in tribus ejus qui initiatur demersionibus emersionibusque*

Euseb. l. vi. c. 43.

Cypr. Ep. 76.

Tertul. de Cor. c. 3.

Basil. de Spir. Sanct. c. 27.

Cyr. Cat. Myst. 2.

Hier. adv. Lucif. c. 4.

Can. Ap. 50.

Ambr. de Sacr. l. 2. c. 7.

Dion Hier. Eccl. c. 2. Inspiciatur & Alcuinus de Officiis Divinis p. 289.

trium divina Beatitudinis personarum nomina appellat & invocat. Pro triplici immersione testium jam satis. Porro cùm triplici mersione Ariani in Filii & Spiritus Sancti quasi Patri inferiorum dedecus abuterentur, Toletani Patres unam triplici immersionem antetulere, decretoque suo divisionem Hispaniarum in Ecclesiis ea ortam extinxerunt. Loquentes audiamus: *De Baptismi autem Sacramento, propter quod in Hispaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur.* Canonis occasio hæc est. Sequitur Canon: *Propter vitandum autem schismatis scandalum, vel Hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, Hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium Sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi ad infernum descensio est, & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem Personarum ostendi. Unitatem dum semel mergimus; Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptisamur.* Rectè & sapienter. Absuit & Gregorius M. ab illa acerba morosaque Canonis Apostolici necessitate triplicis immersionis. Quippe consultus à Leandro Hispalensi de ea Hispaniarum in administrando Baptismo varietate, quid potius sequendum esset, ita respondit: *De trina verò mersione Baptismatis nihil respondere verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si forte etiam pro summa Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptisandum semel aquis mergere; quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate in aquam vel ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab Hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, Divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur.* Si verum placet, una immersio Apostolica est, quia simplicior. Laborat sanè fides, ut tria hominum millia post auditam Petri concionem die Pentecostes Baptisatorum ter immersa fuerint. Aliundè prisci Christiani Domini sui Baptismum imitabantur, qui non ter, sed semel in aquas Jordanis descendisse videtur. De triplici mersione Justinus silet.

Tolet. IV. c. 5.

Greg. l. 1. Ep. 41.

Tempora Baptismi.

XXV. Pertinet ad Baptismi ritus legitimum administrandi tempus. Increbuit passim invaluitque consuetudo, ut Paschatis & Pentecostes feriis Baptismus administraretur, quod ævo Tertulliani jam observabatur: *Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat, cùm & passio Domini in qua tingimur adimpleta est. . . Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter Discipulos frequentata est, & gratia Spiritus Sancti dedicata.* Neque dissentit Hieronymus: *Aquas viventes multi ad Baptismum referunt, quæ in vere & æstate, hoc est, in Pascha, & Pentecoste, sitientibus largienda sunt.* Itaque ipse Hieronymus testatur *circa dies Pentecostes, se quadraginta diversæ ætatis & sexus*, Joannis Hierosolymitani *Presbyteris obtulisse baptisandos.* Similiter Augustinus: *Ecce Pascha est, da nomen ad Baptismum.* Quin etiam Pontifices Romani Apostolicam Traditionem existimant, harum festivitatum in ministrando Baptismo observationem. Hinc Leo Siculis Episcopis, qui Epiphaniorum die Baptismum celebrabant, figit aculeos, quasi Apostolicarum Institutionum violatoribus: *Cùm mihi de charitatis vestræ actibus fraternâ affectione solicito, certis indiciis innotuerit, vos in eo, quod inter Sacramenta Ecclesiæ principale est, ab Apostolicæ Institutionis consuetudine discrepare, ita ut Baptismi Sacramentum numerosius in die Epiphaniæ, quam Paschalis tempore celebretis, miror vos, vel prædecessores vestros, tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut confuso temporis utriusque mysterio, nullam esse differentiam crederetis, ut diem quo adoratus est Christus à Magis, & diem quo resurrexit à mortuis.* Quibus præmissis hæc Siculis mandat c. 6. *In baptisandis Electis, qui secundum Apostolicam Regulam, & Exorcismis scrutandi, & jejuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantùm tempora, id est, Pascha & Pentecosten esse servanda.* Hanc ad disciplinam Ecclesiarum Occidentalium obedientes sese complures effecerunt. Gerundense Concilium c. 4 sic censet: *De Catechumenis baptisandis id statutum est, ut in Paschæ solemnitate, vel Pentecostes, quantò majoris celebritatis celebritas major est, tantò magis ad baptisandum veniunt. Cæteris solemnitatibus infirmi tantummodò debeant baptisari, quibus quocumque tempore convenit Baptismum non negari.* Idem sanciunt in Gallia Matisconenses: *Decernimus ut extra tempora decreta Baptismi, nullus filios suos baptiset, nisi infirmitas nimia, vel dies extremus compulerit filios suos Baptismum suscipere.* Neque si Paschasino fides, miraculum desideratur probandæ consuetudini. Quippe parvulæ Ecclesiæ vili in possessione, quæ *Melinas* vocatur, conditus fons, Sacro Sancto *Paschali, baptisandi hora*, ex se repletur cùm *nulla sit fistula.* Verum quia in constituenda Paschatis solemnitate cùm erratum foret, *aquâ non veniente, non consecrati qui baptisandi fuerant, recesserunt.* Hoc miraculi narrat Paschasinus, quasi aqua indignaretur Baptismum germano Paschati conneaum, in Pascha illegitimum translatum fuisse. Tantus autem festivitatis hujus in celebrando Baptismo æstus Thessalos tenuit, ut extra illam nullos sacris undis abluerent: *Solis diebus Paschæ illic baptisant. Ex quo fit ut plerique apud illos absque Baptismo moriantur.* Paulò liberior Græcorum, à Thessalia si discesserimus, quàm Latinorum de temporibus Baptismi consuetudo fuit. Hierosolymitana quidem Ecclesia Baptismum eâ festivitate celebrabat, quâ magnum martyrium in Calvaria dedicatum est: *Ex eo verò tempore solemnem quotannis festivitatem admodum splendide Hierosolymitana celebrat Ecclesia, adeò ut Baptismi quoque Sacramenta eo die tradantur.* Quem licet ignoremus, satis constat à Pentecoste Paschateque diversum fuisse, cùm novâ institutione consecraretur. Nobile Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Epiphaniorum non minus quàm Paschatis aut Pentecostes dies, Baptismi celebrationi dicabatur, teste Nazianzeno, qui cunctatorem Sacramenti sic loquentem inducit: *Luminum diem expecto; Paschatis festum pluris facio; Pentecosten* expe-

Tert. de Bapt. cap. 19.

Hier. in Zach. XIV. p. 270.

Hier. Ep. LXI. c. 16.

Aug. de Ver. Dom. Serm. XLVI.

Leo Ep. IV. c. 1.

Matisc. 2. c. 3.

Pasch. Ep.

Socr. l. V. c. 22.

Sozom. l. 2. c. 26.

Naz. Or. XL. 654.

expectabo. Quin etiam in Gallia constat, Chlodoveum festo natali sacris undis purgatum fuisse, quod certis nostris in Annalibus argumentis patefecimus; ut nil sit cur legitimis Baptismi temporibus Pontifices Rom. Pascha Pentecostenque assignarint. Quibus sanè praxis Apostolorum præsidio non est, qui mox Competentes suos abluebant, ubi fidei suæ signa dederant. Neque satis mos Ecclesiæ R. aut cum honore qui Baptismo debetur, aut cum opinione de ipsius necessitate benè consentit. Exolevit itaque tandem ea, si Diis placet, Apostolica Traditio, tàm sacris Codicibus, quàm Justino Martyri prorsus ignorata. Exolevit institutio *miraculis* sancita; & meritò, si quid sit in nobis acumen ingenii.

Rupert. de Div. Off. l. IV. c. 18.

Qua de re gravissima sunt verba Ruperti: *Postquam Christianitas crevit, quia periculosum erat tantam multitudinem differre propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominum multa sunt, maximè propter turbam infantum ex Christianis parentibus succrescentium, quorum tenera vita persæpè levi occasione succiditur; visum est Sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentiâ baptisandi concessâ, imò oblatâ, cuncta antevenire pericula; Baptismi tamen solemnitatem, vel in paucis cum Dominica Resurrectione, cui similis est, celebrare.*

Unctio Neophytorum.

XXVI. Peteurrum onuc brevi Ceremonias quæ Competentium Baptismum exceperunt. Ac primùm occurrit Unctio, quæ seculo secundo ad exitum properante, Baptismo in ornamentum venit. Primus Unctionis hujus meminit

Tert. de Bapt. c. 7.

Tertullianus: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedictâ Unctione.* Unguento tamen necdum constrabat, si quid conjectura valet, sed oleo puro, quod ostendunt verba Tertulliani

Tert. in Marc. l. 1. c. 14.

adversus Marcionem: *Sed ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, quâ suos abluit; nec oleum, quo suos ungit.* Oleum audimus, non unguentum, quod perficiendis Neophytis deinceps invaluit. Vilius quippe oleum habuerunt pompæ splendorisque amatores, quod in preciosiorem liquorem mutarunt, cui μυρῦ, *Unguenti*, Chrismatisque nomen iodidere. Hinc

Dion. Eccl. Hier. c. 2.

scriptum Dionysio: Pontifex *cùm virum Unguento, quod maximè divinos efficit, insignivit, Eucharistiæ participem esse pronuntiat.* Id ipsum perhi-

Const. l. 3. c. 16.

bet Clemens: *Episcopus liniat Baptisatos unguento.* Extat & apud Ambrosium Unguenti mentio: *Ac-*

Ambr. de Sacr. l. 3. c. 1.

cipis autem mysterium, hoc est, Unguentum supra caput. Quâ ratione Uoctio administraretur, fusè Cyrillus docuit: *Ac primùm Chrisma quidem*

Cyr. Cat. Myst. 3.

fronti illinitur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat . . . . Deinde aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis. Posteà nares, ut divinum recipientes Unguentum ditatis, Christi gratus odor est Deo in his qui salvantur. Tum verò pectus etiam ungitur, ut induti thoracem justitia, fortiter adversus insultus Diaboli consistatis. Apud Alcuinum, Presbyter *facit signum Crucis de Chrismate cum pollice in vertice* Baptisati. Si adest Episcopus, Chrismate in fronte confirmatur.

Aliæ circa Neophytos Ceremoniæ.

XXVII. Antiquas adhùc Ceremonias in Tertulliano reperimus. Ubi sacrum fontem Baptisatus egressus erat, Sacerdotali χειροθεσίᾳ consecrabatur:

Tert. de Bapt. c. 8.

Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum. Lac & mel gustandum abluto præbebatur:

Tert. de Cor. c. 3.

Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus. Libroque primo adversus Marcio-

Tert. adv. Marc. l. 1. c. 14.

nem: *Ille usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, nec mellis ac lactis societatem, quâ suas infantat.* Ceremoniæ meminit & Hieronymus

Hier. adv. Lucif. c. 4.

ex Traditione docente egressos lavacro, *lactis ac mellis gustare concordiam, ad infantiæ significationem.* Vinum etiam propinari Baptisatis te-

Hier Com. in Es. c. LV. p. 179.

statur Hieronymus: *Non solùm vinum emamus, sed & lac quod significat innocentiam parvulorum, qui mos ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur.* Eò processit & veneratio Baptismi ut abluti septiduo balneis abstinerent. Testis Ter-

Tert. de Cor. c. 3.

tullianus: *Ex ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.* Quin etiam renatis pe-

Cart. IV. c. 86.

culiaris temperantia injungebatur: *Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis & spectaculis, vel conjugibus abstineant.* Sed & in Africa moris erat, osculum Baptisatis porrigere. Hinc Fidus Africæ Episcopus, censebat *intra octavum diem* infantes non esse Regenerationis Sacramento donandos, quia oscula eis præbenda erant. Cui Cyprianus sic respondet: *Nam & quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constitutum, mundum non esse dixisti, quòd unusquisque nostrûm adhùc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cælestem gratiam dandam impedimento esse oportere.* Nec verò infantes suis sordibus perfusos oblitosque osculari tædio esset, eleganter subjungit

Cypr. Ep. 59.

Cyprianus: *In osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione, ipsas adhuc recentes Dei manus debet cogitare, quas in homine modò formato, & recens nato quodam modo exosculamur.*

Vestis candida Neophytorum.

XXVIII. Ad immensum aliarum super alias accervatarum ceremoniarum cumulum accessit Vestis candida, quâ Baptisati induebantur; imago sanctitatis quâ involvimur in Baptismo. Quem ad ritum Hieronymus allusum ivit,

Hier. Ep. 57.

scribens Damaso: *Mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc mea anima postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.* Apparet & illud mo-

Dion. Eccl. Hier. c. 2.

ris in Dionysio. Sacerdotes ubi regenitum *Veste eo dignâ induerunt, rursus ducunt ad Pontificem,* ut Unguento perfunderetur. Ritum innuit &

Arnob. Com. in Psal. c. IV. p. 196.

Arnobius: *Eduxit Populum suum in exultatione, in alleluia, in albis Vestibus, & Electos suos in lætitia.* Zeno Veronensis testis etiam est consue-

Zeno ad Neoph. Serm 5.

tudinis hujus: *Primus vos qui in se credentem reprobat nullum, non aries, sed agnus excepit, qui vestram nuditatem velleris sui niveo candore vestivit.* Consuetudini obedientem se effecit Con-

Eus. Vit. Const. l. IV. c. 62.

stantinus M. *Postquam omnia ritè impleta sunt; candidis ac regiis Vestibus lucis instar radiantibus est amictus, & candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit.* Aliud ex Pal-

Pall Dial. p. 86.

ladio accedat exemplum: *Egressus Imperator vidit agrum circa Pemptum, non confusum & candentem, & stupefactus aspectu caloris nuper Baptisatorum, erant enim ad tria fermè millia, satellites rogat, Quinam esset illic congregatorum cœtus.* Porro octiduum à Baptismo tantâ religione celebrabant, ut crimioi daretur nudo tellus pede tangere. Hinc Augustini ad Januarium ex-

August. Ep. 119.

postulatio, quòd *gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit.* Nudo quoque capite incedere solebant, eo ritu libertatem professi suam octavo post Baptismum die. Quò pertinent verba Augustini sermone quarto in Dominica Octavarum Paschæ: *Hodie octava dicuntur infantium, revelanda sunt capita eorum, quod*

est

est indicium libertatis. Baptismi Ceremonias Nazianzenus nonnullas memorat, quas verbis Auctoris subjiciemus: *Statio hæc, quâ confestim à Baptismo ante magnum sacrarium stabis, futuræ vitæ gloriam significat. Psalmorum cantillatio cum qua acciperis, illius hymnodiæ præludium est. Lampades quas accendes, illius luminum gestationis figuram gerunt, cum qua splendidæ & virgines animæ splendidis fidei lampadibus, Christo sponso obviam ibimus.* Moris quoque fuit alicubi pedes lavare Neophytis. Cujus Ceremoniæ extant in Ambrosio vestigia: *Ascendisti de fonte, quid secutum est? ... Succinctus est Sacerdos. Licet enim & Presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii à summo est Sacerdote. Succinctus, inquam, Summus Sacerdos, pedes tibi lavit.* Cæterùm cùm rituum quos memoravimus, pars magna evanuerit diffluxeritque, licet speciosa & Traditionis Apostolicæ, & Antiquitatis titulo donaretur, causæ nil est quamobrem retentæ etiamnum ceremoniæ tandem non aboleantur, nisi earum fautores more tyrannorum imperando pro ratione voluntatem nobis suam obtrudant. Ad Sacramenta quidem, quæ ex institutione Christi nata sunt, illa pertinere non possunt, quæ humanitùs inventa & excogitata fuere.

Naz. Or. xl. 672.

Ambr. de Sacr. l. 3. c. 1.

INDEX DISSERTATIONUM

Illustrandæ Antiquitatis ergò annexarum Secundo Tomo.

ANNA-

ANNALES
POLITICO-ECCLESIASTICI

Annorum DCXLV. à Cæsare Augusto ad Phocam usque.

In quibus res Imperii Ecclesiæque observatu digniores subjiciuntur oculis, erroresque evelluntur Baronio.

SECULUM QUARTUM.

ANNO DOM. 301. | ANNO U.C. 1054. OLYMP. 270. PER. JUL. 5014. JULIANO 346. DOM. 301. DIOCLETIANI 18. MAXIMIANI 16. *Sol.* 2. E. *Lunæ* 17. *Indict.* 4. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 3. *P.* 13. *April.* | ANNO DOM. 301.

COSS. *Titianus* II. *& Nepotianus*. *Ælius Titianus*. *P. U.*

Felicitatis Christianæ mutatio.

I. Iocletiani rebus Deus ridebat vultu sereno. Britanniæ per decennium ab Imperio avulsæ receptæ erant. Motæ ab Achilleo seditiones cum Autore suo opprimebantur, Alemanni, qui in Galliam exundarant, deleti fuerant. Carporum gens universa Romanis se tradiderat: Marcomannis clades immissa erat. Persæ turpiter debellati, uxorem Regis sui Narsei, sorores liberosque captos noverant triumpho destinari: summâ denique Diocletianus felicitate *regnavit, quamdiu manus suas justorum sanguine non inquinaret*. Diocletianei felicitatem imperii testatur & Mamertinus, in Genethliaco sub finem: *Reverà sacratissime Imperator, scimus omnes antequam vos salutem Republica redderetis, quanta frugum inopia, quanta funerum copia fuit, fame passim, morbisque grassantibus. Ut verò lucem gentibus extulistis, exinde salutares Spiritus jugiter manant, nullus ager fallit agricolam.* Floruerant hactenus etiam res Christianorum. Dei servis implebatur aula. Clericorum, militum quoque cruori parcebat Ethnicus furor. Verùm gaudia hæc nostra mœrore mutari cœperunt. Diocletiani mandatis primus hujus seculi annus militari vexationi consecratur, quæ majorum fuere certaminum prælusia. Fatalia igitur tempora ingredimur, in quibus Edicta cruentis & mucronibus, & calamis scripta fuere. Ingens tamen tot cædium hoc nobis solatium est, Confessorum fortitudo, gloria Martyrum, triumphus Ecclesiæ, quam è fluctibus persecutionis emergere videbimus, exitus denique grassantium Principum miserabilis, quorum diræ mortes tutam à ferro, flammisque persecutorum Religionem reddere debuissent, ne Christo suorum vindici pœnas ob similia flagitia similes darent.

Christianæ militiæ vexatio, & de diversis ejus initiis.

II. Ad hunc annum in Eusebiano Chronico Latinè legitur: *Veturius Magister militia Christianos milites persequitur, paulatim ex illo tempore persecutione adversum nos incipiente.* Quam de militum persecutione Chronologiam omnibus anteponimus. Biennio quidem anteriorem Editio Pontacena, triennio Prosperi Chronicum statuit. At longius progressus Baronius, militum Thebæorum martyrium anno CCXCVII. alligat: Pagius verò militaris persecutionis initia ab anno CCXCVIII. removenda non esse arbitratur, in quem & Eborense Martyrologium Marcelli martyrium militis retulit. Paganæ Chronologiæ Quindecennalia præsidio sunt. Nos verò nullam Quindecennalium rationem hîc habendam esse existimamus. Quam nec habuerunt variæ Eusebii Editiones, Pontacena, atque Scaligerana. Quippe ex re nata orta est militaris illa persecutio, Tage Aruspicum Magistro dicente: *Idcircò non respondere sacra, quòd rebus divinis profani homines interessent.* Quindecennalia verò Augustorum indicendo Dæmonibus silentio necessaria non erant. Præterea spatii non multum fuit generalem persecutionem inter & vexationis initia, ut ex Lactantio colligitur: *Interjecto aliquanto tempore Diocletianus in Bithyniam hyematum venit.* Quòd si persecutio militaris anno CCXCVIII. incepit, sexennio generali persecutioni antecessisset, quod est creditu difficillimum. Denique generalis militum vexatio non prius incepit, quàm bellis exhaustis pax in Imperio componeretur. Anno autem CCXCIX. bellum Marcomannicum ingruebat. Neque in Breviario Eborensi virium aliquid esse petamus, ut cum eo Marcelli militis mortem in Fausti & Severi Galli Consulatum, hoc est, in annum CCXCVIII. conferamus, cùm Marcelli in Actis Consules desiderentur. Nil igitur rationis est, cur ab Hieronymi Chronologia divel-

Lact. de Mort. cap. 10.

divellamur. Cæterùm distinctione quâdam fortè Chronologorum lites sopiri possunt. Quippe persecutio militaris *generalis* fuit, vel *particularis*, quæ distinctio ex Eusebio petitur: *Galerius*, inquit, *diù ante reliquos Imperatores Christianos qui in exercitu militabant, ac præsertim eos qui in palatio suo versabantur, per vim abducere à religione sua conatus est, & alios quidem ab honore militia removit, alios verò omni contumeliæ genere affecit, quosdam etiam morte mulctavit.* Itaque ab anno CCXCVIII. particularis militum vexatio incipere potuit. Ab anno verò CCCI. generalis exorsa est.

Euseb. l. 8. pag. 259.

Causæ persecutionis militum.

III. Militaris vexationis causam Lactantius ab oblivione vindicavit: *Cùm ageret in partibus Orientis* Diocletianus, *ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus earum ventura quærebat. Tum quidam Ministrorum scientes Dominum, cùm assisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto, fugatis Dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant Aruspices, nec solitas in extis notas videbant, & quasi non litassent, sæpius immolabant. Verùm identidem mactata hostia nihil ostendebant, donec Magister ille Aruspicum Tagis, seu suspicione, seu visu, ait, idcircò non respondere sacra, quòd rebus divinis profani homines interessent. Tunc irâ furens, sacrificare non eos tantùm, qui sacris ministrabant, sed universos, qui erant in palatio jussit, & in eos si detrectassent, verberibus animadverti: datisque ad Præpositos literis, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, ut qui non paruissent, militiâ solverentur. Hactenus furor ejus, & ira processit; nec amplius quidquam contra legem, aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquanto tempore, in Bithyniam venit hyematum.* Adjungamus & Eusebii verba de Militum persecutione, cui multum lucis fœnerant: *Postquam Dux Romani exercitus, nescio quis, Christianos milites persequi aggressus est.* Veturium fuisse putamus, ut auditum ex Hieronymo: *Eos qui in exercitu merebant, lustrare cœpisset, ac recensere, & Christianis liberam eligendi potestatem fecisset, ut vel Imperatorum jussis obtemperantes, honoris sui gradum retinerent, vel si parere nollent, honore militia nudarentur: complures regni J. Christi milites, numinis illius confessionem, seculari gloria ac felicitati quâ fruebantur, absque ulla cunctatione pratulerunt, ex quibus pauci admodum non modò dignitatem, verùm etiam vitam amittere pro defensione pietatis sustinuerunt, cùm is qui religioni nostra struebat insidias, parcè adhuc, & rarò sanguinem quorumdam fundere auderet.* Paucorum ille militum cruor anno insequente fundi cœpit.

Lact. de Mort. cap. 10.

Euseb. l. 8. cap. 4.

De Thebææ legionis martyrio.

IV. Lactantium, Eusebiumque, persecutionis spectatores, testes quoque constituimus, eorumque suffragio Acta Martyrum multa repellimus, quæ obtruduntur ab eruditis. Celebrantur in Martyrologiis milites *Thebæi*: neque Romanorum in exercitibus *Thebæas* legiones ignoramus, de quibus Marcellinus l. XIV. capite II. *Comperit Thebæas Legiones in vicinis oppidis hyemantes.* Harum porro Legionum unam, quæ tota Christianorum erat, in auxilium Maximiano ab Orienti partibus accitam venisse fertur. Legio autem *sex millia ac sexcentos viros in armis habebat*, quos omnes fidei causâ immolatos esse tradunt. Eorum Natale Septembris XXII. illigatur: *Sedani in Gallia, in loco Agauno, natalis Sanctorum Martyrum Thebæorum, Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, & Vitalis, cum sociis ejusdem legionis, qui sub Maximiano pro Christo necati, gloriosâ passione mundum illustrarunt.* Acta passionis ex Surio Baronius exhibuit in Annalibus, anno 297. Sincera tamen non esse eruditi fatentur, & res ipsa clamat: *Diocletianus* (Actorum verba sunt) *Maximianum Cæsarem fecit, eumque contra Amandum & Ælianum ad Gallias destinavit. . . . Et ad supplementum exercitus, Legionem Thebæam, ex Orientalibus militibus ire præcepit. . . . Ad urbem Romam itinere attingentes, eandem fidem quam acceperant, apud B. Marcellinum R. Urbis Pontificem confirmaverunt.* Hæc autem Chronologiæ pugnant. Bagaudarum enim seditio anno CCLXXXV. coorta, diu extincta antè fuit, quàm Marcellinus Romanum Episcopatum capesseret. Cæsarem adhùc fuisse Maximianum Acta profitentur, cùm in Bagaudas missus est. Jam verò Augusteos honores adeptus erat, Caio sedente. Non ergo Surii, non Mombritii quoque Thebæorum Acta militum se viris cordatis probabant. At desiderata diu Acta tandem reperit Petrus Franciscus Chiffletius in antiquo Monasterio Jurensi, quæ Pagius, Ruinartus aliique eruditi germana esse & sincera arbitrantur: Eucherio Lugdunensi Acta hæc ascribuntur. Cùm autem Eucherii duo fuerint, quorum unus anno circiter 444. floruit, alter verò vixit anno 529. posterioris potius Eucherii Acta esse existimamus, quia eo seculo Thebæorum militum fama, martyriumque inclaruit, à Venantio Fortunato carminibus celebratum. Agaunum, hodie *fanum S. Mauritii*, sic in Actis Eucherianis describitur: *Acaunus LX. millibus à Genavensi urbe abest, quatuordecim verò millibus distat à capite Lemani Lacus, quem influit Rhodanus. Locus ipse jam inter Alpina juga in valle situs est, ad quem pergentibus difficili transitu asperum atque arctum iter panditur. . . . In hoc Legio Sancta consederat.*

Bar. 297. n. 4.

Acta Agaunensium Martyrum.

V. Ex Actis hæc suppeditamus: *Sub Maximiano, qui Romana Resp. cum Diocletiano collega imperium tenuit, per diversas ferè Provincias laniati aut interfecti sunt Martyrum populi. . . . Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur. . . . Itaque cùm Thebæi, sicut & cæteri militum, ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque hujusmodi præceptis se obtemperaturos negant. Maximianus non longè aberat, nam se circa Octodurum itinere fessus tenebat. Cognito Thebæorum responso, præcipiti irâ fervidus, ob neglecta imperia, decimum quemque ex eadem legione gladio feriri jubet. Redintegratisque mandatis edicit, ut reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. Ubi cognitum ab eis est, injungi sibi rursum executiones profanas, vociferatio passim, & tumultus in castris exoritur, affirmantium, nunquam se ullis in hæc tam sacrilega ministeria cessuros. His compertis, Maximianus imperat, ut iterum decimus eorum morti detur. Segregatus est atque percussus, qui decimus forte obvenerat. Reliqua verò se militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam præclaro opere persisterent. Incitamentum tamen maximum fidei penes S. Mauritium fuit, primicerium tunc, sicut traditur, Legionis ejus, qui cum Exuperio, ut in exercitu appellant,*

Ruin. Act. 290.

Cam-

Campiductore, & Candido Senatore, militum accendebat fidem. His Primoribus suis animati, Maximiano mandata mittunt, Christianos nos fatemur, persequi Christianos non possumus. Cùm hac talia Maximianus audisset, unâ sententiâ interfici omnes decrevit. Ipsi tanquam grex Dominicarum ovium, laniari se tanquam ab irruentibus lupis passi sunt. Sic interfecta est illa planè Angelica legio. Victor autem emerita jam militia veteranus, cùm iter agens subitò incidisset, in hos qui passim epulabantur, lati Martyrum spoliis, atque ab his ad convescendum invitatus prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognovisset, ac detestatus convivas, detestatusque convivium refugiebat. Requirentibusque ne & ipse forsan Christianus esset, Christianum se esse, & semper futurum esse respondit, ac statim ab irruentibus interfectus, caterisque Martyribus in eodem loco, sicut morte ita etiam honore conjunctus est. Ea tot Martyribus, Mauritii, Exuperii, Candidi, atque Victoris comperta sunt nomina, *catera verò nobis quidem incognita*, inquit Eucherius. Feliciori sorte usua Ado, duo adhùc Martyrum nomina è tenebris eruit, *Innocentium & Vitalem*, qui & sedem invenerunt Romano in Martyrologio, jure an injuriâ edisserant æqui rerum existimatores. Est enim creditu difficillimum, quæ Agaunensium Martyrum nomina Eucherium latuere, posterorum, Adonisque in notitiam venisse. Porro celebritatis multum seculis insequentibus Thebæi Martyres habuere. Anno DXV. à Sigismundo Principe Acaunense Monasterium extructum est, cui sacræ Christi militum exuviæ illatæ feruntur. Sed & corpus defuncti ibi conditum est, ut ex tot Sanctorum consortio auxilii aliquid nancisceretur.

Subditum est Legionis Thebææ martyrium.

VI. Rem quod attinet, Mauritio, Exuperio, Candido, Victori martyrii quidem lauream non invidemus, cùm cruentis edictis Diocletiani compluribus de militum grege lucem ereptam fuisse non ignoremus. Quòd verò tota legio & Christianis constiterit, & Martyribus, ut ex sex millibus atque sexcentis militibus nullus pusillanimus fuerit, omnesque intrepidè sanguinem pro Christo fuderint, vix habet fidem. Multos Maximiani Diocletianique in exercitu Christianos militasse scimus, at variis in legionibus dispersos, non verò in una legione collocatos. Neque probabilem adhùc causam invenimus, cur sex mille sexcentique Christiani uni eidemque legioni includerentur. Dubitationem adjuvat, quòd de tanto numero ne vel unus quidem à certamine sese segregarit. Pro fide ad ultimum usque spiritum omnes pugnavere; cùm in duodenario Apostolorum collegio unus tamen Judas proditor extiterit. In cœtu quolibet electos cum reprobis videmus permixtos, neque Christo moris est, prædestinatos suos quasi prehensâ manu in unam societatem, nullo pravorum consortio adulteratam, cogere. Angelicæ quoque legionis martyrio fidem detrahit Veterum silentium. De prodigiosa hac laniena nulla in Lactantio, nulla in Eusebio, nulla in Sulpitio Severo, nulla in Orosio, nulla in Prudentio, qui celebriora martyria cecinit, memoria est. Atqui omnia præterire debuissent, ne tam admirandum martyrium præterirent. Hæc sunt probabilia argumenta, quibus certissimum unum adjungimus, quòd nempe Agaunensium Martyrum passio hæc adversetur Historiæ. Martyrii tempus quærimus. Optimus ille Chronologus Antonius Pagius fluctuat animo, ac de tempore, incertus est: *Mauritii*, inquit, *& sociorum martyrium ante universalem persecutionem à Diocletiano Anno CCCIII. non contigit, si Octodurum, circa quam urbem tum Herculius versabatur, & Aganuum, in quo S. Martyres occisi, ejusdem Herculii Imperio subjacebant, ut valde vero simile. Quòd si utrumque oppidum Constantio paruerit, cùm intra fines antiqua Gallia continerentur, non dubium quin illud martyrium ad annum CCLXXXV. quo Bagauda ab Herculio in Gallia deleti sunt, pertineat.* Sic vir ille temporum peritissimus nescit quò se vertat. Nos verò apertè demonstramus, neque ante generalem persecutionem anno CCCIII. commotam, neque in illa peculiari militum persecutione Agaunensium contigisse martyrium: proindeque falso rumori, ut Icarium *Simonis* Magi volatum, fulminatricis legionis miraculum, aliaque multa ejusmodi esse vindicandum. Primùm Thebæorum passio militum, neque eo tempore, quo *Bagaudas* Maximianus debellabat, neque ante annum CCCIII. quo feralia Diocletiani edicta promulgata sunt, contigere potuit. Testem audiamus Eusebium: *Diabolus post illud temporis intervallum, quod persecutionem Decii ac Valeriani subsecutum est, clam adhùc & occultè insidiabatur Ecclesia, nec simul & confertim nobis bellum inferebat, sed eos duntaxat qui in exercitu militabant, utpote periculum ipsorum facturus appetebat.... Ex quibus pauci admodum non modò dignitatem, verùm etiam vitam amittere pro defensione pietatis sustinuerunt.* Hem *pauci* admodum! imò multi periere, si tota legio sex mille & sexcentis Christianis constans, uno veluti ictu absumpta fuit. Est etiam incredibile, Maximianum, qui Diocletiano se semper fidelem, & morigerum præbuit, eo invito, tantam militum Christianorum stragem edidisse. Cruentis quidem Galerii consiliis obstitisse Diocletianum, docet Lactantius: *Diu senex furori ejus repugnavit, ostendens quàm perniciosum esset inquietari orbem terra, fundi sanguinem multorum. Satis esse, si Palatinos tantùm ac milites ab ea religione prohiberet.* Quid opus argumentis, cùm in generali persecutione milites decubuisse, Eucherius ipse, Venantiusque testentur: *Cùm Thebai, sicut & cateri militum, ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt.* Hoccine injunctum militibus ante generalem persecutionem? Actis Eucherianis consentit & Venantius Fortunatus:

Euseb. l. 8. cap. 4.

Pag. Crit. An. 297. n. 2.

Lact. de Mort cap. 11.

Turbine sub mundi cùm persequerentur iniqui,
Christicolasque daret sæva procella neci,
Frigore depulso, succendens corda, peregit,
Rupibus in gelidis fervida bella fides.

Hæc de Sanctis Agaunensibus cecinit Venantius, Carminum lib. 2. c. 15. In generali verò persecutione Thebæam legionem non periisse, certum exploratumque est. Quippe Christiano cruore manus suas non infecisse Constantium, Lactantius atque Eusebius scripto prodidere: *Constantius ne dissentire à majorum praceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei Templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* Atqui Agaunum & Octodurum Constantii ditionis erant, utpote Galliis inclusæ: Plinius. l. 4. c. 17. *Agrippa universarum Galliarum, inter Rhenum & Pyrenaum atque Oceanum, & mon-*

Lact. de Mort.

Anno Dom. 301.

tes Gebennam, & Juram . . . longitudinem CCCCXX. *M. passuum latitudinem* CCCXIII. *computavit.* Nil verbis Victoris disertius: *Cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt Constantio commissa.* Trans Alpes verò Agaunum, & Octodurum. Denique in eas urbes post divisum imperium Maximiani potentia non extendebatur, cui forte obtigerant *Africa Italiaque.* Quis verò gentium Agaunum & Octodurum, hodie *Martignj* in Italia collocavit? De ejus longitudine Plinius: *Patet longitudine ab Alpino fine Prætoria Augusta per urbem*, &c. Nulla trans Alpes Italia. Cùm igitur neque ante generalem persecutionem, neque in ea Agaunenses occidi Martyres potuerint, pace Eucherii, ac Venantii hanc traditionem nullo loco habemus, neque æquum esse putamus, Lactantio atque Eusebio Autores opponi, qui sexto demum seculo floruere, diu post extinctam Diocletiani persecutionem.

Vict. de Coss.

Plin. l. 3. cap. 5.

Anno Dom. 302.

ANNO U. C. 1055. PER. JUL. 5015. JUL. 347. DOM. 302. DIOCLETIANI 19. MAXIMIANI 17. *Sol.* 3. D. *Lun.* 18. *Indict.* 5. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 4. P. 5. *April.*

COSS. Constantius Cæsar IV. & Galerius Maximianus IV.

Nummius Tuscus Præfectus Urbis.

Corruptio Ecclesiæ.

I. ECclesia quæ diu benignis Imperatoribus usa fuerat, in portu navigare videbatur. Nominetenus noscebantur persecutiones. Passim & ubique Religio gloriam amplificabat suam, cujus sectatores Principibus amori erant, Eusebio teste: *Argumento esse possit Imperatorum benignitas erga nostros, quibus regendas etiam Provincias committebant, omni sacrificandi metu eos liberantes, ob singularem, quâ in religionem nostram affecti erant, benevolentiam. Quid opus est dicere de iis, qui in Imperatorum palatiis versabantur? Quid de Imperatoribus ipsis? Qui domesticis suis, eorumque uxoribus, liberis ac servis, ea quæ religionis suæ erant tam verbis, quàm factis, liberè exequendi coram se ipsis potestatem dederunt. Eosque præ cæteris omnibus Ministris, præcipuo quodam amore complectebantur.* Ecclesiarum Antistitibus tam à privatis, quàm à Provinciarum Rectoribus honos benevolentiaque exhibebatur. Quotidie infinitus hominum numerus ad fidei disciplinam erudiebatur. Quo factum, ut priscis ædificiis non contenti Christicolæ, *in singulis urbibus, spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias.* Ea tamen otia, quæ populo suo Deus fecerat, deinde vitio morum bello cruento mutantur. Audiamus iterum Eusebium, qui degenerem pietatem narrare meminit: *Cùm ex nimia libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus, cùm alter alteri invidere atque obtrectare cœpisset; cùm inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tamquam armis quibusdam, hastisque nos mutuò vulnerantes; cùm Antistites adversùs Antistites, populi in populos collisi jurgia ac tumultus agitarent; denique cùm fraus & simulatio ad summum malitiæ culmen adolevisset, tum divina ultio levi brachio, ut solet, integro adhuc Ecclesiæ statu, & Fidelium turbis liberè convenientibus, sensim & moderatè in nos cœpit animadvertere, orsâ primùm persecutione, ab iis qui militabant.* Hoc veluti classico ad resipiscentiam Fideles vocabantur: contrà verò sensu omni destituti, de placando Dei numine ne cogitarunt quidem, quin potius crimina criminibus adjecerunt. Pastores qui gregibus suis exemplo esse debebant, mutuis inter se contentionibus decertarunt, inimicitias amplificarunt, Episcopatum in tyrannidem mutarunt. Mira hic est Baronii incredulitas, qui Eusebio oculato testi fidem abrogat, ex oraculo Apollinis de Christianorum probitate reddito, cujus meminit Constantinus. Quasi verò vel in ea morum corruptione Christiani justi dici non potuerint, vel comparatione ad Ethnicos institutâ, vel religionis suæ respectu, quæ norma est justitiæ, vel ratione habitâ Sanctorum complurium, qui depravatis vel cœtibus includebantur. Prophetarum orationem stilumque imitatus est Eusebius. De Apollinis oraculo mox videbimus.

Euseb. l. 8. cap. 1.

Anno Dom. 302.

Baron. An 302. 9.

Galerii de persecutione movenda consilium.

II. Anno superiore Diocletianus in Bithyniam venerat hyematum, quo loco coguntur nubes, quibus anno insequente ruptis fulmen exarsit, ignem habuit, & ad omnia imperii loca, Galliis exceptis, delatum est. Rem sic exequitur Lactantius: *Nicomediam tum Maximianus quoque Cæsar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc causam fuisse cognovi. Erat mater ejus Deorum montium cultrix: quæ cùm esset mulier admodum superstitiosa, sacrificabat penè quotidie, ac vicanos suis epulis exhibebat.* Sic suo restituenda ordini Lactantii verba putamus, quam à Clarissimo Grævio emendationem hausimus: *Christiani abstinebant & illâ cum Gentibus epulante, jejuniis his, & orationibus insistebant. Hinc concepit odium adversus eos, ac filium suum non minus superstitiosum, querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter se per totam hyemem consilio, cùm nemo admitteretur, & omnes de summo statu Reipublicæ tractari arbitrarentur, diu senex furori ejus* (Galerii scilicet) *repugnavit, ostendens quàm perniciosum esset inquietari orbem terræ; fundi sanguinem multorum; illos libenter mori solere. Satis esse, si Palatinos tantum, ac milites ab ea religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit præcipitis hominis insaniam. Placuit ergo amicorum sententiam experiri. Nam erat hujus malitiæ. Cùm bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur. Cùm autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat, ut aliorum culpæ ascriberet, quidquid ipse deliquerat. Admissi ergo Judices pauci, & pauci militares; ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversus Christianos odio, inimicos Deorum & hostes Religionum publicè tollendos censuerunt, & qui aliter sentiebant, intellectâ hominis voluntate, vel timentes, vel gratificari volentes, in eandem sententiam congruerunt. Nec sic quidem flexus est Imperator, ut accommodaret assensum, sed Deos potissimum consulere statuit, misitque Aruspicem ad Apollinem Milesium. Respondit ille, ut divinæ Religionis inimicus. Traductus est itaque à proposito. Et quoniam nec amicis, nec Cæsari, nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus est, ut eam rem sine sanguine transigi juberet, cùm Cæsar vivos cremari vellet, qui sacrificio repugnassent. Inquiritur peragenda rei dies aptus & felix, ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus imponeretur*

Lact. de Mort. cap. 11.

ANNO DOM. 302.

vetur huic religioni. Itaque vix fidem habuimus oculis, dum in Scaligeri Animadversionibus Eusebianis p. 248. legimus: *Neque Galerius Maximianus Armentarius Christianos unquam persecutus fuit*, quod stupendum viri magni παρόραμα refellunt Lactantius, atque Eusebius.

Apollinis Milesii de Christianis oraculum.

Euseb. de Vit. Const. l. 2. c. 51.

III. De Diocletianea ad Apollinem legatione mentionem Constantinus fecit Augustus: *Apollinem tunc temporis ex antro, & tenebroso quodam specu, non ex hominis ore oraculum edidisse ferebatur, quo justos viros in terris degentes obstare sibi ajebat, quo minus vera prædiceret. Te nunc testem appello, Deus altissime. Scis qualiter ego tunc temporis admodum adolescens, illum qui inter Imperatores R. potiorem locum tunc obtinebat, miserum profectò, miserum falso mentis errore deceptum, ex protectoribus suis curiosè sciscitantem audivi, Quinam illi essent justi, in terris degentes, & quendam ex Sacrificulis, qui circa illum erant, respondisse, Eos esse Christianos. Ille responso hominis, quasi melle avidè absorpto, gladios ad punienda crimina paratos, adversus sanctitatem omni reprehensione vacuam distrinxit. Statim igitur sanguinolenta edicta cruentis, ut ita dixerim, mucronibus scripsit.* Quæ Constantini verba nostra eruces animo figunt, cùm adversentur Lactantio: *Respondit Apollo, ut divinæ religionis inimicus.* Non ergo *justorum* titulis Christianos affecit, quo vocabulo ipsis honorem habuisset. Neque in ea laude virium aliquid fuit, inflammando Diocletiani furori, quod tamen factum asserit Constantinus. Quantum augurati conjecturâ possumus, Christianos *impios* dixit Apollo, quomodo & Diocletiano sacrificanti Magister ille Aruspicum Tagis hæc locutus: *Non respondere sacra, quòd sebm divinis profani homines interessent.* At decoris causâ re ipsâ retentâ verbum *impios* in *justos* mutavit Constantinus, quia illi verè justi sunt & sancti, qui Dæmoni, virtutis ac pietatis omnis osori, pro impiis habentur, atque profanis. Porro Apollinis Milesii oraculum Ethnicis celeberrimum fuit: *Oraculum Apollinis dictum olim Branchidæ, nunc Didymi.* Hujus & oraculi Statius meminit Papinianus:

Mel. l. 1. cap. 17.

Thebaid. 5.

Nec Clarias hâc luce fores, Didymiaque quisquam,
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.

Seleucum justitiâ & pietate Reges omnes antecelluisse, Pausanias credidit: *Quippe qui Apollinem æneum Milesiis à Xerxe ademptum, & Ecbatana asportatum, in Branchidas reportandum curavit.* Apollinem quoque Milesium Crœsus consuluit, dum adversus Cyrum bellum meditabatur: *Erat oraculum pervetustum, quo Æoles Ionesque communiter uti consueverant.* Christiano sanguine sibi litandum Apollo ille Milesius jubet extinguendæ Religioni, quâ Numinum cultus prohibetur.

Pauf. l. 1. 28.

Herodot. Clio c. 157.

ANNO DOM. 303.

ANNO U. C. 1056. PER. JUL. 5016. JUL. 348. DOM. 303. DIOCLETIANI 20. MAXIMIANI 18. *Persec.* 1. *Sol.* 4. C. *Lun.* 19. *Indict.* 6. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *April.*

COSS. Diocletianus VIII. & Maximianus Herculius VII.

Junius Tiberianus Præfectus Urbis.

Eugenii in Diocletianum rebellio.

I. SEditionis aliquid in Diocletianum movetur, dum ipse contra jus & fas Christo bellum infert: *Alii in Melitina Armeniæ regione, alii in Syria imperium arripere conati sunt.* Rebellionis Antiochenæ summa hæc est ex Libanio. Erat quidam Tribunus Seleuciæ, nomine *Eugenius*, qui militibus quingentis Præpositum agebat. Quibus id operis injunctum erat, ut os portus, aditumque excavarent. Milites qui diu noctuque sine intermissione laborabant, ægrè id ferentes Præpositum suum ad imperium capessendum compellant, mortem minantes, nisi rogantibus assensum præberet. Hoc modo purpurâ ex simulacro Dei cujuspiam abreptâ, Imperator salutatur. Mox Antiochiam, quæ tum præsidio militum vacua erat, ratus si eam sibi adjungere posset, plurimùm inceptis profuturam subitò tendit, eamque circa occasum solis occupat. At milites solitâ per totum iter lasciviâ usi, agros vastaverant, vinoque ac epulis sese ingurgitaverant. Quo comperto, Antiochenses paucitatem militum ebrietatemque despectui habentes, lapidibus ac ejusmodi telis ipsis mulieribus adjuvantibus, tam tyrannum in palatium tendentem, quàm milites omnes interfecerunt, ita ut circa primam vigiliam nemo ex ipsis superasset. At Imperator qui multam Antiochensibus gratiam habere debuisset, in Antiochensis & Seleucensis ordinis Principes gladio animadvertit, cùm nec hi, nec illi quicquam commeruissent, inter quos & avus Libanii, formâ conspicuus, & proceritate corporis est interemptus. Tum *promulgatur Imperatorum edictum, ut omnes ubique Ecclesiarum Antistites vincti in carcerem truderentur.*

ANNO DOM. 303.

Euseb. l. 8. cap. 6.

Valef. in Euseb. An. pag. 247.

Euseb. l. 8. cap. 6.

II. Proposito persecutionis edicto, sceleréque perpetrato, Diocletianus cùm jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad XII. Kalendas Decembres. Quo tempore triumphum & inclytum ex numerosis gentibus egit, *Pompa ferculorum illustri, quâ Narses conjux, sororesque & liberi ante currum ducti sunt.* Itaque erravit Valesius, cui improbabile visum, *Diocletianum hyberno tempore triumphasse.* Qua de re non est ambigendum. Solemnibus celebratis, *cùm libertatem populi R. ferre non poterat, impatiens & æger animi, prorupit ex urbe, impendentibus Kal. Januariis, quibus illi nonus Consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius, quàm Ravennæ procederet Consul.*

Diocletianus celebrandis Vicennalibus Romam petit.

Eutrop. lib. 9.

Valef. Ann. in Euseb. pag. 151.

Lact. de Mort. cap. 17.

III. Fatalem horrendæ persecutionis annum ingredimur, non atramento, sed sanguine in Annalibus consignandum:

De anno persecutionis.

Quis talia fando,
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulyssi,
Temperet à lachrymis.

Antequam verò narraverimus, Ecclesias ut everterint edicta Diocletiani, nostra de initio generalis persecutionis Chronologia primùm est constituenda ob varias eruditorum sententias, & ut apertius loquamur, aberrationes. Scaliger enim de Emend. Temp. l. v. p. 498. Annum Christi CCCV. assignat persecutioni, fretus verbis Eusebii: *Mense Dystro, quem Romani Martium vocant, appetente die Festo Dominicæ passionis, proposuerunt ubique imperialia edicta*, &c. Negari quidem non potest, anno CCCI. Pascha in primum Aprilis incidisse, sed gravis error est Eusebii, anno persecutionis Diocletianeæ primo, sanctam hebdomadam sibi Martium vindicasse. Quod σφάλμα ipse in alio loco

Euseb. l. 8. cap. 2.

 emen-

Petav. Rat. p. 2. l. 4. c. 10.

emendat. Baronius, Petavius, Labbæus Conciliorum Collectione maximâ t. I. p. 937. persecutionis edictum cum anno CCCII. copularunt. Cui sententiæ unum ex Cirtensi Synodo solumque præsidium est: *Conciliabulum Cirtense à Donatistis coactum est, præsidente Secundo Tigisitano Episcopo, post annum quàm commota persecutio est, ut scribit Augustinus. At idem celebratum est IV. Nonas Martii Diocletiano octies & Maximiano septies Coss. ut acta illius fidem faciunt.* Tantâ exultans demonstratione Petavius, *Igitur antecedente anno*, inquit, *cœpta persecutio est. Hæc pro certissimis habenda.* Non diffitemur quidem hæc in Actis Cirtensibus legi: *Diocletiano octies, & Maximiano septies Coss. quarto Nonas Martii, Cirta, cum Secundus Episcopus Tigisitanus prima Cathedra consedisset in domo Urbani Donati.* Certum est autem, Conciliabulum inter & decretum persecutionis annum saltem intercessisse. Itaque si Acta Cirtensia eo anno condita sunt, quem Diocletianus VIII. & Maximianus VII. aperuere, utique persecutionis initium anno CCCII. est affigendum. Verùm enimverò in Augustorum Consulatu mendum irrepsisse, tam certum, quàm quod certissimum. Legendum ergo: *Diocletiano nonies & Maximiano octies*, ut jam observavit Valesius, & ex ipso Augustino liquet, in Breviculo Collat. diei 3. c. 17. *Nam gesta Martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus facta sunt Diocletiano nonies, & Maximiano octies, pridie Idus Februarias. Gesta autem Episcopalia decreti Cirtensis post eorumdem Consulatum tertio Nonas Martias, ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur, plures utique quàm undecim, quos prius Catholici minus diligenter computando responderunt.* Cùm ergo secundus persecutionis annus in nonum Diocletiani Consulatum inciderit, primus octavo Diocletiani Consulatui ascribi debet.

Anno CCCIII. constituenda persecutionis initia.

Chron. Euseb.

IV. Multæ verò rationes evincunt persecutionis exordium in anno CCIII. investigandum. Ac primùm huic ipsi tempori veteres Chronologi persecutionem alligarunt: *Decimo nono anno Diocletiani, mense Martio, in diebus Paschæ Ecclesiæ subversæ sunt, secundum Antiochenos annum* CCCLI. Sic in vulgatis exemplaribus. Legendum tamen putamus: *Secundum Antiochenos anno* CCCLII. quia Christianam Æram XLIX. annis Antiochena superat. Ex communi etiam opinione, retentâ Lectione Eusebianâ, deductis annis XLVIII. quibus Æram Antiochenam Dionysianâ majorem putant, supersunt CCCIII. Idaciani Fasti: *Diocletiano* VIII. *& Maximiano Coss. persecutio Christianorum.* Neque Chronicum dissidet Alex. Præterea eumdem quoque persecutioni annum assignant Acta Agapes, Chioniæ, & Irenes. Dulcetius Præses sic Irenem interrogat: *Superiore anno cùm edictum illud tale, ac pium jussum Dominorum Imperatorum, ac Cæsarum primò fuit divulgatum, ubinam vos latuistis?* Interrogata verò est, & morti Irene missa anno CCCIV. *Consummata est in Consulatu* Diocletiani *Augusti nono, Maximiani Augusti octavo Kalendis Aprilis.* Eadem & persecutionis memorant exordia Acta Felicis Episcopi: *Diocletiano octies, & Maximiano septies Coss. Augustis, exivit edictum Imperatorum & Cæsarum super omnem faciem terræ.* Sed dubitationem Anni fatalis eximit omnem Lactantius, qui Bithyniæ versabatur, cùm dirum promulgatum est edictum: *Agentibus*, inquit, *Consulatum senibus ambobus, octavum, & septimum.*

Act. Iren. cap. 5.

Ruin. Act. 376.

V. De anno hactenus: de die nunc videamus: *Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus imponeretur huic religioni. Ille dies primus leti, primusque malorum causa fuit, quæ & ipsis, & orbi terrarum acciderunt. Postridie propositum est edictum quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent, ex quocunque ordine aut gradu venirent.* Incepit ergo persecutio XXIII. Februarii, anno CCCIII. subruto Christianorum Bithyniensium Templo, eo die quo Terminalia celebrabantur. At Eusebius de die menseque totus à Lactantio diversus esse videtur: *Nonus decimus agebatur annus imperii Diocletiani, cùm mense Dystro, quem Romani Martium vocant, appetente die festo Dominicæ passionis, proposita sunt ubique imperialia edicta, quibus Ecclesiæ quidem ad solum usque dirui, sacri verò Codices flammis absumi jubebantur.* Hæc tamen non pugnant Lactantio. Bithyniæ propositum est edictum Februarii XXIV. Cæsareæ verò imminente Festo Paschatis. Alibi paulò serius pro locorum distantia. Ipsâ die passionis promulgatum scribit Theodoritus: *Diocletianus ipso salutaris passionis die cunctas in orbe Romano Ecclesias destruxit.* Quod generatim tamen verum non esse, ex Lactantio Eusebioque tenemus. Si Chronico credimus Alexandrino, *ipso Paschatis festo Ecclesiæ subrutæ.* Pascha verò *ἀναστάσιμον* in mente habuisse videtur, etsi perperàm Martii XXV. illigarit, cùm anno currente Aprilis XVIII. fuerit agitatum, jubente & Aureo Numero XIX. & termino Paschali, Aprilis XVII. feriâ VII. & Epacta Lunæ XXV. Cæterùm alium à Martio mensem edictorum promulgationi assignavit Eusebius, à se diffidens: *Anno imperii Diocletiani* XIX. *mense Xanthico, quem Romani Aprilem vocant, Flaviano Palæstinam regente, cùm salutaris passionis dies immineret, repentè proposita sunt ubique edicta quibus imperabatur Ecclesias solo æquare.* Quibus sese emendasse videtur Eusebius. Perperàm enim scripserat, *mense Martio* passionem Dominicam imminere, utpote quæ anno CCCIII. in Aprilis XVI. inciderit; scribere debuit, uti posteà scripsit, *Mense Aprili.* Itaque ea quæ Petavius in Eusebium commentatur, ad librum Epiphanii de Pond. & Mens. p. 417. omninò sunt *ἀπροσδιόνυσα*, ob perperàm constituta persecutionis initia.

Lact. de Mort. c. 12.

De die incipientis persecutionis.

Lact. de Mort. c. 12.

Euseb. l. 8. cap. 2.

Theodorit. h. lib. v. cap. 39.

Euseb. de Martyr. Pal. Proleg.

VI. Constituto legitimo persecutionis tempore, de præcipuis persecutionis facinoribus aliquid est subjungendum. Eminebat *Romula*, Galerii mater, Deorum montium cultrix, quæ filium suum non minus superstitiosum, querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Sed & in ea re partes agebat suas *Hierocles*, de quo Lactantius, qui nos docuit, Donatum sibi charissimum incidisse in *Hieroclem, ex Vicario Præsidem, qui autor & consiliarius ad faciendam persecutionem fuit.* Non consiliis modò, sed scriptis quoque suis se Christianis hostem infensissimum præbuit. Illum ipsum *Hieroclem* perstringit Lactantius: *Alius eamdem materiam mordacius scripsit, qui tum erat è numero Judicum, & qui autor in primis faciendæ persecutionis fuit. Quo scelere non contentus, etiam scriptis eos quos afflixerat, insecutus est. Composuit enim libellos duos,*

Hierocles fax persecutionis. Quis ille Philosophus qui in Christianos scripsit.

Lact. de Mort. c. 4.

Lact. l. v. cap. 2.

duos, non contra Christianos, ne inimicè insectari videretur, sed ad Christianos, ut humanè, ac benignè consulere putaretur, in quibus ita falsitatem Scripturæ sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset contraria. Post Bithyniæ Præfecturam in Ægyptum missus est. Ubi crudelitatem adhibuit omnem Christianis torquendis. Viros illustres contumeliis afficiebat: mulieres eximiâ castitate præditas, virginesque Deo devotas lenonibus tradebat. Quæ cùm intolerabilia Ædesio viderentur, verbis simul & factis, Hieroclem pudore atque ignominiâ perfudit. Manu suâ plagas in os Hierocli inflixisse dicitur. Hic est Hierocles, adversus quem librum scripsit Eusebius. Dum etiam Dei templum Bithyniæ evertebatur, Philosophus qui vitia sua capillis & pallio tegebat, *Tres libros evomuit contra Religionem, nomenque Christianum, professus ante omnia Philosophi officium esse, erroribus hominum subvenire.* Religionis quoque contra quam voce perorabat, infirmare voluit rationem. Sed si qui Christianorum adfuerunt, *Quamvis temporis gratiâ conniverent, animo tamen derisere.* Hæc Lactantius, qui tum temporis in Bithynia oratorias literas accitus docebat. Quis fuerit ille Philosophus, acutè & subtiliter more suo quæsivit Baronius. Ac tandem *Porphyrium* Plotini discipulum invenit. Eruditissimum Purpuratum licentius tamen hîc errasse jam monuimus. Porphyrium sanè non exprimit ea Lactantii descriptio. Philosophus quem suis pungit aculeis, Bithyniæ versabatur, non Porphyrius: *Duo extiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectæ veritati, nescio utrùm superbius, an importunius, insultarent.* Neque Porphyrii mores, & Bythiniensis Philosophi naturâ congruebant: *Antistitem se Philosophiæ profitebatur, verùm ita vitiosus, ut continentiæ Magister non minus avaritiâ, quàm libidinibus arderet, in victu tam sumptuosus, ut in palatio pejus cœnaret quàm domi.* Maximâ verò frugalitate Porphyrii vita condiebatur.

Eusob. de Martyr. Palæ. c. 5.

Lact. l. v. cap. 2.

Nicomediensis Ecclesia evertitur.

Lact. de Mort. c. 12.

VII. Horrendæ persecutionis circumstantias insigniores nunc attingamus. Februarii XXIII. dies cùm illuxisset, agentibus Consulatum Senioribus Augustis ambobus octavum & septimum, *Repentè adhuc dubiâ luce ad Ecclesiam Præfectus cum Ducibus & Tribunis, & rationalibus venit, & revulsis foribus, simulachrum Dei quæritur, Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi verò in speculis, in alto enim constituta Ecclesia ex palatio videbatur, diu inter se concertabant, utrùm ignem supponi oporteret. Vicit sententiâ Diocletianus, cavens ne magno incendio facto, pars aliqua civitatis arderet. Nam multæ & magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur Prætoriani acie structâ, cum securibus, & aliis ferramentis, & immissi undique, culmen illud editissimum paucis horis solo æquarunt.* Non tot monstris orbem terrarum Hercules, quot fabulis Martyrologia purgavit insignis locus ille Lactantii. In Martyrologio, *multorum millium* Martyrum natale celebratur Decembris XXV. *Nicomediæ passio multorum millium Martyrum, qui cùm in Christi Natali ad Dominicum convenissent, Diocletianus Imperator januas Ecclesiæ claudi jussit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure præ foribus poni, ac Præconem magnâ voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foràs exirent, & Jovi thus adolerent: cùmque omnes unâ voce respondissent, Pro Christo se libentius mori, incenso igne consumpti, eo die nasci meruerunt in Cœlis, quo Christus in terris pro salute mundi nasci dignatus est.* Viginti millia Christianorum in cinerem redactos esse, Nicephorus fabulatur. Apage monstra! Templum Nicomediense non *flammis*, sed *securibus* eversum est: Scripturæ incensæ sunt, non homines. Anno CCCI. Baronius multos à Galerio Martyres Nicomediæ immolatos fuisse prædicat. Galerius primùm blanditiis adoritur Christianos, deinde minas addit. Minanti magnâ animi constantiâ respondet *Glicerius*, qui post multa tormenta in ignem mittitur. *Indes* Eunuchorum princeps capite plectitur, *Theophila* Virgo in prostibulum transfertur, *Dorothea* aliisque non paucis vita eripitur. Quæ omnia noster Lactantius profligat. Quippe anno CCCI. Nicomediâ Galerius aberat. Anno demum CCCII. de persecutione consilium inire cœperunt Diocletianus atque Galerius, anno vero CCCIII. Februarii XXIII. Nicomediæ persecutio primùm incepit, & Ecclesia solo adæquatur. Itaque vana hîc est parentis Annalium perversaque diligentia, qui ex Actis Martyrum, ea *quæ sunt ab Eusebio prætermissa* suppeditat. Clarissimo non gratulari Baluzio non possumus, qui edito de mortibus persecutorum Lactantio, tot commentis Historiam liberavit, atque fabulis, quas & noster *Sueurius* in Annales suos derivavit.

Baron. An. 301. n. 21.

VIII. Februarii XXIV. *propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore, ac dignitate, tormentis subjecti essent, ex quocunque ordine, aut gradu venirent, adversus eos omnes actio valeret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non rectè, magno tamen animo diripuit & conscidit, cùm irridens diceret, victorias Gothorum & Sarmatarum propositas. Statimque productus, non modò extortus, sed etiam legitimè coctus, cum admirabili patientiâ postremò exustus est.* Historiam narrat & Eusebius, cui audacis Autor facinoris dicitur, *Vir quidam minimè obscurus, sed secularium honorum prærogativâ inprimis conspicuus.* Ex Lactantio tamen apparet atque extat, lacerationis hujus Autorem, plebeium obscurumque hominem fuisse, cujus alioquin nomen edidisset. Facti celeberrimi Autorem anonymum esse non patiuntur Martyrologia. Septembris VII. Adonis in Martyrologio, *Natale B. Joannis apud Nicomediam, sub Diocletiano Imperatore* celebratur. *Is publicè populo inspectante, injectâ manu librum iniquæ legis detraxit.* Historiam Sancto Georgio accommodavit Henschenius. Natalis autem Georgii XXIII. Aprilis recolitur: *Natalis Sancti Gregorii Martyris, cujus illustre martyrium inter coronas Martyrum Ecclesia Dei veneratur.* At Martyr ille, cujus Lactantius meminit, diu antè & XXIII. Aprilis, & VII. Septembris exustus est. Fabulosa quoque Georgii Acta esse demonstrat eruditissimus Baluzius: *Una Alexandræ Imperatricis Historia, quæ cùm Christiana esset, capite damnata dicitur, à Diocletiano ipso proferente sententiam. Historia est, quæ omnia Poëtarum figmenta superat.* Henschenio autem Baluzius largiri non debuit, XXIII. *Aprilis instasse Dominicæ & salutiferæ passionis celebritatem*, quæ in XVI. Aprilis incidit. Porro Diocletianei edicti verba difficultate maximâ afficiuntur apud Eusebium, qua de causa in varios explicationes

Edictum Diocletiani in Christianos. De Martyre, à quo laceratum.

Lact. de Mort. cap. 13.

Eusèb. l. 8. cap. 5.

Mart. Rom.

Baluz. Not. p. 30.

itum,

Anno Dom. 303.

itum. Inspiciantur Valesii annotationes ad caput Eusebii 2. l. 8. & Dodwelli Disser. Cypr. XI. n. 71. Τὰς ἢ ἐν οἰκετίαις εἰ ἐπιμένοιεν ἐν τῇ τῦ χριστιανισμῦ προθέσει ἐλευθερίας στερεῖσθαι. Vertit Valesius: *Plebeis verò libertate spoliarentur, si in Christianæ fidei proposito permansissent.* Quæ nobis videntur ἀπροσδιόνυσα. Οἰκετίαι sanè *plebeios* non significat, sed *domicilia*. Eusebii mentem rectius intellexit Rufinus: *Si quis servorum permansisset Christianus, libertatem consequi non posset.* Quâ ratione, uti rectè observatum Baluzio, non in honoratos modò, sed & in servos pœnæ constituebantur.

Persecutionis magnitudo.

IX. Maximianus Cæsar non contentus edicti legibus, aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis Ministris palatio subjecit incendium. Et cùm pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur, velut hostes publici, & cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat. Illos Consilio cum Eunuchis habito, de extinguendis Principibus cogitasse: duos Imperatores domi suæ penè vivos esse combustos. Tum Diocletianus irâ inflammatus, excarnificari omnes suos protinus præcepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item Judices universi omnes denique qui erant in palatio Magistri, datâ potestate torquebant. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. Nihil usquam reperiebatur, quippe cùm familiam Cæsaris nemo torqueret. Aderat ipse & instabat, nec patiebatur iram inconsiderati senis deflagrare. Sed XV. diebus interjectis, aliud rursus incendium molitus est. Sed celerius animadversum, nec tamen autor apparuit. Ignem cœlitùs immissum esse narrat Constantinus ad Sanctorum cœtum Oratione c. 25. *Vastabatur palatium & Diocletiani ipsius conclave, fulmine ac cælesti quodam incendio illud depascente*, &c. Pace Imperatoris magni, Lactantii narratio longè vero similior. Quid causæ Diocletiano furendi in domesticos, & natam suam, si palatium fulmen afflasset? In eos inquirebat tormentis, quasi immissi in palatium ignis autores. Tunc Cæsar, medio Hyemis profectione paratâ, prorupit eodem die, contestatus fugere, ne vivus arderet. Furebat ergo Imperator, jam non in domesticos, sed in omnes, & primùm omnium filiam *Valeriam*, conjugemque *Priscam* sacrificio pollui coëgit. Potentissimi quondam Eunuchi necati, per quos Palatium & antè constabat. Comprehensi Presbyteri & Ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus, & ætatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circundato igni ambiebantur domestici, & alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minus in cæterum populum persecutio violenter incubuit. Nam Judices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur, & ne cui temerè jus diceretur, aræ in secretariis, ac pro tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas dicerent. Sic ergo ad Judices, tanquam ad Deos adiretur.

Lactant. de M. cap. 14. &c.

Et jam literæ ad Maximianum, atque Constantium commeaverant, ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeò clemens. Vexabatur ergo universa terra, & præter Galliam, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant.

De Diocletiani uxore & filia. Quibus vocatæ nominibus? An Christianæ?

X. Ecce iterum Lactantius Martyrologiis insurgens, fabulis lethale vulnus infligit. Audiamus Baronium, cujus Annales hîc turgescunt bullatis nugis. Diocletianus Galerium coëgerat, *filiam suam Valeriam sumere in uxorem. Illius morte resoluto jam vinculo, quam in sua cognatione haberet gradu propinquiorem virginem, eam illi fœdere nuptiarum conjungere festinavit. Fuit hæc Susanna, filia Gabinii, germana Caii Papæ.*

Bar. An. 294. n. 4.

At cùm *Diocletianus compertum habuisset, Susannam refragantem, esse Christianæ Religioni addictam, eandem unà cum patre Gabinio voluit custodia detineri. Sed postquam LV. dies ambo sic detenti fuissent, agit idem Princeps cum Augusta conjuge, ut Susannam ad se perduceret.* Quid multa? *Serena* Augusta, accitam *Susannam* hortatur fidei Christianæ perseverantiam retinere. Jubet Dioeletianus Susannam offerre Jovis simulacro: *Divinitùs factum, ut Jovis statua ab oculis evanesceret.* Quæ cùm Macedonius renunciaret Diocletiano, *Jussit eam intra domesticos parietes gladio necari.*

Bar. An. 295. n. 2.

Qui jucundâ narratione mentem vult suam reficere, cætera legat in Annalibus, in quibus & *Susannæ stemma* subjungitur. Quidni, cùm & imperiali, & Pontificali sanguine Susanna censeretur, utpote & Diocletiani neptis, & Caii Papæ germana? Atat infaustis avibus è tenebris prodiit Lactantius, qui delicias nobis eripit ejusmodi, quibus implebamus animum. Quam Acta *Valeriam* Diocletiani filiam extinxerant, ad vitam revocat Lactantius: propriam connubio stabili jungit Galerio, cui etiam superfuisse Valeriam monet: *Serenam Augustam* Cæsarum throno pellit, ut in eo *Priscam*, veram Diocletiani conjugem collocet. Insaniebant sanè fabulatores, neque vel vero similia proponebant, dum Diocletiani nepti *Susannæ* nomen imponebant, quod merè Judaicum est, non Latinum, non Dalmaticum. Susanna enim est à שושן *lilium*. Quis verò credere potest, Ethnicum hominem filiam suam recutitorum nomine induisse? Removeantur ergo fabulæ, neque fictis Martyribus & Annales, & cœlum impleamus. Porro Diocletiani uxorem Priscam, filiamque Valeriam, de Christi cultricibus fuisse, non obscurè innuit Lactantius: *Primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam, sacrificio pollui coëgit.* Ethnicis quidem coactione nil opus erat, ad sacrificia numinibus perpetranda. Id ipsum subindicat Eusebius, cujus mentem Clari S. Toinardus optimè est assecutus: *Quid opus est de iis dicere, qui in Imperatorum erant domibus, & iis qui omnibus imperabant, & qui suis coram circa rem divinam, & sermone, & vivendi ratione liberè se gerere sinebant, uxoribus, & liberis, & famulis. Tantum non & gloriari super libera fidei professione permittentes.*

Euseb. l. 8. cap. 1.

Nicomediensis persecutio Diocletiani.

XI. Hactenus de Persecutione generatim, nunc de ea speciatim disseramus. Nicomediæ Palatinus vir sui nominis, *Petrus* enim vocabatur, dignam fidei columnam præbuit. Jussus Diis sacrificare, cùm id pertinaciter recusaret, nudato corpore sublimis tolli præcipitur, & verberibus concidi, quoad tandem vel invitus jussis obtemperaret. Cùm in eadem sententia firmus permaneret, ipsis jam ossibus denudatis,

com-

ANNO DOM. 303.

commiatum sale acetum, tabescentibus corporia membria infuderunt. Quos dolores cùm ille etiam toleraret, craticula deinceps, & ignis in medium affertur, & reliquiæ corporis ipsius, instar carnium, quæ ad cibum parantur, igne assatæ sunt, idque non simul & semel, sed paulatim, ne scilicet celeri exitu defungeretur. At generosissimua ille Martyr Victor ipsis in tormentis animam exhalavit. *Dorotheo* qui summam erga Imperatores benevolentiam ac fidem declaraverat, eamque ob causam præ cunctis Magistratibus, & Provinciarum Rectoribus magnum honorem promeruerat, celeberrimo quoque Gorgonio, aliisque pluribua, qui in palatio ministrabant, post ejusmodi certamina elisæ laqueo fauces.

Eusеb. l. 8. cap. 6.

Anthimus Ecclesiæ Nicomediensis Episcopus in eadem urbe capite truncatus est. Quâ Eusebii narratione falsi damnantur Acta Martyrum, quibua Annales Baronius deturpavit, non ornavit suos. Fingunt enim, amputatam Dorotheo Palatino cervicem fuisse: *Anthimum* Episcopum anno CCCI. fuisse à Galerio ad tormenta quæsitum, è latebris suis anno CCCII. ad suos scripsisse. Quæ omnia à Lactantio refelluntur atque Eusebio. Neque in vivos modò, sed in defunctos etiam sævitum.

Bar. An. 302. n. 36.

Eusеb. l. 8. cap. 6.

Quippe *corpora regiorum Cubiculariorum, quæ post mortem convenienti tradita fuerant sepulturæ, Principes eruі sepulchro, & in mare projici oportere censuerunt, ne quis illos sepulchris conditos, pro Diis, ut ipsi opinabantur, reputans, in posterum adoraret.*

Vis persecutionis Diocl. in Phrygia & Syria.

XII. Cùm aliud edictum, priora illa subsecutum fuisset, quo præcipiebatur ut carceribus inclusi, si quidem sacrificassent, liberi abire sinerentur, si verò id renuerent, tormentis gravissimis cruciarentur, vix iniri numerus potest omnium, qui deinceps in singulis Provinciis passi sunt, ac præsertim eorum, qui per Africam, & Mauritaniam, per Thebaidem & Ægyptum sunt interfecti. Dira quæ passi sunt tormenta Martyres, narrat Eusebius l. 8. c. 7. & sequentibus. Illud præterire non possumus in Phrygia perpetratum: *Urbem quandam Christianorum in Phrygia, milites armati obsidione cinxerunt, injectoque igne, totam unà cum viris & mulieribus, ac parvulis Christum omnium Deum invocantibus concremarunt. Hanc scilicet ob causam, quòd universi ejus urbis incolæ, & Curator ipse, ac Magistratus cum honoratis omnibus ac plebeiis, Christianos se professi, sacrificare jubentibus nullo modo obtemperabant.*

Eusеb. l. 8. cap. 11.

Antiochiæ nonnulli fuere, qui dextras in ignem suas immittere maluerunt, quàm impia libamenta contingere: nonnulli ne in insidiatorum manus inciderent, ex sublimibus tabulatis præcipites se dedere. Mulier quædam sanctissima, ejusque filiæ Virgines duæ formâ ætatisque flore præstantes à militibus captæ, cùm ab iis veniam petiissent, tantisper de via deflectendi compositis honestè vestibus, in profluentem se fluvium conjiciunt, ne fidem violarent. In eadem urbe duæ Virgines splendore natalium, opibus & formâ claræ, in mare à Dæmonum cultoribus præcipitantur. Quæ apud Pontum gesta sunt, ipso dictu incutiunt horrorem.

Eusеb. l. 8. cap. 13.

Aliis manuum digiti à summis usque unguibus, acutis arundinibus transfigebantur. Aliis plumbo, ignis vi liquefacto, bulliente ac fervente metallo terga adurebantur.

Procopii, Alphæi, Zachæi martyrium, nec non Romani Diaconi.

XIII. Inter Palæstinenses Martyres insignis est Procopius. A Scythopoli unà cum sociis Cæsaream transmissus, ab ipsis portis ad Præsidem ducitur, nomine *Flavianum*, à quo sacrificare Diis jussus, unum se nosse Deum respondit, cui sacrificandum esset eo ritu quem ipse statuisset. Cùm verò quatuor & Imperatoribus libare juberetur, sententiam quandam ea Homerico carmine prolocutus, quæ illis minimè arridebat,

Haud bona res Domini plures; herus unicus esto,
Rex unus,

illicò capite truncatur. Obitus dies ab Eusebio traditur esse, *Octavus mensis Dæsii, hoc est, ut Romani dicunt, ante diem septimum Idus Julias IV. feriâ hebdomadis.* Qui manifestus error est. Septimus enim Junii anno CCCIII. in diem Lunæ incidit.

Eusеb. de Martyr. Pal. c. 1.

Quòd si more Syro-Macedonum Dæsium usurpavit Eusebius, Dæsii octavua primo Junii est affigendus, quia à Maii XXV. Dæsius incipit. Prima autem Junii cum tertia feria conjungitur anno currente. Loco δεκα, legendum videtur ἑπτὰ, *Julii*, ut habent Acta Procopii ex V. MS. Latina, quæ nobis fœneravit Valesius: Procopius *capite amputato, ingressum vitæ cælestis invenit, Dæsii septimâ Julii mensis, quæ Nonas Julias dicitur apud Romanos.* Cum Procopio martyrii coronam adepti sunt Alphæus, & Zachæus, qui post acerbissima vincula, & dolores in iis exantlatos, post alia omnis generis tormenta, cùm viginti quatuor horarum spatio pedes in nervo ad quatuor usque puncta distentos habuissent, unum Deum, unumque Regem confessi, perinde ac si impium quiddam locuti essent, cæsa cervice perierunt, *Die septimo mensis Dii, quod est apud Romanos* XV. *Kal. Decembr.* Commemoratione quoque digna sunt in primis, quæ circa *Romanum* Martyrem eodem die Antiochiæ gesta sunt. Cæsariensis Ecclesiæ *Diaconus* erat, & Exorcista. Eo ipso tempore quo Ecclesiæ destruebantur, Antiochiam ingressus, cùm innumerabiles viros simul ac mulieres unà cum parvulis, templa Deorum confertim adeuntes vidisset, spectaculum id minimè tolerandum ratus, contentâ voce inclamans, eos objurgare cœpit. Ob facinoris audaciam illicò comprehenditur. Alligatus ad stipitem, cùm ministri rogum accensuri, Galerii tum fortè præsentis judicium expectarent, *Ubinam*, inquit, *mihi ignis?* Quibua dictia, coram Imperatore sistitur, novo genere supplicii, linguæ scilicet abscissione plectendus.

Eusеb. de Mart. Pal. cap. 1. 2.

Qui cùm secandam Carnificibus linguam promptissimè præbuisset, contrusus in carcerem, ac diutissimè maceratus tandem cùm Imperatoris vicennalia jam adessent, & ex solemni more, universis qui in custodia tenebantur, indulgentia publicè per Præconem annuntiata esset, solus ad quatuor usque puncta distentos habens pedes, in ipso jacens nervo, fractis laqueo faucibus, martyrio exornatur. Multa de Romani martyrio miracula leguntur in Libro 2. de Resurrectione, qui ascribitur Eusebio Cæsariensi. Ignis ad quem Romanus damnabatur, non potuit accendi. Medicus qui infirmitate fidei exciderat, jussus est Romani linguam incidere. Quam cùm invitus secasset, eâ usus est ad tutelam sui, *Ac domi recondit, ut consuerunt infirmiores, Fideles tamen, honorare si quid à Martyribus sumpserint.* Dum Romanus carneam habebat linguam, non poterat compositè loqui, obstante balbutei. Cùm autem carcerem ingressus est, interroganti Commentariensi, quis vocaretur, *Rectissimè dixit*, *Roma-*

B. M. P. T. 4. p. 19.

Romanus dicor. Porro si verum amamus, altum de tot tantisque prodigiis silentium, de quibus ne verbulo quidem Eusebius commemoravit, in suo de Palæstinæ Martyribus libro, dum Romani passionem exequitur, tam libros de resurrectione, quàm de tantis miraculis traditionem, abjudicare videtur ab Eusebio. Periisse cum Romano infantem ferunt septennem, quem *Batulam* vocant Martyrologia. Pueri hujus passionem canit Prudentius περὶ στεφάνων.

Africana Maximiani persecutio.

XIV. Vexabatur universa ferè terra:

Nec mihi si linguæ centum sint, oraque centum
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

In Africa vires quoque suas effudit persecutio. Munatius Felix Cirthensium in Numidia Procurator, vasa instrumentaque Ecclesiæ tradere coëgit, ut ex Actis apparet: *Diocletiano* VIII. *& Maximiano* VII. *Coss.* XIV. *Kalend. Junias, ex Actis Munatii Felicis F. P. P. Curatoris Coloniæ Cirthensium. Cum ventum esset ad domum, in qua Christiani conveniebant, Felix F. P. P. Curator Paulo Episcopo dixit, Proferte Scripturas Legis, & si quid aliud hic habetis, ut præceptum est, ut jussioni parere possitis. Paulus Episcopus dixit, Scripturas Lectores habent, sed nos, quod hîc habemus, damus. Felix F. P. P. Curator Paulo Episcopo dixit, Ostende Lectores, aut mitte illos. Paulus Episcopus dixit, Omnes cognoscitis. Felix F. P. P. Curator Reip. dixit, Non eos novimus. Paulus Episcopus dixit, Novit eos officium publicum, id est, Edesius, & Junius Exceptores. Felix F. P. P. Curator Reip. dixit, Manente ratione de Lectoribus, quos demonstrabit officium, vos quod habetis date. Sedente Paulo Episcopo, Montano, & Victore, Deus Atolio, & Memorio Presbyteris, adstante Marte, cum Elio Diacono, Marcuclio, Catullino, Silvano & Caroso Subdiacono, Januario, Meraclo, Fructuoso, Miggine, Saturnino, Victore & cæteris fossoribus, contrà scribente Victore Aufidii in brevi sic, calices duo aurei, item calices sex argentei, urceoli sex*, &c. Lectores etiam Codices sacros tradidere. De ea quoque persecutione Optatus l. 1. *Fermè ante annos* LX. *& quod excurrit, per totam Africam persecutionis est divagata tempestas, quæ alios fecerit Martyres, alios Confessores, nonnullos funesta prostravit in morte, latentes dimisit illæsos.* At Episcoporum multi ignaviâ vitam redemerunt. Addit enim Optatus: *Ipsi apices & principes omnium, aliqui Episcopi, illis temporibus, ut damno æternæ vitæ istius incertæ lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinæ Legis impiè tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Masculitanus, Victor Russiccadensis, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis, & homicida Purpurius Limatensis, qui interrogatus de filiis sororis suæ, quòd eos in carcere Miles necasse diceretur, confessus est dicens, Et occidi, & occido non eos solos, sed & quicunque contra me fecerit.*

August. Cont. Crescon. l. 3. c. 29.

Martyrium Felicis Episcopi.

XV. Multâ laude celebrandus Felix Episcopus, suo nomine dignus, qui morte affici maluit, quàm Scripturas comburendas tradere: *Programma positum est in civitate Tibiurensi, die Nonarum Juniarum*, ut sacri Codices Magistratibus præberentur. Posterâ die Felix Episcopus venit Carthagine Tiburam. Tunc *Magnilianus* Curator jussit *Felicem* Episcopum ad se perduci per Officialem. Cui Magnilianus Curator dixit, Felix Episcope, *Da libros, vel membranas quascunque habes.* Felix Episcopus dixit, *Habeo, sed non do. Magnilianus Curator dixit, Prius est quod Imperatores jusserunt, quàm quod tu loqueris. Da libros ut possint igni aduri. Felix Episcopus dixit, Melius est me igne aduri, quàm Scripturas deificas, quia bonum est obedire Deo, magis quàm hominibus*, &c. Octavo Cal. Julias Felix ligatus ad Proconsulem ducitur, à quo sic in carcerem mittitur. Aliâ die producitur ante lucem Episcopus, qui cùm constantissimè negaret se Scripturas daturum, in ima carceris detruditur. Elapsis diebus XVI. Anulinus Proconsul Felicem ad Præfectum Prætorio mittit, Idibus Julii. Tunc Præfectus jussit eum suo carcere receptum majoribus vinculis ligari. Post dies autem IX. ad Imperatorem navigare mandatur. Ubi venit Venusium, civitatem Apuliæ, *Præfectus jussit Felicem de vinculis eripi, & dixit, Felix, quare Scripturas Dominicas non das? An forsitan non habes? Cui respondit, Habeo quidem, sed non do. Præfectus dixit, Felicem gladio interficite. Felix Episcopus dixit voce clarâ, Gratias tibi, Domine, qui me dignatus es liberare. Et ductus est ad passionis locum, die tertio Kal. Septemb. Felix Episcopus elevans oculos in Cœlum, clarâ voce dixit, Deus, gratias tibi. Quinquaginta & sex annos habeo in hoc seculo. Virginitatem custodivi, Evangelia servavi, fidem & veritatem prædicavi. Domine Deus cœli & terræ J. Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum, cui est claritas & magnificentia in secula seculorum, amen.*

Act. Ruin. 376.

Victorini martyrium. Num Pictaviensis Episcopus? Autorne Commentarii in Apocalypsim?

XVI. Decore & gloriâ martyrii cum Felice venit in certamen Victorinus, de quo Hieronymus ad Paulinum Epistolâ XIII. circa finem: *Inclyto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest.* Quod movet admirationem, cùm Oratorem antè egerit quàm Episcopatum adipisceretur, teste Cassiodoro: *Victorinus ex Oratore Episcopus.* Porro Victorinum Episcopum fuisse, omnes eruditi profitentur, de Ecclesia verò quam administravit prorsus dissident: *Inter alios celebres Martyres Galliarum, qui in eadem persecutione passi sunt, Victorinus Episcopus Pictaviensis excelluit.* Quæ Baronii verba sunt. Hunc tamen errorem, qui multos eruditos, multaque oppleverat secula, tam nervosis doctissimus ille *Joannes Launoius* argumentis expugnavit, ut extra dubium sit, *Victorinum* nullum in Gallia Episcopatum gessisse, nedum *Pictaviensem*. 1°. Fortunatus Pictaviensis Presbyter, qui complures Galliæ Episcopos carminibus celebravit suis, multò magis laudasset Martyrem, *Qui primus apud Pictavos Christianam Religionem suo sanguine consecrasset.* Neque de Victorino verbum ullum fecit in Historia, vel in Opere, quod de Martyribus Gregorius Turonensis composuit. Quo profundo silentio *Pictaviensis* ille Victorini Episcopatus obruitur. 2°. Hieronymi antiquis in editionibus quinque locis Victorinus non *Pictaviensis*, sed *Pitabionensis* Episcopus appellatur. Quomodò legit & Sophronius, qui librum *de Viris illustribus* Græcè vertit. Victorinum enim & in *Papia*, & in ipso Victorino, Πεταβίωνος, *Petabinum* dixit. Quo titulo pluribus in Martyrologiis & ornatus est. 3°. Venerabilis Beda, qui ad annum DCCXX. claruit, in libello de locis Sanctis meminit *Pictabionensis* Ecclesiæ. Sic enim loquitur: *Quâ ductus opinione Victorinus Pictabionensis Antistes Ecclesiæ, de Golgotha scribens, ita inchoat:*

Cassiod. Divin. Lect. c. 5.

An. 303. n. 126.

Error Baronii.

Est

ANNO DOM. 303.

Est locus ex omni medium quem cernimus orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

Adeant Lectores doctissimam Launoii de *Victorino Episcopo & Martyre* Dissertationem. Cujus & argumentis nos & illud addimus, quòd nullus Galliarum Episcopus Diocletiani in persecutione sanguinem fuderit suum, uti constat ex Lactantio. Constantius enim, *Ne dissentire à Majorum præceptis videretur, Conventicula, id est, parietes, qui restitui ac dirui poterant, dirui passus est; verum autem Dei Templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* Aut igitur Victorinus *Martyr* non fuit, aut *Pictaviensis* Episcopus non fuit. Atqui Martyrem egisse in confesso est, *Pictaviensibus* igitur Episcopis eximatur. Scribatur itaque *Petabionensis*, non *Pictaviensis* Episcopus. *Petavio*, vel *Petavium Stiriæ* urbs est: quæ *Pettau* hodie nuncupatur, cui Victorinus nomine Episcopi præfuit. Ejus natale quarto Nonas Novembris in Martyrologiis celebratur. Verba sunt Adonis ad hunc diem: *Natalis S. Victorini Pitabionensis Episcopi, qui persecutione Diocletiani martyrio coronatus est.* Tractatus complures edidit Victorinus, de quibus Hieronymus libro de Viris illustribus: *Victorinus Petabionensis Episcopus non æquè Latinè, ut Græcè noverat, unde opera ejus grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum. Sunt autem hæc: Commentaria in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Esaiam, in Ezechielem, in Habacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Apocalypsim Joannis, adversus omnes hæreses, & multa alia: ad extremum martyrio coronatus est.* Mirum est, Victorino eloquentiam defecisse, quem *Oratorem* fuisse, ex Cassiodoro audivimus. Elocutionis eruditionisque secularis penuriam in eo pridem notavit Hieronymus Epistolâ ad Magnum 84. *Victorino Martyri in libris suis licet desit eruditio, non tamen deest eruditionis voluntas.* In Apocrypha Opera Victorini à Gelasino collocantur. Extat Patrum in Bibliotheca, in Apocalypsin Commentarius, cui titulus est, *Victorini Pitabionensis Episcopi.* Multis ille liber fabulis refertus est. Existimat Hieremiam nondum vitâ abiisse; Neronem futurum Antichristum, & in mundi fine venturum. Eò inclinat clarissimus *Du Pin* in Nova sua Bibliotheca, Victorini Commentarium esse: *Il y a apparence, qu'il est de lui.* A Victorino tamen abjudicandum esse existimamus. Judicemque damus Hieronymum in Papia: *Hic dicitur mille annorum Judaicam edidisse δευτέρωσιν, quem secuti sunt Irenæus & Apollinarius, & cæteri, qui post resurrectionem ajunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum. Tertullianum quoque in libro de Spe Fidelium, & Victorinus Pictabionensis, & Lactantius hâc opinione ducuntur.* Commentarius verò ascriptus Victorino, *Millenariorum* percellit opinionem: *Mille annorum regnum non arbitror esse terminum. . . Ut mei sensûs capacitas sentit proferri, quoniam denarius numerus Decalogum significat, centenarius virginitatis coronam ostendit. Qui enim virginitatis integrum servaverit propositum, & Decalogi præcepta fideliter impleverit . . . iste verè Sacerdos est Christi, & millenarium numerum perficiens, integrè creditur regnare cum Christo, & apud eum rectè ligatus est Diabolus.* Cavius in sua Scriptorum Ecclesiasticorum Historia hactenus ineditum, *Victorini de fabrica mundi* Tractatum, ex vetusto Codice Bibliothecæ Lambethianæ descriptum luci donavit.

Vid. B. M. P. t. 3. 421.

ANNO DOM. 303.

Num Diocletiani persecutio Martyres in Gallia fecit?

XVII. Jucundam, ac scitu dignissimam nunc quæstionem ingredimur, an Diocletiani furori Galliarum Christiani sanguinem dederint suum? Ac Baronius, *Exundarunt*, inquit, *& Galliæ sanguine Martyrum.* Numerat in Christi victimis Ebreduni *Vincentium*, Orontium, *& Victorem*: Ambiani *Firminum* hujus urbis Episcopum. Augustæ Veremandorum *Quintinum*, civem Romanum, ordinis Senatorii. In territorio Agathensi *Tiberium*, *Modestum* atque *Florentiam.* Detestabilis *Rictovarii* immanitas, omni scelere Gallias laceravit, si credimus Annalibus. Nos verò pace tabularum Ecclesiasticarum, in alia prorsus sententia versamur. Plus semel Gallias cruentæ vexationis immunes fuisse, nos Lactantius monuit, cui assentitur Eusebius: *Constantius*, inquit, *concitati adversus nos belli nullatenus particeps fuit, sed cùm veri Dei cultores, qui sub imperio suo degebant, immunes ab omni noxa, & calumnia servasset, nec aut Ecclesiarum ædes subvertisset, aut quidquam adversus nostros esset molitus, tandem felicissimum ac beatissimum vitæ exitum consecutus est.* Sed & in libello, quem Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius Constantino M. obtulerunt, hæc leguntur: *Rogamus te, ô Constantine, optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia, petimus ut è Gallia nobis Judices dari præcipiat pietas tua.* Hoccine humanum factum aut inceptum, Autoribus qui tempore persecutionis florebant, obscuros recentioresque Martyrologiorum conditores opponere? Ut Lactantium, Eusebium, Lucianum, qui disertè testantur, Gallias cruentæ persecutionis immunes fuisse, conciliet cum Historiis nonnullarum Galliæ civitatum, & Provinciarum, quæ prædicant, vix ullam intra Gallias urbem fuisse, quæ cruore Christiano non maduerit. Doctissimus Balusius dicit, *Initio quidem Gallias à persecutione non fuisse prorsus immunes, occupato videlicet Constantio contra Barbaros, ac pro consuetudine, & soluto Gentilium furore, multos Christianos in Galliis cæsos fuisse.* Hanc suam conjecturam firmat autoritate Eusebii: *Quæ ulterius sita sunt regiones, Italia videlicet tota & Sicilia, Gallia quoque, & quæcunque ad occasum Solis porriguntur, Hispania, Mauritania, & Africa, cùm vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli experta essent, divini Numinis præsentissimum auxilium, & pacem brevi sunt consecuta.* At Eusebius sibi non pugnat. Vim persecutionis sentit Gallia quidem, in qua *conventicula*, Ecclesiæque permittente Constantio dirutæ. Nil verò sanguinis fusum est: quia *verum Dei Templum incolume servavit* Constantius. Ac sanè purum putum commentum esse, quæ Balusius habet de multis Christianis in Gallia Ethnico furore cæsis, indicio est Veterum silentium, qui nullos in Gallia furente Diocletiano Martyres memorarunt. Quod prodigii est, si sanguine Martyrum tot Provinciæ exundassent. Præterea Eusebius disertè testatur, *Constantium immunes ab omni noxa Christianos, & calumnia servasse.* Quis verò Judicum eos violasset, quibus Constantius erat præsidio? Figmentum igitur est, quæ de *Rictovarii* in Martyres grassantis sævitia fabulantur. Quibus accedit, Constantium Gallis omnibus venerationi fuisse, teste Eutropio lib. x. *Hic non modò amabilis, sed etiam venerabilis*

Euseb. l. 8. c. 13.

Optat. l. 1.

Euseb. de Mart. Pal. c. 13.

Gallis fuit, præcipuè quòd Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiani sanguinariam temeritatem imperio ejus evaserant. Quis igitur sibi fingat animo, Judices, populosve invito, repugnanteque Constantio in Christianos sævisse tormentis, quos noverant gratos esse suo Principi? Tanto favore veluti clypeati incedebant Christiani, à cruentis persecutionis telis ab omni parte tuti atque muniti. *Baluziana* solutio non satis Pagio placuit: *Verosimilius*, inquit, *dici posset, Martyres qui Diocletiano, & Maximiano sævientibus passi in Gallia dicuntur, morte affectos fuisse initio imperii Diocletiani, quando Herculium adhuc Cæsarem in Gallias adversus Bagaudas misit.* Quæ nostro judicio Pagii responsio illâ Baluzii longè infirmior est. Primùm enim si tantum Christiani sanguinis anno CCLXXXV. à Maximiano Diocletianoque fusum, ab eo sanè tempore ducenda forent persecutionis initia, quod à veterum Chronologorum, Historicorumve nullo factum est. Deinde principio imperii sui Diocletianum Christianis favisse, ex Eusebio certum exploratumque est. Fitne igitur verosimile, Maximianum Cæsarem, qui debitam Diocletiano, & observantiam & fidelitatem nunquam exuit, gladios suos Ecclesiæ persecutione cruentasse? Siccine fautori suo pergratum fecisset Maximianus, aut ad purpuram augusteam gradum sibi fecisset? Prætereà Ecclesiæ Galliarum nonnisi post decretam à Diocletiano persecutionem dirutæ sunt. Quòd si jam anno CCLXXXV. tot iniquis judiciis Martyrum in Gallia sanguis manasset, multò magis *Conventicula* solo fuissent adæquata. Quis tyrannorum Ecclesias stare voluit unquam, dum in corpora Fidelium impiè grassatur? Cùm ergo nonnisi anno CCCIII. Templa Christianorum in Gallia subversa sint, luce clarius est, anno CCLXXXV. nil persecutionis in ea regione à Diocletiano Maximianoque fuisse commotum. His accedat egregium ex Eusebio argumentum: *Galerius*, inquit, *diu antè reliquos Imperatores, Christianos qui in exercitu militabant, at præsertim eos qui in Palatio suo versabantur, per vim abducere à religione conatus est.* Quæ longè falsissima, si Maximianus aut Diocletianus miserè Christianos prius vexassent quàm Galerius anno CCXCII. Cæsar crearetur.

Pag. Crit. An. 303. n. 8.

Eusеb. l. 8. 259.

Constantii prudens de Christianis explorandis factum.

XVIII. Ubi de persecutione movenda Diocletiani ad Constantium literæ pervenerunt, optimo Cæsari sapiens consilium venit in mentem. Palatinis omnibus, qui in ipsius aula militabant, ad ipsos usque Judices in summis potestatibus constitutos, hanc conditionem detulit, ut si quidem Dæmonibus sacrificassent, manere ipsis in Palatio, & consuetis honoribus frui liceret; si verò id facere renuissent, & ab ipsius aditu excluderentur, & ab ipsius notitia ac familiaritate remoti discederent. Cùm ergo bifariam dirempti essent, & uniuscujusque sententia explorata esset, tum eximius Princeps consilium quod hactenus latuerat, detegens, illorum quidem timiditatem condemnavit; hos verò ob devotam divino numini conscientiam magnoperè probavit. Ac deinde illos quidem tanquam proditores, ne Principis quidem obsequio dignos judicavit: *Nam quomodo*, inquit, *fidem erga Principem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur?* Itaque ejusmodi viros à regiis ædibus procul ablegandos esse censuit; qui verò Christo addicti fuerant, eosdem erga Principem animo futuros esse affirmans, Protectores atque imperii ipsius custodes constituit, dicens, *Multò pluris esse æstimandos, quàm maximorum opum thesauros.* Quibus & apparet, in Gallia intra parietum eversionem vim persecutionis constitisse.

Euseb. Vit. Const. l. 1. c. 16.

Nùm Donatiani & Rogatiani Acta legitima?

XIX. Quæ cùm ita sint, Galliæ Martyribus multi sunt eximendi, quorum nomina in Actis reperiuntur, aut si placet addi Martyribus, in alia prorsus quàm Diocletiani persecutione periisse necesse est. Non possunt igitur ut Acta legitima sese nobis probari, quæ viri eruditi venditant: *Cùm Diocletianus & Maximianus Romanæ urbis apicem gubernarent, missis Epistolis ad Præsidem Galliarum, decreto sanxerunt, ut simulacra Jovis, vel Apollinis, quasi cultu divino deberet universitas venerari.* In urbe Namnetica juvenis, nomine *Donatianus*, qui Christo se totum addixerat, Rogatianum fratrem suum ad fidem adducit. Ne verò susciperet Baptisma, *Fecit Sacerdotis absentia fugitiva, sed quod de fonte defuit, martyrii cruor fusus impendit.* Conflatâ apud Judicem accusatione, post varia tormenta, *Lictor lanceâ militari perfossas cervices beatissimorum gladio vibrante præcidit.* Tabulas martyrii hujus falsi non postulare non possumus. Donatiani & Rogatiani passionem eo contigisse tempore, quo furebat Diocletianus in Christianos, disertè Acta testantur, cum Diocletiani & Maximiani *præceptis in Christianorum nomen bestialis feritas desæviret, ut gratiam Religionis Catholicæ Gentilis sub lege calcarent.* Furor autem Diocletiani non ante annum CCCIII. sese effudit in Ecclesiam. Hoc autem anno nullus erat Galliarum Præses, utpote quæ sub Constantii ditionem ceciderant. Diocletianum Constantio scripsisse scimus: *Et jam literæ ad Maximianum, & Constantium commeaverant, ut eadem facerent*, quæ Nicomediæ fecerat Diocletianus. Nullus verò in Aremoricam Judex missus est, qui Namnetensem exscinderet Ecclesiam. Parietes dirui Constantius passus est, Christianos mactari vetuit. Rogatianus igitur & Donatianus si supplicio affecti sunt, utique à Galliarum Præside cæsi, qui *opportunè in Namnetensem venerat.* Jam verò nulla Galliarum Præsidi data de Christianis exterminandis mandata, nullus & in Aremoricam Judex ea de causa missus. Tam ergo fictum Rogatiani & Donatiani martyrium, quàm falsæ Diocletiani & Maximiani ad Præsidem Galliarum Epistolæ de extinguenda religione.

Lact. de Mort. c. 15.

De Victore Massiliensi. Nùm passionis ejus Acta legitima?

XX. In Gallorum grege Martyrum magnoperè eminet *Victor*, celeberrimus Massiliensium ille patronus: cujus gloria sexto seculo inclarescebat. Victoris meminit Gregorius Turonensis: *Est & ad sepulchrum S. Victoris Massiliensis Martyris mira virtus.* Carmine celebratur à Venantio Fortunato:

Massilia Victor Martyr ab urbe venit.

Gregor. Mirac. l. 1. c. 77.

Ven. l. 8. carm. 4.

Militiam exercuisse ferunt: quâ repudiatâ, ut Christo serviret, coram Maximiano, qui Massiliam venerat, sistitur. Infractâ Victoris constantiâ ad iram inflammatus Maximianus, *S. Martyrem funibus coarctatum per totam urbem præcepit volutari.* Quo facto, dein ad Præfectorum Tribunal laceratus cruentusque iterum reducitur, eâdemque quâ jam nobilitatus fortitudine mandata numinibus sacrificia detrectat. Cumulantur ergo tormenta Martyri: *Nec jam ultrà ferens clementissimus Jesus, certatori suo insigne certaminis, victoriaque signum, crucem videlicet*

Anno Dom. 303.

delicet in manibus gestans, in specie consolantis apparuit, dicens, Pax tibi Victor, ego sum qui in Sanctis meis injurias & tormenta sustineo. Depositum patibulo Christi militem, in obscurissimum omnium carcerem tradunt. At Martyri consolatio Angelica mittitur: *Continuò igitur solutis carceris claustris, depulsâ nocte, totum carcerem die clarior lux cælestis irradiat. Exultans Martyr, laudes Domino cum Angelis leniter se demulcentibus cantat.* Quo milites viso territi, veniam flagitant, Baptismum petunt. Quos pro tempore diligenter instructos, *Adscitis Sacerdotibus, ipsâ nocte ad mare duxit, ibique baptizatos, propriis manibus de fonte levavit.* Nomina hæc sunt militum, *Alexander, Longinus, Felicianus,* qui proximè insecutâ luce ex imperiali jussu gladio feriuntur. Sistitur iterum Victor coram Maximiano, qui Jovis aram jubet afferri. Tum præcipit Victori thura ponere, qui quasi litaturus propius accedens, aram pede prosternit. Mox supplicium eversori aræ imperatur, pesque, quo numinibus injuriam fecerat, amputatur. Subinde ad molam pistoriam ducitur, electumque Dei frumentum sine miseratione conteritur: *Sed cùm dissipata paulò pòst divinitùs machina, spirans adhuc aliquantulum videretur, ad perfectam ejus plenamque victoriam, gladio illi caput abscindunt. Quo facto, vox cælestis intonuit, Vicisti, Victor beate, vicisti.* Corpora Martyrum *à piscibus devoranda Maximianus submergi facit, sed Dominus ministrantibus Angelis, natatu celerrimo sancta corpora in oppositum littus illæsa transpanit.* Quorum Martyrum natale XXI. Augusti celebratur. Si exprimere scribendo mentis sensa liceat, in Actis Victoris multa deprehendimus, quorum est difficillima fides. Massiliensibus quidem suum largiri Victorem facillimè possumus, glorioso clarum martyrio. Massiliæ verò sæviente Diocletiani persecutione jussu periisse Maximiani, ut Acta docent, credere non possumus, quia tum temporis Maximiano nil juris in Massiliam, quam in sua potestate Constantius tenebat, utpote Galliarum civitatem. In Actis Victoris obitus *Agaunensium* martyrium excepit: *Maximianus cùm pro Sanctorum sanguine, quem per totum orbem crudelius aliis, maximèque per totas Gallias recentius fuderat, & præcipuè pro famosissima illa Thebæorum apud Agaunum cæde, nostrorum plurimis nimium terribilis factus, Massiliam advenisset.* Certissimis autem argumentis demonstravimus, Thebææ legionis martyrium ab Eucherio persecutioni generali fuisse alligatum. Quin etiam verba hæc, *Pro Sanctorum sanguine, quem per totum orbem crudelius aliis fuderat,* ad generalem persecutionem necessariò referuntur. Non moramur, & *per totum orbem*, & *crudelius aliis* Christianum sanguinem à Maximiano fusum fuisse. Maximiani sanè crudelitatem quàm longissimè superabat furor Galerii, ut ex Lactantio constat, atque Eusebio. Neque in Dei religionem invadit Maximianus ubique locorum; sed in regionibus, quæ ejus ditioni permittebantur, Italia, Africa, Hispania. Quî potuit & in Gallias sævire, & in Massiliensem civitatem, ubi factâ quatuor in partes imperii divisione, Constantio Galliæ cesserunt? *Victor* igitur, aut imperante Maximiano pro fide non mactatus est, si Massiliæ lucem amisit; aut si ad mortem missus est jussu Maximiani, Massiliæ in persecutione generali pro fide in certamen non venit. Hæc sanè non cohærent, & pugnant historiæ. Sunt etiam Victoris in Actis multa à vero alienissima, quæque venerandam simplicitatem non redolent. Plaustra miraculorum mittamus, quæ Actis suis Autor intulit; hoccine moris erat Ecclesiæ quarti seculi sub initia, unâ eâdemque nocte Ethnicos & *Catechumenos* facere, & *Christianos*, quod in *Alexandro, Longino, Feliciano* factum prædicant. Cui etiam veri sit simile, Judices passos fuisse, Victorem longâ oratione numina conviciis afficientem? Et loquenti subitum non indixissent silentium? Hanc igitur Victori orationem de suo fœneravit Conditor Actorum, qui multo pòst tempore floruit, ut ex his colligitur: Martyrum corpora *in crypta nativo in saxo operosò ac decenter excisa, sepulta multis usque in hanc diem miraculis honorantur.*

Act. Ruin. p. 300.

Anno Dom. 303.

Nùm Hispania persecutione Diocletiani vexata?

XXI. Quæritur inter eruditos, Hispaniamne invaserit Diocletiani persecutio? Negat Dodwellus, uti ex sua opinione negare debuit, utpote qui suâ liberalitate regendas Constantio tradidit Hispanias. Constat verò, Constantium *Verum Dei Templum, quod est in hominibus, incolume servavisse.* Egregiè tamen falsus est vir ille doctissimus, dum Hispanias Maximiano evellit. Quem Autore Lactantio errorem non effugisse mirum est: Maximianus *cùm ipsam imperii sedem teneret Italiam, subjacerentque opulentissimæ Provinciæ, vel Africa, vel Hispania.* In Hispania quoque sævitum testatur Lactantius: *Vexabatur ergo universa terra, & præter Gallias ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant.* Cur solam persecutioni Galliam eximit Lactantius, si cruentæ vexationis Hispania quoque immunis fuit? Afflatam & persecutione Hispaniam fuisse, monet Eusebius: *Hispania, Mauritania, & Africa, cùm vix duobus primis persecutionis annis integris furorem belli experta essent, divini numinis auxilium & pacem brevi sunt consecuta.* Id ipsum innuit Synodus Eliberitana c. 2. *Flamines qui post fidem lavacri & regenerationis sacrificaverunt, placuit eos nec in fine accipere communionem.* Flaminum alii fuere, qui non *immolaverant, sed munus tantùm dederant*, quos non spontè, sed Judicum mandatis & metu ad id faciendum impulsos, extra dubium est.

Dodw. Dissert. Cypr. XI. n. 75.

Lact. de Mort. c. 8.

Lact. de Mort. c. 16.

Euseb. de Mart. Pal. c. 13.

Vincentii Diaconi martyrium.

XXII. Hispaniæ igitur Martyribus libenter *Vincentium* ascribimus, qui vel currente, vel insequente anno martyrii lauream adeptus est. Patre *Euticio* genitus, *Agressi* nobilissimi Consulis filio, & matre *Enolâ*, geminâ scientiâ sub B. Valerio Cæsaraugustæ civitatis Antistite claruit: à quo etiam ad Archidiaconi dignitatem promotus est. Quin etiam cùm impeditioris linguæ Valerius foret, Vincentius partes Pontificis diligenter & oportunè exequebatur. Ubi Diocletiani Maximianique mandatis obsequens *Dacianus* Præses Clericos in carceres duci jussit, Valerius & Vincentius Valentiæ vinculis includuntur. Cùm Judicum in concionem producti fuissent, à *Daciano* interrogantur, Cur Imperatorum mandatis non obsequerentur? Silente Episcopo, utpote impeditioris linguæ, ait Vincentius: *Si jubes, pater, responsis Judicem aggrediar.* Cui Valerius: *Dudum, fili carissime, divini verbi curam tibi commiseram, sed & nunc pro fide, pro qua astamus, responsa committo.* Cùm magno fidentique animo Christi se cultorem Vincentius professus fuisset, furens Dacianus Præses dixit: *Amovete hinc Episcopum istum, justum est enim subire eum exilium, quoniam imperiale contempsit*

Anno Dom. 303.

editum. *Rebellem verò, qui in contumeliam publicam venit, gravioribus exhibete tormentis.* Dum torquetur Vincentius, quærenti Daciano, *Quid dicis, Vincenti? Vel ubi conspicis tuum jam miserabile corpus? Respondet alacri vultu, Hoc est, quod semper optavi; hoc est, quod votis omnibus exquisivi. Nemo mihi amicior, nec familiarior fuit, tu solus meis maximè votis concordas.* Ex equuleo ad ignem raptus gloriosus Martyr, candentis ferri machinam ultrò conscendit: torquetur, flagellatur, exuritur, vulnera vulneribus infliguntur: manet Dei servus immotus, & erectis in cœlum luminibus Dominum precabatur. Cùm nullis tormentis cederet, jubente Daciano stramentis mollibus fovetur, ut exquisitioribus suppliciis reservaretur. Sed in eo lecto cælestem animam Christo reddidit. Ferunt, corpus ejus feris objectum mirè servatum fuisse. Corvus enim & aves, & lupum à sanctis exuviis abegit. Insutum ergo culeo Vincentii corpus Dacianus in mare projici jubet, quod frustrà factum. *Ionica* enim sancta vidua in somnis admonita, corpus Martyris suscipit, quod *sub sacro altari extra muros* urbis *Valentiæ* reconditum est. Hæc carminibus quoque cecinit Prudentius, de Coronis hymno v.

Albani aliorumque in Britannia martyrium.

XXIII. Furente Diocletiano Britanniam Christiano quoque sanguine respersam esse ferunt. Famâ quidem notissimus est *Albanus*, qui Britanniæ Protomartyr habetur: Celebrat Gildu *Sanctum Albanum Verulamiensem, Aron & Julianum, legionum urbis cives. Quorum prior postquam charitatis gratiâ Confessorem persecutoribus insectatum, etiam jamque comprehendendum, imitans & in hoc Christum, animam pro ovibus ponentem, domo primùm, ac mutatis demum vestibus occuluit, & se discrimini in fratris supradicti vestimentis libenter persequendum dedit.* Adscribit Albano miracula idem ille Scriptor, quorum fides sit penes Autorem: Quòd scilicet *iter ignotum trans Thamesis nobilis fluvii alveum, cum mille viris sicco ingrediens pede, suspensis utrinque more præruptorum fluvialibus montium gurgitibus aperiret, & priorem carnificem tanta prodigia videntem, in agnum ex lupo mutaret, & unà secum triumphalem martyrii palmam sitire vehementius & excipere fortius faceret. Cæteri verò sic diversis cruciatibus torti sunt, & inauditâ membrorum discerptione lacerati, ut absque cunctamine gloriosi, in egregiis Hierusalem veluti portis martyrii sui tropæa defigerent.* Illustre Albani certamen canit Venantius Fortunatus:

Gild. de Exc. Brit. p. 708.

Egregium Albanum fœcunda Britannia profert.

Memoria ipsius Junii xxii. recolitur in Martyrologiis. Multa Ado de Albano prodidit, quæ fidem superant: Albanus *post verbera, & tormenta acerba capite plexus est. Sed illo in terram cadente, oculi ejus qui eum percussit, in terram ceciderunt.* Tanta porro Albani gloria fuit, ut Germanus Antisiodorensis, qui anno ccccxxix. de extinguendis Pelagii erroribus migraverat in Britanniam, Martyris reliquias veluti pretiosas sibi gemmas compararit. Albanum lubentes Martyrem profitemur: miraculorum verò quæ à Gilda narrantur, fatemur fidem nobis esse difficillimam.

Arnobius Afer, quo anno libros promulgavit suos?

XXIV. Diocletiano imperante vir illustris *Arnobius* nomine, Ecclesiæ additus est. Quod persecutioni levaminis aliquid attulit, Ecclesia loco Martyrum, quos amiserat, eruditum probumque defensorem sibi comparante. Siccæ urbis Numidiæ Rhetoricam docebat, ubi verò Religionis odore afflatus est, Ethnicam superstitionem ejuravit. Doctissimi Afri vitam paucis Hieronymi Chronicum complectitur: *Arnobius in Africa Rhetor clarus habetur, qui cum in civitate Sicca ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, nec ab Episcopis impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, & tandem veluti quibusdam obsidibus impetravit.* Quo tempore conditi sunt, nondum constat eruditis. Anno ccxcvii. scriptos fuisse, Labbæus aliique eruditi colligunt ex verbis libri secundi p. 42. *Ætatis urbis Romæ, cujus esse in Annalibus indicatur? Annos ducit quinquaginta & mille, aut nomen multum ab his minus.* Qui Urbis annus Dionysianus est ccxxvii. Verùm enimverò multis de causis non satis in eo loco præsidii huic Chronologiæ statuendæ. Primùm enim annum U. C. non certè certòque Arnobius designat. Deinde cùm varia natalium Urbis sit Epocha, *Varroniana* scilicet, *Catoniana*, *Frontoniana*, quam amplexus sit, in ambiguo est. Denique numeros quam facillimè invadit error, in quo & cubare locum laudatum vero propius est. Quippe libro primo scripsit Arnobius, *annos esse trecentos* plus minus, ex quo Christiani esse cœperint. Ex librorum potius materia tempus extundendum esse putamus. Disertam verò de persecutione mentionem facit libro primo sub finem: *Quanam est ista crudelitas, inhumanitas quæ tanta... nunciatorem muneris, & petitorem tanti, non tantùm verborum maledictionibus scindere, verùm etiam bello gravi, atque omnibus persequi telorum effusionibus & ruinis?* Currente igitur, vel insequente anno Arnobii adversus Gentes vii. libri sunt exarati. In Arnobio *quadam esse cavenda*, monet Hieronymus ad Tranquillum Epistolâ 76. De stilo ita censet ad Paulinum Epistolâ 13. *Arnobius inæqualis est, & absque Operis sui partitione confusus.* Magna Arnobio gloria, quòd Latinorum Patrum omnium cultissimum & politissimum Scriptorem Lactantium discipulum habuerit.

Anno U. C. 1057. Per. Jul. 5017. Jul. 349. Dom. 304. Diocletiani 21. Maximiani 19. *Persecut.* 2. *Sel* 5. B. A. *Lun.* 1. *Indict.* 7. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 6. 7. *P.* 9. *Apr.*

Anno Dom. 304.

Coss. Diocletianus ix. & Maximianus Herculius viii.

Heraclius Rufinus Præfectus Urbis.

I. Calendis Januarii Diocletianus Ravennæ Consul processit. Ibi moratus aliquandiu, profectus hyeme, sæviente frigore, atque imbre verberatus morbum levem ac perpetuum traxit, vexatusque per omne iter, lecticâ plurimum vehebatur: *Sic æstate transactâ, per circuitum ripæ Strigæ* (lege Istricæ, unde Dacia Ripensis) *Nicomediam venit.* Per Illyricum scilicet, Pannoniam, Daciam, Byzantium proficiscitur, indeque trajecto Bosphoro, Nicomediam, *morbo jam gravi insurgente.* Quo utcunque se premi videret, prolatus est tamen lecticâ, ut circum quem fecerat dedicaret, anno post Vicennalia repleto: *Deinde ita languere oppressus, ut per omnes Deos pro vita ejus rogaretur, donec Idibus*

In morbum & insipientiam incidit Diocletianus.

Lact. de Mort. c. 17.

Anno Dom. 304.

bus Decembris, luctus repentè in palatio, mæstitia & lachryma, Judicum trepidatio, & silentium, totâ civitate, jam non modò mortuum, sed etiam sepultum dicebant, cùm repentè mane postridie pervagari fama, quòd viveret, domesticorum ac Judicum vultus alacritate mutari. Nec defuerunt qui suspicarentur celari mortem ejus, donec Cæsar veniret, ne quid fortè à militibus novaretur. Et ille Idibus Decembribus, pro mortuo sopitus, animam receperat, nec tamen totam. Demens enim factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.

Const. Or. c. 25.

Lactantio Constantinus suffragatur: *Diocletianus post cruentam persecutionis sævitiam, suamet ipse sententiâ damnatus, ob vitium insaniæ, vili quodam clausus domicilio pœnas dedit.*

Timotheus aliique Palæstinæ Martyres.

II. Intereà de vi suâ persecutio nil remittebat. Urbano Palæstinam administrante, mittuntur Imperatoris literæ, quibus jubebatur, ut omnes ubique locorum ac gentium publicè Idolis sacrificia ac libationes offerrent. Quo tempore *Timotheus* Gazæ innumera passus tormenta, tandem tenui ac lento igne consumptus coronatur. Agapius verò & Thecla cùm ingentem animi constantiam ostendissent, damnantur ad bestias. In annum 306. ad supplicium reservatur Agapius. Consueta Ethnicis spectacula celebrantibus, ingens omnium rumor fuit, Christianos cum bestiis pugnaturos. Cùmque hujus rei fama passim apud omnes increbuisceret, adolescentes numero sex, colligatis prius manibus, ut se ad subeundum martyrium promptos & paratos ostenderent, contento cursu, ad *Urbanum*, qui tunc fortè ad amphitheatrum proficiscebatur, advolant. Primus natione Ponticus, *Timolaus* vocabatur. Alter Tripoli Phœnices oriundus erat, *Dionysius* nomine. Tertius Diospolitanæ Ecclesiæ Subdiaconus, *Romulus* dicebatur. Post hos Ægyptii duo, *Pausis*, & *Alexander*; postremò *Alexander* alter ex urbe Gaza. Qui palam & publicè Christianos se profitentur. Qui ab Urbano, utut audaciam mirante, custodiæ mancipantur. Paucis post diebus alii duo ipsis accensentur, unus nomine *Agapius*, qui multis jam tormentis & confessionibus inclaruerat, alter nomine *Dionysius*, res ipsis ad corporis usum necessarias subministrabat. Omnes uno eodemque die, *Vigesimâ scilicet quartâ mensis Dystri, hoc est, ante diem* IX. *Calend. Apriles*, præcisis capitibus interierunt.

Euseb. de Mart. Pal. c. 3.

De Theodoti martyrio. Nili Acta, an sincera sint?

III. Utrùm proximo, vel præsente anno *Theodotus* Ancyranus martyrii lauream adeptus sit, est in ambiguo. De ejus certamine hæc legimus in Actis. Cauponariam *Theodotus* exercebat, non lucri causâ, sed ut vexatis Christianis esset auxilio. Ad tormenta perferenda animabat eos qui ducebantur captivi, atque ante uvas constitutos hortabatur, pro Christo suscipere mortem. Jusserat Theotecnus Præses Idolothytis panem & vinum inquinari, ne Deo immaculata munera in Eucharistiæ celebratione offerrentur: *Molestissimo huic commento celeriter remedium adinvenit Martyr. Quidquid enim prius emerat à Christianis, iisdem revendebat, ad necessitatem facienda oblationis.* Contigit Victorem amicum Theodoti capi. Accusabatur blasphemiæ in Deos, quòd dixisset, Dianam à fratre Apolline ante aram in Delo fuisse violatam. Carcerem ingressus Theodotus, Victorem ad fidei prælium accendebat. Ac cùm jam penè stadii ad terminum pervenisset, petiit à tyranno breves ad deliberandum inducias. Quo audito, lictores ictibus parcunt, arbitrati Victorem à fide defecisse. Ex plagis verò mortuus est in carcere, ambiguum sibi faciens Martyris nomen. Erant & virgines septem, quas cùm ad impietatem Præses traducere non potuisset, juvenibus violandas tradit. Annum LXX. supergrediebantur, quarum una nomine Tecusa, impudentiori dixit adolescenti: *Quæ voluptas esse poterit commisceri corporibus, senio, jejunio, morbo, cruciatuque consumptis? Indecens vobis amare carnem mortuam, quam mox videbitis à feris avibusque discerpi.* Postquam audiit Theotecnus virgines violatas non fuisse, jussit eas fieri Dianæ & Minervæ Sacerdotes, ut quotannis lavarent eorum simulacra in lacu vicino. Deductæ ad lacum Sacerdotes Minervæ Dianæque coronam, vestemque albam virginibus offerunt. Quæ cùm non sine indignatione idololatriæ instrumenta rejecissent, in lacum jussu Præsidis demerguntur. Visione Theodotus ad sepelienda virginum corpora incitatur. Noctu enim apparuit ei *Tecusa*, talia voce referens: *Ne obsecro sinas nostra corpora sub aquis fieri escam piscium, nam & post duos dies magnum te exspectat certamen. Surgens igitur accede ad paludem, verùm cave tibi à proditore.* Ubi Theodotus venit ad paludem cum comitibus suis, tum fulmina & tonitrua, Martyrque Sosander nomine, armatus clypeo, thorace, galeâ, hastâ, ex quibus undique micabat ignis, custodes in fugam metu vertunt. Paludis fundus siccus apparet, virginum corpora conspiciuntur, quæ in monumento vicino ædis Patriarcharum sepeliuntur. Theodotus verò in carcerem ductus, & multis tormentis laniatus, tandem gladio percutitur. Hujus passionis Scriptor nomine *Nilus*, testem martyrii oculatum & Theodoti amicum sese prædicat. Præclaram hanc narrationem acceptam Papebrochio referimus, quam à Leone Allatio habuit, & è Græco in Latinum transfudit. Quod monumentum tanti fecit Ruinartus, ut Actis suis *sinceris & selectis* illud inseruerit. Non pugnamus quidem, quin Martyr Ancyranus, nomine Theodotus, virginesque numero septem, Tecusa, Alexandra, Phaine, Claudia, Euphrasia, Matrona & Julia, vitam martyrio commutarint. Nilum verò pro mendace Græculo non habere non possumus, cùm multis indiciis post Julianum Apostatam floruisse deprehendatur. Primùm enim meminit *μαρτυρίου*, *martyrii Patriarcharum*, hoc est, Oratorii in eorum honorem extructi: *Theodotus se concluserat in parva domuncula prope martyrium Patriarcharum, quæ pauperis cujusdam erat, Theocaridis nomine.*

Act. Ruin. 361. n. 15.

Est verò falsissimum, Christianorum Ecclesias imperante Diocletiano *martyrii* nomen gestasse. 2°. Præses Theotecnus hanc in Theodotum sententiam dicit: *Theodotum Protectorem Galilæorum potestas nostra jubet gladii subire pœnam*, c. 31. Quibus ipsâ luce clarius est, Actorum Theodoti conditorem Juliano Apostatâ fuisse posteriorem. Perfidus enim ille Princeps id nominis Christianis imposuit. De Babylæ sepulchro Rufinus: *Tum ille* (Julianus) *Galilæos, hoc enim nomine nostros appellare solebat, & auferre sepulchrum Martyris jubet.* Similiter Theodoritus: *Ac primò quidem vetuit, ne Galilæorum filii, sic enim Christianos vocabat, poëtica &c. studiis erudirentur.* 3°. Apotactitarum & secta, & nomen Nili Actorum Scriptoris ævo jam notissimum erat: *Virginum autem nomina hæc sunt, Tecusa, Alexandra, Phaine. Et has tres, Apotactita*

Ruf. h. l. 1. c. 35.

Theodorit. l. 3. c. 8.

ctita

ANNO DOM. 304. August.

ista dicunt esse sua, sicuti verè sunt, c. 29. Apotactitæ verò Hæretici erant: *Qui in suam communionem non recipiebant utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet Ecclesia, & Monachos, & Clericos plurimos.* Illorum quoque meminit Epiphanius hæresi 2. n. *Apotactitas, hoc est, renuntiatores seipsos nominant.* Diu verò Diocletiani ante imperium Apotactitas floruisse, uti sanè floruerunt, si vera Nilus prædicat, cui tres memoratæ ex ea secta virgines, *septuagenariæ* erant, in mentem inducere nostram nequimus. Ex eo sanè loco apparet, Nilum fuisse Monachum, utpote qui suas virgines *Apotactitis* inseruerit, quas & cœlo donavit, & laudibus cumulavit. Ille tamen ipse Nilus *in custodia cum Theodoto* se versatum fuisse, Lectoribus persuadere conatur. Denique spectrum illud, quod custodum oculis objectum dicitur, *Sosander* scilicet gloriosus ille Martyr, clypeo, thorace, galeâ, hastâque armatus, quæ magnis ignibus micabant, aliaque ejusmodi multo vix inveniunt fidem, & à puriorum veterumque Actorum simplicitate longius absunt.

Martyrium Dativi & Saturnini &c.

IV. Pretiosiora nobis exhibent veritatis monumenta, Acta Saturnini, Dativi, aliorumque in Africo Martyrum. In civitate *Abitinensi*, in domo *Octavii*, *Felicis*, gloriosi Martyres *celebrabant ex more Dominicum*, Saturninus Presbyter, cum filiis quatuor, Saturnino Juniore & Felice Lectoribus, Mariâ Sanctimoniali, Hilarione infante. Item Dativus, qui & Senator, Felix, alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus Quintus, Maximianus, Thelics, Rogatianus, Rogatus, Januarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, Prima, Eva, Rogatianus, Givalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Januaria, Saturnina, Martinus, Dautus, Felix, Margarita, Major, Honorata, Regiola, Victorinus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, Herectina, Secunda, item Matrona, Januaria, qui apprehensi producebantur alacres ad forum: Ibi *jam pro Dominicis Scripturis dimicaverat cœlum, cùm Fundanus ipsius civitatis quondam Episcopus, Scripturas traderet exurendas, quas cùm Magistratus sacrilegus igni apponeret, subitò imber cælo sereno diffunditur, ignis Scripturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio pro Scripturis Dominicis elementis furentibus devastatur.* Carthaginem ducti, per totum iter hymnos Domino Canticoque psallebant. Oblati Anulino Proconsuli, Dativus sublevatus in equuleum, jubetur *ungulis pracidi*. Denudatis ad vulnera Martyris lateribus, subitò sese *Thelica* tormentis objiciens clamavit: *Christiani sumus nos.* Subinde gloriosus Martyr, *Ungulis perstridentibus laniatur.* At contrà Thelica Domino preces effundebat *Deo gratias, in nomine tuo, Christe Dei Fili, libera servos tuos.* Talia precanti Anulinus: Quis est, inquit, *Autor tecum congregationis vestra?* Qui crudelius sæviente carnifice respondit, *Saturninus Presbyter, & omnes,* Oranti cùm Judex diceret, *Custodire te oportuit jussionem Imperatorum*, & Cæsarum, defatigato jam corpore proclamavit, *Non curo nisi legem Dei, quam didici, pro ipsa moriar, in ipsa consumor.* Rabie Proconsulis saginatâ in carcerem Felica reducitur. Dum Dativus extenditur in equuleo, Fortunatianus Victoriæ frater amaris Martyrem verbis incessebat. Hic est, ait, ô Domine, qui sororem nostram Victoriam seducens, hinc de splendidissima Carthaginis civitate unà cum *Secunda* & *Restituta* ad *Abitinensem* coloniam secum perduxit. Non tulit Victoria Commartyrem suum falsò appeti Senatorem: *Omnia,* inquit, *meâ sponte & voluntate perfeci. Nam & in collecta fui, & Dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum.* Interrogatus, Nùm in collectâ fuisset, constanter respondit, se Dominicum cum fratribus celebrasse. Recrudescente sævitiâ, Dativus ait: *Rogo, Christe, non confundar. Quid feci? Saturninus est Presbyter noster.* Dativo cùm à Proconsule diceretur: *Ex hac splendida civitate magis debueras alios ad bonam mentem vocare, & non contra præceptum Imperatorum & Cæsarum facere, fortius acclamabat, Christianus sum.* Mox in carcerem truditur. Saturninus ad prælium vocatus, rogatur, Cur contra præceptum Imperatorum fecisset, respondit: *Intermitti Dominicum non potest, lex sic jubet.* Tum carnifices in senile Presbyteri corpus ruunt, ut inter ruborem sanguinis ossa nudata pallerent. Precabatur Presbyter: *Rogo, Christe, exaudi me, gratias tibi ago, Deus, jube me decollari, rogo, Christe, miserere, Fili Dei, subveni.* Carceri rursus inclusus, exoptato supplicio destinatur. Producto Emerito, Proconsul inquit: *In tua domo collecta facta sunt, contra præcepta Imperatorum.* Cui respondit Martyr: *In domo mea egimus Dominicum.* At ille, Quare permittebas, sir, illos ingredi? Respondit, Quoniam fratres mei sunt, & non poteram illos prohibere. At Proconsul, Sed prior, inquit, erat jussio Imperatorum. Contrà religiosissimus Martyr: *Deus, inquit, major est non Imperatores. Rogo, Christe, tibi laudes refero, Christe Domine, da sufferentiam.* Cui talia precanti hæc Proconsul injecit, Habes ergo Scripturas aliquas in domo tua? Et respondit, *Habeo, sed in corde meo illas habeo. Rogo, Christe, tibi laudes, libera me, Christe, patior in nomine tuo, breviter patior, libenter patior, Christe Domine, non confundar.* Cùm Felix & nomine, & passione processisset in prælium de collectâ interrogatus: *Collectam, inquit, gloriosè celebravimus, ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper.* Quâ Confessione confusus Anulinus, fustibus cæsum Felicem occidit. Alter & Felix *fustium illisione quassatus*, inter tormenta vitam reliquit. Similiter omnes interroganti martyrio destinantur. Victoris, cui invitæ sponsum tradebant parentes, clam sese per præceps demiserat, & ad Ecclesiam confugiens, ibi *consecrati Deo dicatique capitis in perpetua virginitate sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit.* Quæ cùm se Christianam professa esset, Anulinus illam supplicio reservavit. Alimentis destituti Martyres, in carcere naturæ satisfecisse fama est: *Gesta Martyrum quibus ostendebatur tempus persecutionis Coss. facta sunt Diocletiano IX. & Maximiano VIII. pridie Idus Februarias.* Ruin. Act. 408.

Crispina martyrium.

V. Præclaram & in Africa victoriam adepta est Crispina, cujus Augustinus meminit enarratione in Psalm. 120. n. 13. Crispinam, *fratres, numquid est, qui in Africa ignoret: clarissima* enim fuit, nobilis genere, *abundans divitiis, sed hæc omnia sinistra erant, sub capite erant, venit inimicus qui ferret caput.* Crispinæ Acta publici juris fecit doctissimus Joannes Mabillonus, sed librariorum vitio nonnullis erroribus offecta. Thagarensis erat Crispina, cui Anulinus Proconsul dixit: *Præcepti sacri jam cognovisti sententiam. B. Crispina respondit, Quid illud præceptum sit nescio.*

ANNO DOM. 304.

ANNO DOM. 304.

nescio. Anulinus Proc. dixit, Ut omnibus Diis nostris pro salute Principum sacrifices. Negante Crispinâ Anulinus dixit, *A novacula ablatis crinibus decalvetur.* Crispina respondit, *Loquantur Dii ipsi, & credam.* Tum Anulinus *Sententiam de libello legit*, & Crispinam *gladio animadverti jussit. B. Crispina respondit, Christo laudes ago, benedico Dominum, qui sic me de manibus tuis dignatus est liberare. Passa est apud Coloniam Thebestinam die Nonarum Decembrium.*

Ruin. Act. 494.

Theodoræ & Didymi martyrium.

VI. Aliorum quoque Martyrum nomina perpetuis seculis Acta commendant. Alexandriæ virgo nobilis, nomine *Theodora*, ad Proculi Judicis tribunal adducta, gloriosam fidei suæ confessionem edit. Cui Judex: *Do tibi tridui spatium, & per Deos, nisi consenseris, in meritorium te statuam.* Elapso triduo vocatur Theodora. Minas intendenti Proculo respondet, Christus *scit, quomodo agnam ancillam suam custodiat.* Perducitur in meritorium. At Christianorum unus militari indutus veste Didymus, ad virginem accedit, quæ peregrino in habitu latentem nesciens, primum turbata fugiebat. Ubi verò pudicitiæ non corruptorem, sed Servatorem novit, muliebri cultu cum militari mutato exit meritorium. Sistitur coram Proculo Theodoræ liberator, & Judicis sententiâ damnatur: *Propter audaciam tuam caput tuum excidetur, & eò quòd non obedisti jussionibus Imperatorum, reliquum corpus tuum igni tradetur.* Virginis mortem his verbis describit Ambrosius: *Fertur, puella ad locum supplicii cucurrisse, certasse ambos de nece. Cùm ille diceret, Ego sum jussus occidi, te absolvit sententia quando me tenuit. At illa clamare cœpit, Non ego te mortis vadem elegi, sed pradem pudoris optavi. Si pudor quaritur, manet nexus: si sanguis exposcitur, fidejussorem non desidero, habeo unde dissolvam. In me lata est ista sententia, quia pro me lata est. Plus legibus debeo, rea non solùm fuga mea, sed etiam cadis aliena. Sufficiunt membra morti, qua non sufficiebant injuria. Est in virgine vulneri locus, qui non erat contumelia. Tibi cessi vestem, non professionem mutavi. . . Quid exspectatis? Duo contenderunt, & ambo vicerunt, nec divisa est corona, sed addita. Ita Sancti Martyres invicem sibi beneficia conferentes, altera principium martyrio dedit, alter effectum.* Didymi & Theodoræ festum Latini celebrant die XXVIII. Aprilis, Græci *quintâ*. Baronius qui unam in Martyrologio Theodoram noverat, mutatâ opinione geminas proponit in Annalibus Theodoras, quia Ambrosiana virgo *Antiochena* est, non *Alexandrina: Antiochia nuper virgo quadam fuit, fugitans publici usus.* Quibus Baronius colligit: *Haud mirum videri debet, si persimiles casus diversis in locis acciderint.* Vero tamen similius est, unam eandemque historiam esse, ac locorum temporumque discrimen Ambrosianæ ignorationi esse referendum. S. Patri historiam non accuratè satis fuisse, eò liquet, quòd & virginis, & liberatoris nomen silentio prætererit. Quòd si cui libet duas distinguere Theodoras, litem hanc nostram non faciemus.

Ambros. lib. 2. de Virg. c. 4.

Bar. An. 309. n. 33.

Agapes, Chiones, Irenes martyrium.

VII. Non muliebri, sed invicto virilique animo Thessalonicæ pro fide certarunt Agape, Chione, Irene, quarum vel in nominibus inest designatio martyrii, Præside Dulcetio: *Cassander Beneficiarius hac scripsit: Scito, mi Domine, Agathonem, Agapen, Chioniam, Irenem, Casiam, Philippam & Eutychiam nolle his vesci, qua Diis sunt immolata. Eas igitur ad tuam amplitudinem adducendas esse curavi.* Ordine omnes cùm interrogarentur, num Imperatorum edictis obtemperare vellent, de sacrificio numinibus faciendo, uti Christianos decet, Sese morti addici malle responderunt. Eutychia quæ septem abhinc menses vidua, uterum gerens, in carcere servatur. Cùm autem Martyrum constantiam expugnare Dulcetius non posset, *Scriptam sententiam legit. Agapen & Chioniam, quoniam iniquis mentibus & contrariis sententiis elata, contra divinum edictum Dominorum Augustorum ac Casarum fecerunt, & nunc etiam temerariam, vanam & piis omnibus execrabilem Christianorum religionem colunt, igni tradendas jubeo. Agatho autem, Casia, Philippa & Irene, quoad mihi placuerit, serventur in carcere.* Cùm rursus S. Irene ad Præsidem ducta fuisset, Dulcetius illam sic affatus est: *Tua insania propositum ex his qua facis manifestè apparet, qua tot membranas, libros, tabellas, codicillos & paginas Scripturarum ad hodiernum usque diem servare voluisti. Qua cùm prolata essent, agnovisti, quamvis quotidie negaveris vos ejusmodi scripta possidere. Quamobrem tibi afferri pœnam necesse est. Sed alienum tamen non videtur, etiam nunc benignitatis partem aliquam tibi condonari, & si volueris nunc saltem Deos agnoscere, ab omni supplicio & periculo libera esse possis. Quid igitur dicis? Num parata es sacrificiis vesci, & Diis immolare? Minimè, inquit, summa enim ignis sempiterni pœna proposita his est, qui Jesum negaverint. Superiore anno, inquit Prases, cùm edictum illud tale ac pium jussum Dominorum Imperatorum ac Casarum primò fuit divulgatum, ubinam vos latuistis? Ad hac Irene, Illic ubi Deus voluit, in montibus, scit Deus, sub dio fuimus.* Dulcetius Præses dixit, *Sorores quidem tua pœnas nostro jussu decretas exolverunt. Te verò, etsi anteà quàm aufugisses, propterea quòd scripta & membranas istas occultaveras, mortis pœna decreta fuerat, non tamen eodem modo jubeo è vita sic repentè discedere. Verùm per satellites ipsos, & Zozimum publicum carnificem in lupanari nudam statui pracipio, è Palatio singulis diebus panem unum sumentem, satellitibus ipsis non permittentibus te illinc discedere.* Ad lupanar ducta à Zozimo, pura intactaque à Deo servatur, ut ne unus quidem turpe aliquid in eam facere, aut dicere ausus fuerit. Revocatus ad Tribunal, dixit Præses: *Numquid in eadem adhùc temeritate persistis? Minimè, inquit Irene, temeritas, sed pietas, in qua persisto.* Tum petitâ chartâ, Præses sententiam hanc contra ipsam scripsit: *Quoniam Irene Imperatorum jussis parere, Diisque immolare noluit, quin imò nunc quoque in Christianorum ordine ac religione perseverat, hac de causa ut anteà duas ejus sorores, ita & ipsam viventem nunc comburi jubeo.* Tum milites Irenem *comprehensam in quendam sublimem locum duxerunt, ubi & ejus sorores anteà martyrium passa fuerant. Cùm autem magnum rogum accendissent, jusserunt ipsam in eum conscendere. Itaque S. Irene Psalmos canens, & Dei gloriam celebrans, in rogum se conjecit, atque ita consummata est, in Consulatu Diocletiani Augusti IX. Maximiani autem Augusti VIII. Kalendis Aprilis.*

Ruin. Act. 421.

Martyrium Irenæi Episcopi.

VIII. Sempiternæ se quoque gloriæ commendavit Irenæus, Sirmiensis Episcopus. Comprehensus offertur Probo, Præsidi Pannoniæ: *Probus Prases dixit, Clementissimi Principes jusserunt, aut sacrificare, aut tormentis succumbere debere. Irenæus respondit, Mihi praceptum est tormenta*

Anno Dom. 304.

menta magis suscipere, quàm Deum denegans, Dæmoniis sacrificare. Probus dixit, *Aut sacrifica, aut faciam te torqueri.* Irenæus respondit, *Gaudeo si feceris, ut Domini mei passionibus particeps inveniar.* Cùmque acerbissime vexaretur, dixit ad eum Præses, *Quid dicis Irenæe? Sacrifica.* Irenæus respondit, *Sacrifico per bonam confessionem Deo meo, cui semper sacrificavi.* Advenientes verò parentes ejus, videntes eum torqueri precabantur eum. Hinc pueri pedes ejus amplectentes, dicebant, *Miserere tui, & nostri, pater, inde uxor & alii lugentes, vultum & ætatem ejus precabantur.* Amici quoque ejus clamantes dicebant, teneræ *adolescentiæ miserere.* Quæ omnia despiciens Irenæus nulli respondit. Secunda confessione Probus dixit: *Uxorem habes?* Irenæus respondit, *Non habeo*, Probus dixit, *Et qui fuerunt illi, qui præteritâ flebant sessione?* Irenæus respondit, *Præceptum est Domini mei Jesu, qui diligit patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut fratres, aut parentes super me, non est me dignus.* Probus dixit: *Consule tibi, juvenis, immola, ut non te cruciatibus impendam.* Irenæus respondit, *Fac quod vis, jam nunc videbis quantam mihi Dominus J. C. dabit tolerantiam adversus tuas insidias.* Probus dixit, *Dabo in te sententiam.* Irenæus respondit, *Gratulor si feceris.* Probus datâ sententiâ dixit, *Irenæum inobedientem præceptis regalibus in fluvium præcipitari jubeo.* Quo audito, Irenæus ferro se subjicere rogat, ut cognosceret Probus, quemadmodum Christiani propter fidem mortem contemnant. Iratus Probus jussit eum etiam gladio percuti. Tum Sanctus Martyr: *Tibi gratias ago, Domine J. C. qui mihi per varias pœnas & tormenta, donas tolerantiam, & æterna gloria me participem efficere dignatus es.* Et cùm venisset ad pontem, qui vocatur *Basentis, expolians se vestimenta sua, & extendens manus in cælum oravit, Domine J. C. qui pro mundi salute pati dignatus es, pateant cæli tui, ut suscipiant Angeli spiritum servi tui Irenæi, qui propter nomen tuum, & plebem tuam productam de Ecclesia tua Catholica Sirmiensium hæc patior. Te peto itamque deprecor misericordiam, ut & me suscipere, & hos in fide tua confirmare digneris. Sic itaque percussus gladio, a ministris projectus est in*

Ruin. Act. 432.

fluvium Savi. Passus est *die* VIII. *Idus Aprilis*, imperante Diocletiano. Quâ temporis nota indicatur, martyrium Irenæi esse anno CCCIV. illigandum.

Euplii Diaconi martyrium.

IX. Adjungamus & Episcopo Diaconum. Pridie Idus Augusti, in Catanensium civitate cùm esset extra velum secretarii Euplius Diaconus, proclamavit, Christianus sum, & pro Christi nomine mori desidero. Audiens hæc Calvisianus Consularis dixit, Ingrediatur qui clamavit. Et cùm ingressus *fuisset Euplius secretarium*

Ruin. Act. 438.

Judicis Evangelia portans, unus ex amicis Calvisiani, nomine Maximus, dixit, Non decet tales chartas eum tenere contra regalem præceptionem. Calvisianus dixit, Lege ea. Euplius aperiens legit, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum... Calvisianus interlocutus dixit, Quoniam innotuit ejus confessio, interrogetur sub tormentis, tradatur tortoribus. Diocletiano IX. & Maximiano VIII. *Coss. Pridie Idus Augustas Calvisianus Consularis dixit ad Euplium positum in tormentis, Quas per tuam confessionem hodie dixisti, quid dicis modò de eis? Euplius liberâ manu signans sibi frontem, dixit, Quæ tunc dixi, & nunc ea confiteor, me esse Christianum, & divinas Scripturas legere. Calvisianus dixit, Quare apud te habuisti, & non tradidisti has lectiones, quas Imperatores vetuerunt? Respondit Euplius, Quia Christianus sum, & tradere non licebat, magisque expedit mori, quam tradere: in his vita æterna est. Qui tradit, vitam æternam perdit. Calvisianus interlocutus dixit, Euplius qui secundum edictum Principum non tradidit Scripturas, sed legit populo, torqueatur. Cùmque torqueretur, dixit Euplius, Gratias tibi, Christe, me custodi, qui propter te hæc patior. . . Calvisianus dixit, Sacrifica, si vis liberari. Euplius dixit, Sacrifico modò Christo Deo meipsum, quid ultra faciam, non habeo: frustra conaris, Christianus sum. Calvisianus præcepit iterum torqueri acrius, cùmque torqueretur, dixit Euplius, Gratias tibi, Christe; succurre, Christe; propter te hæc patior, Christe; & dixit sæpius, & deficientibus viribus, dicebat labiis tantum absque voce, hæc, vel alia. Calvisianus intra velum interius ingrediens, sententiam dictavit, & foras egressus, afferens tabellam legit, Euplium Christianum, edicta Principum contemnentem, Deos blasphemantem, nec resipiscentem, gladio animadverti jubeo, ducite eum. Tunc appensum est ad collum ejus Evangelium, cum quo apprehensus fuerat, proclamante hac Præcone, Euplius Christianus, inimicus Deorum, & Imperatorum. Euplius lætus dicebat semper, Gratias Christe Deo, & cùm ad locum perductus esset, genibus flexis prolixius oravit, & iterum gratias agens præbuit jugulum, & à carnifice decollatus est. Sublatum est posteà corpus ejus à Christianis, & conditum aromatibus sepultum est.*

Anno Dom. 304.

Genesii, Agnetis aliorumque martyrium.

X. Dies multos detineremur scribendo, si Martyrum passiones omnium exhiberemus. In Pannonia, Montanus Siemii Presbyter, Eusebius Cibalitanus Antistes, Pollio, Lectorum primicerius pro fide periere. Pollio Judice Probo *comburitur die* v. *Kalendarum Maiarum*, etsi uno die serius natale ejus in Martyrologiis celebretur. In Italia, teste Ambrosio, Sancta Soteris Ethnico furori sanguinem dedit: *Tam fortis & patiens, ut cùm teneras pœna offerret genas, prius carnifex cædendo defeceris, quàm Martyr injuria cederet. Non vultum inflexit, non ora convertit, non gemitum, non lachrymam dedit. Denique cùm cætera pœnarum genera vicisset, gladium quem quærebat, invenit.* Ejus natale x. Februarii celebratur: *Romæ via Appia S. Soteris virginis & Martyris.* Perpetuæ quoque se famæ commendavit *Agnes* virgo, cujus natale XII. Kal. Februarii celebratur. Duodecim tredecimve annorum fuisse traditur, cùm ad supplicium ducta est, non floribus redimita, sed moribus, non sic ad thalamum nupta properaret, flere omnes, ipsa sine fletu. A Præfecti filio in uxorem ferunt fuisse petitam: *At illa, & hæc sponsi injuria est, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiat. Qui percussor moraris, pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit.* Mirandæ virginis mortem egregio carmine cecinit Prudentius de Coronis hymno 14.

Ambros. l.3 de Virg. c.6.

Ambros. de Virg. l.1.c.2.

Agna sepulchrum est Romulea in domo, &c.

Passa est & Eulalia virgo, x. Decembris, in Hispania apud Emeritensem civitatem Prud. h. 8.

Germine nobilis Eulalia,
Mortis & indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat.

Silentio præterire non possumus *Genesium*, mirandâ mutatione ex Mimo Martyrem, cujus

ANNO DOM. 304.

Ruin. Act. 283.

Calendarium Carthaginense Mabillonianum meminit mense Augusto. Anno vel præterito, vel præsente vitæ caducæ cursum in sempiternum gloriæ mutavit. Spectante Maximiano, & populo *Genesius in medio theatri, quasi ægrotus decumbens se posceret baptizari, Mimum in hac verba proposuit. Eià nostri, gravem me sentio, levem me fieri volo. Illi responderunt, Quomodo te levem faciemus, si gravis es, nunquid nos fabri sumus, & ad runcinam te missuri sumus? Hac verba exhibuerunt populo risum. Genesius iterum, Vesani, Christianus desidero mori. Quare, inquiunt? Quibus Genesius, Ut in illa die veluti fugitivus in Deo inveniar. Evocato autem Presbytero, & Exorcistâ, repentè Deo inspirante credidit. Nam illi juxta lectum ipsius cùm consedissent, dicunt ei, Quid ad nos misisti filiole? Genesius jam non simulatè, sed ex puro corde respondit, Quia accipere cupio gratiam Christi. Cùmque sacramentorum mysteria complessent, & indutus vestibus albis esset, veluti per ludum à militibus raptus, de Christi discutiendus nomine Imperatori* exhibetur. Cui talia loquitur: *Ego parentes meos, & affines causâ nominis Christiani execratus sum, & in tanta derisione habui Christianos, ut mysteria eorum diligenti examine perquirerem, ut ex eorum sanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At ubi me aqua nudum tetigit, & interrogatus, credere me respondi, vidi super me manum cælitùs venientem, & Angelos radiantes super me stetisse, qui omnia peccata quæ ab infantia feci recitaverunt de libro, quæ mox in ipsa aqua laverunt, & mihi candidiorem nive postmodum ostenderunt.* Tum fustibus crudelissimè cæsum Plautiano Præfecto tradidit, ad sacrificia compellendum, à quo in equuleo suspensus, & ungularum diutissimâ laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cùm in fide persisteret, decollari jussus est. Obiit VIII. *Kal. Septembris.*

ANNO DOM. 305.

ANNO U. C. 1058. PER. JUL. 5018. JUL. 350. DOM. 305. CONSTANTII I. & GALERII I. *Persec.* 3. *Sol.* 6. G. *Lun.* 2. *Indict.* 8. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 1. *P.* 1. *April.*

COSS. Constantius Cæsar V. & Galerius Maximianus V.

Posthumus Titianus Præfectus Urbis.

De creandis Cæsaribus Galerii consilium.

I. CAlendis Martiis Diocletianus, quem penè omnes defunctum arbitrabantur, tandem in publicum prodiit, via agnoscendus, quippe qui anno ferè toto ægritudine tabuisset. Nec multis pòst diebus Galerius Cæsar advenit, non ut patri gratularetur, sed ut eum cogeret imperio cedere. Jam conflixerat nuper cum Maximiano sene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est ergo Diocletianum primùm molliter & amicè, jam senem esse dicens, jam minus validum, & administrandæ Reip. inhabilem; debere illum quiescere post labores. Diocletianus verò ajebat, Sibi indecens esse, si post tantam sublimis fastigii claritatem in humilis vitæ tenebras decidisset, & minus tutum, quòd in tam longo imperio multorum sibi odia quæsivisset. Verùm si nomen Imperatoris cuperet adipisci, impedimento nihil esse, quominus omnes Augusti nuncuparentur. At Galerius, qui orbem totum jam spe invaserat, cùm inde sibi aut nihil præter nomen, aut non multum videret accedere, respondit, Debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari, ut duo sint in Rep. majores, qui summam rerum teneant, item duo minores, qui sint adjumento. Inter duos facilè posse concordiam servari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor, & extremus esset. Jam fluxisse annos XV. cùm in Illyricum, vel ad ripam Danubii relegatus, cum Gentibus Barbaris luctaretur, cùm alii intra laxiora & quietiores terras delicatè imperarent. His auditis senex languidus, qui jam Maximiani senis literas acceperat, scribentis quæcunque locutus fuisset, & didicerat à Galerio augeri exercitum, lachrymabundus, Fiat, inquit, si hoc placet. Supererat ut communi consilio omnium Cæsares legerentur. Erat Galerio Maxentius gener, Maximiani Herculii filius, homo perniciosæ ac malæ mentis, adeò superbus, & contumax, ut neque patrem, neque socerum solitus sit adorare, & idcircò utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat Constantinus, sanctissimus adolescens, & illo fastigio dignissimus. Quem à Diocletiano propositum rejecit Galerius: *Ita fiet, ut ego non possim facere quæ velim. Eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant nisi meo jussu.* Proponit ergo *Severum*, hominem saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox pro die, & dies pro nocte. Alterum verò dedit, *Dajam*, adolescentem semibarbarum, quem recens jusserat Maximinum vocari de suo nomine, sorore ipsius natum. Cùm gemebundus regereret Diocletianus, *Non eos homines mihi das, quibus tutela Reip. committi possit*, superbè respondit Galerius, *Probavi eos.* Jam etiam Severum Maximiano miserat Purpurâ induendum. Tum Diocletianus: *Tu videris*, inquit, *qui regimen imperii suscepturus es. Ego satis laboravi & providi, quemadmodum me imperante Resp. staret incolumis. Si quid accesserit adversi, mea culpa non erit.* *Lact. de Mort. c. 18.*

ANNO DOM. 305.

Diocletianus abdicat Imperium Nicomediæ. Maximinus dicitur Cæsar.

II. Cùm hæc essent constituta, proceditur Calendis Maiis. Constantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, & Primores militum electi, & acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant, & vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem ad millia ferè tria, in cujus summo Maximianus ipse purpuram sumpserat, & ibi columna fuerat erecta cum Jovis signo. Eò pergitur. Concio militum convocatur. Cum lachrymis Diocletianus alloquitur milites, Se invalidum esse, requiem post labores petere, imperium validioribus tradere, alios Cæsares subrogare. Summa omnium expectatio quid afferret. Tunc repentè pronuntiat *Severum* & *Maximinum* Cæsares. Obstupefiunt omnes in tribunali. Constantinus astabat sursum. Sciscitari inter se, Nùm Constantini immutatum nomen esset, cùm in conspectu omnium Galer. Maximianus manum retrorsum extendens protraxit à tergo *Dajam*, Constantino repulso, & exutum vestem privatam constituit in medium. Mirari omnes qui esset, unde esset? Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperatæ novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus injecit suam, quâ se exuit, & Diocles iterum factus est. Sic Maximinus præficitur Reip. Ex Lactantio Natale *Politicum* habemus *Maximini*, Germanum verò & naturale docet Eusebius: *Anno* IV. *persecutionis adversus nos concitatæ, die* XX. *mensis* *Euseb. de Mart. Pal. c. 6.*

Mensis Dii, quod est, ante diem XII. *Cal. Decembris, præsente tyranno ipso Maximino, & ob natalem suum spectacula populis exhibente.* Cæsareum Maximini natale primo Maii, germanum & naturale vigesimo Novembris est affigendum. Creato Maximino, *Tum descenditur, & rhedâ per civitatem Veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur.* Ibi Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul à Salonis est, præclaro otio senuit.

Lact. de Mort. c. 19.

Maximianus abdicat Mediolani. Severus creatur Cæsar.

Eutrop. l. 1x.

III. Eodem tempore, sed alio loco, Maximianus Herculius purpuram exuit. Audiamus Eutropium: *Cùm ingravescente ævo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, Autor Herculio fuit, ut in privatam vitam concederent, & stationem tuendæ Reip. viridioribus, junioribusque mandarent, cui ægre collega obtemperavit, tamen uterque una die privato habitu imperii insigne mutavit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani.* Quod Jovis in Templo factum fuisse narrat Eumenius, in Panegyrico quem Constantino dixit: *Hunc ergo illum, qui ab illo fuerat frater ascitus, puduit imitari: hunc illum & Capitolini Jovis Templo jurasse pœnituit, non mirum, quòd etiam genero pejeravit. Hæc est fides, hæc religio Palatini sacrarii devota penetralibus.* Neque ferendis imperii oneribus impar Maximianus. Non sanè si credimus Panegyrico, qui anno CCCVII. Maximiano dictus est, atque Constantino: *Tale est Imperator, quod omnibus nobis incluso gemitu mœrentibus facere voluisti, non quidem tu Reip. negligentiâ, aut laboris fugâ, aut desidiæ cupiditate ductus, sed consilio olim, ut res est, inter vos placito constantiâ, & pietate fraternâ, ne quem totius vitæ summarumque rerum socium semper habuisset, in alicujus facti communitate desereres, ne vel illius, viderit qualis, certè nova laudi cederes. Verum longe diversa in vos erat causa declinandi, aut sustinendi laboris. Quanquam etsi totam excusationem ætatis afferres, sic quoque tibi Reip. curis non erat abnuendum.* Ut Daia Nicomediæ, sic Mediolani *Severus* Cæsar dictus est. Inconsulto vel Diocletiano Severum Maximiano Galerius miserat, ut *ab eo indueretur*, quod & factum fuisse docet Lactantius: Severus *cùm videret futurum, ut Maximiano traderetur, dedit sese ipse vestemque & purpuram eidem, à quo acceperat, reddidit.* Maximianus abdicato Imperio concessit in Lucaniam.

Lact. de Mort. c. 26.

De anno abdicationis Diocletiani.

IV. Vulgatam de abdicatione Diocletiani Chronologiam deserimus, quæ anno superiore privato habitu imperii insigne à Diocletiano, Maximianoque mutatum esse tradit. Quam autoritate suâ, præsidioque cingit Eusebius: *Necdum alter annus hujus bellici motus expletus fuerat, cùm ecce novus & inopinatus casus rem Rom. penè subvertit. Nam cùm ille, qui inter Imperatores primum locum obtinebat, in difficilem quendam morbum incidisset, cujus vi dematus jam de mentis sua statu esse videbatur, unà cum eo Imperatore, qui secundus ab ipso erat, ad privatam vitam se contulit.* Accedit Eusebio in Fastis Consularibus Idacius: *Diocletiano* IX. *& Maximiano* VIII. *Coss. deposuerunt purpuram privati effecti Diocletianus, & Maximianus, & vestierunt Severum, & Maximinum. Nam Constantius & Maximianus, qui Cæsares fuerant, eâdem horâ Augusti nuncupati sunt, die Kal. Aprilis.* Chronicum Alex. recentioresque Chronologos prætermitto. Cùm igitur eo tempore floruerit Eusebius, quo Diocletianus abiit Imperio, in quæstione non immeritò ponitur, num Lactantius anteponi debeat Eusebio, cui favent Eutropius atque Zosimus. Veriorem tamen Lactantii narrationem esse existimamus. Nicomediæ versabatur Lactantius, quo tempore Diocletianus sese abdicavit Imperio, & coram oculis ejus Maximinus Cæsar creatus est. Quis testi oculato fidem detrahat? Sunt & argumenta, quæ astruunt ejus narrationem. Panegyricus Maximiano, & Constantino dictus: *Te rursum vicesimo anno Imperatorem, octavo Consulem, ita ipsa amplexu quodam suo Roma voluit detinere, ut videretur augurari, jam & timere, quod factum est.* Non nescimus, doctissimum Cuperum Panegyrici Autorem illis adjungere, qui anno CCCIV. Diocletiani abdicationem contigisse tradiderunt.

Cup. Not. in Lact. p. 174.

Contraria verò nobis sententia est. *Futura* quippe auguramur & timemus, non *præsentia*. Itaque non octavo Consulatu suo Maximianus in vita se privata constituit. Hoc Roma præsagiebat animo, hoc verebatur. Quod ne fieret, vigesimo imperii anno amplexu quodam suo urbs Maximianum detinebat ad impediendum, quod anno duntaxat CCCV. factum. Aliis rationibus Pagius Lactantii Chronologiam munivit. Victor de Cæsaribus has imperii metas, & tempora Constantii & Galerii posuit Imperio: *Galerio quinquennis Imperium, Constantio annuum fuit.* Hoc verum esse non potest, si ante annum CCCV. uterque Augustus renuntiatur. Constantius enim anno CCCVI. mense Julio, Galerius verò anno CCCXI. vitâ functi sunt. Præterea in Fastis Theonianis legitur: *Coss. Constantinus Cæsar* V. *& Maximinus Cæsar* V. *Constantinus Augustus* VI. *& Maximinus Augustus* VI. Familiaris error Græcorum est, loco *Constantii* & *Maximiani*, *Constantinum* scribere, atque *Maximinum*. De re ipsa constat, nempe *Constantium* atque *Galerium* significari. Quòd si anno CCCIV. Diocletianus & Maximianus abdicassent, anno sequente quem aperuerunt Constantius atque Galerius, Augusti jam appellati fuissent, quem titulum anno duntaxat CCCVI. in Fastis Consularibus adepti sunt: argumento initia imperii hujus ab anno CCCV. Calendis Maiis fuisse deducta. Hoc igitur & die, & anno, Cæsares Constantius Constantini pater, atque Armentarius *Augusti* appellantur. Cæsaribus Severo Italiam, Maximino Galerii sororis filio Orientem obtinentibus. Rejicienda igitur est Baronii Chronologia ad annum CCCVI. n. V. *Hoc eodem anno Galerius Maximianus duos Cæsares creat, Maximinum, atque Severum*, quod & ab eo factum dicit, dum in Italia versabatur. Quem ex Socrate errorem hausit: *Galerius*, inquit, *in Italiam profectus, duos Cæsares, Maximinum in Oriente, Severum in Italia constituit.* Quæ omnia refellit Lactantius, à quo scimus, non à Galerio quidem, sed à Diocletiano, cui Galerius comes erat, Severum Maximinumque pronuntiatos esse Cæsares apud Nicomediam.

Error Bar.

Socrat. l. 1. c. 2.

V. Multis de causis hic annus insignis fuit. Quippe *imperium R. totum in duas partes divisum est, quod quidem nunquam anteà factum memoratur.* Constantius enim & Galerius imperium quasi hæreditatem inter se partiuntur. Plures quidem anteà simul Augusti fuerant. Sed solidum & indivisum tenuerant M. Aurelius, atque Verus. Neque Provinciarum, Legionumve ulla divisio Diocletianum inter, & Maximianum. Primi Constantius, & Galerius orbem Roma-

Nova imperii divisio.

Eusеb. l. 8. c. 13.

ANNO DOM. 305.

Romanum partiti sunt, quæ res illum penè subvertit, & Romanis ingrata fuit. Hinc Porphyrius in Carmine Panegyrico ad Constantinum observante Valesio:

Lacerata cruentis
Imperiù pars fessa poli, divisa gemebat
Sceptra, & Ausonia marebat perdita jura.

Zoz. l. 2. c. 7.

Intermissioni ludorum secularium calamitatem imperii ascribit Zozimus: *Ludis neglectis, cùm imperio se Diocletianus abdicasset, paulatim quasi delituit tacitèque redactum est ad barbariam. Nam à Consulatu Chilonis & Libonis, quo Severus ludos seculares exhibuit, usque ad Diocletiani IX. Maximiani VIII. Consulatum, centum & unus annum elapsi fuerant.* Non eo quidem anno abdicavit Diocletianus, verum tamen est, eo ludos debuisse celebrari, ac eò magis, quòd crudele in fidem Christianam bellum à Diocletiano egregio numinum cultore intendebatur. Omissi tamen non sine Christi numine ludi, quasi Martyrum exundans sanguis hanc Idololatriæ portionem suffocasset.

Mores Maximini, & Severi.

Lact. de Mort. c. 37.

VI. Se dignos Cæsares Galerius voluerat homines impuros, purpuràque indignissimos. Maximinus Daia superstitionis erat immensæ: *Hoc primus invenerat, ut animalia omnia quibus vescebatur, non à coquis, sed à Sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorsus mensa apponeretur, nisi aut delibatum, aut sacrificatum, aut perfusum mero, ut quisquis ad cœnam vocatus esset, inquinatus inde atque impurus abiret.* Flamines in singulis locis, atque urbibus constituit, iisdemque Sacerdotem, cujusque Provinciæ præfecit eum, qui cunctis in Curia muneribus egregiè perfunctus esset, addito ei militari satellitio.

Eusb. l. 8. c. 14.

Lact. de Mort. c. 28.

Superstitionem superabat libido cæca atque effrenata: *Vincit officium lingua sceleris magnitudo, Eunuchi, lenones scrutabantur omnia. Ubicunque liberalior facies erat, secedendum patribus, & maritis fuit. Detrahebantur nobilibus fœminis vestes, itemque virginibus, & per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detrectaverat, in aquis necabatur, tanquam majestatis crimen esset. Sub illo adultero, aliqui constupratis uxoribus, quas ob castitatem ac fidem carissimas habebant, cùm dolorem ferre non possent, seipsos necaverunt. Postremò hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis prægustator esset.*

Eusb. l. 8. c. 14.

De ebrioso homine quid referemus, *Temulentia & crapula eò usque obnoxius fuit, ut in compotationibus insaniret ac fureret, & ea imperaret ebrius, quorum postridie sobrium pœnitebat.* Qua de causa, ut narrat Victoris Epitome, differri quæ præcepisset in tempus sobrium ac matutinum statuit.

Lact. de Mort. c. 37.

Cum libidine immanis rapacitas certabat: *Horrea privatorum claudebantur, apotheca obsignabantur, debita in futuros annos exigebantur. Hinc fames acris afferentibus, hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia quotidiana.* Milites quoque lasciviâ & mollicie diffluere permisit, Præsides verò ac Duces, perinde ac tyrannidis suæ consortes, omni rapacitate atque avaritiâ grassari adversus Provinciales præcepit.

Eusb. l. 8. c. 14.

Excerp. de Const. ●

Neque Severo Cæsari castigati mores: *Ignobilis erat, & moribus, & natalibus, ebriosus, & hoc Galerio amicus.* Saltator temulentus, cui nox pro die, & dies pro nocte. Hominibus ejusmodi vix luce dignis Galerius tutelam Reipublicæ committi voluit, inconsulto Constantio, gemente Diocletiano.

Galerii flagitia.

VII. Galerius adeptus maximam potestatem ad vexandum orbem, quem sibi patefecerat, animum instituit. More Persarum Romanis tanquam familiâ uti voluit. Et quia id apertè jubere non poterat, sic agebat, ut libertatem hominibus auferret & inprimis honores ademit, ut possent viis nobiles subjici cruciatibus:

Lact. de Mort. c. 22.

Torquebantur ab eo non modò Decuriones, sed Primores etiam civitatum, egregii & perfectissimi viri. Et quidem in causis levibus atque civilibus, si morte digni viderentur, cruces stabant. Sin minus, compedes parati. Matresfamilias ingenua ac nobiles in gynaceum rapiebantur. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quatuor stabant, ad quos nullus unquam servus distendi solebat. Quid lusorium, vel delicias ejus referam? Habebat ursos, ferocia ac magnitudinis suæ simillimos, quos toto imperii sui tempore elegerat. Quotiens delectari libuerat, horum aliquem afferri nominatim jubebat. His homines non planè comedendi, sed absorbendi & objectabantur, quorum artus cùm dissiparentur ridebat suavissimè, nec unquam sine humano cruore cœnabat. Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit. Quæ in Christianis excruciandis didicerat consuetudine ipsâ, in omnes exercebat. Nulla pœna penes eum levis; non insula, non carceres, non metalla; sed ignis, crux, fera, in illo erant quotidiana & facilia. Domestici & administratores lanceâ emendabantur. In causa capitis, animadversio gladii, admodum paucis, quasi beneficii loco deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Jam illa his levia fuerunt. Eloquentia extincta, causidici sublati, jurisconsulti aut relegati, aut necati. Litera autem inter malas artes habita, & qui eas noverant, pro inimicis hostibusque protriti & exsecrati. Licentia rerum omnium solutis legibus absumpta, & Judicibus data. Judices militare humanitatis literarum rudes, sine Assessoribus in Provincias missi. At verò illud publica calamitatis & communis luctus omnium fuit. Census in Provincias & civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis, & omnia exagitantibus hostilis tumultus, & captivitatis horrenda species erant. Agri glebatim metiebantur, vites & arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur. In civitatibus urbanæ ac rusticæ plebes adunata, fora omnia gregibus familiarum referta: unusquisque cum liberis, cum servis aderant, tormenta ac verbera personabant, filii adversus parentes suspendebantur, fidelissimi quique servi contra dominos vexabantur, uxores adversus maritos. Quibus de causis in hominibus, quos ursis absorbendos suis Galerius objectabat, Christianos invenerit Ruinartus nescimus, contra mentem sanè Lactantii, explicationem hanc esse scimus. Clades enim memorat, quibus summum rerum fastigium adeptus Galerius Romanum affecit imperium: potuit ea quidem sævitia Christianos vexare, nomine tamen religionis non exercebatur, atque Ethnicos, non minus quàm Christianos ea crudelitas vexabat.

Galerii persecutio.

Lact. de Mort. c. 21.

VIII. Cùm tyrannicis hisce factis delectaretur Galerius, quis non inde colligat, omnia tetra, crudelia, nefaria in Christianos ab eo fuisse adhibita? *Id exitii primò adversus Christianos permiserat datis legibus, ut post tormenta damnati, lentis ignibus urerentur. Qui cùm deligati fuissent, subdebatur primò pedibus, lenis flamma tamdiu,*

diu, donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces, & extincta admovebantur singulis membris, ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aquâ frigidâ, & os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus, citò spiritus redderetur, quod postremò accidebat. Tunc per multum diem, decoctâ omni cute, vis ignis ad ima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur. Corpora jam cremata, lecta ossa & in pulverem comminuta, jactabantur in flumina, ac mare.

Persecutio Maximini. Novæ Epochæ Eusebio ansam præbuit.

IX. Ne Christianorum tormentis aliquid deesset, Galerio pejor adhùc truculentiorque bestia exoritur. Maximinus enim Cæsar, qui Calendis Maii Diocletiani purpurâ indutus fuerat, quasi qui odii in Deum, & impietatis sibi innatæ insignia ostentare vellet, violentius quàm superiores Principes persecutioni incubuit. Anno igitur tertio persecutionis Diocletiani secundum adversus Christianos bellum excitatur. Et per omnes Provincias mittuntur edicta tyranni, quibus Rectores jubentur operam dare, ut omnes omnium urbium incolæ Diis publicè sacrificarent. Quod Cæsareæ factum, rerum quæ in aliis etiam civitatibus, quæ in Maximini potestatem venerant, exemplo est. Præcones per universam Cæsaream cunctos patresfamilias ad Dæmonum templa jussu Prælidis, cui *Urbano* nomen, evocabant. Tribuni quoque militum singulos ex tabella nominatim citabant. Omnibus igitur ubique locorum Christiani infandis doloribus opprimebantur. Hinc videtur Eusebio nasci nova persecutionis Epocha, absque qua cruces Chronologicæ figuntur animo. V. g. Anno tertio persecutionis *Apphianum* obiisse dicitur, *die secundo mensis Xanthici, quod est, ante diem quartum Nonas Apriles feriâ* VI. Quod criterium frustrà quæritur in anno CCCV. qui tertius est persecutionis Diocletiani. Afficitur enim literâ Dominicali G. solarique Epactâ I. Primus ergo Aprilis anni currentis in diem Dominicam incidit. Insuper Agapius obiit *anno quarto persecutionis die vicesimo mensis Dii, quod est, ante* XII. *Kal. Decembres feriâ sextâ.* Quæ nota non est anni CCCVI. Similiter *Theodosia* passa est anno V. persecutionis, *die secundo mensis Xanthici, quod est ante diem* IV. *Nonas Aprilis, ipso die Dominica resurrectionis.* Quæ criteria anno CCCVII. non congruunt, sed anni sunt CCCX. Quòd si qui tertius Eusebio dicitur annus, à secunda persecutione ducit initium, incidet in annum CCCVIII. eòque Apphianus rectè scribitur periisse IV. *Nonas Apriles feriâ* VI. Annus quoque secundæ persecutionis quintus erit Dom. CCCX. in quo dies resurrectionis cohæret secundo Aprilis, qui fatalis Theodosiæ fuit. Primus verò secundæ persecutionis annus incepit mense circiter Novembri, anno Dom. CCCV. Eusebius enim Agapii obitum affigit anno IV. persecutionis, die XX. mensis Dii, quod est, ante XII. Kal. Decembres feriâ VII. Hanc persecutionis Epocham non criteria modò Chronologica, sed Eusebius etiam disertè constituisse videtur: *Atque hæc sunt martyria quæ 8. annorum spatio in Palæstina perpetrata sunt.* Certissimo indicio non à prima persecutione annos numerari.

Ibid.

Ibid.

Euseb. de Mart. Pal. c. 6. & 7.

Euseb. de Mart. Pal. c. 13.

Apphiani martyrium.

X. Ad gloriam martyrii variis gradibus ascendit Apphianus. *Pagis* Lyciæ civitate non obscurâ ortus erat, parentibus locupletissimis. Studii causâ Berytum profectus, calcatis adolescentiæ cupiditatibus, neque exemplorum pravitate, neque sodalium consortio à Sancta Christianorum disciplina sese abduci passus est. A Berytensibus studiis *Pagas* reversus, cùm pater ejus, qui principem locum domi obtinebat, ad Christianæ religionis regulas vitam non dirigeret suam, clam paternâ domo aufugiens, spretis jucundis, ac de sumptu ad diuturnum victum necessario securus Cæsaream migrat, ubi corona martyrii ipsum manebat. Ibi cum Eusebio versatus aliquandiu, ex sacrarum Literarum lectione multum sibi fructus collegit. Nondum annos viginti natus erat, cùm divino, ut videtur, impulsu clam Eusebio Historico, quocum in eadem domo versabatur, neminique communicato consilio ad *Urbanum* Prælidem, tunc fortè libantem intrepidus accessit, *Comprehensâque ejus dexterâ, è vestigio quidem sacrificium omittere ipsum coegit,* hortarique cœpit, ut ab errore absisteret. Vix ea fatus erat Apphianus, cùm à militibus, qui Præsidi apparebant, tanquam à feris discerptus, in carcerem conjicitur: *Ubi cùm noctis ac diei unius spatio pedibus in nervo distentus mansisset, postero die in judicium adducitur. Compulsus deinde à Judice Diis sacrificare, invictam adversus ærumnas & quantumvis horrendos dolores constantiam animi declaravit, lateribus non semel, sed iterum ac sæpius, ad ipsa usque ossa & viscera sulcatis, totque plumbatarum ictibus in os & cervicem verberatus, ut contusâ ac tumefactâ facie, ne ab illis quidem qui eum optimè noverant, agnosceretur. Verùm cùm ille tantis doloribus nullatenus cederet, tortores jussu Præsidis linum oleo madefactum, pedibus ejus, circumponentes, ignem postea subjecerunt. Ignis consumptis ejus carnibus ad ossa usque penetrabat, adeò ut universus humor corporis ceræ instar liquefactus stillatim diffluerit. Dehinc tertio pòst die Judici oblatus eandemque fidei constantiam professus, licet semivivus in profundum mare submersus est.* Ac repentè tantus motus tantusque fragor, non solùm mare, verùm etiam cœlum omne concussit, ut terra quoque & ipsa Cæsariensium civitas eo motu quateretur. Eodemque momento divini Martyris cadaver, utpote quod marini fluctus continere non poterant, ab iisdem ante portas civitatis ejectum est: *Hujusmodi fuit exitus admirandi Apphiani, die secundo mensis Xanthici, quod est, ante diem quartum Nonas Apriles feriâ sextâ.* Ruinartus in annum CCCVI. conferendum existimat Apphiani martyrium, ea de causa quòd *Maximinus nonnisi anno* CCCV. *Calendis Maii Cæsar creatus sit, Apphianus verò tertio Aprilis passus fuerit.* At nodus difficillimus Chronologis objicitur. Quippe feria sexta Aprilis secundo non cohæret, anno sive CCCV. sive sequente. Currente anno Aprilis incipit à die Dominica, ex legibus & literæ Dominicalis G. & Solaris Epactæ I. Anno verò CCCVI. initium Aprilis à *feria secunda* ducitur, quia litera Dominicalis F. Epacta Sol. I. Solvi tamen nodus facillimè potest, si tertius persecutionis annus à secunda persecutione incipit, qui Dom. est CCCVIII. in quo *Parasceve*, sive VI. feria cum secundo Aprilis conjungebatur, quæ Jacobi Capelli Chronologia est. Ac ex eo temporis Criterio Baronium postulat erroris, qui *Apphiani* martyrium anno CCCIV. illigavit, quod necessariò erit in annum CCCVIII. transferendum. Quòd si communi Chronologiæ adhæremus,

Euseb. de Mart. Pal. c. 4.

Ruin. Act. 336.

Anno Dom. 305.

remus, tertiumque persecutionis ab anno CCCIII. numeramus, fatendum est mendum in Eusebio esse, quod eo purgari modo debet: *Hujusmodi fuit exitus admirandi Apphiani die secundo mensis Xanthici, quod est, ante diem I V. Nonas Apriles feriâ secundâ.*

Ulpiani & Ædesii martyrium.

XI. Per idem tempus, iisdemque penè diebus in urbe Tyro adolescens quidam, Ulpianus nomine, post crudeles plagas, & acerbissima flagrorum verbera unà cum cane, & aspide in culeum ex crudo bovis corio insutus in mare præcipitatus est. Aliquanto post tempore Ædesius tam secundum Deum, quàm secundum carnem Apphiani frater germanus, germana cum illo perpessus est. Quippe post innumerabiles confessiones, post diuturnos carceris & vinculorum cruciatus, post Præsidum sententias, quibus ad metalla Palæstinæ fuerat condemnatus, post vitæ rationem planè philosophicam, quam in pallio philosophico agens, perpetuò traduxerat, tandem apud Alexandriam, cùm Judicem qui de Christianis quæstionem habebat, supra modum bacchantem atque insultantem vidisset, & nunc quidem viros graves variis afficientem contumeliis, nunc mulieres eximiâ castitate præditas, atque etiam Virgines Deo devotas, lenonibus ad omne genus turpitudinis dedentem, idem ac frater facere conatus est. Cùm enim hæc ipsi intolerabilia viderentur, ingenti fiduciâ accessit ad Judicem: *Cùmque verbis simul & factis illum pudore atque ignominiâ perfudisset, post hæc multiplices tormentorum cruciatus fortiter perpessus, tandem in mare præcipitatus, eodem quo frater genere mortis interiit.* Judicem *Hierocli*s nomen gessisse cum Valesio existimamus. Ædesium manu suâ plagas iniquo huic ingessisse Præfecto, humique supinum prostravisse & cædisse, prædicant Martyrologia. Verberibus quidem affectum ab Ædesio Hieroclem apertè innuit Eusebius. Quòd si animi sensa hic exprimere liceat, plus in Ædesio modestiæ requireremus, cùm privatis vetitum sit, summorum Magistratuum in os involare. Si peccant, Deum correctorem habent, atque Judicem.

Euseb. de Mart. Pal. c. 5.

Vitalis & Agricolæ martyrium.

XII. Hunc quoque vel proximo anno periisse Martyres *Vitalem* & *Agricolam*, conjecturâ ducimur ad opinandum. Eorum meminit Ambrosius: *Cùm S. Vitalis cogeretur, à persequentibus, ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum J. Christum omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non esset in corpore ejus sine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens, Domine Jesu Christe, Salvator meus, & Deus meus, jube suscipi spiritum meum, quia jam desidero ut accipiam coronam, quam Angelus tuus mihi ostendit, & completâ oratione emisit spiritum. S. Agricola mitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur. Idèoque differebant ejus passionem, sed hac persecutorum honorificentia omnis erat immanitate acerbior, quæ invidebat martyrium. Denique ubi non acquievit S. Agricola, crucifixus est.* Quos Paulinus Martyres celebravit. Aliorum quoque meminit, qui in eadem fortè persecutione periere:

Ambr. de Exh. Cast. c. 1. 2.

His sociis pietate, fide, virtute, corona
Martyres Agricola, & Proculo Vitalis adhærens,
Et quæ Chalcidicis Euphemia Martyr in oris,
Signat virgineo sacratum sanguine littus,
Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit.

Paul. Nat. IX. p. 289.

Julittæ & Cyriaci

XIII. Julittæ & Cyriaci passio est in Martyrologiis celeberrima. Furente Domitiano, Lycaoniæ Comite, qui Martyrum cùmprimis fuso cruore gauderet, fugâ se cum duabus ancillis, trimuloque filio Cyriaco, Iconio unde & orta erat, proripuit. Cùm Seleuciam venisset, turbatas magis res Christianorum offendens, Tarsum abiit. Ab Alexandro, qui Domitiani sævitiam multis partibus superabat, comprehensa Christianam sese profitetur. Alexander tolli à Julitta puerum, matrem verò crudis cædi nervis imperat: *Accepto Prætor manu puero, blandè deliniens, à fletu cohibere omnino nitebatur, genibusque impositum accipere oscula conabatur. Puer verò intentis in matrem luminibus, Prætorem ab se submovebat, manibusque ebuitens, Prætoris faciem unguibus scalpebat. Æmulam S. Cyriacus vocem pronuntiavit, eandem ipsam matris prædicationem edens, ac clamans, Christianus sum. Calcibus quoque Judicis latus petebat. Quamobrem excandescens, pede arreptum è sublimi solio puerum terra allidit.* Hinc Judex Julittæ fodi latera, exque lebete haustam picem bullientem pedibus affundi jubet. Cùm tormentis non cederet, cædi gladio fœminæ cervicem, filii cadaver in damnatorum loco projici jubet. Mortem obiere Cyriacus & Julitta *ad* XVII. *Kalendas Augusti*. At Latinorum in Martyrologiis eorum natale XVI. Junii celebratur. *Antiochia* vitæ cursum peregisse, in Adone legimus. Demetrii quoque Martyris, qui Galerio Maximiano furente periit, mentio est apud Photium. Cujus passionis tempus est in incerto. Doctor pietatis erat Demetrius, qui Thessalonicensem urbem ab erroris tenebris ad Christum adduxerat. Irâ incensus Imperator, quòd juvenis gladiator, nomine *Nestor*, Lyæum interemisset, in fornice custoditum Demetrium, hastis, eo quo concludebatur loco, jubet interfici. Pii viri corpus Martyris clam de nocte in ruderibus, quibus interfectus erat, effossâ terrâ sepeliunt. Leontius verò posteà Illyrici Præfecturam adeptus, excitavit eo loco Templum Sancto Martyri.

Anno Dom. 305.

martyrium, nec non Demetrii.

Ruin. Acta 525.

XIV. Cùm exeunte imperium Maximiano vis persecutionis in Hispania deferbuisset, Episcopi numero XIX. *Illiberi* congregantur. Urbes duæ sunt in Europa nominis hujus. Una in Narbonensi Provincia, de qua Plinius: *Illiberis magna quondam urbis tenue vestigium, hodie Collioure*. Altera verò in Hispania Bætica collocatur. Meminit Plinius *Illiberi, quod Liberini*. Plin. lib. 3. c. 1. Videatur & Ptolomæus lib. 2. Tabula Europæ secunda c. 4. Septem circiter milliaribus à Granatensi civitate sedem obtinuit suam. Quod ostendunt rudera dirutæ civitatis, & Ecclesiæ quæ extant in colle, qui etiamnum mons *Elbira* nuncupatur. Sed & porta Granatensis, quà ad hunc collem tenditur, nomen habet, *porta de Elbira*. Inspiciatur doctissimus Ferdinandi de Mendoza Commentarius, de confirmando Illiberitano Concilio ad Clementem Papam VIII. Obscuram Concilii hujus Epocham declarant tot eruditorum ea de re sententiæ. Anno Domini CCC. vel CCCI. Concilium ante Diocletiani & Maximiani persecutionem celebratum esse statuit *Mendoza* cap. 2. Cujus opinionem *N. Alexander* amplexus est, Ecclesiasticæ historiæ Dissertatione XXI. p. 154. Unum est huic Chronologiæ præsidium Osii præsentia Confessoris, qui Synodo interfuit. Osium Confessorem fuisse, nemo

Phot. Bib. 1406.

De Illiberitanæ Synodi Epocha.

Plin. l. 3. c. 4.

nemo dubitat. Cùm ipse quidem id disertè testatur, in sua ad Constantium Augustum Epistola: *Ego confessionis munus explevi, primum cum persecutio moveretur ab avo suo Maximiano.* Hinc colligi posse videtur, cùm non multò post confessionem excesserit Hispaniâ, Illiberitanam Synodum cui Hosius interfuit, ante persecutionem esse habitam. At doctissimus Joannes Morinus Concilium Decii ante persecutionem fuisse coactum existimat, quo tempore Novatiani error nondum increpserat. Quam ex Illiberitana disciplina, quæ peccatoribus benè multis sacra Eucharistia penitus interdixit, opinionem hausisse videtur. Est tamen incredibile, *Hosium* Cordubensem, *Valeriumque* Cæsaraugustianum, qui pars fuere Synodi, anno CCL. Episcopatum gessisse, utpote qui Maximiani persecutione inclaruerint, annis amplius quinquaginta post Decianum furorem. Neque virium aliquid est in argumento Mendozæ, ut ante Diocletiani persecutionem Illiberitanos cogat. Cùm enim Maximianus in vita se privata constituerit Calendis Maii anni currentis, defervescente in Hispania persecutione, Valerius Cæsaraugustanus, quem in exilium miserat Datianus, ad suam Ecclesiam rediit. Id quoque ab Hosio Cordubensi factum, si post confessionem solum verterat, quod ignoramus. Tam in Hispania sanè hoc anno congregari Synodus Illiberi potuit, quàm Cirthæ in Africa. Omnibus ergo perpensis, longè verisimilior ea Chronologia est, quæ Synodum Illiberitanam anno CCCV. affigit. Calentibus adhùc incendiorum cineribus, Patres Illiberim venisse demonstrat Canon 3. *Flamines qui non immolaverint, sed munus tantùm dederint, eo quòd se à funestu abstinuerint sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem.* Quæ lex proximæ persecutionis indicium est, haud satis congrua, Episcopis in alta pace constitutis, in qua Flamines, qui dederant Christo nomen, aut immolasse numinibus, aut obtulisse munera fidem non habet. Ad nefanda sacrificia hæc cruciatuum metu adducti sunt. Quo certè constringi non poterant, anno CCC. vel CCCI. quibus pax læta ubique locorum obumbrabat Ecclesias. Est tamen quod scrupulum moveat, nempe Synodi titulus: *cùm consedissent Sancti & religiosi Episcopi in Ecclesia Eliberitana.* Ecclesiæ vero edicto Diocletianco subrutæ fuerant. Videant quibus copia est MSS. num titulum habeant ejusmodi. Potuit etiam ab Ethnicis Ecclesia Illiberitana occupari, quæ redeunte pace Christianis reddita est. Non omnes sanè Ecclesias dirutas fuisse, Templum testatur à Gregorio Thaumaturgo Cæsareæ conditum, quod stabat imperante Constantio.

Ath. l. 2. 838.

Morin. de Administr. Sacr. Pæn. l. 19. c. 19.

Membra Illiberitanæ Synodi.

XV. Synodo XIX. Episcopi interfuerunt. In Veteri tamen MS. Petri Pithœi, referente Labbeo, hæc habentur: *Concilium Eliberitanum, Iduum Majarum, Sanctorum Episcoporum numero* XLIII. Vulgari sententiæ magis assentimur. Hæc sunt autem nomina Episcoporum: *Felix* Episcopus Accitanus, *Osius* Episcopus Cordubensis, *Sabinus* Episcopus Spalensis, *Camerinus* Episcopus Tuccitanus, *Sanagius* Episcopus Epagrensis, *Secundinus* Episcopus Castulonensis, *Pardus* Episcopus Mentesanus, *Flavius* Episcopus Eliberitanus, *Cantonius* Episcopus Corsicanus, *Liberius* Episcopus Emeritensis, *Valerius* Episcopus Cæsaraugustensis, *Decentius* Episcopus Legionensis, *Melanthius* Episcopus Toletanus, *Januarius* Episcopus de Salaria, *Vincentius* Episcopus Ossonobensis, *Quintianus* Episcopus Elborensis, *Successus* Episcopus de Eliocroca, *Eutychianus* Episcopus Bastitanus, *Patricius* Episcopus Malacitanus. Sederunt in eo cœtu Presbyteri, interfuere & astantes Diaconi, & plebs universa. Presbyterorum nomina exhibet Labbeus Conciliorum Collectione Maximâ t. 982. Canones constituere LXXXI. qui ad Ecclesiæ spectant disciplinam.

Num Veterum in monumentis mentio Illiberitanæ Synodi?

XVI. Minimi apud Baronium pretii fuisse Eliberitanam Synodum, ipsius verba testantur: Concilium *porro ipsum in multis esse irritum, multa sunt quæ manifeste declarant. Pleraque enim in eo sunt, quæ fines Novatiani erroris visa sunt prope attigisse, dum eis qui capitalia quædam crimina perpetrassent, nec in fine communionem esse dandam pluribus statuitur.* Canonem 36. quo prohibentur *Picturæ* in Ecclesiis, à Claudii Taurinensis discipulo conditum fuisse existimat: *In eam suspicionem adducor, ut aliquis Claudii discipulus, atque sectator ejus Canonis Autor fuerit.* Fatetur verò Canus, hanc de tollendis ex Ecclesia picturis legem ab Illiberitanis Patribus esse latam, sed *non imprudenter modò*, inquit, *verùm etiam impiè.* Baronium tamen injuriæ Illiberitanæ Synodi Episcopis illatæ tandem pœnituit, quos *pro Patribus Sanctissimis* habuit. Errore tamen ducitur scribendo, *nullam Synodi hujus ab Antiquioribus mentionem haberi, atque sic propè antiquatam remansisse, quod*, inquit, *Patres Sanctissimi propemodum visi sint Novatianorum limites attigisse.* Faciles quidem Baronio concedimus, Antiquos Canonum Collectores, Ferrandum Diaconum, Dionysium Exiguum, Crisconiumque, *ne vel saltem nomine tenus*, Illiberitani meminisse Concilii. At meminit Hosius, in Sardicensi Synodo cap. XI. *Osius dixit, recordemini Patres nostros, in tempore præterito decrevisse, ut si quis Laicus in aliqua urbe tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur.* Quod decretum si quærimus, in Illiberitana Synodo reperiemus Canone XXI. *Si quis in civitate positus tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, tantoperè abstineat ut correctus videatur.* Illiberitanam quoque disciplinam indicat Innocentius ad Exuperium cap. 2. de his qui in extremo vitæ suæ fine pœnitentiam simul & reconciliationem exposcunt: *De his*, inquit, *observatio prior durior, posterior interveniente misericordiâ inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.* Præterea doctissimè à Mendoza observatum cap. 4. *Concilium Moguntinum sub Rabano Archiepiscopo, non solùm hujus Concilii testimonio libentissimè frequentissimèque utitur, sed integra adhùc decreta ab hoc repetiit expressè & derivavit. In Concilio Eliberitano* CLXIII. *scriptum est de his quæ filios ex adulterio necant, si qua per adulterium conceperit, idque post facinus occiderit, placuit nec in fine ei dandam esse communionem, eò quòd geminaverit scelus.* Multis ejusmodi ponderis rationibus vir ille clarissimus Synodo huic autoritatem astruit. Sed & Agobardus Lugdunensis Episcopus, in suo de Imaginibus tractatu Synodum laudavit Illiberitanam. Verba hæc sunt Agobardi: *Rectè nimirum ob hujusmodi evacuandam superstitionem ab Orthodoxis Patribus definitum est, Picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Suessonensis Synodes anno 853.

Bar. An. 57. n. 119. 36.

Bar. An. 57. n. 122.

Can. l. v. Concl. 4.

Error Bar.

Bar. An. 305. n. 41.

ANNO DOM. 305.

853. celebrata, Illiberitani quoque Concilii meminit, cujus Canonem LXXV. laudat. Nunc de insignioribus Concilii hujus decretis est agendum.

De cereis de die non accendendis Canon Illiberitanus explicatur.

XVII. In Canone XXXIV. obscura sunt multa, quibus pellendis adhibentur eruditorum interpretationes: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi, inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt; qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione.* Albaspinæus eò opinionis lapsus est, ut Illiberitani statuerent, *animas Martyrum sub altaribus hærere, & habitare*: quâ & opinione Tertullianum de Resurrectione carnis c. 25. & de Anima c. 8. Cyprianumque imbui vir ille doctissimus sibi persuasit. Eò igitur redit ejus explicatio, quòd *Patres vetuerint admoveri cereos ardentes, ne animæ Sanctorum, quæ sub altari permanerent, admoto igne inquietarentur.* Ferd. Mendosa magicam prohiberi superstitionem arbitratur: *Cereos in omnibus sacris adhiberi, & in his quæ ad eliciendas mortuorum animas fieri consueverant, notius est quàm ut à nobis fusius debeat comprobari.* Garsias Loyaisa, cujus explicationem amplectitur du Pin, censet, *Noluisse Concilium cereas per diem in cœmeteriis accendere, ne Fidelium spiritus, dum orationis causâ ad Ecclesiam accedunt, inquietentur frequentiâ cereorum ardentium.* Quæ, si verum volumus, explanationes nil probabilitatis habent. Displicet Albaspinæa. Mentibus Martyrum de commodiori habitatione Patres Illiberitani accommodarunt, quàm de obscuris sub mensa Eucharistica locis. Neque *altare*, cujus Tertullianus, & Cyprianus meminere, locum in quo conficiebatur corporis Christi mysterium significat. Quid quod generatim Synodus vetat, *cereos per diem in cœmeterio incendi.* In omnibus verò cœmeteriis altaria semper collocata fuisse creditu difficillimum. Neque magis *Loyaisæ* sententiam admittimus. Quippe non *cereos* præcisè, sed ingentem cereorum copiam, quæ *frequentia & cura immodica* Fideles inquietasset, solummodò prohibuissent. Itaque Legem Illiberitanam illi non perfregissent, qui paucos fortè cereos accendissent in cœmeterio. Neque verosimilius, frequentiam & curam cereorum turbarum aliquid Fidelibus attulisse. Quamobrem IV. seculi ineuntis potius quàm ætatis nostræ Christianos ea cura quietos sollicitasset? Hodierna quidem cereorum multitudo Hispanos sanè non vexat. Alias mittimus Canonis explicationes, quæ non magis rem acu tangunt. Ne tot sententiarum refutatione morâ longiore detineamur, nostram afferemus explicationem. In cœmeteriis ubi jacebant Martyrum exuviæ, Christianorum agitatos esse conventus, illis solis ignoratum, qui ne vel à limine historiam Ecclesiasticam salutarunt. De gloriosissimo suo Polycarpo Smyrnenses: *Nos demum ossa illius gemmis preciosissimis cariora ubi decebat, condidimus, quo etiam in loco nobis si fieri possit convenientibus, concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare.* Dionysio Alex. hæc Præfectus loquitur Æmilianus: *Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscunque aliis conventus agere, aut ea quæ vocantur cœmeteria adire.* In Actis Proconsularibus Cypriani Paternus Proconsul dixit: Imperatores *præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur.* Et in cœmeterio Sanctus ille Papa *Sixtus* vitam cum sanguine fudit. In his ergo locis mos irrepserat accendendi de die cereos, qui fugandis tenebris usui non erant, cùm Solis ortus diem promeret facibus omnibus lucidiorem. Accendebantur igitur in cœmeteriis ad honorem Martyribus exhibendum. Lumina diurna honoria quidem signum esse, nullus dubitat. Hinc in cella, quâ stola Pontificia condebatur, *lucerna quotidiò lucebat.* Similí de causa Imperatoribus, eorumque natis ignes præferebantur ad venerationem, ut ex Herodiano in vita Commodi observavimus. Eo quoque consilio diurnos cereos accensos fuisse, docemur ea verbis Hieronymi scribentis adversus Vigilantium: *Illud fiebat Idolis, & idcircò detestandum; hoc fit Martyribus, idcircò recipiendum.* Hoc autem est quod ab Illiberitanis prohibetur, ex Veteri Ecclesiæ disciplina, diurnorum prorsus ignium nescia, ut anno U. C. 986. n. 2. quàm fusissimè probavimus. Cur sic prohibeant, rationem hanc afferunt: *Inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt.* Quâ phrasi solutas corporibus mentes designare videntur, non quæ Magorum sanè carminibus subjiciantur, sed quæ felici gloriâ ad cœlum exierant. Est enim incredibile, palam & publicè Christianos Martyrum in cœmeteriis sacris magicis vacasse, aut eò impietatis progressos, ut nefandis ritibus spiritus cælestes evocari posse arbitrarentur. Quam Mendozæ aliorumque conjecturam vel una Medæa refellit:

Nox, ait, arcanis fidissima.

Et ad sacra ejusmodi nigræ victimæ cædebantur, quarum color umbris & manibus similior credebatur:

Cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit.

Noctu etiam Saul evocando Samueli magicæ superstitioni operam dederat. Itaque Firmicus sic Mathematicum informat: *Nunquam nocturnis sacris intersis, sive privata, sive publica dicantur.* Quid perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audet. Hinc Horatius:

Noctem peccatis & fraudibus,
Objice nubem.

Quid igitur sibi volunt Illiberitani? Tertio seculo præcipiti emergere cœpit opinio, quòd Martyrum animæ terras lustrarent, Angelorumque more munitorum officio fungentes, ministerii causâ mitterentur. In Actis Fructuosi legimus: *Post passionem apparuit fratribus, & monuit, ut quòd unusquisque per caritatem de cineribus usurparat, restituerent sine mora. Æmiliano etiam, qui eos damnaverat, Fructuosus pariter cum Diaconis ostendit se in stolis repromissionis, increpans pariter & insultans.* Hanc & in sententiam descendit Nazianzenus, qui de Basilio sic scribit: *A quo nunc quoque per nocturnas visiones admoneor, & castigor, si quando ab officio recessero.* Hinc patet, quamobrem ea cereorum, de die Martyrum in honorem accensorum *spiritus Sanctorum inquietari potuerint.* Cùm enim hic ille cultus superstitionem redoleret, & à veteribus Ecclesiæ institutis abhorreret, Martyrum mentibus ingratum esse Illiberitani statuerunt. Sic Paulus Barnabasque indignè ferebant, Jovis Sacerdotem voluisse tauris vittatis sacrificare. Sic Angelus non tulit Joannem ante pedes ejus procidentem: *Vide*, inquit, *ne feceris.* Hoc est *inquietari*, quia immodi-

Euseb. l. 4. cap. 15.

Euseb. l. 7. cap. 11.

Joseph. l. 18. c. 6.

Metamor. l. 7. f. 3.

Firm. l. 2.

Act. Fruct. c. 6.

Nazianz. Orat. 20. 372.

ANNO DOM. 305.

modicis honoribus, Justorum mentes non delectantur, utpote qui redundent in Domini sui dedecus. Neque Vigilantio objicienti, *magnum prabent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari*, negare potuit Hieronymus, quin colore imprudentiæ, & imperitiæ aliquo cultus ejusmodi condiretur: *Quòd si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere, Confiteor Dei zelum habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Eodem redit explicatio nostra, si plurali, *spiritus Sanctorum*, justorum vitam etiamnum retinentium animæ intelligantur, quas novus ille, & inauditus Martyrum cultus justo dolore afficiebat. Verborum tamen pondus spiritus corporis vinculis liberatos potius innuit. Secus congruentiori oratione dixissent, ne *Fideles inquietentur*.

De Picturis in Ecclesia non recipiendis Canon Illiberitanus explicatur.

XVIII. Commovit multorum animos Illiberitanorum Canon XXXVI. *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Ut Canonis in mentem penetremus, in eo duo sunt observanda; interdictum, & interdicti ratio. Interdictum hoc est, *placuit picturas in Ecclesiis esse non debere*. In mentem, ut videtur, nonnullis venerat, suam imaginibus utilitatem non deesse; imperitorum esse libros: objectis ejusmodi pietatem accendi, alique fidem. Quod cùm Illiberitanis proponeretur, *statuunt picturas in Ecclesia esse non debere*. Quæ antiqua Christianorum disciplina fuit. Clementem Alex. Tertullianumque præterimus, ut Autores Illiberitanis coætaneos audiamus. Sic Lactantius: *Simulachra constituunt, qua quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt, omni enim sensu carent.* Insignis est & Lactantii locus eodem libro c. 17. *Docui Religiones Deorum triplici ratione vanas esse: Unâ, quòd simulachra ipsa quæ coluntur, effigies sint hominum mortuorum; est autem perversum & incongruum, ut simulachrum hominis à simulachro Dei colatur.* Deponenti in Lactantium oculos occurrent dicta ejusmodi innumera. Absurdum autem est, tela hæc in simulachra torsisse Lactantium, si Christianorum in Ecclesiis extitissent *imagines, mortuis similes*. Eodem quoque modo Arnobius in imagines est animatus: *Sequitur ut de signis aliquid, simulachrisque dicamus, quæ multâ arte componitis, & religiosâ observatione curatis. Qua in parte, si fides est ulla, constituere apud nos ipsos nullis considerationibus possumus, utrùmne istud seriò, & cum proposito faciatis gravi, an ridendo ea ipsas puerili alucinatione ludatis.* Quòd si Ecclesias signa, simulachraque jam occupassent, consuetudinem sanè Ethnicorum ridiculis apponere non potuisset Arnobius, nisi abjecto omni pudore. Quæcumque igitur Illiberitanæ legis causa fuerit, nolunt certè picturas in Ecclesiis collocari. Quas verò picturas? Rerum quæ cultu & adoratione afficiuntur: *Ne quod colitur & adoratur, depingatur.* Quis autem adoratur? Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sic est, sed Christum & adoratione prosequimur, hoc est, θεάνθρωπον, Deum simul & hominem, cujus & imago prohibetur Ecclesiis eâ Illiberitanorum Constitutione. Ratio verò interdicti non est longius quærenda. Bellarminus atque Vasquesius sic sancitum esse volunt, *Propter honorem imaginum, quia in parietibus facillimè corrumpuntur.* Cabassutius: *Quia non omnibus innotuerat distinctio, quæ est inter latriam, & duliam.* Shelstratus atque Pagius: Quia Catechumeni *ignorantes mysterium S. Trinitatis, facilè ex picturis illis, Patrem in figura senis, Filium in figura viri, Spiritum in figura columbæ repræsentantibus, in notitiam summæ divinitatis venissent, quam eis occultare studebat Ecclesia.* Miram scilicet altissimamque Catechumenorum sapientiam, qui ex tribus illis figuris naturâ diversissimis collegissent, Deum naturâ unum, in personis trinum esse. Nos obtusiores animi hactenus credideramus, qui Trinitatis ignari forent, visis Trinitatis imaginibus, ad Trinitatis notitiam pervenire non posse, quia ex Logicorum regula, *relata simul sunt & naturâ, & cognitione*. Quicunque igitur mentem non informatam habent Trinitatis notitiâ, visis imaginibus senis, viri, columbæ, Trinitatis notionem sibi depingere non possunt in animo. Neque Shelstratianum nobis inventum probatur, præcipuè propter Catechumenos conditum esse Canonem, de quibus μυ quidem. Quid verò istæ artes, quid machinæ prosunt? Negant Patres, *picturas in Ecclesiis esse debere*: vacuæ igitur imaginum fuerunt Illiberitanorum Episcoporum Ecclesiæ. Non moramur enim Bonæ Cardinalis acumen, Synodum *non prohibuisse in tabulis pingi, quia commodè auferri poterant, & obducto velamine, à profanorum aspectu prohiberi.* Hoccine menti verbisque Canonis respondet? Nonne sunt in Ecclesiis picturæ illæ, quarum parietes tabulis ornantur? Quis unquam gentium dicet nullas in Templo esse imagines, modò quæ collocantur, in parietibus non depingantur? Auditane est Patrum, qui ante Constantinum floruerunt querela, de violatis à persecutione Ecclesiarum imaginibus? Longè alia queruntur eversa Templa, incensas Scripturas: de profanatis imaginibus altum silentium. Quid nodum in scirpo quærimus? Superstitioni & periculo Synodus ivit obviam, dum vetat Christi vel imagines in Ecclesiis esse collocandas; quo loco magis exponuntur venerationi, quàm loci quidem majestas, consecratio, ornatus ipsis conciliant. Hic imaginibus genua ponuntur, faces accenduntur, oscula dispensantur. Qua de re observanda sunt verba Augustini ad Deo gratias: *Idola quidem omni sensu carere quis dubitat? Verùm tamen cùm his locantur sedibus, honorabili sublimitate, ut à precantibus atque immolantibus attendantur, ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis insensata, & exanima afficiunt animos, ut vivere ac spirare videantur.* Candida est atque sincera eruditissimi du Pin Confessio: *Il vaut mieux avouër que les Peres de ce Concile n'ont pas aprouvé l'usage des images, non plus que celui des cierges alumez en plein jour. Mais ces choses sont de discipline.* Atqui cùm ea disciplina, & antiqua sit, & prudentissima, ab ea discedere tutum non existimamus. Sapientis quippe vestigiis vetustatis quantum licet incedere decentius est.

Lact. l. 2. c. 2.

Arnob. l. VI. p. 85.

Bellarm. l. 2. de Imag. c. x.

Cabass. Not. Eccl. p. 77.

Pag. Crit. An 57. n. 6.

Bon. Lit. l. 1. c. 16. n. 2.

August. Ep. 49.

Du Pin N. B. 306.

Cirthense Concilium.

Error Bar.

XIX. Hoc quoque anno CCCV. Cirthense Conciliabulum congregatur, quod Baronius Labbæusque in CCCIII. perperàm collocarunt. Cirtha Numidiæ Metropolis, Constantinæ nomine in honorem Constantini donata est. Victor de Cæsaribus: *Cirtha oppido, quod obsidione Alexandri ceciderat, reposito exornatoque nomen Constantina inditum.* Cùm post persecutionem

Anno Dom. 305.

tionem Basilicæ necdum restitutæ fuissent, *in domum Urbani Carisii consederunt Episcopi* XI. *die Iduum Majarum*, ut habet Optatus, cujus narratio ea Augustini vero propior est, quæ Cirtense decretum *tertio Nonas Martias* illigavit, duobus pene mensibus ante Maximiani Diocletianique abdicationem. Episcoporum hæc sunt nomina: *Secundus* Tigisitanus Numidiæ Primas, *Donatus* Masculitanus, *Victor* Russicadiensis, *Marinus* ab aquis Tibilitanis, *Donatus* Calamensis, *Purpurius* Limatensis, *Menelaus* Secundus minor, *Victor* Garbiensis, *Felix* à Rotario, *Nabor* à Centurione, qui omnes, exceptis quatuor ultimis, *Traditores* fuere, Optato teste lib. I. Cùm Secundus Tigisitanus primæ Cathedræ consedisset, in domo Urbani ad ordinandum Silvanum dixit: *Probemus nos primò, & sic poterimus hic ordinare Episcopum Secundum Silvanum. Donato Masculitano dixit, Dicitur te tradidisse. Donatus respondit, Scis quantum me quæsivit Florus, ut thurificarem, & non tradidit me Deus in manus ejus, Frater, sed quia Deus mihi dimisit, ergo & tu serva me Deo. Secundus dixit, Quid ergo facturi sumus de Martyribus, quia non tradiderunt, ideò & coronati sunt? Donatus dixit, Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem: Secundus dixit, Accede unâ parte. Secundus Marino ab aquis Tibilitanis dixit, Dicitur & te tradidisse. Marinus respondit, Dedi Pollo chartulas, nam codices mei salvi sunt. Secundus dixit, Transi unâ parte. Secundus Donato Calamensi dixit, Dicitur te tradidisse. Donatus respondit, Dedi codices medicinales. Secundus dixit, Transi unâ parte. Et alio loco, Secundus Victori à Rusicate dixit, Dicitur te tradidisse quatuor Evangelia. Victor respondit, Valentinianus Curator fuit, ipse me coegit, ut mitterem illa in ignem. Sciebam illa delicta fuisse, hoc delictum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus. Secundus dixit, Transi ab una parte. Et alio loco Secundus Purpureo à Limatad, Dicitur te necasse filios sororis tuæ, duos Milei. Purpureus respondit, Putas me terreri à te, sicut & alteri? Tu quid egisti, qui tentus es à Curatore, & ordine, ut Scripturas dares, quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti, aut jussisti dari quodcunque. Nam non te dimittebant passim, nam ego occidi, & occido eos, qui contra me faciunt. Ideò noli me provocare ut plus dicam, scis me de nemine tractare. Secundus minor Patruo suo Secundo dixit, Audi quid dicat in te, paratus est recedere, & schisma facere, non tantùm ipse, sed & omnes quos arguis, quos scio quia dimittere te habent, & dare in te sententiam, & remanebis solus Hæreticus. Ideò quid ad te pertinet, quis quid egerit, Deo debet reddere rationem. Secundus Felici à Rotaria, Centurioni & Victori à Garbo dixit, Quid vobis videtur? Responderunt, Habent Deum cui reddant rationem. Secundus dixit, Vos scitis, & Deus. Sedete, & omnes responderunt, Deo gratias.* Vox ea Secundi, *sedete omnes*, absolutio quædam fuit. Victor Garbiensis, Felix à Rotario, & Nabor à Centurione, sic enim legendum monet Optatus libro primo, traditionis scelere sese non polluerant. His peractis *Silvanus* ordinatur.

August. l. 3. contra Crescon. c. 27.

De Cirthensis Synodi anno.

XX. Falsa Consulatus nota, quæ Actis Cirthensibus apponitur, *Diocletiano octies, & Maximiano* VII. *Coss. quarto Nonas Martis Cirtha*, Baronium, Labbeum aliosque decepit eruditos. Octavus enim Diocletiani Consulatus primum persecutionis annum aperuit, quo Synodus Cirthensis cogi non potuit. Finita enim erat Africana persecutio, cùm Episcopi de creando Silvano Cirtham venerunt. Quid verbis Optati disertius? *Post persecutionem apud Cirtham civitatem, quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ, in domum Urbani Carisii consederunt, die Iduum Majarum.* Legendum ergo, *Constantio Cæsare* V. *& Galerio Maximiano* V. *Coss. die Iduum Majarum.* Præterea Paulus Cirthæ Episcopus naturæ jam satisfecerat, cùm *Secundus*, aliique Episcopi in hanc se civitatem contulere, ut in Pauli locum Silvanum sufficerent. Maii verò XIX. anno Dom. CCCIII. Paulus adhùc erat inter homines, nedum Synodo opus esset, creando IV. Non. Martii in ejus locum Episcopo. Hoc clamant Acta Munatii Felicis: *Diocletiano* VIII. *& Maximiano* VII. *Coss.* XIX. *Kal. Junias ex Actis Munatii Felicis F. P. P. Curatoris Coloniæ Cirthensium, cùm ventum esset ad domum in qua Christiani conveniebant, Felix F. P. P. Curator Paulo Episcopo dixit, Proferte Scripturas Legis*, Sed & in hisce Actis *Silvanus* tum temporis Subdiaconi fungebatur officio: *Sedente Paulo Episcopo, Montano, & Victore, Deusatelio, & Memorio Presbyteris astante Marte cum Elio Diacono, Maruclio, Catullino, Silvano, & Caroso Subdiaconis.* Denique Baronianam Augustinus Chronologiam refellit in Breviculo Collationis diei III. cap. 17. *Gesta Martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, Coss. facta sunt Diocletiano* IX. *& Maximiano* VIII. *pridie Idus Februarias. Gesta autem Episcopalia decreti Cirthensis, post eorumdem Consulatum tertio Nonas Martias.* Itaque de vera Cirthensis Synodi Epocha non est amplius ambigendum.

Anno Dom. 305.

Opt. l. 1.

August. Ep. 165.

ANNO U. C. 1059. PER. JUL. 5019. JUL. 351. DOM. 306. GALERII 2. CONSTANTINI 1. *Persec.* 4. *Sol.* F. F. *Lun.* 3. *Indict.* 9. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 2. P. 14. *April.*

Anno Dom. 306.

COSS. Galerius Maxim. VI. & Constantius IV.

Annius Anulinus Præfectus Urbis.

I. Constantius filium suum Constantinum Nicomediæ agentem jam dudum frustrà repetierat nolente Galerio, qui Constantii obitum expectabat quidem, sed tardiorem. Dum gravius laborat Constantius, Galerio misit literas, ut Constantinum sibi videndum remitteret: *Cùm jam diutius negare non posset Galerius, dedit illi sigillum inclinante jam die, præcepitque ut postridie manè acceptis mandatis proficisceretur, vel ipse illum occasione aliquâ retentaturus, vel præmissurus literas, ut à Severo teneretur. Quæ cùm ille prospiceret, quiescente jam Imperatore post cœnam, properavit exire, sublatisque per mansiones multas omnibus equis publicis evolavit. Postridiè Imperator cùm consultò ad medium diem usque dormivisset, vocari eum jubet. Dicitur ei post cœnam statim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poscebat equos publicos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei cursus publicus nuntiatur. Vix lachrymas tenebat.* Constantinus vero incredibili celeritate usus, ut *Severum per Italiam transiens vitaret, summâ festinatione veredis post se truncatis, Alpes transgressus, ad Patrem Constantium venit apud Bononiam.* Hìc Eumenii verba non sunt prætereunda: *Jam tunc cælestibus signis, suffragiis ad salutem Reip. vocabaris, cùm ad tem-*

Ad Constantium Nicomediâ fugit Constantinus.

Lact. de Mort. c. 24.

Excerpt. Val.

Anno Dom. 306.

pus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, classi jam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit, at non advectus cursu publico, sed divino quodam advolasse curriculo videreris. Quæ cùm ipsi Constantino ab homine Gallo dicta sint, illa falsi postulare non possumus. Quod ergo clarissimus Baluzius Constantinum putat ad patrem pervenisse XII. *Kal. Augusti*, nobis non probatur, cùm certum sit Constantium periisse Eboraci VIII. Kalendas Augusti. At gessorioco navali Constantius in Britanniam transfretare, & Eboracum petere non potuit in tam brevi temporis spatio, ac illud tridui est. Neque verba Calendarii ad Julii XXI. *adventus Divi* Baluzianæ conjecturæ præsidio sunt. Innuunt potius Constantini adventum Romam, extincto jam Maxentio. Memorat sanè Calendarium, ludos in eo adventu fuisse celebratos, qui migrante in Britanniam Constantino non sunt editi. *Adventus Divi* CMXXIIII. qua de *centum missibus* explicant eruditi. Quod ergo Lactantius narrat, *Constantinum pervenisse ad patrem deficientem*, lanus intelligi debet, quia jam Constantium attigerat morbus, quo post mensem circiter, extremum Eboraci diem obiit.

Mors Constantii atque funus. Liberi ex Theodora.

II. Cùm igitur Eboracum Constantius venisset, morbo cedens, Constantino militibus commendato, imperium per manus tradidit, atque ita in lecto suo requiem vitæ sicut optabat, recepit. Pulcherrima sunt ea de re verba Panegyrici Constantino dicti: *Non illa Persarum, Cydonumve tela tam certis jactibus destinata fixerunt, quàm tempestivus patri tuo terras relicturo comes assuisti. Omnesque illius curas, quas præsagâ & tacitâ mente volvebat, præsentia tua securitate laxasti. Dii boni, quantâ Constantium pium etiam in excessu suo felicitate donastis? Imperator imperium transiturus factarm in Cœlum, vidit quem relinquebat heredem.* Obiit Julii XXV. Idacius in Fastis: *Constantio* VI. *& Maximiano* VI. *diem functus Constantius, & postea levatus est Constantinus* VIII. *Kal. Aug.* Assentitur & Socrates:

Historia l. 1. c. 1.

In Britannia Constantinus est Imperator in locum patris sui Constantii, qui primo CCLXXI. *Olymp. anno, Julii* XXV. *è vivis excesserat.* Consuetâ Olympiades numerandi ratione, initio scilicet à solstitio ducto non primus Socrati, sed secundus Olymp. 291. dici annus debuit. A Junio quidem suas deduxisse Olympiades credere non possumus. Constantius Princeps fuit benè moratus, cujus egregia facinora complexus est Eumenius Panegyrico, quem Constantino dixit:

Euseb. Vit. Const. l. 1. cap. 22.

Constantinus paternâ ornatus purpurâ, & ex paternis ædibus progressus, Constantium patrem tanquam redivivum, & in filio adhùc regnantem cunctis exhibuit. Post hæc, funus paternum antecedens cum ingenti paternorum amicorum multitudine, quorum alii anteibant, alii subsequebantur, pulcherrimo apparatu exequias Deo devoti principis celebravit. Ex Theodora Herculii filia Constantius superstites liberos reliquit: Constantium Gallo & Juliano patrem Dalmatium, Annibalium parentem Dalmatii Junioris, sive Dalmatiani; filias verò Constantiam, Licinii uxorem, Eutropiam conjugem Nepotiani, & Anastasiam. Sunt etiam qui filiis Constantii alium Constantinum inserunt.

Anni Constantini.

III. Constantinus cujus imperium ingredimur, anno vel CCLXXII. vel CCLXXIII. natus est. In hoc, vel illo lucem aspexerit non definimus, variantibus Historicis. *Constantinus*, inquit in Chronico Hieronymus, *cum bellum pararet in Persas, in Achyrone villa publica juxta Nicomediam moritur, anno ætatis* LXXVI. Quo casu anno CCLXXII. editus est: quòd si sexagesimum quintum non complevit, natus est anno CCLXXIII. quia obiit anno CCCXXXVII. Maii XXI. Idacius in Fastis: *Feliciano & Titiano Coss. Constantinus Augustus ad cælestia regna ablatus est* XI. *Kal. Junias.* Natalis ejus dies est & in obscuro. In libello Bucheriano, de Natalibus Cæsarum mense Februario, *Divi Constantini* III. *Kalendas Martii.* Qui dies in veteri quoque Calendario consignatur. At in Calendario Lambecii pridie Calend. Aprilis habetur *Natale divi Constantini.* Itaque hic animi pendendum, licet eo magis propendeat, ut Februarii XXIII. Constantini natale affigatur, quòd *duobus* monumentis huic diei consecratur, laterculo scilicet, & Calendario veteri. Matrem habuit Helenam, obscurissimo loco natam, quâ primòm ut concubinâ utebatur Constantius, qui tamen illam dein justissimæ uxoris loco habuit. Excerpta Valesiana de Constantio Chloro: *De priore uxore Helena filium jam Constantinum habuit, qui postea Princeps potentissimus fuit. Hic igitur Constantinus natus Helena, matre vilissimâ, in oppido Naiso, atque educatus.* De Naiso urbe Stephanus: *Naisus urbs Thraciæ, opus & patria Constantini Imperatoris.* Daciæ, accuratius loquendo, urbs est Naisus, sed Thracia Europæ regio maxima, tam latè extenditur, ut & Mysiam & Daciam comprehendat. Non igitur Constantinianos natales Britannia sibi vindicare debet, ut Baronio creditum anno 306. n. 16. aliisque eruditis. Quod sic statuerint viri præstantissimi, occasionem dedere verba Panegyrici, anno CCCVII. Maximiano & Constantino dicti: *Liberavit ille* (Constantius) *Britannias servitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti.* Advertere tamen debuerunt, Constantini natale geminum fuisse, *naturale* scilicet, & *regium.* In veteri Calendario Bucheriano VIII. Kal. Augusti, *Natale divi Constantini* CM. XXIIII. quod non *vitæ* quidem, sed *imperii* natalis est ab Eumenio quoque celebratum: *O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti. A Galerio in urbe Roma obsidem tentum fuisse*, errante calamo post Victorem Baronius scripsit. Obses Diocletiano & Galerio datus, sub iisdem fortiter militaverat. A Diocletiano factus erat *Tribunus ordinis primi.* In insidiis eum sæpè Galerius appetiverat. Sub obtentu exercitii, ac lusus feris illum objecerat: *Palam tamen nil audebat, ne contra se arma civilia, & quod maxime verebatur, odia militum excitaret.* Dei manus hominem protegebat, quem orbis Imperio destinaverat. Imperium ingressus est anno Dom. CCCVI. die Julii XXV. quod morte exuit anno CCCXXXII. Maii XXII. Ex quo intelligitur, imperasse annos XXX. menses IX. dies XXIX. Itaque manifestè errant Victor, & Epiphanius libro de Mensuris & Ponderibus, qui annos Constantini *triginta duos* numerarunt. Vixit annos LXIV. menses duos, dies XXVI. Non igitur accurata est Victoris in Epitome Chronologia: *cùm tres & sexaginta annos vixisset, morbo consumptus* est: quintum enim & sexagesimum ingressus *est.*

Constantini mores.

IV. Corporis animique bonis Constantinus egregiè dotatus fuit. Verba hæc sunt Panegyrici Maxi-

ANNO DOM. 306.

Maximiano & Constantino dicti: *O divinum tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis etiam ordine filium, etiam generum esse voluisti. Divi, inquam, Constantii filium, in quem se prima illius juventa transfudit, in cujus ore cælestes illius vultus natura signavit, qui aspectum illius ad Deorum etiam concilia translati, adhùc desiderantibus nobis sufficis pro duobus. Neque enim forma tantùm in te patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium præsentant.* Quæ Lactantio consentiunt: *Constantio filius erat Constantinus, sanctissimus adolescens, & illo fastigio dignissimus, qui insigni, & decoro habitu corporis, & industriâ militari, & probis moribus, & comitate singulari, à militibus amaretur, à privatis & optaretur.* In Constantino præclara multa fuisse testatur & Victoris Epitome: *Commodissimus rebus multis fuit. Calumnias sedare legibus severissimis, nutrire artes bonas, præcipuè studia literarum, legere, ipse scribere, meditari, audire legationes, & querimonias Provinciarum.* Bello quoque insignem egisse, innumeræ testantur victoriæ. De ejus religione suo loco disseremus. Maculis tamen præclaras virtutes infuscavit suas: *Fuit ultra quàm æstimari potest laudis avidus. Habitum regium gemmis, & caput exornavit perpetuo diademate. Irrisor potius quàm blandus. Unde proverbio vulgari, Trachala decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem novissimis pupillus, ob profusiones immodicas nominatus.* Nimiâ credulitate laborasse, ostendit & Crispii filii sui mors infelix & imperatum exilium Athanasio. Perfidiæ quoque insimulatus est à Zozimo: *Licinio Thessalonicam ablegato, velut istic securè victuro, neque multò pòst ei violatâ jusjurandi religione, quod quidem Constantino non insolens erat, laqueo vitam ademit.*

Lact. de Morte cap. 18.

Vict. Ep.

Zoz. l. 2. cap. 28.

Constantinus imperio potitur.

Vict. Ep.

V. Julii XXV. Constantinus annos triginta tres natus Eboraci imperium sumit: *Cunctis qui aderant annitentibus, sed præcipue Eroco, Alemannorum Rege, auxilii gratiâ Constantinum comitato.* Præclara sunt ea de re verba Panegyrici ascripti Eumenio: *Purpuram statim tibi, cùm primus copiam tui fecit egressus, milites utilitati publicæ magis quàm tuis affectibus servientes injecere lacrymanti. Neque enim fas erat diutius fieri Principem consecratum. Diceris etiam, Imperator invicte, ardorem illum te deposcentis exercitus fugere conatus, equum calcaribus incitasse, quod quidem, ut verum audias, adolescentiæ errore faciebas. Quis enim te Cyllarus, aut Arion posset eripere, quem sequebatur imperium.* Cùm dies ille felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo Constantinum Deus ad imperii culmen evexit, salutarem universis, & optabilem Principatum præclaro initio auspicatur: *Nil egit prius, quàm Christianos cultus, ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio, Sanctæ religionis restitutio. Paucis post diebus laureata imago ejus adlata ad malam bestiam,* Galerium scilicet Maximianum. *Deliberavit diu, an susciperet? In eo penè res fuit, ut illam, & ipsum qui attulerat, exureret, nisi eum amici ab illo furore flexissent; admonentes eum periculi, quòd universi milites, quibus invitis, ignoti Cæsares* (Severus & Maximinus) *erant facti, suscepturi Constantinum fuissent, atque ad eum concursuri alacritate summâ, si venisset armatus. Suscepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipsi purpuram misit, ut ultrò ascivisse illum in societatem videretur, jam turbata rationes ejus fuerant. Nec poterat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat.* Quippe constituerat in animo, *Licinium*, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur, Severumque Augustos facere, Maximinum verò, & Candidianum filium suum novennem Cæsares dicere, celebratisque Vicennalibus, fasces imperiales relinquere, ut inexpugnabili eo muro circumseptus, securam & tranquillam degeret senectutem. Illud ergo excogitavit, *Ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum verò non Imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem, cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.* Quo illustri loco apparet, Constantinum Cæsarem fuisse, Augustum nondum fuisse, cùm imperii ratio tres Augustos simul respueret. Ante mensem Octobrem purpuram à Galerio missam esse existimamus, ut sequentia docebunt, etsi diem ignoremus. Egregiis tam corporis quàm animi dotibus Constantinus imperio dignus erat, de quibus pauca hîc obiter referre juvat: *Innumeræ in eo animi corporisque virtutes claruerunt. Militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bello prospera fuit, verum ita ut non superaret industriam. . . . Civilibus artibus & liberalibus studiis deditus: affectator justi amoris, quem omninò sibi & liberalitate, & docilitate quæsivit. Sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius, nihil occasionum prætermittens, quò opulentiores eos clarioresque præstaret.*

ANNO DOM. 306.

Lact. de Morte cap. 25.

Eutrop. lib. x.

Maxentius creatur Augustus.

Zos. l. 2. cap. 9.

Lact. de Morte cap. 26.

VI. Constantini imagine Romæ pro more exhibitâ, Maxentius Maximiani Herculii filius non tolerandum ratus, Constantino quidem imperium esse contributum, se verò tanti Imperatoris filium neglectum jacere, aliis paternum imperium obtinentibus purpuram, quam Galerius, cujus filiam duxerat, invidebat, arripere molitur. Maxentii consilium Galeriana rapacitas adjuvit: *Cùm statuisset, censibus institutis orbem terræ devorare, ad hanc usque prosiluit insaniam, ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam Censitores, qui Romam missi describerent plebem. Eodem ferè tempore castra quoque Prætoria sustulerat. Itaque milites pauci, qui Romæ in castris relicti erant, opportunitatem nacti, occisis quibusdam Judicibus, non invito Populo, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant.* Adjunxit sibi consilii Administros, *Marcellianum*, & *Marcellum* Tribunos militum, & *Lucianum* suillæ carnis præbitorem, quam fiscus Populo R. largiebatur, & Prætorianis militibus. Facinus auspicati sunt, *Arbellio* prius interfecto, quòd is Præfecti urbi locum obtinens, horum molitionibus adversari visus esset. In regium ab his solium Maxentius collocatur. Diem Maxentii natalem, Octobris scilicet XXVII. è tenebris & caligine in lucem vocavit Lactantius: *Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat; qui est ad sextum Calendas Novembris. Eo nuncio allato, Galerius aliquantum rei novitate turbatus est, nec tamen nimium territus. Et oderat hominem, & tres Cæsares facere non poterat, satis visum est semel fecisse quod noluit. Severum arcessit, hortatur ad recipiendum imperium.*

Lact. de Morte cap. 44.

Maxentii origo atque mores. An Herculio gener?

Vict. Ep.

VII. Maxentio, qui Romæ imperium adeptus est, *Eutropia* Syra mulier mater erat; pater est in incerto. Maxentium enim, *Suppositum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis, auspicio gratissimi partus cœpti à puero.* Id

apertè

ANNO DOM. 306.

apertè prædicat & Nazarius in Panegyrico, dum Constantinum inter & Maxentium comparationem instituit: *Ut enim omittam illa, quæ non decet comparare, quod erat ille Maximiani suppositus, tu Constantii pii filius, ille despectissimæ parvitatis, detortis solutisque membris nomine ipso abusivâ appellatione mutilato, tu quod sufficit dicere tantus ac talis.* Licentius tamen hic errat Baronius, qui Herculio Maxentium *generum* fuisse sibi induxit in animum; quod arcanum ex nummo apud *Lalium Paschalinum* asservato, revelari contendit. Sed similitudine nominis decipitur illustrissimus Purpuratus, dum qui Maximiani Galerii est, nummum Maximiano Herculio contribuit. Baronii errorem coarguunt Lactantius mox laudandus, aliique Historici. Victor in Epitome: *Maxentius carus nulli unquam fuit, ne patri, aut socero quidem Galerio.* Excepta de Constantio: *Gener apud socerum, id est, Maxentius apud Galerium.* Pravæ indolis Maxentium fuisse, memoriæ prodit Historia: *Homo erat perniciosæ ac malæ mentis, adeò superbus & contumax, ut neque patrem, neque socerum solitus sit adorare, & idcircò utrique invisus.* Perniciosam hanc indolem turpissimi mores invaserunt. Ex filia Galerii, quæ Tristano *Magna Urbica* vocatur, Romulum suscepit, cui pater superstes, & alium filium, de quo mentio est in Panegyrico incerti Autoris, Constantino dicto: *Ante biduum palatio emigraverat, & cum uxore, & filio in privatam domum sponte concesserat.* Sexennio imperavit, ut legimus Nazarii in Panegyrico: *Quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inflixerat, bimestris ferè cura sanavit.* Imperare cœpit anno currente Octobris XXVII. periit simili die anno CCCXII. Quò pertinent verba Panegyrici incerti Autoris Constantino dicti c. 16. *Divina mens, & ipsius urbis æterna Majestas nefario homini eripuere consilium, ut ex inveterato illo torpore, ac fœdissimis latebris subitò prorumperet, & consumpto per desidias senio, ipsum diem natalis sui ultimâ suâ cæde signaret, ne septenarium illum numerum sacrum & religiosum inchoando violaret.* Septenarium tamen ingressus est uno die.

Baron. An. 308. n. 63.

Lact. de Morte cap. 18.

Maxentius patrem Augustum dicit Christianis favet.

VIII. Maxentius tanti facinoris sibi conscius, licet jure hæreditatis paternæ milites traducere ad se posset, cogitans tamen fieri posse, ut *Maximianus* socer, id ipsum metuens, Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret, quærebat quatenus se à periculo impendente muniret: *Patri suo post depositum imperium in Campania moranti purpuram mittit, & bis Augustum nominat. Ille verò & rerum novarum cupidus, & qui deposuerat invitus, libenter arripuit.* In *Lucania* Maximianum degisse, scribit Zozimus. Quam & in regionem post abdicatum imperium concesserat. In Campaniam verò deliciis refertam rediisse postmodum, Lactantius docuit. Christianos sub sui Principatus initia beneficiis Maxentius multis affecit: *Maxentius qui Romæ tyrannidem arripuit, principio quidem fidei nostræ professionem simulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque Populo R. Itaque subditis suis præcepit, ut à persecutione Christianorum desisterent, fictam scilicet pietatis speciem præ se ferens, atque benignior multò atque humanior superioribus Principibus videretur.*

Lact. de Morte cap. 26.

Eusib. l. 8. cap. 14.

Martyrium Agapii.

IX. Dum Constantinus atque Maxentius edictis suis in Gallia, Hispania, Africa, Italia, persecutionem extinguunt, in aliis regionibus Galerii, Maximinique furor Ecclesiam miserè depascitur: *Anno persecutionis quarto, die XX. mensis Dii, quod est, ante diem XII. Kal. Decembris feriâ VI.* memorabile martyrium perpetratur, præsente Maximino, & ob natalem suum spectacula populis exhibente. In medium adducitur pro pietate pugnaturus Agapius, qui anno persecutionis secundo ad bestias damnatus fuerat: *Hic igitur cùm ter jam anteà ex carcere eductus, & sæpius cum maleficis solemni pompâ traductus esset in stadio, Judice post varias comminationes ad alia subinde certamina ipsum differente, sive quòd miseratione ejus caperetur, sive quòd à proposito eum abduci posse sperabat, tunc tandem præsente Imperatore productus est. Trahitur ergo in medium stadium, unà cum noxio quodam, qui dominum peremisse ferebatur. Post hæc, is quidem qui dominum interfecerat suum, bestiis objectus, veniam & clementiam Imperatoris promeruit, eodem modo quo ille qui temporibus Servatoris fuit Barrabas. Agapius verò primùm ab Imperatore accitus, cùm ab eo postularetur, ut fidei suæ propositum abjuraret, promissâ ipsi, si id faceret, libertate, contentâ voce professus est, Se non ob aliquod crimen, sed pro pietate, quæcunque sibi inferrentur supplicia, non modò alacri & forti animo, sed etiam cum voluptate esse subiturum. Hæc locutus, simul cum dictis facta conjungens, ursæ quæ adversus ipsum dimissa fuerat, concito cursu obviam occurrit, seque ipsum bestiæ devorandum libentissimè obtulit. Post cujus laniatus adhùc spirans in carcerem reportatur. Ubi cùm diei spatio supervixisset, sequenti die, appensis ad ejus pedes lapidibus, medio mari submersus est.* Ex Eusebio discimus, quo mense Maximinus editus sit, Novembri scilicet, quo Natale suum celebravit mensis hujus vigesimo. In Calendas Maii natale ejus Cæsareum incidebat. Ex communi sententia quartus annus persecutionis, Christi est CCCVI. quem ducit Litera Dom. F. Epacta Sol. 2. Incepit ergo November à *sexta feria.* At Capellus ineunte *quarto* secundæ persecutionis anno, qui Dom. est CCCVIII. *Agapium* urso objectum esse contendit. Quâ Epochâ cum Chronologia Eusebius in gratiam redit. Est enim difficile creditu, omnes annos in libro de Palæstinæ Martyribus esse corruptos. Fatendum tamen est, Eusebiani loci hujus numeros non nihil interpolatos esse: *Anno IV. persecutionis, die XX. mensis Dii, quod est, ante XII. Kal. Decemb. feriâ sextâ.* Atqui vigesimus Novembris anno CCCVIII. non *sexta*, sed *septima* feriæ affigitur, quia litera Dom. D. C. Epacta Sol. 4. 5. Primus ergo Novembris incepit à feria secunda. Et vigesimus diei Saturni est addicendus. Legendum ergo non προσαββάτου, sed σαββάτου ἡμέρᾳ, *die Sabbati.* Quo casu dies, quos passionibus Martyrum assignat Eusebius, quadrabunt ad Chronologiæ regulas, Agapiusque urso objectus erit anno CCCVIII. quo quartus incipiet annus secundæ persecutionis, ab anno Dom. CCCV. mense circiter Novembri ductæ.

ANNO DOM. 306.

De anno passionis ejus.

Eusib. de Mart. Pal. cap. 6.

Eusib. de Mart. Pal. cap. 6.

Theodori martyrium.

X. Inclaruit & maximè Theodoto Martyre Amaseensis Ecclesia. Patriam cum Jobo communem habebat, ac militaris erat ordinis. Ad Judicem, Tribunumque qui unà convenerant adductus, de contumacia sua in rejiciendis sacrificiis interrogatus respondit, *Se nescire Deos; sibi Deum unum Christum esse.* Cùm exiguum ad deliberandum tempus ipsi concessum fuisset, facinus

ANNO DOM. 306.

cinus arduum perpetrat. Matri Deorum Templum erat Amaseæ, quod Theodorus in tempore datæ sibi securitatis, captâ occasione, & aurâ secundâ incensum concremavit, reipsâ responsum, quod post deliberationem expectabant, impiis dans. Ubi factum confessus est, cùm Judicum minis non cederet, promissis illum aggrediuntur, spe Pontificatus injectâ. Quæ cùm rejecisset, variis Martyrem cruciatibus lacerant. De pristina tamen virtute nil remittens, in tormentis cantabat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Hoc modo punitum carcer excepit, ac rursus illùc miracula circa Sanctum edebantur, ac noctu vox multitudinis psallentium audiebatur, & facum allucentium, ut in nocturna pervigilatione, splendor ab iis qui foris erant conspiciebatur, adeò ut etiam carceris custos insolitâ atque admirabili visione & auditione turbatus insiliret in domunculam, & neminem inveniret præter Martyrem quiescentem, & cæteros vinctos dormientes.* Ad supplicium ductus igne conficitur. Theodori certamen oratione prosecutus est Gregorius Nyssenus, ex quo pauca hæc subjecimus. Natale hujus Martyris à Græcia die XVIII. Februarii, à Latinis IX. Novembris celebratur.

Nyssen. t. 3. 578.

Apollonii Diaconi, sociorumque ejus martyrium.

XI. Theodoro adjungamus Apollonium & socios ejus. Vitam primum monasticam coluerat Apollonius, qui deinde ad Diaconatum promotus est: *Tempore persecutionis erat ei studium singulos quosque circuire fratres, & cohortari eos ad martyrium. Cùmque fuisset ipse comprehensus, & in carcerem trusus, Gentilium plurimi tanquam insultantes, veniebant ad eum, & verbis blasphemis & impiis insultabant. Inter quos fuit quidam Philemon nomine, choraula famosissimus, & omni populo amabilis.* Cui respondit Apollonius: *Misereatur tibi Dominus, fili mi, & nihil tibi horum quæ locutus es, reputet ad peccatum. Hæc cùm audisset Philemon, corde compunctus est, in tantum ut Christianum se repentè fateretur. Et inde statim pervolat ad tribunal Judicis, atque in conspectu totius populi proclamans, Injustè, inquit, agis, ô Judex iniquitatis, viros religiosos, & Deo amabiles puniens.* Philemoni se Christianum profitenti tormenta incutiuntur omnia. Cognito verò, ex verbis Apollonii hanc mutationem factam esse, illum gravioribus tormentis subdidit, *Et deceptoris in eum crimen exaggerat.* Cui Apollonius: *Utinam & tu, Judex, & omnes qui assistunt, & audiunt me, hunc meum errorem sequeremini. At ille ubi hæc audivit, & ipsum, & Philemonem, ignibus tradi in conspectu populi jussit. Illi verò postquam ingressi sunt flammas, B. Apollonius cunctis audientibus clamabat ad Dominum, Ostende nobis evidenter salutare tuum. Repentè nubes repleta rore circumdedit viros, & flammas accensi ignis extinxit. Quo stupefacti & Judex, & populus, unâ omnes voce clamare cœperunt, Magnus & unus est Deus Christianorum, solus immortalis est.* Hæc cùm fuissent Præfecto Alexandriæ nuntiata, mittit qui & ipsum Judicem, qui mirabilibus divinis credideret, & eos per quos virtus Dei apparuerat, vinctos Alexandriam adducerent. At quos Præfectus miserat, de officio suo sævissimos Apollonius fidem docuit, qui offerunt se Judici, Christianosque se profitentur. Præfectus cùm illos omnes in fide constantes invenisset, universos pariter jubet in mare demergi: *Hoc Sanctis non mors, sed baptismus fuit. Sed & horum corpora integra illibataque maris unda repertavit ad littus. Quæque ab his qui obsequii causâ simul venerant, suscepta & revocata, sub uno sepulchri domicilio collocata sunt.*

Rufin. Vit. Patr. c. 19. Pallad. h. Laus. c. 65. & 66.

ANNO DOM. 306.

Barlaami & Gordii martyrium.

XII. In hunc quoque annum Barlaami martyrium conjici potest, cujus & tempus, & locus non satis ad animum appellunt. Natale in Martyrologio R. Novembris XIX. celebratur: *Cæsareæ in Cappadocia S. Barlaam Martyr is, qui agrestis licet & rudis, Christi sapientiâ munitus, tyrannum vicit, & ignem ipsum fidei constantiâ superavit.* Martyrem certè certòque fuisse, testantur & Basilius t. 1. Hom. 18. & Chrysostomus t. 1. Hom. 73. *Aris pro more Dæmoniaci libaminis igne imposito, Martyrem adductum sistentes, focoque incenso dextram supinam impendere jubentes, manu quasi æreo altari abutebantur, thure illi ardenti maliciosè imposito. Sperabant enim ignis vi expugnatam manum necessariò ac velociter incensum thus in aram excussuram. . . . Sed immota perstitit strenuè contra flammam dimicans, & Prophetiæ Martyri voces proferendas administrans, ut diceret, Benedictus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Non prætereatur & à nobis Gordii certamen, cujus tam passio certa est, quàm passionis tempus in incerto. Cæsareæ Cappadociæ civis Centurionis dignitate ornabatur. Cùm in ea civitate gravissima persecutio mota fuisset, Idolaque adoranda proponerentur, Gordius *abjecto militiæ baltheo, spontè sibi exilium delegit.* Ibi sese jejuniis, orationibus, oraculorum meditatione probè exercitatum, & ad certamen instructum animadvertens, hunc maximè diem observavit, in quo frequens civitas visendo equestri spectaculo erat intenta, ut eam ingrederetur. Stans igitur in eminentiore parte theatri, ingenti voce exclamavit: *Ecce inventus sum ab iis qui me non quærunt, his qui me non interrogabant, palam apparui.* Erat aspectu horridus, & quod montana diu incoluerat, squallenti capillo, barbâ promissâ, veste obsitâ, corpore toto aridus, perâ præcinctus, baculo innixus. Sistitur ad Præsidis tribunal, à quo, Quisnam, aut cujas esset, miti voce interrogatur: *Ubi verò patriam, genus, & gradum dignitatis, quem tenuerat, enarravit, Reversus sum, inquit, palam ostendens, quòd tua edicta nihil omninò curo, sed J. Christum spem meam, meumque præsidium profiteor.* Talibus dictis accensus Judex, omni tormentorum subtili invento Gordii constantiam expugnare certabat: *Martyr autem oculos in Cœlum attollens, sacra Psalmorum carmina sibi decantabat, Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Invictum ergo virum Judici blanditiis adoriri placuit. Pollicetur locum inter milites illustrem, opes, facultates, quidquid denique animus cuperet. At ille ne sic quidem victus Præsidis insaniam ridebat. Qui furore percitus, ensem vaginâ diripit, lictorem coram astare jussit. Tum Gordium beatam vitam morte imminente jam spectantem amici amplectuntur flentes, hortantur ne sese in ardentes flammas conjiceret, corde Christum retineret, ore negaret. At in incœpto fortiter perstitit, flentibus dicens: *Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos continuò grassantur. Linguam quidem quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, ut suum neget autorem.* Hæc ubi dixit, crucis se signo communivit, & supplicium hilaris contendit. Ejus Natale Januarii 3. recolitur.

Basil. t. 1. Or. 19.

XIII.

Anno Dom. 306.

Canones Petri Alex.

An. 305. n. 18.

XIII. Currente anno Petrus Alex. suos de pœnitentibus Canones edidit, quos in annum proximum Baronius conjecit. Quia anno citius quàm oportuit Diocletianeæ persecutionis constituit initia. Eucharistiæ inhiabant pœnitentes, quâ muniti, gloriosiori se certamini offerrent. Sermonem igitur habuit, ex quo Canones xv. excerpti sunt. Primum exscribemus, qui plurimum conducit ad illustrandam Historiam atque Chronologiam: *Quoniam autem quartum Pascha persecutionem jam apprehendit, satis est iis qui delati quidem sunt, in custodiamque conjecti, tormentaque non sufferenda, & intolerabilia flagella, & multas alias graves necessitates sustinuerunt, posteà autem sunt à carnis imbecillitate proditi, etsamsi non initio suscepti sunt propter gravem lapsum consecutum, tamen quia multum decertarunt, & diu restiterunt, non enim sponte ad ea devenerunt, sed à carnis imbecillitate proditi, nam & stigmata Jesu in suis corporibus ostentant, & anno jam tertio deflent, eis ab adventu per revocationem in memoriam alii XL. dies injungantur (quos cùm jejunasset Dominus noster J. C. postquam baptizatus fuerat, tentatus est à Diabolo) in quibus & ipsi cùm valde exercitati fuerint, & constantius jejunaverint, vigilabunt in orationibus deinceps meditantes quod dicitur à Domino, ad eum qui illum tentat, ut ipsum adoret, Abi retrò, Satana, scriptum est enim, Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.* 2°. Iis qui sine cruciatibus carcere egressi sunt, anni adhùc pœnitentiam injungit. 3°. Ex infrugifera ficus parabola, illis qui nil mali perpessi sunt, quadriennii pœnitentiam imponit. 4°. Illorum miseriam deflet, qui pœnitentiam agere nolunt, quibus & æternum minatur exitium. 5°. Qui cautè egerunt velut, *Qui altaria pervaserint, vel tanquam qui chirographum dederint, vel qui pro se Ethnicos immiserunt*, in semestri pœnitentia collocantur. 6°. Eorum meminit, qui servos pro se Christianos submiserunt. 7°. Liberos homines hujus substitutionis reos, *tribus annis pœnitentia examinari* jubet. 8°. Reparantibus certamen concedit Eucharistiam. 9°. Qui sese ingerunt in martyrium, illos non excludit Sacramento corporis & sanguinis Christi, eorum tamen imprudentiam accusat, & temeritatem, utpote qui verba Servatoris non attenderint, *Et ne nos inducas in tentationem*. 10°. Lapsis Clericis Sacramenta quidem ministrat, eos verò movet officio suo. 11°. Clementiam erga eos adhibet, qui sese obtulerunt martyrio, in quo infirmitate carnis inferiores fuere. 12°. Eos absolvit criminis, qui solutâ pecuniâ sese sacrificiis exemerunt, additis exemplis ex Marci 8. & Act. 17. 13°. Eos qui omnia reliquerunt servandæ fidei, laudibus afficit. 14°. Confessoribus eos inserit, qui vi compulsi, immolata invito animo gustarunt: veluti si in *ore ferrum & vincula acceperunt*. 15°. Feriâ & quartâ propter initum à Judæis consilium de proditione *Domini*; & sextâ, quòd ipse passus sit, docet esse jejunandum. Lætam verò vult esse diem Dominicum, *In quo ne genua quidem flectere accepimus*. Est & Petri aliud opus, cujus tempus ignoratur, cui titulus est, liber de *Divinitate*, qui in Ephesino Chalcedonensique Synodo laudatur. Ascribitur & Petro de Paschate Diatriba, quam in Uranologia Petavius edidit, de cujus Autore non immeritò dubitatur.

Anno Dom. 306.

Schisma Meletii Lycopolitani.

XIV. Dum Christianos Ægyptum incolentes persecutio miserè vexat, hujus regionis Ecclesias nova calamitas incessit. Cui causam præbuit *Meletius*, Lycopolitanus Episcopus. Est autem *Lycopolis*, urbs Ægypti, in Lycopolitana Præfectura. Habet autem ea civitas nomen à *lupis*, quibus divinum nomen attribuebant Ægyptii. Itaque apud Ptolomæum, *civitas luporum* appellatur. Ex ea civitate ortus erat celebris ille *Plotinus* Philosophus, de quo suo loco mentionem fecimus. Est & *Lycopolis* altera in Præfectura *Sebennytica*. Præerat Thebaidi *Culcianus*, Alexandriæ *Hierocles*, ambo divinæ Religioni hostes acerrimi. Cùm igitur Meletius à Culciano in vincula conjectus fuisset, à Petro Alexandrino, *Tum ob alias causas depositus est, tum præsertim eò quòd persecutionis tempore fidem inficiatus sacrificasset. Qui cùm sacerdotio pulsus esset, multosque haberet sectatores, ducem atque autorem se præbuit eorum, qui ab ejus nomine Meletiani etiamnum in Ægypto appellantur.* Vera prædicasse Socratem, testis est omni exceptione major Athanasius: *Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione Martyr declaratus, Meletium Episcopum Ægypti nominatum, multis convictum criminibus, & in primis, quòd Idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit. Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit, adeò ut illius sectatores etiam nunc pro Christianis Meletiani vocentur, & jam tum in Episcopos convitia dicere incepit, & primùm Petrum, deinde ejus successorem Achillam calumniatus est, & post Achillam Alexandrum.* Pietatis obtentu ambitioni suæ Meletius velificatus est: *Quippe dum Petrus Episcopus Alexandriæ, qui posteà martyrium consummavit, ob sævientem tunc persecutionem fugisset, ordinationes ad illum pertinentes sibi vindicavit.* In eo schismate plurimos Meletius Clericos fautores habuit, quorum etiam nomina in Breviario Alexandro obtulit, quo tempore ab eo susceptus est, ut suo loco explicabimus. De Meletiani Schismaticis causa variant Epiphanii monumenta: *Qui vi & necessitate sacrificarant, iidem post lapsum & sacrificia ad Confessores & Martyres accesserunt, ut pœnitentiâ misericordiam obtinerent. Quorum alii milites erant, alii ex variis Clericorum ordinibus, Presbyteris, Diaconis, ac reliquis aliis. Hinc non minima inter Martyres commotio ac dissentio est exorta: negantibus aliis eos qui semel lapsi essent, ac Christum abnegassent, nec fortitudinem, aut constantiam retinuissent, aut certamen obiissent recipiendos ad pœnitentiam esse: ne fortè reliqui ob celerrimè impetratam ab iis indulgentiam, minore pœnarum metu abripi sese paterentur, ac Deum negarent execrandisque se Gentilium sacris pollucrent. Hi erant Meletius & Peleus, aliique complures Martyres, & Confessores, quos divini honoris studio & zelo inflammatos, cùm hæc dicerent, fuisse non dubium est. Contrà Sanctissimus Petrus his illos verbis obsecrabat, Admittamus illos quandoquidem peccati eos pœnitet, ac pœnitentiam illis constituamus. Cùm animadverteret Petrus, consilium suum humanitatis plenissimum Meletianis minimè placuisse, quòd ardentiore divini honoris studio flagrarent, medio in carcere pallium, quod lodicium dicitur, veli instar oppandens, proclamari à Diacono jussit, Qui mecum sentiunt, hùc ad me veniant; qui Meletii opinioni favent, ad Meletium. Quod cùm ita factum esset, diviso in partes*

Socr. l. 1. cap. 6.

Athan. Apol. 2. t. 1. 777.

Sozom. l. 1. cap. 24.

Epiph. h. 68. n. 2. 3.

popolo

Anno Dom. 306.

populo Episcoporum, Monachorum, & Presbyterorum ac reliquorum Ordinum, major numerus sese ad Meletium adjunxit. Pauci quidem Episcoporum & aliorum Petrum secuti sunt. Quo ex tempore preces & sacrificia, cæterasque omnes ceremonias separati à se invicem obierunt. At falsò contaminari Epiphanii narrationem, extra dubium est. Cùm enim Epiphanio & antiquior, & rerum Ægypti, ubi schisma Meletianum exortum est, longè peritior Athanasius scriptum reliquerit, *Meletium* Idolis sacrificasse, fide quoque dignior est. Ab omni etiam erroris suspicione testimonium ejus liberat Breviarium, quod Alexandro Meletius tradit, quo certum exploratumque est, Schismatici partem illâ Petri longè minorem fuisse, qua de causa tandem Arianis sese conjunxit. Præsules enim numero duntaxat XXIX. Meletio favebant, quorum nomina extant in posteriore Athanasii Apologia p. 789.

Quo anno incepit Meletiana seditio.

XV. Cæterùm controversia est inter eruditos, de Meletiani Schismatis Antiquitate. Ejus incunabula anno CCCI. collocat Pagius. Perpensis tamen omnibus Baronio, Capello aliisque magis assentimur, qui anno CCCVI. initia Meletiani dissidii affigere. Gravissimum sanè nobis argumentum in Paginam Chronologiam suppeditant, Athanasius, Epiphanius, Theodoritus, Socrates, quibus communi conspiratione docemur, Meletianæ factioni Diocletiani persecutionem occasionem præbuisse. Neque enim Schismaticus Meletius antè factus, quàm idolis sacrificasset. Anno verò Christi CCCI. nil persecutionis in Clericos motum, anno duntaxat CCCIII. ingens ea vexatio Ecclesias invasit. Præterea legimus apud Athanasium: *Erat jam pridem malitia & calumnia Meletianorum omnibus nota, nec impietas Arianorum Deoque infesta hæresis usquam obscura fuit. Neque enim parum temporis intercessit. Nam illi abhinc ante quinquagesimum quintum annum Schismatici facti sunt; isti verò ante XXXVI. Hæretici declarati, & ab Ecclesia summoti idque judicio Synodi universalis.* Novemdecim igitur annis Nicænæ Synodo, quæ Arium damnavit, Meletianum dissidium antecessit. Constat verò, Patres Nicænos anno CCCXXV. congregatos fuisse. A quo si facto ad superiora tempora regressu, novemdecim numerentur, in annum CCCVI. Dionysianum incidimus. Objicit Pagius: *Cùm initio anni 356. in Ecclesiam Alexandrinam Georgius irruperit, constat eam Epistolam circa ejusdem anni initium ad Ægyptios missam, & quinquaginta sex annos in ea memoratos ab anno* CCCI. *vel circiter inchoandos.* Verùm enimverò ex Athanasiano calculo non multum esse præsidii ad invenienda Meletianæ factionis initia, duo sunt quæ perspicuè demonstrent. Unum, quòd ipse Athanasius doceat, Arii damnationem in Synodo Nicæna annis XIX. initiis Meletianis esse posteriorem. Atqui anni viginti quatuor ante Synodum forent numerandi, si ab anno CCCI. factio Meletiana est deducenda. Alterum, quòd sciamus ex Athanasio, schisma Meletii Diocletiani in persecutione ortum habuisse; quæ vel ipso fatente Pagio, anno duntaxat CCCIII. accensa est. Objicit iterum vir clarissimus: *Eusebium initio libri* VIII. *de persecutione Diocletianea verba facturum dixisse, Cùm Pastores nostri spretâ religionis regulâ, mutuis inter se concertationibus decertarent, quòd Deus Diocletianum & Maximianum in Ecclesiam sævire permiserit.* Quæ verba Eusebii ad Meletianum schisma accommodat. Meminisse tamen debuit Pagius verborum suorum: *Eusebium, Socratem, &c. in rebus quas narrant accuratum temporis ordinem non semper servare.* In expostulationibus autem atque querelis ordo longè minori curæ est. Quamvis & aliquâ ratione verum sit, Præsulum contentiones persecutioni causam dedisse. Variæ quippe sunt periodi persecutionis, *ineuntis* scilicet, & *recrudescentis*. Huic autem, non illi schisma Meletianum causam præbuit. Decretis enim Maximini anno CCCVIII. Ecclesiæ vexatio gravius renovata est. Quibus accedat, Episcoporum & ambitionem alia jurgia sevisse, quorum abiit memoria. Neque unum Eusebius perstringere Meletium potuit scribendo, *Pastores mutuis inter se contentionibus decertasse, ac Principatum quasi tyrannidem quandam contentissimè sibi vendicasse.* In Meletiano dissidio innocentem se optimus Martyr Petrus Alexandrinus præbuit, qui Meletium merito suo maximo loco movit. Itaque vix credimus, verba hæc schisma Meletianum indicasse. Porro non inviti fatemur, non certa satis esse Meletiani Schismatis initii tempora, quia Chronologiam quod attinet, verba Athanasii sunt obscuriora. Id unum nobis exploratum est, accenso jam persecutionis incendio, hanc apud Ægyptios seditionem à Meletio inductam fuisse.

Ath. Orat. 1. Cont. Arian. t. 1. 305.

Pag. Crit. 107. n. 9.

Pag. Crit. An. 306. n. 24.

Anno U. C. 1060. Per. Jul. 5020. Jul. 352. Dom. 307. Galerii 3. Constantini 2. Maximini & Licinii 1. *Persecut.* 5. *Sol.* 8. E. *Lun.* 4. *Indict.* 10. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 3. *P.* 6. *April.*

Anno Dom. 307.

Coss. Maximianus IX. & Maximinus.

Tertullus Præfectus Urbis.

Severus Augustus in fugam vertitur: ejus obitus.

I. SEverus cum exercitu Maximiani Herculii ad expugnandum Maxentium à Galerio missus, Romam versus tendit, in qua milites illi summis deliciis sæpissimè excepti, non modò salvam esse urbem, sed ibi vivere optarent: *Ad muros urbis armatus accessit. Statim milites sublatis signis abeunt, & ei se contra quem venerant, tradunt. Quid restabat deserto, nisi fuga? Sed occurrebat jam resumpto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique se cum paucis militibus inclusit. Qui cum videret futurum ut Maximiano traderetur, dedit se ipse, vestemque & purpuram eidem à quo acceperat, reddidit. Quo facto nihil aliud impetravit nisi bonam mortem. Nam venis ei incisis leniter mori coactus est.* Non continuò tamen factâ deditione morti missus. Narrat enim Autor Excerptorum de Constantio: *Herculius per perjurium Severum deceptum, custodiæ tradidit, & captivi habitu in urbem perduxit, & in villa publica Appia via tricesimo milliario custodiri fecit. Posteà cùm Galerius Italiam peteret, ille jugulatus est, & deinde relatus ad octavum milliarium in Gallieni monumento.* Ad Tres Tabernas necatum fuisse Severum, *insertâ laqueo cervice* narrat Zozimus. Omnibus Lactantium anteponimus de morte Severi. Filium superstitem reliquit nomine Severianum, quem Licinius, *tanquam post obitum Maximini de sumenda purpura cogitasset*, anno CCCXIII. interemit.

Lact. de Mort. cap. 26.

Victoriæ Constantini de Francorum Regibus.

II. Herculius verò cùm Galerii nosset insaniam, cogitare cœpit, illum auditâ nece Severi

Lact. de Morte cap. 27.

inflammatum irâ cum exercitu esse venturum, & fortasse adjuncto Maximino, ac duplicatis copiis, quibus resisti nullo modo posset. Itaque urbe munitâ proficiscitur in Galliam, ut Constantinum partibus suis conciliaret, minoris filiæ nuptiis. Tumultu Francorum ex Britannia in Gallias Constantinus migrarat, ut ex variis Panegyricis liquet. Nazarius: *Tu, inquit, Imperator optime, inite Principatu adhuc avi immaturus, sed jam maturus imperio, ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis, Tu exinde domi, militiaque juxta bonus, nusquam gradum extulisti, quin ubique gloria quasi umbra comitata sit. Tu ferocissimis Regibus, Ascarico, & Comite captis, tanta laude res bellicas auspicatus es, ut jam inaudita magnitudinis obsidem teneremus,* Ascari comiti Gaiso nomen, de quibus Eumenius: *Hac est tua, Constantine, de Ascari cinere, Gaisique supplicio, quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam secundis præliis anteponenda, semel acie vincitur, sine fine, documento.* Ascari & Gaisi supplicio Constantinus renovavit, *Veterem illam Romani imperii fiduciam, qua de captis hostium Ducibus vindictam morte sumebat.* Cùm magnificum Constantinus spectaculum pararet, bestiis objectos esse Francorum reges narrat Eutropius l. x. Quas pulcherrimas Constantini victorias Eusebius non dedit oblivioni: *Sed & Barbaros qui ad Rhenum, & occidentalem Oceanum positi, novos motus concitare ausi essent, cunctos suæ dominationi subjiciens, ex feris mansuetos reddidit.* Provincias verò quæ ad patria administrationem pertinuerant, summa cum humanitate perlustravit.

Euseb. Vit. Const. l. 1. cap. 25.

Faustæ cum Constantino nuptiæ. Augustus dicitur.

III. Fausti nuptias Constantinus ambierat. Sic sonant verba Panegyrici, Maximiano & Constantino hoc ipso anno nuptiarum causâ dicti: *Profectò sicut tuo, Constantine, socero ante est conciliata divinitas, quam ab eo pignus ipsi charissimum postulares, sic & nunc quoque in has gratulatione prius illa dicenda sunt, quæ in te considerans, tantus iste, & paterni, & tui autor imperii, lætatus est quod petisti.* Eleganter Autor Panegyrici ostendit ex tabella quadam, in qua Constantinus Faustaque pingebantur, Maximianum jam olim sibi generum, cùm nec dum uxorem petere posset, sponte delegisse: *Hos enim, ut audio, imago illa declarat in Aquileensi palatio ad ipsum convivii posita aspectum, ubi puella jam divino decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo, sustinet atque offert tibi etiam tum puero, galeam auro gemmisque radiantem, & pennis pulchra alitis eminentem.* Viro suo Fausta dotem attulit titulum Augusti, quo à Maximiano ornatus est. Hactenus enim Constantinus Cæsar audierat, quod Galerius Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparat, Constantinum verò, non Imperatorem sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari jusserat. Audiamus Panegyricum consentaneè Lactantio tradentem: *Quid ego in te ætatis tuæ potius quàm gravitatis nomen usurpo? Cujus tanta maturitas est, ut cùm tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris, ut idem te, qui illum, declaret Augustum. Si quidem ipsum imperium hoc fore pulchrius judicabat, si id non hæreditarium ex successione accepisses, sed virtutibus tuis debitum à summo Imperatore meruisses.*

Galerii in Italiam incursio.

IV. Intereà Galerius *coacto exercitu, invadit Italiam, ad urbem accedit, Senatum extincturus, populum trucidaturus. Verùm clausa & munita omnia offendit.* Castra Interamnæ ad Tiberim posuerat, *Tunc Legatos ad urbem misit Licinium, & Probum, per conloquium petens, ut gener apud socerum, id est, Maxentius apud Galerium, precibus magis quàm armis optata mercaretur. Qui contemptus agnovit promissis virorum Maxentii partes suas deseruisse.* Quid ageret Galerius? Nulla erat spes irrumpendi, oppugnatio difficilis, ad circumsedenda mœnia non satis copiarum, quippe qui nunquam viderat Romam, æstimaretque illam non multò esse majorem quàm quas noverat civitates. Tunc quædam Legiones detestantes scelus, quòd socer generum oppugnaret, & quòd Romani militia Romam, translatis signis, Galerii imperium reliquerunt. Et jam cæteri milites nutabant, cùm ille fractâ superbiâ, dimissisque animis, Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat ne hosti traderetur, donec promissis ingentibus flexit animas eorum, & retrò signa convertit ac fugam trepidus capessivit, in qua opprimi facillimè potuit, si eum paucia quispiam sequeretur. Quod cum timeret, dedit militibus potestatem, ut dispersi quàm latissimè diriperent omnia, vel corrumperent, ut si quis insequi voluisset, utensilia non haberet. Vastata igitur ea para Italiæ, quo pestiferum illud agmen incessit, expilata omnia, mulieres corruptæ, Virgines violatæ, extorti parentes & mariti, ut filias, ut conjuges, ut opes suas proderent. Abactæ tanquam de Barbaris prædæ pecorum ac jumentorum. Hoc modo se ad sedes suas recepit, cùm Romanus quondam imperator, nunc populator Italiæ, hostiliter universa vexasset.

Lact. de Morte cap. 27.

Excerpt. Val.

Lact. de Morte cap. 27.

Maximianus urbe pellitur. Quamobrem?

V. Post Galerii fugam, cùm se Maximianus è Gallia recepisset, habebat imperium commune cum filio Maxentio. Sed juveni magis parebatur, quàm seni, quippe cùm prior, & major filii potestas, qui etiam patri reddiderat imperium. Ferebat iniquo animo senex, quòd non posset liberè facere quod vellet, & filio suo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adolescentem, ut sibi sua vindicaret, Quod facilè videbatur, quia milites erant, qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites, quasi concionem de præsentibus Reip. malis habiturus. De quibus cùm multa dixisset, convertit ad filium manus, & illum esse dicens autorem malorum, illum principem calamitatum, quas Resp. sustineret, diripuit ab humeris ejus purpuram. Exutus ille præcipitem se de tribunali dedit, & à militibus exceptus est, Quorum irâ & clamore perturbatus est senex impius, & ab urbe Roma, tanquam superbus alter exactus est.

Lact. de Morte cap. 29.

Carnuntensis conventus. Diocletianus respuit imperium. Maximianus fit privatus.

VI. Rediens rursus in Gallias, ubi aliquantulum moratus, proficiscitur ad hostem filii sui Galerium Maximianum, quasi ut de componendo Reip. statu, cum eo disputaret, re autem verâ, ut illum per occasionem reconciliationis occideret, ac regnum ejus teneret, exclusus à suo quòcunque venisset. Aderat Diocles, à genero nuper accitus, ut quod antè non fecerat, præsente illo in Severi locum substitueret Licinium. Versabantur *Carnunti*, quam *Celticum esse oppidum* perperàm scribit Zozimus. Urbs erat Pannoniæ, ut Am. Marcellino monemur: *Cùmque exinde Carnuntum Illyriorum oppidum introisset* Valentinianus. In Illyrico quoque *Carnuntum*

Am. l. 30. c. 5.

muni-

Anno Dom. 307.

munitam urbem collocat Livius l. 43. hodie *Haimberg*, in ripa Danubii. *Carnutum* propter similitudinem nominis, cum *Carnunto* permiscuit Zozimus. Ibi Maximianus Diocletiano persuadere nititur, ut imperium resumeret, nec id pateretur, jam diurno tempore, tantisque laboribus ipsorum conservatum, insanienti juventæ, ac illorum dementiæ, à quibus occupatum esset, expositum quassari. At Diocletianus quietem

Vict. Epit.

omnibus anteposuit: *Dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit, Utinam Salone possetis visera olera nostris manibus instituta, profectò nunquam istud tentandum judicaretis.* Herculius eo conatu frustratus, &

Zozim. l. 2. c. 10.

Ravennam usque progressus, rursum versus Alpes contendit, ut commorantem ibi Constantinum conveniret. Rediit tamen in Galliam, *ple-*

Lact. de Mort. c. 29.

num mala contagionis ac sceleris, ut Constantinum Imperatorem, generum suum, generi filium, dolo malo circumveniret, & ut posset fallere, deponit regiam vestem. Anno scilicet insequente. Cùm enim Herculius unà cum Galerio Consul processerit, nondum abierat imperio, quod unà cum Consulatu deposuisse videtur. Herculium honestissimè Constantinus excepit, ut ex Panegyrico, qui Eumenio vindicatur, discimus: Maximianum *tu ab urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, tuis Provinciis, tuis copiis, tuo palatio cepisti? Quid, ero, sibi voluit? Quid optavit? Aut quid amplius adipisceretur his quæ à te fuerat consecutus, cui tu summa & diversissima bona, privatum otium, & regias opes dederas, cui digredienti ad annulos sederas, cui impensius etiam quàm tibi, occurrere obsequia nostra mandaveras, cujus omnibus jussis sic statueras obedire, ut penes te habitus, penes illum potestas esset imperii?*

Licinius creatur Augustus. Mores ejus.

VII. Licinius qui in Carnuntensi conventu Imperator dictus est, ortum Daciæ suum debuit: *Galerius Maximianus totius imperii clavum regens abivit è vita, cùm Licinium prius Imperatorem creavisset, veterem amicum, & contubernalem suum, qui ex Dacia erat oriundus.* Hoc ip-

Socr. h. l. 1. c. 2.

sum memoriæ prodidit Eutropius l. x. *Licinius à Galerio Imperator est factus, Daciâ oriundus, notus ei antiquâ consuetudine, & in bello quod adversus Narseum gesserat, strenuis laboribus, & officiis acceptus.* A prima militia familiaris erat Galerio, qui ejus consiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum Cæsarem facere noluerat, ne filium nominaret, ut posteà in Constantii locum nuncuparet Augustum. Quod III. Id. Novemb. factum, docente in Fastis Idacio. De anno variant eruditi. Quippe Idaciani Fasti Licinium anno CCCVIII. *Carnunti levatum* esse tradunt. Quos Valesius secutus est. Quibus & ea ratio suffragari videtur, Galerius enim, qui in Italiam cum exercitu venerat, propter urbem castra collocaverat, exinde recesserat, intra tam paucos menses tot terrarum spatia emetiri non potuerat. Quin tamen cum Idacio Valesius erraverit, nulli dubitamus. Titulus enim Galeriani de extinguenda persecutione rescripti promulgatus est eo tempore, quo Galerius Trib. Potestatem vigesi-

Euseb. l. 8. c. 17.

mam, Constantinus quintam agebat: *Imperator Cæsar Flavius, Valerius Constantinus, Pius, Felix, Invictus, Augustus. P. M. Trib. Pot. V. Imperator V. Consul, Pater Patriæ. Et Imperator Cæsar Valerius Licinianus, Pius, Felix, Invictus, Augustus, Pontifex Max. Tribunitia P. IV. Imperator III. Consul, Pater Patriæ, Proconsul.* Ex potestatum igitur Tribunitiarum numero, qui annos imperiales æquabat, intelligitur, primum Licinii annum cum secundo Constantini fuisse conjunctum. Atqui anno CCCVI. *levatus est Constantinus VIII. Kal. Augusti.* Itaque XI. Novemb. anno CCCVII. Carnunti Licinius Imperator factus est. Prætereà Galerii rescriptum anno CCCXI. latum fuit, qui Licinii *quartus* dicitur. Quòd si quartus Liciniani imperii annus in Christi CCCXI. incidit, primus sanè Licinii à CCCVII. ducit initium. Eodem penè tempore & Cæsar dictus est & Augustus. Ideò constat, quòd in Severi Augusti locum substitueretur. Deinde si Licinium solummodò Cæsarem creasset Galerius, nulla *Maximino* causa fuisset, cur adeò succenseret: *Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari volebat.* Secundum verò locum obtinuisset, si Licinius Cæsar audivisset, utpote eo senior. Galerius ergo victus Maximini contumaciâ, *Tollit Cæsarum nomen, & se, Liciniumque Augustos appellat, Maxentium & Constantinum filios Augustorum.* Adjungámus & Euse-

Lact. de Mort. c. 32.

bium: *Post hæc Licinius communi Imperatorum suffragio, Imperator & Augustus declaratus est.* Li-

Euseb. l. 8. c. 13.

cinium tamen in tertium locum rejectum fuisse, rescriptum Galerii restatur, in quo Constantinus Licinio præponitur. Annos XL. natus erat Licinius, cùm purpura est illi concessa. Prudentiâ & fortitudine clarum fuisse Licinium, eximiè ostendit ejus cum Galerio familiaritas. Quas & perfidiâ, & avaritiâ, virtutes contaminavit. Ingenti rapacitate laborasse, ex Eusebio discamus: *Novas agrorum mensiones adinvenit, ut exigui agri majorem imputaret modum ob inexplebilem cupiditatem nimiarum exactionum. Cum auro & argento & immensâ opum copiâ thesauros suos implesset, gemens de paupertate sua querebatur.* Hinc in crudelitatem lapsus, atque iniquitatem. Audiamus rur-

Euseb. Vit. Con. l. 1. c. 55.

sus Eusebium: *Quid referam exilia, quibus viros innocentes damnavit? Quid bonorum publicationes? Quid Nobiles ac præcipua dignitatis homines, in carcerem abductos, quorum uxores, sceleratis quibusdam mancipiis constuprandas dabat? Quid mulieres nuptas, quid virgines recenseam, quibus ipse licet affectâ jam ætate vim inferre tentavit.* Sed & Ethnicos de Licinianis moribus Historicos

Vict. Epit.

audire juvat: *Avaritia cupidine omnium pessimus, neque alienus luxu venereo, asper admodum haud mediocriter impatiens: infestus literis, quas virus ac pestam publicam nominabat, præcipuè forensem industriam. Agrarius planè ac rusticanus, quia ab eo genere ortus altusque erat, satis utilis, ac militia custos, ad Veterum instituta severissimus. Spadonum aulicorum omnium vehemens domitor, tineas soricesque Palatii eos appellans.*

Maximinus creatur Augustus.

VIII. Nuncupato Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari volebat. Mittit ergo ad eum Galerius sæpe Legatos, orat sibi pareat, dispositionem suam servet, cedat ætati & honorem deferat canis. At ille tollit audacius cornua, & præscriptione temporis pugnat se priorem esse debere qui prior sumpserit purpuram, preces ejus, & mandata contemsit. Dolet bestia, & mugit quòd eum adeò ignobilem fecisset Cæsarem, ut sibi obsequens esset, is tamen tanti beneficii sui oblitus, voluntati ac precibus suis impiè repugnaret. Victus contumeliâ, tollit Cæsarum nomen, & se Liciniumque Augustos appellat, Maxentium & Constantinum filios Augustorum. Maximi-

Lact. de Mort. c. 32.

Anno Dom. 307.

nus postmodom scribit, quasi nuntians in Campo Martio proximè celebrato, Augustum se ab exercitu nuncupatum. Perplacet nobis clarissimi explicatio Toinardi, Campum Martium non esse loci nomen, qui Romæ erat, sed *militaria comitia*, quomodo apud Greg. Tur. l. 2. c. 27. de Clodoveo Rege: *Transacto verò anno, jussit omnem cum apparatu armorum venire phalangem, ostensuram in Campo Martio suorum nitorem.* Potuit & locus in quo milites congregabantur, id nominis induere. Lactantio non pugnat Eusebius: Maximinus *præ cæteris tyrannico ingenio præditus, Augustus à semetipso renuntiatus est.* Quippe Augustus milites ipse movit suos, ut se Augustum nuncuparent. Recepit Galerius *mæstus & dolens, & universos quatuor Imperatores jubet nominari*, se nimirum, Constantinum, Licinium, atque Maxentium.

Euseb. l. 3. c. 13.

Alexandri in Africa rebellio.

Vict. Epit.

IX. Novo Imperatore orbis Romanus dividitur. Alexander enim factâ rebellione, sese Africæ Principem præposuit: *Phryx erat origine, ingenio timidus, inferior adversus laborem vitio senectæ.* Præfecti Prætorii Africæ munere fungebatur. Filium habebat ætatis adultæ, facie quàm honestâ, quem cùm sibi obsidem dari petiisset Maxentius, Alexander suspicatus non eâ causâ filium à Maxentio suum peti ut obses esset, verùm ut perfidè secum ageretur, missam hoc nomine legationem repudiat. Cùm autem Maxentius & alios misisset, qui eum dolo de medio tollerent. Idque facinus proditione cognitum esset, occasionem nacti milites ad rebellandum idoneam, Alexandro purpuram tradunt. Quadriennio tyrannide potitus est: periit anno CCCXI.

Zos. l. 2. c. 13.

Saporis Persarum Regis ortus.

Agath. l. 4. c. 11.

X. Hactenus de rebus Imperii, de Persicis quoque nonnulla dicamus, quæ conducunt ad illustrandam Historiam. Misdates Narsetis filius, qui paternum regnum & annis & mensibus suo Principatu exactissimè adæquarat, fato concedens, uxorem gravidam reliquerat: *Regii generis successio ad regnum vocabat, qui ex ea matre nasceretur. Erat autem dubius partus, marem paritura hæc esset, an fœminam. Unde Principes omnes & Satrapæ, præmia Magicis viris, ac dona exposuere, ut ea de re futura prædicerent. Gravidam denique equam producunt in medium, partui proximam, jusseréque Magos, super hac prius periculum facere, vaticinarique, quodcunque futurum existimarent. . . . Omnia evenere uti prædictum iis fuerat. Cùm itaque & cæteri cognovissent, vaticinandi artem Magos optimè percallere, præmoferunt Reginæ, qui explicarent, quæ ipsi non ignorarent futura. His itaque affirmantibus Magis, marem omninò fore, qui partu edendus propediem esset, nullâ interpositâ morâ, cidarim ventri imponunt, & vix dum conceptum Regem pronunciant, & nomine internosci recens formatum his placuit.* Nascitur non longè pòst & cum imperio Sapores, qui tam imperii, quàm vitæ annum exegit septuagesimum. Sapori multa cum Romanis bella fuere, ut in progressu videbimus. Anno porro CCCVII. natum putamus esse Saporem, cujus ortum Petavius in suo laterculo, anno CCCX. affigit. Sunt enim initia Narsei Saporis avi cum anno Christi CCXCII. copulanda. Regnavit Narseus *annis* VII. *mensibus* IX. quo defuncto hæres & filius ejus *Misdates*, annis mensibusque totidem Persis præfuit. Cùm igitur anno XVI. post Narsetis avi sui initia Sapor lucem aspexerit, nativitas ejus in præsentem, vel in sequentem annum conferri debet.

Anno Dom. 307.

Theodosiæ martyrium. Núm anno CCCVII. an CCCX. contigerit?

Euseb. de Mart. Pal. c. 7.

XI. Ad res Ecclesiæ veniamus. Judiciis iniquis, sævisque cruciatibus Christianorum sanguinem exorbebant Galerius atque Maximinus: *Cùm quintus jam annus persecutionis volveretur, die secundo mensis Xanthici, qui est ante diem quartum Nonas Apriles, ipso Dominicæ resurrectionis die, rursus apud Cæsaream Theodosia virgo ex urbe Tyro oriunda, fidelis gravisque imprimis puella, nondum octodecim annos nata, ad vinctos quosdam accessit, qui regnum Dei liberè confitentes, ante Prætorium sedebant, tum ut eos salutaret, tum ut quod credibile est, eosdem rogaret, ut cum ad Deum pervenissent, sui memores esse vellent. Quo facto, quasi impium quoddam ac nefarium facinus perpetrasset, correpta à militibus, deducitur ad Præsidem. Ille confestim, ut erat insanus, & belluino quodam furoris impetu incitatus, cùm eam acerbis atque horrendis tormentis excruciasset, & latera ipsius atque papillas ad ipsa usque ossa ferreis ungulis exarasset, spirantem adhuc & læto atque hilari vultu cuncta tolerantem, marinis fluctibus mergi jubet. Inde ad reliquos Christi Confessores se transferens, omnes ad æris metalla, quæ sunt ad Phænum Palæstinæ damnavit.* In consignando die errasse videtur Eusebius. Aprilis enim dies secundus anno currente, qui persecutionis quintus erat, quartæ feriæ cohæsit, non primæ, nedum diei Dominicæ resurrectionis, quæ in sextum Aprilis incidit, vi tum literæ Dom. E. tum Epactæ Solaris 3. quod non notavit Valesius. Errorem tamen purgabimus, si quintum secundæ persecutionis annum intelligimus, qui à Novembri anni CCCIX. ad CCCX. usque extenditur. Hoc quippe anno certum est festum Dominicæ resurrectionis *Aprilis secundo* fuisse celebratum, quia Paschatis terminus est XXX. Martii, numerus Aureus VII. litera Dom. A. Cyclus Solis XI. Itaque vero proximum est, anno CCCX. Theodosiam virginem in mari fuisse suffocatam, Urbanumque Judicem eodem anno Maximino pœnas dedisse. Ad hunc quoque annum Confessorum ad metalla damnatio revocari debet.

Confessores multi ad metalla damnantur. Varii Martyres.

XII. Post hæc die quinto mensis Dii, hoc est, ut Romani dicunt, Nonis Novembris in eadem urbe Cæsarea Silvanus, qui etiam tum Presbyter & Confessor erat, sed paulò pòst ad Episcopatus honorem evectus, martyrium consummavit, & alii quidam ejus comites, cùm pro vera pietate singularem constantiam ostendissent, ad opus in eisdem metallis faciendum à Præside condemnati sunt, decretumque ut pedum juncturæ candente ferro prius ipsis debilitarentur. Eodem temporis momento, quo adversus istos sententiam tulerat, virum quendam innumeris aliis Confessionibus nobilitatum, *Domninum* nomine, qui ob singularem indicendo libertatem universis Palæstinis erat notissimus, vivum comburi præcepit. Post hæc idem Judex, in excogitandis malis eximius artifex, & qui ad doctrinam Christi expugnandam, nova quædam insidiarum ac fraudum genera commentus est, inaudita prius supplicia adversus Dei cultores excogitavit. Ac tres quidem pugilatu inter se dimicare, lata sententia coëgit: quendam verò Sanctum ac venerabilem senem, nomine Auxentium, bestiis objecit. Alios item jam adultos, & virilem ætatem ingressos, exectis prius testiculis, ad eadem metalla damnavit: *Alios rursus post acerbissima tormenta in carcerem conjecit, inter quos erat & Pamphilus, omnium sodalium mihi longè carissimus, qui præ cunctis nostræ ætatis Mar-*

Euseb. de Mart. Pal. c. 7.

tyribus

ANNO DOM. 307.

tyribus ob eximium virtutem præcipuam laudem & gloriam consecutus est. Ac primum quidem Urbanus, ejus tum in arte dicendi, tum in Philosophia peritiam experimento aliquo cognoscere voluit. Deinde sacrificare illum jubens, cum renuentem minasque ipsius aspernantem videret, supra modum efferatus, gravioribus eum tormentis excruciari præcepit. Post hæc ungularum, quibus latera ejus persulcaverat, crebritate ac pertinaciâ tantum non carnibus illius pastus vir immanissimus, cum ex his omnibus nihil præter dedecus atque ignominiam retulisset, tandem illum cæteris qui in carcere erant Confessoribus aggregavit.

Euphemiæ Serenique martyrium.

XIII. In hujus anni persecutione periisse ferunt nobilem virginem *Euphemiam*, cujus memoria die XVI. Kalend. Octobris potissimum recolitur. Ecclesiæ meminit Sozomenus l. 8. c. 4. *Quæ est juxta Chalcedonem, in qua Euphemia Martyris sepulchrum.* Illam carminibus suis celebravit Paulinus, in Natali IX. S. Felicis:

Et quæ Chalcidicis Euphemia Martyr in oris
Signat virgineo sacratum sanguine littus.

In hoc quoque anno *Sereni* passio Martyris collocatur: *Apud Sirmium civitatem cùm de locis peregrinis venisset, hortum colere cepit, ut inde vitam suam transigeret, eò quòd aliam artem non nosset.* Dum hortum colit suum, *Mulier cum duobus puellis ingressa est in hortum ejus, & cœpit deambulare.* Interroganti, Quid quæreret, respondit, *Ambulare delector in hoc horto.* Cui Serenus: *Quæ est talis Matrona, quæ præteritâ horâ hic deambulat, cùm sit hora jam sexta? Intelligo te non causâ deambulandi hùc venisse, sed lascivia, ideòque egredere, & habe disciplinam, ut decet honestas Matronas habere.* Maximiani domesticus erat vir mulieris, quæ illatam sibi à Sereno injuriam, cùm marito suo questa fuisset, subinde plenus irarum advolat, hortatur Præsidem, ut Serenum afficiat pœnâ. Serenus Præsidis in conspectu respondet, se increpasse mulierem, *Quæ tali horâ de domo viri sui egressa fuisset.* Hoc audito vir obmutuit, factumque uxoris suæ erubuit. Tum Præses, ut in objurgatione mulieris volutavit animum, suspicione duci cœpit Serenum Christianum esse: *Quod genus tibi est?* inquit; *at ille sine mora respondit, Christianus sum. Præses dixit, Usque nunc ubi latitasti, vel quomodo subterfugisti, ut Diis non sacrificares? At ille respondit, Quomodo placuit Deo, ut hùc usque me reservaret in corpore.* Tam Judex iratus tristem fert in Martyrem sententiam: *Quia Diis sacrificare noluisti, jubemus te capite plecti, & statim raptus, & adductus ad locum decollatus est VIII. Kal. Martii.*

Act. Ruin. 546.

Urbani persecutoris pœna.

XIV. Raro antecedentem scelestum deseruit pœna pede claudo. Urbanus Palæstinæ Præses, qui ore cruento tot egregios Martyres pœnis addixerat, & morti, Deum tandem experitur ultorem: *Etenim statim post illa quæ adversus Pamphilum nefariè admiserat, eum adhùc Provinciam administrantem ultio divina corripuit. Quæ quidem hominem illum, qui hesterno die in excelso tribunali residens jus dicebat, militum satellitio stipatus, totiusque Provinciæ Palæstinæ Rector, qui contubernalis tyranni, utpote amicorum præcipuus, & conviva ejusdem extiterat, repentè unius noctis spatio spoliatum cunctis hisce dignitatibus nudavit. Et coram ipsis, qui nuper illum utpote Præsidem coluerant, pudore atque ignominiâ perfudit, & abjectum & ignavum, vocesque ac preces muliebri more fundentem, universæ quam vexerat gentis conspectui exhibuit. Ipsum denique Maximinum, quo sese ille maximè efferebat, utpote ei carus inprimis, & acceptus, ob ea quæ adversus nostros crudeliter agebat, inexorabilem & crudelissimum ipsi Judicem in ipsa urbe Cæsarea constituit. Post plurima enim opprobria, quibus ob illa quorum convictus fuerat crimina affectus est, tandem Imperator capitali eum sententiâ damnavit.*

Euseb. de Mart. Pal. c. 7.

Ut Theodosiæ virginis ab Urbano damnatæ mortem in annum potius CCCX. conferendam existimamus, consequenter in id quoque temporis Urbani supplicium rejiciendum esse putamus. Causa noctis quæ hic Chronologiæ incubat, ex variis geminæ persecutionis initiis peti debet, quarum posterior anno CCCV. apud Orientem jubente Maximiano initium habuit.

ANNO U. C. 1061. PER. JUL. 5021. JUL. 353. DOM. 308. GALERII 4. CONSTANTINI 3. MAXIMINI & LICINII 2. *Persec.* 6. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 3. *Indict.* 11. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 4. 5. *P. Mart.*

ANNO DOM. 308.

COSS. M. Aurelius Maxentius Augustus & M. Aurelius Romulus filius Maxentii.

Statius Rufinus Præfectus Urbis.

De hujus anni Consulibus.

I. IMperatorum discordiæ Consules quatuor pepererunt, ut ex libello de Præfectis Urbis colligimus: *Coss. quos jusserint D. D. N. N. Augusti ex XII. Kal. Maii factum est Maxentio & Romulo, quod est decies, & Maximiano VII. Idus Aprilis.* Similia quoque leguntur in Fastis Idacianis: *Item decies, & Maximiano VII.* in quibus vox Maximiani Herculii subintelligenda, cùm eo tempore unus Herculius decies *Consul* scribi potuerit, sed & rixarum causâ serius designati Consules. Quibus componendis Maxentius in Italia, & Romulus, in cæteris verò partibus imperii Herculius atque Galerius Coss. processere. Fastis tamen Herculii nomen erasum videtur, annis CCCVII. & CCCVIII. Ideircò ad annum CCCVII. hoc tantùm habet Idacius, *Novies & Constantino.* Perturbatio ingens Consulares incessit Indiculos, ut oculos in Theonianos, Heraclianos, Cassiodorianos Fastos deponenti palam est.

Maximianus purpurâ positâ, tertiò arripit imperium. Purpurâ exuitur.

II. Suo in Gallias reditu Maximianus fraudes Constantino cogitabat. Quem ut facilius falleret, gesto Consulatu regiam vestem deposuit. Francorum gens in armis erat, cujus limes non *circa Danubium*, ut clarissimus sibi persuasit Balusius, sed propter Rhenum extendebatur, uti suo loco diximus. *Francorum*, ait Lactantius, non *Britannorum*, qui à Francis penitùs dividuntur, ut animum admiratio non subire non possit, quomodo vir doctissimus Ant. Pagius in *Francis* Britannos invenerit, dum verbis Lactantii accommodat Eusebium, de Constantino scribentem: *Interim quidem adversus Britannicas gentes in intimo Oceani recessu sitas trajecit.* Refellendæ Pagii conjecturæ Lactantium referre sat est: *Francorum gens in armis erat.* Maximianus *persuadet nihil suspicanti, ne omnem secum exercitum duceret, paucis militibus posse Barbaros debellari, ut & ipse haberet exercitum, quem occuparet, & ille opprimi posset ob militum paucitatem. Credidit adolescens, ut perito seni, paret ut socero. Proficiscitur, relictâ militum parte majore. Ille paucis diebus expectatis, cùm jam Constantinum æstimaret intrasse fines Barbarorum, repentè pur-*

Euseb. Vit. Const. l. 1. c. 25. Pag. Crit. An. 307. n. 7.

Lact. de Mort. c. 29.

puram sumit, thesauros invadit, donat ut solet largè, fingit de Constantino, quæ in ipsum protinùs reciderunt. Imperatori properè quæ gesta sunt, nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviso, nondum satis instructus: milites ad Imperatorem suum redeunt. Occupaverat Massiliam, & portas obseraverat. Accedit propiùs Imperator, & in muro astantem alloquitur, non asperè, nec hostiliter; sed rogat, Quid sibi voluisset, quid ei defuisset, cur faceret quod ipsum præcipuè non deceret? Ille verò ingerebat maledicta de muro. Tum subitò à tergo ejus portæ reserantur, milites recipiuntur: adtrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, socer perfidus. Audit scelera quæ fecit, detrahitur ei vestis, & increpitè vitâ donatur. Quòd si in ultimas Britannias trajecisset Constantinus, neque properè quæ gesserat Herculius nunciari potuissent, neque ex tam remotis terris admirabili celeritate redire potuisset, ut nondum satis instructum ex improviso adversarium opprimeret. Lactantio multum lucis fœnerat Eumenii Panegyricus, Constantino dictus: *Statim igitur ut fœdum illud facinus audiverunt, ultrò à te proficiscendi signum petiverunt. Cùm viatica dares, id ipsum sibi moram facere, plusque jam se quàm sufficeret ex largitionibus tuis habere dixerunt. Inde arreptis armis portus petierunt, tot dierum iter à Rheno usque ad Ararim sine ulla requie peregerunt, indefessis corporibus, animis flagrantibus, crescente in dies ardore vindictæ, quantò propiùs accederent.* Non igitur vel ex Britannia, vel ex Danubii limitibus, sed ex regionibus, quæ Rheno adjacebant, redit Constantinus, auditâ Herculii rebellione: *Tum quidem tua, Imperator, cura, quâ refovendis eorum viribus à Cabillonensi portu navigia provideras, festinantibus penè non placuit. Segnis ille & cunctabundus amnis nunquam fuisse tardior videbatur, carinis tacitè labentibus, & ripis lentè recedentibus stare, se non ire clamabant.* Pergit Eumenius: *Tanto omnes impetu ferebantur, cùm illum Arelate deserto, comperissent abiisse Massiliam, confestim navibus evolarent, effusoque cursu non jam Rhodani curricula, sed ipsa quodammodo ventorum flamina præverterent.* Quæ verò gesta Massiliæ, docet Panegyricus: *At enim in primo tuo, Imperator, adventu, primoque impetu exercitus tui, nihil ejusdem Massiliæ altitudo murorum, nihil creberrimæ turres, nihil loci natura remorata est, quominus & portum caperes, & urbem continuò si velles. Quippe tantâ fiduciâ murum omnem milites invaserunt, ut statim sine dubio ascensuri fuissent, nisi parandis quas admoverant scalis, conjecturam oculorum sublimitate fefellisset. Sic quoque multis scalarum brevitate decepti, quod superrat ascensus, extentis corporibus æquabant, & succedentium humeris sublevati, jam intervalla pinnarum uncis manibus invaserant. Sed ô singularem, Constantine, pietatem, signum receptui dedisti.* Res Ecclesiæ nunc attingamus.

Julittæ martyrium.

III. Tam claro rumore sunt apud Veteres martyrio suo Julitta, atque Pelagia, ut illustres silentio præterire mulieres nobis religio sit. Quamvis enim nobis ignoretur annus, quo gloriosum iniere certamen, cùm in persecutione Diocletiani mortem obierint, nonnulla de sanctis fœminis hunc in annum referre juvat. Julitta quam *Cæsareâ Cappadociæ* ortam, Romanum innuit Martyrologium, litem judiciariam intenderat uni ex Primoribus civitatis viro, qui fraude extortas sibi opes vindicabat. Dies status decidendæ huic causæ ut advenit, reus in aream fori progressus, ait, lege agere Julittæ non licere: *Neque enim fas esse cuiquam, cum civibus aliis habere commune eos, qui hactenus minimè coluerunt Deos Imperatorum.* Prætori in speciem videbatur in medium proponere, quæ essent juri consentanea. Jubentur mox afferri thura, prunæ item. Et propositio litigantibus hæc prætenditur à Judicibus, eos quidem & legibus, & legum suffragiis perfrui posse, abjurent modò Christum. Quid ait Julitta? *Ipsa potius valeat vita, ipsa pessum eant fortunæ facultates, at ne ipsum corpus mihi prius superfit, quàm in Deum Creatorem meum ulla impia vox mihi ex ore egeratur.* Dum interrogatur crebrius, nec aliam vocem reddit, contestans ancillam se esse Christi, Judex eam addicit igni. Ad destinatam sibi flammam hilaris perrexit. Mulieres quotquot astabant, obsecrat, ne ad tolerandos pro fide labores animos sinerent remolescere. His dictis in lignorum struem accensam insilit. Flamma Julittam circumflexa, corpus ejus asservavit: *Nullâ sui parte læsum, quod sanè in ornatissimo Templi urbis vestibulo conditum, loco quidem affert venerabilem sanctimoniam, nec minus qui eò loci conveniunt, efficit sanctiores. Terra porrò istius aquæ adventu benedicta, aquam emisit quæ suâpte naturâ nulli non nostrum gratissima esse debeat. Hæc aqua sanis tutela est & solatium ægris.* Julittæ passio die Julii XXX. recolitur.

Basil. t. 1. Or. 5.

Martyrium Pelagiæ. Probandumne quòd se præcipitem dederis?

IV. Pelagiæ virginis martyrium laudibus prosecutus est facundus ille Chrysostomus. In virginali aula non pater intus erat, non mater, non nutrix, non ancilla, cùm milites irruerunt; sola à carnificibus apprehenditur: *E domo egressa, petiit militibus, ut sibi liceret redire intrò, & vestem mutare.* Ad fastigium domus ascendit, inde sese præcipitem dat: *Parata erat, ad cruciatus tormentaque, & omne suppliciorum genus perferendum, sed metuebat tamen, ne virginitatis coronam perderet.* Pelagiæ quidem miramur animi magnitudinem, prudentiam tamen laudare non possumus. Pulcherrima sunt verba Augustini: *Quia non solùm quod ad dolorem, verùm etiam quod ad libidinem pertinet, in corpore alieno perpetrari potest, quidquid tale perpetratum fuerit, etsi retentam constantissimè animo pudicitiam non excutit, pudorem tamen incutit, ne credatur factum cum mentis etiam voluntate, quod fieri fortasse sine carnis aliqua voluptate non potuit. Ac per hoc, & quæ se occiderunt, ne quicquam hujusmodi paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignosci? Et quæ se occidere noluerunt, ne suo facinore alienum flagitium devitarent, quisquis eis hoc crimini dederit, ipse crimine insipientiæ non carebit.* Rectè atque sapienter Sanctus ille Pater c. 18. *Cur autem homo qui nihil fecit, sibi malefacit, & seipsum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum?*

Chrys. t. 5. hom. 40.

August. de Civ. l. 1. c. 16.

Marcellus Papa fueritne damnatus ad stabulum à Maxentio?

V. Persecutionis immanitate, quâ lacerabatur Ecclesia Romana, sedes extincto Marcellino Papâ triennio vacaverat. Legitur quidem Damasi in Chronico: *Cessavit Episcopatus annis* VII. *mensibus* VI. *diebus* XXV. Sed mendum omnibus obversatur ante oculos. Cùm enim Marcellinus in Chronico *usque in Consulatum Diocletiani* IX. *& Maximiani* VIII. Pontificatum tenuisse dicatur; *Marcellus verò fuerit temporibus Maxentii à Consulatu* X. *& Maximiani, usque post Consulatum* X. *& septimum* Interpontificii spatium annorum

ANNO DOM. 308.

rum CCCIV. & CCCVIII. limitibus includitur. Est igitur emendatio Bucherii verissima: *Legendum* III. *ex Consulum serie.* Sic ergo locus restituendus: *Et cessavit Episcopatus annis* III. *mensibus* VI. *diebus* XXV. Marcellus anno Christi CCCVIII. Pontificatum iniit. Narrat Pontificale Damasi, *Marcellum natione Romanum fuisse, ex patre Benedicto de regione Vialata.* A Maxentio comprehensum, ut sacrificaret Idolis: *Qui semper deridens dicta & precepta Maxentii, damnatus est in catabulum. Mense autem* IX. *venerant Clerici ejus omnes, & eruerunt eum noctu de catabulo.* Matrona verò nomine Lucina vidua, *suscepit beatum virum, qua & domum suam nomine tituli beati Marcelli dedicavit, ubi diu noctuque hymnis & orationibus Domino J. C. confitebantur. His auditis à Maxentio, misit & tenuit iterum B. Marcellum, & jussit in eadem Ecclesia iterum plancas externi, ut ibidem animalia catabuli congregata starent, & ipse B. Marcellus deserviret. Qui tandem in servitio animalium nudus, amictus cilicio defunctus est.* Quam Pontificalis narrationem ad fabulas relegamus, quibus in Annalibus Ecclesiasticis nil debet esse loci. Non nos quidem latet, à Maximini Præsidibus Episcoporum nonnullos ad alendos Imperatoris equos fuisse amandatos, docente Eusebio de Mart. Palæstinæ libro c. 12. Quam & Marcello Romanorum Episcopo illatam ignominiam volunt. *Catabulum* enim stabulum alendis animalibus idoneum significat. Verùm enimverò quod de pœna hæc Marcello irrogata, & à Pontificali, & à Platina traditur, commentum esse liquet. Primùm ut Maxentio tamdiu serviret, ac in Lucinæ quoque domo reconderetur, *annis quinque, mensibus sex, diebus* XXI. Marcelli Episcopatum Pontificale circumscribit. Atqui ex Chronico Damasi discimus, Marcellum sedisse *anno uno, mensibus septem, diebus viginti.* Deinde Marcello imperatum exilium Damasus canit, non ministerium Maxentii in stabulis:

Damas. Carm. 26.

Veridicus Rector, lapsus quia crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
Seditio, cædes: solvuntur fœdera pacis.
Crimen ob alterius Christum qui in pace negavit
Finibus expulsus patria, feritate tyranni.
Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoscere posset.

Quo Damasi carmine scimus, Marcellum alendis Maxentii equis in urbe ad stabula non fuisse amandatum, sed Româ ejectum in exilio mortem obiisse. Cui de lapsorum pœnitentia lites causam præbuere, aliis Marcello faventibus, aliis adversantibus, ut ad cædes venerit discordia. Die XVIII. Februarii ordinatum fuisse, septimâ verò Octobris anni proximè futuri naturæ satisfecisse tradit Pagius. Quod non satis exploratum est. Chronico Damasi libenter assentimur, Marcellum in Episcopatu vixisse *anno uno, mensibus septem, diebus* XX. quo verò die Pontificatum inierit, non tenemus.

Marcelli Decretales subditæ.

VI. Geminæ Marcello ascribuntur Epistolæ. Prior ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ missa est, *de Rom. Ecclesia Primatu, & autoritate.* Data est Kalendis *Aprilis, Maxentio, & Maximo viris clar. Coss.* Posterior Maxentium monet, ut desinat sævire in Christianos. Data XVI. *Kal. Februarii, Maxentio & Maximo viris clar. Coss.* Quæ vel una subscriptio impostoris fraudes detegit, cùm in Fastis horum par Consulum nusquam appareat gentium. Itaque Blondelli animo comprehendere censuram non valemus, qui ex laudatis in Pseudo-Marcelli Decretalibus Coss. colligit, priorem LXXIV. *diebus à morte Marcelli*; posteriorem *die proximè sequente mortem Marcelli* fuisse exaratam. Ex ficto quidem Consulum pari, anni temporave designari non possunt. Annus CCCIX. qui Marcello supremus fuit, Coss. habuit Maxentium Augustum & Romulum, ut docent & Fasti Idaciani, & libellus de P. U. Præterea consutis Veterum laciniis constant Epistolæ. Prioris initium *solicitudinem omnium Ecclesiarum juxta Apostolum circumferentes*, ex Epistola Acacii Constantinopolitani ad Simplicium desumptum est. Posterioris initium fœneravit Gregorius M. *Magistra bonorum omnium charitas.* In utraque sententiæ Leonis, Gregorii, Adriani deprehenduntur, ut jam observavit in suo Pseudo-Isidoro Blondellus ὁ πάνυ.

Gregor. l. VII. Ep. 114.

ANNO U. C. 1061. OLYMP. 272. PER. JUL. 5022. JUL. 354. DOM. 309. GALERII 5. CONSTANTINI 4. MAXIMINI & LICINII 3. *Perf.* 7. *Sol.* 10. B. *Lun.* 6. *Indict.* 12. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 6. P. 17. *April.*

ANNO DOM. 309.

COSS. Maxentius Aug. II. & Romulus Cæsar II.

Aurelius Hermogenes Præfectus Urbis.

Juliani martyrium.

I. IN Oriente persecutionis furor insignes viros sepulchro demittebat. Quorum nominibus implentur Martyrologia. Passionis quidem anni sunt in incerto. Id verò gloriosis Christi militibus fraudi non esse debet, ne debitum in Annalibus sibi locum obtineant. Mors S. Juliani à Chrysostomo celebratur. Natione Cilix erat, civis etiam Pauli Apostoli dicitur, συμπολίτης, unde conjecturâ consequi possumus, *Tarsensem* Julianum fuisse, qui vulgò *Anabarzensis* dicitur. In sævissimum Judicem cùm incidisset, ab eo per universam Ciliciam anno integro circunductus, ignominiâ afficiebatur. Quâ crudelitate quod minimè Judex arbitrabatur, illustriorem reddebat Martyrem. Vociferabatur ipse cum Paulo: *Deo autem gratias, qui facit ut semper triumphemus in Christo, & odorem cognitionis sui manifestum facit per nos in omni loco.* Tanquam belluæ quædam immanes, carnifices corpus ejus circumsidentes, latera effodiebant, carnem deradebant, ossa denudabant, viscera ipsa interiora pervadebant. Tandem ultimo supplicio addicitur: *Allato sacco, & arenâ completo, cùm in eum scorpiones, viperas, & dracones* Judex *injecisset, cum illis & Sanctum injecit, & in mare demisit. Accepit eum mare, non ut occideret, sed ut coronaret, & post coronam nobis sanctam istam arcam Martyris corpus reddidit.* Ejus reliquiæ Antiochiæ asservantur. Natale Juliani Martii XVI. celebratur.

Chrysost. t. I. hom. 47.

Paregorii & Leonis martyrium.

II. Multum & honoris Leoni & Paregorio, fortitudine pariter & constantiâ Cleris in monumentis Ecclesiasticis tribuitur. *Paregorius* magnum jam & difficile certamen inierat, & gloriosâ morte finierat, quo exemplo Leo excitatus, ad eadem præmia festinabat. Asceticam vitam exercebat, à juventute deditus continentiæ, castitati, & temperantiæ: indumentum ejus erat ex pilis contextum, ut Joannem adumbraret. Pataris, quæ urbs Lyciæ est, urbis Procurator

curator diem festum Serapidis celebrabat. Quod Leo ægrè ferens, domum reversus, ac de more precatus, pane sumpto, nil aliud meditabatur quàm præclara facta Paregorii. In somnum dum resolvitur: *Visus est videre cum esset vehemens tempestas, & torrentes magno impetu diffluerent, Paregorium & se stare in medio torrente. Et licet esset fluentum valde periculosum, se projicere ac accurrere ad B. Paregorium, qui ingrediebatur iter ad martyrium.* Qua visione ad prælium excitatus, cùm per medium forum iret, videt lucernas & cereolos accensos circa delubrum. Et eorum qui accenderant misertus, ut propius accessit contrivit lucernas suis manibus, & cereos conculcavit pedibus, eis dicens, Si Deos existimatis *habere vires, se ipsos defendant.* Comprehensus à militibus, ad Procuratorem adducitur, qui optionem Leoni dat, vel sacrificandi, vel pereundi. Cui Leo: *Si meorum verborum oblitus es, ô Procurator, rectè rursus interrogas, si verò meministi, scias fieri non posse ut assentiar adorandos esse Deos, qui non sunt naturâ.* His irâ motus Judex, cædi flagris corpus Martyris jubet. Insuta verbera cùm temneret: *Procurator dixit, Parce edicto, & dic qui sunt Dii Servatores, quoniam et alioqui citò moriturus. Dixit S. Leo, Videris mihi esse valde imbecillus, qui solùm assiduè mihi verbis mineris, prater verba autem nil facias.* Tum Procurator jussit Sanctum capi pedibus, trahi autem in torrentem, ut ultimum in eo supplicium daret, Ibi sic precatur Martyr: *Ago tibi gratias, Pater Christi, quòd me non diu separaveris à famulo tuo Paregorio, sed velocem mihi occasionem dederis eum sequendi. Later ergo iis qua facta sunt, quòd pro meis prioribus peccatis, viaticum idoneum accipio martyrium, & quòd in manus Angelorum tuorum meum trado spiritum, in aternum liber conservandus à judicio improborum. Atque pro iis quidem qua in me fiunt, esto eis qui ausi sunt propitius, eis autem concede, ut te agnoscant Deum universorum, quoniam non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam. . . . Postquam autem amen magnâ animi alacritate clamitando cum gratiarum actione repetiisset, spiritum Deo reddidit.* Corpus carnifices in profundam terræ voraginem dejecerunt, quod cùm fratres abstulissent, *Mirabantur faciem ejus* (Ruin. Act. 617.) *adeò venustam apparere, ac quasi subridere, reliquum verò corpus rubicundum, & quasi ab agone, pulvere leniter respersum. Abluerunt igitur aquâ, & magnâ curâ deposuerunt, discesseruntque cum gratiarum actione, laudantes Deum, qui tam generosam perseverantiam B. Martyri concessit.* Pridie Kal. Julii Leonis memoria recolitur.

Julii militis martyrium.

III. Aliquid admirationis Ecclesiæ attulit S. Julii martyrium, cujus tempus etsi nos lateat, de eo mentionem nunc agitare juvat, ne tam preciosum antiquitatis monumentum nostros Annales deficiat: *Julius ab Officialibus oblatus est Maximo Prasidi. Maximus dixit, Quid dicis Juli? Vera sunt hac qua dicuntur de te? Julius respondit, Ita, nam Christianus sum. Non ego me aliud esse quàm sum dico. Maximinus dixit, Quid ergo ignorasti pracepta Regum, qua jubent immolari Diis? Julius respondit, Non ignoravi, Christianus verò sum, & hoc facere non possum, qua vos vultis, non enim oportet me negare Deum meum vivum & verum. Maximus dixit, Quid enim grave est, thurificare, & abire. Julius respondit, Non possum excedere pracepta divina, & infidelibus parere. Etenim in vana militia quando videbar errare, in annis XXVI. non tanquam scelestus, neque quasi litigiosus, oblatus sum Judici. Septies in bellum egressus sum, nemini de potestate restiti; nec aliquo deterius pugnavi. Princeps me non vidit aliquando errare, & modò putas me qui in pejoribus fidelis fueram repertus, in melioribus infidelem posse inveniri. . . . Maximinus dixit, Si putas esse peccatum, mihi ascribatur. Ego tibi vim facio, ne videaris voluntate acquiescere. Posteà verò securus vadis in domo tua. Accipies decem denariorum pecuniam, & de catero nemo tibi erit molestus,* Ut minas temnentem pecuniasque respuentem Julium vidit Præses, tandem in eum sententiam dixit: *Julius nolens praceptis Regum acquiescere, capitalem accipiat sententiam.* Ductus ad (Ruin. Act. 615.) locum solitum Julius, *Accepit orarium, & ligavit oculos suos, & tetendit cervicem suam, & dixit, Domine J. C. pro cujus nomine hac patior, tu cum Sanctis tuis meum collocare dignare spiritum.* Obiit apud *Provinciam Masiam, in civitate Dorosterense die VI. Kal. Junii.* Acta Julii diu post passionem ejus conscripta sunt, teste clausulâ, *regnante Domino nostro* J. C. Mentionem inserunt, *Pasicratis & Valentionis qui per bonam Confessionem pracesserant ad Dominum*, quos suo nomine, *plurimum salutare* jubet miles *Esychius* martyrii candidatus.

Nicandri & Marciani martyrium. Passio Quirini Episcopi.

IV. Referamus quoque quod suo seculo cognitum manavit ad posteros, Nicandri, & Marciani martyrium. Munera militiæ exercebant, cùm ad Judicem, nomine Maximum deferuntur, quos sic compellat: *Si non ignoratis, Nicander, & Marciane, Imperatorum pracepta, quibus vos Diis pracipiunt sacrificare, accedite & imperata complete. Ad hac Nicander: Volentibus, inquit, sacrificare, hac praceptio constituta est, nos verè Christiani sumus, & hujuscemodi pracepto teneri non possumus.* Cùm solo thure Deos honorare Nicandrum hortaretur Maximus Præses, Martyria uxor *Daria virum verbis hujuscemodi animabat, Cave, Domine, ne id facias, cave ne Dominum nostrum J. C. neges. Intuere cœlum, & in eo ipsum videbis, cui fidem & conscientiam servas.* Dum jubente Maximo Daria ducitur in carcerem, Nicander sibi datam ad deliberandum moram respuens, dixit: *Spatium quod te daturum promittis*, jam *putato completum, ac me deliberasse cognosce, atque in animum induxisse, ut nihil aliud cupiam pra salute. Prases verò sublatâ voce dicebat, Gratias Deo. Et Nicander unà cum eo dicebat, Gratias Deo. Putabat enim Prases Christi Martyrem, de hac vita, atque hujuscemodi salute dixisse.* Hinc Præses ad Marcianum: *Quid tu, inquit, Marciane? Marcianus dixit, Eadem qua commilito meus etiam ego affirmo.* Ambo igitur in carcerem truduntur. Post XX. dies iterum ad Præsidem adducuntur, cui ut Christianos decet, cùm ad quæsita respondissent, *Ecce pro desiderio, inquit, vestro morti trademini. Tum Marcianus, Per salutem tibi, inquis, petimus Imperatorum, ut nos citius mittas.* Sententiam igitur in Martyres pronunciat capitalem: *Sancti verò Christi Martyres, quasi unà voce, & linguâ dixerunt, Pax tecum, Prases humanissime.* Ubi venere ad locum supplicii, dixit Zotico Marcianus, ut uxorem suam adduceret. Cui more mariti valde displicebat, utpote quæ ad supplicium euntem, fletibus & querelis prosequebatur. Quæ cùm fuisset adducta, *Osculatus est eam, &* (Ruin. Act. 618.) *dixit, Recede in Domino, non potes enim me martyrium celebrantem aspicere, mente suâ semel à maligno subreptâ, infantem verò osculatus & cœlum*

ANNO DOM. 309.

lum intuens, dixit, Domine Deus omnipotens, tibi sit hujus cura. Tunc Martyres sese invicem complectuntur, & paulisper à se perficiendi causâ martyrii discesserunt. . . . Post hæc percussor, oratis oculis Martyrum circundatis, injecto gladio finem eis dedit martyrii. Obierunt XII. *Kalendas Julii.* Quirinum Episcopum hoc anno gloriosam honestissimo martyrio vitam finivisse, testatur in Chronico Hieronymus: *Quirinus Episcopus Sciscianus pro Christo gloriosè interficitur. Nam manuali molâ ad collum ligatâ, è ponte præcipitatus in fluvium, diutissimè supernatavit, & cum spectantibus collocutus, ne suo terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur obtinuit.* Quod & Prudentius carmine cecinit, de Cor. Hym. 7.

Hic sub Galerio Duce,
Qui tunc Illyricos suos
Urgebat ditionibus,
Fertur Catholicam fidem
Illustrasse per exitum.

De Imperatore Galerio hæc esse capienda negat Scaliger: *Præsidem aut Vicarium Præf. Prat.* intelligi mavult. Qua de causa, prorsus ignoramus. Acta Quirini habent, Quirinum à *Maximo* Præside comprehendi jussum, & ab *Amantio Præside in fluvii Sibaris undas fuisse demersum, sub die pridie Nonarum Juniarum.* Nullus hic Judex adest nomine Galerius.

ANNO DOM. 310.

ANNO U. C. 1063. PER. JUL. 5023. JUL. 355. DOM. 310. GALERII 6. CONSTANTINI 5. LICINII & MAXIMINI 4. *Persec.* 8. *Sol* 11. *A. Lun.* 7. *Indict.* 13. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 7. *P.* 2. *April.*

COSS. Maxentius III. solus in Italia in aliis orbis Romani partibus ea formula adhibebatur, *anno* II. *post Consulatum decimum, & septimum*, Maximiani scilicet & Galerii.

Rufius Volusianus Præfectus Urbis.

Conjuratio Maximiani in Constantinum. Mori jubetur.

Lact. de Morte cap. 30.

I. MIserrima Maximiani ambitio imperii cupidum traxit ad pœnam. Quippe *amisso Imperatoris, ac soceri honore, humilitatis impatiens, alias rursus insidias machinatus est. Quia semel abiit impunè, vocat filiam Faustam, eamque nunc precibus, nunc blandimentis sollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur, petit cubiculum patens relinqui, & negligenter custodiri sinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinùs ad maritum. Componitur scena, quâ manifestò facinus teneretur. Supponitur quidam vilis Eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempestâ, videt omnia insidiis oportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem longius, quibus tamen dicit, Vidisse somnium, quod filio suo narrare vellet. Ingreditur armatus, & spadone obtruncato, prosilit gloriabundus, ac profitetur quod admiserit. Repentè se ex altera parte Constantinus ostendit cum globo armatorum. Profertur è cubiculo cadaver occisi. hæret manifestarius homicida, & mutus stupet, quasi dura silex, aut stet Marpesia cautes. Impietatis ac sceleris increpatur. Postremò datur ei potestas libera mortis, ac nodum informis leti, trabe nectit ab alta. Ita ille Romani nominis maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliso & fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi & ignominiosâ morte finivit.* Supremum Maximiani diem hunc in annum contulit Idacius, cujus Chronologia nobis est vero similior. Baronius, Capellus, aliique tradunt, Maximianum anno CCCVII. periisse, sed quæ gesta narrantur in Lactantio atque Panegyricis, ostendunt serius tyrannum obiisse. Eusebianum sanè Chronicum anno CCCIX. Maximiani mortem affigit. Graviter errat Zosimus, qui injecta insidiarum, quas genero socer struere conabatur, mentione hoc addit: *In desperationem rerum omnium adductus Herculius, apud Tarsum morbo extinguitur.* Maximinum cum Maximiano permiscuit. Massiliæ excessisse Maximianum, testatur Eusebii Chronicum, nec non Victoris Epitome. Aberrant tamen, dum memorant, quod *Massilia fugiens* occisus fuerit, & in viam à Lactantio reduci debent. Perfidus ille homo à Maxentio filio in Deos relatus est, qua de re extat Nummus apud Mediobarbum à Pagio laudatus: *Divo Maximiano Patri Maxentius Aug. F.* Suaviter hic erravit Baronius, qui Nummum in honorem Galerii à Maxentio percussum Herculio vindicavit, quo & in eam est opinionem delapsus, Maxentio socerum esse Herculium. In antica legitur: *Maxentius Divo Maximiano socero.* In postica: *Æterna memoria.* Maximianus ille *Galerius* est, qui anno insequenti naturæ satisfecit, non Maximianus ille Herculius, qui pro Maxentii socero à Veterum nullo habitus est. Honestissimæ Maximiano exequiæ redditæ sunt, si fragmento Chronici Novaliciensis Monasterii, à Duchesnio, Pagioque exhibito, fidem adjungimus: *Apud Massiliam civitatem sepulchrum ejusdem Maximiani Christianorum ingentis persecutoris inventum est. Nam sicut nobis retulerunt qui interfuerunt, erat mirabiliter corpus ejus intus & extra, unctionem balsami & alia nonnulla genera odoramentorum oppidò perfusum. Corpus quoque ejus totum integer, tetro pilo, caro candida, barba permaxima. Ad caput ejus pocula erant auro obrizo, plena balsamis. Ipse verò in locello plumbeo quiescebat, in quodam labro ex marmore candidissimo cum literis aureis desuper scriptis.* Raimbaldi Archiepiscopi Arelatensis consilio cadaver in mare actum esse dicitur. Anno tamen CCCXII. *Senis Maximiani statuæ Constantini jussu revellebantur, & imagines cum quo pictus esset, detrahebantur.*

ANNO DOM. 310.

Zos. l. 2. *cap.* 11.

Pag. Crit. An. 306. *n.* 14.

Error Baronii.

Baron. An. 306 *n.* 23.

Pag. Crit. An. 307. *n.* 12.

Lact. de Morte cap. 42.

Scelera Maxentii. Christiana mulier ne tradatur Maxentio seipsam occidit.

III. Libidines adversas rationem incitatæ vehementius, cupiditatesque effrenatæ, quæ in Maxentio reperiebantur, Romanis detrimenti multum attulerunt. Panegyricus incerti Autoris Constantino dictus: *Mille & sexaginta annis contractas ex toto orbe divitias, monstrum illud, redemptis ad civile latrocinium manibus ingesserat, ad hoc aliena matrimonia innocentium capita, cum bonis passim donando usque ad mortem devotionis obstrinxerat parricidas omnes, insidiatos sibi aut palam aliquid pro libertate conatos pœnis affecerat, armis oppresserat, & inter hæc utebatur urbis ejus majestate quam cœperat, totam Italiam conductis ad omne facinus satellitibus oppleverat.* Impia Maxentii facinora Eusebius & oratione prosecutus est: *Sceleribus suis, quasi quoddam fastigium magica artis præstigias imposuit, nunc mulieres gravidas dissecans, nunc infantum recens in lucem editorum rimans viscera, leones quoque interdum mactans, & quadam nefanda peragens sacra ad Dæmones evocandos, & ad bellum quod jam instabat depellendum.* Quodam die levissimam ob causam Populum R. Prætorianis mili-

Anno Dom. 310.

dibus obtruncandum dedit. Senatores quotidie plurimi confectis variis criminibus interficiebantur. Uxores per divortium à maritis sejunctas violavit, easdemque violatas ad maritos remisit. Mulieres quoque Christianas impius ille sollicitare cœpit, quæ animam letho potius objicere, quàm corpus ei ad stuprum permittere maluerunt: *Quædam ex his nupta senatorii ordinis viro, qui Præfecturam administrabat, cum satellites quibus tyrannus hujusmodi flagitiorum ministris utebatur, pro foribus adesse comperisset, & virum suum metu adactum permisisse illis, ut se prehensam adducerent, breve temporis spatium concedi sibi flagitavit, ad corpus solemni cultu exornandum. Et cubiculum ingressa, solam se relictam videns, gladium pectori immersit, statimque exanimata, cadaver quidem perductoribus reliquit.*

Euseb. Vit. Const. l. 1. cap. 34.

Phocæ martyrium. Nautarum in Phocæ honorem consuetudo.

IV. Mulieris Christianæ factum servandæ castitati, si cui placet, necesse est. Phocæ etiam Martyris, qui apud Majores morte suâ clarissimus fuit, propositum non displiceat. Certaminis quidem annum ignoramus, liceat tamen de illustri Martyre hic mentionem inserere. Phocam tulit Sinope, urbs Ponti celebris. Vitæ autem studium Martyri fuit horti cultura, *Quem ibi ante portam civitatis in Isthmi ostio possident, diligenter colebat, ut sibi ac indigentibus esset vitæ solatium.* Cùm Christiani ad mortem poscerentur, Phocam ne quidem vile studium, hortulanique conditio celavit, sed is quoque ut verus Christianus denunciatur. Venientes lictores apud eum ipsum diversantur, ut neque ii cognoscerent, neque ab illo cognoscerentur. Ut ex mensæ societate arrepta fiducia, Martyr ex lictoribus rogavit, Quinam essent, aut qua de causa Synopen venissent, illi hospitalitatem reveriti, fatentur se quærere puniendum Phocam; rogant etiam, ut capiendo quem quærebant, unà ipsemet operam conferret suam. Eorum ergo precibus annuens, Ego, inquit, *in præsenti negotio vobis adjutor ero. Ubi sic eis certò promisisset, duabus se rebus dispertit, nempe excipiendis totâ humanitate occisoribus, ac parando sepulcro. Cùm autem parasset fossam, & quæ ad sepulturam essent necessaria, ad eos postridie accedens, Diligenter, inquit, vobis quæsivi Phocam, estque jam parata præda, ac si lubet, comprehendatur. Illis autem præ gaudio quærentibus, Ubinam vir ille esset? Non procul, inquit, sed vobiscum est, nam & ego ille ipse sum. . . . Ad hæc verò animos ut se interficerent, exhortatione addebat, dicens, Ne fore quidem illorum manus cædem, sed eorum facinus qui præcepissent. Dixit, persuasit, passus est, & capite truncatus.* Martyris reliquiæ Syriæ Antiochiam translatæ sunt. Nautis mos ille fuit, dum epulantur, quotidiè pro comedentium ratione partem Martyri suam attribuere: *Eam unus aliquis è convivis emens, deponit pecuniam, idem alter sequenti die, ac tertiâ alius, sorsque illa emptionis universos obiens, partis emptorem quotidiè suggerit, postquam autem portus eos exceperit, distribuitur famelicis collecta pecunia, idque pars Phocæ est, pauperum beneficentia.*

Ruin. Act. 627.

Cur Theodosiæ & Silvani martyrium anno potius CCCX. affigendum?

V. Mirabitur fortè quispiam, quæ quinto persecutionis anno Eusebius narrat, Silvani, Auxentii, aliorumque martyria à nobis in annum CCCX. referri. Vero tamen proximum esse diximus, geminam Eusebio fuisse persecutionis Epocham. Priorem ab anno CCCIII. posteriorem à CCCV. jam præcipiti ductam, cùm Maximinus Cæsaream dignitatem adeptus, post aliquot menses Ecclesias Orientis populatus est. Posterioris Epochæ anni quinti pars multò maxima cum anno Dionysiano CCCX. labitur. Quippe Theodosia Virgo, quæ dum *Quintus jam annus persecutionis volvitur, die secundo mensis Xanthici, quod est, ante diem quartum Nonas Apriles, ipso Dominicæ resurrectionis die à militibus ad Præsidem deducta est.* Anno utique CCCX. periisse debuit, quia unus is solusque est, qui diem resurrectionis cum *secundo Aprilis* copulet. Quibus accedat, Eusebium martyria, quæ octo annis in Palæstina perpetrata sunt, ad usque pacem divinitùs constitutam extendere: *Verùm simul atque divina clementia nos propitio ac benigno vultu aspicere dignata est, statim Principes illi ipsi qui jam pridem bellum adversus nos excitaverant, præter omnium mutata sententia, palinodiam cecinerunt.* Cùm igitur ad annum usque CCCXIII. grassatus sit Maximini furor, quem octavum persecutionis vocat Eusebius, parte sui aliquâ is annum CCCXIII. attingit. Denique, quem VI. persecutionis annum dixit Eusebius, in CCCXI. incidere apparet, collatis Eusebio atque Lactantio: *Cùm in sextum usque annum persecutionis adversus nos procella desæviret, Firmilianus Præses, qui Urbano successerat, sinistri pedis curvaturas simul cum ipsis nervis candente ferro exscindi, dextrosque oculos confodi, simul cum membranis & pupillis, tanquam ex Imperatoris mandato præcepit.* Jam verò hoc Maximini mandatum anno CCCXI. latum fuisse, docuit Lactantius: *Nam cùm clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos Dei vetuit, debilitari jussit.* Ficta clementia hæc anni est CCCXI. post revocatam à Galerio persecutionem. Eusebius ipse post latam de mutilandis Christianis legem, Maximinum citò periisse tradit: *Ob quam causam, & hunc quoque non multò pòst ulta est divina justitia.*

Euseb. de Mart. Palæst. cap. 13.

Euseb. de Mart. Palæst. c. 8.

Lact. de Mort. cap. 36.

Euseb. Vit. Const. l. 2. cap. 58.

Eusebius Papa. Quamdiu sedit?

VI. Marcello, quem ad plures abiisse ferunt die VII. Octobris anni CCCIX. Papa successit Eusebius. Quem Damasi Pontificale tradit *natione Græcum, ex patre Medico.* Eusebii Pontificatus à Theodorito, egregio licet Historico ignoratur, utpote qui proximum Marcellino successorem dederit Miltiadem: *Sylvester*, inquit, *successor Miltiadis illius, qui post Marcellinum eum, qui persecutionis tempore inclaruit, ejusdem Ecclesiæ administrationem susceperat.* Pontificum tamen in Catalogo retinendus est *Eusebius*, quem fortè non agnovit Theodoritus, quia brevissimi temporis fuit illius Episcopatus, si Chronico Damasi fides habetur: *Eusebius menses quatuor, dies sexdecim, à XIV. Kal. Majas usque in diem XVI. Kalendas Septembris.* Quo calculo excessisset secundâ die Septembris anni præsentis. Itaque error Chronicum invasit, qui ex ipso Chronico purgari potest. Nam à XVIII. Aprilis ad usque decimum septimum Augusti, sunt soli menses quatuor, dies ergo *sexdecim* omissi. De diuturnitate tamen Pontificatus Eusebii, ab antiquo Damasi Chronico nuperi Chronologi diffident. Onuphrius enim anno uno, mensibus VII. diebus 27. Eusebium sedisse tradit. Baronius tres Eusebii annos numerat in Annalibus. Errore immani Pontificale, *Eusebius*, inquit, *sedit annis sex, mense uno, diebus tribus.* Cui Chronologiæ lepidam inædificat fabulam: *Sub Eusebii tempore crux Domini nostri J. C. V. Nonas Maii inventa est. Baptizatur quoque & Judas post Quiriacus vocatus, crucis inventor.*

Theodorit. lib. 1. c. 3.

ANNO DOM. 310.

tor. In Bucheriano de Episcoporum Depositione Caralogo legimus, *sexto Calendas Octobris, Eusebius in Callisti*, quâ die obitum Eusebii contigisse Pagius statuit. Quod si est, Chronicum Damasi est deserendum. Mensesque non *quatuor, diesque sexdecim*, sed menses quinque, diesque sex Eusebio ascribi debent. Sint igitur in ambiguo Eusebiani Pontificatus fines, qui tamen ultra sex menses extendi nequeunt.

Tres Eusebii Decretales subditæ.

VII. Eusebii tres numerantur Epistolæ. Prima ad omnes Galliæ Episcopos scripta constituit. 1°. Ut Laici ab accusatione Sacerdotum prohibeantur: similiter & illi, qui eis aliquomodo subditi sunt. 2°. Quænam accusationes à Judicibus Ecclesiasticis audiri non debeant, & qui accusatores ab accusatione submoveantur. Data est VI. *Kal. Augusti, Constantino Consule.* Secunda Epistola ad Ægyptios dirigitur, de Episcopis rebus suis spoliatis, aut à sede pulsis, nisi in integrum restituantur, non judicandis, in Synodis convocandis, ut ab omnibus suæ Provinciæ Episcopis audiantur: *Data est* IX. *Kal. Octobris Constantino Consule.* Tertia Epistola scripta est Episcopis Tusciæ, & Campaniæ, de infamibus ad testimonium non admittendis, & qui dicuntur infames, & de Hæreticis ritè baptizatis, si ad fidem revertantur, per manus impositionem recipiendis, quæ quidem manus impositio ad summos sacerdotes tantummodò pertinere monstratur: *Data est Octave Kal. Sept. Constantino clarissime Consule.* At in illis Epistolis impostor in multis vim attulit veritati. Consulatus ille Constantini, quem subscriptiones Epistolarum indicant, gestus est anno CCCXII. quo tempore Eusebius non amplius erat inter homines. Sed & in eo Consulatu Constantinus Licinium Collegam habuit, quem verus non omisisset Eusebius. Quinetiam Romæ ubi morabatur Eusebius, annum CCCXII. aperuit *Maxentius*, quæ cùm larvatum Eusebium laterent, Constantinum Consulem nobis obtrudit, pugnantibus Historiæ legibus. Non itaque Blondelli nobis censura probatur, dum *fictitiis Consulatibus* illum Constantini apposuit, cùm annis & CCCXII. & CCCXIII. Consul cum Licinio processerit. At tum temporis Eusebius vitam cum morte commutarat. Prima Epistola constat Procli, Leonis, Ennodii sententiis. Finis Epistolæ, *Etsi amplius fuerit deliberandum, celeritor ad nos relatio dirigatur, ut protractâ qualitate horum, nostra quid observari debeat solicitudo constituat*, quadragesimam sextam Leonis ad Anatolium claudit Epistolam. Secunda Epistola ludicram exhibet impostoris aberrationem. Cùm enim versus complures ex Epistolis ad Corinthios exscripsisset, oblitus se ad Ægyptios scribere, hæc habet: *Os nostrum patet ad vos Corinthii.* Multa quoque ex Leonis Decretalibus 34. & 46. in suam veterator derivavit, nec non ex Concilio Rom. V. sub Symmacho. Tertia Epistola Sixti Pythagorici sententiis ex versione Rufini ditescit. Quippe verba hæc, *Ab Apostolis eorumque successoribus novimus constitutum, criminationes adversus Doctores non debere suscipi*, Sixti CCL. indicant sententiam, *Criminationes adversus sapientia studiosum noli admittere.* Denique gladio se suo jugulat impostor, qui *inventionis crucis* meminit, mandatque ut V. *Nonas Maii, Inventionis festum in Tuscia*, & Campania celebretur. Quæ posteriora sunt Eusebio.

ANNO DOM. 311.

ANNO U. C. 1064. PER. JUL. 5024. JUL. 356. DOM. 311. CONSTANTINI 6. LICINII & MAXIMINI 5. *Pers.* 9. *Sol.* 12. G. *Lun.* 8. *Indict.* 14. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 1. *P.* 22. *April.*

COSS. Galerius Maximianus VIII.

Junius Flavianus Præfectus Urbis.

Liciniusne ordinarium Consulatum anno CCCXI. gesserit?

I. GAlerio Maximiano Consulatus Collegam fuisse Licinium, Baronius, Calvisius, aliique eruditi opinantur; *Galerius*, inquit Calvisius, *solus Consul fuit in initio, post in posterioribus mensibus assumit Collegam Licinium.* Neque ignoramus in Fastis Cassiodori legi, *Maximus* VIII. *& Licinius*, quo loco tamen vox *Maximus* in *Maximianus* mutanda. Cæterùm *ordinarium*, suffectumve Licinius Consulatum gesserit, est in obscuro: neque nullius momenti sunt in vulgatam sententiam Pagii argumenta. 1°. Chronicum Alexandrinum secundum Constantini M. Consulatum cum primo Licinii copulat, quia hujus Auctor mos est, suffectos Coss. omittere. 2°. Augustinus tertium Constantini Consulatum cum secundo Licinii conjungit. Libro post Collationem c. 33. *Nam*, inquit, *Melchiades judicavit Constantino* III. *& Licinio iterum Coss. Nonis Octobris.* 3°. Lex Codicis Theodosiani de Censu data XV. Kal. Februarii, subscriptos habet Coss. *Constantinum Augustum* IV. *& Licinium* III. 4°. Fragmentum Consulum Bucherianum ad annum CCCXI. habet, *Maximiano* VIII. *sole.* Neque novum aut inauditum, Augustos suffectum aliquando Consulatum gessisse. De Nerone Suetonius: *Coss. ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit Consulatum, quasi fatale esset non posse Gallias debellari nisi à Consule.* Tertium Caligula Consulatum Lugduni solus inierat, potuit quoque fieri, ut ob Imperatorum discordiam solus *Galerius* Consul *ordinarius* procederet. Quòd si placet primum Licinii Consulatum ordinariis apponi, non admodum repugnabimus.

Suet. Ner. cap. 43.

Horrendus Galerii morbus.

II. Anno CCCIX. Galerius in teterrimum incidere morbum cœperat, qui currente anno tyrannum tandem oppressit: *Jam decimus & octavus annus agebatur*, initio scilicet imperii à Kalendis Martiis, anni CCXCII. ducto, *cùm percussit eum Deus insanabili plagâ. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latius. Medici secant, curant. Sed inductâ jam cicatrice, scinditur vulnus, & ruptâ venâ fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis motu vulneratus, plus sanguinis quàm ante decurrit. Albescit ipse, atque absumptis viribus tenuatur, & tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam. Proxima quaque cancer invadit, & quantò magis circumsecatur, latius sævit. Quantò curatur, increscit. Cessere Magistri, Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus. Undique Medici nobiles trahuntur. Nihil humana manus promovent. Confugitur ad Idola. Apollo, & Asclepius orantur: remedium flagitatur. Dat Apollo curam, malum multò pejus augetur. Jam non longè pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus viscera, & in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices Medici, vel sine spe vincendi mali fovere, curare.*

Lact. de Mort. c. 33.

Percussis medullis malum recidit introrsus, & interna comprehendit, vermes intus creantur. Odor autem non modò per palatium, sed totam civitatem pervasit. Nec mirum cùm jam confusi essent exitus stercoris & urinæ. Comestus à vermibus, & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur.

Clamores simul horrendos ad sidera tollit,
Quales mugitus fugit cùm saucius aram
Taurus.

Apponebantur ad sedem fluentem cocta, & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis resolutis, inæstimabile scatebat examen, & tamen multò majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies fecunda generaverat. Jam diverso malo partes corporis amiserant speciem. Superior usque ad vulnus aruerat, & miserabili macie cutis lurida longè inter ossa consederat. Inferior sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat, & hæc facta sunt per annum perpetem, cùm tandem malis domitus coactus est Deum confiteri. Anno continuo, & aliquot mensibus eo morbo cruciatus est: menses omisit Lactantius, qui tamen ex narratione sunt intelligendi.

Edictum Galerii de restituendis Ecclesiis. Donatus illustris Confessor.

Lact. de Mort. c. 34.

III. Novâ vi doloris urgentis per intervalla exclamat, Se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens, edictum misit ejusmodi: *Inter cætera quæ pro Reip. semper commodis atque utilitate disponimus, nos quidem volueramus antehac juxta leges veteres, & publicam disciplinam Romanorum cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam Christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem quâ ratione tanta eosdem Christianos voluntas invasisset, & tanta stultitia occupasset, ut non illa Veterum instituta sequerentur, quæ forsitan primi parentes eorumdem constituerant, sed pro arbitrio suo, atque ut his domerat libitum, ita sibimet leges facerent, quas observarent, & per diversa varios populos congregarent. Denique cum ejusmodi nostra jussio extitisset, ut ad Veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt. Atque cùm plurimi in proposito perseverarent, ac videremus nec Diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec Christianorum Deum observare, contemplationem mitissimæ nostræ clementiæ intuentes, & consuetudinem sempiternam, quâ solemus cunctis hominibus veniam indulgere promptissimam, in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam, ut denuò sint Christiani, & Conventicula sua componant, ita ut ne quid contra disciplinam agant. Aliâ autem Epistolâ Judicibus significaturi sumus, quid debeant observare. Unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra, & Reip. ac sua, ut undiqueversum Resp. perstet incolumis, & securi vivere in sedibus suis possint.* Hæc sunt ipsissima edicti verba, quæ ab oblivione unus vindicavit Lactantius. Præfationem tamen non exhibuit, quæ est ex Eusebio repetenda: *Imperator Cæsar Galerius Valerius Maximianus, Invictus Pont. Max. Germanicus Max, Ægyptiacus Max. Thebaicus Max. Sarmaticus Max. Quintum Persicus Max. secundo Carpicus Max, sextu Armeniacus Max. Medicus Max. Adiabenicus Max. Tribunitia Pot. XX. Imperator XIX. Consul VII. Pater Patriæ, Proconsul. Et Imperator Flavius Valerius Constantinus, Pius Felix invictus, Augustus, P. M. Trib. P. V. Imperator V. Consul, Pater Patriæ, Proconsul. Et Imperator Cæsar Valerius Licinianus Pius, Felix Invictus Augustus, Pontifex M. Tribunit. P. IV. Imperator III. Consul, Pater Patriæ, Proconsul, Provincialibus suis salutem.* Quæ Præfatio etiam atque etiam est observanda. Indicat enim edictum post Calend. Martias, in quibus anno currente XX. Galerii Tribunitia Potestas incipiebat, latum fuisse. Proindeque non anno CCXCI. sed insequente Galerium dictum esse Cæsarem. At cur omissa potius in Edicto Maxentii & Maximini, quàm Constantini Liciniique nomina? Quantum conjecturâ licet assequi, nullam Galerius Maxentii & Maximini mentionem fecit, quia in illos malè animatus erat, quòd se invito Imperatores facti fuerant: *Hoc edictum proponitur Nicomediæ, pridie Kalend. Majas (Galerio) ipso octies, & Maximino iterum Coss.* Tunc apertis carceribus, Donatus Confessor insignis cum cæteris è custodia liberatur. Fuerat Donato carcer sex annis pro domicilio. Documentum invictæ fortitudinis præbuerat: *Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosâ confessione vicerat.*

Lact. de Mort. c. 16.

Mors Galerii Sardicæ contigit. Ubi sepultus?

IV. Edicti promulgatione Galerius veniam à Deo non accepit, *Sed post dies paucos, commendatis Licinio, conjuge suâ, & filio, atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra defluerent, horrendâ tabe consumptus est. Idque cognitum Nicomediæ, cùm futura essent Vicennalia Cal. Martiis impendentibus.* Sardicæ extremum diem obiisse, docent Excerpta de Constantino: *Licinio in Pannonia relicto, ipso ad Sardicam regressus, morbo ingenti occupatus, sic distabuit, ut aperto & putrescente viscere moreretur, in supplicium persecutionis iniquissimæ, ad auctorem sceleratis præceptis justissimâ pœnâ redeunte.* Erroris Orosii monitorem habemus Lactantium: *Galerius autem cruciatus non sustinens, vim vitæ suæ attulit.* Imò vi morbi extinctus est, labente vigesimo imperii sui anno, de quo duos menses, diesque aliquot delibavit. In Dacia Ripensi, ex qua ortus erat, sepultum fuisse, tradit Victoris Epitome. Ex Valeria uxore nullos Galerius liberos suscepit. Quem filium vocat Lactantius, is concubinâ natus *Candidianus* nomine. Gratissimam marito suo Valeriam fuisse, ostendit Victor de Cæsaribus: Galerius obiit *cùm agrum satis Reip. commodantem, cæsis immanibus sylvis, atque emisso in Danubium lacu Pelsone apud Pannonios fecisset. Cujus gratiâ Provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit.*

Oros. l. 7. cap. 28.

Maximinus venit Bithyniam.

Lact. de Mort. c. 36.

V. Morte Galerii auditâ *Maximinus, dispositis ab Oriente cursibus pervolavit, ut Provincias occuparet, ac Licinio morante omnia sibi usque ad fretum Chalcedonium vindicaret. Ingressusque Bithyniam, quò sibi ad præsens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia sustollit censum. Discordia inter ambos Imperatores ac penè bellum. Diversas rippas armati tenebant, sed conditionibus certis pax & amicitia componitur, & in ipso freto fœdus fit ac dextera copulantur. Redit ille securus, & fit qualis in Syria, & Ægypto fuit. Inprimis indulgentiam communi titulo datam tollit, subornatis legationibus civitatum, quæ peterent, ne intra civitates suas Christianis conventicula extruere liceret, ut quasi coactus, & impulsus facere videretur, quod erat sponte facturus.* Qua de re fusius paulò infrà, ubi res Ecclesiæ ingredimur.

Alexander in Africa debellatur.

VI. Maxentius occasiones belli adversus Constantinum gerendi quærens, se dolere propter patris obitum simulabat. Hæc cùm haberet in animo, res Africanas prius constituendas duxit,

ANNO DOM. 311.

duxit. Itaque coactis copiis, eisque dato Duce, Rufio Volusiano Prætorii Præf. in Africam illas transmittit, ablegato cum hoc & Zena viro tàm bellicarum rerum experientiâ, quàm mansuetudine celeberrimo. Cùm primo congressu milites Alexandri quendam ad globum militum deflexissent, fugæ socium se præbebat Alexander. Quo globo ab hostibus superato, etiam ipse comprehensus, & suffocatus est. Bello in hunc modum extincto, latus calumniatoribus apertus est campus, omnes penè quotquot in Africa vel genere, vel opibus præstabant, velut Alexandri partim sectatores deferendi. Maxentius ergo Carthaginem terrarum decus, simul Africæ pulchriora vastari, diripi, incendi jussit.

Zoz. l. 2. c. 14.

Vict. de Cæs.

Bellum Constantini cum Maxentio. Primæ Constant. victoriæ.

VII. Quinto Constantinus imperii sui anno *bellum adversus Maxentium civile commovit*, inquit Eutropius. Meritò suspectus erat Constantino Maxentius, qui & cladem ejus animo volutabat, & ferus erat, inhumanus, ac suâ libidine multò tetrior. Quin etiam prior Constantino bellum indixit, quasi necem patris sui vindicaturus. Imò & injuriâ lacessivit, deturbatis imaginibus ejus: *Ecce enim pro dolor! Verba vix suppetunt, venerandarum imaginum acerba dejectio, & divini vultus litura deformis. . . . Pugnasti igitur, Imperator, coactus quidem, sed hoc maximè victoriam meruisti, quia non desiderabas, optasti pacem . . . Negata est concordia, cui erat parata victoria?* Constantino millia peditum fuisse nonaginta, equitum octo: Maxentio verò militasse millia peditum CLX. equitum XVIII. tradit Zoz. lib. 2. c. 15. Qui numerus fidem superat, & Panegyrico pugnat Constantino dicto, ex quo discimus Principis hujus exercitum infra XL. militum millia fuisse: *Magnus Alexander cùm præter Macedonas suos, cuncta Græcia, universo Illyrico innumerabilem delectum posset inducere, nunquam majores XL. millium copias duxit . . . Tu verò etiam minoribus copiis bellum multò majus aggressus es.* Maxentii exercitus centum millibus militum constabat: *Vix enim quartâ parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es, ut appareret, non dubiam te, sed promissam divinitus petere victoriam.* Congregatis exercitibus, Constantinus versus Italiam movet. Audiamus victorias gloriosissimi Principis ex Nazarii Panegyrico: *Primam Segusiensium civitatem, quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est, quæ resistendi pertinaciâ ita in se Imperatoris vim converterit, ut pietatem tamen non alienaverit. Nam cùm introitus vi, manuque quæreretur, & portarum inflammatio ignem latè diffudisset . . . maxima benignissimi Imperatoris fuit cura, non modò ut incendium non adjutum senesceret, sed oppressum emori posset. . . . Ecce jam apud Taurinos venientem, pugna gravior expectat: nec Segusiensium vastitas monet, ut sibi caveant . . . Campum latè jacentem tantus miles oppleverat, ut non improbaret fiduciam, qui instructos videret Clibanariis in exercitu nomen est, supernè omnibus tectis equorum pectoribus, demissa lorica, & crurum tenus pendens, sine impedimento gressus à noxa vulneris vindicabat. Te tamen, Imperator, non terruit. . . . Nostri proditos sibi clavos adorinntur. Quo gravibus ferratisque multi hostium vulnera non paventem cadendo defatigabant, ac maximè capitibus afflicta, quos ictu perturbaverant, ruere cogebantur . . . Ad unum interfectis omnibus, tuis integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ transtulerunt, quod qui invulnerabiles habebantur sine suorum vulneribus interiissent.*

Lact. de Mort. c. 43.

Nazar. Paneg.

Momentanea pax Ecclesiæ ex Galerii rescripto.

VIII. Galerii rescriptum, quo pax Ecclesiæ reddebatur, passim & ubique in Asia, & per omnes Provincias propositum, ut Christianis lætitiam, sic Ethnicis admirationem attulit. Cùm verò Maximino divinæ religionis hosti acerrimo valde displiceret, *Verbis duntaxat mandavit Judicibus suis, ut ab oppugnatione nostrorum abstinerent.* Sabinus qui Præfecti Prætorio dignitatem obtinebat, Maximini voluntatem per Epistolam significavit, quam Latinè scriptam in Græcum transfudit Eusebius: *Jam pridem majestas Dominorum nostrorum sacratissimorum Principum assiduâ & devotâ sollicitudine, omnium mortalium mentes ad piam rectamque vivendi rationem traducere instituerat, ut & ii qui peregrinas, & ab institutis Romanorum alienas ceremonias amplecti videbantur, debitos cultus Diis immortalibus exhiberent. Verùm pertinaciâ quorumdam, & obstinatâ mentis duritiâ eò usque processit, ut neque ipsa imperialis præcepti justitia, eos à proposito revocare, nec imminentis supplicii gravitas deterrere potuerit. Cùm igitur acciderit, ut ea de causa plurimi sese in abrupta pericula conjicerent, majestas Dominorum nostrorum fortissimorum Principum, pro insita sibi pietate atque clementia, alienum à sanctissimo suo proposito esse judicans, ut ex ejusmodi occasione in tanta discrimina homines adducantur, nostræ devotioni præcepit, ut ad tuam solertiam literas darem, quo si quis fortè Christianorum gentis suæ religionem observare deprehensus fuerit, eum omni molestiâ ac discrimine liberes, neque ob hanc causam ullâ pœnâ afficiendum censeas*, &c. Continuò Magistratus rati hanc esse Maximini mentem, quotquot Confessores in custodia habebant, dimiserunt. Eâdem & libertate potiuntur, qui ad metalla damnati fuerant. Christanorum conventus in singulis civitatibus agitantur, non sine Ethnicorum stupore, incredibilem rerum conversionem mirantium. Numerosa exulum agmina per vias publicas, & per fora Deum hymnis celebrando, patriam suam postliminio recuperarunt.

Euseb. l. 9. c. 1.

Persecutio renovatur Maximini tyrannide. Acta Pilati subdita.

IX. At tyrannus, ne sex quidem mensibus integris hunc rerum statum ferre potuit: *Primùm quidem nostros à conventibus, qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu arcere aggressus est. Deinde ipse ad se legationem mitti adversus nostros, sollicitatis per quosdam nefarios homines Antiochensibus, ut ab se instar maximi beneficii peterent, ne cui Christianorum Antiochiam incolere liceret. Alii quoque ut idem facerent, suggessit. Quorum omnium Autor in ipsa urbe Antiochia extitit Theotecnus, vir violentus, versutus atque improbus, qui tunc in illa civitate Curatoris officium gerebat. Simulacrum Jovis Philii, magicis artibus consecratum erexit. Cùmque ad ejus cultum, impuras initiationes, & inania mysteria, ac detestandas expiationes instituisset, compositis quibusdam oraculis, ad ipsum usque Imperatorem præstigiarum suarum specimen detulit. Fœdâque adulatione Principis gratiam captans, Dæmonem adversus Christianos stimulat, fingens jubere Deum, ut Christiani, quippe qui hostes sui essent, urbe, omnique territorio pellerentur.* Ad fraudes ejusmodi alia accedit & machina. Acta Pilati componunt, plena impietatis adversus Christum. Ea per omnes Provincias imperii Maximini, ipso jubente dirigunt, ut ubique locorum palam proponerentur, & à Ludimagistris memoriæ

 com-

commendanda pueris traderentur. Quæ dum ita geruntur, Dux Damascenæ urbis, cùm impuras mulierculas ex foro rapuisset, minis eò miseras adegit, ut publicè editis apud acta testimoniis, faterentur se olim Christianas fuisse, & flagitiorum quæ à Christianis gererentur, conscias esse. Quæ à Duce confestim ad Maaiminum missa, ubique locorum publicantur. At Dux ille non multò pòst mortem sibi consciscens, improbitatis suæ pœnas dedit.

Euseb. l. 9. c. 2. &c.

Confessorum cruciatus, Autore Firmiliano.

Lact. de Morte.

X. Extenuari ergo spes suas, & evanescere vidit Ecclesia. Momentaneam pacis umbram ut pelleret Maaiminus, *Novo more Sacerdotes maximos per singulas civitates singulos ex Primoribus fecit, qui & sacrificia per omnes dies Diis suis quotidie facerent, & veterum Sacerdotum ministerio subnixi darent operam, ut Christiani, neque fabricarent, neque publice aut privatim colerent, sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent, vel Judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, nisi etiam Provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi Pontifices superponeret, & utrosque candidis chlamydibus ornatos jussit incedere. Facere autem parabat, qua in Oriente fecerat. Nam cùm clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos Dei vetuit, debilitari jussit. Itaque Confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares & auricula desecabantur.* Ad Firmilianum Palæstinæ Præsidem, qui *Urbano* successerat, ex Confessoribus, quorum innumerabilis multitudo jampridem apud Thebaidem versabatur, in loco qui *Porphyrites* vocatur, ex nomine marmoris, quod ibidem effoditur, centum ferè viri tribus demptis, unà cum mulieribus, & parvulis transmissi sunt: *Quibus omnibus cum universorum Opificem Deum Christumque confessi fuissent, Firmilianus sinistri pedis curvaturas, simul cum ipsis nervis candente ferro exscindi, dextrosque oculos primùm quidem mucronibus confodi simul cum membranis & pupillis, deinde ad ipsas usque radices cauterio peruri, tanquam ex Imperatoris mandato præcepit.* Quæ cùm in sextum persecutionis annum conferat Eusebius, & appareat ex Lactantio, post Galerii edictum de extinguenda persecutione Maximini mandato Christianos cruciatibus ejusmodi fuisse vexatos, hinc colligimus, sextum persecutionis annum non à priore, quæ à Diocletiano & Galerio mota est, sed à posteriore, quam excitavit Maaiminus, esse numerandum, qui anno CCCXI. maxima sui parte cohæret.

Euseb. de Mart. Pal. c. 8.

Valentinæ virginis Paulique martyrium.

XI. Duarum virginum constantiâ atque martyrio hic annus insignis est. Prior ex regione Gazensium orta esse ferebatur, altera *Valentina* nomine, multis probè nota, patriam habuit Cæsaream. Ac prior illa, cùm stupri comminationem non sustineret, jacto adversus tyrannum convicio, primùm quidem flagris verberata est, deinde sublimis in equuleo suspensa, admotas lateribus ungulas pertulit. Dum ea cruciatur *Valentina*, aspectu vilis & despicabilis, sed sublimi animo prædita, ea media turba inclamare adversus Judicem cœpit, *Quousque tandem adeò crudeliter meam torquebis sororem?* Quo dicto ille exacerbatus, corripi repentè mulierem jubet. Cùm sacrificare nollet, vi ad aram pertracta est. Tum silenti animo aram calcibus incessit, eamque cum imposito ipsi rogo disturbat. Quam ob causam Judex tot tantisque ungularum ictibus laniari præcepit, ut crudis ejus carnibus saturari velle videretur. Deinde ambas virgines flammis jussit absumi. Eâdem quâ virgines sententiâ, Paulus capitali supplicio damnatur. Imminente morte à carnifice, qui caput ipsi jamjam erat præcisurus, breve temporis spatium sibi concedi flagitavit. Eoque impetrato, contentâ voce primò quidem pro universa Christianorum gente preces ad Deum fudit, orans ut iisdem reconciliari vellet, utque pax illis & securitas quàm primùm restitueretur. Tum pro Judæis supplicavit, ut per Christi fidem ad Deum conversi accederent. Deinde ordine progressus, eadem pro Samaritis obsecravit. Post hæc pro Gentilibus Deum precatus est, ut veram religionem susciperent. Post hos omnes pro ipso Judice, pro Imperatoribus, ac pro ipso etiam carnifice Deum rogavit, ne quod in ipsum admittebant facinus, ipsis imputaretur. Cùm universi lachrymas funderent, nudam cervicem gladio feriendam præbens, martyrio decoratus est die XXV. mensis Panemi, hoc est, ante diem VIII. Calend. Augusti. Non longo pòst tempore ex Ægypto exxx. Confessores pedum mutilationes jam perpessi, jussu Maaimini partim ad Palæstinæ, partim ad Ciliciæ metalla damnantur.

Euseb. de Mart. Pal. c. 8.

Nova Maaimini in Christianos edicta. Martyrium Antonini, Zebinæ, Germani.

XII. Cum quies esset Confessoribus indulta, repentè edicta Maaimini contra Christianos quoquo versus per singulas Provincias mittuntur. Jubebantur ut Idolorum Templa vetustate collapsa instaurarent, cunctos cum servis & infantibus sacrificare Diis cogerent, & immolatis hostiarum carnibus vesci, utque cuncta in foro venalia sacrificiorum libationibus inquinarentur, & ante publicas balneas, quasi in insidiis collocarentur custodes, qui lavantes illic homines, sordesque corporis expurgantes execrandis sacrificiis macularent. Quam ipsi vel Ethnici atrocitatem improbabant. Cùm gravissimum ergo bellum Christianis immineret, tres ex Deorum numero, quasi juncto agmine irruunt in Præsidem, qui tum idolis sacrificabat, clamant ut ab errore desisteret. Interrogati, Quinam essent, Christianos se profitentur. Quamobrem commotus Firmilianus, capitali illos addicit supplicio. Quorum primus Presbyter fuit, nomine *Antoninus*, alter *Zebinas* vocabatur, patriâ Eleutheropolitanus, tertius dictus est *Germanus*. Hæc XIII. mensis Dii, quod est, Idibus Nov. adversus eos gesta sunt. Eodem die periit & *Ennathas*, virginitatis infulis decorata: *Quidam ex ipsius vicinia Tribunus Maxys nomine, vir vocabulo suo deterior* virginem omni veste à lumbis sursum denudatam, ductamque per universam Cæsariensium civitatem loris cædere pro magno habuit. Post tot verbera, cùm apud ipsum tribunal Præsidis magnum constantiæ specimen præbuisset, Judicis mandato comburitur. Firmilianus verò humanitatis terminos omnes prætergressus, Sanctorum corporibus sepulturam negat. Horum corpora sub dio exposita, ut à bestiis laniarentur, diu noctuque sollicitè custodiri jussit. Et hi quidem velut è specula, ne cadavera subriperentur, observabant, quasi ea res magni momenti esset. Feræ verò & alites humanos artus hàc atque illàc dispergebant, totaque circum undique civitas visceribus & ossibus constrata erat. Quæ cùm plurimos dies assiduè gererentur, aëre puro & sereno repentè maxima pars columnarum, quæ publicas urbis porticus sustentabant, quasdam velut guttas lachrymarum stillaverant. Fora

quo-

ANNO DOM. 311.

quoque & plateæ, cùm nullus ex aëre delapsus ros esset, aquâ perfusæ maduerunt, ut communi omnium sermone vulgaretur, terram miro & inexplicabili modo lachrymas edidisse. Aprilæi die XIV. quod est, ante diem XIX. Kal. Januar. quidam Ægyptii, qui ad ministeria Confessoribus in Cilicia constitutis exhibenda, ex patria profecti erant, comprehensi ab iis qui portas urbis observabant, pars eadem pœna quâ illi quibus ministraturi venerant damnati sunt, oculorum juxta ac pedum usu eis adempto. Tres verò supplicio addicti sunt. Unus illorum *Ares* nomine, flammis consumptus est, *Promo* & *Elia* caput gladio præcisum.

Eusib. de Mart. Pal. c. 9. & 10.

Petri Alex. martyrium: egregiæ Petri dotes.

XIII. Agmen Martyrum hujus anni claudent, quos capitulum exhibet. Tres Christi milites apud Emesam, Phœniciæ urbem, bestiis objecti sunt. Erat inter hos Silvanus Episcopus, decrepitæ jam ætatis, qui per annos XL. Sacerdotis ministerium obierat. Tyrannio Tiriensis Episcopus, nec non Zenobius Presbyter apud Sidonem Antiochiæ, morte suâ pietatem illustrarunt. Tyrannio in profundum mare mergitur. Zenobius dum ungulis laniatur, in mediis cruciatibus moritur. Per idem tempus Petrus Alex. præcipuum Episcoporum decus, tum ob vitæ sanctitatem, cùm ob Scripturarum peritiam, Maximino jubente capite truncatur. In Excerptis Chronologicis Scaligeri legitur, *martyrizavit* VII. *Kalend. Decembris.* Celeberrimus ille Episcopus toto Sacerdotii sui tempore, quod annis XII. gessit, maximam gloriam consecutus est: *Et ante persecutionem quidem tribus ferè annis Ecclesiam rexit. Deinceps verò reliquum tempus ætatis arctiore disciplinâ semet exercens transegit, nec minus interim communi Ecclesiarum utilitati magnificè prospexit. Quam ob causam nono persecutionis anno capite truncatus, coronam martyris promeruit.* Quibus constat, Baronianam de morte Petri Chronologiam unius anni prochronismo laborare, dum Sancti Episcopi obitum in anno CCCX. consignat, ob malè jactum Diocletiani persecutionis initium. Furente persecutione fugæ sese mandasse Petrum, prodit Sozomenus, quo tempore Meletius in Petri ditione multos creavit Episcopos. Annuâ Festivitate memoria Petri ab Alexandrinis celebrata, est quâ die Alexander hujus urbis Episcopatum gerens, cùm post expleta solemnia conventuros ad convivium suum Clericos expectaret, vidisse dicitur Athanasium, qui lusu quodam cum pueris ceremonias baptismi conficiebat.

Eusib. l. 7. c. 32.

Error Bar.

Ruf. h. l. 1. c. 14.

Acta Petri Martyris subdita.

XIV. Extant Petri Acta Martyris, sed fabulis referta. Paulò ante martyrium ab Alexandro & Achilla Presbyteris rogatur, Arium qui ad Meletium Lycopolitanum defecerat, in communionem restituere. Quibus segregatis à turba, clam dixit: *Hâc nocte, dum solemniter preces ad Dominum funderem, astitit mihi puer, quasi* XII. *annorum, cujus faciei claritatem ferre non poteram... Erat indutus colobium scissum in partes, à collo usque ad pedes. Exclamans dixi, Domine, quis scidit tibi vestimentum? Et ille, Arius mihi scidit.* Dum Petrus ducitur ad supplicium, in *Bucolis* fudit preces, *Ut sanguine ipsius tanquam signaculo persecutio obsignaretur.* Eâdem horâ virgo, quæ juxta Marci sepulchrum habitabat, has voces Cœlo audisse fertur: *Petrus caput Apostolorum, Petrus finis Martyrum.* Somnia hæc, quæ Baronio, Valesio, Combefisio placent, pro commentis habemus. Post ætatem Sozomeni ex fabulatorum officina prodiisse, gravi argumento comperimus. Quippe si de Ario Ecclesiam scindente Petrus visionem Alexandro suam exposuisset, Achillæque, nunquam profectò Arium ad Presbyteri munus Achillas evexisset. Quod ab ipso tamen factum fuisse tenemus: *Arius ab Achilla veniam precatus ad Diaconi officium redut, & ad Presbyteri dignitatem promotus est.* Neque verum, virgini auditam divinitùs vocem, *Petrus finis Martyrum.* Petri sanguine Maximini persecutio non fuit extincta. Petri post obitum Phileæ, Hesychii Paschumii martyrium refert Eusebius, qui in Ægypto Ecclesias administrabant. Quippe persequendi finem non prius fecit Maximinus, quàm anno insequente jam adulto, ut Constantini rescriptum accepit. Eo quidem anno periit *Lucianus* Nicomediæ, ut narrabitur infertus. Denique extincto Maximino novus tyrannus exortus est Licinius, numinum cultor, qui Martyres multos morti misit, præcipuè *Basileum*, Amasiæ Episcopum.

Bar. Ap. 310. n. 5.

ANNO DOM. 311.

Sozom. l. 1. c. 15.

Eusib. l. 8. c. 13.

De initio Donatiani schismatis.

XV. Dum in Oriente sævit Maximinus, gravior flammis calamitas Ecclesiæ incubuit ex schismate Donatistarum, cui Botri & Cælestii ambitio ansam præbuit. Nos repudiatâ Baronii Chronologiâ, quæ multos non spernendæ doctrinæ viros in errorem duxit, non ab anno CCCVI. ut illustrissimo Purpurato placuit, sed à currente initia schismatis esse repetenda, cum Valesio existimamus. Quippe Maxentius ante annum CCCXI. Africâ non potitus est, quam hactenus occuparat Alexander. Insidiis enim Maximiani Herculii liberatus, constabilitum habere putans Imperium, anno CCCVII. in Carthaginensem urbem miserat, qui ejus imaginem circumferrent. Quod fieri prohibuerunt eorum locorum milites, ob suam in Galerium benevolentiam. Veritus in Africam migrare Maxentius, ne Alexander Præfecti Prætorio Africæ munere fungens, consiliis adversaretur suis, legatione missâ, filium ejus obsidem petierat. Quâ petitione rebellandi occasio cùm injeceretur Alexandro, Africam quadriennio sub sua ditione tenuerat. Quibus observatis, Baronii fundamentum in Optato jactum funditùs eruitur: *Tempestas persecutionis peracta & definita est. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta.* Quæ anno CCCVI. contigisse, & sibi, & aliis Baronius persuasit. Errandi ansam ipsi præbuerunt verba Eusebii: Herculii *filius Maxentius principio quidem fidei nostræ professionem simulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque Populo Rom. Itaque subditis suis præcepit, ut à persecutione Christianorum desisterent.* In quibus Maxentii indulgentiam Afris missam Baronius sibi videre visus est, sed perperàm, cùm ante debellatum Alexandrum nil potestatis in Africam Maxentio fuerit. Indulgentia igitur Maxentii, cujus meminit Optatus, Alexandri clade posterior est. Defuncto *Mensurio*, cùm ejus in locum Carthagini substituendus esset Episcopus, *Botrus & Calesius apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt ut absentibus Numidis, soli vicini Episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur. Et manus imponente Felice Aptungitano Episcopus ordinatur. Botrus & Calesius de spe sua dejecti sunt.* Initium ergo Episcopatus Cæciliani, non

Opt. l. 1.

Error Bar.

Eusib. l. 8. c. 16.

Optat. l. 1.

non in anno CCCVI. ut *Shelstrato* placuit, sed in CCCXI. est constituendum.

Causæ schismatis Donatistarum.

XVI. Hâc ordinatione rude maximi schismatis semen in Africanas Ecclesias missum est, cujus has esse causas novimus: *Ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset* Lucilla, *quæ ante spiritualem cibum & potum os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur, & cum præponeret calici salutari, os nescio cujus hominis mortui, etsi Martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione irata discessit.* Prima hæc mali labes, cui & accessit altera: *Iisdem temporibus Felix quidam Diaconus, qui propter famosam nescio quam de Tyranno Imperatore tunc factam Epistolam appellatus est, periculum timens, apud Mensurium Episcopum delituisse dicitur. Quem cum postulatum Mensurius publice denegaret, relatio missa est. Rescriptum venit, ut si Mensurius Felicem Diaconum non reddidisset, ad Palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur angustias. Erant enim Ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quasi Fidelibus Senioribus commendavit: commemoratio facta, quòd cuidam aniculæ dedisse dicitur. Ita ut si ipse non rediret, redditâ pace Christianis, anicula illi daret, quem in Episcopali cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit, jussus est reverti Carthaginem, pervenire non potuit.* Ut ergo brevis auri & argenti Cæciliano traditur, Seniores qui vasa hæc decoxerant, cùm reddere cogerentur, *Subduxerunt communioni plebem.* Neque etiam cum Cæciliano conjungi voluerunt Botrus, Cælesius, Lucilla. Schisma peperit mulieris iracundia, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Finguntur causæ, ut vitiosa dicatur ordinatio Cæciliani. Ad *Secundum* Tigisitanum Episcopum mittunt, orantes ut cum Numidiæ Episcopis Carthaginem veniat. Adfuere LXX. circiter Episcopi, in quibus erant & illi, qui in Cirthensem conventum contracti fuerant. Ægrè ferebat *Secundus*, qui Numidiæ Primatem agebat, quòd Cæcilianus à se non ordinatus fuisset. Molestum quoque Numidis, quòd ordinationi non adfuissent: *Suscepti hospitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis, non à Catholicis, quorum petitioni Cæcilianus fuerat ordinatus.* Ad Basilicam ubi frequens cum Cæciliano civitas aderat, nullus Numidarum accessit. Mandatur à Cæciliano: *Si est quod in me probetur, exeat accusator, & probet.* Nil in illum à tot adversariis confingi potuit. Id unum objecere, quòd à traditore consecratus fuisset. Mandat Cæcilianus, ut si Felix in se nil contulisset, ipsi se tanquam adhuc Diaconum ordinarent. Tunc Purpurius sic ait: *Exeat huc, quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia.* Quibus compertis, tota Ecclesia Cæcilianum retinuit, ne se latronibus traderet.

Opt. l. 1.

Cæcilianus à Synodo Carth. damnatur. Majorinus creatur Episcopus. Factio Donatist. à quo nomen habuit?

XVII. In absentem ergo sententia Synodi dicitur, de qua audiendus Augustinus: *Recitatum est Concilium fermè* LXX. *Episcoporum contra Cæcilianum, apud Carthaginem factum, ubi eum absentem damnavere, quòd ad eos venire noluerit, tanquam à traditoribus ordinatus. Et quia cum esset Diaconus, victum afferre Martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur. Nominati sunt etiam quidam collegæ Cæciliani, qui traditores asserebantur, publicis gestis, quæ tamen gesta non legebantur. Inter hos autem maximè Felix Aptungensis acerbius accusatus est, ita ut fons malorum omnium diceretur. Deinde sententiæ à singulis dictæ sunt: primitùs à Secundo Tigisitano, qui eorum Princeps fuit, deinde à cæteris, quibus expresserant, Se Cæciliano, & collegis ejus, non communicare.* Damnato Cæciliano, *Majorinus* à schismatica Synodo creatur Episcopus. Lector fuerat in Diaconio Cæciliani, domesticus Lucillæ, cujus & pecuniâ, & suffragio à traditoribus ordinatur. Quod arcam tandem à *Nundinario* Diacono proditum, ut ex libello liquet, quem anno CCCXX. obtulit Zenofilo: *Testis est Christus, & Angeli ejus, quoniam tradiderunt quibus communicastis, id est, Silvanus à Cirtha traditor est, & fur rerum pauperum. Quod omnes vos Episcopi, Presbyteri, Diacones, Seniores scitis, de quadringentis follibus Lucilla clarissima fœmina, pro quo vos conjurastis, ut fieret Majorinus Episcopus, & inde factum est schisma.* Ubique locorum etiam *literas Libore dictante conscriptas* miserunt, quibus Cæciliano, & collegis ejus infamiam inurerent. Sic altare contra altare erectum est, & ordinatio illicite celebrata. Porro factio Majorini Donatistarum nomen induit, à Donato a Casis Nigris, qui miserandi schismatis fons fuit atque principium, monente Augustino: *Hujus hæresis principem accepimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum.* Qui etiam, si credimus Augustino, jam Carthaginensem perturbarat Ecclesiam, quo tempore Cæcilianus nondum Episcopatum adeptus erat: *Donatus à Casis Nigris in præsenti convictus est, adhuc Cæciliano Diacono schisma fecisse Carthagine. De Carthaginis enim schismate exorta est adversus Ecclesiam Catholicam pars Donati.* Hic ille Donatus nunquam Carthaginis Episcopus fuit, quod doctissimo Albaspinæo perperàm creditum. Donatus Carthaginensis Majorini non ordinator, sed successor fuit: *Cui Majorino Donatus Episcopus alius in eadem divisione successit, qui eloquentiâ suâ sic confirmavit hanc hæresin, ut multi existiment, propter ipsum potius eos Donatistas vocari.* Negat & Augustinus, Donatum à Casis Nigris Ecclesiæ Carthaginensi præfuisse: *Quod dixi Donatum, cujus Epistolam refellebam, rogasse ut Imperator inter ipsum & Cæcilianum transmarinos Episcopos Judices daret, non ipsum, sed alium Donatum, ejusdem tamen schismatis, hoc fecisse probabilius invenitur. Ille autem non erat Carthaginensis Donatistarum Episcopus, sed à Casis Nigris, qui tamen primus apud Carthaginem ipsum nefarium schisma commisit.*

August. in Brevic. Coll. di. 3. c. 14.

Append. ad lib. Optat.

Aug de Hær. c. 69.

Aug. Brev. Coll. di. 3. c. 12.

Aug. de Hær. c. 69.

August. Retract. l. 1. c. 21.

Melchiades Papa creatur.

XVIII. Post Eusebium Melchiades Ecclesiæ Romanæ Episcopus imponitur. Natione Afrum fuisse, docet Pontificale Damasi: *Hic constituit ne ullâ ratione die Dominicâ, aut V. feriâ jejunium quis Fidelium ageret, quia eos dies pagani quasi sacrum jejunium celebrant. Et Manichæi inventi sunt in urbe Roma ab eodem. Hic fecit ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Quæ leguntur in Pontificali. Unum præterit, cujus potius meminisse debuit, quàm ordinationis Presbyterorum VI. & Diaconorum quinque, quos ad id muneris à Melchiade evectos esse tradit: judicii nimirum, quod in Synodo Romana adversus Donatistas pronuntiavit.

Annos

ANNO DOM. 311.

Annos *tres*, *menses* VI. *dies* VIII. Melchiadem sedisse, non sine errore docuit & Pontificale, cujus à Chronologia minimum dissidet Onuphrius, qui annos tres, menses duos vindicat Melchiadi. Etenim non integro triennio sedisse, constat ex Chronico Damasi, nimirum *ex die sexto Nonas Julias, à Consulatu Maximiano* VIII. *solo, quod fuit mensa Septembri Volusiano & Rufino usque in tertium Idus Januarii, Volusiano & Aniano Coss.* Tenuit ergo cathedram annis duobus, mensibus sex, diebus X. si calculum hunc sequamur. At Chronico adversatur Indiculus depositionis Episcoporum; *quarto Idus Januarii, Miltiadis in Callisti.* Quæ si vera sunt, ad plures migrasse debuit IX. Januarii. Quoquò nos vertamus, de diebus nobis aquam hærere necesse est. Cæterùm ex ipso Chronico error Chronici purgari facillimè potest: *Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem.* Quo casu non obiisset *Volusiano & Aniano* Coss. anno CCCXIV. sed insequente. Legendum ergo *annis duobus*.

De fermento Melchiadis. Panem benedictum an Eucharistiam significet?

Bin. Not.

XIX. Porro quæ de *fermento Melchiadis* habet Pontificale, nonnullâ difficultate afficiuntur, quam pedibus manibusque Baronius, Biniusque infringere conati sunt. Quorum eò redit explicatio: *Melchiades instituit, ut panem fermentatum à populo, aut à Presbyteris oblatum, ab Episcopis consecratum, singulorum titulorum, aut parœciarum Presbyteri in Symbolum Catholicæ unionis, ac communionis, non modò ipsi acciperent, verùm etiam aliis Fidelibus sub se constitutis, qui sacratissimâ Eucharistiâ non communicassent, certo tempore distribuerent. . . Ad distinctionem panis azymi, ex quo Eucharistia conficiebatur, nominabatur fermentum, seu panis ex massa fermentata formatus.* Videatur & Baronius. An. 313. n. 51. Verùm enimverò *Eulogias* ab Eucharistia diversas, frustrà hic somniant Baronius, atque Binnius, quarum usus in Melchiadis ætatem non venerat. Quid rei sit Melchiadis fermentum, monet Innocentius ad Decentium Epistolâ: *De fermento verò, quod die Dominico per Titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum Presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcircò fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maximè illâ die non judicent separatos, quod per parrochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt sacramenta. Nos nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, ut & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam.* Quibus perspicuè pingitur Eucharistia. Primùm enim *ἁπλῶς* nomine *sacramenti*, fermentum afficitur. Deinde Presbyteris, qui in majore Ecclesia cum Innocentio conjungi non poterant mittebatur. In Romanis autem moribus erat, ut absentibus Eucharistia mitteretur muneri, teste Irenæi ad Victorem Epistolâ: *Illis ipsi qui te præcesserunt Presbyteri, quamvis id minimè observarent Ecclesiarum Presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt.* Præterea singulis

Euseb. l. 5. c. 24.

Dominicis diebus id fermenti confectum mittebatur, tesseraque Clericorum communionis erat. Quid est Eucharistia, si hæc non est? Ac sanè cùm panis benedictus, veluti umbra Eucharistiæ, non communicantibus distribueretur, eo nil opus erat Presbyteris, qui Romæ diebus Dominicis Eucharistiam celebrabant. Quibus tamen Melchiadis, Innocentiique fermentum, destinabatur. Eò pertinet eruditissimi observatio Mabillonii: *De fermento quod dicit, mos est Romanus, ut de Missa quæ cantatur in cœna Domini, & in Sabbato Sancto, & in die Sancto Pascha, & in Pentecoste, & in Natali Domini, de Sancta, per totum annum servetur, & ubicunque per stationes, si ipse Papa ad Missam præsens non fuerit, de ipsa Missa mittitur in calicem, cùm dicitur, Pax Domini sit semper vobiscum. Et hoc dicitur fermentum. Tamen Sabbato Sancto Pascha nullus Presbyter per Ecclesias baptismales neminem communicat, antequam mittatur ei de ipsa Sancta, quam obtulit Dominus Papa.* Vetustissimæ ad Innocentii locum verba glossæ sunt, & MS. Codice à Mabillonio relata. Et in primo Ordine Rom. quem ille ipse Mabillonius edidit: *Deportatur à Subdiacono oblationario particula fermenti, quod ab Apostolico consecratum est, & datur Archidiacono. Ille verò porrigit Episcopo.* Itaque virorum eruditorum Shelstrati, Mabillonii, Pagii, Harduini judicio de Baroniana sententia conclamatum: fermentumque & Melchiadis, & Innocentii, non panem benedictum Eucharistiæ vicarium, sed ipsam significat *Eucharistiam*. Profectò quam commentam de pane benedicto explicationem proponit illustrissimus Purpuratus, refellit hujus ceremoniæ novitas: utpote quæ non ante seculum VII. emerserit. Benedicti panis institutio Nannetensi Synodo debetur anno circiter DCLXXXV. In eo conventu Patres sciscunt:

ANNO DOM. 311.

Mabil. t. 2. Mus. Ital. p. 28. 29.

Nannet. Syn. c. 9.

Ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, & consecrationibus quæ supersunt, vel de panibus quos deferunt ad Ecclesiam, vel certè de suis, Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, & convenienti, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant. Non ovum ovo similius est, quàm huic Canoni simile Pseudo-Pii Decretum, cui hoc solum additur, *quæ cum benedictione prius faciat*: ut luce clarius sit, Pii Decretum ex Nannetensi Canone fuisse desumptum.

Cur Eucharistia Miltiadi & Innocentio fermentum dicitur?

XX. At in momentosiorem quæstionem incidimus: quanam de causa Miltiades Eucharistiæ fermenti nomen indiderit? Quod & vocabulum Siricius usurpavit, de quo in Pontificali legitur: *Hic constituit ut nullus Presbyter Missam celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod declaratur fermentum.* Appellationis non propriam, sed allegoricam eruditi causam nonnulli afferunt. De Canone Aurisacano clarissimus Harduinus: *Nam quia*, inquit, *fermentatum idcircò necesse sit intelligi. Aliud enim fermentum est, aliud fermentatum, sed quia fermenti instar Fideles omnes qui communicant, veluti massam unam fermentet.* Quæ & eruditissimi Sirmondi explicatio est: *Quia fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ, cui commiscetur. O sacramentum pietatis, ò signum unitatis, ò vinculum charitatis, ait Augustinus in Joannem Tractatu 27.* Neque prorsus explicationem rejicimus. Shelstrato quoque largimur, obscuriore appellatione Eucharistiam fuisse donatam, quo Catechumenis mysterium Eucharistiæ absconderetur. Id unum attendere jubemus, absurdissimam fuisse denominationem, si expers fermenti sit omnis Eucharistia, ut sapienter à Cardinali Bona observatur: *Nam quid magis alienum à communi usu loquendi, quàm quod nomen fermenti pro azymis*

Hard. de Can. Aur. p. 220.

Sirm. de Azym. c. 5.

Bon. Lit. l. 1. c. 23. n. 8.

Anno Dom. 311.

accipiatur? Ac sanè ex quo introducta sunt azyma in Eucharistiam, *fermenti* appellatio prorsus exulat, dateque auribus ludibrium, qui id vocabuli adhiberet, significando corporis Christi mysterio, quamvis etiamnum fermenti *vicem præstet*, conjungendis inter se Fidelibus. Propterea cùm autoritates Melchiadis, Siricii, Innocentii objectæ fuissent Anselmo Episcopo Havelbergensi, Lotharii Imperatoris ad Joannem Comnenem Imperatorem Legato in ea collatione quam habuit in absida S. Sophiæ cum Niceta Archiepiscopo Nicomediensi, non responsum est, metaphoricè capiendum esse fermentum, quia *fermenti vicem præstabat*: satisfecerunt argumento eâ explicatione, quæ Baronio placuit, nempe *fermentum de Eulogiis esse* intelligendum. Neque virium est aliquid in ratione Harduini: *Aliud fermentum est, aliud fermentatum.* Est enim solemne pro concretis abstracta usurpari. Sic in Adelphis Comicus:

Act. 3. Sce. 3.

Tu quantus quantus, nil nisi sapientia es.

De Sinone Maro:

Et crimine ab uno disce omnes.

Et carnis sapientia *inimicitia* dicitur *adversus Deum.* Quidni igitur *fermentatum* appellari & fermentum potest? Multò congruentius quidem, quàm azymum *fermentum* dici. Metaphoricas ergo non abnuemus *fermenti* explicationes, eâ lege tamen, ut fermento constet Eucharistia, absque quo ab ejusmodi vocabulo Melchiades, Siricius, Innocentius abstinuissent, ut nunc abstinent Latini.

Nùm ex traditione Apostolica azymo sacrificatum? Apostoli fermentata consecrarunt.

XXI. Ad tractandum nunc invitat nos atque illectat fermentum Melchiadis, utrùm ea veteris Ecclesiæ disciplina fuerit, azymis uti ad conficiendam Eucharistiam? Ac Baronius, cujus opiniones ad examen revocamus, *Ritum conficiendi in azymis, & non in fermentato, servatum esse ab Apostolis, ac eorum successoribus*, disertè docet, & probat ex Epiphanio h. 30. Quam assertionem si perpendamus ad rationem Antiquitatis, reperiemus sanè vanissimam, quod optimis argumentis à Siemondo Bonaque demonstratur.

Bar. An. 34. n. 45.

Conemur & nos opinionem, quæ diu Latinorum per animos pervasit, refellere atque coarguere. Azyma in consecranda Eucharistia à Christo fuisse adhibita, certum exploratumque est. Quippe corporis sui sacramentum instituit, dum Pascha celebrat, à quo fermentum omne removeri debuit. Patris ergo sui legem violare sanctissimus filius nec debuit, nec potuit, & magno Judæis scandalo fuisset, si cum fermento agnum comedisset, ut justâ morte cecidisse videretur, ipso jubente Deo, qui sine azymis Pascha celebrasset, illum esse occidendum. Ac nostro quidem judicio, Christi exemplum fermento Eucharistico conciliat autoritatem. Azymos enim panea adhibuit, quia tum temporis communis Judæorum erat omnium cibus. Ex quo intelligitur, ad Eucharistiam panem eum usurpandum esse, qui usitatus, qualis non *azymus*, sed *fermentatus* est. Quem & Apostolos consecrasse ostendit vox *panis*, plus decies in priore Epistola ad Corinthios repetita. Non patitur autem usus, quem penes sermonis est arbitrium, ut *panis* simpliciter positus, significet azyma, quæ vel à suo epitheto, vel à temporis circumstantia designari debent, faciendo discrimini. Deinde vix mente capi potest, Apostolos qui & singulis diebus panem domatim frangebant, & Agapis miscebant Eucharistiam, azymis celebrasse. Panem adhibebant, qualem in mensis inveniebant, ut eadem materia cibo esset, & animo, & corpori; sacramento scilicet, & alimento, quod & factum in Eucharistiæ institutione. Insuper azyma *umbra futurorum erant*, parsque disciplinæ Mosaicæ non minima. Cujus ceremoniæ mysteria Paulus aperit: *Festum agitemus non cum fermento veteri, nec cum fermento malitiæ, & improbitatis, sed cum azymis sinceritatis & veritatis.* Unà ergo cum umbris ceremoniarum ex Ecclesiæ Christianæ sacramentis azyma Apostoli ejecerunt, cùm figura veritati, imago corpori cedere debuerit. Denique adumbrandæ corporis Christi efficaciæ, quæ præcipuè debet attendi in sacramenti celebratione, panis fermentatus longè aptior est, utpote & communior, & suavior, & salubrior, quibus primis veluti lineis ostenditur, corpus Christi saluberrimum, suavissimum, necessariumque animarum alimentum esse. Quas exhibere significationes non datur azymis, utpote insipidis, stomachoque incommoda afferentibus.

Anno Dom. 321.

1 Cor. 5. 8.

Græci Patres vetustiores fermentato celebrarunt.

XXII. Suos Apostoli ritus ad Græcos primùm, dein ad Latinos transfuderunt. Quòd si Patres antiquissimi de Græcorum gente fermentato celebrarunt, nil dubitationis est, quin & hanc Apostolorum more atque instituto coluerint disciplinam. Justinus Martyr: *Ei qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini.* Vox autem *panis* simpliciter posita, azymum non significat. Dixisset igitur Justinus, *Offertur panis azymus*, quomodo de Ebionitis, quibus azyma placebant, panes in mysteriis suis *azymos* adhibuisse tradit Epiphanius. Magnum est in Irenæo momentum, quia Lugdunensi præfuit Ecclesiæ, cujus ritus ab illis Romanorum variasse non videntur. Audiamus ergo magni Doctoris S. Polycarpi magnum discipulum: *Quemadmodum enim, qui est è terra panis, percipiens invocationem Dei jam non communis panis est, sed Eucharistia.* Quòd si ante consecrationem panis *communis* fuit, ut certè fuit, utique fermento condiebatur, quia panis non est communis azymus. Irenæi mentem ac penè verba exprimit Nyssenus: *Panis est initio communis, sed ubi eum mysterium ἱερουργίαν, sacraverit*, non placet *Sifani* versio, *sacrificaverit, corpus Christi fit, & dicitur.* Quis verò pro pane communi azymum habet? De Ebionitis Epiphanius: *Ex Christianorum Ecclesiaque imitatione mysteria quadam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, & ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent.* Quibus intelligitur, Ecclesiam azyma repudiasse, cùm ea Epiphanius memoret, quibus Ebionitæ à communi disciplina dissidentes, incurrebant in Ecclesiæ indignationem atque censuram. Etenim vitio vertit Epiphanius, quòd moris Judaici tenaces, & azyma, & meram aquam in mysteriis adhiberent. Quibus lepida Scholasticorum historia configitur: *Dicunt enim utramque Ecclesiam, Græcam & Latinam, à tempore Apostolorum in azymo instar Christi consecrasse. Posteà verò exortâ hæresi Ebionitarum, qui dicebant legalia esse observanda, universam Ecclesiam, etiam Latinam, in fermento cœpisse consecrare. Hâc verò occasione cessante, Latinam Ecclesiam ad pristinum morem rediisse, Græcam autem fermentatum obstinato animo conservasse. Hoc autem confirmant autoritate Leonis Papæ, certè non alterius quam IX.* Quæ figmenta sunt, nullis historiæ monumentis stabilita. Quid multa?

Just. Apol. 2. 97.

Iren. l. 4. c. 3.

Nyss. Or. in Bapt. Chr. t. 3. 370.

Epiph. h. 30. n. 16.

Vasq. t. 7. disp. 174. c. 1.

Anno Dom. 311.

ta? Testibus nostris accedant Cyrillus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Præsul, atque Isidorus Pelusiota. Ille Cathecb. Myst. 3. *Panis*, inquit, *post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis.* Hic verò Epistolâ CIX. tradit, *in mystica mensa communem panem* Christi proprium corpus effici. Non alium sanè panem quàm fermentatum usurpavit Theodoritus, qui ut *Mari* Monacho pergratum faceret, sacrificium celebravit: *Jussi sacra vasa afferri, pagus enim haud longè aberat, & pro altari usus Diaconorum manibus, mysticum divinum & salutare obtuli sacrificium.* Quo casu communis qualis & inveniebatur panis, adhibitus est. Veteri disciplinæ tam arctè adhærent Græci, ut formula abjurationis Armenorum ad concordiam cum Græca Ecclesia redeuntium, hoc habeat Anathema, ut nos monuit Cotelerius in notis ad lib. v. Const. Apost. *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & sal, nec aquam cum vino in S. calicem, anathema sit.* Fidem penè superant, quæ de Græcorum pertinacia refert Anonymus, tractatu contra Græcos: *Graci Latinos Azymitas voce publicâ asserere non verentur: unde in tantam excæcationem*, (execrationem) *& contemptum apud eos devenit mysterium sacramenti, ut non solum in mortis articulo ex eo sumere recusent, verùm etiam incendii supplicium potius eligant sentire, quàm simpliciter confiteri. Probat hoc Cyprus, qui nostris temporibus* XII. *Monachos Græcos isto errore laborantes, novos Diaboli Martyres per flammas ignis produxit. Dicebant enim prædicti Monachi, sacramentum Latinorum lutum esse, & non sacramentum, & quòd sacrificantes vel sumentes ex eo, more Gentilium Dæmonibus immolarent.* Narratur & ibidem, Michaelem Cerularium, *Latinos qui in urbe regia Constantinopoli tunc temporis sub Imperatore Græco degebant, ad Græcorum ritus, & præcipuè ad sacrificandum in fermentato, tandem per censuram Ecclesiasticam invitasse.* In azyma quoque asperius Nicetas Pectoratus invehitur: *Qui azymorum adhùc participant, sub umbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedunt, non autem rationalem & vivam Dei mensam. Quomodo unitatem habebitis cum Christo vivente Deo, mortuum, ut dictum est, & infermentatum fermentum comedentes, legis umbra, non N. Testamenti. . . Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat.* Odium Græcorum in azyma testatur & Epistola Dominici Venetiarum Patriarchæ ad Antiochenum Patriarcham, in qua legitur: *Reprehendunt sacratissima azyma, quæ in corpore Christi sanctificamus & sumimus. Atque in hoc nos expertes, illius corporis astruunt, & ab unitate Ecclesiæ judicant separatos, quòd nimirum absque mistione fermenti Eucharistiam sacrificemus.*

Theod. h. SS. Patr. c. 20.

B. P. t. IV. p. 1287.

B. P. t. IV. p. 1287.

B. P. t. IV. p. 2. p. 208.

Cotel. Eccl. Gr. Mon. t. 2. p. 130.

Nùm Latini olim adhibuerint azyma?

XXIII. Si verum tueri sententia est, Latinos Apostoli eodem modo ac Græcos instituerunt, commendatâ utrisque fermentati panis disciplinâ. Nil frequentius legitur apud Scholasticos, quàm azymorum & nomen, & mysteria. Thomam audiamus, scholæ Latinæ facilè principem: *Ritus de pane azymo celebrandi rationabilior est, primò quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit primâ die azymorum.* 2°. *Quia panis est propriè sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est.* 3°. *Quia hoc magis competit sinceritati Fidelium, quæ requiritur ad usum hujus sacramenti, secundum illud* Cor. I. v. *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Quòd si usus azymorum prioribus seculis solemnis erat apud Latinos, nonne prodigio est, Tertullianum, Cyprianum, aliosque complures ne verbulo quidem uno de Aquinatis mysteriis commemorasse; quæ tamen omnibus obvia erant, & dictu necessaria? Quid, quòd ne vel semel azymi epithetum pani Eucharistiæ addiderunt, cùm sacramenti corporis Dominici meminere? Quid causæ est, cur Scholastici sua frequenter azyma memorent, Antiqui verò nunquam in septingentorum & eo amplius annorum decursu, nisi quia ritus immutati: ac posterioribus quidem seculis sacramentum *infermentatum* fuit, prioribus non fuit. Deinde varium celebrandæ Eucharistiæ morem, Socrates, Sozomenusque prodiderunt. Nec si Latini de fermentato à Græcis discrepassent, id silentio præteriissent accurati Historici, qui multò leviora memorarunt: v. g. quòd die Sabbati sacra ubique terrarum mysteria celebrarentur, præterquam Romæ, & Alexandriæ. Conspiratio igitur Ecclesiarum fuit omnium, ut pane fermentato Eucharistia conficeretur. Insuper poscimus rationem, cur Græci azymis infensi, prioribus seculis nil litium ea de re Latinis moverint, si jam erant in usu. Unde nova hæc indignatio, si more perpetuo Latini azymis consecrarunt? Observatione digna sunt verba Ruperti: *Cur S. Romana Ecclesia nunquam in sacrificiis fermentum admiserit, non otiose quæritur, nec inutiliter scitur, maximè quia consuetudini huic tota hactenus Ecclesia refragatur. Nam de fermentato Græci immolant, & nescio quâ autoritate suffragante, quæ procul dubio de authenticis nunquam profecta est Scripturis, tam legalem, quàm Evangelicam, Rom. Ecclesiæ consuetudinem nimis pertinaciter abhorrent.* Ruperto quidem non assentimur, quòd Romani nunquam in sacrificiis fermentum adhibuerint, at ipsi narranti credimus, azyma Græcis iram movisse, à qua sese non magis cohibuissent quarto, quinto, sextoque seculo, si Romani tum azymis fecissent.

Thom. 3. Q. 74. a. 4.

Anno Dom. 311.

Rupert. de Div. Off. l. 2. c. 22.

XXIV. Quid conjecturis opus? Latinos audiamus. Dictum est Tertulliani: *Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur.* Quia nimirum ex eo pane conficiebatur Eucharistia. Aut igitur non curabat Septimius fragmentorum aliquid, ex fermentato dejici, quod absonum, aut *fermentatum*, materiam Eucharistiæ præbuit. Magister auditus est, aures præbeamus discipulo divites, qui nil ad conficiendam Eucharistiam erogabant, sic alloquenti: *In Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis.* Sacrificium panis est, quem Christiani in mensa sacra benedicendum offerebant. Panis verò è penu Fidelium suppeditatus azymus non fuit, sed fermento temperatus qui Priscis azymus nunquam vocatur. Azyma nesciebat Ambrosius: *Tu fortè dicis, Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est, ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Azymus potuitne clarius excludi, qui communis non est, & *usitatus panis?* Non azymus panis erat ille, quem *Benedictus* pro virginibus excommunicatis offerendum dedit. Panes enim vel pauperibus destinati, vel muneri dati Monachis, ut ad se venientibus offerri possent, *oblationes* nuncupabantur. Sic Menæ solitario: *Per hebdomadam unusquisque oblationes transmittebat*, teste Gregorio M. Ex oblationibus ejusmodi, quæ fermento conditæ erant,

Patrum Latinorum suffragio fermentatus panis statuitur.

Tert. de Cor. c. 3.

Cypr. de Op. & El.

Ambr. de Sacr. l. 4. c. 4.

Greg. Dial. l. 3. c. 26.

erant, utpote alendo corpori destinatæ, Benedictus jussit sacrificium offerri: *Manu suâ pretinùs oblationem dedit, dicens, Ito, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & ulterius excommunicatæ non erunt.* Fermentato quoque in Italia faciebant tempore Gregorii M. Presbyter ad balnea iturus, duas secum oblationum coronas detulit, dandas homini, qui inter lavendum ministrabat: *At ille mœrens afflictusque respondit, Mihi ista quare das, Pater, iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro peccatis pro me interveniat.* Estne credibile, *azymos* panes à Presbytero datos esse gratulandi causâ? Panes erant cibo destinati, fermentoque conditi, ut gustui magis saperent. Illos verò panes Deo in Eucharistiæ sacrificio offerri, dantem Presbyterum rogat balnei minister. Nullius momenti non est VI. Canon Toletanæ Synodi XVI. anno circiter DCLXXXXIII. celebratæ: *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quòd in quibusdam Hispaniarum partibus, quidam Sacerdotum partim nescientiâ impliciti, partim temerarie ausu provocati, non panes mundos, & studio præparatos, supra mensam Domini in sacrificio offerant, sed passim quomodo unumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus, suis usibus præparatis, crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare, cum vino & aqua pro sacro libamine offerant, quod factum nequaquam in sacra autoritatis historia uspiam perpenditur.* Quibus panes fermentati communesque describuntur, utpote in usum proprium à Presbyteris præparati. Quam negligentiam sic castigant Toletani: *Unde temeritatis ejus atque nescientia cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ deligit conventus, ut non aliter panis in altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantùm oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.* Cùm ergo fermentatum panem obtulissent Presbyteri, azymum Synodus imperasset abusui corrigendo. Qua de re oe μυ quidem. Id unum volunt: *Ut panis integer & nitidus, & studio præparatus sit.*

Greg. Dial. l. 2. c. 23.

Greg. Dial. l. 4. c. 55.

Quo tempore usurpari cœperunt azyma.

Bon. Lit. l. 1. c. 23. n. 4.

XXV. Quo tempore, fermentum Eucharistiâ abire jussum fuerit, est definitu difficillimum. Cardinalis Bona: *Azymi panis usum circa annum Christi* DCCCLX. *nondum in Ecclesia Latina viguisse*, ex silentio Photii, qui Latinis, tanquam gravissima crimina objecit, quæcunque in eorum ritibus & disciplinis, à moribus Græcorum discrepabant, quæ Michaël & Basilius Imperatores, ad Nicolaum Papam, & hic ad Hincmarum misit discutienda & refellenda, de azymis autem ne verbum quidem. Hanc tamen doctissimi Purpurati conjecturam, quæ Sirmondi quoque fuit, vehementer Rabani percellit autoritas. Floruit Rabanus anno DCCCXLVII. quo tempore jam in Ecclesia Moguntina usus azymi invaluerat: *Ergo panem infermentatum, & vinum aquâ mixtum, in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet. Quòd autem panem sacrificii sine fermento esse oportet, testatur liber Leviticus.* Suspicatur quidem Bona, *Addita illa ab aliquo recentiore.* At si verum amamus, suspicio nullius momenti est, nisi ostendatur, verba hæc aut in vetustis MSS. desiderari, aut ipsi adversari Rabano. Præterea, observante Mabillonio, Alcuinus Rabani Doctor, Epistolâ LXIX. ad Fratres Lugdunenses hæc scribit: *Panis qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde purissima.* Non pugnamus igitur, quin octavo propria seculo azyma introducta fuerint, abrogato sensim antiquo more, quomodo à fermento Græcis usurpato, Armeni ad azyma deflexere: *Apud Armenios & Alamannos sacrarum imaginum adoratio æque interdicta est, & azymis utrique utuntur, & alia quædam Christianis Orthodoxis improbata.* Niconi quoque dedere pœnas Armeni, in Epistola ad Enolistium: *In pane quoque mystico utuntur azymis.* Apparet autem & extat ex Synodo Constantinopolitana, seculo VII. celebrata, Armenos azymis nondum fecisse, quæ haud minus Constantinopolitani improbassent, quàm calicem aquæ expertem Canone 32. damnatum. Ut igitur ab Armenis, sic & à Moguntinis antiqua fermenti consuetudo mutari potuit, specie inhærendi, vel exemplo Domini, vel Pauli mandato: *Festum agitemus cum azymis sinceritatis & veritatis.* Quibus accedit, quòd panis azymus fermentato sit parabilior, atque tenacior. Gravissimum tamen est Sirmondi hoc argumentum, demonstrando in publicam Ecclesiæ disciplinam nondum azymum irrepsisse, quod acris juxta ac eruditi adversarii Photii vigilantiam non effugisset. Ex nostra Dissertatione apertè liquet, errore deceptum fuisse Thomam, scribentem: *Dicit B. Gregorius in Registro, Romana Ecclesia offert azymos panes.* Quem & in errorem incidit Gennadius, Patriarcha Constant. *Gregorio enim Dilogo, viro sanctissimo, qui ante Ecclesiarum schismata vixit*, ascribit Occidentalem *Ecclesiam azymum, Orientalem fermentatum antiquitùs in usu habuisse.* At magni larva nominis lectoribus illuditur. Gregorius ille non Magnus fuit, qui fermentato favit, sed Septimus, cujus in Registro l. 8. c. 1. quidquam simile habet. Observetur in transcursu error Bellarmini dicentis: *A nomine scriptum esse, quòd Alexander primus azyma instituerit.* Quod tamen à Platina proditum scimus atque tenemus: *Oblationem quoque ex azymo, non autem ex fermentato ut anteà, fieri mandavit, quia hoc modo purior haberetur & Ebionitis Hæreticis calumniandi occasio offerretur.* Atque hæc datâ occasione ex fermento Melchiadis. Cæterùm tanti quæstio de azymis non est, ut scindere in partes Ecclesiam debeat. Prudentiâ simul & mansuetudine conditum est Dominici Patriarchæ Venetiarum judicium: *Quia fermentati panis sacra commissio à Sanctissimis Orthodoxisque Patribus Orientalium Ecclesiarum accepta creditur, ac legitimè tenta, utramque consuetudinem fideliter intelligamus, intellectuque spirituali salubriter confirmemus.*

Nicet. l. p. 199.

B. P. t. 3. p. 150.

Thom. 3. P. Q. 74. a. 4.

B. P. t. IV. p. 999.

Bellarm. de Euch. l. IV. c. 9.

Plat. Vit. Alex. p. 15.

Cat. Mon. t. 2. p. 110.

Melchiades Stratonem mittit recuperandis rebus Ecclesiæ.

XXVI. Postquam Pontificatum iniit Melchiades, curam omnem adhibuit atque diligentiam, ut erepta à persecutoribus loca Ecclesiæ restituerentur. *Stratonis* verò Diaconi ad eam rem perficiendam usus est ministerio. Hinc ansam postmodum arripuere Donatistæ, in Melchiadem asperius invehendi. Quid porrò Melchiades egerit, ex Augustino discimus, de Donatistis hæc scripto mandante: *Recitaverunt etiam alia gesta, ubi Melchiadem legebatur misisse Diaconos, cum literis Maxentii Imperatoris, & Præfecti Prætorio, ad Prætorem urbis, ut reciperet loca, quæ fuerant à Christianis tempore persecutionis ablata. Ubi cùm Melchiades crimen penitùs nullum apparetet,*

Raban. de Inst. Cler. l. 1. c. 31.

August. l. ad Donat. post Collat. c. 12.

ANNO DOM. 311.

pareret, dixerunt, Superioribus traditionis gestis traditorem Stratonem fuisse recitatum. Querebantur Donatistæ, Melchiadem Stratonis Diaconi operam adhibuisse, quem utpote traditorem, loco suo movere debuisset. Audiatur iterum Augustinus: *Et cùm his quoque gestis, nullum Melchiadis crimen & cognitoris & Catholicis Defensoribus appareret, dixerunt Donatistæ, Stratonem Diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca Ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum esse traditorem: & ideò volebant etiam Melchiadem crimine traditionis aspergere, quòd Diacono illo non degradato uteretur. In prosecutione autem sua, dixerunt, Melchiadem tertium Episcopum fuisse ab illo qui tunc erat, cùm traditio illa facta est.* Ætate Constantini Imp. ea Melchiadi labes injusta non fuit, quem Donatistæ Judicem agnoverunt. Eâ sine dubio exceptione repellendum, si legitima veraque fuisset.

Augustin. Brev. Coll. 3. diei c. 18.

Melchiadis Epistolæ subditæ.

XXVII. Melchiadi una Decretalis tribuitur, ad Episcopos *Marinum, Benedictum, Leontium*, & cæteros Hispaniarum Episcopos missa. Cujus materia tribus capitibus constat. 1°. De judiciis Episcoporum, sive majoribus causis, ad Apostolicam sedem deferendis, & ut nullus eam prohibeatur appellare. 2°. Quodnam sit majus sacramentum, impositio manus Episcoporum an baptismus? Tertium de jejunio Dominicæ diei, & quintæ feriæ: *Data est Kalend. Martii Volusiano & Rufino, viris clariss. Coss.* Ad. ò-ne nos fuisse fungos, ut veteratori credamus? *Tertio Idus Januarii* perierat Melchiades, Consulatum gerentibus Volusiano & Rufino. Quî potuit igitur eodem anno *primo Martii* ad Hispanos Epistolam dirigere? Capitis primi initium Apostolici *præcepti verba sunt, Apud Judæos atque Gentiles sine offensione nos esse debere* &c. totidem verbis ex Cælestini desumitur Epistola. Caput primum hanc ex Rufini versione Xysti sententiam mutuatur, *Infidelis homo mortuus est in corpore vivente*, quæ in Xysto sexta numero est. Abundat & locis Autorum, qui diu post Melchiadem floruere ex Leonis Epistola 84. Eucherii homilia de Pentecoste. Est & alia Melchiadis Papæ Epistola hoc ornata titulo: *De primitiva Ecclesia & magnificentia Constantini M. Imperatoris erga eadem.* Sed cùm mentionem faciat Nicenæ Synodi XI. annis post defunctum Melchiadem celebratæ, Epistolam *falso nomine Melchiadis prænotatam* fuisse, Binnius ipse profitetur, quam & Isidori mercatoria esse suspicatur Baronius. Equidem verba hæc: *Idem verò præsidens in S. Synodo, quæ apud Nicæam congregata erat*, nempe Constantinus, apertissimè Epistolam falsi postulant.

ANNO DOM. 312.

ANNO U.C. 1065. PER. JUL. 5025. JUL. 357. DOM. 312. CONSTANTINI 7. LICINII & MAXIMINI 6. *Persec.* 10. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 9. *Indict.* 15. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 2. 3. *P.* 14. *April.*

COSS. Constantinus Augustus II. & Licinius Aug. II.

Aradius Rufinus Præfectus Urbis.

Res Maxentii, fœdus ejus cum Maximino.

I. ALexandri clades tyranni, quem Rufius Volusianus Præf. Prætorio, Zennâ comitatus, in Africa debellarat, Maxentio triumphum peperit. Romæ triumphavit ob perpetrata Carthagine mala. Occasione triumphi purpuram Consularem Maxentium induisse, Pagio creditum. Amplissimum quidem iniisse Magistratum, exploratum est. Legitur enim in libello de P. Urb. *Maxentio IV. Consule, qui sunt Constantino II. & Licinio II.* Sed & in Fastis Idacianis: *His Coss. quod est Maxentio IV. solo, victus est & occisus est Maxentius Romæ ad pontem Milvium.* Nempe in Italia, & Africa Consul habitus est, dum Constantius & Licinius in cæteris imperii partibus Fastos reserabant. Triumphi gloria Maxentii superbiam simul & crudelitatem accendit. In omnes tam in urbe, quàm in Italia grassatur, subditos penè in servitutem redigit, adeò ut ad extremam trusi sint alimentorum penuriam. Tyranni fiduciam auxit clancularium cum Maximino fœdus: *Ut enim Maximinus audivit, Constantiam Constantini sororem Licinio esse desponsam, existimavit affinitatem illam duorum Imperatorum contra se copulari. Et ipse Legatos ad urbem misit occultè, societatem Maxentii, atque amicitiam postulans. Scribit enim familiariter. Recipiuntur Legati benignè, fit amicitia, utriusque imagines simul locantur. Maxentius tanquam divinum auxilium libenter amplectitur. Jam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus.* Jam mota inter Maxentium & Constantinum fuerant arma civilia: *Et quamvis se Maxentius Romæ contineret, quòd responsum acceperat periturum esse, si extra portas urbis exisset, tamen bellum per idoneos Duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quòd & patris sui exercitum receperat à Severo, & suum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat.*

Lact. de Mort. c. 43. & 44.

De Maxentianis variæ Constantini victoria.

II. At Constantinus gravibus pugnis adversarium urgebat. Apud Brixiam magnus quidam & acer equitatus erat, qui primo Constantini impetu pulsus, Veronam usque contendit ad præsidia majora. Ipsa autem Verona freta, copiis quas in unum adventus Constantini formido conduxerat, muris se ab impetu vindicabat. Aderat *Ruricius*, experientissimus belli, & tyrannicorum Ducum columen. Veronenses impetum faciunt, sed Ruricius magnâ suorum clade rejicitur in mœnia. Cùm se Veronam proripuisset, novos eodem egit exercitus, & præcipitante jam die, bellum non detrectavit, pugnæ avidior quàm salutis: furorem ejus mors domuit. Quæ ex Nazario hausimus. Autor incertus Panegyrici, anno CCCXIII. Constantino dicti, præcipuam Veronensium cladis causam, ascribit præsidio urbis: *O miserabilem Veronensium calamitatem, quos non tam sua, quàm intestina satellitum pressit obsidio.* Veronensi pugna multis se periculis Constantinus objecit. Pulchra sunt verba Panegyrici: *Laudare me existimas, Imperator, cuncta quæ in illo prælio feceris? Ego verò iterum queror. Cur ipse pugnasti? Cur te densissimis hostium globis miscuisti? Cur salutem Reip. in pericula tanta misisti?* Reliquas Constantini victorias summatim complectitur Nazarius: *Prætereo te, Aquilea; te, Mutina, cæterasque regiones*, quibus propter insecutas incredibilium bonorum commoditates, gratissima fuit oppugnationis injuria... Recuperata igitur Italia, hic primus fuit liberandæ urbis gradus.* Non incruento tamen Constantino victoria: imò, si Lactantii admittimus testimonium, *Dimicatum, & Maxentiani milites prævalebant, donec postea confirmato animo, Constantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad urbem propius admovit, & è regione pontis Milvii consedit.*

Lact. de Mort. c. 44.

ANNO DOM. 312.

Pons Maxentii. — *Zoz. l. 2. c. 15.*

III. *At Maxentius pontem supra Tiberim struxerat, non connexum prorsus a ripa, qua urbem spectat, ad alteram usque ripam, sed duas in partes ita divisum, ut in medio flumine ea, qua partem utramque pontis explebant, inter se quodammodò concurrerent fibulis ferreis, qua revellebantur quoties pontem quis junctum nollet. Simul imperabat fabris, cùm primùm viderent exercitum Constantini junctura pontis insistere, fibulas revellerent, ut quotquot huic insisterent, in fluvium delaberentur.* Itaque admirationem nobis efficit Baronius, dum securè tradit: *De ponte constructo à Maxentio, cùm meminit Zozimus, de prætensis ex eo insidiis nil habet.* Cogitatæ Constantino ex ponte fraudis meminit & Eusebius: *Ponte ex scaphis firmissimè contabulato, ipse machinam quandam in suam ipsius perniciem construxerat.*

Error Baronii. — *Bar. An. 312. n. 47.* — *Euseb. de Vit. Const. l. 1. c. 28.*

Tropæum crucis lucidæ Constantino ostenditur. — *Euseb. Vit. Const. l. 1. c. 38.*

IV. Aderat jam dies XXVI. Octobris, cùm cæleste visum offertur Constantino: *Horis diei meridianis, Sole in Occasum vergente, crucis tropæum in cælo ex luce conflatum, Soli superpositum, ipsis oculis se vidisse affirmavit, cum hujusmodi inscriptione, Hàc vince. Eo viso, & seipsum, & milites omnes qui ipsum nescio quò iter facientem sequebantur, & qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos.* Novis coloribus Philostorgius ornat crucem, Constantini objectam oculis: *Crucis signum visum est in Oriente longissimè protensum, luce quâdam admirabili eam depingente, & stellis undique circa eam currentibus instar cælestis arcus, & literarum formam exprimentibus.* Sic miracula eundo vires acquirunt. Prodigii cælestis, & tempus, & locus ignorabatur, quàm diu Lactantii de Mortibus Persecutorum tractatus tenebris sepultus est: *Imminebat dies, quo Maxentius imperium cœperat, qui est ad VI. Kal. Novembris, & Quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete Constantinus, ut caleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret.* Hoc moniti Constantino contigit eâ ipsâ nocte, quæ promeridianum visionem proximè sequebatur, Eusebio teste: *Interim Constantinus, ut ipse ajebat, addubitare animo cœpit, quidnam hoc spectrum sibi vellet? Cogitanti ipsi, & diu multumque apud se reputante, nox tandem supervenit. Tum verò Christus Dei dormienti apparuit, cum signo illo quod in cælo ostensum fuerat, præcepitque ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in Cælo vidisset, fabricato, eo tanquam salutari præsidio in præliis uteretur.* Fulsit igitur cæleste signum VI. Kal. Novembr. anno CCCXII. dum è regione pontis Milvii Constantinus consedebat, post recuperatam cis Padum Italiam. Est tamen aliquid, quod de Lactantii Chronologia dubium afferat. Incertus enim Autor Panegyrici: *Vix, inquit, quartâ parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus, ut appareret penitùs considerantibus, id quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, sed promissam divinitùs petere victoriam.* Responderi tamen potest, Victoriæ promissionem non ad cæleste visum referri, quod in Italiam ingressu posterius fuit, sed ad famam, quæ quo jure, quâ injuriâ Ethnicorum opplevit animos, cælestes exercitus Constantino ad auxilium venisse. Hoc memorat Nazarii Panegyricus: *In ore denique est omnium Galliarum exercitus visos, qui se divinitùs missos præ se ferebant. Et quamvis cælestia sub oculis hominum venire non soleant, quòd crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta substantia natura tenuis eludat, illi tamen auxiliatores tui, aspici, audirique patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerant.* Difficilius est Eusebio satisfacere. Recensitâ visione hoc addit: *Post hæc munitus spe bonâ, quam in illo collocaverat, tyrannici furoris initium restinguere aggressus est. . . . Cùmque Christum Dei Filium Servatorem atque auxiliatorem invocasset, & Victoriæ tropæum, salutare scilicet signum ante milites ac stipatores suos statuisset, cum omni exercitu progressus est . . . primamque, secundam, ac tertiam tyranni aggressus aciem, cunctis statim primo impetu fusis, ac fugatis in interiora Italiæ penetravit.* Præmittit ergo Eusebius cælestis signi visionem ingressui Italico, quod adversâ fronte pugnat Lactantio. Etsi enim de diurno ostento nil commoraverit, quod nobis stuporem incussit, visum tamen nocturnum quod diurnum statim excepisse Eusebius narrat, XXVI. Octobris alligavit Lactantius imminente jam Maxentii morte, quæ postridie contigit. Eusebio quoque patrocinatur propè incredibilis audacia Constantini, qui paucis militibus comitatus, *Vix quartâ parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus est.* Cui tantæ fiduciæ divina promissio atque visio substerni videtur. Sed & jam munitum cruce Constantinum, Italiam subiisse cecinit Prudentius:

Lact. de Morte cap. 44. — *Euseb. Vit. Const. c. 29.* — *Philostorg. lib. 1.* — *Euseb. Vit. Const. l. 1. cap. 28.*

Hoc signo invictus transmissis Alpibus ultor,
Servitium solvit miserabile Constantinus.

Prud. l. 1. in Symm.

Lactantium tamen non ægrè his anteponimus Eusebio, quia in aureo de Mortibus Persecutorum tractatu Chronologiæ longè observantior est, ac fuit in Vita Constantini Eusebius. Peritior quoque rerum in Italia gestarum, utpote qui Magister Crispo Cæsari datus fuerit. Lactantio consentit & politia Sanctorum Patrum, *Metrophanis & Alexandri* apud Photium: Constantinus *hortatur tyrannum per literas, ut abstineat ab impiis operibus. Persuadere cùm non posset verbis, bello tentavit, pugnâque congressus, primò non procul abfuit, quin succumberet. Cùm autem in Cælo & Crucis forma appareret, prælio congressus, & belli & tyranni imperium victor cepit.*

Phot. Bib. pag. 1047.

Argumenta in diurnum ostentum quod Constantino objectum dicitur.

V. Solemne est Historicis, multa narrare prodigia, quæ ex obscura fama prodeunt. Quibus forsan inseritur Crucis effigies Soli superposita, quæ non movebit Aristarchos. Rationes affirmandi negandive utrinque proponemus. Pro Eusebio pugnat Constantini fides atque veracitas. Ne quis enim mentem alicujus subiret ea de re dubitatio, firmando ostento, testimonium non modò, sed juramentum etiam suum Constantinus interposuit: *Ipse victor Augustus nobis, qui hanc Historiam scribimus, longo pòst tempore, cùm videlicet in ejus notitiam & familiaritatem pervenimus, id retulerit, & sermonem Sacramenti religione firmaverit, quis post hæc fidem huic narrationi adhibere dubitabit?* Milites etiam spectatores adfuisse dicuntur. Id ipsum testatur Martyr *Artemius* coram Juliano Imperatore: *Nos quoque ipsi signum aspeximus, cùm bello interessemus, & literas legimus*, ut docent Acta ejus. Quid quod ne fide majus prodigium videretur, post annos aliquot imperante Constantio, dum Cyrillus Hierosolymitanam administrabat Ecclesiam: *Crucis signum in cælo apparuit splendidè refulgens, stadia circiter quindecim complectens.* Non dissimulabimus tamen, diurnum illud osten-

Euseb. Vit. Const. l. 1. cap. 38. — *Sozom. lib. 4. c. 5.*

ANNO DOM. 312.

tentum, quod Constantino apparuisse narrat Eusebius, difficultatibus affici nonnullis, quas eruditis solvendas exponemus, ne fidem nostram ad amplectandam Eusebii narrationem properato festinantem scrupuli aliquid remoretur. Ac primùm Lactantius, qui Magister datus Crispo Cæsari, familiari Constantini colloquio usus est sæpius, de diurno crucis tropæo ex luce conflato ne verbum quidem habet. Hæc tantùm habet: *Commonitus est in quiete Constantinus, ut cæleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret.* Quid, præteriissetne silentio diurnum crucis prodigium, si hujus notitiam habuisset? Potuitne verò illud nescire, si Constantino apparuit? Nonne prodigium æquè Lactantio locutus esset, atque Eusebio. Argumenti vires intendit Rufinus in Eusebianæ Historiæ Versione: Constantinus *videt per soporem ad Orientis partem in Cælo signum Crucis igneo fulgore rutilare.* Dormienti igitur, non vigilanti cœleste signum Constantino oblatum est, idque prædicabat traditio, quæ Rufini tetigit aures. Visi quoque diurni Sozomenus ignarus est. Belli Maxentiani curis districtus Constantinus, *Vidit in somniis signum Crucis in Cælo resplendens.* Præterea tam publicum dissimulasse prodigium Autorem Panegyrici, non multò post cœleste visum, in laudem Constantini dicti, quis credat? Quæ felicior atque amplior in Panegyrico materia? De eo tamen ostento profundum agit silentium. Quid quod Nazarius, qui celebratum obscurâ incertâque famâ miraculum extollit in Panegyrico, de fulgida cruce nil commemorat: *Romanæ quondam in bello ferunt duos cum equis juvenes extitisse, spectatos formâ pariter ac viribus, quia in dimicando præter cæteros insignes fuissent, jussu Imperatoris ad remunerandum requisitos, ubi nullus inveniebatur, fides habita est divinos fuisse, quòd laborem sedulò communicavissent, laboris pretium respuissent. . . . Estote, ô gravissimi Autores, de scriptorum religione securi, credamus facta quæ majora nunc sensimus . . . duo quondam juvenes, sed nunc exercitus visi.* Scilicet Nazarius, qui ficta, incerta saltem prodigia narrat, notissimum Romanis, publicumque miraculum præteriisset. Denique Ethnicorum nullus Historicorum celeberrimæ hujus visionis meminit. Id sanè constat ex Gelasio Cyziceno, Crucem illam diurnam Ethnicis ludibria dedisse: *Hæc narratio Infidelibus fabula, & commentum esse videtur, in gratiam doctrinæ nostræ.* Quòd si palam publicèque Romanorum ante oculos lucida crux adducta est, mirum quòd Ethnicis pro fabula habita sit. Itaque sunt eruditi, qui *in somnio divinitùs profecto* visam à Constantino crucis figuram existiment, quorum unus est Joannes Colombus in notis ad Lactantium. De nocturna hac visione fidem faciunt post Lactantium inscriptiones, quas Romæ Constantinus poni jussit.

Lact. de Morte cap. 44.

Euseb. l. 9. cap. 9.

Sozom. lib. 1. c. 3.

Gelas. l. Conc. Nic. lib. 1. c. 4.

Labarum Constantini: ejus forma.

Lact. de Morte cap. 44.

Euseb. de Vit. Const. l. 1. c. 31.

VI. Cœlestibus non obtemperare visis Imperatori religio fuit. Audiatur Lactantius: Constantinus *fecit ut jussus est, & transversâ literâ summo capite circumflexo Christo in scutis notat.* Rem fusius exequitur Eusebius: *Primo statim diluculo surgens, arcanum omne amicis exposuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fabris, medius inter eos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque ut auro & lapillis similitudinem ejus exprimerent. Erat autem ejusmodi: Hasta longior auro contecta transversam habet antennam instar crucis. Suprà in ipsa hasta summitate corona erat affixa, gemmis & auro contexta. In hac salutaris appellationis signum, duæ videlicet literæ, nomen Christi primis apicibus designabant litera C. in medio sui decussata. Quas quidem literas Imperator in galea etiam gestare postea consuevit. Porrò ex antenna, quæ obliquè per hastam trajecta est, velum quoddam dependebat: textum videlicet purpureum pretiosis lapidibus inter se junctis, & luminis sui fulgore oculos præstringentibus coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quandam pulchritudinis speciem intuentibus præbens. Atque hoc velum antennæ affixum, latitudinem longitudinis æqualem habuit. Ipsa verò recta hasta ab infima sui parte in magnam longitudinem producta, in superiori parte sub ipso Crucis signo ad ipsam veli variis coloribus depicti summitatem, auream Imperatoris & liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus sublimem gestabat.* Hoc & addit Eusebianæ Historiæ Rufini versio: *Sed & in dexterâ suâ manu nihilominus signum Crucis ex auro fabrefactum habuisse perhibetur.* Ex Lactantio hæc erat figura militum in scutis consignata ☧, quam & indicasse videtur Eusebius. Quippe uniusmodi figuram à Constantino adhibitam esse, fit vero proximum. Opinantur tamen nonnulli, hanc figuræ fuisse speciem ☧ in Labaro, quæ Baronii sententia est. Hæc verò Labari forma fuit:

ANNO DOM. 312.

Euseb. l. 9. cap. 9.



Non ergo imago Servatoris, sed primæ Christi nominis literæ Labarum decorabant, nec aliud sibi voluit Prudentius, cujus in carminibus facies Christi immeritò quæreretur:

Prud. in Sym. l. 1.

> *Christus purpureum gemmanti textus in auro*
> *Signabat Labarum, Clypeorum insignia Christus*
> *Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.*

Ornando quoque Labaro additæ postmodum literæ α. & ω. quarum meminit Augustinus, libro de Unitate Ecclesiæ c. 7. *Hoc est quod alibi dicit Scriptura, Primus & novissimus, ut sit α. & ω. quæ sunt literæ in signo Christi omnibus notæ.*

Maxentius à Constantino funditur.

Lact. de Morte cap. 44.

VII. Signo, quod in somnis Constantinus viderat, *Armatus exercitus, capit ferrum. Procedit hostis obviam sine Imperatore, pontemque transgreditur. Acies pari fronte concurrit. Summâ vi utrinque pugnatur. Neque his fuga nota, neque illis. Fit in urbe seditio, & Dux increpitatur, velut desertor salutis publicæ.* Intereà Maxentius, quasi Furiis agitabatur, *Jam ante biduum palatio emigraverat; & cum uxore ac filio in privatam domum concesserat, ut res est, omnibus terribilibus agitatus, & nocturnis pulsus ultricibus, ut tu jam olim expectatus habitator, sacris illis ædibus diu exhalatis expiatisque succederes*, ut narrat Autor incertus Panegyrici, anno CCCXIII. dicti. Pergat Lactantius: *Cùmque repentè populus, Circenses enim natali suo edebat, unâ voce subclamat, Constantinum vinci non posse. Quâ voce consternatus, proripit se, ac vocatis quibusdam*

Lact. de Morte cap. 44.

dam Senatoribus, libros Sibyllinos inspici jubet, in quibus repertum est, hostem Romanorum esse periturum. Quo responso in spem victoriæ inductus, procedit, in aciem venit. De interrogatis à Maxentio Sibyllarum oraculis paria cum Lactantio scribit Zozimus: *Eventus autem comprobavit, id quod verum erat. Nam cùm Maxentius ex urbe copias produxisset, jamque pontem, quem ipse junxerat, transivisset, infinita quadam multitudo noctuarum devolans, muros complebat. Quo conspecto, suos Constantinus ut aciem struerent, imperabat. Cùm exercitus utrinque cornibus adversis starent, equitatum Constantinus immisit. Is equitatum hostilem adortus fudit.* At pedites commisso prælio, segniores ad obeunda pericula se præbebant, quòd acerbâ tyrannide se liberari optarent. Equitibus succumbentibus, milites per pontem fluminis ad urbem contendebant. Tignis autem minimè sustinentibus vim oneris, adeòque ruptis cum cætera multitudine, Maxentius etiam fluminis impetu abripiebatur. Pontem à tergo Maxentii fuisse scissum, quo viso, pugnam cruduisse tradit Lactantius, non sine eruditorum fatigatione. Constabunt forsan omnia, si pons Mulvius, quem lapideum fecerat M. Æmilius Scaurus, jussu Maxentii ruptus sit, ne Constantinus, qui è regione hujus pontis consederat, vel hostem à tergo adoriretur, vel in urbem impetum faceret. De ligneo ponte in quo moliebatur insidias Constantino, in flumen præcipitatum esse Maxentium, vix dubium facit animum alicujus Eusebii autoritas, atque Zozimi.

Zozim. l. 2. c. 16.

Mors Maxentii. Cadaveri ejus illatæ injuriæ.

VIII. Dignam suis facinoribus mortem Maxentius invenit, Pharaonis supplicio similem: *Cum impios Tiberis hausisset, ipsum etiam illum cum equo, & armis insignibus frustrà conatum per abrupta ripa ulterioris evadere, idem Tiberis correptum gurgite devoravit, ac tam deforme prodigium, vel hanc obitus sui relinqueret famam, quòd alicujus viri fortis gladio telove cecidisset. Et aliorum quidem hostium corpora & arma præceps fluvius volvendo devexit, illum autem eodem quo extinxerat loco tenuit*, ut Panegyrico Constantino dicto monemur. Hoc autem non sine numine factum, ut & de morte tyranni constaret, ne putaretur aliquò profugisse, & ut caput defuncti Victoriæ Constantini esset ornamento: *Reperto igitur & trucidato corpore, universus in gaudia, & vindictam P. Rom. exarsit, nec de fixa tota urbe, quà suffixum hasti ferebatur caput, id piaculare fœdare, cùm interim ut sunt joci triumphales, videretur gestantis injuria, cùm alieni capitis merita pateretur.* Infausti capitis fatum alius & docet Panegyricus, qui ascribitur Nazario: *Pari studio missum ejusdem tyranni ad permulcendam Africam caput, ut quàm maxime unus afflixerat, laceratus expleret.* Hic tyranni exitus fuit: imperavit sexennio, & die uno, quo vitam simul & imperium reliquit. Obiit ad VI. Kal. Novembris anno CCCXII. Creditum Scaligero, Maxentium periisse *anno* CCCXIII. *Indictione primâ*, qui error ex alio natus est, quòd nempe Constantinus anno CCCVII. imperare cœperit. Verùm Scaligeri de Maxentianæ mortis tempore sententiam refellit Lactantius, cui consentiunt & Chronologiæ criteria. Consilium Romanum in causa Cæciliani, Præside Miltiade Papâ, permittente Constantino enactum est: *Convenerunt in domum Faustæ, in Laterano, Constantino* IV. *Licinio* III. *Coss.* VI. *Nonas Octobris*

Opt. l. 1.

die, feriâ sextâ. Annus erat CCCXIII. teste & Literâ Dom. D. & Epactâ Solari 3. Non igitur is esse potuit, qui Maxentio mortem attulit. Romæ jam imperabat Constantinus. Cui mensibus aliquot ante conventum Donatistæ libellum obtulerant. Atqui neque Constantinum adire, neque Romæ congregari potuissent Constantini permissu, vitam retinente Maxentio, qui imperabat & Romæ & Africæ, ad quam etiam anno proximo miserat indulgentiam. In Calendario veteri, ad V. Kal. Novembris legitur, *Evictio Tyranni.* Quæ appellatio Maxentium frequentissimè significat, ut ex Panegyricis constat, & audivimus, multisque probavit Baluzius. Nil igitur obstat, quin verba hæc sint egregium à Maxentiana tyrannide liberationis monumentum. Victus est quidem Octobris non XXVIII. sed XXVII. At clades tyranni Romæ duntaxat V. Kal. Novembris innotuit. Qua de causa hic ille dies anniversarium festum attulisse videtur.

Constantini de Maxentio triumphus.

IX. De Maxentio læta agilisque fuit Constantini Victoria, quam numine suo Deus adjuvit. Hinc Lactantius: *Et manus Dei supererat aciei: Maxentianus proterretur*, quod Constantini majestati incertus Autor Panegyrici acceptum refert: *Ad primum igitur aspectum majestatis tuæ, primumque impetum totius tui Victoris exercitus, hostes territi fugatique & angustiis Milvii pontis exclusi, exceptis latrocinii illius primis autoribus, qui desperatâ veniâ, locum quem pugnæ sumpserant, texere corporibus, cæteri omnes in fluvium abiere præcipites.* Confecto tandem acerbissimo bello, cum magna Senatus Populique R. lætitia suscipitur Imperator, quam eleganti Nazarius oratione gratulationem prosecutus est: *Nulli tam læti triumphi, quos Annalium vetustas consecratos in literis habet. Non agebantur quidem ante currum vincti Duces, sed incedebat tandem soluta nobilitas: non conjecti in carcerem Barbari, sed deducti è carcere Consulares: non captivi alienigenæ introitum illum honestaverunt, sed Roma jam libera: nil ex hostico accepit, sed seipsam recuperavit, nec præda auctior facta est, sed esse præda desivit, & quo nihil adjici ad gloriæ magnitudinem potest, imperium recepit, quæ servitium sustinebat. . . . Sequebatur hunc comitatum suum, tyranni ipsius teterrimum caput, ac si quæ referentibus fides est, suberat adhùc sævitia, & horrendæ frontis minas mors ipsa non vicerat.* Arcus triumphalis in Victoris honorem extruitur, de quo legendi Annales an. 312. n. 60. *Ipse Constantinus statim sublimem hastam, in modum crucis, sub manum statuæ suæ, in celeberrimo urbis loco poni jussit, & hujusmodi inscriptionem Latino sermone subjici. Hoc salutari signo, quod vera virtutis argumentum est, Vestram Urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam servavi. Senatus Pop. que Rom. in libertatem asserto, pristinum decus nobilitatisque splendorem restitui.* Addit & Aurelius Victor, *adhùc cuncta opera, quæ magnificè construxerat Maxentius, urbis fanum, atque Basilicam Flavii meritis Patres sacravere. . . Statuæ locis quàm celeberrimis, quarum plures ex auro, aut argenteæ sunt, tum per Africam sacerdotium decretum Flaviæ genti. Cirthaque oppido quod obsidione Alexandri ceciderat, reposito exornatoque, nomen Constantina inditum.* Quin etiam Senatus Constantino virtutis gratiâ primi nominis titulum decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat.

Euseb. de Vit. Const. l. 1. c. 40.

X.

ANNO DOM. 312.

Acta Constantini Romæ. Rescriptum pro Christianis. Mediolanum petit.

Zozim. l. 2. c. 17.

Lact. de Morte cap. 44.

X. Dum Romæ moratur Constantinus, de paucis quibusdam Maxentio familiarissimis pœnas exigit. Prætorianosque milites de medio aufert, castellis dirutis, in quibus esse consueverant. Romanis maximo quidem odio erant. Quippe vulgi cædem Prætorianis Maxentius annuerat. Quorum causa, ad subsidia factionibus, quòm urbi aptiores, sublati penitùs fuere. Ibi quoque *Constantinus Maximini perfidiam cognoscit. Literas deprehendit, statuas & imagines invenit Imperatorias*, quas Maxentio miserat. Neque Romanæ modò, sed res etiam Ecclesiasticæ curæ Principi fuere. Communi enim consensu ambo Imperatores, Constantinus scilicet, & Licinius, Deum omnium, quæ sibi evenerant, bonorum autorem venerantes, legem pro Christianis absolutissimam promulgarunt, quam etiam Maximino in Orientem transmisere. Magna in componendis rebus Constantini prudentia fuit, quæ cum diligentia certavit: *Quidquid mali sexennio tota dominatio feralis inflixerat, bimestris verò cura sanavit*, teste Nazarii Panegyrico. Victo Maxentio XXVII. Octobris, Constantinus Romam triumphans ingressus fuerat, die mensis hujus XXIX. Senatu, Equitibus, Populo R. simul cum uxoribus & liberis, liberatorem ex animo excipientibus. Quò fortè pertinet quod in veteri Calendario legitur ad IV. Kal. Novembris: *Adventus Divi* C. M. XXIIII. *Rebus in urbe compositis, hyeme proximâ Mediolanum contendit.* Nondum ergo annus præterierat, cùm urbe egressus est, non *sequentis anni initio*, ut Pagius existimat, Critic. an. 312. n. 13. Argumentum verò quo vir clariss. innititur, nempe quia *Lex 1. Cod. Theod. de Censu, dicitur data* XV. *Cal. Feb. Romæ Constantino Aug.* III. *& Licinio* III. *Coss.* nullius esse ponderis, ostendit suis in notis doctissimus Baudri Professor Ultrajecti: *Parisiensis editio Cod. Theod. apud Nivellium anno* 1586. *vulgata, nullo modo Legem primam de Censu datam fuisse Romæ præ se fert, sed simpliciter propositum.* Nos freti Lactantio, ex urbe Constantinum discessisse existimamus ante VIII. Kal. Decembris, cui brumam affixere Calendaria.

Lact. de Morte cap. 45.

Libido Maximini. Nuptias ambit Valeriæ. Illam mulctat exilio.

XI. Quæ labente anno Orientis in partibus gesserit Maximinus, dum in Italia ad bellum Constantinus consurgit, dicere nunc ingredimur, more solito, rebus Ecclesiasticis civilia præmittentes. Tanta Maximini libido fuit, ut vincat officium linguæ. Ubicunque liberalior facies erat, secedendum patribus, ac maritis fuit. Sub hoc monstro pudicitiæ integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat. Denique cùm libidinibus suis hanc legem dedisset, ut fas putaret, quidquid concupivisset, ne ab Augusta quidem *Valeria*, Galerii vidua, quam nuper appellaverat matrem, temperare potuit. Eam Licinio commendarat Galerius dum animam exhalat, post cujus obitum ad Maximinum venerat: *Cùm se putaret in partibus ejus tutius moraturam, eò maximè quòd habebat uxorem. Sed animal nefarium prorsus inardescit. Adhùc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis præmissis, in matrimonio postulat, ejecturus uxorem si impetrasset. Respondit illa liberè, quæ sola poterat. Primò non posse de nuptiis in illo feralis habitu agere, tepidis adhùc cineribus mariti sui, patris ejus. Deinde illum impiè facere, quòd sibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus & sibi: Postremò nefas esse illius hominis ac loci fœminam, sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini, quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exilium relegat, nec in locum certum, sed hùc atque illùc præcipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus afficto adulterio damnat. Augusta verò in desertas quasdam Syriæ solitudines relegata, patrem suum Diocletianum per occultos, quarum calamitatis suæ facit. Mittit ille Legatos, & rogat ut ad se filiam remittat. Nihil proficit: iterum ac sæpius obsecrat: non remittitur. Postremò cognatum suum quendam, militarem ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum suorum admonitum deprecetur. Is quoque imperfectâ legatione irritas preces renuntiat.*

Lact. de Morte cap. 39. & 40.

Matronæ fictis criminibus damnantur.

XII. Odio Valeriæ in amicas ejus *Maximinus* quoque sævit: *Erat clarissima fœmina, cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tanquam matrem alteram diligebat, cujus consilio negatam sibi suspicabatur. Dat negotium Præsidi Eratineo, ut eam cum dedecore interficiat. Huic aliæ duæ adjunguntur æquè nobiles, quarum altera vestalem famulam (L. filiam) Virginem, Romæ reliquerat. Altera virum habuit Senatorem, non minus Augustæ proxima.* Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis, ac pudicitiam necabatur. Rapiuntur subitò mulieres, non ad judicium, sed ad latrocinium. Nec enim quisquam accusator extabat. Invenitur quidam Judæus, ob alia facinora reus, qui spe impunitatis inductus adversus insontes mentiatur. Judex æquus & diligens extra civitatem cum præsidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur hæc tragœdia Nicææ. Irrogantur tormenta Judæo, dum quæ jussus . . . loqueretur, pugnis à tortoribus coercetur. Fletus & comploratio non illius tantùm mariti, qui aderat benè meritæ uxori, sed omnium quos res indigna, & inaudita contexerat. Ac ne impetu populi de carnificum manibus reperentur, promoti militari modo instructi velites, & sagittarii prosequuntur. Ita mediæ inter cuneos armatorum ad supplicium deductæ. Jacuissent insepultæ, domesticis in fugam versis, nisi eas furtiva amicorum misericordia sepelisset. Nec adultero impunitas promissa persolvitur; sed patibulo affixus, aperuit omne mysterium, & sub extremo spiritu, omnibus qui videbant, innocentes occisas esse testatur.

Lact. de Morte cap. 40.

Fames pestisque Maximini vastant imperium.

XIII. Non ita constitutum fuit, ut impunè tot flagitia Maximinus perpetraret, cujus crudelitatem, injustitiamque elementa ulcisci cœpere. Imbres hyberni præter solitum parcius cecidere. Inexpectata contigit fames, quam deinde pestis subsecuta est: *Præter hæc alterius cujusdam morbi vis sævit, ulcus videlicet, quod ob inflammationem, carbunculus vocatur. Hic morbus per universum corpus paulatim serpens, gravia ægris discrimina afferebat. Sed præcipuè circa oculos hærens & insidens diutius, innumeros promiscuæ ætatis & sexus luminibus orbavit. Bellum insuper à tyranno commotum est adversus Armenios, jam inde à priscis temporibus amicos Pop. R. Qui cum Christiani ipsi quoque essent, & divinæ religionis studiosissimi, Deo invisus tyrannus eos ad simulacrorum & Dæmonum cultum traducere per vim conatus, pro amicis inimicos, hostes pro sociis effecit.* At Maximinus varias in Armenia clades pertulit.

Anno Dom. 312.

Urbes verò quæ tyranni ditioni subjiciebantur, fame ac peste miserè vexabantur. Multi in civitatibus, plures in pagis passim interibant: ut censuales tabulæ, olim ingenti rusticorum numero repletæ, unâ propè liturâ delerentur. In ea calamitate *unus frumenti medimnus bis mille & quingentis Atticis drachmis venundatur... Nec defuere, qui modica fœni segmenta mandantes, & noxias quasdam absque ullo discrimine pasti graminibus, quibus valetudo corporis corrumpebatur, fœde interirent.* Corruebant homines in mediis plateis, humique jacentes frustulum sibi panis porrigi flagitabant. Laborare se inediâ vociferabantur, ad hanc solam lachrymabilem vocem proferendam idonei. Locupletiores mendicantium multitudine obstupefacti, ubi egentibus plura impertierunt, durum deinceps animum induunt, eandem cum mendicantibus calamitatem brevi se passuros prævidentes. Itaque in medio foro, & per vicos, & angiportus nuda atque insepulta cadavera pluribus diebus jacentia, prorsus miserabile spectaculum intuentibus præbebant. Quædam etiam à canibus dilaniata sunt. Qua de causa hi, quibus vita adhuc suppetebat, passim canes interimere cœperunt, ne fortè in rabiem versi, vivos post hæc homines devorarent. Interim pestis nihilò segnius depascebatur. Nobiles passim peribant, perinde ac si fames eos de industria transmissos pestilentiæ reservasset. Neque aliud cernere licebat, quàm lugubres nænias, cum usitato apud Ethnicos tibiarum cantu, atque planctu. Geminis hisce telis, peste scilicet, & fame, mors armata integras familias brevi vastavit, adeò ut ex una eademque domo duo simul ac tria cadavera efferrentur. Fatali hoc tempore Christiana pietas Ethnicis innotuit. Soli quippe misericordes Domini discipuli quotidie partim curandis ac sepeliendis mortuorum cadaveribus vacabant, egenis in unum convocatis, panes singulis dividebant; quo factum, ut cuncti Christianorum Deum summis laudibus extollerent.

Euseb. l. 9. c. 8.

Maximinus Constantino postponitur. Rescriptum pro Christianis accipit.

Lact. de Mort. c. 44.

XIV. Maximini superbiam novus contundit casus: *Senatus Constantino virtutis gratiâ primi nominis titulum decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat. Ad quem victoria liberatæ urbis cùm fuisset allata, non aliter accepit, quàm si ipse victus esset. Cognito deinde Senatûs decreto, sic exarsit dolore, ut inimicitias apertè profiteretur, convicia jocis mixta adversus Imperatorem maximum diceret.* Ulserunt & hominem Constantini literæ, quibus à persecutione deterrebatur. Legem quoque, quam communi consensu absolutissimam & copiosissimam Constantinus atque Licinius promulgarunt, in gratiam Christianorum sibi missam accepit: *At ille primùm quidem ut tyrannus graviter ingemuit. Posteà verò cùm nec videri vellet aliis cessisse, nec rursus id quod jussum erat supprimere auderet, metu eorum qui jusserant,* Epistolam veluti suopte motu, & autoritate conscriptam, ne Christiani opprimerentur, ad *Sabinum* Præfectum Prætorio misit. Antequam verò accuratius de ea Epistola disseramus, martyria sunt memoranda, quæ rescripto huic antecessere.

Euseb. l. 9. c. 9.

Pamphili, Porphyrii, Seleuci, aliorumque martyrium.

XV. Undecimo mensis Audynæi, id est, ante diem tertium Idus Januarias *Petrus* Asceta, qui & *Absalamus* vocabatur, ortus ex vico Anea, in agro Eleutheropolitano, fidei suæ in urbe Cæsarea illustre specimen edidit. Hortantes omnes, ut adolescentiæ consuleret, generoso animo despexit. Cum illo *Marcionitarum* Episcopus *Asclepius* uno eodemque rogo consumptus, ex hac luce migravit. Periit & Pamphilus, qui Eusebio Historico erat amicissimus. Presbyter erat Cæsariensis Ecclesiæ, vir pietate, modestiâ, erga pauperes liberalitate, temperantiâ ornatissimus, sed studio sacrarum Literarum, quas indefessâ diligentiâ evolvebat, præcipuè nobilis. Biennio in carcere detentus fuerat cum *Valente*, Æliæ urbis Diacono, augustâ canicie conspicuo, atque *Paulo* Jamnitarum civitate oriundo. Captivis occasionem martyrii præbuit fratrum Ægyptiorum adventus, qui constitutos in Cilicia Confessores, ad usque metalla ibi sita, honoris causâ fuerant prosecuti. Erant hi numero quinque, qui à custodibus interrogati, Unde profecti essent? Absque ullis ambagibus, rem ut erat confessi, ad tyrannum perducti, continuò in carcerem trudebantur. Die XVI. mensis *Peritii*, hoc est, juxta Romanos ante diem XIV. Kal. Mart. unà cum Pamphilo, & sociis ejus exhibentur Judici. Abjecerant Ægyptii indita sibi à parentibus nomina, ut sibi prophetica induerent Heliæ, Hieremiæ, Esaiæ, Samuelis ac Danielis. Ex Ægyptiorum illorum Principe, cùm & nomen sciscitatus esset Firmilianus, & patriam, Hierusalem sibi patriam esse respondet, *cælestem* scilicet Christianorum metropolim omnium. Quam cùm Judex nesciret, animo æstuabat, ratus Christianos urbem aliquam infensam Romanis alicubi condituros esse. Ubi post tormentorum cruciatus stabilem intellexit Martyrem, tam ipsum, quàm socios capitali sententiâ damnavit. Morti sic missis Ægyptiis, ad Pamphilum, ejusque socios transit Firmilianus. Interrogatosque, Utrùm sacrificare vellent, Imperatoribus morem gerendo? Abnuentes eodem cum Ægyptiis supplicio affici jubet. Porphyrius ex Pamphili familia adolescens, convictu ac disciplinâ tanti viri liberaliter educatus erat. Qui simul atque sententiam in Magistrum suum latam esse cognovit, è medio turbæ exclamans postulavit, *ut mortuorum cadavera saltem sepulturæ tradantur.* Ut Judex deprehendit Porphyrium Christianum esse, mandat tortoribus, ut totis viribus in adolescentem sævirent. Quod cùm diutius fieret, nec toto corpore conscissus Martyr vocem ederet, statim illum, eo quo erat habitu, ingenti rogo cremari præcepit. Qui licet postremus in stadium ingressus fuisset, ante Pamphilum tamen vitam exivit. Quòd qui priores illos expugnare studebant, adhuc moram traherent. Habitu Philosophico, pallio scilicet confectus, in ipso palo oris serenitatem retinuit. Cùm rogus circumquaque accensus fuisset, Porphyrius hinc inde flammam ore attrahebat, nec post unicam illam vocem, quàm ubi flamma ipsum contingere cœpit, protulit, Jesum scilicet, Filium Dei adjutorem sibi invocans, quidquam locutus, ad extremum usque spiritum in silentio perseveravit. Confessor nomine Seleucus, qui miles olim fuerat, cùm Porphyrii certamen Pamphilo renuntiasset, vixque è Martyribus unum osculo salutasset, subitò milites correptum eum deducunt ad Præsidem. Cappadociâ ortus erat Seleucus, qui cùm ætatis flore, fortitudine, formâ corporis egregiâ esset omnibus admirationi, non minimum in militia honoris gradum erat adeptus. Ac sub initia persecutionis flagrorum verbera perpessus, in confessionis stadio inclaruerat. Depositâ militiâ egenis & infirmis se curatorem

Euseb. de Mart. Pal. c. 11.

Anno Dom. 312.

ANNO DOM. 312.

torem exhibuerat. Ut Porphyrio se comitem adjungeret, statim à Firmiliano capitali supplicio plectitur.

Pamphilus Martyr.

XVI. Non virtutibus, & martyrio aditum modò sibi in Cœlum struxit Pamphilus, sed & literarum quoque studio gloriæ multum adeptus est. De clarissimo Martyre Hieronymus: *Pamphilus Presbyter, Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarius, tanto Bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum suâ manu descripserit, quæ usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca habentur. Sed & in* XII. *Prophetas viginti quinque* ἐξηγήσεων *Origenis volumina manu ejus exarata reperi. Quæ tanto amplector, & servo gaudio, ut Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitia est, unam Epistolam habere Martyris, quantò magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia? Scripsit antequam Eusebius scriberet Apologeticum pro Origene, & passus est Cæsareæ sub Maximino.*

Hier. de Vir. Illustr.

Theoduli, Juliani, Adriani, Eubuli martyrium.

XVII. Post hæc, *Theodulus* gravis & religiosus senex, unus ex Præsidis familia, & ab ipso Firmiliano præ cunctis domesticis honoratus, quòd & tertiæ jam stirpis nepotes haberet, & sinceram benevolentiam suo domino perpetuò præstiterat, ad eum deductus statim in crucem agitur. Ut Apostolicus numerus exprimeretur, unus adhùc Martyr deerat. Adfuit post omnes *Julianus*, eum numerum expleturus. Peregrè adveniens, simulatque de martyrum cæde audivit, de via concito cursu ad id spectaculum contendit. Cùmque Sanctorum cadavera humi jacentia vidisset, gaudio diffusus, singulos complexus, honorificè salutavit. Quo in facinore deprehensus, à militibus perducitur ad Firmilianum, qui Martyrem comburi jussit. Quo audito, clarâ voce Domino, qui tanto ipsum honore affecisset agens gratias, martyrii coronam adeptus est. Patriâ Cappadox erat, moribus verò religiosissimus. Hi Pamphilo martyrii comites fuere, quorum corpora, jussu Præsidis, per quatuor continuos dies, totidemque noctes additis militaribus excubiis exposita sunt, ut à feris laniarentur. Sed cùm præter omnium expectationem, nec fera, nec canis ad sanctas exuvias accederet, integra tandem omni funebri cultu ornata sepulturæ mandantur. Nondum tamen Christiano sanguine Firmiliani crudelitas expletur. Adrianus & *Eubulus*, ex regione Manganea, Cæsaream ad reliquos Confessores profecti, in ipso civitatis introitu interrogati, cujus rei gratiâ advenissent, confessi id quod res erat, Præsidi exhibentur. Qui nullâ morâ usus, post crebra ungularum verbera, quibus latera sulcaverat, eos ad bestias damnavit. Biduo igitur interjecto Adrianus quinto die mensis Dystri, id est, ante III. Nonas Martias, quo die natalis genii publici apud Cæsaream celebratur, leoni objectus, ac deinde gladio transfixus, martyrium consummavit. Eubulus verò perendie, ipsis Nonis Martiis, quod est VII. mensis Dystri, enixè rogatus à Judice, ut sacrificio vitam redimeret, post bestias jugulatus, Cæsariensium Martyrum certamina ultimus obsignavit.

Eusob. de Mart. Pal. c. 11.

Ægyptii Martyres.

XVIII. Nobilissimis & Martyribus Ægyptus inclaruit. Inter Petri Alex. Presbyteros, Faustus, Dius atque Ammonius: *Præterea Phileas & Hesychius, Pachumius ac Theodorus, diversarum in Ægypto Ecclesiarum Episcopi. Sexcenti denique alii minimè obscuri, qui per Ecclesias in illis locis ac regionibus constitutas, multis laudibus celebrantur.* Quorum mortes non satis accuratè suis temporibus divisit. Præterito tamen vel præsente anno periere, quod nobis & probabilius, quia Eusebius illorum martyrio Petri Alex. mortem præposuit. Natale verò Phileæ IV. Februarii celebratur. Quòd si anno proximo periisset, Petrum sibi superstitem reliquisset, utpote qui obierit VII. Kal. Decembris. Non passione modò, sed scriptis quoque suis Hesychius multum sibi famæ collegit. In emendanda versione τῶν LXX. operam suam collocavit, quam Ægyptii editionem amplexi sunt. Hieronymus ad Chromatium: *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat Autorem.*

Eusob l. 8. c. 13.

Hieron. t. 3. 288.

Phileæ martyrium: ubi passus? Scripta.

XIX. Ubi passus sit Phileas, qui glorioso apud Ægyptios certamine functus est, in Thebaide, vel in Alexandriana civitate, quæritur ab eruditis? In Thebaide mortem obiisse, credidit Valesius. Quam in sententiam à Sancti Martyris Actis abductus est, quibus docemur, à *Culciano* Præside ad supplicium fuisse damnatum. Tradit autem Epiphanius hæresi 68. quæ est *Meletianorum* Thebaidi Culcianum præfuisse. Nil tamen hoc in argumento virium, cui Eusebius ipse solutionem affert: *Culcianus omnibus similiter Magistratibus, & Provinciarum administrationibus perfunctus, qui & ipse innumeris Christianorum cædibus apud Ægyptum inclaruerat.* Ex Thebaidis ergo Præfectura ad Alexandrinam promotus est. Eodem sanè loco periisse Philoromum, atque Phileam, in Actis legimus, atque Eusebio. Phileas *Ecclesiæ Thmuitarum Episcopus, vir cunctis in patria honoribus, ac muneribus summâ cum laude perfunctus, & in Philosophiæ studiis admodum clarus fuit. Qui cùm innumeri cognati atque amici, quidam etiam ex Magistratibus atque honoratis eos rogarent, cum Judex ipse eos* (Philoromum & Phileam) *cohortaretur, ut sui ipsorum misereri, & uxoribus & liberis suis consulere vellent, nunquam his omnibus adduci potuerunt, ut vitæ suæ conservandæ causâ, divinas Leges de confessione, & negatione nominis Christi latas contemnerent.* Eodem igitur & tempore, & loco damnati Philoromus atque Phileas. Periisse autem Alexandriæ Philoromum exploratum est, qua in urbe Procuratoris gerebat officium. Pauca hæc & ex Actis addimus, quæ sunt Eusebio consentanea. Imposito Phileâ super ambonem, *Culcianus Præses dixit illi, Potes jam sobrius effici. Phileas respondit, Semper ego sobrius sum, & sobriè dego. Culcianus dixit, Sacrifica Diis. Phileas respondit, Non sacrifico. Culcianus dixit, Quare? Phileas respondit, Quia sacræ & divinæ Scripturæ dicunt, Qui immolat Diis, eradicabitur, &c. Culcianus dixit, Immola ergo Deo soli. Phileas respondit, Non immolo. Non enim talia sacrificia desiderat Deus. . . Culcianus Præses dixit, Quibus ergo sacrificiis delectatur Deus tuus? Phileas respondit, Corde mundo, & sensibus sinceris, & verborum verorum sacrificiis delectatur Deus. . . . . Culcianus dixit, Jam sacrifica. Phileas respondit, Non sacrifico. Culcianus dixit, Conscientia est? Phileas respondit, Ita. Culcianus dixit, Quo modo ergo quæ ad filios tuos, & conjugem conscientia est, non custodis? Phileas respondit, Quoniam quæ ad Deum est conscientia eminentior est . . . Culcianus dixit, Beneficium te dono fratri tuo. Phileas respondit, Et tu gratiam hanc perfectam mihi præsta, utere temeritate tuâ, & quod tibi jussum est, fac. Culcianus dixit, Si scirem te indigere, & sic in hanc amentiam venisse, non tibi parcerem. Sed*

Eusob. l. 9. c. 11.

Eusob. l. 8. c. 9.

ANNO DOM. 312.

quia multam substantiam habes, ita ut non solum te, sed prope cunctam Provinciam alere possis, ideò parco tibi, & suadeo te immolare. Phileas respondit, Non immolo, tribunus ipsi in hoc parco. Advocati ad Præsidem dixerunt, Jam immolavit in phrontisterio. Phileas dixit, Non immolavi certè. Culcianus dixit, Misera uxor tua tibi intendit. Phileas respondit, Omnium Spirituum nostrorum Salvator est Dominus J. Christus, cui ego vinctus servio. Potens est ipse, qui me vocavit in hereditatem gloriæ suæ, & illam vocare. Advocati ad Præsidem dixerunt, Phileas dilationem petit. Culcianus dixit ad Phileam, Do tibi dilationem, ut cogites tecum. Phileas respondit, Sæpe cogitavi, & pro Christo pati elegi. Cum flectere Martyrem Culcianus non posset, gladio eum feriri jubet. Dum ad supplicium festinat, unus ex Advocatis Phileæ frater exclamat: *Phileas abolitionem petit. Culcianus revocans eum dixit, Quid appellasti? Phileas respondit, Non appellavi, absit, huic infelicissimo noli intendere. Ego autem magnas ago gratias Regibus & Præsidi, quoniam cohæres factus sum J. Christi.* Cumque pervenisset ad locum, ubi capite truncari debuit, extensis ad Orientem

Ruin. Act. 548.

manibus dixit, *Nondum passi sumus, nunc incipimus pati, nunc capimus esse discipuli Dom. nostri J. Christi. Carissimi, attendite præceptis Domini nostri J. Christi.* Quarto Februarii excessisse memorant Martyrologia. Non exempla modo, sed & libros Phileas Ecclesiæ reædificandæ reliquit. Sancti Martyris laudes paucis, sed significantibus verbis complexus est Hieronymus: *Phileas de urbe Ægypti, quæ vocatur Thmuis, nobilis genere, & non parvis opibus, suscepto Episcopatu, elegantissimum librum de Martyrum Laude composuit, & disputatione Actorum habitâ apud Judicem, qui eum sacrificare cogebat, pro Christo capite truncatur, eodem in Ægypto persecutionis autore, quo Lucianus Nicomediæ.* Meminit Eusebius *Epistolæ Phileæ ad Thmuitas*, quæ unum idemque videtur esse cum libro de Laude Martyrum. Fragmenta Epistolæ exhibet Eusebius lib. 8. c. 10. ex qua discimus, evertendæ pietati cruciatus omnes suos crudelitatem adhibuisse.

Philoromi martyrium.

Euseb. l. 8. c. 9.

XX. Ad mortem sociali fœdere jungendam, cum Philea coivit *Philoromus* Ægypti Rationalis: *Non vulgarem Magistratum, Procuratoris scilicet summa rei apud Alexandriam gerebat, & pro dignitate, ac prærogativa honoris Romani, stipatus militibus quotidie jus dicebat.* Perpetuâ vir illustris constantia pietatem roborans suam, nec minis Culciani, atque precibus, nec lachrymis amicorum à cursu fidei deflexit. Cùm vidisset Phileam, circumdatum lacrymis propinquorum, & Præsidis calliditate fatigari, nec infringi ullatenus posse, exclamavit: *Quid inaniter & superflue constantiam viri tentatis? Quid eum qui Deo fidelis est, infidelem vultis efficere?* Quibus cùm in se ceteros iram vertisset, gladio deco lari jubetur. Obiit cum Philea quarto Februarii.

De muliere Alexandrina in exilium à Maximino ejecta. Num eadem cum Catharina?

Euseb. l. 8. c. 14.

XXI. Cùm formosis mulieribus inhiaret Maximini libido, exhibendæ fortitudini multis ansam præbuit: Una *Alexandrinarum omnium nobilissima, atque opulentissima, cum cæteræ à tyranno violatæ fuissent, effusam atque effrenatam Maximini libidinem virili quâdam animi celsitudine devicit mulier, tum ob splendorem generis, ac divitias, tum ob singularem doctrinam celeberrima, sed quæ modestiam, ac pudicitiam omnibus præferebat, quam cum tyrannus sæpius interpellasset de stupro, obtruncare quidem illam, mori ani-que paratam non sustinuit, eò quòd crudelitate superior esset cupiditas. Cæterum bonis omnibus spoliatam, exilio damnavit.* Nobilissimam fœminam expertem nominis esse, Baronii non patitur urbanitas: *Hanc, inquit, fuisse illam famâ in Ecclesia celeberrimam, nomine Catharinam, seu potius Hecaterinam dictam, ut credamus, inducimur.* At à vero prorsus abhorret illustrissimi Purpurati conjectura. Nil enim est in Eusebio, quòd mulierem Alexandrinam arguat virginem esse. Rufino quidem *virginem* esse placuit: *Ad temerandam virginem ac polluendam ejus castitatem animum Maximinus intendit.* At Rufino non *Catharina* vocatur, sed *Dorothea*. Tum Alexandrina Matrona pulsa in exilium est, non morti missa. Martyrio verò Catharinam periisse fabulantur. Nil ergo Catharinæ cum Eusebii matrona commune. Ne verò fingant fuisse binominem, celeberrimam de Catharina traditionem in trutina ponere juvat.

Bar. An. 307. n. 31.

Ruf. h. l. 8. c. 17.

Traditio de Catharina falsi postulatur.

XXII. Natale S. Catharinæ Novembris XXVII. celebratur in Martyrologiis: *Natale S. Catharinæ Virginis & Martyris, quæ fidei Christianæ confessionem Alexandriæ sub Maximino Imperatore in carcerem trusa, & postmodum scorpionibus durissimè cæsa, tandem capitis obtruncatione martyrium complevit, cujus corpus in montem Sinai ab Angelis mirabiliter delatum, ibidem frequenti Christianorum concursu piâ veneratione colitur.* Astutè quidem *Maximini* nomen positum, ne olentem è longinquo fabulæ falsitatem deprehenderemus. Verùm non *Maximini*, sed *Maxentii nomen traditio habet, cui tyranno nil juris in Alexandriam fuit, quâ vel unâ ratione fabula perit funditùs.* Hymnus de S. Catharina:

Sponsa Christi nata Costo, Judicem Maxentium
Non timet.

Cassand. Hym. Eccl. 277.

Alius Hymnus:

Fulta fide Catharina Judicem Maxentium
Non formidat.

Sed & Acta Catharinæ à Leone Allatio in sua de *Simeonibus* diatriba, *Maxentium* exhibent, non *Maximinum*. Horum autem initium est, *anno XXXV, imperante impio, ac scelerato Maxentio.* Miram sanè Epocham, quæ nulli apta est, non sanè Martyrum Æræ, quæ ab anno Dom. CCLXXXIV. incipit. Maximinus verò, nec Maxentius anno CCCXVIII. amore Catharinæ uri non potuere. Ille anno CCCXIII. periit; hic in Tiberi, anno CCCXII. extinctus est, & tamen Actorum Autor, *Hæc, inquit, ego Athanasius Scriba, simul & famulus dominæ meæ Catharinæ Commentaria ipsius conscripsi, in omni sapientia.* Verius dixisset *insipientia*. Præterea Veterum nullus Catharinæ Martyris meminit, licet passio ejus tot prodigiis scateat, ut si vera sint, nil est quod æquè debuerit historiæ monumentis ad æternam memoriam consecrari. Illæsa Catharina in ignem cum sociis conjicitur:

Judex jubet ut crementur, nec pilis nec vestibus
Nocet ignis.

Rotæ imponi jubetur, orat virgo:

Post preces, orbes rotarum turbo missus dissipat,
Fulminis pars icta plebis impetu consumitur.
Pars fidem sanctam professa virgini conjungitur.

Christi religionem Augusta uxor tyranni imbibit animo, & morti mittitur:

ANNO DOM. 312.

Regio uxor jam fidelis, gentium negat Deos:
Dogma Christi confitetur docta sacro lumine:
In papillis mulcta suffert spe beata dimicans.

Occisâ Imperatoris uxore, carnifex cervicem decutit Catharinæ. Tum novum ecce prodigium:

Cæsidea caput putatur, lac fluit cum sanguine.
Mox levatur Angelorum corpus ab cohortibus,
Et super Sina locatur montis alti verticem.

Hæccine oblivioni dedissent Eusebius, & Rufinus? Quid memorassent, si hæc non memorarunt? Altum tamen agunt de Catharina silentium. Traditionem hanc exterminant, quibus veritas cordi est: ex grege Latinorum rejiciunt Georgius Cassander, Natalis Alexander, aliique viri eruditi.

Basilici & Luciani martyrium. Lucianusne in errorem inciderit?

XXIII. Eodem anno Nicomedia illustrium sanguine Martyrum respergitur. Comanorum Pontifex *Basiliscus* erat, qui Ethnico furori se victimam præbuit. Passionis ejus meminit Palladius: *Comanis cùm appropinquasset Chrysostomus, pontis instar ea prætergressi, extra muros in martyrio quinque, aut sex millibus dissito manserunt. Eâdem ipsâ nocte apparuit ei loci illius Martyr, nomine Basiliscus, qui Episcopus Comanorum cùm esset, martyrium passus est Nicomediæ in Bithynia sub Maximiano* (Maximino) *unà cum Luciano Presbytero Antiocheno, dicens, Macte animo, frater Joannes, crastinâ enim die unà erimus.* Ad martyrium eundem Basiliscum Nicomediæ comitatur Lucianus, Presbyter Antiochenus addictus & supplicio: *Samosatenus erat, Syrus vir nobilis. In prima autem ætate Macarii cujusdam Edessæ degentis consuetudine usus, sacrorum Librorum interpretis, pulcherrimam quoque illius inventum non longo tempore comprehendit, percepit, brevique edidicit, & ad solitariam vitam declinavit, & ad omnem virtutis mensuram plenam pervenit, ejusque compos factus est. Ad Sacerdotium etiam provectus, Presbyter Antiochiæ factus magnam scholam illic instituit, quotidie undique studiosissimis & optimis quibusque confluentibus.* Hic autem gravis de Luciani fide quæstio exoritur, utrùm nullis erroribus contaminata Sanctæ Trinitatis mysterio perpetuò adhæserit necne? Baronius hæreseos omnis suspicione Luciani conatur liberare innocentiam, & in Martyrologio, & in Annalibus: *Dum*, inquit, *cùm Dionysius, tum Lucianus, acerrimè Sabellii hæresim oppugnarent, hic enim ejus rei causâ à Pancratio Sabelliano Presbytero, Gentilibus eum quærentibus proditus est, uterque creditus est materiam Ario præparasse.* Baronii in sententiam concessit Schelstratus, Dissert. 3. de Sac. Conc. Antioch. c. 2. n. 6. Quorum si valeat opinio, de fide historiæ actum est omninò, gravissimaque temeritatis & injustitiæ nota, & Alexandro Alexandriæ Præsuli, qui Luciano coætaneus erat, & Epiphanio est inurenda, scilicet post secula XIII. nova, quæ Baronio Schelstratoque edita sunt oracula, fidem antiquitatis testimonio omnem abrogabunt, & ob argutiolas nonnulles, absolvendi erroris erunt omnis, illi quos venerandi Patres accusant. Audiamus ergo Veteres, quorum testimonio stare debet, aut cadere innocentia Luciani. Alexander, qui anno Luciani supremo Presbyterum agebat Alexandrinum, hæc Alexandro scribit: Paulo Samosateno *succedens Lucianus ἀποσυνάγωγος, Ecclesiasticâ societate trium Episcoporum segregatus, pluribus annis permansit.* Hanc Alexandri mentem esse nobis persuasissimum, clarissimo vel repugnante Valesio, cui sic vertere placuit: *Lucianus pluribus annis à communione trium Episcoporum sese abjunxit.* In animum tamen inducere nostrum nequimus, id Alexandrum sibi voluisse. Ἀποσυνάγωγος ὑπέμεινε, non actum hominis se separantis, sed *passivam* potius ejectionem significat. Vocabulum ἀποσυνάγωγος, quod ex sacra Scriptura desumitur, connexum sibi sensum retinet, nec Apostolicam significationem huic voci detraxit Alexander, ut aliam contribueret. Ter ut memoria est, in N. Testamento reperitur ἀποσυνάγωγος. Joan. IX. 22. XII. 42. XVI. 2. quibus locis *electionem* significat. Hâc ergo mente vocem Alexander & usurpavit. Quòd si à tribus Episcopis Orthodoxis *Lucianus* communione Ecclesiasticâ motus est, quis Orthodoxum fuisse ferat? Neque tamen nostri vim argumenti deterit versio Valesii. Episcopi tres, quorum à communione sese abjunxisse dicitur Lucianus, Antiocheni sunt, *Domnus*, qui successit Paulo Samosateno, quem Synodus ejecerat Antiochena, *Timæus*, & *Cyrillus*. Cur verò ab Orthodoxis se Lucianus Episcopis segregavit, si sanam de fide doctrinam coluit? Mores enim suos facilè tuebatur, non Episcopatus ambitione flagrabat, non Sacerdotium in Sacerdotium ceremit. Ergo solius doctrinæ causâ communionis fecit divortium. Ex urbe Pauli erat Haeretici, à Paulo ad Presbyteratum in nobilissima Ecclesia Antiochena promotus fuerat, cujus & errorem cùm imbibisset, successoribus Pauli communionem renunciavit, vel, ut res est, à tribus illis Episcopis damnatus est. Alexandro consentit Epiphanius: *Lucianus ætate nostrâ sub Constantino Seniore vixit, quem Ariani inter Martyres ascribunt. Fuit Lucianus iste Junior Arianorum erroribus infectus.* Quid disertius? Et si necdum exortus erat Arius, potuit tamen Arii veneno Lucianus affici, dum filium statuit patre minorem esse. Rectè verò Luciano Martyri Epiphanius Junioris addit Epithetum, quia Lucianus fuit alter antiquior, Marcionis sectator. Quo loco animadvertendus est ingens error doctissimi Cavis, qui de nostro *Luciano* scribit, *hæreseos Marcionisticæ labem ei impingit Epiphanius.* Quæ ab Epiphanio sunt alienissima. Seniori *Luciano*, non Juniori, qui Nicomediæ periit, id impingit Epiphanius. Sed & ipse Arius tanto socio gloriatur, in sua ad Eusebium Nicomediensem Epistola: *Opto te in Domino valere memorem vexationum nostrarum, vere Collucianista, vere Eusebi.* Nicomediæ quidem Lucianum simul vixisse cum Eusebio Nicomediensi prodit Epiphanius h. 69. n. 5. Quòd si fidei Trinitatis perpetuò tenacem se Lucianus præbuit, quid causæ Ario fuisset, cur Eusebio Ariano pertinacissimo *Collucianistæ* titulum imponeret? Imò dedecori Eusebio fuisset appellatio, utpote qui pro monstro habuit divinum Trinitatis mysterium. Ex schola quidem Luciani prodiere discipuli, quibus sana fides non fuit, Eusebius Nicomediæ, Maris Chalcedonis, Theognis Nicææ, Leontius Antiochiæ. Extra dubium igitur est, Lucianum in errorem incidisse, ex quo tamen Deo favente tandem emersisse putamus. Qua de causa palam & publicè natale ejus apud Antiochiam à Chrysostomo celebratum est. Hieronymus quoque de Luciano verba faciens inquit: *Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini.* Creditu difficillimum, hominem qui lue hæreseos afflatus, in schis-

Pall. Vit. Chrys. c. 11. p. 99.

Suid.

Bar. An. 311. n. 11.

Theodorit. h. l. 1. c. 4.

Epiph. h. 43. n. 1.

Theodorit. h. l. 1. c. 5.

Philostorg. l. 2. c. 14.

Anno Dom. 312.

schismate periisset, à Chrysostomo & Hieronymo, qui Luciani floruere seculo, Ecclesiæ Martyribus & appositum fuisse, & laudibus cumulatum. Neque Suidæ, etsi recentioris, testimonium de Luciano est aspernendum: *Divinorum decretorum puritatem apud hunc ex omnibus illius ætatis viris pulcherrimè summoque studio conservatam invenias.* Ad frugem rediisse, gravissimo quod ex Alexandri Epistola ducitur argumento comperimus. Cùm enim à *trium* Episcoporum communione sejunctum fuisse dicat, consequens est, sub quarto Ecclesiæ fuisse restitutum. Quartus à Paulo Samosateno Antiochensium Episcopus *Tyrannus* vocabatur, qui anno circiter CCXCVI. Pontificatum iniit, si Nicephori Chronographiæ credimus. Anni igitur præter propter XV. superfuere, in quibus & pietatem, & vitam Lucianus retinuit. Ac sanè nisi cum Ecclesia Antiochena rediisset in gratiam, cui fiet verisimile, Chrysostomum Luciano Panegyricum dixisse, in illa ipsa Ecclesia, à qua perpetuo schismate divulsus fuisset?

Quo anno passus Lucianus? Variæ passionis ejus circumstantiæ.

XXIV. De Luciani nunc morte tractandum. In persecutione *Galerii Maximiani* passum esse, Romanum tradit Martyrologium, cui fidem Baronius astrinxit suam, qui Metaphrastis etiam, & Suidæ autoritatem Eusebii testimonio atque Hieronymi anteposuit. Hic tamen veritati, & rationi facit injuriam. Quasi verò Eusebio Luciani coætaneo plus fidei non sit habendum, quàm recentioribus. Itaque cùm defuncto Galerio Lucianus obierit, anno CCCXII. utique sub persecutione Maximini periit, ut docent Eusebius, atque Hieronymus, cujus etiam autoritate anni unius prochronismi Baroniana de Luciani passione Chronologia damnatur.

Error Bar.

Cùm enim imperante Maximino passus sit, *Januarii* VII. mors ejus in annum CCCXI. conferri nequit, quo Galerius mense Januario vitam etiamnum retinebat. Narrant Acta Luciani illum à Pancratio Sabelliano traditum quærentibus, dum deduceretur, venisse in Cappadociam: milites lapsos, ad fidem monitis suis revocasse. Nos Actis ejusmodi minimum fidei habemus, utpote quæ ea memorent quæ sunt Veteribus incognita. Ea igitur amplectamur, quæ antiqua monumenta prodidere, pigmentorum à fabulatoribus additorum securi.

Eusеb. l. 9. c. 13.

Verba hæc sunt Eusebii: *Ex Antiochenis Martyribus Lucianus ejusdem Ecclesiæ Presbyter, vir in omni vita sanctissimus, qui cæleste Christi regnum primùm verbis & oratione Apologeticâ Nicomediæ, præsente ipso Imperatore; posteà verò etiam rebus ipsis asseruit.* Is Maximinus fuit, qui auditâ Galerii morte ab Oriente Nicomediam pervolavit. Non *Imperatoris* tamen, sed *Præsidis* meminit Rufinus: Lucianus *cùm ad tribunal Judicis fuisset adductus, Cur, inquit ad eum Præses, vir rationabilis & prudens, sequeris sectam, cujus reddere non poteris rationem.* Orationem quam apud Judices habuit Lucianus, exhibet & Rufinus. Ostendit Deum, qui humanos errores miserabatur, sapientiam suam misisse in hunc mundum, carne vestitam, quæ nos doceret, Deum mundi conditorem non in manufactis, sed in æternis atque invisibilibus requirendum. Christum optimæ disciplinæ præcepta nobis constituisse, morti se præbuisse, quo nobis patientiæ præberet exemplum, tertiâ die resurrexisse: *Non ut ista quæ nunc falsò conscribuntur, continent Acta Pilati, sed innocens, immaculatus, & purus, ad hoc solùm mortem suscepit, ut eam vinceret resurgendo.*

Ruf. l. 9. c. 7.

Hortatur requirere in Annalibus propriis, ac inventuros se pollicetur, *temporibus Pilati, Christo patiente, fugato Sole, interruptum tenebris diem. Et cùm penè jam his verbis auditoribus suadere cœpisset, arripi jubetur in carcere, ibique quasi absque tumultu necari.* Diu tamen in carcere fuit, si postquam auditus à Maximino, anno duntaxat currente periit. Compositâ enim cum Licinio pace in Syriam redierat. Quâ fortè de causa Græci in Menæis Luciani festum celebrant XV. Octobris, sed cùm Græcorum Chronologiæ præstet illa Latinorum, tribus circiter mensibus post habitam coram Maximino concionem includi debuit, antequam ad fata veniret. Discipulos Eusebium Nicomediensem, Marim, Theognin, Leontium, Menophantum, Numenium, Eudoxium, Alexandrum, & Asterium, qui tyrannorum cædentes violentiæ Diis sacrificarant, ad resipiscentiam revocavit.

Philostorg. l. 2. c. 13.

Tandem Martyri cruciatus adhibentur: *Et cùm omne suppliciorum ac pœnarum genus ab eo derisum animadverteret, ac se neque accensâ fornace, neque barathro effosso, neque rotâ paratâ, neque cùm in equuleum sustulisset, neque cùm in præcipitia projecisset, neque cùm dentibus ferarum objecisset, Sancti Philosophiam superare potuisse, aliud acerbius genus excogitavit. . . . . Quid ergo facit? Fami Sanctum hunc exponit. Etenim sumptis Idolothytis, eisque mensâ referta, ante conspectum ejus collocari eam curavit, ut facultas utendi ejus animi robur infringeret. Postquam autem se nihil proficere sceleratus ille vidit, ad tribunal eum rursus deducit, & tormentis admotis, continuas interrogationes adjungebat. Ille verò ad utramque interrogationem tantum respondebat, Christianus sum, ac dicente tortore, Quanam ex Patria ortus es? Christianus sum, ait: quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus parentibus natus es? Ille verò ad omnia dicebat, Christianus sum.*

Chrysost. c. 1. hom. 46.

Addit & Philostorgius, Lucianum *cùm jamjam moriturus esset, & tyrannica vis, nec Ecclesiæ, nec altaris copiam faceret; cùmque vincula & plagæ ne quidem ut se commoveret, ei permitterent, supinum jacentem supra proprium pectus, tremendum sacrificium peregisse, & tum ipsum participasse, tum aliis ut de immaculato sacrificio participarent, copiam fecisse. Peractum autem est hoc sacrificium in carcere, cùm sacer Christianorum Chorus, qui illum utpote morientem undique cingebat, Ecclesiæ speciem referret, ac simul munimentum præstaret, ne ab impiis spectari possent ea quæ gerebantur.*

Philostorg. l. 2. c. 13.

Periit septimo Januarii, quâ die natale Luciani apud Antiochiam à Chrysostomo celebratur: *Hesterno die Dominus noster aquâ baptizatus est, hodie verò servus sanguine baptizatur.* Itaque postridie Epiphaniorum à Græcis, qui Luciani seculo floruerunt, Sancti memoria Martyris jam recolebatur; quo liquet, Dodwellum recentiorum Græcorum de die natali Luciani Chronologiam Latinorum Calendariis immeritò antetulisse, quasi Lucianus *Octobris* XXVI. mortem obiisset.

Chrysost. t. 1. hom. 46.

Dod. Diss. Cypr. XI. n. 83.

Luciani corpus in mare jactum est, si Philostorgio fides. Ait enim, Helenam Constantini matrem, *Helenopoli delectatam, ob id unum, quòd cadaver Luciani Martyris, post coronam martyrii eò deportatum fuisset à delphino.* De eo prodigio silet Hieronymus, hoc tantùm habet: Lucianus *sepultus Helenopoli Bithyniæ.* Et in Eusebiano Chronico: *Drepanum Bithyniæ civitatem, in honorem Martyris Luciani, ibi conditi,*

Philost. l. 2. cap. 12.

Con-

Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit.

Luciani scripta de Confessione fidei ejus ab Antiochenfibus proposita.

XXV. Non martyrii modò, sed eruditionis quoque laude maximâ Lucianus celebratur: *Lucianus vir disertissimus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, tantum in Scripturarum studio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum Lucianea nuncupentur. Feruntur ejus de Fide libelli, & breves ad nonnullos Epistolæ.* Honorifica & Luciani, & versionis ejus mentio etiam est in Synopsi apud Athanasium, de Scripturæ versionibus: *Septima & postrema S. Luciani, magni, religiosi, & Martyris est, qui & ipse cum in prædictas versiones, & Hebraicos libros incidisset, & diligenter quæ vel veritati deerant, vel superflua aderant, inspexisset, ac suis quæque locis correxisset, versionem hanc Christianis fratribus edidit, quæ sanè post ipsius certamen, & martyrium, quod sub Diocletiano, & Maximiano Tyrannis sustinuit, libro videlicet propriâ ipsius manu scripto comprehensa, Nicomediæ sub Constantino Rege magno, apud Judæos in parietis armario calce circumlito, in quo custodiebatur, inventa est.* Ubinam versio hæc in pretio fuerit, docet Hieronymus Epistolâ CVII. ad Chromatium: *Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat.* Libellum de fide Antiochenæ Synodi Patres memorasse videntur in sua fidei Expositione: *Ajebant reperisse se hanc fidem scriptam, manu ipsius Luciani, ejus, qui Nicomediæ martyrium perpessus est.* At n. scit quidem Sozomenus, num vera prædicarint. Nobis verò non videtur ea de re dubitandum, cùm ejus libelli meminerit & Hieronymus. In Dialogis de S. Trinitate, qui Maximi sunt, licet Athanasii nomen præ se ferant, est etiam Confessionis Lucianeæ mentio. Quærit Macedonius: *Credis ut B. Lucianus?* Respondet Orthodoxus: *Jam nos credere dixi, non tantum ut credidit B. Lucianus, verùm etiam ut omnes S. Martyres, & Apostoli.* MAC. *Subscribis igitur Confessioni fidei à Luciano editæ.* Quam Luciani confessionem *Macedonianorum* perfidia corrupit. MAC. *At tu quid in illa Luciani damnas?* ORTH. *Condemno vestrum illud additamentum, idque possum demonstrare, à vobis adjectum esse contra ejus sententiam.* Nec mirum, in ea Confessione *consubstantialis* vocem desiderari, quæ nec Antiochenæ Synodo adversus Paulum celebratæ placuit, nec Dionysio Alex. Abstinuit itaque vocabulo, cui Nicæna Synodus post Luciani mortem congregata autoritatem contribuit. Res tamen ipsa Lucianea in Confessione continebatur: *Immutabilem, nec conversioni obnoxiam Filii Divinitatem asseruerunt, eumque substantiæ, consilii, potentiæ, & gloriæ Patris nullatenus discrepantem imaginem.* Hæc erat fides scripta Luciani manu, quam & Antiochenses professi sunt.

Hieron. de Vir. Illust.

Athanas. Synops. t. 2. 157. Legatur & Suidas t. 2. 56.

Sozom. l. 3. c. 5.

Athan. t. 2. 210. Dial. 3. de Trinit.

Sozom. l. 3. c. 5.

Maximini de Christianis ad Sabinum Epistola.

XXVI. Dum urbibus, agrisque Christianos Maximinus exterminat, Constantini de Maxentio victoria tyrannico furori frenos injicit. Post ubi Rescriptum pro Christianis à Constantino Licinioque promulgatum, unà cum nuncio cladis Maxentianæ accepit, primam pro Ecclesia Epistolam, veluti spontè conscriptam, ad Præsides imperii sui adactus necessitate direxit. Extat exemplum Epistolæ in Eusebio: *Jovius Maximinus Augustus Sabino.* Is Prætorio præficiebatur. Simulat Maximinus, se anteà Judicibus in mandatis dedisse, *Ne quis deinceps in Provinciales sæviret, sed ut potius blanditiis, ad Deorum cultum eos revocare conarentur.* Quàm diu hæc observata sunt, neminem ex partibus Orientis, aut relegatum, aut contumeliâ affectum fuisse. Hoc addit: *Posteà verò cum anno præterito Nicomediam feliciter essem ingressus, cives ejus urbis me illic degentem adierunt, cum Deorum simulacris, obnixe rogantes, ne hujusmodi hominum genus in sua civitate habitare omninò sineretur. . . Nicomediensibus, & reliquis civitatibus, quæ eandem petitionem cum summa contentione detulerant, ut videlicet nullus Christianorum in suis urbibus habitaret, necesse habuit respondere, quando ita observatum fuisset à cunctis retrò Imperatoribus, Diis immortalibus per quos genus humanum & Respublica permanet statue, id ipsum placuisset, me quoque hujusmodi petitionem, quam de cultu Deorum suorum ad me detulissent, confirmaturum.* Subjungit: *Si quis suâ sponte Deorum cultum suscipiendum agnoverit, hunc ambabus ulnis amplecti oportet. Quòd si qui religioni suæ inhærere maluerit, arbitrio, & potestati suæ sunt permittendi.* Cùm hanc ficto animo jussionem prædicari Christiani existimarent, nemo palam ausus est, aut conventus agere, aut seipsum palam facere. Non enim aut Ecclesias extruere, aut solemnia peragere Rescriptum permittebat, licet Constantinus, & Licinius literis ad Maximinum datis, ea se Christianis concedere significassent. Labente anno hanc Legem pro Christianis sancitam fuisse existimamus, errasseque Baronium, qui anno CCCXIII. missam Sabino Epistolam putet. Tempus enim apertè his indicatur: *cum anno præterito Nicomediam feliciter essem ingressus,* cùm auditâ videlicet morte Galerii, ex Syria hanc in urbem advolavit. Nostram quoque Chronologiam firmant verba hæc Lactantii: *Maximinum ubi eos intellexit, nuptiarum solemnibus occupatos, exercitum movit è Syria, hyeme quam maximè sæviente.* Quibus anni CCCXIII. initia designantur. Quo tempore se Constantino & Licinio amicum non simulabat, quos bello aperto invadebat. Sabino autem Epistolam misit, dum aliquam benevolentiæ speciem ipsis adhuc ostendebat. Libertatis aliquid Confessoribus attulit Maximini decretum. Cùm enim aperti professique Christiani essent, aliis qui in apertum sese proferre ob metum tyranni non audebant, longè fortiores conventus agitarunt. Quò verba Eusebii referenda esse putamus: *Septimus jam persecutionis annus ad exitum vergebat, & res nostræ sensim sine sensu molestiâ liberatæ, ad octavum usque annum processerant. Cùmque in metallis æris apud Palæstinam maxima Confessorum multitudo in unum congregata, incredibili libertate frueretur, adeò ut Ecclesias etiam extruerent &c.* Septimus enim ille annus, utpote à secunda persecutione ductus, anno CCCXII. cohæret. Coetus agitandi licentiam Christianis non dederat Rescriptum Maximini. Cùm igitur *Firmiliano*, quem ultimo supplicio Maximinus addixerat, Præses alius successisset, ille auditâ Confessorum vivendi ratione, calumniosè in illos scripsit Imperatori. Hinc nova Martyrum seges, qui anno sequente persecutionis ultimo periere.

Euseb. l. 9. c. 9.

Lact. de Mort. c. 45.

Euseb. de Mart. Pal. c. 13.

Achillæ succedit Alexander.

XXVII. Postquam anno præterito VII. Kal. Decembris Petrus Alex. extremum diem martyrio confecit, Achillas defuncto sufficitur, cujus creationem in annum CCCXI. contulit Eusebius in Chronico: *Alexandrinæ Ecclesiæ decimus septimus ordinatur Episcopus Achillas.* At si Gelasio Cyziceno credimus, hoc demum anno Sacerdo-

Anno Dom. 312.

cerdotium iniit, cùm anno integro absque Episcopo permansisset Ecclesia. Non diu Pontificatum tenuit: *Post Petrum celebrem illum & gloriosum athletam, qui sub impiis illis tyrannis palmam martyrii est consecutus, Achillas exiguo tempore Ecclesiam gubernavit.* Mensibus quinque Episcopatum tenuisse, scriptum Gelasius reliquit: *Transacto anno ordinatur in sede S. Martyris Petri, Achillas vir gravis & magnanimus, qui multa prius exhortatione usus, suscepit Arium in ordinem Diaconorum. Cum autem hic mensibus tantùm v. supervixisset, suscepit Sacerdotii Principatum in Alexandrina Ecclesia Alexander.*

Theodoret. h. l. 1. c. 2.

Gelas. h. l. 2. c. 1.

De Indictionum institutione.

XXVIII. Maximam quoque celebritatem annus ex institutione Indictionum habuisse dicitur. Apud Romanos ante Constantinum per lustra tributa dirigebantur. Itaque Varro l. 8. de lingua Latina: *Lustrum*, inquit, *nominatum tempus, à luendo, hoc est, à solvendo, quòd quinto quoque anno vectigalia, & ultrò tributa per Censores persolvebantur.* At debellato Maxentio, novas Constantinus Italiæ Indictiones imposuit. Hinc Indictionum origo ducitur: de qua tamen prima mentio reperitur in Epiphanii Anchorato p. 64. *Hic annus est 90. Diocletiani, Valentiniani & Valentis x. Gratiani vi. Consulatus Gratiani Aug. iii. & Equitii illustrissimi, Indict. 2.* Is fuit Dom. 374. Ambrosius quoque in Epistola ad Episcopos Æmiliæ anno 386. exarata: *Indictio enim*, inquit, *Septembri mense incipit.* In Oriente saltem Indictio cum primo Septemb. incipiebat. Synodus Tyria anno 518. celebrata dicitur, *die 28. Loi, sive Septembr. 16. Indictione* xii. Hierosolymitanæ verò anno 536. coactæ, hæc præmittuntur: *Post Consulatum Flavii Belisarii gloriosissimi* xiii. *Kal. Oct. Indictione* xv. Cur vero instituta sit Indictio, multæ à multis afferuntur causæ, quas si legimus, longè quidem incertiores abibimus, quàm accessimus. Erravit tamen magnus ille Scaliger in ratione Indictionum assignanda, quam à Constantini Quinquiennalibus repetit: *Constantini Magni imperium consurgit ex a. d.* viii. *Kal. Octobris anno* cccvii. *igitur ejus Quinquiennalia congruunt anno* cccxii. *Rursus anno Christi* cccxxvii. *idem Vicennalia dedit. A Quinquiennalibus ad Vicennalia anni* xv. *solidi. Hinc mos cœptus putari tempora per trina Quinquiennalia sive per Indictiones, & eorum tempus, Indictio vocatur.* Quæ subruere fundamenta, non est difficillimum. Quippe Constantio iv. & Maximiano vi. Coss. hoc est anno Dom. cccvi. patri suo successit Constantinus: *His Coss. levatus est Constantinus* viii. *Kal. Augusti*, ut legimus in Fastis Idacianis. Est igitur falsissimum, & initium Constantini, à xxiv. Septembris esse ducendum, & Quinquiennalia ejus in hunc annum incidisse. Quibus accedat nonnisi post vi. Kal. Novembris hujus anni Constantinum esse urbe potitum. Baronius ejusmodi sententiæ est, tempus legitimorum stipendiorum, quod hactenus fuerat xvi. annorum, ad xv. redactum esse, & hunc Cyclum institutum, ut milites scirent tempus missionis suæ. Verùm ratio hæc Indictionis voci non apta satis atque congruens. *Indictio* enim *tributum* significat. Lactantius de Diocletiano libro de Mortibus Pers. c. 7. *Enormitate Indictionum consumptis viribus colonorum.* Plinius in Panegyrico: *Nec novis Indictionibus pressi, ad vetera tributa deficiunt.* Hinc in Codice Justinianeo Titulus de Indictionibus: *Peculiari delegationum notitiâ, ante Indictionis exordium, singulis transmissa Provinciis.* Quid igitur rationis fuisset, militum missioni vectigalium nomen imponere? Sit igitur in incerto causa & institutæ Indictionis, & appellationis ejus: satis sit observare, quòd ad Chronologiam maximè conducit. Cycli hujus tria initia numerari pro varietate Indictionum. Triplex enim est Indictio. Constantinopolitana, quæ à Calendis Septembris proficiscitur. Cæsarea Constantiniana, ut vulgò vocatur, quæ à xxiv. Septembris oritur. Pontificia Romana, quæ à primo Januarii sumit initium, quam nostris in Annalibus Indictionem adhibemus. Romani cum reliqua Italia, sicut & Græci, novas Indictiones à primo Septembris numerabant, ut ex variis Gregorii M. Epistolis liquet. Qui mos sedente Gregorio VII. adhùc perseverabat, teste Epistolâ ejus ad Rodolphum Sueviæ Ducem, quæ data dicitur *Capua, Kalendis Septembris, Indictione incipiente* xii. Galli verò priscam Indictionum Originem retinentes, ex die 8. Kal. Octobr. earum originem ducebant. Parisiensis Synodi iv. Epistola ad Ægidium Rhemensem Synodica *data est* iii. *Iduum Septembr. anno* xii. *Regum Dominorum nostrorum, Indict.* vi. *Parisiis.* Annus erat dlxxiii. Necdum labente anno 869. mutabatur Indictio. Quippe in Capitularibus Caroli Calvi coronatus is dicitur Metis, quinto Idus Septembr. Indict. 2. Cæterùm eximiæ doctrinæ viro Jacobo Gothefrido placuit, Indictiones in Oriente anno serius uno quàm in Occidente fuisse numeratas. Sic enim Indictiones in ordine collocat: *Italica surgit ab anno D. 312. Orientalis ab an. 313. Proconsularis Africa ab an. 314. Africanæ Diœceseos ab an. 315.* Rejicienda tamen est viri doctissimi sententia. Siquidem Lege ix. de Indulgentiis debitorum legitur: *Sequentis temporis debitis ex Indict.* vi. *usque ad præsentem* xii. *emergentibus necessitatibus reservatis.* Data Constantio & Constante Coss. Annus erat Dom. 14. Quo casu prædictio in Oriente tredecima numerari debuisset, quia v. Id. April. duodecima in Occidente Indictio labebatur. In utroque verò imperio Indictio xii. dicebatur.

Scalig. de Emend. l. 5. 502.

Bar. An. 312. n. 107.

Cod. l. x. Tit. 17.

L. 1. Ep. 19.

Goth. Chronol. C. Th. p. 182.

C. Th. l. 11. p. 203.

Anno U. C. 1066. Olymp. 273. Per. Jul. 5026. Jul. 358. Dom. 313. Constantini 8. Licinii 7. *Sol.* 14. D. *Lun.* 10. *Indict.* 1. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 4. *P.* 29. *Mart.*

Anno Dom. 313.

Coss. Constantinus Augustus iii. Licinius Aug. iii.

Rufius Volusianus Præfectus Urbis.

I. Compositis in urbe rebus, appetente jam hyeme, Constantinus anno superiore Mediolanum contenderat. Januario Romæ adhùc versatum ex lege de Censibus, & Censitoribus, cujus initium est, *Quoniam Tabularii*, Baronius statuit. Legitur enim: *datum* xv. *Kal. Febr. Romæ Constantino* iii. *& Licinio* Coss. Mendosam tamen inscriptionem esse, testatur Lactantius, itaque loco *Romæ*, quin scribendum sit *Mediolani*, nulli dubitamus. Hic receptâ Italiâ, oppressoque Maxentio, Licinius Constantino affinitate jungitur, ductâ *Constantiâ* Constantii filiâ. Ad *festa nuptiarum* vocatum esse Diocletianum, narrat Victoris Epitome. Qui cùm per senectam, quoniam interesse valeret,

Constantiæ cum Licinio nuptiæ. Constantini in Germaniam irruptio.

Cod. l. x. Tit. 57.

sese

Anno Dom. 313.

sese excusavisset: *Rescripta minacia* accepit, *quibus increpabatur, Maxentio favisse, ac Maximino favere.* Ad nuptias invitatum fuisse est verò simillimum: quòd verò accusatus sit Maximino favere, nil habet probabilitatis, cui potius erat infensus, ob Valeriam à tyranno in exilium missam, nec patri obnixè repetenti redditam. Mense Martio Imperatores versabantur adhùc Mediolani, ubi decretum pro Christianis novum sancitur, inferiùs recitandum. Nuptiis celebratis, Licinius in Illyricum secedit, Constantinus verò repetit Gallias. Hîc novam gloriæ segetem invenit. Eo impetu quo redierat in Gallias, perrexit ad inferiorem Germaniæ limitem. Expeditionis meminit incertus Panegyricus: *Ruperat fidem gens levis, & lubrica Barbarorum, & robore atque audaciâ lectis eruptionis Autoribus instituisse Rheno nuntiabantur. Illicò obvius affuisti, & præsentiâ tuâ, ne auderent transitum, terruisti. Etiam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quod subitâ eruptione, non foret materia victoriæ, sed inopinato consilio usus, abeundo enim simulato nuntio majoris in superiore limite tumultus occasionem stolidis ac feris mentibus obtulisti in nostra veniendi, relictis in occulto Ducibus, qui securos adorirentur. Quò cùm venissent, consilium tuum sequitur fortuna, toto Rheni alveo oppleto navibus devectus, terras eorum ac domos mœstas lugentesque populatus es, tantamque cladem vastitatemque peritura gentis intulisti, ut vix post illud nomen habitura sit.*

Mors Diocletiani. Frumentarii ab eo remoti.

II. Diocletianus, qui præclaro otio haud procul à Salonis senescebat, quam sibi numinis iram contraxerat, tandem experitur. Non minimo dolore affectus fuerat ex Valeriæ calamitate, quam nullis precibus, legationibus nullis à Maximino impetrare potuerat. Dolenti novus dolor supervenit: *Senis Maximiani statuæ Constantini jussu revellebantur, & imagines cum quo pictus esset detrahebantur. Et quia senes ambo simul plerumque picti erant, & imagines simul deponebantur amborum.* Diocletianus *itaque cùm videret vivus, quod nulli unquam Imperatorum acciderat, duplici ægritudine affectus, moriendum sibi esse decrevit. Jactabat se hùc atque illùc æstuante animâ per dolorem, nec somnum, nec cibum capiens. Suspiria & gemitus, crebræ lachrymæ, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum felicissimus Imperator ad humilem vitam dejectus, adeò & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ deductus, postremò fame, atque angore confectus est.* Voluntariâ morte periisse, tradit & Victoris Epitome, sed *hausto veneno.* Contigit tamen ei, *quod nulli post natos homines, ut cùm privatus obiisset, inter Divos tamen referretur.* Ante editum de Mortibus Persecutorum Lactantii librum Chronologia statuerat anno CCCXVI. Diocletianum naturæ satisfecisse. Sabino & Rufino Coss. inquit Idacius, *Diem functus Diocletianus Salonæ, die III. Nonas Decembris.* Eadem & Zozimo, & Chronico Alex. sententia. A qua nunc discedere jubet autoritas Lactantii, qui Maximinum Diocletiano superstitem fuisse docuit: *Unus jam supererat de adversariis* Dei, Maximinus scilicet, cujus mortem exequitur. Lactantio assentitur Eusebius. Quippe in Constitutione Maximini anno currente promulgata, Divi titulo Diocletianus afficitur, qui nonnisi jam defunctis Imperatoribus imponebatur. Legis verba sunt: *Cùm anteà nobis compertum fuisset, occasione legis illius, quæ à Divis Diocletiano, & Maximiano parentibus nostris lata erat,*

Lact. de Mort. c. 42.

Eutrop. l. 9.

Euseb. l. 9. c. 10.

Annos LXVIII. Diocletianum vixisse, testatur Victoris Epitome: *Ex quibus communi habitu propè novem egit. Vir fuit in quo cum virtutibus vitia certabant: Valerio parum honesta in amicos fides erat.* Extinctos ab eo frumentarios tradit & ille ipse Victor: *Neque minore studio pacis officia vincta legibus æquissimis, ac remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc agentes rerum simillimi sunt. Qui cùm ad explorandum annunciandumque qui fortè in Provinciis motus existerent, instituti viderentur, compositis nefariè criminibus, injecto passim metu, præcipuè remotissimo cuique cuncta fœdè diripiebant.*

Anno Dom. 313.

Maximini in Licinii ditionem irruptio.

III. Imminebat & Maximini persecutorum omnium crudelissimi pœna, in quam ambitione suâ delabitur: *Cùm haberet æmulationem adversus Licinium, quia prælatus ei à Maximiano Galerio fuerat,* licet nuper cum eo amicitias confirmasset, ubi intellexit illum nuptiarum solemnibus Mediolani occupatum, exercitum movit è Syria, hyeme quàm maximè tum sæviente, & mansionibus geminatis in Bithyniam accurrit, debilitato agmine: *Nam maximis imbribus & nivibus, & luto, & frigore, & labore jumenta omnis generis amissa sunt, quorum miserabilis per viam strages, speciem jam futuri belli, & similem cladem militibus nuntiabat. Nec ipse intra fines suos moratus est, sed transjecto protinùs freto, ad Byzantii portas accessit armatus. Erant ibi milites præsidiarii ad hujusmodi casus à Licinio collocati. Hos primùm muneribus & promissis illicere tentavit, posteà vi & oppugnatione terrere: nec tamen quidquam vis aut promissa valuerunt. Jam consumpti erant dies XI. per quos fuit spatium, nuntios literasque mittendi ad Imperatorem, cùm milites non fide, sed paucitate diffisi, seipsos dediderunt. Hinc promovit Heracleam, & illic eâdem ratione detentus, aliquot dierum tempus amisit. Et jam Licinius festinato itinere, cum paucis Adrianopolim venerat, cùm ille acceptâ in deditionem Perintho, aliquantò moratus, processit ad mansionem millia decem & octo. Nec enim poterat ulteriùs Licinio jam secundam mansionem tenente, distantem millibus totidem, qui collectis ex proximo quantis potuit militibus, pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur, quàm proposito dimicandi aut spe victoriæ. . . Quippe cùm ille LXX. millium armatorum duceret, ipse vix triginta millium numerum collegisset.*

Lact. de Mort. c. 45.

Preces Angelus Licinianos docuit.

IV. Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum propediem prælium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut si victoriam cœpisset, Christianorum nomen extingueret, funditùsque deleret. Tunc proximâ nocte Licinio quiescenti astitit Angelus Dei, monens ut ocius surgeret atque oraret Deum summum, cum omni exercitu suo illius fore victoriam, si fecisset. Post has voces cùm surgere sibi visus esset, & cum ipso qui monebat astare, tunc docebat eum quomodo, & quibus verbis esset orandum. Discusso deinde somno, Notarium jussit acciri, & sicut audierat, hæc verba dictavit: *Summe Deus, te rogamus; Sancte Deus, te rogamus; Sancte Deus, te rogamus. Omnem justitiam tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores & felices existimus. Summe Sancte Deus, preces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus; exaudi, summe Deus.* In transcursu notetur, unius Dei quidem, non verò Cœlitum, non Martyrum invocationem mandari: *Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per Præpositos,*

toso Tribunosque mittantur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis, victoriam sibi credentibus de cælo nuntiatam. Statuit Imperator prælium dies Calendarum Majarum, quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant, ut sua potissimum natali vinceretur, sicut ille (Maxentius) *victus est Romæ.* Maximinus voluit præire maturius, pridie manè aciem composuit, ut natalem suum postridie victor celebraret. Nuntiatur in castra movisse Maximinum. Capiunt milites arma, obviamque procedunt. Campus intererat sterilis ac nudus, quem vocant serenum. Erat jam utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cœlum manus tendunt, præeuntibus Præpositis, & post Imperatorem precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Illi oratione ter dictâ, virtute jam pleni, reponunt capitibus galeas, scuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac desertum iri à militibus existimabat, quòd ille esset in largiendo tenax, ipse autem profusus, eoque proposito moverat bellum, ut exercitu Licinii sine certamine accepto, ad Constantinum duplicatis viribus statim pergeret.

Maximinus a Licinio debellatur.

V. Ergo propius acceditur, tubæ canunt, signa procedunt. Liciniani impetu facto, adversarios invadunt. Illi verò perterriti, nec gladios expedire, nec tela jacere queverunt. Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus sollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, & ad suos refugit. Cædebatur acies ejus impunè, & tantus numerus legionum, tanta vis militum à paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum præmiorum memor, quasi ad devotam mortem, non ad prælium venissent. Sic eos Deus summus jugulandos subjecit inimicis. Jam strata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri, quàm putabat. Projecit purpuram, & sumptâ veste servili fugit, ac fretum trajecit; at in exercitu pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita, vel in fugam versa est. Ademerat enim pudorem deserendi desertus Imperator. At ille Kalendis Maiis, id est, unâ nocte, atque die, Nicomediam aliâ nocte pervenit, cùm prælii abesset millia centum sexaginta. Raptisque filiis, & uxore, & paucis ex palatio comitibus, petivit Orientem. Sed in Cappadocia, collectis ex fuga & ab Oriente militibus substitit. Ita vestem resumpsit. Licinius verò acceptâ exercitus parte, trajecit exercitum in Bithyniam paucis post pugnam diebus, & Nicomediam ingressus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit, ac die Iduum Juniarum de restituenda Ecclesia literas ad Præsidem datas proponi jussit.

Lact. de Mort. c. 47.

Mors Maximini.

VI. Sequenti autem Licinio cum exercitu tyrannum profugus concessit, & rursus Tauri montis angustias petit, munimentis ibi ac turribus fabricatis, iter obstruere conatus est, & inde perrumpentibus omnia victoribus, Tarsum postremò confugit. Ibi cùm jam terrâ marique perterretur, nec ullum superaret refugium, angore animi, ac metu confugit ad mortem, quasi ad remedium malorum, quæ Deus in caput ejus ingessit. Sed prius cibo se infarsit, ac vino ingurgitavit, ut solent hi, qui hoc ultimo se facere arbitrantur, & sic hausit venenum. Cujus vis referto stomacho repercussa, valere non potuit in præsens, sed in languorem malum versa, pestilentiæ similem, ut diutius protracto spiritu cruciamenta sentiret: jam sævire in eum cœperat virus, cujus vis cùm præcordia ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est, adeò ut per dies quatuor insaniâ percitus, haustam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos gravesque cruciatus, cùm caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de cavis. Tunc demum amisso visu Deum videre cœpit, candidatis Ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii qui torqueri solent, & non se, sed alios fecisse dicebat. Deinde quasi tormentis adactus fatebatur, Christum subinde apprecans & plorans, ut sui met misereretur. Decretum quoque pro Christianis promulgavit, de quo posteà faciemus mentionem. Denique inter gemitus, quos tanquam crematetur, edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit. A die Calendarum Majarum anni CCCV. quo Cæsar creatus est, ad ejus usque obitum anni sunt octo, mensesque tres, vel quatuor, quos imperando condidit.

Lact. de Mort. c. 49.

Candidiani, Valeriæ, & Priscæ obitus.

VII. Hoc modo Deus universos persecutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps, nec radix ulla remaneret. Nam Licinius summâ rerum potitus, inprimis Valeriam, quam Maximinus iratus, nec post fugam quidem, cùm sibi videret esse pereundum, fuerat ausus occidere, item *Candidianum*, quem Valeria ex concubina genitum ob sterilitatem adoptaverat, necari jussit: *Mulier tamen tùm eum vixisse cognovit*, hoc est, certa fuit, Maximinum obiisse, *comitatui ejus se miscuit, ut fortunam Candidiani specularetur. Qui cùm Nicomediæ se obtulerat, & in honore haberi videbatur, nil tale metuens occisus est. Et illa exitu ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam ætate robustum, qui fugientem Maximianum fuerat ex acie secutus, tanquam post obitum ejus de sumenda purpura cogitasset, capitali sententia subjectum interemit. Ipsius quoque Maximini filium, agentem in annis octo, & filiam septennem, quæ desponsa fuera Candidiano, extinxit. Sed prius mater eorum in Oriente præcipitata est. Ibi sæpè illa castas fœminas mergi jusserat. Sic omnes impii vero & justo judicio Dei, eadem quæ fecerant receperunt. Valeria quoque per varias Provincias quindecim mensibus plebeio cultu pervagata, postremò apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre pœnas dedit. Ducta igitur mulieres cum ingenti spectaculo, & miseratione tanti casus ad supplicium, & amputatis capitibus corpora earum in mare abjecta sunt. In illis pudicitia, & conditio exitio fuit.* Ex mensibus quindecim, quibus Valeria plebeio cultu Provincias peragravit, apparet mortem ejus in annum CCCXIV. incidisse.

Lact. de Mort. c. 51.

Maximini fautorum & persecutorum interitus, Pincentii, Culciani, Theotecni.

VIII. Ad Ecclesiæ felicitatem accessit infelix hominum exitus, qui furori Maximini ministrantes, sanctam Dei Religionem impietatis infamarant, variis in eam rem commentis adhibitis. Omnes qui à Maximini partibus stabant, quique præ reliquis Provinciarum Rectoribus ab eo culti & ornati, ut ei assentarentur, adversus sanctam Religionem insolenter debacchati fuerant, capite plectuntur. Ex quorum numero fuit *Pincentius*, in summo honore ac veneratione ab eodem habitus, & sodalium omnium longè carissimus, quem ille iterum ac tertiò Consulem, & Præfectum, & Procuratorem summæ rei creaverat. Et *Culcianus*, omnibus similiter

Magi-

ANNO DOM. 313.

Magiſtratibus, & Provinciarum adminiſtrationibus perſunctus, qui & ipſe inoumeris Chriſtianorum cædibus apud Ægyptum ioclaruerat. Alii prætereà non pauci, à quibus potiſſimum confirmata, & aucta eſſe Maximini tyrannica crudelitas videbatur: *Porro etiam Theotecnum ad ſupplicium vocabat divina juſtitia, haud quaquam oblita eorum quæ ille adverſus Chriſtianos perpetraverat. Etenim ob ſimulacrum illud quod Antiochia conſecraverat, proſperiore fortunâ uti viſus, etiam Præſes Provinciæ à Maximino factus fuerat. Sed cùm Licinius Antiochiam veniſſet, & præſtigiatores perveſtigare, ac deprehendere inſtituiſſet, inter cæteros etiam, novi illius ſimulacri Prophetas & Sacerdotes tormentis ſubjecit, quâ ratione fraudem concinnaſſent interrogans. Qui cùm veritatem amplius celare non poſſent, vi tormentorum adacti, totuſque myſteriis ſcenam à Theotecno, arte quâdam compoſitam fuiſſe faterentur, Licinius merito ſupplicio cunctos afficiens, primùm quidem Theotecnum ipſum, deinde reliquos fraudis ac præſtigiarum conſcios poſt plurimos cruciatus interfici juſſit.*

Euſeb. l. 9. c. 11.

Pelei, Nili, Silvani aliorumque Martyrium. Joannis cæci memoria.

IX. Nunc ad res Eccleſiæ, convertamus animum. Per malitiam metumque ob miſſas Conſtantini & Licinii pro Chriſtianis ad Maximinum Epiſtolas, condita fuerat anno ſuperiore ad Sabinum Præfectum Prætorio præſcriptio Imperatoris. Ficta cùm foret ipſius benevolentia, tam à Maximino, quàm à Præſidibus ejus Chriſtianorum complures mactabantur: *Conſtantini literis deterritus, diſſimulavit ergo. Et tamen ſi quis incideret, mari occultè mergebatur.* Sed & anni hujus initia Chriſtiano ſanguine imbuta fuiſſe, ſcriptum reliquit Euſebius. Qui Firmiliano, in quem Maximinus capitis ſupplicium conſtituerat, Præſes ſucceſſerat, homo ſævus, quatuor ex Palæſtinæ Confeſſoribus, qui cæteris antecellere videbantur, ad Ducem mittit, qui militaribus copiis præerat. Horum duo Ægyptiorum erant Epiſcopi, *Peleus* ac *Nilus*, tertius Presbyter quidam *Elias* nonnullis dictus, quartus autem fuit *Patermuthius*, vir ob prolixam erga omnes benevolentiam cunctis notiſſimus. Quos religionis ſuæ tenaces ille flammis abſumi præcepit. *Silvanus* Gazâ oriundus Epiſcopus, qui à primo quaſi perſecutionis die variis confeſſionum certaminibus inclaruerat, ad id uſque temporis ſervatus fuerat, ut omne illud in Palæſtina certamen poſtremus quaſi ſignaculo clauderet. Erant unà cum illo Ægyptii complures, inter quos Joannes eminebat, cujus & oculi erſt luminis expertes cauterio peruſti, & pedum alter candente ferro debilitatus fuerat. Tantâ fortiſſimus ille Martyr memoriâ pollebat, ut in frequentiſſimo Eccleſiæ cœtu Scripturæ locos recitantem cùm Euſebius audiiſſet Hiſtoricus, de more ſacros legi Codices exiſtimarit. Undequadraginta omnes numero erant Martyres, qui uno eodemque die capite truncati ſunt: *Atque hæc ſunt martyria, quæ octo annorum ſpatio in Palæſtina perpetrata ſunt.* Quæ verba liquidò demonſtrant, Euſebium non ab anno CCCIII. ſed à CCCV. quo Maximinus purpuram ſumpſit, annos putaſſe, quorum ultimus, quem octavum vocat, cum Chriſti non CCCX. ſed CCCXIII. eſt copulandus. Perſecutioni quidem ſuæ Maximinus anno CCCX. finem non impoſuit.

Lact. de Mort. c. 38.

Euſeb. de Mart. Pal. c. 13.

Conſtantini pro Chriſtianis edicta. Diſcri- men edicti & Epiſtolæ Imperatoris.

X. Tandem è ſuperiorum temporum caligine, & tenebris lucem in Eccleſia aſpicimus, quam favente Deo varia Principum Edicta claram fulgentemque diſperſerunt. Agentibus Mediolani Conſtantino & Licinio, menſe Martio Edictum promulgarunt, quo datum *Chriſtiani, & omnibus ſequendi religionem quam quiſque voluerit. Cùm animadverteremus non eſſe cohibendam religionis libertatem, ſed unuiſcujuſque arbitrio ac voluntate permittendum, ut ex animi ſententia rebus divinis operam daret, ſanximus ut tum cæteri omnes, tum Chriſtiani, ſectæ ac religionis ſuæ fidem, atque obſervantiam retinerent. Sed quoniam in eo reſcripto, quo hæc facultas illis conceſſa fuerat, multæ ac diverſæ ſectæ, diſertè ac nominatim additæ videbantur, quidam eorum ob hanc fortaſſe cauſam paulò pòſt ab ejuſmodi obſervantia deſtiterunt.* Quibus apertè liquet, priorem hanc Conſtitutionem, in qua mentio *diverſarum* ſectarum inſerebatur, Judæorum ſcilicet, Samaritanorum, Marcionitarum, Montaniſtarum, Sabellianorum, hodie deſiderari. Quod cùm Baronius non obſervaſſet, in mentem ſibi induxit, Maximini ad Sabinum Epiſtolam Mediolanenſi decreto fuiſſe poſteriorem. Quem errorem vitaſſet, ſi quæ diſtinguenda erant reſcripta Conſtantini diſtinxiſſet, alterum quod & temporis injuriâ periit, anno proximo Romæ ſancitum: alterum anno præſente Mediolani conſtitutum. Quo loco non abs re erit diſcrimen Epiſtolæ, & Edicti proponere, quæ etſi frequentiſſimè permiſceantur, nonnihil tamen differre conſtat. Audiamus Valeſium, ſuo more perudite de ea differentia diſſerentem: *Inter Epiſtolas & Edicta Imperatorum hoc præcipuum diſcrimen eſt, quòd Epiſtolæ quidem nomen eorum ad quos miſſæ ſunt, aſcriptum habent, cùm Edicta omnes generaliter alloquantur. Et edicta quidem publicè proponuntur, Epiſtolæ verò offeruntur iis ad quos miſſæ ſunt. Denique in Epiſtolis nomen duntaxat Imperatoris cum pauciſſimis titulis præfigitur. In Edictis verò omnes tituli, nullo omiſſo diligenter & ambitiosè ponuntur.*

Euſeb. l. 10. c. 5.

Valeſ. Annot. in l. 9. Euſeb. p. 169.

Reſcriptum Conſtantini & Licinii pro Chriſtianis.

XI. Conſtantini porro Liciniique pro Chriſtianis Edictum Græcè ab injuria oblivionis aſſeruerat Euſebius. At Lactantius ipſiſſima verba, quibus eſt Latinè propoſitum, nobis fœneravit: *Cùm feliciter tam ego Conſtantinus Auguſtus, quàm etiam ego, Licinius Auguſtus, apud Mediolanum conveniſſemus, atque univerſa quæ ad commoda & ſecuritatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus, hæc inter cætera, quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel inprimis ordinanda eſſe credidimus, quibus divinitatis reverentia continebatur, ut daremus & Chriſtianis, & omnibus liberam poteſtatem ſequendi religionem quam quiſque voluiſſet, quod quidem divinitas in ſede cæleſti nobis atque omnibus, qui ſub poteſtate noſtra ſunt conſtituti, placatum & propitium poſſit exiſtere.* Subeſſe mendum nemo non videt. Num in fœmininum *placata & propitia* neutrum *placatum* mutandum? An ſubintelligendum *numen? Numen placatum, ac propitium poſſit exiſtere?* Pergit Lactantius referre decretum: *Itaque hoc conſilio ſalubri, ac rectiſſimâ ratione ineundum eſſe credidimus, ut nulli omninò facultatem abnegandam putaremus, qui vel obſervationi Chriſtianorum, vel ei religioni mentem ſuam dederit, quam ipſe ſibi aptiſſimam eſſe ſentiret, ut poſſit nobis ſumma divinitas, cujus religioni liberis mentibus obſequimur, in omnibus ſolitum favorem ſuum benevolentiamque præſtare. Quare ſcire dicationem tuam convenit, placuiſſe nobis, ut amotis omninò conditionibus, quæ prius ſcriptis ad officium tuum datis, ſuper Chriſtianorum nomine videban-*

Anno Dom. 313.

tur, nunc cavere, ut simpliciter unusquisque eorum qui eandem observandæ religionis Christianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem ac molestiam sui id ipsum observare contendant. Quæ sollicitudini tuæ plenissimè significanda esse credidimus, quò scires, nos liberam atque absolutam colendæ religionis suæ facultatem hisce Christianis dedisse. Quod cùm iisdem à nobis indultum esse pervideas, intelligit dicatio tua, etiam aliis religionis suæ, vel observantiæ potestatem, similiter apertam & liberam, pro quiete temporis nostri esse concessam, ut in colenda quod quisque diligeret, habeat liberam facultatem, &c. Quæ de amotis omninò conditionibus habet Lactantius, longè aliud sonant in Eusebio, ἀφαιρεθεισῶν παντελῶς τῶν αἱρέσεων, *sublatis omnibus sectis*. Quibus colligit Valesius, in priore Constantini constitutione, qui à Catholica fide desciverant, Hæreticos fuisse appellatos, quæ verba in posteriore penitùs suppressa voluit, ut erga omnes se benignum ostenderet. Quam sanè conjecturam verba Lactantii prorsus respuunt. Hoc ipso decreto, loca ad quæ Christiani anteà convenire consueverant, sine pecunia, & sine ulla pretii petitione postposita omni frustratione atque ambiguitate restitui jubentur: *Et quoniam iidem Christiani non in ea loca tantùm ad quæ convenire consueverant, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis eorum, id est, Ecclesiarum, non hominum singulorum pertinentia, ea omnia lege, quâ superius comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem, vel controversiam, iisdem Christianis; id est, corpori, & conventiculis eorum, reddi jubebis, supradictâ scilicet ratione servatâ, ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostra benevolentia sperent.* Decretum quod latum Mediolani mense Martio, Nicomediæ à Licinio propositum est, die Iduum Juniarum, Constantino atque Licinio ter Coss. hoc est, anno Dionysiano CCCXIII. *His literis propositis, Licinius etiam verbo hortatus est, ut conventicula in statum pristinum redderentur. Sic ab eversa Ecclesia usque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minus quatuor.* Cœperat Nicomediæ persecutio anno CCCIII. Februarii die XXIII. Extincta est & Nicomediæ publico decreto anno CCCXIII. Junii XIII. Effluxerunt ergo anni X. menses tres, dies XXII. excluso die Iduum, quo propositum est à Licinio decretum.

Euseb. l. 10. c. 5.

Lact. de Morte persec. c. 48.

Immunitates Clericis à Constantino concessæ. Rescriptum Maximini pro Ecclesia.

XII. Alias Anulino Constantinus Mediolano scripsit & Epistolas pro Christianis: *Jubemus ut simul atque has literas acceperis, si quæ ex illis quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam per singulas civitates, aut in aliis locis pertinebant, nunc à Decurionibus, aut quibuslibet aliis detinentur, ea confestim illorum Ecclesiis restitui facias.* Hortorum ædiumque meminit Epistola. Novis & beneficiis Ecclesiam gloriosissimus ille Princeps cumulavit, Clericis immunitate concessâ: *Ave Anuline, carissime nobis. . . Eos homines qui intra Provinciam tibi creditam, in Ecclesia Catholica, cui Cæcilianus præest, huic Sanctissimæ Religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt, ab omnibus omninò publicis functionibus immunes volumus conservari, ne errore aliquo, aut casu sacrilego à cultu summæ divinitati debito abstrahantur, sed ut potius absque ulla inquietudine propriæ legi deserviant. Quippe his summam venerationem divino numini exhibentibus, maximum inde emolumentum videtur accedere.* Quæ decreta non anno CCCXII. Romæ, ut Baronio placuit n. 88. sed CCCXIII. Mediolani sunt promulgata. Scripsit quoque Cæciliano Episcopo, placere sibi, ut per omnes Provincias Africæ, Numidiæ, & utriusque Mauritaniæ religionis Catholicæ Ministris, ad sumptus necessarios aliquid præberetur: *Literas dedi ad Ursum Rationalem Africæ, eique significavi, ut ter mille folles tuæ gravitati numerari curaret. Tu itaque ubi prædictam quantitatem acceperis, operam dabis ut cunctis suprà memoratis juxta breviam ab Hosio ad te directum, ea pecunia dividatur.* Non sanè mirum hæc & Urso, & Anulino Africæ Proconsuli à Constantino, mente animoque Christiano data fuisse in mandatis. At fidem penè superat, Maximinum persecutorum omnium acerrimum, recantatis cruentis Rescriptis, tandem Ecclesiæ favisse; ac post edicta adversus Christianos in æreis tabulis proposita, quibus responderat decretis civitatum, *nondum anno penitùs exacto* hanc legem tulisse: *statuimus quo cuncti intelligant, iis qui hanc sectam & religionem sequi volunt, ex hac indulgentia majestatis nostræ licere, prout cuique libitum aut acceptum fuerit, ad eam religionem, cui ex more servire constituit, colendam accedere. Sed & Dominica sua ipsis instaurare conceditur. Cæterùm ut indulgentia nostra prolixior appareat, illud etiam sancire voluimus, ut si quæ domus, aut loca ad jus Christianorum antehàc pertinentia, ex jussione divorum parentum nostrorum ad jus fisci devoluta sint, aut ab aliqua civitate occupata, aut certè vendita, aut alicui dono data, cuncta ad pristinum jus ac dominium Christianorum revocentur.* Quantum mutatus ab illo Maximino, qui anno superiore tabulis æneis incidi jusserat imperii Rom. calamitates omnes *Ob pestiferum errorem sceleratorum illorum omnium evenisse, quo tempore pullulavit, & universum propemodum terrarum orbem probro ac dedecore opplevit.*

Euseb. l. 10. c. 7.

Euseb. l. 10. c. 6.

Euseb. l. 9. c. 10.

Euseb. l. 9. c. 7.

Donatistæ in Cæcilianum libellos offerunt Constantino. Synodum Romæ imperat.

XIII. Donatistis commovit invidiam munificentia Cæciliano Carthaginensium Episcopo Clericisque Ecclesiæ Catholicæ collata. Aditum igitur Anulinum rogant, literas Constantino suas mittere, quarum hi fuere tituli: *Transmissi libelli duo; unus in aluta subscriptus ita; Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus à parte Majorini. Item alius sine sigillo, cohærens eidem alutæ, datus die XVII. Kalend. Majas Carthagine, Domino nostro Constantino Augusto, tertiùm Consule.* Major in istarum precibus annuens Anulinus Constantino scribit: *Scripta cœlestia majestatis vestræ accepta atque adorata Cæciliano, & his qui sub eodem agunt, quique Clerici appellantur, devotio parvitatis meæ insinuare curavit, eosdemque hortata est, ut unitate consensu omnium factâ, cum omni omninò munere indulgentiæ majestatis vestræ liberati esse videantur Catholici, custoditâ sanctitate legis, debitâ reverentiâ divinis rebus inserviant. Verùm post paucos dies extiterunt quidam, adunatâ secum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, quique fasciculum in aluta signatum, & libellum sine signo obtulerunt dicationi meæ, atque impendia postularent, ut ad sacrum & venerabilem comitatum numinis vestri dirigerent. Quâ manente Cæciliano in statu suo, subjectis eorumdem Actis, quo cuncta majestas vestra possit dignoscere, parvitas mea dirigere curavit.* In libello quem pars Majorini Constantino obtulit, ea continebantur: *Rogamus te, ô Constantine, optime Im-*

August. Ep. 68.

August. Ep. 68.

Optat. l. c.

ANNO DOM. 313.

Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos, & cæteros Episcopos contentiones sunt. Petimus ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat pietas tua. Data à Luciano, Digno, Nazatio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati. Lecto Donatistarum libello, Constantinus indignabundus respondit: *Petitis à me in seculo judicium, cùm ego ipse Christi judicium expectem.* Dedit tamen Judices, *Maternum* Agrippinensem, *Reticium* Augustodunensem, *Marinum* Arelatensem. Ex verbis Constantini, *petitis à me judicium*, intelligimus de *Majorini* parte adfuisse nonnullos, quos Princeps alloqueretur. Quinam illi fuerint, affirmare non audemus. Baronius illos esse putat, quorum libello nomina apponebantur, Lucianum, Dignum, Nazutium, Capitonem, atque Fidentium. Cùm porro nihil antiquius Constantinus haberet, quàm ut pax in Ecclesia constitueretur, literas ad Anulinum dat jubentes Cæcilianum cum decem partis suæ Clericis, adversarios verò Cæciliani, similiter cum Clericis totidem Romam venire intra diem VI. Nonas Octobres, ut Episcopali judicio causa litigantium disceptaretur. Scripsit & ad Melchiadem Papam Constantinus: *Quoniam hujusmodi plures chartæ à V. C. Anulino Africæ Proconsule ad me missæ sunt, in quibus continetur, Cæcilianum Carthaginis urbis Episcopum, à quibusdam Collegis suis per Africam constitutis, multis de rebus insimulari. Quod quidem molestum mihi videtur in istis Provinciis, quas divina providentia meæ devotioni spontaneâ deditione tradidit, & in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, & Episcopos inter se dissentire, placuit mihi ut idem Cæcilianus unà cum decem Episcopis, qui accusare ipsum videntur, & cum decem aliis, quos ipse ad suam causam necessarios esse judicavit, Romam naviget, quatenus ibi coram vobis, & coram Reticio, Materno, ac Marino, Collegis vestris, quos ea de causa Romam properare jussi, possit audiri, quemadmodum Sanctissimæ legi convenire optimè nostis. Porro ut totius negotii plenissimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me missorum, literis meis subjecta, ad Collegas vestros supradictos transmisi. Quibus lectis, perpendet gravitas vestra, quonam modo supra memorata controversia accuratissimè dijudicanda sit, & ex præscripto terminanda*, &c. Non ad unum *Melchiadem*, sed ad *Marcum* quoque Constantini dirigitur Epistola.

Baron. An. 313. n. 21.

Euseb. l. 10. c. 5.

Quis ille Marcus cujus mentio est Constantini in Epistola.

XIV. Quisnam verò sit ille Marcus, est in obscuro. *Vehemens* Baronio *suspicio est, Eusebii textum esse depravatum, ut* καὶ Μαρκῷ, *loco* λογαρχῷ, *quæ vox Melchiadis titulum demonstraret, sit errore positum.* Conjecturæ Baronianæ ratio hæc est: *Quòd Marci nomen non recenseatur ab Optato, inter Episcopos, qui vocati ab Imperatore, præsentes fuerunt Romanæ Synodo.* Futilem & conjecturam, & emendationem, quæ ut verè, & sapienter observat Valesius, *Non nisi à viris Græci sermonis ignaris probari potest. Cùm enim Melchiades vocatus sit Episcopus urbis Romæ, superfluum esset addere* λογαρχῷ. *Adde quòd ea vox insolens est, & affectata, cùm tamen titulus ac dignitas cujusque usitato vocabulo exprimatur.* Nec mirum, ab Optato Marcum inter Episcopos non recenseri, utpote qui eâ dignitate non fungeretur. Vero proximum est, Ecclesiæ Rom. Presbyterum egisse, quem unà cum Melchiade Synodo interesse, Constantino placuit. Erat enim eo tempore Presbyteris, in conventibus Ecclesiasticis jus suffragii ferendi, & Sylvestro Papæ, cui Melchiades decessit, suffectus est Marcus, quem unum eundemque putamus esse cum illo Marco, de quo mentio est Constantini in Epistola. Libellus Synodicus huic conjecturæ præsidio est, licet gravius erret, dum fingit Synodum Romanam à Cæciliano fuisse congregatam: *Synodus divina & sacra Provincialis collecta Romæ à Melchiade Sanctissimo Papa, & Marco Sanctissimo, & Cæciliano Carthaginis Episcopo super concordia Episcoporum.*

Baron. An. 313. n. 23.

Valesi. Annot. in l. 10. Euseb. 125.

An jure proprio, vel delegato Melchiades Papa de Cæciliani lite judicavit?

XV. Quæstionem, de qua nobis loquendum, posuit N. Alexander: *Utrùm proprio jure, ut summus Controversiarum Ecclesiasticarum Judex, vel ut delegatus Melchiades sententiam tulerit contra Donatistas?* Negat summus ille majestatis Pontificiæ cultor, Constantinum *jus habuisse delegandi Judices, qui causas discuterent Episcoporum.* Quam his argutiolis sententiam firmat. Melchiades quindecim ex Italia delegit Episcopos, quos ad litem illam secum judicandam asciscere non potuisset, si non jure suo, sed vicariâ potestate hac de re cognovisset. 2°. Donatistæ, nec Melchiadem, nec Italiæ Episcopos postulaverant, Melchiades igitur non fuit à Constantino delegatus. 3°. Quorsum tres Galliarum Episcopos ad Melchiadem *tanto terrarum, marisque* intervallo à se dissitum misisset, si non penes Romanum Episcopum illius judicandæ litis, esse existimasset potestatem. Miram novamque viri eruditi Geographiam, qui Romanum Episcopum à Gallis *marium intervallo* separatum esse comminiscitur. Quantas mordaci Scriptori *Calviniani Theologastri* pœnas dedissent, si *marium intervallo* Gallias ab urbe Rom. separassent? Sed ad rem. Ac primùm, in admirationem nos traducit disputatoris negligentia. Non nescire debuit, ad judicium de Donatistis ferendum, duo fuisse in Judicibus necessaria, munus scilicet Ecclesiasticum, ac in litigantes autoritatem. *Materno* Agrippinensi, *Retico* Augustodunensi, *Marino* Arelatensi, Marco Romano Presbytero munus inerat, quo ut scholasticam quidem, significantem tamen usurpemus orationem, *remota* judicandi facultas, constituebatur. *Proxima* tamen deerat, quia sulâ sui muneris autoritate Marinus, Maternus, Reticus, de Afris Episcopis judicium dare non poterant, utpote exemptis Gallorum Præsulum potestati. Cùm igitur non jure suo de Cæciliano judicandi provinciam susceperint, id autoritatis habuerunt à Constantino: quæ cùm propria non fuerit, delegata sanè potestas esse debuit. Quam Galliæ Episcopis contribuere potestatem, si Constantinus non potuit, quia *jus non habuisse* dicitur *judicandi de Episcopis*, peccavisset igitur, dum eos ad id officii delegavit; neque Principi suo, utpote ordinis Ecclesiastici perturbatori, Marinus, Maternus, Reticusque morem gerere debuissent. Quis autem Veterum hîc Constantini ambitionem accusavit? Quis violati juris Ecclesiastici postulavit? Quis exclamavit, Imperatoris non esse delegare Episcopos, qui Præsulum causas discuterent? Quòd si Gallos potuit Episcopos Donatistarum in litibus delegare, quidni id quoque negotii Melchiadi committere potuit? Qui nil in Majorinum,

N. Alex. H. E. Sec. IV. Dissert. 1. pag. 14.

Anno Dom. 313.

nil in Cæcilianum, nil in Synodum Carthaginensem, quæ Cæcilianum damnaverat, juris habuit. Quam igitur potestatem in ea re proximam exercuit, ea ex mandato Constantini hausta est: *remota* verò facultas judicandi ex munere Episcopali efflorescebat. Partes igitur delegati Judicis in ea causa non minus egit Melchiades, quàm Marinus atque Reticus. Constantino tamen sapiens ratio fuit, cur Melchiadem illi negotio præponeret. In urbe imperii Romani capite sedebat Episcopus, Metropolitani dignitate fungebatur, eum locum incolebat, qui quasi medius erat Galliam inter & Africam: congruum itaque fuit, Melchiadem & arbitrum dari, ut nobilissimæ omnium civitatum Episcopus, de Carthaginensi Præsule, qui secundum Romanum omnes Occidentis Episcopos eminebat, sententiam ferret. Quo tempore quidem Rescriptum Constantinus edidit suum, ut de rebus Cæciliani Romæ judicium in Synodo pronuntiaretur, Alexandria & Antiochia Maximini ditione etiamnum tenebantur: neque Constantino juris aliquid in illas civitates fuit. Quibus observatis, cadunt rationes N. Alexandri. Delegatâ enim autoritate, quâ Judex constituebatur Melchiades, Diœcesis suæ sibi ascivit Episcopos, qui Concilio Romano interessent, quia causa Cæciliani in Synodo judicari debuit. Neque illos elegit, qui litigantibus suspecti essent, sed qui probarentur. Non *Italos* quidem, sed *Gallos* Majorinistæ flagitabant, quorum petitioni partim annuit Constantinus, partim pugnavit, quia incongruum fuisset Cæciliani judicio excludere Melchiadem, & Episcoporum omnium privilegio sedis suæ honoratiorem, & Metropolitanum, & virum sapientissimum obeundæque huic Provinciæ idoneum. Romam quoque *magno maris intervallo* à Galliis dissitam, missi sunt delegati Judices, Marinus, Maternus, & Rheticus, quia locus ille commodissimus fuit excipiendis Afris, & congregandæ Synodo. Neque figmenta sunt, quæ diximus de ascitis in Synodum Italiæ Episcopis, vi officii Judicis delegati, quod Melchiadi Constantinus imposuerat. Quin eò pertineant verba ejus ad Vicarium Africæ, nulli dubitamus: *Ad supradictam urbem nostram Romam quosdam Episcopos ex Galliis ire præceperam: ut tam hi, pro integritate vitæ suæ, atque laudabili instituto, sed & septem ejusdem communionis, quam etiam urbis Rom. Episcopus, atque illi qui cum iisdem cognoscerent, possent rei, quæ videbatur esse commota, finem adhibere.* Profectò si jure suo sibique proprio Cæciliani causam Melchiades ingressus est, quid opus erat, Episcopos ex Galliis à Constantino ad Romanam Synodum mitti, quam ex suis Assessoribus, more solito, Pontifex constituisset? Non alius Italis in eo negotio, quàm Gallis respectus fuit. Delegatorum Judicum omnes officio fungebantur.

Concil. Col. Max. t. 1. 1421.

Melchiades in lite Cæciliani judicanda delegatum Judicem egit.

XVI. Nostra nunc argumenta sunt afferenda, probando *Melchiadem* delegati Judicis officio functum fuisse. Primùm certo certius est, nullam fuisse Cæciliani ad Melchiadem appellationem, ut adversus iniquam Conciliabuli Carthaginensis sententiam majoris Judicis auxilium imploraret. Fretus innocentiâ suâ Cæcilianus, neque Imperatoris favorem, neque Melchiadis autoritatem appellabat, nec se Romam contulisset, nisi jussis Constantini ad id suscipiendum itineris adactus fuisset. Atqui si Melchiades Judicis ordinarii in ea causa partes implevisset, nonnisi interpositâ provocatione de lite cognovisset. Præterea non huic se negotio immiscuit Melchiades, nisi ubi Constantino *placuit*, Cæcilianum ejusque accusatores Romam navigare. Jam verò si summi controversiarum Judicis munus in ea lite Melchiades obiisset, litigantem partem utramque jure suo, ante acceptas Principis literas evocare & potuisset, & debuisset, ut pax in Africa componeretur: secus munere abusus suo gravissimè peccasset, utpote qui autoritatem non adhibuisset suam, ut ingentem, quæ Africæ depopulabatur Ecclesias, seditionem opprimeret. Insuper cùm reos inter & Judices respectus sit necessarius, qualis reorum ad Melchiadem χέσις, talis utique fuit & illa Melchiadis ad reos. Porro non vi subjectionis naturalis & Melchiadi debitæ, Romam festinarunt pars Majorini, & illa Cæciliani, sed ex jussis Constantini ad Synodum venere: non igitur autoritate propriâ judicium in eo negotio Melchiades suum interposuit. Præterea si Judicis ordinarii munere in lite Cæciliani Melchiades fungebatur, libellos ipsi suos Donatistæ obtulissent, quos tamen eo prætermisso Imperatori præbuere. Neque id Augustinum latuit, quem quæstionis hujus libentes audimus arbitrum, in sua ad Glorium & Eleusium Epistola: *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus, cum Collegis transmarinis Episcopis, illud sibi usurpasse judicium, quod ab Afris LXX. ubi Primus Tisigitanus præsedit, fuerat terminatum? Quid quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator, Judices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de tota illa causa, quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris. Utraque enim vobis lecta meministis, & inspiciendi, ac scribendi licentiam habetis.* Negat Augustinus Melchiadem usurpasse judicium. Quamobrem? An quia summus erat Judex controversiarum Ecclesiasticarum, qui jure suo hanc litem ingressus est? De ea quidem ratione non somniavit Augustinus. Inficiatur usurpasse Melchiadem, quia missi ab Imperatore Episcopi, cum Melchiade sederunt, absque quo nil judicii tulisset. Audiamus iterum Augustinum Epistolâ CLXVI. ad Donatistas: *Scitote quòd Majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem detulerunt. Exigite hoc à nobis, probemus vobis, & si non probaverimus, facite de nobis, quidquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam ac finiendam Episcopis delegavit.* Quid clarius? Nonne delegati sunt illi Judices, qui discutiunt causam, & finiunt ex delegatione Principis? Hunc sibi locum non objecit N. Alexander. His accedant verba Augustini, adversus Petilianum scribentis: *Si autem quod verum est, petentibus Majoribus vestris Episcopale judicium dederat Constantinus, & apud Romam, & apud Arelate.* Quibus quid disertius dici potest demonstrando, jus Romanis de Cæciliani lite Judicibus non proprium, sed delegatum fuisse?

Anno Dom. 313.

August. Ep. 162.

Libro 2. cap. 92.

De Synodo Rom. Quid in ea actum? Cæcilianus innocens judicatur.

Optat. l. 1.

XVII. Ubi Romam Judices delegati venere, domum *Faustæ in Laterano* subeunt, *Constantino ter & Licinio ter Coss. sexto Nonas Octobris, feriâ* VI. Aderant Episcopi XIX. quorum nomina ab oblivione vindicavit Optatus: *Melchiades scilicet, Reticius, Maternus, & Marinus Episcopi Gallicani. Merocles à Mediolano, Florianus à Cæsena, Zoticus à Quintiano, Stennius ab Arimino,*

Felix

Anno Dom. 313.

Felix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Faventia, Proterius à Capua, Theophilus à Benevento, Savinus à Terracina, Secundus à Præneste, Felix à Tribus Tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, Donatianus à Foro Claudii. Quibus sedentibus Donati Cæciliani-que de causa tractatum: Primâ die accusatores Cæciliani, qui missi fuerant, negaverunt se habere quod in eum dicerent, ubi etiam Donatus à Casis Nigris in præsenti convictus est, adhùc Diacono Cæciliano schisma fecisse Carthagine. . . . Ubi etiam promiserunt eidem adversarii Cæciliani, alio die se præsentaturos, quos causa necessarios substraxisse arguebantur. Fassus est etiam Donatus, Se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est. Oppressus tot scelerum conscientiâ Donatus, illique qui Majorino favebant, Ulterius ad judicium accedere noluerunt. Altero die datus à quibusdam denunciationis libellus adversus Cæcilianum. Ac tum agitata de accusatoribus, criminibusque cognitio, nil tamen in reum probari potuit. Tertiâ die mota quæstio est de septuaginta Episcoporum Concilio, quorum sententiâ Cæcilianus, nec non Felix Aptungitanus damnati fuerant. Cujus Synodi Melchiades, & qui unà cum eo Episcopi Judices consedebant, rationem nullam habendam esse statuerunt. Absentem scilicet, & inauditum Cæcilianum Carthagine damnaverant. Neque causa defuit, cur tam malè animatis sese committere recusaret. De septuaginta Episcopis nullus ad Basilicam, Ubi tum Cæciliano tota civitas in frequentia fuerat, accesserat. Susceptì quoque fuerant ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis, non à Catholicis. Cæcilianus igitur conspiratione XIX. Judicum innocens pronuntiatur, clausumque judicium eâ Melchiadis sententiâ: Cum constiterit Cæcilianum, ab iis qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari: nec à Donato convictum esse, in aliqua parte constiterit sua, communioni Ecclesiasticâ integro statu retinendum esse censeo. Integra quoque, provida, pacificaque Melchiadis de accusatoribus Cæciliani sententia fuit: Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maximè culpato sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias literas mittere, etiam iis quos à Majorino ordinatos esse constaret. Ita ut quibuscunque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. Hoc Melchiadis judicium Donatistæ totis viribus infirmare voluerunt. Quem ideò crimine traditionis asperserunt: Dixerunt Stratonem Diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca Ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum esse traditorem. Quam infamiam ad ipsum Melchiadem redundare contendebant, Quòd Diacono illo non degradato uteretur.

Augustin. Brevic. Coll. diei 3. cap. 12.

Optat. l. 1.

Optat. l. 1.

August. Ep. 162.

August. Brevic. diei 3. cap. 18.

XVIII. Finito Concilio Rom. Donatus à Constantino licentiam sibi dari petit redeundi Carthaginem: Tunc à Filumino suffragatore ejus Imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur. Afros igitur Episcopos ad pacem componendam convocat Brixiam, missâ ad eos Epistolâ: Constantinus Augustus Episcopis. Ante paucos quidem dies juxta postulatum vestrum, hoc mihi placuerat, ut ad Africam reverteremini, ut illic omnis causa, quæ vobis adversus Cæcilianum competere videtur, ab amicis meis, quos elegissem, cognosceretur, atque finem debitum reciperet. Verùm diu mihi cogitanti, & in animo meo non immeritò volventi id potissimum visum est, quoniam scio quosdam ex vestris, turbulentos satis, & obstinato animo, rectum judicium, & integræ veritatis rationem minimè respicere, ac per hoc venire forsan, ut si ibidem cognoscatur, non ut decet, & veritatis ratio exposulat, res finem accipiat, atque aliquid tale eveniat nimiâ vestrâ obstinatione, quòd & divinitati cælesti displiceat, & existimationi meæ, quam semper illibatam cupio perseverare, plurimum impediat: placuit mihi, sicut dixi, ut Cæcilianus juxta prius tractatum huc potius veniat, quem credo juxta literas meas mox adfuturum. Polliceor autem vobis, quòd si præsente ipso de uno tantùm crimine, vel facinore ejus per vosmet ipsos aliquid probaveritis, id apud me sit, ac si universa quæ intenditis probata esse videantur. Deus omnipotens perpetuam tribuat securitatem. Unus tamen Brixiæ retentus Cæcilianus. Qui verò ex parte Majorini erant, post judicium Synodi in Africam remearant, teste Constantini ad Elafium Vicarium Africæ Epistolâ. Non ignoramus, Valesium, Labbeum, aliosque eruditos Constantini ad Episcopos Epistolam in annum CCCXV. retulisse. Movet nos tamen Optatus, cur huic potius anno ascribamus Epistolam, quia Brixiam tractus, retentus est Cæcilianus post Romanum judicium. Quâ verò Epistolâ Brixiam evocatus, si hæc non fuit? Neque satis & aptum videtur, quòd post augustissimum Arelatense Concilium, amicis quibusdam, quos Constantinus elegisset, de Cæciliani causa judicium committeretur.

Cæcilianum Brixiam Constantinus accersit.

Optat. l. 1.

Concil. Coll. Max. t. 1. 1407.

Concil. Col Max. t. 1. 1421.

XIX. Id unum supererat, ut Episcopi qui Judicum munere functi fuerant, Synodi decretum Constantinum monerent: quod & factum est: Qui quidem ea quæcunque in præsentia eorum fuerunt gesta, cuncta ad scientiam meam etiam Actis habitis retulerunt, verbo insuper affirmantes, quòd judicium suum pro rerum fuisset æquitate depromptum, eosque potius causæ obnoxios esse dicentes, qui contra Cæcilianum quædam putaverunt commovere, adeò ut istud post judicium habitum Africam ipsos remeasse perhiberent, ut Constantinus Æliano, sive Elafio significavit. Quid posteà gestum sit, ab Optato discamus: Tunc duo Episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius & Olympus, ut remotis duobus unum ordinarent. Venerunt apud Carthaginem fuerunt per dies XL. ut pronuntiarent ubi esset Catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est. De studio partium strepitus quotidiani sunt habiti. Novissima sententia Episcoporum Eunomii & Olympii talis legitur, ut dicerent illam esse Catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum diffusa, & sententiam XIX. Episcoporum jam dudum datam dissolvi non posse. Sic communicaverunt Clero Cæciliani, & reversi sunt. . . . Cùm hæc fierent, Donatus ultrò prior ad Carthaginem redit. Hoc audito Cæcilianus ad suam plebem properavit. Hoc modo iterum renovellatæ sunt partes.

Synodus sua de Cæciliano decretum Constantino notificat.

Optat. l. 1.

XX. Rheticium porro Judicem in Cæciliani causa à Constantino constitutum, certissimam veræ virtutis effigiem, verbis Hieronymi repræsentemus: Rheticius Æduorum, id est, Augustodunensis Episcopus sub Constantino celeberrima fama habitus est in Galliis. Leguntur ejus Commentarii in Cantica Canticorum: Et aliud grande volumen adversus Novatianum. Nec præter hæc quidquam ejus operum reperi.

Rheticius.

Hier. de Vir. illust. cap. 22.

Anno

Anno U. C. 1067. Per. Jul. 5027. Jul. 359. Dom. 314. Constantini 9. Licinii 8. *Sol.* 15. C. *Lun.* 11. *Indict.* 2. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *April.*

Coss. Rufus Volusianus II. & Anianus.

Rufus Volusianus Præfectus Urbis.

De belli Cibalensis tempore.

Error Baronii.

I. Mortuo Maximino, ad duos rediit imperii summa, sed momentanea fuit Principum concordia, qui ad bellum hoc anno consurrexere, ut Fasti doceot Idaciani: *Volusiano II. & Aniano. His Coss. bellum Cibalense fuit, die VII. Iduum Octobr.* Bellum in annum CCCXVII. Baronius confert fretus Lege de Veterania: *Veteranis qui ex die V. Nonarum Juliarum, cum prima per Thraciam victoria universo orbi illuxit, & qui postea apud Nicomediam nostram missionem meruerunt, certam per Edictum indulsimus, qua scribendi tabulis, vel encausto, & cerusâ conscribere datur eis licentiam. Edictum autem continent indulgentiam nostram, ad devotionem tuam misimus, ut & tua dicatio, & cuncti alii recognoscant, quid præstitimus memoratis.* P. P. IV. *Idus Aprilis Licinio quintùm, & Crispo Cæsare Coss.* Hic ille Consulatus annum CCCXVIII. consignat. Quo tempore Constantinus Nicomediam appellat urbem suam, quæ cùm Imperii Licinii sedes fuerit, nonnisi eo debellato in Constantini ditionem venire potuit. Hinc tamen colligere Baronius debuit, subscriptionem esse mendosam. Primùm enim cum Licinio bellum nil Constantino juris in Nicomediam peperit. Itaque legendum monuit Gothefridus: P. P. IV. *Idus Aprilis Cyzico, Crispo* III. *& Constantino* III. *Coss.* qui annum CCCXXIV. aperuerunt. Nostram quoque Zozimus, & Anonymus in Excerptis de Constantino Chronologiam firmant. Verba hæc sunt Zozimi:

Zozim. l. 2. c. 18.

Hoc modo ad Constantinum & Licinium, devoluto imperio, cùm perexiguum temporis effluxisset, exerta sunt inter eos dissidia. Anonymus verò injectâ de Licinii cum sorore Constantini Constantia nuptiis mentione, hoc addit: *Post aliquantum deinde temporis fracta concordia est.* Itaque diu ante annum CCCXVII. bellum exortum est. Petavius ejus initia collocat in anno CCCXV. cui Chronologiæ probandæ autoritatem adducit

Petav. Ration. l. 6. c. 1.

Idacii. *His* IV. *Coss.* (Constantino scilicet & Licinio) *ut Idacius refert anno Christi* CCCXV. *rupto fœdere ad Cibalim primò pugna facta est.* Sed in Idacio errat vir eruditissimus. Idacius enim non in quartum Constantini & Licinii, sed in Volusiani & Aniani Consulatum anno CCCXIV. gestum, bellum Licinianum retulit. Denique nostræ Aurelius Victor Chronologiæ favet: *Quamvis per Flavii sororem nuptam Licinio connexi inter se erant, ob diversos mores tamen anxiè triennium congruere quievere.* Hoc triennii ab eo tempore repeti debet, quo promissa Licinio Constantia, quod magnum erat vinculum concordiæ. Contracta verò sponsalia anno CCCXII. ut ex Lactantio didicimus.

Causæ belli Cibalensis.

II. De belli causis variant Historici. Negat Zozimus dissidiis Licinium materiam præbuisse: Sed *quòd more suo Constantinus pacta conventa parum integrâ fide servasse visus esset, ac nationes quasdam ad imperium Licinii pertinentes, avertere voluisset.* Alias discordiæ causas Valesianus affert Anonymus: *Post aliquantum deinde temporis Constantium Constantinus ad Licinium misit, persuadens ut Bassianus Cæsar fieret, qui habebat alteram Constantini sororem Anastasiam, ut exemplo Diocletiani, & Maximiani, inter Constantinum & Licinium, Bassianus Italiam medius obtineret. Et Licinio talia frustrante, per Senecionem Bassiani fratrem, qui Licinio fidus erat, in Constantinum Bassianus armatur. Qui tamen in conatu deprehensus, Constantino jubente, convictus, & stratus est. Cùm Senecio autor insidiarum posceretur ad pœnam, negante Licinio fracta concordia est: additis etiam causis, quòd apud Æmonam Constantini imagines statuasque dejecerat.* Qua in narratione nonnulla sunt, quæ non satis intelligimus. Nil detrahebatur de imperio Licinii, quòd Bassianus Italiam obtineret, quæ Constantino subjiciebatur. Et in Licinium potius quàm in Constantinum Bassianus armari debuisset. Ad morum diversitatem discordiæ semina Victor retulit: *Ob diversos mores tamen anxiè triennium congruere quievere. Namque illi* (Constantino) *præter modum magna cætera, huic parsimonia, & eadem quidem agrestis tantummodò inerat. Denique Constantinus cunctos hostes honore ac fortunis manentibus texit recepitque eo pius, ut etiam vetus veterrimumque supplicium patibulorum, & cruribus suffringendis primum removerit. Hinc pro Conditore, seu Deo habitus. Licinio ne insontium quidem, ac nobilium Philosophorum servili more cruciatus adhibiti modum fecere.*

Pugna Cibalensis.

III. Cibalis oppidum est Pannoniæ, cui Liciniana clades celebritatem attulit. Ibi prælium committitur. In planicie castra Licinius habebat, phalangem suam sub colle porrigens in longitudinem, ne parum firma cornua viderentur. Constantinus ad montem suos instruxerat, & equitatum in fronte constituerat: *Licinio* XXXV. *M. peditum & equitum fuere, Constantinus* XX. *M. peditum & equitum duxit.* Sublatis signis in adversos statim irruit, estque acerrimè pugnatum. Emissis utrinque telis, longo tempore cuspidibus & hastis dimicatum est. Cùmque prælium à prima luce cœptum ad vesperam usque durasset, cornu dextrum, cui Constantinus præerat, vicit. Itaque conjectis in fugam hostibus, Licinii legiones, quòd Imperatorem suum viderent in equum insilientem, & ad fugam paratum, non amplius eo loco manere, nec cœnare sunt ausæ. Sed relictis pecoribus & jumentis, & omni apparatu reliquo, tantumque ciborum auferentes, quantum ad famem eâ nocte pellendam satis esset, omni adhibitâ festinatione cum Licinio Sirmium perveniunt. Clades hæc Licinii contigit VIII. Octobris. Atque hìc Eutropio, Orosioque error est detrahendus, qui Cibalensem à Pannonica pugnam secernunt: *Ac primò eum in Pannonia, secundo ingenti apparatu bellum apud Cibalas instruentem repentinus oppressit.* Cibalensis & Pannonica pugna eadem est. Adversam Licinius fortunam expertus, *Sublatâ inde uxore ac filio, & thesauris, tetendit ad Thraciam. Valentem Ducem limitis Cæsarem fecit.* Ut faciliore fugâ uteretur, pontem solverat Licinius, quo Savus fluvius jungitur. At Constantinus occupatâ Cibali, & Sirmio, & aliis omnibus quæ fugiens à tergo Licinius relinquebat, quinque legionariorum millia ejus persequendi causâ mittit. Sed illi viæ ignari, assequi fugientem minimè potuerunt. Constantinus autem, cum exercitu Licinii vestigiis inhærens in Thraciam pervenit ad eam planiciem, in qua Licinium castrameta-

Zozim. l. 2. c. 18.

Eutrop. lib. 10.

Anonym.

Zozim. loc. c. 19.

Anonym.

metatum reperit. Clade suâ monitus pacem sibi bello esse potiorem, Licinius de ea cogitat: *Apud Hadrianopolim Thraciæ civitatem, per Valentem collectâ ingenti multitudine, Legatos ad Constantinum de pace misit, apud Philippos constitutum, quibus frustrà remissis, iterum reparato bello, in campo Mardiense ab utroque concurritur.* Eâdem nocte quâ Constantinus venerat, instructâ suorum acie militibus imperat, primâ luce parati ad pugnam essent. Ubi dies illuxit, Licinius conspecto cum exercitu Constantino, aciem ex adverso, & ipse suam instruit, cum belli socium Valentem haberet Cæsarem à se dictum. Exercitus inter se congressi, ac primùm ex intervallo sejuncti, sagittis utuntur; telis exhaustis, cum hastis & pugionibus irruunt. Dum acriter pugnam exercitus urgent, ii quos Constantinus Licinium persequi jusserat, de conspicuo quodam loco pugnantibus exercitibus superveniunt, & flexo per collem quendam itinere, cum suis ex acclivi & eminentiore loco jungendas vires statuunt, & hostes ab omni parte cingendos. Ab eo cùm sibi cavissent Licinii milites, & fortiter adversus omnes dimicassent, jamque pluribus utrinque cæsis pari Marte pugnatum esset, signo dato à se invicem dirempti sunt exercitus: *Post dubium ac diuturnum prælium, Licinii partibus inclinatis profuit noctis auxilium. Licinius & Valens, credentes Constantinum, quod & verum erat, ad persequendum longius à Byzantio processurum, flexi in partem Boream concesserunt. Ita Constantinus vehementer in ulteriora festinans, deprehendit Licinium remansisse post tergum, fatigatis bello & itinere militibus. Missus deinde Mestrianus Legatus pacem petiit, Licinio postulante, & pollicente se imperata facturum.* Huic pugnæ ea Baronio conjungi placuit, quæ ad secundum cum Licinio bellum pertinere existimamus, quorum meminit Eusebius, sacrificia nimirum Liciniana in lucis, spectra in urbibus visa, quæ ipsi parebant, aliaque multa ejusmodi, quæ cum Licinii persecutionem excepisse memoret Eusebius, in alia sanè tempora conferri debent.

Zozim. l. 2. c. 19.

Anon. Vales.

Pax Licinii & Constantini.

IV. Postridie pactis induciis visum est inter ambos esse societatem, & fœdus mutuum, ita quidem ut Constantinus imperaret Illyriis, & nationibus cæteris, quotquot ulterius essent porrectæ. Licinius Thraciam, Orientem & ulteriores Provincias haberet. Valens appellatus à Licinio Cæsar è medio tolleretur. Quo facto, & sacramentis ultrò citròque præstitis, sanctè conditiones has utrimque servandas, ut arctiori se fide ad standum conventis astringerent, Crispum è concubina, cui Minervinæ nomen, genitum, & Constantinum in Arelatensi oppido ante paucos dies in lucem editum, & cum iis Licinianum, Licinii filium, qui jam ætatis mensem vigesimum ingressus erat, post triennium Cæsares creari placuit. Hoc quidem anno id honoris Constantino, Crispo, & Liciniano collatum esse, Zozimo creditum. At repugnant & Fasti Idaciani, & Chronicum Eusebii, à quibus monemur, Augustorum filios anno duntaxat CCCXVII. *Gallicano & Basso Coss.* dictos esse Cæsares. Itaque anno CCCXIV. designatio decreta est, triennio pòst executioni mandanda: *Reversus Sardicam Constantinus, hoc cum Licinio absente constituit, ut filii Constantini, Crispus & Constantinus, filius etiam Licinii Licinius Cæsares fierent, & sic ab utroque concorditer regnaretur.* Itaque

Zoz. l. 2. c. 20.

Anonym. Val.

Constantinus & Licinius simul Consules facti, quod munus anno proximè futuro gesserunt.

Sylvester Papa creatur. Ejus anni.

V. Defuncto Melchiade Papâ, tertio *Idus Januarii*, ut habet Damasi Chronicum, successor ei datur Sylvester, quem *natione Romanum, ex patre Rufino* dicit Pontificale. Creatur Episcopus, *pridie Calendas Februarias* currentis anni, qui Consules habuit Volusianum atque Anianum. Qui dies in primam feriam incidit, quia Litera D m. C. annum regit. Ab eo tempore non quibuslibet diebus indiscriminatim Romanorum Pontificum ordinationes peractæ sunt, sed vel die Dominicâ, aut majoribus utique festis. Diuturnum Sylvester Episcopatum gessit: *Sylvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, à Consulatu Volusiani & Aniani, ex die pridie Calend. Februarii, usque in diem Calendarum Januariarum Constantio & Albino Coss.* Qui annum CCCXXXV. affecit. Excludi tamen debet ille dies, si Catalogo depositionis Episcoporum fidem adjungimus; imò unus quoque dies de Pontificatus tempore detrahendus. Legitur enim in eo Catalogo, *pridie Calendas Januarii Sylvestri in Priscilla.* Qui si de sepultura est intelligendus, ut fit nobis verisimile, non ultra Decembris XXX. vitam produxisset. Sed Pontificum in Chronologia diebus aliquot aberrare facillimum est.

Donatistæ à Constantino novum flagitant Judicium.

Conc. Lab. t. 2. 1422.

VI. Quem Melchiadis, Synodique Romanæ, de Cæciliani absolutione sententia, *Majorinistis* dolorem inusserat, illi levare tentarunt, implorato Constantini auxilio. Adeunt igitur Imperatorem, ut ipse monuit *Elafium*, sive *Ablavium*, vel quocunque nomine vocemus, *Id quoque te scire convenit, quòd ex iisdem venerunt, asserentes, quòd minus dignus idem Cæcilianus cultu sanctissimæ religionis habeatur. Et contrà id quod iisdem responderam, frustra eos id jactare, quippe cùm eos fuisset apud urbem Romam, ab idoneis ac probatissimis viris Episcopis terminata, ebuixè & pertinaciter respondendum æstimaverunt, quòd eorum omnis causa non fuisset audita. Sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsis aptum fuerat, judicassent.* At hìc difficultatis aliquid suboritur. Quo nempe tempore Donatistæ Constantinum convenere? Nùm anno præterito simul ac prolatum est à Melchiade de Cæciliano judicium, vel præsente, ex Africa quam repetierunt, ad Imperatorem reversi? Nos repugnante Pagio, aliisque eruditis asserere non veremur, novas hoc anno in Cæcilianum accusationes Donatistas instituisse, neque præterito post finitum Concilium Imperatorem adiisse, cùm ubi datum à Melchiade judicium, statim in Africam remearint. Epistolâ suâ testatum reliquit Imperator: *Inde*, inquit, *propter hæc omnia probabili rerum æstimatione speraveram, quòd omnibus omninò seditionibus, & contentionibus, quæ ab his hominibus videbantur subitò commota, finis debitus fuisset impositus.* Quam in spem adduci Constantinus non potuisset, si quàm primùm Synodus Rom. finita est, ad eum Donatistæ provocassent, vel Melchiadis judicium accusassent. Prius ergo patriam repetiere suam, quàm de sententia Synodi Rom. expostularent.

Num à Synodo Rom. ad Constantinum Donatistæ appellarint?

VII. Existit autem hoc loco quæstio subdifficilis, nùm à Melchiadis sententia ad Imperatorem Donatistæ provocarint. Negant Sirmondus, atque Valesius, qui pro *errore longè gravissimo* illorum & habet sententiam, quibus

penitùs inhæsit animis, à Melchiadis judicio fuisse provocatum. Quam & opinionem multis argumentis adoritur. Re tamen vera nominis quæstio hæc esse videtur. Primùm in confesso est Melchiadis sententiæ Donatistas non acquievisse. Id sonat Constantini ad Chrestum Epistola: *Graves simultates gerere non desinunt, dum nolunt Concilii judicio jam facto acquiescere.* Constat etiam, apud Imperatorem Donatistas questos esse, quòd de Cæciliano tale aliquid Synodus judicasset:

August. Ep. 162.

judices Ecclesiasticos tantæ autoritatis Episcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quòd male judicarint. Dedit illis Arelatense judicium. Certum quoque aliud judicium expetivisse:

Id. ep. 166.

Iterum vestri ad Imperatorem venerunt, & de judicio Episcoporum, in quo victi fuerant, murmuraverunt . . . . Iterum tamen clementissimus Imperator alios Judices dedit apud Arelatum, Galliæ civitatem. Novos sanè Judices non delegasset, nisi pars Majorini sollicitis precibus id ambiisset, quod & apertè tradit Augustinus libro 2. contra literas Petiliani c. 92. *Si autem quod verum est, petentibus majoribus vestris,* Episcopale *judicium dederat Constantinus, & apud Romam, & apud Arelate.* Quid vero invidiæ est, processioni ejusmodi appellationis nomen imponere? Quòd si disertum placet appellationis vocabulum, illud & adhibet Augustinus. Audiatur Epistola ad Donatistas 162. *Alios apud Arelatum Judices dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem provocare maluerunt.* Vox *rursum* etiam atque etiam est observanda: quâ liquet, non semel à Donatistis appellatum. Ut *rursum* ad Constantinum provocarent, atque à Synodo Romana primùm, deinde ab Arelatensi appellare debuerunt. Sed argumentis nil opus est, cùm expressum supersit Augustini testimonium, à Schelstrato, Pagioque prolatum: *Donatus cùm volebat Africam totam obtinere, tunc Judices transmarinos petiit ab Imperatore.*

August. Psalm. contra partem Donat. 7. 7.

Sed hæc tam injusta petitio non erat de charitate. Hoc ipsa veritas clamat, quam volo modò referre. Nam consensit Imperator, misit qui sederent Romæ Sacerdotes, qui tunc possent Cæcilianum cum illo audire . . . Dicta causa est, nihil probatum est: Ausus est & appellare, & post Collegarum sedem, audire ab Imperatore. Id ipsum ante Augustinum Optatus asseruit:

Opt. l. 1.

Sufficit ergo, & Donatum, tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio (Romano) *esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit. Ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit. O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Verùm hic ab Optato erratum esse contendit Valesius, de schismate Donatistarum c. 8. *Constat*, inquit, *Constantinum in hæc verba exclamasse, post judicium Arelatensis Concilii.* Quasi verò geminata Donatistarum pertinacia, bis à Constantino verba hæc extorquere non potuerit: Quòd si ea semel dicta fateremur, & post Arelatense Concilium, inde tamen constaret à Romana Synodo fuisse appellatum. Provocationi quidem, quæ nulla fuit, verba Constantini accommodari non potuissent. Neque verosimile est, in ea re deceptum Optatum, qui & in Africa degebat illo ipso seculo, quo schisma exortum est, & negotii totius Donatistici multam sibi peritiam comparârat. Hanccine commentatus est appellationem, an ex fama constante, certisque monumentis hausit? Est quidem in confesso Marinum, Maternum, Reticiumque interfuisse Arelatensi Synodo, unde colligit Valesius, à Synodo Romana Donatistas non provocasse: alioquin de ea causa post appellationem cognoscere non potuissent. Hic tamen ille nodus tam Valesio sanè, quàm nobis solvendus. Quippe si ex fori civilis regulis res æstimetur, satis erat accusari Marini aliorumque judicium, ne de Cæciliani causa iterum cognoscerent. Ac fortè judicium cohibuere suum, dum illa Arelato tracta sunt, de quibus Romæ jam pronuntiatum. Litis partem eam attigerunt, quam Romæ non erant ingressi. Multis quoque patet exemplis, ut priori Schismaticorum, sic & posteriori, Episcopos interfuisse judicio quomodo Alexander Alexandrinus, qui Arium damnaverat, sententiam quoque dixit in Nicæna Synodo. Sic in *revisione* causæ alicujus, & ea Judices cognoscunt, qui judicium jam suum protulerant.

VIII. Ut porro discordia facilius extingueretur, de Felicis Aptungitani vita Constantinus inquiri jussit. Postquam ordinatus in urbe purgatus est, purgandus adhùc remanserat ordinator. Tunc Constantinus ad Ælianum Proconsulem scripsit, ut remotis necessitatibus publicis, de vita Felicis Aptungitani publicè quæreretur.

De tempore purgationis Felicis.

Quatuor mensibus post Synodum Romanam hæc inquisitio facta est: *Melchiades judicavit Constantino tertium, & Licinio III. Coss. sexto Nonas Octobris, Ælianus Proconsul causam Felicis audivit, Volusiano, & Aniano Coss. XV. Kalendas Martias, id est, post menses ferè quatuor.*

August. post Collat. c. 33. & Ep. 152.

Itaque non satis accuratè Valesio scriptum, dum Arelatensis Synodus congregatur, causam Felicis fuisse discussam. Patres enim non ante *diem Calendarum Augustarum*, quem constituerat Imperator, in unum convenere.

Vales. de Schism. Donat. c. 11.

In plures quidem dies protractam causæ cognitionem lubentes fatemur. Sed ad usque XIII. Calendas Septemb. id est, sex mensibus post judicium inchoatum, perdurasse cognitionem, credere difficillimum, ut contendit Valesius, etsi Acta purgationis Felicis eâ temporis notâ consignentur. Mendum irrepsisse ex Augustino, facillimè ostendi potest. Quippe de libro probationum & testimoniorum contra Donatum, hoc habet:

Retract. l. 2. c. 27.

In quo libro Felicis Aptungitani ordinatoris Cæciliani non hoc ordine posuimus, quo posteà nobis claruit Coss. diligenter inspectis, sed tanquam post Cæcilianum fuerit absolutus cùm anteà sit factum. Quæ de absolutione, non in Romano, sed in Arelatensi Concilio facta, sunt intelligenda. Itaque ante Calendas Augusti terminatum est Felicis negotium. Nunc ipsius purgationem videamus.

IX. *Inducti sunt Claudius Saturianus Curator Reip. qui fuit tempore persecutionis in civitate Felicis, & Curator præsentis tunc temporis, quando causa flagitabatur. Callidius Gratianus, & Magistratus Alfius Cæcilianus. Sed & Superstationarius perductus, & Ingentius Scriba publicus pependit.*

Felicis Aptungensis purgatio.

Opt. l. 1.

Sed metu imminentium tormentorum responsis omnium, nihil tale inventum est, quod vitam Felicis Episcopi sordidare potuisset. Quæ ut intelligantur, sciendum est, Alfii Cæciliani ad Felicem Epistolæ addita ab Ingentio multa fuisse. Hæc sola complectebatur Cæciliani Epistola: *Cæcilianus parenti Felici salutem. Cùm Ingentius Col-*

legu

ANNO DOM. 314.

legamem, Augentianum amicum conveniret, & inquisivisset anno Duoviratus mei, an aliqua Scriptura legis vestra secundum sacram legem adusta sunt, quam Galatius unus ex lege vestra, publicè Epistolas salutatorias de Basilica protulerit. Opto te, parens charissime, benè valere. Verba Epistolæ hujus nonnulla temporis injuriâ periere. Ingentius verò corruptus à Donatistis, hæc addidit Epistolæ: *Hoc signum quod deprecatorium ad me miserant Christiani, & ipse cujus est Pratorium, & dixisti. Tolle clavem, & quos inveneris in cathedra libros, & super lapido codices, tolle illos, sanè vide, Officiales ne tollant oleum, & triticum. Et ego dixi tibi, Tu nescis quia ubi Scriptura inveniuntur, ipsa domus diruitur, & dixisti, Quid ergo facimus? Et dixi ego vobis, Tollat aliquis de vestris in acea, ubi orationes facitis, & illic ponantur. Et ego venio cum Officialibus, & tollo. Et nos illò venimus, & omnia tulimus secundum sacrum praceptum.* Hoc additamentum falsarii fuit. Quo loquebatur, Felicem traditorem esse. Sed en crimine liberatur ejus innocentia ab ipso Duumviro Alfin Cæciliano. Cæcilianus dixit: *Domine, usque ad hoc dictavi, usque quo habet, opto te, parens charissime, benè valere.* Præclarum quoque Felicis innocentiæ Cæcilianus testimonium dixit, quo constat absentem fuisse reum, dum sacri Codices in ignem mittuntur: *Alfius Cacilianus dixit, Zama eram propter lineas comparandas cum Saturnina. Et cùm veniremus illò, mittunt ad me in Pratorio ipsi Christiani, ut dicerent, sacrum pracepium ad te pervenit? Ego dixi, Non: sed vidi jam exempla, & Zama & Furnis dirui Basilicas, & uri Scripturas vidi. Itaque perferte, si quas Scripturas habetis, ut jussiom sacra paroatur. Tunc mittunt in domum Episcopi Felicis, ut tollerent inde Scripturas, & exuri possent secundum sacrum praceptum. Sic Galatius nobiscum perrexit ad locum, ubi orationes celebrare consueti fuerant. Inde cathedram tulimus, & Epistolas salutatorias, & ustia omnia combusta sunt, secundum sacrum praceptum. Et cùm ad domum ejusdem Felicis Episcopi mitteremus, renunciaverunt Officiales publici illum absentem esse.* Metu cruciatus, se nocentem ipse Ingentius fassus est. Hoc testatur Augustinus, cui Ingentius vocatur *Vingentius*: *Iste autem Vingentius confessus fuerat in cognitione Æliani Proconsulis, falsum se fecisse adversus Felicem, Caciliani ordinatorem.* August. Epist. 152. Inspiciatur & Concil. Lab. t. 1. 1451. Ingentio dixit Ælianus Proconsul: *Noli tibi blandiri, quòd cùm mihi dicas Decurionem te esse, ac propterea non posse torqueri. Torqueris ne mentiaris, quod alienum Christianis esse videtur, & ideò dic simpliciter, ne torquearis.* Quæ ex Bibliotheca Petri Pithœi edita, multum lucis historiæ fœnerant. Cùm igitur nil inveniretur, quo defloraretur Felicis innocentia,

Oxt. l. 1.

Ælianus Proconsul sententiam dicit: *Felicem autem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumenterum Deificorum manifestum est, cùm nemo in eum aliquid probare potuerit, quòd religiosissimas Scripturas tradiderit, vel exusserit. Omnium enim interrogatio, supra scripta manifesta est, nullas Scripturas Deificas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc Actis continetur, quòd Felix Episcopus religiosus, illis temporibus neque prasens fuerit, neque conscientiam accommodarit, neque aliquid tale fieri jusserit.*

Constantinus Arelatense Concilium indicit.

X. Cùm curam Constantinus omnem adhiberet atque diligentiam, ut pax in Ecclesia constitueretur, ingentem Episcoporum numerum Arelatum venire jussit, ut Donatistarum, & Cæciliani discordia componeretur. Scribit igitur *Elafio* Epistolam, quam totam in Annales Baronius retulit anno 314. n. 44. Nostro instituto satis est ex Epistola hæc subjicere: *Cùm dicationis tua scripta legissem, qua ad Nicasium & cateros, super iisdem simulationibus gravitas tua mittenda crediderat, evidenter agnovi, quòd neque respectum salutis sua, neque quod est majus, Dei omnipotentis venerationem ante oculos suos velint ponere. Si quidem ea agere persistant, qua non modò ad ipsorum dedecus, infamiamque pertineant, sed etiam his hominibus detrahendi dent facilitatem, qui longè ab ejusmodi sanctissima observantia sensus suos noscuntur avertere. Nam id quoque te scire convenit, quòd ex iisdem venerunt, asserentes quòd minus dignus idem Cacilianus cultu Sanctissima Trinitatis habeatur. Et contra id quod iisdem responderam, frustrà eos id jactare, quippe cùm res fuisset apud urbem Romam ab idoneis, ac probatissimis viris Episcopis terminata, obnixè ac pertinaciter respondendum existimaverunt, quòd eorum omnis causa non fuisset audita, sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsis aptum fuerat judicassent. Quare cùm has tot & tanta nimium obnixas dissensiones protrahere perviderem, ita ut nullo modo finis iisdem dare posse videretur, nisi & Cacilianus idem, & ex his qui contra eum dissident, tres aliqui in judicium eorum, qui cum Caciliano sentiunt, consensumque debent, ad Arolatense oppidum venerint: injungendum solertia tua duxi, ut mox has literas meas acceperis, cùm Cacilianum supra dictum, cum aliquibus ex his quos ipse delegerit, sed & de Byzacena, Tripolitana, Numidiarum, & Mauritaniarum Provinciis, singulis quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos, sed etiam aliquos, qui contra eundem Cacilianum dissentiunt, datâ evectione publicâ, per Africam, & Mauritaniam, inde ad Hispanias brevi tractu facias navigare, & inde nihilominus his in singulis Episcopis, singulas tractorias tribuas, ut ipsi ad supra dictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint pervenire, celeriter mimaturus iisdem, ut antequam proficiscantur, debeant disponere, quatenus absentibus ipsis, & disciplina competens habeatur, & nulla forte seditio, vel aliquorum altercatio, qua ad maximum dedecus spectet, oriatur. De catero plenâ cognitione suscepta finis adhibeatur.*

XI. Quam de tractoriis mentionem movet, Constantini ad Elafium Epistola nos jubet tractoriarum exemplum proponere, quod Cujacius nobis fœneravit Titulo de Tractoriis l. 12. *Ille Princeps omnibus agentibus in illo loco. Nos Gaium C. V. partibus illis legationis causa direximus. Ideò jubemus, ut locis convenientibus eidem à vobis evectio simul & humanitas ministretur. Hoc est veredi, sive paraveredi tot, panes tot, vini modi tot, cervisia modi tot, carnis tot, porci tot, porcelli tot, verveces tot, agni tot, ansores tot, phasiani tot, pulli tot, ova tot, olei lib. tot, gari lib. tot, mellis tot, aceti tot, cumini tot, piperis tot, costi tot, caryophili tot, spica tot, cinnamomi tot, grani mastici tot, dactyla tot, pistacia tot, amygdala tot, cera lib. tot, salis tot, olerum, leguminum carra tot, facula tot, pabuli equorum carra tot. Hac omnia tam eundo, quàm redeundo eidem ministrari in locis solitis, & impleri sine mora procurate.* Lege Theodosii, Arcadii & Honorii Augustorum statuitur, *Tractoria cum stativis solitis tantummodò biduum accipiunt*, iis tamen qui

Exemplum tractoriæ.

ANNO DOM. 314.

Anno Dom. 314.

equos ad Principem deducunt, *in Tractoriarum corpore quinque dierum numerus ascribitur.* Tractoriarum Constantinus M. meminit in sua ad Ablavium Epistola, de vocandis ad Arelatensem Synodum Episcopis: *Singulis Episcopis singulas Tractorias tribuas, ut ipsi ad supradictum locum intra diem Calend. August. possint pervenire.* Quo discrimine à Tractoriis Præsulum, hoc est, Synodicis Epistolis Imperatorum Tractoriæ distinguebantur. Nullæ enim Synodicæ Tractoriæ ad singulos Præsules mittebantur. Verùm omnium qui ad Concilium vocabantur nomina, unâ Tractoriâ continebantur, servato cujuslibet ordinationis tempore.

Cod. Th. l. 1. 571.

Constantini ad Chrestum Epistola. Quid Sacerdotes secundi throni?

XII. Chresto quoque Syracusanorum Episcopo Constantinus Epistolam mittit, ut Arelatum proficiscatur de componenda discordia, quâ Ecclesia Africana misere lacerabatur, quas contentiones missi è Gallia Episcopi, cum Episcopo Romano conjuncti, judicio suo non extinxerant: *Quoniam igitur plurimos ex diversis, ac propè infinitis locis, Episcopos in urbem Arelatensem intra Calendas Augusti jussimus convenire, tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo, à viro clarissimo Latromano Correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus idem servulis, qui in itinere vobis ministrari possint, intra eandem diem ad prædictum locum occurras. Quo tum per tuam gravitatem, tum per cæterorum in unum coëuntium unanimem concordemque solertiam controversia hæc, quæ per fœdissimam altercationem ad hoc usque temporis perduravit, auditis omnibus eorum qui nunc inter se dissident, quos etiam adesse jussimus, allegationibus ad congruam religionis & fidei observantiam, fraternamque concordiam tandem aliquando possit revocari.* Græca δευτέρου θρόνου, *secundi throni* Presbyteros significant, quia in cathedris sedebant, quæ Episcopali throno humiliores fuere, adstantibus in veste candida Diaconis. Nazianzenus in carmine de vita sua:

Euseb. l. 10. c. 6.

Κάμπτει βιαίως εἰς θρόνους τοὺς δευτέρους.
Per vim secundis collocat me in sedibus.

Naz. l. 2. p. 6.

Id est, me repugnante Presbyterum creat. Quam & phrasim adhibent Latini. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Aderant Hierosolymarum & aliarum urbium Episcopi, & Sacerdotum inferioris gradus, ac Levitarum innumerabilis multitudo.* Leo sermone x. de Quadragesima: *Non enim summos tantùm Antistites, aut secundi ordinis Sacerdotes, nec solos sacramentorum Ministros... ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatos.* Sidonius Epistolâ xxv. *Domnulo* Joannem Archidiaconum, *jam secundi ordinis Sacerdotem* à Patiente, & Euphronio Episcopis creatum fuisse narrat. Facundus lib. xii. c. 3. de Martiano: *Sciens igitur ille modestissimus Princeps Oziæ Regi non impunè cessisse, quia sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis Sacerdoti, &c.*

De Arelatensium Judicum numero.

XIII. Episcopi numero ducenti, jussis Constantini ut obtemperarent, Arelatum venere. Quem numerum nos Augustinus docuit: *Si autem post dictam causam, prolatamque sententiam eum traditorem didicisse perhibent, usque adeò dementes sunt homines, ut ducentos Judices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos, & tamen in his omnibus, quamvis magnâ temeritate, Italos & Hispanos accusant.* Longè plures Episcopos adfuisse, nonnulli prodidere. Cumianus Presbyter Epistolâ ad Segienum Abbatem: *Item*, inquit, *Arelatensi Synodo* DC. *Episcoporum confirmante primo in loco de observatione Paschæ, ut uno die & uno tempore per totum terrarum orbem à nobis conservetur.* Cumiano consentit Ado in Chronico. Quorum in sententiam inclinat Launoius. Non multum tamen apud nos valet Cumiani Adonisve in ea re autoritas. *Ducentos* cum Augustino *Judices* fuisse dicimus. Misit Episcopos Italia, misit Gallia, misit Britannia, & *Eborium Episcopum de civitate Eboracensi, & Restitutum Episcopum de civitate Londinensi, & Adelphium Episcopum de civitate Colonia Londinensium*: miserunt Hispaniæ. Adfuere quoque Marinus, Maternus, & Reticius, qui de rebus Cæciliani Romæ cognoverant. Neque sacro cœtu exclusi Presbyteri, Diaconi, Exorcistæ. Marinum comitabantur *Salmas Presbyter, Nicasius, Afer, Ursinus & Petrus, Diacones de civitate Arelatensium, Provinciâ Viennensi.* Aderant *Faustinus Presbyter de civitate Arausicorum, Innocentius Diaconus, Agapius Exorcista ex portu Nicansi.* Vocium Episcopum sequebatur *Petulinus Exorcista de civitate Lugdunensium.* Neque ex Africa desiderati Episcopi, qui numero decem consedere. Ex ea quoque Provincia adfuisse novimus Leontium, & Mercurium Presbyteros, Speratum Cæciliani Diaconum. Synodo Marinus Arelatensis præfuit. Hinc nomen ejus præponitur in Epistola Synodi, Sylvestro scripta. Non nescimus, eruditis nonnullis Arelatenses longè pauciores esse, quàm Augustino traditur. In libris antiquis, quibus multis usus est Sirmondus, repræsentantur Clerici in universum LXXXV. Episcopi nimirum XXXIII. Presbyteri XVI. Diaconi XXVI. Lectores II. Exorcistæ V. Quorum omnium nomina exhibentur in Collectione Conciliorum: ut exploratum sit, malè à Valesio impositos esse calculos, dum tradit Episcopos *in subscriptionibus quatuor supra quadraginta numerari videmus.* Subscriptiones enim illæ numero quidem sunt XLIV. At complendo numero Presbyterorum, & Diaconorum nomina includuntur subscriptionibus: quarum pars una est *Faustinus Presbyter de civitate Arausicorum*; secunda *Innocentius Diaconus*; tertia *Romanus Presbyter*, &c. Epistolæ verò Synodi ad Sylvestrum Papam XXXIII. Episcoporum nomina præfiguntur: *Dilectissimo Papæ Sylvestro Marinus, Agræcius, Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius, Verus, Probatius, Cæcilianus, Faustinus, Surgentius, Gregorius, Reticius, Ambitausius, Termatius, Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernius, Fortunatus, Aristasius, Lampadius, Vitalis, Maternus, Liberius, Gregorius, Crescens, Avitianus, Dafnus, Orientalis, Quintasius, Victor, Epictetus in Domino salutem.* Ex ea verò & nominum, & subscriptionum paucitate colligunt eruditi, ducentos Synodo Judices non adfuisse, ut creditum Baronio. Momenti non esse alicujus locum Augustini, Valesius statuit: *Neque enim*, inquit, *de Arelatensi Concilio ibi loquitur Augustinus, sed de Concilio Romano, cui non ducenti, sed novemdecim tantùm Episcopi interfuerunt, quare apud Augustinum pro 200. scribendum 20.* Non nobis tamen ea probari sententia potest. Innumeris sanè Constantinus præceperat Episcopis Arelatum petere, neque aliud sonat ad Chrestum Epistola: *Plurimos ex diversis, ac propè infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intra Kal. Augusti jussimus convenire.* Impera-

August. contra Parm. l. 1. c. 5.

Anno Dom. 314.

Syllog. Hibern. Epist. XII.

Vales. de Schism. Donat. c. 9.

Ibid.

peratoris decretis Episcopos obtemperasse, quis neget? Frequentissimum quoque conventum fuisse, indicio est secunda Synodus Arelatensis c. 18. *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem, ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub S. Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium.* Denique Carthaginensi Synodo, cui præfuerat Cyprianus, longè numerosiorem Arelatensem fuisse testatur Augustinus, perstringens Donatistarum rebaptizantium disciplinam: *Quapropter illud unum considerent, quod omnibus patet. Si autoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam in unitate servanda, quàm in Ecclesia consuetudine commutanda. Si autem Concilium ejus attenditur, huic est universæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum. Nam & Concilia posteriora, prioribus apud posteros præponuntur, & universum partibus semper optimo jure præponitur.* Igitur Arelatense, quod in mente Augustinus habet, cujusque Decretis Afrorum de iterando Schismaticorum Hæreticorumque omnium baptismo disciplina abrogata est, longè numerosius Concilium fuit Carthaginensi; quod tamen Episcopis 87. constabat. Quod verò Valesius inficiatur, Augustinum de Arelatensi Concilio loqui, non Sirmondo, nobisve placet. Iterum audiatur Augustinus: *Usque adeò dementes sunt homines, ut ducentos Judices, apud quos victi sunt, victis litigatoribus, credant esse postponendos, & tamen in his omnibus, quamvis magnâ temeritate Italos, Gallos, & Hispanos accusant, relictis cæteris, tam multis Provinciis atque gentibus, à quibus nefando sacrilegio separati sunt, quibus utique obesse non possunt crimina Italorum, Hispanorum, atque Gallorum, etiam si vera dicerentur.* Atqui in Romana Synodo nullus Judex ex Hispania sedebat: itaque de Melchiadis judicio Augustinus explicari nequit. Nec ferenda Valesii emendatio est, qui ex Judicibus ducentis *viginti* facit. Nullus quidem Veterum scripsit Romæ Judices fuisse XX. in Cæciliani judicio: præcisum semper accuratumque numerum XIX. adhibuere. Porro desideratus est in Arelatensi conventu Romanus Episcopus, gravibus de causis, quæ nos latent, in urbe retentus, ut monet Arelatensium ad Sylvestrum Epistola: *Utinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses. Profectò credimus quia in eos severior fuisset sententia prolata, & te pariter nobiscum judicante, cœtus noster majore lætitiâ exultasset. Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sine intermissione gloriam Dei testatur, &c.*

August. de Bapt. cont. Donat. c. 9.

August. cont. Epist. Parm. l. 1. c. 5.

XIV. Præsentem Constantinum Arelatenses habuisse Baronio placuit: *Cùm videret*, inquit, *Donatistas ad turbas ciendas admodum promptos, voluit ipse eidem conventui Episcoporum interesse.* Cur sic censeret, ansam ei præbuit Eusebius: *Ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, Ministrorum Dei Concilia congregavit. Nec dedignatus est adesse, & considere in media illorum conventu.* Abfuisse tamen longè vero similius. Quod optimis Valesius argumentis ostendit: *Cùm nemo ex Veteribus, ac ne ipse quidem Augustinus, qui tamen de hoc Concilio sæpissimè locutus est, id unquam affirmaverint, non possumus illustrissimo Cardinali assentiri. Certè ex Epistola, quam Constantinus scripsit ad Episcopos, post Synodum Arelatensem manifestissimè colligitur, eum Synodo non interfuisse. Quòd si Imperator huic Synodo interfuisset, quonam modo ausi fuissent Donatistæ ab ejus Synodi sententia, ad imperatoris judicium provocare. Quid enim hoc aliud erat, quàm ab Imperatore ipso appellare.* Valesiana hæc argumenta infirmare tentavit Pagius: *Argumentum*, inquit, *negativum, plerumque erroris obnoxium. Et Epistola Constantini Patribus Concilii scripta, non post Arelatense, sed post Romanum Concilium data. Nec mirum si Constantinus postquam interfuisset Concilio Arelat. audisset Donatistas ad ejus judicium provocantes, cùm imperitum Constantium plerique reprehendendum putaverint, quod adversus Donatistas nimis clementer ageret.* At quantacunque fuerit clementia Constantini, insolentiâ quidem Donatistarum non moveri non potuisset, si à Synodi, cui præsens fuisset, judicio appellassent. Neque Veteres, qui in Donatistarum petulantiam quàm frequenter invehuntur, tam inauditam, tamque effrenatam contumaciam oblivioni dedissent, quâ nil majus concipi potuit. Quominus gravissimas furoris suis pœnas penderunt, Donatistæ id unum prohibuit, quod à Synodo Constantinus abfuit, qua de causa & ab ipso Imperatore auditi sunt. Epistolam verò Constantini, non Romanæ quidem, sed Arelatensi Synodo scriptam esse demonstrabimus. Valesianis argumentis nostrum accedat, quòd detentus belli Liciniani molestiis Constantinus vix interesse Synodo potuit. Pugna Cibalensis hoc anno commissa est *die* VIII. *Iduum Octobrium.* Synodus verò incepit *Kalendis Augusti*, Quo tempore tractandis in eo conventu rebus Ecclesiasticis vacare Constantino non licuit, ad debellandum hostem, armaque expediendo penitùs occupato.

Adfueritne Constantinus Arelatensi Synodo?

Bar. An. 314. n. 53.

Euseb. Vit. Const. l. 1. c. 44.

Vales. de Schism. Don. c. 9.

Pag. Crit. An. 314. n.

XV. Ut in Romano, sic & in Arelatensi Concilio innocentiæ Cæciliani fertur auxilium. Verba sunt Augustini: Constantinus *alterum Episcopale judicium dedit, habendum in Arelatensi Galliæ civitate. Ubi multi vestri, vanâ & Diabolicâ dissensione damnatâ, cum Cæciliano in concordiam redierunt, alii verò pertinacissimi, & litigiosissimi, ad eundem Imperatorem appellarunt.* Neque ea sola tractarunt, quarum causâ venerant. Canones quoque XXII. condiderunt, ad disciplinam Ecclesiasticam constituendam. I. Ut uno die & tempore Pascha celebretur, qua de re juxta consuetudinem ab Episcopo Rom. literæ dirigi debuerunt. II. Ut ubi quisque ordinatur, ibi permaneat. III. Ut qui arma in prælio projiciunt, excommunicentur. IV. Ut aurigæ dum agitant, excommunicentur. V. Ut theatrici quàm diu agunt, excommunicentur. VI. Ut in infirmitate conversi, manus impositionem accipiant. VII. Ut Fideles ad *Præsidum* munus promoti, litteras accipiant communicatorias. VIII. Ut Afri Hæreticis, qui in nomine Trinitatis baptizati sunt, manus tantùm imponant, IX. Ut qui Confessorum literas afferunt, communicatorias accipiant. X. Illi cujus uxor adulterio se polluit, *consilium* dat, ne eâ vivente alind matrimonium ineat. XI. Puellas quæ Infidelibus junguntur, aliquandiu à *communione* separat. XII. Clericos qui dant fœnori, à communione ejicit. XIII. Scripturæ & *vasorum dominicorum* traditores Clericos ordine movet. XIV. Qui falsò accusant, usque ad exitum communione prohibet. XV. Diaconos qui in multis locis offerebant, sacrificare vetat. Eucharistiæ consecrandæ potestatem à Diaconis usurpatam fuisse,

De Arelatensibus decretis.

August. Ep. 68.

futile, Sole meridiano clarius est, quam & meritò Arelatenses abrogant. Quia etiam in ipsa Ecclesia Rom. ex mandato Pontificum Diaconi consecrasse videntur, quod apertè satis indicant verba Laurentii Martyris ad Sixtum: *Experire certè utrùm idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem? Cui consummandorum consortium sacramentorum huic consortium tui sanguinis negas.* Baronius vocabulum *consecrationem* in *distributionem* mutavit, An. 26. n. 7. Quam vocem quoque legi in antiquissimo MS. Fossatensi, testatur Ruinartus. Fatetur tamen germanam laudati à nobis ex libro 1. Offic. Ambrosii c. 41. loci lectionem illam esse, quam exhibuimus. Viro tamen erudito largiri non possumus, *consecrationis, & dispensationis verba* idem designare. Illud verò propius, urgente necessitate provinciam Eucharistiæ consecrandæ Diaconis esse impositam. Quò pertinere videntur verba Tertulliani: *Si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est habeas, oportet etiam disciplinam Sacerdotis habere jus Sacerdotis.* Quemadmodum igitur contigit ut *Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigerent*, quod Nicænus Canon XIV. prohibet, sic non sine abusu disciplinæ, Diaconi in munus Presbyterorum involantes Eucharistiam conficiebant, cui perturbationi remedium Arelatensea attulere: *De Diaconis quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* XVI. Canon sancit, ut ubi quisque excommunicatus fuerit, communionem consequatur. XVII. Ut nullus Episcopus alium conculcet Episcopum. XVIII. De Diaconis Urbicis, ut sine Presbyterorum conscientia nil agant. XIX. Ut peregrinis Episcopis locus sacrificandi detur. XX. Ut sine tribus Episcopis nemo ordinetur Episcopus. XXI. Ut Presbyteri & Diaconi, qui ad alia se loca transferunt, deponantur. XXII. Apostatis qui infirmitate Eucharistiam flagitant, omninò negat, nisi ubi convaluerint, suscipiant pœnitentiam.

Tert. de Cast. c. 7.

Quid Augustino plenarium Concilium, quod de baptismo Hæreticorum controversiam composuit? Arelatense, an Nicænum?

XVI. Cùm porro Episcopi tam multi, tam diversis ex Italiæ, Africæ, Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ Provinciis Arelatum confluxerint, ac post Oecumenicas Synodos, sive spectentur Episcopi, qui ad Arelatensem convenere, sive res in ea gestæ, nulla usquam habita sit illustrior, nil dubii Augustino fuit, quominus Arelatensem *plenarii*, & *universalis* indueret appellatione. Quod tam nervosis more suo Launoius argumentis demonstravit, in sua *de notione Concilii plenarii* Dissertatione, ut frustrà huic obnitantur sententiæ Joannes Nicolai, Pagius, aliique eruditi, qui Nicænam potius in verbis Augustini Synodum quærunt. Verissimam Sirmondi, Launoïique explicationem esse, multa ostendunt. Primùm enim certo certius est, Synodis compluribus, quæ non erant Oecumenicæ, Augustinum plenarii, & universalis nomen imposuisse. Libro secundo contra Parmenianum c. 3. *Sic eos describunt, trecenti decem plenarii Concilii, ore veridico.* Et paulò infrà: *Quare Schismaticos suos Maximianistas per eandem Concilii sui sententiam talia dixerunt.* Similiter libro 3. contra Cresconium c. 53. *Sed & Clerices, inquiunt, aliquando Ecclesia Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestus lenocinium præbuerunt, Dei præsidentis arbitrio, universalis Concilii ore veridico damnatos esse cognoscite.* Inspiciatur caput primum Launoianæ Dissertationis. Eodem quoque sensu Ecclesiæ Africanæ Codex voces *plenarii & universalis* Synodi accepit: *Si autem ad Concilium universale anniversarium occurrere noluerit, ut vel ibi causa terminetur*, n. 19. Videantur & numeri 28. & 48. Hanc & significationem usurpat Ferrandus in Breviatione Canonum: *Ut nullus Episcopus, etiamsi à plebe eligatur, vacantem Ecclesiam obtineat, nisi ex autoritate plenarii Concilii*, c. 21. Et c. 77. *Ut Episcopus, qui non susceptâ legatione universali Concilio interesse præsumpserit, ab eis Episcopis, qui legationem suscipiunt, ad ipsum Concilium non admittatur.* Quin etiam Concilium Constantinopolitanum anni 381. ex solis Episcopis, Theodosio subditis constans, Oecumenicæ Synodi nomen habet, à Patribus, qui anno sequente in regiam urbem venere, impositum. Legite, inquiunt, & *librum illum, qui superiore anno editus est Constantinopoli ab Oecumenica Synodo.* Ac ne illud quidem veremur, ne plenarium illud Concilium, in quo quæstionem de Hæreticorum baptismo finitam narrat Augustinus, *Nicæno* accommodetur. Innitebatur Cypriani disciplina Africano Agrippini Concilio, quod Sanctus ille Martyr sequebatur. Quid ad hæc Augustinus? *Hâc attestatione satis ostendit, multò magis se fuisse commemoraturum, si quod hac de re transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum. Et hac sola opponebatur, volentibus inducere novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Posteà tamen cum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non solùm inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii autoritatem roburque producta est, post Cypriani passionem, sed antequam nos nati essemus.* Quibus non *Nicænum*, sed Arelatense pingi Concilium, luce clarius est. Illud enim Augustinus innuit, in quo *multi ex utraque* parte de Hæreticorum baptismo tractarunt. Hoc autem Arelatensi ubi ea de re & à multis Afris, qui aderant, disputatum, & lex sancita est, accommodari potest: Nicæno autem, ubi unus Afer aderat Cæcilianus, nullusve Canon conditus, quod ad Afros nominatim pertineat, aptari non potest. Plenarii ergo Concilii autoritas, quæ teste Augustino, *veritatem ad robur perduxit*. Arelatensis est, quæ capite octavo Afris legem imposuit, ut Hæreticis, qui in nomine Trinitatis augustissimæ baptizati sunt, manus tantum imponant, non ut olim, sacris undis expient. Præterea ad solos Paulianistas, mentem oculosque direxere Nicæni Patres, nec de aliarum sectarum baptismo legem ullam constituere: *De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur.* De collati ab aliis Hæreticis baptismo profundum in silentium descenderunt, permissa Ecclesiis sua disciplina. Ut ex Nicæna de Paulianistis constitutione perperam conficiatur, vetitum fuisse aliarum quoque sectarum baptisma respuere. Cùm verò cardo causæ in ea re ponatur, colligamus testes omni exceptione majores, quorum suffragio constet, de sectarum aliarum baptismo in Synodo Nicæna nil esse sancitum. Annis circiter XL. post Nicænam Synodum hæc scripsit Epiphanius: *Alii qui audaciores videntur, ex Catholicorum partibus privatâ sibi factione conflata, præter Ecclesiæ consuetudinem, & citra generalis Concilii decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare non verentur.* Hem citra

Theodorit. l. 5. c. 9.

August. de Bapt. c. 8. &c.

Nic. c. 19.

Epiph. Expos. fid. n. 13.

Anno Dom. 314.

citra generalis Concilii decretum! Hem *citra Decretum!* Imò contra generalis Concilii decretum, si vera est adversariorum sententia. Potuitne augustius proferri, optarive decretum quo privata ea nonnullorum de renovando Arianorum baptismo disciplina improbaretur, si à Patribus Nicænis susceptus est? Quòd si de Arianorum baptismo nil ab eis sancitum fuit, de Encraticis, Marcionistis, Montanistis aliquid præscripsisse quis credat? Prodeat alius testis Epiphanio coævus, Basilius ille Magnus: *Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ eidem subjiciuntur rationi, cui & Novatiani, quia de illis Canon editus est, etsi diversus... Nos autem unâ ratione eos rebaptizamus.* Fingemusne Basilium adeò Legum Nicænarum peregrinum, ut illos novo tingere lavacro voluerit, quorum baptismus à sacratissima Synodo Nicæna admittebatur? Mittamus Basilium atque Epiphanium, quasi Nicænæ mentis hospites. Ignoravitne Athanasius, quid de baptismo Hæreticorum decreverit? Magnus ille Athanasius, qui & Synodo interfuit, & ejus decreta veneratur. Quòd si statuisset, Hæreticorum esse omnium baptisma suscipiendum, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ministratur, quâ fronte, quo consilio Athanasius Arianum baptisma repudiasset? Atqui respuit, si fides oculis. Quid enim hæc sibi volunt? *Qui, quæso, igitur non planè vanum ac inutile fuerit baptisma, quod ab illis (Arianis) datur, cùm id nominis species sit, & inane simulacrum, ipsique eâ re nil solidæ opis afferant ad pietatem? Non enim in Patre, & Filio Ariani baptismo tribuunt, sed in Creatore & creatura.* Fateamur ergo necesse est, *plenarium Concilium*, cujus autoritate veritatem ad robur adductam esse tradit Augustinus, non Nicænum esse, quod de Afrorum disciplina nil sanxit, sed Arelatense, à quo mos qui invaluerat, & à Carthaginensi conventu, cui præfuerat Cyprianus, corroboratus erat, tandem immutatur, ut non omnium quidem Hæreticorum, sed eorum solummodò, qui baptismum appellatione Trinitatis suum non condiebant, lavacrum respueretur. Vocis quidem ambiguitate ludunt adversæ sententiæ patroni: *Quod à totius orbis Episcopis in Concilio plenario, seu Oecumenico considentibus, toti orbi terrarum incognitum, nemo rectè dixerit, & tamen orbi terrarum ignotam esse Cæcilianì causam docuit Augustinus, & in libro ad Donatistas post Collationem c. 18. & libro 4. contra Cresconium c. 25.* Atqui bifariam Concilium plenarium sumitur, ἁπλῶς scilicet, & κατά τι. Priori modo quidem cùm ex Græcis Latinisque Episcopis constitur; posteriori cùm ex complurium Provinciarum Episcopis componitur. Quâ significatione Arelatense *plenarium* jure nuncupari potest, ad quod Provinciæ omnes, quæ Constantini ditione tenebantur, Legatos miserant Episcopos: & familiarem hanc Concilii *plenarii* notionem compluribus exemplis demonstravimus. Non est de nihilo, quòd quæ de baptismo Hæreticorum quæstiones in Africa composuit, Synodum nunquam *Oecumenicam*, vel Nicænam Augustinus appellarit. Quidni verò gesta Synodi ejus, quæ eò plenaria dicitur, quòd constabat Provinciis omnibus, quæ sub potestate Constantini erant, ab illis ignorentur regionibus, quibus Licinius imperabat? Synodus quidem Alexandrina, quæ longè Arelatensi minor, & Provinciarum, & Episcoporum respectu, generalis dicitur. Collatho *in generali Concilio ab Osia, & cæteris Episcopis, qui unà aderant, jussum fuit, ut se pro Presbytero, qualis anteà erat, haberet.* Nil etiam momenti est in autoritate Hieronymi positum, quam obtrudunt ad ravim usque: *Synodus quoque Nicæna, cujus paulò antè fecimus mentionem, omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Est enim certissimum, in eo dicto errorem esse Hieronymi, qui eò collegit, omnes à Synodo Nicæna susceptos Hæreticos esse, quia solorum Paulianistarum respuit baptisma. Quæ conclusio perperam ex eo decreto conficitur, quia de aliarum sectarum baptismo nil à Nicænis sancitum, qui institutio suis Provincias majorumque moribus permisere. Hinc varia multis post Synodum annis variorum etiam de Hæreticorum baptismo disciplina. Neque Basilio & Epiphanio, & Græcis antiquioribus opponi debet Hieronymus, non sanè Athanasio, qui Synodi Nicænæ pars magna fuit, à quo Arianorum baptismus est improbatus; indicio & argumento, quòd à veneranda ea Synodo non fuerit susceptus. Agnito errore, de sententia sua discessisse Hieronymum, doctissimus contendit Launoius, quâ de re alii viderint.

Basil. Epist. Can. c. 47.

Athan. Or. 3. cont. Arian. t. 1. 413.

Athan. t. 1. 794.

Hier. adv. Lucif.

XVII. Cùm justis de causis à conventu Arelatensium Sylvester abfuisset, Patribus ad eum scribere, & ea quæ decreverant, mittere placuit: *Communi copulâ caritatis, & unitate matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensium civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, gloriosissime Papa, commeritâ reverentiâ salutamus. Ubi graves ac perniciosos legi nostræ atque traditioni, effrenatæque mentis homines pertulimus, quos & Dei nostri præsens autoritas, & traditio, & regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideò Judice Deo, & matre Ecclesiâ, quæ suos novit, & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi... Sed & consulendum nobis ipsis censuimus, & cùm diversæ sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere. Placuit ergo præsente Spiritu Sancto & Angelis ejus, ut & his qui singulos quos... movebat, judicaremus proferemus de quiete præsenti. Placuit etiam antequam à te, qui majores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit quod censuimus, scripto nostræ mediocritatis subjunximus.* Quod pretiosum monumentum, disciplinâ hujus temporis, antiquitatis studiosos imbuit. Nempe Principibus facultatem inesse cogendi Concilia, ut tecta sartaque sit Ecclesiæ tranquillitas. Constantini quidem, & autoritati, & pietati conventum Arelatensem Patres ascribunt. Discimus etiam Pontificis Rom. præsentiam Synodis neque autoritatem conferre suam, neque ἀναμαρτησίαν. Aderat Spiritus ille Sanctus, aderant & Angeli ejus Arelatensibus, absente Sylvestro. Illud & in observatione ponendum, Arelatenses non ut subditos Principi decreta Sylvestro sua notificasse, sed ut Collegas cum fratre vinculo charitatis copulatos; neque etiam ab eo flagitare robur vimque Canonibus suis incutiat, sed mandare, ut eos omnibus manifestos faciat, adhibito verbo *placuit*, quod imperantium est, non rogantium, sanè Judicum, non subditorum.

Arelatensium ad Sylvestrum Epistola.

Concil. Lab. t. 2. 1425.

XVIII. Cùm autoritate Constantini Arelatenses convenissent, ea quoque dimitti debuerunt. Patribus ergo piam, aureamque scribit Epi-

Constantini ad Arelatenses Epistola.

ANNO DOM. 314.

Epistolam, in qua prædicat, *ea qua cœleste suâ in famulum suum benevolentiâ concessit Deus: Constantinus Augustus Episcopis Catholicis, charissimis fratribus salutem.* Ex Epistola quæ ad historiam pertinent intelligendam, hæc tenemus Lectoribus. Accusans Donatistarum appellantium pertinaciam, talia refert: *Quoties à me jam ipsi improbis additionibus suis sunt condignâ responsione oppressi? Qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minimè hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim ut se veritas habet, Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia, ut verè dixi, Diaboli? Perquirunt secularia, relinquentes cœlestia. O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem Gentes, minora interdum judicia refugientes, ubi justitia reprehendi potest, magis ad majora judicia auctoritate interposita, ad appellationem se conferre sunt solita: quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentito de Christo Salvatore? Ecce jam proditores, ecce sine ulla acriori disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua. Quæ ab ipsis sentitur humanitas, qui in ipso Deo immanes prosilierunt? Equidem, fratres charissimi, licet hæc in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos qui Domini Salvatoris sequimini viam, patientiam adhibete, datâ his adhuc optione, quid putent deligendum. Ac si eos in hisdem videritis perseverare, protinùs cum his quos Dominus dignos cultu suo judicavit proficiscimini, & redite ad proprias sedes, meique memento'e, ut mei Salvator noster semper misereatur. Cæterùm direxi meos homines, qui eosdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, ut ibi degant, ibi sibi mortem pervideant. Dedi quoque literas competentes ad eum, qui Vicariam Præfecturam per Africam tuetur, ut quotquot hujus insania similes invenerit, statim eos ad comitatum meum dirigat, ne ulterius sub tanta claritate Dei nostri ea ab ipsis fiant, quæ maximam iracundiam cœlestis providentiæ possint incitare. Incolumes vos Deus omnipotens tribuat votis meis, & vestris per secula, fratres charissimi.* Qui integram cupit Epistolam legere, adeat & Baronium An. 313. n. 31. & Concil. Lab. t. 1. 1430. Episcopis qui anno præterito in Synodum Rom. convenerant, Epistolam scriptam esse, Baronius, Pagius, aliique existimant. Nos ad Arelatenses potius missam statuimus. Quippe in ea Constantinus testatur se crebrò Donatistis restitisse: *Quoties à me condignâ responsione oppressi.* Quòd ante finitam Synodum Rom. fieri non potuit, quo tempore nondum tot vicibus contusa pertinacium contumacia. Neque etiam ante absolutam Synodum, cui Miltiades præfuit, missi sunt homines, qui *infandos deceptores religionis* ad comitatum perducerent. Hæc purgatione Felicis videntur esse posteriora, ubi fraus *Ingentii* atque perfidia palam & publicè cognita fuit. Neque etiam Româ subinde suam in patriam Judices redire Princeps jusserat. Ad Constantinum profecti sunt ut illis narrarent, quæ in Miltiadis judicio gesta fuerant, uti liquet ex Epistola ad Elafium: *Qui quidem ea quacunque in præsentia eorum fuere gesta, cuncta ad scientiam meam, etiam actis habitis retulerunt. Verbo insuper affirmantes, quòd judicium suum pro rerum fuisset æquitate depromptum.* Porro ex verbis Constantini de Donatistis, *quoties à me condignâ responsione oppressi*, vero proximum esse liquet, quod indicavimus, plus semel à Constantino verba ea esse pronuntiata: *O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuerunt.*

ANNO DOM. 314.

Synodus Ancyrana. Ejus Canones.

XIX. Ex morte Maximini Ecclesia Orientalis hoc accepit commodi, neque conventus Fidelium, neque Synodi ad collapsam disciplinam restituendam necessariæ prohiberentur. Ancyra urbs est Galatiæ metropolis, quæ ab anchoris nomen habet. Nominis originem non *Plinius libri* v. *c. ultimo*, ut perperam Severinus scribit Binnius, sed Stephanus docet: *Apollonius l.* XVII. *rerum Caricarum refert, Galatas qui recèns advenerant, Mithridati & Ariobarzani militantes, Ægyptios à Ptolemæo missos, usque ad mare fuisse persecutos, atque cœpisse anchoras navium ipsorum, & cùm præmium victoriæ regionem fruendam & vectigalem accepissent, eam incoluisse, & sic appellasse.* Ad eam convenere civitatem Episcopi XVIII. *Vitalis* Antiochenus, Syriæ Cœl. *Agricolaus* Cæsareæ Palæstinæ, *Marcellus* Ancyræ Galatiæ primæ, *Lupus* Tarsensis Ciliciæ, *Basilius* Amasenus Hellesponti, *Philadelphus* Juliopolis Galatiæ primæ, *Eustolius* Nicomediæ Bithyniæ, *Heraclius* Zelenensis Armeniæ majoris, *Petrus* Iconiensis Lycaoniæ, *Nunechius* Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ, *Sergianus* Antiochiæ Pisidiæ, sive Cariæ, *Epidaurus* Pisidensis Pamphyliæ, *Narcissus* Neroniadis Ciliciæ, *Leontius* Cæsareensis Cappadociæ primæ, *Longinus* Neocæsariensis Ponti Polemoniaci, *Amphion* Epiphaniæ Ciliciæ secundæ, *Salamenus* Germaniciæ Cœlo-Syriæ, *Germanus* Neapolis Palæstinæ. Hi ferè omnes Nicænæ Synodo interfuerunt, quæ Ancyranæ posterior est. Basilius enim qui cum Ancyranis consedit Liciniana in persecutione morti missus est. Canones XXV. condidere. I. Presbyteros, qui postquam sacrificarunt, verè reluctati sunt, statuit cathedræ quidem & honoris participes esse, ipsis tamen offerendi & concionandi munus eripit. II. Diaconos qui immolaverunt, posteà autem reluctati sunt, jubet honorem quidem retinere suum, sed sacro omni ministerio cessare, concessâ tamen Episcopis facultate, mitius aliquid decernendi. Græca sunt, non προσφέρειν, *offerre*, sed ἀναφέρειν, *perferre*, quia antiquo more Diaconi populo sacramentum corporis sanguinisque Dominici ministrabant. Neque quod Diacono lapso prohibetur, κηρύσσειν, prædicationem Evangelii significat, sed proclamationem, quâ veluti Præcones sacri in Ecclesia Diaconi fungebantur, altâ voce denunciantes & pœnitentibus Catechumenis, *Ite Missa est*, & Fidelibus Eucharistiam sumptoris, *Sancta, Sanctis*; atque ex Diptychis, Christianorum nomina pronunciantes. III. Eos qui fugâ comprehensi sunt, & per vim pagani ritus aliquid pertulerunt, negat à communione arcendos esse. IV. Eos qui sumptuosiore veste ad idola pransi sunt, anno ad *Audientes*, triennio ad *Substratos*, biennio ad solius orationis communionem relegat. V. Qui cum veste lugubri & mœrore numinum epulis accubuere, eos post substrationis triennium sine oblatione recipit. In Latinis editionibus Canon ille quintus quarti pars est. Hinc XXIV. Canones solummodò subjiciunt, Græcis repugnantibus, qui cùm ex uno duos faciant,

Canones

ANNO DOM. 314.

Caoones xxv. numerant. Ecclesiæ tamen Romanæ Codex editus Moguntiæ, Græcorum quintum non sejungit à quarto. VI. Lapsus qui timore sacrificarunt, sexennii pœnitentiam injungit, quo peracto *ad perfectum* venire conceditur. VII. Qui in festis Ethnicis propriis cibis usi sunt, substrationis biennium illis imperat, antequam recipiantur. VIII. Illos qui bis, terve per vim sacrificarunt, septimo anno suscipit. IX. Qui non immolarunt modò, sed fratribus quoque suis sacrificandi causas attulerunt, decennio expleto ad Eucharistiam admittuntur. X. Diaconis, qui ordinationis suæ tempore se nuptias inire velle professi sunt, si posteà matrimonio jungantur, in ministerio esse conceditur, silentibus negatur. XI. Desponsatas puellas, quæ raptæ fuerunt, sponsis reddi jubet. XII. Qui ante baptismum sacrificaverunt, ablutos baptismo ad ordinem promoveri permittit. XIII. Chorepiscopos vetat, Presbyteros, Diaconosve urbium ordinare. XIV. Presbyteros, & Diaconos esum carnium diffugientes ordine suo pellit. XV. Res Ecclesiæ à Presbyteris distractas, rescisso contractu revocat, relinquens Episcopi in arbitrio, precium recipere, necne. XVI. Qui bruta animantia inierunt, illis viginti annorum pœnitentiam prius mandat, quàm participent Eucharistiam. XVII. Ad *hyemantes* relegat illos, qui & rationis expertia animantia inierunt, & leprosi sunt. XVIII. Eos qui ad Episcopatum cùm promoventur, à Parrochia non suscipiuntur, si aliorum Diœceses invadunt, ordine movet. XIX. Bigamis eos inserit, qui promissam Virginitatem violant, & Agapetarum consortia prohibet. XX. Adulteros post septennium ad Eucharistiam admittit, observatis gradibus, qui ad eam deducunt. XXI. Mulieribus quæ partus suos ex fornicatione susceptos extingunt, præscribit decennii pœnitentiam, contracto, quod prius constituebatur, annorum xx. spatio. XXII. Homicidis imminente morte concedit Eucharistiam. XXIII. Involuntariis cædibus quinquennii pœnitentia imponitur, quæ prius ad septennium extendebatur. XXIV. Tres annos substrationis, & duos orationis illis imperat, qui divinationibus utuntur. XXV. De casu peculiari tractat. Quidam sponsæ suæ sorori vitium obtulerat, ex quo facta gravida post peractas nuptias se laqueo peremit. Qui fuere sceleris consciö, post decennem satisfactionem secundum gradus pœnitentiæ suscipi jubentur.

Synodus Neocæsariensis: ejus Canones.

XX. In annum quoque CCCXIV. confertur Synodus Neocæsariensis. Est autem Neocæsarea, urbs Ponti Polemoniaci, teste Ptolomæo. Consentit & Ammianus: *Param Imperator Valem apud Neocæsaream morari præcepit, urbem Polemoniaci Ponti notissimam.* Est & Bithyniæ *Neocæsarea*, sed in Pontica Episcopi tredecim convenere. *Vitalis* Antiochenus Cœlo-Syriæ, *Germanus* Neapolis Palæstinæ, *Gregorius* Cynnensis Galatiæ primæ, *Alphius* Apamcæ Cœlo-Syriæ, *Heraclius* Zelonensis Armeniæ majoris, *Basilius* Amasex Hellesponti, *Leontius* Cæsareæ Cappadociæ primæ, *Amphion* Epiphaniæ Ciliciæ secundæ, *Stephanus* Chorepiscopus Cappadociæ, *Eretius* Placiniensis Galatiæ primæ, *Lupus* Tarsensis Ciliciæ primæ, *Gerontius* Larissæ Cœlo-Syriæ, *Narcissus* Neroniadis Ciliciæ secundæ, *Longinus* Neocæsariensis Ponti Polemoniaci, *Salaminus* Germaniciæ Cœlo-Syriæ,

Ammian. l. 27. c. 12.

Rudus Chorepiscopus Cappadociæ, *Dicasius* Taviensis Galatiæ, Valentinianus, *Leontius*. Episcoporum auxit numerum Libellus Synodicus: *Synodus divina, & sancta Provincialis* XXIII. *Episcoporum, quorum Præses fuit Vitalius, collecta Cæsarea Ponti.* Canones xv. constituere. I. Presbyteris munus abdicat, qui uxores accepere, si fornicantur, illos ad pœnitentiam redigit. II. Mulierem quæ duobus fratribus nupsit, abjicit usque ad mortem, in exitu tamen si solvere matrimonium pollicetur, concedit pœnitentiam. III. Multi nubis quod præstitutum Canonibus pœnitentiæ tempus est, contrahi permittit. IV. Sancit mulieris cupidum, cujus desiderium ad flagitium non venerit, gratiâ fuisse liberatum. V. Catechumenum in Dominico genua flectentem, si peccaverit, ad Audientes relegat: extrudit verò, si in flagitio perseverat. VI. Gravidam Catechumenam baptizari jubet, quando voluerit. VII. Presbyteros vetat digamorum nubentium adesse convivio. VIII. Virum adulteræ laicum repellit ab ordinibus; si verò uxor ejus post ordinationem scortetur, illam dimitti jubet; si retinet, movet officio. IX. Presbyterum, qui ante promotionem fornicatus est, offerre prohibet, aliis tamen officiis fungi ipsi concedit. X. Eadem de Diacono, qui ante ordinationem in fornicationem incidit, ac de Presbytero constituit. XI. Negat Presbyterum ante trigesimum ætatis annum esse ordinandum, quia annos natus xxx. Christus docere cœpit. XII. Laicum qui ægrotans baptizatus est, ad ordines promoveri vetat, quia fides ejus ex necessitate descendit. Admitti tamen potest, propter pietatem ejus, *Atque hominum raritatem.* XIII. Presbyteris ruris facultatem adimit, in Dominico offerre, præsente Episcopo, & urbis Presbyteris. XIV. Chorepiscopis, qui ad exemplum LXX. videntur esse creati, offerre concedit, utpote honorandis propter studium in pauperes. XV. Septenario numero, vel in majoribus urbibus Diaconos includit, ad exemplum Apostolicum.

Lab. Conc. t. 1. 1490.

ANNO U. C. 1068. PER. JUL. 5028. JUL. 360. DOM. 315. CONSTANTINI 10. LICINII 9. *Sol.* 16. B. *Lun.* 12. *Indict.* 3. *Epact.* 8. *Epact. Sol.* 6. P. 10. *April.*

ANNO DOM. 315.

COSS. Constantinus IV. & Licinius IV.

Vettius Rufinus Præfectus Urbis.

I. IN benignitate sua erga Donatistas, qui à Synodo Arelatensi appellabant, declaranda Constantinus perseverans, redeuntibus in Africam annonam concessit. Hinc exemplum Epistolæ Præfectorum Palatio ad Celsum Vicarium: *Petronius, Anianus, & Julianus Domitio Celso, Vicario Africæ. Quoniam Lucianum, Capitonem, Fidentium, & Nasutium Episcopos, & Mammarium Presbyterum; quos secundum cæleste præceptum Domini Constantini, Max. invicti, semper Augusti, ad Gallias cum aliis legis ejus hominibus venerant, dignitas ejus ad lares proprios venire præcepit, angarialem his cum annonaria competentia, usque ad Arelatensem portum, secundum imperatum æternitatis ejusdem clementissimi Principis dedimus, frater, quâ inde Africam navigent. Quòd solertiam tuam literis nostris scire conveniat. Optamus te, frater, felicissimum benevalere. Hilarius, Princeps obtulit* IV. *Kalendas Majas Treveris.* Quâ

Annona concessa Donatistarum Episcopis.

Bar. An. 314. n. 70.

subscriptione erroris moneri sui Baronius debuit, qui anno superiore Epistolam existimat fuisse missam. Quem sanè cepit oblivio Concilium Arelatense, ad quod venerant Lucianus, Capito, Fidentius, Kalendis Augusti incepisse celebrari. Ex quo intelligitur, concessam Episcopis ex Gallia in Africam redeundi facultatem in vigesimum octavum Aprilis anni non CCCXIV. sed præsentis incidere.

Ingentius falsarius à Constantino evocatur.

Aug. Ep. 68.

II. Fraudibus *Ingentii* justè succensens Constantinus Petronio Probiano Africæ Proconsuli præcipit, sibi Ingentium mitti. Successerat Probianus Æliano, qui Cæciliani Carthaginensis Episcopi negotium tractaverat. Verba sunt Epistolæ: *Cùm jam Superium Centurionem & Cæcilianum Magistratum Aptungitanorum, & Saturninum Excuratorem, & Calibium Juniorem ejusdem civitatis Curatorem, atque Solonem, servum publicum supra scriptæ civitatis, præsentes esse fecisset, audientiam præbuit competentem, adeò ut cùm Cæciliano fuisset objectum, quòd à Felice eidem Episcopatus videretur esse delatus, cui divinarum Scripturarum proditio atque exustio videretur objecta, Innocentem de eo Felicem fuisse constiterit. Denique cùm Maximus Ingentium Decurionem Ziguensium civitatis Epistolam Cæciliani ex divino jure falsasse contenderet, eundem ipsum Ingentium suspensum actis, quæ suberant, pervidimus, & ideò minime torcum quòd se Decurionem Ziguensium civitatis asseveraverit. Unde volumus, ut eundem ipsum Ingentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum Constantini Augusti mittas, ut illis qui imprasentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus & coram assistentibus apparere, & intimari possit, frustra eos Cæciliano Episcopo invidiam comparare, atque adversus eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet, ut omissis sicut oportet, contentionibus, populus sine dissensione aliqua, religioni propria cum debita veneratione deserviat.*

An. 314. n. 30.

Quæ quidem Epistola anno currente exarata est, non *præterito*, uti sibi persuasit Baronius. Hoc ex eo liquet, quòd Ælianus, qui anno 314. administrabat Africam, Probiano decesserat, cui Epistola dirigitur Imperatoris.

Donatistas & Cæcilianum accersit Constantinus.

III. Cùm animo quieto vivere nullo modo possent Donatistæ, de Arelatensi judicio ad Imperatorem provocarunt. Importunis turbulentorum precibus cessit Princeps mansuetissimus, veritus ne si resisteret, magis ac magis discordia cresceret. Ut appellatione susceptâ, causæ cognitionem ingrederetur, placuit partes litigantes accersiri. Augustinum audiamus: *Jussit enim ille, ut eò partes ad agendam causam Romam occurrerent. Quò cùm Cæcilianus, nescio quâ causâ, non occurrisset, interpellatus ab eis præcepit, ut Mediolanum sequerentur. Tunc se aliqui eorum subtrahere cœperunt, fortasse indignati, quia non est eos imitatus Constantinus, ut jam statim atque velociter Cæcilianum damnaret absentem. Quod ubi cognovit providus Imperator, reliquos ab Officialibus custoditos fecit Mediolanum pervenire.*

Aug. Ep. 162.

Imperialium horum jussorum mentionem in ea Epistola fieri, quam Constantinus Episcopis misit, Valesius, eruditique complures sibi persuadent: *Hoc mihi placuerat, ut ad Africam reverteremini, ut illic omnis causa, quæ vobis adversus Cæcilianum competere videtur, ab amicis meis, quos elegissem, cognosceretur, atque finem debitum reciperet.* Mutatur verò ob Donatistarum pertinaciam sententia: *Placuit mihi*, inquit, *ut Cæcilianus juxta prius tractatum hùc potius veniat, quem credo juxta literas meas hùc affuturum.* At quantum in re dubia conjicere datur, hæc potius innuunt, datum Cæciliano mandatum, ut se Brixiam conferret post Melchiadis judicium. Ac sanè cùm Imperatori constitutum esset in animo, in Africam migrare, ut ibi de Cæciliani causa cognosceret, vix dubitari potest, quin Donatistæ finitâ Arelatensi Synodo patriam repetierint Principis consensu. Neque latuit eum ille reditus, cujus & mentionem facit ad Celsum Africæ Vicarium Præfectorum Epistola. Cùm igitur Constantino ignoraretur Donatistarum reditus, quo tempore scriptum Episcopis, *Ante paucos quidem dies, hoc mihi placuerat, ut ad Africam reverteremini*, ad Donatistas in urbe consistentes, ut de sua cum Cæciliano lite Melchiades judicaret, Epistolam missam esse colligimus. Cui & illud accedit, quòd si anno 315. exarata est ea ad Episcopos Epistola, quâ Cæcilianus accersitur, rescripto quidem ad Celsum posterior esse debuisset. Ideòque consilii etiam meminisset, quod Imperator agitarat, ut ipse in Africa litem Cæciliani componeret. Baronius in divinando industrius, Principis ad tribunal adventum negasse suum Cæcilianum putat, quòd censeret *indignum Africæ Primatem, post duplex Concilium Episcoporum, subjicere debere Laici hominis, nec dum baptizati judicio.* Mirum sanè conjectorem, qui absentiæ Cæciliani causam novit, quam ignoravit Augustinus, cui tamen Baroniana hæc ratio, si idonea est, in mentem statim venire potuit.

Bar. An. 316. n. 60.

Constantinus vult in Africam migrare de lite Cæciliani finienda.

IV. Ut ergo citius, commodiusque pax in Ecclesiis Africæ constitueretur, Constantinus Celso Vicario pollicetur, se in Africam venturum, ut Cæcilianum inter & Donatum de schismate judicaret: *Perseverare Menalium in ea quam jamdudum susceperas insania, cæterosque qui à veritate Dei digressi, errori se pravissimo dediderunt, proxima etiam tua gravitatis scripta testata sunt, quibus inhærentem te jussioni nostræ, temeritate seditionis ipsorum, eoque tumultu, quem apparabant, inhibitum esse memorasti, frater charissime. Unde quoniam ex eo patuit, ipsos nefarias res cogitasse, quod cùm statuissem inter ipsos, & Cæcilianum, plenissimè super allegationibus diversis requirere, præsentia mea se susceptâ fugâ subtrahere laboraverunt. Hoc ipso turpissimo facto, confessi ad ea se redire properare quæ & anteà fecerant, & nunc agere perseverant. Et cùm constet minimè unumquemque propria penitùs delicta lucrari, etiamsi paulisper eorum fuerit coërcitio dilata, mandandum gravitati tuæ duxi, ut interim quidem eosdem omittas, & dissimulandum super ipsos esse cognoscas. Verùm lectâ hâc Epistola, tam Cæciliano, quàm iisdem planum facias, quod cùm favente pietate divinâ Africam venero, plenissimè universis tam Cæciliano, quàm his, qui contra eum agere videntur, lecto dilucido judicio demonstraturus sum, quæ & qualis summæ divinitati sit adhibenda veneratio... Easdem personas, quæ res istiusmodi concitant faciuntque, ut non cum ea quâ oportet veneratione summus Deus colatur, perdam & discutiam &c.* Quibus apparet, loco non suo ab Annalium parente Epistolam referri, quam Mediolanensi de Donatistis Constantini judicio posteriorem fuisse putat. Causam tamen ab Imperatore nondum judicatam fuisse, tantùm non clamat Epistola, quæ futurum in Africa judicium pollicetur, quod tamen causis, quæ nos latent, non in Africa, sed Mediolani anno sequente datum est.

Bar. An. 316. n. 66.

V.

Anno Dom. 315.

De Judæis Lex Constantini. Josephi Comitis historia. Apostolorum Judaicorum munus.

Cod. Theod. de Judæis l. 16. Tit. 8. 1.

V. Dum pro pace Ecclesiæ excubat Constantinus, curam quoque impendit suam, ne Christianis insidias faceret inexplebilis furor Judæorum. Cùm Dei favore major esset indies Ecclesiæ gloria, ex recutitorum grege complures abjectâ pertinaciâ suâ, ad Christi disciplinam adhærescebant. Quod cùm molestè ferrent, qui Legis umbras pertinacius sequebantur, in Sanctæ Religionis Proselytos asperè invehebantur. Vigilavit ergo Constantini providentia, decretaque sua, veluti clypeum munitissimum Judæorum telis objecit: *Constantinus Imperator ad Evagrium. Judæis & majoribus eorum, & Patriarchis volumus intimari, quòd si quis post hanc Legem aliquem qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere, (quod nunc fieri cognovimus,) ausus fuerit attentare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Si quis verò ex populo, ad eorum nefariam sectam accesserit, & Conciliabulis eorum se applicaverit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit. Data xv. Kal. Novemb. Murgillo Constantino Augusto IV. & Licinio A. IV. Coss.* Josephum Comitem, cujus legitur Historia apud Epiphanium, autorem Constantino fuisse ferendæ Legis adversus hujusmodi Judæorum furores, Jacobus conjicit Capellus. Neque respuenda prorsus est viri doctissimi conjectura hæc. Josephus ille Tiberiadensis erat, ex illorum ordine, qui apud Judæos principem locum dignitatis obtinent, quos quidem secundum Patriarcham Apostolos nominant. Erat tum Patriarchæ nomen *Ellel*, ex stirpe *Gamalielis*, qui autor consilii Judæis fuit, ut à persequendis Apostolis abstinerent. Neque iste *Ellel* est cum *Hullo* permiscendus, quod factum à Scaligero Canonum Isag. libro 3. Doctissimi viri lapsum Chronologia refellit. Floruit quippe Hullus ætate Origenis, qui etiam illius meminit, teste in Apologia sua adversus Rufinum Hieronymo: *Certè*, inquit, *etiam Origenes Patriarcham Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat.* Cùm mors Elleli immineret ab Episcopo, quem quasi medicum evocaverat, baptismum flagitat, quem & suscepit. Per januæ commissuram furtim Josephus observabat, quæ ab Episcopo Patriarchæ fierent. Cùm Josephi animum sollicitum haberet eorum recordatio, quæ in baptismo arcana fieri viderat, Gazophylacium aperit, in quo nil pecuniarum reperit, sed libros sacros, Evangelium scilicet in Hebraicum conversum, unà cum Apostolorum Actibus. Quibus perlectis, animus ejus excruciari cœpit. Quo tamen obdurato, dum permanet Judas Ellelis filius, qui in defuncti dignitate successerat, in mulierem eximiæ specie Christianam in balneis agentem incidit. Quam adamatam cùm muneribus frustra sollicitasset, sociorum consilio sepulchra ingreditur. Ibi magica carmina concepto etiam mulieris nomine expediunt. Sceleratis digressis, Josephus cum sene, qui Judæ custos appositus fuerat, sepulchrum ingreditur. Ferialia repe, riunt instrumenta, humano potu ac sanguine respersa, immisto pulvere. Cùm tres integras noctes, mulieris alliciendæ causâ, Judas frustrà substitisset, quæ se Christi signo, & fidei præsidio tuebatur, tandem cum impostoribus jurgio contendit. Neque propterea Christianus ut fieret, Josephus in animum induxit. Secundum hæc, Christus ei se in somnis objiciens, ad fidem hortatur, ac ne ita quidem credidit. Ubi verò in desperatum morbum incidit, iterum Dominus se ei rursus apparens, ut in se credat monet, ita valetudinis compotem futurum spondet. Hoc ubi facturum recepit, repentè convaluit. At cùm in pristino errore perseveraret, morbo vehementissimo correptus, ex Legisperitis unus, auribus ejus insusurrat, Crede Jesum Christum esse Dei. Cùm nihilominus obfirmaret animum, Christus iterum se in somnis objiciens, Te, ait, sanitati restituo, *Surge modò, & nunc demum credito.* Ubi convaluit, ne tum quidem credidit. Per idem tempus Judas Apostolatus honore, & commodis ornat Josephum, qui in Ciliciam profectus, decimas à Judæis exigebat. Contractâ cum Episcopo familiaritate, clam ab eo Evangelium postulat. Dum in legendo versatur, Sacerdotes & Presbyteri Judæorum, quos in ordinem redegerat, improviso impetu in ædes facto legentem opprimunt: maximis vexatum contumeliis, in Synagogam abducunt, virgis cædunt. Accurrit Episcopus, eumque de furentium manibus eripuit. Aliàs deinde cùm iter agentem Judæi offendissent, in *Cydnum* abjiciunt. Sed is servatus, posteà cælesti lavacro dignatus est. Hinc ad comitatum profectus, ad Constantini amicitiam pervenit, eique quidquid sibi acciderat, exposuit. Quòd illata Josepho à Judæis injuria, legi in Judæos latæ occasionem dederit, habet in se quandam veri similitudinem. Quod verò addit Epiphanius, Josephum à Constantino Comitem factum, impetrasseque maximi beneficii loco, ut in Judæorum pagis omnibus, & oppidis, extruendarum in Christi honorem Ecclesiarum facultatem Imperatoris edicto assequeretur; præcipuè Tiberiade, Nazaretho, Capernaum, ubi inter Judæos, neque Ethnicus, neque Christianus habitabat; id postmodum contigisse debuit defuncto Licinio, cui in has urbes potestas erat. Cæterùm de munere quod Josephus exercebat, paucis dicendum. Judæis erant Apostoli sui, de quibus in Honoriana lege anno 399. promulgata mentio fit: *Superstitionis indigna est, ut Archisynagogi sive Presbyteri Judæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent.* Hinc liquet, id muneris honori fuisse. De ea dignitate Epiphanius hæresi xxx. *Sunt autem post Patriarcham, qui vocantur Apostoli, assidentque Patriarchæ, & cum ipso sæpè assiduè nocte ac die agunt consulendi gratiâ, ut & referant ad eum, ea quæ ad Legem spectant.* Censores quoque illorum præstabant, qui in officio apud Judæos constituebantur. Judæorum Apostolis Paulina verba allusisse, creditum Hieronymo Commentario in versum primum Epistolæ ad Galatas: *Usque hodie à Patriarchis Judæorum Apostolos mitti, à quibus etiam tunc reos Galatas depravatos, legem observare cœpisse. . . Ad distinctionem itaque eorum qui mittuntur ab hominibus & sui, qui sit missus à Christo tale sumpsit exordium Paulus Apostolus, non ab hominibus.* Ad Apostoli apud Judæos dignitatem Josephus evectus est, teste Epiphanio: *Cùm jam Patriarcha Judas ad robustam ætatem pervenisset, Josephum præmii loco Apostolatus honore ac commodis exornat.* Josephum Christianum factum pro innato sibi Religionis amore quàm acerrimè Judæi persecuti sunt.

Anno Dom. 315.

Epiph. h. 30.

Cod. Th. l. 6. 229.

VI. Est in monumentis publicis, hoc ipso anno à Sylvestro Synodum Romæ congregatam

Acta Sylvestri subdita.

Anno Dom. 315.

tam fuisse: *Constantino IV. & Licinio IV. Coss. die Iduum Martiarum, facta est Synodus in urbe Roma, in qua diversarum Provinciarum fuere Episcopi, numero LXXV. Sacerdotes Judæorum CIX. exceptis iis XXI. qui ab Issachar Pontifice altercationis gratiâ fuerant destinati.* Hæc autem convocandi ratio perhibetur, *Quòd Helena, cùm esset in Oriente, unà cum duobus nepotibus Constantino atque Constante Augustis, & Gentilis adhùc à Judæis penè Judæa effecta, & commota in Constantinum filium quòd Christianam Religionem sectaretur, ad eundem infenso animo scripserit, multasque blasphemias in Christum ipsum, ad Judæorum tandem amplexandam religionem invitarit. Ad quam ille rescribens statuit, ut utranam præstantior Religio foret Christianorum, an Judæorum, in publico Romæ conventu celebrando, disputatione inter eos habitâ probaretur, sicque à Judæorum summo Pontifice Issachar fuisse delectos præstantissimos quosque Judæorum, qui contra Sylvestrum, cæterosque Christianos Episcopos, coram ipsorum patrona Helena, & Constantino Augusto differerent.* Hæc ex Codicibus Vaticanis S. Mariæ Majoris à Baronio descripta sunt. Placuit recentioribus Græcis fabula. Omnium nomine audiatur Nicephorus: *Helena in Bithynia tum agebat. Ibi Judæi Imperatoris mutationem secum ipsi reputantes, matri ejus suadent, ut ad filium scribat, eumque admoneat, recte quidem fecisse, quod ab Idolorum cultu discesserit, non rectè autem, quod novam Nazarenorum Religionem sit complexus, quod illa fecit.* Lectis literis, Constantinus Judæorum & Christianorum Episcoporum de Religione in urbe Rom. instituit colloquium. Aderant Episcopi non LXXI. sed XXV. Conventui præsentes erant Constantinus & Helena: *Cùm autem sacratissimus Sylvester, eloquentia vi, multis modis illos ita superaret, ut eum magna cum admiratione delecti illi Judæi hiantes ore stupentes audirent, efficaci responsionum ejus persuasione consternati, cùmque postremò taurum veneno ille necatum, invocato Christi nomine restitueret, omnes ad pedes ejus sunt provoluti, cultuque suo projecto, idem de Religione cum Sylvestro senserunt.* At fabula hæc est, ad risum & ineptias comparata. Scilicet imperante Constantino summus Judæis Pontifex erat nomine Issachar, & Constantinus Helenæ nepos anno 315. Augustum agebat, quem anno duntaxat CCCXVII. *Gallicano & Basso Coss.* Cæsarem creatum narrant Hieronymus atque Idacius, & *Constam Augustum*, qui anno paterni imperii decimo, vel nondum natus erat, vel saltem in cunis vagiebat, in Oriente cum avia versabatur. Nesciebant fabulatores, *Constantinum in Arelatensi oppido ante non multos dies in lucem editum*, anno CCCXIV. quo Cibalensis pugna commissa. Constantinus autem Imperatoris filius, Constante fratre suo natu major erat. Itaque diù post Constantinum Constans à patre suo Cæsar creatus est; quod à nobis ignorari non patitur Eusebius: *Constans qui præsentiam & stabilitatem suo nomine designat, tricesimo circiter paterni Principatus anno ad hoc fastigium evectus est.* Quî potuit igitur Helena anno CCCXV. in Oriente cum *Constante Augusto* versari: qui vel post Helenæ obitum Cæsaris dignitatem adeptus est? Quid multa? Eusebius accuratus vitæ Constantini Imperatoris Scriptor, celeberrimam silentio disputationem non præteriisset, quâ factum, ut Helena Christianæ disciplinæ adjiceretur.

Bar. An. 315. n. 10.

Niceph. l. 7. c. 36.

Zozim. l. 2. c. 21.

Euseb. l. 4. de Vit. Const. c. 40.

Anno Dom. 315.

De Judæorum cum Sylvestro disputatione. Commentum esse probatur.

VII. Factum benè: beavit nos Baronius, qui in Actis Sylvestri *complura veritati manifeste adversantia perspicuè demonstravit.* Portenta meritò judicantur, jejunium Sabbati per Sylvestrum abrogatum, diem Dominicum per eundem institutum esse, aliaque furfuris ejusmodi. At Baronio, Labbeo, Capello, aliisque eruditis ægrè fidem accommodamus, existimantibus præsente Constantino celeberrimam disputationem Judæos inter & Sylvestrum habitam, instantibus Constantino & Helenâ. De cujus eventu Acta Sylvestri, quæ ab Hadriano Pontifice ad Carolum M. scribuntur 3. Epistolâ, his verbis citata reperiuntur: *In ipsis exordiis Christianorum, cùm ad fidem converteretur Imperator Constantinus, mater sua Helena Augusta ad eum cum duodecim Scribis, & Pharisæis, ac Magistris & Principibus Judæorum in urbem Romam venit, & ipsa unà cum filio suo Constantino Augusto, Concilium Judæos cum Christianis facere censuerunt. In quo præsidens S. Papa Sylvester, cum plurimis Sanctissimis Episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tam per sacram Scripturam, quàm per miracula, Domino protegente, victores effecti sunt.* Antiquitatis aliquid Actis Sylvestri fuisse docet & Gelasii decretum, de libris Canonicis Ecclesiasticis & Apocryphis, utpote de Actis mentionem movens: *Actus B. Sylvestri Apostolicæ sedis Præsulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, à multis tamen in urbe Roma Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu multæ hæc imitantur Ecclesiæ.* Est autem probabilissimum, ipsissima Acta esse, quorum meminit Adrianus Papa, in sua ad Carolum Magnum Epistola. Vultu tamen fallaci Antiquitatis frustrà sibi fidem quærunt Acta, veluti ab Adriano laudantur, quod nempe cùm ad fidem converteretur Constantinus, Helena cum duodecim Scribis, & Pharisæis, & Principibus Judæorum venerit Romam, ubi complurium Episcoporum celebrata Synodus, per Scripturam & miracula in disputando de Judæis triumpharunt. Convellit traditionem Lactantius, quo discimus anno CCCXII. nocturno ostento ad fidem Constantinum adductum fuisse, ac cæleste signum in scutis notasse. Exinde multa amoris sui in Christi religionem dedit magnus Imperator. Si ergo dum ad fidem convertitur, Helena cum Judæorum Principibus venit Romam, hæc igitur disputatio in urbe facta est anno CCCXII. Hoc autem falsum esse testatur Lactantii ea de re silentium, qui ad annum usque CCCXIV. eximium de Mortibus Persecutorum Opus perduxit. Quis eò Lactantium incuriæ ac negligentiæ processisse credat, ut disputationem tam celebrem, tamque memorandam oblivione contereret? Neque magis excusari potuisset Eusebius, qui de ea Judæorum cum Episcopis disputatione, quâ Helena ad fidem perducta est, nil posteris commendavit, in tot libris de Vita Constantini scriptis. Sed nec Antiquitati magis nota hæc de errore Judæorum victoria. Neque vestigii reperimus aliquid, Synodi anno CCCXV. in urbe celebratæ, ut mandato Constantini Episcoporum cum Judæis de Religione disputatio institueretur. Quòd si nonnullis commentum adhùc placeat, Paulinum audiant, qui illo ipso seculo floruit, quo ex ea disputatione fidem imbibisse animo Helena perhibetur. Sic Severum compellat Paulinus Epistolâ XI. de Veneris Templo, aliisque ædificiis, quæ in locis sacris erant consti-

Bar. An. 315. n. 17.

Lact. de Mort. c. 44.

ANNO DOM. 315.

constituta: *Mansit hoc seculi prioris nefas, in tempora nostris proxima Constantini, qui Princeps esse Principibus Christianis, non magis suâ, quàm matris Helena fide meruit.* Quibus apparet atque extat, ejus opioionis fuisse Paulinum, quòd Helena fidem ante susceperit, quàm Constantinus obtineret imperium. Nostro quidem judicio fallitur Paulinus, in eam tamen sententiam descendere vix potuisset, admisso Helenæ cum Judæis adventu Romam; ubi post disputationem abdicato errore, Christianam religionem coluit. Cujus traditionis fundamentum in eo collocatur, quòd Constantinus antè creatus sit Imperator, quàm Helena Christiana fieret. Quod fundamentum cùm Paulinus convellat, hanc quoque traditionem unà cùm Actis Sylvestri percellit.

Templum Tyriense. Nùm in Templis Christiani sederent?

VIII. Eoucleare difficillimum, quibus præcisè temporibus dedicationum festivitas per singulas urbes, & Oratoriorum recèns constructorum consecrationes, post extinctum Maximinum in Oriente peractæ sint. De Tyriensi Templo, omnium quæ in Phœnice sunt, longè pulcherrimo, Encænia Tyri celebrantur, quæ ut coojectura est, in hunc annum incidere. Vix citius ornatissimum ædificium consecrari potuit, de quo ædificando Paulinus Tyriensis Episcopus animum non instituit ad cogitandum, nisi anno CCCXIII. jam adulto. Sed & in annum labentem Constantini Decennalia incidebant, dedicationi ejusmodi congrua. Quorum celebratio si in annum sequentem translata est, ut eruditi nonnulli opinantur, non pugnamus quin & eo tempore festivitas Tyriensis agitata sit. In Ecclesiastico compluriurn Episcoporum conventu oratio Panegyrica recitatur, cujus Autorem existimamus Eusebium Cæsariensem. Templum egregiè describitur. Illud verò præcipuè observandum de situ ejus: *Magnum atque excelsum vestibulum, ad ipsos Solis Orientis radios extendit, iis qui à sacro loci ambitu longius remoti sunt, conspectum quendam eorum, quæ intùs reconduntur, abundè exhibens.* Sic Templi sacrarium Occidenti obvertebatur: *Porro cùm Templum in hunc modum absolvisset, thronisque altissimis in honorem præsidentium, ac præterea subselliis per universum Templum ordine dispositis exornasset, postremò Sanctum Sanctorum, altare videlicet, in medio constituit. Utque hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursum ligneis cancellis munivit.* Miramur primâ specie, subsellia per universum Templum deposita. Scimus enim ex Optato, facultatem Laicis in Ecclesia sedendi concessam oon fuisse:

Euseb. l. 10. 14.

Opt. l. 4.

Dum peccatorem arguit, & sedentem increpat Deus, specialiter ad vos dictum esse constat, non ad populum, qui in Ecclesia non habet sidendi licentiam. Cuinam igitur usui subsellia per universum Tyriense Templum? At si dum sacrum officium celebratur, Laicis sedere non licuit, antequam inciperet, utique licuit: Qua de re egregius est Clementinis io Constitutiomibus locus: *Si quis repertus fuerit, qui sedeat loco non decente, increpetur à Diacono, . . . traducaturque in locum qui eum deceat. . . . In Ecclesia adolescentes quidem seorsum sedeant, si locus sit. Sin autem non sit, stent ætate verò provecti; ordine sedeant, pueros autem stantes, patres & matres eorum suscipiant; rursus adolescentula sursum, si fuerit locus. Si verò non fuerit, post mulieres locentur. Nuptæ jam & matresfamilias item seorsum. Virgines autem & viduæ, & anus, primæ omnium stent, aut sedeant. Locis verò occupandis præsit Diaconus, ut quisque eorum qui ingrediuntur, in locum suum se conferat, & nemo præter decorum sedeat.*

Const. Apost. l. 2. c. 57.

Sedentium quoque in Ecclesia mulierum mentio est apud Athanasium, cujus versio non placet: Ἄρτι γὰρ ἔσω ἀπὸ τῆς εὐχῆς ὀλίγαι καθεζόμεναι, *etenim novissimè post orationem mulierum, pauca numero sedebant.* Meridionalem viri, Septentrionalem verò Templi partem mulieres occupabant Romanorum in Ecclesia: *Diaconus cum legit Evangelium, juxta Romanum ordinem, in ambone vertitur ad Meridiem, ubi masculi conveniunt, non ad Aquilonem, ubi fœminæ consistunt.* At Clericis sacra officia conficientibus, sedere nefas Laicis. Imò dum Evangelium legebatur, stare & Græcis solemne erat. Docent hoc Constitutiones, quæ Apostolicæ usurpantur: *Cùm legitur Evangelium, Presbyteri, & Diaconi, universusque populus magno cum silentio stent, scriptum est enim, Tace, & audi Israël, & rursum, Tu autem sta ibi & audies.* Nec alieni hi mores Latinorum ab institutis, de quibus Micrologus: *Juxta decretum Anastasii Papæ non sedetur, donec Evangelium legitur. Quæ reverentia, ut ajunt, & Apostolica lectioni apud Græcos exhibetur.* Neque Laici sedebant Clericis concionantibus. Itaque cùm Eusebius Constantini in regia de Servatoris sepulchro orationem haberet: *Nobis*, inquit, *ab eo postulantibus, ut in regali solio, quod juxta positum erat, sedere vellet, nunquam adduci potuit, ut sederet.* Quibus observatis, de subselliorum usu docemur, quæ in Templo Tyriensi collocata fuere.

ANNO DOM. 315.

Athan. Ep. ad Solit. t. 1. 847.

Microl. c. 9.

Const. l. 2. c. 57.

Microl. de Eccles. Observ. c. 9.

Euseb. de Vit. Const. l. 14 c. 31.

ANNO U. C. 1069. PER. JUL. 5029. JUL. 361. DOM. 316. CONSTANTINI 11. LICINII 10. *Sol.* 17. A. G. *Lun.* 13. *Indict.* 4. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 7. I. P. 25. *Mart.*

ANNO DOM. 316.

COSS. Flavius Sejonius Sabinus & Rufinus.

Ovinius Gallicanus Præfectus Urbis.

Mediolanense Constantini de Donatistis judicium.

I. EX tumultuosa & seditiosa vita, in quietam se tradere Donatistæ non poterant. Contempto Arelatensi judicio ad Constantinum appellarant. Cui negotio, utpote Ecclesiastico, invitus sese immiscuit. Cùm verò spe duceretur, autoritate suâ tantis litibus finem imponi posse, partes demum audire voluit. Quæ ex Augustino demonstrantur, cujus verba sunt exscribenda: *Neque enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de Episcoporum judicio, qui Romæ sederant, ipse judicaret, sed alios, ut dixi, Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem provocare maluerunt. Quæ in re quemadmodum illos detestetur audistis. Atque utinam saltem ipsius judicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent. Atque ut eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret, à Sanctis Antistitibus posteà veniam petiturus, dum tamen illi quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt, sic & illi aliquando cederent veritati.* Quid exinde gestum sit, *Gloriuм* docet, & Eleusium, in eadem Epistola: *Jussit ille, ut ei partes ad agendam causam Romam occurrerent. Quo cùm Cæcilianus, nescio quâ causâ non occurrisset, interpellatus ab eis, præcepit ut Mediolanum sequeretur. Tunc se eorum aliqui subtrahere cœperunt, fortasse indignati, quia non eos imitatus Constantinus, ut jam statim atque velociter Cæcilianum damnaret absentem. Quod ubi*

Aug. Ep. 162.

Anno Dom. 316.

cognovit providus Imperator, reliquos ab Officialibus custoditos fecit Mediolanum pervenire. Quò cum etiam Cæcilianus pervenisset, ipsum quoque sicut scripsit, exhibuit. Cognitâque causâ, quâ diligentiâ, quâ cautelâ, quâ provisione, sicut ejus indicant literæ, Cæcilianum innocentissimum illos improbissimos judicavit. Quod magni judicium Imperatoris magnâ prudentiâ conditum est. Remotis enim arbitris, Officialibus Consistorianisque Judicibus, quorum plerique Ethnicæ superstitioni adhùc inhærebant, solus ipse judicium tractavit. Aures iterum Augustino præbeamus: *Recitatum est judicium Constantini, quemadmodum se inter partes, causam Cæciliani cognovisse ad Eumalium Vicarium Africæ scripsisset, quo remotis omnibus arbitris, Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos comperisse testatus est, commemorans etiam in Arelatensi oppido, pro Cæciliano factum Episcopale judicium, cui judicio jam plurimi ex dissensione consenserant, reliquis adhùc resilientibus, & discordantibus: unde ipse de re tota inter partes coactus est judicare.* Quo clanculario Principis judicio male sanè Ecclesiarum jurgia tegebantur, ac quasi quibusdam velis obtenderentur, ne Christianæ Religionis inimicis innotescerent. Puero Constantinus Cæciliani attestatus innocentiæ, *Ad Eumalium Vicarium de purgatione Cæciliani scripsit, Sabino & Rufino Coss.* IV. *Idus Novembris, id est, post biennium & menses prope octo.* Extat apud Augustinum pars sententiæ in ea cognitione prolatæ: *Insero adhùc & verba Constantini, ex literis ad Eumalium vicarium, ubi se inter partes cognovisse, & innocentem Cæcilianum comperisse testatur. Cùm enim narrasset in his quæ supra locutus est, quemadmodum ad judicium ejus post Episcopalia judicia partes perducta fuerint. In quo pervidi, inquit, Cæcilianum, virum omni innocentiâ præditum, ac debita religionis suæ officia servantem, eique ita ut oportuit servientem, nec ullum in eo crimen reperiri potuisse, eidem apparuit, sicut absenti fuerat adversariorum suorum simulatione compositum.* Eò tamen audaciæ Donatistæ processerunt, ut Cæcilianum nocentem judicatum esse comminiscerentur. Hinc Cresconium sic Grammaticum compellat Augustinus: *Tu quare non inseruisti sententiam Constantini, quâ eum dicis esse damnatum, & Brixiæ in exilio constitutum.* Imperatoris judicio dissensio extingui omnis debuit. Sed eò potius accensus furor Donatistarum, quorum turbulentissimi mores, exinde quasi herba irrigua succreverunt uberrimè, ut suo loco planum fiet.

August. Brev. Collat. 3. c. 19.

August. contra Crescon. l. 3. c. 71.

August. contra Crescon. l. 3. c. 61.

Anno Dom. 317.

Anno U. C. 1070. Olymp. 274. Per. Jul. 5030. Jul. 361. Dom. 317. Constantini 12. Licinii 14. *Sol.* 18. F. *Lun.* 14. *Indict.* 5. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 2. *P.* 14. *April.*

Coss. Ovinius Gallicanus & Septimius Bassus.

Septimius Bassus Præfectus Urbis.

Crispi & Constantini creatio in Cæsares.

I. CRispum & Constantinum filios Constantini Imperatoris, Licinium, Licinii & Constantiæ natum, Cæsares hoc anno creatos fuisse, & in Eusebiano Chronico, & in Fastis Idacianis legimus, quam Pagio Chronologiam indubitanter sequi placuit. Est tamen difficultas, quæ nos circumstat. In Nazarii Panegyrico, Crispi Constantinique Cæsarum Quinquennalia cum Constantini Augusti Quindecennalibus copulantur: *Quintum decimum annum maximus Princeps salutaris imperii degit. Sed auguramur jam Vicennalia, & venturi fidem, superiorum felicitate sentimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis Decenniis jam vota properantia & spes volucres constituerunt.* Ut Crispi fratrisque ejus Quinquennalia Constantini Augusti Quindecennalibus cohærerent, anno patris sui decimo Cæsares dici debuere. Responderi tamen potest, non dicere Nazarium, eodem tempore atque die patris *Quindecennalia*, filiorumque *Quinquennalia* celebrata fuisse. Id unum innuit, dum Constantini Imperatoris annus XV. erat in cursu, agitata fuisse Crispi & Constantini Cæsarum Quinquennalia. Constantini patris Quindecennalia incidunt in VIII. Kalend. Augusti anni CCCXX. Dionysiani. Pars ergo decimi quinti Constantiniani anni Dionysiano CCCXXI. insidebat. Neque aliud sibi Nazarius vult: *Quintum decimum annum maximus Princeps salutaris imperii degit.* Dictum non *incipit*, sed *degit*, quo verbo annus, qui partem sui jam compleverat, indicatur. Objicit Baronius, qui eam Cæsarum appellationem anno CCCXV. illigavit autoritatem Eusebii: *Tres autem ejus filii variis temporibus consortes imperii fuerant renunciati. Primus qui patri erat cognominis, decimo circiter paterni imperii anno hunc honorem sortitus.* Quod argumenti Baronio non est auxilio. At Christophorsonianam secutus ille versionem, *Constantinum decimo paterni imperii anno honorem hunc adeptum est*, sibi Chronologiam ejusmodi fabricavit, quòd Crispus & Constantinus anno patris sui decimo Cæsares sint renunciati. Græca tamen si consuluisset, eâ quidem ratione prorsus abstinuisset: Ἀμφὶ τὴν τ πατρὸς δέκα ἐτηρίδα, satis innuunt, annum creationis ab Eusebio præcisè non definiri. Vox ἀμφὶ, *circiter* à Christophorsone neglecta, Baronianum errorem adjuvit; adhibita vero, non Hieronymi Chronologiam evertit Eusebius, non Idacii. Anno quippe Dom. CCCXVII. undecimus Constantini Imperatoris fuit in cursu, ad usque Iulii XXV. quo duodecimus incepit. Quòd si labente Constantiano XI. Crispus Constantinusque Cæsares renuntiati, quidni scribi ab Eusebio potuit, decimo *circiter* paterni imperii anno id dignitatis esse assecutos? Assentimur ergo Fastis Idacianis: *Gallicano & Basso Coss. levati tres Cæsares, Crispus, Licinius, & Constantinus, die Calend. Martii.* Ac rem ita sese habuisse, non levi conjecturâ perpendimus ex Crispi Consulatu, quem anno gessit proximè futuro. Ex Zozimo tamen apparet, simul atque confecto bello Cibalensi anno CCCXV. Constantinum inter & Licinium pax est constituta, Cæsares fuisse designatos: *Ut arctiori se fide ad standum pacti conventis adstringerent, Constantinus Crispum, qui jam adoleverat, & Constantinum in Arelatensi oppido ante non multos dies in lucem editum Cæsares renunciavit, & cum iis Licinianus quoque Licinii filius, qui jam ætatis mensem vigesimum ingressus erat, Cæsar designatus fuit.* Quæ sic intelligenda esse putamus, ut cum Fastis veniant in concordiam. Anno CCCXV. decretam Augustorum filiis Cæsaream dignitatem, quam anno duntaxat CCCXVII. susciperent.

Error Baronii.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 40.

Zozim. l. 2. c. 20.

De Basilicarum usurpationibus Constantini Epistola ad Numidas.

II. Exarmare Donatistarum furorem debuit judicium Imperatoris, in quo autoritas cum mansuetudine certabat. Modum tamen nullum adhibuere, ut ordo, honestas, & decus conservaretur,

Anno Dom. 317.

retur. Imperatoris palam incusant sententiam, eòque furoris delabuntur, ut suas Catholicis Ecclesias ereptum irent. Basilicam in urbe Constantina condi jusserat optimus ille Princeps, quam occupatam sibi vindicant. Nec hæc quidem satis vehemens Constantino causa fuit ad puniendum. Quos sibi constituerat clementiæ terminis adhùc inclusus, scribit Numidiæ Episcopis: Constantinus Victor maximus, ac Triumphator semper Augustus Zeuzio, Gallico, Victorino, Sperantio, Januario, Felici, Crescentio, Pantio, Victori, Babbutio, Donato Episcopis. . . . *Non dubium est hæreses & schisma à Diabolo, qui caput est malitiæ, processisse. Et ideò quidquid ab Hæreticis geritur, ejus instinctu fieret, qui eorum sensus, & mentes, cogitationesque possidet, nulla dubitatio est. . . . Sed quia, ut dictum est, Hæretici & Schismatici, qui bonum relinquentes, & malum sectantes, ea perficiunt quæ Deo displiceant, Diabolo qui eorum pater est, adprobantur adhærere, rectissimè & sapienter gravitas vestra facit, & secundum sanctum fidei præceptum, ab eorum perversis contentionibus temperando, & iisdem remittendo, quod idem sibi indebitum atque alienum usurpare contendunt, ne sicuti est eorum perversitas maligna & perfida, ad seditiones usque prorumperent, & inter turbas atque concentus sui similes incitarent, atque ita aliquid existeret, quod sedari non oporteret. . . . Acceptâ igitur Epistolâ sapientiæ & gravitatis vestræ, comperi Hæreticos, sive Schismaticos eam Basilicam Ecclesiæ Catholicæ, quam in Constantina civitate jusseram fabricari, solitâ improbitate invadendam putasse, & frequenter tam à nobis, quàm à Judicibus ex nostra jussione commonitos, & reddere, quod suum non erat, noluisse; vos autem imitatores patientiæ Dei summi, eorum malitiæ placidâ mente, ea quæ vestra sunt, relinquentes, & potius locum vobis invicem alium, fiscalem scilicet poscere. Quam petitionem more instituti mei libenter amplexus sum, & statim ad rationalem competentes dedi, ut domum bonorum nostrorum transgredi faciat cum omni jure suo ad domum Ecclesiæ Catholicæ, quam promptâ liberalitate donavi, ac vobis tradi penitùs jussi. In quo tamen loco sumptu fiscali Basilicam erigi præcepi; ad Consularem quoque scribi mandavi Numidiæ, ut ipse in ejusdem Ecclesiæ fabricatione in omnibus sanctimoniam vestram juvaret. Lectores etiam Ecclesiæ Catholicæ, & Hypodiacones, reliquos quoque instinctu memoratorum quibusdam pro moribus ad munera, vel ad Decurionatum vocati sunt, juxta statutum legis meæ ad nullum munus statui evocandos. Sed & eos qui ducti sunt Hæreticorum instinctu, jussimus protinùs molestis functionibus absolvi. De cætero etiam legem meam, super Ecclesiasticos Catholicos datam, custodiri mandavi, quæ omnia ut vestra patientia palam fierent, harum literarum testificatione perscripta sunt.* Ex Epistola ea exscripsimus, quæ ad illustrandam Historiam conducunt. Integram exhibent Baronius Ann. 316. n. 62. atque Labbeus Conciliorum t. 1. 1441. Porrò Labbeo assentiri non possumus, qui in annum CCCXIV. Constantini ad Numidarum Episcopos Epistolam contulit. Quo tempore Donatistarum pertinacia nondum à Constantino extorserat, ut Hæreticorum & Schismaticorum nomine eos indueret. Neque adeò obnixè Imperatorem precibus ambiissent, ut de Cæciliani causa cognosceret, si Constantinianam Catholicis Basilicam jam eripuissent. Quo facinore indignissimo, quem appellabant, insensissimum sanè sibi Judicem effecissent.

III. Hoc & ipso anno Constantinus Episcopis per Africam, & plebi Catholicæ Ecclesiæ direxit Epistolam, quæ Judice Labbeo secundum Baronium anno CCCXIV. exarata est. Serius nos editam putamus, ut accuratè verba omnia ponderanti liquebit: *Quod fides debuit, quantum prudentia valuit, proni puritas potuit, tentasse me per omnia humanitatis & moderationis officia, optimè scitis, ut juxta magisteria Legis nostræ, pax illa sanctissima fraternitatis, cujus gratiam Deus summus famulorum suorum pectoribus immiscuit, stabilita per omnem concordiam teneretur. Sed quia vim illam sceleris infusi, paucorum licet sensibus pervicaciter inhærentem, intentionis nostræ ratio non potuit edomare, favente adhùc sibi huic negotio patrocinio, ut extorqueri sibi omnia non sinerent, in quo se deliquisse gauderent. Spectandum nobis est, dum totum hoc per paucos sedit, in populum omnipotentis Dei misericordia mitigetur. Inde enim remedium sperare debemus, cùm omnia bona vota, & facta* referuntur. Verum dum *cælestis medicina procedat, hactenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientiam percolamus, & quidquid insolentia illorum pro consuetudine intemperantiæ tentat aut facit, id totum tranquillitatis virtute toleremus. Nihil ex reciproco reponatur injuriæ, vindictam enim quam Deo servare debemus, insipientis est manibus usurpare, maximè cùm debeat fides nostra confidere, quidquid ab hujusmodi hominum furore patietur, martyrii gratia apud Deum valiturum*, &c.

De Donatistis ad Afros Epistola Constantini.

Bar. An. 314. n. 71.

IV. Vidimus Donatistas audaciâ suâ nixos, cum mansuetudine Constantini, Synodorumque decretis petulanter colluctantes, Basilicas vi usurpantes, quo crimine ab uno omnia discimus. Juvat tamen de turbulentissimorum moribus aliquid adtexere, quò magis innotescant, Natalisque Alexandri, ac quàm plurium farinæ ejusmodi hominum contundatur iniquitas, quibus placuit *Calvinistarum hæresim* ab hisce moribus damnari, *facto schismate Donatistis simillimorum*. Eò dementiæ processit rabies Donatistarum, ut sacra omnia pedibus proculcarent, nullâ quidem Idololatriâ, nullo superstitionis veneno contaminata: *Ut omnia sacrosancta vestri Episcopi violarent, jusserant Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt. . . . Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt. Et cùm casum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret. Projecta casum sentire non potuit, Deo muniente illæsa inter saxa consedit.* Qui tantum Christi mysterium injuriâ affecerant, sacris mensis non pepercere, non calicibus. Impium furorem narret iterum Optatus: *Quid est tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt. . . . Quid est enim altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit.* Fractos calices conflarunt: *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portitores, quorum species revocastis in massas, mercedem nefariis nundinis procurantes. . . . Emerunt forsan in usus suos sordida mulieres. Emerunt*

Mores Donatistarum.

Optat. lib. 2.

Pagani,

Pagani, facturi vasa, in quibus incenderent Idolis suis. Ad pœnitentiam innocentes, purasque Virgines adigebant: *Jam illud quàm stultum, quàm vanum, quod ad voluntatem & quasi ad dignitatem vestram revocare voluistis, ut Virgines Dei agerent pœnitentiam, ac jam dudum professa signa voluntatis capitibus, posteà vobis jubentibus immutarent, ut mitellas aureas projicerent, alias acciperent.* Ecclesias quoque quasi sordidas variis ablutionibus purgabant: *Jam illud quale est, quod in multis locis etiam parietes lavare voluistis, & inclusa spacia, salsa aqua, & spargi præcepistis.* Furoris ejusmodi specimina benè multa apud Optatum l. VI. legi possunt. Cùm porro nullum violentiæ suæ modum statuerent, tandem iram Imperatoris in se provocarunt. Itaque & eorum Basilicæ fisco addictæ, & ipsi in exilium pulsi, ut anno proximè futuro exequemur, quo ea contigisse existimamus.

Initia Arianæ hæreseos. Arii persona.

Oros. l. 7. cap. 8.

Error Baronii.

V. Dum Donatistarum seditionibus Africa miserè laniatur, accedit aliud malum Ecclesiæ, cujus lætitiam Arius turbo mundi, & veluti tempestas in dolorem convertit. Natales pestilentissimæ hæreseos hunc in annum conjecit Orosius: *Constantini filii Crispus, & Constantinus, & Licinius adolescens, Licinii Augusti filius, Constantini autem ex sorore nepos, Cæsares sunt creati. His diebus Arius Alexandriæ urbis Presbyter à veritate fidei Catholicæ devians, exitiale plurimis dogma constituit.* Quibus Baronii Chronologia damnatur, quæ Ariana initia in annum CCCXV. confert. Eò corroboratur & Orosii sententia, quòd si tam citò venena spargere sua Arius cœpisset, multò ante annum CCCXXV. Ægyptiaca in Synodo ab Alexandro Alexandrino coacta damnatus fuisset, quo tempore tamen percussum esse, suo loco edisseremus. Non nos quidem latet, Hieronymum in Chron. anno CCCXXI. initia Arii consignasse: *Alexandriæ XVIII. Episcopus ordinatur Alexander, à quo Arius Presbyter de Ecclesia dejectus, multos sua impietati sociat.* At cùm Alexandri initia malè collocarit Hieronymus, Orosii Chronologiæ magis assensum præbemus. Quanquam Arianæ hæreseos Epocham à damnatione Arii repetere videatur Hieronymus, quæ primùm Alexandriæ facta est anno CCCXXI. Cæterùm malis avibus ortus in Libya Arius, patrem, ut nonnullis placet, *Ammonium* habuit, cujus & ipse meminit in sua ad Eusebium Nicomediensem Epistola: *Cùm Ammonius pater meus Nicomediam proficisceretur.* Sed ambiguum *patris* nomen, quod Episcopis etiam frequentissimè dabatur, in incerto ponit, naturâne, an dignitate parens Arii vocetur *Ammonius*. Comparata verò ita Arii persona fuit, ut facillimè hominibus imponeret ob vultus severitatem, atque modestiam: *Fuit proceriore staturâ, tristiori specie, totâque corporis configuratione, subdoli serpentis instar, ad fraudem & fallaciam composita: ita ut callido illo externoque habitu facilè simplicioribus animis obreperet. Nam hemiphorium, & colobium indutus, in colloquiis ac salutationibus, blandus erat in primis, atque omnium animos adulationum illecebris devinctos tenebat.*

Epiphan. h. 69. n. 6.

Epiphan. h. 69. n. 3.

De Arii & schismate, & hæresi.

Sozom. l. 1. c. 15.

VI. Schismaticus prius Arius fuit, quàm Hæreticus: *Cùm rectæ doctrinæ studiosus initio visus esset, Meletium res novas in Ecclesia molientem adjuvit. Posteà verò relictis ejus partibus, à Petro Alexandrinorum Episcopo Diaconus est ordinatus. Rursus tamen Ecclesiâ pulsus est ab eodem, propterea quòd cùm Petrus fautores Meletii excommunicasset, nec eorum baptismum admitteret, ipse Petri Acta reprehendebat, neque ullo modo quiescere sustinebat. Postea verò quum Petrus martyrium pertulisset, Arius ab Achilla veniam precatus, ad Diaconi officium rediit, & ad Presbyteri dignitatem promotus est. Deinceps quoque Alexander illum in honore habuit.* Est in Petri Alex. Actis, Dominum S. Martyri noctu apparuisse, veste discissâ. Causamque sciscitanti responsum: *Arius mihi scidit. Præcave omninò, ne eum in communionem recipias. Quin potius jubeto Achillæ & Alexandro Presbyteris, qui post tuum exitum recturi sunt Ecclesiam meam, ne eum in communionem recipiant.* Quæ falsi apertè damnantur, ab audita jam Sozomeni narratione. Cùm Achillæ successisset Alexander, hinc excussæ Ario lachrymæ. Urebat hominem, qui & sanctitatem præ se ferebat, & eruditionem, quòd Alexandro postponeretur, ut in Theodorito legitur: Arius *cum esset relatus in numerum Presbyterorum Alexandrinæ Ecclesiæ, & magnum Alexandrum in Pontificali Cathedra sedentem videret, invidiæ stimulo percitus est, eùmque adversus eum pugnæ committendæ materiam quæreret, occasionem invenit dogmatum impietatem. Baucalensis* Ecclesiæ, quæ de Alexandrinis una est, Præfecturam gerebat, & in sacrorum Voluminum explicatione versabatur. Livoris igitur impetum cùm ferre non posset, discordiæ causas aucupari cœpit. Et calumnias quidem adversus Alexandrum contexere nullas poterat, cujus vita integra erat, scelerisque pura. Ansam verò insurgendi Alexandro præbuit ejus de Trinitate disputatio. Cùm enim die quodam, præsente Clero, de Sacrosanctæ Trinitatis mysterio ambitiosius disserens, in Trinitate μόναδα, *unitatem* esse docuisset, Arius verò vir artis dialecticæ non imperitus, ratus Alexandrum Sabellii dogma inducere, disserenti acerbius occurrit: *Si Pater genuit Filium, existendi initium habet is qui genitus est.* En modica hac scintilla magnum subitò incendium exoritur: *Brevi septingentas ferè Deo consecratas virgines ab Ecclesiâ abstractas, in unum coëgit. Addunt & Presbyteros ab eo septem, ac XII. Diaconos abductos. Quin etiam pestiferum virus ad Episcopos usque pervasit.* Adhærebant Ario ex Alexandrina Ecclesia Presbyteri quidem *Aithalas, Achillas, Carpones, Sarmates, Arius.* Diaconi verò, *Euzoius, Macarius, Julius, cum Mena & Helladio.* Si creditur Epiphanio, Meletius facinora Arii omnia detegit Alexandro, quo tempore factio Meletiana in hostiles & implacabiles inimicitias nondum eruperat. Satis verborum scripsisse arbitramur de fatalibus initiis Arii. In transcursu observetur, non castigatam esse Valesianam Socratis versionem: *In Trinitate esse docebat unionem.* Μόνας quidem *unitatem* significat, non *unionem*. Quam & facillimè Patrem inter & Filium admisisset Arius, qui tamen naturæ unitati totis viribus repugnabat.

Theodorit. l. 4. de Hær. Fab.

Socr. l. 1. cap. 5.

Epiph. h. 69. n. 3.

Arii errores.

Epiphan. Hær. 69.

VII. Vulgatus & notus est ille, quem prædicavit errorem impurus homo. Ipsum habemus confitentem ea in Epistola, quam Nicomediensi scripsit Eusebio: *Domino dilectissimo, viro Dei, fideli Orthodoxo Eusebio Arius, quem Alexander Papa injustè ob victricem omnium veritatem insequitur, cujus & tu propugnator es, in Domino salutem.* Queritur autem Arius, se unà cum sociis suis Alexandrinâ urbe ejectum ab Alexandro: *Idque ob eam causam, quòd ille publicà*

ANNO DOM. 317.

blicè ista pronuntiant: nequaquam assentiamur. Semper Deus, semper Filius, simul Pater, simul Filius. Cum Deo ingenito perpetuò Filius existit, semper genitus ab ingenito genitus, neque cogitatione, neque momento ullo Deus Filium antecedit, semper Deus, semper Filius, ex ipso Deo Filius.... Nos è contrario quid tandem dicimus, sentimus, docuimus, & docemus? Nimirum Filium nec ingenitum esse, nec ingeniti ullâ ratione partum. Sed neque ex subjecta aliqua materia factum verbum, Dei voluntate ac consilio, ante tempora, seculaque substitisse plenè Deum unigenitum, immutabilem. Qui antequam gigneretur, sive crearetur, sive decerneretur, aut fundaretur, non fuit. Neque enim non factus est. Nos igitur ob id insectamur, quod diximus, principium habet Filius, Deus autem principio caret. Hæc vexandi nostri causa est, tum quod asserimus, eundem ex nihilo esse. Paria & gemina leguntur in Epistola, quam Nicomediâ excusandi sui causa misit ad Alexandrum Alex. cui Episcopi, Presbyteri, Diaconi Ario faventes subscripsere. In alium & errorem delapsus est, Christum scilicet mentis humanæ expertum fuisse. Qua de re Augustinus ad Quod vult Deum, de Hæret. c. 49. *In eo autem quòd Christum sine anima, solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt. Nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse, Epiphanius non tacuit. Et ego ex eorum quibusdam scriptis & collocutionibus certissimè comperi.* Extat ea de re locus apud Epiphanium h. 69. o. 19. *Negant insuper humanâ Christum animâ præditum fuisse.* Quem & errorem perstringit Athanasius
Athan. t. 1. 635. Oratione de salutari adventu J. C. *Arius porro carnem solam ad occultationem Deitatis confitetur, & pro nostro interiori homine, hoc est, anima, verbum dicit in carne fuisse, passionisque sensum, & ab inferis resurrectionem, divinitati audeat ascribere.* Addit & Augustinus: *Rebaptizari quoque ab his Catholicos novimus, verùm & non Catholicos, nescio.* Est tamen verisimillimum, Arium autorem discipulis fuisse, ut Sectas novo baptismo abluerent, ex Ecclesiæ Alex. institutis. Petrus quidem, Sanctus ille Martyr, Meletianorum baptisma non admittebat. Animas & corporibus præexistisse Arius docuit.

Arius divinitatemne Spiritus S. impugnarit? VIII. Existit autem hoc loco quæstio non injucunda, neque ad illustrandam Antiquitatem inutilis, utrùm Arius in divinitate Spiritus Sancti peccarit? Hoc Baronio negamus: *Nihil*, inquit, *expressius de divinitate Spiritus Sancti*
Bar. An. 325. n. 51. *sicut de Filio in Nicæno Symbolo positum est, quod nulla ea de re ab Ario quæstio mota esset. Quòd si ejus divinitatem Arius impugnasset, nequaquam Sanctissimi illi prætermisissent, ipsam defensam à cunctis adversariis opinionibus reddere.* Quin tamen Arius Spiritui Sancto numen abdicarit suum, nulli dubitamus; quod ex doctrina ejus admitti debuit. Qui potuisset enim Spiritus Sanctus à Christo, & mitti & accipere, si ille verus Deus, hic verò res condita? Neque Filium Spiritui Sancto præposuisset Arius, quem tamen præposuisse certum est, teste ejus ad Alexandrum Epistolâ:
Epiphan. h. 69. n. 8. *Tres sunt hypostases, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Et quidem Deus, cùm rerum omnium causa sit, solus ex omnibus principii est expers.* Quo consequens est, Spiritum Sanctum ad res conditas ab Ario fuisse relegatum. Quæcunque enim principium habent, illa quidem ex insaniente Arii Philosophia, rebus productis ex nihilo sunt addicenda. Sic enim perpetuò argumentabatur: *Principium habet Filius, Deus autem principio caret.* Hunc & Ario errorem tribuunt Veterum complures, quorum agmen ducit Athanasius, cui in ea quæstione præcipuè credendum est: Arius *dicit alienas itemque incommunicabiles*
Ath. Or. 3. in Ar. t. 1. 312. *substantias, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & prorsus omnibus dissimiles inter se, ratione substantiæ & gloriæ usque in infinitum.* Quem locum si attendissent Baronius atque N. Alexander, de sua utique sententia discessissent, Ariumque Spiritus Sancti adversariis inseruissent. Nobis quoque assentitur Damasi ad Paulum Thessalonicensem
B. M. P. t. 27. 72. Epistola quinta: *Anathemate damnamus Arium, & Eunomium, qui pari impietate, licet verbis discrepent, tum Filium, tum Spiritum Sanctum creaturam asserunt.* Hanc & Ario opinionem vindicat Autor Disputationum, in Nicæno Concilio apud Athanasium, qui verba hæc Ario fœnerat:
Ath. t. 1. 123. *Credo & ego in unum Deum, æternum, & Filium ejus, quem ante secula condidit. Credoque in Spiritum Sanctum, è filio genitum.* Naturam ergo Spiritus Sancti, quem à Filio ex nihilo condito genitum fuisse fabulabatur, divinæ quoque Patris naturæ dissimilem arbitrabatur. Audiatur & Sirmondi Prædestinatus, hæresi XLIX. *Arius Populos Arianos instituit, qui Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum nolunt esse unius ejusdemque substantiæ. Sed esse Filium creaturam, Spiritum verò Sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum.* Denique Theoriani in legatione ad
B. M. P. t. 22. p. 805. Armenos legitur: *In divinitate Sabellius quidem ajebat esse unam naturam ac hypostasin. Arius verò tres Hypostases ac tres naturas diversas, & alienas à se invicem.* Non igitur soli Ariani, quod fatetur Baronius, Spiritum Sanctum divinitate evertebant suâ, Arius ipse illam impugnabat. Objicitur autoritas Epiphanii Hær. LXXIV. n. 14. In Nicæna Synodo, *nulla tum de Spiritu Sancto quæstio instituta est.* Epiphanio Basilius adjungitur, qui Epistolâ LXXVIII. hæc habet: *Spiritus Sancti ratio in transcursu posita est, nullâ diligentiâ digna judicata, propterea quòd nondum mota esset hæc quæstio, sed sententia de ipso in animis credentium nullas adhuc insidias sustinuisset.* Vim argumenti hujus intendit Nicænorum Patrum silentium, qui ob negatam Spiritus Sancti divinitatem fulminibus Arium suis non obruerunt. Quod utique fecissent, si illam infaustus oppugnasset Hæreticus. Breviter responderi potest, novum hunc Arii furorem Patribus Nicænis ignoratum fuisse, quem tamen in sua *Taleia* verbis expressis Arius tradidit, teste Athanasio. Non omnes quidem Arii errores in decretis Nicæni suis perculere: non eam sanè opinionem, quòd mentis humanæ Christus expers fuerit, quam certè pestilentissimam, ab Ario tamen admissam esse, scimus atque tenemus. Nil itaque miri, cùm illatam Spiritui Sancto contumeliam in libris Arii nondum Orthodoxi legissent, quòd in Nicæno Concilio de ea quæstione disputatio non fuerit instituta. Hinc igitur non satis aptè colligitur, tanti Arium erroris purum fuisse. Quamquam etiam fieri potest, Arium quod in mente ante Synodum Nicænam scelus jam conceperat, post illam palam edidisse, ut consequens necessarium, quod cum sua in Christum impietate cohærebat. Reliqua quæ ad Arii pertinent Historiam, sequentes anni docebunt.

Metrophanes Byzantinus. Num hoc anno perierit? IX. Labentem annum Metrophani Byzantino Præsuli fatalem fuisse, Baronio creditur: *Hoc eodem*

eodem anno, cùm Metrophanes Episcopus Byzantii sedisset annos tres, senio valde confectus, substituendum sibi Alexandrum curavit. Quæ Chronologia viris magnis displicuit, Petro de Marca, Baluzio, Pagio, qui Nicænæ Synodi temporibus vitam adhùc Metrophanem retinuisse existimant.

Bar. An. 317. n. 17.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 7.

Quem & in verbis Eusebii quæsivere: *Aberat quidem Synodo regia urbis Antistes, ob senilem ætatem, sed præstò erant Presbyteri, qui vices ejus implerent.* Communior sententia est, Sylvestrum urbis Romanæ Episcopum fuisse designatum, cui Autoribus Gelasio, Cyziceno, Niceto Choniate, Epiphanio Scholastico repugnant viri illi doctissimi, præcipuè Baluzius in observatione sua, apud librum v. de Concordia Sacerdotii & imperii c. 3. p. 11. Nicetæ quidem verba sunt:

Nicet. Thesaur. l. 5. c. 6.

Constantinopolitanum Pontificem à Synodo abfuisse scribit Eusebius, *propter senium, at nomen ejus supprimit, cujus loco Presbyteri quidam temparnerunt. At verò ex Synodi Actis constat, Metrophanem Constantinopolitaneos id temporis Episcopum fuisse, qui decrepitam ob ætatem in Synodo considere non potuerit, cujus tamen vicem Alexander suppleverit Presbyter, cujus operâ & ministerio Synodica litera in Europam transmittebantur.* Nicænæ quoque superfuisse Synodo Metrophanem, legimus in Actis ejus apud Photium. *Constantinus* rogavit Episcopos, qui Nicææ congregabantur,

Phot. Bibl. n. 1414.

Ut in urbem secum proficiscerentur, in qua Archiepiscopum viderent, quem patrem suum Imperator appellabat, & ut urbs Byzantio, quam ipse fundasset, suâ præsentiâ & precibus conditoris novum nomen inderent. Invisentibus autem Episcopis clarissimum Metrophanem die Dominicâ, & Imperator præsens inter alia dixit: Video te, pater maxime venerande, & senectute & morbo defessum, & creari atque designari nobis post te gregis Pastorem postulo. Geminis verò rationibus, quibus ea de Metrophane, anno CCCXXV. adhùc inter homines agente, Chronologia impugnatur, nervos incidere Baluzius tentat. Objicit Valesius, nondum dedicatam fuisse Constantinopolim, nec regiæ urbis vocabulo decoratam, cùm Synodus congregata est in urbe Nicæa: proindeque de Constantinopolitano Episcopo Eusebium non esse intelligendum. Respondet Balusius: *Gravissimum sanè argumentum, si constaret, libros de vita Constantini editos ab Eusebio fuisse, statim post habitam Synodum. Sed cùm Eusebius nos doceat scriptos illos fuisse post mortem Constantini, id est, XIII. saltem annis post eam Synodum, adeòque diu post dedicatam Constantinopolim, quæ statim post Synodum habitam decorata est urbis regia vocabulo, nihil vetat quin locum Eusebii capiamus de Episcopo Constantinopolitanæ urbis.* Huic tamen solutioni aqua hæret. Quippe in libris de vita Constantini quatuor Eusebius Constantinopolim *regia urbis* nomine non afficit, quam *Civitatis nominis Constantini* titulo decorat. Exempla sunt l. 3. c. 48. l. 4. c. 58. 61. Contrà verò regiæ urbis nomine Romam significavit l. 4. c. 63. *Ac Romanis quidem regiam urbem incolentibus, annua quædam munera legavit.* Videatur & caput 69. Nescimus igitur Constantinopolim regiæ urbis nomine ab Eusebio fuisse donatam. Aliud argumenti sibi objicit vir doctissimus. Nempe titulum Epistolæ, ab Alexandro Alex. scriptam ad Alexandrum cognominem suum:

Theodorit. h. l. 1. c. 4.

Alexandri Episcopi Alex. Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum. Respondet titulum illum non extare in duobus vetustissimis Codicis MS. Bibliothecæ Regiæ, neque in editione Græca Roberti Stephani: editionem verò Latinam Basileæ emissam, anno MDCXI. hæc tantùm in titulo habere: *Epistola missa ab Episcopo Alex. ad suum cognominem.* Existimat autem *Epistolam datam esse ad Alexandrum Thessalonicensem, magni eum nominis Episcopum.*

Mar. de Concord. Sacer. l. v. cap. 3. 12.

Perquam eruditè quidem, atque subtiliter. Duo sunt tela tamen, quibus ea de Metrophane Chronologia oppugnari potest: quæ in hujus opinionis jugulum intendimus. Primum ministrat Epiphanius, cui certa sententia est, Alexandrum Constantinopolitanæ sedi antè præfuisse, quam à Patribus Nicænis Arius damnaretur, etsi dissimulare non possimus, graviter errasse Epiphanium, dum tradit in urbe Nicæa Arii dogma post ejus mortem fuisse damnatum. Verba Sancti Patris referamus:

Epiph. h. 68. n. 4.

Arius verò cum de Eusebii Nicomediensis Episcopi, qui eadem cum ipse sentiebat, factione esset, ab eo ad Imperatorem perductus est, tanquam hæresim suam abjuraret. Ideoque Imperator Eusebio mandat, ut Arium Constantinopoli ad communionem admitteret sub Alexandro Episcopo, qui ejusdem cum Alexandrino nominis Constantinopolitanam tenebat. Persuasum igitur Epiphanio, Metrophanem naturæ prius satisfecisse, quàm Arius damnaretur. Aliud ex Socrate nascitur argumentum. Constantinus Junior interficitur Consulatu Acyndini & Proculi:

Socrat. l. 2. c. 6.

Sub idem tempus Constantinopoli Alexander Ecclesia illius urbis Episcopus, cùm tres quidem ac viginti annos in Episcopatu gessisset, octo verò ac nonaginta vixisset, ex hac luce migravit. Consulatus Acyndini & Proculi, annum Christi CCCXL. afficit. Deductio XXIII. annis, Alexandri in Episcopum creatio, quæ Metrophanis excepit obitum, in annum labentem incidit. Neque sanè nobis planum Baluzius fecit, Alexandri Alex. Epistolam, ad Alexandrum Thessalonicensem missam fuisse. Non ignoramus quidem Episcopum ejus nominis fuisse, qui Athanasio Epistolâ gratulatus est, quòd de Arsenii cæde, quâ infamabatur, purgatus esset. At Thessalonicensi Ecclesiæ jam præfectum fuisse, cùm Arius ab Alexandro Alex. damnatus est, hoc Baluzio demonstrare opus erat. Et vero similius est, illum Alexandrum Theodorito in mentem venisse, de quo paucis supra lineis mentionem injecerat. Is autem Alexander *Constantinopolitanus* fuit. *Denique Constantinopoli per idem tempus Alexander Pontificalem sedem tenebat, vir donis Apostolicis ornatus.* Subdit verò eodem capite, *Sic igitur Alexander ad gentilem suum scribit.*

Theodorit. l. 1. c. 3.

Quærendus igitur non Alexander *Thessalonicensis*, cujus Theodoritus non meminerat, sed Byzantinus, quem & proximè memoraverat, & laudibus cumularat?

Alexander Constantinopolitanus Episcopus.

X. Eò igitur magis inclinat propendetque sententia, quòd Metrophanes extremum diem hoc anno morte confecerit. Erroris tamen omnis Baronium absolvere non possumus, dum triennio solo Metrophanem sedisse scribit, cui annos x. vindicat Nicephorus. Byzantinorum, inquit, Episcoporum XXIII. *Metrophanes filius Domitii, cujus mentionem fecimus. Probi frater, & ex fratre Probi Imperatoris nepos, annis* x. Metrophani successit Alexander, tam ex Baluziana, quàm ex Baroniana Chronologia. In Actis Metrophanis hæc reperimus: ut à Constantino monitus est, ob senium ejus, alium Episcopum designandum esse,

Phot. Bibl. 1414.

Ille ad Imperatorem

ANNO DOM. 317.

rem alacri vultu conversus, Annuo, inquit, in Domino, quia nunc, ô fili, Spiritus Sanctus per linguam tuam loquitur. Mihi enim de hac re solicito indicavit Dominus, ante VII. hos ipsos dies, & dignitatem sacram suscepturum, Sacerdotii dignitate parem Alexandrum, & dignum, ut vero loquar, electione, & Sancti Spiritus denuntiatione. Cui narrationi fidem afferre non possumus, repugnante Socrate. Sed & Nicephorus XXIII. Episcopatus annos assignat Alexandro Constantinopolitano, cujus ultimum ad Dionysianum CCCXL. protendi jam audivimus. Donis Apostolicis Alexandrum ornatum fuisse, non immeritò tradit Theodoritus, si ea patravit, quæ ab eo gesta esse prædicat Sozomenus: Victo Licinio, quo tempore Constantinus Byzantium venit, questi sunt Philosophi, quod non rectè Deum coleret: petebantque ut cum Alexandro Episcopo disputarent. Ille verò licet in hujusmodi certaminibus parum alioqui exercitatus, vitæ tamen integritate fretus, certamen subiit. Cùm Philosophi omnes disputare vellent, postulavit Alexander, ut unum ex ipsis, quem vellent, eligerent. Cùmque unus ex illis partes disputandi suscepisset, dixit illi Alexander, *In nomine Christi præcipio tibi ne loquaris. Quo dicto, protinus vir ille frenatâ linguâ obmutuit.* Ubi tribus & viginti annis præfuit Ecclesiæ, anno CCCXL. cælestem animam Deo reddidit. Chronico igitur Alexandrino fidem non adjungimus, dum septennio Ecclesiæ Byzantinæ Alexandrum præfuisse memorat.

Sozom. l. 1. c. 18.

ANNO DOM. 318.

ANNO U. C. 1071. PER. JUL. 5031. JULIANO 363. DOM. 318. CONSTANTINI 13. LICINII 12. *Sol.* 19. E. *Lun.* 15. *Indict.* 6. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

COSS. Licinius Augustus V. & Crispus Cæsar.

Septimius Bassus Præfectus Urbis.

Chronologicum Donatistici tumultus compendium Augustini.

I. IN edictis de Donatistarum causa promulgandis, hactenus tam mansuetus fuerat Constantinus, quàm in moribus suis erga & Principem & Episcopos declarandis Schismatici feri fuerant atque petulantes. Clementiam ergo optimi Imperatoris tandem in severitatem convertunt. Operæ pretium est, Donatistarum motus omnes uno in conspectu ex Augustino brevi proponere, quò facilius ad memoriam revocentur, historiæ partes firmioribus vinculis copulentur, seræque, sed tamen justæ debitæque pœnæ, quæ soluta est, tempus declaretur. Hæc chartis illevit Augustinus: *Sicut ergo Consulum ordo declarat, primo Cæcilianus Episcopali judicio Melchiadis absolutus est.* Annus erat CCCXIII. cùm Melchiades in Synodo Rom. Cæcilianum innocentem pronuntiavit. Pergit Augustinus: *Deinde non post longum tempus Felicem Proconsulis judicio constituit innocentem*, anno videlicet CCCXIV. quo & Cæcilianus ipse à Synodo Arelatensi absolutus est: *Ac sic posteà Cæcilianus etiam ab Imperatore inter partes cognoscente purgatus est*, anno nimirum CCCXVI. *Deinde post IV. annum adversarii ejus ignominiosâ illâ indulgentiâ relaxati sunt. Nam Melchiades judicavit Constantino III. & Licinio iterum Coss. Nonis Octobris. Ælianus Proconsul causam Felicis audivit, Volusiano & Aniano Coss. XV. Calend. Martias, id est, post menses fermè quatuor. Constantinus ad Eumalium, Vicarium de purgatione Cæciliani scripsit Sabino & Rufino Coss. IV. Idus Novembris, id est, post biennium, & menses propè octo. Et idem Imperator ad Valerium Vicarium, de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo vindici remittendo, literas dederit Crispo & Constantino iterum Coss. tertio Nonas Maias, id est, post quartum annum, & mensem ferè sextum.* Cùm igitur exilio Donatistæ liberati sint anno CCCXXI. qui secundo Crispi & Constantini Cæsaris Consulatu insignis est, prius etiam eâ pœnâ affectos necesse est, quàm anno currente, qui Dionysianus est CCCXVIII. irrogatam fuisse existimamus. Cùm enim anno superiore Africæ Episcopos Epistolâ suâ hæc monuerit, *dum cælestis medicina procedat, hactenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientiam percolamus*, non videtur ante annum præsentem in Donatistas severitatis aculeos adhibuisse. Quamquam si lubeat, id anno proximo factum esse, nihil repugnabimus.

Augustin. Post. Coll. c. 33.

ANNO DOM. 318.

Donatistas Constantinus coercet.

II. Querebantur Donatistæ Principem gratiâ corruptum, & ab Osio Episcopo, qui Cæciliano suffragabatur, concitatum in eos iniquam sententiam tulisse. Tantam & in Africa Numidiaque perturbationem moverant, ut major timor oriretur. Ad furiosos igitur homines coërcendos, Constantinus autoritatem adhibuit suam. Legis meminit Augustinus Epistolâ CLXVI. ad Donatistas: *Constantinus prior contra partem Donati severissimam legem dedit. Hunc imitati filii ejus talia præceperunt*, &c. Periit Lex injuriâ temporum. Paternis vestigiis incessit Constans, qui tumultuantes compressit, pulsis eorum Ducibus, ereptisque Basilicis. Donatistis verò maximè favit Julianus ad imperium evectus, cui Legatum *Pontium* destinarunt, rogatum ereptas sibi Basilicas reddi. Quod ut impetrarent, verbis adulationis plenis usi sunt, dicentes, *Quòd apud eum solum justitia locum haberet.* Quæ postulabant, faciles impetrarunt ab Imperatore, cui libitum erat, Christianos inter se committere. Hæc summatim de Donatistarum motibus: seditiones quas post modum moverunt, suis dein temporibus dividemus.

ANNO DOM. 319.

ANNO U. C. 1072. PER. JUL. 5032. JUL. 364. DOM. 319. CONSTANTINI 14. LICINII 13. *Sol.* 20. D. *Lun.* 16. *Indict.* 7. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 4. P. 22. *Mart.*

COSS. Constantinus Augustus V. & Licinius Cæsar.

Valerius Maximus Basilius Præfectus Urbis.

Licinii persecutio. Fueritne aliquando Christianus.

I. MOrs Tyrannorum, præcipuèque infelix Maximini exitus, laborum & persecutionum Ecclesiæ quies esse videbatur, cùm *repentinâ rabie suscitatus Licinius, omnes Christianos à palatio jussit expelli.* Privatos luctus stupefecit publicus pavor, postquam Licinium Religionis hostem fieri nunciatum est, quam jacentem olim & spoliatam defenderat, & protexerat: imò ut vero simile est, professus quoque fuerat, renuntiato Idolis repudio. Est quidem inter eruditos controversia, Licinius Christianus fuerit, nec ne? Negat Norisius, vir eruditione longè illustrior, quàm purpurâ, quâ ab Innocentio Papa XII. nupertimè exornatus est. As-

Anno Dom. 319.

ferit Pagius Chronologiæ Antiquitatisque peritissimus, cujus & opinio solidioribus sanè fundamentis constituitur. In eam præcipuè sententiam nos Lactantius impellit, etsi hoc argumenti Pagius prætericrit: *Proximâ nocte Licinio quiescenti adstitit Angelus Dei, monens ut ocius surgeret, atque oraret Deum summum, cum omni exercitu suo, illius fore victoriam, si fecisset . . . . Discusso deinde somno, Notarium jussit acciri, & sicut audierat, hæc verba dictavit: Summe Deus, te rogamus . . . , Scribuntur hæc in libellis pluribus & per Præpositos, Tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat.* Quid est Idololatriam ejurare, si hoc non est? Præterea *Jovis Philii* simulacri, quod apud Antiochiam Theotecnus erexerat, Sacerdotis Licinius dederat ad supplicium; quæ non sunt Ethnici hominis officia: *Cùm Licinius Antiochiam venisset, & præstigiatores pervestigare, ac deprehendere instituisset, inter cæteros etiam novi illius simulacri Prophetas & Sacerdotes tormentis subjecit.* Sed & Autor Panegyrici de Templo, quod in urbe Tyriensi Paulinus extruxit, Christianis Licinium apponit: *Quod nunquam anteà contigerat, summi Imperatores, honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, sibi conscii, jam in mortuorum simulacrorum faciem conspuunt, & profanos Dæmonum ritus conculcant, ac vetustum errorem à Majoribus traditum irrident; unum verò ac solum Deum erga omnes, tum in seipsos maximè beneficum agnoscunt, & Christum Dei Filium universorum Regem esse profitentur.* Nostrum subire nequit animum, palam publicèque in oratione apud celebrem & Clericorum, & Laicorum coronam habita hæc ab Eusebio fuisse prolata, nisi eo tempore Christianum Licinius præstitisset. Nostra denique sententia in Sozomeno innititur, à quo etiam monemur causarum, quibus impulsus est Licinius, ut ad insanam numinum adorationem rediret: *Licinius verò, qui anteà Religionem Christianam coluerat, post cladem illic acceptam, animo mutatus, multos Sacerdotes, qui in suis partibus degebant, graviter afflixit . . . . Etenim ob dissidium, quod ipsi erat cum Constantino, Christianis supra modum erat infensus, ex eorum calamitatibus maximum dolorem Constantino allaturum se esse sperans, simul etiam existimans, Ecclesias Christianorum id unum optare ac studere, ut illum solum Imperatorem haberent.* Quotidie experimur, quanta vis insit affectibus ad homines in errorem deducendos. Frustra nostro judicio verba objiciuntur Licinii, sic amicos, & commilitones compellantis: *Hi quidem quos colimus, & quos ab ultimis usque majoribus colendos accepimus, Dii sunt patrii.* Hæc enim nil aliud indicant, quàm tum temporis Licinium cultorem numinum esse. Et à quovis fidei desertore, qui Idololatriam amplectitur, efferri possunt. Quòd si non sicuti Julianus, Licinius audit Apostata, in promptu ratio hæc est. Licinius baptismum non susceperat: non Lectoris officio in Ecclesia functus fuerat, quas Julianus partes egerat.

Lact. de Morte cap. 46.

Euseb. l. 9. c. 11.

Euseb. l. 10. c. 4.

Sozom. l. 1. c. 7.

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 5.

Annus Licinianæ persecutionis. Ejus magnitudo.

II. Ab illo & benigno Christianis, & mansueto Licinio mutatus, atrocibus demum tormentis subjicit innocentes. Quod porrò Baronius anno CCCXVI. affigit, nos in currente persecutionis constituimus initium. Nec mirum illustrissimum Purpuratum huic adhæsisse Chronologiæ, quæ ex alio errore manavit, Licinium scilicet anno CCCXVIII. periisse. Quòd si pernovisset Licinium anno duntaxat CCCXXV. ad fata venisse, neque bellum ejus secundum cum Constantino in annum CCCXVIII. neque persecutionem in CCCXVI. contulisset. Ignorato hujus ultimi belli tempore, multos in errores Chronologicos, quibus res & imperii, & Ecclesiæ obscurantur, delapsum esse liquet. Nostræ verò de Licinianæ persecutionis initiis sententiæ subsidio est Autor Anonymus, in Excerptis de Constantino Magno: *In Orientis partibus Licinio, Constantino repentinâ rabie suscitatus Licinius omnes Christianos à palatio jussit expelli.* Mancam mutilamque orationem esse, deprehendi facilè potest, eo modo supplendam Licinio Constantino Coss. qui annum CCCXIX. aperuere. Ab ea Chronologia minimum dissidet Chronicum Eusebii, in quo ad annum CCCXX. legimus: *Licinius Christianos de palatio suo pellit.* Quos ergo ante annum CCCXIX. Licinii in persecutione occubuisse memoriot, aut subditi videntur Martyres, aut ad tempora à nobis consignata sunt revocandi. Ac primùm Licinius quasi cuniculis Religionem evertere conatus est. Clericos in Synodum cogi vetuit, viros cum mulieribus in Ecclesiam orandi causâ convenire prohibuit. Facultatem Episcopis ademit instituendarum mulierum, quibus erudiendis fœminas præfici voluit. Jussit solemnes populorum conventus extra portas in planicie celebrari, eo prætextu, liberum aërem turbis longè commodiorem esse, quàm oratoria. Neque his limitibus inclusa vexatio. Sed de persecutione ipsum audiamus Eusebium: *Et primùm quidem Christianos omnes domo suâ pellit, seipsum miser denudans, atque orbans orationum suffragio, quas illi, & pro ipso, & pro cunctis hominibus, ex patrio instituto, ad Deum fundere consueverant. Post hæc cunctos in urbibus militantes, nisi Dæmonibus sacrificare mallent, exauctorari, & honore militiæ spoliari jubet. Sed hæc parva sunt, si cum majoribus, quæ subsecuta sunt, conferantur. Quippe latâ lege prohibuit, ne quis miseris in carcere detentis, alimenta humaniter subministraret, neve quis homines in vinculis fame tabescentes miseratione prosequeretur. . . . Quin & legi adjecta erat hæc pœna, ut qui reis stipem dedissent, pari cum reis ipsis supplicio plecterentur, atque in carcerem & vincula conjecti, eandem cum noxiis pœnam subirent, qui humanitatis officia illis præstitissent . . . Denique eò furoris processit, ut Episcopos etiam adoriretur. Quos cùm suis consiliis ac facinoribus adversos esse, utpote summi Dei famulos existimaret, nondum quidem apertè, metu scilicet præstantioris, clam tamen & subdolè est aggressus, & ex illis probatissimum quemque structis per Præsides suos insidiis interemit. Modus porro cædis, quo illos sustulit, novus planè, nec antè unquam auditus. Sed quæ apud Amasiam, & reliquas Ponti urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum transcendunt. Ubi Ecclesiæ Dei, aliæ iterum solo æquatæ sunt, aliæ clausæ, ne quisquam eorum, qui eas adire consueverant, eò conveniret, & supremo Numini debitum cultum exhiberet.* Lege latâ Episcopos quoque ad Gentilium Ædes vetuit accedere, ne scilicet Christianorum Religio hujusmodi obtentu propagaretur.

Anno Dom. 319.

Euseb. l. 10. c. 8.

Socrat. l. 1. c. 3.

Atrocitas diuturnitasque Licinianæ persecutionis.

III. Neque levi vulnere sauciavit Ecclesiam vis persecutionis hujus: *Præsides quotquot Principis gratiam captabant, cùm scelestissimo tyranno id placere intelligerent, Episcopos partim iisdem, quibus maleficos homines pœnis identidem subjiciebant.*

Ita-

ANNO DOM. 319.

itaque viri, qui nil mali commiserant, absque ulla causa abducebantur, & puniebantur, perinde ac sicarii. Quidam verò novum quoddam mortis genus pertulerunt. Corpore in multas partes frustatim conciso, & post atrox hujusmodi atque horrendum spectaculum, ut piscibus cibum præberent, in altissimum mare projecti. Post hæc igitur Dei cultores fugam inire denuò cœperunt. Iterum agri, iterum solitudines, iterum montes & sylva famulos Christi suscepere. Ad annum usque CCCXXIV. vexationem perdurasse ex Eusebio intelligimus. Addit enim: *Qua cùm ad hunc modum impiissimo tyranno succederent, deinceps persecutionem adversus omnes Christianos excitare in animum induxit* votique compos extitisset, nisi furenti Constantinus obstitisset. Victoria igitur Constantini, quâ privatam ad fortunam Licinius redactus est, persecutioni finem imposuit. Hinc de lapsis anno CCCXXV. regula est Nicææ constituta: *De iis qui sine necessitate, vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine ullo periculo, vel aliquo hujusmodi transgressi sunt, quod sub Licinii tyrannide factum est, Synodo visum est, etsi humanitate indigni sunt, clementiâ tamen & bonitate in eos uti.* Multis quidem Martyribus persecutio hæc lucem eripuit, qui non de Clericorum modò, sed de militum quoque grege fuerunt. Illud nos malè habet, quòd non satis novetimus, quibus ea martyria temporibus sint dividenda.

Euseb. l. 10. c. 8.

Nicæn. c. 11.

Theodori & XL. militum martyrium.

Niceph. l. 7. c. 44.

IV. Cùm de more persecutio prius à militibus inceperit, hoc anno mactatus videtur esse *Theodorus*, spectatâ fortitudine vir, qui Heracleæ in Ponto habitans, Mariandynorum genti præerat: *Hunc Licinius, etiamsi egregiè charum habuerit, multis tamen affecit cruciatibus. Nam & in palum eum egit, & subulas in meatus secretiores corporis ejus immisit, postremòque capite truncavit.* Periisse Februarii mensis die VII. *Sabbato horâ tertiâ*, legitur in ejus Actis. Quæ sunt anni CCCXIX. criteria. Eodem & anno contigisse putamus celeberrimum XL. Christianorum martyrium; quod nunquam fama deseret, utpote à Basilio M. Gregorioque Nysseno posteris commendatum. Nomina tamen, quæ perpetuæ gloriæ consecrari debuere, non ediderunt, quia fortè ad eorum notitiam non pervenerant. Illa tamen, verè an falsò non inquirimus, Martyrologia, Actaque suppeditant. Sic ergo nobiles Christi victimæ vocantur: *Cyrion, Candidus, Domnus, Meliton, Domitianus, Eunoïcus, Sisinnius, Eraclius, Alexander, Joannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Hecditius, Acacius, Bibianus, Helias, Theodulus, Cyrillus, Flavius, Severianus, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priscus, Eutychius, Eutyches, Smaragdus, Philoctimon, Aetius, Nicolaus, Lysimachus, Theophilus, Xanteas, Aggias, Leontius, Hesychius, Caius, & Gorgonius.* At si verum volumus, incerta ea nomina, de quibus & variant Martyrologia. Ubi Præfectus, cui *Agricolao* nomen esse fuerunt, Imperatoris literas ostendit, in medium procedentes se Christianos esse fatentur. Tum blanditiis primùm eos adortus: *Nolite*, inquit, *juvenes, ætatem perdere vestram, neque intempestivam mortem cum dulci hac & amœna vita commutare. Absurdum namque eos, qui in bellis sunt assueti fortia gerere facta, morte pravorum hominum perire.* Post hæc pecuniam pollicebatur atque honores. Cui responsum: *Quid muneribus tuis nos demulcere studes? Putasne tantum te daturum, quantum eripere contendis?* Quam Præfectus libertatem non ferens, mortem Martyribus acerbam longamque parat. Frigidæ hyemis frigidissimâ nocte decernit omnes nudos sub dio in media civitate congelandos mori: *Igitur sub dio pernoctare in stagno quodam jussi sunt, quod pro mœnibus civitatis erat, ac per brumam ita glacie concretum apparebat, ut equis pervium, & accolarum pedibus tritum esset.* Quid ad hæc Martyres? *Gratias agimus tibi, Domine, quòd cum isto amictu simul & peccatum exuere licet . . . Exutus est etiam Dominus noster. Quid magnum, si ea quæ passus est Dominus, servus subeas? Jam verò nos sumus, qui Dominum exuimus. Milites enim illud facinus fuit, illi vestes exuerunt.* Certaminis eventum dum spectat custos appositus, videt Angelos cœlo descendentes, qui omnibus, uno excepto, præmia distribuebant. Quippe eâ fuit animi mollitie, ut doloris pertæsus subinde ad hostes transfugeret. Excogitatum fuerat, ut propter stagnum balneum esset, quo iis qui propositum mutarent, promptum foret frigoris levandi remedium. Ubi transfuga calidam aquam attigit, corpore quod glacie torpebat dissoluto, statim interiit. Lictor autem ut illum defecisse vidit, seipsum in desertoris locum substituit, & abjectis indumentis, sese nudis immiscens, eandem cum Sanctis vocem emisit, *Christianus sum.* Cùm verò primùm illuxit, adhùc spirantes igni traditi sunt, ac cineres in fluvium projecti, ut per omnia elementa transiret certamen eorum. Die nono Martii eorum memoria celebratur. Passi sunt Sebastiæ in Armenia. Juxta illorum reliquias suorum parentum corpora Gregorius sepeliri Nyssenus fecit. Refert & Sozomenus, Martyres *Pulcheria* Theodosii Augusti sorori se candidis vestibus indutos obtulisse. Fides sit penes Autorem.

Basil. t. 1. Hom. 20.

Soz. l. 4. c. 4.

ANNO U. C. 1073. PER. JUL. 5033. JUL. 365. DOM. 320. CONSTANTINI 15. LICINII 14. *Sol.* ac. C. B. *Lun.* 17. *Indict.* 8. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 10. *April.*

ANNO DOM. 320.

COSS. Constantinus Augustus VI. & Constantinus Cæsar.

Valerius Maximus Præfectus Urbis.

De Basilei martyrio.

I. QUem in milites Licinius furorem exercuerat, is in Clericos exarsit acrius. Basileus Amaseæ Episcopus, vir illustris, qui & Neocæsariensi, & Ancyranæ Synodo interfuerat, grata tyranno victima mactatur. Ferunt Virginem Christianam, nomine *Glaphyram*, quæ *Constantiæ* Augustæ ministrabat, acrem amatorem Licinium invenisse. Cùm ad stuprum provocaretur, libidinem solicitatoris aperit Dominæ suæ, quæ oportunum tempus nacta, puellam auro multo, atque supellectile donatam in Armeniam mittit. Cùm Dei numine Amaseam Ponti metropolim *Glaphyra* pervenisset, in *Quintium* virum inprimis illustrem, & Christianum incidit, à quo ad *Basileum* Episcopum perducitur, cui multum pecuniarum ad extruendam Ecclesiam suppeditavit. Constantiam cùm monuisset loci quem incolebat, *Benignus* Liciniani cubiculi Præfectus, inventis *Glaphyræ* literis, rem omnem notam facit Imperatori. Quibus auditis, implacabilis ardet, missoque subinde rescripto, jubet *Basileum* & *Glaphyram* ferreis vinctos catenis adduci. Fato opportuno, cùm

cùm puella antè occubuisset, quàm ad Ponti Præsidem Liciæ pervenissent, solus mittitur ad Licinium *Basileus*, cujus constantia cùm ingentium vi promissorum expugnari non posset, ad littus maris capite plectitur, truncus verò in mare projicitur, esca veluti piscibus futura. Sed *sanctum corpus ab Elpidiphoro Angeli monitu repertum, honorificè tumulatum fuit*. Basilei natale Aprilis XXVI. in Martyrologiis celebratur. Actis quidem Basilei nostram fidem non astringimus, quæ à recentiorum Græcarum officina prodierunt, ut delinimentis quibusdam Lectorum illicerent animos. De *Basilei* tamen martyrio nulli dubitamus, licet nil loci invenerit, vel in Adonis, vel in Veteri Rom. Martyrologio. Sequimur autoritatem Hieronymi, qui eo ipso sæculo floruit, quo Basileus, quem & pro Martyre habet: *Basileus Amasiæ Ponticæ Episcopus sub Licinio martyrio coronatur.* Quid disertius? Periisse quoque Licinii in persecutione Basilium ex Eusebio colligitur: *Quæ apud Amasiam, & reliquas Ponti urbes perpetravit, omnem crudelitatis modum transcendunt.* Cùm ergo in Episcopos maximè sæviret, pepercissetne Amaseæ Præsuli, quo tempore dicam in ea urbe crudelitatem exercebat?

Euseb. l. 10. c. 8.

Valesii in Basilei martyrium solvuntur objectiones.

II. Dubium Valesio est *Basilei* martyrium; nec immeritò, si vera prædicat Philostorgius: Synodo Nicænæ *præter reliquos Antistites, Basileus Amasiæ Episcopus, & Meletius Sebastopoleos interfuerunt.* Immemor & sui Nicephorus, qui libro VII. c. 44. scripserat: *Post Theodorum, & Basileus Amasenus Episcopus, cùm prius intolerabilia tormenta esset perpessus, capitalo subiit supplicium.* Episcopis tamen qui Nicæam convenere, *Basileum* etiam inserit libro VIII. c. 14. Quod hausisse videtur ex Philostorgio. Majus adhùc Valesio nascitur argumentum: *Quid quod Athanasius in Oratione prima contra Arianos, ubi mentionem facit illustrium Episcoporum, qui Nicæna Synodo aut ipsi interfuerunt, aut ejus sententiam comprobarunt, Basileum Ponti Episcopum una cum aliis nominat: nec Martyrem eum appellat, quamvis Hosium Confessorem ibidem cognominet.* At nodum ipse expediet Athanasius: *Si scripta ista ab Orthodoxis proficiscerentur, qualia sunt magni illius Hosii, Maximi Galliæ, aut ejus successoris, aut Philogonii, & Eustathii, Orientis Episcoporum . . . aut Pederotis Heracleæ ἢ τῶν μεγάλων, aut magnorum Basilii, & Meletii, & Longiani, cum cæteris & Armeniæque Pontificibus.* Philogonus ille, cujus meminit Athanasius, Episcopus erat Antiochiæ, qui vitam cum morte prius commutavit, quàm Synodus Nicææ cogeretur: *Antiochia ad Orontem Ecclesia jam tum Eustathio commissa fuerat, Philogonio non ita pridem ad Deum recepto, & ad meliorem vitam translato.* In Nicephori Chronographia, Eustathio proximè decessit *Paulinus*, & Paulino *Philogonus*, quem vocat *Philogenem*. Nicenæ ergo Synodo Philogonus interesse non potuit, aut sententiam quam nondum promulgarant Nicæni Patres comprobare, nisi ratione materiæ, quia illam ipsam statuit opinionem, quam de divinitate Christi Scriptura, Patresque Synodo anteriores stabiliverant. Quâ etiam ratione, *Basileus* Patrum Nicænorum confirmavit sententiam, etsi quinquennio ante obierit, quàm Arius Nicææ damnaretur. Illam enim comprobavit sententiam, cùm totis nervis atque viribus Servatoris divinitati patrocinatus est. At Basileum Martyrem non nominat Athanasius, licet confessoris titulo decoret Osium. Respondet Pagius, ab Athanasio Martyrem non appellari, *Cùm propter Concilii Nicæni defensionem occisus non fuerit.* Quæ ratio congrua sit nec ne, perpendant eruditi. Petrum quidem Alexandrinum Martyrem dicit Athanasius, non *ob Concilii Nicæni defensionem* morte mactatum. De Meletianis enim ait: *Sciant igitur ipsi, quo modo se primùm adversus Beatum Petrum Martyrem gesserint.* Alia ergo nobis est ratio quærenda, cur Basileum Martyris titulo non affecerit Athanasius. Quam ex Athanasii oratione petendam existimamus. Cùm enim plurali μεγάλων, *magnorum* Epitheto *Basilium* induerit atque *Meletium*, vocem Martyris non adhibuit, quâ Meletium ornare non potuisset. Non minimum certè momenti inesset in Athanasii silentio, nisi testimoniis Patrum penè illi supparem Basileum Martyrem pernosceremus. Cùm verò martyrio coronatum fuisse tradat Hieronymus: Sanctum Martyribus Episcopum eximere, nobis est religio. Ac sanè deceptum esse Philostorgium, dum illis *Basileum* annumerat, qui Nicæno Concilio interfuerunt, patet ex subscriptionibus, in quibus *Eutychius Amaseæ* reperitur, qui defuncto Basileo successerat. Fatalem porro Basilio annum currentem dicimus, Hieronymum secuti, cujus à Chronologia cur discesserit Pagius, qui in annum proximum id martyrii contulit, prorsus nescimus. Constat etiam ex Eusebio, à militibus primùm Licinii persecutionem incepisse, quæ dein longius progressa, involvit & Episcopos, ut nil necesse sit hìc ab Hieronymi Chronologia deflectere.

Philostorg. l. 1. c. 7.

Val. Annot. in l. 2. Euseb. de Vit. Const. c. 1.

Athan. Or. 1. contra Arian. t. 1. 291.

Niceph. l. 8. c. 14.

Athan. Or. 1. contra Ar. t. 1. 306.

Pauli Cæsareensis, & Auxentii confessio.

III. Non unius Basilei arctissimis fidei vinculis pietas satisfecit. Paulus quoque magnum religioni amorem exhibuit. Episcopus erat Neocæsareæ, quod castellum est ad Euphratis ripas positum: *Is & Licinii rabiem expertus. Ambabus enim manibus est debilitatus, candente ferro eis admoto, nervisque, quibus articuli moventur, contractis atque erectis.* Decoris hisce Christi insignibus ornatus, Synodo Nicænæ interfuit. Ab eodem fonte pietatis Auxentii quoque animus manavit. Cujus præclarum facinus ex Suida accepimus. Eorum unus erat qui *Notariorum* nomine Licinio ministrabant: *Erat in quadam regii palatii aula, fons aquæ, & in eo Bacchi statua, & ampla vitis, totum illum locum complectens . . . Huc Licinius per speciem deductionis profectus, quasi suos familiares & domesticos eò delectationis gratiâ deduxisset, Auxentio & aliis multis è comitatu, eum prosequentibus, illam vitem intuitus, uvam quandam maturam & magnam de palmitibus pendentem vidit. Hanc Auxentium resecare jussit. Ille verò cùm pugionem ad femur pendentem strinxisset, eam resecuit, nihil suspicans. Licinius verò ad ipsum dixit, Hanc igitur uvam ad Bacchi pedes pone. Ille verò respondit, Absit, Imperator, sum enim Christianus; ille verò, Non igitur hinc ocius abibis militiâ relictâ? Horum enim duorum alterum facias, est necesse. Hic verò nil cunctatus, & zonam solvit, & statim ita ut se habebat, ex palatio excessit. Ephori verò aliquantò pòst ipsum Mopsuestiæ Episcopum crearunt.* Quo tempore tantum Auxentius habuerit animi, tantum roboris, nobis est in incerto. Referatur si placet egregium facinus in annum superiorem, quo Licinius Christianos de palatio suo pepulit. Illustri hoc exemplo fidei Annales nostros carere noluimus.

Theodorit. h. l. 1. c. 7.

Suid. t. 1. 492.

IV.

ANNO DOM. 320.

Lactantius: ejus opera.

Lact. l. 5. c. 1.

IV. Dum Religionem ferro flammisque exterminare Licinius tentat, Dei cultum defendit L. Coelius Lactantius, quem hoc anno Divinarum Institutionum libros Constantino nuncupasse existimamus. Ardente quidem Licinianâ persecutione editos esse, verbis monemur Autoris: *Nam malis qui adversus justos in aliis terrarum partibus saviunt, quantò serius, tantò vehementius idem omnipotens mercedem sceleris exolvet: quia ut est erga pios indulgentissimus pater, sic adversus impios rectissimus Judex.* Quibus digitum intendit ad Licinium, qui in Oriente Christianos miserè lacerabat. Ut à vero procul absit Baroniana Chronologia, quæ anno CCCXVI. Lactantii Institutiones editas esse statuit. Quo tempore nil adhùc in Christianos à Licinio persecutionis motum. Non nescimus eruditissimum Cavium censere Institutionum libros VII. *scriptos esse sub Diocletiani persecutione.* Argumentum affert, ex libri V. c. 4. *Ii ego de quibus dixi*, Hierocles scilicet, Bithyniæ Præses, & Philosophus Anonymus, *cùm præsente me, ac dolente, sacrilegas suas literas explicassent, & illorum superbâ impietate stimulatus, & veritatis ipsius conscientiâ, & ut ego arbitror, Deo, suscepi hoc munus, ut omnibus ingenii mei viribus accusatores justitiæ refutarem, non ut contra hos scriberem.* Quibus tamen non consequens est, illo ipso tempore ad scribendum animum appulisse Lactantium, quo Hierocles fidem est insectatus. Quomodo nec est necesse, Eusebium qui & Hieroclem confutavit, id sibi laboris injunxisse *sub Diocletiani persecutione.* Lactantio hoc fuit consilii, *ut omnes qui ubique idem operis efficiunt, aut effecerunt, uno simul impetu profligaret.* Incredibile sanè nobis est, *inscriptiones omnes, quæ in librorum I. 2. 4. 5. fronte comparent, ab aliena manu fluxisse*, adeò cum sequentibus benè cohærent, nitidamque redolent Lactantii orationem. Quod dictu tamen & creditu necessarium est, ut anno circiter 303. Institutiones Lactantii conditas esse existimemus. Quibus accedat, Arianorum, qui dum Diocletianus imperabat, è tenebris nondum emerserant, mentionem agitasse Lactantium. Quippe post verba hæc lib. IV. c. 30. *aut Anthropiani*, melioris notæ exemplari habent, *aut Ariani.* De eo Scriptore Hieronymus: *Firmianus qui & Lactantius, Arnobii discipulus, sub Diocletiano Principe accitus cum Flavio Grammatico, cujus de Medicinalibus versu compositi extant libri, Nicomedia Rhetoricam docuit: ac penuriâ discipulorum, ob Græcam videlicet civitatem, ad scribendum se contulit. Hic in extrema senectute, Magister Cæsaris Crispi, filii Constantini in Gallia fuit, qui posteà à patre interfectus est.* Quibus & addenda verba Chronici: *Crispum Lactantius Literis Latinis erudivit, vir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeò in vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit.*

Hier. de Vir. Illustr.

Lactantii Opera Hieronymo numerantur: *Habemus ejus Symposium, quod adolescentulus scripsit Africa: & ὁδοιπορικὸν, id est, Itinerarium de Africa usque Nicomediam, hexametris scriptum versibus, & alium librum, qui inscribitur Grammaticus, & pulcherrimum de Ira Dei, & Institutionum divinarum adversus Gentes libros VII. & Epitomen ejusdem Operis, in libro uno acephalo, & ad Asclepiadem libros duos, de Persecutione librum unum, ad Probum Epistolarum libros quatuor, ad Severum Epistolarum libros duos, ad Demetrianum auditorem suum Epistolarum libros duos, ad eundem de Opificio Dei, vel formatione hominis.* Quorum librorum pars magna periit. In Lactantii Operibus insignis de Mortibus Persecutorum liber numeratur. Ad Scriptoris elegantiam atque nitorem nil addi potest, Judice Hieronymo, ad Paulinum Epistolâ XIII. *Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ. Utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* Damasi tamen palato non sapiebant cultissimi Scriptoris Epistolæ, quod & ipse fassus est Hieronymo, à quo, ut egregium fortè munus Lactantii lucubrationes acceperat: *Fateor tibi, eos quos jampridem Lactantii dederas libros, ideò non libenter lego, quia & plurimæ Epistolæ in eis usque ad mille spatia versuum tenduntur, & rarò de nostro dogmate disputant. Quo fit ut & legenti fastidium generet longitudo, etsi quæ brevia sunt, Scholasticis magis sint apta, quàm nobis, de metris, & regionum situ, & Philosophis disputantia.* Utinam eas Epistolas tempus rerum edax nobis non invidisset, nos *libenter* legeremus. Quos verò ex Sibyllis, vel ex Scripturæ oraculis perperàm intellectis suis in Operibus errores disseminavit Lactantius v. g. de Antichristo, Eliæ adventu, millenario regno, in quo *lupus ovem non rapiet, canis non venabitur, infans cum serpentibus ludet*, aliaque ejusmodi, ad vivum non resecanda, homini in rebus theologicis non satis versato faciles condonamus. Ad se nos vocant res Donatistarum.

Hieronym. Ep. 124.

De Silvani judicio: ejicitur in exilium.

V. Silvanus Constantinæ Episcopus, quo præcipuè Autore Donatistæ tumultuabantur, traditionis & furti postulatus. Accusatoris nomen sustinebat *Nundinarius* Diaconus, quem abdicatum Silvanus restituere nolebat, vel à *Purpurio* rogatus Episcopo: *Venit ad me Nundinarius Diaconus, filius noster, & petiit has literas deprecatorias à me ad te, sanctissime, dirigerem, ut si fieri posset, pax inter te & ipsum sit: hoc enim volo fieri, ut nemo sciat quid inter nos agatur . . . Quare remedium quomodo poterit ibi malignitas ista exstingui, antequam flamma exurgat, quæ post demum extingui non poterit sine sanguine spiritali. . . . Omnes nos occidistis, & aliâ manu.* In reum igitur de accusatione inquirit Zenofilus, Numidiæ Consularis *Constantino Maximo Augusto, & Constantino Juniore, nobilissimis Cæsaribus Coss. Idibus Decembribus.* Legendum *nobilissimo Cæsare.* Quem Consulatum si Baronius attendisset, Acta Zenofili in annum CCXCI. non contulisset. Porro ex Actis *Munatii Felicis, Curatoris Coloniæ Cirthensium, Diocletiano VIII. & Maximiano Coss. Kalendas Junias.* Silvanum, qui tum Subdiaconi munere fungebatur, vasa sacra tradidisse, liquidò Nundinarius demonstrat. Furem quoque pauperum certis monumentis ostendit: Epistolis scilicet Purpurii, & *Fortis* Episcoporum, aliorumque ad ipsum Silvanum scriptis. Quin etiam cùm ad Episcopatum Silvanus promotus est, ordinationi ejus populum obstitisse, planum fecit Nundinarius: *Zenofilus vir clar. Consul Victori dixit, Clamasti ergo populo, quòd traditor esset Silvanus, & non deberet fieri Episcopus? Victor dixit, Clamavi & ego, & populus. Nos enim civem nostrum petebamus integrum virum.* Convicit & testibus Nundinarius Silvanum furti: *Zenofilus V. C. Consul Nundinario* (L. Saturnino) *& Victori dixit, Scitis acceptos esse folles à Lucilla? Saturninus & Victor dixerunt, Scimus. Zenofilus V. C. Consul dixit, Pauperes non acceperunt? Dixerunt, Nemo nihil accepit. Zenofilus*

Anno Dom. 320.

nofilus V. C. Consul, Saturnino & Victori dixit, Nihil de fano Serapis sublatum est? Saturninus & Victor dixerunt, Purpurius tulit cupas, & Silvanus Episcopus, & Donatus, & Superius Presbyteri, & Lucianus Diaconus tulerunt acetum. In Simoniam etiam Silvanum esse lapsum ostensum est: *Nundinarius dixit, Victor quot folles dedit, ut fieret Presbyter? Crescentianus dixit, Vidi allatos sophinos cum pecunia? Zenofilus V. C. Consul, dixit Crescentiano, Cui dati sunt cophini? Crescentianus dixit, Episcopo Silvano. Zenofilus V. C. Consul dixit, Silvano dati sunt? Cresfentianus dixit, Silvano. Zenofilus V. C. Consul dixit, Populo nihil datum est? Respondit, Nihil. Necesse est ut & nos aliud* (aliquid) *acciperemus, si distribuerentur sicut solet.* His moribus ornatus Silvanus, cùm insuper fax & turbo seditionum esset, quibus agitabatur Numidia, in exilium à Constantino ejicitur. Jactavit quidem Cresconius Grammaticus ex parte Donati ideò pulsum esse Silvanum, quòd *Ursacio & Zenofilo per sequentibus communicare noluisset.* Refellitur tamen tam ex Actis memoratis, quàm ex Augustino libro 3. contra Cresconium c. 30. Traditor erat Silvanus, malis & artibus Episcoparum sibi compararat, pacem eripuerat Africæ, munera Ecclesiastica vendiderat, Constantinianam Basilicam invaserat. Ut pro tam miti sententia meritæ Constantino grates ab exule agi debuerint.

Lab. Concil. t. 2. 1443.

De cælibibus Lex Constantini.

VI. Non solo Silvani exilio, sed præclaris, quæ hoc anno latæ sunt legibus, Constantini nomen inclaruit. Cælebs lege Juliâ, & Papiâ, ex aliorum testamentis quidquam capere non poterat, nisi post mortem testatoris intra centesimum diem matrimonium contraheret, præterquam ex testamento cognati ad sextum usque gradum. Poenas Papiæ Legis intenderat Augustus. Quò pertinent verba Suetonii: *Hanc cùm aliquanto quàm cæteras severius emendasset, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi ademptâ demum, lenitâve parte pœnarum.* Hanc Constantino legem refigi placuit, ne Christianis virginitatem, vitamque cælibem colere cupientibus in damnum cederet. Legem ergo tulit, quâ Papia abrogabatur: *Qui jure vetere cælibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivant ac si numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur. Sitque omnibus æqua conditio capessendi quo quisque mereatur. Nec verò quisquam orbus habeatur: proposita huic nomini damna non noceant,* &c. Cod. Theod. l. 8. l. 1. de infirmandis p. 643. *Data est pridie Kal. Februarii Sardica. P. P. Roma Constantino VI. & Constantino Cæs. Coss.* Legis meminit Eusebius, in vita Constantini lib. IV. c. 26. Multi præ ardentissimo amore Philosophiæ continentiæ genus amplectebantur: *Quid ergo utrùm hoc supplicio, an potius admiratione & approbatione dignum haberi oportuit?* Videatur & Sozomenus lib. V. c. 9. In Codice Justiniani, lex eadem Constantino, Constantio, & Constanti Augustis ascribitur: *Data pridie Kal. Aprilis Roma Constantio II. & Constante A A. Coss.* anno Dom. CCCXXXIX. C. l. 8. Tit. 58. Ab his Imperatoribus paterna lex renovari potuit. Secus & titulus, & inscriptio in mendo cubant. Legis hujus causâ Publius Optatianus Porphyrius hæc in Constantini laudem cecinit,

Permulcens aspera Legum, justitia æterna.

Suet. Aug. c. 34.

Anno U. C. 1074. Olymp. 275. Per. Jul. 5034. Jul. 366. Dom. 321. Constantini 16. Licinii 15. *Sol.* 22. A. *Lun.* 18. *Indict.* 9. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 7. *P.* 2. *April.*

Anno Dom. 321.

Coss. Crispus Cæsar II. & Constantinus Cæsar. II.

Valerius Maximus Præfectus Urbis.

Quinquiennalia Crispi. Nazarii Panegyricus.

I. Dum Crispi Constantinique, qui Calendis Martii ad Cæsaream dignitatem anno CCCXVII. ascenderant, Quindecennalia primo Martii labentis anni celebrantur, Nazarius Rhetor insignis, cujus etiam meminit in Chronico Hieronymus, cultissimam sanè orationem habuit, in quâ Constantini Imperatoris, Cæsarumque filiorum ejus egregiè laudes exequitur: *Quintum decimum annum maximus Princeps salutaris imperii degit; sed auguramur jam Vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia, & spes volucres constituerunt. Horum dehinc compotes propagabimus optabilis boni seriem.* Crispi victoriam Nazarius celebrat, quæ qualis fuerit aut quando relata, est in obscuro: *Jam*, inquit, *obterendis hostibus gravis, terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen suum cœpit.* Et inferius, *declarant ecce rationem, cupiditatemque voterum facta Crispi, Cæsarum maximi, in quo velox virtus, ætatis mora non retardata, pueriles annos gloriis triumphalibus occupavit. Cujus ita jam uberes scatent laudes, ut plena possent videri, nisi cupisse & patrem cogitaremus.*

Constantini lex de die Dominica: qui celebrabatur?

II. Pulcherrimis legibus à Constantino latis hic annus est fœcundissimus. Primam fixit de die Dominica: *Constantinus Augustus Elpidio. Omnes Judices urbanæque plebes, & cunctarum artium otia venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ liberè licenterque inserviant. Quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa. Data Non. Martii Crispo II. & Constantino II. Coss.* Cujus Constitutionis mentionem egit Eusebius, à quo etiam novimus, multum honoris à Constantino Clericis habitum esse: *Diem verò precationibus congruum haberi constituit, eum qui primus est, & caput cæterorum, & reverà Dominicus est, & salutaris . . . Atque ob hanc causam cunctis sub imperio Romano degentibus præcepit, ut die Dominico feriarentur, ut diem qui est pridie Sabbati honorarent.* Id honoris sextæ feriæ impensum arbitratur Sozomenus, *ut cunctos à judiciis, aliisque negotiis feriari præceperit.* Sed de suo id admensus est Sozomenus, quod die Veneris Magistratus abstinuerint à judicando. Id solis diebus Dominicis hoc privilegii Constantinus contribuit, ut apparet ex legibus, quas ea de re rogavit. Verissima nobis videtur Valesii conjectura, Sozomenum qui Constantinopoli Advocati officio fungebatur, cùm suâ ætate id observari videret, Constantinum ejus rei autorem habuisse. Aliam de die Dominico Legem quoque promulgat Imperator v. Non. Junii Caralis, quæ ad Rescriptum superius memoratum respectum habet: *Sicut indignissimum videbatur*

C. l. 3. de Feriis Tit. 12.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 13.

Sozom. lib. 1. c. 8.

Cod. Th. l. 2. Tit. 8. l. 1. de Fer. p. 118.

ANNO DOM. 321.

tur diem Solis, venerationis sua celebrem, altercantibus jurgiis, & noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum ac jucundum est eo die, qua sunt maximè votiva compleri. Atque ideò emancipandi & manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, & super his rebus actus non prohibeantur. Hactenus dies Dominica ab Ecclesiæ Apost. incunabulis veneranda sacraque, precibus, concionibus, Eucharistiæ celebratione palam à Christianis colebatur. Verùm regnantibus Ethnicis ἐργασίμοις & judiciis Magistratuum eximi non potuit, quod à Constantino demum factum est.

Vit. Const. l. 4. c. 18.

Decrevit etiam, *ut diem qui est pridie Sabbati, similiter honorarent, in memoriam, ut videtur, earum rerum qua à communi omnium Servatore illis diebus gesta esse perhibentur.* Ut verò majorem prima feria venerationem acciperet, militibus qui fidem amplexi erant, *Exercendi se in more sanctitoque Ecclesia Dei, tempus atque otium indulsit, quo absque ullo impedimento orationibus vacarent. Reliqui verò, qui divina fidei doctrinam nondum susceperant, alterâ lege pracepit, ut Dominicis diebus in campum purum procederent, & precationem, quam anteà didicissent, simul omnes signo dato, ad Deum funderent.* Hæc autem forma orationis fuit: *Te solum agnoscimus Deum, te Regem profitemur: te adjutorem invocamus. Tui muneris est, quòd victorias retulimus, quòd hostes superavimus. Tibi ob praterita jam bona gratias agimus, & futura a te speramus. Tibi omnes supplicamus, atque Imperatorem nostrum Constantinum unà cum piissimis ejus liberis, incolumem & victorem diutissimè nobis serves rogamus.* Quibus luce clarius est, quæ cæli tes orationibus prosequitur, necdum ortam esse Religionem. Attulit & Imperator honorem Clero: *Diaconos & Deo consecratos Ministros, qui vita gravitate, & reliquis virtutibus ornati essent, totius domus custodes ordinavit.*

Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 18.

Lex Constantini in Magos.

Cod. Just. l. 9. Tit. 18. l. 4.

III. Multorum oppleverat animos infaustus amor magiæ. Visum igitur sapientissimo Principi infamem artem proscribere, pœnâ in maleficos constitutâ. Scripsit igitur ad Bassum P. U. *Eorum est scientia punienda, & severissimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse detegentur. Nullis verò criminationibus implicanda sunt remedia humanis quasita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis, grandinisque lapidatione quaterentur: quibus non cujusquam salus aut astimatio laderetur, sed quorum proficerent actus, ne divina munera, & labores hominum sternerentur. Datum x. Kal. Junii Aquileæ, Crispo & Constantino Casaribus.*

Legatorum capaces esse Clericos Constantinus jubet.

Gell. l. 1. c. 12.

Cod. l. 1. Tit. 2.

IV. Magnam non ex damnata modò magia, sed beneficiis etiam, quibus Ecclesiam affecit, gloriam Constantinus consecutus est. Nihil ex Testamento capiebant Vestales: *Virgo Vestalis, neque heres est cuiquam intestato, neque intestata quisquam, sed bona ejus in publicum redigi aiunt.* Judæorum quoque collegia legatis excludebantur. Quæ ne ad Christiana extenderentur, Lege publicâ Constantinus cavit: *Imperator Constantinus Aug. ad populum. Habeat unusquisque licentiam Sanctissimo Catholico venerabili Concilio decedens, bonorum quod optaverit, relinquere, & non sint cassa judicia ejus. Nihil enim est quod magis hominibus debeatur, quàm ut suprema voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod non redit arbitrium. P. P. v. Non. Jul. Roma Crispo II. & Constantino II. Coss.* Ni igitur ingrati animi vitio Clerici laborare velint, Principum munificentiæ prædia, facultatesque suas referre debent. Id Avitus Viennensis Episcopus Regi Gundobado fatebatur, Epistolâ 39. *Quidquid habet Ecclesiola mea, imò omnes Ecclesia nostra, vestrum est, de substantia, quam vel servastis hactenus, vel donastis.* Posteà tamen vetuit Arcadius Clero donari quidquam, etiam ex Testamento, quam extorsisse legem videtur, immensa habendorum legatorum cupido, ut & indicare videtur Hieronymus ad Nepotianum Epistolâ: *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, mimi, & auriga, & scorta hereditates capiunt. Solis Clericis, & Monachis hac lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem.* Dum immensis largitionibus æraria sua pietas effundit in Clerum, hinc luxus Sacerdotum, inde familiarum detrimentum metui, nec immeritò debuit. Non culpanda est Principum prudentia, quæ donationibus ejusmodi modum adhibuit, ne tandem aut vires Reipublicæ devorentur, aut habenæ permittantur voluptatibus, & ambitioni. Pulcherrima sunt verba Hieronymi: *Per fidei commissa legibus illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita, quàm Christi, leges timemus, Evangelia contemnimus. . . Gloria Episcopi est, pauperum inopia providere. Ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam, & mella fastidio: novi & genera & nomina piscium: in quo littore concha lecta sit calleo: saporibus avium discerno Provincias.* Quibus accedant, sordida captandis testamentis donationibusque Clericorum ministeria: *Audio praterea in senes, & anus absque liberis quorumdam turpe servitium. Ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis manu propriâ suscipiunt.*

Hieron. Ep. 3.

Ibid.

Decreveritne Constantinus haruspices esse consulendos?

Bar. An. 321. n. 18.

Cod. Theod. l. 1. de Paganis. p. 257.

V. Prioris oblitum pietatis in *hujus anni fine* Constantinum degenerasse, tragicè queritur Annalium parens: *O dolendum facinus! abhorrens à Christiano Imperatore, Rescriptum dedisse ad Maximum P. U. apparet, quo Aruspices consulendos esse decernit.* Rescriptum sic se habet: *Si quid de Palatio nostro, aut cateris operibus publicis devastatum fulgure esse constiterit, retento more veteris observantia, quid portendat, ab Aruspicibus requiratur, & diligentissimè scriptura collecta ad nostram scientiam referatur; cateris etiam usurpanda hujus consuetudinis licentia tribuenda, dummodò sacrificiis domesticis abstineant, qua specialiter prohibita sunt. . . Dat. XVI. Kal. Januar. Sardica, Acc. VIII. Id. Mart. Crispo II. & Constantino II. Coss.* Immeritò tamen accusatorio hoc animo Constantini in religionem Baronius invehitur. Quam innocenti injuriam non fecisset, si quam adhiberi oportuit, distinctionem usurpasset, *permittentis* legis, & *pracipientis.* Quæ legibus mandari non possunt, tolerari sanè possunt, summi Legislatoris ad exemplum, qui *pro duritia cordis Judaeis ipsis permisit dimittere uxores suas.* Quæ repudia nec præcipiebat, nec probabat. Simili συγκαταβάσει à Constantino ita comparatum fuit, ut Rescriptis suis incolitam veteremque consuetudinem, Ethnicorum insculptam in animis exerceri concederet; quam prorsus extinctam voluisset,

Anno Dom. 321.

luisset, si tutò, decenterque tum abrogari potuisset. Hanc insedisse Principi mentem, Rescripti verba præ se ferunt. Adhibet enim voces, *veteris observantia*, tribuit *licentiam*, sacrificia domestica prohibet: quæ quidem non vetasset, nisi ab ea haruspicina alienum gessisset animum. Mentem & ipse suam aperit verbis tam expressis, tam perspicuis, ut nullus ea de re fiat dubitandi locus: *Haruspices, & Sacerdotes, & eos qui huic ritui adsolent ministrare, ad privatam domum prohibemus accedere, vel sub prætextu amicitiæ limen alterius ingredi, pœna contra eos proposita, si contempserint legem. Qui verò id vobis existimatis conducere, adite aras publicas, atque delubra, & consuetudinis vestræ celebrate solemnia. Nec enim prohibemus præteritæ observationis officia, liberâ luce tractari. Dat. Id. Maji Constantino Augusto v. & Licinio Coss.* Calendis Februarii hoc ipso anno, qui Dom. fuit CCCXIX. concremari jusserat haruspicem, *qui ad domum alienam accesserit*. Sed & haruspicinæ superstitionis nomen imposuit: *Superstitioni suæ servire cupientes, poterunt publicè ritum proprium exercere.* Quibus sanè legibus apparet, Constantinum permisisse quidem, at non decrevisse ut haruspices consulerentur.

Cod. Th. l. 9. Tit. 16. p. 115.

Bellum Constantini cum Sarmatis.

VI. Non præclaris modò legibus, sed armis quoque suis Constantinus Reip. profuit, pulsis *Sarmatis*, qui in ditionem Romanam impetum fecerant. Quantum ex historiæ monumentis conjicere licet, geminum cum Sarmatis Constantino bellum fuit. Prius ante, posterius post extinctum Licinium. De priore Zozimus, de posteriore Eusebius, Victor, Sozomenus commemorarunt. Anno CCCXIX. bellum incepisse Sarmaticum, Pagio creditum, quod & in Eusebio & Sozomeno se reperisse putat, quadriennio gestum. De viri doctissimi Chronologia judicent nobis oculatiores, perpendant etiam an non longè satius sit, nobiscum diversa bellorum tempora distinguere, quæ Pagius permiscuit. Nos quod attinet, admittere nequimus in animum, bellum Sarmaticum vel anno CCCXIX. incepisse, vel *tribus consequentibus* gestum fuisse. Cùm enim Nazarius Panegyrico in Constantini laudes Calendis Martiis anni CCCXXI. dicto, de Sarmatarum cladibus, victoriisve de barbara ea gente à Constantino relatis, ne verbum quidem habeat, argumento est ante dictum Panegyricum non ea contigisse. Non amplior quidem ad Constantini laudes materia potuit afferri, neque tot egregia facinora, quorum fama recens, facundus ille Rhetor silentio dissimulasset: cujus tamen in oratione ne vel Sarmatarum nomen legitur. Calendas ergo Martias excipiunt, quæ hoc anno de Sarmatico bello in Annales congerimus: *Cùm audisset Constantinus ad Mæotidem Paludem habitantes Sarmatas, Istro navigiis transjecto, quæ ditionis suæ erant, infestare copias in eos duxit. Itidem Barbari cum Ransimodo Rege obviam ei profecti, primùm quoddam oppidum tentabant, satis magno præsidio munitum, cujus ea pars muri, quæ à terra surgebat in altum, erat opere lapideo factâ, pars superior ligneo. Quamobrem arbitrati Sarmatæ, facillimè se potituros oppido, si quidquid esset in muro ligneum exussissent, ignem admovebant, & consistentes in muro telis petebant. Sed cùm murorum propugnatores, telis ac lapidibus ex loco sublimiore dejectis Barbaros interficerent. Jamque Constantinus advenisset, à tergo Barbaros adortus, multos occidit, plures vivos cæpit, reliquis fugâ sibi consulentibus. Ransimodus majore parte copiarum amissâ, naves ingressus, Istrum transjecit.* Fugatorum Sarmatarum debellati Regis Barbari oblivionem subrepisse Nazario quis credat, si ante annum CCCXXI. ea gesta fuisset?

Pag. Crit. An. 319. n. 3.

Zozim. l. 2. c. 21.

Donatistarum solvitur exilium.

VII. Ut fortitudinis in debellandis Sarmatis, sic suæ in Donatistas Clementiæ Constantinus exempla præbuit. Principi libellum supplicem obtulerunt, ut de exilio reducerentur, quod ex Augustino discimus: *Prosecutio Donatistarum, quâ Principi Constantino libellum asserunt proprios dedisse majores, & eo Principem motum, agendi eis dedisse licentiam.* Orabant ut Silvanum, & Collegas ab exilio revocaret, nec se invitos ad ineundam cum Cæciliano communionem compelleret: *Ibi dicunt nullo modo se communicaturos Antistiti ipsius nebuloni, paratosque esse perpeti, quidquid eis facere voluisset.* Qua de re legantur Breviar. c. 21. & Collat. 3. Carth. c. 544. Miram Imperatoris benignitatem! qui insolentiam supplicio dignam tulit. Scripsit enim Verino Vicario, ut exulibus facultas redeundi concederetur: *Idem Imperator ad Valerium* (L. Verinum) *Vicarium de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo vindici dimittendo literas dedit, Crispo & Constantino iterum Coss. tertio Nonas Maias, id est, post quartum annum, & mensem ferè sextum.* In eo quoque Rescripto *eos graviter detestatur, & propterea dicit, sic exilio relaxandos & furori suo dimittendos, quia jam cœperat Deus in illos vindicare.*

Augustin. lib. ad Donat. c. 544.

August. post Collat. l. 1. c. 33.

August. in Ep. 152.

Donatistarum Ecclesia Romæ fundatur. Montenses quare dicti?

VIII. Sub idem tempus creverunt Ecclesiæ Donatistis: quæ cùm hactenus Africæ limitibus continerentur, in ipsa urbe Romana fundari cœpere. Quod sub currentem annum contigisse, conjecturâ consequimur. Optatus qui anno circiter CCCLXVIII. in *Parmenianum* scripsit, sex Donatistarum Episcopos ordine sibi succedentes in urbe numerat. *Victorem*, qui seriei caput est, *Bonifacium, Encolpium, Macrobium, Lucianum, Claudianum* Optato coætaneum: ut antiquitatis aliquid Ecclesiæ, cui sex Episcopi continuâ serie præfuerant, sit vindicandum. Baronius totus ad illustrandam Pontificiæ Rom. majestatem compositus, mira hic somniat: *Quoniam ferrent Donatistæ, apud omnes exploratissimum esse, nonnisi ex communicatione cum Romano Pontifice quempiam nancisci posse Catholicum nomen, eò stultitia adacti sunt, ut statuerint, ex suis quempiam creare Episcopum, quem Romam amandarent, ut illic ageret, ibique suæ communicationis homines colligeret, ac sic gloriarentur, se Romæ habere Episcopum, & proinde nomen Catholicum promereri.* Quæ lepida commenta certè certòque novimus, in mentem Donatistis non venisse, nisi nos fefellerit Optatus, qui aurem Baronio vellere figmentique admonere debuit. Ita se res habet: *Victor Garbiensis, ut hinc prior mitteretur, non dico lapis in fontem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare, sed quia quibusdam Afris placuerat urbica commoratio, & hinc à vobis profecti videbantur, ipsi petierunt ut aliquis hinc qui eos colligeret mitteretur. Missus est igitur Victor.* Pauculi ex Donatistarum grege urbem incolentes, optant sibi habere Episcopum, qui sacra ministraret. Rogantibus mittitur. Victor Garbiensis, primus in civitate Romana schismatis Donatistici Episcopus. Quid hæc ad nomen Catholicum faciunt, aut Episcopum Principem, qui hujusce communionis homines colligeret? Imò non Româ in Africam, sed ex Africâ Romam Donatistis Episcopi mitte-

Baron. An. 321. n. 3.

Error Baron.

Opt. l. 2.

ANNO DOM. 321.

tebantur, adeò verum est, nil minus quàm de creando sibi Pontifice Maximo cogitasse, quod ex verbis Augustini ad Quod vult Deum, mox recitandis perspicuum est. Pauculi verò in urbe dispersi, *Montensium* nomen invenere: *Missus est igitur Victor. Erat ibi filius sine patre, tyro sine Principe, discipulus sine Magistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, Episcopus sine populo. Non enim Grex aut populus appellandi fuerant, pauci qui inter* XL. *& quod excurrit, Basilicas, locum ubi colligerent, non habebant. Sic speluncam quandam foris à civitate gradibus sepserunt, ubi ipsa tempore conventiculum habere potuissent, unde Montenses appellati sunt.* Quo etiam nomine eos induit Augustinus: *Isti Haretici* (Donatistæ) *in urbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent Episcopum mittere, aut hinc illùc Afri Episcopi eorum pergere, si fortè ibi eum ordinare placuisset.* Eo quoque titulo ab Hieronymo sunt insigniti in sua ad Marcellam Epistola, quâ docemur, Rheticium Augustodunensem Episcopum à Constantino ob *causam Montensium missum esse Romam.* Ex loco Ecclesiæ suæ non Montenses modò, verùm etiam *Rupitæ* Romæ appellabantur, teste Augustino de Unitate Eccl. c. 3. *Si enim Sancta Scriptura in Africa sola designaverunt Ecclesiam, & in paucis Roma Rupitanis, vel Montensibus.* Ludendo *Montenses* ab Hieronymo *Campitas* dictos esse existimamus: *Montenses, sive Campitas.* Ut ob humilitatem à campis potius, quàm à montibus appellationem sortiri debeant. Pro Montanistis Montenses habere videtur Marianus Victorius, licet inter utrosque differentia maxima sit. Ludum Hieronymi ostendunt verba Apulei: *Isis quæ de Templi situ sumpta nomine Campensis, summa cum veneratione propitiatur.*

Optat. l. 2. — *Augustin. de Hær. c. 69.* — *Hieron. Ep. 133.* — *Hier. adv. Lucifer. c. 9.* — *Apul. Metam. l. XI. 270.*

De Arii ab Alexandrino Concilio ejectione.

IX. Dum Ecclesiam attodit Donatistarum furor, in Ægypto Religionem cruentat vulneribus Arii doctrina. Errori vim incutiebant severi mores Hæretici, habitus ad fallaciam compositus, Philosophiæ aculei, adulationes, quibus hominum, mulierumque sibi devinciebat animos. Ut Alexandri ad aures pervenit, à veritate Arium aberrantem, multos in exitium trahere, eum ad se vocatum interrogat, Ecquid ita sese res haberet? Tum ille nihil tergiversatus, statim frontem perfricans, venenum omne suum evomit: *Quamobrem Alexander habito Presbyterorum, ac quorundam Episcoporum, qui aderant conventu, de eo quæstionem habet, ac diligenter examinat. Tum veritati cedere detrectantem ejicit ex Ecclesia, ac totâ civitate proscribit.* Hæreticorum tunc damnatorum hæc sunt nomina: *Ex Presbyteris quidem Arius, ex Diaconis verò Achillas, Euzoius, Aithalas, Lucius, Sarmates, Julius, Mena, Arius alter, & Helladius.* Ejectorum Clericorum numerum multiplicat Epiphanius, qui Presbyteros VII. & Diaconos XII. expulsos esse tradit. Subdifficilis autem hîc exoritur quæstio, quandonam prima hæc in Arium Synodus celebrata est. Ac Baronius, quem Labbeus sequitur, annum CCCXV. assignat Synodo. Cujus Chronologiæ fundamenta in Lactantio collocat, atque Orosio: *In Præfatione*, inquit, *librorum quos scripsit ad Constantinum Lactantius, veluti digito signat persecutionem, à Licinio in Oriente excitatam, quod contigit anno* CCCXVI. *quo tempore cùm hæc scriberet, de Ariana hæresi alibi meminit.* Quem Lactantii locum indicat, ille reperitur l. IV. c. 30. *Cùm enim Phryges aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Ariani* &c. Ex falso tamen antecedente, id consequentia colligitur: nempe Licinianam persecutionem an. CCCXVI. incepisse, quod Hieronymo pugnat, Anonymoque Valesiano. Imo Orosius ipse Ariana collocat initia in anno, quo Crispus, Licinius & Constantinus Cæsares sunt creati, qui Dionysianus est CCCXVII. quo tempore Licinianæ persecutionis nondum procella stridebat. Ut vel ex uno hoc argumento Baroniana Chronologia funditùs pereat: primaque in Arium Synodus, anno CCCXV. longè posterior habeatur, necesse sit. Neque plus in Orosio virium. An. CCCXVII. *Arium à veritate fidei Catholica deviantem, exitiale plurimis dogma constituisse scribit.* Illo ipso anno, damnatum fuisse non scribit. Imò mora satis, initia Arii inter & damnationem interpositum est, quia non momento, sed lapsu aliquo temporis, ut sibi familiam Arius colligeret, opus erat. Neque dissimulat Alexander, in sua Epistola ad Alexandrum Hæreticos, *serius propter ipsorum latebras* deprehensos esse. Epiphanius quidem septingentas ferè Virgines, Presbyteros VII. Diaconos XII. *cum reliqua multitudine non exigua*, ab Ecclesia cum Ario distractos ejectosque memorat. Quæ tamen non satis Alexandri Epistolæ consentiunt. Baronianam denique de anno prioris in Arium Alexandrinæ Synodi Chronologiam, damnant veteres Chronologi omnes, qui posteriorem anno CCCXV. Arii damnationem dicunt. Quantum ex historiæ monumentis conjicere datur, perquam commodè hæc illa Synodus anno currenti alligatur. Quo tempore quidem observat in Chronico Hieronymus, *ab Alexandro, Arium Presbyterum de Ecclesia dejectum, multos sua impietati sociasse.* Pagius hanc quoque Chronologiam autoritate Hermanni Contracti stabiliri statuit. *Legi*, inquit, *Hermannum Contractum, qui damnationem Arii consignat anno* CCCXXI. Non est tamen accurata hæc observatio. Ad annum quidem CCCXXI. Hermanniani Chronici hæc legi fatemur: *Arius Presbyter ab Ecclesia à sua Episcopo Alexandro ejectus, multos sua impietati sociat.* At non ab anno Augusti XLIV. qui Æræ Dionysianæ primus est, sed à XLII. Hermannus Chronici sui ducit initium: *Anno* XLII. *Octaviani Augusti Cæsaris . . . anno, ab urbe verò condita* 752. *Dominus noster J. C. in Betlehem Juda nascitur.* Quo calculo Hermanni annus CCCXXI. Dionysianus est CCCXIX. cum quo ejectionem Arii copulavit, biennio ante Pagi Chronologiam.

Epiph. h. 69. n. 3. — *Theodorit. h. l. 1. c. 4.* — *Baron. An. 315. n. 20.* — Error Baron. — *Oros. l. 7. c. 28.* — *Epiph. h. 69. n. 3.* — *Pag. Crit. An. 315. n. 6.*

Alexandri Epistola: ejus titulus: missane Alexandro Constantinopolitano?

X. Ejecto ab Ecclesia Ario, protinùs Alexander Alexandriæ Episcopus, notitiâ rerum Episcopos aliarum regionum instrui voluit. Ad gentilem suum misit Epistolam, cui titulus est: *Epistola Alexandri, Alexandria Episcopi, ad Alexandrum Constantinopolitanum.* Inscriptionem ab aliquo super additam, eò probat Baronius, quòd *nondum, sed post multos annos Byzantium fuerit in Constantinopolim mutatum.* Neque iners argumentum esse fatemur. At cùm anno CCCXXV. vel ut alii opinantur, CCCXXVI. Byzantium nomen amiserit suum, ab ipso vel Theodorito, vel forsan alio antiquiore, prior titulus, *ad Alexandrum Byzantinum*, in illum qui nunc extat, *ad Alexandrum Constantinopolitanum* mutatum esse credimus. Alexandro quidem Byzantino Epi-

Baron. An. 318. n. 69.

stolam missam esse apertè innuit Theodoritus. Quem enim Alexandrum in animo habuit, dum ad cognominem scripsisse Alexandrum, civitatis Alexandrinæ Præsulem tradit, nisi illum, cujus paucis ante lineis meminerat? *Denique Constantinopoli per idem tempus Alexander Pontificalem sedem tenebat, vir donis Apostolicis ornatus.* Cur alium quæremus Alexandrum, de quo nil mentionis fecit Theodoritus? Nonne famâ Byzantini Alexandri, *viri Apostolicis* donis illustris, permoveri Alexandrinus potuit, ut ad illum dirigeret Epistolam? Quibus ostendi testibus potest, Alexandrum *Thessalonicensem* Episcopatum jam inivisse, cùm prius Concilium Alex. adversus Arium coactum est? Monet Alexandrum Epistola, Arium & Achillam, nuper conjuratione factâ, *Colluthi* ambitionem æmulantes, longè pejores illo extitisse; seditiones & persecutiones quotidie excitare: *Et nunc quidem ad judicium tribunalia nos trahunt, per interpellationem mulierum, disciplinam non servantium, quas ipsi in errorem induxerunt. Nunc Christianæ Religioni infamiam aspergunt, dum juvenculæ ipsorum, per omnes vicos & compita turpiter circumcursant. . . . Ac nos quidem cùm ea, quæ vitæ ipsorum ac nefariis conatibus competunt, satius propter ipsorum latebras deprehendissemus, communi omnium suffragio ex cœtu Ecclesiæ, quæ Christi divinitatem adorat, eos ejicimus.* Adductis deinde compluribus Scripturæ locis, quibus vesanam Arii opinionem obruit, hæc addit: *Hos aversantes, charissimi atque unanimes fratres, suffragamini nobis adversus furiosam illorum audaciam, perinde ac Collegæ nostri, qui indignati sunt, & nobis Epistolas scripserunt adversus illos, & tomo nostro subscripserunt. Quæ etiam ad vos misi, per filium meum Apionem Diaconum, partim ex universa Ægypto ac Thebaide, partim ex Lycia, Pamphilia, Asia, Cappadocia, aliisque finitimis Provinciis. Quorum exemplo a vobis quoque literas me accepturum confido.* His consona scripsit ad *Philogonium*, Ecclesiæ Antiochenæ Antistitem, & ad *Eustathium*, qui tunc temporis Berœensem regebat Ecclesiam, & ad alios, quotquot Apostolicæ doctrinæ defensores erant. Quibus apparet immeritò à Labbeo negari, *post latam in Arium depositionis & excommunicationis sententiam*, literam hanc encyclicam statim Alexandrum scripsisse. Latâ enim excommunicatione, subinde de sententia in Hæreticum promulgata, Episcopi moneri debuerunt, ne in societatem Arium admitterent. Quod ne facerent, Epistolâ cautum fuit atque provisum: *Hos igitur ab universis fratribus anathematizatos nemo vestrum suscipiat, nec ea quæ ab illis aut dicuntur, aut scribuntur, admittat.*

Theodorit. h. l. 1. c. 3.

Theodor. l. 1. c. 4.

Lab. Concil. t. 1. 1492.

Theodor. l. 1. c. 4. p. 19.

Arius in Palæstina sibi fautores quærit & habet.

XI. Episcoporum præsidio non destituebatur Arius, quorum tres suppresso nomine perstringit Alexandri Epistola: *Ac nescio quomodo ordinati in Syria tres Episcopi, illis* (Exucontiis) *consentiendo, eos ad pejora incitant.* Ex doctrina sua Ariani *Exucontiorum* nomen sibi compararerant, quia Christum ex nihilo creatum esse fabulabantur. Tres illi verò, quorum nominibus parcit Alexander, *Eusebius* est Cæsariensis, *Theodotus* Laodiceæ, *Paulinus* Tyri. Hoc fretus auxilio, Arius Alexandriam fugiens, in Palæstinam abiit. Ibi singulos Episcopos adire, adularique cœpit, quò plures sibi suffragatores adjungeret, & hi quidam illum receperunt, alii verò repulerunt. Quod & Arius ipse testatur, in sua ad Eusebium Nicomediensem Epistola: *Et quoniam Eusebius frater tuus, Episcopus Cæsareæ, & Theodotus, ac Paulinus, Athanasius, Gregorius, & Ætius, omnes denique per Orientem Episcopi, asserunt Deum principii omnis expertem extitisse ante Filium, anathemate damnati sunt, exceptis duntaxat Philogonio, Hellanico & Macario hominibus hæreticis, nec eruditis in fide, qui Filium esse dicunt, alter eructationem, alter projectionem, alter congenitum. Quas impietates ne audire quidem possumus, etiamsi mille mortes nobis minentur Hæretici.* Athanasius ille Anabarzi, Gregorius Beryti, Ætius Lyddæ erat Episcopus. Ut ad aures Alexandri perlatum, à nonnullis Arium recipi: *Encyclicas ad singulos Episcopos literas dedit, quæ hodie studiosorum in manibus versantur numero ferè septuaginta. Scripsit inter alios, ad Eusebium Cæsareæ Episcopum, & ad Macarium Hierosolymorum, Asclepium Gazæ, Longinum Ascalonis, Macrinum Jamniæ Episcopum, & alios. Item in Phœniciam ad Zenonem quendam antiquum Tyri Episcopum, & alios; scripsit & in Cœlo-Syriam. Missis his Epistolis, quibus eos incusabat, qui Arium receperant, rescripsere ad Alexandrum singuli, quidam dissimulanter & callide, alii ex animo & sincerè.*

Theodorit. l. 1. c. 5.

Epiph. h. 69. n. 4.

Arii ad Eusebium Nicomediensem Epistola. Eusebius Paulino scribit.

XII. Neque sibi Arius defuit. Eusebii Nicomediensis Episcopi potentissimi favorem ut sibi compararet, ipsum adiit Epistolâ: *Domino desideratissimo, viro Dei, fideli, orthodoxo Eusebio, Arius qui injustè persecutionem patitur ab Alexandro Papa, ob victricem omnium veritatem, quam tu quoque defendis, in Domino salutem. Cùm pater meus Ammonius Nicomediam pergeret, officii mei esse judicavi, ut te per illum salutarem. Simulque ut insitam tibi caritatem & dilectionem, qui fratres propter Deum & Christum ejus prosequeris, admonerem, quàm vehementer nos oppugnet atque persequatur, omnemque adversus nos machinam moveat Episcopus: adeò ut nos etiam velut impios urbe expulerit, eò quòd ipsi non assentimur ista publicè prædicanti, semper est Filius, simul Pater, simul Filius.* Posteaquam vero doctrinæ suæ virus effudit, affirmans Christum ex non extantibus esse, subjungit: *Opto te in Domino valere, memorem vexationum nostrarum, verè Conlucianista, verè Eusebi.* Acceptâ Epistolâ Eusebius, ipse quoque impietatem evomens suam, Paulino Tyriorum Episcopo scripsit: *Domino meo Paulino Eusebius in Domino salutem. Nec Domini mei Eusebii in tuenda veritate studium silentio mandatum est, sed ad nostras usque aures pervenit, nec tua, Domine, in eodem negotio taciturnitas. Et sicut consentaneum erat, Domini quidem mei Eusebii causâ gavisi sumus. Tuâ verò causâ dolemus, tanti viri silentium condemnationem nostram esse arbitrantes. Quamobrem hortor te, qui scias quàm indecorum sit viro prudenti, aliena sentire, & veritatem retinere, ut intelligentiam spiritu suscitans, hac de re scribere aggrediaris, quod tibi & auditoribus tuis utile futurum est.* Quam verò de Christo haberet opinionem, perspicuè aperit: *Nempe naturâ, & virtute prorsus diversum, ad perfectam tamen similitudinem naturæ virtutisque factoris sui conditum. . . Quæ tu cùm acceperis, & juxta concessam tibi divinitus gratiam limaveris, fac ut Domino meo Alexandro quàm primùm scribas. Nam si ad illum scripseris, te illi persuasurum confido.*

Theodorit. l. 1. c. 6.

Arius frustra conatur cum Alexandro in gratiam redire.

XIII. Cæterùm qui Ario favebant, contenderunt atque elaborarunt, ut rediret in gratiam cum Alexandro; quod nos monuit Athanasius: *Cùm Arius, unde Ariomanitarum hæresis*

son-

ANNO DOM. 321.

conflata est, ab Ecclesia per B. Episcopum Alexandrum ejectus esset, Eusebium discipuli, pariter & socii impietatis, semetipsos ejectos esse arbitrantes, multis adhortationibus Alexandro scripserunt, ne Arium extra Ecclesiam relinqueret. Quin etiam excusandi sui gratia ad Alexandrum scripsit: *Beato Papa, & Episcopo nostro Alexandro, Presbyteri & Diaconi Salutem in Domino.* Hanc se fidem ab Alexandro didicisse volunt: *Christum non quemadmodum Valentinus asseverabat, emissionem quamdam illam esse Patris fœtum; aut ut Manichæus eundem illum fœtum partem esse dixit Patri consubstantialem; neque ut Sabellius, qui unitatem divisit, & Filium Patrem appellavit; non item ut Hieracas, lucernam è lucerna, aut lampadem in duas partes divisam. . . Sed ut diximus, Dei voluntate, ante tempora & secula omnia creatum . . . Non enim æternus est, aut coæternus . . . Benè valere te optamus in Domino, beatissime Papa. Arius, Aitales, Achilles, Carpones, Sarmatas, Arius Presbyteri. Diaconi Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius, Caius. Episcopi Secundus Pentapolis, Theonas Africanus, qui Alexandriæ ab Arianis collocatus est.* Cùm tota veneno tumeret Epistola, Alexander impium hominem recipere noluit. Hinc nova discordiarum seges, quæ post victum Licinium tandem eò Constantinum adegit, ut Legatos de componendis dissidiis Alexandriam mitteret, uti suo loco declarabimus.

Athan. Apol. 2. t. 1. 725.

Epiphan. h. 69. n. 7. 8.

XIV. Ut orsis Arius suis successus prosperos daret, librum edidit, cui *Thalia* nomen, strictâ oratione conscriptum. Libri meminit Socrates: *Porro sciendum est, Arium de opinione sua librum quendam composuisse, quem Thaliam inscripsit. Est autem dicendi genus molle & solutum, Sotadicis carminibus non absimile.* Infamiâ condita esse Sotadis carmina, testis est Martialis ad Classicum scribens Epigr. l. 2.

Arii Thalia liber impius. Asterius Rhetor Arianismo auxilio est.

Socrat. l. 1. c. 9.

Quod nec carmine glorior supino,
Nec retrò lego Sotadem Cinædum:
Nusquam Græcula quod recantat Echo.

Quis verò Sotades ille fuerit, ex Suida novimus: *Sotades Cretensis, Maronita à Damone vexatus, Iamborum Scriptor, scripsit Phylacas sive Cinædos.* Egregium Ario exemplum ad imitandum. Hoc in carmine impietates omnes Arius suas congesserat. Neque libri titulus aptus, & gravi materiæ idoneus. Est enim θαλεία convivium, quem Athanasius appellationem perstringit: *Non sine admiratione est nusquam in multis multorum Operibus & sermonibus, tum in Vetus, tum in N. Testamentum conscriptis, inter titulos librorum θαλείας nomen reperiri. Imò ne apud Ethnicos quidem frugi, & temperantes, sed apud istos duntaxat, qui istiusmodi res inter pocula ad risum captandum inter plausum lasciviamque decantant. At eximius ille Arius, cùm nihil sanctum aut grave imitandum desumeret, securus negligensque istiusmodi improbitatis, depeculatis aliorum hæresibus, æmulum se uni Sotadæ præbuit. Quid enim aliud congruum illi, qui Christo Salvatori choreis suis insultare voluit, quàm in miseras dictiunculas, impietatis suæ metris dissolutioribus, & elumbatioribus insonaret.* Impietatis plenus liber erat, teste Athanasio: *Non semper Deus erat Pater, sed fuit; quando Deus solùm erat, Pater nondum erat. Christum non veram Dei potentiam esse, sed unam ex vulgo earum quæ virtutes appellantur, quales sunt locusta & eruca, quamque non simpliciter potentiam, sed potentiam magnam appellari. Cùm Deus cognosceret Christum bonum futurum, anticipando illi hanc gloriam dedisse, quam homo postmodum ex virtute mereretur. Neque quamvis Deus vocetur, verum tamen Deum esse, sed gratia communicationæ talem fieri, ut reliquos omnes, sic & ipsum titulo tenus Deum appellari.* Quæ lusius in laudata oratione exponuntur. Nefarium itaque librum *Synodus Nicæna damnavit.* Arianis lolliis disseminandis adjumento fuit Asterius Rhetor, qui in Maximiani persecutione idolis sacrificaverat. Is de Eusebii sententia librum scripsit, quo Christus rebus conditis unà cum locustis inserebatur. Obambulabat ille per Syriam, sedensque in gradibus Clericorum, publicè opusculum recitabat suum, etsi non pauci id graviùs ferrent.

Athanas. Or. 2. in Ar. t. 1. 309.

ANNO DOM. 321.

Socrat. l. 1. c. 9.

Athan. de Synod. t. 1. 889.

ANNO U. C. 1075. PER. JUL. 5035. JUL. 367. DOM. 322. CONSTANTINI 17. LICINII 16. *Sol.* 23. G. *Lun.* 19. *Indict.* 10. *Epact.* 25. *Epact. Sel.* 1. P. 22. *Apr.*

ANNO DOM. 322.

COSS. Petronius Probianus & Anicius Julianus.

Valerius Maximus Præfectus Urbis.

I. EXtat hujus Consulatus monumentum in Annalibus: *Petronio Probiano & Anicio Juliano Coss. pridie Calendas Apriles, Coloni & Colonia Ælia Adriana.* Quin etiam Anicium Christianum egisse, non obscurâ conjecturâ ex Prudentio Baronius colligit:

De Anicio Juliano.

Fertur enim ante alios generosus Anicius urbis
Illustrasse caput: sic se Roma inclyta jactat.

Prud. advers. Sym. l. 1.

II. Superioris anni clades, quâ *Rausimodus* Rex Sarmatarum à Constantino fuerat affectus, Barbari cupiditatem non extinguerat. Moliebatur in animo Romanam populari ditionem: *Quòd ubi Constantinus comperit, & ipse transjecto Istro subsequitur, ac fugâ quâdam ad collem sylvis densum delatos adoritur, & multos interficit, quorum in numero Rausimodus erat. Multisque vivis captis, residuam multitudinem, quæ manus porrigebat, in fidem recepit. Eoque pacto, magna cum multitudine captivorum ad Prætorium reversus est. His in urbes distributis, Thessalonicam accessit & portu confecto, qui ante hac ibi nullus erat, cursus ad bellum gerendum contra Licinium se parat.* Quippe Christianorum vexationem molestè ferebat. Ea de causa ad hoc belli consurrexisse Constantinum, non obscurè indicat Eusebius: *Hæc Imperator cùm apud se reputasset, iis qui in extremas calamitates incidissent, absque ulla dilatione salutarem dextram porrigere decrevit.*

Rausimodus Rex Sarmatarum à Constantino interficitur.

Zosim. l. 2. c. 21.

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 3.

III. Non bellicis expeditionibus modò, sed præclaris quoque legibus annum Princeps illustravit. De sublevandis pauperibus rescripsit ad *Menandrum: Provinciales egestate victus atque alimonia inopiâ laborantes, liberos suos vendere & oppignorare cognovimus. Quisquis igitur hujusmodi repertus, qui nullâ rei familiaris substantiâ fultus est; quique liberos suos ægrè ac difficile sustentet, per Fiscum nostrum, antequam fiat calamitati obnoxius adjuvetur. Ita ut Proconsules, Præsidesque, & rationales per universam Africam habeant potestatem, & universis quos adverterint in egestate miserabili constitutos, stipem necessariam largiantur, atque ex horreis substantiam protinùs tribuant competentem. Abhorret enim à nostris moribus, ut quemquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedamus. Datum pridie Non. Jul. Rom. Probiano & Juliano Coss.* Ob Crispi & Helenæ

De pauperibus Lex Constantini, & de Indulgentia.

Cod. Theod. de Alim. l. 2.

Anno Dom. 322.

C. Th. de indulg. l. 11. c. 3. 267.

Bar. An. 322. n. 3.

lenæ apparatum, facinorosis concessit & indulgentiam: *Propter Crispi & Helenæ partum* (apparatum) *omnibus indulgemus, præter veneficos, homicidas, & adulteros. Acc. III. Kal. Nov. Romæ Probiano & Juliano Coss.* Ea voce corrupta *partum* Baronius multa commentatur aliena ab historiæ monumentis: Vel *Crispum & Helenam filios fuisse Constantini gemellos*, vel *ex Crispo Helenam filium peperisse. Ex quibus tres Helenæ ponendæ essent.* Hel nam scilicet Constantini matrem, Augusti Helenam filiam ejus, quæ Juliano Cæsari nupsit, & Helenam Crispi uxorem. Atqui tres Helenæ figmenta sunt. Gemellos quoque fuisse Crispum & Helenam inauditum est in omni memoria. Levissimâ mutatione corruptæ vocis Baronianæ discutiuntur argutiæ, & mens legis emergit à tenebris: *Propter Christi & Helenæ paratum*, vel *apparatum* ingredientium urbem, qui à civibus hilariter & magnificè excepti sunt. Qua de causa hanc Constantinus urbi concessit indulgentiam. Incongruè sanè *partus* Crispo tribuitur. Paratus verò sæpenumerò pro pompa sumitur. Claudianus de Bello Gild. v. 178.

Splendet Tartareo furialis mensa paratu.

Et l. 2. in Ruf.

Atria regifico jussit splendere paratu.

L. 9. Cod. Th. p. 268.

Tacitus l. 3. *Proviso ante funebri paratu.* De ea lege Gothofridus est consulendus.

Philogonius Antiochiæ Episcopus. Quis illi successit? An Paulinus?

IV. Gravis ille qui Ario constituebatur adversarius, *Philogonius* Antiochenus Episcopus, ultimum hoc anno diem complevisse videtur. In vita forensi se primùm constituerat: quâ repudiatâ, Ecclesiasticam ampleaus erat. Quod nos Chrysostomus monuit, oratione de B. Philogonio t. 3. *Quòd elegerit illum Deus, vel ex ipsâ morum integritate perspicuum est: quippe quem ex medio abreptum foro, ad thronum hunc evexerit: adeò castam & insignem prius egit vitam, cùm uxorem haberet ac filiam, & in forensibus negotiis versaretur. Adeò Solem ipsum splendore vicit, ut protinus ab illo gesto Magistratu hoc dignus videretur, & à tribunali ad tribunal evectus sit.* Anno ut ex Theodorito, & Nicephoro colligimus CCCXVIII. Excluso Petro qui Apostolus erat, non Episcopus, in Præsulum Antiochensium serie Philogonius XXI. collocabatur. Vitali successerat, magnumque defloratæ ab Arianis veritati fuerat auxilium. Qua de causa insignia gloriæ suæ monumenta in historia collocavit:

Theodorit. l. 1. c. 3.

Antiochia post tyrannum (Maximinum) *pace Ecclesiis primùm restitutâ, Episcopatum sortitus est. Vitalis, qui & in Palea Ecclesiam, quæ à tyrannis destructa fuerat, instauravit. Quem deinceps excipiens Philogonius, & opus residuum fabricæ consummavit, & pro veritatis defensione singulare studium Licinii temporibus declaravit.* De ejecto Ario ad eum Epistolam scripserat Alexander Alex. illius similem, quam Alexandro miserat:

Theodorit. l. 1. c. 4.

His consona scripsit ad Philogonium, Antiochensis Ecclesiæ Antistitem, & ad Eustathium, qui tunc temporis Berœensem regebat Ecclesiam. Ab Ario ad Hæreticos fuerat relegatus, quæ Philogoni laus non minima, utpote in doctrina ab errore Arii multum diversa positi. Verba sunt ejus ad Eusebium Nicomediensem:

Epiph. h. 69. n. 8.

Philogonium, Hellanicum, & Macarium, homines Hæreticos esse, nec eruditos in fide. Annum verò currentem morte Philogonii insignitum fuisse, ea Nicephori Chronico colligimus. Assignat enim Vitali, qui decessit Philogonio, *annos sex*, quorum primus, ut ea Theodorito accepimus, in CCCXIII. Dionysianum incidit, quo Maximini extincta persecutio fuit. *Philogonius* verò *quinennio* Antiochenæ præfuit Ecclesiæ; cujus primus ab emortuali Vitalis anno deductus, anno CCCXVIII. cohæret: ultimus ergo qui incompletus fuit, est CCCXXII. assignandus. Die Decembris XX. mortem obiisse in Martyrologiis reperimus, qui & natali ejus consecratur:

Martyr. R.

Antiochiæ natalis S. Philogonii Episcopi, qui ex causidico ad eam Ecclesiam regendam Dei nutu accersitur, adversus Arium, unà cum Sancto Alexandro Episcopo, & sociis, primum pro fide Catholica certamen iniit, clarusque meritis quievit in Domino, cujus annuam festivitatem S. Joannes Chrysostomus præclaro encomio celebravit. Quem verò successorem habuerit Philogonius, est dictu difficillimum, variantibus Veterum monumentis. Episcoporum Antiochensium in Indiculo hos ordine suo Theodoritus exhibet:

Theodorit. h. l. 5. c. 40.

Antiochiæ Episcopi, Vitalis, Philogonius, Eustathius. Quin etiam anno CCCXXI. *Crispo & Constantino Coss.* narrat Zozomenus,

Zozom. l. 1. c. 2.

Antiochia ad Orontem fluvium sita, neminem adhuc post Romanum constitutum Episcopum fuisse. Romano verò sufficit Eustathium. Nicephorus quidem omisso Romano post Philogonium collocat Eustathium:

Niceph. l. 8. c. 23.

Antiochiæ ad Orontem Ecclesia jam tum Eustathio commissa fuerat, Philogonio non ita pridem ad Deum recepto. Quibus ostenditur, Eustathio Philogonium proximè decessisse. Contrà verò Hieronymus Theodorito & Zozomeno antiquior, Philogoni successorem Paulinum habet:

Euseb. Chron. p. 182.

Antiochiæ post tyrannum vicesimus ordinatur Episcopus Vitalis, post quem vicesimus primus Philogonius; cui succedit vicesimus secundus Paulinus, post quem XXIII. Eustathius. Accedit Hieronymo Nicephori Chronicum, Nicetas etiam in Thesauro Orthodoxæ fidei:

Nicet. Thes. l. 5. c. 5.

Post Domnum, qui Paulo Samosateno successerat, Antiochenæ Ecclesiæ præfuerat Timæus, deinde Cyrillus, tum Vitalis, cui Philogonius successit, quem Paulinus subsecutus est. Nobis sanè probari nequit, Zozomeni vel narratio, vel Chronologia narrantis: *Crispo & Constantino Coss. neminem post Romanum constitutum Episcopum fuisse.* Quasi verò Romano, qui Cæsareæ & Diaconus, & Exorcista, mortem Diocletiani in persecutione invenerat, locus fuisset inter Antiochiæ Præsules, ad usque annum CCCXX. vitam propagasset. Quòd si de alio Romano cogitarunt, ut cogitare debuerunt, fidem magis adhibemus Hieronymo atque Theodorito, qui in Episcopis Antiochenis, sive Orthodoxis, sive Hæreticis *Romanum* nullum numerant. Quem etiam prorsus Chronologia respuit. Quin igitur *Paulinus* Philogonio successerit nulli dubitamus: etsi difficillima sit Nicephorianæ Chronologiæ fides, quòd nempe annis quinque Antiochenæ præfuerit Ecclesiæ. Paulini quoque Antiocheni mentio est apud Zozomenum, narrantem eò Arianorum furorem processisse, ut Hosium celeberrimum illum Confessorem deposuerint:

Zozom. l. 3. c. 11.

Propterea quòd Paulino, & Eustathio, qui Ecclesiæ Antiochenæ præfuerant, amicus extitisset. Paulinum atris coloribus depingunt Orientales Episcopi. Hosium damnant in sua Epistola Synodica apud Sardicam exarata: *Turpiter namque Paulino quondam Episcopo Antiochiæ individuus amicus fuit, hominis qui primò maleficus fuerit accusatus, & de Ecclesia pulsus, usque in hodiernum diem in apostasia permanens, cum concubinis publicè meretricibus fornicetur, cujus maleficiorum libros Macedonius Episcopus atque Confessor à Mopso combussit.*

ANNO DOM. 323.

ANNO U. C. 1076. PER. JUL. 5036. JUL. 368. DOM. 323. CONSTANTINI 18. LICINII 17. *Sol.* 24. F. *Lun.* 1. *Indict.* 11. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 2. P. 7. *April.*

COSS. Severus & Rufinus.

Lucerius Verinus Præfectus Urbis.

Gothi debellantur à Constantino. — *Excerp. de Const.*

I. DUm Thessalonicæ versatur Constantinus, *Gothi per neglectos limites eruperunt, & vastatâ Thraciâ & Mœsiâ prædas agere cœperunt. Tunc Constantini terrore & impetu repressi, captivos illi impetratâ pace reddiderunt.* Quam Gothorum expeditionem à bello in Rausimodum gesto secernendam esse putamus, variantibus circumstantiis. Occiso quidem Rausimodo, Thessalonicam venisse Constantinum narrat Zozimus. Imperatoris verò ad urbem Thessalonicensem adventum excepit Gothorum irruptio. Sed & bellum Sarmaticum, & diuturnius, & momentosius fuisse videtur impetu Gothico. Ob repressos Barbaros, Gothicos ludos qui in Calendario Bucheriano pridie Nonas Februarias agitabantur, institutos esse, eruditi nonnulli arbitrantur.

Licinii tyrannis. — *Excerp. de Const.*

II. Belli occasionem Licinio ministravit hæc Constantini victoria: *Hoc contra fidem factum questus est, quod partes suæ ab alio fuerint vindicatæ. Deinde cùm variasset inter supplicantia, & superba mandata, iram Constantini meritò excitavit. Per tempora quibus nondum gerebatur, sed jam parabatur, Licinius scelere, avaritiâ, crudelitate, libidine sæviebat, occisis ob divitias pluribus, uxoribus eorum corruptis.* Quæ fusius commemorat Eusebius: *Innumeros indictionum titulos adversus subditos excogitavit & varias auri & argenti exactiones, & terræ mensiones, exitialis denique lucri compendium ex rusticis, qui superstites amplius non essent, sed jam pridem obiissent. Quid referam exilia ab isto humani generis hoste innocentibus irrogata? Quid Nobiles, & præcipua dignitatis viros in carcerem abductos? Quorum uxores ætate florentes, per vim ab ipsis abstractas, sceleratis quibusdam mancipiis constuprandas dabat. Quid mulieres nuptas & virgines recenseam, quibus ille decrepitus senex illudens, libidinem suam explevit?* Corruptis hisce moribus Ecclesiæ vexationem jam Deus ulciscebatur.

Euseb. l. 10. c. 8.

Apparatus Constantini ad bellum Licinianum. — *Zozim. l. 2. c. 22.* — *Const. Vit. l. 2. c. 4.*

III. Ut Ecclesiæ hostem & Reipublicæ Constantinus opprimeret, vires suas colligit. Militarium copiarum atque armorum ingens apparatus erat: *Naves enim quæ singulæ triginta remis agerentur, ducentæ instruebantur, & onerariæ plures, quàm bis mille, peditum quoque centum & viginti, navalium & equestrium copiarum ad decem millia cogebantur.* Cælestium quoque virium majora sibi comparavit auxilia: *Cùmque precibus si unquam anteà sese tunc maximè indigere intelligeret, Sacerdotes Dei secum duxit.* Salutaris quoque passionis signum, & ipsum & universum exercitum ejus antecedere voluit, quæ impio Licinio dabant ludibria.

Apparatus Licinii ad bellum cum Constantino gerendum. — *Zozim. l. 2. c. 22.*

IV. Ipse verò audito Constantini apparatu, *Dimissis ad nationes hinc inde nunciis, idoneas bello naves, & equitum peditumque copias instrui jubet. Sine mora missæ sunt ab Ægyptiis octoginta triremes, à Phœnicibus totidem, ab Ionibus & Doriensibus Asiaticis sexaginta, Cyprii triginta, Cares viginti, Bithyni triginta, Lybes quinquaginta suppeditabant. Peditum habebat ad centum & quinquaginta propè millia, equitum quindecim millia, quos Phrygia Cappadociaque præbebat.* Numinum quoque suorum poscit auxilia: *Divinos & Vates Ægyptiorum, veneficos & impostores, Sacrificulos denique ac Prophetas falsorum quos colebat Deorum, sibi adjunxit. Deinde sacrificiis placans illos, quos existimabat Deos, sciscitabatur ex illis, quemnam belli exitum esset habiturus. At illi sine controversia Victorem hostium, & superiorem in bello fore responderunt.* Exiat in Sozomeno oraculum, quod Apollinis ex tripode editum ferunt. Mileti Apollinis Didymei oraculum eum poposcisse, de belli eventu percontanti à Dæmone carminibus responsum tulit:

Te, grandæve pater, juvenilis pugna fatigat,
Et tua fracta jacet senio graviore potestas.

Sozom. l. 1. c. 7.

Constantinus Christianos ad sacrificia cogi vetat.

V. Dum colligendis viribus Constantinus vacat, Christianos non negligit, quorum tranquillitati optimis legibus provisum voluit. Magistratuum complures, qui Ethnicæ superstitionis cultores erant, lustrorum adesse sacrificiis atque conviviis illos cogebant, qui Christo nomen dederant. Quam à religione vim optimus ille Princeps prohibuit, dato ad Elpidium Rescripto: *Quoniam comperimus, quosdam Ecclesiasticos & cæteros Catholicæ sectæ servientes, à diversarum religionum hominibus ad lustrorum sacrificia celebranda compelli, hâc sanctione sancimus: Si quis ad ritum alienæ superstitionis cogendos esse crediderit, eos qui sanctissimæ legi serviunt, si conditio patiatur, publicè fustibus verberetur; si verò honoris ratio talem ab eo repellat injuriam, condemnationem sustineat damni gravissimi, quod rebus publicis vindicabitur. Data 8. Kal. Junii Sirmii Severo & Rufino Coss.* Porro lustrorum sacrificia illa sunt, quæ circa pomerium urbis agrosque fiebant, ductis etiam victimis dictisque carminibus die festo convivioque solemni. Eò pertinet carmen Lucani l. 1. v. 592.

Cod. Theod. l. v. de Episc. p. 27.

Mox jubet & totam pavidis à civibus urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro
Longa per extentos pomeria cingere fines
Pontifices.

Imminente graviore periculo sacrificia lustrorum imperabantur. De M. Antonino Capitolinus, *c.* 13. *Tantus autem terror belli Marcomannici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit.* Cùm ad imperii salutem ea sacrificia valere plurimùm, Ethnicis persuasum foret, Christianos ad illa perpetranda cogebant. Quam vim Constantinus inhibere voluit. Quam de *Aruspicibus* Constantinus legem tulerat, eam audaciæ aliquid Ethnicis ministrasse, sibi Baronius persuasit: *Cùm visus esset Constantinus, publico Rescripto consulens Augures, à Christiana Religione descivisse.* Quæ conjectura vana est, cùm Auruspicum superstitionem permiserit Constantinus, non admiserit aut probaverit. Testis lex, quæ anno CCCXIX. Kal. Februarii Romæ lata fuit, Constantino v. & Licinio Coss. *Nullus Haruspex limen alterius accedat, nec ob alteram causam. Sed hujusmodi hominum, quamvis vetus amicitia repellatur, concremando illo Haruspice, qui ad domum alienam accesserit, illo & qui eum suasionibus vel præmiis evocaverit, post ademptionem bonorum in insulam detrudendo. Superstitioni enim suæ servire cupientes poterunt publicè ritum proprium exercere.*

Bar. An. 323. n. 1. — Error Baronii. — *C. Th. l. 9. Tit. 16. p. 114.*

De Blasii Episcopi, & Ammonis Diaconi martyrio.

VI. Fama vetus est, *Blasium Sebastenum* Episcopum imperante Licinio periisse, cujus Marty-

ANNO DOM. 323.

Martyris obitum anno CCCXVI. Baronius perperàm alligavit, cùm eo tempore tyrannus adversus religionem se hostem non intendisset. Quoto verò persecutionis anoo excesserit, est in obscuris historiæ. Ne verò tanti sileatur Martyris certamen, ex Martyrologio R. de Blasio hæc referre juvat: *Sebasta in Armenia passio S. Blasii Episcopi, & Martyris, qui multorum patrator miraculorum sub Agricolao Præside post diutinam cæsionem, atque in ligno suspensionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus dirupta sunt, post teterrimum carcerem, & in lacum demersionem, unde salvus exivit, jubente eodem Judice unà cum duobus pueris capite truncatur. Natale ejus* tertio Februarii celebratur. Heracleæ Diaconum, Ammonem nomine, morte etiam mactatum fuisse Calendis Septembris, legimus in Martyrologio R. *Heraclea S. Ammonis Diaconi & Sanctarum quadraginta Virginum, quas ille erudivit in fide, & sub Licinio tyranno ad martyrii gloriam secum perduxit.* Quæ tamen de virginibus mulieribusque Liciniano furori immolatis prædicant Martyrologia, sublestæ sunt fidei, cùm Eusebius post mentionem de vexatione Clericorum tradat: *Qua cum ad hunc modum impurissimo tyranno succederent, deinceps persecutionem adversus omnes Christianos excitare in animum induxit.* Nec voti compos fuit, prohibente Constantino, qui conatibus impiis obstitit. Solis igitur & Clericis, & militibus contigit in ea persecutione mortem oppetere.

Euseb. l. 10. c. 8.

VII. Aliâ, sed longè majore calamitate Ecclesia vexabatur. Crescebant in dies discordiæ, quas Arii doctrina inflammaverat. Quibus absurda esse videbatur, illi prolatam ab Alexandro sententiam probabant: Eusebius verò Nicomediensis, & quotquot Ario favebant, ad Alexandrum scripserunt, ut latam jam excommunicationis sententiam dissolveret, & excommunicatos non malè de pietate sentientes ad Ecclesiam revocaret: *In hunc modum cùm contraria utrinque litera ad Episcopum Alexandria mitterentur, utriusque partis litera in unum corpus collecta sunt. Et Arius quidem eas qua causa sua favebant, Alexander verò contrarias in unum volumen redegit.* Quæ dubio procul posteriori Alexandri Epistolæ Synodicæ antecesserunt. Nec enim precibus suis, ut Arius excommunicatione solveretur, Eusebius Alexandrum adiit, ubi palam & apertè aculeatâ ejus Epistolâ laceratus est. Imò ansam præbuere, & factiones Eusebii Nicomediensis, & literæ, ubique locorum Arii in gratiam missæ, ut asperius in eum Alexander inveheretur: Quippe *in Bithynia primariâ urbe impietatis instituta officina, Eusebius ad plerosque orbis Christiani Episcopos literas dedit, ut Arium sectatoresque ejus ad communionem admitterent. Sic enim futurum, ut ingentem de dogmate gloriam consequerentur, & Alexandro ut idem faceret autores fierent. Ut verò nihilò magis cœptum eorum ex sententia processit, quòd Alexander in eis qua semel decrevisset, constanter perseveraret, desperatâ eâ re, Arius internuncios ad Paulinum, & Eusebium Pamphili, & Patrophilum Scythopolitanum, & ad illorum collegium misit, ut sibi sectatoribusque suis populi sui in Ecclesia cogendi, sicuti anteà fecissent, potestas fieret petens, quippe qui longo ipse jam tempore ordinem locumque suum inter privatos haberet. Illi legationem hominis suscipiunt, & cum aliis in Palæstina convenientes, decretum inscriptum referunt, Arium quidem ut anteà conventus cogere posse, Alexandro autem subditum esse, deprecarique & supplicare ei, quo in gratiam ejus pervenire posset, debere.* Quomodo intereà se gesserit, doceat Philostorgius l. 2. c. 2. *Cantica nautica & molendinaria ac viatoria conscripsit, qua certis modulationibus aptavit, sicut unicuique cantico convenire existimabat. Atque ita suavitate cantus imperitorum animos ad ejus sententiam sensim abduxit.* Eò quoque referri potest, quod de Arianorum artibus habet Athanasius: *Ad mulierculas sese insinuantes, verba hæc effeminata loquebantur: Quid, an habebas filium antequam pareres? Sed sicuti tum temporis non habebas, itidem quoque non erat Dei Filius antequam gigneretur.*

Ario fautores ipsius concedunt conventus in Ecclesia cogere. Arianismi progressus.

Socrat. l. 1. c. 6.

Niceph. l. 8. c. 11.

ANNO DOM. 323.

Athan. Or. 2. cont. Arian. l. 1. 329.

ANNO U. C. 1077. PER. JUL. 5037. JUL. 369. DOM. 324. CONSTANTINI 19. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 2. *Indict.* 12. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 29. *Mart.*

ANNO DOM. 324.

COSS. Crispus Cæsar III. & Constantious Cæsar III.

Lucerius Verinus Præfectus Urbis.

I. Licinium debellatum, purpurâque à Constantino exutum fuisse, omnibus extra dubium est. Quo autem anno id contigerit, in disputatione ponitur. Memorando casui Baronius annum assignavit CCCXVIII. Quo jacto fundamento, & finem persecutionis Licinianæ, & Constantini edicta, quibus exul religio restituta est, & summæ rerum ad unum Imperatorem reditum, & Arii ab Alexandrina Synodo ejectionem, & Osii in Alexandrinam urbem legationem, & Constantini ad Arium & Alexandrum Epistolam, aliaque multa ejusmodi in annum CCCXVIII. incidisse necesse est, cui etiam à Baronio alligantur. Ut hinc liqueat, quanti sit momenti Constantinianæ de Licinio victoriæ tempus accuratè constituere. Quòd si anno duntaxat CCCXXIV. ad privatam Licinius fortunam redactus est, quin quoad illa tempora corruptissima sit Baronianorum Annalium Chronologia, noo est in ambiguo. Erroris quidem sui illustrissimus Purpuratus à Nazarii Panegyrico moneri debuit. Anno CCCXXI. Constantino, Crispi in Quinquiennalibus dictus est Panegyricus, triennio, vel bienoio saltem post Licinium imperio pulsum, ex Baronii sententia. Non igitur laudum ob relatam de Licinio victoriam parcus fuisset Nazarius. Quas cùm ea de re Constantino non accumulaverit, apparet anno CCCXXI. Licinium adhùc imperasse. Neque etiam credibile est, anno duntaxat 325. de Arianorum tumultu opprimendo Patres Nicæam venisse, si Hosius à Constantino Alexandriam, non multò pòst debellatum Licinium missus, anno CCCXVIII. hanc legationem suscepisset. Constituendæ paci citius curam Constantinus suam adhibuisset indictâ Synodo. Quòd igitur aono CCCXXV. coacta fuerit, indicio est, non multò antè ad privatam fortunam Licinium rediisse. Nos ergo veriorem Chronologiam secuti, cladem Licinianam in annum CCCXXIV. conjicimus. Quæ sententia Veterum io testimoniis collocatur. Victor de Cæsaribus de Licinio hæc habet: *Quo sanè variis præliis pulso, cùm eum prorsus opprimere arduum videretur, simul affinitatis gratiâ, recepti consortio adscitique imperio Cæsarum communes liberi, Crispus, Constantinusque Flavio geniti, Licinianus, Licinio. Quod quidem vix diuturnum, neque hit qui assumebantur felix*

Quo anno Licinius imperio ejectus est?

Error Baronii.

Anno Dom. 324.

lix foro, defectu Solis, fœdato iisdem mensibus die, patefactum. Itaque sexennio pòst ruptâ pace, apud Thracas Licinius pulsus, Chalcedona concessit. Anno CCCXVII. Crispus, Constantinus, Licinianus Cæsares sunt nuncupati. Abhinc sexennium anno CCCXXIII. cohæret, quo ruptâ pace, Constantinus & Licinius bello se accingebant, copiasque colligebant. Victori accedat Idacius in Fastis: *Crispo III. & Constantino III. Coss. bellum Hadrianopolitanum die V. Nonas Julias, & bellum Chalcedonense XIV. Kal. Octobris.* Iraque tam in anno, quàm in mense belli Liciniani errat Chr. Alex. Paulino & Juliano Coss. Constantinus *bellum Adrianopolitanum V. Kal. Julias perpetravit.* Annus est Dom. CCCXXV. Chronici hujus errorem purgat Idacius. In transcursu notetur eruditissimus Gothofredus, qui scripsit, Chronici Alex. Autorem Liciniani profligati historiam referre in annum Dom CCCXXIV. Cæterùm gravissimo in speciem argumento Gothofredus, anno 323. Licinianam cladem assignat, ducto nimirum ex Lege 1. de infirmandis his quæ sub Tyrannis: *Remotis Licinii Tyranni Constitutionibus & Legibus, omnes sciant veteris juris, & statutorum nostrorum observari debere sanctionem. PP. XVII. Kal. Jun. Crispo III. & Constantino III. Cæs. Coss.* Ex quibus colligit vir eruditissimus, jam debellatum Licinium fuisse, cùm Lex ea promulgata est: *Bellum igitur Hadrianopolitanum tertio Julii, Chalcedonense verò decimo octavo Septembris superioris anni gestum est.* Verùm enimverò immeritò contendit Gothofredus, post debellatum Licinium legem de removendis ejus Constitutionibus latam esse, quæ postquam ad bellum Constantino inferendum se Licinius comparavit, conscripta est, duobus ferè mensibus ante prælium Hadrianopolitanum. Redditâ temporibus suis clade Licinii, quæ perturbata Baronianis in Annalibus extant, de variis Constantini rescriptis, persecutionis fine, Osii Alexandriam legatione ordini temporique suo restituuntur.

Bellum Adrianopolitanum Licinii cum Constantino. Nùm Cibalensis meminerit Eusebius?

Zozim. l. 2. c. 02.

II. Constitutis à Constantino Licinioque nauticarum ac terrestrium copiarum rebus, *Adrianopoli in Thrasia castra Licinius habebat, & Constantinus è Piræo, suas naves è Græcia majorem partem collectas, arcessebat simul terrestri cum exercitu, Thessalonicâ progressus, propter ripam fluminis Hebri, qui ad lævam Adrianopolim alluit, castra faciebat. Cùm & Licinius suos instruxisset à monte, qui oppido imminet, ad ducenta usque stadia, ubi Tonus fluvius Hebro conjungitur, compluribus diebus, adversis utrimque castris exercitus substiterunt.* Cùm verò bellum jam orsurus esset Licinius, ex honoratioribus amicis lectissimos quosque in quendam locum, qui ab ipsis sacer habebatur, coëgit: *Hic lucus erat irriguus & opacus, in quo plurimæ statuæ eorum, quos ille! Deos putabat, sculptæ ex lapide visebantur. His cùm cereos accendisset, & solemni ritu sacrificasset,* plurimis suos verbis hortatur. Refert se suosque Deos patrios colere, quos à majoribus acceperant, Constantinum verò violatis majorum institutis, peregrinum Deum amplecti. Quin etiam *turpissimo crucis signo* exercitum dedecore suum afficere: pugnæ diem indicaturum, inter Imperatorum cæco errore ducatur: *Aut enim confessa nobis victoria, Deos nostros verò Servatores atque auxiliatores esse, jure meritò declarabit; aut si Diis nostris, qui quàm plurimi sunt, & multitudine nunc utique antecellunt, unus ille nescio unde profectus Constantini Deus superior extiterit, nemo post hæc in dubium revocet quisnam colendus sit Deus, sed ad potiorem accedat, eique victoriæ præmium deferat. Ac si quidem peregrinus ille, quem nunc ludibrio habemus, victor esse videbitur, nos quoque illum agnoscere, & colere oportebit, procul abire ac valere jussis, iis quibus cereos frustrà accendimus. Sin verò nostri superiores extiterint, quod quidem nemini dubium esse potest, post partam hoc loco victoriam, impiis Deorum contemptoribus bellum inferre aggrediemur.* Quam Eusebius orationem ob iis qui audierant, se accepisse tradit.

Euseb. de Vit. Const. l. 2. c. 5.

Quæ dum geruntur, spectrum quoddam prorsus mirabile in urbibus quæ Licinio subditæ erant, apparuisse ferunt: *Varia enim Constantini militum agmina per meridiem visa, quæ tanquam partâ victoriâ per urbes transirent.* Est autem heic maxima difficultas, quæ circumstat historiam: pertineantne prodigia hæc, oratioque numinum in luco à Licinio habita, ad bellum *Cibalense* anno CCCXIV. gestum, an potius ad *Hadrianopolitanum*, anno CCCXXIV. commissum. Ac Baronio quidem placuit ad *Cibalense* spectare, quod bellum anno CCCXVII. affigit. Valesius verò sui immemor, in incredibilem penè contradictionem incidit: *Prioris quidem*, inquit, *belli mentionem nullam fecit Eusebius, ideò fortasse, quòd Licinius nondum adversus Christianos persecutionem excitasset: diu siquidem post prius illud bellum Licinius Christianos persequi instituit.* At Observationibus in librum secundum c. 6. ad hæc verba, πρώτης ἐκροπῇ παρατάξεων, *hostes primo prælio fudit*, hoc habet: *Primum prælium inter Constantinum ac Licinium fuit in Pannonia apud Cibalas.* Sequentia verò, δευτέρας συμβολῆς, *nec multò post altera commissa pugna*, sic commentario suo illustravit: *hæc pugna eodem anno contigit, quo Cibalensis.* Quæ si vera sunt, falsum utique est, hujus belli prioris mentionem nullam ab Eusebio factam. Rem quod attinet, certum nobis est de posteriore, *Hadrianopolitano* scilicet, non *Cibalensi* Eusebium esse intelligendum, qui prioris nullus meminit. Hæc sunt verò firmissima nostræ sententiæ præsidia. Bellum de quo commemorat Eusebius, Licinii persecutionem excepit, quæ belli hujus causa fuit: *Hæc Imperator cùm apud se reputasset, iis qui in extremas calamitates incidissent*, Dei scilicet cultoribus vexatis, *absque ulla dilatione salutarem dextram porrigere decrevit. Et militarium quidem copiarum, atque armorum ingentem apparatum coëgit.* Atqui bellum Cibalense prævertit Licinii persecutionem, non secuta est. Deinde dum bellum ab Eusebio descriptum, molitus est Licinius, Ethnicis superstitionibus penitùs immergebatur; cereos accendebat idolis atque sacrificabat, Christoque apertè conviciabatur: à quibus anno CCCXIV. quo bellum Cibalense exortum est, penitùs abstinebat, specie saltem, à cultu numinum alienissimus. Tyriensis Ecclesiæ dedicatio anno CCCXIV. posterior est, utpote morte Maximini persecutorum omnium sævissimi nobilitato. Quo tempore verò in Tyriensis Ecclesiæ dedicatione oratio dicta est, Christi se cultorem Licinius profitebatur. Etenim verba hæc sunt Oratoris, quem quisquis ille fuerit, in tam celebri conventu apertè mentitum esse, credere non possumus: *Quod nunquam anteà contigerat, summi Imperatores, honoris illius quem Dei beneficio acceperunt sibi conscii, jam in mortuorum simulacrorum faciem conspuunt, & profanos Dæmonum ritus conculcant.*

Anno Dom. 324.

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 6.

Vales. Annot. in Euseb. de Vit. Const. l. 1. c. 52. p. 187.

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 3.

Euseb. l. 10. c. 4.

ANNO DOM. 324.

Euseb. de Vit. Const. l. 2. c. 15.

Unus tamen est, qui potest injici scrupulus: *Licinius simulatione utens, iterum amicitiam ac fœdera renovari poscebat, Imperator id è republica esse, & generi humano conducere ratus, pacem illi sub certis conditionibus indulgere non recusavit.* Quibus primâ specie pingi pax ea videtur, quæ post Cibalensem pugnam *Mestriani* interventu est constituta. Sed non ita est. De renovanda amicitia hæc illa Licinii legatio fugam ejus Byzantio, cùm Chalcedonem petit, secuta est, ut mox sumus explicaturi.

Pugna Adrianopolitana. Vis labari.

Zozim. l. 2. c. 23.

III. Constantinus animadverso quà fluvius esset arctissimus, tale quiddam machinatur: *Tigna de monte comportare jubet exercitum, funesque nectere, quasi pontem supra flumen facturus esset, ac copias suas istic transportaturus. Quà quidem re deceptis hostibus, & colle quodam conscenso, qui sylvas habebat densas, & abditis per eas tegendis idoneas, peditum ibi sagittariorum quinque millia cum equitibus octoginta collocat. Deinde sumptis secum decem equitibus, per fluminis angustias, qua transjici facillimè poterat, Hebro superato, improvisus in hostes irruit. Tum verò quidam cædi, quidam profusè terga dare, alii casu inopinato terreri, ore diducto consistere, propter hostis inexpectatam hanc transjectionem. Cùm interim & equites cæteri toto cum exercitu securi ad alteram ripam evasissent, ingens hominum cædes accidit, nam ad triginta & quatuor millia ceciderunt.* Priorem huic pugnæ alteram antecessisse novimus ex Eusebio: *Constantinus Servatore, ac supremo omnium Deo in auxilium vocato, atque hoc signo militibus suis dato, hostes primo prælio fudit.* Quod omissum est à Zozimo, quia aut minoris momenti fuit, aut in contractiore historia circunstantiarum non potuit omnium meminisse: *Non multò post alterâ commissâ pugnâ, iterum superior discessit.* Hæc illa est quam Zozimus oratione prosequitur. Illud verò in ea memoriæ dignissimum, quòd quinquaginta viros Constantinus elegit, qui crucis signum portarent. Nullum ipsis aliud officii fuit, quàm satellitio custodire signum, quod singuli humeris suis alternatim gerebant: *Cùm fortè inter pugnandum ingens strepitus exercitum conturbasset, is qui hoc signum humeris ferebat, metu perculsus, alteri gestandum tradidit, ut ipse discrimen evaderet. Vix alter ille signum gestandum susceperat, cùm ecce is qui se subripiens custodiam signi deseruerat, telo in ventre percussus occubuit. . . . At salutare crucis tropæum ei qui ipsum sublime gestabat, incolumitatem præstitit. In quem cùm tela undique jacerentur, signifer quidem ipse salvus evasit, hasta verò salutaris tropæi missilia excepit.* In eo prælio Constantinus leviter femore sauciatur: *Sub occasum Solis castra Constantinus cepit. Licinius autem suis, quotquot sanè poterat recollectis, per Thraciam properabat, ut ad classem perveniret.* Tertius Julii mensis dies insignem hanc Constantino victoriam peperit. Qua de causa in Calendario Bucheriano legitur: v. *Nonas Julias fugato Licinio, Circenses missus* XXIV. Cùm illuxisset, omnes Liciniani milites, qui ateptâ fugâ, vel in montem, vel in convalles se contulerant, Constantino in fidem se dederunt, unà cum iis quos Licinius fugiens à tergo reliquerat.

Euseb. Vit. Const. l. 2. cap. 6.

Euseb. Vit. Const. l. 2. cap. 9.

Zozimus.

Navalis de Licinio Constantini victoria.

IV. Licinio Byzantium fugâ delato, Constantinus hominem à tergo prosequens, civitatem obsedit, navarchis ad ostium Hellespont adesse jussis. Classi Crispum imperasse refert Valesianus Anonymus. Constantini Duces navibus octoginta duntaxat expeditissimis, quæ triginta singulæ remis impellerentur, dimicandum censuerunt, quòd locus propter angustias magno navium numero non esset opportunus. *Abantus*, quem alii *Amandum* vocant, Licinianæ classis Præfectus, ducentis navibus invehebatur, & hostilium navium paucitatem contemnebat, quas ab omni parte se nullo negotio putaret inclusurum. Sublatis utrinque signis, & proretis in adversarios tendentibus, Constantini navarchi sic suas agebant naves, ut hostem compositè adoriientur. Abantus autem nullo ordine in adversos impetum faciens, naves suas ob multitudinem in arctum coactas inter se collidebat, quodamque modo demergendas, & variè perdendas hosti præbebat. Denique multis nautis, & militibus in mare præcipitatis nox superveniens, navale prælium diremit, & alteri quidem ad Elæuntem Thraciæ portum appulerunt; alteri portum Ajacis ingressi sunt. Postridie ejus diei, cùm vehementes Aquilonis flatus essent, Abantus egressus Ajacis portu, navalem ad pugnam se parabat. Sed quòd eæ jam triginta remorum naves, quæ ad ostium Hellesponti substiterant, jam mandato Ducum Elæuntem se contulissent, Abantus navium multitudine territus, de invadendis hostibus animi dubius hærebat. Circa meridiem, flatus Aquilonalis remittebat, & exortus Auster vehemens Licinii classem ad litus Asiaticum repertam, partim in ipsum littus ejecit, partim saxis impegit, partim cum vectoribus demersit, ita quidem ut hominum quinque millia, naves cum hominibus centum & triginta perirent. Cùm autem in Asiam navibus quatuor Abantus aufugisset, & navale prælium hoc modo pugnatum esset, naves ad Hellespontum appellunt, varias merces, & maximam commeatus copiam Constantini Ducibus allaturæ. Tum illi cum classe solvunt, ut se cum iis, qui Byzantium obsidebant, conjungerent, & urbem quoque mari cingerent. Licinii pedites cùm ne conspectum quidem copiarum illarum nauticarum sustinuissent, navigia nacti Elæuntem discesserunt.

ANNO DOM. 324.

Zozim. l. 2. c. 24.

Chalcedonensis pugnæ apparatus.

Zozim. l. 2. c. 25.

V. Urgente Byzantii obsidionem Constantino, *Licinius ad consilii inopiam redactus, statuit desertâ civitate, & ibidem exercitus infirmiori parte relictâ, cum maximè idoneis, qui & benevolentiam ei suam probaverant, Chalcedonem Bithyniæ quàm primùm se recipere. Nam fieri posse credebat, ut ex Asia collecto exercitu dimicaret denuò. Quamobrem navigio Chalcedonem delatus, adjunctum sibi socium periculi Martianum, qui Ordinum Palatinorum Dux erat, Romani Magistrum Officiorum vocant, Cæsarem dicit, & cum exercitu Lampsacum mittit, impediturum quominus hostes è Thracia transirent ad Hellespontum. Ipse copias suas in collibus, & faucibus ad Chalcedonem collocat. His rebus intento Licinio, Constantinus qui & onerariarum, & bellicarum navium ingentem numerum haberet, & per has adverso litore potiri vellet, veritus inaccessas onerariis præsertim navibus Bithyniæ littoris oras, celoces & cimbas quàm citissime struit, & ad promontorium, sacrum quod dicitur, ad ostium Ponti situm, quodque Chalcedone ducentis stadiis abest, navigat, & expositis ibi copiis, quosdam in colles ascendit,* ac in iis aciei struendæ locum capit. At Licinius pejora indies aggrediebatur, *Quin etiam ad Magorum detestandas artes denuò confugiens, efferri insolentias cœpit.* Quorum mentem Valesianus aperit Anonymus: *Dehinc solitâ vanitate*

Euseb. de Vit. Const. l. 2. c. 11.

ANNO DOM. 324.

Vict. Epit.

nitate Licinius Martinianum sibi Cæsarem fecit. Aliud nomen novo Cæsari imponunt Victorca *Martiniano* dicto; *Licinius Byzantium fugâ volucri pervenit. Ibi Martinianum officiorum Magistrum Cæsarem creat.* Constantinus verò cùm altero prælio sibi opus esse cerneret, Servatoris cultui diligenter vacavit. Et crucis quidem tabernaculum fixit extra castra, ubi purè & castè degens, preces ad Deum fundebat. Exinde velut diviniore actus impulsu, prosilire ea tabernaculo solebat, & signo ad proficiscendum dato, statim militibus imperabat, ut absque mora gladios stringerent, qui confestim impetu in hostem facto, obvios omnes sine ullo ætatis discrimine obtruncabant. At Licinius qui *paulò antè fugam inierat*, Byzantio scilicet relicto, uti ex Excerptis de Constantino intelligitur: *Licinius desperatâ maris spe, per quod se viderat obsidendum, Chalcedonam cum thesauro refugit.* Post dubium ac diuturnum prælium, in campo Mardiensi anno CCCXIV. gestum, recesserat quidem cum *Valente*, sed non *fugerat*, imò *pari Marte* pugnatum narrat Zozimus: *Licinius erga simulatione utens, iterum amicitiam & fœdera renovari poscebat. Imperator id è Republica esse, & generi humano conducere ratus, pacem illi sub certis conditionibus indulgere non recusavit. At Licinius specie quidem ipsâ fingebat, leges se libenter amplecti, & fidem jurejarando firmabat, verùm occultè militarem apparatum instruebat, atque iterum bellum inferre, iterum pugnam instaurare meditabatur. Sed & Barbarorum auxilia undiqua conquirebat, & novos circumquaque investigabat Deos, ut pote à prioribus in fraudem inductus.* Baronius, Valesiusque omnia illa ad prius bellum referunt, *Cibalense* scilicet, quo exhausto, pax inter Imperatores Mæstriani interventu conciliatur, eâ conditione, ut Licinius Orientem, Asiam, Thraciam, Mœsiam, ac minorem Scythiam possideret. Dardania verò, Macedonia, Achaia, Pannonia quoque, cum Mœsia & Dacia Constantini dirioni accederent. At præterquam allatæ à nobis rationes huic pugnant explicationi, sunt & alia argumenta, quibus evertitur. Hæc narrat Eusebius: *Licinius memoriâ non repetebat, quæ paulò antè de Diis in concione dixisset.* Si fœderis renovatio anno CCCXIV. facta in mentem venisset Eusebio, scripsissetne, Licinium iterum pugnam meditari, oblitum eorum quæ *paulò antè* in numinum luco dixerat. Si simul atque resarcita fuit anno CCCXIV. amicitia, occultè militarem Licinius apparatum instruebat, anno duntaxat CCCXXIII. ad bellum consurrexisse quis credat? Quid quod Constantinus bellum prior suscepit Adrianopolitanum, ut Christianis persecutione vexatis esset auxilio? Neque pugnam instautare Licinius voluit, nisi audito Constantini & consilio, & apparatu. Aliam igitur Eusebius legationem memorat, aliam fœderis renovationem, ab eaque diversam, quæ Mæstriani ope anno CCCXIV. facta. Eusebio non minimum lucis fœnerant Eacerpta de Constantino: *Deinde apud Chrysopolim Licinius pugnavit, maximè auxiliantibus Gothis, quos Aliquaca Regalis deduxerat.* Hi sunt illi Barbari, quorum auxilia Licinius sibi comparabat ac requirebat.

Eusob. de Vit. Const. l. 2. c. 15.

Eusob. de Vit. Const. l. 2. c. 15.

Chalcedonensis de Licinio victoria. Victo purpura exuitur.

VI. Ad pugnam tandem illam decretoriam ventum, quæ XIV. Calendis Octobris prope Chalcedonem committitur. Licinius quamquam Bithyniam ab hostibus teneri cerneret, ut vir omnibus periculis exercitus, *Martinianum* Lampsaco accersit, & milites hortatus, quibus se præiturum dixit, ordines ad pugnam instruit, oppidoque egressus, hostibus jam paratis occurrit: *Porro cum reipsâ didicisset, arcanam quandam ac divinam potentiam in salutari tropæo messo, cujus ope Constantinus exercitus victoriam referre consuevisset, milites suos admonuit, ne ex adverso illi congrederentur, neve in illud temerè ac fortuitò oculos conjicerent. Et Licinium quidem Deorum multitudine confisi, cum ingentibus copiis progrediebantur, nescio quæ mortuorum simulacra, & statuas inanimes præsidii causâ præferentes.* Commissa in locis, Chalcedoni & fano interjectis, pugna Constantini pars longè superior erat, quæ hostes ingenti cum impetu adorta, tantam cædem edidit, ut de centum & triginta millium numero vix triginta millia evaderent. Victus Licinius Nicomediam cum equitibus reliquis, & paucis peditum militibus contendit. Ibi obsessus, rebus ille desperatis, quod etiam sciret nullas sibi restare justas, & satis amplas ad dimicandum copias, prosternere se & fracto animo supplicare Constantino decrevit: *Sequenti ergo die Constantia soror Constantini, uxor Licinii, venit ad castra fratris, & marita vitam poposcit, & impetravit.* Egressus igitur urbe Licinius, allatâ purpurâ, Imperatorem ac Dominum clamabat, veniamque præteritorum poscebat, vitam sibi pollicitus, ob præstitum à Constantino Constantiæ juramentum: *Ita privatus factus est, & convivio Constantini adhibitus.* Martianum Constantinus satellitibus occidendum tradidit, Licinio Thessalonicam ablegato, velut illic securè victuro. Quam Constantinus victoriam adeptus erat, ea Byzantium, & Chalcedonem in ditionem ejus redegit. Portis apertis Byzantini victorem accipiunt, quod & Chalcedonenses fecere. Fabulam ergo redolet de Byzantina obsidione narratio Nicephori, quòd post bellum Nicomediense cum Licinio gestum Nicomediâ solvens Constantinus, bellum Byzantinis intulerit: gemino primùm conflictu fusus fuerit, ac in dolore constitutus, dum in cœlum attollit oculos, scripturam stellarum ordine conformatam viderit, significantem, *Invoca me in die tribulationis tuæ, & liberabo te:* ac tandem urbem expugnarit. Licinii Constitutiones, quæ iniquitatis aliquid præ se ferebant, Constantinus abrogat, Lege datâ XVII. Kal. Junias. Nempe 1°. Ne carcere clausis aliquid alimenti quisquam propinquorum, aliorumve inferret. 2°. Novas de nuptiis Leges. 3°. Novas circa morientes sanctiones. Quibus veteres, & rectè positas Romanorum Leges perfringere ausus est. Ad res Ecclesiæ stylum delabi nostrum nunc permittamus.

ANNO DOM. 324.

Zozim. l. 2. c. 26.

Eusob. Vit. Const. l. 2. cap. 26.

Excerp. Val.

Zozim. l. 2. c. 28.

Niceph. l. 7. c. 47.

C. Theod. 15. Tit 14. l. 1. pag. 404.

An Constantini lepra baptismo sanata?

VII. Constantini baptismo, divinâque ex lepra curatione clarum & hunc annum fuisse, multis Baronius probare satagit. Ex Constantini quod vocatur Edicto fabulam audire volupe est: *Dum valida squaloris lepra totam mei corporis invasisset carnem, & multorum Medicorum convenientium cura adhiberetur, nec ullius quidem curâ promeruissemus salutem, ad hoc venerunt Sacerdotes Capitolii, dicentes mihi, Debere fieri fontem in Capitolio, & compleri hunc innocentium sanguine, & eo calente toto me posse mundari. Et secundum eorum dicta, aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi Paganorum Sacerdotes eos mactare, & ex eorum sanguine fon-*

Lab. Concil. t. 1. 1532.

tem cepleri, cernens serenitas nostra lachrymas matrum eorum, illicò exhorruit facinus, miseratusque eas, proprios illis restitui præcepimus filios suos, datisque vehiculis, & donis concessis, gaudentes ad propria relaxavimus. Eâdem igitur transactâ die, nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus advenisset, adsunt Apostoli Sancti Petrus & Paulus, dicentes mihi, Quoniam flagitiis posuisti terminum, & effusionem sanguinis innocentis exhorruisti, missi sumus à Christo Domino Deo nostro, dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo monita nostra, & fac quodcunque indicamus tibi. Silvester Episcopus hujus civitatis, ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens in cavernis petrarum, cum suis Clericis latebram fovet. Hunc ad te cùm adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet, in qua dum te tertiò merserit, omnis te valetudo ista deseret lepra. Hoc fundamento superstemunt Constantini & baptismum, & donationem. Eo igitur subruto, utrumque etiam everti necesse est. Ac sanè prodigio est, repertos homines aliquos fuisse, qui fabulis ejusmodi fidem adjungerent, quos inter magnus tamen ille Baronius nomen profitetur suum, permotus *autoritate Concilii* (Baron. An. 324. n. 29.) *Romani, anno* CCCXXIV. *sub Silvestro coacti.* Primùm enim Constantinum Latinitatis tam imperitum quis credat, ut barbaram orationem funderet? Orationem quæ singulare participium cum verbo plurali conjungit: *Miseratusque* matres, *proprios illis restitui præcepimus filios. . . .* Hæccine Latinitas ætatis est Constantinianæ? *Donis concessis, gaudentes ad propria relaxavimus.* Quid etiam hoc monstri est? *Hanc vicissitudinem tuo Salvatori compensa, ut omnes jussu tuo per totum orbem restaurentur Ecclesiæ.* Hæc sunt dicta Petri & Pauli ad Constantinum. Quibus fatendum est, magnam Cœlitibus Latinæ linguæ ignorationem esse. Quænam etiam illa est Constantini lepra Historicis omnibus incognita Ethnicis, & Christianis? Et fœdum præteriisset morbum Zozimus, qui invido dente Constantinum frequentissimè carpit. Quid verò absurdius, quàm Ecclesiæ persecutoribus Constantinum apponere? Constantinum qui *suscepto* (Lact. de Mort. c. 25.) *imperio nil egit prius, quàm Christianos cultui, ac Deo suo reddere. Hæc prima ejus Sanctio, Sanctæ religionis restitutæ*, quo tempore Ethnicum adhùc præstabat. Eò major absurditas, quòd anno CCCXXIV. quo Constantinianas persecutiones in antris montis Soractis fugiens Sylvester, latebras quæsivisse dicitur, Constantinus bellum gerebat in Licinium, ut ab ejus vexationibus tueretur Ecclesiam. Quid multa? Decor ille, qui Constantini in habitu fuit, atque in vultu à Panegyricis celebratus, in unâ sede cum lepra morari non potuit: *Pulchrum enim, Dii boni, &* (Paneg. Const. dict.) *cæleste miraculum Imperator adolescens, in quo illa quæ jam summa est fortitudo, adhùc tamen crescit: in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter, & grata majestas perstringit, simul & invitat aspectus.* Hæccine est facies leprosi hominis?

(Lepra Constantinum baptismus non exemit.)

VIII. Obtrudunt nobis Baronius, Binnius, aliique fabulæ defensores Acta Romani Concilii II. *Eodem tempore cùm multi Nobiles gauderent, quòd Constantinus baptizatus à Sylvestro urbis Roma, & mundatus fuisset à lepra, per hoc beneficium, quod accepit à Domino J. C. per Sylvestrum Episcopum cœpit integrè prædicare Dominum J. C. & confiteri ejus beneficia.* Sed multa sunt quæ falsi damnent Synodum, cujus Veterum in monumentis memoria nulla extat, quæ de re mox argumenta nostra proponemus. Sed & loco suo ex Antiquitate testes excitabimus, qui doceant, imminente morte Constantinum Nicomediæ esse baptizatum. Illud de Constantino in sacris undis leprâ suâ liberato, non minimum traditioni fidem detrahit profundum Antiquitatis Ecclesiasticæ silentium. Est quidem creditu difficillimum, hoc miraculi in magno Imperatore patratum, quasi taciturnitatis indictâ lege altissimæ ab omnibus oblivioni datum esse? Hanc quoque traditionem evertit Chronologia. Nempe anno CCCXXIV. Constantinus urbe aberat, bello Liciniano detentus. Neque Baronius inficias iret, Constantini baptismum cum hujus belli temporibus copulari non posse. Cùm in Thracia atque Bithynia Constantinus non in civitate Romana tum temporis versaretur. Cùm igitur nunc ex Fastis Idacii, atque Aurelio Victore constet, anno CCCXXIV. bellum cum Licinio gestum fuisse, huic sane tempori Constantini baptismus aptari nequit. Neque in eum annum id belli ab Idacio conferri potuisset, si baptismo Constantini dicatus fuisset. Quibus & accedat insigne ex Cyrillo Alex. argumentum. Objiciebat Julianus, baptisma neminem à lepra mundasse, aut à corporeis morbis sanavisse: *Et leprosi quidem lepram baptisma non adimit, nec impetigines, aut vitiligines, nec verrucas infestas, nec podagram, nec dysenteriam . . . adulteria verò, rapinas, & omnia omninò peccata eximet?* Non id argumenti protulisset unquam Julianus, si famâ constante prædicaretur, & certâ Constantinum ope baptismi leprâ suâ sanatum. Hoc Julianum latere non potuisset. Verùm ignorarit Julianus. At quam flatibus fugere nubes, tam Cyrillo facile fuit, hoc elidere argumenti, adducto Constantini exemplo, cui leprâ laboranti baptisma fuerat remedio. Qua de re ne γρῦ quidem. Potuisse quidem adhibito baptismo, morbos omnes à Christo sanari, qui nutu suo tot miracula patravit, affirmat Cyrillus. Negat tamen ad corpora morbis eximenda fuisse comparatum: *Quo ergo res tam* (Cyril. in Julian. lib. 7.) *eximias nullo labore perfecit, & aquis ipsis suæ potestatis efficacitatem indidit, nùm quid planè gratiam, quæ per sanctum baptisma tribuitur, omni morbo corporeo potentiorem effecerit? Sed in alios usus ipsam nobis datam esse contendimus.* Hæc ergo de lepra Constantini fabula ex subditiis Actis Sylvestri manasse videtur, posterosque tandem opplevisse. Ni à vero aberret conjectura, credulus in hanc opinionem propendet Gregorius Turonensis, ex hisce lacunis haustam, ut hinc liqueat, Acta Sylvestri aliquantum vetustatis sibi assumere. De Chlodovæo enim sacris undis abluendo hæc loquitur Gregorius: *Procedit no-* (Gregor. H. Franc. l. 2. c. 31.) *vus Constantinus, ad lavacrum deleturus lepra veteris morbum.* Ut nil miri sit, Hadrianum Papam in sua ad Constantinum & Irenem Epistola, anno 785. scripta, Adelmannum, Abbatem Berengosum, aliosque innumeros veluti rem certam de lepra Constantini traditionem animo imbibisse.

(De Synodo Romana Sylvestri.)

IX. Nutanti fabulæ Concilium Romanum subsidio venit; magnum sanè præsidium. Quis Synodum ducentis octoginta quatuor Episcopis constantem, dicere falsam audeat? Ac sanè non heri, nudius tertiusve è tenebris prodiit ea Synodus, de qua mentio est in Carolinis Capitularibus c. 133. Quo capite Canon Sylvestri tertius laudatur: *Non damnabitur Præsul,*

nisi

nisi in 72. testibus. Pace tamen Baronii, Binnii, Aulicorumque Romanorum, si ipsis quidem, non sanè nobis commentum placet, vel eâ unâ ratione, quòd in Pseudo-Synodo Constantinus à lepra mundatus fuisse narratur. Brevem Synodi memoriam complectamur, ut appareat quàm tenui tibicine de Constantiniana lepra traditio fulciatur. Prologus Synodi hæc habet: *Temporibus Sancti Sylvestri Papæ, & Constantini piissimi Augusti factum est magnum Concilium in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt regulariter ejusdem Sylvestri Papæ vocatione, in id ipsum trecenti decem & octo Episcopi Catholici, qui exposuerunt fidem integram, Catholicam, immaculatam, & damnaverunt Arium, Photinum, Sabellium, atque sequaces eorum. Eodem quoque tempore, & 13. Kal. Juliarum die, quando memoratum Concilium magnum in Nicæa congregatum est, Canonicâ jam factâ Papæ vocatione, in urbem Romam congregavit & ipse cum consilio præfati Constantini Augusti* CCLVI. *Episcopos, & damnavit iterum tam Callistum, quam Arium, & Photinum atque Sabellium.* Quæ portenta sunt, & Antiquitatis funera. Scilicet nondum exortum *Photinum* Patres Nicæni damnarunt, Prophetico forsan afflatu. Ac eodem anno & Romanum, & Nicænum Concilium congregatur: vel igitur Nicænum anno CCCXXV. vel Romanum non anno CCCXXIV. celebrari potuit. Dicunt quidem, ab imperito hæc esse digesta, quod faciles concedimus, quia maximus ille nebulo fuit, qui Synodum condidit. Illud tamen in quæstione ponitur, annon prologus Autoris sit ejusdem atque Synodus. Est enim perabsurdum, nullum Synodo prologum fuisse, ac sine capite fabulam. Sed misso prologo, alia videamus: *Collegit autem universam Synodum Episcoporum, cum consilio Augusti, vel matris ejus, & fecit parari in urbe Roma, intra Thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Trajanæ. Collegit autem in gremio sedis suæ ducentos octoginta quatuor Episcopos, quibus Augustus Constantinus, vehicula, & annonas præstari præcepit, & alii* LVIII. *Episcopi partis Rinocoruris, quorum chirographus in eorum concilio declaratur. Centum quadraginta duo Presbyteri urbis Romæ, & Diacones* VI. *Subdiacones* VI. *Acolythi ejus concilio facti* XLV. *Exorcistæ* XXII. *Lectores urbis Romæ* XC. *quorum parentes præsentes audiebant. Notarii Ecclesiæ* XIV. *qui gesta diversorum Martyrum suscipientes ordinate narrabant.* Concilii quoque tempus consignatur: *Et fixit Canonem hunc Sylvester Episcopus in urbe Roma, & omnibus Episcopis aspersit. Actum in Trajanas Thermas 3. Calend. Junii, Donno Constantino Augusto tertiò, & Prisco Coss.* Canones sunt XX. I. Docet Presbyteros, Diaconosque à *tergo Episcoporum stetisse.* Solos Episcopos sedisse: adfuisse & in Synodo Calphurnium, P. U. II. Damnat *Calistum, & Victorinum, qui arbitrio suo fecerunt creaturam, & Jovianum, qui in sua excolentia dicebat, Non Pascha venire die suo, nec mense, sed x. Kal. Maii custodire.* III. Minoribus prohibet ordinibus majores accusare, Præsulemque in LXXII. Presbyterum in XLIV. testimonia damnandum esse constituit. IV. Statuit ut de redditibus Ecclesiæ partes quatuor fiant. V. Sancit ut nullus Presbyter chrisma conficiat. VI. Negat Diacones Cardinales urbis plures esse quàm septem, qui dalmaticis uterentur. VII. Jubet à Subdiacono usque ad Lectorem omnes subjici Diacono Cardinali urbis R. VIII. Vetat Subdiaconum ad nuptias transire. IX. Lectoribus & Acolythis prohibet vasa sacra contingere. X. Sancit, ne Episcorum aliquis virginem sacratam maritali consortio benedicat, nisi annorum sit LXXII. XI. Ut nullus Laicorum ab honore Acolythi usque ad Episcopatum elevetur, nisi per singulos gradus. XII. Nemo det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum petenti. XIII. Nemo *nisi velamen cæleste acceperit primum conjugii, per manus Sacerdotis ad Clericatus honorem accedat.* Cujus Canonis ea mens esse videtur, neminem qui uxorem habuerit, ad sacros ordines esse promovendum, nisi matrimonium ejus fuerit à Sacerdote benedictum. XIV. Testimonium Clerici adversus Laicum nemo recipiat. XV. Nemo Clericum examinet, nisi in Ecclesia. XVI. Clericorum nemo intret in Curiam, quoniam omnis Curia à cruore dicitur. XVII. Nemo peccantem Clericum cæde attingat. XVIII. Nullus Diaconus adversus Presbyterum crimen afferat. XIX. Nullus Presbyter à die Presbyterii ineat conjugium, secus decennio privetur honore. XX. Prima sedes neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque Regibus, neque à Populo judicabitur.

X. Hæc est illa Synodus, cujus adducitur autoritas probandæ Constantini lepræ. Nos tamen ferrei essemus, si monumenta ejusmodi pro veris haberemus, quibus nullum inest veritatis vestigium. Sylvestri hæc Synodus, quæ utpote Episcopis CCLXXXIV. constans, partim Latinis, partim Græcis, magnam ubique locorum celebritatem habere debuit, Antiquis tamen est omnibus incognita. Non Eusebius, non Ecclesiasticæ Scriptores Historiæ eam memorant, non Ferrandi Collectio, non Crisconii Breviarium, non Libellus Synodicus. Deinde stylus barbarus à Latinitate, quæ Sylvestri temporibus floruit, prorsus abhorrens, Synodi novitatem accusat. Speciminibus jam allatis pauca hæc addantur ex Canone IV. *Constituit hunc ordinem, ut si quis de Clero, vel Presbyteris universi loci, quod commune est, transiret de hoc mundo, si neminem de sua generositate haberet consortem, quidquid paupertas ejus haberet, conferret Ecclesia.* Quæ orationis illuvies, vel lixis atque calonibus Constantini dedisset ludibria. 3°. Fictitiam Synodum arguit ejus subscriptio: *Ac tum in Trajanas Thermas 3. Kal. Junii, Domno Constantino Augusto tertiò, & Prisco Coss.* Mendosam fatentur inscriptionem Baronius atque Binnius, monentque legendum *Crispo, & Constantino III. Coss.* At si naris emunctioris Baronio, *Constantinum Cæsar* in ea subscriptione subolet, impostor quidem de eo Consule non cogitabat, quem & suo *Prisco* præposuit, & *Augustum* vocat, & *Dominum.* Quibus sanè titulis anno CCCXXIV. *Constantinus Cæsar* non ornabatur. 4°. Commentitiam Synodum non tantùm clamat Actionis primæ subscriptio: *Subscripsit autem Augustus Constantinus, cum matre Helena Augusta.* Scilicet mulieres Acta Synodi consignabant! Constantino quidem longissimæ manus esse debuerunt, qui ex Thracia, ubi mense Maio anni CCCXXIV. versabatur, testibus Fastis Idacii, Romæ tamen Silvestri Synodo subscripsit. Sed & ille *Calphurnius, qui primò Gentilis, & postea Christianus Præfectus Urbis,* qui Concilio & interfuit, & *novissimus subscripsit,* palam & apertè Synodum falsi postulat, cum ex libello de Præ-

Synodus Sylvestri subdita est.

Baron. An. 324. n. 29.

ANNO DOM. 324.

fectis Ubi certum sit, non *Calphurnium*, sed *Iucerium Verinum* hoc gessisse muneris. Quid memoramus aut Episcopos CCLXXXIV. quorum nulli sedes assignatur, suo more Conciliis omnibus contrario, aut in Græcis Episcopum nomine *Quod vult Deum*. Ac pecuinam veteratoris stoliditatem omittere non possumus, qui in Concilio, *Presbyteros Romanos omnes ad terga Episcoporum stetisse* fingit. Quasi verò pueris ignoretur Sylvestri ævo, Presbyteros & in Ecclesia sedisse, & in Conciliis, eaque de causa dictos esse sacerdotes *δευτέρου θρόνου*, *secunda cathedra*, in ordine quidem Romano de Officio Missæ p. 13. legimus: *Pontifex annuit Episcopis & Presbyteris, ut sedeant, Subdiaconus verò qui lecturus est, mox ut viderit Pontificem, Episcopos & Presbyteros sedentes, ascendit in ambonem.* Ejusmodi furfuris est Canon III. *Presbyter nisi in* XLIV. *testimonia non damnabitur.* Quod & Scripturæ pugnat, & Ecclesiæ consuetudini. Hieronymus enim Epistolâ ad *Marcellam* CII. de iis qui sibi obrectabant hæc habet: *Illi adversum Presbyterum accusationem omninò putent recipiendum: nos legamus adversum Presbyterum accusationem ne receperis, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Neque etiam Canon IX. quo *Lectores & Acolythi* sacra tangere vasa prohibentur, Romanæ est disciplinæ consentaneus, quæ Eucharistiam Acolythis ad Presbyteros ferendam tradebat. Id enim sibi vult Innocentii *fermentum*, de quo suo loco egimus. Denique Canon ultimus, quo *Reges* prohibentur de Romano Pontifice judicare, Sylvestri esse nequit, cujus ætate nulli Reges urbi imperabant.

An Romæ Constantinus baptizatus? De fonte quem Ecclesiæ dedisse dicitur.

X I. Sunt tamen eruditi, quibus non arridet cantata Constantinianæ lepræ curatio, qui nihilominus vehementer contendunt, Constantinum à Sylvestro in urbe fuisse baptizatum, Verba sunt Platinæ, in vita Marci Papæ: *Quod verò in lepram inciderit Constantinus, ut vulgò dicunt, baptismoque mundatus sit, conficta prius de sanguine infantum nescio qua fabula, nullo modo credo.* Canus quoque, *Lepra*, inquit, *Constantiniana testis gravis & probatus, ex Veteribus nemo est.* Quâ tamen sententiâ traditionem de Abluto Romæ Constantino evertunt atque percellunt, cùm & lepra, & baptismus iisdem testibus innitatur. Illud tamen videamus, quid momenti sit in argumentis, ut Romæ Constantinus à Sylvestro sacris undis dicatur expiatus. Primùm omnium sic Constantinum loquentem exhibet ejus donatio: *Beatissimus idem Sylvester pater noster, urbis Romæ Episcopus, indixit nobis pœnitentiæ tempus, intra palatium nostrum Lateranense, in uno Cilicio, ut de omnibus, quæ à nobis impiè peracta atque injustè disposita fuerant, Vigiliis, Jejuniis, atque lachrymis & orationibus apud Dominum Deum nostrum J. C. salvatorem, veniam impetraremus. Deinde per manus impositionem Clericorum usque ad Præsidem veni. Benedictoque fonte illic me trinâ mersione unda salutis purificavit.* Qui rumor tantum invaluit, ut Latinorum non modò, sed recentiorum quoque Græcorum animos oppleverit. Certa res est, Adriano, & Nicolao Pontificibus, certa Wandelberto Diacono, cujus hæc sunt in Martyrologio de Sylvestro carmina:

Can. l. 11. 512.

Pontificum primus tranquillam cernere pacem,
Qui meruit, Dominosque orbis purgare lavacro.

Certa Nicephoro l. 7. c. 35. Huic autem traditioni duo sunt præcipuè, quæ fidem adjungere videantur: pietas scilicet Constantini, quâ prohibebatur ad vitæ finem usque baptismum differre, & baptisterium, quod in urbe celeberrimum extat & ostenditur. En pulcherrimi fontis descriptionem, quem à Constantino datum esse perhibent: *Fontem sanctum ubi baptizatus est Augustus Constantinus, ex lapide porphyretico, & ex omni parte coopertum extrinsecus, & foris & desuper, & quantum aqua continet, ex argento purissimo libras 3008. In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo, pensantem libras 30. ubi ardens balsami libra CC. Myxum ex stupa amianthi. In labro fontis agnum ex auro purissimo, fundentem aquam, pensantem libras 30. Ad dexteram agni Salvatorem ex argento purissimo in pedibus quinque, pensantem libras* CLXX. *In læva agni B. Joannem Baptistam, ex argento in pedibus quinque, tenentem titulum scriptum, qui hoc habet, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, pensantem libras centum. Cervos ex argento septem, fundentes aquam, pensantes singulos libras* DCCC. *Thymiaterium ex auro purissimo, pensans libras* X. *cum gemmis prasinis & hyacinthinis undique, numero gemmæ* XLII. Quæ leguntur in libello de munificentia Constantini.

Lab. t. 1. Concil. 1419.

Ob ea verò argumenta Canus iis accessit, qui Constantinum Romæ sacro tinctum lavacro ferunt. Autoris verba referamus, quia nostro judicio argumenta continent, quæ pro ea sententia, majora afferri possint: *Quòd si baptisterium tam insigni structum apparatu, si rerum veterum publica commemoratio, non solùm habitantium animis, sed lapidibus etiam insculpta, nullum nobis argumentum est, jam jamque non dico, quæ vetustatis in urbe monumenta sunt, sed quæ sunt in orbe majorum traditione recepta, ire ea omnia inficias poterimus. Ac nisi prius baptismi fuisset fonte sublatus, qui credi potest Constantino Episcopos, aut culparum, & querimoniarum libellos obtulisse, aut ut Synodo, & disputationibus interesset, permisisse?* Hæc tamen sunt levissima. Ætate quidem Hieronymi, qui urbem frequentarat, & Damaso Papæ charissimus erat, Romæ neque Constantini fuisse baptisterium, neque ullam de Sylvestro illum expiante famam, certissimo indicio est opinio hæc, quæ Hieronymi insidebat in animo, Constantinum Nicomediæ baptismum adeptum fuisse. Hæc enim scribit in Chronico: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat.* Imò qui Constantinum in urbe ablutum esse tradat, Veterum nemo reperitur. Neque Constantini pietas, quantacunque prædicetur, eum impulit, ut diu ante obitum sacris undis immergeretur. Multis eo seculo solemne fuit ad multa tempora baptismum prorogare, adeò ut *Valentinianus* Junior Augustus sacri lavacri expers excesserit. Quis nescit Ambrosium virum pium, Catechumenum adhùc agentem, ad Episcopatus honorem vocatum esse? Cui ignota Nysseni oratio, in eos qui baptisma differunt? Ac sanè moras Constantinus suas specie pietatis aliquâ induisse videtur, quasi nondum ita sese comparasset, ut tanto dignus mysterio haberetur. Itaque non Sacramenti contemptu aliquo, sed veneratione potius adductus est, ut tamdiu Catechumenum ageret. Cui etiam illud accedit, quod Constantino in votis erat, in Jordane amne baptismum adipisci. Neque de litibus Præsulum judicandi Constantino baptismus facultatem contribuit, quam à

Can. l. 11. 513.

sum-

Anno Dom. 324.

summâ majestate habuit cum pietate conjunctâ. Quo etiam nomine Synodo adesse potuit, cùm fidei conservatio, Catechumenos, & tranquillitas Ecclesiæ, Principem vel maximè deceat. Excludi quidem Constantinum iniquum prorsus fuisset, cujus in aula Episcopi congregabantur, & regiis sumptibus alebantur. Mysteriorum quidem celebrationi Catechumenis interesse non licuit, at concionibus Episcoporum atque disputationibus adesse licuit. In renotissima pluribus testimoniis adducendis supersedendum. Sufficiat Nicænæ Synodi Canon XIV. *De Catechumenis qui lapsi sunt, Sancto & magno Concilio placuit, ut tribus annis sint inter Audientes tantummodò, post hac autem cum Catechumenis orent.* Cùm igitur sactam te;tamque fidem Constantinus servasset suam, conciones, & disputationes quæ de religione habebantur, decretisque quibus error profligabatur, uti Christianus Princeps, etsi forsè nondum Catechumenus impositione manuum factus audire potuit.

Donatio Constantini.

XII. Ingrati animi vitio Constantinus laborasset, ni ob curatam lepram dignas Sylvestro grates persolvisset. Ne igitur infamiæ aliquid tanti Principis honori aspergeretur à fabulatoribus probè cautum atque provisum; qui hoc edicti Constantino fœneraot r *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris scilicet, Filii, & Spiritus Sancti Imperator Cæsar Flavius Constantinus, in Christo Jesu, uno ex eadem Trinitate Sancta Salvatore Domino Deo nostro, fidelis, mansuetus, beneficus, Alemanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus, Pius, felix, Victor ac triumphator, semper Augustus, Sanctissimo ac beatissimo Patri Patrum, Sylvestro urbis Rom. Episcopo, & Papa, atque omnibus ejus successoribus, qui in sede B. Petri usque in finem seculi successuri sunt Pontificibus, nec non omnibus reverendissimis, & Deo amabilibus Catholicis Episcopis, eidem Rom. Ecclesiæ hanc nostram imperialem Constitutionem subjectis, in universo orbe terrarum, nunc & in posterum constitutis, gratia, pax, caritas, gaudium, longanimitas, misericordia à Deo Patre omnipotente, & J. C. Filio ejus, & Spiritu Sancto, cum omnibus vobis.* Præmissis deinde & confessione fidei, & cælesti viso Petri & Pauli, à quibus monitus est remedii, quo lepra ejus sanari posset, hæc addit: *Sicut nostram terrenam imperialem potentiam, sic ejus Sacro Sanctam Romanam Ecclesiam decrevimus veneranter honorari, & amplius quàm nostrum imperium, & terrenum thronum, sedem sacratissimam B. Petri gloriosè exaltari, tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem, atque vigorem & honorificentiam imperialem, atque decernentes sancimus, ut Principatum habeat, tam super quatuor præcipuas sedes Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quàmque etiam super omnes in universo orbe terrarum Dei Ecclesias. . . . Quoniam ipse Deus in Cœlis desuper, & in terra deorsum nos per suos Sanctos Apostolos visitans, Sanctum baptismatis Sacramentum percipere, & corporis sanitatem dignos effecit. Pro quo concedimus ipsis Sanctis Apostolis Dominis meis B. Petro & Paulo, & per eos etiam B. Sylvestro Patri nostro, atque de præsenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis: deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, id est, mitram, nec non & superhumerale, videlicet lorum quod imperiale circundare assolet collum; verùm etiam & Chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, sed & dignitatem imperialium præsidentium equitum. . . . Decrevimus itaque & hoc ut idem venerabilis Pater noster Sylvester summus Pontifex, & omnes ejus successores Pontifices, diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo, & gemmis pretiosis uti debeant. . . . Unde ut Pontificalis apex non vilescat, sed amplius etiam quam terreni imperii dignitas, & gloria potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, quàmque urbem Romam & omnes totius Italiæ, & Occidentalium regionum provincias, loca & civitates, præfato beatissimo Pontifici nostro Sylvestro universali Papæ concedimus, atque relinquimus, & successorum ipsius Pontificum potestati & ditioni firma imperiali censura, per hanc divalem nostram, & pragmaticam constitutum decernimus disponendum, atque Juri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansurum.* Ne verò successorum Constantini alicui liceret donationem revocare, *vel in quoquam convellere,* optat liberalissimus ille Princeps, *Ut æternis condemnationibus subjaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes Apostolorum, Petrum & Paulum sibi in præsenti, & futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum Diabolo & omnibus deficiat impiis. . . . Datum Romæ sub tertio die Calendarum Aprilium, Domino nostro Flavio Constantino Augusto quater, & Gallicano viris clarissimis Coss.* Egregium hoc Constantinianæ liberalitatis monumentum Græci in linguam suam transfudere, cujus versionis fragmenta Labbeus exhibet, à quo etiam monemur, *Bartholomæum quendam Picernatem, de monte arduo, è Græco quodam exemplari asseverasse, se in Latinum vertisse sermonem, famosæ hujus donationis Edictum, & ea de re ad Julium II. Romanum Pontif. Epistolam dedisse.* — Lab. Concil: t. 1. 1534.

Donatio Constantini subdititia est.

XIII. Binnio gratulamur, qui quæ de dominio, & temporali regno Romanæ sedi collato hoc in Edicto narrantur, non *verissima* prædicat, sed *verosimilia.* Turpiter tamen errat, dum censet hoc Edictum à Theodoro Balsamone primùm Edictum, ut Constantinopolitanum Patriarchatum ostenderet antiquissimum, quem ipsi errorem Baronius fœneravit, cum carmine Maronis:

Quidquid id est timeo Danaos & dona ferentes.

Est autem opinio hæc absurdissima. Quippe ante Balsamonem, qui anno MCLXXXVI. floruit, Isidorus Mercator Constantinianæ donationis meminerat. Laudaverat & Leo IX. anno 1054. qua de re inspiciatur Marca de Concordia l. 3. c. 12. Ex eadem officina hoc Edicti prodiisse videtur, quâ veterum & Pontificum decretales emerserunt. Latinitas est similis, barbara scilicet, & inculta suscriptio manum indicat eandem, utpote quæ *viri clarissimi* titulo ornet Imperatorem. Itaque non accedit ad veri speciem conjectura doctissimi Marcæ, qui Edictum jussu Rom. Pontificum scriptum fuisse existimat: *Anno etenim 767. Legatis Constantinopolitanis repetentibus à Pipino regiones Italiæ, quas Rex Ecclesiæ R. attribuerat, Joannes Subdiaconus & Pamphilus Legati Pauli Papæ, mentionem injecerunt hæreseos à Græcis fotæ . . . verisimile mihi videtur tunc de consensu Pipini Regis, excogitatam fuisse donationem Constantini, quâ pertinacia Constantinopolitanorum retunderetur.* Illud tamen negari non potest, Edicti conditorem maximè — Marca de Conc. l. 3. cap. 12.

Pon-

Pontificibus R. favisse, quibus & Constantinopolitanos subjicit Episcopos, & omnes locorum omnium Ecclesias, quæ non Græcorum, sed Latinorum olent officinam. Porro octavum antè seculum tam magnificæ donationis mentio nulla est in Autoribus. Cui refellendæ si minus hæc observatio sufficiat, novis præterea telis fabulosum edictum configimus. Numerosam titulorum congeriem, quibus & Constantinus insignitur, & Lectoris patientia penè obruitur, omittimus, non infirmum tamen falsi argumentum, cùm à more Constantini, & institutis alienum sit, in Edictis suis tot titulos sibi accumulare. Prætermimus etiam honorifica, quibus Sylvestrum induit nomina, remota ab ætate Sylvestri, qui *Pater Patrum, universalis Papa* audit: Nonne vel una Edicti subscriptio impostoris conditas detegit insidias? *Constantino Augusto* IV. *& Gallicano viris clarissimis Coss.* Quis est ille Consulatus? Quinam illum Fasti exhibent? Quarti Constantiniani Consulatus *Licinius* Collega fuit, *Gallicanus* non fuit. Gestus est ille Consulatus anno CCCXV. Constat autem Nazarii ex Panegyrico, anno CCCXXI. dicto, Constantinum urbi tum imperasse: *Unum est modò* (verba hæc sunt Nazarii) *quo fieri possit Roma felicior: maximum quidem, sed tamen solum, ut Constantinum conservatorem suum, ut beatissimos Cæsares videat, ut fruendi copiam pro desiderii modo capiat, & vos alacris excipiat, & cùm Reip. ratio digredi fecerit, receptura dimittat.* Quòd si anno CCCXXI. civitatis Romanæ potens Constantinus fuit, falsum igitur est quarto suo Consulatu, id est, anno 315. & urbem, & totius Italiæ regiones donatas Sylvestro fuisse. Neque postmodum tantas opes in Romanos Pontifices divisit Constantini liberalitas. Quam insignem sanè munificentiam Veterum nullus memorat, à Scriptoribus sanè Ecclesiasticis maximè prædicandam. Potuitne Constantinus anno CCCXXIV. quo hanc in Pontifices R. beneficentiam exercuisse, Binnius, Baroniusque opinantur, *Constantinopoleos* meminisse, quæ tum temporis nulla fuit: aut inter Patriarchalea numerare sedes Hierosolymitanam Ecclesiam, quæ post defunctum Constantinum eò honoris provecta est. Falsi quoque Edictum postulat, quod habet, Constantinum *coronam* sui capitis concessisse Sylvestro, decrevisseque ut tam ipse, quàm Pontifices successores ejus *Coronâ ex auro purissimo, & gemmis pretiosissimis uterentur.* Hem Constantinus auream gestabat coronam! Atqui regiæ dignitatis insignia hæc ingrata Romanis à cultu Imperatorum aberant. *Diademate*, non *coronâ* Constantinum ornatum fuisse, ex Victoris Epitome scimus atque tenemus: *Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate.* Chronicom quoque Alexandrinum non *coronam*, sed diadema Constantino vindicat: *Gestavit primus diadema gemmis illuminatum.* Sed & in obsidione Nisibis Sapor vidit quendam *purpura at diadematis cultu* ornatum, quem Constantium Imperatorem esse existimabat. Commentitiam quoque donationem refellit, à Constantini filiis accepta patris hæreditas. Audiatur iterum Victoris Epitome: *Ad tres orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, & Constantium ac Constantem, filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt. Constantinus Junior cuncta trans Alpes.... Constans Illyricum, Italiam, atque Africam.* Con-

Theodorit. Hist. l. 2. cap. 30.

stanti cederene Italia potuit, si ab imperio avulsa R. Pontificis in jus venisset? Sacrilegium utique perpetrasset Constans, non legitimam hæreditatem adiisset. Fictam denique donationem percellit ea potestas, in qua Romanam tenuere civitatem Constantini successores, adeò verum est in Sylvestrum non fuisse translatam. De Constantio Marcellinus: *Constantius tanquam concluso Jani Templo, stratisque hostibus cunctis, Romam gestiebat visere, post Magnentii exitum, absque nomine, ex sanguine Romano triumphaturus.* Quem & triumphum egit, *Insidens aureo solus, ipse carpento fulgenti claritudine lapidum variorum.* Quis in urbe non sua triumphalem ejusmodi pompam duxisse credat? Hæccine non sunt juris in urbem indicia? *Non ut per civitates alias ad arbitrium suum certamina fieri patiebatur, sed ut mos est, variis casibus permittebat.* Quæ si non sufficere videantur, probando Romam Constantii ditionis fuisse, at demonstrabit autoritas, quam adhibuit pellendo in exilium Papâ Liberio: *Liberius Christianæ Legis Antistes, à Constantio ad Comitatum mitti præceptus est, tanquam Imperatorum jussis, & plurimorum sui consortium decretis obsistens.* Nesciebat igitur Liberius se Imperatorum potestati vi Constantini donationis exemptum esse, utpote qui Principis sui jussis ut obtemperaret, eum Mediolani agentem convenit, nullâ Edicti Constantiniani, quod tunc maximè laudari debuit, injectâ mentione. Ut comprimamus orationem, commentitiam prorsus obruit Constantini donationem factum Leonis Augusti, à quo *missus est Anthemius, ut Romanis imperaret*, cùm ad eum Romani Occidentales legatione adiissent. Ignorabant igitur se Pontificum R. in potestatem transiisse. Quibus veritas cordi est, illi fatebuntur, in Romæ, & Provinciarum Italiæ tanto dominatu Pontifices R. fuisse collocatos, non à Constantino, sed à Pipino, & Carolo M. aliisque Regibus, ut suo loco planum faciemus, si Deus dederit. Atque hanc Ottoni M. qui anno DCCCCLXII. Imperator creatus est, sedisse menti opinionem, ex ipsius donatione constat: *Nec non*, inquit, *Exarchatum Ravennatem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis & Castellis, quæ pia recordationis Domnus Pipinus, & Domnus Carolus, excellentissimus Imperator, Prædecessores videlicet nostri, B. Petro Apostolo, & Prædecessoribus vestris jamdudum per Donationis paginam contulerunt.* De Constantini donatione ne verbum quidem.

Marcel. l. 16. c. 10.

Marcel. l. 15. c. 7.

Evagr. l. 2. c. 16.

Baron. An. 962. n. 3.

Ecclesiæ ob Arium seditioni remedium affert Constantinus.

XIV. Dum bello decertant Constantinus atque Licinius, Christianorum corda extimulat Arianorum tumultus. Neque soli Antistites inter se digladiabantur, verùm etiam vulgus in partes scindebatur. Eò indignitatis res processit, ut publicè in ipsis etiam theatris Christiana religio derideretur. Eò loci Orientis Ecclesiæ constituebantur, cùm relatæ de Licinio victoriæ Constantino occasionem præbuere, tantis malis aliquid comparare remedii: quasi ideò ad privatam fortunam tyrannus rediisset, ut Christianus Princeps Ecclesiæ Orientalis tumultus extingueret. Ubi ergo Licinii clades Constantinianæ ditioni subjunxit Ægyptum, pacis Christianæ cupidissimus Imperator, gravi dolore perculsus, suamque ducens hanc calamitatem, eò incubuit, ut exciatum malum quàm primùm extingueret: *Proinde literas mittit ad Alexandrum, & Arium, per virum spectata fidei, Hosium nomine,* Epis-

Socrat. l. 1. c. 7.

ANNO DOM. 324.

Episcopum Corduba, quem quidem Imperator & amabat, & colebat plurimum. Extant integræ apud Eusebium literæ, quarum partem ad historiæ tenorem intelligendum necessariam hîc inserere oportunum duximus.

Epistola Constantini ad Arium & Alexandrum.

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 69.

XV. *Præsentis controversia initium hinc extitisse comperio. Cùm enim tu, Alexander, à Presbyteris exquireres, quid unusquisque eorum de quodam legis loco sentiret, seu potius de quadam parte inanis quæstionis eos interrogares: cùmque tu, Ari, id quod vel nunquam cogitare, vel sanè cogitatam silentio premere debueras, imprudenter protulisses, excitata inter vos discordia, communio quidem denegata est. Sanctissimus autem populus duas in partes discissus, à totius corporis unitate discessit. Quocirca uterque vestrum veniam vicissim alteri tribuens, id amplectatur quod conservus vester justissimè suadet. Quidnam verò illud est? Nec interrogare de hujusmodi rebus principio decebat, nec interrogatum respondese. Istiusmodi enim quæstiones, quas nullius legis necessitas præscribit, sed inutilis otii altercatio proponit, licet ex ingenii exercendi causâ instituantur, tamen intra mentis nostra penetralia continere debemus. . . Neque enim de præcipuo, & summo legis nostra mandato inter vos orta contentio, neque ullum novum à vobis de Dei cultu introductum est dogma, sed unam eandemque sententiam ambo tenetis, adeò ut ad communionis societatem coire facilè possitis. . . Reddite igitur mihi tranquillos dies, & noctes curarum expertes, ut mihi quoque pura lucis voluptas, & quieta vita lætitia in posterum conservetur. Quod nisi consecutus fuere, ingemiscam necesse est, totusque lachrymis perfundar, nec reliquum vita tempus placidè exigam. . . Atque ut doloris hac de re mei magnitudinem intelligatis, paulisper attendite. Nuper cùm Nicomediam venissem, protinùs in Orientem iter facere decreveram. Cùmque profectionem urgerem, & majore jam ex parte vobiscum essem, hujus rei nuntius consilium nostrum retrò avertit, ne cogerer ea coram aspicere, qua ne auditu quidem tenus tolerare me posse existimabam. Posthac igitur consensu vestro viam mihi in Orientem aperito, quam mihi mutuis inter vos contentionibus obstruxistis.*

Osiusne à Sylvestro Alexandriam missus fuerit? Nùm Alex. Synodo præfuit?

XVI. Movet quæstionem Baronius, cui persolvere debemus; Osius à Sylvestro Papa Alexandriam missus fuerit, necne? Ait Baronius: *A quonam affirmandum missum esse Legatum Osium ad Alexandrum, tantâque autoritate, ut Synodum habuerit generalem, nisi quòd eò ipse profectus fuerit Apostolica sedis Legatus? Nec est quod dici possit, Osius à Constantino missus est Legatus in Ægyptum, ad sedandos concitatos ibi tumultus. Nam in literis ea de causa à Constantino tunc scriptis, nulla prorsus ipsius Osii nominis mentio aliqua habetur.*

Baron. An. 318. n. 89.

Indignam sanè illustrissimo Purpurato opinionem, quæ ob argutiolas, & Antiquitatis testimonia falsi postulat, & ea proponit, quæ nullo Autore constant. Osium neque ad Constantinum, neque ad Alexandrum à Sylvestro missum esse, docet silentium Historicorum omnium, qui injectæ legationis ejusmodi nusquam meminere. Legationes verò probari testimoniis debent, fingi non debent. Porro à Constantino Osium missum esse tradit Eusebius. Auditâ Alexandrinorum seditione, *Imperator gravissime dolere perculsus, confestim ex Dei cultoribus, quos circa se habebat, quendam, quem ob modestiam fidei spectatum, & ob religionis confessionem superiori tempore præ cæteris nobilitatum esse cognoverat, Alexandriam dirigit, ut inter eos qui illic dissidebant, pacem componeret.*

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 63.

ANNO DOM. 324.

Quis est Episcopus ille & virtutibus suis, & Confessione illustris, si Osius non est? Non alium præter Osium quærendum esse, Socrates apertissimè testatur: *Hosius Corduba in Hispania Episcopus, cùm ab Imperatore Constantino ad hoc missus fuisset, ut excitatum ab Ario tumultum extingueret.* Sozomenus quoque de Episcopo pro pietate tot certaminibus claro, quem Constantinus Alexandriam legaverat, hæc habet: *Is erat Osius Corduba.* Quod etiam in Actis Metrophanis, & Alexandri legitur apud Photium: *Constantinus mittit Alexandriam Hosium, nomine, & re sanctum, quem Hispania civitas Corduba Episcopum habebat.* Cæterum Baronii de Osio ad Constantinum à Sylvestro legato figmentum delet Eusebius: *Confestim*, inquit, *ex Dei cultoribus, quos circa se habebat, Alexandriam dirigit.* Illorum igitur unus erat, quem præsentiâ suâ, precibus, comitatu Imperator sibi voluerat esse auxilio: *Cùmque precationibus si unquam anteà seso tunc indigere maximè intelligerent, Sacerdotes Dei secum duxit, eos veluti optimos anima custodes adesse coram, & secum versari debere existimans.* Cùm igitur Constantino in Licinium pugnaturo Osius comes ivisset, absonum est fingere ex Sylvestri mandato, apud Imperatorem legationem obiisse. Neque Baronianæ nos conjecturæ movent. Primùm enim in Constantini ad Arium & Alexandrum Epistola *necessum non fuit, Osii nomen exprimi, ut in omnibus legationibus contingere solet.* Hoc enim legationis diploma non fuit. Alias Osius habuit Epistolas, quibus planum faceret, se Imperatoris mandato hanc Provinciam suscepisse. Secus ex Baroniana ratiuncula colligetur, Osium à Constantino missum non fuisse, mentitosque qui hoc narrant, Eusebium, Socratem, Sozomenum, Metrophanem. Quanquam licet nullam Osius legationis suæ exhibuisset Epistolam, sanctitas tamen, munus, profectio Alexandriam, viri literas Constantinianas ad Alexandrum & Arium afferentis, atque testimonium, legationis argumentum esse potuit. Deinde quis avium volatus Baronio indicavit, Osium Synodum Alexandrinam coëgisse? Quidni ab Alexandro Metropolitano consiliis Osii indici potuit? Estne in Annalium monumentis, Alexandrinos Episcopos Provinciæ suæ Concilium unquam convocasse, ex decreto Pontificis Rom. Exempla proferantur, ac fortè herbam Baronio porrigemus. At Socrate prohibemur, qui congregationem Synodi ascribit Alexandro: *Alexander gravi exarsit irâ, & collecto multorum Episcoporum Concilio, Arium, & reliquos qui sententiam ejus amplectebantur, gradu movit.* Potuit etiam Osius ex Imperatoris præcepto Synodum Alexandrinam cogere. At Concilio præfuit Osius. Præfuisse nobis non liquet, & quibus documentis probetur, ignoramus. Concedamus tamen. Nùm igitur ut sedis Apostolicæ Legatus præfuit? Ait Baronius, nos negamus, qui legationis hujusce tabulas non vidimus. Præfuisset ergo ex consensu suffragioque Episcoporum, qui Alexandriam venerant, qui & dignitati viri celeberrimi, & Legati Imperatoris, quam gerebat personæ, hoc honoris contulere; eò magis quòd Alexandro, qui Arium jam adversarium se constituerat, qui illum excommunicarat, qui Epistolis suis proscripserat, minus aptum fuisset, priores in Synodo partes contribuere. Hæc ex abundanti, ut aliquid

Socr. l. 3. c. 7.

Sozom. l. 1. c. 16.

Cod. 256. p. 1410.

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 4.

Socrat. l. 1. c. 6.

aliquid largiamur Baronio. Alioquin mults insunt argumenta, quibus probetur, Osium hujua Synodi Principem non egisse. De Præfectura hac Osii silent Historici omnes, qui ejus legationis mentionem fecere, Eusebius, Socrates Sozomenus. In Concilio Osium de Hypostasi quæstionem agitasse Socrates dicit, præfuisse non dicit. *Præsente*, non *Præside* Osio, Ischyram larvatum Presbyterum gradu, quem sibi assumebat, ejectum esse, ex Athanasio novimus. Collectam ab Alexandro Synodum, & ejus nomine Ecclesiæ Catholicæ Episcopis Synodicam Epistolam missam esse Socrates prodit. Quæ Alexandri Præfecturæ germana sunt indicia. Neque Legati munere, quod ad pacem componendam gerebat Osius, Synodo moderari permittebatur. Ex ficta Legati Sylvestri persona, quam Baronius imposuit Osio, ortum est Præsidis illud officium, quod ab Episcopo Cordubensi in Alexandrino Concilio gestum, Illustrissimus Purpuratus, & sibi, & aliis persuasit. Athanasii locum, quo *principem* in Synodo gradum Osium obtinuisse colligit, anno sequente explicabimus.

Socr. l. 3. c. 7.

Bar. An. 319. n. 25.

Synodus Alex. posterior. Quo anno celebrata?

XVII. Anno CCCXIX. Synodum coactam esse, statuit Baronii Chronologia, atque Labbei. Quos sua fallit ratio. Mitti quidem à Constantino Osius non potuit, quo tempore Licinius sua sub potestate tenebat Ægyptum, quæ ad usque mensem Septemb. anni CCCXXIV. ejus ditione atque voluntate regebatur; ut ex Fastis Idacianis, Aurelio Victore, rationibusque benè multis ostensum est. Quòd si hoc Concilium anno CCCXIX. celebratum est, citius anno CCCXXV. Nicænum cogi debuisset: nec passus Constantinus fuisset tumultus, quos Osius non oppresserat, tam diu gliscere, quàm solitò magis magnos. Synodum ideò generalis nomen accepisse dicunt Baronius atque Labbeus; quòd *illi per Legatum Pontifex Rom. cum omnibus Episcopis qui Alexandrino Primati parebant interfuerit.* Cantilenam scilicet eandem canunt de Osio Sylvestri Legato, qui eo nomine Synodi Principem egit, quod certissimis est rationibus confutatum. Quanam igitur de causa Synodus *κοινή*, *communis* atque publica, etsi lubet, *generalis* vocata est? quia ex Provincia Metropolitani Alexandrini constabat. Audiamus Mareoticorum Presbyterorum, & Diaconorum ad Curiosum & *Philagrium* Præfectum Ægypti Epistolam: Collutho *in generali Concilio ab Osio & à cæteris Episcopis, qui unà aderant, jussum fuit, ut se pro Presbytero, qualis anteà fuerat, haberet.* Sed & in alia sua Epistola Mareotici Clerici Osii meminerunt, omisso Legati Sylvestri titulo, Ischyras cùm Presbyteri sibi titulum vindicasset, *In Alexandrina Synodo præsente patre nostro Osio depositus est, & cum Laicis in ordinem redactus.* Quòd si Legatum egisset Sylvestri Osius, quid causæ fuit, cur insignis ille titulus à Mareoticis Presbyteris prætermissus est? Numerosum cœtum Episcoporum ex Ægypto, Libya, Pentapoli Alexandriam confluxisse liquet: ut nil miri sit, *κοινῆς*, *generalis* appellationem Concilium esse sortitum. Multos adfuisse, generatim Socrates dixit; Acta verò Metrophanis apud Photium p. 1410. & Alexandri Epistola numerum docent acuratius. Arii sectatores *Concilium centum propè Patrum Episcoporum, qui ex Ægypto & Africa convenerant, anathemati subjiciens damnavit.* Quæ tamen Metrophanes perperàm priori in Arium Synodo Alas. accommodavit. Hic

Baron. An. 319. n. 22.

Athan. Apol. 2. c. 1. 794.

Athan. Apol. 2. c. 1. 794.

quidem ille numerus Episcoporum fuit, qui Alexandri in Provincia continebatur, ut ex Athanasio novimus: *Sunt autem ex Ægypto, & Lybia, & Pentapoli Episcopi propemodum centum, quorum nemo nos insimulavit.* Ut nunc extra dubium fiat, ideò Synodum *generalem* dictam fuisse, quia ex universis Alexandrini Metropolitani regionibus, Ægypto, Libya, Pentapoli ea Synodus constitueretur. Quem vel absente Osio titulum obtinere, & potuit & debuit. In ordine quidem Romano, quæ à Metropolitano congregatur Synodus, *generalis* nomen accipit: *Ordo Rom. qualiter Concilium agatur generale*, quod Metropolitano Episcopis, Abbatibus, Presbyteris, Diaconis cæterisque Ecclesiasticis constare dicitur.

Athan. Apol. 2. c. 2. 788.

Ord. R. p. 168.

Gesta Synodi. Colluthus ad Presbyteros relegatus. Ejus historia.

XVIII. De gestis in eo Concilio nonnulla subjungamus. Ac primùm damnatus Colluthus Presbyter, cujus brevi perscribenda nobis est historia. Alexandriæ Basilicæ complurea erant, *Quarum unam Colluthus administrabat, aliam Carpones, aliam Sarmatas. Sed & Arius unam ex commemoratis illis Ecclesiam regebat. Cùm autem singuli commissum sibi populum, per statos & solemnes conventus publicè docerent, dissensiones in vulgus sparserunt.* Hinc Arium inter & Colluthum æmulatio. Cùm ergo de errore Arii Alexandrum Colluthus commonefecisset, ex dilata aliquamdiu Arii abdicatione occasionem arripiens, sese ab Alexandro sejunxit, & Episcopum agens Presbyteros ordinavit. Quod anno CCCXVI. contigisse vero simillimum est, cùm Colluthianum schisma paulò ante illud Arrii exortum emerserit, qui Gallicano & Basso Coss. ab Alexandro defecit, anno videlicet Dom. CCCXVII. Id sibi vult Alexander in sua ad Alexandrum Byzantinum Epistola: *Arius & Achillas nuper conjuratione factâ, Colluthi ambitionem æmulantes, longè pejores illo extiterunt. Nam Colluthus quidem, qui hos ipsos reprehendit, mali propositi sui prætextum nactus est. Isti verò impiam illius ex Christo nundinationem cernentes, non amplius Ecclesiæ subjacere voluerunt.* Itaque narrationis Gelasianæ fides est difficillima, Colluthum cum Alexandrinis Presbyteris Arii damnationi subscripsisse, quæ eo tempore contigit, quo sese pro Episcopo Colluthus venditabat. Verba sunt Colluthi: *Colluthus Presbyter consentio prædictis & damnationi Arii, & eorum qui cum ipso impiè sentiunt.* Fides tamen narranti adjungi potest, si Colluthi subscriptio hæc ad secundam Synodum Alexandrinam, à qua Presbyteri in ordinem redactus est, pertinuisse dicatur. Turpissimo lucro ordinationes vendebat *Colluthus*, qui ut ex Mareoticorum Presbyterorum audivimus Epistola, ad Presbyteri gradum rediit, ex Alexandrinæ Synodi decreto. Cui accedat aliud Concilii, sub Athanasio celebrati, testimonium: *Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos in Laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum ad synaxim admissos, adeò apud omnes constat, ut nemo ea de re dubitandum putet.* Ac Colluthus ad usque Synodum, quæ Schismaticum à fictitio Episcopi gradu ad Presbyteratum redegit, hæreseos labe schisma cumulasse suum non videtur. Nullam sanè hæresim accusat Alexandri Epistola: neque Synodus homini pepercisset, qui crimen suum erroris maculâ intendisset, sed loco vel Presbyteri motum ad Laicos relegasset. Ambitio Colluthi igitur hæresim

Epiph. h. 69. n. 2.

Theodorit. l. 1. c. 4.

Gelas. Cyz. l. 2. c. 3.

Athan. Apol. 2. c. 1. 732.

ANNO DOM. 314.

Epiph. h. 69. n. 2.

hæresim fabricasse videtur. Dolens enim se Episcopatu excidisse, cujus jura exercebat, ut familiam duceret, in sectæ caput evasit. Quo de errore Epiphanius: *Ac Colluthus falsa quadam ac depravata docuit, sed ejus secta diuturna non fuit, statimque dissipata est.* Errorem Colluthianum memorat Philastrius c. 31. *Colluthiani à Collutho quodam ita dicti sunt in Ægypto, qui dicunt Dominum malorum non esse factorem. Contrà autem alter quidam opponebat, dicens, Dominum malorum esse factorem, qui & ipse est Hæreticus pariter.* Rectè quidem inficiabatur Colluthus, malorum *culpæ* Deum autorem, at pœnæ malorum causam esse perperàm negabat, quâ opinione Dei providentiam evertebat, cui peccatorum osori ac vindici esse non licuisset.

Ischyras à Synodo Alex. ad Laicos relegatur. De substantia & hypostasi quæstio agitatur.

Ath. Apol. 2. t. 1. 781.

XIX. Sunt & alia memoratu dignissima in Alexandrina Synodo gesta. Quippe Ischyram, qui se Presbyterum jactabat, ad Laicos amandavit. De turpissimo homine, qui postmodum multum calumniarum imposuit Athanasio, hæc habet sanctus ille Pater: *Ischyras quidam, ut nequaquam Clericus, ita moribus improbissimus, conatus est sui pagi incolas decipere, jactans se Clericum esse. Id ubi rescivit ejus loci Presbyter, mihi suas Ecclesias perlustranti renunciavit.* Ex Presbyteris larvati Episcopi Colluthi unum se esse ferebat. Sententiâ igitur Synodi in Laicorum cœtum pulsus est. Qua de re extat egregium Mareoticorum Presbyterorum testimonium:

Athan. Apol. 2. t. 1. 792.

Ischyras nunquam ex sacris Ecclesiæ Comministris fuit. Sed primum jactavit se Colluthi Presbyterum, verum ita ut neminem haberet qui ipsi crederet, exceptis duntaxat cognatis suis, ut qui nec unquam Ecclesiam obtinuerit, nec Clericus ab ullis, nisi qui longius ab illius pago habitarent, nunquam sit creditus, solis duntaxat ejus cognatis exceptis. Idemque cùm talem sibi titulum vendicasset, in Alexandrina Synodo in præsentia patris Osii depositus est, & cum Laicis in ordinem redactus, atque in eo statu reliquum jam inde tempus permansit. De substantia quoque & hypostasi quæstio in Synodo est agitata:

Socrat. l. 3. c. 7.

Hanc prætereà quæstionem diligenter examinarunt, de substantia scilicet & hypostasi. Etenim Osius Corduba in Hispania Episcopus, cùm ab Imperatore Constantino ad hoc missus fuisset, ut excitatum ab Ario tumultum extingueret, dum Sabellii Lybiensis dogma studet evertere, de substantia deque hypostasi quæstionem agitavit. Quæ quidem quæstio alteri contentioni materiam præbuit.

Arius & fautores ejus in Alexandrina Synodo damnantur.

Socrat. l. 1. c. 6.

XX. Ario fautoribusque ejus Synodus non pepercit. In celebriore igitur conventu damnantur, quam rem Episcopos Ecclesiæ Epistolâ suâ Synodicâ monuit Alexander, quæ integra extat apud Socratem. Ex qua hæc historiæ illustrandæ necessaria suppeditamus: *In nostra parœcia extiterunt nuper homines iniqui, & hostes Christi, docentes defectionem ejusmodi, quam jure quis præviam ac præcunciam Antichristi appellaverit. Ac volueram equidem hoc quidquid est, silentio involvere, ut malum intra ipsos apostatas clausum consumeretur, ne fortè in alia transgressum loca, simpliciorum hominum aures contaminaret. Sed quoniam Eusebius, is qui nunc est Nicomediæ, ratus Ecclesiæ ex nutu suo pendere existimans, eò quòd relictâ Berytiorum Ecclesiâ, ad Nicomediensem Episcopatum nullo ulciscente impunè transgressus est, horum Apostatarum patrocinium suscipit, & literas quaquaversùm ausus est scribere, commendans illos ut imperitos homines ad pessimam Christoque infensam hæresim traducat, necessarium duxi silentium rumpere. . . Eorum porro qui ab Ecclesia defecerunt, hæc sunt nomina. Arius, Achillas, Aithales, Carpones, alter Arius, Sarmates. Euzoius, Lucius, Julianus, Menas, Helladius, Gaius, cumque his Secundus ac Theonas, qui olim Episcopi sunt appellati. . . Et cum quidam eos interrogasset, utrum Dei verbum mutari posset, sicuti mutatus est Diabolus, ipsi non veriti sunt respondere, Certò potest. Est enim natura mutabilis, cùm gigni possit, & creari. Hæc igitur dicentem Arium, & summa cum impudentia affirmantem, nos quidem unà cum Ægypti ac Libyæ Episcopis propè centum numero, in unum congregati, tum ipsum, tum eos qui illi adhæserunt, anathemate perculimus.* Posterioris Alexandrinæ Synodi hanc Epistolam esse, eò liquet, quòd in alia Synodica, quam Theodoritus exhibet, Secundi & Theonæ nulla mentio est. Neque etiam in priore Epistola Eusebius Nicomediensis anathemate perculsus, quem in posteriore Alexander jaculatur. Prior ad Alexandrum C. P. posterior ad omnes ubique terrarum Episcopos dirigitur: *Dilectissimis & carissimis ubique Catholicæ Ecclesiæ Comministris Alexander in Domino salutem.* Quæ à Valesio sunt accuratè observata.

ANNO DOM. 324.

ANNO U. C. 1078. OLYMP. 276. PER. JUL. 5038. JUL. 370. DOM. 325. CONSTANTINI 20. *Sol.* 26. C. *Lun.* 3. *Indict.* 13. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 5. P. 18. *April.* ANNO DOM. 325.

COSS. Anicius Paulinus & Anicius Julianus.

Acilius Severus Præfectus Urbis.

Constantini indulgentia veteranis concessa.

I. PArta de Licinio victoria Veteranis, qui militaverant Constantino tribuit indulgentiam: *Veteranis qui ex die quinta Nonarum Juliarum, cùm prima per Thraciam victoria universo orbi illuxit, & qui posteà apud Nicomediam nostram missionem meruerunt, certam per Edictum indulsimus, qua scribendi tabulis, vel Encausto, & cerussâ conscribere detur eis licentiam. Edictum autem continens indulgentiam nostram, ad devotionem tuam misimus, ut & tua dicatio, & cuncti alii recognoscant, quid præstitimus memoratis.* Cujus Legis est inscriptio mendosissima, ex quâ de bello Liciniano Baronius in errorem ductus, ejus initia anno CCCXVII. alligavit. *PP. IV. Idus Aprilis, Licinio V. & Crispo Cæsare Coss.* Animadvertere tamen debuit, prius cum Licinio Constantini bellum in *Pannonia* quidem, non in *Thracia* gestum fuisse. Prima ergo per Thraciam victoria illa est, quam Adrianopolitana pugna peperit, Crispo III. Coss. hoc est, anno Dom. CCCXXIV. Neque in priore bello Liciniano, quod in sola Pannonia confectum, Nicomedia Constantino in ditionem venit. Inscriptio igitur emendari debet: *PP. IV. Idus Aprilis, Paulino & Juliano Coss.* qui præsentem annum aperuere, quo ea Veteranis indulgentia concessa est. Cæterùm legis hujus mentem egregiè Gothofredus illustrat. Encaustum est Scripturæ genus duplex; unum quidem, quod cestro; alterum, quod penicillo, cerâ igne resolutâ fiebat. Ab eo diversum Encaustum Scripturæ scilicet species quædam, quæ à Principe solo usurpabatur, purpureâ nimirum cum cocti muricis & conchylii ardore paginæ signabantur. Cerussatæ Tabulæ incrustatæ erant plumbo, in acuto aceto soluto. Quarum & usus

Cod. Theod. l. 7. Tit. 19. p. 419.

erat

Anno Dom. 325.

erat in Edictis scribendis & proponendis. Hinc ad Ablavium Lex Constantini: *Æreis Tabulis, vel cerussatis, aut linteis mappis, scripta per omnes civitates Italiæ proponatur Lex, quæ parentum manus à parricidio arceat.*

Cod. Th. l. xi. t. 4. p. 188.

Constantini Edicta in Confessorum gratiam.

II. Non in militum modò, sed & in Confessorum quoque cura Constantini vigilantia versatur. Illos enim qui propterea quòd Idolis sacrificare noluissent, à Rectoribus Provinciarum relegati & ex patria migrare compulsi erant, domum legibus suis revocavit. Eos etiam qui eadem de causa Curiis addicti fuerant, publicis functionibus liberavit; qui verò facultatibus spoliabantur, iis bona sua restitui præcepit: *Præterea qui persecutionis tempore divinâ virtute roborati, fortitudinis & constantiæ illustre specimen ediderant, aut ad metalla damnati, ut continuo labore ibi devexarentur, aut in insulam deportati, aut publicis operibus mancipati fuerant, hi omnibus subitò soluti molestiis, libertatem adepti sunt. Sed & quicumque ob egregiam in retinenda religione constantiam, honore militiæ spoliati erant, eos Imperatoris munificentia ab hac ignominia revocavit, ipsorum arbitrio ac voluntati permittens, ut vel propria recuperarent officia, & pristino honoris gradu fruerentur, vel si quietam vitam degere mallent, ab omnibus deinceps functionibus immunes permanerent.*

Euseb. Vit. Const. l. 2. c. 20.

Mors Licinii. An jure occisus fuerit?

III. Victum Constantinus Licinium convivio adhibitum Thessalonicam ablegaverat, ut ibi privatam vitam degeret. At ei non multò pòst laqueo vitam ademit, anno currente scilicet, ut Fastis monemur Idacii. Quos si Baronio inspicere licuisset, fatalem *Licinii* annum pernovisset: *Paulino & Juliano Coss. occisus est Licinius.* Fastis consentit Victoris Epitome: *Thessalonicam missum paulò post* Licinium, *Martinianumque jugulari jubet.* Porro illustrissimum Purpuratum satis mirari nequimus, qui de loco ubi tyrannus periit, fabulosæ potius *Joannis* Presbyteri Nicomediensis historiæ, quàm Hieronymo, Socrati, Sozimo, Victorique fidem astrinxit suam. Hæc Joannes narrat: *Licinium verò cùm ferè ad mortem usque Imperator Constantinus castigasset, regali & quâcumque aliâ Principatus potestate privatum, in Galliam amandavit, ut in illa regione habitaret.* Atqui *Thessalonicam* concedere jusserat. Nulla autem in Galliis *Thessalonica.* Quòd si Zozimi autoritatem spernere Baronius potuit, non sanè Socratis testimonium parvi facere debuit: *Ad Chrysopolim Bithyniæ, quod navale est Chalcedonensium, devictus Licinius Constantino se dedidit. Porro Constantinus captum tractavit humanissimè, nec ullo affectum supplicio, Thessalonicæ quietè & pacatè degere præcepit.* In ea igitur urbe mortem invenit: biennio citius Licinii mortem contigisse, anno scilicet CCCXXIII. non accuratè satis tradit Hieronymus in Chronico ad annum non XVIII. ut Baronius habet, sed XVII. Constantini. Porro jure an injuriâ, violatâque jusjurandi religione Licinio mortem Constantinus imperarit, est in quæstione positum. Ac nil quidem dubitationis est, quin meritâ morte Licinius perierit, si vera Socrates prædicat: *Ut ille cùm aliquantisper quievisset, collectis posteà quibusdam Barbaris, cladem suam resarcire, ac bellum reparare conatus est. Quo comperto, Constantinus eum necari mandavit: ejusque jussu Licinius est occisus.* Vellemus quidem eâ rebellione, omni perfidiæ labe Constantinianam innocentiam liberari. Verùm enimverò creditu difficillimum est, Licinium ad privatam fortunam redactum, in bellum consurrexisse: quam Eusebius perfidiam Licinii non prætermisisset. Hieronymus Socrate antiquior criminis Constantinum damnat in Chronico: *Licinius Thessalonicæ contra jus sacramenti privatus occiditur.* Cujus rei causam, quam & verissimam esse censemus, aperit Orosius: Constantinus *Herculis Maximiani motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem Reipublicæ sumeret, privatum jussit occidi, quamvis omnibus jam ministris nefariæ persecutionis extinctis, hunc quoque in quantum exercere potuit, persecutorem digna punitio flagitaret.* Excerpta de Constantino Orosium imitantur. Id addunt excusando magis Constantino, *tumultu militari exigentibus.* Imperavit Licinius annos XIX. relictis filio & uxore superstitibus. Est tamen in casu Liciniano Dei vindicis numen adorandum. Ac pulcherrima tyranno verba Lactantii sunt accommodanda: *Qui adversati erant Deo, jacent; qui templum sanctum everterant, ruinâ majore ceciderunt; qui justos excarnificaverant, cælestibus plagis, & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Distulerat enim pœnas eorum Deus, ut ederet in eos magna & mirabilia exempla, quibus & posteri discerent, & Deum esse unum, & eundem, mortem dignâ ultione superbis & impiis ac persecutoribus irrogare.* Non erant Licinio honesti mores, imperioque digni, quos sic describit Victor in Epitome: *Avaritiæ cupidine omnium pessimus, neque alienus luxu veneris: asper admodum, haud mediocriter impatiens: infestus literis, quas in inscitiam immodicam virus ac pestem publicam nominabat, præcipuè forensem industriam. Agrarius planè ac rusticanus, quia ab eo genere ortus altusque erat.*

Ibid.

Oros. l. 7. c. 28.

Lact. de Mort. c. 1.

Constantinus in Oriente gladiatores abrogat.

IV. Inter egregia Imperatoris edicta illud in minimo poni loco non potest, quo in Oriente gladiatorii ludi exterminantur. Preciosior quidem sanguinis humanus est, quàm ut insanæ plebis voluptati inserviat. Neque vel reorum cæde gratâ mortalium oculis spectacula nasci debent, ex quâ potius ad commiserationem adduci debent. Rectè sapienterque Lactantius: *Qui hominem quamvis ob merita damnatum, in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quam si homicidii, quod fit occultè, spectator & particeps fiat. Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus sanguis effunditur.* Neque ludos ejusmodi probabat M. Antoninus, de quo legitur apud Dionem: *Marcus non delectabatur cædibus. Idque ex eo licet animadvertere, quòd Romæ spectabat gladiatores, tanquam athletas certantes sine periculo. Nec enim gladiatoribus concessit acuto ferro dimicare, sed obtusis gladiis, & teretibus omnes pugnabant.* Constantini Christiani Principis gloriæ debebatur, ut primus feralia legibus suis spectacula ex Oriente pelleret. Quod est à Chronico Alex. observatum, cujus mentem Raderus non intellexit. Paulino & Juliano Coss. *Vicesimo imperii artificum & publicorum officiorum munia sustulit.* Quod factum in vituperio potius quàm in laude ponendum esset. Græca sunt, ἢ τῶν τεχνιτῶν ἢ συντελεστῶν τὰ ἐπιτάγματα περιεῖλεν, id est, *artificum, gladiatorumque cohortes sustulit.* Artifices absolutè vel pro Circensium agitatoribus, vel pro *gladiatoribus* sumi clarissimus Gothofredus ostendit: συντάκται verò illi sunt, qui inter se committuntur & pugnant. Lex ea Constantini data est Beryti Kalend. Octobris monen-

Lact. l. vi. 20.

Dio l. 57. 813.

ANNO DOM. 325.

monentibus ut vero simile, hortantibusque Episcopis, qui Nicæam venerant: *Cruenta spectacula in otio civili, & domesticâ quiete non placent. Quapropter qui omninò gladiatores esse prohibemus, eos qui forte deliciorum causâ hanc conditionem atque sententiam mereri consueverant, metallo magis facies inservire, ut sine sanguine suorum scelerum pœnas agnoscant.* Hîc porro Baronius in varios errores delapsus est. Fingit Gladiatores à Constantino ubique locorum esse sublatos. Hoc primum. Deinde cruentos ludos postmodum in urbe recruduisse. Prætereà à Theodosio M. è finibus Romæ fuisse exterminatos, occasione *Almachii* à gladiatoribus occisi, cujus in Martyrologio memoria celebratur, denique ferales ludos rediisse imperante Honorio. Quæ omnia somnia sunt ex eburnea porta. Lex Constantini, in Oriente solo viguit, neque civibus Rom. ad insaniam usque gladiatorum cupidis imposita fuit. Augustinus quidem testis est, Alipium suum, *gladiatorii spectaculi inhiatu incredibiliter abreptum.* Gladiatorum quoque meminit Lex Honorii ad populum, anno 397. promulgata: *Si quos è Gladiatorio ludo ad servitia Senatoria transisse constabit, eos in extremas solitudines amandari decernimus.* De Gladiatoribus à Theodosio M. sublatis, Baronii opinionem potentissimè refellit Prudentius, qui etiaè Honorium rogat, ut cruenta hæc spectacula, quæ vel Vestalibus voluptati erant, prorsus removeat:

Cod. Th. l. 5. 395.

Bar. An. 395. n. 19. 26.

Conf. l. 6. 8.

Cod. Th. l. 5. 400.

Prud. in Sym. l. 2.

Te precor, Ausonii Dux augustissime Regni,
Et tam triste sacrum, jubeas ut cætera tolli.
Perspice, nonne vacat meriti locus iste paterni
Quem tibi supplendum Deus, & genitoris amica
Servavit pietas? Solusne præmia tanta
Virtutis caperet, partem tibi, gnate, reservo
Dixit, & integrum decus intactumque reliquit.

Injuria ergo & veritatis est, & Honorianæ famæ, quòd abrogata à Theodosio gladiatorum munera, *ab Honorio revocata* fuerint. Quo casu pater hæc filio non loqueretur:

Bar. An. 404. n. 2.

Arripe dilatam tua Dux in tempora famam:
Ille urbem vetuit taurorum sanguine tingi,
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.

Prudentii votis annuit Honorius, cui mora Telemachi exterminandi gladiatorum munera occasionem præbuit, ut suo loco narrabitur.

Constantini monarchia.

V. Licinio ad privatam conditionem redacto, summa rerum jam ad Constantinum redierat, ideòque ejus monarchia ab anno CCCXXIV. erat deducenda: Scriptoribus tamen placuit, initia ejus in anno CCCXXV. collocare, quo Licinius, qui imperii collega fuerat, è vita abiit. A morte Licinii Socrates Constantini monarchiam repetit: *Ita Constantinus totius orbis Romani imperium adeptus, & Imperator atque Augustus appellatus, denuò ad res Christianorum amplificandas studium suum contulit.* Eadem & Theodoreto Chronologia, ut observat Pagius: *Eusebius quidem Palæstinus à sanctissimorum Apostolorum temporibus exorsus, res in Ecclesiis gestas usque ad Deo acceptum Constantini Principatum perscripsit.* Historiam verò suam ad usque an. CCCXXV. perduxit Eusebius. Sub Paulini & Juliani, qui Chronico Alex. vocatur *Junianus*, hæc legimus, in eodem Chronico: *Eo ipso anno Constantinus Imperator, totius Principatus Roman. Monarcha, omnia ubique locorum Idola subvertit.* Victores ambo annorum XIII. spatio hanc Constantini monarchiam circumscripsere: *Anno imperii* XXXIII. *cùm totum orbem tredecim tenuisset*, &c. Itaque magno vitio laborat Baronii Chronologia, qui in anno CCCXVIII. Constantini monarchiam collocavit, pacemque Ecclesiæ Constantinianis legibus in Oriente constitutam scribit, eo ipso tempore regnasse, quo Orientis Episcopis, Licinii furore, bellum atrox imminebat. Ex malè stabilitis hujus monarchiæ initiis Edictum Constantini Palæstinæ Provincialibus Baronius septennio antè missum putat, quàm Constantinus Palæstinæ potiretur. Porro Constantinus ut debitas Christo gratias solveret, *In sublimi quadam tabula, ante vestibulum Palatii posita, cunctis spectandum proposuit, salutare quidem signum capiti suo superpositum, infra verò hostem illum, & inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorum opera Dei Ecclesiam oppugnaverat, sub draconis forma in præceps ruentem.*

Socrat. l. 1. c. 4.

Theodorit. l. 1. c. 1.

Bar. An. 318. n. 25.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 3.

Vicennalia Constantini. Episcopos Nicænos convivio excipit.

VI. Vicennalibus Constantini celeberrimus hic & annus fuit, quæ maxima cum lætitia ubique locorum sunt agitata. Publico convivio excepti Nicæni Patres lumen decusque festivitati addiderunt: *Eodem tempore vicesimus Imperii ejus annus complebatur, cujus rei causâ, cùm in omnibus Provinciis festivitates agerentur, Imperator Dei Ministros ad convivium vocavit; & cum iisdem jam inter se conciliatis epulatus, hoc velut conveniens sacrificium obtulit Deo. Neque ullus Episcoporum ab hoc imperiali convivio abfuit. Ex his alii unà cum Imperatore accubuerunt: alii in stibadiis utrimque dispositis discubuere. Celebratis splendidissimo apparatu conviviis, Imperator cunctos liberaliter excipiens id etiam pro sua magnificentia adjecit, ut unumquemque pro meritis ac dignitate muneribus honoraret.* Cùm verò singuli *ad sedes suas regredi jam pararent, convocatis omnibus suasit, ut in fide concordes essent, pacemque inter se mutuò servarent. Tandem jussit ut pro se, & pro liberis, ac pro imperio sedulò precarentur. Et Episcopis quidem, qui tum Nicæam venerant, cùm ista dixisset, valedixit.* Quæ accuratè sunt observanda, utpote quæ & tempus indicant absolutæ Synodi, & locum ubi convivio excepti sunt Episcopi, quem perperàm Autorum nonnulli Constantinopolim dicunt. Sic habet titulus, laudato Sozomeni capiti præfixus: *Episcopos Constantinopolim evocatos publico epulo excepit.* Legitur & in Actis Metrophanis apud Photium p. 1414. Ab Episcopis Constantinus petiit, ut *urbi Byzantio, quam ipse fundasset, suâ præsentiâ & precibus conditoris suum nomen inderent.* Quin tamen apud Nicæam convivium agitatum sit, & inde in suas quisque sedes Episcopi reversi sint, nulli dubitamus, cùm dissolutâ jam Synodo, Constantinopolis sint jacta fundamenta: qua de re nunc est tractandum.

Euseb. de vit. Const. l. 3. c. 15.

Sozom. l. 1. c. 25.

De Constantinopolis ædificatione: ejus annus est in obscuro.

VII. Constantinus *celebratâ festivitate publicâ Vicennalium suorum, statim ad Ecclesiarum instaurationem omne studium suum contulit, idque tum in aliis civitatibus præstitit, tum in urbe sibi cognomine. Quam quidem Byzantium ante hac appellatam magnoperè amplificavit, & ingentibus cinctam muris, variisque ædificiis exornatam, reginæ urbium Romæ exæquans Constantinopolim nominavit, utque nova Roma vocaretur, lege sanxit. Quæ quidem lex in columna lapidea incisa ac publicè in strategio juxta equestrem Imperatoris ipsius statuam collocata est.* Non sine afflatu divino id operis susceptum monet Sozomenus, cui nos non credulos esse profitemur. Ante Ilium supra Ajacis tumulum urbis formam delinaverat:

Sozom. l. 2. c. 3.

Philostor. l. 3. c. 9.

rat: *Hac dum molitur, Deus noctu illi apparens, jussit ut alium locum quæreret, deducensque eum in Thracia civitatem Byzantium, monuit ut eam urbem conderet, suoque nomine appellaret. Illo divinis oraculis obtemperans, Byzantium urbem amplificatam ingentibus muris cinxit.* Neque prætereunda, quæ de hujus urbis ædificatione memoriæ mandavit Philostorgius: *Cùm ambitum urbis illius delinearet* Constantinus, *pedibus incedentem circumisse hastam manu gestantem. Cùmque iis qui ipsum sequebantur, majus quàm oportebat, spatium metiri videretur, quemdam ex illis ad eum accessisse ita percunctantem, Quousque, Domine? Ei verò Imperatorem his verbis respondisse, Donec sistatis qui me præcedit; quo responso apertè declaravit, cælestem quamdam virtutem ipsum manu ducere, docentem ea quæ facienda essent.* Senatum ibi Constantinus constituit, copiosum annonæ modum civibus distribuit, tantumque ornatus urbi adjecit, ut honore & gloriâ cum urbe rerum domina contenderet. Tanto Constantinopolim suam amore prosecutus est, ut auditâ Eusebianorum calumniâ, Athanasium scilicet minatum esse, impediturum se quominus frumentum ex Alexandria Constantinopolim deveheretur, subitâ irâ exarserit, innocentemque inauditum in Gallias relegarit. Paternam & Constantius urbem amplificavit, cujus Luna falcata insigne est. Mense Novembri quartâ feriâ, Sole in Cancro existente, jacta dicuntur hujus urbis fundamenta. At quod admirationem movet, ædificationis tempus adeò in obscuro est, ut de eo penè sint quot capita, tot sensus. Anno CCCXXVIII. fundatam esse, Chronicum tradit Alexandrinum: *Januario & Justo Coss. Constantinus laudatissimus Imperator Româ profectus, & Nicomedia Bithyniæ metropoli moratus, sæpè Byzantium profectus, primum Byzantii murum instauravit, magnamque partem ad veterem murum adjecit, novumque cum eo conjunxit, urbemque ipsam Constantinopolim dixit.* Cui Chronologiæ adhærent Petavius, & in notis ad IV. Themistii orationem Harduinus. Cangius anno CCCXXVI. Alii aliter. Constantinopolitanæ civitatis natale currenti anno affigit Pagius, quo Constantinus & Decennalia celebravit, & Novembri in Oriente versabatur. Hanc suam conjecturam firmat Juliani Imperatoris Oratione primâ: *Posteaquam verò Dominus omnium est constitutus* Constantinus, *cùm ex immoderata ejus cupiditate qui ante dominabatur, velut siccitate quâdam summa esset pecuniarum inopia: ac cùm omnes in palatii penetralibus congesta ac recondita forent, ille claustris summotis repentè omnes effudit. Tum sui nominis urbem infra decem annos extruxit.* Quibus sibi vult Julianus, anno post jacta fundamenta decimo absolutam fuisse. Est tamen locus in Themistio, qui scrupulum injicit: *Audio uno eodemque tempore patrem illius* (Constantii Imperatoris) *& urbi murorum ambitum, & filio purpuram circumdedisse.* Neque nodum solvit Pagius, qui *Consularem* purpuram intelligit, cùm de imperiali locum accipiendum sequentibus indicetur: *Unde & rectè posteaquam triplo amplius imperium fecit, æqualem sibi civitatem amplificat, non producens pomerium, sed ad pulchritudinem aliquid semper adjiciens.* Æqualem ergo Constantii non *Consulatui*, sed *imperio* dixit Themistius. Quod & antecedentia demonstrant: *Cum Imperatore verò meritò sanè patria iisdem incrementis augescit, quæ ætate imperii hujus æqualis est.* Quæ docent unum & Constantino, ni, & imperio Constantii natale competere. Nos salebrosam hanc quæstionem certe certòque decidi posse non existimamus, ob pugnantem Scriptorum Chronologiam. Mors Faustinæ, quæ anno CCCXXVII. contigit, Constantinopolitanæ ædificationi antecessit, apud Zozimum, *octavo & vicesimo imperii sui* anno, Constantinum *ex Byzantio, Constantinopolim μετασκευάσας condidisse*, narrat Philostorgius, hoc est, anno 334. Quo jure verò de urbe non *fundata*, sed *perfecta* Pagius Philostorgium esse capiendum statuat, nos nondum docuit. Neque satis Philostorgio consentire videtur, qui subinde *delineati ambitus urbis* meminit, quod utique ad jacta fundamenta pertinet, non ad civitatis consummationem. Nicephorus anno Constantini x. extrui Constantinopolim cœpisse, scriptum reliquit. Muris cinctam fuisse, cùm Synodus Nicææ celebratur, ex Actis Metrophanis auditum, quæ sententia etsi falsissima sit, obscuritatis tamen indicium est, quâ quæstio hæc involvitur. Neque si verum volumus, satis est in Juliano præsidii, cùm verba hæc *infra x. annos* obscuritate sint involuta, nec certum sive ædificationis, sive dedicationis annum designent. Missâ difficili quæstione, ad alia majoris momenti transeamus.

Athan. Apol. t. 1. 805.

Pag. Crit. An 324. n. 16.

Themist. Or. 4. 58.

Niceph. l. 8. c. 4.

Nicæa Synodus cogitur. Quibus de causis?

Sozom. l. 1. c. 17.

VIII. Cùm ad concordiam Arianorum factionem cum Alexandro adducere non potuisset Legatus Constantini Hosius, interveniente que magnæ Synodi Alexandrinæ sententiâ exasperati magis essent animi, majoribus utique remediis opus fuit: *Cùm eventus spei non responderet, & contentio reconciliationem minimè admitteret, isque qui ad componendam pacem missus fuerat, re infectâ reverteretur, Imperator Synodum convocavit apud Nicæam urbem Bithyniæ, & ad omnes ubique Ecclesiarum Antistites scripsit, ut præstituto die adessent.* Tribus verò de causis magni congregatio Concilii requirebatur. Extinguendum erat incendium, quod Ariana factio inflammabat. Constituenda erat de Paschate celebrando disciplina, quæ variis in regionibus varians, dissidiorum quandoque multorum occasionem præbuerat. Meletianorum etiam schisma comprimendum fuit, quod Ægyptiacas lacerabat Ecclesias. Fausto omine sanctissimo conventui urbs assignatur, cui Nicææ nomen, quasi ad indicandam de erroribus Arii victoriam. Complures sunt ejus nominis civitates, quas octo & eò amplius memorat Stephanus. Sed Synodo Bithyniæ Nicææ dicatur, hujus regionis olim metropolis, de qua princeps Geographorum: *Nicæa Bithyniæ metropolis juxta lacum Ascanium est. Quam circundat campus ingens, & felicissimus, qui tamen æstate non est adeò salubris. Eam Antigonus condidit, Philippi filius, & Antigoniam nominavit. Postea à Lysimacho eam ab uxoris nomine, filia Antipatri, Nicæam appellavit. Urbis ambitus est stadiorum sexdecim, in figura quadrata in campo sita civitas, portas quatuor habet.* Prius *Olbiam*, & *Prusam*, quam Nicæam fuisse, Plinio scribitur. Hîc honorificis literis Imperator Episcopos undique invitavit, ut quantociùs adessent, ac aliis quidem cursus publici copiam præbuit, aliis verò jumentorum usum abundè subministravit. Omnibus verò annonas copiosè præberi Imperator mandavit. Hîc aperit se latius scribendi materia, ob quæstiones benè multas,

Strab. l. 12.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 9.

Anno Dom. 325.

tas, quarum explicationibus historia non minimum illustratur.

Constantinus Synodum Nicænam congregavit.

IX. Romani Pontificis esse, generalia convocare concilia, constans est Aulicorum Rom. sententia, quam totis viribus statuere conantur. Cùm igitur inficias ire nequeant, secundum Apostolicam Synodum, omnium venerabiliorem, augustioremque Nicænam Constantino esse coactam, negant primùm ea facto Constantini colligi posse, jus convocandi Concilia generalia ad Imperatores pertinere, deinde non absque Sylvestri consensu congregatam fuisse contendunt. Qua de re ludicram Baronius fabulam suis illevit Annalibus. Constantinus post baptismum suum anno CCCXXIV. *Recedens*, inquit, *ab urbe, de his quæ spectarent ad Oecumenicum convocandum Concilium, unà cum S. Sylvestro Rom. Pont. consilio communicato, & quæ agenda forent, firmiter stabilitis, profectus est in Orientem.*

Bar. An. 324. n. 161.

Quæ tantâ confidentiâ ab illustrissimo Purpurato scribuntur, ut penè huic consilio ipsum adfuisse arbitraremur, nisi ætate prohiberetur. Atque bello Licinii temporibus suis restituto, apertè liquet, Constantinum in Thracia agentem, atque Bithynia, de convocanda Synodo Oecumenica consilium Sylvestro suum Romæ communicare non potuisse. Porro facultatis Imperatoris esse ut Patres Nicæam cogeret, eò demonstratur, quòd convocavit nemine Scriptorum repugnante. Eusebium audivimus atque Sozomenum, addamus & Epiphanium: *Imperator Ecclesiæ consulens, cùm jam plerisque à se invicem dissidentibus varia essent schismata, Oecumenicam Synodum collegit* CCCXVIII. *Episcoporum.*

Epiphan. h. 69. n. 11.

Epiphanio assentitur & Socrates l. 1. c. 8. Cùm Imperator & Arianis tumultibus & de Paschalis festivitatis die *Ecclesiam concuti videret, universalem Synodum congregavit.* Socrati Gelasius accedat Cyzienus: *Cùm videret Imperator perturbatam Ecclesiam, generale Concilium convocat, Episcopos undique per literas, ut Nicæam Bithyniæ occurrerent, exhortans.*

Gelas. l. 2. c. 5. Inspiciatur & Theodoritus h. l. 1. c. 9.

Ut extra dubium sit, Constantini autoritate Concilium esse coactum. Instamus igitur atque urgemus, jurisne nil Imperatori fuerit ad Episcopos Nicæam cogendos? Illud quidem affirmare necesse est, Constantino competentem hanc autoritatem fuisse, neque in ea exercenda perturbatione ordinis ab eo peccatum. Quocirca & jussis ejus Episcopi obtemperarunt, & pietatem laudarunt, & nutu Imperatoris Nicæam accersitos esse in Epistola sua Synodica ad Alexandrinos professi sunt: *Quandoquidem Deo Optimo Maximo, eique carissimo Principe Constantino, nos ex diversis civitatibus ac Provinciis congregante, sacra & magna Synodus Nicææ celebrata est.*

Theodorit. l. 1. c. 9.

Quid est jus Constantini agnoscere si hoc non est, quem cum Deo & conjungunt, & gratissimum prædicant, quæ non sunt partes usurpatoris in Ecclesiæ autoritatem tyrannicè involantis.

Num ex dispensatione Sylvestri Constantinus Synodum Nicænam coëgerit?

X. Illud nunc videamus, num Sylvestri suffragio atque consensu Constantinus Synodum indixerit. Cæterùm hîc nobis distinctione opus est, ut Bellarminianorum, Canorum, Du Valliorum, N. Alexandrorum, qui in ea quæstione desudarunt atque elaborarunt, quas ipsi nobis tenebras obtrudunt, discutiamus. Quem enim Sylvestri assensum dicunt? Quæ causa sit efficiens Synodi, quâ omissâ, nil autoritatis Constantino fuisset illam cogendi, nil Episcopis necessitatis Principis sui jussis obtemperandi? Sunt enim causæ principales, sunt adjuvantes, sine quibus res effici quidem non possit, ut si quis æs causam statuæ velit dicere, quod sine eo non possit effici. Ac sanè Episcoporum consensus necessarius erat celebrando Concilio, cui si interesse noluissent, nullum utique fuisset, non tamen sine abnuentium peccato maximo. Itaque congregatio Synodi est à celebratione secernenda. Hanc illa sequitur: congregatio quasi materiæ celebratio veluti formæ rationem habet. Dissensus tamen paucorum congregari nolentium impedimento non fuisset, quominus cæteri Concilium celebrarent. Quòd si Sylvester Legatos mittere suos noluisset, aut à conventu *Vitum & Vincentium* revocasset, non ideò tamen solutum ac penè nullum fuisse existimamus. Alia Aulicis insidet animo sententia: nempe Sylvestri consensum germanam causam & principalem fuisse, Constantinum verò auxiliantem, & congregandi ministram, cujus vis à Pontifice Rom. manaret. Hæc sunt illa mysteria, quæ Sylvestri in assensu recondunt, quo cessante, aut nullum Concilium fuisset, aut certè legitimum non fuisset. Hinc decantata, quâ se veluti clypeo tegunt, illa distinctio: *Imperatores convocabant Concilia ex Ecclesiæ indulgentia, & dispensatione concedo, summo jure nego.*

N. Alex. Sec. 4. Dissert. 11. 92.

Quæ sententia si tum obtinebat, quærimus quid Eusebio, quid Epiphanio, quid Socrati, quid Sozomeno, quid Gelasio Cyz. rationis fuerit, cur Sylvestri consensus non meminerint, dum efficientem Nicænæ Synodi causam memorant? Nonne absonum est extra modum de Constantino, qui instrumentalis causa fuit, si creditur Aulicis, perpetuò mentionem fieri, de Sylvestro, verâ & præcipuâ Synodi causâ nullam fieri? Quantò magis Patres in Epistola ad Alexandrinos sua scribere debuissent: *Quando quidem Dei gratiâ, & Sanctissimi Sylvestri voluntate nos ex diversis Provinciis congregante Nicæam.* Ignorarunt igitur consensum Sylvestri, efficientem principalemque sui conventus extitisse. Neque in literis Constantini Episcopos Nicæam accersentis, ullum consensus Sylvestri vestigium; qui omitti non debuisset, utpote sine cujus autoritate Concilium legitimum non fuisset. Solius Constantini literas memorant, qui de S. Synodo scripsere. Neque etiam Constantino satis temporis fuit ad Sylvestrum de indicenda Synodo consulendum, de qua certè non cogitabat, cùm mense Septembri anni præteriti Osium legavit Alexandriam, à quo lites componendas esse putabat. Non potuit igitur animum instituere ad cogitandum de Nicænis Patribus congregandis, quin ex Osio pernosceret, deplorata esse omnia concordiæ remedia, persanandoque malo, Oecumenicâ Synodo opus esse. Quòd si Romam misisset de Sylvestri consensu habendo priusquam Episcopos invitaret, die XII. Kal. Juliarum, Synodus incipere non potuisset, tantùm huic invitationi morarum injecisset hæc illa Sylvestri consultatio. His accedit, Rufinum qui Episcoporum ex consilio Synodum coactam esse scribit. Sylvestrum ne nominasse quidem, quod est longè absurdissimum, si ejus *indulgentiâ & dispensatione*, non *jure* suo Constantinus convocasset. Imò solus Sylvester, utpote Pontifex Max. cujus in notu vis & facultas residebat Episcopis imperare, conventum nominari debuit. Audiamus de Constantino Rufinum: *Ille ex Sacerdotum sententia, apud urbem Nicæam Episcopale* Con-

Ruf. h. l. 1. c. 1.

Concilium convocat, ibique Arium CCCXVIII. *Episcopis residentibus adesse jubet, ac de ejus propositionibus & quæstionibus judicari.* Verba hæc *ex sententia* sunt in observatione ponenda, quibus percelebris *indulgentia dispensationisque* & juris summa distinctio evertitur. Si enim Rufinum ea mens incessit, quòd Ecclesiæ *ex indulgentia, & dispensatione* Episcopale Concilium coëgit Imperator, quidni verbis aptioribus intellectum aperuit suum? Facere aliquid ex sententia alicujus, hæccine facere est ex ejus *dispensatione & indulgentiâ*? Scilicet Reges qui Consiliariorum suorum ex *sententia* leges ferunt, ex eorum indulgentia & dispensatione constituunt! Concedamus ergo Sacerdotum eorum unum fuisse Sylvestrum, quorum ex *sententia* Episcopale Constantinus Concilium coëgit precariâ utique autoritate, ex Sylvestri nimirum dispensatione Constantinum illud coëgisse dici non potest. Neque in ea re plus Pontifici Rom. quàm aliis Episcopis Rufinus vindicavit. Consilium dedisset, nil præthereà. Ne vel illud tamen concedimus, Sylvestrum in mentem Rufino venisse: cujus consulendi neque copia, neque Constantino facultas fuit. De Sylvestro quidem non cogitavit Epiphanius: *Verum paulò pòst Alexandri sanctissimi Alexandriæ Episcopi studio, & hortatu B. memoriæ Constantinus Synodum in urbe Nicæna congregat.* De Sylvestri sive sententia, sive dispensatione silet Epiphanius, argumento neque requisitam, neque datam fuisse Epiphanio creditum. Alexandro *Osium* adjungimus, quem Constantinus Alexandriam legaverat, cujusque consilia apud Imperatorem valuere plurimum, quomodo Gelasius Cyz. est intelligendus, ut ab absurdo liberetur: *Sancta, & magna, & generalis Synodus SS. Patrum Nicææ congregatorum per beatum & S. Osium coacta est.* Quomodo Patres coëgit, nisi quia consiliis & monitis eò Imperatorem adduxit, ut illos ad Concilium convocaret? Addimus & Sacerdotes quos secum duxerat Constantinus in Licinium profecturus, *quos ut optimos animæ custodes adesse coram, & secum versari debere existimavit.* Quos inter Sylvestrum non reperimus. Nec utique opus Imperator habuit, omnes Episcopos qui consilio præsentiam attulerunt suam, vel Legatos miserunt, de Concilio indicendo consulere. Denique si jus Nicænæ Synodi convocandæ Sylvestro competebat ex muneris sui excellentia atque præstantia, quâ re illud exercere prohibitus est? Cur suâ potestate non utebatur, cui legitimæ Constantini pietas non intercessisset? Cur quiescebat dum Constantinus partes ejus agebat? Cur Romam Episcopos non vocavit, ut sanctissimo conventui præesset, ac ex copia cælesti & exundante Spiritûs Sanctus quo agebatur, quem in *Vitum* & *Vincentium* transferre non poterat, Synodum ad veritatis regulam dirigeret? Si verum tueri volumus, Oecumenicum Concilium Sylvester non coëgit, quia nondum eò autoritatis progressus erat, ut toti Ecclesiæ imperaret, Episcopis jus diceret, & invitos & reluctantes ad obsequium redigeret. Sortis ejus erat, Provinciales cogere, non Oecumenicas, quarum convocandarum transmissam ab Apostolis facultatem non habuit: qui nec eas indixerunt, nec illis opus habuerunt, ut incolumem servarent Ecclesiam, & erroris periculo eriperent. Cuilibet enim Apostolorum sua erat *ἀναμαρτησία*, absque Conciliorum Oecumenicorum auxilio. Aut igitur Nicænum colligi non potuit, aut ab Imperatore cogi debuit.

Epiph. h. 68. n. 4.

Gelas. h. Con. Nic. l. 2. c. 12.

Eusеb. de Vit. Const. l. 2. c. 4.

Non est Pontif. Rom. convocare Concilia Oecum.

XI. Porrò cùm Aulici Rom. manibus pedibusque conentur, Oecumenicorum Conciliorum congregandi facultatem Pontifici R. vindicare, in ea quæstione paululum est immorandum. Quicunque veritati omnia postponunt, non inficias ibunt Hieronymum sententiæ fuisse ejusmodi, pro Imperatorum arbitrio Concilia Universalia esse cogenda. Ut Origenem Rufinus purgaret suum, dixerat corruptum ab Hæreticis Hilarii Confessoris librum à Synodo damnatum esse. Prædicantem verò hæc Rufinum sic Hieronymus compellat: *Responde, quæso, Synodus, à qua excommunicatus est, in quâ urbe fuit? Dic Episcoporum vocabula? Doce qui eo anno Coss. fuerint, qui Imperator hanc Synodum jusserit congregari?* Cur omisso Papâ Hieronymus solius Imperatoris meminit, si Pontificis ad nutum atque arbitrium Concilia debent Oecumenica cogi? Cur ante Constantinum nullæ Synodi Universales, quarum autoritas maximo sanè emolumento fuisset opprimendis erroribus grassantibus in Religionem? Parem esse Cæsarum in imperio ac Regum in sua ditione potestatem, omnibus est in confesso. Innumeræ verò Synodi particulares sunt Regibus præcipientibus celebratæ. In Gallia Patres Aurelianenses hæc prædicant: *Cùm ex præceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem urbem de observatione Legis Catholicæ tractaturi Deo auxiliante Sancti Patres convenirent.* In Hispania Toletana Synodus III. sic loquitur: *Cum pro fidei suæ sinceritate gloriosissimus* Princeps Ricaredus, *omnes regiminis sui Pontifices in unum convenire mandasset.* Quid ni similiter potestatis Augustææ fuerit Præsulibus in imperio versantibus, conventum indicere ad ea tractanda quæ bono Ecclesiæ conducunt? Ubinam gentium extat ea Pontificis indulgentia, quâ permissi sunt Cæsares, nomine suo convocare Concilia? Nesciebat sanè Leo suæ sortis id esse, qui lachrymis & precibus à Theodosio Synodum Oecum. impetrare tentavit, ut Acta Ephesini Conciliabuli rescinderentur. Nec immeritò, cùm Imperatores Ecclesiæ *nutritores* agant, quibus proinde est invigilandum, ut fides sarta tectaque maneat, erroresque purgentur, ad quæ convocatio Conciliorum Oecum. multum affert utilitatis. Audiantur verba Leonis, quæ vel ipsam pertinaciam expugnare possunt: *Generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita repellat, aut mitiget, ne ultra aliquid sit in fide dubium, vel in charitate diversum.* Persuasum igitur Leoni fuit, Theodosium Concilia generalia indicendi potestate indutum fuisse. Similiter Liberius hæc à Constantio petiit: *Si placet pietati tuæ, judicium consistiu jube.* Synodum scilicet generalem de Athanasii causa, *tunc universi Alexandriam convenientes, ubi & accusatus ipse & accusatores sunt, & defensor eorum, examinato illorum negotio, concordem sententiam proferamus.* Denique ne longius progrediatur oratio, verba Socratis etiam atque etiam sunt observanda: *Imperatorum mentionem propterea fecimus, quòd ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ab iis penderunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia & convocata fuerunt, & adhuc convocantur.* Neque ante convocationis edictum Imperatores assensum

Hier. Apol. l. 2. c. 5.

Aurel. 2.

Leo Ep. 24.

Theodorit. l. 2. c. 16.

Socrat. l. 5. Proœm.

Pon-

ANNO DOM. 325.

Pontificis rogabant, ne præcipientibus intercederet. Quòd si hodie id sibi sumeret Cæsar, ut exemplo Constantinorum, Theodosiorumque suo nomine Oecumenicum Concilium indiceret, Deus bone, quales ab eo pœnæ sumerentur, qualesve tragœdiæ commoverentur! Sunt tamen argumenta nonnulla, quibus vel cornicum oculos configere tentant, Epistola scilicet Julii ad Orientis Episcopos: *Quod præter Canones facerent, non vocantes eum ad Synodum, cùm Ecclesiasticus Canon præcipiat, non oportere absque sententia Rom. Præsulis decreta Ecclesiis sancire.* Socrati consentit & Sozomenus: *Legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronunciat, Acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Rom. constituuntur.* Quis Canon ille fuerit, suo loco videbitur. Id nunc urgemus, Canonem ad autoritatem cogendæ Synodi non pertinere. Id unum requirit, ne Pontifice non invitato, vocatoque Concilium celebretur, quod æquitati consonum, cùm inter orbis Episcopos Romanus emineret. Itaque si Regula constituenda erat, ipsius sententia rogari debuit, quod ut honorificum, sic à jure convocandi Concilia Oecumenica maximè alienum est, tantum abest ut dominandi, & Acta Synodica abrogandi jus Pontifici tribuat, cùm autoritas definiendi foret penes conventum. Instat Bellarminus: *Etiam potuisset fieri Canon, ne præter consensum Episcopi Alex. vel Antiocheni cogeretur Concilium.* Faciles quidem largimur, nullas toti Ecclesiæ leges imponendas esse absque Patriarcharum sententia. Bellarmino autem Aulicisque opponemus Theodosii Decretum anno CCCCXXI. conscriptum, Eustathio & Agricolâ Coss. *Omni innovatione cessante, vetustatem & Canones priscos Ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt, per omnes Illyrici Provincias servari præcipimus. Tum si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque sententia viri reverendissimi Sacrosanctæ Legis Antistitis Urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ Vet. prærogativâ lætatur, conventui Sacerdotali Sanctoque judicio reservari.* Ex Theodosiana Lege apparet Constantinopolitanum Episcopum communia cum Præsule Rom. privilegia habuisse.

Socrat. l. 2. c. 17.

Sozom. l. 3. c. 9.

Bell. de Conc. l. 1. c. 12.

Cod. Th. l. 16. Tit. 2. de Episc. l. 45.

Annus Nicæni conventus. An Julio sedente convocatus?

XII. Ad Concilii tempus, diuturnitatem, locum nunc convertamus animum. Obscuravit Epocham Synodi perturbata Scriptorum nonnullorum Chronologia. Ad annum Christi CCCXXI. legitur Hieronymi in Chronico: *Ad Arianorum perfidiam coarguendam Synodus CCCXVIII. Episcoporum, in Nicæam urbem Bithyniæ congregata, omnes Hæreticorum machinas homousii oppositione dejecit.* Qui quinquennii prochronismus est. Hoc anno celebrari non potuit, quia nondum stratus Licinius erat. Neque multò sanior Gelasii Cyziceni sententia in annum Constantini XVII. Synodum conferentis, dum conventus celeberrimi agitatâ mentione hæc habet: *Agebatur annus regni Constantini sextus decimus, & sextus prætereà mensis, cùm hæc ab illo pro Ecclesiæ pace summâ curâ gerebantur.* Hallucinantes Scriptores tam turpiter decipi à falsa Chronologia mirum est, quos ad viam reducere facillimè Eusebius potuit: à quo novimus, finem Synodi in Constantini Vicennalium celebrationem incidisse: quo tempore apparatissimis epulis accepit Episcopos, ut observavimus. Neque semel Synodi annus est ab Eusebio consignatus. De Nicæna & Hierosolymitana hæc habet: *Hanc secundam Synodum omnium quas novimus maximam, Imperator Hierosolymis congregavit, post primam illam quam in urbe Bithyniæ nobilissima collegerat. Sed illa quidem triumphalis erat in imperii Vicennalibus preces ac vota pro victoria de hostibus parta, in urbe victoriæ cognomine persolvens.* Sunt autem Vicennalia hæc anno CCCXXV. celebrata, ut casu felicissimo veritas de Arii erroribus eo tempore triumpharet, quo de Licinio persecutore debellato festivitas agebatur, ut omni ex parte triumphalis annus existeret. Annum etiam Concilii Socrates docuit: *Tempus autem quo Synodus congregata est, sicut in notationibus temporis ipsi Synodo præfixis inveni, sunt Consulatus Paulini & Juliani.* Huic & Consulatui Synodum Chalcedonenses Patres assignant actione secundâ, ut de ea Epocha dubitare non liceat. Quid igitur sibi vult Sozomenus, dum illustrium memor Episcoporum, qui interfuere Synodo, hæc scribit? *Julius verò Episcopus urbis Romæ propter senectutem abfuit.* Quin errante & calamo, & memoriâ *Julium* pro *Sylvestro* posuerit, non est ambigendum. Pontificatum Julius nondum adeptus erat, quem adiit anno duntaxat CCCXXXVII. Neque ab anili ætate prohiberi Synodo Julius potuisset, qui anno demum CCCLII. Constantio V. & Constantio Cæsare Coss. ultimam diem obiit septem & viginti annis post Synodum. Voluerunt Petronius atque Marca Sozomenum restituere: *Tentavit vir illustrissimus medicinam facere huic morbo, legendo πόλιος, pro Ἰυλίος. Sed præterquam quòd dictio illa Poëtis familiaris insolens est apud Historicos, hoc loco locutionem redderet omninò barbaram. Attamen non insiciandum est, ex conjectura illa viam aperiri ad veram emendationem, si vice τῦ Ἰυλίος, legatur πόλεως, lectioque ita constituatur πόλεως δὲ Ῥωμαίων Ἐπίσκοπος, urbis autem Romanorum Episcopus.* Emendationem amplissimi Præsulis amplecteremur, si de Sozomeni corruptione constaret. At meritò dubitatur, nùm manu medicâ indigeat. Errasse quidem videmus, corruptum esse non videmus, quia falli potuit & falsum esse, ex Nicephoro prorsus verisimile est, qui *Julium* Ecclesiæ R. præfuisse scribit, dum Patres Nicææ versabantur. Sed & Photii Nicephoro antiquioris sententia hæc est, sub Sylvestro, Julioque Synodum celebratam esse. Chronologiæ Pontificiæ non satis peritum fuisse Sozomenum, & Græcum, & annis centum ab ætate Sylvestri remotum quid vetat?

Gel. Cyz. l. 2. c. 5.

Euseb. de Vit. l. 4. c. 47.

Socrat. l. 1. c. 13.

Sozomen. l. 1. c. 17.

Marca de Conc. l. 5. c. 3. n. 8. 11.

Niceph. l. 8. c. 14.

XIII. De Synodi & diuturnitate, & loco nunc est disserendum. Diu sedisse Nicænos, sunt Veterum qui doceant. Gelazius ille Cyzicenus: *Indictam*, inquit, *anno XVI. Imperatoris Constantini, durasseque actiones ejus ad usque ejusdem primum & vicesimum annum cum semestri, ut nimirum sex ipsos annos Patres consederint.* In Gelasio tamen lib. 2. c. 25. legitur: *Sexto quidem decimo anno, & sexto mense sui regni Sanctum Episcoporum Concilium congregavit. Anno verò XX. cùm Synodi conventum dissolvissent, in suas parœcias unumquemque dimisit.* Sic non toto quadriennio perdurasset. Quæ tamen Chronologia prorsus est abjicienda, cùm anno suo XVI. Constantinus Nicææ non potiretur, purpuram adhùc gestante Licinio. Anno suo Scaliger verè Synodum allegavit. Errat tamen dum scribit, *Dimissum Concilium anno tertio currente, postquam convocatum fuit.* Pejor adhùc Bellarmini Chronologia, qui Concilium ab anno Dom. CCCXXVII.

Synodi Nicænæ diuturnitas. Quo die incepit?

Phot. Cod. 88. p. 207.

Scal. Em. 507.

Anno Dom. 325.

usque ad annum CCCXXX. celebratum esse statuit. Nos sesqui ferè mensis spatio circumscriptum esse putamus. Neque spatio majore opus erat, ut motæ quæstiones deciderentur. Quo etiam toto conventus tempore Constantinus Nicææ versatus est. Quis verò compluribus annis ibi perpetuò mansisse credat? At de mense quo incepit, difficultatis aliquid suboritur. Congregatam enim esse *Consulatu Paulini & Juliani, die undecimo Calendas Junias*, Socrates scriptum reliquit. Cui Epochæ Lex 3. Theodosiani de *diversis rescriptis* videtur esse præsidio, quæ data est x. *Kal. Junias*. Die autem Concilio constitutâ Synodum residentem, Constantini adventum expectasse scimus ex Eusebio. Ac ex Legis subscriptione id unum sequitur, Imperatorem se Nicæam prius contulisse, quàm Patres cogerentur, quod verissimum esse putamus. Est igitur longè probabilius, diem *Junii nonum & decimum* ubi illuxit, primæ Patrum sessioni fuisse dicatum: id quidem legitur in Chalcedonensibus monumentis, Actione secundâ: *Consulatu Paulini & Juliani virorum Clariss. anno post Alexandrum* DCXXXVI. *mensis secundum Græcos Dæsii, die* XIX. *qui est*, XIII. *Kal. Julias. in Nicææ Metropoli Provinciæ Bithyniæ*, &c. Hunc quoque diem initio Synodi assignat Chronicum Alex. *Vigesimo imperii Constantini Pii idem laudatissimus Imperator à Deo ad summam pietatem provectus, hoc præsenti imperii anno, mensis Junii* XIX. *Nicænam Synodum* CCCXVIII. *Patrum celebrari, inculpataque fidei Symbolum edi curavit.* Equidem vix congregari citius potuit ob temporis angustias, quæ ab exuto, Septembri superioris anni, Licinio ad usque Maii XXII. illis gerendis, non sufficiunt, quæ gesta novimus: Osii nimirum in Ægyptum legationem, Alexandrinæ Synodi congregationem, audito pacem non potuisse componi, scriptas ab Imperatore ad regionum omnium Episcopos literas Præsulum in Nicæam civitatem adventum. Quonam die Synodus est absoluta, habet etiam aliquid quæstionis. Ex antiqua Canonum Collectione Latina, cui Crescomanæ vulgò nomen imponitur, ultimus Synodi dies in Augusti XXV. conjicitur: *Factum est Concilium apud Nicæam Bithyniæ metropolim, à die* XIII. *Kal. Junias, quod tenuit usque ad* VIII. *Kal. Septembres, Paulino & Juliano Coss.* Hæc tamen Chronologia Eusebio repugnat, atque Sozomeno. Quo tempore Vicennalia Constantini celebrabantur, Synodo finem impositum esse tradunt: *Cùm hæc à Concilio ita decreta essent, fortè accidit, ut Vicennalia Constantini eodem tempore celebrarentur. Est enim hic mos Romanis, ut decimo quoque anno uniuscujusque Imperatoris, publicam agant festivitatem.* Constantini verò Vicennalia non *Augusti* quidem, sed *Julii* quinto & vigesimo cohærebant. Translata quidem in VIII. Kal. Septembris hæc Vicennalia Pagius opinatur, sed sine teste, atque argumento. Quòd si quid mutationis intervenisset, id ab Eusebio observatum fuisset atque Sozomeno. Neque causa mutationis ulla probabilis afferri potest, cùm à Junii XIX. quo Synodus incepit, ad usque Julii XXV. spatii satis foret, absolvendis negotiis omnibus, quorum causâ Patres unà convenerant. Eò facilius, quod quamlibet in plures horas sessionem extendebant, ut finitâ Synodo citius sedes repeterent suas, nec Imperatori Synodi exitum expectanti moræ forent. En quidem post Synodum eo ipso anno gestarunt, quæ vix perfici potuissent, si Augusti mensis vigesimo quinto finem invenisset. Ex Arii familia illi, qui à fide desciverant, quos ut perturbatores ad se adduci Constantinus præceperat, post Alexandri, ut videtur, reditum, ex Ægypto ad Comitatum prius venerunt, quàm Eusebius Nicomediensis deportaretur.

Socr. l. 1. c. 13. — *Eusebi. Vit. Const. l. 3. c. 10.* — *Zosim. l. 1. c. 25.*

XIV. Poscit nunc tempus, ut de loco ubi Patres apud Nicæam conveniebant, nonnulla subjungamus. Imperatoris in Palatio congregatos esse, communis fuit opinio, quæ Theodoriti præsidio, & autoritate munita est: *Cùmque universi jam convenissent, amplissimum eis conclave in palatio Imperator præparari jussit, sedesque & subsellia plurima in eo locari, quæ Episcoporum cœtui sufficerent. Hunc in modum cùm omnia pro honore illis debito præparasset, ingredi eos jussit, & de rebus propositis deliberare.* Alii cum Valesio distinguendum hic esse putant, ac ut sessionem ultimam palatio, sic priores Ecclesiæ assignant, Judice vel Eusebio: *Ex omnibus Ecclesiis, quæ universam Europam, Africam, atque Asiam impleverant, ii qui inter Dei Ministros principem locum obtinebant, simul convenere. Unaque ædes sacra, veluti Dei nutu dilatata, Syros simul, & Cilicas, Phœnices, & Arabes, & Palæstinos, Ægyptios præterea Thebæos, ac Lybas, aliosque ex Mesopotamia advenientes, ambitu sub complexa est.* Græca sunt οἶκος εὐκτήριος, *oratorium*. Nos non improbabili conjecturâ ad existimandum ducimur, in palatio simul & Oratorio Patres Synodum celebrasse, quia Oratorium in Palatio. Neque cogitanti ulla se ratio offert, cur primæ in Ecclesia sessiones, postremæ verò in Palatio haberentur. Cur diversis locis dividenda Synodus? Num ultima sessio, in qua decreta condita sunt, prioribus fuit loco sacro indignior? Est ergo vero simillimum, Oratorium in quod Synodus conveniebat, Constantini in Regia fuisse constitutum. Hinc observatio Eusebii, *Ædes sacra, veluti Dei nutu dilatata.* Quæ de Basilica, aut Ecclesia publica frustrà diceretur, utpote ejus magnitudinis, quâ cœtus Synodo longè numerosior contineri posset. Eusebio quidem non vocatur Κυριακὸν, *Dominicum*, non *Ecclesia*, non *Basilica*, non ναὸς εὐκτήριος, *Templum orationis*, sed οἶκος εὐκτήριος, quo nomine *oratorium* potius, & *sacrarium* Imperatoris designatur, quàm Templum publicum. Ut Cæsaribus sua fuere in palatio *lararia*, illud Alex. Severi potissimum; sic Constantini in Regia Conclave fuisse videtur, in quo sacra conficiebantur, preces fundebantur, conciones habebantur, mysteria peragebantur, quibus aderant initiati: Ipseque Constantinus interfuit, quantum Christiano nondum sacris undis expiato adesse licuit. Oratorium ejusmodi Constantini Pogonati in palatio fuisse novimus. De Agathonis Legatis Anastasius: *Suscepti sunt à Principe in Oratorio intra palatium.*

Locus Synodi. Num in palatio, vel Ecclesia Nicæni Patres congregati? — *Theodorit. l. 1. c. 7.* — *Eusebi. de Vit. Const. l. 3. c. 7.* — *Theodorit. l. 1. c. 8.*

XV. Magnum Episcoporum cœtum fuisse omnibus in confessum venit, de numero tamen Antiqui variant: Eusebius *in præsenti autem choro*, inquit, *Episcopi quidem supra ducentos & quinquaginta affuerunt. Presbyterorum verò qui eos comitati sunt, Diaconorum, Acolythorum, aliorumque complurium numerus iniri vix potest.* Eustathius Antiochenus, qui & magna pars Synodi fuit, paulò magis numerum auget, *Ducentos circiter*

Numerus Episcoporum. — *Eusebi. de Vit. Const. l. 3. c. 8.* — *Theodor. l. 1. c. 8.*

Anno Dom. 325.

ANNO DOM. 325.

citer ac septuaginta Episcopos Nicæam convenisse dicit. Obtinuit tamen sententia, Episcopos CCCXVIII. interfuisse, quod testatur Athanasius ad Episcopos in Africa constitutos Epistolâ: *Oecumenica Nicæa Synodus celebrata fuit à CCCXVIII. Episcopis, ut de fide agerent.* Consentiunt Athanasio Sulpicius Severus, Hieronymus in Chronico, cujus verba jam exhibuimus, Theodoritus, &c. Qua de re subtilis jucundaque est Ambrosii observatio, in Præfatione librorum de Fide ad Gratianum: *De Conciliis id potissimum sequar, quòd trecenti & octodecim Sacerdotes, tanquam Abrahæ electi judicio, consensu fidei virtute victores, velut trophæum totâ orbe subactis perfidis extulerint: ut mihi videatur hoc esse divinum, quòd eodem numero in Conciliis fidei habemus Oraculum, quo in historia pietatis exemplum.* Hoc ipsum venit in mentem Hilario, libro de Synodis: *Mihi quidem ipse ille hic numerus sanctus est, in quo Abraham victor Regum impiorum, ab eo qui æterni Sacerdotii est forma benedicitur.* Porrò egregia est clariss. Norisii observatio, quâ Labbeum perstringit, exhibentem *nomina quorumdam Patrum magnæ illius Nicænæ Synodi, ex charta Nilsaca, quam ferunt fuisse antiquissimam apud Joannem Sambucum.* Miror, inquit, *Labbeum non observasse, omnes illos Episcopos, quorum subscriptiones Nicæno Concilio affingit, trecentesimo ac quinquagesimo quinto anno post Nicænam Synodum vixisse, ac interfuisse Synodo VI. Oecumenicæ anno Christi 680. apud Constantinopolim sub Sancto Agathone Papa celebratæ. Nam tomo VI. Conciliorum p. 1060. leguntur omnia ea nomina, quæ in illa Nilsaca charta memorati dicuntur.* Exemplo sit *Theopemptus Justinopolitarum, sive Mocrasinorum metropoleos secundæ Cappadocium Provinciæ.* Atqui imperante Constantino nulla urbs id nominis tulit. Notæ melioris non est Eutychii Alexandrini traditio apud Seldenum, suo in Eutychii origines Commentario p. 71. *Et congregati sunt in urbe Nicæna, post annum & binos menses, bis mille & quadraginta octo Episcopi, judicio & persuasione invicem dissidentes.* Immanis ille Præsulum numerus uno ore & conspiratione Veterum, refellitur. Hanc Constantinus Nicænorum coronam, pacis vinculo consertam, veluti divinum grati quod Christo persolvebat animi monumentum, pro victoriis quas de hostibus ejus retulerat, dedicavit. Erant in eo cœtu, qui vel Apostolicis donis, vel gloriosis cicatricibus ex pugna quam pro fide inierant, mirum in modum refulgebant. Sylvester urbis Romæ Episcopus ob extremam senectutem abfuit: duos tamen misit Presbyteros, qui ipsius nomine gestis Synodi suscriberent.

Athan. c. 1. 932.

Nov. Epoch. Syr. p. 372.

Illustriores Syn. Nicænæ Episcopi. De Paphnutio & Spiridione.

XVI. Illustrioribus, quibus sancta hæc corona veluti gemmis illustrabatur Episcopis, peculiari commemoratione virtutis præmium est afferendum: Adfuit *Jacobus Antiochiæ Mygdoniæ, quam Syri vulgò Nisibim appellant, qui & mortuos suscitavit, vitaque restituit, & alia plurima fecit miracula.* Decus & attulit Synodo *Paulus Episcopus Neocæsareæ, quod castellum est ad Euphratis ripas positum.* Vir ille sanctus Licinii rabiem fuerat expertus: *Ambabus enim manibus debilitatus erat candente ferro eis admoto, nervisque quibus articuli moventur contractis atque enectis.* Eminebant & inter Episcopos Paphnutius atque Spiridion. Paphnutius erat *Episcopus ex Ægypti partibus Confessor, ex illis quos Maximianus* (Maximinus) *dextris oculis effossis & sinistro poplite succiso, per metalla damnaverat. Sed in hoc tanta virtutum inerat gratia, ut signa per eum non minus quam dudum per Apostolos fierent. Nam & Dæmones verbo fugabat, & ægros solâ oratione curabat. Sed & cæcis visum dicitur reddidisse, & paralyticos ad stabilitatem corporis revocasse. Quem Constantinus in tanta veneratione & affectu habuit, ut sæpius eum intra palatium evocatum complecteretur, & illum oculum, qui in confessione fidei fuerat evulsus, avidioribus osculis demulceret.* Spiridion verò urbis in Cypro nomine *Trimithuntis* Episcopatum adeptus erat. In quo pastor ovium permansit, quasi hoc tyrocinio ad gregem Dei pascendum instrueretur. De vico celeberrimo multa prædicat historia: *Quâdam nocte cùm ad caulas fures venissent, & manus improbas, quo aditum admovendis ovibus facerent, extendissent, invisibilibus quibusdam vinculis restricti, usque ad lucem veluti traditi tortoribus permanserunt. Cùm verò oves ducturus ad pascua matutinus se ageret Senior, videt juvenes absque humanis vinculis pendere districtos. Cumque causam noxæ comperisset, absolvit sermone quos meritis vinxerat: & ne eis inanis nocturna cederet occupatio, Tollite, inquit, ô juvenes, unum vobis arietem, ne sine causa venisse videamini, quam melius prece quàm furto quæsivisse convenerat.* Narrant etiam *Irenem* virginem filiam suam è mortuis revocasse, ut commendatum illi depositum indicaret, interrogantique patri, Commendatum ubi posuisti, de sepulchro locum indicasse, Illic invenies defossum. Hæc populari fortè rumori debentur miracula. At in aliis Spiridionis pietas speciose latequè patuit, quæ cum miraculis laude certat. Triphyllius Ledrorum Episcopus, vir disertissimus, rogatus ut concionem haberet apud populum, cùm necesse haberet in medium adducere verba Domini, *Tolle grabatum tuum, & ambula*, mutato nomine, pro grabbato *scimpodium* dixit. Tum Spiridion indignatione commotus, *Num tu*, inquit, *præstantior es eo qui grabbatum dixit, ut te pudeat ejus verbis uti?* Quo dicto ex sacerdotali solio exiliit spectante populo. Hic est ille Spiridion, qui Quadragesimæ diebus suillis carnibus coctis, hospitem unà secum sedere jussit, appositisque, & ipse comedit, & hominem hortatur, ut ederet. Ac detrectanti, & se Christianum esse dicenti, Eò *minus*, inquit, *detrectandum, omnia enim mundis esse munda sermo divinus docuit.*

Ruf. h. l. 1. c. 5.

Sozom. l. 1. c. 11.

De Osio aliisque Episcopis.

XVII. Neque Osius nobis est prætereundus, qui si ad debitam tunc Ecclesiastico ministerio sinceritatem exigatur, posteritatis laudibus est cumulandus. Furente Diocletiano Confessorem agens, in exilium missus fuerat. Illiberitanæ Synodo adfuerat, & Alexandrinæ. Imperatori ob pietatem carissimus erat; veritatis defensor tam vehemens, ut in eo veluti recumbere pietas videretur. Qua de causa Arianorum iram adeò commovit, ut adversus sanctissimum senem Constantium tandem inflammarint: *Potest ille & verbis & auctoritate fidei suæ omnes contra nos inducere: hic princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur.* Astiterunt & *Macarius* Hierosolymitanus, *Alexander* Alexandrinus, *Leontius* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, merito suo maximo clarus, sed & famæ commendandus, quòd ad imbuendum hoc ipsò anno pietate Gregorium, Nazianzeni Theologi patrem, non minimum contulerit. Eusta-

Athanas. ad Solit. t. 1. 837.

Theodorit. l. 1. c. 7.

ANNO DOM. 325.

thii Antiocheni, qui ex Synodi Præsidibus unus fuit, viri eruditione, fide, scriptis commendatissimi laudes alio loco exequemur. Cæcilianus quoque Carthaginensis Donatistarum calumniis vexatus toties, nobilem inter Patres locum obtinuit, quo vel uno clypeo innocentiam famamque suam tegere potuit. Quidam etiam ex Perside Episcopus Concilio interfuit, ac ne quidem Scytha desideratus est.

Socr. l. 1. c. 8.

Num Byzantinus Episcopus adfuerit Synodo? Alexander jam Episcopus fuit.

XVIII. Hæc constant: at in difficultate versamur de Byzantino Episcopo, Nicæam venerit necne? Sunt enim viri doctissimi, qui in *Metrophane* Byzantinorum Præsule vitam adhùc fuisse putent, quem cùm longa ætas Synodo prohiberet, ex Presbyteris suis duos misit, quorum unus *Alexander* postmodum Constantinopolitanus Episcopus evasit. Quæ sententia, viris clarissimis Petro Marca, Baluzioque placuit, ut constat ex libro de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. v. c. 3. n. 10. Fundamentum hujus opinionis in *Gelasio* Cyziceno collocatur: *Urbis autem illius, penes quam imperium est, Episcopus, Metrophanes nomine, ingravescente ætate præpeditus abfuit. Sed Presbyteri qui aderant, illius locum suppleverunt, quorum unus Alexander illi postea in ejus urbis Episcopatu successit.* Quibus & accedunt Acta Metrophanis, apud Photium p. 1414. & Nicetas Choniates, Thesauri lib. 5. c. 6. quorum testimonia exhibuimus, ad annum Dom. 317. n. 5. Tanta tamen non est apud nos autoritas Gelazii, ut consensum nostrum eliciat. Verba sunt Eusebii: *Aberat quidem regiæ urbis Antistes, ob senilem ætatem, sed præstò erant Presbyteri, qui vices ejus implerent.* Quibus sanè Roma pingitur. Concedamus Constantinopolim *regiæ urbis* ornatam esse titulo cùm hæc scripsit Eusebius, negari tamen non potest, titulum seniori Romæ præcipuè convenire, quæ & imperii caput erat, & Constantinopolim eminebat, vel eo ipso tempore, quo defuncto jam Constantino, ab ejus successore *Constantino* multum amplificata fuit. Qua de re audire Marcellinum juvat: *Constantinus Romam ingressus, imperii, virtutumque omnium larem, cùm venisset ad rostra, perspectissimum priscæ potentiæ forum obstupuit, perque omnia latus quò se oculi contulissent, miraculorum densitate præstrictus, lætitiâ fruebatur optatâ* . . . *Multis igitur cum stupore visis horrendo, Imperator de fama querebatur, ut invalida, vel maligna, quòd augens omnia semper in majus, erga hæc explicanda quæ Romæ sunt, obsolescit.* An non huic potius urbi κατ' ἐξοχὴν *Regiæ* titulum Eusebius indidit, quàm infanti, & quasi lactanti Constantinopoli? Insuper si *Metrophanes* antè obiit, quàm Constantinopolis conderetur, novæque Romæ nomen acciperet, quod ante dedicationem non gestavit, quo jure, quâve ratione ab Eusebio *regiæ* urbis Antistes vocari Metrophanes potuit? Ut eo clarus titulo esset, mors ejus excipere Constantinopolis dedicationem debuit. Qua de causa Acta Metrophanis apud Photium, Constantinum dicunt à Patribus Nicænis flagitasse, *ut urbi quam ipse fundasset, suâ præsentiâ & precibus conditoris novum nomen imponerent.* Ubi venere Episcopi, *clarissimum Metrophanem die Dominicâ* inviserunt. Est autem creditu difficillimum, Metrophanem adhùc inter homines fuisse, cùm urbs Constantini dedicatur. Tertiò, Non de nihilo est, quòd Socrates, Sozomenus, Theodoritus, quorum Gelasio Cyziceno præstat autoritas, in verbis Eusebii non *Constantinopolitanum*, sed *Romanum* Episcopum invenerunt. Quem etsi expressè Socrates non nominet, ipsum tamen non obscurè indicat, perinde atque Eusebius. Temerè enim atque inconsideratè fecissent, dum Clericorum, qui sancto choro Nicæno adfuerunt, mentionem agunt, si de Episcopo R. aut ejus Legatis nil commemorassent. Ubinam verò illorum meminerunt Eusebius atque Socrates, si in verbis laudatis non meminere? Denique sub Acyndini & Proculi Consulatum, anno CCCXL. gestum, extremum diem morte Alexandrum confecisse, *cum tres & viginti annos in Episcopatu egisset*, Socrates memoriæ prodidit. Quo luce clarius est, non ut Metrophanis Presbyterum atque Legatum, sed suo nomine ut Episcopum interfuisse Synodo.

Gelaz. Cyz. l. 1. c. 2.

Euseb. de vit. Const. l. 3. c. 7.

Marcel. l. 16. c. 10.

Phot. c. 256.

Socr. l. 2. c. 6.

De Syn. Nicænæ Præside. Unusne, an plures fuerint? Eustathius præfuit.

XIX. Obscura est & difficilis quæstio, quis venerando Concilio præfuerit? Cui ut persolvamus, nostra insidet animo sententia, primas Eustathio Antiocheno partes esse vindicandas. Præsidis erat, Imperatorem in cœtu præsentem alloqui, quo Eustathium officio functum esse tenemus. Ubi simul cum Constantino civinus ille cœtus consedit: *Statim magnus Eustathius Ecclesiæ Antiochensis Episcopus, primus omnium Imperatori Panegyricum dixit, Ejusque erga res divinas studium gratulationibus ac votis remuneratus est.* Theodoriti narrationem in dubium revocat Nicetas in Thesauro Orthodoxæ fidei l. v. c. 7. qui dictam Constantino orationem Alexandro vindicat: *Ut autem Theodorus Mopsuestenus scribit, Alexandro Alexandrino Pontifici id honoris ultrò delatum est.* Magni tamen ponderis est Theodoriti testimonium, qui & domo Antiochenus, & Nicæno seculo natus erat. Cujus & sententiæ Veterum multi favent. Synodus Orientis Proclo Constantinopolitano scribens pro *Theodoro*, hæc habet: *Apud magnum Martyrem Ignatium, qui secundus post Petrum Apostolorum primum, Antiochenæ sedis ordinavit Ecclesiam, & apud Beatissimum Eustathium, qui SS. Patrum, qui apud Nicæam congregati sunt, primus existens, fidem Orthodoxam confirmavit.* Quibus obiter purgandus est doctissimi error Launoii, in Epistola ad Raimondum Formentium, qui *Proclo* verba hæc fœnerat, *in Synodicis ad Orientales literis*, quæ tamen in Orientalis Synodi ad Proclum Epistola continentur. Felix Papa tertius, de Petro Fullone, ad Zenonem Augustum Epistolâ v. *Petrus primogenitus Diaboli filius, & qui sanctam sedem Pontificatus Ignatii Martyris polluit, qui Petri dexterâ ordinatus est, Eustathiique Confessoris & Præsidentis CCCXVIII. Patrum, qui in Nicæa convenerant.* De Eustathio quoque Synodi principe testimonium dicit Facundus: *Beatus*, inquit, *Eustathius Antiochenus, qui primus in Nicæno Concilio fuit.* Et sub finem capitis: *Honoratur cum multis, & præ multis Patribus, tanquam Nicæni Concilii primus existens.* Præstereà ille ipse Eustathius Imperatoris sedebat ad dextram: *Ex Episcopis is qui in dextra parte primum locum obtinebat, consurgens modicâ oratione Imperatorem allocutus est, propter illum gratias, & laudes perhibens omnipotenti Deo.* Cùm ergo & nobiliorem Eustathius locum occuparet Imperatoris collocatus ad dexteram, & Constantinum affatus sit, est & quàm verisimile, Synodi caput extitisse, quia hæc sunt munia Præsidis. Non ignoramus fretum Sozomeni autoritate Valesium,

Theodorit. l. 1. c. 7.

Facund. l. 8. c. 1.

Facund. l. 11. c. 1.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 11.

ANNO DOM. 325.

sium, io Episcopo Constantinum alloquente Eusebium invenisse: *Postquam Episcopi consedere, surgens Eusebius Pamphili, Imperatori orationem quandam, & illius causâ Deo laudes cum gratiarum actione recitavit.* Nobis tamen Theodorito Sozomenus postponendus esse videtur, quia & paulò antiquior Theodoritus, & rerum quæ Syriæ Episcopi in Synodo fecerant, utpote Antiochenus longè peritior. Nil etiam causæ fuit, cur provincia dicendi mandaretur Eusebio, quo cum de eloquentiæ & eruditionis laude certabat Eustathius, pietate vero, & sedis dignitate longè majore antecellebat. Quam ergo Imperatoris in *Vicennalibus* orationem, absolutâ jam Synodo Eusebius habuit, ea *modica orationi*, quam ex Episcopis is, qui in dextra parte primum locum obtinebat, dixit, à Sozomeno videtur accommodata. Quæ tamen distingui debent, cùm incredibile sit brevem eam orationem fuisse, quâ Eusebius Constantini Vicennalia celebravit. Ac sanè in ea quæstione Eusebium libentes arbitrum dabimus, scribentem: *Nos quoque ipsi nuper eundem victorem ac triumphatorem cœtu famulorum Dei circumseptum, oratione in ejus Vicennalibus dictâ venerati sumus.* Vicennalia verò finitâ jam Synodo celebrata sunt. Quanquam si vera Sozomenus prædicasset, non ex eo sequeretur, Præfecturam Eustathio suam evelli. Ac primâ specie priores io Synodo partes Alexandro Alexandrino ob sedis præstantiam potius quàm Eustathio erant habendæ. Aliquid tamen rationis fuit, cur Præsidis Alexander non impleret officium, utpote qui geminâ jam sententiâ Synodicâ Arium perculerat, & fortè dotibus animi infra Eustathium ponebatur. Launoius ejusmodi sententiæ est, multos Synodi Præsides fuisse, Alexandrum, Eustathium, Osium. Quæ viri doctissimi sententia in Eusebio innititur: Constantinus *cùm Latinè dixisset, deinceps Concilii* προέδροις, *Præsidibus sermonem concessit.* Affert deinde Synodi ipsius Epistolam: *Si quid prætereà præsente Domino, & carissimo Collegâ, ac fratre nostro Alexandro sancitum ac definitum est, ipse vobis accuratius referet,* αὐτὸ δὲ κύριος καὶ κοινωνὸς τῶν γεγενημένων τυγχάνων, *utpote qui rebus decisis cùm præfuerit, tum communicavit, vobis coram accuratius renuntiabit.* Quæ Christophorsoniana Græcorum versio est. De Osio verò Athanasius: *Nil quicquam latere potest in viro illo tantæ claritudinis. In qua enim Synodo ille non Dux & Antesignanus fuit? Quem non ille rectè suendo in sententiam suam pertraxit? Quæ Ecclesia illius* προστασίας, *præsidentiæ non pulcherrima monumenta retinet?* Launoii conjecturam firmat Libellus Synodicus, qui Vitum & Vincentium Sylvestri Legatos, Alexandrum Alexandrinum, Macarium Hierosolymitanum, Eustathium Antiochenum, Osium Cordubensem pro Nicæni Concilii Præsidibus habuit. Colore probabilitatis aliquo tinctam de pluribus in Nicæna Synodo Præsidibus sententiam fatemur. Tanti tamen non sunt argumenta Launoii, ut ad assensum prorsus cogant. Quos Eusebius προέδρους dixit, illi non sunt *Præsides* propriè dicti, qui Episcoporum cœtum moderabantur. Sed ipsimet Episcopi, habito ad Presbyteros qui Synodo adfuere respectu. Ut enim Præsules erant πρώτῳ θρόνῳ, *prima cathedra*, sic Presbyteri δευτέρῳ θρόνῳ, *secunda cathedra* dicebantur, ut observavimus. Hanc Eusebio fuisse mentem vincunt sequentia: *Hæc cùm Constantinus Latino sermone dixisset, quæ alius quispiam Græcè interpretatus est, deinceps Concilii* προέδροις *illis, qui principem in sedendo locum tenebant, sermonem concessit. Tum verò alii proximos insimulare cœperunt, alii accusationibus respondere, & vicissim queri.* Atqui Alexander, Eustathius, Osius, quos Synodo Præfectos imponunt, amicitiæ, concordiæ, doctrinæque affinitate conjunctissimi erant. Magna igitur quæ excitata controversia fuit, ad Episcopis commota est, qui πρόεδροι vocantur Eusebio, quia ante Presbyteros sedebant, prioresque cathedras occupabant. Neque ex Synodi Epistola satis colligitur, Alexandrum præfuisse. Sirmundus, Valesiusque Græcè doctissimi, nil quidem *Præfecturæ* deprehenderunt, utpote qui verterunt, *gestorum Alexander autor ac particeps existit.* Vox sanè κύριος insolens esse videtur Principi Synodi significando. Quòd si Concilio præsedisset Alexander, præterquam in ea re magnam Arianis querendi causam præbuisset, ac novas lites sevisset, priores utique partes habuisset honoris, ex sedis suæ majestate, quas tamen gessisse videtur Eustathius. Neque Alexandri προεδρίας alicujus meminit Synodica ad Ægyptios Nicænorum apud Theodoritum Epistola, in qua non semel Alexandrum charissimum Collegam nuncupant, non Synodi suæ Principem. Dicitur quidem κύριος, *autor & particeps* eorum, quæ gesta fuere. Nil Præfecturæ tamen in his verbis deprehendit Theodoritus, qui Synodi primas tribuit Eustathio. Neque satis firma sunt verba Athanasii colligendæ Præfecturæ, quâ *Osium* indui placuit. Est enim Præfectura, vel *muneris*, vel *sapientiæ*. Sapientiæ principatum in Synodis, quibus interfuit, non inviti Osio concedimus. De Cæsare Strabo: καθηγήσατο δὲ Καίσαρος ὁ Ἀθηνόδωρος, *Cæsaris Doctor fuit Athenodorus.* Nostram firmat explicationem verbum καθηγήσατο, quod adhibuit & Athanasius. Sic Ariani ipsi queruntur: αὐτὸς καὶ συνόδων καθηγεῖται, *ipse est Synodorum Doctor. Potest enim & ratione,* λόγῳ, *& fide suâ persuadere omnes qui nobis obsistunt.* Hic est ille Principatus, hæc Osii præstantia in Synodis, quibus magnus ille vir, quasi Doctor & Rector moderabatur, dirigendo non autoritate capitis, sed sapientiâ monitoris. Non inficiamur tamen quin utroque modo sapientiâ scilicet, & autoritate Sardicensi præfuerit. Sed & προστασία, cujus meminit Athanasius, illa non est, quâ Principem exerceret Synodi. *Quæ Ecclesia* ταύτης προστασίας, *pulcherrima monumenta non retinet?* Quæ nostro judicio verti debent, non *illius præsidentiæ*, sed *illius auxilii.* De eo vocabulo Suidas: προστασία ἀντὶ τῆς βοηθείας, *prostasia pro auxilio.* Innumeris quidem Osius Ecclesiis profuit, quibus sanè non præfuit. Illas adjuvit consiliis, exemplo, documentis: nonnullis etiam ab Imperatore moneta videtur impetrasse, ut ex Constantini ad Cæcilianum Epistola conjecturam facimus: *Operam dabis, ut cunctis suprà memoratis, juxta brevem ab Osio directum ea pecunia dividatur.* In omnibus sanè Synodis Præsidem Osium impositum non fuisse, demonstrat Illiberitana, in qua post *Felicem* Accitanum Episcopum ponitur. Neque principem & in Alexandrina locum obtinuit, ut non inertibus argumentis adversus Baronium anno proximo probatum est. Equidem non satis causæ videtur esse, cur Osius in magna Synodo, cui complures aderant Metropolitani, eò honoris proveheretur, ut ipsis Metropolitanis præficeretur, contra Ecclesiæ consuetudinem. Tiλoit Episcopis,

Margin notes:
Sozom. l. 1. c. 19.
Euseb. Præm. l. 1. de Vit. Const.
Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 13.
Theodorit. l. 1. c. 9.
Athanas. Apol. t. 1. 703.
Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 13.
Athan. ad Solit. t. 1. 837.
Euseb. l. 10. c. 6.

copis, quorum unus Osius erat, Metropolitani moderabantur, non vice versâ.

Osius Pontificis R. locum obtinuerit in Synodo Nicæna?

XX. Sunt tamen viri eruditissimi, quibus Synodo Osium præfuisse placet, nomine Sylvestri R. Pont. Quæ Baronio sententia est: *Affirmandum in hoc Nicæno sacro Episcoporum consessu à læva parte sedisse Osium, Vincentium, missos à Sylvestro Legatos a latere.* Ex quâ positurâ colligit, *sinistram dextrâ potiorem.* Baronii opinionem amplectuntur Marca, N. Alexander, Pagius &c. Sunt igitur nobis duo tractanda. Alterum, nùm Legati sui personam Osio Sylvester imposuerit? Alterum, dextrane in conventibus Ecclesiasticis sinistra potior habeatur? Prius quod attinet, Sylvestri partes Osium gessisse, Gelasiana tradit historia: *Ipse etiam Osius ex Hispaniis, nominis & famæ celebritate insignis, qui Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis Presbyteris Bitone & Vincentio.* Quæ & in Bibliothecam Photius suam transtulit p. 207. Pergratus fuit ille locus Pontificiæ majestatis cultoribus. Quanquam si verum amamus, nil sit in eo præsidii, cum Gelasius ille Cyzicenus nullius pretii Autor esse videatur, ob errores, quibus totus scatet crassissimos. Quis ferret hæc? *Neque tamen omnia inde habui*, (Acta scilicet ex quaternionibus Joannis Presbyteri valde antiquis petita) *sed ex aliis etiam Scriptoribus variis, ut ex Eusebio Pamphilii Episcopo Cæsareæ, & Rufino Presbytero Rom. qui etiam Sanctæ illi Synodo interfuerunt.* En Scriptoris diligentiam atque peritiam! Rufinus & Romanæ Presbyter Ecclesiæ fuit, & Nicæno choro adfuit. Rufinus qui vel nondum natus erat, vel in cunis vagiebat, anno CCCXXV. & Aquileensis non Romanæ Presbyter Ecclesiæ constitutus est. Ecce novum Gelasianæ sapientiæ specimen: *Sancta & magna generalis Synodus SS. Patrum, Nicææ congregatorum per B. & S. Osium.* Hem congregata per Osium! Exultet Baronius atque triumphet. Sylvester ille est qui Nicænos Patres coëgit, non Constantinus: neque Ecclesiæ *indulgentiâ* Imperatori opus fuit, ut Synodum indiceret. Iterum Sylvester convocavit. Osius enim, à quo congregatum esse Gelasius narrat, cùm suâ autoritate perficere id non potuerit, summi Pontificis nomine fecisse necesse est. Puerilitatis hujus adversarios pudet, qui insigni hoc Gelasii loco non utuntur, probando Nicænos Patres à Sylvestro fuisse coactos. Lubenter igitur à viris clarissimis Marcâ, N. Alexandro, Pagio quærimus, cur Gelasio, Osium Sylvestri locum obtinuisse narranti fidem adhibeant, dicenti verò Synodum Nicænam ab Osio congregatam, prorsus abnuant. Par est utrobique ratio, testis vel admittendus, aut pellendus in tantum fide dignus, quantum Historicis se antiquioribus consentit. Quid referemus & Alexandrum, Presbyterum, Metrophanis Byzantini Legatum agentem, & Synodum anno XVII. Constantini coactam, aliaque absona ejusmodi? Et hic ille testis est, cui de Osio Sylvestri Legatum agente fidem committemus? Equidem hoc illud Gelasii figmentum, veterum Scriptorum omnium obruitur silentio. Quis enim credat, si nomine Sylvestri Synodo caput Osius fuisset, id à Scriptoribus prætermissum fuisse, qui Synodi historiam perscripsere. Locum Episcopi R. *Presbyteros* implevisse dixerunt Eusebius, Theodoritus, Socrates, Sozomenus, Osium quem memorant Sylvestri vicem gessisse, ne verbulo quidem scripsere. Cur magis de Osio silent, quàm de Vito & Vincentio? Nempè Vitus & Vincentius Sylvestri Legati erant, Osius non fuit. Julium ipsum Ecclesiæ R. Episcopum interrogemus, nùm Legati Sylvestri nomine Osius Concilio interfuerit? De Marcelli Episcopi Ancyrani fide, quam Ariani accusabant, Julius hæc habet in sua ad Orientales Epistola: *Eadem cum pietate, quâ Ecclesia de Domino ac Salvatore nostra sentire, neque jam tantummodò, sed etiam olim hujus sententiæ se fuisse confirmabat, uti & nostri Presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur.* Cum ex Legatorum Sylvestri testimonio innocentiæ Marcelli Julius adducat auxilium, cur Presbyterorum tantùm meminit, omisso Osio, cujus in testimonio ex fama viri & dignitate vis major fuisset, si Sylvestri vice fungebatur. Nec pertenui quoque argumento hæc illa Osii legatio refellitur. Athanasii in Synodico digesta Episcoporum nomina fuisse, Socrates memoriæ prodidit. Ex quo etiam pauca hæc exhibuit: *Hosius Episcopus Corduba Hispaniæ, ita credo, ut superius scriptum est.* Quòd si tum Episcopi R. vicem implevisset, legationis quoque suæ meminisset, quâ solâ principem in Synodo locum obtinuisse contendunt. Neque magis extat aliquod legationis hujus vestigium Synodi in subscriptionibus. Suo, non Sylvestri nomine fidem Osius confirmat, cùm tamen Vitus & Vincentius se mittentis loco subscribere testentur: *Victor* (Vitus) *& Vincentius Presbyteri urbis Romæ, pro venerabili viro Papa & Episcopo nostro S. Sylvestro subscripsimus, ita credentes sicut suprà scriptum est.* Eàdem quoque ratione *pro venerabili viro Papa Sylvestro* suscribere Osius debuisset, si partes Sylvestri implevisset. Neque Libellus Synodicus, qui Bitonem & Vincentium *Sylvestri & Julii* locum tenuisse memorat, pro Pontificis Legato Osium non habuit: *Præsederunt Vito & Vincentius Presbyteri: Alexander Alexandriæ, Macarius Hierosolymorum, Eustathius Antiochiæ: vice Metrophanis Constantinopolitani, Alexander Presbyter, Osius Corduba Episcopus.* Addidisset quoque vice *Sylvestri* Osius, neque ultimum, sed primum Cordubensi Præsuli locum assignasset.

Bar. An. 325. 60.

Gel. Hist. l. 2. c. 5.

Gelas. Præf. p. 114. D.

Gelas. H. l. 2. c. 12.

Athan. Apol. t. 1. 750.

Socrat. l. 1. c. 13.

Lab. Conc. t. 2. 50.

Lab. Conc. t. 2. p. 84.

Vitus & Vincentius præfuerintne Synodo Nicænæ?

XXI. Veniat nunc in manus altera quæstio. Cùm curiæ Rom. procis ea ster sententia, *Vitum & Vincentium* Presbyteros, Sylvestri *nomine* præfuisse Synodo, ac aliunde pernoscant Eustathium Imperatoris ad dextram sedisse, in eam coguntur opinionem descendere, quòd Ecclesiasticis in conventibus sinistra sit honoratior. Neutrum verò affirmantibus largiemur, nisi rationum momentis extorqueant. Vociferamur quàm maximè possumus, contendimus, excitamus Scriptores, ut de Viti & Vicentii, quos Romani Legatos Episcopi dicunt, de eorum in Synodo Præfectura testentur, nullus tamen est Veterum qui tradiderit. Non Eusebius, non Theodoritus, non Socrates, non Sozomenus, imò non ipse Julius in Epistola sua ad Orientales. Quænam est illa Præfectura, cujus ne verbulo quidem meminere? Neque magis in suscriptionibus Viti & Vincentii apparet extatve nobile Præsidum munus, aut satis Synodi Nicænæ ætati consentaneum, ut Presbyteri Metropolitanis præficerentur, maximisque Synodis moderarentur. Arelatensi Synodo Legatos Sylvester misit suos, *Claudianum & Vitum* Presbyteros, *Eugenium & Quiriacum* Diaconos. Principes egisse

Syno-

ANNO DOM. 325.

Synodi Veterum nemo somniavit, & *Marinum* Arelatensibus præfuisse est verosimillimum. Quod non inerti argumento nobis est patefactum. Synodica scilicet ad Sylvestrum Epistola, cui *Marini* nomen præponitur, quod certè Præsidis est. Quòd si Legati Sylvestri ne Arelatensi quidem Synodo præfuere, quis pro Nicænæ Præsidibus eos habeat, quæ major & augustior, cuique etiam sedes Apostolicæ adfuerunt? Atque Arelatensis exemplo, Pagii & N. Alexandri instantia, quam maximè urgent, maximè refellitur: *Adesse Concilio nomine Rom. Pontificis, & vices illius gerere, idem est, quod illi præesse.* Sylvestri enim vices gerebant *Claudianus* & *Vitus* in Arelatensi Concilio, ante Nicænum solis XI. annis celebrato, nec tamen obiere vices munia que illa, quæ præsens Arelato Pontifex obiisset. Carthaginensi sexto adfuerunt Legati Ecclesiæ Rom. *Faustinus Episcopus plebis Potentinæ Provinciæ Italiæ*, Philippus & Asellus Presbyteri, quorum nullus Synodo præfuit: *Aurelius Papa* Carthaginensis, *unà cum Valentino* primæ sedis Numidiæ, vel *Faustino* præponuntur. Synodi caput erat Aurelius, in Concilio quoque Constantinopolitano præfuit Mennas, imperante Justiniano, licet complures in eo adessent sedis Apostolicæ Legati. Quæ Presbyteris commissi suis, & poterant & debebant, Vito & Vincentio, fidei & conservationem, & confirmationem Sylvester credidit. Episcopatus verò sui excellentiam, vi cujus ordine primus ob urbis majestatem cæteros Episcopos eminuisset, non credidit. Non enim eò potentiæ tum ascenderat Papa, ut sedes Apostolicas infra Legatos suos deprimeret. Respuebantque Ecclesiæ mores, ut Metropolitani Episcopi à Presbyteris regerentur. Itaque ad confirmandam doctrinam Sylvester Legatos Nicæam mittere potuit, ad præsidendum non potuit.

Sinistra in Ecclesiasticis cœtibus sitne honoratior?

XXII. His observatis, quæstioni utrùm Ecclesiasticis in conventibus sinistra sit honoratior, brevi persolvimus: quia dextram nobiliorem esse, suo jam loco fuit observatum. Nostrum quidem in animum inducere non possumus, Episcopos ignobiliori loco esse voluisse dextram, quam & Ecclesiæ honoratiorem vel ex ore Christi didicimus, *agnos* suos ad dextram collocantis. Aut mores evertisse publicos, & mortalium conspiratione corroboratos, quibus dextram honoris locum esse placuit. Qua de causa Christus & Dei *ad dexteram sedere* dicitur. Sed ut profana monumenta mittamus, de Joanne Papa, qui Constantinopolim venerat, sic scribit Marcellinus in Chronico: *Dexter dextram Ecclesiæ insedit solium, diemque Domini nostri resurrectionis, plenâ voce Romanis precibus celebravit.* Insuper Constantinopolitanæ Synodi, cui Mennas præfuit, verba etiam atque etiam sunt consideranda: *Præsidente Sanctissimo & Beatissimo Domino nostro Oecumenico Patriarchâ Mennâ, in Atrio Dictiæ venerandæ domus Sanctæ & gloriosæ Dominæ nostræ Matris Dei, & semper Virginis Mariæ. . . & à dextra quidem parte considentibus illi coadjutoribus, juxta pium jussum à Christo amati, & à Deo custoditi; Justiniani Imperatoris, excellentissimis & sanctissimis, ac Deo amantissimis Episcopis, Sabino Canusii, Epiphanio Esculanorum, Asterio Salernitanorum, Leone Nolanorum, Rustico Fæsulanorum, Theodoro Diacono Rom. Pelagio Diacono R. omnibus quidem ex Italica Regione, ab Apostolica sede nuper missis.* Non ad dexteram Mennæ, sed ad sinistram Legati Apostolici sedissent, si ea fuisset honoratior. Mens eadem est veteri Romano Ordini, cujus verbis N. Alexander & Pagius quasi suo se gladio jugulant: *Sedebunt eâ locali dispositione, ut intrantibus Ecclesiam, Episcopi sint ad sinistram, Presbyteri verò ad dextram. Ut quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dextram, Presbyteros contueatur ad sinistram.* Quo quid clarius dici potuit, ad probandum, Pontificis ad dextram Episcopos fuisse collocatos: Presbyteros ad sinistram, ignobiliore loco. Similem quoque situm obtinuisse Episcopos in Chalcedonensi Concilio, ut honoratiores dextro altaris lateri assiderent, nulli dubitamus: *Residentibus magnificentissimis & gloriosissimis Judicibus, & amplissimo Senatu ante cancellos sanctissimi altaris, & in læva quidem eorum parte sedentibus sanctissimis & reverendissimis Episcopis, & vicariis Deo amicissimi, sanctissimi & reverendissimi Leonis Antistitis priscæ urbis Romæ, & Anatolio religiosissimo Archiepiscopo Constantinopolitanæ Regiæ civitatis, & Maximo religiosissimo Episcopo Antiochiæ.* Quæ Baronii sententiam, cui primâ specie favere videntur, prorsus evertunt. Pars enim in qua Leonis Legati Anatoliusque, & Maximus sedebant, altaris dexteræ obvertebatur, quo casu læva fuit honoratior, ut suo loco observavimus.

Chalced. Syn. Act. 1.

Disputationes Episcoporum cum Philosophis. Eorum unus conversus.

XXIII. Quæstionibus quæ & lucem fœnerant historiæ, & voluptatem afferunt animo, quantâ potuimus diligentia sic explicatis, ea quæ in Synodo gesta sunt, dicere ingredimur. Paulò antè quàm Episcopi in unum locum convenirent: *Dialectici quibusdam sermonum prolusionibus contra nonnullos velitantes sese exercebant. Cumque multi verborum suavitate allicerentur, Laicus quidam ex Confessorum numero, recto ac simplici sensu præditus, cum Dialecticis congreditur, hisque illos verbis compellavit: Christus & Apostoli non artem nobis dialecticam, nec inanem versutiam nobis tradiderunt, sed apertam & simplicem sententiam, quæ fide bonisque actibus custoditur. Quæ cum dixisset, omnes qui aderant admiratione perculsi, ei assenserunt. Dialectici verò simplici sermone veritatis audito, post hac æquiore animo conquievere.*

Socr. l. 1. c. 8.

Venerant illi Dialectici, suæ partis patrocinium suscipere parati. Arii Philosophos fuisse, memoriæ prodit Gelasius ille Cyzicenus, quorum & uni *Phædonis* nomen imposuit. Partes & cuique Episcoporum suas in respondendo assignat. Phædonis objectionem solvit Eustathius. Inducit etiam Eusebium Cæsariensem nomine Synodi, Philosopho Arii objicienti: *Dominus condidit me initium viarum suarum* respondentem. Quibus perspicuum est, quanti faciendus sit Autor, qui totus est ut pugnet veritati. Constat enim Eusebium hæsitasse, utrùm admittenda esset fidei Nicænæ formula. Neque ex Christianis modò, sed ex Ethnicis quoque Philosophis nonnulli Nicæam venere, allecti famâ celeberrimi conventus. Eorum unus cum Episcopis disputationem instituens, à nemine constringi poterat: *Tum quidam ex Confessoribus, simplicissima natura vir, & nihil aliud sciens nisi Jesum Christum & hunc crucifixum, inter cæteros auditores Episcopos aderat. Qui cùm vidisset Philosophum insultantem nostris, & callidâ se disputationis arte jactantem, poscit ab omnibus locum, velle se paucis cum Philosopho sermocinari.* Pudorem Episcopis incussit hoc consilii, ne ludibrio esset sancta viri simplicitas. Perstitit tamen Senior, & hinc movit

Gelas. II. l. 2. c. 18.

ANNO DOM. 325.

Rufin. l. 1. c. 3.

movit sermonis exordium: *In nomine inquit J. C. Philosophe, audi quæ vera sunt. Deus unus est qui fecit cœlum & terram, quique homini, quem de terra limo formaverat, spiritum dedit. Universa quæ videntur, & quæ non videntur, virtute Verbi sui creavit, & Spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc verbum ac sapientia quem nos Filium dicimus, humanos miseratus errores ex Virgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberavit, ac resurrectione suâ æternam nobis contulit vitam. Quem & expectamus Judicem omnium quæ gerimus esse venturum. Credis hoc ita esse, Philosophe. At ille, velut si nunquam ullum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia, hoc solùm potuit respondere, ita sibi videri, nec aliud verum esse, quàm quod dixerat. Tum Senior, Si hæc, inquit, ita esse credis, surge, & sequere me ad Dominicum, & hujus fidei signaculum suscipe. Et Philosophus conversus ad discipulos suos... Audite, inquit, eruditi viri, donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subverti, ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere Verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo.*

Constantinus Episcoporum libellos comburi jubet.

XXIV. Pridie quàm Patres convenirent in Synodum, Constantino libellos obtulerunt, quibus culpæ proferebantur, & magis ad hæc quàm ad id pro quo ventum erat, animos dabant. At ille videns quòd per hujusmodi jurgia causa summi negotii frustraretur, diem certum statuit, quâ unusquisque Episcoporum, si quid quærimoniæ habere videretur, deferret. Et cùm resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, & ideò nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium: & vestra jurgia quæcunque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorum: & ideò his omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distinguite. Cùm hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos jussit exuri, ne innotesceret ulli hominum simultatis Sacerdotum.*

Rufin. h. l. 1. c. 2.

Quin etiam libellos in unum fasciculum colligatos, & annulo suo obsignatos Constantinum servari præcepisse tradit Theodoritus, ac deinde prolatos in ignem misisse, jurejurando affirmans, nihil eorum quæ se scripta essent, à se lectum fuisse. Istud eòam adjecisse fertur: *Si Episcopum adulterum perpetrantem oculis suis videret, illegitimum facinus paludamento suo obtecturum esse, ne hujus facinoris spectaculum ipsis spectatoribus noxium esset.*

Theodorit. l. 1. c. 11.

Constantinus Synodum ingreditur.

XXV. Die Junii XIX. ubi omnes Episcopi in locum unum convenere, in Regiæ scilicet sacrarium, post illos advenit eòam Imperator, quem non ut moris est, ex militum & Protectorum numero aliqui præcedebant, sed ex amicis ii soli, qui fidem profitebantur: *Qui postquam ingressus est, stetit in medio, nec prius sedere sustinuit, quàm Episcopi id nutu significassent, tantâ illos observantiâ ac reverentiâ Imperator prosequebatur. Facto deinde, ut par erat, silentio, Imperator ex sella verba facere cœpit, ad consensum eos exhortans atque concordiam, & privatas quidem simultates, ut singuli deponerent admonuit.* Quod ad faciendum ut eos magis animaret, libellos quorum meminimus igni tradit: *Tunc igitur cùm de pace & concordia abunde disseruisset, deinceps ut de religionis nostræ dogmatibus accuratius disquirerent, eorum arbitrio potestatique permisit.* Quibus necessariò cogimur, geminum Constantini io Synodum ingressum admittere. Cujus enim meminit Eusebius, is posterior est: *Die Concilio constitutâ, quâ controversias dirimi oporteret*, conventum subit, in quo intento animo propositas quæstiones excipiens, alios vi rationum adductos in suam sententiam trahit, alios orat & flectit, & universos ad concordiam incitat. Jam ergo Arii doctrina discussa fuerat. Congruum quoque rationi est, Constaotioum bis præsentem Synodo suam attulisse. Primùm ut Patres ad concordiam invitaret, deinde ut post quæstiones in Synodo tractatas, qui dissidebant, consentientes efficeret. Neque enim tot tantæque res, quæ in Synodo gestæ sunt, unius diei spatio decidi potuere.

Socrat. l. 1. c. 8.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 13.

Quæ in quæstione de Consubstantiali decidenda gesta sint in Synodo Nicæna?

XXVI. Ut suum Patres de Arii doctrina examen instituerent, Acta Synodi Alexandrinæ, cui Osius interfuerat, palam in Nicæna producta fuisse Baronius existimat, Julii Papæ deceptus Epistolâ. Id tamen non sonant verba Julii, quorum in mentem illustrissimus Purpuratus non penetravit: *Episcopi in magna Synodo Nicæna congregati, non sine Dei consilio permiserunt, prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari.* Quæ phrasis longè aliud significat, quàm quod visum Baronio: *Lecta fuisse Acta Alexandrina Synodi.* Legem innuit Julius, Canone v. à Nicænis conditam, ut de iis qui Ecclesiis ejecti sunt, quæstio ab omnibus Provinciæ Episcopis simul congregatis discutiatur, jurene an injuriâ ab Episcopo expulsi fuerint. Sedente Synodo Arius primùm introductus, absque ulla circuitione sententiam ostendit suam, quam coram Alexandro olim professus fuerat: *Christum verum Deum non esse, sed participatione divinitatis Deum factum esse, eâdem ratione quâ cæteri quoque Dii appellantur, Deum, Filium qui non erat, condidisse; Christum neque Patris naturam, neque suam accuratè cognoscere.* Ad quæ verba Nicæni Episcopi aures obturarunt. Sed & Eusebianis multa hæreseos veneno condita proferentibus, *Episcopi placidè & humaniter postulabant, ut suorum dictorum rationes redderent, seque non impios demonstrarent. Illi autem vix inceperant hiscere, cùm jam & improbarentur, & ipsi quoque inter se depugnarent, agnitâque sua hæreseos perplexitate muti prorsus reddebantur.* Placuit & Arii fautoribus, Eusebio Nicomediensi, Theodoto Laodiceæ, Athanasio Anabarzi, Gregorio Beryti, Ætio Lyddæ, Menophanto Ephesio, Patrophilo Scythopolitano, Theogni Nicææ Episcopo, Narcisso Nerooiadia, quæ alio nomine Irenopolis dicitur, aliisque nonnullis fidei conscribere formulam. Quam Concilio oblatam atque perlectam, statim omnes discerpserunt, spuriam atque adulterinam eam appellantes. Illam ipsam fidei formulam esse, quam Eusebius Cæsariensibus misit suis, quamque Theodoritus exhibet, c. XII. ipsi Theodorito credimus. Est tamen nobis nonnulla dubitandi ratio. Quippe libellum Eusebianorum *impium* dixit Eustathius, & qui simul atque lectus discerptus fuit. Qualis non ea videtur Confessio, quam memorat Eusebius. Potuit quidem in ea latere venenum, sed & veritas potuit. In vocem

Baron. An. 325. n. 66.

Error Baronii.

Athan. Apol. t. 1. 741.

Ath. contr. Arianos t. 1. 295.

Athan. Synod. Nic. Decr. t. 1. 251.

Theodor. l. 1. c. 8.

ὁμο-

ANNO DOM. 325.

Herm. Vie de S. Ath. l. 2. c. 8. 141.

γεγενημένος *Hermantius* involat, *comme un terme qui reduisoit J. Christ au rang & à la condition des creatures.* Quæ & N. Alexandri observatio est, capite de *Concilio Nicæno* : ἐκ τοῦ πατρὸς γεγενημένον, *factum ex Patre*. Quæ censura satisne sit in Græcæ linguæ peritia fundata, videant eruditi: nos sanè non credimus. Vox quidem γεγενημένος media est, & *genitum* quoque significare potest, quomodo & Valesius vertit. Illam quidem non repudiarunt Nicæni : γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς, *genitum ex Patre unicum*. Ipse quidem Eusebius *genitum* opponit *creato*. Deinde non eò impudentiæ progressus est Eusebius, ut eam Cæsareensibus mutaret formulam, quæ ut *impia* statim lacerata fuisset. Quid quòd probatam Constantino fuisse testatur, quod de formula à Patribus statim discerpta dici non potest. Denique Nicæna formula nil aliud est quàm Eusebiana, *quibusdam additamentis* aucta : *Necessarium*, inquit, *putavimus ad vos mittere, primum quidem eam fidei formulam, quæ à nobis proposita est; deinde alteram, quam Episcopi quibusdam appendicibus ad nostram adjectis promulgarunt. Nostra igitur formula, quæ in conspectu Imperatoris Deo carissimi lecta, rectè & probè se habere omnibus visa est, sic habet.* Inspiciatur in Theodorito formula, quâ quidem Arius perstringitur. Athanasius porro, qui tum officio Diaconi fungebatur, percharus Alexandro, fortiter adversus Arianos dimicavit, Alexandrumque consiliis suis non minimum adjuvit. Intereà evocabatur frequenter Arius in Concilium, assiduèque doctrina ejus discutiebatur, quæ tandem Patrum penè omnium suffragio damnatur. Ne verò aliquâ obscuritatis latebrâ error tegeretur, solemne vocabulum *Consubstantialis* adhiberi placuit. Neque diffitetur Eusebius, Antiquis vocem in usu fuisse : *Nonnullos ex Veteribus insignes Episcopos, & disertos Scriptores in explicanda Patris ac Filii Divinitate hoc vocabulo Consubstantialis usos esse cognovimus.* In confessione verò componenda, primas Osius partes egit, quod & queruntur Ariani, ut in S. Episcopum Imperatorem Constantium inflammarent: *Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit.* Cùm omnibus ferè Arianus improbaretur, paucorum tamen suffragia meruit : *Decem & septem soli tunc fuisse dicuntur, quibus Arii fides magis placeret, extrinsecus creatum Dei Filium ex nullis substantibus, & non ex ipsa Patris Deitate progenitum confirmantes.* Exceptis tamen solis quinque simulatè vel verè consensum Confessioni omnes præbuere. Qui primùm acrius repugnabant, eorum nomina sunt ab oblivione vindicata, quæ verbis Socratis exhibemus : *Quinque tantum reperti sunt, qui illam amplecti nollent, vocem Consubstantialis reprehendentes, Eusebius scilicet Nicomediensis, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ, & Secund. Ptolemaidis. Nam quoniam Consubstantiale illud esse ajebant, quod est ex alio, vel partitione, vel fluxu, vel emanatione.* Metu tamen correpti, subscripsere omnes, exceptis Secundo & Theonâ, qui animi pertinaciâ, aliorum ignavæ dissimulationi anteponenda, errori se victimas præbuere. Eusebius Cæsariensis *cùm in Synodo paululum hæsitasset, secumque expendisset utrùm admittenda esset fidei formula, tandem & ipse unà cum reliquis assensus est, & subscripsit.* Narrat quidem eo loco Socrates, Eusebium Nicomediensem, & Theognim prius in exilium ejectos esse, quàm oblato pœnitentiæ libello fidei Consubstantialis assentirentur. Sed

Socr. l. 1. c. 8.

Theodorit. l. 1. c. 12.

Theodorit. l. 1. c. 12.

Athan. ad Solit. t. 1. 837.

Ruf. l. 1. c. 5.

Socr. l. 1. c. 8. 23.

non ita est. Ficto quidem animo, manu tamen fidei Confessioni antè subscripserunt, quàm Synodus solveretur. Quânam verò causâ ad suscribendum adducti sunt, aperit Eustathius : *Ariani metuentes ne tot Episcopis in unum congregatis ipsi Ecclesiâ ejicerentur, in medium prosilientes, dogma, quod improbatum fuerat, anathemate damnarunt, & libello qui unanimi omnium consensu conscriptus fuerat, propriâ manu subscripserunt.* Quod in ipsa Synodo factum esse, ind cat Patrum Epistola, scripta Episcopis in Æ_gypto, Libya, & Pentapoli constitutis : *Tantam verò vim habuit Arii impietas, ut Theonam Marmaricæ, & Secundum Ptolemaidis Episcopum secum in exitium pertraxerit.* Secundo & Theonæ Eusebium quoque & Theognim adjunxissent, nisi Arii à comitatu se divelli suâ subscriptione significassent. Purum igitur putumque somnium est, quod de Eusebii Nicom. & *Theognidis* pertinacia Baronius habet, Nempe paulò post repudiatam subscriptionem *oblato libello* palinodiam recantâsse, & à Synodo Nicæna *privatos esse suis sedibus*. De oblato libello silent Historici. Neque magis à Nicænis gradu suo moti sunt, quam rem monuissent in sua ad Alexandrinos Epistola. Quem ergo pœnitentiæ librum dedere Eusebius atque Theognis, ut sedibus suis restituerentur, ille diu post annum præsentem oblatus est, & post exitii sui tædium, & Ario jam revocato, teste Socrate, qui & libellum exhibet. Hanc Baronii Chronologiam verbis expressis damnat Theodoritus. Ex Episcopatu Nicomediensi *post Nicænum Concilium, ob apertam quam profitebatur impietatem dejectus est, & unà cum illo Theognis Episcopus Nicææ.* Quia *post* Concilium, non ideò in Concilio Nicæno Episcopatibus suis pulsi sunt Theognis atque Eusebius. Est igitur extra dubium, Arianos omnes subscripsisse, exceptis Ario, Secundo, Theonâ, qui ob suam pertinaciam anathematis fulmine prostrati sunt. Quod & nos docet Hieronymus, etsi errante memoriâ Arium quoque susceptum esse perperàm tradiderit : LUCIF. *An tandem & tunc recepti sunt Ariani? Quinam quæso?* ORTH. *Eusebius Nicomediensis, Theognis Episcopus Nicænus. Saras tunc Presbyter Libyæ, Eusebius Episcopus Cæsareæ Palæstinæ.* Omnium igitur suffragiis à Secundo & Theona si discesserimus, quam solio Arius suo deturbarat, Christi divinitas reponitur, plaususque ab Hæretici fautoribus, Consubstantiali dictus : *Subscripserunt & ipsi Eusebiani, iis verbis quæ nunc culpant. Vocabulis, inquam, Substantiæ & Consubstantialitatis.*

XXVII. Quæstione de fide compositâ, aliam de disciplina Patres ingrediuntur, quæ utut multò minoris momenti, pacem tamen Ecclesiis olim eripuerat temporibus Irenæi. Quin etiam ætate Synodi de tempore festivitatis Paschalis variabat Ecclesiarum consuetudo : ut vel ipse Athanasius prodat hoc diversitatis causarum unam fuisse, cur Nicæni Patres cogerentur : *Quòd si causam Nicæni conventus à causis eorum, qui postea coierunt, discernere velis, invenies Nicænam Synodum rationabili causâ coactam fuisse. . . Ob Arianam enim sectam, & controversiam Paschatis celebrata fuit, eò quòd Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, nobiscum dissentiebant in temporibus Paschatis celebrandi, quod eodem die cum Judæis celebrabant. Sed gratia Domino nostro, quia & de fide, & de sacro illo festo in concordiam itum est. Eaque fuit causa Nicæni Concilii.*

ANNO DOM. 325.

Theodorit. l. 1. c. 8.

Theodorit. l. 1. c. 9.

Bar. An. 325. n. 78.

Socr. l. 1. c. 14.

Error Baronii.

Theodorit. l. 1. c. 17.

Hieron. advers. Lucif. c. 7.

Athan. Syn. Nic. Decr. t. 1. 251.

Synodi Nic. de Paschate decretum.

Ath. ad Episc. in Afr. Ep. t. 1. 933.

Concordiam Ecclesiarum de celebrando Paschate congregandæ Synodo causarum unam fuisse, testatur & Epiphanius, qui Paschalis hujus dissidii exempla memorat, quod non Victoris modò, sed & *Alexandri Episcopi Alex. & Crescentii temporibus contigit, qui contra se mutuò scripserunt atque acriter pugnaverunt.* Cataphryges qui Christum VIII. Kal. Apr. passum esse existimabant, illâ ipsâ die Pascha celebrabant, in quamcunque demum Lunæ XIV. dies incurreret. Eâdem quoque die Cappadoces id festi agitabant. Ut ergo ubique locorum pax læta floreret, Nicæni allaborarunt. Porro Constantinus in sua ad Ecclesias de Synodo Epistolâ rationes suppeditat decreti Patrum: *Ac primùm visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in sanctissima hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur, qui cùm manus suas nefario scelere contaminarint, meritò impuri homines cæcitate mentis laborant. . . Nihil ergo nobis commune sit cum inimicissima Judæorum turba. Aliam enim viam à Servatore accepimus. . . Quid ergo est, cur istos sequamur, quos constat gravissimo erroris morbo laborare. Nam uno eodemque anno geminum Pascha facere, nunquam profectò sustinebimus. . . Illud præterea considerandum est, nefas esse, ut in tanti momenti negotio & in hujusmodi religionis solemnitate dissensio reperiatur. Unum enim libertatis nostræ festum diem, hoc est, diem sacratissimæ passionis Servator nobis reliquit, unamque esse voluit Catholicam Ecclesiam. . . Consideret quæso, vestra sanctitatis solertia, quàm grave sit & indecorum, iisdem diebus, alios quidem jejuniis intentos esse, alios verò convivia celebrare, & post dies Pascha, alios quidem in festivitatibus & animorum remissione versari, alios verò definitis vacare jejuniis. Hoc itaque convenienti emendatione corrigi, & ad unam eandemque formam redigi divina vult Providentia.* Constantini Epistolæ lucem fœnerant verba Epiphanii: Quòd si cum Judæis *nos unà celebremus, in eundem annum duo Paschata nobis incurrent, antè videlicet, & post Æquinoctium. Tum anno sequente ne unum quidem celebrabitur: eoque modo institutum omne nostrum summo cum errore conjunctum à veritate penitùs abhorrebit. Etenim ante Æquinoctium nondum annus impletus est.* Urget & Epiphanius aliud incommodum. Quod Dominica dies luctu & jejunio quandoque traducenda esset; Apostolicæ verò Constitutiones sic sanciunt: *Qui afflixerit animam suam Dominicâ die, maledictus est Deo.* Nonnulli tamen fuere, qui post annos XVI. Pascha Luna XIV. etiamnum agebant, qua de causa Antiochena Synodus anno CCCXLI. celebrata, primo Canone sic statuit. Omnes qui audent dissolvere decretum Sanctæ & magnæ Synodi, quæ Nicææ coacta est in præsentia religiosissimi Imperatoris Constantini, de S. Festo salutari Paschatis esse excommunicatos. Theodoritus quoque fatetur, sodalitia Monachorum existere utentium institutis: *Quæ cum Judæorum stupore consentiunt.* Neque vel inter Christianos, qui die Dominicâ Pascha agitabant, satis conveniebat, quod alii citius, alii serius celebrabant.

Epiph. h. 70. n. 9.

Euseb. Vit. Const. l. 3. c. 18.

Epiph. h. 70. n. 11.

Theodorit. l. 1. c. 9.

Cyclusne Paschalis à Nicænis definitus?

Bar. An. 325. n. 113.

XXVIII. Quò facilius suo tempore Pascha perageretur, à Synodo *delegatos esse qui numerum aureum invenirent*, Baronius sibi, multisque persuasit. Neque huic certè opinioni Veterum deficit autoritas, cùm id ipsum scribat Ambrosius Æmiliæ Episcopis: *Non mediocris esse sapientiæ, diem celebritatis definire Paschatis, & Scriptura divina nos instruit, & Traditio Majorum. Qui convenientes ad Synodum Nicænam, inter illa fidei ut vera, ita & admiranda decreta, etiam super celebritate memorata congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quasi quemdam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida nuncupaverunt.* Nil est tamen in ea traditione verisimilitudinis. Id quippe memorasset Constantinus in sua ad Ecclesias, de Paschate in die Dominica celebrando, Epistola. Neque qui Nicæni Concilii historiam tractarunt, Eusebius, Theodoritus, Socrates, Sozomenus, rem observatu dignissimam obruissent silentio. Illud præcipuè innuisset Eusebius in suo de Paschate libro, quo arcanam hujus festi rationem exposuit, quemque Constantino nuncupavit. Præterea *Sabinum* Macedonianæ sectæ antesignanus Patres Nicænos sprevit, ac penè pro nihilo habuit: *Quos rudes, omnique scientiâ destitutos fuisse dicit.* Quam absque ulla veri umbra injuriam Patribus fecisset, si Cyclum aureum condidissent, qui componi non potuit absque Astrologiæ quantacunque peritia. Hanc quoque Sabini objectionem Socrates esset amolitus, adductâ eâ *Enneadecateridos* constitutione, quæ magnum Nicænæ peritiæ argumentum præbuisset. Accusationem autem sic diluit: *Neque illud reputat, eos qui ad Synodum convenere, quamvis rudes essent & imperiti, Dei tamen & Spiritus S. gratiâ fuisse illustratos.* Ac sanè unum de Episcopis Eusebium Socrates eruditis asseruisse videtur. Gravissimo quoque argumento Bucherius hanc Ambrosii traditionem fide evertit. Si Cyclum Paschalem Patres Nicæni *definivissent, quo pudore Prosper in Chronico MS. suum 84. annorum Cyclum toties inculcaret, & Enneadecateridi tam fidenter opponeret? Quomodo Paschasinus, de eodem Cyclo loquens, cujus tunc annus LXIII. agebatur, Romanam supputationem coram S. Leone vocare non vereretur?* Nullus sanè Veterum, quantum meminimus, hunc Nicænorum se vidisse Cyclum scripto prodidit. His accedat, vel post Nicænam Synodum, ad usque Leonis M. tempora Latinos diversum ab illo Alexandrinorum Cyclum adhibuisse, ut quandoque contigerit, non eodem mense Pascha ab utrisque celebrari, teste doctissimo Norisio, dissertatione suâ de Paschali Latinorum Cyclo. Denique ipse Leo, ejus Ecclesiæ Præfectus, cujus Presbyteri *Vitus & Vincentius*, Legatorum ad Synodum munus gesserant, contradicit Ambrosio. Quippe in sua ad Marcianum Imperatorem Epistola, non Nicænis, sed Alexandrino Episcopo id assignat officii, ut inveniendis regulis, ad errorem, qui in celebratione Paschatis obrepere potuisset, removendum invigilaret: *Studuere SS. Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitùs tradita videbatur esse peritia, per quam quis annis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret.* Quanquam quæ tradit de injuncto Alexandrino Præsuli officio, non sit extra dubitationis aleam. Id certè in Epistola Synodi ad Ægypti Episcopos debuisset contineri, de quo tamen ne vel minimum vestigium habet. Est igitur vero proximum, ex occasione decreti, quo constitutum est, ut ab omnibus ubique locorum, die Dominico simul Pascha

Ambr. Ep. 83.

Socrat. l. 1. c. 9. 31.

Bucher. Com. p. 128.

Leo Ep. 64.

ANNO DOM. 325.

Pascha celebraretur, Alexandrinos, quibus Astronomiæ peritia major, in regulis quo festivitas decenter & ordine ab omnibus agitaretur, dirigendis, curam suam atque diligentiam adhibuisse. Quin etiam huic quoque materiæ animum ab Eusebio admotum esse, multum probabilitatis habet: *At Constantinus Ecclesiis Dei providâ semper mente consulens, de conficiendis sacris Codicibus & de Festo Paschali ad nos Epistolam scripsit. Nam cùm nos librum quendam, quo arcana illius Festi ratio erat exposita, ei nuncupassemus, quomodo nos responsionis sua honore vicissim remuneratus est, ex his ejus literis perspici potest.* Sed ea de quæstione recurret dicendi locus ad annum Domi. CCCCLV. Cæterùm displicuit Audianis Nicæna de Paschate constitutio: *A Constantini*, inquiunt, *tempore, ut Imperatoris rationem haberetis, paternam in celebrando Paschate consuetudinem relinquistis, diemque commutastis; ut vos ad Imperatoris nutum accommodaretis.*

Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 34.

Epiph. h. 70. n. 9.

De Meletianis decretum Nicænum.

XXIX. Ægyptiacas Ecclesias non Arii procella modò, verùm etiam Meletiana discordia affligebat. Cui quoque morbo Patres remedium adhibuere. Leniore tamen molli manu hoc mali voluerunt. Quid in ea re actum fuerit, doceat ipsa Synodus in sua Epistola ad Episcopos in Ægypto constitutos: *Meletii & eorum qui ab illo ordinati sunt, adhùc reliqua erat contumacia. Placuit igitur clementius erga Meletium agente Synodo, summo enim jure nullam veniam merebatur, ut is in civitate sua maneat, nec ullam habeat aut manum imponendi, aut eligendi facultatem: nec hujus rei causâ, aut in vico, aut in urbe ulla compareat, sed nudum honoris sui nomen retineat; ii verò qui ab ipso constituti sunt, sanctiore ordinatione confirmati ad communionem admittantur, eâ lege, ut honorem quidem ac ministerium retineant, secundo tamen semper loco sint ab iis omnibus, qui in una quoque parœcia, & Ecclesia versantur à carissimo Collega nostro Alexandro prius ordinati. Adeò ut his quidem nulla facultas suppetat, quos visum fuerat eligendi, aut nomen cujuspiam suggerendi, aut omninò quidquam gerendi, sine consensu Episcopi Catholicæ Ecclesiæ, qui Alexandro subjectus est... De Meletio verò ob pristinam ejus contumaciam, & ob temerarium ac præceps hominis ingenium, aliter placuit decernere, ne potestas autoritasque ulla tribuatur homini, qui easdem rursus turbas excitare possit.* Ad rationis normam dirigebatur ea de Meletianis constitutio. Meletio autem qui in majore culpa versabatur, solum Episcopi nomen relinquitur, abrogatis functionibus omnibus. Meletianis Clericis concessum, suas in Ecclesia functiones obire; solum illis ademerunt jus suffragiorum in electionibus, ne suarum partium homines ad honores Ecclesiasticos promoverent.

Theodorit. l. 1. c. 9.

Paphnutius de continentia Clericis injungenda intercedit.

XXX. Quæ Paphnutii consilio magna Synodus decrevit, monumentis ejus sunt adjungenda. Visum erat Episcopis, novam in Ecclesias legem inducere, ut quicunque in sacrum ordinem allecti essent Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxorum, quas cùm Laici essent, matrimonii jure sibi sociaverant, concubitu prorsus abstinerent. Cùmque hâc re in medium propositâ, singulorum sententiæ rogarentur, surgens in medio Episcoporum consessu *Paphnutius*, vehementer vociferatus est, non esse imponendum Clericis & Sacerdotibus grave jugum: honorabiles esse nuptias & torum immaculatum, ne ex nimia severitate damnum potius, quàm commodum afferrent Ecclesiæ. Neque omnes ferre posse tam districtæ continentiæ disciplinam, ac forsitan inde eventurum, ut cujusque uxoris castitas minimè custodiretur. Castitatem autem vocabat, congressum viri cum uxore legitima. Satis esse, ut qui in Clerum fuissent ascripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent. Atque hæc dixit ipse non modò conjugii, sed muliebris quoque congressus penitùs expers. Universus Sacerdotum cœtus Paphnutii sermonibus assensus est. Proinde omissâ ejus rei disceptatione, singulorum arbitrio permiserunt, ut ab uxorum consuetudine abstinerent si vellent. Eandem referunt Historiam Sozomenus l. 1. c. 12. Gelasius Cyzicenus l. 2. Cassiodorus Hist. Trip. l. 2. c. 14. Nicephorus l. 8 c. 19. Admittunt & Spensæus, Medina, Mendoza doctissimo in Synodum Illiberitanam Commentario, Marca de Concord. l. 1. c. 8. Du Pin in Nova sua Autorum Ecclesiasticorum Bibliothecâ: *Quelques-uns doutent de la verité de cette histoire. Je crois qu'ils le font plûtôt dans la crainte qu'ils ont, que ce fait ne donne quelque atteinte à la discipline d'apresent, que parcequ'ils en ayent quelque preuve solide.* Quod judicium nobis placet, neque uti Mendozæ observatum, rejicitur à Gregorio M. Sozomenus, qui hanc de Paphnutio historiam calculo suo comprobavit. Etenim quidem præjudicia apparent scintillæ veri multæ, quæ Socratis ex narratione prosiliunt. Nullam cur fallere vellet causam habuit. Illis etiam temporibus vixit, quibus gestorum Synodi memoria recens, & usus est colloquio viri senioris qui Concilio interfuerat. Neque ex disciplina, quæ finitâ Synodo Orientis in partibus observabatur, falsi postulatur. Ut absque temeritatis nota, totiusque historiæ labe ea Socratis narratio asperni non possit, atque respui. Neque solitarius ea de re testis est. Prætereà multa sunt quæ scribenti fidem concilient. Celeberrimus ille Osius pars Nicæni conventus magna Illiberitano interfuerat, à quo conditus ille Canon: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis; & non generare filios. Quicunque verò fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Quæ lex cùm speciem decentiæ aliquam præ se ferret, nonne vero proximum est, & compluribus apud Nicæam placuisse, ut de ea quoque facienda in Oecumenico Concilio deliberaretur, instigante præcipuè Osio, cujus & consilio, & suffragio in Hispania condita fuerat: quâ certum exploratumque est, annis amplius trecentis usum uxorum Episcopis, Presbyteris, Diaconis fuisse permissum: quam Illiberitani consuetudinem abrogant, quæ tamen Socratis ætate adhùc invaluit: *In Oriente cuncti suâ sponte etiam Episcopi ab uxoribus astinent, nullâ tamen lege & necessitate constricti. Multi enim illorum Episcopatus etiam sui tempore liberos ex legitimo conjugio susceperunt.* Uxore quidem suâ non abstinuit Synesius Ptolemaidis Episcopus: *Mihi igitur & Deus ipse, & lex, & sacra Theophili manus uxorem dedit. Quare hoc omnibus prædico ac testor, neque me ab ea prorsus sejungi velle, neque adulteri instar cum ea clanculum consuescere.* Quæ si, ut par est, Baronius attendisset, de Paphnutio historiam, ut *adulterinam* non repudiasset. Exemplo quoque Synesii extra dubium est, errasse Hieronymum narrantem, in Ægypto Clericos *maritos esse desiisse.* Neque plus in Epiphanio virium, cujus autoritate

ANNO DOM. 325.

Socr. l. 1. c. 11.

Illiber. c. 33.

Socrat. l. 5. c. 22.

Synes. Ep. 105.

Bar. An. 58. n. 21. & An. 325. n. 149.

Socra-

Socratem obruere Baronius tentat. Hæc Epiphanius: *Creari Sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent.* Hanc Ecclesiis nonnullis disciplinam fuisse ultrò fatemur, & Socrates ipse prodidit: In Thessalia *Clericus promotus si post Clericatum dormierit cum uxore, quam ante Clericatum legitimo matrimonio sibi copulaverat, abdicatur.* Qui mos & Cypri, & aliorum quoque locorum esse potuit. In universæ tamen Ecclesiæ institutis hoc fuisse pernegamus: nec jure quidem dici ab Epiphanio potuit, repugnante experientiâ. Aliis de causis Paphnutii historiam ad figmenta Valesius relegat. Quæ cur suspecta sit, has rationes affert: *Nec Rufinus ullam hujus rei mentionem facit; nec Paphnutius ullus memoratur inter Episcopos Ægypti, qui Nicæno Concilio interfuerunt.* Subruendæ tamen historiæ hanc frustrà machinam vir doctissimus commolitur. Paucissima sunt & penè nulla, quæ de gestis in Synodo Rufinus memoriæ mandavit. Neque mirum in subscriptionibus Episcoporum Ægypti Paphnutium non reperiri, cùm in Nicænis subscriptionibus, Præsulum penè centum nomina desiderentur. Quod si Rufini, Socratis, Sozomeni, Gelasii non sufficiat autoritas, ut posteris persuadeat Nicæno Concilio Paphnutium interfuisse, de historia prorsus actum est.

Epiph. Exp. n. 21.

Socrat. l. 5. c. 22.

Vales. Annot. in Socr. c. 9.

Constantinus ultimâ sessione lites Synodi componit.

XXXI. Ut communi Patrum suffragio, quæ fidem spectabant & disciplinam probata sunt, *Die Concilio constitutâ, quâ controversias dirimi oportebat, cùm singuli præsto essent, ex quibus Synodus constabat, in ipsa æde media Palatii, quæ reliquas omnes amplitudine superare videbatur, plurimis sedibus ad utrumque ædis latus ordine dispositis, omnes qui accersiti fuerant introgressi, suo quisque loco consedere. Postquam universa Synodus cum decenti modestia resedit, omnes primum conticuere, Imperatoris processum expectantes. Præcedebant non ut moris est, ex militum & Præfectorum numero, sed ex amicis ii soli qui fidem Christi profitebantur.* Signo dato quo Imperatoris introitus expectabatur, omnes assurrexere. Ingreditur purpureâ indutus veste, auro & gemmis ornatâ. Postquam ad caput subselliorum venit, primùm medius stetit, positâque ante eum humili sellâ ex auro fabrefactâ, non prius assedit, quàm Episcopi ei innuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere. Tum Eustathius, qui in dextra parte primum locum obtinebat consurgens, modicâ oratione Imperatorem alloquitur, propter illum gratias & laudes perhibens Deo. Ad hæc Constantinus Latino sermone, quem alius quispiam Græcè interpretatus est, ad Synodum de pace orationem habet: *Dent operam ut communis Domini fideles Ministri, ut sublatis quàm primùm dissensionis causis, omnes controversiarum nodos pacis legibus sine ulla mora dissolvant.* Eâ demum ratione Deo rem gratissimam, sibi verò ingens beneficium collaturi. Concesso deinceps sermone, προέδροις illis qui principem in Synodo sedendi locum obtinebant, tum alii proximos insimulare cœperunt, alii accusantibus respondere, & vicissim queri. Quam magnam controversiam in ipso principio motam Constantinus patienter auscultans, quæ ab utraque parte dicebantur, vicissim astruens atque adjuvans, pertinacius certantes paulatim conciliavit. Alios vi rationum adductos, alios precibus suis motos, alios laudibus affectos, tandem in omnibus de quibus anteà certabatur, consentientes effecit. Collatis invicem Eusebio atque Socrate, geminum Constantini in Synodum ingressum colligimus. Quem memorat Eusebius, ultimâ demum sessione contigisse liquet. Est autem creditu difficillimum, tandiu expectasse Constantinum, ut nobilissimi cœtus conspectu, quem cupidè desiderabat, frueretur. Sub initia Synodi in illam ingressum esse, verbis perspicuis Socrates testatur. Decens quoque fuit, & paci congruum, ut & in principio, & in fine Constantinus præsentiam conventui suam afferret. Quid vero hoc disputationis, quod Episcopos studia in contraria scindit? Consubstantialis vocem fuisse arbitramur, cui septemdecim repugnabant. Id verò colligimus ex Eusebii ad Cæsarienses Epistola, de formula quæ exhibita Imperatori fuerat: Constantinus, inquit, *eam rectissime conceptam esse, primus omnium testatus est, atque ita sentire se affirmavit, cunctosque hortatus est, ut ei assentirentur, & subscriberent, atque in hanc doctrinam omnes conspirarent, unâ duntaxat voce Consubstantialis adjectâ. Quandoquidem vocem ipse quoque interpretatus est, asserens Consubstantiale a se dici, non juxta corporum affectiones, neque per divisionem, aut per sectionem quandam Filium ex Patre subsistere: Fieri enim non posse, ut materia expers natura, & intellectualis atque incorporea corpoream ullam affectionem admittat, sed divinis arcanisque rationibus id esse intelligendum.* Quæ non innuunt, uti Valesius censet, Constantinum autorem fuisse, ut vox Consubstantialis Synodo apponeretur. Id solum indicant suppeditatum à Patribus hoc vocabulum, ab Imperatore fuisse probatum, & ejus consensu additum in Symbolo.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 10. &c.

Socrat. l. 1. c. 8.

Consubstantialis vox Nicænis probatur. De Eusebii & Theognis subscriptione. Qualis fuerit?

XXXII. Magnum in Imperatoris voluntate momentum fuit ad permovendos Arianorum animos, ut Consubstantiali subscriberent, quod & omnes fecere, exceptis Ario, Secundo, & Thennâ. Synodus audiatur: *Primum igitur habita est quæstio coram piissimo Constantino, de impietate & perversitate Arii, ac sociorum ejus, cunctisque suffragantibus, placuit ut impia ejus opinio anathemate damnaretur.* Arii quoque Thalia diris devota. Neque oblivioni tradendum, Arii patronos conscriptam fidei suæ formulam obtulisse Concilio. Quam perlectam statim ut spuriam & adulterinam Patres discerpsere. Ut obortum Ariani tumultum compescerent, primi exceptis Secundo & Theonâ, quorum in pectoribus plus candoris inerat, Arii sententiam diris devotam excommunicationis fulminibus obruerunt. Perfidâ manu tamen subscripsere Eusebius Nicomediensis, Maris, Theognis aliique, quos Arii venena afflaverant, sub voce homousii, τὸ ὁμοούσιον, callidè occultantes, dissimulatione, quæ ex omni vita tollenda est, usos esse, consilio Constantiæ sororis Imperatoris, memorat Philostorgius l. 1. c. 8. A quo etiam discimus, Secundum cùm in exilium proficisceretur, Eusebio dixisse, *Eusebi, subscripsisti ne in exilium mitteteris; ego verò Deo id mihi revelante confido, te intra annum in exilium abductum iri.* Restrictam tamen fuisse Theognis & Eusebii subscriptionem, ipsi testantur in suo libello: *Cùmque ob securitatem & tranquillitatem Ecclesiarum ea suggessissemus, quæ nobis in mentem veniebant, & eos à quibus nobis satisfieri oportebat, confirmassemus, fidei quidem suscripsisse, anathematismo verò noluisse subscribere: non quòd fidem reprehenderemus, sed quia minimè credebamus, illum qui accusatus fuerat, ejusmodi esse, cùm partim* ex

Theodorit. l. 1. c. 7.

Sozom. l. 2. c. 16.

ex iis quæ ad nos per literas scripserat, partim ex ejus sermonibus in conspectu nostro habitis compertum haberemus, illum talem non esse. Quibus sanè deducimur in angustias, quas exire difficillimum. Acutissimus ad cogitandum Baronius, narrat Eusebium, Theognim, aliosque Arii fautores numero quinque primùm regulam fidei à Patribus constitutam repudiasse, paulò pòst recantata palinodia fidei decretis subscripsisse: *At posthac à Synodo in Arium, damnatâ ejus hæresi anathema inflictum est. Tunc sui scribentibus omnibus Arii anathemati, duo tantum id facere renuerunt Eusebius & Theognis, qui cum Ario à Synodo damnati sunt, & privati sedibus in locum ipsorum Nicomediæ Amphione suffecto, & Chresto Nicææ.* Addit Constantinum ab Eusebio rogatum intercessisse, quominùs in eos decreta executioni mandarentur. At si nonnullis quidem, nobis sanè commenta hæc non placent, quæ solâ vel Epistolæ Synodicæ inspectione refelluntur. Sic est, non duæ apparent Patrum subscriptiones, una corroborandæ doctrinæ, altera damnando Ario: non gemina anathemata, prius quo error, posterius quo Arii persona prosterneretur. Non loco suo in Synodo Nicæna moti Theognis & Eusebius. Quæ omnia Baronianæ imaginationis fœcunditati debemus. Quibus frustra verisimilitudinem inducere tentat ex libello Theognis & Eusebii. Hæc enim supplicum verba: *Quòd si sanctissimo Concilio vestro satisfactum est, non repugnantes, sed consentientes in quæ nobis decreta sunt etiam hoc libello consensum nostrum confirmamus, non quidem tadio exilii, sed ut suspicionem vitemus hæreseos.* Verba hæc Theognis & Eusebii Nicænâ Synodo adhùc stante intelligi non possunt, jam enim exilium passi fuerant, jam revocatus Arius, cùm hic ille libellus oblatus est. Aliâ ratione ad solvendum difficilem nodum Valesius se comparavit, adhibitâ distinctione inter fidem, & anathematismum, ut sic subscripserint: *Eusebius Nicomediæ suprà dictæ fidei consentio, & subscribo, anathemati non item.* Hæc tamen explicatio Valesii Synodicæ pugnat Epistolæ: *Cunctis suffragantibus placuit, ut impia Arii opinio anathemate damnaretur.* Anathemati igitur & subscripserunt Eusebius, atque Theognis. Illud ipsum testatur apud Theodoritum, Eustathius. Cùm enim ingens contra Arianorum fidei formulam tumultus coortus esset, *Proditores fidei metu perculsi exsurrexerunt, primique, exceptis Secundo ac Theonâ, Arium excommunicarunt.* Deinde justam & Synodi, & Imperatoris indignationem effugere non potuissent, nisi cum cæteris impium Arii damnassent errorem: *Verba blasphemiæ plena, quibus Arius utebatur, dicens, Filium Dei ortum ex nihilo, & fuisse aliquando tempus cùm non esset, & pro arbitrii libertate eum vitii ac virtutis capacem esse, & creaturam illum vocans atque facturam,* ne audire quidem patienter sustinuit Synodus, sed ut impia damnavit. Quòd si tot tantasque blasphemias perstringere noluissent, Theognis atque Eusebius nunquam suspicione & perfidiæ, & cum Ario conjunctionis sese expurgassent. Quâ quidem causâ fidei suscribere cogebantur, metu scilicet impendentis pœnæ, eâdem & erroris damnationi suffragati sunt. Cùm igitur verisimilius sit, Eusebium & Theognim mentitos esse quàm Nicænos, quin fraude & mendacio totus sit compositus perfidorum hominum ille sermo, *Se anathematismo noluisse subscribere*, nulli dubitamus ut culpæ suæ qualecunque integumentum compararent. Porro solam Arii doctrinam suis fulminibus Patres percussere, nec alio anathemate personam ejus obruerunt, imo calamitati errantis adhibuere aliquantum misericordiæ, eâ mansuetudine quæ Christi Pastores decet, ne *insultare videremur homini, qui sceleris sui dignam mercedem receperat.* Ignoravit & Rufinus hoc personæ Arii anathema, quod solummodò in ejus doctrinam latum: *Tanta fuit Concilii moderatio, ut non in personam ejus, sed in dogmatum pravitatem fuerit lata sententia.* Quod est longè verissimum, quia non dixerunt Patres, se nominatim Arium anathemati subjicere, suo fulmine doctrinam percussisse contenti.

Bar. An. 325. n. 78.

Sozom. l. 2. c. 16.

Vales. Annot. in Sozom. l. 8.

Theodorit. l. 1. c. 7.

Socrat. l. 1. c. 8.

Ruf. h. l. 1. c. 11.

Acesius à Constantino vocatur ad Synodum. Narratio hæc defenditur.

XXXIII. Porro Imperator decreta Nicæna quasi Dei sententiam veneratur. Ut autem Ecclesiarum concordiæ consuleret, *Acesium* quoque Novatianorum Episcopum ad Concilium evocavit. Cùmque fidei formula à Synodo conscripta esset, omniumque subscriptione firmata, Imperator Acesium interrogavit, num & ipse huic fidei consensum accommodaret. At ille, Nil novi, inquit, à Concilio definitum est, Imperator. Sic enim olim ab initio, & ab ipsis Apostolorum temporibus, tum fidei definitionem, tum festi Paschalis tempus traditum recepi. Rursus interroganti Imperatori, Cur ergo te à communione sejungis? Ille res sub Decio persecutionis tempore gestas commemoravit, & vigorem severæ illius regulæ protulit, eos scilicet, qui post baptismum ejusmodi crimen admiserint, quod peccatum ad mortem divinæ Scripturæ pronuntiant, ad divinorum mysteriorum communionem admitti non oportere, sed ad pœnitentiam quidem invitandos esse, remissionis verò spem non à Sacerdotibus expectandam, verùm à Deo, qui solus jus habet dimittendi peccata. Quæ cum dixisset Acesius, subjunxit Imperator, *Pone scalam, Acesi, & in cœlum solus ascende.* Auxanon Novatianorum Ecclesiæ Presbyter, qui cum Acesio ad Synodum venerat, hæc Socrati locutus est. Fidem narrationi detrahit Valesius, quia & nullius veteris Scriptoris testimonio nititur, & cujusnam urbis Episcopus fuerit, Acesius non dicitur. Quæ non satis firma argumenta videntur, nervosius illud est, quòd centenario major Auxano esse debuerit, quando istud Socrati narravit. Potest tamen de annorum summa nonnihil detrahi, nempe si Auxano annos natus quindecim, Acesium ad Synodum secutus sit. Quo casu annos præter propter septem & sexaginta impleverat, cùm Socrates lucem aspexit, cujus nativitas ab ipso Valesio *circa exordia Principatus Theodosii* statuitur, qui anno CCCLXXIX. à Gratiano in consortium imperii assumitur. Anno igitur ætatis suæ XV. Socrates, ab *Auxanone* annum agente 82. Acesii historiam audire potuit, hæc autem non sunt fide majora, & in eo senio novimus ipsi viros, quibus mens sana erat in corpore sano. Acesium Byzantinæ Novatianorum Ecclesiæ Præfectum egisse, ex Socrate subintelligitur, qui Constantinopolitanus erat: *Auxanum quidem Novatianorum Ecclesiæ Presbyter, admodum longævus fuit.* Quæ de Ecclesia hujus urbis sunt accipienda, in qua Socrates historiam confecit suam. Quid miri quoque Acesium à Constantino accitum fuisse Nicæam, non ut Judicis quidem partes ageret in Synodo, sed ut assensu

Socrat. l. 1. c. 10. & 13.

Socr. l. 1. c. 13.

ANNO DOM. 325.

suo condita Patrum decreta confirmaret, ut felicior lætiorque in imperio pax constitueretur? Nil igitur satis Valesio rationis fuit, cur fastidiret Auxanonis testimonium, quasi *hominis decrepiti & haretici*. A quo quidem Novatianorum errori nil ferebatur. Imo quia senex Auxano eò longius abfuit à mendacio.

Arius in exilium mittitur. Fueritne susceptus à Nicæna Synodo?

XXXIV. Visâ Arii pertinaciâ convertit se ad indignationem Imperator, qui Edictis Ecclesiæ hostem suis proscribit: *Placuit Arium Sectatoresque ejus Porphyrianos vocari, ut cujus imitati sunt mores, ejus etiam vocabulo appellentur. Prætereà si quis forte liber ab Ario conscriptus reperiatur, flammis eum absumi præcipimus, ut non solùm prava ejus doctrina aboleatur, sed ne monumentum quidem ejus ullum posteritati relinquatur. Illud etiam denuntio, quòd si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, nec eum statim oblatum igne combusserit, mortis pœnam subibit.* Quæ extant Constantini in Epistola, scripta Episcopis & Populis. Non admittimus tamen Baronii Chronologiam, Porphyrium adhùc inter homines fuisse existimantis, quo tempore hæc in Arium Constantinus effundebat. Diu antè vitâ abierat, ut suo loco declaravimus. Arius ingressu Alexandriæ prohibitus, in exilium cum Secundo, & Theona ejicitur. *In Illyrium relegatos esse*, docet secundum Philostorgium Nicetas in Thesauro libro 5. cap. 8. Quam irrogatam miseris pœnam innuunt Patres in Epistola: *Ea quidem quæ adversus illum* (Arium) *gesta sunt, vel comperistis, vel brevi comperturi estis, ne nos insultare videamur homini, qui sceleris sui dignam mercedem recepit. Tantam verò vim habuit ejus impietas, ut Theonam Marmaricæ, & Secundum Ptolemaidis Episcopum, secum in exitium pertraxerit.* Eusebius quoque Nicomediensis, ut perfidiæ, sic pœnæ comes fuit, utpote qui hoc ipso anno, *Tribus mensibus post Synodum exactis relegatur*. In honestiorem Arii opinionem Baronius incidit, nempe post recantatam palinodiam, *durante adhuc Synodo, cum fautoribus suis fuisse receptum*. Quam in sententiam Baronium traxit autoritas Hieronymi: *Luciferanus dixit, An tandem & tunc recepti sunt Ariani? Quinam quæso? Orthodoxus dixit; Eusebius Episcopus Nicomediensis, Theognis Episcopus Nicænus . . . & reliqui quos enumerare longum est, ipse quoque caput horum, & causa malorum Arius Presbyter, & Euzoius Diaconus, qui post Eudoxium Antiochenus Episcopus fuit, & Achillas Lector.* Totâ tamen via errantem Hieronymum Baronius sequi non debuit, quem cum suo Hieronymo Synodi refellit Epistola. Ultimus hic Patrum Nicænorum Actus fuit, quo finis Concilio est impositus. Debuisset igitur Arius ante exaratum ad Alexandrinos Epistolam suscipi. Atqui nulla tum ne vel simulata fuit Arii palinodia, cujus alioquin meminissent Patres in sua Synodica, imò anathemati pepercissent quod torquent in nefariam hominis doctrinam. Quod dedecus suâ pœnitentia vitasset. Neque Constantinus, qui benigno in resipiscentes Hæreticos, lenique fuit animo, tam amaris Arium verbis incessisset: *Cùm malos & impios homines imitatus sit Arius, eandem cum illis pœnam infamiæ meretur subire.* Deinde Athanasius, qui Synodo adfuit, testis est certissimus, Arium ab illa non fuisse susceptum. De ejus hæresi, *Cæterùm*, inquit, *ea in Synodo, quæ Nicææ congregata, anathemate damnata est, Ariani que rejecti sunt.* Quid multa? Constat Arium anno CCCXXXIII. ab Hierosolymitana Synodo admissum esse, testemque adducimus Synodi ad Ægyptiacas Ecclesias Epistulam: Imperatur *Autor fuit, ut simplici & placido animo reciperemus Arianos, quos aliquandiu improba invidentia extra Ecclesiam detinuit.* Hactenus igitur Arius ab Ecclesia alienus erat. Quòd si susceptus à Nicænis fuisse, ab alia quidem Synodo ejici debuisset, ut à societate Ecclesiæ ad usque Constantini Tricennalia disjunctus inveniretur. Quam novam Arii ejectionem historiæ in monumentis frustrà quærimus. Synodo optatissimum finem imposuit Synodica Patrum ad Ægyptios Epistola. In exultantem lætitiam Imperatorem conjecere, quæ decreta fuerant, quæ de re ad Ecclesias scripsit, quas & hortatur, ut *cælestem gratiam & planè divinum mandatum libentibus animis suscipiant*, eodem die Paschæ festum celebrent, ut cum illis dum venerit, simul peragere possit.

Synodus absolvitur. Ejus autoritas.

XXXV. Absolutâ Synodo, quo tempore Vicennalia celebranda erant, Imperator Episcopos ad convivium vocat, ut eo velut sigillo discordiæ omni clausula imponeretur, paxque inviolata maneret. Dedit & Præsulibus munera. Cum discessione Patrum jam cœtus dissolvendus esset, certo die omnes in unum convocatos allocutus est, ut ipsis valediceret. Admonuit ut pacis servandæ studiosi essent, si quid humanitùs peccatum esset, mutuò veniam sibi indulgerent, quibus adjecit, ut pro se quoque preces ad Deum sedulo funderent. Cùm in hunc modum eis valedixisset, cunctis posthæc in patriam redeundi potestatem fecit. Historia magni Concilii hæc est, quod omnibus Ecclesiis habetur venerationi. Magnum reverà in effusos errores pietatis munimentum, de quo Justinianus Constitut. 131. Sancti Concilii decreta *perinde ut sacras Scripturas suscipimus, & Canones ut Leges custodimus.* Hoc propugnaculum Hæreticorum bello tutum paratur, Judice Athanasio: *Qui usus quæso Conciliorum, cùm Nicænum Concilium adversus Arianam cæterasque hæreses satis valeat, quas per sanam fidem condemnavit?* Illud tamen Scripturæ postponit Athanasius: *Frustra igitur circumcursitantes prætexunt, ob fidem Synodos se postulare, cum sit divina Scriptura omnibus potentior.* Magna tamen est autoritas Synodi hujus. Itaque cùm pro Nicæna, Sardicensium Ecclesiæ R. Legati, Afris obtruderent, respondit Augustinus: *Et hoc nos servare profitemur, salvâ diligentiore inquisitione Concilii Nicæni.* Addidit Jocundus Legatus Provinciæ Byzacenæ: *Quod constitutum est in Nicæno Concilio, violari à quoquam nullatenus potest.* Cart. 6. c. 7. Inspiciantur & Leonis Epistolæ 53. & 55. Gregoriique lib. 1. Epist. 24. Eò magis amore & veneratione dignum est Nicænum, quò S. Trinitatis hostibus in contemptum venit. Dudum est quod Sabinus in illud involavit: *Sabino Macedoniano non credamus, qui imperitos ac simplices vocat eos, qui in eo Concilio convenerunt. Nam Sabinus Macedonianorum apud Heracleam Thraciæ urbem Episcopus, qui diversarum Synodorum Acta unum in corpus collegit, Nicæni quidem Concilii Sacerdotes quasi rudes & simplices ridet.*

Fuerintne Acta Nicæna à scriptis quæ nunc extant diversa?

XXXVI. Fidei Symbolum, Canones, Epistola Synodica, Nicæni literis mandantur. Num verò Acta Concilii scripta fuerint, immensæ quæstionis est. Fuisse quidem *Acta Nicæna accuratissimè scripta*, ait Baronius. Atque in eam rem Atha-

Socrat. l. 1. c. 9. — *Bar. An. 325. n. 89.* — *Theodorit. l. 1. c. 9.* — *Philostorg. l. 1. c. 9.* — *Bar. An. 325. n. 80.* — *Hier. adv. Lucifer. c. 7.* — *Socrat. l. 1. c. 9.* — *Athanas. Apolog. 2. 777.*

ANNO DOM. 325. — *Ath. de Syn. t. 1. 890.* — *Socrat. l. 1. c. 9.* — *Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 21.* — *Athan. de Syn. t. 1. 873.* — *Socrat. l. 1. c. 8.* — *Baron An. 325. n. 72.*

ANNO DOM. 325.

Athanas. de Syn. t. 1. 873. Athanasii testimonium esse putat: *Quòd si ad hanc rem usus Synodi desideratur, supersunt Acta Patrum. Nam neque hac in parte negligentes fuere, qui Nicaa convenerunt, sed ita accuratè scripserunt, ut qui sinceriter eorum scripta legat, facilè reminiscatur ejus in Christianos Religionis, qua à Sacris Literis annuntiatur.* Quò nil quidem disertius esse potest ad persuadendum, Acta Nicæna scripta fuisse, si solam Athanasii versionem audiamus. At si Græca consulimus, quæ Baronius non adiit, periit id argumenti. Hoc tantùm habet Athanasius: ὅτι τὰ τῶν πατέρων, *supersunt Patrum scripta.* Ut pace N. Alexandri vincunt sequentia: ἀλλὰ καὶ ἐγράψαν οὕτω καλῶς. Baronii ergo sententiam non adjuvat Athanasius, cui Symbolum, Canones, Epistola Synodica in mentem venere. At alia sunt quæ illustrissimi Purpurati opinioni faveant. Hieronymus: *Legamus Acta, & nomina Episcoporum Synodi Nicana, & hos quos suprà diximus fuisse susceptos, subscripsisse homousion inter cateros reperiemus.* *Hieron. adv. Lucifer. c. 7.* In scriptis sanè Synodi, quæ nunc extant, non reperimus *Euzoium Diaconum, Achillam Lectorem* fuisse susceptos. Cui testimonio non minimum roboris accedit ex Hieronymi ipsius Præfatione in Librum Judith: *Hunc*, inquit, *librum Synodus Nicana in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse.* Qua de re ne μὰ quidem in scriptis Nicænis. Acta igitur innuere videtur Hieronymus, quæ temporis injuriâ periere. Est & Ambrosii autoritas huic opinioni præsidio, ad Vercellensem Ecclesiam Epistolâ: *Prius cognoscamus, non solum hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Nicano tractatus addidisse: neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.* Qui sunt illi *tractatus* à Nicænis additi? Non Symbolum sanè, non Canones, non Epistola Synodica. Acta ergo ab scriptis ejusmodi diversa indicat Ambrosius. Gelasius quoque Cyzicenus Actorum meminit: *Gelas. h. n. l. 1.* *Omnia qua in praclara illa, & S. Synodo dicta, facta, & constituta fuerant, jam pridem cùm in paterna domo vitam degerem, legi cùm illa invenissem in antiquissimo libro, in membranis planè integris descripta, qui fuit divini & celebris Dalmatii in illustri Cyzicenorum metropoli, Sancta atque Catholica Ecclesia Archiepiscopi.* Est etiam rationi consonum, Nicænos Patres omnem adhibuisse curam atque diligentiam, ut singula tam sacri cœtus, gesta & dicta memoriæ traderentur, cùm id maximi in Ecclesia momenti futurum ignorare non possent. Contrà verò nulla Synodi Acta scriptis mandata fuisse, gravibus sanè argumentis ostenditur. Primùm enim ea sola scripta fuisse, quæ communi Episcoporum omnium calculo comprobantur, testatur Eusebius: *Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 14.* *Porrò ea qua in commune placuerant, scriptis mandata, & singulorum subscriptione corroborata sunt.* Est autem incredibile, placuisse Episcopis omnibus, Acta Synodi in lucem edi, utpote quæ disceptationes continerent atque rixas complures, multa etiam quæ Arianis honori non fuissent, quæ forsan causa fuit, cur libris, & chartæ credi noluerint. Hæc ergo omnium subscriptione consignata esse quis credat? Ea verò sola typis mandata sunt, quæ ab omnibus corroborabantur. Aliud argumenti Valesius affert ex Athanasio, cui multum roboris est: *Athan. de Syn. N. Decr. t. 1. 250.* *Tibi verò ea qua in Concilio acta essent sciscitanti, nullam mihi moram interponendam putavi, quin statim uti res gesta esset perscriberem, quo statim intelligeres quam prorsus pro sensu haresis Ariana destitueretur.* Quòd si Acta à Notariis excepta fuissent, nil opus Athanasio de gestis amico suo scribere. Hâc se molestiâ facillimè liberasset, verique notitiâ gesta requirentem melius etiam imbuisset, transmisso Actorum exemplari. Quo loco observandum est, amicum Athanasii non circumstantias aliquas, sed quæ *in Concilio acta* essent, flagitasse, quorum cognitione informari voluit. Deinde nulla Synodi scripta fuisse præter illa, quæ etiamnum supersunt, ex Epistola Patrum Synodica colligitur: *Si quid prasente charissimo Collegâ & fratre nostro Alexandro definitum est, αὐτὸς παρὼν, id ipse cùm venerit, vobis accuratius referet.* Vocem παρὼν neglexit Valesius, quæ magni tamen momenti est. Præsentia quidem Alexandri Ægyptiaco Clero opus non erat, ut accuratiori rerum in Synodo gestarum notitiâ imbueretur, si in chartis consignatæ fuissent. Sed & Acta ea Veteres quandoque laudassent, utpote facillimè ab oblivione vindicata, quòd Episcoporum penè omnium manibus tererentur. Atqui Hieronymus, qui Actorum meminit, in illa non deposuit oculos. Quod si fecisset, nunquam scripsisset Arium à Nicænis Patribus fuisse susceptum. Quæ verò Gelasius memorat, ea magno nobis argumento sunt, Acta scriptis mandata non fuisse. Quem enim Dalmatius Cyzicenæ Præsul Ecclesiæ, veterem libellum habuisse dicitur, ex quo Gelasius ea deprompsit, quæ suppeditatis, tam falsa, tam à vero aliena continet, ut insignitæ in illis mendacii notæ statim appareant. Ex falsa igitur sive conjectura, sive fama Hieronymus, Ambrosiusque Acta à scriptis Nicænorum Patrum diversa extitisse, sibi in animum induxerunt. Plus in ea re valet Athanasii autoritas atque Eusebii, quàm Ambrosii Hieronymique testimonia.

Symbolum Nicænum. XXXVII. Missis ergo Actis Synodi, quæ nulla fuisse vero propius, ad scripta nunc est veniendum. Omnium verò ore celebratur Symbolum: *Socrat. l. 1. c. 8.* *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium Creatorem, & in unum Dominum J. C. Filium Dei, genitum ex Patre unicum, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum. Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qua in Cœlo sunt & terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, incarnatusque & homo factus est, & passus, qui resurrexit tertiâ pòst die. Ascendit ad Cœlos, venturus est ut vivos judicet ac mortuos: & in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt, fuit aliquando tempus cùm non esset, & antequam gigneretur non erat, vel quòd de non extantibus factus sit, aut qui ex altera substantia, vel essentia dicunt esse Filium Dei aut creatum, conversioni mutationique obnoxium, anathematizat S. Cath. & Apost. Ecclesia.* Calculum album Symbolo addidit Eusebius, quod & suis Cæsariensibus notum voluit: *Ac ne ipsam quidem vocem Consubstantialis rejicimus pacis intuitu. Pari etiam ratione has etiam voces approbavimus, genitum non factum.* Verbis dein expressis Arii errorem damnat: *Fuit aliquando tempus cùm non esset Christus, visum est nullatenus rationi consentaneum esse, ut hæc docerentur.* *Ibid.* Quæ Ecclesiæ Cæsariensi scripsit, ut de Synodi sententia eam informaret.

XXXVIII.

ANNO DOM. 325.

Quis Nic. Symboli scriptor? Autoritas. Perstrinxeritne Arium, ob errorem in Spiritum Sanctum?

XXXVIII. Formula hæc Nicæna, quæ omnium conspiratione corroborata est, unius tamen manu & calamo videtur esse confecta. Quem Ozium fuisse Ariani prædicant non repugnante Athanasio. Osius est *Princeps Synodorum, & si quid scribit ubique auditur. Hic fidem in Nicana Synodo exposuit, atque declaravit.* Quæ ad fidei formulam meritò possunt accommodari, ut ea de causa in maximum Osius Arianorum odium inciderit. Scribendo Symbolo Hermogenis, qui Leontii Cæsariensis Episcopi Diaconus erat, operam adhibuisse ex Basilio M. colligitur.

Athan. ad Solit. t. 1. 837.

Cum Jovinianus Imperator Athanasium fidei Magistrum sibi delegisset, ab eo & hoc Symbolum accepit, quo ad pietatem erudiretur. Hæc itaque scribit religiosissimo Principi:

Athan. t. 1. 245.

Cùm pietas tua cupiat à nobis cognoscere Ecclesiæ Catholicæ fidere, Deo super ea te gratias habitis, nihil nobis consultius visum, quam ut fidem à Patribus Nicanis confessam, tuo religioso animo recitaremus. Illud vero est in memoria recondendum, Symbolum non Filii modò, sed Spiritus quoque Sancti divinitati esse præsidio. Quod Joviniani in animum insinuat Athanasius: *Sed nec alienavit Spiritum Sanctum à Patre & Filio, verùm illum gloriâ afficit, una cum Patre & Filio, & in una S. Trinitatis fide, eò quòd una sit in Sancta Trinitate Deitas.* Non enim solius Filii, sed & Spiritus Sancti numen Arius evertebat, ut jam observavimus. Athanasius quidem queritur esse nonnullos, qui ex inferis Arianorum errorem revocantes,

Athan. ad Jovin. t. 1. 248.

Malè consubstantialitatem interpretantur, & blasphemias Spiritui Sancto ingerunt, quem creaturam & per Filium conditum asseverant. Sed & in sua ad Serapionem Epistola, de Hæreticis Spiritus Sanctus divinitatem impugnantibus,

Athan. t. 1. 175.

Atque hunc, inquiunt, fit ut Arianis Spiritum Sanctum creaturam asserentibus fidem habeamus. Negatâ quidem Filii divinitate manifestò necessarióque sequitur, Spiriritum Sanctum Deum esse non posse, uti ipse docet Athanasius in eadem Epistola: *Semel inficiati Dei verbum, congruenter jam easdem blasphemias de Spiritu Sancto loquuntur p. 174.* Qui posset enim Filius quam non haberet divinitatem, Spiritui Sancto suppeditare? Gelasius quoque Cyzicenus, geminum hunc errorem suxisse Arium scripto prodidit.

Gelas. H. N. lib. 1. cap. 1.

Scelesti, inquit, Ariomanitæ, *Non solum contra Filium, sed etiam contra Spiritum Sanctum blasphemabant.* Consentit & Autor disputationis Athanasii cum Ario, cui hæc verba fœnerat:

Athan. t. 1. 148.

En hac infidelitate liberavit me Dominus, qua non unam fidem, sed triplicem docet, unam de Patre aterno, alteram de Filio creato, tertiam de Spiritu factitio. Itaque non assentimur Baronio, qui de Spiritus Sancti divinitate, nil ab Ario controversiæ motum esse credidit. Non ignoramus Basilium ipsi esse auxilio, atque Hieronymum.

Basil. Ep. 78.

Basilius: *Sententia de Spiritu Sancto in transcursu sine omni diligentia posita est, propterea quòd nondum mota esset ista quæstio, sed adhuc credentium securus ac nullis subjectus insidiis inesset de Spiritu Sancto intellectus.*

Hieronym. Ep. 65. cap. 1.

Hieronymus: *Et idcircò Spiritus Sanctus neganda Majestas est, quia in illa Synodo super substantia ejus silentium fuit. . . . Quæstio fuit de Filio, non de Spiritu Sancto, confessi sunt quod negabatur, tacuerunt, de quo nemo quærebat.* Atque in his fundamentis sententiam meritò suam collocasse videtur Baronius.

An. 325. n. 75.

At tantis Autoribus Athanasium opponimus, cujus in ea re testimonium momenti est longè majoris. De perfido Ario Sanctus ille Pater: *Quomodo de Spiritu Sancto rectè opinaretur, qui blasphemus est in verbum, quod Spiritum Sanctum suppeditat.* Non igitur de Spiritu Sancto Arii sana fides fuit, quod expressis quoque verbis testatum reliquit Athanasius, in eadem oratione p. 312.

ANNO DOM. 325.

Athan. Or. 2. in Arian. t. 1. 313.

Substantias Patris, & Filii, & Spiritus Sanctus alienas esse ait, & prorsus omnibus modis inter se dissimiles, ratione substantiæ & gloriæ usque ad infinitum. Majori tamen diligentiâ Filii quàm Spiritus S. divinitas in Symbolo Nicæno pertractata est, quia à Filio primùm incepit controversia. Excidit Hieronymo, de Spiritu Sancto Nicænos tacuisse Patres, quem tamen ut Deum cum Patre adorandum, ex ipso Symbolo demonstrat Athanasius. Cæterùm qui non erant initiati ea arcani disciplina, Symbolum cis Nicænum occultabatur. Qua de re insignis locus est apud Sozomenum:

Sozom. l. 1. c. 20.

Ut posteris in perpetuum ratum ac manifestum esset ejus fidei Symbolum, existimaveram exemplum illius fidei, ad veritatis demonstrationem hic necessariò apponendum esse. Sed cum quidam ex amicis viri pii suasissent mihi, ut ea quidem quæ à solis initiatis ac Sacerdotibus dici audirique fas est, silentio involverem, eorum consilium probavi. Quippe verisimile est, quosdam Sacramentis fidei nostræ minimè initiatos hunc librum lecturos esse. Ejus enim recitatio pars erat rituum observandorum Catechumenis, ut baptismo tingerentur. At Fideles & Symbolo Nicæno, Deum hymnis palam & publicè celebrabant, quod imperante Constantio apud Antiochiam factum esse novimus. Non tamen ex *instituto* Synodi id moris exortum est, neque hoc innuit Sozomenus, ut Baronius sibi velle videtur Anno 325. n. 173. Symboli Nicæni amor, fons hujus consuetudinis fuit, ut sub finem hymnorum, Eustathiani Antiochiæ fidem ostenderent suam. Patrem, & Filium æquali honore afficiebant, dum inæqualem prædicabant Ariani. Ne Nicæno Symbolo id honoris haberetur, Leontius Arianorum apud Antiochiam Episcopus prohibere non sustinuit. Admotâ tantùm manu capiti jam canescenti dixisse fertur:

Sozom. l. 3. c. 20.

Hâc nive liquefactâ, multum erit luti. Significans ex hymnorum discrepantia, quorum alii Symbolo Nicæno congruebant, alii pugnabant, turbarum non minimum Leontii post obitum esse movendum. Porro quantâcunque celebritate Symbolum Nicænum floreret, non eò gloriæ processit, ut cantaretur in Ecclesiis, quo tempore Symbolum canendi mos introductus est. Constantinopolitani hæc laus fuit, quod multi, sed perperam *Nicæni* appellatione exornarunt. Qua de re Strabo de Rebus Ecclesiasticis c. 22. *Notandum Græcos illud Symbolum, quod nos ad imitationem eorum intra Missas assumimus, potius quàm alia, in cantilenæ dulcedine ideò transtulisse, quia Constantinopolitani Concilii proprium est, & fortasse aptius videbatur modulis sonorum, quàm Nicænum, quod tempore prius est.* Aliam tamen causam fuisse existimamus, cur Symbolum Nicænum in hymnis Constantinopolitano sit postpositum. Ratio hæc fuit, quòd Constantinopolitanum amplius esset, aptiusque refellendis erroribus videretur. Symbolum excepere Canones, de quibus mox disseramus. Synodicam quoque Epistolam Ægyptiis mittendam Nicæni exararunt. Quos de damnato Ario monitum eunt. Subjungunt dignitatem Meletio suam servatam esse, eâ lege tamen, *Ut in sua civitate maneat, nec ullam habeat aut ma-*

nus

Anno Dom. 325.

nus imponendi, aut eligendi potestatem, nec hujus rei causâ aut in vice, aut in urbe ulla compareat. Qui ab eo constituti sunt, secundo semper loco sint ab illis Clericis, quos prius Alexander creavit. Nunciant præterea de die Paschatis lites esse compositas. Sed & Imperator Episcopis, qui Nicææ non interfuere, Epistolam direxit, quibus ait, de celebrando Paschate cum Judæis nil commune esse debere. Eò absurditatis Judæorum disciplinam pervenisse, ot *uno eodemque anno duo Paschata celebrent*, indecorum esse viris pietatis & ordinis amantibus, alios vacare jejuniis, alios in festivitate versari. In votis sibi esse, ut cum ipsis, uno eodemque die Paschatis solemnitatem celebret. Has Theodoritus Epistolas ab injuria temporis servavit, Historiæ libro primo c. 9. & 10. Canonibus ounc advertamus animos.

De Canonum Nicænorum numero. Arabici Canones Nicænis sunt longè posteriores.

Athan. t. 2. 623.

XXXIX. De numero Nicænorum Canonum controversia est ioter eruditos. Octogiota Francisco Turriano recensentur, qui ad LXX. redacti fuere. Quod commentum commendavit posteris, atque credidit Autor Epistolæ ad Marcum Papam, nomine Athanasii: *Quando prædicta Synodo cum Pontifice nostro, id est, Alexandrinæ civitatis Episcopo in Diaconatus officio sub nostra præsentia testimonio per beatos viros, Victorem & Vincentium Presbyteros, Apostolica sedis Apocrisiarios, missa sunt prædicto Papa Sylvestro, cum astipulatione subnexa Capitula Septuaginta. Sanè præsentibus nobis octoginta Capitula in memorata tractata sunt Synodo semel, & quadraginta à Græcis, Græcâ dicta linguâ, & quadraginta à Latinis similiter, dicta Latinâ linguâ. Sed visum est* CCCXVIII. *Patribus, ut decem Capitula adunarentur aliis, atque congruis in locis insererentur, & ad formam* LXX. *discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum* LXX. Quæ Capitula larvatus sibi mitti petit Athanasius, quòd Alexandrina Ariani fidei io contumeliam Canonum exemplaria incenderant. Non sapienter tamen hæc in Epistola fundata est, & extructa de LXX. Canonibus opinio Turriani, cùm vel lipporum io oculos incurrant subditæ Epistolæ vestigia. Non nesciebat quidem Athanasius, alteri Sylvestri Legato oon *Victori*, sed Vito fuisse nomen: neque moris erat Alexandrino Episcopo, Romanum Præsulem nomine Patris afficere: *Precamur, Pater beatissime.* Non etiam digna hæc Athanasio, *Orantem pro nobis, Apostolatum vestrum suis Dominus conservet temporibus.* Abrahamus Echellensis Maronita ex Arabico Canones LXXXIV. Latinè reddidit. Alias etiam Nicænæ Synodo Constitutiones vindicant Arabici Codices. Prior quæ Monachos & Anachoretas attinet, Capitula complectitur XV. Posterior de Consecratione Templorum, reliquiis, altaribus, ordinibus Sacerdotum, Missæ sacrificio, Chorepiscopis, Synodis, Excommunicationibus, aliisque ejusmodi ad disciplinam spectantibus tractat: continet autem capita XIX. Qui antiquitatem à limine salutavit, Constitutiones ejusmodi, ingentemque Canonum numerum à Nicænis Patribus abjudicabit. Eorum sanè nonnulli cum ipsis Synodi Nicænæ decretis pugnant. Echellensium Canon 37. *Sint*, inquit, *quatuor Patriarchæ in universo mundo.* Quorum tertius Ephesinus numeratur: *Tertius verò Dominus Ephesi, & est sedes Joannis Theologi divina eloquentis.* c. 38. *Non subjiciatur Episcopus Hierosolymorum aliis Episcopis.* Nicæni tamen ejus Metropolitano propriam dignitatem servant. c. 42. *Ne Patriarcham sibi constituant Æthiopes, quia Patriarcha ipsorum est constitutus sub Alexandrini potestate.* Atqui nil juris Nicæni tribuunt io Æthiopiam Episcopo Alexandrino c. 43. De Cypri Metropolita Ephesinæ Synodo contrarius est: *Si obierit diem suum Metropolitanus Insulæ Cypri in hyeme, nec potuerint mittere Antiochiam, scribant Patriarchæ permissionem ab eo petentes, ut constituant sibi quem voluerint loco Metropolitani.* c. 40.. Nicænis noo competit: *Non permittit magna Synodus, ut congregentur in Provincia Persidis sine licentia Patriarchæ Antiochiæ.*

Anno Dom. 325.

Legitimi Canones Nicæni sunt viginti numero.

Baron. An. 325. n. 180.

XL. Quæ Baronio Antiquitaos notitia est, illum à Turriani sententia revocat: *Quoniam hæc ignorasse majores visi sunt, quando de iis oborta controversia, de iis mentio necessaria incubuisset, hæc libentius aliis disserenda relinquemus.* Non inficiatur tamen, *Canones Nicænos numerum vicenarium excessisse.* At contra fictioum Canonum numerum Antiquitatis testimonio veritas defenditur, quæ oullos nisi XX. Canones Nicæoos pro legitimis habuit. Quòd si numerus variat in Rufino, qui XXII. exhibet, quæ in *numerante*, ut ajunt, numero diversitas est, evanescit in *numerato*, atque diffluit, quia duobus divisis quatuor conflavit Rufinus. Ex sexto scilicet, quem partitus est, binos fecit, sextum, & septimum. Hinc Canon VIII. de *Novatianis* Rufino numeratur IX. ex sexti divisione. Rursus octavum illum de *Catharis*, quem & partitur, ipsi constituit & decimum oooum. Adductis Canonibus res clarior evadet. Is est Rufino Canon VII. *Et ut si fortè in ordinando Episcopo duo, vel tres pro aliqua contentione dissentient, reliquorum autoritas, & præcipuè Metropolitani cum cæteris firmior habeatur.* Hic ille Canon, qui VII. Rufino dicitur, pars sexti est. Sed & quem scribit decimum, *Et ne in una civitate duo sint Episcopi*, octavo de Novatianis includitur. Sic in XXII. Rufinianis nil reperitur, quod viginti vulgatis Nicænis Canonibus noo contioeatur. Quo argumento ex Baronii animo sua opinio evelli debuit. Adeò imperitum scilicet Nicænorum Canonum Rufioum, ut ne vel numerum nescierit, etsi eo seculo vixerit quo conditi sunt. Sed peritior fortè Theodoritus, qui solos tamen viginti novit: *Post hæc Episcopi rursus in unum convenientes, de Ecclesiæ disciplina viginti Leges conscripsere.* Eodem & numero Canones circumscribit Gelasius atque definit, Historiæ suæ libro secundo c. 32. *Has viginti Leges sanctus Episcoporum ille consessus, in præsentia Deo carissimi & celeberrimi Imperatoris Constantini, de administratione Ecclesiastica scripserunt.* Denique cùm sive arte, sive imperitiâ Commonitorium Faustino, Asello, & Philippo dedisset Zozimus, quo in Nicæno Concilio decretum esse dicebatur, ut Episcopi loco suo moti ad Pontificem R. confugientis renovaretur judicium, quæ Sardicensis quidem, non Nicænæ constitutio Synodi fuit. Afri, quorum Notarius nomine *Daniel*, & Symbolum Nicænorum & statuta recitaverat in Concilio Africano, ubi suis in exemplaribus non invenere, quæ quasi decreta Nicæna proponebantur, scripserunt Antiochenæ, Alexandrinæ, Constantinopolitanæ Ecclesiarum Episcopis, *Ut exemplaria verissima Concilii Nicæni sub astipulatione literarum suarum dirigant.* Miserunt autem Canones viginti. Quorum ad finem hæc apposita legebantur. XXI. *Sanctum Concilium:*

Theodorit. lib. 1. c. 8.

Traditis omnibus & ritè dispositis, ut Ecclesiarum pax & fides in Orientis atque in Occidentis partibus una eademque servetur, hac Ecclesi ftica statuta necessariò credimus inserenda. Apparet tamen atque extat, notam hanc numeral m XXI. esse delendam, cùm verba quibus præfigitur, Canonis sint additamentum, non Canon legitimus. Ex authenticis ergo exemplaribus, constat Solos XX. Canones Veteribus & cognitos, & admissos fuisse, quos à *Theilone* & *Tharisto* de Græco in Latinum conversos, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus Episcopi requirentibus Afris miserunt. Quæ de libro Judith habet Hieronymus, *Hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse*; aut de bigamis ad Clerum non promovendis scribit Ambrosius, *Patres in Concilio Nicæno tractatus addidisse*; nil sanè virium habent multiplicandis Canonibus, quorum nec Ambrosius, nec Hieronymus meminere. Alii tractatus, alii Canones. Quod satis est refellendo Baronio, qui ex tabulis ejusmodi Nicænos Canones naufragii aliquid passos esse tradit. (Baron. An 325. n. 157.) Sunt & apud Gelasium Diatyposes octo. Quòd oporteat laborare. De Clericis sacri ordinis. Quòd non oporteat Laicos in suggestum ascendere. De sancto Baptismo. De divina Mensa, & quòd in ipsa est corporis & sanguinis Christi mysterium. De Resurrectione à mortuis. Quòd una est Ecclesia Dei. De Providentia & Mundo. At & hæc, & alia ejusmodi nil ad Canones. Quæ si admitterentur Nicænorum esse, ad Acta spectare possent, ad Canones non possent. Quanquam jam ostenderimus, ne vel in Actis Nicænis hæc esse quærenda, quæ Ambrosius Hieronymusque referunt, quorum Gelasii in Historia neque vox est, neque vestigium. In Actis quidem Nicænis se legisse, *in S. Scripturas librum Judith esse relatum*, non dixit Hieronymus: ubi legerit nullus monuit. Ambrosium memoriâ lapsum esse, nobis certum est. Quæ enim de mulieribus συνεισάκτοις Clero vitandis Synodus habet, nil bigamos attinet. Cum extraneis habitare fœminis Clericus posset, qui nil nuptiarum contraxit. Vice versâ potest Laicus bigamus esse, qui mulieris *Agapetæ* nescit.

XLI. (Canones Nicæni.) Legitimo Canonum Nicænorum numero constituto, quæ complectantur, nunc inspiciendum. I. Qui vel morbo, vel Barbarorum furore abscissi sunt, Clericis dignitatem servat suam: qui verò sponte sese castraverunt, illos vel à Clero removet, vel in Clerum promoveri vetat. Causam præbuisse Canoni recens Leontii facinus, qui ut *Eustolii* mulieris libero commercio uteretur, sese mutilarat, Baronii sententia est. (Baron. An 325. n. 146.) Nostro tamen judicio factum Leontii Concilio posterius est. Nobis quidem assentitur Theodoritus: (Theodorit. l. 2. c. 24.) *Leontius Episcopatum obtinuit, contra Nicænos Canones eum honorem sortitus est. Erat enim eunuchus suâque manu se absciderat.* Quibus Theodoritus indicat, Leontium hanc in Legem peccasse. II. Ne quis nuper assumptus ex vita Ethnicorum, accepto baptismo, antequam cautius examinetur, Clericus fiat. III. Ne quis Clericorum cum συνεισάκτοις fœminis habitet, quæ alio vocabulo *Agapetæ*, & *Contubernales* dicebantur: Habeat solummodò mulieres, quæ suspicionem omnem effugiunt, matrem, sororem, amitam. Uxores extraneis non includi, non ex voce modò συνεισάκτοις, sed re quoque ipsâ perspicuum est. Nulli Clericorum, non Subdiacono, non Lectori, non Exorcistæ cum hisce mulieribus extraneis habitare conceditur. Quin tamen minoribus Clericis uxores permitterentur, ne Baronius quidem inficiari potuit. Eas ergo mulieres prohibent, quas Antiochena Synodus improbaverat: (Euseb. l. 6. cap. 30.) *Quid hic referre attinet subintroductas mulieres, tam Pauli, quam Presbyterorum ejus, & Diaconorum.* Utrobique par germanumque occurrit vocabulum συνεισάκτων. IV. Ut Episcopus si fieri potest, à totius Provinciæ Episcopis ordinetur. Si hoc difficile est, certe non minus quàm à tribus, ita tamen ut Metropolitani vel præsentia, vel autoritas habeatur, absque quo nulla erit ordinatio. V. Ne quem Episcopus de Ecclesia expulerit, sive Clericum, sive Laicum, suscipiat alius. Ne verò quod aut iracundiâ aliquâ, aut contentione injustè factum fuit, remedium non haberet, per singulos annos in singulis quibusque Provinciis bis Concilia celebrentur, ut si forte ab uno iniquè aliquid gestum est, à cæteris emendetur; si rectè, confirmetur. VI. Antiqui mores serventur, ut Alexandrinus Episcopus Ægypti, Libyæ, Pentapoleos potestatem habeat, quia Romano Præsuli consuetudinis est sic Provinciam & administrare suam. Absque Metropolitani sententia creari Episcopus non potest: in contentione vincant plurium suffragia. Condendo Canoni occasionem suppeditavit Meletius, qui Ægypti ordinationes usurpaverat. VII. Episcopo Æliensi antiquitùs tradita honoris prærogativa servetur, manente nihilominùs Metropolitani ipsius Provinciæ dignitate. Ea legis mens esse videtur, ut in Palæstina Cæsariensis Episcopus Hierosolymitanum honore antecellat, & in Synodis præsideat, quod in Synodo ob Paschatis quæstionem agitata factum novimus, de qua Eusebius: (Euseb. l. 5. cap. 23.) *Extat etiamnum Epistola Sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt, quibus præsidebant, Theophilus, Cæsareæ Palæstinæ, & Narcissus Hierosolymorum Episcopus.* At extra Provinciam honor deferebatur Hierosolymitano, qui Cæsariensi antecedebat in Synodis. In Antiochena quidem Hierosolymitanus Cæsariensi præponitur: (Euseb. l. 7. cap. 28.) *Sed & Hymenæus, qui Ecclesiam Hierosolymitanam regebat, & Theotecnus qui Cæsariensem illi finitimam administrabat.* VIII. Cathari qui & Novatiani, qui ad Ecclesiam accedunt, impositis manibus in Clero maneant, eâ lege, ut cùm digamis communicent, & lapsis, qui pœnitentiæ tempus implevere. Apud Catharos Episcopus Presbyteri honorem habebit, nisi placeat Episcopo ipsum titulo Præsulis afficere. Quòd si non placeat Chorepiscopi, vel Presbyteri locum ei quæret, ne in una civitate duo sint Episcopi. IX. Qui indiscretè ad Sacerdotium promoti sunt Presbyteri, si quid criminis de se fatentur, loco movebuntur. X. Lapsi qui ordinati sunt deponuntur. XI. Lapsi qui non metu periculi, sed spontè sacrificarunt, si pœnitentiam agunt, triennio inter Audientes versantur, septennio inter Prostratos: duobus annis absque oblatione Fidelibus in oratione junguntur. XII. Qui propter confessionem militiam abjecerunt, & rursum ad hanc abierunt, hi XIII. annis pœnitentiam gerant, & posteà suscipiantur. Sit tamen in potestate Episcopi aliquid indulgentiæ concedere. Torquet eruditos mens Canonis hujus. Etenim sua militiæ honestas est, & utilitas, quam Joannes Baptista testi-

monio

Bell. de Conc. l. 2. cap. 8.

monio suo comprobavit, dum militibus ad baptismum accedentibus gladii usum permittit. Itaque sunt inter eruditos nonnulli, qui Canonem damnent erroris. Bellarminus existimat militiam Nicænorum ætate fuisse *Idololatriæ signum*, qui igitur abjecto cingulo rursus illud ambiebant, Religionem negare parati videbantur, cupientes potius sine fide, quàm sine honore vivere. Hanc suam Bellarminus explicationem Balsamonis & Zonaræ autoritate firmat. Verùm enimverò militiam Idololatriæ signum fuisse eo tempore, quo Canon conditus est, credere non possumus, cùm milites benè multi Constantini in exercitibus Christi castra sequerentur. Quin etiam Christiani omnes à Nicænis militiâ prohiberi debuissent, utpote *Idololatriæ signo*. Non igitur hanc tulere legem, quòd bellum ex se malum putarent, sed quia conditioni non aptum erat virorum, qui abdicato cingulo pietatis Confessores agebant, cui deflorandæ sæpenumerò bellum occasiones subministrat. Quæ causa esse videtur, cur pœnitentibus militia vetita sit. XIII. Morientibus viaticum conceditur. Quòd si acceptâ Communione supervixerit, orantibus apponetur. XIV. Catechumeni lapsi tribus annis audient, posteà orabunt cum Catechumenis. XV. Ne Clericus de Ecclesia una ad majorem transferatur, secus Ecclesiæ restituetur, cui Episcopus, vel Presbyter ordinatus est. XVI. Ne quis Clericus nulla existente causâ probabili oberret per alias Ecclesias. Ad suam cogatur Ecclesiam redire; si perseveret, Communione excluditur. XVII. Ne Clericus fœnus exerceat. XVIII. Diaconi Presbyteris non ministrent Eucharistiam, neque ante Episcopos attingant. Accipiant post Presbyteros, ipsam ipsis præbente Episcopo, vel Presbytero. Neque in mediu Presbyterorum liceat Diaconis sedere. XIX. Paulianistæ rebaptizentur. Ex illis qui inculpabiles Clerici fuere, post baptismum ordinentur. Diaconissæ quæ in habitu censentur, quia nullam manuum impositionem accipiunt, inter Laicos numerentur. Quo Canone deceptus Baronius sibi persuasit, Diaconissas impositionis manuum expertes fuisse. Quem suo loco errorem coarguimus. Non igitur de Ecclesiæ, sed de *Paulianistarum* Diaconissis Canon est accipiendus, quibus ut baptismi, sic ordinationis nil quoque fuit. XX. Ut diebus Dominicis & Pentecostes ubique locorum stantes orationum munus conficiant.

Baron. An. 34. 288.

Nùm Canon 6. Nicænus sit mutilus? Cur conditus?

XLII. Plurimam ad scribendum materiam præbuit Canon sextus, de quo & nobis est disserendum: *Antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum.* Causæ fuisse aliquid, cur Nicæni Patres tam accuratè Alexandrini Episcopi limites designarent, extra dubium ponitur. Quænam illa fuerit, ambigitur. Valesius præcisè negat Launoio, Meletium occasionem fuisse condendi Canonis, cui tamen assentiri non possumus: *Antiqua consuetudo servetur*, lex est ob violatum morem constituta. Quod à Meletio factum, ex Athanasio scimus, atque Epiphanio. Meletio munus suum Petrus Alex. abdicarat, *Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit.* Ac ut seditionem novis criminibus cumularet, *Quamcunque regionem, locumque peragraret, ibi Clericos, Episcopos, Presbyteros, Diacones instituit, ac privatas Ecclesias fundavit.* Placuit ergo Nicænis Patribus, violata à Meletio jura Alexandrino Præsuli illibata servari. Itaque ut Nicæâ Alexandriam Alexander reversus est, sapienter à Meletio breviarium petiit Clericorum, quos ordinarat, *Ne restitutus titulos plurimos venderet.* Mutilum Canonem esse contendunt Baronius, Binnius, Marca, Cabassutius, quod ex Concilio Chalcedonensi probant, ubi Paschasinus protulit *lemma Canonis Nicæni ita conceptum, quod Ecclesia Rom. semper habuit Primatum.* Nobis verò nunquam persuaderi potuit, verba hæc partem fuisse Canonis, quæ non apparent in exemplari Tellonis & Tharisti ad Patres Africanos anno circiter CCCXIX. misso, annis ante Chalcedonensem Synodum XXII. Non extat etiam in Dionysiana, non in Isidori Mercatoris versione, & quod non minimo loco habendum, non in Rufini explicatione. Secus non eo modo Canonem vertisset. Et ut apud Alexandriam, *Et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Quibus longè difficilius est Primatum Episcopi R. extundere, quàm oleum ex pumice. Neque sanè verba hæc, *quod Romana Ecclesia semper habuit Primatum*, ullo modo cum Canone cohærent, in quo de Primatu Pontificis R. ne verbum quidem. Orta ex consuetudine Alexandrini potestas, & Romani autoritas inter se comparantur. Quid quod argumentum duntaxat, non partem Canonis ea verba sonant. Sic enim capitulis lemmata præfiguntur, quæ nulla suis Canonibus Nicæni Patres addiderunt. Non accuratè quidem Canon in Actione XVI. Chalcedonensis Synodi redditur: *Quòd Ecclesia R. semper habuit Primatum, teneat autem Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem*, quæ à Græco non minimum absunt: utpote quæ Libyæ mentionem non faciunt, aut Pentapolis: ut hinc liqueat, partem Canonis non esse, cui inseri non possunt, nisi inductâ in Canonem mutatione non minimâ. Vero propius conjectura nostra abest, titulum illum in exemplari Paschasini fuisse appositum, quia Canones & Nicæni, & Sardicenses in eodem forte Romano Codice reperiebantur, nullo discrimine: quæ causa esse potuit, cur à Zozimo Sardicenses nomine Nicænorum inducerentur, & à Faustino in Concilio Carthaginensi proferentur. Adhibeant omnes machinas Marca, aliique eruditi, ut verba hæc Socratis l. 2. c. 8. *Cùm Canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Romani Episcopi decreta Ecclesiis sancire*, ad Canonem VI. Nicænum accommodent, magnis semper conatibus excident. Neque Julius ipse, ex quo sententiam Socrates exculpsit suam, Nicænum Concilium laudat, in sua ad Orientales Epistola; moris tantùm meminit: *An ignoratis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri possit?* Quibus tamen nil privilegii Episcopo R. tribuitur. Id suo quoque jure primariæ sedes vindicare potuerunt, id sibi assumere Alexandrinus potuit, ne absque ejus sententia Romanus damnaretur, aut Ecclesiis leges imponerentur, quia ex præcipuis Ecclesiæ partibus unus fuit. Ex Julii Socratisque verbis colligitur, ad Synodum Julium esse vocandum. Quâ consuetudine Primatus quidem honoris ex urbis majestate efflorescit, non verò potestatis.

Athan. c. 1. 777.

Epiph. h. 68. p. 717.

Athan. Apol. t. 1. 788.

Marc. de Conc. l. 5. c. 12. n. 3.

ANNO DOM. 325.

De nomine Patriarchæ. Primis seculis Judæorum fuit, non Christianorum.

XLIII. Illud nunc videamus, utrùm Patriarchalia jura Antiocheno, Alexandrino, & Romano à Nicænis Patribus Canone sexto vindicentur: qua de re celebris Salmasii cum Sirmondo, Valesii cum Launoio disputatio est. Ne verò confusione involvatur nostra dissertatio, vis dignitatis Patriarchalis definienda verbis est. Lapsu temporis Patriarchæ nomen in Ecclesiam ingressum est. Dicabatur primùm Judæis, qui illud ex Scriptura sibi fœneratunt. Scriptura quidem eo titulo capita familiarum afficit. Qui Hebraicè רוש בת אבות Græcè ἀρχοντες οἴκων πατερῶν nuncupantur: *Hi tribuum Israel Patriarchæ.* Qua de causa Jacobi filii XII. *Patriarcharum* nomen gestant: *Patriarchæ invidiâ moti.* Nullus tamen Judæorum, dum stetit Hierosolyma, eâ dignitate affectus est. Qui principem in gente locum obtinebant, sive Alexandriæ, sive Hierosolymæ, *Ethnarchæ*, non *Patriarchæ* vocabantur. Sidoniorum Senatui de Hyrcano scripsit Julius Cæsar, qui eum Pontificem appellat, καὶ ἐθνάρχην, & *Judæorum Ethnarcham.* De Alexandrinorum quoque Judæorum Præfecto Josephus l. 19. c. 4. *Permissum eis ab Augusto, ut in defuncti Ethnarchæ locum alium suis suffragiis substituerent.* Excisâ demum Hierosolymâ Judæi Patriarchæ titulum sibi assumpsere. Non est enim audiendus Salmasius, qui Adriani ad Servianum Epistolam de Alexandrino Episcopo putat esse intelligendam. Ut gentem Ægyptiacam levem esse demonstret, hæc ait Adrianus: *Ipse ille Patriarcha, cùm Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* Quæ de homine & extra Ægyptum agente, & à Christi Religione alieno, qualis non erat Præsul Alex. liquet esse capienda. Christum enim adorare, Ecclesiæ Episcopus non cogitur. Ac fortè eò dignitatis Patriarcham Judæi suum evexere, ut Jacobi de venturo Silo vaticinium eluderent, quo à Christianis fatigabantur: *Respondebant enim, permanere adhuc Principem ex genere Juda, istum videlicet, quem nominant Patriarcham.* Ætate Origenis florebat Huillus, cujus meminit Hieronymus in sua adversus Rufinum Apologia: *Certè*, inquit, *etiam Origenes Patriarcham Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat.* Tributa sibi ex Synagogis colligebat, quibus recipiendis Legatos mittebat, qui *Apostoli* dicebantur. Eorum unus erat Josephus, Constantino notissimus, quique ad fidem adductus est, ut loco suo observavimus. Quod vectigal est à Theodosio prorsus extinctum: *Superstitionis indigna est, ut Archisynagogi, sive Presbyteri Judæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quidquid consideratâ temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum mittatur ærarium. De cætero autem nil prædicto decernimus esse mittendum.* Porro quod plurimos latet, memoriâ recondendum, Judæis Patriarchas & majorum, & minorum gentium fuisse, quod apertè liquet ex Arcadii Lege anno 397. promulgata de Judæis: *Privilegia his qui illustrium Patriarcharum ditioni subjecti sunt Archisynagogis, Patriarchisque ac Presbyteris, nutu nostri Numinis perseverent.* Non tanta porro Ecclesiæ cum Synagoga cognatio erat, ut primis temporibus Clerici titulum sibi Judaicum asciscerent. Nullus vel quarto labente seculo audiebat Patriarcha. Eo titulo soli gaudebant Hæretici, teste Hieronymo ad Marcellam de Cataphrygibus: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuza Patriarchas. Secundos quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id est, penultimum locum Episcopi devolvuntur.*

Paralipomenon 1. 27. v. 22.

Act. VII.

Joseph. l. 14. c. 17. 486.

Vopisc. Saturn. cap. 8.

Origen. de Princip. l. 4. c. 1.

Cod. Theodos. l. 14. de Judæis.

Cod. Th. t. 6. 228.

Hieron. Ep. 54.

Vox Patriarchæ homonyma. Quot Patriarchæ? Fundamentum muneris hujus.

XLIV. Invectum tandem in Ecclesiam Patriarchæ nomen fuit. Sed & hic distinctione opus est. Quippe latius sumpta vox ea, Episcopis, Metropolitanis, Primatibus fuit accommodata. Athalarico Episcopi Patriarchæ nuncupantur: *Vos autem qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis, quoniam constitutio nostra ab illicita promissione liberavit, restat ut bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos majestate Pontifices offeratis.* In Gallia Metropolitani Patriarchæ audiebant. Gregorio Tur. Nicetius *Patriarcha* est. In Matisconensi Concilio Priscus Lugdunensis Patriarcha dicitur, Primates quoque, sive Exarchæ eo titulo donantur. Subdita Clementis ad Jacobum Epistola: *In illis verò civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Archiflamines eorum, atque primi Legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchæ, qui reliquorum Episcoporum judicia & majora, quoties necesse foret, negotia in fide agitaret.* Nec alia mens est Chalcedonensibus: *Gloriosissimi Judices, & amplissimus Senatus dixerunt: Si placet vestræ reverentiæ, Sanctissimi Patriarchæ singularum Provinciarum, eligentes singulos, aut binos sua propria quique Provincia in medio transeuntes, & communiter de fide tractantes, quæ complacita fuerint omnibus, manifesta constituantur.* Neque aliud sibi voluit Socrates de Constantinopolitana Synodo: *Sed & Patriarchas constituerunt, Provinciarum divisione factâ, ita ut nullus Episcopus ultra propriam Diœcesim alienas Ecclesias invaderet.* Socrati Patriarchæ illi ipsi sunt, quos Exarchas Nilus Doxopatrius dixit: *Exarchi itaque Provinciarum sub se, ut videtur, Metropolitanos habebant, eosque ordinabant.* At strictius sumpta vox Patriarchæ, quinque primariarum sedium Episcopos significat, qui quomodo Exarchi simplices Metropolitanos, sic & Exarchos eminebant, quasi Exarchorum Exarchi. Fuere autem numero quinque, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, qui & αὐτοκέφαλοι. Gregorius Magnus quatuor Patriarchas numerat, quibus se ipsum non inclusit, quo addito, quinarius ille numerus exurgit: *Quòd si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine gravissimo scandalo tanta contumelia transire nullo modo potuisset.* Quos non invenustè Anastasius Bibliothecarius quinque sensibus corporis componit, in Præfatione Synodi VII. *Cùm Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profectò nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ sedes fuerint unius voluntatis, sicut nil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integra communisque fuerint sanitatis.* Anastasii ad intellectum loquebatur Antiochenus Præsul, rescribens *Dominico*, Venetiarum Patriarchæ: *Quemadmodum præter quinque sensus, alius sensus non extat, ita nec præter quinque Patriarchas, alium Patriarcham esse quisquam concedet.* Quin etiam in eadem Epistola Antiochenus proprium sibi Patriarchæ titulum dicat: *Sed nec*, inquit, *eorum unusquisque propriè*

Cassiod. l. 9. Ep. 15.

Act. 2.

Socrat. l. 5. c. 8.

Gregor. lib. 2. Epist. 37.

Cotel. Ec. Gr. Mon. t. 2. 114.

Anno Dom. 325.

propriè nuncupatur Patriarcha, sed abusivè. Proclamantur autem Pontifex Romæ, Papa; Constantinopolis, Archiepiscopus; Alexandriæ, Papa; Hierosolymorum, Archiepiscopus: solus verò Antiochiæ peculiariter sortitur est, ut Patriarcha audiret, atque diceretur. Ab Hierosolymitano si discesserimus, dignitas Patriarcharum in urbium excellentia fundabatur. Si privilegiorum Ecclesiasticorum in constituendis Patriarchis ratio aliqua haberetur, Antiocheno quidem postpositus fuisset Alexandrinus. Apud Antiochiam *Christianorum* nomen edictum. Ibi florentissimus Prophetarum cœtus. Ibi Sancti Spiritus oracula personarunt. Ibi Petrus, Paulus, Barnabas Fideles instituere, ut in ea pernobilissima Ecclesia nil gloriæ desideretur. Antiochenus tamen Episcopus Alexandrino concedebat. Neque hujus rei causa relinquitur in obscuro. Dignitate Antiochiam vincebat Alexandria. Itaque placuit Alexandrinum Episcopum Antiocheno honoratiorem esse. De magnitudine Alexandrinæ Josephus: *Cum autem Vespasianus Alexandriam venisset, nuntii ad eum ex urbe venerunt, & Legati ex toto orbe gratulantes adfuerunt. Cùmque maxima post Romam civitas esset, angustior multitudini videbatur.* Alexandriam non minus effert Marcellinus: *Alexandria vertex est omnium civitatum, quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altissimi, & Architecti solertia Dinocratis.* Ut ergo post Romam Alexandria, sic & post Episcopum Romanum Alexandrinus incedebat. Ac cùm eò majestatis ascendisset Constantinopolis, ut & nova Roma esset & caput imperii, Patriarcha Constantinopolitanus Alexandrino præpositus est, qui è secundo in tertium gradum descendit. Eò respicit Chalcedonensium constitutio, quâ dolor asperrimus Leoni. M. motus est: *Definitiones SS. Patrum sequentes ubique & regulam, & quæ nunc relecta sunt CL. Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub pia memoria Imperatore majore Theodosio, in regia civitate Constantinopoli cognoscente, & nos eadem definivimus de privilegiis ejusdem Constantinopol. Ecclesiæ novæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ, propter imperium civitatis illius, Patres consequenter privilegia reddiderunt. Eâdem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi, æqua sedi novæ Romæ privilegia tribuerunt, rationabiliter judicantes, imperio & Senatu urbem ornatam, æquis senioris Romæ privilegiis frui, & in Ecclesiasticis, sicut illa, majestatem habere negotiis, & secundam post illam existere.*

Joseph. de B. lib. 5. c. 14. 903.

Marcel. l. 22. c. 16.

Chalc. Syn. Act. 16.

XLV. Quænam fuerit Patriarchicæ dignitatis natura propriaque vis, nunc explicandum. Ac primùm quia αὐτοκέφαλοι erant, à Synodo sua creabantur: nec mirum id honoris Patriarchis esse delatum, quod Metropolitani etiam, Exarchique adepti fuerant. Justinianus Novellâ CXXXI. *Beatissimus pro tempore Archiepiscopus Justinianæ primæ patriæ nostræ, semper sub jurisdictione sua habeat Episcopos Provinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, & Mysiæ superioris, & Pannoniæ, & ab ipso hi ordinentur, ipse verò à propria ordinetur Synodo, & in Provinciis ipsi subjectis locum teneat Apostolicæ sedis Romanæ, secundum ea quæ S. Papa Vigilius constituit.* Clerus Rom. in libello, quem anno 418. obtulit Honorio Imperatori: *Post abscessum S. Zozimi Papæ Ecclesia Catholica urbis Romæ, ut fieri mos volebat, atque ipsa Religionis disciplina, plures in unum convenimus Sacerdotes . . . venerabilem virum Bonifacium invitum, acclamationibus totius populi ac consensu meliorum asserimus, divinæ institutionis ordine consecratum. Nam subscribentibus plus minus LXX. Presbyteris, astantibus novem diversarum Provinciarum Episcopis, benedictionem competenti tempore constat fuisse celebratam.* De electione Athanasii Epiphanius: *Coacto undique Orthodoxorum Concilio, in Alexandrina sede constituitur.* Id ipsum testatur Epistola Alexandrinæ Synodi, Ecclesiæ Catholicæ Episcopis missa: *Nos cum tota civitate, & Provincia universa testamur, omnem multitudinem populumque Catholicæ Ecclesiæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus vociferationibusque postulasse, Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari.* Eò loci pertinet non injucunda observatio Liberati c. 20. *Consuetudo est Alexandriæ, illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti imponere, ut videatur manibus suis accipere collo suo B. Marci pallium, & sic legitimè sedere.* Antiochenus quoque Episcopus à propria Synodo creabatur. Exemplo sit Flavianus: *Antiquissimæ verò vereque Apostolicæ Antiochensium in Syria Ecclesiæ . . . reverendissimum & religiosissimum Flavianum tum illius Provinciæ, tum Orientalis Diœcesis Episcopi in unum congregati, communi suffragio Episcopum ordinarunt.* Nectarii quoque Constantinopolitani creatio in Synodo facta est, teste etiam Theodorito: *Reverendissimum & religiosissimum Nectarium ordinavimus Episcopum, in Concilio universali, communi omnium consensu, coram religiosissimo Imperatore Theodosio, astipulante omni Clero & universâ civitate.* Inter ordinationem Metropolitani, & Patriarchæ hoc interfuit, quod ille à Comprovincialibus, hic à Metropolitanis consecrabatur, uterque tamen in sua Synodo. Quòd si fortè Patriarcharum Legati aderant, consecrandum in Ecclesiam comitabantur, demonstrandæ fidei conspirationi. De Miseno & Vitale, ad Acacium Constantinopolitanum Ecclesiæ R. legatis, hoc narrat Liberatus c. 18. *Item est Constantinopolim. Et supradicti Episcopi in custodiam sunt redacti, chartis sublatis, ne Catholicis, quibus scriptum fuerat, redderentur. Quos iterum Acatius post hæc de custodia ejiciens, secum fecit procedere, ut quasi confirmato Petri Sacerdotio dimitterentur.* De Constantinopolitani Patriarchæ consecratione ex Simeone Thessalonicensi pauca nostros in Annales referantur: *Patriarchâ ex hac vita ad Deum profecto, nullus omninò Episcoporum ad magnam Ecclesiam accedit, ne sedem hanc invadere velle videatur. Sed Imperator ea de causa sacram Episcoporum Synodum convocat, eâ usus autoritate, sibi antiquitùs à divinis Patribus, ut Ecclesiæ defensori concessa. Episcopi igitur secundum regias literas, simul cum iis qui in urbe versantur, in loco sacro congregantur. Ex antiqua autem consuetudine soli non congregantur, ne schismata inter eos & tumultus contingant. Congregantur autem non in magno Patriarchæ Templo, eò quòd non est Patriarcha, neminique licet illud accedere, sed in divina Sanctorum Apostolorum Ecclesia, tum propter gratiam Apostolicam, tum propter Ministerium Apostolicum. Circa eos appensæ sunt Apostolorum imagines, velut in loco suffragiorum ferendorum, Historia Apostolorum cælitus Spiritum recipientium depingi consueta est. Oratione igitur & tribus luminibus, & thuris suffitu, & absolutione ab Episcoporum primo perfectis, cæteris simul psallentibus & comprecantibus ordine sedent, solo Chartophy-*

Anno Dom. 325.

Epiph. h. 68. n. 6.

Athan. Apol. 1. t. 726.

Theodorit. l. 5. c. 9.

De munere Patriarchæ: ejus ordinatio à Metropolitanis. Constantinopolitani consecratio.

tophy-

tophylace ipsis confidente. Suffragia autem in tres personas feruntur, lataque ad Imperatorem à Chartophylace, & duobus Episcopis deferuntur. Ubi unum è tribus elegit Imperator, stato die, convocatis Episcopis, Presbyteris, Clero, Populo, Principibus lampades gestantibus, à Principibus Senatus electio declaratur: *Fortis & Sanctus Dominus noster Imperator, & divina, sacraque & magna Synodus advocant sanctitatem tuam ad excelsissimum thronum Patriarchi Constantinopolitani.* Postquàm electus sese ab onere subeundo excusavit, Ecclesiamque suscepit, *Omnes Episcopi illum adeunt, & adoratione colunt, similiterque Clerici & Laici, benedictione ab eo acceptâ, quia sponsus Ecclesiæ est.* Imperator verò cùm *electo sacram virgam propriâ manu tradidit, ad eum accedit, & illi caput inclinat, & aperit, & sicut moris est, benedictionem accepit, osculaturque electi Patriarchæ manum.*

Sim. Thessal. de Sacr. Ordin. part. 2. c. 9.

Patriarcha Synodum Metropolitanorum cogebat. Episcopos omnes sibi subditos ordinabat.

XLVI. Patriarchis id quoque juris competebat, ut Metropolitanos sui Patriarchatus posset in Concilium cogere. Quo de re hanc Octava Synodus Constantinopoli celebrata legem tulit c. 17. *Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii dationem, Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos urgente necessitate ad Synodalem conventum, vel etiam ad coërcendum eos & corrigendum, cùm fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit . . . sed Sancta hæc & universalis Synodus, nec Concilia quæ à Metropolitanis fiunt interdicens, multò magis illa novit rationabiliora esse, ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ à Patriarchali sede congregantur, & idcirco hæc fieri exigit. A Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur, à Patriarcha verò sæpè totius causa Diœceseos dispensatur.* At Patriarchalis dignitatis apex, & quasi differentia quâ propriè constituitur, in eo consistit, quòd Episcoporum & simplicium, & Metropolitanorum ordinationes ad Patriarcham omnes pertinerent. Id Constantinopolitano Episcopo à Chalcedonensibus concessum, ut Metropolitanos à Clero electos, vel confirmare posset, vel respuere: *Oportet Archiepiscopum Constantinopolitanum potestatem habere ordinandi Metropolitanos in Asiana, & Pontica, & Thracia Diœcesibus: hoc modo ut electi à Clericis, cujuscunque Metropolis Episcopi referantur ab eligentibus Archiepiscopo Constantinopolitano, ut penes eum sit, si velit, hunc, qui electus est, confirmare, repudiareve.* Sic pleno gradu ad honores Patriarchales ascendebatur. Absolutionem tandem & perfectionem quæ desiderabatur, ea potestas attulit, quæ non solos Metropolitanos, sed Episcopos quoque Metropolitanis subditos consecravit. Eò enim provecta est, ut sine Patriarchæ consensu creari non possent, ipsi verò Metropolitani vices Patriarchæ implerent. Ex multis quæ afferri possent, exempla nonnulla subjiciemus. Anastasium Thessalonicensem sic Leo Epistolâ affatur suâ: *Quoniam sicut præcessores mei, præcessoribus tuis; ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi.* Capite verò sexto hujus Epistolæ, *de personâ autem consecrandi Episcopi, & de Cleri, plebisque consensu, Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia benè placuit, scire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet autoritas.* Xistus Papa, ad Episcopos in Synodo

Chalc. Act. 16.

Leo Ep. 84.

apud Thessalonicam congregandos, de Illyrici Primate Anastasio sic scribit: *Habeant honorem suum Metropolitani, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In Provincia sua jus habeant ordinandi, sed hoc inscio, vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare.* Defuncto Laurentio Mediolanensi Episcopo, Constantius Diaconus in defuncti locum eligitur. Qua de re verba sunt Gregorii ad Joannem Subdiaconum: *Si quidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum à propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ autoritatis assensu facias consecrari.* Ex autoritate Patriarchis collata consequens erat, Metropolitanis Patriarchæ Epistolis opus fuisse, ut Synodis extra Provinciam suam celebratis interessent. Hinc Maximo, in sua cum Pyrrho disputatione, Constantinopolitana Sergii Synodus pœnas dedit: *Qui convenerunt*, inquit, *Epistolas commendatitias non habuerunt, nec Episcopi à Metropolitanis, neque Metropolitani à Patriarchis.*

Greg. l. 2. Epist. 30.

XLVII. Hinc conflatum Patriarchæ tribunal, ad quod dicendæ Episcoporum, Metropolitanique causæ evocabantur. Zosimus Episcopis per Gallias constitutis mandata hæc dirigit: *Jussimus præcipuam, sicuti semper habuit Metropolitanus Episcopus Arelatensium civitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat autoritatem, Viennensem, Narbonensem primam & Narbonensem secundam Provincias ad Pontificium suum revocet. Quisquis verò posthac contra Apostolicæ sedis statuta & præcepta majorum, omisso Metropolitano Episcopo in Provinciis supradictis quemquam ordinare præsumpserit, vel is qui ordinari se illicitè servarit, merito Sacerdotio se carere cognoscat.* Nil mirì Patriarcham Episcopis munus suum detrahere, quibus & injunxerat. Quæ in inferioribus subselliis negotia definiri non poterant, illa ad thronum Patriarchalem deferebantur. De Arelatensi Episcopo iterum audiatur Zosimus eadem Epistolâ: *Ad cujus notitiam, si quid illic negotiorum emerserit, referri censuimus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen.* Similiter hæc Anastasio Thessalonicensi injungit Leo: *Fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere; & si certam partibus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur.* Maximus Valentinæ in Galliis civitatis Præsul Manichæorum hæresi variisque criminibus accusabatur. De quo mittitur hoc Episcopis per Gallias constitutis à Bonifacio decretum: *Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, nostra ut condecet, necesse est autoritate firmetur.* Videatur & Bonifacii Hilario Episcopo Narbonensi Epistola, de Patroclo Arelatensi, qui Episcopum in Ecclesia Lutevensi ordinarat.

Ad Patriarcham majora negotia à Metropolitanis deferebantur.

Zozim. Ep. 5. c. 2.

Leo Ep. 84. c. 7.

XLVIII. Explicatâ specie, formâ, & notione Patriarchæ, restat aliud nihil, nisi ut ea ad Romanum, Alexandrinum, Antiochenum Episcopos applicetur. Quòd si potestas, quæ à Nicæna Synodo ipsis tribuitur, ea quæ descripsimus jura non includat, luce clarius est, Patriarchis esse eximendos. Quis enim Patriarcham dicat, cui non competit Patriarchæ definitio? Ac Valesianæ aliorumque eruditorum sententiæ probabilitatis speciem conciliat aliquam autoritas tam *Hieronymi*, quàm *Innocentii*. Hieronymus

Nil Patriarchici juris Antiocheno tribuit Synodus Nicæna.

mus ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani, hæc de Canonibus Nicænis scribit: *Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia.* Innocentius verò ad Alexandrum Antiochenum Epistolâ 18. *Super*, inquit, *Diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Provinciam recognoscimus constitutam.* Quòd si subditos sibi Metropolitanos Antiochenus complures habuit, Metropolitano sanè major esse debuit, utpote Metropolitanorum Metropolitanus; Quam Patriarchæ notionem esse existimant. Nostro tamen judicio plus speciei, quàm virium huic inest argumento. Primùm enim facillimè responderetur, Antiochenum *Exarcham* fuisse, *Patriarcham* non fuisse. Est autem inter utramque dignitatem plurimum discriminis. Jam observatum, quinque duntaxat Patriarchas fuisse, Exarchos verò multos. Neque differentiæ, quâ Exarchi à Patriarchis separantur ignarus Evagrius: *Uniuscujusque Diœceseos Patriarcha inter se consenserunt, & singulorum urbium Episcopi Exarchos suos secuti sunt.* Sed & Canon VI. Sardicensis meminit ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας, *Exarchi Provinciæ.* Antiochenus verò Episcopus, Chalcedonensis Synodi Act. 14. dicitur *Exarcha Diœcesis* Orientis. Deinde ostendi debet, Antiochenum Præsulem jus Patriarchicum in Metropolitanos Orientis exercuisse sub initia quarti seculi. Nempe quòd electos à Clero suo repudiare potuerit, Episcopos Metropolitanis subditos consecrarit, & loco moverit: de majoribus causis translato ad tribunal suum, Metropolitanorum judicio sententiam tulerit. Quæ functiones Patriarchis propriæ sunt, ipso Marca arbitro: *Jus Patriarchæ in eo versatur, ut Episcopos sibi subditos ad Concilium evocet, ordinationes Episcoporum celebret, & de majoribus causis judicium ferat.* Constat enim primatum honoris in Metropolitanos constituendo Patriarchæ non sufficere. Absque potestate quam descripsimus, ut jure scilicet suo electos repudiet Metropolitanos, Diœcesis suæ Episcopos omnes consecret, Metropolitanorum judicia confirmet, vel rescindat, ea facultas quæ in congregandis duntaxat, & ordinandis Metropolitanis versatur, Patriarcham non facit. Quærimus ergo ab adversariis, ut id potestatis quæ Patriarchali muneri propria est, ostendant in Antiocheno fuisse ætate Nicæni Concilii: edant specimina autoritatis hujus, ac tum herbam eis porrigemus. Secus Antiochenum pro Metropolitano quidem illustriori habebimus, pro Patriarcha non habebimus. Ac ex ipsa ad Alexandrum Innocentii Epistola apparet & promptum est, Antiochenum Patriarchæ officia atque munia non obiisse: *Arbitramur, frater charissime, ut sicut Metropolitanos autoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos litteris datis ordinari censeas, ab his qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu, vicinos autem si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.* Quò quid clarius dici potest ad demonstrandum, annis vel post Nicænam Synodum circiter LXXXVI. absque Antiocheni Præsulis assensu Orientis Metropolitanos Provinciæ suæ Episcopos consecrasse. De quo jure extinguendo Innocentius Alexandro consilium dedit suum, ut ad Patriarchæ gloriam hâc viâ grassaretur. Quod in observatione ponendum, Theodoritus in sua ad Meletium Neocæsareæ Episcopum Epistola acerbè queritur, quod in Provincia Euphratesiensi Joannes Antiochenus Antistitum ordinationes sibi vindicet: *Quæ ei concedit regula, ut in aliena parrochia consecret?* An. CCCCXXXIV. labebatur, cùm Epistola scripta est, proindeque germani Patriarchæ jura ab Antiocheno necdum exercebantur. Secus absque ulla invidia Euphratesiæ Episcopos consecrare potuisset. Præterea, Acacius Cæsariensis, Cyrillum Hierosolymitanum ex auto. arat, inconsulto Antiocheno Præsule, cujus ad tribunal ne hoc permagni sanè momenti negotium translatum est. Acacius & Cyrillus *cùm de Primatu inter se contenderent, Reip. Christianæ gravissimum malorum causam præbuere. Nam Acacius levi quâdam occasione arreptâ Cyrillum deposuerat, & Hierosolymis expulerat.* Denique ex ipso Nicæno Concilio apparet, jus Patriarchale nondum institutum esse: *Episcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui sunt in Provincia constitui, si autem hoc sit difficile, tres omninò eundem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus, tunc electionem fieri; eorum autem quæ fiunt, confirmationem in unaquaque Provincia Metropolitano fieri.* Ut crearetur Episcopus, id unum requirunt Nicæni Patres, ut & à pluribus eligatur Episcopis, & à Metropolitano confirmetur. Quòd si tum temporis Patriarchæ floruissent, non satisfuisset & Episcoporum Provincialium electio, & Metropolitani suffragium, ut aliquis ad Episcopatum promoveretur. Patriarchæ consensus præcipuè requirebatur, absque quo ordinatio nulla erat. Itaque Salonitano Præsuli Gregorius functionibus interdixit omnibus, quòd se inconsulto fuisset ordinatus: *Salonitanæ civitatis Episcopus me ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus evenit. Quod ego audiens, ad eundem prævaricatorem qui inordinatè ordinatus est, protinùs misi, ut omninò Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret.* Quibus observatis luce clarius est, Antiocheni Præsulis potestatem in Metropolitanos suos Patriarchalem non fuisse, quos ordinabat quidem singulari jure, at non eo tamen quo munus Patriarchæ constituitur.

XLIX. Patriarchamne veri nominis egerit Alexandrinus Præsul, nunc inspiciamus. Magna erant hujus Episcopi jura atque splendida: *Mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Lybiam Ammoniacam Mareotidem, & Pentapolim, Ecclesiastica negotia administrent.* Quæ verba Epiphanii medicâ videntur indigere manu. Quid hoc rei est, quòd bis *Mareotidis* meminerit, cùm una sit nominis hujus in Africano tractu Provincia? Petavius Maræotim *oppidum esse Lybiæ* Numidis existimat, à Maræotide Provinciæ ad Mariam, sive Maræotidem lacum constituta diversum. At Præfecturas, non urbes recenset Epiphanius. Itaque vero propius ex una Maræotide Μαρμαρίδα conficiendum, quæ & Africæ Provincia fuit. Strabo: *Ibi loca quædam intercidunt, siti vasta, qualia circa Syrtes, & Marmaridas.* Aliundè incongruum est in Epiphaniana enumeratione, *Marmaricam* nobilem Provinciam desiderari. Tanta verò Alexandrini Episcopi potestas fuit, ut nulla Clericorum quorumvis ordinatio fieri posset absque ejus suffragio. Id sibi quidem

Hier. Ep. 61.

Evagr. l. 4. c. 11.

Marc. de Concor. l. 2. c. 6. n. 2.

Innoc. Ep. 18. c. 2.

Lup. Epl. c. 128.

Theodorit. l. 2. c. 26.

Nicæn. c. 4.

Gregor. l. 4. Epist. 34.

Jura Alex. Episcopi, num anno 325. Patriarcham egerit?

Epiph. h. 68. n. 2.

quidem juris assumpsit Meletius, qui Alexandrini Episcopi autoritatem usurpabat. Audiatur Epiphanius: *Post illud tempus Meletius cum omnibus Confessoribus, qui tracti abreptique cum eo fuerant, tam in carcere, quàm in itinere, ac quàcunque regionem, locumve peragraret, ibi Clericos, Episcopos, Presbyteros & Diaconos instituit, ac privatas Ecclesias fundavit.* Clericos sanè omnes ab Alexandrino confirmari, Nicænæ Epistola Synodi prædicat: *Quòd si quicunque eorum qui in Ecclesia censentur, diem suum obire contigerit, tum in defuncti locum atque honorem provehantur ii, qui nuper asciti sunt, modò digni videantur, & populus eos eligat, suffragante nihilominus, plebisque judicium confirmante Alexandrinæ urbis Episcopo.* Ac ut non adjungamus exempla, Ischyram Clericum se jactare, Athanasio Ecclesias Maræotidis perlustranti nunciatur. Ad Ischyram igitur *accersendum* ab Athanasio Presbyter mittitur, nomine Macarius. In Presbyterorum ergo cognitione versabatur Athanasius. De Monachis, qui *Longi* dicebantur, Socrates l. 6. c. 7. *Theophilus Alexandrinæ urbis Episcopus singulari benevolentiâ & observantiâ eos prosequebatur. Itaque unum ex illis, Dioscorum scilicet, vi abstractum, Hermupolis Episcopum constituit. Duos verò alios rogavit, ut secum manere vellent. Et ægrè quidem id illis persuasit, verùm ut Episcopus compulit. Cum igitur eos Clericos ordinasset, dispensationem rerum Ecclesiæ illic commisit.* Consecrationem quoque Episcoporum Alexandrino Præsuli destinatam esse, multis ostenditur. *Olbiatis* Episcopis opus erat, Athamante defuncto, cui *Antonius* sufficitur. Theophilo igitur scribit Synesius: *Unum adhùc superest, sacra tua scilicet manus: hoc uno Olbiatis opus est, mihi verò precibus.* Ammonius à civitate quadam Episcopus desiderabatur. Rogantibus dixit Timotheus: *Adducite eum ad me, & ego eum vobis ordinabo.* Pallad. H. Laus. c. 12. Videantur Synesius Epist. 67. & Moschus Prato Spirit. c. 124. At nullum autoritatis Præsulis Alexandrini illustrius excitari monumentum potest illo, quod in Synodo Chalcedonensi Hieracius exhibuit, Ægypti Episcopus, Actione 4. *De Epistola autem sanctissimi, & Deo amicissimi Archiepiscopi Romani Leonis, sciunt omnes sanctissimi Patres nostri, quia in omnibus expectantes sententiam sanctissimi Archiepiscopi, & petimus vestram clementiam, expectare Præsidis nostri præsentiam, quia eum in omnibus sequimur. Nam & SS. Patres, qui in Nicæa congregati sunt* CCCXVIII. *hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca Diœcesis Archiepiscopum magnæ urbis Alexandrinæ, & nihil absque illo agatur, ab aliquo ei subjacente Episcopo.*

Epiph. h. 68. n. 3. — Socr. l. 1. c. 9. — Athan. Apol. 1. p. 781. — Synes. Ep. 76.

In jure Episcopi Alex. nil Patriarchalis autoritatis.

L. Hæc erant Alexandrini jura Præsulis, atque privilegia. Veniat nunc in disquisitionem, externe in eis ullum potestatis Patriarchalis monumentum? Est autem in prima observatione ponendum, ex Ægypto, Libya, Pentapoli Provinciam Ecclesiasticam unam esse constitutam, cui præerat Alexandrinus. Neque hoc novum & inauditum. Tempore quidem Cypriani ex Africa, Nomidia, Mauritania una Provincia Ecclesiastica componebatur, quæ fuere in regimine politico diversæ. Verba sunt S. Martyris ad Cornelium: *Sed quoniam latius fusa est nostra Provincia, habet etiam Numidiam & Mauritaniam duas sibi cohærentes.* Itaque ex hisce Provinciis Carthaginensis LXXXVII. Episcoporum Synodus conflata est, Præside Cypriano. Quòd si una Alexandrini Episcopi Provincia non fuit in plures Metropolitanos divisa, frustrà quidem in ejus dignitate Patriarchalis potestas quæritur. Id igitur primùm ostendi debuit, complures in Alexandrini Episcopi Provincia Metropolitanos fuisse, quibus imponeretur. Nullus enim Patriarcha est, qui Metropolitanos non habeat sibi subditos. Metropolitanorum verò Alexandrino subditorum ætate Nicæna ne minimum sanè vestigium reperitur. Imò quia inconsulto eo Presbyter nullus creari, aut Diaconus potuit, nil utique Metropolitanis, quibus Alexandrinus præficeretur, relictum fuit. Quis unquam sibi Metropolitanos finxit, quibus non ea potestas foret inconsulto Patriarchâ Presbyterum ordinandi aut Diaconum? Neque etiam ex disciplina quæ Alexandrini Episcopi in Provincia obtinuit, duo erigi tribunalia potuere, quæ sunt in Patriarchatu necessaria; minus alterum, quod leviora negotia finiret, alterum majus, in quo res majoris momenti à Patriarcha deciderentur. Cùm omnia per Ægyptum, Libyam, Pentapolim administraret Alexandrinus, ea tribunalium distinctio vana fuisset, & perabsurda, cùm ab uno eodemque Judice ad illum ipsum provocaretur. Cùm in Pentapoli hæresim Sabellius disseminavit suam, ab utraque parte ad Dionysium literæ afferuntur, quocum etiam fratres dissertaturi veniunt. Quòd si fuisset Metropolitanus aliquis in Pentapoli, prius conveniri debuit ordini servando, quàm Dionysius. Deinde vel si concederetur, Alexandrini Præsulis in Provincia fuisse Metropolitanos, quomodo & Antiocheni in ditione reperiebantur, eos jure Patriarchico non moderabatur. Sed in alienis monumentis non est immorandum, cùm præstò sit ipsa Synodus Nicæna, in qua qui Patriarchas quærit, is in mari venatur apros. Primùm cùm *antiqui moris* meminerit, si ab eo tempore Patriarchæ jam instituti erant, nomen utique suum invenissent faciendo discrimini. Quanquam nomina rebus accedant, ratio tamen non patitur, ut absque nomine suo munus aliquod diutius perseveret, quo ab aliis Ecclesiasticis dignitatibus secerneretur. Secus magna rerum perturbatio invehitur, atque confusio. Deinde quomodo accuratè Metropolitanos & re, & nomine ab Episcopis Nicæni disterminarunt, sic suâ quoque differentiâ Patriarchas à Metropolitanis distinxissent. Qua de re ne cogitarunt quidem. Nil discriminis est, quod sit Patriarchis proprium. Quantò magis Patriarcharum, quàm Metropolitanorum privilegia memorassent. Quid causæ fuit cur de Metropolitanorum potius quàm de Patriarcharum, quod & nobilius est, officio commemorint? Quam *præter Metropolitani sententiam* Episcopum creandum non esse sanxerunt, tam etiam absque consensu Patriarchæ Metropolitanum divisissent, non esse constituendum. In Metropolitano consistunt, quis eo tempore summus Ecclesiasticæ dignitatis apex fuit. Ipsâ quidem levitate levius est N. Alexandri, Pagiique argumentum, quo vincant, de Patriarchis Nicænos mentionem fecisse. Quia scilicet *aliud Canone* VI. *sanxerunt, quàm Canone* IV. *decreverant, quo potestas Metropolitanorum luculentissimè asserta fuerat.* Atqui in specie de Alexandrini Episcopi limitibus, & potestate nil in IV. Canone continebatur, quod contundendæ Meletii rebellioni explicatu necessarium. Non igitur inanis & superflua ea repetitio est,

Euseb. l. 7. c. 6.

quæ

ANNO DOM. 525.

quæ quod confuſè, & generatim dictum fuerat, tradit explicatius. Quod fit in ſexto Canone, qui etiam pœnam irrogat, quæ in quarto non continebatur: *Si quis abſque Metropolitani ſententia creatus eſt Epiſcopus, eum magna Synodus definit non eſſe Epiſcopum.* Ex obſervatis conficitur, Metropolitanorum fuiſſe nullum, cui ſplendidiora jura competerent, quàm Alexandrino, ne Romano quidem excepto, cujus creandis ſuæ Provinciæ Presbyteris atque Diaconis conſenſus non fuit neceſſarius.

Epiſcopus Rom. olim non fuit Metropolita, de Metropolitæ non Patriarchæ jure agitur in Synodo Nicæna.

LI. De Primatu, quem Romano Præſuli Nicæni vindicant, nunc eſt dicendum. Tribus titulis accuratiſſimè diſtinguendis, nec ſimul ac ſemel inditis Romanus Pontifex fulget Epiſcopatu, Primatu, Patriarchatu. Ut Epiſcopus Presbyteris Provinciæ ſuæ præerat, nec poteſtatis ſibi aliquid aſſumebat in alios Coëpiſcopos. Hiſce verò limitibus primùm concluſam fuiſſe Epiſcopi Rom. juriſdictionem, teſtatur ejus ordinatio. Quippe ſi ex inſtitutione B. Petri vel Metropolitanus inceſſiſſet, aut Patriarcha, ejus quidem ordinatio vel Metropolitanis, vel Synodo Epiſcoporum mandata fuiſſet. Oſtienſi tamen Epiſcopo eam provinciam injunctam eſſe tenemus. Aliud habet, inquit Auguſtinus, *Eccleſia conſuetudo, ut non Numidia, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſia Carthaginenſis ordinent. Sicut nec Romana Eccleſia ordinat aliquis Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus.* Neque Synodum requiſitam eſſe ordinando Epiſcopo Rom. ex facto *Novatiani* colligitur. Quânam fronte Pontificatum ſibi Romanum vindicare potuiſſet, Eccleſiam ſcindere in ſuas partes, Presbyteros, atque Confeſſores trahere, ſi vel more ab Apoſtolis deducto, vel Petri præſcriptione Synodo Metropolitanæ, Papæ ordinatio commiſſa fuiſſet? Conſtat enim Novatiani ordinationem à tribus duntaxat Epiſcopis eſſe peractam. Quis etiam comprehendere valeat animo, Cletum qui Lino, Clementem qui Cleto ſucceſſit, vel à Metropolitanis, vel ab Epiſcoporum Synodo fuiſſe conſecratos? Nùm eò ſplendoris Eccleſia proceſſerat, ut tum Italiæ Metropolitanos haberet, aut cœtus Epiſcopales? Atqui ita comparatum, ut à Synodo Metropolitanus ad dignitatem evehi ſuam debeat. Fateamur ergo, ſi verum amamus, Metropolitani titulum lapſu temporis Epiſcopo Rom. quaſi succreviſſe. Quem & in eo honorem agnoſcunt Nicæni, atque prædicant, non Patriarchicum, quem induit poſtmodum. Quænam verò metæ Provinciæ Epiſcopi Rom. ponendæ ſint, eſt in obſcuro. Limites ejus definit Rufinus, qui Nicænorum mentem ſic exprimit, ut Epiſcopus Rom. *ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Quâ explicatione, etſi crucem nobis animo fixerit, quia quod Rufini temporibus perſpicuum erat, noſtris obſcuritate involvit, non eruditos tamen laudamus, dum in audaciam Rufini invehuntur, cujus explicationem pro Canonis Nicæni interpolatione habent, non pro genuina interpretatione. Quantacunque in depravandis Autoribus Rufini licentia prædicetur, non eò impudentiæ proceſſit, ut dedita opera Provinciæ Epiſcopi Rom. limites coarctaret: neque etiam quæ latior ditio ejus erat, ignoranter à Rufino coanguſtari potuit, cùm ſeculo Nicæno in Aquileenſi Eccleſia Presbyter floruerit. Neque aut inſcitiam ejus, aut in ea re malitiam accuſavere adverſarii, quos & complures

Auguſt. Brevic. Collat. 3. d. 1. c. 5. p. 584.

& magni nominis habuit. Quidquid ergo ſibi Rufinus voluerit, dum *ſuburbicariarum* Eccleſiarum curam Epiſcopo Rom. vindicavit, veris ſanè limitibus ſuis juriſdictionem ejus circumſcripſit.

ANNO DOM. 325.

Eccleſiæ & Provinciæ ſuburbicariæ.

LII. Eccleſiæ ſuburbicariæ illæ ſunt, quæ ſuburbicariis in Provinciis collocabantur: quomodo vel Ægypti, vel Galliæ dicuntur Eccleſiæ, quæ ſtant in illis regionibus, ut conſtitutis ſuburbicariarum Provinciarum terminis, Pontificiæ ditionis amplitudo confeſtim noſtrum ſubeat animum. At quid ſuburbicariæ Provinciæ, hoc opus, hic labor eſt, pugnantibus Doctorum ſententiis. Eruditiſſimi viri Salmaſius, Gothofredus, Blondellus in ea opinione verſantur, Provinciam juriſdictioni Præfecti urbis ſuppoſitam intra centeſimum lapidem fuiſſe comprehenſam. Ac certè hiſce limitibus ditionem Præf. Urb. Mæcenas incluſerat: *Præf. Urb. ex primariis viris quidam creandus eſt, qui in urbe ac extra eam uſque ad ſtadia 650. judicet.* Paginâ ſequente legitur, *ſtadia* 750. ut horum locorum alter in mendo cubet. Neque ampliati Præf. Urb. limites ætate Caſſiodori, qui ſub VI. ſeculi initia floruit. In formula Præfecturæ Urbanæ dicit: *Verùm etiam intra centeſimum milliarium poteſtatem te protendere, antiqua jura voluerunt.* At doctiſſimi viri non ſatis attendiſſe videntur, alium eſſe *Præfectum* Urbis, alium *Vicarium.* Italia latius ſumpta duos in Vicariatus à Conſtantino diviſa fuerat, Italiæ ſcilicet ſtrictius ſumptæ, & urbis Vicariatum. Italiæ Vicariatu continebantur Venetia, & Iſtria, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum Annonarium, Alpes, Cottiæ, Rœtia prima, & ſecunda, quæ Provinciæ ab illis diſtinguebantur, quibus urbis Vicarius præficiebatur. Italiæ Vicarii meminit Marcellinus l. 27. c. 7. Valentinianum ſua crudelitas infamavit, qui *tres apparitores poteſtatis vicariæ* per Italiam cum multis aliis viris nobilibus interfecit: *Quorum memoriam apud Mediolanum colentes nunc uſque Chriſtiani, locum ubi ſepulti ſunt, Ad Innocentes appellant.* Urbis autem Vicario ſubjacebant urbicariæ regiones, quas ſequentes Notitiæ recenſet imperii: *Sub diſpoſitione V. S. Vicarii urbis Romæ Provinciæ infra ſcriptæ. Conſulares: I. Campania. II. Tuſcia & Umbria. III. Piceni Suburbicarii. IV. Sicilia. Correctores: I. Apulia & Calabria. II. Brutiorum & Lucania. Præſides: I. Samnia, II. Sardinia; III. Corſica, IV. Valeria.* Regionum urbicariarum Theodoſiano in Codice mentio eſt frequentiſſima: *Non per Italiam tantùm, ſed etiam per ſuburbicarias regiones, & Siciliam, patrimonialium, & Emphyteuticorum fundorum vires ſervandas eſſe perſpeximus.* Quibus apertè liquet, ab Italia preſſius ſumpta *urbicarias regiones* prorſus diſtingui. In eodem quoque libro Tit. 10. Gratianus ad Probum ſcribit Præfectum, ut legem de privilegiis per obreptionem impetratis confirmet *per omnem Italiam, tum etiam per urbicarias, Africanaſque regiones.* Jus ergo Sylveſtri Rom. Pont. in Eccleſias, quæ urbicariis regionibus includebantur, extendebatur. Quod nos Rufinus docuit, cui ditio Epiſcopi Rom. non ignorabatur. Ut laude magis quàm vituperio dignus videatur, quòd Provinciam Sylveſtri Metropolitanam in notitiam adduxerit, cujus ex Canone Nicæno fines, non magis quàm Antiochenæ Diœceſeos ſpatia ſcire potuimus. De utriuſque ſanè Provinciæ limitibus nihil habetur in Canone, quem inter-

Dio l. 52. 478.

Caſſiodor. Var. l. 6. c. 4.

Cod. Theod. l. 11. tit. 16. c. 9.

interpretatione adhibitâ illustravit Rufinus, dum tradit quænam illa sit Episcopi Rom. Provincia, quam antiquo more administrabat. Provinciis verò hisce quatuor, Tuscia suburbicaria, Piceno suburb. Latio, & Valeria Rom. Episcopi ditionem comprehensam non esse, documento est Synodus Romæ à Cornelio adversus Novatianum celebrata, cui *sexaginta Episcopi* interfuere, qui ex Cornelii Provincia venerant. Est autem creditu difficillimum tot in Tuscia, Piceno, Latio & Valeria Episcopos fuisse constitutos. Sed & Sardicenses in sua ad Julium Epistola hæc mandant: *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita cognoscant.* Siciliæ Sardiniæque meminisse videntur, quia Metropolitanæ Pontificis Rom. ditioni includebantur. Quas Vicarius Urbis Provincias administrabat, docet Indiculus ex Notitia Imperii peritus:

Vicarius Urbis regebat x. Italiæ Provincias.

Per Consulares IV. { *Campaniam.* / *Tusciam & Umbriam.* / *Picenum Suburbicarium.* / *Siciliam.*

Per Correctores II. { *Apuliam & Calabriam.* / *Brutios & Lucanos.*

Per Præsides IV. { *Samnium.* / *Sardiniam.* / *Corsicam.* / *Valeriam.*

Cùm igitur Episcopi Rom. ditio Ecclesiis Suburbicariis contineretur, illis quæ in Vicariatu Italiæ sitæ erant, non præficiebatur non Mediolanensi, non Ravennatensi, quæ Italiæ Vicariatui includebantur. Extat apud Norisium inscriptio, quam ex Grutero emendatam exhibet in doctissima sua de v. Synodo Dissertatione c. 10. p. 82.

Cronio. Eusebio. U. C. Æmiliæ. addita. prædictæ. Provinciæ. contuitu. Vigilantiæ. et. justitiæ. ejus. et. Ravennatensium. Civitate. Quæ. antea. Piceni. caput. Provinciæ. videbatur. Vicario. Italiæ. Qua. Potestas. supradicto. viro. ob. testimonium. anteactis. honoris. est. attributa. ab. invictissimis. Principibus.

Dedicata v. Eidus Novemb. Cos. Fl. Mallio, Theodoro U. C.

Ex Inscriptione liquet, Picenum Annonarium, cui Ravenna caput est, Pontificis Rom. potestati subditam non fuisse, quæ Ecclesiarum Suburbicariarum limitibus circumscribebatur Patrum Nicænorum ætate.

Ecclesiæ suburbicariæ Occidentem non significant.

LIII. Cæterùm in ea difficillima quæstione, potius quid non sint Urbicoriæ & Provinciæ, & Ecclesiæ, quàm quid sint, disquirendum existimamus. Quippe Morinus, Sirmondus, Valesius, aliique eruditi, *suburbicariarum* Ecclesiarum terminos cum Occidentis totius Ecclesiarum limitibus permisceri putant. Quibus & Pontificem Rom. præfecere. Cui sententiæ, ut à vero prorsus alienæ repugnamus. Quippe non satis accuratè titulos Pontif. Rom. distinxere, ad quos gradatim ascendit. Alia ditio ejus *Patriarchalis*, alia *Metropolitana*. Illa & nobilior est, & amplior: hæc humilior atque restrictior.

Quòd si quatenus Patriarcham egit, in sua potestare totius Occidentis Ecclesias continuisset, qua de re nunc non disputamus, attamen quà Metropolitanus toti prætici Occidenti non potuit: secus Patriarchalis Provincia Metropolitanam non emineret, quod est absonum. Phrasis quidem Rufini, *Ecclesia Suburbicaria*, hoc est, quæ Provinciis suburbicariis includebantur, absurdissimè adhiberetur, significandis totius Occidentalis tractus Ecclesiis: quomodo Occidentis regiones immeritò *suburbicariæ* appellarentur. Hanc sanè urbicarum & Provinciarum & Ecclesiarum explicationem potentissime refellit Valentiniani, Valentis & Gratiani rescriptum: *Ampelio P. U. . . Est istud divinitus institutum mansuetudinis nostræ, ut etsi morum emendatio in hominum vita sufficiat, nonquam tamen ab indulgentia, studio & voluntate cessemus. . . Ex quo oritur, ut Ursicino, quem propter quietem populi Christiani, & debitam Religioni & legibus disciplinam, uno interim loco morari intra Gallias jusseramus, discedendi copiam fecerimus, sub ea conditione, ne vagandi arbitrium praberemus, neve ad urbem Rom. & regiones suburbicarias valeat commeare.* Quo quid clarius ad demonstrandum regionibus suburbicariis Gallias includi non posse. Alioquin vel in ipso exilio suburbicarias Ursicinus regiones incoluisset, quibus tamen post exilium prohibetur. Prætereà fatentur vel Sirmondo, duo in Italia Præfecturæ Prætorianæ Vicarii, à Constantino M. fuerant constituti: *Vicarius urbis, cujus sedes Roma, & Vicarius Italiæ, qui sedem habuit Mediolani. Exinde factum, ut urbicaria, vel suburbicaria dici cœperint Provinciæ, quas Vicarius administrabat.* Jam verò Vicarius urbis totum Occidentem non moderabatur, sed eam regionis partem, quæ ab Italiæ Vicariatu distinguebatur. Denique multis ostendi exemplis potest, ante Synodum Nicænam nullas in Hispania, nullas in Africa fuisse Pontificis Romani functiones, sive Metropolitanas sive Patriarchales. De Sabino Hispaniæ Episcopo, in locum Basilidis suffecto, hæc *plebibus consistentibus ad Legionem, & Asturicam* scribit Cyprianus: *Apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.* Atqui vel invito Stephano Papâ Sabinus creatus est Episcopus, cujus ordinationem pro legitima Cyprianus habuit, *quam jure perfectam nemo rescindere potest.* Quòd si Legionis & Asturicæ Ecclesiæ pars fuissent Provinciæ Ecclesiasticæ Stephani, nulla Sabini fuisset ordinatio, & inscio, & invito Papâ Rom. peracta. Carthagini quoque ordinatus Cæcilianus, inconsulto Miltiade. Neque Schismatico Majorino unquam objectum, Episcopatum ejus nullum esse, quia Papæ suffragio destituebatur. Quin etiam Mediolani Ambrosius ex Catechumeno Episcopus creatus est, absque Damasi decreto. Detrectabat Sacerdotium vir ille sanctus, rescribit Valentinianus Episcopis, qui ad eum rem detulerant, ut *obsequerentur Deo, qui illum ordinari jussisset.* Quòd si Mediolanum tum temporis ditioni Damasi subjungebatur, Ambrosii consecratio ad illum pertinebat, quam vel per se, vel per Legatos perficere debuisset. Sententiam tamen Damasi non exquirit Italiæ Synodus, neque se contemptum, & violatos esse

Bar. An. 371. n. 1.

Sirm. de Reg. Sub. c. 3. p. 31.

Cypr. Ep. 68.

Socr. l. 4. c. 30.

Canones

ANNO DOM. 325.

Canones, Damasus queritur. At labentibus seculis Mediolanum Pontificis Rom. in potestatem venit, qua tum ad Patriarchæ gradum ascenderat. Itaque Gregorius Joanni Subdiacono scribit, ut cum suæ autoritatis assensu Constantium Mediolanensem Præsulem faciat consecrari. Quid multa? Si Pontifex Rom. nomine Patriarchæ toti Occidenti præficiebatur, hoc juris Afris ignorari non potuit. Quo factum, ut Presbyterorum appellationes, ad Episcopi Rom. tribunal devolvi possent. Id verò ab Afris Canone 22. disertissimè prohibetur: *Quòd si & ab eis* (Episcopis) *provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia vel Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Nonne Presbytero, qui injuriâ loco suo motus est, Patriarcham suum implorare licuit? Cùm igitur vel eo casu Afri ad *transmarinum* Episcopi Rom. judicium Presbyteros appellare vetent, luce clarius est, Africam potestati Papæ Patriarchali anno CCCCXVI. nondum inclusam fuisse. Neque etiam anno 428. sedente Cælestino, Afris cognita Patriarchalis hæc autoritas, qui ipsi scribunt de Clericis, quos facilius Papæ admittebant:

Lab. Concil. t. 2. 1675.

Nec à nobis excommunicatos ultrà velitis excipere. . . . quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia sua Provinciæ vel etiam universale provocare. . . Quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt. Plenariarum ergo Synodorum in Africa judicium summum fuit.

Osii ad Silvestrum literæ, Silvestrique Epistola, & Synodus, subditæ.

LIV. Synodi Nicænæ Epistolam ad Sylvestrum Papam, ex vetusto libro Coloniensi primùm edidit Surius: *Beatissimo Papæ urbis Romæ, cum omni reverentia colendo, Sylvestro, Osius Episcopus Provinciæ Hispaniæ civitatis Cordubæ, Macarius Episcopus Ecclesiæ Hieros. Victor & Vincentius, Presbyteri urbis Romæ, ordinati ex directione tua.* Infans autem est, & tanto indigna cœtu hæc Epistola: *Censeat vestra Apostolica doctrina, Episcopos totius vestræ Apostolicæ urbis in unum conventro, vestrumque habere Consilium, sicut docet mystica veritas. . . Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestro oris consortio confirmetur. Oret beatitudo tua pro Concilio. Data Kal. Julias, accepta XIII. Kal. Novembris, Paulino & Juliano summis Coss.* Scilicet Consules fuere subalterni, ut *summorum* titulo Paulinus & Julianus induerentur. Et Nicæa urbs erat Apostolica Sylvestri. Insigni huic Epistolæ respondit Sylvester, misso ad Synodum similis furfuris rescripto: *In gremio vestræ Synodi parva propter disciplinam Ecclesiæ alligabo præcepta propter Victorinum, qui arbitrio suo, quidquid vellet, affirmabat, & Cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces. Data quinto Kal. Novembris, accepta IV. Idus Februarii Constantino septies, & Constantio Cæsare IV. Coss.* Eleganti narium sagacitate nil opus est, ad absurdissimum figmentum olfaciendum. Cycli Paschales, quos Victorinus falsos esse pronuntiabat, nulli fuere anno CCCXXV. quo Synodus celebrabatur. Diu post Sylvestrum floruit Autor Epistolæ, qui *Victoris* meminit. Falsa quoque Consulum subscriptio. Anno CCCXXVI. primâ vice Fastos Constantius reseravit. Consedisse Nicænos Patres fingit anno CCCXXVI. qui Synodum solverant anno CCCXXV. Neque sincerius est, Concilium *præsente Constantino Augusto, intra thermas Domitianas, cum CCLXXV. Episcopis Romæ celebratum.* Stylus hujus Synodi sordidus, cœtus tot Episcoporum Veteribus ignotus; præsentia Constantini qui Româ aberat, anno CCCXXV. falsi postulant hoc Sylvestri Concilium. Quid etiam eâ constitutione absurdius, quâ anni Nestorei Episcopis esse debent, ut ad Pontificatum promoveantur? *Si quis Clericatum promoveri desiderat, hoc justum est, ut sit Ostiarius annum 1. Lector annos 20. Exorcista annos 10. Acolythus annos 5. Subdiaconus annos 5. Diaconus annos 5. & si ad honorem Presbyterii accedat & faciens in eo ordine annos 6. si fuerit omnium votiva gratia, non præmio, non invasione cupiditatis, nulli præripiens gradum, sic ab omni Ecclesia eligatur consecrandus Episcopus, nullo de membris Ecclesiæ intercedente, & omni Ecclesiâ conveniente.*

Eusebii Nicomed. scelera. In exilium à Constantino ejicitur.

LV. Eusebius Nicomediensis, qui manu perfidâ Nicænis decretis subscripserat, sceleris sui pœnas pependit. Turbulentus homo, & honorum cupidus Berytensis Ecclesiæ Episcopatum adeptus, eo relicto ad Nicomediensem transilierat: *Ex quo deinde post Nicænum Concilium, ob apertam quam profitebatur impietatem dejectus est, & unà cum illo Theognis Episcopus Nicææ.* Quod Constantinus in sua ad Nicomedienses Epistola testatur. Eusebium accusat Licinianæ crudelitatis consecraneum, tyranno clientem, qui *occultos exploratores* contra se miserit, & propemodum armatum ministerium tyranno præbuerit. Subjungit se Nicænæ interfuisse Synodo, nullo alio consilio, quàm ut inter omnes concordiam constitueret, in primis verò ut malum depelleret, quod ex Arii dementia initium sumpserat: *Mox autem absurdo & exitiali Eusebii studio erat confirmatum. Idem verò iste Eusebius, carissimi, cum quanta putatis concursatione, utpote ab ipsa conscientia convictus, quanta cum ignominia constituta undique falsitati patrocinatus est, nunc diversos homines ad me mittens qui pro ipso orarent: nunc auxilium aliquod à me postulans, ne tanti sceleris convictus, honoris sui gradu depelleretur. . . Quid nuper unà cum Theognio, dementiæ suæ socio admiserit, quæso accipite. Alexandrinos quosdam, qui à nostra fide desciverant, istùc adduci præceperam, propterea quòd eorum ministerio & operâ discordiæ fax excitabatur. Verùm isti egregii scilicet Episcopi, quos Synodi clementia ad agendam pænitentiam servaverat, non solùm istos susceperunt, & apud se tuto degere jusserunt, sed etiam malitiæ illorum socios se ac participes adjunxerunt. Quamobrem adversus ingratos istos id agere decrevi. Abreptos videlicet quàm longissimè deportari jussi.* Exilii causam hanc fuisse, ex Philostorgio prodit Nicætas: *Theognim scilicet, & Marim, eorum quæ subscripserant pœnitudine ductos, ad Imperatorem venisse, hisque apud eum verbis usos. Impii, Imperator, in eo sumus, quòd tui metu perculsi, impietati subscripserimus. Ex quo factum sit, ut Imperator excandescens, eos in Gallias relegarit.* Aliam affert causam Sozomenus. Fertur Eusebium & Theognim, corrupto Notario, cui Imperator Acta Synodi Nicænæ servanda commiserat, subscriptiones suas palam delevisse, palamque prædicasse quòd Filius Patri Consubstantialis dici non debuerit. Qua de re cùm accusaretur Eusebius, ingenti fiduciâ dixisse Imperatori, ostensâ veste quâ tegebatur: *Si hæc vestis inspectante me divisa esset, nunquam dicerem*

Theodorit. l. 1. c. 20.

Nicet. Thes. l. 5. c. 8.

Sozom. l. 2. c. 21.

ANNO DOM. 325.

utramque partem ejusdem esse substantia. Quæ de Notario quidem memorat Sozomenus, sunt in ambiguo, cætera verò consentiunt Imperatoris Epistolæ. Antequam verò penderent pœnam exilio, in Synodo quæ post Nicænam coacta, damnantur: ut apparet, extatque ex libello pœnitentia, quem Episcopis obtulere: *Nos quidem à pietate vestra dudum inducta causa condemnati, judicium sanctitatis vestra placide & cum silentio ferre debuimus.* Opus etiam Synodo fuit, ut Amphion & Chrestus in Eusebii & Theognis locum sufficerentur. Quæ Synodus à Nicæna non diversa esse non potest, & ob impietatem Theognis & Eusebii, Decreta Nicæna rescindentium jussu Imperatoris coacta. Eusebii exilium in annum CCCXXVIII. Baronius confert; cujus Chronologiam damnat Philostorgius, scribens, *Secundum cùm in exilium proficisceretur, Eusebio dixisse, Eusebi, subscripsisti, ne in exilium mittereris. Ego verò Deo id mihi revelante confido, te intra annum in exilium abductum iri. Sane Eusebius tribus mensibus post Synodum exactis relegatus est.* Abdicatis & in exilium ejectis Theogni & Eusebio, sufficiuntur Chrestus, & Amphion. Nicomediæ quidem Amphion, Nicææ verò Episcopatum Chrestus regendum suscepit. Non Nicomediensibus modò, sed Theodoto quoque Laodiceno, de Theognis, & Eusebii exilio Constantinus scripsit. Arii fautorum unus erat Theodotus, quem solers Imperator de irrogata perfidis pœna commonefacit, ut similis supplicii metu ab errore revocaretur: *Quanta vis divina ira extitit etiam ex iis, qua Eusebio & Theogni acciderunt, facilè licet tibi intelligere. Qui in sanctissimam religionem debacchantes, Dei Salvatoris nomen ipsa turma prædonum suorum etiam post impetratam veniam polluerunt... Quod prudentia tua indicare oportere putabam, ut si qua perversa admonitio istorum, quod non existimo, tuo insideat animo, ea ex mente deleta, puram ut decet cogitationem, veram sanctitatem, intemeratam fidem Servatori Deo præbere studeas... Deus te custodiat, charissime frater.* Theodotus tamen Arii errore afflatus colitur in Martyrologiis.

Sozom. l. 1. c. 16.

Philostorg. l. 1. c. 9.

Gelas. h. l. 3. c. 3.

Gregorii. Nazianzeno qui pater fuit, baptismus.

LVI. Notabiliorum quæ anno CCCXXV. contigere, mentio subjicit, ut de Gregorii, qui illustri Gregorio Nazianzeno pater fuit, baptismo referamus. Hypsistariorum errore imbuebatur, Deum unum colentium, Ethnicorum, & Judæorum ritu. Accidit ut nocte quâdam somnio jucundissimo uteretur. Putabat se ex Davidis Psalmis partem eam canere: *Lætor de eo, quòd dicitur mihi, Domum adeamus Domini.* Novo hoc cantu, Gregorii cupiditas accenditur. Oblatam *Nonna* uxor ejus occasionem arripit. Ac cùm res ita usu esset, ut Ario profligando Episcopi Nicæam multi properarent, in quibus *Leontius* erat, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, vir multâ laude celebris, Deo sese veritatisque Præconibus Gregorius tradit, communisque salutis ab iis auxilium poscit. Dum baptismi cupidum instituunt Episcopi, novi aliquid accidit, quo futurus Gregorio veluti Episcopatus portendebatur: *Spiritale quoddam erratum exacta disciplina Magistri committunt, idque quod futurum erat, superna gratia præsignat, & Sacerdotii forma cum Christiana institutione miscetur.* Baptizato novum ecce miraculum accidit: *Egressum ex aqua, lux & gloria, eo animi affectu, cum quo ad fidei donum accessit, digna circumfulsit, nonnullis quidem etiam aliis tum perspicua, qui tum miraculum illud apud se continebant, idcircò efferre non ausi, quòd unusquisque visionem hanc sibi obtigisse crederet. Sed aliquantò pòst illud inter se disseminarunt. Ei autem qui Baptista & initiatoris munere fungebatur, ita clara & perspicua, ut ne mysterium quidem pectore clausum tenere potuerit, sed eum quem inungebat sibi in Episcopatu successurum, palam publiceque clamaverit.* Miraculi hujus fides sit penes Autorem.

Nazianz. Or. 10.

ANNO DOM. 326.

ANNO U. C. 1079. PER. JUL. 5039. JUL. 371. DOM. 326. CONSTANTINI 21. *Sol. 27. B. Lun. 4. Indict. 14. Epact. 10. Epact. Sol. 6. P. 3. Apr.*

COSS. Constantinus Augustus VII. Constantius Cæsar.

Anicius Julianus Præfectus Urbis.

Num Constantini concubinâ, vel uxore Crispus genitus? Mors ejus. Zozimi de Sopatro fabula.

I. CONstantini gloriam deflorauit credulitas, quæ Crispo mortem imperavit. Minervinâ genitus erat nobilissimus ille Cæsar, quæ patri olim concubina fuerat. Baronius quidem magnus castitatis Constantini laudator, justam ejus uxorem fuisse credidit: *Nullam, inquit, ante uxorem legitimam, fœminam aliam prorsus novit.* Cui sententiæ ex Panegyrico, qui Maximiano & Constantino dictus est, præsidium affert: *Quò enim magis continentiam patris æquare potuisti, quàm quòd te ab ipso fine pueritiæ illicò matrimonii legibus tradidisti.* Quæ nostro quidem judicio de Constantini, non cum *Minervina*, sed cum *Fausta* nuptiis sunt accipienda. De Minervina Victoris Epitome: *Filiumque suum, Crispum nomine, ex Minervina concubina susceptum, Licinianumque Licinii filium, mensium fere viginti Cæsares effecit.* Neque mirum Ethnico ob castitatem laudatum esse Constantinum, quòd *nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus* in pectus admiserit, etsi concubinis usus fuerit. Ethnicorum castitas concubinæ commercium non respuebat. De M. Antonino, qui Romanis admirationi fuit, Capitolinus: *Enisa est Fabia, ut Faustinâ mortuâ in ejus matrimonium coiret, sed ille concubinam sibi ascivit.* Patri suo Crispus in debellando Licinio multum profuerat: *Crispus cum classe Constantini Callipolim pervenit, ubi bello maritimo sic Amandum vicit, ut vix per eos qui in littore remanserant, vivus Amandus effugeret.* Commodæ indolis, magnæque virtutis vir, *incertum quâ causâ*, si Victori creditur, *patris judicio* occidit. At si Zozimo fides, egregium juvenem, *Quòd in suspicionem venisset, quasi cum Fausta noverca consuesceret, nullâ ratione juris naturalis habitâ* sustulit. Ubi verò mortem Crispus obierit, Marcellinus memoriæ prodit, in Istriæ nempe oppido *Paula*: *Ubi quondam peremptum Constantini filium accepimus Crispum.* Versabatur tum Constantinus Aquileæ, ubi pridie Nonas Aprilis legem dedit unicam: *Si quis eam cujus tutor.* Veneno Crispum periisse, Sidonius Apollinaris docuit. Ablavius enim qui anno CCCXXXI. cum Basso Consul processit, Palatinis foribus hoc distichum apposuit:

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Quia scilicet Constantinus *extinxerat Crispum filium frigore veneni.* A Baroniana Chronologia, quæ Crispi obitum in annum CCCXXIV. confert, prorsus est recedendum. Etenim veterum Scriptorum præsidio prorsus destituitur. Chroni-

Bar. An. 306. n. 18.

Error Baronii.

Capitol. M. Ant. c. 29.

Excerp. de Const.

Zozim. l. 2. c. 29.

Marcel. l. 14. c. 11.

Sidon l. 5. Epist. 8.

Error Baronii.

cum

ANNO DOM. 326.

cum Alex. anno Dom. CCCXXV. quem Paulinus & Julianus aperuere, Crispi mortem affigit. Constantinus *Crispum Cæsarem filium suum à Fausta calumniis appetitum occidit*. Ab Autore tamen Chronici hujus nostra sententia dissidet, Fastos potius Idacii securus, qui labentem annum Crispo ultimum faciunt *Constantino VII. & Constantio Cæsare. His Coss. occisus est Crispus, & edidit Vicennalia Constantinus Romæ*. His consentit Sozomenus, dum scribit, Crispum *anno patris vigesimo* mortem obiisse. Cujus anni pars nulla Æræ Dion. CCCXXIV. afficit. Hieronymus quidem in Chronico, non uti perperàm Baronio persuasum, Eusebius, anno Crispi nono ejus obitum alligavit: *Crispus filius Constantini, & Licinius Junior Constantiæ Constantini sororis & Licinii filius, crudelissimè interficiuntur, anno imperii sui nono*. Quæ etsi cum anno CCCXXV. ab Hieronymo copulentur, ad sequentem tamen pertinent. Quippe anno CCCXVII. Gallicano & Basso Coss. Crispus, Licinius, & Constantinus die Kal. Martii dicti Cæsares fuerant. Nonus ergo imperii Cæsari à Crispo gesti in annum CCCXXVI. incidit. Denique Baronium refellit Zozimus, à quo traditur Crispum periisse, *Postquam imperium ad unius Constantini potestatem rediisset*. Quæ Monarchia, ab anno extincti Licinii, trecentesimo vigesimo quinto scilicet incipit, Paulino & Juliano Coss. Cæterùm imprudentiæ dicam, hic immeritò Baronius scribit Sozomeno, veluti *non admiserit omninò Crispum à Constantino jussum occidi*. Atqui id non negavit, aut negare Sozomenus potuit. Egregio de Sopatro fabulam argumento refellit Zozimus, aliique de Gentilium grege narrabant de expianda Crispi cæde, Constantinum pœnitentiâ ductum consuluisse Sopatrum, à quo responsum tulit, nullam esse scelerum ejusmodi expiationem: *Quâ repulsâ, conturbatum Imperatorem incidisse in Episcopos, qui pœnitentiâ & lavacro baptismi ipsum ab omni scelere purgatum iri se esse pollicerentur. His illum delectatum Christianum factum esse, tum subditos ut idem facerent impulisse*. Absurdam eam famam esse, multis ostendit Sozomenus. Incredibile esse à Sopatro Philosopho eruditissimo ignorari, Herculeum Alcmenæ filium post cædem liberorum, & post necem Iphiti, quem licet amicum atque hospitem iniquè interfecerat, Cereris sacris Athenis expiatum esse. Aliâ ratione fabulam confingit Sozomenus: *Etenim Crispus, cujus causâ Constantinum lustratione opus habuisse dicunt, anno imperii patris XX. mortem obiit, qui dum adhùc superstes esset, utpote secundum imperii obtinens locum, & Cæsaris dignitate decoratus multas unà cum patre leges tulerat*. Non inficiatur ergo Sozomenus, Crispum à patre suo morti missum. Hoc unum negat, ab eo prius interfectum esse, quàm Christi religionem amplecteretur. Quod probat anno Crispi emortuali, qui Constantini vigesimo cohæret, quo tempore certissimum est Constantinum Christianum fuisse, utpote qui & Nicænæ Synodo interfuerat, & multas pro fide leges ediderat. Quòd si à Constantino jam Christiano Crispus occisus est, perit certè de quæsita à Sopatro hujus tanti sceleris expiatione fabula. Atque ex historia Sozomeni nostra de tempore quo Crispus peremptus est, Chronologia non modò stabilitur. Pars enim anni XX. Constantini, cui Crispi obitum Sozomenus alligat, cum CCCXXVI. copulatur, verùm etiam Baronii de anno, quo Constantinum baptismum suscepisse credit, conjecturæ evanescunt atque diffluunt. Contendit Gentiles Scriptores indicasse baptismum Constantini, narrantes de quodam *Hispano*, cui nomen erat *Ægyptius*, & Constantini ad colloquium admisso, qui *sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmavit*, Zozimi narrationem Osium Cordubensem indicare: Addit, *hoc nomen Ægyptius idem importare, quod Magus*: morem esse Gentilibus, Christianorum Sacrificos appellare Magos, sed & Osium à Constantino in Ægyptum missum esse. Ab Osio igitur persuasum Constantinum, sceleris in morte Crispi perpetrati, remedium in baptismo quærere, quod & factum anno 324. perhibet, cùm Romæ à Sylvestro sacris undis expiatus est. Acutissimo commenta hæc esse fatemur: verosimilia, negamus, & pernegamus. Imprudentem, credulumque Constantinum, qui aures facilius calumniæ adhibuerit, concedimus, scelestum verò fuisse, dum Crispum ex falsa accusatione incestus morti addixit, largiri non possumus. Conjecturas Baronii omnes elidit vero de anno Crispi emortuali Chronologia. Anno quidem 324. expiando suo de Crispi nece sceleri, Constantinus remedium in Baptismo invenire non potuit, si biennio pòst Crispum extinxit veneno. Post Synodum verò Nicænam Crispum periisse Baronium docere potuerunt Hieronymus, Orosius, Sozomenus, quibus addimus & Idacium, quem nondum editum Baronius legere non potuit. Imperii igitur vigesimo, quo Crispum periisse tradit Sozomenus, Constantinus Catechumenum adhùc agebat.

II. Insolentia rerum secundarum aliquantum Constantinum ex prisca illa favorabili animi docilitate mutavit. Primùm necessitudines persecutus, egregium virum, & sororis filium commodæ indolis juvenem interfecit Licinianum. De quo Orosius: *Inter hæc latent causæ, cur vindicem gladium & destinatam in impios punitionem Constantinus Imperator, etiam in proprios egit affectus, nam Crispum filium suum, & Licinium sororis interfecit*. Occultam Liciniani obitus caussam esse patimur, non item illam quæ Crispo mortem attulit. Fausta si quidem ad amores illicitos, cùm frustrà privignum sollicitasset, tandem pateri delatum, quasi ipse appetiisset in novercam, quod singulari sanctitate recusaverat, Constantinum adegit, ut præcipiti judicio Crispum damnaret. Fraude mulieris inventâ, ipsam manibus privigni mox comitem dedit. Caussas mortis Faustæ alias prodit Philostorgius: *Nempe in adulterio deprehensam esse, cum quodam ex cursoribus*. Utrumque eorum esse potuit. De Faustæ supplicio consentiunt Scriptores. Quo verò modo perierit, non esset in medio, si Chrysostomus audiretur, qui impuram mulierem monti affixam à feris laniatam esse tradit, Homiliâ XV. in Philippenses. Nos magis Romanis credimus Historicis. Victoris Epitome: Constantinus *Crispum filium necari jubet, dehinc uxorem suam Faustam in balneas ardentes conjectam interemit*. Eadem narrat Zozimus: *Cùm balneum accendi jussisset eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit*.

III. Constantinus Aquileâ Mediolanum profectus, inde Romam se contulit, celebrandis imperii Augustei Vicennalibus. Eò pervenisse Julio mense, ex Zozimo colligimus: *Cùm autem*

ANNO DOM. 326.

Sozom. l. 1. c. 5.

Bar. An. 324. n. 20.

Sozom. l. 1. c. 5.

Sozom. l. 1. c. 5.

Bar. An. 324. n. 27.

Licinianus & Fausta à Constantino ad mortem damnantur.

Eutr. l. 10. Oros. l. 7. c. 28.

Philostorg. l. 2. c. 4.

Zosim. l. 2. c. 29.

Constantini Vicennalia Romæ. Privilegia Christianis indulget. Leges de Novatianis.

tem dies quidam more patrio festum adpetiisset, quo die in Capitolium exercitum ascendendum erat, eum ascensum verbis contumeliosis impudenter insectans, & a ritu sacrorum recedens Senatus atque populi odium incurrit. Dies erat Iduum Julii, quo Equitum Romanorum probatio fiebat.

Zozim. l. 2. c. 29.

Privilegia quoque eo ipso anno Christianis indulsit, quibus Schismaticos expertes esse voluit: *Privilegia quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantùm legis observatoribus prodesse oportet. Hæreticos non solùm ab his privilegiis alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi, & subjici. P. P. Kal. Sept. Generaſto. Constantino Augusto, & Constantio Coss.*

Cod. Just. l. 1. Tit. 5.

De Novatianis quoque legem promulgavit: *Novatianos non comperimus prædamnatos, ut ex iis, quæ petiverunt, crederemus minimè largienda. Itaque Ecclesiæ suæ domum & loca sepulchris apta, sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus, ea scilicet, quæ ex diuturno tempore, vel ex empto habuerunt, quâlibet quæsierunt ratione: providendum erit ne quid sibi usurpare conentur ex iis, quæ ante dissidium ad Ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse manifestum est. Datum IX. Kal. Octob. Spoleti Constantino Aug. VII. & Constantio Coss.*

Constantini in Hæreticos Decretum. Cur Ariani in eo omissi?

IV. Aliam quoque Constitutionem adversus Hæreticos sanxit: *Victor Constantinus Max. Aug. Hæreticis. Agnoscite nunc hujus legis beneficio, ô Novatiani, Valentiniani, Marcionitæ, & Pauliani, & quibus Cataphrygum nomen inditum: omnes denique hæreses privatis cœtibus instructis atque impletis, quot mendaciis opinionis vestræ vanitas implicetur. . . Quocircà quando hæc vestræ improbitatis pernicies ampliùs ferri non potest, præsenti lege interdicimus, ne quis vestrûm imposterum conventus agere præsumat. Atque idcircò universa loca, in quibus ejusmodi cœtus peragitis, auferri præcepimus. Eò usque procurrente majestatis nostræ sollicitudine, ut non modò in publico, sed ne in privatis quidem ædibus, superstitiosæ vestræ dementiæ factio congregetur.*

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 65.

Hæreticorum autem Oratoria Catholicæ Ecclesiæ incunctanter tradi præcepit, reliqua autem loca publico adjudicari. Eorum quoque libros perquiri jussit. Eâ Constitutione factum est quidem, ut multi callidè dissimulantes, adulterino sensu in Ecclesiam irreperent, quos detectos, Antistites sollicitâ disquisitione factâ procul abigebant. Eos verò qui sincerè id agerent, aliquanto tempore exploratos, ad sacros conventus admiserunt. Novatiani tamen nil ferè detrimenti ex eâ lege passi. Acesius enim eorum in urbe Constantinopolitana Episcopus, ob vitæ sanctitatem Imperatori gratissimus, Ecclesiæ suæ plurimùm adjumenti contulisse videtur. In alio Constantinus Rescripto superioris legis acerbitatem temperavit, ad Bassum misso: *Novatianos non comperimus prædamnatos, ut iis quæ petiverunt, crederemus minimè largienda. Itaque Ecclesiæ suæ domos, & loca sepulchris apta, sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus.*

Cod. Th. hær. l. 2.

Baronio non assentimur, qui legem explicatione illustrat ejusmodi. Novatianos non fuisse prædamnatos ut *Hæreticos*, sed ut *Schismaticos*. Nonne ut Hæreticos Cornelius damnarat Episcopus? Teste Hieronymo in suo de Viris illustribus Catalogo c. 66. Cornelius scripsit Epistolam *quartam ad Flavianum, valde prolixam, & Novatianæ hæreseos causas & anathemata continentem.* Et cui ignoratur Nicænæ Synodi c. 8. *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis, placuit Sancto Concilio ut ordinentur.*

Mens ergo legis ea est, Novatianos non ita damnatos atque exosos esse, ut propterea Oratoria sua eis adimi debeant. Nec mirum, cùm Religionis fundamenta omnia retinerent. Itaque mitius cum illis actum fuit. Legatur Socrates de lege Theodosii l. 5. c. 10. Montanistæ porro in reliquis imperii partibus eadem perpessi sunt, quæ alii omnes Hæretici, exceptâ Phrygiâ, & vicinis aliquot Provinciis, in quibus jam inde ab initio, & ab ipsius Montani temporibus multitudine abundabant. Eâ adversus Hæreticos lege factum est, ut sectarum memoria magna ex parte intercideret. Qui enim erroris sui tenaciores cum Ecclesia conjungi noluerunt, nullis opinionis suæ successoribus post se relictis, ex hac vita migrarunt.

Sozom. l. 2. c. 32.

Arianos quorum præcipua mentio habenda fuisset, utpote qui totum penè Orientem exagitassent, in ea lege omissos esse Baronius miratur. Ac dolose ab Eusebio suppressum Arianum nomen existimat. Sed immerentem fraudis nullo jure postulat. Integrum sanè Eusebio non fuit, ex exemplaribus Edicti omnibus Arianorum nomen eradere. Et eâ audaciâ sibi infamiam collegisset.

Bar. An. 326. n. 22.

Aliam itaque Sozomenus omissionis causam attulit, quæ utut incongrua, à fraude tamen Eusebii liberat innocentiam. Quod nempe in peculiarem sectam, ex Arii nomine distinctam factio hæc non processerat.

Sozom. l. 2. 32.

Germana cur Ariani Constantini in Decreto omittuntur, ratio est manifesta, quam & innuit Eusebius: *Postquam sublatis de medio dissensionibus, Ecclesiam Dei ad concordiam & unanimem doctrinæ consensum revocavit, inde transgressus, aliud impiorum genus abolendum esse censuit.*

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 63.

Simul ergo & Christianis, & Arianis collectas agentibus, exceptis duntaxat pertinacioribus Arii fautoribus, qui in exilium ejecti fuerant, cùm Decretum adversus Hæreticos ab Ecclesia dissitos est promulgatum, nulla ratio fuit, cur Arianos Hæreticis illis insereret, qui *privatos*, diversosque ab Ecclesia cœtus instituebant, aliisque Oratoriis utebantur.

Androgyni Nili Ministri removentur.

V. Qui Hæreticorum conventicula evertebat Imperator, nefandis Idololatriæ monumentis non pepercit. Interdixit omnibus, ne simulachris sacrificarent, ne Vates consulerent, neve simulachra erigerent, aut arcana sacra peragerent. Impuros quoque Nili Sacerdotes prohibuit. Ægypti ubertatem Nilo referebant. Qua de re insignis est locus apud Libanium, in oratione pro Templis: *Nilum epulo excipiunt, utque in arva ascendat, invitant; sacra illa, quæ nisi stato ac solemni tempore, & ab iis qui ad hoc constituti sunt, facta fuerint, nec ipse Nilus unquam ascendere & exundare voluerit.* Fluvium suum Ægyptii ministerio hominum effeminatorum colebant, lex ergo data est, ut hæc Androgynorum natio è medio tolleretur, nec usquam conspicerentur ii qui ejusmodi impudicitiæ morbo laborassent. Existimabant superstitiosi, Nilum post hæc more solito agros minimè irrigaturum. At Dei numine fluvius, quasi expiatâ totâ regione, largiore aquarum copiâ exundans, agros omnes irrigavit.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. 25.

Paulò pòst tamen Androgyni restituti, ut ex Libanio colligitur: *Qui hæc quoque sacra libentissimè sustulissent, tamen ea abolere consultò noluerunt. Sed fluvium illum ex more institutoque majorum epulo excipi passi sunt, quippe qui magnam mercedem rependeret, frugum scilicet ubertatem.*

Basilicam Christi in sepulchro Constantinus extruit.

VI. Intereà facinus egregium sese dignum Constantinus concepit animo, dum Christi sepulchrum

Anno Dom. 326.

pulchrum, cunctis mortalibus venerabile efficere officii sui esse existimat. Ut speluncæ, in qua sacrum Redemptoris corpus requieverat, memoria adimeretur, immortale hoc monumentum impii plurimâ humo aliundè advectâ, egestâque impleverant, & lapide constraverant. Hac tantâ congerie sacra spelunca obtegebatur. Ac ut nil dedecori deesset, obscuram mortuorum simulacrorum cavernam Veneris in honorem ædificaverant. Hic impura super profanis altaribus sacrificia offerebant. At Constantinus impia hæc monumenta è sublimi ad solum dejici mandat, ruderaque quàm longissimè extra fines regionis projici. Quibus ad hunc modum gestis, Templum regali magnificentiâ extrui jubet. Orientalium Provinciarum Rectoribus præcipit, ut impensis copiosè subministratis, ingens & magnificum opus efficerent. Macario quoque Hierosolymorum Episcopo scribit, se de parietum substructione, & elegantiâ, *Dracilliano* agenti vices Præfectorum Prætorio, & Provinciæ Præsidi curam esse commissam. Quæ verò de columnis, marmoribus, lacunaribus, artificibus, operariis, Macario necessaria videbantur, ad se rescribi jubet, ut venerandus ille locus pro dignitate sua exornaretur. Mandata subinde effectus excipit. Sepulchrum tanquam totius operis caput, Imperatoris magnificentia eximiis columnis, & maximo cultu primum omnium decorat. Atrii solum splendido lapide sternit, longissimis undique porticibus ad tria latera additis. Lateri, quod è regione speluncæ positum, Solis ortum spectabat, conjuncta erat Basilica, cujus interiora versicoloribus marmoris crustis obtegebantur: exterior superficies politis lapidibus decorabatur. Interius tectum sculptis lacunaribus consertum auro purissimo radiabat, culmen ad hybernos imbres arcendos plumbo tegebatur. Ad utrumque latus geminæ porticus totius Basilicæ longitudinem æquabant, quarum concamerationes auro perinde variabantur. Portæ tres ad orientem Solem aptè dispositæ introëuntes admittebant. E regione portarum erat hemisphærium usque ad culmen ipsius Basilicæ protensum. Cingebatur id duodecim columnis pro numero Sanctorum Apostolorum: quarum capita maximis crateribus argenteis erant ornata. Superbum hoc ædificium argento, auro, gemmisque ditavit.

An præter Anastasim, alia & à Constantino extructa Basilica nomine Martyrium?

VII. Egregiæ huic Basilicæ nomen *Anastasis*, sive resurrectio impositum. Cyrillus Catechesi 14. p. 147. *Reges pietatis ergo argento decorantes & auro, sanctam hanc Ecclesiam resurrectionis Salvatoris, in qua nunc sumus*, extruxerunt. Hieronymus ad Pammachium Epistolâ 61. c. 4. *Nonne cùm de ἀναστάσει pergeretis ad crucem, & ad eum* (Epiphanium) *omnis ætatis & sexus turba conflueret &c.* Eadem quoque Basilica nomine *Martyrii* afficiebatur, ut apparet ex Hierosolymitanæ Synodi Epistola apud Athanasium: *Omnibus nobis ad magnum & festum diem congregatis, ἐπὶ τοῖς ἐγκαινίοις τοῦ Σωτηρίου μαρτυρίου, ob consecrationem martyrii Salvatoris.* Id quoque vocabuli Cyrillus adhibuit Hierosolymitanus, significandæ huic Basilicæ: *Vides quod & locum resurrectionis prævidit Propheta, Martyrium vocandum. Quare enim non juxta reliquas Ecclesias, hic Golgotha, & resurrectionis locus, Ecclesia vocatur, sed Martyrium.* Neque respuit appellationem Sozomenus, qui tamen non satis accuratè Basilicæ locum designat: *Absoluta jam Ecclesia Hierosolymis, in Calvariæ loco, quæ magnum Martyrium appellatur.*

Athanas. Apol. t. 1. 801.

Cyril. Catech. 14. p. 143.

Sozom. l. 2. c. 26.

Anno Dom. 326.

Ac id videtur accepisse nominis à sepulchro Dominico, quod non semel *Martyrium* appellatur. Altissimo loco effosso, quem collocata Veneris statuâ Ethnici profanaverant: *Tunc ipsum augustissimum Dominicæ resurrectionis μαρτύριον, monumentum, præter omnium spem refulsit.* Et capite 33. *Et in ipso Servatoris nostri Martyrio, nova fabricata est Hierusalem.* Quæ nostro quidem judicio doctissimus Valesius perperam Constantini Basilicæ accommodat in sua de Anastasi Diatriba. Aliud enim sepulchrum Servatoris, aliud est Basilica. Cæterum ex testibus excitatis Valesii sententiam, quam Sirmondi apparet probabiliorem esse. Sirmondus existimat duas à Constantino Basilicas erectas fuisse: *Unam in loco passionis, quæ Martyrium, & Crux dicta est, alteram in loco resurrectionis, quæ Anastasis, & Dominicum dicebatur.* Unius enim Basilicæ meminerunt Eusebius, Socrates, Sozomenus. Unam fuisse Constantini in Tricennalibus dedicatam, ex cœtus Hierosolymitani Epistola, Historicisque novimus. Neque ulla Basilicas multiplicandi causa, cùm Anastasis Martyrii quoque nomen gesserit. Ac sanè loci spatium duas prorsus Basilicas respuit, teste Joanne Apostolo: *In eo autem loco, ubi fuerat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.* In tam brevi spatio duas à Constantino Basilicas erectas fuisse, creditu sanè difficillimum. In eodem tamen Templo, *Anastasis* strictius sumpta distingui potest, ea scilicet ædicula, quæ sepulchro superstruebatur, quam *sancti sepulchri fabricam, totiusque operis caput* nuncupat Eusebius de vita Constantini libro 3. c. 34. Quæ distinctio lucem Eucherio fœnerat; *Primùm de locis sanctis, pro conditione platearum divertendum est ad Basilicam, quæ Martyrium appellatur à Constantino M. cultu extructa. Dehinc cohærentia ab Occasu visuntur, Golgotha, & Anastasis. Sed Anastasis in loco est resurrectionis. Golgotha verò media inter Anastasim ac Martyrium, locus est Dominicæ passionis, in quo etiam rupes apparet, quæ quondam affixo Domini corpore crucem pertulit.* Corruptum Eucherium Valesius sic optimè persanavit.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 28.

Joan. xix. 41.

Helenæ in Orientem profectio? ejus Acta. Templa extruit.

VIII. Felicitatis Constantini pars erat non minima ejus erga matrem Helenam pietas, quam à fide prius alienam, piam tamen atque religiosam dein præstiterat. Regalibus quoque honoribus ita eandem ornaverat, ut in omnibus Provinciis Augusta, & Imperatrix nuncuparetur, & aurei nummi ejus imagine signarentur. Quin etiam thesaurorum regalium potestatem ei Constantinus concesserat, quibus pro arbitrio, & ex animi sui sententia, prout libitum esset, uteretur. Ut ergo duo Templa conderet, ei subsidio fuit. Quippe Helena Bethlehem orandi causâ pro filio & nepotibus, quamvis affectâ jam ætate, tamen juvenili animo properavit. Orientem peragrans, innumeris civitatibus & privatis beneficia acervatim contulit; militibus multa distribuit; pauperibus pecuniam vestemque suppeditavit; vinculis ac metallorum ærumnis afflictos exolvit; nonnullos ab exilio revocavit. Assiduè Ecclesiam frequentavit; sacras ædes eximiis ornamentis decoravit, ne minimarum quidem urbium sacella despiciens. Postquam verò Servatoris vestigia debito cultu venerata est, fusis ubi pedes ejus steterunt precibus, pietatis suæ fructum posteris reliquit,

duobus

Anno Dom. 326.

duobus Templis dedicatis, altero ad speluncam in qua Dominus natus erat, altero in eo monte, ex quo in cœlum ascenderat. Quam matris suæ magnificentiam variis ex auro & argento monumentis, velisque acu pictis Constantinus cumulavit. Antrum in quo lucem Dei Filius aspexerat, miris modis Ethnici polluerant. Testis Hieronymus ad Paulinum Epistolâ: *Bethlehem nunc nostram lucus inumbrabat Thamus, id est, Adonidis, & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur.* Locum expiavit Templum cultui sacro dicatum. Pietatis etiam suæ Hierosolymis Helena monumentum reliquisse perhibetur: *Virgines Deo sacras ad prandium invitasse, & tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet, si famulorum uterentur officiis.* Quæ minimum probabilitatis habent, nec satis Augustâ matre Imperatoris digna. Agebat annum circiter 80. quâ ætate creditu difficillimum, Helenam famulæ habitu succinctam, cibum apposuisse, poculum porrexisse, aquam virginum manibus infudisse. In ministeriis ejusmodi nulla pars religionis constituitur.

Eusèb. de Vit. Const. l. 3. c. 43.
Hieron. Ep. 13.
Rufin. h. l. 1. c. 8.

De Crucis inventione.
Cyril. p. 247.

IX. In ea Helenæ peregrinatione Crucem Domini inventam esse qui post Eusebium floruere Scriptores memoriæ prodiderunt. Cyrillus in sua ad Constantium Epistola: *Ac tempora*, inquit, *Deo dilectissimi & beata memoria Constantini, salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum est divinâ gratiâ concedente ei, qui rectè quærebat pietatem, etiam abstrusam locorum sanctorum inventionem.* Fusius rem exequitur Ambrosius, in oratione funebri Theodosii: *Venit ergo Helena, cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgatham, & ait, Ecce locus pugnæ, ubi est victoria, quæro vexillum salutis, & non invenio. Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerta hæret, ut mulier, sed certam indaginem Spiritus S. inspirat, eò quòd duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum, sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret & inverteret. Redit ad Evangelii lectionem, invenit quia in medio prælatus titulus erat, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hinc collecta est series veritatis, titulo Crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Judæis Pilatus respondit, Quod scripsi, scripsi; id est, non ea scripsi, quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret; non vobis scripsi, sed posteritati propemodum dicens, habeat Helena quod legat, unde Crucem Domini recognoscat. Regem adoravit non lignum, quia hic Gentilis est error.* Ex titulo quoque cognitam esse Servatoris Crucem, tradit Chrysostomus Oratione in Joannem LXXXIV. *Cùm tres Cruces inventæ essent, par est & quia media erat, & propter titulum, Domini Crucem agnitam: nam latronum Cruces titulum non habebant.* Quæ traditio, ut simplicior, sic etiam fit verosimilior. At jejuna nimis Crucis hæc inventio illis visa est, qui post Ambrosium scripsere. Advocavit Rufinus miraculorum auxilia patefaciendæ Cruci. Titulus quidem aderat: *Sed nec ipse satis evidenter Dominici prodebat signa patibuli.* Macarius ergo Episcopus tres afferri Cruces jubens, Deum enixè orat, ostendat *evidenter ex his tribus, quæ Crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterit ad servile supplicium.* Jacebat mulier quædam Civitatis primaria morti vicina. Ea eligitur, quæ vim Crucis experiretur. Ac prima quidem, secundaque frustrà adhibentur restituendæ decumbenti. Ut verò tertia admota est, *Repentè adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium receptâ, alacrior multò quàm cùm sana fuerat, totâ domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit.* Unius miraculi Rufinus meminit: addit Paulinus, mortuum admotâ Cruce ad vitam esse revocatum: *Cadaver illatum est: deponitur: jacenti una de crucibus admovetur & altera. Sed reorum ligna mors sprevit. Postremò Dominicam Crucem prodit resurrectio, & ad salutaris ligni tactum morte profugâ funus excussum, & corpus ereptum.* Prodigium ejusmodi Sozomeni quoque in historia legitur. Adeò verum est, ut famam, sic traditionem quoque eundo vires acquirere. Porro Crucis inventionem quod attinet, mirum est profectò Eusebii silentium, qui de ea ne verbum quidem ullum habet in historia, vel in Chronico. Etenim quæ vel à Centuriatoribus, vel à Baronio laudantur, in Latinis melioris notæ exemplaribus desiderantur, nec usquam gentium reperiuntur in Græcis. Ac scrupuli sanè aliquid mentibus injicit hoc silentii, in quod Eusebium descendere multa prohibebant: diligentia scilicet, quæ gravem Historicum decet, atque amor, quo Helenæ, Constantinique memoriam complectebatur. Neque Crucis inventionem solus præterit Eusebius. Quod magis miramur, de ea nil memorat Constantinus ipse, in sua ad Macarium Epistola, ubi Dei in laudes erumpit, ob repertum, quod tamdiu delituerat, sepulchrum Domini, *sacratissimum passionis ejus monumentum.* Quantò magis repertæ Crucis meminisset? Non nescimus, Bellarminum Constantini verba hæc accommodasse Cruci, l. 2. de Imag. c. 27. Sed intoleranda hæc est Bellarmini sive inscitia, sive audacia, quocunque nomine vocetur, dum ex sepulchro Crucem fabricat. Inventæ Crucis primus mentionem fecit Cyrillus, qui ea de re ad Constantium scripsit Augustum: *Ac tempore quidem Deo dilectissimi, ac beata memoria Constantini patris tui, salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum est.* Cùm autem illo tempore vixerit Cyrillus, quo Hierosolymam lustravit Helena, durum fortasse videbitur, aut factum negare, aut Epistolam Cyrillo detrahere. Non dissimulabimus tamen in ea quæstione nos pendere animi. Urget Cyrilli ad Imperatorem Epistola, qui commentis ludi non debuit. Dubium tamen animum multa faciunt. Primùm de reperta Cruce traditionis dissimilitudo. Deinde altissimum Eusebii, Constantinique de ea inventione silentium. His accedit, vero non esse proximum, latronum Cruces cum illa Christi, uno eodemque loco fuisse conditas. Non à Judæis, qui cum supplicii instrumentis cadavera damnatorum sepeliebant: non à militibus Rom. quibus mos ille Judæorum non usurpabatur. Neque etiam ulla defunctorum ossa fuerant in monumento, ubi Crux Domini jacuisse fertur. Indicio Cruces latronum cum ipsis non fuisse sepultas. Quæri & illud potest, num annis penè trecentis in solo Hierosolymitano Cruces absque putredine servari potuerint cessante miraculo. Denique fraus Reliquiariorum nobis est timenda in rebus ejusmodi. Excogitatam esse Crucis inventionem, partim ut pergratum fieret Constantio, qui reliquiis extra modum delectabatur, partim & Ecclesiæ Hierosolymi-

Anno Dom. 326.
Rufin. h. l. 1. c. 8.
Paul. Ep. 11.
Sozom. l. 2. c. 1.

ANNO DOM. 326.

lymitanæ honos accumularetur, quid vetat? Nonne *Juvenalis*, Cyrilli de successoribus unus, per *commentitia scripta* Palæstinæ Principatum extorquere voluit, docente Leone Epist. LXII.? Hieronymus quidem Cyrillum ejusmodi coloribus pingit in Chronico, quibus existimari forsan posset animum, à *piis fraudibus* alienum non gestasse:

Hieron. Chr. 163.

Cyrillus cùm à Maximo fuisset Presbyter ordinatus, & post mortem ejus, ita ei ab Acacio Episcopo Cæsariensi, & cæteris Episcopis Arianis Episcopatus permitteretur, si ordinationem Maximi repudiasset, Diaconus in Ecclesia administravit. Ob quam impietatem Sacerdotii mercede pensatus, Heraclium, quem moriens Maximus in suum locum substituerat, variâ fraude sollicitatus, de Episcopo in Presbyterum regradavit. Quòd si repertum ab Helena Domini patibulum putamus, non iis sanè miraculis, quæ Ambrosio ignorantur, atque Chrysostomo, sed solo titulo, qui ligno etiamnum affigebatur, quærenti fuit indicatum. Nulla profectò Cyrillus inventionis jactat miracula in sua ad Constantium Epistola, quæ non præteriisset, si patrata fuissent. Quid de Cruce Domini factum sit ab Helena, Rufinus docet. Detulit filio partem:

Rufin. h. l. 1. c. 8.

Partem verò thesis argenteis conditam dereliquit in loco, quæ etiam nunc ad memoriam sollicitâ veneratione servatur. Crucis inventio die Septembris XIV. à Latinis festo celebratur, absque ullo tamen Antiquitatis præsidio, quæ inventi sacri ligni tempus omninò silet.

De Christi clavis. & eorum usu.

X. Reperti feruntur cum Cruce clavi, quorum usum nos Ambrosius docuit: Helena *quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit, unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas Crucis redemptionis divina gemma connecteret. Misit & frenum; utroque usus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros Reges.*

Ambr. Or. Fun. Theod.

At Rufinus clavos ad Constantinum ab Helena allatos esse tradit: *Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frenos composuit, quibus uteretur ad bellum. Ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse.* De Constantioi diademate, ex uno clavorum ornato, silet Rufinus, & si verum placet, galeæ quàm diademati aptior clavus erat.

Error Baronii.

Atque hîc in errore Baronius deprehenditur: *Omnium*, inquit, *sententia constat, clavum positum in Corona, quâ ipse uti soleret Constantinus.*

Bar. An. 326. n. 53.

Quippe Veterum nullus Constantino Coronæ usum tribuit. Diadema gerebat, quod in Coronam à Baronio mutari non debuit, utpote quæ Regiæ dignitatis insigne erat Romania prorsus ingratæ. Itaque non *Coronam*, sed *diadema* Ambrosius dixit. Neque etiam *omnium sententia* constat, diademati quod Baronio Corona vocatur, Christi clavos affixos fuisse. Non sic censet Rufinus qui Constantini *Galeam* illis ornatam prædicat. Galea verò multum à diademate discrepat. Gegorius Turon. alium clavis Dominicia usum assignat. Narrat Helenam, uno ex quatuor clavis in Adriaticum mare jacto, tumidas sibi aquas placasse. Quartum verò asserit esse *defixum in capite statuæ Constantini.*

Greg. Glor. Mar. l. 1. c. 6.

Quæ narratio Veterum omnium silentio refellitur, qui ad alios usus clavos quæsitos esse prodidere. Absurdum superat omne Sigeberti, aliorumque similis farinæ Scriptorum superstitio. Narrant: *lanceam mirandi operis, ex clavis J. Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & magni Constantini Imper. Fuisse donatam Rodolpho Regi Burgundionum & Italiæ, à Samsone Comite:* Hanc Rex *Henricus, precibus, minis, muneribus, additâ etiam parte Provinciæ Suevorum, à Rodolpho extorquet.* Quid ad hæc Baronius?

ANNO DOM. 326.

Bar. An. 929. n. 4.

Quod dicitur ex clavis Dominicis illam esse confectam, verius puto esse dicendum, ex aliqua parte clavi, alio ferro conjuncta, illam esse elaboratam. Sic Baronii solertia fabulæ trophæum statuit:

Destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Non ex clavia quidem ad alios usus adhibitis Constantiniana confici hasta potuit, fatente Baronio. Neget itidem hastam clavorum ex *aliqua parte* constasse, qualem usum nescivit Ambrosius, nescivit Gregorius Turonensis, tota nescivit Antiquitas. Sigebertus de Reliquiis,

Cùm primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negotii credidit solùm dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.

In transcursu liceat observare mirum quantum mutata sit reliquiarum religio. Clavos Christi pretioso sanguine madentes viri pii, Josephus Arimathæensis, & Nicodemus, cùm facilè possent, in thesauris tamen suis non recondidere. Volventibus penè tercentum annis Helena sollicitè passionis monumenta hæc venatur, non ut adoranda quidem proponantur populis, sed ut equorum frenis aptentur, quòd eò loci quo res sunt, maximæ offensioni esset, ob illatam sacris clavis injuriam

Mors Helenæ. Romæne excesserit?

XI. Suæ peregrinationi non diu superfuit Helena. Annum ætatis agens circiter octogesimum, testamento facto hæredem reliquit unicum filium Imperatorem, cum Cæsaribus nepotibus suis, quorum singulis bona, quæ per universum orbem possidebat, divisit. In hunc modum diem ultimum clausit, præsenti & astante tali tantoque filio, & omni obsequiorum genere matrem fovente, manusque ejus amplectente. Cadaver autem ejus honore haud quaquam vulgari affectum fuit. Cum ingenti satellitum numero *in regiam urbem perrectum, ibidem in regali monumento depositum est.*

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 47.

Romæ decessisse, *cùm de pia Christianaque vita instituto permulta mandata filio dedisset*, scriptum Nicephoro.

Niceph. l. 8. c. 31.

Quæ sententia & Pagio placuit. Non longè quidem ab urbe Helenam cum morte vitam mutasse, nobis est probabilissimum. Ex verbis tamen Eusebii confici videtur Helenam non Romæ ultimum diem obiisse. Ut enim defunctæ corpus in urbem efferretur, utique extra urbem ad plures abiisse debuit. Novam Romam deportatum fuisse, perperam Socrati creditum. Non sanè moris est Eusebio; τῆ βασιλευούσης πόλεως, *imperantis urbis* titulo Constantinopolim afficere. Sic capite 38. *urbem nominis Constantini* Novam Romam appellat. Et capite 7. *Aberat quidem regia urbis Antistes, ob senilem ætatem*, Sylvester scilicet. A veri specie non abhorret narratio Nicephori:

Niceph. l. 8. c. 31.

Helena *extra urbem Romanam sepulta, in templo rotundo, marmoreâ urnâ deposita, atque biennio pòst, cum urna Constantinopolim deportata est.* Cur verò morti Helenæ hunc annum assignemus, causa multiplex est. Valerius enim Constantinus, qui annum CCCXXVII. aperuit, vel Constantini frater est, vel certè fratris filius. Constantii verò Chlori liberos, quoad vixit Helena, à publicis muneribus removit, & exoles semper detinuit. Sed & anno sequente

ANNO DOM. 326.

Hier. Chr.

Drepanum novo nomine donatur in Hieronymi Chronico: *Conſtantinus inſtauratâ Drepani urbe, illam à matre ſua Helenopolim nuncupavit.* Verſabatur & in urbe Conſtantinus, cùm Helena fatalem in morbum incidit, hoc autem anno urbem petierat celebrandis Vicennalibus. De Helenæ corpore magnum ſecutis ſeculis, Græcos inter & Latinos certamen eſt inſtitutum, ubi ſepultum fuerit. Per Theagiſum Monachum Romæ in Rhemenſem Diœceſim tranſlatum eſſe, Autor eſt Sigebertus. Ab Oriente verò Venetias tranſlatum eſſe, Veneti prædicant. Quas ſanè lites non componemus. Res Eccleſiæ nunc ingredi juvat.

Turbæ Ægyptiacæ ob vocem Conſubſtantialis & Meletianos.

XII. Meletii audaciam fregerat Nicæna Synodus, atque contriverat, neque amplius audebat Schiſmaticus in Alexandri munus involare. Ubi Alexandriam optimus ille Præſul reverſus eſt, cùm Meletii calliditatem noſſet, ab eo Breviarium Epiſcoporum petit, nec non Presbyterorum, & Diaconorum, qui vel in urbibus, vel in pagis factionis ejus clientes erant. Prudentiâ condita fuit ea poſtulatio. Id enim faciebat *Alexander Papa, ne Meletius uſurpatâ Eccleſiæ libertate, atque facultate, titulos plurimos venderet, & mendacio quotidie novos tanquam à ſe creatos ſubjiceret. Hoc igitur Breviarium eſt, quod in Ægypto Meletius fecit:*

Breviarium Meletii quod Alexandro Epiſcopo dedit.

Ego Meletius in Lyco, Lucius Antinopoli, Phaſileus Hermopoli, Achilles Cuſis, Ammonius Dioſpoli in Ptolemaide, Pachymes Tetyris Maxianopoli, Theodorus in Copto apud Thebaidem, Cales in Hermethe, Caluthus in ſuperiori Cyno, Pelagius in Oxyrincho, Petrus Heracle, Theon in Nilopoli, Iſaac in Leto, Heraclides in Nicio, Iſaac in Cleopatride, Melas in Arſenoite in Ilio, Amoc in Leontus, Pion in Atribia, &c. Ut tot nominum moleſtiâ, & nos, & lectorem liberemus, inſpiciatur Breviarium, Athanaſii in Apologia t. 1. 789. Non multò poſt datum Alexandro Breviarium Meletius naturæ ſatisfecit. Cum eo tamen factio ejus non extinguitur. A moriente, Joannem qui ſuccederet, deſignatum eſſe doctiſſimus tradit *Hermantius*, quod nuſquam legimus, non ſane extat in Epiphanio. A Schiſmaticis igitur potius quàm à Meletio *Joannem* Epiſcopum creatum fuiſſe vero ſimilius, neque abſque Autore Meletii memoria eſt infamanda, qui ſe Nicæno decreto morigerum præbuerat. *Meletianos* quidem, non *Meletium*

Athanaſ. Apol. t. 1. 777.

bellum inſtauraſſe, monet Athanaſius: *Meletiani, quos & quietos, & gratos eſſe oportuit, quòd aliquo ſaltem modo recepti eſſent, rurſus Eccleſias perturbare cœperunt.* Defuncto Meletio factionem ejus Alexander agitare cœpit, ne ab Eccleſia contumaciter deſciſceret. Illi contrà detrectantes, tumultuari ac perturbare omnia. Urgente acrius Alexandro, nonnulli è Sectæ primariis ad comitatum proficiſcuntur. Ex his præcipui erant, *Joannes* illorum Epiſcopus, *Callinicus* Peluſii Præſul, *Paphnutius* Anachoreta, ex parte Confeſſor, matriſque, quæ Chriſtum

Epiphan. h. 68. n. 7.

profeſſa fuerat, filius. Neque ſoli Meletiani, ſed Chriſtiani quoque Eccleſiæ pacem eripiebant. Vox enim *Conſubſtantialis* quibuſdam fuit offenſionis, eòque pertinere verba Euſebii de Ægyptiorum contentione, quam repugnante Socrate ad Meletianos Hermantius accommodat. Socrates ipſe ſcriptum reliquit lib. 1. c. 23. *Verùm,* inquit, *ſicut nos ex variis Epiſtolis deprehendimus, quas Epiſcopi poſt abſolutam Synodum ad ſeſe mutuò ſcripſerunt, vox Conſubſtantialis quorumdam mentes turbabat. Quam illi diu multumque verſantes, & ſcrupuloſius examinantes, inteſtinum inter ſe bellum excitaverunt.* Hæc eſt illa rixa, quam ſignificat Euſebius, cujus verba referre juvat: *Ve-*

ANNO DOM. 326.

Euſeb. Vit. Conſt. l. 3. c. 23.

rùm cunctis inter ſe pacem colentibus, apud ſolos Ægyptios, implacabilis contentionis furor ardebat, adeò ut moleſtiam quidem exhiberent Imperatori, non ideò tamen eum ad iracundiam excitarent. Illos enim ut patres, aut potius ut Prophetas Dei omni honore Imperator aſſiciens, iterum ad ſe vocavit, iterum arbiter eorumdem fuit, iterum eos muneribus ac donis honoravit. Sententiam quoque, quam arbiter dixerat, per Epiſtolam ſignificavit, confirmans, & ſanciens ea quæ à Synodo decreta fuerant. Scintilla hæc fuit incendii, quod poſt à conflatum eſt, cùm Meletiani & Ariani junctis viribus Athanaſium miſerè perſecuti ſunt.

Mors Alexandri Alex. De die ejus emortuali & verbis ultimis.

XIII. Tandem cùm multum laborum Alexander exhauſiſſet, glorioſam ſenectutem morbo finiit. Cùm ex vita vocaretur, Athanaſium ſucceſſorem ſibi reliquit. Mors imminebat, *cùm abſentem Athanaſium nominatim vocare cœpit. Et cum alter ejuſdem nominis, qui illic aderat, vocanti reſpondiſſet, iſti quidem nil dixit, quippe*

Sozom. l. 2. c. 17.

quem non vocabat. Rurſus verò vocare perſtitit. Cùmque id ſæpius fieret, is quidem qui aderat ſilentio tranſmittebatur, deſignabatur verò ei qui aberat. Quin & Prophetico Spiritu B. Alexander ita locutus eſt: Effugiſſe te credis, Athanaſi, non effugies; ſignificans ſcilicet eum ad certamen vocari. Quæ ex Apollinari exſcripſit Sozomenus. Quo menſe exceſſerit Alexander, non ſatis liquet. Verba hæc ſunt Athanaſii: *Nondum quinque*

Athan. t. 1. 777.

menſes prætererant, cum B. Alexander mortem obiit. A quo verò tempore principium ſit ducendum, à fine Synodi Nicænæ vel ab Alexandri reditu, non eſt ex Athanaſio manifeſtum. Primâ ſpecie Synodi finem innuere videtur Athanaſius, utpote qui Nicæni in Arianos anathematis meminerit. Quomodo & Athanaſium

Theodorit. l. 1. c. 26.

Theodoritus explicuit: *Cùm admirabilis ille Epiſcopus Alexander, qui Arii blaſphemiam expugnavit, poſt quinque menſes à Synodo Nicæna vivendi finem feciſſet,* &c. Quæ Epocha multum & noctis aſſumit, cùm finis Synodi non ſit in medio. Abſolutam eſſe edente Vicennalia Conſtantino, eſt quidem in confeſſo, ſed quæſtionem habet, utrùm legitimo ſuo tempore celebrata ſint, an in aliud tranſlata. Hoc eſt, continuatane Synodus fuerit ad uſque VIII. Calendas Auguſti, vel Septembris? Cùm verò nobis probabilius fuerit, tranſlata non eſſe Vicennalia, ſi ab exitu Synodi menſes quinque numeremus, in annum non præſentem, ſed proximè futurum incidet obitus Alexandri. At eò magis inclinat ſententia, ut quinque menſes à reditu Alexandri & Meletii ſuſceptione numerentur. Quod etiam ex Athanaſio colligi poteſt: *Meletiani autem aliquo modo recepti ſunt: neque neceſſum eſt ejus rei dicere cauſam: nondum quinque menſes prætererant, cùm B. Alexander mortem obiit, nempe à receptis Meletianis. Quæ geſta fuiſſe memorat Epiphanius, ea quoque docent, à reditu quinque menſes eſſe numerandos.* Hæc etiam libelli Synodici ſententia eſt, in Cæſarienſi Palæſtinæ

Lab. Conc. t. 2. p. 85.

Arianorum Concilio: *Alexandro verò Papâ Alexandriæ, quinto poſt menſe, quam Nicæâ domum reverſus eſſet, ad Dominum digreſſo, Athanaſius*

Præ-

Anno Dom. 326.

Præsulatum meritò accepit. Ex ea verò Chronologia, anno quidem CCCXXVI. mors Alexandri cohærebit, sed Januario circiter, aut Februario. Itaque quod in historia Patriarcharum Cophtitarum habetur, *Alexandrum obiisse die* XXII. *Bermuda, die Lunæ*, id est, die XVII. Aprilis, qui anno CCCXXVI. cum feria secunda concurrebat, falsum prorsus, & fictitium videtur, cùm pugnet Antiquitati. Sequeretur enim Alexandrum nonnisi jam ad exitum vergente Novembri ad suam Ecclesiam rediisse, quod non est vero simile; absolutâ quippe Synodo ad eam urbem properavit, componendis dissidiis. Nondum autem quintus à reditu mensis condebatur, cùm Alexander vitâ migravit. Chronicum quoque Alexandrinum, ad annum Dom. CCCXXX. Gallicano & Symmacho Coss. hæc habet: *Hoc anno Alexander Episcopus Alexandriæ* XIV. *Kalend. Maias Pharmuti* XXII. *decessit.* Quæ Chronologia etsi à vero abhorreat, cùm Copticâ sit antiquior, ad eam refellendam potest usui esse. Sed & Constantinus in sua ad Nicomedienses, de Eusebii exilio Epistola meminit *Alexandrinorum* Arii fautorum, quos Eusebius susceperat. Mensis ergo diesque emortualis Alexandri relinquatur in incerto.

Athanasius. Num pueros ludendo baptizarit?

XIV. Alexandrinæ Ecclesiæ defunctum Episcopum lugenti solatium fuit habere Pastorem Athanasium, fidei ab Ario lacessitæ propugnaculum, *columnam virtutis vivam & immortalem*, quem laudantes, virtutem ipsam laudamus, *quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat*, Nazianzeno Judice. Antequam verò de Athanasii ordinatione dicamus, pauca de iis quæ antecessere, sunt subjicienda. Athanasio patria fuit Alexandria, & si incerto Autori, qui vitam ejus scripsit, credimus, *parentes ejus, aliis virtute præstantiores, unicum eum filium reliquerunt.* Nobilissimos, *très-nobles* fuisse, hoc in Autore invenit *Hermantius*, in eleganti sua Gallica de vita Athanasii, quam edidit historia. Hanc tamen Athanasii genitoribus nobilitatem de suo vir doctissimus largitur. Τῶν μὲν ἄλλων διενεγκόντων τῆς ἀρετῆς non significat quod Gallicè dicimus, *très-nobles*, quod ad generis claritatem spectat. Omnium ore celebratur, quod juvenilibus annis, ludentibus puerulis baptisma ministrasse dicitur. Quem primus rumorem Rufinus disseminavit: *Tempore quo apud Alexandriam Petri Martyris diem Alexander Episcopus agebat, cùm post expleta solemnia conventuros ad convivium suum Clericos expectaret, in loco mari vicino, videt eminus puerorum supra oram maris ludum, imitantium, ut fieri solet, Episcopum, atque ea quæ in Ecclesiis geri mos est. Sed cum intentius diutiùs pueros inspectaret, videt ab his geri quædam etiam secretiora & mystica. Perturbatus illicò, vocari ad se Clericos jubet, atque eis quid eminus ipse videret ostendit. Tum abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cùmque adessent, Quis eis ludus, & quid egissent, vel quomodo percunctatur. Illi ut talis habet ætas, pavidi negare primò, deinde rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos esse à se quosdam Catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogaverat; ubi videt secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum Concilio Clericorum statuisse traditur, illis quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimplere ea quæ a Sacerdotibus mos est.*

Ruf. h. l. 1. c. 14.

Narrationi assensum præbet Moschus Prati Spirit. c. 197. A quo etiam discimus, quòd *Alexander Athanasium ut cæteros, quos in illo lusu Presbyteros visus est habere aut Diaconos, convocatis eorum parentibus, sub Deo teste, Ecclesiæ tradidit illic nutriendos.* Traditioni huic veritatem inducere tentarunt Baronius anno 311. n. 61. Pagius Criticæ anno 311. n. 20. aliique eruditi. Nobis autem videtur esse falsissima. Ejus quidem non meminit Nazianzenus Athanasii in Encomio, non Epiphanius, non Theodoritus, quibus Athanasii vita notior quàm Rufino fuit. Percellit eam & in Chronico Hieronymus, qui cum anno 321. Pontificatus Alexandri copulat initia: *Alexandriæ decimus octavus Episcopus ordinatur Alexander.* Quam in Chronologiam descendere non potuisset, si vel minimâ auditione de fabula ejusmodi respersus esset, vel ei fidem adjunxisset. Quippe secundum Hieronymum, Athanasius anno CCCXXX. Episcopatum suscepit. Quem anno ætatis vigesimo primo adiisset, si lusorium baptismum anno CCCXXXI. administravit. Deinde VII. Kalend. Decemb. anno CCCXI. Petrus immolatus est; cui Achillas, nonnisi anno CCCXIII. successit, cùm Petri mortem inter & Achillæ consecrationem annum Interpontificium intercesserit. Novembris itaque XXV. anni CCCXIII. ludentes pueros, & Athanasium simulato Episcopatu fungentem vidit Alexander. Ut autem sacra Ecclesiæ in mimicos ludos converteret Athanasius, annis novem non major esse debuit. Neque aliam Rufinus ætatem indicat: *Parvo autem tempore, cùm à Notario integrè, & à Grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus.* Hæc est illa ætas, quâ curæ Notariorum committuntur pueri. Neque majorem fuisse, vel ipse lusus ostendit. Est enim creditu difficillimum, puerum Alexandrinum, qui præcocis erat ingenii, anno XIII. palam & publicè Ecclesiæ sacra habuisse ludibrio. Athanasio tot annos nato satis prudentiæ fuit, ut nosceret venerationi esse debere divina mysteria. Novennes quidem magis quàm tredecennes hic lusus decebat. Quo admisso, actum de fabula. Quippe anno XXII. Episcopatum adiisset Athanasius, quod est absonum. Concedamus tamen, quod falsum nobis videtur, ludentem Athanasium tertium & decimum annum subiisse, anno igitur vigesimo sexto Alexandrinum ad Episcopatum evectus fuisset, quod pugnat historiæ. Quis enim fingat animo, tantæ prudentiæ Athanasium eâ ætate extitisse, ut annis aliquot ante Synodum Nicænam Alexandro à consiliis esset, & eruditionis tam consummatæ, ut cum Ario Philosophiæ perito publicam Nicææ disputationem institueret? Rectè ab Hermantio observatum, juventæ fraternæ patrocinium Hieronymum suscepisse in sua ad Theophilum Alex. Epistola: *Porro ætas ejus & beatitudini tuæ nota est, & cùm ad triginta annorum spatia jam pervenerit, puto eam in hoc non esse reprehendendam.* Eâ circiter ætate frater Hieronymi Presbyter fuerat ordinatus. Quo consequens est, si annorum solummodò XXVI. fuisset, in aliquid vituperationis Paulinianum incidisse. Quantò magis Athanasio datum vitio fuisset, si anno XXVI.

Hier. Ep. 62. c. 3.

Anno Dom. 326.

Episcopatum iniisset. At quem Episcopatum! non vulgarem sanè, sed metropolitanum, qui majori post Romanam totius orbis sedi præsidebatur. Hunc anno ætatis XXVI. capessivisse Athanasium, quis credat? Id sanè quæsti fuissent Athanasii adversarii, quos & complures, & magnos passus est. Ab hujus seculi moribus alienum erat, juvenem annorum XXVI. ad majores Dioeceses promoveri. Id objecerunt Athanasio:

Athan. Apol. 726.

Post obitum Alexandri, cùm paucissimi essent qui Athanasii mentionem facerent, sex aut septem Episcopos clanculum, & in loco obscuro eum Præsulem ordinasse. Potiori jure dixissent, Athanasium adolescentulum, & penè puerum in Alexandrina Ecclesia fuisse constitutum: exemplum esse sine exemplo, Christum non ante annos triginta Pastoris munere functum esse. Violata Ecclesiæ jura, solutam disciplinam. Qua de re ne querelæ minimum jactaverunt, ut ex eo silentio liqueat, tricenis annis non minorem Athanasium successisse Alexandro. Quo & argumento ruit de lusorio baptismo fabula. Denique eò refellitur, quòd dramaticus ille baptismus ab Alexandrino Clero admissus esse dicatur, quo quid absurdius fingi potest. Hem puerilem lusum Ecclesiæ sacra simulantem, germanum esse baptismum! regenerationis sacramentum! peccatorum omnium purgationem! Apage nugas! Rufinus quidem *ab iis, qui cum Athanasio vitam duxerant*, historiam se accepisse memorat. Et Rufinum mendacii postulare, nobis est religio. Existimamus tamen senes illos, quorum testimonium adhibet, etsi Athanasii colloquio usi fuerint, obscuro rumori, nec satis explorato fidem adjunxisse. Non dixit quidem Rufinus, senes illos Athanasio coætaneos ab ipso suis auribus id hausisse. Quod penè nobis exciderat, Athanasius, teste Theodorito, *Vir fuit à puero divinis literis innutritus, & in singulis Ecclesiastici ordinis gradibus summa cum admiratione versatus.* Quod de Clerico annos XXVI. nato vix cogitari potest.

Theodorit. l. 1. c. 26.

Diaconatus Athanasii, quomodo se in eo gesserit? Num Presbyter fuerit?

XV. Athanasium Alexander in contubernium ascivit suum, eumque Notarium habuit. Qui cùm probè institutus fuisset, & Grammaticorum & Rhetorum scholas frequentasset, ubi virilem ætatem ingressus est, etiam ante Episcopatum, iis qui cum ipso in colloquium venerant, prudentiæ ac doctrinæ suæ experimentum dedit. Alexandro comes Nicæam venit, Episcopoque suo multum profuit. Adversus Arianos fortiter dimicavit. Munere Diaconi tum temporis fungebatur, magnoque honore erat apud Alexandrum, unde etiam invidiæ livor contra eum exarsit. Causas odii omnes Synodus aperit Alexandrina: *Cùm Arius ab Ecclesia per B. Alexandrum Episcopum ejectus esset, Eusebiani discipuli pariter & socii impietatis, semet ipsos ejectos arbitrantes, multis adhortationibus Alexandro scripserant, ne Arium extra Ecclesiam relinqueret. Alexandro autem ob pietatem in Christum, hominem impium non recipiente, in Athanasium ejus Diaconum iras avertunt, & quia verò eum assiduum apud Alexandrum & in pretio haberi animadverterent, & jam anteà ejus pro Christo pietatem in Synodo Nicæna, ubi cum magna libertate contra Arianam hæresim disseruerat, experti essent, in gravissimum odium exarserunt.* Nihil ad laudem Athanasii fuit illustrius, quàm ille furor, qui corda impiorum in sanctum virum extimulabat. Cæterùm cùm à Theodorito auditum sit, Athanasium in *singulis Ecclesiastici ordinis gradibus* summa cum laude esse versatum, satis aptè colligitur, ubi Nicææ Alexandriam reversus est, ad Presbyterii honorem evectum esse, veluti & defensæ veritatis, & auxilii quod Alexandro dederat, hostimentum: ut non à Diaconatu, sed à Presbyteratu ad Episcopi munus ascendisse videatur.

Sozom. l. 2. c. 17.

Socrat. l. 1. c. 8.

Athan. Ap. t. 1. 725.

Athanasius creatur Episcopus.

XVI. Sic propriis virtutibus, odioque Arianorum clarus ad Episcopatum promovetur, tanto munere dignior, quòd illud respuebat fugiendo, uti testatur Apollinaris: *Cùm ad Episcopatus successionem venit, fugâ quidem hanc multumque usus, Dei autem auxilio repertus.* Ac dum se in latebras conjicit, fortè ad Antonium Eremitam accessit, quem à se visum sæpius in sua ad vitam Antonii prælatione memorat. Quo loco error evellendus Baronio, cujus hæc verba sunt: *Ipse Athanasius testatur, Antonio se diu aquam ferentem sedulo officio ministrasse.* Hæc sanè non dixit Athanasius. Audiatur locus quem Baronius indicat: *Quæ ipse novi, sæpè eundem Antonium vidi, quæque ex eo cognoscere potui, qui intervallum bonâ modicum illi servivi, lavantique manus aquam affudi.* Alius igitur ab Athanasio ministrabat Antonio, alium absentiæ Athanasii causam fuisse, prodit Epiphanius: *Ab Alexandro, inquit, missus erat ad comitatum.* Hæc etiam addit, quæ ne vel minimum probabilitatis habent: *Meletius occasionem nactus, cùm Alexandrinus Episcopus abesset, Theonam quendam substituit. Quo quidem post tertium mensem mortuo, paulò post Athanasius venit.* Vera tamen prædicat subjungendo, *Tum undique coacto Orthodoxorum Concilio in Alexandrinam sedem constituitur.* Sic Metropolitanus creari debuit. Sexto Calendas Januarii Athanasium ordinatum esse, eruditi nonnulli arbitrantur, obstante fugâ, ne citius in Marci thronum ascenderet. Solemnis viri magni consecratio fuit, quam ex Synodi Alexandrinæ verbis exhibere juvat, cùm magnum præbeant argumentum calumniæ Eusebianorum, qui Athanasio adversabantur: *Aiunt post obitum Alexandri, cùm paucissimi essent qui Athanasii mentionem facerent, sex aut septem Episcopos clanculum, & in loco obscuro eum Præsulem ordinasse. Nos autem contrà cum tota civitate, & universa Provincia testamur, omnem multitudinem, populumque Ecclesiæ Catholicæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus, vociferationibusque postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idque publicis votis à Christo expetivisse, nosque ut faceremus, per multos dies ac noctes jure jurando obtestatos fuisse, cùm interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent. Hoc nostrum totiusque civitatis, & universæ Provinciæ testimonium; nec mali quidquam de eo, quod ab ipsis fit, pronunciamus; sed contrà optima quoque prædicamus, diligentem, pium, Christianum, Asceturum unum, & verè Episcopum.* Non audiendus ergo Philostorgius lib. 2. c. 11. fingens, Athanasium sub vesperam in Ecclesiam Dionysii advolasse, januas cum suæ factionis hominibus occlusisse, atque ita ordinatum esse, multum licet reclamantibus Ordinatoribus; reliquam Episcoporum multitudinem Athanasium hujus rei causâ anathemati subjecisse; totius civitatis nomine literas de sua ordinatione ad Constantinum scripsisse; Imperatorem ab Alexandrinis literas scriptas esse existimantem, calculo suo electionem com-

Sozom. l. 2. c. 17.

Bar. An. 328. 5.

Athan. t. 2. 451.

Epiph. h. 68. n. 6.

Athan. t. 1. 326.

comprobasse. Posteà verò de iis quæ acta erant certiorem factum, Athanasium Tyrum misisse, ut in Synodo gestorum rationem redderet. Quæ mendacia sese refellunt, & coarguunt. Omnium ergo conspiratione, populi scilicet, Cleri, Episcoporum, Pontificatum adeptus est Athanasius, ut veritati propugnaculo esset, & exemplo Episcopis. Sapienter de eo Rufinus: *Hujus tanti in Ecclesia pro fidei integritate agones fuerunt, ut etiam de hoc videatur dictum esse illud quod scriptum est, Ego enim ostendam ei quanta eum pati oporteat pro nomine meo. In hujus etenim persecutiones universus conjuratus orbis, & commoti sunt Principes terræ, gentes, regna, exercitus coierunt adversus eum.* Quadraginta sex annis Ecclesiæ præfuit.

Ruf. h. l. 1. c. 14.

De Chronico Eusebii atque historia. Quando vulgata?

XVII. Antequam annum absolvamus, de Eusebio Cæsariensi, & scriptis ejus aliquid est subjungendum. Ac prius de Chronico quidem, atque historia. Chronicum absolverat anno CCCXXV. Fallitur tamen Clarissimus Pagius, cùm Vicennalium mentionem Hieronymi additamentum esse putat. Quippe in Græco legitur: Εἰκοσα ἔτηρις Κωνσταντίνου Αὐγούστου, *Vicennalia Constantini Augusti*. Cronicum excepit historia, quæ eo tempore vulgata est, quo Crispi mors Scriptori nondum innotuerat, ut verbis ejus apertissimè demonstratur: *Constantinus verò omnibus religionis virtutibus ornatus, & victor maximus unà cum filio Crispo Cæsare, Deo carissimo, & patri undequaque simillimo Orientem suum recepit, & imperium Romanum, sicut olim fuerat, in unum corpus redegit.* Illud ergo certissimum, vel præsente anno historiam publici juris factam, quo tempore Crispus acerbo funere nondum perierat: neque audiendos esse, qui compluribus Crispi post obitum annis confectam esse putant. Utròm verò hoc, vel illo anno edita sit, pendemus animi. Quippe verba hæc, *itaque homines omni metu eorum, à quibus anteà opprimebantur, penitùs amoto, festos dies cum maximo splendore, & celebritate egerunt*, Constantini Vicennalia videntur innuere. Cæsarea exhibuit Nicææ, anno CCCXXV. Augustea Romæ anno CCCXXVI. Quòd Cæsarea potius sint intelligenda, conjectura duci potest, ex spatio quod mortem Crispi inter, & Vicennalia Augustea interjectum est, quod tantùm fuit, ut fatalis Principis casus Eusebium latere non potuerit. Paolino qui tum Tyriensem administrabat Ecclesiam magnum hoc opus dedicavit Eusebius: *Quandoquidem tuis precibus adjuti, hunc decimum historiæ Ecclesiasticæ librum, prioribus jam decursis, opportunè tandem adjecimus, eum tibi nuncupantes, sacratissime Pauline, te velut signaculum totius operis nostri prædicabimus.* Cæterùm observato tempore, quo Chronicum Historiamque vulgavit Eusebius, apparet non improbi Scriptoris damnandum esse, quasi in utroque libro in gratiam Constantini de Crispi & Faustæ obitu silentium egerit, cujus certè meminisse non potuit, utpote qui & Chronico, & historiæ posterior fuit. Baronius quoque errori non est eximendus, dum prodit, Eusebium *Constantini facinorum in Chronico* mentionem fecisse. Afflari ergo à numine Eusebius debuit, ut Crispi Faustinæque obitum memoraret in Chronico, quod prius publicatum quàm Crispus periret. Stupendi & laboris, & eruditionis vir ille percelebris, multis & aliis monumentis memoriam sui nominis consecravit, de quibus historiæ literariæ & Bibliothecarum Patrum Scriptores, Valesiusque sunt consulendi, quia his immorari, fusâ rerum materiâ prohibemur. Id unum observabimus, Præparationis Evangelicæ libros XV. ad *Theodotum* Laodiceæ Episcopum, posteriores esse Chronico, quod in eis laudatur, ut Cavius notat, Valesium perstringens. Opus quidem nobilissimum, & auro contrà non charum.

Pag. Crit. an. 325. n. 42.

Eusob. l. 10. c. 9.

Error Baron.

Baron. An. 324. n. 5.

Synopsis vitæ Eusebii an fuerit ne Arianus?

XVIII. Porro Cæsareæ lucem debuisse Eusebium, à vero haud procul abest: in Palæstina quidem juvenem versatum esse, ibique primùm à se visum Constantinum, qui Diocletiano comes ibat, ipse testatur. Sub extrema Gallieni tempora anno circiter CCLXVIII. natum esse, ex ipso Eusebio ostendit Valesius. Quod & innuunt verba ejus: *Dionysius qui nostrâ ætate Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit.* Parentes quos habuerit, nobis incompertum, nisi quòd Nicephorus Callistus illum sorore Pamphili Martyris genitum esse prodit. Eusebio Nicomediensi consanguineum fuisse, non levi conjecturâ perpenditur ex Arii Epistola: *Eusebius frater tuus.* Licet enim complurium meminerit, qui Eusebio Nicom. amicitiæ vinculis conjungebantur, unum tamen Cæsariensem, Nicomediensis *fratrem* appellat. In sacris Doctorem Dorotheum Eunuchum Antiochensis Ecclesiæ Presbyterum habuisse videtur: *Hunc nos sacras Scripturas in Ecclesia non inscitè exponentem audivimus.* Mortuo Theotecno Cæsariensem Episcopatum accepit Agapius, à quo in Clerum ascitus Eusebius, cum Pamphilo hujus Ecclesiæ Presbytero tenerâ, & arctissimâ amicitiâ copulatus est. Eusebium Scholæ celeberrimæ, quam in ea urbe Pamphilus instituerat, primum Doctorem impositum esse, fit vero simillimum, cùm Apphianum Martyrem sacris Literis eruditum à se testetur. Motâ crudelissimâ Diocletiani persecutione in carcerem ductus est, quò cùm illæsus nullisque vulneribus acceptis egrederetur, sacrificiorum Idolis perpetratorum accusatus est. In Synodo Tyriensi Potamon: *Tene*, inquit, *Eusebi, sedere, & innocentem Athanasium à te judicari? Quâ ratione è custodia evolasti, nisi quòd persecutoribus nostris facinus admissurum te esse recepisti, vel etiam amisisti?* Ac Eusebio Baronius iniquior, eò facilè propendet, ut *Apostatis* annumeretur. Quin tamen falsa fuerit accusatio, nulli dubitamus. Non sanè impietatis ejusmodi maculatum ad Cæsariensem Episcopatum evexisset Ecclesia, neque Antiochenses postmodum ipsum sibi Episcopum postulassent, aut in tanto apud Constantinum honore fuisset, ut vel Nicænis Patribus audientibus Vicennalium Orationem recitaret. Defuncto qui Agapio successerat, Agricolao, quem vel invitâ Valesii Chronologiâ retinendum esse putamus, Ecclesiæ Cæsariensis Episcopatum iniit anno circiter CCCXV. Ubi verò Arius ob impietatem Ecclesiâ ejectus est, veteratoris literis commotus, quibus querebatur, se immeritò fuisse pulsum, literas ut in locum suum restitueretur, misit Alexandro, quæ Actione VI. septimæ Synodi sunt exhibitæ. Cùm autem Alexandri literis perstringeretur, unà cum Syriæ Episcopis decrevit, ut Ario conventus in Ecclesia agere liceret, eâ lege tamen, ut à Præsule suo pacem requireret. Coactâ Nicænâ Synodo, cùm maxima inter Episcopos discordia oborta fuisset, de Christo formulam Eusebius suam protulit, Constantino sanè non ingratam. At cùm aliquid deesse videretur

Eusob. l. 3. c. 28.

Eusob. l. 7. c. 32.

Epiph. h. 8. n. 7.

Bar. An. 353. n. 9.

tetur refellendæ impietati, ac vox *Consubstantialis* addita esset, initio hanc admittere recusavit. Ubi vero vox explicata est *Consubstantialis*, fidei demum subscripsit. Fictone, an sincero animo pauci expediunt, quia tam copiosè, tam fusè simul & eruditè à Valesio ea quæstio pertractata est, ut multum in ea immorari superfluum videatur. Ante Synodum Nic. nonnihil in Arii propendisse sententiam, sunt multa quæ doceant. Arius quidem palam ea de re gloriatur in sua ad Eusebium Nicomediensem Epistola. Conventus in sua Ecclesia agitandi copiam ei concessit. In Epistola quam Alexandro scripsit, si tamen scripsit, hæc continentur: *Si ergo literæ ipsorum veritatem dicunt, utique apud te habentur, in quibus confitentur Filium Dei ante tempora æterna, per quem fecit & secula, esse inconvertibilem & immutabilem, & creaturam Dei perfectam, sed non sicut unam ex creaturis.* Quæ leguntur Nicænæ secundæ Actione VI. Quanquam & forte ab Ario deceptus, ac nondum impietatis ejus notitiâ instructus, pacis contemplatione, eum benignius quàm par erat exceperit. Nunquam enim *Exoucontiorum* blasphemiis Eusebium patrocinatum esse, patet ex ejus Symbolo: *Hæc*, inquit, *nos omnia sincere atque ex animo sensisse, ex quo nosmet ipsi nosse potuimus coram omnipotente Deo & coram Domino nostro J. C. testificamur.* Quæ Cæsariensibus offensioni fuissent, utpote falsissima, si eorum mentibus Arii opiniones insevisset. Sincerè verò Nicæno subscripsisse Symbolo, nobis est probabilius, ac eò magis, quòd nonnisi præmissâ deliberatione subscripserit. Candidæ profectò mentis signa apparent in Epistola, quam suis Cæsariensibus misit. Athanasius quidem in sua ad Africæ Episcopos Epistola: *Eusebius*, inquit, *cùm prius suffragaretur Arianæ factioni, posteà tamen Nicæni Concilii Decretis subscripsit, & apud suos id ipsum propriis literis affirmavit, cujus hæc verba sunt: Novimus quosdam ex priscis, eruditos & præclaros Antistites, aliosque Scriptores, cum de Patris & Filii Deitate loquerentur, voce Consubstantialis usos esse.* Quòd si fraudulentâ manu *Consubstantialis* subscripsisset, nunquam profectò huic voci præsidium ex Antiquitate attulisset. In oratione de laudibus Constantini cap. 12. locus de Filii Divinitate insignis est, & eludi difficillimus: *Cuncta denique tanquam Dei forma exequitur ipse ubique præsens, & rationali virtute universa pervadens.* Atqui omnipræsentia summa Dei perfectio, & proprietas est, quæ in hominem non cadit, cujus natura exiguis finè finibus suis continetur. Et eodem capite de Filio: *Quem quidem nos & agnoscere, & contemplari debemus, in materia quidem & corporum elementis ubique præsentem & cuncta animalia generantem, eundem lumen & inexplicabilis luminis intellectualem fœtum. Qui substantia quidem unus est, utpote ex uno editus Patre.* Hæccine sunt Arii erroribus consentanea? Inspiciatur & caput secundum libri primi historiæ ejus. Neque illud est prætereundum, Alexandrum qui in priore sua Epistola Eusebium perstrinxerat, in posteriore tamen adversus illum se nimium non intendere, licet in *Nicomediensem* disertè invectus sit. Ex quo conficitur, personæ Arii, non doctrinæ nostrum Eusebium favisse, secus non Cæsariensi magis quàm Nicomediensi pepercisset Alexander. Quæ verò à Hermantio, N. Alexandro, Petavio, aliisque afferuntur, ut Arianismi damnent Euse-

Athan. t. 1. 837.

bium distinctione explicari possunt. Est enim excellentia vel *natura*, vel *persona* ex dignitate principii orta. Si naturæ respectu Patrem Filio excellentiorem esse traderet Eusebius, hoc ab Arianismo defendi non posset. Est enim una & Filii Patrisque Divinitas. At personæ ratione ὑπεροχὴν Patri aliquam contribuere potuit absque labe hæreseos, quia Filius Deus est ex Deo, vita ex vita, lumen ex lumine. Disertus est in eam rem Joannes: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Hanc personalem Patris præ Filio excellentiam agnovit & ipse Athanasius: *Pater*, inquit, *major est, non quidem magnitudine aut ætate, sed quia ex illo ortum habet.* Eadem & Nazianzeno sententia: *Concedentibus nobis Patrem majorem esse qualitate principii, continuò colligunt, esse naturâ majorem.* Distingui quoque debent ordo, & munus, quo Pater sese pro Deo gerens, summi Rectoris partes exercebat, dum Filius eas Mediatoris implet. Quibus distinctionibus N. Alexandri in Eusebii ὀρθοδοξίαν objecta, quæ dissertatione XVII. seculi quarti extant, dissolvi possunt. Porro ut ea quæ Eusebium spectant, consequenter paucis absolvamus. In Antiochena Synodo cum damnatus esset Eustathius, qui magnam Nicææ sibi laudem comparaverat, Eusebius & à populo, & ab Episcopis rogatus, ut Antiochensem administraret Ecclesiam, anno circiter CCCXXVIII. oblatam sibi cathedram repudiat. Qua de re à Constantino laudibus affectus est. Adfuit & Tyrensi Synodo, & si creditur Epiphanio, etiam præfuit. Inde Constantini jussu dedicandæ Basilicæ Hierosolymam properavit, festumque variis concionibus dedicavit. Cùm verò Imperator aculeatis Episcopos literis ad Comitatum evocasset, ut eorum quæ adversus Athanasium gesserant, rationem darent, in palatio tricennalem coram Imperatore orationem recitavit. Ad annum usque CCCXXXIX. vitam prorogasse videtur. Hæc in Synopsi, quæ verò notatu sunt digniora, suis temporibus fusius tractabuntur. Fuit vir immensæ lectionis, ut scriptis ejus manifestum. De Eusebio hoc est Photii judicium: *Phrasi neque jucundus usquam, neque perspicuus homo, tamen multa doctrina est: tametsi mentis acumine affectuumque constantiâ, quantum in dogmatum accurata tractatione est opus indigeat.*

Joan. v. 26.

Athan. Or. 2. cont. Arian. t. 1. 365.

Naziang. Or. 35. 572.

Phot. Cod. 13. 21.

Anno U. C. 1080. Per. Jul. 5040. Jul. 372. Dom. 327. Constantini 22. *Sol.* 28. A. *Lun.* 5. *Indict.* 15. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *Mart.* — Anno Dom. 327.

Coss. Flavius Valerius Constantinus, & Maximus.

Anicius Julianus Præfectus Urbis.

I. Quis fuerit ille Constantinus, qui cum Maximo Consul processit, non satis liquet. Potuit enim vel Imperatoris frater esse, quod nobis & probabilius, vel fratris filius. Baronius verò *Constantinum Cæsarem* fuisse putat, cujus & quartum Consulatum numerat. Quæ sententia à Fastis damnatur. Nullam numeralem notam addidit libellus de P. U. Nullam Bucherianus Consulum indiculus, nullam Idacius in Fastis, nullam Theonis Catalogus. In Chronico quidem Alexandrino *Constantinus Cæsar* v. Maximo datur Collega. Quam tamen Chro-

De anni Consulibus.

Error Baronii.

ANNO DOM. 327.

Chronologiam ne Baronius quidem præstare vellet. Cæterùm non est dissimulandum, de Maximi Collega Fastos veteres dissentire. Libellus enim de P. U. nec non Bucherianus Indiculus non *Constantinum* habent, sed *Constantium*, repugnantibus Fastis tam Idacianis, quàm Theonianis. Constautinus quidem atque Constantius Imperatori Constantino fratres erant. Ut de Maximi Collega uon immeritò dubitationis aliquid exoritatur.

Drepano Helenopolis nomen imponitur.

II. Helenæ in honorem Drepani urbis nomen à Constantino mutari placuit. Oppidum Bithyniæ fuit, ita, ut ajunt, appellatum, ex eo quòd falcem Saturni *Drepanem* nominabant, cui fortè numini consecrabatur. In ea civitate requiescebant *Luciani* Mortyris exuviæ. Prius Drepani nomen Imperator delevit alio imposito. Ad hunc annum Hieronymus in Chronico: *Drepanum Bithyniæ civitatem in honorem Martyris Luciani ibi conditi Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit.* Addit & Chronicum Alex. Imperatorem *donasse civitati in Martyris honorem, quousque patet ante urbem prospectus, immunitatem vectigalium ad hodiernum usque diem.*

Mors Constantiæ. Constantino Arium commendat, qui ab exilio revocatur.

Ruf. h. l. 1. c. 15.

III. Arianismi qui in cinerem datus esse videbatur, ruinæ infaustis avibus excitantur. Dux fœmina facti. Defunctâ Helenâ, *Constantia Licinii relicta, Augusti solatiis utebatur. Huic accidit, Presbyterum quendam venire in notitiam, latenter partibus Arii faventem. Sed is primò nihil omninò de his apud sororem Principis aperire. Ubi verò multa familiaritas copiam tribuit, paulatim sermonem cœpit aspergere, invidiam dicens Ario generatam, & pro simultatibus privatis Episcopum suum rem contentiosè exagitavisse, æmulationis stimulo confixum, quòd Arius apud plebem satis charus haberetur. Hæc atque hujusmodi alia frequentius suggerens, animos Constantiæ suos effecit. Quæ cum diem obitura visitaretur à fratre, atque ab eo blandè religioseque compellaretur, extremam dicitur ab eo gratiam poposcisse, ut Presbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ sibi ab eo pro spe, & salute suggererentur audiret. Se quidem jam ex hac luce discedentem nihil curare, pro fratris verò statu esse sollicitam, ne fortè pro innocentium pœnis regni sui pateretur excidium. Quibus ille monitis à sorore susceptis, accommodavit aurem Presbytero.* In exilium pulsus fuerat Arius, anno CCCXXV. ad usque *Illyricum* relegatus, Constantiæ ergo, Presbyterique monitis ex illo liberatur. Quò pertinent verba Sozomeni, licet Arium citius quàm currente anno reductum esse innuat: *Non multò post Synodum Nicænam Arius ab exilio revocatus est, adhuc tamen prohibitus ne Alexandriam ingrederetur.* Vafri hominis nequities causa fuit cur revocaretur. Quippe pœnitentiæ librum Synodo obtulisse, ex verbis Theognis, & Eusebii Nicomediensis non obscurè colligitur: *Eum ipsum qui ob ista accusabatur, placuit reverentiæ vestræ humaniter tractare, & ab exilio revocare.* Purgavit ergo sese Arius, sed callidè & malitiosè fidem manu & ore simulans, dum altum errorem corde premit. Quomodo autem ab Episcopis *revocatus* sit, non est in obscuro. Nempe suffragio precibusque, ut pœnitentem, Consubstantialique assentientem Imperatori commendarunt, rogantes ut exilio solveret resipiscentem. Quod & à Constantino facillimè impetrarunt, qui quò contumacem ad frugem reduceret, eò in *Illyricum* ablegaverat. Id & innuunt in libello suo Eusebius atque Theognis, dum Episcopos rogant, ut *Imperatorem admonere dignentur, & supplicum preces offerre*, quod & in Arii causa fecerant. Ipse quidem Imperator professus fuerat, se Arium in conspectum suum admissurum, si Synodo Nicænæ subscriberet. Ubi ergo ab Episcopis Arius susceptus est, confestim ad illum scribit Imperator, ut ad comitatum veniat. Quòd cùm subinde non præstitisset, rescribit iterum, ut *conscenso publico vehiculo* adventum acceleraret, beneficentiam suam experturus. Data est Epistola *ante diem* v. *Kal. Decemb.* Arium ergo & Euzoium Diaconum cùm admisisset, interrogavit utrùm fidei consentirent, qui simulatam confessionem obtulere. Ex eo reditu magna seges & materia calamitatis.

Socr. l. 1. c. 25.

Iberi ad fidem ope captivæ adducuntur.

Sozom. l. 2. c. 16.

Ibid.

IV. Dum Arii restitutione discindi incipit Ecclesia, in regiones Christi expertes, lux fidei Deo favente diffunditur. Quâ ratione hoc contigerit, Rufinus memoriæ prodidit. Captiva quædam, quæ apud Iberos fidelem castamque vitam agens, totis diebus ac noctibus obsecrationes Deo pervigiles exhibebat, in admiratione Barbaris esse cœpit. Moris apud eos fuit, ut si parvulus ægrotet, circumferatur à matre per singulas domos, quo scilicet, si quis experti aliquid remedii noverit, conferat laboranti. Mulier cujus filius ægrotabat, ad captivam venit, ut si quid sciret, ostenderet: *Illa se humani quidem remedii nihil scire testatur, Christum tamen quem colebat, dare ei desperatam ab hominibus posse salutem confirmat. Cumque cilicio suo parvulum superposuisset, atque ipsa desuper orationem fudisset ad Dominum, sanum matri reddidit infantem.* Res ad Reginam defertur, quæ gravissimo morbo decumbebat. Rogat ad se captivam deduci. Illa ire abnuit, ne præsumere amplius aliquid, quàm sexus sineret, videretur. Ad captivæ ergo cellulam Regina defertur, ibique ad invocationem Christi sanatur. Domum regressa, marito causam percontanti tam subitæ sanationis aperuit. Qui cùm pro salute conjugis lætus, captivæ munera deferri juberet, Regina subjicit, mulierem jejunio quasi cibo pasci, hoc solum munus dari posse, si Christus coleretur. Distulit Rex sæpius licet ab uxore monitus: donec accidit quodam die, venante eo in sylvis, cum comitibus suis obscurari densissimis tenebris diem, & luce subductâ cæcis iter gressibus denegari. Quid ageret, quò se verteret nesciebat: cùm repentè anxios salutis desperatione animos cogitatio talis ascendit: si verè Deus est Christus, nunc se de his tenebris liberet, ut ipsum ex hoc omissis omnibus coleret. Illicò reddita mundo dies, Regem ad urbem perducit incolumem. Captiva evocatur ut colendi ritum doceat. Venerandi modum tradit, fabricari Ecclesiam monet, formam describit. Convocato populo, Rex quæ erga se, & Reginam gesta fuerant exponit, fidem edocet, & nondum initiatus sacris fit suæ gentis Apostolus. Credunt viri per Regem, fœminæ per Reginam. Extracto murorum ambitu, erecta jam prima & secunda columna, ut ventum ad tertiam, cùm media jam in obliquum fuisset erecta, & pars reliqua nullis machinis attolleretur, discedentibus ob noctem omnibus, sola captiva in oratione permansit, precibus quasi machinis columnam supra basim libratam suspendit, & mirantibus omnibus, qui multo

mane

Anno Dom. 327.

mane noxii confluxerant, nullo contingente, columna quæ quantum unius pedis spacio in aëre pendebat, sensim summa cum libratione consedit. Ut constructa Ecclesia est, captivæ monitis ad Imperatorem Constantinum legatio mittitur. A quo imperant Sacerdotes, qui cœptum erga se Dei manus implerent. Quam *Bacurius* Iberorum Rex, Domesticorum Comes historiam exposuit Rufino.

Ruf. h. l. 1. c. 10.

Pachomii vita.

V. Eo tempore floruit vir magni nominis *Pachumius*, seu *Pachomius*, vitæ cœnobiticæ fons atque principium. Prima quidem ei viro debentur Ægypti Monasteria, si Cyrillo fides, ad Afros sic scribenti: *Pachomius Monachus insignis, facta Apostolica gratia egregius, fundatorque Ægypti Cœnobiorum.* Thebaide in Ægypto natus erat parentibus superstitionis Ethnicæ cultoribus: *Cùm finem accepisset persecutio, regnavit Constantinus M. Imperatorum primus Christianus, & adversus tyrannum quendam bello contendens, multos etiam tyronum conquiri jussit. Quos inter ipse quoque in militiam abreptus est Pachomius, vigesimum tunc circiter agens ætatis suæ annum.* Ut milites quibuscum navigabat, rerum omnium inopiâ laborantes apud oppidum quoddam Thebaidis, incredibili incolarum humanitate sublevatos conspicatus est, tantam hospitum benevolentiam miratus, ubi Christianos esse intellexit, in fidem eorumque mores inquirere cœpit, quorum sanctitate captus, sacris undis expiatur. Deinde Palemonis, qui se in eremitica vita constituerat, disciplinæ adhærens, institutis ejusmodi, mentemque moresque suos formavit: *Sedente in spelunca, visus est ei Angelus Domini, qui ei dixit, Pachomi, ea quidem quæ ad te pertinent rectè, & ex virtute gessisti. Supervacaneè ergo sedes in hoc loco. Age ergo, egredere, & congrega omnes juniores Monachos, & habita cum eis, & sequens formam quam dabo tibi, eis leges constitue.* Ex quo intelligitur vitæ cœnobiticæ initia esse Pachomio referenda, post debellatum Licinium, etsi annus instituti hujus præcisè ignoretur. Etenim tyrannus ille *Maxentius* esse non potest, quod clarissimo du Pio, aliisque placet, cùm eo tempore necdum persecutio finita esset, imò majore flammâ reviviscerct anno 312. quo Constantinus concurrebat Maxentio. Sed ex Pachomii Actis si vellemus Chronologiam certam facere, nihilo plus ageremus, quàm si daremus operam ut cum ratione insaniremus. Non sanè nobis licet eruditorum sententiam amplecti, qui Acta Pachomii à *Monacho suppares ævi* scripta esse existimant, cùm rerum hujus ævi ignarus sit atque insolens. Scilicet Autorem quarti seculi & domicilio Ægyptium latuisset, Constantinum non finitâ quidem persecutione, sed etiamnum furente imperium adiisse! Galerium & Maximinum adhùc indulsisse odio, quo in Ecclesiam inflammabantur, cùm patri suo Constantio anno CCCVI. Constantinus successit! Et Scriptor Pachomio suppar nomen tyranni non edidisset, cui debellando Pachomius ipse militabat? Illud tamen verum esse censemus, initia vitæ cœnobiticæ in Constantini imperium jam adultum esse & conferenda, & Pachomio referenda, ut nos jam Palladius monuit, qui anno circiter CCCI. floruit. Quod etiam in præfatione legitur ab Autore sub Hieronymi nomine latente, Pachomii Regulæ præfixa: *Pachomii, & Theodori, & Orsiesis præcepta conscripta sunt, qui primi per Thebaidem & Ægyptum, Cœnobiorum fundamenta jacerunt, juxta præceptum Dei & Angeli.* B. M. P. t. 4. p. 86. Hanc & in rem Scriptor Actorum Pachomii testis est disertissimus, qui B. Antonium sic Pachomii discipulum Sacchæum nomine compellantem exhibet: *Quo ego tempore Monachum cœpi agere, nullum uspiam extabat Cœnobium, in quo de aliorum salute cura aut metus cuiquam erat, sed quisque antiquorum Monachorum persecutione jam finitâ, privatim in vita sese monastica exercebat. Posteà verò pater vester tantum bonum Deo adjuvante effecit. Alius quidam antè, cui Aota nomen, voluit tale ministerium suscipere: verùm quia non ex toto corde ei rei studuit, successu conatus ille caruit.*

Pallad. hist. Laus. c. 38.

Act. Pachom. n. 77.

Regulamne suam Pachomius acceperit ab Angelo?

VI. Veterum benè multis persuasum est, ut animis eorum innatum atque insitum videatur, monente Angelo Pachomium & vitam cœnobiticam excoluisse, & scripta sua exarasse. Cyrillus in sua ad Carthaginense Concilium Epistola anno 419. scripta: *Indicabo vobis quòd Pachomius Monachus insignis ... edidit ad Monasterium, quod linguâ Ægyptiorum vocatur Bonum, literas quas Angelo dictante perceperant, ut non errorem incurrerent in solemnitatis Paschalis ratione.* Quin etiam cælestis Spiritus manibus regulam accepisse ferunt, quibus discipulos regebat suos. Palladius de Pachomio: *Ei dedit* Angelus *tabulam æneam, in qua hæc scripta fuerat.* Paria Sozomenus, & gemina scripto mandavit: *Dicunt divinum Angelum Pachomio apparentem monuisse ut juniores Monachos colligeret, & unà cum illis versaretur. Porro tabulam dedisse ei dicitur, quæ etiamnum custoditur à Monachis.* Paulò aliter Gennadius: *Pachomius fundator Ægypti Cœnobiorum, scripsit regulam utrique generi Monachorum aptam, quam Angelo dictante perceperat.* Præcepta igitur, non tabulam ipsam Angelum Pachomio suppeditasse prædicat Gennadius in illustrium Virorum Catalogo. Quòd si rem ipsam æstimemus, suoque momento ponderemus, fides ejus nobis difficillima. Dei sapientiam neque deficere in necessariis, neque abundare in superfluis, certum exploratumque est. Tanti autem non videtur fuisse Cœnobiorum hæc institutio, ut Angelum cœlo deduceret. Mortalibus Doctores Angelos misit Deus ad ea revelanda, quæ supra captum cogitationis erant, explicandaque oracula obscuritate, quæ vinci non potuit, involuta. Ea est autem Pachomianæ regulæ indoles, ut à viro vel mediocriter prudente institui potuerit: ut ei vel dictandæ, vel in tabula tradendæ divino miraculo nil opus fuerit. Ac sanè si cœlitùs delapsa esset ea regula, nil causæ est, cur non æqualitate & præstantiâ cum ipsis Scripturæ oraculis compararetur, quod vix absque indignatione animo cogitari potest. De ea historia rectè *Du Pin* in sua nova Bibliotheca: *Encor que cette histoire soit rapportée par bien des Auteurs, je n'estime pas qu'on soit absolument obligé de la croire.* Missâ igitur cælesti eâ Angeli legatione, ut ab antro suo solitarium Pachomium ad vitam cœnobiticam perduceret, constat primi Monasterii, quod in orbe terrarum fuit, Pachomium fundatorem extitisse. Illud autem constitutum est in vico Thebaidis, cui *Thabennisi* nomen. Tabennam insulam fuisse olim creditum ex vitiosa Sozomeni Scriptura. Pachomius *autem habitabat ἐν ταβέννῃ νήσῳ, in Insula Thebaidis Tabenna, ex cujus nomine Tabennenses hodieque nominantur.* At perquam eruditè à Valesio pro-

Buch. Com. p. 37.

Sozom. l. 3. c. 14.

Sozom. l. 3. c. 14.

ANNO DOM. 327.

probatum, eam lectionem, quam sequitur & Nicephorus, jacere in mendo, legique perperam, Ταβέννη νῆσ⊕, pro Ταβεννησ⊕. Verissimam hanc emendationem esse, testatur Præfatio nomine S. Hieronymi Pachomianæ præfixa regulæ: *Nostrique fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennesium Monachorum exempla sequerentur.* Cassianus Institutionum lib. 4. c. 1. *Quadam Tabennesiotarum regulis admiscens, quorum in Thebaide est cœnobium.* Neque Palladius, aut Scriptor vitæ Pachomii insulæ Tabennæ meminere. Verba hæc sunt Scriptoris c. 12. *Ut Pachomius procul à cella sua progressus veniret ad quendam vicum, cui nomen est Tabennense.* Hic porro locus discipulis Pachomii venerationi fuit, *Ipsumque quasi metropolim quandam esse putabant, & qui ibi rebus præerant, pro Patribus habebant. Ex quibus quoque, qui instituti ejus æmulatores erant, cœtui cuique & domicilio Præfectos suos accersentes accipiebant.* Brevi tantùm increvit Pachomii familia, ut Cassianus post annos circiter XC. plusquam Tabennesium Monachorum millia quinque numeraverit: *In eo cœnobio plusquam quinque millia fratrum sub uno Abbate reguntur, tantaque fit obedientia, hic tam prolixus Monachorum numerus omni ævo seniori suo subditus, quanta non potest apud nos unus, uni vel obedire pro modico tempore, vel præesse.* Pachomii in familiam migrarunt Latinorum complures. Qua de causa Sylvanus Presbyter libros Alexandriâ misit Hieronymo, vel Scriptori qui sub nomine Hieronymi latens, Præfationem Pachomii regulis addidit, in linguam Latinam transferendos: *Ajebat enim quod in Thebaide, & in Monasterio Metanoa, quod de Tanabo* (lege Canobo) *in pœnitentiam felici nominis conversione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorant Ægyptiacum Græcumque sermonem, quo Pachomii & Theodori, & Oresiesis præcepta conscripta sunt.* Marcella quidem ab Athanasio & Petro, qui Romam confugerant, *Monasteriorum in Thebaide Pachumii, & virginum ac viduarum didicit disciplinam*, teste ad Principiam Hieronymo Epistolâ XVI. Metanoea verò, cujus meminimus, suburbanum erat Alexandriæ, quod olim *Canopus* vocabatur, quod sub tutela Tabennensium fuit.

Niceph. l. 9. c. 14.

Cassian. l. 4. de Instit. c. 1.

De Pachomii discipulorum institutis atque ritibus.

VII. Subnectamus & nonnulla de celeberrimis Pachomii ritibus & institutis: *Habent per singula Monasteria Patres, & dispensatores & hebdomadarios ac ministros, & singularum domorum præpositos: ita ut in una domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant Præposito, sintque pro numero fratrum triginta, vel quadraginta domus in uno Monasterio, & terna vel quaterna domus in unam tribum fœderentur, ut vel ad opera simul vadant, vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem. Quicumque Monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus Psalmum dicit, primus in mensa manum extendit, prior in Ecclesia communicat, nec ætas inter eos quæritur, sed professio. Nihil habent in cellulis præter Psiathium & duo Lebitonaria, quod Monachis genus vestimenti est, sine manicis, & unum jam attritum ad dormiendum, vel operandum; & amictum lineum, cucullasque duas, & caprinam pelliculam, quam melotam vocant, balteolum lineum, & caligas, ac baculum itineris socium. Ægrotantes miris sustentantur obsequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis. Sani majori pollent abstinentiâ. Bis in hebdomada, die quartâ, & sextâ Sabbati ab omnibus jejunatur, exceptâ Pentecoste. Aliis diebus comedunt post meridiem: & in cœna similiter mensa ponitur propter laborantes senes & pueros . . . . Qui ad mensam ire noluerit, cellulâ suâ panem tantùm, & aquam, & sal accipit, sive uno die voluerit, sive biduo. Cùmque major vel stans prior in gradu manu percusserit, de Scripturis quidpiam evolvens memoriter, ut oratio finitur, nullus consurgit tardius, sed omnes pariter elevantur: nemo aspicit alterum operantem, sed defixis luminibus unusquisque in suo opere intentus est.* B. M. P. t. 4. 86. Vestibus suis addebant mysteria. Pellibus vestiebantur exemplo Eliæ, ut cupiditatibus resisterent: tunicas sine manicis habebant, ut manus ab injuria comprimendas esse docerent. Cucullum gestabant, ut purè viverent perinde ac pueri, qui lacte nutriuntur, quibus ejusmodi capitis integumenta imponebantur. Cingulo lumbos præcingebant, quo monerentur, se ad ministerium Deo exhibendum paratos esse debere.

Sozom. l. 3. c. 14.

Pachomii Regula.

Sozom. l. 3. c. 14.

VIII. Ad eam nunc pergamus regulam, quam cœlitùs allatam ab Angelo ferunt, ex qua judicium ferri potest, fueritne eo digna miraculo: *In ea perscriptum erat, ut unicuique permitteret tantum edere, bibere, jejunare vel secus, quantum posset. Iis quidem qui validius comederent opera magis laboriosa imponeret, facilia verò abstinentibus. Multas cellas ædificaret, in singulis verò tres degerent Monachi: in uno conclavi simul omnes cibum sumerent, & cum silentio ederent, sedentes ad mensam velato capite, ita ut nec se mutuò, nec aliud quidquam viderent præter mensam & apposita cibaria. Nullus peregrinus unà cum illis vesceretur, nisi fortè illàc pertransiens exciperetur hospitio. Quòd si quis cum illis vellet degere, is triennii spatio difficiliora exerceret opera, atque ita demum ipsorum contubernio sociaretur. Ut pellibus vestirentur, & capita mitris laneis tegerent, quas etiam clavis quibusdam purpureis insigniri jussit. Ut lineis tunicis & cingulis uterentur, cinctique in tunicis ac pellibus dormirent, sedentes in cathedris structis ex utroque latere ita clausis, ut cujusque statum continerent. Ut primo & postremo hebdomadis die ad altare accedentes, ad sacrorum mysteriorum communionem zonas solverent, pellesque deponerent. Præterea ut duodecies orarent, quotidie, mane scilicet sexies, & tantumdem vespere: noctu quoque totidem vicibus; horâ autem nonâ, ter. Ut cibum sumpturi ante unamquamque orationem Psalmum canerent. Ut universa congregatio in viginti quatuor classes dividatur, eaque ex Græcorum literis cognomentum accipiant, cognomen verò ipsis aptetur pro vita ac moribus singulorum. Verbi gratiâ simpliciores Iota appellentur, versuti ζ vel ξ, & sic de aliis, prout institutum cujusque classis figura alicujus literæ aptè exprimere licet.* Hæc numine Dei constituta esse, & tabulæ ab Angelo allatæ insculpta, credere non possumus, cùm regulis ejusmodi inveniendis par humana sit industria. Extat in Bibliotheca Patrum Pachomii regula multò fusior, quàm illa est, cujus *Palladius* atque *Sozomenus* meminere. Capita tria complectitur: primum de Monachis, secundum de puellarum disciplina, tertium de vestibus Monachorum, quæ omnia in CXXVIII. articulos dividuntur. Quam à S. Hieronymo Latinè translatam esse regulam, multis persuasum ex præfatione. Nobis verò non fit verisimile duabus de causis. Una quòd

Anno Dom. 327.

capitibus paucioribus continebatur, illa quam suis discipulis Pachomius regulam tradidit, nec nisi defuncto Hieronymo, in tantam molem assurrexisse videtur. Altera verò, quòd in Libro Hieronymi de Viris illustribus nil loci *Pachomius* invenerit. Atqui si regulam ejus in Latinum vertisset Hieronymus, de ejus Autore mentionis aliquid fecisset. Cùm igitur de Pachomio profundum in silentium eo libro descenderit, incredibile quidem fit, quòd ejus regulam in Latinum transfuderit. Pachomii Epistolæ quinque numerantur Gennadio. Ad Abbatem Cornelium una, ad Abbatem Syrum una, ad omnium Monasteriorum Præpositos una, ut in Monasterio *Baum* Paschæ diem æternâ lege concelebrent: ut ad diem remissionis, quæ mense Augusto agitur, in unum Præpositi congregentur, Epistola una: ad fratres qui foras Monasterium missi fuerant operari, Epistola una. Extant etiam Pachomii Monita, per Gerardum Vossium edita tomo 10. B. M. P. 92. brevissima quidem verbis, sed rebus copiosissima, ac præ regula digna, quæ Angelicæ legationi potius referantur accepta.

Anno Dom. 328.

Anno U. C. 1081. Per. Jul. 5041. Jul. 373. Dom. 328. Constantini 23. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 6. *Indict.* 1. *Epact.* 2. *Epact. Sol.* 1. 2. *P.* 14. *April.*

Coss. Januarius & Justus.

Anicius Julianus Præfectus Urbis.

Pugnæ inter Episcopos de voce Consubstantialis lites.

I. Quod extinguendo errori *Consubstantialis* vocabulum Nicæni Patres adhibuerant, amplam fusamque litibus materiam præbuit. Vocem nonnulli diu multumque versantes, intestinum inter se bellum excitaverunt. Eaque res nocturnæ pugnæ haudquaquam dissimilis erat: *Qui Consubstantialis vocem aversabantur, Sabellii & Montani dogma ab iis, qui vocem illam probabant, induci arbitrabantur. Atque ideircò impios illos vocabant, utpote qui existentiam Filii Dei tollerent. Contrà verò illi, qui vocem Consubstantialis tuebantur, cùm multorum Deorum cultum adversarios introducere censerent, eos tanquam superstitionem Gentilium invehentes aversabantur.* Qui Synodo interfuerant, famâque eruditioneque inter Episcopos fulgebant, Eustathius Antiochenus, & Eusebius Cæsariensis, mirum de vera Consubstantialis intelligentia dissidebant: *Eustathius Eusebium perstringebat, tanquam eum qui Nicænam fidem adulteraret. Eusebius verò se quidem à Nicæna fide nullatenus discedere aiebat, Eustatium verò criminabatur, tanquam dogma Sabellii astruentem.* His de causis singuli Episcopi

Socrat. l. 1. c. 23.

veluti contra adversarios scriptis voluminibus decertabant. Quæ pugnæ ingentibus sanè malis Ecclesiam affecere.

Eusebius Nicomediensis, & Theognis Ecclesiis suis restituuntur.

II. Intereà *Eusebius* Nicomediensis, *Theognisque*, quem in Gallias anno cccxxv. Constantinus relegarat, pœnitentiæ libellum Episcopis offerunt, ut exilio revocati sedes suas recuperarent. Cùm verò à Synodo loco suo moti essent, Synodo quoque opus fuit ut restituerentur. Nicæni quidem Canone V. decreverant, ut bis quotannis Concilia de Clericis ejectis celebrarentur, prius ante *quadragesimam*, posterius *autumni* tempore. Ac *Antequadragesimali* anni hujus, libellum Synodo oblatum esse existimamus. Verba hæc sunt, quibus Synodum adeunt: *Nos quidem à pietate vestra dudum indictâ causâ condemnati, judicium sanctitatis vestræ placidè, & cum silentio ferre debuimus. Sed quoniam absurdum est, argumentum calumniæ adversus semetipsum silentio suo præbere, ideircò significamus vobis, nos & in fide unanimes conspirasse, & notione Consubstantialis diligenter examinatâ, omni studio in pacem incubuisse, nullam unquam hæresim secutos . . . Quòd si sanctissimo Concilio vestro satisfactum est, non repugnantes, sed consentientes iis quæ à vobis decreta sunt, etiam hoc libello consensum nostrum confirmamus, non quidem tædio exilii, sed ut suspicionem vitemus hæreseos. Nam si in conspectum vestrum nos venire patiemini, invenietis nos in omnibus concordes, & Decretis vestris mordicùs inhærentes, quando & eum ipsum qui ob ista accusabatur, placuit reverentiæ vestræ humaniter tractare, & ab exilio revocare. Porrò absurdum fuerit, cum is qui reus esse videbatur* (Arius scilicet) *seque de illis quæ ipsi objiciebantur purgaverit, nos silere & argumentum adversus nosmetipsos ultrò suppeditare. Vos ergo sicut reverentiam vestram Christi amantissimam decet, Imperatorem Deo carissimum admonere dignemini, eique preces nostras offerre, & in causa nostra ea quæ vobis congruunt, maturè decernere.* Supplicum precibus Patres annuerunt, Imperatoremque permoverunt, ut expulsis exilii pœnam condonaret. Eâ ratione Theognis & Eusebius Ecclesias suas recuperant, ejectis & *Amphione*, qui Nicomediensem, & *Chresto*, qui Nicænam obtinuerant. Imò simulatâ pœnitentiâ suâ; & pristinam potentiam receperunt, & Imperatoris clementiâ ad fraudem abusi sunt. Sic post *triennium*, ut ait Philostorgius, ab exilio revocantur.

Anno Dom. 328.

Sozom. l. 2. c. 16.

Philostor. l. 3. c. 7.

Eustathius Antiochenus sede suâ pellitur in exilium.

III. Cùm crebrioribus colloquiis Eusebius Nicomediensis Imperatoris favorem sibi conciliasset, majora animo volutans, & fidem subvertere Nicænam, & veritatis propugnatores opprimere aggreditur. Ac primùm quidem desiderio visendi Hierosolyma teneri se simulans, tanquam ad celeberrimum Basilicæ, quam Imperator extruebat opus spectandum, maximo cum honore proficiscitur. Subministravit enim ipsi Constantinus vehicula, reliquumque apparatum itineri necessarium. Comes profectionis fuit Theognis, consiliorum ejus, ut & impietatis socius. Ubi Antiochiam venere, summo cultu excipiuntur, omnemque ingressis Eustathius honorem exhibuit. Cùm ad sacra loca pervenere, *Eusebio* Cæsariensi, *Patrophilo* Scytopolitano, *Aetio* Lyddæ, *Theodoto* Laodicææ consilium aperiunt suum, unàque cum illis Antiochiam veniunt, per causam Eusebium honorificè deducendi, reverà ut Eustathio insidias struerent. Concilium celebratur apud Antiochiam, si Philostorgio fides, numerosissimum, utpote constans Episcopis ducentis & quinquaginta. Quantum in re obscura conjicere datur, Provinciæ Antiocheni Metropolitani Synodus erat de litibus inter Episcopos ob vocem Consubstantialis celebrata, quæ absque Eustathii consensu convocari non potuit. Imperatoris quidem Edicto coactam esse, nullo vestigio reperimus. Concilii ergo occasione usus Eusebius Nicomediensis, quas fabricaverat machinas, adversus Eustathium admovet. Conductâ muliereculâ formosâ, quæ ex corpore suo quæstum faciebat, ad Concilium conveniunt: miseram fœminam introducunt, quæ infantem uberibus

ad-

ANNO DOM. 328.

admotum suis ostendens, illum ex Eustathii concubitu se peperisse dicit. Eustathius refellendæ calumniæ mulierem si quem haberet hujus facinoris conscium, in medium proferre jubet. Deficientibus testibus Judices accusanti jusjurandum deferunt. Ut mulier juramento confirmavit, infantem reverà Eustathii esse, *Statim Judices tanquam adversus adulterum sententiam tulerunt.* (*Theodorit. l. 1. c. 21.*) Quibus non in dubio ponendum habetur, quin uxorem Antiochenus habuerit Eustathius. Quem si cœlebs fuisset, scortationis quidem, verùm tamen adulteri damnare haud potuissent. Cæterùm mulier perfido Sacramento obtendebat homonymiam, Faber enim nomine *Eustathius* infanti Pater erat. Quod misera cùm in diuturnum & gravissimum morbum incidisset, pluribus Sacerdotibus indicavit. Fassa est etiam se mercede conductam, *Eustathio* Episcopo id calumniæ imposuisse. (*Theodorit. l. 1. c. 22.*) In eo quoque Concilio Sabellianismi damnatur Eustathius, accusante illum *Cyro* Berœæ urbis Episcopo. Quin erroris hujus postulatus fuerit, nulli dubitamus, cùm scriptis palam editis hanc Eustathio impietatem impegerit Eusebius Cæsariensis. Accusationi tamen non videbatur idoneus Cyrus Berœensis, qui posteà *Sabellianismi* convictus, depositus est. (*Socr. l. 1. c. 24.*) Qui veritati favebant Episcopi, nolebant Eustathium huic sententiæ acquiescere. At qui scenam composuerant, subinde ad Imperatorem pergunt, cui cùm persuasissent, justam esse abdicationis sententiam, effecerunt ut veritatis & castitatis custos tanquam adulter simul, & tyrannus, in exilium mitteretur. (*Theodorit. l. 1. c. 21.*) Addit & Athanasius, Eusebianos *ita apud Imperatorem fictâ calumniâ Eustathium accusasse, quasi in matrem Principis convicia jactasset.* (*Athan. ad Solit. 812.*) Imploravit Imperatorem Eustathius, quem *sa caram audivisse*, ipse Constantinus literis docuit suis. (*Eusob. de Vit. Const. l. 3. c. 59.*) Flectere tamen animos Principis non potuit. Nec mora, in exilium ejicitur, & cum eo ingens turba Presbyterorum & Diaconorum. Neque antè revocatus est quàm Jovianus rerum potiretur. Tunc enim Constantinopolim venit, imperanteque Valente ibi occultus commorabatur, ut Nicænam fidem stabiliret. (*Socr. l. 4. c. 14.*) Hæc Socrates, cujus tamen fides in ea re nutat. Eustathium porro *per Thraciam, in urbem Illyrici quandam abductum* esse narrat Theodoritus. At Hieronymus, *Trajanopolim* Thraciæ urbem in exilium pulsum esse prodit: *Eustathius genere Pamphylius Sidites, primùm Berœa Syriæ, deinde Antiochia rexit Ecclesiam, & adversum Arianorum dogma componens multa sub Constantio* (Constantino) *Principe, pulsus est in exilium, Trajanopolim Thraciarum, ubi usque hodie conditus est.* Constantii nomen quod habet Hieronymi Chronicum, Baronium in eam persuasionem adduxit, anno duntaxat CCCXL. defuncto jam Constantino Eustathium exulatum abiisse. Erroris itaque dicam scripsit Theodorito, Socrati, Sozomeno. Magnâ uti putat autoritate fretus, videlicet Athanasii: *Eustathium Episcopum Antiochenum, aversantemque hominem Arianam hæresim, apud Constantium fictâ calumniâ accusarunt.* (*Athan. ad Solit. 812.*) At ut in Hieronymo, sic etiam in Athanasio Constantium legendum esse, sit extra dubium. In antiquis Hieronymi editionibus, & Lugdunensi, quæ penes *Valesium* fuit, disertè scribitur, *sub Constantia Principe missus est in exilium Eustathius.* Qui locus insignis Vulgatam & Athanasii lectionem eximit errori. Prætereà Eustathium imperante non Constantio, sed Constantino ejectum esse ex Hieronymiano Chronico conficitur: *Eustathio in exilium ob fidem trusa, usque in præsentem diem Ariani Ecclesiam occuparunt, id est, Eulalius, Eusebius, Euphronius, Placillus, Stephanus, Leontius, Eudoxius Meletius*, quem nullo jure tamen Arianis inserit. Neque magis Eusebium Cæsariensem Eulalio sufficere debuit, cùm notissimum fiat, Eusebium sibi oblatum illum Episcopatum repudiasse. Ex veritate cætera scripsit. Quòd si anno demum CCCXL. Eustathius in exilium ejectus est, non Constantio quidem, sed Valente imperante exturbatus fuisset Meletius, ut in ejus locum *Euzoius* Arianus substitueretur. Quippe Antiocheni *post insidias Eustathio structas triginta deinceps annos Arianorum impietatem pertulerunt, ad usque Euzoium, qui pulso Meletio successit.* (*Theodorit. l. 2. c. 31.*) Addantur XXX. anno CCCXL. quo Trajanopolim Eustathium exulem concessisse contendit Baronius, ad annum CCCLXX. perveniemus, quo Constantius umbra & cinis erat. Est autem absurdissimum Meletii ejectionem in Valentis regnum conferre. Denique à Constantino M. Eustathium pulsum esse, apertè liquet ex Eusebio, quem testem suo loco excitabimus. Ex abdicatione Eustathii magnus Antiochiæ tumultus oboritur, adeò ut parum abfuerit, quin *tota civitas subverteretur.* Sed ea de re fusius anno sequente, utpote cum multis conjuncta, quæ ad illum spectare videntur. Si Nicephoro credimus, Philippis Macedoniæ extremum diem clausit Eustathius: *De Zenonis voluntate divi Eustathii, qui Philippis apud Macedones in exilio vitam finierat, reliquiæ cum reverentia multa Antiochiam reductæ sunt, quas cum lætitia summa civitas ea ad decimum octavum ferè lapidem extra urbem effusa excepit.* (*Niceph. l. 16. c. 10.*) Annum ejus emortualem ignoramus. Magna ab Orthodoxis laude celebratur, Athanasio scilicet, Chrysostomo, Hieronymo, veluti clarissima tuba, quæ contra Arium bellicum cecinit. In Oratione sua de Eustathio Chrysostomus eum *Martyris* afficit honore. Mors ejus Latinorum in Martyrologiis die Julii XVI. Græcorum verò in Menæis IX. Kal. Martii recolitur. Trajanopoli sepultus est. Non est tamen dissimulandum, non omnibus in tanto pretio Eustathium fuisse. Socrates enim obscuris hominibus, qui ex se inclarescere non possunt, ac ex potiorum vituperatione famam aucupantur, Eustathium inserit. (*Socr. l. 6. c. 13.*) Neque omnis fortè criminis purum fuisse colligi posset, quòd vel auditus à Constantino pœnas exilii pependerit, à quo nunquam fuerit revocatus. De Eustathii Operibus Hieronymus: *Extant volumina de anima, de Engastrimytha adversus Origenem, & infinitæ Epistolæ, quas enumerare longum est.* (*Hier. de Script. Eccl.*) Eustathii reliquiæ anno 484. à Calandione Antiochiæ illatæ sunt.

Calumniæ Athanasio illatæ: sese purgat apud Constantinum.

IV. Hoc exultans successu animisque Eusebius Nicomediensis, majora molitur, occultisque artibus Athanasium fidei propugnatorem de solio deturbare conatur, quæ maxima ejus cura fuit, ex quo ad Episcopatum rediit. Si credimus Epiphanio, cùm hortari Athanasius ac supplicare, detrectantesque concordiam Meletianos urgere ac cogere cœpisset, congregatis fortè Schismaticis, dum quæ ad lacum Mareotim visitat Ecclesias, Diaconus ex Athanasii comitatu cum quibusdam de populo erumpens, vasculum quoddam confregit, cui *candela* no-

Anno Dom. 328.

men, unde jurgium & pugna conflata. Hinc adversus Athanasium occultæ moliriones. Turbas à Meletianis quidem motas esse, ipse testatur Athanasius. Re cognitâ Eusebius Schismaticis scribit, magnisque promissis clancularium (Euseb. h. 68. n 6.) sibi eorum comparat amicitiam. Primum igitur scripto, quod rogantis speciem præ se ferebat, Athanasium precatur Arium recipere. Ut illi responsum est, hæreseos inventores veritati infestos & ab Oecumenico Concilio damnatos minimè esse recipiendos, Eusebius Constantinum inducit, ut exilium minaretur Athanasio, nisi Arium reciperet. Epistolam attulerunt Palatini *Syncletius*, & *Gaudentius*, quæ sic habebat: (Athan. Apol. t. 1. 779.) *Cum igitur mentis meæ sententiam intelligas, omnibus qui Ecclesiam intrare postulant, aditum inoffensum præbebis, quod si prohibueris quempiam qui se Ecclesiæ participem velit, aut si excluseris ab ingressu, mittam continuò cum meis mandatis, qui te deponant, & in alium locum deportent.* At Athanasius, cujus maxima in animo constantia erat, Imperatoris minis non cessit. Imò rescripsit, *nullam esse debere cum heresi Christi oppugnatrice communionem.* Tum Eusebius, quod cum Meletianis constituerat, tempus obvenisse ratus, ipsis mandat, ut scelera de Athanasio fingerent, & ubique locorum disseminarent. Sed cùm plurima captantibus nil reperiretur, ex sententia Eusebianorum tale crimen per Meletianos *Ptonem*, *Eudæmonem*, & *Callinicum*, de vestibus lineis mentiuntur, quasi Athanasius Ægyptios vestem ejusmodi Alexandrinæ Ecclesiæ pendere jussisset. Accusationem Athanasii Presbyteri *Apis*, quem *Alypium* Socrates vocat & *Macarius*, qui tum forte Nicomediæ versabantur, statim restinxere, docentes falsa esse, quæ contra Athanasium dicerentur. Quamobrem Imperator accusatores quidem per literas reprehendit. Athanasium verò ad se venire hortatus est. Verùm Eusebiani novis criminibus Athanasii innocentiam obruere tentant, quasi Athanasius adversus Principem conspirans, loculum auro plenum *Philumeno* cuidam misisset. Sed cum Imperator *Psammathia*, quod est suburbanum Nicomediæ, innocentem Athanasium comperisset, honorificè eum dimitit, datis ad Alexandrinorum Ecclesiam literis, quibus testabatur ipsorum Episcopum falsò in crimen vocatum esse. Hæc leguntur in Epistola notatu dignissima: (Ath. Apol. t. 1. 780.) *Ego vestrum Episcopum Athanasium libenter recepi, eumque ut virum Dei allocutus sum, quem reverendissimum vobis in sacris Ministrum esse, necessarium arbitratus sum.* Cùm porro hoc anno Constantinus Nicomediæ versatus sit, non immeritò quæ narravimus huic tempori assignavimus.

Anno Dom. 329.

ANNO U. C. 1082. OLYMP. 277. PER. JUL. 5042. JUL. 374. DOM. 329. CONSTANTINI 24. *Sol.* 2. E. *Lun.* 7. *Indict.* 2. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 3. P. 6. *April.*

COSS. Constantinus Augustus VIII. & Constantinus Cæsar IV.

Publius Optatianus Præfectus Urbis, Dies 31. Item S. Idus Octobris Petronius Probianus P. U.

Quotus Constantini Cæsaris Consulatus?

I. COloniensis quâ utimur Annalium editio, anni 1624. *Constantinum VIII. Constantium IV.* Coss. exhibet; in ora verò libri Constantius in Constantinum mutatur, rectè quidem, sed errore typographico *quartus* Constantini Consulatus numeratur, qui ex Baronii Chronologia *quintus* dici debuit. Etenim anno CCCXVII. Constantinum Cæsarem IV. præposuit, atque Maximum Ex quo conficitur, *Constantinum* Cæsarem præsente anno Consulem V. processisse. Ex veritate tamen *quartus* Constantini Cæsaris consignari debuit, quia Constantinus ille, qui annum CCCXVII. aperuit, alter à Cæsare fuit.

Antiochenus de Eustathio tumultus. Episcopatum hujus urbis respuit Eusebius.

II. Eustathii abdicatio magnos in Antiochena civitate motus excitaverat. Ecclesia duas in partes dividebatur. Pars Eusebium Pamphili Cæsareâ Antiochiam transferre, pars Eustathium in sedem restituere summi nitebatur. Contendentibus Christianis ipsi vel Ethnici pro suo affectu faventes, hanc, vel illam partem tenebant. Tantumque seditionis fuit, ut omnes simul cum Magistratibus & militibus hostili modo inter se dissiderent. Venerumque esset ad gladios, nisi divina providentia, & Imperatoris metus plebis impetum repressissent. Quippe *unum ex iis quos circa se spectatos habebat, Comitem honore decoratum eò misit, plebem quasi legatione blandâ compellans.* Duorum tamen Comitum Constantinus meminit in sua ad Synodum Epistola, *Acacii* scilicet & *Strategii*. Quæ gerebantur, Imperatorem literis monuere & laudati Comites, & Episcopi, qui ad Synodum convenerant. Eusebius ipse modestiâ suâ non minimum contulit ad restinguendum incendium, repudiato potentacius, ad quem deposcebatur Episcopatu Antiocheno, cui suum Cæsariensem antetulit. Plures de litibus Antiochenis Epistolas Constantinus scripsit. Aliis super alias scriptis literis hortatus est Antiochenses paci studerent, quos prætermisit Eusebius, quod *reis ignominiæ notam inurebant.* Ab oblivione Epistolam vindicavit, quam Theodoto, Theodoro, Narcisso, Ætio, Alphæo, & reliquis, qui Antiochiæ versabantur, Episcopis misit. Quo monet se audisse *Euphronium* Presbyterum, civem Cæsareæ, quæ est in Cappadocia, & *Georgium* Arethusiorum (Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 60.) civem, itidem Presbyterum, quem ad hunc ordinem Alexander in urbe Alexandrina promoverat, viros esse in doctrina fidei probatissimos. Placere sibi, ut vel hos viros, & alios quos ad Episcopatum idoneos judicarent, eligerent, omisso Eusebio sanctissimo Cæsareæ Episcopo, qui in recusanda Antiochena Cathedra Ecclesiasticæ legi consentire videbatur. Eusebio quoque literas dirigit, quibus eum laudat, quòd repudiato Episcopatu Antiocheno, mandata Dei, & Apostolicam atque Ecclesiasticam regulam custodierit: (Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 61.) *Tu quidem beatum te in hoc ipso existimare debes, qui totius propemodum orbis testimonio, dignus universæ Ecclesiæ Episcopatu judicatus sis.* Antiochenses quoque scripto adit, quo fatetur se perlegisse Acta, quibus Eusebium sibi vindicare vellent, virum doctrinæ & modestiæ causâ laudandum. Hortatur tamen alium quærant, neve ab Ecclesia Cæsariensi Episcopum abstrahant. Quis vero Eustathii in locum proximè suffectus sit, non satis liquet. *Eulalium* successisse tradit Theodoritus, cujus in ea re autoritas minimi momenti est. (Theodorit. l. 1. c. 22.) Errasse quidem constat, dum scribit, defuncto Eulalio Antiochenses Episcopum sibi Eusebium postulasse. Vero similius est Paulinum ejecti locum occupasse, etsi tam à Nicephoro prætermittatur, quàm ab Hie-

ANNO DOM. 329.

Hieronymo. Eusebius cujus testimonium est omni exceptione majus, hæc habet in libro contra Marcellum c. 4. *Invehitur deinceps in Paulinum virum Dei, ac prorsus beatissimum, qui Presbyteri quidem dignitate exornatus est Antiochiæ; Episcopatum autem Tyri tanta cum laude administravit, ut Antiochensis Ecclesia eum tanquam sibi proprium bonum vindicarit.* Id etiam memoriæ mandavit Philostorgius. Ac primum quidem Ætius, inquit, *auditor fuit Paulini, qui ex Episcopatu Tyri ad sedem Antiochenam translatus fuerat.* Paulino post sextum Episcopatus sui mensem mortuo, Eulalius in ejus locum substitutus est.

Philostorg. l. 3. c. 15.

Quo anno de Eustathio tumultus motus est? Chronologia Baronii falsa.

Error Baronii.

III. Seditionem Antiochenam in annum CCCXXIV. Baronio transferre placuit, tempore *non quando depositus est Eustathius, sed quando creatus.* Quem anno quidem CCCXXII. Episcopatum iniisse, ab eo verò demum ejectum anno CCCXL. contendit. Illustrissimo Purpurato argumenta fœnerant & Athanasius, Epistolâ ad Solitarios, quâ testatur Arianos apud *Constantium* fictâ Eustathium calumniâ accusasse; & Nicephori Chronicum, à quo anni Eustathio octodecim vindicantur. Quibus necessariò colligitur, turbas Antiochenas, quas prudentiâ Constantinus suâ compescuit, Eustathii ejectionem non attinere, quæ imperante jam Constantio contigit, sed ad ejus spectare creationem. Quæ Baronii argumenta plurimum valerent, nisi in erroribus fundarentur. Mendum in Epistolam Athanasii irrepsisse, substituto in Constantini vicem *Constantii* nomine, jam observatum. Nicephori verò Chronicum accuratum non esse, non ex omisso Paulino tantùm, verùm etiam ex Socratis testimonio ostendimus, quem apud legitur: *Eustathium exigua temporis spatio Antiochensem Ecclesiam rexit.* Est autem Socrates Nicephoro multò antiquior. Baronii quidem sententiam veritas ab omni parte destituit. Eusebius enim testis oculatus, tumultum Antiochenum in Eustathii non *creatione* quidem, sed *ejectione* contigisse docuit. Eustathio quoque Paulinum sufficit Philostorgius, quod fieri non potuit, si ad usque annum CCCXL. Episcopatum Eustathius suum extendisset. Insuper *Flacillus*, qui tertius, quartusve ab Eustathio Antiochiæ numeratur Episcopus, jam sedebat, cùm anno CCCXXXV. Synodus Tyriensis coacta est. Hæc enim Episcopi, qui Tyri convenerant, Comiti scripsere *Dionysio*, se insidias Eusebii, Narcissi, Flacilli, &c. vidisse. Meminit & *Flacilli* ipse Dionysius, in sua ad Eusebianos Epistola: *Hæc ipsa erant quæ dicebam, Domine mea Flacille.* Rejiciatur ergo Baronii Chronologia quæ Eustathii ejectionem à Constantio anno 340. mandatam esse statuit.

Socrat. l. 6. cap. 13.

Athan. Apol. 2. 799.

ANNO DOM. 330.

ANNO U. C. 1083. PER. JUL. 5043. JUL. 375. DOM. 330. CONSTANTINI 25. *Sol.* 3. D. *Lun.* 8. *Indict.* 3. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 4. P. 19. *April.*

COSS. Gallicanus & Symmachus.

Petronius Probianus Præfectus Urbis.

Constantinopolis dedicatur. Honores urbi additi.

I. SÆpenumerò nostrum admiratio subit animum, qui Scriptores non indocti in vera Constantinopolitanorum Encæniorum Epocha errare tam turpiter potuerint, cùm eâ nil nomus in orbe terrarum fuerit, aut illustrius. Ne oblivionis aliquid obreperet, multis monumentis natale hujus urbis perpetuæ est memoriæ consecratum, & Imperatorum sanctionibus solemnioribus etiam feriis fuit appositum: *Hīs adjicimus natalitios dies urbium maximarum, Romæ atque Constantinopolis, quibus debent jura deferre, quia & ab ipsis quoque nata sunt;* quæ Theodosii Constitutio est. Cassiodorus tamen Pacatiano, & Hilariano Coss. hoc est, anno Dom. CCCXXXII. scribit: *Civitas quæ Byzantium dicta est, mutato nomine à Constantino, Constantinopolis dedicatur.* Neque Suidas sibi consentit, qui annos modò CCCLX. modò CCCLXII. ab Augusti Monarchia, anno Juliano XVI. post Antonii & Cleopatræ obitum inchoata, ad excitatam usque Constantinopolim numerat. Diem quoque Regiæ urbis natalem ignorasse videntur Theophanes atque Nicephorus in vita *Philippici* Imperatoris, qui à conjuratis arreptus, oculis privatus est anno Dom. DCCXIII. pridie Pentecostes, quæ Junii quarto celebrata est. Pridie verò, feria scilicet VII. *Circo natalitio* Prasinos vicisse scribunt. Perabsurdè prorsus, cùm natale Constantinopolitanum non in Junium, sed in mensem Majum inciderit. Illud quidem constat, Circenses ludos Sabbato, quod Pentecosti imminet, in urbe Regia fuisse celebratos. Quod laudatus à nobis locus non testatur modò, verùm etiam Cangius indicat, adducto Synaxario MS. in Joanne Jejunatore: *Vespere diei Veneris, Sancto dicunt, Cras, Domine, Circenses erunt. Erat autem Sabbatum Pentecostes.* Hos verò ludos Natales Regiæ urbis esse, Nicephorus Theophanesque sibi perperàm induxerunt in animos. Porro quin Constantinopolis anno currente dedicata sit, in dubio poni non debet. Hoc docet Hieronymus in Chronico; hoc in Fastis Idacius: *Gallicano & Symmacho Coss. dedicata est Constantinopolis die v. Idus Majas.* Hinc orta Marcellino Comiti Epocha p. 51. Indictione v. *Mabortio solo Consule, anno Regia urbis condita* CXCVII. *Justinus Imperator, Justinianum ex sorore sua nepotem, jamdudum a se nobilissimum designatum, participem quoque regni sui, successoremque creavit Calend. Aprilis.* Annus Constantinopolis CXCVII. inceperat ab XI. Maii, anno Dionysiano DXXVI. in proximè futuro finem accepturus, sexto Iduum Majarum. Rectè igitur Marcellinus Indictionem v. exhibuit, cui addendus Sol. 4. C. Lun. 15. Ex quo conficitur, ad Methodum Cyclorum Urbis Constantinopolitanæ addendum Sol. 2. Lun. 7. Indict. 2. In Horologio Ecclesiæ Constantinopolitanæ è regione XI. Maii, notatum *Natale urbis Constantini, &* *Sacrosancti Martyris Mocii*, observante Scaligero. Sic annus, mensis, diesque natalis præclaræ civitatis exemptus oblivioni. Annus est Dom. CCCXXX. Maii XI. feria secunda, quia Litera Dom. D. Epacta Sol. 4. Itaque longissimè à vero aberrat magnus alioquin Chronologus Capellus, qui Novæ Romæ Encænia *Maii* 20. *feriâ primâ* tradit esse celebrata. Ac fortè *Luna falcata*, insigne hujus urbis, quia die Lunæ exorta est. Quo etiam Constantinus, *Cum sacra effigie sua præcepit & natalem urbis peragi.* Hoc urbium reginæ oppidum æquatum, & ut Nova Roma vocaretur lege sancitum. Quæ in columna lapidea incisa, ac publicè in strategio juxta equestrem Imperatoris ipsius statuam collocata est. At ut digna nomine suo urbs efficeretur, Curiam Senatui R. æmulata Im-

ANNO DOM. 330.

Cod Theod. lib. 2. de Feriis.

Mist. l. 20.

Chron. Alex.

Socr. l. 1. cap. 16.

Sozom. l. 2. c. 3.

Anno Dom. 330.

Imperator constituit, eosdem honores ac dies festos illis attribuere, quibus veteres Romani uti consueverant. Addidit & scholas, quas ad imperium usque Leonis perdurasse Paulus docet Diaconus l. xxi. *Eruditionum scholas & piam eruditionem à Sancta memoria Constantino M. hucusque servatam extinguit.* Regiam quoque insignem sibi condidit, Romanâ non multò minorem. Ne verò diutius in his immoremur, inspiciatur Zozimus l. 2. c. 31. Valentis Astrologi famæ nocuit sua temeritas, qui definiit urbem tantum 696. duraturam. Æqualis sane & consulenti, & pronuntianti vanitas fuit.

Ornamenta Constantinopolis. Templa à Constantino extructa.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 54.

II. Aliarum urbium nuditate Constantinopolim fuisse consecratam, dictum est Hieronymi. Nil quidem à conditore prætermissum, ut suæ civitati decus adderet: *Nonnullorum veneranda ex ære simulacra, quæ error majorum multis jam annis magnificè jactabat, per fora urbis ab Imperatore cognominata, omnium oculis subjecta sunt. Adeò ut ad ludibrium & contumeliam spectantium paterent exposita, hic Pythius Apollo, illic Sminthius, & in ipso quidem circo tripodes Delphici. Musæ autem Heliconides in palatio. Denique tota civitas passim repleta est signis æneis, quæ eleganti opere elaborata, per singulas Provincias olim dedicata fuerant.* Sic ambitione Constantini utebatur Christi sapientia evellendæ superstitioni. Quibus enim veluti numinibus sacrificia obtulerant statuæ, ad risum & oblectamentum spectatorum exponebantur: *Fecit & sibi Constantinus statuam è marmore inauratam, quæ dextrâ gestabat Fortunam urbis, & ipsam inauratam, quam ex marmore statuam, die natali hippodromi, ab exercitu lanas induto & lampadas cum albis ceren gestante præcepit introduci in circi squamma, è regione sedis Imperatoria, certoque tempore Imperatorem surgere, & statuam Imperatoris Constantini & Fortunæ urbis venerari.* Quæ etsi legantur in Chronico Alex. creditu tamen sunt difficillima. Hunc potius ab aulicorum adulatione, quàm Constantini ex mandato ritum ortum esse existimamus. Alia quoque suæ urbi addidit ornamenta. In fori fontibus boni Pastoris collocavit imagines. Danielis item effigiem, unà cum leonibus ære expressam. In totius palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati expansa est, crucem ex auro & gemmis elaboratam infixit.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 41.

Quod laudabile est, omni Idolorum cultu usque adeò vacuam esse urbem voluit, ut nusquam in illa falsorum numinum simulacra in Templis colerentur, ac ne aræ quidem victimarum cruore contaminatæ, nec hostiæ igne consumptæ cernerentur, nec Dæmonum festivitates.

Euseb. de Vit. Const.

Contrà verò plurimis eam Oratoriis exornavit, amplissimisque martyriis, quomodo simul & Martyrum honoravit memoriam, & urbem suam Martyrum Deo consecravit. Templum Apostolorum in immensam altitudinem erexit, à solo ad cameram usque marmoreis crustis operiens, camera verò auro radiabat, ære tegularum loco tegebatur, quod & superfusum auro resplendebat.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 58.

Solarium anaglyphis ex ære & auro fabrefactis erat circumdatum. Aliam quoque *Irenes* nomine Basilicam ædificavit. Ecclesiam omnium nobilissimam illam fuisse, quæ est in *Hestiis*, tradit Sozomenus, qui locus, mutato nomine, *Michaelium* nuncupatur. Complurium & aliorum Templorum meminit Nicephorus: *Tria Servatori Christo constructa dedicavit Sanctæ Sapientiæ, Sanctæ Pacis,* de quo mentionem fecimus, *& Sanctæ virtutis.* Quibus error eripitur Baronio, qui pro una eademque habet, *Pacis* & *Sapientiæ* Ecclesias: *Ecclesia Pacis*, inquit, *quæ alio nomine, Sapientiæ nominata reperitur.* Quo casu, non *tria*, sed duo tantùm Templa Christo Constantinus dedicasset. Pergit Nicephorus: *Divo etiam Mocio, & Acacio, & Agathonico, & Menæ Martyribus splendida delubra ædificavit.* Addit etiam Porphyreticam columnam Româ advectam in foro posuisse, in qua statuam suam ex ære factam collocavit, quæ dexterâ manu ingens aureum malum continet, & ipsi malo veneranda crux affigebatur, cum tali inscriptione: *Tibi, Christe Deus, urbem hanc commendo.*

Bar. An. 330. n. 19.

Error Baronii.

Niceph. l. 7. c. 49.

Ut urbem incolis suam impleret, amplissimis domibus sparsim per vicos ædificatis, egregios viros cum familiis suis Dominos earum esse jussit. Civibus quoque distribuit quotannis octuagies centena millia medimnorum frumenti, quæ annona pane jam cocto erogabatur, ut colligi videtur ex Lege Theodosii Junioris: *Nulli, ne divina quidem domui nostra frumentum de horreis publicis pro annona penitus præbeatur, sed integer canon mancipibus consignetur, annona in pane cocta domibus exhibenda. Ita enim debet canon ab inclyta memoria Constantino præstitutus, nec non à divo pietatis meæ avo auctus expendi.* Incredibilem porro tritici copiam urbi suæ inferri curat. Rem ea de re memoriâ dignissimam prodit in Ædesio Eunapius: *Constantinopolis vetusto nomine Byzantium antiquitus suppeditabat Atheniensibus annonam, fidemque omnem excedebat frumenti copia inde advecti. At nostro seculo, neque oneraria naves, quas Ægyptus mittit, totaque Asia cum Syria, & Phœnice, neque frumentaria copia, ex aliis Provinciis vectigalibus comportata, explere valent, aut satiare circumfluentem & copiosam populi multitudinem, quam Constantinus Byzantium transtulit.* Hinc apud Claudianum Vet. Romæ querelæ:

Cod. Theod. lib. 0. de Frum. Urb.

Par Roma mihi, divisaque sumpsit,
Æquales aurora togas Ægyptia rura,
In partem cessere Nova.

Claud. de Bel. Gildon.

His Constantinus alliciebat incolas, ac qui à fide alieni erant, sensim eam imbibebant animo: *Ut plerique in ea civitate Judæi, Gentiles verò propemodum omnes Christianam Religionem amplexi sint.* Nunquam tamen effici potuit, ut nova Roma veterem superaret vel opibus, vel incolarum magnitudine, quod falsò sibi persuasit Sozomenus. Constantium sanè, qui Romam venerat, urbis miraculis *hæsisse attonitum*, prodit Marcellinus l. 16. c. 10. Unde interroganti, quid de Roma sentiret Hormisdas Persa respondit, id tantùm sibi displicuisse, *quòd didicisset ibi quoque homines mori.* Ac Suidas in voce Constantinopolis, *Hæc est*, inquit, *tantò major aliis urbibus, quantò Roma minor esse videtur, à qua secundam numerari longè melius mihi quidem esse videtur, quàm cæterarum omnium primam existimari.* Hæc generatim de collatis à Constantino urbi suæ beneficiis. Quæ annis suis dividi poterunt, sequentia accommodabunt.

Sozom. l. 2. c. 3.

De Chrysargyri tributo: omnibusne imponebatur?

Sozim. l. 2. cap. 38.

III. Ut tot ædificia extruerentur, Constantium multa subditis onera imposuisse, scriptum reliquit Sozimos: *Exhaurire non desinebat vectigalia largitionibus, quæ non ubi par erat, sed in homines indignos & inutiles fiebant. Et collatoribus quidem tributorum gravis erat: illos autem cumulabat opibus, qui nulli esse usui poterant.* Idem & auri

ANNO DOM. 330.

auri & argenti collationem imposuit omnibus ubique terrarum negotiationes exercentibus, & dardanarius oppidorum ad vilissimos usque, ne miseris quidem meretriculis hâc collatione liberatis. Itaque videre erat quoties quartusquisque annus appeteret, quo tributum illud pendendum erat, meras per universam urbem lacrymas. Ubi verò jam advenisset, nonnisi flagra corporibus eorum adhibita, qui propter paupertatem extremam sustinere jacturam hanc non possent. Quin & liberos ipsæ matres distrahebant, & patres filias prostituebant, ex harum quæstu Chrysargiri exactoribus pecuniam offerre coacti. Quid tributi Chrysargyrum fuerit, est explicandum. Chrysargyrum *lustralis collatio* est, quæ quarto quoque anno ad Præfectum Prætorio deferebatur eo præcisè metallo, quo imperabatur. Lenonibus & meretricibus imponebatur, quæ licentia erat perpetrandæ libidinis. Ac Baronius quidem negat, *indictum fuisse meretricibus, vel humilis status personis.* Sed egregiè fallitur, errorisque sui moneri ab Evagrio debuit: *Romanorum Republica, tam longe lateque diffusa, impositum erat vectigal miserabile prorsus Deoque invisum, & Barbaris ipsis indignum, nedum Christianissimo Romanorum imperio conveniens. Impositum autem erat tum aliis compluribus, qui stipe collatitiâ victitabant, tum mulierculis, qui corpore quæstum faciebant.* Quo quid clarius dici potuit refellendo Baronio? Viles quoque personas tributi hujus immunes non fuisse, ostendit Libanii locus insignis, observatus Valesio: *Jam verò dicamus etiam malum illud quod reliqua cuncta longè superat. Id autem est tributum intolerabile, Chrysargyrum scilicet, quo fit ut singula lustra, quoties jam propinqua sunt, terrorem animis injiciant. Et nomen quidem hujus collationis speciosum est ex mercatoribus. Sed cùm isti mari utantur ad merces suas divendendas, ii quibus manus ægrè panem suppeditant, funditùs pereunt. Nec immunis ab hoc malo sutor. Quos quidem ego sæpius vidi, scalpro ad cœlum sublato, jurantes in eo sua omnia reposita esse.* Id tributi primus omnium indixerat Caligula: *Vectigalia nova atque inaudita primùm per Publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per Centuriones, Tribunosque Prætorianos exercuit, nullo rerum, aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro edulis quæ tota urbe venirent, certum statumque exigebatur. Pro litibus atque judiciis, ubicunque conceptis, quadragesima summa, de qua litigaretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostitutarum quantum quæque uno concubitu mereret.* Hoc sordidum vectigal in sacrum mitti ærarium Alexander Severus prohibuerat: *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, Amphitheatri, stadii deputavit.* Est ergo calumnia Zosimi, quòd quasi novum vectigal *Chrysargyrum* Constantinus imperarit. At se dignius fecisset, si infame tributum Princeps religiosissimus abrogasset. Si verum cogitamus, nec nihil, nec omnia hæc sunt, quæ scribit Zosimus. Nempe *profusionis immodicæ* Constantinus fuit, neque tot ab eo ædificia, palatia, templa extrui potuere, absque Provincialium molestia. Anonymus in Excerptis: *Quæsitis ei* (Constantinopoli) *undique civibus, divitias multas largitus est, ut propè in ea omnes thesauros regias facultates exhauriret.* Ministros ejus facilitate abusos esse, non fateri non potuit Eusebius; hocque vitium maximè invaluisse, eo imperante, *Violentiam scilicet pessimorum hominum, & insatiabili cupiditate flagrantium, qui universos ferè mortales infestabant.* Redundat ad Principum vel optimorum vituperium, quòd Ministri nimiâ Dominorum suorum sive facilitate, sive mansuetudine freti, gerunt iniquius: inexplebilique avaritiâ illorum gloriam infamant. Quid verò causæ fuerit, cur Zozimus Chrysargyri institutionem Constantino M. vindicarit, conjecturis doctissimus Gothofredus suis aperit: *Nempe Zozimum lapsum, cum Tabernarios, seu Tabernas negotiatorias exercentes, qui sane lustrali collationi obnoxii quoque erant, pro Tabernariis meretricibus accepit. Quo gemino errore idem Constantinum M. quòd reperisset ex tabernaria natum, ex meretricio concubitu natum scripsit.*

Bar. An. 330. n. 37.
Error Baronii.
Evagr. l. 3. c. 39.
Liban. Or. Contra Florent.
Sueton. Calig. cap. 40.
Lampr. Sever. cap. 24.
Euseb. Vit. Const. l. 4. cap. 54.
C. Theod. l. 13. tit. 1. leg. 4.

IV. Redeamus ad Zozimum, hæc de Constantino subjicientem: *Cùm splendidioris etiam fortunæ hominibus excogitare quiddam vellet, quod eis dolorem afferret, quemlibet horum ad Præturæ dignitatem evocabat, & honoris prætextu magnum pecuniæ pondus exigebat. Idcircò quoties ad urbes venissent qui hujus rei mandatum habebant, videre erat fugam omnium, & profectionem ad extraneos metuentium, ne cum patrimonii sui detrimento dignitatem hanc adipiscerentur. Habebat autem descripta virorum clarissimorum patrimonia, quibus & tributum imposuit, quod ipse follem nuncupavit. Hujusmodi collationibus urbes exhausit.* Quid rei follis fuerit, eruditi quæsivere. Nomen quod attinet, doctissimo Casaubono assentimur, purum putum originis esse Hebraicæ. פלס *statera* est, unde Græcum φόλλις, quod vocabulum iisdem consonis constans latissimæ est significationis. Neque hîc erroris est omnis expers Baronius, cui *follis vox Græca* φόλιν *&* φόλλυς, *nonnisi squamma, sive piscis, sive anguis, & interdum æris interpretatur.* φόλιν sanè, & φόλυς, Græcis non usurpatur ad ista significanda. φόλις quidem Suidæ dicitur *hasta squamma*, τὸ τοῦ δέρματος, *pellis, sive cutis squama*: quâ significatione fœminini generis est. φόλλις *verò masculino genere, obolus, & pluraliter* τοὺς φόλλεις, *obolos.* Epiphanius habet φόλλης, scriptione nonnihil diversâ, vocis tamen genus non mutat. Porro follis pecuniæ accommodatus multa designat. De Heliogabalo Lampridius c. 22. *Centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris.* De Florentio Hipponensi, qui se sartoris arte pascebat, Augustinus: *Ejectum grandem piscem palpitantem in littore apprehendit, quoque Carchoso trecentis follibus vendidit.* Follibus æris scilicet, quos describit Epiphanius: *Follis si ad denarios, non ad argenteos redigatur, duo minuta continet.* Minuta Græcè λεπτὰ, quorum valor æquabat minuta ea æreola duo, quæ vidua pauper immisit in Gazophylacium. λεπτὰ enim & λεπτὰ genere quidem, at pretio non differunt. Minuta hæc Christo dicuntur *quadrans*, hoc est, pars nummi sestertii quarta. Follis æreus igitur & *quadrans* eodem pretio valent, Gallicis circiter denariis quinque. Est etiam Follis argenteus. In Actis Zenophili: *Nundinarius dixit, Victor quot folles dedit, ut fieret Presbyter? Crescentius respondet, Vidi allatos cophinos cum pecunia.* Sed & *quadringentos folles* erogavit Lucilla, ut Majorinus ad Episcopatum promoveretur. Æreos sanè folles fingere non licet, sive nummos sestertios centum. Argenteum follem sic explicat Epiphanius: *Follis, sive talentum parvum, ex duobus argenteis constat, hoc est, denariis CCVIII.* Quem locum nondum satis à no-

De Folle. Variæ follium genera.
Sozim. l. 2. c. 38.
Error Baronii.
Bar. An. 330. n. 46.
Suid.
August. de Civit. l. 22. c. 8.
Epiph. de Mens. p. 184.
Marc. XII. 42.
Epiph. de Mens. 184.

Anno Dom. 330.

à nobis intelligi profitemur, etsi facem nobis præfeere eruditi voluerint. Petavius in MS. Bibliothecæ Regiæ paulò aliter loçum concipi profitetur. Legitur enim non *ση*, sed x. *δηναρία*, oon CCVETI. sed *viginti denarios*. Quid verò fint Epiphanio illi *denarii*, non satis liquet. Itaque de follis argentei valore pendemus animi. Follis etiam pecuniæ summa est, à facculo cui includebatur nomen habens. Vegetius de Re Militari: *Decem folles, hoc est, decem facci*, per cohortes ponebantur, & qui locuples Juvenali dicitur, *tenso folle reverti*. De certa quadam nummorum summa Constantini ad Cæcilianum Epistola est intelligenda. Urso qui rationalis erat Africæ, *Significavi ut ter mille folles tua gravitati numerari curaret*. Eadem quoque folli significatio in Lege Constantini de Mensis oleariis, quæ caducæ *vicenis follibus per officium* distrahuntur. Doctissimus Gothofredus eo significatu, *Follis*, inquit, *duobus argenteis, seu duabus minis & semis constabat, qui conficiebant* CCL. *denarios, ac proinde quorum singuli denarios centum efficiunt*. Quâ ratione follis valore suo æquaret libras Gallicas 37. *f.* 10. Ter ergo mille folles *Urso* à Constantino missi summam efficerent 112500. lib. Follis verò pro tributo sumpti, valor longè major fuit. Basilicorum Glossarium Græcum, quod exhibet Petavius, quid rei sit *follis*, cùm pro tributo sumitur, oonnihil illustrabit: *Follis sub Theodosio Juniore tributum mulorum ab eo Constantinopolitanis indictum, quòd bis sibi in bello opus esse diceret. Follis autem aliud tributi species est, quod Nobiliores cujuscunque civitatis pendebant, quod supra dignitatem claritas generis ipsis obtigerat. Ut nobilitas qua ad bonam fortunam illos perducere debuerat, hoc incommodi secum afferret, primo quidem tributo auri libra octo, secundo quatuor, tertio dua pendebantur*. Duæ igitur Nobilibus, qui in dignitaribus constituti erant, pensitationes solvendæ. *Herodem* cognatum suum eò commendat Aureliano Synesius, quòd *cùm clarissimis majoribus natus sit, agrosque paternos Senatui vectigales jure hereditario acceperit, posteaquam Dux factus est, eadem qua recens in Senatum ascripti, tributa pendet, duasque sic pensitationes solvit, unam quidem bonorum, alteram Magistratus nomine*. Onerosum hoc tributum fuit. Septem solidorum præstatio tenuissimos Senatorum obligabat. Quod onus ab Imperatoribus Valentiniano, & Marciano fuit abrogatum: *Glebam, vel follem, sive septem solidorum functionem, sive quamlibet hujusmodi collationem, tam circa personas, quàm circa res & prædia funditùs jubemus aboleri, ut omnis hujusmodi sopita perpetuò conquiescat exactio*. In antiquis Codicis editionibus Lex ea *Arcadio* & *Honorio* ascribitur. De folle videatur & Gothofredus.

Euseb. h. l. 10. c. 6.

Cod. Theod. l. 14. tit. 24. 26ʃ.

Synes. Ep. 38.

Cod. l. 12. Tit. 2. l. 2.

Vexatio Clericorum à Constantino prohibita.

V. Donatistæ Ecclesiæ infensissimi minores Clericos litibus fatigabant, & ad seculares Magistratus perducebant, quam prohiberi vexationem Imperatori placuit. Rescripsit Numidiæ Præfecto: *Lectores divinorum apicum, & Hypodiaconi, cæterique Clerici, qui per injuriam Hæreticorum ad Curiam devocati sunt, absolvantur. Et de cætero ad similitudinem Orientis, minimè ad Curias devocentur, sed immunitate plenissimâ potiantur. Datum Nonas Februarias, Sardica, Gallicano & Symmacho Coss.* Jussit etiam Imperator Judæorum Patriarchas & Sacerdotes ab omnibus tam personalibus, quàm civilibus muneribus immunes esse.

Cod. Theod. lib. 7. de Episcop.

Cod. Th. l. 16. c. 6.

Anno Dom. 331.

ANNO U. C. 1084. PER. JUL. 5044. JUL. 376. DOM. 331. CONSTANTINI 26. *Sol.* 4. C. *Lun.* 9. *Indict.* 4. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 5. *P.* 11. *April.*

COSS. Bassus & Ablavius.

Anicius Paulinus Præfectus Urbis.

Fana Ethnicorum plurima Constantinus evertit.

I. Constantinum monebat pietas erga Christum, nefanda Idololatriæ monumenta evertere. Quâ vel unâ ratione impensam huic rei operam dare potuit. Præcipoè huic causa alia accedebat, nempe ut sui nominis urbem præclaris signis decoraret. Itaque Hieronymus in Chronico ad hunc ipsum annum Edicti meminit, quo Gentilium Templa eversa sunt, quod non præsente modò, sed sequentibus quoque annis, & præcipuè CCCXXXIII. peractum est. Quorumdam in urbibus fanorum vestibula nudabantur, valvis jussu Imperatoris orbata, aliorum tectum corrumpebatur, tegulis amotis, totaque Constantinopolis passim repleta est æneis signis, quæ eleganti opere elaborata per singulas Provincias olim dedicata fuerant. Verbis amaris queritur Zozimus, quòd Matris Deûm Rheæ simolacrum mutilarit: *Leonibus utrinque sublatis, & manuum figurâ mutatâ. Nam cùm olim tenere leones videretur, nunc speciem precantis exhibet, urbem inspectans.* Aurea verò simulacra alio modo abolevit, missis in Provincias familiarium suorum nonnullis, qui Sacerdotes ipsos ex obscuris suis recessibus Deos proferre suos jubebant. Quos cultu suo nudatos omnium conspectui subjiciebant. Deinde ubrasam utiliorem materiam igne conflabant. Lucus erat & Templum apud *Aphaca* in Phœnice, in parte verticis Libani, *Veneri* consecratum. Hîc viri abdicatâ sexus sui gravitate, muliebria patientes Dæmonem placabant. Hîc adultera perpetrabantur, numinoe quod colebatur dignissima. Quod cùm Imperatori venisset in notitiam, Templum cum simulacris & donariis totum funditùs everti jussit, militibus ad purgandum locum operam suam præstantibus. Erat Ægis, quæ Ciliciæ urbs est juxta mare, Templum Æsculapio sacrum, multâ laude famâque celebratum. Ac dormientibus in hæc Æde Æsculapius apparere, morbosque curare ferebatur. In eo fano incubabant ad accipienda responsa, antiquâ superstitione:

Et cæsarum ovium sub nocte silenti,
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.

Nec mora, ad Imperatoris nutum militari manu Templum subvertitur, quod nobiles Philosophi suspexerant.

Zozim. l. 2. c. 31.

Euseb. de Vit. Const. l. 3. c. 54. &c.

Varia Templa variis in locis extructa.

II. Constantini socrus *Eutropia*, gente Syra, Christi religione imbuta, locum ad quercum Mambre, in quo Servator Abrahamo conspicuus factus, genero scripserat à superstitione pollui, juxta arborem illam simulacra esse collocata, extructam aram, impura sacrificia peragi. Scripsit ergo *Macario*, Episcopisque Palæstinæ, ut confestim simulacra igni tradantur, araque funditùs evertatur. Quòd si post jussionem quis quid in eo loco impii perpetrarit, extremo supplicio afficiatur. Præcepit etiam ibi Basilicam extrui. Acacio Comiti dedit in mandatis, ut qui sacrum locum pollueret, subitariam pœnam daret. Nicomediam quoque magnificentissimæ Ecclesiæ monumento exornavit, in victoriæ memoriam, quam de Licinio retulerat. Dedicatâ jam Constantinopoli id operis aggressum

ANNO DOM. 331.

Eusob. de Vit. Const. l. 3. c. 50.

sum esse, ex Eusebio facimus conjecturam: *His igitur ornamentis urbem nominis sui decoravit, primariam verò Bithyniæ civitatem egregiâ Basilicâ exornavit.* Antiochiæ, quæ caput Orientis erat, egregium & amplitudine & decore magnificentissimum Deo Templum consecravit. Basilica hæc figurâ octoedri constructa erat, plurimis circumquaque cubiculis, & exedris, & tam subterraneis locis quàm solariis undique circundata. Quam plurimo & ære, & auro exornavit, qua de causa *Dominicum aureum* ab Hieronymo vocatum est. Anno CCCXXVIII. extructum esse, tradit in Chronico Hieronymus. Cujus sententiæ accedere non possumus, cùm imperante Constantio quinque Constantini post obitum annis fuerit dedicatum.

Codices Scripturæ plurimos describi Constantinus mandat Eusebio.

III. Cùm dies Constantinopoli afferret incrementum, novis & Scripturæ Codicibus, & Ecclesiis opus erat. Scribit igitur Imperator Eusebio, ut quinquaginta divinarum Scripturarum Codices *in membranis probè apparatis ab artificibus antiquariis venustè scribendi peritissimis describi faciat, qui & legi facilè & ad omnem usum circumferri* possent. Ad Provinciæ quoque rationalem literas misit, ut cuncta ad Codicum confectionem necessaria præberi curaret. Duorum etiam publicorum vehiculorum usum concedit, ut eleganter descripta exemplaria ad se perferrentur, comitante Ecclesiæ Cæsariensis Diacono. Sub idem tempus Emporium Gazæum religionem Christi cùm amplecteretur, magnis est privilegiis cumulatum. Anteà vicus erat, cujus nomen in illud *Constantia* Imperatoris sorori permutatur. In Phœnice quoque urbs facta est *Constantina*, cujus incolæ conjectis in ignem simulacris pietati adhæserunt.

Vit. Const. l. 4. c. 36. &c.

Ischyras in Athanasium calumnia: ejus pœnitentia.

IV. Dum magnas Constantinus ædificat Ecclesias atque exornat, Ariani vivum Sanctitatis Templum destruere moliuntur, appetito novis insidiis Athanasio. Non nesciebant, incolumi vivâ hâc immortalique pietatis columnâ errorem triumphatum iri. Aliquid ergo fallaciæ conantur, quâ tandem innocentem opprimerent. Calumniæ ansam *Ischyras* præbuit, larvatus ille Colluthi Presbyter, quem anno CCCXXIV. Osio præsente Synodus Alexandrina ad Laicos redire jusserat. Honoris cupidum urebat ambitio sua, ac falsò quem sibi asciscebat, Presbyteri honore gloriam alebat suam. Mareotis regio est Alexandrina, in quam nil schismatis Meletius induxerat. Hic Ischyras pagi sui incolas decipere tentabat, jactans se Clericum esse. Id ubi rescivit ejus loci Presbyter, Athanasio Ecclesias perlustranti renunciat. Igitur cum Macario Presbytero certos ablegat ad Ischyram accersendum, quem cùm morbo decumbentem invenissent, patri injunxere, filio denunciaret, ne sibi Clerici titulum tribueret. Ubi morbo recreatus, & ab amicis, & à parente suo coërcitus est, ad Meletianos confugit; qui re cum Eusebianis communicatâ, de calice à Macario, Athanasii Presbytero confracto, eversâque sacrâ mensâ calumniam componunt. Verberibus adactum Ischyram, criminis testem constituunt. Quod & ipse profitetur, in sua ad Athanasium Epistola: *Beato Papæ Athanasio Ischyras, in Domino salutem. Quia me, Domine Præsul, in te adeundo, ut in Ecclesiam reciperer, objurgasti, quòd de quibus locutus essem quasi spontè, & non vi potius id fecissem, ideò hanc tibi purgationem scripto porrigendam existimavi, ut scires ab Isaac & Heraclide, & alio Isaac Letoitano, & eorum sociis vim mihi factam, ut vel casus verberibus fuerim. Ego verò teste Deo adhibito, pro mea excusatione dico, me nihil eorum, quæ illi à te facta jactitant, conscium esse, neque ullum calicem confractum scire, aut sacram mensam subversam esse, neque ad omnia ista calumnianda eorum vi adactum esse. Hanc pro me excusationem facio, tibique scripto lubens trado, petoque me eorum unum esse, qui ad tuos cœtus pertinent. Valete in Christo exopto. Tradidi autem manum meam præsentibus Presbyteris, Ammono Dicella, Heraclide Phasci, Bocone Cheubris, Achilla Myrsenes, Didymo Tasiphoris, Justo Bemethes. Diaconis verè Alexandriæ, Paulo, Petro, Olympio, Mareotecis Olympio, Ammonio, Pisto, Demetrio & Gaio.* Ischyram ad Eusebium Nicomediensem confugisse tradit Socrates. Perfido promissum Episcopatum, si accusationem intenderet; non tantum fracti calicis, eversæque mensæ irruentem accusasse Macarium, sed missæ & in ignem Scripturæ. Hæc verò non satis consentiunt Athanasio, cujus in ea re longè major autoritas. Testatur autem Athanasius, Ischyram ad Meletianos confugisse, ut in Ægypto potius quàm in Bithynia orta ea calumnia videatur. Cùm verò Ariani scirent vim in accusatione sua magnam non esse, quam anno CCCXXVIII. Psammathiæ diluerat Athanasius, qui etiam Constantini vel Epistolis ornatus Alexandriam redierat, longè graviora moliuntur.

Athan. Apol. 781.

ANNO DOM. 331.

a Socrat. l. 1. c. 2.

Calumniæ de interfecto Arsenio imponuntur Athanasio.

V. *Hypsilitensis* civitatis, cui præfuerat olim Meletius, Episcopus fuit, cui Arsenio nomen. *Lectorem* Athanasii fuisse, *qui ob culpam correctionem veritus, frequentia sese substraxerat*, perperàm scripsit Rufinus l. 1. c. 17. Ivit & alia fabula per rumores, *Plusianum* unum ex Episcopis, qui subdebantur Athanasio, *Jussu illius incendisse domum Arsenii, ipsumque columna alligatum, loris verberasse, & in cellulam inclusisse.* Nil sanè Athanasio in Arsenium juris fuit, quem & ipse pro Episcopo habuit. Meletianorum ergo cùm Episcopum ageret, visus est idoneus, qui accusandi occasionem inimicis Athanasii subministraret. Quid ergo? Fingunt Athanasium autorem *Arsenio* mortis fuisse. Vociferantur & miserè plangunt cædem ab Athanasio factam: *Arsenium Meletianorum Episcopum, ejus operâ è medio sublatum, quam rem fictitio gemitu, & falsis lachrymis, ut vera viderentur, deplorabant.* Quæ leguntur Sardicensium in Epistola. Arsenium, ut calumnia succederet, in abditis habent, quo si nusquam appareret occisus putaretur. Interim manum cujusdam tanquam ex defuncti corpore rescissam, ad ostentationem circunferre, Athanasium magiæ accusare, nefandæ artis causâ Arsenii manum penes se habuisse. Res ad Imperatorem defertur. Repudiatâ de calice calumniâ, quam *Psammathia* præsente Athanasio jam audierat, literas ad Dalmatium Censorem misit, ut de causa homicidii cognosceret. Fatetur ipse Athanasius, cùm sibi à Censore scriptum fuisset, ut ad criminis defensionem sese pararet, principio nullam se ejus rei curam fecisse, sibi conscium falsas accusationes esse. Dalmatium Censorem Constantini ex fratre nepotem esse, persuasum Socrates habuit, quem Hermantius & N. Alexander secuti sunt. Hunc Valesius errorem ex Chronico Alex. coarguit. Constantinus *Dalmatium filium fratris Dalmatii Censoris, Cæsarem dicit.* Tenerior etiam ætate erat Dalmatius

Sozom. l. 2. c. 25.

Athanas. t. 1. 758.

Socrat. l. 1. c. 37.

Athan. Apol. 782.

Idem ibid.

ANNO DOM. 331.

matius Cæsar quàm Judex sederet in tam gravi negotio. Degebat tum temporis Narbonæ, & unà cum Annibaliano fratre Exuperium Rhetorem audiebat. Quod canit Ausonius de Professoribus Burdigalensibus Carmine 18. de Exuperio:

Tum pueros grandi mercede docendi,
Formasti Rhetor metam prope puberis ævi,
Cæsareum qui mox indepti nomen.

Athan. Apol. 782.

Cæterùm tanti criminis accusationem Athanasio nil pensi esse, haud Constantino placuit: *Quia Imperator commotus erat, certiores ejus res facto comministros in sacris per Ægyptum, & Diaconum amando, qui de Arsenio cognosceret, quem intra quinque, vel sex annos prorsus non videram.*

ANNO DOM. 332.

ANNO U. C. 1085. PER. JUL. 5045. JUL. 377. DOM. 332. CONSTANTINI 27. *Sol.* 5. B. A. *Lun.* 10. *Indict.* 5. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 2. *April.*

COSS. Pacatianus & Hilarianus.

Anicius Paulinus Præfectus Urbis.

Constantini de Gothis victoria. Acta Gallicani subdita.

I. QUæ aliquandiu quieverant arma hoc anno sua Constantinus movit. Gothi, qui Scythæ nuncupantur Eusebio, jugi Romani expertes degebant. Quin etiam superiores Barbaris Imperatores reipsâ serviebant, annuâ pecuniâ solutâ. Quam Constantinus indignitatem ferre non potuit, nec Victori Principi decorum esse existimavit, eadem pendere quæ priores Cæsares pependissent. Itaque Servatoris sui auxilio fretus, triumphali signo ac tropæo in eos etiam illato brevi eos subegit, ac resistentes armis domuit. In ea expeditione Constantini gloria Cæsaris excelluit: *Per Constantinum Cæsarem centum propè millia fame & frigore extincta sunt. Tunc & obsides accepit, inter quos & Ariarici Regis filium.* Partem quoque Gothorum legationibus mitigans Imperator, à ferina, legumque experte vitâ ad humanam civilemque traduxit. Eò referri possunt, quæ Jornandi narrantur de rebus Geticis c. 21. *Dum famosissimam & Romæ æmulam in suo nomine conderet civitatem, Gothorum interfuit operatio, qui fœdere inito cum Imperatore XL. suorum millia illi in solatia contra gentes varias obtulere. Quorum & numerus & militia usque ad præsens in Repub. nominantur, id est, fœderati. Tunc enim sub Ariarici, & Aorici, Regum suorum florebant imperia.* Itaque non boni Historici officio fungitur Zozimus: *Nec jam*, inquit, *bellum Constantinus ullum amplius gerebat, adeò quidem ut Thaifalis natione Scythicâ cum equitibus quingentis irruentibus non modò nullas copias adversus eos in aciem eduxerit, sed etiam parte maximâ exercitus amissâ, cùm hostes ad ipsum vallum usque omnia diripere conspexisset, arreptâ cupidè fugâ sibi consuluerit.* Falsa hæc esse ostendunt relatæ de Gothis, quorum pars Thaifali, illustres victoriæ. A Gallicano victos esse Gothos, qui *ea de causa meruit Consulatum*, ex Actis Martyrum Joannis & Pauli Baronius astruit. Itaque id belli in annum CCCXXX. retulit. Variis cladibus à Gothis affectus Gallicanus, ut bellum repararet, Christianum se futurum pollicetur. Vix votum emiserat, cùm *subitò apparuit juvenis staturâ excelsus, ferens in humero crucem & dicens, Sume gladium, & sequere me.* Sed in figmentis ejusmodi Chronologia collocari nequit, & factum à Baronio illiberaliter, dum Eusebium penè *men-*

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 5.

Zozim. l. 2. c. 31.

Bar. An. 330. 52.

dacii postulat, ut puerilia Ovinii Gallicani Acta tueatur. Fabulam Gallicanoi simul cum Baronii Chronologia percellit non Eusebius modò, qui Constantinum dicit Gothico præsentem adfuisse bello, quod Imperatore absente gestum Gallicani Acta memorant, sed etiam Idacius, qui biennio post Gallicani Consulatum, Gothos debellatos esse tradit: *Pacatiano & Hilariano Coss. Victi Gothi ab exercitu Rom. in terris Sarmatarum die* XII. *Kal. Mai.* Excerpta quoque Valesiana à nobis laudata, non *Gallicano*, sed Constantino Cæsari cladem Gothicam ascribunt. Neque sibi sanè consentit Baronius. Etenim si ex relata de Gothis victoria Consulatum obtinuit Gallicanus, ea quidem anno CCCXXX. antecedere debuit, quem cum Symmacho Gallicanus aperuit. Prius autem Coss. designabantur, quàm munus inirent suum. Constantinopoli verò jam dedicatâ bellum obortum esse Gothicum, testatur & Anonymus in Excerptis, de Constantino: *Constantinus autem ex Byzantio Constantinopolim nuncupavit.... Deinde adversum Gothos bellum suscepit.* Porro in hujus victoriæ veluti celebrationem, *Maii* XVIII. *cœpit annona distribui civibus Constantinopolitanis*, quod nos Chronicum Alex. monuit. Annonæ hujus mentio est Theodosii in Rescripto ad Proculum: *Annonas civicas non tam titulis dignitatum, quàm singulorum virtutum meritis attributas divi Constantini liberalitate sat claruit. Ideòque nihil ex his scholarum nomine vindicetur, sed pro uniuscujusque merito, quæ sunt concessa, serventur. Ut quicunque perceptarum annonarum emolumenta, vel in hæredes proprios jure sanguinis transfuderunt, vel in extraneos distractionis titulo transcripserunt, maneat quod gestum est, vel hæreditatis merito, vel venditionis arbitrio.*

Cod. Theod. de Annona Civ. l. 10.

II. Cùm ubique locorum fama Constantini discurreret, *Sapor* Rex Persarum donariis missis ejus amicitiam ambivit. Quem munerum magnificentiâ longè superavit Imperator. Ubi verò accepit, crebras in Perside Ecclesias esse, hoc nuntio delectatus, ut communis Christianorum omnium tutor, ad illa quoque loca providentiam atque curam suam extendit. *Sapori* scripsit Epistolam, quam Theodoritus in historiam retulit. Tristia quibus Deus Persecutores Ecclesiæ coërcuit, supplicia memorat. Ea de causa Valerianum gravi exitio stratum esse: *Horum unus mihi videtur fuisse ille, quem divina vindicta, instar fulminis ingruens, fugatum ex nostris regionibus, vestras in terras propulit, qui quidem suo dedecore atque ignominiâ tropæum illud tantopere apud vos jactatum constituit.* Christianos deinde curæ Sapori commendat, cujus in eos benignitas, Dei favorem, & Regi conciliabit, & subditis: *Hos quandoquidem pietate excellis, tibi in manus trado. Hos pro tua humanitate complectere. Sic enim & tibi ipsi, & nobis, hâc tuâ fide immensum beneficium præstabis.* Manca etiam ac mutila est in Theodorito Constantini hæc Epistola, etsi longior integriorque quàm in Eusebio. Non tamen existimamus, tum temporis Saporem in Christianos insidiarum aliquid molitum, ut Theodorito placuit, aut *hostiliter* jam vexatos esse, ut Sozomeno traditum. Quod ex Epistola Constantini falsum esse deprehenditur. De persecutione quidem sive imminente, sive grassante ne verbum quidem attulit. Neque missis muneribus Sapor Constantini ad amicitiam sese applicasset, quo tem-

Persæ legationem mittunt Constantino. Constantini ad Saporem Epistola.

Theodorit. l. 1. c. 26.

tempore Christianos vexabat: multò minus pietatis præconium Sapori contribuisset Imperator. Quo præcise anno Persæ hanc legationem obierint, prorsus ignoramus. In annum 325. Constantini ob Vicennalia Baronio conferri placuit. Cùm autem post bellum Gothicum de illa mentionem fecerit Eusebius, non incommodè hunc in annum transcribi posse existimavimus.

Arsenius diu quæsitus reperitur. Variæ ea de re Epistolæ.

III. Non patitur nos tenuioribus historiis diutius insistere clarissimus ille Athanasius, qui de interfecto Arsenio apud Constantinum ab Arianis accusatus, Diaconum Episcopo quem occisum querebantur, inveniendo miserat. Joannes cognomento Archaph de grege Meletianorum, tragœdiam istam movens, in Monasterio Ægypti quodam Arsenium abdi curaverat. Monasterio nomen erat *Ptemencyrsis*, in nomo *Anteopolitana*. Scrutanti diligenter Diacono Athanasii, latebræ Arsenii venere in notitiam. Historiam *Pinnis* ipsius verbis repræsentabimus. Dilecto ἀδελφῷ, *fratri Joanni*, *Pinnes Presbyter Cœnobii Ptemencyrsis*, *in Anteopolitana nomo*, *salutem. Scire te volumus*, *Athanasium misisse in Thebaidem Diaconum suum*, *ut omnia scrutaretur ad Arsenium quærendum. Primum autem obvii repertique Pecysius Presbyter*, *Sylvanus Heliæ frater*, *& Taperacenameus*, *& Paulus Monachus*, *Hypseles confessi sunt eum apud nos esse. Id ubi novimus*, *curavimus illum in navem conjici*, *ut ad partes inferiores cum Monacho Elia deduceretur. Non ita diu pòst Diaconus*, *cum quibusdam superveniens*, *Arsenium quærens in nostras ædes irrupit. Quem cum ad partes inferiores ablegatum non invenissent*, *me cum Monacho Elia*, *qui Arsenium abduxerat*, *secum Alexandriam deportaverunt*, *Ducique nos obtulerunt. Tum mihi quidem minimè licuit inficias ire*, *sed fassus sum Arsenium vivere*, *quod & Monachus*, *qui eum avexerat*, *professus est. Hæc ideò tibi significavi*, *Pater*, *ut scires Athanasium tibi accusandum non esse. Dixerunt omnes Arsenium vivere*, *& apud nos in abditis haberi. Res tota innotuit Ægypto*, *neque abscondi potest. Paphuntius Monachus ejusdem Cœnobii*, *qui hanc Epistolam scripsi*, *plurimum te saluto & valere opto.* Ut pacta Eusebio Arsenius sua servaret, relictâ Ægypto, sese in latebras conjiciebat. Eum Tyri se abstrudentem amici Athanasii invenerunt. Ac primùm se Arsenium inficiari, verùm cùm in judicio à Paulo hujus urbis Episcopo Arsenium esse demonstraretur, deinceps à pudore præpeditus seipsum negare non sustinuit. Hæc cùm Imperatori notificasset Athanasius, Epistolam accepit ab eo gratulatoriam, quæ invehitur in *omni exocratione dignos Meletianos*, qui apud se agentes, ferro interfectos, calicem in sacratissimo loco repertum, fractum esse, falsò impudenterque prædicabant. Quæ Athanasio rescribebat, ad populum recitari jubet: addit denique, si quid tale iterum moverint, non pro more Ecclesiarum, sed pro legibus publicis semet suâpte operâ causæ cognitionem suscepturum: *Deinde cognoscent*, *se non solùm humani generis*, *sed divinæ quoque disciplinæ latrones esse.* Ubi Alexander Thessalonicensis à Macario Diacono calumniam accepit detectam esse, Athanasio Epistola gratulatur.

Athan. Apol. t. 1. 783. &c.

Arsenius cum Athanasio redit in concordiam.

III. Hoc unum innocentiæ deerat Athanasii, ut sycophantæ ipsi crimen suum fassi, sancti Præsulis amicitiam ambirent, atque communionem, qua de re hæc scripsit Arsenius: *Athanasio beatissimo Papæ Arsenius Episcopus civitatis Hypselitarum*, *cui aliquando præfuit Meletius*, *unà cum Presbyteris*, *& Diaconis*, *in Domino. Et nos quoque diligentes pacem*, *& unanimitatem*, *cum Ecclesia Catholica*, *cui tu per Dei gratiam præfectus es*, *volentesque Ecclesiastico Canoni pro veteri instituto subjici*, *scribimus tibi*, *Papa dilecte*, *promittimusque in nomine Domini*, *nos deinceps non communicaturos cum Schismaticis*, *aut cum iis quibus nondum pax est cum Ecclesia Catholica*, *sive Episcopi sint*, *sive Presbyteri*, *sive Diaconi*, *neque cum illis in Concilio coituros*, *neque literas pacificas ad illos daturos*, *neque invicem ab illis accepturos*, *neque citra tuam sententiam*, *utpote Metropolitani Episcopi*, *ullum de Episcopis aut alio dogmate communi & Ecclesiastico decretum edituros*, *sed cessuros Canonibus ante susceptis*, *ad exemplar Episcoporum Ammonianı*, *Tyranni*, *Plusiani*, *& reliquorum Episcoporum.* Rogat etiam Athanasium, & ad se rescribat, & de se ad Collegas significet se stare pristinis decretis, & cum Ecclesia Catholica esse conjunctum, sese etiam quàm primum Deus permiserit Athanasium conventurum pollicetur. Quin etiam *Joannes Archaph* fax & turbo hujus tumultus, qui ficta adversus Athanasium crimina ad Imperatorem detulerat, calumniarum pertæsus, pœnitentiam ipsi suam literis significavit. Quibus lætus Constantinus, Joanni rescribit, pergratum esse sibi, quòd *depositâ pusillanimitate omni*, *ut par erat*, *cum Athanasio Episcopo reverendissimo* in concordiam venerit, atque communicarit. Permittit & ut publico ad comitatum vehiculo remeat. Hunc exitum conspiratio habuit, Meletianis pudore coopertis, Arianisque dolore discerptis, Athanasii triumphabat innocentia.

Ab Eusebianis Athanasius accusatur.

IV. Sed scilicet ultima semper expectanda dies homini est. Fracti Eusebiani ne sic quidem conquievere. Veriti ergo ne silentibus Meletianis, calumniarum artificibus destituerentur, rursum eos irritant in Athanasium. Quodque mirabilius est, eorum artibus delusus Imperator, Synodum indicit Cæsareæ, quæ de Athanasio judicaret. Audiamus Sozomenum: *Athanasio verò adversariorum insidiæ rursus negotia compararunt: rursus Imperatoris odium*, *rursus accusatorum multitudinem adversus eum excitarunt. A quibus interpellatus Imperator*, *apud Cæsaream Palæstinæ Synodum fieri jussit. Ad hanc Synodum vocatus Athanasius non paruit*, *Eusebii illius Episcopi*, *& alterius Eusebii Nicomediensis*, *aliorumque qui cum illis erant*, *fraudulentiam veritus. Sed tum quidem quamvis venire compelleretur*, *triginta circiter mensium spatio profectionem suam distulit.*

Sozom. l. 2. c. 25.

Hoc igitur anno novæ Athanasio parantur insidiæ, triginta circiter mensibus antequam anno CCCXXXIV. Synodus Cæsariensis solveretur. Accusationis hæc fuere capita, ut ex Epistola Pseudo-Synodi Sardicensis tenemus: *Accusatur & graviter juxta Deum sacrilegus*, *& juxta mysteria Ecclesiæ Sancta profanus*, *quique propriis manibus comminuit poculum Deo & Christo dicatum*, *ipsumque altare venerandum confregit*, *sedemque Sacerdotalem subvertit ipse*, *atque ipsam Basilicam Dei domum*, *Ecclesiam Christi demolitus usque ad solum est. Presbyterum verò ipsum virum gravem & justum*, *nomine Narchem*, *tradidit custodiæ militari. Accusatus præterea est de injuriis*, *violentia*, *cæde*, *atque ipsa Episcopi internecione*, *quique etiam diebus sacratissimis Paschæ*, *tyrannico more sæviens*, *Ducibus atque Comitibus junctus*, *quique propter ipsum aliquos in custodiam recludebant*, *aliquos verò verberibus flagellisque* vexa-

Lab. Concil. t. 2. 706.

ANNO DOM. 332.

vexabant, cæteros diversis tormentis ad communionem ejus sacrilegam adigebant, sperans hoc modo suos suamque prævalere posse factionem.

Donatus succedit Majorino. Ejus mores.

V. Anno CCCXXVIII. in Scaligerano Hieronymi Chronico legitur: *Donatus agnoscitur, à quo per Africam Donatiani.* Ac io viri doctissimi Animadversionibus habetur: *In Frehem. notatum à regione. Donatus Hæresiarches sexto post Arium anno unitatis vinculum rupit.* Baronius tamen ex Hieronymi Chronico, ortum Donati anno CCCXXXI. consignat. Nos in obscuris historiæ Donati initia libenter collocamus. Cùm autem conjecturæ sint, sub hæc tempora celeberrimum Schismaticum inclaruisse, attingemus nunc quasi cunabula quædam, & elementa superbiæ, quæ in eo homine tanta fuit, quanta esse potuit. Majorinum, quem Donatus à Casis Nigris anno CCCXI. Carthaginis Episcopum creaverat, Donato alteri decessisse, ex Augustino tenemus: *Majorino Donatus Episcopus, alius in eadem divisione successit, qui eloquentiâ suâ sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari.* Eloquentiæ claritate cò autoritatis apud suos pervenit, ut maximæ veneratioui sectæ suæ foret: *Hæc quidem jactabantur à suis, Donatus oravit, & respondit ei Deus de Cœlo.* Hominem suis quoque coloribus depinxit Optatus: *Hoc modo exaltatum est cor ejus, ut sibi jam non homo, sed Deus fuisse videretur. Denique in ore populi rarò est appellatus Episcopus, sed Donatus Carthaginis dicebatur.* In eodem quoque libro petulantiæ hominis, cui Magistratuum honor minus pensi erat, meminit Optatus. Ad Gregorium *sic scribere minimè dubitavit: Gregori, macula Senatus, & dedecus Præfectorum:* cui *Donatus Præfectus patientiâ Episcopali rescripsit.*

Augustin. in Joan. tract. 3.

Optat. l. 3.

Synodus Donatistarum Carthaginensis.

Error Baron.

VI. Sedente jam post Majorinum Donato, celebratum esse videtur Carthagini Concilium, quod Baronius atque Binius anno CCCVIII. perperàm alligaverunt, Majorini ante ordinationem. Infans adhùc seditio tot sanè parere Episcopos non potuisset, quot Synodo interfuere, de qua hæc memoriæ prodit Augustinus, ad Vincentium Epistolâ 45. *Scribit ille Tychonius, homo, ut dixi, vestræ communionis, à ducentis & septuaginta Episcopis vestris Concilium Carthagini celebratum. In quo Concilio, per septuaginta & quinque dies postpositis omnibus præteritis, limatam esse sententiam, atque decreta, ut traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium autem Macrianensem Episcopum communionis vestræ, dicit traditorem plebem congregatam Ecclesiæ miscuisse, & secundum statuta illius Concilii, à ducentis & septuaginta Episcopis vestris facti, fecisse cum traditoribus unitatem: eique Deuterio post hoc factum jugiter communicasse Donatum, nec solùm huic Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis per XL. annos, quos dicit usque ad persecutionem per Macarium factam, traditoribus sine baptismo communicasse.* Annos eos quadraginta ad persecutionem usque Macarii, anno, uti creditur, CCCXLVIII. contra Donatistas motam, à Synodo Carthaginensi schismatica Baronio numerare placuit: sed non ex mente Augustini, qui accuratè quadraginta annos distinxit, à temporibus initæ à Deuterio cum traditoribus concordiæ, quæ Synodum propius excepisse videtur. Numerosæ ergo Synodi hujus tempus nobis est in incerto, etsi nobis persuasum, diu post annum CCCVIII. esse coactam.

Circumcelliones. Eorum Duces.

VII. Pessimis furiosorum hominum, qui Donati ex familia erant, operibus, exemplisque Episcopatus ejus inclaruit. Sceleratis *Circumcellionibus* nomen fuit. Aliud nominis vulgus illis imposuit: *Quid sibi vult nomen Circellionum? sed non, inquiunt, vocantur Circelliones. Fortè corrupto sono nominis eos appellamus. Dicturi sumus vobis integrum nomen ipsorum. Fortè Circumcelliones vocantur, non Circelliones. Plane si hoc vocantur, exponant quid sint? nam Circumcelliones dicti sunt, quia circum cellas vagantur.* Alio eos nomine Philastrius afficit: *In Africa sunt, qui Circuitores dicuntur. Hi circumeunt terras, & quos inveniunt in via, cogunt eos ut interficiantur ab illis.* Vix olla Deo irato dirior tempestas Africæ incubare potuit. Nefariis duo farinæ ejusmodi homines præficiebantur *Maxidus* & *Fasir*, qui ab *ipsis insanientibus Sanctorum Duces* appellabantur. *Nulli licuit securum esse in possessionibus suis, debitorum chirographa amiserant vires, nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes literis eorum, qui se Sanctorum Duces fuisse jactabant... Etiam itinera non poterant esse tutissima. Quot Domini de vehiculis suis excussi ante mancipia sua, Dominorum locis sedentia, serviliter cucurrerunt? ... Unde cùm vestræ partis Episcopis tunc invidia fieret, Taurino tunc Comiti scripsisse dicuntur, hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse, mandaverunt ut à supradicto Comite acciperent disciplinam. Tunc Taurinus ad eorum literas ire militem jussit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. In loco Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi, quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras, aut mensas poterunt numerari. Ex quorum numero cùm aliqui in Basilicis sepeliri cœpissent, Clarus Presbyter in loco Subbulensi, ab Episcopo suo coactus est ut in sepultum faceret sepulturam.* De prædonum magis, quàm Christianorum secta audiamus & Augustinum: Ad hanc Donatistarum *hæresim in Africa pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste, & famosissima audacia, non solùm in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi insanâ feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium seipsos necare consueverunt, & in istum furorem, alios quos potuerint utriusque sexus seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem, nisi fecerint, comminantes. Verùm tamen plerisque Donatistarum displicent tales.* Docente, & hortante Donato Carthaginensi obortos esse Circumcelliones, Baronius existimat, absque ullo, uti putamus, Autore. Quin etiam bis errasse constat, paucis his verbis: *Eos tamen à Donato, Agonisticos, & eorum Præfectos Duces Sanctorum nominatos esse, Optatus testatur.* Non enim Donatus ille, qui *Agonisticorum* nomen Circumcellionibus imposuit, *Carthaginensis* est, sed *Bagaiensis*, qui imperante *Constante* Constantini filio, missos *per nundinas Circumcelliones, Agonisticos* nuncupavit. Sed & jam ex Optato audivimus, non ab Donato, sive *Bagaiensi*, sive *Carthaginensi*, sed ab ipsis *insanientibus*, hoc est, ab ipsa factione, *Maxidum* & *Thasir*, *Sanctorum Duces* titulum habuisse.

Augustin. in Psalm. 132.

Hæresi 37.

Opt. l. 3.

Aug. de Hær. c. 69.

Error Baron.

Bar. An. 331. n. 9.

ANNO

ANNO DOM. 333.

ANNO U.C. 1086. OLYMP. 278. PER. JUL. 5046. JUL. 378. DOM. 333. CONSTANTINI 28. *Sol.* 6. G. *Lun.* 11. *Indict.* 6. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 16 P. 22. *April.*

COSS. Flavius Valerius Dalmatius & M. Aurelius Zenophilus.

Publius Optatianus Præfectus Urbis. Item in diebus 32. Item sexto Idus Majas Cezonius Julianus Kamenius P. U.

Constans Cæsar creatur.

I. TErtius Constantino filius erat, cui *Constanti* nomen, quem & Cæsarem dici patri placuit. Quò pertinet Victoris insignis ille locus, *Gothorum Sarmatarumque strata gentes* (anno nimirum proximo) *filiusque cunctorum minor Constans nomine, Cæsar fit, cujus gratiâ Republica permistionem fore, ostentorum mira prodidere. Quippe eâ nocte quæ commissi imperii diem sequebatur, igni continuo cœli facies conflagravit.* Id novum & inauditum, quòd tres simul Cæsares sub uno Imperatore in Republica viderentur, Constantini ante imperium. Quod etiam observat Eutropius, etsi in exemplo peccaverit: *Eo tempore res Romana sub uno Augusto, & tribus Cæsaribus, quod nunquam aliàs fuit.* De Galerio Lactantius c. 16. *tres Cæsares facere non poterat.* Diocletiani legem id prohibentem minus curavit Constantinus. Anno quippe CCCXVII. creati tres Cæsares, Crispus, Licinius, & Constantinus die Kal. Martiis. Hoc quoque anno tres visi Cæsares, addito Constante, *qui levatus est die VIII. Kalendas Januarii.* Baronius anno CCCXXXV. id factum esse memorat n. 41. auctoritate fretus Eusebii, sed non satis in ejus mentem penetravit. Nec enim accuratam Eusebius Chronologiam adhibuit, uti ex verbis ejus apparet: *Tertius Constans, qui præsentiam & stabilitatem suo nomine designat, tricesimo circiter paterni imperii anno ad hoc fastigium est evectus.*

Eutrop. l. 10.

Error Baron.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 4.

Præfecti Prætorio quatuor à Constantino creati.

Zozim. l. 2. c. 33.

II. Alio quoque modo imperii consuetudines Constantinus mutavit, mutatis maximorum Magistratuum officiis. Duo Præfecti Prætorio erant, quorum post Imperatoriam dignitas secunda existimabatur. Illi annonas erogabant, & contra militarem disciplinam admissa convenientibus pœnis corrigebant. Constantinus verò hunc Magistratum in quatuor imperia discerpsit: *Nam uni Præfecto Prætorio, totam Ægyptum cum Libya Pentapoli, & Orientem ad Mesopotamiam usque, & præterea Cilices, Cappadoces, Armenios, oramque maritimam totam à Pamphilia, Trapezuntem usque, & ad usque castella propter Phasidem sita tradidit: eidem & Thracia commissa, & Mysia, Hæmi ac Rhodopes, ac Doberi finibus circumscripta. Præterea Cyprum adjecit & Cyclades Insulas. Lemno, & Imbro, & Samothraciâ exceptis. Alteri Macedones attribuit, & Thessalos, & Cretenses, & Græciam, & circumjacentes Insulas, & Epirum utramque: præter has & Illyrios, & Dacas, & Triballos, ad Valeriam usque & Mysiam superiorem. Tertio totam Italiam, & Siciliam, & circumjacentes Insulas, & Sardiniam, & Corsicam, & Africam, a Syrtibus Cyrenem usque. Quarto Transalpinos Celtas, & Hispanos cum Insula Britannica commisit. Hâc ratione diviso Præfectorum Imperio, studiose conatus est aliis quoque modis eorum potestatem imminuere. Nam cum præessent ubique locorum militibus non modò Centuriones & Tribuni, verum etiam Duces, qui quolibet in loco Prætorum vicem obtinebant, Magistris Militum institutis, altero equitum, peditum altero, & in hos translatâ potestate militum ordinandorum & coërcendi delinquentes, hac etiam in parte Præfectorum autoritati detraxit.* Hanc Præfectorum Prætorio divisionem illustrabit tabula:

PRÆFECTUS PRÆTORIO ORIENTIS, & sub ipso Diœceses quinque.

ORIENTIS. *Sub Diœcesi Orientis, Provincia* XV.	ÆGYPTI. *Sub Diœcesi Ægypti, Provincia* VI.	ASIÆ. *Sub Diœcesi Asia, Provincia* X.	PONTI. *Sub Diœcesi Ponti, Provincia* X.	THRACIÆ. *Sub Diœcesi Thracia, Provincia* VI.
Palæstina,	Libya superior,	Pamphylia,	Galatia,	Europa,
Phœnice,	Libya inferior,	Hellespontus,	Bithynia,	Thracia,
Syria,	Thebaïs,	Lydia,	Honorias,	Hemimontis,
Cilicia,	Ægyptus,	Pisidia,	Cappadocia prima,	Rhodope,
Cyprus,	Arcadia,	Lycaonia,	Paphlagonia,	Mœsia II.
Arabia,	Augustanica.	Phrygia Pacatiana,	Pontus Polemoniacus,	Scythia.
Isauria,		Phrygia Salutaris,	Hellenopontus,	
Palæstina Salutaris,		Lycia,	Armenia I.	
Palæstina II.		Caria,	Armenia II.	
Phœnice Libani,		Insulæ.	Galatia Salutaris.	
Euphratensis,				
Syria Salutaris,				
Osrhoëna,				
Mesopotamia,				
Cilicia secunda.				

PRÆFECTUS PRÆTORIO ILLYRICI, & sub ipso Diœceses duæ.

MACEDONIÆ	ET DACIÆ.
Sub Diœcesi Macedonia, Provincia VI.	*Sub Diœcesi Dacia, Provincia* V.
Achaia,	Dacia Mediterranea,
Macedonia,	Dacia Ripensis,
Creta,	Mœsia prima,
Thessalia,	Dardania Prævalitiana,
Epirus vetus,	Pars Macedoniæ Salutaris.
Epirus nova.	

PRÆFECTUS PRÆTORIO ITALIÆ, & sub ipso Diœceses tres.

ITALIÆ.	ILLYRICI.	AFRICÆ.
Sub Diœcesi Italia, Provincia XVII.	*Sub Diœcesi Illyrici, Provincia* VI.	*Sub Diœcesi Africa, Provincia* VI.
Venetiæ,	Pannonia secunda,	Byzacium,
Æmilia,	Savia,	Numidia,
Liguria,	Dalmatæ,	Mauritania Sitifensis,
Flaminia & Picenum Annonarium,	Pannonia prima,	Mauritania Cæsareensis,
Tuscia & Umbria,	Noricum Mediterraneum,	Tripolis,
Picenum Suburbicarium,	Noricum Ripense.	Africa Proconsularis.
Campania,		
Sicilia,		
Apulia & Calabria,		
Lucania & Brutii,		
Alpes Cottiarum,		
Rhætia prima,		
Rhætia secunda,		
Samnium,		
Valeria,		
Sardinia,		
Corsica.		

PRÆFECTUS PRÆTORIO GALLIARUM, & sub ipso Diœceses tres.

HISPANIÆ.	GALLIARUM.	BRITANNIARUM.
Sub Diœcesi Hispania, Provincia VII.	*Sub Diœcesi Galliarum, Provincia* XVII.	*Sub Diœcesi Britanniarum, Provincia* V.
Bœtica,	Viennensis,	Maxima Cæsareensis,
Lusitania,	Lugdunensis prima,	Valentia,
Gallæcia,	Germania prima,	Britannia prima,
Tarraconensis,	Germania secunda,	Britannia secunda,
Carthaginensis,	Belgica prima,	Flavia Cæsareensis.
Tingitania,	Belgica secunda,	
Baleares.	Alpes Maritimæ,	
	Alpes Penninæ & Graiæ,	
	Maxima Sequanorum,	
	Aquitania prima,	
	Aquitania secunda,	
	Novempopuli,	
	Narbonensis prima,	
	Narbonensis secunda,	
	Lugdunensis secunda,	
	Lugdunensis tertia,	
	Lugdunensis Senonia.	

De officio & dignitate Præf. Præt.

III. Quænam essent Præfecti Prætorio officia, quæ dignitas, referre est operæ pretium. Dignitas fuit secundum Imperatoriam maxima, & Aurelii Victoris ut verba usurpemus, *honos hic alter ab Augusto imperio.* Cassiodorum & audiamus de præstanti munere: *Exhibet sine præscriptione longinquos, magnâ quantitate mulctas errantes, fiscum pro sua deliberatione distribuit, evictiones simili potestate largitur, vacantia bona proscribit, delicta Provinciarum Judicum punit, verbo sententiam dicit. Quid est quod non habeat commissum, cujus est, vel ipse sermo judicium. Penè est.* ut

Cassiodor. Variar. l. 6. c. 3.

ANNO DOM. 333.

ut leges posset condere, quando ejus reverentia potest negotia sine appellatione finire. Ingressus palatium nostrâ consuetudine frequenter adoratur, & tale officium morem videtur solvere, quod alios potuit accusare. . . . Vice sacrâ ubique judicat. Nullus ei miles de fori sui autoritate praescribit, excepto Officiali Magistro Militum, credo ut vel illis aliquid antiquitas crederet, qui videbantur pro Republica bella tractare. Curiales etiam verberat, qui appellati sunt legibus Minor Senatus. In officio suo jus retinet singulare, & talibus tantisque noscitur jubere, quos etiam Provinciarum non audeant Judices in aliqua parte contemnere, &c. Hujus muneris in quatuor partes divisionem huic anno assignamus, freti verbis Zozimi: *A bellorum curis vacuus* Constantinus, *voluptuariaeque vitae deditus, plebi Byzantiae publicam annonam distribuit: conturbavit & Magistratuum officia jam olim instituta.* Cùm igitur nonnisi post annum proximum, in quo die XII. *Calend. Maji* Gothi debellati, curarum bellicarum expers Constantinus fuerit, quatuor Praefectorum Praetorio creationem transcribi in hunc annum posse existimavimus.

Zozim. l. 2. c. 32.

Leges Constantini Magni.

IV. Promulgavit & alias leges Imperator agens in urbe sua. Quarto & decimo Cal. Maji de Administr. Tutorum legem dedit Felici, Africae, ut videtur, Proconsuli. Extat & Rescriptum ad Severum Comitem Hispaniarum, datum IV. Nonas Maji Constantinopoli: *Scriptura diversa & fidem sibi invicem derogantes, ab altera parte prolata, nihil firmitatis habere potuerunt.* Tertio Nonas Maji emissa est Lex 3. de *Numerariis* ad Maximum Pr. Praet. Complures & alias leges condidit, de quibus Chronologia Codicis Th. est consulenda.

C. Th. l. 11. Tit. 39. 320.

Constantinus numinum cultum evertit.

V. Non est verò praetereundum, hoc praecipuè anno evertendae Idololatriae Constantinum admovisse animos. De re ipsa constat ex Historicis. Orosius: *Primus Constantinus justo ordine & pio vicem vertit Edicto, si quidem statuit citra ullam hominum cadem Paganorum Templa claudi*, Orosio consentit & Theodoritus, Historiae lib. V. c. 21. *Constantinus qui primus pietate imperium ornavit, cùm orbem terrarum adhùc insanientem erga simulacrorum cultum videret, ne Daemonibus sacrificaretur, omninò interdixerat. Eorum tamen Templa nequaquam destruxerat, sed occludi tantùm praeceperat.* Vix tamen in dubio ponendum, quin ipsa quoque Numinum fana everti jusserit, quod testatur Eunapius in Aedesii vita c. 37. *Celeberrima Templa Constantinus destruxit.* Inhibuisse quidem sacrificia, ostendit Lex Constantis anno 341. promulgata, Marcellino & Probino Coss. *Cesset superstitio: sacrificiorum aboleatur insania. Nam quicunque contra Legem Divi Parentis nostri & hanc nostrae Mansuetudinis jussionem ausus fuerit sacrificia celebrare, competens in eum vindicta & praesens sententia exeratur.* Exstat Lex alia Constantis, ex qua colligitur, nonnulla Deorum Templa anno 333. eversa fuisse: *Universi qui de monumentis columnas, vel marmora abstulerunt, vel coquendae calcis gratiâ lapides dejecerunt, ex Consulatu scilicet Dalmatii & Zenophili, singulas libras auri per singula sepulchra fisci rationibus inferant.* Quanam de causa Constans vim Legis suae à Dalmatii & Zenophili Consulatu ducit, nisi quia ut in Templa, sic & in sepulchra obtentu religionis saevitum, utpote ornamentis Idololatriae insignita. Itaque specie pietatis partes avaritia suas implebat.

Orof. l. 7. c. 28.

Cod. Th. de Pag. l. 2. t. 6. 261.

Cod. Th. de Sep. Viol. c. 3. 138.

Hinc restituenda Hieronymi Chronologia, quae ad annum Constantini XXV. haec habet: *Edicto Constantini Gentilium Templa eversa sunt.* Quod ad labentem potius annum pertinet.

ANNO DOM. 333.

Caesariensis Synodus indicitur.

VI. Dum assiduis Eusebianorum querelis tunditur Imperator, de innocentia Athanasii pendet animi. Accusatorum duces erant Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicaenus, Theodorus Perinthius, affirmantes crimina esse intolerabilia, ac ne simplici quidem auditu perferenda. Persuadent igitur Principi, ut Caesareae Synodum cogat, ubi plures erant infensi Athanasio. Ignarus fraudulentorum consiliorum Constantinus, Caesareae Synodum anno sequente celebrandam fieri jubet.

Theodorit. l. 1. c. 28.

ANNO U. C. 1087. PER. JUL. 5047. JUL. 379. DOM. 334. CONSTANTINI 29. *Sol. 7. F. Lun. 12. Indict. 7. Epact. 8. Epact. Sol. 2. P. 7. April.*

ANNO DOM. 334.

COSS. L. Acontius Optatus & Anicius Paulinus Junior.

Anicius Paulinus Praefectus Urbis.

Sarmatis regiones assignat Constantinus.

I. NOvâ gloriâ virtutes Constantinus suas exornat. Gothi naturâ feroces & ad arma prompti Sarmatis bellum intulerant. Quibus cùm non satis virium esset ad resistendum, à servis suis auxilium petunt. Partâ de hostibus victoriâ, servi arma in Dominos vertunt, eosque patriis sedibus pellunt. Sarmatae in sua calamitate salutis portum Constantinum reperiunt. Qui servare homines assuetus, universos intra fines imperii recepit. Numerosa profugorum multitudo fuit, de quibus Excerptorum Autor anonymus: *Amplius trecenta millia hominum mista aetatis & sexus per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiamque divisit.* Qui bello idonei erant, militaribus copiis ascripsit, reliquis ad necessaria vitae subsidia agros colendos assignavit, Adeò ut feliciter sibi cessisse calamitatem suam ipsi faterentur, quippe qui barbaricam feritatem Romanâ libertate mutassent. Quae hoc anno gesta esse, ex Fastis Idacianis novimus: *Optato & Paulino Coss. Sarmatae servi, universa gens, dominos suos in Romaniam expulerunt.* Servis Sarmatarum Hieronymus in Chronico Marcellinusque in Historiis, *Limigantium* nomen imponunt.

Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 6.

Synodus Caesariensis adversus Athanasium.

II. Impietas viribus suis Eusebianos Meletianosque ad obruendum Athanasium armaverat. Et quod dolendum, Constantinus plus semel Sancti Praesulis expertus innocentiam, attulerat aures patulas calumniae. Jusserat ergo Caesareae Synodum celebrari, quae hoc & anno coacta est. Assiduè, Sozomenus inquit, ab Athanasii adversariis interpellatus Imperator, *apud Caesaream Palaestinae Synodum fieri jussit.* Caeterùm nos non minimum turbant verba Sozomeni: *Quamvis venire compelleretur* Athanasius, *triginta circiter mensium spatio profectionem suam distulit.* Quibus sequeretur, & anno CCCXXXII, coactam fuisse, & plus biennio perdurasse, dum expectatur Athanasius, quod non sit verosimile. Quin ergo mendum in numeros irrepserit, nulli dubitamus, quidquid mollatur Pagius, ut ab omni errore Sozomeni locum praestet immunem. Ipse Sozomenus narrat, Imperatorem anno, qui Tyriensi Synodo proximè antecessit, jussisse, ut Orientis Episcopi Caesaream convenirent. Porro hujus Synodi Epocha in

Sozom. l. 2. c. 25.

Anno Dom. 334.

in medio posita est ipso teste Sozomeno, qui de sententia Tyri in Athanasium dicta hæc habet: *Ad hujusmodi verò sententiam in eum ferendam, hisce causis adductos se esse docent. Primùm quod ægrè ferrent, quòd cùm Imperator anno præterito jussisset, ut Orientales Episcopi Cæsaream ejus causâ convenirent, ipse non occurrisset, longi temporis morâ fatigatam Synodum cernens, & Imperatoris præcepta despiciens.* In annum ergo CCCXXXIV. indicta est, ante Tyriensem anno uno. Id etiam planum est ex Epistola Pseudo-Sardicensium de accusationibus structis in Athanasium: *Propter hæc necessariò Concilium apud Cæsaream Palæstinam primò videtur esse condictum. Et cùm minimè ab ipso vel ab satellitibus, ad supradictum Concilium occurreretur, post alterum annum in Tyro, propter ejus facinora necessariò iterum celebratur.* Constat autem labente anno CCCXXXV. de causa Athanasii Episcopos Tyrum venisse. Præsentiam negante suam Athanasio Cæsareæ nil actum fuit. De eo conventu libellus Synodicus: *Cùm autem Athanasius, ut qui Episcopum illius loci jam olim, & sibi, & veritati expertus esset infensissimum, ibi non compareret, furiosa hac, re infectâ, dissoluta est Synodus.*

Lab. Concil. t. 2. a 702.

Lab. Concil. t. 2. 87.

Anno Dom. 335.

Anno U. C. 1088. Per. Jul. 5048. Jul. 380. Dom. 335. Constantini 30. *Sol.* 8. E. *Lun.* 13. *Indict.* 8. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 3. P. 30. *Mart.*

Coss. Julius Constantius & Cejonius Rufus Albinus.

Rufus Albinus Præfectus Urbis.

De hujus anni Coss.

I. IN eximio Opere de Præfectis Urbi, *Paulinus* Constantio Collega est, repugnantibus Fastis omnibus. Constantius verò Imperatori ex patre frater erat, ut ex Presbyterorum Ægyptiorum oblata Curioso & Philagrio Epistola tenemus sic consignata: *Coss. Julio Constantio illustrissimo Patricio, fratre religiosissimi Constantini Augusti, & Rufino Albino, clarissimis & Deo gratissimis Viris.*

Athanas. Apol. 795.

Dalmatius Cæsar Annibalianus verò Rex creatur.

II. Non satis erat Imperatori, filiis suis Constantino, Constantio, Constanti Cæsaream dignitatem attulisse, Dalmatio quoque fratris sui filio purpuram dedit. Quo die creatio facta, non satis liquet. In Chronico Alex. legitur: *Dalmatium filium fratris Dalmatii Censoris Cæsarem renunciavit* VIII. *Kal. Octobris. Fuerat porro Dalmatius, filius Dalmatii fratris Constantini Pii, Præfectus militiæ Romanæ, & Consul antequam Cæsar crearetur.* At Fasti Idaciani: *Levatus est Dalmatius Cæsar* XIV. *Kal. Octobr.* De mense tamen, annoque conspirant. Hos quatuor numero Cæsares, radiis ex Imperatoris fulgore procul emissis, componit Eusebius. Addit nec ineleganter: *Fortissimos quatuor Cæsares, quasi quosdam equuleos, uno imperialis quadrigæ copulans jugo, & cælestis consensus atque concordiæ habenis eos devinciens, ipse sublimis velut auriga incitat atque impellit.* Constantini quoque magnificentiam experitur *Annibalianus*, Dalmatii Cæsaris frater. Chronicum Alex. *Annibalianum quoque Regem nominatum purpurâ induit, & Cæsaream Cappadociæ amandavit.* Quem novis etiam vinculis beneficiisque sibi sociavit, dum generum esse voluit. Qua de re verba Excerptorum de Constantino non sunt prætereunda: *Dalmatium filium fratris sui Dalmatii, ejus fratrem Annibalianum, datâ ei Constantinâ filiâ suâ, Regem Regum, & Ponticarum gentium constituit.* Neque dignitas fuit à potestate sejuncta. Constantinus enim orbis Rom. partes regendas ipsis distribuit. Valesianus audiatur Anonymus: *Gallias Constantinus minor regebat; Orientem Constantius; Africam, Illyricum & Italiam, Constans; Ripam Gothicam, Dalmatius tuebatur.* At quod & verosimilius, Dalmatius Mesopotamiæ Præfectus fuit, ut Chronicum narrat Alex. Constantinus superstitem reliquit *Dalmatium Cæsarem fratris filium, qui in Mesopotamia ipse tertium annum regnarat.* Ut nil miri sit, viros eâ dignitate ornatos purpuream & aureis ornatam limbis vestem gestasse. Quam & Constantio fratri cum dignitate *nobilissimatus*, ab Imperatore concessam Zozimus prodit.

Euseb. Or. c. 3.

Anno Dom. 335.

Zozim. l. 2. 39.

Caloceri rebellio.

III. Seditionis haud expers annus fuit novis rebus aspirante Calocero: *Calocerus Magister pecoris camelorum, Cyprum Insulam specie regni dementis capessiverat.* Qui servili, aut latronum more excruciatur. Quam Hieronymum secuti, rebellionem huic anno assignamus, etsi non nesciamus, Victorem de Cæsaribus dedicationi Constantinopolis hoc seditionis præmisisse. Verba sunt Chronici ad annum XXIX. Constantini, qui XXX. dici debuit: *Calocerus in Cypro res novas molitus opprimitur.*

Tricennalia Constantini. Eusebii Oratio in ea solemnitate dicta.

IV. Anno luminis aliquid Tricennalia Constantini addidere, quæ die VIII. Kal. Augusti edita sunt. Anticipatam fuisse solemnitatem Valesio placuit, quia sibi in mentem induxit, Constantini XXIX. incipere XXV. Julii. Quem sua sanè Chronologia fallit. Legitimo tempore Encænia celebrata sunt. Quò pertinent verba Eusebii de laudibus Constantini c. 3. *Jam quartus volvi cœpit circulus*, Decennalium scilicet, qui non *vigesimo nono*, sed imperii *trigesimo*, initium habuit. Auspicatus enim est imperium Constantinus anno 306. Constantio VI. & Maximiano VI. Coss. ut Fastis docemur Idacii. In illa festivitate Eusebius orationem habuit, quæ famæ posteris commendata etiamnum legitur. Auditoribus & Constantino & aulicis usus est. Errori tamen propior communis sententia, quæ die Julii XXV. orationem recitatam esse statuit. Quam vel ipsa refellit oratio: meminit enim *quatuor Cæsarum*, trium scilicet Constantini filiorum, atque Dalmatii, qui mense duntaxat Septembri Cæsar dictus est. Sed & Templi Hierosolymitani Encæniis interfuerat Eusebius, Octobri mense celebratis, ut extra dubium videatur, Orationem anno præcipiti fuisse pronuntiatam. Egregiam de Principum officio sententiam continet, quæ cùm omnibus usui possit esse, qui res publicas tractant, illam subjiciemus oculis: *Hic optimo jure Imperator vocabitur, qui animum suum omnibus virtutum coloribus ac lineamentis, ad cælestis imperii similitudinem effinxit. . . Qui verò vitiis mancipatus fuerit, is licet tyrannicâ violentiâ dominari interdum videatur, reverâ tamen Imperator nunquam meritò dicetur.* In Ethnicorum Idololatriam atque superstitionem, quæ Deos ex hominibus effecit, invectus, Deo suam & unitatem vindicat, & monarchiam, filioque debitam Dei majestatem & numen asserit: *Servatoris divinitatem* sæpius Constantinum expertum esse dicit, c. 18. ut summum Imperatorem Christum inter homines versatum, & prout *divinam potentiam decebat*, cuncta gessisse, c. 15. In corporum elementis ubique præsentem existere,

Euseb. Or. c. 5.

ANNO DOM. 335.

ſtere c. 12. multaque ejuſmodi, quæ cùm vel poſt damnatum Tyri Athanaſium dicta ſint, non obſcuro nobis argumento ſunt, Euſebium Arii veneno non fuiſſe ſuffuſum. Gratiſſima Principi hæc Oratio fuit, quod & confeſſus eſt, cùm Epiſcopos qui aderant, convivio exceperit. Eccleſiæ res nunc ingrediamur.

Synodus Tyrienſis.

V. Cæſareenſi conventui, quem ſibi infenſiſſimum exiſtimabat, præſentiam afferre ſuam noluerat Athanaſius: eòque iram Imperatori commoverat. Complures igitur Epiſcopos Conſtantinus extinguendis Ægyptiorum litibus Tyrum confluere juſſit. Phœniciæ caput erat, urbs Hiſtoriæ monumentis celebrata: *Tyrus quondam Inſula, prealto mari ſeptingentis paſſibus diviſa: nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens: olim partu clara urbibus genitis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpurâ conſtat. Oppidum ipſum* XXIS. *ſtadia continet.* Urbis mutatum eſſe nomen, ſibi poſteriſque perſuaſit Gellius: *Tyrus Sara* ante dicta eſt. Sed ni fallamur animi, *Sara* non ſecùs ac *Tyrus* vocabula ſunt ex Hebræo deducta, quibus unum idemque ſignificatur. צור *Tyrus*, Phœnicum ſermone eſt rupes, rupibus enim ea Inſula circumquàque cingitur. *Sara* verò perinde atque Tyrus, ex צור genita eſt. In ea civitate Conſtantinus Synodum fieri mandat. Extat ejus ad Epiſcopos Epiſtola, ex qua hæc ſunt animo recondenda ad illuſtrandam hiſtoriam idonea: *Cuncta quæ literis veſtris ſignificaſtis, à me impleta ſunt. Scripſi ad quos voluiſtis Epiſcopos, ut venientes communi vobiſcum curâ, ac ſollicitudine fungerentur. Miſi etiam Dionyſium ex Conſulari, qui & Epiſcopos illos qui vobiſcum adeſſe debent, commoneat, & omnium quæ gerentur, maximè verò modeſtiæ inſpector ſit. Si quis verò, quod minimè arbitramur, præceptum noſtrum etiamnum violare præſumens, adeſſe renuerit, mittetur quàm primùm à nobis aliquis, qui imperiali autoritate hominem in exilium pellens, docebit Imperatoris ſanctionibus pro veritate editis minimè eſſe repugnandum.* Monet etiam Epiſcopos, non odio, non gratiâ, ſed juxta Eccleſiaſticas regulas omnia peragere. Nec immeritò hæc animorum concordia Conſtantino neceſſaria videbatur, ut gratum Deo munus offerretur, ſolemniorque ſimul & ſanctior eſſet Templi Hieroſolymitani conſecratio. Vice ſacrâ Synodum moderabatur Comes *Dionyſius,* Conſularis Phœnices, anno 328. Januarino & Juſto Coſſ. Multos Synodo Epiſcopos interfuiſſe, teſtis eſt Euſebius, quos ex *univerſa Ægypto, & Lybia, Aſia, & Europa* Imperator convenire juſſerat. Adveniſſe *Epiſcopos de Macedonia, Pannonia, Bithynia,* & omnibus partibus Orientis, legitur in Orientalium Synodi Sardicenſis Epiſtola. Adfuiſſe Præſules numero *ſexaginta*, Socrates memoriæ prodidit, quod vero propius exiſtimamus, Ægyptiacis Præſulibus excluſis, qui ſi conventui includantur, numerus longè ſuperabit. Quippe quadraginta novem Epiſtolas ſubſcripſerunt, quas *reverendiſſimis Dominis Epiſcopis Tyri congregatis* obtulere. Ægyptiorum agmen ducebat *Adamantius*, quorum nomina exhibet Athanaſii Apologia p. 797. Ex Macedonia *Alexander* Theſſalonicenſis, ex Mœſia *Urſacius* à Singiduno, ex Pannonia *Valens* à Murſa, ex Bithynia *Euſebius* Nicomediæ, *Maris* Chalcedonis, *Theognis* Nicææ Tyrum confluxere. Neque *Macarius* Hieroſolymitanus abfuit. Dignitate ſedis ſuæ Synodo præerat *Placillus* Antiochenus. A menſe Julio ad initia Octobris uſque perduraſſe conventum ſit veroſimile. Annus non eſt in ambiguo, ob Conſtantini Tricennalia, ut mirum ſit, à Rufino ad imperium *Conſtantii* Tyrienſem Synodum ſtupendo errore fuiſſe relegatam.

Plin. l. 5. c. 19. — *Gell. l. 14. c. 6.* — *Euſeb. Vit. Conſt. l. 4. c. 42.*

Acta Synodi. De Potamonis & Paphnutii factis.

VI. Invitus & repugnans, ne Imperatoris iram inflammaret, Tyrum adventavit Athanaſius, cujus præcipuè cauſâ tot Epiſcopi in unum convenerant: *Macarius Presbyter ab urbe Alexandria eò perductus eſt, ſub militum cuſtodia, catenis ferreis vinctus.* Acceſſerunt tum alii quidam, *qui ob perverſam doctrinam accuſabantur, ex quorum numero Aſclepas Epiſcopus Gazæ.* Geſtorum memoriam nunc proſequamur. Ac primùm Synodus Alexandrina queritur, in Tyrienſi conventu magnam ordinis exitiſſe perturbationem: *Quâ fronte talem conventum Synodum appellare audent, cui Comes præſedit, ubi ſpiculator apparebat, & Commentarienſis pro Diaconis Eccleſiæ adventantes introducebat? Ubi Comes verba faciebat, cæteri præſentes in ſilentio erant, vel potius Comiti obſequium ſuum accommodabant: ubi quod communiter Epiſcopis placuit, ab illo impediebatur?* Sedentibus Epiſcopis, *Paphnutius Confeſſor, qui Concilio Nicæno interfuerat, cùm vidiſſet Maximum Hieroſolymorum Epiſcopum, qui unà ſecum effoſſo oculo, & poplite ſucciſo Confeſſor extiterat, verùm pro nimia ſimplicitate nihil de Sacerdotum ſcelere ſuſpicantem, conſediſſe cum cæteris, quos factionis macula ſociaverat, medium conſeſſum adire non veritus, Te, inquit, Maxime, cum quo mihi unum atque idem confeſſionis inſigne eſt, cum quo mihi pariter mortale lumen effoſſum, clariorem divini luminis conciliavit aſpectum; te, inquam, non patiar ſedere in Concilio malignantium. Injectâque manu elevans eum de medio eorum, ac de ſingulis inſtruens, perpetuâ dehinc Athanaſio communione ſociavit.* Hæc Rufinus, cujus fides ſit apud Autorem. Ex Paphnutii fortitudo admonet, ne de *Potamonis* audacia taceamus. *Potamo* Heracleæ Epiſcopus fuit, & Confeſſor, qui alterum in perſecutione oculum amiſerat: *Is Euſebium Cæſarienſem ſedentem & judicantem, ſtantem verò Athanaſium conſpicatus, dolore confectus & illachrymans, magnâ voce adverſus Euſebium invectus eſt: Et tene, inquit, Euſebi, ſedere, & innocentem Athanaſium à te judicari? Quis iſta ſuſtinere poſſit? Dic, ſodes, nonne mecum perſecutionis tempore in cuſtodia fuiſti? Atque ego quidem oculum pro veritate perdidi, tu nullâ corporis parte mutilatus es, neque martyrium ſubiiſti, ſed vivus integerque conſiſtis. Quânam ratione è cuſtodia evolaſti, niſi quòd perſecutoribus noſtris nefarium facinus admiſſurum te eſſe recepiſti, vel etiam admiſiſti?* Euſebio quidem Potamonem accuſatorem adfuiſſe, conſtat ex Synodi Alexandrinæ Epiſtola: *Nonne Euſebius Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus de immolatione Idolorum à noſtris Confeſſoribus accuſatus fuit?* Ex ſuſpicione tamen accuſationem, quòd vincula integer exierat, non ex veritate conflatam eſſe cenſemus, ſuoque loco Euſebii innocentiam purgavimus, cujus in ſcribendo moderationem non laudare non poſſumus. Licet enim ab Athanaſii fautoribus fuiſſet miſerè laceſſitus, ne contumeliæ vel minimum in eos torſit, dum de Tyrienſi conventu commemorat.

Socrat l. 1. c. 28. — *Theodorit. l. 1. c. 25.* — *Athanaſ. Apol. c. 2. 728.* — *Rufin. l. 1. c. 17.* — *Epiph. h. 68. n. 7.* — *Athanaſ. Apol. 728.*

Tyrienſes in Athanaſium accuſationes.

VII. Accuſationes multæ ſtruuntur Athanaſio. Prima introducitur mulieris cujuſdam, quæ ſe diceret aliquando hoſpitio Athanaſium ſuſcepiſſe & ab eo nil ſuſpicantem noctu vim

Anno Dom. 335.

corruptionis esse perpessam. Introduci ad hæc jubetur Athanasius. Ingreditur eum Timotheo Presbytero suo, eumque monet, ut postea quam mulier dicendi finem fecisset, se tacente, ad ea quæ dixerat, responderet. Cùmque mulier ea quæ edocta fuerat perorasset, Timotheus conversus ad eam, Verè, inquit, mulier, ego mansi apud te aliquando, aut vim tibi, ut asseris, feci? Tunc illa, ut mulierum se talium procacitas habet, objurgans Timotheum: *Tu tu, inquit, vim mihi fecisti, tu in illo loco contaminasti castitatem meam.* Simul & *conversa ad Judices, obtestari fidem Dei cœpit vera se dicere.* Nec tamen permissi sunt Judices, haberi de muliere quæstionem. Hinc transitur ad aliud crimen. Affertur loculus cum humano brachio: *Brachium hoc te ajunt, Athanasi, accusat excisum. Hæc est Arsenii dextera, quam tu quomodo vel ad quos usus exciderís, indicato. Tum ille, Quis enim, inquit, vestrûm Arsenium noverat, ut hanc ipsam dextram cognoscatis? Exsurrexerunt aliquanti, qui se dicerent optimè scisse Arsenium, in quibus nonnulli erant absque conscientia factionis. Orat dehinc à Judicibus Athanasius, ut hominem suum, quem in negotium deposceret, jubeant introduci. Cùmque introductus esset Arsenius, elevato ejus vultu, Athanasius Concilio & Judicibus ait, Hic est Arsenius. Et allevans ejus nihilominus dexteram, Hæc est, inquit, etiam dextera ejus: hæc est & sinistra, hæc autem quam isti offerunt manus unde sit, vos requirite.* Ad hæc fragor attollitur, Magum esse Athanasium, decipere intuentium oculos, factoque impetu, suis eum discerpere manibus parant. Verùm ii qui ad conservandam in Concilio disciplinam ab Imperatore præpositi fuerant, Dionysius, & Archelaus Comes Orientis, cædem prohibuerunt. Ad alias ergo accusationes inimici Athanasii sese convertunt, cùm liquidò jam constaret, puras putasque calumnias esse, quæ de scortatione, cædeque Arsenii objiciebantur. Ea renovabant quibus Imperatori persuaserant, opus esse Synodo. Fractum scilicet calicem, mensam eversam, Ischyrionem Presbyterum detentum in vinculis. Inusta urgebant verbera Episcopi, qui partis Joannis erant, Euplus, Pachomius, Isaac, Achillas & Hermæon: *Lectus est etiam libellus popularium acclamationum, quasi plebs Alexandria propter illum ad Ecclesiam venire detrectaret.* Sed falsa vanaque ea omnia. Ne Macarium quidem Presbyterum, qui ex vinculis causam dicebat, de fracto calice convincere potuerunt: quamvis Ischyras, qui Presbyter non erat, Presbyter fingeretur, ut pondus adderetur accusanti, & Comes vim adhiberet, & milites traherent Athanasium.

Rufin. l. 1. cap. 17. Theodorit. l. 1, c. 30.

Sozom. l. 2. c. 25.

De Tyriensi in Mareotim legatione. Ea de re variæ Epistolæ.

VIII. Cùm molestè ferrent Eusebiani, invictum remanere Macarium, persuadunt Comiti Dionysio, nonnullos in Mareotem amandare, sciscitaturos, si quid de eo Presbytero deprehendere possent. Intercessit Athanasius, quia omnia jam in medium accusatores protulerant, ac rebus destituti, tergiversationes aucupari videbantur. Addebat si injungi legationem placeret, ne saltem suspecti in Mareotem mitterentur. Suspectos quod attinet, annuebat Dionysius. At tantò vehementius Eusebiani mittendos esse voluerunt: ac cùm pro certo haberent id facillimè impetraturos, Meletiani qui Tyri versabantur, quatriduo antequam decretum legationis conderetur, vespere nonnullos è suis per veredarios ablegarunt, qui Colluthianos, Meletianos, Arianosque convocatos instruerent, quid contra Athanasium dictum vellent. Mittuntur Theognis, Maris, Macedonius, Theodorus, Ursacius, & Valens: diplomata dantur ad Ægypti Præfectum Philagrium: additur satellitium militare. Quod mirum in primis, & suspicione plenum, Ischyram Macarii accusatorem secum abducunt, dum reus militari manu detentus relinquitur. Hanc juris perturbationem questus est Alexander Thessalonicensis, dato ad Dionysium Comitem scripto: *Clarè video Athanasio calumniam strui; omnes enim quos recusavit, nescio quo modo illi mittere voluerunt, nullo nobis ejus rei judicio facto. Erat enim decretum ut consultatio haberetur, quosnam eos amandare oporteret. Consule igitur eis, ne quid temerè faciant.* Facti iniquitatem agnovit ipse Dionysius, dum Eusebianis scribit in hunc modum: *Hæc ipsa erant, quæ dicebam Domino meo Flacillo. Athanasius insurgit, dicetque quos ipse rejecerat, eos ad istud negotium submitti, seque injuriâ tractari.* Eorum in memoriam revocat à se monitos fuisse, Legatos communi esse suffragio deligendos: non minimam obtrectandi materiam datum iri, si actis repugnet Alexander. At Athanasius, cùm æqui & boni nullam ab inimicis suis rationem haberi cerneret, relictâ Tyro Constantinopolim migrat.

Anno Dom. 335.

Athanas. Apol. 798.

IX. Neque sibi, innocentiæque Athanasii defuerunt Ægyptii Episcopi. Libellum igitur illustrissimo Comiti Dionysio offerunt, quo se ad protestationem decurrere testantur, præcipuè cùm videant, multa in Meletianorum gratiam, multa adversus Ecclesiam geri: obsecrantur etiam, ut causæ cognitionem Imperatori reservet, à quo fuerat delegatus. Quid porro à Legatis Tyriensibus actum fuerit, est attingendum. Ubi in Ægyptum venere, nullos Presbyterorum Alexandriæ, regionisve admiserunt. Ægypti Præfectum *Philagrium*, religionis transfugam, & milites Ethnicos secum abduxere, ea scrutantes, quæ ne Catechumenis quidem fas erat intueri. Quo cognito, Alexandrini Presbyteri numero XVI. & quinque Diaconi, exceptione Legatorum acta rejiciunt: *Theogni, Mari, Macedonio, Theodoro, Ursacio, & Valenti, Episcopis, Tyro profectis, Presbyteri & Diaconi, sub reverendissimo Episcopo Athanasio Catholica Ecclesia Alexandrina. Postquam nec Macarium adduxistis neque reverendissimus Episcopus noster Athanasius, ad judicium receptus est, postulavimus ut saltem nobis interesse liceret, ut nobis præsentibus certa inquisitio haberi posset. Verùm & hoc nobis denegastis, & soli cum Præfecto Ægypti, unà cum accusatore id agitis quod lubet. Ea de causa Epistolam hanc vobis dedimus, testimonium istius rei aliquando futurum, in vera & legitima Synodo, ut omnibus innotescat, quod inauditâ alterâ parte, ea quæ libuit inter vos egeritis, & aliud nihil studuisse, nisi ut conspiratione nos opprimeretis.* Obtulerunt & Mareotici Presbyteri libellum *Flavio Philagrio*, Ægypti Præfecto, *Flavio Palladio* Ducenario, Palatino Curioso, & *Flavio Antonino* commeatuum Præfecto, Centenario illustrissimorum Præfectorum sacri Prætorii, quo eos obtestantur, per omnipotentem Deum, & per Dominos suos, Constantinum, & illustrissimos Cæsares, ut hæc *in cognitionem eorum pietatis referant.* Testantur etiam, Ischyram nunquam Presbyterum fuisse, falsasque esse de calice confracto accusationes. Oblatus est libellus Coss. *Julio Constantio illustrissimo Patritio, fratre religio-*

Exceptiones Clericorum in munus legationis Tyriensis.

Athanas. Apol. 797.

Athanas. Apol. 790.

sissimi

ANNO DOM. 335.

fissimi Constantini Augusti & Rufino Albino clarissimis & Deo gratissimis viris, decima Thot, sive v. Septembris. Non satis Maræoticis fuit, suo Magistrotum adulsse libello, alium & Synodo offerre placuit, quo calumnia obrueretur: *Sanctæ Synodo Beatorum Episcoporum Catholicæ Ecclesiæ, Maræotici omnes, & Presbyteri, & Diaconi in Domino.* Suâ verò manu confirmant, Deo teste adhibito, falsam esse de subverso mensâ, caliceque confracto accusationem; se Comites Athanasio fuisse Mareotim lustranti. Theognim cognatos suos, Athanasio inimicos, & fautores Arii ita instituisse, ut quæ ipse vellet, loquerentur. Ex populo neminem adversus Athanasium fuisse locutum, nisi terrore Philagrii: sese ut certos de futuro Dei judicio hæc profiteri: hanc suam omnium fuisse voluntatem, Synodum petere, in eo tamen acquievisse, ut ex suis nonnulli Tyrum irent cum Epistolis, quæ absentium veluti præsentiam implerent. Hunc libello Presbyteri xv. Diaconi xcci. subscripsere, quorum nomina exhibet Athanasii Apologia p. 793.

Variis argumentis Athanasii innocentia deprehenditur.

Athanas. Apol. 731.

X. Nec testimoniis modò, sed argumentis etiam Athanasii innocentia patescebat. Quorum magnam præbet copiam Alexandrinæ Synodi Epistola: *Locus ille in quo confractum poculum jactitant, Ecclesia non erat, nec quisquam Presbyterorum ei loco vicinus, nec dies, quo id factum à Macario volunt, Dominica fuit. Cùm igitur neque Ecclesia ibi esset, neque qui sacra faceret, neque dies hoc ipsum requireret, quare, aut quando aut ubi, mysticum illud poculum fractum est? . . . Mysticum poculum quod ultrò frangentem impium reddit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ Præsides invenias. Hic enim unus usus est calicis, & præter eum alius nullus: eoque solo, vos legitimo ritu propinatis populo: cùmque vos pro Canone Ecclesiastico accepistis, idemque duntaxat penes eos habetur, qui Ecclesiis præsunt.* Addunt ne vel schismaticum calicem à Macario frangi potuisse; Ischyram qui & privatus erat, & privatas ædes incolebat, poculum mysticum sibi concreditum habere non potuisse.

Tyrienses Athanasium loco movent Joannem suscipiunt.

XI. Nil tamen sua Athanasio innocentia profuit. Ubi Legati ex Ægypto rediere, absentem damnant his de causis. Primùm quòd ægrè ferrent, post regia mandata anno præterito, ut Orientales Athanasii de causa Cæsaream convenirent, ipse tamen non occurrisset, Imperatoris præcepta despiciens: Deinde *quòd ipse cum ingenti multitudine Tyrum advenisset, seditiones in Concilio excitaret, nunc singulos Episcopos probris incessens, interdum cum vocaretur, minimè obtemperans: interdum judicium subire dedignans.* Insuper quòd de fracto poculo convictus esset, testibus Theogni Episcopo Nicææ, Mari Chalcedonis, Theodoro Heracleæ, Valente, Ursacio ac Macedonio, quos quidem in Ægyptum miserant, eo consilio, ut in vicum illum, ubi fractus calix dicebatur, profecti, veritatem pervestigarent. His rationibus Synodus impulsa, Athanasio Episcopatum abrogat: interdicitque ne posthàc Alexandriæ habitaret, ne tumultus illic agens excitaret. Arsenium abdicationi subscripsisse Socrates testatur, sed falsis quidem monumentis deceptus fuit. Deditâ enim operâ Arsenius venerat Tyrum, ut reo patrocinaretur: & ex quo in concordiam cum Athanasio rediit, firmissimis ei vinculis conjunctus fuit. Verba sunt Alexandrinæ Synodi: *Arsenius nos nequaquam ut interfectores suos aversatur, nihil enim à*

Sozom. l. 2. c. 25.

Athanas. Apol. 729.

nobis mali passus est: sed nostra communionis avidus, in nostris vult annumerari, quod & ipsius scripta declarant. Joannem quoque & fautores ejus, Synodus in communionem recepit, suumque in Clero gradum singulis restituit. Deinde gesta Imperatori significant, & ad omnes ubique Episcopos scribunt, ne communione jungantur cum Athanasio, neve ad eum literas scribant, aut ab eo scriptas accipiant, utpote qui criminum, de quibus ipsi cognoverant, convictus fuisset, & per fugam suam aliorum quoque criminum, quibus non respondit, reus esset deprehensus.

Sozom. l. 2. c. 25.

Constantinus ad se vocat Episcopos damnatores Athanasii, qui ejicitur in exilium.

Soz. l. 2, c. 28.

XII. Ut ea quæ ad Athanasium spectant, continenter exequamur, Tyro profugus Constantinopolim petit, ut quod à Synodo violatum erat, atque imminutum, jus ab Imperatore restitueretur. Quid verò actum fuerit, doceat Constantini Rescriptum: *Ingredienti mihi patriam meam Constantinopolim, eram autem in equo, subitò Athanasius Episcopus in media via cum aliis nonnullis, quos circum se habebat, ita inexpectatus occurrit, ut non levem mihi causam admirationis præbuerit. Testis mihi Deus omnium speculator, me quisquis esset primo aspectu agnoscere nequivisse, nisi nostrorum quidam, quisnam ille, & quamnam injuriam passus esset, mihi indicassent. Ego igitur per illud temporis verba cum illo non habui, neque colloquium miscui. Cum autem ille se audiri postularet, & hoc recusarem, propemodum eum summoveri juberem, magnâ libertate nihil aliud postulavit, quàm ut vos huc evocari juberem, quo vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cùm mihi æquum videretur, scripto vobis denunciatum volui, ut quotquot Synodum Tyri absolvistis, sine omni tergiversatione ad Prætorium nostræ clementiæ conveniatis: reipsâ quantum sinceritatis integritatisque sit in vestris sententiis, coram me ipso sincero famulo Dei declaraturi.* Ad Episcopos Rescriptum Imperatoris pervenit, dum Encænia Hierosolymis agitabant. Eo accepto, cæteris profectione prohibitis soli Eusebius Nicom. Theognis, Patrophilus, Eusebius Cæsariensis, Ursacius & Valens, Principem adeunt. De fracto calice, aut rebus Arsenii profundum in silentium descendentes, novum Athanasio crimen inserunt, scilicet minari, *Se impediturum, quominùs frumentum Alexandriâ Constantinopolim deveheretur.* Ad tantas calumnias cùm ingemisceret Athanasius, ostenderetque falsas esse, nec sibi, utpote homini & privato, & pauperi, tantum inesse potentiæ diceret Eusebius Nicom. ne publicè quidem detrectans calumniatoris munus, dejeravit Athanasium perquam opulentum esse, & viribus & autoritate ad ista patranda idoneis satis instructum. Quæ perfide jurantem Eusebium audierunt Episcopi Ægyptiaci, Adamantius, Anubion, Agathamon, Arbetio, Petrus, Athanasii fautores, qui præsentes aderant. Corruptos ab Eusebianis fuisse, ut calumniæ suo testimonio pondus adderent, sibi persuasit Baronius. Quæ certè virorum proborum injuria est, nata ex verborum ambiguo, *præsentes ex eo audivisse*, quæ ad *Athanasium* Baronius retulit, cùm essent aptanda *Eusebio*, ut liquidò constat ex Alexandrinorum Epistola: *Frumentum ab Athanasio, navesque detentas calumniati sunt. Hæc nonnulli ex nostris, qui intus erant, cum Athanasio audierunt, minas jactante Imperatore.* Incredibile quidem Episcopos, qui libello Tyriensibus Episcopis oblato, & in Eusebianos invecti erant, & Athanasio patrocinati ad infamandum suum Me-

Bar. An. 336. n. 10.

Athanas. Apol. 729.

tropolitanum tam turpi se mendacio polluisse, neque id unquam questus est Athanasius in Apologia. Non est tamen dissimulandum, Baronianæ explicationi Socratem favere, qui narrat, *Adamantium, Anubionem, Arbetionem ac Petrum Episcopos, Athanasium ista dicentem audivisse.* Potentissima hæc erat accusatio, quæ Athanasium perduellionis postulabat: eòque gravior, quò Constantinus propenso in urbem suam animo, eam ceu dilectissimæ filiæ loco habebat. Sic credulo Imperatori miserè impositum, non secùs ac David à furcifero servulo olim deceptus, Mephiboseti agrum calumnianti largitus est. Peccavit tamen Imperator, quòd tam facilem inimicis Athanasii fidem adhibuerit, nec vera, falsave accusatio foret, inquiri jusserit. Ad novam ergo calumniam efferbuit Imperatoris iracundia, & omisso judicio, quod in expectatione erat, è vestigio Athanasium Treviros Galliarum urbem misit exulatum. Fertur Athanasium rei indignitate commotum, hæc in verba erupisse: *De te, & me judicabit Dominus, quòd & ipse mediocritatis meæ calumniatoribus assentiaris.* Anno CCCXXXVI. Athanasium relegatum esse, Baronius existimat, cujus Chronologiam Pagius, Shelstratus, aliique secuti sunt. Ex Eusebii tamen oratione, quæ currente anno recitata est, apparet non alio tempore sancto Præsuli exilium fuisse imperatum. Venerat enim Constantinopolim Eusebius Cæsariensis, cum sociis literis Imperatoris evocatus, ut ipsis præsentibus Athanasius audiretur, quod, ubi adfuere, subinde factum est. Itaque post mandatum exilium oratio Constantinopoli recitata est. Eidem igitur anno cohærent, & Eusebii de laudibus Constantini Panegyricus, & exilium Athanasii, quod & jam Baronius ipse fatetur, qui utrumque in annum sequentem confert, unius tamen anni metachronismo.

Socr. l. 1. c. 35.

Athanas. Apol. 805.

Euth. h. 68. n. 8.

Encænia Templi Hierosolymitani. In quod tempus inciderint?

XIII. Absolutis quæ ad damnationem Athanasii pertinebant, ad alia transeamus. Dum Episcopi Tyri versantur, *Marianus* Imperatoris Notarius, Tyrum ingressus, Episcopis in Concilio congregatis, Imperatoris porrexit Epistolam, quâ eos hortabatur, ut confestim Hierosolymâ profecti, Ecclesiam illic dedicarent: splendidam scilicet Basilicam, cui & *Martyrio*, & *Anastasi* nomen. Cuncti igitur Tyro digressi, publico cursu contenderunt eò quò jussum erat. Neque soli qui Synodo interfuerant, sed & alii quoque suâ cœtum Hierosolymitanum præsentiâ illustrarunt. Aderat enim *Episcoporum Persidis ornamentum, vir sanctus, & in divinis Scripturis apprimè exercitatus.* Jacobus, Nisibis Episcopus eâ, ut videtur, descriptione designatur. Numerosissimum conventum fuisse, testis oculatus docet Eusebius: *Hanc secundam Synodum, omnium quas quidem novimus maximam, Imperator Hierosolymis congregavit, post primam illam quam in urbe Bithyniæ nobilissima collegerat.* Ex palatio missi fuerant, qui sumptibus ab Imperatore subministratis, festivitati decus addebant. His præerat vir qui prudentiâ, religione, Scripturæ peritiâ, multisque tyrannorum tempore confessionibus inclaruerat. *Marianum* illum esse existimamus, qui & honorificè Episcopos excepit epulis, egentibusque magnam pecuniæ vim, & plurimas vestes distribuit. Quâ verò ratione dedicatio peracta sit, etiam atque etiam est observandum. Non sparsis cineribus, non aquâ benedictâ, non chrismate, non imaginibus, non crucibus, eâque ceremoniarum suppellectile, quæ consecrandis Templis nunc adhibetur; sed *sacrorum Voluminum* lectione, concionibus, *incruentis sacrificiis, & mysticis immolationibus, oblatis pro Imperatore ejusque liberis Deo precibus.* Basilicam verò regalibus donariis Marianus magnificè exornavit. Quibus opponenda ea vestis est, de qua Theodoritus mentionem agit: *Constantinus omni laude celebrandus ad exornandam Hierosolymorum Ecclesiam, Macario ejus loci Episcopo vestem donaverat, ut eâ indutus, divini baptismi ministerium peragerer: ea vestis aureis filis contexta erat.* Si rectè meminimus, prima hæc est sacrarum vestium mentio, quarum tamen sanctitas ad usum est referenda, quia celebrandis mysteriis adhibebantur. Digna & magnifico Principe donaria transmissa sunt Hierosolymam, quæ non sine stupore spectabantur, ob splendorem, atque multitudinem: *Ex eo tempore solemnem quotannis festivitatem Hierosolymitana celebrat Ecclesia, adeo ut baptismi quoque sacramenta eo die tradantur, & per continuos septem dies collectæ fiant: multique ex omni fere terrarum orbe conveniant, qui hujus festivitatis tempore ad sacra loca perlustranda undique accurrunt.* Pergratum posteris fecisset Sozomenus, si dedicationis tempora consignasset. Non nescimus Chronicum Alex. XV. Kal. Octob. dedicationem alligasse: *Dalmatio & Paulino Coss. facta est dedicatio Ecclesiæ S. Crucis, quam Constantinus M. ædificaverat, temporibus Macarii Episcopi Hierosolymitani, die XVII. mensis Septembris.* Sed in eo testimonio minimum est autoritatis, quod prochronismo peccat unius anni. Nicephorus quidem Ecclesiæ sanctæ resurrectionis Encænia in XIII. Septembris confert, quæ recentiorum sententia Græcorum est in Menologiis. Langus quidem sic vertit Nicephorum: *Erat is XIV. mensis Septembris dies, qui ab eo tempore in Ecclesia Hierosolymitana quotannis publicè ab omnibus festus & celebris agitatus est.* Quippe restituit in Nicephoro diem, quo Exaltatio Sanctæ Crucis ab Occidentalibus celebratur. Nil tamen immutandum, ut ex typico Sancti Sabæ, aliisque monumentis Valesius ostendit, quæ *Sanctæ Christi Resurrectionis Encænia* in XIII. Septemb. contulere. At si verum volumus, creditu difficillimum, Encænia hujus Basilicæ tunc fuisse celebrata, cùm Tyriensis conventus nondum dissolveretur. Quippe non antè finitus est, quàm Theognis, aliique, quos in Mareotim legaverant, inquisitione peractâ, Tyrum reduissent. Testimonio quidem de mystici poculi confractione, Theognis, Maris, Theodori, Valentis, Ursacii & Macedonii, præcipuè decretum Tyriense de Athanasii abdicatione conditum est. Atqui Septembris *quinto* Tyrienses illi Legati etiamnum versabantur in Ægypto, ut apparet extatque ex libello, quem Mareotici Presbyteri obtulere Philagrio: *Coss. Julio Constantio & Rufino Albino, decima Thot.* Quo postulant litem ad Constantinum deferri. Est autem prorsus impossibile Tyrienses Septembris XIII. Hierosolymitanam dedicasse Basilicam, si mensis hujus quinto eorum Legati versabantur in Ægypto, quia nonnisi post eorum reditum, soluto conventu ad Encænia profecti sunt. Ut ex hac observatione liqueat, vix ante Octobrem ea celebrari potuisse.

Theodorit. l. 2. c. 27.

Sozom. l. 2. c. 26.

Niceph. l. 8. c. 50.

Athanas. Apol. t. 1. 795.

Hierosolymitana Synodus. Arianos suscipit. Ex ea Eusebius aliique proficiscuntur ad Imperatorem accusando Athanasio, qui ejicitur.

Eusеb. de Vit. Const. l. 4. c. 47.

XIV. In Hierosolymitana Synodo præter Encænia id dignum memoriâ geritur. Adversus Asterium Marcellus Ancyranus librum scripserat,

ANNO DOM. 335.

ferat, quo Christum ψιλὸν hominem asserere non dubitavit. Jusserunt igitur Episcopi, ut deposito Samosateniano errore, cui patrocinabatur, sententiam mutaret: *Ille pudore suffusus, librum suum se combusturum promisit.* Sed Concilio cum festinatione dimisso, ea res finiri non potuit. Illud vero æternâ dignum infamiâ, quòd in illa ipsa urbe, ubi sanctificandæ Ecclesiæ Christus sanguinem dederat suum, pestilentissimi Ariani suscepti fuerint, quod factum esse docemur Epistolâ Synodi ad Ægypti Clericos: *Omnibus nobis in eundem locum ex diversis Provinciis ad magnum & festum diem congregatis, ut dedicationem Templi Salvatoris cura Religiosissimi Imperatoris Constantini, omnium Regi Christo ædificati celebraremus, cumulatiorem lætitiam attulit & Dei gratia, & Imperator religiosissimus, cùm nos alterò suis literis, ad ea quæ facienda erant, adhortaretur, ut profligatâ ab Ecclesia Dei omni invidiâ, simplici pacatoque animo Arianos reciperemus, quos aliquantisper iniqua invidia extra Ecclesiam retinuit.* Res ita sese habuit. Anno CCCXXVII. fictâ pœnitentiâ Arius & exilium solverat suum, & Imperatoris benevolentiam sibi utcunque conciliarat: prohibitus tamen fuerat ingressu Alexandriæ. At Tricennalium usus occasione, se suamque fidem cùm Imperatori venditasset, obtinuit literas quibus magnæ Synodo commendaretur. Affertur & fidei Confessio Hierosolymitanis examinanda, quam jam ante Principi Arius obtulerat, quaque cum Ecclesiis nonnullis conjungebatur. Extat in Socrate l. 1. c. 26. Arii illa Euzoique Confessio, quæ veneno tingebatur: *Credimus*, inquiunt, *in J. C. Filium Dei, qui ex eo factus est ante secula.* Quibus Filius rebus creatis apponitur. Neque etiam de Spiritu Sancto verbum ullum dicunt. Arius tamen non omnium communione utebatur, non sanè Alexandrinorum, non Athanasii, qui malam bestiam intus & in cute noverant. Placuit ergo & id removeri obstaculi, ut ubique locorum Arius cum fautoribus susciperetur: quod in Synodo Hierosolymitanâ factum, quæ cum numerosissima esset, auxilii multum attulit Ario. Quippe ab ea scriptum est ad Ægypti, Libyæ, Thebaidis Clericos, ut libentibus animis Arium Euzoiumque reciperent, cùm & Imperator id cuperet, & Synodus comprobasset. Dum in eo exultant atque triumphant, qui Arii veneno imbiberant animo, tristissimus lætitiæ casus incidit. Afferuntur literæ Imperatoris, quibus mandabat, ut quotquot ad Synodum Tyriensem convenerant, sine cunctatione ad Comitatum properarent, ut ipsis præsentibus Athanasius, quæ gravia passus erat, liberè quereretur. Quæ postmodum facta sunt, verbis Athanasii exequemur: *His cognitis, conscii suorum facinorum cæteris Episcopis profectione prohibitis, soli Eusebius, Theognis, Patrophilus, alter Eusebius, Ursatius, & Valens adventarunt. Quibus cùm liberum non foret, de calice Arseniove dicere, aliam confiant accusationem qua Imperatorem ipsum occupat, minatum scilicet Athanasium, se impediturum, quominus frumentum Alexandriâ Principia in patriam veheretur.* Qui locus nostræ Chronologiæ præsidium est, demonstrando hoc ipso anno Athanasium ejectum esse. Ubi enim Constantinopolim venere Eusebius & socii ejus, rationem Constantino rerum à se gestarum reddidere. Addidere quoque Athanasium reum esse, qui frumentum Constantinopolim prohibuerat avehendum, quâ ratione meritò judicabant magnas Principi iras excitatum iri: quæ cum subitò exarsissent, *pro auditione* exilium innocenti mox imperatur, non expectatâ, quæ indicebatur, Synodo. Quod si in eo Athanasius Treviros relegatus fuisset, uti eruditi contendunt, ut Marcelli, sic & Athanasii in Concilio Constantinopolitano damnati Pseudo-Sardicenses meminissent. Atqui unam Athanasii damnationem memorant, quæ Tyri facta est. Neque ministerium Constantinopolitanæ Synodi ad deportandum Athanasium intervenisse, verbis Epistolæ perspicuè docemur: *Tyro fugiens, Imperatorem appellat. Audit etiam Imperator, quique interrogatione habitâ omnia ejus flagitia recognoscens, suâ illum sententiâ in exilium deportavit.* De Constantinopolitanorum lato in Athanasium judicio ne μῦ quidem.

Socr. l. 1. c. 38.

Athanas. Apol. 801.

Athanas. Apol. 805.

Lab. Conc. t. 2. 702.

XV. Ischyræ, cujus scelere Athanasium oppresserant, Eusebiani præmia quæ pollicebantur, detulerunt. Statim quidem effecerunt, ut Episcopus nominaretur, homo qui ne Clerici quidem fulgebat honoribus: *Autores Imperatori fuere, literarum mittendarum ad Collathum*, (lege *Catholicum*, Καθολικῷ,) *ut juberet Ischyra Ecclesiam ædificari, ut auctus eâ dignitate fide dignus habeatur in suis de calice & mensa calumniis.* Rationali huic *Flavio Himerio* nomen erat. Cujus Epistola hæc est: *Ad preces Ischyra Presbyteri pietatis Dominorum Augustorum & Cæsarum supplicantis, ut sibi in loco pacis secundatum, Ecclesia ædificaretur, decrevit illorum divinitas, ut id quam primùm fieret. Cura igitur ut in negotio procedatur*, &c. Pagus quem Ischyras incolebat, pars erat Mareotis, qui tractus est Alexandrino Episcopo subditus: constabat maximis pagis, decem circiter numero, quibus singulis sui Presbyteri præficiebantur. In illa regione neque Episcopus erat, neque Chorepiscopus. Ischyræ pagus minimus erat & paucissimorum hominum. Itaquè non in eo ipso pago, sed in alio Ecclesia extructa fuerat. Ille se jactavit in aula monstrum hominis ambitione conflatum, ac ut majori honore afficerent *Episcopum appellaverunt.* Inani sanè titulo, cùm nullum haberet populum sibi obsequentem. In Synodo Mareotica Ischyram à Theognii Legatorum Tyriensium uno, creatum Episcopum esse, in libello Synodico legitur, qui eum Ischyrionis nomini afficit.

Ischyras creatur Episcopus, cui ædificatur Ecclesia.

Athanas. Apol. 801.

ANNO U. C. 1089. PER. JUL. 5049. JUL. 381. DOM. 336. CONSTANTINI 31. *Sol.* 9. D. C. *Lun.* 14. *Indict.* 9. *Epact.* 50. *Epact. Sol.* 4. 5. P. 18. *April.*

ANNO DOM. 336.

COSS. Nepotianus & Fecundus.

Rufus Albinus Præfectus Urbis.

I. Constantii nuptiæ lætitiæ multum anno attulerunt. *Absoluto jam tricesimo imperii anno*, Imperator Constantii filii sui *nuptias celebravit. Epula igitur & convivia præbebantur, Imperatore ipso filium sponsum deducente, & magnifico apparatu seorsum virorum, seorsum mulierum cœtum excipiente. Sed & munera splendidissima civitatibus ac populis divisa.* Quid nominis gesserit uxor Constantii, mirum est Eusebium non prodidisse. Plurimorum matrimoniorum virum fuisse Constantium, ex Victoris Epitome novimus: *Sed ex conjugibus, quas plurimas sortitus est, præcipuè Eusebiam delexit.* Quam hoc anno Constantio fuisse matrimonio conjun-

Constantii nuptiæ.

Euseb. Vit. Const. l. 4. c. 49.

Bar. An. 336 n. 21.

Error Baronii.

ctam Baronius putat. Error tamen manifestus est, cùm parentis sui post obitum debellato jam Maxentio Eusebiam duxerit, testemque damus Julianum Oratione 3. ad Eusebiam. Est igitur vero similius ea tribus, quas Constantius habuit uxoribus, primam Julii Constantii, qui Imperatori frater erat, filiam esse marito suo patruelem.

Indorum ad Constantinum legatio. Leges Imperatoris de Judæis.

Euseb. Vit. Const. l. 4. cap. 50.

II. Eodem tempore, Indorum qui ad Orientem solem incolunt, Legati advenere. Attulere gemmas exquisiti fulgoris & pretii, feras quoque, formâ, atque indole à nostris penitus discrepantes. Quæ omnia Imperatori offerentes, testabantur ad ipsum usque Oceanum imperium ejus extendi, gentisque Indorum Principes ac Reges, pictis tabulis, & statuis in honorem ejus erectis, Imperatorem ac Regem se illum agnoscere. Leges de Judæis, qui quos ex gente sua fides illustrarat, indignè vexabant, à Constantino conditæ sunt: *Eum qui ex Judæo Christianus factus est, inquietare Judæos non liceat, vel aliquâ pulsare injuriâ, pro qualitate commissi, istiusmodi contumelia punienda. Dat. XI. Kal. Nov. Constantinopoli PP. VIII. Idus Mai Nepotiano & Facundo Coss.* Cujus legis mentem Baronius corrupit, quasi prohibuisset, *ne conversi ad fidem ex Judæis, in Judæos persecutionem excitarent.* Cùm potius id prohibeat Imperator, ne Judæi in Christianismi Proselytos inveherentur, solemni recutitorum more, ut plurimis exemplis liquet. Rescripsit & ad Felicem Præf. Præt. ne quis Christianus Judæo serviret: *Quòd si quis Christianæ Religionis servus penes Judæum deprehenderetur, illum quidem libertate donari, Judæum verò pecuniâ multari jussit.*

Cod. Theod. l. 5. de Judæis.

Error Baronii.

Bar. An. 336. n. 71.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 27.

Constantinopolitana Synodus Marcellus deponitur.

Socr. l. 1. cap. 34.

III. Episcopis qui in conventu Tyriensi damnaverant Athanasium, aculeatam Constantinus Epistolam scripserat: quos etiam jusserat ad Comitatum venire: *Omnes quàm celerrimè ad nos accurrite, pro certo habentes, me omni ope, ac studio perficere conaturum, ut ea quæ sunt Legis Dei, integra & inconcussa præcipuè serventur, quibus nec probrum nec infamia labes ulla possit aspergi.* Principi igitur ut obtemperarent, Constantinopolim se contulere. Numerosum cœtum fuisse, in confessum venit ex Pseudo-Sardicensium Epistola: *Conditur namque in Constantinopolim civitatem, sub præsentia B. Memoriæ Constantini Imperator. Concilium Episcoporum, qui ex multis Orientalium Provinciis advenerunt.* Conventu celebrato Marcelli Ancyrani causam ingrediuntur, quæ sic se habuit. Asterius Cappadociæ Rhetor suâ arte relictâ Christi religionem profitetur. Libros etiam conscribit, quibus Arii dogma asseruit, Christum Dei virtutem esse prædicans, quomodo apud Mosem bruchus *Dei virtus* appellatur. Utebatur autem familiariter Arii fautoribus: & ad Synodos frequenter veniens, ad civitatis alicujus Episcopatum ascendere cupiebat. Quem quidem assequi non potuit, quòd persecutionis tempore Idolis sacrificasset. Dum Syriæ urbes peragrat, libros quos composuerat, publicè recitat. Hoc comperto, Marcellus dum Asterium sibi refellendum proponit, Christum purum putum hominem esse prædicat. Id ubi intellexere Hierosolymitani, scripti à Marcello libri rationem petunt. Samosateni errore imbutum jubent mutare sententiam. Ac ille pudore suffusus, librum se suum combusturum pollicetur. Concilio festinanter

Lab. Concil. t. 2. 700.

dimisso, quòd Imperator Episcopos Constantinopolim evocasset, Marcelli causa iterum discutitur. Et cùm ille improbum librum, sicut anteà promiserat, comburere recusaret, Episcopi qui aderant, ipsum loco movent. Scribunt præterea Constantinopolitani Patres ad Ecclesias regionis illius, ut perquisita libri exemplaria omnia abolerent: si quos ejusdem erroris labe aspersos reperirent, ad fidem reducerent. Converterat & in se Synodi indignationem Marcellus, quòd nec iis, quæ Hierosolymis de Ario constituta erant, acquievisset, nec dedicationi magni martyrii interfuisset. Quæ etiam Imperatori significarunt. Marcelli librum tribus voluminibus Eusebius refutavit. Pseudo-Sardicensibus Episcopis invisus quoque Marcellus fuit, de pertinace homine scribentibus: *Post unam & secundam, multasque correptiones, cùm nihil proficere potuissent, exinde omnes illum horrere, & vitare cœperunt.* De Marcelli doctrina & persona plura suo loco docebuntur, eo anno, quo in Synodo Sardicensi Episcopatum recuperavit. Exauctoravit & Synodus Sanctum, Cimatem, & Euphratem Antaradi, Eutropium Adrianopolis, & Lucium Confessorem, qui in vinculis mortuus est. Basilius verò Marcelli loco Ancyram mittitur.

Socr. l. 1. cap. 36.

Sozom. l. 2. c. 33.

Libel. Synod.

IV. Fretus Hierosolymitanæ Synodi literis Arius, Alexandriam concesserat. Cujus adventu tumultus oborti fuerant, Alexandrinis, & Arii cum sociis reditum, & Athanasii Episcopi sui exilium molestè ferentibus. Auditis turbis Imperator Arium evocat, excitatæ seditionis rationem redditurus. Nova Synodus ab illa quæ Marcellum damnaverat Constantinopoli congregatur, ut de Ario judicium ferret. Est enim creditu difficillimum, Synodum quæ ineunte ferè anno congregata fuerat, adhùc mense Julio perdurasse. Damnato *Marcello* dissolutam esse, vero similius, neque causæ fuit aliquid, cur tot Episcopi Ecclesiis suis necessarii, tandiu Constantinopoli consisterent. Complebatur tamen Constantini *trigesimus*, teste Socrate, cùm Alexandriâ Constantinopolim Arius accersitus est. Nostræ quoque conjecturæ favet Sozomenus: *Cùm verò qui idem cum Ario sentiebant, & quotquot Eusebio adhærebant, separatim de industria eò convenissent, & ad celebrandam Synodum se pararent, Alexander qui tunc temporis Constantinopolitanam sedem regebat, intellecto eorum consilio Synodum dissolvere conatus est.* Quæ de Synodo jam inde à Februario sedente via dici potest. Novam fuisse hæc indicant, *ad celebrandam Synodum se parabant.* Rufinus quidem verbis expressis, Constantinus, inquit, *Arium nec quicquam apud Alexandriam commorantem venire facit, & imperialibus edictis Concilium denuò Constantinopolim convocari.* Ubi Arius Constantinopolim venit, Imperator ingredientem interrogat, Fidemne Ecclesiæ servaret. Tum ille, rectè se credere jure jurando affirmat; adductis in speciem verbis Scripturæ. Jurantem Princeps à se dimisit, talia fando, *Si recta est tua fides, bene jurasti; si autem impia est, & tamen jurasti, Deus te pro juramento condemnet.* Digressum à Principe, Eusebiani vi solitâ in Ecclesiam introducere volunt. Obstabat Alexander, qui contendebat hæresis inventorem in communionem non debere recipi. Alexandrum cùm Eusebiani flectere nequirent, ad ultimum certam ei diem statuentes denuntiant, ut aut ipse Arium susciperet,

Arius Constantinopolim evocatur: moritur.

Sozom. l. 2. c. 29.

Ruf. l. 1. cap. 12.

Anno Dom. 336.

peret; aut si reniteretur, ab Ecclesia se pellendum sciret, & in exilium mittendum: ejectoque sufficiendum alium, qui Arium susciperet, quæ *Saturni die* minati sunt. Tum Alexander nocte, quæ ad constitutam intererat diem, sub altari jacens, atque in oratione & lachrymis totam noctem pervigilem ducens, Ecclesiæ causam Domino commendat. Aderat cum eo Macarius Presbyter Alexandrinus, orationis socius, à quo hæc audivit Athanasius. Hæc autem cum lachrymis fundebat Alexander: *Si Arius crastino die consociatur Ecclesiæ, nunc dimittat, quæso, Domine, servum tuum. Sin autem parcas Ecclesiæ, scio autem quod parces, ne des in exitium hæreditatem tuam, Ariumque tolle, ne eo recepto, in Ecclesiam videatur simul cum eo hæresis recipi.* Ecclesia quam ingressus erat, *Irene* vocabatur, ut in Socrate legitur. Felici veluti omine pacis Arii obitum secuturæ. Alexandri precibus Arium oppressum fuisse, Nazianzenus prædicat, cujus verba non aptè satis Billius reddit. Græca sunt, *τὸν ἀρχηγὸν τῆς ἀσεβείας καταλύεται*, quæ propriè sonant, *authorem impietatis*, non ut Billius vertit, *impietatem* de medio sustulit. Vox *ἀρχηγὸς* etiam atque etiam est observanda, quæ celeberrimus ille Arius, familiæ suæ ductor, non obscurior alter Arius significatur. Cùm preces Alexander fudisset suas, anxius ea Ecclesia recessit. Ortâ luce Arius ad Ecclesiam pergens, Episcoporum & populorum frequentiâ constipatus, humanæ necessitatis causâ ad publicum locum declinat. Ubi cùm sederet, intestina ejus atque omnia viscera in secessus cuniculum defluxere. Cùm Ario & Judæ mors similis contigerit, in utroque Dei judicium non mirari non possumus. Proditores ambo, hic Domini, ille veritatis, quæ Christo luce ipsâ charior fuit. Eusebiani pudore maximo affecti, socium conjurationis sepeliverunt, Ecclesia verò cum Alexandro in Dei laudes erupit. Complures Arianarum partium terribili hominis fato commoti, ad viam redeuntes rectæ fidei adhæserunt.

Naz. Or. 27. 464.

Athan. ad Serap. t. 1. 4671. Rufin. h. l. 1. c. 12.

Arius Hæresiarcha: isne quem suscepit Synodus Hierosolymitana? Valesii rationes solvuntur.

V. Duos ut nomine, sic & erroris consanguinitate conjunctos Arios fuisse; ambos Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyteros, extra dubium est. Arii Hæresiarchæ ad Alexandrum Epistola, *Ario, Æthale, Achille, Carpone, Sarmata, Ario Presbyteris* consignatur. Ambo quoque Sulpicio Severo probè noti: *Duobus Ariis acerrimis perfidiæ hujus autoribus Imperator etiam depravatur.* Hinc clariss. Valesio occasio nata existimandi, Arium celeberrimum illum Hæresiarcham jam supremum diem obiisse, cùm Synodus *Hierosolymitana* celebrata est. Ariumque Constantini literis commendatum, & in Encæniis Hierosolymitanæ Basilicæ susceptum non fontem principiumque sectæ hujus esse, sed Arium alterum, ignobiliorem illum & ignotiorem, cujus fata nescimus. Quæ sententia si vera est, Chronologia nostra perit funditùs, Ariique Hæresiarchæ *συμφορᾷ θάνατος*, Tyriensi Synodo antecessit. Est tamen nova prorsus, & inaudita ea viri doctissimi sententia, ac Historicis omnibus pugnans, quorum testimonium non est sine gravi causa rejiciendum. Quin etiam hoc inventi respuit Athanasius, qui de Hierosolymitana Synodo hæc habet: *Eo ipso quòd dicerent depulsam esse omnem invidiam, & quia post Athanasii exilium scribebant Arium cum suis recipiendum esse, satis indicarunt, sese non alia de causa Athanasio,*

Epiph. h. 69. n. 8.

Sulp. h. l. 2. 393.

Athan. de Synod. t. 1. 891.

cæterisque Episcopis, quos sibi refragatores sentiebant, insidias struxisse, quam ut Arium reducerent, & hæresim introducerent. In Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ unum Athanasius Arium memorat, celeberrimum Hæresiarcham: qui in sua Thaleia solum *Ægyptium Sotadem* imitatus est, qui in Christum blasphemias conjecit multas, quarum exhibet specimina. Non igitur paucis post paginis alter ab Hæresiarcha Arius fingendus, qui priori superstes ab Hierosolymitanis susceptus fuerit. Quòd si diversum à notissimo Ario hominem designasset Athanasius, aliquam distinguendi notam adhibuisset, quam non omittit, ubi de duobus *Eusebiis*, Cæsariensi nimirum, atque Nicomediensi facit mentionem. Arius igitur ille, qui teste vel Athanasio, in Synodo Hierosolymitana susceptus est, unus idemque est cum Ecclesiæ perturbatore, qui Constantinopoli medius crepuit. Quod eximiè demonstrat Athanasii ad Serapionem Epistola, de Arii obitu hæc narrantia: *Ego quidem non eram Constantinopoli, cùm Arius vitâ functus est: aderat autem Macarius Presbyter, & ex ejus relatu didici. Accersitus erat ab Imperatore Constantino Arius, quem ingredientem Imperator interrogavit, An fidem Ecclesiæ servaret? Ille autem se rectè credere affirmavit, suppressis iis ob quæ de Ecclesia ejectus erat per Alexandrum Pontificem.* Potuitne melioribus pingi coloribus Arius notissimus ille perturbator Ecclesiæ? Sed & Arius Alexandri precibus Episcopi in urbe regia extinctus, Nazianzeno dicitur impietatis *ἀρχηγὸς*. Quis ille dux erroris hujus, nisi noster Arius? Neque Valesiana argumenta tanti sunt, ut in Ario, quem Synodus Hierosolymitana suscepit, *non Hæresiarcham, sed alterum ei cognominem* reperire cogant. Objicit vir doctissimus, *Athanasium duobus in locis disertè testari, Arium statim post libellum fidei oblatum Constantino, cùm ex palatio decederet, deductum esse ab Eusebianis in Ecclesiam, ut cum Alexandro communicaret: non igitur remissum esse ad Synodum Hierosolymitanam.* At hoc argumenti in temporis perturbatione innititur. Prius enim à Synodo Hierosolymitana susceptus est Arius, quàm deduceretur ab Eusebianis, ut cum Alexandro communione conjungeretur. Illud anno CCCXXXV. hoc verò sequente factum. Alexandriâ quam petierat fretus literis Hierosolymitanæ Synodi, Constantinopolim ab Imperatore Arius accersitus erat. Instat Valesius: *Necesse esset dicere, Arium duos fidei libellos Constantino obtulisse, alterum ante Synodum Hierosolymitanam, anno Christi* 335. *alterum anno sequenti. Ut quorsum duo libelli cùm Constantinus, priore libello accepto, Arii fidem approbaverit.* Verùm enimverò ut prius argumentum in ordinis perturbatione, sic posterius in figmento collocatur. Neque quem Valesius Serapionis in Epistola se vidisse putat libellum, cùm ab Eusebio Arius introducendus esset in Ecclesiam Constantinopolitanam, de fide oblatum Principi deprehendere potuimus, etsi nostrorum vigor oculorum sit adhùc integer. Id solùm legimus in Athanasii ad Serapionem Epistola: *Arium ingredientem Imperator interrogavit, Fidemne Catholicæ servaret Ecclesiæ? Ille autem se rectè credere jurejurando affirmavit.* Hoccine est libellum offerre Principi? Verbis, non scripto peracta res ea est. Imperator interrogat sermone: Arius quoque sermone respondet. Quanquam si libellum obtulisset, eo facto non adjuvaretur Valesius. Confessio-

Anno Dom. 336.

Ath. t. 1. 672.

Orat. XXVII. 464.

Anno Dom. 336.

fessionem enim iterum offerre potuisset, ut sese ab omni erroris labe immunem magis præstaret; ostenderetque immeritò se ab Ægyptiis, & ab Alexandro repelli, orthodoxum se, & antiquæ fidei tenacem. Urget iterum vir eruditus, & majori fortè specie, *Cur Imperator post suum ipsius judicium, post Hierosolymitanæ Synodi sententiam, iterum juramentum ab Ario exigit? Quomodo Alexander communicare cum Ario recusavit, qui ab integra Synodo susceptus fuerat in communionem.* Facilis tamen responsio est, ideò Constantinum, ne vel post Synodi sententiam voluisse absque juramento Arium recipi, quia ab Ecclesiis & Ægyptiacis, & Constantinopolitana in societatem non admittebatur, ne perfido *in Ecclesiam recepto, cùm eo simul & hæresis recipi videretur.* Congruum itaque fuit, juramentum ab Ario exigi, removendis scrupulis, quos nonnullarum in rejiciendo Ario Ecclesiarum pertinacia Constantino injecerat. Neque immeritò Alexander Arii communionem respuebat, vel post Hierosolymitanæ Synodi decretum, quia unà cum Ario pestis in Ecclesiam introducebatur, ut ex Athanasio nuper observavimus. Denique nil momenti inesse putamus, in eo quod veluti palmarium Valesius objicit, negare Athanasium, Arium ante obitum in communionem Ecclesiæ fuisse admissum, *Quod falsò diceretur ab Athanasio, si Arius Hæresiarches à Synodo Hierosolymitana receptus esset.* Atqui non nescire Valesius debuit, Synodum Hierosolymitanam Athanasio non fuisse legitimam, uti liquet ex Epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ. Illam Arii admissionem facti esse, juris non esse, quâ ratione in Epistola ad Serapionem affirmat Arianorum errorem esse *ἀκοινώνητον τῆς Ἐκκλησίας, Ecclesiæ incommunicabilem, & Cœlo alienum.* Equidem si de facto quæratur, negari sanè non potest, quin vel ante Synodum Hierosolymitanam à Constantino & Ecclesiis Arius susceptus fuerit, non secus ac Theognis atque Eusebius Nicomediensis. Propterea & ab exilio revocatus est, & Athanasio Imperator exilium minatus, ni Arium quoque suæ Ecclesiæ restitueret. Ut vel si fingeretur, defuncto jam Hæresiarchâ, Synodum Hierosolymitanam coactam fuisse, concedere tamen opus esset, non omnis omninò communionis cum Ecclesia expertem Arium naturæ satisfecisse. Est igitur Athanasius de Ecclesia & *universali*, & *orthodoxa* intelligendus: quo sensu verissimum nil communionis Arium cum Ecclesia celebrasse. Perfidia hæc fuit, non conjunctio, non fœdus cum Ecclesia, quod in subdola confessione fundabatur. Verbis quidem recta videbatur, eamque Hierosolymitani laudarunt: *Publicè edita Arianorum fides, indubitatam & apud omnes approbatam Apostolicam traditionem & doctrinam complectatur.* Sed speciosa vela hæc erroribus obtendebat Hæreticus, ac sanie verbis venenum involvebat.

Valesi. Annot. in Sozom. cap. 30. pag. 113.

Athan. de Synod. 891.

Athanasius Treveris exulem agit. Constantinus de eo reducendo flecti non potest.

Philostorg. l. 2. c. 11.

V I. Ad Athanasium redeamus. In Constantinopolitana Synodo ejectum fuisse, docent tum Libellus *Synodicus*, cùm *Philostorgius*, quorum Chronologia Pagio probatur, nobis verò rejicitur. Ea sanè affert Philostorgius, quæ nil probabilitatis habent. In ea Synodo scilicet, *Manum Arsenii in medium prolatam, & Mareotem, & Ischyram, & ejusmodi alia, easque ob causas Athanasium esse excommunicatum, & Gregorium Cappadocem in ejus locum substitutum.* Nos verò in rebus Athanasii certiorem audire testem nequimus, quàm ipsum Athanasium, à quo didicimus ut primùm ex Hierosolymitana Synodo Constantinopolim venere Eusebius, Theognis, Eusebius Cæsariensis, Patrophilus, Ursacius, Valens, ob conflatam de impedita frumenti vectura accusationem subinde in Gallias Athanasium esse missum. Treverensem tunc Maximinus administrabat Ecclesiam, à quo benignè exul suscipitur: ut illata Athanasio injuria huic ubi emolumento fuerit, dum virum possidet virtutibus clarum, constantiæ & fortitudinis exemplum, fideique propugnaculum. De eo exilio ad annum CCCXLIII. quo cum tamen conjungi non debuit, Hieronymus: *Maximinus Treverorum Episcopus clarus habetur. A quo Athanasius Alexandriæ Episcopus, cùm à Constantio quæreretur ad pœnam, honorificè susceptus est.* Intereà Alexandrina Ecclesia Deum supplicationibus publicis orabat, pro reditu Athanasii, & *Antonius* Monachus frequentes de eo ad Imperatorem literas scripsit, rogans ne Meletianis fidem adhiberet, sed eorum accusationes calumniarum loco duceret, Imperator tamen flecti non potuit. Imò literis suis dementiam Alexandrinis, & levitatem exprobravit: Clericis & Virginibus, ut quiescerent, præcepit: affirmat se nunquam mutaturum sententiam, nec revocaturum Athanasium, utpote seditiosum, & Ecclesiastico judicio condemnatum. Antonio rescripsit, se adduci non posse, ut sententiam Synodi despiceret. Potuisse quidem nonnullos per odium & gratiam judicare: haud quaquam tamen credibile, tot prudentes bonosque Episcopos pari modo affectos esse: Athanasium contumeliosum esse, superbum, discordiæque, & seditionis autorem. Cæterùm Eusebianis non assensus est Imperator, *Ut in Athanasii locum, quem ipsi postulabant, Episcopum mitteret, imò eos qui id moliebantur, compescuit, & jam rem ipsam conantes gravibus minis coërcuit.*

Anno Dom. 336.

Sozom. l. 2. c. 31.

Athan. ad Solit. 844.

Joannes Meletianorum Episcopus ejicitur.

Athan. Apol. 788.

V I I. Athanasii calamitas brevem Joanni lætitiam attulit. Hic est ille *Joannes*, qui Meletio successerat. Abjecto schismate Ecclesiæ communicarat, & cum Athanasio in concordiam redierat. Qua de causa honorificas à Constantino literas acceperat, & publico vehiculo ad Comitatum venire invitatus fuerat. At Eusebianorum promissis ad ingenium rediens, in Athanasium se rursus inimicum intenderat. Hunc Synodus Tyriensis communicare Ecclesiæ jusserat, & tam ipsum, quàm eos qui sententiam illius sequebantur, honoris sui gradum in Clero retinere. Ac vero propius est, fretum Eusebianis, Alexandrino inhiasse Episcopatui. Hinc illæ discordiæ, quibus ea civitas lacerabatur. Alii enim *Athanasio*, alii *Joanni* patrocinabantur. Quam rem Princeps gravissimè tulit. Joannem ergo mulctavit exilio: nec prece aut excusatione ullâ flecti potuit erga hominem, à quo ad discordiam Christianos impelli suspicio fuit.

Sozom. l. 2. c. 31.

Constantinus declinaritne in dogma Arii?

Lucif. l. 1. B. M. P. t. 4. p. 193.

V I I I. Exilio Athanasii, quod nullis solvere precibus Constantinus voluit, jucundam quæstionem subnectamus: nùm magnus ille Princeps in Arianismum propenderit? Antiquorum quidem nonnulli fuere, qui fidei ejus hanc labem inurere non dubitarunt. Hieronymus in Chronico: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi baptizatur, in Arianum dogma declinat.* Eadem & Lucifero Calaritano sententia, qui sic Constantium compellat de Athanasio: *Quòd enim propter fidem quam sem-*

por

ANNO DOM. 336.

per tenuit Ecclesia, ac tenet, quòd eam damnare noluerit, missus fuerit in exilium, quia videlicet noluerit esse Arianus: idcirco namque Athanasium perosum habitum à patre tuo. Non fugit te, quandoquidem, & tu in ea eum digneris persequi causa, in qua fuerit & tuus pater persecutus. Scribit quoque Severus: *Duobus Ariis acerrimis perfidiæ hujus Autoribus Imperator etiam depravatur, dumque sibi religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit.* Neque inficiari possumus, innocentes Ariano furori, piasque victimas à Constantino fuisse immolatas. Quæ causa videtur esse, cur de fide ejus Veterum nonnulli malè existimarint. Omnibus tamen perpensis, fit nobis vero similius, fidei Nicænæ Constantinum fuisse cultorem. Quippe *Arianos Porphyrianorum* nomine donavit, neque vel ante, vel post Synodum Hierosolymitanam Arium unquam suscepit, nisi exhibitâ Confessione, quæ speciem rectæ fidei induebat. Penultimo quidem vitæ suæ anno ab ipso Ario juramentum exegit, *Num fidem Ecclesiæ Catholicæ servaret.* Quod nullus requisivisset, si Arii erroribus fautorem se præbuisset: neque perfido Sacramento opus Ario fuisset ad Principem fallendum, cujus animo ea sententia sedisset, Christum esse ex nihilo conditum. Athanasius quidem, cujus in ea re judicium est omnibus anteponendum, Constantinum pro Orthodoxo habuit. Gravissimum adest pro nostra sententia Sancti Præsulis testimonium: *Quòd si pater Constantii Arium sub oculos suos admisit, cum tamen ubi perjurum, & proinde effusis visceribus jacere cognovisset, nullâ benevolentiâ prosecutus est, sed re cognitâ damnatum pro Hæretico habuit.* Tanto testi accedant Epiphanius atque Sozomenus. Ille: Constantinus, inquit, *sinceram ex animo fidem constanter retinuit.* Hic verò l. 2. c. 32. testatur expositionem fidei Nicænæ à Theogni, Eusebioque apertè rejectam non esse, quia *noverant Imperatorem in ea esse sententia.* Pietati quoque Constantini egregium testimonium præbet Synodus Ariminensis in sua ad Constantium Epistola. Constantinus hanc fidem omni curâ & diligentiâ conscriptam promulgavit. Tum demum ex hominibus, ex quo ille baptizatus est, in requiem sibi debitam translatus est. His accedat Epistola Ephesinorum Patrum anno CCCCXXXI. Imperatoribus Theodosio & Valentiniano scripta: Fides, inquiunt, à 318. *Sanctissimis Patribus in metropoli Nicææ, à Sanctæ memoriæ Constantino congregatis exposita: cujus Constantini rectam fidem vestra majestas illustriorem ostendit.* Ac sanè Constantinus nomine *Consubstantialis* ejecit neminem; sed Eusebianis credulus ob ficta crimina Eustathium, Athanasium, aliosque Orthodoxos coërcuit.

Sever. h. lib. 2.

Athan. ad Solit. 844.

Epiph. h. 69. n. 12.

Athan. pag. 878.

Lab. Conc. t. 3. 570.

Marcus Papa: ejus ad Athanasium Epistola subdita est.

IX. Post Pontificatum annorum XXI. & mensium undecim, die ultimo Decembris anni proximi Sylvester finem lucis hujus invenerat. Defuncto successor datur *Marcus*, qui die XVIII. Januarii currentis anni Episcopatum adiit. Marcum dicunt natione Romanum ex patre *Prisco*. Brevis ævi fuit Pontificatus ejus, quod Hieronymum non latuit: *Romæ XXXII. ordinatur Episcopus Marcus menses octo.* Id & innuit Sozomenus: *Sub idem tempus mortuo Marco, qui post Sylvestrum brevi admodum tempore Pontificatum obtinuit, Julius Romanam sedem administravit.* Quamdiu sederit, discimus ex Damasi Chronico: *Marcus menses octo, dies viginti. Et hic fuit temporibus Constantini, Nepotiano & Facundo Coss. ex die XV. Kalendas Februarias usque in diem Nonarum Octobrium Coss. SS.* Creatus est die Dominicâ, quæ Januarii die decimâ octavâ cohærebat, obiit die septimâ Octobris. Fallitur ergo Baronius, qui Pontificale Damasi secutus, Marcum pridie Nonas Octobris sepultum fuisse tradit. Verba hæc sunt Pontificalis: *Marcus sepultus est in cœmeterio Balbinæ, viâ Ardeatinâ, quod ipse constituerat fecit, pridie Nonas Octobris.* De S. Pontifice hæc cecinit Damasus, quæ multas laudes paucis complectuntur:

Sozom. l. 2. c. 20.

Hic Marcus, Marci vitâ, fide, nomine consors,
Et meritis.

Extat nomine Marci Epistola ad Athanasium, quem de habendis Canonum Nicænorum exemplaribus Marco scripsisse ferunt, quia Alexandrina Ariani incenderant. Rescribit Pseudo-Marcus, se in scriniis Ecclesiæ invenisse capitula *septuaginta*, quorum *præsentibus Apocrisiariis* Alexandrinorum ectypum mittit. Data est Epistola *octavo Kal. Novembris Nepotiano & Secundo viris clarissimis* Coss. Cùm porro Athanasii ad Marcum Epistolam fictam esse liquidò constet, quin Rescriptum quoque Marci ad Athanasium subditum sit, in dubio non ponimus. Hoccine scribi potuit ab Athanasio? *Præsentibus nobis octoginta capitula in memorata tractata sunt Synodo Nicæna, scilicet quadraginta à Græcis Græcâ edita linguâ, & quadraginta à Latinis similiter Latinâ edita linguâ. Sed visum est 318. Patribus, & maximè jam dicto Alexandro, & Apostolicæ sedis Apocrisiariis, ut decem Capitula adunarentur aliis, & ad formam LXX. discipulorum, vel potius totius orbis terræ linguarum, tanti & tam excellentis Concilii fierent capitula.* Queritne potuit Athanasius, Constantino vitam retinente Alexandriâ se fugisse vitando Arianorum furori, *Qui omnia depopulati sunt, libros, vestimenta Ecclesiastica, ornamenta?* Atqui hæc contigisse *Liberio*, non *Marco* sedente, certum exploratumque est. Sed & Marci in Epistola propria deprehenduntur falsi vestigia. Exulem egit Athanasius toto Marci Pontificatu, qua de re ne verbum quidem in Epistola. Scripta etiam dicitur, *octavo Calend. Novembris*, Nepotiano & Facundo Coss. quo tempore jam Marcus mortem invenerat, quam septimo Octobris obierat. Denique constat Epistola, variis laciniis Leonis ex Epistolis secundâ & octogesimâ quiotâ depromptis.

ANNO U.C. 1090. OLYMP. 279. PER. JUL. 5050. JUL. 382. DOM. 337. CONSTANTII, CONSTANTINI & CONSTANTIS I. *Sol.* 10. B. *Lun.* 15. *Indict.* 10. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 6. P. 3. *April.*

ANNO DOM. 337.

COSS. Tit. Fabius Titianus & Felicianus.

Valerius Proculus Præfectus Urbis.

I. REx Persarum, multum mutatus ab illo Sapore, qui Constantini amicitiam ambierat, Legatosque cum muneribus miserat, bellum Romanis molitur. Cujus hanc ex Cedreno causam Valesius innuit. Quod cùm Metrodorus ingentis pretii gemmas à Rege Indorum Constantino offerendas accepisset, easque Byzantium reversus obtulisset, miranti gemmas Principi, se longè plura terrestri itinere præmisisse dixit, sed à Persis cuncta esse direpta. His auditis Con-

Constantini in Persas expeditio. Pax constituitur.

stan-

ſtantinus literas ad Saporem paulò avidius & aſperius dedit, quibus lapides, & cætera Regis Indorum munera ad ſe quàm primum remitti flagitabat. Sed Sapor acceptis literis cùm nihil reſpondiſſet, pax eam ob cauſam inter Romanos & Perſas ſoluta eſt. Mirum tamen Valeſium ſolitâ mentis ſolertiâ non animadvertiſſe, hanc belli cauſam ſub *Conſtantio*, non *Conſtantino* obortam eſſe, ipſo teſte Marcellino: *Sciant non Julianum, ſed Conſtantium ardores Parthicos ſuccendiſſe, cùm Metrodori mendaciis avidius acquieſcit.* Quæcunque porro belli cauſa fuerit, Perſæ Romanos aggrediuntur, quod in Chronico Alexandrino legitur: *Perſæ Romanis bellum intulerunt.* Ut proximum vero videatur, Perſas Conſtantini in ditionem impetum feciſſe, quæ cauſa Imperatori fuit cur in perfidos moveret. Quâ enim religione fuit, ſancita fœdera iniquo bello violari noluiſſet. Defendendi ſui cauſâ Conſtantinum arma cepiſſe, teſtatur & Eutropius lib. x. *Bellum adverſum Parthos moliens, qui jam Meſopotamiam fatigabant, Nicomediæ obiit.* Ubi Imperatori de motu Perſarum nuntius allatus eſt, hanc adhùc de illis victoriam ſibi ſupereſſe teſtatus, bellum in Barbaros intendit. Erat adhùc Principi corpus vegetum, & laboris patiens. Decreto bello, militares copias undique excivit, & cum Epiſcopis, quos circa ſe habebat, de profectione conſilium communicavit, qui cùm libenti animo ſe non ab illo diſceſſuros affirmaſſent; ſed orationibus ſuis unà cum eo pugnaturos, viam illis quâ proficiſcerentur, deſcripſit, deinde tabernaculum in ſpeciem Eccleſiæ ambitioſo cultu ad belli hujus uſum præparavit, in quo unà cum Epiſcopis preces funderet. Quid ſucceſſus habuerit expeditio, ex Rufi Breviario declarabimus: *Conſtantinus rerum Dominus, extremo vitæ ſuæ tempore expeditionem paravit in Perſas. Toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis victoriâ glorioſior, multis in Perſas deſcendebat agminibus. Sub cujus adventum Babyloniæ in tantum regna trepidarent, ut ſupplex ad eum legatio Perſarum accurreret, & facturos ſe imperata promitterent.* Quâ benignè ſuſceptâ pacem cum eis libenter pepigit.

Marcel. l. 25. c. 4.

Euſeb. de Vit. Conſt. l. 4. c. 56.

II. Adeſſet Paſchatis ſolemnitas, in quâ vota Deo perſolvens, unà cum cæteris pernoctavit. Vix ea ſacra confecerat, cùm primò quidem inæqualis corporis temperies, poſt hæc morbus eum invaſit. Itaque ad aquas calidas civitatis ſuæ progreſſus, inde Helenopolim delatus, in Templo Martyrum diu commoratus, preces obtulit Deo. Cùmque extremum vitæ diem ſibi jam imminere ſentiret, tempus tandem adeſſe exiſtimavit ſuſcipiendi baptiſmi. Genu flexo igitur humi procumbens, veniam à Deo ſuplex popoſcit, peccata confitens in ipſo martyrio: *Quo in loco manuum impoſitionem, cum ſolemni precatione primùm meruit accipere.* Cæterùm cùm Catechumenorum ordo geminus eſſet, *Audientium* ſcilicet, & *Competentium*, non immeritò quæritur; prioremne, vel poſteriorem Catechumenorum claſſem Conſtantinus Helenopoli ſubierit? Conſtat manuum impoſitionem faciendis Audientibus eſſe adhibitam. Quò pertinet Illiberitanorum Canon 39. *Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.* Hanc Martinus ceremoniam adhibuit, cùm Ethnici catervatim ruerent, ut Chriſtianos faceret: *In medio ut erat campo, cunctos impoſitâ univerſis manu Catechumenos fecit.* Petrus Chryſologus: *Veniens ex Gentibus impoſitione manus & Exorciſmo antè à Dæmone purgatur.* Eò inclinat propenderque Valeſii ſententia, ut Helenopoli tum primum *Audientibus* Conſtantinus appoſitus ſit: nobis magis placet, ex *Audientibus* in *Competentes* migraſſe: cùm ex ipſo Euſebio liqueat, vigiliis Paſchatis antè adfuiſſe, quàm ſacris initiaretur. Deinde Audientes diu inter Catechumenos verſabantur, quàm donarentur baptiſmo. De Hæreticis, quos ut *Græcos* admittunt Conſtantinopolitani: *Et primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus ipſos, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando. Et ſic eos initiamus, ut longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus.* Pugnat ergo Legibus Eccleſiæ, Conſtantinum ſolis hebdomadibus circiter quinque Audientis nomen geſſiſſe. Quin etiam ad bellum adverſus Perſas proficiſcenti decretum fuerat, in tabernaculo unà cum Epiſcopis Deum adire precibus. Itaque manuum impoſitione apud Helenopolim ſuſceptâ, baptiſmi *Competentem* Conſtantinum factum eſſe exiſtimamus, dato nomine ſuo de more qui tum vigebat.

Conſtantinus morbo correptus fit unus de baptiſmi Competentibus.

Sulpit. Dial. 2. cap. 5.

Chryſ. Serm. LII.

Conſtant. cap. 7.

III. Helenopoli ad Nicomediæ ſuburbana digreſſus, convocatos Conſtantinus Epiſcopos ſic alloquitur. Olim baptiſmum in Jordane, in quo Servator illum acceperat, ſe adipiſci voluiſſe: nunc verò tempus eſſe, ut ſalutaris ſignaculi particeps fiat, in eo ipſo loco quo verſabatur: *Si Deus vitæ mortiſque arbiter hîc me diutius vitam agere voluerit, idque ſemel decretum eſt, ut in poſterùm unà cum populo Dei permiſcear, & in Eccleſiam adſcitus, cum reliquis omnibus orationum particeps ſiam, eas vivendi leges mihi præſcripturum me eſſe ſpondeo, quæ ſint Deo digna.* Hæc cùm dixiſſet, illi ſolemni ritu divinas ceremonias peregerunt, injunctiſque Imperatori quæcunque neceſſaria erant, ſacrorum myſteriorum participem eum fecere. Poſtquam omnia ritè impleta ſunt, candidis ac regiis veſtibus lucis inſtar radiantibus eſt amictus, & candidiſſimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit. Cujus manu baptiſmum conſecutus ſit, non tradit Euſebius. Ab Orthodoxo Sacerdote purgatum fuiſſe, ex Gelaſio Cyziceno docet Photius: *Baptiſmate verò tinctum refert ab Orthodoxo Pontifice, ſacroque ritu, non ut quidam prodiderunt, ab Hæreticorum aliquo.* Nos magis Hieronymo credimus: *Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi baptizatur.* Neque Epiſcoporum ullus id honoris Euſebio eripere potuit, cùm in ſuburbio civitatis, cujus Præſulem agebat, ſacris undis Conſtantinus expiatus fuerit. Agentem in Nicomedienſi ſuburbio Conſtantinum ſacris undis ablutum eſſe, Hiſtorici teſtantur. Socrates: *Helenopoli autem abſcedens, Nicomediam profectus eſt. Illic in ſuburbano degens, Chriſtianum baptiſma ſuſcepit.* Sozomenus: *Cùm morbus ingraveſceret, Nicomediam deportatus eſt; ibi in ſuburbano degens, baptiſmi Sacramenta ſuſcepit.* Theodoritus: *Imperator Nicomediæ degens morbo corripitur. Cumque incertum eſſe exitum vitæ animadverteret, divini lavacri gratiam ſuſcepit.*

Conſtantinus baptizatur.

Euſeb. de Vit. Conſt. l. 4. c. 62.

Phot. Bibl. pag. 210.

Socr. l. 1. cap. 39.

Sozom. l. 2. c. 34.

Theodorit. l. 1. c. 32.

IV. Hîc altior inſurgens Baronius, *Neceſſariò*, inquit, *affirmandum eſt Euſebium eſſe mentitum.* Quippe & *Actis Sylveſtri*, & fonte ſacro, ubi

Conſtantinus Nicomediæ, non Romæ baptizatus eſt.

Bar. An. 324. n. 42.

ANNO DOM. 337.

ubi Constantinus baptizatus esse dicitur, quique Romæ etiamnum ostenditur, & aliis furfuris ejusmodi monumentis Sylvestro magis quàm Eusebio Constantini baptismum Baronio vindicari placuit. At si hîc liceat Eusebium falsi postulare, nutabit quidem fides historiæ, imò peribit funditùs. Fingamus animo, anno CCCXXIV. Constantinum à Sylvestro in urbe baptizatum esse, Episcoporum sanè nullus, qui Principi comites erant, ignorare hoc potuit. Nempe sæpius eorum manu Constantinus Eucharistiam susceperat; Eusebiusque qui frequens ad Constantinum accesserat, quo benevolo, & favente usus fuerat, ad divinum quoque corporis Christi cibum etiam admissum vidisset, vel certè novisset. Quâ fronte igitur tam patens, tamque absurdum, vel reclamante conscientiâ mendacium conflasset? Cui bono, quâ spe, quâ mercede? Nonne impostor cum suo commento omnibus dedisset ludibria? Nullus sanè Veterum, quibus tempus Ministerque Constantiniani baptismi longè notior quàm Baronio fuit, Eusebium accusavit mendacii. Imò qui penè illi suppares, ac Ecclesiæ Romanæ traditiones benè noverant, Ambrosius atque Hieronymus, ambo Latini, extremis vitæ temporibus Constantinum ablutum esse testantur. Ambrosius in oratione de Theodosii funere de Constantino hæc habet: *Cui licet baptismi gratia in ultimis constituto, omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Proximusne morti baptismum Constantinus adeptus est, si Romæ anno CCCXXIV. sacris est undis expiatus? Quantò magis Ambrosius, qui in Italia degebat, sonanti Romanæ de Constantini baptismo traditioni aures accommodasset, quàm figmentis Eusebii? Ab ea igitur didicisset, ope sacri lavacri Constantinum & corporis leprâ, & peccati sordibus à Sylvestro fuisse purgatum; extareque etiamnum illustre hujus rei monumentum: fontem scilicet ex lapide porphyretico in Ecclesiæ R. thesauris. In fontem Hieronymus & oculos conjecisset, ac verum ex Clericis Rom. didicisset. Quibus prohibitus esset in Chronico scribere: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomedensi baptizatur.* His accedat Synodi Ariminensis ad Constantium Epistola: *Iniquum est cum Constantinus ab obitu suo dignus omni memoriâ, hanc fidem omni curâ, & diligentiâ conscriptam promulgavit: tum demum ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid novi in ea fide moliri velle.* Quod argumentum Baronius ut enervaret, dixit se *daturum planè manus, nisi tam mendosè, quàm mendaciter atque falsò legeretur Constantinus loco Constantis.* Impleat ergo promissa Illustrissimus Purpuratus, detque manus, cùm non apud Athanasium modò, sed etiam in Theodorito, Socrate, Sozomeno, *Constantinus* Græcè legatur: nec alia lectio usurpari possit, etsi Latina Athanasii translatio, quâ Baronius utebatur, Constans, non *Constantinus* habeat, quod vocabulum nostra vel in editione Latina etiamnum reperitur. Eusebio de Constantini apud Nicomediam baptismo assentiuntur Theodoritus, Socrates, Sozomenus, Gelasius Cyzicenus, Libellus Synodicus, quorum autoritas magis apud bonos Autores valere debet, quàm Acta Sylvestri, fons exundans nihilum fabularum, ex quo posteri hausere traditionem de Constantino

Athan. de Synod. 878.

Bar. An. 324. n. 53.

Romæ baptizato, quam & Græci recentiores imbiberunt. Legitur quidem apud Hieronymum in Epistola ad Eustochium de vinculis B. Petri, *Constantinum per SS. Apostolos Petrum & Paulum fuisse visitatum, & per Sylvestrum Papam baptizatum.* Sed eruditi Epistolam ab Hieronymo abjudicant, & meritò, cùm ipsi Hieronymo pugnet. Sed de ea quæstione satis, quàm fusè anno CCCXXIV. tractavimus.

Hieron. l. 9. 102.

V. In summam lætitiam Imperatorem conjecit nova cœlestisque nativitas, quam in baptismo invenerat. Agnoscebat se divinæ lucis compotem, miserosque & infelices illos existimabat, qui tantis bonis carebant, Militum Tribunis, Ducibusque dolentibus, quòd orbos ipsos relinqueret, respondit, Nunc demum veram se vitam adeptum esse: properare se, & profectionem ad Deum suum nulla tergiversatione differre. Singula deinde pro arbitratu suo disposuit. Ac Romanis quidem Regiam urbem incolentibus annua quædam munera legavit, suis autem liberis imperium, velut paternam hæreditatem reliquit. Meridie verò festivitatis Pentecostes, die Dominicâ migravit ad Dominum. Fasti Idaciani: *Feliciano & Titiano Coss. Constantinus Augustus ad cælestia regna ablatus est* XI. *Kal. Junias.* Festum Pentecostes hoc anno in XXII. Maii incidebat: *Rure proximo Nicomediâ, Achyronam vocant, excessit.* Victore teste moribundo Principi nil lustralis aquæ, nil extremæ unctionis adhibitum: non viaticum quoque ipsi allatum. Id non prætermisissent Autores, qui de pio Imperatore scripserunt. Perinde commemorandum, ac illud remedii, quo Carolus M. curavit animam: *Oleo Sancto inunctum ab Episcopis, & viatico sumpto obiisse* traditur. Ubi verò cælestis spiritus, quem Constantinus reddidit, profectus est? In flammasne expiatorias? Non profectò si Eusebio credimus, atque Idacio. Ille: *Animæ partem, quæ intelligentiâ & amore Dei prædita erat, Deo suo conjunxit.* Hic verò: *Ad cælestia regna*, inquit, *translatus est.* Imperavit annis 30. mensibus 9. diebus octo & viginti. Si Philostorgio creditur, Constantinus veneno periit: *Cùm*, inquit, *trigesimum ac secundum annum imperii sui ingressus esset, veneno a fratribus suis necatur Nicomediæ. Cùmque exitus vitæ jam instaret, compertis insidiis, testamentum scripsit, quo mandabat, ut in autores cædis animadverteretur, jussitque ut ex liberis suis, is qui primus advenisset, pœnas de illis sumeret.* Quæ Philostorgii narratio eo fine proponi videtur, ut Constantii in patruos crudelitas excusationis aliquid reperiret. Porro Constantinus Princeps multarum sanè virtutum fuit, & nutritor bonarum artium: legebat, scribebat, meditabatur, audiebat legationes & querelas Provinciarum. Paucis qualis quantusque fuerit, exhibet Victor de Cæsaribus: *Qui profectò si munificentia atque animi modum hisque artibus statuisset, queis præcipuè adulta ingenia gloriæ studio progressa longius in contrarium labuntur, haud multum abesset Deo.* Nimiâ etiam crudelitate virtutes defloravit suas, quâ factum, ut & Crispo filio suo mortem, & viris illustribus, de pietate benè meritis exilium imperarit. De Constantino multa prodit Eutropius vero simillima: *Insolentia rerum secundarum aliquantum Constantinum ex illa favorabili animi docilitate mutavit. Primùm necessitudines persecutus, egregium virum & sororis filium, commodæ indolis juvenem, interfecit, mox uxorem, pòst numerosos amicos. Vir*

Mors Constantini.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 64.

Philostor. l. 2. c. 15.

Eut. l. 2.

primo imperii tempore, optimis Principibus, ultimo mediis comparandus. In Scriptores referri Ecclesiasticos Constantinus potuit, utpote qui orationem ad Sanctorum cœtum scripserit, quæ etiamnum extat, in qua coarguit simulacrorum cultores: Christum Dei Filium omnia condidisse probat: fatum Ethnicorum refellit: Christi adventum non à Prophetis modò, sed à Sibyllis quoque prædictum esse statuit.

Honores defuncto Constantino exhibiti.

VI. Ubi Imperator animam exhalavit, Protectores, omnisque stipatorum turba, confestim discerptis vestibus pronos se in terram abjicientes, caput solo illidebant, omnes animi sui dolorem clamoribus testabantur. Milites verò sublatum è lecto corpus, in arca aurea purpureâ veste obtecta depositum, atque in præcipuo Imperialis palatii cubiculo sublime collocaverunt. Dehinc aurea candelabra, luminibus undique accensis radiabant. Principis funus in arca aurea sublime jacens, regiis insignibus, purpurâ scilicet, & diademate ornatum, multi circumstantes noctu & interdiu vigiles custodiebant. Comites & Magistratus statis horis ingressi, defunctum in arca depositum, perinde ac vivum & spirantem, genu flexo salutabant. Quæ longi temporis spatio gesta sunt, donec Imperatoris filii eò advenientes, paternum funus honoris causâ prosequerentur. At Romæ ut cognita mors Constantini, nullum luctui modum fecere: balnea & fora rerum venalium clausa: publica spectacula remota: dedicatis & imaginibus, defuncti memoriam coluere, magnis clamoribus flagitantes, Imperatoris apud se funus habere. Constantius præfectus Orienti, auditâ patris valetudine festinarat, ut parentis aspectu frueretur, frustrato desiderio Nicomediam venit, inde Constantinopolim funus devexit, exequias præcedens. Præibant per catervas & agmina dispositi numeri militares. Pone sequebatur ingens hominum multitudo. Hastati verò & scutarii, ipsum Imperatoris corpus medii cingebant. Postquam ad Apostolorum Ecclesiam perventum, arcam illic deposuerunt. Hic locum Constantinus maximè ambierat, ut corpus

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 71.

ejus *Apostolici nominis atque honoris consortio frueretur, & populo Dei in Ecclesia sociaretur, divinisque ceremoniis ac mystico sacrificio, & sanctarum precum communione potiretur.* Illis temporibus mos erat, defunctorum & Martyrum etiam nomine Eucharistiam celebrare, ostendendæ viventium mortuorumque communioni, quorum & nomina recitabantur. Hinc Cyprianus Epistolâ 34. *Sacrificia pro eis semper, ut meminisis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversariâ commemoratione celebramus*, ut explicuimus alibi. Quemadmodum ergo defunctus Imperator, quasi post mortem Principatum retinens, redivivus orbem adhùc administraret, ab Aulicis honores accipiebat regios, sic sacrorum Ecclesiasticorum & communione perfruebatur. Ubi Constantius recessit, Dei Sacerdotes, jacente in suggestu corpore, defunctum laudibus prosequuntur, precesque pro ejus anima offerunt. Cæterùm Romanis molestum fuit, quòd

Vict.

defunctus Constantinopoli conderetur: *Funus relatum in urbem sui nominis, quod sanè populus Romanus ægerrimè tulit. Quippe cujus armis, Legibus, clementi imperio, quasi novatam urbem Romanam arbitrarentur.* Defuncto honores penè divini exhibiti sunt, quorum meminit Philostor-

Philostorg. l. 2. c. 17.

gius: *Imaginem Constantini in porphyretica columna stantem sacrificiis placabant, lucernis accensis ac suffitibus honorabant, vota etiam faciebant ut Deo, & supplicationes ad depellendas calamitates peragebant.* Quæ exagerata quidem, verum tamen non sunt omninò falsa. Cereis enim statua ejus honorabatur atque suffitibus: precibusque ut è Cælitibus unus ipse colebatur, quæ *sacrificia* nuncupantur. Testis tantorum honorum Theodoritus: Incredulus *ea intuens, quæ nunc ad ejus loculum, & statuam geruntur, credat iis quæ scripta sunt, & Domino qui dixit, Glorificantes me glorificabo, & qui me spernunt ipsi spernentur.* Græcorum in Calendario, è regione XXI. Maii hæc leguntur: *Sanctorum & magnorum Imperatorum, & parium Apostolis, Constantini, & Helenæ.* Neque mirandum defuncti Constan-

Theodorit. l. 1. c. 32.

tini statuis imaginibusque, ultra civilis dignitatis modum honorem habitum fuisse, cùm viventium Cæsarum simulacra adoratione quâdam afficerentur, dum erigebantur, aut ludis proponebantur. Testis Hieronymus, qui de Nabuchodonosoria imagine hæc loquitur: *Sive statuam, ut Symmachus, sive imaginem auream, ut cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo Judices & Principes sæculi, qui Imperatorum statuas adorant & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo.* Hunc immodicum statuarum cultum vetuit Theodosius Lege datâ III. Non. Maii anno CCCCXXV. *Si quando nostræ statuæ vel imagines eriguntur, seu diebus, ut adsolet, festis, sive communibus, adsit Judex sine adorationis ambitioso fastigio, ut ornamentum diei, vel loco & nostræ recordationi sui probet accessisse præsentiam: excedens cultura hominum dignitatem, superno Numini reservetur.* Cæterùm si Nicephoro credimus, miracula Constantini ad monumentum edebantur: *Magnâ gloriâ posteà honoram conciliator Deus virum suum, veluti fidelem Ministrum accumulavit, sanationum & miraculorum gratia, & urna & statuæ ipsius, quæ in porphyretici marmoris columna posita est, immisse, ut deinceps nulla ægritudo contrectatis eis non cederet.* Post temporis tamen intervallum, suffitus cereorum, precum honos Constantino videtur redditus. Secus Lucifer Calaritanus, Hieronymusque illum Arianis non inseruissent. Nulla quoque tum miracula ab urna ejus, aut statua patrabantur, quibus veluti publico & notissimo Dei testimonio, defuncti pietas Principis ornata, omnem utique Arianismi labem & rumorem eluisset. *Inter divos ab Ethnicis meruit referri*, si fides Eutropio.

Hier. in Dan. c. 3.

Cod. Th. lib. 15. Tit. 4. de Imag. Imp. lib. 1.

Niceph. l. 8. c. 55.

Constantini filii creantur Augusti.

VII. Post obitum Constantinus suum etiamnum Imperii frena retinere videbatur. Quos filios genuerat, illi Cæsareâ dignitate exornabantur ad usque IX. Septembris. Tribus circiter mensibus interregnum fuit, quo labente, Edicta Constantini nomine inscribebantur, quasi cadaver ejus regnasset. Intereà Tribuni lectos ex militibus, qui defuncto Principi accepti fuerant, ad Cæsares mittunt, cuncta quæ gesta fuerant nuntiaturos. At exercitus simul atque Constantini mortem audivere, uno consensu decreverunt, neminem se præter ejus liberos imperii Principem habituros. Nec multò pòst Augusti appellantur, quod nomen imperii insigne est: *Nuncupati sunt tres Augusti, Constantinus, Constantius, & Constans v. Idus Septembris*, ut Idacianis Fastis monemur. Constat de hæredibus imperii, suo Constantinum testamento providisse. Cuinam verò à moriente tradi-

tum

ANNO DOM. 337.

tum sit variantibus Historicis, in dubio relinquitur. *Presbytero* fuisse commissum, in Socrate legitur, atque Sozomeno. At non sine veri specie Eusebio Nicomediensi, à quo Constantinus baptismum consecutus fuerat, testamentum traditum esse, Philostorgius memorat. Tabulas verò testamenti metuens Eusebius, ne fratres Imperatoris requirerent, defuncti in vestibus repositas recondit. Absconditas requirentibus, respondet se quidem tabulas accepisse, sed statim dantis manibus reddidisse. Ablatus dein, Eusebium Constantio, qui fratrum suorum adventum præverterat, tradidisse. Porrò sive Eusebio, sive Presbytero, qui Constantiæ Constantini sororis in amicitiam se insinuarat, testamentum Imperatoris commissum fuerit, ex eo facto liquet, Constantium Arianorum in partes vehementer propendisse, non sine magno Ecclesiæ malo.

Philost. l. 2. c. 16.

Constantii anni & mores.

VIII. Constantii imperium ingredimur, quod historiæ multum materiæ præbet. Natus erat anno CCCXVII. De matre ejus hoc Zozimus habet: Constantini liberi *erant omninò tres, non ex Fausta Maximiani Herculis filia nati, sed ex alia quam insimulatam adulteris morte affecerat.* Decipi tamen Zozimum, ex Osii ad Constantium Epistola colligimus: *Ego confessionis munus explevi, primum cùm persecutio moveretur ab avo tuo Maximiano.* Πάππος autem Constantio Maximianus non fuisset, nisi ex Fausta Herculii Maximiani filia genitus. Anno CCCXXIV. Constantius à Constantino Augusto Cæsar dictus fuerat VI. *Idus Novembris.* Obiit anno CCCLXI. tertio Non. Novembr. Vixit annos XLV. ut ex Eutropio, Hieronymi Chronico, & Socrate discimus. Victoris Epitome annos solummodò XLIV. assignavit Constantio, quia quadragesimus quintus incompletus erat. Ex Socrate: *Imperavit annis octo & triginta, ex quibus tredecim quidem regnavit cum patre, post ejus autem obitum viginti quinque.* Sed à vero abest calculus anno uno major, quàm par est. Dici debuit, Imperavit annis 37. Quòd si accuratius scribere velimus, quinque dies de ultimo anno sunt detrahendi. Constantio, si Themistio credimus, magna inerat corporis pulchritudo, moribus optimis condita: *Est ipse quidem externus decor eximius, sed longè præstabilior atque incredibilior is est, quem incumbentes penitùs dispicere oporteat, quantâ sit pulchritudine ac suavitate refertus ... inest & temperantia cupiditas, ibidemque & veritas conquiescit, & habitat clementia, & justitia refulget multaque alia augusta, sancta, ac divina pulchritudines apparent.* Jaculandi peritum, philosophiæque deditum fuisse, testatur ille ipse Themistius, in sua ad Constantium legatione, quem miratur, non *quòd ad destinatum tela scienter emittebat*, sed quòd *continentius quàm quisquam privatorum moderatissimus, vitam institueret, quòd eruditionem maximi faceret, quòd Philosophiam consectaretur.* Aliis verò Constantium coloribus Amm. Marcellinus pingit. Perhumilis corporis erat, quod curvabat dum Romæ *portas ingrediebatur celsas*: paternâ credulitate laborabat, *ac si quid dubium deferebatur aut falsum, pro liquido accipiebat & comperto*, semper *oderat fortiter facientes, ut quondam* Domitianus gloriæ cupidissimus erat, utpote qui regio more adorari volebat: *occiso Gallo confestim à justitia declinavit, ita intemperanter; ut æternitatem suam aliquoties assereret ipse dictando scribendoque propriâ manu, orbis totius se Dominum appellarat.* Licentius etiam grassabatur in innoxios. Erat & in rebus sacris Constantio magna fluctuatio animi, ut non abs re *Euripus* Theodorito appellaretur. Patientia tamen non destituebatur. Sed Constantii mores accuratissimè illa docebunt, quæ de eo sumus tradituri.

Zozim. l. 2. c. 39.

Athan. ad Solit. 838.

Socrat. l. 2. c. 47.

Themist. or. 4. p. 51.

Themist. p. 45.

Marcell. l. 15. c. 1.

Viri nobiles sanguine suo initia Constantii imperii imbuunt. Arianismo favet.

IX. Decumbens Constantinus secretò Presbyterum accersivisse dicitur, qui à Constantia fratri suo commendatus, exinde Imperatori charus fuerat: datoque testamento eum obtestatur, ne illi nisi Constantio, cùm venisset, in manus traderet. Ubi Constantius adfuit, depositum ei Presbyter restituit: *Cujus beneficii gratiâ Imperator regni cupidus ita ei devinctus est, ut qui imperare cunctis ambiret, ab illo sibi imperari æquanimiter pateretur.* Presbytero Ario fuisse nomen, ex Sulpitio conjicimus: *Duobus Ariis acerrimus perfidiæ hujus autoribus Imperator etiam depravatur.* Aliud nominis imposuit Libellus Synodicus: *Testamento ab Eustathio Presbytero, & Curatore, qui Arianis occulte favebat, corrupto, Constantius Imperator Orientis renunciatur.* Exinde in errorem flecti cœpit Principis animus: neque læta etiam fuere imperii hujus initia, utpote innocenti sanguine respersa: *Exorsus ab ipso lare Constantius cognati sanguinis effusione, virilem omnibus animum probare voluit. Ac primum quidem Constantium patruum a militibus interfici curat. Deinde Dalmatio Cæsari similes insidias struit. Optato quoque cum hoc interfici jusso, qui Patricii dignitatem adeptus a Constantino fuerat. Tunc & Ablabius Præfectus Prætorio necatus est, ipsâ vindictâ meritâ hominem pœnâ mulctante: quòd per insidias Sopatro Philosopho mortem machinatus fuisset, dum ei Constantinus familiaritatem invideret. Ac veluti contra cognationem universam grassatus, etiam his Annibalianum adjecit cùm milites subornasset, ut clamarent alterius neminis imperium se ferre posse quàm Constantini filiorum.* Quæ vera esse prædicat Athanasius: *Quid miri si ob hæresim ita crudeliter in Episcopos sævit, cum ne cognatis quidem suis ut homo pepercerit? Quippe qui patruos necarit, patrueles sustulerit, & soceri sui filiam, cognatosque ultima patientes, nullâ misericordiâ prosecutus sit.* Parum quidem abfuit, quin *Gallus* & *Julianus* Constantii, qui frater Constantino fuerat filii, cum Dalmatio perirent: *Sed Gallum quidem periculo exemit morbus, quo tum laborabat, & quo propediem moriturus putabatur. Julianum verò ætas tenera, octavum enim ætatis annum nondum exegerat. Ita præter omnium spem servati, in Cappadocia degere jussi sunt in macello.* Ne vel octavum quidem Julianus annum ingressus erat, utpote qui die sextâ Novembris anni CCCXXXI. editus fuerat.

Ruf. l. 1. c. 11.

Lab. Concil. t. 2. 89.

Zozim. l. 2. c. 40.

Athanas. ad Solit. 856.

Sozom. l. 5. c. 2.

Constantini filii dividunt imperium

X. Crudeles cædes excepit imperii divisio. In Pannonia versabantur Augusti, cùm orbem Romanum partiti sunt. Constantino natu maximo cessit Gallia, Hispania, Britannia, & pars Africæ. Constanti natu minori obvenit Africa reliqua, Italia, Illyricum, Græcia, Macedonia, & Ponto Euxino finitima. Constantius Thraciam, Asiam, Orientem, Ægyptum sortitus est. A Constantii ditione Thraciam Victor eximit in Epitome, sed perperàm: *Ad tres Romani orbis dominatio redacta est, Constantinum, & Constantium, ac Constantem, filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt.*

Anno Dom. 337.

buerunt. Constantinus Junior cuncta trans Alpes. Constantinus a freto Propontidis Asiam atque Orientem? Constans Illyricum, Italiamque & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque & Achaiam. Tempus quo ad dividendum orbem Augusti processere, in Fastis consignavit Idacius. Feliciano, & Titiano Coss. *nuncupati sunt tres Augusti, Constantinus, & Constantius, & Constans, 5. Idus Septembris.* Ad res Ecclesiæ nunc festinat oratio.

Julius Papa creatur.

XI. Marco Papæ, qui anno superiore vitam cum morte commutaverat, die Nonarum Octobrium post *quadrimestre* Interpontificium, Julius successit sexto Febr. die Dominicâ.

Error Baronii.

Interpontificii hujus securi, vel ignari Baronius atque Binnius, Julii creationem in XXVI. Octobris anni CCCXXXV. incidisse putant. Quos refellit Damasi Chronicum: Julius *fuit temporibus Constantini, a Consulatu Feliciani & Titiani, ex die VIII. Idus Februarii.* Quòd si anno CCCXXXVI. Pontificatum iniisset, sedisset à Consulatu *Facundi & Nepotiani.* Pontificale quoque Damasi cum *Feliciani* Consulatu Julii copulat initia, etsi perperàm *Maximinum* Feliciani Collegam dicat, qui *Titianus* appellabatur. Patrem Julius *Rusticum* habuit: *Multas Basilicas fecit. Basilicam in via Portense milliario III. Basilicam in via Flaminia, milliario II. qua appellatur Valentini. Basilicam Juliam, qua est e regione VII. juxta forum divi Trajani. Basilicam trans Tiberim, Regione XIV. juxta Callistum, Basilicam in via Aurelia milliario tertio ad Calistum.* Somnium est quod de Julii exilio traditur: *Post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem, & post Constantii mortem cum gloria reversus ad sedem B. Petri.* Constat enim Julio Constantium fuisse superstitem. Julius ergo sedit *ex die VIII. Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis, Constantio V. & Constantio Cæsare Coss.* Hoc est, annos XV. menses duos, dies VII. incluso emortuali à sexto scilicet Februarii an. CCCXXXVII. ad usque XII. Aprilis anni CCCLII.

Apollinaris & Timothei Epistolæ, Julio contributæ.

XII. Epistolarum quæ Julii nomen habent, aliæ subditæ sunt, aliæ genuinæ. De prioribus dicendum, quia posteriores tempori suo assignabimus. Perantiqua ea est Epistola, quæ seculo quinto multis in notitiam venerat, cujusque meminit Gennadius: *Julius Urbis Romæ Episcopus, scripsit ad Dionysium quendam de incarnatione Domini Epistolam unam, quæ illo quidem tempore utilis visa est adversum eos, qui ita duas per incarnationem in Christo asserebant personas, sicut & naturas: nunc autem perniciosa probatur, fomentum enim est Eutychianæ, & Timothianæ impietatis.* Non Julio tamen, sed Apollinari Epistola est vindicanda.

Catal. virorum illustrium c. 2.

Gennadii errorem coarguit Evagrius, à quo didicimus, Acephalos Epistolas quasdam Julio Episcopo Romano tribuisse, quarum Autor Apollinaris. En verba Evagrii: *Multos Apollinaris libros, Athanasio, & Gregorio Thaumaturgo, & Julio falso ascripserunt.* Apollinaris hanc Epistolam fuisse, multis Leontius argumentis demonstrat: *Primùm ex eo, quòd si quis eam subtiliter consideret, nihil Juliano dignum nomine habeat; quin & septem illæ Epistolæ, quas ejus esse dicunt, Apollinaris sunt. Deinde quòd in eadem Epistola corporis mentione factâ, nusquam id mente præditum & animatum dixerit. Erat autem in more patribus illius seculi, ut sicubi corporis mentionem facerent, id ipsum mente præditum animatum dicerent.* ... *Præterea de hoc quoque non B. Julii, sed Apollinaris esse redarguitur, quòd Nyssenus ille Gregorius, in Opere contra Apollinarem multa recitet, quæ hâc Epistolâ continentur, eaque seu prava refutet. Potest & aliunde convinci, quòd B. Julii non sit. Aiunt enim Actis Synodi Ephesinæ sub B. Cyrillo insertam, quod quidem aperte mentiuntur: nam ibi nihil ex textu tale reperitur, sed alia quædam inserta est Epistola, velut a Julio scripta, nec ipsa Julii, sed Timothei, quemadmodum de multis exemplaribus intelligi potest.* Sunt ergo duæ illæ Epistolæ à Julio abjudicandæ, cùm prior *Apollinarem*, posterior *Timotheum* Autorem habeat.

Evag. l. 3. c. 31.

Leont. de Sect. Act. 8.

Anno Dom. 337.

Decretales duæ Julii subditæ.

XIII. Geminæ præterea Epistolæ circumferuntur *Julii* nomine. Prior *increpatoria ad Orientales Episcopos pro causis Athanasii, & excessibus contra Romanam Ecclesiam*, quæ complectitur capita quatuor. Primum, Quòd Soli Romani Pontifici liceat generale Concilium cogere, & Episcopos judicare. Secundum, Non oportet præter sententiam Pontificis Romani Concilia celebrare, vel Episcopos damnare. Tertium, Ut accusatores & accusationes, quas leges seculi non admittunt, repellantur. Quartum, Quis Episcopum præter Autoritatem sedis Apostolicæ damnaverit, vel à sede expulerit, de gradu suo dejiciatur, & excommunicetur. *Data est Calendis Octobris, Feliciano & Maximiano Coss.* Posterior contra Orientales pro Athanasio & cæteris, constat capitibus triginta sex, quæ disciplinam attinent. *Data est Calendis Novembris, Feliciano & Maximiano Coss.* At Turriano, Binnioque vel repugnantibus eruditi ad figmenta Epistolas relegare non verentur. Scilicet Julius ignarus fuisset Consulum, qui se scribente annum aperuerant. Atqui Feliciani Collega *Titianus*, non *Maximianus* vocabatur. In illis quoque Epistolis venam agnoscimus *Isidori Mercatoris.* Opus est laciniis ex Pontificum scriptis, qui diu post Julium floruere consarcinatum. Impostorem sanè egregiè indicat Epistolæ secundæ caput 30. *De fuga super qua Athanasium reprehenditis, non bene agitis*, cùm sanctus ille Præsul, nonnisi quinquennio post Feliciani & Titiani Consulatum fugerit, in quo Epistola scripta fingitur. Subdita quoque est ad Julium Orientalium Epistola, quod vel ex solo titulo abundè liquet: *Domino beatissimo, & honorabili Patri Julio, Apostolicæ sedis venerabili Episcopo, Eusebios, Theognis, Theodorus, & Berinthius, unà cum reliquis fratribus, & Coëpiscopis nostris in Antiochia congregati.* Profectò non moris erat Episcopis, Julium *Patris* nomine decorare. Sed & Theodorum, qui Perinthi fuit Episcopus, in duos falsarius Episcopos distrahit, cùm scribi debuisset *Theodorus Perinthius.*

Concilium Rom. anni 337. sub Julio fictitium est.

XIV. Concilium quoque Romanum cudisse videtur ille ipse Isidorus, quod nobis daret pro legitimo. *Felicianum* quidem & *Maximianum*, non secus ac Decretalium Autor Coss. nobis obtrudit. At cujuscunque fuerit, momenti sanè non est alicujus, etsi patronos invenerit Baronium, Binnium, aliosque eruditos. Nostrum audiamus Baronium: *Coss. Feliciano & Titiano consignata reperitur Romana Synodus, sub Julio Papa, centum & sexdecim Episcoporum.* Miramur tamen virum emunctæ naris intolerabilem falsi odorem non olfecisse, qui ab eo Concilio diffunditur. Primum enim nullum est celebris conventus in Antiquitate vestigium: nulla in libello Synodico memoria: neque opus erat

Bar. an. 337. n. 67.

tam

Anno Dom. 337.

Lab. Con. col. t. 2. 517.

tam numerosum cogi cœtum ea una de causa, ut Symbolo Niceno calculum Julius adderet suum. Præterea Chronologiæ portenta hæc sunt, & historiæ funera; *In nomine Dei Salvatoris nostri J. C. Imperantibus quoque Constantio, & Constante Augustis, anno quarto, sub die XIX. Kalend. Octobrium, indictione sexta, præsidente Sancto ac Beatissimo Julio Papâ, sedis Apostolicæ Romæ, propositis Sacrosanctis & venerabilibus Evangeliis, in Ecclesia Domini Dei & Salvatoris nostri J. C. quæ vocatur Constantiniana.* Cùm enim ea Synodus celebrata dicatur *Feliciani* Consulatu, absonum est extra modum, mentionem in ea fieri *Constantii* & *Constantis*, non *Constantini*, qui fratrum maximus erat. Neque *indictio sexta* Feliciani Consulatum afficiebat, quæ *decima* numerabatur. Imò anno quarto Constantii, qui Dionysiano CCCXL. habuit initia, Indictio currebat tertia & decima. His accedat impostoris prochronismus: *Ad hos convenimus, ut hoc primum secundum voluntatem Dei faciamus, & deinò pro fratrum oppressione tractantes laboremus, quia dum illi tam graviter affliguntur, nos nec respirare, nec quiescere possumus.* Quibus vehementissima persecutio pingitur, quæ anno CCCXXXVII. nulla fuit. Tanti certè non erat aut abdicatio Marcelli Ancyrani, quæ justa videbatur, aut exilium Athanasii, qui Treveris honorificè exceptus tranquillam vitam agebat, aut Clericorum nonnullorum deportatio, cui nil gravis erat incommodi, ut quietem centum & sexdecim Episcoporum turbaret, respirandique facultatem eriperet. Cùm igitur Autor subditi Concilii generatim sciret imperante Constantio, Orthodoxos in Oriente ab Arianis multum injuriarum passos imperitia haud ferenda, lachrymabilem huic anno vexationem cohæsisse sibi induxit in animum.

De Juvenco & Commodiano Poëtis.

XV. Constantini imperium illustrarunt viri celebres, quos inter Juvencus Poëta non ignobilis, de quo Hieronymus: *Juvencus nobilissimi generis, Hispanus Presbyter, quatuor Evangelia hexametris versibus penè ad verbum transferens, quatuor libros composuit, & nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino Principe.* Quod & ipse testatur Juvencus, in Operis sui conclusione:

Pax hac mihi sæcli
Quam fovet indulgens terra regnator aperta
Constantinus, adest cui gratia digna merenti,
Qui solus Regum, sacri sibi nominis horret
Imponi pondus, &c.

Eo tempore quo Juvencus floruit & *Commodianus* Poëta, ortu Ethnicus, qui superstitione relictâ Christi disciplinam coluit:

Ego similiter erravi tempore multo
Fana prosequendo.

Opusculum suum, quod titulum habet *Instructiones*, Romæ composuisse videtur. Stylus Africanam rusticitatem sapit. Ex Veteribus soli mentionem Commodiani fecere Gennadius atque Gelasius, qui etiam illum atro carbone notavit ad Apocrypha relegatum. Millenariorum favet errori instructione XLIV.

Et generant ipsi per annos mille nubentes.

Anno U. C. 1091. Per. Jul. 5051. Jul. 383. Dom. 338. Constantii I. 2. *Sol.* 11. A. *Lun.* 16. *Indict.* 11. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 7. P. 26. *April.*

Anno Dom. 338.

Coss. Ursus & Polemius.

Mecilinius Hilaniarius Præfectus Urbis.

Nisibim Sapor obsidet: variæ urbis hujus obsidiones.

I. PErsis terroris non minimum injecerat Constantini Magni expeditio. Supplex ad eum Saporis legatio venerat, quâ se imperata facturum pollicebatur. Eâ benignè susceptâ, pacis fœdera fuerant renovata. At mortuo fortissimo Imperatore, Barbaris spes affulsit læti successus. Itaque & pactorum, & novi Principis spretor Persarum Rex, Romanam ditionem hostiliter ingressus, Nisibim adoritur. Pagius Chronicum secutus Alexandrinum, in annum proximè elapsum expeditionem contulit. Non multum tamen hîc apud eruditos Chronici hujus autoritas valere debet, cum bellum à Sapore illatum tradit Constantini ante obitum: *Constantius in Oriente auditâ patris morte, bello adhuc urgente in Mesopotamia, Constantinopolim advolavit.* Quod sanè pugnat historiæ. Expeditione Constantini in Persas oppressi motus fuerant, paxque constituta? Neque ante auditam Constantini mortem bello se Sapor accingere potuit, qui fortissimi Imperatoris fortunam, & virtutem metuebat. Vix ergo ante præsentem annum exercitu collecto Nisibienses muros obsidione cingere potuit. Ter porro Nisibis à Sapore est obsessa. Primæ obsidionis Chronicum meminit Alexandrinum; *Sapor Rex Persarum Mesopotamiâ per incursionem populatâ, Nisibin dies LXIII. obsedit, desperatâque occupatione recedit.* Secunda longè memorabilior anno est CCCL. alliganda. Allato quippe de Constantis obitu nuncio, & Magnentii tyrannide, Persæ qui rebus suis amplificandis invigilabant, Nisibi obsidionem admovent, quam ob materiæ affinitatem, ac veluti cognationem uno tenore memorabimus. Hunc obsidionem cum Sergii & Nigriani Consulatu copulat Chronicum Alex. nec immeritò: *Sapor Persarum Rex, impetu facto in Mesopotamiam, centum diebus Nisibin obsedit.* Jam dies septuaginta Sapor in obsidendo contriverat, machinas construxerat, testudines admoverat, vallum ac fossas duxerat: neque urbem expugnare potuerat. Fluvius cui Migdonio nomen, mediam civitatem interfluit: fluxum aquæ extructis longè supra urbem aggeribus cohiberi placuit, repenteque in muros, veluti arietem immitti. Quam vim cùm murus sustinere non potuisset, inclinatus corruit. Sed & pars muri altera, quâ Migdonius fluvius erupit, ruentis aquæ impetu subvertitur. Tum Sapor sperans se citra pugnam urbe potiturum, die quidem illo quievit, ut vado fluvius transiri posset. Posterâ die dum copiis omnibus urbem aggreditur, murum utrinque instauratum videt. Id Jacobus Nisibis Episcopus precibus non ad murum, sed intra Ecclesiam fusis perfecerat, quarum vi militum civiumque corroboraverat animos, ut & murum repararent, & impositis ei machinis irruentes hostes repellerent. Alio prodigio Sapor in terrorem conjicitur. Audierat Constantium Antiochiæ morari. In muro tamen conspicit quendam imperiali cultu ornatum, & purpuræ diadematisque fulgore radiantem. Quem cùm Impera-

peratorem Rom. esse conjiceret, mortem illis minatur, qui procul abesse nuntiaverant. Ubi verò affirmarunt Constantium Antiochiæ versari, tum *Deum pro Romanis pugnare* dicens, furore abreptus sagittam in cœlum conjicit. Ad hæc Ephrem Jacobum rogat, ut conscenso muro, imprecationis tela in Barbaros immitteret. Cui obsecutus turrim quandam petit; visâque innumerabili hominum multitudine, oravit ut immissis in eos cimicibus & culicibus, adjutoris potentia cognosceretur. Orationem Jacobi nubes animalculorum protinùs excepit, quì & elephantorum proboscides, & equorum aures complevere. Quem impetum cùm sustinere non possent, abruptis loris sessores excutiunt, ordines conturbant, relictoque exercitu fugam arripiunt. Sapor verò inde recedens, ignominiam ex obsidione retulit, non victoriam. Hujus & obsidionis in Philostorgio mentio est. Contigit verò anno reparatæ salutis CCCL. Nisibim tertiò obsident Persæ sub annum CCCLX. Audiatur Zozimus: *Persæ qui Saporem habebant Regem, Mesopotamiam infestis grassationibus vexabant. Et vastatis omnibus ad Nisibim sitis, urbem ipsam totis viribus obsidebant. Sed cùm Dux Lucillianus obsidioni sustinendæ idoneus, partim oblatis fortè fortunâ occasionibus, partim stratagematis rectè fuisset usus, urbs imminentibus malis est erepta, licet extremum in discrimen adducta fuisset.* Tot obsidiones Nisibi claritudinis non minimum conciliarunt.

Theodorit. l. 2. c. 30.

Zozim. l. 3. c. 8.

Aulam Constantii inficit Arianismus.

II. Petierat Orientem Constantius, Persis ut obsisteret, Antiochiæque constitutus plurimas leges conscripsit. Cùm autem imbecillis fluctuantisque esset ingenii, ab Eunuchis potius suis regebatur, quàm ipsos regebat. Quæ maximo adjumento fuere ad promovendum Arianismum. Honorem habebat Imperator Presbytero, cui & testamentum & mandata Constantinus moriens commiserat, ut fidenter & liberè palatium ingrederetur. Quæ licentia brevi Presbyterum familiarem reddit, & Imperatoris conjugi, & Eunuchis. Eo tempore Præpositus erat regii cubiculi Eusebius, homo ad nocendum promptissimus, immanis & avaritiæ, quæ cum crudelitate certabat: *Huic Presbyter persuasit, ut Arii opinionem amplecteretur. Quo factum est, ut cæteri etiam Eunuchi in eandem sententiam adducerentur. Sed & ipsa Imperatoris uxor, & spadonum, & Presbyteri hortatu Arii partibus sese adjunxit. Nec multò post ad Imperatorem ipsum pervenit hæc quæstio, paulatimque evulgata, primùm quidem iis innotuit, qui in palatio militabant. Posteà verò ad ipsum quoque regiæ urbis vulgus permanavit. Et in palatio quidem cubicularii unà cum mulierculis de hoc dogmate disputabant. In urbe verò per singulas propè domos bellum quoddam dialecticum gerebatur. Porro hujus mali labes alias quoque urbes ac Provincias brevi corripuit. Et hæc quidem in Orientis partibus gerebantur. Urbes enim Illyrici, & quæ in Occidentis partibus sitæ sunt, interim quievere, quippe quæ Nicæni Concilii Decreta labefactare nollent.* Ingravescente malo spes Eusebianis erat, Alexandriæ Episcopum posse constitui, qui errori patrocinaretur. Sed consilium prævenit Athanasii reditus.

Socrat. l. 2. c. 2.

Athanasii solvitur exilium. Redit Alexandriam.

III. Athanasius per biennium ac menses quatuor *Treveris* moratus, tandem liberatur exilio. Neque invitis fratribus Augustis rediit, qui deportatis concessere, ut in suam quisque patriam reverteretur. Viminiaci agentem Constantium Athanasius salutatum ivit. Urbs est Mœsiæ superioris Viminiacum. Salutationis meminit Athanasius: *Dignatus es sub tuum conspectum venire primum Viminiaci.* Præcipuè Constantini Imperatoris fretus literis, per Syriam Alexandriam revertitur. Parente suo filius Sancto Præsuli longè æquior exilium ejus solverat, ut quod prior Constantinus mali fecerat, Constantinus alter emendaret. His ergo literis exulem commendat Alexandrinis: *Constantinus Cæsar populo Ecclesiæ Catholicæ civitatis Alexandrinorum. Nec sanctissimæ mentis vestræ notitiam illud arbitror præterire, Athanasium venerandæ Legis Interpretem, ad tempus ideircò missum esse in Gallias, ne quoniam cruentorum ejus hostium feritas sacratissimo illius capiti extremum periculum minabatur, ipse per nefariam improborum hominum perversitatem mala insanabilia sustineret. Quamobrem ut hanc feritatem evitaret, ereptus est faucibus eorum, qui ipsius capiti imminebant, jussusque sub mea ditione degere, ita ut in ea urbe quam incolere præceptum ei fuerat, omnibus necessariis abundaret, tametsi ejus eximia virtus divino freta præsidio, asperioris etiam fortunæ ærumnas parvipendat. Proinde etsi Dominus ac parens noster divæ memoriæ Constantinus Augustus eumdem Episcopum in pristinum locum restituere proposuerat, ac vestræ sacratissimæ pietati reddere, quoniam tamen humanâ sorte præventus priusquam votum suum implesset, ex hac luce migravit, consentaneum esse existimavi, ut divæ memoriæ Principis propositum ego utpote hæres executioni mandarem. Quanta porro reverentia illi à nobis exhibita fuerit, ex eo ipso simul atque in conspectum vestrum venerit, cognoscetis. Nec mirum est, ejus gratiâ aliquid à me factum fuisse. Ad hoc enim & imago quædam amoris vestri, & tanti viri species animum meum movit & incitavit. Divina providentia vos servet, fratres carissimi.* Reversum cum hisce literis Athanasium, urbani & rustici, Primores & plebeii cupidè exceperunt. Solos Arianos reditus ille cruciabat. Sed & Augusti fratres Constantinus, Constantius, & Constans jusserunt exulem quemque in suam Ecclesiam, & patriam reverti.

Theodorit. l. 2. c. 2.

Athanasius anno duntaxat 338 restitutus. Solvuntur argumenta Valesii.

Vales. observ. in Socr. c. 1.

IV. At huic nostræ Chronologiæ clarissimus se Valesius opponit. Anno CCCXXXVII. Athanasium restitutum esse, eo contendit argumento, quod à verisimilitudinis specie aliquâ non relinquitur. Nimirum si patriam Athanasius suam anno CCCXXXVIII. repetiisset, *Constantinus Junior non Cæsarem se, sed Augustum appellasset, nec à Constantino Juniore restitutus fuisset Athanasius, sed à Constantio, cui Orientis imperium obtigerat.* Hinc conficit, restitutum esse Athanasium, *antequam Constantini Senioris filii à militibus Augusti essent nuncupati*, quod anno superiore contigit. His tamen rationibus communem convelli sententiam haud existimamus. Meritò Pagius observat, Constantinum, licet *Augustum*, Cæsaris sibi titulum arrogasse, quia Alexandria, quam petebat Athanasius, fraternæ quidem, non suæ ditionis erat. Idcircò à titulo Augusti temperavit. Sic in Actis purgationis Cæciliani coram Æliano Proconsule, anno CCCXIV. *Constantinus Maximus semper Augustus & Licinius Cæsar, ita pietatem Christianis exhibere conantur.* Eo tempore Licinius Augusti fulgebat honoribus, Cæsar tamen appellatur, quia Carthago, quam Cæcilianus nomine Episcopi administrabat, Constantini in potesta-

ANNO DOM. 338.

testate habebatur. Causæ quoque subest aliquid, cur non à *Constantio*, sed à *Constantino* restitutus dicatur Athanasius, quia priorea in ea re Constantinus partes habuit, utpote fratrum maximus, non absque tamen Constantii consensu, qui Alexandriæ imperabat, quod & nos Epiphanius docuit : *Post Constantini obitum Athanasius, qui summa in omnium autoritate & gratia, ac non modò Romæ, sed & Italiæ totius, imò & Imperatoris, ejusque liberorum, Constantis, ac Constantini aprobatione florebat, ab his duobus Imperatoribus post mortem parentis in Ægyptum remittitur assentiente Constantio, qui tum Antiochiæ versabatur.* Quo Epiphanii testimonio nostra Chronologia statuitur. Hoc quippe anno Constantius morabatur Antiochiæ, in qua versatum fuisse scimus, cùm in Ægyptum transiisset Athanasius. Neque Constantinianæ Epistolæ subscriptio anni est CCCXXXVII. *Datum Treveris* XV. *Kalend. Julias.* Maii XXII. Constantinus excessit diuque fuit, cùm corpus ejus perinde ac vivum genu flexo salutabatur : *Hac longi temporis spatio assiduè gesta sunt.* Ubi Constantius venit Constantinopolim, funus elatum, testamentum dein apertum Constantino atque Constanti prius notificatur, quàm exilio solveretur Athanasius. Quis verò sibi facile persuadeat, ad hæc omnia dies viginti quinque sufficeisse? His accedit, quòd tres in colloquium fratres jam venerant, cùm remissus est Athanasius, cujus verba etiam sunt atque etiam ponderanda : *Constantinus, Constantius, & Constans, post obitum patris sui, jusserunt quemque in suam Ecclesiam, & patriam reverti, scribentes quidem de singulis ad singulas ipsorum Ecclesias.* Ipse quidem Athanasius, testatur se Constantii in conspectum primùm venisse, *Viminaci* ad Danubium in Mœsia prima. Constat autem, Legem IV. Codicis Theodosiani *de petitionibus* datam esse pridie Id. Jun. Viminiaci, quo Constantius anno superiore adesse haud potuit.

Epiph. h. 68. n. 9.

Athan. Apol. 806.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 67.

Athanas. ad. Solit. 814.

Athan. Apol. 676.

Galli & Juliani educatio.

V. De Gallio Julianoque ut annum absolvamus, pauca dicamus. In Cappadocia degere jussi fuerant apud villam, cui *Macello* nomen : *Sita erat ad Argæum montem, haud procul ab urbe Cæsarea, quæ & magnificum habet palatium, & lavacra, & hortos, & fontes perpetuos. Illic ambo regali cultu educati sunt atque instituti. Ibi denique ab humanarum artium Magistris, & à Doctoribus Sacrarum Literarum ita sunt erudsti, ut in Clerum ascriberentur, & Ecclesiasticos libros populo prælegerent. Moribus quoque & factis pietatem præ se ferebant.* Præceptorem humaniorum literarum Julianus *Mardonium* habuit, genere Scytham, quem avus ejus educaverat, ut matri Homeri atque Hesiodi poëmata exponeret. Illa paucis post mensibus defuncta, primum & solum filium Julianum reliquit, qui post annum septimum Mardonio instituendus traditur, quæ in oratione sua adversus Antiochenses ipse prodidit. Moribus pietatem fratres præ se ferebant; Sacerdotes & Christianæ doctrinæ studiosos plurimi faciebant; Martyrum sepulchra venerabantur. Quo tempore aiunt illos sepulchrum Mamæ Martyris amplissimâ Basilicâ circundare studentes, opus inter se partitos esse. Dum alter alterum magnificentiâ superare contendit, accidit res dictu mirabilis. Pars operis quæ Gallo obvenerat, attollebatur; ex operibus autem Juliani alia corruebant, alia ex fundamentis sursum propellebantur.

Zozom. l. 5. c. 2.

Sozom. l. 5. c. 2.

ANNO U. C. 1092. PER. JUL. 5052. JUL. 384. DOM. 339. CONSTANTII 3. *Sol.* 12. G. *Lun.* 17. *Indict.* 12. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 1. *P.* 15. *April.*

ANNO DOM. 339.

COSS. Constantius Aug. II. & Constans Augustus.

Turgius Apronianus *menses tres Præfectus Urbis. Item Kal. Novemb.* Fabius Titianus.

I. LEgum complurium ferax annus fuit sapientiâ, & æquitate conditarum. Prima data est à Constantino Juniore, Treveris agente VI. Idus Januar. Rescribit ad Celesinum : *Retum Carthaginis splendidissima Senatum, & exiguos admodum Curiales residere conquestus es, dum universi indebita dignitatis infulas fœdâ familiaris rei vexatione mercantur. Igitur istiusmodi viri demptis honoribus imaginariis, cujuscemodi illi erunt quos fuerunt consecuti, civicis muneribus subjungentur. Quod equidem per omnem Africam servari oportet.* Quarto Kal. Septembris lata lex est in adulteros, Imperatoribus rescribentibus Catulino, *Sacrilegos nuptiarum tanquam manifestos parricidas insuere culeo vivos, vel exurere judicantem oportere.* Prohibuerunt etiam Christianas Judæis nubere.

Leges Imperatorum de emptoribus dignitatum & adulteris.

II. Ex Athanasii reditu magnam Ariani animo molestiam ceperant. Quorum error in publicum duci triumphum videbatur. Quos falsis accusationibus oneratos in exilium Episcopos ejecerant, illi cum Athanasio patriæ reddebantur. Ac pro superioribus lachrymis, quibus Præsulis sui vicem dolebat Ægyptus, in gaudia erumpebat. At quotquot Alexandriæ Arianismo favebant, societate adversus Athanasium initâ conspirabant. Hinc crebræ seditiones exortæ, quæ accusandi materiam Eusebianis magnam præbuere. Crudelissimis ergo placuit hominibus perniciem moliri pietatis propugnaculo. Parricidales literas scribunt; in accusationem innocentis coeunt; libellos porrigunt Imperatoribus; homicidia Athanasio objiciunt; calamitates exulum, quasi ab eo illatas deplorant : *Judicum Acta, & damnatos à Præfecto Ægypti, ad Athanasii culpam transferunt.* Cum verò non satis esset hac in calumnia præsidii, de alia struenda cogitant : *Frumentum dabatur ab Imperatorum patre in alimentum viduarum, partim Libycarum, partim Ægyptiarum, Athanasio nihil inde nisi operam & laborem referente. Interim dum & illæ perciperent, nec ulla querela esset de non accepto alimento, idque ipsæ confiterentur, accusatur Athanasius, quòd universum frumentum divenditum in suos usus seposuisset.* Cui calumniæ *Constantius* credulum se præbuit. Præcipuum verò accusationum caput hoc fuit, quòd contra regulam Episcopatum absque Concilii decreto recuperaverat, deinde quòd sub ingressum ejus exorto tumultu multi in seditione occubuissent, & quòd alii quidem verberibus ab illo affecti fuissent, alii in judicium adducti. Hæc datis ad Imperatores literis significant, qua de re verba Athanasii sunt animo recondenda, utpote quæ nos doceant de tempore excitatæ tragœdiæ hujus : *Eusebiani videntes hæresim suam succumbere, & Romam, & ad Imperatores Constantinum, & Constantem contra Athanasium scribunt; sed quia ab Athanasio missi Legati mendacia eorum refutabant, ab Imperatoribus cum pudore rejecti sunt.* Cùm enim *Acyndino* & *Proculo* Coss. anno Dom. CCCXL.

Arianorum in Athanasium conflatæ accusationes post ejus reditum.

Athanas. Apol. 737.

Socrat. l. 2. c. 8.

Athan. ad Solit. 815.

ANNO DOM. 339.

CCCXL. *Constantinus* Junior perierit, apparet anno CCCXXXIX. accusationes in Athanasium conflatas fuisse.

Eusebiani adversus Athanasium Legatos mittunt.

III. Expugnandæ Athanasii innocentiæ aliam Eusebiani machinam moliuntur, de qua Athanasius: *Quin & Eusebiani ad Julium literas misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt.* Literarum meminit & Epistola Synodi Sardicensis ad universas Ecclesias. Scribentium nomina reperiuntur in exemplo Epistolæ, extantis in fragmentis Hilarii: *Scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Diognito, Ursacio, Valente.* Legatos, qui ferrent Epistolam, misere *Macarium* Presbyterum, *Martyrium, Hesychiumque*, Diaconos. Qui & Autores Julio fuere, ut scriberet *Pisto* cuidam Ariano, qui & eo nomine, ab Alexandro, & Synodo Nicæna ejectus fuerat; gradumque suum à *Secundo*, ob eundem errorem damnato acceperat. Quæ Athanasii Presbyteri supervenientes, Julium docuere. Ea igitur quæ Macarius, Martyrius, Hesychiusquè comminiscebantur adversus Athanasium, Presbyteri ejus potentissimè refellebant. Julium ipsum audiamus: *Vestri Legati nullo modo cùm huc venissent, pares Presbyteris ab Athanasio missis, at semper ab illis convicti refutatique, Concilium indici à nobis postularunt, literasque & ad Eusebianos, & ad Athanasium* Alexandriam, quibus convocarentur, *mitti, ut coram omnibus justo judicio de causa cognosci posset, tum enim se de Athanasio probaturos quod jam nequirent. Publicè enim coram nobis Martyrius & Hesychius refellebantur, Athanasii Presbyteris bona cum fiducia alacriter resistentibus. Martyrius verò cum suis, si vera dicenda sunt, ubique profligebatur, ac proinde Concilium generale postulavit.* Porro Macarius, qui Legatus ab Eusebio venerat, ubi audivit Athanasii Presbyteros *Pisto* obsistere, nec Hæreticum à Julio admitti, valetudine licet affectus unà cum Martyrio, & Hesychio de nocte proficiscitur. Hæc una fuit Eusebii ad Julium legatio, quam errando Socrates Antiochenæ Synodo anno CCCXLI. celebratæ posteriorem esse putat: *Eusebius verò cùm quæcunque voluerat perfecisset, legationem misit ad Julium Romanæ urbis Episcopum, rogans ut causæ Athanasii ipse Judex esse vellet, & cognitionem negotii ad se traheret.* Ductorem erroris hujus multis se Socrates præbuit. Nil tamen legationis post Synodum Antiochenam misit Eusebius. Quam Julio Eusebiani scripserant Epistolam, ea à Julii Presbyteris allata est: *Legi Epistolam vestram, quam mihi mei Presbyteri Elpidius & Philoxenus attulerunt.*

Athanas. Apol. 739.

Lab. Concil. t. 2. 691.

Athan. Apol. 743.

Athanas. Apol. 741.

Athan. Apol. 743.

Socrat. l. 2. c. 11.

Athan. Apol. 739.

Arianus furor Antonio per visum significatur.

IV. Sic furoris sui semina Ariani sparsere, quæ miris modis increverunt. Nec futurorum malorum omen defuit. Quippe Antonius *sedebat quasi raptus extra se, multumque contemplationi vacabat cum suspiriis. Horâ elapsâ integrâ conversus ad illos qui cum ipso erant, ingemiscebat tremensque orabat flexis genibus, perquam diu. Cùmque flens surgeret senex, tremefacti fratres & metu valde perculsi, rem ut patefaceret rogabant, tum molestè, ut invitus tandem dixerit graviterque gemuerit. Hæc autem ejus erant verba, Filii, præstaret prius emori, quàm visa eventum sortirentur. Illis iterum agentibus, Plorans inquit, ira Ecclesiam invadet viris tradenda, qui à feris rationis expertibus nihil discrepabunt. Vidi enim mensam Domini, & mulos stare circumcirca, atque ita calcibus petere interiora, quasi bestiis confusè saltantibus calcitratus fierent. Sensistis planè quàm suspirarim. Audivi enim vocem dicentem, Altare meum fiet execrabile.* Biennio pòst exoritur ab Arianis Ecclesiarum persecutio. Hujus ostenti meminit & Chrysostomus.

Athan. vit. Anton. t. 2. 497.

ANNO DOM. 340.

Homil. 8. in Matth.

ANNO U. C. 1093. PER. JUL. 5053. JUL. 385. DOM. 340. CONSTANTII 4. *Sol.* 13. F. E. *Lun.* 18. *Indict.* 13. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 2. 3. *P.* 30. *Mart.*

COSS. Acyodinus & Proculus.

Fabius Titianus Præfectus Urbis.

Constantinus Junior occiditur.

I. QUod ingeniosus Poëta canit, *Fratrum quoque gratia rara est*, in Constantini filiis verum deprehenditur. Non integrum triennium compleverat Constantini Junioris, & Constantis concordia, cùm ad dissidia itum. Rem diversi narrant Historici: *Constans*, verba sunt Zosimi, *incautum fratrem opprimere volens, inimicitias toto triennio dissimulas, expectatoque tempore, quo Provinciam sibi fidam & benevolam ingressus erat, ablegat milites, specie quidem tenus opem Constantino laturos in gerendo bello Persico, sed reapse Constantinum nihil tale scientem oppressuros.* Longè verosimilior est narratio Victoris in Epitome. Quid Constantino cum Persis, qui Constantii, non *Constantini* imperium adoriebantur? Audiamus potius Victorem, cui cæteri consentiunt Historici: *Interim ob Italiæ Africæque jus, dissentire statim Constantinus, & Constans cœperunt. Constantinus latrocinii specie, sudèque temulentus, in aliena irruit, obtruncatus est, projectusque in fluvium, cui nomen Alsa est, non longè ab Aquileja.* In medio duorum exercituum interceptus, equo vulnerato, & ex vulnerè efferato excussus, multis vulneribus conficitur, narrante Zonarâ l. 13. Sic Constantinus bellum fratri prior inferens, mortem violati fœderis mercedem habuit. Ita Respublica ad duos Augustos redigitur. Acyndino & Proculo Coss. Constantinum occisum esse Fastis monemur, qui Idaciani usurpantur. Periit sub finem Martii.

Zosim. l. 2. cap. 41.

Mors Eusebii Cæsariensis. Arianus non fuit.

II. Clarorum quoque virorum mortibus annus percelebris fuit. Obiit Eusebius Cæsariensis, quem Historiæ Ecclesiasticæ patrem appellare licet. Ac Baronio aliisque compluribus repugnantibus lubentes cum Socrate, Gelasioque Cyziceno, Eusebium Arianis eximimus. Ea quidem congrua semper visa nobis est regula, de Autorum fide judicandi, quam Socrates adhibuit, ut nimirum, non ex fama, non ex aliorum testimonio, quod fallax sæpius deprehenditur, sed ex scriptis Autoris ipsius, qui accusatur, instituatur judicium. Gravissimus autem ille locus est ex libro primo contra Marcellum depromptus: *Unigenitus Dei Filius solus ipse, & non alius prædicatur, & est. Unde meritò quis reprehenderit eos, qui creaturam illum dicere non dubitarunt, ex nihilo conditum perinde ac reliquas creaturas, quomodo enim Filius fuerit, quomodo unigenitus, si eandem cum cæteris creaturis naturam sortitus est, unusque è numero rerum creatarum, utpote qui unà cum illis ortus sit ex nihilo? Verum divina oracula non ita de illo prædicant.... Quisquis igitur Filium Dei, ex nihilo factum & creaturam è non extante productam esse asserit, is non animadvertit, se nudum quidem nomen Filii ei concedere, reverà tamen eum Filium pernegare. Qui enim ex nihilo factus est, verè Filius Dei esse non*

Socrat. l. 2. c. 21.

non potest, sicut nec quidvis aliud quod factum sit. Arianusne is est, qui Filium aut creaturam, aut ex nihilo esse diserte inficiatur? Equidem si creatura non est, si non ex nihilo Filius est, æternum & creatorem illum esse oportet. Eò gloria Eusebii progressa est, ut in Sanctos relatus sit apud Martyrologia. Ejus memoria die xxi. Junii celebratur. Non alium sanè quàm Cæsariensem Eusebium quærere licet, in Canonis Victorii Præfatione: *Recensitis fidelibus Historiis, Beati scilicet Eusebii Cæsariensis Palæstinæ civitatis Episcopi, Chronicis prologoque.*

Vict. Præf. cap. 7.

Alexandri Constantinopolitani obitus.

III. Alexander magnus pro pietate laboribus defunctus, cælestem quoque Spiritum Deo reddidit. Constantinopolis Episcopus tres & viginti annos egerat in Sacerdotio: octo verò & octoginta natus, ex hac luce migravit, nemine suum in locum subrogato: *Mandavit tamen iis penes quos jus eligendi erat, ut alterum ex duobus, quos ipse nominaret, eligerent. Ac si quidem eum vellent, qui & ad docendum idoneus, vita ac morum integritate conspicuus esset, Paulum quem ipse Presbyterum ordinaveat, assumerent ætate quidem adhuc juvenem, sed prudentiâ senem. Sin eum sibi mallent, qui externâ tantum specie gravitatis commendaretur, Macedonium eligerent, qui Ecclesiæ illius jam pridem erat Diaconus, & ad senilem vergebat ætatem.* Diaconi titulum in illum Presbyteri Socrates mutare debuit. Alexandri memoria Græcis recolitur, Augusti die xxx. Latinis verò biduo citius. Eximiâ eum laude prosecutus est Nazianzenus, dum Constantinopolitanos sic compellat: *Egregii illius Alexandri discipuli estis magni Trinitatis propugnatoris & præconis, qui rebus & verbis impium errorem depulit, & profligavit. Neque enim memoria vobis excidit Apostolica illa oratio, qua impietatis autorem & Antistitem sustulit, idque in locis impurissimâ linguâ dignis, nimirum ut contumeliâ contumeliam ulcisceretur.* Defuncto Alexandro in creando Episcopo exorta contentio Ecclesiam conturbavit. In duas partes Constantinopolitani discesserant: multi Ariano dogmati favebant, plures Nicæna Decreta sequebantur Alexandro superstite. At postquam ille fato functus est, anceps utrinque fuit concertatio. Orthodoxi quidem Paulum designant Episcopum: Ariani studia sua in *Macedonium* conferunt; Pauli tamen electio prævaluit, qui in Ecclesia, quæ dicitur *Irene*, illi contiguâ, quam postmodum Sophiam vocarunt, Episcopus ordinatur, *In quo sanè videbatur mortui Alexandri valuisse suffragium.*

Naz. Or. 27.464.

Socrat. l. 2. cap. 6.

Paulus creatur Constantinopolis Episcopus. Deponitur.

IV. Ad res seculares, & cum Judicibus colloquia potior Macedonius habebatur. Verùm ad res agendas & ad dicendum, instructior Paulus erat, qui in Ecclesia cum summa laude docuit, ad varios autem fortunæ casus, & ad colloquendum cum potentioribus non adeò comparatus. Quo tempore Presbyteris inscribebatur Paulus, à Constantino Magno in Pontum fuerat relegatus, anno uti verisimile CCCXXVIII. cùm Antiochenus in exilium ejectus est Eustathius, quo cum sine mora *ingentem Presbyterorum & Diaconorum turbam* pulsam esse, Athanasii ad Solitarios Epistola docuit. Ne ad Episcopatum Constantinopolitanum promoveretur, Macedonius intercessit æmulus objecto crimine, uti novimus ex Athanasio, qui ordinationi interfuit: *De Paulo verò Constantinopolitano Episcopo nemini arbitror ignotum esse. Quantò enim clarior civitas, tantò minus factum celari poterit. Etiam huic quoque crimen objectum est, idque falsum fuisse, vel inde colligas, quòd qui illum accusavit Macedonius, nobis in ea accusatione præsentibus cum eo, cujus Presbyter erat, communicavit.* Quibus apparet, Macedonium non *Diaconum* quidem, uti Socrates prodit, sed *Presbyterum* fuisse, quo tempore Alexander abiit ad plures. Porro paucis mensibus Paulus Episcopatum tenuit. Aberat quidem *Constantius*, cùm Paulus ordinatur: ubi verò in urbem Regiam venit, id factum permolestè tulit, quasi Episcopatus indigno commissus fuisset, perque insidias eorum, qui *Paulo* erant infensi Synodo convocatâ, illum Ecclesiâ expulit. Cujus abdicationis illæ causæ afferebantur, quòd & turpiter vixisset, & præter sententiam Eusebii Nicomediæ, & Theodori Heracleæ Episcoporum, ad quos utpote finitimos ordinatio pertinebat, consecratus fuisset. Ordinatus enim ab illis fuerat Episcopis, qui tum Constantinopoli morabantur, quos inter adfuit Athanasius.

Athan. ad Solit. 843.

Sozom. l. 3. c. 4.

Num Constantini Magni ante obitum Paulus Alexandro successit?

V. Viri tamen doctissimi *Hermantius* atque *Valesius* nostram de Pauli electione Chronologiam respuunt. Ac imperante Constantino Magno Paulum Alexandro suffectum esse, his docent argumentis: *Athanasius in Epistola ad Solitarios non procul ab initio, ait illum à Constantino primum relegatum fuisse in Pontum: quod de Paulo Presbytero intelligi nullo modo potest. Etenim Athanasius omnes ab initio recenset Episcopos Orthodoxos, quos Ariani ex sedibus suis expulerant? Postremò de Paulo Constantinopolitano Episcopo nemini arbitror ignotum esse . . . & primum quidem à Constantino in Pontum relegatus est.* Speciosum quidem argumentum, cui tamen commoda solutio afferri potest: nempe uno eodemque tenore eas ab Athanasio recenseri persecutiones, quas Paulus & in Presbyteratu, & in Sacerdotio passus est: Presbyterum adhùc agebat, cùm in Pontum à Constantino ejectus est. Quòd si imperante Constantino Paulus Constantinopolis Episcopus creatus est, ejus utique ordinationi Athanasius adesse non potuit, cui tamen interfuisse constat. Missus enim in exilium antè fuit, quàm Alexander Constantinopolitanus ad fata veniret: nec Treveris excessit, nisi mortuo Constantino Magno. Quo argumento cùm obrueretur opinio Valesii, alterum ab Hæresiarcha Arium iu illo quærere cogitur, qui Encæniis Hierosolymitanis, anno CCCXXXV. in communionem susceptus est. Aliud Valesio nascitur argumentum ex Synodica Sardicensium Orientalium Epistola: *Paulus verò Athanasii depositioni interfuit, manuque propriâ sententiam scribens, cum cæteris etiam eum ipse damnavit, & quamdiu quisque eorum Episcopus sua judicia confirmavit.* Ac primum suspectum nobis esse fatemur id testimonii. Quis sibi in animum inducat, *Paulum* abdicationem usque suam Athanasii confirmasse exautorationem? Hoccine dissimulasset Athanasius? Tantâne benevolentiâ Pauli memoriam prosequeretur? Redintegratæ saltem communionis mentionem fecisset. Deinde Paulum Athanasii subscripsisse depositioni concedamus. Non suo, utpote qui Presbyter Tyriensi cœtui interfuit, nomine subscripsit, sed ut Legatus Alexandri, quomodo Vitus & Vincentius Sylvestri nomine Synodum Nicænam confirmarunt. Potuit igitur *Paulus* perinde atque *Maximus* Hierosolymæ Episcopus errore inductus, Athanasium Tyriensi in conventu damna-

Lab. Conc. t. 2. 704.

Anno Dom. 340.

re: ex quo tamen non conficitur, ab Alexandro, cujus vices Paulus agebat, non a Paulo Athanasium fuisse damnatum. Non enim eò legatus ab Alexandro Paulus fuerat, ut damnationi Athanasii subscriberet, quæ futura ignotabatur. Nec illegitimam Alexandrini Præsulis abdicationem Constantinopolitanus probavit unquam. Nil igitur causæ est cur non in Acyndini & Proculi Consulatum, & Alexandri mortem, & Pauli electionem conferamus, Socrate & Sozomeno Auctoribus, qui cùm in Constantinopolitana civitate vixerint, de hujus urbis Episcoporum historia non sunt parvi faciendi. Ubi Paulus Episcopatu motus est, Constantius Eusebium Nicomediâ translatum, Constantinopoleos Episcopum designavit.

Synodus Alexandrina purgat Athanasium.

Error. Baronii.

Athan. Apol. 726.

VI. Intereà Synodus Alexandriæ congregatur, ut Athanasii innocentiæ multis calumniarum telis petitæ esset auxilio. Baronius, Labbæus aliique eruditi anno CCCXXXIX. Concilium adhærere existimant, sed in errorem lapsi sunt, qui ex ipsa Synodo refelli potest atque coargui: *Eusebius Athanasii creationem vituperat, homo qui ipse Episcopus creatus non est, aut si unquam jus Episcopi habuit, id ipsum resciudit, utpote qui principio Beryti pro Episcopo egerit, relictâque Beryto, Nicomediam se transtulerit, illam quidem Cathedram præter legem destituens, istam verò nullâ lege invadens proprii gregis sine ulla charitate desertor. . . . Nec tamen hunc ipsum Episcopatum, quem tantâ aviditate occupaverat, reservavit. Ecce enim jam denuò inde desiliens, alienum Episcopatum denuo obtinet.* Quis est Episcopatus ille, quem Nicomediensi rejecto Eusebius arripuit, nisi Constantinopolitanus? Cum igitur nonnisi defuncto jam Alexandro, qui Acyndino & Proculo Coss. naturæ satisfecit, Eusebius ad Constantinopolitanum Episcopatum promotus sit, luce clarius est, Synodum Alexandrinam, quæ sedentis jam in Constantinopolitana Cathedra Eusebii meminit, anno CCCXXXIX. esse posteriorem, neque sibi constare Baronium, dum Synodum Alexandr. anno 339. Alexandri verò mortem sequenti illigat. Quot huic Concilio Episcopi interfuerint, scimus ex Athanasio: *In nostra Provincia ad id convenerunt propemodum centum Episcopi.* In eo Concilio confecta est Epistola cum ejusmodi titulo: *S. Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto, Thebaide, Lybia, Pentapoli, omnibus ubique Ecclesiæ Catholicæ Episcopis dilectis, & desideratissimis fratribus, in Christo salutem.* Apologeticus est, quo Athanasius expurgatur, omnibusque adversariorum accusationibus satisfit, de Ischyra, Arsenio, fracto calice, quas ad nauseam usque Eusebiani recoquebant. Cædes quoque Athanasio multas objiciebant, pòst ab exilio reditum perpetratas. Quam sic calumniam eluunt Alexandrini: *Judicum Acta, & damnatos à Præfecto Ægypti, ut ipsi in suis scriptis fatentur, ad Athanasii culpam transferunt, adeò nihil illos pudet. Sævitiæ Athanasii imputant, cùm Athanasius per id tempus nondum Alexandriam ingressus fuisset, & per Syriam in itinere ab exilio reverteretur.* Egregios quoque mores Ecclesiæ pingunt: *Sacraria nostra semper pura innocentiaque fuere, nonnisi Christi sanguine ejusque cultu sanctificata: neque Presbyter, neque Diaconus ab Athanasio interfectus est, neque cædem illi aut exilium irrogavit. Utinam illi qui veram persecutionem induxerunt, nihil contra eum perpetrassent.*

Athan. Apol. 720.

Athan. Apol. 724.

Anno Dom. 340.

Paulum visitat Antonius, De Satyro in quem incidit. Fabulam esse demonstratur.

Error Baronii.

Hier. in Vit. Paul.

VII. Paulus Anachoretarum ille pater, qui tonante Decianæ persecutionis procella in sola loca secesserat, hoc anno & ab Antonio visitatur, & vitæ finem implevit. Baronius aliique complures in annum 343. ea contulere, metachronismo triennii. Neque satis accurata videtur doctissimorum *Hermantii*, *Pagique* sententia, quibus Pauli obitum anno 341. illigari placuit. Annos XC. natus erat Antonius, cum defunctum Paulum humo condidit: *Centum tredecim annos B. Paulus vitam cælestem agebat in terris; & nonagenarius in alia solitudine Antonius morabatur, ut ipse asserere solebat.* Ad annum verò Dom. CCLI. hæc habet in Chronico Hieronymus: *Antonius Monachus in Ægypto nascitur.* Quòd si primus annorum horum *nonaginta* Dionysianus est CCLI. igitur qui 340. numeratur, ultimus esse docet. De Pauli obitu audiamus Hieronymum: Antonio per noctem quiescente revelatum est, esse *alium ulterius multo se meliorem, ad quem visendum deberet proficisci.* Carpenti iter hippocentaurus apparet, cui Antonius: *Heus tu, inquit, quanam in parte hic servus Dei habitat?* Ille barbarum nescio quid infrendens, dextræ protensione manus cupitum indicat iter. Ulterius progressus, *Inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat.* Ad signum crucis confugienti animal *palmarum fructus ad viaticum, quasi pacis obsides afferebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & Quisnam esset, interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore Gentilitas, Faunos, Satyrosque, & Incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus.* Ut novo & inaudito sanè prodigio fidem astruat Hieronymus, *Alexandriam*, inquit, *istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & posteà cadaver exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.* Hic Baronius, hujus narrationis patronus *Hagiomachorum* nomine illos afficit, qui fabulæ assensum abnuunt. Pace tamen Hieronymi nobis licebit, & rationem, & Scripturam anteponere ipsius auctoritati. Ac primùm Plinius de Æthiopibus, *Satyrorum* quidem meminit, sed à naturæ humanæ institutis atque disciplina alienissimorum: *Satyris præter figuram nil moris humani.* In Satyro verò Hieronymiano humana omnia, lingua, ratio, fides in Deum. Hinc nova tela in fabulam. Esset enim ille Satyrus homo, & non esset. Non esset quidem, quia diversas ad species pertinent homo, & Satyrus. Esset tamen homo, quia mortalis rationis compos, atque sapientiæ Ægyptiacæ, & linguæ peritus, utens Antonii colloquio, imò gregis sui legatione fungens, quam sanè gentem pauperrimam fuisse oportet, cujus Legatus nullâ specie, nullis comitibus, pompâ nullâ fulgebat. Unus etiam laqueus nos impeditos tenet. Quid de grege Satyrorum actum sit, cùm Deo placuit *genus mortale sub undis perdere, & ex omni nimbos dimittere cælo.* Unum adversus vim diluvii perfugium arca fuit, quam nulli sunt ingressi Satyri. Ridiculum etiam Antonium precatos esse Satyros, ut pro se *communem Deum deprecaretur.* Quippe ita comparatum est in Scriptura, ut pro solis hominibus ad Deum fundantur preces,

Bar. An. 343. n. 2.

Plin. l. 5. c. 8.

qua-

quarum vis in eo fundamento collocantur, quod Deo lubent *Homines omnes salvari.* Preces tamen flagitante Satyro, *Longævus viator ubertim faciem lachrymis rigabat. Gaudebat quippe de Christi gloria, & de interitu Satanæ. Simulque admirans quòd ejus posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, ajebat, Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: Bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris.* Ignorabat igitur Antonius solorum hominum, quorum Christus naturam induit, Servatorem esse. Quod Pauli Apostoli est argumentum, negantis quia non *assumpsit Angelos*, illorum Redemptorem esse. Satyrorum verò naturam non sibi Christus magis sociavit. Sed nec nostro tempore, quo Africæ deserta notiora sunt, gens illa Satyrorum unquam deprehensa est. Quis ex naturæ finibus prorsus exterminatam fuisse credat. Quid multa? De Satyro unà cum Antonio miscente colloquia, ne verbum quidem Athanasius habet in vita Antonii post ejus obitum in lucem edita. Quam stupendam sanè rem, & miraculo proximam nunquam dissimulasset. Neque vim argumenti hujus obtundit Baronius, acumine dicamus an errore suo. Dicit Athanasium *res gestas Antonii scriptis commendasse, easque Romam detulisse à Julio vocatum, quo tempore hæc nondum acciderant.* Hoc en verbis Hieronymi ad *Principiam* extundit quidem, sed perperàm. De *scripta* Antonii vita nil refert Hieronymus: Marcella, inquit, *vitam B. Antonii adhuc tunc viventis Monasteriorumque in Thebaide, Pachomii & virginum, ac viduarum didicit disciplinam.* Non dixit, *legit* vitam Antonii, dixit *didicit*, sermone scilicet, & vivâ voce Athanasii, quâ ratione novit & *Pachomii* disciplinam. Quòd si vel concederemus scriptam Antonii vitam Athanasium in urbem attulisse, de vi argumenti nil decederet, quia dum id opus ad exitum perduxit Athanasius Satyri cum Antonio colloquium memorare debuisset: ac tantò magis, quòd in ea vita legitur, *Antonius bestiam vidit, forma humana ad femora usque, crura & pedes asinum*, quæ signo crucis cum Dæmonibus in fugam versa subitò cecidit, & mortua est. Quid ergo fiet de Hieronymo narrante *istiusmodi hominem*, Satyrum scilicet imperante Constantino Alexandriam vivum esse perductum, cujus post mortem cadaver sale infuso Antiochiam allatum est. Fateri possumus, aliquid monstri apud Alexandriam magnum populo spectaculum præbuisse, formaque externa Satyri speciem aliquam induisse. Mente tamen rationi præditum esse pernegamus. Quamquam & probabilissimum fiat, ex fama, quæ tam falsi est quàm veri nuncia, plebeioque rumore non explorato satis, de Antoniano Satyro Hieronymum scripsisse. Ut narrationis veritatem præstet Bellarminus, fingit Satyrum perinde atque Balaami asinam, *divino miraculo* locutum esse. Quasi verò miracula efficiant mendacia, quæ Satyri in oratione deprehendimus.

1 Tim. 2. 1.

Baron. An. 343. n. 6.

Hier. Ep. 16.

Athan. Vit. Ant. t. 2. 482.

VIII. Dum exoptatis Pauli & amplexibus, & colloquio perfruitur Antonius, viranti hæc Paulus loquitur: *Tu missus es à Domino, qui hoc meum corpusculum meum tegas, imò terram reddas. . . . Quamobrem, quæso, perge, & nisi molestum est, & pallium quod tibi Athanasius Episcopus dedit, ad involvendum corpusculum meum defer.* Mandanti ut obtemperaret, ad habitaculum Antonius suum reversus, ex cellula pallium protulit. Pauli speluncam ingressus, *Vidit genibus complicatis, erectâ cervice, extensisque in altum manibus corpus exanime. Obvoluto & prolato foras corpore, hymnos quoque & Psalmos de Christiana traditione decantans, contristabatur Antonius, quòd sarculum, quo terram foderet, non haberet.* Dum vario mentis æstu fluctuat, duo leones directo cursu ad cadaver beati senis subsistunt, adulantibus caudis, circa ejus pedes accumbunt, fremitu ingenti rugientes, quasi defunctum plangerent. Deinde haud procul humum pedibus scalpentes, *Unius hominis capacem locum foderunt, ac statim quasi mercedem pro opera postulantes, ad Antonium perrexerunt, manus ejus pedesque lingentes. At ille animadvertit benedictionem eos à se precari. Et manu annuens eis, ut abirent, imperavit.* Deposito corpore in fossam ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam ejus sibi vindicavit, quam in sportarum modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat, & sic ad monasterium reversus diebus solemnibus Paschæ & Pentecostes, semper Pauli tunicâ vestitus est. In ea Pauli vita multa esse non dissimulamus, quæ credulum Lectorem flagitant, ex incerta obscuraque fama deprompta. Historiæ tamen legibus parentes, ex Hieronymo ea subjecimus. Non est prætereundum, Antonium *vidisse, inter Angelorum catervas, inter Prophetarum & Apostolorum choros, niveo Paulum candore fulgentem, in sublime conscendere.* Quæ cum fide Purgatorii nullo modo conspirant.

Pauli obitus. Ab Antonio sepelitur.

ANNO U. C. 1094. OLYMP. 280. PER. JUL. 5054. JUL. 386. DUM. 341. CONSTANTII 5. *Sol.* 14. D. *Lun.* 19. *Indict.* 14. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 4 P. 19. *April.*

ANNO DOM. 341.

COSS. Marcellinus & Probinus.

Aurelius Celsinus Præfectus Urbis.

I. FRanci prædis & irruptionibus assueti, Romanorum ditiones lacessunt. Cujus expeditionis mentio est in Socrate: *Eodem tempore contigit ut Resp. turbaretur. Nam Francorum gens in Gallias irruptione factâ, Romanorum agros vastavit.* Irruptionis hujus tempus docet in Fastis Idacius Marcellino & Probo Coss. *pugna facta est cum gente Francorum à Constante Augusto in Galliis.* Gravi quoque motu telluris Oriens concutitur, quod non est à Socrate prætermissum: *In Orientis partibus gravissimi terræ motus fuere, & præcipuè Antiochia, quæ anno integro continuis terræ motibus concussa est.* Nil tamen concussionis passa est, si Fastis Idacianis creditur: *Terræ motus fuit ad Orientem, per totum annum, præter Antiochiam.* En Fastis liquet errasse Baronium, qui anno superiore terræ motum affixit.

Francorum in Gallias irruptio.

Socrat. l. 2. c. 10.

Ibid.

II. Pulcherrimam Constantinus M. Basilicam anno CCCXXXI. Antiochiæ extruere cœperat: decimoque post anno, quàm jacta fuerant fundamenta, nobile ædificium *Constantius* absolverat. Cui dedicando relictâ post abdicatum *Paulum* Constantinopoli, Antiochiam proficiscitur. Ante Constantinum consecrandis Ecclesiis nil solemnitatis adhibitum. Ubi verò liberius vivendi Christianis facta potestas fuit, Templorum dedicationes ingenti populorum & Episcoporum frequentiâ peractæ, Salomonis ad exemplum, qui magnâ ceremoniarum majestate, populorumque affluxu Templum Hieroso-

Templi aurei apud Antiochiam dedicatio.

rosolymitanum consecrarat. Decentes tamen, & Evangelio digni Constantini Constantiique temporibus, non umbratiles aut Judaici ritus usurpabantur dedicando. Precibus quippe, hymnis, Eucharistiæ celebratione, non oleo, non aquâ benedictâ, non crucibus consecratio peragebatur.

De causis Antiochenæ Synodi.

Error Baron.

Baron. An. 341. n. 2.

III. Dum Episcopi qui ad Dominici Aurei Encænia confluxerant, versantur Antiochiæ, Synodus celeberrima cogitur. Si quæramus à Baronio, cui complures & assentiuntur, Quid causæ fuerit congregandi Concilii, respondebit, *Arianos id callidissime excogitasse, ut sic effugerent Romanam Synodum, ad quam invitati erant.* Falsam utique causam, ut certò certeque demonstravit Emanuel Shelstratus. Ac sane disertè Baronius ab Athanasio refellitur: *Eusebiani ad Julium literas misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causa detulerunt. Cum igitur Romam pervenissemus, Julius continuò ad Eusebianos scripsit, missis eò duobus ex suis Presbyteris, Elpidio & Philoxeno.* Inchoata verò prius est Synodus Antiochena, quàm Athanasius Romam perveniret. Id etiam apertè liquet ex Epistola ad Solitarios, quæ Arianos Constantium sic compellantes exhibet: *Mitte Gregorium Episcopum Alexandriam, nam & iste poterit quoque stabilire nostram hæresim.* Quibus priusquam fierent cognitis, Athanasius Romam proficiscitur, non ignarus hæretici furoris. Gregorium vero ab Imperatore Alexandriam mitti postularunt Eusebiani, jam absolutâ Synodo. Adventum autem Athanasii in urbem excepit Presbyterorum Julii legatio ad Eusebianos, monendos de tempore futuri apud Romam Concilii constituto: *Julius verò Presbyteros suos Elpidium & Philoxenum, cum literis ad Eusebianos misit, certum diem definiens, ut aut præsentes se sisterent, aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi.* Baronium in errorem duxit hoc præjudicii, quòd anno CCCXL. Romam se contulerit Athanasius, qui currente duntaxat eò pervenit. Arreptâ igitur Encæniorum occasione, Synodus congregata de fide tractat. Inveteraverat opinio Noeti, quam Sabellius amplexus fuerat, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum personam eandem esse. Cùm in Episcoporum unum incidisset suspicio hæc, quòd eo errore laboraret, formula fidei condita est, quæ hanc opinionem subverteret, illæsâ fide Nicenâ, quam Ariani obruere non potuissent, etiamsi maximè vellent, quia Orthodoxis numero inferiores erant.

Athan. Apol. 739.

Athan. ad Solit. 816.

De Episcoporum qui Syn. Antioch. interfuere numero. Quis præfuerit?

Athan. de Synod. p. 894.

Sozom. l. 3. c. 5.

IV. Conventum numerosum fuisse, ipse testatur Athanasius: *Fuere autem numero, qui tempore Encaniorum convenerant, nonaginta, Coss. Marcellino & Probino, Indictione* XIV. *præsente ibidem impiissimo Constantio.* Pauciores adfuisse, qui scripserit nullus est, plures verò interfuisse, à nonnullis proditum. Hilario nonaginta septem numerantur & Libello Synodico: *Synodus hæretica Antiochiæ Syriæ nonaginta septem Episcoporum:* Crescit Sozomeno numerus in versione Christophorsoniana, quæ *nonaginta novem* habet Episcopos; Græca tamen Valesiana non amplius exhibent quàm XCVII. Pleraque Episcoporum periere nomina; nonnulla verò sunt ab oblivione vindicata: *Concilio interfuerunt non solùm Eusebius, qui ejecto Paulo, ab urbe Nicomedia translatus, Constantinopolitanam sedem obtinebat, verùm etiam Acacius, qui Eusebio Pamphili successerat, & Patrophilus Scythopolitanus, cum Theodoro Episcopo Heracleas. Eudoxius quoque Germaniciæ Episcopus, qui posteà pulso Macedonio, Constantinopolitanam rexit Ecclesiam, Gregorius denique, qui Alexandrinæ Ecclesiæ electus fuerat Episcopus. Quin & Dianius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & Georgius Laodiceæ, quæ est in Syria, aliique plures aderant, qui Metropolitanas aut aliunde illustres Ecclesias administrabant.* Epistolæ Synodicæ subscripserunt, Provinciæ Palæstinæ Eusebius Gadarensis: Provinciæ Phœniciæ Anatolius Emisenus, Æneas Ptolemaidis, Magnus Damascenus: Provinciæ Arabiæ Petrææ Nicomachus Bostrorum, Cyrion Philadelphiæ: Provinciæ Mesopotamiæ Æthérius Edessenus, Antiochus Rhesinatis, Jacobus Nisibiensis: Provinciæ Syriæ-Cœles Archelaus Dolichenus, Alphius Apameæ, Bassus Zeugmatis, Mauricius Epiphaniæ, Petrus Gindarensis, Paulus Neocæsariensis, Piperius Samosatenus, Theodorus Laodiceæ, Cyricius Cyrreticensis: Provinciæ Ciliciæ Macedonius Mopsuestiensis, Hesychius Alexandriæ minoris, Moyses Castabalæ, Nicetas Flaviadis, Narcissus Irenopolis, Tarcondimantus Ægerates: Provinciæ Isauræ Agapius Seleuciæ, Theodorus Vasadensis, Eustathius, Patricius. Maximus tamen Hierosolymitanus, Juliusque Romanus, ne vel per Legatos Synodo interfuere. Est porro in observatione ponendum in subscriptiones errorem irrepsisse. Perperàm enim Laodiceæ Episcopus *Theodorus* appellatur, qui apud Sozomenum *Georgius* nomen habet, *Anatolius* etiam Emisenus ante annum CCCXLI. diem obierat. Proindeque nomen ejus subscribentibus inseri non debuit. Majorem Episcoporum *partem Orthodoxorum fuisse, Arianos tantùm triginta sex*, & sibi, & aliis persuasit Baronius, ex Julii Epistola: οἱ ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἓξ μονῶν. Quæ sic vertit Nannius: *An qui solùm ad 36. suffragia eorum* &c. ex ambiguo μονῶν vocabulo. Quam Valesius versionem meritò coarguit. Aliam ergo substituit, quæ à nova Athanasii editione anni 1686. admissa est: *Quid igitur sunt qui contra Canones agunt? Nosne qui eum tantis rerum documentis virum recipimus? An qui à triginta sex mansionibus Antiochiæ quendam velut Episcopum externum hominem salutaverunt, eumque militari manu stipatum Alexandriam miserunt?* Mansiones triginta sex totidem dies sunt itineris Antiochia Alexandriam; non levi argumento improbandæ Georgii electioni, quem apud Antiochiam Alexandriæ Episcopum creaverant. Si Palladio credimus, quadraginta Episcopi Arianismo favebant: *Nullo modo daretur locus Joanni defensionis, allegatione Canonum à Theophilo missorum, quos composuerant quadraginta de Arii communione.* Quis verò Synodo præfuerit, ex Veterum monumentis non satis docemur. Libellus Synodicus: *Ei*, inquit, *præfuerunt Nicomediæ Episcopus Eusebius, & Palæstinæ Acacius, Cæsareæ Cappadociæ Dianius, Assessorem habens Cappadocem Philosophum.* Ex Epistola Julii Synodica *Dianius*, quem *Danium* vocat, caput Synodi fuisse colligitur: *Julius Danio, Flacillo, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro*, &c. Vix tamen dubitamus, quin *Flacillus* præfuerit Antiochenus, ob sedis excellentiam, cùm & aliundè fuisset incongruum, aliud Concilio caput imponi in ea urbe quam Flacillus administrabat Metropolitani nomine.

Lab. Concil. t. 2. 559.

Error Baronii.

Athan. Apol. 748.

Pallad. Vit. Chrys. c. 9. p. 78.

Synodus Antiochena Orthodoxa est.

V. Synodum Antiochenam Veterum recentiorum-

Socrat. l. 2. c. 8.

tiorumque complures infamaverunt: *Eusebius* (verba sunt Socratis) *Concilium in Syria curat congregari, prætextu quidem dedicandæ Ecclesiæ, reipsâ verò ut Consubstantialis fidem everteret, & profligaret.* Assentiuntur Socrati, Sozomenus, Libellus Synodicus, Autor vitæ Pauli apud Photium, aliique complures, quorum nomina edidit Shelstratus Dissertatione 1. c. 5. de authoritate Antiocheni Concilii, quam nervosis adversus Baronium, recentioresque benè multos argumentis astruit. Quibus permoti suffragiis quoque nostris huic Concilio patrocinamur. Ac primò Epiphanius conventum Antiochenum afficit nomine *Synodi*, quo cœtus quidem hæreticus indignus est: *Exemplum Epistolæ Marcelli, quem ob hæresim Synodus deposuit.* Antiochena scilicet, quæ restitutum post fata Constantini M. Marcellum loco movit. Deinde Hilarius Pictaviensis, qui librum de Synodis suum anno CCCLVIII. ad Galliarum Episcopos transmisit, honorificentissimam de eo Concilio mentionem egit: *Volens igitur congregata Sanctorum Synodus impietatem eam perimere* &c. Prætereà Chalcedonenses Actione IV. lecto per Ætium Archi-Diaconum Constantinopolitanum Canone quinto Antiocheno exclamaverunt, Hæc est justa regula Patrum, & ubi dixere, sacri Patrum Canones legantur, Ærius quartum, quintumque Canones Antiochenos legit. Trullensis Synodus, cui quatuor Orientis Patriarchæ interfuerunt, Antiochenas sanctiones calculo suo comprobavit: *Obsignamus reliquos omnes Canones, qui à Sanctis & beatis nostris Patribus expositi sunt; id est, à trecentis decem & octo Sanctis ac Deiferis Patribus, qui Nicææ convenerunt, prætereà & iis qui Antiochiæ Syriæ.* Quin etiam Silvanus Tarsensis Episcopus Confessioni Antiochenæ patrocinatus est. Hæc enim in Seleucensi Concilio anno 359. palam prædicavit: *Nullam novam fidei formulam conscribi oportere, sed illam quæ Antiochiæ in Ecclesiæ dedicatione scripta esset, ratam esse debere.* Silvanus verò Consubstantialis fidei apertè favebat. Qua de causa à Constantio in exilium ejectus est. Nec unquam adduci potuit, ut *Consubstantialis* vocem damnaret. His accedat Zachariæ Pontificia autoritas, qui in sua ad Pipinum Majorem domus Epistola, sub annum DCCXLIV. scripta, *sacris* Canonibus decimum Antiochenæ Synodi inserit, his verbis: *Item ex Canone Antiocheni Concilii capitulo decimo de his, qui vocantur Chorepiscopi, decretum est.* Concilium quoque Rom. anno 853. Leone IV. Præside celebratum, pro Orthodoxo Antiochenum habet: *Mox omnes Episcopi unanimiter dixere, Quid aliud arbitrari aut proferre valeamus, nisi ut Sancti Patres qui Antiocheno Concilio residentes, tertio Capitulo promulgarunt?* Sed insita argumenta assumptis longè majora. Canon primus Antiochenus Nicenis Decretis honorem habet, quæ Arianis odio erant: *Omnes qui audent dissolvere Decretum Sanctæ & magnæ Synodi, quæ Nicææ coacta est, de Sancto festo salutaris Paschatis excommunicatos statuimus.* Denique nil non pium non rectumque est in fidei formulis, quæ conditæ sunt.

Epiph. h. 72. n. 2.

Trul. c. 2.

Socr. l. 2. c. 39.

Theodorit. l. 2. 27.

Eusebianorum fidei formula. Qua de causa condita?

VI. Ad Acta Synodi veniamus. Eusebianorum artificiis, qui apud *Constantium* multum valebant, effectum est, ut Concilium peractis *Dominici Aurei* Encæniis, de fide deliberaret atque disciplina, quò faciliùs Athanasium irent perditum: quod vix absque Synodo impetrari potuit. Cùm porro Eusebiani de pietate malè audirent, Catholicarum partium Episcopi dolum veriti, Synodi celebrationi intercessere, ne de Religionis sanctitate delibaret. Hanc ergo Eusebiani de fide conficiunt Epistolam, quæ extat apud Athanasium de Synodis p. 892. & Socratem l. 2. c. 10. *Nos nec Arii Sectatores unquam fuimus. Quo enim modo cùm Episcopi simus, Presbyterum sectaremur? Nec aliam ullam fidem quàm quæ ab initio edita est, amplexi sumus. Sed ad fidem illius probandam atque examinandam Judices constituti, suscepimus illum potius quam secuti sumus.* Quæ quantum proximè conjici potest, non *Synodi* ipsius verba sunt, sed *Eusebianorum*, sese suspicione erroris purgare volentium. Orthodoxos enim, quibus Arii dogma odio erat, sinistra suspicionis fama non contaminabat; ut rectè observatum Shelstrato. Hæc ergo proponunt Eusebiani, ut Orthodoxos detinerent, qui à Concilio celebrando abhorrebant. Hæc illa causa est, cur profiteantur, se nunquam *Arii sectatores* fuisse. Hanc suæ declarationi subjungunt fidei formulam: *Didicimus ab initio, credere in unum Deum, omnium tam intelligibilium, quam sensibilium Opificem, & Conservatorem, & in unum Filium Dei unigenitum, ante omnia secula subsistentem, manentemque cum Patre qui ipsum genuit, per quem omnia facta sunt, visibilia & invisibilia, qui novissimis diebus juxta voluntatem Patris descendit, & carnem ex Sancta Virgine suscepit, & posteà quàm Patris sui voluntatem omni ex parte implevisset, passus est & resurrexit, & ad Cælum reversus, sedet ad dexteram Patris. Qui venturus est ut judicet vivos & mortuos, & Rex ac Deus permanet in æternum. Credimus etiam in Spiritum Sanctum.* Quod fidei suæ Symbolum Eusebiani ad omnes singularum urbium Episcopos transmiserunt.

Socrat. l. 2. c. 10.

Antiochenæ fidei formula contra Marcellum condita, Orthodoxa est.

VII. Post hæc, cùm Episcopi aliquandiu Antiochiæ substitissent, alia fidei expositio conditur, quæ non Eusebianorum est, uti prior, sed Synodi totius. Novæ conscribendæ fidei formulæ rationem hanc fuisse Baronius existimat, *Quòd jejunè nimis visi essent de Filii Dei Divinitate egisse, ac proinde facilè in suspicionem venire potuisse Arianæ impietatis.* Neque inficiari possumus, eò & Athanasium inclinasse: *Quæ autem*, inquit, *in alia Epistola iterum in iisdem Encæniis edidere, cùm priorum pœnituisset, novaque excogitassent, sunt ista.* Nempe, *Se credere in unum Deum, Patrem omnipotentem, & in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus, unigenitum Deum, per quem omnia: eumque natum esse ante secula ex Patre, Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto, Regem ex Rege . . . Immutabilem & inalterabilem Deitatis, substantiæ, voluntatis, potentiæ & gloriæ Patris sine omni dissimilitudine imaginem.* Athanasio assentitur & Socrates, qui hæc habet: *Quasi priorem damnantes Epistolam, aliam denuò conscripserunt.* Conjectura tamen hæc est Athanasii, qui nec adfuit Synodo, nec benè satis in eam animatus erat. Ex Sozomeno quidem liquet, puram putam conjecturam fuisse: *Posteà verò cùm illos, ut verisimile est, hujus formulæ pœnituisset, aliam rursus ediderunt, quæ in reliquis quidem cum Nicæna fide consentit.* Dixit *verosimile*, quod opinionis, non persuasionis indicium est. Profectò non ita est, quòd prior posteriorque formula ab iisdem omninò confecta sit. Prior Eusebianorum est, purgare se volentium, posterior

Baron. An. 341. n. 19.

Athan. de Syn. 892.

Socr. l. 2. c. 10.

Sozom. l. 3. c. 5.

[Anno Dom. 341.] sterior verò totius Synodi. Illa ante Synodum in Encæniis exhibita, hæc in Synodo conscripta. Variis quoque de causis editæ formulæ, non illis quidem quæ in mentem venerunt aut Athanasio, *Quòd pœnitentiâ ducti, novum Symbolum excogitassent*, aut Baronio, *quòd cùm de Filii Divinitate prior formula jejunior esset, in suspicionem venire potuissent Arianæ impietatis.* Hoc vel ex eo liquet, quòd pars Episcoporum Orthodoxorum, Eusebianorum partem numero vincebat. Posterior itaque formula non Arianismi occasione, sed diversæ hæreseos causâ edita est. Quâ observatione cadunt Baronii, imò & Athanasii conjecturæ omnes. Illud verò eximiè demonstrant verba Hilarii de Synodis: *Expositio Ecclesiastica fidei, quæ exposita est in Synodo habita per Encænia Antiochenæ Ecclesiæ consummata, quam exposuerunt, qui affuerunt Episcopi nonaginta & septem, cùm in suspicionem venisset unus ex Episcopis, quòd prava sentiret.* Non ergo quasi prioris formulæ pœnituisset, posterior edita est. Pergat Hilarius docere, quid hæresis fuerit, quæ occasionem præbuit condendæ posteriori formulæ: *Et primùm sciendum est, non adversus hæresim quæ dissimilis substantiæ Patrem, & Filium, & Spiritum S. ausa est prædicare, in Antiochia fuisse conventum, sed adversus eam, quæ post S. Synodum proruperat, ut tria nomina Patri vellet ascribere, de qua suo loco tractabimus. . . Volens igitur congregata Sanctorum Synodus impietatem eam perimere, quæ veritatem Patris, & Filii, & Spiritus S. numero eluderet, & non subsistente causâ, uniuscujusque nominis triplex nuncupatio obtineret, sub falsitate nominum unionem, ut Pater solus atque unus idem atque ipse haberet & Spiritus Sancti nomen & Filii. Idcircò tres substantias esse dixerunt, subsistentium personas, per substantias edocentes, non substantiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti diversitate dissimilis, essentiam separantes.* [Error Baron.] Paucis verbis *congregata Sanctorum Synodus.* Hilarius Baronium damnat, qui in posteriore formula, [Baron. An. 341. n. 21.] *callidam fraudem Arianorum* se deprehendisse putat. Immemor sanè sui, qui expressis verbis docuit, [Baron. An. 341. n. 4.] *Majorem partem Orthodoxorum fuisse, Arianos tantùm triginta sex.* Major hæc pars Orthodoxorum Episcoporum in condenda sui fidei Confessione adhibuissetne *mille fucatam artibus imposturam?* Scimus tamen quid Baronium commoverit: [Baron. An. 341. n. 21.] *Si enim*, inquit, *Catholicæ fidei professores exhibent, quid opus est novam cudere fidei formulam? Sed odio prosecuti sunt in illa vocem Consubstantialis.* At priori quidem rationi Hilarius jam satisfecit. Nova fidei cusa formula est, *quia in suspicionem venerat unus ex Episcopis, quòd pravè sentiret*, Sabellianam opinionem amplexus, quam disertissimè damnant. Non igitur ut fidem Nicænam everterent, sed ut *Noeti* errorem extinguerent, quem Antiochenorum Episcoporum unus imbibisse existimabatur, hanc suam formulam condidere. Ac sanè in fine Confessionis suæ, fulminibus Arianismum suis elidunt, uti legitur apud Hilarium, atque Athanasium: *Si quis præter salubrem Scripturarum & rectam fidem docet, dicens aut tempus, aut spacium, aut seculum esse, aut fuisse, prius quàm generaretur Filius, anathema sit.* Quid disertius? Neque altera de omissa *Consubstantialis* voce Baronii ratio majoris momenti. Quippe non semper in Catholicæ fidei professionibus, aut in convincendis Hæreticis recenti adhùc Nicæno Concilio, tessera illa fidei, ac τοῦ ὁμουσίου vocabulum solebat exigi. Julio Papæ fidei professionem *Marcellus* obtulit Ancyranus, [Anno Dom. 345.] quæ extat apud Epiphanium hær. 72. In ea verò Confessione vox ὁμούσιος desideratur. Neque reperitur in Ursacii Valentisque Confessione, quam Julio Pontifici obtulere. [Athan. Apol. 776.] Abest & à Symbolo, quod Athanasii dicitur. Non omnibus sanè placuit Orthodoxis vox ὁμούσιος, quam Antiochena Synodus adversus Paulum Samos. congregata respuerat; lites non multò post Nicænum Concilium commoverat; neque satis Gallis arridebat, ut ipse indicat Hilarius libro de Synodis: *Malè homoousion Samosatenus confessus est, sed nunquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt. Sed CCCXVIII. nuperrimè receperant.* Antiocheni Encæniorum causâ coacti, rem nomine *Consubstantialis* significatam retinuere. Piam orthodoxamque fuisse Antiochensium Confessionem persuasum habemus. Quam suffragio suo comprobarunt Episcopi omnes, quorum pars maxima viris ab impietate alienis constabat. Secus Formulæ quidem repugnasset *Jacobus Nisibis* Præsul, fide suâ clarus, atque miraculis. Hanc suam Confessionem aiebant reperisse, [Sozom. l. 3. c. 5.] *Scriptam manu ipsius Luciani ejus, qui Nicomediæ martyrium passus est, viri tum in aliis rebus præstantissimi, tum in Sacris Literis exercitatissimi.* Filium dixere *immutabilem, nec conversioni obnoxiam ejus Divinitatem asseruerunt, eumque substantiæ, consilii, potentiæ & gloriæ Patris nullatenus discrepantem imaginem.* Quid est *Consubstantialis*, si hoc non est? Itaque ex his verbis Filium Patri Consubstantialem esse, ipse colligit Athanasius: [Ath. de Synod. 913.] *Si tu, Acaci, & Eudoxi, non refugitis in Encæniis promulgatam fidem, & in ea scriptum est Filium substantiæ Patris nullatenus discrepantem imaginem esse, cur igitur in Isauria scribitis, Rejicimus vocem Consubstantialis.* Adeò verùm est, rem voce *Consubstantialis* significatam in hac Antiochenium formula contineri.

[Marcellus Sabellianismi damnatur à Synodo Antioch.] VIII. Ab Hilario nuper audivimus, ex Episcopis Antiochenis unum fuisse, in quem suspicio cadebat corruptæ fidei. *Gregorium* illum esse qui Athanasio suffectus est, Baronio creditum. Longè verisimilior conjectura Shelstrati, *Marcellum* Ancyranum designari. Asterium Sophistam è Cappadocia, quos de Fide libros Arii opinioni consentientes scripserat, in Ecclesiis recitantem Marcellus refutaverat, alio tamen errore, cùm in opinionem Pauli Samosateni incidisset, qua de causa à Synodo Constantinopolitana anno CCCXXXVI. suo loco mótus fuerat. Defuncto Constantino M. Clericis patriam recuperantibus suam, Episcopatum quoque suum Marcellus receperat. Cùm causarum abdicationis suæ unam sciret, quòd dedicationi magni Martyrii Hierosolymis non interfuisset, ne absentiâ suâ Constantii iram lacesseret, *Dominici Aurei* Encæniis adesse voluit. Dum Synodus celebratur, erroris accusatur ab Eusebianis, uti putamus, qui illum in Constantinopolitano Conciliabulo damnarânt. Ea de causa Theophronius Thyanensis Episcopus fidei suæ Confessionem edidit, quâ Marcellus perstringitur, ut vix in dubium revocari queat, quin *Marcellus* anonymus ille sit, de quo scripsit Hilarius: *Cùm in suspicionem venisset unus ex Episcopis, quòd pravè sentiret.* Theophronii in Confessione, quæ ad rem maximè pertinent, hæc etiam atque etiam sunt observanda: [Athan. de Synod. 894.] *Si quis igitur præter hanc fidem docet,*

ANNO DOM. 341.

docet, aut diversa in animo retinet, anathema esto, aut qua Marcelli Ancyrani, Sabellii, aut Pauli Samosateni sunt, sapiat, & ille quoque anathema esto, & quicunque cum eo communicant. Iterum versatus ille Hæreticus, qui sese pietatis larvâ tegebat, deponitur. Quod nos monuit Epiphanius Marcelli in Epistola, quam ab oblivione vindicavit: *Exemplum Epistolæ Marcelli, quem ob hæresim Synodus deposuit.* Antiochena scilicet, quæ dissimulatorem erroris sui, lupum ovis pelle indutum exautoravit. Spoliatus dignitate suâ Marcellus, Romam confugit, Julii Pontificis imploraturus auxilium.

Epiph. h. 72. n. 2.

Nùm Canones xxv. Synodi sint Antiochenæ anno 341. coactæ.

IX. Ubi de fide Patres Antiocheni tractarunt, ad ea quæ disciplinam pertinent, converterunt animos. Sunt eruditi, qui malè in Synodum Antiochenam animati, quam pro Arianorum *Conciliabulo* habent, Canones xxv. qui pietatem redolent, ab illa abjudicant. Ac Bellarminus quidem eos ascribit Provinciali Synodo, quæ imperante *Joviano* celebrata est, cujus meminit Sozomenus: *Cùm Synodus Antiochia in Syria esset congregata, fides eorum, qui Nicaæ olim convenerant, confirmata est.* Sozomen. l. 6. c. 4. Inspiciatur Bellarminus de Concil. l. 1. c. 6. Conjecturam tamen vanissimam esse censemus. Decreta *Joviano* sua notificavit hæc Synodus, quibus id unum continetur, Filium Patri *Consubstantialem esse credendum.* De Canonibus ad disciplinam pertinentibus à se conditis ne verbum quidem ullum habent. Neque Episcopi, qui Provinciali huic interfuere Synodo, illi sunt quorum nomina in Antiochenorum Canonum subscriptionibus leguntur. Provinciali Synodo, imperante Joviano coactæ, interfuere *Meletius*, qui Antiochenæ Ecclesiæ præsidebat, *Eusebius* Samosatensis Episcopus, *Pelagius* Laodiceæ, quæ est in Syria, *Acacius* Cæsareæ Palæstinæ, *Irenio* Gazæ, *Athanasius* Ancyræ, quorum nullus Canonibus Antiochenis nomen apposuit suum. Imò *Pipertus Samosatenus* inter eos reperitur, qui Canonibus subscripsere. His accedat Epistola Synodi ad Episcopos per singulas Provincias constitutos: *Quæ visa sunt rectè constitui, cum plurima consideratione & judicio, unà omnibus nobis Antiochia ex diversis Provinciis in unum collectis Episcopis, in vestram notitiam deferuntur. . . . Sunt autem præfiniti Canones Ecclesiastici, hi qui infra sunt scripti.* Quæ solum Antiochenum spectant, quod in *Encæniis* coactum. Nova hæc opinio ex eo præjudicio ortum habuit, quòd sanctissimæ nostræ Antiochenæ Synodi leges adversæ sint Eusebianorum moribus, quorum factio in eo conventu superior fuisse creditur. Quod figmentum pluribus jam convulsum est. Objiciunt tamen Hermantius & N. Alexander, quibus placet *Canones in variis Conciliis Antiochenis editos, in unam transcriptos fuisse confusosque Synodum*, convenientiam *decimi tertii, & vigesimi secundi* Canonis, quæ utriusque lectione innotescit. Est autem incredibile unam eandemque Synodum, duos Canones de una eademque re similes condidisse. At licet primâ specie Canones idem constituisse videantur, magnum tamen inter utrumque discrimen Shelstratus observat. Canon XIII. quo statuitur Episcopum non posse ad aliam regionem accedere, *nisi literis tam Metropolitani, quàm cæterorum qui in eo sunt, rogatus adveniat*, indicat Episcopum obiisse, ad cujus civitatem alius accedit ordinationis causâ. Canon verò XXII. qui vetat Episcopum ex aliena Provincia adventantem ordinationes perficere, *nisi cum voluntate proprii istius Regionis Episcopi* innuit Episcopum civitatis, in qua ordinatio ab alio perficitur, adhuc in vivis esse. Nec moramur petitum ex subscriptionibus argumentum, in quibus *Theodorus* Laodicenus reperitur, *qui anno saltem* CCCXXXV. vitâ excesserat. Ex Sozomeno quippe didicimus, *Theodori* nomen perperàm appositum in *Georgium* esse mutandum. Nec satis aptè concluditur, Canones alteri Synodo tribui debere, quia subscriptiones quædam in mendo cubant.

Lab. Conc. t. 2. 559.

N. Alex. Sec. 4. dissert. 25. 467.

ANNO DOM. 341.

Canones Antiocheni.

X. Canones Synodi hujus viginti quinque numerantur. Primus communione Laicos removet, qui Decretum Sanctæ & magnæ Synodi Nicænæ de Festo Paschatis dissolvunt. Clericos verò qui Pascha cum Judæis peragunt, alienos ab Ecclesia judicat. II. Eos qui ab ordinis confusionem se à perceptione sanctæ communionis avertunt, & qui Excommunicatis communicant, pellit ab Ecclesia. III. Clericos qui Parochiâ suâ relictâ in alia diu versantur, celebrare vetat, præcipuè si revocanti Episcopo non obtemperent. Quòd si in ordinis perturbatione perseverent, deponantur. IV. Episcopum à Synodo, Clericum ab Episcopo depositum, qui sacrum celebrare ausus fuerit, restitui, vel ab alia Synodo prohibet. V. Presbyterum, Diaconumque, privatos cœtus, contempto Episcopo instituentem deponit. Quòd si Ecclesiam perturbare perseveret, per Magistratum coërceatur. VI. Clericum à suo Episcopo excommunicatum ab aliis suscipi vetat, nisi vel à proprio Episcopo, vel à Synodo restitutum. VII. Vetat ullum externum sine pacificis suscipi. VIII. Prohibet pagorum Presbyteris dare Canonicas Epistolas, nisi vicinis Episcopis. Chorepiscopis verò *pacificas* dare permittit. IX. Sancit Episcopos nil magni momenti peragere sine Metropolitano, vicissim neque ipse sine reliquorum sententia. X. Chorepiscopi jura definit, cui Lectores, Hypodiaconos, Exorcistas creare concedit, non Presbyteros verò, aut Diaconos, absque urbis Episcopo. XI. Clericum quemlibet absque Episcoporum Provinciæ & maximè Metropolitani literis ad Comitatum euntem, loco suo movet, quòd Imperatori molestiam exhibeat præter ritum Ecclesiæ. XII. Clericos depositos impetrandæ restitutioni suæ ad Imperatorem confugere prohibet, cùm ad majorem provocare Synodum ipsis liceat. XIII. Statuit nullum Episcopum in alia Provincia, nisi Episcoporum & Metropolitani literis accersitum, ordinationes peragere posse: quæ gesserit abrogari, ipsumque ut perturbatorem deponi. XIV. Edicit si de reo Episcopo Provinciæ Præsules dissentiant, Metropolitanum de componenda controversia ex viciniori Provincia Episcopos evocare posse, judicium unà daturos. XV. Episcopum omnium Provinciæ Episcoporum consensu damnatum negat à majore Synodo posse judicari, cùm eo casu firmetur sententia. XVI. Vacantem ejicit Episcopum, qui absque perfecta Synodo, hoc est, cui unà adest Metropolitanus, vacantem sedem arripuerit. XVII. Episcopum acceptâ ordinatione, Ecclesiæ præesse jussum, qui munus non exercuerit, ejicit communione, donec vel susceperit, vel perfecta Synodus de ipso aliquid decreverit. XVIII. Episcopo qui non culpâ suâ, sed recusante populo Parochiam non petiit, hono-

Anno Dom. 341.

honorem dignitatis servat, dummodò nullam rebus Ecclesiæ in qua convenit, molestiam afferat. XIX. Jubet Episcopum in Synodo ordinari, cui adest Metropolitanus, præsentes verò Episcopos plures scripto saltem electioni consentire, secus nulla erit ordinatio. XX. Componendis controversiis geminas quotannis Synodos imperat; priorem quartâ hebdomade Pentecostes, posteriorem *Idibus Octobris, qui est decimus Hyperberetei*. Hic doctissimus du Pin totâ errat viâ scribendo, *le second au mois de Juillet*. Quippe Hyperberetæus Julio non respondet, nec aliundè satis intervalli foret priorem Synodum inter & posteriorem. XXI. Decernit Episcopo manendum esse in Ecclesiâ, quam à Deo sortitus est, nec in aliam transeundum, sive spontè, sive à populis adactum. XXII. Prohibet Episcopum in civitate, quæ sui juris non est, ordinationes peragere, nisi volente proprio Episcopo. XXIII. Licere negat Episcopo, alium pro se successorem constituere, vel morti proximo. XXIV. De bonis ad Ecclesiam pertinentibus statuit, ut ab Episcopo administrentur, eâ lege tamen ut Presbyteris & Diaconis notum sit, quæ propria sint Ecclesiæ: quod justum ut Episcopus propria quibus velit, relinquat, quæ sunt autem Ecclesiæ, ipsi serventur. XXV. De bonis Ecclesiæ sancit, Episcopum participem eorum esse ad victum & vestitum, usúsque necessarios Fratrum, qui apud eum hospitio excipiuntur, reliqua verò in egentes esse dispensanda. Ecclesiæ reditus, agrorumque fructus, cum Presbyterorum & Diaconorum sententia ab Episcopo esse administrandos.

De pacificis sive formatis Epistolis. Unde Formatarum appellatio? Usus.

XI. Illustrandæ Antiquitati, de Epistolis *Canonicis*, sive *formatis*, vel quocunque nomine appellantur, pauca liceat nostros in Annales referre. Antiochensium decretum est: *Nullum sine pacificis literis esse suscipiendum*. Canonicarum Epistolarum, quæ *formatarum* postmodum nomen induerunt, usum novimus esse antiquissimum. Neque immeritò illum ab ipsis Apostolis repetit Augustinus: *Quas*, inquit, *in Apostolicis autoritatibus pariter legeremus, jam illo tempore fuisse fundatas*. Quæ verba ad plurima quidem Scripturæ loca respectum habent. Paulus sanè ad Romanos scribit: *Commendo vobis Phœben sororem nostram*. Sed & Corinthios interrogat: *Numquid, egemus sicut quidam, commendatitiis Epistolis?* Profectò Epistolarum ejusmodi institutio necessaria fuit, ut de Christianorum grege peregrini pro membris Ecclesiæ agnoscerentur, in communionem reciperentur, auxilioque adjuvarentur, quo opus erat. Neque mos is ignotus Luciano, qui de Peregrino hæc habet: *Egreditur vagaturus, satis sibi viatici in Christianis repositum existimans*. Eâ charitate quâ tum inflammabantur, Fratribus succurrebant subsidio. Ac ut rationi adjungamus exempla, in Epistola Polycarpi ad Philippenses legitur: *Hæc vobis scripsi per Crescentem, quem in præsentem diem commendavi vobis, & nunc commendo. Conversatus est vobiscum inculpabiliter, credo quia vobiscum similiter, sororem autem ejus habebitis commendatam, cùm venerit ad vos*. Sed & Lugdunenses Martyres Irenæum Eleutherio per literas commendarunt: *Has literas ut ad te perferret, fratrem & Collegam nostrum Irenæum hortati sumus, quem quidem ut commendatum habeas rogamus*. Ex ea prudentissima necessariaque consuetudine ortus Canon Illiberitanus 58. *Placuit ubicumque & maximè in eo loco, in quo prima Cathedra constitutus est Episcopus, ut interrogentur hi qui communicatorias literas tradunt*. Ipsis Provinciarum Præsidibus, utpote qui aliò mittebantur, necessariæ erant literæ pacificæ. Quod & Arelatensi Canone septimo decretum: *De Præsidibus, qui Fideles ad Præsidatum impetu prosiliunt, ita placuit, ut cùm promoti fuerint, literas accipiant Ecclesiasticas communicatorias*. Porro Chalcedonenses Patres Canone suo XI. discriminis aliquid pacificas inter, & commendatitias literas statuunt: *Pauperes & qui auxilio indigent, cum Epistolis pacificis solis viam ingredi statuimus, & non cum commendatitiis: quoniam literas commendatorias iis solis personis quæ sunt suspectæ, præberi oportet*. Cuinam verò competebat facultas tradendi communicatorias: Obrepit mos, ut *Confessores* Clericorum in munus invadentes potestatem scribendarum pacificarum literarum sibi arrogarent, quòd cùm ordinis perturbatione non careret, sapientes decretum ab Arelatensibus: *De his qui Confessorum literas afferunt, placuit ut sublatis eis literis, alias accipiant communicatorias*. Presbyteris id olim juris fuisse, ut formatas scriberent literas inficiabitur nemo, qui in Canonem VIII. Antiochenum deposuerit oculos: *Nec Presbyteri qui sunt in pagis dent Canonicas Epistolas, vel ad solos vicinos Episcopos Epistolas emittant*. Ex quo consequens est, quòd certis conditionibus pagorum Presbyteris licuit, illis & urbium concessum esse. Extincto quidem Romæ Fabiano Martyre, Romanum Presbyterium *communicatoriam Clementio* Subdiacono Epistolam, ad Cyprianum perferendam dedit. Chorepiscoporum & facultatis esse, scribere literas ejusmodi Antiocheni profitentur: *Chorepiscopi nulli reprehensioni affines dent pacificas*. Præcipuè tamen Episcoporum ea potestas erat ante Concilium Nicænum. Epistolæ ejusmodi erant simplicissimæ inserebantur & scribentis, & ad quos scribebatur, nomina: stylus quoque pietatem Christianam redolebat, ut nos Cypriani ad Clerum Rom. docet Epistola: *Legi literas, in quibus nec qui scripserunt, nec ad quos scriptum sit, significanter expressum est. Et quoniam me in eisdem literis, & Scriptura, & sensus, & charta ipsa moverunt, ne quid ex vero vel substractum sit, vel immutatum, eandem ad vos Epistolam authenticam remisi*. Quantum porrò nostra memoria est, *formatarum* ante Synodum Nicænam *Epistolarum* appellatio nusquam occurrit, quæ postmodum frequentissima fuit. Optatus libro primo: *Nobis totus orbis commercio Formatarum, in una communionis societate communicat*. Illarum meminit & Augustinus Epistolâ 163. dum quærit à *Fortunatiano* Tuburcisensi Donatistarum Episcopo: *Utrùm Epistolas, quas Formatas dicimus, posset quo vellem, dare*. Sidonius Papæ Græco: *Agnoscitis profecturo civi, ne Epistolam Clerico deberi Formatam*. Usurpata quoque Synodis hæc appellatio. Hinc Carthaginensis III. c. 28. *Placuit ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis Episcopo, ut ab Episcopo præcipuè possint sumere formatam*. Quid verò causæ fuerit cur id nominis adeptæ sint, quærunt eruditi. Clarissimo Priorio, Shelstrato, Baronio, placuit ita dici: *Quòd sub certa ad determinata forma, verbisque solemnibus, certis adhibitis, præterea notis & signis concipi solerent*. Quam displicere nobis etymologiam ingenuè profitemur, cùm in mentem inducere nostram nondum potuerimus,

anno

August. Ep. 163.

Rom. 16. v. 1.

B. M. Patr. t. 1, 106.

Euseb. l. 5. c. 4.

Anno Dom. 341.

Arelat. c. 9.

Cypr. Ep. 3.

Sidon. Epist. l. 6. 8.

anno 368. quo florebat qui *formatarum* meminit Optatus, certam publicamque Canonicarum Epistolarum formam invaluisse, quam in Nicæna Synodo præscriptam esse arbitrantur. Magis itaque Sirmondo assentimur, *Formatas appellatas Epistolas, à forma sigilli, quâ muniebantur.* Quod potissimum eruit ex Glossis Vaticanis, quæ formatam Epistolam *sigillatam* interpretantur. Tantâ necessitate Clerici literis hisce communicatoriis astringebantur, ut Canone 31. Apostolico decernatur: *Nullus externorum Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum, sine commendatitiis recipiatur.* Itaque Hæreticorum & Schismaticorum repudiabantur Epistolæ. Idcircò scripsit ad Orthodoxos Athanasius: *Si igitur aut ipse Gregorius, aut alius quispiam illius nomine ad nos scribat, ne recipiatis, fratres, illorum literas, sed oblatas disrumpite, eorumque tabellarios ut impios, & scelerum administros ejicite.*

Athan. t. 1. 950.

Formatarum & ope festum Paschatis declarabatur. Qua de re extat Canon Concilii Carthaginensis quinti: *Placuit ut dies venerabilis Paschæ, formatarum subscriptione omnibus intimetur* c. 7. Sed & incumbebat Episcopo peregrè proficiscenti, literis formatis muniri. Extat ea de re Decretum in Codice Africano c. 56. *Placuit ut nullus Episcoporum naviget sine formata Primatis.* Et Canone CVI. *Placuit ut quicunque ad Comitatum ire voluerit, in formata quæ ad urbis Romæ Ecclesiam mittitur, intimetur, ut inde etiam ad Comitatum formatam accipiat.*

De ratione Formatas scribendi.

Gratian. Dist. 73.

XII. Formatarum mentio nos monet, ut de modo illas scribendi aliquid subjungamus, quem ex Nicæna Synodo Atticum proposuisse ferunt: *Assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris, & Filii, & Spiritus S. hoc est,* Π. Υ. Α. *quæ elementa octogenarium & quadringentesimum, & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima litera, id est,* Π. *quæ numerum octoginta significat. Ejus quoque qui scribit Episcopi prima litera, cui scribitur secunda litera, accipientis tertia litera, civitatis quoque de qua scribitur quarta, & indictionis quæcunque est illius temporis, numerus assumatur, atque ita his omnibus Græcis literis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcunque collecta fuerit, summam Epistola teneat. Hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressè. Addat præterea separatim in Epistola, nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat* Α. Μ. Η. Ν. In formatis igitur numerorum alii communes erant, alii proprii. Communes Π. Υ. Α. Π. & vox ΑΜΗΝ. Respondet litera Π. numero 80. litera Υ. numero 400. litera Α. numero 1. litera Π. numero 80. vocula ΑΜΗΝ numeri sunt 99. Ex omnibus numeris summa fit 660. Proprii verò exurgebant ex prima litera scribentis, ex secunda cui scribitur, ex tertia accipientis, ex quarta civitatis de qua scribitur, & ex indictionis cujusque nota: ut Sirmondus, Shelstratus, Priorius, aliique eruditi jam observarunt. Exempla formatarum plurima exhibent Sirmondus, Shelstratusque, quæ possunt inspici. Nos ex Appendice Marculphi unum subjiciemus: *Sancto & Deo amabili Magnoni, domno Dei Archiepiscopo, ex Senonica urbe. Ego enim in nomine Dei Ebroinus, dono Dei Archiepiscopus ex Biturige urbe, in Domino Jesu, salutes optamus vobis in perpetuum. De cætero notum facimus sanctitati vestræ, quia iste præsens Presbyter, nomen Dobertus, Parrochianus noster, in nostra Diœcesi natus, & sacris Literis edu-*

App. Marc. p. 443.

catus sit, ad ordinem sacrum eum promovere jussimus. Postea verò petiit nobis licentiam, ut in vestra parrochia apud hominem aliquem, nomen Heriambaldum, manere voluisse. Nos verò petitionem illius non denegavimus, quia scimus quod de bene liberis hominibus ortus sit. Unde has literas commendatitias more Ecclesiastico factas, ad sanctitatem vestram misimus, ut scire valeat Deo digna caritas vestra; eum nec fuga lapsum, nec suâ malitiâ à nobis ejectum, sed nostrâ voluntate destinatum. Et ut certius credatis, Græca elementa, quæ octogenarium, quadringentesimum, & primum numerum exprimunt, imprimitus adnexuimus. Π. *Petri quoque nomine primam literam sumptam, in medium asseruere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis nostræ nomine primam literam* Ε. *magnitudinis vestræ secundam literam* Α. *istius fratris nomine, tertiam literam* Δ. *civitatis nostræ quartam* Ω, *& indictionem quartam adjunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id est,* Φ. *&* Θ. *& insequenter impressione sigilli nostri subter confirmavimus, & manu propriâ eam roboravimus, & Clericis nostris roborari jussimus. Actum in anno decimo imperii Domini nostri & anno* XLIII. *regni ejus, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Num modum Formatas scribendi Synodus Nicæna præscripserit?

Bar. An. 325. n. 162. &c.

XIII. Per animos multorum ea pervasit opinio, in Nicæna Synodo *formatarum* exemplar esse editum. Quæ Baronio, Shelstrato, Cabassutio sententia est. Omnium nomine Baronium audiamus, qui extra viginti Canones Nicænos à Patribus hujus Synodi statutum aliquid esse contendit: *Cùm ab Attico ipso Episcopo Constantinopolitano editum sit exemplar formatæ scribendæ.* Existimat autem illustrissimus Purpuratus, *Ejusmodi Canonem nequaquam esse cum cæteris Nicænis editum, sed penes Episcopos Catholicos retentum esse secretum.* Illud & addit vir sagacissimus, *Addi nomen Petri potius quam Mariæ, vel Joannis Baptistæ, ob communicationem cum Cathedra Petri, per quod signum, qui esset Catholicus, posset apertè significari.* Quæ tamen de Antiquitate formæ Canonicarum Epistolarum Græcis elementis Patri, Filii, & Spiritus S. Petri quoque Apostoli primâ literâ consignatarum &c. prædicant, falsa putamus esse: neque Nicænis posse Patribus vindicari. Argumento nobis est silentium Veterum omnium, qui de augustissima Synodo scripsere; quibus de ea literarum Canonicarum ratione nil suboluit, cùm causæ nil esset, cur tam solemnem *formatarum* institutionem præterirent: Gelasius quidem Cyzicenus, qui de Synodo Nicæna quàm multa tradit, librique secundi capite trigesimo Ecclesiasticas *diatyposes* complures, veluti à sanctissima Synodo editas subjunxit, de præscripta pacificarum communicatoriarumque literarum formula ne verbulum unum habet. Præterea in ipsa quam *Attico* tribuunt traditione, patens extat falsi vestigium. Græca Patris, Filii, & Spiritus S. elementa hæc esse volunt Π. Υ. Α. Petri verò prima litera Π. quod nostro judicio absurdissimum est. Quippe litera Α. Spiritum S. sola designare nequit: ἅγιον quidem significabit, nil præterea. Quam ergo primam Petri literam esse dicunt, ea ipsa S. Spiritus est, qui Græcè ἅγιον πνεῦμα appellatur. Hæc ignorare *Atticus* non potuit. Tertiò Eunomianis proprium esse Sozomenus testatur; suas obscuris characteribus literas communicatorias consignare: ut vel inde constet, hanc formatas scribendi rationem à Nicænis non esse petendam. Cum Eutyche, inquit, oravit Eunomius:

ANNO DOM. 341.

Sozom. l. 7. c. 27.

Quamvis nefas sit apud ipsos orare cum iis, qui aliunde adveniunt absque literis, quæ suæ communionis esse testantur, per notas quasdam literis inscriptas, quæ reliquis ignota sunt. Denique si à Nicæna Synodo pacificarum forma literarum præscripta fuisset, creditu difficillimum est, Græcos recessisse ab institutione, quæ omnibus venerationi fuisset, ob mandantium & sanctitatem, & antiquitatem. Est autem certissimum, Græcorum Canonicas pacificasque literas à formatis Latinorum Epistolis distare plurimum. Exemplo sit [illegible], quod Shelstratus, Prioriusque protulere:

Schelstr. Conc. Ant. p. 395.

In testimonium & securitatem Filii secundum Spiritum Domini Cyri N.

In palatio nostro Episcopali Amathuntis, scripta est ex potestate a Sanctis Apostolis, data Pontificibus creandi Diacones, Hypodiaconos, & in Sacerdotii dignitatem promovendi: ac propter illam gratiam quæ in mediocritatem nostram etiam pervenit, in Sacerdotis gradum adoptari Monachum Cyrum N. exhibito nobis Patris illius spiritualis testimonio, secundum Apostolicos Canones. Dedi ipsi liberam potestatem sacrifaciendi in Ecclesia Dei. Hanc ob causam mediocritas nostra præsentem formatam exaravit, & accipienti inter Monachos Sacerdoti Cyro N. in ipsius securitatem contulit. Videantur & tria formatarum literarum exemplaria in Adversariis sacris M. Larroquani p. 541. quæ ab illo quod Nicænis vindicant, multum discrepant.

Qui Chorepiscopi? Episcopi erant in vicis constituti.

XIV. Antiochenæ Synodi de Chorepiscopis Decreta invitant nos atque illectant, eorum & munus nostris in Annalibus tractare ad illustrandam Antiquitatem. Eruditorum est complurium opinio, *Chorepiscopos* ad finem seculi tertii anno circiter CCCLXII. ab Ecclesia fuisse institutos, quasi Vicarios Episcoporum, atque Administros. Chorepiscopatum inter officia recenseri, ut Archidiaconatum & Archipresbyteratum, hocque ministerii ab Episcopo Civitatis delatum ad vicanas Ecclesias, quæ Presbyteris erant commissæ administratione suâ disponendas. Qua de re mentem aperuerunt suam viri eruditione præstantissimi Bellarminus de Clericis, Marca Parisinus Præsul libro 2. de Concordia imperii & Sacerdotii c, 13. Morinus de sacris Ordinationibus Exercitatione quartâ. Shelstratus commentario in Canonem x. Antiochenum. Si quis verò nostram roget sententiam, respondebimus, *Chorepiscopos* veros olim *Episcopos* fuisse in vicis pagisque constitutos, quorum ab urbicis Præsulibus sensim imminuta privilegia, & tandem extincta fuere. Cur sic censeamus, multa nos movent. Ac primùm ipsa vox *Chorepiscopi*. Quid enim aliud est quàm χώρας ἐπίσκοπος, *vicanus Episcopus*? Hoccine vero & æquo congruum, sacro Episcopi nomine illum induere, qui non esset *Episcopus*? Equidem si ea de causa instituti fuissent, ut Episcoporum Vicarios agerent atque Ministros, ἀντεπίσκοποι, *Proepiscopi* vocandi erant, non *Chorepiscopi*: quomodo ἀνθύπατοι Proconsules dicebantur. Crescente Ecclesiâ, quam solitò magis magna, pagis vicisque numerosâ Christianorum multitudine repletis, imponebantur etiam Episcopi, quibus regerentur. Hinc *ruralium Episcoporum* mentio frequentissima Veterum in monumentis. Aurea Clementis Epistola de Apostolis hæc habet: κατὰ χώρας, quæ non *per regiones*, ut Junio Patricio placuit, sed per *villas* verti debent, ut villas inter & urbes concinnior sit oppositio: *Per villas igitur & urbes verbum prædicantes Apostoli, Episcopos & Diacones constituerunt.* Antiochena Synodus anno CCLXIX. adversus *Paulum* Samosatenum celebrata observat, ipsum τῶν ὁμόρων ἀγρῶν, *vicinorum pagorum*, & civitatum Episcopos submisisse assentatores suos. *Siderius* vir insignis, *Palabiscæ* in Lybia vici Episcopum agebat. De diversis Ecclesiæ ritibus Sozomenus: *Interdum etiam vici consecratos habent Episcopos, sicut in Arabia, & in Insula Cypro animadverti, & apud Novatianos, & Montanistas, qui sunt in Phrygia.* Quòd si à moribus Ecclesiæ alienum fuisset, in pagis Episcopos haberi, Eusebiani quidem in vico Marcotis *Ischyram* Athanasii calumniatorem Episcopi munere donare noluissent. Quid multa? Audiantur Laodiceni Patres Canone 57. *Quòd non oporteat in villulis, & in agris Episcopos constitui, sed visitatores. Verùm tamen jampridem constituti nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis.* Qui sunt illi villularum Episcopi, aut quâ appellatione donandi, nisi *Chorepiscopi*? Subditus sanè Damasus in sua de Chorepiscopis Epistola, licet multum ipsis infensus, fatetur tamen ruris Episcopos fuisse: *Cùm autem dicit Chorepiscopum, profectò villanum voluit intelligi Episcopum.* Vera hæc est ratio nominis, cui absurdum etymon immeritò Bellarminus anteponit: *Chorepiscopi*, inquit, *potius quasi vicarii Episcopi; χώρα enim locum etiam significare potest.* Quippe licet χώρα pro τόπος usurpetur, id fit ad stationem designandam, non autem ad vices alicujus significandas Legati nomine. Quis unquam gentium Proprætorem χωροστράτηγον, Proconsulem χωρύπατον nuncupavit? Est ergo χώρα, *villa*, ager, quomodo Lucæ XII. 16. Chorepiscopus vici Episcopum sonat. Quibus observatis, vana doctissimi Morini conjectura deprehenditur: *Primi in Galatia, & Ponto, anno circiter CCLXX. Chorepiscopos fuisse institutos.* Quippe, si *agrorum Episcopos* jam ante annum CCLXIX. laudum suarum præcones Paulus Samosatenus habuit, nil quidem causæ fuit, cur Veterum monumenta quartum ante seculum officii Chorepiscopalis mentionem facerent, quod ab Episcopali naturâ non diffidebat. Tunc ut muneris distincti meminere Synodi, cùm eo detrito, privilegiisque suis imminuto ab Episcopali distingui cœpit.

ANNO DOM. 341.

Euseb. l. 7. c. 30.

Sozom. l. 7. c. 19.

Bellarm. de Cler. l. 1. c. 17.

Ex Chorepiscoporum functionibus apparet veros Episcopos fuisse.

XV. Chorepiscopos veros Episcopos fuisse, ex ipsorum functionibus docemur atque monemur. Decretum est Ancyrani Concilii Canone 13. *Chorepiscopis non licere vel Presbyteros, vel Diaconos ordinare. Sed nec Presbyteros civitatis, nisi impetratâ ab Episcopo per literas facultate, in aliena parrochia.* Qui sanè Canon in obscurò jacet, ex quo facilè emerget, si quæ Petavio Judice sunt expungenda, verba hæc expungantur, ἀλλὰ μηδὲ Πρεσβυτέρους πόλεως, *sed neque Presbyteros civitatis.* Nam si Presbyteros, aut Diaconos Chorepiscopo penitùs ordinare vetitum est, quid attinet de urbanis Presbyteris nominatim meminisse? Quòd si Græca hæc ex Canone pellantur, sensus erit aptissimus, quo interdicitur Chorepiscopis Presbyterorum & Diaconorum ordinatione, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ, *in aliena parrochia*, nisi id per Episcopos licuerit. In sua ergo Ecclesia Diaconum ordinare Chorepiscopo permittitur. In aliena verò potest Presbyteros ordinare, & Diaconos, consentiente Episcopo. Quò liquet, verum fuisse Episcopum, cui soli Presbyterorum & Diaconorum ordinatio credita est, jure tum divino, cùm

Eccle-

ANNO DOM. 341.

Can. Apost. 2.

Reiens. Syn. c. 5.

Ecclesiastico: *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Episcopales & *Armentario* Chorepiscopo functiones assignat Synodus Reiensis, onno CCCXXXIX. celebrata: *In Ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecraodi virginem, sicut coosirmandi Neophytum jus habebit.* Nil verò magis proprium Episcoporum muneri censetur, quàm confirmationis mysterium, virginumque consecratio, Clericorumque ordinatio, quæ *Armentario* conceditur. Neque ex functionibus modo, sed ex ipsa quoque ordinatione deprehendimus, quid muneris gesserit Chorepiscopus. Sic statuit Conon decimus Antiochenus: *Ii qui sunt in vicis, vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subjectas Ecclesias earumque moderamine curâque contenti sint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones ista sufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est.* Insignis locus, qui omnem de Chorepiscopi munere controversiam dirimit. Equidem si Chorepiscopi *Presbyteri tantùm essent aliquâ dignitate aucti*, solam utique manus impositionem *Presbyterorum* accepissent, & ut *Presbyteri* fuissent consecroti. Atqui Antiochenses testantur, Chorepiscopos Episcopalem ordinationem, manuumve impositionem accepisse. Nil igitur ipsis defuit, quod ad plenam consummatamque Episcopatus naturam constituendam requireretur. Quòd si Episcopalem ordinationem affecuti sunt Chorepiscopi, Episcopales etiam functiones peragere potuerunt. Quis enim functiones muneris alicujus illi neget, cui munus ipsum inditum est? Ad partes sane muneris implendas munus institutum est, & imponitur. Itaque consentiente Episcopo Chorepiscopi Presbyteros Diaconosque creare poterant, quod ψιλοῖς Presbyteris non concedit Ecclesiæ disciplina. Quin etiam Presbyteris majores erant, utpote qui facultate pollebant Subdiaconos & Exorcistas creandi. Nullum verò in Ecclesia munus Presbyteratu major est quàm Episcopale. Neque hoc Canone tantum odversa sententia obruitur, verùm etiam palmarium ejus argumentum refellitur. Objicit Morinus, *Episcopum à tribus saltem Episcopis ordinandum esse. Chorepiscopos verò ab uno Episcopo legitimè & canonice ordinari.* Testemque dat decimum Canonem Antiochenum: *Fiat autem Episcopus ab Episcopo civitatis, cui subjicitur.* Fallitur tamen vir doctissimus in explicando. Non ita est profectò, quòd sibi Canon contrarius sit. Cùm enim jure Ecclesiastico, tres saltem Episcopi creando Episcopo requirerentur, ab uno quidem Episcopo Chorepiscopi non consecrabantur, si ἐπισκόπων, *Episcoporum ordinationem* accipiebant, quam quidem assecutos esse ipsi Antiocheni profitentur. Quod & rectè observatur ab Autore Epistolæ de *Chorepiscopis*, Damaso vindicatæ: *Nec ab re dictum perpendo, quanquam manus impositionem Episcoporum perceperint, cum Episcoporum nomen pluralem in se contineat numerum, & apud Grammaticos pluralis sit genitivus. Videtur enim mihi quod tunc non ab uno, sed à pluribus ordinabantur, quia nullus diceret Episcoporum, si ab uno fieret talium ordinatio, cùm Episcoporum pluraliter dictum sit.* Quod ergo Canone suo edicunt Antiocheni, Chorepiscopum *ab Episcopo civitatis cui subjicitur*, esse creandum, exinde liquet, non uni Episcopo eam astringi ordinationem: sed pluribus ordinantibus eum includunt Episcopum, cui Chorepiscopus subjiciebatur, ac primas in ea consecratione partes ipsi vindicant, non Metropolitano, à quo Episcopi consecrabantur. Cùm igitur Chorepiscopi urbicorum Præsulum more vellent & à Metropolitano creari, utpote verum Episcopi munus induti, decernitur ab Antiochenis, non à *Metropolitano*, sed ab *Episcopo* cui subditus erat, Chorepiscoporum fieri: eò lege tamen, ut à pluribus etiam Episcopis ordinatio perageretur. Itaque verba hæc, *fiat Chorepiscopus ab Episcopo civitatis cui subjicitur*, non plures quidem Episcopos, sed solum Metropolitanum huic eximunt ordinationi. Quòd si Morini mens admitteretur, creando Chorepiscopo unum duntaxat ab Antiochensibus Præsulem requiri, ostenderemus priscam disciplinam mutatam fuisse, non sine Chorepiscoporum injuria. Cæterùm Bellarmino vis veritatis hæc tandem extorsit: *Fuisse Chorepiscopos qui verè Episcopalem consecrationem acceperant*, ut verò quod ædificavit destrueret, addit, *Quòd Chorepiscopi non haberent propriam Ecclesiam, sed in aliena Diœcesi ministrarent, quales sunt hoc tempore Episcopi quidam Titulares.* Atqui sine teste, sine exemplo Titulares nobis obtrudit Episcopos, labente quarto sæculo. Quin etiam Ancyranis Antiochenisque Canonibus laudatis disertè refellitur, qui subditorum Chorepiscopis, quas administrabant, Ecclesiarum meminere.

Mor. Exer. 4. c. 2. n. 2. 3.

Bellarm. de Cler. l. 1. c. 17.

XVI. Ex Chorepiscopi quoque privilegiis, quid dignitatis gesserint, deprehendi potest. Pagorum Presbyteris Canonicas scribere Epistolas vetitum, nisi quas ad vicinos Episcopos dirigebant. Chorepiscopis verò fas erat *formatas* vel od remotiores Sacerdotes mittere: *Chorepiscopi nulli reprehensioni affines pacificas.* Ruris Presbyteris non concedebatur coram Episcopo, vel Presbyteris civitatis, in *Dominico* sacra peragere, hoc autem permissum Chorepiscopis. Quò pertinet Canon Neocæsariensis, anno CCCXIV. conditus: *Presbyteri ruris, in Ecclesia, præsentibus Episcopis, vel Presbyteris civitatis offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere. Chorepiscopi autem constituti sunt ad exemplum Septuaginta Seniorum, sed tanquam Consacerdotes propter solicitudinem & studium quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.* Quid est συλλειτουργὸς, quæ vox in eo Canone adhibita, nisi *collega*? Episcoporum ergo Comministri, Collegæ, Consacerdotes fuere, Chorepiscopi, quod ne vel *Archipresbyteris* competit. Neque in levi ponendum quæ de studio & solicitudine Chorepiscoporum in pauperes habet ille Canon, quem ultimus illustrat Antiochenus: *Episcopus habeat rerum Ecclesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset, cum multa cautione, & Dei timore.* Hæc & illa est Chorepiscopi cura, ut Episcopi in morem, jure suo reditus dispensaret Ecclesiæ, ac eorum quæ sibi opus erat, particeps fieret. Quæ non sunt Presbyteri privilegia. Sed & Synodis non aderant modò, sed nomine quoque suo, neque ut Legati Episcopororum subscribebant. In Neocæsariensis subscriptionibus reperiuntur: *Stephanus Cappadociæ Chorepiscopus*, atque *Rudus Chorepiscopus Cappadociæ.* In Ephesina Synodo *Cæsarius Alcæ Chorepiscopus.*

Chorepiscopi privilegia Ex quibus & Episcopum esse conficitur.

Antioch. c. 8.

Neocæs. c. 13.

Antioch. c. 25.

ANNO DOM. 341.

Chorepiscopi dignitas imminuta & tandem extincta.

XVII. Eò tandem res perducta est, ut infra ordinem Episcopalem Chorepiscopi abjecti sint: *Ne vilesceret auctoritas, & nomen Episcopi.* Itaque ab uno solo Episcopo ordinati sunt. Quo argumento Pseudo-Damasus ostendit Episcopos non esse: *Quòd enim Episcopi non sint, qui minus quàm à tribus sunt ordinati, Episcopis omnibus patet.* In sua ditione anno circiter 363. eos extinxit Laodicena Synodus Canone LVII. *Visitatoribus* in eorum locum constitutis: *Non debere in villis & vicis Episcopos ordinari, sed Visitatores constitui. Hi autem qui antehac ordinati sunt, nihil agere censemus sine conscientia Episcopi civitatis.* Anno 799. imperante Carolo M. Chorepiscopi Presbyterorum & Diaconorum ordinationes etiamnum peragebant. Quæ magnam litium segetem præbuere: *Dicebant Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi à regularibus Episcopis ordinati, non esse eos Presbyteros, vel Diaconos, aut Subdiaconos, qui à Chorepiscopis videbantur quasi sacrati, nec Sacerdotale eos debere peragere officium, nisi forent à canonicè ordinatis Episcopis consummati. . . Similiter & Laici dicebant, quòd talium Ministrorum vel Sacerdotum, id est, qui à Chorepiscopis erant quasi ordinati, officia audire nollent, nec eorum infantes majores vel minores, aut familiam eorum per manus impositionem consignari, vel confirmari usquam vellent, ne magis vulnus, quàm benedictionem acciperent.* Placuit igitur Carolo M. de componenda discordia *Arnonem* Archiepiscopum ad Leonem Papam III. mitti. Quid ad hæc Leo? Leoninam sanè magnanimitatem, cui satis est corpora prostrasse, non imitatus est: *Prædictos Chorepiscopos omnes præcepit damnare, & in exilio detrudi. Ista verò omnes, maximè regni nobis à Deo commissi Episcopi, cum eodem Arnone, permittente præfato Apostolico, mitius tractantes, jam dictos villanos Episcopos, inter Presbyteros statuerunt, ita ut amplius nihil de Episcopali ministerio præsumerent.* Extat ea de re Decretum, in Capitularibus anno 799. conditum: *Placuit ut Chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant, quoniam hactenus à nescientibus SS. Patrum & maximè Apostolicorum Decreta, suisque quietibus ac delectationibus inhærentes facti sunt.* Quam verò sive consecrationem, sive confirmationem fecerant, ea est abrogata: *Hominum confirmatio, Ecclesiarum, altarium, Virginum, Chrismatum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum consecrationes, à Chorepiscopis facta ab Episcopis qui canonicè ordinati sunt reformanda, canoniceque sunt peragenda, quia Chorepiscopi hæc contingere non debuerunt, nec agere potuerunt.* Legimus tamen in Capitularibus Ludovici Pii anni 828. *Hæc sunt Capitula, quæ volumus, ut diligenter inquirant. Primò de Episcopis. Deinde quales sint adjutores ministerii eorum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri.* Et diu perdurasse postmodum ex variis monumentis exploratum est. Verùm cùm ad alia revocemur, disputationem absolvemus, addito Rabani Mauri, ad *Drogonem* Metensem Episcopum, de Chorepiscopis testimonio: *Chorepiscopi à propriis Episcopis suis ordinati, juxta præceptum eorum Diaconos & Presbyteros ac cæteros gradus ordinent, atque reliqua officia Sacerdotalis officii peragant. Unde miror quomodo isti qui hanc contentionem movent, ordinem Chorepiscoporum tantum despiciant, ut pene eis nihil amplius dignitate Presbyterorum tribuant. . . Claret enim hoc quod in his non ratio & humilitas, sed invidia atque superbia dominentur, ita ut despectis cooperatoribus suis, ipsi soli potentes, ac sanctificatione pollentes videri appareant.*

Capitul. l. 7. c. 260.

Capit. pag. 328.

Capitul. p. 657.

Marc. de Conc. 286.

Conciliabulum Antiochenum Athanasium damnat.

XVIII. Ubi ab Antiochena Synodo Canones XXV. quorum nonnullos explicuimus, conditi sunt, discedentibus Orthodoxis, ut Ecclesias repeterent suas, Eusebiani Conciliabulum Episcoporum XL. cogunt de Athanasii causa, quam & in animo habuerant, dum Synodum celebrari flagitarunt. Concilium inter & Conciliabulum Antiochenum moræ aliquantum fuisse discimus ex Athanasio, qui factâ Confessionis *Theophronii* Tyanensis Episcopi, damnationisque Marcelli Ancyrani mentione, subjungit: *Hæc cùm Antiochia per tempora Encæniorum egissent, ne tum quidem arbitrati satis perfectè fidem suam conscriptam esse, utpote homines turbido fluctuantique animo, aliud Scripturæ genus de fide post aliquot menses conficiunt.* Finita quoque Synodo, positam Eusebianorum ante oculos Athanasii causam, Julii in Epistola reperimus: *Si enim post Synodum in culpa deprehensus esset Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter, & præter Canonem Ecclesiasticum fieri.* Conciliabuli hujus, non Antiochenæ Synodi judicium est, quod Julius accusat: *Non decebat cùm nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos præoccupare judicium Synodi.* Synodus verò in Encæniis antè coacta est, quàm de indicendo Concilio Rom. Legatos Julius suos mitteret. Non igitur de causa Athanasii ante quæstiones fidei ab Antiocheno tractatum, quod perperàm Socrates Sozomenusque tradidere. Moris est quidem de fide prius quàm de rebus disciplinæ instituere disquisitionem. Accusatur Athanasius, *Quod Episcopatus sui locum, absque Decreto communis Episcoporum Concilii recuperasset. Deinde quòd sub ingressum ejus, certo tumultu multi in seditione occubuissent, & quòd alii verberibus ab illo affecti fuissent, alii in judicium adducti. Sed & illa quæ in urbe Tyro adversus Athanasium gesta fuerant, in medium protulere. Hujusmodi concinnatio calumniis, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum designant Eusebium, cognomento Emisenum.* Ut autem damnarent Athanasium, abusi sunt Canone XII. Antiochenorum, quo Clerici depositi Imperatorem adire prohibentur. Quod æquum est omninò, cùm abdicatio est legitima. Hanc verò ut consiliis inserviret suis, Eusebiani inflexere regulam, teste Palladio. Ut valeret Theophili non juridicum judicium, & nullo modo locus daretur Joanni defensionis, improbam Acacio, & Antiocho suggerunt sententiam: *Allegatione Canonum à Theophilo missorum, quos composuerant quadraginta de Arii communione, qui sic habent, Si quis Episcopus, aut Presbyter, jure aut injuriâ depositus, per se redeat ad Ecclesiam absque Synodo, talis non habeat amplius locum defensionis, sed absolutè expellatur.* Qui Canon à duodecimo Antiocheno plurimum discrepat. Porro ad Episcopatum Alexandrinum capessendum, plurimùm Emisenum hortabatur Constantinopolitanus Eusebius. Existimabat virum sanctitate, & summâ eloquentiâ præditum, Ægyptiorum animos facilè revocaturum à benevolentia quâ Athanasium complectebantur. Sed cùm ordinationem hanc recusasset, secum ipse reputans futurum haud dubiè, ut in paratum apud Alexandrinos odium incurreret, nullum ferre valentes, qui in locum Athanasii substitueretur, Gregorius Alexandrinæ præficitur Ecclesiæ.

Athan. de Syn. 894.

Athan. Apol. 749.

Athan. Apol. 748.

Socrat. l. 2. c. 8.

Pall. Vit. Chrys. c. 9. p. 78.

Sozom. l. 3 c. 6.

ANNO DOM. 341.

Gregorius in Conciliabulo Antiocheno electus mittitur Alexandriam. Ariana persecutio.

XIX. Electo Gregorio Eusebiani, qui in portu navigare sibi videbantur, Constantium aditum rogant, *Philagrium* denuò Præfectum imponat Ægypto, *Gregorium* Ecclesiæ administrandæ idoneum mittat Alexandriam. Admisso Eusebianorum consilio Constantius *Gregorium* mittit militari manu constante septem millibus militum. Quam vim non ferentes Alexandrini, B. Dionysii Templum incendunt. Tum coactâ multitudine, ex bubulcis, opilionibus, & forensi vulgo, unà cum protervis juvenibus Eusebiani cum gladiis & fustibus Ecclesiam, quæ dicebatur *Quirini*, invadunt, alios mactant, alios pedibus obterunt, plerosque concisos partim in carcerem, partim in exilium conjiciunt, multasque fœminas miseris modis captatas, publicè ad tribunalia crinibus trahunt, tractasque contumeliis indignissimè afficiunt, aliorum bona fisco addicunt: aliorum alimenta intervertunt, nulla alia de causa, quàm ut eos & ad partes Arianorum, & ad Gregorium recipiendum, quem Imperator miserat, compellerent. In ea persecutione *Serapmon* Episcopus Confessor in exilium ejicitur. *Potamonem* quoque, qui in persecutione oculum perdiderat, ita ciderunt plagis in cervicem, ut vix post horas aliquot, fomentis spiritum recolligeret: nec multò pòst ex vita decessit. Quam ad vim inferendam operam contulere suam Philagrius Præfectus, & Arsacius Eunuchus. Sedebat pro tribunali Philagrius cum Duce Balacio. Neque hæc satis erant Ariano furori: *Ecclesia incendium passa est: virgines denudatæ: Monachi conculcati: Presbyteri, & multi ex populo indignè habiti, & violati: Episcopi in carcerem detrusi, multi spoliati. Sacra mysteria de quibus incusabant Macarium Presbyterum, ab Ethnicis direpta, & in terram abjecta, ut vi cogerent nonnullos, probandæ Gregorii constitutioni.* Hæc queritur Julius in sua ad Orientales Epistola de *Gregorii* introitu. *Gregorii* quidem, non *Georgii*, ut Græcis repugnantibus versio habet. Neque mitius actum in Galatia, quàm in Ægypto: Confessores flagris conscissi, Præsules publicis ministeriis mancipati, fratres finibus ejecti, quæ ut Alexandriæ, sic & Ancyræ perpetrata, quod Marcellus testabatur. Neque Ægyptus, Galatiaque solæ corripiuntur persecutionis flammâ. Ex Thracia quoque, *Calesyria*, Phœnicia, Palæstina Episcopi complures vim sibi illatam conquesti sunt. Porro ut ordinationi suæ vim pondusque Gregorius adderet, *Carponem* ad Julium Pontificem de communione ineunda misit. Ab Alexandro ob Arianam hæresim Carpones olim ejectus fuerat. Gregorianum hunc Legatum Julius non admisit.

Athan. ad Solit. 815.

Athan. ad Solit 816.

Athan. Apol. 749.

Athan. Apol. 751.

Athan. Apol. 743.

Athanasius Romam petit, ibique monasticam disciplinam invehit.

XX. Ut Athanasium, quem perditum volebant, Eusebiani terrerent, Julio si vellet, arbitrium causæ detulerant. Imò *Macarius* Presbyter, Martyriusque Hesychiusque Diaconi, ipsorum Legati Concilium à *Julio* indici postulaverant, literasque & ad Eusebianos mitti, & ad Athanasium, quibus convocarentur, ut coram omnibus justo judicio de causa cognosci posset. Cùm autem eò loci res Ecclesiæ versarentur, ut dirimendis tot controversiis Concilio opus esset, Julius arbiter litis constitutus, Athanasio scribit, quid sibi significassent, monetque ut Romam se conferat, quod ex ipsius Epistola compertum habemus: *Neque enim sponte*, inquit, *sed literis nostris ad judicium vocatus comparuit.* Non prius tamen Alexandriâ proficiscitur, quàm novit ex designato Episcopo Alexandriæ Gregorio, quid Eusebiani in Conciliabulo suo Antiocheno furoris molirentur. Tum non amplius cunctandum ratus, quantâ potuit diligentiâ Romam petit. Cùm eò pervenisset, Julius continuò ad Eusebianos literas scribit, missis duobus Presbyteris, Elpidio, & Philoxeno, qui Synodi tempus indicarent. Turbavit Eusebianos, quòd contra spem ipsorum Athanasius urbem petiisset. Itaque de Synodo quam flagitarant, ne verbum amplius ullum. Imò Julii Legatos ad usque mensem Januarium proximè futurum detinuerunt, quo scilicet dies indicta Synodi elaberetur. Intereà Athanasius Romæ benignè lautèque excipitur. Domo usum *Eutropiæ*, quæ Constantio amita erat, utpote Constantini M. soror, Baronii conjectura est. Contrarium tamen ipse innuere videtur Athanasius, dum hospites suos ab *Eutropia* & *Abuterio* secernit, sed res non est tanti. Certum quod à suis hospitibus multâ & verâ benevolentiâ tractatus sit, quos *Magnentius* occidit postmodum. Eâ profectione vitæ monasticæ disciplinam in urbem invexit Athanasius. Quippe Marcella primùm hujus exercitii regulas didicit, ut scribit ad *Principiam* Hieronymus: *Hæc ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachumii & virginum, ac viduarum didicit disciplinam.* Comes erat Athanasio *Ammonius* Monachus, de quo Socrates: Ammonius, *adeò parum curiosus exstitit, ut cùm Romam venisset, unà cum Athanasio ex magnificis urbis operibus nullum videre desideraverit; sed solas Petri, & Pauli Basilicas viderit.* Athanasium verò ut sibi Collegam fraternâ charitate Julius amplexus est.

Athan. Apol. 741.

Athan. Apol. 748.

Hieron. Ep. 16. p. 42.

Socrat. l. 4. c. 23.

Eusebius Emisenus. An Arianus?

XXI. In Eusebio Emiseno, qui Antiochenæ Synodo interfuit, Episcopatumque Alexandrinum respuit eruditio, multæque virtutes historiæ monumentis annotantur. Nobili genere apud Edessam urbem à puero juxta patriam consuetudinem Sacras Scripturas didicit; posteà Ethnicorum in disciplinis institutus est à Magistris, qui tum in ea civitate morabantur. Tandem verò Interpretibus usus *Eusebio* Pamphili, & *Patrophilo* Scythopolitano Episcopo, ad summam sacrorum Voluminum notitiam pervenit. Inde Antiochiam profectus, cùm *Eustathius* propter accusationem Cyri Episcopatu exutus fuisset, cum Euphronio Eustathii successore familiariter vixit. Sed quia Sacerdotium detrectabat, migravit Alexandriam, Philosophos qui illic erant, auditurus. Quorum disciplinis cùm abundè excultus esset, rediit Antiochiam, atque illic cum Flacillo, Euphronii successore versatus est. Ubi Alexandrinum Episcopatum recusavit, ad quem capessendum ab Eusebio invitabatur, Emisenæ præficitur Ecclesiæ. Accusatus quòd Astrologiam excoleret, ab Emisenis seditione appetitus, fugâ elapsus, Laodiceam ad *Georgium* illius urbis Episcopum se contulit. Qui cum illo profectus Antiochiam, ad Flacillum & Narcissum, Episcopos perfecit, ut Emesam reverteretur. Constantio inprimis gratus fuit, quem in Persas proficiscentem comitatus est. Clarum & miraculis fuisse, testatur Georgius Laodicenus. Sabellianismi tamen accusatus est. Imò si credimus Hieronymo, contrariam prorsus hæresim amplexus est. Ad annum enim Constantii decimum,

Sozom. l. 3. c. 6.

ANNO DOM. 341.

mum hæc habet in Chronico: *Eusebius Episcopus Emisenus, Arianæ signifer factionis, multa & varia describit.* Suam Hieronymo fidem astringunt Baronius atque N. Alexander, qui pro Arianorum *signifero* Emisenum habent. Pace tamen Hieronymi, hæreseos infamiâ non ab omnibus Eusebius Emesenus aspergitur. Laudes ad eum conjunget Sozomenus, *ut virum eximiâ sanctitate, & summâ eloquentiâ præditum. Verùm*, inquit, *quamvis talis tantusque vir esset, eorum tamen invidiam non effugit, qui aliorum virtutibus uri solent.* Theodoritus vir magnæ & eruditionis & pietatis Eusebium pro Orthodoxo habet. Quippe in suo Dialogo tertio, qui *impatibilis* inscribitur, inter Sanctorum Patrum Ignatii, Irenæi, Hippolyti, Athanasii, Damasi, Basilii, Nazianzeni, Nysseni testimonia verba quoque *Emiseni* collocat. Quibus adductis sic compellat Eranistam: *Imitare ergo apes, ô vir bone, & sacra Scripturæ prata, & Sanctorum Patrum pulchras flores mente circumvolans, fidei favos in te contexe.* Jam verò Arianæ signiferum factionis, cum testibus Orthodoxis Theodoritus non protulisset. Verba hæc quidem Emiseni Arium non redolent: *Vidisti etiam aliam vestrorum Magistrorum sectam, à qua passam esse Unigeniti Divinitatem nos didicisse putatis, hanc blasphemiam execrari. & Divinitatem impatibilem prædicare.* Quæ Eusebii Emiseni nomine vulgatæ sunt Homiliæ, Autoris sunt Latini, Emiseno longè recentioris, ut nunc constat inter eruditos, quibus meritò pœnas Perronius Cardinalis debet, qui harum homiliarum locis quibusdam utitur, veluti *Emiseni* ad probandam de præsente in Eucharistia Christi corpore Latinorum sententiam. Multa Emisenus Eusebius edidit Opera, quæ laudis plurimùm Autori conciliarunt, de quibus Hieronymus: *Eusebius Emisenus Episcopus, elegantis & Rhetorici ingenii, innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent confecit libros. Magisque historiam secutus, ab iis qui declamare volunt, studiosissimè legitur. E quibus vel præcipui sunt adversum Judæos, & Gentes, & Novatianos, & ad Galatas libri decem, & in Evangelia homiliæ breves, sed plurimæ. Floruit temporibus Constantii, sub quo & mortuus, & Antiochiæ sepultus.* Circa annum 359. naturæ satisfecit.

Theodorit. Dial. 3. 361.

ANNO DOM. 342.

ANNO U. C. 1095. PER. JUL. 5055. JUL. 387. DOM. 342. CONSTANTII 6. *Sol.* 15. C. *Lun.* 1. *Indict.* 15. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 5. P. 11. *April.*

COSS. Constantius Augustus III. & Constans Augustus II.

Fillonianus Mavortius *mensas tres, dies* VI. *Præfectus Urbis. Idem pridie Nonas Julias* Aco Catulinus Philomatius *P. U.*

Franci à Constante victi.

I. CONstans Augustus anno superiore apud Gallias cum Francis pugnaverat incerto exitu atque dubio. Currente verò debellati sunt, & ad pacem amplectandam coacti, ut in Fastis Idacianis legitur. Constantio III. & Constanti II. Coss. *Victi Franci à Constante Augusto, seu pacati.* Itaque de Constante proxima vero tradit Eutropius libro X. quòd illustris fuerit, *rebus plurimis strenuè in militia gestis, exercituique per omne vitæ tempus, sine gravi crudelitate terribilis.*

ANNO DOM. 342.

Synodus Rom. in causa Athanasii.

Athan. Apol. 748.

II. Vocatus ad Synodum Romanam Athanasius, *annum totum & integros sex menses* in urbe mansit, Eusebianorum qui Synodum flagitarant, expectans adventum. Quâ præsentiâ Sancti Præsulis innocentia demonstrabatur: utpote qui judicio non stetisset, nisi certam sui fiduciam habuisset. Eusebiani verò de præsentia sua Synodo afferenda ne vel minimum cogitabant, quibus Synodus Rom. terrori erat. Nullos venientes condicta in itinere dies oppressit. Ac moram quidem temporis breviorem constitutam esse querebantur, quàm ut adesse valerent, quod & datis ad Julium Epistolis testati sunt. Vitiligatorum tamen excusationem fuisse liquet, cùm menses octodecim lapsi sint, dum adversarios Romæ suos expectat Athanasius. Quin fraudem sanè cogitarint, is non dubitabit, qui novit Presbyteros Julii, *Elpidium* & *Philoxenum*, ad usque mensem Januarium ab Eusebianis esse detentos, qui cum aculeatis Epistolis ad Julium reversi sunt. Abjectâ igitur omni spe adventus Eusebianorum, mense circiter Octobri Concilium Romæ celebratur. Constabat Episcopis amplius quinquaginta, qui in Viti Presbyteri Basilicam confluxere. Quibus sedentibus Episcopi ex Thracia, Cœlo-Syria, Phœnicia, Palæstina, Presbyteri quoque non pauci, qui partim Alexandriâ, partim aliundè in urbem venerant, apud Concilium conqueruntur vim & injuriam illatam pietati, suasque Ecclesias eadem quæ Alexandrina passas esse, & in aliis similia designata. Ex Ægypto autem & Alexandria cùm denuò supervenissent Presbyteri, literas secùm attulere, quibus plurimorum Episcoporum, *& Presbyterorum querimonia continebatur, se cùm ad Concilium pergerent, detentos fuisse, & etiamnum detineri.* Inter Episcopos qui de illata sibi injuria Synodum questibus implebant, eminebant, Asclepas Gazæ loco motus à factiosis, eum accusantibus subversi altaris: *Lucius* Hadrianopolitanus Præsul ob aliud crimen suâ Ecclesiâ spoliatus. Lectæ sunt & in Concilio Antiocheni Conciliabuli Epistolæ, quas Elpidius & Philoxenus attulerant, quibus vehementer Julium incusabant, quòd solis Eusebianis Epistolas direxisset, Athanasium & Marcellum Coëpiscopos in communionem suscepisset; hominum à pluribus Synodis damnatorum communionem ipsorum societati antetulisset. Indignabantur maximè ac si Synodus Antiochena contumeliâ affectâ esset, & judicium abrogatum, quod ab Ecclesiæ legibus alienum: se utut vexatos injuriâ, pacem tamen & communicationem Julio polliceri, si & depositionem eorum quos expulerant, & illorum ordinationem, quos abdicatis substituerant, admitteret: *Si verò decretis ipsorum resisteret, contraria denuntiabant. Nam & Episcopos Orientis, qui ipsos ætate antecessissent, nequiquam tunc contradixisse affirmabant, tunc cùm Navatianus Ecclesiâ Rom. ejectus est.*

Athan. Apol. 751.

Sozom. l. 3. c. 8.

Julius Synodi nomine respondet Antiochenis.

III. Lectâ Orientalium Epistolâ placuit Synodo; ipsius nomine à Julio conventus Præside responderi: & ut ad Eusebianos Italorum sententiam omnium miserat, sic & Antiochenis mentem Synodi Romanæ notificaret: *Julius Flacillo, Diario, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro, cæterisque eorum, qui nobis dilectissimis in Christo fratribus ex Antiochia scripserunt.* Synodicam verò Julii Epistolam esse, apertum ex iis quæ continet: *Tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium*

Athan. Apol. 745.

Anno Dom. 342.

nium & Italorum, & Episcoporum qui in his regionibus versantur scripsi. Ego autem omnes nolui scribere, ne a multis onerarentur. Certè ad constitutum tempus convenere Episcopi, & ejus sententia fuere, quam iterum vobis significo. Quapropter, dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo. Summa verò Julii Epistolæ hæc est. Fastum & arrogantiam Antiochenorum Epistolam redolere. Sibi primum in mente constitutum habuisse eam supprimere, ne in publicum prolata multis dolorem inureret. Nullo tamen ad judicium, quod scriptis postularant, veniente, opus fuisse eam proferri: non ægrè ferre debuisse, si justa decrevissent, ea ab aliis excuti: *Macarium*, *Martyrium*, *Hesychium*, Eusebianorum Legatos Concilium generale postulasse. Literas adversus Athanasium scriptas non sibi constare. Ex rationibus Athanasii se collegisse, *Ischyram* morbo decumbentem, oblationem conficere non potuisse, præcipuè præsentibus, qui tum aderant, Catechumenis, *Ischyram* nunquam Presbyterum fuisse. Athanasium, cujus innocentiæ tot testes suffragabantur, non recipi non potuisse: non decuisse, cùm à se mitterentur ad celebrandam Synodum literæ, judicium anticipare suum. Indecorum prorsus Gregorium externum hominem, non Alexandriæ baptizatum, non plebi cognitum, non à Presbyteris postulatum, creatum apud Antiochiam Episcopum, Alexandriam cum militibus deduci. Conceptam in Episcopum suspicionem ad Ecclesiam Romanam primùm referri debuisse, ut *hinc quod justum est, definiri posset.* Quam Julius Epistolam misit per *Gabianum* Comitem. Cæterùm eâ Synodo Athanasius, Marcellusque non sunt Ecclesiis restituti suis, ut perperàm Socrates Sozomenusque tradidere. Id unum effectum est, ut in Occidente Orthodoxi haberentur, communionemque cum Ecclesia Rom. colerent arctissimam.

Unum Concilium R. absolvit Athanasium. Marcellus recipitur.

IV. Hoc unum fuit in causa Athanasii celebratum Romæ Concilium. Baronius quidem, atque Binnius, qui illustrissimi Purpurati vestigia perpetuò fere sequitur, duas Synodos Romanas commenti sunt. Sic enim Athanasii Historiam Baronio digerere placuit. Anno CCCXL. ad urbem appulit Athanasius. Ubi mensibus octodecim Eusebianorum in expectatione fuit, *cùm terminus indicta Synodo longius præterlapsus esset*, Julius anno CCCXLI. Athanasii causam cognovit, qui *simul atque absolutionis sententiam accepit, Alexandriam navigio reversus est.* Post verò Elpidii Philoxenique reditum Julius lectis Eusebianorum literis, nomine Synodi anno CCCXLII. coactæ ad illos rescripsit, quo tempore Athanasius Gregorii persecutionem fugiens, Alexandriâ profectus, perfugium salutis in urbe quærebat. Sic duæ Baronio sunt & Athanasii Romam profectiones, & Synodi Romanæ. In priore, quinquaginta circiter Episcoporum suffragio, anno CCCXLI. absolutus est Athanasius. In posteriore verò, longè ab ea diversa, quæ Episcopis quinquaginta constabat, Lectæ sunt anno currente Eusebianorum Epistolæ. Sic Baronius. Hæc tamen non historia est, sed historiæ perturbatio atque confusio. Encænia Antiochena prius celebrata sunt quàm Athanasius Romam se conferret: jamque eò pervenerat, cùm Elpidius & Philoxenus in Orientem missi sunt. Causa hæc fuit Athanasio in urbem veniendi, quòd ea probè noverat omnia, quæ

Error Baronii.

in se inimici apud Antiochiam moliebantur. Quòd si duntaxat anno CCCXLI. Romam pervenit, eodem sanè neque à Synodo absolvi, neque Alexandriam repetere potuit. Non igitur nisi anno CCCXLII. de Athanasii innocentia judicatum, quod & scriptum reliquit Athanasius: *Denique Episcopi plures quàm quinquaginta, congregati in Basilica, in qua Vito Presbyter populum colligebat, nostram quidem defensionem æquo animo susceperunt, & communionem nobiscum ac dilectionem fovendam esse sanxerunt, adversus autem Eusebianos indignati sunt, & Julium rogarunt, ut hæc ad illos perscriberet, cùm illi priores ad ipsum scripsissent. Scripsit ergo Julius, & literas misit per Gabianum Comitem.* Ex quibus intelligitur, unam eandemque Synodum esse, quæ & Athanasium innocentem judicavit, & Julio injunxit conficere, quam Flacillo, Narcisso, Eusebio, &c. Epistolam scripsit. Neque momenti est Baronii ratio, quâ permotus, duas Synodos distinguit Romanas, quarum in priore absolutus sit Athanasius: Quod nempe questi sunt Eusebiani, Athanasium à Julio *ad communionem admissum esse.* Quod absque Synodi judicio factum non esse Baronius sibi persuasit. Non nobis cum Valesio respondere licet: *Orientales in suis ad Julium literis non questos fuisse, quòd ille Athanasium in communionem suscepisset.* Eu viri doctissimi memoria abierant verba hæc: *Quòd autem non temerè, aut injustè susceperim in communionem Coëpiscopos nostros, etiamsi prius dicta sufficiant, brevibus tamen ratio vobis istarum rerum demonstranda est.* Quid est purgatio de Antiochenorum querimonia, si hæc non est? Ipsis quidem non ignorabatur, utpote monitis ab Elpidio & Philoxeno, Athanasium in communionem fuisse susceptum, quod ipsos malè habuit. Aliâ igitur viâ Baronii est argumento satisfaciendum. Nempe ante Decretum Synodi ad Ecclesiæ Romanæ communionem Athanasium admissum esse, cùm tot extarent egregia innocentiæ Athanasii monumenta, Ægyptuque omnes in Synodo Alex. centum circiter Episcopis constante, reum ab objectis criminibus liberarent. Neque animum Baronius advertit absurdo, quod ejus sententia peperit: nempe *sesquianno* Athanasium absque communione Ecclesiæ Romanæ & Julii in urbe versatum esse. Hoc enim temporis spatium ab Athanasii adventu ad Decretum usque Synodi interjectum est. Edidit & fidei suæ professionem Marcellus, quem Antiocheni deposuerant, eamque Julio obtulit: *Cùm illi*, inquit, *venire noluerint, tametsi Presbyteros ad ipsos miseris, ego verò anno integro & tribus mensibus Romæ commoratus fuerim, faciendum mihi omninò censui, ut antequam hinc proficiscerer, meæ fidei professionem tibi sincerè atque ex animo, meâque manu perscriptam offerrem.* In ea confessione non extat vox *Consubstantialis.* Petiit & à Julio Marcellus, ut hanc suam fidei professionem literis, quas ad Episcopos scribebat, insereret.

Anno Dom. 342.

Athan. Apol. 739.

Bar. An. 341. n. 47.

Athan. Apol. 745.

Epiph. h. 72. n. 2.

V. Multum controversiæ inter eruditos movere verba Julii ad Antiochenos: *Si, ut dicitis, omninò in culpa fuerunt, oportuit secundum Canonem, & non isto modo judicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant qui patiebantur, & non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suâmet operâ ad fidem instruxerant. Cur igitur in primis de Alexan-*

De more quem Julius laudat, primum sibi ab Orientalibus fuisse scribendum.

Athan. Apol. 753.

drina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut dehinc quod justum est definiri possit. Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Verba Julii sic reddit Socrates: Questus est Julius, *Quod contra Canones ipsum ad Synodum non vocassent, cùm Ecclesiasticâ Regulâ interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Gravioribus quoque verbis Julii Epistolam exprimit Sozomenus: *Legem esse Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ præter sententiam Episcopi Rom. fuerint gesta.* Ac Valesius præcisè negat, quæ narrant Sozomenus atque Socrates, Julii in Epistola reperiri. Malæ verò fidei suspicionem, quâ à Valesio aspergi videntur, totis viribus eluere conatur Baluzius: *Possum*, inquit, *non incongruè respondere, Canonem illum, sive Legem Sacerdotalem nil aliud esse, quam consuetudinem illam, quæ exigebat, quemadmodum contendit Julius, uti de majoribus causis ad Apostolicam sedem referretur.* Quam Socratis Sozomenique defensionem per nos admitti licet: cùm vis ea sit consuetudinis, ut & legis, & regulæ autoritatem obtineat. Missis itaque Socrate & Sozomeno de solis Julii verbis est inquirendum, *Hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur.* Quæ verba non de privata ejus sententia, sed de Occidentalium sunt omnium consensu intelligenda, ipso Julio interprete: *Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod justum est, decerneretur.* Aulici quidem Romani pascentes in æthere cervos videre possunt, qui hîc in Julio vident summi Ecclesiæ Judicis autoritatem, atque majestatem, ad quem Athanasium Marcellumque provocasse fingunt. Nil sanè appellationis fuit. Athanasio scribit Julius, non Julio Athanasius, ad ejus tribunal confugiens, quod appellanti necessarium. Sed & Eusebiani Julium litis arbitrum dixere: *Synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt.* Quibus necessariò colligitur, Julium legitimum ordinariumque causæ hujus Judicem non fuisse. Quis enim summo Judici rei cognitionem, quæ ad ipsum jure pertinet, quasi Delegato referat? Postulantibus Macario, Martyrio, Hesychio, Eusebianorum Legatis, hanc se litem ingressum esse, Julius ipse profitetur. Quòd si de ea statuere jure suo, uti Judex legitimus potuit, in eo sanè gravissimum peccatum fuisset, intolerabilisque socordia, quòd adhibitâ summi Judicis ante Legatorum Eusebii petitionem autoritate, tantos tumultus non compresserit, evocatis ad tribunal suum, & reo, & accusatoribus. Quid quòd non sibi soli, sed *Synodo* causæ cognitionem ascribit, ut vel ex una Athanasii Historia obruatur ille majestatis Pontificalis apex, quem suspiciunt & venerantur.

Socr. l. 2. cap. 17.

Sozom. l. 3. c. 10.

Marc. de Concord. l. 5. c. 12. pag. 35.

Athan. Apol. 739.

Qui verba Julii cum Ecclesiæ more consentiant?

VI. Porro non inutiliter quæritur, ubinam gentium reperiatur *mos* ille *à Julio* laudatus, ut de litibus Orientis ad se scribatur. Morem enim olim diversum fuisse, damnatio Pauli Samosateni, absque Rom. Pontificis interventu maximo documento est. Vix ulla causa major reperiri potuit, digniorque ad Apostolicam referri sedem. Antiochena Ecclesia, de cujus Præsule agebatur, ab Apostolis fundata fuit. De summo capite Religionis quæstio movebatur, ut tum præcipuè mos ille vigere debuerit, quem Julius indicat, qui tamen non observabatur annis circiter LXXI. ante scriptam Julii Epistolam. Placuit doctissimo Marcæ, Canonem à Julio laudatum, sextum esse Nicænum, *Quo Primatus defertur Romano Episcopo præ cæteris Patriarchis.* Atqui facilius est oleum ex pumice exprimere, quàm ab eruditissimo Præsule autoritatem Julio contributam extundere ex Canone Nicæno, vel si fingeremus in eo de Patriarchis agi, & Primatum deferri Rom. Episcopo. Sanciunt Nicæni, mores antiquos servari, neque ullum absque Metropolitani sententia Episcopum fieri. Ex eone consequitur, Episcopum Alexandrinum non posse abdicari, nisi requisito prius Papæ consensu? Quanquam nil novi in Pontificem Romanum Nicæni contulere: quæ more & instituto majorum Metropolitani possidebant, ea calculo suo comprobarunt. Jam verò Orientalibus consuetudo non fuerat, majores causas ad Episcopum Rom. deferre: neque Samosatense negotium Dionysio Papæ detulere. Iterum igitur atque iterum quærimus, quibus exemplis aut monumentis mos à Julio laudatus astrui possit? Inconsultâ & Ecclesiâ R. Athanasius Tyri est abdicatus: Marcellus etiam Constantinopoli loco motus. Multis laboravit Athanasius, ut sententias eas iniquas esse vinceret. Quas uno verbulo irritas esse demonstrare potuisset, laudato more, cujus meminit Julius, nempe prius scribendum esse Pontifici R. ut deinceps ex æquo & bono judicaretur. De ea tamen exceptione non cogitavit Athanasius. Itaque ex Sorbonicis viri sunt doctissimi, qui verentur, quæ scribebat, ea Julium *non satis examinasse*, sive ut absque circuitione dicamus, errando morem laudasse. Una sanè nobis via est Julium excusandi, nempe ipsum de Oecumenica Synodo verba fecisse: *Martyrius*, inquit, *Concilium generale postulavit.* Abest quidem à Græcia vox *generale*, sed necessariò subintelligenda, quia Athanasii eò loci causa erat, ut Concilium ejusmodi flagitaret, scisso in partes Oriente. Ex omnibus quoque regionibus Imperii Julius Episcopos accersiverat: *Plurimi Episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina, huc convenere. . . . Ex Ægypto autem & Alexandria cùm denuò supervenissent Presbyteri, literas secum attulerunt, quibus plurimorum Episcoporum & Presbyterorum querimonia continebatur, se cùm huc ad Concilium pergerent, detentos fuisse.* Itaque si adfuissent Orientales, nec Romam tendentibus Episcopis fuissent impedimento, Synodus Oecumenica fuisset, quod & sibi Julius proposuerat. Quo, ut par est, admisso, vera Julius prædicavit, scribendo, *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut, deinceps quod justum est, definiri possit.* Consentaneum quippe fuit, Oecumenicæ Synodo celebrandæ ad Pontificem scribi Romanum, qui *majores Diœceses tenebat*, uti Arelatenses olim Sylvestro dixerant: neque more permittebatur haberi Concilium ejusmodi, quin Regiæ urbis Episcopus, Metropolitanorumque omnium præstantissimus ad illud invitaretur. Porro quidquid in ea re sibi Julius assumat, utique hoc à summi autoritate Judicis quàm longissimè abest. Julii mentem rectè assecutus est Du Pin, in suis de antiqua Ecclesiæ disciplina dissertationibus p. 163. *Julius & alii Occidentales tunc id tantum contendebant, ut nihil in Ecclesia alicujus momenti statueretur, citra communem Orientis & Occidentis Episcoporum consensum. Id*

Marca de Concord. l. 5. c. 12. n. 3.

Athan. Apol. 741.

Athan. Apol. 751.

etiam

ANNO DOM. 342.

etiam postularunt Occidentales posteà in Epistola ad Imperatorem Theodosium à Synodo Rom. scripta de Maximo & Nectario. Non nobis, inquiunt, prærogativam vindicamus examinis, sed tamen consortium debuit esse communis arbitrii. Sic est non summæ potestatis apicem in judicando, sed litis cognitionem, sententiæque consortium Julius flagitabat. Id quoque moris increpuisse, ut Synodi non ante judicium ferrent, quàm Præsulis Rom. sententiam rogassent, ex Theodosii Lege discimus, lata anno CCCCXXI. Eustathio & Agricolâ Coss. Quæ privilegia urbi quoque Regiæ assignari voluit verbis ejusmodi: *Tum si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi Sanctæ Legis Antistitis Urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativâ lætatur, conventui Sacerdotali, sanctoque judicio reservari.* Id quidem Præsuli Rom. quàm maximè honorificum fuit, longissimè tamen abest à summa potestate, quæ ab Aulicis ipsi tribuitur. Neque satis scimus quandonam & quâ ratione privilegium illud exortum est, id certè certoque novimus, non viguisse principio rerum Christianarum: Neque consortis impatiens fuit, cùm & Præsuli Constantinopolitano tribuatur.

Cod. Th. de Episcopis lib. 45.

Eusebii mors. Seditio ob Paulum Constantinopoli restitutum.

VII. Gravissima utique Eusebio Constantinopolitano fuisset Romanæ Synodi sententia, quâ Athanasius innocens judicabatur. At futurum ex ea cognitione dolorem fata prævenere, extincto prius homine, quàm ad ipsum Julii Epistola perveniret. Ubi defunctus est, Constantinopolitani Paulum denuò in Ecclesiam introduxere. Qui verò quasi hæreditario jure tum temporis autoritatem obtinebant, Theognis, Maris, Theodorus, Ursacius, Valens, Macedonium Episcopum ordinarunt. Hæc cùm audivisset Constantius, qui tum Antiochiæ morabatur, mandavit Hermogeni Magistro Militum, quem in Thraciæ partes miserat, ut per Constantinopolim transiens, Paulum Ecclesiâ exturbaret. Ille Constantinopolim ingressus, totam civitatem commovit, dum Episcopum per vim ejicere conatur. Instante Hermogene, ut militari manu Paulum expelleret, plebs impetu in ipsum facto pedibus tractum interemit, domumque incendit, quem casum innuit in Fastis Idacius verbis ejusmodi: *tractus Hermogenes.* Auditâ Hermogenis nece, Constantius equorum veloci permutatione Antiochiâ Constantinopolim accurrit. Sed cùm flentem ac supplicem sibi populum occurrere vidisset, ipsi quidem pepercit. Paulum verò urbe ejicit, civitatem mulctat: ex octoginta ferè millibus modiorum frumenti Alexandriâ advecti, quos Constantinus donaverat, adimit plusquam quadraginta millia. Sed & Macedonio graviter succensuit, quòd & Hermogenis, & aliorum complurium cædis causam præbuisset, & ante ipsius consensum ordinatus fuisset. Non approbatâ verò, aut abrogatâ ordinatione ejus passus plebem in ea Ecclesia colligere, quâ fuerat consecratus, rursus Antiochiam contendit. *Arius plumaria* Macedonius erat, qui in Pauli locum suffectus est. Hic fons fuit hæresis Macedonianæ. Porrò abdicatus Paulus, à *Constantio ferro vinctus in Singara Mesopotamiæ deportatur. Rursum inde Emesam.* Hanc Constantius severitatem in Paulum adhibuit, quod ex ingenti seditione non immeritò commovebatur. Cujus acerbitatem quæruntur & Pseudo-Sardicenses.

Socr. l. 2. cap. 13.

Hieron. Chron.

Ath. ad Solit. 813.

Tom. II.

VIII. Cæterùm quæ Paulus Athanasiusque patiebantur, *Constanti* Augusto displicuere. Datis ergo ad fratrem literis, postulavit tres Episcopos ad se mitti, qui de Pauli atque Athanasii abdicatione rationem redderent. Missi sunt igitur Narcissus Cilix, Theodorus Thrax, Maris Chalcedonensis, & Marcus Syrus, qui cum venissent, congredi quidem cum Athanasio recusaverunt. Fidem verò Antiochiæ promulgatam penes se occultantes, aliam confessionis formulam à se compositam Constanti obtulerunt, in qua Christum profitentur *esse genitum ante secula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem omnia facta sunt.* Hæc cùm Imperatori multisque aliis tradidissent, nulla amplius re gestâ discesserunt. Tres ad Constantem Episcopos legatos esse memorat Sozomenus omisso Mari: Narcissus Episcopus erat Irenopolis in Cilicia, & Marcus Arethusiæ in Syria. Quatuor tamen Legatos fuisse, testatur, Athanasius Epistolâ de Synodis Arimini & Seleuciæ p. 894.

Ad Constantem legatio.

Socrat. l. 2. cap. 18.

Sozom. l. 3. c. 10.

IX. Quàm recentissima est Audæorum hæresis, tam ob scriptorum varietatem dubia sunt ejus incunabula. Ariano veneno penè coætaneam esse tradit Epiphanius: *Hujus sectæ conditor fuit Audius, sub Arii tempora, quando adversus hunc collecta Episcoporum Synodus est, à quibus est ille damnatus.* Quod Alexandriæ contigit primùm anno CCCXXI. Ario jam defuncto Audæum ortum esse, Hieronymi legimus in Chronico, in quo ad annum CCCXLI. hæc habentur: *Audæus in Syria clarus habetur, à quo hæresis Audiana.* Theodoritus verò hujus Hæretici natales, imperio Valentiniani alligavit: *Per idem tempus, Audæus quidam, natione Syrus & linguâ, novorum dogmatum inventor extitit.* Schismatia primùm occasionem homini præbuit conferta multis culpandis vita Episcoporum. Clarus in primis erat Audæus, propter morum integritatem, & fidei ardorem. Cùm sæpe nonnulla videret in Ecclesia perperàm geri, Episcopos & Presbyteros coram arguere non verebatur. Clericorum aut deliciis & luxu diffluentium voluptates, aut divitiarum amorem verbis castigabat. Maximas propterea contumelias sustinuit, donec vehementius offensi quidam, ob eas causas hominem exturbant. Studebat interim ab Ecclesiæ societate non divelli. Verùm cùm ipse unà cum suis vapularet, & indigna pateretur, se ipsum ab Ecclesia segregavit. Tum ab Episcopo qui ob easdem contentiones ab Ecclesia recesserat, Sacerdos creatus, multos ab Ecclesiæ retraxit obsequio. Quo nomine ab Episcopis ad Imperatorem delatus, in Scythiam jam senex relegatur. Ne transversum unguem à fide Ecclesiæ discessisse prædicat Epiphanius, cui assentiri non possumus. Absurdissimo enim, & quo natura Dei evertitur, errore laboravit, existimans Deum humanâ formâ esse præditum: quod ex verbis, *Faciamus hominem ad imaginem nostram* colligebat. Cum Judæis quoque Pascha agitari voluit, ut quo tempore azyma sua peragunt, ille Paschatis celebritatem obiret. Instituto autem suo ex Constitutionibus, quæ *Apostolicæ* dicuntur, autoritatem accommodabat. Paternam antiquamque consuetudinem ab Ecclesiis relictam esse, ut ad Constantini M. nutum sese fingerent, Audæani calumniabantur. Fama est, *Audæum tenebras, aquam, & ignem dixisse ingenita.* Jactant & Audæani se peccata remittere, cui perficiendo ludicram ceremo-

Audæus. De ejus hæresi.

Epiph. h. 70. n. 1.

Theodorit. l. 4. c. 10.

ANNO DOM. 342.

Theodorit. de Har. Fab. l. 4.

niam adhibent: *Postquam enim Sacros Libros unà cum adulterinis bipertito diviserunt, & hinc & illac per versus posuerint, jubent unumquemque inter eos transire, & quæ à se peccata sunt confiteri. Deinde confessis donant remissionem, non tempus ad pœnitentiam, ut jubent leges Ecclesiæ.* Illud horrendum, quòd cum nemine precantur, tametsi honestis moribus esse videatur, & pro Christianorum nomine Audæanorum usurpant appellationem, tesseram scilicet meri hominis nomine inscriptam divino insignique titulo anteponentes. Est reliquum illis institutum, sanè quàm egregium & admirandum. Audeus enim, & qui illi adhærent Clerici, ac reliqui omnes de manuum suarum labore victitant. In cœtum collecti in Monasteriis habitant. Variis nominibus Antiquitati innotuere. *Vadiani* ab Augustino appellantur, capite de Hæresibus quinquagesimo. Quod nomen fabricasse videtur literarum transpositio, *Vadiani* pro *Audiani* dicti, quæ probabilissima est Dannei conjectura. Facundo vocantur *Basiani*:

Facund. lib. 8.

Ut amittamus eos quorum nomina abolita sunt cum hæresibus suis, id est, Basianos, quos Antropomorphitas dicimus. Ut apud Augustinum ex *Audianis* natum *Vadianus*, sic ex *Vadiano* factum videtur *Basiani* vocabulum.

ANNO DOM. 343.

ANNO U. C. 1096. PER. JUL. 5056. JUL. 388. DOM. 343. CONSTANTII 7. *Sol.* 06. B. *Lun.* 2. *Indict.* 1. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

COSS. Memmius Furius Placidus & Flavius Pisidius Romulus.

Aco Catulinus Præfectus Urbis.

Constantis expeditio Britannica.

I. RElatâ de Francis victoriâ clarus Constans Augustus, novam adhùc gloriæ suæ materiam quærit illato bello Britannis. Cujus causæ nos prorsus latent. Sævâ hyeme Boloniâ Galliarum urbe digressus in Britanniam ad opprimendos Barbaros navigavit. Ac fortè feræ gentes ruptâ quiete loca limitibus vicina vastabant. Belli hujus meminit Marcellinus libro XXVII. sed obiter, utpote qui de eo fusius tractarat in libris superioribus, qui desiderantur:

Marcellin. l. 27. c. 8.

Et quoniam cum Constantis Principis Actus componerem, motus adolescentis & senescentis Oceani, situmque Britanniæ pro captu virium explanavi, ad ea quæ gesta sunt, semel revolvi superfluum duxit. Constantis hanc profectionem hyeme contigisse, ex Julio Firmico deprehendimus. Sic enim Constantium Constantemque compellat:

Firmic. de Err. Prof. Rel. pag. 29.

Post excidia Templorum in majus Dei estis virtute provecti. Vicistis hostes, propagastis imperium, & ut virtutibus vestris gloria major accederet, mutato ac contempto temporum ordine, hyeme, quod nec factum est aliquando, nec fiet, tumentes ac sævientes undas calcastis Oceani sub remis vestris. Incogniti jam nobis penè maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expavit.

Imperatores scribunt ad Antonium, qui illis rescribit.

II. Famâ quâ Antonius Abbas inclarescebat, Augustorum ad aures allatâ, eos ut ipsi scriberent permovit. Antonio igitur tanquam parenti scribentes, responsum ab eo accipere exoptarunt. Verùm neque literas ita faciebat magni, neque regiis Epistolis delectabatur. Erat que idem ac prius fuerat, quàm Imperatores literas ad ipsum darent. Quæ cùm ei afferuntur, accersitis Monachis, *Ne miremini*, inquit, *si Imperator ad me scribat, homo enim est. Sed potius Deum hominibus legem scripsisse, & per Filium nobiscum esse locutum.* Nolebat ergo recipere literas, quòd iis respondere nesciret. A Monachis autem admonitus, Christianos illos esse, ne tanquam spreti offenderentur, Epistolas legi permisit, rescripsitque,

Athan. Vit. Ant. 491.

Laudare seipsos quòd Christum adorarent, ac saluti eorum consuluit, ne præsentia magnifacerent, sed futuri potius judicii memores essent, nea nescis Christum solum esse verum atque æternum Regem; humanitati quoque ut studerent rogavit, curamque justitiæ & pauperum gererent. Acceptis literis lætabantur Principes. Ignoratur à nobis annus hujus Epistolæ. Sed cùm paucis multa observatu digna contineat, deficiente Annalibus materiâ in id temporis retulimus. Ac fortè Gregorii ante ingressum exarata est, cùm Arianæ violentiæ nil meminerit. Quanquam credibile sit, horum tumultuum rumorem ad Antonium in solitudinibus agentem, serius pervenisse. Post Constantini quidem Minoris obitum Epistolam confectam esse existimamus.

Odium Antonii in Arianos. Balacio Duci portendit obitum.

III. Maximo in Arianorum errores odio Antonius inflammabatur. Omnes itaque hortabatur, ne vel ad illos accederent, vel doctrinæ malè sanæ locum darent. Quibus & ipse agendi fuit exemplo. Arianos enim ad se adventantes, exploratâ illorum impietate à monte repulit, sermones hominum ejusmodi serpentum veneno deteriores esse testatus.

Athan. Vit. Ant. 491.

Episcoporum hortatu de monte descendens, Alexandriam ingreditur; Arianos publicè damnat; eorum hæresim & summam esse prædicat, & Antichristo præviam, elementaque omnia adversus impios irâ commoveri, quòd Dominum, per quem omnia facta sunt, rebus conditis annumerarent. Ne hic quidem prætereundum, quid interminatus sit Militiæ Præfecto *Balacio*, qui Gregorio adjumento fuerat tyrannicè invadendi Episcopatum Alexandrinum. Christianos crudeli persecutione vexabat Balacius; Virgines pulsabat, Monachos nudatos flagris cædebat, totus ad disciplinam Arii promovendam compositus. Ad impium fratres mittit Antonius cum Epistola: *Video iram Dei imminere tibi. Christianos itaque desine persequi, ne quando ira te corripiat; jamjam enim te invasura est.* Tum Balacius ridere, Epistolam humi projectam sputis aspergere, latoribus mandare, Antonio hæc renuncient: *Quoniam Monachorum curam geris, nunc etiam te persequar.* Non prætererant dies quinque, cùm irâ Dei scelestus opprimitur. In primam Alexandriæ Præfecturam *Cherea* dictam egreditur Balacius cum Nestorio Ægypti Præside:

Athan. Vit. Ant. 500.

Ambo equis insidebant, qui illius erant proprii & mansuetiores cæteris, quos alebat domi suæ. Sed nondum ad locum progressi, equi ludere, invicem more solito captant. Et illud mansuetior, quo Nestorius vehebatur, morsu Balacium invadens, femur ejus dentibus discerpsit, ut confestim in urbem relatus, triduò moreretur.

Anno Dom. 344.

Anno U. C. 1097. Per. Jul. 5057. Jul. 389. Dom. 344. Constantii 8. *Sol. 17. A. G. Lun. 3. Indict. 2. Epact. 29. Epact. Sol. 7. 1. P. 15. April.*

Coss. Leontius & Salustius.

Aco Catulious *Præfectus Urbis. Sed III. Idus Aprilis* Quintus Rusticus *P. U.*

Bellum Persicum diuturnum.

I. SApori Persarum Regi cum Romanis bellum atrox & diuturnum fuit, quod summatim historiæ in monumentis mandatum est. Verba hæc sunt Eutropii: *Diversa Constantii fortuna fuit. A Persis enim multa & varia perpessus, sæpè captis oppidis, obsessis urbibus, cæsis exercitibus, nullumque ei contra Saporem prosperum prælium fuit.* Rufi quoque Breviarium: *Constantius in Persas vario ac magis difficili pugnavit eventu, præter leves excubantium in limite congressiones, majori Marte novies decertatum est. Per Duces suos septies, ipse præsens bis adfuit.* Ac annis CCCXLI. & sequente arsisse bellum, ex Orientalium ad Julium Epistola novimus, per hujus belli causam præsentiam Romanæ Synodo suam negantium.

Christianorum in Perside persecutio.

II. Non solâ hominum cæde, bonorum direptionibus, pagorum urbiumque eversionibus, quas calamitates arma pariunt, sed & crudelissimâ in Ecclesiam persecutione bellum hoc Persicum infame fuit. Imperante Constantino M. in Perside res Christianorum floruerant, quos etiam Epistolis Imperator suis Sapori, ut filios patri commendaverat. Persidis tamen Ecclesias tesseræ Christi expertes vivere non decuit. Cruentæ vexationi læti prosperique fidei successus ansam præbuere, quibus contigit, invidiâ superstitionem moveri: Qua de re Sozomeno aures præbendæ: *Postquam successu temporis numerus Christianorum accrevit, & per Ecclesias congregari, Sacerdotesque ac Diaconos habere cæperunt, ea res non mediocriter offendit animos Magorum, qui velut gens quædam sacerdotalis, per successionem generis, Persarum religionem ab origine administrant. Offendit etiam Judæos, qui præ invidia ipsis insita naturâ quodam modo hostes sunt Christianæ religionis. Accusant igitur apud Saporem, qui tum temporis in Perside regnabat, Symeonem Archiepiscopum Seleuciæ & Ctesiphontis, quæ urbes sunt Persidis nobilissimæ, ut qui amicus esset Imperatori Romanorum, eique res Persarum indicaret. Quorum calumniis inductus Sapores, primùm quidem intolerandis tributis oppressit Christianos, eo quòd plerosque ipsorum spontaneam paupertatem amplecti nerat; eorumque exactioni crudeles viros præfecit, eo consilio ut Christiani, penuriâ facultatum & exactorum atrocitate ebriti religionem suam desp cerent. Posteà verò Sacerdotes ac Ministros Dei gladio obtruncari præcepit, & Ecclesias quidem funditùs everti, earum autem vasa atque instrumenta fisco applicari jussit. Symeonem verò ad se adduci, quasi proditorem regni ac religionis Persarum. Et Magi quidem adjuvantibus eos Judæis, Ecclesias celeriter disturbarunt: Symeones verò comprehensus & catenis ferreis vinctus in conspectum Regis adducitur.* Saporis minis cedens *Ustades*, senex Eunuchus, nutritor Saporis, & præpositus domus Regiæ, Christianorum unus vi coactus Solem adorat. Anno præterito persecutionem Baronius affigit. Hieronymus tamen quem vult sequi, illam cum præsente copulat.

Sozom. l. 2. c. 9.

Anno Dom. 344.

Martyrium Ustazadis.

III. Adductus ad Saporem *Symeones*, uti olim facere solitus erat, Regem adorare noluit. Interroganti cur in præsentiarum non adoraret, cùm id semper anteà fecisset, respondit Martyr: *Quia anteà vinctus non adducebar, ut verum Deum negarem ac proderem, idcircò non recusabam consuetos honores majestati regiæ exhibere; nunc verò nefas est mihi id facere: adsum enim certaturus pro pietate, & pro doctrina nostra.* Cùm verò Sapor nec minis Symeonem terreret, nec promissis inflecteret, ut Solem adoraret, Martyrem in vinculis aliquandiu detineri jussit, ratus fore ut ipsum consilii sui pœniteret. Dum in carcerem abducitur *Ustazades*, qui tum sedebat pro foribus palatii, assurgens eum adoravit. Ut salutantem contumeliosè objurgatum averso vultu Symeones præterit, statim Eunuchus flens atque ejulans, candido amictu deposito, vestes atras indutus, ante regiam consedit, cum lamentis dicens: *Va mihi! Qualem sperare decet erga me fore Deum, quem negavi, quando ob hanc causam Symeones olim familiaris meus, ne alloqui quidem me dignatur.* Lugentem ut audit Sapor, accitum interrogat, quid calamitatis familiæ ipsius contigisset? Cui Ustazades: *Lugeo quòd adhuc vivam, & qui dudum mori debueram, adhuc Solem video, quem tibi morem gerens, non ex animi mei sententia adorare visus sum. Itaque duplici nomine mortem promerui, tum quòd proditor Christi fuerim, tum quòd te deceperim.* Ob hanc insperatam Eunuch. mutationem stupefactus Rex, graviore adhùc iracundiâ exarsit adversus Christianos. Cùm nec terroribus, nec minis Rex *Ustazadem* à proposito dimovere potuisset, caput illi amputari jubet. Dum ducitur, vocato ad se Eunucho fidelissimo mandat hæc Regi nunciari; pro omnibus officiis, quæ Regis parenti *Misdati*, ipsique Sapori præstiterat, hanc sibi mercedem dari, *Ut Præco clamans significet universis, Ustazadem capite truncari, nullius quidem flagitii in palatio compertum unquam, sed Christianum, & qui à Rege induci non potuerit, ut Deum suum negaret.* Annuit votis Sapor, existimans sic reliquos à fide facilè discessuros, dum attenderent, ne Regis quidem nutritori fuisse parcitum. Ustazades verò cogitabat hàc suâ fortitudine ad imitandum adduci multos posse. Sic glorioso exitu migravit è vita die Jovis. Quod cùm Symeones in carcere accepisset, gratias persolvit Deo.

Symeonis Episcopi aliorumque Martyrium.

IV. Postero autem die, feriâ sextâ, quâ Dominicæ passionis memoria recolitur, Rex Symeonem quoque gladio obtruncari præcepit unà cum centum aliis, quorum nonnulli erant Episcopi, quidam Presbyteri, alii diversorum Ordinum Clerici. Cùm universi simul ad supplicium ducerentur, progressus in medium Magorum princeps, rogat, Utrùm vellent vivere, & Solem adorare? His tamen conditionibus nullus morti eripi voluit. Dum in cædendis Martyribus spiculatores desudant, Symeones morientes hortabatur, forti animo esse: de morte & pietate disserebat, hoc quidem modo interfici veram esse vitam: Deum præ ignavia prodere, mortem esse certissimam. Ut centum Christi victimæ ciciderunt, ultimo loco, & Symeonem ipsum carnifex occidit, & cum illo *Arbechalam* & *Ananium* Presbyteros Ecclesiæ, quam Symeones regebat, ambos cum illo captos, & in vincula conjectos. Henschenii Pagiique Chronologia longè à nostra discrepat. Quòd feriâ VI. majoris hebdomadæ die XXI. *Aprilis* SS. Marty-

Sozom. l. 2. c. 10.

ANNO DOM. 344.

res morti missi sint, qui Chronologici characteres annum CCCXLIX. afficiunt, quo Pascha *die* 23. *Aprilis celebratum est*. At unde habent Symeonis mortem in hunc annum incidisse? Non quidem à Sozomeno, qui diem, non annum in historia consignavit. Menæorum verò tanti non est autoritas, cùm Sozomeno pugnet, à quo Symeones initio persecutionis interfectus esse narratur. Quæ cùm anno currente inceperit, vel præterito, vix Symeonis potest martyrium in annum CCCXLIX. protogari, quasi sexennio jacuisset in vinculis. Sed & *Ustazades* non multò pòst quàm in carcerem Symeones abductus est, sanguinem pietati dedit. Periit autem Ustazades pridie quàm Symeones occideretur. Martyrologium Romanum Sanctorum Natale Martyrum Aprilis 22. celebrat: perperàm tamen, cùm passionis Dominicæ festivitas anno sive præsente, sive proximo in XXII. Aprilis non inciderit. Nos ergo Hieronymum secuti, qui in annum Dom. CCCXLIV. Saporis persecutionem contulit, Symeonis & Sociorum ejus obitum Aprilis XIII. Ustazadis verò, qui die cœnæ Domini periit, Aprilis XII. affigimus, quia Pascha Aprilis XV. celebratum. Dum hæc fierent, *Pusices* Præfectus omnium Regis Fabrorum, ibidem stans, conspicatus Ananiam trementem, cùm pararetur ad necem, Paululum temporis, inquit, ô senex, *claude oculos tuos, & bono animo esto, mox enim videbis lumen Christi.* Quæ cùm dixisset, illicò comprehensus ad Regem perducitur. Et cùm se Christianum fassus fuisset, quoniam de doctrina Christianorum, & de Martyribus liberius locutus erat Regi, perinde quasi contra jus fasque fiduciâ usus, novo quodam & crudelissimo mortis genere jubetur occidi. Perfossâ enim ejus cervice circa tendinem spiculatores linguam ejus illàc evulserunt. Eodem tempore filia quoque ejus, virgo Deo consecrata, delatione quorumdam comprehensâ interficitur.

Sozom. l. 2. c. 11.

Cæsarea Ponti terræ motu eversa: Templum ejus servatur.

V. Ponticæ regioni cladem hic annus attulit: *Neocæsaria in Ponto subversa, exceptâ Ecclesiâ, & Episcopo, cæterisque qui ibi reperti sunt.* Quæ leguntur in Hieronymi Chronico. Verosimilis est conjectura Scaligeri, legendum *Episcopio*, hoc est, Episcopali domo. Quam Baronius calamitatem anno CCCXLIII. cohæsisse existimat, licet illam in annum 344. expressè retulerit Hieronymus. Hanc extruxerat Ecclesiam Gregorius Thaumaturgus, ejus Episcopus, de qua Nyssenus: *Hoc est Templum, quod usque adhuc ostenditur. Quod magnus ille vir statim aggressus, veluti fundamentum quoddam & crepidinem sui Sacerdotii initio constituit, & molitus est, divino quodam conatu & auxilio supero opus absolvens. Cùm enim gravissimus aliquando civitati nostris temporibus terræ motus accidisset, atque omnes propemodum funditùs periissent, omnibus tam publicis quàm privatis ædificiis collapsis, disjectis ac desolatis, solum illud Templum illæsum & inconcussum mansit.*

Nyss. Greg. Vit. 554.

ANNO U. C. 1098. OLYMP. 281. PER. JUL. 5058. JUL. 390. DOM. 345. CONSTANTII 9. *Sol.* 18. F. *Lun.* 4. *Indict.* 3. *Epact.* 10. *Epact. Sol.* 2. P. 7. *April.*

ANNO DOM. 345.

COSS. Amantius & Albinus.

Quintus Rusticus *Præfectus Urbis.* III. *Nonas Julias* Proximus P. U.

Pugna Singariensis.

I. BEllum infaustum cum Persis Constantius gerebat. Multum ab utraque parte cruoris dabatur. Nocturnâ verò Elliensi propè Singaram pugnâ, ubi præsens Constantius adfuit, omnium expeditionum compensatus fuisset eventus, si locis & nocte adversantibus, percitos ferociâ milites, ab intempestivo pugnandi tempore Imperator ipse alloquendo revocare potuisset. Qui tamen invicti viribus, improvisis adversum sitim aquarum subsidiis, incumbente jam vespere castra Persarum agressi, ruptis munitionibus occuparunt. Fugatoque Rege cùm à prælio respirantes patentibus luminibus repertæ aquæ inhiarent, nimbo sagittarum obruti sunt, cùm stolidè ad dirigendos certius in se ictus, lumina ipsi per noctem accensa præberent. Urbs Mesopotamiæ *Singara*, cujus vocabuli origo patet ex cognatione cum voce Hebræâ שנער, de qua mentio est in Josue c. VII. v. 21. vidi pallium שנער, *finhar*. Pugnam in annum CCCXLVIII. conferunt Fasti Idaciani, nec non Hieronymi Chronicum. Placet magis Julianum sequi, qui Magnentii tyrannidem in Gallia sexto ferè post illud prælium anno exortam refert. Rebellavit autem Magnentius anno Dom. CCCL.

Ruf. Brev.

Julianus clam ad Ethnicos inclinat animum.

II. Intereà Julianus, cui magnas natura dotes concesserat, permissus est oratoriæ arti, ac Philosophiæ vacare. Cum regali igitur fastu satellitioque proficiscebatur, iterque faciebat, quòcunque sibi visum foret. Pervenit igitur Pergamum, excitus famâ summæ Ædesii doctrinæ. Qua porro de causa irato Deo ad Ethnicam superstitionem deflexerit, aperit Sozomenus. Cùm egregiâ indole præditus esset, & in disciplinis magnos progressus faceret, & rebus gerendis idoneus videretur, brevi ad Imperium perventurus sperabatur. Ut ergo multi ea de re sermones spargi cœpere, jussus est Nicomediæ degere: *Illic Maximus Ephesius Philosophus ei occurrens, & Philosophiam docuit, & odium Religionis Christianæ, atque ut Vates, ei affirmavit verum esse, quòd de illo vulgi sermonibus ferebatur. Ille melioris fortunæ spe illectus, Maximum in familiaritatem ascivit. Quibus Imperatori nunciatis, timore perculsus, comam rasit, & monasticum vivendi genus simulavit. Clam verò Gentilium superstitionem amplexus est. Post hæc jam virilem ingressus ætatem, promptius ad hæc ferri, eaque agere cœpit. Artem igitur, si qua illa est, quæ res futuras prædicit, ingenti admiratione suscipiens, ejusque notitiam necessariam sibi esse existimans, experimentum cœpit earum rerum quæ Christianis interdicta sunt. Ex eo tempore eos, qui artem istam profiterentur, in amicorum habuit numero. Cùm igitur eo animo esset, in Asiam perrexit, & cum ejusmodi viris illic congressus, ardentiore studio in eas artes incubuit.* Cæterùm si accuratius loqui, & sentire volumus, anno circiter CCCLI. Christianæ fidei proditor Julianus evasit, ut ex ejus ad Athenienses Epistola colligitur: *Non à teste tramme*

Sozom. l. 5. c. 2.

mite aberrabitis, si ei fidem adhibeatis, qui ad annum usque vicesimum ætatis illâ viâ progressus est; & hunc alterum modò duodecimum jam insistit annum. Quanquam & prius ad superstitionem inclinarit animum, quam toto pectore dein amplexus est.

Tarbulæ Virginis aliorumque martyrium.

III. Præteritus annus Persidis persecutionem non consideràt: ac quasi fatale fuisset, die, qui Domino mortem attulerat, ejus & Martyres immolari, eo ipso tempore crudelissimum edictum proponitur, quo cuncti qui se Christianos confessi essent, mortis supplicio addicebantur. Ac tum innumerabilis Christianorum multitudo fertur esse mactata: *Nam & Magi per singulas urbes, & vicos studiosè eos investigabant, qui se occultabant. Et Christiani nemine etiam ipsos ducente, ultro semetipsos prodebant, ne silentio suo Christum negasse viderentur. Porro cum Christiani omnes absque miseratione trucidarentur, multi in ipso palatio necati sunt, atque inter hos Azadas Regi longè carissimus. Quem cum Saporos interemptum accepisset, incredibili dolore perculsus est. Et hanc quidem generalem Christianorum cædem compressit. Solos verò Christianos Legis Doctores interimi præcepit.*

Sozom. l. 2. c. 11.

Tum Tarbulæ virginis, quæ Symeonis Episcopi soror erat, castitate morteque gloriosâ claruit. Regina superstitioni Judæorum addicta, fortè in morbum inciderat. Fraude & delatione Judæorum accusantur Tarbula, famulaque ejus, & altera soror, quæ viri post obitum continentiæ se dicaverat, quòd Reginam maleficiis appetiissent, ob Symeonis necem infensæ. Institutam à Judæis accusationem Regina veram esse credidit. Capiuntur ergo sanctæ mulieres, & sine mora addicuntur supplicio. Tarbula formâ erat præstantissimâ, cujus amore captus Magorum unus, quem *Mauptem* nonnulli nominant, missâ ad eam pecuniâ, de stupro sollicitat. Quòd si morem amanti gerere velit, ipsi & sodalibus incolumitatem pollicetur. At Tarbula obscœnos sermones ne auditu quidem sustinens, Magos afficit contumeliâ, impudicitiam exprobrat, ad mortem alacri animo properat, geminam quasi duplici martyrio coronam adepta. Tres ergo fortissimas mulieres serrâ bifariam dissectas patibulis suffixerunt, atque ad depellendum morbum Reginam per medium patibulorum transire jusserunt.

Sozom. l. 2. c. 12.

In Bollandianis Actis, Tarbulæ, sororis ejus & ancillæ martyrium *quinto* die quidem, in Menæis verò quarto Aprilis affigitur. Falluntur tamen & *Menæa*, & Bollandiana Acta. Sextâ quippe majoris hebdomadæ feriâ Saporis edictum prius est promulgatum, quàm Tarbula caperetur. Dies verò quo Dominicæ passionis memoria recolebatur, Aprilis quinto cohærebat. Itaque non quarto Aprilis, aut quinto piæ fœminæ morti mitti potuere. Placuit Romano Martyrologio sanctarum fœminarum mortem in XXII. Aprilis conferri. Quod quidem Chronologiæ non pugnat, sed tamen in incerto ponitur.

Acepsimæ Episcopi Clericorumque persecutio.

IV. Porro cùm *Azadæ* sanguine, quæ adversus laicos mota fuerat, vexatio restingueretur, ac soli Clerici morti destinarentur, Magi Persidem obeuntes, & præcipuè Adiabenorum regionem maxima ex parte à Christianis habitatam, omni studio perquisitos Episcopos ac Presbyteros divexant. Corripiuntur *Acepsimas* Episcopus, ejusque Clerici. Posteà tamen Antistitem cœpisse contenti, reliquos ablatis facultatibus dimiserunt; Jacobus verò Presbyter sponte suâ Acepsimam secutus, à Magis impetrat, ut cum suo Antistite pariter in vinculis versaretur. Quippe ut captum *Acepsimam* Magi loris crudis verberarant, ut Solem adoraret; recusantemque rursus in vincula conjecerant. Seni ergo Jacobus adjumento erat, vulneribus medicinam adhibebat, ejus ærumnas sublevabat. Tum *Aithalas* & *Jacobus* Presbyteri, & *Azadanes* atque *Abdiesus* Diaconi crudelissimè flagris cæsi, in custodia detinebantur. Quibus Magorum princeps facultatem ipsos puniendi à Sapore sibi concessam, ni Solem venerarentur, significat. Abnuentes Christum prodere crudelissimè torsit. Et Acepsimas fidei in confessione fortiter perseverans mortem oppetiit. Cujus reliquias quidam ex Armenia, qui obsides erant apud Persas, clanculò auferentes, sepulturæ mandarunt. Reliqui non minus acerbè cæsi, præter omnium opinionem in vita manserunt, & cùm pristinam sententiam non mutarent, iterum conjecti sunt in vincula. Quos inter *Aithalas*, qui cùm inter verberandum distenderetur, præ nimia extensione brachia ei ab humeris divulsa sunt, manusque mortuas ac pendulas deinceps circumtulit, ita ut alii cibos ori illius admoverent. Sequenti anni, aliorum & morte Martyrum sunt insigniti.

Sozom. l. 2. c. 12.

Conciliabulum Antiochenum prolixam fidei formulam condit.

V. Dum in Perside Sapor Christianos vexat, Ariani Conciliabulum apud Antiochiam celebrant. Baronius, Labbeus, aliique eruditi anno CCCXLIV. conventum illum affigunt. Est tamen Valesii sententia verosimilior. *Triennium* enim, cujus Socrates meminit, non à Synodo anno CCCXLI. in Encæniis celebrata, sed à Narcissi, Theodori, Maris, & Marci ad Constantem Augustum legatione est deducendum, ipso teste Athanasio, qui factâ legationis hujus mentione, subdit: *Post hæc, quasi istorum eos pœniteret, post triennium rursus partis suæ Concilium congregant.* Anno verò CCCXLII. missi erant ad Constantem Legati. In eo Conventu formula fidei condita est, cui *Prolixa* nomen. Quæ cùm primâ specie orthodoxa videatur, cùm eos percellat, qui dicunt *tempus aliquando fuisse cùm non extaret Filius*, veneni tamen aliquid his verbis involutum habet, *Qui dicunt Patrem non arbitrio suo, ac voluntate genuisse Filium, eos anathematizat sancta & universalis Ecclesia.* Quò consequens est, *contingentem* Filii existentiam esse, non *necessariam*: eòque dignitate, & divinitate everti suâ. Constitutâ eâ fide, Antiochenses sua in Hæreticos fulmina torquent Paulum Samosatenum, Sabellium, Marcellum, Photinum. Ab assumpta carne statuebant Christi imperium incepisse: *Hujusmodi sunt Sectatores Marcelli atque Photini Ancyranorum, qui æternam Christi essentiam ac Divinitatem, ejusque perpetuum & immortale regnum perinde abrogant, ut Monarchiam stabilire videantur.* Addunt, se fidei suæ formulam longius exposuisse, non inani ac superfluâ ambitione impulsi, sed ut sinistram de sua fide suspicionem omnem diluerent. Prima hæc fuit Photini damnatio Hæretici: ut à vero prorsus abhorreat Sulpitii Chronologia, qui Photinum Constantino M. imperante damnatum esse prodit. Cujus errorem viri eruditissimi perperàm sectati sunt: Sardicæ *Marcellus*, inquit, *Episcopatui redditur. De Photino Episcopo Sirmiensi non est rescissa sententia.* Porro Antiochenses fidei suæ formulam per Eudoxium Germaniciæ, Macedonium Mopsuestiæ in Cilicia, Episcopum & Mat-

Ath. de Syn. 895.

Socr. l. 2. cap. 19.

Socr. l. 2. cap. 19.

Sulp. l. 2.

Martyrium ad Episcopos Italiæ miserunt. Quo successu suo tempore declarabitur.

Anno U. C. 1099. Per. Jul. 5059. Jul. 391. Dom. 346. Constantis 10. *Sol.* 19. E. *Lun.* 5. *Indict.* 4. *Epact.* 21. *Epact. Sol.* 3. *P.* 23. *Mart.*

Coss. Constantius Augustus IV. & Constans Augustus III.

Probinus *Præfectus Urbis* VII. *Kal. Januarii.*
Placidus *P. U.*

Quæ extra muros urbis Templa erant dirui prohibentur.

I. EXtinguendæ Ethnicorum superstitioni Templa numinum multa Constantinus claudi jusserat. Plura tamen adhùc extabant. Quæ extra urbes condita erant Constanti Imperatori servari placuit, suo ad Catulinum rescripto: *Quamquam omnis superstitio penitùs eruenda sit, tamen volumus, ut Ædes Templorum quæ extra muros sunt posita, intactæ incorruptaque consistant. Nam cum ex nonnullis vel Ludorum, vel Circensium, vel Agonum origo fuerit exorta, non convenit ea convelli ex quibus populo Romano præbeatur priscarum solemnitas voluptatum. Datum Kalend. Novembr. Constantio IV. & Constante III. Coss.* Extra urbium muros extabant Templa plurima, quæ agrorum animæ Ethnicis existimabantur. De Martis Æde Ovidius:

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositam rectâ porta Capena via.

Constantis Legem quoque suam Constantius scripsit de Templis occludendis, & sacrificiis prohibendis: *Placuit omnibus locis atque urbibus universis, claudi prorsus Templum, accessu vetitis omnibus, licentiam delinquendi perditis abnegare. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere.* Data Kal. Decemb. Cod. Th. l. IV. de Pag. t. 6. 263. Cæterùm verba Julii Firmici innuunt, vel alias de Templis evertendis à Constantio Constanteque ante annum Dom. promulgatas esse leges, quæ desiderantur, vel falsum legibus quas laudavimus Consulatum appositum fuisse. Firmici verba sunt: *Post excidia Templorum, in majus Dei virtute estis provecti, vicistis hostes, propagastis imperium, & mutato ac contempto temporum ordine, hyeme tumentes ac sævientes undas calcastis Oceani sub remis vestris. Incogniti jam nobis propè maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expavit.* Quæ relatam de Francis anno 343. à Constante victoriam, & ejus in Britanniam ingressum indicant, triennio ante Leges Augusteas de Templorum excidio.

Athanasius Româ à Constante Mediolanum accersitur.

II. Decretum Rom. Synodi anno CCCXLII. conditum impositas Athanasio Eusebianorum calumnias luerat. Sanctus ille profugus Romæ multus erat in Synaxibus celebrandis. Cùm à Julio, Osio aliisque Episcopis, de vi quam patiebatur, Constans monitus, tantis malis remedii aliquid afferre voluit. Quarto igitur anno post celebratam Romæ Synodum, Constantis literis Mediolanum accersitur Athanasius. Sed rem ipse exequatur: *Post triennium quarto denique anno literis jussit ut ad se venirem. Agebat autem per id tempus Mediolani. Sciscitabar quid causa esset cur evocarer, quippe ignarus omnium, testis mibi Deus est. Comperiebam autem quosdam Episcopos qui eò profecti erant, precibus ab illo postulasse, ut tuæ pietati de Synodo facienda scriberet. Cùm igitur venissem Mediolanum, expertus sum mirificam illius humanitatem, dum & me suis oculis dignatur,* (*Athan. Apol. 676.*) *verbisque indicat, se ad te de celebrando Concilio literas misisse.* Itaque non satis accuratè rei hujus memoriam complectitur Theodoritus, dum tradit lamentis Athanasii Constantem commotum esse, ut fratri literas scriberet de celebranda Synodo. Certissimum enim est, ea de re jam scriptum esse Constantio, cùm ad Constantis colloquium admissus est Athanasius. Deplorans autem coram Imperatore Arianæ factionis insidias, Apostolicam bello fidem appeti conqueritur. Hinc arrepta occasio, novas in Athanasium struendi calumnias, quasi Constantem adversus fratrem irritasset. (*Theodorit. l. 2. c. 4.*) Constat tamen Athanasium nunquam sine comitibus, aut arbitris Constantii fratrem vidisse, semperque cum Episcopo ejus loci ubi agebat, aliisque qui aderant sermones cum Constante habuisse, quod & præstito juramento posteà firmavit: *Tua autem pietati magnâ & clarâ voce respondeo, manuque extensâ, quod didici ab Apostolo, Deum in meam ipsius animam testor, nunquam in malam tui mentionem feci apud fratrem tuum, beatæ memoriæ Constantem.* (*Athan. Apol. 674.*)

Mediolanensis Synodus. Quid sit in ea gestum.

III. Sub idem tempus Mediolani cogitur Synodus, quod indicat Athanasius, dum complurium meminit Episcoporum, qui eò profecti erant. Aderant *Fortunatianus* Aquileæ Episcopus; *Hosius*, quem patrem vocat Athanasius; *Crispinus* Patavi, *Lucillus* Veronæ, *Dionysius* Leidæ, *Vincentius* Campaniæ, *Maximus* Treveris, *Protasius* Mediolani. Expressioribus verbis de ea Synodo mentionem fecit Liberius, in sua ad Constantium Epistola: *Significant Orientales paci se nostræ velle conjungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii hæreticam sententiam noluissent damnare, de Concilio iratis animis exiera.* (*Athan. Apol. 675.* *Lab. Conc. t. 2. 746.*) Hæc est ipsa legatio Antiochenæ Synodi superiore anno celebratæ, Episcopis illis quatuor constans, quibus prolixa fidei expositio perferenda in Italiam tradita fuerat: *Hanc porrò expositionem, cùm Eudoxius Germaniciæ Episcopus, & Martyrius, ac Macedonius detulissent, Occidentis Sacerdotes suscipere noluerunt. Decretis enim Synodi Nicænæ se contentos esse dicebant, nec præterea quidquam curiosius esse inquirendum.* (*Sozom. l. 3. c. 11.*) Hoc addit Socrates, Occidentales Episcopos, quòd & Græci sermonis ignari essent, & ea minimè intelligerent, nequaquam admisisse. Ex Liberio verò didicimus Mediolanensi Synodo Orientalium Legatos interfuisse, ex quo conficitur huic quoque prolixam confessionem oblatam, & à præsente anno conventum non esse divellendum. (*Socrat. l. 2. c. 20.*) Quid prætereà in eo gestum sit atque decretum, in ignoratione ponitur.

Synodus Agrippinensis de Euphrata abdicando.

IV. In Conciliis celebritatem habet *Agrippinense*, quod huic anno affigitur. Accusabatur Euphratas Coloniæ Agrippinæ Episcopus, quòd Christum Deum negaret. Post ergo Consulatum Amantii & Albini IV. Idus Maias, cùm consedissent Episcopi in Agrippinensium civitate, id est, *Maximus* Trevirorum, *Valentinus* ab Arelato, *Donatianus* Cabillonorum, *Severinus* Senonum, *Optatianus* Tricassium, *Jesses* Nemetum, *Victor* Vangionum, *Valerianus* Antisidiorensium, *Simplicius* Augustodunensium, *Amandus* Argentinensium, *Justinus* Rauricorum, *Eulogius* Ambianorum, *Servatius* Tungrorum, *Dyscolius* Rhemorum: consentientibus & mandantibus

ANNO DOM. 346.

dantibus *Martino* Episcopo Moguntiacensium, *Victore* Mediomatricum, *Desiderio* Lingonicæ, *Pancbatia* Vesontiensium, *Sanctino* Articlavorum, hoc est, Virduni, *Victorino* Parisiorum, *Superiore* Nerviorum, *Mercurio* Suessonum, *Dioperto* Aurelianorum, *Eusebio* Rothomagensium, *cumque recitata fuisset Epistola plebis Agrippinensium, sed & omnium castrorum Germaniæ secundæ, de nomine Euphrata, qui Christum Deum negavit.* Maximus dixit, Euphratam Episcopum esse non posse. Refert & Amandus, Euphratam à quinque Episcopis jam *sententiam accepisse*, Servatiumque publicè & domesticè obstitisse Hæretico: *Cum ille Christum Deum negaret, audiente Athanasio Episcopo Alexandriæ, & Presbyteris, & Diaconibus plurimis.*

Lab. Conc. t. 2. 617.

Agrippinensis de Euphrata Synodus subdita.

V. Non nescimus eruditos esse complures, qui calculo suo Concilio Agrippinensi patrocinantur. Ac depromptis ex eo argumentis, *Marca* ostendit, *Judicia in Synodis Provincialibus lata adversus Episcopos appellationi non fuisse obnoxia, tametsi revisioni locus esset, si ita Princeps Rescripta juberet*, eòque pertinere Valeriani Antisidorensis in eo cœtu sententiam, *Sufficere à quinque Episcopis Euphratam blasphemum* esse abdicatum. Eò tamen inclinat animus, ut Agrippinensis ea Synodus potius fit putumque figmentum, quæ & Baronio sententia fuit: *Concilium*, inquit, *Agrippinensis nullius fidei.* Synodi veritatem ut prætter Pagius, duos distinxit *Euphratas*, alterum *Hæreticum*, qui loco suo motus à Coloniensibus, alterum *Orthodoxum*, qui abdicato suffectus est. Subtile quidem inventum, sed removendis difficultatibus inutile. Primum ducimus argumentum ex stylo Synodi; barbaro sanè, & à quarti Latinitate seculi longè remoto. Quænam phrasis hæc Maximini Trevirensis, viri & clarissimi, & de quo honorificam Hieronymus mentionem fecit in Chronico? *Maximinus Episcopus dixit, Quia voluntas Dei Patris & Domini nostri J. C. veluit nos juxta postulatum fratrum ad hoc oppidum convenire.* Satisne Episcopo, & Latino, & illustri digna hæc oratio est? *Voluntas Dei voluit.* Neque magis tersus purusve fermo Valeriani: *Valerianus Episcopus dixit, Etsi non omnes Consenиores hic apud Agrippinam Dei voluntate, qui sumus adunati convenissemus, sufficerat à quinque Episcopis Euphratam blasphemum pro meritis suis sententiari.* Hem *sententiari*! Siccine Latini Patres anno CCCXLVI. loquebantur? Peregrina & nobis huic videtur ætati vox *Consenиores*, quâ Coëpiscopi significentur. Præterea ad falsum propius accedit dictum *Servatii* Tongrensis. Euphratam publicè & domesticè Christum Deum negasse, *audiente Athanasio Episcopo Alexandriæ.* Hæc suis auribus haurire non potuit Athanasius, nisi eo tempore quo imperatum sibi à Constantino Magno in Gallia tolerabat exilium annis CCCXXXVI. & sequentibus. Ex illo quippe die, quo Alexandriam reversus est, ad usque annum 346. quo exautoratum Euphratam dicunt, coram eo nunquam versatus est Athanasius, ut blasphemiis Hæretici ejus implerentur aures. Reversus autem est Athanasius in Orientem anno 338. quo impios Euphratæ de Christo sermones postremùm audire debuit. Cui verò fiet credibile, hominis qui palam publicèque hæresim fundabat suam, cuique sæpius *præsente Athanasio Servatius* obstiterat Episcopus, condemnationem in Synodo Agrippinensi tam seram fuisse, ut non nisi post annos octo exautoraretur, & damnaretur? Euphratas quem communionis vel *Laica* indignum judicabat Valentinus, anno sequente non potuisset adesse Synodo Sardicæ, honorificâque apud Constantium ornari legatione. Hæ non sunt partes muniaque Episcopi, ob pertinaciam in hæresi ante annum abdicati: atqui Euphratæ illa legatio injungitur. Mittuntur à Sardicensibus *Episcopi*, *Vincentius Capua, & Euphrates Agrippina, ut Imperator Constantius Episcopos, quos ipse ejecerat, in suas sedes reverti pateretur.* Neque dici potest, Euphratam in hæresim delapsum esse postmodum. Commentum pugnat Synodo, quæ Amantii & Albini Consulatu consignatur, quos annum CCCXLVI. aperuisse constat. Deinde si post legationem in Orientem anno CCCXLVIII. obitam Euphratas fidem hæresi suam maculasset, Servatius quidem *Athanasio præsente* Euphratæ non obstitisset. Neque honorificam ipsius mentionem fecisset Athanasius in sui ad Solitarios Epistola, post annum CCCLVI. scripta. Denique Maximinus, quem Synodo Agrippinensi præfuisse dicunt, mortem obierat ante annum CCCXLIX. quo Euphratas extra Gallias versabatur. De Ursacii Valentisque pœnitentia, quam in urbe egerunt, Athanasius: *Exemplar ejus*, inquit, *ad nos à Paulino Trevirorum Episcopo, Latinè transmissum est.* Paulino igitur Maximus decesserat: neque cum Pagio fas est duos Euphratas fingere, ordine sibi succedentes ejusdem quidem nominis, sed diversæ fidei. Non sunt ea commenta nauci, quæ nulla suo suffragio historia juvat. Sed & post abdicatum Euphratam Hæreticum, de Orthodoxo Euphrata in ejus locum substituto mentio in Synodo agitari debuisset. Denique non abs re observant & *Hermantius* in sua de S. Athanasio historia, & *Du Pin* in Nova Bibliotheca p. 326. ex Actorum Agrippinensium Subscriptionibus, Synodi falsitatem liquidò deprehendi. *Desiderius* enim Lingonicæ, *Simplicius* Augustodunensium quinto seculo floruere, neque *Dyscolus* Rhemensium Episcopus, quem Agrippinensi cœtui interfuisse dicunt, in hujus urbis Præsulum indiculo ullo vestigio reperitur. Ex Galliæ quidem Episcopis Sardicensi subscripsere Synodo Desiderius, Dyscolius atque Simplicius. Quam verò Ecclesiam administrarint, non est in medio. Quærenti verò *Sirmondo*, Cur Synodum fictam *suspicemur, cui enim bono?* Respondebimus, cui bono confessio Sardicensis, quam exhibet Theodoritus, quæ certè certòque falsa est; *cui bono* tot subdita Veteribus monumenta? Quanquam ex figmento aliquid emolumenti fuit Galliæ, cujus non minima gloria, quòd & antiquam in Synodo Agrippinensi servant fidem, & errorea de Christi persona profligarit. Fingendi causa hæc esse potuit.

Marca de Concord. l. 7. c. 2. n. 13.

Athan. ad Solit. 899.

Athan. ad Sol. 846.

ANNO DOM. 347.

ANNO U. C. 1100. PER. JUL. 5060. JUL. 392. DOM. 347. CONSTANTII II. Sol 20. D. Lun. 6 Indict. 5. Epact. 2. Epact. Sol. 4. P. 12. April.

COSS. Eusebius & Rufinus.

Placidus *Præfectus Urbis*. *Pridie Idus Junias* Limenius *P. Prat. & Urbi.*

I. PRofecti Mediolanum Episcopi nonnulli, *Constantem* rogarant Imperatorem, ut finiendis dissensionibus, quibus lacerabatur Ecclesia,

Synodus Sardicensis. A quo coacta? Num à Julio?

clesia, Synodus cogeretur. Qua de re votis Episcoporum annuens, Constantio fratri scripserat. Augustorum ergo conspiratione atque consensu celeberrimo conventui *Sardica* destinatur. Urbs est non *Illyrici*, ut creditum Socrati, sed Thraciæ. Si Victoris audiatur Epitome, Sardica Constantis ad ditionem pertinebat. Regendum Constans habuit *Illyricum*, *Thraciam, Macedoniamque*. Est tamen verosimilius, *Sardicam* Constantio fuisse subditam, quam cogendæ Synodo idoneam, utpote gemini imperii limitaneam constituit. Hinc de *Constantio* Theodoritus: *Episcopos jussit Sardicam convenire*, utpote suæ ditionis urbem. Cæterùm Athanasii in Apologia ea civitas non semel Σαρδῶν πόλις nuncupatur. Quæ appellatio an congrua sit, meritò dubitatur. Alia quidem Sardica, quæ in Europa est, alia Sardorum civitas, quæ ad Asiam pertinet. Nùm errore librariorum Σαρδικὴ in Σαρδιανῶν mutata est? Tempus Synodi non est in obscuro: *Indicitur generale Concilium apud Sardicam, idque de sententia duorum Imperatorum, quorum alter hoc per literas flagitarat, alter verò Orientis scilicet Imperator, libenter annuerat. Annus tunc agebatur undecimus, ab obitu parentis duorum Augustorum. Consules autem erant Rufinus, & Eusebius, quo tempore Synodus Sardica congregata est.* Eo quoque Consulatu Sardicensem Sozomenus Epocham consignavit. Qui dignitati Pontificis Romani velificantur, affirmare non dubitant, *hanc universalem Synodum* Julium indixisse, quæ Baronii, Binnii, Lupi sententia est. Baronium nostrum audiamus: *Literis ipsius Julii potissimùm convocatos esse ad Synodum omnes, ex iis quæ Socrates tradit, necessarium deducitur argumentum.* Quo loco meritò præstantissimi Poëtæ carmen usurpemus:

Theodor. l. 2. c. 4.

Socr. l. 2. c. 20.

Bar. An. 346. n. 5.

Credimus? An qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

Non inficiamur quidem, in Socrate legi de Orientalibus: *Alii infirmitatem corporis causati sunt, alii præstituti temporis angustiam prætenderunt, culpam omnem in Julium conferentes. cùm tamen ab eo tempore, quo Synodus indicta fuerat, & quo Athanasius Synodi consessum expectans Romæ commorabatur, anni & sex mensium spatium intercessit.* Quibus spontè ea conclusio nascitur, *Julium* id indixisse Concilii; secus ab Orientalibus accusari non potuisset, quòd breviùs quàm par erat, veniendi tempus præfixerit. At illiberale est, ex patente errore Socratis argumenta colligere ejusmodi. Est enim certo certius, Socratem ad Sardicensem ea retulisse, quæ ad Romanam Synodum omninò pertinent. Testetur ipse Julius in sua ad Antiochenses Epistola: *Sed fortasse dies constituti temporis, brevior quàm par erat, impedimento fuit, nam hujusmodi in literis vestris querimoniam facitis.* Sed & sesquianni spatium, quo in urbe expectabat Athanasius, Romanam Synodum spectat, non Sardicensem, de qua nemo tum cogitabat, cùm Julii Epistola hæc toto quiennio antè confecta sit, quàm Sardicense Concilium cogeretur. Quòd porro ab Imperatoribus fuerit indictum, Sardicenses ipsi profitentur Episcopi, quos sanè latere non potuit, quorum jussis convenerant. Hæc autem scribunt Ecclesiæ Catholicæ Antistitibus: *Religiosissimi Principes, nos ex diversis Provinciis, & civitatibus in unum convocaverant, cupientes ut Sancta Synodus Sardicam conveniret, quo omnis controversia præcideretur.* Quòd si Julii ipsius autoritate Synodus indicta fuisset, absurdissimum sanè id silentio præteriri, & in Imperatores transferri, quod Pontificis Romani fuisset. Sardicensibus assentitur & Athanasius, qui de Julio Synodum indicente ne verbum quidem habet: *Ab religiosissimis Imperatoribus Constantio & Constante, jussi sunt Episcopi Orientis, & Occidentis Sardicam convenire.* Neque dissentit Theodoritus historiæ libro secundo c. 4. Sprevissent quidem Orientales imperatam à *Julio* Synodi indictionem, & pro nihilo habuissent, cum ab ea longissimè abhorrerent, neque jussis Romani paruissent Episcopi, quem in suo conventu excommunicarunt. Aliâ igitur autoritate opus erat, quæ vel reluctantes ad Synodum cogeret; Imperatorum scilicet, quibus non obtemparare non potuerunt.

Soer. l. 2. c. 20.

Athan. Apol. 744.

Athan. Apol. 761.

Athan. Apol. 754.

II. Ex compluribus imperii partibus Episcopi complures confluxere Sardicam. Nomina regionum titulo Epistolæ Synodicæ continentur: *Sacra Synodus per gratiam Dei Sardica congregata è Roma, Hispaniis, Galliis, Italia, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannoniis, Mysiis, Daciis, Norico, Siscia, Dardania, & secunda Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiro, Thracia, Rhodope, Palæstina, Arabia, Creta, Ægypto.* Numerum verò Præsulum accuratè definire, viribus est humanis editius. Id quidem scribit Socrates: *Ex Occidentis partibus trecenti circiter convenerant Episcopi, ut scribit Athanasius. Ab Oriente verò septuaginta sex tantùm adfuisse, refert Sabinus, quorum è numero fuit Ischyras, Mareotica Episcopus.* Non hoc tamen dixit Athanasius, ut sibi, aliisque Socrates persuasit. Qui subscripsere Synodo, eorum alii interfuere, alii etsi non adfuerint, decretorum tamen approbatores fuere, quorum ferè omnium nomina edidit Athanasius: *Has ita scriptis mandata, sacrum Sardicense Concilium ad eos qui interesse non potuerant misit, qui ipsi quoque suis suffragiis decreta Synodi approbarunt. Eorum autem qui in Synodo scripserunt, cæterorumque aliorum Episcoporum ista sunt nomina.* Quibus recensitis hæc addit: *Qui igitur Decretis Synodi subscripserunt, sunt isti. Plurimi item alii sunt, qui ante hanc Synodum pro nobis scripserunt, tum ex Asia, tum ex Phrygia, tum ex Isauria, quorum singulorum nomina cum suis Epistolis circumferuntur propè sexaginta tres. In universum autem trecenti quadraginta quatuor.* Episcopi ergo CCCXLIV. quorum præsidio Athanasii innocentia muniebatur, tres in ordines sunt digerendi. Illorum nonnulli interfuere Synodo, alii non interfuere quidem, verùm tamen subscripsere, cæteri verò propè sexaginta tres numero literis ante Synodum suis sunt Athanasio patrocinati. Non igitur ex eo Athanasii loco scire datur, quot Episcopis Concilium Sardicense constiterit. Et nobis quidem ignoratur ubi legerit Baronius, Athanasii *in Epistola ad Solitarios convenisse ex Oriente, & Occidente, Antistites numero plus minus trecentum.* Verba hæc sunt Athanasii: *Convenerunt igitur ab Oriente, & ex Occidente, in urbem Sardicam, numero plus minus centum septuaginta Episcopi.* Centum & septuaginta non sunt quidem trecentum. Neque numero huic Athanasii divisio suos cuique Provinciæ Episcopos assignantis præsidio est. Hispaniæ, Italiæque Antistites LXXVIII. numerat. Galliæ XXXIV. Africæ XXXVI. an Canalis Italia XV. non XIV. ut Baronius

De Sardicensium Episcoporum numero. Fuerintne trecenti?

Athan. Apol. 766.

Socr. l. 2. c. 20.

Athan. Apol. 768.

Bar. An. 347. n. 4.

Error Baronii.

Athan. ad Solit. 818.

ANNO DOM. 347.

ronius habet. Ægypti non *nonaginta duas*, ut in Annalibus legitur, sed XCV. Ex Cypro XII. ex Palæstina quindecim. Ex quibus omnibus fit summa, non *ducentorum actoginta*, ex Baroniano calculo, sed *ducentorum octoginta quinque* Episcoporum. Sed & in Baronio error est, quòd omnes putet in Synodum confluxisse, contra mentem, verbaque Athanasii, qui de Episcopis non Sardicæ congregatis, sed Synodo subscribentibus ea prodidit. Incredibile quidem ex Ægypto Antistites ad Concilium adventasse numero *nonaginta quinque*; totidem verò Synodicæ Epistolæ subscripserunt. Ex antiquis porro monumentis, *Sardicam ducentas quinquaginta Episcopos convenisse* prodit Theodor. l. 2. c. 7. Quibus & includi videntur Orientales, qui numero octoginta discessionem fecere postmodum. Illis verò deductis, supersunt CLXX. Cæterùm de numero Episcoporum præcipuè Athanasius audiri debet:

Athan. ad Solit. 818.

Convenere Sardicam numero plus minus centum septuaginta Episcopi. Occidentales soli erant Episcopi, qui Patrem Hosium secum habuere. Orientales contra succincti Pædagogis & Advocatis, Musanio Comite, & Hesychio Castrensi advenere. Deductis octoginta Episcopis, qui ab Occidentalibus secessere, supersunt soli nonaginta. Qui numerus ad verum propius accedit; & in observatione ponendum, utpote qui non sufficiat Oecumenicæ Synodo.

Sardicensis Oecumenicane Synodus fuerit?

III. Hinc in quæstionem incidimus, quæ in pluribus judiciis vertitur, fueritne Sardicense Concilium Oecumenicum? Complures affirmant unà cum Baronio. Quorum tamen sententia nullis argumentis legitimis fulcitur, quæ habentur, & in historia Concilii Sardicensis, & in Dissertationibus N. Alexandri. Nempe autoritate Julii Synodum fuisse & convocatam, & confirmatam: Justinianum Imperatorem prædicare, quòd

Lab. Conc. t. 2. 626.

alii quidem vivi, alii autem post mortem anathematizati sunt à Damaso Sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, & ab universali Sardicensi Synodo. His utitur argumentis Autor historiæ Concilii Sardicensis. Quorum tamen solutio facilis: primùm enim falsissimum est, autoritate Julii Synodum esse coactam. Admisso tamen & indicatam à Pontifice Rom. & confirmatam, non eò quidem ad Oecumenici Concilii dignitatem promoveri potest, nisi & ipsa Romana Synodus, anno CCCXLII. in causa Athanasii convocata, Oecumenici Concilii naturam induat: utpote quæ & convocationem Julii sortita sit, & approbationem. Ad Justiniani testimonium respondet Richerius:

Rich. hist. Concil. t. 1. p. 54.

Ut Tridentina, sic etiam Sardica est universalis ratione Dogmaticorum, non ratione Politicorum. Nos distinguimus. Concilium *universale* dicitur, vel *absolutè*, vel aliquo respectu. De Alexandrina Synodo Athanasius,

Athan. Apol. 794.

In generali Synodo, inquit, Colluthus ad Presbyteri gradum fuit relegatus. Carthaginensis tertii Canon VII. de Episcopo, in quem est accusatio instituta: *Sin autem nec ad Concilium universale anniversarium accurrere voluerit, ut se damnationis suæ sententiam dixisse judicetur.* Sic Arelatensis Synodus causâ Cæciliani congregata, universalis & plenaria audit, licet solis Occidentis Episcopis constiterit, quâ etiam ratione Sardicensi universalis titulum haud invidemus, utpote quæ ex omnium penè regionum, quæ ad Occidentis imperium pertinebant, Præsulibus concinnata fuerit. Oecumenicam tamen simpliciter fuisse pernegamus. Unum objicit N. Alex. ex orbe universo convocatam & congregatam esse: Socrati disertè *Oecumenicam* dici:

Socr. l. 2. c. 20.

Indicitur Oecumenicum Concilium apud Sardicam. Uno verbo difficultas expeditur, *Oecumenicum* fuisse instituto, non re & eventu; Oecumenicum *convocatione*, non *celebratione*, quia octoginta circiter Episcopi discessu facto alium conventum celebrarunt: neque temerè prorsus, si ratio disciplinæ habeatur, cùm Athanasius in magna Tyriensi, Marcellus in Constantinopolitana, atque Antiochena Synodo, Athanasius iterum in Antiocheno Conciliabulo loco motus fuisset. Invaluerat autem mos ille à multis annis, ut qui vel ab Ecclesia ejecti erant, vel à Synodo exautorati, communione omnium suspenderentur, donec majore judicio sententia rescinderetur. Marcionem sanè à parente suo Ecclesiâ pulsum Romani non susceperant. Sed & ipsa Synodus Nicæna c. 5. *De iis qui à communione segregati sunt, sive Clericorum, sive Laicorum sint ordinis, ab Episcopis qui sunt in unaquaque Provincia valeat secundum Canonem, qui pronunciat eos qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis admittendos.* Neque injusta fuit Marcelli Ancyrani abdicatio, qui tandem professus agnitus est Hæreticus. Quin etiam, si verum volumus, servando ordini abdicatus à Tyriensi Conventu Athanasius à Synodo prius absolvi debuit, quàm Ecclesiam recuperaret. Eo igitur respectu speciosæ satis erant Orientalium querelæ, quæ jure Ecclesiastico nitebantur. Hinc illæ lachrymæ!

Lab. Conc. t. 2. 705.

Nos tenentes Ecclesiasticæ regulæ disciplinam, & volentes miseros in aliquantum vivere, mandavimus illis, qui cum Protogene & Osio fuerunt, ut de suo cœtu damnatos excluderent, neque peccatoribus communicarent, deinde unà nobiscum audirent, ea quæ à Patribus nostris contra ipsos fuerant judicata. At illi contrà resistebant, quâ ratione nescimus, nec se voluerunt ab ipsorum communione secernere, confirmantes Marcelli Hæretici sectam, & facinora Athanasii.

Synodus Sardicensis non est Oecumenica.

IV. Nostræ verò sententiæ, quæ Oecumenicis *Sardicense* Conciliis eximit, longè majora præsidia sunt. Primùm à Sardicensibus Episcopi octoginta recessere, quorum præsentia requirebatur ad Synodum Oecumenicam. Quod adeò verum est, ut & ad eam fuerint invitati. Neque ignobiliorum sedium, minorumve gentium Præsules erant, qui Sardicâ recessere: quos inter *Stephanus* Antiochiæ Episcopus, *Menophantus* Ephesi, *Acacius* Cæsareæ, quæ Ecclesiæ Apostolicæ erant. Itaque Sardicenses restitere tantùm *nonaginta*, qui constituendæ Oecumenicæ Synodo non erant idonei, præcipuè cùm desideraretur Antiochenus Episcopus, cujus in orbe Christiano magna dignitas erat. Propterea Patribus, qui non multò post Sardicensem floruere, *Synodus Occidentalium* audit, quo titulo, quæ verè *Oecumenica* est, ornari nequit. Hilarius contra Constantium: *Damnas quoque & substantiæ nomen, quo te, & Sardicensi Concilio, & Sirmiensi, pium esse Occidentalibus mentiebaris.* Sed & Epiphanius de Photino scribit,

Epiph. h. 71. n. 2.

In Sardicensi Occidentis Synodo, ob execrandas blasphemias fuisse depositum. Sozomenus quoque Osium & Protogenem *inter Episcopos Occidentis, qui Sardicæ convenerant, principem locum obtinuisse* testatur.

Soz. l. 3. c. 12.

Itaque pro Occidentali, non pro Oecumenica Synodo habenda est, licet *Arius* Palæstinæ, & *Asterius* Arabiæ Episcopi interfuerint. Præterea annis post Christum plus quingentis Sar-

Anno Dom. 347.

dicenses Canones Græcè nondum extabant, quam in linguam transfusa fuissent Oecumenici Decreta Concilii. Argumenti vires intendit Sardicensium ordo Canonum, vel in Ecclesiæ Romanæ codice, in quo post Decreta, & Constantinopolitanæ, & Chalcedonensis Synodi collocabatur, quod perperàm factum fuisset, si Sardicensis Synodus pro Oecumenica habebatur, cùm & Constantinopolitanam, & Chalcedonensem antiquitate superaret. Ne verò temerè hoc dici, aut à nobis fingi dicatur, Dionysius audiatur Exiguus, in Epistola quam Stephano Salonitano Episcopo nuncupavit, Codici Canonum Ecclesiæ Rom. præfixa: *In principio Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem hoc ipsum vestram nolumus ignorare sanctitatem, quamvis posteà quædam constituta Pontificum ex his Canonibus assumpta esse videantur. Deinde regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ ante eam, sive quæ postmodum facta sunt, usque ad Synodum CL. Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum; id est, à primo capite usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in Græca auctoritate digessimus. Tum Sancti Chalcedonensis Concilii Decreta subdentes in his Græcorum Canonum finem esse declaravimus. Ne quid præterea notitiæ vestræ credar velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Aphricani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta.* Insignis locus, quo lites de Sardicensi Synodo omnes componi debent. Declarat quippe Dionysius, Græcis Canonibus Sardicenses non contineri: quos & Latinè editos profitetur, & generalibus sanè Conciliis postposuit: absurdissimè verò, si pro decretis universalis Ecclesiæ habebantur. Tertiò constat Sardicenses Canones ignotos Afris fuisse, à quibus Decreta Concilii verè Oecumenici ignorari non poterant. Testem Augustinum damus scribentem contra Cresconium: *Disce ergo quod nescis Sardicense Concilium Arianorum fuit.* Sed & in sua cum *Fortunio* Donatistarum Episcopo collatione, anno CCCCXII. instituta jactabat *Fortunius*, Sardicense Concilium cum Episcopis, qui adhærebant Donato, communionem habuisse. Quid ad hæc Augustinus? *Accepto ipso volumine, ejusdem Concilii statuta considerans, lego Athanasium Episcopum Alexandrinum Catholicum . . . . & Julium Ecclesiæ Romanæ Episcopum, nihilominus Catholicum, illo Concilio Sardicensi fuisse improbatos, unde apud nos constitit Arianorum fuisse Concilium.* Quibus luce clarius est ignotum prorsus Sardicensis Synodi Augustinum fuisse. Quam ab Orientalium conventu secernere non valuit. Sed & in Concilio VI. Carthaginensi anno CCCCXIX. celebrato, *Faustinus* Zosimi Papæ Legatus Commonitorium obtulit, quod *Daniel Notarius recitavit*, in quo Concilium Sardicense sacro Nicæni titulo induebatur. Dum recitaretur, *Alypius* Episcopus Tagastensis, interpellato Daniele, *Cùm inspiceremus Græca exemplaria hujus Synodi Nicænæ, ista ibi nescio quâ ratione minimè invenimus.* Idcircò Synodus Ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Constantinopolitanæ Episcopis scripsit, *ut exemplaria verissima Concilii Nicæni* mitterentur in Africam. Certissimo indicio Canonum Sardicensium nullum Afris usum fuisse, qui audito Zozimi Commonitorio, dixissent subinde

Lab. Conc. t. 2. 2.

Aug. l. 3. contra Cresc. c. 34.

Aug. Ep. 163.

Cart. 6. c. 4. 9.

Faustino, Canonem laudatum Sardicensium esse non Nicænorum. Nil opus argumentis, cùm ex Epistola Synodi ad Cælestinum liquidò constat, nullam Sardicensium Canonum notitiam Afros habuisse: *Ut aliqui tanquam à tua sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem Coëpiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii, exinde transmisistis in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæna, à S. Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo decessori vestro à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.* Cui bono tantum laboris, si Sardicensium notitiâ Canonum instructi fuissent? Denique Gregorius libro 2. Epistolâ 10. Isidorus Hispalensis, Beda lib. de Temp. c. 65. cum prima quatuor Concilia generalia enumerant, Sardicense prætereunt. At facilè hujus argumenti laqueos exire putant, dum respondent, *Synodum Sardicensem spectatam semper fuisse, ut appendicem quandam Concilii Nicæni.* Quæ responsio & absurdo, & falso laborat. Scilicet Synodus annis post Nicænam viginti duobus, non in Oriente, sed in Occidente congregata, & aliis proponendum Episcopis constans, & à Principibus à Constantino Magno diversis coacta, & disciplinam à Nicæna discrepantem constituens, Nicæno Concilio includitur, appendixque est. Apage figmentum! Neque unquam pro appendice Nicæni Sardicense habitum est, nisi forsan in Codice Zozimi. Quasi verò Canones & Afris incogniti, Latinè solummodò conditi, & in accuratioribus exemplaribus Ecclesiarum nunquam reperti, & post Concilia universalia Constantinopolitanum & Chalcedonense, Dionysiano in Codice collocati, bono jure Nicæni appendicula conventus existimetur.

V. De Præside Sardicensi paucis. Cœtui Osium præfuisse, omnibus est in confesso. Itaque pars Canonum multò maxima incipit, *Osius Episcopus dixit.* Sed & in Synodi subscriptionibus Osii nomen præponitur. Athanasio quidem Osius προήγορος, *Princeps Concilii* dicitur in Epistola ad Solitarios pag. 819. Post Osium Protogenes principem locum obtinuit: quod etiam apparet ex Orientalium ad Donatum Epistola. Quibus liquet, Philoxenum & Archidamum Julii Legatos ipsius nomine non præfuisse Concilio. Quonam verò titulo Concilii caput exercuerit Osius, in ambiguo ponitur. Julio legationem Osio impositam esse, docet doctissimus Marca, eâ ratione fretus: *Dignitas illa Legati, judicio Pontificis semel collata in Osium, & ab eo in florentissimo universæ Ecclesiæ cœtu cum summa laude obita, ab illo sine gravi injuria in alium transferri non potuit.* Vis argumenti ea est, quòd Nicææ Sylvestri Legatum Osius egerit. Nos qui suo loco ostendimus id falso propius abesse, hâc ratione non movemur. Quòd si Synodo Nicænæ Osium præfuisse admitteremus, non ex eò sequeretur, Julii etiam nomine Sardicensis Principem esse. Neque hæc Osii injuria fuit, quia nullos Julius Sardicam Episcopos legavit, sed solos Presbyteros *Archidamum* & *Philoxenum*, atque Diaconum *Leonem*. Neque multò gravior est altera viri doctissimi ratio, quòd

Anno Dom. 347.

Lab. Conc. t. 2. 1675.

De Sardicensi Præside. Præfueritne Osius nomine Julii Papæ?

Marca de Concord. l. 5. c. 4.

quòd dignitas Synodi generalis non pateretur *legationem, quæ Metropolitis & Patriarchis præesse debebat, duobus Presbyteris imponi.* Eâ quippe legatione Papa non omnia sua privilegia, quæ dignitati personæ inhærebant, transferebat in Legatos, ut Metropolitis eminerent, teste vel unâ Arelatensi Synodo, in qua *Claudianus & Vitus* Sylvestri Presbyteri non præfuere. Propriâ verò autoritate non Pontificis Rom. vice, Osium præfuisse eò liquet, quòd Veterum nullus hanc ipsi legationem imposuerit. Extant subscriptiones complures ad calcem Epistolæ Synodicæ, ex quibus hæ quæ ad rem pertinent, sunt observandæ: *Osius ab Hispania Julius Romæ; per Archidamum & Philoxenum Presbyteros.* Quòd si nomine Legati prior subscripsit personam, utique quam gerebat, non præteriisset. De Osio nonnullos fuisse scimus, qui Sylvestri Nicææ partes implevisse dicerent: qui verò testetur, Sardicæ Julii legationem obiisse, needum ullum aliquem invenimus. Non dixit Athanasius, non Sozomenus, non Theodoritus. Quibus accedat Hadrianus I. in Epitome Canonum: *Sunt XX. Regulæ, quæ per Osium Cordubensem currunt, quæ titulantur tanquam XL. Episcoporum apud Sardicam. Sciendum est autem hunc Osium inter 318. Patres Concilii Nicæni honorabilem fuisse, atque ab Apostolica sede cum Victore & Vincentio destinatum.* Quòd si ut Nicææ, sic & Sardicæ Romani Episcopi vice Osius præfuisset, non minus de posteriore Hadrianus, quàm de priore legatione mentionem egisset. Quin etiam ex Synodi ad Julium Epistola scimus Diaconum *Philoxeno & Archidamo* conjunctum à Julio fuisse, obeundæ ad Synodum legationi: *Vivæ voces carissimorum fratrum & Compresbyterorum nostrorum Archidami, & Philoxeni, & carissimi filii nostri Leonis, Diaconi verissimè & fideliter exponere poterunt.* De Legati persona Osio imposita, ne verbum quidem. His accedat quòd secundum in Concilio locum Sozomenus assignet Protogeni, quem nullus Julii Legatum dixit: *Osius atque Protogenes, qui tunc inter Episcopos Occidentis, qui Sardicæ convenerant, principem locum obtinebant.*

Sozom lib. 3. cap. 12.

Gesta in Sardicensi conventu.

Ath. ad. Solit. 812.

VI. De gestis Synodi summatim disseramus. Postquam Orientales cum *Musonio* Comite & *Hesychio* Castrensi venere Sardicam, in Palatium ingrediuntur, ubi domicilium habuere. *Arius* verò & *Asterius*, ille Palæstinæ, hic Arabiæ Episcopus, qui cum Orientalibus profecti erant, diverso itinere ingressi, se Athanasio, Occidentalibusque venientibus comites addidere. Cùm omnes convenissent Episcopi Orientis, conspectum Occidentalium refugiunt, negantes se in colloquium cum illis venturos esse, nisi Athanasium, Asclepam, Marcellum, cæterosque in Oriente damnatos è cœtu suo ejicerent; quæ cùm Occidentales abnuissent, quinque mittuntur ab Orientalibus Episcopi, qui Occidentalibus proponerent mittendum esse Maræotam: *Altercantibus nobis, emerserunt quinque Episcopi ex partibus nostris, qui superstites de sexto numero erant, qui ad Maræotam directi fuerant, remanserant, & talem illis optionem proponunt, mittendos esse ex utroque Concilio Episcopos aliquos, ad loca in quibus Athanasius scelera flagitiaque commisit, ut sub testificatione Dei cuncta fideliter scriberent, etsi falsa inventa fuerint, quæ Concilio nuntiavimus, ipsi damnemur, nec Concilio, nec cuiquam Episcopo conqueramur.* Quæ leguntur Orientalium in Epistola. Hanc optionem *Osius Protogenesque*, Sardicæ Præsul repudiarunt. Parte aliâ Osius Orientales frequenter ad judicium invitabat: *Ipse ultrò Athanasii inimicos provocavi, cùm ad Ecclesiam ubi ego commorabar, advenissent, ut si quid contra eum haberent, ederent: promisique securitatem, neve quidquam aliud expectarent, quàm rectum in omnibus judicium, idque non semel, sed bis feci; quòd si nollent rem ab universa Synodo disceptari, saltem me Judice uterentur, promisique etiam vos Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis ejecturos esse. Quòd si innocens deprehendatur, & vos ostenderit calumniatores, & ut illum recusaveritis, ego illi persuadebo, ut mecum in Hispaniam veniat. Athanasius autem his conditionibus obtemperavit, nihil contrà oblocutus. Illi verò ad omnia æquè difficiles recesserunt.* Pugnabant Orientales pro legum suarum autoritate, nec non exercitio disciplinæ, Episcopum à Synodo exautoratum ab alio recipi prohibentis, donec à majore Synodo abdicationis sententia rescinderetur, quod & Nicænorum decretum est. Itaque nonnulla ipsis fuit expostulandi causa, quòd contra Canones Athanasius à Synodis compluribus exautoratus, inauditis & accusatoribus, & accusantibus, a Julio vel ad communionem prius admissus fuerit, quàm Romana Synodus celebraretur.

Ath. ad Solit. 839.

A Sardicensibus damnantur Orientales. Variæ Synodi Epistolæ.

Ath. ad Solit. 819.

VII. Narrat Athanasius, eo prætextu Orientales, *quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per literas scripsisset, fugam adornasse, & sine omni pudore hanc cavillationem pro excusatione, per Eustathium Presbyterum Sardicensis Ecclesiæ renuntiasse.* Tum Osius Synodi Princeps illis disertè scripsit, ut aut responderent, aut certò scirent, se pro reis à Synodo damnandos, & Athanasium cum suis, ut puros ab omni crimine purgandos. Quo audito, recessere. Tum Synodus ex pluribus quàm triginta quinque Provinciis coacta, permisere Athanasio cum suis, ut causam diceret. Aderant & homines ab exilio reversi, & Episcopi, quorum unus catenas præferebat, quas Eusebianorum operâ gestabat. Obierat & *Theodulus* Episcopus, cùm eorum calumniam fugeret. Recitatæ sunt & literæ Theognis, & fautorum ejus adversus Athanasium, Marcellum, Asclepam scriptæ, ut Imperatorum animos in ipsos concitarent, quod demonstrarunt illi, qui tum Diaconi fuerant Theognis. Auditis Athanasii rationibus, eum innocentem declarant, communionemque ipsius amplectuntur. Legitur & Marcelli liber, cujus *fidem rectam esse pronuntiant, quòd quæ dixerat tanquam quæstionem proponens, eâ tanquam ab illo assertâ, calumniati sunt.* Asclepas quoque protulit Acta, quæ Antiochiæ confecta fuerant præsentibus ipsius accusatoribus, & Eusebio Cæsariense, & ex sententiis Episcoporum qui huic judicio præfuerunt, se innocentem esse demonstravit. Placuit ergo literas ad cujusque Diœcesim mitti, quibus significabant, Athanasium cum suis extra culpam esse, eorumque accusatores quid vis potius quàm Christianos appellandos esse. Athanasium igitur & socios *cum pace dimiserunt. Stephanum autem Menophantum, Acacium, Georgium qui Laodicea pro Episcopo fuit, Ursacium item & Valentem, & Theodorum, & Narcissum deposuerunt. Gregorii autem nomen Alexandriam missi, ita in damnando recitarunt, ut nec unquam eum Episcopum, nec dignum qui Christianus appellaretur, censerent, rescinderent omnes illius in ordinibus dandis constitutiones,*

Theodorit. lib. 2. cap. 8.

Athan. ad Solit. 820.

interdicentes ne quisquam ab eo ordinatus in Ecclesia, vel nomen sui ordinis obtineret, idque in odium inauditorum scelerum Gregorii. Concilium autem Imperatoribus scripsit, quibus de literis mentio est in Synodi ad Julium Epistola: *Quæ beatissimis Augustis significavimus, cùm legeritis, facilè pervidebitis, nihil nos prætermisisse, quantum ratio patiebatur.* Epistolam quoque direxit ad Julium, quæ gestorum summam continet: *Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam & ipsi religiosissimi Imperatores permiserunt ut de integro universa discussa disputarentur, & ante omnia de sancta fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de personis quas dicebant esse dejectas de iniquo judicio, ut si potuissent probare justa, fieret confirmatio: tertia verò quæstio, quæ verè quæstio appellanda est, quòd graves & acerbas injurias, intolerabiles etiam & nefarias contumelias Ecclesiis fecissent, cùm raperent Episcopos, Presbyteros, Diaconos.* De Valente verò & Ursacio Julium monent, *Eos non cessare adulterina doctrina lethalia semina spargere. Et quòd Valens relictâ Ecclesiâ aliam invadere voluisset, eo tempore quo seditionem commovit, unus ex fratribus nostris qui fugere non potuit, Victor obrutus & conculcatus in eadem Aquileensium civitate, die tertiâ defecit. Causam utique mortis præbuit, qui perturbavit.* Adducit Julii prudentiæ disponendum esse, ut qui in Sicilia, Sardinia, & in Italia sunt fratres, quæ definita sunt cognoscant, ne *ignorantes eorum accipiant literas communicatorias, quos extra Episcopatum justa sententia declaravit.* Scripserunt & Sardicenses, Ecclesiæ Alexandrinæ purgatum esse Athanasium. Admonent omnes qui per metum, vel per dolum circumventi Gregorio communicarunt, deinceps ab illius nefaria communione abstineant. Significant *Aphthonium*, *Athanasium* Capitonis filium, *Paulum* & *Plutionem* Compresbyteros receptos esse, & crimine liberatos. In Epistola verò sua ad omnes Episcopos declarant se Athanasium, Marcellum, Asclepam sceleris puros pronuntiasse, illos qui more luporum in horum Ecclesias invaserunt, *Gregorium* in Alexandriam, *Basilium* in Ancyram, *Quintianum* in Gazam, neque Episcopos appellent, neque ullam cum eis communionem habeant, aut eorum literas recipiant, & vicissim mittant. Fuere nonnulli, qui quæ Nicænæ Synodo deessent, addi voluere, idque ea de re contenderent, quod Sardicenses indignè tulere Decreto sancito, ne quid ulterius de fide scriberetur, cùm fidei Nicænæ nil deesset, in qua pietas consummata continebatur: *Tabellas*, inquiunt, *quas nonnulli jactant, quasi in Sardicensi Synodo de fide conscriptas, ne legi quidem semel, aut proferri sinatis, nihil enim tale Concilium definivit.* Quam ergo fidei professionem Synodicæ Sardicensium Epistolæ subjunxit Theodoritus, ea quidem subdita est, nec à Synodo conscripta, nec apud Athanasium reperitur. Erravit & Sozomenus, cujus hæc verba sunt: *Caterùm & ipsi quoque aliam conscriptionem fidei tunc ediderunt, denique Osius ac Protogenes, qui tunc inter Episcopos Occidentis, qui Sardica convenerant, principem locum obtinebant, veriti fortasse, ne quibusdam viderentur derogasse Nicæni Concilii Decretis literas Julio scripserunt, testatique sunt, se illa quidem rata habere, sed majoris perspicuitatis causâ eandem sententiam fusius exposuisse.* Hæc quidem laudata Athanasio pugnant, à quo discimus, noluisse Sardicenses ne quid ulterius de fide scriberetur: *Quamvis enim certi homines, nonnulla quasi deessent Nicæno Concilio, adscribere vellent, idque acriter contenderent, Sancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit, indignè id tulit, Decretoque sancivit, ne quid ulterius de fide scriberetur, & sese contentos esse Nicænâ fide declaraverunt, ut cui nihil deesset.* Ubi de personis judicatum, Canones ad disciplinam pertinentes, viginti & unum Sardicenses constituere, de quibus mox dicendum: ad Constantium quoque Augustum Legatos misere *Vincentium* Capuæ, & *Euphratam* Agrippinæ, Episcopos, qui quæ gesta fuerant, ipsum docerent.

Athan. ad Antioch. 576.

Theodorit. l. 2. c. 7.

Sozom. l. 3. c. 12.

Ath. c. 1. 576.

Synodus Sardicensis Orientalium. Ubi coacta?

VIII. Intereà Orientales, Sardicensibus numero non multò inferiores, octoginta scilicet, Concilium seorsim habebant. In eo Athanasium, Marcellum, Paulum, Asclepam, Paulum & Lucium, violentiæ scelerumque multorum accusant. Dicunt Athanasium Presbyterum, virum gravem & justum, nomine *Narchen*, tradidisse custodiæ militari, accusatum esse de injuriis, violentiâ, cæde, atque Episcopi internecione. In Ancyra Provinciæ Galatiæ fuisse post reditum Marcelli Hæretici domorum incendia: *Nudi ab ipso ad forum trahebantur Presbyteri, & consecratum Domini corpus ad Sacerdotum colla suspensum, palam publicèque profanabat. Sed in civitate Gazæ Provinciæ Palæstinæ, Asclepas altare comminuit, multasque seditiones effecit. Adrianopoli Lucius post reditum suum, sacrificium à sanctis & integris Sacerdotibus confectum, canibus projiciendum jubebat.* Queruntur ab Occidentalibus Bassum de Diocletianea civitate, in flagitiis sceleribusque detectum, & meritò de Syria deportatum, Episcopum ordinatum esse, *Joannem* qui Thessalonicensi Protogeni suas *concubinas* objecerat, in amicitiam esse receptum. Occidentales hanc novitatem inducere velle, *Quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales Episcopi, quidquid fortè statuissent, ab Episcopis Occidentalibus solveretur.* Eò tandem processere, ut præcipuos Occidentis Episcopos excommunicationis fulmine prosternerent: *Unde Julium urbis Romæ, Osium, Protogenem, & Gaudentium, & Maximum à Treveris damnavit omne Concilium, secundum antiquissimam legem, ut autores communionis Marcelli, & Athanasii cæterorumque sceleratorum.* Ubinam locorum Synodica Epistola scripta sit, in disceptationem venit. Socrates enim, *Regressi*, inquit, *Philippopolim urbem Thraciæ Concilio seorsim habito, vocem Consubstantialis palam anathemate damnarunt.* Contrà verò Sozomenus innuit, Concilium Sardicæ fuisse celebratum, quam in urbem Orientales relictâ Philippopoli se contulerant. Disertè quidem se Sardica scribere testantur: *Cùm ita res currere viderentur, ad suam patriam regredi nostrum unusquisque decrevit, placuitque nobis de Sardica scribere, & ea quæ gesta sunt nuntiare.* Quid verò causæ fuisset octoginta Episcopis tam patens proferre mendacium, ut se *Sardica* scribere dicerent, si in luce atque oculis omnium *Philippopoli* scribebant, prorsus ignoramus. Nobis quidem non placet conjectura Hermantii: Ils choisirent pour tenir ce Conciliabule *la ville de Philippopoli, dans la Thrace, & neantmoins ils lui donnerent le nom de Sardique, par une prudence digne des enfans de tenebres, qui vouloient abolir sous l'équivoque de ce nom les plus autentiques decisions de l'Eglise.* Non enim eò honoris apud Veteres ascendit Synodus Sardicensis, ut pro

Socrat. l. 2. c. 20.

Herm. l. 6. c. 7. 660.

solemnio-

Anno Dom. 347.

solemnioribus Ecclesiæ Decretis, ea quæ constituerat haberentur, utpote quæ & Afrorum ignoratione sepeliebantur, & nullo loco erant in Oriente. Sed & in Ancyrano cœtu, cujus meminit Epiphanius, extat mentio Confessionis *Sardicensis*, quæ quidem non est Occidentalium Synodi, quæ Confessionis nil edidit: *Post expositionem fidei, quæ in Synodo Antiochiæ propter Templi dedicationem collecta, & deinceps in Sardicensi reperta, ubi fides quodam modo refloruisse videtur.* Unique locorum etiam *Sardicensis*, non *Philippopolitani* Concilii nomen gestavit. Hinc Cresconio ea loquitur Augustinus: *Inseris principium Epistolæ Concilii Sardicensis, ubi Donati Carthaginis Episcopi vestri nomen invenitur ascriptum.* Sed & illic ipse Augustinus ad Eleusium Epistolâ: *Tunc protulit quoddam volumen, ubi volebat ostendere, Sardicense Concilium ad Episcopos Afros, qui erant communionis Donati, dedisse literas.* Quin imò Athanasius, qui Orientalium ex urbe Sardica fugam memorat, de Synodo à recedentibus apud Philippopolim celebrata ne verbulum unum habet. Socrati tamen, cujus in ea re nobis vacillat fides, Baronius, & quotquot legimus, assensum præbent. Epistolam porrò Orientales suam dirigunt Gregorio Alexandriæ Episcopo, Amphioni Nicomediæ, Donato Carthaginis, Desiderio Campaniæ, Fortunato Neapolis Campaniæ, Eutychio Arimidiadeno Campaniæ, Maximo Salonarum, *Qui à diversis Orientalium Provinciis, id est, Prov. Thebaida, & Prov. Palæstina, Arabia, Phœnice, Syria, Mesopotamia, Cilicia, Isauria, Cappadocia, Galatia, Ponto, Bithynia, Paphlagonia, Caria, Phrygia, Pisidia, & ex Insulis Cycladum, Lydia, Asia, Europa, Hellespontis, Thracia, Hemmontis, ad civitatem Sardicam congregati, Concilium celebravimus, in Domino æterna salus.* Sardicam iterum, non *Philippopolim* se confluxisse memorant, nec causæ aliquid habuere, cur ad Synodum celebrandam Philippopolim migrarent, cùm & in Palatio habitarent, & *Musani* Comitis auxilio tuti essent, & à Constantio fautore suo Sardica regnaretur.

Epiph. h. 73. n. 2.

August. contr. Creston. l. 3 c. 34.

August. Ep. 163.

Confessio Sardicensium Orientalium. An Orthodoxa?

IX. Cùm eò cogitationis Orientales Sardicenses dilaberentur, *Catholicam & Apostolicam fidem voluisse infringere eos, qui cum Osio erant*, suæ fidei specimen edidere: *Credimus unum Deum Patrem omnipotentem, Institutorem & Creatorem omnium, ex quo omnis creatura in cælo & in terra nominatur.. Et in unum genitum Filium ejus, Dominum nostrum J. C. qui ante ævum ex Patre generatus est, & ex Deo Deus, ex luce lux, per quem facta sunt omnia, quæ in cælis & quæ in terra, visibilia & invisibilia. . . . Illos verò qui dicunt, de non extantibus esse Filium Dei, aut ex alia substantia, & non ex Deo, aut qui dicunt fuisse aliquando tempus, vel sæculum, quando non fuit Filius, Hæreticos damnat Sancta & Catholica Ecclesia. Similiter & illos qui dicunt, tres esse Deos, aut Christum non esse Deum.* Nil odoris Ariani in ea confessione nos olfacere ingenuè profitemur, etsi à voce *Consubstantialis* abstinuerint, quam nec Marcellus adhibuit in suo Symbolo, quod obtulit Julio Papæ. Marcellus tamen à Sardicensibus pro Orthodoxo habitus est, & communioni Occidentalis Ecclesiæ restitutus. Non sanè Hilario Pictaviensi displicuit ea Orientalium professio, quæ ab eo explicatur: *Brevibus*, inquit, *expositio fidei hujus, sed absolutissimis usa est definitionibus.* Infamata tamen est ea Synodus, quasi Arianismo patrocinaretur: *Vocem Consubstantialis palam anathemate damnavit*, si credimus Socrati. Conventus Arianorum fuit, si Augustino fides: sic enim compellat Cresconium: *Disce ergo quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit.* Sed Socrati in manus non venerat Orientalium confessio hæc, cujus prorsus ignarum fuisse constat. Hanc sanè si legisset, in ea vocem *Consubstantialis* damnari nunquam scripsisset. Augustinus verò, ex præjudicio Arianorum Episcoporum Synodum fuisse tradidit, quia nempe in ea damnatus Athanasius. Augustinum sanè non latuisset, non *Consubstantialis*, aut fidei causâ ab Orientalibus Athanasium esse damnatum, si in Orientalium Epistolam oculos conjecisset. Inter octoginta Episcopos nonnullos extitisse, quos Arii venena infecerant, faciles quidem largimur; omnes verò hæresi laborasse pernegamus: missis igitur occultis cogitationibus animorum, qui soli Deo patent, de confessione judicamus, quæ errorem non sapit. Testem & pro nostra sententia excitamus Vigilium Tapsensem, contra Eutychem libro v. Orthodoxis quidem Confessionibus *post Nicænam Synodum contra novorum Hæreticorum insanas eruptiones institutis*, Sardicensem apponit omnium Provinciarum Orientis: *Hanc*, inquiunt, *exposuimus fidem.* Orientalium & Occidentalium exasperatis multò quàm satius erat odiis, contumeliis mutuò sese lacessebant Episcopi, ac quæ incondito populorum furore in partes scissorum molesta perpetrabantur, aut Magistratuum ministerio, alii in alios referebant, ut & hic usurpare liceat:

Hilar. de Syn.

August. contra Cresc. l. 3. c. 34.

Et rupto fœdere regni
Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas.

Lucan. l. 1.

Quanquam inficias ire nolimus, quin scelerati nonnulli fuerint, ac violenti inter Orientales. Contrariarum tamen partium fautores mansuetos piosque non fuisse omnes, & Marcelli hæresis, & Constantinopolitanorum de Paulo seditio satis superque testantur.

Canones Sardicenses. Eorum in exemplaribus perturbatio.

X. Nunc in Sardicensium Canonibus referendis orationi nostræ vagari permittamus. Græcos Canones Latinis non satis consentire, certum exploratumque est. Græcorum quintus Latinorum septimus est. Qui Græcis septimus, Latinis octavus numeratur. Qui Latinis decimus, in Græcis pars est noni postrema. Pars decimi quoque Latini in Græcis non habetur. Caput & XVIII. in Editione Dionysiana Græcè desideratur. Latini Canones XIX. & XX. in in Græcis sunt XV. & XVI. Aliundè Græci XII. & XIII. & XIV. & XX. mutato ordine in Latinis conficiunt XV. & XVI. & XVII. & XI. Cùm porro Dionysiana, Græcorum sit editionibus antiquior, illam sequi præstat. Primus Canon sancit, ne Episcopus ad aliam civitatem transferatur, quæ consuetudo avaritiæ debetur, & ambitioni: cùm nullus inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transierit. II. Qui vel vocatus per populi literas sedem mutaverit, eum ne ad laicam admitti communionem statuit. III. Vetat Episcopum de sua Provincia ad aliam transire, nisi à fratribus invitatum. De Episcopis verò damnatis honorandæ Petri memoriæ sancit, à Judicibus ad Romanum Episcopum esse scribendum, ut si judicium renovandum censeat, renovetur, & det Judices. Si non esse renovandum existimet, Decreta firma maneant. IV. Proponente Gau-

dentio

deuta prohibet Episcopum prius in illius cathedra collocari, quàm causa appellantis fuerit in judicio Episcopi Rom. terminata. V. Si contigerit in Provincia unum remanere Episcopum, qui per negligentiam noluerit ordinare, ex vicina Provincia veniant Antistites creando Pastori. VI. Per vicos, & modicas civitates non ordinetur Episcopus, ne vilescat autoritas muneris hujus. VII. Judicia Synodorum Provincialium de abdicatione Episcopi renoventur, si placeat Episcopo Rom. cui & facultas conceditur, Presbyterum de suo latere ad judicium mittere. VIII. Ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi literis Imperatoris evocati. IX. Episcopi qui à miseris preces acceperint, per Diaconum eas ad comitatum mittant, cum commendatitiis Epistolis ad urbium Episcopos, in quibus moratur Augustus. X. Diaconi Romam venientes, Romano Episcopo preces quas deferunt, tradant, ut prius examinet, si justæ sint, præstetque diligentiam, ut ad comitatum perferantur. XI. Episcopi progredientes inquirantur de causis profectionis, & si comitatum petant, invitentur literis Imperatoris. Quòd si ambitionis causâ eò tendant, neque in literis subscribatur, neque in communionem recipiantur. XII. Episcopus civitatis moneat Præsulem ad comitatum proficiscentem, ut ex eo loco Diaconum suum mittat. Admonitus ipse redeat ad suam Ecclesiam. XIII. Ne quis Episcopus ordinetur, nisi prius & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus, ut per singulos gradus ascendat ad culmen Episcopatus. XIV. Episcopus si nulla sit gravis necessitas, quæ eum detineat, non amplius tribus septimanis absens sit ab Ecclesia, ne si diutius resideat, in perniciem abeat. XV. Episcopi in suis possessionibus in aliena, non sua Diœcesi sitis, post tres hebdomadas, si necesse sit, morentur, neque frequenter veniant ad civitatem Episcopalem vitandæ ambitionis suspicioni. XVI. Ne Clericis ab Episcopo communione privatis, alius Episcopus communionem indulgeat, si noverit abjectos. XVII. Presbyteri ab Episcopo abjecti Episcopos finitimos interpellent, ut causa diligentius tractetur, eos intereà excommunicatos nemo suscipiat. XVIII. Nulli Episcopo liceat alterius civitatis Ministrum Ecclesiasticum sollicitare. XIX. Ne rata sit ordinatio Ministri qui absque consensu sui Episcopi ex alia Provincia ordinatus est. XX. Ne in civitate Thessalonicensi plus tribus hebdomadibus Presbyteri Diaconique morentur. XXI. Clerici qui persecutionis, veritatis, disciplinæ causâ ad civitatem confugerint aliquam, non prohibeantur remanere quàm diu redeundi facultatem invenerint. Cæterùm ordo Canonum Dionysianæ editionis ab illo quoque diversus est, quem Isidorus Mercator sequitur. Primus & secundus Dionysianus caput unum constituunt apud Isidorum. Rursus ex Canone tertio Dionysiano secundus, tertius & quartus conficiuntur Isidori in Collectione. Qui Dionysio quartus numeratur, Isidoro quintus vocatur. Denique quintus & sextus in editione Dionysii, Isidori in interpretatione conjuncti sextum constituunt. Ingentem miramque perturbationem, Decretis Oecumenicis indignam, ex qua colligere licet, Canones non fuisse pretii alicujus veteri Ecclesiæ. In oblivionem quidem Afris venere, etsi Gratus Carthaginis Episcopus, de Sardicensibus unus fuerit, & in Concilio universali Africæ, quod Carthagini anno duntaxat post Sardicense celebratum est, ejus Canones laudaverit. Gratus Episcopus dixit: *Meminis Sanctissime Concilio Sardicensi similiter statutum, ut nemo alterius plebis hominem sibi usurpet.*

Cart. 1. c. 5.

Sardicenses novam disciplinam instituunt. Diu fuit antequam Canones reciperentur.

XI. Priscorum in disciplina Sardicense Concilium multa turbavit, ab Antiochena Synodo dissidens. Decreverant Antiochenses c. XV. Episcopum communi consensu à Provinciæ Antistitibus exautoratum, ab aliis non esse judicandum, hoc est, à vicinæ Provinciæ Episcopis, qui dissidentibus cæteroquin Judicibus à Metropolitano ad sententiam de Episcopo reo ferendam evocari debebant. Damnato tamen fas erat ad majorem Synodum provocare c. XII. Sardicenses verò statuunt, ab Episcopi damnati Judicibus ad Julium scribi, ut si opus sit, ab Episcopis Provinciæ renovetur judicium. Quæ disciplina nova erat, ipso Osio teste: *Si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus.* Quæ de jure ordinario & ab Apostolis constituto efferri nequeunt. Quis eò unquam absurditatis progressus est, ut dicat, *Si placet*, baptisma Trinitatis in nomine celebremus; *Si placet*, pane & vino Eucharistiam consecremus? Nempe de disciplina perpetuò data perabsurdum dicere, *Si placet*. Verissimè observatum ab eruditissimo Du Pin ex istis verbis: *Satis Osius indicat se novum quippiam, & antehàc inusitatum proponere, quodque ex Patrum Sardicensium pendebat arbitrio. Deinde non dicit Osius, Jus Romanæ sedis conservemus, sed tantùm Petri memoriam honoremus: hoc est, hunc honorem, si vobis videatur, Rom. Pontifici deferamus. Et certè adeò verum est, istam propositionem Osii novam fuisse, ut statim Gaudentius Episcopus aliquid ei adjiciendum esse censeat; Necesse est, inquit, adjici huic sententiæ, quam sincerâ dilectione plenam protulisti, ut si quis Episcopus fuerit depositus.* Rectè & sapienter. Non statim tamen invaluit, ne vel in Occidente quidem, nova hæc disciplina Afris prorsus incognita, quam nomine *Synodi Nicænæ* Zozimus incrustavit, ut in majore commendatione poneretur. Seculo quinto una Africæ nota fuit Orientalium Sardicensis, quam pro Ariana perperàm habuit. Non ignoravit quidem Sardicensem Palladius in vita Chrysostomi, ubi de Canone in Antiocheni Conciliabuli ab Episcopis XL. condito, *ne Episcopus, aut Presbyter, jure aut injuriâ depositus, per se redeat ad Ecclesiam absque Synodo*, hæc habet: *Et hic quidem Canon ut impius ab impiis editus, in Sardicensi Concilio, à Romanis, Italis, Illyriis, Macedonibus atque Græcis abrogatus est.* Non ex eo tamen colligi potest ab Orientalibus admissam esse Sardicensium Canonum autoritatem. Neque Canones laudat Palladius, in quibus de restitutione Athanasii & Marcelli ne μῦ quidem. Synodicam innuit Epistolam, cui Orientales benè multi subscripsere. Ex Chrysostomi quidem ad Theophilum Epistola scimus, non ad Sardicenses, sed ad Nicænas fuisse provocatum: *Tu igitur si judicio confidis, siste te ad Synodum, quæ secundum Christum cogitur, & ibi expositis criminationibus, sub testibus Nicæni Concilii Canonibus, alium enim Canonem Romana non admittit Ecclesia, irrefragabilem securitatem habebis.* Ignoravit & Ecclesia Constantinopolitana Sardicensis Synodi autoritatem, teste Nicolai Papæ ad Photium Epistolâ: *Quod verò dicitis, Sardicense Concilium,*

Du Pin de Ant. Eccl. Discip. Dissert. 2. 109.

Pal. Vit. Chrys. p. 87.

Pal. Vit. Chrys. 24.

Bar. An. 862. n. 15.

Anno Dom. 347.

cilium, neque Decretalia vos habere Sanctorum Pontificum, vel recipere, non facilè nobis credendi facultas tribuitur. Porro multa peccare Palladium, est certissimum. A Romana Synodo prius susceptus erat Athanasius, quàm à Sardicensibus in communionem admitteretur: neque impietatis aliquid constitutionem hanc Antiochenam incessit, quæ in legitimo ordine fundatur: siquidem quo modo aliquid colligatum est, eo etiam dissolvi debet. Non neque magis verum, Antiochenam Synodum propriè abrogatam fuisse, in quam Sardicensi sanè nil juris fuit. Id unum sequitur, Decretum Antiochense Sardicensibus nullo fuisse loco, & in contemptum venisse, qui Athanasio locum defensionis dedere.

Jus revisionis non summam Episcopo Rom. potestatem tribuit Canone VII. Sardicensis.

XII. Attento animo mens Sardicensium nunc est contemplanda, atque consideranda. Canon septimus sic sonat: *Osius Episcopus dixit, Placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, si justum putaverit ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione suâ moverit Episcopum Rom. ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit & æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus autoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit.* Huic Canoni debetur primo origo potestatis Episcopi Rom. in Synodorum judicia. Quanquam si verum volumus, jus appellationis, non ab eo fuerit constitutum, ut sapienter observant Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii l. 7. c. 3. & Du Pin de Antiqua Ecclesiæ Disciplina Dissertatione secundâ. Quod ergo Pontifici Rom. vindicatur, jus *revisionis* est, ut aiunt, non autoritas de appellationibus judicandi, quæ non angustâ sanè differentiâ dissident. Quippe summa de Episcoporum appellationibus judicandi potestas in ipso Ecclesiæ Romanæ tribunali exerceri debuisset. Deinde à Pontifice dissolvi, vel confirmari judicium oportuit: in his enim summa judiciorum potestas intelligitur. Id verò autoritatis Episcopo Rom. non contribuitur. Id ipsi ascribitur, non ut sententiam confirmet, aut rescindat, sed ut judicet, *renovandumne* sit judicium. Neque recta appellationem abrogat, aut rescindit, sed de causa existimat, talis sit, necne, quæ iterum tractari debeat. Non etiam ipse judicat, sed dat Judices, neque Romæ, sed in finitima Provincia sententia pronuntiatur: denique non Episcopi Rom. nomine Præsules judicant, quæ persona est Presbyteri ab eo missi, sed ut arbitri Judicesque in ea lite designati pronunciant, ex facultate concessa Pontifici nominandi, ad renovandum causæ examen, alios etiam Judices. Cui quidem examini priores cum adjunctis finitimis Judices adfuisse, vero propius est. Id sanè postulat *revisionis* natura, quæ eosdem Judices non respuit: aliundè ipsis in reum legitima potestas fuit, cujus usu non erant prohibendi, nisi corruptos fuisse demonstraretur. Itaque qui Episcopus Provinciali judicio loco motus erat, exautoratus remanebat, cùm ea tamen vis appellationis sit omnis, ut executionem sententiæ suspendat atque cohibeat. Æquum tamen fuit, nec alium in abdicati cathedra Episcopum intereà collocari vitandæ perturbationi, nec posteriori judicio exautoratum loco suo restitui. Hæc igitur est illa potestas, quâ Rom. Antistitem induunt, ut existimet, an judicium sit renovandum, necne. Quod mirum quantum abest à summi Judicis autoritate. Hanc Sardicensium animo mentem sedisse, egregiè astruit doctissimus Marca Hincmari Remensis ex Epistola, Caroli Calvi nomine ad Joannem VIII. Papam scripta, capite XX. *Cujus Sanctæ Synodi* (Nicænæ) *constitutionem Sardicenses Canones non convellunt, qui cum Pontificis Romani Vicario, vel arbitrio, causam Episcopi in Provinciali Synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio, vel judicio, qui eum judicaverunt, cum Episcopis qui in finitima, & propinqua Provincia sunt, præcipiunt terminari, quatenus sive in manenda, sive in immutanda sententia juxta Canones Nicænos commune sit.*

Marcellus Ancyranus fueritne Hæreticus?

XIII. Magnam & bonam laudis partem in viris piis Marcello Ancyrano vindicarant Sardicenses suâ ad Episcopos Epistolâ, quâ omni labe hæreseos purgabatur. Veteratorio & innocentiæ insigne testimonium reddidit Athanasius: Marcellus *autem Romam profectus, sese innocentem docuit, & ut jussus ab illis fuerat, scripto suam fidem, quam Synodus Sardicensis amplexa est, edidit.* Contrà verò Sardicenses Orientales asperrimè in Marcellum invehuntur: Sardicam *cùm venissemus, didicimus in media Ecclesia, Athanasium, Marcellum, omnes sceleratos Concilii sententiâ pulsos, & meritò singulos pro suis facinoribus prædamnatos, cum Osio & Protogene sedere simul, & disputare, & quod est deterius, divina mysteria celebrare. Nec confundebatur Protogenes Sardices Episcopus, communicare Marcello Hæretico, cujus & Sectam, & reprobum sensum in Concilio quater sententiis Episcoporum subscribens, propriâ voce ipse damnaverat.*

Athan. ad Solit. 813.

Rectius sanè Orientalium, quàm Occidentalium Sardicensium de Marcello judicium fuisse, tristi tandem experientiâ deprehenditur. Rectæ quidem fidei speciem, turpitudini erroris sui Marcellus obtendens, Juliumque, Sardicensesque fefellerat. At tandem viam patefecit illustrem atque lætam impietati suæ vaferrimus ille senex. Ab Athanasio quidem, ubi de ipsius errore suboluit, nulla Marcello excusatio paratur, dum ab Epiphanio interrogatur: *De quo, inquit, cùm aliquando beatum Papam Athanasium interrogassem, Cujusque modi fuisse eum arbitraretur? Ille neque purgavit hominem, neque verò asperius notavit, sed leniter arridens, non multum ab improbitate abhorruisse significavit, & in eorum loco qui se purgassent, habuit.* Quòd si pro Orthodoxo Marcellum habuisset Athanasius, totis sanè viribus ipsius innocentiæ patrocinatus fuisset. Non eum tamen insectatus est, quin pudoris aliquid ipsi incussérat, quòd cum dissimulatore communionem iniisset.

Epiph. h. 72. n. 4.

Basilius quoque vir gravissimus, qui non præcipitanter, non ex rumore judicium de Marcello interposuit suum, hæc scribit Athanasio de Occidentis Episcopis: *Ad hanc usque diem in omnibus quas scribunt literis, Arium anathematizare, atque ex Ecclesiis eliminare non cessant; Marcellum verò, qui ex diametro respondentem Ario impietatem attulit, atque contra eandem Unigeniti Divinitatisque essentiam impiè egit, verbique appellationem male usurpavit, ne semel quidem accusare videntur.*

Basil. Ep. 52.

dentur. Hæc verò ex Marcelli ipsius *Syngrapha* penes se recondita Basilius probat, ut extra dubium sit, ne loco moveretur, Marcellum & Julio, & Sardicensibus fraudem fecisse. Nec à Basilio diversus est Hilarius, teste de Scriptoribus Ecclesiasticis Hieronymo c. 86. *Marcellus Ancyranus Episcopus. Feruntur contra hunc Asterii & Apollinaris libri, Sabelliana eum hæresis arguentes, sed & Hilarius in VII. adversum Arianos libro, nomimis ejus quasi Hæretici meminit.* Basilio Patres assentiuntur Chalcedonenses, in sua ad Marcianum Epistola: *Photinus atque Marcellus aliam adversus filium blasphemiam innovarunt.* Ad Marcelli in Sardicensi Synodo purgationem, non minimo adjumento fuit odium, quod expertus Arianorum fuerat, cui accessit fraus hominis, verba ad sensum pium sua inflectentis. Hinc scriptum à Sardicensibus: *Recitata quæque sunt scripta Collega nostri in sacris Marcelli. . . & inventa est bona, & recta fides istius viri.* At locus Sulpitii etiam atque etiam est observandus: *Athanasius cùm Marcellum parum sana fidei esse penitus comperisset, à communione suspendit. Habuitque hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus sponte concederet. Cæterum anteà innocens, posteà depravatus videri poterat jam tum nocens fuisse, cum de eo fuerat judicatum.* Purgatio hæc Marcelli, Sardicensibus non fuit honori. Porro ad annum usque 372. Marcellum vitam retinuisse, Baronii sententia est, quam probat ea Epiphanio, cujus hæc verba sunt: *Marcellus ad nostra usque tempora pervenit, & duobus abhinc plus minus annis obiit.* Hinc colligit Baronius: *Cùm ea scriberet, ut ipse testatus, anno XI. Valentiniani, Gratiani autem VII. planè opus est asserere hoc ipsum anno esse defunctum.* Verùm Epiphanii testimonium perperàm ab illustrissimo Purpurato adducitur. Opus quidem suum aggressus est Epiphanius anno 374. sed serius de hæresi Marcelli scripsit, & pòst de Manichæis tractatum, quæ LXVI. est hæresis, anno duntaxat Dom. CCCXXVI. confecta, qui est Gratiani IX. Unde proclive est colligere, ex Epiphanii calculo, anno circiter 374. Marcellum naturæ satisfecisse, post Baronii Chronologiam biennio. Librorum Marcelli meminit Hieronymus: *Multa diversarum ὑποθέσεων scripsit volumina, & maximè adversum Arianos.*

Athan. Apol. 764.

Epiph. h. 72. n. 1.

Bar. An. 372. n. 14.

Epiph. hær. 76. n. 20.

Paulus ante Sardicense Concilium revocatus Constantinopolim.

XIV. Paulo Constantinopolitano Episcopo sedem à Sardicensibus suam restitutam esse, persuasum Socrati. Nil tamen eâ restitutione Paulo opus erat, qui prius quàm Episcopi Sardicam convenirent, locum recuperaverat suum. Testis Theodoritus: *Paulum Constantinopolitanum Episcopum, rectæ fidei acerrimum defensorem, Ariani tanquam seditionis auctorem accusaverant. Aliis quoque criminibus adjectis, quæ adversus vera pietatis præcones solent confingere. Verum populus eum Sardicam abduci tunc passus non est, cum adversariorum insidias metueret.* Itaque Baronio error est, scribenti anno CCCXLVIII. *Constantem Paulum restituendum curasse.* Non pugnamus quin literis Constantis, Paulus Constantinopolim revocatus fuerit, quas Constantio scriptas esse ex Socrate discimus, licet non impetratum ab ipsis Paulo reditum scribat.

Socrat. l. 2. c. 20.

Theodorit. l. 2. c. 5.

Bar. An. 348. n. 14.

Photinus. In Mediolanensi Synodo damnatur.

XV. Photini error Hæretici novâ Synodo annum nobilitavit. Photinus referente Hieronymo, libro de Viris illustribus, *de Gallo-Græcia Marcelli discipulus fuit*, & sub eo Diaconus aliquando vixit. Multa ipsi bona natura præstiterat, ingenium, eloquentiam, quam & eruditione excoluerat, teste Vincentio Lirinensi Commom. l. 1. c. 26. *Erat & ingenii viribus valens, & doctrina opibus excellens, & eloquio præpotens, quippe qui utroque sermone copiosè & graviter disputaret & scriberet, quod monumentis librorum suorum manifestatur, quos partim Græco, partim Latino sermone composuit.* Sirmii Episcopus ordinatus multum inclaruit: *At cùm magno omnium favore in Sacerdotium fuisset adscitus, & aliquandiu tanquam Catholicus administraret*, multum à se diversus in errorem incidit. Anno CCCXLV. ab Episcopis Antiochiæ congregatis, primâ damnationis sententiâ perculsus est: *Tales sunt discipuli Marcelli, & Photini, Ancyro-Galatarum, qui æternam Christi existentiam, ejusque Deitatem, & regnum indefinens, itidem ut Judæi inficiantur, prætextu constituendæ Monarchiæ.* Itaque adjungi Petavio non possumus, in sua de Photini damnatione Dissertatione, existimanti anno 336. à Constantinopolitana Synodo in Photinum latam esse sententiam. Quæ conjectura nullo Veterum testimonio fulcitur. Secundam Epiphanius damnationem numerat, in Sardicensi Synodo peractam: *Hic oriundus Sirmio, Constantio imperante, infelix doctrinæ suæ lolium in orbe disseminavit, & ad hæc usque tempora superfuit, cùm in Sardicensi Occidentis Synodo ob execrandas blasphemias depositus esset.* Quin hæc tamen errante calamo scripta sint nulli dubitamus, turpissimi quidem Hæretici abdicationem in sua Synodica Sardicenses memorassent, dum Orientalium à se damnatorum mentionem faciant. Quòd si Sardicæ motus loco suo Photinus, nil opus fuisset Mediolanensi Synodo, currente anno celebratâ, in reum constituere damnationis judicium, quod ex Hilario factum esse tenemus: *Igitur ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi Synodo erat Hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes.* Itaque eruditis assentimur, qui duas Mediolanenses Synodos admittendas esse putant: priorem anno CCCXLVI. posteriorem anno CCCXLVII. celebratam. Non enim una eademque est, quæ Antiochenos Legatos suscepit, & Valentem Ursaciumque ad communionem admisit, illa ante, hæc post Sardicensem celebrata. Orientales quidem, qui Julium, Osium, Protogenem Sardicæ anathemate percusserant, ea cupido non incessit, legatione suâ Mediolanensem adire conventum, cum Julio, Osio, Protogene, communionis fœdere conjunctum. Sardicensi ergo antecessit Synodus illa, cui Eudoxius, Macedonius, & Martyrius prolixam Orientalium confessionem obtulere. Aliundè Sardicensi posterior est Mediolanensis, quæ Valentem & Ursacium admisit communioni. Hæc sunt legitima distinguendi fundamenta. In posteriore hac Mediolanensi Photinus damnatur. Episcopatum tamen retinuit suum, à quo per factionem amoveri non potuit.

Athan. de Syn. 898.

Epiph. h. 71. n. 1.

Hilar. Fragm.

Photini errores. Trinitatemne professus fuerit?

XVI. Pauca Photinianæ impietatis capita sunt, sed pondere gravissima: *Christum à principio negat extitisse. Sed jam tum à Maria Virgine initium accepisse, ac recentem esse. Ex quo Spiritus, inquit, Sanctus in illam descendit, & è Spiritu Sancto genitus est. Fuit hic promptâ ad loquendum ac volubili linguâ, adeò ut plerosque verborum ipsâ pronunciatione, & dicendi celeritate in fraudem posset impellere.* Hâc impietate laborasse Photini fidem testatur & Theodoritus: *Artemon, Theodotus,*

Epiph. h. 71. n. 1.

Theodorit. Dial. 2.

ANNO DOM. 347.

derm, Sabellius, Paulus Samosatenus, Marcellus & Photinus, in blasphemiam ex diametro contrariam inciderunt, illi scilicet quam Marcion & Valentianus profitebantur: *Christum enim hominem solum prædicant. Quæ est autem ante secula Divinitatem negant.* Neque Veterum ullus est, qui de Photini doctrina aliud scripto mandaverit. Novum itaque & inauditum est, quod Joannes Garnerius, Mari Mercatoris editor tradit, & uti putamus falsissimum: *Photinum constanter in Confessione ὁμοούσιου perstitisse.* Quam frustrà ex Socrate conjecturam extundit. Photino Episcopatum Sirmienses se reddituros pollicentur, dummodò ad sanam mentem reversus: *Dogma quidem à se excogitatum damnaret, ipsorum autem fidei consentiret.* Quam sibi oblatam Photinus conditionem aspernatur. Non ex eo tamen sequitur Sirmienses à Photino postulasse, ut damnationi Consubstantialis subscriberet. Ex anathematismis quid opinionis Photino insederit, rectius intelligitur, quorum unum est Photino obtruendo comparatum: *Si quis secundum præscientiam ex Maria dicit Filium esse, non autem ante secula ex Patre natum, apud Deum esse, & per eum fuisse omnia, anathema sit.*

Socr. l. 2. c. 30.

Ursacius & Valens veniam petunt à Mediolanensi Synodo.

XVII. *Impios imperitosque adolescentes, Valentem* Mursorum, *Ursacium Singidonensium* Episcopos, Synodus Sardicensis exautoraverat. Ne verò Ecclesiis suis Constantis Edicto pellerentur, Mediolanum petunt, ut oblato libello Antistites exorent. Verba hæc sunt Ariminensium: *Ursacius & Valens, in suspicionem ejusdem hæreseos Arianæ venerunt aliquando, & suspensi erant à communione. Et rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta. Quam meruerunt tum temporis à Concilio Mediolanensi, adsistentibus etiam Legatis Romanæ Ecclesiæ.* Quam veniam ut impetrarent, calculo nigro Arii opinionem exterminant. Id Mediolani se prius fecisse prædicant in sua Confessione, quam *Julio* Pontifici obtulere: *Hæreticum porro Arium, ejusque propugnatores, qui dicunt, erat tempus quando non erat Filius, aut eum ex non ente ad essentiam emersisse, aut qui neget Christum Deum esse, Dei Filium ante secula, quemadmodum in priori libello nostro Mediolani edidimus, & nunc & semper anathemate damnamus.*

Theodorit. l. 2. c. 19.

Athan. Apol. 776.

ANNO DOM. 348.

ANNO U. C. 1101. PER. JUL. 5061. JUL. 393. DOM. 348. CONSTANTII 12. *Sol.* 21. C. B. *Lun.* 7. *Indict.* 6. *Epact.* 13. *Epact. Sol.* 5. 6. P. 3. *April.*

COSS. Fl. Philippus & Flavius Salia.

Ulpius Limenius Præfectus Præt. & Urbi.

Schisma Orientalium & Occidentalium post Sardicense Concilium.

I. NOn aliò penè quàm ad demonstrandam Athanasii innocentiam utile Concilium Sardicense fuit. Exules, damnatique quos restituerat, in suas Ecclesias proficisci verebantur: odiaque Orientalium & Occidentalium reciprocis anathematibus exasperata in apertam divisionem abierant. Successus infaustos testantur Socrates atque Sozomenus, cujus verba referre juvat: *Post hanc Synodum Orientales & Occidentales non amplius inter se commisti sunt, tanquam idem sentientes de fide, neque in vicem communicarunt. Sed Orientales quidem Thracia tenus, Occidentales verò usque ad Illyricum sese mutuò diremerunt. Ecclesiarum verò status dissensionibus perturbatus, & calumniis obnoxius fuit.* Communionis limes fuit mons *Sucorum*, qui Illyrios Thracasque disterminat. Montis hujus meminit Ammianus in Juliano: *Motis prosperè signis emensâ declivitate Sucorum Philippopolim petit.* Ad hunc usque montem indiscreta & promiscua erat omnium communio, licet in fide inter se dissiderent. Ulterius verò degentibus nequaquam communicabant. Athanasius solutâ Synodo, Naissum Daciæ urbem incolebat, dum Gregorius lupum potius quàm pastorem agens, Alexandrinam vastabat Ecclesiam.

Sozom. l. 3. c. 13.

Marcel. l. 21. c. 2.

Socr. l. 2. c. 22.

ANNO DOM. 348.

Fautores Sardicensium vexantur.

II. Ex Sardicensium gestis accenso gliscit violentia Constantio Principi. Orientalium communionem Adrianopolitani refugiebant. Re ad Imperatorem relatâ, Philagrius qui rursum Comes creatus erat, in loco *Fabricæ* cognomine, Laicos capite truncat, quorum monumenta ante urbem jacentia conspexit Athanasius inter prætereundum. Græca sunt, δεκὲν λαϊκῶν, quæ stupendâ versione *Nannus decem Laicos* interpretatur, quasi δεκὲν inter & δέκα nil foret discriminis. Defunctorum memoria in Martyrologio R. Februarii XI. recolitur. Alexandriâ duo Presbyteri, tresque Diaconi in Armeniam mittuntur. Arius Petræ in Palæstina, Asterius Petræ in Arabia, qui ab Orientalibus desciverant, in superiorem Africam relegantur. Lucius Adrianopoleos Episcopus, qui multâ adversus eos libertate utebatur, ferro vinctus solum vertere cogitur. Thraciæ Episcopi calumniis petiti, Olympius ex Ænis, & Theodulus ex Trajanopoli, suis sedibus expulsi. Ejicitur & Diodotus Episcopus. Habebat autem Edictum, ut non solùm civitatibus & Ecclesiis ejicerentur, sed capituli quoque pœnâ, ubicunque inventi essent, plecterentur. Simul diplomata ad Judices Alexandrinos, nominatim de Athanasio Presbyterisque nonnullis mittuntur, ut sive Athanasius, sive quisquam suorum urbem illam, ejusve fines ingrederetur, eum capite plectere Judici liceret.

Athan. ad Solit. 810.

Stephani in Synodi Sardicensis Legatos calumniæ. Abdicatur.

III. *Vincentium* Capuæ, *Euphratamque* Agrippinæ Episcopos Synodus Legatos ad Constantium miserat, ut pro Concilii Decretis, quos ipse ejecerat, in suas sedes reverti pateretur. Afferebant & Principi, fratris sui Constantis literas, quibus Episcopi illi commendabantur. Unà cum illis misit etiam Magistrum Militum, nomine *Saliam*, virum pietate & justitiâ insignem. Non suasionem modò, sed minas quoque Constantis literæ continebant. Superiorum Judicum iniquitatem jam satis patefactam esse: Athanasium gregi suo restituendum esse: ac nisi ille morem gereret, se Alexandriam profecturum; Athanasium quidem plebi ipsum desideranti redditurum, inimicorum verò catervas expulsurum. Ubi Antiochiam Legati venere, *Stephanus* urbis hujus Antistes, se dignissimas fraudes viris optimis molitur. Complures tyrannidis suæ Ministros habebat, quorum operâ calamitatibus pietatis cultores afficiebat. Facinorosis Dux erat *Onager*, juvenis projectæ audaciæ, qui & homines conviciis incessebat verberibusque, & in domos irruens, viros & mulieres honestas inde extrahebat. Ejus operâ Stephanus utitur, ut Vincentium Euphratamque perditum iret. Meretricem adit, cui persuadet advenisse peregrinos noctem ab ea flagitantes. Deinde assumptis quindecim suæ factionis hominibus, quos in proximis clivo materiis occultat, venit ipse cum meretrice. Signoque quod

Theodorit. l. 2. 8.

 inter

inter ipsos convenerat pronuntiato, ubi insidiarum conscios adesse comperit, pergit ad fores diversorii, in quo duo Episcopi degebant. Apertis januis, scortum introducitur Euphratæ in cubiculum. Audito pedum sonitu, Quisnam ambularet, Euphratas exquirit. Respondentis ad vocem turbatus Euphratas, suspicansque Dæmonem esse, qui muliebrem vocem imitaretur, statim Christum in auxilium advocat. Tum *Onager* unà cum agmine suo ingressus, Episcopos afficit contumeliâ. Sed clamore excitato, accurrunt servi, qui ex factione septem comprehensos unà cum muliere in carcerem ducunt, Onagro reliquisque fugâ sibi caventibus. Ortâ luce Episcopi cum Magistro Militum Salia, qui cum ipsis venerat, simul ad palatium tendunt. Vim illatam queruntur, præcipuè Magister Militum Imperatorem orat, ut de nefario facinore non in Synodo, sed publico judicio inquiratur. Obsistente Stephano, clamanteque Clericos tormentis subdendos non esse, placuit Imperatori, intus in palatio exerceri judicium. Interrogata primùm meretrix, quâ ratione Euphratæ in cubiculum fuerit introducta, profitetur. Re cognitâ, comprehensorum natu minimum Judices adduci jubent. Qui necessitatem verberum non expectans, compositam facinoris scenam detegit. Inductus Onager, Stephanum id sibi præcepisse dicit. Detectâ improbitate Stephani, Judices præsentibus Episcopis mandant, abdicatum hominem ex Ecclesia pelli. Eò indignius Stephani flagitium, quòd *ipsis feriis sanctissimi Paschatis* nuda meretrix in Euphratæ ædes immissa fuerat. Exulibus profuit structa in Vincentium Euphratamque calumnia. Paulisper enim ad se rediens Constantius, ex turpissimo facinore consimiles esse eorum in alios accusationes arbitratus, relegatos Alexandriâ in Armeniam Presbyteros, & Diaconos, è vestigio redire jubet, Alexandrinisque Judicibus disertè scribit, ne ulterius Athanasii Clericos, Laicosve persequerentur. Sed & acceptis Constantis literis, Facturum se pollicitus est, quod frater ipsi mandaverat. Placuit tamen Episcopos interrogare complures, Quid agendum esset. Responderunt, Satius esse revocari Athanasium, quàm bellum civile suscipi. Scripsit igitur Athanasio: *Jactari te diutius vexarique sævissimis maris fluctibus, clementia nostra humanitas non sinit. . . . Idcircò literas indulgentia plenissimas ad gravitatem tuam misimus, ut absque metu nostris conspectibus præsentiam tuam, quam primùm exhibere festines, quo tuis sedibus restituaris. Hujus enim rei causâ Dominum ac fratrem meum Constantem victorem Augustum pro te hortatus sum, ut veniendi tibi concederet facultatem, quo ambobus nobis simul annuentibus, patriæ restitutus, hoc gratiæ nostræ pignus habeas.*

Socr. l. 2. c. 23. Athan. ad Solit. 822. Theodorit. l. 2. c. 10.

Leontius Antiochenus Episcopus creatur.

IV. Abdicato Stephano Leontius substituitur. Gente Phryx erat, subdolus ingenio, saxisque in mari latentibus similis. Unum ex Luciani Martyris auditoribus fuisse, narrat Philostorgius. Presbyteri gradum in Ecclesia Antiochena sortitus, dein ad Episcopatum promovetur. Neque Nicænis Canonibus congruebat hæc ordinatio. Cùm enim Leontius malè audiret ob consuetudinem cum puella quadam, nomine *Eustolia*, ut ejus societatem quâ prohibebatur, retinere posset, se ipsum exsecuit, quo deinceps liberè cum illa versaretur. Suspicionem tamen nunquam abolere potuit. Imò ea de causa Presbyterio motus est. Adeptus Episcopatum, astutam hominem egit. Arianorum veneno imbutus, populi tumultus, Constantiique minas veritus, quas Filium Patri dissimilem affirmantibus intendebat, submissa voce Trinitatis glorificationem efferebat. In partes quippe divisis, & Clericis, & populis, aliis gloriam & Patri, & Filio, & Spiritui S. contribuentibus, aliis Patrem per Filium, in Spiritu S. laudantibus, vocem inter laudandum deprimebat, ne utrisque esset offensioni. Porro quotquot Arii disciplinæ favebant, ad Ecclesiasticos ordines promovebat, iis prætermissis quibus recta fides insidebat animo. In Diaconos Ætium retulit, hominem, qui novis commentis Arii blasphemias amplificabat. Ubi verò Flavianus, & Diodorus, asceticæ disciplinæ cultores, palam Leontium redarguerunt, quòd hominem per impia inclarescentem, ad Diaconatum extulisset, *Ætium* quidem ministerio fungi vetuit, in reliquia verò, eum fovere non desiit. Sic animatus nil violentiæ Orthodoxis intulit. Imò egregium de ipso dictum celebratur: capiti jam cano admotâ manu dixit: *Hâc nive liquefactâ multum erit luti.* Quibus significabat, se defuncto futurum ut hæc hymnorum discrepantia in gravissimum plebis dissidium desineret. Leontii pietatem laudat Autor Chronici Alex. ab Arianorum, ut videtur, monumentis deceptus: ea tamen peragere Leontius potuit, quæ leguntur ad Sergii & Nigriani Consulatum: *B. Leontius Antiochiæ Syriæ Pontifex ingentis fidei & pietatis, acerrimusque veritatis propugnator, Curatorque, Xenodochiorum instituit hospitium, seu peregrinorum præfectos viros religiosos.*

Theodorit. l. 2. c. 24.

Sozom. l. 3. c. 20.

Constans & opes & Legatos in Africam mittit ad unitatem faciendam.

V. At in Occidente *Constans* Augustus regiarum opum partes in Africæ Ecclesias dividebat, quæ contracta in paupertate vivebant. Munificentiæ meminit Optatus, quam indignis modis *Donatus* sprevit, superbus ille Carthaginis Schismaticus Episcopus. Parmenianum sic compellat Optatus: *Quis negare potest, rem cui tota Carthago principaliter testis est, Imperatorem Constantem, Paulum & Macarium, primitùs non ad faciendam unitatem misisse, sed cum eleemosynis, quibus sublevata per Ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas? Qui cùm ad Donatum patrem tuum venirent, & quare venerant indicarent, ille solito furore succensus, in hæc verba prorupit, Quid est Imperatori cum Ecclesia? Et de fonte levitatis suæ multa maledicta effudit, non minus quàm in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere minimè dubitavit, Gregori macula Senatus, & dedecus Præfectorum, & cætera talia: cui Donato Præfectus patientiâ Episcopali rescripsit.* Constantis hæc munificentia occasio fuit, quâ ad concordiam Donatistæ cum Catholicis invitabantur: *Veniebant Paulus & Macarius, qui pauperes ubique dispungerent, & ad unitatem singulos hortarentur.* Placidis consiliis Donatus non Carthaginensis ille, sed *Bagaiensis* impedimento fuit. Per omnes nundinas præcones misit, Circumcelliones, Agonisticos nuncupans, *ac ad Bagaiensem civitatem ut concurrerent* invitavit, dum Paulus & Macarius urbi appropinquabant. Huic hominum generi præficiebantur *Maxido & Fasir*, qui ab *insanientibus Sanctorum Duces appellabantur.* Furentium dirâ veluti tempestate Africa inundabatur: *Lucrum computabatur evasisse ab eorum injuriis: etiam itinera non poterant esse tutissima.* His prædonibus *Donatus* Bagaiensis contra *Macarium* turbam feris Africæ sæviorem, coaduait:

Hac

ANNO DOM. 348.

Hoc metu deterriti illi, qui prope thesauros ferrent, quos pauperibus erogarent, invenerunt in tanta necessitate consilium, ut à Sylvestro Comite armatum militem postularent: non per quem alicui vim facerent, sed ut vim à Donato suprà memorato Episcopo dispositum prohiberent. A furente turba milites violati, injuriam suam lacessentium sanguine vindicant: *Reversi sunt vexati milites ad numeros suos, & quòd duo vel tres passi fuerant, universi doluerunt. Commoti sunt omnes: iratos milites retinere, nec eorum propositi valuerunt.* Hinc nova discordiæ seges, quæque ad fœdus animorum faciendum comparata legatio fuit, infaustis avibus, offensionibus diffidiisque materiam præbuit: *Nunciatâ unitate fugistis omnes. Nulli dictum, Nega Deum: nulli dictum est, Incende testamentum: nulli dictum est, Aut thus pone, aut Basilicas dirue. Renuntiata est unitas sola... Timuistis omnes, fugistis, trepidastis... Fugerunt igitur omnes Episcopi cum Clericis suis, aliqui sunt mortui. Qui fortiores fuerunt capti, longè relegati sunt.* Exulibus annumeratur Donatus Carthaginensis. Hinc scriptum Hieronymi in Chronico ad annum Dom. 355. *Donatos à quo suprà Donatianos dici memoravimus, Carthagine pellitur.* Fallitur tamen in anno Hieronymus. Periere *Donatus* Bagaiensis & *Marculus*, de quibus Optatus libro 3. *Aliqui accusandam aut fugiendam æstimant unitatem, quòd Marculus, & Donatus dicantur occisi & mortui.* Hæc sunt *Macariana illa tempora*, quæ Donatistæ perpetuò funesta esse voluerunt, ut monumenta persecutionis suæ. Neque Optatus diffitetur, in miseros sævitum esse: *Ab operariis*, inquit, *unitatis, multa quidem asperè gesta sunt. Sed ea ad quid imputatis Leontio, Macario, vel Taurino?* Si verum amamus, militares & legationes, & conciones, edictaque dictatoria non sunt ad persuadendum idonea, neque devinciunt animorum inter homines societatem: qui finis est Religionis. Utrisque peccatum esse non dissimulat Optatus: *Nemo erat lædendus ab operariis unitatis, sed nec ab Episcopis mandata divina contemni debuerant, quibus præceptum est, Quære pacem.*

Optat. l. 3.

Mors Marculi.

V I. In ea Macarii legatione multum sanguinis fusum est. Apud Donatistas Marculi nomen in gloria fuit. Forensibus actis dedito placuit ad honores Ecclesiasticos promoveri, in quibus Presbyteratum quem adeptus erat, totis viribus ornavit. Inter Macarianas victimas non minimus cecidit. Passionis Acta Mabillonius edidit, ex quibus hæc Lectoribus fœneramus: *Dum in his officiis cælestium præceptorum laudabiliter conversatur, dum summus Pontifex constitutus, cum cæteris sanctis, bono & Sacerdotio suo fruitur, ecce subitò de Constantis Regis tyrannica domo, & de palatii ejus arce, pollutum Macarianæ persecutionis murmur increpuit, & duabus bestiis ad Africam missis, eodem scilicet Macario, & Paulo, execrandum prorsus, ac dirum Ecclesiæ certamen indictum est, ut populus Christianus ad unionem cum Traditoribus faciendam, nudatis militum gladiis & draconum præsentibus signis, & tubarum vocibus cogeretur. Sed Macarius, qui ex his duabus bestiis tetrior fuit, cùm hoc negotium sanguinis in reliquis Provinciis per subtilitatem diu attentasset, in Numidia tamen & erga Marculum gloriosum aperta crudelitatis barbaræ, & inauditæ feritatis indicia publicavit. Nam cùm ad eum antiquissimorum Patrum sanctissimus chorus, & adunatum Concilium, decem è numero suo probatos Episcopos legationis causâ misisset, qui eum salutaribus monitis, aut à tanto scelere revocarent, aut certè, quod contigit, priores ipsi ad devotissimum certaminis campum, & ad fidei aciem prosilirent, sic divinitùs gubernata est nobilium cura Pastorum, ut quæcumque illa erat crudelitas quæ ovibus impendebat, ante ipsorum membra lassaret. Ante hos igitur & sanctissimus Marculus venit, qui cùm eum in quadam possessione reperissent, cui Vagessela nomen est, statim hâc ejus qui sacrilegæ unitati præerat humanitate suscepti sunt, ut ad columnas singulas vincti, nudatis publicè Sacerdotalibus membris, acerbis fustium ictibus caederentur.* Præcipuè Marculo tormenta adhibentur, quæ cùm invictâ constantiâ superasset, per Numidiæ civitates spectaculum ducitur, dein ad *Castellum Nova Petra, quod ardui montis præcipitio & nomine & vicinitate conjunctum est*, perductus quatriduo pòst morti destinatur. Eâque imminente ad celebranda sacramenta Marculus se accingit, ac peractis de more solemnibus, militis dexterâ ex abrupti montis supercilio in præcepa actus est. Ajunt defuncti membris asperas rupes pepercisse, ut sepulchro conderetur. Non defuit Marculo sedes in Martyrologio, teste Mabillonio: *In additionibus Molani ad Usuardum*, inquit, *ex notho Bedæ Martyrologio, fit mentio de quodam Marculo ad VI. Kal. Decembris his verbis: In Nicomedia B. Marculi Sacerdotis & Martyris, qui temporibus Constantis tyranni persecutiones maximas pertulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Utroque proximum est *pro Nicomedia, legendum in Numidia, deinde Marculi nomen retinendum*, quæ doctissimi viri conjectura est in suis Analectis.

ANNO DOM. 348.

Anal. t. 4. 118.

V I I. Macarii Paulique legatio hæc cogendis in Africa Synodis compluribus præbuit occasionem. Præcipuè *Gratus* Carthaginis Episcopus, ex diversis Provinciis Concilium celebrat. Adfuere *Felix* Baianensis, *Fortunatianus* Capsitanus, *Crescens* Bagensis, *Vindicius* Sacubasensis, *Abundantius* Adrumetinus, *Privatus* Begeselitanus, *Gaudentius* Turritumalumensis, *Eparchius* Siccensis, *Quietus* Uricensis, *Romulus* Tebestinus. Ubi cum Collegis in Concilio consedit Gratus, dixit: *Gratias Deo omnipotenti & Christo Jesu, qui dedit mali schismatis finem, & respexit Ecclesiam suam, ut in ejus gremium erigeret membra dispersa: qui imperavit religiosissimo Constantino* (Constanti) *Imperatori, ut votum gereret unitatis, & mitteret Ministros operis sancti famulos Dei, Paulum & Macarium. Ex Dei ergo nutu congregati ad unitatem, ut per diversas Provincias Concilia celebraremus & universa Provinciæ Africæ hodierno die Concilii gratiâ ad Carthaginem venirent.* Relegatis vel extinctis plerisque Donatistarum Episcopis, conjunctionem Gratus factam esse arbitrabatur, sed malè sarta copulatio hæc nequicquam coivit, & postmodum rescissa est. Ex Holsteniana quam exhibuimus Concilii hujus editione apparet, ex universis Africæ Provinciis conflatum fuisse, ut meritò *universale* dici possit, atque *plenarium* factâ ad Provinciales Synodos oppositione.

Synodus Carthaginensis sub Grato.

V I I I. Extant Concilii hujus Canones XIV. Primus, ne baptismus Trinitatis in nomine collatus iteretur. I I. Ne Martyrum dignitas profanetur, additis ad ipsos hominibus insanis, qui sese præcipitaverant, aut aliâ quavis ratione flagitiosis. Condendo Canoni causam ministravere Circumcelliones, qui sibi mortem ingerebant, Martyrum gloriam ut adipiscerentur. I I I. Ne

Canones Carthaginenses Grato Præside.

Anno Dom. 348.

Clericorum ullus cum fœminis, ullave mulierum cum viris extraneis habiret, ne dedecus inuratur Ecclesiæ. Qui Decreto non obtemperant, Laici à *communione separantur*, Clerici abdicantur. IV. Viduos & viduas, cum hominibus mulieribusve nullâ consanguinitate sibi conjunctis habitantes, lex manet eadem, atque sententia. V. Ne Clerici Laicive in alterius Ecclesia ordinentur. VI. Ne Clerici actus Secularium, vel procurationes accipiant. VII. Ne Clerici, vel Laici communicent sine literis Episcopi sui. VIII. Procuratores, Actores, Tutores, post redditas rationes ad Clericorum honores promoveri possunt. IX. Dominis non liceat, Clericos eligere apothecarios, vel ratiocinatores. X. Vetat ne quis Episcopus usurpet alterius fines. XI. Clericos contumaces coërcet, Diaconum à tribus vicinis Episcopis, Presbyterum à sex, Episcopum à duodecim audiendum esse statuit. XII. Initum *Antigoni* Maudurensis cum Optantio de populorum divisione pactum firmum esse jubet. XIII. Ne Laici fœnus exerceant. XIV. Laici contemptores Canonum excommunicentur, Clerici honore priventur. Concilii hujus nulla memoria est in Nova Du Pin Bibliotheca, quod tamen præteriri non debuit.

Anno Dom. 349.

ANNO U. C. 1102. OLYMP. 282. PER. JUL. 5062. JUL. 394. DOM. 349. CONSTANTII 13. *Sol.* 22. A. *Lun.* 8. *Indict.* 7. *Epact.* 24. *Epact. Sol.* 7. 1. P. 23. *April.*

COSS. Ulpius Limenius & Aco Fabius Catulinus.

Limenius *Præf. Prat. & Urbi. Cessaverunt Præfectura dies* XLI. *à die* VI. *Idus April. usque in* XV. *Kal. Junii.* XIV. *Kal. Junii* Hermogenes *Præf. Prat. & Urbi.*

Leges Imperatorum.

I. GRavissimas leges Augustorum complures annus peperit. Sepulchrorum violatoribus auri mulcta irrogatur, remotâ à Constante sanguinis pœnâ. Anno 340. decreverat illum qui in demoliendis sepulchris fuerit apprehensus, *metallo* adjudicari. Labente verò anno ad Limenium P. P. scribit: *Factum solitum sanguine vindicari, multâ inflictione corrigimus.* Qui de Monumentis columnas vel marmora abstulerunt, singulas libras auri, *per singula sepulchra, Fisci rationibus inferant. Quòd si aliquis contra sanctionem Clementia nostra sepulchrum læsurus attigerit, viginti libras auri largitionibus nostris cogatur inferre.* Sepulchrorum violationi occasionem præbuere Constantini Leges de Templis Ethnicorum evertendis, latæ Dalmatio & Zenophilo Coss. Ab eo igitur tempore, qui annus est Dom. 333. ut in Templa, sic in sepulchra sævitum Christianæ Religionis obtentu, quia sepulchra Idololatriæ monumentis ornabantur. Quem abusum Constans lege suâ vexandum statuit. Porro Toletani Constantis mansuetudinem imitati sanciunt: *Si quis Clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, à Clericatus ordine submoveatur, & pænitentia triennio deputetur.* Constitutionis suæ hanc rationem afferunt: *Quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vix vindicatur.* Lata quoque à Constante lex de raptu virginum, & viduarum imposito, gladii liberis, servis autem ignis supplicio: De *Petro Valvomere* Ammianus l. 15. c. 7. *Ausus eripere virginis non obscura pudorem, Patruini Consularis sententiâ supplicio est capitali addictus.* Immunitatem & Clericis Constantius dedit à civilibus & muneribus, & functionibus.

Cod. Theod. l. 2. de Sep. Viol. t. 3. p. 138.

Tolet. 4. c. 45.

Gregorius Alex. a suis discerpitur.

Theodorit. l. 2. c. 4.

II. Gregorius truculentus ille Episcopus morte suâ gravi jugo Alexandrinam liberavit Ecclesiam. Anno CCCXLI. ab Antiocheno Conciliabulo missus fuerat occupandæ abdicati Athanasii Cathedræ: *Qui cùm per sex annos instar feræ belluæ gregem omni crudelitate vastasset, pœnas tandem improbitatis suæ dedit, ab ipsis ovibus miserè discerptus.* Hæc Theodoritus, cujus tamen de annis Gregoriani Episcopatus non est accurata Chronologia, septimum enim annum evasit. Periit quippe *decem mensibus* post motam Antiochiæ in Vincentium & Euphratam à Stephano tragœdiam, *ipsis feriis sanctissimi Paschatis*, quæ anno superiore Aprilis tertio cohærebant. A plebe igitur Alexandrina mense Februario præsentis anni Gregorius discerptus est. Sic suo sanguine tot innocentium manibus litavit, quos crudelitate maximâ sepulchro demiserat. Gratissimum Ecclesiæ felicissimumque Athanasio obitum, cùm vivente Gregorio nil ferè spei foret, patriæ Athanasium suæ posse restitui.

Variis Constantii literis accersitur Athanasius.

III. Necessitate constrictus Constantius Athanasii reditui consenserat. Gravi bello à Persis pressus fratris verebatur minas. Accersitis itaque non paucis Orientis Episcopis, fratris conditiones proposuerat. Placuerat tamen magis Athanasio Ecclesias concedi, quàm bellum civile suscipi. Scriptis igitur ad sanctum Antistitem literis jusserat, ut absque metu invitantis aspectibus se quàm primum exhiberet. Morabatur Athanasius, metuens ne adversariorum fraude opprimeretur. Iterum ergo eum hortatur Constantius, ut conscensis sine suspicione publicis vehiculis ad se venire festinaret. Cunctanti adhùc Athanasio, novæ literæ Constantii afferuntur: *Dum Edessa commoraremur, præsentibus Presbyteris tuis placuit, ut misso ad te Presbytero ad Comitatum nostrum venire properares, quò ubi in conspectum Majestatis nostræ venisses, statim Alexandriam proficisceres. . . Ad pleniorem autem notitiam Achetam Diaconum misimus, ex quo discere poteris, & quodnam sit mentis nostræ propositum, & quod ea quæ cupis, facilè consecuturus sis.* Scripsit etiam fratri Constantius, ut Athanasium ad redeundum hortaretur. Affirmabat *totum se annum* Athanasium expectasse, nec permisisse unquam quidquam novi fieri, aut quempiam in ejus locum creari Episcopum, ut Athanasio suas servaret Ecclesias. Ne verò ob superiora pericula ad reditum foret negligentior, Comites suos *Polemium*, *Datianum*, *Bardionem*, *Thalassium*, *Taurum*, *Florentium*, quibus etiam magis fidendum erat, in eandem sententiam scribere jussit.

Socrat. l. 2. c. 23.

Athan. ad Solit. 823.

Athanasius Julio valedicturus Romam petit. Eone reliquerit Symbolum Athanasii dictum?

IV. Has Epistolas cùm Aquileæ accepisset Athanasius, statim Romam contendit, Ecclesiæ Cleroque valedicturus, ostensisque literis Julio Episcopo. Ecclesiam quidem Romanam maximo gaudio affecit, quasi ipsorum fidei Constantius assentiretur. At sibi Julius perpetuo similis Clero populoque Alexandrino, gratulatoriam de Athanasii reditu Epistolam scripsit, quæ longior extat apud Socratem, quàm apud Athanasium. Hortatur Alexandrinos, ut omni lætitiâ suum suscipiant Episcopum, qui splendidior ad ipsos redibat, quàm discesserat. Cæterùm hîc à Baronio longè dissidemus. Opinionis est

Socrat. l. 2. c. 23.

Error Baronii.

ejus-

Anno Dom. 349.

Bar. An. 340. n. 11.

ejusmodi: *Athanasium Romæ cùm esset, illud insigne fidei suæ reliquisse Occidentalibus monumentum, nempe Symbolum, quod hactenus Athanasii nomine in Ecclesia Catholica publicè recitatur.* Extat hoc Symbolum in Operibus Athanasii t. 3. p. 31. Immeritò autem Athanasio tribui, multa probant. Primùm enim vox *Consubstantialis* in eo desideratur, quæ à Nicænis Patribus consecrata Athanasio venerationi fuit. Quis vero putet Athanasium Synodi Nicænæ propugnaculum, fideique ὁμοούσιος defensorem acerrimum, ab eo temperasse vocabulo, in Symbolo quod amplectendum omnibus proponebat? Indignabatur quidem Athanasius hominibus, qui voce *Consubstantialis* non utebantur, ne dum ab illa abstinuisset eo tempore, quo ab Arianis miserè proculcabatur. Qua de re extat locus insignis, in

Athan. de Syn. 912.

Epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ: *In Isauria scripserunt, Se ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον, hoc est, Consubstantialem, & similem substantiâ rejicere, ut vocabula aliena a Sacris Literis, & nomen substantiæ tollere, ut quod in Scripturis non reperiatur. Quis igitur posthac eos Christianos reputaverit? Aut quænam denique fides apud eos, apud quos nulla nec verba, nec scripta robur habent, sed omnia pro tempore mutantur?* Atqui regessissent adversarii exemplo ipsius moniti, se rejecisse *Consubstantialis* vocem, quam in suo Symbolo non usurpavit. Ac sanè Baronium mirari non possumus, qui cùm de *Marcelli confessione* dubitet, una ea de causa, quòd *Consubstantialis* vocem omiserit, Athanasio tamen Symbolum vindicet, in quo *Consubstantialis* desideratur. 2°. Suffragio suo Athanasius Epistolâ ad Antiochenses comprobat Sardicensium sententiam, *Non edendam aliam esse professionem fidei, ne illa quæ Nicææ*

Ath. t. 1. 576.

scripta est, suos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio suppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant. Sic animatus Athanasius, potuitne novum fidei condere Symbolum? Quânam specie hisce rationibus novas confessiones rejecisset, quarum faciendarum exemplo suo documentum ipsemet præbuisset? 3°. Symbolum hoc Latini quidem, non verò Græci hominis est: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus est, sed procedens.* At Græca de Spiritus ex Filio processione ne verbum quidem habent, ut hinc liqueat, ex Latino in Græcum fuisse transfusum. Denique nullus Autorum Athanasio supparum hujus Symboli meminit. Cujus tamen autoritas non minimi momenti fuisset, eliminandæ Macedonianorum de S. Spiritu hæresi. Tam perspicuis enim, tam expressis verbis *Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate* prædicat, ut nihil addi possit. Cujuscunque sit Autoris, qui nostro judicio frustrà quæritur, certè non est Athanasii. Cui, ut nostra memoria est, ascribi non antè cœpit, quàm septimum sæculum laberetur. Synodus enim Augustodunensis sub *Leodegario* Episcopo anno Dom. DCLXX. hæc habet: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum quod Sancto inspirante Spiritu apostoli tradiderunt, & fidem Sancti Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.* Exinde fama dispergi cœpit, Symbolum opus Athanasii esse, quam sibi opinionem persuasere Durantus Mimatensis, Thomas Aquinas, aliique de grege Scholasticorum. Alia igitur sui monumenta Romæ reliquit Athanasius, quàm Symbolum tanti nomine Autoris decoratum; fidem scilicet incorruptam, patientiam in adversis incredibilem, grandia virtutum omnium exempla, quibus Romani uterentur.

Anno Dom. 349.

Ad Constantium adit Athanasius. Quid gesserit in Oriente?

V. Ubi Româ discessit Athanasius, evocatus à Constante in Gallias proficiscitur ipsius salutandi causâ. Quo facto ad Constantium festinat. Iter autem expedivit, non *navibus*, ut existimant nonnulli, sed *vehiculis*, uti à Principe in mandatis habuit. Ut Adrianopolim pervenit, civium qui ob repudiatam Orientalium communionem capite truncati fuerant, inter prætereundum monumenta contemplatus, tandem Antiochiam pervenit, quò versabatur Constantius, qui admissum ad se Athanasium benignè excepit. Ter-

Ath. Apol. 676.

tiò tum sub conspectum ejus veniebat optimus Præsul, qui Principem primùm *Viminaci*, quæ Mysiæ superioris civitas est, iterum *Cæsareæ* Cappadociæ salutaverat. Usus Imperatoris colloquio Athanasius, calumnias, calamitatesque quas patiebatur, deplorat: obsecratur ne se absente patulis auribus adversariorum obtrectationes denuò exciperet, præsente accusatores potius evocaret: nec intercedere se, quominus illi sese apud Cæsarem sistant, ut eos convinceret: *Hæc quidem Constantius facere noluit, omnia*

Athan. ad Solit. 823.

tamen quæ contra ipsum per calumniam scripta erant, tolli & aboleri jussit, jurans, Se imposterum nullas calumnias admissurum, suumque in ea re propositum firmum & inconcussum fore, quod adhibito Deo teste juramento etiam consignavit. At qui tunc in palatio plurimùm poterant, Arianâ labe contaminati, suggesserunt Imperatori, unam Alexandriæ ab Athanasio Ecclesiam esse concedendam, iis qui ipsius communionem refugiebant. Quod cùm beneficii loco id sibi concedi Constantius flagitasset, respondit Athanasius, Regiis se mandatis libenter obtemperaturum, sed velle se vicissim aliquid postulare, nempe ut iis quoque qui Leontii communionem refugiebant, Antiochiæ Ecclesia concederetur. Annuebat Imperator, justam æquamque censens petitionem esse. Reclamaverunt tamen Arianæ factionis Principes, utpote qui intelligerent, sectam apud Alexandrinos suam unius Athanasii causâ progressum nullum esse facturam. Contrà verò Eustathii fautores, qui magno numero Antiochiæ erant, in unum coituros, & ut vero simile, divisionem in tumultum abituram: neutris igitur Ecclesias tribuendas esse dixerunt. Porro dum Antiochiæ moratur Athanasius,

Sozom. l. 3. c. 20. Theodoret. l. 2. c. 12.

Leontium adversatus Hæreticum, initâ cum Eustathianis communione, in privatis ædibus collectas celebravit. Intereà Imperator Episcopis Presbyterisque scribit, ut cuncta quæ antehàc adversus Athanasii fautores decreta fuerant, oblivioni traderentur, omnis cessaret suspicio, immunitas quoque, quâ Clerici Sancti Præsulis olim fruebantur, confirmaretur, securitasque omnibus demum concederetur. Misit & Ecclesiæ Alexandrinæ Epistolas Imperator, quibus innocentiæ Athanasii suffragabatur, *Viri ob vitæ sanctimoniam, morumque probitatem, omnibus cogniti.* Lubentibus animis redeuntem excipi jubet, pacemque & concordiam omnibus modis servari. Nestorio quoque Ægypti Præfecto, & Augustamnicæ Thebaidis, & Libyæ Præsidibus de abolendis omnibus, quæ contra Athanasium facta fuerant, Epistolas misit: *Si quid*

Socr. l. 2. cap. 23.

ad noxam & contumeliam eorum, qui cum Athanasio communicant, antehac gestum reperitur, id omninò volumus aboleri. Nam & immunitatem,

quam

quam ejus Clerici olim habuerunt, eandem nunc iterum habere decernimus. Hanc verò jussionem nostram ita volumus custodiri, ut restituto Ecclesiæ suæ Athanasio Episcopo, hi qui cum eo communicant, eandem habeant immunitatem, quam & ipsi prius habuerunt, & reliqui obtinent Clerici, quo rebus suis ita constitutis, ipsi quoque lætitiâ perfruantur. His munitus literis Athanasius, relictâ Antiochia venit Laodiceam: eique per hanc urbem transeunti familiaris & amicus factus est Apollinaris Lector hujus Ecclesiæ, qui Rhetoricam docebat. Quæ amicitia postmodum Apollinari damno fuit, quòd cum Athanasio communicasse scelestum habebatur Arianis.

Sozom. l. 6. c. 25.

Synodus Hierosolymitana Athanasium suscipit. Scribit & Alexandrinis.

VI. Laodiceâ Athanasius in Palæstinam venit, ingressusque Hierosolymam, *Maximo* hujus urbis Episcopo, exponit Sardicensis gesta Concilii, quibus Imperator consenserat, daque operam ut Episcopi hujus Provinciæ in Synodum cogerentur. Ac Maximus accersitis ex Syria, & Palæstina Episcopis Ætio, Ario, Theodoro, Germano, Sylvano, Paulo, Patricio, Elpidio, Germano, Eusebio, Zenobio, Paulo, Macrino, Petro, Claudio, & communionem, & pristinam Athanasio dignitatem restituit. Quâ mutatione inimicis Athanasii Maximus quidem ludibrium dedit, ut pote qui olim à se abdicato honorem reddebat & communionem. Clericis quoque Ægypti & Libyæ literas dirigit Hierosolymitana Synodus: *Nos* (verba sunt Epistolæ) *omnia pro Ecclesiastica pace agentes, & cum vestra dilectione conspirantes, priores Athanasium amplexi sumus, & communione cum eo initâ, has salutationes vobis mittimus, & hæc nostra gratulantia vota, ut cognosceretis nos copulâ communionis illi conjunctos esse. Vestrum autem est pro pietate religiosissimorum Imperatorum orare, qui & ipsi, in gratiam vestri in illum amoris, illiusque innocentia, quam jam cognitam habent, eum cum omni honore restituere voluerunt.* Sic adversariorum conatibus atque querelis prudenter obviam ibat Athanasius, celebratâ Orientalium Synodo. Ne iterum violatæ disciplinæ postularetur, si nullo Concilii Decreto munitus, Ecclesiam suam repeteret. Noverat enim & Romanam, & Sardicensem, Occidentalium Synodos, nullo apud Orientales loco esse.

Athan. Apol. 774.

Athanasius redit Alexandriam.

VII. Relictâ Hierosolymâ per Pelusium iter faciens Alexandriam, in singulis per quas transibat civitatibus, cunctos monebat, ut Arianos quidem aversarentur, eos verò susciperent, qui Consubstantialis fidem profiterentur. Viso Pastore suo, Alexandrini publica convivia celebrare, & festos dies maximo splendore agere cœperunt, honorem exhibentes Athanasio, & Deum laudibus extollentes. Anno proximè futuro, mortuo jam Constante, Athanasium in urbem Alexandrinam pervenisse Baronii sententia est: *Cùm Alexandriam*, inquit, *reversurus in itinere esset, literas Constantis recèns scriptas accepit de sui securitate.* De tristi verò Constantis obitu literæ mentionem faciebant. A veritate tamen ea Baronii Chronologia relinquitur. Synodica Hierosolymitanarum Epistola Alexandrinis mandat, pro *religiosissimorum Imperatorum* salute orare: nondum ergo morte Constantis summa rerum ad unum redierat. Theodoritus quoque factâ mentione lætitiæ communis, in quam Alexandrinos Athanasii reditus conjecerat, hæc addit: *Verùm brevi interjecto tempore Constans quidem ex hac vita migravit.* Athanasii ergo reditum Constantis excepit obitus. Quod etiam indicat Constantii ipsius Epistola, quâ hortatur Athanasium, ut populos doceat, consuetis precibus vacet, neque vanis rumoribus credat, cùm sibi fit in animo fixum, ut Sanctus Præsul in sua sede perpetuò maneat. Quæ testantur, Athanasium Episcopi munia jam obire, cùm literæ scriptæ sunt. Secus Princeps jussisset Athanasium, quod inceperat iter perficere. Itaque non levi errori illustrissimus Purpuratus, & Synodum Hierosolymitanam, & Athanasii reditum anno CCCL. alligavit. Unum est Baronio præsidium, nempe mortuo Gregorio Constantium ad Athanasium de reditu literas dedisse. Ex quarum una liquet, *Totum se annum Athanasium expectasse.* Profectò si non nisi postquam Gregorius excessit, prima Constantii ad Athanasium Epistola confecta est, vitari nequit, quin Athanasii reditus in annum CCCL. incidat. Sed ut sæpe aliàs, sic & hîc Baronium decepit versio Nanni: *Deinde post menses decem defuncto Gregorio accersit & Athanasium, cum omni honore non semel aut iterum, sed tertiò ad illum amicissimas literas scribens.* Ex ea tamen versione Baronius non intellexit, Chronologiam everti suam. Neque ante annum CCCL. Athanasium potuisse relictâ Aquileâ in Orientem tendere, cùm annum totum expectarit Constantius, priusquam Athanasius profectionem institueret. Periit autem Gregorius currentis anni Februario. At Græcis exemplaribus consultis, ex angustiis nos facillimè expedimus, ἀλλὰ καὶ τρίτον γράφος αὐτῷ, *cùm non semel aut iterum sed tertiò ad illum scripsisset*, quæ non innuunt jam naturæ concessisse Gregorium, cùm primùm animum Constantius admovit ad scribendum Athanasio. Tergeminæ quidem illæ literæ indicio sunt, honoris quem exhibebat Athanasio. Earum tamen prima morti Gregorianæ antecesserat. Quippe ex illo die, quo Sardiensis legatio Antiochiam perveniens, Constantis literas reddiderat, pollicitus erat Constantius, se fratris precibus morem gesturum, subindeque de suo proposito Athanasium commonefecerat. Annus igitur ille quo Athanasii in expectatione fuit, ab eo tempore cœpit, quo primæ Constantii literæ, vertente circiter anni CCCXLVIII. Martio scriptæ, ad Athanasium pervenere. Ut Athanasium Alexandrini, sic Asclepam Gazæi libenter suscepere.

Socrat. l. 2. c. 24.

Theodorit. l. 2. c. 12.

Baron. An. 350. n. 9.

Error Baronii.

Theodorit. l. 2. c. 12.

Athan. ad Solit. 815.

Athan. ad Solit. 813.

Athan. ad Solit. 823.

Synodus Romana ad damnandum Photinum cogitur.

VIII. Hoc unum Athanasii gloriæ deerat, ut Ursacius & Valens, qui Mareotam à Tyriensi Synodo legati, falsa confictaque in reum crimina attulerant, albo calculo innocentiam ipsius comprobarent. Quod ut solemnius perageretur, in Synodo quæ tum Romæ cogebatur, optimo viro se calumnias imposuisse profitentur. Congregando Concilio causam Photinus præbuit. Anno CCCXLVII, in Mediolanensi conventu damnatus, Episcopatum populi favore retinebat. Placuit ergo in urbe cogi Concilium, cujus mentio est apud Hilarium: *Igitur ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi Synodo erat Hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes, hoc magis soliciti atque anxii, turbari rursum, miscerique omnia, quòd jam pridem plures Episcopos, reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerant ejecti.* Quæ nostro judicio perperàm Sirmiensi Synodo cuidam accommodant Petavius, N. Alexander,

Hilar. in Fragm.

Anno Dom. 349.

xander, aliique eruditi. Quam se ex *Hilarii fragmentis, velut è parietinis ac ruderibus sepultam, ac pene obliteratam eruisse*, Petavius gloriatur. Longè verisimilior est Valesii Marcæque sententia, in verbis Hilarii Synodum Romanam esse quærendam. Quippe hæc loquitur Constantio Liberius, de Valente & Ursacio: *Posteà in Synodo libellos obtulerunt, veniam poscentes, ob Acta quæ per calumniam, alterâ duntaxat parte præsente, adversus Athanasium in Mareote confecerant.* Synodum Romæ coactam simpliciter ab Episcopo Romano Synodum vocari, nil est absurdi; incongruum verò, Sirmiensem à Liberio *Synodum* absolutè nuncupari. Sed & Hilarius ad Romanam digitum intendit: *Quam*, inquit, *opportunitatem nacti Ursacius & Valens, Romanæ plebis Episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur.* Atqui Valenti Ursacioque nil opportunitatis erat ex conventu, qui apud Sirmium Pannoniæ urbem celebraretur. Ex Concilio verò in ipsa urbe celebrato, multum inveniebant commodi ad Julium adeundum. Quid quod orantibus Romam pergere non opus fuisset, ut veniam mererentur, quam in Sirmiensi Concilio jam fuissent consecuti. Quibus accedat, non de alio, quàm Romano hæc intelligi posse: *Hæc Epistola biennium pòst missa est, quàm hæresis Photini à Romanis damnata est.* Non sanè quadrat, Photinum à *Romanis* dici damnatum, si à Sirmiensibus lata in eum sententia fuisset. At rectè scribitur, ob celebratum Romæ Concilium. In eo igitur & iterum damnatus Photinus, qui tamen necdum ejici potuit. Quæ Synodus Hilarii ex fragmentis, veluti è ruderibus eruta, Collectioni Conciliorum maximæ addi debuit.

Theodorit. l. 2. c. 16.

Hilar. Fragm.

Valens & Ursacius à Julio veniam petunt. Scribunt Athanasio.

Athan. Apol. 776.

IX. Arreptâ Romanæ Synodi occasione, Ursacius Valensque eò se conferentes, libellum Julio Latinè scriptum offerunt, cujus exemplar missum à Paulino Trevirensi exhibet Athanasius: *Confitemur tuæ humanitati coram universis nostris fratribus Presbyteris, omnia quæ antehac ad vestras aures de Athanasio perlata fuere, falsa & ficta esse, & omnibus modis ab eo aliena: ac proinde recipimus ejus communionem, maximè quia tua in Deum pietas veniam secundum genuinam suam probitatem nostro errori impartiri dignata est. Quin & hoc promittimus, nunquam si aliquando Orientales, atque adeò ipse Eusebius velit malitiose eum in judicium vocare, nos citra tuam sententiam eò abituros. Hæreticum porro Arium, ejusque propugnatores, qui dicunt, Erat tempus quando non erat Filius, aut qui neget Christum esse Dei Filium ante secula, quomodo in priori libello nostro edidimus, & nunc & semper anathemate damnamus.* Longius adhuc progressi Valens Ursaciusque, ultrò subscripserunt literis pacificis, quas *Athanasii Presbyteri, Petrus & Irenæus, & Ammonius Laicus* colligebant, qui ea de causa Romanum orbem peragrabant. Nil tale quidem ab Ursacio & Valente postulabat Athanasius. Quò mirabilior pax Ecclesiæ videbatur, ab iis constituta hominibus, qui eam eripuerant. Quin etiam sponte suâ scripserunt Athanasio. Epistolam apponimus, utpote brevissimam: *Domino & fratri Athanasio Episcopo Ursacius & Valens Episcopi. Nacti occasionem per fratrem Compresbyterum nostrum Musæum, istuc ad tuam dilectionem euntem, charo frater, ejus operâ plurimum te ex Aquileia salutatum volumus, optamusque te salvum nostras Epistolas perlegere. Cujus rei fiduciam nobis daturus es, si tu quoque in scribendo vices observaveris. Scire enim te volumus pacem tibi nobiscum esse, & communionem Ecclesiasticam intercedere, cujus rei fidem esse volumus nostram istis literis inscriptam salutationem. Divina providentia servet te, Domine, dilecte frater.*

Athan. ad Sol. 816.

Anno Dom. 350.

Anno U. C. 1103. Per. Jul. 5063. Jul. 395. Dom. 350. Constantii 14. *Sol* 23. G. *Lun.* 9. *Indict.* 8. *Epact.* 5. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

Coss. Sergius & Nigrianus.

Hermogenes P. *Prætorio & Urbi.* III. *Kal. Martii.* Fabius Titianus *Præfectus Urbi.*

Magnentii rebellio. Constans occiditur.

I. INcidit imperio calamitas, quâ non modò illud concussum est, sed Ecclesia quoque defessa laboribus semimortua jacuit. Quam unius hominis obitus cladem attulit. Constantis imperium strenuum aliquandiu & justum fuerat, mox cum & valetudine improsperâ & amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia conversus est. Si qua fides Zosimo, omni crudelitate grassatus, intolerabilem tyrannidem exercebat. Non dissentit à Zosimo Victor de Cæsaribus. Relatâ de Constantino fratre victoriâ, *Constans tumidior, simul per ætatem cautus parum, atque animi vehemens: adhuc Ministrorum pravitate exsecrabilis atque præceps in avaritiam.* Turpioris & vitii famam collegit: Externarum gentium obsides *pretio quæsitos pueros venustiores* alebat. *Libidine ejusmodi arsisse, pro certo habetur.* Quo commercio omnes imperio suo subjectas nationes in extrema mala præcipitabat. Quæ cùm aulici molestè ferrent, & ipsum venationis voluptatibus deditum viderent, Ducibus usi *Marcellino* fisci Præfecto, & *Magnentio*, cui creditum erat in legiones imperium, quibus Jovianis & Herculianis nomen à Diocletiano & Maximiano deductum, Jovio & Herculio cognominatis, tandem misero Principi moliuntur insidias. Conjuratis *Chrestium* addit Victoris Epitome. Eâ verò ratione suam ad exitum rebellionem Augustoduni perducunt. Marcellinus natalitiorum filii celebrandorum obtentu Magnentium, multosque militari dignitate præstantes ad epulum invitat. Comessatione mediam ad noctem productâ Magnentius, quasi rei necessariæ causâ de mensa surgens, cùm ad momentum temporis à conviviis recessisset, eis se rursus stolâ augustâ, velut in scena spectandum exhibuit. Tum à convivis Imperator appellatur. Eodem honore & ab Augustodunensibus omnibus afficitur. Rei famâ ulterius dispersâ, extra urbem rustici confluunt, quibus nonnulli Illyricanorum equitum in supplementum Celticorum ordinum missi se conjungentes, prædicant omnes Magnentium Augustum. Eâ re cognitâ, Constans fugere conatus, apud *Helenam* oppidum Pyrenæo proximum, à *Gaisone* cum lectissimis misso interficitur. Quam infecit sanguine civitatem, ea hodie *Elna* nuncupatur. Paucis pòst diebus quàm Magnentius purpuram induit, Constans interfectus est. Ex Fastis autem Idacianis, *Levatus est Magnentius die XV. Kalen. Februar.* Aliud igitur agebat eruditus Harduinus, in notis ad primam orationem Themistii, dum scripsit: *Erupit ista vis Magnentii, ut omnes consentiunt, anno 350. sub Autumni initium.* Hactenus putavimus Januarii XVIII. non Autumno,

Zosim. l. 2. c. 42.

ANNO DOM. 350.

fed hyemi esse affigendum. Obiit Constans non longè ab Hispaniis, *Anno Imperii* XVII. *ætatis trigesimo*. Quippe tractus ille, cui *Helena* insidet, Narbonensis Provinciæ pars olim fuit, Plinio l. 3. c. 4. & Ptolomæo l. 2. c. 10. testibus. Creatus à patre Cæsar fuerat, anno CCCXXXII. Dalmatio & Xenophilo Coss. die octavo Kal. Januarii. De imperii igitur anno XVII. mensem circiter unum Constans delibavit. Defunctum Martyribus Athanasius inseruit: *Magnentius veluti Dæmon & furia infernalis in Constantem insiluit. Atque ita sanctissimus ille vir martyrium assecutus est.* Zelo quidem Ecclesiæ Constantem plenum fuisse, ostendunt multa. Donariis compluribus Templa impleverat. Extinguendis Episcoporum dissidiis Sardicam Episcopos ire jusserat. Bellum fratri minatus fuerat, nisi Athanasium restitueret. Baptismatis undis & ablutus fuerat. Si tamen candidè apertèque dicendum, *Constans* mores induerat, & Christiano, & *Martyre* indignissimos. Qui amoris aliquid erga Episcopos, Ecclesiæque pacem flagitiis prætendere, Principes illos lubenter religiosissimi titulo Veteres ornaverunt, ne excepto quidem *Gallieno*. Nos verò qui regulam habemus, quâ de pietate judicandum, Scripturam scilicet, quæ fidem absque operibus mortuam esse prædicat, ardoremque religionis absque vera sanctitate nullo loco ducit, iis Constantem laudibus non afficiemus, quibus à Baronio cumulatur: *Christianissimus* Imperator fuit, Magni Constantini *dignissimus* filius, qui *& parentis pietatem plurimum superavit*. Quos gloriosissimos sanè titulos infelicis monumento Principis inscripsit. Nos ut quod fecit boni, facilè id laudamus, sic & coopertam voluptatibus vitam probare non possumus. Addamus Victoris testimonium in Epitome: Constans *fuit debilis pedibus manibusque articulorum dolore. Fortunatus Cæli temperie, fructuum proventu, nullâ à Barbaris formidine, quæ profectò majora forent, si Provinciarum Rectores, non pretio, sed judicio provexisset.*

Eutrop. lib. 10. — *Athan. Apol. 678.* — *Bar. An. 350. n. 6.*

Magnentius: ejus mores, religio, anni.

II. Magnentius Philostorgio *Ethnicus* audit. De signo Crucis, quod Constantio in tyrannum pugnaturo conspicuum factum est: *Magnentium*, inquit, *& eos qui à partibus illius stabant, utpote Dæmonum cultui addictos, supra modum terruit.* Professione tamen Christianum fuisse, nummis ostenditur signo Crucis insignitos, quos Baronius exhibet capite secundo hujus anni. Sed & Legatis ad Constantium usus est Episcopis, *Servatio*, & Maximo. Quod Christiani hominis non pertenue indicium est. Neque Athanasius, qui in Magnentium invehitur, Ethnicæ superstitionis tyrannum accusat. Gente ut animo barbarus matrem habuisse Vatem dicitur, cujus prædictionibus fidei multum addidit: *Commigrans ad Latos, quæ Galliæ natio est literas Latinas didicerat. Audax fortunâ prosperâ, timidus adversâ.* Paucis Magnentii mores complexus est Victor libro de Cæsaribus: *Quæ tamen Constantis vitia utinam mansissent. Namque Magnentii, utpote gentis barbaræ, diro atroque ingenio, simul his quæ post acciderant, adeò extincta omnia sunt, ut aliud imperium haud injuriâ desideraretur.* Ob perditos sanè mores *Diaboli* nomen ipsi imposuit Athanasius, qui & vitiorum ejus meminit: *Quam benevolentiam certam firmamque in Domini sui parricida, in amicos tam perfido, in violandis juramentis tam irreligioso, & in Magis incantatoribusque fovendis conscelerato, mihi polliceri potuissem?* Sacrificia quidem permisisse nocturna Constantii Rescriptum testatur anno CCCLIII. Constantio sextum & Gallo II. Coss. *Aboleantur sacrificia nocturna, Magnentio autore permissa, & nefaria deinceps licentia repellatur.* Galliæ, Italiæ, Africæ potens. Imperavit tribus annis, & sex prætereà mensibus: hoc est, à die XVIII. Januarii præsentis anni, quo purpuram induit, usque ad mensem Julium anni CCCLIII. quo propriis manibus, quas Domini sui sanguine cruentarat, sibi vitam eripuit.

Philostorg. l. 3. c. 26. — *Zozim. l. 2. c. 54.* — *Athan. Apol. 678.* — *Zozim. l. 2. c. 53.*

ANNO DOM. 350.

Vetranio corripit imperium. In ordinem redigitur.

III. Novus etiam in Occidente tyrannus Constantis post obitum exoritur: *Hujus morte cognitâ Vetranio Magister Militum imperium in Pannonia apud Mursam corripuit*, teste Victoris Epitome. A Constantina Constantii sorore Cæsarem renunciatum esse Vetranionem, & diademate ab ipso Constantio ornatum, tradit Philostorgius. Erat literarum prorsus expers, ingenio stolidior, idcircòque agresti vecordiâ pessimus, & propè ad stultitiam simplicissimus. Quibus Vetranionem coloribus pingunt ambo Victores, ut mirum sit hominem ejusmodi pro *prudente* viro à Suetonio nobis obtrudi: *At vir probus, & morum veterum, ac jucundæ civilitatis, cunctisque amabilis diuturnitate & felicitate militiæ*, Eutropio scribitur. Vetranionis umbra potius imperii, quàm imperium fuit, quod non toto anno perduravit. Vetranionem *Constantius non post multos dies regno exuit, grandævæ ætati non vitam modò, sed etiam voluptuarium otium concedens.* Quippe cis mensem decimum facundiæ vi dejectum imperio hominem in privatum otium Constantius removit: *Calendis Maii Vetranionem apud Sirmium levatum fuisse*, in Fastis Idacianis legitur. Contrà verò Chronicum Alex. Calendis Martii imperium adiisse tradit, quæ Chronologia verisimilior est, cùm *cis mensem decimum, facundiæ vi dejectum imperio*, Constantius removerit, ut Aurelius Victor docet in Cæsaribus. Fallitur tamen Chronicum, dum *Vetranionis* rebellionem refert in annum 349. Limenio & Catulino Coss. Ut brevis imperii fata uno tenore exequamur. Constantius ex Oriente ad bellum Magnentio inferendum profectus, arte quâdam Vetranionem prius amicitiâ sibi devinciendum arbitratur, ne cum duobus perduellibus dimicaret. Omnem & Magnentius operam adhibebat, ut sibi Vetranionem conciliaret. Constantio tamen magis conjungi Vetranioni placuit. Ut rebus infectis Magnentii Legati discessere, petiit Constantius, copiis in unum coactis de gerendo contra Magnentium bello consilium haberi. Cùm in tribunal ea de causa paratum ascendissent, Constantius priorem dicendi locum ob generis dignitatem nactus, militibus liberalitate parentis in animum revocatâ, petit ne committerent, ut impunè Magnentius evaderet, qui Constantini filium occidisset, quocum multa bella confecissent, & à quo muneribus affecti maximis essent. Hæc ubi milites audivere, opimis jam antè donis occupati, adulterinos Imperatores expurgandos esse clamarunt. Simul exutum purpurâ Vetranionem de tribunali detrahunt. Constantius nihil in illum designari gravius passus, Prusam apud in Bithynia vitam exigenti sumptum necessarium assignavit: ubi cùm ad tempus aliquod superstes fuisset, curis solutus rebus humanis excessit. Videtis igitur Athanasius, à quo didi-

Vict. Epit. — *Zozim. l. 2. c. 44.*

Athan ad Solit. 850.

didicerit Vetranionem à Constantio morti missum. Id enim verba sonant, quibus Principis hujus cum Antichristo comparationem instituit: *Tres Reges, Britannionem, Magnentium, Gallum καθελών, interficiens*, &c. Quanquam & vertere licet *subvertens*, quod absque illata morte fieri potest. Quæ mens num Athanasio fuerit ignoramus. Vox enim καθελών eodem intelligi modo videtur de tribus Imperatoribus, ex quibus duos occisos esse constat.

Nepotianus rapit imperium. A Magnentianis occiditur.

IV. Porrò quasi duo tyranni minus sufficerent lacerando imperio, tertius exoritur. Quippe Romæ *Nepotianus*, Eutropiæ Constantini sororis filius hortantibus perditis Augusti nomen rapit. Armatâ gladiatorum manu, si qua Victori de Cæsaribus fides, Præfectus Urbis occiditur. Stolidum usurpatoris ingenium, *Adeò plebi Rom. Patribusque exitio fuit, uti passim domus, fora, viæ, Templa cruore ac cadaveribus opplerentur bustorum modo*. Invasit imperium *tertio Nonas Junias*. Ut Imperatorio se habitu Romanis spectandum exhibuit *Anicetus*, quem Magnentius Præfectum Prætorio constituerat, quosdam è plebe armatos eduxit urbe veluti cum Nepotiano dimicaturus, acre prælium committitur. Romani belli imperiti cùm nullum ordinem servassent, non magno labore convertuntur in fugam, quam Præfectus Prætorio conspicatus, portas occlusit, veritus urbis periculum. Tum Romani qui nullam evadendi viam inveniebant à Nepotiania interficiuntur. Breve fuit ea de victoria gaudium. Non multis pòst diebus Magnentius exercitu misso, cui Magister Officiorum præerat *Marcellinus*, Nepotianum interficit. Sic imperii XXVIII. die oppressus est. Vel ut in Victore de Cæsaribus legitur, Magnentiani *tricesimo die, triduo minus*, hostem perculere. Caput ejus pilo per urbem circumlatum est. Exinde gravissimæ proscriptiones, & Nobilium cædes. Crudelissimè quidem felicitate suâ usus Magnentius Nepotiani amicos acerbè persequitur. Purgandi sui causâ de contractâ cum Magnentio amicitiâ, Constantio hæc scribit Athanasius: Quæ occasio permovit, cur ad talem hominem literas mitterem? *An quòd hospites meos Romæ, qui me multâ*

Athan. Apol. 677.

& verâ benevolentiâ tractaverant occidit? An quod beatam amitam tuam jure merito à bonis moribus Eutropiam dictam, & Abuterium sincerissimum hominem, & Sperantium fidelissimum, aliosque complures peremisset? Miram sanè crudelitatem, quæ muliebri Flavii Constantini sanguini non pepercit, ut sororis & filii magni Imperatoris permixtus cruor exsorberetur.

Constantius mitteritne Vetranioni purpuram? Magnentii ad Imperatorem legatio.

V. Edessæ morabatur Constantius bello Persico impeditus, dum Magnentius ambitioni suæ Constantem immolabat. Augustorum soror Constantina, vidua Annibaliani, *Timens ne Magnentius tyrannus universum imperium sub potestatem suam redigeret, Veteranionem unum è Magistris Militiæ Cæsarem renunciavit. Videbatur autem illa id sua jura facere, propterea quòd communis eorum pater dum viveret, diademate eam coronaverat, & Augustam nuncupaverat*; *Constantius verò his cognitis, statim diadema misit ad Veteranionem, Imperatoriam ei dignitatem suffragiis sua confirmans*. Hæc Philostorgius l. 3. c. 22. quæ Nicephorus exscripsit. Vacillat tamen ea narratio atque claudicat, quæ tyrannide Vetranionem eximit. Legitimum sanè non usurpatum adiisset imperium. Quod à militibus delatum gessisse Historici testantur. Porro Magnentius legatione Constantium occupat, quo munere fungebantur *Servatius* & *Maximus* Episcopi unà cum suis comitibus, & *Clementius* & *Valens*, qui prius iter habuerunt ad Athanasium, ut precibus fortè suis legationi pondus adderet, faciliusque tyrannus optata impetraret. At Sanctus ille Præsul visis *Clementii* comitibus, non verbis modò, sed lachrymis etiam Constantis memoriam prosecutus, in has voces erupit: *Precemur pro salute religiosissimi Imperatoris Constantii*.

Athan. Apol. 679.

Et statim populus unâ voce acclamavit, *Christe auxiliare Constantio*, & infundendis hisce precibus diu multumque fuit. Legatio hæc cùm frustra fuisset, Constantius qui morte fratris Occidentem imperio suo addiderat, adversus Magnentium arma movet. Ac quò facilius eum sterneret, si fides Theodorito, convocatis omnibus copiis, hortatus est milites ut baptismo tingerentur. Qui enim incertus semper est vitæ exitus, in bello maximè dubius, cùm tela, gladii, secures, præsentem mortem minentur. Quòd si quis pretiosam hanc vestem induere differt, domum revertatur. Nolle se commilitonibus uti, qui non sint sacris initiati. Huic innixus traditioni Baronius, operosam de B. Martini baptismo disputationem instituit, quâ probat Sanctum illum militem in Constantii adversus Magnentium expeditione anno 351. sacris fuisse undis expiatum. Non multum tamen probabilitatis habet ea Theodoriti narratio. Quippe Constantius ipse, quo tempore sic milites alloquebatur, expers erat baptismi, quem diu posteà consecutus est Antiochiæ, dum expeditionem suscipit adversus Julianum. Ac sanè etsi legamus in verbis Sulpitii, *triennium ferè ante baptisma in armis fuit* Martinus, attamen non de nihilo est Sulpitii silentium, qui Martino familiariter utentia, militibus injunctum ab Imperatore baptismum ignorare non potuisset. Intereà Imperator ad *Naissum* primæ Daciæ urbem usque progressus, ut habet Hieronymi Chronicum, cujus autoritas magis apud nos valet eâ Socratis, qui Vetranionis cum Constantio colloquium Sirmii contigisse narrat. Naissi igitur Constantius facundiæ vi, senem dejectum imperio in privatum otium removit, *Quæ gloria post natum imperium soli processit eloquio, clementiâque*. Gloriam Constantii auxit, quòd amplissimos Vetranioni reditus assignavit: qui usus otii voluptatibus, Imperatori sæpenumerò scripsit, ab eo se maxima bona consequutum esse, quem imperii curis & ærumnis liberaverat, neque Constantium rectè facere qui iisdem illis quæ ipsi præstiterat bonis minimè frueretur.

Theodorit. l. 3. c. 3.

Vict.

Socr. l. 2. cap. 28.

Sapor Nisibim obsidet.

VI. Dum Constantius in Occidente bellis civilibus detineretur, Sapor occasione usus, Nisibim obsidione cingit. Obsidionis meminit Philostorgius: *Sapor Nisibim oppugnat, verum re infectâ, præter omnium opinionem pudore affectus secessit, cùm Jacobus urbis illius Episcopus civibus quid faciendum esset, commonstrasset, & firma in Deum fiducia pro salute urbis admirabiliter propugnasset*. De ea obsidione fusius tractatum anno 438. Res Ecclesiæ nunc tractare juvat.

Philostorg. l. 3. c. 33.

Athanasio Constantius scribit ne terreatur Arianorum minis.

VII. Non abs re quidem Athanasius auditâ morte Constantis effundebatur in lachrymas; Quo exanimatus fuerat ictu Magnentii Princeps, Ecclesia etiam vulnerabatur, cujus futuram cladem, atque suam Sanctus Antistes præsagiebat animo. Signa ad tempestatem videbat esse, rumores Arianorum, atque in vultibus gaudia.

ANNO DOM. 350.

Itaque ut securitatem timenti Constantius afferret, frequentes literas misit. Post fratris mortem non semel, sed iterum, imò tertiò Athanasio scripsit, promisitque se nonquam mutatum iri, nec permissurum, ut à quoquam perturbaretur. Præterea *Asterium* Comitem, & Palladium, cum mandatis ad Felicissimum tum temporis Ducem, & Nestorium Præfectum monuit, ut curæ sibimet ipsis esset, ne Philippus Præfectus, aut quivis alius Athanasio insidias moliretur. Extat Epistolæ unius exemplar in Apologia 688. In ea Constantius testatur, se mœrore perfusum fuisse; auditâ morte fratris indignissimâ fraude perempti. Sibi visum esse, *spissus reverentia* scribere, quia luctuosis his temporibus non deerant, qui rumoribus eum terrerent, admonere, ut placidâ mente sacris operaretur; placere sibi, ut in suis sedibus Episcopus permaneat. Epistolæ demum suæ hunc finem imponit: *Divinitas servet te plurimis annis, pater dilectissime.*

Athan. ad Solit. 844.

Judæus miraculo convertitur.

VIII. Sub idem tempus in loco Antiochiæ vicino, *cui nomen Thracum*, contigisse miraculum dicitur, quod in Alexandrino Chronico legitur. Xenodochii quod Leontius instituerat, tres Procuratores fuere, quos inter Eugenius præcipuè eminebat. Facientibus iter comes erat Judæus, quocum de religione disputabat Eugenius. Judæo omnia eludente, repertus est in via serpens mortuus. Tum mox Hebræus ad Comites, Si anguem mortuum comederitis absque periculo, Christianus fio. Extemplò Eugenius & socii serpentem in tres partes divisum comedunt absque damno, compleores oraculum, In manibus suis serpentes tollent, & si mortiferum quid gustarint, non eis nocebit. Judæus ergo cum illis in Xenodochium regressus ibi mansit, & Christianum professus est. Fides sit penes Autorem.

Julius Firmicus Maternus.

IX. His temporibus florebat *Julius Firmicus*. In suspicionem Baronius adducitur, Episcopum Mediolanensem fuisse, qui Romanæ Synodo anno 337. sedente Julio celebratæ interfuit. At Synodum subditam esse, suo est loco demonstratum. Quòd si libri, quem Firmicus edidit, titulo fides, infulam non gestabat, cùm moris non esset, *viri clarissimi* honore Episcopos afficere. Abdicatâ superstitione ad Christi religionem se Firmicus convertisse videtur: ut probabili admodum conjecturâ colligitur: *At ego nunc sacratum Lectionum institutione formatus, perditos homines religioso sermone convenio.* Vocula *nunc* indicium est, fuisse tempus olim, quo in legendis Scripturis Firmicus non versabatur, quæ tamen à teneris unguiculis Christianis legebantur. Eruditione refertum Opus edidit, de *Errore profanarum Religionum*, quod Constantio Constantique Augustis nuncupavit, quos ad vindicandum Idololatriæ malum hortatur, adductis Scripturæ oraculis, quæ ad rem non faciebant, utpote quæ Judæos spectent, qui paternæ religionis desertores Idololatriam amplectebantur. De bello Persico, quod satis infeliciter gestum est, Constantio blanditur: *Missi sunt superbi sub jugum populi, & Persica vota collapsa sunt.* Quæ Nisibis obsidionem forsan innuunt, quam frustra Sapor oppugnaverat. Vel potius commissum indicant cum Persis prælium, cujus Constantium pœnitere non debuit, Sexto Rufo Judice: *Narsanensi ubi Narseus occiditur, superiores discessimus.* Prodiit liber non multò ante Constantis obitum. Dignus erat hic ille liber, qui in Nova *Du Pin* Bibliotheca locum inveniret, quem non obtinuit. Utrùm verò Julius ille Firmicus, unus idemque sit cum Julio Materno Firmico, qui de Matheši libros octo scripsit, in ambiguo ponimus.

Firmic. de Err. Prof. Rel. p. 7.

ANNO DOM. 351.

ANNO U. C. 1104. PER. JUL. 5064. JUL. 396. DOM. 351. CONSTANTII 15. *Sol.* 24. F. *Lun.* 10. *Indict.* 9. *Epact.* 16. *Epact. Sol.* 2. *P.* 31. *Mart.*

COSS. Magnentius & Gaiso.

Fabius Titianus *Præfectus Urbis. Iterum Kal. Martii* Aurelius Celsinus *P. U. Iterum* IV. *Idus Maii* Cælius Probatus *P. U.* VII. *Idus Junii* Clodius Adelfius *P. U.* XV. *Kal. Januarii* Valerius Proculus *Præfectus Urbis.*

Gallus Cæsar creatur. Daphnicam superstitionem abolet. Daphne multiplex.

I. VEtranione in ordinem redacto, *Prusamque* relegato, bellum à Constantio in Magnentium collatum est. Interea *Gallum* patruelem Cæsarem pronuntiat, partes ut Orientis tueretur. Ac ut majoribus sibi vinculis eum devinciret Constantius, & Galli nomen suo mutat, & sororem *Constantinam*, Annibaliani relictam illi conjungit: *Levatus est Constantius Cæsar Idibus Martii*, ut Fastus Idacianis monemur. Natus erat *Gallus apud Tuscos; in Massa Veternensi, patre Constantio, Constantini fratre Imperatoris, matreque Gallâ, sorore Rufini & Cerealis, quos trabea Consulares nobilitarant.* Annum agebat XXV. cùm Cæsar dictus est. Itaque lucem aspexerat anno Dom. 327. Constantino & Maximo Coss. *Massa autem possessio est.* Sic Cassiodorus Variarum l. 9. c. 3. *Ad massam juris nostri Rusticianam in Brutiorum Provincia constitutam, magnitudinem tuam jubemus Cartarium destinare.* In possessione ergo Veternensi editus Gallus: *Fuit formâ conspicuus bonâ, decente filo corporis, membrorumque rectâ compage, flavo capillo & molli.* Eâ dignitate ornatum Gallum Constantius Persis opponit. Gallus Antiochiæ sedem fixit. Cùm autem Martyres impensè diligeret atque veneraretur, Daphnen nobile Antiochiæ suburbium, & Gentilium superstitione, & intemperantium hominum flagitiis purgare constituit. Quippe jucundissimus ille locus laurorum & cupressorum nemore, fragrantissimisque floribus nitescens, juveniles voluptates inflammabat, ut qui absque amica apud Daphnen diversaretur, pro monstro, atque inurbano haberetur. Sed & venerationi Ethnicis locus erat. Illic Daphnæi Apollinis pulcherrimum & simulacrum, & Templum, ut ferunt, à Seleuco conditum. Aquam & divinatricem fluere ex fonte Castalio, ejusdem & nominis & efficaciæ, cum celeberrimo illo Delphico prædicabant. Nefanda hæc superstitionis voluptatumque monumenta deletum ire cupiens novus Cæsar, id se facile consecuturum arbitratur, si Ecclesiam ex adverso Templi Apollinis construxisset. Loculum ergo Babylæ Martyris Daphnen transtulit: *Ex eo tempore ferunt Dæmonem more solito, oracula reddere desiisse.* Celeberrimam Daphnæi hujus Apollinis memoriam abrogare, Constantino Magno in votis fuisse, ex eo Baronius probat, quòd *jussus sit magno studio, ut locus ille non amplius diceretur Apollinis, sed sui ipsius nominis Constantinus.* Hanc verò suam conjecturam probat, tum ex autoritate Suidæ, tum

Marcel. l. 14. c. 11.

Marcel. l. 14. c. 22.

Sozom. l. 5. c. 19

Bar. An. 351. n. 4.

ANNO DOM. 351.

tum ex nummorum Inscriptionibus. In postica si quidem parte Constantiniani numismatis, legitur *Anadaphne*: est autem vero proximum, *ana*, jungendum cum voce Constantini, ut sit verborum illa connexio, *Constantiniana Daphne*. At quod Antiochenæ Daphni nomen Constantious imposuerit suum, de erroribus unus est, quibus Baronius Annales suos maculavit. Loci quippe complures Daphnes nomine induebantur. De Valente Marcellinus: *Pubescente vere, quæsito in unum exercitu, prope Daphnen nomine munimentum est castrametatus.* Daphne castrum fuit in Mœsia secunda, quod Constantinus M. adversus Gothorum excursus ædificavit. Hoc Valesius probat ex Procopio: *Post Quintum Trismarisca castellum sequitur, cui ex adverso in opposito continente, Constantinus olim Imperator, castrum non obscurum extruxit, Daphnem nomine, è re publica fore ratus, si utramque fluminis ripam eo modo custodiret.* Est & alia Daphne prope Constantinopolim. Stephanus de urbibus: *Est quoque portus Daphne, apparens in ore Ponti, ad dextrum latus, si quis navigando illud intraverit.* Hæc est illa Daphne, non Antiochena quidem, ut creditum Baronio, sed Constantinopolitana, quam Suidas memorat in voce Augustus p. 488. Collocavit autem & Magnus Constantinus, *In aprico Daphnes, statuam suæ matris, à qua locum illum Augustale nominavit.* Tres igitur Daphnes in unam Baronio conferre placuit, ut ei quæ diversorum locorum erant, ascriberet. De Mœsiæ Daphne nummos inscriptos *Constantiniana* Daphne explicandos esse vero proximum, ut conditi à Constantino Principe *munimenti* memoria celebraretur.

Marcel. l. 28. c. 5. — *Procop. l. 4. de Ædif. Justin.* — Error Baronii.

Galli mores & anni.

II. Ad Gallum redeamus, cujus laudes prædicamus ob amotam Daphnensis Antiochenæ superstitionem. De moribus verò Cæsaris hujus, nec non Constantinæ uxoris, Ammianum audire Marcellinum juvat: Gallus *ex squalore nimio miseriarum, in ætatis adultæ primitiis ad principale culmen insperato cultu provectus, ultra terminos potestatis delata procurrens, asperitate nimiâ cuncta fœdebat. Propinquitate enim regiæ stirpis, gentilitateque etiam tum Constantini nominis efferebatur in fastus, si plus valuisset, ausurus hostilia in autorem suæ felicitatis, ut videbatur. Cujus acerbitati uxor grave accesserat incentivum, germanitate Augusti turgida supra modum, quam Hannibaliano Regi, fratris filio antehàc Constantinus junxerat pater. Megæra quædam mortalis, inflammatrix sævientis assidua, humani cruoris avida, nil mitius quàm maritus: qui paulatim eruditiores facti processu temporis ad nocendum, per clandestinos versutosque rumigerulos, compertis addere quædam malesuetos, falsa & placentia sibi discentes, affectati regni, vel artium nefandarum calumnias insontibus affigebant.* Imperium ejusmodi vix diuturnum esse potuit. Excessit enim è vita, *ætatis anno nono atque vigesimo, cùm quadriennio imperasset.* Anno scilicet CCCLIV. Constantio Augusto VII. & Constantio Gallo III. Coss. Consulatus Gallo, cultu Cæsaris ornato, in annum proximè sequentem destinatur, ipsiusque auspiciis gerendum, Lucilliano adversus Persas bellum committitur.

Marcel. l. 14. c. 1. — *Zozim. l. 2. c. 45.*

Crux lucida in Oriente visa: tempus ostenti.

III. Dum arma Constantius in Magnentium parat, prodigium ecce mirandum Orientem illustrat: *Crucis signum in Cœlo apparuit, splendidè refulgens, non ut Cometes diffluentibus radiis, sed plurimâ luce collectâ densatum ac perspicuum. Longitudine quidem à Calvariæ loco ad montem Olivarum, id est, circiter quindecim stadia totum cœlum, quod tractum illum supereminet, complectens, Latitudo verò respondebat longitudini.* Tempus ostenti à Cyrillo consignatur, in sua ad Constantium Epistola: *Sacris hisce diebus Sanctæ Pentecostes, Nonis Maii, circiter horam tertiam, omnium maxima Crux ex lumine constituta, in Cœlo super Sanctissimum montem Golgotha & usque ad Sanctum montem Olivarum extensa apparuit: non uni tantùm aut alteri visa, sed universo civitatis populo manifestissimè ostensa.* Neque celeriter percurrens, sed compluribus horis apertè conspecta, splendore Solis radios superabat. Addit ostento Philostorgius signum divinitùs pictum magnâ Iride instar coronæ fuisse circumfusum: *Et Iris quidem Christi crucifixi, & in cœlum assumpti, Clementiam designabat, corona verò Imperatoris victoriam.* Iridis tamen non meminit Cyrillus, testis oculatus, quam amplificando prodigio Philostorgius de suo, fœneravit. Sed & ea subjungit, quæ à vero sunt aliena: *Signum ab utroque exercitu clarè conspectum. Magnentium quidem, & eos qui à partibus illius stabant, utpote Dæmonum cultus addictos supramodum terruit. Constantio verò, & iis qui cum illo erant, invictam fiduciam addidit.* Ex Cyrilli Epistola, Constantium de prodigio commonefacientis, apparet Principis ante oculos Crucem non venisse. Alioquin non minus in Occidente, quàm in Oriente cerneretur. Sed & professione Christianus erat Magnentius, qui ob visum ejusmodi metu constringi non debuisset. Ex Philostorgii fonte sese tamen aspersit Autor Chronici Alex. qui crucem tum apparuisse tradit, cùm apud *Mursam* dimicaretur. Ex addita Hieronymi lacinia in annum CCCLIII. Baronius hoc ostenti retulit, quod præsenti alligandum ostendunt Fasti Idacii, nec non Chronicum Alex. Ad Consulatum Sergii & Nigriani hæc habet: *Apparuit in Oriente signum Salvatoris, die tertio Kal. Februarias, Lunâ* XXVIII. Quod tamen pugnat Cyrillo, atque rationi. Dies quippe Pentecostes, quibus claram in Oriente lucem crux dispersit, Januario non possunt assignari. Neque Luna XXVIII. in diem Januarii trigesimum hujus anni incidere potuit. Luna XVI. currebat jubente Epactâ V. Quin etiam ex Cyrillo liquet, Constantio & Magnentio apud Mursam certantibus, Crucem non apparuisse, uti scripto mandavit Chronicum Alex. Pugna Septembris XXVIII. commissa quatuor integris post Pentecosten mensibus. Unus ergo de ostenti die audiendus est Cyrillus. Fallitur quidem Philostorgius, qui crucem, *die quæ vulgò Pentecoste dicitur*, apparuisse tradit. Hoc festi in Maii septimum conferri nequit, quod manifestationis tempus fuisse, Cyrillus prædicat. Quippe Nonæ Maii tertiæ cohærebant feriæ. Quæ cum Pentecoste diei Dominicæ perpetuò conjuncta, copulari nequit. Neque testatur unquam Cyrillus, sacro Pentecostes die prodigium contigisse. Celebrata est Pentecoste Maii XIX. quia Pascha hoc anno Martii XXXI. est alligatum. Neque difficultatis aliquid de tempore, quo crux fulsit Hierosolymis, obortum fuisset, si ad Cyrilli locum attenderetur. Dixit, *Sanctis hisce diebus Pentecostes, Nonis Maiis, circiter horam tertiam*, crucem ex lumine fuisse in cœlo constitutam. Pentecoste verò non semper diem illam significat post Pascha quinquagesimam, quâ Sancti Spiri-

ANNO DOM. 351.

Sozom. l. 4. c. 5. — *Cyril. Epist. p. 347.* — *Philostorg. l. 3. c. 26.* — Error Baronii.

tuo descensus memoria recolitur. Usurpatur & quandoque pro toto illo spatio, quod à Paschate ad Pentecosten usque decurrit. Quæ Tertulliano mens est: *Excerpe singulas solemnitates nationum, & in ordinem texe, Pentecosten implere non poterunt.* Eusebius meminit *Pentecostes, quæ septenario hebdomadum numero decoratur.* Epiphanius in Expositione fidei: *Neque verò totis illis duntaxat quinquaginta Pentecostes diebus ulla jejunia sunt.* Eadem & significatio in mentem venit Cyrillo: *Sacris*, inquit, *diebus Pentecostes.* Plures ergo in eo festo dies, qui uni & solemni Dominicæ, quæ κατ' ἐξοχὴν, Pentecoste dicitur, descensuique Spiritus celebrando dicatur, accommodari non possunt.

Tert. de Idol. c. 14.

Euseb. de Vit. Const. l. 4. c. 64.

IV. Constantius conjunctis Vetranionis, suisque copiis contra Magnentium pergit. Magnentius quoque occurrendum ratus, fratre suo Decentio Cæsare dicto, ut Transalpinis gentibus præsidio esset, magno apparatu occurrit Constantio. Ac si Zosimo credimus, cùm missis Legatis Constantio pollicitus esset, se apud Sisciam prælii copiam facturum, dum eo lætus nuncio Constantius, castra versus Sisciam movet, insidiæ quas in faucibus collocarat Magnentius, irruunt in Constantianos, qui inermes, & nullo servato ordine incedebant, & propè omnes lapidibus obruunt. Quo successu sese efferens Magnentius, in Pannonicam contendit. Intereà Constantius Philippum mittit specie tenus de pace collocuturum, reâpse verò Magnentii copias curiosius exploraturum, quem Marcellinus excepit. Tum Philippus milites hortari, ne arma in Romanos moverent, Magnentium verò, ut Constantini Magni memoriam colere. Parte aliâ Magnentius ablegat Titianum, virum ordinis Senatorii, qui Constantium cedere imperio jubet, quâ conditione de vitæ securitate ei cavet. Constantius Deum precatus ultorem interfecti Constantis, bellum se gesturum nunciat. Potestatem tamen Titianum redeundi facit, licet Philippus à Magnentio detineretur. Tum tyrannus Sisciâ, quam primo impetu ceperat deletâ, Sirmium ducit, eo quoque citra sanguinem potiturum existimans. Repulsus Mursam contendit, Dravum inter & Istrum sitam. Urbi portis ignem infert, quem obsessi restingount. Silvanus *Armaturarum Tribunus* à Magnentio ad Constantium deficiens, ipsi multum profuit. Ut verò hostiles appropinquavere exercitus. *Die IV. Kal. Oct. totis viribus certatur. Constantius descendere in conspectum pugnæ non ausus, in Basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente tum ejus loci Episcopo in solatium assumpto diversatus est. Cæterùm Valens callidè per suos disposuerat, ut quis prælii esset eventus, primus cognosceret, vel gratiam Regis captans, si prior bonum nuntium detulisset, vel vitæ consulens, antè capturus fugiendi spatium, si quid contrà accidisset. Itaque paucis qui circa Regem erant, metu trepidis Imperatore anxio, primus nunciat hostes fugere. Cum ille indicem ipsum intromitti posceret, Valens ut reverentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse nuncium respondit. Facilis ad credendum Imperator palam posteà dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus vicisse.* Non incruenta tamen Imperatoris victoria fuit, quæ multorum morte militum constitit: *Magnentius apud Mursam profligatus acie est, ac pene captus. Ingentes Rom. imperii vires eâ dimicatione consumptæ sunt, ad quælibet bella externa idonea, quæ multum triumphorum possent, securitatisque conferre.* Ex Constantianis XXX. millia, ex Magnentianis XXXVI. millia periere. De pertinaci pugna legatur Zosimus l. 2. c. 51.

Marsensis pugna. Magnentius debellatur.

Zosimus l. 2. c. 48.

Sulp. h. l. 2.

Eutrop. l. 10.

V. Ut Gallum purpuræ honoribus fulgentem *Julianus* vidit, objectâ metu spes de imperio suas alere cœpit. Tum Græciam peregrans, Vates quærit & Ariolos, sciscitaturus ficretne tandem compos votorum. Cùm in fatidicum incidisset, Templum numinum cum eo ingressus, terribili Dæmonum specie metu perculsus, crucis signum fronti imprimit. Diffugientibus spectris, præstigiator Julianum objurgat. Miranti verò vim signi crucis, quam ferre Dæmones non possent, dixit Aruspex: *Non timuerunt illi, ut tu putas, sed factum tuum abominati recesserunt.* Hoc modo miserum deceptum sceris initiat. Ex primo Nazianzeni in Julianum oratione narratio hæc deprompta est, eo excepto, quòd regionis non meminerit. Non dissimulabimus tamen, illam historiam minus probabilem videre. Quam soli rumori deberi satis innuit Nazianzenus: *Quòd autem*, inquit, *à pluribus commemoratur, nec à fide alienum est, oratione prosequar.* Ut eodem haberi loco debeat, quo fama, de victimæ costis *crucem coronatam* Juliano ostentantibus; quæ quidem traditio non satis explorata fuit, ipso teste Gregorio: *Si falsum est, in auras abeat.* Soli in adyto erant Julianus & Auspex: *Descendebat ad quoddam adytum, comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat.* Qui potuit igitur eo res vulgari, de qua taciturna in silentia descenderunt? Sed & incredibile est, Dæmonem *qui se transfigurat in Angelum lucis*, spectri horrendi formam perpetuò ostentasse Juliano, quem egregiâ potius specie sibi devincire debuisset, quàm terribili prorsus à se abigere. Denique non ad verum quadrat ea Theodoriti narratio, quo tempore Gallus Cæsar dictus est, Julianum *Græciam peragrasse*, ut Ariolos quæsitum iret; quam demum Galli post obitum ingressus est: *Procudendi ingenii causâ, ut cupidine flagravit, ad Græciam ire permissus est.* Ad res Ecclesiæ nunc propius accedamus.

Julianus Aruspices consulit.

Theodorit. l. 3. c. 3.

Nazian. Or. 3. 7.

Marcellin. l. 15. c. 2.

VI. Multis vicibus damnatus Photinus, populi favore Episcopatum etiamnum retinebat. Placuit ergo Imperatori adversus Hæreticum Sirmii Synodum cogi. Cui tamen non interfuere *Georgius* Alexandrinus, Osiusque Cordubensis, ut scriptum Socrates reliquit. Georgius Alexandrinæ Cathedræ nondum sedebat, Osius verò Magnentii sub potestate erat. Qua de causa factum, ut ex Occidentalibus, quibus tyrannus imperabat, nulli adfuerint. Orientalium ergo fuisse constat, ex Hilarii de *Synodis* libro, quo *cæteras eorundem Orientalium Episcoporum diversis & locis, & temporibus conscriptas fides*, se expositurum testatur. Eò quoque pertinet insignis ille locus Vigilii Tapsensis: *Illius verò Catholici Concilii apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente congregati, quis sufficiat multiplices fidei confessiones comprehendere.* Concilii tempus ab oblivione Socrates vindicavit: *Hi post Consulatum Sergii & Nigriniani, quo quidem anno propter tumultus bellicos nemo solemnem gessit Consulatum, Sirmii congregati.* Sic in Fastis Idacianis annus Dom. CCCLI. designatur. Quod temporis criterium non est temerè rejiciendum, utpote ex publicis monumentis desumptum, qui characteres rarò fallunt. Assentitur & Socrati

Sirmiense in Photinum Concilium.

Vigil. l. 5. contra Eutych.

Socrat. l. 2. c. 29.

Sozomenus, quorum tamen Chronologiam Baronius respuit, qui multis argumentis Sirmiense, in quo Photinus damnatus est, anno CCCLVII. Concilium assignavit. At Socratem iis rationibus tuentur Petavius atque Valesius, quæ vel invitos cogunt ad assentiendum. Itaque indubitanter currenti anno Synodum ascribimus. Ut autem in fixo stabilique fundamento sententiæ nostræ locentur, observandum Synodos Sirmienses quatuor fuisse, quæ permiscentur Baronio. Prima est contra Photinum anno currente coacta. Altera anno 357. in qua impia Osii Potamiique Confessio condita est. Tertia celebratur anno 358. quæ formulam edidit, cui Liberius subscripsit. Quarta cogitur *Eusebio & Hypatio* Coss. in qua conscripta est Confessio, quam Marcus Arethusius dictavit.

Sirmiensis in Photinum Synodi Epocha.

VII. Quibus explicatis spontè fluunt argumenta nostræ sententiæ. Horum itaque primum est, quòd provocante ad Imperatorem Photino à Sirmiensibus abdicato, dati sunt Judices, qui Photini cum Basilio Ancyrano disputationi infuere. Eorum unus *Thalassius*. Hic est ille Thalassius, qui principem locum apud Constantium tenebat. Cùm igitur in Sirmiensi Concilio antè damnatus sit Photinus, quàm Thalassius fato fungeretur, in annum sane CCCLVII. conferri nequit, qui Thalassii mortem excepit. Excessit enim Thalassius anno CCCLII. Constantio Augusto VI. & Gallo Cæsare II. Coss. ut ex Marcellino didicimus: *Hac subinde Constantius audiens, & quadam referente Thalassio doctus, quem obiisse jam compererat lege communi.* Deinde Germinius qui Photino successit, Sirmii Episcopum jam agebat, cùm Georgius Cappadox pulso Athanasio Alexandrinum in Episcopatum introrupit. Hoc apertè liquet Athanasii ex Epistola ad Episcopos Ægypti & Libyæ, cui perperàm titulus præfigitur, *Contra Arianos Oratio prima. Demophilus, Germinius, Eudoxius, & Basilius, ad has fortunas subvecti sunt. Eaque de causa Georgium Cappadocem quendam redemerunt, eo animo, ut eum ad vas mitterent.* Itaque si ante annum CCCLVII. Georgius sedem invasit Alexandrinam, Sirmiensis utique Synodus, quâ exautoratus Photinus, anno quidem CCCLVII. antecessit, Georgius verò in Alexandrinum Episcopatum anno CCCLVI. intrusus est, teste Alexandrinorum protestatione consignatâ: *Illustrissimis Coss. post Consulatum Arbethionis & Lolliani designatis decimo septimo die mensis Mechir, quæ est pridie Calendarum Februarii.* Arbetionis & Lolliani, quem *Collianum* vocant, Consulatus anno CCCLV. affigitur. Tertiò, Sulpicius Severus Photinum à Sirmiensibus prius damnatum esse tradit, quàm Hilarius Pictaviensis, & Liberius in exilium mitterentur. Ejectos autem esse constat ante annum CCCLVII. *Pulsi in exilium quos supra memoravimus, ab hinc annos quinque & quadraginta, Arbetione & Lolliano Coss.* Denique ex tribus fidei formulis, quæ uni Synodo vindicantur, sola prima in Sirmiensi, quæ Photinum loco movit, Synodo conscripta est. Quippe Epiphanius hæresi 72. n. 2. Hilariusque libro de Synodis, Autores sunt, exarsisse Basilium Ancyranum ad *blasphemiam apud Sirmium, per Osium & Potamium conscriptam.* Tantæ verò Basilio iræ non fuissent, neque Synodum Ancyræ coëgisset confessioni damnandæ, quæ se præsente concepta fuisset. Moltò minus Sirmiensem Synodum fidei suæ repugnantem, in prima commendatione habuisset, quam magni fecisse certum est. Hinc in Epistola Ancyrani conventus legitur: *Vehementer quidem illud optabamus, post ea quæ Sirmii contra Photinum gesta sunt, in otio & quiete versari.* Sirmiensibus cœtibus accuratè distinctis cadit Baronii Chronologia, cum argumentis, in quibus innititur, utpote ex Socratis & Sozomeni errore depromptis, qui intolerandâ prorsus confusione, & Osium Georgiumque Alexandrinum adfuisse posteris persuasere. Quòd si Baronio in mentem venisset, conventus Sirmienses quatuor fuisse numero, tristem Annalibus suis noctem non induxisset. Præcisè igitur illustrissimo Purpurato pernegamus, Conciliabulum Sirmiense, cui *invitus* adfuit Osius, quodque triennio post negatam *Saturnino* Arelatensi communionem est celebratum, unum idemque cum eo Concilio fuisse, in quo lata est contra Photinum damnationis sententia.

Marcelin. l. 14. c. 7. 37.

Ath. T. 1. 290.

Sulp. b. l. 2.

Epiph. h. 71. n. 2.

Error Baronii.

Epiph. h. 71. n. 1.

Zozim. l. 2. c. 48.

VIII. Constitutâ Synodi hujus Epochâ, superest nunc gesta ipsius commemorare. Adversus Photinum Sirmii congregati Orientales ab Imperatore, qui tum temporis in ea civitate versabatur, Photinum deponunt, utpote idem cum Sabellio, & Paulo Samosatensi sentientem. Fidei quoque confessionem edidere, ab Athanasio in Epistola de Synodis Seleuciæ & Arimini, Socrateque l. 2. c. 30. exhibitam, quâ fulminibus suis eos jaculantur, qui dicunt *Filium Dei ex iis quæ non erant, aut ex alia esse substantia, quam non ex Deo.* Hanc calculo suo confessionem probat Hilarius: *Post generalem illam atque indubitatam sacramentorum expositionem, hinc exponendæ fidei adversus Hæreticos cœpit exordium.* Et in eodem tractatu: *Concludi damnatio ejus hæresis propter quam conventum erat, expositione totius fidei cui adversabatur, oportuit.* Catholicis quoque Concilium constitisse, testatur Vigilius Tapsensis contra Eutychem libro quinto: *Illius verò Catholici Concilii apud Sirmium contra Photinum ex toto orbe congregati, qui sufficiat multiplices fidei sanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam Synodum, quia necessitas fuerat nulla, non sunt omninò factæ, quas nullus Fidelium audet respuere aut cunctatur recipere, qui non vult cum Photino anathematis eorum sententia subjacere.* Confessioni mathematibusque, quibus muniebatur, ut consentiret Photinus, atque subscriberet, etiam post depositionem persuadere conantur, suum homini Episcopatum se reddituros polliciti, dummodò ad sanam mentem reversus, dogma quidem à se excogitatum damnaret, ipsorumque fidei consentiret. At ille oblatam sibi conditionem aspernatus, eos ad disputationem provocavit. Igitur constituto ad eam rem die ex Imperatoris sententia, conveniunt tum Episcopi, qui illic aderant, tum Senatorii ordinis haud pauci, quos Imperator disputationi interesse præceperat. Judices apud quos causam egit, recenset Epiphanius: *Thalassius, Datianus, Cerealius, Taurus, Marcellinus, Evantius, Olympius & Leontius: datum Basilio Ancyrano negotium, ut illum interrogaret, & quæ ab eo purgarentur, aut admitterentur refelleret. Fuit verò haud mediocris illa cum Basilio suscepta disputatio.* Verba disputantium excipiebant Notarii, *Anysius* Imperatoris Minister dictus Epiphanio, aliis verò Diaconus Basilii, *Callicrates* exceptor Rufini Præfecti, *Olympius*, *Nicetas*, *Basilius*, qui erant à memoria, *Euty*-

Gesta Sirmiensium. Photinus damnatur. Cùm Basilio disputat. Occitus ejus.

Hilar. de Syn.

Socrat. l. 2. c. 31.

Epiph. h. 71. n. 1.

ANNO DOM. 351.

thes & *Theodulus* Basilii Notarii. Victus Photinus condemnatur, qui postmodum in exilio agens Græco & Latino sermone librum conscripsit adversus omnes hæreses, quo suum dogma proponebat. Plurium & librorum Autorem fuisse Græcè Latinèque editorum reperimus apud Sozomenum. Post abdicationem Photinus multum ætatis implevit. Ad annum Dom. 376. hæc habet Hieronymus in Chronico: *Photinus in Galatia moritur, à quo Photinianorum dogma inductum.* Photinum præcipuè impugnaverunt Diodorus, & Audentius, de quo Gennadius in libro de Viris illustribus: *Audentius Episcopus Hispanus scripsit adversus Manichæos, & Sabellianos, & Arianos, maximeque intentione speciali contra Photinianos, qui nunc Bonosiaci vocantur, librum quem prætitularit de Fide, adversus omnes Hæreticos.*

Socrat. l. 2. c. 30.

IX. Athanasii urebat adversarios factum Maximi Hierosolymitani, qui abhinc biennio convocata ad Athanasii preces Synodo ipsum communioni restituerat. In alia ergo Synodo *Maximum* damnatum exauctorant. Id sanè in libello Synodico legitur: *Impietatis antesignani Synodum Hierosolymis Hæreticam coëgerunt, & Confessorem quidem Maximum abjecerunt. Catechetem autem Cyrillum tanquam Arianum elegerunt.* Ejectum quoque ab Acacio Maximum testatur Sozomenus: *Acacius & Patrophilus, pulso Maximo, Hierosolymorum Ecclesiam Cyrillo regendam tradiderunt, quos Macarius primùm ordinaverat.* Neque dissentit Socrates l. 2. c. 38. Causa abdicationis ea videtur esse, quòd inconsulto Metropolitano propriâ autoritate Synodum coëgerat. Quam & depositionis causam libellus innuit Synodicus: Maximum *Acacius Cæsareæ Philippi, Eusebii Pamphili discipulus & successor, propter Primatum sede hâc exigit.* Alia tamen mens Theodorito, qui Maximum morte suâ Cyrillo locum dedisse prodidit: Maximo *ad immortalem vitam translato, Cyrillus Apostolicæ doctrinæ acerrimus propugnator, Episcopalem gratiam promeruit.* Paria de Maximo leguntur in Chronico Hieronymi: *Quadragesimus Maximus post Macarium Jerosolymorum Episcopus moritur. Post quem Ecclesiam Ariani invadunt, id est; Cyrillus.* Nobis tamen Sozomeni Socratisque narrat fit vero similior: Porro meritæ Maximo laudes non sunt detrahendæ, quas Theodoritus oratione prosecutus est: *Maximus pro pietatis defensione in persecutionum certaminibus inclaruerat. Nam & oculo dextro orbatus, & dextro poplite debilitatus fuerat.* Hoc anno sive pulso, sive defuncto Maximo Cyrillus sufficitur. Non soli libello Synodico, sed & Hieronymo in fide malè audit Cyrillus: *Ecclesiam Ariani invadunt, id est, Cyrillus, Eutychius,* &c. Quæ ad annum 348. loco sanè non suo refert Hieronymus. Integram tamen Cyrilli fidem esse, omnisque Arianæ labis expertem, cum Theodorito existimamus. Nulla quidem in libris ejus tanti erroris deprehenduntur vestigia. Quòd si quandoque eo veneno afflatus est, quin tandem sanatus sit, nulli dubitamus. Profectò in sua ad Constantium Epistola, quam *literarum suarum primitias* vocat, anno currente scriptâ, *semper sanctam & Consubstantialem* Trinitatem laudat, quæ vox non est impietatis Arianæ. Exponit & in ea Epistola ostentum, quod Nonis Maii visum est Hierosolymis, crucem splendore radiorum coruscantem. Levi quidem ratione viri doctissimi adducti sunt, ut Epistolam in dubium revocarent, cùm de illa Sozomenus mentionem faciat: De eo ostento, *Imperator*, inquit, *certior factus est, tum ex multorum aliorum relatione, tum ex literis Cyrilli ad ipsum datis.*

Maximo succedit Cyrillus Hierosolymitanus. Num Arianus? Constantio scribit.

Lab. Conc. t. 2. 93.

Sozom. l. 4. c. 20.

Theodorit. l. 2. c. 26.

ANNO DOM. 351.

Sozom. l. 4. c. 5.

X. Luctificam huic anno cladem infixit Constantii in *Paulum* Constantinopolitanum sævitia, cui *Philippus* Ministrum se præbuit. Non ex animo quidem, sed literis *Constantis* adductus Imperator, ex *Singarensi* & *Emiseno* exilio Paulum Constantinopolim revocaverat. Arianis Constantis post obitum lacertos moventibus, varium & mutabile semper Constantius, Philippo Præfecto Prætorii mandat per Epistolam, ut ejecto ex Ecclesia Paulo, in ejus locum *Macedonium* inducat. Populi seditionem veritus Philippus, artibus optimum Antistitem adoritur. Specie publicorum negotiorum progressus ad balneum, quod *Zeuxippi* vocatur, Paulum honorificè ad se accersit. Paruit Paulus, cui venienti Philippus mandatum Imperatoris ostendit, quod patienter tulit. Præfectus multitudinis, quæ suspicione ductæ illùc convenerat, tumultum veritus, unam ex lavacri januis aperiri jubet, per quam Paulus adductus in Palatium nave ad id comparatâ in exilium mittitur. Thessalonicam exulis patriam relegatum esse; perperàm tamen scriptum Socrati. Athanasio magis credimus, ex quo fata Paulina hausimus. Cucusum *Cappadociæ*, Armeniæ potius circa deserta Tauri abripitur. Quam in urbem suo tempore relegabitur, & Joannes Chrysostomus, quasi fatale fuisset Constantinopolitanis Antistitibus, tristem hunc in locum ejici. Ibi in arctissimo & obscurissimo carcere reclusus relinquitur, ut fame periret. Deinde post sex dies eò ingressi Eusebiani, hominem adhùc spirantem per vim strangulant, ac hujus necis Philippum Præfectum *Ministrum* fuisse prædicant. Absurdè Nanni versio, quam Græcorum securus Baronius amplexus est; Vocem διάκονον, *Diaconum*, reddidit nullo sensu. Verùm ad hoc scelus vindicta divina connivendum sibi non putavit. Philippus enim nondum vertente anno Præfecturâ ignominiosè suâ spoliatus, multis fuit ludibrio. Imperante Theodosio magnificè justa exequiarum Paulo persoluta sunt anno Dionysiano 381. non multò post Constantinopolitanæ Synodi celebrationem. Cucuso adductum cadaver magnâ reverentiâ excipitur, & in Basilica, quæ ipsius nomine vocatur, Theodosius illud deposuit. Ac quò honor cresceret magis, in illa ipsa æde à Macedonio qui Paulum ejecit, extructa maxima & illustrissima sepelitur, quasi ereptam vivo Ecclesiam defuncto reddidisset Hæreticus. In vita Pauli, cujus Excerpta Photius exhibuit, scriptum legimus: *Imperator perferri curat magna cum reverentia reliquias S. Pauli Confessoris. Et Episcopi quotquot aderant unà cum Nectario, longè extra Chalcedonem obviam procedunt, multoque cantu & comitatu suscipiunt, & per mediam urbem corpus ferentes, collocarunt in Ecclesia S. Irenes nominis antiqui, & totam noctem cantibus transigentes, manè iterum tota civitas æquali honore & gloriâ, in Ecclesiam quæ nunc ab illo cognominata est, omnibus Episcopis & Clero, & ipso præsente Imperatore, sacro tumulo imponunt.* Hinc dispersus rumor, Paulum Apostolum in ea Basilica requiescere: *Multi veritatem rei ignorantes, & præsertim mulieres, & quàm plurimi ex plebe Paulum Apostolum illic conditum esse suspicantur.*

Paulus ejicitur Constantinopoli. Strangulatur. Honores defuncto exhibitu.

Socrat. l. 2. c. 16.

Athan. ad Solit. 814.

Phot. Bibl. p. 1427.

Sozom. l. 7. c. 10.

XI.

ANNO DOM. 351.

Paulo Macedonius substituitur. Seditio in ejus introductione.

XI. Pulsò Paulo ex balneis publicis progressus Philippus, rectà ad Ecclesiam contendit. Sedens in Præfecti curru Macedonius omnium oculis ostentabatur. Circa illos militum manus structis gladiis incedebat. Quo spectaculo territi populi, cuncti simul tam *Homousiani*, quàm *Ariani* ad Ecclesiam properarunt, prævenire singuli, & Ecclesiam occupare summo studio adnitentes. Appropinquante Præfecto unà cum Macedonio, repentinus absque causa ulla timor milites plebemque corripit. Cùm enim ob multitudinem Philippo Macedonium deducenti nullus daretur transeundi locus, milites violenter plebem impellunt. Quæ cùm propter loci angustiam retrocedere non posset, rati milites plebem de industria transitum intercludere, velut in hostem irruentes, districtis gladiis uti, & obvios ferire cœperunt. Tria igitur hominum millia, & prætereà centum & quinquaginta tunc occubuisse dicuntur: alii à militibus trucidati, alii multitudine obruti periere. Quæ clades in omen accipi debuit cruenti pestiferique Episcopatus, cujus & crudelitate corpora, & venenis animæ extinctæ sunt, ut sequentibus annis docebimur.

Socrat. l. 2. c. 16.

ANNO DOM. 352.

ANNO U. C. 1105. PER. JUL. 5065. JUL. 397. DOM. 352. CONSTANTII 16. *Sol.* 25. E. D. *Lun.* 11. *Indict.* 10. *Epact.* 27. *Epact. Sol.* 3. 4. P. 19. *April.*

COSS. Decentius & Paulus.

Valerius Proculus Præfectus Urbis.

Magnentius Italiâ pellitur in Gallias.

I. POst acerrimam Constantianos inter & Magnentianos pugnam, quam ne vel ipsæ tenebræ, vel aliud quid earum rerum, quæ relaxamentum quasi belli efficere solent, inhibuere potuerant, victus Magnentius, veritus ne Constantio traderetur, Pannoniâ relictâ in Italiam concesserat. Aliis collectis copiis aleam pugnæ denuò tentare decrevit. Neque omninò infeliciter: *Dehinc cùm se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit incautius, & ut in victoria solet, audacius persequentes.* Sed quòd Romanos à Constantio stare cognovisset vel odio sui, vel quòd intellectum de prælii eventu Alpes transcendit comparando sibi de Gallis auxilio.

Vict. Epit.

Zosim. l. 2. c. 53.

Judæi rebellantes à Gallo profligantur.

II. Romanorum & armis in Oriente prosperos Deus successus dedit. Prompti ad seditiones Judæi, *Patricium nefariè in regni speciem sustulerant.* Ortus Diocæsareæ tumultus, quæ urbs est Palæstinæ. Armis sumptis contra Romanos, vicina excursionibus loca vastare cœperunt. At Constantius Gallus misso exercitu, rebelles profligat, urbemque Diocæsaream solo æquari præcepit. Hanc Judæorum rebellionem, quam anno proximè futuro Baronius alligat, in præsentem confert Hieronymi Chronicum. Quo paucis de ingenti clade docemur, quâ misera gens affecta est: Gallus Judæos, qui *interfectis per noctem militibus arma ad rebellandum invaserant, oppressit cæsis multis hominum millibus usque ad innoxiam ætatem, & civitates eorum Diocæsaream, Tiberiadem & Diospolim, plurimaque oppida igni tradidit.* His rebus gestis Gallus secundam fortunam moderatè ferre non valens, tyrannidem ipse arripere tentat.

Socrat. l. 2. c. 33.

Error Baronii.

Hieron. Chron.

Crescente gloriâ Athanasii Ariani Constantium adeunt.

III. At Constantius Magnentii victor tanto successu tumidus, bellum molitur Ecclesiæ. Mutati animi tristem Epocham ostendit Athanasius: *Cùm in expeditionem iret contra Magnentium, videretque Episcoporum cum Athanasio communionem, quasi igne succensus, sententiam suam mutat, nihil jam jusjurandi memor,* aut literarum, quas clementes sancto Præsuli scripserat. Episcopos igitur singulis in urbibus ad sententiæ mutationem cogebat. Præferebant Imperatori faces ad furorem, qui Athanasium odio habebant. Georgium, Acacium, Theodorum, Narcissum urebat impressum sibi dedecus, à Sardicensi conventu abdicatos. Angebantur animo Ariani, quorum factio decrescebat: *Multi qui vi, non voluntate apud Arianos agebant, noctu ad Athanasium venientes, sese ei purgabant, hæresimque simul anathemate execrabantur, & veniam de insidiis, & calumniis postulabant.* Complures numero quàm quadringenti Præsules communionis vinculo cum Athanasio conjungebantur, ut propediem præclarus de errore duci triumphus speraretur. Ac primùm persuadent Ursacio atque Valenti simularent, suam ex metu *Constantii* pœnitentiam extortam esse. Dein inito consilio Constantium adeunt, queruntur quotidie se anathematibus obrui, terrarum orbem scriptis Athanasii, quibus impetebantur, prorsus impleri: contra hanc injuriam Principis auxilium implorare se testantur, artibusque suis Constantii voluntatem alienant ab Athanasio. Sic nubes cogitur, quâ vehemens in Athanasium, orthodoxosque Episcopos non multò pòst procella detonuit.

ANNO DOM. 352.

Athan. ad Solit. 828.

Liberius Pontifex.

IV. Persecutioni Julium Pontificem Rom. oportuna mors eripuit, die Aprilis XII. Defuncto succedit *Liberius*, quem natione Romanum, ex patre *Augusto* editum memorat Pontificale Damasi. *Die XI. Kalendas Junias* Constantio V. & Constantio Cæsare Coss. creatum fuisse, Damasi in Chronico legitur, qui cùm in sextam feriam incidat, apparet nondum immotâ lege Pontificum ordinationes diei Dominicæ alligatas fuisse. Hinc Pagio subit animum suspicio corrupti loci, quem sic emendat, ex die XI. Kal. Julias, sive Junii XXI. qui dies Solis erat. Emendationes tamen ejusmodi sine Autore, aut causa necessaria non videntur admittendæ. Quamdiu sederit Liberius, ex Damasi Chronico scire non possumus, cujus nunc destituimur auxilio. De hujus Pontificatus diuturnitate varii variant. Sedisse *annis sex, mensibus tribus*, diebus IV. nugatur Damasi Pontificale. Onuphrius annos XIII. menses quatuor, dies 17. vindicat Liberio. Baronius contendit, *sedisse annos XV. menses quatuor & diem unum.* Quippe, *Ejus*, inquit, *ingressus contigit octavo Idus Maii anno Dom. 352. ad usque anni 367. quintum Idus Septembris.* Repudiatis omnibus sententiis, talibus Liberii Pontificatum terminis circumscribimus. Secundo & vigesimo Maii consecratur, ut ex Damasi Chronico jam audivimus: excessit vigesimo quarto Septembris anno CCCLXVI. Quod legitur in Faustini & Marcellini libelli ad Valentinianum, Theodosium, Arcadium Præfatione: *Octavo Kalend. Octobris, Gratiano & Galaifo Coss. Liberius humanis rebus eximitur.* Ecclesiæ ergo Romanæ præfuit annis XIV. mensibus quatuor, diebus tribus, incluso emortuali.

Bar. An. 367. n. 2.

B. P. 1. *f.* 652.

Tres Liberii Epistolæ subditæ.

V. Ornatæ sunt *Liberii* nomine Epistolæ complures, quarum nonnullæ verè illud quidem, aliæ falsò gestant. De falsis prius dicamus, veras suis temporibus dividemus. Ex quindecim Epistulis,

Anno Dom. 3,2.

quas exhibent Conciliorum editores, tres numero nothis certè certòque sunt apponendæ, duodecima scilicet, quæ Liberii communicatoriæ fragmentum est ad Athanasium; decima quarta, ad omnes generaliter Episcopos: *Ut nullus pro persecutionibus, dum durare potest, suam relinquat Ecclesiam*; decima quinta ad Athanasium, & Episcopos Ægyptios responsoria. Extat apud Athanasium t. 1. 243. *Liberii Episcopi Romani Epistola ad Athanasium, quòd Deus Verbum perfectum hominem assumpserit*, quam Græculi figmentum existimamus. Primum enim absurdissimum videtur, Liberio esse in dubio positum, Athanasius Trinitatisne fidem amplecteretur, cujus causâ tot pugnas inierat, totve labores toleraverat: *Hanc ergo confessionem frater Athanasi, si mecum sentis, coram Judice Deo, quæso subscribas, quo certiores reddamur, unum ejusdem nobiscum suffragii sis.* Scilicet hoc ignorare Liberius potuit, qui Romanæ Presbyter Ecclesiæ, dum in urbe morabatur Athanasius, familiari ejus colloquio usus erat. Præstereà verba hæc neque Athanasium decent, neque Liberium: *Oportet te scire, charissime, Filios veritatis confiteri impassibilem esse Deitatem*, quæ monita Catechumeno digniora sunt, quàm gravissimo consumatissimoque Theologo Athanasio. Ejusdem est furfuris quod scribit Athanasio: Confessioni fidei *subscribas, ut & ego securior efficiar, tuaque mandata indubitanter obeam.* Scilicet de primis fidei elementis urbis Romanis Episcopus nondum satis certus erat, nisi Athanasium haberet monitorem? Epistola xiv. Liberii ad universos Episcopos fictis Consulibus consignatur: *Data* xv. *Kal. Martias Betto & Juliano viris Clarissimis Coss.* Consuta ex laciniis & Leonis Epist. 87. c. 2. & Flaviani ad Leonem Ep. 1. Epistola Liberii xv. ad Athanasium & Ægyptios responsoria nihilo verior. Fingit Consules ad libitum: *Data* VIII. *Kal. Junii Asclepio, & Deodato viris clariss. Coss.* Titulus etiam Epistolæ falsitatem prodit: *Dilectissimo filio Athanasio.* Athanasium quidem pro *fratre*, non pro *filio* Liberius habuit. Initium Epistolæ à Leonis vigesima quarta desumitur.

Initio Episcopatus sui Liberiusne Athanasii communionem abnuerit? Sitne germana octava Liberii Epistola?

VI. Ubi secundo & vigesimo Maji ad Episcopatum urbis Liberius promotus est, ad mandatum officium *invitus* accessit, statuitque in animo, non sua quidem, sed Apostolica statuta firma rataque efficere. Ubi Orientalium ad notitiam pervenit Liberium Julio successisse, ipsum subinde scriptis adversus Athanasium literis adeunt, ut ab illius communione divelleretur. Ac si Epistolæ octavæ fides, quæ extat in fragmentis Hilarii, Orientalium votis annuit: *Secutus*, inquit, *traditionem Majorum, Presbyteros urbis Romæ, Lucium, Paulum, & Ælianum, è latere meo Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romanam veniret, ut in præsenti, id quod Ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur.* Reversi ergo Presbyteri, nuntiaverunt eum venire noluisse: *Secutus denique literas charitatis vestræ, quas de nomine dicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his literis, quas ad unanimitatem vestram dedi, me cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere. Supradictum autem Athanasium alienum esse à communione mea, sive Ecclesiæ Rom. & à consortio literarum Ecclesiasticarum.* Non nescimus Blondellum, Hermantium, aliosque eruditos huic Epistolæ patrocinari: *Falsam aut subdititiam esse*

Hilar. Fragm. p. 36.

stylus negat, & præstereà cui bono. Antiqua est, in fragmentis Hilarii reperitur: denique temporibus apta videtur, atque congruens, cùm pedibus manibusque Constantius conaretur Episcopos Athanasii à societate divellere. Quod maximi momenti est ad flectendos animos. Verùm enimverò de ea legatione injectam nobis dubitationem esse, non diffitemur. Ac missis rationibus benè multis, quæ non incommodè solvi possent, his præcipuè movemur. Questi sunt Orientales, quas Liberio miserant Epistolas, silentio obrutas esse. Quam instituisse querelam impossibile est, si acceptis Epistolis, tres qui Athanasium accerserent, Presbyteros misisset, ac adventum negante Athanasio scripsisset *Episcopis universis per Orientem constitutis*, se cum ipsis communionem colere. De Orientalium verò querimonia Liberium audiamus, Epistola non ad *Luciferum*, ut errante calamo Du Pin tradit novæ Bibliothecæ p. 75. sed ad Constantium Augustum missa: *Multi Ecclesiæ membra lacerare festinant, qui confinxerunt me literas suppressisse, ne crimina ejus, quem dicebant condemnasse, apud omnes paterent. At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium literas intimasse, legisse Ecclesiæ, legisse Concilio, atque ad has etiam Orientalibus respondisse.* Insuper Liberius præcisè negat, se fidem Orientalibus adhibuisse: *Qui fidem & sententiam non commodavimus nostram, quòd eodem tempore septuaginta quinque Episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat.* Præstereà si quam cum Orientalibus amicitiam conglutinasse dicitur Liberius, non multò pòst deseruisset, non dubium est quin talem levitatem accusassent. Hanc porro mutationem Liberio non objecere, qui expostulantibus sese purgasset, per literas Constantio missas, quibus hæc narrat: *Significant Orientales Episcopi, paci se nostræ velle conjungi.* Quam absque ulla circuitione concordiam spernit, ac pro nihilo habet: nondum igitur copulati fuerant communione atque concordiâ. Quibus accedat, hanc Liberii cum Orientalibus conjunctionem magno argumento fuisse Constantio, in colloquio quod cum ipso habuit, ut *impii Athanasii communionem abjiceret*, recusanti persuaderet uti olim lecerat. Imò non impunè tulisset hanc communionis dissociationem, de qua mox Imperatori supplicium persolvisset. Cùm igitur hanc cum Arianis concordiam non adduxerit Imperator, ad persuadendum Liberio, ut Athanasio communionem rejiceret, liquidò constat hactenus nunquam ab eo fuisse divulsum. Neque ipse Athanasius, geminum hoc cum Orientalibus Liberii fœdus questus est. Porro cùm odoris antiquitatem ex omni parte spiret Epistola, eam à Liberio nolumus iri abjudicatum. Sit ergo Liberii. Sed ea Lucii, Pauli, Æliani, ad Athanasium legatio demum missa est, postquam exilio Liberius suo Romam reversus est, ac fortè Juliani sub initia, redeunte ad Ecclesiam suam Athanasio. Tunc scribere Orientalibus Liberius potuit, se studentem *paci & concordiæ Ecclesiarum* Athanasium ad urbem evocasse. Profectò cæteras fragmentorum Hilarii, ut Liberii Epistolas admitti, hanc solam rejici, non est consonum. Intereà didicimus, anno currente gemina Concilia fuisse celebrata, alterum Romæ; alterum Alexandriæ, quod Episcopis LXXV. constabat. Quid verò in iis decretum sit, prorsus ignoramus.

Anno Dom. 352.

ANNO DOM. 353.

ANNO U. C. 1106. OLYMP. 283. PER. JUL. 5066. JUL. 398. DOM. 353. CONSTANTII 17. *Sel.* 26. C. *Lun.* 12. *Indict.* 11. *Epact.* 8. *Epact. Sel.* 5. *P*, 11. *April.*

COSS. Constantius Augustus VI. Constantius Gallus Cæsar II.

Neratius Cerealis *Præfectus Urbis.* VI. *Idus Decembris* Vitrasius Orfitus *Præfectus Urbis.*

Magnentius in Gallia debellatur: se interficit.

I. ITaliâ relictâ, Magnentius in Gallias concesserat reparandis viribus. Ibi cùm militum suorum animos ob cladem acceptam fractos confirmare vellet, sublime tribunal conscendit: ac milites dum faustâ acclamatione Magnentium excipere gestiunt, eâ præter animi sententiam, in Constantium translatâ, unâ voce clamant, *Constanti Auguste, tu vincas.* Quod imminentis sibi exitii omen tyrannus accepit. In loco, qui mons *Seleucus* dicitur, Lugduno tridui itinere distans, pugna committitur. Cæsis ad internecionem copiis suis, solus fugam arripit *Magnentius.* Qui Lugdunum ingressus primùm matrem interficit, deinde in Palatio sibi violentas manus affert. Gladio enim occultè proviso, ictum pulsu parietis juvans, transfosso latere, ut erat vasti corporis, vulnere, naribusque & ore cruorem effundens expiravit. Cædi maternæ fraternam & addidisse Socrates scriptum reliquit: Periit *mense imperii quadragesimo secundo, ætatis anno propè quinquagesimo. Ortus parentibus Barbaris, qui Galliam inhabitant. Legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidi, & immodicè timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ speciem formidinem.* (Vict. Epit.) Excessisse XVIII. *Calendas Septembres* tradunt Socrates l. 2. c. 32. & Paulus Diaconus Historiarum l. 11. Fasti verò Idaciani, Magnentium se apud Lugdunum die III. Idus Augusti interfecisse memorant. Magnentii morte auditâ *Decentius*, quem tyrannus Cæsarem creaverat apud Senonas, laqueo fasciæ ad collum posito vitam finivit XV. Kal. Septemb. Sic qui Gallias Principis sui sanguine resperserant, suo quoque eas infecere. Quæ porrò permiserat nocturna sacrificia, jubente Constantio perinde atque Acta tyranni omnia abrogantur: *Quæ tyrannus, vel ejus Judices contra jus statuerunt, infirmari jubemus, redditâ possessione expulsis.*

Constantius Magnentianos crudelius persequitur.

II. Magnentianâ clade auditâ Constantius, nimis insolenter se extulit, quòd fortunæ prosperitatem moderatè ferre non posset. Ut ergo summa rerum ad ipsum solum venit, non clementer satis Magnentianas reliquias insectatur: (Marcel. l. 14. c. 5.) *Si quis enim Militarium, vel Honoratorum, aut Nobilis inter suos rumore tenus esset insimulatus, fovisse partes hostiles, injecto onere catenarum in modum belluæ trahebatur, & inimico urgente, vel nullo, capite vel mulctatione bonorum, aut insulari solitudine damnabatur.* Inter alia excarnificatum Gerontium, Magnentianæ Comitem partis mulctavit exilio. Paulum Notarium in Britanniam misit, *ut militares quosdam perduceret, ausos conspirasse Magnentio.* Quos cùm jussa prætergressus, miseros crudelius vexaret, *Martinus* Vicarius Britanniarum, innocentium ærumnas indignatus, rogabat ut culpæ immunibus parceretur. Quas res precantem ad sortem periculorum communium traxit. Cùm igitur *Paulus* instaret, ut ad Comitatum Imperatoris *Martinum* vinctum perduceret, irâ percitus, ferro *Paulum* adoritur, *& quia languente dexterâ letaliter ferire non potuit, districtum mucronem in proprium latus impegit.* Ubi Arelatum venit Constantius, theatralibus ludis atque Circensibus magno apparatu editis, imperii Cæsarei Tricennalia celebrat. (Marcell. l. 14. c. 8.) Exhibitos esse *die* VI. *Idus Octobres, qui imperii ejus annum tricesimum terminabat*, Marcellinus scribit non sine, ut videtur, errore calami. Quippe sexto Idus Novembris anno CCCXXIV. Crispo III. & Constantino III. Coss. Constantius à patre Cæsar dictus fuerat. Octavo igitur Novembris anni CCCLIII. trigesimus incipiebat imperii hujus. Non spectacula modò, sed tragœdiam quoque exhibuit Arelato, quæ illustres Episcopos produxit in scenam, ut mox videbimus, ubi de Gallo Cæsare quædam attulerimus, ad illustrandam historiam non inutilia.

Galli sævitia. Mors Clementii.

III. Gallus in Oriente ad flagitia & libidines titulo Cæsaris usus, Gallienum imitatus, *Adhibitis paucis, clam ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita, quæritando Græco sermone, Quid de Cæsare quisque sentiret.* Hæc confidenter agebat in urbe, ubi nocturna lumina Solis fulgorem imitabantur, cùm interim saltantium & canentium vocibus compita personarent, macellumque ipsum æquè ac interdiu patens, edulia varii generis proponeret. Discurrebant & viles homines ad colligendos rumores per omnia *Antiochiæ latera*, relaturi quæ audiebant. Per suspicionum nebulas alii necabantur, alii fortunis spoliabantur. Terrorem penè cunctis injecit perpetratum in *Clementium* facinus. Vir erat nobilis, ortus Alexandriâ, quem socrus ardebat. Quæ cùm sibi misceri generum non impetraret, per eversam Palatii portam introducta, oblato pretioso Constantinæ monili, id assequitur, ut ad *Honoratum* Comitem Orientis formulâ missâ lethali, *Clematius* nullo scelere contactus, nec hiscere, nec loqui permissus occideretur. His gradibus Gallus naturâ ferus, & ad tyrannidem pronior, si suo jure imperare licuisset, ad imum tandem descendit exitium, ut anno sequente declarabimus. (Marcell. l. 14. c. 1.)

Variæ in Athanasium accusationes.

IV. Crescente in dies religionis amore, novis apud Alexandriam Ecclesiis opus erat. Maxima igitur Ecclesia jubente *Constantio* condebatur. Nondum absolvebatur, cùm ad festum Paschatis agitandum populis undique confluentibus Ecclesiæ Alexandrinæ paucæ numero, parvæque reperirentur. Ob locorum igitur angustiam poscunt in majore Ecclesia conventus fieri, quo pro Imperatoris salute preces funderentur. Eò præcipuè adigebantur, quòd Quadragesimæ in Synaxibus pueri, puellæ, aniculæ complures afflictæ jacuerant. Precibus intercessit Athanasius, inimicorum veritus calumnias: etiam eosque etiam hortatus, ut quomodocunque liceret, cum molestia & compressione in aliis Ecclesiis cœtus agerent. Hæc recta monenti non obtemperatur. Quin potius parati erant in sola loca confluere, sacrisque sub dio operari. Compescendo murmuri magnam poscentibus Ecclesiam annuit tandem Athanasius: absque ulla tamen Encæniorum celebratione. Nullâ denunciatione ad Synaxim coitum, nulli Episcopi vocati, cùm nefas esset, absque Decreto Imperatoris Templi Encænia peragere. Hinc tamen invidia est Athanasio commota, quasi sponte suâ Encænia celebrasset. (Athan. Apol. 681.) Alii quoque laquei sancto tenduntur Antistiti. Quippe inimici ejus persuadent Im-

Athan. Apol. 686.

Imperatori literas ab Athanasio missas esse, quibus Italiam petendi veniam sibi concedi flagitabat. Fingentibus creditum: *Venit Montanus Palatinus cum hujusmodi Epistola, quasi ego scriptis meis à te jus in Italiam abeundi postulassem ad ea instauranda, quæ in Ecclesiasticis deficere videbantur.* Cùm inhonestum putaret Athanasius profectionem suscipere, de qua ne vel per somnium cogitaverat, & aliunde in metu esset insidiarum, ad quas struendas adversarii perpetuò vigilabant, restitit Alexandriæ. Nova hæc seges accusationum fuit, quasi mandata Principis sui detrectavisset. His accessit accusatio gravior omnium, quod Magnentio scripserat Athanasius, Epistolæque autographum se in manibus habere Ariani gloriabantur. Quibus inflammatus ad iram Constantius, Arelato contra Athanasium Synodum imperat.

Athan. Apol. 677.

Synodus Arelatensis Arianorum. Paulinus Trevirensis pellitur.

V. Eò loci res erant, ut paci Ecclesiarum componendæ Concilii subsidio opus esset. Liberio ab Orientalibus scriptum, ut damnato Athanasio communionis mutuæ concordiâ conjungerentur. Ex altera parte Ægyptii, quæ Synodi Decretum Romam miserant, *septuaginta quinque* Episcoporum autoritate firmatum, quo innocentiæ Athanasii patrocinabantur. Italis igitur Episcopis visum, à Constantio apud Aquileam Concilium cogi, quo malorum tantorum flamma extingueretur. Rem ipsam exequamur verbis Liberii ex fragmento Epistolæ ad Osiom Cordubensem: *Multi ex Italia Episcopi convenerunt, qui mecum religiosissimum Imperatorem Constantium fuerant deprecati, ut juberet, sicut ipsi placuerat dudum, Concilium Aquileense congregari. Vincentium Capuensem, cum Marcello æquè ex Campania Episcopo, legationem nostram suscepisse, sanctitati tuæ insinuo.* Cùm Arelato complures Episcopi reperirentur, Synodus celebratur. Quid in eo gestum fuerit, docent monumenta Veterum: *Petebatur ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent, nec tum demum de re cognoscendum, cùm de persona judicium constituisset. Sed Valens sociique ejus prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi.* Occidentales quidem se de Athanasii damnatione assensum Orientalibus præbere, contemplatione pacis testantur, eâ lege tamen, ut Arianus error damnaretur. Conditionem Ariani respuunt. Liberium audiamus hæc Constantio scribentem: *Manent literæ Legatorum, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt, quibus significant, propter turbationem omnium Ecclesiarum se quidem antè succumbere sententiæ Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, si iidem Arii hæresim condemnassent. Hoc genere se inclinatos eorum sententiis obedire. Placitum, ut ipsi significant, Scripturâ teste firmatur. Itur in Concilium: accipiunt cum deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse. Athanasium, quod solum exigebant, communione esse privandum.* Cùm Arianorum sententiam Occidentales non reciperent, *Edictum ab Imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exilium pellerentur.* Victus Vincentius minis cessit, vir plurium palmarum, qui Synodo Nicænæ Legati Sylvestri nomine interfuerat, ac plus semel innocentiam Athanasii suo calculo comprobaverat & in Romana, & in Sardicensi Synodis. Quâ socordiâ multum & dedecoris sibi, & Ecclesiæ detrimenti attulit. Lamentabilem Vincentii casum

Sulpit. l. 2.

Sulp. h. l. 2.

meritò deflet Liberius in fragmentis Epistolæ ad Osium: De Vincentio *cùm multa sperarem, quòd & causam optime retineret, & Judex in eadem causa cum sanctitate tuâ frequenter resedisset, crediderant Dei Evangelium sub legatione posse servari. Non tantum nihil impetravit, sed & ipse in illam ductus est simulationem. Post cujus factum duplici mœrore confractus, moriendum magis pro Deo decrevi, ne videar novissimus delator existere. Nam videtur sententiis accommodasse consensum.* Paulinus Trevirensis minis audentior ivit, eòque relegatur: *Ab hoc partium conventu agitur in exilium Paulinus.* Neque Episcopatum ignaviâ redemptum voluit. Extremum diem in exilio morte confecit ad annum Christi CCCLVIII. Hieronymus in Chronico: *Paulinus Trevirorum Episcopus in Frygia exulans moritur.* Paulini natale Augusti XXXI, in Martyrologio celebratur.

Sulp. l. 2.

ANNO U. C. 1107. PER. JUL. 5067. JUL. 399. DOM. 354. CONSTANTII 18. *Sol.* 27. B. *Lun.* 13. *Indict.* 12. *Epact.* 19. *Epact. Sol.* 6. P. 27. *Mart.*

ANNO DOM. 354.

COSS. Constantius Augustus VII. Gallus Cæsar III.

Vitrasius Orfitus Præfectus Urbis.

I. EXtinctâ priore conjuge, quæ Gallo Cæsari soror erat, Constantius *Eusebiam* duxit. Eusebiæ *fratres erant Eusebius, & Hypatius, Consulares, corporis morumque pulchritudine pluribus antistante, & in culmine tam celso humana.* Hoc, vel superiore anno nuptiæ celebratæ sunt, quia profligatâ jam Magnentii tyrannide, Constantius Eusebiam matrimonio sibi copulavit. Amore mulieris hujus maximè capiebatur: *Ex conjugibus quas plurimas sortitus est, præcipuè Eusebiam dilexit, decoram quidem, verùm per Amantias & Gorgonias, & alia importuna ministeria, vexantem famam viri, contra quàm fœminis modestioribus mos est, quarum sæpe præcepta maritos juvant.* Opportunæ fuerunt hæ Juliano nuptiæ, qui extincto Gallo periisset, nisi *Eusebiâ suffragante Reginâ, ad Græciam ire permissus esset.* Multum sibi laudis comparavit Eusebia ex prudentia atque eruditione sua: *Summâ præstabat eruditione, supraque muliebrem sexum prudens erat.* Eusebiæ tamen moribus labem aspersit invidus in *Helenam* animus, Juliani conjugem, cujus fœcunditati insidiabatur, *ipsa quoad vixit sterilis.* Quoties enim Helena concipiebat, datis prægnanti venenis, partum immaturum abigebat: ac corruptâ obstetrice filium & Juliani necavit, dum puerulo plus quàm conveniebat, umbilicus resecatur. Breve fuit Constantii cum Eusebia matrimonium, anno siquidem CCCLXI. *Faustinam* sortitur conjugem, *amissâ jam pridem Eusebiâ.* Obiit ex pessis quibusdam medicatis, quos ei mulier quædam ad conceptus juvandos dederat, teste Chrysostomo: *Quin etiam uxorem suam Constantius vidit pessis necatam, nam cùm parere non posset, mulier quædam infelix datis pessis, & illi, & sibi simul mortem attulit.* Ex his evellitur error Baronio, qui anno 336. n. 21. Eusebiæ nuptias assignavit octennii prochronismo.

Eusebia Augusta.

Marcellin. l. 21. c. 6.

Vict. Epit.

Marcellin. l. 15. c. 2.

Zozim. l. 3. c. 1.

Marcellin. l. 16. c. 11.

Marcellin. l. 21. c. 6.

Chrys. in Philip. hom. 15.

Error Baronii.

II. Ludis spectaculisque Arelato vacantem Constantium belli subiti nuncius turbat. Crebris excursibus fratres *Gundomarus*, & *Vadomarius*, Alamanorum Reges Galliarum limites vastabant. In quos moturus arma Constantius, Cœli

Alamannorum Reges pacem à Constantio impetrant.

Anno Dom. 354.

reserato tempore egressus Arelate, Valentiam petit. Commeatus ibi opperit, quorum ex Aquitania translationem verni imbres solito crebriores prohibebant. Milites intereà apud Cabillona collecti, moræ impatientes sæviebant, eò commotiores, quòd alimenta non supperent. Quâ militum irritatione Rufinus Præfectus Prætorio in ultimum discrimen venit. Galli Cæsaris erat avunculus, cui ex dilata annona tectæ parabantur insidiæ, ne consanguinei superbia acueretur. Missus Cabillona Eusebius cubiculi Præfectus, auro seditionis facibus distributo, militarem tumorem comprimit. Cibo dein abundè perlato castra moventur. Ubi emensis laboribus multis prope Rauracum venere, Germanicorum telorum nube pontem navium Rheno imponere Romani prohibebantur. Attonito Imperatori index ex improviso supervenit, qui mercede acceptâ vadosum locum nocte monstrat. Et potuissent hostes aliorsum intenti penitùs exscindi, ni à paucis, ut creditum, qui ex Germanis Constantio militabant, populares suos de superato fluvio monuissent: *Infamabat hac suspicio Latinum Domesticorum Comitem, Agilonem Tribunum stabuli, Scudilonem scutariorum Rectorem, qui tunc ut dextris suis gestantes Rempublicam colebantur.* At Barbari vetantibus fortè Auspicibus, vel sacrorum religionibus, mollito vigore Optimates mittunt, delictorum veniam petituros, & pacem. Placuit Romanis fœdus oblatum eâ præcipuè ratione, quòd Constantii fortuna, quæ in bellis civilibus vigilabat, in externis luctuosa sæpius adversaque reperiretur. Perfectâ pacis solemnitate Imperator Mediolanum ad hyberna discessit. Ibi de extinguendo Gallo cogitat.

Marcellin. l. 14. c. 10.

Galli sævitia atque superbia.

III. Quippe Gallus bonis omnibus onerosus, nullo modo adhibito Orientem vexabat, nec urbium Primatibus parcens, nec plebeis: *Antiochiensis ordinis vertices* sub uno elogio jussit occidi, quòd impendente inopiâ gravius rationali respondissent, & periissent ad unum, ni Comes Orientis Honoratus fixâ constantiâ restitisset. Sævitiâ Galli motus Constantius atque superbiâ, *Domitiano* largitionum Præfecto mittit, ut Gallum ad Italiam properare blandè hortaretur. Ut Antiochiam pervenit Domitianus, insalutato Cæsare ad Prætorium cum pompa solemni perrexit, morbosque diu causatus, nec regiam introit, nec processit in publicum. Admissus in consistorium, leviter & inconsideratè talia fatur: *Proficiscere ut præceptum est, Cæsar, sciens quòd si cessaveris, & tuas, & Palatii tui auferri jubebo propediem annonas.* Quo dicto subiratus abiit, nec posteà Galli in conspectum venit, licet sæpius vocaretur. Quibus Cæsar commotus, fidis Protectoribus Domitiani custodiam mandat. Quo comperto, *Montius* Quæstor dixit, Nec decere hæc fieri, nec prodesse. Quòd si id placeret, *Post statuas Constantii dejectas, super adimenda vita Præfecto conveniet securius cogitari.* His cognitis Gallus colligi omnes jussit armatos, à *Montio* se injuriâ affectum queritur, irato quòd contumacem Præfectum formidine tenus custodiri jussisset. Nil morati milites, *Montium* levi corpore senem, vesticulis ad usque Prætorium Præfecti trahunt. Eodem impetu *Domitianum* præcipitem per scalas iisdem funibus constringunt. Quos conjunctos cùm per ampla civitatis spatia raptassent, mox abjecerunt in flumen. *Epigonus* Philosophus, & *Eusebius* Orator ob nominum, quæ Tribuni gerebant similitudinem, quos sub ipso vivendi termino Montius, ut arma promittentes, si novæ res agitari cœpissent, insimulaverat, oppressi pereunt. Eusebius qui latrocinium illud esse, non judicium clamaverat, mandato Cæsaris adeò excarnificatur, ut cruciatibus membra deessent. Apollinaris Domitiani gener Constantinopoli per Protectores retractus, arctissimâ custodiâ tenetur. Posteà verò ambo Apollinares pater & filius in exilium acti, cùm ad villam suam, *Crateras* nomine pervenissent, fractis cruribus occiduntur. Quæ injusta sanè & crudelia *Herculanus* Protector Domesticus, filius *Hermogenis* ejus, qui dum Paulum Episcopum sede exturbat suâ, à Constantinopolitanis discerptus fuerat, Constantio nuntiat apud Valentiam agenti.

Anno Dom. 354.

Marcellin. l. 14. c. 9.

Constantius sororem evocat. Gallum occidit.

IV. Mediolanum reversus Constantius, de extinguendo Cæsare cogitat. Abstergendæ suspicioni sororem suam Constantinam, Galli uxorem, ad fratrem diu desideratam venire, multis fictisque blanditiis hortatur: *Quæ licet ambigeret, metuens sæpè cruentum, spe tamen quòd eum lenire poterat ut germanum, profecta, cùm Bithyniam introisset, in statione, quæ Cœnos Gallicanos appellatur, absumpta est vi febrium repentinâ.* Galatiâ in Bithyniam venientibus prima hæc statio occurrebat. Uxoris obitu cognito Gallus immensâ mole curarum æstuans hærebat, veniret, necne. Scripta Imperatoris assiduè accipiebat, Galliarum indicantis vastitatem, monentisque, fluctuanti Reipub. subsidio opus esse. *Scudilo* scutariorum Tribunus solus omnium proficisci pellexit, testatus ipsius videndi patruelem esse cupidum, quæ per imprudentiam gesta erant, clementer remissurum. Profectus Antiochiâ Constantinopolim ingreditur, ibique tanquam prosperis rebus ludos equestres edit, *Coracique* aurigæ victoris coronam imposuit, Ut Hadrianopolim pervenit, ex Thebæis legionibus aliqui mittuntur, qui ad remanendum hortarentur, sed observato à vigilibus, Thebæos audire non licuit. Decem vehiculis publicis ex præcepto usus, temeritati suæ flebiliter imprecatus, *Petobionem* Noricorum venit. Ibi repentè *Barbatio* apparuit Comes, cum *Apodemio* Agente in rebus milites ducens, quos beneficiis oppignoratos suis elegerat Imperator: Barbatio *ablatis regiis indumentis, Cæsarem tunicâ texit, & paludamento communi, eum post hæc nihil passurum velut mandato Principis jurandi crebritate confirmans: Et statim, inquit, exurge, & inopinum carpento privato impositum, ad Istriam duxit propè oppidum Polam.* Ibi cùm arctissimè servaretur Eusebius Cubiculi Præpositus, Pentadius Notarius, *Mellobaudes* Armaturarum Tribunus ab eo quærunt: *Quam ob causam, quemque apud Antiochiam jussorat trucidari?* Respondit, *Quòd plerosque incitante jugulaverit Constantinâ.* Capitali destinatus supplicio, *Colligatis manibus in modum noxii cujusdam latronis cervice abscissâ* occiditur in insula Flanona, ætatis anno XXIX. cùm quadriennio imperasset. Crudelia Galli facinora excusatum non imus, Cæsareo tamen sanguini parcendum esse existimamus, ne carnificis secures imbueret. Satis supplicii dedisset miser, si ad privatam fortunam redactus in obscuritate vixisset. Utrumque Nazianzenus quidem incusat: *Quoniam fieri aliter non poterat, quin cùm homines essent, peccati aliquid admitterent, hoc illud est, quod fortasse quis in utroque reprehenderit.* Barbatio quidem & Scudilo, qui perjuriis suis Gallum

Marcellin. l. 14. c. 11.

Nazianz. Or. 3.

Anno Dom. 354.

Marcell. l. 14. c. 11.

ad exitium perduxere, cruciabili morte absumpti sunt. Scudilo distillatione jecoris pulmones vomit: *Barbatio cùm ex Magisterio peditum altius uti quorumdam susurris incusaretur, damnatus, extincti Cæsaris manibus lacrymoso exitu parentavit.*

Julianus accusatur. Ab Eusebia servatur.

V. Extincto Gallo Julianus custodiri jubetur. Sed cùm custodes effugere suos valuisset, mutatis subinde latebris salutem sibi quæsivit. Tandem cùm latitantem deprehendisset Eusebia, persuasit Imperatori ut nullo malo eum afficeret. Audiamus & Marcellinum: *Ad Julianum recens perductum, calumniarum vertitur machina, gemino crimine, ut iniquitas æstimabat implicitum, quod à Macelli fundo in Cappadocia posito ad Asiam demigrarat liberalium desiderio doctrinarum, & per Constantinopolim transeuntem viderat fratrem. Qui cùm objecta dilueret, ostenderetque neutrum sine jussu fecisse, nefando assentatorum cœtu perisset urgente, ni aspiratione superni Numinis Eusebia suffragante Reginâ, ductus ad Comum, oppidum Mediolano vicinum, ibique paulisper moratus procudendi ingenii causâ, ut cupidine flagravit, ad Græciam ire permissus est.* Annus jam CCCLV. labebatur cùm Athenas pervenit. Ibi in Gregorium Nazianzenum incidit, qui ex ejus lineamentis, moribusque de mentis habitu, moribusque verè nimis se judicasse prodit: *Quòd si quidam ex iis qui tum simul erant, quique dixerim audierunt, tunc mihi præstò essent, haud ægrè testarentur, quibus ut hac aspexi tamen prolocutus sum, quale malum Romanorum terra nutrit.*

Socr. l. 3. c. 1.

Marcellin. l. 15. c. 2.

Nazianz. Or. 4.

Constantii post Gallum extinctum superbia.

VI. Magnentio Galloque deletis, ferendæ prosperæ fortunæ impar Constantius, eò in solentiæ progressus est, ut majores humanâ sorte titulos sibi arrogaret. Nondum apud Noricos exuto penitùs Gallo, raptos ejus calceos Apodemius ingressus Regiam, Constantii ante pedes projecit, velut spolia Regis Parthorum: *Tum qui summam aulam tenebant, omni placendi studio in adulationem ex more collato, virtutem felicitatemque Imperatoris extollebant in Cœlum, cujus nutu in modum gregariorum militum, licet diversis temporibus duo exautorati sunt Principes, Veteranio nimirum, & Gallus. Quo ille studio blanditiarum exquisito sublatus, immunemque se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim à justitia declinavit, ita intemperanter, ut æternitatem eam aliquoties assereret ipse dictando, scribendoque propriâ manu orbis totius se Dominum appellaret.* Miram superbiam cum imprudentia certantem, cùm partem obtineret orbis terrarum, cujus ambitus ad universi magnitudinem instar brevis est puncti. Ex Marcellino evellatur error Baronio, qui impium hunc Constantii fastum cum anno CCCLIII. conjungit, n. 14. quo tempore nondum exorta fuerat ea superbia, titulum Cæsaris adhùc obtinente Gallo, post cujus cladem orbis totius Dominus appellari cœpit. Non Aulicos miramur, totos ad adulandum comparatos Principem superbis titulis onerasse: indignum verò Episcopis, mortali impiè blandiri, quod Ariani fecere in sua confessione Sirmiensi, editâ Eusebio & Hypatio Coss. quæ Constantium afficit *Augusti æterni* appellatione. Quos titulos meritò indignatur Athanasius: *Omnia respectu suæ hæresis scripserunt, deinde cùm simularent se de Domino scribere, alium sibi Dominum Constantium scilicet creaverunt. . . summumque Cæsarem æternum appellaverunt. Qui Filium Dei æternum esse negant, tantos se pro impietate Christi hostes præbent.*

Marcellin. l. 15. c. 1.

Error Baronii.

Ath. de Synod.

Anno Dom. 354.

De Lentiensibus victoria.

VII. Novo successu Constantii fastus augetur: *Lentienses Alamanni*, qui sunt tractibus Rhætiorum limitanei, in ditionem Romanorum sæpius invadebant. Quibus repellendis, Constantius in Rhætias venit. Visum est ut cum militis parte *Arbetio* Magister, qui tum ad lacus *Brigantiæ* margines progressus, cum Barbaris dimicaret. In insidias delatus cum suis equitibus telorum nube tegitur, unumque vitæ subsidium in fuga positum. Quæ dum arripitur, milites ordine incomposito palantes terga ferienda præbent. Magnus equitum numerus, cum tribus Tribunis desideratur. Plerique tamen obscuræ noctis præsidio periculis erepti, redeunte luce agminibus suis sese conjungunt. Clade Romanorum ferociores Barbari, quotidie propè munimenta strictis mucronibus discurrebant. Egressi repentè scutarii, cùm objectu hostium stetissent tres Tribuni *Arinthæus*, *Seniauchus*, *Bappo* simul egressi, discursionibus Alamannos in fugam vertunt. Quo viso Romani omnes è castris effusi Barbaros proterunt. Imperator ad hyberna Mediolanum ovans revertit.

Marcell. l. 15. c. 4.

Dracontio scribit Athanasius de capessendo Episcopatu.

VIII. Inter tantas Arianorum minas metuendus adversariis magis quàm metuens Athanasius, apud Alexandriam Ecclesiæ administrandæ vacabat. Alexandriæ mira in eligendo ad Episcopatum Dracontio concordia fuerat, multique Ethnicorum polliciti fuerant, in ejus ordinatione se Christianos futuros. At Dracontius arreptâ fugâ Episcopatus onera respuit. Fugientem scriptâ Epistolâ revocat Athanasius, maximè quia festum Paschatis imminebat, læto concursu à populis celebrandum. Quò magis Dracontius festinaret, ad ipsum Athanasius *Hieracem Presbyterum* misit, & *Maximum Lectorem* monituros de periculo, quod fugienti immineret ex illa detrectatione Ecclesiastici ordinis. Sub eadem penè tempora Frumentium Indorum Episcopum ab Athanasio creatum esse, probabile existimamus.

Athan. t. 1. 959.

Frumentius ex Æthiopia venit ad Athanasium.

Error Baron.

IX. Baronius anno CCCXXVII. recitat historiam, quam de Ædesio Frumentioque scriptam Rufinus reliquit. Quæ tamen Chronologia firmo talo stare nequit. Quippe anno CCCXLVI. in Hieronymi Chronico legimus: *Metrodorus Philosophus agnoscitur.* Qui igitur exemplo Metrodori anno CCCXXVII. in Indiam migrare Meropius potuit, ex qua non antè rediit Metrodorus, quàm CCCXLIX. annus laberetur? Post id temporis quidem Indiam cum Ædesio & Frumentio Meropius petit, etsi annum definire sit difficillimum. In ea regione cùm diu *Frumentius* vixisset, Alexandriam venit, non multò prius quàm in exilium Athanasius pelleretur, ut locum daret Georgio. Itaque non absonum putamus, anno præsenti Frumentii consecrationem alligare. Cujus causam hanc fuisse ex Rufino tenemus: *Metrodorus quidam Philosophus inspiciendorum locorum & orbis perscrutandi gratiâ, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo etiam invitatus Meropius quidam Tyrius Philosophus, simili ex causa adire Indiam voluit, habens secum duos puerulos, quos liberalibus literis, utpote propinquos instituebat. Quorum unus qui erat Junior, Ædesius, alter Frumentius vocabatur. Igitur perspectis & in notitiam captis his, quibus animus pascebatur, cùm Philosophus redire cœpisset, aquæ vel cæterarum necessariorum causâ, ad portum quendam navis quâ vehebatur applicuit. Invaditur navis Philosophi, cuncti cum ipso pariter perimuntur.*

muntur. Pueri repetti sub arbore meditantes, & lectiones suas parantes, Barbarorum miseratione servati deducuntur ad Regem. Horum ille alterum, id est, Ædesium, sibi pincernam fecit. Frumentio verò, quem perspicacem deprehenderat & prudentem, rationes suas scriniaque commisit. Quid multa? Rex moritur parvulo relicto regni hærede filio. Ædesium Frumentiumque rogat Regina, ut secum usque quo adolesceret filius, regendi regni sollicitudinem partirentur. Dum regni gubernacula tenet Frumentius, requirit si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent, quos monet ut factis conventiculis ad ea Romano ritu orationis causâ confluant. Ipse necessaria præbet omnia, ut Christianorum inibi semen exurgeret. Ubi regius puer adolevit, multum licet detinentibus, & rogantibus ut manerent, Ædesius & Frumentius revertuntur. Ille Tyrum festinat propinquos revisere: hic Alexandriam pergit, reque expositâ in Concilio Sacerdotum Athanasius ait: *Et quem alium inveniemus virum talem, in quo sit Spiritus Dei in ipso sicut in te, qui hæc ita possit implere. Et tradito ei Sacerdotio, redire eum cum Domini gratia unde venerat jubet. Qui que cùm Episcopus pervenisset ad Indiam, tanta ei data esse à Deo virtutum gratia dicitur, ut signa per eum Apostolica fierent, & infinitus numerus Barbarorum converteretur ad fidem.* Ædesius Tyri Presbyter postmodum factus hæc Rufino retulit.

Rufin. h. l. 1. c. 9.

Frumentius Indiæ Æthiopicæ datus Episcopus.

X. Ut insignem historiam paucis illustremus, *Indiam* in quam Episcopus mittitur Frumentius, Æthiopicam esse existimamus. Solemne Veteribus fuit, *Æthiopia* id nominis imponere. Non alia sanè Æthiopia in mentem venit Maroni, qui de Nilo canit:

Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

De Theophilo Philostorgius, cùm apud Homeritas prout temporis ratio ordinasset, *κατῆλθεν εἰς τὴν ἄλλην ἐνδοτέρω Ἰνδικήν, inde ad alias Indiæ regiones perrexit.* Frumentium *Auxumeos* Episcopum constitutum esse, ipse docet Athanasius, apud quem invenimus Constantii Epistolam *Æsana* & *Zazana*, Auxumeos Principibus scriptam, quos monet mittere Frumentium, ad *venerabilissimum Georgium*, & alios per Ægyptum Episcopos, qui summam ordinandi autoritatem habent: *Scitis*, inquit, *Frumentium ab Athanasio in hunc vitæ ordinem cooptatum esse.* Quem ab illis penes quos est rerum istarum autoritas, Episcopum constitui debere dicit, si jure Episcopum se videri velit. Itaque ut observatum Valesio, vera hæc esse non possunt, quæ commemorat Rufinus, Athanasium *nuper suscepisse* Sacerdotium, cùm Frumentium creavit Episcopum; quem Imperante jam Constantio, suscepisse debuit, ut ex historiæ serie apparet & promptum est. Jam & Orientalibus, & Constantio indignum Episcopatu Athanasium judicatum esse, cùm Frumentius ab eo ordinatus est, eò liquet; quòd hanc Frumentii Constantius ordinationem pro nulla habeat. Hic est ille *Frumentius*, quem Abyssini, qui sese Indos vocant, Apostolum gentis suæ prædicant. Hinc & jus natum Episcopis Alexandrinis, Athanasii ad exemplum, Abyssinum Metropolitanum consecrandi: qua de re in versione Arabica Canonum Nicænorum extat sanctio ejusmodi: *Ne Patriarcham sibi constituant Æthiopes, ex suis Doctoribus, neque propriâ electione, quia Patriarcha ipsorum est constitutus sub Alexandrini potestate, cujus est ipsi ordinare, & præficere Catholicum, qui inferior Patriarcha est.*

Philostor. l. 3. c. 5.

Athan. Apol. 696.

Nicæn. Arab. c. 42.

Liberius Constantio scribit de impetranda Synodo.

XI. Erat omninò vix consolabilis dolor Liberio, de infelici Arelatensis Conciliabuli exitu. Damnatus fuerat Athanasius, quòd non modò *Vincentius* Capuensis non impediverat, sed in turpissimam quoque simulationem ductus, Decretis Synodi consenserat. Quin etiam *reliqui per Italiam Episcopi publicâ conventione coacti fuerant sententiis Orientalium obedire.* Visum est igitur experiri, an non ex alio Concilio tantis quæri malis remedium posset. *Lucifer* Calaritanus Episcopus, cui religionis amor magnos spiritus afferebat, Principis ad comitatum profectionem non abnuit, quod Eusebium Vercellensem Liberius monuit: *Deo procurante frater & Coëpiscopus noster Lucifer de Sardinia supervenit. Qui cùm latebras causæ interioris cognovisset, & pervenisset ad ejus conscientiam sub occasione nominis Athanasii, Hæreticos hæc velle tentare, pro devotione fidei suæ subire voluit justitiæ laborem, & ad comitatum religiosi Principis pergere, ut tandem exposito ordine totius causæ, impetraret, ut omnia quæ in medium venerint, in cœtu possent Sacerdotum Dei tractari.* Epistolâ quoque Imperatorem Liberius adit, de impetrando Concilio: *Iterum atque iterum mansuetudinem tuam, animum tuum Deo dedicatum rogo, per ejus virtutem qui se in defensione tua, quantus sit universis mortalibus approbavit, habens ante oculos ejus beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit: hæc in cœtu Episcoporum diligenter faciat, omni cum consideratione tractari. Rogat expositionem fidei, quæ inter tantos Episcopos apud Nicæam, præsente sanctæ memoriæ patre ipsius condita fuerat, in posterum custodiri.* Subjungit, *ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & Coëpiscopum meum, sanctum virum Luciferum, cum Pancratio Compresbytero meo, & Hilario Diacono placuit proficisci; quos credimus de clementia tua, ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficiliter posse Concilium impetrare.* Id facile à Constantio obtinuerunt, qui Mediolano Synodum anno sequente celebrandam Præsulibus indixit, quâ obrutus Athanasius, fortioresque Episcopi in exilium ejecti sunt, ut Arianus error gloriosius triumpharet.

Liber. Ep. 3.

Ibid.

Liber. Epist. 2.

B. Augustini nativitas.

XII. B. Augustini natalibus hic annus inclaruit. Diem quo lucem aspexit, ab oblivione ipse vindicat, libro *de vita Beata*: *Idibus Novembris mihi dies natalis erat.* Patri *Patricio* nomen; mater *Monica* appellabatur. Ethnicum patrem agebat, qui postmodum fidem amplexus est. De Sancti Viri nativitate Possidius Calamensis Episcopus: *Beatus*, inquit, *Augustinus, ex Provincia Africa, civitate Tagastensi, de numero Curialium, parentibus honestis & Christianis progenitus erat.* Arbetione & Lolliano Coss. editum esse, tradit Baronius in Annalibus. Assentitur Baronio Cavius, qui in annum 355. confert Aurelii Augustini nativitatem. Ea tamen sententia unius anni laborat metachronismo, ut ipse testatur Augustinus, qui vigesimum nonum ætatis prætergressus, Manichæorum in cœno Carthagini jacebat: *Ecce jam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto hæsitans, dum dico, Cras inveniam, ecce manifestum apparebo, & tenebo, & ecce Faustus veniet, & exponet omnia.* Quòd si Novembris XIII. anno CCCXXXIII. Augustinus incepit trigesimus, utique Arbetione & Lolliano

Error Baron.

Bar. An. 377. n. 7.

Augustin. Conf. l. 6. c. 11.

Anno Dom. 355.

no Coss. qui annum CCCLV. aperuere sanctus ille Pater non est editus. Frater Augustino fuit, nomine *Navigius*, cujus meminit lib. I. de Ordine c. 1. Habuit & sororem, quæ marito defuncto vidua Deo servivit *usque in diem obitus sui, Præposita ancillarum Dei.* Hic est ille Augustinus, qui scriptis suis, & moribus Ecclesiæ maximo emolumento fuit.

Possid. vit. Aug. c. 27.

Anno U. C. 1108. Per. Jul. 5068. Jul. 400. Dom. 355. Constantii 19. *Sol* 28. A. *Lun.* 14. *Indict.* 13. *Epact.* 30. *Epact. Sol.* 7. P. 16. *April.*

Coss. *Arbetio & Lollianus.*

Silvani rebellio & obitus.

DUm Mediolani lætitiâ fruitur atque tranquillitate Constantius, subitanea seditionis tempestas exoritur. *Silvanus* in Galliâ natus barbaris parentibus, institutione Romanâ cultus, ingenio blandissimus, patiens, multis in militia præclarè gestis, & famam adeptus erat & peditum Magisterium. Patrem *Bonitum* habuit, Francum quidem, sed qui Constantino M. in bello civili contra Licinium adjumento fuerat. A Magnentio ad Constantium transgressus ante pugnam Mursensem, ad victoriam adipiscendam multum conduxerat. Dum grassantibus Barbaris Gallia cædes, & incendia perfert, ad hæc corrigenda Principis jussu pergit. Profectionem urgebat Arbetio, ut absentem æmulum periculis objiceret. A Silvano *Dynamius Actuarius sarcinalium Principis jumentorum* commendatitias ad amicos literas petierat. Impetratos Dynamius servat, *ut perniciosum aliquid in tempore moliretur.* Dum Barbaros pellit Silvanus, Dynamius *penicculo serie litterarum abstersâ, solâ incolumi relictâ subscriptione*, falsa chartis illinit: orare Silvanum, *ut se altiora cœptantem, & propediem solium Principis aditurum juvarent.* Lectis in Consistorio Epistolis, quorum nomina designabant, Tribuni duci jubentur. Iniquitate rei percitus *Malarichus* Gentilium Rector, perebat, ut *Mallaubodes* Armaturarum Tribunus *juberetur ire, ducturus Silvanum, aggredi nil tale conatum.* Mittitur Apodemius, *qui nec viso Sylvano, nec oblatis scriptis ut veniret, admonito*, in Galliis remanet. Dynamius ut structis calumniis fidem adderet, ad Tribunum Fabricæ Cremonensis literas mittit Silvani & Malarichi nomine, quibus parare cuncta monebatur. Epistolas Tribunus ad Malarichum dirigit, obsecrans ut doceret apertè quæ vellet. Qui & suam, & popularis Silvani vicem ingemiscens, adhibitis Francis tandem effecit ut Epistolarum fallacia detegeretur. At Silvanus cognitis iis, quæ in fortunæ suæ labem *Apodemius* agebat, versatilem Principis animum veritus, cum Tribunis & Centurionibus secretò collocutus: *Cultu purpureo à draconum & vexillorum insignibus abstracto, ad culmen imperiale surrexit.* Quo nuncio ad Constantium perlato, secundâ vigiliâ consilium convocatur. Admittitur Ursicinus, rei bellicæ præstantissimus, cui opprimendi *Sylvani* cura mandatur. Agrippinam ingressus, *novellum Imperatorem* copiis multis circundatum invenit. Benignè suscipitur *Ursicinus*, qui & facilitate aditus, & honore mensæ regalis adeò antepositus aliis, *ut jam secretius de rerum summa consultaretur.* Intereà Ursicinus *Bracatos* atque *Cornutos*, fluxioris fidei homines sollicitat: *Solis ortu jam rutilo, subitus armatorum globus erupit, atque ut solet in rebus dubiis audentior, cæsis custodibus, regiâ penetratâ Sylvanum extractum ædicula, quò exanimatus confugerat, ad conventiculum ritus Christiani tendentem, densis gladiorum ictibus trucidarunt.* Sic vir magni meriti, qui *ob tempestivam illam cum armaturis proditionem, ante Mursense prælium obligatum gratia retinebat Constantium*, metu calumniarum ad rebellandum adactus, periit *imperii die* XXVIII. Hanc Hieronymus seditionem cum anno superiore perperàm conjungit in Chronico. Redeunte Silvani post obitum securitate, de more quæstiones agitantur: vinculis & catenis plures ut noxii plectuntur. *Proculus* Silvani domesticus admovetur equuleo: *Pœmenius* ad supplicium rapitur: Asclepiodotus, Lutto, Maudio Comites interficiuntur.

Marcel. l. 15. c. 5.

Julianus Cæsar creatur.

II. At Constantius mole rerum obrutus, veritusque ne quid apud Gallos naturâ præcipites novaretur, præsertim Germanis, pleraque earum partium populantibus, *Julianum* patruelem etiam tum palliatum in societatem imperii asciscere cogitat. Repugnabant aulici, virtutem fortunamque Principis vicinam sideribus attollentes: monebant exemplo Galli, cavendum Cæsaris nomen. Obstinatè repugnantibus Augusta se opponit *Eusebia.* Abjectis disputationibus ad imperium Julianum assumi placuit. Athenis ergo *tum palliatus*, & Philosophis familiariter utens accersitur Mediolanum. Ad Tribunal conscendens Constantius, dextrâ Julianum tenens, ipsum Cæsarem declarat, susceptumque deinde in vehiculum ad regiam ducit: *Hac die octavo Iduum Novembrium gesta sunt.* De die Marcellino consentiunt Fasti Idaciani, ut error necessariò sit agnoscendus in Alex. Chronico, VIII. Idus Octobris eam ceremoniam alliganti.

Marcellin. l. 15. c. 9.

Anni imperiales Juliani.

III. Julio Constantio & Basilinâ natus erat *Claudius Julianus* anno CCCXXXI. die, ut nonnulli putant, sexto Novembris annus Juliani natalis ex emortuali colligitur. Periit enim ætatis secundo & trigesimo, qui Dom. CCCLXIII. fuit. Qui expeditioni Persicæ interfuit Eutropius: *Hostili*, inquit, *manu interfectus est sexto Calendas Julias, ætatis altero & trigesimo.* Hoc est trigesimo secundo, referente Hieronymo: *Ab obvio forte hostium equite, conto ilia perfossus interiit anno ætatis* XXXII. Quæ si ad superiora tempora reducantur, in annum CCCXXXI. incidimus. Sed & Victor in Epitome: *Constantius Claudium Julianum, fratrem Galli, honore Cæsaris fratrem assumit, annos natum ferè tres atque viginti.* Imò quatuor & viginti jam completos, quia Juliani vigesimus quintus, die sexto Novembris incipiebat; ut tempore eodem, & lucem, & imperium Julianus acceperit. Quibus observatis, imperiales anni ejus sunt in medio. Rerum potitus est à die sexto Novembris, anni CCCLV. ad usque sextum & vigesimum Junii, anni CCCLXIII. hoc est, annis septem, mensibus septem, diebus viginti uno.

Privatæ vitæ Juliani breviarium.

IV. Juliani vitæ dum privatum egit, hoc est breviarium. Patria Juliano fuit Byzantium. Parentibus non multum frui potuit. Quippe pater ejus Constantius, post fratris Constantini obitum ab imperii successoribus oppressus est. Mater verò Basilina paucis mensibus post editum in lucem Julianum abiit è vita. Vix *sexennium*, non ut perperàm scribunt Socrates & Sozomenus, *octennium* impleverat, cùm ætate tenerâ periculo eripitur, in quod militari seditione inciderunt Dalmatius, Julius, Constantius, aliique

que nobiles, qui filiorum Constantini M. initia suo sanguine resperserunt. Ubi adolevit, Constantinopoli liberalibus disciplinis institutus, in Basilicam, ubi tunc scholæ erant, simplici habitu procedebat, unà cum Pædagogo suo *Mardonio* Eunucho, viro Scytha, qui à Juliani avo educatus erat, ut Basilinæ Homeri atque Hesiodi Poëmata exponeret. In Grammatica Præceptorem habuit *Nicoclem* Laconem: in Rhetorica verò Præceptore usus est *Ecobolio* Sophistâ. Cùm in humanioribus literis magnos faceret progressus, fama per urbem spargi cœpit, idoneum illum esse, qui Romanam Remp. gubernaret. Quo rumore perturbatus Constantius, Julianum Nicomediam misit, prohibitum ne Libanii Syri Sophistæ, Ethnicæ superstitioni prorsus addicti, scholam frequentaret: Ibi *ab Eusebio educatus Episcopo, quem genere longius attingebat*, referente Marcellino, sacris Literis imbuitur. Clam tamen sibi comparatas Libanii orationes Julianus studiosè legebat. Commotus famâ Juliani *Maximus*, Ephesius Philosophus, artiumque Magicarum peritus, Nicomediam venit. Ab eo ubi Philosophiæ rudimenta Julianus accepit, statim Doctoris religionem imitatur, sed imperii quoque cupidine flagrat. Annos erat viginti natus, cùm ejuratâ prorsus animis pietate clam ad superstitionem deflectit. Quæ cùm ad aures Principis pervenissent, effugiendæ suspicioni ad cutem usque tonsus, monasticam Julianus vitam simulat. Quin etiam in Ecclesia Nicomediensi *Lector* constituitur, quâ simulatione Imperatoris furorem effugit. Intereà clam Philosophiæ operam dabat, spe imperii retentâ, felicia amicis suis tempora pollicebatur. Nicomediæ agentem visitat Gallus Cæsar, qui in Orientem proficiscebatur. Occiso Gallo, jussus est custodiri. At cùm custodes suos effugisset, mutatis latebris, salutem sibi quæsivit. Latitantem deprehendit Eusebia, quæ persuasit Imperatori, ut nullâ pœnâ affectum Athenas ire permitteret. In ea urbe cum Philosophis versatus menses circiter novem, ad dignitatem Cæsaream suscipiendam evocatur.

Socr. l. 3. c. 1.

Juliani mores.

Vict. Epit.

V. Bonis laudatisque moribus nonnullis Julianum fuisse, faciles largimur: *Erat in eo literarum & negotiorum ingens scientia. Æquaverat Philosophos, & Græcorum sapientissimos.* Inviolatâ castitate adeò enituit, ut vel post amissam conjugem nihil unquam venereum agitaret. Hoc autem temperantiæ genus crescebat in majus, juvante parsimoniâ ciborum & somni, quibus domi forisque tenacius utebatur. Namque in pace victus ejus mensura atque tenuitas erat rectè noscentibus admiranda, velut ad pallium mox reversuri. Per varios autem procinctus, stans interdum more militiæ, cibum brevem, vilemque sumere visebatur. Censor moribus regendis acerrimus, placidus, opum contemptor, mortalia cuncta despiciens, postremò id prædicabat: *Turpe esse sapienti, cùm habeat animum, captare laudes ex corpore.* Liberalitatis ejus testimonia plurima sunt, & verissima. Indicta sunt tributa levia, aurum coronarium indultum, remissa debita, multâ diurnitate congesta. Nunquam augendæ pecuniæ cupidus, aliquoties prædicabat, *Alexandrum Magnum, Ubi haberet thesauros? Interrogatum, Apud amicos, benevolè respondisse.* Hæc tamen multa minuebant, *Cupido laudis immodica, cultus numinum superstitiosus: audax plus quàm Imperatorem decet.* Levioris & ingenii fuit, linguæ fusioris, & admodum rarò silentis. Inclementem fatetur Marcellinus: *Quòd docere vetuit Magistros Rhetoricos & Grammaticos Christianos, ni transissent ad numinum cultum.* Quibus maximè addi debet, quod mentem candidam dedecet, suæ religionis dissimulatio.

Marcellin. l. 25. c. 5.

Vict. Epit.

Julianus post nuptias mittitur in Gallias.

VI. Postquam Julianus Cæsar creatus est, *diebus paucis* Helenam Constantii sororem in matrimonium accepit: *Paratisque universis qua maturitas proficiscendi poscebat, comitatu parvo suscepto Kal. Decembr. egressus est. Deductusque ab Augusto ad usque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interjacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos pervenit.* Ibi *Coloniam* Barbarorum obsidione deletam accipit. Quo mœrore perculsus, *murmurans querulis vocibus sæpè audiebatur, nihil se plus assecutum, quàm ut occupatior interiret.* Viennam ingressus, anus quædam orba luminibus, audito Julianum Cæsarem adesse, exclamavit: *Hunc Deorum Templa reparaturum.* Gallorum porro maximè sibi devinxit animos, ut illum unum colerent & mirarentur. Quod ipse Julianus prodidit in Misopogone: *Galli quidem certè adeò me propter morum similitudinem amabant, ut non tantùm pro me arma sumerent, verùm etiam pecunias darent, & recusanti sæpè vim intulerunt, & quod caput est, in omnibus obsequentes fuerunt.* Galli vicissim Juliano perchari. Præcipuè Lutetiam in corde gerebat: *Ego olim eram in hybernis apud charam Lutetiam.* De rebus imperii satis, nunc est ad Ecclesiasticas transeundum.

Marcellin. l. 15. c. 9.

Gesta Synodi Mediolanensis.

VII. Sub anni principia Mediolani agente Constantio Synodus congregatur. Ea Orientalibus pauci admodum adfuere, reliquis vel longi itineris, vel morbi causâ eò venire detrectantibus. Ex Occidentalibus plures quàm trecenti confluunt. Adventum negarat suum Eusebius, Vercellensis Episcopus, qui quæ potentiâ Arianorum gesta sunt, animo præsagiebat. Visum est Episcopis, mitti Eudoxium, & Germinicium Antistites, qui invitarent absentem, cui & Synodi literas attulere, quarum summa hæc est, ut cum Synodo *definiat quod de nomine Hæreticorum, Marcelli & Photini, nec non & Athanasii sacrilegi, totus penè definivit orbis.* Epistolam refert integram Baronius anno CCCLV. n. 6. Quid dein gestum sit, ex Hilario discamus, sic Constantium compellante: *Eusebius Vercellensis, vir est omni vitâ Deo serviens. Hic post Arelatensem Synodum cùm Paulinus Episcopus tantis istorum sceleribus contraiisset, venire Mediolanum præcipitur, collectâ jam illic malignantium Synagogâ. Decem diebus ad Ecclesiam est vetitus accedere, dum adversus tam sanctum virum malitia se perversa consumit. Soporatis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur. Adest unà cum Romanis Clericis, & Lucifero Sardiniæ Episcopo. Conventus ut in Athanasium subscriberet, ait de Sacerdotali fide prius oportere constare, compertos sibi quosdam ex his qui adessent Hæreticâ labe pollutos.* Factiosis hæc displicebant, ea verò quæ fecit *Eusebius*, multò ingratiora visa sunt: *Expositam fidem apud Nicæam, cujus superius meminimus, posuit in medio, spondens omnia quæ postularent esse facturum, si pro fidei professione scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit. Ubi profiteri scribendo cœpit, Valens calamum & chartam è manibus ejus violenter extorsit, clamans, Non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est; gravis*

Hilar. ad Constant.

Hilar. ad Constant.

ANNO DOM. 355.

omnium dolor ortus est. Impugnata est à Sacerdotibus fides. Verentes igitur illi populi judicium è Dominico ad Palatium transeunt. Autor anonymus, quem pro *Maximo* Taurinensi Baronius perperàm habuit, alia memorat ab Eusebio gesta, quæ nec vero similia, nec *Hilario* satis consentiunt:

Ambros. Serm. 69.

Dixit enim eorum se consentire perfidia, hoc sibi placere, non quòd illis, sed quòd sibi Filium Dionysium in subscribendo præponerent, graviter se moveri. Vos enim, inquit, qui dicitis Filium Deo Patri æqualem esse non posse, cur mihi Filium prætulistis? Quâ illi ratione moti, statim S. Dionysii chirographum deleverunt, priorem locum describendi B. Eusebio deferentes. Quos ille increpans & irridens, ait, Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque Filium meum vobiscum participare permitto. Indignam viro gravi simulationem, quâ sese finxisset Hæreticum. Neque animum advertebat Autor ille sermonis, quem Eusebii Vercellensis in Natali habuit, Dionysio Mediolanensi Metropolitano Eusebium quidem nomen indere non potuisse, aut ne vel umbratilem querendi causam habuisse, quòd prior Dionysius subscripsisset.

Gesta Mediolanensis conventus in Palatio.

VIII. Quæ ex Hilario audimus, ea gesta sunt in Ecclesia, loco ad Concilia celebranda idoneo, cujus sanctitate Episcopi de servando vero & bono monebantur. In Palatium igitur Arianis convenire placuit, ipsorum consiliis magis aptum atque congruens, *ut* autoritate Principis ea impetrarent, quæ vi rationis obtinere non poterant. Cognitâ libertate Eusebii, Dionysii, Luciferi, demonstrantium Ursacii & Valentis accusationibus fidem ulterius habendam non esse, quas suâ pœnitentiâ revocaverant, Constantius è vestigio assurgens, ita loquitur: *Ego sum Athanasii accusator, meo nomine illi credite.* Respondentibus Episcopis, *Quonam modo accusator esse possis, absente reo*, jubet imperiosè ut contra Athanasium subscribant, & cum Hæreticis communionem ineant. Mirantibus novum ejus studium, dicentibusque id non esse Ecclesiastici Canonis, statim subjicit: *At quod ego volo, pro Canone sit. Ita enim me loquentem, qui vocantur Episcopi Syriæ sustinent, aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules estote.* Denunciantibus Episcopis diem judicii, monentibusque ne Ecclesiasticas leges corrumperet, Arianamve

Athan. ad Solit. 831. & 862.

hæresim introduceret in Ecclesiam, *acriter minabundus gladium intentat.* Minis Imperatoris cedens Dionysius, Athanasium quidem damnat, illibatam tamen se fidem servare profitetur. Dionysianæ subscriptionis adduci testis certior haud potest, quàm *Lucifer*, qui huic tragœdiæ præsens adfuit. Hic verò sic Constantium alloquitur:

Lucif. l. 2. p. 203.

Sed credo adhùc tentas negare, non te idcircò persequi nos, quia noluerimus Christiani fieri Ariani. Quomodo negare poteris, cùm Sanctissimum Dionysium Mediolanensem Episcopum, qui jam tibi falsa asserenti credens, damnaverat Athanasium, quòd Arianus esse noluerit, miseris ad exilium. Id ipsum

Sulp. l. 2.

memoriæ mandat in Historia Sulpitius: *Cæterùm Dionysius Mediolanensium Sacerdos in Athanasii damnationem se consentire subscripsit, dummodò de fide inter Episcopos quæreretur.* Ac paucis exceptis, sic omnes animatos esse, ut contemplatione pacis Athanasium damnarent, ex verbis Eusebii Vercellensis, quæ Hilarius suppeditavit, extra dubium ponimus: *Spondet omnia quæ postularent esse facturum, si pro fidei professione scripsissent.* Ut non à vero abludat ea narratio Sulpitii de Episcopis in exilium ejectis: *Homines parati erant, Athanasium à communione suspendere, modò ut de fide inter Episcopos quæreretur.* Arianis non satis erat Athanasium damnari, majus utique opus moventibus, perimere scilicet & tollere fidem. Facinus igitur audax aggrediuntur, quod Sulpitianis verbis exhibemus:

Sulpit. h. l. 2.

Valens & Ursacius, cæterique metu plebis, quæ Catholicam fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula profiteri, intra Palatium congregantur. Illinc Epistolam sub Imperatoris nomine emittunt, omni pravitate refertam; eo nimirum consilio, ut si eam quis auribus populus recepisset, publicâ autoritate cupita proferrent. Sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in Rege, & ipsa venialis: quia etiam tum Catechumenus, sacramentum fidei meritò videretur potuisse nescire. Igitur lectam in Ecclesia Epistolam populus aversatur. Violentæ Synodi infelix exitus fuit. Omnium penè conspiratione damnatur Athanasius: *Plures decepti*, inquit, Rufinus Historiæ libro primo. Ipse Athanasius testatur:

Athan. Apol. 692.

Fortunatianum Aquileæ, & Erennium Thessalonicæ, cæterosque in Occidente Episcopos, vim non vulgarem, gravesque contumelias esse passos, donec promitterent sese à nostra communione abstinere. Tanti porrò Constantius hanc fecit Athanasii damnationem, ut victoriæ, quam de Magnentio & Silvano adeptus erat, eam antetulerit.

Defensores Athanasii ejiciuntur. Auxentius Mediolanensi Ecclesiæ præficitur.

IX. Hæc Arianæ conjurationis principia, parva quidem, si consequentium ratio rerum habeatur, sed suis progressionibus usa, mirum in modum aucta fuere. Ac ut à Clericis Romanis incipiamus, *Pancratius* perperàm ab Athanasio *Eutropius* appellatus, in exilium mittitur. Diaconi verò *Hilarii* terga, detractis vestibus flagellis conciderunt, flagellatumque extorrem fecere, inter verbera ita Diacono clamantes:

Athan. ad Solit. 836.

Quare Liberio non restitisti, sed ejus literas attulisti. Diaconus verò inter crepitus ictusque flagellorum Domino benedicebat, non immemor verborum Domini, Dorsum meum dedi ad flagella. Ursacius & Valens cum Eunuchis, hujus facinoris autores, quod Pilatum Caiphamque magis quàm Christianos decuit. *Dionysius* Mediolanensis, *Lucifer* Calaritanus, *Eusebius* Vercellensis, sedibus ejecti suis in Orientem mittuntur. Ne verò mutuo sibi solatio forent, locis separantur, quod observatum Hieronymo, ut magnum magnæ persecutionis documentum:

Theodorit. l. 3. c. 4.

Eusebius Vercellensis Episcopus, & Lucifer, & Dionysius Calaritanæ, & Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi, Pancratius quoque Romanus Presbyter & Hilarius Diaconus, distantibus inter se ab Arianis, & à Constantio damnantur exiliis. Eusebius *Scythopolim*, Lucifer *Germaniciam* amandatur. Postmodum verò in Thebaidem Ægypti Provinciam ambo relegantur. Si qua fides Romano Martyrologio, in Cappadociam Dionysius ejicitur: *Mediolani S. Dionysius Episcopus, qui ab Imperatore Constantio Ariano in Cappadociam pro fide Catholica relegatus, ibidem propterea Martyribus titulo Spiritum Deo reddidit. Ejus sacrum corpus ab Aurelio Episcopi Mediolanensi transmissum est ad B. Ambrosium.* Dionysii natale Maii xxv. celebratur. Malorum tantorum cumulo longè majus accedit, quòd *Auxentius* sancto sufficitur exuli. Auxentius vix nomine Christianus, quem suis coloribus pingit Athanasius:

Athan. ad Solit. 861.

Auxentium delatorem potius quàm Christianum è Cappadocia Mediolanum amandavit, ut expulso inde ob suam in Christum pietatem Dionysio viro religioso eum sibi Episcopum constituat, hominem ne Romana quidem lingua, sed tantummodò hæreseos peritum. Presbyter

byter à Gregorio Alexandrinæ Ecclesiæ lupo, & vastatore fuerat ordinatus, teste contra Auxentium Hilario: *Negat quoque Auxentius se fuisse Arium, cum in Alexandria in Ariana Ecclesia, cui Gregorius præerat, Presbyter esse cœpisset.* Sui quidem dissimulatorem verbis audacibus Auxentium Lucifer pugnat, scribens Constantio: *Si Auxentius quidem fidem apud Nicæam descriptam tenet, poteris nec tu esse Arianus.*

Lucif. l. 2. 203.

Liberius Epistolâ solatur exules.

X. Liberius audito virorum clarissimorum exilio, Constantiam ipsis suam gratulatur Epistolâ, cui titulus est, ad omnes Confessores exules: *Quâ vocis exultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mœrorem absentiæ vestræ, & gaudium gloriæ? Prorsus invenire non possum, nisi quod scio, hic me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me vobiscum in exilium esse detrusum.* Subjungit & hæc observanda: *Quantam denique fueritis gloriam consecuti, hinc magis scire potestis, quòd qui in persecutione coronati sunt, solius persecutionis cruentos gladios sentire potuerunt: contrà vos devoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, victoriam de perfidis pertulistis, quorum quantò violentia in seculo crescere potuit, tantò Sanctis Sacerdotibus præmia laudis inveniuntur conferre.*

Liber. Epist. 6.

De Foro Ecclesiastico Lex Constantii.

Cod. Th. l. 12. de Episcopis.

XI. Ut vim robutque actis Mediolanensibus Imperator adderet, hanc *Severo* scripsit Epistolam: *Mansuetudinis nostræ Lege prohibemus, in judiciis Episcopos accusari, ne dum adfutura ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut oportuna atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur. Data Epistola IX. Kal. Octobr. Arbitione & Lolliano Coss.* Rescripto causam præbuisse videntur Athanasiani, qui superbos favore Principis furentesque Arianos, jure moreque solito apud Judices de facinoribus accusabant. Id indicant verba Imperatoris: *Libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia.* Ut ergo Arianis suis impunitas adesset, voluit Constantius Episcoporum negotia in Synodis tractari, quæ accusatis futuræ erant præsidio adversus justas Orthodoxorum querelas. Itaque Lex ea Principis, quæ Præsulibus honorem conciliare privilegiaque contribuere videbatur, reverà in perniciem justitiæ, detrimentumque Ecclesiæ comparata fuit. Est & in observatione ponendum, Constantianam legem de solis Episcopis latam esse; proindeque Presbyteros, aliosque Clericos juri communi relinqui, posseque apud Magistratum accusari. In transcursu memoriâ recondendum, circa Clericos tria genera causarum esse constituenda. Sunt enim causæ vel Ecclesiasticæ, vel civiles, vel criminales. Ecclesiasticæ quæ fidem spectant atque disciplinam, Synodorum judicio sunt permittendæ. Atque extat in eam rem gravissimum Valentiniani Senioris testimonium apud Ambrosium Epistolâ 32. *Augustæ memoriæ Pater tuus non solùm sermone respondit, sed etiam Legibus suis sanxit, in causa fidei vel Ecclesiastici ordinis aliquem eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis, hæc enim verba Rescripti sunt. hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quin etiam si aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere.* De causis pecuniariis, ex partis utriusque consensu Episcopus constitui arbiter potuit, ex lege Constantini M. de qua mentio est in Sozomeno l. 1. c. 9. *Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium provocarent, si Magistratus civiles rejicere vellent, eorum autem sententia rata esset, aliorumque Judicum sententiis prævaleret.* De causis verò criminalibus Clerici neque judicare, neque si scelere pollucrentur, Judicum potestati eximi poterant. Ad alia festinanti satis sit Gratiani referre legem anno 378. promulgatam: *Qui mores sunt causarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi sunt. Ut si quæ sunt ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur. Exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariisque Judicibus, aut illustribus Potestatibus audientiæ constituit.* Cod. Th. l. 23. de Episc. Inspiciatur lex Honorii de Religione. De judicio Ecclesiastico fusius suo loco.

Vis Arianorum in Orthodoxos. Antonius venit Alexandriam.

XII. Athanasius, quem telis Ariani suis petebant, cujusque causâ tragœdiam commovebant, finitâ Synodo vim Principis experitur: *Statim mandata & literæ ad Præfectum, ut frumentum quod hactenus Athanasio cum suis cedebat, illi adimeretur, dareturque illis qui Arianismum saperent, & ut liberum esset contumeliam inferre Athanasii fautoribus.* Minæ denunciantur Judicibus; ni cum Hæreticis societatem colant. Notarii præstò sunt & Palatini, qui minas deferunt, & ad Magistratus, ut ea de causa judicent, & ad Episcopos, ut vel communione cum Arianis jungantur, vel pœnam exilii sustineant. Populi qui cum Orthodoxis vinculis societatis copularentur, catenas, contumelias, bonorum direptiones paterentur. Ut melius curaretur negotium, Palatinis Notariisque Comites erant Ursacii Valentisque Clerici, qui eos incitarent, negligentioresque Judices ad Principem deferrent. Dicebatur Episcopis: *Aut subscribito, aut ab Ecclesiis recedite.* Mulcta Magistratibus imponebatur, ni quisque suæ civitatis Episcopum subscribere coegisset. Miram propagandæ religionis rationem, quam toto & pectore, & ore detestatur Athanasius: *Diabolus quia nil veri habet, in securi & ascia invadens, comminuit fores eorum à quibus recipitur: Salvator contrà mansuetus est. Si quis, inquit, velit me sequi, & esse discipulus meus... Non enim gladiis, aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas, ubi Imperatoris est metus?* Sub ea fortè tempora corroborandis formidine vacillantibus animis Antonium ex deserto Alexandriam accessit Athanasius. Qua de re Hieronymus hæc *Castrutio* scribit: *B. Antonius cùm à S. Athanasio Alexandriæ Episcopo propter confutationem Hæreticorum in urbem Alexandrinam esset accitus, & isset ad eum Didymus, vir eruditissimus, captus oculis: inter cæteras sermocinationes, quas de Scripturis sanctis habebant, cùm ejus admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret, sciscitans ait, Num tristis es, quòd oculis carnis careas? Cùm ille pudore reticeret, secundò tertiòque interrogans, tandem elicuit, ut mœrorem animi simpliciter pateretur. Cui Antonius, Miror, ait, prudentem virum ejus rei dolere damno quam formicæ, & muscæ, & culices habent; & non lætari illius possessione, quam sancti soli & Apostoli meruerunt.*

Athan. ad Sol. 829. & 830.

Hieron. Epist. 33.

Liberius Mediolanum evocatur. Ejus constantia. Ejicitur in exilium.

XIII. Ut amplius de Ecclesia Ariani triumpharent, Liberium Episcopum adoriuntur. Romam proficiscitur Eusebius, ut ipsum pelliceret. Ac primùm Eunuchus munera ostentans, manuque Liberii apprehensâ eum hortabatur, & Prin-

Principi obtemperare, & munera accipere. Repugnante Liberio, jactis in eum minis Eusebius egreditur: inde ad Templum Petri tendens, in eo dona consecrat. Quod cùm rescivit Liberius, custode increpato, quòd id non prohibuisset, dona ut rem profanam foras ejicit. Quibus Eusebius offensus, Constantii iram inflammat. Scribit ergo Romam ad Præfectum, ut Liberium vel vi, vel dolo ad se mittat. Eunuchi & Palatini in urbem profecti portarum aditus custodiunt, ne quis Orthodoxorum Liberium videret. Exponendæ rei adhibeamus verba Marcellini, graviora, quòd hominis sunt Ethnici, à partium gratia alienissimi: *Athanasium per subscriptionem abjicere sede Sacerdotali, paria sentiens cæteris, jubente Principe Liberius monitus, perseveranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum sæpè exclamans, apertè scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum tamen autoritate quoque, quâ potiores æternæ urbis Episcopi firmari desideria nitebatur ardenti, qua non impetrata, Liberius ægre Populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari.* Crepusculo matutino, cui Idus Augustæ illuxere, Liberius ad Imperatorem Constantium iter arripuit. Eum incertum exilium abeuntem Damasus Diaconus comitatur Mediolanum usque. Ut oblatus est Imperatori Liberius, in Consistorio interrogatur. Hæc sunt illa Acta, quæ Theodoritus inseruit Historiæ: *Imperator dixit, Nos quoniam & Christianus es, & Episcopus nostræ civitatis, idcircò te evocandum duximus, & admonendum, ut nefariæ dementiæ impii Athanasii communionem abjiciat. Id enim æquum esse orbis terrarum censuit, eumque ab Ecclesiastica communione alienum esse, Synodali sententiâ decrevit. Liberius Episcopus dixit, Judicia Ecclesiastica, ô Imperator, summa cum æquitate fieri debent. Quare si placet pietati tuæ, judicium constitui jube. Etsi quidem Athanasius condemnatione dignus videatur, tunc juxta Ecclesiastici ordinis formam in illum sententia proferetur.* Objicienti Constantio, judicatum esse Athanasium in Tyriensi conventu, respondet Liberius, Præsentem Athanasium damnatum non esse. Athanasii innocentiam autoritate & Synodi Sardicensis, & pœnitentiâ Valentis & Ursacii defendente Liberio, Episcopus Epictetus dixit: *Non fidei causâ, nec pro defensione judiciorum Ecclesiasticorum Liberius verba facit, ô Imperator, sed ut apud Romanæ urbis Senatores glorietur Imperatorem à se esse superatum. Imperator Liberio dixit, Quota pars es orbis terrarum, ut tu solus homini impio suffragari velis, & orbis Romani ac totius mundi pacem dissolvas. Liberius Episcopus dixit, Etiamsi solus sim, fidei causâ non ideò minuitur. Nam & olim tres tantùm reperti, qui Regis mandatis resisterent. Eusebius Eunuchus dixit, Imperatorem nostrum facis Nabuchodonosor. Liberius dixit, Nequaquam: sed tu temerè hominem condemnas, de quo non judicavimus.* Trium dierum spatium Liberio conceditur ad deliberandum, num subscribere vellet, qui fortiter respondit, Trium dierum aut mensium spatio non mutare sententiam. Biduo pòst Imperator cùm Liberium accivisset, atque is de sententia non decederet, eum *Beræam* Thraciæ relegari præcepit. Egresso Liberio, Constantius misit quingentos solidos ad sumptus faciendos. Afferenti Ministro dixit, Abi, redde hos Imperatori, opus enim his habet, ut præbeat militibus suis. Similiter Augusta totidem ei solidos misit. Liberius dixit: *Redde hos Imperatori; quòd si Imperator his opus non habet, det eos Auxentio, & Epicteto. His enim opus habent.* Eusebius Eunuchus alios & ei attulit: cui Liberius, *Ecclesias orbis terrarum vacuas, & desertas fecisti, & mihi tanquam noxio, eleemosynam affers. Abi, & prius Christianus fias. Et post triduum relegatus est, cùm nihil accepisset.* Felicem Liberium, si ab eo mentis proposito, atque constantia nunquam discessisset: omne punctum ferens, nomen utique suum sempiternæ gloriæ commendasset. At

Summisque negatum
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus.

XIV. Unum Arianorum victoriæ deerat, ut magnus ille Osius, fidei propugnaculum, quam & in Synodo Nicæna explicarat atque exposuerat, qui hæresin ubique locorum percellebat, Athanasii damnationi subscriberet: *Si is suo gradu maneret, aliorum Episcoporum exilium supervacaneum videbatur.* Hunc longa senectus in Hispania detinuerat, ne Mediolanensem ad conventum veniret. Annum quippe sexagesimum & eò amplius in Episcopatu agebat. Ad sanctum senem confestim Constantius scribit, ut ad se veniat. Venientem solitis verbis excipit, hortatur in Athanasium subscribat, & cum Arianis societatem ineat. Verba hæc indignatus Osius, Principem magnis rationibus territum, de sententia deducit, atque ita ad Ecclesiam revertitur. Arianorum dein querelis commotus Imperator, denuò ad Osium scribit, nec sine minis. Quibus spretis, Osius de sua sententia non decessit: *Sæpius igitur Constantio scribente, & nunc quidem blandiente, Patremque eum appellante, nunc interminante, relegatos enumerante, & talibus verbis eum conveniente, Obsequere, & scribe contra Athanasium,* non magis movetur Osius, *quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.* Rescribit Constantio, Se confessionis munus explevisse imperante Maximiano ipsius avo: esse se ad quidvis potius sustinendum paratum, quàm ut effundat innocentem sanguinem, aut veritatem prodat. Se in Sardicensi conventu Athanasii abdicationem pollicitum, si in noxa reperiretur. Athanasium Constantii ipsius literis accersitum, Antiochiam venisse, inimicosque qui præstò erant, citari flagitasse: à Constante Valentem Ursaciumque coactos non esse, dum pacificas Athanasio Epistolas scribunt. Constantio Deum imperium commisisse, sed Episcopis Ecclesiam credidisse: illis quidem nefas esse regna tenere, ipsi verò sacrorum habere potestatem: se errorem Arianorum damnare, nec Athanasii damnationi posse subscribere, quem & Romana Ecclesia, & Synodus universa innocentem pronunciaverat. Erant & in Hispania Episcopi ejusdem cum Osio sententiæ, quos ad subscribendum Princeps impellere non poterat. Quorum constantiâ irritatus, faces etiam subinde ministrantibus Arianis, accersit Osium, & pro exilio detinet illum *annum integrum* Sirmii, nullâ centenarii hominis, qui & Constantino Magno percharus fuerat, ratione habitâ.

XV. Pulsis in exilium Episcopis, qui Athanasio favebant, alios sufficiunt Ariani, quibus morigeris uterentur. At Constantium dum properat Liberius, Romani qui magnâ Pastorem suum benevolentiâ prosequebantur, jurant se Pontificem Liberium ad usque ipsius obitum agnituros. Quod nos monet Faustini & Marcellini

Marginal notes: *Marcellin. l. 15. c. 7.* — *Theodorit. l. 2. c. 16.* — *Lucan. l. 1.* — Osius accersitur: scribit Constantio: relegatur. — *Athan. ad Solit. 838.* — Felix substituitur Liberio.

ANNO DOM. 355.

B. M. P. t. 5. 652.

lini libellus, Valentiniano oblatus atque Theodosio: *Eo die quo Liberius ad exilium proficiscebatur, Clerus omnis, id est, Presbyteri, & Archidiaconus Felix, & ipse Damasus Diaconus, & cuncta Ecclesia officia, omnes pariter præsente populo Romano sub jurejurando firmaverunt, se vivente Liberio Pontificem alterum nullatenus habituros. Sed Clerus contra fas, quod minime decebat, cum summo perjurii scelere, Felicem Archidiaconum in locum Liberii susceperant.* Facti hujus auctorem Damasum fuisse, cum nulla restitutionis Liberii spes foret, testatur Onuphrius in historia MSS. cujus fragmentum exhibet Shelstratus, in libro cui titulus est, *Antiquitas Ecclesiæ*, p. 441. A quibus verò ad Episcopatum Felix promotus est, Veterum monumentis scimus atque tenemus. Hieronymus in Chronico: *Cum Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt.* Ab Acacio quoque pestilentissimo Hæretico consecratum esse, prodit ille ipse Hieronymus, libro de Viris illustribus: *Acacius quem quia luscus erat, μονόφθαλμον nuncupabant, in tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Episcopum constitueret.* In ea ordinatione nil peractum, quod ad Ecclesiæ leges, ordinemque quadraret. Epicteto Episcopo audace, ferocique homine, quem Constantius amabat, utpote promptum alacremque ad ea quæ sibi placebant exequenda, ad insigne facinus utitur, quod verbis ipsius Athanasii subjiciemus: *In locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluit, & pro conventu populi tres Eunuchos præsentes esse jussit, tresque item Κατασκόπους, hoc est, exploratores, non enim eos Episcopos dixeris, ut ipsi Felicem quendam Episcopum in palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus.* Ex ordinatoribus erant Acacius atque Epictetus, ut ex Athanasio colligere par est, tertii nomen ignoramus. Felicem gente Romanum fuisse, patre *Anastasio* genitum, legimus in Pontificali Damasi. Felicem porro Arianæ labe fidem non contaminasse suam, Veterum nonnulli testantur: *Felix cùm esset Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Arianam tunc amplexus perfidiam, ad Episcopatus honorem promotus est. Nonnulli tamen affirmant, illum opinionem Arianam minime amplexum esse, sed vi ac necessitate compulsum, ordinationem suscepisse.* Nobis ea placet sententia, cujus Rufinus fuit, Felicem Liberio subrogatum ab Hæreticis: *Non tam sectæ diversitate, quàm communionis, & ordinationis convenientiâ maculari.* Formulam quoque fidei à Nicænis Patribus expositæ, integram quidem atque inviolatam à Felice servatam esse testatur Theodoritus l. 2. c. 17. Illud verò extra dubium est, Felicem & ab Arianis ordinatum esse, & Athanasium damnasse, & cum perfidis, qui Dei Filium suâ divinitate & majestate exuebant, communione fuisse conjunctum: *Felix cum iis qui fidem labefactabant, liberè communicabat. Atque ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in Ecclesiam ingressus est, dum ille intùs esset.* Quod & scriptum reliquerunt testes & spectatores rerum, Faustinus atque Marcellinus: *Clerus Felicem in locum Liberii susceperunt. Quod factum universo populo displicuit, & se ab ejus processione suspendit.*

Athan. ad Solit. 861.

Socrat. l. 2. c. 37.

Rufin. h. l. 1. c. 22.

Theodorit. l. 2. c. 17.

An Felix legitimus Episcopus?

XVI. Quibus observatis, quæ complurium in sententiis ponitur quæstio, facillimè deciditur, fueritne *Felix* Pontifex legitimus? Narrat Baronius, cùm temporibus Gregorii XIII. de emendatione Romani Martyrologii delectus haberentur: *Et de Felice non levis controversia incidisset, expungendusne esset ob vitiosum ingressum ejus, vel absque Martyris titulo relinquendus*, se in eam sententiam pedibus ivisse, ut Felicis nomen expungeretur: At dum *in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani, in Foro ad Templum pacis Posita*, ad inveniendum thesaurum male consulti altare unum suffoderent, corpus S. Felicis reperitur unà cum lapideo laterculo, ibidem intus posito, hisce literis exarato: *Corpus S. Felicis Papæ & Martyris; qui damnavit Constantium.* Quod accidit pridie ejus diei, quo ejusdem S. Felicis in Ecclesia Natalis dies agi consuevit IV. Kal. Augusti, anno 1582. Sic Felix *visus est admiratione omnium redivivus comparuisse, per se suam ipse causam acturus, cum jam valde stilo contradicentium esset oppressus.* Nil quidem miri inscriptionem ejusmodi, Felicis monumento additam, potuisse inveniri, cum in Pontificali Damasi legatur: Felix *declaravit Constantium filium Constantini Hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi, juxta Nicomediam in Aquiline villa. Et pro hoc declaratû ab eodem Constantio, Constantini Augusti filio, martyrio coronatur, & capite truncatur.* Addit Bellarminus Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi, *Memoriam Sancti Felicis II. Papæ & Martyris, qui Constantium Hæreticum declaravit*, celebrantia. Subjungit, Gregorium M. in Sacramentario posuisse *integrum officium Ecclesiasticum legendum ad Missam in die S. Felicis Pontificis & Martyris IV. Kal. Augusti.* Testari verò Micrologum, Felicem illum esse, qui Liberio suffectus est. Quin etiam in malis Mercatoris Isidori mercibus extat Epistola Athanasii ad Felicem secundum, de *infestationibus Arianorum*, & Felicis Papæ II. ad Synodum Alexandrinam rescriptum. Fuit igitur aliquando tempus, quo de Felice Martyre & Pontifice traditio credita est. Pace tamen Bellarmini & Baronii, eodem loco ducimus, & inscriptionem Felicis secundi impressam sepulchro, & Felicis Epistolas. Quippe si Felix Constantium damnasset, eaque de causa martyrium obiisset, id Veteribus ignoratum non fuisset. Saltem scribere non potuissent, quod nullo repugnante scripserunt, Felicem cum Arianis communionis vinculo fuisse copulatum. Quod adeò verum est, ut Constantius ipse Felicem & Liberium *in commune Ecclesiam R. administrare* jusserit. Neque pòst quàm redeunte Liberio, Felix urbe pulsus est, supplicio ob Constantium damnatum addictus est, utpote tum ad privatam fortunam redactus. Rejiciatur ergo fabula, quæ nullo Veterum suffragio fulcitur, antiquisque monumentis adversatur. Ex falso quidem rumore inscriptio de Felice Martyre Constantium damnante exorta est. Neque Martyrologia à Bellarmino laudata moramur, utpote scriptis Veterum contraria. De Micrologo autem, quem testem adducit, ut Autoris novitatem prætereamus, id tantùm in eo legitur: *Nota autem Sanctum Gregorium Papam primum, in Graduali libro, de his Martyribus, sicut de Confessoribus, Pontificalia instituisse officia, ut de Sancto Marcello, Antiph. statuit, & de Sancto Felice, Antiph. Sacerdotes, & hoc utique satis congrue, propter excellentiam dignitatis Apostolicæ.* Quis verò fuerit Felix ille Pontifex, non dicit Micrologus, neque satis in Bellarmino auctoritatis est, ut absque argumento nobis persuadeat, de Felice Liberii successore Micrologum esse locutum.

ANNO DOM. 355.

Bar. An. 357. n. 63.

Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 9.

Theodorit. l. 2. c. 17.

Micr. de Eccl. Obs. c. 43.

Pontificatus Felicis nullus esse demonstratur.

XVII. Gravibus verò rationibus hîc ille Felicis Pontificatus exploditur, quæ si æquâ lance ponderentur, Pagii quidem judicium damnabunt, existimantis, *nil certum de hac controversia dici posse.* 1°. Non est ille verus Ecclesiæ Rom. Pontifex, cujus ordinatio illegitima est, qualis sanè fuit illa Felicis, & à tribus perfidis Hæreticis consecrati, repugnante Senatu, populoque Rom. à quibus pro legitimo Episcopo nunquam susceptus est. Hunccine verum Pastorem Ecclesiæ quis credat? Theologiæ Rom. scitum est: *In ordinatione, non modò gratiam non recipiant ab Hæreticis ordinati, sed nec jus legitimè ordines exercendi.* Non nescimus Aulicos Curiæ Rom. nobis obtrudere Manuscripta, suosque Catalogos, qui testantur, *Sacerdotes se congregantes cum universo Clero* Felicem ordinasse. At facinus indignum est, monumenta obscura ejusmodi certissimis Autorum testimoniis opponere, qui Felici aut coætanei erant, aut certè suppares! Quod si est, de Antiquitate actum omninò. Scilicet pluris non erant Athanasii, Hieronymi, Rufini, dum de rebus suâ ætate gestis testimonium perhibent, quàm Catalogi, aut MSS. pòst multos annos condita, quibus & ea continentur, quæ cum historia, veritateque non certant. Nempe Felicem & *Presbyterum* fuisse, cùm ad Episcopatum promotus est, & Synodum convocasse Episcoporum XL. in qua *damnavit duos Presbyteros Romanos consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Ursacium, & Valentem.* Monumenta hæc exhibet Shelstratus in Opere Chronologico *Antiquitatis Ecclesiæ:*

Pag. Crit. an. 355. n. 3.

Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 10.

Heu pietas, heu prisca fides!

Scilicet *perturbata rerum Romæ gestarum notitia in Ægyptum pervenit ad Athanasium, & Hieronymus Chronicum suum in Oriente conscripsit valde juvenis*, quæ sunt Henschenii Pagiique exceptiones ad loca Athanasii, & Hieronymi. Atqui sibi constat Hieronymus, qui disertè scribit in libro de Viris illustribus, Felicem ab Acacio fuisse constitutum. Quòd si à Sacerdotum legitimo Concilio ordinatus est, nil causæ Romanis fuisset, à Felice in Ecclesia agente discedere, aut Felici, Liberium vel subscriptione Sirmiensi maculatum anteponere. 2°. In Præfatione Libelli Faustini & Marcellini ea reperimus, quæ etiam atque etiam sunt observanda: *Felix notatus à Senatu vel populo, de urbe propellitur, & post parum temporis impulsu Clericorum qui perjuraverant, irrumpit in urbem, & stationem in Julii Basilica trans Tiberim dare præsumit. Quem omnis multitudo Fidelium, & Proceres de urbe iterum eum magno dedecore projecerunt.* Egregium verò Pontificem, quem Ecclesia Rom. cum infamia pellit! Non eò quidem impudentiæ lapsi sunt Marcellinus & Faustinus, ut sua figmenta & mendacia, quæ quàm facilè detegi poterant, & coargui, Cæsaribus exponerent. Cui bono, cùm ea res ad suum schisma non pertineret? Quid ni igitur oculatis hisce testibus fidem adjungemus? 3°. Pontificum Romanorum in Catalogo, quem texunt Optatus libro Secundo contra Parmenianum, & Augustinus Epistolâ CLXV. nil Felici loci est. Successit *Julio Liberius, Liberio Damasus*, omisso penitùs, qui Optato & Augustino illegitimus Pontifex fuit. Quorum judicium posteriorum est sententiæ anteponendum. Denique ut rectè argumentantur Hermontius, & N. Alexander: *Si Felix legitimus unquam Pontifex fuit, ipsi non eripuit Pontificatum Liberii emendatio, qui cùm suâ dignitate Canonico crimine excidisset, in ipsam restitui non potuisset, nisi sede saltem vacante per obitum legitimi Pontificis.* Animo quidem complecti non possumus, Felicem qui stante Liberio Pseudopapa fuit, eo labente legitimum Pontificem evasisse, cùm ex infelici Liberii casu nil Felici mutationis contigerit, quo vitiosa ipsius ordinatio corrigeretur. Itaque solis Arianis Felix Episcopus existimabatur. Eo nomine ad ipsum extat Lex Constantii lata IX. Idib. Decemb. Mediolani anno CCCLVII. *de Rom. Ecclesiæ Clericorum privilegiis, ad Felicem Episcopum Rom. data.* Extat Lex apud Baronium, sed mutila. An. 357. n. 69. Qui integræ cupidus est, adeat Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. 2. de Episcopis &c. l. 14.

B. M. P. t. 5. p. 652.

Synodus Antiochena Georgium Alexandriæ creat Episcopum.

XVIII. Cùm ea cupido Orientales incessisset, ejecto Athanasio Episcopum sufficere, Antiochiam properant, numero circiter triginta, ut in Alexandrina sede factionis suæ hominem constituerent. Synodi hujus solus meminit Sozomenus, quam ad hunc annum pertinere, conjecturâ ducimur ad opinandum. Cùm enim Episcopatum adire Alexandrinum Georgius non potuerit, nisi à Synodo creatus, in hunc annum aptè refertur ejus ordinatio, utpote qui diebus quadragesimalibus anni CCCLVI. Alexandriam ingressus sit, in quam citius se contulisset, si quod Pagius statuit, Conciliabulum Antioch. anno CCCLIV. coactum fuisset, à quo Georgius Alexandrinus Episcopus est constitutus. Quid in eo gestum fuerit, narrat Sozomenus: *Antiochiæ in unum congregati, Narcissus Cilix, Theodorus ex Thracia, Eugenius Nicænus, Patrophilus Scythopolites, Menophantus Ephesius, & alii circiter triginta numero, ad omnes ubique constitutos Episcopos literas scripserunt, quibus affirmabant Athanasium contra Leges Ecclesiæ rediisse Alexandriam, non in Synodo prius innocentem declaratum, sed per contentionem eorum, qui idem cum illo sentiebant; hortatique sunt, ut neque cum illo communicarent, neque ad eum scriberent. Sed cum Georgio potius, qui ab ipsis ordinatus fuerat, communionem colerent.* Sic electus Georgius mittitur è Cappadocis Alexandriam, quam tempore Quadragesimæ anno sequenti ingreditur, non sine maximo Ecclesiæ pernicie. Autoritate Constantii eò legatum esse, testatur Lucifer libro primo pro Athanasio: *Agente eo in rebus humanis, Coæreticum Georgium mittis successorem, eum tametsi fuisset liberatus jam Athanasius & corpore, tibi non licuit mittere.* Ubi de Georgii electione rumor pervenit ad Athanasium, Epistolam scripsisse videtur Episcopis Libyæ, & Ægypti, quæ orationis primæ contra Arianos nomine perperàm induitur. Quo optimo remedio blanda Arii venena expelleret. Meminit enim Georgii, ut hominis non moltò pòst Alexandriam venturi: *Georgium Cappadocem ad vos mittere volunt.*

Sozom. l. 4. c. 8.

Ath. t. 1. 290.

Hilarius Pictaviensis creatur Episcopus.

XIX. Florebat eo tempore Hilarius, celebris ille Pictaviensis Episcopus, in ea ipsa urbe, cujus Rector constituitur, editus. Hoc quidem Venantius cecinit:

Si Hilarium quæris, quis sit, cognoscere Lector,
Allobroges referunt, Pictavis genitum.

Ven. l. 2. Hym. 16.

Id ipsum prius scriptum reliquit Hieronymus: *Non mirum est stultos, & ad intelligentiam tardiores Galatas appellatos, cum & Hilarius Latina eloquentia Rhodanus Gallus ipse, & Pictavis*

Hieron. Galat. Præf. in 2. l.

Anno Dom. 355.

vis genitus, in hymnorum carmine Gallos indociles docet. Ethnicorum disciplinâ prius imbutum fuisse videtur, quâ relictâ Christi religioni penitùs adhæsit. Filiam ex uxore suscepit *Abram*, sive *Apram* appellatam. Mortuo Pictaviorum Episcopo, in defuncti locum magnâ omnium conspiratione substituitur. Anno vel superiore, vel præsente quidem insulâ ornatus esse creditur. Usus est Juliano Cæsare, benigno & comi, quod & ipse fatetur in suo ad Constantium libro: *Nec levem*, inquit, *habeo querela mea testem Dominum meum religiosum, Cæsarem tuum Julianum, qui plus in exilio meo à malis contumelia, quàm ego injuriæ pertulit.* Cùm pietate plenus esset, in exilium ejicitur anno proximè futuro:

Vinctus amore Dei, contempto Principe Mundi,
Intemerata fides pertulit exilium.

Quæ dein notabilia Hilarium spectant, suis temporibus dividentur. Observetur intereà, Hilarium Pictaviensem à Centuriatoribus, cum Hilario Diacono perperàm confundi. Quem enim in Ecclesia Rom. & *baptizatum*, & *Diaconum* fuisse memorat Hieronymus Dialogo adversus Luciferanos, ille à Pictaviensi Episcopo diversus est.

Cent. l. 4. c. 10.

Synodus Romana.

XX. Hoc anno cogitur Romæ Synodus, cujus nulla mentio est in Conciliorum Collectione. Hanc memorat Athanasius in sua ad Orthodoxos Epistola anno 356. scripta: *Fratres nostri Romæ anno superiori, infensi prioribus eorum hominum factis, cùm nondum scelera ista accesserant, pro ultione sumenda, Concilium indici, celebrarique voluerunt.*

Ath. ad Orth. 950.

Anno Dom. 356.

ANNO U. C. 1109. PER. JUL. 5069. JUL. 401. DOM. 356. CONSTANTII 20. *Sol.* 1. G. F. *Lun.* 15. *Indict.* 14. *Epact.* 11. *Epact. Sol.* 1. 2. P. 7. *April.*

CONSS. *Constantius Augustus* VIII. *& Julianus Cæsar.*

Victoriæ Juliani Cæsaris in Gallia.

I. Viennæ morabatur Julianus Cæsar, cùm purpuram Consularem accepit. Ibi rumor affertur, Augustoduni muros vetustate invalidos, *Barbarorum impetu repentino infessos*, à veteranis nocturnâ excursione fuisse defensos. Tristis quidem tum temporis facies Galliæ fuit. Quippe Constantius distinendo Magnentio datis ad Barbaros literis, ultrò erat adhortatus, ut in Romanum limitem irrumperent. Facto impetu urbes XLV. ceperant, quibus dirutis agros arabant. Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, Vangionas, Moguntiacum possidebant. Pellendis hostibus minimum Romanis virium erat. Julianus *reliquiarum exercitus vires inspiciebat, & animadverso eorum quidem locorum homines, etiam ad barbaricinominis famam formidine percelli, sibi verò datos à Constantio milites, qui numero trecenti duntaxat erant, nihil aliud scire, quàm ut votis rem gererent: quotquot sanè poterat ordinibus ascripsit. Armorum quoque curâ susceptâ, vetera quædam in urbe condita reperit, eaque convenienti studio refecta, militantibus distribuit.* Omnibus comparatis Julianus, Viennâ relictâ VIII. Kalend. Julias Augustodunum pervenit. Inde brevi otio recreatis militibus, per multa discrimina tendit *Tricassas, adeò insperatus, ut eo portas penè pulsante, diffusa multitudinis barbara metu, aditus urbis non sine anxia panderetur ambage.* Ut placuit per *Decempagos* Alemannos aggredi, dum illùc tendit miles, hostes post Cæsaris terga legiones duas adorti, penè delevissent, ni subitò concitus clamor sociorum auxilia coëgisset. Primam omnium *Brocomagum*, hodie *Brumat*, occupat. Germanis pugnam intentantibus occurrit. Captis hostium nonnullis, reliqui celeriter discedunt. Inde Agrippinam progressus, urbem munitissimam recipit. Initâ cum Francorum Regibus pace, *per Treveros hyematurus apud Senonas abscessit.* Ut à transfugis hostes didicere, Julianno nec Scutarios adesse, nec Gentiles, qui per municipia distribuebantur, urbem subinde obsident. Periclitanti *Marcellus* Magister Equitum, cùm nil suppetiarum ferret, Cæsar diu, noctuque inter propugnacula visus, Barbarorum furorem cohibet, qui post tricesimum diem solutâ obsidione, tristes recessere. Marcellus exauctoratus Sardicam unde oriebatur, abire jussus est. Ad res Ecclesiæ convertamus animos.

Zosim. l. 3. c. 3.

Anno Dom. 356.

Marcellin. l. 16. c. 2. &c.

Violentus Syriani in Ecclesiam Theonæ ingressus. Quo die contigit?

II. Quas Ariani strages, quæ funera Constantii autoritate fieri ediderint, nunc memoremus. *Georgius* Cappadox, quem Antiochenum Conciliabulum Alexandriæ Episcopum imposuerat, furiæ in modum telis ardentibus armatus, Alexandriam venire properabat. Festinanti parabat omnia *Syrianus*, promissorum immemor, quibus Athanasio spem tranquillitatis injecerat, *Post dies tres & viginti à promisso*, dum conventus læti in Ecclesia Theonæ peraguntur, Syrianus, cum militibus in illam irrupit. Dies erat nonus Februarii, ut ex Alexandrinorum protestatione constat: Ἐπιφωσκούσης γὰρ τῆς πρὸ πέντε εἰδῶν Φεβρουαρίου, τοῦτ᾽ ἔστι τῆς ιδ τοῦ Μεχὶρ μηνός: *Illucescente die v. Iduum Februar. hoc est, die* XIV. *mensis Mechir, vigilantibus nobis in Dominico, & precibus vacantibus, eò quòd Synaxis Parasceves die celebranda esset, derepentè per intempestam noctem clarissimus Dux Syrianus cum multis legionibus militum supervenit.* Baronius more suo nimium credens versionibus, irruptionis diem designat Januarii XXVIII. quia legerat in versione, *Illucescente quinta Kalend. Febr. die.* Quem & errorem Martyrologium Rom. habet, in quo ad XXVIII. Januarii legitur: *Alexandriæ commemoratio plurimorum SS. Martyrum, qui hâc ipsâ die factione Syriani Ducis Ariani, dum in Ecclesia Synaxim agerent, diverso mortis genere sunt interempti.* Hanc Martyrologii Rom. Baroniique Chronologiam damnant Græca Athanasii, à quibus *Syriani* ingressus cum Februarii IX. copulatur. Fractis Ecclesiæ foribus sagittæ mittuntur, gladii micant, nudantur virgines, viri telis icti concidunt. Sedebat Athanasius in throno, omnes ad preces invitans. Tum populi Episcopum obsecrare suum, ut se subduceret; ille verò negabat se discessurum, nisi omnibus ad unum digressis. Et relictâ cathedrâ, multis precibus mandabat, ut abitum maturarent. Plerisque digressis, Monachi & ex Clericis nonnulli inter abeundum secum Athanasium abstrahunt. Addunt Alexandrini, Episcopum suum cùm hinc illinc raptaretur, minimum minus discerptum fuisse: in gravi deliquio animi pro mortuo jacuisse, nec scire quid de illo factum sit. Diaconos in Dominico alios plagis concisos, alios vinculis constrictos esse. Posteà cùm tot jacentia occisorum corpora viderent *Syrianus*, & Scriba Hilarius, qui hanc Duci mentem afflaverat, virginum cadavera in monumentis sepelire, hominum verò in occultis abdere jusserunt. Tot facinora Dux civitatis

Ath. ad Solit. 867.

Error Baronii.

Bar. An. 356. n. 3.

Ath. ad Solit. 717.

vitatis *Gorgonium* suis oculis intuebatur. Testes violenti impetus sagittæ, armaque in Templo relicta, quæ ex eo pendebant. Quæ missis ordinum & Duce, & Ministro tollere voluit, quod non est ab Alexandrinis permissum, Hanc suam protestationem consignant post Consulatum Arbetionis & Lolliani, Μεχὶρ ιζ. ἥ τις ἐςι τῇ πρωΐας εἰδῶν Φεβρουαρίων, *Mechir die* XVII. *qua est pridie Idus Febr.* Cui loco impegit iterum Baronius, ultimo Januarii eam assignans protestationem. Crudelis laniena hæc inscio Constantio perpetratur. Itaque vi Aleaandrinos Syrianus compelli voluit, ut cædes tumultumque negenti astipularentur.

Ath. ad Solit. 867.

Error Baronii.

Heraclii in Alexandrinos orthodoxos impetus.

III. Ut Georgium Alexandrinis suum Constantius commendaret, ad eos scribit Epistolam, quâ pluribus ipsorum prudentiam laudibus extollebat. Subdit, *Ergo animos à terrenis istis deficientes, ad cælestia evebamini Duce itineris Georgio, viro in hujusmodi rebus mortalium omnium exercitatissimo.* Invehitur & in Athanasium, nihil à *cerdonibus* diversum, & de turpissimis sceleribus convictum, *quibus nunquam par supplicium luerit, etiamsi decies occidatur.* Denunciat & Alexandrinis, ut obsistant *ab Athanasii studio, alioqui serò sentient se summis periculis obnoxios fore.* Mittitur Comes *Heraclius*, qui literas afferret, Edictaque in Athanasium publicè proponeret. Quin etiam palam publicèque prædicat, jubere Principem, ut Athanasius repudietur. Compellit Magistratus, numinumque Ministros, ut pollicerentur, se pro Episcopo illum recepturos, quem Imperator mitteret. Ut eos magis flecteret, minas de auferendis & panibus, & Idolis denunciat, Hinc nova persecutionis occasio subministratur. Quintâ feriâ dum populi missione factâ, mulierculæ quædam adhùc in Ecclesia versantur. Heraclius Comes adjuncto sibi Ægypti Præfecto Cataphronio, & Faustino Rationali, Nannus perperàm vertit *Catholico homine*, & gente Bithyno, & Hæretico, circumforaneorum juniores, numinumque cultores movet, ut ex præcepto Imperatoris invaderent Ecclesias, & populos lapidarent. Quod injunctum fuit, executioni mandant, Irruunt cum fustibus & lapidibus, virgines concidunt, earum capita nudant; quæ inter trahendum obnitebantur, calcibus pulsant, & quod virginibus longè gravius, ipsas verbis turpibus incessunt. Eo facinore perpetrato, posteà Episcopi cathedram, subsellia, mensam ligneam, vela Ecclesiæ, foras elata ante vestibulum in magna platea comburunt. Buculam Cæsareos hortos irrigantem immolassent, nisi sexu prohiberentur, quia nefas esse sibi putabant, vaccas sacrificare. Ad hæc Idola sua laudibus efferebant, altâ voce clamantes, *Constantius Ethnicus factus est, & Ariani nostra agnoscunt.* Ne plura tamen auderent Ethnici, ulciscente Deo prohibentur, Unus ex petulantioribus ausus Cathedram convellere, dissilientis ligni fragmento in ventre percussus, visceribus effusis postridie fato fungitur. Alius cum frondibus ingressus, quas per ludibrium agitabat, adeò caligavit, ut Ductorum egeret manu.

Athan. Apol. 695.

Ath. ad Solit. 847.

Athanasius Alexandriam reversus fugam denuò corripit.

IV. Ad Athanasium redeamus, qui Syriani è manibus præsenti numinis auxilio elapsus erat. Latuerat aliquamdiu in solis locis, dum expectatur Georgius. Antequam verò truculentus adventaret Hæreticus, clanculario reditu Alexandriam ab Athanasio esse repetitam, vero simile faciunt verba ipsius. Furente enim jam impio ex ea civitate sanctum recessere Antistitem, his monemur: *In illa etiam Ecclesia, in qua potissimum per eos dies commorabar, eadem prorsus molientes, furore ipsorum etiam in Templum immisso, nihil non egere, ut ibi me interceptum de medio tollerent, nec aliter evenisset, nisi gratiam Christi propitiam auxiliatricemque mihi expertus fuissem, unde ita elapsus, licuit mihi paucula ista ex innumeris mala recensere.* Ne igitur tædia denuò patrarentur, furtim se populis subduxit. Redierat igitur Alexandriam, ex qua iterum fugere coactus est, ne novis Ecclesiam periculis exponeret. Ac in eo reditu ea contigisse, quæ Palladius, Sozomenusque memorant, à veri specie non abludit. Cùm ex insidiis amicorum Georgii, jubente Constantio, Dux Ægypti Athanasium comprehendere conaretur, Alexandriæ delituit apud virginem consecratam, quæ formæ venustate mulieres omnes superabat. Usque adeò fida custos & sedula ipsius ministra, ut & pedes lavaret, & res ad victum necessarias, eaque omnia quæ necessitati naturæ debentur, sola per se ministraret; libros præterea quibus indigebat, ab aliis commodatos afferret. Hancce narrationem ab ipsa virgine viginti annos nata, dum ejus tecto usus est Athanasius, se audivisse testatur Palladius. Ad septuagesimum verò pervenerat, cùm hæc scribenti narrarit. Est tamen certissimum falsis compluribus historiam esse conditam. Toto quidem sexennio, non latuit Aleaandriæ, sed ubi cessit Georgio in sola loca profectus est: *Ad sacra illa & divina Ægypti Monasteria se confert, in quibus homines à mundo se distrahentes, ac solitudinem amplectentes, Deo vivunt magis quàm cæteri omnes, qui in corpore versantur.* Ipse quidem Athanasius in Apologia vivente Constantio scripta, narrat se in desertis locis agere. De conveniendo Imperatore cogitabat, *Cùm mihi*, inquit, *iter ingredienti, relictâ eremo, fama derepentè advolat, complures in exilium ejectos esse, quod contra nos scribere non sustinuissent.*

Ath. ad Orthod. 947.

Sozom. l. 5. c. 6.

Pallad. h. Laus. c. 135.

Nazianz. Or. 31.

Athan. Apol. 692.

V. Adventat tandem pernicies communis Alexandrinorum, morum, disciplinæ fideique corruptor scelestus Georgius. Cujus ingressionem antequam referamus, in depingendo homine paucis est immorandum. De Georgii patria, & origine hæc habet Marcellinus: *Georgius in fullonio natus, ut ferebatur, apud Epiphaniam Ciliciæ oppidum, auctusque in damna complurium contra utilitatem suam reique communis, Episcopus Alexandriæ est ordinatus.* Athanasius verò, cui Georgius notior esse debuit, *Cappadocem* fuisse memorat, quod etiam prodit Nazianzenus Athanasii in Encomio: *Cappadox quoddam monstrum ex ultimis terræ nostræ finibus oriundum, malum genere, animo pejus, ne omni quidem ex parte liberum, sed dubium & permixtum, primum alienæ mensæ mancipium, atque offâ venale, sicque comparatum & edoctum, ut omnia ad ventris gratiam tum faceret, tum loqueretur; tandem cùm ad Rempublicam gerendam pestiferè se contulisset, atque extremo & sordidissimo illius muneri, hoc est, suillis carnibus, quibus turba militaris alitur, suscipiendis præfectus fuisset, atque in commisso sibi negotio infidum se præbuisset, totamque muneris sui administrationem ad ventrem retulisset, posteà quàm nihil illi præter corpus reliqum fuit, profugiendi consilium cepit. Atque aliam ex alia regionem ac civitatem, ut fugitivorum mos est, subinde permutans;*

Georgii patria & mores.

Marcellin. l. 22. c. 11.

Nazianz. Or. 21. 392.

Anno Dom. 355.

mutans, postremò ad communem Ecclesiæ perniciem, instar cujusdam Ægyptiacæ plagæ Alexandriam invadit. Permagni momenti est Nazianzeni hoc de Georgio testimonium, utpote & Cappadocis. Hujusmodi farinæ homini non inerant mores, animique facultates, quæ gerendo Episcopatui requiruntur: (Ibid.) *Nullius pretii erat, non liberalibus disciplinis imbutus, non in congressu & colloquio facetus, non pietatis larvam saltem, & inanem speciem præferens, verùm ad suscipienda facinora, resque perturbandas aptissimus.* Quo primùm imbutus erat, publicani odorem perpetuò servavit, avaritiæ, ambitioni, tyrannidique serviens. Quæ ne vel Ethnicum Autorem Marcellinum latuere: *Apud patulas aures Constantii multos exinde incusans, ut ejus recalcitrantes imperiis, professionisque oblitus, quæ nil nisi justum suadet, & lene, ad delatorum ausa feralia desciscebat. Et inter cætera dicebatur, id quoque malignè docuisse Constantium, quod in urbe prædicta ædificia cuncta, solo cohærentia à conditore Alexandro, magnitudine impensarum publicarum extructâ, emolumentis ærarii proficere debent ex jure.* Ejusmodi homine Arianis opus erat, à quibus ad Episcopatum Alexandrinum promovetur, *carnifice* scilicet, *Idololatrâ*, Hæretico. Itaque Amaouensi osus est *Ammane*, quem decessor Athanasii Alexander ob impietatem ejecerat Ecclesia. (Ath. ad Orth. 950.)

(Æneid. l. 3.)

Tristius haud illa monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Dei Stygiis sese extulit undis.

(Georgii apud Alexandriam persecutio.)

VI. Primo ingressu Georgianam Ecclesia crudelitatem experitur. Quadragesimæ tempus erat, quo jejuniis vacabant Alexandrini, cùm *Philagrius* olim transfuga religionis, Georgii popularis, fretus Præfecti dignitate, quam tum exercebat, protervos ex Judæorum Ethnicorumque gente homines gladiis & fustibus armatos in Ecclesias immittit. Flammæ in baptisteriis injiciuntur, virgines vestibus spoliantur, Monachorum alii pedibus conteruntur, fisco alii addicuntur, nonnulli mactantur. Presbyteri Laicique in jus trahuntur, Ministris & virginibus qui erogabatur, panis eripitur: in sacram mensam impia facinora committuntur: *Vidisses enim eos aves & nuces pineas immolare, idola suis laudibus efferre, in Dominum nostrum J. C. convicia jacere, repertos in Ecclesiis divinos Scripturarum Codices comburere.* Ipse Georgius die Parasceves in Ecclesiam, cum Præside Ethnicisque ingressus, autor fuit, ut unâ horâ triginta quatuor virgines & conjuges, viri itemque ingenui flagellis cæsi, in vincula conjicerentur. Virgo manibus adhùc psalterium tenens, jubente Georgio flagellata, in carcerem truditur, liber verò à carnificibus laceratur. (Ath. ad Orth. 247.) Ad persequendum operam collocabat suam Dux *Sebastianus*, sectâ Manichæus. *Eutychium* rapiunt Subdiaconum, quem primùm scuticis penè ad mortem verberatum, ne paucis quidem horis ad curanda vulnera concessis, in tristissimum metallum, cui *Phano* nomen, homicidis destinatum deportant, Rejectis populi precibus, pro *Eutychio* orantia, ex deprecatoribus unum *Hermiam* appellatum, viatorum pedes lavantem, & quotquot probi erant atque ingenui, plagis concisos in carcerem conjiciunt. (Ath. ad Solit. 850.) Ea tamen supplicia Arianis levia videbantur. Itaque Ducem minantur se Eunuchis scripturos, quod non ad ipsorum arbitrium flagellaret. Neque momentanea vexatio hæc, quæ Quadragesimæ diebus commovetur. Finem quidem jejuniis, non verò persecutioni Paschatis festum attulit: (Anno Dom. 356.) *Videre erat post septimanam Pascha virgines in carcerem detrudi, Episcopos vinctos à militibus duci, pupillorum viduarumque ædes populari, noctu Christianos raptari.* Quis talia legendo,

Myrmidonum Dolopumve, aut duri miles Ulyssis
Temperet à lachrymis?

Graviora tamen postmodum commissa. Hebdomade post sacram Pentecosten populus completis jejuniis, ad orandum in cœmeterium tendit, quòd à Georgii communione abhorrerent. Id ubi à scelesto Episcopo cognitum, Ducem Sebastianum ad arma instigat. Die Dominico fit in populum impetus. Virginibus flammæ admoventur, Arii ut ad disciplinam accedant. Repugnantibus corpora nudat, & in faciem ita cædit, ut vix à suis agnoscerentur: palmeis virgis aculeos adhùc retinentibus, ita terga eorum cædit, ut alii sæpius à Medicis curarentur, alii curationem non ferentes, mortem obierint, & quotquot comprehenderant, in magnam Oasim relegarunt. Defunctorum corpora ne suis quidem dari voluerunt. Neque solos Alexandrinos corripuit flamma hæc persecutionis. Per Ægyptum, Libyamque etiam diffunditur. Ad fugam Episcopos complures compulere: (Ath. Apol. 704.) *Ammonium, Thamum, Gaium, Philonem, Hermen, Plinium, Psenosirim, Pelamnanem, Agathonem, Anugamphum, Marcum, Ammonium, & alterum ejusdem nominis Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum: Presbyteros verò Hieracem, & Dioscorum, quos tantâ acerbitate rapuerunt, ut quidam in via, quidam in exilio mortem oppetierint. In fugam verò plusquam triginta Episcopos convertere.* Illud adhùc miserabilius, quòd Orthodoxis sufficiebantur Hæretici, quam cladem deflet Athanasius. Presbyteri & Diaconi, qui à Petro usque & Alexandro fuere, profligabantur: veteranisque Arianis, jam olim cum Ario ob Alexandro damnatis, Ecclesiæ committebantur. In superiore Libya *Secundus*, Alexandriæ *Euzoius*, Julius, Ammon, Marcus, Irenæus, Zozimus, Serapion cognomento Securicula, in Libya Sisinnius, cuncti hæreseos cultores præficiuntur Ecclesiis, dum veteres Episcopi de pietate benè meriti, aut lapidicinis addicuntur, aut morti. (Ath. ad Solit. 858.) Plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut patratorum & in aliis imperii Rom. partibus scelerum, ex historiæ monumentis specimen capiamus.

(Macedonii persecutio.)

VII. Non minorem quàm Georgius crudelitatem, Macedonius adhibebat in persequendo. In Monasteriis quidem virorum, & mulierum constituendis egregiam operam navabat. Ecclesiis verò Episcopos imponebat, sceleris sui ministros. Nec Catholicos modò, sed Novatianos quoque, qui & *Consubstantialis* fidem amplectebantur, graviter persecutus est. Post cruciatus homines secum communicare per vim adigebat, lignoque in ora injecto, sacramenta miseris ingerebat. Abreptos baptismo puerulos initiabat. Quòd si quis detrectaret, statim verbera, post hæc vincula, & carceres subsequebantur. Ex *Auxone* Novatianorum Presbytero, homine longævo, nefanda hæc de Macedonio Ministrisque suis audivit Socrates: *Mulierum quæ cum ipsis communicare renuebant, ubera in arca comprimentes abscindebant. Aliis mulieribus easdem corporis partes partim ferro, partim admotis ovis, supra modum ferventibus combusserunt.* Mona-

Anno Dom. 356.

chum, *Alexandrum* Paphlagonem verberibus adeò cruciarunt, ut in carcere vitam effuderit. Ut novit Macedonius in Paphlagonia, & præcipuè apud *Mantinium*, quàm plurimos addictos esse Novatianorum sectæ, quatuor numeros militum Imperatoria præcepto in Paphlagoniam mitti curavit, ut armatorum metu perculsi, Arianum dogma susciperent. Tum Mantinienses desperatione suâ, quasi telo usi, falcibus & securibus arreptis, militibus occurrunt. Commisso prælio, ex Paphlagonibus multi quidem occubuere: milites verò paucis exceptis, cæsi sunt universi. Alio facinore odium sibi concitat. Æde quæ Constantini reliquias continebat, ruinam minante, Macedonius corpus Imperatoris transferre statuit, ne arca violaretur. Translationem quasi nefas impediente populi parte, aliâ verò permittente, Macedonius spretis *Homousianis*, qui reluctabantur Constantini cadaver, in eam transfert Ecclesiam, ubi *Acacii* Martyris reliquiæ quiescebant. Protinùs ventum est ad manus. Tantaque hominum cædes fuit, ut atrium Ecclesiæ, & atrii puteum cruore redundaret, & sanguis in conjunctam porticum effluerer, ad ipsam usque plateam. Morte suâ Martyrius & Marcianus locum inter Martyres invenere. Martyrius Subdiaconi, Marcianus Cantoris & Lectoris officio fungebatur, quos utpote necis Hermogenis Autores, Præfecto Macedonius tradit. Forti animo supplicium pertulere. Eorum sepulchrum stat ante muros Constantinopolis, Ecclesiæ ambitu circundatum, tanquam Martyrum monumentum. Ecclesiam extruere incepit Chrysostomus, quam Sisinnius absolvit.

Socrat. l. 2. c. 38.

Sozom. l. 4. c. 3.

Byterrensis Synodus. Hilarius ejicitur. Mors Maximi & Rufiniani.

Hilar. cont. Constant.

VIII. Dum per arma, per homines latè stragem dat Ariana factio, Galliarum Episcopi nonnulli fidei & magnanimitatis suæ exempla præbent. Fortitudinem animi fideique suæ sinceritatem narret ipse Hilarius Pictaviensis: *Post sanctorum virorum exilia Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, anno, à Saturnini, & Ursacii, & Valentis communione, me cum Gallis Episcopis separavi, indultâ cæteris consortibus eorum resipiscendi facultate, ut nec pacis abesset voluntas, & principalium morborum fœtida, & in corruptionem totius corporis membra proficiscentia desecarentur.* Hoc cùm molestè ferrent Saturninus Arelatensis Episcopus, illique qui Arianâ labe polluebantur, Byterris Synodum cogi impetrant, ut error Christianis obtruderetur. Observato fidei periculo, Hilarius de Hæresi Episcopos monet: *Quibus*, inquit, *postea per factionem eorum Pseudapostolorum, ad Byterrensem Synodum compulsis, cognitionem hujus Hæreseos obtuli. Sed hi timentes, publicæ conscientiæ audira ingesta à me noluerunt, putantes se innocentiam suam Christo posse mentiri, si volentes nescirent, quod gesturi postmodum essent scientes.* His commotus Saturninus, fortissimum Episcopum conatibus suis adversantem non tulit. Circumvento igitur falsis Synodi nunciis Imperatore, id egit, ut Hilarius in exilium pelleretur. Cur, & ubi relegatus sit, docet Hieronymus in Viris illustribus: *Hilarius urbis Pictaverum Aquitaniæ Episcopus, factione Saturnini Arelatensis Episcopi de Synodo Byterrensi Phrygiam relegatus.* Hoc ipsum queritur Hilarius, in suo ad Constantium Libello: *Exulo, non crimine, sed factione, & falsis nuntiis Synodi, apud te Imperatorem pium, per impios homines delatis.* Sic novo titulo, Confessoris scilicet, ad dignitatem Episcopalem adjuncto, in exilium Hilarius processit, ut pluribus in locis, Arianæ iniquitatis monumenta statuerentur. Sed & alii dantur exilio: *Rhodanium quoque, Tolosanum Antistitem, qui naturâ lenior, non tam suis viribus, quàm Hilarii societate non cesserat Arianis, eadem conditio implicuit.* Ex antiquo exemplari Baronius corruptum Sulpicii locum restituit, voce *Dosanum*, in *Tolosanum* mutatâ. Nullis sanè fidibus Osius hîc adduci potest. Qui & anno præterito solum verterat, nec Hilarii in societate erat, ut ejus exemplo, consiliisque permotus, Arianis non succumberet. Rhodanii, Hilariique non modò, sed Maximi quoque & Rufiniani, in suo Libello meminere Faustinus & Marcellinus: *Rodanius mittitur in exilium, nec non & Hilarius, Maximus quoque de Neapoli Campaniæ, eò quòd esset inhabilis stomacho, & corpore delicatior, primum quidem ut caderet, diu afflictus injuriis, deinde ubi ob animi constantiam, fideique virtutem carnis infirmitate non vincitur, ductus est in exilium, atque illic Martyr in Domino pace requievit. Sed & Rufinianus miræ quidem simplicitatis, sed admirabilior in tuenda fide, effusione sui sanguinis prævenit exilium. Denique cum pro fidei integritate persistit, hunc Epictetus, atrox ille & dirus de Centumcellis Episcopus, ante rhedam suam currere coëgit, & cùm diu curerit, sic in via ruptis vitalibus, sanguinem fundens expiravit.*

Anno Dom. 356.

Sulpit. h. l. 2.

B. M. P. t. 5. 654.

Antonii Abbatis obitus.

IX. Homo spectator superarum rerum, & cælestium, terrenarumque contemptor, Antonius Abbas, hoc anno animam Deo reddidit, annos natus CV. Ita Hieronymus in Chronico, *Antonius Monachus centesimo quinto ætatis anno in eremo moritur, solitus multis ad se venientibus, de Paulo quodam Thebæo, miræ beatitudinis viro, referre complura.* Vitam ingressus erat Decio imperante, anno CCLI. eam reliquit Januarii XVII. præsentis anno, quo ejus natale celebratur in Martyrologiis. Itaque à veritate relinquitur Baronii Chronologia, quæ Antonii obitum anno CCCLVIII. alligavit. Incommoda Antonio sua senectus non attulerat. Oculos adeò integros habuit, ut acutè cerneret; dentium illi nec unus exciderat, sanus quoque pedibus & manibus suo munere perpetuò functis. De viri celeberrimi exitu nonnulla commemorare, operæ pretium est. Monachos, quos more suo visitabat, ultimùm allocutus, monet tanquam quotidie morituros vivere, sanctos æmulari, Meletianorum schisma vitare, Arianorum impia fugere. Rogantibus ipsum Monachis manete secum, ut ibidem vitæ cursum impleret, abitum maturat, ne impositus lectulo defunctus, intra privatos parietes retineretur, quo honore, & viros qui piâ morte excesserant, & Martyres præcipuè afficere, Ægyptiis solemne fuit. Ingressus montem interiorem, quem incolere solebat, post paucos menses in morbum incidit. Tum accersitis duobus Ascetis, qui propter senium laboranti ministrabant, mandata pietatis inculcat, subjungit dein: *Si vobis de me cura est, meique tanquam patris non obliviscimini, corpus meum in Ægyptum transferri ne patiamini, ne fortè reservent domi suæ. Meum ergo corpus sepelito, terrâque contegite, & nemo præter vos solos locum sepulchri noscat. Vestes meas sic distribuite. Meloten unam date Athanasio Episcopo, cum stragula, quam ab ipso novam accepi, nunc detritam reddo. Serapioni Episcopo alteram date meloten, vobis cilicium servate. Quod reliquum est fil.i, salvete, Antonium*

Ath. Vit. Ant. 502.

Anno Dom. 356.

tonius enim hinc migrat, non amplius vobiscum moraturus. Finito sermone, postquam sunt ipsum osculati, pedibus ille porrectis, & quasi amicorum adventantium aspectu admodum latatus, animam exhalavit. Monachorum nomen nos docuit Hieronymus: unus *Isaac*, alter *Pelusianus* appellabatur: *Isaac interpres Antonii fuerat.* Illi verò præceptis Abbatis sui obtemperantes, defunctum sepeliunt, in loco qui, præterquam binis istis Ascetis, cunctis ignoratur mortalibus. At anno Dom. 561. mira Reliquiariorum sagacitas locum olfecit, ubi sacræ exuviæ recondebantur. Id scripto prodit Victor in Chronico: *P. C. Basilii V. C. anno* XXI. *corpus S. Antonii Eremita repertum, cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Basilica S. Joannis Baptista honorificè collocatur.* Porro Antonii obitum, Hilarioni divinitùs innotuisse, tradit Hieronymus: *Aristenata* Præfecti uxor ad Hilarionem venit, volens ad Antonium pergere: *Cui ille flens, Vellem ipse quoque ire si non carcere hujus Monasterii clauderer, etsi eundi fructus esset. Biduum enim hodie est, quòd totus mundus tali parente orbatus est.* Cur suum latere sepulchrum voluerit Antonius, causam hanc attulit Hieronymus: *Ne Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, martyrium fabricaretur.* Quos detritarum vestium suarum hæredes Antonius instituerat, illi grato animo munus accepere, & veluti magnum quid custodiere: *Nam qui intuetur illas, ipsum Antonium videtur contemplari, & qui induit, tanquam monita & pracepta ejusdem latus gestat.* Hic est germanus reliquiarum usus, fructusque, ut Sanctorum virtutes in memoriam revocent, quibus accendamur ad imitandum.

Hieron. Vit. Hilarion. 96.

Athan. Vit. Ant. 504.

Antonii apophtegmata & Epistolæ.

X. Non libris, non sapientiâ gentili, non arte quâcumque, sed solâ in Deum pietate Antonius inclaruit. Ad eum cùm Philosophus accessisset, Quomodo, inquit, Pater, potes vivere librorum solatio destitutus? Cui ille, *Meus liber, ô Philosophe, est natura rerum, qua quidem prastò est, quoties verba Dei legere voluero.* Cùm literarum rudi illudere Philosophi voluissent, eos interrogat, Priorne mens esset, an literæ? Respondentibus mentem priorem esse, dixit Antonius, *Cui ergo mens est sana, ei litera non sunt necessaria.* Sed & aliud dictum Antonii referre, sua excellentia hortatur. Adeuntibus Græcis Philosophis hæc loquitur: *Si ad hominem venistis stultum, fatigati estis frustra. Sin vobis videor sapiens, mihi similes fiatis,* evadite Christiani. Scripsit Epistolas, de quibus Hieronymus: *Misit Ægyptiacè ad diversa Monasteria Apostolici sensus, sermonisque Epistolas septem, qua in Gracam linguam translata sunt, quarum pracipua est ad Arsenoitas.* Plures tamen scriptæ sunt Arsenoitis. Prima Antonii Epistola tractat de divina vocatione, & multiplici corporis motu. II. Ad Arsenoitas, de vitandis insidiis Dæmonum. III. Ad Arsenoitas, de Christi in nos beneficiis. IV. Ad Arsenoitas, de duobus Christi Præcursoribus, Mose scilicet & Joanne Baptista, & Domini adventu in carnem. V. Ad Arsenoitas, de Angelorum gaudio, & luctu propter nos, & ne vitam nostram negligamus. VI. Ad Arsenoitas, de Christi adventu, & ut nos ipsos cognoscamus. VII. Ad Arsenoitas, de cognitione ipsius, & de Ario. Scripsit etiam Imperatoribus Constantino, Constantio & Constanti. Summam Epistolæ exhibuimus, quæ etiamnum extat in vita ejus p. 497. Meminit & Athanasius Epistolæ ad Ducem Balacium missæ, quæ ipsi exitium minabatur. Germana hæc Antonii scripta esse putamus. Sermonem *de Vanitate Mundi, & de Resurrectione Mortuorum*, aliaque Opera Antonii ornata nomine, ab eo abjudicamus, utpote Veteribus incognita, & novitatis notis insignita.

Socrat. l. 4. c. 23.

Athan. Vit. Ant. 492.

Anno Dom. 336.

Reliquiæ Timothei Constantinopolim translatæ.

XI. Si infixa Christianis omnibus, quæ Antonio sententia fuisset, Reliquiarum quidem translatione præsens annus in Fastis celebritatem non habuisset: *Constantio* VIII. *& Juliano Casare Coss. introierunt Constantinopolim reliquia Apostoli Timothei, die Kal. Jun.* ut in Fastis Idacianis legimus. Hujus & translationis mentio est, in Chronico Alex. sed alio tempore: *Mense Panemo, die* IV. *Julii, S. Timothei discipuli quondam B. Pauli Apostoli, qui primus Ephesi in Asia fuit creatus Episcopus, reliquia Constantinopolim cum summa veneratione delata sunt, & in ade SS. Apostolorum, sub ipso sacro altari reposita.* Quam Baronius amplectitur Chronologiam, ea anno CCCXXXVI. ascribit Andreæ, Lucæ & Timothei reliquiarum translationem *factam per Constantinum.* Quod probat extantibus apud *Dungalum* carminibus, quæ à Paulino dicuntur esse condita. Constantinus,

Error Baronii.

Baron. An. 336. n. 70.

Ut sua Apostolicis muniret mœnia latus
Corporibus, tunc Andream devexit Achivis,
Timotheumque Asia.

Sed & Hieronymi adversus *Vigilantium* Epistola Mariani Victorii in editione hæc habet: *Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctas reliquias Andrea, Luca, & Timothei transtulit Constantinopolim.* Est tamen certissimum, vocem *Constantinus* mendum esse, reponique debere *Constantius*, quo imperante ea contigere, quæ memorat Hieronymus. Ex quo conficitur, falsam & hîc esse Baronii Chronologiam, annorumque XX. prochronismo peccare. Ex Fastis quidem Idacianis Alexandrinoque Chronico discimus, *Timothei* reliquias anno duntaxat CCCLVI. Constantinopolim illatas esse. Sed & eorumdem Autorum testimonio novimus, anno sequente Lucæ, Andreæque exuvias Regiam civitatem subiisse: *Constantio* IX. *& Juliano Casare* II. *introierunt Constantinopolim reliquia SS. Apostolorum Andrea, & Luca, die* V. *Nonas Martii.* De tempore assentitur & Chronicum Alexandrinum: *His Coss. mense Dystro, die tertio Constantinopolim allata sunt reliquia SS. Luca & Andrea Apostolorum, curâ Constantii Augusti, cum veneratione, cultu, Psalmis & hymnis, depositaque sunt in Æde SS. Apostolorum.* Quam Justinianus Ædem antiquitate temporis jam emotam dum instaurat, operarii effosso fundamento invenerunt ligneas arcas tres, insculptis literis indicantes, trium Apostolorum esse corpora, Andreæ, Lucæ, & Timothei, quæ Imperator & omnes Christiani maximo cum fervore conspexerunt, & conspecta rursus terrâ occuluerunt.

Procop. de Ædif. Just. l. 1. 675.

De Reliquiarum translatione.
Fuit olim sepultura honoratior.
Ritus ab Ethnicis desumptus.

XII. Hæc, ni decipimur, prima est reliquiarum in Ecclesias translatarum memoria, quæ tamen mentibus nostris scrupulos benè multos injicit, cùm Timothei, Andreæ, Lucæ sepulchra ignorationis in tenebris jacerent, teste Chrysostomi homiliâ in Hebræos XXVI. *Apostolorum autem plurimorum ossa nescimus ubi jacent. Petri & Pauli quidem, Joannis & Thoma manifesta sunt sepulchra. Aliorum verò cùm tanti sint,* nimi-

minimè cognitum est, ubi sint. Nihil igitur pro hac re lugeamus. Atqui si veræ Timothei, Andreæ, Lucæ reliquiæ Constantinopolim invectæ sunt, horum sepulchra Apostolorum ignorari non poterant. Neque prudenter satis ob ignorantiam ejusmodi luctum Chrysostomus inhibuisset, si divina Apostolorum exuviis vis indita esset, quæ mortalium & mentibus & corporibus fructus utilitatis præberet. Ex translatarum Reliquiarum solemnitate, pro earum cultu Doctissimo Pagio argumentum exoritur: *Illustre profectò argumentum adhuc non observatum ad convincendos nostri temporis Hæreticos, qui omnem reliquiis venerationem denegant, licet prioribus Ecclesiæ seculis, ea non tantum colerentur, sed etiam si transferri contingeret triumphali pompâ, annisque solum lætitia publica, rebusque majoris momenti dicatis veherentur.* Absit tamen à nobis ea mens, quam nostris Pagius affingit, omnem à nobis reliquiarum honorem abjici. Sanctorum corporibus eam impendimus venerationem, quâ digna sunt, quam Prophetarum exuviis pii Reges exhibuere, quam & sibi Beatus tribui Antonius voluit, ut tumulo scilicet condantur, in eoque requiescant, ad summi Judicis adventum usque. Hunc honorem attulit sanctissimus ille Josias Elizei Prophetæ reliquiis. Ejus in ossibus inerant impressa multa sanctitatis vestigia. Divini Templi fuere rudera, quod Spiritus ille Sanctus incoluerat: ipsis & usus fuerit ad miracula. Elizei tamen reliquias suo moveri sepulchro noluit Rex optimus. Cum porro aperiat se latius materia ad illustrandam nobilem quæstionem, dicenda hoc ordine dispensabimus. Primùm de origine translatarum in Templa Reliquiarum, deinde de antiquitate consuetudinis hujus dissetemus. Mos Ethnicis ille fuit, tumulis extrahere suis defunctorum corpora, ut honestiori sepulchro mandarentur. Quo honore Thesei ossa sunt affecta: *Post bellum Medicum Phædone Archonte, consulentibus Apollinem Atheniensibus respondit vates, Ut reliquias Thesei colligerent, & collocata apud se servarent honorificè. Erat verò & auferre illas, & nosse conditorium intricatum propter inhospitalitatem & feritatem incolentium Barbarorum. Tandem Cimon, cùm ei captâ hac insulâ cupido successisset eruendi ossa illius, & Aquila clivosum locum, ore, uti fama est, tundente & fodiente unguibus, divinâ quâdam sorte res animum ejus subiret, aperuit locum. Repertus fuit magni corporis loculus, adjunctâque cuspide hasta aneâ cum ense. Hæc à Cimone in triremi sua deportata, ovantes Athenienses eximiâ celebritate, & sacrificiis, sicut reducem ad urbem exceperunt. Ac mediâ conditus est urbe prope gymnasium, quod nunc est. Est id perfugium inviolabile servis, & omnibus demissioribus, timentibusque potentiores.* Similis honos habitus est exuviis Demetrii, quibus Antigonus occurrit obviam: *Ut reliquias accepit, imposuit urnam, quæ ex solido auro erat in navem Prætoriam. Civitates ad quas appulerunt, huic coronas ingesserunt urnæ. Huic viros cultu lugubri miserunt ad exequias decorandas, & prosequendas. Decurrente Corinthum classe, urna ex puppi conspicua visa, regali purpurâ & diademate exornata, quam circumstitit in armis juvenum statio.* Sed & Imperatorum R. reliquiæ in Templis recondebantur. De urna Severi Herodianus: *Qui novos Imperatores consalutaverant, progressi deinde, urnam quoque ipsam supplices adorabant. Ita magnâ pompâ composuerunt urnam in Templo, ubi Marci, ac superiorum Principum monimenta quiescebant.* Hac de causâ numinum Templa, *sepulchra* Christianis dicebantur. Georgius Alexandrinus Episcopus, flexis ad Genii Ædem luminibus, *Quamdiu*, inquit, *sepulchrum hoc stabit?* Inductis in Christianorum Templa reliquiis, illa & sepulchrorum ab Ethnicis nomen accepere. Itaque Libanius in Oratione funebri Juliani: *At*, inquit, *nos spectabamus sepulchra Templis cessura esse, cùm omnes sponte ad Aras currerent.* Existimabant quippe Ethnici Basilicas esse in numinum Templa mutandas. Si verum volumus, Ethnicorum ad exemplum Christiani se componentes, Ecclesiis sepeliri cupivere. Primus id omnium Constantinus M. assecutus est, de cujus funere Eusebius: *Postquam ad Apostolorum Servatoris nostri Ecclesiam perventum est, arcam illic deposuerunt.* Eodem & honore affecta est Constantia hujus Imperatoris filia. Anno CCCLXXIII. *Marobaude II. & Saturnino Coss. ingressum est Constantinopolim corpus Constantiæ filiæ Augusti, Constantini die secundo Idus Septembris.* Nec eo honore privari Episcopos, quorum & munus excellens consentaneum videbatur. Pauli Constantinopolitani corpus *Theodosius transferendum curavit, & in Ecclesia sepelivit, quam Macedonius ejus persecutor ædificaverat.* Id etiam contigit Chrysostomi cadaveri: *Joannis corpus quod Comanis sepultum erat, annuente Imperatore, Proclus Constantinopolim deportavit, anno post ejus abdicationem quinto & trigesimo. Idque solemni pompâ per urbem traductum ingenti cum honore in Ecclesia Apostolorum deposuit.* Fuere autem hæ reliquiarum translationes, solemniores exequiæ, quibus decorata Sanctorum corpora, dignioribus, augustioribusque locis inferebantur. Eodem quoque loco ducenda est Timothei, Andreæ, Lucæ, solemnis hæc Constantinopolim ingressio. Audiamus Hieronymum contra Vigilantium: *Sacrilegus fuit Constantius Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim: apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus & nunc est dicendus, Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos, in serico, & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt Sanctis reliquiis, & tantâ lætitiâ, quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palæstina ad Chalcedonem jungerentur populorum examina, & Christi laudem unâ voce resonarent.* Pompa hæc omnis ad cohonestandas exequias comparata fuit, quibus è communibus locis in sacra reliquiæ migrabant. Id honoris quodcunque fuit, humanæ utique sortis erat, quo viri Principes, illustriores fœminæ, Episcopique afficiebantur. Sic eorum memoria recolebatur, superstitesque ad virtutem excitabantur. Quæ mirum quantum discrepant ab hodiernâ reliquiarum adoratione. Gestantur in processionibus, ut Deus placetur, siccitas pellatur, tempestates leniantur, sanctitasque mortalium promoveatur. Cæterùm olim ferendarum Reliquiarum Episcopi subibant operi. Id nos Hieronymus monuit in verbis jam laudatis. Sed & Theophanes anno XXIII. Justiniani hæc habet: *Egressus est Episcopus Menas, cum Sanctis Reliquiis sedens in regio curru aureo, gestans gemmibus*

Margin notes: Pag. dissert. Hyp. c. 3. 120. — Plutar. Thes. p. 17. — Plutar. Demetr. 915. — Herodian. lib. 4. — Marcellin. l. 22. c. 11. — Euseb. Vit. Const. l. 4. cap. 70. — Idac. Fast. — Sozom. l. 7. c. 10. — Socrat. l. 7. c. 45. — Hieron. Ep. 53. cap. 2.

Anno Dom. 356.

bus suis tres arcas Sanctarum reliquiarum. Crescente Episcoporum ambitione, non curru, sed Diaconorum humeris, albis suis indutorum insidentes, impositas collo suo reliquias ferebant. Quem fastum sanè intolerandum vetant Bracarenses Synodo IV. c. 6. Eò processit Reliquiarum veneratio, ut earum ἀνακομιδὴ Regibus esset honori. Carolum Calvum rogarunt Sancti Medardi Monachi, ut in Ecclesiam, quæ extruebatur, plurium Sanctorum Reliquias transferre vellet: *Quibus acquiescens, ibi remansit, & ut postulaverant, & Beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione transtulit.*

Mibard. lib. 3.

Apostolicis seculis repugnat translatio reliquiarum. Nulla ante Constantium fuit.

XIII. Cæterùm est in observatione ponendum, peritum antiquitatis Ecclesiasticæ Hieronymum initia transferendi reliquias à Constantii imperio deducere. Quòd si ritus hujus vetustiora Hieronymus habuisset exempla, ea quidem attulisset opprimendo Vigilantio, translationis reliquiarum censori acerrimo. Ex quo conficitur, disciplinam ejusmodi à vera Antiquitate destitui, utpote annis post Christum CCCLVI. demum obortam, nostraque instituta plus vetustatis sibi vindicare, quæ seculis Apostolicis viguere. Neque auspicia felicia satis natalibus contrariæ consuetudini contigere, quæ imperante Arianorum fautore Constantio, Ecclesiæque vastatore lucem aspexit. Duo sunt in transferendis reliquiis nova, Ecclesiæque Constantini ante obitum prorsus incognita. Prius, quòd ossa Martyrum Templis conderentur; posterius, quòd suo sepulchro moverentur. Prioris testes appellamus priscorum Martyrum exuvias. Joannes Baptista Martyr fuit, cujus ossa non in Basilicas, quas Constantinus egregias in Palæstina extruebat, Christianorum nullus intulit. Jacebant adhuc in suo monumento, rerum habenas tenente Juliano. Juliani temporibus accidit, *Ut apud Sebasten Palæstinæ urbem Pagani sepulchrum Joannis Baptistæ mente rabidâ & funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursus collecta igni cremarent.* Templis non transmisere Stephani Protomartyris corpus Episcopi, qui Constantio antecessere. Anno duntaxat CCCCXXXIX. sedem in Ecclesia invenit: *Eudocia uxor Theodosii Principis ab Hierosolymis urbem Regiam remeavit, Beatissimi Stephani primi Martyris reliquias, quæ in Basilica Sancti Laurentii posita venerantur, secum deferens.* De Ignatianis exuviis Hieronymus: *Ignatius passus est anno XI. Trajani. Reliquiæ corporis ejus jacent extra portam Daphniticam in cœmeterio.* In Ecclesia quidem jacuissent, si priscis mos ille fuisset, ibi sepelire Martyrum λείψανα. Neque Polycarpi nobilius quàm Ignatii sepulchrum. De Sanctissimo Episcopo suo Smyrnenses: *Nos ossa Polycarpi pretiosis lapillis pretiosiora auroque puriora auferentes, digno loco seposuimus.* Cùm verò quotannis in eum confluerent certo die Sancti Martyris natali celebrando, luce clarius est, ossa hæc extra Ecclesiam sita fuisse. Quid plura? Andreæ, Lucæ, Timothei reliquiæ non de Templo in Templum, sed de cœmeterio in Basilicam transvectæ fuere: adeò verum est, ante Constantium non id in more positum, institutoque Christianorum fuisse, ut vel nobiliores Ecclesiis Martyres sepelirent. Insigni & argumento nostram iterum sententiam adjuvamus. Ethnicorum in disciplinam sic invehitur Clemens Alexandrinus: *Quæ quidem, nam nec ipsa prætereo, speciose quidem nomine Templa dici; fuisse autem sepulchra vincam, hoc est, sepulchra ipsa vocata fuisse Templa.* Hoc verò compluribus exemplis probat: *In Templo Minervæ Larissæ in arce est sepulchrum Acrisii. Athenis autem in arce & Cecropis, ut ait Antiochus in nono Historiarum. Quid verò Erichthonius, nonne Poliadis in Templo fuit sepultus?* Sic verò perorat doctissimus ille Presbyter, disciplinæque Christianorum testis potentissimus: *Vos autem si non eorum quæ auditis, aliquis vos pudor subeat, planè mortui, verè mortuis credentes circumcursatis.*

Bufil. l. 2. cap. 28.

Marcellin. Chron. pag. 40.

Euseb. l. 4.

Clem. Protrept. pag. 22.

Quòd si tum temporis Ecclesiæ Christianorum sepulchra fuissent Martyrum, frons utique periisset Clementi, ea impingere Ethnicis, quæ ab ipsis Christianis fiebant. Regessissent Ethnici, Nonne vestrorum & corpora Martyrum in Templa portetis! Proni supplicesque circumfundimini ad eorum tumulos adorationi duliæ exhibendæ? Heu rerum mutatæ vices! Quæ Clemens, quæ Minutius Felix, quæ Arnobius per contemptum Ethnicis objiciebant, id posteà Ethnici in Christianos retorquere cœperunt, ob Martyrum reliquias in Basilicis conditas & cultas: unde Christianorum Templa non aliter vocabant, quàm τάφους, *sepulchra*, vel fatente Valesio. Libanius in oratione adversus doctrinæ suæ obtrectatores, οἱ περὶ τοὺς τάφους, pro Christianis ponit. Eadem & Juliano mens est in Misopogone de Emisenis: *An verò Emiseni Christum amabant, qui Galilæorum τάφους, sepulchra incenderunt?* Quæ sunt illa sepulchra combusta, nisi Ecclesiæ in cineres ab Emisenis redactæ? Denique B. Antonii judicium disciplinæ *reliquiariæ* opponimus. Hæc dicebat moriens optimus ille senex: *Corpus meum in Ægyptum transferri ne patiamini, ne fortè domi reservent suæ. Neque enim vos latet, quàm id factitantes semper increpaverim, & ab illa consuetudine sim dehortatus. Meum igitur corpus sepelite, terrâque contegite, sitque sermo hic meus apud vos custoditus, ut nemo præter vos solos locum sepulchri nostri noscat.* Quòd si decens fuisset, Sanctorum exuvias magnificè portatas in sacris ædibus sepeliri, non tanta Antonio cura fuisset, sepulchrum abscondi suum. Id verebatur, ne suæ reliquiæ vel domi asservarentur, vel Templo conderentur. Voluit igitur in alta ignoratione suum jacere monumentum, ne *Pergamus vir ditissimus, sublato ad villam suam Sancti corpore, martyrium fabricaretur*, ut monuit Hieronymus. Quæ est improbatio moris, reliquias Ecclesiis inferendi, si hæc non est? Pluris verò unius Antonii sententiam facimus, quàm inconditæ turbæ perturbato amore Martyrum in reliquias propendentis institutum. Eo quoque nomine Reliquiarum damnanda est ἀνακομιδὴ, quòd avaris hominibus fuerit in quæstu. Testis Augustinus de Opere Monachorum c. 28. *Callidissimus hostis tam multos Hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes Provincias nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant.* Quo verò pluris fierent reliquiæ, ad figmenta transcursum, quasi suas Martyres exuvias cælestibus visis indicarent. Hinc in Carthaginensi Concilio anno CCCCI. Decretum ea de re condi placuit: *Quæ per somnia & per Manes, quasi revelationes quorumlibet hominum, ubique constituuntur altaria, omni modo improbentur.* Visionibus quoque Reliquiarum & asservatio, & translatio est improbata. Fructuosi Martyris cineres, prout quisque potuit, sibi

Athan. Vit. Ant. 503.

Cod. Afr. c. 83.

ANNO DOM. 356.

Rain. Act. 223.

sibi vindicavis. Fructuosus verò, *Post passionem apparuit fratribus, & monuit, ut quod unusquisque per caritatem de cineribus usurpaverat, restituerent sine mora, unoque in loco simul condendos curarent.* De altera quæstione paucis: nempe non esse Antiquitati aut decoro consonum, Sanctorum ossa sive privatim servanda, sive Templis transmittenda movere sepulchro.

Ossa Sanctorum sepulchro moveri non debent.

2. Reg. 23.

XIV. De transferendis Reliquiis quæstio decisa est, si audiatur Scriptura. Jeroboami in altari ossa Sacerdotum Josias combusserat. De Prophetà verò, qui de præclaris Josiæ facinoribus oracula luderat, dixit Rex pius, *Ne quis ossa ejus commoveto.* Unde igitur nova hæc homines incessit religio, ut partem pietatis in ea re collocent, quæ viris piis odio fuit? Quin etiam Prophetarum vel ossibus pollui homines, Dei legibus decretum, ne Sanctorum in reliquiis vim, aut sanctificandi suo contactu, aut pellendi Dæmones quæreretur. Quibus efficiendis Elisei ossa, utut miraculis nobilia, non sunt à Judæis adhibita. Sepulchris quidem Sanctorum cadavera non esse ab hominibus eruenda, B. Antonii sententia fuit, quam egregio etiam argumento probat: *Nam & Prophetarum corpora in hunc usque diem sepulchris servari, ipsum etiam Domini corpus in monumento positum fuisse, donec tertio die resurgeret.* Ex quo conficiunt, Antonio Judice suis in monumentis Sanctorum corpora esse relinquenda. Uti & à viris Apostolicis & à Patribus relicta sunt, trecentis & eò amplius annis. Tunc inaudita erant pia reliquiarum furta, quæ posteà earum perturbatus amor invexit, ut ex Historia tenemus. Sic *Hesychius*: Hilarionis discipulus *reliquias ejus furatus, in Palæstinam deportavit, & in Monasterio ipsius sepelivit.* Prima quidem Reliquiarum translatio, quæ à Timothei incepit exuviis, anno Dom. CCCLVI. est addicenda. Porro cùm superstitiosa plebecula reliquiis supra modum delectaretur, & ab impostoribus sæpe numerò deciperetur, quælibet defunctorum ossa pro germanis reliquiis circumferentibus, Theodosio M. placuit anno 386. conscribere Legem ejusmodi: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat. Nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur. Habeant verò in potestate, si quolibet in loco Sanctorum est aliquis conditus, pro ejus veneratione, quod martyrium vocandum sit, addant quod voluerint fabricarum.* Sed & eo tempore, quo obtentu pietatis sepulchrorum fossores in eis Martyrum reliquias venabantur, Orthodoxorum multis displicuit ea consuetudo. *Macedonius* Constantinopolitanus Constantini M. reliquias transferre statuerat, ne templi ruinâ arca violaretur: *Quod cùm populus fieri cognovisset, impedire conatus est, nefas esse dicens, Imperatoris ossa transferri. Perinde enim esse ac si effoderentur.* Qui obstabant Macedonio, de *Homousianorum* grege erant, quibus utique displicebat effodi corpora. Fuit hæc Jurisperitorum sententia: *Qui corpus perpetuæ sepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit, & Solis radiis ostenderit, piaculum committit.*

Vit. Anton. 502.

Sozom. l. 3. c. 14.

Cod. Th. 1. 3. 152.

Socrat. l. 2. c. 38.

Paul. l. 1. Recept. Sent.

B. Martini annus natalis & Historia.

XV. Juliani Cæsaris in exercitu, dum Barbarorum excursionibus Gallias liberat, militabat *Martinus*, cujus in magna apud omnes gloria nomen est. Natus erat anno CCCXVI. ut ex Sulpitio constat, atque Gregorio Turonensi. Septuagenarium enim agebat eo tempore, quo Consul processit *Evodius*, anno Dom. CCCLXXXVI. Martinus Maximi Imperatoris ad convivium venit: *Convivæ autem aderant veluti ad diem festum evocati summi atque illustres viri, Præfectus, idemque Consul Evodius.* Ætatem verò Martini, quo tempore Maximi mensæ accubuit, docet ipse Sulpitius in Dialogis: *Videant enim quia Martino semel tantùm in vita sua jam septuagenario, Regina servivit & ministravit.* Quòd si annos LXX. natus erat anno CCCLXXXVI. lucem igitur aspexerat sexto & trecentesimo. Gregorius quoque Turonensis, ætatis decessoris sui non imperitus: *Arcadii*, inquit, *& Honorii secundo Imperii anno S. Martinus Turonorum Episcopus, octogesimo & primo ætatis suæ anno feliciter migravit ad Christum.* Martinus *Sabariâ* Pannoniarum oriundus fuit. Huic urbi hodie nomen est *Sarvar*, sitæ ad confluentem Gunzii & Arrabonis. Sed intra Italiam Ticini altus est, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, Gentilibus tamen. Pater ejus miles primùm, pòst Tribunus militum fuit. Ipse armatam in adolescentia militiam secutus, inter scholares alas sub Rege Constantio, deinde sub Juliano Cæsare militavit. Cùm esset annorum decem, ad Ecclesiam confugit, seque Catechumenum fieri postulavit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, cùm esset annorum duodecim, eremum concupivit, fecitseque vota satis, si ætatis infirmitas non obstitisset: *Cum edictum esset a Regibus, ut veteranorum filii ad militiam scriberentur, prodente patre*, cum esset annorum XVII. raptus & catenatus, Sacramentis militaribus implicatus est. Ætas hæc fuit, quâ militiæ addicebantur: *Tubero scripsit Servium Tullium ab anno XVII. quos Idoneos jam esse Reip. arbitraretur, milites scripsisse.* Edictum cujus Sulpicius meminit, promulgatum est à Constantino anno CCCXXXII. Pacatiano & Hilariano Coss. Itaque mendum in Sulpitium irrepsit: Martinus *cùm esset annorum quindecim*, legendum dubio procul *septemdecim*, ut & moribus Romanorum, & Constantini Rescripto ætas Martini respondeat. Porro integer ab iis vitiis erat, quibus milites implicari solent. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas: patientia verò atque humilitas ultra humanum modum. Cùm jam nihil præter arma, & simplicem militiæ vestem haberet, mediâ hyeme, quæ solitò asperior inhorruerat, adeò ut plerosque vis algoris extingueret, obvium habet in porta Ambianensium civitatis pauperem nudum, qui cùm prætereuntes ut ipsius misererentur oraret, omnesque miserum præteriirent, intellexit sibi illum reservari. Arrepto ferro chlamydem mediam dividit, partemque ejus pauperi tribuit. Nocte insecutâ, cùm se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, quâ pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissimè Dominum, vestemque quam dederat, jubetur agnoscere. Mox ad Angelorum circumstantium multitudinem, audit Jesum clarâ voce dicentem: *Martinus adhùc Catechumenus, hâc me veste contexit.* Anno ætatis suæ XXXV. Martinum baptizatum esse, morosâ disquisitione probare Baronius satagit. Satius tamen est, annum in incerto relinquere. Irruentibus intra Gallias Barbaris, Julianus Cæsar coacto in unum exercitu apud *Vangionum* civitatem donativum cœpit erogare militibus: ut est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum verò oportunum tempus existimans, quo peteret missionem, *Hactenus*, inquit, *ad Cæsarem militavi*

ANNO DOM. 356.

Sulp. Vit. Mart. cap. 23.

Sulp. Dial. 2. c. 7.

Gregor. h. l. 1. c. 48.

Gell. l. 10. c. 28.

litavi tibi: patere ut nunc militem Deo: donativum tuum militaturus accipiat, Christi ego miles sum: pugnare mihi non licet. Cùm eum metu pugnæ quæ posterà die futura erat, non religionis gratiâ detrectare diceretur, Martinus intrepidus, *Si hoc*, inquit, *ignaviæ ascribitur, non fidei, crastinâ die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Jesu, signo crucis, non clypeo protectus, aut galeâ hostium cuneos penetrabo securus.* Quæ hoc anno contigisse videntur, ut collatis Marcellino & Sulpicio colligimus.

Sulpic. Vit. Mart. cap. 1. 3.

ANNO U. C. 1110. OLYMP. 284. PER. JUL. 5070. JUL. 402. DOM. 357. CONSTANTII 21. *Sol.* 2. E. *Lun.* 16. *Indict.* 15. *Epact.* 22. *Epact. Sol.* 3. P. 25. *Martii.*

COSS. *Constantius IX. & Julianus Cæsar II.*

Romæ Constantius triumphat.

I. CONstantius post Magnentii exitium, quasi ex sanguine Romano triumphaturus, Romam videre gestiebat, ut rigentia auro vexilla, stipatorumque pulchritudinem tranquillo populo ostenderet. Aureo carpento gemmis micante solus insidebat. Corpus humile celsas portas ingressus curvabat. Ut ad Trajani forum venit, hærebat attonitus, solum Trajani equum imitari se velle & posse dicebat. Cui Hormisdas Saporis Persarum Regis frater, *Ante Imperator stabulum tale condi jubeto si vales, equus quem fabricare disponis ita latè succedat, ut iste quem videmus.* Interrogatus & Hormisdas, quid de Roma sentiret: *Id tantùm sibi placuisse*, ajebat, *quòd didicisset ibi quoque homines mori.* Dum urbis deliciis fruitur, Senatorum & Nobilium uxores à viris suis petunt, ut à Principe *Liberii* reditum impetrent. Quòd si non annuant precibus, ad suum se Pastorem migraturas. Illi Constantii iram veriti, suadent conjugibus, ipsum potiùs adire, qui vel Episcopi reditum concedet, vel saltem rogantibus parcet. Consilium amplexæ præstantissimæ mulieres, solemni cultu atque ornatu Imperatorem adeunt. Suppliciter petunt, ut tantæ urbis Pastore suo orbatæ misereatur: *Ille verò respondit, Urbem alio Pastore non egere, habere enim Antistitem idoneum, qui ipsius curam gerat.* Flexum his precibus Constantium ab exilio Liberium revocasse non satis accuratè scripsit Theodoritus. Quippe subscriptionis ignaviâ reditum *Liberius* suum emit.

Marcellin. l. 16. c. 10.

Theodorit. l. 2. c. 17.

Anno 357. Constantius Romæ triumphat.

II. Baronius, quem complures alii sequuntur, anno CCCLVI. Constantii triumphum adduxit. Cui Chronologiæ primâ specie Marcellinus favet. Re tamen accuratius pensitatâ nostræ sententiæ præsidio est: *Secunda Orfiti Præfectura, Constantius transcurso Ocriculo, cùm urbi appropinquaret.* Primam Orfitus Præfecturam egerat à VI. Id. Decemb. anni CCCLIII. Constantio VI. & Gallo II. Coss. ad annum usque sequentem. Est ergo secunda Orfiti Præfectura anno præsenti assigenda, ut Marcellinus ipse testatur: *Administrante secundam adhùc Orfito Præfecturam Obeliscus Romæ in Circo erectus est Maximo.* Collocatur verò anno præsente, Constantio IX. & Juliano II. Coss. Consentiunt & Fasti Idacii: *Constantio IX. & Juliano Cæsare II. Coss. introivit Constantius Augustus Romam IV. Kal. Maias, & edidit XXXV.* Neque alia mens est Autori Chronici Alexandrini, qui ad hunc ipsum annum hæc habet: *Constantius Augustus propter Vicennalia sua, tum ingenti pompâ & apparatu Romam venit, & cum eo uxor Eusebia.* Non tamen præsenti anno, ut Clariss. tradit Harduinus annotationibus in IV. Orationem Themistii, sed sequenti, Constantii in urbem ingressum alligat Hieronymus. Ibi dies non XIV. sed triginta Princeps commoratur: *Sæpè cùm equestres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superba, nec à libertate coalita desciscentis, reverenter modum ipse quoque debitum servans.* Cupiebat Imperator Romæ diutius morari, ut otio, voluptatibusque frueretur. Hæc cogitanti affertur nuntius, *Suevos Rhætias incursare, Quadosque Valeriam & Sarmatas, latrocinandi peritissimum genus, superiorem Mœsiam, & secundam populari Pannoniam. Quibus percitus, tricesimo postquam ingressus est die, IV. Kal. Junias ab urbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum festinavit.* Ut Sirmium venit, ab Ursicino literis accito conventus est: *Librarisque diu super pace consiliis, quam fundari posse cum Persis Musonianus retulerat, in Orientem cum Magisterii remittitur potestate.*

Marcell. l. 16. c. 10.

Marcell. l. 17. c. 4.

Marcellin. l. 16. c. 10.

Juliani ingens de Alamannis victoria.

III. Intereà Alamannos excursibus suis Galliæ molestos, gravi clade conterit. Dum exactâ apud Senones hyeme Remos properat, Barbari ad *campestria furta solertes*, Lugdunum invadunt: popularamque cremassent, nisi clausis aditibus repercussi, quidquid extra oppidum inveniri potuit, vastassent. Prædam tamen omnem recepit Julianus, observatis itineribus, per quæ erupturos grassatores noverat. Novo præclarioreque facinore gloriam sibi comparat. Barbari subitaneo impetu, *Barbationem* peditum Magistrum aggressi, captâ parte sarcinarum, jumentorumque maximâ, ad suos redierant. Quo cognito, Alamannorum Reges, *Chnodomarius & Vestralpus, Urius, Ursicinus*, cum *Serapione, Suomario, & Hortario*, junctis viribus, *Argentoratum* veniunt, recessisse *Julianum* arbitrati. Nativum Chnodomarii supercilium augebant læti successus. Fratrem Magnentii Decentium Cæsarem, æquo Marte congressus superaverat, opulentas civitates complures vastaverat. Adjuvabat audaciam scutarius transfuga, qui XIII. tantùm millia post Arbetionis fugati discessum, cum Juliano remansisse docebat. His elati Barbari, missis Legatis, Cæsari mandant, terris abscedat virtute sibi quæsitis. Spreto fastu barbarico, Julianus Legatos detinet, donec castra munirentur. Ut pugnare decretum est, exclamat subitò Signifer: *Perge, felicissime omnium Cæsar, quò te fortuna prosperior ducit. Tandem per te, virtutem, & consilia militare sentimus.* Chnodomarius belli totius incentor, verticem flammei toruli insignitus, cornu sinistrum ducebat, dextrum latus *Serapio* agebat, adultæ lanuginis juvenis, efficacia præcurrens ætatem. Hos sequebantur potestate proximi Reges; numero quinque, Regales decem, Optimatum series magna, armatorumque millia triginta quinque ex variis nationibus. Tum subitò Alamannorum peditum clamor auditur, *Relictis equis; secum oportere versari Regales, ne si quid contigisset adversum, desertâ miserabili plebe, facilem discedendi copiam reperirent.* Hoc comperto, Chnodomarius jumento statim dissiluit, idem & alii faciunt. Commisso prælio, Romanorum equites, quorum Rector leviter vulnerabatur, inconditè discesserunt, quos Julianus ad pugnam reduxit. Post diuturnum ancepsque prælium Romani potiuntur victoriâ. Vitam Rheni fluctibus commit-

mittunt Barbari, quos milites R. telis confodiunt. Chnodomarus, qui nonnisi Rheno transito ad territoria pervenire poterat, vultum ne agnosceretur operiens, sensim retulit pedem. Dum ripis proximus, glutinosam calcat paludis mollitiem, equo labitur. Ad vicinum tamen collem evaserat, cum à Tribuno agnitus, insequenti se dedit. Comites ejus ducenti numero, & tres amici junctissimi, flagitium arbitrati post Regem vivere, vel pro Rege non mori, se vinciendos tradidere. Ceciderunt in hac pugna Romani CCXLIII. Rectores verò quatuor, Bainobaudes Cornutorum Tribunus, Laipso, Innocentius Cataphractarios ducens, & Tribunus quidam. Ex Alamannis verò sex millia *corporum inventa sunt in campo constrati, & inæstimabiles mortuorum acervi per undas fluminis ferebantur.* Plus æquo Juliani gloriæ studens Zozimus, sexaginta hominum millia in prælio, aliaque totidem in Rheno extincta fuisse tradit, cùm ante pugnam XXXV. duntaxat Germanorum millia numerarentur in exercitu. Julianus à militibus Augustus appellatus, ut agentes petulantius increpat: *Id se nec sperare, nec adipisci velle, jurando confirmans.* Chnodomarus ad Victorem adductus, *humi suppliciter fusus*, gentili prece veniam poscit. Paucis posteà diebus ductus ad Comitatum, *Missusque exinde Romam, in Castris Peregrinis, quæ in monte Cælio sunt, morbo veterni consumptus est.* Transito dein Rheno Julianus Germanorum vicos incendit, Trajani munimentum reparat. Francos Germaniam secundam vastantes obsidet, quibus peractis, Parisios hyematum venit. Imperii rebus succedant Ecclesiasticæ.

Marcellin. l. 16. c. 21.

Synodus Melitinensis. Ejus Acta. Eustathius Sebastenus quis?

IV. Minoris Armeniæ urbs est *Melitene*, in qua Synodus congregatur, cujus obscura satis Veterum in monumentis memoria. Quibus autem causis, vel temporibus celebrata est, prorsus nescimus. Huic Cyrillum interfuisse conventui, scriptum reliquit Sozomenus. Communicavit *cum Eustathio & Elpidio, qui Decreta Melitinensis Synodi, cui ipse quoque interfuerat, abrogare studuerat.* Unde conjecturâ ducimur ad opinandum, non magni quidem pretii fuisse Synodum, cujus leges Cyrillo Hierosolymitano, viro integræ fidei, rescindere in votis erat, & Arianis potius quàm Orthodoxis constitisse. Eusebium Presbyterum loco movet, quem *Elpidius Satalarum* Armeniæ Episcopus pristinum in locum restituit. Non Presbyterum modò, sed Episcopum quoque dignitate suâ privat, Eustathium scilicet Sebastiensem, qui sententiæ tamen in se latæ non obtemperavit. Adfuit enim Ancyranæ Synodo paulò ante Pascha anni sequentis coactæ: & Melitinensium Decreta subvertere conatus est, quod Eustathio tandem in exitium cessit, qui ea de causa in Synodo Constantinopolitana abdicatus est. Melitinensem oblivioni dedit Labbeus, in sua Conciliorum Collectione maxima, quam tamen memorant Basilius atque Sozomenus. Ex Historiæ tenore atque serie, Conventum eum currentem in annum conferri posse censemus. Porrò nomen ipsum *Eustathii* admonet subjungere nonnulla de homine qui actum agit Antiquitatis in scena. Innotescat versipellis ex verbis Basilii M. Epistolâ 74. Eustathius *olim institutus ab Ario, cùm is Alexandria florens impias adversus Unigenitum Dei blasphemias strueret, sectatus illius, & inter selectissimos discipulos connumeratus fuit. Posteà quàm verò à B. Hermogene Cæsareæ Episcopo propter impiam opinionem condemnaretur, confessionem illi obtulit sanæ fidei, atque ita manus impositionem ab ipso obtinuit. Ubi verò diem obiit Hermogenes, mox ad Eusebium Constantinopolitanum se contulit, qui & ipse quidem impium Arii dogma tuebatur. Inde posteà quibusdam ex causis pulsus ad patriam sese recipiens, denuò erroris purgationem obtulit, sed ita, ut celatâ & obtectâ mentis impietate, quandam exhiberet verborum rectitudinem. Mox verò ubi utcunque adeptus est Episcopatum, Anathema contra homousion, in Synodo Ancyra habita, scripsisse deprehenditur.*

Sozom. l. 4. c. 25.

Id. Ibid.

Quantum conjicere datur, anno CCCLVI. Eustathius Episcopatum ingressus est. Porrò etsi Religionem quod attinet, fuerit Protheo mutabilior, mores tamen facilè tuebatur, si credimus Epiphanio: *Quod ad ejus vitæ institutum attinet, non paucis admirationem peperit, qui utinam ad rectam ac sinceram fidem adhæsisset.* Ex Epiphanii Basiliique testimoniis multa nascuntur discrimina, Sebastenum Eustathium inter atque illum Eustathium, quem Gangrenses damnavere, quos tamen Socratem Sozomenumque secuti, complures eruditi permiscent. Eustathii Sebasteni vitamne laudasset Epiphanius, iis infectam moribus, quos Gangrenses vexarunt? Prætermisissetne Basilius, dum suis nostrum Eustathium coloribus pingit, ipsum nuptias accusavisse, docuisse quòd nullus conjugio utens, spem apud Deum habeat: spretis communibus indumentis, vestes insolitas sumpsisse aliaque hujusmodi multa, ob quæ Eustathius Gangrensibus fulminibus percussus est? Basilius quidem, qui geminam Eustathii Sebasteni abdicationem memorat, priorem in Melitinensi, posteriorem in Constantinopolitano Conventu factam, utique Gangrensem nullus præteriisset, utpote notabiliorem.

Epiphan. h. 75. n. 2.

Sirmiense Conciliabulum. Potamius quis?

V. Non satis erat Arianis, Arelatensis, Mediolanensisque Conciliabuli præsidio cingi. Impetrant etiam à Constantio, Sirmiensem Conventum, ab illa Synodo, quæ Photinum damnationis fulmine prostravit, multum diversum. Quæ differentia nec Socrati observata, nec Baronio multa sanè fraudi fuit. Hoc igitur anno Episcoporum factio quædam in veritatem armatur. Aderant Valens, Ursacius, Germinius, erroris signiferi. Præsentiam quoque suam attulit *Potamius*, Odyssiponæ civitatis Episcopus. Quis verò fuerit ille *Potamius*, ex Faustini Libello sciri potest: *Potamius primùm quidem fidem Catholicam vindicans, posteà verò præmio fundi fiscalis, quem habere concupiverat, fidem prævaricatus est. Hunc Osius de Corduba apud Ecclesias Hispaniarum, & detexit, & repulit, ut impium Hæreticum. Sed & ipse Osius Potamii querelâ accersitus ad Constantium Regem.* Conjurant ergo Arianæ sectæ Principes, ut in fidem editâ confessione grassarentur: *Cùm nonnulla de fide putaretur esse disceptatio, diligenter apud Sirmium tractata sunt & discussa, præsentibus Sanctissimis fratribus, & Coëpiscopis nostris Valente, Ursacio, & Germinio, & cæteris.* Diligentis autem tractationis hujus Decretum hoc est: *Quod verò quosdam haud multos movebat de substantia, quæ Græcè usia appellatur, id est, ut expressius intelligatur, homousion, quod dicitur, anthomousion, nullam omninò fieri oportere mentionem, nec quenquam prædicare, ea de causa & ratione, quòd nec in Scripturis Divinis contineatur, & quòd super hominis scientiam sit, nec quisquam possit Filii nativitatem enar-*

B. M. P. c. 5. 654.

ANNO DOM. 357.

Socrat. l. 2. c. 30.

enarrare. . . . Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, claritate, majestate, & ipso nomine Patris majorem esse. Sic Hilarius habet. Græca verò Ariano veneno magis imbuuntur; majorem quippe Patrem dicunt θεότητι, *Deitate*. Edita quidem Romano sermone est, sed in Græcum deinde transfusa, teste Athanasio. Verè tamen ut dicamus, *majestas*, non satis aptè vertitur θεότης.

Lapsus Osii num sub vitæ finem resipuit? Potamii exitus infelix.

VI. Ut Osii constantiam expugnarent Ariani, miserum senem modis omnibus vexant. Lapsus erat annus integer, dum exilium patitur. Cujus incommodis cum non cederet, struuntur in affines ejus insidiæ, exangui senilique corpori plagæ inferuntur, ut subscriptionem extorquerent, quam & tandem impetrarunt: *Cùm ille consentire renueret, verbera & tormenta inflixerunt seni. Itaque vi & necessitate adactus, editis tum fidei expositionibus consensit atque subscripsit.* Infelicem viri, qui hactenus admirationi fuerat, casum, non diffitetur Athanasius, qui ex senectutis imbecillitate nocenti excusationem parat. Constantius *tantam vim intulit seni, & ita eum arctè tenuit, ut afflictus, attritusque malis, tandem ægrèque cum Ursacio, & Valente communicarit, sed tamen ut contra Athanasium non subscriberet.* Sic crimine uno palmas ipse sibi omnes eripuit, jam maturo propior funeri. Qui suam æternæ gloriæ famam commendarat, condendo Nicæno Symbolo, lugendum simul & legendum posteris reliquit *exemplum blasphemia apud Sirmium per Osium, & Potamium conscripta*, ut Hilarius habet. Quanto & se honore, & Ecclesiam gaudio affecisset, si spretis omnibus injuriis dixisset:

Athan. ad Solit. 841.

Et hic est animus, lucis contemptor.

Facilis descensus erroris, sed revocare gradum, hoc opus, hic labor est. Si qua Faustino fides, atque Marcellino, exitii sui socios sibi quæsivit Osius: *Minis perterritus, & metuens ne senex & dives, exilium proscriptionemve pateretur, dat manus impietati, & post tot annos prævaricatur in fidem, & regreditur in Hispanias majore cum auctoritate, habens Regis terribilem jussionem, ut si quis eidem Episcopus jam facto prævaricatori minimè velit communicare, in exilium mitteretur. Sed ad Sanctum Gregorium Eliberitana civitatis Episcopum constantissimum, fidelis nuntius detulit impiam Osii prævaricationem. Unde non acquievit, memor sacra fidei ac divini judicii in ejus nefariam communionem.* Clementinus Vicarius Gregorium exhibere jubet: *Osius scripto Imperatoris utitur, sed Gregorius scripta divina vocis obtinet. Et cùm per omnia Osius confutatur, ita ut suis vocibus, quas pro fide & veritate prius scripserat, vindicaretur, commotus ad Clementinum Vicarium, Non, inquit cognitio tibi mandata est, sed executio: vides ut resistit præceptis regalibus, exequere ergo, quod mandatum est, mitte eum in exilium.* Clementius licet Ethnicus, ne Episcopum ejiceret, ab Osio petit ut Gregorium munere suo exuat, quo facto in ipsum, veluti ad privatum hominem redactum, sententiam sese executioni mandaturum: *Ut autem vidit Sanctus Gregorius, quòd Osius vellet dare sententiam, ut quasi dejectus videretur, appellat ad verum & potentem Judicem Christum, totis fidei suæ viribus exclamans, Christe Deus, qui venturus es judicare vivos & mortuos, ne patiaris hodie humanam proferri sententiam adversus me minimum servum tuum, qui pro fide tui nominis, ut reus assistens, spectaculum præbeo. Sed tu ipse, quæso, in causa tua hodie judica; ipse sententiam proferre digneberis per ultionem.* Non ad caducas preces Gregorius decurrit: *Ecce repente Osius cum sententiam conatur exponere, os vertit, distorquens pariter & cervicem, de sessu in terram eliditur, atque illic expirat, aut, ut quidam volunt, obmutuit.* Neque commenta hæc esse videntur: *Scit omnis Hispania, quòd ista non fingimus.* Vix eò quidem impudentiæ processissent Faustinus & Marcellinus, ut patenti mendacio Imperatoribus illusum vellent. Ac eò magis falsitas ab ea narratione abesse credenda, quòd Theodosius, Principum unus, quibus libellus offerebatur, Hispanus erat. Extat in Fragmentis Hilarii, *Eusebii* Vercellensis ad Gregorium Illiberitanum Epistola, quâ liquet, Osii conatibus Gregorium totis viribus obstitisse: *Literas sinceritatis tuæ accepi, quibus ut decet Episcopum, & Dei sacerdotem transgressori te Osio didici restitisse, & plurimis cadentibus Arimino, in communicatione Valentis, & Ursatii, & cæterorum, quos ipsi agnito blasphemiæ crimine antè damnaverunt, assensum tuum denegasse, fidem scilicet servans quam Patres Nicæni scripserunt.* Non pugnamus tamen, quin quæ magnum passa deliquium, Osii fides tandem restituta sit: quod testatur Athanasius. Osius attritus malis, tandem ægrè cum Ursacio, & Valente communicavit, non tamen contra Athanasium subscripsit: *Verùm ne ita quidem eam rem pro levi habuit. Moriturus enim quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam hæresim damnavit, vetuitque eam à quoquam probari, & recipi.* Vox *moriturus* est etiam atque etiam observanda. Quâ ex ipso Athanasio discimus, paulò antequam extremum spiritum mitteret, Osium ad frugem rediisse: ut in isto homine, hinc virorum illustriorum fragilitas, inde efficacia gratiæ, in insigni positæ monumento cernerentur: quo ex fragilitate ad humilitatem; ex resipiscentia ad consolationem erudiremur. Post lapsum triennio circiter vitam Osius retinuit, quam anno CCCLX. profudisse videtur, centenario major. Cujus spatii partem in Episcopatu maximam egit, quem ad minimum LX. annis tenuit. Extat apud Athanasium, digna Confessore Osii Epistola. Ad sororem quoque suam de laude Virginitatis Epistolam scripsisse dicitur. Quid verò Potamio Osianæ blasphemiæ socio contigerit audiamus: *Sed & Potamio non fuit inulta sacra fidei prævaricatio. Denique cùm ad fundum properat, quem pro impia fidei subscriptione ab Imperatore meruerat impetrare, dans novas pœnas linguæ, per quam blasphemarat, in via moritur, nullos fructus fundi vel visione percipiens.*

ANNO DOM. 357.

Faustini Libel. 655.

Hilar. Fragm l. 2.

Athan ad Solit. 841.

B. M. P. t. 5. 655.

Sirmiensis blasphemia revocatur. A Gallis impugnata.

VII. Sirmiensis blasphemia Potamii literis est commendata. Hoc nos docuit Phæbadius *Agenni Galliarum* Episcopus, qui egregio tractatu, dum inter homines Osius etiamnum versatur, Confessionem Sirmiensem impugnavit. In Patripassianorum errorem delapsum esse Potamium, his monemur: *Epistola Potami, quæ ab Oriente & Occidente transmissa est, quâ asserit, carne & Spiritu Christi coagulatis, per sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis, passibilem Deum factum.* Porrò ut apud omnes Confessio valeret, fautores ejus, magnum Osii nomen, à quo vel conscripta, vel sanè subscripta fuit, ostentabant. Quibus hæc memoranda Phœbadius respondet: *Non sum nescius . . . antiquissimi Sacerdotis, & prompta semper fidei Osii nomen, quasi quendam in nos arietem temperari, quo contra-*

Phœb. contra Arian. pag. 301.

B. M. P. t. 4. 305.

Anno Dom. 357.

traditionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam, brevi admodum sermone respondeo. Non potest ejus autoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim mundus, qua in hanc tonuerit ætatem, quâ constantiâ apud Sardicum, & in Nicæno tractata assensus sit, & damnaverit Arianos. Quid si diversa nunc sentit, & quæcunque ab eo retrò damnata fuerant, defenduntur; quæ defensa damnantur. Rursum dico, non mihi ejus autoritate præscribitur. Nam si nonaginta fere annis malè credidit, post nonaginta illum rectè sentire non credam. Missa est & in Gallias, & in alias imperii regiones Sirmiensis Confessio. Quâ non uni Phœbadio, sed aliis quoque Galliæ displicuit Episcopis: *Epistolam quam à vobis de homoüsio & homoeusio, expositione apud Sirmium, Valens, & Ursacius, & Germinius poposcerunt legi, intelligo in quibusdam non minus circumspectam esse, quàm liberam.* Ea tamen Gallis sententia sedebat, abdicandum esse *homousii* vocabulum: *Quia per verbi hujus enuntiationem Substantia prior intelligeretur.* Quos gravibus Hilarius argumentis monet ab ea mente discedere. Infelicis tamen monstri autoritas brevis ævi fuit: à parentibus sanè suis prorsus extingui curatum est, quod displiceret: *Sciendum autem est Episcopis, qui Sirmii convenerant, Latinam illam formulam à se editam, postea displicuisse. Visa enim est illis, multa complecti inter se pugnantia. Quocircà operam dederunt, ut eam ab illis qui descripserant, reciperent. Sed quoniam multi occultabant, Imperator Edicto præcepit, ut exemplaria ejus omnia conquirerentur; pœnam exterminatus, si quis eam occultasse deprehenderetur. Verum semel editam nulla mina abolere potuerunt, quippe quæ in multorum manibus jam pervenisset.* Anno sequente à Constantio revocata est, monentibus *Basilio* Ancyrano, *Eustathio* Sebastiæ, *Eleusio* Cyzici, Ancyranæ Synodi Legatis, quæ Sirmiensem Confessionem damnavit, ut explicabitur.

Hilar. de Synod. 331.

Socrat. l. 2. c. 30.

Anno Dom. 358.

ANNO U.C. IIII. PER. JUL. 5071. JUL. 403. DOM. 358. CONSTANTII 22. *Sol.* 3. D. *Lun.* 17. *Indict.* 1. *Epact.* 3. *Epact. Sol.* 4. P. 12. *April.*

COSS. *Neratius Cerealis & Datianus.*

Saporis ad Constantium de pace literæ. Persæ respondet Constantius.

I. DUm Sapor in extremis regni suis limitibus non sine multo sanguine Chionitas & Gelanos Persis infensissimos pellit, Musonianus Præfectus Prætorio, assumpto in deliberationem Cassiano Mesopotamiæ Duce, missis ignotis militibus, Tampsaporem Ducem Romano limiti contiguum adigebat, ut de pace Saporem sollicitaret. Icto cum Chionitis & Gelanis fœdere, ad sua revertens Persarum Princeps, hoc anno Tampsaporis accipit Epistolas, quibus monebatur à Constantio pacem quæri. Sapori pacis nomen non displicuit. Debilitatis viribus in eam descendere Constantium arbitratus, misso cum muneribus Narseo Legato, superbas Imperatori literas scribit: *Rex Regum Sapor, particeps Syderum, frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem plurimam dico.* Narrat Majores suos *ad usque Strimona flumen & Macedonicos fines tenuisse*: hæc se flagitare æquum fore: sed cùm cordi sibi sit moderatio, velle se Armeniam recuperare, & Mesopotamiam avo suo præreptam: *Si morem gerere suadenti volueris rectè, contemne partem exiguam, semper luctificam & cruentam, ut cætera regas securus.* Februarii vigesimo tertio Legati Constantinopolim veniunt, ut in Fastis Idacianis observatum: *Datiano & Cereale Coss. introierunt Constantinopolim Legati Persarum, die VII. Kal. Martii.* Non ea tamen legatio est, quam in Oratione X. memorat Themistius, ut sibi persuasit Valesius: *Nuper Antiochiæ Caduceatores vidi à Susis, & Ecbatanis missos, cum literis bysso candidâ involutis, quibus petebatur à Præfecto, ut fœdus cum Imperatore Persis impetraret.* Quippe Oratio hæc Themistii anno superiore, dum Romæ Constantius agebat, est recitata. Rescripsit verò Sapori Constantius: *Victor terrâ marique Constantius semper Augustus, fratri meo Sapori Regi salutem plurimam dico. . . Pacem non refutamus, nec repellimus, adsit modò cum decore & honestate, nihil pudori nostro prærepturam, vel majestati. Est enim absonum & indecens, ea prodere, quæ contracti in Orientales angustias diu servavimus illibata.* Legatio Persica cùm nullo impetrato remissa foret, post paucissimos dies secutus est *Prosper* Comes, & *Spectatus* Tribunus, & Notarius, *Eustathiusque* Philosophus, Imperatoria scripta perferentes & munera. Sed oblatas conditiones urgente Sapore infecto negotio rediere.

Anno Dom. 358.

Marcellin. l. 17. c. 5.

Constantii cum Quadis fœdus. Fraus Limigantium. Sedibus transferuntur.

II. Dum per hyemem Sirmii quiescit Constantius, Sarmatæ & Quadi Pannonias Mœsiarumque alteram junctis viribus infestant. Hisce Barbaris *hasta sunt longiores, & loricæ ex cornibus rasis & levigatis, plumarum specie, linteis indumentis innexæ.* Verno Æquinoxio confecto, Imperator coactâ militum manu, ponte ex navibus facto exundantem Istrum transgressus, Barbarorum regiones populatur. Ad insperatum exitium omnes arripiunt fugam. Diripiebatur ea pars Sarmatiæ, quæ secundam prospectat Pannoniam, nec non ille tractus, qui è regione *Valeria* situs est. Dum ad Quadorum regna Romani properant, Barbari rogaturi suppliciter pacem, Principis ad conspectum veniunt. *Zizais* Regalis, viso Constantio, abjectis armis pectore toto procubuit exanimis, & amisso vocis officio præ timore majorem misericordiam movit: *Recreatus tandem, jussusque exurgere, genibus nixus, usu linguæ recuperato, concessionem delictorum sibi tribui postulavit & veniam.* Duxerat cum cæteris Sarmatis etiam Rumonem, Zinafrum, Fragilodum *Subregulos*, plurimosque Optimates, spe impetrandi similia petituros. Offerentibus se Romanæ ditioni æquitas prævaluit: jussi suas obtinere sedes captivos reddidere. Sarmatis etiam venia concessa, miseratione digni. Clandestina conjuratio servos armaverat in Dominos, qui victi ad *Victoalos* confugerant, obsequi defensoribus, quàm mancipiis servire suis optabilius arbitrati. Poscentibus post veniam præsidia Constantius nulli nisi Ducibus Romanis parere præcepit. Atque ut restitutio libertatis haberet dignitatis augmentum, *Zizain* Regem iisdem præfecit. Exinde ad Limigantes Sarmatas servos Imperator signa transfert. Impunè multa nefaria gens ea perpetrata: *Deliberatum est tamen, id quoque lenius vindicari, quàm criminum magnitudo poscebat, hactenus ultione porrectâ, ut ad longinqua translati amitterent copiam* Romanos tractus vexandi. Delectum validæ juventutis, servitiumque spondent subire parati, si juberentur aliorsum migrare. Ubi ad citeriorem *Parthisci* fluminis, *Teisse* hodie vocat, ripam venere, negant se jussa facturos, ne militis præsentiam

Marcellin. l. 17. c. 12.

ANNO DOM. 358.

sentiam formidasse viderentur. Constantius ne *ferocirent, lenius admonebat.* Illi projectis consultò longius scutis, ut ad ea recuperanda sensim progressi, sine ullo fraudis indicio spatia furarentur, vergente in vesperum die, in Principem impetum conferunt. Imminentes Imperatori impetu facto disjicit exercitus. Barbarorum nullus aut ferrum projecit, aut exoravit celerem mortem. Semihoræ curriculo tot procubuere, ut pugnam fuisse sola victoria declararet. Avidus barbarici sanguinis miles ferro, flammis omnia vastat. Quibus permoti, adhibito Seniorem consilio, Romanis se dedunt. Acceptâ publicâ fide, & deserto montium propugnaculo, cum parentibus, natis, conjugibus, opibus, quas celeritas discessus auferre permisit, in alias regionea migrare jubentur. His egregiis facinoribus Constantius *Sarmatici* nomen sibi pepetit. Reductus ad regiam otio bidui recreatus, Sirmium cum pompa triumphali regreditur.

Marcellin. l. 17. c. 13.

Julianus Germanos cogit ad fœdus.

III. Julianus præclaris quoque facinoribus famam extendit suam. Hyeme apud Parisios actâ Julium mensem expectabat, *Unde sumunt Gallicani procinctum exordia.* Cùm multa volutasset in animo, citius Barbaris occurrere decernit. Ad viginti dies ex frumento buccellatum parat. Quo subsidio fretus, primos *Salios* petit Francorum partem vi Saxonum in Bataviam Insulam, & vicina loca suis sedibus expulsos. Missâ legatione pacem eâ conditione petunt, ne ullo modo vexentur. Redeuntes secutus, misso Severo subitò cunctos aggreditur. Quod adeò gentem terruit, ut migrare in orbem Romanum peterent. Agros itaque petentibus dedit, & Barbaris adversus Barbaros auxiliaribus usus est. Chamavos, qui ad ostia Rheni sedem habent, partim cecidit, partim acriter resistentes compegit in vincula. Supplicibus pacem tribuit, eâ lege, ut ad sua redirent incolumes. Victoriæ lætitiam improvidum Juliani consilium interpellat. Ex annona dierum XVII. quam cervicibus suis miles gerebat, portionem substractam condit in castris, sperans ex Chamavorum segetibus supplere quod abstulerat. At frugibus nondum maturis, consumptâque quæ portabatur annonâ, milites probris Julianum incessunt: *Asianum, Graculum, fallacem, & specie sapientiæ stolidum ipsum vocant.* Lenito tumultu Julianus superato Rheno Germaniam ingreditur. Tum Severus Equitum Magister antehàc bellicosus & industrius, eò timiditatis delabitur, ut ductores viarum ultima minitando terreret, ni se loca penitùs ignorare dicerent. Quo factum, ut nusquam deinde progrederentur. Inter has moras Rex *Suomarius* ultrò pacem flexis genibus orat. Quæ supplici eâ lege concessa est, ut captivos redderet, & quoties necesse sit, militibus alimenta præberet. Inde *Hortarii* Regis ditio petitur, qui visis & legionibus, & vicorum ambustorum reliquiis, orat ipse veniam captivos restituere universos pollicitus. Spretâ verò juramenti religione, cùm detentis plurimis paucos reddidisset, Julianus quatuor comites *Hortarii*, quorum ope & fide maximè nitebatur, non antè dimisit, quàm captivi omnes redirent. Ad colloquium à Cæsare accitus ad sua remeare permissus est his conditionibus, ut ad reparandas urbes vi Barbarorum excisas, carpenta & materias suis ex opibus præberet. Hæc prosperè gesta Aulicis erant ludibrio, qui sine modo strepebant insulsè: *In odium venit cum victoriis suis capella, non homo.* Quâ dicacitate hirsutum Julianum carpebant, quem *etiam loquacem talpam, & purpuratam simiam* appellabant.

Marcellin. l. 17. c. 8. &c. Zozim. l. 3. &c.

ANNO DOM. 358.

Nicomedia terræ motu evertitur: pereunt unà Cecropius & Arsacius.

IV. Non inito duntaxat cum Barbaris fœdere, sed stragibus etiam movente tellure editis annus insignis sunt. Gravi quippe concussa motu Bithyniæ Nicomedia funditùs evertitur: *Primo lucis exortu die IX. Kal. Sept. concreti nubium globi nigrantium, lætam paulò antè cæli speciem confuderunt, & amandato Solis splendore, nec contigua vel apposita cernebantur. Dein velut numine summo fatales contorquente manubias, ventosque ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit procellarum & elisi litoris fragor; hocque secuti typhones & presteres, cum horrifico tremore terrarum civitatem & suburbana funditùs everterunt.* Secundâ feriâ clades hæc miserandam urbem incessit. Corruit Ecclesia, quæ illic magnificè extructa erat. Ex Episcopis *Cecropius* Nicomediæ Antistes, & alius præterea, ex Bosphoro extra Ecclesiam oppressi sunt. Ferunt *Arsacium* Monachum calamitatem prævidisse: ad Ecclesiam profectum Clericis mandasse, ut ad imminens supplicium avertendum Deo supplicarent, in turrim suam dein reversum, mori maluisse, quàm oculis suis cernere ruinam urbis, in qua Christi notitiam acceperat. In turre, quæ inconcussa steterat, mortuus reperitur, pronus humi jacens eodem habitu, quo orationem fuderat: *Erat hic natione Persa, qui cùm alendis Imperatoris leonibus præpositus militaret, non ignobilis inter Confessores Principatu Licinii extiterat. Abjectâque militiâ in arce Nicomedia intra urbis muros commorabatur Monastica disciplina studiis sese exercens.* Tanta fuit urbis opulentissimæ, regiisque ædificiis ornatæ calamitas, ut Julianus Constantii post obitum, cadaver civitatis ingressus, non temperavit à lachrymis: *Cujus mœnia cùm vidisset in favillas miserabiles consedisse, angorem animi tacitis fletibus indicans, pigriore gradu pergebat ad regiam.* Hoc ingens excidium impedimento fuit Synodo, quam in ea civitate cogi Constantius præceperat. Pars Episcoporum jam iter ingressa fuerat, cùm Nicomediensis cladis nuntius affertur.

Marcellin. l. 2. c. 7.

Sozom. l. 4. c. 16.

Marcellin. l. 22. c. 9.

Socrat. l. 2. c. 39.

Ætius Hæreticus.

V. Ex hoc campo rerum imperii ad illas Ecclesiæ revocamur. Quæ ut aptâ serie connexa deducantur, ab Ætio initium nobis est faciendum, utpote qui magnis rebus, quæ præsentem annum nobilitant, præbuerit occasionem. Ætius ex Antiochia Syriæ ducebat originem. Relictâ culturâ vineæ, quam possidebat, fabrilem artem amplexus, sub exili tugurio necessaria vitæ sibi comparavit. Accepto ab uxore militis aureo monili, ut fractum repararet, æneum reddidit, specie simile ob illitum aurum. Deletâ lapsu temporis tincturâ, fur in jus vocatur. Qui cùm debitas sceleri pœnas luisset, arte suâ jurejurando sese abdicat. Philostorgius verò, cui res Ætii probè notæ erant, narrat, ipsum post defunctam matrem relictâ aurificinâ, ad Logicæ studia se convertisse: ac brevi in disputando plerosque superasse. Auditor Paulini fuerat, Antiocheni Episcopi, cui defuncto eùm Eulalius substitutus esset, Antiochiâ expellitur. Inde Ciliciæ urbem *Anabarzum* reversus, artem suam denuò exercuit, ad victum sibi comparandum. Admissus in domum Grammatici, qui ipsius ingenium mirabatur, præceptis artis hujus imbuitur. Magistrum verò suum, tanquam divina oracula minus rectè explicantem, cùm aliquando publicè redarguisset, ex domo ejus pellitur. Ad medicinam

Nyssen. l. 1. contr. Eun. 291.

Philostor. l. 3. c. 15.

dicinam conversus, Magistrum *Sopolim* habuit. Cum ex hoc vitæ genere pinguior ei obvenisset fortuna, artem medicam deseruit. Tum temporis Arii opinionibus loca omnia personabant. Visum igitur Ætio migrare Alexandriam, quâ relictâ Antiochiam suam repetit, cujus Episcoparum Leontius gerebat, à quo ad Diaconi officium promotus est. Quo tamen munere fungi prohibetur, repugnantibus Flaviano, & Diodoro, qui fidei addicti molestè ferebant, hominem malis artibus innutritum ad sacros ordines extolli. Arii autem lolia animo comprehensa usque adeò excoluit, ut parentem hæreseos longè superarit. Cùm solertia suâ demum inclaruisset, ope *Theophili*, cui cognomen Indus, *Gallo* Cæsari familiaris, palatium ingressus, Principis in notitiam venit, qui & religiom, & eruditis favebat plurimum. Ut pulso Athanasio *Georgius Tarbasthentes* sedem Alexandrinam obtinuit, ad illum Ætius adiit: cujus utpote & popularis sui, & *ὁμοδόξῳ* consuetudine Georgius delectabatur. Porrò Logicæ argutiis solùm intentus, Clementem, Julium Africanum, Origenem viros omni doctrinæ genere excultos Ætius aspernabatur:

Socrat. l. 2. c. 35.

Composuit autem Epistolas tum ad Imperatorem Constantium, tum ad quosdam alios, in quibus longas instituit disputationes, quam ob causam Atheus est cognominatus. Eò etiam impietatis progressus est, ut assereret, *Revelata sibi fuisse ea, quæ Deus Apostolis ipsis usque in hodiernum diem occultasset.*

Theodorit. l. 2. c. 28.

Neque sui erroris dissimulatorem egit. Imo ab Arianorum partibus se ideò sejunxit, quòd Arium suscepissent, qui fidei Nicænæ, à qua animo erat alienissimus, decipiendo Constantino subscripserat. Multos quidem acuminibus suis ad Arianam disciplinam Ætius inflexit, præcipuè Eunuchos Palatii, *Eudoxiumque* Germaniciæ Episcopum. Hinc magna tumultuum dissensionumque seges in Ecclesia fuit, quarum causa de *Ætio* hæc observavimus, alia suo & loco, & tempore addituri.

Eudoxius Antiochenum Episcopatum arripit.

VI. Germanicia urbs est Euphratensis Provinciæ, sita in confinio Ciliciæ, Syriæ, Cappadociæ. Cujus civitatis Episcopum agebat *Eudoxius*. Dum in Occidente versatur, naturæ concessit *Leontius* Antiochenus. Stephano ob calumnias Vincentio Euphratæque Antistitibus structas, ejecto, successerat anno CCCXLVIII. Sedit autem *octennio*, teste Nicephori Chronologiâ: ex quo consequitur, anni proximi sub initia fata complevisse. Ut de Leontii obitu nuntius ad Eudoxium allatus est, petiit ab Imperatore, ut in Syriam reverteretur. Discedendi causam eam afferebat, Ecclesiæ Antiochenæ custode opus esse. Redeundi facultate impetratâ celeriter Antiochiam venit. Ejusque loci Episcopatum sibi assumpsit, repugnantibus Georgio Laodiceno Episcopo, Marco Arethusio, inter Syriæ Antistites præcipuis, nec non aliis Præsulibus, penes quos jus erat ordinandi. Hunc verò Episcopatum arripuit anno CCCLVII. Hæc porro nunc memoramus, utpote cum narrandis aptè connexa. Quippe Ætius relictâ Alexandriâ Antiochiam repetit, adducto secum Eunomio: *Cùmque Eudoxium idem cum ipso sentientem deprehendisset, & simul cum impietate Sybariticas quoque delicias consectantem, Antiochena urbis domicilium reliquis anteposuit.*

Sozom. l. 4. c. 12.

Theodorit. l. 2. c. 27.

Antiochenum Conciliabulum Anomæis favet.

VII. Dum eò loci res erant, advolat fama Sirmiensis Confessionis, cui Osius subscripserat, quâ vox & *Consubstantialis*, & *Similis* exterminabatur. Nil Eudoxio jucundius esse potuit. Eorum enim sententiæ fuit, qui Christum ex nihilo conditum esse prædicabant, quem totis viribus errorem *Ætius* adjuvabat. Eò igitur processit audaciæ, ut nefandi dogmatis patrocinium non modò palam susceperit, sed coactâ etiam Synodo voces Similis, Consubstantialisque eliminarit. Extat hujus Conciliabuli memoria apud Sozomenum: *Conventu Antiochiæ celebrato, unà cum Episcopis, qui eidem opinioni favebant, ex quorum numero erat Acacius Episcopus Cæsareæ Palæstinæ, & Uranius Tyri, unà cum Similis substantiæ vocabulo Consubstantialis etiam vocem rejicit, causatus Occidentales Episcopos idem decrevisse. . . Ad eos igitur, utpote qui Osio super ea re literas expressissent, Epistolam misit Eudoxius, gratias agens Valenti, Ursacio, atque Germinio, eorumque ministerio ascribens, quod Occidentales rectè sentirent.*

Sozom. l. 4. c. 12. 13.

Maximus huic Eudoxii facto iniquitatis cumulus accessit. Multi qui ejus conatibus resistebant, ab eo ejecti sunt. Misit etiam Constantio Presbyterum nomine *Asphatum*, acerrimum Ætiani dogmatis assertorem, qui gestorum confirmationem impetraret. Sub anni hujus initia coactum ab Eudoxio Conciliabulum esse, ex historiæ serie, circumstantiisque colligimus. Hæc sunt Anomæanæ hæreseos incunabula, quæ Filium Patri dissimilem prædicabat.

Ancyrana Semiarianorum Synodus.

VIII. Hæc Antiocheni Conventus Decreta Synodi apud Ancyram Galatiæ metropolim celebrandæ causas præbuere. Quos Eudoxius ex Ecclesia ejecerat, acceptis literis Georgii Laodicensis Episcopi, Basilium conveniunt Ancyranum, qui fortè ad dedicationem Basilicæ à se constructæ, multos vicinarum urbium Episcopos convocarat. Georgii autem Epistola sic se habet: *Dominis honoratissimis, Macedonio, Basilio, Cecropio, Eugenio, Georgius in Domino salutem. Ætii naufragium totam penè comprehendit Antiochiam. Etenim Eudoxius discipulos execrabilis Ætii, qui à vobis ignominiâ notati sunt, omnes suscipiens, in Clerum promovet, ipsumque Ætium Hæreticum præcipuo honore prosequitur. Succurrite igitur tantæ civitati, ne illius naufragio totus simul orbis abripiatur. Et in unum congregati quotquot convenire potuerint, ab aliis Episcopis subscriptiones postulate, eo consilio, ut Eudoxius, & Ætium ipsum ex Antiochena Ecclesia expellat, & discipulos illius in Clericorum album relatos expungat. Quòd si cum Ætio, Filium Patri dissimilem dicere perrexerit, eosque qui istud dicere audent, iis qui aliter dicunt anteponere, perit vobis urbs Antiochia.*

Sozom. l. 4. c. 13.

Quot Episcopi interfuerint, est dictu difficillimum. Supersunt XII. Antistitum nomina, qui Epistolæ Synodicæ subscripsere. Basilius, Eustathius, Hyperechius, Letoius, Heorticus, Gymnasius, Memnonius, Eutyches, Severinus, Eutychius, Alcimedes, Alexander. Tempus Synodi ostendit ejus Epistola: *Sacrosancta Synodus, quæ Ancyræ paulò ante Pascha variis ex Provinciis collecta est.* Quibus Baronii Chronologia, hanc Synodum in annum CCCLVII. conferentis, apertè coarguitur. Est enim impossibile, Pascha illud esse, quod anno superiore Martii XXIII. celebratum est. Licet enim fingamus Sirmiensem Confessionem, cui Osius subscripsit, ineunte Januario editam esse. Nùm satis spatii foret, ut Sirmio Antiochiam perlata, Eudoxium moveret ad Synodum indicendam, quâ Sirmiensis hæc blasphemia confirmaretur, vicissimque Antiochense Decretum ad Ancyrano-

Epiph. h. 73. n. 22.

Epiph. h. 73. n. 2.

rum

ANNO DOM. 358.

rum dein notitiam perveniens, medio circiter Martio rejiceretur? Longiore quidem quàm trimestri tempore omnibus his perficiendis opus fuit. Testantur verò se vehementer optasse, ut *post expositionem fidei, quæ in Synodo Antiochiæ propter Templi dedicationem collecta proposita est, ac deinceps in Sardicensi repetita, ubi fides quodam modo reformisse videtur, denique posteà quæ Syrmii propter Photinum gesta sunt, sed & post rationes illas, quas de uno quoque fidei capite, de Sardicensi illo Occidentalium ab Orientalibus dissidio interrogati nuper ediderunt, ejectis scandalis pax obtineret.* At cùm nonnulli Antiochiam, Alexandriam, Lydiam, & Asiam obeuntes, impietatis semina animis immitterent, eò se adigi, ut dogma Trinitatis distinctius & explicatius exponere opus habeant. Decernunt igitur, *Filium non æqualem esse Deo, neque principalem αὐθεντικὸς, ut Pater, sed ad similitudinem perducere.* Anathematibus verò eos obruunt, qui Filium & naturâ Patri dissimilem, & tempore posteriorem dicunt. Est tamen in Epiphanio anathema, quod in Hilario desideratur: *Si quis Patrem potestate simul & substantiâ Filii Patrem asserens, Consubstantialem, vel ejusdem cum Patre substantiæ Filium esse dicat, anathema sit.*

Epiph. h. 73. n. 9.

Epiph. h. 73. n. 11.

Epistolâ Constantius Ætium perstringit. Eudoxius Antiochiâ pellitur.

IX. Autoritate quoque Principis, Novatores obruendos esse, Ancyrani optimum putant. Deliguntur itaque Legati *Basilius*, Synodi Præses, *Eustathius* Sebastiæ, Eleusius Cyzici, & cum illis *Leontius* quidam, ex Imperatoris cubiculario Presbyter. Ut ad Comitatum pervenere, offendunt illic *Asphalium* Antiochenæ Ecclesiæ Presbyterum, Ætiani dogmatis fautorem, qui confectis rebus, quarum causâ advenerat, & literis à Constantio impetratis, reditum jam parabat. Postulant ab Imperatore Sardicensis, Sirmiensisque Confessionum confirmationem, quibus decretum erat Filium similem esse Patri. Hæresi ab Ancyranis Legatis indicatâ, Imperator Epistolam ab Asphalio recepit, ejusque loco hæc scripsit: *Victor Constantius Max. Augustus, Sanctæ Ecclesiæ quæ est apud Antiochiam. Eudoxius non à nobis missus advenit, nemo ita existimet. Longè aliter affecti sumus, quam ut talibus favere velimus... Planè ex verbis Ætium agnoscitis, & sectatores hæreseos illius, quibus hoc unum studium est, ut imperitam multitudinem corrumpant. Revocate in memoriam primos illos sermones, quibus demonstratum est, Servatorem nostrum esse Filium Dei, & similem Patri secundum substantiam. Verùm generosi isti, qui de Deo temerè proferunt quidquid in buccam venit, eò impietatis progressi sunt, ut & ipsi nova aliter quàm se res habet, comminiscantur, & alios docere conentur. At nos quidem planè persuasum habemus, id in caput ipsorum recasurum esse. Interim verò sufficiet à cœtibus Ecclesiasticis, & à publico conventu eos arceri.* Neque solæ à Constantio minæ proponuntur, verùm Antiochiâ excedere cogitur Eudoxius, ut à Philostorgio scripto proditum: *Basilius adjuncto sibi Eustathio Sebastiæ Episcopo, aliisque Ecclesiarum Præsidibus, Ætium præcipuè, deinde verò Eudoxium quoque apud Imperatorem accusavit, tum alia adversus eos confingens, tum quòd conscii ac participes fuissent conjurationis Galli. Sed & Theophilus iisdem calumniarum nexibus comprehensus est. Imperator igitur Basilio credens, ac præcipuè mulieribus, has enim Basilius ad partes suas traduxerat, Theophilum quidem exilio multatum, Heracleam Ponti relegavit. Eudoxium verò Antiochiâ excedere jussit. Ætium denique ac reliquos, qui unà cum illis erant, calumniatorum potestati tradidit. Ætium verò in potestatem Basilianorum delapsum, Pepusa Phrygiæ vicus exulem accepit. At Eudoxius in Armeniam ex qua oriundus erat recessit.* Consectaneorum quoque suorum pœnâ involvitur & Eunomius. Cum fama rerum, quæ à Basilio Ancyranaque Synodo gesta fuerant, Antiochiam perlata esset, Diaconi ordinatione susceptâ, Legatus ad Constantium mittitur, ut ea quæ decreta fuerant, rescinderentur. Verùm in itinere *captus à Basilianis, Middaium Phrygiæ relegatur.*

Sozom. l. 4. c. 14.

Philostor. l. 4. c. 8.

Philostorg. l. 4. c. 8.

Sirmiense Conciliabulum: fidei formula.

X. Ut & ab Ancyranis, & à Constantio *Eudoxii* præcammata de dissimili Filio sententia magis elideretur, placuit & in Conventu Sirmiensi proscribi. Synodi hujus meminit Sozomenus: *Scripserunt etiam Episcopi, qui Sirmium convenerant, ad Felicem qui tunc Romanæ Ecclesiæ præsidebat, & ad Clerum ejusdem civitatis, ut Liberium susciperent, atque ambo Apostolicam sedem gubernarent.* Notabilia hæc verba sunt: *Episcopi qui Sirmium convenerant.* Non paucos numero fuisse, his indicatur: *Cumque adessent Legati Episcoporum Orientis, convocatis Sacerdotibus, qui in comitatu erant,* &c. Quid est Synodus, si hæc non est? Ea quidem quæ Sirmii gesta sunt, non digna modò Synodo fuere, sed & illam flagitabant, atque exposcebant: *Cum ea quæ contra Paulum Samosatensem, & contra Photinum Episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochenæ Basilicæ editam, in unum tunc libellum conjecissent. Perinde quasi quidam sub obtentu vocis Consubstantialis, propriam hæresim stabilire conarentur, effecerunt ut Liberius, & Athanasius, Alexander, Severianus, & Crescens Africæ Episcopi, ei formulæ consentirent. Consenserunt pariter Ursacius, & Germinius Episcopus Sirmii, & Valens Mursæ, & quotquot ex Orientis partibus aderant Episcopi.* Equidem cùm apud Imperatorem Basilii, Eustathii, Eleusii, Ancyranorum Legatorum plurimum valeret autoritas, Episcopique multi in comitatu reperirentur, est propemodum incredibile, quòd à scribenda in Eudoxium confessione temperarint, ut error quem vel Imperator suâ ad Antiochenses Epistolâ rejiciebat, magis extingueretur. Adfuisse huic Synodo, quos Hilarius Episcopos memorat, existimamus, *Narcissum, Theodorum, Basilium, Eudoxium, Demophilum, Cecropium, Sylvanum, Ursacium, Valentem Macedonium, & alios.* Quam verò Ancyrani paulò ante Pascha Confessionem ediderant, ea proposita, vel similis sanè condita est. Itaque Consubstantialis, & dissimilis voces rejectæ. Hancque fidei professionem cum Valesio eam esse putamus, cui subscripsit Liberius, de cujus infelici casu nunc est tractandum.

Sozom. l. 4. c. 15.

Sozom. l. 4. c. 19.

Liberii causa fragilitatis. Confessioni subscribit & damnat Athanasium.

XI. Quam maximam in animo constantiam *Liberius* habuerat, qui auditâ *Vincentii* Capuensis, & *Marcelli* ignaviâ, *duplici mœrore confectus, moriendum decreverat*: Liberius qui ad Confessores exules ea scripserat, *Optaveram, fratres charissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exempla gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur*: Liberius ille miris modis à se mutatus, Athanasium pro pietate exulantem & latitantem suâ communione pellit. Multis de causis eò ignaviæ prolapsus est. Quod sibi doloris levamen erat, id in uno Diacono stabat, exilii apud Berœam comite. Id auxilii mœrenti eripitur, ut Liberius ipse Vincentio significat: *Ubi tuus Diaconus,*

Liber. Ep. 10.

ANNO DOM. 358.

nus, quem videbatur habere solatium, à me per Venerium agentem in rebus sublatus est, & ideò Sanctitati tua significandum credidi, me de contentione illa nominis Athanasii recessisse. Labascentem vicit uno verbo Fortunatianus, Aquileensis Episcopus, qui idcircò memoriam suam infamem fecit apud posteros: *Fortunatianus Afer Aquileensis Episcopus, in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romana urbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus solicitarit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Fortunatiano Demophilus accessit, cujus consiliis persuasus Liberius, perfidiâ suâ exilii finem emit. Addit Athanasius, ex charitate potius, quàm ex veritate: *Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est.* Has sanè Liberius minas non questus est. Amore fraterno Athanasius sibi persuasit eâ opus fuisse machinâ, Liberii fortitudini expugnandæ. Gemina ergo perfidia, ex imbecillitate quidem animi orta, & Athanasii damnationi, & Sirmiensi Confessioni subscribit: quam rem Orientales monuit, *Ego Athanasium non defendo, sed quia susceperat illum bona memoria Julius Episcopus decessor meus, verebar ne fortè ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, justè vos illum condemnasse, mox consensum meum commodavi sententiis vestris: literas adæque super nomine ejus, id est, damnatione ipsius per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas, ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum à me cum sede Apostolica suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Orientalibus, super universas Provincias pacem, & unanimitatem habere.* Hæc quidem scripsit reclamante conscientiâ, quæ noverat, non justè, sed iniquè prorsus Athanasium ab Orientalibus damnatum esse. Alterum perfidiæ caput majoris sanè momenti fuit, utpote de fide delibans. Pergit Liberius: *Dominus meus & frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmii à pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata, exposita & suscepta est, hanc ego libenti animo suscepi.* Eâ quâ pollebat apud Romanos gratiâ & autoritate Liberius, facilè ipsis persuasit, damnato & Athanasio in suam descendere sententiam. Quod & factum esse, docet Epistolâ quam Ursacio, Valenti, Germinioque direxit: *Cognoscat prudentia vestra, Athanasium qui Alexandrina Ecclesia Episcopus fuit, priusquam ad comitatum S. Imperatoris pervenissem, secundum literas Orientalium Episcoporum ab Ecclesia Rom. communione separatum esse, sicut testis est omne Presbyterium Ecclesia Rom.* Legatos etiam *ab urbe Roma ad comitatum direxit*, ut Episcopi deportati de exilio revocarentur. Cùm verò subscriptione suâ reditum necdum impetraret, Orientales rogat, ut communi consilio studioque allaborent, ipsius exilium solvere. Causâ horum verborum Baronius eam Liberii Epistolam falsi postulat: *Quia*, inquit, *in Thraciam relegatus est, quòd innocentem suo judicio Athanasium condemnare recusasset.* Adverti tamen animum debuit, non eam indicari Liberii ad comitatum profectionem, quâ ante exilium ad Constantium Mediolani agentem adductus est, sed alteram illam quam post subscriptionem suscepit. Nondum flectebatur Principis animus, ut optatum in urbem reditum Liberio annueret. Dissimulatio metuebatur ab homine, qui hactenus firmis amicitiæ vinculis cum Athanasio copulatus fuerat, & exempla constantiæ in defendendo Consubstantiali magna præbuerat. Victus ergo morâ, eò demisit mentem, ut supplex Ursacium, Valentem, Germiniumque oraret, testatus se quæ Orientalibus scripserat, *benigno & innocenti animo* scripsisse: quarum Epistolarum exemplar vult & *Philagrio* Imperatoris Eunucho exhiberi. Subjungit potentissimam hanc exhortationem: *His literis meis convenio vos, & adjuro per Dominum omnipotentem, & Christum Filium ejus, & Dominum nostrum, & Spiritum S. ut dignemini ad clementissimum Imperatorem Constantium Augustum pergere, & petere, ut bono pacis & concordia, in qua pietas ejus semper exultat, me ad Ecclesiam divinitùs traditam jubeat reverti, ut temporibus ipsius Ecclesia Romana nullam sustineat tribulationem.*

Hierom. de Vir. Illustr.

Athan. ad Solit. 837.

Liber. Ep. 7.

Liber. Ep. 9.

Bar. An. 352. n. 18.

Liber. Ep. 19.

Subscripseritne Liberius Confessioni in Photinum editæ?

XII. Hic est misertimus juxta & notissimus casus Liberii. Existit autem hoc loco nodus Herculeus, qui difficillimè solvi potest. Quænam sit ea Sirmiensis fides, quam se *libenti suscepisse animo*, Liberius testatus est? Bellarminus & Baronius, quem Hermantius & N. Alexander sequuntur, hanc animo sibi Confessionem depingit, quæ anno CCCL. adversus *Photinum* edita est. A veri tamen tramite quin ea sententia deflectat, nulli dubitamus: Obruitur quidem ab Hilario, cui perfidia est ea Confessio, quam manu, calculoque suo Liberius comprobarit: *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicis Liberius Catholicam, à Demophilo sibi expositam, hi sunt qui subscripserunt.* Maximè Hilario displicuisse subscriptam à Liberio Sirmiensem fidei professionem, indicant & ipsius verba adversus Constantium: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum: eripuisti illinc Episcopum, & ô te miserum, qui nescio utrùm majore impietate relegaveris, quàm remiseris.* Jam verò Sirmiensis adversus Photinum Confessio Hilario, non perfidia fuit, non hæresis, sed pia orthodoxaque fides, quam & exhibuit, & cujus anathemata illustravit. Audiatur Hilarii de ea Confessione judicium: *Consequens autem est, ut eam nunc fidem retractemus, qua non olim tunc cùm Photinus Episcopatu dejectus est, conscripta est.* Est autem absurdissimum, Hilarium ore fulmineo in Constantium detonasse, quòd orthodoxæ Confessionis subscriptionem imperarit Liberio: aut anathematibus Liberium percussisse, ob probatam albo calculo veritatem. Cùm igitur Hilario perfidia sit ea Confessio, quam *Liberio* Demophilus exposuit, diversa necessariò est, à professione in Photinum edita, quæ Hilario, non est perfidia, sed rectitudo; non error, sed veritas. 2°. Disertè scribit Hieronymus, Liberium Fortunatianus *ad subscriptionem hæreseos compulit.* Nullâ verò hæresi Confessio Sirmiensis adversus Photinum contaminatur, quam Vigilius Tapsensis pro recta fide habuit, ut suo est loco jam observatum. Denique quam Liberius Confessionem probavit, eâ Filium Patri similem esse dixit. Testis Sozomenus: *Sed & Confessionem à Liberio vicissim susceperunt, quâ eos, qui Filium secundum substantiam, & per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat.* At in Confessione Sirmiensi adversus Photinum condita, nil est anathematis ejusmodi; de *similitudine* verbum nullum.

Hilar. de Syn.

Sozom. l. 4. c. 15.

XIII.

Anno Dom. 358.

Subscripsitne Liberius blasphemiæ Osii Confessioni? Cuinam subscripsit?

XIII. In ea opinione versantur Nicolaus Faber, Blondellus, Petavius, nullam cui Liberius subscripserit, Confessionem aliam esse posse, quàm *Osii Potamiique* dictam Hilario *blasphemiam*. Cui sententiæ assensum negamus, & meritò. Perfidia Sirmiensis à Liberio comprobata, ab Episcopis subscripta est, Narcisso, Theodoro, Basilio, Eudoxio, Demophilo, Cecropio, Silvano, Ursacio, Valente, Evagrio, Irenæo, Exuperantio, Terentiano, Busto, Gaudentio, Macedonio, Marco, Ætio, Julio, Simplicio: Basilius verò quem unum eundemque cum Ancyrano vero propius est, Osii Potamiique blasphemiæ, in secundo Sirmiensi conventu editæ, nullus subscripsit, quam & palam apertèque damnavit. Quin etiam si Osii Potamiique blasphemiam Liberius comprobasset, eorum nomina Episcopis inseruisset, quos perfidiæ Sirmiensis fautores Hilarius dixit, eò magis quòd blasphemiam Sirmiensem narret ab Osio, Potamioque conscriptam. Alia igitur est blasphemia hæc à perfidia, quam ut fidem veram & Catholicam Liberius se suscepisse testatus. 3°. Osii Potamiique blasphemia expressè habet: *De homousio aut homœusio nullam omninò oportere fieri mentionem.* Cui verò album calculum addidit Liberius, Filium Patri similem & *homoeusion* prædicabat, ut ex Sozomeno didicimus. Denique infenso Constantius animo erat, iis qui *homoeusion* impugnabant, eaque de causa, aculeatas Antiochensibus in Eudoxium, & Ætium Epistolas misit, ut à vero prorsus alienum videatur, à Liberio eam subscriptionem flagitasse, quâ *homoeusios* repudiabatur, eâque fidei professione Episcopatum ipsi reddidisse. Quantum conjecturâ percipere possumus, confectæ à Sirmiensi hujus anni Synodo Confessioni subscripsit Liberius. Ea autem Semi-Arriana fuit, ab illa reverà non dissidens, quæ Ancyranorum ex officina prodierat. Ab *homousio*, & *anomœo*, hoc est, *Consubstantiali*, & *dissimili*, recedens, *homoeusion*, similemque probabat. Quæ si verum volumus, perfidia fuit, & divinitatem Servatoris pessundans, quam Patris naturæ inferiorem Sirmienses dicebant, & duo numina similis quidem naturæ, non unius tamen ejusdemque essentiæ constituens. Perit certè divinitas, si sua ipsi unitas eripitur: ut non immeritò Hilario impietas vocetur atque perfidia. A viris quidem in pietate malè sanis rejecto *Consubstantialis* vocabulo, illud *similis* inductum esse monet Apollinaris, in sua ad Basilium Epistola, quam Ecclesiæ Græcæ monumentorum tomo secundo p. 91. Cotelerius edidit. De Ægyptiacorum Præsulum scriptis Nicænæ Synodi doctrinam firmantibus, loquitur hæc Apollinaris: *Necessaria autem erat eorumdem cum explanatione repetitio, propter minimè sanam pravamque contextus interpretationem, quam ii introduxerant qui apertè quidem olim contradicebant, nunc verò contradictionem sub specie enarrationis celant: Ubi erat Consubstantialitatis maligna abrogatio, quasi non deberet intelligi, juxta nullam Græcam abnegationem: pro Consubstantiali autem introducebatur simile secundum substantiam. Quod excogitatum est, confusè nominatum, & malitiosè intellectum. Si quidem similitudo verum est quæ sunt in substantia, non quæ substantiales sunt.* Rectè quidem, neque perfectionum varietas pugnat, quæ in Patre & Filio intelligi nequit, cùm si natura Filii sit infra Patris essentiam, Filius suâ divinitate prorsus excidat, necesse est,

Socr. l. 2. c. 30.

Sic difficillimæ quæstioni persolvimus, quod & doctissimo Valesio placuit: *An non apparet, aliam ab Osii perfidia à Liberio designari, aliam scilicet, quæ tum Sirmii conscripta est, à Basilio, Eustathio, & Eleusio, ut testatur hoc loco Sozomenus?*

Vales. Annot. in Sozom. l. 4. 125.

Liberius Romam redit. Felix pellitur.

Sozom. l. 4. c. 15.

XIV. Sic triumphatâ pietate, cui nomine *fidei veræ & catholicæ* Semi-Arrianismus sufficiebatur, *Liberius* votorum nefariorum compos, majore ignaviâ Romam revertitur, quàm gloria fuit & virtus quâ secesserat: *Scripserunt Episcopi, qui Sirmium convenerant ad Felicem, qui tum Romanæ Ecclesiæ præsidebat, & ad Clerum ejusdem civitatis, ut Liberium susciperent, utque ambo Apostolicam sedem gubernarent, & simul Sacerdotio fungerentur, absque ulla dissensione, & quidquid molestiæ acciderat, propter Felicis ordinationem atque absentiam Liberii, oblivioni traderent.* Romanis & ab Imperatore præceptum, Liberium, Felicemque ambos in commune Ecclesiam administrare. Quæ Constantii Epistola, cùm in Circo recitata esset, populus exclamat æquum esse Principis sententiam: *Spectatores enim divisos esse in factiones duas, ex coloribus suis cognominatas. Alterum igitur Episcopum huic factioni, alterum illi præesse oportere.* Hæc ratione cùm Imperatoris Epistolam explosissent, omnes unâ voce acclamarunt, *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus.* Sic Romam quasi victor Liberius intrat IV. Nonas Augusti. Ingressum explicando verba nobis fœnerabunt Faustinus atque Marcellinus: *Tertio anno redit Liberius, cui obviam cum gaudio populus Rom. exivit. Felix notatus à Senatu, vel populo, de urbe propellitur, & post parum temporis, impulsu Clericorum, qui perjuraverant, irrumpit in urbem, & stationem in Julii Basilica trans Tiberim dare præsumit. Quem omnis multitudo Fidelium & Proceres de urbe iterum cum magno dedecore projecerunt. Post annos octo, Valentiniano & Valente Coss. decimo Kal. Decembr. die defunctus est Felix. Liberius misericordiam fecit in Clericos qui perjuraverant, eosque in locis propriis suscepit.* Reversus in urbem Liberius initâ cum Arianis societate eam scripsisse videtur Epistolam, quæ in Hilarii fragmentis octava numeratur, missis ad Athanasium Presbyteris, Lucio, Paulo, & Æliano, *ut ad urbem Romanam veniret, ut in præsenti, id quod Ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur.* Cùm verò adventum Athanasius suum abnueret, cum à sua communione ejicit Liberius: *Secutus denique literas charitatis vestræ, quas de nomine dicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his literis quas ad unanimitatem vestram dedi, me cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere. Supradictum autem Athanasium alienum esse à communione mea, sive Ecclesia Rom. & à consortio literarum Ecclesiasticarum.*

Theodorit. l. 2. c. 17.

B. M. P. t. 5 652.

Acacius Cyrillum abdicat. Qua de causa.

XV. Sub hæc fortè tempora in Palæstinæ Synodo Cyrillus Hierosolymitanus Episcopatu ejectus esse videtur. De jure Metropolitano cum Acacio Cæsariensi litigabat, ea de causa quòd Apostolicam Ecclesiam administraret. Dissensionem fides inflammaverat, Arianis favente Acacio, Homousianos probante Cyrillo. Hinc mutuæ accusationes obortæ, quòd de Deo non recta saperent. Acacius unà cum consectaneis, Palæstinæ coactâ Synodo, Cyrillum his de causis Episcopatu movet. Regionem Hierosolymitanam occupante fame, cùm & alimenta deessent, & pecunia, Cyrillus Ecclesiæ thesauros & sacra vela distrahit. Ut in muliere scenica,

quo

ANNO DOM. 358.

quo amiciebatur, donarium suum agnovit non nemo, sciscitatus, Undenam hoc vestimenti habuisset, deprehendit venditorem à mercatore sibi comparasse, cui Cyrillus vendiderat. Causa hæc fuit abdicandi. Hanc Cyrillus accusationem veritus biennio in judicium vocatus comparere noluit. Depositus tamen, appellationis libello ad Judices misso, ad majus Concilium provocavit. Appellationi Imperator astipulatur. Observat Socrates, primum omnium Cyrillum *contra Ecclesiastici Canonis consuetudinem, appellationem, sicut in publicis judiciis fieri solet, interposuisse.* Quæ non de provocatione, sed provocandi modo videntur intelligenda. Anno verò CCCLIX. adfuit Seleuciæ Cyrillus paratus judicium subire. Pulsus Hierosolymis Cyrillus Antiochiam prætergressus, cùm Pastore orbatam videret, Tarsum proficiscitur. Hanc Silvanus Ecclesiam administrabat, quo cum Cyrillus vixit. Hoc ubi novit Acacius, de Cyrilli abdicatione Silvanum monet: *At ille & Cyrillum reveritus, & populum reformidans, utpote qui Cyrilli concionibus admodum delectaretur, eum ab Ecclesiastico ministerio haudquaquam prohibuit.* Hujus Concilii mentio à Labbeo prætermissa est, quod & in annum proximum conferri potest, ob verba Theodoriti, *Antiochiam prætergressus, cùm eam Pastore orbatam videret,* quasi in vacuam Leontii sedem nondum Eudoxius irrepsisset. Quanquam Cyrillo Pastor non haberetur Eudoxius perfidus *Anomæus.* Ea res non est tanti.

Sozom. l. 4. c. 25.

Socr. l. 2. c. 40.

Theodorit. l. 2. c. 26.

ANNO DOM. 359.

ANNO U. C. 1112. PER. JUL. 5072. JUL. 404. DOM. 359. CONSTANTII 23. *Sol.* 4. *C. Lun.* 18. *Indict.* 2. *Epact.* 14. *Epact. Sol.* 5. *P.* 4. *April.*

Coss. *Flavius Eusebius & Hypatius.*

Qui Eusebius & Hypatius.

I. EX Marcellino nobis innotuere Consulum horum & genus, & excellentia. Fratres erant Eusebiæ Augustæ probis moribus ornati. Quos tamen Imperante *Valente* Heliodorus perduellionis accusavit: *Egregium illud par Consulum Eusebium & Hypatium, germanos fratres Constantii Principis quondam affines, ad cupidinem altioris fortunæ erectos, & consuluisse, & agitasse quædam super imperio detulit.*

Marcellin. l. 29. c. 2.

Sapor Romanos fines ingreditur. Arces expugnat.

II. Cùm infectâ pace *Prosper, Spectatus, Eustathius* Constantii ad Saporem Legati rediissent, Persa Regibus quibuscum societatem inierat, adjutus, arma viresque parat. Ad bellum suâ sponte jam satis propendentem impellit & Antoninus, ex Mercatore opulento, Rationarius apparitor Mesopotamiæ Ducis. Ad Persas deficiendi Antonino id causæ fuit. Ipsius creditor debitum in nomen fisci transtulerat: die solvendæ pecuniæ jam allapsuro, *largitionum Comite ad alterius gratiam infestius perurgente,* Antoninus cum suis ad Persas confugit. Noverat militum, armorum, commeatuum copias, itaque ad Saporem perductus, benignè excipitur, apicisque honore, quo summa tiara ornatur, est nobilitatus. Tum Regem arguere, quòd eùm vincere posset, victoriâ uti nesciret. Huic malo aliud accedit. Eusebius cubiculi Præpositus, *apud quem,* ut urbanè falsèque loquitur Marcellinus, *multa Constantius potuit,* autoritate suâ fecit, ut Ursicino ad Comitatum revocato sufficeretur *Sabinianus, vietus quidem senex, & benè nummatus, sed imbellis & ignavus.* Ubi cum Marcellino Historico prope Hebrum fluvium Ursicinus advenit, Principis mandato in Mesopotamiam subinde reverti jubetur. Amoto Ursicino veteris disciplinæ viro, Persicæque militaris artis peritissimo, suadet Antoninus, quàm celeriter occupare Provincias, pace longissimâ locupletes: seque spondet Ductorem commodissimum. Placuit uti consilio. *Grundates* Chionitarum Rex, multis victoriis nobilis, Rexque Albanorum, Sapori comites fluviis Anabaza & Tigri superatis, ad Romanorum fines adventant. Quo per *Marcellinum* cognito, equites mittuntur ad *Cassianum* Mesopotamiæ Ducem, Rectoremque Provinciæ *Euphronium,* ut compellant rusticos cum pecoribus ad tutiora transire: deseri jubeant Carras oppidum invalidum, campos incendi, ne pabula suppeterent. Intereà Tribuni citeriores Euphratis ripas castellis tormentisque muniunt. Ut Persæ ad *Bebasen* villam venere, noscunt Euphratem solutis nivibus inflatum, vado nequaquam posse transiri. Quid agendum deliberantibus consulit Antoninus, castra duo præsidiaria, *Barzala & Laudias* petere, ubi fluvius nullis adhuc advenis aquis adolescens facilè penetratur. Eâ re ab exploratoribus agnitâ, dum *Samosatam* properare Romani volunt, septingenti circiter Illyriciani equites in Persarum globum incidunt hominum circiter viginti mille. Agmen prægrediebatur Antoninus, quem agnitum, ut proditorem, cùm increparet Ursicinus, objurgantem salutat vultu penè humum contingens, manusque post terga connectens, quod apud Assyrios supplicem indicat: *Ignosce mihi,* inquit, *amplissime Comes, necessitate, non voluntate ad hoc, quæ novi, scelesta prolapso.* Cùm numero Romani hostibus impares essent, convertuntur in fugam non sine complurium exitio. Evasêre hinc *Ursicinus,* inde *Marcellinus.* At Sapor ut transiturus Amidam prope castella *Romana Roman & Busan* venit, ea fortiter adortus, defensoribus metum injicit, qui confestim claves portarum obtulere. Opes congestæ diripiuntur: *Inventas tamen Virgines Christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas, & religioni servire solito more, nullo vetante præcepit.*

Marcellin. l. 18.

Sapor Amidam expugnat. Victoriâ abutitur.

III. Hoc successu lætus Sapor, *Amidam* die tertio venit. Portis obequitans, *Aureum capitis arietini figmentum interstinctum lapillis pro diademate gestans, dum propius accedit,* ut etiam vultus ejus posset agnosci, à præsidiariis sagittis & tragulis petitur. At pulvere jactulantium conspectum adimente, sola vestis ictu scinditur. Quo veluti in sacrilegos tanti Regis, tot Regum gentiumque Domini violatores exardens, instat evertendæ urbi. Utcunque tamen à Magnatibus placatus, postridie de deditione Præsidiarios moneri statuit. Quam operam navaturus Rex Chionitarum *Grundates,* ad mœnia tendit. Ut venientem miles jaculandi peritus videt, filium ejus formâ & decore præstantissimum adolescentem, paterno lateri adhærentem intuitus, contortâ balistâ interficit. Post justa defuncto persoluta, ossaque eruta è cineribus in argenteam urnam conjecta, busto urbis expiare peremptì juvenis manes placuit. Vix hastam sanguine infectam fecialis conjecerat, cùm pertinacius utrinque pugnatur, Romanis Constantii ut mundi Domini nomen extollentibus, Persis *Saporem & Saasanam appellantibus, & Pyrosen, quod Rex Regibus imperans & bellorum victor interpretatur.* Dum certa obsessis stat fortiter moriendi sententia, pestis tot malis accessit, quam vaporum æstus,

ANNO DOM. 359.

æstus, verminantia cadavera, plebis languor alebant. Nocte quæ diem decimum secuta est, exigui imbres corporibus sanitatem attulere. Erant in urbe duæ legiones Magnentianæ, quæ observatâ nocte squalidâ & illuni, egressæ posticâ, occisis castrorum vigilibus supervenire ipsi regiæ meditabantur. Pereuntium gemitu expergefactis Persis, & undique instantibus, Galli amissa suorum parte Amidam redeunt. Quorum Ducibus post civitatis excidium Constantius virtutis in præmium armatas apud Edessam statuas locari jussit. Sed & turres & machinæ, quæ à Persis muris admovebantur, à Romanis incenduntur. Quâ clade percitus Sapor, novo Persis & incognito more, *præliatoris militis ritu prosilit in confertos.* Petitus tamen telorum nube, *multis stipatoribus stratis abscessit.* Fatalis tandem urbi dies advenit. Moles, cui Romani insidebant, *velut terræ quodam tremore quassata procubuit.* Hiatu facto transitus hosti patuit. Cum multum sanguinis utrinque fusum fuisset, ingressi Persæ, sine sexus discrimine omnes occidunt. Marcellinus obscuræ noctis præsidio per posticum evadit. Repertoque apud Melitinam Duce, cum profecturo redit Antiochiam. Victoriam Sapor suam crudelitate deflorat. Æliano Comite, & Tribunis, quorum efficaciâ diu mœnia defensa fuerant, *Patibulis sceleste suffixis, Transtigritanis ad unum omnibus contruncatis.*

Marcellin. l. 19. c. 7. &c.

Limigantium perfidia: debellantur.

IV. Dum Oriens bello concutitur, magnum Constantio creatur in Occidente periculum. Limigantes Sarmatæ anno præterito pedibus paternis in alias translati, regiones finitimas occupabant. Quo cognito Imperator Valeriam petens, sub pellibus per Istri margines diffuso exercitu Barbaros observat. Confestim missis ad Limigantes duobus Tribunis, quærit, Cur violato fœdere vetitos limites incesserent? Tum veniam orantes, obsecrant ut transmisso flumine ad Principem venire permitterentur, docturi incommoda, quæ sustinerent. His lubenter auditis, vallo prope Acimincum inferioris Pannoniæ oppidum locato, Limigantes preces gestu præferentes, viso Imperatore ex suggestu sermonem parante lenissimum, *Quidam ex illis furore percitus, calceo suo in tribunal contorto, Marrha, marrha, quod est apud eos signum bellicum, exclamavit. Eum secuta incondita multitudo, vexillo elato repente barbarico ululans ferum, in ipsum Principem ferebatur.* At ille equo veloci impositus, cursu effuso evasit. Stipatores vulnerati intereunt: *Sella regalis cum aureo pulvinari nullo vetante direpta est.* Non inulta fuit ea perfidia. Barbari omnes ad unum cæsi. Sic relatâ de hoste facili victoriâ Constantius Sirmium redit, indeque Constantinopolim petit, ut Orienti propior, acceptis apud Amidam cladibus mederetur.

Marcellin. l. 19. c. 11.

Confessio Sirmiensis à Marco Arethusio dictata.

Marcellin. l. 21. c. 16.

V. Politica commemoravimus, attentiore nunc animo Ecclesiastica narrentur. Nunquam aliàs frequentiores quàm Constantio imperante Synodi, quod Ammiani verbis exponere placet: *Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens, in qua scrutanda perplexius quàm componenda gravius, excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusius aluit concertatione verborum: ut catervis Antistitum jumentis publicis ultrò citròque discurrentibus, per Synodus, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariæ succideret nervos.* Compluribus sanè Synodis hic annus insignis est. Prima *Sirmii* habita est mense Maio. Quinam Episcopi adfuerint, docet Epistola Germinii, anno CCCLXVI. scripta: *Sub bona memoria Constantii Imperatore, quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu ejusdem Imperatoris præsentibus Georgio Episcopo Alexandrinæ Ecclesiæ. . . Pelusinorum, Basilio Episcopo tunc Anquiritano, præsente etiam ipso Valente & Ursatio & in mea parvitate posthabitam usque in noctem de fide disputationem, & ad certam regulam perductam, Marcum ab omnibus nobis electum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est, Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt & docent Scripturæ, cujus integræ Confessioni consensimus omnes, & manu nostrâ subscripsimus.* Extat Sirmiensis hæc Confessio apud Athanasium: *Edita est Catholica fides in præsentia Domini nostri religiosissimi præclarique victoris Imperatoris Constantii Augusti æterni Coss. clarissimis viris Flavio Eusebio, & Hypatio Sirmii XI. Kal. Junias.* Mirum Confessionis titulum testemque mutatorum in turpis servitia Episcoporum, qui exempla apud posteros adulatorii dedecoris habentur. Quam Christo æternitatem Ariani invidebant, Constantio afferebant. Declarant autem, *Filium esse Deum de Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit. Vocabulum porrò Substantiæ, quia simplicius à Patribus positum est, & à populis ignoratur, & scandalum affert, eò quòd in Scripturis non contineatur, placuit de medio tolli, & nullam posthàc substantiæ Dei mentionem fieri, quia Sacra Scriptura nusquam meminere substantiæ Patris & Filii. Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum Sacræ Literæ & dicunt & docent.* Eâ nocte fides hæc edita est, *quam dies Pentecostes secuta est.* Quasi allubesceret errori, illis triumphare temporibus, quibus Spiritus veritatis cœlo delapsus erat. Porro Confessio hæc non satis arridebat *Valenti.* Subscripsit itaque similem esse Patri Filium prætermissis his vocibus, *In omnibus.* Constantius verò ut *In omnibus* adjiceret, coëgit: *At Basilius suspicatus voces illas, In omnibus, ex propria mente ac sensu ad formulam adjectas, cùm exemplum professionis illius Valens cum suis habere vellet, quod secum ad Ariminensem Synodum deferret, hoc modo subscripsit: Basilius Episcopus Ancyræ, credo & assentior iis, quæ supra scripta sunt similem in omnibus confitens Patris esse Filium. In omnibus verò cùm dico, non voluntate solùm intelligo, sed & Subsistentiâ & & Existentiâ, adeòque essentiâ ipsâ, utpote Filium, quod Sacræ Literæ confitentur.*

Fragm. Hilar. l. 2.

Athan. de Synod 877.

Epiph. h. 73. n. 22.

Ibid.

VI. Anno superiore ea mens Constantio fuerat, propter hæresim Ætii Nicææ Synodum celebrare. Basilio ejusque asseclis id recusantibus, quòd olim de fide illic tractatum fuisset, placuerat ut Nicomediæ Synodus cogeretur. Ad eam urbem Episcopis properantibus Concilio agitando obfuerat terribilis ille motus, quo concussa fuerat. Cùm porro Constantio staret sententia, ad fidei concordiam orbis Romani Episcopos adducere ad Concilium Oecumenicum huic rei necessarium, Orientis Antistites ad partes Occidentis accersire decreverat. At Eudoxius, Acacius, Ursacius, Valens, qui Ætio favebant, cùm apud se cogitassent, hanc opinionem ab Episcopis damnatum iri, quorum pars quidem Nicænæ, pars verò Antiochenæ fidei in Encæniis editæ assentiebantur, *Id evicerunt, ut Occidentales quidem Arimini, Orientales verò Seleuciæ in Isauria congregarentur; eo consilio, ut quia* facilius

In Oriente & Occidente Synodos duas Constantius indicit.

Sozom. l. 4. c. 16. Socr. l. 2. c. 37.

facilius est paucis quàm omnibus persuadere, ipsi bifariam divisi, utramque Synodum, si fieri posset, in suam sententiam pertraherent; sin minus alteram saltem, ne communi omnium suffragio hæresis ipsorum damnaretur. Ad has autem res perficiendas, subsidio illis fuere, tum Eusebius Eunuchus Præpositus cubiculi, qui & necessarius Eudoxii, & ejusdem cum illo sententiæ erat, tum alii Primores viri, qui Eusebio gratificari studebant.

Synodus Arimini cogitur. Episcoporum numerus.

VII. Ariminum colonia Romanorum est, ad littus Adriatici maris sita, quam Strabo in Umbris, Livius in Piceno locat. Hic Occidentalium Synodo locus deligitur. Imperatoris mandato Synodum indictam esse, Ariminenses ipsi fatentur in sua ad Constantium Epistola: *Jubente Deo, & præcepto pietatis vestræ credimus esse dispositum, ut ad Ariminensium locum ex diversis Provinciis Occidentalium Episcopi veniremus.* Qua de re pulcherrima sunt verba Sulpitii: *Perturbato & morbo quodam Ecclesiis languentibus, segnior quidem, sed non minus gravis cura Principem exercebat, quòd licet Ariani, quibus favebat, superiores viderentur, necdum tamen de fide inter Episcopos conveniret. Igitur apud Ariminum urbem Italiæ Synodum congregari jubet. Idque Tauro Præfecto imperat, ut collectos in unum non antè dimitteret, quàm in unam fidem consentirent, promisso eidem Consulatu, si rem effectui tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque Magistris Officialibus, acciti numerative quadringenti & aliquantò amplius Occidentales Episcopi Ariminum convenere. Quibus omnibus & cellaria dare Imperator præceperat.* Aquitanis tamen Gallis, & Britannis hoc indecens cùm videretur, repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantùm ex Britannia inopiâ proprii, publico usi sunt, cùm oblatam à cæteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum gravare, quàm singulos. Episcoporum nonnullorum, qui adfuere Synodo, nomen est ab oblivione vindicatum. Musonii meminit Hieronymus: *Musonius Episcopus Provinciæ Byzantinæ, cui propter ætatem prima ab omnibus deferebantur.* Claudium & memorat *Episcopum Provinciæ Piceni.* Interfuere *Restitutus* Carthaginensis, *Phœbadius* Aginnensis. Vincebant Orthodoxi numero, quos quadringentos, imò *aliquantò amplius* fuisse testantur Athanasius atque Sulpitius. Arianorum partium non erant amplius quàm *octoginta*: *Posteaquam omnes in unum collecti sunt, fit partium secessio. Ecclesiam nostri obtinent, Ariani tam Edentum de industria vacantem, orationis loco capiunt.* Corruptum locum non sine veri specie emendat Sigonius, *Ariani tum ædem, tum de industria vacantem.* Ut congregati Episcopi, affertur Imperatoris Epistola, *data sexto Kalend. Junias.* quâ monet, ne quid de Orientalibus definire præsumerent: *De fide atque unitate tractari debere cognoscat sinceritas vestra, & operam dari, ut Ecclesiasticis rebus ordo competens præbeatur. . . . Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestra patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis, & completis celeriter universis, consentiente consensu decem mittere ad comitatum meum, ut prudentiæ vestræ prioribus literis intimavimus.* Ex hac Epistola colligimus, mense Junio Ariminenses in cœtum convenisse.

Theodorit. l. 2. c. 19.

Sulp. l. 2.

Hieron. ad Lucif. c. 7.

Sulp. h. l. 2.

Hilar. Fragm. l. 2.

Decreta Ariminensis Synodi.

VIII. Dum Sacræ Scripturæ oraculis fidem Orthodoxi Ariminenses suam statuunt, Germinius, Auxentius, Valens, Ursacius, Demophilus, & Gaius oblatâ formulâ, quæ à Marco Arethusio erat Sirmii dictata, postulant ipsam Synodis omnibus anteponi, omissâ omni de Hæreticis quæstione. Lectâ formulâ, Episcopis proponentibus, ut cæteræ cum Ariana damnarentur hæreses, reliquisque omnibus in id consentientibus, Ursacius & Valens cum sociis suis abnuerunt. Mirati horum hominum vafriciem Orthodoxi, testantur novâ sibi fide non opus esse, quam sanam habebant, hæreses verò damnandas. Dein repugnantibus Arianis album Nicænæ Synodo calculum addunt. Liceat Synodi referre sententiam: *Quamdiu par & possibile erat, fratres charissimi, Catholica Synodus & S. Ecclesia, sua patientia, & tolerantia pertulit indignè Ursacium, Valentem, Caium, Germinium, & Auxentium, qui alias alia sentientes, omnes Ecclesias perturbarunt, & nunc in præsentia ausi sunt hæreticas sententias orthodoxæ fidei asserere, & Nicænam Synodum, hostem Arianæ hæresis demoliri, suamque sed peregrinam & alienissimam à sanctissima Ecclesia fidem conscriptam promulgare, quam nos recipere nefarium putavimus. Qui cùm jam pridem Hæretici essent, etiam nunc deprehensi sunt contraria sentire. Quos ad communionem nostram accedere prohibuimus, eosque in præsentia nostris verbis condemnantes, à cætu Fidelium rejicimus. Vos item quod videbitur de istis statuite, ut uniuscujusque cognitio ex sua subscriptione robur habeat. Unanimiter nos Episcopi dicimus. Prædicti isti inimici detrahantur ab Ecclesia, ut Catholica Ecclesia in pace permaneat.* De fide verò statuunt, *A traditione Patrum, secundum successionem Apostolorum, usque ad tractatum apud Nicæam habitum* non esse recedendum: *Placet ergo nil novum fieri. Substantiæ quoque nomen, & rem à multis Sanctis Scripturis insinuatam mentibus nostris obtinere debere sui firmitatem.* Addiderunt anathemata, quorum primum Semi-Arianorum formulam opprimebat: *Si quis Patrem & Filium duos Deos, & non Patris, & Filii, unam Deitatem profiteatur, anathema sit.*

Lab. Concil. t. 2. 794.

Ariminenses legationem ad Constantium mittunt. Bis ipsi scribunt.

Sulpit. l. 2.

IX. Integrâ fide, integroque statu Concilii his definitis, Legati mittuntur ad Constantium cum Epistolâ, quâ de gestis Ariminensium moneretur: *Placuit decem Legatos mitti ad Imperatorem, ut qua esset partium fides & sententia cognosceret: sciretque pacem cum Hæreticis esse non posse. Idem Ariani faciunt, mittuntque numero pari Legatos, qui adversum nostros coram Imperatore confligerent. Sed ex parte nostrorum leguntur homines adolescentes, parum docti, & parum cauti. Ab Arianis autem missi senes callidi, & ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud Regem facilè superiores extiterunt. Sed nostris mandatum, ne quomodo cum Arianis communionem inirent, omniaque integra Synodo reservarent.* Synodi ad Constantium Epistola, & Græcè extat apud Athanasium de Synodis p. 877. & Latinè, quomodo edita est, Hilarii in fragmentis, ex qua hæc ad historiæ tenorem cognitu necessaria excerpsimus: *Indecens & nefarium aliquid ex rectè & justè Decretis, & ex Nicæa, publicè cum illustrissimo Principe Constantino patre tuo, per accuratam deliberationem constitutis, immutare velle, in quibus tanta doctrina est & prudentia, ut ea ubique prædicata, ad omnium aures animosque pervenerit.* De Valente verò & sociis ipsius hæc narrant: *Eo tempore quo pro tuo Edicto Synodus cogebatur, ipsi fraudis suæ consilia denudarant. . :*

Conati

ANNO DOM. 359.

Conati enim sunt per vafritiem & tumultum cum sociis istius factionis, Germinio, Auxentio, Caio, contentiones discordiasque seminantibus, novas res facere, quorum doctrina una eademque omne genus blasphemiarum superat. . . Ne igitur res Ecclesiasticæ in easdem molestias cadant, neve turbatio & tumultus denuò involvat, & confundat, constanter visum est, olim decreta pro legitimis inconcusse servanda, & istos à nostra communione submovendos esse. De Legatis verò petunt, ut benignis auribus, & sereno vultu eos intueatur, neque ad contumeliam mortuorum aliquid novi induci permittat. Rogant etiam Synodum solvi: *Jubeas Episcopos peregrè commorantes, quos & gravitas ætatis, & paupertas affligit, quam facillimè in patriam deduci.* At Ursacius & Valens adventum Legatorum prævertentes, Concilium apud Imperatorem criminantur, ostensâ quam attulerant fidei formulâ. Quâ re Imperator, cujus animum occupaverat Ariana perfidia, adversus Synodum commotus est. Valens & Ursacius multis honoribus affecti, dum diu illic hærentibus Legatis nullum responsum datur, tandem missâ ad Concilium Epistolâ, Episcopos Arimini suum ab expeditione barbarica reditum expectare jubet. Verba hæc sunt Imperatoris: *Viginti Episcopos quos vestrâ prudentiâ ad legationem obeundam misistis, hoc tempore ad nostrum conspectum admittendi otium non erat. Nam expeditio quam contra Barbaros in præsentia suscepimus, nos districtos tenet. . . Proinde Episcopis mandavimus, ut Hadrianopoli nostrum reditum expectent* &c. In animum sibi induxerant Palatii Proceres, Ariminenses tædio moræ tandem in Sirmiensem formulam concessuros. Nil tamen profuit astutia. Rescribunt Imperatori, se nullatenus à proposito discessuros, obsecrari ejus clementiam, ut ante hyemis asperitatem se ad Ecclesias remeare jubeat, ut solemnes pro imperio preces offerant Deo. Socrat. l. 2. c. 37.

X. Utinam non degenerassent ab ea constantia: sed varium & mutabile semper homo. Legatos Constantius *nunc gratiâ invitat, nunc minis perterret, & interim solâ dilatione distrucciat:* ipsos denique transfert ad Thraciæ oppidulum, cui Nicææ nomen, eo consilio, ut simpliciores nominis similitudine decepti, editam in hac urbe Confessionem cum pia illa fide, apud Bithyniæ Nicæam stabilita, permiscerent. Illic modico tempore commorati, aliud fecere Concilium, à quo Sirmiensis formula à Marco Arethusio dictata, ab Ariminensibus repudiata corroboratur. Conciliabuli hæc acta sunt: *Sexto Idus Octobr. dum consedissent Episcopi mansionis Nicææ, quæ anteà Ustodizo vocabatur, in Provincia Thracia, Restitutus, Gregorius, Honoratus, Artemius, Linus, Justinus, Priscus, Primus, Taurinus, Lucius, Mustacius, Urbanus, Honoratus, Salutor. Restitutus Episcopus Carthaginis dixit, Scit prudentia vestra, Consacerdotes sanctissimi, quòd cum apud Ariminum de fide tractatus haberetur, contentio sic dissidium fecerat, ut de Sacerdotibus Dei, immittente Diabolo, discordia extiterit, atque exinde factum fuerit, ut in fratres nostros, ego Restitutus & pars Episcoporum, quæ sequebatur Ursacium, Valentem, Germinium & Caium, quasi in autores mali intellectus sententiam promeremus, id est, ut à nostra congregatione segregarentur. Sed quia in eo minus positis universa tractavimus, universa discussimus, invenimusque quod nulli displicere debeat, id est, fidem in his Catholicam, juxta professionem suam, cui & nos subscripsimus omnes, neque unquam Hæreticos fuisse. Et ideò quia pacis concordia apud Deum res est maxima, placuit ut commune consensu nostro, omnia quæ apud Ariminum tractata sunt, in irritum deducantur, & communio eorum Deo favente integra conservetur, nec quisquam in dissidium remaneat; quod eos aut maculare possit, aut debeat. . . Ab universis Episcopis dictum est, Placet, & subscripserunt.* Nicææ Thraciæ Synodus. Quid egerit?

Quam verò promulgavere fidem, ea ipsa est quæ Maji vigesimo secundo Sirmii condidita fuerat, quâ Filius Dei Patri suo *similis* declaratur. Audiatur Sulpitius: *Interea, inquit, Legatos Ariminensis Concilii ex parte nostrorum compellit Imperator, omnium Hæreticorum communioni: Eisdemque conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam perfidiâ latente loqueretur. Namque Usiæ verbum, tanquam ambiguum & temerè à Patribus usurpatum, neque ex autoritate Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Eadem fides, similem Patri Filium profitebatur. Sed interius aderat fraus parata, ut esset similis, non esset æqualis.* Sulp. l. 2.

XI. Tanto successu exultans Imperator, de majori victoriâ spes agitat in animo: *Non contentus ruinâ decem Legatorum, mittit Ariminum, ut omnes illic Episcopi similiter verterentur.* Quibus verò machinis Synodum adortus sit, Sulpicius edisserat: *Dimissis Legatis, Præfecto mandatum ne Synodum non antè laxaret, quam conscripta fidei consensu se omnes subscriptionibus profiterentur. Ac si qui pertinacius obsisterent, dummodò is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur. Sed regressis Legatis, licet vim regiam deprecantibus negata communio. Enimverò compertis quæ decreta erant, major rerum & consiliorum perturbatio: Dein paulatim plerique nostrorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedere se adversariis, jam post reditum Legatorum superioribus, & Ecclesiam, nostris inde detrusis, obtinentibus, factâque semel inclinatione animorum, catervatim in partem alteram concessum, donec ad viginti usque numerus imminutus est. Sed in quantò pauciores, tantò validiores erant; constantissimusque inter eos habebatur noster Phœbadius, & Servatio Tungrorum Episcopus. Hos quia minis, & terriculis non cesserant, Taurus precibus aggreditur, ac lachrymans obtestatur, mitiora ut consulerent. Clausos intra urbem Episcopos, jam septimum mensem agere. Injuriâ hyemis, & inopiâ confectis, nullam spem reversionis dari. Quis tandem esset finis? Sequerentur plurium exemplum, autoritatem saltem ex numero sumerent. Etenim Phœbadius paratum se exilio atque ad omne supplicium, in quod deposceretur, profiteri: se ab Arianis fidem non recepturum. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti, ubi parum ad pacem proficiebant, paulatim & ipse infractior, ad extremum propositâ conditione evincitur. Namque Valens & Ursacius affirmantes, præsentem fidem Catholicâ ratione conceptam, ab Orientalibus Imperatore autore prolatam, cum piaculo repudiari, ut quis discordiarum finis, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret? Postremò si quid minus plenè præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent, præbituros se in his quæ essent adjecta consensum. Favorabilis professio pronis omnium animis excepta, nec ultrà nostri repugnare ausi, jam quoque modo finem rebus imponere cupientes.*

Ariminensium Legati redeunt, quibus negata communio Lapsus Synodi.

Faustin. lib.

Sulp. l. 2.

pientes. Dein concepta à Phœbadio & Servatione professionis odi cœpere, in quis primum damnatur Arius, totaque ejus perfidia. Cæterum non etiam Patri-æqualis, & sine initio, sine tempore Dei Filius pronunciatur. Aliæ & artes, ab Arianis dicuntur adhibitæ. Ariminensibus proponitur, *Quem magis colere & adorare vellent, ὁμοούσιον, an Christum? Illisque verbum quid ὁμοούσιον significaret ignorantibus, velut in fastidium quoddam & execrationem sermo deductus est, Christo se credere, non ὁμοουσίῳ confirmantibus. Sic multorum præter paucos qui scientes prolapsi sunt, animi decepti.*

Rufin. h. l. 1. c. 21.

Quæ si vera sunt, fungos quidem, non homines; bardos, non Episcopos fuisse putandum. Quippe si notissimi vocabuli significationem ignorarunt, insipientium erat dicere, *Se non credere ὁμοούσιον*, quia de ignotis nullum esse judicium debet. De vi saltem vocabuli quærere opus erat, ut responderent interrogantibus. Hæc sane traditio Rufini suspecta. Sed miserabilem Ariminensium casum dicere pergamus. Valens præsente Tapio, se ab Arii blasphemiis abhorrere, ut professus est, res secretè gesta opinionem vulgi non extinxerat: *Itaque alia die in Ecclesia, quæ est apud Ariminum, & Episcoporum simul, & Laicorum turbis concurrentibus, Musonius Episcopus Provinciæ Byzacenæ, cui propter ætatem prima ab omnibus deferebantur, ita locutus est: Ea quæ sunt jactata per publicum, & ad nos usque perlata, aliquem è nobis sanctitati vestræ legere præcipimus, ut quæ sunt mala & ab auribus, & à corde nostro abhorrere debent, omnium unâ voce damnentur. Responsum est ab universis, Placet. Itaque cum Claudius Episcopus Provinciæ Picenæ ex præcepto omnium blasphemias quæ Valentis ferebantur, legere cœpisset, Valens suas esse negans, exclamavit & dixit, Si quis negat Christum Deum, Dei Filium ante sæcula ex Patre genitum, anathema sit. Ab universis consonatum est, Anathema sit. Si quis negat Filium similem Patri secundum Scripturas, anathema sit. Omnes responderunt, Anathema sit.... Si quis dixerit, Erat tempus quando non erat Filius, anathema sit. In hoc verò cuncti Episcopi, & tota simul Ecclesia plausu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt.*

Hieron. advers. Lucif. c. 7.

Ariminenses Constantio scribunt. Errorine subscripserint?

XII. His colophonem ut adderent, Constantio Epistolam dirigunt, *Domino merito gloriosissimo, victoriosissimo Augusto Constantio, Synodus Ariminensis Orientalibus consentiens. Illustratis pietatis tuæ scriptis, maximas Deo retulimus & referimus gratias, quòd nos beaverit, intimans nobis illa quæ cum discursione pietatis tuæ facere deberemus: ne quis Usia, vel Omousii nomina, Ecclesiæ Dei ignota aliquando nominet, quod scandalum inter fratres facere solet, plurimum gratulati sumus, quia id quod tenebamus recognovimus.... Unde impensè oramus, Domine, pietatem tuam ante Deum & Patrem, & Dominum nostrum J. C. Deum, & Dei Filium, facias nos, qui subscripsimus sana doctrina, recedentes ab Usia nomine, te imperante, & jubeas nos ad nostras plebes dimitti. . . . Jam Usia, & Homousii nomina recedant, quæ in divinis Scripturis de Deo, & Dei Filio non inveniuntur scripta.* Hanc Migdonius, Megasius, Valens Epictetus &c. Synodi nomine Principi Epistolam detulerunt. Baronius Nicæensi Synodo Epistolam tribuit, ac scriptam prius esse putat, quàm Legati Ariminensium ad Synodum rediissent. Nos verò Synodi clausulam esse existimamus. Quin verò post Legatorum ex Thracia reditum scripta sit, non est in dubio, ut constat ex Epistola: *Oramus pietatem tuam, quoniam in eo loco ubi Synodus gesta est, unde responsum per nostros Legatos dedimus, adhuc detinemur, jubeat nos qui integram in Orientalibus doctrinam retinemus, jam ad nostras plebes dimitti.* Hic tristis est Ariminensis Synodi exitus, de quo jure usurpari potest,

Lab. Concil. t. 2. 803.

Error Baronii.

Bar. An. 359 n. 35.

Desinit in piscem mulier formosa superne.

Constantium veritatis exuviis, & spoliis Nicænæ fidei ornatum relinquunt: Semi-Arianis consentiunt, quo facto, in lachrymabiles ruinas tota penè concidit facies Ecclesiæ: *Ingemuit totus orbis & Arianum se esse miratus est.* At totis quidem viribus contendit N. Alexander, Ariminenses Hæreticos non fuisse. Cui faciles largimur, Arianum venenum non imbibisse animo. Quin verò, metu tædioque victi, hæresi subscripserint, negari nequit. Eandem sanè Confessionem admisere, dictatam scilicet à Marco Arethusio, quam principio rejecerant, ut Hæreticam: testemque laudamus ipsam Synodi sententiam, ut luce meridianâ clarius sit, non ignorantiâ veritatis, sed humanis ignavisque affectibus inductos, suamet Decreta abrogasse. Quod & ostendit Theodoritus. Versutiam enim Arianorum dicentium: *Ob duas voces, quæ in sacris Voluminibus non extarent, corpus Ecclesiæ distrahi non debere, sed similem quidem per omnia Filium esse prædicandum*, Occidentales percepere: *Cùm fraudem intellexissent, eos qui ista dicerent, à communione removerunt.* Quin etiam Conciliabulo suo Nicænum Concilium damnant, quòd *Consubstantialem* stabiliebat, *Usia & Homousii nomina recedant.* Quid est sanctum ex Ecclesia pellere Concilium, quid autoritate omni evertere, si hoc non est? Quod & à se fieri non ignorabant. Denique testantur, se *sana doctrina* subscripsisse. Eane verò sana est, quæ Dei Filium Patri *similem* esse dicit. Atqui ante lapsum suum prudentiâ acutissimi homines, rectè perspexerant, ex Patre & Filio, & duos *Deos*, ex ea similitudine constitui, quia simile quodlibet dissimile est, & *unam Deitatem* everti, quam *unam* tamen se credere profitentur. Quòd si pia sit Sirmiensis ea fides, cui subscripsere, Orthodoxa quoque sit & Ancyrana, & Seleucensis Semi-Arianorum, quæ una eademque est cum Sirmiensi, quam probavere. Quacunque sanè de causa subscripserint, sive imprudentiâ, sive metu, hæresi tamen illos subscripsisse, censet Hieronymus: *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur.* Imò mortuo Constantio se *deceptos* esse confitentur, *Parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.* Blasphemiæ igitur atque errori Ariano subscripserant, neque sua animi simplicitas hæresim in veritatem mutare valuit. Fixum igitur ratumque sit, omnes penè & Orientis & Occidentis Episcopos impiam doctrinam suo comprobasse calculo, quod etiam verbis expressis, à nobis superius laudatis Sulpicius tradit.

Hieron. adv. Lucif.

Theodorit. l. 2. c. 18.

Hier. adv. Lucif. c. 7.

Seleucensis Synodus.

XIII. Neque melius pietati consulebat Seleucense Concilium, quod Ariminensis æmulum Constantius imperaverat. Ac Nicææ quidem primum congregari præceperat. Id quippe Aulicis persuaserat Eudoxius, ut celebrando Concilio urbs ea assignaretur. Insperato motu tamen conventus ille non sine numine prohibitus est, ne ubi veritas errorem triumphaverat, mutatis vicibus ab errore in triumpho duceretur. Orientalium igitur Episcoporum conventui Se-

leucia

leucia destinatur, urbs Isauriæ ad mare sita, inter omnes ejus Provinciæ urbes primum obtinens locum. Eusebio & Hypatio Coss. convenerunt illùc Episcopi *numero* C L. vel potius centum & sexaginta, ut habet Athanasius. Aderat unà cum illis *Leonas* quidam, vir in Palatio Imperatoris conspicuus, Quæstoris scilicet ornatus munere, quo præsente quæstionem de fide proponi Imperator præceperat. Sed & *Lauricius* Dux Militum per Isauriam adesse jussus fuerat, ut Episcopis, si quid vellent, præstò esset. Præsentibus igitur Lauricio Comite, & Leona sacri Quæstore Palatii, congregantur Episcopi, *die V. Calendas Octobres secundâ feriâ.* Aderant Notarii qui differentium dicta notis exciperent. Hilarius Pictaviensis licet exul, ad Concilium invitatur: *Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos Episcopos per Vicarium ac Præsidem datâ evectionis copiâ adesse compellitur, cùm tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator, Judices tantum generalem jussionem secuti, quâ omnes Episcopos ad Concilium cogere jubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscere. Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus, omnium in se animos & studia converterat. Ac primum quæsitum ab eo, Quæ esset Gallorum fides: quia tum Ariani prava de nobis vulgantibus, suspecti ab Orientalibus habebantur, trionymam Solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse. Sed expositâ fide suâ, juxta ea quæ erant Occidentalibus perhibuit testimonium.* Ubi convenere, cùm jussisset Leonas unumquemque proponere quod vellet, qui aderant Episcopi, nullam movendam quæstionem esse dixere, prius quàm venissent qui desiderabantur, *Macedonius* Constantinopolitanus, *Basilius* Ancyræ, & alii nonnulli veriti, ne ob crimina sua accusarentur. Morbum quidem Macedonius, Patrophilus oculorum dolorem prætexebant. Tum gravis quæstio exoritur, Priusne de Episcoporum accusationibus, an de doctrina fidei tractandum. Quippe ut *Cyrillus* Hierosolymitanus, quem abdicarat Acacius Cæsareensis, cum Basilio, Eustathio, Silvano ac reliquis Sacerdotibus simul consedit, Acacius se cum illis Concilium initurum negat, nisi Cyrillus removeretur. Accusabatur & Eustathius. Alebant dissidium Imperatoris Epistolæ, quibus mandabat, modò de doctrina, modò de fide esse agendum. Ab hujusmodi contentione semel exorsi, non amplius mutatâ se benevolentiâ complectebantur, sed in duas partes discessere. Alterius Duces erant *Acacius* Cæsareæ Palæstinæ, *Georgius* Alexandriæ, *Uranius* Tyri, *Eudoxius* Antiochiæ. Quibus triginta duntaxat alii consentiebant. Factionem exercendi metus in causa Acacio fuit. Accusatorum enim probationes veritus, Arianorum feces sibi colligit, homines à *Secundo*, quem Nicæna Synodus abdicarat, ad ordines promotos, quos inter Libyci fuere *Stephanus*, *Siras*, *Pollux*, de variis criminibus accusati. Quibus *Pancratium* addidere, & *Ptolemaum* Meletianum. Alterius verò partis Principes erant, *Georgius* Laodicææ in Syria Episcopos, *Sophronius* Pompeiopolis in Paphlagonia, *Eleusius* Cyzici, quos major pars sequebatur: *Cùm igitur magnâ verborum contentione inter se certassent usque ad vesperam, tandem Silvanus Tarsensis Ecclesiæ Præsul elatâ voce dixit, Nullam novam fidei formulam conscribi oportere; sed illam quæ Antiochia in Ecclesia dedicatione scripta esset, ratam esse debere. Hoc ubi dictum est, à Concilio Acaciani se subduxerunt. Alterius autem partis Antistites fidem Antiochiæ scriptam protulerunt. Quâ perlectâ, Concilium eo die dimissum est. Postridie cum in Ecclesiam, quæ Seleuciæ est, convenissent, occlusis foribus, perlectam fidei formulam subscriptione suâ confirmarunt. Pro Episcopis autem nonnullis qui aberant, subscripsere Diaconi & Lectores.* Ecclesia hæc S. *Theclæ* nomen gerebat.

Sulpit. l. 2.

Athan. de Syn. 880.

Socrat. l. 2. c. 31.

XIV. Id Acacium malè habuit, quòd clausis Ecclesiæ foribus pars Georgii Laodicensis Confessioni fidei subscripsisset. Tertiâ die, quâ *Macedonius* Constantinopolitanus, *Basiliusque* Ancyranus adfuere, operam *Leonas* dat, ut ambæ partes in unum convenirent. Acaciani verò non obtemperarunt, ea de causa quòd vellent abdicatos, vel accusatos ex conventu prius removeri, quæ cùm sententia prævaluisset, exeunt qui in crimen vocabantur. Ingressis Acacianis, Leonas ab Acacio libellum sibi traditum esse dicit. Formula hæc fuit fidei, quam Lauricio & Leonæ jam antè recitarant, omni studio contendebat ad auctoritatem promovere. Libello hæc continebantur. Acacianos ex Imperatoria mandato Seleuciam Isauriæ convenisse, die quinto Calendarum Octobrium, ac omni studio allaborasse, ne quidquam præter Sacras Scripturas in Ecclesiasticam fidem induceretur. At injuriis affectos ad inter loquendum cogi. Non refugere se quidem Authenticam fidem Antiochiæ in Encæniis promulgatam, voces verò & *Consubstantialis*, & *similis essentia*, quæ multos turbant, se rejicere; *anomœum* autem, sive dissimilem damnare; similem autem Patri Filium profiteri. Confessioni huic quatuor & triginta subscripsere. Quadraginta tres numero fuisse narrat Epiphanius, quorum exhibet & nomina hæresi 73. n. 26. Est tamen in confesso, numeram istum à vero abhorrere, cùm Acacianam hanc Confessionem subscribentibus inseratur Basilius Ancyranus, qui sese Acacio pertinacius opposuit. Formulâ recitatâ, *Sophronius* Pompeiopolitanus exclamat: *Si propriam quotidie sententiam exponere, id fidei expositio est, destituet nos regula veritatis.* Quarto die cùm omnes convenissent, eâdem pertinaciâ disputatum. Dicente Acacio: *Cùm jam pridem fides Nicæna mutata sit, nil vetare quò minus alia quoque conscribatur;* Exclamat Sophronius, Concilium congregatum esse, *non ut fidem suscipiat, quam prius non habuit, sed ut fidei Patrum insistat.* Quæsitum & ab Acacianis, in quo Filius Patri similis erat, quibus responsio in promptu fuit, Solâ voluntate similem esse, non substantiâ. Cùm diu acriter de hoc capite disputaretur, surgens Leonas Synodum dissolvit. Postero die rogatus, ut ad consessum veniret, recusavit, dicens, *Se ab Imperatore missum esse, ut concordi Synodo interesset: quoniam verò nonnulli inter vos dissident, ego adesse non possum: abite, & in Ecclesia garrite.* Ex eo tempore Acaciani ulterius adesse noluerunt. Alterius verò partis Episcopi cùm in Ecclesiam convenissent, Acacium vocant, ut causa Cyrilli judicaretur. Alios quoque perinde accusatos citant, qui ad partes Acacii fugerant. Venire sæpius accersiti, cùm renuerent, *Acacium* deponunt, & cum illo *Georgium* Alexandrinum, *Uranium* Tyri, *Theodulum* Chæretaporum in Phrygia, *Theodosium* Philadelphiæ in Lydia, *Evagrium* Mytilenæ Insulæ, *Leontium* Tripo-

Basiliani Acacianos deponunt.

Anno Dom. 359.

Tripoleos Lydiæ, & *Eudoxium* Antiochenum. Alterium verò, Eusebium, Abgarum, Basilicum, Phœbum, Fidelem, Eutychium, Magnum & Eustathium à communione removent, donec objecta sibi crimina diluissent. Ubi in Eudoxii locum *Annianum* Antiochiæ Episcopum constituere, ipsum mox comprehensum, Acaciani Lauricio & Leonæ tradiderunt, à quibus subinde in exilium ejicitur. Qua re commoti Episcopi, qui Annianum ordinaverant, *Contestatarios libellos apud Leonam ac Lauricium adversus Acacianos deposuerunt, quibus denunciabant, violatum esse judicium Synodi.* Porro cùm nihil amplius proficeretur, Constantinopolim proficiscuntur, ut Imperatorem de iis quæ decreverant, certiorem facerent. Synodi hic exitus fuit, de quo nostrum audire juvat Hilarium: *Discipulus veritatis assista Orientalium in Seleucia Synodo, ubi reperi tantum blasphemorum, quantum Constantio placebat. Nam post discessionem meam deprehendi, ut Christum Jesum* CL. *Episcopi ὁμοιούσιον profiterentur, & soli Ægyptii, præter Alexandrinum Hæreticum ὁμοούσιον constantissime obtinerent. Cogente itaque Leonâ comite, in unum omnes congregati sunt, ex his qui ὁμοιούσιον prædicabant. Aliqui eorum nonnulla pie verbis præferebant, quòd & ex Deo esset, id est, substantiâ Dei Filius, & semper fuisset; qui verò ὁμοούσιον defendebant, nil nisi profanismum asserebant.* Observetur in transitu, Leonam dignitate Comitis ornatum esse. Quod non ex Hilario modò, sed ex fidei quoque Seleucensis expositione novimus, in qua Leonas Comes vocatur *Clarissimus Comes Leonas & clarissimus Provinciæ Præfectus Lauricius.* Comitia dignitate Lauricium non afficiunt. Quod mirum, si vera prædicat Marcellinus: *Ad Isauros vel vi, vel ratione sedandos Lauricius adjectâ Comitis dignitate missus est Rector.*

Socr. l. 2. c. 40.

Hilar. cont. Const. 278.

Epiph. h. 73 n. 25.

Marcellin. l. 19. c. 13.

Legatio Seleucensium ad Constantium.

XV. His subnectamus quid suâ legatione Seleucenses profecerint. Decem communi suffragio electis, qui ad Constantium adirent, reliqui ad suas sedes se recipiunt. In Legatia erant, Eustathius, Basilius, Silvanus, Eleusius, qui ubi Constantinopolim venere, offendunt Acacianos ad Comitatum celeriter profectos, qui Proceres jam suam sententiam pertraxerant, apud quos multum valebat Acacius, vir gnavus atque industrius, & loquendi peritus. Aderant & Ariminenses Legati, qui Synodi formulam attulerant. Petunt igitur Acaciani à Seleucensibus, ut eam suscipiant. Istis verò constanter asseverantibus, se substantiæ vocabulum nunquam repudiaturos, Acaciani interposito juramento persuadent, se nunquam substantiâ dissimilem Filium asserere. Verùm quoniam Ariminenses Substantiæ nomen expunxissent, acceptissimam sibi formulam esse. Arridebat & Imperatori, apud se perpendenti ingentem Episcoporum numerum, qui Arimini convenerant. Præcepit igitur Episcopis Formulæ Ariminensi subscribere: *Cumque postridie ad solemnem Consulatus pompam se pararet, sicuti moris est apud Romanos, Calendis Januarii totum diem & insequentis noctis maximam partem consumpsit, cum Episcopis disceptans, donec Legati, qui à Seleucensi Concilio advenerant, formulæ fidei ab Ariminensi synodo allatæ subscripsissent.* Obstitere tamen Silvanus atque Eustathius, si qua Theodorito fides. A quibus cùm damnationem Consubstantialis extorquere vellet, exilio denunciato, dixerunt, *Penes Principem jus esse statuendi de supplicio, penes ipsos verò de pietate.* Subinde pelluntur Ecclesiis suis.

Sozom. l. 4. c. 23.

Theodorit. l. 2. c. 27.

Anno Dom. 360.

ANNO U. C. 1113. PER. JUL. 5073. JUL. 405. DOM. 360. CONSTANTII 24. *Sol.* 5. C. A. *Lun.* 19. *Indict.* 3. *Epact.* 25. *Epact. Sol.* 6. 7. P. 23. *April.*

COSS. *Constantius Augustus* X. *Julianus Cæsar* III.

Sapor Singaram expugnat & Bezabden.

I. SApor Amidæ expugnatione elatus, Mesopotamiæ obtinendæ cupidus, successus urgere suos cœpit. Aucta viribus transmisso Tigri, *Singaram* adoritur. Quam prima Flavia, primaque Parthica, & indigenæ plures tuebantur. Urbem enim ad obsequium flectere non posset, signo per flammeum vexillum erecto, acriter adoritur. Eventu ancipiti diebus aliquot pugnatum: sed robustissimi arietis ictibus pulsa turris cedens, Persis in urbem iter aperit. Cæsis promiscuè obsessorum paucissimis, *Residui omnes mandatu Saporis vivi comprehensi, ad regiones Persidis ultimas sunt asportati.* Excisо oppido, vitatâ Nisibi Bezabden obsidet: *Munimentum impendio validum, in colle mediocriter edito positum, vergensque in margines Tigridis, duplici muro vallatum*, cujus præsidio secunda Flavia, secunda Armeniaca, Parthica secunda, legiones vigilabant. Cùm frustrà Sapor Romanos hortaretur ut opportunâ deditione obsidio se solverent, magnâ vi utrinque certatur. Die secuto Christianæ Legis Antistes acceptâ fide, quòd redire permitteretur, ad usque tentoria Regis accedit. Suadet placido sermone discedere Persas ad sua. Rex verò in expugnando munimento totus erat. Fama est, Episcopum clandestino colloquio Saporem docuisse, quæ murorum membra forent invalidiora. Ut turrim laxatam validissimus aries evertit, invento ascensu miles in arcem irruit. Abrepti finibus matrum parvuli, ipsæque matres trucidantur. Rex veritus ne castri jacturam ægrè ferentes Romani, ad illud obsidendum accingerentur, non ante discessit, quàm labefacta pars muri firmissimè repararetur. At non eadem Persis fortuna fuit in expugnanda *Virta*, vetusto munimento, quod ab Alexandro Magno ædificatum credebatur. Promissiones adhibentur, minæ, terribiles machinæ, sed omisso vano incepto, Rex tandem abscessit.

Marcellin. l. 20 c. 7. &c.

Constantius proficiscitur in Persas, Bezabden frustra obsidet.

II. Auditis Persarum victoriis Constantius, qui Constantinopoli hyemem agebat, omnem curam admovet, ut Barbaros repulsum iret. Itaque Legiones auget, gratiâ vel mercede Scytharum poscit auxilia. Adulto vere profectus, ut Cæsaream Cappadociæ pervenit, *Pentadius* Officiorum Magister, & Eutherius cubiculi Præpositus, de Juliani Cæsaris in Augustum creatione nuncium afferunt. Ambiguo hærentique utrùm in Persas, vel contra Julianum moveret, persuasum ut in Orientem potius iter flecteret. Arsacem Armeniæ Regem accitum, *summâ liberalitate suscipit.* Sponsam Constantis Augusti *Olympiadem*, Ablabii Præfecti Prætorio filiam matrimonio ei copulat, quas Constantio nuptias ut crimen objicit Athanasius: *Sponsam autem Constantis Olympiadem Barbaris dedit.* Injuria hæc fuit, quòd Arsaces à Christi religione videatur alienus. Relictâ Cappadociâ, Imperator superato Euphrate Edessam venit. Ibique moratus, dum & copias expectat & alimenta,

Athan. ad Solit. 856.

post

Anno Dom. 360.

post æquinoxium autumnale Amidam petit, quam favillis oppletam obortis lachrymis intuitus est. Fortè aderat *Ursulus*, sacrarum largitionum Comes, qui ad miseras civitatis clades dolore percitus exclamat: *En quibus animis urbes à milite defenduntur, cui ut abundare stipendium possit, imperii opes jam fatiscunt.* Inde Bezabden adventat. Cunctis ad obsidionem paratis, decimo postquam pugnari coeptum est die, transfertur Carris aries magnus, quo Persæ olim Antiochiam exciderant. Eo viso, Persæ ad deditionem penè adducuntur. Resumptis tamen viribus tam fortiter resistunt, ut Constantius certaturus leviter, ibi statuerit immorari, obsessos alimentis destituendos forsan cedere existimans: quod secus evenit. Cùm enim pugnaretur remissius, assiduis imbribus & tonitru obsidionem solvere coactus, Antiochiam hyematum venit.

Marcellin. l. 20. c. 11.

Julianus creator Augustus ab exercitu. Qua de causa?

III. Dum Constantius properat Orienti ferre suppetias, ipso inscio Julianus ad Augusteam dignitatem promovetur. Cujus honori occasionem præbuit Imperatoris invidia, quem urebant egregia in Galliis Cæsaris facinora, Germanorum regna prostrata, receptaque oppida benè multa Barbari exciderant. Veritus ne magis attolleretur, *Decentium* Tribunum & Notarium misit, qui Ærulos abstraherent & Batavos, & lectos ea numeris aliis trecentos, eo prætextu, ut primo vere moverent in Parthos. At apud *Petulantium* signa famosum quidam libellum humi projecit occultè, inter aliam multa id continentem: *Nos quidem ad orbis terrarum extrema, ut noxii pellimur, & damnati. Caritates verò nostræ Alamannis denuò servient, quas captivitate primâ post internecivas liberavimus pugnas.* Libello ad Comitatum perlato, Julianus justas existimans esse querelas, cum familiis eos ad Orientem proficisci jubet, *clabularis cursus facultate permissâ.* Est autem clabulum vehiculi majoris species. Decentio Notario suggerente, per Parisios, ubi Cæsar morabatur, abeuntes transire placuit. Quibus adventantibus Julianus occurrit, ex more laudans quos agnoscebat, utque honoratius abituros tractaret, ad convivium invitat. Liberaliter ita suscepti, mœsti discedunt, quòd *& moderato Rectore, & terris genitalibus* separarentur. Noctis sub initia in apertum dissidium erumpunt: ad tela convertuntur: Palatium petunt: Augustum Julianum magnâ voce dicunt: quem & ortâ luce progredi compellunt, eoque viso, geminatis clamoribus firmissimo consensu Augustum appellant. At ille obsecrabatur, ne quid indecorum agerent: concedit quia Transalpina displicebant, ad sedes suas redeundi facultatem, hoc se apud Imperatorem purgaturum. His magis accensi, *Maximo contentionis fragore probro & conviciis mixto*, Cæsarem assentire cogunt. Impositus scuto pedestri, jubetur diadema proferre. Negat unquam habuisse: uxoris vel colli, vel capitis poscitur ornamentum: prima hæc auspicia congruere inficiatur. Quæritur ergo equi phalera uti coronatus, obscuram majoris potestatis speciem ostenderet. Sed cùm id quoque turpe affirmaret, *Maurus* abstractam sibi torquem, quo ut Draconaris utebatur, capiti Juliani imponit, qui quinos omnibus aureos *argentique singula pondo promisit.* Tertiâ ab hinc luce Princeps tribunali ascenso, præsentibus militibus statuit, ut

Marcellin. l. 20. c. 4.

neque civilis quisquam Judex, nec militiæ Rector, alia quadam præter merita suffragante, ad potiorem remeat gradum, non sine detrimento pudoris, eo qui pro quolibet petere tentaverit, discessuro. Legatos quoque Constantio misit, *Pentadium* Officiorum Magistrum, & Eutherium cubiculi Præfectum, qui eum de gestis docerent. Quæ ut *utilia probari & recta* scripta Epistola postulat. Subjungit, *Præfectos Prætorio æquitate & meritis notos tua nobis dabit clementia: residuos ordinarios Judices militiaque moderatores, promovendos arbitrio meo concedi est consentaneum, itemque stipatores.* Dimissis Legatis Constantius, qui Cæsareæ Cappadociæ versabatur, Leonem, Q.æstorem, qui Seleucensi conventui adfuerat, ad Julianum pergere jubet. Parisios ingressus Rescriptum offert, in quo continebatur, *Cæsaris potestatem sufficere Juliano.* Quibus auditis, militaris undique clamor attollitur: *Auguste Juliane, ut Provincialis & miles, & Reipublicæ decrevit autoritas, recreata quidem, sed adhùc metuentis redivivos Barbarorum excursus.* Creatus Augustus inter exordia Principatus *vili coronâ circumdatus erat, Xystarchæ similis purpurato.* Posteà verò diademate utitur lapidum fulgore distincto, quo ornatus *Quinquennalia* edidit imperii Cæsarei, quod in VI. Novembris incidebat: *Inter quæ Helena conjugis defuncta suprema miserat Romam, in suburbano via Nomentana condenda, ubi uxor quoque Galli sepulta est Constantina.* Ad res Ecclesiæ nunc transgrediamur.

Marcellin. l. 20. c. 9.

Marcellin. l. 21. c. 1.

Quo anno Constantinopolitanum Conciliabulum coactum?

IV. Pedibus manibusque conatus fuerat Constantius, ab Episcopis, qui tum fortè Constantinopoli morabantur, nec non Seleucensibus Legatis fidei Ariminensis extorquere subscriptionem. Qui die Decembris ultimâ anni superioris voluntati Imperatoris obtemperarant, Silvano Eustathioque exceptis. Ut autem plus autoritatis Ariminensi Confessioni conciliaretur, coactâ apud Constantinopolim Synodo firmari illam placuit. Communis sententia est, Decembri superioris anni inchoatam in annum præsentem perdurasse. Quantum verò conjecturâ assequi fas est, non ante Januarium celebratur, totaque huic anno est assignanda. Etenim Novæ Romæ Præfectus jam fuerat impositus, de quo Fasti Idaciani: *Eusebio & Hypatio Coss. processit Constantinopolim Præfectus Urbis nomine Honoratus, die tertio Idus Decembris.* Quam Præfecturam excepit Conciliabulum. Neque in eo sedisse spatio, quod à Decembris undecimo ad finem usque protenditur, patet ex Chronico Alex. à quo in annum CCCLX. totum confertur. Sozomenus ejusdem & sententiæ est. Postquam enim narravit eâ nocte, quæ proximè Calendis Januariis antecedit, Ariminensem formulam urgente Constantio à Seleucensibus Legatis esse subscriptam, subjungit: *Porro Acaciani cùm aliquandiu substitissent Constantinopoli, Episcopos ex Bithynia convocarunt.* Quibus & accedat, quòd adhibiti à Constantio impetrandæ subscriptioni Constantinopolitani Concilii Sozomenus non meminerit. Ex quo conficitur Seleucensium Legatorum subscriptione posterius illud fuisse. Id certè negari haud potest, multa quæ Baronius in annum proximum à Synodo gesta contulit, ad præsentem spectare, Macedonii scilicet ex Ecclesia Constantinopolitana ejectionem, & in expulsi locum Eudoxii Antiocheni promotionem.

Sozom. l. 4. c. 24.

Constantinopolitanum Conciliabulum.

V. De eo Conciliabulo verba hæc sunt Socratis, quem sequitur Sozomenus: *Acaciani Constantinopoli diutius immorantes, aliud Conci-*

Socrat. l. 2. c. 41.

lium

lium coëgerunt, accersitis Episcopis Bithyniæ. Congregati igitur Antistites numero quinquaginta, inter quos erat Maris Episcopus Chalcedonis, fidei formulam Arimini perlectam, cui præfixi erant Consules, confirmarunt. Plures tamen quàm quinquaginta Episcopos interfuisse, non sine veri specie Chronicum prædicat Alex. à quo LXXII. numerantur, edita nominum quoque parte maximâ. Præsentes erant Maris, Accius. Quæ duo vocabula in unum confusa, vocem nihili in Chronico constituunt, *Mariacesius*, Georgius, Serra, Uranius, Theodosius, Eusebius, Pergasius, Leontius, Cyrius, Arbianus, Asinius, Philotheus, aliique quos brevitatis causâ præterimus. Est tamen Ulphilæ Gothorum

Socr. l. 2. c. 42.

Episcopi mentio facienda. Hactenus *Nicænam fidem amplexus fuerat, secutus Theophilum, qui cùm Gothorum esset Episcopus, Nicæno Concilio præsens subscripserat.* Ut pleniori obsequio Constantium demereretur, Ariminensi fidei tum primùm consensit. Præcipua verò hujus Conciliabuli cura fuit, ut Sirmiensis formula, Eusebio & Hypatio Coss. condita, faventibus Episcopis

Sulp. l. 2.

probaretur: *Decernunt quoque, ut neque hypostasis, neque substantia de Deo diceretur.* Sic in fumum & cinerem versa Nicænorum Decreta. At Hilarius laboranti Ecclesiæ consultum voluit: *Aderat ibi tum Hilarius, à Seleucia Legatos secutus, nullis certis de se mandatis operiens Imperatoris voluntatem, si forsan redire ad exilium juberetur. Is ubi extremum fidei periculum animadvertit, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci, tribus libellis publicè datis, audientiam Regis poposcit, ut de fide coram adversariis disceptetur. Id verò Ariani maximoperè abnuere. Postremò quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis redire ad Gallias jubetur, absque exilii indulgentia.* Non ea Gregorio Nazianzeni Patri fuit animi firmitudo, non Dianio Cæsareæ Cappadociæ, qui imbecillitate lapsi, Sirmiensi formulæ subscripserunt. In morbum lethalem cùm incidisset Dianius, convocato Basilio Magno & Clericis,

Basil. Epist. 86.

testem adhibuit Dominum, *Quod simplici corde Constantinopolitanæ fidei consenserit quidem, verùm nulla in re irritam voluerit eam fidem, quæ Nicææ à SS. Patribus exposita est.* Quibus auditis, Basilius ad illius communionem accessit.

Ætius damnatus ejicitur in exilium.

VI. Magnum tamen & memorabile quoddam à Synodo geritur. Ecclesiæ sentina Ætius abdicatus Diaconatu: complures quidem fuere, qui non spontè, neque ex animo, nigro calculo impium damnarunt, sed sui apud Imperatorem purgandi causâ, cui blasphemiæ Ætianæ odio erant. Ac à vero quidem non abludit, impias voces, quæ Hilarii aures tetigere, ab ipso Ætio manasse, cujus tamen nomen non exprimit Hilarius, etsi aliter visum *Hermantio* l. 8. c. 25.

Hilar. adv. Const. p. 278.

Erat Deus quod est. Pater non erat, quia neque ei Filius: nam si Filius, necesse est, ut fœmina sit, & colloquium sermonis, & compunctio conjugalis verbi & blandimentum, & postremùm ad generandum naturalis machinula. Sed & fidei expositionem condiderat, quæ Patri suo Dei Filium dissimilem faciebat. Constantinopolim autem adduxerant Ætium, quem inexpugnabilem existimabant, & idoneum, qui vel invitis adversariis suam sententiam stabiliret. Felicem errorem, quo Ætius à patronis producitur, ut ubi triumphus sperabatur, inde eum ignominia pelleretur. Rem sic narrat Theodoritus, cujus traditio videtur eâ verisimilior esse, quam Sozomenus scriptam reliquit: nempe Ætii causam à Constantio, Magistratibusque antè examinatam fuisse, quàm Synodus congregaretur. Audiamus ergo Theodoritum: *Eustathius Imperatori dixit, Quandoquidem causam fidei judicari cupis, Imperator, vide quas contra Unigenitum blasphemias effundit Eudoxius. Simul hæc dicens, porrexit expositionem fidei, in qua præter alia multa, hæc quoque impia verba continebantur: Ea quæ dissimiliter proferuntur, dissimilia sunt secundum substantiam. Unus Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus J. C. per quem omnia. Atqui inter se dissimilia sunt, ex quo, & per quem. Filius ergo dissimilis est Deo Patri. Hanc expositionem cùm recitari jussisset Constantius, & ob impietatem in ea comprehensam graviter indignaretur, Eudoxium interrogavit, Núm hæc ab illo scripta essent, negavit confestim Eudoxius, & Ætium ista scripsisse asseveravit.* Introducto Ætio, ab eo Constantius quærit, *Núm expositionis hujus Autor esset.* Qui sperans laudem ex Confessione se consecuturum, ejus scripti Autorem se profitetur: *Imperator verè impie-* *Theodorit. l. 2. c. 27.* *tatis magnitudinem considerans, eum exilio damnavit, & in quemdam Phrygiæ locum jussit deportari.* Mopsuestiam Ciliciæ relegatum Ætium fuisse, narrat Philostorgius, quòd Filium omnibus modis Patri similem dixerat. Hoc etiam *Philostor. l. 5. c. 1.* tradit, Basilium Ancyranum cum Ætio in certamen venire noluisse, quia indecorum, Diacono concurrere Episcopum. Invitum tamen in *Philost. l. 4. c. 12.* pugnam descendisse, in qua succubuit, & victus est. Neque Ætii ex exilio satis Principi pœnæ datum. Synodali quoque sententiâ impium damnari jubet. Concilium igitur Georgio Alex. scribit: *Ætius Diaconatu exutus, ab Ecclesiâ remotus est. Adjecta sunt à nobis commonitiones, ut nefaria ejus Epistola non legantur, sed projiciantur potius, eò quòd inutiles sunt & infructuosa.* Quòd si pertinax sit in errore, anathemate ipsum feriunt unà cum sectatoribus. Suffragiis tamen damnantium non consensere *Serra, Stephanus, Heliodorus, Theophilus*, aliique nonnulli, de quibus hanc ferunt sententiam: Ipsos *Theodorit. l. 2. c. 28.* à communione Ecclesiæ alienos esse, concesso errantibus sex mensium spatio ad emendationem, & consensum cum Synodo. Quòd si iis quæ de Ætio decreta sunt, assensum præbeant, suscipiantur ab Ecclesiis, secus à dignitate sua Episcopali moveantur. Porro Mopsuestiæ non diu Ætius versatur, cujus casus ex Philostorgio audire licet: *Cùm Imperator ex Acacio didicisset* *Philostorg. l. 6. c. 2.* *Ætium ab Auxentio Mopsuestiæ Episcopo, omni humanitate ac benevolentiâ foveri, eum Amblada deportari jussit, ut vitam illic miserè finiret, ob barbariem atque inhumanitatem incolarum. Quem & locum æstus & pestilentia infestabant.*

Macedonius suæ sectæ errorem excogitat.

VII. In Episcopos & complures, suam Synodus quoque potentiam convertit, quos exauctorat non ut violatæ quidem pietatis, sed ut plurium criminum reos, quorum jure, vel injuriâ postulabantur. Iram Principis moverat Macedonius ob translatas Constantini Magni exuvias, & vim in Novatianos adhibitam: quo congressu Imperatoris ex militibus multi perierant. Hunc *Socr. l. 2. c. 42.* ergo deponunt, quòd & plurium cædium autor fuisset, & Diaconum in fornicatione deprehensum admisisset. Macedonius Constantinopolitanâ spoliatus Ecclesiâ, in locum huic urbi proximum se recepit, ibique novæ hæreseos fit architectus, quasi ad privatam fortunam eò redactus esset, ut excolendo errori liberius vacaret;

ANNO DOM. 360.

ret: *Postquam Macedonius Constantinopolitanâ exutus est Ecclesiâ, docuit Filium quidem esse per omnia similem Patri, adeòque secundum substantiam. Spiritum verò ejusdem honoris & dignitatis expertem esse asserebat, famulum & ministrum eum appellans.* Complures quidem ea labes infecit, *Tam Constantinopoli quàm per Thraciam, Bithyniam, Hellespontum, finitimasque Provincias.* Ac non pauca errori huic fuere adjumento. Macedonianis probi spectatique mores erant, incessus gravis, disciplina Monasticæ similis, sermo non invenustus, & ingenium ad persuadendum accommodatum. Quos mores & agnoscit in Macedonianis, & probat Nazianzenus. A quo & discimus, quid ea secta peccarit: *Apud vos vitale quidpiam reperimus, quippe qui sanè atque integrè de Filio sentiatis, quorum cùm vitam mirificè probemus, doctrinam tamen non omni ex parte laudamus. . . . . Adeò vos amplector & exosculor, adeò concinnam hanc vestram, & compositam vestem revereor, & contractum ex continentia colorem, & sacros hos cœtus, & venerandam virginitatem, & purgationem, & noctes, quas in Psalmorum cantione insomnes transigitis, & propensum in pauperes, & fratres, & hospites studium, atque amorem, ut anathema Christo esse non recusem, modò communibus animis Trinitatem celebremus.* Hanc hæresim à Macedonio fundatam extructamque adeò excoluit *Marathonius*, ut Macedonii Sectatores à quibusdam *Marathoniani* dicantur. Ex rationario publico officii Præfecturæ Prætorianæ cùm opes maximas sibi comparasset, finitâ militiâ, & studio, & opibus sectam maximè adjuvit, solusque cum sodalibus perfecisse videtur, ne hæresis Constantinopoli penitùs extingueretur. Nec enim in ea urbe Ecclesias Episcoposque habuerunt *usque ad Principatum Arcadii.* Itaque erroris Sozomenus immeritò à Baronio coarguitur, quasi in universum inficiaretur, ullos ante Arcadium Macedonianis Episcopos fuisse. Macedonii in sententiam concessere Eustathius Sebastenus, atque Eleusius Cyzici, ubi sua præcipuè cubilia hic error posuit. Porro non multò postquàm hæresim Macedonius suam peperit, naturæ concessit.

Nazian. Or. 44. 712.

Sozom. l. 4. c. 27.

Bar. An. 60. n. 10.

Eudoxius sufficitur Macedonio. Vitæ ipsius breviarium.

VIII. Macedonii in locum sufficitur Eudoxius, qui relictâ Germaniciâ, Antiochenum Episcopatum rapuerat. Ab eo pulsus fuerat, uti testantur Theodoritus, nec non Philostorgius. Theodoriti verba sunt: *Erat tunc Antiochia sedes Pastore destituta, cùm Eudoxius qui post Leontium Antiochenam sedem occupaverat, inde expulsus fuisset, ac post multas Synodos Constantinopolitanam Ecclesiam illegitimè obtineret.* Narrat & Philostorgius jussisse Constantium, Antiochiâ excedere Eudoxium, ac domi in Armenia manere, anno scilicet 358. Currente verò novæ Romæ Episcopum creatum esse, liquet ex Sozomeno: *Eudoxius Macedonii loco Ecclesiam obtinuit, Constantio Augusto decies & Juliano Cæsare ter Coss.* Promotionis diem exemit oblivioni Chronicum Alexandrinum: *Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, propter multa ipsius propria crimina exauctoratus est, & in locum ejus suffectus Eudoxius mense Audynæo, seu Januarii XXVII. præsentibus Episcopis LXXII.* Patrem habuit nomine *Cæsarium*, ortum *Arabisso*, minoris Armeniæ oppido. Qui licet in amores mulierum effusior, vitam tamen martyrio confecit. Quem filium reliquit *Eudoxium*, is, si Philostorgio credimus, *Moribus mitis erat atque modestus.* Alia mens est Theodorito, qui voluptatum, *Sybariticarumque deliciarum* amantem Eudoxium fuisse prodit. Impietatem Aëtii, quam animo imbiberat, mentis ignavia abscondebat atque socordia, quâ ad voluntatem nutumque Principis sese convertebat, adeò ut charissimum suum Aëtium loco moverit. Quam ob timiditatem ab ipso Philostorgio vexatus est. Ex ejus concione, quam in dedicatione majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ habuit, liquet digniorem theatro fuisse ad histrionem agendum, quàm augustissimâ sede Episcopatus: *Cùm primùm plebem colligeret, in dedicatione magnæ Ecclesiæ, quam Sophiam vocant, conscenso sacerdotali suggestu, utpote concionaturus ad populum, hac in ipso sermonis exordio dixisse fertur; Pater quidem impius est, Filius autem pius. Cùmque plebs tumultuaretur, Conquiescite, inquit, pater quidem impius est propterea quòd neminem colit, filius verò pius, quia colit patrem. Quod dicto Auditoribus risum movit.* Sic adeò extinctæ sunt vel virtutis umbræ, ut Macedonii Episcopatus haud injuriâ desideraretur. Post Eleusii abdicationem *Eunomium* Eudoxius Cyzici Episcopum creat, quem recusavit honorem, nisi prius acceptâ sponsione, Aëtium exilio & depositionis sententiæ absolutum iri, eique rei perficiendæ intervallum trium mensium definitur.

Philostorg. l. 4. c. 4.

ANNO DOM. 360.

Theodorit. l. 2. c. 27.

Sozom. l. 4. c. 26.

Philostorg. l. 5. c. 3.

Episcopi complures a Conciliabulo Constantinopolitano exauctorati.

IX. Multorum & Episcoporum abdicatione Concilium famam posteris suam commendat. Objiciunt Basilio, quòd Diogeni Presbytero Alexandrino, per Ancyram iter facienti, chartas abstulisset, & verbera intulisset. Quòd Provinciarum Rectoribus Clericos, Antiochenses, Cilicas, Galatas, Asianos, indictâ causâ, exilio aliisque suppliciis damnare præcepisset. Quòd cùm Imperator Aëtium & ejus asseclas ad Cecropium duci jussisset, causam dicturos de criminibus quæ illis intentabat, Basilius ei cui res commissa erat, consiliis persuasisset suis obtemperare. Quòd ad Hermogenem Præf. Præt. & ad Consularem Syriæ scripsisset, Quinam, & quo loco deportandi erant, nec revocari eos permisisset. Quòd Clerum Sirmiensis Ecclesiæ adversus Germinium concitasset, Valentem verò & Ursacium apud Episcopos Africæ insimulasset, deque ea re accusatus perjerasset. Quòd Illyriis, Italis, Afris dissidii causa fuisset. Quòd ancillam in vincula conjici curasset, falsumque confiteri adversus Dominam adegisset. Quòd flagitiosum, qui concubinâ utebatur, sacro lavacro tinctum, ad Diaconatum promovisset. Quòd medicum circumforaneum, multarum cædium autorem, ab Ecclesia non segregasset. Denique quòd ad sacram mensam Clericos jurare compelleret, nunquam se mutuò accusaturos. Eustathius Sebastenus deponitur, quòd cùm Presbyter esset, pater ipsius *Eulalius* Episcopus à precum communione ipsum separaverat. Quòd & apud Neocæsaream Ponti excommunicatus à Synodo, & ab Eusebio Constantinopolitano depositus fuerat; quòd in Antiochensi Synodo perjurii convictus erat; quòd & Melitinensis Decreta subverteret. Eleusium Cyzicenum abdicant, quòd Heraclium patriâ Tyrium, Herculis Flaminem accusatum maleficiô, qui fugâ Cyzicum se receperat, temerè ad Diaconatum promovisset; quòd nonnullos à Mari Chalcedonis Episcopo damnatos, inconsultè apud Cyzicum ordinasset. *Heortasium* exauctorant, quòd absque consensu Episcoporum

Anno Dom. 360.

rum factus esset Sardianus Lydiæ Episcopus. Dracontium Pergamenum discingunt, quòd in Galatia prius Episcopatum gessisset, quæ pura puta fuit iniquitas, cùm Eudoxius, qui Germaniciâ relictâ in Antiochenum Episcopatum involarat, ad Constantinopolitanum promoveretur. Post hæc Silvanum loco moυent, quòd & turbarum signifer cæteris extitisset, Seleuciæ Constantinopolique & Castalensi Ecclesiæ Theophilum præfecisset, qui Palæstinensibus Eleutheropolitanis juraverat, se absque illorum consensu nunquam alium Episcopatum suscepturum. *Sophronium* abdicant, ut & avarum, qui res Ecclesiæ in quæstum suum vertere conabatur, & contumacem, qui ter vocatus, non ægrè modò comparuerat, sed & extraneos Judices elegerat. *Neonas* Episcopatu pellitur; quòd Annianum Antiochiæ Episcopum creare voluisset, & Decuriones in Præsules elegisset, qui scripto testati sunt, malle se bona sua retinendo publicis muneribus fungi, quàm opibus suis exutos Episcopatu donari. Elpidium abdicant; quòd ad tumultum ex citando Basilio se adjunxisset, Eusebium à Melitinensibus Presbytero motum, in pristinum locum restituisset. *Nectanam* ob perjurium communione suspensam, ad Diaconatum promovisset. *Cyrillus* Hierosolymitanus ejicitur Episcopatu; quòd Eustathio, & Elpidio communicasset Melitinensis Synodi violatoribus, à Palæstinæ Synodo abdicatus communionem miscet cum Basilio, & Georgio Laodiceno. Imperatorem præcipuè in Cyrillum commovit Acacius, commentus quòd sacram vestem aureis filis contextam, quam Macareo Constantinus ad celebranda baptismi mysteria donaverat, mercatori vendidisset, quam saltator in theatro gestarat. Exutos suâ dignitate Episcopos Acaciani Constantinopolitanâ urbe expellunt, decernuntque Antistites Synodi, qui depositionibus subscribere detrectabant, vetant ministerio fungi, donec subscripsissent. Gestæ hæc fuere Conciliabuli; quod jure Acacianum nuncupari potest, in quo vis, impotentia, astutia dominabantur. De eo conventu, quo Eunomius gloriabatur, Nyssenus: *Si de rebus Constantinopoli gestis loquitur, illudque Conciliabulum significat, & tragœdiis ibidem actis describendis immoratur, seque magnum & insuperabilem athletam nominat, fateor, quod tempore illius pugnæ, congressionis adversariorum vitavimus.* Horrore perfundimur legentes apud Nazianzenum de eo conventu: *Hinc prophani sanctorum Judices, & nova atque insolita mixtio, mystica nempe quæstiones, spectante vulgo tractata, atque iniqui rerum gestarum inquisitio & pretio conducti sycophanta, & sententia statâ mercede pronuntiata. Hinc alii ab Ecclesiarum thronis injustè pellebantur, alii in eorum locum subrogabantur; sic tamen ut ab iis impietatis chirographa, non secus atque aliud quidpiam necessarium exigerent; atque in promptu atramentum erat, & calumniator à tergo.*

Sozom. l. 4. 24.

Theodorit. l. 2. c. 27.

Nyssen in Eun. l. 2. 501.

Nazian. Or. 21. 387.

S. Sophiæ Ecclesia dedicatur.

X. Unum adhuc in ea Synodo peractum; magnificæ scilicet Ecclesiæ dedicatio, de qua in Chronico Alex. mentio est: *In eadem Synodo Episcoporum non post multos dies ab inauguratione Eudoxii Episcopi Constantinopolitanos Encænia magnæ Ecclesiæ ejusdem urbis celebrata sunt anno* XXXIV. *plus minus quam fundamenta Victor Augustus jecerat. Acta sunt Encænia his Coss.* XIV. *Kal. Mart. qui dies est mensis Peritii, seu Febr.* XIV. *Ad ea Encænia Imperator Constantius Augustus, vota sua munera, multa cimelia aurea & argentea ingentia, gemmeaque, & auro intertexta tela pro altari multa contulit. Quin & in januis, geminas utrinque fores aureas, vario opere fecit, ipsasque exteriores portas auro mirè variavit. Multa beneficia magnificè contulit, cùm in universum Clerum, tum in religiosas viduas & virgines. In Xenodochia item, & eorum alimenta, pauperum quoque & pupillorum domiciliis frumentum auxit majore numero quàm pater ejus Constantinus fuerat largitus.*

Anno Dom. 360.

Acacius Cæsariensis Episcopus Consubstantiali faventes creat.

XI. Cùm Constantinopolitani Conciliabuli mens Acacius fuerit, quæ molem agitans, mobilia in membra influxerit, de celeberrimo homine nonnulla sunt in medium proferenda. Luscus erat Acacius, eaque de causa cognomine μονόφθαλμος vocabatur. Eusebii Cæsariensis discipulus, Doctori suo successor Episcopatus dictus fuerat. Audax in disputationibus, in dignoscendis negotiis acutissimus, ad exponendos animi sensus disertus habebatur: *In tantum sub Constantio clarus, ut in Liberii locum, Romæ Felicem constitueret.* A Sardicensi Synodo abdicatus, potentiâ fretus suâ, Episcopatum retinuerat, damnationis securus. Ac eorum opinionis erat, qui Dei Filium naturâ similem esse Patri censebant. Qua de re Acacium ipsum *ex libro, quem ipse conscripserat, atque in lucem ediderat*, in Seleucensi Synodo convicerunt. Mutandi vel potius dissimulandæ opinionem causa hæc fuit, quòd Cyrillo Hierosolymitano, cui infensus erat, honorem Basilius habebat Ancyranus. Itaque Eudoxio, Mari Chalcedonensi, Ætio, atque Eunomio se consentire simulavit, *Ut Basilium dolore afficeret, quòd Cyrillum à se depositum, nihilominus honore afficiebat.* Ut Victor adversarios prostravit, in Orthodoxos Consubstantialis patronos inclinasse visus est. Id disertè docet Epiphanius: *Hoc Acacius propositum habuit, ut paululum ab Arianorum nefario dogmate deflecteret, & unum se ex Orthodoxis faceret.* Hoc & innuit Philostorgius, testatus Acacium, dum Cæsaream redit, *In Ecclesiis, quæ Pastore suo viduata erant, nos Episcopos constituisse, qui Consubstantialis fidem profitebantur.* Quin etiam defuncto Juliano, cùm Imperium Jovianus adiisset, anno CCCLXIII. Nicænam fidem palam amplexus, & cum Meletio colloquium habuit, & libello subscripsit, qui Joviano oblatus est, declarando se *Sacræ sanctæ Synodi olim apud Nicæam congregatæ fidem suscipere, & constanter retinere.* Scriptis quoque suis Acacius inclaruit. In Marcellum Ancyranum librum edidit, cujus fragmenta extant plurima apud Epiphanium h. 72. n. 6. De ejus lucubrationibus Socrates: *Complures libros condidit, & de vita Præceptoris sui Eusebii speciatim scripsit.* Quibus subjungatur Hieronymus: *Elaboravit in Ecclesiasten decem & septem volumina, & miscellanearum quæstionum sex, & multos præterea diversosque Tractatus.* Periit anno circiter 366. His moribus Acacius relictâ Constantinopoli, Nicomediæ in locum Cecropii in terræ motu Ecclesiæ ruinis obruti, Onesimum ordinat Ancyræ, Athanasium substituit, quem Basilius M. scriptis ad eum Epistolis celebrem fecit. Athanasii quoque non sine laude meminit Nyssenus: *Quis qualisve fuerit Ætius, audivi quondam ex Galatarum Episcopo Athanasio, viro cui veritatis nil fuit antiquius.* Tarsensibus Silvani loco Acacium alterum præficit. Laodi-

Philostorg. l. 2. c. 12.

Hier. de Script. Eccl.

Sozom. l. 4. c. 22.

Philostorg. l. 4. c. 12.

Epiph. h. 73. n. 28.

Philost. l. 5. c. 1.

Socr. l. 3. c. 25.

Socr. l. 2. c. 4.

Nyssen. l. 3. adv. Eunom. 292.

ceæ

Anno Dom. 360.

ecæ *Pelagium* constituit. Ac ubicunque vis ac potentia ei consilium dabat, *Eos qui Consubstantiale apertissimè profiterentur, summa studio collocavit.*

Philostorg. l. 5. c. 1.

Meletius Sebastenus creatur Episcopus, inde Antiochiam transfertur.

XII. Inter Episcopos qui consilio autoritateque Acacii constituuntur, eminet *Meletius*, cujus in Antiquitate multum fama percrebuit. Tanti viri historiam obscuritate involvit Socrates, quem ex *Sebastiensi* Berœensem dicit Episcopum, sui quidem immemor, qui Seleucensi Synodo, ut Berœæ Antistitem interfuisse tradit: *Cùm Seleucensi Concilio adfuisset, & fidei illic ab Acacio edita subscripsisset, rectà inde Berœam repetiit.* Quo casu Berœâ Sebasten translatus esset, non vice versâ. Exautorato Meletius Eustathio suffectus Sebastiensem Episcopatum capessit. Nec Blondello assentiri possumus, cui hoc *impossibile* visum. Magnis quidem rationibus Socratem onerat, quòd Meletium Sebastiâ Berœam translatum fuisse prodiderit: neque nos huic & assentiri promotioni possumus. Quid verò pugnæ est, Meletium à Constantinopolitana Synodo in Sebastena Cathedra ineunte Februario collocatum, sub anni finem Antiochiam accitum esse? Magna quidem Autorum conspiratio est, ex Sebastensi Episcopatu ad Antiochensem evectum fuisse. Hieronymus in Chronico: *Meletius Sebastiæ Armenorum Episcopus, ab Acacio, & Georgio Arianis Episcopis Antiochiam transfertur.* Consentit & Philostorgius: *Meletius ex urbe Armeniæ Sebastia accitus, in Antiochena sede ab Acacio collocatur.* Minimum temporis fuit, dum in ea urbe moratur, cui fortè invisus erat, quòd ab Arianis illum Episcopatum adeptus fuerat. Repugnabat & novo Præsuli pars ea quæ Eustathio addicebatur, itaque à factioso Conventu cum aliis viris bonis ejicitur. Quod non obscurè innuit Theodoritus: *Meletius cujusdam urbis in Armenia Episcopus, cùm gregis sui contumaciam ferre non posset, aliò migraverat.* Berœam scilicet, ubi agebat, cùm ad regendam Ecclesiam Antiochenam vocatur. Tristissima tum temporis hujus Ecclesiæ conditio fuit, cujus vitæ reliquias dissensiones lacerabant. Nullus in fide, nullus in psalmodia consensus erat. Pars utraque Pastorem sibi faventem optabat. Ariani Meletium opinionis suæ magis esse existimantes, à Constantio impetrant, ut ipsi Antiochenæ Ecclesiæ administratio crederetur. Philostorgius quidem scriptum reliquit, Meletium prius quidem dissimilis substantiæ Filium professum, & ad Imperatoris arbitrium sese accommodasse, & Occidentalium Epistolæ subscripsisse. Consubstantialis verò defensores, quibus magni Meletii & doctrinæ integritas, & vitæ Sanctitas notæ erant, electo consensum faciles præbuere. Ea de re Decretum perscribitur, cunctorum subscriptionibus firmatum, quod veluti commune pactum Eusebio Samosatensi servandum traditur. Eo tempore Synodus Antiochiæ celebrabatur. Non obscura quidem est hujus Synodi memoria, ab ea sanè diversa, quæ anno CCCLXI. Tauro & Florentio Coss. coacta est. Utriusque Synodi distinctio non minima est apud Sozomenum: *Acaciani*, inquit, *Antiochiæ iterum congregati, ea quæ ipsi prius decreverant, reprehenderunt.* Vox *iterum* geminæ quidem Synodi indicium est. Veniente Meletio Episcoporum in Antiochena civitate conventum fuisse, testis est Theodoritus: *Universi*, inquit, *Episcopi obviam ei processere.*

Socrat. l. 2. c. 44.

Blond. Primauté 136.

Philostorg. lib. 5.

Philostorg. l. 5. c. 1.

Sozom. c. 4. c. 29.

Meletius ob Consubstantialis fidem ejicitur Antiochiâ.

XIII. Meletius acceptis Constantii literis Antiochiam properat. Venienti Antistites non modò, sed reliqui etiam Ecclesiæ ordines, & plebs universa obviam occurrunt. Aderant Judæi & Gentiles, celeberrimum virum videre cupidi. Redierat tum Mesopotamiâ Constantius, qui dicendi facultate præstantes, verba hæc Salomonis, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, populo exponere hortatur. A Notariis quoque singulorum dicta excipi jussit, quò accuratior expositio afferretur. Ac primus Georgius Laodicenus virus suum evomit. Acacius dein Cæsariensis mediam sententiam protulit, ab Arianorum quidem blasphemia multùm distantem, sed quæ tamen germanam puræ fidei notam non retinebat. Tertius surrexit Meletius, cujus orationem ab injuria temporis vindicavit Epiphanius. Quæ cùm ingenti plausu benignisque auribus exciperetur, orantibus cunctis ut compendiariam ipsis doctrinam traderet, ostendit tres digitos: ac deinde duobus compressis, unoque ut erat relicto, memorabilem illam protulit sententiam: *Tria sunt, quæ intelliguntur, sed tanquam unum alloquimur.* Auditores etiam hortatur, ut Nicænis Decretis adhærescerent. Quibus auditis Eudoxiani calumniam instruunt Meletio, quasi Sabellii dogma sequeretur. Efficiunt igitur ut civitate pellatur. Quem posteà revocant, ut pœnitentiâ ductus ea quæ dixerat, emendaret. At cùm sententiam non mutaret, Constantius eum in exilium deportari jussit. Dum pellitur, contigit res memoriâ dignissima. Sedebat Præsidis in curru: plebs molestè ferens à se Meletium divelli, Præsidis caput lapidibus petebat. Quid fecit Sanctus ille Præsul? *Complexus suis vestibus contexit caput Præsidis.* Sic Antiochiâ pellitur Meletius triginta circiter diebus post inaugurationem, quo brevissimo temporis spatio jacta ab eo fidei semina adeò adolevere, ut non potuerint evelli. In Meletii locum substituitur *Euzoius*, quem dum Diaconi munere fungebatur, Alexander unà cum Ario damnaverat. Mox Meletii sectatores ab Arianis divulsi, in Apostolica Ecclesia, quæ in veteri urbe sita est, congregari cœpere. Quò magis ex loco Apostolico ad Doctrinam Apostolicam retinendam inflammarentur. Pertulerant annis XXX. Episcoporum Arianorum jugum durissimum, spe ducti conditionis multò melioris. At ubi viderunt exturbari Meletium, Euzoiumque pestilentissimum Arianum ad Pontificale munus evehi, laudandâ divisione societatem fidei corruptoribus renunciarunt. Ariani verò metuentes ne propriis subscriptionibus convincerentur, Constantio suadent, ut creditum Eusebio Decretum repetat. Misso confestim cursore publico, qui de reddenda syngrapha mandatum Principis exponeret, respondit admirandus ille Eusebius: *Non possum commune depositum restituere, nisi congregatis prius universis Episcopis qui mihi illud commendarunt.* Denuò scribit Imperator, Decretum reddi jubens, additis minis, quòd recusanti dextera abscinderetur. Perlectis literis Eusebius dextram sinistramque protendens ambas abscindi jubet: *Decretum*, inquit, *non reddam, quo Arianorum improbitas apertè coarguitur.* Mirandam viri constantiam jure Constantius miratus est.

Hær. 73. n. 29.

Theodorit. l. 2. c. 31.

Theodorit. l. 2. c. 31. Sozom. l. 4. c. 28.

Theodorit. l. 2. c. 32.

Eunomius Cyzici creatur Episcopus. Vitæ hujus Hæretici breviarium.

XIV. Ad Episcopatum post Romanum totius orbis splendidiorem eò ascendisse Eudoxius videbatur, ut graviori clade Ecclesiam afficeret, trium-

triumphantemque errorem in throno collocaret. Ac versipellis homo, qui neglectâ animi conscientia Principis in gratiam retineret, Ætium Diaconum suum officio removerat; Eunomium qui mentem Ætii venenis suam infecerat, Ecclesiæ Cyzicensi Episcopum imponit. Eunomius patriâ *Cappadox* erat. Id quidem inficiatur Baronius, imo erroris dicam scribit Sozomeno, cujus de Eunomio hæc verba sunt:

Sozom. l. 7. c. 27.

Sepulturam in patria sortitus est: vicus hic erat Cappadocum nomine Dacora, situs in territorio Cæsarea ad Argæum montem.

Bar. An. 360. n. 35.

Innititur Baronius autoritate Basilii M. qui libro primo adversus Eunomium *Galatam* fuisse prædicat. Errantem tamen Basilium vestigiis sequi Baronius non debuit.

Error Baronii.

Pepercisset quidem censuræ, si Gregorii Nysseni verbis advertisset animum. Eunomius ipse quidem, qui patriam non nesciebat suam, Cappadocem se fuisse testatur: eoque mendaci notam impingit Basilio, qui ipsi *Galatiam* pro patria assignaverat: *Quia*, inquit, *me cùm sim Cappadox, vocavit Galatam.* Ad hæc verò exclamat Nyssenus:

Nyss. l. 1. contra Eun. 307.

Mirum verò, si eum qui in confiniis duarum regionum habitabat, in obscuro quodam Corniaspina angulo, non Oltiserium, sed Galatam nominavit. Si tamen nominasse ostendi potest, non enim hoc reperi in nostris Codicibus. Sed esto, dixerit Basilius. Sufficit quidem de sua patria ipsiusmet Eunomii testimonium. Aliud tamen, nec spernendum afferri potest, Philostorgii scilicet, in rebus Eunomianis oculatissimi: Eunomius, inquit, Eudoxio Cyzicum dimisit, *Et in patriam suam Cappadociam se recepit.*

Philostorg. l. 6. c. 3.

De loco tamen ubi editus, non satis Sozomenum inter Nyssenumque convenit. Ille vicum *Dacoram*, hic *Oltiserium* patriam ascribit Eunomio. Nysseni, & Cappadocis, & Sozomeno antiquioris autoritas majoris est apud nos momenti: eò magis, quòd Basilii fratris sui de Eunomii patria factus errore cautior Nyssenus, ea dixit, quæ certa exploratáque fuere. Non repugnat etiam, quin *Dacora* pars *Oltiserii* aliqua fuerit. Optimo patre, excepto hoc uno, quòd talem genuit filium, & agricolâ, & qui rusculo colendo deditus erat, nascitur Eunomius. Hyeme cùm agriculturæ vacatio est, primis elementis puerulos informans, alimenta sibi comparabat. Eunomius verò valedicens paternis aratris, celeriter scribere doctus, cum consanguineorum uno habitavit, non aliâ mercede, quàm victu quotidiano.

Nyss. l. 1. contra Eun. 294.

Domini sui filiis Pædagogus datus, eloquentiæ studio accenditur. Post hæc laneis & zonis conficiendis vacasse perhibetur. Cùm ad ipsum Ætii fama pervenisset, ex Cappadocia Antiochiam profectus, in colloquium venit cum Secundo, à quo Ætio tum Alexandriam incolenti commendat, ipsi in sacris sese disciplinis instituendum tradidit, ejusque simul Notarium egit. Anno 358. cum Præceptore suo Alexandriâ relictâ, Antiochiam venit, ubi Episcopatum Eudoxius usurpaverat: cui moribus similis, tam charus erat, ut ad officium Diaconi ipsum promovere voluerit. Hoc verò muneris antè suscipere Eunomius noluit quàm Ætianam doctrinam accuratè didicisset.

Philostorg. l. 4. c. 8.

Ut voti compos factus est, Diaconi ordinatione susceptâ, de rescindendis Ancyranis Decretis Legatus ad Constantium missus, in itinere captus à Basilianis, Mediam Phrygiæ relegatur. Mutatis Eudoxianorum rebus, annuente Constantio, à Mari & Eudoxio Cyzici Episcopus hoc anno creatur. Quod munus non antè suscepit, quàm sponsionem ab iis accepisset, Ætium exilio abdicationisque sententiâ absolutum iri. Cui perficiendo trium mensium spatium constituitur.

Philostorg. l. 5. c. 3.

Non minimum Acacium commovit hæc ordinatio. Quæ hominem Atheo Ætio nequiorem, præficiebat Ecclesiæ. Tantumque apud Constantium perfecit, ut Eunomium Antiochiam evocaret. Qui cùm eò venisset, in Synodi conventu causam dicere jussus est. Requirente accusatorem Synodo, nullus apparuit.

Philostorg. l. 6. c. 2.

Confestim igitur ad Ecclesiam suam remittitur, disquisitione negotii majori judicio reservata. Porro in monitis dederat Eudoxius, ut Cyzicenis sententiam Eunomius occultaret suam, donec opportuniore tempore palam & apertius prædicaret. Ea tamen veluti per rimulas ut deprehensa est, qui Scripturæ periti erant, Hæreticorum larvâ sibi impositâ, domum ejus venientes, rogant ut sine circuitione aut nebulis veritatem exponat. Tum ille fidenter quas dissimularat, opiniones aperuit. His auditis, facinus impium dicunt, gregi suo veritatem invidere. Quibus inductus in concionibus Ecclesiasticis blasphemias evulgat. A Clericis ergo nonnullis apud Eudoxium accusatur, quòd Filium Patri similem negaret: vetustos ritus immutaret, eos qui impie cum ipso agere nollent, ejiceret.

Philostorg. l. 6. c. 1. Theodorit. l. 2. c. 29.

Quam ob causam tumultus in Ecclesia Constantinopolitana excitatus est ab Hesychio hujus urbis Presbytero. Accusationem non admittente Eudoxio, Imperatorem adeuntes, invectam ab Eunomio labem deplorant. Indignatus Constantius, Eudoxio præcipit Eunomium ad se accersire, convictumque exautorare. Nectenti moras ipsi minatur exilium, nisi Eunomium ad dicendam causam evocaret. Accitus autem Clerum Constantinopolitanum ita sibi conciliat, ut dicenti, testimonium pietatis perhibuerint, Filium similem secundum Scripturas profitenti. His lætus supra modum Eudoxius exclamat: *Defensio mea apud eos qui me interrogant, hæc est.* Anno CCCLXI. Festo Theophaniorum sermonem ad populum habuit, quo dicere non veritus est, post editum Servatorem Josephum usum esse uxore Mariâ; Filium Patris ministrum esse, Spiritum verò Filii servum. Post multas laudes congestas Eudoxius Eunomio persuadere conatur, & Ætii depositioni, & fidei Ariminensi consentire, quorum neutrum facere voluit. Idcircò Eudoxius eum in Synodo abdicare cogitur:

Theodorit. l. 2. c. 29.

Postquam verò impietatis pœnâ ipse affectus est, Synodi sententia non acquievit, sed Episcopos ac Presbyteros ordinavit, ipse Episcopali dignitate exutus. Ut paucis impuri Hæretici fata complectamur, narrat Philostorgius, Eunomium, ex quo ab urbe Cyzico migravit, ne sacra quidem mysteria celebrasse: urbe Constantinopolitanâ ac Clero pulsum, Chalcedonem profectum esse: onustum calumniâ apud Valentem Imperatorem, quòd rebellantem *Procopium* in agro suo occultasset, in Mauritaniam esse relegatum: Valentis Mursæ Episcopi precibus ab exilio esse revocatum: Theodosium Imperatorem cùm Cubiculariorum suorum nonnullos Eunomianam sequi doctrinam deprehendisset, eos quidem è Palatio ejecisse: ipsum verò Eunomium statim Chalcedone arreptum, Halmyridem in Mœsia ad Danubium sitam relegasse, anno ut existimamus 384. cùm superiore quidem, coacto Sectarum Conventu Eunomii Confessionem suscepisset. Inde Cæsaream depor-

ANNO DOM. 360.

portatus, cùm invisus esset civibus, quod in Basilium ipsorum Episcopum scripsisset, in agris suis, qui Dacoreni vocabantur, degere permittitur, ubi vitam cum morte commutavit anno circiter 393. Eunomio oris formam, & corporis decorem fuisse, tradit laudator ejus Philostorgius l. 10. Balbutie tamen laborabat: *Corpore & animâ leprosum, & interius exteriusque morbo regio corruptum*, tradit Rufinus: quæ vix verò similia. Quis leproso dignitatem adjungere Episcopalem sustinuisset? Rufinum fefellit locus Nysseni libro primo contra Eunomium p. 307. qui leprosis ex mortalium societate exterminatis Eunomium comparat, quia teterrima hæresi laborabat: *Fama obtinet Eutropii Præpositi Opera scripta Eunomii omnia publicè cremata: cadaver autem sepulchro extractum, Dacoris Tyanam projectum, & missum esse.*

Niceph. l. 13. c. 1.

Eunomii doctrina & libri.

X V. Eunomio ut ingenii acumen & eloquentia, sic intoleranda superbia fuit. Surdiores vel aures radit impudens blasphemia hæc: *Dixit se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse de seipso habet Deus.* Justo igitur Dei judicio in errores nefandos delapsus pependit gravissimas pœnas superbiæ suæ. Caput impietatis hoc fuit, quòd Christum & Sanctum Spiritum suâ divinitate everteret, quos ad res ex nihilo conditas relegabat. Quâ impietate Ætium & Arium adeò superavit, ut penè Doctorum suorum, & famam, & nomen extingueret. Hinc scriptum Nysseno: *Fatemur comparatione sociorum in impietatis stadio palmam præripuisse omnibus, omnesque in eodem adversus veritatem pulvere desudantes longè post se reliquisse.* Consentit & Augustinus: *Ætiani ab Ætio sunt vocati, iidemque Eunomiani ab Eunomio, Ætii discipulo, quo nomine magis innotuerunt. Eunomius quippe in Dialectica prævalens, acutius & celebrius defendit hanc hæresim. Dissimilem per omnia Patri asserens Filium, & Filio Spiritum Sanctum.* Itaque Christus, ipsi Deus æquivocè dicebatur. Expertem & animæ fuisse fingebat, quod & Arii somnium fuit. Ritus baptismi immutavit, qua de re accusatum fuisse fatetur Philostorgius. Testis potentissimus mutationis est Epiphanius: *Qui jam baptizati sunt, iterum baptizat Eunomius, non modò qui à Catholicis, aut ab aliis hæresibus, sed eos etiam qui ab ipsismet Arianis deficiunt. Repetiti porro illius baptismatis ea formula est. In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus Sanctificantis, & à creato Filio procreati.* Aliam tamen adhibuisse formulam in Theodorito legimus: Dicit *non oportere ter immergere eum qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi.* Risune, an lachrymis prosequenda, quæ de Eunomiani baptismi ritibus à Veteribus sunt memoriæ mandata? Epiphanius: *Sunt*, inquit, *qui narrent, quotquot ab iis denuò baptizantur in caput demergi, pedibus in sublime porrectis, & sic jusjurandum adigi, nunquam se ab illius hæresi discessuros.* Observat & Nicetas: *Longissimâ fasciâ, eum in usum paratâ consecratâque, hominem à pectore, usque ad extremos pedum articulos involvebant, tum deinde superiores corporis partes aquâ proluebant.* Cujus ritus causa hæc fuit, quòd inferioribus corporis partibus pollui aquam arbitrabantur, tantum superstitio potuit suadere malorum. Baptisatos ad pectus usque aquâ madefaciunt, *Reliquis autem partibus corporis tanquam abominandis, aquam adhibere prohibent.* Discipulis Eunomii Ecclesias visitare moris erat: *Omnes sectatores ejus Basilicas apostolorum & Martyrum non ingrediuntur, ut scilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris autoritatis arbitrantur, quam Evangelia.* Neque castiores doctrinâ mores fuere, si vera de Ætio prædicat Epiphanius: *Cùm quidam ob stuprum fœmina illatum accusarentur, & ab aliis damnarentur, nihil illum commotum: sed Jactum risu & ludibrio prosequentem dixisse, Nullum hoc esse momenti: corporis enim hanc esse necessitatem.* Hisce fontium Eunomianorum scatebris insigna secta fuit. Libros edidit & Hæreticus, quibus discipulos institueret. Epistolas complures scripsit, quas omnibus ipsius lucubrationibus Philostorgius anteponit. Septem libros in Epistolam ad Romanos condidit, de quibus hoc est Socratis judicium: *Et Sacrarum quidem Scripturarum parum omninò peritus fuit, nec earum intelligentiam assequi potuit. Verborum tamen copiâ abundans, & eadem assiduè repetens, nunquam propositum sibi scopum valuit contingere, sicut manifeste declarant VII. libri, quos in Epistolam Pauli ad Rom. in cassum elaboravit. Hujusmodi sunt etiam cæteri qui circumferuntur ejus libri.* Scripsit anno 383. expositionem fidei, ut obtemperaret Theodosio, qui singulis sectis in mandatis dederat, fidei suæ formulam scripto comprehensam offerre sibi. Ex Codice Florentino à Clariss. Bigotio descriptam edidit Valesius in suis ad Socratem Annotationibus p. 61. In ea disertè prædicat Eunomius, Filium *non increatum* fuisse. Trinitatis & mysterium expressa verbis evertit, negando, *Dei essentiam unam in tres Hypostases fuisse figuratam.* Extat etiamnum in Anglia Eunomii Apologeticus, cujus partem Cavius exhibet in sua Scriptorum Ecclesiasticorum historia. *Quinque libris* & adversum Basilium qui hunc Apologeticum refellerat, decertavit Eunomius: quorum primum cùm legisset, *gravi dolore perculsum, ex hac vita migrasse*, splendidè mentitur Philostorgius l. 8. c. 12. Non igitur *tres* tantùm libros Apologiæ defensio complectebatur, ut Cavio creditum. Scribenti contra Ecclesiam *responderunt Apollinaris, Didymus, Basilius, Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyssenus.*

Theodorit. H. F. l. 4.

Nyssen. contra Eun. l. 1. 309.

Epiph. h. 76. n. 6.

Theodorit. H. F. l. 4.

Epiph. h. 76. n. 6.

Nicet. Thes. l. 5. cap. 37.

Theodorit. H. F. l. 4.

ANNO DOM. 360.

Hieron. Epist. 53. n. 3.

Epiph. h. 76. n. 4.

Socr. l. 4. cap. 7.

Hieron. de Script. Eccl.

Persecutio Saporis.

X V I. Victoriis suis superbus Sapor in Christianos arma convertit. Tum Dauza sanguinem pro fide fudit, cùm *Bezabde* capta est, quod hoc duntaxat anno contigisse à Marcellino monemur. In id igitur temporis revocanda Martyrum cohors, quorum loco non suo Sozomenus meminit. Gloriosâ morte *Milles* perfungitur. Initio quidem apud Persas militaverat: relictâ deinde militiâ, Apostolicam vivendi rationem imitatur. Creatus Episcopus, verbera, cruciatusque sæpè numerò passus est. Cùm ad fidem adducere posset neminem, malum civitati imprecatus, aliò migravit. *Milles* peram duntaxat gestans, in qua Evangeliorum thesaurum reconditum habebat, Hierosolymam orandi causâ profectus, inde videndis Monachis Ægyptum petiit. Reversus in Persidem, martyrii laureâ coronatur. Plures certaminis quoque sui socios habuit. A Sapore immolantur Episcopi, *Barbasymes*, Paulus Gaddiabes, Sabinus, Mareas, Macius, Joannes, Hormisda, Papas, Jacobus, Romas, Maras, &c. *Dausas qui captivus à Persis abductus fuerat, ex loco qui Zabdæus dicitur, tum*

Sozom. l. 2. c. 13.

ANNO DOM. 361.

temporis pro fide occisus est una cum Mareabde Chorepiscopo, & Clericis suis, ducentis circiter & quinquaginta, qui unà cum illo capti fuerant. Captivitatis hujus memoriam posteris reliquit Ammianus. Expugnatâ Bezabde, *Gens rapiendi cupidior onusta spoliorum genere omni, captivorum agmen maximum ducens, tentoria repetivit exultans.* Dausas ille videtur Christianæ Legis Antistes esse, qui ad usque Regis tentoria accedens, *Suadebat placido sermone discedere Persas ad sua.*

Marcellin. l. 20. c. 7.

ANNO U. C. 1114. OLYMP. 285. PER. JUL. 5074. JUL. 406. DOM. 361. CONSTANTII 25. *Sol.* 6. G. *Lun.* 1. *Indict.* 4. *Epact.* 7. *Epact. Sol.* 1. P. 8. *April.*

COSS. *Taurus & Florentius.*

Juliani rebellio. In Constantium proficiscitur.

I. LEvioris ingenii Constantius & Aulicis obnoxius suis, Julianum à Galliis quas tuebatur, discedere nolebat. Ac si famæ solius fides admittitur, Regi Germanorum *Vadomario* scripserat, *ut tanquam rupto concordiæ pacto, subinde collimitia sibi vicina vexaret.* Capto à stationariis militibus Notario, quem Constantio miserat Vadomarius, Epistola reperta est, in qua præter alia multa, id quoque scripserat, *Cæsar tuus disciplinam non habet.* Ut & suæ, & Provinciarum saluti provideret Julianus, Philagrium Notarium, cujus prudentiæ fidebat, misit cum literis, addito mandato, ne eas aperiret, nisi viso cis Rhenum Vadomario. Invitatus ad convivium, finitis epulis, ex Epistolarum mandato, quas *Philagrius* aperuit, barbarus Rex comprehensus, ad Principis castra exhibetur, ac ne convicio quidem tenus compellatus, missus est ad Hispanias, ne Galliæ legiones lacesseret. Cùm eo facto bellis intestinis occasionem præbuisset Julianus, professâ palam defectione, se tutiorem ratus, militum fidem explorare decernit. Hactenus totus in sui dissimulationem compositus, palam Religionis sacra frequentabat: *Utque omnes nullo impediente ad sui favorem illiceret, adhærere cultui Christiano fingebat, à quo jampridem occultè desciverat, arcanorum participibus paucis, haruspicinæ augurisque intentus, & cæteris quæ Deorum semper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum Ecclesiam solemniter numine orato discessit.* Cùm hisce artibus sibi devinxisset animos, *placatâ ritu secretiore Bellonâ*, classico ad concionem exercitum convocat. Quem oratione suâ movet ad bellum Constantio inferendum: *Jussi universi in ejus nomen jurare solemniter, gladiis cervicibus suis admotis, sub execrationibus diris verbis juravere conceptis, omnes, pro eo casus quoad vitam profuderint, perlaturos.* Solus Præfectus repugnat *Nebridius*, multis beneficiis addictus Constantio. Nebridium cùm ad necem milites quærerent, ad genua sua prolapsum Julianus paludamento protexit. In regiam reversus, petenti Nebridio, ut levando timori dextram sibi porrigeret, respondit: *Ecquid præcipuum amicis servabitur, si tu manum tetigeris meam? Sed hinc quolibet abi securus.* Quo audito, ille innoxius ad larem suum recessit in Tusciam. At Julianus *Rauracis* profectus, ut ad locum pervenit, unde *Ister* navigari poterat, limbis ascensis, quos opportunè fortuna dederat plurimos, per alveum occultè ferebatur. Hanc Mamertinus navigationem verbis elegantibus est prosecutus: *Prô Sancta divinita! quæ navigationis illius fuit pompa! cùm dexteriorem incliti fluminis ripam, utriusque sexus, omnium ordinum armatorum atque inermium perpetuus ordo prætexeret. Despiceretur ad lævam, in miserabiles preces genu nixa barbaria.... Qui properationem illam contemplabitur, nihil egisse præter viam Imperatorem putabit: qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet.* Ut venit *Bononiam*, quam hodie *Bonmunster* vocari putant, Sirmio milliario nono dissitam, statim Dagalaiphum, quem Domesticis præfecerat, misit ad *Lucillianum* vocandum, trahendumque si reniteretur. Comitis nomine militibus hujus regionis præerat, venturoque Juliano resistere cogitabat. Somno excitatus, equo impositus offertur Principi. Ut adorandæ purpuræ datam sibi copiam advertit, pulsâ formidine, *Incautè*, inquit, *Imperator & temerè cum paucis alienis partibus te commisisti.* Cui Julianus: *Hæc verba prudentiæ serva Constantio. Majestatis enim insigne, non ut Consiliario tibi, sed ut desinas pavere, porrexi.*

Mamer. Panegyr.

Marcellin. l. 21. c. 9.

Julianus Victorem historicum honore afficit. In Constantium invehitur.

II. Sirmii suburbanis propinquum, *Militaris & omnis generis turba, cum lumine multo, & floribus, votisque faustis, Augustum appellans, & Dominum, duxit in Regiam.* Reversus *Naissum*, ea disponit quæ sibi usui futura erant: *Ubi Victorem apud Sirmium visum Scriptorem Historicum exinde venire præceptum, Pannoniæ Secundæ Consularem præfecit, & honoravit æneâ statuâ, virum sobrietatis gratiâ æmulandum, multò pòst urbi Præfectum.* Hic est ille Victor, Historiæ Autor *De Vita & Moribus Imperatorum Rom.* qui imperante Theodosio Præfectus urbi impositus est. Tenui atque indocto patre rure ortus, propter egregias virtutes ad amplissimos honores promovetur. Porro ad concordiam nunquam provocari posse Constantium, cùm nosset Julianus, in ipsum tandem asperius invectus, oratione vitia ejus perstringit, quam & ad Senatum misit. Quæ cùm *Tertullo* administrante Præfecturam recitarentur in Curia, unâ voce exclamatum, *Autori tuo reverentiam rogamus.* Dum Naisso commoratur, cognitâ morte Constantii, Constantinopolim properat.

Marcellin. l. 21. c. 10.

Constantii nuptiæ: in Persas proficiscitur.

III. Antequam Juliani gesta deinceps prosequamur, de Constantii & actis, & obitu nobis est dicendum. Hyemabat Antiochiæ, cùm tertium connubium inivit, *amissâ jam pridem Eusebiâ*, quam tenerrimo affectu diligebat. Defunctæ locum occupat *Faustina.* Nihilominus de Persico bello cogitabat. Transtigritanis ergo Regibus mittuntur Legati & munera, ne fallax quid tentarent, aut fraudulentum. Præcipuè *Arsaces & Meribanes*, Armeniæ & Iberiæ Reges, egregiis donis emuntur, damna Romanis illaturi, si vel dubiis rebus ad Persas descivissent: *Hermogene defuncto, ad Præfecturam promovetur Elpidius, ortus in Paphlagonia, aspectu vilis & linguâ, sed simplicioris ingenii, incruentus & mitis: adeò ut cum ei coram innocentem quendam torquere Constantius præcepisset, æquo animo abrogari sibi potestatem oraret, hasque potioribus aliis ex sententia Principis agenda permitti.* Quæ non consentiunt Hieronymo, qui Elpidium jam Prætorio Præfectum anno CCCLVI. nobis obtrudit, de *Aristenata* Elpidii uxore verba faciens: *Aristenata Præfecti tunc uxor, sed nihil de Præfecti ambitu habens, venit iterum ad Hilarionem, volens*

Marcellin. l. 21. c. 6.

Hieron. Vit. Hilar.

ANNO DOM. 361.

lens etiam ad Antonium pergere. Major hic fides Marcellino testi oculato nobis habetur, quàm Hieronymo: Auditâ Juliani rebellione Constantius, volvebat in animo, ipsumne peteret, an Persas repelleret Euphratem transituros. Tandem communicato cum Ducibus consilio, in id flexus est, ut finito propiore bello, vel certè mollito, Julianum inter *exordia ipsa capterum, tanquam venaticam prædam caperet.* Intereà Ducum nuntiis docetur Persas ad Tigridis margines tendere. Quibus percitus, quàm primùm hybernis egressus Edessam petit. Hìc certissimis nuntiis accipit, Julianum claustra Succorum occupasse, auxiliaque præstolari, ut Thracias pervadat. Id unum Constantii dolori levamen fuit, quòd *intestinos semper superaverit motus.* Decreverat vehiculis impositum militem paulatim præmittere, cùm posterâ luce ei nuntiatur, Saporem *ad propria revertisse sacris dirimentibus.* Animum ergo ad Julianum convertens, habitâ apud Hierapolim concione, lætus audit milites hastas vibrantes, altâ voce petere, se protinùs in rebellem duci. Intereà nocturnis imaginibus terrebatur. Videre sibi videbatur umbram patris obtulisse sibi pulchrum infantem, quem cùm suscepisset in gremio suo, excussam projecit longius sphæram, quam ipse dexterâ manu gestabat.

Marcellin. l. 21. c. 14.

Constantius ægrotat: baptizatur: obit: mores ejus.

IV. Autumno senescente profectus Antiochiâ, venit Tarsum, *Ubi leviore febri contactus, ratusque itinerario motu, imminuta valetudinis excuti posse discrimen, petit per vias difficiles Mopsucrenas, Ciliciæ ultimam, hinc pergentibus, stationem sub Tauri montis radicibus positam: egredique secuto die conatus, invalente morbi gravitate detentus est. Paulatimque urente calore nimio venas, ut ne tangi quidem corpus ejus posset, in modum foculi fervens, cùm usus deficeret medelarum, ultimum spirans deflebat exitium,* mentisque sensu, *tum etiam integro, successorem suæ potestatis statuisse dicitur Julianum.* Tum ab *Euzoio* Episcopo baptismum suscipit. Non Antiochiæ, ut habet Socrates, sed Mopsucrenis, cùm ægrotare incœpisset, ut in Philostorgio legimus l. 6. c. 5. Non honorificum Constantii memoriæ, quòd perfidâ Hæretici manu tinctus fuerit. Hinc Athanasius: *Constantius Hæreticus fuit, qui ad finem usque permanens in impietate, ac deinde moriens, voluit non à piis viris sed ab Euzoio; non semel, sed sæpius ob Arianam hæresim deposito, rejectoque baptizari.* Verba hæc Athanasii de loco & tempore baptismi Constantii rectè ad Philostorgium quadrant. Mopsucrene verò non longè à Mopsuestena civitate distabat. Uterque porro locus à *Mopso* nomen habuit Μοψυ ἑστία, Latinè *lares Mopsi* significat. Mopsucrene verò *fontes Mopsi.* Distincta loca esse Mopsuestiam, & Mopsicrenas, argumento sunt verba Eusebiani Chronici: *Mopsus regnavit in Cilicia, à quo Mopsicrene & Mopsi estia.* Mopsicrenas Hieronymus viculum dixit. Perperàm Mariana editio *vinculum* habet: *Constantius in Mopsi viculo moriens, magno dolore hosti reliquit Imperium.* Accepto baptismo, Constantius *anhelitu jam pulsatus letali conticuit:* diuque cum anima colluctatus jam discessura, abiit è vita, tertio Non. Novembris ætatis XLV. Imperii trigesimo septimo, quinque diebus exceptis. Idacianos Fastos Socratemque Marcellino anteponimus, qui *tertium Non.* Octobr. morti assignat Constantii. Acceptum famâ retulit Nazianzenus, tria fuisse, ob quæ tanquam imperio suo indigna Constantius pœnitentia ductus fuerit: *Primum quòd propinquis suis necem intulisset, alterum quod Julianum Apostatam Imperatorem nominasset, postremum quod novis fidei dogmatibus studuisset, simulque cum his vocibus e vita discessisset.* Si verum volumus, is rumor falso propius abest, nec Marcellino consentit. Athanasium quidem, illustresque pro pietate exules revocari jussisset, si actorum suorum pœnituisset, quod nullus fecit. Beneficium hoc fuit Juliani, quòd deportatorum exilium solveretur. Neque sapientius fuisset, dum novissima verba diceret, ea proferre, quæ in *Faustinam* Aug. illam uterum gerentem, Julianum inflammassent. Medium Constantius sui famam reliquit: *Vir egregia tranquillitatis, placidus, nimis amicis & familiaribus credens; mox etiam uxoribus deditior, qui tamen primis imperii annis ingenti se modestiâ egerit: familiarium etiam locupletator, neque inhonoros sinens, quorum laboriosa expertus fuisset officia; ad severitatem tamen propensior, si suspicio imperii moveretur, mitis alias.* A cibo vinoque & somno multum temperans fuit & castus. Credulitate suâ bona naturæ corrupit, *Christianam religionem absolutam, & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusius aluit, concertatione verborum.* Qua de causa amarissimus à Lucifero, Hilario, Athanasio verbis exagitatus, *Antichristi præcursor, cæterisque tyrannis efferatior* dictus est. Impensiori plus honoris tegeremus.

Nazianz. Or. 21.

Eutrop.

Marcellin. l. 21. c. 16.

Constantii exequiæ.

Marcellin. l. 21. c. 16.

V. *Pollinctum corpus defuncti, conditumque in loculis, Jovianus Protector Domesticus, cum regia prosequi pompa Constantinopolim usque jussus est, prope necessitudines ejus humandum. Eique vehiculo insidenti, quod portabat reliquias, ut Principibus solet, annona militaris offerebantur indicia.* Nec funeri is honos defuit, quem defunctis exhibebat Ecclesia: *Publicis laudibus faustisque ominationibus pompisque deducitur, ac religiosis etiam his nostratibus cultibus, nocturnis cantionibus, faciumque gestationibus, quibus nos Christiani pium e vita discessum honore prosequi consuevimus. At lætitia luctu permixta efficitur hujusmodi corporis exportatio.* Hæc Nazianzenus, qui & ea subdit, quibus fidem afferre nobis est difficillimum: *Cùm corpus Tauro monte superato, ad paternam civitatem veheretur, vox quadam è summis locis à nonnullis audiebatur, velut psallentium & prosequentium; Angelicarum opinor cætuum; quod pietatis illi præmium erat, funebrisque remuneratio.* Quæ figmenta ex Ariana officina prodiisse videntur. Ubi ad Constantinopolitanum portum navis, cui cadaver impositum, appulit, effusæ legiones, veluti spiranti adhuc Principi obviam ivere: *Ipse Julianus ante feretrum processit absque diademate, honorem exhibens mortuo, cui paulò antè vitam adimere properabat.* Funus & ad Apostolos usque deduxit, feretrum manu tangens, luctumque publicum indixit. In animum tamen admittere nostrum non possumus, quod de honoribus defuncto Constantio exhibitus, ab Eutropio narratur: *Meruit inter Divos referri.* Apotheosi sanè neque ab Ethnicis, quorum Templa everterat, neque à Christianis donatus est.

Nazian. Orat. 4.

Philostorg. l. 6. c. 6.

Julianus Aruspicinæ vacans accipit de Constantii morte nuncium.

VI. Ad Julianum nostra nunc oratio redeat. Eventus rerum, spem inter & metum positus, Naissi expectabat cum Aruspicibus, quid agendum

dum esset dispiciens. Spes alebant non Vates modò, quos superstitiosius consulebat, sed etiam in primis visum, quòd apud Viennam agenti, horrore medio noctis oblatum fuerat. Imago quædam visa splendidior hos versus cecinerat:

Cùm Jupiter in excelsum terminum veniens turbulenti Aquarii,
Virginisque Saturnus in parte ingredietur quinta
Vigesima, Rex Constantius Asiatica terra,
Finem amicum vita odiosum & doloribus plenum habebit.

Hoc veluti oraculo fretus, nihil asperum sibi superesse existimabat. Dum apud Naisum moratur, equites Constantinopoli venientes, nunciant, Constantium esse mortuum, exercitusque Julianum ad summam rerum deposcere. Legati quoque *Theolaiphus* atque Aliguldus addunt, Constantium voce supremâ eum successorem potestatis suæ fecisse. Ut Byzantium accessit, faustis acclamationibus excipitur, indito civis, & alumni nomine, quòd ibi & natus fuerat, & educatus: *Tertio Iduum Decembrium, verecundis Senatus officiis, & popularium consonis plausibus, stipatusque armorum & togatorum agminibus, velut acie ducebatur instructâ.*

Marcellin. l. 22. c. 2. Zosim. l. 3. c. 11.

Tribunal Chalcedone constituitur. Ministri Constantii pœnis affecti.

VII. Constitutus in summo rerum fastigio Julianus, Constantii Magistratus judicio subjicit. *Secundo Sallustio* Præfecto Prætorio summam quæstionum agitandarum committit, *Mamertino*, Arbetione, Agilone atque Nevittâ adjunctis, iidemque Jovino Magistro Equitum per Illyricum recèns provecto: *Qui omnes transgressi Chalcedona, causas vehementius æquo bonoque spectaverunt, præter paucas in quibus veritas reos nocentissimos offerebat.* Palladium in Britannos relegant, suspicione tenus insimulatum, quædam in Gallum composuisse, cujus Officiorum fuerat Magister. Taurus ex Præfecto Prætorio in exilium Vercellas pellitur. Non sine horrore audiebatur voluminis publici exordium: *Consulatu Tauri & Florentii, inducto sub Præconibus Tauro.* De more scilicet Romanorum, in causis quæ à majoribus Judicibus tractabantur, rei Præconis voce citabantur. Nil in eo deliquerat, quòd seditionis ortum veritus, ad Principis sui tutelam confugerat, à quo & Præfecti Prætorio Illyrici fuerat constitutus. Augendo Tauri dedecori, quia cum Florentio collega sese ex urbe subduxerat, *Consules fugitivos in perscribendis publicis instrumentis, Julianus eos appellari jussit.* Dignum ambitionis Tauri præmium, quem promisso Consulatu lactatum, in Ariminensi conventu vi, precibus, lachrymis Episcopos obtestari vidimus, ut rejectâ *Consubstantialis* voce, cum Arianis communionem colerent. Sic malè partus honos obnoxio homini cessit in ignominiam. *Ursuli* necem ipsa videtur flevisse justitia, Julianum ingrati animi damnans, cui misso in Gallias absque facultate quidquam dandi militibus, quidquid posceret, dari jusserat. Quam ob necem cum multorum execrationibus Julianus se expositum nosceret, absque conscientia sua Ursulum à militibus occisum prædicabat. Id solatii loco defuncti manibus præstitit, ejus ut filia superstes patris sui bonis frueretur. *Apodemius*, qui in Sylvani, Gallique mortem effrenatius arserat, *Paulus* Notarius cognomento Catena, cum multorum gemitu nominandus, vivi comburuntur. Neque numinis iram effugit Cubiculi Constantii Præfectus, qui ab infima

Zosim. l. 3. c. 10.

sorte ad usque jubendum Imperatori penè elatus erat, *Eusebius*, perfidus ille Arianus persecutionis inventor, inceptor, perfector. Damnatus est, quòd & multos oppresserat, & Gallum suis accusationibus perdiderat.

Marcellin. l. 22. c. 3. Socr. l. 3. cap. 1.

Julianus ex palatio delicias & voluptates ejicit.

VIII. Post hæc ad Palatinos Julianus sese convertit. Vitiorum quidem sentinam in aulam induxerant: plusque exemplis, quàm peccandi licentiâ lædebant. Eorum nonnulli pasti Templorum spoliis, rapiendi, absumendi nullum modum tenuere: unde fluxionis vitæ initia pullularunt. Militibus graviora gladiis pocula, testa bibere jam pudebat. Auri & lapillorum discrimina noverant: *At sub Maximiano Cæsare, vallo Regis Persarum direpto, gregarium quendam post sacculum Parthicum, in quo erant margarita, repertum, projectis imperitiâ gemmis abiisse, pellis nitore solo contentum* memorant. Arcem ergo voluptatum ejectis mollitiebus in temperantiæ sacrarium mutari voluit. Eunuchos, tonsores, coquos palatio pellit: Eunuchos quidem, quòd post amissam uxorem *Helenam* aliam nolebat ducere: coquos, quòd tenui & simplici cibo uteretur: tonsores, quòd unus pluribus sufficeret. Ad hæc exterminanda eò præcipuè permovetur, quòd magnificâ veste indutus tonsor ad demendum ipsius capillum accitus veniret. Quo viso, Julianus obstupuit: *Ego*, inquit, *non rationalem jussi, sed tonsorem acciri.* Interrogatus, Quid haberet ex arte compendii? *Vicenas diurnas, respondit, annonas.* Hoc est, singulis diebus panes viginti, *Totidem pabula jumentorum, & annuum stipendium grave, absque fructuosis petitionibus multis.* Ex Notariis plurimos ad pristinam conditionem redegit. A nonnullis quidem ea acta laudabantur; at multò plures fuere, qui vituperarent, quòd sublatâ regiarum opum magnificentiâ, vile & contemptui obnoxium reddebat imperium. Commoti hujus temperantiæ famâ Philosophi, in palatium confluebant, qui pallium gestantes, plerique habitu magis quàm doctrinâ sapientes conspiciebantur.

Marcellin. l. 22. c. 4.

Socr. l. 3. cap. 1.

Julianus Idololatriam revocat.

IX. A pueritiæ rudimentis Julianus inclinatior fuerat in cultum numinum, quem ne vel in viro cordato, nedum in Principe ferendâ dissimulatione occultaverat. Ubi adfuit sibi liberum tempus faciendi quæ vellet, mentis aperit arcana: ac primùm in Illyrico publicis sacrificiis se Deorum cultorem profitetur, quod & *Maximo* Ephesio literis significat: *Puto abs te libentissimo animo auditum iri. Deos publicè & palam colimus, & totus exercitus pietatem amat: nos apertè boves immolamus.* Ut verò Constantinopolim pervenit, familiaribus suis mandat, confestim Templa Gentilibus aperiri, qui molestè ferebant, sacrificiis prohiberi. Restituta quoque superstitio, quæ impunè exerceri non poterat. Hæc innuunt elegantia verba Mamertini: *Suspicere jam in cœlum licet, & securis contemplari astra luminibus, qui paulò antè pecorum atque quadrupedum animantium ritu in humum visus trepidos figebamus. Quis enim spectare auderet ortum sideris? Quis occasum? Ne agricolæ, quorum quidem opera ad motum signorum cœlestium temperanda sunt, tempestatum præsagia rimabantur. Ipsi nautæ qui nocturnos cursus ad astra moderantur, stellarum nominibus abstinebant: prorsus terrâ marique non ratione cœlesti, sed casu ac temerè vivebatur.* Exaggeratâ hâc oratione Idololatriæ, cujus pars maxima siderum in adoratione consistit, abrogatio depingitur. Impetratâ verò licentiâ Pagani

Mamert. Paneg.

festos

festos Numinum suorum dies Gentili ritu celebrarunt.

Num Prudentii de Romano hymnus, consecrationem describat Pontificis M. Taurobolium.

X. Sed & relegatum Pontificis Max. titulum ad augusteam dignitatem quodam postliminio reduxit: *Singulas civitates circumiens, simulacris sacrificare cœpit, seque ipse Pontificem Max. appellavit.* A Baronii tamen sententia nostra dissidet, qui Juliani in Pontificem Max. consecrationi Prudenoi carmen in *Romanum* editum accommodat. Quo jure viderit, cùm *Romanus* in Diocletiani persecutione perierit. Verba igitur Martyris ad Julianum non spectant, nondum in lucem editum:

Socrat. l. 3. c. 1.

Summus Sacerdos nempe sub terram scrobe
Alta in profundum consecrandus mergitur,
Mirè infulatus: festa vittis tempora,
Nexus coronatum repexus aurea.
. . . . . .
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi
Omnes salutant, atque adorant eminùs,
Vilis quod illum sanguis & bos mortuus
Fœdis latentem sub cavernis laverint.

Prud. Peristeph. Hym. 10.

Bar. t. 4. An. 361. n. 4.

Error Baronii.

Ad hæc Baronius: *Ritus illos profanos, quibus summus Pontifex initiandus fuit, Julianus à Prudentio hunc in modum graphicè descriptos in ignominiam perfidi desertoris, se tauri sanguine ad abstergendum Christi signum proluentu hic prodimus.* Ad summi Pontificis consecrationem carmina Prudentii pertinere, *Du Chou* tractatu Gallico *de Religione Antiquorum Rom.* aliique eruditi sibi persuasere. Placet tamen magis Salmasii sententia, notis in Lampridii Heliogabalum, qui de *taurobolio* Matris Deûm Hymnum Prudentii intelligit. Quam conjecturam veram esse, duo in primis ostendunt. Alterum, quòd non omnes Imperatores Ethnici, quibus conjuncta Pontificis Max. dignitas fuit, eo ritu consecrabantur. Alterum, quòd *taurobolium* descriptas à Prudentio ceremonias complectebatur. De Heliogabalo Lampridius: *Matris etiam Deûm sacra accepit, & tauroboliatus est, ut typum eriperet, & alia sacra quæ penitùs habentur condita.* Quòd si solemne Imperatoribus omnibus, qui Pontifices Max. egere, tali sacrificio expiari, nil causæ Lampridio fuisset, cur speciatim de Heliogabalo id in observatione poneret. Sed & *taurobolium* Matris Deûm ritibus inserit. Sacrum illius quod Prudentius describit, simillimum antiquum Poëma, quod Salmasius vulgavit:

Lampr. Heliog. cap. 7.

Quis tibi taurobolus vestem mutare suasit,
Inflatus dives subitò mendicus ut esses,
Obsitus & pannis modicis tepefactus.
Sub terra missus, pollutus sanguine tauri
Sordidus, infectus, vestes servare cruentas
Vivere cum speras, viginti mundus in annos.

Hoc genus consecrationis tanti meriti putabatur esse, ac tantæ efficaciæ, ut per eum se renasci crederent, ideòque non iterabatur, nisi post viginti annos. Hoc ipsum est sacrificium, quod à Julio Firmico indicatur, de Errore profanarum Religionum p. 18. *Neminem apud Idola profusus sanguis juverit. Et ne cruor pecudum miseros homines aut decipiat, aut perdat, polluit sanguis iste, non redimit, & per varios casus homines premit in mortem. Miseri sunt qui profusione sanguinis cruentantur. Taurobolium, vel Criobolium scelerata te sanguinis labe perfundit.* Quæ verba veteri inscriptione illustravit *Joannes à Wouwer.*

Diis Magnis. Matri. Deum & Attidi.
Sextilius. Agesilaus. Ædisius.
V. C. Causarum. Non. Ignobilis. Africani. Tribunalis. Orator.
Taurobolio. Criobolioque in æternum renatus. Aram. Sacravit.
D. D. N. N. Valente v. & Valentiniano Jun. Augg. Coss.

Consecrandus in scrobem profundam terrâ egestâ ad hoc ipsum factam demittebatur. Deinde scrobs illa tabulis perforatis consternebatur, in quibus taurus auratis cornibus mactabatur, ut consecrandus sanguinem per foramina in scrobem defluentem toto corpore exciperet.

Antiochenum Conciliabulum.

XI. Aliò nos vocant res Ecclesiæ. Dum Constantius hyemabat Antiochiæ, inexplebili eâ Synodorum cupiditate quâ laborabat, conventum jusserat Episcoporum, cujus meminit Socrates. Pars Conciliabuli hujus Georgius Alex. fuit: *Tauro & Florentio Coss. convenientes Antiochia, quæ est in Syria, cùm Euzoius ei præesset Ecclesiæ, & Imperator ibidem moraretur, pauci quidem ea quæ prius ab ipsis decreta erant, rursus in quæstionem vocarunt, vocem similis tollendam esse dicentes, ex fide quæ tum Arimini, tum apud Constantinopolim fuerat promulgata. Nec amplius dissimulantes palam affirmarunt, Patri Filium prorsus dissimilem esse, non substantiâ solùm, verùm etiam voluntate, eumque ex non extantibus, sicut Arius dixerat, factum esse pronuntiarunt. Huic autem opinioni favebant ii, qui tum Antiochia Ætii sectam sequebantur. Quamobrem præter cognomen, quod illis inditum fuerat Arianorum, Anomæi insuper, & Exucontii ab iis vocati sunt, qui doctrinam Consubstantialis tuebantur Antiochia.* Probra tamen & condemnationem sui non ferentes, eandem fidei formulam recitarunt, quam Constantinopoli ediderant. Quo facto singuli ad suas civitates regressi sunt. Ultimus Conventus ille fuit, qui Constantii imperium affecit. Si vera prædicat Philostorgius, ad profligandum Julianum dum Constantinopolim iter arripit, Synodum in urbe Nicæna indixit ad examinandum τὸ ὁμούσιον. Ut verò Mopsucrenas venit, naturæ satisfecit.

Socr. l. 2. cap. 41.

Philostorg. l. 6. c. 5.

Jacobus Nisibitanus. *Ejus* vitæ breviarium. Scripta.

XII. Stylum nostrum, dum in Oriente versamur, ad *Jacobum* Nisibitanum nunc delabi permittamus. Vir ille & pietate suâ, & miraculis illustris imperante Constantio cælestem Deo animam reddidisse scimus, annum verò nescimus. De vita & scriptis ipsius pauca hæc in Annales referemus. Nisibi insigni Mesopotamiæ civitate ortus, ad solitariam se vitam primùm conferens, montium occupatis verticibus, vere, æstate, & autumno sylvis utebatur: hyeme verò ascetam antrum excipiebat, quod parvum incolenti tegumentum præbebat. Sponte nata cedebant in alimentum, aspersimi verò caprarum villi erant indumento, ex quibus tunicam & simplex amiculum sibi conficiebat. Ut quondam in Persidem venit excitandæ religioni navaturus operam, puellæ quæ pannos fonte abluebant, cùm perfrictâ facie, & impudentibus oculis divinum hominem aspexissent, & capitis operiendi, & togam demittendi securæ, ut ab impietate eas liberaret, fontem execratur, qui subitò ex oculis evanuit, sed & nigrum capillorum colorem in alium mortuis foliis haud absimilem mutat. Rogatus à civibus urbis, ut pœnam puellis condonaret, fluentis quidem concessisse reditum ferunt; puellis verò, quæ

ANNO DOM. 361.

petitum veniam non venerant, reliquisse castigationem, temperantiæ documentum. Cùm virtutibus famæ multum collegisset, ad Pontificatum evectus, urbi Nisibitanæ præficitur. In ea dignitate constitutus, neque cibum mutavit, neque vestitum. Jejunio & sacco, quo induebatur, & cubili humi strato accessit labor circa pauperes. Ad oppidum iter facienti forte supervenium egeni, orantes quæ erant sepeliendo mortuo necessaria. Mortem is simulaverat, quæ in verum obitum mutatur. At illi Jacobo genua ponentes, postulant veniam, simulandi causam paupertatem fatentur. Tum ille vitam precibus ablatam, precibus quoque restituit. Quod majus putamus, unus ex numero Confessorum fuit, quo tempore Maximinus anno CCCXI. Ecclesiam vexabat. In Synodo Nicæna firmatâ Consubstantialis fide Arium damnavit. Antiocheno quoque Concilio, anno CCCXLI. in Encæniis celebrato interfuit. Obsidente Nisibim Sapore urbi suæ patrocinio fuit neque semel, teste Hieronymo ad annum Dom. CCCXXXVIII. *Jacobus Nisibenus agnoscitur, ad cujus preces sæpè urbs discrimine liberata est*, immissis in Persarum equos & elephantos culicibus. Qua de re fusius suo loco tractatum: miraculum fatetur Philostorgius, *Consubstantialis* licet infensissimus. Hæc ex Theodorito didicimus, de Jacobo cætera Gennadius exequatur: *Moritur hic vir Constantii temporibus, & juxta præceptum patris ejus Constantini intra muros Nisibenses sepelitur, ob custodiam videlicet civitatis, quod secundum fidem Constantini evenit. Nam post multos annos ingressus Julianus Nisiben, & vel gloria sepulchri invidens, vel fidei Constantini, cujus ob id domum persequebatur, jussit efferri de civitate sancti corporis reliquias: & post paucos menses consulenda scilicet Resp. Jovinianus Imperator, qui Juliano successerat, tradidit Barbaris civitatem.* Ea tamen Gennadii narratio cum Theodorito non consentit, qui hanc Jacobi reliquiarum translationem sponte factam esse narrant, posteaquàm Nisibis Saporis in ditionem venit anno CCCLXIII. Exierunt quidem omnes, qui id oppidi incolebant, *Sui autem defensoris ac Principis corpus ferebant, ægrè quidem ferentes & dolentes, quòd migrarent, canentes autem celebrantesque virtutem clarissimi viri.* Quis Jacobo annus supremus fuit, ignoratur. Vitam adhùc retinebat anno CCCL. cùm Nisibim Sapor obsidebat. Neque dies extremus ejus magis est in medio. Hic sanè Latinorum Chronologia ab illa Græcorum dissidet. Latini die Julii XV. Græci pridie Calendas Novembris Jacobi memoriam recolunt. Scriptis quoque suis Jacobus pietatem famæ commendavit, quorum mentionem non fecit Hieronymus, quia linguæ Syriacæ, quâ Jacobus libros condidit suos, ignarus erat eo tempore, quo tractatum de Viris illustribus composuit. De Jacobi lucubrationibus Gennadius non silet: *Comprehendit omne Opus suum in* XXVI. *Libris: id est, de Fide adversum omnes Hæreses, de Charitate generali, de Jejunio, de Oratione, de Dilectione erga proximum speciali, de Resurrectione, de Vita post mortem, de Humilitate, de Pœnitentia, de Satisfactione, de Virginitate, de Ascensu Animæ, de Circumcisione, de Azymi Benedictione, pro qua in Esaia legitur, Non exterminabitur botrus; de Christo, quòd Filius Dei sit & Consubstantialis Patri, de Castitate adversus Gentes, de Constructione Tabernaculi, de Gentium Conversatione, de Regno Persarum, de Persecutione Christianorum. Composuit & Chronicum minoris quidem Græcorum Curiositatis, sed majoris fiducia, quia divinarum Scripturarum autoritate constructum comprimit ora eorum, qui præsumptiâ suspicione de adventu Antichristi, vel Domini nostri inaniter philosophantur.* Gennadii quidem autoritatem multis Garnerius elevare contendit, ne scripta hæc Jacobo vindicentur. Quorum argumentorum præcipuum illud esse videtur, quòd Linguæ Syriacæ imperitia Gennadio fuit. Quæ tamen ratio est nihili. Quidni Episcopi celeberrimi scripta ex Syriaca lingua in Græcam verti potuere, sicque pervenire in Cassiani manus, qui Palæstinæ, Ægyptique deserta peragrarat?

Theodorit. Philoth. cap. 1. (margin, beside "equos & elephantos culicibus")

Theodorit. Philoth. cap. 1. (margin, beside "Sui autem defensoris")

Gennad. de Vir. Illustr. (margin, beside "Gennadius non silet")

Acta Hilarii in Gallia.

XIII. Anno præterito Hilarius quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis, in Gallias redire jussus fuerat absque exilii indulgentia. Quid sum in patria egerit illustris ille fidei Confessor, Sulpicii verbis est aperiendum: *Ubi permensus est orbem penè terrarum malo perfidia infectum, dubius animi, & magnâ curarum mole æstuans, cùm plerisque videretur, non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum recepissent, optimum factu arbitratus, revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus fere Episcopis de errore profitentibus apud Ariminum gesta condemnant, & in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformant.*

Sulp. Sev. lib. 2. (margin, beside "Ubi permensus est")

Synodus Parisiensis.

XIV. Curâ Hilarii atque diligentiâ eò res processere, ut non incelebris Synodus Lutetiæ Parisiorum congregaretur. Cui tamen anno sit affigenda, non est in medio. Ac Baronius quidem anno CCCLXII. Pagius verò anno CCCLX. alligandam esse statuunt. Nobis verò mediam viam inire placet. Baronii quidem Chronologia ex ipsa Synodi Epistola refellitur, quæ scripta est imperante etiamnum Constantio. Verba sunt Epistolæ: *Blasphemias quoque omnes, quas literis vestris subjecistis, damnamus, maximeque eorum Sacerdotes Apostatas respuentes, qui in loca fratrum indignissimè exulantium, quorumdam aut ignoratione, aut impietate sunt substituti.* Anni verò CCCLXII. sub initia Rescripto Juliani exules Episcopi revocati sunt. Post annum quoque CCCLX. Lutetiam Episcopos convenisse, ex eadem Epistola colligimus: *Ex literis enim vestris, quas dilecto fratri & Consacerdoti nostro Hilario direxistis, fraudem Diaboli, & conspirantia adversus Ecclesiam Domini Hæreticorum ingenia cognovimus.* Mense Februario anni CCCLX. Constantinopoli adhùc versabatur Hilarius, unde in Gallias redire jussus est. Deinde omnibus modis allaboravit, ut Clerum ad resipiscentiam adduceret. Sed & Synodi ante Parisinam coactæ plures, quarum Sulpitius meminit. Quibus omnibus peragendis annuo ferè spatio opus fuit. Non Provincialem, sed generalem Galliarum Synodum Lutetiam confluxisse titulus indicat: *Dilectissimis & beatissimis Consacerdotibus Episcopis Orientalibus omnibus, per diversas Provincias in Christo manentibus, Gallicani Episcopi salutem.* Quid autem in eo Concilio factum sit, memoriæ prodit Sulpitius: *Apud Ariminum gesta condemnant, & in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformant. Resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus, vir sanè pessimus, & ingenio malo pravoque. Verùm etiam præter hæresis infamiam, multis atque infandis criminibus convictus, Ecclesiâ ejectus est.* Sed ex ipsius Synodi monumen-

Lab. Concil. t. 2. 822. (margin, beside "Verba sunt Epistolæ")

Sulp. l. lib. 2. (margin, beside "Apud Ariminum gesta")

ANNO DOM. 361.

mentis, quid actum fuerit, hauriamus: *Auxentium & Ursacium, ac Valentem, Gaium, Megasium & Justinum excommunicatos habemus, secundum literas vestras, & certè, ut diximus, juxta fratris nostri Hilarii professionem, qui se pacem cum his, qui horum sectarentur errores, habiturum negavit.* Subjungunt Episcopi, *Saturninum* qui statutis salubribus impiissimè contradixit, *Secundum fratrum nostrorum geminas jam literas, excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis charitas vestra cognoscat.* De fide verò hæc prædicant: *Plures numero qui aut Arimini, aut Nicaæ adfuerunt, sub autoritate vestri nominis, ad Usiæ silentium sunt coacti. Quod verbum à vobis quondam contra Ariomanitarum hæresim inventum à nobis, semper sanctè fideliterque susceptum est.* Gravibus & argumentis suum Filio numen asserunt. Sic ope Hilarii penè mortua in Galliis fides excitatur, cui non minimum contribuit Saturnini damnatio: *Ita partium vires amisso Duce infracta. Paternus etiam à Petrocoris, æquè vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, Sacerdotio pulsus, cæteris venia data. Illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas.*

Lab. Concil. t. 2. 821.

Sulp. l. 2.

ANNO DOM. 362.

ANNO U. C. 1115. PER. JUL. 5075. JUL. 407. DOM. 362. JULIANI 1. & 2. *Sol.* 7. F. *Lun.* 2. *Indict.* 5. *Epact.* 18. *Epact. Sol.* 2. P. 31. *Martii.*

COSS. *Mamertinus & Nevita.*

De hujus anni Coss.

I. NEvitam Consulum alterum & Barbarum, & natione Gothum fuisse, ex Marcellino tenemus. In Senatu palam Constantium incusaverat Julianus, *quòd Barbaros omnium primus ad usque fasces auxerat.* Immemor tamen accusationis suæ, *Brevi posteà Mamertino junxit Nevitam, nec splendore, nec usu, nec gloriâ horum similem, quibus Magistratum amplissimum detulerat Constantius.* Multis Nevitam honoribus Julianus affecerat, cui & armorum magisterium tribuerat, & quæstionum agitandarum officium apud Chalcedonense tribunal. Mamertinus verò eloquentiâ præditus erat, ut testatur Panegyricus, quem de suo Consulatu, gratiis agendis, Juliano nuncupavit. Quos ad honores promotus sit, ipse doceat: *Primum thesaurorum omnium mandata custodia, & dispensatio largiendi. Secundum locum tenet in honorum meorum fructibus Præfectura: additus his, quo vel solo cujuslibet aviditas vinceretur, proventuum tuorum tertius Consulatus.* Calendarum Januariarum die id egit Julianus, quod in judiciis positum est: *Humilior Princeps visus est in officio pedibus gradiendo cum Honoratis.*

Marcel. l. 21. c. 10.

Marcell. l. 22. c. 7.

Julianus rejectâ Constantinopoli in Orientem proficiscitur.

II. Natus Constantinopoli Julianus, educatusque, urbem eam ut patriam diligebat, quam & multis beneficiis, & honoribus auctam cumulavit. Senatui decus addidit; quod laudibus effert Mamertini Panegyricus: *An metuenda tibi est Curia, cùm Senatus non solùm veterem reddideris dignitatem, sed etiam plurimum novi honoris adjeceris?* Simul urbi portum maximum struxit, qui naves ab austro periclitantes, ab injuriis defenderet, unà cum porticu, quæ sigma literam potius, quàm rectam formam refert, & ad portum deducit. Itidem constructa in regia porticu bibliotheca, & libris quotquot habebat in ea collatis. Quamdiu Constantinopoli moratus sit, non satis liquet. Non audimus quidem Zosimum, qui post decem menses regiâ urbe profectum Julianum tradit. Undecimo Decembris in illam ingressus fuerat, & certis constat argumentis, Julio mense jam Antiochiæ constitisse. Post Maji XII. urbe regiâ egressum esse ostendit Lex de Medicis, *data IV. Idus Maji Constantinopoli, Mamertino & Nevitâ Coss.* Transgressus fretum Nicomediam venit, urbem antehàc inclytam: *Cujus mœnia cùm vidisset in favillas miserabiles consedisse, angorem animi tacitis fletibus indicans, pigriore gradu pergebat ad regiam. Hoc maximè ærumnis ejus illacrymans, quòd ordo squalens occurrit, & populus nimium quantum antehàc florentissimus, & agnoscebat quosdam, ibidem ab Eusebio educatus Episcopo, quem genere longius contingebat.* Ut ad Gallogræciæ fines venit, itinere ad dextram declinato, *Pessinunta convertit, visurus vetusta Matris Magnæ delubra. Veneratoque numine, & hostiis litato, & votis, Ancyram redit.* Emensis itineribus, Cæsaream venit, Cappadociæ metropolim. Adventanti, si Autori vitæ Basilii credimus, Basilius processit obviam: *Eum intuitus Imperator dixit, Te Philosophiâ vici Basili. Respondit verò Basilius, Utinam Philosophum egisses. Tunc Sanctus tres ei panes obtulit, ex annona quam inferebat. At ille pro muneris parvitate ratus se injuriâ affectum, jussit satellitibus, ut panes quidem acciperent, eorum autem loco fœnum darent. Quo accepto ait Basilius, Nos quidem Imperator ex iis attulimus, quibus vescimur, Tu autem ex iis retribuisti quibus bruta jumenta alis; id quidem affectatâ irrisionis specie, sed qui nolens, in hujusce prati pascua nos mittas.* Hujus narrationis veritatem præstant Franciscus Combefix, & Pagius. Nobis verò iis affaniis reponenda videtur, quibus tota scatet ea vita Basilii. Notabilis circumstantia hæc ignota est Nazianzeno, ignota Sozomeno, pugnat etiam historiæ. Quippe subditus ille Amphilochius, Basilium exhibet jam ornatum infulâ, Leontio qui mortem obierat suffectum: *Cùm non multò pòst Episcopus vitâ migrasset, qui Synodum agebant Episcopi, impellente Spiritu S. eligunt Basilium ad Episcopalem thronum.* Ut vanum sit eruditorum virorum effugium, *Episcopo vel absente, vel certè latitante*, partes Præsulis egisse Basilium. Atqui falsissimum est, & *Leontio* proximè successisse Basilium, & imperante Juliano Episcopum creatum esse.

Zozim. l. 3. c. 11.

C. Theodos. l. 13. t. 4. l. 29.

Marcell. l. 22. c. 9.

Amphil. vit. Basil. c. 9.

Amphil. vit. c. 5.

Pag. Crit. An. 362. n. 5.

III. Ut ad Pylas Julianus venit, *qui locus Cappadocas discernit, & Cilicas*, Celsum Provinciæ Rectorem, jam inde à studiis cognitum, Atticis ascitum, in consessum vehiculi Tarsum secum induxit. Hinc properat Antiochiam, ubi faustis acclamationibus excipitur: *Evenerat autem iisdem diebus anno cursu completo, Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, ut fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore, sectarum est indicium frugum.* Est autem hoc temporis criterium, obscuritate involutum, variantibus eruditis, Gothofredus, Norisius, Pagiusque, vertente *Julio*, *Adonia* celebrata fuisse putant. Contrà verò Seldenus de Dîs Syris, Valesius aliique, Junio mensi Adonia alligant circa solstitium æstivum; quæ sententia non infirmis sanè præsidiis videtur esse subnixa. Quippe Adonis fabula, quem

Julianus venit Antiochiam dum Adonia celebrantur. Quo mense agitata?

Marcell. l. 22. c. 9.

Pag. Crit. An. 362. n. 4.

Trepidumque & tuta petentem
Trux aper insequitur, totosque sub inguine dentes
Abdidit, & fulva moribundum stravit arena.

Metam. l. 10. f. 12.

Mystica est Solis recedentis descriptio, qui ab

hymne veluti fanciatur, explicante Macrobio: *Adonim quoque Solem esse non dubitabitur, inspectâ religione Assyriorum, apud quos Veneris Architidis, & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent.* Adonis quidem Hebræum exhibet אדן *Dominus*, quo titulo Solem afficiebant. Cùm igitur mense Junio Cancri tropicus affigatur, quem Sol ingressus, iter suum relegere incipit, polum antarcticum versus, congruenter admodum *Adonia* eo mense celebrabantur. Præterea mensis Junius *Tammus* Hebræis nomen habet, & Solis in Cancrum introitus dicitur *Tekupha Tammus*. Est autem Tammus *Adonis*, ut rectè monet Hieronymus: *Quem nos Adonidem interpretati sumus, & Hebræus, & Syrus sermo* תמוז *vocat. Unde quia juxta gentilem fabulam, in mense Junio Amasius Veneris & pulcherrimus juvenis occisus, & deinceps revixisse narratur, eundem Junium mensem eodem appellant nomine, & anniversariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur à mulieribus quasi mortuus, & postea reviviscens canitur, atque laudatur.* Prophetæ quidem verba apertè Adonim indicant: *Ecce ibi mulieres plangentes Tammus.* Adonis quippe mysteria cum planctu celebrabantur, & Deæ Veneris simulacrum lugentem fœminam exhibebat: *Simulacrum hujus Deæ in monte Libano fingitur, capite obnupto, specie tristi, faciem manu lavâ intra amictum sustinens, lachrymæ visione conspicientium manare creduntur.* In ea igitur solemnitate omnia fuere lugubria. Hinc Marcellinus: *Et visum est triste, quòd amplam urbem, Principumque domicilium introeunte Imperatore, nunc primùm ululabiles undique planctus, & lugubres sonus audiebantur.* At Julio *Adonia* vindicat clarissimus Norisius, his argumentis fretus: *Apud Hieronymum pro Junio Julium mensem reponendum ipsemet Doctor ostendit. Nam Syri mensem Julium vocabant Tammus. Junium verò Haziram, ut ex Albategnio &c. intelligimus. Extat in Codice Theod. lib. 13. Juliani Augusti Lex IV. de Medicis, quæ dicitur data IV. Idus Maji Constantinopoli, Mamertino & Nevitâ Coss. Quare anno CCCLXII. die XII. Maji adhùc Julianus in regia urbe morabatur. Distabat Constantinopolis Antiochiâ ex Itinerario Antonini M. P. DCCCXVI. Julianus verò iter per Bithyniam ac Phrygiam faciens, aliquot subinde dies in præcipuis urbibus subsistebat, ut Deorum præsertim Templa inviseret. Quare alterâ Julii mensis parte labente Antiochiam pervenit.* Argumenta hæc eorum rationibus præponderant, qui Junio Adonia vindicarunt. Distabat Epheso Antiochia triginta dierum itinere, teste Evagrio: quæ civitas regiâ urbe longè adhùc remotior fuit, ut creditu fiat difficillimum, Julianum pro innata superstitione, & frequentandis illustrioribus Templis, & sacrificiis perpetrandis incumbentem, labente Junio Antiochiam ingredi potuisse, vel concesso regiam urbem Maji XIII. ab eo fuisse relictam. Præstituto feriarum die, Casium montem ascendit, unde secundis galliciniis videtur primo Solis exortus. Hîc Jovi rem divinam fecit. Casius dicebatur à Caso Cretensi, qui Casotim partem Antiochiæ condidit. Hîc Theodoto Hieropolitano veniam concessit, qui Constantium rogaverat, ut ad honoratos mitteret caput Juliani perduellis: *Abi*, inquit, *securus ad Lares, exutus omni metu, clementia Principis, qui ut prudens definivit, inimicorum minuere numerum, augereque amicorum sponte suâ contendit, ac libens.* Antiochenæ urbis voluptatibus temperantiam Julianus non solvit suam. Ibi hyemem egit, remotis deliciis, quibus Principes abripiuntur, & Syri abundant, jus accuratè reddidit litigantibus, quòd cùm causarum defensores plausibus maximis celebrarent, dixisse fertur: *Gaudebam planè, præ moque ferebam, si ab his laudarer, quos & vituperare posse adverterem, si quid factum sit secus, aut dictum.*

Macrob. Saturn. l. 1. c. 21.

Hier. in 8. Ezechiel.

Macrob. l. 1. c. 21.

Nor. de Epoch. Syr. Dissert. 3. p. 238.

Marcell. l. 22. c. 14.

Marcell. l. 22. c. 10.

IV. Rerum negotiorumque mole oppressus Julianus, nihilominus & Philosophiam colebat, & Philosophos: quod laudibus à Mamertino celebratur: *Tu, tu, inquam, maxime Imperator, exulantes relegatasque virtutes ad Remp. quodam postliminio reduxisti: tu extincta jam literarum studia flammasti: tu Philosophiam paulò ante suspectam ac nuper spoliatam honoribus, sed accusatam ac ream, non modò judicio liberasti, sed amictam purpurâ, auro gemmisque redimitam, in regali solio collocasti.* Extat etiamnum Epistola Juliani ad Basilium M. ut Philosophi ad Philosophum, quâ ipsum invitat ad comitatum venire: *Ad nos quam primum advola, certè amicus ad amicum venies.... Cumque apud nos quantum tibi videbatur fueris, tum à nobis honestè & ut decet, dimissus quò voles proficisceris.* Hujus Epistolæ occasione ansam arripuit impostor, cudendi Basilii ad Julianum Epistolam, in qua egregia hæc continentur: *Historias imaginum Martyrum honoro, & palam adoro.* Egregium scilicet monumentum, quo secundæ Nicænæ Synodi Episcopi imaginum cultui patrocinantur. Themistium Philosophum, & Oratorem insignem, Novæ Romæ Præfectum currente anno eâ dignitate auctum esse, secundum Suidam creditum Baronio. Est tamen verosimilius hoc honoris à Theodosio M. fuisse Themistio contributum, ut ostendit Petavius notis in XVIII. Orationem Themistii. Cæsarii quoque, Gregorii Nazianzeni fratris ingens eruditio, quæ Astronomiam, Philosophiam, Medicinam complectebatur, ipsum Juliano notum fecit. Qui & eum adortus est, ut veræ Religioni, blandimentis, suasionibusque evelleret. Vicit tamen Cæsarius, perpetuam Christo fidelitatem pollicitus. Quo tempore Julianus *celeberrimum illud cunctis audientibus prolocutus est, O felicem patrem, ô liberos infelices!* Non ad *thesauri custodiam* Cæsarium tamen evexit Julianus, ut perperàm Baronio creditum. Ab alio Cæsare id muneris collatum Cæsario, testemque damus omni exceptione majorem Gregorium Cæsarii fratrem: *At tempus quidem Imperatores subinde commutavit... De eo Cæsario inter Imperatores certamen erat, Quisnam Cæsarium magis sibi adjungeret. In Bithynia degebat, dignum munus ab Imperatore haud postremum administrans. Quæstoris siquidem officio fungebatur ac thesaurorum curam gerebat.* Ad hanc ergo dignitatem defuncto Juliano promotus est. Cæterùm tantus hic Philosophorum amor in damnum Ecclesiæ cessit: *Graves porro ac molesti omnes erant Christianis, utpote impostores, & qui Imperatoris religionem perpetuò amplecterentur.* Legibus quoque suis annum Julianus nobilitat. Prior Medicos *à molestiis munerum omnium publicorum* liberat, posterior tota fucata coloribus atque pigmentis non aliò respicit, quàm ut Christianos Rhetores Medicosque à docendi munere submoveret: *Magistros studiorum, Doctoresque excellere oportet moribus primùm, deinde facundiâ. Sed quia singulis civitatibus adesse ipse non*

Acta Juliani. Philosophiam colit. Numerario Cæsareum præfecit?

Julian. Ep. 12.

Bar. An. 362. n. 8.

Error Baronii.

Nazianz. Or. 10. 167.

Socrat. l. 3. c. 1.

Dat. IV. Kal. Jul. Cod. Th. l. 13. t. 5. p. 30.

non possum, jubeo. Quisque docere vult, non repente, non temerè prosiliat ad hoc munus, sed judicio Ordinis probatus decretum Curialium mereatur, Optimorum conspirante consensu. Hoc enim decretum ad me tractandum referetur, ut altiore quodam honore, nostro judicio studiis Civitatum accedat. Sic vafer ille Princeps volebat ut judicio suo staret omnis Professorum & Magistrorum electio & Christianos Ordinis fortè suffragio probatos, decretumque Curialium meritos sepeliebat. Notum est datum à Plinio Corelliæ consilium: *Adolescenti in hoc lubrico ætatis, non præceptor modò, sed custos etiam Rectorque quærendus est.* Christianos verò à numinum cultu maximè alienos, bonos juventutis Rectores Julianus non existimabat.

Plin. l. 3. Ep. 3.

Julianus Clericos exules revocat: qua de causa?

V. Sponte suâ Christianorum in Religionem malè animatum Julianum magis Philosophi inflammarunt, quam penitùs extinguere voluit. Ac ut perspicacis erat ingenii, non ferro, aut sanguine, sed dolis certare decrevit Princeps: hæc causa fuit, cur Episcopos exules revocarit: quod utut Ethnicus, Marcellinus non diffitetur: *Dissidentes Christianorum Antistites cum plebe discissa, in Palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus. Quod agebat adeò obstinatè, ut dissensiones augente licentiâ, non timeret unanimantem posteà plebem; nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus.* Causæ huic accessit altera: *Ut Constantii in subditos crudelitatem traduceret, eumque apud multitudinem infamaret, Episcopos qui ab illo relegati fuerant, revocari jubet, & bona quæ fisco addicta fuerant, iisdem restituit.* Personatâ hâc benevolentiâ ad *Ætium Atheum*, jussu Constantii *Amblada* relegatum, Julianus dirigit Epistolam, quam utpote brevissimam nostros in Annales referemus: *Julianus Ætio Episcopo. Ceteris omnibus qui à Constantio vitâ defuncto, ejecti patriâ fuerant, propter amentiam Galilæorum exilium condonavi. Te autem non solùm eâ pœnâ libero, verùm etiam memor pristinæ cognitionis atque amicitiæ nostræ, hortor ut ad nos venias, uteris autem vehiculo publico usque ad nostram cohortem, & uno equi assectatore.* Nondum tamen Episcopatus ad honorem Ætius ascenderat. Meminit Epistolæ Sozomenus à quo etiam discimus, graves in *Eleusium* minas tonasse Julianum, ut Templum Novatianis suum restitueret: *Eleusio Cyzicenorum Episcopo sub gravissima mulcta injunxit, ut intra spatium duorum duntaxat mensium, Ecclesiam Novatianorum, quam Constantii temporibus destruxerat, suis sumptibus instauraret.* Astutè sic enim viam inveniebat, ut Clericis fanorum quæ diruta fuerant, aut extructionem præciperet, aut sumptus ad ea reparanda necessarios. Magnam sanè, fusamque persecutionis materiam.

Marcell. l. 22. c. 5.

Socrat. l. 3. c. 1.

Sozom. l. 5. c. 5.

Julianus ubique locorum restituit Idololatriam.

VI. Julianus quasi dilatæ publicæ superstitionis versuram soluturus, omni fertur impetu, ad publicum in omnibus Imperii partibus cultum numinum restituendum. Templa neglecta sarciri, eversa refici, aras extrui jussit. Flaminibus, simulacrorumque Ministris pristinos honores restituit, annonas æditui Templorum ablatas reddidit. Cubitus quo Nili ascensum Ægyptii metiebantur, sacraque Symbola, quæ Constantini mandato deportabantur ad Ecclesiam, in Templum Serapidis deferri jussit. Calixeni illustri inter Ethnicos fœminæ Phrygiæ Deæ *in sacra Pessinunte* Sacerdotium adjunxit, missâ ea de re ad eam Epistola. Qui verò victimas immolabant, illis honorem habuit. Contrà verò urbibus quæ Christo addictæ erant, infensus admodum fuit. Testis Constantia, quæ olim Majuma appellabatur, quam Religionis Christianæ impensè deditam, civitatis jure Constantinus donatam, Constantiique filii sui nomine vocatam, Gazæorum potestati exemerat. Quibus superstitioni supra modum addictis, Julianus arbiter sedens, Constantiam contribuit. Eò & vesaniæ progressus est; ut ne vel Christianorum civitatum Legatos admitteret, dum de suis incommodis querebantur. Nisibi quæ numinum templa non aperuerat, Persarum irruptionem metuenti minatus est, se nec opem laturum, nec in eam pedem prius illaturum, quàm se ad cultum numinum transtulisset. Ut verò paulatim Christianos suæ superstitioni assuefaceret, Labarum in formam crucis à Constantino conversum mutat. In publicis imaginibus, juxta se Jovem, ipsi imperii præbentem insignia pingi voluit. Hunc in rem Juliani affectum Maris Chalcedonensis Episcopus patiente animo ferre non potuit. Passim immolabat Imperator Constantinopoli, in Basilica publici genii simulacro decorata. Tum Maris ob provectam ætatem oculorum suffusione laborans, ad Julianum perductus, illum gravius objurgatum, impium vocat, & apostatam. Cui Julianus convicia referens, Non, inquit, te Deus tuus Galilæus unquam sanaturus est. Maris verò audacius respondens, *Gratias*, ait, *ago Deo meo, qui me luminibus orbavit, ne viderem vultum tuum, qui in tantam prolapsus es impietatem.* Quò magis idololatriam promoveret, Arsacio Galatiæ Sacerdoti scripsit, à numinum Ministris ea esse exercenda, quæ Christianæ religioni amplificandæ adjumento fuerant: humanitatem scilicet in peregrinos, in sepeliendis mortuis solicitam diligentiam, morumque gravitatem. Xenodochia quoque constitui jubet, quibus quotannis triginta millia modiorum tritici, & sexaginta millia sextariorum vini per universam Galatiam assignat, quorum quinta pars in pauperes, qui Flaminibus ministrant, reliqua verò peregrinis & mendicantibus dividi debuit: *Turpe enim fuerit, ex Judæis quidem neminem mendicare, impios verò Galilæos præter suos pauperes, etiam nostros alere: nostros autem mendicos nostrâ ope & subsidio destitutos videri.* Adeò quidem in cultum Deorum propensus fuit, ut ea de causa Marcellinus ipsi maculam voluerit inustam: *Fuit superstitiosus magis quàm sacrorum legitimus observator, innumeras sine parcimonia pecudes mactans, ut æstimaretur si revertisset de Parthis, boves jam defuturos.*

Sozom. l. 5. c. 3. 4.

Sozom. l. 5. c. 17.

Socrat. l. 3. c. 2.

Sozom. l. 5. c. 16.

Marcell. l. 25. c. 5.

Persecutio Juliani incruenta. Valentinianus in exilium mittitur.

VII. A Principe sic affecto omnia Christianis erant metuenda, quorum in religionem inexpiabili odio inflammabatur. Ac eo quidem modo se gessit, ut ignes, ferrum, carnifices Diocletianorum non immeritò desiderarentur. Suadendi & alliciendi partes sibi retinebat, vim tamen & tyrannidem populari turbæ, civitatibusque permittebat: Clericis immunitates, honores, annonas à Constantio præbitas adimit. Ad Christiani nominis odium spectat, quam Idibus Mart. Constantinopoli edidit, Lex de revocandis in Curiam Christianis: *Decuriones, qui ut Christiani declinant munia, revocentur.* Huic Philostorgius Constitutioni Commentario est, qui de Juliano

Cod. Th. l. 5. 7.

Anno Dom. 362.

Philost. l. 7. c. 4.

ea prodit: *Illos qui Clero ascripti erant, ad publicas Decurionum functiones retraxit, & Ecclesiarum annonas Ministris Dæmonum tradidit.* Præterquam onera Decurionibus multa imponebantur, eis incumbebant munera, cum Christianæ Religionis injuria conjuncta. Quæ causa fuit, cur Theodosius M. Templorum curam & solemnia Decurionibus Christianis imponi vetuerit. Factum hoc Juliani, qui Curiarum amore tangi videbatur, perstringit Marcellinus libro XXV. *Illud quoque itidem parum ferendum, quod Municipalium ordinum cœtibus patiebatur, injustè quosdam adnecti vel peregrinos, vel ab his consortiis, privilegiis aut origine longè discretos.* A Virginibus etiam viduisque ea, quæ ex publico habuerant, exigi jussit. Crudelissimam sanè exactionem, cùm iis quæ acceperant, reddendis forent impares. Nec tamen hîc stetit odium Principis. Opes, donaria, sacra Ecclesiarum vasa eripit. Templa quæ à Constantino & Constantio destructa fuerant instaurari cogit, aut eorum pretia persolvi. Quorum neutrum cùm præstare possent Episcopi, Clerici, & ex Christianorum plebe non pauci gravissimis tormentis subditi in carcerem conjiciuntur. Interdixit etiam Christianis in Palatio militare, nisi numinibus sacrificia perpetrarent. Vetuit & ex eo grege regendis Provinciis Præfectos imponi, non sine ipsorum irrisione. Quippe, inquiebat, *Christianorum Lex gladio uti vetat adversus eos, qui capitale supplicium commerentur.* Mulctam & irrogavit iis qui sacrificare nollent, quâ venatione multum sibi divitiarum comparavit. Tum certissimum sui experimentum dedere, qui fidem profitebantur. Qui enim ex animo Christiani, quidvis potius ferre parati erant, quàm pietatem ejurare. Quos inter Jovinianus, Valentinianus, & Valens egregia constantiæ fortitudinisque exempla præbuere. Ac Valentinianus tunc Tribunus Lanciarios ad Palatii custodiam constitutos regens, ante Julianum Genii publici templum ingredientem incedebat. Utrinque ad januas adstantes Æditui, aquæ lustralis aspersione ingressuros purgabant. Guttam aquæ chlamydi suæ aspersam conspicatus Valentinianus, Æditum pugno percussit, pollutum sese dicens. Sunt qui memorant, Valentinianum *ipso Imperatore spectante, eam vestis partem qua aspersa fuerat, abscidisse, & simul cum ipsa aspergine projecisse.* Qua de causa Julianus ad castellum in solitudinibus constitutum Valentinianum relegat. Dignitate privatum suâ in *Thebas Ægyptias* ejectum fuisse, Philostorgio proditum l. 7. c. 7. A Valentini fortitudine multum alienus *Ecebolius* fuit, Constantinopolitanæ urbis Sophista: qui Imperatorum ad arbitrium religionem fingens suam, regnante Constantio Christi disciplinam se colere simulabat, Juliano verò rerum Domino superstitioni addictissimum se præbuit. Eo defuncto fidem iterum professus, pro foribus Ecclesiæ se pronum abjiciens, clamasse dicitur, *Calcate me, ut sal insipidum.* Illud & inclemens, arbitro vel Marcellino, *Quod docere vetuit Magistros Rhetoricos, & Grammaticos Christianos, nisi transissent ad numinum cultum.* Ne humanioribus disciplinis instituti, *si linguam acuissent, Gentilium Dialecticis expeditius responderent.* Ea Juliani constitutio Apollinaribus non minimum claritatis attulit. Pater Grammaticam docebat, filius Rhetoricam. Pater Mosis libros heroïco carmine interpretatus est. Alios prætereà veteris instrumenti libros historicos partim dactylico carmine exposuit, partim ad formam tragœdiæ personis adhibitis elaboravit. Junior autem Apollinaris Evangelia & Apostolorum Acta ad formam dialogorum exposuit, exemplum Platonis secutus.

Sozom. l. 5. c. 5.

Socrat. l. 3. c. 13.

Sozom. l. 6. c. 6.

Theodorit. l. 3.

Socr. l. 3. c. 13.

Anno Dom. 362.

Socr. l. 3. c. 16.

Marius Victorius scholam deserit: ejus conversio, librique.

Hier. Chron.

VIII. Extitere viri fortissimi, qui cognito Juliani Decreto scholas magis quàm fidem deserere maluerunt. *Proæresium* ea de causa celebrat Hieronymus: *Proæresius Sophista Atheniensis, lege datâ ne Christiani liberalium artium Doctores essent, & sibi specialiter Julianus concederet ut Christianos doceret, scholam sponte deseruit.* Simili quoque virtute *Marius Victorinus* inclaruit, qui *loquacem scholam* reliquit, ut Evangelium retineret. Miraculo propior est Victorini fides, quæ efficacia gratiæ victoriam maximè cohonestat. Addictissimus erat cultui numinum Senatoribusque amicissimus, & *ob insigne præclari Magisterii statuam in foro Romano meruerat & acceperat.* Inveteraverat Victorini in mente superstitio, eò difficilius ex animis evellenda, ne religionis mutatio deliranti quasi seni in vituperium cederet. Sed ea nil moratur Christi potentia. Perscrutanti Scripturas divinum lumen illuxit: *Dicebat Simpliciano, Non palam, sed secretius & familiarius, Noveris me jam esse Christianum. Et respondebat ille, Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro. Ille autem irridebat eum dicens, Ergone parietes faciunt Christianos?* Ut verò attentiore animo de Christi præceptis cogitavit, ac se Deum coram hominibus negantem, ab ipso coram Angelis negari metuit, subinde Simpliciano dicit, *Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri.* Quin etiam non secretius Presbyteris, sed palam fidei suæ confessionem reddere voluit. Ubi ea de causa pulpitum ascendit, *Sonuit presso sonitu per ora cunctorum collætantium, Victorinus, Victorinus.* Sic vir optimus superstitione cum timiditate ejurata se Fidelibus addidit. Fusius rem narrat Augustinus, Confessionum l. 8. c. 2. Non exemplo modò, sed scriptis quoque suis Fabius Marius Victorinus inservire voluit: *Victorinus natione Afer, Romæ sub Constantio Principe Rhetoricam docuit, & in extrema senectute Christi se tradens fidei, scripsit adversus Arium libros more dialectico valde obscuros, qui ab eruditis modò intelliguntur, & Commentarios in Apostolum.* Meminit & Victorini in procœmio Epistolæ ad Galatas, & in procœmio XIII. libri Commentar. super Ezechielem. Non omnia Victorini Opera in notitiam venere Hieronymo. Extat ad Justinum Manichæum liber contra duo principia Manichæorum, & de vera carne Christi. Sunt & varii hymni, brevesque tractatus in Bibliotheca Patrum Max. editi tomo IV. Si verum tueri volumus, nil est Victorini in oratione, quod ipsius famæ respondeat & eloquentiæ, quæ publicam in urbe statuam meruit. Neque satis aptè de mysteriis Religionis disserit. Durum sanè illud de Christo, *& qualis erat forma Dei*, l. 1. 259. Juliano Victorinus superstes fuit, sed extincto Joviano diu vitam non retinuit.

Hieron. de Vir. Ill.

S. Babylæ translatio. Theodorus cruciatur.

IX. De bello Persico cogitanti Juliano placuit Apollinem Pythium, qui apud Daphnem colebatur, supplicare & de futuris ipsius oracula poscere. Respondit Apollo, Cadavera prius in alium locum esse transferenda. Quippe Gallus Cæsar Babylæ Martyris reliquias Basilicæ intulerat quam è regione Templi Apollinis extruxerat, ut superstitionem Gentilibus eximeret.

Martyris

ANNO DOM. 362.

Theodorit. l. 3.

Martyris arcam ut removeri Princeps jussit, alacri animo Christiani ad lucum venientes arcam carpento, quod à bigis trahebatur, impositam cum tripudio Antiochiam duxere, Davidicos hymnos canentes, & singulis versibus clausulam addentes, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* Quam Julianus ignominiam non ferens, pompæ Duces posterâ luce comprehendi jubet. At *Sallustius* Præfectus ei persuadere conatur, ne Christianos martyrii cupidos compotes voti sui redderet. Imperatore autem de ira nil remittente, Salustius *Theodorum* adolescentem corripit: tergum loris laccrat, latera fodit ungulis, deinde ferreis vinculis constrictum, custodiæ tradit. Ut juvenis constantiam Christo honorificam superstitioni ignominiosam Juliano narravit Præfectus, subinde Theodorus dimittitur. Vultu securo & læto Psalmum in cruciatu cecinerat, quem pridie cantante Ecclesiâ tota urbs resonaverat. Cùm postmodum Rufinus apud Antiochiam à Theodoro petiisset, *Si sensum doloris habuisset ex integro, dicebat se quidem dolores parum sensisse, astitisse autem quendam juvenem, qui sudanti sibi linteo candidissimo, & sudores abstergeret, & aquam frigidam frequenter infunderet, & ita se esse delectatum, ut tunc mæstior factus sit, quando deponi de equuleo jussus est.* Babylæ translationem an. CCCLXIII. contigisse,* contendit Pagius, adducto etiam Valesii testimonio. Pag. Crit. An. 362. n. 8. Fallitur tamen vir doctissimus & in Valesio, & in translatarum reliquiarum tempore. Valesius quidem Juliani Comitis mortem *anno post illam translationem* accidisse dicit, Juliano IV. & Salustio Coss. Excepit verò translationem Apollinis incendium, quod die XI. Cal. Novembrium in cineres redactum est. Audiatur Theodoritus: *Damon Martyris quidem gloriam auxit, suum verò patefecit mendacium. Etenim fulmen cælitùs missum universum fanum combussit, ipsumque Apollinis Pythii simulacrum in pulverem minutissimum redegit.* Ac Apollinis quidem in Templo Julianus poscere oracula non potuisset, si jam in flammam & cineres abiisset. Theodorito consentiunt Socrates l. 3. c. 8. & Sozomenus l. 5. c. 20. Christianis Historicis persuasum fuit autoritate Chrysostomi libro contra Gentes fulmen cœlitùs in Apollinem irruisse. Quæ si vera forent, nil causæ fuisset Æditues tormentis subjici, ut incendii autores detegerentur. Diversa narrat Marcellinus quæ vero sunt propiora, ut mox videbimus. Porrò prius reliquias Babylæ quàm Templum Apollinis combureretur, translatas esse, docet Juliani Misopogon c. 39. *Postquam Daphnes mortuum remisimus, alii sive imprudentiâ, sive non, templum inflammarunt.*

Ruf. l. 1. c. 36.

Valef. in Sozom. l. 5. c. 8.

Theodorit. l. 3. c. 11.

Martyres & Confessores sub Juliano. Marci Arethusii constantia.

X. Sed & in ea Juliani persecutione sanguinis aliquid fusum. Julianus quidem martyrii lauream Fidelibus invidebat, sed sopitum odium Ethnicum, ut facultas data est, majori flammâ reviviscens, non paucos Martyres exquisitissimis suppliciis subdit. Avunculus Imperatoris Julianus Orientis Comes in Christianos furens, ad cædem usque processit. Antiochenæ Ecclesiæ pretiosissima donaria, & auferri cùm jussisset, & fores occludi, diffugientibus Clericis, solus *Theodorus* Presbyter in civitate remansit. Quem utpote sacrorum vasorum custodem, comprehensum, Julianus excruciat, & in fidei confessione exultantem ad extremum gladio obtruncat. Juliani Comitis facinoribus illud accedat, quòd sacram mensam perminxisse dicitur. Cùmque Euzoius id prohibere vellet, colaphum ei inflixit. Adjecit etiam, *Christianorum res divinâ providentiâ destitutas esse.* Gazæ fratres erant Eusebius, Nestabius, & Zeno, quibus Gazæi erant infenso animo. Odii causa fuit, quòd ipsorum Templa violarant, & contumeliam Ethnicæ superstitioni fecerant. Ac primùm flagris cæsi in carcerem conjiciuntur. Inde à furente populo carcere extracti, crudelissimè interficiuntur. Coqui partim ollas aquæ ferventis focis abreptas, raptis per plateas superfundunt, partim verubus eos transfigunt. Deinde accenso rogo ad locum, quo jumentorum corpora projiciebantur, corpora Martyrum concremant, ossaque quibus ignis pepercerat, camelorum asinorumque ossibus permiscentes. Gazæ & Ascalonæ, virorum Sacerdotii honore præditorum, & mulierum quæ perpetuam virginitatem professæ fuerant, ventres discuerunt, & hordeo postea completos, porcis vorandos præbuere. Heliopoli, quæ est ad Libanum, *Cyrillus* Diaconus simulacra multa contriverat. Cujus facinoris memores Ethnici non solùm interfecerunt, sed ventre ejus dissecto, jecur etiam illius degustarunt. Passione quoque suâ Marcus Arethusius multum inclaruit. Is erat qui Sirmiensem Confessionem anno CCCLIX. dictaverat de Semi-Arianorum grege Episcopus, quem suos errores sanguine purgasse suo libenter optaremus. Indubitanter ipsum Martyribus asserunt, Nazianzenus, Theodoritus, Sozomenus, locumque in Martyrologiis invenit, ad diem Martii XXIX. Constantini temporibus destructo Idolorum templo Ecclesiam ædificaverat. Arreptâ fugâ, ut vidit Ethnicos exasperatos, persecutioni se exemerat. Audito verò quosdam ex suis ipsius viæ comprehensos, reversus semet cruentis civibus tradidit. Ac primùm verberibus cæsum in cloacas conjiciunt, indeque extractum adolescentum multitudini tradunt, stylis contigendum. Post hæc reticulo inclusum, & garo ac melle inunctum, sublimem suspenderunt sub dio, vespas & apes ad eum sugendum invitantes. Quibus ipsum adducere putabant, ad templum quod destruxerat, excitandum. At tormentorum securus impios deridebat, *Et illos quidem humiles atque in terram depressos esse aiebat, se verò sublimem atque excelsum.* Ad extremum Arethusii exiguam admodum pecuniam ab eo flagitarunt: *At ille vel unum obolum dare ejusdem impietatis esse respondit, ac summam integram præstare.* Hoc modo superati, cùm dimiserunt, patientiam ejus mirati. Quin etiam & ex ejus ore fidem posteà didicerunt. Ferunt Præfectum Prætorio Salustium, superstitione quidem Ethnicum, moribus tamen egregium, Marci miratum constantiam, liberè reprehendisse Imperatorem, affirmasseque ipsos ignominiâ affici, qui à sene tot tantosque cruciatus fortiter perpesso victi essent. Cæterùm Syriæ persecutionem inopinatus casus incendit. Die XI. *Kal. Novembrium amplissimum Daphnæi Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus Rex ille condidit iracundus & sævus, & simulacrum in eo Olympiaci Jovis . . . subitâ vi flammarum exustum est.* Simulacri ante pedes cereos accenderat *Asclepiades* Philosophus. Ut discessit, nocte mediâ volitantes scintillas adhærentes materiis vetustissimis, quidquid contingi potuit concremant. Templo tam atroci casu consumpto, Julianus jubet; *Quæstiones agitari solitò crebriores,*

ANNO DOM. 362.

Theodorit. l. 3. c. 13.

Theodorit. l. 3. c. 7.

Sozom. l. 5. c. 10.

Marcell. l. 22. c. 13.

res, & majorem Ecclesiam Antiochia claudi. Suspicabatur enim id Christianos egisse stimulatos invidiâ. Morostori, quæ Mysiæ interioris urbs est, *Æmilianum ob ararum subversionem à Vicario incenditur.* Natale ejus Julii 18. celebratur.

Hier. Chron.

Mors Artemii. An Martyr? Ejus Acta subdita.

XI. Non immunis Ethnici furoris Ægyptus fuit, quæ vel antequam Gazæenses Virginum & Clericorum cruciatibus furorem suum explerent, in Christianos involat. Damnatur Ægypti Dux *Artemius*, qui Constantio imperante plurima Deorum simulachra contregerat. Artemium in Martyrem mutari placuit, cujus Acta extant apud Simeonem Metaphrasten, *longè optima*, si Valesio credimus, *& utilissima*. Nobis tamen reluctantibus Artemius Martyris titulo decoratur. Nec iis Artemium coloribus pingit Marcellinus, qui victimam Christi decantat: *Artemius ex Duce Ægypti, Alexandrinis urgentibus atrocium criminum mole supplicio capitali multatus est.* Is verò Marcellino candor est, ut non oneret sceleribus Christianos, qui vitæ integri pro fide interfecti sunt. Quòd si Artemius *Consubstantialis* religionem professus fuisset administrandæ quidem Provinciæ, in qua vigebat amor & pietatis, & Athanasii, Præfectus à Constantio non fuisset impositus. Tum Juliano ea mens fuit, ut fidei nomine neminem interfici vellet. Neque multum nos Acta movent Artemii, quibus falsa multa continentur. Illud quidem constat à vero esse alienissimum, quòd signum Crucis visum sit Hierosolymis, *cum Magnentius* debellatus est: *Cùm expugnatus esset Magnentius, signum Crucis maximum mirificè apparens, adeò ut admirabili splendore superaret lucem diei; visum est Hierosolymis circa tertiam diei horam, cùm esset dies festus, qui dicitur Pentecoste.* Quæ Actorum verba sunt ex Philostorgio deprompta, eoque posteriora: certè gemino errore pauca hæc Actorum verba afficiuntur, quòd & Crux festo Pentecostes die conspicua fuerit, cùm teste Cyrillo *Nonis Maji* apparuerit, tertiâ scilicet feriâ, qui *dies festus Pentecostes* non fuit, & jam debellaretur Magnentius, cùm quatuor post Pentecosten mensibus Mursensis pugna Septembris XXVIII. pugnata fuerit. A veri quoque specie abest, Artemium ut Acta prædicant, occisum esse XX. Novembris. Periit scilicet ante Georgium, post cujus obitum demum revertitur Athanasius, qui Synodum congregat & multis magnisque rebus ad Ecclesiam necessariis prius functus est, quàm à Juliano hoc ipso anno in exilium pelleretur. Athanasii igitur reditus diu ante Novembrem contigit, & in Julio, vel Augusto mense ab Hermantio non immeritò consignatur. Insuper *ligneam* Apollinis imaginem fuisse, Acta prædicant Artemii: *Ei ex vite erat corpus compositum.* Hoc autem falsissimum esse, constat ex Libanio, teste oculato, cujus verba Chrysostomus inseruit suo adversus Gentes libro: *Ac mihi ob oculos cogitatio typum ipsum repræsentat, formæ lenitatem, colli molliciem, idque in lapide.* Quid disertius? *In lapide*, inquit Libanius, non igitur *in vite*. Natale Artemii XX. Octobris in Martyrologio Rom. recolitur. In augendo Martyrum numero plus æquo liberaliores Martyrologi sæpius deprehenduntur.

Marcell. l. 22. c. 11.

Mors Georgii Alexandrini. Julianus Alexandrinos vexat Epistolâ.

XII. Cùm temporis exiguum intercessisset, Alexandrini comperto Artemii interitu, iram in Georgium vertunt. Reversus ex comitatu Principis anno CCCLXI. *Cùm transiret per speciosum Genii Templum, multitudine stipatus ex more, flexis ad Ædem ipsam luminibus, Quamdiu, inquit, sepulchrum hoc stabit? Quo audito, velut fulmine multi perculsi, metuentesque ne illud quoque tentaret evertere, quidquid poterant, in ejus perniciem clandestinis insidiis concitabant. Ecce autem repentè perlato lætabili nuncio, indicante extinctum Artemium, plebs omnis elata gaudio insperato, vocibus horrendis infrendens, Georgium petit, raptumque diversis mulctandi generibus proterens, & conculcans divaricatis pedibus. Cumque eo Dracontius Monetæ Præpositus, & Diodorus quidam veluti Comes, injectis per crura funibus, simul exanimati sunt. Ille quòd aram in Moneta quam regebat, recens locatam evertit. Alter, quòd cùm ædificandæ præesset Ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad Deorum cultum existimans pertinere. Quo non contenta multitudo immanis, dilaniata cadavera peremptorum camelis imposita vexit ad littus: iisdemque subitò igne crematis, cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis ædes illis extruerentur, ut reliquis, qui deviare à religione compulsi, pertulere cruciabiles pœnas, ad usque gloriosam mortem intemeratâ fide progressi, & nunc Martyres appellantur. Poteramque miserandi homines ad crudele supplicium ducti, Christianorum adjumento defendi, ni Georgii odio omnes indiscretè flagrabant.*

Marcell. l. 22. c. 11.

Lamentabili huic Georgii morti circunstantias fœnerat Epiphanius, quæ non sunt prætereundæ. Nempe quòd in camelum impositus totâ urbe ignominiosè traductus sit, ac fustibus percussus, totâ propemodum urbe tractus, in iis suppliciis extinctus. Georgii horrendo supplicio tot innocentium manibus quos extinxerat, litatum est:

Epiph. h. 76. n. 1.

Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror, tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Claud. in Ruf.

At Julianus Georgii cæde offensus ultimas à noxiis pœnas erat expetiturus, nisi à proximis ipsius ira mitigata fuisset. Placatus igitur solâ Alexandrinos Epistolâ corripuit, quam integram Socrates exhibet: *Imperator Cæsar Julianus, Maximus Augustus, Populo Alexandrinorum. Si Alexandri conditoris urbis vestræ, & quod majus est, si Dei magni sanctissimi Serapidis nulla vos tangit reverentia, at quomodo communis naturæ & humanitatis, ac decori vos cœpit oblivio? . . . Enimverò dicite mihi, quæso per Serapim, quas ob injurias adversus Georgium commoti sitis? Dicetis omninò, Eò quòd beatæ recordationis Constantium contra vos excitaverat. Deinde quòd exercitum in sacram urbem induxerit, & Rex Ægypti sanctissimum Templum occuparat, & imagines ac donaria & reliquum templorum ornatum inde abripuerit . . . Has igitur ob causas adversus Georgium Diis inimicum, irâ succensi, sacram denuò urbem scelere polluistis, cùm Judicum sententiis eum subjicere liceret. . . . Feliciter omninò id vobis cessit, cives Alexandrini, quòd me regnante hujusmodi facinus admisistis, qui tum ob reverentiam erga Deum, tum propter avum meum, & avunculum mihi cognominem, qui universam Ægyptum, & civitatem vestram administravit, fraternam erga vos charitatem conservo.* Porro Georgius ab Arianis suis in Martyres relatus est, quorum ex lacunis irrepsisse videtur in Martyrologia. Natale quidem S. Georgii *Cappadocis* XXIII. Aprilis celebratur. Neque Martyr nominis hujus, quem Diocletiano imperante mortem obiisse dicunt, Veterum in monumentis reperitur. Baronius ipse fatetur, se in vetustissimo manuscripto invenisse Acta S. Geor-

Socr. l. 3. c. 3.

ANNO DOM. 362.

Bar. Martyrol.

Marcell. l. 15. c. 7.

Sozom. l. 4. c. 10.

S. Georgii, in quibus mentio est *de conflictu Georgii cum Athanasio Mago. Alludit nimirum autor impius ad Georgium Arianum Episcopum invasorem sedis Alexandriæ, & Magni Athanasii persecutorem. . . . Athanasium enim ab Arianis esse Magum appellatum, Acta Tyrii Conciliabuli satis docent.* Magus quidem Ethnicis audiebat magnus ille Athanasius: *Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quave augurales portenderent alites, scientissimè callens, aliquoties prædixisse futura.* Intelligere videtur, quod narrat Sozomenus. Crocitante cornice Ethnici illudentes Athanasio rogant, Quid cornix prædiceret: *Cras*, inquit, *atque istud vociferans, crastinum diem haudquaquam jucundum vobis fore denunciat.* Quod evenit ex literis Imperatoris, quibus Pagani templa adire sua prohibebantur. S. Georgium *Cappadocem Martyrem, & Equitem* à Georgio Episcopo Alexand. non esse diversum multis conjecturis ostendit Sandius Enucleatæ Hist. Eccl. l. 2. 97. Eruditionis non contemnendæ fuit Georgius, teste Juliani ad Edicium Epistolâ Ægypti Præfectum: *Hoc mihi privatim beneficium dabis, ut Georgii scripta omnia reperienda cures. Multa erant apud illum Philosophica, multa Rhetorica, multa de Galilaeorum doctrina, quæ velim penitùs extincta esse. Sed ne cum his illa quoque pereant, omnia diligenter exquiri volo.*

Triumphans Athanasii Alexandriam reditus.

Nazianz. Or. 21. 390.

XIII. Horrendo Georgii supplicio Athanasii reditui via panditur. Reversus mense circiter Augusto, Ecclesiam ovans triumphansque suam ingreditur: *Tum verò nobilis ille athleta ex præclara peregrinatione, sic enim ipsius fugam pro Trinitate, & cum Trinitate susceptam appello, in urbem redit, atque ita lætos & alacres cives offendit, imò etiam universam prope Ægyptum undequaque in unum concurrentem, atque ab editis omnibus locis, ut alii solâ Athanasii voce, alii formâ & aspectu saturarentur: alii quod de Apostolis prædicatur, ex umbra saltem ipsa novoque corporis simulacro sanctitatem contraherent, ut cum multis jam sæpenumerò ex omni hominum memoria honores habiti sint, multis etiam obviam proditum sit, idque non præfectis tantùm publicis & Episcopis, sed familiarium quoque amplissimis quibusque & clarissimis, nullius tamen occursionis major frequentia & splendor fuisse memoretur.* Miranti cuidam honores, quibus affectus erat, *Philagrius* Cappadox vir clarus, qui Præfecturam Ægypti iterum obtinebat, à persecutore *Philagrio* multum diversus, dicentique, *ac ne Constantium quidem ipsum, pari honorificentiâ exceptum fuisse opinor*, Respondit non nemo, *Imò magnum quoque illum Athanasium, pari honore introductum fuisse, vix adduci possum, ut credam.* Quasi majori pompâ Athanasius, quàm Princeps Alexandriæ exceptus fuerit. Insidebat asino optimus ille Præsul. Cur *mulum* vertat Hermaotius, *un mulet*, nescimus. Explicationem sane respuit, & vox Scripturæ πῶλος, & comparatio, quam Nazianzenus adhibet Christi & Athanasii, qui *pullis* vehebantur. Ingredienti Alexandriam clamantes præibant, & plaudentes, unguenta profundebantur, urbs tota lumine coruscabat, publica & privata convivia agitabantur. Hinc scriptum Hieronymo: *Tum triumphatorem suum Athanasium Ægyptus recepit.* Ac prima ipsius cura fuit, prolapsam fidei doctrinam erigere, professionemque Trinitatis palam & in luce collocare. Populus verò Arianos quidem Ecclesiis ejecit, Athanasio verò eas tradidit. Pulsi autem Ariani

Hier. in Lucif. c. 7.

Socr. l. 3. c. 4.

in ædibus quibusdam vilibus & obscuris conventus egere.

Res Ecclesiæ Antiochenæ. Ad eam Lucifer proficiscitur. Num Liberii Legatus?

Theodorit. l. 3. c. 4.

XIV. Simulatâ Julianus benevolentiâ, ejectos ab Ecclesiis Episcopos ad sedes redire suas jusserat. Scindebatur tum in partes nobilis Ecclesia Antiochena. Quippe *Consubstantialis* vel ipsi defensores inter se dissidebant. Rem hic exequitur Theodoritus: *Qui celeberrimi illius Eustathii causâ sese ab Arianis jam pridem avjunxerant, seorsum collectas agebant. Et illi qui unà cum admirabili Meletio ab Ariana factione seipsos segregaverant, in palea quam vocant, divina mysteria celebrabant. Horum tamen ac priorum illorum una eadem erat fidei confessio: utrique enim pro doctrina fidei, quæ Nicææ fuerat exposita, propugnabant. Sola eos contentio, & erga Præsules suos benevolentia a se invicem divellebat.* Meletii partes præcipuè adjuvabant Diogenes Presbyter & *Vitalius* Laicus, neque adigi ullo modo poterant Eustathiani, ut sese Meletianis adjungerent. Dùm eò loci Antiochenæ sunt res Ecclesiæ, *Eusebius* Vercellensis, *Lucifer* Calaritanus & *Hilarius* Diaconus ex Thebaide, in quam à Constantio relegati fuerant, profecti, de Ecclesia ad concordiam reducenda cogitant. Hic Baronii acumen ea vidit, quæ Veterum nulli venerunt in oculos: *Liberius*, inquit, *Eusebium Vercellensem Episcopum, & Luciferum Calaritanum Legatos Apostolicæ Sedis creat, quorum alteri, nempe Lucifero, Ecclesiæ Antiochenæ ab Arianis diu possessæ curam delegat.* Miram sanè perspicaciam, quæ legationem deprehendit, Athanasio, Rufino, Socrati, Sozomeno, Theodorito ignotam, qui de Luciferi Antiochiam profectione commemorant. Imò ab Alexandrino Concilio, *Asterio* Orientis, *Eusebioque* Occidentis injunctam *procurationem* esse, testatur Rufinus, l. 1. c. 29. Quæ ex Athanasii ad Antiochenses Epistola hausta sunt: *Volumus Commissros nostros in rebus sacris, Asterium & Eusebium, in vicem nostri istic pergere, ac vos invisere.* Quâ legatione nil opus fuisset Eusebio, si à *Liberio* Legatus Apostolicæ Sedis creatus esset. Nil igitur Lucifero legationis à Liberio magis ad res Antiochenas, quàm *Asterio* injunctum fuit. Rogabatur Lucifer ab Eusebio, *Ut ad videndum Athanasium Alexandriam pergerent, communique tractatu cum his qui superfuerant, de statu Ecclesiæ decernerent.* Lucifero magis placuit Antiochiam petere, duos tamen Diaconos, *Herennium*, & *Agapetum* Alexandriam mittit.

Bar. An. 362. n. 177.

Athan. ad Antioch. 575.

Rufin. l. 1. c. 27.

Synodus Alexandrina Quid egerit? Lites de Hypostasis & Substantia vocibus.

Rufin. l. 1. c. 28.

XV. Cùm partes diffidentes de societate ineunda monuisset, *Paulinus* Presbyter Eustathianorum ductor, Diaconos Alexandriam duos mittit, *Maximum* & *Calemerum*. Monachos etiam eò ablegat Apollinaris, Laodicææ Episcopus. Placuerat apud Alexandriam Synodum convocari, de qua Rufinus: *Ibi Confessorum Concilio congregato, pauci numero, sed fidei integritate & meritis multi, quo pacto post Hæreticorum procellas, & perfidiæ turbines, tranquillitas revocaretur Ecclesiæ, omni curâ & libratione discutiunt.* Interfuere Synodo *Asterius* Petræ, *Gaius* ex Paratronio, *Agathus* Phragonus, *Ammonius* Pachnamunius, *Agathodæmon* Schediæ & Menelaiti, *Dracontius* parvæ Hermopolis, *Adelphius* Onuphæ o, *Hermion* Taneos, *Marcus* Zygriorum, *Theodorus* Athribeos, *Andreas* Arsenoitæ, *Paphnutius* Saeos, *Marcus* Philorum, *Zoilus* Andro, *Menas* Antiphrorum, *Eusebius* Vercellensis, qui & Latinè subscripsit. Synodo præerat Athanasius,

Ath. ad Antioch. 580.

ANNO DOM. 362.

sius. Ac fidei calore ferventibus videbatur, nullum debere ultrà in Sacerdotium recipi, qui se utcumque hæretica communionis contagione maculasset. Complenbus tamen placuit, ut tantum perfidiæ auctoribus amputatis, reliquis Sacerdotibus daretur optio, si forte vellent abjurato errore perfidiæ, ad fidem Patrum statutaque converti, nec negare aditum redeuntibus. Decreti hujus meminit Hieronymus: *Post reditum Confessorum in Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur. Non quòd Episcopi possint esse, qui Hæretici fuerant: sed quòd constaret, eos qui reciperentur, Hæreticos non fuisse.* Capita verò de fide nonnulla statuunt: *Ac Sancti quidem Spiritus divinitatem illic asseruerunt, eum in Consubstantiali Trinitate comprehendentes: Christum verò hominem factum, non carnem modò, sed animam etiam humanam assumpsisse pronuntiarunt.* Gravis & de vocibus οὐσίας, essentia, & ὑποστάσεως, persona controversia movetur. Olim à Constantino missus in Ægyptum Osius, de substantiâ & hypostasi quæstionem agitaverat. De qua tamen nil est in Nicæno Concilio tractatum. De hisce vocibus disputatum est postmodum. Audiatur Socrates l. 3. c. 7. Contendere nonnulli, eas voces de Deo usurpandas non esse. *Nam substantiæ quidem vocabulum in Sacris Literis nusquam reperiri, hypostaseos autem nomine abusum esse Apostolum ob dogmatum necessitatem. Aliâ autem ratione has voces esse admittendas decreverunt.* Aures & Rufino præbeamus, de gestis Alexandrinis ea memorantis: *Quidam dicebant, substantiam & subsistentiam unum videre, & quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alii verò quibus longè aliud substantia, quam subsistentia significare videbatur, dicebant, quia substantia ipsa rei alicujus naturam, rationemque quâ constat, designet; subsistentia autem, uniuscujusque persona hoc ipsum quod extat, & subsistit ostendat.* Explicatis & mente, & vocibus, partes diffidentes quievere, communique suffragio Arium execratæ sunt, ut Christi hostem, Sabelliumque & Paulum, ut impios, Nicænorumque Patrum & fidem, & verba calculo suo comprobarunt. Quæ discrepantium concordia præcipuè debetur Athanasio: *Utrâque parte leniter & benignè acceptâ, verborumque sententiâ diligenter & accuratè perpensâ, posteà quàm concordes reperit, nec quantum ad doctrinam ullo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum concedens, rebus eos constringeret. Hoc dimitum illius laboribus & sermonibus, quos omnes literis mandat, longè utilius est.* Disceptationis tamen fusam adhùc præbuere materiam voces Essentiæ, & Hypostasis. Hinc scripsit Damaso Hieronymus: *Nunc proh dolor! post Nicænam fidem, post Alexandrinum junctò pariter Occidente Decretum, trium hypostaseon ab Arianorum Prasule, & Campensibus, novellum à me homine Romano nomen exigitur.* De ea controversia inspiciatur & Augustinus de Trinitate l. 5. c. 8. Cæterùm Alexandrini Epistolâ Antiochenses suâ adeunt, nec non Episcopos in ea urbe versantes, uti liquet ex Epistolæ titulo: *Charissimis & optatissimis fratribus Sacrorum Comministris, Eusebio, Lucifero, Asterio, Cymatio, & Anatolio, Athanasius cæterique Episcopi, qui jam Alexandriæ ex Italia, Arabia, Ægypto, & Libya hîc adsunt, Eusebius, Asterius, &c.* Suo verò scripto declarant, Sardicensem Synodum Decreto sanxisse, ne quid ulterius de fide scriberetur, & *se contentes esse fide Nicænâ.* Quibus professio fidei Sardicensis, quæ extat apud Theodoritum, falsi coarguitur. Postulant etiam, ut omnibus in locum convenientibus destinatum confluentibus Epistola recitetur, ut ibidem omnes qui pacem amant, inter se concilientur, ac post reconciliationem Synaxis celebretur. Penè universo orbi Decretum Alexandrinum de Clericis communioni restituendis exemplo fuit: *Assensum est huic sententiæ Occidens, & per tam necessarium Concilium è Satanæ faucibus ereptus est mundus.* Ariminense naufragium Liberius reparare sollicitus, indulgentiam Alexandrinorum sibi proposuit ad imitandum Epistolâ, quam hoc, vel insequente anno ad Episcopos Italiæ scripsit: *Mihi cui convenit omnia moderatè perpendere, maximè cùm & Ægyptii omnes, & Achivi accusati sententiam receperunt, multis parcendum quidem his de quibus suprà tractavimus. Igitur si quis totum se fidei Apostolicæ & Catholicæ, usque ad Nicænæ Synodi conventum, de integro mancipet, per quam professionem etiam si quibusdam leve & remissum videtur, recuperet, id quod per astutiam veritatis amiserat.*

Fus. l. 1. c. 28.

Hieron. adv. Lucif. c. 7.

Rufin. l. 1. c. 29.

Naz. Or. 21. 396.

Hier. Ep. 57.

Ath. Epist. ad Antioch. 879.

Hieron. adv. Lucif. c. 7.

Liber Epist. 11.

XVI. Dum in iis quæ Ecclesiæ pacem attinebant sanciendis, Alexandrina Synodus versatur, imprudentia Luciferi, Ecclesiæ Antiochenæ incendio, plurimùm materiæ præbet. Ut multos ultrò citròque sermones diffidentibus de concordia fecit, & Eustathianos sibi contradicentes vidit, ipsorum Ducem *Paulinum* Episcopum creat. Cui perficiendo duos sibi Confessores adjungit, quorum ex vetustissimo Codice nomina Scaliger exhibuit, *Gorgonium de Germania*, Germanicia potiùs, & *Cymatium de Habala*. Vir sanctus erat Paulinus, ac per omnia dignus Sacerdotio, *Qui se nunquam Hæreticorum communione polluerat.* Licèt verò optimis moribus præditus foret, in eum acquiescere pars utraque non poterat. Hinc magni mali labes, quâ ingentia Ecclesiæ vulnera Lucifer adjecit, ignif*eri* potiùs, quàm *Luciferi* nomine dignus. Lachrymabile schisma verbis Rufini explicemus: *Eusebius cùm redisset Antiochiam, & invenisset ibi à Lucifero contra pollicitationem ordinatum Episcopum, pudore simul & indignatione compulsus, abscessit neutri partium communionem suam relaxans, quia inde digrediens, inde promiserat se acturum in Concilio, ut eis ordinaretur Episcopus, à quo pars neutra desisceret.... Hos ergo cum in unum revocare voluisset, nec tamen præventus à Lucifero potuisset, abscessit... Interim Lucifer injuriam dolens, quòd Episcopum à se ordinatum apud Antiochiam non recepisset Eusebius, nec ipse recipere cogitat Alexandrini Decreta Concilii. Sed constringebatur Legati sui vinculo, qui in eo Concilio ipsius auctoritate subscripserat. Abjicere namque eum non poterat, qui autoritatem ejus tenebat. Si verò recepisset, omne suum frustrandum videbat inceptum. Diu ergo multumque deliberans, cùm ex utraque parte concluderetur, elegit ut Legato suo recepto erga cæteros sententiam disparem, sed sibi placitam custodiret.* Ut autem plures ad Paulinum adjungeret, diu apud Antiochiam moratur. Sic turbulentus ille homo dissidium promovit, quod annis 85. perduravit, ab anno scilicet CCCXXX. quo ejectus est Eustathius, ad usque CCCCXV. quo partes divulsæ in unum corpus coaluere. Ea divisionis Antiochenæ flamma alias & orbis corripuit Ecclesias, quarum nonnullæ rejecto Meletio, Paulino

Lucifer Paulinum Antiochiæ creat Episcopum.

Ruf. l. 2. c. 30.

Theodorit. l. 3. c. 9.

ANNO DOM. 362.

Paulino adhærebant. Ab eo Hieronymus Presbyter creatus est. Cum eo Damasus Papa communione conjungebatur. Ad ejus societatem accessere Athanasius & Epiphanius, cujus hæc verba sunt: *Ab absoluta cum Paulino communione temperavimus, donec oblatâ fides professione, quam scripto comprehenderat, aliud persuasit. Quam quidem professionem assensione suâ confirmarat anteà, cùm se apud B. Athanasium purgaret.* Subdit dein Epiphanius exemplum professionis fidei, quam Paulinus Episcopus suâ manu scriptam obtulit. Piam sanè Confessionem, quæ vitium tamen ordinationis Paulinianæ purgare nequit. Nefas enim erat sedente Meletio Orthodoxo, & ad Episcopalem dignitatem legitimè promoto, alterum Antiochensibus Pastorem imponi: Porro *Paulinum unam duntaxat ex minoribus Ecclesiis intra urbem obtinuit, ex qua illum Euzoius, reverentiâ viri commotus, non ejecerat.*

Epiph. h. 77. n. 19.

Socr. l. 3. c. 9.

Meletius redit Antiochiam.

Ruf. l. 2. c. 30.

XVII. Reversus Antiochiam Meletius creatum à Lucifero Antistitem gemens, & miratos invenit; à fautoribus tamen suis ambabus ulnis excipitur: *Regressus Meletius de exilio, quia cum eo numerosior populus erat, Ecclesias tenuit, & ex eo jam propriam Synodum, cum cæteris Orientalibus habuit, nec tamen Athanasio junctus est.* Quòd Ecclesias tenuisse dicitur, est in obscuro, neque primâ specie cum Socrate consentit: *Intereà Meletius ab exilio regressus est. Qui cùm sectatores suos seorsum à reliquis collectas agere deprehendisset, eis præfuit. Sed Euzoius quidem Arianæ perfidiæ Antistes, Ecclesiis potiebatur. At Meletius extra portas urbis plebem colligebat.* Accuratius rem exponit Theodoritus: *Illi qui unà cum admirabili Meletio, ab Ariana factione seipsos segregaverant, in Palæa, quam vocant, divina mysteria celebrabant.* In ea regione urbis sita erat Ecclesia, quæ Palææ nomen habuit, factâ ad novam Antiochiam oppositione. Ecclesia hæc vetustissima fuit, ac veluti cæterarum mater, in qua Petrus ipse sedisse putabatur. Eò pertinent quæ in Chronico Alex. legimus, ab homine quidem Ariano scriptis vulgato: *Ita ergo Meletius, qui ob impietatem & alia crimina depositus fuerat, Antiochiam reversus, veterem Ecclesiam per vim occupavit, adjunctis illi Clericis, qui jam anteà legitimè depositi fuerant à S. Synodo. Inter quos præcipuus erat Diogenes, ex Presbytero, præ reliquis omnibus concursans, & partes adjuvans. Vitalis Laicus, qui semper fraudes & imposturas exercuerat.* Quod ergo Socrates habet, Meletium *extra portas urbis* plebem collegisse, id de nova quidem civitate est accipiendum.

Socrat. l. 3. c. 9.

Theodorit. l. 3. c. 4.

Meletii virtutes & pietas.

XVIII. In summam invidiam res Meletii ab adversariis adducebantur. Odio erat Arianis, à quorum cœtu Orthodoxos complures separaverat: eò infensioribus, quòd suarum partium hominem Antiochensibus Episcopum imposuisse existimabant. Sed & de Catholicorum grege adversarios tulit. Famam illustris viri corrodunt verba hæc Hieronymi: *Meletius Sebastæ Armeniorum Episcopus ab Acacio, & Georgio, Arianis Episcopis Antiochiam transfertur, & post non grande temporis intervallum, cùm Presbyteros, qui ab Eudoxio antecessore suo depositi fuerant, suscepisset exilii justissimam causam, subitâ fidei demutatione delusit.* Quin etiam ad annum CCCCXXVII. *Hostibus potius quàm Episcopis Christi* Meletium inserit. Quas à venerando viro maculas libenter abstergimus, in quo probi optimique mores cum pietate certabant. Testis Nazianzenus in carmine de vita sua. Erat, inquit,

Hieron. Chron.

ANNO DOM. 360.

Simplex, apertis moribus, plenus Deo:
Nam nomen illi mellitum, & mores erant.

Consentit & Epiphanius: Est vita Meletii *gravis & honesta, mores egregii, ipse denique populo cùm primis amabilis, ob vitæ integritatem quam omnes ubique prædicant.* Quid in ejus exilio contigerit, jam subindicavimus ex Chrysostomo: *Cùm Præses civitatis, curru vectus, exiret per medium forum, & propè fecisset, sedere illum Sanctum, lapides uno crebriores undique in caput Præsidis ferebantur, civitate nequaquam ferente separationem.... Quid ergo tum fecit ille Beatus, cùm vidisset ictum lapidum, complexus suis vestibus contexit caput Præsidis.* Quæ non ad *secundum*, uti Baronius putat, sed ad *primum* Meletii spectant exilium. Valente quidem imperante *nolus in exilium deportatur*, teste Epiphanio. Quo tempore Præses lapidibus à plebe non petebatur. Sancta quoque fuit Meletii fides, cujus causâ à Constantio in exilium ejectus est. Ac prodigio sanè propius est, quòd mensis unius spatio Antiochensium suorum animos tam egregiè rectâ doctrinâ excoluerit, ut artibus Arianorum non potuerit evelli. Quod multâ laude celebrat Chrysostomus, in eo de Meletio sermone, cujus partem jam aliquam audivimus: *Evenit autem contra quàm expectabant, magisque fuit evidens vester zelus, & resplenduit demonstratio illius scientia ad docendum accommodata. Illius quidem quòd triginta diebus, nec illis quidem integris, tantum potuit, ut posteà irruentibus spiritibus innumeris illabefacta & inconcussa mansorit illa doctrina.* Ubi exilio reversus est, tantus ipsius amor suorum pectori inhærebat, ut cum eo toti essent: erat ipsorum animus, de eo perpetuò cogitabant, dies noctesque illum amabant. Ad amorem nil accedere majus potuit, quàm quod ex Oratione Chrysostomi de Meletio petitum extat apud Damascenum: *Cùm assiduè cogerentur appellationis illius meminisse, & sanctum illum in animo & memoriâ retinere, nomen ipsius tanquam quoddam omnium perturbationum absurdorumque sermonum amuletum habebant. Qui sanè mos adeò pervebuit, ut passim & in biviis, & in foro, & in agris, hoc undique nomine cuncta resonarent. Neque verò erga nomen id solùm, sed erga ipsam corporis ejus effigiem sic affecti eratis. Itaque quod in ejus nomine fecistis, idem in imagine præstitistis, adeò ut multi & in annulorum palis, & in poculis, & in phialis, & in cubiculorum parietibus, & ubique sculptam aut pictam illius imaginem habere voluerint.* Illud pleno ore laudandum, quòd quinquiennio postquam ex exilio reversus est Meletius, Paulinum Æmulum sic suum compellat: *Quando quidem & mihi harum ovium Dominus ipse curam commisit, & tu aliarum curam suscepisti, ovesque inter se in religione consentiunt. Jungamus greges, ô amice, & contentionem de Primatu deponamus: gregemque in commune pascentes, communem iis curam ex æquo impendamus. Quòd si Cathedra in medio posita contentionem facit, eam ego auferre conabor. Posito enim super illa Evangeliorum libro, nos ex utraque parte sedeamus. Ac si quidem ego prior ex hac vita discessero, tu solus, ô amice, Præsulatum totius gregis obtine. Si verò id tibi prius contigerit, tum ego prout potero gregis curam geram.* Quid sanctius? Quid modestius, quid à fastu & ambitio-

Epiph. h. 73. n. 35.

Chrys. de Melet. hom. 45. t. 1.

Damasc. de Imag. Or. 2. 754.

Theodorit. l. 5. c. 3.

ANNO DOM. 362.

ne alienius dici potuit? Cum admirando illo Meletio sanctissimi Episcopi communione juncti fuerunt Basilius, Nyssenus, Nazianzenus, cæterique Orientis Episcopi, etsi à Romani Præsulis societate divelleretur. Ut vel uno hoc exemplo pateat, obtinendæ saluti conjunctionem cum Ecclesia Rom. non esse necessariam: neque eo autoritatis evectum esse Papam, ut à Christiana communione illi repelli debeant, quos ipse expulit. Hæc est flebilis illa dissensio, quam Luciferi peperit facinus audax:

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Quæ de Meletio ad historiam illustrandam conducunt, suis temporibus reservamus.

Mira adolescentis Æditui conversio.

XIX. Vix Antiochiam redierat Meletius, cùm exercendæ fortitudinis materiam habuit. Flaminis filius qui cum lacte superstitionem suxerat, Ecclesiæ sese adjunxit, quasi expectaretur Meletii reditus, ut & munus ejus & pietas insigni eâ notâ consignaretur. Mulier officio Diaconissa, & virtutibus insignis, adolescentulum cum matre venientem ad fidem hortabatur. Mortuâ matre adolescens nihilo secius Diaconissam invisens, consuetâ institutione fruebatur. Ac consiliis ejus usus, Deum parenti suo anteponere decrevit. Paucis post diebus Julianus publicum epulum celebraturus, Daphnem venit comitatus Flamine, qui adolescentis pater erat. Jam juvenis ille cum fratre Æditui munere fungebatur. Primo festi die, quod septiduo apud Daphnem agitari mos est, cùm juxta Imperatoris adstans stibadium, cibos solemniter aspersisset, confestim Antiochiam pergit: Diaconissam rogat, ut suæ & corpori, & animæ saluti consulat. Tum illa protinùs ad Meletium ducit adolescentem, qui in superiore domus cœnaculo manere jussus est. Quærenti ubique locorum in Antiochena civitate patri incidit filius, qui Meletii in domo per cancellos prospiciebat. Statim ingressus Flamen, abductum multis verberibus puerum cædit. Candentibus quoque verubus manus, pedes, dorsum inurit. Postremò cùm eum cubiculo inclusisset, claustris exterius additis, Daphnen redit. Intereà filius simulacra patris omnia conterit. Dum hoc facinoris mente contemplatur, paternam iram veritus, Christum orat opem sibi ferre, cujus nomine hæc patiebatur. Roganti subitò claustra cadunt, apertisque januis ad Diaconissam confugit. Quæ muliebri veste indutum juvenem ad Meletium adducit. Tum Cyrillo traditus Hierosolymitano, cum eo in Palæstinam proficiscitur. Juliani post obitum Flamen à filio pietate imbuitur.

Theodorit. l. 3. c. 14.

Schisma Luciferi & Opuscula.

XX. Lucifero non satis fuit in nobilissimam Antiochensium Ecclesiam diuturnam seditionem induxisse. Longius provectus facto schismate ab Ecclesia divellitur. Miratur Valesius, cur Alexandrinæ Synodi Decreta Lucifer abnuerit; cùm *Synodus Paulini ordinationem probarit, atque Eusebius.* Ex facto tamen Eusebii, qui cum Paulino communicare noluit, discere vir doctissimus potuit, Paulinum non Episcopi nomine misisse ad Synodum *Calamerum* & *Maximum* Legatos. Secus iniquè fecisset Eusebius, qui communionem abnuisset suam viro, quem & Synodus, & ipse pro Episcopo habuisset. Lucifer Sardiniam reversus, illis communionem abnegat suam, qui Clericos fœdere cum Arianis olim conjunctos, nunc resipiscentes dignitati suæ restituebant. Quæ disciplina ab Alexandrina Synodo sancita penè ubique locorum obtinebat. Severitatis suæ fautores habuit Gregorium, & Philonem Episcopos, qui ex Hieronymi Chronico ad annum CCCLXX. nobis in notitiam veniunt. Lucifer *cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Libyæ nunquam se Arianæ miscent pravitati.* De crudeli facto Luciferi Hieronymus: *Ventum est ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem & propositum meum cogor de beato Lucifero, secus quidquam quàm illius meritum, & mea humanitas poscit existimare. Sed quid faciam? Veritas os reserat, & invitam linguam, tonsiiium ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta rabie luporum, segregatis paucis ovibus, reliquum gregem deserunt bonus quidem ipse pastor, sed multam prædam bestiis relinquens.* Schisma porro suum erroribus non cumulavit, ut perperam creditum Theodorito. Pravum ipsius facinus solis injustæ secessionis limitibus circumscribitur. Qua de re observabilia sunt verba Libelli, quem Valentiniano Faustinus Marcellinusque obtulerunt. *Maximi* Neapolitani in locum ab Arianis suffectus erat Zosimus: *Post aliquot annos B. Lucifer de quarto exilio Romam pergens, ingressus est Neapolim Campaniæ, ad quem Zosimus venire tentavit, illi fortè fiduciâ, quâ scilicet jam de impietate correx esse videbatur. Sed hunc Confessor Lucifer recipere noluit, non ignorans quæ gesserat. Imò & Sancti Episcopi, & Martyris sententiam robustius exequitur, dicens, Quod Episcopatum ipsum, quem sibi ut adulter vindicat, speciali Dei judicio non habebit, & sic quoque sentiet pœnam suæ impietatis.* Quippe, si narrantibus creditur, in Basilica officium linguæ perdidit, ad quod foris revocata est. Quo prodigio colligebant, Episcopos qui hæresi subscripserant, ad solam Laicorum communionem posse suscipi. Sectæ nullum proprium dogma fuit. Itaque apud antiquos Scriptores nil loci habuit: *Luciferanos à Lucifero Caralitano Episcopo exortos, & celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philastrius inter Hæreticos posuit: credo tantummodò schisma, non hæresim eos condidisse credentes.* In Autore tamen anonymo hæc se legisse Augustinus profitetur: Luciferani *in hunc errorem stultissimum prolabuntur, ut animam dicant ex transfusione generari.* Pœnitentiæ aliquid ab homine, qui ferrum ipsum superabat duritiâ, non est quod expectemus: in suo schismate quin perierit, nulli dubitamus. Quod anno CCCLXX. contigit, referente Hieronymo: *Lucifer Calaritanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Libyæ nunquam se Arianæ miscent pravitati.* Quòd si de sententia decessisset, Marcellino & Faustino venerationi non fuisset, quibus communis Ecclesiæ disciplina perstringebatur, quæ resipiscentibus Episcopis, Clericisve munus non abrogabat suum. Itaque immanitate suâ, quâ se durum miseræ & afflictæ conditioni Sacerdotum præbuit, qui ignorantiâ, vel imbecillitate Sirmiensi formulæ subscripserant, Confessionis, exilii, fideique Lucifer laudes amisit. Scripta reliquit, in quibus mentis suæ lineamenta quædam impressit, atque vestigia. Anno circiter 355. dum agit in exilio, quod superiore anno Mediolani Constantius ipsi indixerat, duos libros edidit, in quibus debitam Principis majestati reverentiam non satis servavit. Quodque inverecundius videtur, *Bonoso* in rebus agenti perferendos Imperatori tradidit. Hoc scripto martyrium affectabat, ut liquidò apparet

ANNO DOM. 362.

Hieron. adv. Lucif. cap. 7.

Augustin. de Hær. cap. 81.

ex

ex sua ad *Florentium* Officiorum Magistrum Epistola: *Contra ea, quæ in nostram parantur necem, stare latos, cùm causas cur tali subscripserim, modò discutere cœperit, inveniet.* Horum ad Constantium librorum exemplar Athanasius & sibi petit, & Confessoribus *misso Eutychete Diacono.* Alios Lucifer tractatus edidit de Regibus Apostaticis; de Non conveniendo cum Hæreticis; de Non parcendo delinquentibus in Deum; Quòd moriendum sit pro Filio Dei, quorum ætatem ignoramus: plerique tamen in schismate suo, quod octennio perduxavit, confecti esse videntur.

Hilarius Diaconus. Ejus Confessio & Schisma.

Hier. adv. Lucif. c. 9.

XXI. Luciferanæ sectæ sese addixit & *Hilarius* Diaconus. Patriam habuit Sardiniam, & in Ecclesia Romana. Baptismum consecutus est, ut tradit Hieronymus: *In ea*, inquit, *Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab Hæreticis baptismum recepit.* In eadem quoque Ecclesia Diaconi munus exercuit. Anno CCCLIV. à *Liberio* de impetranda Synodo ad Constantium missus est cum *Pancratio* Presbytero. In Athanasio quidem error est, qui Hilario comitem legationis hujus dat *Eutropium*: *Missis enim*, inquit, *à Liberio ad Cæsarem Eutropio Presbytero, & Hilario Diacono cum literis.* Errantem Athanasium Cavio sequi placuit. Quem ipse refellit Liberius, Legatorum sanè suorum haud ignarus, qui hæc Constantio scribit: *Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & Coëpiscopum meum Sanctum virum Luciferum, cum Pancratio Compresbytero meo, & Hilario Diacono placuit proficisci.* Meminit & Pancratii, Hilariique Diaconi Legatorum suorum Epistolâ v. quæ est ad Eusebium Vercellensem. Indigna verò passus est Hilarius, quæ Confessori tamen honori fuere: Hilarii verò terga detractis vestibus, flagellis conciderunt, flagellatumque extorrem fecere, inter verbera ita Diacono verbis insultantes, *Quare Liberio non restitisti, sed ejus literas attulisti? Autores hujus facinoris Ursacius & Valens, cum Eunuchis qui ibi quoque aderant. Diaconus verò inter crepitus ictusque flagellorum, Domino benedicebat, non immemor istorum verborum Domini, Dorsum meum dedi ad flagra. Flagellatores autem risu dicteriisque virum subsannabant.* Hæc anni CCCLV. sub initia contigere, ac subinde mittitur in exilium. In Thebaide agebat, cùm ad fata Constantius venit. Nec enim Hilarius Pictaviensis est in Theodorito quærendus: *Eusebius verò & Hilarius ab Italia, & Lucifer Episcopus Sardiniæ Insulæ, in Thebaide Ægypti Provincia degebant. Illùc enim Constantius eos deportaverat.* In eam Hilarius descendit sententiam, quæ olim Cypriani fuit, baptismum Hæreticorum nullum esse: eaque de causa *Hilarius Deucalion orbis* vocatur Hieronymo, quasi inundatum Hæreticorum baptismo mundum suo periturum baptismo servasset. Itaque Lucifero longius provectus videtur Hilarius, qui ab Arianis baptizatos non suscipiebat. Quin Hilarium respiciant verba hæc Athanasii in sua ad Solitarios Epistola p. 836. *Quando & qui de Luciferanorum secta erant, Confessores egere*, vix dubitamus. Quæ post exaratam Epistolam addita sunt. Constantio enim imperante, quo tempore scripta ad Solitarios Epistola, nulli adhùc erant Luciferani. An emersus ex schismate resipuerit Hilarius, in sententiis ponitur. Affirmant N. Alexander, Pagiusque, quorum opinioni necessariò est adhærescendum, si Commentarius in Pauli Epistolas, qui Ambrosii nomine perperàm decoratur, sit Hilarii. At si fides additur Hieronymo, Hilarius à Luciferanorum societate numquam divulsus est: *Hilarius cùm Diaconus de Ecclesia recessisset, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens, neque baptisma sine Eucharistia tradere. Et cùm jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & secta.* Non tam asperè in Hilarium resipiscentem invectus esset Hieronymus.

Athan. ad Solit. 836.

Liber. Epist. 2.

Athan. ad Solit. 836.

Theodorit. l. 3. c. 4.

Hieron. adv. Lucif. cap. 8.

An Hilarius Diaconus resipuerit? Est ne ille Commentarium Pauli in Epistolas?

Aug. l. 4. ad Bonif. cap. 4.

Ambros. in 1. Tim. cap. 3.

Hieron. adv. Lucif. cap. 9.

XXII. Quod tamen resipuerit, ex Augustino colligitur, qui Ambrosio olim dedicatum in Epistolas Pauli Commentarium ascribit Hilario: *Sic S. Hilarius intellexit quod scriptum est, in quo omnes peccaverunt. Ait enim, In quo, id est, in Adam omnes peccaverunt. Deinde addit, Manifestum in Adam omnes peccasse, quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus est, & omnes quos genuit, nati sunt sub peccato. Hæc scribens Hilarius*, &c. Hæc autem etiamnum leguntur in capite v. Commentarii ad Romanos. Atqui Commentarii hujus Autor honorificam de Damaso mentionem facit, quo Ecclesiæ R. habenas tenente librum vulgavit suum: *Cùm totus*, inquit, *mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicitur, cujus hodie Rector est Damasus.* Certum autem exploratumque est, Luciferanis Damasum odio fuisse, cujus æmulo Ursicino, *viro venerabili* impensius favebant, teste Faustini & Marcellini libello. Aut igitur resipuit Hilarius, aut hujus Commentarii Autor non est existimandus. Quod etiam ex alio loco patet, capite primo prioris ad Corinthios desumpto: *Sic enim erant, sicut nunc Novatiani, & Donatiani, qui baptismum sibi vindicant, à nostris baptizatos reprobantes.* Vocula *nostris* ostendit, & de Catholicorum grege Autorem unum fuisse, & Anabaptismum improbasse, cui maximè favebat Hilarius. Quid his Hieronymi disertius? *Quòd si negandum quispiam putaverit, Hæreticos à Majoribus nostris semper fuisse susceptos . . . legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de Hæreticis rebaptizandis edidit.* Utrinque igitur aqua hæret, & necessitas incumbit, vel Hieronymum repudiare, vel Augustinum. Si non resipuit Hilarius, non est Autor Commentarii in Epistolas Pauli, quod tamen ait Augustinus; si resipuit, fallitur Hieronymus, qui cum sua secta Hilarium periisse memorat. Hilario quoque Diacono ascribitur Opus Quæstionum V. & N. Testamenti, quod extat tomo IV. Operum B. Augustini. Ac inficiari quidem nolumus, & Commentarios, & Quæstionum Opus unius ejusdemque Autoris esse. Quod vero similibus argumentis ostenditur ex sententiarum similitudine temporisque ratione petitis. Quæstione XLIV. Autor trecentis circiter annis post excidium Hierosolymæ se scripsisse testatur. Quæ cùm eversa sit anno LXX. apparet Autorem Quæstionum sedente Damaso floruisse, cujus & Commentarii conditor honorificam mentionem egit. Neque utriusque Operis stylus est dissimilis. Quæstionem hanc fusissimè prosequitur N. Alexander; inspiciatur & N. Bibliotheca Du Pin. At in ea re vertitur cardo quæstionis, sitne Commentarius Hilarii? Commentarius porro Operi Quæstionum quàm longissimè præstat, quanquam Pelagii quodam spiritu nonnihil afflari non sit dissimulandum. Nescimus quo fato Commentarius ille Ambrosio tribuatur, qui tamen error verus est. Etenim Synodus Aquis-

grani anno 862. celebrata, Commentarium ascribit Ambrosio. Laudato quippe Cap. 3. posterioris ad Corinthios: *De cætero*, inquit, *his atque hujusmodi Canonicis Sanctionibus, & S. Patris Ambrosii oraculis liquidò perspectis.*

Athanasius à Juliano pellitur Alexandriâ.

XXIII. Extulerat Alexandrinos ingenti lætitiâ Athanasii sui reditus. Proprii tamen diuturnaque non fuit. Adeò verum est carmen ingeniosi Poetæ:

Metam. lib. 7.

Gaudia principium nostri sunt sæpè doloris.

Quippe hoc ipso anno Sanctus Antistes à Juliano ejicitur. Exilii causam Philosophorum & Aruspicum invidiæ assignant Rufinus, atque Theodoritus:

Ruf. l. 1. cap. 32. Theodorit. l. 3. c. 9.

Sed non erga Athanasium ficta Philosophia retinere imaginem potuit. Etenim cum veluti tetri serpentes de cavernis terræ ebullientes, ad eum processisset, Magorum, Philosophorum, Aruspicum, Augurumque manus profana omnes pariter allegant, nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasium, velut omnium horum obstaculum sustulisset. Ut eum æqui specie aliqua pelleretur, criminis loco Sancto Præsuli objicitur, quòd cùm à superioribus Principibus exilio esset damnatus, sine Juliani tamen autoritate Episcopalem sibi sedem vindicasset.

Sozom. l. 5. c. 15.

Alexandrinis igitur scribit: *Æquum erat eum, qui Regiis & Imperatoriis Edictis compluribus ejectus fuerat, unum saltem Edictum regium expectare ac tum denique domum suam redire, non autem singulari audaciâ atque amentiâ fretum legibus tanquam omninò extinctis ac perditis illudere. . . . Audio Athanasium hominem audacissimum, solitâ audaciâ elatum, Episcopatus sedem, ut ipsi appellant, iterum usurpare: id verò non mediocriter Alexandrino Populo displicere. Quare eum jubemus urbe excedere, eo ipso die quo humanitatis nostræ literas acceperit. Quòd si in urbe manserit, longè ei majores gravioresque pœnas denunciamus.*

Julian. Epist. 7.

Hæc etiam mandat Julianus Edicto Præfecto Ægyptiorum: *Etsi nihil de cæteris scribis, attamen de illo Deorum hoste Athanasio scribere certò debuisti, præsertim cùm præclara nostra Decreta multò antè audivisset. Testor magnum Serapim, nisi ante Kalendas Decembres inimicus Deorum Athanasius ex ea urbe, vel potius ex universa Ægypto discesserit, centum auri pondo cohortem, quæ tibi paret, mulctatum iri. . . . Equidem ex tuis factis nullum libentius videro, imò audiero, quàm Athanasium illum scelestum ex omnibus Ægypti locis pulsum esse, qui ausus est in meo regno fœminas Græcorum illustres ad baptismum impellere.* Sævis hisce imperiis non obtemperare non potuit Athanasius.

Julian. Epist. 6.

Exilio tamen Episcopi sui Alexandrinos sese opposuisse, non improbabili sanè conjecturâ ducimur ad opinandum: Quod nempè Julianus Athanasium *non modò pelli jusserit, verùm etiam morte mulctari.* Id ipsum Rufinus indicat:

Theodorit. l. 3. c. 9.

Iterum mittitur exercitus, iterum Duces, iterum oppugnatur Ecclesia. Quibus non opus erat, si acceptis Juliani literis Athanasius subinde discessisset.

Ruf. l. 1. cap. 34.

Discedentem eùm mœsti & flentes populi circumstarent, *Nolite*, inquit, *ô filii, conturbari, quia nubecula est, & citò pertransit. Cùmque discessisset, & navi per Nilum fluvium iter ageret, Comes qui ad hoc ipsum missus fuerat, cognito ejus itinere, instanter eum insequi cœpit. Et eùm fortè applicuisset Athanasii navicula ad quendam locum, comperit à prætereuntibus, post tergum esse percussorem suum, jamjamque nisi prospiceret imminere. Conterriti omnes qui simul aderant socii, eremum suadebant ad fuga præsidium petendam. Tum ille, Nolite, inquit, ô filii, deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, ut sciat quia longè major est, qui nos defendit, quàm qui persequitur. Et conversâ naviculâ, iter agere ei qui se insectabatur aggressus est. Ille qui nullo genere suspicari posset, in occursum sibi venire, Quem quæreret, tanquam prætereuntes aliquos interrogari jubet, ubi audissent esse Athanasium. Cùmque respondissent, Vidisse se eum non longe euntem totâ celeritate pertransiens, properas in vanum, festinans capere, quem antè oculos positum videre non potuit. Ille verò Dei virtute munitus, Alexandriam redit, ibique tutò latebras usquequo persecutio cessasset, exegit.*

Ruf. h. l. 2. c. 3.

Violentia Donatistarum Basilicas invadentium.

XXIV. Accedit Ecclesiæ ad calamitates reliquas, quòd Donatistarum tumultus à Christianis Imperatoribus extincti majore flammâ revivisceret. Quippe ad Julianum de grege suo *Rogatianum* mittunt, *Pontium*, & *Cassianum*, qui blandimentis verborum gloriæ cupidissimum Principem sibi benevolum efficerent. Hoc queritur Augustinus ad Vincentium Epistolâ:

August. Epist. 48.

Juliano Imperatori dixerunt, quòd apud eum justitia sola locum haberet, quem certè apostatam noverant, & idololatriis deditum sic videbant, ut aut justitiam esse idololatriam faterentur, aut se sceleratè mentitos negare non possent. Donatistarum votis libenter Julianus annuit. Sagacissimi Principis animo præsagitio inerat furoris, quo supplicum corda extimulabantur. Partem Rescripti Augustinus eximit oblivioni:

August. contra Lit. Petil. l. 2. cap. 97.

Hoc quoque supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano, & cæteris Episcopis, sed & Clericis accedat ad cumulum, ut abolitis quæ adversus eos sine Rescripto perperàm gesta sunt, in antiquum statum cuncta revocentur. Sic persecutio in persecutione excitatur. Quippe armatâ manu Basilicas invadunt. Felix Diobensis, Januarius Flamen Pistensis, & cæteri currunt ad *castellum Lemellense*. Ut clausam Basilicam invenere, jubent comites suos ascendere culmina, nudare tecta, jactare tegulas. Altare defendentibus Diaconis Catholicis, *Tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt, Primus filius Januarii, & Donatus filius Nini, urgentibus & præsentibus* Episcopis memoratis. Tipasam Cæsariensis Mauritaniæ civitatem Urbanus Formensis, & Felix Idicrensis Numidiâ profecti properant, *Athemioque* Præside præsente, Catholici pelluntur, viri lacerantur, trahuntur matronæ, necantur infantes, partus abiguntur. Sed propria Optati verba referamus: *Ut omnia SacroSancta supra memorati vestri Episcopi violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii: nam iidem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones, Sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt. . . . Projecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.* Quid plura? *Felix Idicrensis* puellam comprimit, cui ipse mitram imposuerat, & quasi ampla spolia retulisset, ad Donatum se convertit, *annorum septuaginta Episcopum*, quem Antistitis nomine spoliat officio atque honore. Complutibus flagitiis ejusmodi Donatistæ sese nobilitarunt, de quibus legendus Optatus, ex quo pauca hæc ex multis, nostros in Annales congessimus.

Optat. l. 2.

Juliani hoc Rescriptum in Donatistarum ignominiam palam & publicè Honorius affigi voluit, anno CCCC. Stilicone & Aureliano Coss. quo omnibus innotesceret, Donatistarum fucata & desperatio, & perfidia: *Rescrip-*

ANNO DOM. 363.

Cod. Theod. l. de Hæret. pag. 155.

sceiptam quod Donatista, à Juliano tunc Principe impetrasse dicuntur, proposito programmate celeberrimis in locis volumen anteferri, & gesta quibus est hujuscemodi allegatio inserta, subnecti. Anno proximè futuro Synodum coëgere, cujus Optatus meminit. Querebatur *Primosus*, indignà morte *Primum*, & *Donatum* Diaconos in expugnatione Lemellensis Ecclesiæ fuisse peremptos. Vim tantam Synodus nil pensi habuit: *De qua te Primosus Episcopus Catholicus loci supra memorati in Concilio vestro apud Thevestinam civitatem questus est, & querelas ejus dissimulantes audistis.* Sic cum violentia Donatistarum injustitia certabat.

Optat. l. 2.

ANNO U. C. 1116. PER. JUL. 5076. JUL. 408. DOM. 363. JOVINIANI 1. *Sol.* 8. E. *Lun.* 3. *Indict.* 6. *Epact.* 29. *Epact. Sol.* 3. P. 20. *April.*

COSS. Julianus Augustus & Salustius.

Flavius Apronianus Præfectus Urbis.

Marcellin. l. 23. c. 1.

Quis Salustius Consul? Duo Salustii Præfecti imperante Juliano.

I. RArum erat, privatos cum Imperatoribus ad fasces Consulares vocari. Quo longe major Salustio honor contigit. Fallitur tamen Marcellinus: *Et videbatur novum adjunctum esse Augusto privatum, quod post Diocletianum, & Aristobulum nullus meminerat gestum.* In Fastis enim Maximianus Augustus Consul 11. *Januarium* Collegam habuit. Cæterùm *Salustius* ille Consul non unus idemque homo est cum Salustio, de quo Julianus scribit ad Oribasium: *Utinam Dii Salustium virum probum nobis concedant! Ac si præterea successet nobis dabunc, mihi erit, ut spero, molestum.* Hoc quidem sibi persuasit Baronius, sed re accuratius pensitatâ in eam eruditi sententiam descendere, duos Salustios esse, qui vulgò permiscentur. Salustius qui annum præsentem aperuit, Præfectus Prætorio Galliis impositus est vir prudentissimus. Hic est ille Salustius, de quo Zozimus scriptum reliquit: Constantius *ratus sagacitatem Salustii, qui unus ex attributis Juliano Consiliariis erat, tantam illi bellicis in rebus, & administratione aliquâ gloriam conciliare, hunc ipsum accersit, velut Orientalibus præficiendum.* Anno CCCLXI. à Juliano Galliis præfectus est: *Discedens inter hæc Julianus à Rauracis, Salustium Præfectum remisit in Gallias.* Decessorem in eo munere *Nebridium* habuit, qui cùm debitam Constantio fidem exuere nollet, exautoratus in Tusciam ad lares secessit. Successor Nebridio dictus Galliarum, ut videtur, Ecclesias persecutus, adversarium sibi Hilarium Pictaviensem fecit, qui librum *adversus Præfectum Salustium* scripsit, teste Hieronymo. Non obscuris vestigiis Salustius alter à Consule, Galliarumque Præfecto Prætorio distinguitur. Quippe Juliano comes Constantinopolim petierat. Ibi ad Præfecti Prætorio dignitatem evectus, *Helpidio*, quem ad Præfecturam Constantius promoverat, successor datus est: *Secundo Salustio, promoto Præfecto Prætorio, summam quæstionum agitandarum ut fido commisit.* Juliano Antiochiæ moranti, & Christianos suppliciis afficere cogitanti pro virili obstitit: *Salustius qui Præfecturam gerebat Prætorii, licet Gentilis, consilium tamen Imperatoris non probavit.* Morienti Juliano adfuit, cui de Anatolio Officiorum Magistro interroganti narravit, defunctum esse: *Cùm beatum fuisse Salustius respondisset Præfectus, intellexit occisum.* Extincto Joviniano imperium ipsi delatum est: *Omnium suffragia in unum Salustium Præfectum concurrebant.* Hinc magna Salustiorum Prætorio Præfectorum differentia cognoscitur: alter Galliis, alter Orienti imponebatur. Ad Orientis Præfectum inscriptionem Pagius pertinere putat, quæ *Saturnino Secundo* dicata est, quem pro *Secundo Salustio* habet, Orientis Præfecto Prætorio:

Marcellin. l. 23. c. 1.

Zozim. l. 3. c. 5.

Marcellin. l. 21. c. 8.

Marcellin. l. 20. c. 5.

Marcellin. l. 22. c. 3.

Sozomen. l. 5. c. 22.

Marcellin. l. 25. c. 3.

Zozim. l. 3. c. 36.

Saturnino Secundo U. C. Præsidi. Provinciæ Aquitaniæ.
Magistro memoriæ Comiti Ordinis primi. Proconsuli Africæ.
Item Comiti Ordinis primi intra Consistorium & Quæstori.
Præfecto Prætorio iterum, ob egregia ejus in Remp. merita.
D. D. N. N. *Valentinianus & Valens victores ac triumphatores*
Semper Augusti statuam sub auro constitui locarique jusserunt.

Quod ex gemina, de qua mentio est, Præfectura probabiliter admodum colligitur. Caveatur hic aberratio Hermantii: *Jovian adressa a Saluste, second Prefet du Pretoire ane lot*, &c. Quo loco *Secundum* pro adjectivo, non pro nomine proprio habuit.

Herm. Vit. S. Ath. 1. 2. l. 11. c. 2. 514.

II. Dum Antiochiæ Julianus moratur, quæ ad bellum Persicum necessaria videbantur, maximâ diligentiâ parat. Quam tamen expeditionem multi dissuadebant, quasi ab ominibus vetitam. Ascendente Juliano Genii templum, Sacerdotum senior casu subitaneo efflat animam: *Ipsa inter exordia procinctus Parthici disponendi nunciatum est, Constantinopolim terræ pulsu vibratam.* Missis legationibus gentes plurimæ ad hoc belli auxilia pollicebantur. Quæ liberaliter susceptas remisit, speciosâ fiducia dicens, *Nequaquam decere, advenientis adjumentis rem vindicari Romanam, cujus opibus foveri conveniret amicos, & socios; si auxilium eos adegerit, necessitas implorare.* Solum Armeniæ Regem *Arsacem* parare copias jubet. Intereà dum benevolentiam Antiochensibus suam vult ostendere, ipsorum offensas imprudens patitur. Pretiis rerum venalium plus æquo imminutis, Dardanarii dispendium, quod ex Imperatoris præcepto sibi contigerat, ægrè ferentes, à negotiatione temperant. Hinc factum, ut annona in foro deficeret. Quem casum cùm impatientes Antiocheni ferrent, contumeliosius Juliano illudunt. Prolixiorem barbam tondendam esse dicunt, & funes ex ea texendos. Arum & taurum, quem sæpius sacrificans in nummis insculpi jusserat, taurum esse ajunt, à quo eversus esset orbis terrarum: *Ridebatur ut Cercops homo brevis, humeros extentans angustos, & barbam præ se ferens hircinam. Victimarium pro Sacricola dicebatur, & culpabatur hinc opportunè, cùm ostentationis gratiâ vehens licenter pro Sacerdotibus sacra, stipatusque mulierculis latabatur.* His dicteriis commotus, civibus minatur, & Tarsum se reversurum profitetur. Paratio necessaria Antiochiâ discedit. Quæ res Libanio occasionem præbuit, duas orationes scribendi: alteram ad Antiochenses de Imperatoris ira, alteram ad Imperatorem pro Antiochensibus. Abjecto priore consilio, quo illatam sibi injuriam pœnis vindicare decreverat, solis conviciis petulantiam Antiochensium ulciscitur, edito libello, quem *Antiochensem*, vel *Misopogonem* appellavit. Erravit quidem Marcellinus, qui

Julianus ab Antiochenis illuditur. Scribit Misopogonem.

Marcellin. l. 22. c. 14.

Socrat. l. 3. c. 17.

anno

Valef. in Marcellin. l. 22. c. 14.

anno superiore Misopogonem conscriptum esse tradit. Cujus error Baronio fraudi fuit atque Peravio, ut certissimia argumentia ostendit Valesius ὁ πάνυ. *Etenim & Calendarum Januarii meminit, quibus Consul ipse processit, & votarum, & Juliani avunculi sui mortem commemorat, qui anno Dom.* CCCLXII. *interiisse dicitur à Marcellino. Postremò Antiochenses inducit conquerentes, quòd gravitatem ac tristitiam ipsius septimo jam mense tolerarent.* Juliani hæc verba sunt: *Venerunt Calendæ Syrorum, cursus Cæsar ad Jovis Philii: deinde Calendæ Januariæ, & Cæsar Genii templum adiit: tum intermisso atra die cursus in æde Jovis Philii vota suscipit more majorum.* Excusat tamen Marcellinum clarissimus Gronovius, quasi scripserit, post IV. Nonas Decembres conscriptum esse Misopogonem, cujus pars aliqua ad annum sequentem pertinet. Hæc tamen defensio frustrà Marcellino paratur, narranti, post confectam in Antiochenses invectivam, Julianum *præstituta feriarum die Casium montem ascendisse.* Hoc autem antè factum est, quàm XI. Kal. Novembr. amplissimum Daphnæi templum combureretur. Porro si verum volumus, inverecundè Antiochenses invecti sunt in Julianum, qui & Princeps erat, & beneficus: *Cùm ad me*, inquit, *Legatos omnium postremi misissetis, tamen multum vobis auri & argenti, multa vectigalia peculiari beneficio præter alias civitates remisi, præterea Senatorum numerum ad ducentos auxi. . . . Omne triticum ex Ægypto ad me allatum, domo meâ eductum, civitati donavi, neque pro decem mensuris, sed pro XV. tantum argenti, quantum anteà pro decem accipi solebat, exegi.* Sed plebeiæ audaciæ atque contumaciæ quis erit modus?

Juliani de Persis victoriæ.

III. Discessurus Antiochiâ, Julianus *Alexandrum* Heliopoliten, turbulentum & sævum, Syriæ præfecit, quòd, uti dicebat Julianus, avaris & contumeliosis Antiochensibus homo ejusmodi conveniret: *Tertio Nonas Martias* profectus Antiochensium ordini, qui abeuntem honoris causâ prosequebatur, orantique veniam, locutus asperius asseruit, *Se esse eos posteà non visurum*, quæ responsio data est in mansione prima *Litharbu* nuncupata. Carris moratus aliquot dies, dum Lunæ, quæ per eos tractus colitur, sacra facit consobrino Procopio, paludamentum purpureum tradidisse dicitur, *Mandasseque fidenter arripere Principatum, si se interiisse didicerit apud Parthos.* Agitabatus & in somniis, quibus eventurum triste aliquid præsagiebat. Assyriam ingressus, Lucillianus Comes mittitur, Anathan munimentum expugnaturus: defensores ad deditionem invitati, *pro se bovem coronatum agentes, quod est apud eos susceptæ pacis indicium*, descendere suppliciter: munimentum incenditur. Ut ventum ad civitatem *Pirisaboram*, amplam & populosam, Julianus mœnia obequitans obsidionem incipit. Tentabatur præsidium per colloquia, quòd cùm nec promissis flecteretur nec minis, *Suscipitur expugnandi exordium.* Defensores ciliciis undique laxius pansis, quæ telorum impetus prohiberent, validissimè resistebant. At Julianus *prope portam venit hostilem, crassa ferro crustatam: fodicare paratus valvularum latera, ut aditum patefacerent, vocibus increpans, non antè discessit, quàm telorum congerie se cerneret obruendum.* Ut verò helepolim machinam fabricari obsessis visum, vertuntur ad preces. *Mamersides* Præsidiorum Præfectus, demissus per funem, ductus ad Imperatorem, vitam sibi, commilitonibusque impetrat. In arce maxima armorum alimentorumque copia reperitur. Sumptis necessariis, reliqua cum loco ipso cussere victores. Hic ob rem feliciter gestam centenos viritim militibus denarios cùm promisisset, exiguum donativum dedignantes, oratione revocat. Inde progressus, oppidum Maosamalcha expugnat. Divisâ prædâ, *mutum puerum ablatum sibi suscepit gesticularium, multa quæ callebat, nutibus venustissimis explicantem*, & tres aureos nummos victoriæ præmium. Ex virginibus speciosis nec contrectare aliquam voluit, nec videre. Civitas ferro flammisque vastatur. Ut ventum ad fossile flumen Naharmalcha, validiores naves *octogenta implevit armatis*, divisâque in tres partes classe, dum Duces precibus Principem à transitu revocant, sublato vexillo, subitò evolant quinque naves, quæ ut ripas tetigere, sulphure, igneque petitæ, cum militibus conflagrassent, ni Imperator classem citis remigiis adegisset. Milites post acre prælium ripas supergressi, stant immobiles. Venientibus Persis cum cataphractorum equitum turmis atque elephantis, ad pugnam occurrunt Romani. Tigranes, Surena, Narseus Persarum Duces præcipui ad usque Ctesiphontis muros præcipites aguntur. Tam prosperè res acta, ut cæsis Persarum circiter duobus millibus & quingentis, soli septuaginta Romanorum caderent. Qui fortitudine inclaruerant, navalibus, civicis, castrensibus coronis donati sunt. Tum Julianus quasi fortunam tutam traxisset, *Complures bestias Marti parat ultori. Ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondum aris admoti, voluntate suâ novem procubuere tristissimi: decimus verò qui diffractis vinculis lapsus ægrè reductus est, mactatus ominosa signa monstravit. Quibus visis, exclamavit indignatus, Jovemque testatus est, nulla Marti jam sacra facturum.*

Marcellin. l. 24. c. 4.

Marcellin. l. 24. c. 6.

Julianus incensis navibus in calamitates incidit. Vulneratur: à quo?

IV. Hactenus victricia Juliani arma gloria sequebatur, sed miserum tandem felicitas sua destituit. Arinthæum populatum regiones misérat, & cùm non satis tutum putaretur, Ctesiphontem urbem munitissimam obsidione cingere, naves suas præter minores duodecim, pontibus faciendis idoneas, comburi jubet, ne classis aut Persis usui foret, aut in ea regenda hominum viginti millia occuparentur. Ut verò cognitum, militibus, ariditate, vel montium altitudine repulsis reditum obstrui, *tortique perfugæ faterentur se fefellisse*, extingui flammæ mandantur. Sed XII. solæ naves intactæ servantur. Quo Romanos fame cruciarent, Persæ cum adultis segetibus herbas incendunt. Sedit ergo sententia Corduenam arripere. Venerat *Marangam* Julianus, cùm apparent Merene Equestris Militiæ Magister, duo Saporis filii, & Optimates plurimi. Initâ pugnâ, magna fit strages Persarum, levis Romanorum. Intereà fame laborabant, Juliano pultis portio parabatur exigua. Ex eo loco digressorum terga Persæ invadunt. Ingens tunc commissum prælium, quod solæ noctis tenebræ dirimunt. Periit Anatolius Officiorum Magister. Salustius Præfectus, operâ sui apparitoris ereptus, Sophorio amisso Consiliario, casu evasit & fugâ. Quinquaginta Persarum Optimates & Satrapæ cum plebe maxima ceciderunt. Romanorum victoriam lethale Juliani vulnus deformat. Dum enim inermis ad speculanda anteriora progreditur, oblitus loricæ,

scuto

scuto inter tumultum arrepto, ut laborantibus succurrat, audit Antesignanos paria perpeti. Reversus igitur cùm ardentius semet effundit in pugnam, *Subita equestris hasta, cute brachii ejus perstrictâ, costis perfossis hasit in ima jecoris fibra.* Quis vulneris autor, incertum. *Hostili manu interfectum esse*, Eutropius, Sextus Rufus, Victoris Epitome prodiderunt. Negat Libanius, eo fretus argumento, *Quòd nemo ex hostibus ob vulnus illud honore affectus sit, quamvis Rex Persarum autorem cadis ad pramium vocaverit.* Itaque Christianorum alicui facinus ascribit.

Sozom. l. 6. c. 2.

Vit. Bas. cap. 8.

In vita Basilii legitur, B. Virginem dixisse, *Vocate mihi Mercurium, ibique ut Julianum interficiat, qui in Filium meum & Dominum J. C. iniquè egit. Sanctus verò fuit omnibus armis instructus, jubente illâ, prasto adveniens confestim ivit.* Ejusdem furfuris est, quod in Chronico Alex. narratur: *Per somnum, virum maturum Consulari ornatu indutum, ad se vidit in tabernaculum ad urbem Ctesiphontem fixum, in vico Rhadia dicto introeuntem, a quo hasta ferebatur. Julianus verò cùm animadvertisset se sub axilla plagam accepisse*, audito quòd vico nomen *Rhadia* esset, *exclamat, ô Sol, perdidisti Julianum.* Facessant commenta hæc, quæ cum Historicis pugnant, Juliani versantibus in exercitu, cùm occisus est. Verosimilior sit Libanii narratio, quòd de Romanis militibus onus Principi vulnus inflixerit, ad iram provocatus, quòd Juliani imprudentiâ, fameque miseriâque conficerentur. Itaque recedentibus Romanis Persæ Juliani mortem objiciunt:

Marcellin. l. 25. c. 6.

Nos verbis turpibus incessebant, ut perfidos & lectissimi Principis peremptores: audierant enim ipsi quoque referentibus transfugis, rumore jactata incerto, Julianum telo cecidisse Romano. Sed & Socrates de cædis autore opiniones recensens, Vulneratum, inquit, produnt *alii, ab uno ex militibus Rom. qua quidem constantior fama est.*

Socr. l. 3. cap. 21.

Mors Juliani. Ubi sepultus?

V. Vulneratus Julianus telum dum avellere dextrâ manu conatur, acuto utrinque ferro digitorum nervos sensit excisos: & provolutus jumento præsentiumque veloci concursu relatus in castra, medicinæ fovebatur remediis. Moxque ubi lenito paulisper dolore timere desiit, magno spiritu contra exitium certans, arma poscebat, & equum, ut reviso prælio suorum fiduciam repararet. Sed cùm vires parum sufficerent voluntati, sanguinisque profluvio vexaretur, mansit immobilis, ideòque spe deinceps vivendi absumptâ, quòd percunctando Phrygiam appellari locum ubi ceciderat, comperit, præsentes placido sermone alloquitur: ut alumnus Reip. frugi, *optat bonum post se reperiri Rectorem.* Dum familiares opes amicis distribuit, Anatolium quærit, Officiorum Magistrum: ut intellexit occisum, acriter amici casum ingemuit, qui contemnebat suum:

Marcellin. l. 25. c. 3.

Et flentes inter hac omnes qui aderant, autoritate integrâ etiam tum increpabat, humile esse, cœlo sideribusque conciliatum lugeri Principem dicens. Quibus ideò jam silentibus, ipse cum Maximo & Prisco Philosophis super animorum sublimitate perplexius disputans, hi ante latius suffusi lateris vulnere, & spiritum tumore cohibente venarum, è pota gelida aqua quam petiit, medio noctis horrore, vitâ facilius est absolutus.

Sozom. l. 6. c. 2.

Fertur cùm vulneratus esset, haustum è vulnere suo sanguinem in cœlum projecisse, veluti Christum sibi apparentem, respersurus, accusaturusque quasi suæ necis autorem. Philostorgius verò haustum cruorem in cœlum projecisse, & Diis conviciatum esse suis memorat l. 7. c. 15. Refert & Nicephorus, Julianum vulneratum exclamasse, *Vicisti, Galilae, vicisti.* Quæ non multum probabilitatis habent, cùm vulneris magnitudine penè exanimatus ceciderit. Marcellino plus fidei habemus, Scriptori candido, & qui tum temporis in ipsius exercitu versabatur. Periit Julianus sexto Kal. Julias, ætatis anno XXXII, cùm Constantii post obitum annum unum, menses VII. dies XXIV. imperasset. Imminentem Juliano cladem à viro pio, velut vaticinante, Libanius audiisse dicitur. Cùm namque Julianus exercitum in Persas duceret, & Libanius illudens, Sancto viro diceret, *Quidnam fabri faceret filius?* Respondens ille, *Ligneam*, inquit, *arcam ad mortem Imperatoris tui elaborat.*

Niceph. l. 10. c. 35. Sozom. l. 6. c. 2.

Nec minorem admirationem movet S. Juliani vaticinium, cui eo die, quo lethalem Julianus plagam accepit, persecutoris cædes revelata est, quamvis Monasterium ejus viginti & amplius mansionum intervallo distaret à castris Romanorum. Dum lachrymis & orationibus enixius Deo supplicat, repentè gaudio impletur. Uno ex familiaribus lætitiæ causas quærenti, *Ille sylvestrem aprum vastatorem vinea Domini pœnas tandem exolvisse dixit, damnorum qua intulisset vinea, & mortuum jacere.*

Theodorit. l. 3. c. 24.

Didymo quoque Alexandrino Philosopho ob Ecclesiarum contumeliam lugenti, mortem Juliani revelatam esse tradit Sozomenus. Viros candidis equis insidentes clamantes audivit, *Nuntiate Didymo, Julianum hàc ipsâ horâ peremptum esse; idque ille Athanasio Episcopo significet, & surgens comedat.*

Sozom. l. 6. c. 2.

De revelationibus ejusmodi fides sit penes Autores. Sic ad fata venit Julianus, Cæsarum nulli secundus, nisi quas complures habuit virtutes animi, immensâ superstitione deflorasset. Ipsi quidem Ethnici, hoc vulneris gloriæ Juliani inferunt Victor atque Marcellinus, ut non incredibile sit, quod de nefandis ipsius sacris fama vulgavit. Arcanis in templo apud Carras posito peractis, claustra & signacula januis apposuit, additâque militum custodiâ, omnes ingressu prohibet. Auditâ morte ejus, fanum ingressi, vident mulierem capillis suspensam, manusque extensas habentem: cujus dissecto ventre victoriam jecoris inspectione Persicam didicerat.

Theodorit. l. 3. c. 26.

Antiochiæ verò plurimas arcas in palatio repertas esse ferunt plenas capitibus humanis, multos item puteos cadaveribus refertos. *Nimium Religionis Christiana insectatorem fuisse*, fatetur Eutropius à Basilinæ matris institutis alienissimum, quæ tam benigno in Christianos fuit animo, ut prædia Ecclesiæ Ephesinæ sua reliquerit. Corpus Juliani pro copia rerum & temporis curatum, ubi olim ipse statuerat, conditum est. Tarsi Ciliciæ metropolis suburbium defuncti reliquias excepit, ducente Procopio funus:

Marcellin. l. 23. c. 2.

Corpus namque illuc relatum, exequiarum humili pompâ in suburbano sepultum est, ut ipse mandarat. Subjungit Nazianzenus: *Hic illi Templum infame, tumulusque impurus, & execrandus.*

Nazian. Or. 10.

Marcellin. l. 25. c. 10.

Jovianus verò creatus Augustus, *Exornari sepulchrum statuit Juliani, in pomœrio situm itineris, quod ad Tauri montis angustias ducit.* Tumulo hæc inscribuntur carmina:

Zosim. l. 3. c. 34.

Tigride Julianus jacet hic post fata relicta.
Rex pariter bonus, & bellator acerrimus idem!

Philostorg. l. 8. c. 9.

Corpus è regione sepulchri, in quo ossa Maximini deposita, conditum est, *Viâ publicâ loculos à se invicem separante.* Ut quos commune in Religio-

ANNO DOM. 363.

ligionem odium conjunxerat, vix sepulchris post mortem divellerentur. Tamsi sepultum esse, non satis accuratè Baronio scriptum n. 69. A terra porro cadaver Juliani *excussum, æstuque vehementi projectum*, narrat Nazianzenus. Quod vix credibile.

Naz. Or. 21. 394.

Christianorum de Juliani morte lætitia.

VI. Compertâ Juliani cæde, Antiochenses quibus præcipuè infensus fuerat, conviviis & festivitatibus vacant. Nec in Ecclesiis solùm ac martyriis cuncti tripudiabant, sed in ipsis etiam theatris victoriam crucis prædicantes, Principis oracula deridebant: *Omnes siquidem simul juncti clamabant, Ubinam sunt vaticinia tua, maxime stulte? Vicit Deus, & Christus ejus.* Ex Ethnicis nonnulli Christi victoriam agnovere, ut testatum reliquit Hieronymus: *Dum adhuc essem puer, & in Grammaticæ ludo exercerer, omnesque urbes victimarum sanguine polluerentur, ac subitò in ipso persecutionis ardore Julianus nuntiatus esset interitus, eleganter unus de Ethnicis, Quomodo, inquit, Christiani dicunt Deum suum esse patientem, & ἀνεξίκακον? Nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius, ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit. Hoc ille ludens dixerit. Cæterùm Ecclesia Christi cum exultatione cantavit, Divisisti in stupore capita potentium.* Ut Christianis mors Juliani lætitiæ multum attulit, sic & in mœrorem Ethnicos conjecit. Scribit Libanius: *Eum qui primus mortem ejus nuntiaverat, propemodum lapidibus obruerunt, quasi de Deo mentitus fuisset.* Carris id contigisse, memoriæ prodit Zosimus: *Carreni tantum percepere dolorem morte Juliani nunciatâ, ut eum qui nuncium attulerat, lapidibus obruerent.* Certa res est, quod nisi numine suo Juliani consiliis Christus obstitisset, superstitio Ethnicorum de sanctissima religione triumphum duxisset, in quam & libris venenatis dentatisque, & pessimis artibus invectus est.

Theodorit. l. 3. c. 28.

Hieron. in Hab. c. 3. pag. 203.

Socr. l. 3. cap. 23.

Zosim. l. 3. c. 34.

VII. Sic sensim Juliani in persecutionem incidimus, quæ hoc anno vires intendit suas. Est probabilissimum, eo tempore quo imperii sui Cæsarei Decennalia exhibuit, ea contigisse, quæ memoriæ Historici prodidere. In regio solio sedens, Julianus aurum militibus dividebat. Sed præter morem aram cum foculo, & thus super mensa juxta aram apponi curat: ut prius quàm aurum acciperent, thus aræ imponerent. Qui fraudem præsensere, eorum nonnulli morbo simulato laqueos effugiunt, alii verò vel auri cupiditate, vel ignaviâ pietatem produnt. Factâ auri divisione, dum eorum qui acceperant nonnulli simul discumbunt, unus non prius bibit, quàm salutari signo poculum consignasset. Quod cum facto suo contorium accumbentium quidam demonstrans, aram & thus, puram fidei abnegationem esse dixisset, complures ex convivis, avulsis capillis statim è convivio surgunt. Christianos se esse, & Imperatoris fraude circumventos clamant. In palatium profecti, Juliani fraudem accusantes, in ignem conjici petunt, ut admissum facinus igne purgarent. Querentibus Julianus primùm capite præcidi jussit. Ut ad supplicii locum pervenere, senior carnificem rogat, ut minimum natu ante omnes obtruncet, ne aspectâ aliorum cæde, timidior fortè redderetur. Jam strinxerat gladium carnifex, cùm supervenit Principis indulgentia. Adolescens cui *Romano* nomen erat, liberatum se mortis supplicio ægrè ferens, *Martyris*, inquit, *honore, non dignus fuit Romanus.* Cum sociis suis in ultimos imperii fines relegatur. Alias Julianus artes adhibuit, ut Christianos omnes Antiochiam incolentes pollueret. Civitatis & Daphnensis suburbii fontes omnes sacrificiis inquinat. Panes, carnes, olera, poma, lustrali aspergit aquâ. Cibis tamen ejusmodi utebantur non sine gemitu. Quæ Imperatoris scelera *Juventinus*, & *Maximinus*, in convivio cùm aliquantò vehementius deplorassent, dicendo, *Tradidisti nos Regi iniquo apostatæ*, ad Imperatorem deferuntur. Interrogati, Quid dixissent, liberius respondent, *Lugemus nunc abominatione conctâ abs te repleri cernentes, & scelestis sacrificiis cibos potumque contaminari.* Quibus auditis, ut petulantes qui Imperatorem contumeliâ affecissent, ad supplicium duci jussit. Defunctos Antiocheni splendido in monumento deposuerunt, illorumque memoriam annuâ celebritate recoluerunt. Eorum Natale eleganti oratione Chrysostomus prosecutus est, quod à Latinis xxv. Januarii celebratur. Nobile par Martyrum, quod Chrysostomo Συνωρὶς vocatur, magnam Baronio errandi ansam præbuerat. Induxerat enim in Martyrologium *S. Synoridem Antiochenam Martyrem, de qua, inquit, scribit S. Chrysostomus homelia xv. de Lazaro.* Synoris tamen Chrysostomo binos Martyres Juventinum designat, & Maximinum. Suidas, συνωρὶς, *conjugium, binarius numerus, biga. Propriè sic appellantur equi duo conjuncti.* Commonitus ab amicis, Petro Pithœo, Nicolao Fabro, Baronius errorem agnovit suum, quo ex appellativo nomine proprium fecerat.

* Julianus aurum dividit militibus ut ad idololatriam alliciat. Cibos lustrali aspergit aqua.

Theodorit. l. 3. c. 17.

Theodorit. l. 3. c. 15.

VIII. In hunc & annum Galatarum incidisse martyria, ex Sozomeno colligimus. In Galatia Busiris de grege Encratitarum, dixit Præsidi, *Non esse opus ut lictores ipsum in equuleum levando, ac posteà deponendo, frustrà fatigarentur. Se enim absque hoc ministerio latera sua quamdiu vellet, tortoribus ultrò præbiturum.* Ac quamdiu Judici libuit manibus supra caput elatis, fossorum ungulis laterum plagas patienter sustinuit: *Posthàc conjectus in vincula, haud multò post liberatus est, cùm mors Juliani nuntiata esset.* Quòd si superiori anno vulneribus coopertus in carcerem ductus fuisset, utique *non multò pòst* liberari potuisset, cùm non ante Junii xxvi. hoc anno Julianus perierit. Unus igitur annus, & Busiridis confessioni, & morti Juliani est assignandus, consequenterque in eundem & incidere martyria quæ memorat Sozomenus, immeritò in annum ccclxii. à Baronio collata. Busiris fortitudinis præmium fidem retulit, quam amplexus ad Principatum usque Theodosii superstes fuit: *Eodem tempore martyrio vitam finivisse dicuntur Basilius Ancyranæ Ecclesiæ Presbyter, & Eupsychius Cæsariensis Cappadox nobilis genere ortus, qui recens uxorem duxerat, & adhuc quasi sponsus erat.* Causam Eupsychio hanc martyrii fuisse opinatur Sozomenus, quòd eorum unus fuit, qui Genii publici Templum subruere, qui omnes vel morte, vel exilio affecti fuere. In Cæsareensi urbe Cappadociæ, quæ imperante non *Claudio*, ut Sozomenum errantem secutus, Baronius habet, sed Tiberio, priscum nomen *Mazaca* in Cæsaream mutaverat, unum solumque Templum Genii supererat. Incolæ Christianæ fidei cultores maximi, pridem Jovis & Apollinis Templa destruxerant, quamobrem in odium venerant Juliano, cujus iram gravius inflammarunt, quod dum habenas teneret imperii, currente scilicet anno, Templum Genii everterant. Ac Gentiles quidem

Martyres in Galatia, Cappadocia, Phrygia.

Sozom. l. 5. c. 11.

Sozom. l. 5. c. 11.

ANNO DOM. 363.

dem accusat, quòd quidquid periculi obeundum erat, ad opem suo Templo ferendam neglexissent. Omnes verò opes & possessiones Ecclesiarum, tam quæ in urbe Cæsarea, quàm quæ in vicinis locis essent, tormentis exquiri, & in medium proferri jussit. Confestimque trecentas auri libras fisco inferri: universos autem Clericos referri in album officii Rectoris Provinciæ: urbem ex albo civitatum expungi. Addito quoque juramento, nisi quàm primùm Templa instaurassent, se urbem opprimere non destiturum. Et fecisset quidem, nisi mors prohibuisset. Sub eadem tempora Phryges quidem morti missi sunt. In ea regione urbs fuit nomine *Mero*, *Comopolis* etiam appellata, cujus Templum Provinciæ Præses Amachius sordibus purgatum aperuerat. Macedonius, Theodulus, & Tatianus noctu ingressi, simulacra conterunt. Cùm autem alii tanquam facinoris autores pœnas jamjam daturi essent, qui illud perpetrarant, semet ipsos indicant. Licebat ipsis illæsis abire, si Diis sacrificare voluissent. Recusantibus illata tormenta. Craticulis impositos igne cruciat Amachius. Illi dum cremantur, *Si carnes assas, ajebant, concupiscis, ô Amachi, alterum nobis latus ad ignem obverte, ne gustanti tibi insuaves videamur, si semiassi simus.* Sic fortiter animam exhalarunt. Constantiam patientiamque miramur, causam verò supplicii non laudamus, neque probant Illiberitani Patres: *Si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Evangelio non est scriptum, neque invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit in numerum eum non recipi Martyrum.* Laureâ quoque martyrii coronatum esse *Domitium*, ad hunc annum Chronicum prædicat Alexandrinum. Vitam Monacho solitariam imperarat Julianus, quia ad ejus antrum Fidelium multitudo currebat. Principi respondet Domitius: *Ego jam pridem animam & corpus in hac spelunca meipsum includendo consecravi. Populum autem ex pietate & fide ad me venientem, arcere non possum. Imperavit ergo Julianus caveam occludi, itaque justus intus mansit, & Domitius martyrium absolvit.* Fides sit penes Autorem.

Sozom. l. 5. c. 4.

Sozom. l. 5. c. 11.

Illiber. cap. 60.

Judæi Templum suum extruere volunt Prodigiis vetantur.

IX. Perniciosioribus adversus Ecclesiam Juliani machinis licentiam apponimus Judæis concessam, Templi sui Hierosolymis restituendi. Quod consilium si successisset, Christi de religione actum erat, cujus oracula quàm apertissimè falsi damnarentur. Notabilia sunt ea de re verba Marcellini Autoris & Pagani, & coætanei: *Imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quoddam apud Hierosolymam Templum, quod post multa & internecivа certamina obsidente Vespasiano, posteàque Tito ægrè est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi. Cum itaque rei fortiter instaret Alypius, juvaretque Provinciæ Rector, metuendi globi flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elementa destinatius repellente, cessavit inceptum.* Miraculum referunt Scriptores Christiani complures. Brevitatis causâ unum audiamus Rufinum: *Judæos primò omnium convocatos ad se interrogat, Cur non sacrificarent, cum eis lex sua de sacrificiis imperaret? At illi occasionem se invenisse temporis rati, Non possumus, inquiunt, nisi in solo Hierosolymorum Templo. Acceptâ ab eo reparandi Templi licentiâ, in tantum insolentiæ pervenerunt, ut aliquis eis Prophetarum reditus videretur. Igitur ex omnibus locis atque Provinciis convenere Judæi, locum Templi olim igne consumpti aggredi cœpere. Comite properandi operis ab Imperatore concesso, sumptu publico & privato res omni instantiâ agebatur. Intereà insultare nostris, & velut separatis sibi regni temporibus comminari acrius, ac sævitiam ostentare. Aperiis igitur fundamentis, calce cæmentoque adhibitis, nihil omnino deerat, quin die posterâ veteribus deturbatis, nova jacerent fundamenta, cùm tamen Episcopus* (Cyrillus) *diligenti consideratione habitâ, vel ex illis quæ in Danielis Prophetia de temporibus legerat, vel quæ in Evangelis Dominus prædixerat, persisteret, nullo genere fieri posse, ut ibi à Judæis lapis super lapidem poneretur. Res erat in expectatione. Et ecce nocte quæ ad incipiendum opus jam sola restabat, terræ motus ingens oboritur, & non solum fundamentorum saxa longè latèque jactantur, verum etiam totius loci penè ædificia complanantur. Porticus quoque publicæ, in quibus Judæorum multitudo, quæ operi videbatur insistere, commanebat, ad solum deductæ, omnes Judæos qui reperti sunt oppressere. Luce verò ortâ, cùm se mala crederent effugisse, ad requirendos eos qui oppressi fuerant, reliqua multitudo concurrit. Ædes erat quædam in inferioribus Templi demersa, habens aditum inter duas porticus, quæ fuerant complanatæ, in qua ferramenta aliaque operi necessaria servabantur, è qua subitò globus quidam ignis emicuit, & per medium plateæ percurrens, adustis & exanimatis qui aderant Judæis, ultrò citròque ferebatur. Hoc iterum sæpiusque & frequentissimè per totam illam diem repetens, pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coercebat. Et ne hæc casu fieri crederentur, insequenti nocte vestimentis omnium signaculum crucis ita evidens apparuit, ut etiam qui diluere pro sui infidelitate voluisset, nullo genere valeret abolere.* Judæorum Matronas nec preciosis vestibus, nec teneris membris parcentes, terram sinu extulisse, testatur Nazianzenus. Quod à zelo Judaico non est alienum. Horrendum prorsus, quod de Juliani crudelitate refert Orosius: *Amphitheatrum Hierosolymis extrui jussit, in quo reversus à Parthis, Episcopos Monachos, omnesque ejus loci Sanctos bestiis etiam arte sævioribus objiceret, spectaretque laniandos.* Hic Baronius erroris non est immunis, qui ea fœnerat Orosio, de quibus non cogitavit, scilicet Julianum *ex congesta ad extruendum augustissimum Templum materia* præcepisse ædificari theatrum. Sic nefanda Juliani consilia in melius referens Christus, illustria suæ & potentiæ, & sapientiæ edidit specimina, quibus quæ in perniciem fidei cessura videbantur, gloriæ fuerunt atque honori. Si vera prædicat Sozomenus, Judæorum nonnulli *Ecclesiæ sese adjunxerunt, & suscepto baptismo, hymnis ac supplicationibus, pro iis quæ tentare præsumpserant, Christum placarunt.* Hoc in prodigio Religio Christi exultat atque triumphat, & magnâ voce Principes compellare juvat:

Marcellin. l. 23. c. 1.

Ruf. l. 1. cap. 37. Socrat. l. 3. c. 20.

Oros. l. 7. cap. 30.

Bar. An. 363. n. 19.

Sozom. l. 5. c. 22.

Vos, quibus Rector maris atque terræ,
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.

Senec. Thyest. Act. 3.

X. Hoc ipso anno ea contigisse videntur, quæ de Christi statua ab Hæmorussa, ut fama erat, posita, Philostorgius narrat. Varia statuæ hujus fortuna fuerat: *Servator sub dio stans, nudusque, haud exiguâ corporis parte obrutus fuerat. . . . Cùm igitur diligens fieret inquisitio, pars quidem statuæ, quæ humo obruta erat, effossa est, litera*

Statua quæ Hæmorussæ dicebatur, frangitur?

Philostorg. l. 7. c. 3.

verò reperta sunt, quæ totam rei gestæ seriem indicabant. Statuam verò in Diaconico Ecclesiæ collocarunt, competentem ei curam atque observantiam deferentes, nequaquam tamen eam colentes, aut adorantes. Neque enim fas erat æneam, aut aliam quamlibet materiam adorare. Sed hoc uno quòd eam honoratiore in loco collocaverant, & quòd spectandi causâ ad eum locum cupidè advolarent, amorem ipsius Archetypi declarantes. Hanc igitur statuam regnante Juliano Gentiles, qui Paneadem incolebant, ad impietatem incitati, à basi sua revulsam, funibus ad pedes circumligatis, per mediam plateam traxerunt. Post hæc reliquum quidem corpus distrahentes confregerunt. Caput verò inter trahendum à cervice disjunctum, nonnulli id quod fiebat, ægrè ferentes, clanculò abripuerunt, & quoad fieri potuit conservarunt. Famosæ statuæ ultima hæc fata fuere, quorum testis oculatus Philostorgius fuit. Cujus ex narratione constat, cultum imaginum Ecclesiæ in mores nondum irrepsisse. Historia hæc Philostorgiana Sozomeni traditionem falsi postulat, scribentis, Julianum statuâ Christi dejectâ, imaginem suam ejus loco posuisse: *Statum verò ignis summâ vi è Cœlo delapsus, pectus statuæ & vicinas pectori partes discidit.* Atqui si Philostorgio fides, qui Sozomenum antiquitate superat, statuam Christi humo obrutam Christiani in Ecclesiæ Diaconium translatam honoratiore loco collocarant. Qui igitur Julianus imaginem Paneade suam in dejectæ à se Christi statuæ locum substituere potuit? In Ecclesia quidem ponere debuisset, quod nec Sozomeno consentit, nec veritati.

Sozom. l. v. c. 21.

Mors Juliani Comitis, Felicis, aliorumque Apostatarum.

XI. Potentiæ suæ gloriam justitiâ suâ Deus cumulavit, irrogatâ Julianeæ persecutionis fautoribus, atque Ministris pœnâ celesti. Julianus Juliani Præfecti Prætorio filius, Basilinæ quæ Imperatori Juliano mater erat, frater, ejuratâ religione, ut ad arbitrium & nutum sui Principis totum se fingeret, & Christo illuserat, & Martyrum sanguinem fuderat. Is confestim gravissimo morbo correptus est, ita ut intestina ejus putredine consumerentur, nec per solitos meatus stercus egereret, sed impurum os, quod blasphemiæ instrumentum fuerat, excrementis alvi meatum præberet. Ejus autem conjux, fide ac religione insignis, virum ad Christum laudandum hortatur: *Nescires*, inquit, *qui sit contrà quem pugnabas, si solitâ usus patientiâ, has tibi plagas divinitùs infligere voluisset.* Toros quadraginta dies sensus omnis expertem jacuisse, antequam linguæ officium recuperaret, testatur Philostorgius. Intellectâ sui morbi causâ, miser ille Julianus Imperatorem rogat, ut Ecclesiam iis, quibus adempta fuerat, restitueret, majorem scilicet Antiochiæ, quam incenso Apollinis Templo claudi jusserat. Hoc Imperatori non persuasit, & ipse protinùs ex hac luce sublatus est. Præfectus Ægypti fuerat, Comiteque Orientis munere fungebatur, cùm exitiali morbo correptus est. Dum eo laborat Felix Comes largitionum, qui vasorum quæ Constantius & Constantinus dederant, magnificentiam contemplatus, dixerat: *Ecce quibus vasis Mariæ Filio ministratur*, profluvio sanguinis in os confluentis repentè extinguitur. Etenim ne diem quidem totum superfuit, sed sub vesperam deficiente sanguine, animam simul efflavit. Quem Julianus non multò pòst secutus est. Vita in eo adhùc morabatur nono Martii, ut paret ex Lege Imperatoris Juliani, de exceptionibus *ad Julianum Comitem Orientis*, data VII. Idus Martias Antiochiæ, Juliano Augusto IV. & Salustio Coss. Cod. Just. L. 8. l. 12. Nec scelestos cæteros Apostatas deseruit pœna. *Heron* Thebis Ægyptiacis ortus, qui Episcopatum gesserat, cùm ad superstitionem descivisset, repentè putredinis morbo corripitur, qui miserè artus ejus depascebatur. Ad summam redactus inopiam, in plateis jacebat, nemini movens misericordiam. Ita acerbo & infelici exitu periit. Theotecnus quidam ad Gentilium superstitionem transgressus, repentè vermibus corroditur, qui & ipsius oculos effoderunt. Demum insaniâ perculsus, suâ ipsius linguâ concisâ, ex acerbissimis tormentis ad multo graviora supplicia transmittitur. Hic Baronio error est evellendus, qui Felicis & Juliani Comitis horribilem interitum anno CCCLXII. alligat. Solitâ quoque conjecturas inanes faciendi audaciâ ductus, Julianum Augustum ossa Babylæ *dissipari comburique* non jussisse, sed *omni honore in civitatem reduci permisisse* contendit, quod factis in Julianum avunculum suum, & Felicem prodigiis terrebatur. Suæ quidem Chronologiæ defensorem adduxit Chrysostomum. Sed Baronio magis veritas amica esse debuit. Marcellinus quidem Felicis & Juliani Comitis obitum in annum CCCLXIII. disertè contulit. Sed & Theodoritus Philostorgiusque prius de translatis Babylæ exuviis, quàm de miserando Felicis & Juliani exitu mentionem fecere. Pace Chrysostomi, ea in suo contra Gentes tractatu affert, quæ ab historia dissident: v. g. quòd repentè *Felix medius crepuit*, aliaque ejusmodi. Neque is Julianus fuit, qui impiorum pœnâ terreretur, cùm Ecclesiam, quæ *Dominicum aureum* vocabatur, Christianis non reddiderit, licet avunculus ejus miserabili morbo jam cruciatus, restitutionem oraret enixius. Sic obduruerat Princeps, ut immoto animo horrenda hæc judicia videret. Imò tantâ immanitate in tantum efferebatur, ut comminatus sit post victoriam Persicam se Christianos debellaturum, quod testantur Rufinus atque Orosius. Cruenta spectacula prævenit mors persecutoris, magnum Principibus documentum, ne Christo bellum inferant:

Marcellin. l. 22. c. 13.

Philostorg. l. 7. c. 13. *Theodorit. l. 3. c. 13.*

Error Baronii.

Baron. An. 362. n. 104.

Quidquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.

Sen. Thyest. Act. 3.

Jovianus creatur Imperator.

XII. Juliano sic extincto, de Imperatore creando ab exercitus Ducibus deliberatur: *Discissique studiis Arintheus, & Victor, & è Palatio Constantii residui de parte sua quendam habilem scrutabantur. Contrà Nevitta & Dagalaiphus Proceresque Gallorum virum talem ex commilitio suo quæritabant.* Voluntate omnium itum est in Salustium Præfectum Prætorio, qui dum morbos & senectutem causatur, honoratior miles hortatur, eos instantibus ærumnis exercitum eripere: *Etsi Mesopotamiam videre licuerit, utriusque exercitus consociata suffragia, legitimum Principem declarabunt.* Dum deliberatur, exercitus in unum collectus, *Jovianum* sibi Imperatorem postulat. Tum Duces productum virum in medium, erecto ex tempore tribunali collocant. Ille verò, *Ad exercitum Juliani sacrilegis profanatum dicitur proclamasse, Non se posse imperare eis, quia esset Christianus. Tum omnes pari eâdemque voce respondisse perhibentur, Et nos Christiani sumus, nec priusquàm hanc vocem audiret, acquiescere ad imperium voluisse.* Quæ fusius narrat Theodoritus lib. 4. cap. 1. Dictum Christiano Prin-

Marcellin. l. 25. c. 5.

Ruf. lib. l. 2. c. 0.

Anno Dom. 363.

Principe dignum, egregia excepit militum responsio. Affirmabat Jovianus, milites Dei præsidio destitutos, quàm facillimè ab hostibus capi, & esse ludibrio. Quibus auditis, uno ore acclamatum ab exercitu: *Ne dubites Imperator, nere imperium nostrum velut improbum refugias. Imperabis enim Christianis, & qui in pia disciplina sunt educati. Nam qui inter nos ætate sunt provectiores, ipsum Constantinum Doctorem habuerunt. Qui autem illos proxime sequuntur, a Constantio instituti sunt.* Junii XXVI. ad imperium Jovianus evectus est.

Jovianus Imperator creatur. Mores ejus & anni.

XIII. Jovianus genitus patre Varroniano, incola agri Singidonensis, Provinciæ Pannoniæ, anno CCCXXXI. lucem aspexit, ut ex Eutropio colligitur: *Decessit ætatis, ut qui plurimum ac minimum tradunt, tertio & trigesimo anno.* Periit anno Dom. 364. à quo si anni tres & triginta numerentur, in trecentesimum primum pervenimus. Joviani patri, cùm liberos crebros amitteret, præceptum somnio est, eum qui jam instante uxoris partu edendus foret, diceret Jovianum. Varronianus Comitis officio functus, haud dudum post depositum militiæ munus, ad tranquilliora vitæ progressus erat. Jovianus quem Jovinianum appellant nonnulli, domesticorum primus erat: *Insignis corpore, lætus ingenio, literarum studiosus*, quibus laudibus à Victore afficitur in Epitome. In prælis fortitudinem ostenderat suam: sed pietate multò magis inclaruerat, quam sartam tutamque, invito Juliano servaverat. Egregiis corporis animique dotibus præditus, purpurâ dignus judicatur. Brevissimum optimi Principis imperium fuit. De quo Eutropius: *Decessit imperii mense septimo, decimo quarto Kal. Martias, ætatis tertio & trigesimo anno.* Quo calculo solos completos menses exhibuit Eutropius, quibus dies viginti debent, quod Victor, Orosiusque complectuntur, dum scribunt, *mensibus octo* Jovinianum imperasse. De supremo Joviani die varia tradidere. Chronicum Alex. Februarii XVIII. illum assignat. Socrates verò in proximum confert. Lex etiam de sacrarum Virginum violatoribus data dicitur XI. *Kal. Martias.* Magis tamen placet Eutropii Chronologia, quæ Joviani mortem cum Februarii XVI. copulat. Cui & sententiæ Marcellinus præsidio est, dum scribit extincto Joviano, interregnum decem dierum extitisse: *Diebus decem nullus imperii tenuit gubernacula.* Valentinianus XXV. Februarii anno 364. renuntiatur. Facto in anteriora regressu, si dies X. numerantur, in Februarii XVI. incidimus. Jovianum moribus ejusmodi præditum narrant: *Fuit Christianæ legis studiosus, & nonnunquam honorificus, mediocriter eruditus, magisque benevolus, & perpensius, ut apparebat ex paucis, quos promoverat, Judices electurus, edax tamen, & vino venerique indulgens, quæ vitia imperiali forsan verecundiâ correxisset.*

Eutrop. l. 10.

Vict. Epit.

Marcel. l. 26. c. 1.

Marcel. l. 2. c. 10.

Pax cum Persis constituitur à Joviano.

XIV. Electo Joviano, Jovinianorum quos Varronianus rexerat Signifer, qui cum novo Principe, dum privatus erat, dissidebat, discedit ad Persas. Saporem jam propinquantem docet, ad umbram imperii Jovianum inertem & mollem evectum esse. Quibus auditis, Rex maximam equitatus sui partem misit contra Romanos. Prælio commisso, legiones Jovianorum & Victorum, elephantos duos sternunt, multosque hostium. Jam Julii quintus prætererat, cùm Romanus exercitus transeundi Tigridis copiam sibi concedi flagitat. E Gallis quingenti qui natando flumen superarant, vinctos somno Persarum custodes multos interficiunt. Cæterùm cùm pontes injici non possent, neque alimentorum copia suppeteret, Persæ priores Oratores de pace mittunt Surenam, & Optimatum unum. Has conditiones ferebant, ut quinque regiones Transtigritanas, Arzemenam, Moxœnam, Zabdicenam, Rehimenam & Corduenam cum castellis quindecim, & urbes Nisibin Singaram, & castra Maurorum munimentum opportunum Romani restituerent. Conditionibus utitur Jovinianus, veritus ne Procopius res novas moliretur, id tamen obtinuit, ut Nisibis & Singara sine incolis transirent in jura Persarum. His accessit, ne Acatio fido Romanis contra Persas ferretur auxilium. Pax hæc ignobilis necessaria tamen, annorum triginta juramenti religionibus consecratur. Quo facto, Sapor cibaria misit militibus, & forum rerum venalium in solitudine eis parari jussit. Dum petitur Nisibis, tantâ fame premitur exercitus, ut humana vel corpora in cibum admota fuissent, ni jumentorum caro aliquandiu perdurasset. Ut ventum Nisibin, rogatus Jovianus palatio succedere, extra urbem castra posuit, erubescens agente se intra muros, urbem inexpugnabilem hostibus tradi. Hic primus Notariorum nomine *Jovianus*, qui à paucis ut imperio dignus, nominatus erat, *nec post creatum Jovianum modestè egerat*, raptus à cœna, in puteum dejicitur. Postridie *Bineses* ex Persarum Optimatibus, permittente Imperatore civitatem ingreditur. Abrepto Romano signo Jovianus vertere solum civibus præcepit, qui portarum amplexi limina lachrymis osculantium madida, festinando proprias opes furati, ægrè discessere, relictis preciosis suppellectilibus, jumentorum penuriâ. Abstulerunt tamen Jacobi Episcopi sui reliquias, amara dolorum hymnis & cantibus eluentes, dum cara pignora transferuntur. Quid de exulibus factum qui dulcia tecta linquebant, Chronicum docet Alex. Jovianus *muros vicum extra muros Amida civitatis, mœniaque vici, cum mœnibus Amidæ conjunxit, & vicum Nisibenum appellavit: illicque omnes ex Mydonia evocatos collocavit. Sylvanum quoque Præfectum ex Mesopotamia accersitum, omnesque Christianos reduxit, & Christianis Provincias Orientis omnes & Præfecturas assignavit.* Ethnicis displicuit factum Joviani, qui juramenti religione constrictus, pacis conditionibus stare voluit: *Ea pacis conditio non penitùs reprehendenda foret, si fœderis necessitatem cùm integrum fuit, mutare voluisset, sicut à Romanis omnibus, his bellis quæ commemoravi factum est.* Joviani scrupulosam quoque fidem incusat Marcellinus. Nos verò veracitatem optimi Principis miramur à fraudibus aulicis alienam:

Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.

Juramenti religione Dei nomine concepti nil sanctius esse debet. Ex naturæ humanæ finibus fides quidem cum pace exterminaretur, si fœdera cùm facultas adest, confestim obtentu utilitatis mutarentur. Non imperii forsan utilitati, sed gloriæ & pietati suæ multum Jovianus consuluit, qui de legibus pacis quam imprudentia Juliani necessariam fecerat, nil delibatum voluit. Extractis civibus & urbe traditâ, missoque Tribuno *Constantio*, qui munimenta præsidiaria Persicis Optimatibus traderet, Jovianus Antiochiam venit, ubi paulisper moratus, Tarsum petit. Datoque mandato, ut Juliani sepulchrum exor-

Anno Dom. 363.

Theodorit. l. 4. c. 2.

Eutrop. l. 10.

Marcel. l. 25. c. 10.

exornarctur, Galatiæ Ancyram se contulit, paratisque ad pompam pro tempore necessariis, Consulatum iniit, adhibito in societatem trabeæ filio Varroniano.

Jovianus Athanasio scribit.

XV. Ad res Ecclesiæ nunc transgrediamur. Post Joviani ex Perside reditum Ecclesiarum motus renovantur. Sperabant Antistites singuli, Principem suis partibus assensurum, itaque alius alium prævertere studuerunt. Ille verò qui ab initio Consubstantialis fidem amplexus erat, eam se cunctis præferre denuntiavit. Eodem tempore cuncta Gentilium templa ubique occludebantur. Sacerdotes numinum ubi quisque poterat, sese abdebant, Philosophi pallio deposito, vulgarem habitum sumebant: momentoque triumphans Juliani superstitio, rubeculæ in morem evanuit. Primam Jovianus quam legem tulit, ea præcipiebat Episcopos ab exilio redire, Ecclesiasque restitui fidei Nicænæ custodibus. Speciatim scribit Athanasio: *Deo dilectissimo, & amico Dei Athanasio, Jovianus. Cùm demiremur æquissimam vitam tuam, & in omnibus ad Deum universorum similitudinem, recipimus te, Episcope honoratissime. Et quoniam sanè nullum laborem, nullumque persecutorum metum exhorruisti, & pericula & gladii minas floccifecisti, cara tibi orthodoxa fidei clavum moderatus, huc usque pro veritate depugnas, exemplum verò populo universo Fidelium & typum te ipsum virtutis exhibes, revocat te Regia nostra majestas, & reverti postliminio jubet, ad salutis doctrinam. Redi ergo ad sanctas Ecclesias, & pasce Dei populum, & pro nostra clementia promptè ad Deum preces concipe.* Aliâ quoque Epistolâ S. Præsulem adit, petens ut de divinis rebus institutionem ad se perscriberet. Athanasius igitur *congregatis Episcopis qui doctrinâ excellere videbantur, rescripsit Joviniano.*

Socrat. l. 3. c. 24.

Athan. t. 2. p. 33.

Theodorit. l. 4. c. 2.

Synodus Alexandrina Joviano scribit: Arianos repellit.

Lab. Conc. t. 2. 98.

XVI. Ex verbis Theodoriti liquidò constat, hoc anno Concilium Alexandriæ esse convocatum. Cujus & mentio est in Libello Synodico: *Piissimus autem Imperator Jovianus, missâ Alexandriam ad Athanasium legatione, immutabilem veræ orthodoxiæ definitionem quæsivit. Is igitur delectos Ægypti, Thebaidos & Libyæ Episcopos congregans, definitionem Synodicam gratiæ & veritate plenam, Joviano Christi amanti misit.* Valesii quidem nobis non placet sententia, qui nullam Alexandriæ Synodum putans tradit: *Epistolam scriptam esse ab Athanasio Antiochiæ, quò unà cum aliquot Episcopis Ægypti ac Libyæ se contulerat, ut Jovianum Imperatorem illic salutaret.* Epistola quidem Joviani ad Athanasium, Athanasiique Rescriptum Joviano, argumento est Athanasium Antiochiâ abfuisse. Epistola autem Synodica de fide ad Jovianum sic habet: *Religiosissimo & clementissimo victori Augusto Joviano, Athanasius & reliqui Episcopi qui venerant, ex persona omnium Episcoporum Ægypti, Thebaidos, ac Libyarum.* Laudant dignam Principe rerum cælestium discendarum cupiditatem, arguunt Arianam blasphemiam, quæ Filium, & Spiritum S. ad res conditas relegat; subjiciuntque Confessionem à Patribus CCCXVIII. Nicææ conditam. Ut porro quæ ad Athanasium pertinent, uno tenore exequamur, optimus Antistes vel amicorum consilio, vel mandatis Joviani evocatus Antiochiam properat. Literis Imperatoris accersitum esse, testatur Epiphanius: Jovianus *honorificentissimis fideique plenissimis literis, ad Athanasium scriptis ad se illum evocans, post humanissimos amplexus ad sedem suam dimisit.* Salutato Imperatore, post constituta Ecclesiastica negotia de reditu cogitat. Antiochiam venerant *Lucius* Presbyter, *Bernicianus*, aliique de Arianorum grege Athanasium accusaturi. Ingrediente Joviano *in campum, in porta Romanesia* petunt audiri. Quærenti quid sibi vellent, respondent: *Rogamus potentiam & Regiam dignitatem tuam, ut Episcopum nobis præficias. Tum Imperator, Jussi, ait, priorem quem habuistis, Athanasium præsidere vobis. Ariani dixerunt, Oramus potentiam tuam, jam multi sunt anni quòd proscriptus & accusatus est. Miles continuo zelo commotus, respondit, Quæso te, Imperator, inquire quinam sint, & unde? Hi enim sunt reliquiæ, & hæc calumnia Cappadociæ, residua ex impuro illo Georgio, qui civitatem & mundum desertum volunt. Hoc audito Rex calcaribus admotis, equum incitavit, & venit in campum.* Secundo colloquio urgent Ariani Athanasium ante XXX. annos proscriptum à Constantino, Constantio, & *sub Deo dilecto, imò sapientiæ studiosissimo, & beatissimo Juliano*, in exilio fuisse. Respondit Jovianus, *Nihil mihi de Athanasio dicatis. Novi enim quamobrem accusatus, & quomodo proscriptus sit.* Urgentibus ultrò citròque Arianis, & Orthodoxis, tertio colloquio mandat Jovianus, duos ex parte qualibet eligi. Rogantibus Arianis, quemcunque alium præter Athanasium, iratus Princeps dixit, *Fert, fert.* Instantibus etiamnum amplius addidit: *Ite ad Ecclesiam, eras frequentes adeste: & post dimissionem, sunt hic, ait, Episcopi, & Nemesianus hic est, unusquisque vestrum, uti credit, subscribet. Et Athanasius, Hic est. Qui rationem fidei reddere nescivit, discat ab Athanasio. Habetis crastinum & perendinum diem. Egredior enim in campum.* Quidam de Antiochensium plebe comprehensum Lucium ad Jovianum adducunt, dicentes: *Regiam majestatem precamur, vide quem voluerint creare Episcopum?* In quarto colloquio, quod ad vestibulum Palatii cum Lucio habitum est, se audiri petenti *Princeps dixit, Deus mundi, & radians Sol ipse, & Luna succenseat ipsis, qui tecum navigarunt, quòd te non projecerunt in mare.* Cùm per Euzoium à Probatio, & Eunuchis Eusebii Bardionisque successoribus, aliquid commendationis reperire Ariani contenderent, Imperator quæstioni subditis Eunuchis edicit: *Qui Christianos deferre velit hunc in modum excrucietur.* Sic triumphatis hostibus, Athanasius Alexandriam revertitur. Fallitur Sozomenus, qui scribit, Euzoium omni ratione conatum ut *Probatius* Eunuchus, Arianis Alexandriam incolentibus, Episcopus præficeretur: *Probatius* enim Præpositi Cubiculi munere fungebatur. Dum Antiochiæ versatur Athanasius, videtur apud ipsum purgasse se Paulinus, qui erroris accusabatur. Quam rem memorat Epiphanius, de Paulini Confessione verba faciens: *Quam quidem professionem assensione suâ confirmarat anteà, cùm se apud B. Athanasium purgaret.*

Epiph. h. 68. n. 10.

Athan. t. 2. 37.

Epiph. h. 77. n. 20.

Macedoniani Anomæos pelli à Joviano postulant.

XVII. Imperante Juliano, cùm Christiana religio in summo discrimine versaretur, sectarum Episcopi omnes conquiescentes, junctim Deo supplicarunt, ut sibi propitius foret. Ab eo metu liberati, ad dissidium excitantur. Ac primùm Macedoniani Joviano libellum offerunt, postulantes pelli Ecclesiis eos, qui dissimilem Patri Filium dicebant, ipsi verò in eorum locum substituerentur. Libellum obtulere Basilius Ancyræ, Sylvanus Tarsi, Sopronius Pompeiopolis, Pasinicius Zenorum, Leontius Comano-

ANNO DOM. 363.

manorum, Callierates Claudiopolis, Theophilus Castabalorum Episcopi. Accepto libello, Imperator ipsos sine responso dimisit, hoc tantùm prolocutus: *Ego contentionem aversor, eos verò qui concordiæ student, diligo atque observo.* Non satis tamen Socratem inter Sozomenumque convenit, qui libellum missum esse tradit: *Significarunt se ad comitatum non venisse, ne molesti esse viderentur, si verò venire juberentur, se suo sumptu id cupide facturos.* Petebant etiam, *omnibus ubique Episcopis quocumque vellent loco in unum convenire liceret, nemine alio in consessum admisso.*

Socrat. l. 3. c. 25.

Sozom. l. 6. c. 4.

Synodus Antiochena. Confessionem offert Joviano.

XVIII. Eodem anno, dum Imperator Antiochiæ moratur, Acaciani cum Meletio colloquium habent, quod ab Imperatore in summo haberi pretio cernerent. Id penè miraculo fuit, Acacium Ariminensis fidei patronum ad Homousianos accessisse. Synodo Episcoporum XXVII. in ea urbe convocatâ, firmatur *Consubstantialis* fides. Qua de re libellum offerunt Imperatori: *Piissimo Deoque carissimo, Domino nostro Joviano, victori Augusto, Synodus Episcoporum, ex variis Provinciis congregatorum Antiochiæ.* Declarant se Imperatori suggerere, quòd Nicææ fidem susciperent: *Siquidem vocabulum Consubstantialis, quod novum quibusdam & insolens visum est, cautâ interpretatione à Patribus est explanatum, ita ut significet Filium ex Patris substantia genitum esse, & similem esse Patri secundum substantiam.* Hic Nicænam Confessionem subjungunt. Synodo præfuit Meletius, cui Eusebius Samosatensis, Evagrius Siccelorum, *Uranius* Apameæ, *Zoilus* Larissæ, *Acacius* Cæsareæ, *Antipater* Rhosi &c. *Piso* Adamorum per *Lamydrionem* Presbyterum, *Athanasius* Ancyræ, per Orsitum, & Ætium Presbyteros, *Patricius* Palti per Lamyrionem Presbyterum subscripsere. Hujus Synodi libellum Sabini in Collectione gestorum Synodalium Socrates se reperisse profitetur. Antiochenæ Synodo non satis æquum se Hieronymus præbuit, cujus hæc verba sunt: *Synodus Antiochiæ à Meletio & suis facta, in qua homousio, anomœoque rejecto, medium inter hæc omoiousion Macedonianum dogma vindicarunt.* In Synodum oculos depossuisse non videtur Hieronymus, qui Consubstantialem rejectum dicit, quem Synodus verbis expressis probat.

Socrat. l. 3. c. 35.

Hieron. Chron.

Laodiceni Concilii Epocha.

XIX. Quis Laodicenæ Synodo annus assignari debeat, non est in medio. Eruditorum cuique sua Chronologia placet. Illud tamen certissimum, à vero abhorrere Baronii Binniique sententiam, existimantium Laodicenam Nicænâ esse antiquiorem. Quam optimis *Marca* argumentis refellit: *Canone septimo damnantur Photiniani Heretici, qui aliquot annis post Synodum Nicænam emerserunt. Deinde in antiqua Collectione locum suum post Antiochenam obtinet Synodus Laodicena.* Canon quidem septimus sic sonat: *Eos qui ex hæresibus, hoc est, Novatianis, Photinianis aut Tessarescaidecatitis convertuntur, sive Catechumenos, sive qui apud illos Fideles dicuntur, non admitti, prius quàm omnem hæresim anathematizaverint.* In Versione quidem Isidori vox *Photinianis* desideratur. Sed neque à Græcis exemplaribus quæ præcipuè consuli debent, neque à Dionysiana versione abest, quæ & antiquior est, & melior, atque sincerior. Momenti non est alicujus, Baronianæ Chronologiæ fundamentum: *Constat autoritate Hieronymi receptum in Nicæno Concilio librum Judith, cùm in serie Canonicorum librorum à Patribus Laodiceæ congregatis, idem liber ab authenticis sit explosus.* Absurdum autem esset, inquit, Laodicenses quæ de Canonicis libris à Nicæna Synodo decreta essent, penitùs convulsisse. Quo quidem argumento probatur, ante Concilium Nicænum floruisse Hieronymum, qui scriptis Canonicis sæpius librum Judith eximit. Scilicet in Prologo Galeato, Commentario in Haggæum c. 1. præcipuè Epistolâ 115. *Judith & Tobiæ, & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit.* Ex quo intelligitur, non verum Hieronymo fuisse, quod de Nicænis Patribus legebatur, *Ipsos librum Judith in numero Sacrarum Scripturarum computasse.*

Mar. de Concord. l. 3. c. 3. 133.

Laodic. c. 7.

Baron. Append. n. 7.

ANNO DOM. 363.

Laodiceni Canones.

XX. Non Syriæ, sed Phrygiæ Laodicæam Episcopi confluxere, quod titulus ipse demonstrat: *Sancta Synodus, quæ apud Laodicæam Phrygiæ Pacatianæ ex diversis Provinciis Asiæ regulas exposuit Ecclesiasticas, sicut suprà scriptum est.* Canones condidit LIX. quorum series nonnihil in editionibus diversa. Quartus enim in Græcis exemplaribus & versione Dionysiana, in Isidori translatione quintus est. I. Indulgentiâ quâdam illis communionem reddit, qui secundas nuptias inierunt, postquam jejunio precibusque vacaverint. II. Pœnitentibus tribuit communionem. III. Neophytos vetat ad Ordinem Sacerdotalem promoveri. IV. Clericis interdicit usurâ. V. Negat Clericos coram Catechumenis esse consecrandos. VI. Hæreticis Ecclesiæ ingressu prohibet. VII. Novatianos, Photinianos, Quartodecimanos jubet hæreses suas ejurare, antequam recipiantur. Deinde Symbolum discere, & unctos chrismate sacramentis communicare. VIII. Cataphrygibus præcipit, à Catholicis Sacerdotibus baptismum suscipere. IX. Vetat orare Hæreticorum in Ecclesiis atque Martyriis. X. Catholicis prohibet, liberos suos Hæreticis tradere nuptum. XI. Presbyteras in Ecclesiis ordinandas non esse statuit. XII. Episcopus Provinciæ Antistitum & Metropolitani judicio constituatur. XIII. Edicit populis permittendam non esse Sacerdotum electionem. XIV. Ne Sancta instar Eulogiarum, in Festo Paschatis in alias parœcias transmittantur. XV. Non oportere præter Canonicos Cantores qui suggestum ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia. Cantores verò *Canonici* dicuntur, quorum nomina albo Catalogoque Ecclesiæ inscribebantur, qua de re inspiciantur Nicæn. c. 16. & 17. Antioch. c. 11. Chalcedon, c. 2. Agath. c. 1. Cyprianus Ep. 35. XVI. Sabbatis Evangelia cum aliis Scripturis legantur. XVII. In sacro Conventu Psalmos non oportet continuare, sed lectiones interponere. Vox *processionibus*, quæ reperitur Isidori in versione, Baronio aliisque fraudi fuit, qui *processiones* Latinorum sibi videre visi sunt à Laodicensibus usurpatas. XVIII. Et ad horam nonam, & ad vesperam orationes eædem celebrentur. XIX. *Oportere seorsum primùm post Episcoporum sermones, Catechumenorum orationem peragi, & postquam exierint Catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: his etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & cùm discesserint, Fidelium preces sic ter fieri: unam quidem scilicet primam silentio, secundam autem & tertiam per pronuntiationem impleri: deinde sic pacem dari: & postquam Presbyteri pacem Episcopo dederint, tunc Laicos etiam pacem dare, & sic sanctam oblationem perfici: & solis licere sacratis ad*

altare

altare accedere, & communicare. XX. Non oportet Diaconum ante Presbyterum sedere, sed sedere cum jussu Presbyteri. Similiter etiam haberi honorem Diaconis à Ministris. XXI. Non oportet Subdiaconos locum habere in Diaconico, & Dominica vasa contingere. XXII. Ministrum non oportet orario uti, aut ostia relinquere. XXIII. Lectores, Psalmistæque orariis non utaotur. XXIV. Nullus Clericorum, & Afcetarum cauponas ingrediatut. XXV. Diaconus panem non det, calicem non benedicat. XXVI. Qui non sunt ab Episcopis ordinati, neque in Ecclesia, neque intra domos exorcizare debent. XXVII. Clerici Agaparum particulas non auferant domum. XXVIII. Nullæ in Ecclesiis Agapæ celebrentur. XXIX. Christiani Sabbata Judæorum non celebrent: sed Dominicam diem. XXX. Clerici Ascetæque lavacra cum mulieribus communia non habeant. XXXI. Cum Hæreticis non sunt miscenda connubia. XXXII. Ab Hæreticis benedictiones non suscipiantur. XXXIII. Cum Hæreticis Schismaticisve orare non licet. XXXIV. Relictis Christi Martyribus, ad falsos Martyres non est abeundum. XXXV. Non oportet relictâ Dei Ecclesiâ abire, & Angelos invocare, & congregationes facere. XXXVI. Clerici magiæ Astrologiæve non vacent, ab amuletis abstineant. XXXVII. Hæreticorum festivitates non sunt celebrandæ. XXXVIII. Judæorum azyma ceremoniæque repudientur. XXXIX. Ethnicorum festivitates non sunt celebrandæ. XL. Clericus sine literis Canonicis iter non suscipiat. XLI. Clericus absque permissione Episcopi sui nullam profectionem instituat. XLII. Ne orationis obtentu Ostiarii à januis Ecclesiarum absint. XLIII. Mulieres in Sacrarium non ingrediantur. XLIV. Secundâ Quadragesimæ hebdomadâ nemo ad baptismum suscipiatur. XLV. Baptizandus Symbolum discat reddendum Episcopo vel Presbytero v. feriâ ultimæ hebdomadæ Quadragesimalis. XLVI. Qui in morbo constituti baptismum suscepere, Symbolum doceantur. XLVII. Qui baptizati sunt, cæleste chrisma percipiant. XLVIII. Quadragesima panis non offeratur nisi Sabbato, & Dominicis. XLIX. Quintâ feriâ postremæ hebdomadæ Quadragesimalis non solvantur jejunia: totâ Quadragesimâ aridis vescendum. L. Natalitia Martyrum solis diebus Sabbaticis, & Dominicis peragantur, labente Quadragesimâ. LI. In Quadragesima nuptiæ non celebrentur. LII. In nuptiis non est saltandum, sed sobriè prandendum, & cœnandum. LIII. Clerici in conviviis spectacula ne contemplentur, sed priusquam ingrediantur thymelici secedant. LIV. Clericis Laicisque prohibet ex Symbolis quæ *comissilia* vocantur, convivia celebrare. LV. Non licet Presbyteris ante ingressum Episcopi sedere in tribunali Ecclesiæ. LVI. In vicis villisque Episcopi non præficiantur, sed Inspectores constituantur. LVII. A Sacerdotibus ne fiant oblationes in domibus. LVIII. Privati Psalmi non canentur in Ecclesia, neque libri non Canonici legantur, sed sola V. & N. Testamenti Volumina. LIX. Libros Canonicos recenset, quibus excludit Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, Sapientiam, Maccabeos, & Joannis Apocalypsim.

FINIS TOMI SECUNDI.



INDEX
RERUM & VERBORUM,

quæ in secundo Tomo Annalium Politico-Ecclesiasticorum continentur.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum significat.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

Julianus

L.

M.

Nume-

O.

P.

Q.

R.

S.

Simo-

T.

V.

X.

Z.



